ENARRATIONIS PSALMORVM DAVIDIS, EX PRAELE-
CTIONIBVS D. HENRICI MOL-
LERI HAMBVRGENSIS, IN
Academia VVitebergenſi
exceptæ,

NOVISSIMA EDITIO, PRIORIBVS
emendatior. Cui nunc primùm acceſſerunt

PARTES PSALMORVM, OBSERVATIONES
LOCORVM DOCTRINÆ, ARTICVLORVM PRÆCIPVORVM NOTÆ,
ex doctiſſimis Interpretibus à quodam Theologiæ ſtudioſo colle-
ctæ, & ſingulis Pſalmis ſubiunctæ.

LOCORVM COMMVNIVM, vt vocant, qui vel explicantur, vel breuiter indicantur; DICTIONVM item & Rerum quæ in D. H. MOLLERI Commentariis obſeruatu dignæ occurrunt, INDICES locupletiſſimi.

Henr. Mollerus Joach. filius Theol. celebris natus 12 die Apr. Hamburgi A.D. 1530. Fuit professor Academiæ Witebergensis. Obijt Nov. 26. 1589 ætat. 59. Hamburgi.

Henry Mühlenberg
1776



GENEVAE,
Apud PETRVM & IACOBVM CHOVET.
M. DCX.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. EBERHARDO EPISCOPO LVBECENSI AC VERDENSI, Abbati ad D. Michaelem in inclyta vrbe Luneburga, Domino ſuo clementi ac debita reuerentia colendo.

EXTANT paſſim apud ſcriptores præclara admodum Pſalmorum Dauidis præconia, quæ inuitare vnumquemque ad frequentem horum lectionem & aſſiduum meditãdi ſtudium debebant: éſtque inter cætera illud Baſilij dictum valde illuſtre, qui carmina hæc commendaturus, ita cæteris ſcriptis Biblicis anteponit, vt, quicquid in his contineatur, quod ad pietatem vel exuſcitandam vel alendam faciat, id quaſi in faſciculum in illum librum eſſe congeſtum, communéque promptuarium optimarum doctrinarum inde effectum eſſe affirmare non dubitet. Idque ita eſſe res oſtẽdit. De omnibus enim articulis doctrinæ Chriſtianæ nuſquam in veteris Teſtamenti libris plura aut illuſtria magis extant teſtimonia, quàm in Pſalmis Dauidis: ideóque Chriſtus ipſe, & poſt eum Apoſtoli ſæpius ex Pſalmis quàm ex aliis ſcripturis teſtimonia allegarunt, quibus doctrinæ & miniſterio ſuo fidem facerẽt. Neque verò teſtimoniorum tantùm multitudine, ad quam & orationis ſplendor accedit planè inimitabilis, cætera veteris Teſtamenti ſcripta ſuperant Pſalmi: ſed habent pręillis etiam hoc peculiare, quòd in Dauide & aliis nonnullis, qui autores horũ carminum fuerunt, doctrinæ cæleſtis ὑποτύπωσις & religioſi cultus norma, tanquam in viua imagine pingitur atque ob oculos ponitur, non vt horum tantùm pietas lectori commendetur: ſed vt vſus doctrinę cæleſtis perſpicuè monſtretur, ex quo ſinguli diſcant, cùm quid ſpectare in ſacrarum literarum lectione, aut quod ſtudium ad eas afferre, tum verò, quomodo in periculis variis, & grauiſſimis conſcientiæ doloribus, à ſenſu iræ & iudicij diuini ortis, erigere ſeſe ac ſuſtentare debeant. Multò enim efficaciùs mouet animos noſtros & rectiùs erudit exemplum hominis pij, omniúmque tentationum generibus probè exercitati, quàm nuda doctrina aut præceptio. Nam & in palæſtra, ſi artis præcepta ſubinde legas ac relegas, parum profeceris, niſi artificem adhibeas, qui ipſa armorum tractatione & vſu tibi præeat, &, quomodo congrediendum ſit cum antagoniſta, oſtendat. Fuit autem Dauid præ cæteris ſanctis omnibus in Eccleſia grauiſſimis tentationum fluctibus obiectus & agitatus, vt non aliunde rectiùs quàm ab hoc artifice, quem ipſe Spiritus ſanctus tam diu ſub ferula ſua tenuit atque edocuit, vt præſtantiſſimi athletæ exemplum omnibus relinqueret, quid ex vſu ſiet, diſcere queas. Nam cùm typum gereret Chriſti, neceſſe fuit eum quàm proximè ad archetypum accedere, & in ſe quãdam imaginem non

dolorum tantùm ſummorum, quos Chriſtus propter peccata generis humani ſuſtinuit, ſed & victoriarum repræſentare. Neque vnius generis aut exigui temporis fuerunt illi dolores: ſed, ſicut Chriſtus tentatus fuit per omnia toto ſuæ, quam in terris egit, vitæ tempore: ita Dauidem quoque guſtare initia omnium illorum dolorum præ cæteris oportuit.

Hos igitur ille dolores, tentationes, & certamina variè in Pſalmis ſuis pingit, nec hyperbolicè, vt quidam exiſtimant, ea exaggerat: ſed magnitudinem & difficultatem horum certaminum ipſe optimè omnium intelligens, & Eccleſiæ in ſuo exemplo, quo erudiatur, proponere volens, eo vtitur orationis genere, quod, vt ſecuris quidem, & ex voluptatibus ebriis, poëmati alicui, quod parum abſit à figmento, non abſimile videatur; ab iis tamen, qui cum Dauide nonnunquam in hanc arenam deſcendunt, intelligi aliquo modo poteſt. Nec tantùm luctam ille ſuam & pericula varia, quæ ob profeſſionem & ſtudium doctrinæ cæleſtis foris ſibi ab hoſtibus obiecta ſint, deſcribit: ſed rationem & modũ, quo ex his dolorum abyſſis emerſerit, & ſuperatis periculis victor euaſerit, demonſtrat.

In his igitur exercitiis, hoc eſt, in ſuperandis illis pauoribus conſcientiæ, qui ex agnitione & ſenſu iræ Dei aduerſus peccata intus in animis exiſtunt, & fortiter perferendis periculis atque ærumnis, quæ foris corpus affligunt, cùm vita hominis Chriſtiani perpetuò ſit occupata, atque inde militiæ perpetuę eã comparet Spiritus ſanctus, nihil profectò vtilius eſt crebra Pſalmorũ lectione. His enim qui tyrones ſumus, non pręceptionibus tantùm, ſed exemplis viuis quaſi præparamur ad hæc certamina, vt & ictus hoſtiles rectiùs excipiamus, & mala præuiſa fortiùs feramus, maturéque remedia cõparemus, quibus & doloribus illis noſtris medeamur, & pericula, quæ foris ingruunt, amoliamur.

Ac ſicut athletæ, antequam in arenam deſcendant pugnaturi cum antagoniſtis, probè ſe priùs exercent, dum vel arma rectè tractare diſcunt, vel corpus vngendo atque exercendo neruos firmant, & agilitatem membris inducunt, vel abſtinentia noxiorum humorum affluxum arcent: Ita, qui in militia Chriſtiana futurus eſt aliquando athleta non rudis aut ignauus, quíque ita certare decreuit, vt expectare βραβεῖον à ſummo illo agonotheta Domino noſtro Ieſu Chriſto hilari animo & ſpe certa poſſit, hunc armis hiſce, quæ in Dauidis & aliorum ſanctorum exemplo, quaſi in viua imagine, deſcribuntur, eſſe inſtructum, ſcientiámque tractãdi ea multò antè ſibi comparare, ac, quoties vſus poſtulat, eandem rectè exercere oportet: ne, ſi rudis huius artis ſe pugnæ committat, mox ab hoſte diabolo aut eius organis, vel etiam à carne ſua, quem perpetuum hoſtem circumfert, opprimatur.

Quod cùm ita ſit, vt cætera quæ de vtilitate Pſalmorum ab aliis ſplendidè & copioſè ſunt expoſita, omittam: ſemper in eccleſia maximo in pretio habiti ſunt Pſalmi: neque vllus fuit liber Scripturæ ſacræ maiore cura & ſtudio piis commendatus, quàm hic ipſe, quem Hebræi laudum librum appellant, adeò vt, cùm à cæteris nõnullis vſque ad maturam ætatem abſtinere pleroſque vellent, hunc pueris etiam aſſiduè inculcandum iudicarent. Cùm enim ad perpetuam militiam vocati ſimus, qui Chriſto regi nomina dedimus, & prælia nobis cum variis, atque iiſdem aſtutiſſimis & potentiſſimis hoſtibus ſint ineunda: non aliunde quàm ex doctrina diuinitus patefacta, atque inprimis ex hoc Dauidis armamentario idonea depromenda ſunt arma, cùm φυλακτήρια, tum ἀμυντήρια,

quibus

quibus inſtructi in aciem prodeamus. Itaque & Chryſoſtomus in concione ad populum Antiochenum habita, in qua Eccleſiæ militiam longa oratione deſcribens, auditores ſuos ad pugnam hanc inſtruere conatur, Pſalmos nobis inprimis commendat, eóſque etiam ab idiotis & opificibus, dum in officinis ſedent & operas faciunt, vt diabolo omnis ſubeundi animos otioſos aditus præcludatur, aſſiduè decantari iubet: adeóque tanquam magnum & optimum comitem ſingulos adiungere ſibi hunc librum hortatur, cuius conſuetudine & ſermone moleſtias itineris noſtri in hac vita, dum à Domino peregrinamur, leniamus, & minore labore ad optatam patriam perueniamus.

Et certè multùm profeciſſe ſe in pietatis ſchola ſciat is qui & legendis aſſiduè Pſalmis delectatur, & ſentẽtiam horum mediocriter aſſequitur. Quò enim longiùs in hoc ſtudio progreditur, & quò propiùs ad mentem Prophetæ accedens, non orationis tantùm, ſed & rerum magnitudinem quodammodo aſſequitur, eò plus profeciſſe eum hactenus, maioréque deinceps diſcendi ſtudio accendi certum eſt.

Quòd igitur nonnullos hoc tempore deterret à Pſalmorum lectione, vel orationis, quod dicũt, obſcuritas, vel etiam rerũ ſublimitas, quid aliud hi, quàm inſcitiam ſuam & ἀπειρίαν Chriſtiano homine minimè dignam profitentur? Si enim in militiæ huius, quæ Chriſtianæ profeſſionis propria eſt, diſciplinam aliquando ſe tradidiſſent, aut exercitiorũ pietatis non planè eſſent expertes, nunquam ita ſe rudes eſſe oſtenderent, vt genus ſermonis, quod Spiritus ſancti proprium eſt, & in pietatis officina perpetuò vſurpatur, ſe aſſequi non poſſe palam quererentur. Etenim, ſicut cuiuſlibet artificij propria quædam ſunt vocabula, & peculiare nonnunquam ſermonis genus, quod non niſi ab exercitatis in eo artificij genere ferè intelligitur: ita habet & hæc militia Chriſtiana ſuũ orationis genus, quod tum primùm rectè intelligitur, vbi in hac palæſtra ſe quis aliquandiu probè exercuerit. Atque inde natum eſt dictum illud apud veteres iactatum: Pſalmos Dauidis non intelligi niſi ab his qui animorum doloribus ſæpe eſſent fatigati, aut ærumnis diuturnis ſubacti: vt, ſi vnquam verum fuit celebre illud Herodoti dictum, παθήματα μαθήματα, id maxime in hac Spiritus ſancti ſchola locum habere debeat. Eíque rei non tantùm priuatim cuiuſque conſcientia aſtipulatur: ſed publicæ præſentium temporum calamitates teſtimonium præbent manifeſtum.

Nam ſi ad ſuperiorum temporum tenebras reſpiciamus, cùm omnia ſub Papatu ad vnius hominis arbitrium gererentur, & diabolus regnum ſuũ in pace & otio inter homines impios & idololatras obtineret, quotus quiſque inueniebatur, etiam ex his qui quotidie Pſalmos in templis decantando, aut etiam publicè in ſcholis & templis profitendo, ventrem ſuum magis quàm animum paſcebant, qui vel vnicum Pſalmum rectè intelligeret, aut interpretaretur? Quis enim non videt quàm inſulſæ ſint omnes recentiorum ſcriptorum interpretationes? quibus & ita obſcurati ac deformati ſunt Pſalmi, vix à ſordibus ſuis repurgari aliquantùm vt potuerint. Nec libet hoc loco congerere exempla, quibus id planum fiat, cùm nullus penè Pſalmus ſit, in quem non ſuas nugas & ſomnia à Venere potiùs & Baccho, quàm à Spiritu ſancto orta, boni illi patres congeſſerint.

Noſtro verò tempore, cùm Eccleſia propter veritatis profeſſionem in maxima incidiſſet pericula ac certamina, & excuſſo illo veterno, qui animos homi-

num ſub Papatu occupauerat, ſentiri dolores conſcientiæ ex ira & iudicio Dei aduerſus peccata cœpiſſent, ipſa etiam Pſalmorum oratio rectiùs intellecta placere cœpit: vt maiore deinceps ſtudio & vberiore cum fructu legerentur, quàm antè, quando in nuda recitatione certorum Pſalmorum neſcio quod meritum conſtituebatur. Acceſſit autem & ſtudium eorum qui doctores Eccleſiis præfecti erant. Hi enim, quò propiores erant periculis, & difficultatem certaminis ſpiritualis magis intelligebant, eo ardentiùs incúbere in lectionem Pſalmorum neceſſe habuerunt. Cúmque cognitione linguarum & diſciplinarum optimarum plurimùm iuuarētur, horum opera & ſtudio effectum eſt, vt deterſis ſordibus, Pſalmis ſuus natiuus color ſit reſtitutus, & iam paſſim ſummo piorum non tantùm cum deſiderio, ſed & pietatis profectu legantur ac decantentur.

Id verò beneficium, vt agnoſcendum & grato animo prædicandum à piis eſt: ita opera à nobis danda, vt ipſi quoque hos præclaros athletas imitemur, & tanquam duces ſequamur. Id fiet, ſi & priuatim in veris pœnitentiæ & inuocationis exercitiis ac tota militia noſtra ex hoc promptuario arma petamus, quibus exercendis in vera pietate proficiamus, nóſque aduerſus hoſtium inſultus muniamus, & publicè veram ac natiuam horum diuinorum carminum ſentētiam conſeruemus, & ad poſteros propagare ſtudeamus.

Eo conſilio ante annos nouem, cùm Prophetas aliquot, ex his quos minores vocant, publicè auditoribus meis in hac ſchola propoſuiſſem, iuſſus ſum deinceps Pſalmos in eorum gratiam, qui Hebrææ linguæ operam darent, interpretari. Iudicarunt enim hi, quibus cura ſtudiorum publicorum in hac Academia commiſſa eſt, illis prælegendi exercitiis non tantùm conſeruari ſermonis diuini proprietatem, eandémque ad poſteros tranſmitti, ſed plures ſubinde ad lectionem horum ſcriptorum & ad pietatis ſtudium inuitari. Quod igitur mei officij eſſe intellexi, operam dedi, vt ad priuatam experientiam, quæ non parum hactenus me erudiuerat, & ad eam explicationem, quam olim, cùm adoleſcens conuictu reuerendi viri D. Philippi Melanthonis patris & præceptoris colendi vtens, & Pſalmos Hebræos ad menſam prælegens, ex ore illius viri exceperam, doctiſſimorum, cùm veterum, tum noſtræ ætatis interpretum ſentētias adiungerem, & ex collatione diligenti, veram & genuinam ſententiam eruerem. Atque in eo, quantùm fieri omnino à me potuit, laboraui, vt auditoribus fidem & diligentiam meam probarem: ac ne quid ad ſtudium meum deeſſet, operam dedi ſedulò, vt ipſa interpretum verba & ſententias, quoties poſcere res videbatur, & quantum memoriæ firmitas inter prælegēdum patiebatur, retinerem. Eáque in re ſummorum virorum autoritatem ac iudicium ſum ſequutus. Etenim, vt Nicetas rectè alicubi inquit, in eo laborare, vt quæ ſemel rectiſſimè dicta ſunt, noua orationis forma enunties, intēpeſtiuæ oſtentationis eſt. Ideóque, quicquid huius in commentariolis noſtris animaduerſum fuerit, id non tam mihi, quàm doctiſſimis noſtræ ætatis interpretibus, quorum diſcipulum libenter me profiteor, acceptum referat lector.

Etſi autem, qualia illa ſint, quæ publicè auditoribus à me propoſita ſunt, nunc non excutio: fateor enim tenuiora eſſe illa, quàm quæ vel orationis Dauidicæ ſplendori, vel rerum magnitudini ac varietati conueniant: & intelligo breues haſce commonefactiones, in quibus argumenta, cōſilia, ſeries atque ordo ſingulorum ſcriptorum breuiter & nudè explicantur, aut phraſis proprietas oſtenditur, nonnunquam etiam de vocabuli ſignificato aliquid ſubiicitur,

non ita incurrere in oculos, nec eam laudem apud pleroſque inuenire, quam procul excurrens & multiplici ac copioſa rerum tractatione ex libris methodicis deſcripta enarratio: & quod inprimis ab edendis illis commentariolis hactenus me deterruit, nunquam ferè integrè, quæ à me dicta erant, excepta eſſe animaduerto: ideóque quantùm ad me attinet, illos qui hæc ex ore prælegentis excepiſſent, frui hoc labore, quàm ad alios oſtentare maluiſſem: cùm tamē non illi tantùm, qui me audiuerant, ſed alij quoque non contemnendæ eruditionis viri ſubinde apud me inſtarent atque vrgerent, vt ea, quæ ſparſim ac mutilatim à diuerſis excepta erant, colligerem, & collecta ederem: iámque nonnulli etiam eſſent, qui pro ſua autoritate id mihi imperarent: ceſſi horū voluntati, & quantum per reliqua ſtudia & operas publicas, in hac mea inualetudine ſuffurari tēporis potui, id colligendis hiſce quaſi naufragij tabulis tribui. Cúmque id nonniſi tumultuario ferè labore & interciſis horis à me factum ſit, ſpero candidos lectores quicquid à me huius præſtitum eſt, boni conſulturos eſſe.

Tuæ verò R. D. Princeps reuerendiſſime, hanc partem, quæ quinquaginta priores Dauidis Pſalmos continet, inſcribere volui, cùm propter ſummas tuas virtutes, quas & in adminiſtratione Eccleſiarum tibi commiſſarum, & in grauiſſimis reipubl. negotiis feliciter expediendis oſtēdis, tum verò vt memoriam eius beneuolentiæ, qua me aliquando, cùm pietati & bonarum artium ſtudiis apud nos operam dares, complectebaris, qua decet reuerentia & cultu me retinere intelligeres. Cùm enim in tanta Epiſcoporum noſtræ ætatis non ignauia tantùm, ſed pietatis odio pluſquam immani & barbarico, vnus ferè ſis, qui idolomaniam pontificiorum ex animo deteſtetur, & characterem beſtiæ Romanæ hactenus accipere recuſet, quíque habita muneris ſibi impoſiti ratione, Eccleſias ſuæ fidei & curæ commiſſas rectè doceri de Deo, & ad pietatis ſtudium traduci curet: agnoſcimus hanc pietatem tuam bonorum omnium laude dignam, atque eius memoriam ad poſteros propagandam eſſe: & ego, cùm à multis annis non ſolùm propter generis ac natalium ſplendorem, ſed virtutis inprimis ac pietatis ſtudium, te coluerim, iudicaui de eo oblata occaſione publicè me teſtari debere. Itaque vt gratum ſibi velit eſſe hoc officium R. D. T. qua decet reuerentia peto. Ac Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, vt R. D. T. deinceps quoque adſit in gubernatione, eámque Spiritu ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ & pietatis impleat, donáque in pectore generoſo accenſa adaugeat, vt magno ſtudio, feruore & conatu timorem Domini perpetuò ſectetur. Vvitebergæ in feriis Pentecoſtes, Anno 1573.

T. R. D.
Reuerenter colens,
Henricus Mollerus.

SCRIPTVM PVBLICE PROPOSITVM VII. DECEMBRIS, Anno M. D. LXXIIII.

SEMPER in Eccleſia lecti & decantati ſunt pſalmi Dauidis, vt aſſidua repetitione auditoribus fierent familiares. Et Auguſtinus ſcribit, cùm abiectis erroribus Manichæorum amplexus eſſet doctrinam Chriſtianam, & ingreſſus in ædem ſacram audiuiſſet decantari à cœtu fidelium pſalmos, non potuiſſe ſeſe continere quin lacrymas funderet. Tanta enim eſt rerum magnitudo in hoc poemate, tanta verborũ & ſententiarũ grauitas & elegantia, vt legentem vel audientem cum aliqua attentione non poſſit non vehementer mouere, & in admirationem cùm ipſius doctrinæ tum & autoris horum ſcriptorum adducere. Ac, ſi rectè volumus iudicare, id quod Cicero de Euripide dixit, ſingulos eius verſus ſingula teſtimonia ſeu oracula eſſe, veriùs multò de pſalmis dici poteſt, quorum autorem conſtat eſſe non tam Dauidem, regem alioqui præſtantiſſimum & ſapientiſſimũ, quàm ipſum Spiritum ſanctum, cuius ſermo, vt ſcribitur 2. Samuel. 23. ſonuit per linguam Dauidis. Itaque meminimus Reuerendũ virum Patrem & præceptorem noſtrum Philippum Melanthonem, τὸν ἐν ὁσίοις, ſæpe dicere ad auditores ſuos, quoties ad lectionem pſalmorum eos inuitabat: Nullum eſſe ſcriptum elegantius in mundo, Pſalterio Dauidis. Quòd verò nonnulli Phocylidis, Heſiodi, Pythagoræ, Pindari & ſimilium poemata Pſalterio vel præferunt, vel ſaltem nõ deteriore loco habenda eſſe cenſent, in eo non tãtum inſcitiã ſuam produnt: ſed etiam doctrinam, quæ eccleſiæ Dei propria eſt, non toleranda contumelia afficiunt. Etſi enim Phocylidis & aliorũ carmina ſuam merentur laudem, & vſum habẽt in vita politica ſanè eximium (explicant enim eam legis partem, quæ in ſecunda tabula cõtinetur, quæque huius vitæ ciuilis præcipuus quaſi neruus eſt & vinculũ, quo ſocietas humana continetur) tamen nequaquam accedunt ad iſtam ſapientiam, quæ pſalmis eſt cõprehenſa. Nihil enim dicunt illi ſcriptores de vero Deo, aut de voluntate ipſius erga genus humanum, non agnoſcũt perſonã aut beneficia Meſsiæ, ſine quibus genus humanum æternæ morti & damnationi addictũ, ſperare vitam & ſalutẽ non poteſt: non concionãtur de fide & iuſtificatione coram Deo. De inuocatione verò, quæ vnicum noſtræ ſalutis eſt præſidiũ, aut muti ſunt prorſus: aut aberrantes à Deo, varia ſibi numina & idola fingunt, quorum cultu adeò non conſequũtur quod optant, vt etiam calamitates ſibi accelerent, & æternam damnationem triſtiorem ſuam efficiant. Cúmque magnam partem ſuorum carminum in deploratione miſeriarum & calamitatũ, quibus hæc vita obnoxia eſt, cõſumant, portum tamen nullum oſtendũt, qui receptum præbeat miſeris & calamitoſis, aut qui ex hac vita migrantes lætioribus fatis excipiat. Denique etiãſi de operibus ſecundæ tabulæ ſeu de honeſta morũ gubernatione multa cõcionãtur, & præmia rectè factis tribui, ſcelera verò pœnis diuinitus affici demonſtrãt: tamen non oſtendũt neque docẽt quomodo opera noſtra Deo placeant, aut cultus fiant quibus Deus honore afficiatur. His tantis de rebus cùm alia ſcripta Prophetica & Apoſtolica, tum verò inprimis pſalmi Dauidis nos erudiunt. Cúmq; primus Dauid huic doctrinæ, quæ eccleſiæ Dei ab initio pateſacta eſt, numeros adiũxerit, tota antiquitas hæc ſcripta magnifecit, & quotidianis decãtationibus & repetitionibus ſibi familiariſſima fecit: nõ tantùm quod illa quæ numeris incluſa ſũt, faciliùs in memoria hærẽt, ſed etiã quia mutari aut deprauari non ita facilè poſſunt, quin error ſtatim cognoſcatur. Nunc (proh dolor) ea profanitas inuaſit eccleſiã, éſtque is ſtupor & ignauia multorum, vt quanquam de veteri conſuetudine pſalmi in eccleſia decantentur, vel in ſcholis prælegantur: tamen pauciſſimi ſint qui dulcedine horum carminum afficiantur, fitque id quod Auguſtinus de quibuſdam ſuæ ætatis profanis hominibus queritur, vt quanquam verba ſubinde decãtando repetãt: tamen corda ipſorum planè ſint muta: & quod magis deplorandum eſt, cùm olim pſalmi digitis ipſis hominibus piis fuerint notiores, nunc vix eſt quiſquam qui vnum aut alterum pſalmum memoria teneat. Eſtque hic ſtupor & negligentia non inter poſtrema ſigna, quæ ruinam portẽdunt eccleſiæ & veræ pietati. Vt autem adoleſcentes, qui in hac ſchola ſunt, excitẽtur ad lectionem pſalmorum, decreui hos deinceps, de conſilio Præceptorum interpretari. Qua in re ſpero me auditoribus fidem & diligentiam probaturum eſſe.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

IN PSALMORVM lectione quæ maximè obſeruanda ſint, non vno tempore, & quidem breui, explicari à nobis poteſt. Tanta enim eſt rerum vbertas, tantáque varietas, vt comprehendi aut exponi vna oratione non poſſint. Vt enim ſinguli pſalmi peculiarem ferè continent doctrinam: ita & orationem peculiarem, & tempus requirunt. Itaque rectiùs me facturum exiſtimo, ſi omiſſa hac commemoratione, quæ & longa nimis, & fortè moleſta futura eſſet auditoribus, ſtatim ad ipſam interpretationem accedam: id quod Deo iuuante faciam, vbi primum nonnulla de autore: deinde de genere doctrinæ, quæ in his pſalmis traditur: poſtremò de cauſſis, quare Spiritus ſanctus doctrinam eccleſiæ Dei carminibus comprehendi, ſeu numeris includi voluerit, dixero. De his rebus neceſſe eſt auditores initio moneri, vt ſciant quid iudicare de his ſcriptis, & quanti ea facere, qualeſque animos ad auſcultationem hanc afferre debeant. Non enim quod pleriſque in ore eſt, exiſtimandum eſt, ſolum Dauidem, atque alios nonnullos præſtantes pietate, ſapientia & eruditione in populo Iudaico eſſe autores horum pſalmorum: ſed multò magis ipſum Spiritum ſanctum: quo dictante, & quaſi calamum & linguam Dauidis regente, hi verſus ſunt conſcripti: Ita enim ſcriptura de his & ſimilibus pronuntiat. Notum enim eſt ipſius Dauidis teſtimonium, qui ſecundo Samuelis viceſimo. tertio affirmat, ſe Spiritus ſancti impulſu Pſalmos compoſuiſſe. Ac ne ſuſpectum, aut minùs firmum videatur teſtimonium ab ipſo autore prolatum, Chriſtus ipſe, cùm teſtimonia ex pſalmis citat, non dubitat affirmare, Spiritu ſancto docente, Dauidem ea verba protuliſſe. Notus enim eſt locus Matthæi viceſimo ſecundo, vbi affirmat Dauidem in Spiritu Meſſiam vocaſſe Dominum. Et Apoſtoli initio doctrinam ſuam teſtimoniis præcipuè ex pſalmis adductis, tanquam illuſtribus & firmis oraculis, quibus contradici non poſſet, confirmarunt, vt videre eſt in horum dictis, & in epiſtola ad Romanos. Quare inepti ſunt valde, aut potiùs blaſphemi, qui ſcripta Phocylidis, Pindari & aliorum his anteponunt: id quod noſtro tempore nonnullos magni nominis viros feciſſe accepimus. Etſi enim multa in his ſint præclara & vtilia præcepta, quæ vitam & mores regere, & de communi infirmitate & miſeriis humanis commonefacere nos poſſunt: tamen nequaquam dici de his poteſt, quod de Pſalterio & aliis ſcriptis propheticis D. Petrus affirmat, cùm inquit, à Spiritu ſancto impulſos locutos eſſe ſanctos Dei homines, 2. Petr. 1. Atque hinc, quanta autoritas huic ſcripto concilietur, intelligi poteſt. Non enim legenda hæc ſunt carmina tantùm, vt ſcripta Phocylidis, Pythagoræ, & ſimilium poëtarum, qui omnes rationis lumen ſecuti, optima quæque præcepta de virtute colenda & vitiis fugiendis condiderunt: & lumina verborum & ſententiarum addiderunt, quæ lectorem non delectare tantùm, ſed & inuitare ad amorem & cultum virtutis poſſent. His verò non vt homini quantumuis ſapienti, ſed tanquam voci de cælo ſonanti eſt attendendum, ſicut ipſe Dauid inquit pſalmo 95. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra, &c. Atque ita longè infra ſcripta Dauidica cætera ſunt ponenda. Idque vt magis manifeſtum fiat, nonnihil de genere horum ſcriptorum, ſeu de rebus, quæ in pſalmis tractantur, dicendum eſt, vt ex antitheſi diſcrimen faciliùs intelligatur. Ac primùm quidem tenendum eſt, quod iam eſt dictum, ſummam omnium ſcriptorum Ethnicorum, quæ de virtutibus colendis & vitiis fugiendis concionantur, ferè in hoc Virgilij verſiculo comprehenſam eſſe:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Nihil enim aliud volunt omnia illa poëmata, quæ multa & varia apud Græcos & Latinos extant, quàm vt eam partem decalogi explicent, quæ in ſecunda tabula continetur, hoc eſt, vt præcepta de externa diſciplina tradant, & amorem virtutis atque odium ſcelerum lectoribus inſtillent. Atque intra hos terminos ita conſiſtunt omnes, vt ſi qui vlteriùs progrediantur, & de rebus diuinis, de eſſentia, aut voluntate Dei, de veris cultibus Deo debitis, aut ſimilibus philoſophari incipiant, mox hallucinentur, & tetros errores comminiſcantur. Hinc enim eſt illa gentium πολυθεΐα, & Heſiodi θεογονία plena idolomaniæ & turpitudinis. Hinc illæ ἑκατόμβαι & alia ſacrificia quàm plurima, quibus placari poſſe numen diuinum nimis ſtultè credebant: hinc idololatriæ, heroum ἀποθεώσεις, & alia infinita, quæ Ethnici vt magna leuitate excogitarunt, ita nimis ſuperſtitioſè ac præter rationem obſeruarunt: nonnunquam etiam ſcriptis harum rerum ſuperſtitioſam obſeruationem commendarunt. Eſt autem alia longè maior ſapientia in doctrina eccleſiæ comprehenſa, ignota philoſophis, quam Filius Dei ab initio protulit ex ſinu æterni patris, & eccleſiæ ſuæ patefecit. Ea non concionatur tantùm de externa diſciplina aut honeſta morum gubernatione: nec morbos tantùm & calamitates generis humani tragicè exaggerat & amplificat, vt faciunt Poëtæ Latini & Græci: ſed & cauſſam malorum, & remedia quibus mala hæc tollantur, oſtendit. Atque hinc iam copioſa doctrina enaſcitur, quæ tradita eſt in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, longè alia & diuerſa ab illa quam Ethnica philoſophia profitetur. Eſtque inprimis illa in pſalmis comprehenſa, vt liber ille ex cæteris omnibus quaſi collectus & congeſtus eſſe videatur. Nullum enim eſt ſcriptum, in quo de omnibus articulis fidei noſtræ tam multa & illuſtria extent teſtimonia, quàm in pſalmis. Vt enim à ſummo illo articulo, qui caput eſt religionis noſtræ, ordiamur, nónne perſpicua teſtimonia de tribus perſonis diuinitatis traduntur pſalmis 2. 33. 68. 110? De natura diuina in Meſſia concionantur pſalmi 2. 72. 110. De Spiritu ſancto pſalm. 51. 143. De

¶¶

reliquis verò articulis doctrinæ Chriſtianæ alij pſalmi complures loquuntur, vtpote de creatione & prouidentia: de peccato originali: de peccatis actualibus: de peccato regnante & non regnante: de Lege: de diſcrimine Legis & Euangelij: de iuſtificatione hominis, ſeu de remiſſione peccatorum gratuita, & reconciliatione coram Deo per Mediatorem: de bonis operibus: de diſcrimine veteris & noui teſtamenti: de eccleſia, quæ & qualis illa ſit, & vbi quærenda: de pœnitentia ſeu conuerſione ad Deum: de reſurrectione & reſtitutione vitæ æternæ: de iudicio Dei poſt hanc vitam, in quo præmia reddentur piis, impij verò in pœnas æternas abiicientur: de cruce & calamitatibus eccleſiæ, & de harum cauſis: de veris conſolationibus, quæ opponendæ ſunt ſenſui iudicij diuini, terroribus mortis & inferorum, & reliquis calamitatibus, quibus eccleſia in hac vita eſt ſubiecta: de inuocatione, quæ vnicum ſalutis noſtræ eſt præſidium. De his tantis rebus Ethnicorum ſcripta aut prorſus ſunt muta, aut, ſi quid dicunt, aniles potiùs fabulas & ſomnia ſua, quàm veram & ſalutarem eccleſiæ doctrinam, cui tutò inniti animus poſſit, exponunt. Vt vel hinc appareat, quanti hæc ſcripta ſint facienda, quantóque ſtudio cognoſcenda. Quid enim eſt vita humana, ſi harum tantarum rerum cognitione, & ſenſu veræ conſolationis, quæ ex ſola doctrina cœleſti petitur, quæque ſola animos hominum ab interitu & æterna damnatione ſeruare & vindicare poteſt, deſtituatur? Atque hęc omnia quorũ nunc mentionem feci, ita luculenter in pſalmis ſunt tradita, vt nullus liber ſit propheticus, qui vnus plura de his teſtimonia contineat. Eáque cauſa eſt cur præ reliquis omnibus ſcriptis, hic liber perpetuò in omnium piorum manibus ſit verſatus, fueritque vel pueris in eccleſia notiſſimus. Alexander Magnus tanti feciſſe legitur poëma Homeri, vt ſiue ſeria, ſiue iocos tractaret, atque etiam cùm armaretur in hoſtem, decantari ſibi carmina Homeri voluerit. Itaque cùm ſcrinium pretioſiſſimum ex auro & gemmis, in quo Darius rex præcipua κειμήλια ſua aſſeruarat, inter ſpolia Babylonica ſibi eſſet oblatum, Homeri libris id deſtinauit, nullum habere ſe theſaurum pretioſiorem indicans, quem in ea arcula conſeruaret. Quantò magis nos qui in eccleſia ſumus, hoc dulciſſimum Spiritus ſancti poëma, tam variis doctrinis refertum, támque ad conſolationem, & ad veram pietatem alendam efficax, amare & magnifacere, & non arculis manu fabrefactis aut pretioſis gemmis ornatis, ſed ipſi pectoris ſcrinio includere, & magna cura aſſeruare decet? Verè enim dici poteſt, nullum eſſe theſaurum in mundo pretioſiorem, quàm qui his carminibus continetur. Hæc de genere doctrinæ, quæ in hoc poëmate comprehenſa eſt, monuiſſe initio ſat eſt, vt ſtudioſi ſciant, quanti facere, & quomodo diſcernere hæc poëmata ab aliorum doctorum hominum ſcriptis debeant. Cæterùm de rebus ipſis, Deo iuuante, in ipſa interpretatione, quantum fieri in hac Grammatica explicatione poteſt & debet, & prout ipſæ ſeſe offerent, dicetur copioſiùs.

Cauſſæ verò cur numeris includi hanc doctrinam Spiritus ſanctus voluerit, videntur hæ potiſſimum eſſe: Prima, vt teſtimonia de præcipuis doctrinæ articulis certa & incorrupta extarent & tranſmitterentur ad poſteros. Nam quæ numeris incluſa aut comprehenſa ſunt, ita cohærent, itáque mutuo nexu colligata ſunt: vt ſi vel ſyllabam mutes, vel dictionem demas aut tranſponas, mox error deprehendatur. Turbatur enim harmonia, quam mens humana vt facilè agnoſcit, ita mirabiliter ea capitur, & quaſi conſtringitur, vt diſcedere ab ea nequeat. Vt igitur firma, certa, & deprauationibus minimè obnoxia traderentur doctrinæ Chriſtianæ teſtimonia, Spiritus ſanctus quaſi ex omnibus ſcriptis Propheticis collecta his numeris incluſit, & eccleſiæ commendauit. Nec dubium eſt, diabolum, vt eſt operum Dei inſidioſus μιμητὴς, hanc ipſam ob cauſam oracula, quæ per Pythones reddere olim ſolebat, verſibus ſeu numeris incluſiſſe, vt ſcilicet autoritatem ſuis ſcriptis conciliaret: & ſciſcitatũ miſſis occaſionem vel mutandi vel deprauandi reſponſa præcideret. Altera cauſſa eſt, quia propter concinnitatem numerorum multùm iuuant memoriam, nec ita facilè effluunt quæ numeris adſtricta ſunt, quàm ſoluta oratio. Vt igitur faciliùs comprehendi hęc doctrina à vulgo, & ad poſteros paopagari poſſet, hoc quaſi adminiculo fulcire imbecillitatem humani ingenij, & conſulere perpetuitati voluit Spiritus ſanctus. Videmus enim cantilenas per multa ſecula durare in vulgo, etiam cùm res ipſæ aut hiſtoriæ ampliùs non ſunt notæ. Hîc verò deploranda eſt, tum miſeria gentis Iudaicæ, tum verò ex parte aliqua etiam noſtra infelicitas, quòd rationem metri, quæ huius carminis propria eſt, ignoramus. Ea enim cum politia Iudaica, ſicut alia multa, interiit. Neque enim dubium eſt, quin, ſi ratio metri nobis conſtaret, dulcius multo & commendatius nobis futurum eſſet hoc poëma. Et tamen ea fuit diligentia piorum omni tempore, vt, quanquam verſuum rationem non intelligerent, ipſa tamen verba memoriæ infigerent, & exactè tenerent. Eam diligentiam imitari nos, & amplitudine rerum quæ his verſibus continentur, metiri potiùs bonitatem verſuum quàm metris decet. Tertiam cauſſam oſtendit D. Athanaſius in epiſtola ad Marcellinum de interpretatione pſalmorum, dignam conſideratione. Ait enim, non ad delectationem aurium aut animorum ſcripta eſſe, aut publicè in templis decantari hæc poëmata, vt pleraque Græcorum aut Latinorum olim in panegyribus recitabantur: ſed potiùs, vt de harmonia omnium actionum in vita nos commonefaciant. Sicut enim (inquit Athanaſius) harmonia tibias committens vnum concentum efficit: ita quoque in anima variis motionibus cogitandi, cupiendi, noſcendi agitata, vnde membris initium operandi deſumitur, ratio poſtulat hominem ſibi conſonum eſſe, neque ipſum à ſeſe diſſidere, non vt optima quidem cogitet, peſſima tamen faciat, quemadmodum Pilatus, qui cùm diceret, Nullam cauſam mortis in eo inuenio, Iudæorum tamen ſententiæ ſuffragatus eſt: aut vt concupiſcat mala, ſed perpetrandi facultate deſtituatur, quales erãt ſenes illi aduerſus Suſannam: aut vt quidem ab adulterio abſtineat, à furto non abſtineat: aut vt à furto ſe purum ſeruet, ab homicidio non ſeruet. & paulo poſt: Qui ſecundùm prædictam rationem concinunt, vt melodia verborum ex numeris vocum cum Spiritus harmonia congruat, iſti pſallunt & lingua & mente, nec ſeipſos ſolùm, ſed alios etiam, qui audire volunt, mirificè adiuuant. Et rurſus: Modulatim recitare pſalmos nequaquam ſtudium eſt concinnioris voculationis, ſed argumentum cogitationum animi aptè in harmonia conſonantium. Et numeris aſtricta lectio ſignum eſt concinnæ quietæque in animo affectionis. Hæc Athanaſius & alia plura: nam copioſè hac de re diſputat in ea epiſtola, quam auditores ipſi legant diligenter: nobis breuiter hæc perſtrinxiſſe, & quaſi digito monſtraſſe, ſatis eſt. Cùm igitur tanta ſit dignitas atque vtilitas horum carminum, vt dictum eſt, meritò illa magnifieri à nobis & diligenter memoriæ mandari debent. Qua in re imitari nos exemplum maiorum noſtrorum decet, apud quos turpiter ſce-

leratus, atque adeò indignus piorum hominum conſortio iudicabatur, ſi quis vel mediocriter ſacris literis imbutus pſalmos ignoraret. Ideóque inſtitutæ erant crebræ illæ repetitiones & decantationes in templis, vt vel hoc modo piis fierent familiares. Quod exercitium ita tandem obtinuit in eccleſia, vt res etiam in ſuperſtitionem euaderet. Meminimus enim multos, patrum memoria neque cibum ſumere, neque ſerium quicquam agere, niſi priùs certum numerum pſalmorum recitaſſent. Et tamẽ quæ fuit infelicitas ſuperioris ſeculi, vix fuit vnus aut alter, qui vnum pſalmum rectè intelligeret: erant enim omnia inuoluta denſiſſimis tenebris, non tantùm quia doctrina erat multiplicibus erroribus conſpurcata, ſed etiam quia ſtudia linguarum iacebant ſpreta & contempta, nec erat quiſquam qui ex fontibus Hebræis eruere veram & natiuam ſententiam poſſet: Interpretes verò cùm Græcos tum Latinos ſæpe hallucinatos eſſe res ipſa docet. Nunc Dei beneficio renatis literis ac ſuo nitori reſtitutis, & pſalmi, & reliqua ſcripta Prophetica & Apoſtolica rectiùs intelligũtur: eóq; magis anniti nos decet, vt hoc tãto bono non ipſi tantùm fruamur, ſed poſteris etiã, tanquam fideles depoſitarij, hunc theſaurum relinquamus. Ego quidem quanto poſſum ſtudio enitar, vt veram & natiuam ſententiam, quam Grammatica gignit, auditoribus oſtendam, & de præcipuis articulis doctrinæ, quantum neceſſe eſt, auditores commonefaciam, vt non tantùm ipſi legere pſalmos, ſed aliis etiam exponere poſſint. Ac Deum oro, vt ſtudia & conatus noſtros regat, & mentem noſtram Spiritu ſuo illuminet, vt vera, pia & ſalutaria diſcamus & doceamus, ipſiúſque nomen & gloriam paſſim celebremus. De genere carminum Hebræorum erant hoc loco monendi auditores. Sed antea diximus, nihil certi de hac re apud idoneos autores extare. Suidas in hiſtoria ὑπατίας ſcribit, Muſicam circa Arcadij Imperatoris tempora concidiſſe, cùm quidem Hebræorum Muſica, ad quam hæc carmina maximè accommodata ſunt, multò antè cum ipſa politia Iudaica exoleuiſſet. Cum hac itaque & metri rationem omnem amiſſam eſſe non dubium eſt. Ioſephus quidem libro ſecundo capite decimoquarto antiquitatum Iudaicarum hexametri mentionem facit, quo vſum eſſe Moſen in ſua ode poſt Iſraelitarum ex Ægypto egreſſum & Pharaonis interitum teſtatur. Sed nequaquam iſtud metri genus conuenit cum ratione, quæ Græcis & Latinis eſt vſitata. Idem libro 7. cap. 12. & 15. meminit non tantùm organorum muſicorum, quæ à Dauide inſtituta ſint, ſed hymnos quoque vario metro ab eo compoſitos fuiſſe affirmat capite duodecimo: rationem tamen neque compoſitionis, neque diuerſitatis vllam oſtendit, niſi quòd alios quidem trimetros, alios verò pentametros fuiſſe refert. Hieronymus in præfatione, quam Eſaiæ concionibus præfixit, prophetas ſoluta oratione ſcripſiſſe affirmat, more Demoſthenis & Ciceronis: cùm tamen alibi Ieſaiæ orationem hexametro verſu conſtare dicat: Iobi ſcriptum magna ex parte verſibus hexametris dactylo ſpondæóque currentibus comprehendi: pſalmos verò & threnos Ieremiæ ac cætera ſcripturæ cantica Flacci, Pindari, Alcæi, & Sapphûs carminibus reſpondere, hoc eſt, Lyricis, Iambicis, Sapphicis & Alcaicis metris conſtare idem doceat, ex autoritate Philonis, Ioſephi, Origenis & Euſebij Cæſarienſis, quos citat. Sed certas leges, quibus hi verſus ligentur, neque Hieronymus, neque alij poſt eum demonſtrare potuerunt, cùm muſices rationem ignorarent. Itaque hanc rem tanquam dubiam & incertam in medio relinquamus, & ad interpretationem textus accedamus.

*

D. V. T. S.

HENRICO MOLLERO HAMBVRG. THEOL. SOLIDO ET ORTHODOXO EXVLI IN PATRIA, ANIMI CORPORISQ. MED. EXACTA PSALMORVM ET ESAIAE INTERPRETATIONE ALIISQ. PRAECLAR. ING. MON. CELEBERRIMO, P. IOH. ESYCH.

Qui dulcem inuenit patriam, pro nomine Chriſti,
(Tantus amor Chriſti eſt) pulſus in exilium.
Atque iterum inuenta in patria fuit exul, eodem
Nomine bis felix, bis quia in orbe miſer,
Hîc iacet Henricus MOLLERVS, candida linguæ
Lux triplicis, gentis gloria, honos patriæ.
Qui cùm non animi, quod erat, medicum eſſe liceret,
Hoſpitij medicus corporei emicuit.
Felicem, infelicem eadem res fecit, eodem
Tempore: id humanum non capit ingenium.
De mundo aſt hæc eſt fidei victoria: vicit
MOLLERVS mundum, & cum duce victor ouat.

Eidem.

Te quoque conſtantes inter pietatis alumnos,
MOLLERE, noſtra iure referunt ſecula.
Atque omnis referet votis concordibus ætas,
Quæ tua legendo olim teret volumina.
Tu quia poſthabito Satanæ mundíque furore,
Et, quæ imminebant tum tibi, periculis,
Sinceram vera de relligione profeſſus
Es calamo & ore publicè ſententiam.
Exilium inde animo patienti hilaríque tuliſti
Cum coniuge vnà paruuliſque liberis,
Donec es in veram patriam, cœlúmque receptus,
Vbi vita vera, vera conſtant gaudia.
Huius ad exemplum, ſacri ô durate miniſtri:
Vos vt ſequantur digna pariter præmia.
IOH. POSTHIVS, Aulæ Pal. Elect. Medicus F.

De obitu eiuſdem.

Sæua quid immeriti dextrum latus omne Parentis
MORS, anima dulci deficiente, feris?
Aut cur occludit, te ſic ſtimulante, profundus
Ne ſolem videant lumina chara, ſopor?
Quæ priùs ærumnis tantis exercita, nónne
Debuerat tandem vita quiere frui?
Nónne fuit iuſtum poſt tanta pericula natos
Exemptum dura ſorte videre ſenem?
Heu MORS dira, grauis, miſeranda mihíque meíſque!
Heu miſerum! miſeros quot facis vna dies!
Sed Pater æthereus voluit, quicum ille beatus
Æuum agit. Idem nos aſſeret vſque Pater.
IOH. MOLLERVS, Filius.

De vita & morte Eiuſdem.

Si pietas, ſi cana fides, conſtantia, candor,
Aut vlla virtus cœlite
Nata DEO, hoſpitium dignum inuenêre ſub aſtris
Mortalia inter ſecula,
Te MOLLERE ipſum dicam. Nulli hoſpita Virtus
Vel notior, vel charior
Quàm tibi: non hoſpes quiſquam te charior illi.
Sic iuſta erat concordia.
Te viuum in terris comitata fideliter omnes
Tecum ſubiuit impetus
Fortunæ, contra quoſuis ſtans fortiter ictus,
Non paſſa te ſatiſcere.
Exemptum viuis viuum mox intulit aſtris,
Nec paſſa te eſt occumbere.
Sic Sors Mórſque illi victæ ceſsêre. Quis ergo
Miſerum putet vel mortuum?
IOH. IONSTONVS Scotus.

EPITAPHIVM EIDEM
Ab eodem Ionſtono poſitum.

Te naſci vidit celebri tuus Albis in vrbe.
Mox celebrem vidit te vrbe docere ſua.
Hinc profugum patria (rem miram!) rurſus in vrbe
Atque mori hac ipſa vidit in vrbe ſenem.
Ortum, obitum, vitam noſcit, dolet, & colit Albis:
Atque eadem hæc orbis ſcit, dolet, atque colit.

Aliud.

Qui naſci vidit, vidit denaſcier Albis.
Doctorem vidit, vidit & hunc profugum.
Gaudeat an doleat mage? bis gaudétque dolétque.
Ipſe quid? in cœlo, quod petiit potitur.

HENRICI MOLLERI THEOLOGIÆ quondam in Academia VVitebergenſi Profeſſoris, Memoria.

Ornabas patriam nuper, Mollere, ſuperſtes,
Exulis ingratam quam probat interitus.
Nam quo delirans pepulit te patria, tecum
Hoc ipſo pietas pulſa furore fuit.
Terrena è patria cuius miſerata fugatam
Mox animam veræ reſtituit patriæ.
Exuuias verò, turba affectante piorum,
Hoc manibus tumulo condidit ipſa ſuis.
Parce tuis, Mollere, nocens te patria iuuit,
Téque ſolo pellens, addidit ecce polo.
TH. BEZA.

LOCO-

LOCORVM COMMVNIVM, VT VOCANT, QVI VEL EXPLICANTVR IN ENARRATIONE D. MOLLERI, vel breuiter indicantur, & ex Pſalmorum contextu facilè colligi poſſunt,

INDEX LOCVPLETISSIMVS.

Numerus Pſalmum indicat.

A

ADminiſtratio Dei Pſ. 67.73 *mundi* 65 *rerum* 33
Adoptio piorum 116
Aduentus Chriſti 96.102
Aduerſitatis fontes 127
Æternitas Dei 81.90.92.102
Affectus hum. cur Deo tributi 10.74
Afflictiones piorum quales 30.31.70.71.91.94.102.118.121.126.141
Ambitio 49.131
Amici & proximi noſtri 122
Amœnitas Dei 90
Anabaptiſtarum impietas 42.84
Angeli electi 34.35.68.91.103.104.148
Animæ humanæ immortalitas 31 *piæ affectus, anatomia, conflictus, exercitia, ſenſus, ſors beata* 25.55.119.143
Animi pauores & variæ conſternationes 56
Antichriſti impietas blaſphema 45
Apoſtatæ vani ac miſeri 16 *ingrati* 41 *horum facies & exitus* 43 *ingenium & interitus* 55
Arca fœderis 80
Artes impiæ adu. Eccleſiam 141
Aſcenſio Chriſti 47.68
Atheiſmi radix, rami lethiferi fructus 36
Attributorum variorum Dei effecta in nobis 18
Auaritia 49
Aulici impij deſcripti 26.52.62.101 *primarij* 58
Auxilium Dei 9.17.18.54.70.79.118.119.124.143
Auxilij humani vanitas 60.62.118

B

BEatitudo ſeu beatitas hominis 1.4.32.36.37.84.119.128.144.150
Bella iuſta, quomodo, quando, à quibus gerenda 18.20.60.144
Bellum ſpirituale 149
Benedicere Deo, quid 67
Benedictio Dei 60 *huius efficacia* 127 *à quibus & quomodo ſperanda* 128
Benedictiones externæ & internæ 112 *quis ſit vſus benedictionum temporalium* 128 *ſumma benedictionum publicarum* 134
Benedictiones Dei erga eccleſiam 67.115 *harum conſideratio & vſus* 132
Beneficentia Dei 76.135
Beneficia Dei erga ſuos 20.44.68.103 *horum recordatio, repetitio & ſenſus* 106.114.143
Beneuolentiæ diuinæ ſigna 86
Benignitas Dei 41.50.57.85.89.100.104.116.136
Bonitas Dei 8.100.138.145.148
Bonum ſummum. vide Summum Bonum.

C

CÆlorum conſideratio 8.19.33.89.104.148
Calumniatores 120
Cantica ſacra 27
Carnis & ſpiritus duellum 88
Ceremoniæ externæ 28.95 *legales* 132
Certamina ſpiritualia 143
Charitas erga Deum 86.145 *erga proximum* 7.133.141
Chriſtiani. vide Pij.
Chriſtus, Iehoua 96.97 *vide Filius. Chriſtus Deus-homo* 2.45.95.97.110 *Chriſti duplex ſtatus, exaltationis nempe & humiliationis* 22.69.88.98 *eius ſepultura & reſurrectio* 16 *Chriſti triplex munus, regium, propheticum, ſacerdotale, deſcriptum partim vel perfectè* 2.18.21.22.40.45.80.93.96.98.99.110.132 *Chriſtus paſtor eccleſiæ* 23.80 *eiuſdem aduentus, iudicium, ſides, veritas, iuſtitia* 96 *apparitio* 68 *veſtigia* 89 *gloria quando perfecta* 63 *Chriſtus vbi quærendus* 132
Clementia Dei 78.11.106.107
Clementia humana 101
Clientela Dei eximia 143
Cœtus pius & impius 16
Cœtus & conuentus ſacri 26.40.43.68.84.111
Cognitio Dei, duplex 19
Concordia Eccleſiæ 133
Conditio noſtra varia 113
Confeſſio peccati ad Deum 19.25.32.51.106 *confeſſio veritatis* 119.137
Confidentia praua 62
Coniugium ſpirituale & myſticum 45
Coniugij humani dignitas, præſtantia, multiplex fructus & vſus 127.128
Conſcientia bona & ſincera, eiuſdémque fructus 7.16.18.26.31.37.44.52.66.112
Conſcientiæ malæ confuſio horrenda 7 *ſauciæ, ſilentis, latebras captantis miſeria* 32 *Conſcientiæ pauor, tremor, pax, lætitia* 51 *Conſcientiæ pax* 48.73.86. *Conſcientiæ examen cui committẽdum* 139
Conſiliarij principum 58
Conſeruatio Eccleſiæ inter mundi ruinas 46
Conſolatio firma piorum 3 *vide Pij.*
Conſolationis firmiſſimæ capita 27.119 *& paſſim. Conſolationes diuinæ* 94
Conſuetudo humana 95
Conſtantia Dei 89 *conſtantia piorum* 46.137
Conuerſiones rerum 44
Corporis humani fabrica mirabilis 139
Creatio rerum 24.33.65.104.136.148
Creaturarum documenta & horum rectus vſus 19 *Creaturæ cur ad lætitiam inuitentur ad aduentum Chriſti* 98 *Creaturarum corruptio & immutatio* 102 *conſeruatio* 104 *potentia, quoties Deo militant* 105 *officium* 148.150
Credentes. vide Pij.
Crux 44.54 *vide Afflictiones, Eccleſia, Pij.*
Cultus Dei regula, fructus, vſus 22.40 *origo* 130 *natura* 135
Cultus verus & falſus 16.95
Cultus externus 4.27.42.116
Cultus externus & internus 50.67.96.132.134

D

DElatores 54
Deſiderium pium 63
Dei aduentus quid efficiat 50 *Attributa varia, eorundemque multiplex vſus* 18.62.95.119.144 *vide Bonitas, Clementia, Iuſtitia, Miſericordia, Omnipotentia & alia attributa Dei ſuo ordine collocata.*
- *Charitas erga ſuos afflictos* 142
- *Exercitus & copiæ* 97.104.105.106.148
- *Facies qualis & quibus oculis conſpicienda* 27.80
- *Natura* 22.31.36.69.71.91
- *Maieſtas* 68.86
- *Opera* 19.33.104.136.148
- *Seueritas iuſta* 3
- *Tribunal* 76

Deus cognoſcitur duplici via 19 *in Eccleſia, nuſquam alibi cognoſcitur* 65 *qualis agnoſcitur à ſuis* 92 *à falſis diis diſtinctus* 96
Deus auctor omnis boni, nullius autem mali culpæ auctor, ſed vindex ſeuerus 1
- *auctor politiarum* 20.75

Deus qualis ſit erga ſuos, nempe
- *cognitor* 48.69
- *cuſtos*
- *liberator* 43
- *pater* 87
- *protector* 91
- *rex* 74
- *ſol & ſcutum* 82 *vindex* 12.58

Deus à quibus & quomodo ſit laudandus 71.106 qualis ſit erga ſuos ab impiis contumelioſè exceptos 115 qualis inuocatur à piis oppreſſis 140
Deus quo ſenſu dicatur
Abſcondere ſeſe 89
Accedere ad ſuos 80.99
Habitare in cælis 115.123
in Eccleſia 132
Intueri & reſpicere è cælis in terram 14. 53.80.102.113
Obliuiſci 79
Pedes habere 99
Pœnitere 106.135
Quieſcere 83
Recedere 80
Recordari, reminiſci 79.89.106
Silere, ſurdum agere 28.83
Subſannare ſuos hoſtes 2.59
Surgere 44.102
Dignitas vera 84
Dilectio inimicorum noſtrorum 35.69. 139
Doctrina vera & falſa 119

V

Eccleſia Dei militans, ſub Lege & Euangelio 87
Iſraelitica 105
Deo cura 102
Num deſeratur à Deo 74.84
Ouile Chriſti 80
Solium Chriſti 99
Vinea Dei 80
Eccleſia vera & falſa collatio, à ſtudiis & euentibus 5
Eccleſia Dei
Ædificatio 147
Arma 85
Aratio 129
Characteres 118
Clades 78.79
Collectio 8
Communio 122
Concordia amabilis 133
Conditio 25.38.44.118
Conſeruatio 33
Conſideratio 84
Conſtantia 46
Cura quibus commiſſa 51
Deſtriptio 74.110.123
Dignitas 45.91.115
Diuitiæ
Domeſtici. Vide Pij.
Duratio 83.102
Emblema perpetuum 129
Exercitia 22
Facies triſtis 12
Felicitas 33.45.72.85.89.92.103.105. 131.148
Fiducia 16
Firmitas 87.125
Fortitudo 83
Fundamentum 87
Gaudium 149
Hoſtes 22.94. Vide hoſtes. & Impij.
Inſtauratio 102.126
Iubilæi 102
Lapis fundamentalis 118
Liberationes 85.105.116.124.125.126. 129.130.136.138
Membra 15.132. Vide Pij.
Militia 56
Nomina 46
Nota 24.45.84.99
Nutritij 101
Officium 44.45.99
Oppreſſiones 69
Paſtor 23. vide Chriſtus.
Pax 147
Peccata 106
Pericula 105.124
Periodi 102
Perſecutiones 78.79
Pictura 37
Porta 118
Præſtantia 45
Priuilegia 48
Proprium ibid.
Propugnacula 85
Redemptio 25.33.102.130
Refugium 12
Regimen 122
Salus 14.130
Sanctificatio 114
Sanctitas 93
Spes certa 16.31.35.69
Splendor 102
Status duplex 69
Electio Dei 47.85.90
Eccleſiæ 132
Electorum Dei certamina 13
characteres 91
diſcrimen 28
felicitas 97
fides & fiducia 17.49
gloria 63
lætitia 100
reſipiſcentia 51
ſpes 17
Eleemoſyna 112
Eleuatio manuum 141
Euangelij dignitas, finis, præſtãtia, ſumma 19.98.117
Exaltatio humana 107
Exercitia piorum 88
Exilium piorum 137

F

Facies Dei 27.42.80.95
Familia 107.113.127.128
Faſtus deſcriptio 49
Fauor Dei erga iuſtos 11.33.34
Feſti dies 81.118
Fideles. vide Pij.
Fides Chriſti 96
Fides fulcrum tutiſſimum 18
Fidei filiorum Dei audacia & firmitas 5
deſcriptio 71
efficacia multiplex 56
fulcra 40
incrementa 130
lucta, luctus, eluctatio, exultatio, triumphus, victoria læta 3.13.38.42. 43.44.56.142
natura 4.119
præſtantia 91
ſcopus 117
tentatio mira 88
Fides proximo ſeruanda 15
Fiducia in Deum 62.128.146
Fiducia noſtra ſub cruce 140
Fiducia piorum & impiorum diſcrimen, variique euentus 20
Filij Dei. Vide Pij.
Filij ſponſi & ſponſæ 45
Filius Dei, Deus æternus 45.89.110

N

Gaudia ſpiritualia vnde 61
Gaudium imperfectum & perfectum 122
verum & falſum 87.126
Generatio diuina 2 & humana 100.127.128
Gentes. vide Vocatio.
Gloria Dei 83.102.113
filiorum Dei 105.123.132
Gloria ſoli Deo tribuenda 115
Gloriæ ſedes 87
Gratia Dei 57.99.130.143
Gratiarum actiones 27.34.43.66.124. 135
Gratitudo piorum 40.103.138.140. 145

H

Habitatio Dei in Eccleſia 9.46 132.135. Vide Deus.
Hiſtoria ſacra conſideratio & vſus 105
Hominis regenerati amplitudo & dignitas ſumma 8 creatio & conſeruatio 104 miſeria multiplices 144
Hominum felicitas & infelicitas 2
in Adamo lapſo conſideratorum atheiſmus, impuritas, iniuſtitia 14.53
officium 148
Hoſtes regni Chriſti deſcripti 21.22.56. 57.59.68.69.74.83.110
Hoſtium eccleſiæ conditio miſerr. 2.9.48. 86.120
Humiliatio humana 107
Humilitas vera & falſa 131.144
Hymni ſacri 59
Hypocritarum conditio & deſcriptio 14. 43.50.53. Vide Impij.

I

Idololatrarum gloriatio vaniſſima 44
miſeria ſumma 97
Stupor & horrenda cæcitas 115
Idololatria 96
eius ſpecies & effecta 106
ſedes 115
irriſio, & deteſtatio 135
Imbecillitas humana 56.139.146
Immenſitas Dei 113.148
Immutabilitas Dei 91.102
Imperiorum labes & ſplendor 101
Impiorum artes 11
authoritas qualis 4
blaſphemia 41.94.115
cæcitas 46.104
cenſura iuſta 15
characteres 37.112.119.139
clades 81
cogitationes in mundi viciſſitud. 126
conatus irriti 6.7.17
conditio miſerrima 31.104.141
confidentia praua 62
conſilia inſana & irrita 2.140
conſpiratio 133
deſcriptio 10.41.73.83.123
doli 57
faſtus retuſus 79.149
felicitas imaginaria 37.73.92.
ferocia repreſſa 105
furor crudelis 74
hypocriſis 55
iactantia 83
induratio 18
infelicitas 1
ingenium 18.19.75.94.31. 32.35.
inopia 37
inſania 49
inſtabilitas 125
interitus 17.18.37.63.64.83.104.129. 132.141
lætitia 122
malitia 144
mens 70
miſeria horrenda 5.7.10.11.37.49. 70.125
nomina 119. nota 109
opera 64.70.140
opprobrium 132
potentia 58.142
ſarcaſmi 79
ſucceſſus vnde 89
ſuperbia 83.144
ſtudia 17.69.70.

ſtupor

ſtupor 114.135
trepidatio 14.48.53
vanitas furioſa 49
Imprecationes aduerſus impios, deſperatos Chriſti & Eccleſiæ hoſtes 28. 40.55.58.59.69.71.79.109.137.140. 141
Induratio impiorum 105
Infirmitas ſpiritualis 77
Ingratitudo hominum 145
hypocritarum 138
noſtra 166
Inimici Chriſti 3.13 9. Vide Impij.
Innocentia 15
Integritas 15
Intemperantia 131
Inuocatio veri Dei 4.5.25.61.91.120. 121.123.130.141.143.
Inuocationis diuinæ efficacia 3.7.35.37. 107.109.130.138.145
Ira Dei 18.38.78.89
in eccleſiæ hoſtes 21
in pios viros 30.74
Ira Dei ſenſus 6.88.90.102.106
Iudex terræ 94
Iudices pij & impij 82
impij deſcripti 94
iudicum officium 15
Iudicia Dei 58.89.137
ineuitabilia 7
ordinaria & extraordinaria 76
in principes 82
in rebelles 97
in reprobos 109
Iudiciorum Dei mira effecta, conſideratio & vſus 59.64.83
Iudiciorum præſes 82
Iudicium diuinum futurum & præſens 1
grauiſſimum 81
ineuitabile 50
Iudicium quale Chriſto tributum 96
Iudicium prauum 71
Ius ſeu iudicium ſcriptum Eccleſiæ 149
Iuramentum Dei 95
Iuſti. Vide Pij.
Iuſtificatio peccatoris 32.143
Iuſtificatorum priuilegia, cogitationes, officium 32
Iuſtitia cauſæ & perſonæ 7.17.18.26.59. 143
Iuſtitia Chriſti 96
Iuſtitia Dei 7.9.11.17.62.89.129.140. 145.146.147.149
Iuſtitia humana 101
Iuſtitia noſtra in quo conſiſtit 130

L

Lachrymæ piorum 56
Lætitia piorum 44.58.63.100.119. 149.150
Lætitia reproborum 122
Lapſus piorum 51
Laudes Dei 48.113.134.135.149. 150
Laudum Dei argumenta innumera 8. 9.33.34.66.68.71.76.92.103.104.106. 111.118.136.139.140.144.145.146. 147
Liber Dei multiplex 139
Liber vitæ 69
Liberatio noſtra 40.43.85.123.124.125. 130.142
Liberationes piorum 116.129.136.138
Liberationum Eccleſiæ conſideratio & finis 7.27.28.81.105.106
Liberorum officium 78.127 propagatio & educatio 107.113.127
Libertinorum impietas 42.43.84
Lucta ſpiritualis 73.77.116
Luctæ grauiſſimæ piorum 6.88
Luctus religioſus & profanus 137
Luxus deſcriptio 49

M

Magiſtratus politicus 20.144
Magiſtratuum cenſura, dignitas, ius 83
Officium 16.21.29.75.127
vitia & virtutes 101
Mgnatum improbitas 58
Magnificentia Chriſti 93
Magnitudo Dei 135.145
Maieſtas Chriſti 97
Maieſtas Dei 71.86.104
Mali culpæ auctores qui 5
Malorum noſtrorum antidotum 107
Mariti officium 128
Martyrium 44
Mediorum externorum vſus & abuſus 121
Membra corporea cur Deo tribuantur 10
Membra Eccleſiæ. Vide Eccleſia, & Pij.
Meſſias. Vide Chriſtus.
Meteorologia ſacra 29.104.147.148
Militia noſtra 44
militiæ ſpiritualis panoplia 149
Miniſterium Eccleſiaſticum 8.47.63. 84.96.97.147
Miniſtrorum Eccleſiæ officium 8.51
Miracula 77.78.105.106.111.114
Miſeria noſtra 39
Miſeriarum noſtrarum cauſæ 38
Miſericordia Dei 31.51.62.117.123.130. 136.143.145.146
Miſericordiæ piorum erga afflictos merces ampla 41
Monarchiarum conſideratio 75
Mors an expetenda 39
eius conſideratio 49
Mortui quo ſenſu ſilere nec Deum laudare dicuntur 115
Multitudo in Deum conſpirans 2.83
Mundi, i. mundanorum, ingenium 119
Mundi, i. rerum creatarum adminiſtratio 104 labes 82
Mundus quo iure ad nos pertineat 115
theatrum diuinæ bonitatis, ſapientiæ, &c. 135
Muſices vocalis atque inſtrumentalis abuſus & vſus 71.81.92.98.137 149.150
Mutuum 112

N

Natura Dei 25.86.102.103.119
Natura Chriſti duæ 2.45.110
Nobilitas vera 84
eius ſedes 87
Nomen Dei quomodo ſanctificetur 72
Nomina regis Eccleſiæ 24
Nomina inſignia piorum 69
vide Pij.

O

Obedientia noua 19
Obſequium Dei 47
Oeconomiæ adminiſtrandæ ratio 112. 127.128
Omnipotentia Dei 8.9.31.35.46.59.60. 62.71.89.93.104.107.114.115.121.135. 138.143.145.146.148
Omnipreſentia Dei 139
Opera Dei 74.81.89.103.104.105
Operum Dei conſideratio, meditatio, recordatio 77.78.111
Operum bonorum & malorum merces 62
Opificum officium 127
Oratio ad quem, per quem, quomodo, a quibus, de quibus rebus fieri debeat 86.102
Orationis piæ definitio, partes, cauſæ, efficacia, &c. 25.54.61.65
Orationes piorum 56

P

Pater Deus æternus 2.89.120
Parentum officium 78.127.128
Paſſionum Chriſti tabella 22.69
Paſtor & grex myſticus 23.28.95.100
Paſtorum eccleſiæ officium 134.135
Patientia Dei 95.106
Patientia filiorum Dei 4.7.17.40.130. 137
Patres quatenus imitandi & fugiendi 95 eorundem officium 78.127
Patriarcharum vitæ 105
Patria piorum 137
Pax Eccleſiæ 122
nulla extra Eccleſiam ibid.
Peccator quis beatus 32 eiuſdem officium 51
Peccatores omnes coram Deo 130
Peccatorum commiſſorum confeſſio 19. 25.32.51.105.106 eorundem varia ſupplicia 106
Peccatum actuale 32.38 originale 51 vtriuſque medicina 32.52
Perfectio noſtra 40.130
Periculorum huius vitæ deſcriptiones 107 vide Tentationes.
Perſecutiones Eccleſiæ 66
quid nos doceant 80
Perſecutores Eccleſiæ cur alij alijs ſuccedant 59 horum varia agmina 79 conditio miſerrima 91 ingenium, interitus 124.129
Perſeuerantia electorum Dei 15.23.38.42. 71.92.122.130
Phyſiologia ſacra 29.104.135.148
Pietatis exercitia 43 merces 112 ſtudium, præmium 13 profeſſio externa 16.26.27.42.138
Piorum & impiorum diſcrimen 26.34. 37.49.73.107
Piorum in omni vita conditio, affectus & animus 37.40.63.86 beatitudo 1.2. 32.33.40.41.65.84.94.111.112.118.119. 128.144
benedictiones 67
calamitates 109
cenſura iuſta 15
certamina periculoſa 27
characteres 24.33.48.69.70.97
charitas 145
circunſpectio 46
cogitationes in morbis & rerum viciſſitudinibus 41.126
comites 43
conditio 16.22.23.36.38
conſolatio ſub cruce 10
conuerſatio inter pios 120
copia rerum ad vitam pertin. 37
crux multiplex 39.40
decus eximium 149
deſideria 84.90
exercitia 69.73.88.116
expectatio 52
gaudium 122.128
gloriatio 31.52.57.105.132.145
gratitudo 30
ingenium 22.29.35.125
inſtauratio 94
lapſus 94
liberationes 27.30.49
luctus 102
lux æterna 49
merces 58
nomina eximia 119
officium 9.16.29.34.56.71.100.103. 104.115.117.125.134.135.150
pauores & pericula 64
perſecutiones 68
perſeuerantia 121
priuilegia 65.143
ſepultura 79
ſtatus 81.113
ſtudiũ in reputanda Dei ſapientia 139

tentationes 18.34.
triſtitia 102
virtutes 119
viuificatio 142
vota 17.144
zelus 106
Plaga Ægyptia 78.105
Pœna temporales 38
pœna grauiſſima quibus ſceleribus attrahantur 78
Poſſeſſio Dei 114
Politiarum auctor 20.82
Poteſtas Satanica quanta ſit aliquando 74
Poteſtates ciuiles à Deo 101
Potentia Diuina & humana 76.93
Pracepta humana 95
Preces piorum 38.88.119 *vide Inuocatio. Oratio.*
Precum piarum & Deo acceptarum characteres ac definitio 71
efficacia 6.13.27.39.44.102.141
exauditio, merces gratuita piorum 61
exercitia 92
fiducia 86
formula 40.119
regula 7
ſumma 90.106
Praſentia Chriſti in Eccleſia militante ſymbola 24
Praſentia diuina effecta 68
Principatus quomodo ſtant 20
Princeps pius 28.78.101
Principes Eccleſia nutritij 51.72
Principum piorum & impiorum diſcrimen 3.18
Principum conſiliarij & proceres 58
Principum piorum liberationes miranda 18.26.144
nota 72
officium 2.16.21
protectio 62
refugium 7
vindicta 18
vitia & virtutes 82.101
Probatio piorum multiplex 44
Profani, qui dicendi 42
Promiſſiones Dei 98
promiſſionum Dei perfectio 12
Propheta Dei 105
Proſperitas vnde 60.90.111.127
piis metuenda 30
impiorum 94
Prouidentia Dei, triplici reſpectu vel gradu conſiderata, nempe vniuerſalis, ſpecialis, ſpecialiſſima: eiuſdémque conſideratio, ſenſus, vſus & fructus multiplex 24.31.33.37.55.60.73.75. 91.94.101.104.105.107.111.113.116. 119.121.136.138.139.146.147
Pſalmorum ſacrorum argumentum 59
Pulchritudo Dei 90

R

REdemptorum ex periculis officium 107
Reformatio abuſuum 101
Regeneratio 100
Regimen Eccleſiaſticum 122
Regis Eccleſia nomina 24
Regis verè pij pictura 51.101
Regna quomodo ſtant 20
Regnorum labes, felicitas & ſplendor 101. 144
Regnum Chriſti 2.18.22.24.47.61. 72.78.85.89.93.98.99.110.117.118.132. 149
Regnum Dauidis 89
Regnum Dei 145.146
Regum felicitas 144
liberationes miranda 144
officium 16.21.75
praſtantia & cenſura 82
virtutes & vitia 101
Religionis cura 47
praſtantia 133
profeſſio ſincera & aperta 26
Reminiſcentia Dei 74
Remiſſio peccatorum 19.25.32.38.51. 65.130
Requies Dei & hominum 95
Rerumpublicarum auctor, cuſtos, euerſor, inſtaurator 75
labes & ſplendor 101
Reſipiſcentia 4.51
Reſurrectio carnis 16.49
Reſurrectio glorioſa Chriſti 16
Reuelationes diuina varia 89
Reuerentia Dei 111
Robur militare à Deo 60

S

SAcerdotium Chriſti 99
Legale & Euangelicum ibid.
Sacrificia euchariſtica 53.56.76
Idololatrica 106
Legalia & Euangelica 40.50.51. 66.59.95
Sanctorum decor 149
pericula, pauores, ſtudia 64 *vide Pij.*
Sanctificatio 19.32.51
Sanctificatio nominis diuini 72
Sanctificatio noſtra 114
Sapientia Dei 9.94.104.107.145.146. 147.148
Sapientia noſtra 90.94.111.119
Scabellum pedum Dei 99
Scientia Dei 139.147
Sepultura Chriſti 16
Sepultura piorum 79
Seſſio filij Dei, Chriſti, ad dexteram Patris 110
Seueritas Dei 50.60.78
Silentium laudatum & illaudatum 39
piorum ſub cruce 62.137
Spes piorum in quibuſuis tentationibus, eiuſdémque certitudo, deſcriptio, fulcra, fundamenta, ſublimitas, vberrimi fructus 35.36.41.42.61.69.71.130. 140.43
Spiritus ſancti efficacia & praſentia 33. 104.143
Spiritus lucta adu. carnem 73.88
Stultitia hominum 94
Subditorum officium 75
Sufficientia piorum 63
Summum bonum 1.16.119.128
Superbia 131 *eiuſdem coercitio* 149
Superſtitioſorum vanitas ac miſeria ſumma 16
Suſtentatio rerum 24
Sycophanta 54.119.120

T

TEmperantia piorum 131
Tentare Deum, quid 98
Tentationes Dei & hominum 95
Tentationes quibus pij in hac vita ſubiiciuntur 66.116.125.130.141.142. 143. *vide Eccleſia & Pij.*
Terra fertilitas vnde 65.104.107
Timor Dei 111
Timor filialis & ſeruilis 128.130.145
Tonitrua potentia & gloria diuina teſtes 29
Traditiones humana 95
Triſtitia piorum 38.55.102.137.143
Tyrannorum deſcriptio & exitus 43.94

V

VAnitas hominum 4.39.49.62. 76.146
Verbi Dei auctoritas, dignitas, efficacia, firmitas, maieſtas, neceſſitas, praſtantia ſumma, vtilitas multiplex, & vſus ad omnes vita partes & hominum conditiones 1.12.19.65.73.93. 96.119.147.149
Veritas Dei 57.59.78.89.96.100. 117.119.146
Veritas in hominum dictis & factis 15
Vexillum Chriſti 89
Vexillum inuictum 60
Via Domini 25.86.143
Via impiorum ſubuerſa 146
Via piorum. vide Pij.
Viciſſitudines rerum 107.113
Victoria ſpirituales 44
Victoria quomodo obtinetur 56
Vita aterna 16.61.91.102
piorum qualis 1.63.91.111
Vita praſens quibus beata 1.36.40.119 128.147
Vita praſentis breuitas 39.90.144
commoda & incommoda 187
deſiderium 6.30.80.86.89
fragilitas 89.90
inſtitutio recta 34.119
longitudo 91
miſeria 54.90
terminus 31.39
vanitas 39.90.144
Vita piorum & impiorum luculenter deſcripta 37.119
Vita politica & priuata inſtitutio atque conſeruatio 127
Vindicta principum piorum, qualis eſſe debeat 18
Vindicta publica 144
Vindicta cupiditas 137
Vindicta expetitio 35
Vide Imprecationes.
Vindicta diuina inſtrumenta quomodo conſideranda 137
Vocatio fidelium 4.92
Vocatio gentium 2.22.46.47.67. 87.96.100.102.117.138
Vocationes publica & priuata 102
Voluntas Dei arcana 115.135
& patefacta 103.119
Vota legalia & euangelica 66.116
Vota piorum 61.68.76.90.118.122. 144
Vox Dei 29
Vſura 15
Vſus legitimus & illegitimus creaturarum 8
Vxoris officium 128

Z

ZElus diuinus, humanus, ſuperſtitioſus, ſatanicus 69
Zelus pius 84.106
Zeli pij & prapoſteri diſtinctio 109. 137

ENAR-

ENARRATIO PSALMORVM DAVIDIS,

Excerpta ex prælectionibus HENRICI MOLLERI, Hamburgenſis.

ARGVMENTVM PSALMI I.

ATHANASIVS in ſynopſi ſacræ ſcripturæ, & Hilarius, affirmant, Eſram poſt reditũ Iudæorum ex captiuitate, collegiſſe Pſalmos, & in vnum volumen redegiſſe. Id an verum ſit, nécne, in medio relinquo: neque enim certi quicquã hac de re Scriptura tradit. Quiſquis verò ille ſit, qui Pſalmos collegit, non ſine iudicio hunc Pſalmum reliquis præmittere voluit. Eſt enim quaſi præfatio ſeu proœmium, non tantùm in Pſalmorum libros, ſed in vniuerſam ſacram ſcripturam. Hortatur enim omnes ad ſtudium verbi diuini, & cultum veræ religionis. Et quia ferè ita fit, vt qui veræ pietati ſtudent, varijs calamitatibus in hac vita inuoluantur, & premantur: econtrà verò impij & profani homines floreant opibus & potentia in hoc mundo: ne hæc externa ſpecies animos bonorum deterreat, quominus veram doctrinam amplectantur & profiteãtur, tradit illuſtrem deſcriptionẽ veræ Eccleſiæ, & per antitheſin oſtendit, qua in re differat vera Eccleſia à maxima multitudine, quæ impia eſt. Etſi igitur Pſalmus eſt generis didaſcalici, docẽs quæ ſit vera Eccleſia, ea videlicet, quæ relicta maxima multitudine impia, verbũ Dei *amplectitur: tamẽ principaliter oppoſitus eſt iudicio rationis, & impiæ multitudinis, quæ ex honoribus, diuitijs & lætis ſucceſſibus in hac vita metitur amorẽ & gratiam diuinã, & traditur conſolatio neceſſaria pijs, ne frangantur animo, aut profeſſionem doctrinæ abijciant, etiamſi videant impios aliquandiu in hac vita florere, & frui proſpera fortuna: bonos verò interea ſub cruce duriter premi aut ærumnis deformari. Futurum enim dicit vt tandem floreant pij, & impij euertantur ac puniantur.*

1 BEatus ille vir, qui non ambulat in conſilio impiorum: & in via peccatorum non ſtat [*non inſiſtit*] & in ſede [*cathedra*] deriſorum non ſedet.

2 Sed in lege Iehouæ voluptas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Apud Philoſophos quæſtio prima eſt de beatitudine hominis: & alij aliud ſtatuunt: nec eſt quiſquam qui ſcopum attingat. Extra philoſophiam verò homines profani longiùs etiam à vera beatitudine recedunt. Iudicant enim ſummam felicitatem in eo eſſe, ſi multas opes quoquo modo corradant, aut poſsideant: aut ſi ad magnam potentiam perueniant. ſicut Pompeius ſemper in ore habebat hunc verſiculum Homeri,

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Et Cæſar dicebat, malle ſe in ignobili oppido primum eſſe quàm Romæ ſecundum. Hi magnam potentiam iudicarunt eſſe ſummum bonum: atque ita iudicant omnes ambitioſi. Magna pars hominum Epicureos ſequitur, qui in voluptate ſummam felicitatem ſtatuunt: alij in alia re, prout cupiditates ſunt cuiuſque. Horum omnium iudiciis opponit Dauid hos duos verſus: Non ſunt, inquit, verè beati, quos homines iudicant eſſe beatos, quantumuis polleant opibus, potentia, viribus: ſed ille verè eſt beatus, qui verbum Dei amplectitur & profitetur, & ſe abducit ac ſeiũgit à ſocietate cõtemptorum & hoſtium doctrinæ Dei. Hanc eſſe veram ſententiam oſtendit ה emphaticum, quod additur nomini איש & antitheſis quæ poſtea ſequitur: ille vir, inquit, eſt beatus, non quem ratio humana, aut imperitum vulgus iudicat eſſe beatum, ſed quem ego tibi depingo. Quod ad phraſin Hebræã attinet, אשרי האיש ad verbum ſonat, beatitudines viri illius. ſcilicet ſunt, quod idem illis ſonat ac ſi Latinè diceres, verè & multis modis eſt beatus, etiamſi longè aliter mundus de eo iudicet.

Qui nõ ambulat in conſilio, &c.] In deſcriptione hominis pij ponit vtrumque membrum, affirmatiuum & negatiuum. Pietas enim & ſtudium rerum diuinarum in duabus rebus conſiſtit. Primùm vt quæ diſplicent Deo, auerſemur & fugiamus. Deinde, vt quæ illi placent, ſtudioſè amplectamur. Ita vtrunque monet: atque ſic deſcribit ſeu definit veræ Eccleſiæ mẽbra: quæ ſcilicet deſerta impia multitudine, veram de Deo doctrinam amplectuntur.

In primo verſu vtitur auxeſi ſeu gradatione in ſingulis membris. Prima eſt in verbis ambulandi, ſtandi & ſedendi. Secunda, in nominibus conſilij, viæ, ſedis. Tertia in vocabulis impiorum, peccatorum, deriſorum. Ambulandi verbo ſignificatur tota vitæ cuiuſque ratio, ac veluti hominis inceſſus, quandiu huius vitæ curriculum conficit. Ambulare igitur in conſilio impiorum, eſt delectari conſuetudine & colloquiis impiorum hominum; qui nihil aliud cogitant aut meditantur, quàm vt opes conquirant, aut ad potentiam perueniant: aut denique id conſequantur, quod cuique ſuæ cupiditates ſuggerunt. Talium hominum conſuetudine ſi quis delectatur, ſi ſæpe frequentat horum ędes, vt audiat ipſorum conſilia & conatus, eum neceſſe eſt tandem à vera via abduci. Talis enim quiſque eſt, qualium delectatur conſuetudine: & notum eſt dictum Menandri à D. Paulo citatum: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Qui igitur pij eſſe volunt, eos neceſſe eſt malorum hominum conſuetudinem fugere & auerſari. Neque enim ſatis eſt, externis geſtibus aut ſermone pietatem profiteri, ſi non intus toto pectore à praua doctrina & eius defenſoribus abhorreas. Hanc exhortationem vt exaggeret & vehementiorem efficiat, ſubinde repetit eandem ſententiam, ſed aliis atque aliis verbis: vbi tamẽ poſteriora ſemper ſunt emphaticotera prioribus. Plus enim eſt in via peccatorum inſiſtere, quàm ambulare: & rurſus maius ſcelus eſt in ſede deriſorum ſedere. Inſiſtere autem in via peccatorum ſignificat, non tantùm ſermonibus eorum delectari, aut conſiliis auſcultare, ſed facta eorum imitari & exprimere. Via enim in ſacra ſcriptura ſignificat rationem vel inſtitutum viuendi: accipitur & pro longa & inueterata cõſuetudine, *Da einer mit vmbgehet, vnd das er thut*, ſiue bonum ſit ſiue malum. Eſt & au-

xeſis ſiue emphaſis in verbo ſtandi, quod moram ſignificat. Fieri poteſt vt propter communem infirmitatem quæ nobis innata eſt, interdum aliquis labatur: ſicut Dauid ruit in adulterium: ſed idem non ſtat in via peccatorum, non iterat aut cumulat delicta, neque his delectatur, ſed admonitus reſipiſcit. חטאי Peccatores dicuntur, quando cordis illorum impietas & inquietudo in actiones externas erumpit, vt omnis vita ipſorum plena ſit ſcelere, & peccatis contaminata. Hanc ſignificationem oſtendit punctum daghes in media radicali: eſt enim à ſecunda coniugatione vox deducta, in qua vocis ſignificatio intenditur, vt tales peccatores ſignificentur, qui peccatis perpetuò ſunt addicti, & quaſi mancipati. Eſt igitur plenior ſignificatio in hoc vocabulo quàm in voce רשעי, cuius etymon ſi ſpectes, ſignificat homines qui excuſſo omni timore Dei variis & iniuſtis cupiditatibus æſtuant, & in varia præcipitia abripiuntur. quemadmodum Ieſaias eleganti ſimilitudine inquietudinem animorum, quę in impiis eſt deſcribit, capite quinquageſimo ſeptimo: Impius eſt quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Et notum eſt Ariſtotelis dictum de malis hominibus: ϛασιάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχή. לצי, Deriſores nominat, qui ex contemptu Dei & iudicij ipſius perpetuam ſibi ſcelerum impunitatem pollicentur, ideóque ſibi ſecurè indulgent, & cùm omnem religionis cultum rideant, in ipſum Deum ſæpe blaſphemi ſunt. Vt cùm Pontifex Romanus ad ſuum quendam Cardinalem diceret, fabulam de Chriſto plurimùm ſibi profuiſſe. aut cùm Cyclops apud Homerum dicit,

οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων.

Cyclopicus igitur contemptus Dei & iudicij ipſius, qui nonnunquam in voces blaſphemas erumpit, hac dictione ſignificatur. Alij etiam de ſycophantis, calumniatoribus, obtrectatoribus, momis, ſcurris & ſimilibus intelligi volunt.

Sedere autem in ſede ſeu cathedra deriſorum] ſignificat ſecurè & pertinaciter perſeuerare in delictis, omnem pietatem & religionem habere pro ludibrio, homines pios tanquam ſtultos irridere, eorúmque calamitatibus petulanter inſultare, & ſibi placere in ſuis delictis. Nam & verbo ſedendi, & cathedræ nomine ſignificatur, cùm ſecuritas, tum perſeuerantia in delictis, ſeu obſtinata malitia. Quanquam & de conſultationibus ſeu deliberationibus quę de euertẽda Dei Eccleſia & bonis viris opprimendis habentur, intelligi phraſis Hebræa poſſit. Hæc eſt deſcriptio hominum improborum, à quorum conſuetudine pios vult eſſe alienos. In ſecundo verſu ponit affirmatiuam ex antitheſi. Omnes enim definitiones & deſcriptiones ſunt illuſtriores, in quibus contraria iuxta ſe ponuntur.

In lege Domini voluptas ſeu delectatio eius] hoc eſt, qui ſpretis & contemptis iudiciis humanis, & rebus terrenis ac caducis omnibus poſthabitis, cupidè amplectitur verbum à Deo traditum, idque profitetur, hoc vnico tanquam ſummo theſauro ſe oblectat, cuius ſtudio ſe totum addicit, & vitam ſuam ad huius normam componit.

תורה in genere doctrinam ſignificat. Vnde Paulus legem fidei nominat doctrinam de fide amplectente promiſſionem de Meſſia. Lex igitur Domini, non intelligatur tantùm Decalogus, aut cæteræ leges ſiue forenſes ſiue ceremoniales: ſed tota doctrina à Deo patefacta & Eccleſiæ tradita. Nomen חפץ ſignificat voluntarium & ſpontaneum cultum, hoc eſt, promptum ſtudium diſcendi doctrinam de Deo, & obtemperandi verbo eius. Nihil enim coactum, vel ſeruile, vel hypocriticum placet Deo.

לילה i. nocte. ה in fine dictioni adiicitur per paragogen ideóque accentum habet in prima. Eſt. n. בית de forma ליל. Et quia immediatè ſequitur accentus, prima ſcribitur cum Cametz. Quod ideo moneo ne quis exiſtimet, nomen eſſe fœmininum, propter formam quæ videtur eſſe fœminina.

Nocte ac die] i. iugiter & per omnẽ vitã. Nunquã enim remittit pius de ſtudio doctrinæ & pietatis, ſicut hypocritæ: qui aliquãdiu fingunt pietatem, & præ ſe ferunt ſtudij ardorem, ſed mox langueſcũt & deficiunt. Addũt alij & hanc interpretationẽ, Die & nocte, hoc eſt, tã in ſecundis rebus quàm aduerſis: ne læto proſperóque rerum ſtatu petulanter agamus, in mœſtitia verò deſperanter animo abiiciamur. adiectũ ad finem dictionis יו ſignificat continuationem dierum.

Hic verò conſideranda eſt peruerſitas humanorum iudiciorum. Si quis enim animi oculos circumferat, & conſideret maximæ partis hominũ iudicia, videbit, nullũ cœtũ eſſe magis cõtemptũ & abiectũ, quàm eũ qui verbũ Dei amplectitur & profitetur. Pij enim in hoc mũdo habẽtur vt quiſquiliæ & ἐκπτώματα κ̀ περιψήματα, vt Paulus inquit. ecõtra, qui florent opibus, potentia, viribus, iudicantur ſapientes, beati ac fortunati: ſicut hic etiam Pſalmus multa eis attribuit: primò conſilium, hoc eſt, ſapientiam: deinde viam, id eſt prudentiam in ſuis rebus rectè adminiſtrandis, inque vitandis & declinandis his quæ cupiditatibus ipſorum aduerſari aut obſtare videntur: tertiò tribuit & ſedem, hoc eſt, autoritatem, potentiam, dominationem. His rebus capitur multitudo, vt vbicunque hæc videt, vltro rapiatur in admirationem harum rerum. Sed longè aliter Spiritus ſanctus iudicat & pronuntiat. Pij quidem ſi conferantur impiis, in hac vita videntur eſſe ſpreti, ſed reuera ſunt beati.

3 Et eſt tanquam arbor plantata iuxta riuos aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non marceſcit, & quicquid facit erit proſperum.

Confirmat propoſitionem, & illuſtrat ſimilitudine ſumpta ab arbore perpetuò virente & fructifera. Sunt autem in hac ſimilitudine quatuor notæ, quæ felicitatem ſeu beatitudinem hominis pij & Deum timentis oſtendunt, quas ordine conſiderabimus.

I. *Eſt tanquam arbor plantata iuxta riuos*] Vſitatũ eſt Spiritui ſancto à rebus vſitatis & communibus, quæ in omnium oculos incurrunt, ſumere ſimilitudines, atque his res maximas ſignificare. Quòd igitur felicitatem hominis pij arbori cõparat, non ita accipi debet, quaſi æquiparari illa poſſint: longè enim antecellit beatitudo hominis: ſed accommodat ſe Spiritus ſanctus ad captum vulgi & imperitorum, ideóque à rebus notis & vſitatis ſermonem ſumit. Sic Chriſtus verbum Dei, quo nihil eſt pretioſius, comparat germini, fidem grano ſinapis, &c. Eáque res admonet pios, quale ſtudium debeat eſſe hominum piorum in conſiderandis Dei operibus. Tota enim rerum natura plena eſt imaginum quæ de rebus cœleſtibus nos commonefaciunt.

Primo cùm inquit: *Eſt velut arbor plantata iuxta riuos, & eius folia non marceſcunt:*] Deſcriptio adiecta oſtendit Dauidem non loqui de qualibet arbore. Neque enim quælibet arbor perpetuò viret nec aquis perpetuis gaudet: ſed loquitur de Palma, quæ poſt decerptum fructum folia non abiicit, vt poſtea dicemus: & congruit huc dictũ Pſalmi nonageſimi ſecũdi: Iuſtus vt palma florebit. Huic igitur arbori comparat hominem pium, eíque tribuit quatuor proprietates ſeu notas.

II. Dicit arborem eſſe plantatam ad riuos aquarum. Palma, inquit Plinius libro decimo tertio, capite 4. gaudet riguis totoque anno bibere amat: gignitur enim leui ſabuloſáque terra. Hac imagine ſignificatur, pios nunquam deſtitui vera conſolatione, non lædi, ſeu conſumi ardore vel æſtu iræ & iudicij diuini, ſed perpetuò irrigari & recreari fluentis gratiæ diuinæ, ſeu ſenſu miſericordiæ Dei, & corda ipſorum perfundi vita & lætitia acquieſcente in Deo. Quod enim aqua præſtat palmæ dum eam irrigat, recreat & viuificat: id Spiritus ſanctus præſtat cordibus piorum per vocem Euangelij: & alioqui aqua in ſcriptura ſæpe pro tali bono accipitur, quo deſiderium animæ & corporis ſatiari poteſt. Vt cum dicitur, Ieremiæ ſecundo: Me deſeruerunt venam aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ aquas non continent. Ezech. 47. Aquæ iſtæ fluunt ex ſanctuario, hoc eſt, à Chriſto. Hæc eſt igitur prima felicitas piorũ, cum qua quantumuis magna potentia & opulentia comparari non poteſt. Impij enim, etſi aliquando ſecuri viuunt in ſuis ſceleribus, ſicut arbor in loco arido & ſterili ac ſitiente ſolo floret ad tempus: tamen tandem cùm æſtu iræ iudicij Dei vri incipiunt, nullam inueniunt conſolationem, & neceſſe eſt eos deficere & ruere in interitum. Arbor enim illa non habet radices altè in terram defixas, neque humor ſuppetit, vnde ſuccum trahat: ideo marceſcit facilè, aut deiicitur procellis & tempeſtatibus. Huc pertinet illud Pſal. 37. Vidi impium exaltatum tanquam cedrum Libani, &c.

Eſt autem & hoc obſeruandum quod dicit, hanc arborem eſſe plantatam. Non eſt arbor fera & ſylueſtris, quæ tantùm fructus iuxta ſuum genus proferat. Arbores enim ſylueſtres plantatione quaſi regenerantur, & ex feris in mitem & frugiferam naturam tranſeunt. Talis eſt homo pius, qui non ſequitur ductum naturæ ſuæ, nec indulget ſuis affectibus, ſed verbo & Spiritu ſancto regeneratus, deponit feram & ſterilem naturam, & induit mitem, benignam & frugiferam naturam. Monemur igitur, hanc felicitatem non competere primæ natiuitati, quæ ex carne eſt, ſed ſecundæ, quæ eſt ex Spiritu ſancto.

Deinde verbo plantandi etiam ſtabilitas ſignificatur, quæ nulla vi aduerſaria exſtirpari poteſt Ideo dicitur Pſalm 92. Plantati in domo Domini florebunt. Et Chriſtus Matth. 15. ait, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.

III. *Quæ fructum dat in tempore ſuo*] id eſt, hæc arbor irrigata & perfuſa gratia diuina non eſt ſterilis, etiamſi opera

eius

eius non ita conſpiciantur à mundo, aut in oculos incurrãt, ſicut magnorum regum aut hypocritarum: ſed profert fructus gratos Deo. Hi verò quales ſint, explicat D. Paulus Galat. 5. Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia.

Quod addit, *In tempore ſuo*] non intelligatur pueriliter aut inepte, quaſi opera piorum ſint arbitria, & pro ratione temporis & facultatum vel præſtari vel omitti poſſint, vt hoc tempore quidam nugantur: ſed exprimere voluit Propheta iuſtam maturitatem, vel potiùs reſpicit ad moram ſeu tarditatem matureſcentium fructuum, ſicut mox dicemus, ne quis illa mora offendatur. Impij & hypocritæ oſtentant ſuos fructus & publice prædicant: ſed ſunt præcoces aut potius abortiui: ideo mox putreſcunt & abiiciuntur. ſed pij producunt fructus maturos, ſuaues, beneuolentes, acceptos & vtiles.

Folium eius non defluet] Hoc etiam ad palmam congruit. Viret enim perpetuò, & non deiicit folia poſt decerptum fructum, Perpetuo enim humectatur, & ſimul flores & fructus habet. Nam vt Plinius ſcribit, triennio fructus illius matureſcunt, & ſemper illi pomum eſt ſubnaſcente alio. Itaque neceſſe eſt eam perpetuò virere. Talis igitur eſt iuſtus: hic perpetuo profert fructus, nunquam deſinit benefacere, aut defatigatur. Et viret perpetuo, id eſt, fœlicitas eius non eſt momentanea aut caduca, vt potentum aut diuitum, quorum fortuna ſplendida vno momento euerti poteſt: ſed manet firma & perpetua, quia perpetuo haurit aquam illam viuam ſalientem ex ſanctuario ad vitam æternam. Eſt & perpetuò ſui ſimilis: non effertur proſpera fortuna, vt inſoleſcat: nec deiicitur aduerſa vt animum deſpondeat. Folia arborum reliquarum, in vere, cùm tempeſtas eſt accommoda, & flant auræ ſuaues, erumpunt & oſtentant flores ſuos: econtra, tempore hyemis frigore marceſcunt & ventis deiiciuntur. Tales ſunt impij, &c. Reliqua quæ de palma annotat Plinius, etiam pulchrè ad pios accommodari poſſunt, & fecerunt alij interpretes. Ego iſta omitto quæ ad hunc locum Pſalmi explicandum non pertinent proprie. Verbum יבול futurum eſt à כבל Ideo marceſcendi potiùs quàm defluendi aut cadendi verbo reddendum eſt. כפל enim cadere ſignificat, ſed כבל marceſcere, deficiente ſcilicet ſucco & humore.

IIII. *Et omne quod faciet, erit proſperum*] Hoc membrum concludit, & quaſi ſummatim comprehendit felicitatem piorum. Impiis, inquit, multa aduerſa accidunt in vita, quæ felicitatem eorum interrumpunt & turbant, ſed piis omnia proſpera & lęta eueniunt. Non loquitur autem de illa proſperitate, quam mundus magni æſtimat, & in qua ſuam felicitatem ponit, ſi videlicet cupiditatibus ſeu affectibus ipſorum aliquandiu reſpondeat euentus: ſed loquitur de alia proſperitate de qua Paulus ſcribit Rom. 8. cùm inquit, Diligentibus Deum omnia cooperantur, & cedunt in bonum. Nam Deus dirigit ipſorum opera, vt quicquid ipſis in præſentia accidat, tamen tandem lętus ſit exitus: Sicut, quòd Ioſeph vẽditur in Ægyptum, quòd coniicitur in carcerem, & calumniis tantum non opprimitur, id videtur rationi durum & triſte: ſed & ipſi & toti familiæ ipſius hoc cedit in bonum: & Dauid inquit de cruce & caſtigationibus: Bonum mihi, quod humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas, &c. Ita piis omnia cedunt in bonum, etſi variis aduerſitatibus & motibus obiiciantur.

4 Non ſic impij: ſed velut gluma [*ſeu palea*] quam diſpellit [*deycit*] ventus.

Addit antitheſin. Eſt enim perpetua collatio in hoc pſalmo plena eruditionis & conſolationis. Nihil videtur abiectius cultoribus Dei in hoc mundo: econtra impij & hoſtes Eccleſiæ obtinent ſumma imperia, florent opibus & diuitiis, & iudicantur beati ab omnibus. Et tamen Propheta ita contemptim loquitur de his, atque ita abiicit eos, vt relicta metaphora inſtituta, non arbori citò exareſcenti, ſed quiſquiliis & paleis eos comparet, quibus nihil eſt vilius, nihil leuius aut fugacius. Subitò enim exorto vento ſeu tempeſtate aliqua abripiuntur & diſſipantur, vt ampliùs non compareant. Sed hoc non cernunt, niſi qui ſpirituali iudicio præditi ſunt. ij enim non ex præſenti ſtatu, ſed ex fine & exitu iudicium faciunt. Finis autem impiorum eſt exitium æternum, & triſtis animarum interitus, ſicut poſtea in fine Pſalmi dicit.

Vento comparat potentiam iræ & iudicij diuini.

5 Propterea non conſiſtent impij in iudicio, & peccatores in congregatione iuſtorum.

Quinto verſu explicat ſimilitudinem de palea & vento: vt mos eſt Dauidi, eandem ſententiam nunc figuratè, nunc ſine figura exponere: Ventus igitur diſiiciens paleas, eſt iudicium Dei arguens peccatum impiorum, dum terrores mortis & inferorum ipſis incutit, & puniens vel in hac vita, vbi iudicium hoc incipit, vel in altera, vbi perficietur. Propterea inquit, quia ſunt inanes, more quiſquiliarum, coram Deo, nec quicquam ſolidi habent, etiamſi coram mundo videantur eſſe immotæ rupes: non ſtabunt, non conſiſtent, ſed euertentur ſubitò, & cadent cauſſa: quoniam ad tribunal Dei non abſoluentur, ſed condemnabuntur. Græci verbum Hebræum יקומו reddiderunt ἀναστήσονται, quod occaſionem præbuit erroris Origeni, vt ſcriberet, impios non reſurrecturos in extremo die.

Iudicio] Quod ſcilicet interdum in hac vita exercet Deus, quando ſubito euertit impios, vt intelligant ſuæ impietatis ſe pœnas dare, & à cœtu iuſtorum abdicari: interdum differt vſque ad extremum iudicium, in quo omnis impietas tandem profligabitur, & regnabit iuſtitia perpetua.

Peccatores] Qui ſint illi peccatores, dictum eſt verſu primo: nempe, qui ſine vllo timore Dei pergunt & perſeuerant in delictis contra conſcientiam, ſine pœnitentia. Neque enim hic materia deſperationis obiicienda eſt hominibus piis, qui interdum ex quadam imbecillitate labuntur & peccant.

In congregatione iuſtorum] Impij & hypocritæ ſæpe in hac vita obtinent titulum eccleſiæ, & dominantur in eccleſia, ſicut Phariſæi & ſacerdotes Ieroſolymitani apud Iudæos: & noſtro tempore Pontifex Romanus cum ſuis ſatellitibus: & ſemper in hac vita impij & hypocritæ permixti ſunt bonis, vt vera Eccleſiæ membra à falſis diſcerni haud facilè poſſint. Sed tandem in illo vniuerſali iudicio ſeparabuntur impij à piis, & oſtendetur diſcrimen. Eſt autem obſeruandum quod piis tribuit cœtum, ſeu congregationem. In hoc mundo ſunt diſperſi, rari, exules, ἀστατοῦμεν, vt Paulus inquit. tunc verò congregabuntur & colligentur in vnum cœtum, & viuent in æterna lætitia & iuſtitia &c.

In cœtu] יער ſignificat de ſua voluntate, ſeu fide certum reddere, addita vel promiſſione vel iuramento, vel ſigno condicere aliquid ſeu promittere, conſtituere, certò decernere, deſpondere, &c. Hinc eſt nomen ערת certus cœtus, ſeu numerus atque conuentus hominum. Differt enim à קהל ſicut ſpecies à genere. Septuaginta reddiderũt, ἐν βουλῇ δικαίων. Fortè enim quiſquis eſt autor eius verſionis, pro בערת legit בעצת.

6 Quia nouit Iehoua viam iuſtorum. Via verò impiorum peribit.

Subiicit rationem omnium eorum quæ iam dicta ſunt. Ideo inquit, pij ſunt felices ſeu beati, Impij verò miſeri, infelices & damnati: *Quia Dominus nouit viam iuſtorum*, id eſt, quia curat, approbat, amat, defendit & tuetur pios, bene vult & bene cupit eis, dirigit, adiuuat, prouehit ipſorum ſtudia & actiones. Verba notitiarum apud Hebræos transferuntur ad voluntatem & affectus. Sic Chriſtus inquit, Matthæi vigeſimo quinto: Non noui vos, *viam*, rurſus intelligit mores, ingenium, vitam, inſtitutum, ſtudia, actiones, &c.

Impiorum via peribit] Quia ſcilicet diſplicet Deo. Ideo quãtumuis ſibi & aliis placeant & videantur ſibi eſſe muniti contra omnes iniurias, (ſicut Dionyſius dicebat, ſe adamantinis vinculis firmaſſe regnum ſuum) tamen tandem euertentur, & documento erunt omnibus, nullam eſſe veram felicitatem, niſi quæ fundata ſit in vera pietate. Viam impiorum nominat hoc loco, primùm conſilia, molitiones, ſtudia, conatus & actiones impiorum, deinde externum illum ſplendorem, dignitatem, autoritatem, potentiam, qua ſtolidè ſeſe efferunt, atque aliis formidabiles eſſe volunt.

PSALMI I.
PARTES, OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINÆ, ET ARTICVLI PRÆCIPVI.

PARTES.

I. Propoſitio. Bonis benè eſt,& erit:malis malè. Huius propoſitionis membra ſunt duo:nempe enarratio illius v.1.& 2.exornatio ſiue amplificatio à ſimili v.3,& à contrario,v.4.5.

II. Propoſitionis confirmatio,à natura Dei miſericordis & iuſti.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Primus ad rectam vitam & viam gradus eſt,renuntiare impiorum conſuetudini,quæ nos alioqui ſua labe inficeret.

Secundus ſtatuere,miſeros eſſe omnes impios,& eodem implicitos fore exitio,qui non procul ab eorum conſortio diſceſſerint.

Nec tãtùm ab impiis,qui paulatim deriſores & inſanabiles fiũt, fideles recedere debent, ſed etiam cauere ne ſibi quiſq; ſit impietatis magiſter: quum fieri poſſit, vt qui nihil mali contraxit ex malis exemplis,malos tamen ſponte imitando,eorum ſimilis euadat.

2 Aberrant prorſus à vera felicitatis ſcopo quicunque trita ab hominibus via gradiuntur:quoniam homines ſuapte natura mali, ex malis ſcelerati,ac tandem Dei ipſius contemptores euadant.

Ab vno Deo diſcendũ eſt verũ illius felicitatis iter: idque ex doctrina nobis ab ipſo tradita,quã dies ac noctes nos meditari cõuenit.

Non pro cuiuſque arbitrio fingenda religio eſt,ſed ex Dei verbo ſumenda eſt pietatis regula.

Quum tota Scriptura nihil aliud ſit quàm legis expoſitio, ſub ipſo capite comprehenditur corpus.

Minimè Deo probatur coactus vel ſeruilis cultus: nec alij ſunt idonei legis ſeu veritatis Dei diſcipuli, niſi qui hilari animo ad eam accedunt,& quos ita delectat eius doctrina, vt nihil potius ducant vel ſuauius quàm in ea proficere.

3 Timentes Deum, verè felices cenſendi ſunt:quia non ad momentum duntaxat fluxa inanique lætitia fruuntur, ſed ſtabilis eſt eorum conditio.

4 Contrà quamuis emineant impij inſtar proceræ arboris, ſtatuere tamen oportet, paleas vel quiſquilias fore,ſimul ac eorum altitudines flatu ſuo deiicere volet Deus.

5 Felicis vitæ ſtatus quum in recta conſcientia fundatus ſit,ideo non mirum eſt, ſi ex felicitate, quam impij ſibi imaginati ſunt,repente excidant.

Res ad tempus confuſa apparent: vbi autem in legitimum ordinem redactæ fuerint,ſuæ impiis excutientur deliciæ:vt ſentiant ſe ebrios fuiſſe,dum felices ſibi viſi ſunt.

Quamuis Dominus iudicium,quo iuſtos à reprobis diſcernit,quotidie exerceat, quia tamen id fit ex parte tantùm, altiùs oculos attollere conuenit, nempe ad vltimum diem,quo ſegregabit Chriſtus agnos ab hœdis.

6 Quum Deus ſit mundi iudex,nec quidquã eius oculos & manus fugiat,ſequitur fieri non poſſe quin rectis & iuſtis bene ſit,impiis autẽ peſſimum exitium impendeat. Quare,ne fallat nos imaginaria impiorum felicitas,in rebus turbatis ſemper nobis occurrat Dei prouidentia,cuius eſt ſtatum mundi ad rectam normam componere.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Summum Bonum hominis.
2. Membrorum Eccleſiæ militantis beatitudo & ingenium.
3. Præſtantia, vtilitas, neceſſitas & vſus verbi Dei in Scripturis Canonicis plenè conſignati.
4. Impiorum infelicitas.
5. Iudicij diuini futuri & præſentis conſideratio.

ARGVMENTVM PSALMI II.

PSALMVS ſecundus illuſtre continet vaticinium de Meßia & ipſius regno. Docet enim quis ſit Meßias, vbi regnaturus, quale eius regnum futurum in hoc mundo. Initio autem depingit furores regum & principum mundanorum, quos dicit omnem operam, vim & conatum adhibituros eſſe, vt hoc regnum Chriſti deleant & euertant. Sed ne pij his tumultibus & hac tyrannide regum moueantur, addit conſolationem dulcißimam: affirmat enim irritos fore conatus,& exitioſos ipſis autoribus. regnum enim Chriſti ita firmum eße & amplum oſtendit, vt nulla vi & viribus euerti queat. In fine pſalmi hortatur hoſtes, vt depoſito animo hoſtili & impio furore,hunc regem agnoſcant & amplectantur, eique ſe ſubiiciant. Idque vt perſuadeat,ſimul pœnarum ſubiicit commemorationem, quæ rebelles maneant: & præmia æterna propoſita eſſe ipſum fide vera amplectentibus affirmat. Etſi autem hæc omnia ad regnum Dauidis, quod diuinitus ipſi erat mandatum,& typus erat regni Chriſti,quodammodo pertinent & accommodari poſſunt: tamen principaliter de Meßia ſub typo regni Dauidis hunc pſalmum loqui, Apoſtoli Actorum 4. & 13. & epiſtola ad Hebræos oſtendunt manifeſtè. Et quanquam Apoſtoli ad ſuum illud præſens tempus Pſalmum accommodant, vt videre eſt in Actis: tamen non dubium eſt ad omnia tempora Spiritum ſanctum reſpicere, & totum Euangelij curſum complecti. Semper enim in hoc mundo Chriſtus oppugnatur, & denuo in ſuis crucifigitur, ab impiis Pontificibus, regibus & tyrannis: & qualis fuit impiorum Pontificum & Iudæorum, qui Chriſtum interfecerunt, exitus: talem & fuiſſe ſemper, & fore deinceps omnium hoſtium & perſecutorum Eccleſiæ, certum eſt. Quod autem Actorum 13. in correctioribus exemplaribus legitur, ψαλμῷ πρώτῳ, ex eo colligere licet, veteres Pſalmum hunc non diſtinxiße à primo, & in vetuſto bibliorum codice, qui in Illuſtriſſ. Principis Georgij Anhaldini Bibliotheca aſſeruatur, leguntur hi duo coniunctim.

1 QVare fremunt[*cum tumultu & turmatim concurrunt*]Gentes:& populi meditantur inanè[*fruſtra.*]

Primis tribus verſibus deſcribit & commemorat conſilia, conatus & ſermones hoſtium Chriſti & Eccleſiæ ipſius. Et quia certò perſuaſus eſt vanos fore hos conatus & irrita conſilia,ex admiratione temeritatis ipſorum quaſi inſultans eis inquit,Quare fremuerunt:quaſi diceret. Quid eſt quòd tanta rabie & furore concurritis ad arma, vt hoc regnum euertatis? nihil enim plus efficietis quàm ſi muſca ſe opponat elephanto,aut ſi quis Solem de cœlo deiicere conetur. Talis eſt increpatio cum inſultatione & irriſione, quæ oritur ex πληροφορία fidei. Vera enim fides certò ſcit, regnum Chriſti deleri nunquam poſſe,ideo læta inſultat hoſtibus,& ridet ſtultos ipſorum conatus. Debet autem hoc & de Dauidis regno intelligi,quod vmbra fuit ipſius regni Chriſti. Videbat ille ſe cinctum eſſe vndique hoſtibus potentiſſimis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis & Philiſtinis:à quibus vndique magnis viribus oppugnabatur. Contra hos ſuſtentat & armat ſe præcipuè illa fiducia, quòd ſcit ſuum regnum eſſe diuinitus ſibi mandatum,ideóque fore firmum.

Gentes,populi,reges,principes] Id eſt: Quicquid vſpiam eſt potentiæ & virium in hoc mundo.

In verbo רגש ſignificat concitatum & incompoſitum furorem & feruorem multitudinis, quæ cæco impetu fertur & rapitur ſicut torrens, nec conſiderat quid agat. In verbo הגה ſignificat ſedulum, irremiſſum, aſſiduum & indefeſſum ſtudium: deinde murmura affecti & æſtuantis animi,ac minas.

2 Siſtunt [*ſtatuunt*] ſe reges terræ: & Principes decernunt [*conſultant*] aduerſus Iehouam,& aduerſus Chriſtum.

Pergit in deſcribendo furore hoſtium Chriſti & Eccleſiæ eius: & obſeruanda ſunt vocabulorum pondera: Impetuoſum tumultum & conatum ſtrenuum tribuit multitudini: ſed conſilia, confœderationes, conuentus tribuit Regibus & Principibus. Illi enim non temerè aut cæco impetu videntur oppugnare Eccleſiam, vt imperita multitudo: ſed videntur habere cauſſas graues & neceſſarias quas ipſi mox exponent. Deinde nihil tentant temerè, ſed omnia agunt aſtutè & prudenter, ſicut Iulianus & alij.

Statuunt ſe (ſcilicet ſimul) Nam particula יחד ad vtrumque membrum pertinet, id eſt, conueniunt frequentes, vt coniungant ſua conſilia & vires, faciunt confœderationes. Germanicè, *ſie treten zuſammen.*

Reges terræ dicit per contemptum, vt extenuet ipſorum vires, quia poſtea his opponit DEVM, qui in cœlis habitat, hoc eſt, cuius potentia non includitur iſtis anguſtis terminis, quibus humana definita eſt.

Aduerſus Dominum] Mundus exiſtimat ſe ſummũ cultum præſtare Deo, ſi homines pios, quos iudicat eſſe κακούργους, tollat è medio: ſed aliter iudicat Spiritus ſanctus. Quiſquis enim Chriſto reſiſtit, Deo ipſi reſiſtit: & qui in membra ipſius ſæuit, in Dominum ipſum crudelis eſt. Hæc duplicem habent conſolationem: Primò, vt, cùm perſecutionem patimur, ſciamus nos non ſolos pati, ſed iniuriam hanc etiam ad Deum pertinere & ipſum vnà pati, ſicut dicitur Pſal. 91. Cum ipſo ſum in tribulatione. Secundò, vt ſciamus nos habere opitulatorem & liberatorem potentem.

Aduerſus vnctum eius.] Nominat Filium Dei Meſſiam, id eſt, vnctum. Eſt enim vnctus ab æterno Patre in ſacerdotalé & regiam dignitatem. Olim enim Reges & Sacerdotes in populo Iudaico vngebantur oleo terreno, quod erat ſymbolum inaugurationis: vt videre eſt in hiſtoria Aaronis & Saulis, quem Dauid inde nominat vnctum Domini. Se quoque ſciebat eſſe vnctum Domini: atque hinc fiduciam concipiebat, vt ſtatueret regnum ſuum fore ſtabile & firmum, vſque ad aduentum eius, cuius typum gerebat. Sed Chriſtus, qui eſt Rex & Sacerdos ſuæ Eccleſiæ, vnctus eſt non oleo terreno, ſed Spiritu ſancto, ſicut dicitur Ieſaiæ 61. à quo inauguratus eſt ad hoc munus regale & ſacerdotale. Et ſimili modo nos, qui ſumus conſortes & participes Chriſti, vngimur in regalem & ſacerdotalem dignitatem. Cùm igitur nominat eum vnctum Domini, ſignificat Meſſiam eſſe conſtitutum: & quaſi publico & ſolenni ritu inauguratum Regem ſuæ Eccleſiæ (de Sacerdotio enim non hîc propriè, ſed in Pſal. 110. agit) ideóque ſtultos eſſe qui arma ſumunt ad hunc regem euertendum: cùm impoſſibile ſit eum qui à Domino ipſo ad hunc modum ſit conſtitutus Rex, vllis humanis viribus euerti.

3 Dirumpamus vincula eorum: proiiciamus à nobis funes ipſorum.

Mimeſis eſt, qua refert verba & ſermones impiorum: ipſóſque adeo loquentes introducit: quò melius impium & ſacrilegum ipſorum conſilium exprimat. Hoc vnum agunt, inquit, & huc referunt omnia ſua conſilia & conatus, vt regnum Chriſti euertant, ſeque ipſius imperio ſubtrahant.

Eſt autem obſeruandum, quod impij & hoſtes Chriſti, imperium huius vocant vincula & funes. Ita enim extrema ipſorum malitia, impietas & faſtus notatur. Nam Reges exiſtimant ſuam dignitatem & exiſtimationem lædi aut minui, ſi alterius imperio & legibus pareant: & alioqui nullas ferunt reprehenſiones. Quare, cùm audiunt Chriſti doctrinam requirere mortificationem carnis, & affectuum prauorum, atque adeo nouitatem totius vitæ præcipere, exiſtimant nimis durum & ignominioſum ſibi eſſe, ſi onus hoc recipiant. Malunt enim indulgere ſuis affectibus & voluptatibus quibus aſſueuerunt. Quare oderunt & execrantur doctrinam Chriſti, tanquam vincula & carceres: & quia cupiditatibus hominum obſtat, fiunt rebelles, oppugnant Chriſtum, & delere eum conantur: ideo dicunt, Dirumpamus. Eſtque plenum blaſphemiæ, quòd Chriſti doctrinam nominant vincula, quibus libertas ipſorũ aſtringatur & coerceatur: cùm potius conſcientiarum vincula ſoluat hæc doctrina.

Expreſſe autem dicit, vincula eorum, non eius: vt ſignificet ſe reſpicere ad omnes illos, quibus regni ſui miniſterium & adminiſtrationem in hoc mundo Chriſtus committit. In vtraque voce מוסרות & עבות videtur eadem eſſe metaphora, quæ eſt in voce iugum, Matth. 11. Iugum enim ſignificat doctrinam & caſtigationes quæ ab ea dependent. Sed ſi ad Dauidis regnum reſpicias, vincula leges ſignificant, quæ victis feruntur à victoribus, quibus quaſi vincti continentur in officio.

4 Qui habitat in cœlis ridebit: & Dominus ſubſannabit eos.

Subiicit conſolationem, ab irrito conatu & pœnis atque interitu hoſtium Eccleſiæ: ne ſcilicet pij frangantur animo, & deficiant à Chriſto, quoties vident mundum tumultuari aduerſus Euangelium, & coniungere vires ad delendum hoc regnum.

Qui in cœlis habitat] Hac periphraſi vtitur vt potentiam Dei commendet, & peruerſum furorem hoſtium notet. Quod enim Euangelium delere conantur impij Tyranni, nihil aliud eſt quàm ſi bellum cœlo inferre, atque inde deturbare Deum velint, *aber er iſt ihnen viel zu hoch geſeſſen.* Hoſtes ſunt reges terræ, hoc eſt, reptant humi: hic verò Rex, quem oppugnant, ſedem regni ſui locauit in cœlo. Ideo ſecurus & è ſublimi ridebit & contemnet ſtultos ipſorum & temerarios conatus. Deinde, cùm cœlum inhabitet, habet etiam imperium in ſubiectam terram, vt facilè & vno momento euertere tales tumultuatores poſſit.

Ridere igitur & ſubſannare impios ἀνθρωποπαθῶς dicitur Deus, qui videt omnes hoſtium ſuorum conatus eſſe vanos & irritos, & ipſos hoſtes tandem exutos armis & potentia, totius creaturæ ludibrio exponit. Monet autem nos Spiritus ſanctus, vt nos quoque ſimiliter contemnamus furores Regum & Principum, quantumuis videantur eſſe formidabiles.

5 Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo perterrebit eos.

Tunc, vbi ſcilicet tempus iudicij & vindictæ aduenerit. non ſine cauſa ita indefinitè ſine mentione certi temporis loquitur Spiritus ſanctus. Vult enim docere pios, ne frangantur mora, etiamſi Deus non mox ſuccurrat in perſecutionibus: ſed vt taciti & ſecuri exitum ſpectent, nec præſcribant Deo tempus aut modum.

Loquetur in ira ſua] id eſt, palam oſtendet ſuam iram in pœnis hoſtium. Sermo attribuitur Deo ἀνθρωποπαθῶς, ſicut & riſus & ſubſannatio. Homines enim cogitationes & affectus ſuos declarant ſermone: Deus autem declarat iram ſuam, dum hoſtes punit, & loquitur non tam lingua quàm manu, vt quaſi de reali ſermone hoc intelligatur. Deus enim loquendo & dicendo facit, dum decretum ſuum manifeſtat.

In furore ſuo] Quod furorem adiungit iræ, ſignificat grauitatem vltionis diuinæ, quæ non ad emendationem, ſed ad perditionem & interitum hoſtium exercetur. Caſtigantur etiam pij in hac vita, ſed non in ira & furore.

Perterrebit eos] Hoc eſt, coniiciet eos in anguſtias tales, ex quibus humano conſilio euadere non poſſint, vt, qui antehac omnia minis & terroribus impleuerant, & totum mundum perturbauerant, deinceps neſciant, quo ſe vertere debeant, *Es vvird ihnen die gantze VVelt zu eng vuerden.* De hac anguſtia & terroribus impiorum vide cap. 5. Sapient.

6 Et ego vnxi [*vngendo inaugraui*] Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.

7 Narrabo [*recenſebo*] iuxta ſtatutum, Iehoua dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Septimum verſum quidam ſic reddunt: *Narrabo iuxta ſtatutum* DOMINI. Quod ſi ſic legas, ſubaudiendum eſt relatiuum אשר: idque innuere videntur accentus ſub חק & אלי. quæ dictiones quaſi connectuntur accentibus ſibi reſpondentibus. Itaque omnino ſic reddenda eſt ſententia:

Prædicabo de præcepto, quod Dominus, vel, de præcepto Domini, quod dixit.

Hæc altera pars eſt huius pſalmi, continens deſcriptionem perſonæ Chriſti & regni eius: & iungitur hæc pars ſuperiori tanquam per rationem. Ideò enim, inquit, omnes conatus, meditationes, conſilia & vires Regum & Tyrannorum aduerſus hunc Meſſiam fore irritas & vanas:

I. Quia ipſe ſit Rex à Deo vnctus & inauguratus.

II. Quia ſit Rex in loco ſancto, & impiis inacceſſo.

III. Quia ſit Filius Dei, genitus ab æterno: & quidem talis, qui tanquam orator ſit miſſus ad genus humanum, vt voluntatem Dei nobis patefaciat.

IIII. A magnitudine imperij, quod extendatur vſque ad fines orbis terræ. Hæc argumenta partim à perſona Patris, partim Meſſiæ, partim à conditione ipſius regni ſunt petita. Atque his oſtendit, regnum hoc deleri aut euerti humanis conſiliis aut viribus non poſſe. Vt autem oratio plus ponderis & autoritatis habeat, tribuit Propheta ſermonem hunc ipſi Deo, & quaſi colloquium inſtituit inter Patrem & Filium, in quo hæc res omnium maxima exponitur. Id enim vſitatum eſt Prophetis, vt quoties de aliqua re magna & ſeria loquuntur, & oracula diuina proferunt, ſermonem ipſi Deo tribuant.

Et ego vnxi Regem meum] Primum argumentum à perſona Patris conſtituentis hunc Regem, ſumptum eſt. Impoſſibile eſt enim, Regem, quia Deo ipſo conſtitutus & inauguratus eſt, hominum conſiliis & viribus euerti. Chriſtus ita eſt inauguratus, & regnum eius non humanis viribus, ſed à Deo conſtitutum eſt. Ergo euerti ab hoſtibus nullo modo poteſt. Quomodo autem Chriſtus vnctus ſit in Regem, dicetur alibi: & in argumento breuiter annotauimus. Interea conſiderandum quomodo hoc congruat ad typum, id eſt, ad ipſum Dauidem. Hic etiam vngitur Rex per Samuelem, iuſſu Dei, atque ita obtinet regnum autoritate Dei: non rapit ſibi hoc ſuis conſiliis aut viribus, nec inuadit ſeditioſè, &c.

Deinde quod ſequitur, etiam dicitur Filius Dei, non quidem natus de ſubſtantia Patris ab æterno: ſed ſicut Pſalmo 28. dicitur. Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et quidem quatenus geſſit Chriſti perſonam, omnibus aliis præfertur, etiam angelis. Addit autem, Regem meum, vt ſignificet, ſe hunc elegiſſe ſuo conſilio, & populo ſuo deſtinaſſe: & velle, vt hic regnet, etiam inuitis & repugnantibus diabolis atque horum organis.

Super Sion montem ſanctum meum] Secundum argumentum à loco ſumitur. Locus in quo hic Rex reſidet, eſt ſanctus & ſacer, ergo eſt ἄσυλος, & violari non debet: ſúntque ſacrilegi omnes, qui manus violentas in hunc Regem mittunt. Erat enim Sion mons electus à Deo: vt eſſet ſedes regni & ſacrarij: ſicut Pſalmo 78. dicitur: Elegit tribum Iuda, montem Sion, quem elegit: & ædificauit ſanctuarium ſuum, velut arcem, vt terram, quæ perpetuò conſiſtit: & Pſal. Quoniam Sion elegit Dominus, ibi cupit habitare, hæc requies mea in æternum, hic habitabo, quia amo eam. Significat autem Sion Eccleſiam in qua habitat Filius Dei tanquam in ſuo ſanctuario ſeu templo. Itaque Dauid, tanquam typus Chriſti, regiam ſedem habuit in Sion & Hieruſalem. Sicut dicitur: Ex Sion egreditur lex: & Chriſtus iuſſit Apoſtolos prædicare, facto initio Hieroſolymis. Cum igitur hunc montem dicit eſſe ſanctum, ſignificat eum numine & potentia diuina ita eſſe munitum, vt nulla vis hoſtilis eò pertingere poſſit.

Recenſebo iuxta ſtatutum] Excipit filius ſermonem Patris, & oſtendit quomodo & qualis ab eo ſit conſtitutus Rex. Atque inde iam tertium argumentum, à perſona ſcilicet, & officio Meſſiæ naſcitur. Ego, inquit, recenſebo, id eſt, non opponam vires mundanas furoribus hoſtium, nec quæram vlla præſidia humana, quibus eos repellam: ſed nitar tantùm illo verbo & decreto, quod Dominus dixit ad me, Tu es Filius meus, &c. Hoc decretum opponam omnium hoſtium viribus, & hæc fiducia tutum & ſecurum me reddet aduerſus omnes inſidias & iniuſtos conatus hoſtium. Eſt enim impoſſibile Filium Dei deleri ab impiis Tyrannis, quantumuis illi ſæuiant. Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia.

Primùm autem hic docemur. regnum Chriſti non adminiſtrari viribus humanis: ſed tantùm conſiſtere in verbi prædicatione, atque huius fiducia. Ipſe enim Filius Dei dicit ſe non habere aliud quod opponat hoſtibus, niſi hoc verbum quòd ſit Filius ab æterno genitus à Patre: & quòd iuxta hoc verbum, certò credat, ſe Deo curæ eſſe. Cúmque & nos ſimus filij per ipſum adoptati, ſperemus nos tutos fore ab omnium tyrannorum inſultibus, ſi verbo nitamur: nec quæramus humana præſidia.

II. Traditur hic illuſtre teſtimonium, quod in Meſſia ſit natura diuina. Expreſſè enim affirmat Pater, ſe generaſſe filium hodie, hoc eſt, ab æterno: & quidem vera generatione, de ſua ſubſtantia. Ideo inquit epiſtola ad Hebræos, capite primo, Cui vnquam angelorum dixit, Filius meus es tu, &c. & capite vltimo, Ieſus Chriſtus heri & hodie, idē & in ſecula. Vbi manifeſtè diſtinguit inter Filium naturalem, ſeu generationē naturalem, & illam quæ fit adoptione. Nonnulli interpretes gignendi verbum referunt ad patefactionē: quando ſcilicet manifeſto teſtimonio Deus oſtendit, hunc eſſe Filium ſuum: vt in Baptiſmo, crebris miraculis, & reſurrectione ex mortuis. Et aduerbium Hodie, ad tempus illius demonſtrationis referendum eſſe cenſent. Sed ſequor autoritatem epiſtolæ ad Hebræos, & priorem ſententiam amplector.

Poſtula à me] Quartum eſt argumentum ab amplitudine regni & imperij Meſſiæ: & deducitur hoc ex tertio. Cum enim naturalis ſit Filius æterni patris, & huic pareat totus orbis terrarum, fieri non poteſt, quin Filio petenti regnum ad orbis fines vſque extenſum, tanquam legitimam hæreditatem, concedat. Non eſt igitur quòd exiſtimēt hoſtes, regnū hoc anguſtis illis terminis terræ Iudaicæ incluſum eſſe: aut quòd vna aut altera vrbe expugnata, mox totum ipſius regnū corruat, multò enim longius extenditur ipſius potētia, quam vt his finibus contineatur. Imò verò gentes omnes pertinent ad ipſius regnum, iam olim traditæ ipſi à Patre in hæreditatē. Ergo nemo ſine rebellionis & impietatis crimine poteſt ſe ſubtrahere eius imperio. Et refutantur Donatiſtæ hoc dicto ab Auguſtino, qui olim concionabantur in angulo Africæ eſſe Eccleſiam: & hodie Pontifex Romanus qui eam alligat ad ſedem Romanam. In hac ſententia multa continentur.

I. Quòd regnum Chriſti ſit ſpirituale, non terrenum. Si enim mundum totum aſpicias, videbis illum diſtributis regnis occupatum eſſe à Regibus & principibus mundanis, & perpetuis bellis diſtrahi, & transferri regna ab aliis ad alios. Interea tamen inter illas diſtractiones & ruinas imperiorum, Chriſtus colligit in toto orbe terrarum ſuum populum, quem ille ſuo ſpiritu regit & gubernat, & ſacro fidei vinculo coniungit. Atque ita extenditur eius imperium ad orbis fines alio modo quàm cogitat ratio humana.

II. Doctrina de vocatione gentium hic traditur, quòd non tantum Iudæi pertineant ad hoc regnum Chriſti, ſed etiam gentes.

III. Quòd Eccleſia ſeruetur, & ad Chriſtum regem ſuum colligatur, propter interceſſionem Filij: & quidem oſtendit hoc dictum, Filium fuiſſe interceſſorem ab initio, non tunc primum quando aſſumit humanam naturam, vt Stancarus imaginatur. Ideo inquit, poſtula à me, id eſt, quia poſtulas & petis hoc à me, & intercedis pro genere humano, ego qui Filio petenti nihil non concedo lubens, longè & latè extendam fines imperij tui. Quo magis enim te prement, eò magis dilatabitur & amplificabitur imperium tuum.

Ita & IV. doctrina traditur, quòd Eccleſia creſcat, & robur nouum acquirat in perſecutionibus. Quemadmodum & Baſilius inquit,

Ἐν ταῖς θλίψεσι μᾶλλον θάλλει ἡ ἐκκλησία.

V. Plenum conſolationis & hoc eſt, quòd gentes, quæ Eccleſiæ adiunguntur, nominat poſſeſſionem & hæreditatem ſuam. Filij honeſti hoc magnopere ſtudent, vt hæreditatem relictam à parentibus integram conſeruent, nec turpiter dilapident. Quanto magis filius Dei ſuam hæreditatem, quam alibi inquit pulchram & pretioſam eſſe, & apud Moſen toties ſuum peculium nominat, tuebitur, nec patietur eam diſtrahi aut diripi ab auaris & impiis tyrannis?

9 Confringes eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli diſijcies eos.

Illatio eſt, in qua repetit comminationem de pœnis & interitu hoſtium: & ſequitur hæc illatio ex ſuperiore narratione. Cùm enim regnum Chriſti diuinitus ſit conſtitutum in loco ſancto & inuiolabili, & ſit hic Rex Filius Dei ab æterno à Patre genitus, & regnum poſſideat ad fines orbis terræ extenſum, impoſſibile eſt regnum hoc deleri aut euerti. Quin potius neceſſe eſt omnes, qui ſe huic Regi opponunt, ruere in æternum exitium. Vt autem oſtendat, quam facilè & nullo negotio hoſtes quantumuis magnis viribus videantur inſtructi, ab hoc Rege poſſint euerti, comparat omnes eorum vires, omnem faſtum, omnes minas & obſtinaciam vaſi teſtaceo, quo nihil eſt fragilius, & quod confractum nunquam poſtea reparari poteſt. Ipſum verò Regem tanquam ſeuerum iudicem pingit manu tenere ſceptrum ferreum, quo has teſtas collidat & confringat. Huius rei Deus præludia quædam exhibet in hoc mundo, quoties impios Tyrannos & hoſtes Eccleſiæ ſubito euertit: ſed tandem in extremo iudicio in ęternas pœnas abiicientur hi qui Chriſtum & eius regnum in hac vita hoſtiliter inuaſerunt. Virga autem ferrea, de qua hîc loquitur, eſt Spiritus oris in iudicio eius: Sicut antea dixit, Loquetur ad eos in ira ſua. Et Paulus 2. Theſſ. 2. dicit: Chriſtus interficiet impium ſpiritu oris ſui. Eſa. 11. percutiet terram virga oris ſui. נפץ diſperſum eſt, diſiectum eſt. In ſecunda coniugatione ſignificat diſiicere vt partes ac fruſta hinc inde diſſiliant.

10 Et nunc Reges prudenter agite: erudimini iudices terræ.

11 Seruite Iehouæ in timore: & exultate ei cum tremore.

IIII. Pars Pſalmi continet exhortationem, vt abiectis armis hoſtilibus, & depoſito odio, quod aduerſus hunc Regem conceperunt, reſipiſcant, atque eius imperio ſe ſubijciant. Nam cùm regnum Chriſti tale ſit, vt non ſolùm nullis humanis viribus expugnari aut euerti queat: ſed ipſis etiam hoſtibus exitium afferant molitiones & conatus fruſtra aduerſus hunc regem ſuſcepti, rectè & prudenter facietis, inquit, ſi omiſſo ſtulto & irrito conatu, huic ſummo Regi vos ſubiiciatis. Alloquitur autē nominatim Reges, cū tamen ſubditos quoq; cōprehēdat: vt ſupra in increpatione vidimus.

Id verò facit, vt oſtendat Regum & principum maximè culpa fieri, vt reliqua multitudo Chriſto aduerſetur. Ea enim ad affectus & cupiditates ſuorum principum ſe accommodat. Aduerbio Nunc, monet Propheta, non differendam eſſe pœnitentiam, ſed maturandam, antequam pœnæ ingruant, & dum adhuc pœnitentiæ locus ſit, השכילו facite vt intelligatis, vel ſtudete vt ſitis prudentes, id eſt, non patiamini vos ſeduci falſa intelligentiæ perſuaſione: non auſcultate veſtris impiis conſiliariis, aut tribunitiis concionatoribus: ſed potiùs omittite illos ſtultos & temerarios conatus, vobis & aliis exitioſos: & cogitate in quanta mala & pericula vos & veſtros coniiciatis, ſi diutiùs obluctando & reſiſtendo, ad iram eum prouocetis.

הוסרו Agnoſcite potiùs & diſcite qualis ſit hic Rex: quale ſit eius regnum: quæ beneficia ex hoc regno ad totum genus humanum proueniant: nolite ſtolidè & hoſtiliter reluctando, vos & alios priuare his beneficiis, & exitium accerſere. Eſt autem in his verbis teſtimonium non obſcurum, quòd liceat gerere magiſtratum. Non enim iubet eos deponere officium ſed compellat eos ſuis nominibus, & iubet eos agnoſcere hûc Dominum. Interea verò, cùm iubet eos prudenter agere, Spiritus ſanctus ſimul quid futurum ſit ſignificat. Sparſa enim Euangelij voce multi amplectentur hanc doctrinam, & ſe ſubmittent iugo Chriſti. Ita efficacia huius regni deſcribitur quaſi dicat: Adeò non efficient Reges, quod moliuntur, vt multi ſe ad Chriſti regnum adiuncturi ſint.

Verſu vndecimo & ſequenti, explicat quæ ſit vera ſapientia & prudentia, quæ ab ipſis requiratur. Non iubentur ſe abdicare magiſtratu, & vitam priuatam, aut etiam monaſticam agere: ſed hunc Regem agnoſcere, amplecti, colere & reuereri.

Seruite in timore] Id eſt, deponite fiduciam veſtrarum virium & potentiæ veſtræ: non exiſtimate ita vos præfectos eſſe regnis & imperiis, vt omnibus legibus ſoluti, quicquid lubet faciatis: Sed agnoſcite vos habere ſuperiorem Dominum, & hunc colite vero timore & vera fide. Timorem opponit ſecuritati carnali, non agnoſcenti ſua peccata: ideóque contemnenti iudicium Dei, & confidenti ſuis viribus & prudentiæ. Exultationem ſeu fidem opponit dubitationi & deſperationi. Atque ita ſummam vitæ Chriſtianæ complectitur. Ea enim conſiſtit in timore & fide: timore quidem, qui excutit ſecuritatem carnalem, & fiduciam propriæ iuſtitiæ: & cernens iudicium Dei aduerſus peccata, expaueſcit: fide verò, quæ inter pauores erigit & conſolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remiſſionem peccatorum, éſtque lætitia acquieſcens in Deo.

Vera igitur religio hîc deſcribitur, quòd ſit timor Dei coniunctus cum fide: & hunc cultum inquit placere Deo: poſtea hic internus cultus requirit & externum, vt ſcilicet adiuuent propagationem Euangelij, conſeruationem miniſterij, ſtudia doctrinarum: prohibeant idololatriam, tueantur publicam diſciplinam & pacem, &c.

Exultate] Id eſt, gaudete vos propitium habere Deum, atque hac lætitia vincite terrores mortis & inferorum: hæc verò lætitia non degeneret in ſecuritatem carnalem aut negligentiam: ideo adiungit vocem tremoris. Significatur & ſpontaneus cultus verbo exultandi: ſeruitus enim illa ſeu cultus non debet eſſe coactus. is enim gignit ſpiritũ triſtem & tergiuerſantem.

12 Oſculamini Filium, ne quando iraſcatur, & pereatis de via: quoniam exardebit [*vel quando exarſerit*] breui ira eius. beati omnes qui confidunt in eo.

Subiicit rurſus declarationem præcedentis verſus. Vt enim oſtendat, quid ſit ſeruire Domino, inquit: Oſculamini Filium, quaſi dicat: Ita verè & rectè Deo ſeruietis, ſi Filium tanquam dominum & regem omnium rectè agnoſcatis & colatis. Eſt autem dulciſſimum πάθος in verbo oſculandi, oſtendens, quomodo ſit Dominus colendus. Oſculum erat ſymbolum amicitiæ in iſto populo. Ideò Eſau reconciliatus fratri redeunti ex Meſopotamia, oſculatur eum, Gen. 33.

Primùm igitur cùm iubet nos oſculari Filium, ſignificat eum venire ad nos vultu placido & ſereno, vt amanter & ſuauiter nos complectatur, & offerat oſculum & complexum, id eſt reconciliationem cum Deo, iuſtitiam & vitam æternam: item, Spiritum ſanctum, quem ille in oſculo illo effundit. Nam in oſculo effunduntur ſpiritus ex corde. Non igitur venit Dominus ad nos vultu auſtero aut tetrico. nam qui ita ſunt, non admittunt complexuros aut oſculaturos, ſed cum faſtidio & indignatione accedentes repellunt. Chriſtus autem admittit, & offert ſe vltro ad oſculandum: ergo verè amat nos.

Deinde docet quo animo & qua fiducia nos ad illum accedere debeamus. Vult enim, nos non refugere eius conſpectum, tanquam triſtis & ſeueri iudicis: ſed fiducia beneuolentiæ eius, & amoris erga nos, confidenter accedere, & in eius complexum nos coniicere, atque ita de amore erga eum noſtro, & ſubiectione teſtari, & cum obedientia excipere verba oris eius. Ita oſculum eſt ſignum ſubiectionis: vnde ſummis Principibus homines oſculantur genua vel manus. Significatur & cultus diuinus, ſeu adoratio, verbo oſculandi, in qua ſignificatione vſurpatur Iob 31. vbi negat, ſe, cùm oriretur Sol, & Luna pulchrè incederet ſuo curſu, manum extendiſſe, ac eam oſculatum eſſe. Erat autem id genus idololatriæ. Nam cùm homines ore ſuo non valerent Solem aut Lunam attingere, manum ad ea ſidera extendebant, eam deinde ori admouentes oſculabantur. Id etiam in eleuatione panis aut calicis ſub Papatu fieri à procumbentibus videmus.

Tertiò docet etiam Deum non rectè coli, ſi Filius non audiatur & recipiatur, ſicut Chriſtus inquit, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Amat Pater Filium: ergo & complectentes Filium amat.

Ne quando iraſcatur] Reperit comminationem pœnarum, vt harum mentione crebra metum incutiat hoſtibus, & moneat vt ab inſtituto deſiſtant, & ad ſaniorem mentem redeant. Nõ ſpernitur Chriſtus abſque Patris contumelia: & tale ſacrilegium Pater non ſinit inultum.

Ne pereatis in via] Id eſt, in veſtris ſtultis conatibus, ſtudiis, & actionibus, *in oder mit ewrer vveiſe vnd ewrem vveſen*, vel in medio curſu, dum iudicatis, nihil eſſe periculi, ſed omnia fluere ex ſententia, & ex voto ſuccedere. Solent ſibi contemptores Dei blandiri in proſpera fortuna: ſed cum dicunt pax & ſecuritas, abripiuntur ſubitò. Hoc igitur eſt abripi vel perire in via. Alij reddunt, Ne amittatis viam, vel ne via veſtra pereat: iuxta illud: Iter impiorum peribit.

כמעט] non eſt ſimilitudinis hoc loco, ſed aſſeuerantis. Itaque ſic redde: Certè modicum: ſcil. eſt, &c.

Beati omnes qui confidunt in eo.] Addit epiphonema, in quo affirmat, nuſquam eſſe ſalutem quærendam, niſi in hoc vnico Meſſia: & eos fore beatos, id eſt, liberos à peccato, morte, & tyrannide diaboli, qui confidunt ſe propter hunc Filium recipi & amari à Patre, ſe curæ eſſe Deo, ſe regi & ſeruari.

Fructus igitur huius regni in hoc epiphonemate oſtenditur: & ſimul docemur quomodo beneficiorum huius regni reddamur participes.

חסה ſignificat protectionis cauſſa aliquò confugere, & ſe recipere. eſt appoſitum verbum. Nam in ira Dei confugiendum eſt ad Chriſtum, tanquam ad aſylum, & refugium vnicum. Hic enim eſt vmbraculum noſtrum, Ieſaiæ 25.

PSALMI II.

PARTES.

I. Exordium, ſiue antecedens narratio v. 1. 2. 3. occaſionem oſtendens ex qua Pſaltes ad propoſitionem huius prophetiæ adductus eſt.

II. Narratio principalis de conſilio, verbo, adminiſtratione potentiſsima Dei: à verſ. 4. ad 10. duabus in vniuerſum partibus diſtinguenda. *Prior* eſt de iis rebus quas Deus geſturus erat in plenitudine temporum aduentu Chriſti. v. 4. & 5. *Poſterior*, de ſumma Euangelij quod à Meſſia fuit pronunciatum. v. 6. 7. 8. 9.

III. Hortatoria concluſio. Cuius duæ ſunt partes, 1. Deterrentur hoſtes ab inſtituto ſuo, & ad obſequium Chriſti prouocantur. 2. Eorum prædicatur felicitas qui fidem & obſequium Chriſto Prophetæ, Sacerdoti & Regi ſuo præſtiterint.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Fruſtra contra Meſſiæ regnum, tũ typicum, quale fuit Dauidis, tum verum & typo repræſentatum, quod eſt Ieſu Chriſti, hoſtes varij & feroces conſpirant, quum Dei fixo & immutabili decreto vtrumq; conſiſtere & propagari oporteat: illud quidem ſuo certo & deſinito tempore, hoc autem in æternum & per mundum vniuerſũ.

2 De Chriſti regno ſpiritu prophetico hic agi idoneos teſtes habemus Apoſtolos, Act. 4. 24. Cuius imperio quicunq; ſe non ſubijciunt, bellum indicunt Deo.

3 Omnes Chriſti hoſtes non minus indignè ferunt ſi cogantur ſubeſſe eius imperio, quàm ſi extrema afficerentur ignominia. Suaue enim Euangelij iugum, impiis eſt terribile, & odor mortis.

4 Dum cœlum terræ miſcere cogitant locuſtæ illæ terrenæ, Dominus interea quietus è ſublimi ſpectat veſanos eorum motus.

Riſus Deo tribuitur, primùm vt ſciamus non opus illi eſſe magnis præſidiis, vt compeſcat homines impiè tumultuantes, quaſi res difficilis eſſet & laborioſa: ſed hoc veluti ludendo facturum quoties libuerit. Deinde non ceſſare Deum, quandiu regnum filij ſui turbari patitur, quia vel alibi ſit occupatus, vel ſuccurrere non poſſit, vel Filij ſui honorem negligat: ſed conſultò differre vindictam in maturũ tempus, donec illorum furores ludibrio expoſuerit.

5 Alloquitur ſuos hoſtes Deus quum iram ſuam demonſtrat, quam impij non niſi experti ſentiunt.

Quantumuis ferociter exultent & ad tempus ſuperbiant impij Eccleſiæ hoſtes, ſentient tandem quid ſit cœlo bellum inferre.

6 Deus ab hominibus terreis longiùs diſtat, quàm vt ſuam vnius gloriam tota eorum multitudo vel minimùm obſcuret.

Deus regnum filij ſui, cuius autor eſt, haud dubiè tuebitur ad ſinẽ vſque. Ideo quicquid machinentur homines, nobis hoc vnum ſufficiat, Dei vnctionem non poſſe ab iis deleri.

7 Inexcuſabiles redditi ſunt omnes impij, quòd nõ miraculis ſolùm probauit Chriſtus ſe legitima poteſtate à Deo fuiſſe inſtructum: ſed hoc palam quoque fecit, Euangelij præconio: & hoc idem teſtimonium quotidie in toto orbe perſonat.

Hinc etiam meliùs ſancitur Euangelij autoritas, quia licet ab aliis publicetur, Chriſti tamen vocari non deſinit: & quoties ab hominibus Euangelium audimus, non tam ipſos quàm eorum ore Chriſtum loqui nobis eſt conſtituendum.

Quamuis Angelis inferior eſſet Dauid, quatenus tamen geſtauit Chriſti perſonam, meritò illis longè præfertur.

Filius dicitur genitus, reſpectu Dauidis, dum clarè hominibus apparuit eius electio: Chriſti autem reſpectu, quatenus Pater Filium ſuũ eſſe, ſolenni apparitione teſtatus, præcipuè verò, vt ait Apoſtolus Rom. 1. 4. quũ reſurgens à mortuis potenter declaratus eſt Dei filius.

8 Gratuita ſummáque Dei lucet liberalitas, quòd filium ſuum toti mundo præficere dignatus eſt.

Quatenus eſt æternus Patris filius & ſermo, penes eum iure ſummũ imperium & maieſtas ſemper fuit: ſed exaltatus in carne fuit, in qua induerat ſerui formam: & teſte Paulo, Philipp. 2. 9. Poſtquã exinanitus eſt, nomen obtinuit quod eſt ſuper omne nomen, vt corã eo flectatur omne genu.

Immenſa hæc regni amplitudo, terminos terræ reſpiciens, à Dauide ad Chriſtum neceſſariò nos reuocat. Chriſtus enim ſolus ſibi mũdum ſubegit, ac ſub imperio terras omnes & populos complexus eſt.

Vocationis gentium prædictio perſpicua: ne vnius tantùm gentis rex credatur qui à Deo mittendus eſt redemptor.

Quamuis hominum ingratitudo impediat ne perfectè floreat regnum Chriſti, non tamen huius propheticæ promiſſionis effectum abolet, dum Chriſtus diſperſas reliquias vndiq; colligit, & in miſera vaſtitate ſuos retinet ſacro fidei vinculo coniunctos, vt non vnus duntaxat angulus, ſed totus orbis eius imperio ſubiaceat.

9 Chriſtus vt ſe placido gregi ouium amabilem paſtorem exhibet, ita feras beſtias (impios nempe) imperio ſuo rebelles neceſſe eſt tractet duriùs: vt earum truculentiam vel corrigat, vel compeſcat.

Virga ferrea Chriſto eſt ſpiritus oris ſui, quo impios percutit vſque ad interitum, & loquendo ſatis validè fulminat contra hoſtes ſuos, & ſola labiorum virtute eos in nihilum redigit: variiſque modis (etiamſi furioſo impetu reſiſtant) conteruntur, donec fiant ſcabellũ pedum eius. 2. Cor. 10. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed diuinitus valida, &c.

Quamuis dura ſit & pluſquam lapidea impiorum obſtinatio, vaſis tamen fictilibus vel ipſa experientia & tragicus exitus eos ſimiles eſſe docet.

Quia non ſtatim conteri videmus quicunq; Chriſto reſiſtunt, imò ſub ferreis eorum malleis infirma Eccleſia teſtæ ſimilis eſt, pios omnes admonitos eſſe conuenit, vt quotidiana Chriſti iudicia tanquã horribilis ruinæ quæ manet omnes impios præludia reputando, diem vltimum patiẽter expectent, quo ipſos aduentus ſui flãma prorſus abſumet. Interim ſufficiat eum in medio hoſtium ſuorũ dominari.

10 Maturè hominibus, à Dei verbo & patientia admonitis, eſt reſipiſcendum: quia non ſemper eadem dabitur opportunitas.

Regum & magiſtratuum eſt, ante cæteros Chriſtum amplecti, ni velint ſe ſuóſque in horrendas calamitates coniicere.

11 Rectè ſapiendi initium eſt depoſito faſtu ſe addicere Chriſti imperio: nã planè deſipiunt qui humiles Chriſti diſcipuli fieri recuſant.

Quandiu intemperanter pro ingenii ſui libidine exultant ſuperbi, ſuo exitio ludunt: hoc verò vnicum & ſalutare eſt gaudium, acquieſcere in Dei metu & reuerentia.

12 Pater per manum filij ſui regnare vult, & in eius perſona gloriæ ſuæ notas inſculpſit. noſtræ igitur erga Deũ obedientiæ & pietatis legitima probatio eſt reuerenter amplecti quẽ nobis regẽ præfecit. Ioh. 5. 23. In ſumma, Deus honore ſuo fraudatur, niſi colitur in Chriſto.

Quãuis Dei contemptores ſibi in ſecunda fortuna blandiri ſoleãt, ſe procul diſtare à fine ſuo putãtes, tamẽ repẽtino interitu abripiẽtur.

Quoties horribile iudicium incredulis impendet, Deus propoſita gratiæ ſuæ dulcedine pios nominis ſui cultores ad bene ſperandum inuitans, tandem beatæ vitæ participatione coronat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1 Impiorum, gloriam Dei oppugnantium, inſana conſilia, ridiculi conatus.
2 Regnum Chriſti, cuius typus fuit Dauidis adminiſtratio.
3 Hoſtium Chriſti Regis & ſubditorum eius ſors miſerrima.
4 Principum Officium.
5 Hominum felicitas & infelicitas.

Canticum Dauidis, cùm fugeret à facie Abſalomi filij ſui.

ARGVMENTVM PSALMI III.

TITVLVS indicat argumentum. Nam Dauid expulſus regno, non ſolum filij ſui & aliorum quos ſecum in aula habuerat, perfidiam & odia acerbiſſima eſt expertus, dum facta conſpiratione regem inuaderent, & vitæ ipſius inſidiaretur: ſed quod multo grauius fuit, cum deſperatione extrema & tentatione de abiectione luctatus eſt. Videt enim ſe plecti propter ſuum delictum, quod commiſerat, rapta alterius coniuge, & marito interfecto: ſéque omnium harum turbarum, ſeditionis, cædium & ſcelerum quæ à filio Abſalomo & eius coniuratis committebantur, cauſam eſſe: multos etiam pios homines in hoc populo, animi dolore, propter ſcandalum illud abſorberi & extingui. Horum malorum omniũ conſideratio ita excruciauit Dauidem, vt niſi vocem Nathan Prophetæ perpetuò ſibi inculcaſſet, extingui eum animi dolore, & ruere in deſperationem neceſſe fuerit. Nec deerãt, qui ei has voces ſubinde ingererent, Tu horum malorum omnium es autor, & tam grauiter offendiſti Deum, vt non ſolum in te, ſed in omnes ſubditos tuos iram ſuam effũdat. Quid igitur ſperas te Deum habere propitium? an non ſatis apparet, te eſſe abiectum & damnatum? &c. Contra hanc tentationem, & diabolicas voces impiorum hominum, & contra crudelia arma & impetum furioſum filij ſui & aliorum hoſtium, munit ſe Dauid promiſſione auxilij diuini & inuocatione, petens ſe liberari ab hoſtium inſultibus: & certam ſibi victoriam & liberationem promittens: quòd ſciat ſe nequaquam deſertum eſſe à Deo. Et docet nos ſuo exemplo, ne deſperemus de bonitate & auxilio diuino, quãtumuis grauiter lapſi & ſcãdalis deformati ſimus: ſed certò ſciamus, Deum adeſſe omnibus ad ſe confugientibus.

Accommodatur autem Pſalmus etiam ad Chriſtum. Nam quia Dauid perſonam Chriſti gerit, oportuit eum guſtum quendam illorum horribilium dolorum, quos Chriſtus ſuſtinuit, percipere. Chriſtus igitur non ſimilia tantùm, ſed multo maiora patitur quam Dauid, atque is verè experitur hoc, quod dicit Propheta: Non eſt ei ſalus in Deo. Itaque in cruce clamat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?

Nomen מזמור, quod ſæpe in titulis Pſalmorum occurrit, ſignificat odam, ſeu carmen accuratè & artificioſè ſcriptum, & emendatum, quaſi falce vinitoris admota: vel carmen conciſum: conſtat enim certis numeris ſeu metris: nec ita liberè euagatur vt ſoluta oratio. Verbũ זמר ſignificat incidere putare. Differt igitur שיר, quod de ſolutis & vulgaribus, neque arte modulatis cantionibus dicitur.

2 Iehoua, quàm multi ſunt anguſtiatores mei [*qui premunt me*] multi inſurgentes aduerſus me.

3 Multi dicentes [*id eſt, dicunt*] animę meę: non eſt ſalus ei in Deo, Selah.

Exordium habet triſtem querelam de perfidia ſubditorum, qui ferè omnes Abſalonem filium ſecuti, vnà cum ipſo defecerant, & regnum inuadebant. Pauciſſimi enim erant qui exulem patrem comitabantur: cùm interim tota multitudo cum Abſalomo aduerſiis ipſum conſpiraret. Non queritur nunc de externis hoſtibus Philiſtæis, Idumæis, Moabitis: cum quibus tamen perpetua ipſi bella erant: ſed de domeſticis, & ſubditis, de conſiliariis item & amicis quos ſecum in aula habuerat, & magnis beneficiis affecerat & ornauerat: atque adeo de filio ex ſe nato. Ab his oppugnari multò triſtius erat, quàm ab externis hoſtibus. Diſcamus autem ex hoc exemplo, non eſſe raram & inuſitatam perfidiam aulicorum. Nam ſi hoc viro tam ſancto accidit, quid mirum ſi aliis idem accidat?

Inſurgunt aduerſus me.] Id eſt, conantur me excutere regno, mouent ſeditiones, inſidiantur vitæ. Etiam Germani verbum Inſurgendi de ſeditioſis molitionibus & conatibus vſurpant.

Quàm multi dicunt.] Hoc verò longè triſtius eſt & acerbius, quòd non tantùm bello & aperto Marte eum oppugnant, ſed addunt etiam ſarcaſmos, & inſultant miſero in ſua calamitate: ídque non vulgari modo, ſed reuocantes illi in mentem ſua delicta quibus hoc meritus ſit, vt non tantùm excuteretur, ſed etiam à Deo abiiceretur. Tales ſermones audire ab hoſtibus longè triſtius fuit omnibus ærumnis exilij: nam his clamoribus ad deſperationem eum impellere conabantur. Atque hîc opus fuit peculiari robore fidei, quo hæc tela venenata vinceret & excuteret. Niſi enim fide ſe ſuſtentaſſet, proculdubio abſorptus fuiſſet dolore, & oppreſſus deſperatione: quia videbat, ſe harum tantarum calamitatum, tot malorum & ſcelerum, quæ in iſta ſeditione perpetrata ſunt, cauſſam eſſe, ideóque meritum eſſe, vt à Deo in æternum abiiceretur. Eſt igitur in hoc verſu amplificatio periculi & calamitatum, à quarum commemoratione Pſalmum exorſus erat.

Dicunt animæ meæ.] Id eſt, conantur perſuadere animę meę, & ſuis ſarcaſmis amariſſimis, tanquam mucrone aliquo vulnerant & perfodiunt animam meam, dum dicunt, & palam ſpargunt has voces, me eſſe abiectum & deſertum à Deo, atque hac fiducia ſunt inſolentiores, & creſcit eorum audacia. His enim vocibus ſeſe mutuò incitabant hoſtes ad arma capienda, & multos alioqui non malos ex ſubditis, in ſuam ſocietatem pertrahebant.

ישועתה Nomina, in quibus augentur litteræ acceſſoriæ ſeu miniſteriales, intendunt ſignificationem Idem igitur eſt ac ſi diceret, prorſus non eſt ei ſalus reliqua in Domino.

De voce Selah, quæ non alibi quàm in Pſalmis & in oratione Habakuk legitur, variæ ſunt interpretum ſententiæ. Nec libet omnes hoc loco commemorare, cùm nihil ex his elici poſſit, quod auditorem erudire queat. Mihi vt in re obſcura atque incerta, veriſimilior videtur eorum opinio qui ad Muſicam pertinere, & melodiæ potiùs, quam rebus ipſis conuenire hanc vocem exiſtimant. Cùm enim vox eleuationem ſignificet, videtur nõ tam ἱμοάσμος aut ἐπιφωνήματος ſignũ eſſe, vt nonnulli volunt, quàm Muſicæ ſeruire: & cantorem monere de certa quadam canendi ratione, in qua vox attollatur. Ea tamen qualis fuerit, cùm de Muſica Iudæorum nihil extet, nemo facilè dixerit.

4 Tu verò Iehoua clypeus es circa me, gloria mea & exaltans caput meum.

Altera pars Pſalmi continet precationem, atque in hac primùm ſeſe confirmat fide & fiducia miſericordiæ & bonitatis diuinæ, qua tentationẽ hanc de abiectione vincit & ſuperat. Nemo enim poteſt accedere ad Deum, niſi hæc fides præluceat, qua certò ſtatuat, ſe eſſe in gratia apud Deum. Hanc igitur fidem hauſtam ex promiſſionibus Dei, opponit illi tentationi, eáque ſe erigit & confirmat: & accedens ad Deum, petit liberationem.

Tu autem Iehoua clypeus meus] Id eſt, Quanquam non ſolùm hoſtes mei vociferantur, me eſſe deſertum à Domino & abiectum, & hac perſuaſione magis animantur ad me oppugnandum: ſed etiam conſcientia mea me accuſat, quòd meis delictis hæc mala extraxerim: tamen non deficio à te, ſed ad te confugio fretus tua promiſſione, in qua mihi promittis protectionem, auxilium & liberationem.

Tu es ſcutum meum] Id eſt, tu protegis & defendis me, etiam ſi ſim deſertus ab omnibus amicis, familiaribus & ſubditis, & hos pro amicis experiar hoſtes. Item etiamſi nuſquam tutum habeam receptum, & quocunque oculos conuerto, plena ſint inſidiarum & armorum hoſtilium omnia, tamen ſcio me abs te defendi, ne periculum ad me pertingere poſſit: imò verò tu excipis pro me omnia illa tela & ictus, quibus me petunt hoſtes, & omnem hoſtilem impetum tu ſuſtines pro me. Græcus habet ἀντιλήπτωρ, Latinus, ſuſceptor.

Tu gloria mea) id eſt, Tu, qui antea commendaſti mihi hoc regnum, & voluiſti me regem eſſe in hoc populo, non patieris nunc, hac gloria mea, id eſt, regia dignitate me ſpoliari: ſed cuſtodies & ſeruabis mihi eam illæſam, vt in priſtinam dignitatem reſtituar. Gloria igitur pro glorificante accipitur: ſicut ſuprà, ſcutum pro defenſore & protectore. vſitata omnibus oratoribus atque in primis Hebrææ linguæ figura, qua μεταληπτικῶς Deus dicitur vita, lux, ſalus hominum, &c.

Exaltans caput meum) Id eſt, hæc fiducia auxilij diuini me lætum reddit, vt quãquam videar afflictus & dolore deiectus, tamen lætus poſſim contemnere omnes vires, inſidias & inſultus hoſtium, & animo eſſe compoſito ac tranquillo. Attollere caput, aut erecto capite incedere, ſignum eſt lętitiæ & tranquillitatis animorum, & certæ fiduciæ conceptæ. Ideo Lucæ 21 Chriſtus inquit, Suſpicite & attollite capita veſtra. Econtra, deiecto vultu aut curuum incedere, ſignum eſt triſtitiæ, pudoris, & animi abiecti. Gen. 4. Cur concidit vultus tuus? id eſt, cur incedis triſtis deiecto vultu? Iob. 10. Non eleuabo caput meum ſaturatus ignominia, id eſt, non audebo attollere vultum prę pudore. Et 1. Reg. 21. Achab demiſſo capite ingreditur dolens de cæde Naboth. Deus igitur dicitur exaltare caput, cùm erigit & exhilarat animos noſtros ſenſu veræ conſolationis & præſentiæ ſuæ in ærumnis & afflictionibus. Deinde, exaltare caput ſignificat etiam, euehere ad honores, in regnum collocare, regia dignitate ornare: cuius contrarium eſt, conterere caput, pro auferre & deſtruere regnum, & potentiam alicui omnem adimere. Gen. 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Cuius ſignificationis exemplũ exſtat 2. Reg. vlt. Extulit Euilmerodach caput Ioachim de carcere, poſuitque thronũ eius ſupra thronum regum. Et Pſal. 110. Exaltabit caput.

Atque hæc rectè ad Chriſtum accommodari poſſunt. Hic enim quanquam mortuus iacet in ſepulchro, nec vlla amplius eſt de eo ſpes: tamen rurſus glorificatur, & exaltatur in ſuo regno.

5 Voce mea ad Iehouam clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo, Selah.

6 Ego cubui & obdormiui [*ſomnum cepi*] euigilaui: quia Iehoua ſuſtentat me.

Opponit conſolationem veram & firmam omnibus illis terroribus & minis hoſtium, qua ſe confirmat & erigit. Ego, inquit, etiamſi ſum excuſſus regno, ſpoliatus dignitate, deſertus ab amicis & familiaribus, atque adeo nudatus & deſtitutus omnibus præſidiis externis: tamen propterea non abiicio fiduciam in Deum. ſcio enim quòd me inuocantem exaudiuerit hactenus, & deinceps exauditurus ſit. itaque lætus contemno omnes iſtas minas & inſultus hoſtium: adeo quidem, vt inter iſtos terrores & mille mortes, quæ mihi intentantur, ſecurus dormire queam, ac ſi eſſem extra omne periculum poſitus.

De monte Sion) In monte Sion tunc erat ſanctuarium, & arca fœderis. Itaque ibi adorabatur Deus: quia promiſerat ſe exauditurum inuocantes, ad arcam propitiatorij, qua Chriſtus erat adumbratus. Dauid igitur, quanquam exul, tamen reſpicit ad illum montem, & ad arcam fœderis ſe conuertit, de qua facta erat promiſſio: & hac fiducia accedit ad Deum, & ſtatuit ſe exaudiri.

Voce mea clamaui] Videtur eſſe pleonaſmus: ſed ita loquitur Propheta, vt ſignificet, ſe hanc vocem precationis opponere omnibus illorum furioſis clamoribus & blaſphemiis, quibus conabantur fidem illius labefactare atque euertere: ſeque nequaquam obmuteſcere oſtendit, vtcunque clamando obſtrepant hoſtes. Voce clamandi notat ardentem inuocationem.

Ego cubui & obdormiui] Hæc verba metonymicὼs ſummam animi tranquillitatem & conſtantiam ſignificant, vt qui in tantis hoſtium conatibus & molitionibus ita ſecurus ſit, vt ſomnum capere queat. quanquam enim non dubiũ eſt quin variis curis cor eius fuerit conturbatũ & diuexatũ, tamen fides illa qua ad promiſſionẽ diuinam reſpiciebat, victrix fuit,

& ſuperauit omnem illum terrorem & metum. Quidā in futuro reddunt, ego dormiam: ſequitur enim verbum futurum, quia ſuſtentabit. ſed ſignificatur continuus actus: ideo tēpus mediū vbique rectè ſumitur. Ego, inquit, ſuauiter dormio in his terroribus & periculis, quæ foris mihi obiiciuntur.

Ego iacui] Id eſt, non fui inquietus, anxius aut trepidus, non quæſiui illicita remedia, ſicut hi qui nullam ſpem in Deo habent: nec fuit vlla tanta ſolicitudo, quæ mihi excutere ſomnū potuerit: quia ſcio quòd tu me fulcis & ſuſtētas. Hûc congruit illud Pſalm. 127. Deus dilectis ſuis dat ſomnum. & illud Prouerb. 3. Si dormieris non timebis, quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus: ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum, Dominus enim erit à latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum, ne capiaris

Euigilo] id eſt, non excutitur mihi ſomnus turbulentis inſomniis, aut terroribus foris obiectis: ſed placidè euigilo.

Quia dominus ſuſtentat] Significat non eſſe hāc ſecuritatem carnalem, quæ omni metu vacua eſt: ſed Dei beneficio id fieri, quem ſciat ſibi præſentem eſſe in his periculis. Nam ſecuritas piorū longè alia eſt ab impiorū ſecuritate. Differt enim non cauſſa tantum: ſed qualitate etiā, & obiectis diuerſiſſimis.

7 Non timebo à multis millibus [*myriadibus*] populi: qui vndique poſuerunt aduerſus me.

Repetit eandem ſententiam & amplificat, ſignificans tantam eſſe vim fiduciæ quam ex protectione Dei concepit, vt omnes hoſtium impetus, furores, apparatus & copias facilè contemnat, etiamſi vndique cinctum ſe his videat. Chaldæus paraphraſtes reddidit: Non timebo à contentione populorū, ממצותא רעם Quia nomen Hebræum רבבות iudicauit eſſe à ריב non à בכר

Ponere in circuitu alicuius, ſignificat, aduerſus aliquem inſtruere aciem, vel vndique cingere aliquem exercitu hoſtili: vt cùm vrbs cingitur obſidione, vel exercitus paruus circumfunditur ab hoſtilibus copiis, vt omnes exitus præcludātur.

8 Exurge Iehoua, ſerua me Deus meus: quoniam percuſsiſti omnes inimicos meos in maxilla, dentes eorum contriuiſti.

In precationibus piorum affectus variè miſcentur. quia tunc maximè luctatur fides, cùm ad Deum accedit. Itaque nonnunquam quaſi victrix triumphat, tanquam certa de ſua ſalute: vt verſibus aliquot præcedentibus vidimus: nonnunquam verò recurrit ad preces, quia videt, ſe nondum omnibus periculis perfunctam eſſe: & alioqui cauendum eſt homini pio, ne illa πληροφορία fidei degeneret in ſecuritatē carnalem. Durat enim hæc militia fidei luctantis perpetuò. Ita Dauid hoc in loco, etſi certam ſibi victoriam & ſalutem polliceetur: tamen rurſus recurrit ad preces, vt oſtendat, non aliunde expectare ſe auxiliū & liberationem, quàm à Domino.

Surge Iehoua] Metaphorica eſt locutio, pro ſuccurre mihi in auxilium, nec diutiùs differ liberationem. Quādiu enim differt liberationem, & ad malitiam impiorum conniuet Deus, videtur quaſi dormire, aut otioſus ſedere & negligere ſuorū ſalutem: ſed rurſus quando vindictam ſumit ab hoſtibus, videtur quaſi ex ſomno euigilare, & conſurgere ad arma capienda. Dextrè igitur hæ locutiones in Pſalmis ſunt intelligendæ. vt cùm dicitur, Surge Domine, quare obdormis, Pſal. 44. & ſimiles. Non enim dormit, qui cuſtodit Iſrael, vt alibi dicitur Pſalm. 121. Sed differt interdum liberationem, vt patientiam ſuorum exerceat, & ad inuocationem excitet. Nec eſt perpetua illius patientia, qua conniuet ad iniurias Eccleſiæ ſuæ factas: ſed temporaria, ac velut dormitio quædam, quam certiſſimè ſequitur vindicta.

Serua me] Petit ſeruari, cùm tamen antea certam ſibi victoriam pollicitus ſit, qua de re iam dixi. Alij poſt liberationem ſcriptum eſſe volunt hunc Pſalmum, ideóque petere Dauidem, vt deinceps ſeruetur ſicut antè.

Quoniam percuſſiſti] Hæc ſententia dupliciter exponitur ab interpretibus. Aliqui volunt eſſe precationē, qua in memoriam ſibi reuocet ſuperiores victorias, atque ita quoque hoc tempore defendi & ſeruari ſe petat. Aliqui volunt eſſe gratiarum actionem, quam miſceat precationi, quaſi iam potitus ſit ſuo voto. Sed videntur præterita interpretāda eſſe per imperatiua: vt tota oratio ſit optantis vel petentis. Eſt enim vſitatum Hebræis, vt ſi præterita ſequantur imperatiuum, ea quoque induant imperatiui vim. Ita Pſal. 4. Cum clamo exaudi me Deus iuſtitiæ meæ, in anguſtia dilataſti, id eſt, dilata me.

Per maxillam & dentes μεταφορικῶς intelligit ſarcaſmos, calumnias, obtrectationes, mordacitatem, virulentam linguā, maledicentiam, blaſphemias. Petit igitur cohiberi ipſorum petulantiam, qui tam audacter & impunè regi maledicant: eorumque potentiam infringi, qui iam ſpe ſua eum deuorarint. Nonnulli percuſſione maxillarum illuſiones & probra notari exiſtimant, quibus hoſtes petat affici.

9 Iehouæ eſt ſalus: & ſupra populum tuum benedictio tua, Selah.

Addit epiphonema, in quo teſtatur ſe totum hoc beneficiū liberationis Deo acceptum referre, non adſcribere ſuæ potētiæ & ſapientiæ, multò minùs commentitio alicui numini aut idolo: & quidem affirmat non tam ſibi quàm populo vniuerſo hoc præſtari, vt regnum hoc conſeruetur, nec funditus ab hoſtibus deleatur.

Domini eſt ſalus] Chaldæus & alij eum ſecuti reddiderunt, A domino eſt ſalus vt ל pro מ ſcribatur. Sed vſitata eſt hæc paraphraſis in Hebræa lingua, in qua ל ſæpe eſt poſſeſſiuum, vt in titulis multorum pſalmorum מזמור לדוד cuius autor eſt Dauid: Domini eſt ſalus, pro, penes eum eſt ſalus, vel virtus ſaluandi, vel Dominus ſaluat, eſtque autor ſalutis. Item Exod. 28. Domini eſt ſanctitas: id eſt, Dominus eſt ſanctus, & ſanctificat ſuos. Dan. 9. Domini ſunt miſerationes & condonationes, id eſt, miſeretur & condonat. Zach. 9. Domini eſt oculus hominum, & omnium tribuum Iſrael, id eſt, videt homines & omnem tribum Iſrael. Quòd ſi in datiuo omnino reddere libeat, oratio non incommodè ita reſolui poteſt: Vnius Dei proprium eſt ſeruare, neque ad alium quempiam pertinet ſeruandi munus quàm ad vnicum hunc & verum Deum.

Benedictio tua] Id eſt, tu oppreſſa coniuratione, & diſſipatis hoſtibus, reſtituis pacem & concordiam in hoc regno, das felicem ſucceſſum & euentum aliter quàm nos meriti eramus, & in hac vita ſingulis multipliciter benefacis. Dicere Dei eſt facere. Ideo benedictio pro beneficentia ſumitur.

Super populum tuum] Coniungit ſuam ſalutem cum populi ſalute: vt oſtēdat ſe non tam de ſua quàm totius regni ſalute ſolicitum eſſe, ſibíque hoc beneficium præſtari magis propter publicam quàm priuatam ſalutem.

PSALMI III.

PARTES.

I. Exordium patheticum v. 2. 3. ab occaſione calamitatis. Amplificatur πάθος à perſona Dei, Dauidis, hoſtium vtriuſque.

II. Narratio v. 4. 5. 6. 7. continens certiſsimam illam confidentiam qua Dauid fuit confirmatus in omnibus ſuis calamitatibus. Hæc confidentia nititur conſideratione naturæ Dei omnipotentis, gratioſi, glorioſi, ſeruum ſuum, Eccleſiæ typum ab omni malo aſſerentis, bona ſua communicantis, hoſtes arcentis.

III. Concluſio petitoria bimembris. Salutem enim primum ſibi v. 8. Deinde populo, v. 9. dari poſtulat.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Si quando Deus improbis & ſceleſtis hominibus ad nos caſtigandos tanquam flagellis vtatur, cauſam primò expēdere conuenit: nihil ſcilicet nos perpeti, quod non promeriti ſimus: vt hac meditatio nos ad pœnitentiam erudiat.

Si Deum potiùs quàm nos oppugnant hoſtes, ſuccedat hæc fiducia, eius præſidio nos fore ſaluos, cuius gratiam, quæ nobis promiſſa eſt, ſpernunt illi & conculcant.

Variis cladibus & ærumnis obnoxij ſunt etiam ipſi reges, à quorum delictis mundi iudicem pœnas repetere par eſt.

2 Fidei ſignum eſt, quū pij homines in maximis periculis conſtituti, querelas ſuas in Dei ſinum deponere audent: quod certè vnicū ſedandis noſtris timoribus eſt remedium: ſicuti viciſſim qui ſe ab eo reſpici non putant, proſtratos iacere neceſſe eſt.

3 Impij dum inſurgunt ad Eccleſiam perdendam, non palam eò inſolētiæ prorūpunt, vt Dei fauorem negēt quicquam piis profuturū: quia tamē vel fortuna tribuūt omnia, vel vt quiſq. viribus pollet, eū

ſtatuunt fore victorē, & ideo per fas ac nefas intrepidè ruunt, quòd illis perinde ſit Deum habere iratum vel propitium: hinc conſtat nihili ab eis æſtimari illius gratiam, & ludibrio haberi fideles, ac ſi nihil prodeſſet ſub Dei manu & cuſtodia eſſe.

Quamuis vna voce totus mundus nos ad deſperationem impellat, Deus vnus potius audiendus eſt, ac ſpes ſalutis ab eo promiſſæ ſemper intus fouenda: animæ item noſtræ, quas confodere tentant impij, ſunt precibus confirmandæ.

4 *Vbi ab improbis vexantur Dei ſerui, poſtquam de peccatis ſuis ingemuerint, & ſuppliciter confugerint ad Domini ſui miſericordiam, ad præſentis cauſæ intuitum oculos referre debent, vt non dubitent ſibi indignè vexatis Deum fore adiutorem.*

Præſertim verò, quum per ipſorum latera Dei veritas confoditur, hac fiducia in ſublime efferri eos decet, minimè dubium eſſe quin Deus promiſſionum ſuarum fidem contra impios aſſerat.

Dei benignitas eſt tutamen & perpetuum decus piorum, quorum ſpes æterna gloria præmium tandem accipiet.

5 *Vt grauiter peccant qui frænum rodendo gemitus ſuos à Deo ſubducūt: optimè ſibi conſulunt pij eius promiſſionibus fidē habētes.*

Inter hoſtium blaſphemias, quibus tentant fidem noſtram obruere, non decet nos eſſe elingues, quin potiùs voces ad Deum attollere, quem illi fingunt à nobis auerſum.

Hodie quum in Chriſto nobis ſit exhibitū quod olim per ſanctuarium & arcam fœderis adumbrabatur, multò familiarior nobis ad Deum acceſſus patet, modò ne à via ſcientes ac volentes erremus.

6 *Pij ſemper ab omni metu emergunt victores, ſicuti impios qui in Deum non recūbunt, etiā in minimis periculis obruit deſperatio.*

Impios aliquando ſopitos tenet mentis ebrietas, dum ſe fœdus cū morte pepigiſſe ſomniant: at ſecus pij, qui niſi Dei virtute ſuffulti & ope protecti quietem nec habent nec cupiunt.

7 *In periculis diſcamus non metiri humano modo Dei auxiliū: ſed quicquid obiectum fuerit terroris, ideo deſpicere, quia friuolum eſt quicquid aduerſus Deum moliuntur homines.*

8 *Niſi Dominus omnipotens fidelibus adſit, nec mens nec manus humana valet. Is enim ſolus eſt qui tyrannorum ſuperbiam, crudelitatem & dolos potenter & ſapienter, tum immediatè, tum per media retundere nouit.*

9 *Vt mille immineant mortes, obſtare tamen Deo non poſſunt, quominus ad ſeruandum ſufficiat.*

Eccleſia à malis omnibus ſemper liberabitur: quia Deus, cui ſuppetit liberandi facultas, ab ea gratiam ſuam & benedictionem nūquam ſubducet.

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1 Dei, in viros principes (vt & in infimos) animaduertentis, iuſta ſeueritas.
2 Principum piorum & impiorum diſcrimen.
3 Fidei pugnantis, vincentis, triumphantis, effigies.
4 Inuocationis diuinæ vis & præſtantia.
5 Inimicorum Dauidis, Chriſti & Eccleſiæ, interitus.
6 Firma piorum conſolatio.

ARGVMENTVM PSALMI IIII.

ARGVMENTVM huius Pſalmi idem eſt cum ſuperiore. Nam Dauid profugus & exul & multis periculis circumuentus ad Deum confugit: à quo defendi & liberari ſe petit. Etſi autem incertum eſt quo tempore hic pſalmus ſit compoſitus: bis enim exulauit domò & regno ſuo: ſemel à Saule prohibitus regno, & in exilium actus, iterum verò à filio ſpoliatus & excuſſus: tamen cùm ferè eadem vtroque tempore paſſus ſit, non multum refert, ſiue ad hoc ſiue ad illud tempus Pſalmum referas, modò hoc teneas, Dauidem tanquam caput populi Dei in ſua perſona repræſentare totam Eccleſiam, quæ ſemper ſimiles caſus experitur. Sumus enim ἀςατοῦμενοι, vt Paulus inquit, nec habet Eccleſia in hac vita fixam & certam ſedem, aut ſtabilem fortunam. Vt autem Dauid his ſuis ærumnis opponit veras & firmas conſolationes, quarum prior ſumpta eſt à finali liberatione, poſterior à ſeſu veræ præſentiæ Dei in ipſis ærumnis, & conſolatione, quæ corda confirmat, vt fortiter perferat miſerias: ita omnes monet pios, vt ſuo exēplo diſcant patienter ferre ærumnas, nec deficiant à Deo, ſed conſtanter perſeuerent in agnita veritate & fiducia auxilij diuini. Ita futurum oſtendit, vt tandem ſentiant ſe habere Deum præſentem, & mirabiliter ſeruari, & tandem liberari.

Initio eſt petitio: cui mox additur vehemens & acris obiurgatio, qua inuehitur in hoſtes ſuos, qui Dauidi exacto in exilium petulanter inſultabant & illudebant. Poſtea ſermonem ad totam Eccleſiam conuertit: quam monet, vt ſuo exemplo patienter ferant ærumnas, ne fractis ærumnis deficiant à Deo: & addit conſolationes, de quibus iam dictum eſt, & in interpretatione iterum dicetur. Continet igitur pſalmus vtilem doctrinam & cōſolationem, quæ opponenda eſt ſcandalo crucis, quo multi fracti à Deo deficiunt.

De voce למנצח quæ in titulo huius pſalmi, & aliorum multorum legitur, variæ ſunt interpretum ſententiæ. Græci reddiderunt, εἰς τὸ τέλος, in finem: quod interpretantur, in perpetuum vel in ſeculum: quaſi ſit ordinaria cantio, quæ perpetuò repeti debeat. Patres myſterium ſubeſſe indicarunt. Cùm enim Chriſtus ſit finis legis, voluerunt hos pſalmos, quibus hic titulus præfigitur, præcipuè de Chriſto intelligendos eſſe. D. Hier vertit ἐπινίκιον. Chaldęus interpres לשבחא hoc eſt, ad laudandum. Reuchlinus, ad inuitatorium: quòd huiuſmodi pſalmi ſint quaſi incitamenta quædam quæ exuſcitant fidem, & alios ſpirituales motus. Rabini exponunt præfecto cantorum: atque hos plerique ſunt ſecuti: nam מנצחים ſæpe in ſcripturis nominantur præfecti ſeu præpoſiti in genere. 2. Paralip. 2. aliquoties, & 1. Paralip. 15. verſu vigeſimo ſecundo. vbi de præpoſitis cantorum agitur, manifeſtè ponitur hoc ſenſu: Et Azarias in citharis ſuper octauam præfectus, vt מנצח ſit præcentor, qui canticis modulandis præfectus fuerit: & למנצח præcentori ſeu præfecto muſices pſalmus exhibitus ſit publicè decantandus. D. Forſterus poſt alios omnes tranſtulit, ad triumphandum, vt participium ponatur pro gerundio, quod eſt vſitatum in Hebræa lingua: & exempla ab eo citata oſtendunt. Et Chaldæus ſimiliter per gerundium tranſtulit, quanquam alia voce. Hæc diuerſitas interpretationum facit, vt difficile ſit, quod verum eſt, eligere. Cúmque non dubium ſit, vocem hanc ad muſicam pertinere, ſicut titulus huius pſalmi, & alia teſtimonia oſtendunt, eáque iamdudum cum politia ſit antiquata, & cum ipſo cultu exoleuerit: non anxiè admodum aut curioſè hac in re nobis laborandum exiſtimo, cùm ad doctrinam parum aut nihil faciat. Vox ipſa נצח in participio paſſiuæ vocis primæ coniugationis vſurpatur, Iere. 8. pro eo quod duret perpetuò, & nunquam ceſſet. Quare auerſus eſt populus iſte auerſione נצחת perpetua. In ſecunda coniugatione ſignificat vrgere operas, inſtare, eſſe ἐργοδιώκτην, perducere ad finem, non remittere, donec res perficiatur, *immer anhalten, fur vnd fur treiben.* Inde vox נצח ſignificat victorem, triumphatorem, qui rem, quam inſtituit, feliciter ad finem perducit. Vnde 1. Sam. 15. tribuitur Deo, ſignificat item victoriam in abſtracto. Eſt enim victoria quaſi finis operis. Refertur autem interdum ad tempus, & ſignificat continuationem temporis vſque ad finem, vbi ſcilicet nulla eſt interruptio, vt Ieſa. 34. In æternitate æternitatem nemo pertranſibit eam. לנצח נצחים: inde נצח cum verbis conſtructum, ſignificat perpetuò, ſine intermiſſione: & cum ל ſignificat prorſus, omnino: quaſi dicat, ad finem vltimum. Ieſa. 25. Abſorpta eſt mors omnino. Quod Paulus reddidit, εἰς τέλος. 1. Cor. 15. Hinc eſt, quod Græci reddiderunt, εἰς νῖκος. Et Hieronymus ἐπινίκιον, & Reuchlinus, inuitatorium. Qui enim vrget operas, quaſi inuitat laborantes. Ab hoc verbo participium eſt ſecundæ coniugationis מנצח quod ſignificat præfectū ἐργοδιώκτην, 2. Paral. 2. Hinc Rabini reddiderūt, præfecto cantorū. Mihi D. Forſteri rationes probantur, quibus oſtēdit, participium eſſe legendum pro gerundio לנצח & ſignificari, hos pſalmos. quibus titulus præfigitur, eſſe decantandos altiore voce: quaſi dicat, ad vincendum, ſcilicet alios vocis altitudine & contentione: vnde & buccinæ nōnunquam pro tempore adhibebantur. Atque huc facit quod ſcribitur 1. Paral. 15. Dauidem inſtituiſſe tria genera inſtrumentorum muſicalium, quibus Leuitæ in ſacris vterentur. Ita enim ſcribitur, Cantores, Heman, Aſaph & Æthan במצלתים נחשת להשמיע in cymbalis æneis, ad faciendum ſonum, ſeu ad crepitandum, *das eine ſcharffe ſtimme gebe,*

ſicut apud nos Diſcantus. ſequitur deinde, Zacharias, Ariel, &c. בנבלים על עלמות id eſt, canebat in nablis ſubobſcuris, *da die ſtimme nicht ſo hart gehet, vvie bey vns der Baſs.* III. Matathias & alij לנצח בכנורות על השמינית in citharis ſuper octaua ad vrgendum, ad ſuperandum, vincendum, *da die ſtimme herter gehet denn die andern, vvie der Tenor.*

נגן (בנגינות) vſurpatur in prima coniugatione tantùm in participio præſenti. Pſal. 68. In ſecunda נגן ſignificat, pulſauit chordas, luſit inſtrumento muſico. Inde eſt מנגן qui ludit organis aut inſtrumentis muſicis. Et nomen נגינת ſymphonia, harmonia, concentus muſicus. Pluraliter נגינות pro inſtrumentis muſicalibus. Accipitur autem hic genus pro ſpecie, vt videre eſt ex 1. Paralip. hoc eſt, pro cithara. Et monet vox, Pſalmum, non tantùm voce, ſed etiam adhibitis inſtrumentis fuiſſe decantandum. Adhibebantur enim inſtrumenta muſica in ſacris, non vt luxui & aurium delectationi ſeruirent, vt nunc ferè fit, ſed vt attentionem, & affectus congruentes ipſis rebus in auditoribus excitarent: & teſtatur ſcriptura in hiſtoria Saulis & Eliſæi, Spiritum ſanctum per hæc media fuiſſe efficacem in cordibus.

2 Dum clamo, reſponde mihi Iehoua iuſtitiæ meæ: in anguſtia feciſti ſpatium mihi [*eduxiſti me in latitudinem*] miſerere mei, & exaudi orationem meam.

Prima pars huius Pſalmi continet precationem, qua petit vt exaudiatur, & ex calamitatibus præſentibus liberetur: ſimul autem fiduciam ſuam ad Deum oſtendit, dum nominat eum Deum iuſtitiæ ſuæ. non enim eſt precatio hæc vox temere in aërem ſparſa, qualis eſt Ethnicorum, & omnium qui ſunt extra Eccleſiam: ſed intuetur Deum, & quidem certa fiducia cõcepta quòd exaudiatur. Ideo inquit, Deus iuſtitiæ meæ: id eſt, qui me iuſtificas ſeu iuſtum pronuntias. Vel, quod magis congruit huic loco, qui teſtis es meæ innocentiæ, qui iuſtitiam & innocentiam meam defendis, & vindicas. Loquitur enim proprie non tam de iuſtitia perſonæ, quàm de iuſtitia cauſſæ. Iudicabant hoſtes eum iuſte plecti, & in exilium agi, tanquam ſeditioſum, qui ſe opponeret: aut qui ſuis ſceleribus ſe exegiſſet: atque ita cum iniuria oportebat illum ferre infamiam. Et ſemper Eccleſia in hac vita accuſatur de ſeditione & defectione ab ordinaria ſede. Huic calumniæ opponit ſuam innocentiam, & oſtendit Deum eſſe vindicem ſui iuris. Quòd vtitur voce clamandi, & doloris vehementiam, & ardorem precandi exprimit: id quod rurſus repetitione eorundem verborum oſtendit, dum bis ſe exaudiri petit.

Reſponde mihi] Plus eſt quàm ſi diceret, exaudi me: cupit enim certus eſſe de ea re, & hanc conſolationem in corde ſentire, quòd certò ſit exauditus.

In anguſtia dilataſti mihi] Hanc ſententiam nonnulli ita exponunt, vt dicant Dauidem commemorare priſtina beneficia, & horum recordatione ſe confirmare in poſterum: ſed vt ſuprà dictum eſt, propter imperatiuum præcedens, rectè etiam præteritum exponitur per imperatiuum, atque ita meliùs fluit oratio.

In anguſtia dilata me] Id eſt, in ſummo periculo, in tribulatione & calamitate conſolare me, redde lætitiam cordi meo, & libera me: in magnis enim doloribus cor conſtringitur, & quaſi corrugatur: itaque homo quanquam verſatur in libero aere, videtur quaſi carceri incluſus, vbi reſpirare liberè non poſſit. Eò reſpiciens Gregorius Nazianz. in oratione prima de pace, λύπην nominat δεσμὸν τῆς καρδίας. Et nos Germani de eo qui talibus doloribus oppreſſus eſt, dicere ſolemus, *Die gantze vvelt iſt ihm zu eng vvorden.* Hoc ſignificatur voce צר. Verbum enim צרר ſignificat comprimere, coarctare, conſtringere.

Rurſus, quando quis conſolationem ſentit, qui ex dolore eluctatur, laxatur cor, & ſe dilatat, & effundit ſpiritus in externa membra. Hoc ſcriptura vocat latitudinem, ſcilicet ſenſum veræ conſolationis quo corda ſe rurſus aperiunt, & quaſi in libero aere conſtituta, laxant anguſtias pectoris ſui & vires recipiunt. Cùm igitur inquit, ſum in anguſtia, dilata me: vult hoc dicere, in magnis doloribus cùm vndique premor, ſúmque obſeſſus & concluſus, ſuccurre mihi, & conſolare me, ne dolor me opprimat, patefac mihi exitum, & da lætum euentum: debet enim hoc referri ad animum & ad rem ipſam. Ideo Arabs reddidit, lætificaſti me.

Miſerere mei Iehoua] In oratione primum eſſe debet, vt miſericordiam diuinam imploremus: abſque ea enim nemo accedere ad Deum, & petere ab eo quicquam poteſt: ſimul autem, dum petimus vt gratuita ſua bonitate nobis ſuccurrat, excludimus omnem dignitatem & merita noſtra. Verbum enim חנן ſignificat in gratiam recipere, & gratuito fauore proſequi, vel gratis etiam dare. Germanicè, *begnaden, gœnnen.*

תפלתי] verbum פלל ſignificat propriè cauſſam arbitris, ad quos prouocatum eſt, iudicandam permittere: פלילים enim iudices & arbitri ſunt, ad quos cùm prouocatum eſt, cauſſam illi cognoſcunt, & controuerſias diiudicant. Indè תפלה orationem ſignificat, quæ cauſſam ſuam reiicit ad Deũ, & huius iudicio ſeu cenſuræ ſeſe ſubiicit.

3 Filij viri, vſquequo gloria mea in ignominiam? diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, Selah.

Secunda pars Pſalmi continet obiurgationem & increpationem, qua in hoſtes per apoſtrophen inuehitur. Illi enim petulantiùs ipſi inſultabant, & ridebant, cùm viderent eum excuſſum ex regno, & oppreſſum eſſe ærumnis. Profitebatur Dauid publicè & palam, ſe regem eſſe à Deo conſtitutum, & ordinatum in hoc populo: idque nominat nunc gloriam ſuam, qua reuera ei nulla potuit maior in hac vita contingere: ſed ſæpe coactus eſt audire poſtea acerbas hoſtium voces & ſarcaſmos, quibus ei illudebant, cùm dicerent: Ecce, qui gloriabatur ſe eſſe regem in populo Dei, nunc cogitur exulare apud gentes peregrinas, nec habet locum, vbi tutò conſiſtat. Hoccine eſt eſſe regem? vbi nunc illi tituli, quibus ſe venditabat? Tales ſarcaſmos audit Filius Dei in cruce: Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Et Eccleſia omnibus ætatibus talem ignominiam ferre cogitur. Cùm enim glorioſum titulum gerat, quòd ſit populus & peculium Dei: quòd peculiariter curæ ſit Deo, & quòd promiſſiones habeat vitæ, & bonorum æternorum: homines profani rident tales ſermones: præſertim cùm videant, nullam partem generis humani eſſe magis miſeram & calamitoſam, quàm illam ipſam quæ ſe hoc glorioſo titulo ornat & commendat. Hos increpat Propheta: Quãdiu, inquit, gloria mea erit vobis expoſita ad ignominiam? quamdiu illudetis mihi oppreſſo iam & obruto calamitatibus? non exiſtimate vos impunè laturos eſſe. Plerique nomine gloriæ ſimpliciter intelligunt verbum Euangelij, quod hoſtes contemnunt, & contumelia afficiunt: ſed rectiùs accommodatur ad regnum Dauidis: deinde ad gloriam Eccleſiæ, quam habet in verbo promiſſam. Nam affixum adiectum oſtendit, eum loqui de gloria perſonæ, non de gloria verbi diuini.

Filij viri] איש in ſcriptura ſæpe pro eo accipitur, qui eſt alicuius autoritatis, vel propter opinionem virtutis & ſcientiæ, vel propter ſplendorem familiæ, vel res præclarè geſtas: & opponitur appellationibus אדם & אנוש quæ de hominibus plebeiis, abiectis & humilibus intelliguntur, vt Pſalm. 49. Etiam Filij hominis, & Filij viri, id eſt, ignobiles & nobiles. Ieſaiæ 2. Depreſſus eſt Adam, & humiliatus eſt vir. Iudicum 7. Non eſt hic niſi gladius Gedeon filij Ioas, viri Iſrael. Vt autem בן אדם pro homine: ita בן איש pro viro ponitur. Itaque hoc loco בני איש ſimpliciter pro viris accipiantur, & quidem pro iis qui ſunt alicuius nominis. Alloquitur enim Propheta, non quoſlibet, ſed magnates, proceres regni, aulicos, pollentes opinione virtutis, ſapientiæ & prudentiæ. Hi, vt erant arrogantes, magis inſultabant Dauidi quàm alij ex plebe: & autores erant ſeditionis contra ipſum motæ: ſicut ſemper ſapientes in hoc mundo, & potentes magis offenduntur ærumnis Eccleſiæ, vt non tantùm ab ea deficiant, ſed & oppugnent, & euertere eam conentur: quàm alij infimo loco poſiti.

Vſquequo] Non dicit ſimpliciter, Quare, ſed vſquequo: vt pertinaciã impiorũ ſtudiorum & conatuũ notet, à quibus non facilè homines abduci poſſunt. Deinde ſuã quoque moleſtiã & dolorẽ quẽ ex ea re capiat oſtendit. Græci ſic reddiderunt: ἕως πότε βαρυκάρδιοι ἵνα τι, quod planè peregrinum & alienum eſt à verbis & mente Prophetæ. Sed error hinc ortus eſt, quòd partim puncta vocalia neglexerunt, partim literas cognatas alias pro aliis acceperunt, & ſimul dictiones diſtraxerunt. Nam pro כבודי legerunt כברי & dictionem לכלמה non tantùm in duas dictiones ſeparatas diuiſerunt: ſed etiam pro כ ſubſtituerũt ב, ibíque diſtinctionem fecerunt. Nam ſecundùm Græcorum interpretationem legi debebant hoc modo עד מה כבדי לב למה.

Diligitis vanitatem, quæritis mendacium] Id eſt, me legitimo rege ſpreto & contempto, quæritis & expectatis fauorem, potentiam, opes, dignitatem ab eo quem ſectamini: & hæc omnia præfertis pietati & religioni: cùm tamen nihil illa omnia ſint, niſi vanitas & mendacium. Hæc rectè ad Eccleſiam accommodari poſſunt. Homines profani, quando vident Eccleſiam eſſe ſubiectam cruci, derident & oderunt pietatem, & poſthabito cultu religionis, ſectantur opes, quærunt potentiam, in his rebus ſummam felicitatem & beatitudinem collocant: ſed ſi quis rectè & verè de his vult iudicare, dicet eſſe vanitatem & mendacia: nihil enim eſt his fugacius & inſtabilius.

Diligitis]

Diligitis] Primùm capiuntur homines illo ſplendore externo, vt eum admirentur & magnificent: deinde etiam incitantur ad ſtudium quærendi opes & potentiam. Ideo duobus verbis vtitur diligendi & quærendi. כזב non tantùm de ſermone mendaci ſeu falſo: ſed etiam de re fallente noſtram ſpem & opinionem intelligitur.

4 At ſcite, quòd ſelegerit [*eximium fecerit, mirificet*] Iehoua pium ſibi: Iehoua exaudiet, cùm clamauero ad eum.

Reſpondet impiis illuſoribus ſuis, qui putabant actum eſſe de ipſius ſalute, ipſúmque à Deo plane abiectum.

Quamquam videor, inquit ærumnis oppreſſus, tamen non propterea exiſtimate, me à Deo eſſe abiectum & deſertum. nam Deus longè aliter agit cum ſuis quàm ratio humana exiſtimat: illa enim ſic iudicat, Iuſtis debere bene eſſe: itaque ſi quos videat ærumnoſos & calamitoſos, hos iudicat à Deo eſſe deſertos & damnatos: ſicut amici Iob, qui illi hoc argumentũ perpetuò obiiciunt. Sed alia ſunt Dei iudicia. ille ſuos ſeparat à reliqua turba, & mirabiliter regit & ſeruat eos: ſubiicit quidem eos cruci & calamitatibus, ſicut me nunc videtis his circumcinctum: atque huius conſilij multæ ſunt cauſſæ, de quibus alibi dicitur: ſed tandẽ mirando modo eos liberat, & oſtendit toti mundo, eos ſibi curæ eſſe. Interea verò dum ſunt in calamitatibus, non deſtituuntur vera conſolatione, ſciunt enim quòd Deus exaudiat ipſorum preces, ideo addit, Dominus audit dum clamo ad eum. Si tantùm ad regẽ hunc verſum referas, non incommoda erit & hæc ſententia, Dominus ſelegit pium ſibi: hoc eſt, ego non hominum arbitrio vel propria libidine. ſed Dei conſilio ac decreto factus ſum rex. Itaque parum moueor veſtris illuſionibus & ſarcaſmis &c. Sed prior ſententia ad totum corpus Eccleſiæ rectiùs accommodari poteſt.

פלה in tertia coniugatione ſignificationem habet ſeparandi ſeu diuidendi, μεταληπτικῶς mirabilia faciendi: quia miracula, ſunt opera extra ordinem naturæ, quaſi ſeparata & extraordinaria.

חסד eſt στοργὴ, inde חסיד actiuè & paſſiuè ſignificat & miſericordem, bonum ſeu beneficum, & quem Deus ſua miſericordia & benedictione complectitur. Differunt autem קדוש & חסיד. חסיד ſignificat ſanctum, per miſericordiam acceptum gratis propter Mediatorem. קדוש electum ſeu ſegregatum & deſtinatum ad ſacros vſus, vt Ier. 1. Sanctificaui te, id eſt delegi ad munus ſanctum, nempe propheticum.

Dominus exaudit] Id eſt, etſi ſum in calamitate, tamen non deſtituor præſidio aut conſolatione. habeo enim firmũ præſidium paratum, quòd ſcio meas preces exaudiri, eáſque impetrare liberationem vel mitigationem.

5 Iraſcimini, & nolite peccare: loquimini in corde veſtro, ſuper cubile veſtrum ſilete, Selah.

Conuertit Propheta ſermonem ad illam partem populi à qua non oppugnabatur hoſtiliter: ſed quæ potiùs dolebat, regem legitimum, & verè ſanctum ac pium, regno prohiberi & eiici, & in tantas calamitates ſine ſuo merito venire. Hos monet ne hac ſua calamitate & ærumnis moueantur, vt deficiant à Deo, aut exiſtiment, nomen pietatis rem ludicram eſſe. Si, inquit, commouemini, vel ira vel dolore, propter has calamitates (vtrumque enim verbum Hebræum ſignificat) cauete ne peccetis, neue delinquatis contra Deum. Fieri quidem non poteſt, quin commoueamini tanta crudelitate hoſtiũ qui me iniuſte oppugnant, & meis miſeriis & ærumnis, quibus premor, afficiamini. ſed nõ debetis huic dolori aut iræ tantùm indulgere, vt propterea à Deo deficiatis, vel alia illicita conſilia aut præſidia inconceſſa quæratis, vel etiam, vt ex dolore & impatientia erumpatis in blaſphemias: quin potiùs reprimite impetus veſtros, ne extra metas erumpant. D. Paul. ad Eph. 4. ſententiam hanc in genere, de ira cohibenda, & condonanda iniuria, interpretatus eſt: quia voluit eam accommodare ſuo inſtituto: & quod in ſpecie hic dictum eſt, oſtẽdit in genere valere, & ad omnes pertinere.

רגז in genere ſignificat moueri, commoueri, & tribuitur tam corpori quàm animo, & tam rei inanimatæ quàm animatæ. Cùm corpori tribuitur, aut rei inanimatæ, ſignificat moueri loco. Ieſa. 14. Infernus commotus eſt in occurſum tibi. 2. Par. 7. Plantabo eum, vt habitet in loco ſuo, & non commoueatur ampliùs. Quando verò animo tribuitur, ſignificat, aut ira, aut metu, ſeu dolore animi moueri. Ioel. 2. Commoueantur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini. De ira extat exemplum Gen. 45. Ne cõmoueamini ſcilicet ira, in via non iraſcamini, & tunc congruit Græcum ὀργίζω.

Loquimini in corde veſtro] Id eſt, non rapiamini turbidis affectibus veſtris, vt irati aliquid tentetis cuius pœniteat poſteà: ſed compeſcite furorem, & reuocate vos ad ſaniorem mentẽ. idque vt meliùs facere poſſitis, abdite vos intra cubilia veſtra, ibíque cauſſam ipſam diligentiùs perpendite, & cogitate, cur Deus ſuos velit exerceri ærumnis & calamitatibus in hac vita: expendite quid vos deceat, quid charitas à vobis exigat, &c.

In corporibus loqui, eſt, rem ipſam ſepoſitis affectibus omnibus diligenter cõſiderare, & expendere: non eſſe præcipite, vt ſtatim effudas, quæ ira ſuggerit. Ira enim præceps eſt: & qui iræ obtemperant, ſtatim erũpunt, & effutiũt fanda & infanda.

Super ſtrato veſtro] Noctu ſcilicet: quod tempus accommodum eſt rebus conſiderandis & diligentius examinandis. tum enim animus ſedatior eſſe ſolet, cùm foris nulla re turbatur: quod ad hanc rem neceſſarium eſt. Deinde monet etiam vt ab eorum conſuetudine & commercio nos ſubtrahamus, quorum dictis & factis, quaſi ſtimulis, impellimur, & facibus incendimur, vt remedia illicita & inconceſſa quæramus, & malum malo ſanare ſtudeamus. Ita Dux Fridericus, vir ſapiens, quoties ſentiebat ſe commotum eſſe, abdere ſe in cubile ſuũ ſolebat, nec quemquam admittebat ex conſiliariis, donec iram concoxiſſet.

Silete] Id eſt, nolite tumultuari aut vociferari: nolite clamare, vt ſolent irati. nolite fremere aut murmurare aduerſus Deum: ſed ſilete, eſtote animo tranquillo, ferte patienter iniurias, quas Deus ſuis infligit: deſiſtite ab iniuſtis cœptis, & expectate finem & euentum, qui tandem piis lætus eſt futurus, impiis verò exitium afferet.

6 *Sacrificate ſacrificia iuſtitiæ, & confidite in Domino*] Expoſitio eſt ſuperioris præcepti de tolerantia ærumnarum, & de expectanda liberatione. Dixerat, iram eſſe reprimendam, & quieſcendum in talibus perſecutionibus. Addit igitur. Quin potiùs ſacrificate ſacrificia iuſta & Deo accepta ſeu placentia. ea qualia ſint, ipſe mox explicat.

Et ſperate in Domino] Id eſt, certo ſtatuite vobis nihil mali accidere. & expectate liberationem à Deo, qui potens eſt ad deprimendum & ſaluandũ: quaſi dicat, veſtris conſiliis, viribus, conatibus, molitionibus, imò etiam multitudine victimarũ, non auertetis hęc mala, ſed ſola fiducia auxilij diuini. Vau igitur ἐξηγητικὸν eſt hoc loco: ſacrificate ſacrificia iuſta, hoc eſt ſperate in Domino: atque in hoc ſolo omne præſidium veſtrum habete conſtitutum. Ad hanc ſententiam reſpexit Ieſaias toto cap. 30. vbi luculenter hæc omnia explicantur, & additur ſententia, pene iiſdem verbis expreſſa, quę hic traditur: In ſilentio & ſperando erit fortitudo veſtra.

7 Multi dicunt, Quis oſtendet nobis bonum? Leua ſuper nos lumen vultus tui, Iehoua.

Hic verſus continet querelam partim de infirmitate eorum qui ſunt in Eccleſia: partim de peruerſo ſtudio impiorum hominũ. Atque huic querelæ opponit fidei ſuę robur & cõſtãtiã.

Multi inquit dicunt &c.] Primùm de Eccleſiæ membris hoc intelligatur. Multi enim ſunt in Eccleſia, qui fracti magnitudine malorũ, cupiũt tandem reſpirare, optant reſtitui pacem & tranquillitatem Eccleſię, & metuũt ne, ſi nullus finis malorũ ſit, Eccleſia tandem deſerta funditus pereat & deleatur. Itaque dicunt, Quis oſtendet nobis bonum: hoc eſt, quis tãdẽ erit finis malorum? an Eccleſia tantum ideo electa & vocata à Deo eſt, vt perpetuis malis exerceatur? vtinam tandem ex his malis emergere, & frui otio ac pace poſſimus. Tales voces impatientiam multorum arguunt: Deinde alij ſunt impij & profani extra Eccleſiam qui etiam dicunt, Quis oſtendet nobis bonum? id eſt alius alio ſuo ſtudio & prauis affectibus fertur: hic in potentia, ille in diuitiis, iſte in voluptatibus beatitudinem ſuam collocat, & ad ea conſequenda magno ſtudio quiſque fertur & aſſiduo labore contendit. Itaque dicunt, Vtinam illa bona aſſequi poſſimus, quæ nobis placent: de aliis non ſumus admodum ſoliciti. Ego verò, inquit Dauid, nihil moror quid cupiant aut expetant alij: ſed totus acquieſco in bonitate & miſericordia diuina: hac contentus, non ſum ſolicitus quid de me in his meis ærumnis fiat, aut quis exitus tandem ſit futurus: multò minus cogito de aliis rebus caducis, quarum curis alij fatigantur tantopere.

Ita primùm docet, in Eccleſia multos impatientia peccare, qui fracti doloribus quærunt quietem, nec ſatis acquieſcunt in Dei miſericordia. hos neceſſe eſt perpetuis erroribus vagos circumagi. nam in rebus humanis nihil inueniunt, in quo acquieſcant. Deinde alios etiam reprehendit & taxat, qui voluptates carnis & delicias ſuas ſectantur, & de fauore ſeu gratia diuina parum ſunt ſoliciti.

Leua ſuper nos lumen vultus] Id eſt, aſpice nos ſereno & placido vultu, oſtende te nobis fauere, recipe nos in gratiam, conſolare nos, lætifica nos tua præſentia. id ſi fiat, non ſumus ſoliciti quid fiat in hoc mundo, nec inquirimus, cur impij

perueniant ad ſummas opes, potentiam &c. econtra verò, Eccleſia miſerè prematur. Talis eſt ſententia Pſal. 73. Quis mihi in cælo, & tecũ id eſt vtinam eſſem in cœlo, & tecum, non deſidero quidquam in terra.

Lumen vultus] Id eſt, lucidum vultum: hoc eſt placidum & ſerenum. Ita exponitur hęc phraſis Pſ. 44. Non in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium ipſorum non ſaluauit eos: ſed dextra tua & brachium tuum, & lumen vultus tui, quoniam accepraſti eos. vbi poſterius membrum explicatio eſt prioris, nam qui alicui fauent, ſereno eum vultu aſpiciunt, atque hoc ipſo declarant, ſe ei fauere & bene velle. alioqui enim quos auerſamur, triſti & obſcuro vultu aſpicimus. Quo ſenſu & Pſ. 67. dicitur, Lucere faciat vultum ſuum nobiſcum, id eſt, declaret ſe nobis propitium & fauentem, atque hoc ipſo effectu confirmet.

Eſt autem hoc loco obſeruandum quod dicit, Leua ſuper nos: petit enim, vt hæc lux in ſuo corde oriatur & refulgeat, vt certò ſtatuere poſſit in calamitatibus, ſe non eſſe abiectum à Deo, aut deſertum: ſed habere ſe Deum propitium & fauentem. Hoc ſi aſſequatur, dicit ſe habere veram & firmam conſolationem & lætitiam, qua poſſit vincere & ſuperare omnes illas ærumnas. Quandiu lux eſt abſcondita, non lætificat: ſed quando exorta ſpargit radios, mox oritur lætitia. itaque addit:

8 Dediſti lætitiam in corde meo maiorem quàm quæ eſt tempore quo vinum & frumentum ipſorum multiplicantur.

Amplificatio eſt ab effectu præſentiæ vultus diuini: quæ continet conſolationem, quam opponit omnibus illis ærumnis & calamitatibus, quibus alij imbecilliores offendebantur, vt fides ipſorum langueſceret: alij hoſtes irritabantur, vt petulanter ipſi, tanquam deſerto à Deo, inſultarent. Quòd tu, inquit, leuas ſuper me vultum tuum, ex eo tantam concipio lætitiam quæ ſuperat omnium hominum, qui opibus, diuitiis & voluptatibus affluunt, lætitiam: tantum igitur abeſt, vt animum deſpondeam, aut deſperem de ſalute mea, vt etiam mihi gratuler ob hanc rem, & quaſi triumphem.

In hoc verſu reddendo pene omnes interpretes ſecuti ſunt Græcorum & Hieronymi tranſlationem. Græci ita reddiderunt: ἔδωκας εὐφροσύνην εἰς τὴν καρδίαν μου ἀπὸ καρποῦ, σίτου, οἴνου, καὶ ἐλαίου αὐτῶν ἐπληθύνθησαν. D. Hieronymus: A tempore vinum & frumentum eorum multiplicata ſunt. Quod quidam ſic exponunt. Sum lætatus, quando tu dediſti illis magnam frumenti & vini copiam. tantus fuit meus erga ipſos amor: & tamen illi ſunt ingrati, & tanto odio benemeritum proſequuntur. Sed comparatio eſt in hoc verſu: qua opponit lætitiam cordis ſeu conſolationem quæ piis oritur ex ſenſu miſericordiæ & præſentiæ Dei in ærumnis, illi lætitiæ quæ eſt in aliis profanis hominibus, cùm affluunt opibus & diuitiis: eámque ſuã lętitiam longe anteponit omnibus voluptatibus & deliciis huius fugacis & euaneſcentis vitæ. Hanc collationem efficit præpoſitio מן. Cùm enim careat gradibus comparationis lingua Hebræa, ſolet adiicere præpoſitionem מן ad nomina, non tantùm ea quorũ alterum eſt adiectiuum, alterum ſubſtantiuum: ſed etiam ad duo ſubſtantiua, atque ita comparationem efficere. vt Pſalmo 130. Anima mea ad Dominũ ab (vel præ) expectantibus tẽpus matutinum. expectantibus, inquam, tempus matutinum, id eſt, diligentiùs & maiori deſiderio expectat Dominum, quàm omnes vigiles tempus matutinum. Ita hic: Dediſti lætitiam à tempore: id eſt, maiorem dediſti lætitiam quàm affert tempus illud, quo vinum ipſorum & frumentum multiplicatur. Atque his poſtremis verbis deſcribit vberem vindemiam, & copioſam meſſem. Tunc enim maximè lætari ſolent homines, cùm omnia feliciter prouenire vident in agris & hortis, & cernunt horrea ſua & cellas impleri prouentibus agrorum. Itaque ſæpe ſcriptura, cùm magnam lætitiam exprimere vult, inde ſermonem ſumere ſolet, vt Ieſaiæ 9. Lętabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. Talis oratio & hęc eſt, oſtendens homines profanos, qui ignari ſunt doctrinæ de Deo, voluptates corporis appetere, tanquam ſummum bonum, atque in his acquieſcere: ſe verò longè maiora habere bona, quæ nulla in parte conferenda ſint cum his quibus alij delectatur, videlicet, quòd in ærumnis ſuis ſentiat veram & firmam conſolationem, qua acquieſcere in Deo & gloriari in ſuis afflictionibus poſſit, vt Paulus inquit. atque ita illuſtre facit diſcrimen inter homines profanos, & vera membra Eccleſiæ.

9 In pace ſimul cubabo & obdormiam: quoniam tu Iehoua ſolus ſecurè facis me habitare.

Rurſus amplificat præcedentem ſententiam ab effectu. Illa lætitia, quæ mihi oboritur ex lumine vultus tui, hoc eſt, ex ſenſu gratiæ ſeu fauoris & præſentiæ tuæ in meis ærumnis, facit, vt quanquam deſertus ſim ab omnibus, & hoſtes vndique me oppugnent, tamen animo ſim tranquillo, & ſecurus capere ſomnum queam. Eadem verba etiam in priore Pſalmo leguntur: vnde verisimile eſt, eodem ferè tempore hos Pſalmos eſſe conſcriptos: vel certè idem periculum tunc fuiſſe oſtendit quod ante, cùm eſſet eiectus à filio.

In pace] Pacem intelligit non externam vacationem à bello quæ nulla ipſi tunc erat, cùm vndique videret ſe cinctum eſſe hoſtili exercitu: vt potiùs dicendum eſſet, in bello, &c. ſed ſignificat trãquillitatem animi & cordis, ortam à fiducia gratiæ, & ſpe auxilij diuini. ea facit vt ſecurè dormire inter ſumma pericula queat.

Simul] Variè exponitur hæc particula. Alij ſic interpretantur [*ſimul*] id eſt, cum his qui me comitantur, & ſunt ſocij mearum ærumnarum: vt etiam de ſuorum ſecuritate glorietur. Alij hanc vocem ad hoſtes referunt, quaſi Dauid ſperet hoſtes ſibi reconciliatum iri, vt cum illis placidè dormiat. Alij opponunt inter ſe voces ſeorſum & ſimul, vt ſignificet, ſe & in magna turba & in ſolitudine poſſe ſecurũ dormire. Mihi videtur ſimpliciſſimum eſſe, referre aduerbium ad verba cubo & dormio: vt ſignificet, ſe, quum primum membra compoſuerit ad ſomnum, ſtatim obdormire, nec diſtrahi animi curis & ſolicitudine, quæ ſomnum turbet aut impediat, vt magnam partem noctis ducat inſomnem.

Subiicit rationem: *quia tu Iehoua ſolus facis me habitare ſecurè*] Id eſt, Tu confirmas me, vt vbicunque ſim, etiam inter medios hoſtes, deſtitutus omni ope, præſidio & auxilio, tamen animo ſim trãquillo & ſecuro, non aliter acſi munitus eſſem & circumuallatus omnibus mundi pręſidiis: quia ſcio quòd tu ſis protector meus.

PSALMI IIII.

PARTES.

1 Petitio vehementiſſima, vice exordij, 2. verſ. Huius petitionis triplex eſt argumentum. 1. reſponſum petit à Deo, intus & foris verbo ſuos electos afficiente. 2. gratiam diuinam expetens ad ſummam conſolationis ſolidæ cauſam aſcendit. 3. modum indicat, quo gratia illa in Deo abſcondita piis patefit, nempe ſi oratio exaudiatur. cauſæ duæ ſunt. 1. à perſona ſupplicis. 2. à perſona exaudientis. Is nempe eſt vindex & aſſertor iuſtitiæ ſuorum.

2 Eſt παρέκβασις, ſiue digreſſio, qua Propheta vtitur, conuerſo ſermone ad hoſtes ſuos, quos ad fidem & ſanctam reſipiſcentiam prouocat ac reuocat, verſ. 4. 5. 6.

3 Concluſio ἀναβατική, regrediens ad inſtitutam petitionem ipſius, verſ. 7. 8. 9.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

2 *Piis omni præſidio & auxilio nudatis ſpes in Deo reſidua ſufficit.*

Quum nihil ſit acerbius quàm nos immeritò damnari, & vnà cum iniuſta vi perferre infamiam, id tamen quotidie ſanctis accidit vt benè agendo malè audiant: ſicque exerceri expedit, vt auerſi ab omnibus mundi illecebris ab vno Deo toti pendeant.

Suo exemplo nos docet Dauid, ſi quando non appareat coram mundo noſtra integritas, non decere tamen nos animis frangi, quia in cœlo eſt vindex noſter: ac, etiamſi murus aheneus ſit bona conſcientia, hæc conſolatio longè exuperat, quòd ſcimus nos in Dei & Angelorum conſpectu ſtare, dum iniuſtè homines nobis inſultant. Hac fortitudine præditos fuiſſe videmus Iſaiam, capit. 50. 6. &c. & Paulum, 1. Corinth. 4. 5. Quare hæc vna patientiæ noſtræ fultura eſt: Si nullus æquitati ſit locus in mũdo, in Deum reſpi-

reſpicere,eiuſque iudicio eſſe contentos.

Quoties aliquid petimus,hinc initium facere conuenit,vt Dominus pro ſua bonitate miſeriis noſtris ſuccurrat.

Pij à rebus aduerſis in miſeras anxietates coniecti,ſolent in mentes reuocare quæ ad fidei ſuæ confirmationem valent.

3 Hunc fructum piis proferunt ſuæ precationes, quòd collecto animo poſſunt non modò repellere hoſtium ſuorum furorem, ſed vltro eos laceſſere,ac deſpicere quicquid machinantur.

Quum Deus ſuo præſidio Eccleſiam tueri velit, fruſtra in eam coniurant homines, quantumuis magnas alioquin ad nocendum vires afferant.

Impij quamuis craſſa malitia in omne ſcelus ruant,ſe tamẽ fallacibus blanditiis deludũt,ne quis eos ſenſus mordeat. Sed vbi ad ſerium examen tracti fuerint,conſtabit ideo ipſos hallucinari,quia ab initio propoſitum eſt fallaciter agere.

Quibuſcunque machinis nos impetant impij, ſi modò nobis bene conſcij erimus,ſtabit Deus à parte noſtra,aduerſus quem nõ præualebunt.Polleant ingenio licet,ſuppetat illis facultas nos lædendi, in promptu ſint rationes & ſubſidia,acutè omnia diſpiciant: quicquid tamen excudent,mendacium erit ac vanitas.

4 Tunc demum ſecurè licebit contra hoſtes noſtros gloriari,ſi nobis certa erit Dei vocatio.

Hoc proprium eſt Dei munus,quemcunque vult ad dignitates & functiones tum publicas tum priuatas euehere.

Quos Deus honore dignatur,ad laudem nominis ſui & populorũ ſalutem,ne ſint mortua idola,donis ad ſuum munus exequendum neceſſariis inſtruere ſolet.

Deus,quos ſemel fauore ſuo amplexus eſt,perpetuò tuetur:quo docemur intrepidè ambulare in viis noſtris:quia nunquam irritum erit quicquid aggreſſi fuerimus ex eius nutu.

5 Impij bellum cum Deo ſuſcipere non dubitant,quia eos obdurat ebria ſecuritas,& eorum ſocordiæ callum obducit voluntarius ſtupor,dum & ſeipſos & Deum obliti ſequuntur quocunque impellit libido.

Si quos ad peccandum abripuit phrenetica temeritas,hoc principium eſt reditus ad ſanam mentem,ſe ex ſopore expergefacere ad metum & terrorem.

Dũ interdiu verſamur inter homines,ſenſus magis diſtrahuntur: deinde ſæpius perperã ſit iudicium ab externa ſpecie:cõtra, ſolitudo nos magis attẽtos reddit.Deinde nõ obſtat pudor quin verè quiſque ſua vitia reputet.Nihil itẽ procliuius eſt quã vt alij alios inani plauſu decipiãt,donec ſinguli in ſeipſos deſcendant,ac ſecũ ipſi loquatur.

6 Si nobis certamen eſt cum veræ pietatis corruptoribus,quamuis ſe venditent externo Dei cultu,poteſt eorum iactantia tutò refelli, quia recta ſacrificia non offerunt:ſimúlque nobis ſedulò cauendum eſt ne vana oſtentatio pietatis præpoſteram confidentiam, veræ ſpei loco in nobis foueat.

7 Etiamſi homines profani aliter ſentiant,tenendum tamen nobis eſt hoc principium,ſolos demũ omni ex parte beatos eſſe quibus propitius eſt Deus:deinde à caducis bonis animus auertẽdus,& peregrinãdũ in terra,vt ſpe & patiẽtia cõtẽdamus ad meliorẽ vitam.

Quamuis affluat rerum omnium copia,miſeri tamen ſunt quibus propoſitum non eſt in Deo acquieſcere.Contrà fideles,etſi multis moleſtiis premãtur,hoc vno verè beati ſunt,quia illis refulget paterna Dei facies,quæ omnes tenebras illuminat,mortemq́ ipsã viuificat.

8 Fidelibus pluris eſt propitius Dei vultus quàm ſi horrea frumẽto referta cellaſq́ vino plenas haberent.

Terreni homines cæca inquietudine & cupiditate ſemper agitãtur in media etiam ſaturitate: ſed tranquilla pax & ſolidum gaudium nobis obtingit,quandiu affulget Dei fauor.

Etſi fideles ſua commoda ipſi quoque expetunt, præpoſtero tamen ardore ad ea non feruntur,quin patienter ſuſtineant illis priuari, modò ſe Deo curæ eſſe intelligant.

9 Bonum hoc præ aliis omnibus eſt optabile, vacuum eſſe omni metu,nec torqueri vel angi vlla cura.

Hunc honorem pij Deo tribuunt,quoties ab hominibus nihil defenſionis apparet,vt ſola eius manus inſtar ingentis exercitus in pace nos contineat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De veræ inuocationis patientiæ & fidei natura.
2. Impiorum,potentia & auctoritate inter alios pollentium,ingenium.
3. Vocationis ſpecialis piorum fructus & vſus.
4. Reſipiſcentiæ ſinceræ partes.
5. De externo Dei cultu.
6. De hominum beatitudine & vanitate.

ARGVMENTVM PSALMI V.

QVINTVS Pſalmus precatio eſt pro Eccleſia Dei, vt Deus eam tueatur & defendat contra hoſtes innumeros,non tantùm hypocritas & prauos doctores, ſed etiam contra tyrannos,qui armis & vi eam delere conantur.Nam,vt Dauid,qui caput erat populi Dei,atque ideo Eccleſiam omnium ætatum repræſentat, hoſtes habuit varios, à quibus crudeliter eſt oppugnatus:alios quidem hypocritas,qui ſe ſocios religionis & amicos ſimulabant, interea verò vitæ & fortunis huius inſidiabantur,& nunc hæc,nunc alia conſilia inibant,quibus eum à recta via abducerent, & in malum aliquod coniicerent:alios verò hoſtes manifeſtos, qui bello & cædibus graſſabantur, vt eum de ſolio deiicerent & opprimerent:ita Eccleſia perpetuò eoſdem habet hoſtes,hypocritas ſcilicet,ſeu falſos doctores,& tyrannos. Nam vt diabolus mendax eſt & homicida:ita & organa habet ſui ſimilia, quibus Eccleſiam aſſiduè oppugnat & delere conatur.

His verò quod opponat Eccleſia nihil habet quàm quod Dauid opponit ſuis hoſtibus,ardentem ſcilicet precationem,qua ſe ſeruari & defendi inter hæc pericula,& tandem liberari petit.Initio eſt precatio,pluribus verbis & ſæpius repetita,vt ardorem animi ſui,conſiderantis magnitudinem periculi,oſtendat.deinde rationem addit à perſona Dei,quòd ſit iuſtus vindex,qui odio proſequatur & puniat ſcelera. Tertiò, de ſua fide,& conſtantia in profeſſione doctrinæ teſtatur:& rurſus miſcet precationem,vt à Deo regatur vera doctrina,& pijs ac ſalutaribus conſiliis inſtruatur. Quartò,vt precatio plus ponderis habeat,additur deſcriptio hoſtium luculenta & copioſa,in qua ingenium,vitam,ſtudia & conatus ipſorum prauos graphicè depingit:& rurſus additur precatio,vt Deus tam pernicioſos hoſtes reprimat,&c. Quintò,oſtendit qui fructus inde ſit rediturus ad Eccleſiam, ſi ab hoſtibus quamprimum pœnas Deus ſumat: atque hæc pars ſimul conſolationem continet,vt mox dicetur.

1 AD triumphandum ſuper Nehiloth, Canticum Dauidis.

De voce נחילות quæ eſt in titulo,& nuſquam extat, niſi in hoc loco,variant interpretum ſententiæ. Plerique exponũt ſuper hæreditatibus:hoc eſt pro Eccleſia ſeu populo Dei, quæ eſt hæreditas ipſius: vt argumentum Pſalmi hac voce cõtineatur.& vſum eſſe exiſtimant voce pluralis numeri, vt ſignificet,ſe omnes duodecim tribus atque adeo Eccleſiam ex variis gentibus collectam complecti.Alii vocem נחילות iudicant eſſe nomen inſtrumenti Muſici, quod ſacris adhibitum ſit:vel certæ melodiæ genus, ſeu tonum Muſicum. In hanc ſententiam eo libentius inclino, quòd & paraphraſtes Chaldæus eodẽ modo reddiderit, לשבחא על הנגין & quòd magiſtris Hebræorum vox נחיל ſignificet examen apum,vel ſtrepitum ſeu ſuſurrum quem edunt apes. vt à ſimilitudine ſoni qualem vel apes volitantes vel torrentes ex altiore loco in ſubiectas valles decurrentes,edere ſolent,facta eſſe appellatio videatur.

2 Verba mea auribus percipe Iehoua; intellige meditationem meam.

3 Attende ad vocem clamoris mei Rex meus, & Deus meus:quoniam ad te oro.

Initio,vt dixi,eſt precatio,in qua eandem rem aliis atque aliis verbis repetit,non quòd ſuperflua congerie delectetur ſine cauſa, ſed vt ardorem animi ſui conſiderantis magnitudinem periculorum,in quibus verſatur,oſtendat. Hæc enim cogitatio,vt ad precandum impellit Dauidem,ita & pluribus vrgere & inſtare,vt quod optat conſequatur,iubet.Non igitur otioſa eſt ταυτολογία in his verſibus:ſed animi ardor & vehemens deſiderium exprimitur.

הגה ſignificat meditari, & meditata proloqui, ſeu proferre: & accommodatur etiam ad aues, quarum tacitas modulationes, & prima quaſi tyrocinia vocamus *Dichten*. Interdum per μετάληψιν ſignificat ex meditatione ſeu conſideratione periculorum ingemiſcere, & loquendo quaſi confuſum ſtrepitum edere, vbi vocem articulatam impedit dolor. In hac ſignificatione vſurpatur, Ieſa. 19. & alibi. Inde nomen הגיג repetita media radicali, ſignificat aſſiduum gemitum, ex magno dolore ortum, qui verba & orationem ſæpe interrumpit.

Vox clamoris, pro voce clamoſa & ſonora accipitur, Hebræorum idiotiſmo: & feruor doloris atque anxietas ſignificatur, quæ eum ad hunc clamorem adigit.

Rex meus & Deus meus] His verbis fidem ſuam exprimit, & oſtendit ſe bene ſperare de ſua ſalute: nominat enin ſuum regem à quo ſcilicet regatur & defendatur. id enim rex debet ſuis ſubditis. & nominat Deum ſuum quòd ſaluare poſſit etiam vbi rationi nulla apparet ſpes ſalutis: & quãquam ipſe erat rex in poplo Dei: tamen affirmat, ſe ſaluum & incolumem eſſe non poſſe: niſi ab hoc ſupremo rege defendatur.

Quia ad te oro] Alij ſic reddunt, Cùm ad te oro: ſed maiorem emphaſin habet oratio, ſi exponas vt verba ſonant, & dicas eſſe αἰτιολογίαν, ſeu cauſſæ redditionem. Quia enim rex eſt & Deus ſuæ eccleſiæ, ideo debet hoc innocentibus, & opem implorantibus, vt ipſis ſuccurrat: alioqui enim non fungetur munere ſuo. De Adriano Imperatore legitur, Cùm præteriens mulieri interpellanti ſibi non eſſe otium dixiſſet, & illa exclamaret: Ergo imperare noli. ſtatim conuerſus audiuit eam. Cõmodiſſimè igitur ſubiicitur hæc ratio, Tu es Rex, ergo audi orationem meam: & quidem cùm non tantùm ſit rex ſed etiam Deus noſter, magis etiam orantes exaudit.

4 Iehoua, mane audies vocem meam: mane diſponam tibi, [*præparabo me tibi*] & ſpeculabor.

Repetit eandem precationem, & quidem nunc petit ne diutiùs differat auxilium, ſed feſtinet ad opem ferendam. Tũ enim audire diciturDeus noſtras voces & preces, quando ſubitò fert opem. & vox Mane, in ſcriptura non tantum ſignificat diluculum, ſeu primum tempus diei, quod maximè idoneum eſt precationi, ſed negotii & rei quoque de qua eſt ſermo: vt ſignificet idem quod Latinis, primo quoque tempore. Ego, inquit, mane oro, vbi mane expergefactus ſum, hæc eſt prima mea cura & cogitatio, vt ad te orem & tuam opem implorem. Tu etiam exaudi me mane, id eſt, non differ auxilium in mediam lucem, ſeu in veſperum, hoc eſt, diu: ſed mox ſuccurre & fer opem.

Mane diſponam tibi] *Ich vvil mich zu dir ſchicken.* Id eſt, accommodabo me tibi, præparabo me tibi, ero in te intentus, & ad te confugiam, idque mane, ante omnia negotia mea, nihil enim prius faciam quàm hoc. Subeſt autem tacita antitheſis, qua improbat & damnat præpoſterum ſtudium eorum qui in neceſſitatibus conſtituti huc atque illuc circumcurſitant, & quærunt humana præſidia & auxilia, nuncque hoc nunc aliud tentant, quo mala declinent: ego verò, inquit non ita diſtrahor curis & cogitationibus, ſed rectà ad Deum confugio, idque primum eſt quod agendum ſuſcipio, vt Dei opem implorem.

Alii interpretantur, Ego diſponam, ſcilicet orationem vel ſacrificium, in quo requirebatur accurata ſingularum partium diſpoſitio.

Alij: Ego ſtabo in acie tecum, & in ſpecula: vt difficile certamen ſeu luctam, quæ in vera inuocatione concurrit exprimat. Sed retineo priorem ſententiam quæ eſt ſimpliciſſima. Verbo ſpeculandi, ſignificat ſpem & patientiam ſuam, & ſimul ſolicitudinem, quæ nũquam auelli à ſpe omnino poteſt.

Ego ſpeculabor] Id eſt, ego præſtolabor auxilium tuum: poſtquam curas meas in te reieci, ſtabo tanquam in ſpecula ſeu excubiis, donec videam mihi affulgere auxilium: non diuertam oculos abs te ad creaturas aut externa præſidia: ſed ero intentus in te, & expectabo auxilium tuum; & quanquam hęc expectatio non poteſt eſſe ſine ſolicitudine, & aliqua animi inquietudine, præſertim ſi aliquanto diutius differatur auxilium: non deſeram tamen ſtationem meam, ſed patienter feram quicquid mihi accidat, donec tu ſuccurras: quod certò futurum ſcio.

Abſoluta petitione vt exaudiatur, debebat mox ſubiungere propoſitionem petitionis, quæ eſt principalis in hoc Pſalmo, videlicet, vt Deus reprimat, & euertat hoſtes Eccleſiæ, hypocritas & tyrannos: ſed, vt in poëmate, inuertit ordinem oratorium, prius enim recitat rationem propoſitionis, quæ eſt antecedens in enthymemate: eſtque ſumpta à perſona ſeu natura ipſius Dei: deinde ſubiicit conſequens more dialectico, Deus odit & execratur impios, hypocritas, mendaces, crudeles, &c. Eſt enim iuſtus, ſapiens, verax, volens tantùm bona, iuſta, &c. Ergo nequaquam feret vt pro ſua libidine impij graſſentur in Eccleſiam: ſed tandem perdet & euertet eos. Hæc ſumma eſt verſuum aliquot ſequentium. Interea verò traditur hîc vtilis & neceſſaria doctrina, quæ affirmat Deum nequaquam eſſe cauſſam efficacem peccati in hominibus, non velle, nec approbare, nec iuuare ſcelerate agentes, ſicut & alibi dicitur: vt Zach. 8. Hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus, &c.

5 Quoniam non es Deus qui delectetur impietate: non morabitur apud te malignus [*vel potiùs, malum.*]

Id eſt, nulla tibi eſt ſocietas, aut conſenſus, aut commercium cum malitia: quia natura tua repugnat malo. Hic notandum eſt, pios homines, cùm puniuntur à malis & tyrannis, potius ad Dei iuſtitiam, quàm ad ſuam reſpicere: neque enim hominum quantumuis ſanctorum adeo perfecta eſt & integra iuſtitia, vt mereatur liberationem à malis & iniuriis. ideo Dei iuſtitia potiùs eſt imploranda quam noſtra fruſtra obtendenda.

6 Non ſtatuent ſe [*non conſiſtent*] gloriabundi [*arrogantes*] coram oculis tuis: odiſti omnes operantes iniquitatem [*Id eſt, eos qui ſtudeant iniquitati quouis modò patrandæ.*]

Repetit eandem ſententiam, & inprimis taxat hypocritas, quos nominat הוללים hoc eſt, iactabundos, gloriabundos, qui tument perſuaſione propriæ iuſtitiæ, eámque paſſim deprædicant, & ſe efferunt ſupra reliquos: ſicut Phariſæus Luc 16. Nominat item gloriabundos, qui iactitant ſucceſſionem & ſedem ordinariam, atque ideo ſibi nomen veræ Eccleſiæ arrogant, cùm tamen interea quàm longiſſimè abſint à vera pietate: vt hoc tempore Pontifex Romanus cum ſuo ſatellitio. Alij inſanos interpretantur: id eſt, qui cæca cupiditate ad peccandum ruunt, ex contemptu Dei: qui maximus furor eſt, & homines in triſte exitium præcipitat.

7 Perdes loquentes mendacium: virum ſanguinum & doli abominabitur Iehoua.

Conſequens eſt quod continet propoſitionem petitionis: Cùm talis ſis, tandem ſume pœnas de impiis.

Loquentes mendacium] Primùm intelligatur in genere, deinde etiam in ſpecie de falſis & prauis doctoribus, qui Eccleſiam turbant falſis dogmatibus, & ſpargunt corruptelas.

Virum ſanguinum] Id eſt, crudelem & ſanguinarium, *Einen Bluthundt*: qui manus habet reſperſas iniuſta cæde & ſanguine innocentum, & perpetuò ſitit ſanguinem piorum.

Et doli] qui non tantùm aperta vi oppugnat bonos, ſed etiam dolos ſtruit.

Hunc abominatur] Id eſt, cum indignatione vehementi repellit & reprimit. תעב Hebræis ſignificat, omnibus ſenſibus ab aliqua re abhorrere.

8 Ego verò in multitudine bonitatis tuæ ingrediar domum tuam: adorabo in palatio ſanctitatis tuæ, in timore tui.

Addit antitheſin, qua ſe ſeiungit ab impiorum numero & ſocietate, oſtendens ſimul ſuam fidem & conſtantiam in profeſſione doctrinæ. Itaque non tantùm diuerſam, ſed longè potiorem ſortem ſperat. Argumentatur autem à conſequente. Impij, inquit, peribunt, ego interim ſeruatus bonitate & miſericordia diuina, inter mille pericula ingrediar domum Domini, & gratias agam pro beneficiis acceptis: & poſthac tutus ab inſidiis hoſtium, prædicabo illa beneficia. Hæc erit ſumma mea felicitas, cùm liberè & ſine periculo potero ingredi in domum Domini, & cultus diuinos peragere.

Hæc verba oſtendunt, hunc Pſalmum etiam eo tempore compoſitum eſſe quo exulabat à regno & domo Domini.

In multitudine bonitatis tuæ] Hoc eſt, fretus tua bonitate, qua ſcilicet me ſeruaſti hactenus, & ſeruabis deinceps inter tantos hoſtium dolos, machinationes, inſidias, vim, &c.

In timore tui] Hoc addit, vt oſtendat, illam lætitiam conceptam ex ſalute & reſtitutione ſua, non fore effrænem aliquam animi laxationem, qualis eſt malorum hominum, dum res ipſorum ſunt proſperæ: illi enim ex lætitia illa ruunt in luxum & omnis generis turpitudinem: ſed ait, coniunctam fore illam lætitiam cum timore nominis diuini.

9 Iehoua deduc me in iuſtitia tua, propter aduerſarios meos: dirige [*rectam & planam fac*] coram me viam tuam.

Miſcet precationem: petit enim, vt, dum adhuc verſatur in periculis inter medios hoſtes, regatur à Domino & defendatur contra hypocritas & crudeles homines. agnoſcit enim ſuam

ſuam imbecillitatem,& è regione hoſtium vires, potentiam & malitiam conſiderat: ideo videt ſibi neceſſariam eſſe defenſionem & opem diuinam,vt ex illis periculis euadat.

Iuſtitiam Dei intellige hoc loco, non de iuſtitia iudicante & damnante,ſed de iuſtitia ſeruante iniuſtè oppreſſos: quanquam,ſi inimicos ſpectes,illa intelligi poteſt:eadem enim iuſtitia punit impios,& ſeruat innocentes.

Duc me] Id eſt, rege totum curſum vitæ meæ,fac ne impingam,aut hoſtibus præda fiam,patefac mihi exitum ex his periculis, & ſerua me: idque facias in iuſtitia tua,qua ſoles ſeruare & defendere iniuſtè oppreſſos.

Propter inimicos meos] Non enim poſſum euadere eorum manus,niſi tu me ducas,& mihi viam monſtres.

Dirige coram me viam tuam]Fac planam viam tuam,in quã tu me duxiſti,quam tuo iuſſu ſum ingreſſus, & quam illi nunc obſident,vt ſine periculo euadere poſſim:ducito me ne ſeducar in auia,inſtrue me ſalutaribus conſiliis. שורר ſignificat inſidioſum obſeruatorem, qui perpetuò intentus eſt in hoc, vt mala inferat ei quem odit. Chaldæus Paraphraſtes legit propter laudem meam טן בגלל תושבחי fortè; quia ad nomen שיר quod canticum ſignificat,reſpexit.

10 Quoniam non eſt in ore eius rectitudo [*firmitas,certitudo*] intimum eorum, prauitates: ſepulchrum apertum guttur ipſorum: linguæ eorum blandiuntur.

Altera ratio petitionis, cur petat deleri hoſtes ſuos, ſumpta eſt ab ingenio & natura hoſtium:nempe ab infinitis mendaciis,inſidiis,immanitate odiorum, & crudelitate, qua eccleſiam perſequuntur. Tanta eſt,inquit,ipſorum malitia,tanta crudelitas & immanitas, vt, niſi reprimas eos, & furores eorum coerceas,me & Eccleſiam perire neceſſe ſit. Rurſus autem conſtruit integrum enthymema: vbi antecedens collocatur primo loco,& ſequitur conſequens. In antecedente deſcribit dolos, fraudes & immanitatem hoſtium pulchra hypotypoſi. Conſequens, quod ſequitur verſu 11. continet propoſitionem,quam & ſupra verſu 7. recitauit,ſed aliis verbis.

Primùm inquit,non eſt certitudo, id eſt, tota doctrina ipſorum plena eſt mendaciis,quibus animos ſuorum auditorum turbant,vt,vbi acquieſcant,non inueniant,ſed maneant in perpetua dubitatione. Talis eſt doctrina Pontificum Romanorum, quæ iubet homines dubitare: & aliæ doctrinæ ſcholaſticorum. Deinde,in tota vita ſimulatione amicitiæ inſidiantur bonorum & piorum fortunis, & quærunt ſua compendia ex aliorum diſpendiis. Ideo inquit, Non eſt firmitas, &c. *Man darff ſich auff jre vvort nicht verlaſſen.* Nemo tutò poteſt acquieſcere in ipſorum doctrina aut ſermone: & multi abducuntur ab ipſis fraudulenter,vt incidãt in laqueos. Ideo & verſu præcedente petit ſe ſeruari diuinitus, vt has fraudes vitare poſſit.

Secũdò, *Intimum eorum prauitates*, damna ſeu calamitates,id eſt,ſtruunt varias inſidias, & ineunt conſilia praua,quibus euertant pios:& hoc eſt intimum eorum: id eſt, perpetuò hoc moliuntur & ſtudent: hoc vnum cogitant, quomodo malum inferant piis, *gehen ſtets mit bœſen tücken vmb*. Intimum nominat viſcera, & præcipuè cor cum ſuis potentiis ſeu facultatibus. הוות nonnulli deducunt ab הוי, quæ vox eſt χετλιαστικὰ, vt calamitatem & dolorem ex ea conceptum ſignificet, qui voces lacrymabiles & querelas alicui extorquet.

Tertiò, hæ cogitationes & machinationes ipſorum erumpunt tandem in apertam ſæuitiam: ſunt enim crudeles natura, & ardent cupiditate inexplebili fundendi ſanguinis innoxij.

Sepulchrum apertum guttur eorum]Id eſt, inhiant vitæ & ſanguini piorum inexplebili ſæuitia. Nam ſepulchra quæ perpetuò patent, velut voraciſſimi gurgites, ſubinde expetunt ſeu poſtulant cadauera,quæ deuorent & corrumpant.

Quartò, *Linguis ſuis blandiuntur.*]Id eſt,norunt tegere hanc ſuam animorum crudelitatem, & doctrinæ corruptelas, variis artificiis:adhibent varia pigmenta & fucos; quibus & doctrinam inuoluunt,& animi ſui morbos occultant.

11 Fac eos reos [*piacula*] ô Iehoua: cadant à conſiliis ſuis, propter multitudinem iniquitatum ipſorum: diſpelle (*abijce*) eos quoniam rebelles ſunt contra te.

Illatio eſt vt dixi,cùm tam pernicioſi ſint hoſtes Eccleſiæ, tu perde & dele eos.

Fac ſeu perage eos reos) Id eſt, pœnis illatis declara,quantopere deteſteris ipſorum impietatem & ſcelera: abiice eos tãquam piacula ſeu anathemata, atque adeò totam iram tuam in ipſos effunde.hoc enim eſt facere piaculum. Forma verbi eſt,qualis eſt in הצדיק quod ſignificat iuſtificare, ſeu iuſtum pronunciare. Alij ſic reddunt, Fac eos errare: quaſi hoc petat, vt eos in errorem mentis impellat. Sed cùm verbum propriè ſignificet fieri reum,& quidem ita vt ſis piaculum ſeu κάθαρμα, iudico priorem ſententiam magis conuenire, & complecti Prophetam omnes diras & imprecationes voce anathematis.

Decidant à conſilijs ſuis]Id eſt,ſint conſilia ipſorum irrita & vana,non aſſequantur nec perficiant quod moliuntur, propter multitudinem iniquitatum: id eſt, *Dievveil ſie es zuuiel machen*,quia non ceſſant oppugnare veram doctrinam, eiúſque profeſſores.

Quoniam rebelles ſunt in te] Id eſt,quia non tantùm homines miſeros oppugnant,ſed iniuria ad te pertinet, ideo eam vlciſcere. Eſtque hoc conſolationis plenum quod dicit,iniuriam Eccleſiæ factam,eſſe rebellionem contra Deum. Eo enim certius ſperare poſſumus, Deum fore vindicem. E regione ſententia dura eſt contra impios lata, quæ meritò terrorem ipſis incutere debebat. Nam hæc precatio habet vim prophetiæ ſeu vaticinij, quæ ſe extendit ad omnia tempora & ætates.

12 Et lætabuntur omnes confugientes ad te: in æternum ouabunt, & proteges eos, (*id eſt, eo quod protegis*] & exultabunt in te, diligentes nomen tuum.

Sicut antea abſoluto primo argumento de ſua perſona dixerat ver. 8. quid futurum eſſet,ſi hoſtes reprimerentur: Ego [dicebat] ſeruatus intrabo in domum Domini,& lætus prædicabo illa beneficia tua: ita hic rurſus à conſequente ſeu ab effectu, non tantùm de ſe,ſed de toto corpore Eccleſiæ quid futurum ſit oſtendit. Atque ita docet,hoc beneficium liberationis ſuæ pertinere ad vniuerſam Eccleſiam,: & Pſalmum hunc & ſimiles, non tantùm ad Dauidem, ſed ad Eccleſiam omnium ætatum eſſe referendos: & quas Dauid in ſuo regno aduerſitates expertus eſt,eas experiri quotidie Eccleſiam: & vt ille liberatus eſt,ita hanc quoque liberari. Sancti,inquit, ſeruati abs te,lætabuntur,vbi viderint,te non deſerere Eccleſiam, ſed præſto adeſſe & opem ferre, tuóque præſidio ſe tutos eſſe. Hæc erit ipſorum conſolatio firma & perpetua.

חסה ſignificat confugere aliquò, præſidij & protectionis cauſa. Huic aptè reſpondet verbum חסל à סבך formatum, quod ſignificat operimentum ſuper aliquem ponere, ne vel ab æſtu ſolis, vel imbribus & aliis calamitatibus lædatur. Ideò Græcus reddidit, κατασκηνώσεις, tabernaculum facies. Et Vau hoc loco eſt rationale,quia protegis:ſicut ſæpe,vt Eſaiæ 64. Ecce tu iraſceris,quia peccauimus.

Nomen tuum]Id eſt verbum tuum,in quo agnoſcimus qualem te tuis exhibeas. Nomen enim dicitur,quo quis agnoſcitur,aut memoria eius recolitur. Et diligere nomen Dei, eſt fidē habere verbo,& promiſſionibus eius acquieſcere,inqueDeo vno ex recordatione beneficiorum eius ſe oblectare. Quod dicit,lætabuntur,cantabunt, exultabũt, plenitudinem & amplitudinem gaudij ſignificat:& addit in æternum, vt ſignificet non fore momentaneum,vt eſt impiorum.

13 Quoniam tu benedices iuſto,Iehoua: beneuolentia quaſi ſcuto circumdas eum.

Antea dixerat, Deum obtegere iuſtos, ne ex altiore quo loco malum aliquod capiti ingruere poſſit. Nunc aliam figuram addit,qua oſtendit, etiam corpus totum vndique muniri & cingi. Repetit igitur & confirmat ſuperiorem ſententiam. Primùm inquit,tu benedicis iuſto. Hanc conſolationem opponit ſarcaſmis & contumeliis hoſtium, & variis miſeriis, quibus in hac vita oneratur Eccleſia. Nam ſi faciem externam Eccleſiæ conſideres, nihil eſt ea ærumnoſius, nihil vilius,nihil abiectius:& homines impij contumelia afficiunt & execrantur eam:interea tamen Deus benedicit ei. Efficit enim ne his ærumnis opprimatur: ſed vt ſeruata ac liberata tandem, glorioſa appareat, & læta de hoſtibus triumphos agat. Hæc eſt igitur illa benedictio Dei; quæ non in verbis aut voto,ſed re conſiſtit. Deus enim benedicendò benefacit.

Beneuolentia tua cingis eum] Non præſidiis mundanis,opibus, aut aliis rebus caducis: ſed fauore tuo & beneuolentia:hac re ſola tutus eſt: hæc ſunt arma Eccleſiæ, quibus ſe tutatur aduerſus omnes iniurias, & tribulationes:beneuolentia ſcilicet & amor Dei erga nos. Hæc verò arma fides amplectitur, & ſibi applicat ſeu circundat. Hinc intelligitur quod Paulus ad Epheſ. 6. ſcutum quo tegimur, interpretatur fidem:quia ſcilicet inſtrumentum eſt, applicans ſibi & apprehendens hoc ſcutum fauoris & beneuolentiæ diuinæ.

Cingis eum] Græca tranſlatio habet, Coronaſti nos: legit

enim affixum ſine puncto dages: quædam etiam exemplaria legunt in ſecunda coniugatione תעמרנו.Rabbi Dauid dicit in lib.Rad.eſſe vel primæ coniugationis,vel tertiæ,& ſcribit תעמירנו pro תעמרנו.

PSALMI V.

PARTES,

I. Exordium,in quo duplex conſideratio,nempe *Dei*,cuius naturam,officium & promiſſiones proponit:deinde,*Supplicis*,idque vt audientiam ſibi faciat v.2.& 3.

II. Propoſitio,continens ſupplicis in inuocando Deo fiduciam,argumentis à Dei natura,verſ.4.à perſona aduerſariorum,quorum improbitatem ſtatuit Deo exoſam eſſe, v.5.6. 7.à perſona ſua ,benignitate Dei freta,reuerenter ad eum accedente,v.8.

III. Petitio bimembris,de Dauide,& de aduerſariis eius. 1. Deum ducem exoptat. huius petitionis ſummus finis gloria Dei,9.verſ.2.Aduerſariis deſcriptis(ſub quorum perſona Paulus humanum genus benignitate Dei deſtitutum,accommodatè depingit,hypotheſi ad theſin reuocata,Rom.3.13.) petit vt propter multiplicem impietatem confundantur:v.10.11.

IIII. Concluſio prophetica,verſ.12.de gloriæ Dei prædicatione in Eccleſia:cuius prædicationis ratio ſubiungitur,v.13.à ſempiterna benedictione & beneficentia Dei, ex gratuita ipſius beneuolentia in futurum perſeueratura.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

v.1.2.3. Pij malignis impiorum artibus vexati,ad Deum confugientes,in eius ſinũ querelas ſuas effundunt,& inenarrabilibus gemitibus animi ſui æſtũ exprimentes arctiùs cum Deo cõiunguntur.

Vera inuocatio apprehendit quis ſit ille Deus quem compellat: deinde qualis ſit,& cur exaudiat inuocantes.

Qui Deũ dominum & regem ſuum inuocant,ſe ab eius præſidio, ſubſidio,cura & beneuolentia totos pendere profitentur.Profani autem qui poſthabito Deo vel intus fremunt,vel apud homines querulantur,indigni ſunt quos Deus ipſe reſpiciat.

Seriis & ardentibus deſideriis ac votis conſtat vera oratio:& quicunque Deum in ſuis malis inuocant,nũquam ab eo repulſam patientur.

In precibus ſanctorum occurrentes repetitiones , affectus vehementiam notant & longam orandi perſeuerantiam , Epicureorum ſecuritati & battologiæ hypocritarum oppoſitas.Nec enim ſuperflua verborum congerie delectantur fideles: ſed quemadmodum ad precandum ſeriò intenti ſunt,multiplices ſuos gemitus ad fidei & ſpei ſubſidium repræſentant.

Non frigidè,nec tantùm pauculis verbis eſt orandum , ſed prout vrgent priuatæ & publicæ calamitates,in deflendis apud Deum tot tantiſque quibus premuntur miſeriis,fideles oportet eſſe anxios.

Quia nõ ſtatim apparet calamitatum exitus, nos in iiſdem querimoniis repetendis aſſiduos eſſe conuenit.

Dubitationi de ipſius Dei erga nos voluntate vel potentia illud eſt opponendum,quod & Deus noſter & Rex noſter ſit.

4 Simul atque expergiſcuntur fideles,hæc prima eſt illorum cogitatio,vt Dei opem implorent,ne longius differat,ſed mox votis eorum reſpondeat.

Non vel huc vel illuc flectuntur ac diſtrahuntur piæ mentes , ſed hunc ordinem ſibi norunt eſſe conſtitutum vt ad Deum confugiãt.

Dum inter vagos & erroneos diſcurſus ad mundi auxilia profani homines reſpiciunt , vel pendent ex ſuis conſilijs:pij rectum fidei ductum ſequentes,& à vanis illecebris retracti,ſe ad vnum Deum conuertunt.

Poſtquam ſuas curas in Dei ſinum depoſuerunt fideles,ſuſpenſis animis quaſi in ſpecula conſiſtunt,donec re ipſa pateat eos fuiſſe à Deo exauditos.Etſi autem pijs deſiderijs ſemper inquietudo aliqua ſubeſt:qui tamen ſpeculantur, quam cupiunt Dei gratiam patienter expectant.

Friuolæ ſunt preces quibus non eſt ſpes annexa quæ mentes velut in ſpeculam euehat.vide Habac.cap.2.verſ.1.

5.6.7. Impatientia noſtra hac cogitatione frænanda eſt,quòd ipſius Dei natura ferre non poſſit ſceleratos inultos : eſt enim iudex mundi,& huius officium eſt improbos omnes perdere,quia odio habet omne ſcelus:ac proinde quo truculentiores ſunt hoſtes,eo certius ac propinquius eſt ipſorum exitium.

Quoties nobis certamen eſt cum vi,fraudibus & iniuſtitia,diſcamus ad Deum aſſurgere,naturámque eius intueri,vt nos ad certã liberationis ſpem animemus.vide 2.Theſſal.1.5.

Dum improbis laſciuiẽtibus, nobis obrepit dubitatio,an Deus curam noſtri gerat,hunc clypeum opponere diſcamus:Deus,cui odio ac deteſtationi eſt omnis iniquitas,iſtos elabi inultos non ſinet:licet verò ad tempus eos ferat,tandem conſcendet tribunal,ſéque vindicem oſtendet.

Quamuis per Satanam & impios Deus operetur:eorúmque malitia vtatur ad exequenda ſua iudicia,non tamẽ eſt peccati author, nec peccatum ei placet: quia ſemper iuſtus ei finis propoſitus eſt : vt meritò eos dãnet ac puniat quos arcana ſua prouidẽtia , iuſtoq́ iudicio impellit quò viſum eſt.

Inſaniunt prorſus qui mentem à Deo datam vt omnibus recta ratione proſint,totam ad lædendum homines cõuertunt:nec eſt vlla amentia deterior quàm Dei cõtemptus,quo fit vt impij fas omne peruertant.

Spiritus ſanctus Deum fore ſcelerum vltorem pronuntians , frænum nobis inijcit ne ſpe impunitatis peccemus.

8 Quum nos vrgent extremæ tentationes,ſtatuenda eſt Dei gratia ante oculos , vt inter ſumma quæque diſcrimina bene ſperemus. Et quia caro vel gratiam Dei malignè extenuat , vel æſtimat vulgari modo,diſcamus ingentem eius gratiæ magnitudinem efferre, quæ vincendis terroribus ſufficiat.

Hypocritæ gratias agendo nihil aliud quàm nomen Dei profanant,vt ſunt impuri & polluti.Ideo ad Deum cũ ſincero & integro corde accedere debemus.

Donec ſuæ bonitatis guſtum nobis Deus præbuerit,acceſſus nobis ad eum minimè patet:nec quiſquam rite orat,niſi qui gratiam eius expertus,ſibi propitium fore ſtatuit ac perſuaſus eſt.

Pijs neceſſarius eſt Dei timor,qui rectam piamq́ fiduciam à carnis ſecuritate diſcernat.

9 Vitandis impiorũ inſidijs pij pares non ſunt,niſi & prudẽtiam ſuppeditet Deus,& viam per inuia aperiat.Quum igitur nos conſilium deficiet,aut inualeſcet hoſtium improbitas,ad Deum properemus,in cuius manu ſunt exitus mortis.

Tantò certiùs à nobis ſperandũ eſt auxilium,quantò acriùs mali nobis infeſti fuerint:& eò curam & defenſionem Dei præſentiùs nos ſenſuros,quò grauius odium preſſerit peruerſorum.

10 Quò crudeliùs in nos ſæuiunt hoſtes,eò maiore fiducia gemitus noſtri tollendi ſunt in cælum:quia Deus non patietur ad extremum vſque graſſari eorum furores : malitiam quoque & peruerſos aſtus in lucem protrahet.

Non mediocribus iniurijs pij tentantur,ſed illis ſæpiſſimè certamen eſt cum hoſtibus deterrimis:tunc autem non modò continuant ſuas preces,ſed ex ſtatu confuſo & deſperato petunt ſperandi materiam.

Hic verſus quum ab Apoſtolo Rom.3.13.ad totum genus humanum extenditur,colligimus in hoſtium Eccleſiæ numero cenſeri debere quicunque non regeniti ſunt Dei Spiritu , ſiue exteri ſunt, ſiue domeſtici.

11 Impij fruſtra conſultant,inconſideratè ac ſine iudicio feruntur,& turpiter impingunt,quia Deus intercipit eorum vafritiem, ſpiritu ſoporis & vertiginis eos inebriat,vt in rebus minimis deſipiant,& tandẽ eos proſtituit ludibrio. Et certè neceſſe eſt,quũ Satan fraudũ omnium artifex,omnes nocendi modos impijs ſuggerat, quæ callidè excogitant,diuinitus in nihilum redigi.

Hãc pretioſã mercedem ſuis cultoribus Deus rependit,quòd in ſe recipit ipſorũ cauſſã.Quicũque ergo ſibi rectè ſunt conſcij,nec ab integritate deflectere cogitãt indignè vexati,nõ eſt quod dubitẽt Deũ inſtar clypei hoſtibus ſuis obiicere.

12 Non ipſas hoſtium pœnas,non noſtra ipſorum commoda,ſed vnius Dei gloriam in noſtris petitionibus ſpectare nos decet.

Deo ingrati ſumus,niſi accõmodamus in vſũ noſtrũ quæcũque in proximos noſtros cõfert beneficia:quibus teſtatur bonitatem ſuã cõmuniter pijs omnibus ſemper expoſitam fore.

Non aliunde quàm ex Dei præſidio naſcitur verum gaudiũ:q: in licet mille mortibus ſimus expoſiti, abũdè nobis ſufficere hoc debet, protegi nos Dei manu: quod fiet ſi nos inanes mundi vmbræ non decipiant vt ſub illis deliteſcamus.

In

In Deo ſperantes, nomẽ eius diligere dicuntur: & id quidem propriè admodũ: nec enim fieri poteſt quin ſuauis ſit Dei memoria, poſtquã ipſe nobis ſuæ bonitatis guſtũ præbuit. Cõtra increduli oẽs ſepultum vellent illud nomẽ, cuius memoriam cũ horrore fugiunt.

13 *Ex vnius pij liberatione documentũ alij omnes ſumũt de perpetua Dei erga ſuos beneuolentia.*

Quia efficax eſt Dei fauor, benedictio eius bonorum omnium affluentiam ex ſe producit.

Iuſtos vocat ſcriptura, non qui tales operũ meritis cẽſetur, ſed qui ad iuſtitiam aſpirant: quia poſtquã Dominus eos ſuo fauore cõplexus eſt peccata non imputando, rectum ſtudium pro iuſtitiæ perfectione illis fert acceptum.

Probè vndique muniũtur fideles, quũ nulla ex parte eis deeſt Dei gratia, quæ & inuictum eſt propugnaculum, & certam ſalutẽ ſecũ adfert. Quantumuis igitur magna & varia pericula iuſtos obſideãt, Deo tamen propitio fient ſalui.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Fidei Deum inuocantis παῤῥησία & [illegible].
2. Deus non eſt auctor mali culpæ, ſed vindex ſeuerus. Mali auctores impij, Sanatæ aculeis perciti.
3. Impiorum horrenda miſeria, & graphica delineatio.
4. Piorum fiducia, zelus, religio.
5. Veræ & falſæ Eccleſiæ collatio, à ſtudiis & euentibus.

ARGVMENTVM PSALMI VI.

PROPHETA ex quacunque occaſione, vel clade, vel afflictione (qualis enim illa fuerit non conſtat) ſentiens infirmitatem ſuam, & intuens multiplices ſordes, quibus erat pollutus, (nam neque ſancti prorſus ſunt immunes à peccato in hoc mundo) & è regione conſiderans magnitudinem iræ Dei aduerſus peccata, in triſtes dolores incidit: in quibus ei luctandum fuit cum ira Dei, cum morte & ſenſu æternæ damnationis, ac deſperatione. Et quanquam hic dolor grauiter & diu eum exercuit, vt ipſe fatetur: tamen tandem eluctatur & emergit, & ad Dei miſericordiam confugit, petens ſe recipi in gratiam, & veris conſolationibus regi & confirmari, & pœnas, quas meritus erat, mitigari. Tandem verò ſentiens in corde aliquem guſtũ conſolationis, Deo gratias agit, qui exaudiuerit ipſum, & in vitam reuocauerit. Proponitur igitur in hoc pſalmo illuſtre exemplum veræ & ſalutaris pœnitentiæ: & docemur ſinguli, vt in ſimilibus doloribus, & ſimili conſcientiæ lucta, ad miſericordiam Dei confugiamus: nec frangamur magnitudine peccatorum, vt in deſperationem ruamus: ſed certò ſtatuamus, omnes confugientes ad miſericordiam Dei, certò exaudiri & ſanari. Et quia hic pſalmus multiplicem doctrinam continet de rebus maximis: de peccato, de ira Dei aduerſus peccata, de pœnis, de pœnitentia, de fide accipiente remiſſionem peccatorum, de quibus omnibus cogitare eos qui ad Deum conuertuntur, neceſſe eſt: ideo quotidie in Eccleſia inter pſalmos pœnitentiales, quos vocant, fuit decantatus, & à ſingulis recitatus. Debet enim hominis pii vita, perpetua eſſe pœnitentia. Itaque vtile eſt animos huiuſmodi exercitiis ad piam meditationem excitari. Sed acceſſit in Papatu abuſus, vt fieri ſolet, quando doctrina de vera pœnitentia & fide corrumpitur.

1 AD triumphandum in Neginoth, ſuper octaua canticum Dauidis.

Titulus ad Muſicam pertinet, & monet, pſalmum, adhibitis certis inſtrumentis Muſicis, publicè decantandum eſſe. נגינה enim inſtrumentum ſeu organum Muſicum ſignificat. Et quod de octaua additur, id Chaldæus interpres vertit citharam octo chordarum, כנרא דתמניא נימיאעל.

2 Iehoua, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Propoſitio eſt, petens ſibi remitti peccata, & mitigari pœnas.

Ne in furore] Id eſt, ita me caſtiges & corripias, ne, ſi totam iram tuam effundas, in nihilum redigas me. Deus in furore & ira dicitur corripere, cum abſque vlla miſericordia punit peccata, & vtitur ſummo rigore, vt cùm perdit & euertit impios tyrannos, & totas gentes delet. Pios quidem caſtigat in hac vita variis modis: ſed vt Habacuc inquit, In ira recordatur miſericordiæ, temperat enim iram ſuam miſericordia: & flagellat, non vt perdat, ſed vt ſanet. Propheta igitur non deprecatur paternam correptionem & caſtigationem, ſed iram: ſentit quidem, ſe iuſtè puniri diuinitus propter peccata: ſed petit pœnas mitigari, ne in æternum interitum abiiciatur.

Oſtendit autem his verbis, tantam eſſe iræ Dei magnitudinem aduerſus peccata, vt nullus hominum, quantumuis ſanctus, ſuſtinere eam poſſit, ſi totam eam effundat. Homines otioſi & ſecuri non intelligunt iſta: ſed diſcuntur tantum in veris exercitiis pœnitentiæ: in quibus pii cum Dauide & Ieremia clamant, Caſtiga me, Domine, ſed in iudicio, non in ira tua. Offerunt enim ſe patienter ad pœnam, quam merentur ſuis peccatis: & Deum iuſtum eſſe iudicem fatentur: interea verò fide ad Dei clementiam confugiunt, & pœnas mitigari petunt.

3 Miſerere mei, Iehoua, quoniam infirmus ſum: ſana me, Iehoua, quia conturbata ſunt oſſa mea.

Primùm repetit & explicat propoſitionem: tunc enim dicitur non in furore ſuo arguere, cùm quidẽ caſtigat, ſed ſimul etiam miſeretur, & ſanat: atque hæc eſt natura Dei, vt, dum punit nos, ſimul etiam medicam manum adhibeat, &, vt Euagrius eleganter inquit, lib. 4. pharmaca paret, antequam vulnus infligat, & φιλανθρώπως gladium iræ ſuæ acuat. Ideo inquit, Miſerere mei: id eſt, dũ iraſceris, recordare etiam miſericordiæ tuæ, non abiicias me prorſus, ſed recipe me in gratiam.

Addit deinde rationem ab infirmitate ſua, qua ſcit, Deum tanquam patrem benignum commoueri ad commiſerationem. eſtque hæc triſtis querela, in qua magnitudinem morbi ſeu mali exponit. hac ipſa verò oſtendit fidem ſuam. Nemo enim poteſt ſtatuere, Deum affici ſuis calamitatibus: niſi qui credit ſe diligi à Deo, tanquam filium à patre.

Quoniam infirmus ſum] Id eſt, ita ſum deſtitutus omnibus viribus, & ita ſum confectus dolore ex ſenſu iræ tuæ, vt, niſi tu opem feras, me perire neceſſe ſit: nulla hic valent remedia aut ſolatia humana.

Sana] ſuſtenta, conſolare me, ne abſorbear dolore.

Oſſa conturbata ſunt] Id eſt, tanta eſt magnitudo doloris, qui oritur ex ſenſu iræ tuæ, aduerſus peccata: vt totum corpus, atque adeo oſſa in quibus præcipuum robur eſt, concuſſa tremant. id enim fieri ſolet in magnis angoribus.

4 Et anima mea conturbata eſt valde. Et tu Iehoua vſquequo?

Repetit querelam, vt magnitudinem doloris & conſternationis oſtendat. Dixerat, corpus totum ex illo dolore concuti & contremiſcere: nunc idem de anima etiam affirmat, quòd concuſſa horribilibus doloribus tota tremat. & quia hic dolor tantus eſt, vt, ſi diuturnus ſit, hominem perimat, ideo petit ne ſupra vires tentetur aut affligatur. Anima, inquit, ita turbata & conſternata eſt, vt ferre & ſuſtinere diutius hunc ſenſum doloris non poſſit: ideo ſuccurre & mitiga dolores. Hæc eſt prima ratio à magnitudine mali. Sequitur altera, ſumpta à diuturnitate tentationis. eſtque oratio elliptica, qua vehementiam doloris explicat. ingens enim dolor, non modò animos, ſed fauces etiam tenet conſtrictas, vt ſermonem in medio curſu abſorbeant. Quouſque ſcilicet differes miſericordiam & ſenſum conſolationis? Quouſque patieris me ita confici dolore? Oſtendunt hæc verba, Dauidem luctatum eſſe cum tentatione de abiectione, quaſi deſertus eſſet à Deo. De hac lucta nihil cogitant homines profani, ebrij voluptatibus, & occupati curis huius vitæ.

5 Reuertere, Iehoua, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Repetit propoſitionem ſeu petitionem, & deinde addit tertiam rationem ſumptam à bonitate & miſericordia Dei, ſeu cauſſa impulſiua. Reuertere, inquit, qui antea quaſi auerſus & iratus à me diſceſſeras, & ſolum ac deſertum in his malis reliqueras: conuerte faciem tuam ad me, reſpice me vultu placido & ſereno, conſolare me, erige animam oppreſſam dolore ne abſorbeatur animo, idque facias propter miſericordiam tuam, non propter mea merita, quę nulla ſunt. imò, ſi vitam meam probè examinem, iudico me indignum eſſe, qui eripiar, aut in gratiam reponar: ſed tantum nitor tua bonitate & miſericordia.

Atque ita docet Propheta, quomodo nobis ſit accedendum ad Deum, fiducia ſcilicet miſericordiæ, quam in verbo promiſit: non oſtentanda ſunt merita noſtra vel aliorum ſanctorum, non quęrendæ interceſſiones Diuorum, &c.

6 Quia nulla eſt in morte memoria tui: In ſepulchro quis confitebitur tibi? [*laudem dicet tibi? gratias aget tibi?*]

Quarta ratio ſumpta eſt à cauſa finali: ideo me libera, vt gratus hæc tua beneficia prædicare & bonitatem tuam celebrare poſſim. Ideo enim Deus varia beneficia in nos confert, vt grati ea celebremus. Id autem fieri à mortuis non poteſt. Ergo petit ſibi propagari vitam, & liberari à doloribus æternis, vt & celebrare hæc beneficia, & alios ſuo exemplo inuitare ab agnitionem miſericordiæ & beneficentiæ diuinæ poſſit.

Memorem eſſe alicuius, ſignificat beneficia eius & admiranda facta celebrare. Ita enim Pſ. 115. hanc phraſin explicat: Non mortui laudabunt te Domine. Et hinc intelligitur illud quod Chriſtus dicit in inſtitutione Cœnæ, Hoc facite in mei memoriam ſeu recordationem.

Ex hoc loco quidam colligere voluerunt, hominem non corpore tantùm, ſed etiam anima mori: & animas corpore ſolutas carere omni ſenſu: cùm tamen Paulus manifeſtè dicat, Corpus moritur propter peccata: ſed ſpiritus viuit: Reſponſio facilis eſt: loquitur Propheta non de eo, quid ſpiritus poſtquam diſceſſerunt à corpore, in alio ſeculo faciant, aut non faciant: ſed quid homo mortuus, in hac vita inter mortales facere nequeat, pius tamen ex animo facere cupiat. Eſt igitur fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

7 Fatigatus ſum in ſuſpirio meo: natare faciebam per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabam [*liquefaciebam.*]

8 Corroſa eſt præ triſtitia facies mea: perdurauit propter omnes anguſtiatores meos.

Repetit querelas, de quibus ſuprà dixerat breuiter, ſe eſſe infirmum, & totum corpus atque animum eſſe concuſſum dolore. Eam querelam nunc explicat copioſiùs, & ab externis ſignis magnitudinem doloris ſui oſtendit. Sunt autem tria ſigna quæ oſtendunt ingentem fuiſſe eius dolorem, qualem pauci in hac vita experiuntur. Primò inquit, ſe defatigatum eſſe aſſiduo gemitu & ſuſpiriis, quæ perpetui ſunt dolorum animi comites: & quo magis crebra ſunt, eo maiorem dolorem arguunt. Deinde tantam ait ſe fudiſſe copiam lacrymarum, vt lectum ſuum non tantùm rigarit, ſed etiam natare fecerit. Hæ locutiones quanquã videntur hyperbolicæ: tamẽ exiſtimandũ eſt, non ſine cauſſa his verbis vti voluiſſe Spiritũ ſanctum. Voluit enim hoc exemplo nos docere, in omni vera ad Deum conuerſione, debere eſſe veros & non ſimulatos dolores ex ſenſu iræ Dei, vultque nos cohorreſcere toto pectore propter peccata: non vult nos ſecurè contemnere iudicium Dei, quemadmodum mundus facit: ſed aſſiduè cogitare de ira Dei aduerſus peccata. Ea verò quo magis cernitur, & quo maior eſt formido æternæ damnationis & abiectionis, eo maiorem neceſſe eſt exiſtere dolorem in homine: & Dauidem, qui typus fuit Meſſiæ, præ aliiſ guſtare hos dolores oportuit: non igitur mirum quòd talibus verbis vtitur. Tertiò, dicit externam faciem inter ipſos dolores prorſus amiſiſſe ſpeciem ſuam, vt iam conſenuiſſe videatur. ſolet enim mœſtitia exhaurire omnem ſuccum corporis: & ſicut Salom. inquit, Prouerb. 25. Sicut tinea veſtimentum, aut vermes lignum, ita triſtitia cor viri exedit. Fit igitur vt exhauſto ſucco, cutis contrahatur & corrugetur, præſertim in facie. Quare & Heſiodus dixit: αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι: In doloribus & calamitatibus homines citò ſeneſcunt.

Per ſingulas noctes] Hęc verba oſtendunt hunc dolorem fuiſſe diuturnum, & diu luctatum fuiſſe Dauidem antequam emergeret.

Perdurabit] Scilicet illa corroſio, quaſi dicat: Ita faciẽ deformauit ille dolor, vt iam conſenuiſſe videar. Omnis animi dolor ſtatim ſe prodit in vultu: perit enim nitor ille qui priùs aderat, & contrahit facies pallorem ſeu colorem luridum, qui index eſt doloris animi. ſed ſuperato dolore, cùm animi ſe collegerunt, redit plerumque nitor ille, & reſtituitur vigor corpori. ſed hic dolor tantus fuit, & ita faciem deformauit, vt poſtea ſemper maneret cadaueroſa. hoc ſignificatur verbo Hebr. quod variè ab interpretibus eſt expoſitum.

Propter inimicos] Scilicet qui mihi inſultant, & lætantur mea calamitate: nam ea res etiam mihi auget dolorem.

9 Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam audiuit Iehoua vocem fletus mei.

10 Exaudiuit Iehoua deprecationem meam: Iehoua deprecationem meam ſuſcepit.

11 Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: euertantur, pudefiant ſubitò.

Hæc eſt altera pars huius pſalmi: in qua poſtquam dolores ſuos exonerauit, & quaſi in ſinum Dei depoſuit, nunc ſe recolligit, & nouam quaſi perſonam induens, gloriatur ſe eſſe exauditum à Deo, & quaſi ereptum ex inferis, ſentire in corde nouam vitam, & lætitiam in Deo acquieſcentem. Ita deſcribit alteram partem conuerſionis, quæ eſt viuificatio, in qua corda rurſus eriguntur, & accipiunt conſolationem.

Primùm autem alloquitur hoſtes, quos ait fruſtra ſibi inſultaſſe in ſua calamitate, qua eum ſperabant oppreſſum iri. Diſcedite, inquit, id eſt, nolite mihi inſultare ampliùs, & dicere quòd ſim à Deo abiectus: non enim ampliùs audio vel admitto has voces veſtras. ſcio enim me eſſe in gratia apud Deum, & ſentio conſolationem in corde: itaque facilè contemno veſtros clamores, quibus antehac me obtundebatis. Ter repetit idem membrum, affirmans orationem ſuã eſſe exauditam: vt oſtendat, ſe totum hoc beneficium liberationis Deo ferre acceptum.

Vocem fletus] Id eſt, quæ mixta fuit cum gemitu & lacrymis. Oſtendit quibus armis reprimendi ſint hoſtes Eccleſiæ, oratione ſcilicet & fletu. Quod igitur ſenex ille in Tragœdia, cùm calamitatibus obrutus eſſet, dicit, οὐδὲν ἰσχύω σοφὸν πλὴν δάκρυα, his in Eccleſia adiicere debemus preces. His enim omnium efficaciſſimè egeritur dolor, & noua remedia parantur, quibus malum non tantùm mitigatur, ſed prorſus tollitur.

Vltimus verſus habet imprecationem contra hoſtes Eccleſiæ, cum deteſtatione impiorum.

Erubeſcant vel pudefiant] id eſt, decidant omni ſua ſpe, non conſequantur quod optarunt. Id enim ſignificat pudefieri lingua Hebręa, *Das es einem nicht nach ſeinẽ vvillen gehet.* Prou. 14. Beneplacitum eſt regi ſeruus prudens, & iram eius accendit confundens ſeu pudefaciens, id eſt, qui non paret ipſius voluntati, ſed qui fruſtratur eius ſpem, *Der nicht nach ſeinem vvillen thut.* Ita Rom. 5. dicitur, Spes non confundit: id eſt, non fruſtratur ſperantem.

Conturbentur] Vbi ſcilicet viderint vota ſua non ſucceſſiſſe. Non dubiũ eſt quin multi ex aulicis auidè expectarint ipſius interitum, vt poſtea liberiùs viuere, & indulgere ſuis cupiditatibus poſſent. Oderant enim illa vincula pietatis & cultus diuini, quæ ſibi à Dauide iudicabant inicii. ideo ſuprà dicunt, Dirumpamus vincula eorum.

Verbum שׁוּב quando immediatè cum alio verbo conſtruitur, induit naturam aduerbij. Pſalmo 85. Nonne tu reuerteris, viuificabis me: id eſt, iterum viuificabis me. Ezech. 8. Et adhuc reuerteris, videbis maiores abominationes: id eſt, iterum videbis. Alij ſic reddunt: euertantur: id eſt, deſperent de ſuo propoſito.

PSALMI VI.

PARTES.

I. Petitio, cuius duo membra. 1. Mali, id eſt, iræ & flagellorum Dei deprecatio, 1. verſu. 2. Liberationis atque ſalutis petitio. v. 2. 3. 4. 5. cauſas petitionis admiſcet, à naturæ Dei miſericordis atque fidelis, & ſuæ infirmatis conſideratione petitas.

II. Con-

II. Conſirmatio cauſarum, à gloria Dei, quæ recordatione & celebratione nominis eius illuſtratur. v. 6. 7 & 8. Atqui obſcuratur hæc gloria ſi graſſantibus impiis, Dei ſerui ærumnis & morte obruuntur.

III. Concluſio per apoſtrophen ad inimicos, qua Dauid v. 9. & 10. fidei gloriationem & Dei veritatem atque clementiam conuiciis impiorum opponit, quibus deinde ex ſua liberatione excidium prædicit v. 11.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. Certamen omnium maximum ac periculoſiſſimum eſt, quũ pij homines ſic ab hoſtibus opprimuntur, vt etiã imprimis cũ peccato & morte, adeoq; ipſius iræ diuinæ ſenſu luctentur. Amariſſimi ſunt fructus peccati, tum corpus tum imprimis animam grauiſſimè vulnerantis.

Malè in ſuis ærumnis proficiunt, quibus non ſtatim occurrunt ſua peccata, vt ſe iram Dei promeritos fuiſſe ſentiant.

Non eſt nobis expoſtulandum cum Deo, quaſi infeſtus ſæuiat abſque cauſa: ſed dum arguendi & caſtigandi partes ei tribuimus, optare licet vt pœnis modum ſtatuat, nec iram exerat quæ interitum peccatoribus minatur & adfert. vide Ierem. 10. 24.

Reſident in ſanctis peccati reliquiæ: quamobrem etiam Deus illos interdum ſeueriſſimè corripit: & neceſſe eſt, quoties ſcelerum vltor apparet, horrore eos percelli.

Quoties morbis & aliis rebus aduerſis premimur, diſcamus ad hoc remedium confugere, vt Deo reconciliemur, quia minimè ſperandum eſt vt nobis bene ſit ac proſpere, niſi ipſo fauente. Vnde ſequitur, nunquam defore malorum congeriem, donec peccata nobis remittat propter Chriſtum.

3 Ad hanc gratiam ſeria deiectione animi & peccati agnitione Sancti deducuntur, vt fide & ardente aſſiduáque inuocatione, veniam in Chriſto, propter & per Chriſtum obtineant.

Quum hunc finem in pœnis ſumendis Deo propoſitum eſſe ſciamus, vt nos humiliet: ſimul ac eius ferulis ſumus ſubacti, eius miſericordiæ aperta eſt ianua.

Dei proprium munus eſt infirmos ſanare, iacentes erigere, fulcire debiles, mortuis denique vitam reſtituere: ideo ad petendam eius gratiam nobis ſufficit, ſi malis premimur.

Quicquid petimus à Deo bonorum, ſciamus ex fonte gratuitæ bonitatis fluere, & nos pœnis tunc eximi, poſtquã noſtri miſertus eſt.

Tam grauis & violenta eſt interior cordis anxietas, præcipuè in ingentibus calamitatibus & tentationibus, vt ſæpe totum corporis robur conturbet.

4 Quoties Dei auxilium vel gratia re ipſa non apparet, longè à nobis abeſſe videtur: vnde frequentes Dauidis & aliorum piorũ querelæ, ac ſi derelicti eſſent à Deo.

Hoc nobis pro ſua indulgentia concedit Deus, vt ipſum accelerare optemus ad opem nobis ferendam: vbi autem de mora conqueſti ſumus, ne votum noſtrum vel dolor vltra metas erumpat, permittendum eſt Dei arbitrio, longius tardanti quàm viſum fuerit.

5 In eo ſita eſt noſtra felicitas, ſi à Deo reſpicimur: quem putamus à nobis procul receſſiſſe, niſi effectu probet ſe curam habere noſtri.

Nunquã miſeriis ſuis remedium inueniẽt homines, donec proprijs meritis, quorum fiducia ſe decipiunt, abdicatis, ad gratuitam Dei bonitatem confugere didicerint.

6 Si quando Sancti mortis horrore perculſi viuere cupiunt in terris, non ſimpliciter mortem, ſed iram Dei, & quidem non vulgarem deprecantur, deplorantque hanc ſibi facultatem ereptum iri, quòd amplius inter homines non verſabuntur, vt Dei nomen celebrent.

Perperam ex hoc verſu quidam colligunt mortuos omni ſenſu carere: quia non niſi de mutua gratiæ Dei prædicatione agitur, in qua ſe viui homines exercent. Ideo enim in terris ſumus locati, vt vno corde & ore Deum celebremus.

Quum ſola Dei bonitas ſenſu percepta, os nobis ad eum celebrandum aperiat: vbi ablata eſt hilaritas, laudes quoque ceſſare neceſſe eſt. Nec mirum ſi ira Dei, quæ nos terrore abſorbet, laudes eius extinguere dicatur.

Quicunque Dei vltoris manũ ſibi aduerſam inſtare ſentiunt, metu ita obruuntur vt fere obſtupeſcant, & mortuis fiant ſimiles.

6 Triſtitia ex iræ Dei ſenſu procedens alias omnes ſuperat: & vt quiſque ſincerè Deo addictus eſt, eius ira duriùs percellitur.

Qui mediocriter experti ſunt quid ſit certare cum formidine æternæ mortis, in Sanctorum querelis, quibus iram Dei deprecantur, nullos exceſſus reperient.

8 Animi dolor facilè ad oculos penetrat, & illinc ſe maximè profert.

Etſi longo dolore pij aliquoties contabeſcant, tamen nunquam à Dei inuocatione recedunt.

9.10.11. Impiorum ea eſt conditio, vt inſolenter ſe efferant contra Dei filios, vbi cruce oppreſſos vident: & huc eos Satan impellit, vt ad deſperationem adigat fideles dum ſpem ſuam ludibrio haberi vident.

Gratia Dei pijs vnica eſt vitæ lux: ſimul ac autem aliquod iræ ſuæ ſignum dedit Deus, non modo expaueſcunt, ſed ferè demerguntur in tenebras mortis: rurſus vbi Deum propitium agnoſcunt, vita illis protinus reſtituitur.

Pij non fruſtra Deum inuocant: & ita ſtatuere oportet. ſi quem ex precibus noſtris fructum percipere volumus, nõ fuiſſe ſurdas Dei aures ad vota noſtra.

Nihil eſt in toto mundo quod non deſpicere liceat, ſi perſuaſi ſumus nos à Deo amari: nec humana mens ſatis expẽdere poteſt quid valeat paternus erga nos Dei amor.

Vbi deplorata videtur piorum ſalus, præter ſpem diuinitus ipſi ſeruantur: nam dum res confuſas in lætum ſtatum ſubitò Deus conuertit, eo magis illuſtrat & admirabilem reddit ſuam potentiam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1 De iræ Dei ſenſu vario & deprecatione.
2 De Laudabili & illaudato vitæ deſiderio.
3 Grauiſſimæ piorum Luctæ.
4 Irriti impiorum piis ſuperbè inſultantium conatus.
5 Effectus precum ex contrito & fideli corde manantium.

ARGVMENTVM PSALMI VII.

ARGVMENTVM huius pſalmi ſpendidè & copioſè expoſitum eſt à R. præcept. piæ memoriæ, Phil. Mel. vt nõ neceſſe ſit pluribus hoc loco id repetere. Vt autẽ rectius intelligatur pſalmus, legatur hiſtoria, cuius mentio fit in titulo, & quæ extat integrè deſcripta in 2. lib. Sam. c. 16. Cùm enim Dauid à filio ſuo Abſalomo eiectus & ſpoliatus eſſet regno, maxima pars populi à patre ad filium deficit, & erant multi qui patrem iuſtè plecti, & in exilium pelli dicerent: vt hoc modo plures Abſalomo conciliarent, ipſumque in ſcelere ſuſcepto confirmarent. In primis verò Semei nepos Iemini, de cognatione domus Saulis, non eſt veritus, Dauidi hinc inde oberranti, egredi in occurſum, & lapidibus eum petere additis inſuper conuitiis quibus exulanti inſultabat, eúmque deformare, & in odium apud eos qui ſocij adhuc erant exilij & ærumnarum, adducere conabatur. Obiicit autem ei cùm alia ſcelera varia nominans eum virum Belial, quod ſignificat hominem ſceleratum, & perditè flagitioſum: tum verò in primis crudelitatem, quòd vniuerſam familiam Saulis ſuſtuliſſet: & ſeditionem: quòd regnum per ſeditionem, ſpreto legitimo rege, inuaſiſſet & occupaſſet. Hæ calumniæ cum ipſius Dauidis, tum comitum animos vehementer vulnerarunt. Solent enim homines contumeliis magis moueri quàm aliis iniuriis: nec dubium eſt, quin ſimiles voces in caſtris Abſalomi ſæpe ſint exauditæ, vt odium in regem conceptum confirmaretur. Dauid autem, etſi iuſtam cauſam habuiſſe videtur animaduertendi duriùs in ſycophantam & calumniatorem: & hortatorem habuit Abiſai filium Seruiæ, vt eũ mox iuberet interfici, idemque conſilium interfecto iã Abſalomo repetiit: tamen repreſſit ſe tũc, nec obtẽpe-

rauit ſuo dolori aut iræ: ne tamen tacendo recipere in ſe quod Semei per odium obiecerat videatur, opponit hanc apologiam, in qua & de innocentia ſua teſtatur, & à Deo petit, vt ipſe potiùs has pœnas quas meritus erat Semei & cæteri hoſtes exequatur, & petulantiam ſycophantarum compeſcat. Quia verò adhuc in exilio vagabatur, & hoſtium furorem videbat eſſe impotentem & inſatiabilem: ſimul petit ſe reſtitui in regnum, & puniri rebelles & ſeditioſos. Et quia certam fiduciam concipit, ſe exaudiri, & iuuari à Deo: addit in fine triſtes comminationes, quibus interitum & exitium denunciat ſuis hoſtibus. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Cùm autem Dauid cum ſuis, quos circumducebat ſecum in exilio, typum gerat Eccleſiæ omnium ætatum, etiam ad reliqua tempora hæc ſunt accommodanda. Verſatur Eccleſia in hac vita in perpetuo exilio, nec habet diu fixā ſedem. interea verò cogitur ſuſtinere acerbiſſimas criminationes: quòd ſit ſeditioſa: quòd turbet pacem publicam, & cauſſam præbeat infinitis cædibus & calamitatibus. deinde, quòd doctrinam longo vſu temporis & autoritate ordinariæ ſedis traditam, receptam & confirmatam, conuellat & corrumpat. Itaque ſicut Semei lapides in Dauidem conijciebat: ita hoſtes Euangelij armis Eccleſiā obruere & delere conātur: ſedétque illa circundata leonibus crudeliſſimis & ſæuiſſimis. Vt autē Dauid criminationes ſibi obiectas, iuſta apologia refellit, quæ innocētiæ teſtimonia cōtinet: & conſcientia rectè factorum interea ſe ſuſtentat, & iniurias perfert, petens ſimul, vt Deus obſtruat & obduret ora calumniatorum, & reprimat iniuſtam vim tyrannorum: ita ſimiliter iiſdem armis noſtros ſycophantas & tyrannos refutādos & reprimendos eſſe ſciamus, confeſſione ſcilicet, tolerantia & oratione, qua innocentiam noſtram Deo tuendam commendemus. Ea enim ſunt remedia contra ſycophantæ morſus, contra quos alioqui nullum eſſe remedium ſapientes dixerunt: nec dubium eſt, quin pœnis, quas hoc loco ſuis hoſtibus minatur Propheta, omnium Eccleſiæ hoſtium tyrannidem ac ſæuitiam quocunque tempore ſit puniturus.

SChiggaion Dauidis, quod cecinit Iehouæ, ſuper verbis Chus filij Iemini.

שגיון profeſſio eſt innocentiæ, vel inficiatio calumniæ, non agnoſcētis crimina obiecta. שגה enim ſignificat errare, per ignorantiam ſeu incogitantiam aliquid agere ſeu peccare.

Alij שגיון volunt eſſe inſtrumentum Muſicum, in quo hinc inde oberretur digitis, dum pulſantur choreæ. Alij exiſtimant fuiſſe certam melodiæ, id eſt, cantici ſpeciem, vt ſi quis vel Sapphicum vel Phaleucium carmen dicat. Alij iudicant initium fuiſſe tritæ cantilenæ, ad cuius modos hunc Pſalmum decantari voluerit. Alij oblectationem vertunt, ſumpta occaſione ex dicto Salom. Prou. 5. In amore eius oblectabis te iugiter. Chaldæus paraphraſtes reddit interpretationem laudis דאודתא תורגמנא.

Chus filius fuit Cham, Gen. 10. à quo Æthiopia dicitur Chus, Gen. 12. & Chuſi Æthiops. Hinc volunt Semei Chus dictum, quòd eſſet ater & hoſtis Iſraelitarum, id eſt, Eccleſiæ. Quemadmodum apud Latinos niger accipitur pro reprobo. *Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.*

Filij Iemini] Semei. 2. Reg. 16. dicitur & filius Gera, & filius Iemini. ſed poſtea cap. 19. Gera dicitur fuiſſe huius pater & Iemini auus. Solet autem auus pro patre recenſeri. Alij intelligunt de Saule, qui & ipſe filius Iemini ſcribitur 1. Sam. 6.

2 Iehoua Deus meus in te ſpero: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera [*eripe*] me.

3 Ne diſcerpat vt leo animam meam: rapiat & non ſit liberator.

Primi duo verſus habent petitionem, vt liberetur ab inſidiis & iniuriis hoſtium ſuorum. Etſi autem initio omnibus ſuis hoſtibus hanc precationem opponit: tamen mox de vno quodam hoſte præcipuè loquitur, tanquam duce & anteſignano, cuius calumniæ eum magis vulnerent quàm aliorum omnium iniuriæ. Comparat autem eum ſæuo leoni, qui irritatus nulli parcit vel ſexui vel ætati, vel dignitati: vt crudelitatem atque immanitatē huius ſycophantæ depingat, qui non moueatur dignitate, aut tam præclaris meritis regis Dauidis, quominus à conuitiis acerbiſſimis & calumniis virulentiſſimis abſtineat. Simul etiam effectum calumniarum & conuitiorum notat, cùm ait diſcerpi his hominem, tanquam à leone crudeli & ſæuo ouiculā. Calūnia enim, vt Salomon inquit, turbat ſapientem, & frangit robur cordis eius.

חסיתי præteritum ſignificat continuum actum: non enim fiduciam iactat, à qua iam exciderit: ſed quàm adhuc conſtanter ſeruet in ſuis ærumnis.

Deus meus] Id eſt qui me curas, defendis, protegis, ſaluas. Ita initio fiduciam oſtendit, qua tanquam aggere oppoſito, omnes tentationum fluctus repellit ne fidem obruant.

In tertio verſu oſtenditur ratio petitionis: quia proximum ſit periculum, & magna ſit hoſtis crudelitas.

4 Iehoua, Deus meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

5 Si reddidi malum pacifico meo [*pacificè degenti mecum*] ſi ſpoliaui inimicum meū ſine cauſſa.

6 Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat, Selah.

Petitioni ſubiicit purgationem, in qua vtitur inficiatione. Affirmat enim, ſe falsò accuſari à Semei, de crudelitate, & de ſeditioſis conſiliis ac conatibus contra Saulem: & Deum ſuæ innocentiæ teſtem facit, addita imprecatione, ſi falſum dicat. Pepercerat Dauid vitæ Saulis, etiam cùm occaſiones interficiendi hoſtis eſſent oblatæ, nec voluit rapere regnum ſibi à Deo demandatum viuente Saule: ſed pertulit iniurias, eaſque publicæ tranquillitati condonauit toto tempore quo Saul vixit. In morte etiam eius magnum accepit dolorem, ſicut hiſtoria teſtatur. Etſi igitur Dauid non affirmat, ſe prorſus eſſe ſine labe aut peccato: (nam alibi ſæpe fatetur, ſe eſſe miſerum peccatorem: & hoc ipſo tempore exilij ſui agnoſcebat ſe propter ſua delicta iuſtè à Deo puniri) tamen quòd ad calumnias Semei attinet, affirmat ſe eſſe immunem à culpa: & hanc ſuam innocentiam ita oſtendit, vt propter hanc petat ſe ſeruari in periculis. Eſt enim hæc altera ratio petitionis, à Dauidis innocentia ſumpta, qua docet nos, vt acceſſuri ad Deum, de iuſtitia cauſſæ noſtræ ſimus certi: neque enim malæ cauſſæ patronus eſt accerſendus.

Hoc] Scilicet, quod per calumniam mihi atrociter obiicit Semei, & iam ita vulgò percrebruit. Nam de re nota, & quæ in ore eſſet toti populo, loquitur.

Si eſt iniquitas] Scilicet, quod ad hanc cauſſam attinet: hoc eſt, ſi inſidiatus ſum vitæ Saulis, & contra vocationem conatus ſum ſeditioſè inuadere regnum. Iniquitatem in manibus alicuius eſſe, eſt, rem iniquam moliri, ſiue perficias, ſiue non: hoc eſt, vbi non cogitatione tantùm aut corde ſtruitur malum, ſed accedit conatus. 1. Par. 12. Si venerit ad decipiendum me, cùm non ſit iniquitas in manibus meis, id eſt, cùm nihil vos læſerim, nullam iniquitatem admiſerim erga vos.

Si reddidi] Præter calumnias Semei, apparet Dauidi etiam hoc vulgò obiectum fuiſſe, quòd nimia dominandi & amplificandi regni cupiditate, alia bella ex aliis ſereret, & ſubditos perpetuis periculis expoſitos, nunquam quieſcere ſineret, quæ res facilè animum crudelem & fundendi ſanguinis cupidum argueret. Non enim dubium eſt, quin multi pertæſi bellorum, talia ſæpe dixerint, eóque faciliùs Abſalomo, quem pacificum fore ſperabant (id quod etiam nomen eius indicat) ſe adiunxerint, & alios ad eum adduxerint. Hanc calumniam quoque refutat hoc loco inficiatione.

Pacifico] Id eſt, pacem mecum colenti, non laceſſenti me iniuriis: huic ſi reddidi malum, id eſt, ſi quæſiui occaſionem vt homines pacis amantes bellis inuoluerem, aut iniuria afficerem. Alii reddiderunt: Retribuenti, id eſt, hoſti, qui malum pro bono rependit. Sed illa ſignificatio congruit huic verbo in ſecunda coniugatione, non in prima.

Si ſpoliaui ſine cauſſa] Id eſt, non laceſſitus iniuriis, aut prouocatus. חלץ in genere ſignificat eripere, abſtrahere, extrahere, *Etvvas abziehen*, quod fit etiam ſpoliando.

Gloriam meam] Id eſt, glorioſum nomen meum. hoc eſt, mortuum quoque afficiat omnibus probris: exuat me omni gloria rerum geſtarum: faciat vt nominis mei memoria ſit deſpecta apud omnes, ſicut ea quæ in terram abiiciuntur & conculcantur: pereat & ſepeliatur mecum memoria mea.

7 Exurge Iehoua in ira tua, & exaltare contra

tra

tra furores inimicorum meorum: & reſtitue mihi iudicium, quod mandaſti.

8 Vt ſynagoga populorum circundet te: & propter hanc in altum regredere.

Hæc verba, ſicut & titulus, oſtendunt, Pſalmum hunc conſcriptum eſſe à Dauide, cum exularet à regno. Petit enim vt repreſſis hoſtibus, à quibus oppugnabatur, reducatur in regnum, & priori dignitati reſtituatur. Cùm igitur, inquit, nullam aduerſus me iuſtam cauſſam habeant aduerſarij, ſed ex odio & maleuolentia hæc omnia confingant, & petulanter atque iniuſte me oppugnent: tu Domine, exurge in ira: hoc eſt, oſtende te vindicem mearum iniuriarum. Videtur Deus quaſi ſedere, & otioſus eſſe ſpectator iniuriarum quæ Eccleſiæ inferuntur, cùm non mox punit hoſtes, aut pro ſua ſapientia differt pœnas: contra vero exurgere dicitur, cùm tribunal iudicij ſui conſcendit, & ſe ad vindictam parat. Petit igitur ne diutiùs differat auxilium.

In ira tua] Id eſt, pœnis. Dicitur enim Deus iraſci, cum hoſtes ſuos deſtruit & euertit.

Exaltare contra furores] id eſt, oſtende te potentiorem eſſe omnibus hoſtibus, & tibi plus eſſe zeli & potentiæ ad nos ſeruandos, quam ipſis eſt iræ ad nos perdendos. Deus quidem perpetuò ſublimis eſt, nec eſt quod ad ipſius excellentiam addi poſſit: ſed non talis ſemper videtur hominibus. Nam dum pij premuntur in hac vita, dumque pelluntur in exilia, aut rapiuntur ad ſupplicia, aut contumeliis deformantur: videtur quodãmodo illa ſublimitas deiici. ſed rurſus eleuatur Deus in conſpectu piorum, dum ſuam excellentiam & maieſtatem in liberatione Eccleſiæ & pœnis hoſtium oſtẽdit.

Excita ad me iudicium] Id eſt, regnum penè euerſum, & multis modis conquaſſatum rurſus erige & reſtitue mihi, cui id initio commendaſti. Iudicium, ſynecdochicῶs ponitur pro tota gubernatione ſeu adminiſtratione regni: ea hactenus quandiu exulauerat Dauid, quaſi ſopita, fuerat intermiſſa. Ideo vtitur verbo excitandi. Deinde quod addit, Quod mandaſti: oſtendit, ſe non priuata ambitione, aut cæco impetu, aut prauo deſiderio impulſum id petere, vt reſtituatur: ſed ex mandato Dei, cuius authoritate & iuſſu regni adminiſtratio ſibi initio ſit demandata. Tota igitur ipſius oratio nititur verbo Dei: non proficiſcitur ex ſtultis affectibus aut cupiditatibus. Deeſt in hoc membro relatiuum אשר, quod eſt vſitatiſſimum in lingua Hebræa.

Vt cœtus populorum circundet te] Addit tertiam rationẽ à cauſſa finali. Ideo ait ſe petere hanc liberationem & reſtitutionem, nõ vt ipſe in regno otio & voluptatibus ſuis indulgeat: ſed vt Eccleſia hoc ſuo exilio diſſipata & diſiecta, & multiplicibus ſcandalis deformata, rurſus colligatur & exornetur, & cultus intermiſſi reſtituantur. ſciebat enim ſuam gubernationem fore ſalutarem Eccleſiæ, cui hactenus illa ſeditio plurimùm nocuerat. Hic finis propoſitus eſſe debebat bellis & victoriis principum. ſed quid fiat, res oſtendit, & deplorant omnes boni. Commodè autem Propheta, quod de ſe vult intelligi, ad Deum transfert: vt ſuam cauſſam cum Dei cauſſa cõiunctam eſſe oſtẽdat. Cũ enim hoc velit dicere, Vt populus circundet me, hoc eſt, rurſus confluat & coniungat ſe mihi, tanquam capiti & regi ſuo, méque tanquam corona cingat, qui hactenus me deſerto partim ad hoſtes defecit, partim latebras quæſiuit: ipſe potiùs ad Deum hoc transfert inquiens, Circundabit te: vt oſtendat, totam ſuam gubernationem directam fore ad gloriam nominis Dei: vt doctrina cœleſti animi ſubditorum imbuantur, & notitia Dei conſeruetur. Eodem ſenſu & hoc ſubiicit, quod ſequitur: In altum regredere. Cum enim velit dicere, in altum, hoc eſt, in dignitatem priorem repone me propter Eccleſiam: ſcitè transfert hoc ad Deum, vt plus ponderis habeat oratio. is verò, quandiu exulabat Dauid, ſimul quaſi deiectus de ſua maieſtate videbatur. igitur petit, vt in altum regrediatur, & reſtituto Dauide rurſus eleuetur.

9 Iehoua iudicat populos, Iudica me, Iehoua, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam [*integritatem meam*] ſuper me [*id eſt, quæ eſt penes me.*]

Repetit eandem precationem, vt Deus reprimat & vlciſcatur petulantiam & malitiam ſycophantarum, quò populus vniuerſus intelligat ſibi iniuriam fieri. Hæc enim præcipua eſt propoſitio in hoc Pſalmo. Vtitur autem nunc alio argumento, quod ducitur ab officio Dei. Deus, inquit, eſt iudex, cuius iudicio neceſſe eſt ſubiici & parere omnes populos totius orbis. Is enim & poteſtatem habet iudicandi de omnibus, & eius iudicia ſunt iuſta & recta. Deinde & exemplis oſtendit, ſe exequi hæc iudicia. nã dum punit totas gẽtes, fame, peſte, bello, & aliis calamitatibus, ea ſunt iudicia Dei, quibus declarat ſe odiſſe ſcelera hominum. Hominum verò iudicia ſunt varia & ſæpe iniqua: indulgent enim vel amori, vel odio, vel aliis prauis affectibus, interdum etiam errore abducuntur, vt à iuſtitia diſcedant. Quare inquit, nõ moror iudicia hominum, qui fortè à ſycophantis perſuaſi, nunc meam cauſſam improbant: ad Deum iuſtum, atque adeo omnium hominum iudicem, qui corda & renes ſcrutatur, prouoco: hunc fallere nemo poteſt. Tu itaque Deus, cuius iudicio ſe ſiſtere neceſſe habent omnes, iudica me ſecundum meam iuſtitiam, id eſt, defende me in hac cauſſa iuſta, in qua vides me iniquè opprimi aduerſariorum calumniis: ne ſinas, vt, quod in hominum iudicio ſæpe fieri ſolet, iniqua cauſſa vincat & præualeat. Loquitur enim hic propheta de iuſtitia cauſſæ, petens cauſſam ſuam, quæ cum gloria Dei coniuncta eſt, defendi: non loquitur de iuſtitia perſonæ, ſeu de propria munditie, de qua alibi dicitur: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, &c. Item, Saluum me fac propter miſericordiam. Cùm enim totius vitæ ratio à nobis exigitur, nemo poteſt, fretus ſua ſanctitate aut iuſtitia, prodire in conſpectum aut iudicium Dei: ſed vnicum eſt tunc aſylum in miſericordia Dei. Hic verò Dauid teſtimonium bonæ conſcientiæ in hac cauſſa, in qua iniquis iudiciis premebatur, allegat: nec facit hoc ex ſtolida quadam iactantia: ſed opponit hanc confeſſionem iuſtitiæ iniquis aliorum iudiciis. id quod neceſſe erat fieri: ne, ſi diutiùs res diſſimularetur, aliorum conſcientiæ periclitarentur.

10 Finiatur [*ceſſet*] quæſo malitia impiorum, & ſtabilias iuſtum: quia probas corda & renes, Deus iuſte.

Cohæret hic verſus cum præcedente. Petit enim vtrumque fieri hoc iudicio, & vt ipſius iuſtitia atque integritas in hac cauſſa nota fiat hominibus, & vt tandem ſycophantarum malitia puniatur & coerceatur: & allegat cauſſam cur ad Dei tribunal prouocarit: quia cùm ſit καρδιογνώστης, rectè iudicare de vtriſque poſſit.

Finiatur] Id eſt, ſit tandem finis calumniarum & iniuriarũ, faceſſant calumniæ & iniuriæ. Alij actiuè interpretantur verbum גמר, conficiat ſeu conſumat malum impios: & confirma iuſtum: id eſt, non ſinas eum diuexari & opprimi iniquis iudiciis maleuolorum: & ſtabili eum, hoc eſt, muni eum contra vim iniuſtam: vt in ſuo ſtatu firmus maneat, nec deiiciatur de ſua ſententia aut ſtatu, fractus multitudine aut maleuolentia contrariæ partis.

Quia probas renes] Id eſt, non, vt homines, iudicas ex verbis, vel externa ſpecie factorum: ſed habes perſpectos intimos affectus, cupiditates, conſilia, inſtituta & machinationes, vt nulla ſimulatio tibi imponere poſſit. renes coniungit cordi, non quòd ſint propriæ ſedes cogitationum & affectuum, ſed quòd ex viſceribus nullum ita ſit abſtruſum & reconditum, quódque in intimis receſſibus infimi ventris lateant: vt ſignificet, nihil eſſe tam ſecretum aut abſconditum in intimis viſceribus, quod non ſit Deo probè notum. Auguſtinus nomine renum intelligi ſcribit delectationes, ſicut nomine cordis cogitationes & conſilia.

11 Scutum ſuper Deum: qui ſeruat rectos corde.

Dixerat, Deum eſſe iuſtum, qui non patiatur opprimi pios in cauſſa iuſta: hinc erigit ſeipſum & confirmat animum concepta certa fiducia, quòd ſit habiturus defenſionem.

Scutum meum ſuper Deum] Id eſt, ſcio me defendi & protegi à Deo, atque adeo muniri tanquam ſcuto contra vim & inſultus hoſtium. Repetit autem rationem ſuprà recitatam ab officio iudicis, quia cùm ſit iuſtus iudex, ſeruat rectos corde contra iniuſtam vim, & iraſcitur omnibus ſceleribus pugnantibus cum ſua iuſtitia. Hac fiducia erectus & confirmatus non moror ampliùs iudicia hominum, qui perſuaſi à ſycophantis & calumniatoribus iniquiſſimè de me iudicant.

12 Deus iudicat iuſtum: & Deus iraſcitur quotidie.

Confirmat eandem ſententiam, de qua præcedente verſu diximus, amplificatam ab antitheſi. Non tantùm, inquit, defendit iuſtos: ſed etiam punit impios: iraſcitur enim quotidie ſceleribus, vel propter ſcelera: hoc eſt, punit homines ſceleratos, & quotidie pœnis ſuam iram aduerſus peccata declarat. Nam hæc ira debet eſſe in iudice, non illa qua perturbetur eius iudicium, vt quid verum ſit cernere non poſſit: ſed quæ ſit executrix iuſtitiæ rectè iudicantis. Ideo Valens Imperator dicere ſolebat, Eum qui ab ira facilè dimouetur, & à iuſtitia facilè dimoueri. & de ipſo Valente ſcribitur, quòd fuerit δυσμετάβλητος ταῖς ὀργαῖς.

Iuſtos nominat eos, qui non tam foris ſimulant aliquam iuſtitiam & vitæ ſanctimoniam, ſicut hypocritæ & illi ipſi ſycophantæ, cum quibus ipſi tunc erat negotium: ſed qui vera fide intuentur Deum, & accedunt ad eum fiducia miſericordiæ, & ſtudium habent tenendæ bonæ conſcientiæ, iuxta regulam Pauli, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam.

13 Si non conuerſus fuerit, gladium ſuum acuit: arcum ſuum tetendit [*calcauit*] & firmauit illum.

14 Et ſibi parauit inſtrumenta mortis: ſagittas ſuas in perſecutores parauit.

Hi verſus bifariam exponuntur. Aliqui enim ad impios tyrannos & perſecutores Eccleſiæ hæc referunt: vt ſit hypotypoſis, in qua, tanquam in viua imagine, crudelitas & impii conatus hoſtium depingantur. itaque illa verba, Si non fuerit conuerſus, ſic exponunt: Si perſeuerauerit in furore ſuo & ira, quam concepit aduerſus me & alios bonos. Alii hæc ex ſuperioribus pendere exiſtimant: quia enim dixerat Deum eſſe iuſtum iudicē, qui & bonos defendat, & ſceleratos puniat, nūc venuſta hypotypoſi, quaſi oculis hoc ſubiicit. pingit enim Deum ſe parare ad executionem ſui iudicii, arrepto polito gladio, & tenſo arcu, eóque iam ad certum ſcopum directo, ſagittis inſuper lethalibus & certò ad ſcopum collimantibus impoſitis. Hanc ſententiam iudico eſſe veriorem vt relatiuum in ידרכן referat vocem ם אלהים ſeu אל. Amplificat igitur propheta ſuperiorem ſententiam ab hypotypoſi, in qua pœnas & exitium minatur impiis hoſtibus & perſecutoribus Eccleſiæ Dei niſi reſipiſcant. Crebræ ſunt huiuſmodi figuræ & picturæ in pſalmis & prophetis, quia facilius penetrant, & vehementius feriunt animos quam nuda & ſimplex oratio.

Si non conuerſus fuerit] Subintelligunt, Impius. Sed imperſonaliter hæc dicuntur. Tertia enim futuri ſæpe apud Hebræos ponitur imperſonaliter. vt, menſuram dabunt, pro, dabitur menſura: & apud Ieremiam, 23. hoc eſt nomen, quo vocabunt, id eſt, quo vocabitur. Ita hic: Si non conuerſus fuerit, &c. Id eſt, ſi nulla facta fuerit conuerſio, *Vvird man ſich nicht endern oder vvenden, oder vvird das vveſen nicht anders oder geendert vverden*, ſi perſeuerauerint in impio ſuo conatu.

Et firmauit illum] *Hat in hart angelegt*, vt certiùs ſcilicet ad ſcopum collimare poſſit: non mouetur ille arcus in hanc vel illam partem, vacillantibus bracchiis: ſed rectà tendit ad ſcopum. Homines, qui habent tremulas manus, aut vacillantia bracchia, non poſſunt ita firmare arcum, vt in ſcopum rectè dirigatur: nutat enim huc atque illuc.

Vaſa mortis] id eſt, inſtrumenta mortifera.

In perſecutores] Hieronymus & alij pro gerundio poſitum arbitrantur verbum לדלקים ad ardendum ſeu comburendum, ac ſi dicas, ad eſſe adurentes, id eſt, ignitæ. Alij tamen malunt interpretari, Contra perſecutores. Significat enim דלק magno ardore & animo infeſto aliquem inſectari, ſi conſtruatur cum accuſatiuo: vel neutraliter abſque caſu, inſectationem pati. Inde poſtea fit, vt ſi conſtruatur cum nomine אש ſignificet inflammare, adurere: quia ignis perſequitur & corripit proxima quæque. Ardent autem & hoſtes Eccleſiæ Dei horribili odio & ira aduerſus Filium Dei & membra ipſius. Itaque non incommodè de perſecutoribus intelligi exiſtimo.

15 Ecce concepit iniquitatem: & prægnans eſt dolore & pariet vanitatem.

Sicut antè venuſta hypotypoſi pinxit Deum armatum ac inſtructum ad delendos hoſtes, & iam quaſi in procinctu ſtare vt pœnam infligat: ita nunc altera hypotypoſi, ſtultos & irritos hoſtium conatus deridens pingit, & certum ipſis interitum prædicit.

Ecce concepit] Verbum חבל propriè ſignificat obnoxium fieri alicui, *einem verhafft ſein*, obſtrictum alicui eſſe debito, vel ære alieno: vel pignore interpoſito. Nam & pignore dato redditur aliquis obnoxius. Vnde Cic. in Phil. Vitam & fortunas obnoxias iniuriæ, vocat pignora iniuriæ. Et Plaut. in Epid. Nihil obnoxias vocat, quæ non meruerant, ſiue commiſerant aliquid, vnde colligari deberent. Transfertur autem in ſecunda coniugatione, vel ad parturientium ὠδῖνας, quibus fœtus in vtero conceptus editur in lucem: vel ad concupiſcendi libidinem. Dicuntur autem liberi etiam apud Latinos pignora. Quint. lib. 6. cap. 2. Et notus eſt Ouidij verſus.

Dulcia ſollicitæ geſtabant pignora matres.

Comparat igitur cordis conſilia & machinationes, quas ſtruebant hoſtes Dauidi, vel nixibus parturientium mulierū, vel etiam libidini cupientium concipere: vt hoc loco verbum Hebræum nihil aliud ſignificare mihi videatur, quam magna nocendi cupiditate ardere; ſicut mulieres ardent deſiderio concipiendi fœtum. Quemadmodum noſtra ætate meminimus magnum quendam virum ſcribere ad ſuum amicum, maiore ſe deſiderio ardere perficiendi ſeditioſa ſua, quæ agitabat, conſilia, quàm puella procaciſſimæ libidinis viri appetat concubitum. Atque huc reſpexiſſe Apoſtolum arbitror, cùm inquit, Concupiſcentia poſtquam concepit, parit peccatum, Iacob. 1.

Prægnans eſt labore] Id eſt, perpetuò hoc agit & molitur, vt pios affligat, iiſque moleſtiam & periculum aliquod creet. Labor enim ſeu dolor hoc loco actiuè potius quàm paſſiuè exponi debet, ſicut & verſu 17. Nam, ſi paſſiuè intelligas, non de dolore, quem aliis afferre conantur, ſed de moleſtia, quam ipſi in ſuis calamitatibus experiuntur, erit vox עמל intelligenda.

הרה ſignificat geſtare vterum, quaſi dicas monticulum: nam הר mortem ſignificat, & extenditur à tempore conceptionis, vſque ad tempus partus.

Et pariet falſum] Aliud ſcilicet quàm cogitauerat. id eſt, Omnes illi conatus, machinationes, aſtuta conſilia, molitiones, etiam cum magna moleſtia ſuſceptæ, erunt vanæ & irritæ, & fruſtrabuntur ſpem impiorum: ſicut Ieſa. 26. inquit, Incredulos ventum parere, cùm ipſorum prauæ audaciæ non reſpondet euentus.

16 Puteum fodit & effodit eum: & cecidit in foueam [*quam*] fecit.

Confirmat priorem ſententiam alia ſimilitudine, qua oſtendit non tantùm irritos fore conatus, ſed ipſis autoribus pernicioſos. Eſt autem prouerbialis ſententia, ſæpe vſurpata in Scriptura, oſtendens, homines fraudulentos, ſuis technis, inſidiis & fraudibus tandem irretitos capi & euerti. Neque enim lex iuſtior vlla eſt (inquit ille) Quàm necis artifices arte perire ſua, Et congruunt hûc vſitata dicta Heſiodi,

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Item,

Τοὔργον ἀσεβέστερον τι ἐφ' κακὸν ἥπατι τεύχει,

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τις ἁλώσεται αἷσπερ ὑπῆρξεν.

Εἱμαρμένον μὲν κακῶν βουλευμάτων, κακὰς ἀμοιβὰς καρποῦσθαι βροτοῖς.

Quod dictum citat Plut. de legendis poetis. Exempla innumera ſuppeditant hiſtoriæ & quotidiana vita.

Et effodit] Nō ſatis eſt impiis malum per inſidias vtcunque parare & ſtruere: ſed toti in eo ſunt vt tale malum ſtruant, ex quo euadere non poſſint boni. Ideo non tantùm exſcindunt puteum, ſed etiam effodiunt. *Machen in vveit vnd tieffgnug*, ne vlla ſit ſpes euaſionis.

17 Reuertetur labor eius in caput eius: & ſupra verticem eius iniuria eius deſcendet.

Quod antea figuratè dixerat, nunc ſine figura explicat: quod vſitatum eſt in pſalmis.

In verticem deſcendet] Non dicit, aſcendet, quanquam vertex ſupremum ſit in homine: quia iniuria illata ab improbis, primùm aſcendit in cœlum, ſicut Chriſtus inquit ad Saulum, Quid me perſequeris? deinde rurſus à Deo, iuſto vindice, deſcendit, & demittitur in verticem autorum. Repetitio eiuſdem ſententiæ ſignificat certitudinem vaticinij ſeu comminationis.

18 Celebrabo Iehouam, ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Iehouæ altiſſimi.

In fine addit gratiarum actionem: quanquam enim adhuc verſabatur in periculis, & videbat hoſtes nihil remittere de ſuo furore & pertinacia: tamen certò ſtatuit & credit, ſe & hactenus clementer ſeruatum eſſe inter iſta pericula, & deinceps quoque ſeruatum ac liberatum iri. ideo gratias agit Deo, à quo hactenus à morte ſit ſeruatus, & deinceps quoque gratum ſe fore promittit.

Secundum iuſtitiam eius] Id eſt, pro iuſtitia eius, vel propter iuſtitiam eius, quòd ſcilicet me ſeruat, tuetur, defendit & protegit inter tanta pericula, & quòd tandem pœnas dignas ſumet ab hoſtibus. Ea enim eſt vera iuſtitia, quæ & bonos tuetur, & ſceleratos punit: qua de re dictum eſt Pſalmo 5.

PSAL-

PSALMI VII.

PARTES.

I. Exordium, apud Deum captans 1. Beneuolentiam à perſona Dei, & ſua, ſe ſeruum, & Deum Dominum ſuum agnoſcens. 2. Docilitatem, petens boni largitionem, & mali depulſionem, 2. v. 3. Attentionem, inimicos dicens inſtar leonum potentes eſſe in rapiendo; & crudeles in diſcerpendo; amicos autem paucos eſſe, vel certè impotentes, 3. v.

II. Deſcriptio luctæ ſpiritualis, reſpectu Dei & hominum. 1. Ex fide & ſpe Deum inuocat contra Semei & aliorum calumnias. Deinde pœnam ſibi ipſi ſtatuit, tum in genere, ſi fecit quod ipſi obiiciebatur, aut conſenſit interno motu, v. 4. tum in ſpecie, petens animæ, corporis, fortunarum & regiæ dignitatis euerſionem, ſi erga Saulem fuit iniuſtus, 5. & 6. verſ. 2. Dei auxiliũ præterea implorat aduerſus impios bellatores & parricidas. Petit regnum ſibi conſeruari, reſpectu perſonarum & rei ipſius. Perſonæ ſunt impii illi & Dei ſeruus. Res autoritas regia, Dauidi non ambienti à Deo per Samuelem commiſſa, v. 7. Cauſam ſubiungit, ædificationem Eccleſiæ, & Dei gloriam. 8. verſ. Quoniam verò hoſtes prætexebant inordinatam Dauidis ordinationem, petit, vt Deus iuſtus iudex, ſerui ſui innocentiam tueatur. verſ. 9. Cauſa petitionis, Iudicis eſt impios coercere, pios tueri. Ad iudicium requiritur prudentia in cognoſcendo, & iuſtitiæ aſſerendæ ſtudium. Hęc omnia in Deo ſunt, quippe qui cordium & renum affectus ſcrutetur, & ſit iuſtitia ipſa. 10. v. 2. Reſpectu hominum diuinam manum expoſcit, quâ homines in ſe confidentes potenter in ſe tuetur & vindicat. v. 11. qua impios coercet. hoc reſpectu Dei iuſtitiam & miſericordiam proponit in genere, v. 10. ſpeciatim verò v. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Miſericordiam inprimis, quòd minis illos ad pœnitentiam reuocare mauult, quàm ſubitò perdere, pœnęque formidine illos terret, tum præſentis, tum futuræ, quando iram ſuam velut arcum potenter intendit, & ſapienter dirigit, nec non ſupplicia iræ miniſtra parat, veluti tela, quò corpora transfodiat, & animas ſagittis ardentibus conficiat. Deinde iuſtitiam, impœnitentes dupliciter punientem: quorum iniquitas piis minimè noxia, impiis ipſis (peſſimis conſultoribus) allatura ſit exitium.

III. Concluſio, v. 18. quid ſeruus Dei (Eccleſiæ typus) facturus ſit demonſtrans. Celebrabitur, inquit, à me iuſtus, verax, & miſericors Deus, quod improbos puniens, in ſe ſperantem protegens & ex omnibus periculis iuxta promiſſiones ſuas eruens, nomen excelſum ſibi fecerit.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. Contumelioſis calũniis ſi quando fideles impetuntur, eiſq; nihil præſidij in legitima magiſtratus cognitione ſupereſt, poſſũt quidẽ corã Deo & hominibus defenſionem opponere: ſed ita vt uni Deo, ſeueriſſimo calumniantium vltori, innocentiam ſuam, citra turbidos vllos affectus, commendent.

In grauiſſimis etiam calumniis, quibus & fama & vita ipſa petitur, Dauidis & aliorum ſanctorum eximia animi moderatio nobis eſt retinenda.

Hæc vera eſt fidei noſtræ probatio, quum rebus aduerſis afflicti, in Deo tamen ſperare non deſinimus: contra noſtris precibus clauſa eſt ianua, niſi eam clauis fiduciæ aperiat.

Dei nomine, velut aggere oppoſito, tentationum fluctus repellũt pij, ne fidem ſuam obruant.

3 Impij dum more leonum in Dei ſeruos ſæuiunt, noſtrum eſt ardentiùs opem petere à Deo, qui haud dubiè propenſior erit ad auxilium ferendum: ſicuti hoc munus ſibi vendicat, miſeras oues è luporum faucibus eripere.

Eccleſiæ pericula plura & maiora ſunt quàm vt oratione cõprehendi poſſint: ſedet, vt Daniel, inter leones: ſemper vndique leo ille rugiens & lupi rapaces piis inſidiantur, Dei autem inuocatio eſt tutum nobis refugium.

4.5.6. Quoties ad Deum confugimus, danda in primis eſt opera, vt de cauſa noſtræ iuſtitia probe nobis ſimus conſcij: magna enim afficitur iniuria, ſi eum accerſere velimus malæ cauſæ patronum.

Contra peruerſos rumores, vnico Dei iudicio contẽtos eſſe oportet.

Nõ admodũ præclara virtus eſt, bonos & placidos amore proſequi, niſi in malis quoq; patiẽter ferendis moderatio & æquitas accedat.

Vbi quiſpiam nõ modò acceptas iniurias non retaliat, ſed malum beneficentia vincere conatur, verum ſpecimen diuinæ virtutis exhibet: atque hoc modo vnum ſe ex filiis Dei eſſe demonſtrat: quia non niſi à ſpiritu adoptionis talis manſuetudo procedit.

Quia ſæpe fit vt qui nos infeſtant prouocati fuerint à nobis, vel quia offenſi ardemus ſtudio vindictæ, indigni ſumus quibus Deus ſuccurrat: imò ianuam noſtra intemperies precibus noſtris claudit.

Sinceriter inimici etiam ſunt diligendi, & in pretio munera Dei habenda, quibus quum ne deploratiſſimi quidem omnino deſtituãtur, nulli erunt quibus non dilectio & reuerentia debeatur.

7 Dum ardent impij, & ad nos perdendos furoris ſui flammas proiiciunt, rogandus eſt Deus vt ipſe quoque incaleſcat, hoc eſt, re ipſa oſtendat non minus ſibi eſſe zeli & potentiæ ad nos ſeruandos.

Dormire videtur Deus quando auxilium ſuum differt: ideo piis precibus eſt excitandus, vt miſeros & omni ope deſtitutos tueatur.

Hæc nobis in precibus tenẽda eſt regula, vt vota noſtra formemus ad Dei voluntatem, 1. Ioan. 5. 14. Nec aliter ex fide concipitur oratio, niſi dum in primis reſpicimus quid Deus præcipiat, ne temere vel fortuitò proſiliant animi noſtri ad appetendum plus quàm licet.

Fidelibus cauendum eſt ne vocationis ſuæ metas excedant, ſi Dei præſidium ſibi adeſſe cupiunt.

8 Quando Deus pium aliquem liberat, non priuatim modò beneficium hoc confert in vnam perſonam, ſed commune multis populis documentum præbet iuſti ſui iudicij, vt oculos conuertant ad ſublime & conſpicuum eius tribunal.

Conſentaneum eſt vt Deus mundum in metu & reuerentia iudicij ſui contineat.

9 Quoties deſerti oppreſſiq; videmur, hoc nobis in memoriam redire debet, quia Dei eſt mũdum gubernare, nequaquam poſſe fieri vt munere ſuo ſe abdicet. Et inde colligere licebit, tutandæ noſtræ innocentiæ illi fore curam. Abſurdum enim eſſet, eum qui multis populis præeſt, hominem vnum & alterum negligere.

Quia perſonas Deus non accipit, non niſi ex cauſæ bonitate ſperandum eſt vt ſtet à parte noſtra, nobiſq; faueat.

Pij dum ſe hoſtibus ſuis comparant, non fruſtra ſe iuſtos eſſe aſſerunt. Vbi autem pro ſe quiſque ſanctorum in Dei iudicium prodit, longè diuerſa eſt ratio: quia tunc vnicum illis aſylum ſupereſt in miſericordia Dei. Vide Pſal. 143. 1. 2.

Mandatum Dei, 1. Tim. 2. 18, 19. fidei retinendæ deſiderium, veræ inuocationis praxis, ſpes auxilij & protectionis diuinæ, tranquillitas cordis, mitigatio & liberatio in calamitatibus, ſunt cauſſæ quæ nos ad tuendam conſcientiæ integritatem hortantur.

10 Deus iuſtos iniuſtè oppreſſos reſtituit & fulcit, vt conſtet eos diuinitus in ſuo ſtatu manere.

Calumniarum nebulæ aduerſus pios ſparſæ cogunt eos ſæpius cor & renes ſuos Deo in examen offerre.

Licet impij aliquoties mundi plauſum ferant, id nullius eſt momenti: quia mox ad Dei tribunal venturi ſunt, vbi non de titulis vel externo ſplendore operum, ſed de cordis integritate erit cognitio.

11 Precibus meditationes, exemplo Dauidis, ſunt admiſcendæ, quibus ad fiduciam animemur. Quantumuis enim alacriter ad Deum aſpiremus, ſtatim labaſcit vel ad languorem inclinat ardor noſter, niſi vires nouas colligat.

Qui ſententias ſibi ex communi pietatis doctrina ſuggerunt, fidem ſuam fouent atque etiam excitant.

12 Hac ſpe fideles ſe ſuſtentant, quòd Deus, rebus in mundo cõfuſis, diſcernit tamen inter iuſtos & impios: itaque à peruerſis hominum iudiciis ad eum prouocant qui falli nunquam poteſt.

Etſi non ſtatim iudicia ſua Deus exequitur, quia nullus dies præterit, quo non certis documentis probet, quæ permixta ſunt in mundo, à ſe diſcerni: fixũ hoc manet, nunquam eũ ab officio ſuo ceſſare.

13.14. Malum conſilium conſultori tandem fit peſſimum: & dũ lento gradu ad vindictam ſuorum diuina procedit ira, tarditatem illam ſupplicij grauitate compenſat.

Impij ſuis artibus pereunt, & Dei manus armant pœnis fatalibus, quibus tandem obruuntur.

Dei iudicia impiis ſunt ineuitabilia, & quantò magis in ſanctos

ſæuiunt, eò magis acuitur ira Dei, quam nullo pacto effugient.

15.16.17. *Quoties videmus impios de nobis perdendis conſilia coquere, nobis in mentem veniat ipſos ſibi mentiri. Cæterùm patienter feramus, ſi vſque ad partum non appareat fruſtratio.*

Non tantum ſucceſſu carent impiorum machinationes, ſed mirabili prouidentia Dei vertuntur in contrarium finem.

Doloſi homines inſidiis ſuis ac fraudibus capiuntur; decétque necis artifices, arte ſua perire. Neque hoc fortuitum eſt; ſed malum quod innoxiis intendunt; Deus arcana manus ſuæ directione in eorum capita retorquet.

Si quando nos carnis libido ad lædendos proximos, vel ad prauum aliquod facinus inſtigat, ſuccurrat hæc Dei vltio, qui foueam aliis parant, in eam deiici.

18 *In hunc finem ſuos Deus liberat, vt ſacrificia laudis ei viciſſim rependant.*

Iuſtitiam ſuam Deus intus abſconditam non tenet, ſed eam profert in vſum noſtrum, dum nos contra omnem iniuſtam vim defendit, & ab oppreſſione liberat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Piorum principum, calumniis iniuſtoque bello impetitorum, refugium.
2. Inuocationis diuinæ multiplex vſus & efficacia.
3. Cauſæ iuſtitia variis lapſibus perſonæ reſipiſcentis non tollitur.
4. Veræ patientiæ, & charitatis characteres.
5. Precum Deo acceptarum regula, nempe fide à promiſſione pendens, quæ nos intra vocationis noſtræ limites contineat.
6. De Dei iuſtitia & iudiciis ineuitabilibus.
7. Bonæ conſcientiæ fiducia & gloriatio: malæ autem confuſio horrenda.
8. Vani & noxij ipſis impiis conatus, quibus pios perdere cogitant.
9. Liberationum noſtrarum finis, celebratio nominis & gloriæ Dei.

ARGVMENTVM PSALMI VIII.

HVNC Pſalmum nonnulli interpretes ad creationem hominis accommodant. Cùm enim dignitatis & gloriæ, qua ſunt homines diuinitus ornati, mentio hic fiat, exiſtimant eam rectè tribui creationi, in qua homo, ad imaginem Dei conditus, conſtitutus eſt dominus ſuper omnes creaturas: hancque Dei bonitatem, qua vſus ſit erga genus humanum in creatione, cõmendari & celebrari hoc pſalmo affirmant. Sed, quia Chriſtus Matth. 21. ipſe de ſuo regno hunc pſalmum interpretatur, & autor epiſtolæ ad Hebræos, c. 2. penè integrum pſalmum citans, ea verba, quæ alij ad creationem accommodant, de futura gloria, qua in altera vita Eccleſia ornabitur, intelligenda eſſe oſtendit: horum autoritatem ſequi nos in interpretatione, optimum & tutiſſimum eſſe nemo eſt qui non intelligat. Continet igitur hic pſalmus gratiarum actionem pro illo immenſo beneficio Dei, quo ſe generi humano patefacit, & voce Euangelij ſibi Eccleſiam colligit, à qua in omni æternitate agnoſcatur & celebretur: & quòd hanc Eccleſiam tuetur & defendit aduerſus multiplices inſidias & furores diabolorum. Et quanquam Eccleſia ſubiecta manet cruci & calamitatibus in hac vita, éſtque variis peccatis obnoxia, tamen tandem quantumuis oppreſſam liberat, & ornat æterna gloria: in qua nullas ampliùs experietur iniurias, vel à diabolis, vel ab vllis aliis creaturis. Hanc magnitudinem beneficij diuini exaggerans, & amplificans, vtitur collatione: confert enim ſtellas cœli cum homine. Eæ enim, quanquam ſunt pulcherrimæ creaturæ, & in ſuo ordine ac ſtatione ſemper permanſerunt: tamen non ſunt adeptæ illam gloriam quæ hominibus à Deo tribuitur: cùm quidem humana natura & imbecilla ſit, & variis peccatis obnoxia.

AD triumphandum ſuper Gittith canticum Dauidis.

DE TITVLO PSALMI.

In titulis pſalmorum magna eſt obſcuritas: propterea quòd plerique ad muſicam pertinent: cuius rei ratio nobis nunc non eſt nota. Sed quia ad rem ipſam parum faciunt, poſſunt iſta ſine periculo ignorari. Sũt autem de voce גתית variæ interpretum ſententiæ, Quidam enim cenſent nomen eſſe inſtrumenti muſici, quod in Gath oppido Palæſtinæ inuentum ſit. Quare & Chaldæus interpres expoſuit, citharam ex Gath aduectam. Sunt etiam qui inſtrumentum hoc muſicum ſic dici exiſtimant à forma, quæ torcular præ ſe ferat. Nam גת ſignificat torcular. Alij iudicant eſſe certum melodiæ genus, vel certè initium carminis cuiuſdam noti, & vulgo decantati, ad cuius melodiam pſalmus ſit decantandus, vt in Latinorum Eccleſiis ſunt toni, & in Germanicis cantilenis certæ melodiarum ſpecies. Alij exiſtimant גתית eſſe appellatiuum, & ſignificare torcular, atque hoc titulo inſcribi hunc pſalmum, & 81. & 84. quòd ad tempus torcularium, hoc eſt, vindemiæ, in quod incidit ferè feſtum tabernaculorum, caneretur: ſicut apud Græcos ληνώαιον & ἐπιληνώαιον, carmen, quod eo tempore decantaretur, appellauerunt. ſed, vt in re dubia & incerta, non interpono meum iudicium.

2 Iehoua Deus noſter, quàm magnificum [*amplum*] eſt nomen tuum in vniuerſa terra: quæ ponit gloriam tuam ſupra cœlos.

Orditur pſalmum ab exclamatione, in quam erumpit ex admiratione magnitudinis beneficiorum diuinorum quæ generi humano exhibentur. Nam conſiderans illam inæſtimabilem bonitatem Dei, quòd ex genere humano, miſero & ærumnoſo, ſibi Eccleſiam colligit, quam ornet æterna gloria, videt ſe magnitudinem iſtarum rerum verbis explicare non poſſe, omniáque illa captum humanum ſuperare: ideo exclamans, ait, Domine, quàm magnificum eſt nomen tuũ: hoc eſt, quòd te immenſa bonitate prodiens ex arcana ſede tua, patefacis generi humano, & voluntatem tuam in verbo oſtẽdis, ea res tanta eſt, vt non ſolùm ſenſus noſtri, velut attoniti, ad tantã rem obſtupeſcãt, adeóque ſint anguſti, vt nec verba inueniant, quibus hãc immenſã bonitatẽ tuã pro dignitate celebrẽt: ſed & terra tota anguſtior eſt quã vt harũ rerum magnitudinẽ capiat: quin potiùs præ magnitudine & amplitudine ſua, quaſi reſiliens à terra, à qua omnino non capitur, ad cœlos ipſos ſe extẽdit, eóſque cõplet. Ita hac exclamatione, & ſuam atque omniũ fidelium imbecillitatẽ in perpendenda Dei bonitate fatetur: & ſimul Dei φιλανθρωπίαν magis deprædicat & cõmendat, quã ſi lõgam orationẽ inſtitueret. Cũ enim verbis aſſequi tantas res non poſſit, fatetur tã multa de hac re ſibi in mentẽ venire, vt ſenſus omnes ad illas cogitationes obruantur, imò verò nec terrã ipſam amplã ſatis eſſe, vt capere tantas res poſſit. Nomen Dei eſt id quo ſe agnoſcendum præbet & patefacit generi humano. id autem eſt, verbum, & huic adiuncta opera, ex quibus qualis ſit cognoſcitur Deus.

אשר תנת] Enallage modorum, temporum, perſonarum, numerorum, crebra eſt in Hebræa lingua. Quæ dare, igitur, accipitur pro quæ dat ſeu extollit ad cœlos vſque: quaſi diceret, Non reſidet hæc gloria tua in terra, ſed extollitur vſque ad cœlos. nos enim quanquam celebramus te, tamen vix minimam partem tuarum laudum aſſequimur. ideo quaſi in cœlum reſultans tua gloria ab angelis quoque celebratur.

3 Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur propter aduerſarios tuos: ad faciendum ceſſare [*id eſt, ad compeſcendum*] inimicum, & vindictæ cupidum [*ſeu ſui ipſius vltorem.*]

Exclamationi ſubiicit narrationem ſatis mirabilem, & rationi humanæ prorſus abſurdam & ridiculam. Dixerat, nomen diuinum eſſe magnificùm in vniuerſa terra, & toto cœlo: hoc eſt, ex patefactione nominis diuini, paſſim agnoſci & celebrari ipſius magnificentiam & bonitatem immenſam, quòd illa Maieſtas ita ſe demittit, vt hominibus ſe patefaciat, & ſua bona communicet. Ea enim re nihil maius cogitari aut concipi animo à nobis poteſt. Nunc hoc ipſum explicaturus, orditur à narratione, quæ à iudicio noſtræ rationis prorſus aliena eſt. Eo ipſo quòd ſe patefacit generi humano, fundat robur: hoc eſt, conſtituit regnum firmum, robuſtum, & durabile, quod nulla vi humana aut diabolica euerti aut expugnari poteſt: hoc eſt, colligit ſibi Eccleſiam duraturam in omni æternitate, cui ipſe tanquam rex præeſt, quam regit, gubernat & defendit aduerſus iniurias hoſtium. Hoc verò nondum ita videtur abſurdum: ſed modus conſtituendi huius

huius regni, ſi rationem conſulas, eſt mirabilis. Regna in hoc mundo parantur & conſeruantur armis, potentia, viribus, prudentia & ſapientia in rebus gerendis, &c. horum nihil conſpicitur in Chriſti regno. imò quicquid eſt armorum, potentiæ aut virium in hoc mundo, id totum conuertitur ad hoc regnum expugnandum & euertendum. Quibus igitur vtitur mediis ad conſtituendum hoc regnum? nulla, inquit, re, niſi ore, & quidem infantium & lactentium: hoc eſt doctrina ſparſa per tales homines, qui neque viribus pollent, neque ſapientia vlla videntur eſſe præditi: ſed qui infantibus & lactentibus ſimiles ſunt. Vocẽ enim lactentium adiicit infantibus, ad intendendam extenuationem, & vt Eccleſiæ imaginem euidentiùs ob oculos ponat. Tale igitur eſt hoc regnum, prorſus diuerſum à regnis mundanis. Hic verò multiplex doctrina continetur.

I. Quòd Eccleſia in hac vita colligatur, non armis, nec regatur ſapientia politica: ſed tantùm voce, quæ ſonat in miniſterio, & quòd hoc regnum tantùm conſiſtat in verbo.

II. Quòd vox miniſterij non ſit ſonus temere in aerem ſparſus, qui mox ſic euaneſcat, vt nihil efficiat, ſed quòd Deus per hanc vocem ſit efficax, & conuertat hominum corda ad ſe. eſtque teſtimonium hoc manifeſtum contra Suenckfeldianos, qui reiiciunt vocem externam.

III. Oſtendit, quales eſſe debeant hi, qui regnum hoc conſtituunt & ædificant. Primò, ſint inſtructi ore, voce & doctrina: hoc eſt, nihil aliud ſonent quàm doctrinam à Deo traditam & patefactam. deinde, infantibus & lactentibus ſint ſimiles: hoc eſt, perpetuò hauriant lac cœleſtis doctrinæ, quo & ipſi confirmentur, & alios confirmare poſſint. tertiò, non reſpiciant ad humana conſilia aut mundana præſidia: ſed ſicut infantes & lactentes ab vberibus matris, ita ipſi à ſolo Deo pendeant. Nam humana ſapientia aut potentia adeo non prodeſt Eccleſiæ, vt etiam plurimùm officiat, atque adeo hoſtiliter eam oppugnet.

IIII. Sciant ſe perpetuò eſſe infantes & balbutientes, & nunquam ſe exhaurire doctrinam, ſed tanquam balbutientes primas voces ſonare.

V. Non offendantur infirmitate ſua, vt cœptum opus deſerant: ſed ſciant Deum infirma mundi elegiſſe, vt per ea res quàm maximas efficiat.

Hæc primo loco obſeruanda ſunt in verbis: Ex ore infantium & lactentium. Sequitur regni deſcriptio.

Fundaſti robur] עוז in ſcriptura ſignificat regnum firmum, munitum, durabile, μεταληπτικῶς, ſicut pſalmo 110. Sceptrum roboris tui. Hoc verò illud eſt quod admiratione & perpetua celebratione dignum iudicat, quòd miſera voce miniſtrorum, quæ non multùm diſtat à vagitu & balbutie infantium, tantas res efficit, vt regnum firmum & perpetuum conſtituat, quod nulla vi euerti poſſit, præſertim cùm hoſtes habeat crudeliſſimos, à quibus vndique magnis viribus oppugnatur, vt iam dicetur. Eſt igitur hoc loco dulcis conſolatio propoſita, neceſſaria cùm docentibus, tum diſcentibus in Eccleſia: ne fracti ſua imbecillitate, cùm videant ſe infantibus eſſe ſimiles, vel hoſtium potentia aut tyrannide, deſerant miniſterium, & abiiciant profeſſionem doctrinæ. Regnum enim hoc ita eſt fundatum, ac firmis fundamentis ſuperſtructũ, vt nullis vnquam viribus euerti queat. neq; eſt vnius ætatis aut ſeculi, ſed durabit perpetuò.

Sequitur deſcriptio hoſtium, quos pluribus verbis deſcribit, vt magnitudinem odij, & infinitam ipſorum rabiem pleniùs demonſtret: atque ita potentiam & bonitatem Dei magis illuſtret, qui tantis hoſtium viribus, tantæ ſapientiæ & potentiæ, tam imbecillia arma opponens, tamen vincat & ſuperior euadat. Primùm inquit in genere, Deum voce miniſtrorum in conſtituendo hoc regno vti propter aduerſarios ſuos: hoc eſt, ideo vti inſtrumento ſeu organo tã vili & abiecto, in tanta re perficiẽda, vt aduerſariorũ potentiam & vires magis confundat. Nihil videtur magis abſurdum rationi, quàm diaboli & totius mundi viros ſola voce docentiũ deſtrui & euerti, & tamen quia id fit, maior eſt ignominia hoſtis deuicti.

Aduerſarios autem nominat, primùm ipſos diabolos, qui odio inexplebili ſæuiunt in Deum, & ipſius Eccleſiam. Hic verò nominantur צוררים coarctatores, anguſtatores, qui ceu carcere concluſum & in ſuam poteſtatem redactum genus humanum, propter peccatum, omnis generis tormentis excruciant, premunt, affligunt. deinde intelligit reliqua ipſorum organa: quòd aſſiduè impelluntur à diabolo, vt in vera membra Eccleſiæ ſæuiant igni, ferro, carceribus, & omni genere tormentorum: & quidem illi ſunt præcipui hoſtes, qui non ſunt infantibus ſimiles: ſed tument perſuaſione propriæ ſapientiæ & iuſtitiæ. Deinde addit in deſcriptione:

Vt compeſcas inimicum] Dicitur diabolus אויב propter ſummã alienationẽ voluntatis à Deo, & propter immane odium aduerſus Deum, & homines. Et quia ipſius organa ſimiliter affecta ſunt, etiam dicuntur אויבים. vocabulum igitur אויב hic collectiuè vſurpatur.

III. מתנקם Hoc vocabulum non tantum hoſtile odium uotat, ſed ardentes flammas, perpetuum & inquietum animi æſtum, ſtudia & conatus perpetuos in diabolo, quærente ſubinde nouas vias & modos, quibus ſe vlciſcatur, Deóque & ipſius organis inſultet & illudat. quòd enim à tam vili exercitu vincitur, eam ignominiam conatur perpetuò vlciſci: ideóque nihil non tentat, quo Deo & ſuis ægre faciat. ſignificatur & crudelitas in hoſte, & faſtus verbo vlciſcendi. Nam hi affectus perpetuò comitantur eum qui vindictæ cupidus eſt.

4 Cùm video cœlos tuos opus digitorum tuorum: lunam & ſtellas quæ firmaſti [*dico*:]

5 Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quod viſitas eum?

Amplificat bonitatem Dei, colligenti Eccleſiam ex miſera maſſa generis humani, & ſeruantis ac ornantis eam perpetuis bonis, à collatione: Si aſpicias, inquit, cœlũ & pulcherrima illa corpora cœleſtia, videbis lucidis illis corporibus nihil eſſe pulchrius aut admirabilius: in quibus perpetua Dei ſapientia & maieſtas relucet: cũ, quòd lumen perpetuò ſpargunt, tum verò quod motuum leges ſibi præſcriptas, perpetuò & conſtanter ſeruant, & ſuum miniſterium fideliter obeunt & exequuntur. econtra verò ſi hominem conſideres, nihil eſt eo miſerius aut fragilius.

Primùm enim contaminatus & pollutus eſt variis vitiis & peccatis, quibus Deum offendit, & ordinem à Deo inſtitutum turbat & violat: deinde variis ærumnis, miſeriis & calamitatibus in hac vita conficitur: tandem & morti eſt obnoxius: vt nulla creatura magis ſit miſera & afflicta. Quòd igitur hanc miſeram maſſam generis humani magis curat quàm illa pulcherrima corpora cœleſtia, quibus hic mundus aſpectu nihil habet pulchrius, aut præſtabilius: quódque in vnum hominem tantum operæ & ſtudij impendit, vt eum ab exitio retrahat, & ſupra alias creaturas ornet: an non ſummum hoc eſt bonitatis diuinæ & φιλανθρωπίας argumentum? an ſatis celebrari vnquam magnitudo horum beneficiorum poteſt?

Talis eſt collatio in his verſibus, in qua quaſi duo extrema inter ſe confert: nobiliſſimas cœleſtes creaturas, & calamitoſum & ſordidæ atque abiectæ conditionis animal, quod homo dicitur, vt ita bonitas Dei fiat conſpectior.

In quarto verſu elliptica eſt oratio: ſubintelligenda enim ſunt hæc verba: mox ſubit animum hæc cogitatio: aut ſimile aliquid. Alij quartum verſum à quinto diuellunt, & de effectu huius regni interpretantur. Regnum hoc in terris conſtituitur à Deo, vt poſtea videamus cœlos æternos in quibus fruamur conſuetudine æterna Dei, liberi à peccatis, à morte, à tyrannide diaboli. Sed prior ſententia videtur eſſe ſimplicior. manus & digiti & cætera membra corporis humani tribuuntur Deo συμβολικῶς ſeu ἀνθρωποπαθῶς. manus & digiti ſignificant efficacitatem qua Deus omnia perficit: nam & nos illa quæ maximè nobis vſui maximéque clara ſunt, manibus abſoluimus. Cùm autem vellet oſtendere Propheta, quàm expedita promptáque ſit efficacitas Dei, quámque artificioſa eius ſint opera, cœlos non manuum, ſed digitorum eius opera dixit eſſe.

Firmaſti] Id eſt, ſuum cuique locum attribuiſti, & certas leges motuum præſcripſiſti, quas non tranſgrediuntur.

Viſitas eum] Scilicet oppreſſum ærumnis, calamitatibus & peccatis vt medicam manum afferas. Viſitare, hoc loco eſt, alicuius rationem habere, curam diligentem agere, omnis generis beneuolentiæ officia præſtare: ſicut Matth. 25: Infirmus fui, & viſitaſtis me: id eſt, præſtitiſtis mihi varia officia: Item, Non cognouiſti tempus viſitationis tuæ. non enim ſignificat tantùm id quod nos Latina lingua dicimus, inuiſere. eſtque duplex Dei viſitatio, altera gratiæ, altera iræ. gratiæ viſitatio eſt: cùm dat verbum gratiæ, & bonis omnibus nos accumulat.

5 Et [*quanquam*] feciſti eum pauliſper deficere à Deo: ſed [*tamen*] gloria & honore coronaſti.

Primùm amplificat miſerias generis humani. deinde opponit liberationem. Homines, etſi ſunt variis ærumnis & calamitatibus obnoxij, vt rectè dixerit Solon apud Herodotum, πᾶς ἄνθρωπος συμφορή: tamen nullum maius malum eſt quàm quod hoc loco deſcribit pſalmus, Quòd videlicet homo, oppreſſus peccato, caret Deo, nec ſentit conſolationem in corde, qua ſe ſuſtentet aduerſus terrores mortis & inferorum, quódque neceſſe eſt eum opprimi his doloribus, & in æternum perire, niſi Deus eum rurſus indè extrahat, ſicut ſequi-

tur. Cùm igitur de miſeriis generis humani dicendum eſſet, omiſſis aliis calamitatibus quæ nihil ſunt collatæ ad hoc malum, hoc vnicum recenſet, quo reliqua comprehendere voluit. Eſtque hæc ſimpliciſſima ſententia: quanquam hominem conieciſti ſub peccata, quæ eum abs te auulſerunt, ita vt deſtitutum tua gratia, tua ope & auxilio, neceſſe fuerit perire funditus: tamen tanta eſt tua bonitas, vt non deſerueris eum, nec patiaris extingui in his doloribus: ſed porrigis ei manum, extrahis eum, reddis ei vitam & lætitiam, & poſt hanc vitam ornabis eum æterna gloria. Hinc verò ſumma bonitas tua conſpicitur, quæ nunquam ſatis laudari poteſt. Sic Adam oppreſſus peccato in paradiſo, caret Deo, fugit Deum, tanquam iratum: ſed non manet in morte. Deus enim voce ſua retrahit eum. Ita & alij in Eccleſia ſimiliter eripiuntur, oppreſſi peccatis & calamitatibus.

Alij qui ad creationem hunc pſalmum accommodant, paulo aliter primam partem huius verſus interpretantur. Feciſti eum paululum deficere à Deo, id eſt, penè feciſti eum Deum: penè pari honore tecum eum conſtituiſti, quando eum creaſti ad imaginem tuam: vt dictio מעט non ad temporis, ſed diuinitatis diminutionem referatur. Sed dixi antea, nos in interpretatione ſequi autoritatem Chriſti. Autor Ep. ad Heb. cap. 2. hæc verba ותחסרהו ▭מאלהים ותחם quæ in genere de omnibus mēbris Eccleſiæ dicta ſunt, ad vnū Chriſtum accommodat, tanquam ad caput. nam is quoque ſenſit hos dolores & hoc malum, quòd deſertus eſſet à Deo: & quidem magis quàm vlli alij homines. Id quod voces eius triſtiſſimæ, quas edidit in cruce, oſtendunt: Deus meus, Deus meus, quare me deſeruiſti! Oportuit enim Chriſtum per omnia nobis fieri ſimilem excepto peccato: ideo ea quæ de toto corpore Eccleſiæ dicuntur, rectè ad Chriſtum accommodantur. ▭מאלהים Chaldæus & Græci reddiderunt, ab angelis, quaſi penè ſimiles ſint angelis.

Coronabis] Metaphoriè, pro ornas, decoras, veſtis: gloria, ſeu regia dignitate ornas eum: id eſt, reſtituis vitam & iuſtitiam abolitis peccatis, & deſtructa morte, ei qui antea iacebat oppreſſus æterna ſeruitute & ignominia: & honore, id eſt, facis eum conſortem diuinæ naturæ, ſicut Petrus inquit, quo non poteſt maior gloria contingere hominibus: ſed hæc gloria filiorum Dei plena & integra conſpicietur in altera vita: nunc in hac vita primitias tantùm, atque adeo leuem quendam harum rerum guſtum percipimus.

7 Conſtituiſti eum dominatorem ſuper opera manuum tuarū: omnia poſuiſti ſub pedibus eius.

8 Oues & boues omnes: etiam beſtias agri.

9 Volucres cœli & piſces maris: tranſeuntem [*Id eſt, quicquid tranſit*] ſemitas maris.

Expoſitio eſt prioris ſententię. Et primùm de Chriſto, tanquam de capite, intelligatur: hic deuicta morte, & deſtructo peccato, & euerſa potentia diaboli, conſtitutus eſt rex & dominus ſupra omnia, exaltatus in ſuo regno ſupra omnes creaturas. eius verò dignitatis quæ accedit capiti, omnes qui capiti adhærent, ſunt participes. Itaq; dominātur fideles creaturis omnibus, vt nec diabolus, nec tyranni, nec imperia, nec ſæuæ belluæ nocere ampliùs Eccleſiæ poſſint. ſed in hac vita, dum adhuc militat Eccleſia, aliquantiſper eſt iniuriæ & tyrannidi malorum obnoxia: at in altera vita perfectè liberabitur, eritque lætitia eius perpetua. Nunc ius habet ad rem, vt loqui ſolent in ſcholis.

Omnia ſubieciſti] Hanc ſententiam Paulus reſtringit. 1. Cor. 15. haud dubiè præter eum qui omnia ſubiecit ei. Omnia enim, intelligitur de rebus creatis.

Oues & boues] Amplificatio eſt prioris ſentētiæ per diſtributionē. profert enim aliquot exēpla, quibus oſtendit, creaturas obſequia pręſtare hominib. Interim vero plura complectitur: Homo propter peccatū amiſerat dominiū animantiū in paradiſo: ſed per Chriſti obedientiam hæc dignitas non tantùm reſtituta eſt, ſed etiam aucta, acceſſione videlicet cœleſtis imperij, quod Adamo nondum erat traditum. Et quanquam hic in ſpecie recenſentur quædam animantia terreſtria: tamen, quia vniuerſaliter antea dixerat, Omnia poſuiſti, &c. oſtendit, fidelibus, tanquam membris ſui capitis, omnia tam cœleſtia quàm terreſtria ſubeſſe, eorúmque imperio iſta parere.

Hinc etiam ſumitur teſtimonium, quod confirmat libertatem Chriſtianam in vſu ciborum: id quod eruditè Lutherus hoc loco annotauit. Nam & Paul. 1. Cor. 10. ex dicto pſalm. 24. Domini eſt terra, &c. hanc doctrinam extruit, omnia eſſe manducanda quæ veneunt in macello.

10 Iehoua, Dominus noſter, quàm glorioſum eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

In fine repetit gratiarum actionem, à qua exorſus erat pſalmum. Hanc tuam immenſam bonitatem, qua vſus es erga genus humanum, nos læti prædicamus & tibi gratias agimus: quanquam tanta eſt, vt mente concipere, aut verbis aſſequi eam nequaquam poſſimus.

PSALMI VIII.

PARTES.

I. Exordium, laudis propoſitionem continens, v. 2. cum exclamatione & admiratione, Deum ſeſe laudabilem nobis exhibere infinita gloria in omnibus operibus, & ſupercœleſti atque immenſa in Chriſto Ieſu. In Chriſti eſſentia quidem Deus patefit, in nobis communicatione gratiæ eſt expoſitus, in arca legali Sacramentaliter exhibitus.

II Enarratio probans gloriam ſupercæleſtem Dei in terram eſſe expoſitam, à teſtimonio & ſenſu communi omnium, adeoque impiorum ipſorum, qui ab ipſis infantibus pertinaciæ ſuæ conuincuntur, v. 3.

III. Exornatio dictum de infinitis Dei laudibus exornans, per comparationem reliquæ vniuerſitatis, cœli, & corporum cœleſtium, cū hominis conditione: primùm quidem Chriſti vt capitis, deinde verò noſtra communi omnium, præſertim fidelium in Chriſto Ieſu: v. 4. & 5. Chriſtus igitur primū in ſe, & per ſe, ſecundò in nobis, & nos in ipſo: hic inquam homo & filius hominis qualis & quantus eſt, Deus bone! quantum ſubiectum decoris ſupercæleſtis tui! quantum magnificentiæ tuæ documentum!

IIII. Confirmatio, v. 6. ad quam pſaltes tranſit occupatione prophetica. Minor quidem Angelis factus eſt Chriſtus, caput Eccleſiæ, nempe propter mortis perpeſſionem. Sed 1. paulìſper hoc fuit, & ad breue tempus exinanitionis. 2. Deus ipſum mox euexit atque exaltauit in ſupercæleſtem gloriam. exaltauit autem 1. glorificando hominem mortalem in perſona ipſius Chriſti. 2. authoritatem poteſtatemque omnem in res creatas omnes ei tribuendo. Huius ſigna ſunt duo: 1. in cœlis, Chriſtus enim ſupra omnes cæleſtes & terreſtres ſedet ad dexteram Dei patris. 2. in terra, ſuis iuſtum dominium & vtile in creaturas omnes communicans. Horum ſignorum prius v. 7. poſterius v. 8. & 9. exponitur. Vide 1. Corinth. 15. 27. Hebr. 2. 6. &c.

V. Concluſio laudatiua, v. 10. ex 2. repetita ad maiorem emphaſin, vt pios ſecum magis ad Dei Optimi Maximi laudes celebrandas excitet.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1. 2. Inter illuſtria Dei beneficia, humano generi collata, duo maxima ſunt, creatio videlicet omnium hominum in Adamo, & inſtauratio electorum in Chriſto.

Pij dum hæc beneficia ſecum expendunt, ſenſus omnes ſuos abſorberi ſentiunt vel obrui, ideo exclamant rem admiratione dignam eſſe, quia verbis concipi non poteſt.

Communis omnium torpor hîc excitatur, ne immenſum Dei amorem, & innumera quibus fruuntur beneficia, parcè tantùm & frigidè ſuo more laudent: ſed potiùs neruos omnes intendant ad hoc pietatis exercitium.

Nomen Dei, celebris eſt eius notitia, quatenus ſcilicet ſe nobis patefecit: & ad opera aut virtutes ex quibus cognoſcitur, potius quàm ad eſſentiam referri debere videtur.

3 Paruuli & lactētes ſatis validi ſunt patroni qui Dei potentiā & pro-

& prouidentiam erga genus humanum aſſerant.

Quæ ſunt infirma, ignobilia & pro nihilo habita in mundo, & ea quæ non ſunt, elegit Deus, vt pudefaciat robuſta, & vt ea quæ ſunt aboleat: vt ne glorietur vllà caro coram eo, ſed confundantur inimici & hoſtes diuinæ gloriæ & veritatis, ita vt cum ſuis blaſphemiis & canino latratu turpiter confuſi iaceant.

Increduli non modò truculenti ſunt in homines, ſed veſana rabie ad Deum quoque oppugnandum ardent.

4.5. Tametſi in cæleſti machina incomparabilis Dei maieſtas refulget, ac meritò ſui intuitu detinet hominum oculos: peculiari tamen modo gloriam eius in tam benigno, quo homines proſequitur, fauore ſpectamus.

Mirificà Dei bonitas in eo elucet, quòd tantus opifex, cuius refulget in cœlis maieſtas, calamitoſum hoc & nullius pretij animal, hominem videlicet, ſumma gloria ornare, & innumeris opibus locupletare velit.

Nimis perperam Dei gratia abutuntur qui ex ſua præſtantia ſuperbiendi anſam arripiunt. eam enim haud adepti ſunt propria induſtria, nec meritò eam poſſident: quinimo ſua eos origo admonet, abiectis alioqui & ſordidis prorſuſque indignis eſſe collatam.

Quicquid in nobis honorificum cernimus, ad gratuitum Dei fauorem celebrandum ſenſus noſtros excitet.

6.7. Etſi homo, ſua vnius culpa ab eo præſtantiæ gradu excidit in quo fuerat conditus: ſuperſunt tamen adhuc illius dignitatis veſtigia, tum in eo quòd ſupra omnes beſtias eminet, & in eaſdem habet quandam vitæ & necis poteſtatem: tum in illa ſingulari prouidentia qua Deus humanum genus complectitur.

Alter ille ſtatus, in quem æternus Dei filius aſſumptam in vnitatem perſonæ naturam noſtram, poſt depoſitam eiuſdem infirmitatem euexit, vt eius dignitatis participes faciat omnes credentes (quibus etiam vnis hoc tribuit vt in hac vita præditi ſint veræ ſapientiæ lumine, & rebus in hoc mundo conditis bona conſcientia fruantur) verus eſt huius pſalmi finis, interprete ipſo Spiritu Sancto, Matth. 21.15. 1. Cor. 15.27. & Hebr. 2.8.

Quòd ratione præditi ſunt homines qua diſcernant inter bonum malum, quòd illis inditum eſt religionis ſemen, quòd mutua eſt inter eos communicatio ſacris quibuſdam vinculis aſtricta, quòd inter eos viget honeſti reſpectus, pudor, & legum moderatio: hæc nõ obſcura ſunt ſummæ & cœleſtis ſapientiæ ſigna.

Raro & incomparabili honore afficitur homo, quòd vice Dei in mundo tanquam ſuo iure dominatur: & quocunque flectat oculos, videt ſibi nihil ad vitam beatam deeſſe.

Si quid aduerſum eſt hominibus in cœlo vel in terra, inde oritur quòd iam collapſa eſt prioris ordinis integritas, ita vt humanum genus, poſtquam defectione Adæ diſſipatum eſt, non modò hac tã præclara & honorifica ſorte priuatum ſit, ac priori dominio non potiatur, ſed captiuum teneatur ſub deformi pudendáque ſeruitute.

Quanquam Chriſtus eſt legitimus cœli & terræ hæres, per quem recuperant fideles quod ipſis in Adamo fuerat ablatum, non tamen re ipſa plenam imperij ſui poſſeſſionem adiit. hoc ſolidè completum erit quando mors abolebitur in vltimo die.

8.9.10. Mirabili prouidentia Dei fit vt equi & boues hominibus ſua obſequia præbeant, vt ad eoſdem veſtiendos lanam producant oues, vt iiſdem alimentum ex propria carne omnis generis animalia ſuppeditent.

Quo magis viſibile eſt dominij humani argumentum, quoties vel cibo veſcimur, vel fruimur reliquis commodis, diuinæ gratiæ ſenſu nos decet magis affici.

Etſi Dauid tantùm in temporalibus Dei beneficiis ſubſidere videtur: noſtrum tamen eſt altiùs progredi, & inæſtimabiles cœleſtis regni theſauros, quos in Chriſto explicuit, & quæcunque ad ſpiritualem vitam pertinent dona, reputare, vt hæc conſideratio corda noſtra ad pietatis ſtudium accendat, nec torpere nos ſinat in celebrandis Dei laudibus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Laudum Dei argumentum, prima & ſecunda electorum Dei creatio.
2. Omnipotentia & ſapiens bonitas Dei in ore infantium variè elucet.
3. Hominis regenerati in Chriſto capite dignitas ſumma.
4. De legitimo & illegitimo vſu rerum creatarum.

ARGVMENTVM PSALMI IX.

AGIT in hoc pſalmo gratias Deo, quòd hactenus clementer ſuum populum defenderit, & ſeruarit inter varia pericula: & quòd repreſſis hoſtibus à quibus hic populus perpetuò oppugnabatur, oſtenderit ſibi curæ eſſe ſuum populum: ſéque iuſtum iudicem eſſe, qui iniuſtam vim & tyrannidem deteſtetur, & à ſuis propulſet: ſimul autem hortatur pios, vt ſuo exemplo diſcant agnoſcere & celebrare hæc beneficia diuina, ex quibus manifeſtè intelligant Dei præſentiam in ſuo populo. Quia verò ſubinde noui hoſtes aduerſus populum Dei inſurgebant, qui quieſcere eum non patiebantur: ideo ſuperiorum victoriarum commemoratione ſeſe & ſuos confirmat: vt deinceps quoque de ſalute ſua bene ſperent: & ſimul orat Deum, vt quod ante fecerat, ſemper deinceps quoque ſuam bonitatem & iuſtitiam in defenſione ſui populi, & euerſione hoſtium oſtendat. Hac precatione & commemoratione priorum exemplorum confirmatus, tantum fidei robur concipit, vt iam certus de ſua & ſuorum ſalute, interitum omnibus hoſtibus prædicat, & denuntiet, piiſque perpetuam defenſionem polliceatur. Continet igitur hic pſalmus dulcem conſolationem, neceſſariam omnibus temporibus. Semper enim Eccleſia in hac vita oppugnatur à variis hoſtibus, & deſtituitur armis & præſidiis humanis: & tamen interea ſeruatur, & defenditur diuinitus, ne deleatur: idque agnoſcere nos, & grato animo prædicare, commonefactos hoc exemplo, decet.

1 AD triumphandum Al-muth-labben cãticum Dauidis.

DE TITVLO.

עלמות לבן.

Inter pſalmorum titulos obſcuriores, hic præcipuus eſt, propter duas dictiones, quæ videntur eſſe deprauatæ. Ex Hebræis nonnulli priorem ſeiungunt, & duas in vnam eſſe contractas aſſerunt על מוא ſuper mortem. Sed illi ipſi deinde inter ſe diſſentiunt: nam ſequentem dictionem non ſimiliter interpretantur. Chaldæus Paraphraſtes ita tranſtulit. Super morte viri qui egreſſus erat de mediis caſtris, id eſt, Goliath, vt לבן poſitũ ſit pro לבין. Nam 1 Sam. 16. Goliath איש הבינים appellatur, eo quòd ſequeſter & intermedius inter vtrumque exercitum Iſraelis & Philiſtæorum fuerit, vt ſit pſalmus ἐπινίκιον de interfecto Philiſthæo. Sed hoc commentum facilè refutat hiſtoria. Fit enim hic mentio Zionis, cuius inhabitator dicitur Deus, & in cuius portis dicit Dauid ſe decãtare laudes Dei: cùm eo tempore quo Goliath cæſus eſt, Zion adhuc fuerit in manibus gentium. Alij cum Hieronymo ſic exponunt, Super morte, ſcilicet Abſalomi. Nonnulli ſuper morte Laben: atque hunc præcipuum aliquem ex ducibus hoſtilis exercitus fuiſſe contendunt. Alij Laben, inuerſione literarum pro Nabal poſitum exiſtimant, vt ſit ſcriptus contra ſtolidum maritum prudentiſſimæ fœminæ Abigail, ſummum hoſtem Dauidis, quem ita occultè perſtringere voluerit. Sed horum omnium opiniones, Grammaticæ peritus facilè & ſine negotio refutauerit. Nam dictionem עלמות vnam eſſe oſtendit Scheua, qua careret, ſi duæ eſſent. Deinde poſterior debebat holem habere & non ſchurek. Et Lyranus teſtatur, in nullis exemplaribus ſeiunctas ſe legiſſe. Sunt alij, qui Almuth pro vna voce legendum cenſent: nec tamen hi inter ſe conſentiunt. quidam enim prius nomen inſtrumenti muſici loco accipiunt, & alteram לבן pro nomine cantoris proprio, cuius mentio fit 1. Paral. 15. Alij pro initio carminis cuiuſdam celebris, ad cuius melodiam hic pſalmus ſit decantandus, accipiunt. Alij nomen עלמות appellatiuè accipiunt, & interpretantur, occultum. ſicut vulgaris habet editio, pro occultis filii, & ita Lyranus interpretatur. Nõnulli prius, pro iuuentute exponunt, atque in hac ſignificatione legitur pſalmo 48. Deducet nos velut iuuentutem. alterum לבן pro alba ſeu candida, quòd pſalmus ſit ſcriptus pro iuuentute cãdida, id eſt, Eccleſia quæ eſt pulchra & florens iuuentus. Quæ interpretatio etſi plauſibilis eſt, & argumento congruit: tamen, cùm לבן non congruat genere cum præcedente voce, videtur repugnare Grammatica huic ſententiæ. In re igitur dubia & incerta eligat quiſque quod volet, & ſuo fruatur iudicio: ſine periculo enim hic errabit.

2 Celebrabo Iehouam in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3 Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo, Altiſſime.

In his verſibus propoſitio eſt pſalmi, Ego, inquit, gratias ago Deo: & addit deinde in ſequentibus rationem: quòd defendit & ſeruat Eccleſiam, & euertit conſilia & conatus hoſtium, qui eàm delere conantur. non eſt autem contentus ſimpliciter dixiſſe, Ego ago gratias Deo: ſed repetit idem ſæpius, aliis atque aliis verbis, vt ardorem animi ſui, agnoſcentis hæc beneficia diuina, meliùs exprimat. Atque hûc etiam facit, quod dicit, In toto corde meo. Totum cor accipitur pro integro, ſincero, quod opponitur duplici, fucato, fallaci, quale eſt hypocritarum: qui, quanquam labiis interdum Deum honorant, tamen cor eorum, vt Ieſa. inquit, longè eſt à Deo. Significat igitur, ſe ex intimis cordis affectibus celebrare Deũ, & totum illud, quod hactenus feliciter & præclarè geſſerat, aſcribere Deo, non tribuere prudentiæ, induſtriæ, fortitudini ſuæ, &c.

Narrabo omnia mirabilia tua] mutatio eſt perſonę vſitata Hebræis. Oratio autem vniuerſalis ita reſtringenda eſt, Nihil narrabo niſi tua mirabilia, mirabilem ſcilicet gubernationem & defenſionem: non prædicabo noſtras virtutes, peritiam rei militaris, aut alia: ſed omnia referam tibi accepta. tu enim mirabiliter regis & ſeruas Eccleſiam, longè aliter quàm ratio humana cogitare, aut ſperare poteſt. Simul autem oſtendit, ſe non loqui de vna tantùm victoria ſeu liberatione, ſed de pluribus.

Lætabor in te] Id eſt, ego ex his liberationibus tuis hoc ſum aſſecutus, vt iam lætus in te acquieſcam, non reſpiciam aut confugiam ad vlla præſidia aut auxilia humana, nec efferar ſtulta confidentia, quaſi meis cõſiliis aut viribus aliquid præclarè geſtum ſit: video enim has liberationes miraculoſas tãtùm abs te eſſe profectas: ideo lætus in te acquieſco.

Exultabo] foris etiã geſtibus corporis declarabo meam lætitiam, vt alij intelligant plenum eſſe hoc meum gaudium.

4 Eo quòd inimici mei conuerſi ſunt retro: impegerunt & perierunt à facie tua.

Ratio eſt propoſitionis, quæ continet commemorationem liberationis, vt iam dictum eſt. Ideo tibi gratias ago, quia reprimis & deles hoſtes Eccleſiæ, & ſeruas populum tuum.

A facie tua] hoc ſignificanter adiectum eſt: ſignificat enim, Deum præcedere in exercitu ſuorum, & eſſe ducem, ac ſua præſentia ſeu vultu incutere Panicos terrores hoſtibus, vt antequam pugnare incipiant, terga vertant. Exempla plurima leguntur in hiſtoriis. ſignificat igitur nõ ſua aut militum ſuorum virtute factum eſſe vt hoſtes delerentur: ſed totum hoc eſſe tribuendum Deo.

5 Quia feciſti [*executus es*] iudicium meum & cauſſam meam: ſediſti ſuper ſolium iudex iuſtus.

Repetit eandem ſententiam, & ſimul oſtendit, hoſtes nullam habuiſſe cauſſam cur populum inuaderent: ſed tantùm iniuſta cupiditate, & dominandi libidine, vel odio nominis Dei motos eſſe, vt bellum aduerſus Eccleſiam ſuſciperent: ideóque Deum functum eſſe officio iuſti iudicis, qui eos euerterit, à quibus iniuſtè affligebatur. ſedere enim pro tribunali dicitur Deus, cum fungens officio iudicis ſupplicium ſumit de improbis: quo facto oſtendit, ſe odiſſe & execrari iniquitatem.

Iudex iuſtus] Qui ſcilicet bonos & iniuſtè oppreſſos defendit, & malos punit.

6 Increpaſti gentes, perdidiſti impium: nomen eorum deleuiſti in perpetuum & ſemper.

Increpare hoc loco non de verbali, ſed reali increpatione intelligatur: cùm ſcilicet horrẽdis pœnis Deus euertit & delet hoſtes Eccleſiæ. Ita Iulianus, Nero, & alij tyranni increpantur & pereunt horribiliter. Gentium nomine intelligit non paucos tantũ impios: ſed ingentes copias & exercitus, & quidem ex diuerſis partibus inſurgentes.

Deleuiſti nomen eorum] Id eſt, ita attriuiſti & excidiſti eos vt reſurgere, aut recuperare vires non valeant: deinde perpetuæ ignominiæ addixiſti. nam nomen ſignificat, celebrem famam, quæ cum laude eſt coniuncta, ſeu exiſtimationem, qua quis magnus & glorioſus eſt in hoc ſeculo. Manent quidem nomina Sodomorum, Iudæ, Neronis, & aliorum hoſtium Eccleſiæ: ſed quia ad ignominiam tantùm fit mentio eorum, ideo deleta dicuntur eorum nomina. Habuerunt anteà hoſtes celebre nomen, fuerunt admirationi & terrori multis propter opinionem ſapientiæ, prudentiæ, virium: illa verò omnia vnico momento ſunt euerſa.

7 Inimici defecerunt [*conſumptæ ſunt*] vaſtitates in perpetuum, ciuitates deſtruxiſti: periit memoria ipſorum cum ipſis.

Commoratur diutiùs in hac commemoratione, vt magnitudinem beneficiorum diuinorum magis exprimat & commendet.

Inimici defecerunt vaſtitates] Hæc verba variè interpretãtur. Quidam enim exiſtimant orationem eſſe interrogatiuam & ה eſſe, quod dicunt Grammatici הקריא id eſt, vocandi: quaſi per ironiam inſultans hoſtibus quærat an non conſumpti ſint gladii ipſorum. Alij ſine interrogatione legunt, Inimice, finitę ſunt vaſtitates, quaſi diceret: Tu quidem nihil ſpiras niſi cædem & ſanguinem piorum, euerſiones vrbium, vaſtationes, &c ſed Deus tãdem finem impoſuit huic furori. ſed quia de pœnis hoſtium tantùm loquitur, ſimpliciter ſic lego: Inimici defecerunt vaſtitates, id eſt, omnis potentia & vires hoſtium ſunt euerſæ, & habent finem illæ vaſtitates, quas faciebant antea.

Ciuitates] Id eſt loca munita, quibus cõfidebant, ad quas ſe recipiebant, clade aliqua in prælio accepta.

8 Et Iehoua in æternũ [*aſſiduè, perpetuò*] ſedebit: parans ad iudicium ſedem ſuam.

9 Et ipſe iudicabit orbem in iuſtitia: iudicabit populos in rectitudinibus.

Transfert hypotheſin ad theſin. Poſtquam enim varias liberationes ſui & ſuorum commemorauit, eaſque ſoli Deo ſe aſcribere dixit: nunc generalem inde doctrinam extruit, de perpetua conſeruatione Eccleſiæ: & dulciſſimas promiſſiones proponit quæ oſtendunt, Eccleſiam, quanquam variis modis premitur & oppugnatur in hac vita, tamen ſeruari & defendi diuinitus: hoſtes verò eius tandem euerti & deleri. Hæc ſumma eſt horum & ſequentium aliquot verſuum.

Iehoua in æternum ſedebit] Id eſt, ſicut hoc tempore in defenſione & liberatione ſui populi oſtẽdit ſe iuſtum eſſe iudicem, cui ſalus ſuorum ſit curæ, & qui iniuſtam vim ſuis factam ferre nequeat: ita aſſiduè & perpetuò defendet ſuam Eccleſiam, non patietur eam deleri à tyrannis: ſed puniet & perdet hoſtes, tãquam iuſtus vindex, & propulſabit vim iniuſtam à ſuis. Sæuiant igitur quantum volent hoſtes, tamen non efficient quod volent. Imò omnis illorum labor & conatus perpetuũ illis exitium afferet. Oppugnatur igitur hæc ſentẽtia illorum furoribus, qui, cùm bonos affligi interdum vident, tollunt omnem prouidentiam.

Iudicabit orbem in iuſtitia] Id eſt, eripiet & liberabit iniuſtè oppreſſos, & perdet iniuſtos & crudeles tyrannos. Hoc enim officium eſt iuſti iudicis. Non ſedet igitur indulgens otio & deliciis, vt Epicurei imaginantur, vt ſe vno contentus, humanum genus negligat: ſed exercet iudicia perpetuò.

10 Et erit Iehoua exaltatio oppreſſo: exaltatio opportunis temporibus in tribulatione.

Hoc eſt, non patietur opprimi Eccleſiam: etiamſi ſinat eam exerceri aliquandiu calamitatibus, vt fidem & patientiam ſuorum probet, & nos ad inuocationem exſuſcitet: tamen tãdem cùm opportunum eſt, eripit eam, & ereptam ex miſeriis collocat in tali faſtigio, quo nulla vis aut iniuſtitia hominum pertingere poſſit, & vbi tuta aduerſus omnem vim & ſæuitiã quieſcere illa queat. Hoc enim eſt משגב.

In opportunitatibus] Hoc commodè adiicitur à propheta. voluit enim pios monere, ne modum aut tempus Deo in ſuis precibus præſcribant: ſed ipſius iudicio & voluntati patienter ſe ſubmittant. ipſe enim liberat ſuos alio tempore & modo quàm nos cogitare aut optare poſſumus.

11 Et ſperabunt in te qui norunt nomen tuum: quia non deſeris quærentes te, Iehoua.

Id eſt, creſcet & confirmabitur piorum fides & ſpes, vbi viderint, te adeſſe Eccleſiæ tuæ, & non deſerere eam. Ideo enim Eccleſia ſubiecta eſt cruci, vt patientia piorum probetur, & creſcat fides & inuocatio. Plurimæ enim calamitates ſunt δοκιμασίαι, id eſt, exercitia pœnitentiæ, fidei & inuocationis.

Nomen] Id eſt, verbum in quo agnoſceris. nomen enim Dei eſt, quod de Deo prædicatur, & quo agnoſcitur. Noſſe autem nomen Dei, non ſignificat tantùm illam notitiam quæ in lectione & auditione conſiſtit: ſed quam vera & indubitata fide & experientia acquirimus. Vera igitur fides eſt, quæ hanc viuam ſpem gignit, vt omnem curam & ſolicitudinem in Deum coniiciamus, & ab ipſo ſolo pendeamus, non reſpiciamus ad humana auxilia & præſidia.

Quærentes te] Id eſt, confugientes ad te vera fide & inuocatione,

cation, non reſpicientes ad humana præſidia.

12 Pſallite Iehouæ qui habitat in Zion: annunciate in populis ſtudia eius.

Exhortatio eſt, vt ſuo exemplo reliqui etiam excitentur ad conſiderationem beneficiorum Dei & ad gratiarum actionem.

Pſallite] Id eſt, agite ei gratias toto corde: deinde etiam foris, ore, geſtu, inſtrumentis muſicis, cantilenis laudes Dei celebrate & decantate.

Qui habitat in Zion] Id eſt, qui preſto adeſt Eccleſiæ ſuæ, eam regit, defendit, ſeruat. Habitare dicitur Deus, vbi præſto adeſt ſua gratia, ope, auxilio: nuſquam autem declarat ſuum fauorem, niſi in eo cœtu in quo ſonat verbum promiſſionis. Vbique quidem eſt per eſſentiam, ſed non vbique habitat per gratiam. Elegerat autem Deus Zionem, vt ibi eſſet ſanctuarium. ſicut ſuprà dictum eſt pſal. 2. atque ita oſtenderet ſe habitare in medio populi ſui. ideo in ſanctuario erant ſigna præſentiæ Dei, quę cùm neque in Babylone, neque apud alias gentes idololatricas conſpicerentur, non dicitur Deus ibi habitare, etiamſi cœlum & terram impleat Dominus.

Annuntiate] ſcilicet ſtudio propagandæ gloriæ eius: vt alij noſtro exemplo inuitentur & adducantur ad agnitionem Dei.

Studia eius] Id eſt, hæc immenſa beneficia quòd populum ſuum hactenus clementer ſeruauit, defendit & liberauit.

13 Quia requirit ſanguines, illorum recordatur: non obliuiſcitur clamoris oppreſſorum.

Exhortationi addit rationem, in qua repetit promiſſionem ſeu conſolationem ſupra propoſitam. Etiamſi, inquit, nonnulli interdum ex cœtu piorum interficiuntur, aut premuntur crudeliter à tyrannis, tamen propterea nemo exiſtimet eos obliuioni traditos eſſe: imò Deus requirit ſanguinem illorum, id eſt, vlciſcitur cædes aut iniurias ſuis factas. ſanguines enim intelligit & cædes & vim iniuſtam piis illatam: in has inquirit, quaſi quæſtionem de his inſtituens dum vlciſcitur. Sed non ſine conſilio vtitur verbo requirendi. mundus enim vel excuſat cædes factas, vel ita contemnit piorum ſanguinem, vt non dignum iudicet cuius aliqua ratio habeatur: itaque ſine metu interficiunt tyranni bonos & innocentes, ſed Deus quia requirit, oſtendit ſe magni æſtimare ſanguinem ſuorum.

Non obliuiſcitur] etiamſi interdum cõniueat ad iniurias ſuis factas, nec mox ſuccurrat, tamen non eſt irritus clamor: idque ſuo tempore horribilibus pœnarum exemplis oſtendit.

14 Miſerere mei, Iehoua: vide oppreſſionem meam [*afflictionem meam*] ab oſoribus meis: qui exaltas me de portis mortis.

15 Vt annuntiem omnes laudes tuas: in portis filiæ Zion exultem in ſalute tua.

Hæc altera pars eſt huius pſalmi, quæ continet precationẽ. ſicut enim in prima parte gratias egit Deo, quod hactenus ſeruaſſet populum inter varia bellorum pericula & tumultus: ita nunc, quia videt hoſtes toties repulſos non quieſcere, ſed ſubinde reparare bella, vel etiam nouos inſurgere aduerſus populum Dei, petit nunc quoque in præſenti periculo ſe & ſuos ſeruari. Atque hęc cauſſa fuit, cur illam commemorationem variarum liberationum præmitteret, vt ſcilicet & ſe ad fidem & precationem ardentiorem excitaret, & Deum faciliùs ad exaudiendum, & opem ferendam commoueret.

Miſererè mei] Id eſt, ſicut antehac variis exemplis oſtendiſti, te amare hunc populum, atque eius ſalutem tibi curæ eſſe: ita deinceps quoque talem te exhibe, idque facias non motus noſtro aliquo merito, ſed tua bonitate & miſericordia, qua nos olim in populum adoptaſti.

Vide oppreſſionem] Id eſt, non conniueas ad iniuriam quam patior ab hoſtibus meis: non quaſi clauſis oculis prætereas aut negligas tuorum ſalutem: noli differre liberationem. Silere aut dormire, aut conniuere dicitur Deus, cùm differt liberationem, & ſinit ſuos affligi: econtra, videre, dum oſtendit ſibi curæ eſſe ſuorum ſalutem, & dum reprimit hoſtes. ſunt enim ad noſtrum ſenſum iſta referenda. nam Deus quidem perpetuò habet ἐκδικονόμμα, ſed non ſemper à nobis id conſpicitur.

Qui exaltas] Qui me eripis ex ſummis periculis, atque adeò ex ipſis faucibus mortis. Portæ, in Scriptura ſignificant poteſtatem, magiſtratum, imperium, vel ſedem imperij. Sicut etiam Conſtantinopolis dicitur porta Imperatoris. Nam in portis olim agebantur conuentus, exercebantur iudicia, quę ſunt præcipuus neruus, quo ſocietas humana cõtinetur. portas igitur mortis nominat poteſtatem mortis, & vltima diſcrimina, quæ interitum & mortem minantur. Ex his exaltari ſe dicit, quia ſæpe ereptus fuerat ex ſummis periculis, ex quibus nulla ope humana euadere potuiſſet.

Vt enarrem] Addit cauſſam cur petat ſe liberari & ſeruari. non cupit ſeruari, vt in pace & in otio indulgere deliciis & voluptatibus poſſit: ſed vt bonitatem Dei celebrare queat. portas filiæ Zion opponit portis mortis: & intelligit per portas Zion, cœtus piorum hominum. in portis, id eſt, in cœtu & frequentia, & in locis in quibus frequentes conueniunt. filiam Zion nominat populum & ciuitatem. vrbem verò Ieroſolymam, à præcipua parte ſynecdochicàs nominat Zionem.

Exultem] Non ſatis eſt ore celebrare laudes, ſed oportet etiam interiorem eſſe lætitiam in corde, quam exprimit verbo גיל.

De ſalute tua] Id actiuę intelligatur, non paſſiuè. De ſalute, quòd ſcilicet me ſeruas & defendis. non enim gloriabor de meis viribus aut induſtria, quaſi ego mihi hanc ſalutem pararim.

16 Demerſæ ſunt gentes in foueam [*quam*] fecerunt: in reti quod abſconderunt, captus eſt pes eorum.

Dauid confirmatus tum conſideratione atque commemoratione priorum exemplorum, tum precatione, ſentit Deum ſibi & populo verè adeſſe. ideo iam certus de ſua ſalute hoſtibus inſultat, iiſque interitum prædicit.

De phraſi dictum eſt antea pſal. 7. Sunt metaphoricæ locutiones, quæ oſtendunt, mala conſilia & machinationes, quæ ſtruuntur bonis & piis, recidere in caput autoris. Comparat autem hoſtes ſuos venatoribus & aucupibus, quorum illi foueas fodiunt lupis & vulpibus, in quas incidunt: hi retia & pedicas auibus ponunt, quibus capiuntur: vt oſtendat, hoſtes non tantùm aperta vi & impetu oppugnare Eccleſiam, ſed etiam vti variis dolis & fraudibus, ſicut Iulianus & alij.

17 Notus eſt [*innotuit*] Iehoua iudicio [*quod*] fecit: in opere manuum ſuarum illaqueatus eſt impius: Higgaion, Selah.

Id eſt, quando in impios Deus retorquet malum, quod machinabantur & ſtruebant piis, hac re oſtendit palam, ſe eſſe iuſtum iudicem, qui non ſinat opprimi innocentes, nec patiatur ſemper pro ſua libidine graſſari tyrannos: ſúntque hæc iudicia eius ita manifeſta, vt non poſſint naturæ aut fortunæ adſcribi, ſed omnes neceſſe ſit fateri, hæc eſſe diuina iudicia. Atque ita tandem obſtruit ora impiis hominibus, qui rident ipſius comminationes & iudicia.

Higgaion, Selah.] Hæ dictiones variè redduntur ab interpretibus. Græca verſio & vſitata Latina prorſus omiſerunt ea. D. Hier. reddidit, Meditatio ſemper. cúmque ferè omnes ſecuti ſunt, vt ſit ſententia: Æternus erit is concentus, hæc fama, hæc meditatio & hæc laus Dei ex victoriis erit ſempiterna. Rabbi Salomon ſic reddit: נהגה זאת סלה meditabimur hoc in æternum. Abeneſra: Narrabo hoc in ſempiternum. Chaldæus: Exultabunt iuſti in æternum. Lutherus: Meditatione ſcilicet verbi: quaſi hoc velit Propheta, hoſtes Eccleſiæ non vinci aut ſuperari à nobis vi, gladiis, ſeu armis corporalibus: ſed meditatione, id eſt, miniſterio verbi & precatione diſſipari hoſtes, & geri tantas res in Eccleſia. Alij iudicant dictionem eſſe encliticam, ſicut omnes linguæ ſuas habent dictiones encliticas: & quia vox meditationem ſignificat, iudicant ideo inſeri, vt auditores & lectores commonefiant de magnitudine beneficij diuini, & in conſideratione harum rerum diutiùs retineantur. Ideo Campenſis ſic reddidit: Res procul dubio digna, quæ imo reponatur animo, pſal. 92. vox Hebræa ſignificat ſimpliciter carmen quoddam ſacrum, muſicam ſacram, ſeu etiam peculiare aliquod inſtrumentum muſicum. Ideo hoc in loco Fœlix tranſtulit canticum.

18 Reuertentur impij in infernum: & omnes gentes quæ obliuiſcuntur Dei.

Continuat prædictionem de interitu impiorum. Idque facit non tam ad terrendos hoſtes, quos ſciebat ridere Deum & eius iudicia, quàm ad ſuam & ſuorum fidem confirmandam.

Reuertentur in infernum] Id eſt, redigentur in nihilum, & punientur æternis pœnis, qui nunc ita ſe efferunt. Itaque non ſunt metuendi ipſorum crudeles conatus & fraudes.

19 Quoniam non perpetuò obliuioni tradetur pauper: ſpes oppreſſorum non peribit perpetuò.

Addit cauſſam quam non ſumit ab ipſorum improborum malitia: ſed potius à bonitate Dei, qui nequeat deſerere ſuos.

Non obliuioni tradetur]ſcilicet ſicut ſomniant homines profani & impij, qui obliti Dei, iudicant nullam eſſe prouidentiam, nulloque diſcrimine apud Deum eſſe bonos & malos. His oſtendet tandem in pœnis, ſibi ſuorum ſalutem curæ eſſe. Eſtque hoc teſtimonium pulchrum, quod eſt opponendum illis Epicureorum clamoribus, qui tollunt prouidentiam, eò quòd vident interdum bonos premi in hac vita: confirmat item pios, ne ſi differatur aliquandiu auxiliũ, exiſtiment ſe deſertos aut abiectos eſſe.

20 Exurge Iehoua, ne confortetur homo: iudicentur gentes in conſpectu tuo.

Concludit Pſalmum precatione, vnde ſatis apparet, illam primam commemorationem liberationum diuinarum ideo inſtitutam fuiſſe, vt ſe & ſuos ad fidem exſuſcitaret, & Deum exemplis permoueret, vt poſthac quoque facilem ſe in defẽſione populi ſui præberet.

Surge] Verbum ſurgendi propria ſignificatione non refertur ad Deum, in quo nulli motus ſunt corporei aut locales. Non enim propriè dicitur Deus ſurgere, vel ambulare: ſed loquitur ita Scriptura de Deo ἀνθρωποπαθῶς. Ideo illa magis ad externam ſpeciem ſeu ad ſenſus noſtros ſunt referenda. Iudicatur à nobis Deus quaſi ſedere, dum conniuet ad iniurias Eccleſiæ factas. ſed rurſus ſurgere dicitur, cùm ad vindictam ſe armat, & tanquam iuſtus iudex & vindex ſe conſpiciendum præbet.

Surge]Id eſt, noli amplius differre liberationem: ſed exere potentiam tuam contra hoſtes, & declara te iudicem iuſtum eſſe, ne tua longanimitate & patientia nimia, creſcat audacia & impietas ſceleratorum hominum. Quando enim feliciter omnia ſuccedunt impiis, redduntur inſolentiores & arrogantiores, vt nihil intentatum relinquant.

Ne inualeſcat]Id eſt ne felici omnium rerum ſucceſſu confirmetur in ſuo propoſito & ſcelere: & creſcat petulantia.

Homo]Hac appellatione vtitur, vt indignitatem rei exprimat: nominat enim non principes aut reges, ſed hominem ærumnoſum. Nihil eſt miſerius homine, nihil fragilius. Atque inde hæc appellatio אנוש eſt facta. Et tamen tantus eſt hominum faſtus, & tanta ſuperbia tument, vt aduerſus Deum inſurgere, ipſique arma inferre auſint. Deinde docere nos voluit hac appellatione, quàm leui momento potentiſſima regna euertantur in hoc mundo. Tam enim facilè Deus euertit potentiſſimos reges & maximos exercitus, quàm facile eſt vnum homuncionem de medio tollere aut opprimere.

Iudicentur]Id eſt, ſic eos caſtiga & reprime, vt cunctis pateat te eſſe iudicem populorum & gentium, & gentes illas dediſſe iuſtas pœnas.

Coram facie tua]Id eſt, te iudice & coram tuo tribunali. nam mundus non rectè iudicat. reſpicit enim vel ad dignitatem, vel potentiam, vel felices ſucceſſus, vel alias res externas, atque inde de cauſſæ bonitate iudicat. Deus verò qui eſt καρδιογνώστης, eſt iuſtus iudex.

21 Pone Iehoua doctorem illis: cognoſcant gentes, quòd homines ſint, Selah.

Id eſt, compeſce furorem illorum, & da illis aliquem qui reprimat eos: frange & emolli duritiem cordis ipſorum variis calamitatibus & pœnis, vt cogitatione ſuæ infirmitatis deſinant ſuperbire contra Deum & Eccleſiam eius.

Doctorem intelligo ſimpliciter caſtigatorem, vel potiùs in abſtracto doctrinam, id eſt, caſtigationẽ. ſcribitur enim cum cametz, non cum ſegol, vt cõgruat cum dicto, παθήματα μαθήματα. Sic Cyrus doctor fuit Baldazaro, Dario Alexander, Iulius Pompeio. Alii doctorem intelligunt Spiritum ſanctum: ſed hoc videtur alienius ab hoc loco. Alij legunt, Incute illis terrorem, & terrorem intelligunt de pœnis ſeu flagellis, quibus retunditur contumacia impiorum, qui nunquam niſi verberibus cæſi, redigi poſſunt in ordinem. Si ita legas, verbum eſt ירא non ירה & א mutatum eſt in ה. Sed cum prior lectio congruat cum ſententia, nihil muto.

Quod homines ſint]Id eſt, quòd ſint miſeri, infirmi, mortales, & qui fruſtra tam ſuperbè ſe efferant ſupra alios. Hinc eſt illud, γνῶθι σεαυτόν. Et Auguſtinus inquit, totam hominis humilitatem in ſui notitia poſitam eſſe.

PSALMI IX.

PARTES.

I. Hypotheſis, laudatio ſingularis prophetæ ad v.12. Huius membra ſunt: 1. Propoſitio laudationis, 2.3.4. verſ. 2. Narratio, v.5.& 6. occaſionem proximè præcedentem enuncians grauiſſimè, ordine, & verbis forenſibus. 3. Exornatio, à verſ.7. ad 12. ſeu ἐργασία propoſitionis per pium ſarcaſmum & ſubiectam ei apodoſin illuſtratam antitheſi, in cuius ſecundo membro à ſuperiore hypotheſi tranſit ad theſin de natura, officio, & operibus Dei, verſ.8.9.10. vnde laudationis concluſio, à fide in animis piorum ingenerata, propter bona illa quæ ſuperioribus verſiculis explicauit.

II. Hortatio continens 1. propoſitionem laudis προτρεπτικήν, 12.& 13. ver. 2. exemplum & narrationem precum quibus pij exorant à Deo beneficia eius, tanquam laudationis argumenta. Hæ preces autem concipiuntur pro ſalute afflictorum ad gloriam Dei, v.14.15.16.17. tum pro confuſione hominum Deo & Eccleſiæ aduerſantium, v.18.19.

III. Concluſio petitoria, v.20.21. à modis quos Deus adhibiturus eſt in infirmandis, iudicandis & conſternandis aduerſariis: denique gentibus omnibus (ſi opus eſt) morte afficiendis.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. Pij vt animum ſuum ad fiduciam & ſpem inuictam erigant, quàm inſigni Dei potentia ex vi & manu hoſtium ſuorũ erepti ſint, aliis libenter alacrique animo commemorant.

Quia Deus cõtinuo tenore gratiam ſuam erga fideles proſequitur, quicquid erga nos contulit, ſpem noſtram in poſterum tempus fouere debet.

Hypocritæ ſummis tantùm labris, abſque interiore affectu, Deum laudant: ſed quicquid pij præclare geſſerunt, ſe in ſolidum teſtantur agnoſcere profectum à mera Dei gratia.

Laudãt Deum in toto corde qui nihil ex eius gloria delibãt: filiorũ autẽ huius ſeculi intolerabilis eſt & ſacrilega ſuperbia, qui ſeipſos efferendo, gloriã Dei, quantum in ipſis eſt obſcurãt. Nam quoties obtendũt Dei nomẽ ſuis rebus geſtis, nihil aliud quàm ludũt: quia poſt oblatũ Deo leue neſcio quod libamẽ, ſeriò ſacrificant ſuis cõſiliis, induſtriæ, virtuti, copiis. Vide Habac.1.6.

Etſi Dominus bonorum omniũ author vult agnoſci, quibuſdam tamẽ donis & beneficiis clariores notas inſculpſit, quæ ſenſus noſtros alioqui torpentes meliùs expergefaciũt, ita vt agnoſcãt, Deum ſupra cõmunem & vſitatum ordinem, vt eos ſeruaret, manũ ſuam mirabiliter extuliſſe.

3 Deum ſincerè celebrãt fideles, dũ in ſeipſis minimè acquieſcunt, nec eos inebriat ſtulta carnis confidentia, ſed in Deo ſolo lætantur.

In Deo lætari nihil aliud eſt quàm lætitiæ materiam ex mera eius gratia petere, quoniam in ea conſiſtat tota felicitas.

Plenus lætitiæ cumulus in Deo omni ex parte conſtat, vt ne minima quidem gutta alibi quærenda ſit.

4 Deus vnus eſt qui Spiritu cõſilij regit ſimplices, aſtutos demẽtat, ſtuporeq́; percutit, mollibus & pauidis inſpirat fortitudinẽ, audaciſſimos quoſq; metu percellit, infirmos inſtruit nouo robore, robuſtos debilitat, manus ſuſtentat imbelles, gladios à bellicoſis defluere facit: deniq; qui proſperũ vel triſtẽ pugnæ euentũ, quocunq; vult, inclinat.

Quoties videbimus hoſtes Dei & Eccleſiæ cadere, ne ſenſus noſter in hoc aſpectu ſubſiſtat, ſicut profani homines videndo cæcutiunt: ſed nobis occurrat hæc doctrina, quæ retrò aguntur profligari à facie Domini.

5 Pij manum Dei adiutricem ſentiunt, quoties iniuſtè affliguntur. vnde ſequitur nobis eſſe curandum vt militemus ſub Dei auſpiciis, ſi eum nobis adeſſe cupimus.

Quando Deus pios tuetur, agit pro more ſuo & ratione perpetua, quoniam bonas cauſas ſolet tuendo ſuſcipere.

6 Mirandis modis hoſtes Eccleſiæ ſuæ Deus euertit, ſeu arcanis habenis eorum ferociam retinendo, ſeu Panicis terroribus aut manu

ſublata

ſublata & fato ineluctabili eos conterendo.

Pij hoſtes ſuos dum intuentur proſtratos, eorum cladi non ſimpliciter inſultant, ſed eos iniuſtitiæ condemnantes dicunt quas emeriti erant pœnas dediſſe.

In eo maximè elucet Dei bonitas, quòd in Eccleſiæ ſuæ fauorem, nõ paucos tantùm impios, ſed ingentes copias & quidem ex diuerſis partibus inſurgentes excindit.

Irriti ſunt impiorum conatus, tandem enim ſepelit Deus nomen eorum cũ ipſis: contra verò, memoria iuſti ſemper eſt in benedictione.

7 Quamuis impij non apertè abrogent Deo imperium, tamen non minus audacter ad omnem ſcelerum licentiam ruunt, quàm ſi vinctus compedibus eſſet.

Quoties nihil præter interitũ nobis occurrit, meminerimus oculos cõiicere ad cæleſte ſoliũ, vnde rebus humanis Deus proſpicit: & quũ diſſimulat nec ſtatim medetur malis noſtris: nihilominus tamen fidei ſenſu apprehendere cõuenit occultam eius prouidentiam.

8.9. Quantumuis altè ſe efferat hominum violentia, & ſine modo prorumpat eorum furor, Deus tamen nunquã ex ſua ſede poteſt detrahi, nec fieri poteſt vt ſe iudicis officio & poteſtate abdicet.

Dei virtus cælo non eſt incluſa, ſed ſe ad homines, præcipuè pios, iuuandos patefacit.

Hæc vera eſt theologia, Deum non imaginari otioſum & deliciis vacantem, ſed in ſolio potentiæ & æquitatis locatum: vt certò perſuaſi ſimus, etiamſi non ſtatim ſuccurrat iniuſtè oppreſſis, nunquã tamen eorum curam abiicere. Et certè quum diſſimulat, non deſerit ſuas partes, ſed exercet ſuorum patientiam, ideóq; pacatis animis exſpectandus eſt exitus.

Populos in æquitate iudicat Deus quam iniuſtè & crudeliter vexatos exaudit, iniuſtas violentias perpetuò & impunè graſſari non ſinit, nec innocentiam ope ſua fraudat.

10 Ideo auxilium differt Deus, & in ſpeciem relinquit ſuos fideles, vt laborantibus & afflictis magis opportune tandem ſuccurrat: nec tunc ceſſat in ſuo officio, quinimo lucernam in tenebris accendit, vt meliùs ſua iudicia appareant.

Dei prouidentiæ dandum eſt ſpatium, vt tandem ſe in neceſſitate proferat: ideo ne nobis moleſtum ſit cenſeri coram mũdo pauperes & miſeros: ſed dolorem noſtrum leniat hæc conſolatio, non procul abeſſe Deum, quem ad nos iuuandos ærumnæ noſtræ acceſſunt.

11 Quoties iuſtos liberat Dominus, ipſi & reliqui omnes hũc fructũ inde colligũt, vt in fiducia gratiæ diuinæ magis ac magis ꝓficiãt.

Vbi nulla eſt pietas, ibi nullus eſt operum Dei ſenſus: ideo iudiciorum diuinorum profectum ad ſolos fideles Scriptura reſtringit.

Ex notitia Dei naſcitur religio quæ ignorantia & ſtupore hominum extinguitur.

Quia occulta & incomprehenſibilis eſt Dei eſſentia, quatenus ſe nobis patefacit, maieſtas eius in Nomine ſtatuitur.

12 Non ſatis pro ſua dignitate Dei laudes celebrantur, niſi ſua fama totum orbem impleant.

Quum Scriptura dicit Deum habitare in eccleſia, eum à fictitijs omnibus Gentium idolis diſcernit.

Non ſatis eſt confuſum numen in honore & pretio eſſe, niſi vero & vnico Deo diſtinctè tribuatur ſuus cultus.

Nefas eſt loco includere Deum quem cœli cœlorum non capiunt: ſed quia promiſit ſe Sionem, id eſt, Eccleſiam delegiſſe, vbi nomen eius inuocetur, meritò nominatur habitator Sionis.

Perperam obtenditur Patrum exemplum ad excuſandos ſuperſtitioſorum cultus: patres enim Sionem concurrentes ad offerenda Deo ſacrificia, nihil aggreſſi ſunt proprio motu, ſed fundati in fide verbi ſuam obedientiam Deo probarunt.

Sacramẽtorũ & omniũ exercitiorũ pietatis hic legitimus eſt vſus, ſi nos ad Deũ ſpiritualiter in cœleſti ſua gloria quærẽdũ adiuuant.

Quemadmodũ olim Dominus, quũ ſe habitatorem Sionis vocaret, ſolidam fiduciæ, quietis, & gaudij materiam populo ſuo dare voluit: nunc poſtquam egreſſa eſt lex è Sione, & ex illo fonte ad nos fœdus gratiæ manauit, ſciamus eum vbique præſidere in medio fidelium, qui eum ritè & purè ex præſcripto verbi eius adorant.

13 Deus non ſemper momento à nobis præſcripto iniuriis occurrit, neque inter ipſa initia frangit impiorum conatus: ſed auxilium ſuſpendit, vt illud metiri ſenſu noſtro deſinamus, certóque ſciamus eũ tandem oſtenſurum pretioſum ſibi fuiſſe ſuorum ſanguinem.

Serũ non eſt (vt quidam exiſtimãt) Dei auxilium, poſtquam malis omnibus ſumus defuncti: nec enim vltra quieſcit quàm nobis vtile eſt ſub cruce humiliari, nec ideo vindictam auxilio præfert, quæ ſi non ſemper ad nos iuuandos voluntarius ſit ac paratus: ſed quia manifeſtandæ gratiæ non ſemper idoneum eſſe tempus agnoſcit.

Dum mortem piorum vlciſcitur Deus, hinc apparet, corã ipſo eos manere ſuperſtites: neque enim hominum more colit eorũ memoriã quos ſeruare viuos non potuit: ſed re ipſa probat foueri in ſuo ſinu & cuſtodia, qui ſecundum carnem extincti videntur.

Licet ſuos in ipſo mortis articulo ex impiorum gladijs Deus non liberet, eorum cædes tamen inultas haud patitur.

Quicunque cupiunt Deum ſentire liberatorem aut vindicem, clamare debet, id eſt, vota ſua gemitus & preces toto animi affectu ad eum dirigere. Impij quidẽ ſæpius vociferantur malis obruti, ſed quũ intus ſuperbia turgeãt, ad ſalutem nõ exaudiuntur. Diuinus ille fauor ad pauperes ſpiritu & contritos corde tantummodo pertinet.

14 Si hoſtes iam aliquoties victi, collectis nouis viribus & animis, extrema tentant, piorum officium poſtulat vt ad Dei miſericordiã confugiant, æquo modeſtoq; animo crucem ſibi impoſitam ferentes.

Fideles ſalutem ſibi promittunt in ipſis mortis faucibus, quia conſueuit Deus non tãtũ vſitatis modis ſeruos ſuos iuuare, eorũq; malis mederi, ſed ipſos è ſepulchro educere poſtquã ſpes vitæ præciſa eſt.

15 Ideo aũt è ſepulchri faucibus liberatur, vt Dei gratiã corã omnibus pro ſuo modulo & quantum fert vocatio eorum celebrent.

Non ſufficit Dei laudes in linguis noſtris ſonare, niſi ex animo proficiſcantur, nec vita præſens diligenda eſt in alium finem quàm vt à Deo nos eſſe ſeruatos hilari mente & vultu profiteamur.

16 Haud temerè venatoribus vel aucupibus comparantur hoſtes Eccleſiæ: quamuis enim violentia & impetu ſæpe graſſentur, ſemper tamen fraudibus & obliquis artificiis patrem ſuum Satanam, mendacij patrem, imitantur: itaq; quicquid habent ingenij, ad malitiam & noxia conſilia deflectunt.

Quicquid tentent impij, euentus non eſt in eorum manu, ſed Deus illis erit aduerſarius, non modò vt eos fruſtretur, ſed etiam vt deprehendat in prauis conſiliis quæ ſibi fabricant, omnéſq; eorum artes conuertat in ipſorum perniciem.

17 Deus iudicis partes implet, quoties impios illaqueat ſua malitia: iudiciúmq; illud magis illuſtre eſt quàm vt vel naturæ vel fortunæ adſcribi queat.

Si quando Deus manus ſuæ virtutem clarè exerit, diſcamus aperire oculos vt fidem noſtram confirment iudicia quæ contra Eccleſiæ hoſtes exercet.

Piæ mentes in meditatione iudiciorũ Dei diligẽter retinendæ ſunt.

18 Quicquid ſcelerati homines conabũtur, tamẽ ipſis infeliciter cedet: in ruinã. n. & ſepulchrum, à quo ſe lõgiſſimè diſtare putabãt, eos decidere oportet. Quũ ergo extra omne diſcrimẽ altè volitãt impij, fidei oculis cõtemplemur quod illis paratum eſt ſepulchrum: certoq; ſimus perſuaſi, Dei manum, licet occulta ſit, propè inſtare, quæ eorum curſum, quo cœlum petebant, ad inferos momento retorqueat.

Deſcendunt quidem fideles in ſepulchrum, ſed non illo violento impulſu qui eos ſine ſpe exitus demergat: quin potius in ſepulchro reconditi ſpe tamen in cœlis habitant.

19 Sciamus nobis hac lege Dei auxilium promitti, vt tamen non præueniat noſtras afflictiones: ſed vbi nos diu cruce perdomuerit, tãdem præbet auxilium.

Ideo ad noſtras ærũnas coniuẽt Deus, quia vult precibus noſtris expergefieri: dum verò exaudit vota noſtra, quaſi memor noſtri eſſe incipiat, manũ ſuã potentia inſtructã ad nos iuuãdos porrigit: ſed non ſtatim, ne deſinam' bene ſperare quãuis letè feſtinet proſper euentus.

20 Non ſentitur Deus ſuorum liberator, niſi quum oculis noſtris velut pro tribunali ſedens apparet. Ipſo autem ſurgente, omnis impiorum ferocia protinùs concidit.

Quantumuis impotenter ſuperbiant Eccleſiæ hoſtes, ſunt tamen in Dei manu, nec plus poſſunt quàm illis permittit: eorũq; conatus quoties volet, vanos reddet & irritos.

Impios ad tribunal ſuum ſtare cogit Deus, tempore præfixo: donec autem in eius conſpectum violenter trahantur, tergum illi obuertunt, nec Deum pro ſuo iudice agnoſcunt.

21 Quia inflexibilis eſt malorum durities, violenter ipſorum contumaciam Deus ſubigit: non quod reſipiſcant, ſed quia, velint nolint, illis exprimitur ſuæ infirmitatis confeſſio.

Variis flagellis retunditur arrogantia impiorum, qui nunquam, niſi inuiti Deo ſubijciuntur.

Facit Dominus, quando impios ignoratio ſui in furorem præcipitat, vt re ipſa ſentiant vires ſuas ſtultæ confidentiæ eſſe impares, vt vbi eos fruſtratæ erunt vanæ ſpes, pudefacti iaceant.

Accidere poteſt vt impij non reſipiſcant, etiamſi ſuæ infirmitatis ſint conſcij, ſed ſatis eſt cum ludibrio ſacrilegam eorum audaciam traduci, vt re ipſa appareat ridiculam fuiſſe quam de ſua virtute fiduciam præſumpſerant.

Quoniam omnibus Adami filijs ingenita eſt ſuperbia, neceſſe eſt varijs modis promiſcuè omnib. à Deo terrorem incuti, vt fideles modeſtiam diſcant: reprobi verò, licet conſcendere non deſinant ſupra humanam ſortem, cum dedecore retrocedant.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Laudum diuinarum vſus ſincerus, & fructus vberrimus.
2. De ſapientia, iuſtitia, omnipotentia Dei in impiis profligandis & piis conſeruandis.
3. Iuſtorum ex grauiſſimis periculis à Deo liberatorum officium.
4. Quo ſenſu Deus in Sione (i. in Eccleſia) habitare dicatur.
5. Auxilium Dei, ſuos fortiter & clementer protegentis, atque à morte eruentis, quomodo conſiderandum.
6. Hoſtium Eccleſiæ varij & irriti conatus; conditio miſerrima, horrendum exitium.

ARGVMENTVM PSALMI X.

QVum numquam Eccleſia ſit ſine hoſtibus, ſed perpetuò in hac vita tyrannidi & libidini impiorum ſit expoſita: ne hæc triſtis imago piorum fidem labefactet, vt abiecta profeſſione doctrinæ à Deo deſiciant, aut in calamitatibus deſperent: propheta primùm longa commemoratione, tanquam illuſtri pictura, ingenium, mores, ſtudia, conatus impiorum hominum & tyrannidem deſcribit, vt hanc imaginem intuentes, cogitemus perpetuò Eccleſiam tales habuiſſe hoſtes, nec nouum videatur, ſi nobis quid accidat durius: cùm ſemper Eccleſia talia ſit paſſa, & paſſura ſit vſque ad vltimum diem: & quidem ipſe Dauid tam excelleis vir, & in tanta dignitate conſtitutus, non potuerit immunis eſſe à fraudulentis hoſtium molitionibus & iniuriis. Opponit autem his malis precationem, atque ita ſuo exemplo oſtendit, nullum aliud eſſe remedium contra tyrannorum varios inſultus & iniurias, quàm piam & ardentem bonorum precationem, quæ perpetuò vel liberationem vel mitigationem calamitatum impetrat: & conſolationes adiicit dulciſſimas, quæ fidem innocentium cõfirment, & fideles de ſua ſalute certos reddant. Plerique interpretes de Antichriſto Pontifice Romano hũc pſalmum vaticinari exiſtimant. Quamuis enim in genere de omnibus hoſtibus Eccleſiæ loquitur: tamen in ſpecie, tãquam κατ' ἐξοχὴν, hunc notare videtur Spiritus ſanctus. Nunquam enim habuit Eccleſia crudeliorem hoſtem: & imago propoſita pulchrè eius tyrannidem exprimit. Caret hic pſalmus titulo: ideo primum Græca, deinde vulgaris verſio præcedenti eum adiunxit. Ab hoc igitur pſalmo vſque ad 148. in numerandis pſalmis variat Eccleſia ab Hebræis: coniungit enim 9. & 10. qui diuerſi ſunt, & 147. diſtinguit, qui vt vnus legitur apud Hebræos.

1 QVare Iehoua ſtas à longè? abſcondis [*te*] in tempore opportuno, in tribulatione?

Exordium ſumitur à querela, quam ei exprimit magnitudo doloris, qui ortus eſt ex tentatione de abiectione, vel mora. Omnibus enim nobis conſtitutis in grauiore aliqua calamitate, ſubeunt hæ cogitationes, quòd Deus abiecerit curam noſtri, quòd negligat nos, nec habeat ampliùs pro filiis. Et quo maius eſt & propius periculum, eo magis hæc cura & ſolicitudo nos angit. Dauid igitur intuens potentiam, furores, crudelitatem, dolos & fraudes ſuorum hoſtium, qui ipſum tollere è medio, & totam religionem ſubuertere conabantur: atque è regione conſiderans ſuam & aliorum quos coniunctos habebat, infirmitatem & miſerias, atque interim tamen videns diutiùs differri auxilium, erumpit in hanc querelam, Quare ſtas à longè? id eſt, quare non occurris, vt opem feras? ſed ſtas quaſi immotus in remoto loco tanquam non curans nos? Quare ſinis nos obrui & opprimi his calamitatibus? Hæccine eſt paterna cura, quam geris pro populo tuo, vt, cùm videas eum periclitari de vita & ſalute, tamen non ſuccurras? Quod autem dicit, Deum ſtare à longè: id rurſus non ad ipſum Deum, niſi per anthropopathiam, eſt referendum: verè enim, Deus non ſtat à longè, quaſi qui ſubduxerit ſe procul à gubernatione & defenſione ſuæ Eccleſiæ: adeſt enim ei perpetuò, etiam in ipſis calamitatibus, vt dicitur pſal. 91. Cum ipſo ſum in tribulatione. Item: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. ſed quia non mox ſuccurrit & opem fert in calamitatibus, vt nos cupimus & volumus: ideo videtur nobis quaſi oblitus noſtri, aut nullam curam pro nobis gerens, ſtare à longè. Itaque ad ſenſus noſtros huiuſmodi locutiones ſunt referendæ, ne quis inſulsè anthropomorphitarũ more Deo membra corporea, & motus ſeu locationem, corporibus atque horum mẽbris conuenientem attribuat, aut circumſcribi eum loco imaginetur.

Abſcondis] Exaggerat querelam alia triſtiore oratione: plus enim eſt prorſus abſcondi, vt non appareat quanta fuerit tentatio in Dauide, quæ ei hanc querelam expreſſit. Verbum abſcondendi dupliciter exponunt. Quidam ſic interpretantur: Abſcõdis te, id eſt, ita te à nobis ſubducis, vt appareat te nulla noſtri cura tangi. Alij ſubintelligendum eſſe aliquid iudicant: Abſcondis ſcilicet oculum vel faciem: hoc eſt, claudis oculos, nec aſpicis mala noſtra. Sed quia abſolute ponitur, rectiùs interpretaberis: Abſcondis, ſcilicet te.

In opportunitate] Id eſt, cùm maximè eſſet tempeſtiuum ſuccurrere: cúmque præſens calamitas vrgeat, & nos omnibus præſidiis externis ſimus deſtituti.

2 In elatione impij perſecutionem patitur oppreſſus: comprehenduntur in conſiliis ſuis quę cogitant.

Vt querela videatur eſſe iuſta, & ex grauiſſimis cauſſis profecta, ſubiicit longam deſcriptionem ſeu hypotypoſin, in qua hoſtium Eccleſiæ ingenium atque naturam graphicè depingit, & oſtendit tantam eſſe in ipſis odiorum virulentiã & acerbitatem, tantam crudelitatem, tantum nocendi ſtudiũ, tantam ſuperbiam & faſtum, tantum nominis diuini contemptum, denique tantam aſtutiam in occultandis ſuis conſiliis ſceleratis, vt, niſi diuinitus reprimantur, nemo ſit qui effugere violentas ipſorum manus, aut euitare technas & fraudes ipſorum poſſit.

In elatione] Id eſt, dum euehitur ad dignitatem, ad potentiam, dúmque acquirit opes & diuitias, quæ eum inflant, & ſuperbum atque inſolentem reddunt.

Perſecutionem patitur) *So mus ſich ein armer leiden vnd drücken, ſo gehets vber den armen aus, iſt nirgend ſicher fur jnen.* Ma'i quando creſcunt in aulis, mox omnia ſua conſilia conuertunt ad perniciem bonorum.

ידלק ſignificat ardenti & infeſto animo inſectari: vel neutraliter, vt hoc loco quidam reddiderunt, Ardere. Ardet pauper: hoc eſt, deuoratur tanquam ab igne, & in nihilum redigitur: quia hoſtis nihil niſi ignem & flammas ſpirat, præ faſtu & ſuperbia. Oſtendit igitur vnde tanta ſit crudelitas in impiis: quòd ſcilicet omnia illis proſpere ſuccedunt, eáque re ita infatuantur, vt communis ſortis obliti alios omnes præ ſe contemnant & premant.

Comprehenduntur in conſiliis ſuis] Plerique volunt eſſe comminationem pœnarum, inſertam deſcriptioni, quaſi doceat propheta, futurũ vt illæ machinationes & inſidiæ, quas ſtruũt hoſtes in perniciem Eccleſiæ, tandem redundent in ipſorum capita: ſicut ſuprà aliquoties dixit. Nonnulli etiam in optatiuo hanc ſententiam exprimunt, Vtinam comprehendantur: ſed quia perpetua eſt oratio, deſcribens impiorum tyrannidem & malitiam; ideo nonnulli iudicarunt id eſſe alienum ab hoc loco. Lutherus in commentariis ita hoc explicat, Cõprehenduntur in cogitationibus ſuis: hoc eſt, excæcantur, vt non videant ſe malefacere, ſed potiùs ſibi blandiuntur, tanquam re bene geſta. In Germanica tamen verſione aliam ſententiam exprimit.

יתפשו comprehenduntur, id eſt, coniunguntur, conſpirant, faciunt fœdera, coniungunt vires & conſilia ſua ad opprimẽdos bonos. *Sie hengen ſich an einander.* Hæc ſententia videtur magis congruere ad totam narrationem. Et verbum תפש nõ ſignificat ſemper comprehenſionem hoſtilem, vt cùm quis capitur in bello: ſed qualemcunque apprehenſionem, in qua neceſſe eſt fieri aliquam coniunctionem eius qui apprehendit & quod apprehenditur. Vt cum de Iubal dicitur Gen. 4. quòd fuerit pater omnium qui apprehendunt organa & citharam. Ieremiæ 50. Et apprehendentem falcem tempore meſſis. Significatur igitur hic talis comprehenſio, in qua conferuntur conſilia de opprimendis piis, & coniunguntur vires & arma. Tales conſpirationes regum & principum contra Eccleſiam noſtro ſeculo ſæpe ſumus experti, quæ tamen diuinitus ſunt repreſſæ.

Primùm igitur, quod tribuit Spiritus ſanctus perſecutoribus & hoſtibus Eccleſiæ, eſt ſuperbia, & faſtus, ortus ex felici omnium rerum ſucceſſu: qui facit vt contemnant & deſpiciãt bonos, & opprimere conentur. ídque vt perficere poſſint, cõiungunt conſilia, potentiam, & vires, etiam hi qui alioqui animo inter ſe ſunt alieno, vt videre eſt in exemplo Herodis & Pilati, & aliorum.

3 Quoniam gloriatur impius ſuper deſiderio animæ ſuæ: & auarus benedicit [*ſibi*] inſultat Iehouæ.

Explicat hoc quod antea dixerat de ſuperbia impij. Primò, gloriatur impius (quod diſtributiuè intelligatur, pro, quilibet impius) quaſi diceret, Illa ſuperbia impios euſque prouehit, vt non tantùm prauis ſuis cupiditatibus ſecuri indul-

indulgeant: ſed etiam ſpreto & contempto Dei iudicio, de ſua cupiditate & ſceleribus glorientur, ſeque omni reatu abſoluant. Nihil enim eſt tam turpe & ſceleratum, quo impius non delectetur, & laudi ſibi ducat ſi perficiat. Sicut Ieſaias de ſuis ciuibus inquit, Peccatum ſuum vt Sodoma prædicarunt. Secundò, eſt impius, hoc eſt, eſt extrema & profligata eius malitia.

Et auarus benedicit [*ſibi*] Id eſt, cùm cupiditas eius ſit inexplebilis, rapit vndique, & inuolat in aliorum bona, quocunque prætextu cumulat opes, & poſtea benedicit, ſcilicet, ſibi, velut Pſal. 49. dicitur, Benedicit animæ ſuæ, hoc eſt, gratulatur ſibi, blanditur ſibi, iudicat ſe felicem & beatum, qui tantas opes poſſideat, atque in his ſummam felicitatem ponit. Id Moſes, Deut. 29. volens exprimere, vtitur penè ſimili phraſi, Benedicere ſibi in corde. Tertia igitur nota, eſt auaritia, quæ radix eſt omnium malorum, vt inquit Paulus.

Quidam nomina רשע & בוצע in accuſatiuo reddunt, Impium & auarum: quia iudicant eſſe abſurdum verba tranſitiua eſſe abſolutè poſita. ſed vſitatum eſt in Hebræa lingua etiam verba tranſitiua poni abſolutè, & ſignificare actionem, non tranſeuntem in aliam perſonam, ſed immanentem, vt eadem ſit agentis & patientis perſona. ita verſu primo dicitur, Quare abſcondis? ſcilicet te. Ita הלל laudat, ſcilicet ſeipſum, & ברך benedicit, ſcilicet ſibiipſi.

Inſultauit Iehoua] Quarta nota. Non ſatis eſt ei hominibus miſeris inſultare, hos ſpoliare & excruciare: ſed tanta eſt ſuperbia, vt etiam Deo inſultet. putat enim ſe ſatis eſſe munitum & firmatum contra omnes caſus: & exiſtimat, ſe nunquam deiici poſſe ex illo felici ſtatu quem cōſecutus eſt: ideo ridet & contemnit iram & iudicium Dei, tanquam cui nihil negotij ſit cum Deo. Sæpe enim exaudiuntur tales impiorum hominum voces: *Vvas frag ich nach Gott, vvas hab ich mit ihm zuſchaffen, oder er mit mir.* Ita Dionyſius, inſultans Deo, affirmat ſe relinquere filio regnum adamantinis vinculis firmatum. & Nabuchdonoſor, Daniel. 4. inquit, Hæc eſt illa Babylon, quam ego ædificaui, hoc eſt illud regnum, quod ego mea virtute paraui & confirmaui: quis me euertet aut deiiciet de hoc ſtatu? Hanc particulam copioſiùs exponit verſu ſequente.

4 Impius in altitudine naris ſuæ non inquirit: non Deus, omnes cogitationes eius.

Ἐξήγησις eſt, qua explicat hoc quod dixerat verſu præcedente, impium inſultare Deo. Hoc enim inſultare eſt Deo, exiſtimare non eſſe Deum qui facta hominum aſpiciat & iudicet: ideóque non inquirere, hoc eſt, ſine vllo metu iudicij diuini obtemperare & obſequi prauis cupiditatibus, ſeque his oblectare. Impius hoc loco nomen collectiuum eſt: neque enim de vna tantum perſona loquitur, ſed indefinitè de omnibus.

In altitudine naris] Deſcriptio eſt hominis faſtuoſi & ſuperbi à geſtu: nam qui ſe alios deſpicere & contemnere oſtendunt, naſum quaſi attollunt & in altum coniiciunt: & nos Germani de his dicimus qui contemptum geſtu oſtendunt, *Die Naſen auffvverffen.* In altitudine naris igitur, idem eſt ac ſi dicas, in ſuperbia, qua Deum & homines contemnit. Vel etiam naſus accipitur pro toto vultu, vt ſignificatio contumacis rebellionis ſit in hac phraſi: Sicut nos Germani dicimus: *Seinen Kopff auffſetzē, oder auffvverffen,* id eſt, *Sich mutvvillich gegen einen ſetzē.* Alij naſum accipiūt pro ira μετωνυμικῶς, ſicut aliàs ſæpe vſurpatur: iuxta illud Theocriti. δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Sed quia faſtum & ſuperbiam hominis impij voluit exprimere, magis congruit prior ſententia. neque enim ex ira oritur contemptus Dei, ſed ex ſuperbia.

Non inquirit] Id eſt, non curat, non eſt ſolicitus quid agat: peccat, & proiicit ſe in omnia ſcelera ſine metu. *Fragt nicht darnach,* non mouetur cogitatione pœnarum aut iudicij diuini, vt abſtineat à ſcelere: multò minus humana iudicia veretur. qui inquirit, adhibet ſolicitudinem: non inquirere igitur, eſt eſſe ſine ſolicitudine, *Frech dahin leben.*

Omnes cogitationes eius (ſunt) *non eſt Deus*] Id eſt non iudicat eſſe Deum, qui facta hominum reſpiciat aut iudicet. Itaque, quaſi nullus eſſet Deus, ruit in omnis generis ſcelera. Talis eſt hominum natura, quando deſtituitur gubernatore Deo.

In hoc verſu multa ſimul complectitur propheta. Primò, Cyclopicum & Epicureum Dei contemptum. ſecundò, impudentiam quæ neque Dei, neque hominum iudicia veretur. tertiò, flagitioſam ſuperbiam quæ hominē ad quęuis ſcelera perpetranda impellit.

5 Succedunt viæ eius omni tempore: excelſum iudicia tua de coram ipſo [*id eſt, longè ſunt poſita à conſpectu eius*] in omnes aduerſarios ſuos ſufflat.

Quinta nota impiorum eſt, proſperitas & ſucceſſus. Plerunque enim in hac vita ſunt felices: ſicut diues ille apud Luc. cap. 16. quem Chriſtus dicit bona ſua accepiſſe in hac vita. Atque ex hac felicitate coniiciuntur in ſecuritatem, cōtemnentem iram & iudicium Dei aduerſus peccata: & ita inſoleſcunt, vt omnes homines præ ſe contemnant, vt mox dicit. Verbum חול ſeu חיל ſignificat ſtrenue ſe gerere, ſtrenuum eſſe. Vnde חיל exercitum ſignificat, qui fortiter rem gerit. μεταληπτικῶς ſignificat fortunatum eſſe, & ſucceſſus habere: nam labores comitantur ſucceſſus, ſicut dicitur: *Fortes fortuna adiuuat.* Et, *Agendo res Romana creuit.* Eadem figura ſeu metonymia ſignificat etiam dolére, nam vt Pindarus inquit: δρῶντι τι καὶ παθεῖν τι χρή. Hoc verò loco proſperitatis ſignificatio eſt in verbo. Vnde Chaldæus reddidit, מַצלחין איר חתיה, proſperantur ſemitæ eius. Alij verbo vrgendi reddiderunt, & pertinaciam in impio propoſito ſignificari docuerunt. Cùm enim verbum Hebræum ſæpe in ſpecie de doloribus parturientium vſurpetur, in quibus anniti atque annitendo vrgere fœtum oportet parturientem, commodè eo verbo exponi iudicarunt. Et, vrgere viam, ſignificat perſeuerare in ſuo propoſito ſeu inſtituto, nec parcere vllis laboribus & moleſtiis, donec quod in manibus eſt perficiatur. Ardor igitur & cupiditas perficiendi eius quod inſtituitur, hac forma legendi ſignificatur. Græca tranſlatio habet βεβηλοῦνται, inquinatæ ſunt, quaſi verbum ſit חלל. Alij actiuè interpretantur, terrorem incutere, moleſtiam & dolorem afferre: quaſi hoc velit, Viæ impij ſunt formidabiles bonis, eóſque excruciant. Hieronymus & alij: Parturiunt, id eſt, ſemper aliquid pro ſua inquietudine & πολυπραγμοσύνῃ inueniunt, & cudunt aliquid, quod ſit coniunctum cum pernicie bonorum.

Excelſum iudicia tua] Id eſt, procul remouerunt ex conſpectu ſuo iudicia tua: non cogitant reſtare aliquod iudicium, in quo facta hominum puniantur, ideo ſecuri pergunt.

In hoſtes ſufflat] Sexta nota eſt, confidentia: tantus eſt faſtus, tanta confidentia ex felici omnium rerum ſucceſſu, vt nullos hoſtes quantumuis potentes, metuant: imo verò tam contemptim de iis iudicant, vt flatu oris ſe proſternere omnes poſſe exiſtiment. Locutio eſt metaphorica, ſumpta à geſtu. Nam flatu oris ſignificare ſolemus extremum contemptum.

6 Dicit in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem, [*id eſt in perpetuum*] quia non in malo [*ero,*]

Septima nota. Cum confidentia ſtulta coniuncta eſt profana ſecuritas, quæ ſibi perpetuam felicitatem & impunitatē pollicetur, nec cogitat de vllis periculis aut pœnis. Tales Paulus nominat ἀπηλγηκότας.

Non mouebor] Id eſt, non deiiciar de hoc ſtatu honoris, dignitatis, aut potentiæ:

Quia non ero in malo] Id eſt, quia ita ſum munitus aduerſus omnes caſus & iniurias, vt non poſſit mihi aliquid aduerſi accidere, quod me euertat: & ſicut Niobe dicit apud Ouidium:

--maior ſum, quàm cui poſſit fortuna nocere:
Exceſſere metum mea iam bona.

7 Execratione os eius plenum eſt, & fraudibus atque dolo: ſub lingua eius labor, [*afflictio*] & iniquitas.

Octaua nota ſunt doloſæ, fraudulentæ, & inſidioſæ naturæ, vtque ſuas technas & fraudes meliùs tegere & occultare, & faciliùs fallere imprudentes poſſint, non verentur addere crebras execrationes quibus ſibiipſis mala imprecantur: atque ita abutuntur nomine Dei ad ſua ſcelera tegenda. Eſt autem extremæ malitiæ ſignum, ſub ſpecie pietatis & iuramenti, quo nullum eſt ſanctius & religioſius vinculum, alios fallere. אלה ſignificat iuramentum, quo quis ſe cum imprecatione mali, hoc eſt, iræ Dei, & æternarum pœnarum obſtringit ad aliquid faciēdum vel præſtandum. *Alij* אלה maledictionem interpretantur, qua quis alterius famæ & exiſtimationi detrahit: nā ſicut benedicere interdū laudare ſignificat: ita maledicere eſt vituperare. Nonnulli maledictionē interpretantur de ſophiſtica ſeu falſa doctrina, quæ variis coloribus pingitur, vt faciliùs obtrudatur imperitæ multitudini: ſunt enim illæ corruptelæ vſitatiſſimæ. ſed illa ſpecies comprehenditur quoque ſub genere. Inter ea vero multò plura complectitur Propheta: reſpicit enim non tantùm ad falſam doctrinam, ſed ad vniuerſam vitam & omnes actiones impiorum.

Fraude & dolo] Id eſt, interea dum ſe ita deuouent, ſtruunt dolos & fraudes bonis hominibus.

Sub lingua eius labor & iniquitas] Id eſt, Sub fucatis illis verbis latet venenum. illud enim vnicum agunt vt alios iniuria afficiant & affligant. non ſtudent ſanare offenſiones aut mala publica: ſed potiùs accendunt odia ſua virulenta lingua, & addunt ignem oleo. ſumma, *Inen iſt nicht vvol, kœnnen auch nicht ruhen, ſie haben denn ein vnglück angerichtet.*

Tales multi ſunt in aulis principum, qui accendunt & inflammant animos principum ad bella non neceſſaria mouenda, & turbandas reſpub. ad euertendas ſcholas, ad pellendos & excarnificandos bonos & præſtantes doctores, ad augenda onera publica, ad inſtituendas tales res, quæ cum iniuria aliqua ſunt coniunctæ, & in vita priuata multi virulenta ſua lingua ſunt cauſſæ cædium & aliarum turbarum.

8 Sedet in inſidiis villarum [*atriorum*] in occultis (*latebris*) occidit innocentem: oculi eius in pauperem intenti ſunt (*obſeruant.*)

9 Inſidiatur in abſcondito, ſicut leo in ſpelunca: inſidiatur ad rapiendum pauperem: rapiet (*diſcerpet*). pauperem, dum attrahit eum in rete ſuum.

10 Percutiet, deprimet & deiiciet (*proſternet*) viribus ſuis pauperes.

Poſtrema nota impiorum hominum eſt crudelitas, in quam tandem omnes illæ technę, fraudes & inſidię, de quibus ſupra dixerat, erumpunt. Vtitur autem variis figuris & collationibus, in depingenda improborum hominum crudelitate.

Primùm, comparat eos latronibus, qui viarum anguſtias obſident, & latebras ſibi deligunt, ex quibus incautos viatores ſpolient & opprimant.

חצרים Græci reddiderunt μετὰ πλουσίων, & hos ſecutus eſt interpres Latinus, fortè quia חצר atrium ſignificat: & diuitum palatiis plerunque atria erant adiuncta.

Occidit innocentem] Alij reddunt, Vt interficiat innocentem, & dictionem במסתרים coniungunt cum præcedente membro: ſed accentus Reuia in voce חצרים oſtẽdit hanc lectionem falſam eſſe.

Intenti ſunt] Metaphora à iaculatoribus ſumpta eſt, qui collimant ſemiclauſis oculis, vt rectius feriant. ſignificat autem eos inhiare vitæ & bonis aliorum, ídque clam in latebris, id eſt, ſub ſpecie & prætextu honeſto: ſicut illa artificia ſunt vſitata, ſúntque ita varia vt enumerari nequeant.

Inſidiatur] Altera comparatio, in qua ſæuitiam eorum exaggerat: non enim latronibus tantùm, ſed leonibus, & aliis truculentis beſtiis eos comparat, quaſi diceret: & fraude & vi oppugnat bonos: ſi enim fraude non poteſt circumuenire eos & ſpoliare, addit manifeſtam vim & ſæuitiam. habent enim hoc prouerbij vice, Vbi vulpina deeſt, leonina aſſuenda eſt.

In rete] Tertia ſimilitudo ſumpta eſt ab aucupibus & venatoribus, qui auibus & feris omnibus modis inſidiantur, & pertractas in retia, mox interficiunt & laniant.

Percutit, deprimit] Id eſt, variis modis eos premit, donec tandem prorſus euertat. Alij ſic interpretantur: Contunditur, deprimitur, proſternitur in fortibus eius: pauperes, hoc eſt, cœtus pauperum. Alij ferè longiùs diſcedunt à ſententia, qui ſic reddunt: Atterunt ſeu comprimunt, & humiliant ſeipſos, ne ſcilicet ſua truculentia procul terreant, atque ita faciliùs alliciant cœtum pauperum in robuſta ſua. Sed verba abſoluta, ſequente caſu, fiunt actiua. ideo rectè reddideris actiuè, בעצומיו. In robuſtis ſuis, ſcilicet dentibus & vnguibus, in quibus præcipuum leonis robur eſt: ideo non malè ſubſtantiuè transfertur, In robore ſuo. Ita autem metaphoricè appellat præſidia & milites tyrannorum.

11 Dicit in corde ſuo, oblitus eſt Deus: abſcondit faciem ſuam, non videbit in perpetuum.

Repetit in fine hoc quod antea dixerat de Cyclopico & Epicureo Dei contemptu, & profana ſecuritate, quia vult ſignificare, hoc ſummum eſſe ſcelerum omnium, atque hinc reliqua omnia, faſtum, ſuperbiam, confidentiam, ſecuritatẽ, crudelitatem, auaritiam, &c. originem trahere: quòd ſcilicet cor vacat omni timore Dei, nec cogitat Deum eſſe iuſtum iudicem, qui ſcelera hominum puniat: in tali corde neceſſe eſt omnis generis vitia & flagitia ſuppullulare.

12 Exurge Iehoua Deus: eleua manum tuam: ne obliuiſcaris pauperum.

Altera pars pſalmi eſt precatio, quæ eſt principalis propoſitio in hoc pſalmo. Petit enim liberari ſe & populum ſuum ex manibus impiorum, & defendi contra rabiem, furorem & inſidias hoſtium: ipſos denique hoſtes profligari & euerti.

Surge Iehoua] De hac phraſi dictum eſt ante. Surgere dicitur Deus, cùm abrupta mora incipit exercere iudicium ſuum, nec differt ampliùs liberationem. Iehouam nominat Deum, vt oſtendat, eum eſſe fortem & potentem, qui facilè & vno momento poſſit infringere & euertere hoſtium conatus.

Eleua manum tuam] id eſt, oſtende & declara potentiã tuam in vlciſcendis hoſtibus. Manus ſæpe ponitur pro potentia robore per μετάληψιν: nam manibus oſtenditur robur corporis, Ezech. 39. Videbunt gentes manum meam, id eſt, vires, potentiam. Eleua, inquit, quaſi diceret, Hactenus viſa fuit languida & remiſſa manus tua, dum permiſiſti tuos diuexari ab impiis & tyrannis; econtra verò illorum manus ſunt exaltatæ potentia, & vires eorum ſunt auctæ, quibus abuſi ſunt ad opprimendum populum tuum: nunc igitur deiice illorum manus, & eleua tuam, vt hoſtem perimas. Phraſis ſumpta eſt à geſtu: nam percuſſuri eleuant manus.

Non obliuiſcaris] Id eſt, oſtende tibi afflictos curæ eſſe, nec deſere eos, etiamſi aliquandiu differas auxilium. nunquam quidem obliuiſcitur ſuorum Deus: ſed petit propheta facto hoc oſtendi omnibus, & hunc ſenſum conſolationis pectoribus piorum inſculpi, quòd curæ ſint Deo.

13 Propter quid inſultat impius Deo? dicit in corde ſuo, non requires.

Subiicit rationem petitioni, ſumptam à cauſſa finali: ideo defende & libera nos, & reprime furores hoſtium, vt tuam gloriam aſſeras, & vt refutes Epicureos, qui, quandiu ad ſcelera conniues, iudicium tuum ludibrio habent, tibique ſuperbè inſultant, quaſi nihil cures res humanas. Vt igitur pœna conuicti, agnoſcant te verè eſſe Deum, quem Eccleſia inuocat, & verè te curare & reſpicere tuos, punias eos manifeſtis exemplis, & defendas ac liberes Eccleſiam.

Ad quid inſultat] Id eſt, non concedas vt impius perpetuò inſultet tibi Epicureo contemptu, & tua longanimitate abutatur ad perniciem & interitum Eccleſiæ.

Dicit in corde] Ἐξήγησις eſt prioris membri. hoc enim eſt inſultare Deo, aut blaſphemare Deum, cogitare ſcilicet, quòd Deus non curet res humanas, nec puniat ſcelera, nec rectè facta præmiis compenſet.

14 Vidiſti [*ſcilicet certè vel vtique*] quoniam tu laborem & dolorem aſpicis, ad dandum in manum tuam: ſuper te relinquetur pauper, pupillo tu eris adiutor.

Petitioni ſubiicit promiſſiones, quibus & ſe confirmat contra profanas opiniones & iudicia peruerſa impiæ multitudinis, & gloriam Dei aſſerit contra Epicureorum furores. Dicunt Epicurei, nullam eſſe prouidentiam, & omnia ſine certa ratione geri. Hos vt refutet, opponit hoc dictum: Vides &c. Quia verò intelligit, ſe apud profanam multitudinem ſuis concionibus nihil proficere, ideo ſermonem ad Deum conuertit. Primùm, vt oſtendat ſe non moueri vllis prauis iudiciis, etiamſi videat maximam partem ad illam prophanitatem prolabi. deinde, vt oratio plus habeat ponderis, ſi videatur cum Deo ipſo loqui, & ab ipſo certò perſuaſum hæc proferre.

Vides] Id eſt, non negligis res humanas, vt ſomniant Epicurei: non deſeris tuam Eccleſiam, etiamſi ſinas affligi eam interdũ. Epicurei vox eſt, *Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.* Sed pij cum Dauide dicunt, Deum videre: hoc eſt, curare & gubernare res humanas, atque inprimis Eccleſiam.

Quoniam tu laborẽ & dolorem conſideras] Quod antea in genere dixerat, Deum non negligere, ſed curare res humanas: id nunc in ſpecie affirmat. Quod ſignum eſt ardentis fidei. Nihil enim faciliùs eſt aut promptius, quàm affirmare, quòd Deus curet hunc mundum quem creauit, aut res humanas: ſed doctrinam hanc ad priuatum vſum, & ad ſingulos accommodare, præſertim in magnis ærumnis & tentationibus de indignitate, id verò difficillimum eſt.

Laborem] Id eſt, moleſtiã, afflictionem, calamitates, quibus premuntur pij.

Dolorem] כעס aliqui interpretantur indignationem ſeu furorem impiorum aduerſus bonos: ſed retineo ſignificationem, quæ eſt in Pſalm. 6, vbi ſignificat dolorem ſeu mœſtitiam. nam afflictio bonorum parit multiplices dolores & gemitus.

Aſpicis] Id eſt, ſtudioſè & diligenter obſeruas & conſideras, non tanquam clauſis oculis præteris aut negligis, vt iudicat mundus.

Ad dandũ in manus tuas] Id aliqui ſic interpretãtur: vt detur in manus tuas, impersonaliter: id eſt, vt quilibet hoc committat tuæ voluntati, non fremat aut murmuret aduerſus Deum, ſi videat diutiùs differri auxilium: ſed patienter expectet ma-

ſtet manum Dei vindicem. Alij, ad dandum, ſeu, vt ponas in manus tuas, hoc eſt, vt vlciſcaris, vt paratus ſis ad ſumendam vindictam: vt, dare in manum, ſit idem quod in manus ſumere: ſicut nos dicimus: *In die hand nemen.* Deus dedit magiſtratui gladium ad defenſionem bonorum, & ad pœnas ſcelerum exequendas: ſed quia vel ignaui ſunt, vel ipſi etiam fiunt tyranni & hoſtes Eccleſiæ, Deus gladium ipſis ereptũ ſumit in manus, vt iuſtã vindictã exerceat. Sed quia infinitiuus imperſonaliter vſurpatur, nõ multùm refert, ſiue in ſecunda perſona ſiue in tertia exponas, eodem enim ferè redit ſententia: ſed tamen prior ſententia videtur eſſe ſimpliciſſima: præſertim cùm ſententia, quæ ſequitur, hûc congruat.

Super te relinquet pauper] Id eſt, committit tibi negotium vel ſalutem ſuam, acquieſcit in te ſolo, non eſt ſolicitus de exitu aut euentu, non reſpicit ad humana auxilia & præſidia, non quærit illicita remedia. ſicut homines impij & profani, *Er ſtellets dier heim vnd leſts darauff beruhen.*

Pupillo] Id eſt, deſtituto prudentia, conſiliis, opibus, auxilio, & aliis præſidiis, in quibus fiduciam ſuam collocat profana multitudo. talis enim eſt conditio pupillorum in hac vita, & tales fieri nos oportet, vt deſtituti rebus externis ab auxilio diuino pendere diſcamus.

15 Confringe brachium impij & mali: quæres impietatem eius & non inuenies.

Repetit petitionem.

Confringe brachium] Id eſt, euerte potentiam & vires impiorum hominum. brachium in genere ſignificat, potentiam. nam in brachiis eſt præcipuum robur hominis. hic verò vſurpatur pro violentia, tyrannide & crudelitate, qua boni opprimuntur.

Quæres impietatem eius] Id eſt, ita euerte ipſorum potentiam, & dele eos, vt ſi quis quærat impietatem eorum, amplius non inueniat. hoc eſt, vt nullum maneat veſtigium ſceleris & impietatis ipſorum. Ita Chaldæus paraphraſtes interpretatur, quem ſecutus eſt Græcus. Videtur enim oratio ſimilis eſſe imperſonali. Alij ſic interpretantur: Quære impietatem eius: id eſt, inquire in eius ſcelera: puni, & non inuenies, ſcilicet impium: hoc eſt, ſi pœnas ſumpſeris, nuſquam apparebit impius, nuſquam conſiſtet, non comparebit in conſpectu tuo: nam improbitatis ſuæ conſcius fugiet, vel vt Lutherus habet: Vt non inueniatur impietas eius, *Das ein mal ein end neme vnd auffhœre.* Rabbi Salomo ſic exponit, Trãſgreſſuri Iſraelitæ, vbi viderint impios proſpere agere, corde ad impiè agendum ferentur: verùm vbi brachium eorum confregeris, ſi veneris ad quærendum impietatem impiorum Iſraelis, non inuenies eam.

16 Iehoua rex ſeculi & ſemper: perierunt gentes è terra eius.

Addit rurſus conſolationem, ſumptam ab euentu. éſtque gratulatio quædam, qua ſibi & toti Eccleſiæ gratulatur, quòd non deſtituatur præſidio neceſſario. Impij rapiunt imperium & exercent tyrannidem pro ſua libidine, non cogitantes habere ſe regem ſuperiorem, cuius imperio ſubſint: ſed hæc tyrannis ipſorum non eſt perpetua aut durabilis, imò leui momento euertuntur: econtra verò Iehoua, quem illi ſpernunt & contemnunt, quémque non exiſtimant curare res humanas, manet rex perpetuò, ídque non nomine tantùm, ſed re ipſa, dum potentiam ſuam oſtendit in euertendis & delendis hoſtibus, & in liberanda Eccleſia. Multiplex igitur hic eſt cõſolatio. Prima, Quòd tyrannis impiorum non ſit perpetuò duratura. Secunda, Quòd Deus non abiecerit curam rerum humanarum: ſed ſit rex, qui gubernet, & quidem iuſtè Tertia, Quòd eius gubernatio non interrumpatur, aut impediatur, multo minùs euertatur tyrannorum violentia, manet enim rex perpetuò. Quare nec metuendi ſunt tyranni, nec horum viribus confidendum: ſed ad ſolum Deum reſpiciendum eſt.

Perierunt] Vtitur præterito in prædictione, propter certitudinem euentus. éſtque conſequens enthymematis. Deus eſt rex perpetuò: ergo peribunt qui non parent ipſius imperio. Gentes hic nominat, non externos, ſed impios Iſraelitas & hypocritas, qui fideles crudeliter oppugnabant. Hos dicit habitare adhuc in terra Dei: id eſt, in terra Iſraelis, quam Deus peculiari conſilio & decreto ſibi delegerat pro ſuo populo: eámque ſua impietate horribiliter profanare & fœdare. futurum igitur prædicit, vt terra ab illis inquinamentis repurgetur, Deo ſuus honos & dominium reſtituatur. Phraſis ſumpta eſt ex illo dicto, Leu. 25. Terra mea eſt, vos coloni mei, & aduenæ eſtis.

17 Deſiderium pauperum exaudis, Iehoua: confirmas cor eorum, attendis aure tua.

18 Vt iudices pupillo & oppreſſo: ne addat amplius ad tyrannizandum [*ſæuiendum*] homo de terra [*id eſt, qui eſt ſumptus de terra, vel terrenus.*]

Deſiderium] Cohærent hæc cum ſuperiore promiſſione. Repreſſis & deletis impiis, tandem pij capient conſolationem, & explebitur ipſorum deſiderium, vbi viderint, te oppreſſis opem ferre. & quidem notandum quod dicit, Deum exaudire non tantùm piorum clamores, ſed etiam deſideria, quæ inſtar validi clamoris ſunt in auribus Dei: ſicut Exod. 14. legitur de Moſe.

Confirmas] Id eſt, ſuſtentas vera & firma conſolatione, vt certò ſtatuant & credant te non deſerere Eccleſiam & populum tuum, ſed præſtò adeſſe, regere, tueri, defendere: atque hac fiducia & ſpe patienter ferant ærumnas, nec deſperent fracti magnitudine calamitatum. Alij reddunt, Formas cor, ne ſcilicet quid petant fideles niſi quod rectum eſt. Alij, Das voris ſucceſſum. Alij, Præparas cor eorum, ſcilicet ad deſiderandum: id eſt, nõ expectas donec illi conſiderent: ſed excitas in ipſis hoc ipſum deſideriũ. ſed nota eſt ſtudioſis linguæ Hebrææ ſignificatio verbi כון quod firmare & ſtabilire ſignificat.

Attendis aure tua] Id eſt, non negligis preces, aut ſurdis auribus præteris, vt multi exiſtimant qui languefacti abiiciunt fidem: ſed diligenter attendis, tanquam in re ſeria, & ad gloriam & exiſtimationem tuam pertinente.

Vt iudicet] Id eſt, vt cauſſam pupillorum iudicando expediat, ipſos ſcilicet liberando, impios vero perdendo.

Vt non amplius ſæuiat] Addit cauſſam finalem liberationis. ideo ſeruari & liberari pios, ne ampliùs nomen Dei profanetur & polluatur ab impiis tyrannis, qui de cœlo Deum deturbare conantur: neue prorſus opprimatur aut deleatur Eccleſia: ſed maneat aliquis cœtus Deũ rectè agnoſcẽs & celebrãs.

Quòd nominat tyrannos אנשים deridet ipſorum veſaniam & audaciam: quòd ſtolidè ſe ſupra Deum efferant, cùm tamen ſint homines miſeri & calamitoſi, atque adeo de terra ſumpti & in terram reuerſuri.

PSALMI X.

PARTES.

I. Exordium, in quo ſupplici mente conqueritur de Deo, quòd opem differat, v. 1. de improbis, quod bonos exagitent & malis afficiant, v. 2.

II. Narratio, de improborum multiplici fraude ac violentia aduerſus viros innocentes, & Deum ipſum comparata, v. 3. ad 12.

III. Petitio, diſſipationem improborum & miſerorum liberationem complectens, argumentis ductis à gloria, officio, natura Dei, & à fide piorum in Deum, à v. 12. ad finem pſalmi.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1] *Vbi iniquitas inſtar diluuij exundat, ne fidẽ electorum Dei percellat tẽtationis nouitas & acerbitas, oculos in hunc pſalmum cõÿcere decet: nã ad leuãdum dolorem plurimùm valet hæc cõparatio, nihil nobis hodie accidere quod non olim experta ſit Eccleſia Dei.*

In rebus omnino confuſis quærendus eſt Deus: quia niſi ſuccurrẽdi partes ei tribuamus, nihil cæco fremitu & iactis in aerem querimonijs proficiemus.

Inter curarum noſtrarum agitationes & æſtus fixa manere debet hæc perſuaſio, proprium Dei eſſe munus, miſeros & afflictos auxilio iuuare.

Etiamſi Deus ſingulis momentis manum ſuam non proferat: vbi tamen ſimplices & innoxios opprimi conſpicit, non ampliùs ceſſat, ſed conſtituto tempore apparet.

2 *Impijs nonniſi alti & feroces ſpiritus in cauſa ſunt, cur non laceſſiti ſæuiant contra miſeros & inopes.*

Quiſquis iuſtè & innoxiè verſari cupit cum proximis, ne ſibi pla-

ceat cum aliorum contumelia, ſed animum ſuum ſuperbiæ morbo in primis purgare ſtudeat.

Faſtus impiorũ miſeros homines inſtar ignis accendit & deuorat.

3 Laudem impij captant ex audacia, & in ſceleribus ſuis gloriantur: quæ ſecuritas effrænis proteruitiæ cauſa eſt.

Supina indulgentia, quæ in profanis & violentis hominibus apparet, cauſa eſt craſſus Dei contemptus. Nam quia Deum fore iudicem reputat, ei terror obijcitur, ne animæ ſuæ benedicere audeat, dũ ſibi malè conſcius eſt.

4 Principium rectè agendi in tota vita, inquiſitio eſt: dum ſcilicet neque temere pro noſtro ingenio, neq; peruerſo carnis noſtræ impetu rapimur. Studiũ verò inquirendi ex modeſtia naſcitur, dũ nobis Deum arbitrum & moderatorem præficimus vt æquum eſt.

Impij ſi quem eſſe Deum perſuaſi forent, comprimeret eos futuri iudicij metus, non quòd diſtinctè negent eſſe Deum, ſed, quia illum ſua virtute ſpoliant. idoli autem inſtar erit Deus, ſi otioſa eſſentia contentus iudicis officio ſe abdicet.

Quum impij nihil non machinari audeant, ſatis inde liquet, omnem Dei metum ex eorum cordibus eſſe deletum.

5 Iudicia Dei ſunt excelſum quid impiis. quia freti longa, vt putant, diſtantia non modò ſibi inducias in totam vitam, ſed æternũ cum morte fœdus promittunt. Vide Ieſa. 22.13. & 28.15.

Attollunt quidem fideles in ſublime oculos, vt Dei iudicia ſuſpiciant: ſed non ſecus metuunt ac ſi iam capitibus ſuis inſtarent. Impij contrà, quamuis ea deſpiciant, ne tamen eorum metu vel cura turbentur, in cœlos Deũ ablegant, vnde manat illa confidentia quòd ſolo flatu perdituros ſe exiſtimant quicquid hoſtium extiterit.

6 Maximum eſt diſcrimen inter piorum & impiorum cõfidentiã: fideles enim ſibi ſtabilitatem non alibi quàm in Deo promittunt, & quidem talem vt ſe tamen omnibus procellis expoſitos eſſe nouerint, & patienter ſubijciant. Contrà Dei contemptores, humanæ ſortis obliti, ſibi quietũ nidũ falſa imaginatione figunt ſupra nubes, roboris ſui duritiẽ ad omnes impetus ſuſtinendos ſatis validam eſſe putãtes.

Fideles in ſeipſis trepidi ad gratiæ Dei aſylum properè confugiunt, vbi ſecurè exultant: impij verò quamuis expaueſcant ad ſtrepitum folij cadentis, & in continua inquietudine verſentur, callum tamen obducunt, vel accerſunt ſibi inſanam vertiginem, vt extra ſe poſiti mala ſua non ſentiant.

7 Periurijs & diris, quibus capita ſua deuouent, impij proximis ſuis imponunt, quatenus ad fraudandum & nocendum expedit. hinc moleſtia & iniquitas: quia laqueos ex dolis, periuriis & malitia cõtextos ſine ſuo incommodo ſimplices effugere nequeunt.

8 Non ſecus ac latrones villarum exitus obſident, ita impij vbicunque ſint, piis ſtruunt inſidias.

9 Fraudes & inſidiæ impiorum violentiam comitantes, oſtendũt modis omnib. miſeros fore Dei filios niſi cœleſti auxilio iuuẽtur.

10 Vndique metuendi ſunt impij, quia ſuam crudelitatem diſſimulant, donec ſuis plagis irretitos teneant quos vorare cupiunt.

11 Ex præſenti rerum intuitu ſic æſtimant ſuam fortunam impij, vt Deum quodammodo ſibi obſtrictum imaginentur: vnde fit vt in perpetuum ſecuri ſint, quia non reputant poſt longam Dei tolerantiam grauius inſtare iudicium.

12 Commune tentationũ ſemen omnibus eſt inſitũ, vt Deo manum ſuam & iudicium occultante, de eius prouidentia dubitare incipiat: ſed lõgè differũt electi à reprobis: quia alij carnis ſenſum fide ſtatim corrigũt: alij verò in peruerſa imaginatione ſibi indulgẽt.

13 Vſus precandi ſemper eſt obſeruandus, vt ſcilicet Deus noſtrorum omnium affectuum teſtis ſit: non quòd alioqui ipſum lateant, ſed quia dum coram ipſo effundimus corda noſtra, tantundem leuatur noſtra cura, & augeſcit impetrandi fiducia.

14 Sicut impij proteruam ſcelerum licentiam ſibi facere volentes, procul ſe à Deo ſubducunt, & peruerſo mentis errore ſibi fingunt longam diſtantiam: ita ex oppoſito fideles à vagis & erraticis opinionibus ſe colligere operæpretium eſt, & ſurſum erectis mentibus Deum quaſi præſentem alloqui.

Quum Dei ſit notare quicquid noxæ infertur bonis & ſimplicibus, certò perſuaſi ſimus ab eo conſiderari moleſtias noſtras & dolores, etiam dum ad tempus conniuet. Sed noſtrum eſt patienter quieſcere, quandiu in manu Dei repoſita erit vindicta, donec brachium ſuum ad opem ferendam extendat.

Dandum eſt tempus Dei prouidentiæ, vt pij homines, dum miſerè premuntur, ſuas curas in Dei ſinum reijciant: & poſtquam ſuam ei ſalutẽ comendauerint, nõ feſtinent in ſuis votis, ſed exonerati reſpirent, donec Deus re ipſa oſtendat opportunum eſſe agendi tempus.

15 Quum pij precantur vt Deus vindictã ſuã acceleret, hac ſe cõſolatione ſuſtentat, quòd impij non laſciuient niſi Dei permiſſu: quia in eius arbitrio eſt, vbi tribunal conſcenderit, ſolo cõſpectu eos delere.

16 De cœleſti rege aliter quàm de principibus terrenis & magis honorificè ſentiendũ eſt: quia ſi non ſtatim exequitur ſua iudicia, ſemper eadem penes ipſum & integra manet facultas: denique non ſibi priuatim, ſed nobis & in æternum vſque regnat: ne quid illum impediat longior mora, quominus opportunè ad opem mortuis vel deſperatis ferendam manum extendat.

Quum falſi & adulterini Abrahæ filij, Gentium nomine notati, fuerint in Iudaica Eccleſia, minimè nouum nobis eſſe debet, ſi hodie quoq; profani homines Eccleſiam Dei contaminant: ſed rogãdus eſt Deus vt domum ſuam citò repurget, & canes ac porcos foras eijciat.

17 Dum hypocritæ in Eccleſia regnant, vel ſua multitudine fideles obruunt, aſſiduè rogandus eſt Deus vt eos exterminet.

Cultores ſuos deficere, vel à fide excidere, vel precibus renuntiare Deus non ſinit, ſed ad ſe reuocat, donec re ipſa appareat, ſpem eorum non vanam nec irritam fuiſſe.

18 Vbi iniuſtè fuerint oppreſſi fideles, Deus tandem vindex & liberator apparebit: interim fortiter durandum eſt ſub cruce, quia ſæpe Dominus non antè ſeruis ſuis vult opitulari, quàm ad extrema redacti fuerint. Hinc quidem ingens eſt carnis & Spiritus lucta: verùm ſi locum dare cupimus Dei auxilio, domandus eſt feruor noſter, ſedanda impatientia, mitigandi dolores, vſquedum miſeriæ noſtræ Dei gratiam prouocent.

Inter tumultuoſos impiorũ impetus firmũ nobis maneat iſtud principiũ, ſimul ac Deo viſum fuerit, euanidũ fore quicquid moliuntur.

Licet capita ſua ſupra nubes impij extollant, nihil aliud ſunt quã quinque pedum vermiculi, è terræ fiſſuris erumpentes, & innumeris ærumnis obnoxij: vnde ſequitur veſanam eſſe eorum audaciam, dũ ſuæ ſortis obliti atroces minas ſpirant, efflant horrendos terrores, perinde ac ſi libidini eorum reprimendæ ne Deus quidem ſufficeret.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De variis loquendi formulis, quæ Deo membra corporea & humanos affectus tribuere videntur.
2. Impiorum, Dei maieſtatem & piorum innocentiam variis modis oppugnantium, expreſſa effigies.
3. Piorum, ſub cruce gementium conſolatio certiſſima.

ARGVMENTVM PSALMI XI.

HVNC Pſalmum veriſimile eſt conſcriptum eſſe à Dauide, quando eiectus à Saule in exilium hinc inde vagabatur, & oberrabat per montes, incertis ſedibus, & abdebat ſe paſſim in locis deſertis & in ſpeluncis, vt crudeles manus impij Saulis & ſatellitum eius effugeret. Id enim verba primi verſus non obſcurè ſignificant, in quibus affirmat ſe vagari in montibus, & ex vno in alium migrare, tanquam auiculam. Vt autem Dauid, eo tempore in exilium pulſus, varias ærumnas, miſerias, dolos, perfidiam & crudelitatem ſuorum hoſtium eſt expertus: ita Eccleſia, cuius ille typus fuit, ſemper in hoc mundo exulat & vagatur ſine certa ſede, & crudeliſsimis odijs, iniuriis & inſidiis tyrannorum eſt expoſita. Totus enim mundus in eius perniciem conſpirat, nec conceditur ei tranquillitas diuturna, atque vt auicula ex ſuo nido eiecta, hâc atque illâc vagatur & oberrat. Sed rurſus, ſicut Dauid his ærumnis & periculis ſuis opponit promiſsiones quæ defenſionẽ pijs pollicentur, & impiis pœnas denuntiant: atque harũ promiſsionum fiducia ſe contra terrores, qui vndique ei offerebantur, ſuſtentat: ita ſciamus Eccleſiam, Deo tuente & ſeruante, ſaluam fore, etiamſi deſtituta ſit omnibus præſidijs humanis, & hoſtes habeat crudeliſsimos & potentiſsimos. Vt enim ipſe Deus iuſtus eſt, ita iuſtos diligit, tuetur & defendit: & econtrà impios odit, & tandem triſtibus pœnis iudicium ſuum aduerſus eos oſtendit. Continet igitur hic pſalmus conſolationem Eccleſiæ neceſſariam. Cum enim talis ſit conditio Eccleſiæ & ſingulorum piorum, vt nunquam in hac vita habeant fixam ſedem, ſemperque ipſis paratæ ſint exilia & variæ ærumnæ: neceſſe eſt multò antè præparari animos noſtros, & confirmari veris conſolationibus, vt perferre has ærumnas, atque interim retinere animi conſtantiam in profeſſione doctrinæ poſſimus.

Alij

Alij allegoricè pſalmum interpretantur, de corruptelis doctrinæ, & impiis doctoribus, qui homines à fundamento ſacræ doctrinæ & fidei ad ſuos montes, hoc eſt, ad fiduciam propriæ iuſtitiæ abducunt, at pios & conſtantes doctores acerbiſſimis odiis & crudeliſſimis ſuppliciis perſequuntur. Hac allegorica expoſitio quanquam ſuũ in docendo habere locum poteſt, tamen cùm noſtra interpretatio non debeat recedere à ſimplici ſententia, quam Grammatica & proprietas verborum gignit, ego hanc interpretationem non attingam. Auditores ad commentarios remitto, in quibus illa prolixius tractantur.

AD triumphandum Dauidis [*ſcilicet carmen.*]

1 In Iehoua confido, quomodo dicitis animæ meæ, vagamini in monte veſtro, [*fugite in montes veſtros*] ſicut auis?

In exordio pſalmi, antequam bonitatem & iuſtitiam Dei in defendendis ſuis commendet, commemorat varias luctas & certamina, quæ ipſi fuerint cum his qui eum ad deſperationem impellere conabantur. Multi enim, non prorſus mali, cùm viderent Saulem implacabili odio ſæuire aduerſus Dauidem, nec poſſe eum ſaluum eſſe, niſi fuga ſibi conſuleret, ſuadebant, vt abiecta ſpe regni, in perpetuum exilium concederet, & alicubi latebras quæreret, atque ita vitã ſeruaret. Alij etiam, qui Saulem ſequebantur, cùm viderent eum iam eiectum in exilium vagari hinc inde in montibus, & ſe paſſim occultare, vt manus Saulis effugeret: acerbè ei inſultabant quaſi dignas pœnas affectati regni & ſeditioſorum conſiliorum daret. His verò omnibus quod opponat nihil habet, niſi quod dicit ſe Domino confidere, cuius autoritate & iuſſu regno erat inauguratus: itaque non parare contra, aut quærere præſidia alia, nec de perpetuo exilio cogitare: & quanquam ad tempus cedat furori Saulis, ſeque in montibus occultet, aut etiam ad regem Gath confugiat: tamẽ certò ſe ſcire Deũ ſibi affuturum, & tandem euerſis hoſtibus regnum ſibi reſtituturum eſſe. Hac igitur ſpe & fiducia auxilij diuini ſe patiẽter ferre ærumnas exilij & iniurias hoſtium affirmat. Hæc eſt ſumma primi verſus: ac docet nos Dauid ſuo exẽplo quomodo noſtri labores & ærumnæ fiant cultus Dei, nempe ſi fide intueamur Deum, & in ipſo acquieſcamus. nam alioqui miſeriæ ipſæ per ſe, ſine fide & inuocatione non ſunt cultus Dei.

In Domino confido] Qui ſcilicet voluit me eſſe regem in ſuo populo, & publica autoritate mihi regnum hoc demandauit, & quem ſcio veracem eſſe in ſuis promiſſionibus.

Quomodo dicitis animæ] id eſt, quî igitur vultis mihi perſuadere, vt propter iniuſta odia Saulis & ſatellitum eius concedam in perpetuum exilium, & omnem ſpem regni abiiciam? vel etiam, cùm hoc præſidio munitus ſim, quare tã acerbè atque ſuperbè inſultatis mihi, in hac mea fuga & ærumnis, dum ad tempus cedens impio furori Saulis quæro latebras, & in mõtibus me occulto? vt vtrũque ſignificet hoc loco, Dicere animæ, primùm perſuadere velle vt perpetuum exilium deligat, & ad exteros concedat, vbi tutus eſſe queat, id quod nonnulli faciebant, qui tamen non malè erga Dauidem erant affecti. Nam tales deliberationes ferè inſtituuntur 1. Samuel. 27. quando migrat ad regem Gath, vt ad tempus cedat furori: alij etiã ex odio iubebãt eum cedere in exilium, 1. Samuel. 26. Vade, inquiunt, & ſerui Diis alienis. Secundò, petulanter ſed fruſtra inſultare propter ærumnas exilij, id quod faciebant iurati hoſtes eius, ſatellites Saulis, Semei, & ſimiles: illi enim cùm viderent Dauidem eiectum à Saule vagari in montibus ſine præſidiis, & paſſim quærere latebras, & ægrè vitam tutari, ridebãt eius ſtultitiam, quòd ſe fruſtra in tãta pericula coniiceret: ipſique acerbè inſultabant, dicentes, Vagamini, quaſi dicerent, Ecce qui regnum in populo Dei affectabat, ſeque regem oſtentabat, nunc miſer & exul vagatur in montibus, ſine certa ſede quærit latebras, & viuit in perpetuo periculo & metu. egregium verò regem! an quis putat periculũ fore Sauli ab iſto rege, quamdiu ſic vagabitur per montes? *Laſſet ſie ſo vmbher ziehẽ, laſſet ſehen, vvas ſie fur ein Kœnigreich ſtifften vverden.* Hac voces ſæpe audire coactus eſt à Semei, & ſimilibus. & hoc nominat Dicere animæ: quia tales ſarcaſmi animam ipſam penetrabant & vulnerabant. & tamen non frangitur animo, nec deſperat Dauid, quia fides nititur promiſſione diuina. Id exemplum intueri debemus, vt quoties nobis denuntiantur exilia aut ſupplicia, nõ abiiciamus fidem & ſpem.

נוד ſignificat vagari incertis ſedibus, ſicut de Cain dicitur, Geneſ. 4. Vagabundus eris in terra, nuſquam conſiſtes, terrores conſcientiæ exagitabunt te, & pellent ex vno loco in alium. Et legitur hoc loco in plurali imperatiuum, id quod non tantùm ו in fine, ſed etiam affixum כם additum nomini הר oſtendit. Rabini verò pro נודו exiſtimarunt legendum eſſe in ſingulari נודי vt commodiùs referri ad nomen נפש poſſit, quod eſt ſingularis numeri: ſed non opus eſt propter hanc cauſſam diſcedere à vera grammatica. Nam illæ enallagæ modorum, temporum, perſonarum, numerorum, in Hebræa lingua ſunt vſitatiſſimæ: & Dauid in hac oratione non ſe tantùm, ſed & comites ſuos & ſocios exilij comprehendit: atque maluit vti plurali numero. Pro חרכם alij legunt מחרכם Fugite de monte veſtro: qua mutatione non eſt opus.

Tanquam auis] Scilicet trepida, quæ nuſquam tutò conſiſtit, ſed hinc inde vagatur, 1. Sam. 26. hanc ſuam oberrationem penè eodẽ modo explicat, cùm ad Saulem dicit, Quoniam egreſſus eſt rex ad quærendum vnum pulicem, quemadmodum qui perſequitur perdicem in montibus. Talis eſt vita piorum ἄστατος, vaga, & multiplicibus ærumnis atque iniuriis obnoxia. Deeſt autem hoc loco כ nota ſimilitudinis: vnde nõnulli ſic legendũ hoc loco putant, נודי הר כמו צפור.

Nomen הר non de vno monte tantùm hic intelligitur, ſicut dicitur mõs Zion, mons Garizim &c. ſed de integro montium tractu, ſeu montoſa & aſpera regione, ſicut nos dicimus, *Im Gebirge.* Affixum non ſemper congruit numero cum nomine cui iungitur, ſed cum eo quod refert, Sicut neque genera conueniunt cũ nomine cui iunguntur, ſed cum perſona aut rẽ quam referunt.

2 Certè ecce impij calcant arcum: firmant ſagittas ſuas ſuper neruum: vt iaculentur in occulto ad [*in*] rectos corde.

Dixerat ſe confidere Deo, ideóque facilè contẽnere minas & ſarcaſmos hominum impiorum, qui vel exitium ei minabantur & indicebant perpetuum, vel exacto iam ex regno, & in montibus vaganti, petulanter & ſuperbè inſultabant. nunc querelam ſubiicit, in qua dolos, fraudes, inſidias & crudelitatem impiorum depingit, & è regione ſuas miſerias & ærũnas oſtendit. Non ſatis, inquit, eſt impiis mihi inſultare in rebus aduerſis, & me ridere, vt ſolent ἐπιχαιρέκακοι, ſed inſuper eiectum & nudatum præſidiis perſequuntur hoſtiliter, & omnes latebras pertentant, vt me comprehenſum tandem interficiant. Hæc omnia rectè ad totam Eccleſiam accommodari poſſunt.

Intendunt arcũ] Id eſt, ſemper ſunt inſtructi & in omnes occaſiones intenti, vt è medio tollant pios. nunquam enim pij ſunt tuti ab ipſorum inſidiis. Per arcum & ſagittas omnis generis molitiones & praua conſilia συνεκδοχικῶς ſunt intelligenda.

Ad iaculandum in occulto] Hoc aliqui ſic interpretantur, vt iaculentur aſtutè, clam & ex inſidiis. ſed videtur propheta potiùs reſpicere ad ſuas latebras, quas tunc in fuga quærebat: in quibus dicit ſe non poſſe latere, quin hoſtium tela eò quoque penetrent: atque ita vndique circumuentum eſſe periculis, vt in ipſas cauernas etiam mors eum comitetur.

In rectos corde] Ita ſe & ſuos comites appellat, qui veram de Deo doctrinam erant amplexi, & vera pietate ſine ſimulatione Deum colebant, atque ideo tanta odia impiorum ſuſtinebant.

3 Quoniam fundamenta deſtruuntur: iuſtus quid faciat?

Altera pars eſt querelæ, in qua ſuas ærumnas & miſerias explicat. Eò enim ſe redactum eſſe ait, vt nulla iam penè ſpes ſalutis ſuperſit: quocunque enim ſe vertat, omnia ait plena eſſe metus & inſidiarum, vt nullibi inueniat locum tutum, vbi cõſiſtere aut reſpirare queat: itaque neſcire quò ſe vertat, aut quid agat. res ipſa, inquit, clamat & teſtatur mihi pereundum eſſe, quia fundamenta ſunt deſtructa: id eſt, omnes meæ fortunæ ſunt euerſæ: omnia illa præſidia & externa adminicula quibus fidere nonnihil poteram, ſunt mihi erepta: nihil eſt ſaluum: nihil reliquum præſidij aut opis coram mundo. Μεταφορὰ eſt ſumpta ab ædificiis, quæ dirutis fundamentis tota concidere neceſſe eſt. Alij שתות interpretantur retia: atque his ſignificari intelligunt fraudes & inſidias quibus petebatur Dauid. His ruptis volunt Dauidem teſtari, non ſua opera vel induſtria id factum eſſe, vt patefactis hoſtium conſiliis, & eliſis horum conatibus euaderet ſaluus: ſed diuinitus ſe liberatum eſſe. Alij fundamenti vocabulo aliud intelligunt, quidam enim fœdera interpretantur. in quibus ſtabilitus eſſe debebat: & tamen ſæpe rupta ſunt à

Saule. Alij allegoricè ſacerdotes interpretantur, qui erant interfecti à Saule 1.Reg.22. vel in genere iuſtos, qui ſunt quaſi fundamenta ſeu fulcra reipub. Hieronymus Leges interpretatur, quas ait diſſipatas eſſe illa tyrannide Saulis. Nonnulli etiam per fundamenta veram & ſanam Euangelij doctrinam intelligunt:& quia pij ſemper taxant prauas de Deo opiniones & impios cultus qui fundamētum à Deo poſitum conuellunt & labefactant, ideo tanto furore & rabie impios perſequi Eccleſiam.

4 Iehoua in templo ſancto ſuo : Iehoua in cœlis ſolium eius : oculi eius aſpiciunt : palpebræ eius probant filios hominis.

Altera pars pſalmi continet antitheſin, in qua furoribus hoſtium & terroribus mortis opponit promiſſionem, quæ piis defenſionem & liberationem pollicetur, impiis verò pœnas & interitum minatur.

Dominus in templo ſancto ſuo.] Hanc ſententiā opponit præcedenti, in qua dixerat, fundamēta deſtructa eſſe. eſtque hæc ſententia : Quanquam rationi videtur omnia fundamenta eſſe deſtructa : & foris nihil apparet præſidij atque auxilij, ideóque actum videtur de ſalute noſtra, tamen propterea non abiicio animum aut ſpem vt deficiam à Deo, vel abiiciam profeſſionem doctrinæ: ſcio enim Deum eſſe in templo ſuo, hoc eſt, adeſſe nobis præſentem: in hoc periculo nos regere, adiuuare, defendere, liberare: nondum igitur, vt ratio iudicat, omnia fundamenta euerſa ſunt, nec omnia præſidia amiſſa. Templum Domini, & propitiatorium in eo collocatum, teſtimonium erant præſentiæ Dei in hoc populo: quod hiſtoria Moſis teſtatur. Deus enim dicitur ibi habitare, & exaudire preces inuocantium, Deut.12. Eò igitur reſpiciens, ſentit ſibi præſentem eſſe Deum. Addit autem, in cœlo eſſe ſolium eius, vt oſtendat, eum non eſſe otioſum ſpectatorem rerum humanarum : ſed tanquam regem in palatio ſuo regnare, & ſolium iudicij illic tenere. quod ſicut boniis & piis conſolationem affert: ita impiis metum & terrorem incutere debebat.

Oculi eius aſpiciunt] Illatio eſt ex ſuperiore ſententia : cùm enim in cœlo præſideat tanquam rex, & cuncta ipſius imperio ſint ſubiecta, nihil poteſt eum latere, & ſunt ei curæ res hominum, ſicut dicitur,

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.

Palpebræ probāt vel explorāt] Id eſt diligenter, attētè & accuratè aſpiciunt & obſeruant res hominū. nihil enim fit temere aut caſu, ſicut mundus exiſtimat: ſed Deus eſt, qui res hominum aſpicit, & non tantùm externa facta videt, ſed etiam cogitationes cordium intuetur. ideo dicit eum non tantùm videre, ſed explorare palpebris. metaphora ſumpta eſt ab iis qui diligenter aliquid intuentes & obſeruantes ſolent oculos nonnihil claudere, & compreſſis palpebris rem inſpicere, vt videantur non tam oculis quàm palpebris rem intueri.

5 Iehoua iuſtum probat : impium verò & diligentem iniquitatem odit anima eius.

Expolitio eſt prioris ſententiæ, à partitione: ſumit enim duo genera hominum. ſunt impij, & ſunt pij : vtroſque iudicat Deus. & quanquam aliquandiu permittit vexari probos, vt mundus iudicet eos eſſe deſertos & abiectos à Deo: tamen tandem iuſto iudicio oſtendit, ſibi bonos curæ eſſe, & ſe malos odiſſe.

Odit anima] Plus eſt quàm ſi diceret, ipſe odit: vult enim oſtendere ſummū & extremum odium Dei aduerſus impios, & tandem hanc ſeueritatem ſuam pœnis oſtendere.

Anima Dei odit] Ipſe intimè & extremè odit, & punit ſeuera & iuſta indignatione.

Probat] Id eſt, ſic explorat & inquirit de vnoquoq;, vt iuſtos ab impiis diſtinguat, & iuſtos ſibi curæ eſſe oſtendat, impios verò horribilibus pœnis perdat.

6 Pluet ſuper impios carbones [*prunas*] ignem & ſulphur, & ventum aduſtionum, (id eſt, vrentem) [*quæ eſt*] pars calicis eorum.

Propheta duplicem conſolationem opponit minis, ſarcaſmis, odiis, & furoribus hoſtium, qui eum perſequebantur. Prior ſumpta eſt à ſpe præſentiæ & auxilij diuini, de qua iam dictum eſt, & iterum verſu vltimo repetitur. Altera ſumpta eſt à pœnis & interitu impiorum. Comparat autem pœnas pluuiis: Primùm, quia vult ſignificare, Deum quidem interdum differre liberationem piorum, & pœnas impiorum. non enim perpetuæ aut continuæ ſunt pluuiæ: ſed eas Deus, quoties viſum eſt, emittit. imò ſæpe cùm maxima eſt ſerenitas, continuò grandinem aut violentum imbrem excitat. Atque ita impij quoque dum ebrij ſunt voluptatibus & deliciis, & pollicentur ſibi perpetuam ſerenitatem, hoc eſt, vitæ felicitatem, ſubitò obruuntur pœnis, atque euertuntur. Deinde reſpicit propheta hac loquendi forma ad veterum hiſtorias, ad excidium Sodomæ & Gomorræ, vel ad plagam Ægyptiorum, de qua dicitur Exo.9. & ſimiles. Atque ita ab exemplo docet, fore, vt quemadmodum illi perierunt, etiā cæteri quocunque tempore pereant. eſtque hic ſenſus prophetæ : ſicut antea variis pœnis Sodomitas atq; alios impios Deus perdidit : ita deinceps etiam puniet & perdet omnes improbos, nec permittet vt pro ſua libidine perpetuò graſſetur in pios.

Pluet ignem] Id eſt, obruet illos innumeris malis & ingentibus calamitatibus, in quibus perire eos neceſſe ſit. Ponit ſpeciem pro genere, reſpiciens ad illa exempla, de quibus dictum eſt. alioqui enim non vno genere pœnarum perdit impios.

פחים ferè omnes interpretantur laqueos, & metaphoricè intelligunt illas plagas iræ diuinæ, cùm ſpirituales, tum corporales, & illa mala ſubita atque inopinata, è quibus impij ſe auertere nullo modo poſſunt : ſed quibus in dies magis magiſque inuoluuntur, vt nullum ſit effugium. vt congruat ad illud pſalmi 35. Veniat illi laqueus quem ignorat. Itē pſal. 69. Sit menſa eorum coram illis in laqueum. Et quanquam nomen פח plerumque laqueum ſignificat, & non malè quadrat hæc interpretatio: tamen, ſi ſententiam prophetæ atque etymō vocis ſpectes, videtur potiùs hoc loco ſignificare prunas ſeu carbones ardentes: nā פוח ſignificat afflare, inde פח ſignificat carbonem afflatum. Et ſine dubio reſpicit hac voce ad hiſtoriam quæ eſt Exod.9. vbi Moſes ait, Deum pluiſſe ſuper Ægyptios grandinem permixtam igni, id eſt, prunis, ſeu carbonibus: eſt enim hic verſus deſcriptio fulminis.

זלעפות ſignificat ambuſtiones ſeu aduſtiones, quantum ex aliis teſtimoniis colligere licet, vt Thren.5. Cutis noſtra quaſi clibanus aduſta eſt, à facie aduſtionum famis. Videtur igitur ſignificare ventos vrētes, quales illi ſunt in Africa, qui arenas ardentes calore Solis excitant, & homines inuolutos ita mox adurunt, quaſi ad ignem corpora eſſent toſta. Alij vertunt: ſpiritum procellarum ſeu turbinum, quia procelloſis ventis excitantur tempeſtates, quas poſtea ſequitur fulminatio, cuius hic eſt deſcriptio.

Pars calicis eorum] Id eſt, hæc eſt ipſorum ſors & fortuna: & non eſt quòd cogitent ſe poſſe effugere has pœnas. Calix in ſcriptura ſignificat certum demenſum, quod cuilibet attribuitur, ſeu portionem certam. Solebant enim veteres ſingulis in familia dare certum demenſum, ſeu certam portionem cibi, & certam menſuram vini ſeu potus. Id ſcriptura nominat calicem, vt metaphoricè ſignificet ſortem & conditionem cuiuſque, & ſumitur tam in bonam quàm in malam partem. interdum enim pœnas quæ peccatis infliguntur, vel afflictiones quæ ſunt δοκιμασίαι piorum : interdum lætitiam ſpiritualem ſignificat, qua cumulantur pij: vt pſalm. 23. calix meus inebrians. Sumitur igitur metaphora à re familiari ſeu œconomia: & Deus quaſi patrisfamilias perſonam ſibi induit, qui ſingulis diſtribuat ſeu admetiatur ſuam mēſuram ſeu demenſum. A nomine כום eſt Græcum χοῦς nomen menſuræ 8. heminarum ſeu duorum cantharorum, & χοῖνιξ quod videtur eſſe diminutiuum à χοῦς, continet duos ſextarios, ſeu vnum cantharum. χοῖνιξ autem Græcis ſignificat demenſum continens 3. cotylas.

7 Quoniam iuſtus Iehoua iuſtitiam diligit: rectum vident facies eius.

In fine repetit priorem conſolationem, quam iudicat maximè efficacem & neceſſariam eſſe: quòd ſcilicet Deus etiamſi interdum aliquādiu differat auxilium ſuum, propterea tamen non deſerat, vel abiiciat pios, ſicut mundus exiſtimat: ſed certò reſpiciat, curet, exaudiat, defendat: & tandem etiam glorioſe liberet Eccleſiam. argumentatur autē à natura Dei: Deus eſt natura iuſtus, & amans iuſtitiæ : ergo nequaquam poteſt deſerere iuſtos : alioqui à natura ſua diſcederet.

Facies eius] Ad verbum eſt, facies eorum : enallage eſt numerorum vſitata huic linguæ.

Lutherus ſic interpretatur: Quod rectum eſt attendunt facies illorum, ſcilicet proborum : id eſt, non franguntur perſecutionibus: ſed perſeuerant ſperando iuſta. Ideo experiuntur Deo gratam eſſe iuſtitiam: ſed quia ישר eſt nomen תאר videtur nonnihil hoc eſſe coactum.

Videre autem hoc loco, vt pſalmo primo verbum noſſe, ſignificat curare, tueri, defendere, ſolicitum eſſe, & quaſi excubias agere pro alicuius ſalute. nā verba ſenſuum comprehendunt affectus comitantes.

PSAL-

PSALMI XI.

PARTES.

I. Contentio aduerſus improbos & verſipelles conſiliarios, à fiducia ſua in Deum, verſ. 1. cui opponuntur tum amarulentæ & blaſphemæ eorundem contumeliæ, ibid. tum impij & fraudulenti conatus ver. 2.

II. Narratio ab hypotheſi ad theſin commodè delabens, & exponens v. 2. facta improborum violenta & fraudulenta, deinde euenta & cauſas, v. 3. 4. 5. 6. in quibus iudicia Dei in impios oculis noſtris ſubiicit.

III. Confirmatio & concluſio ætiologica deſumpta à coniugatis: nempe vt iuſtos diligit ſummus ille iudex, ita iniuſtos odio iuſto proſequitur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 *Carnis ſapientia, quæ neglecto Dei auxilio tantùm humana præſidia quærit in neceſſitatibus, minimè eſt audienda, ſed prorſus explodenda.*

Quū certatim & variis machinis filij huius ſeculi Dei electos ad deſperationē impellere ſtudeant, ſæpius accidit vt pro carnis infirmitate pij grauiter percellantur: ſed fide muniti, intrepidè & conſtanter in Dei promiſſiones recumbunt, ita vt tentationibus minimè cedat.

Trepidæ auiculæ inſtar Eccleſia inſtabilis eſt in mundo, & per diuerſos errores ab hoſtium ſuorum aucupiis deflectit: tamen ſic firma in fide ſtat, vt in vanum laborent quicunque eam à Chriſto auellere conantur.

Quamlibet nos mundus exagitet, ſemper in ſtatione noſtra manendum eſt, ne à Dei promiſſionibus excidamus, vel ne ipſæ nobis excidant: atque vt ſurſum & deorſum feramur, in fide vocationis noſtræ pedes figendi ſunt.

In Deum fiducia multò præſentius & tutius aperit auxiliū, quàm opes & regna mundi, aut potentiſſimorum amicorum fauor.

2 *Eccleſia Dei impiorum dolis & truculentia, non ſine arcano Dei conſilio ſæpiſſime eò redigitur, vt quocunque ſe abdiderit, elabi tamen ex hoſtium ſuorum manibus non poſſe videatur: & nihil eſt tam abſconditum, quò non penetrent impiorum iacula, quoties iuſto iudici ita videtur ſuorum fidem & patientiam exercere.*

3 *Pij in ſummis anguſtiis aliquoties conſtituuntur, & longo tempore cum morte luctantur, ita vt veluti à fundamentis euerſi appareant.*

Maxima filiorum Dei in rebus deploratis conſolatio, conſcientiæ integritas, quæ impauidos præſtat, etiamſi cœlum terræ miſceatur.

Ad fiduciam pij animantur, quòd ex cauſæ ſuæ bonitate concipiūt Deum à parte ſua ſtare, ſibique fore propitium.

4 *Inſignis hæc fidei probatio eſt, quum tenebris vndique in mūdo circundamur, lucem petere, quæ nos in ſpem ſalutis dirigat.*

Sic nobis reputanda eſt cœleſtis illa & potentiſſima Dei omnipræſentis prouidentia, vt rebus perditis remedium ex eius iudicio ſperemus.

Non aliter iuſtus honos à nobis Deo defertur, niſi quum hoc nobis certò perſuaſum eſt, miſeris omnibus & iniuſtè oppreſſis ſacrum eſſe aſylum eius tribunal.

Hæc fidei gloria eſt, Deum mundi opificem minimè negligere ordinem à ſe conditum: & quanquam ad tempus iudicia ſua ſuſpendat: in ſolo tamē eius intuitu acquieſcere nos decet, vnico hoc ſolatio cōtentos quòd è ſolio cœleſti humano generi præſideat, & quæcunq; in mundo geruntur obſeruet: quamuis non protinus appareat eius cognitio.

Speciali prouidentia Deus omnes & ſingulos, pios præcipuè, curat & amplectitur, proinde nemo cogitet, nullius ſum momenti in hoc ſeculo, contemptus ſum, pauper, vilis, &c. imo puta oculos Dei in te eſſe intentos, lætare & animo exulta, quòd tui rationem Deus optimus maximus habere dignetur.

Vitam piorum Deo viuenti & omnia videnti conſecratam eſſe oportet, vt eius vocationi & ſanctæ voluntati dignè reſpondeant.

5 *Homines ſæpe innoxium putant qui impius & ſceleratus fuerit, & contrà. At Dei iudicium falli non poteſt, vt ſontem pro inſonte accipiat. Quare vt vita noſtra illi probetur, cordis integritas retinenda eſt.*

Deus quum non ſit author peccati, intimo perfectóque odio impios proſequitur qui ſibi in maleficiis placent: ſicut ex oppoſito pietatis & iuſtitiæ cultores tuetur & liberat.

6 *Quantiſper à pœnis quieſcit Deus, agnitio iuſtitiæ eius ſpem noſtram probè fouebit, donec effectu probet ſe nunquam à ſpecula ſua diſceſſiſſe.*

Sicuti non ſunt continuæ pluuiæ, ſed eas Dominus, quoties viſum eſt, emittit, imò vbi maxima eſt ſerenitas, ſubitò grandinē aut violentum imbrem excitat: ita repentina vindicta impiis inſtat, vt hilares & deliciis ſuis ebrij, tempore à Dei iuſtitia conſtituto pereant.

Deus vindictæ ſuæ exordium à laqueis facit, omnia impiis ſubterfugia præcludens: vbi autem irretitos & vinctos tenet, diris & horrendis modis in eos fulminat: ſicut igne cœleſti Sodomam & vicinas vrbes conſumpſit.

Certa, rata, præfixa, horrenda ſunt quæ in impiorum corpora & animas parata ſunt Dei iudicia, vtcunque fallaci adulatione reprobi iſti ſe deludant.

Quia nihil difficilius ſibi perſuadet caro, quàm clades & miſerias, quæ fortuitæ videntur, diuinitus iuſto temperamento accidere, Deus perſonam patrisfamilias in Scriptura ſibi induit, qui ſingulis domeſticis demenſum aliquod certum, quum opus eſt, diſtribuat. Repoſita igitur certò eſt merces impiis, fruſtráque repugnabunt, quam Dominus iræ ſuæ calicem bibendum porrexerit: nec paratus eſt calix quem guttatim delibent, ſed quem ſorbere totum cogantur. vide pſalm. 75. 8. Ierem. 25. 15. Ezech. 23. 34.

7 *Quia Deus eſt iuſtus, conſequens eſt vt iuſtitiā diligat, alioqui ſeipſum abnegaret: & frigida ſpeculatio eſſet, iuſtitiā in Deo incluſam concipere, niſi in mentem nobis veniret, Deū agnoſcere quicquid ſuum eſt, atq; huius rei ſpecimē in mundi gubernatione edere.*

Dei præſidio ſalui fient omnes qui eius gratiæ innixi iuſtitiam ſincerè colunt: & vt horrendus impiorum, ita piorum iucundus tandem erit exitus: reprobos enim iuſtis tremendiſque ſuppliciis coercet: electos ſuos autem gratuita ſua in Chriſto miſericordia probat, amplectitur & benignè fouet in æternum.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Satanæ & impiorum variæ artes, vt piorum fidem & ſpē in Deo ſubuertant.
2. Summi iudicis, nempe Dei ſeuera aduerſus iniuſtos iuſtitia, piæ animæ oculis ſubiecta.
3. De Dei erga iuſtos immenſo fauore.

ARGVMENTVM PSALMI XII.

CONTINET hic pſalmus triſtem querelam, quòd paſſim oppreſſis bonis, & ad exiguum numerum redactis, homines mali & ſcelerati, mendaces, fraudulenti, hypocritæ & tyranni ad dignitates ſummas euehantur, & paſſim pro ſua libidine dominentur, cum iniuria & oppreſſione iuſtorum. Deinde addit precationem, qua diuinam vltionem & interitum hominibus ſceleratis imprecatur: & ſimul pios & afflictos conſolatur: vt certò ſtatuant ſe defendi à Deo, ne à malis prorſus opprimantur aut deleantur: & manſuram eſſe aliquam Eccleſiam ſibi perſuadeant, quantumuis rabioſè ſæuiant in eam impij.

Sunt igitur tres partes pſalmi, prima, eſt Querela, ſecunda, Precatio, tertia, Conſolatio. Etſi autem veriſimile eſt Dauidem in primis notare illud tempus quo Saul crudeliter & ſuperbè dominabatur in populo Dei: tunc enim peſſimi quique & ſceleratiſſimi erant apud eū in honore & dignitate, & boni variis iniuriis premebantur: (qualis enim eſt rex, tales etiam habet miniſtros) tamen pſalmus ad omnia tempora, & præcipuè ad hoc vltimum tempus, in quod nos incidimus, accōmodari debet. Qualis enim tunc fuit facies Eccleſiæ & populi Dei, quando Saul crudeliter in bonos ſæuiebat, & peſſimos quoſque euehebat: talis ſemper fuit & erit facies Eccleſiæ in mundo: & præ-

ſertim in hac delira eius ſenecta, maiores & triſtiores erunt confuſiones, ſicut prædixit vox diuina. Sicut igitur Dauid & ſe & ſuos conſolatur verbo Dei, eóque ſe ſuſtentat aduerſus iniuſtam vim & tyrannidem malorum, nec frangitur vel ſuis calamitatibus, vel impiorum felicitate, vt à Deo deficiat: idem nos facere ſuo exemplo iubet.

TITVLVS.

AD triumphandum ſuper octaua pſalmus Dauidis.

שמינית quidam exiſtimant eſſe inſtrumentum Muſicum, ab octo chordis ita dictum. Alij tonum eſſe malunt. Aliqui initium carminis eſſe diuinant, & mouentur ea ratione, quod pſalmo 6. huic voci addatur nomen נגינות.

2 Serua Iehoua, quoniam conſumptus eſt pius: quoniam imminuti ſunt fideles à filiis hominum.

Orditur pſalmum à petitione, quæ eſt propoſitio. deinde habet annexas querelas, quæ rationis loco ſubiiciuntur. Serua, inquit, aliquem cœtum bonorum, aliquam Eccleſiam, ne in illa infinita morum licentia, & tyrannide malorum hominum, omnes pij abs te deficiant, aut opprimantur iniuſta vi. Niſi enim Dominus reliquiſſet ſemen, inquit Ieſa. omnes ſicut Sodoma eſſemus, &c. nam communis ſcelerum licentia homines abripere ſolet, vt ad omnis generis ſcelera ſe proiiciant. Multi etiam boni langueſiunt, dum vidēt malos florere.

Quia conſumptus eſt pius] Id eſt, quia magna eſt raritas bonorum hominū, poſtquam rerum ſumma peruenit ad homines perditiſſimos & ſceleratiſſimos. Omnes enim accommodant ſe ad affectus & cupiditates impij ſui regis, & ſatellitum eius. חסיד ſignificat virum probum & beneficum, qui de aliis bene mereri ſtudet, quíque ſtudet priuatim & publicè ſuum ſtudium & officium probare Deo & hominibus.

Imminuti ſunt fideles] Id eſt, homines veraces, fidi, integri, ſeruantes pactorum, defecerunt. Nulla enim eſt fides aut veritas inter homines, *Es iſt vveder Trevv noch Glaub mehr vnter den Leuten.* Hæc primùm de moribus in genere ſunt intelligenda, qui tunc cùm impij & mali reges præſunt, ſunt corruptiſſimi: deinde ad doctrinam Eccleſiæ ſeu cultum pietatis accommodari poſſunt. id quod nonnulli fecêre interpretes.

3 Vanitatem loquuntur quiſque ad proximum ſuum: labio blanditiarum in corde & corde loquuntur.

Expolitio eſt præcedentis verſus, in qua deſcribitur ſtatus regni Iſraelitici, ſub impio rege Saule. nihil eſt verum aut ſimplex in ipſorum ſermone: ſed omnia ſunt fucata, plena fraudibus, dolis, ſimulationibus & perfidia. איש ſæpe ponitur diſtributiuè, pro quiſque, ſicut apud nos nomen *Man, Der Man gebe einen groſchen &c.*

Labio blanditiarum] Seu aſſentationum, quibus boni decipiuntur. Blanditias nominant חלקות à diuiſione, quia aliud ore promitur, aliud pectore clauditur: aliud item dicitur in faciem, & aliud à tergo.

Corde & corde] Id eſt, diuerſo ſeu duplici corde. cordis duplicitas facit etiam bilingues & flexiloquos. Apud Hebræos quando idem nomen duplicatur, tum iſta duplicatio notat eius rei quam ſignificat diſtributionem. Exod. 16. Colligebāt Manna mane & mane, i. ſingulis mane. Eſth. 1. Vt facerēt iuxta bonam voluntatem viri & viri, id eſt, cuiuſque. 2. Reg. 17. Gens gens, id eſt, ſingulæ gentes. Marc. 6. Conuiuia conuiuia, id eſt, diſtributis conuiuiis.

4 Excindat Iehoua omnia labia aſſentationum [*blanditiarum*] linguam loquentem magnifica.

Secunda pars eſt imprecatio, vt tales perdat Dominus. Imprecationes autem prophetæ habent vim vaticinij. quod igitur iſtis imprecatur, id euenturum ſignificat omnibus ſimilibus quocunque tempore.

Loquentem magnifica] His verbis declarat ſe præcipuè loqui de aulicis, & in aliqua dignitate conſtitutis, quorum qualis ſit aſſentatio & magniloquentia, vita quotidiana ſatis oſtendit. Cùm fallere volunt blandiuntur, & nihil ipſis eſt ſuauius: poſtquam aliquem vana ſpe pellexerunt, & irretitum tenent, ſuperbè & arroganter loquuntur, & agunt minaciter.

5 Qui dicunt, lingua noſtra præualebimus: labia noſtra nobiſcum [*ſunt*] quis Dominus nobis?

Repetit querelas & amplificat eas à mimeſi: vt enim ſuperbiam & faſtum eorum depingat, recitat & exprimit ipſorum verba, plena arrogantiæ & contemptus, tam Dei quàm hominum.

Lingua noſtra præualebimus] Id eſt, nos noſtra grandiloquētia nihil non obtinebimus & efficiemus, eáque facilè obtundemus alios, ne vel fraudes & dolos noſtros intelligant, vel ſe opponere nobis audeant. imò quicquid lubet, facilè ipſis obtrudemus & perſuadebimus, atque ita aliis dominabimur. Tales tunc fuerunt apud Saulem, & ſemper fuerunt, & ſunt in aulis principum. Et illuſtre huius rei exemplum conſpicitur in aula Romana, quæ ſua lingua, hoc eſt, praua doctrina, arte picta & fucata, tantum præualuit, vt imperium vſurpauerit in Imperatores, Reges, & vniuerſos principes orbis Chriſtiani.

Labia noſtra nobiſcum] Id eſt, nos quia ſumus cū imperio, poteſtatem habemus dicendi & ſtatuendi quæ volumus: nec eſt quiſquam qui tuto auſit contradicere, aut ſe opponere nobis. Itaque neminem veremur, & nemo deiicere nos ab hoc gradu dignitatis poteſt. Hæc verè competunt pontifici Romano.

Quis Dominus] Id eſt, nos neminem agnoſcimus ſuperiorem: ſumus enim αὐτοπίθιοι. Itaque pro noſtro arbitrio quicquid placet, ſtatuere poſſumus.

6 Propter vaſtitatem oppreſſorum, propter gemitum egenorum, nunc exurgam, dicit Iehoua: ponam in ſalute, libere loquetur ei.

Poſtrema pars pſalmi continet promiſſionem, qua pios & afflictos conſolatur, ne exiſtiment interituram eſſe Eccleſiam, etiamſi aliquandiu ab impiis & ſuperbis tyrannis prematur. Vt autem conſolatio ſit efficacior, & altiùs penetret animos piorum, introducit Deum ipſum loquentem. habet enim talis oratio maiorem emphaſim ſeu ἐνέργειαν, quæ ore ipſius Dei profertur.

Propter vaſtationem] Id eſt, oppreſſionē: quia omnibus rebus ſpoliati, eo iā ſunt redacti pij, vt nihil illis ſuperſit præter gemitus & lachrymas, nunc igitur tempus eſt vt ſuccurram. Ita ſignificat Propheta, Deum tamdiu plerunque differre auxilium, donec deſtituti pij omnibus præſidiis humanis, nihil reliquum habeāt niſi vota & preces. gemitum autem dicere maluit quàm querelas, vt oſtenderet, ita fuiſſe oppreſſos ſuo tempore bonos, vt non liberum fuerit dicere aut conqueri de ſua iniuria apud alios. Sicut & Amos de ſuo tēpore queritur, c. 5. Propterea prudens tacet, quia tempus malum eſt. Et tamen hoc loco obſeruandum, quòd quanquam ſua culpa, Iudæi ſibi hanc tyrannidem attraxerant, dum regem poſtularent: tamen Deus clamantes ſeu gementes etiam exaudit.

Nunc) Emphaticum eſt: quaſi diceret, Hactenus viſus ſum quaſi dormire, & negligere bonorum ſalutem: nunc expergefactus ipſorum clamoribus tandem ſuccurram, & nunc tempeſtiuum eſt ſuccurrere.

Ponam in ſalute) vel reſtituam ſaluti, ſcilicet oppreſſos & bonos: id eſt, reſtituam bonos in integrum, liberabo eos ab iniuſta violentia tyrannorum, & ſaluabo eos. Alij exponunt, ponam vel afferam ſalutem, quaſi litera ב ſit otioſa: ſed plus eſt, ponere in ſalute, quam afferre ſalutem. ſignificat enim non ad tempus tantùm præſenti neceſſitati ſuccurrere: ſed firmam, continuam ſeu duraturam ſalutem cōſtituere & firmare. Ego ponam eum in ſalute, id eſt, liberatum ita confirmabo, vt deiici aut excuti iniuſta vi tyrannorum nullo vnquam tempore queat: quem enim Dominus ponit & firmat, is nulla vi vel arte humana euerti poteſt. Hanc verò ſalutem non intelligamus de corporali tantùm liberatione, quæ eſt momentanea: ſed de illa vera & æterna ſalute, quæ promiſſa eſt piis in Chriſto: ea enim eſt firma, ſtabilis & perpetua: ideo aliqui vocabulum ſalutis intelligunt de inſtauratione miniſterij. Sed complectitur Propheta vtrunque, & liberationem corporalem, & alteram illam quæ in promiſſione Euangelij oſtenditur.

Liberè loquetur ei) Id eſt, pius iam liberatus ex afflictionibus non ampliùs claudet os aut obmuteſcet coram impio, qui antea omnem fandi libertatem ei eripuerat, & nihil niſi gemitus relinquebat: ſed libere deinceps aperiet os coram impio. Oſtendet enim ſe facilè & magno animo contemnere eius minas, & erit animo tranquillo & ſecuro: quia fiducia auxilij diuini confirmabit eum, vt poſthac ſine metu & lætus pergat facere officia vocationis ſuæ. Verbum פוח ſignificat flare, ſpirare, in tertia coniugatione, vel perſpirare, perflare, efflare, Cant. 4. vel cùm ad ſermonem transfertur, cum ſpiritu ſeu afflatu, hoc eſt: cum confidentia, audacter loqui καὶ παῤῥησιάζειν, vt ſolent ferè faſtuoſi & nimium confidentes: & quia παῤῥησία fiduciam & ſecuritatem animorum oſtendit: ideo etiam hanc complectitur. Forſterus neutraliter interpretatur, Erit reſpiratio illi: & ita Buchananus reddidit, poeta excellens & doctus.

Surgam ait, atque inopem, tuta vt reſpiret in arce,
Inſidiiſque procul ſecurum ſtatuam.

Aliqui

Aliqui ad Deum accommodant, loquetur ſibi, id eſt, ſecum. Nonnulli de efficacia miniſterij interpretantur, quòd halitus ille ſeu flatus oris in miniſterio, non ſit futurus inanis ſonitus, ſine efficacia. Pagninus, Ponam in ſalute (eum) cui laqueum iniecerat, ſcilicet impius: atque hunc nonnulli ex recentioribus ſequuntur.

7 Eloquia Iehouæ eloquia pura: argentum coctum in ſublimatorio terræ, purgatum ſepties.

Amplificat & exaggerat promiſſiones ab encomio verbi diuini, quod commendat à varietate & certitudine. dixerat enim, piis hominibus traditas eſſe promiſſiones de ſalute à Deo, ne deficiant, ſi quando malos, vel in Eccleſia vel rep. dominari videant: ſed certò ſciant, Deum tandem liberaturum bonos ex ærumnis. Huic promiſſioni vt eo faciliùs & firmiùs aſſentiantur, affirmat promiſſiones diuinas eſſe ratas & firmas, quæ non fallant credentes, aut inanibus verbis nos lactent, Deúmque reuera hoc præſtare quod promiſſiones ſonant: itaque tutò inniti fidem his poſſe. In otio & voluptatibus cùm nihil ſentimus aduerſi, omnes quidem affirmamus Deum eſſe veracē: ſed in cruce & calamitatibus hoc ipſi tribuere, & tantum à verbo ipſius pendere, id verò longè difficillimum eſt.

Eloquia Domini ſunt pura] Id eſt, ſunt firma, vera, rata, certa, atque indubitata, non ſunt ὑποκίβδηλα, aut fucata, vt adulterina numiſmata, quæ aliud in fronte promittant, aliud in receſſu habeant. Hominis promiſſiones ſæpe fallunt ſpem: multas enim habent ſimulationum ſcorias & ſordes admixtas: ſed Dei promiſſiones ſunt puræ: itaque gratæ & pretioſæ eſſe debent piæ menti. Addit ſimilitudinem, qua id declarat, ſumptam ab argento defæcato & excocto. Quanquam autem ſimilitudo tantæ rei explicandæ non ſufficiat (quid enim argentum ſimile habet cum promiſſionibus de rebus cœleſtibus & æternis?) tamen vſitatum eſt Spiritui ſancto ſumere ſimilitudines à rebus communibus, & in oculos incurrentibus, & his adumbrare res maximas: vt cùm Ieſaias lætitiam cordis, quæ oritur ex iuſtitia fidei, comparat gaudio quod eſt tempore meſſis, cap. 9. 2.

Eſt velut argentum excoctum & purgatum ſepties] Id eſt, nullas habet fæces aut ſcorias admixtas, totúmque eſt verum, purũ, firmum, ſolidum. Itaque ſicut argentum habetur in pretio inter homines: ita & verbũ Dei debet nobis eſſe pretioſum. Vt autem argentum non diſcernitur aut purgatur niſi igne, & quidem crebro: ita promiſſiones diuinæ tunc primùm dulceſcunt, & veritas harum conſpicitur, cùm nos igne tribulationis examinamur. Nam extra tentationes ſemper adhæret nobis aliquid ſcoriarum & ſordium ab humanis conſiliis aut traditionibus, quærimus enim alibi opem & auxilium quàm in Deo: alij aliter. ſed tandem in calamitatibus, cùm videmus nos deſtitui omnibus externis rebus, nuſquam niſi in verbo Dei conſolatio quæritur, eáque tunc eſt efficax. ita tunc repurgatur verbum Dei, & fit pretioſius. בעליל quidam exponunt pro principe, quaſi non in vulgarem vſum, ſed principis terræ excoctum, vt ſit à בעל. Sed iudico cum cæteris eſſe nomen à עליל quod ſignificat vas nitidum ſeu bene politum. Chaldæus habet כורא quod fornacem ſignificat.

Terra] Id eſt, terreo in vaſe vel fornace terrea. Sic nos circumgeſtamus theſaurum noſtrum in vaſe teſtaceo, & cruce ac tribulatione in nobis purgatur. לארץ videtur ſcriptum eſſe pro הארץ. Quanquam, ſi ל omnino motum ad locum ſignificat, ita non incommodè reddi poteſt, Vt defluat ex fornace ad terram.

Septies] Id eſt plenè, perfectè & integrè, vt nihil ſcoriarum aut ſordium relinquatur: nam ſeptenarius numerus eſt perfectionis. ſignificat igitur lucem fidei creſcere, & conſolationes fieri dulciores & firmiores in cruce, in exercitiis pœnitentiæ, in pauoribus, in perſecutionibus.

8 Tu Iehoua cuſtodies eos: ſeruabis eum à generatione iſta perpetuò [*Für vnd für.*]

Repetit promiſſionem præſentiæ & auxilij diuini & oſtendit manſuram Eccleſiam etiam inter ruinas imperiorum. Simul autem docet, non humanarum eſſe virium, nec prudentiæ aut conſilij noſtri, cauere inſidias, vim & iniurias malorum hominum: ſed tantùm Eccleſiam eſſe ſaluam præſidio & auxilio diuino.

Tu cuſtodies eos] Idem eſt ac ſi dicat, Abſque tua ope & auxilio actum eſt de ipſorum ſalute. Tanta enim vis eſt & rabies malorum hominum vt ſalui eſſe boni non poſſint, niſi te defendente & ſeruante. Itaque præſto eris piis, & te defendente non poterunt vlla vi humana euerti. Emphaſis eſt in pronomine אתה non negligenda.

Eos] Quos ſcilicet ſupra dixerat inopes, miſeros & egentes. Abé Ezra reddidit, Ea, & refert ad eloquia quæ Deus iuſtis ſeruet: nec ſinat vlla iniuria horum veritatem labefactari.

Eum] Mutatio eſt numeri vſitata Hebręis, pro eos. quod tamen hoc loco nonnulli non abſque ratione factum eſſe exiſtimant: volunt enim numero ſingulari exprimi bonorum paucitatem. Alij volunt Prophetam ſeipſum adnumerare huic cœtui, cui opus eſt auxilio diuino.

A generatione hac] Id eſt, à cœtu & turba illa improborum, de quibus ante conqueſtus erat. Scriptura generationis vocabulo, & bonos & malos complectitur, & non tantùm de præſentibus intelligitur vocabulum, ſed etiam de poſteris, ab ipſis propagatis: nam generatio includit propagationem. De malis hoc loco & alibi vſurpatur: de bonis verò, pſal. 112. Generationi rectorum benedicetur. & pſal. 14. Dominus in generatione iuſti. Aliqui generationem de tempore intelligunt aut ætate illa qua viuebat Dauid. ſed hoc omitto tanquam coactius.

In perpetuum] Id eſt continuò: ſicut nos dicimus, Iſte homo perpetuò ſtudet: id eſt, ſine intermiſſione. & quia perpetuam defenſionem optat & promittit piis, ſimul ſignificat perpetuum fore bellum in hac vita piis hominibus, & perpetuò nobis ſtandum eſſe in acie.

9 Circumquaque impij ambulant: dum exaltantur vilitates inter filios hominum.

Promiſſioni ſeu voto addit rationem à multitudine, potentia & faſtu impiorum hominum; in quem deſinat tandem imperium improborum. Ideo, inquit, ſeruabis pios, quia cùm homines viles, abiecti, leues, nullius pretij, nulla doctrina, virtute aut pietate præditi, euehuntur ad ſummos honores & dignitates, vt obtineant principatum, ſedeántque ad gubernacula rerum, vel in politia, vel etiam in Eccleſia: tunc circũquaque omnia ſunt plena impiis, ſceleratis & perditis hominibus, & impij vndequaque quaſi circunfuſi paſſim inualeſcunt & regnant.

Ambulare in Scriptura ſæpe ſignificat proficere, creſcere, ſucceſſum habere, florere: denique etiam regnare. Prioris exemplum extat 1. Sam. 2. Et ambulabat & creſcebat Samuel: id eſt, ſubinde magis ac magis proficiebat. Item Gen. 26. Iuit eundo & creſcendo, donec creuit valde: id eſt, ſubinde magis ac magis creuit. Ita Eſa. 40. Pij ambulabunt & non deficient: id eſt, proficient & habebunt ſucceſſus. Deinde ad ſæuitiam nonnulli hoc accommodant.

Ambulant vndique] Id eſt, non tantùm regnum obtinent, ſed etiam inſtar leonum & luporum circumeunt, quærentes quos deuorent & perdant. Sicut Petrus de diabolo hoc affirmat. & R. Dauid phraſin explicaturus addit להרע להם id eſt, maleficiant eis. Alij, circumquaque ambulant, id eſt, occupant exitus, vt bonos obſideant. Vel, vt alij hoc interpretantur: Multis ambagibus & flexuoſis artibus inſidias obliquè tendunt.

Vilitates inter filios hominum] Id eſt, viliſſimi hominum, per auxeſin, vt eloquentia pro eloquente. Viles autem & ſordidi dicuntur in quibus nulla eſt pietas, nulla virtus, nulla doctrina aut peritia rerum, de quibus dicitur,

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

quales ſunt qui cibi & potus cauſſa turpiter aſſentantur principibus, & horum cupiditatibus obſequuntur. Monentur autem hac ſententia, qui præſunt vel reip. vel Eccleſiæ, vt homines idoneos, & probatos deligant ad adminiſtrationem rerum.

Nomen participiale זולל apud Hebræos ſignificat prodigum & decoctorem ſeu comeſſatorem, *Einen Schlemmer, der alles durch den hals iaget.* Inde poſtea ſumitur pro vili & abiecto, ex conſequente. Tales enim contemnuntur tandem ab omnibus. Inde apud Ierem. cap. 15. opponitur nomini יקר quod pretioſum ſignificat. Ab hoc nomine deducitur זלות quod vilitates ſignificat.

PSALMI XII.

PARTES.

I. Propoſitio petitionem ex abrupto continens, & narratiunculam ætiologicam, v. 2 & 3.

II. Narratio prophetica de exitio impiorum v. 4. & 5. De piorum conſeruatione, v. 6.

III. Confirmatio promiſſionum Dei, impuriſſimæ & inaniſſimæ improborum iactantiæ oppoſita. v. 7.

IV. Petitoria concluſio, theſin ad ſe ſuóſque accommodans verſ. 8. amplificat autem verſ. 9. petitionis neceſſitatem duobus argumentis. 1. à ſtudio & operibus impiorum certatim ad maleficia quæuis contendentium. 2. à præpoſtero iudicio & laudatione vitij, quod abiiciunt boni, improbi verò laudibus in cœlos efferunt, & alij alios ad mala patranda exſtimulant.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2.3. Ne hodie in triſti & horrendo corruptiſſimi & prorſus cõfuſi ac deplorati rerum humanarum ſtatus aſpectu animos deſpõdeant fideles, ferendum patienter cogitent, ſi eadem ſit ſua conditio quæ olim Dauidis. ad cuius exemplum, quũ nulla ſuperſit inter homines rectitudo, quum ius auerſum ſit & inuerſum, iuſtitia è longinquo cõſiſtat, in plateis collapſa ſit fides, æquitas incedere nequeat, ipſa veritas ſublata ſit, & qui recedit à malo inſanus habeatur, ad Deum confugere diſcamus, cui maximè eſt opportunum ſeruandi tempus, quo res magis in mundo confuſæ ſunt.

Duæ ſunt iniuſtitiæ ſpecies, violentia & fraus: quæ ſi aliquoties nos premant, cauendum eſt ne cum leonibus & vulpibus reperiamur, vel communis ſcelerum licentia nos abripiat, ſed tanquam Chriſti oues in paſtoris noſtri curam recumbamus.

Quicquid Satan & impij conentur, quãdiu mundus durabit reperiẽtur inter homines aliquot miſericodes & veraces, vtut pauci ſint. Nã & infrà, propheta ſatis declarat ſuperfuiſſe adhuc bonos & inſontes, de quorum oppreſſione, gemitu & liberatione diſſerit.

Vt integrum cor ingenuè expandunt quibus propoſitum eſt vera citer agere cum proximis: ita tyranni, hæretici, & alij perfidi ac fallaces partem affectus ſui tenent reconditam, & ſimulationis fuco tegunt, vt nihil certi queat ex eorum ſermone colligi. Sit ergo ſimplex ſermo noſter, vt character ſit recti animi, linguamque blãdiloquam & cor duplex, ceu peſtem extremam execremur.

4. 5. Gladiis ac telis omnibus magis exitiales ſunt fraudes ac calumniæ. Vide Pſal. 120.

Duplex eſt adulatorum & ſycophantarum genus. Alij enim ſeruiliter & putidè adulantur, è flamma parati petere cibum: alij arrogantes & faſtuoſi omnes deſpiciunt, neminem verentur, nihil mẽtiri eos, nihil fingere pudet, dummodo primas in rebus omnibus obtineant, & ſint bonis formidabiles.

Ad impietatis faſtigium homines peruenerunt, quando inſurgunt cum tali fiducia, vt improbis etiam verborum iactantiis ius & fas omne peruertere audeant: perinde enim eſt ac ſi apertè Deo ipſi indicerent prælium.

6 Magna piis in Scriptura proponitur conſolatio, quòd Deus ipſe in medium prodiens & loquens inducitur, qui ore ſuo liberatorem ſe afflictis adeſſe pronunciat.

Salus apud Deum nobis ita eſt repoſita, vt non ſtatim eam proferat: tacet enim Dominus, donec ſuorum miſeriis & clamoribus expergefactus fuerit.

Quoties iniuriæ hoſtium, rapinæ & vaſtationes nihil nobis præter lachrymas & gemitus reliquum facient, meminerimus iam adeſſe tempus quo Deus ad iudicium ſurgere velit.

Iniuſtè oppreſſos tandem Deus reſtituit in integrum, quibus ſpes ſalutis affulget, quum Deus voce ſua oſtendit ſe eis fore propitium.

7 Propenſa ſunt ad diffidentiam & impias dubitationes hominum ingenia, ideo vtile admodum eſt fidem noſtram hoc teſtimonio fulciri, quòd Deus fallax non ſit, nec inanibus verbis nos lactet, nec immodicè vel potentiam vel bonitatem ſuam efferat, ſed offerat verbo quod reipſa præſtare vult.

Quoties de ſide promiſſionum Dei obrepit aliqua dubitatio, ſtatim hunc clypeum opponere conuenit, ſermones Dei eſſe puros.

Argentum, quod in legitimo pretio apud nos habetur, tacitè exigit ſummam erga Dei verbum reuerentiam, cuius tamen vilior nobis eſt puritas quàm corruptibilis metalli. Quinetiam bona pars in ſuo cerebro ſcorias fabricat, quibus nitorem in verbo Dei elucentem deformet vel obſcuret.

8 Pij, fiducia animati, de certa fratrum ſuorum ſalute gloriantur, cuius ſe fore cuſtodem aſſerit Deus, qui nec fallere nec mentiri poteſt.

Etiamſi vnus tantùm bonus in mundo ſuperſtes maneret, Dei tamen gratia & præſidio ſeruabitur.

Si quando magna paleæ congeries apparet in area Domini, & exiguus eſt bonorum numerus, fixa tamen hæc hæreat in animis noſtris perſuaſio, Deum fore bonorum cuſtodem & quidem perpetuum.

Non ad breue tempus duntaxat bellũ nobis paratum eſt, ſed quotidie ſtandum in acie. quod ſi occulta erit Dei cuſtodia, patienter expectemus, donec ille exurgat: & quo magis diluuium exundat, eo magis nos in metu & ſolicitudine ambulare conuenit.

9 Quocunque vertemus oculos, impiorum turmæ hinc inde nobis occurrent.

Contingit vtplurimùm ſicuti morbi à capite in membra defluũt, ita à principibus ad totum populum manare corruptelas.

Dum quiſquiliæ & homines nihili euehuntur, bonis & eruditis hominibus à politico & Eccleſiaſtico gradu deturbatis, omnia in peius ruere neceſſe eſt, donec Deus ἀπὸ μηχανῆς appareat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Viſibilis Eccleſiæ tetra triſtisque facies.
2. Dei opportunè conſpicui, piorumq; vindicis deſcriptio.
3. Verbi promiſſionúmque Dei præſtantia, firmitas, perfectio.
4. Eccleſiæ in mundo aduerſus mundi ſcandala fide luctantis, refugium.

ARGVMENTVM PSALMI XIII.

RVRSVS petit Dauid ſe liberari ex periculis & ærumnis, quibus erat circumuentus, & ex quibus nullo humano conſilio, aut prudentia euadere poterat. Initio autem præmittit triſtes querelas, quibus deplorat differri auxilium & liberationem: & quidem in hac ipſa mora variis tentationum fluctibus de deſertione ſeu abiectione oppugnari ſe atque excruciari conqueritur. Tandem verò eluctatus, non tantum petit ſe liberari & ſeruari: ſed etiam certam fiduciam concipit, fore vt repreßis hoſtibus tandem eripiatur & reſtituatur: atque hac fiducia lætus in Deo acquieſcit, & præſentes ærumnas perfert, ipſique Deo gratias agit, quod tandem poſt longas calamitates & ærumnas rurſus eum exhilaret, & multiplicia bona largiatur.

Monet igitur Dauid nos ſuo exemplo, vt quoties affligimur, aut in difficultates conijcimur, ex quibus nulla humana induſtria, aut conſilio explicare nos poſſumus: non aliò quàm ad Deum confugiamus, atque ab ipſo opem & auxilium imploremus, ſicut monet D. Iac. cap. 5. Si quis inter vos affligitur, oret. Sunt autem 3. partes pſalmi: 1. eſt Querela. 2. Precatio. 3. Fiduciam oſtendit, quam concepit de bonitate Dei & de futuro auxilio.

TITVLVS.

AD triumphandum, pſalmus Dauidis.

1. Quouſque, Iehoua, obliuiſceris mei omnino? quouſque abſcondes faciem tuam à me?

Exordium, vt dixi, ſumitur à querela. Queritur enim non tantùm differri auxilium, quod per ſe graue eſt: nã mora, ſicut omnes experimur, langueſcit fides: ſed etiam, quod multò grauius & triſtius eſt, in hac ipſa mora & dilatione auxilii ait ſibi obrepere triſtes tẽtationes de abiectione: hoc lõgè triſtius eſt, & longe maiores dolores affert quàm vllæ aliæ calamitates, quæ foris corpus affligunt. Duplices ſunt in Eccleſia tentationes, vt Paulus inquit 2. Cor. 7. Intus pauores, foris pugnæ, Foris oppugnantur pij variis incommodis, morbis, egeſtate, exiliis, perſecutionibus, áfficiuntur ſuppliciis. Sed ſunt aliæ grauiores & internæ, cùm videlicet animus luctatur cum ira Dei, & corda triſtiſſimas cogitationes concipiunt, quaſi ſimus deſerti aut abiecti.

Hæ multò ſunt grauiores quàm illæ externæ, quæ quaſi προγυμνάσματα atque rudimenta illarum dici poſſunt. Sæpe

autem

autem ſit vt quando diutiùs affligimur & auxilium differtur, cogitationes de indignitate & abiectione nobis obrepant. His igitur quomodo reſiſtendum ſit, monet hic Pſalmus, nempe vt pia & ardenti precatione eas in ſinum Dei exoneremus, & certò ſtatuamus, nos ab ipſo exaudiri, recipi & iuuari.

Vſquequo obliuiſceris] Id eſt, quamdiu differendo auxilium talem te mihi exhibes & oſtendis, qui ampliùs non agat curam mei, ſed me abiiciat? Deus quidem reuera non erat eius oblitus: ſed in illa mora & grauiſſimis calamitatibus talis ei videbatur. Itaque ad ſenſum eorum qui tentantur, hic ſermo eſt referendus.

Abſcondis faciem] Hoc verò grauius eſt quàm obliuiſci alicuius. In obliuione perit & extinguitur cura quam quis antea gerebat pro aliquo: ſed abſconſio ſeu auerſio faciei etiam indignationem atque odium ſignificat. Vult igitur hoc dicere, Non tantùm nullum fauoris tui erga me oſtendis ſignum, ſed etiam iratum te exhibes. Forma ſermonis à communi hominum conſuetudine ſumpta eſt, apud quos ex facie hominum iudicatur, vel de fauore, vel de alienatione atque ira: cui enim iraſcimur, hunc non dignamur aſpectu, ſed auertimus ab eo faciem.

2 Quamdiu ponam conſilia in anima mea, an-
xietatem in corde meo quotidie? vſquequo exaltabi-
tur inimicus meus ſupra me?

Crebra repetitio & ingeminatio interrogationis ſeu querelæ, ſignificatio eſt ſummæ anxietatis, & animi perplexiſſimi, perturbatiſſimi ac mœſtiſſimi. ita enim ſolemus in magnis doloribus & perturbationibus, quæ longam & integram orationem non patiuntur, vti interrogationibus, & ſunt illæ accommodatæ ad querelas.

Quamdiu ponam conſilia in anima?] Id eſt, Quamdiu patieris vt anxiè mecum conſultem & affligam me variis curis & cogitationibus, quibus tamen adeo nihil proficio, vt me his ipſis magis etiam excruciem? Solent homines in rebus aduerſis huc atque illuc circumſpicere, & varia quærere remedia: & quia nihil inueniunt quo ſe expediant aut euoluant, ſubinde mutant conſilia, & fatigantur variis curis & ſolicitudinibus. Ita Dauid etiam queritur, ſe quidem varia inire conſilia: ſed nihil inuenire remedij aut ſolatij: imò hæc ipſa conſilia augere morbum & dolorem animi. [illegible]יומ geminatio litteræ [illegible] ſignificat continuitatem dierum.

Vſquequo exaltabitur] Tria genera malorum pinguntur in his verſibus, quibus premi ſe queritur propheta. Primum eſt, Quòd ſe non tantum negligi & contemni à Deo, ſed etiam odij atque indignationis diuinæ ſigna conſpicere ait. Secundum, Quòd deſtitutus ſit omnibus conſiliis. Tertium, Quòd in hac ſua calamitate creſcat hoſtium potentia & audacia, & confirmentur ipſorum furores: ita vt etiam petulanter ipſi inſultent, dum vident eum diuturnis malis confici. Experiuntur autem ſimilia ſancti, in quotidianis pœnitentiæ exercitiis, cum in publicis, tum in priuatis calamitatibus.

Exaltabitur] Id eſt, inſurget aduerſus me, premet me, inſultabit mihi crudeliter & ſuperbè, aut creſcet ipſius audacia & furor.

3 Reſpice, exaudi me, Iehoua Deus meus: il-
lumina oculos meos, ne obdormiam in morte.

Subiicit precationem: & hæc eſt propoſitio huius pſalmi.

Reſpice me] Hæc verba opponuntur primo verſui, in quo querebatur Deum abſcondiſſe faciem ſuam. Reſpice me: id eſt, Tu, qui hactenus viſus es auertiſſe vultum à me, & viſus es iraſci, rurſus conuerte vultum tuum ad me: oſtende te mihi fauere & bene velle, recipere me in gratiam, me amare, & curam mei gerere. Deus quidem ſemper reſpicit pios, præſertim in calamitatibus: ſed quia id nobis non ſemper apparet, ideo petit ſibi ſenſum conſolationis indi, & factis hoc oſtendi, vt certò ſtatuat ſe reſpici à Deo.

Exaudi me] Id eſt, ſuccurre mihi & fer opem, atque ita oſtende te non negligere meas preces.

Deus meus) qui ſcilicet me curas, defendis, ſaluas, & cui curæ eſt mea ſalus. Hæc vox oſtendit, illas querelas, à quibus exorſus eſt pſalmum, non ortas eſſe ex diffidentia, ſicut impiorum querelas: vt cùm Hecuba dicit, ſe ſurdos inuocare Deos: ſed ex contentione animi luctantis cum incredulitate. Si enim ex diffidentia nata eſſet, non poſſet nunc eũ vocare Deum ſuũ, cùm vox hæc ſit plena fidei & fiduciæ erga Deum.

Illumina oculos meos) Hoc opponitur ſecũdo verſui, vbi dicit, Ponam conſilia in anima, vultque hoc dicere, Inſtrue me ſalutarib. cõſiliis, quibus euadere ex his malis poſſim: nã hactenus perpetuis tenebris & inopia conſiliorum fui oppreſſus: nihilque potui inuenire remedij huic malo. deinde redde mihi vitam & lætitiam, eripe me ex his doloribus quibus ſũ oppreſſus, reſtitue vigorẽ, &c. In oculis apparet vigor vitæ. in magnis enim doloribus caligant oculi, quia langueſcunt & ſunt obſcuri ſpiritus: in lætitia verò recreantur ſpiritus: ideo rurſus quaſi illuminantur oculi, & reſtituitur eis ſua vis. vide 1. Samuel. 14.

Ne obdormiam in morte] vel ad mortem. Ita plerique mẽbrũ hoc reddiderunt, adiecta præpoſitione ad nomen המות. Alij tamen putant eſſe ellipſin vſitatam Hebræis, qui in verbo nomen verbale includunt. Ne dormiam, mortis ſcilicet dormitionem, quale & illud eſt Matt. 20. Iſti vltimi vnam horam fecerunt, ſcilicet, opus, ἐποίησαν ſcilicet ἔργον. Quocunque modo legas, ſententia eadem erit. Petit enim ne abſorbeatur oppreſſus dolore animi & triſtitia, tanquam profundo & lethifero ſomno. Nonnulli hunc locum de æterna morte & reſurrectione exponunt, & ad Chriſtum accommodant.

4 Ne quando dicat inimicus meus, præualui
ei: [*ne*] anguſtiatores mei exultent, cùm lapſus
fuero.

Addit rationem, non tam à ſua quàm ipſius Dei perſona ſumptam. affirmat enim gloriæ ipſius intereſſe vt ſeruetur. ſi enim opprimatur, futurum dicit vt hoſtium furore adaucto omnes clamitent, fruſtra eum ſperaſſe in Deum: & nihil eſſe Deum, aut certè iniuſtiorem aut debiliorem quàm qui velit & poſſit bonos ſeruare & defendere à malis. Tales impiorum clamores cùm ad ſummam Dei ignominiam vergant, & multorum bonorum fidem languefaciant, petit vt propter ſuam gloriam Deus oſtendat ſe potentiorem eſſe ſuis hoſtibus & aduerſariis.

Ne dicat] ſcilicet me interfecto aut oppreſſo.

Præualui ei] Qui ſcilicet gloriabatur ſe eſſe regem à Deo conſtitutum, & ſe huius auxilio ſaluum atque incolumem euaſurum eſſe ex hoſtiũ manibus. Qualis igitur & quàm ſtulta & inanis fuit fiducia, & quis eſt ille Deus, de cuius fauore & auxilio tanta ſibi pollicebatur? tales ſunt voces impiorum, quæ vehementer animos piorum vrunt.

Ne exultent) Id eſt, ne lętentur mea calamitate, atque interitu, atque ita occaſionem præbeant ingentis doloris hominibus bonis & piis.

5 Ego autem in bonitate tua confido: exultabit
cor meum in ſalute tua: cantabo Iehouæ, quia be-
nefecit mihi.

In fine teſtatur propheta de ſua fide, quam in Deũ & promiſſiones eius habeat: & quanquã adhuc verſabatur in ſummis periculis: tamen tanquam potitus iam victoria, & eluctatus ex malis, gloriatur de ſua ſalute, & canit lætum *pæana*. Nam vera & ardens fides, quæ certa fiducia in promiſſiones Dei recumbit, canit ἐπινίκιον, etiam ante victoriam. Ita verò ſuo exemplo docet Dauid pios omnes, quoties verſantur in periculis & calamitatibus, & vident hoſtes magno furore in perniciem bonorum ſe armare & inſtruere, ne frangantur animo, nec deficiant à Deo, neque oculos ad illas calamitates, ſed ad miſericordiam Dei & promiſſionem conuertant, atque in hac lætj acquieſcant, certa fide concepta quòd Deus ſuos tandem ſit liberaturus.

Bonitate tua confido) Quaſi diceret, Etiamſi nihil conſpicio foris niſi ſigna iræ, tamen certus ſum me abs te amari, te mihi propitium eſſe & fauere, méque tibi curæ eſſe, &c.

Exultabo) Id eſt, ſolidè gaudebo hoc gaudium, nulláque calamitas nec mœror vllus excutiet mihi hoc gaudium.

In ſalute tua) Propter ſalutem à te acceptam, vel propter victoriam adeptam.

Cantabo Domino) Id eſt gratias agam, prædicabo hæc beneficia, quòd me defendit & liberauit.

גמל interpretantur verbo retribuendi, & nonnulli hunc locum allegant pro confirmanda impia doctrina de meritis: ſed non ſignificat verbum Hebræum propriè rependere aliquid pro meritis: ſed in genere reddere aliud pro alio, ſiue bonum pro malo, ſiue malum pro bono, vel malum pro malo. Significat enim viciſſitudinem, ſiue fiat compenſatio, ſiue non fiat. Atque hinc facilè de ſententia huius membri, *Retribuit mihi*, iudicari poteſt. Idem enim eſt ac ſi dicas, Fui antea oppreſſus calamitate, nunc mihi erepto bonum aliquod pro malo Deus reddidit, *Ich habe bœſes gehabt, nu hat er mir gutes dafur gegeben.*

PSALMI XIII.
PARTES.

I. Propoſitio querelæ, cuius loci ſunt tres: 1. à perſona Dei, tanquam deſerentis, 2. verſ.

2. à perſona Dauidis, tanquam luctantis cum ſuis infirmitatibus.3.v. 3. à perſona aduerſarij, altera parte eiuſdem verſiculi.

II. Petitio tribus querimoniæ gradibus reſpondens. 1. à perſona ſua, 4.verſ. 2. à perſona inimici, 5. verſ. 3.à perſona Dei, cuius gloriam hoc pacto prorogatum iri profitetur, v.6.

III. Concluſio à cauſa efficiente poſtulationis & fine illius, altero verſ.6.membro.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Pij non tam ex aliorũ opinione quàm ex proprio ſenſu à Deo ſe negligi in grauiſſimis calamitatibus cõquerũtur: non quod in eorũ animo extincta ſit promiſſionum Dei fides, vel in eius gratiam non recumbant: ſed quia fieri aliter non poteſt, vbi diu malis vrgentur, nec apparet vllum opis diuinæ ſignum, quin ſe ingerat hæc cogitatio, Deum ſuorum ſeruorum eſſe oblitum.

Suis querimoniis electi teſtantur fide ſe altiùs attolli, vt præter carnis iudicium ſalutem ſuam in Dei manu eſſe ſtatuant: alioqui gemitus ſuos ad ipſum votáque non dirigerent.

Cum tentationibus ita luctandum eſt, vt in ipſo conflictu fides dictet ſuperanda eſſe mala quæ nos ad deſperationẽ ſolicitant: quemadmodum Dauidem non prohibuit à quærendo Deo carnis infirmitas, ſed affectus in ſpeciem contrarios optimè coniunxit.

2 In rebus aduerſis homines æſtuant, ac circunſpiciunt huc & illuc ad quærenda remedia, præſertim vbi ſe deſtitui vidẽt, anxiè torquentur ac diſtrahuntur in varias partes: atque in magnis periculis ſolicitudo & metus ſubinde conſilia mutare cogunt, vbi nulla certa occurrit ratio.

Quanquam Dominus Spiritum cõſilij ſe daturum promittit, non tamen ſemper ipſum in primo articulo ſuppeditat, ſed quaſi per flexuoſas ambages ad tempus diſcurrere patitur, vel perplexos inter ſpinas hærere.

Plurimum in precibus valet hæc ratio, quòd piis diuturno lãguore velut confectis impij inſultant: quia Deo nihil minus eſt tolerabile iſta crudeli inſolentia, dum hoſtes non ſolum miſeriis piorum paſcuntur, ſed quo magis eos deprimi vident, eo altius inſurgunt.

3 Perſuaſi ſunt fideles ſe eſſe ſub Dei oculis. interim donec re ipſa Deus ad opitulandum manum exerat, clauſos eſſe eius oculos dictat carnis ratio: & tunc demum nos exaudit Deus, dum noſtri miſertus, ad nos iuuandos flectitur.

Deo viuimus ac morimur: & licet mille mortes nobis intẽtet mũdus, tamen eſt in manu Dei vitæ noſtræ inſtauratio.

4 Pij ſciunt Deum nolle ſeruos ſuos impiis deridendos propinare: & quum eius proprium ſit compeſcere improborum proteruiam, quoties in ſuis ſceleribus gloriantur, meritò eorum iactantiam arceri fideles poſtulant.

Tunc demum cũ ſanctis hominibus nobis erit aduerſus impiorum ſæuã audaciã communis precatio, ſi ſub Dei auſpiciis militamus, vt nos vincere hoſtes nequeãt quin de Deo ipſo triũphos agãt.

5 Fiducia gratiæ Dei & ſalutis præditos ſuffultóſque eſſe conuenit pios omnes, vt in precibus rite perſeuerent, quamlibet graue tentationum onus incumbat.

Gaudium fidei nullus mœror è piorum cordibus vnquam prorſus excutere poteſt.

Ita nos ad precandũ accingi decet, vt ſimul ad canendas Dei laudes parati ſimus: quod fieri non poteſt, niſi credamus vota noſtra non forte irrita: quamuis enim non ſimus à dolore immunes, neceſſe tamen eſt vt emergat hæc fidei alacritas, quæ futuræ lætitiæ nobis dictet canticum.

Pij ad canenda Dei beneficia, antequam ea perceperint, properãtes, ſalutem procul remotam ſibi ante oculos ſtatuunt, quoniam Dei promiſſione & gratuita bonitate nituntur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Electorum Dei varia in mundo certamina.
2. Precum in tentationibus à mente pia conceptarum mira vis.
3. Fidei victoria & triumphus.

ARGVMENTVM PSALMI XIV.

HIC Pſalmus eſt διδασκαλικὸς: docet enim quid & qualis ſit homo, quem Paulus 1. Cor.2. appellat ψυχικὸν, hoc eſt, non renatum à Spiritu ſancto. Quanquam enim nonnulli ſunt, qui interdum non habent manifeſta ſcelera, vt Atticus, Socrates, Ariſtides: tamen omnes oſtendit circumferre triſtem caliginem & dubitationem de Deo, auerſionem voluntatis à Deo, ſecuritatem, contemptum iudicij diuini, & in corde horribilem eſſe contumaciam, quæ legi Dei nec ſubiicitur, nec ſubiici poteſt. Hæc triſtiſſima mala, quæ à maxima parte generis humani nec pro peccatis habentur, multis verbis hic deplorat & accuſat propheta, & docet nos omnes reos eſſe propter hanc naturæ noſtræ prauitatem. Ideo & Paulus ad Rom.3. vbi oſtendit omnes homines peccato eſſe obnoxios, hunc pſalmum citat, atque inde euincit neminem eſſe qui legi Dei ſatiſfaciat. Eſtque vtilis & neceſſaria hæc doctrina, vt diſcamus agnoſcere noſtros morbos, & in hac agnitione deponamus fiduciam noſtræ iuſtitiæ, & in vera humilitate diſcamus quærere medicum qui vulnera noſtra ſanet. Ideo & propheta hoc loco addit aliam doctrinam propriam Euangelij, in qua oſtendit, non totum genus humanum oppreſſum his peccatis & malis, perire in æternum, ſed eſſe aliquem cœtum, quẽ Deus immenſa miſericordia excerpat ex genere humano, vt ei vitam & ſalutem reddat: nec alibi quàm in vera Eccleſia eſſe ſalutem ſperandam: & quanquam ille ipſe cœtus in hac vita variis modis premitur & oppugnatur ab hominibus impiis & tyrannis: tamen tandem eum liberatum iri ex ærumnis, & fruiturum æternis bonis per Meſsiam, quem ex Zion dabit Deus.

AD triumphandum Dauidis [*ſcilicet carmen.*]

1 Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti ſunt, abominabiles facti ſunt ſtudio, non eſt qui faciat bonum.

Orditur pſalmum à generali accuſatione, & reprehenſione impietatis, cuius radicem & originem eſſe dicit in mentibus noſtris illam caliginem quæ Deum ignorat, & negat ipſius prouidentiam, dum non cogitat Deum eſſe iudicem aut vindicem ſcelerum, nec cogitat ſe debere obedientiam Deo. Hæc caligo parit dubitationes triſtes de Deo, & gignit multiplicem ſecuritatem & contemptum iræ & iudicij diuini. Item φιλαυτίαν, φιλοτιμίαν, & alias iniuſtarum cupiditatum flammas. Omnes enim illæ cæcæ & prauæ cupiditates ex eo oriuntur, quod menti humanæ offuſa eſt ingens caligo, quæ impedit quominus cernat Deum, aut conſideret ipſius iudicium aduerſus peccatum.

Inſipiens hic dicitur, non qui ratione caret, aut deſipit prorſus: imò accuſat illos ipſos, qui coram mundo iudicantur ſapientiſſimi. Sed inſipiens eſt, in cuius mente non eſt accenſa illa lux per Spiritum ſanctum, qua homo regeneratur ad agnitionem Dei, vt agnoſcat & certò ſtatuat eſſe Deũ, qui curet res humanas, qui reddat bonis præmia, & malos pœna afficiat: aut qui colligat ſibi Eccleſiam ex genere humano, cui ſe communicet.

Dixit in corde ſuo] Id eſt, ſtatuit apud ſe vel in animo ſuo, & manet hæc triſtis caligo in ipſius corde: etiamſi interdum verbis profiteatur eſſe Deum: tamen, vt Paul. inquit ad Tit.1. factis eum negat. Nam effrænis licentia, qua fertur contra leges, clamat cor ipſius eſſe vacuum omni pietate & timore Dei. ſi enim verè ſtatueret eſſe Deum, nunquam ita proiiceret ſe in omnis generis ſcelera, tribueret item Deo quæ ſunt tribuenda, iuſtitiam, veritatem, bonitatem, omnipotentiam, miſericordiam, &c. quod non faciunt niſi renati.

Corrupti ſunt] Id eſt, tanta eſt prauitas humanæ naturæ, vt non renata, nihil niſi corruptum & ſceleratũ producat: qualis enim arbor eſt, tales ſunt fructus: quaſi dicat, nulla eſt integritas in homine.

Abominabiles] Id eſt, rei & damnati. Deus enim auerſatur illorum ſtudia & opera: quia pugnant cum ipſius voluntate.

Studio] Id eſt, quicquid conantur, moliuntur, inſtituunt, ab

eo ab-

eo abhorret Deus, tanquam à re turpi & abominanda.

Non eſt qui faciat bonum] Id eſt, etiam externa opera ſunt praua. Bonum hoc loco intellige quod à Deo eſt ordinatum, & Deo placet. Nam de bonitate actionum noſtrarum, non ex hominum intentione, ſed ex Dei voluntate & mandato eſt iudicandum. Exiſtimant monachi ſua opera eſſe bona, quæ tamen plena ſunt abominationum.

2 Iehoua de cœlo proſpicit ſuper filios hominum: vt videat, an ſit intelligens [*aut*] requirens Deum.

Probatio eſt ſeu confirmatio generalis ſententiæ, quòd omnes obnoxij ſint peccato. Ea verò ſumitur non à communi experientia ſeu teſtimonio omnium ſapientum, quod allegare potuiſſet. Nam etiam ſapientes extra Eccleſiam fatentur neminem eſſe ἀναμάρτητον. Et nota ſunt dicta Theognidis.

ἀλλ' ἀνὴρ ἀγαθὸς ποτὲ μὲν κακὸς ἄλλοτε δ' ἐσθλός.

Et Simonides in Protagora, ἄνδρον ἀγαθὸν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν χερσί τε καὶ ποσὶ νόῳ τε τετράγωνον ἄνευ ψόγου, μόνος δὲ θεὸς ἔχει τοῦτο τὸ γέρας. Id etſi verè dicitur, plerique tamen tegunt & occultãt ſua vitia, &, vt dicitur: *Non videmus mãticæ quod in tergo eſt.* Ideo omiſſa hac probatione, vt plus autoritatis habeat oratio, allegat autoritatem & iudicium diuinum. quod enim ita ſit, inde manifeſtum fit quòd Deus ipſe de cœlo proſpiciens, id obſeruat. Vtitur autem eleganti proſopopœia, qua, vſitato more Scripturæ, tribuũtur Deo forma, aſpectus, & geſtus humani: non quòd in diuinam maieſtatem tales inclinationes corporeæ aut geſtus cadant: Deus enim eſt Spiritus. ſed vtitur Spiritus ſanctus ſermone à nobis & noſtris rebus ſumpto, vt ſe ad captum imbecillitatis noſtræ accommodet. Ideo dicit, Dominum quaſi apertis cœli feneſtris proſpicere.

Reſpicit autem propheta hac figura ad hiſtoriam, quæ eſt Gen. 6. & 8. cap. vbi Moſes inquit, Deum vidiſſe multam malitiam hominum in terra, & omnem cogitationem cordis malam eſſe omni tempore. item, Omne figmentum cordis humani eſſe malum à pueritia. Hanc hiſtoriam & ſententiam explicans Dauid, oſtendit non tantùm ad illius ætatis homines referendum eſſe hoc teſtimonium: ſed ad totum genus humanum.

Dominus de cœlo proſpexit] Id eſt, ſicut ante diluuiũ vidit totam naturam deprauatam & corruptam eſſe, idque manifeſto teſtimonio oſtendit: ita quouis tempore ſuo iudicio inquirit in facta hominum, & oſtendit omnes homines eſſe peccato obnoxios. Quod autem dicit, Deum ſubinde proſpicere de cœlo, id manifeſtè refutat Epicureas cogitationes hominum qui negant eſſe Deum aut prouidentiam.

Super filios Adam] Id eſt, ſuper totum genus humanum, vt eſt propagatum ab Adamo. Interea hac ipſa appellatione diſtinguit inter filios Dei & filios hominum.

Intelligens] Id eſt, agnoſcens Deum, ſicut ſe patefecit in verbo, & ſicut ſe vult agnoſci: loquitur enim de intelligentia, quam quis habet ex verbo. Fingunt ſibi homines opiniones varias de Deo, & fabricat ſibi quiſque Deum, quem colat: ſed eſt illud idolum cordis ſui, quod adorat, non Deus. Itaque nemo, niſi per verbum & Spiritum ſanctum renatus, dicitur intelligens.

Requirens] Id eſt, colens Deum, collocans omnem fiduciam & ſpem in Deum, inuocans eum, mandatis eius obtemperans. Nam agnitio Dei requirit etiam cultum. Ideo hæc duo coniunguntur.

3 Omnes deflexerunt [*vniuerſitas declinauit*] ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem.

Repetitio eſt propoſitionis, quæ iam non à Dauide, ſed ab ipſo Deo profertur. Vniuerſalem particulam aliqui eludere conantur per ſynecdochen, vt maxima pars generis humani intelligatur. Sed Paulus hanc ſynecdochen clarè refutat in epiſt. ad Rom. Et ipſe Deus hoc loco oſtendit, ſe neminem excipere, cùm inquit, ne vnus quidem. atque huc congruit teſtimonium Ieſ. 53. Omnes nos ſicut oues errauimus ſine ductore & paſtore, quiſque in viis ſuis.

Deflexerunt] ſcilicet à Deo, & à viis Dei, ad ſuas vias: auulſi enim à Deo abripiuntur ſuis cupiditatibus, alius aliò. Et quanquam ſunt nonnulli, qui externis operibus præſtant aliquam diſciplinam: tamen non incedunt in viis Dei, ſed aberrant à ſcopo. Scipio quanquam abſtinet ab aliena ſponſa: tamẽ non refert hanc actionem ad gloriam Dei, ſed quærit ſuam gloriam: exiſtimat ſibi honorificum fore, & plures ſe adducturũ ad ſuam amicitiam, ſi illa opinio continentiæ & moderationis percrebreſcat. Ita igitur ille deflectit, vt non attingat ſcopum præfixum: atque eodem modo de aliis iudicetur.

Inutiles facti] Verbum אלח in voce paſſiua proprie ſignificat malè olere, aut fœtere. Hoc igitur in loco metaphora eſt, ſumpta à cibis fœtidis. éſtque idem quod Paulus dicit, impios eſſe reprobos ad omne opus bonum: quia nihil faciunt quod Deo placeat. Eſt autem hæc phraſis oppoſita illi quæ toties occurrit in Moſe, vbi de ſanctorum ſacrificiis dicitur: Odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis ſeu quietis, Gen. 8. Leuit. 28. &c.

Vſque ad vnum] Auguſtinus neglecta phraſi Hebræa, vnum interpretatur Chriſtum.

Hic inſerti ſunt tres verſus à Græco interprete, qui non ſunt in Hebræo codice, ſed ſunt adſcripti ex cap. 3. epiſt. ad Rom. vbi varia teſtimonia Scripturæ congerit Apoſtolus. Primus verſus eſt ex 5 & 140. pſal. ſecundus ex 10. pſal. & cap. 59. Ieſa. Prouerb. cap. 1. tertius ex 59. cap Ieſa. & ex pſal. 36.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.

Quoniam os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.

4 An non cognoſcunt omnes operarij iniquitatis, quòd deuorant plebem meam [*ſicut*] deuorant panem? Iehouam non inuocant.

Πάθος eſt, quo amplificat propoſitionem. Continet autem obiurgationem, & triſtem querelam, de obſtinata malitia hominum: quòd etiam commonefacti à Deo, tamen ſecurè & pertinaciter pergant in ſuis ſceleribus. atque hic mox peccata quædam in ſpecie recenſet.

An non agnoſcunt] Non eſt hoc tam admirantis quàm dolentis & obiurgantis. Interrogatio enim non ſemper quærit: ſed ſæpe obiurgat & expoſtulat, aut certè queritur. Eſt igitur hæc ſententia huius membri: An non extrema hæc eſt miſeria & inſania, &, an non eſt excæcatio & ſtupor prorſus diabolicus, quòd totum genus humanum, oppreſſum tantis malis, non agnoſcit ſua vulnera & ſuas miſerias, nec quærit remedium his malis? ſed potiùs pergit in ſuis ſceleribus obſtinatè, & cumulat delicta: imo verò rabioſè ſæuit in eos qui ſe agnoſcunt, & profitentur habere peccata, & ad Deum tanquam ad ſalutarem medicum confugiunt? *Iſt das nicht ein gros elend?*

Verba ſenſuum & intellectus apud Hebræos etiam voluntatem complectuntur, & voluntas affectus comitantes, vt cùm Paulus dicit, Volo eos eſſe ſicut ego ſum. Volo accipitur pro cupio. Ita hic verbum agnoſcendi completè intelligatur.

Alij volunt eſſe comminationem pœnę, An erit hoc ipſis impunè? an non ſentient & experientur aliquando iuſtas pœnas? Sicut nos dicimus, *Sie vverdens vvol befinden vnd erfahren.* Vel, an ignorant me eſſe iudicem? Operatores iniquitatis nominat eos qui ſuis cupiditatibus obſequentes & iniquitatibus dediti, perpetuis ſceleribus ſunt polluti: ſunt enim tales diſtinguendi ab his qui aliqua infirmitate præuenti labuntur.

Qui deuorant] Id eſt, qui adeò ſunt obſtinati vt interea crudeliter ſæuiant in eos quos ego mihi delegi. Videtur autem peculiariter in hac oratione notare proceres in regno Saulis, & prauos doctores, qui deglubunt pios auditores.

Plebem meam] Hic facit antitheſin inter maximam multitudinem generis humani, & inter eos quos ſibi excerpſit in peculium, & oſtendit ſe de his non loqui.

Ac ſi panem] Id eſt, faciunt id ſine peccati conſcientia, ſine metu, atque adeò cum quadam animi voluptate delectantur ſuis ſceleribus: éſtque ipſis obſonium affligere bonos & pios, ſicut Pindarus de maledicentia inquit, ὄψον αἱ κακηγορίαι τοῖς κακοῖς.

Dominum non inuocant] Id eſt, nulla tanguntur reuerentia nominis diuini, quod eſt ſignum extremæ & deploratæ impietatis, non agnoſcentis ſuam imbecillitatem, ſuáſve miſerias, ſed confidentis ſuis operibus, viribus, & ridentis in ſua calamitate.

Inuocatio ſynecdochicωs comprehendit totum cultum. Non inuocant, id eſt, carent vera agnitione Dei, fide, timore, fiducia Dei, atque ex hoc fonte promanant omnia ſcelera.

5 Illic trepidant trepidatione: ſed Deus in generatione iuſti.

Additur conſolatio à pœnis impiorum, & à præſentia Dei

in ſua Eccleſia. Quanquam, inquit, maxima multitudo generis humani impia & profana, & polluta variis ſceleribus, floret opibus, dignitate, potentia, atque interea variis modis affliguntur pij, tamen propterea nemo exiſtimet, illum cœtum quem Deus ſibi delegit, non eſſe ipſi curæ: aut eſſe deſertum & abiectum ab eo: imò verò afficientur impij horribilibus pœnis quæ afferent ipſis perpetuos cruciatus & horrores, & perpetuam deſperationem. Nam trepidare trepidatione, eſt ſubitis malis ſeu pœnis perculſum, incidere in triſtes & horrendos dolores, qui nulla humana prudentia aut conſilio leniri aut tolli poſſunt: ſed quibus oppreſſos, in æternum perire neceſſe eſt. Iteratio intendit ſignificationem verbi, Pſalmo 53. vbi hic pſalmus pene iiſdem verbis repetitur, adduntur priori membro quædam verba declarandi cauſſa. Quando non erat trepidatio, id eſt, cùm nihil mali metuerent, & cùm dicerent, pax & ſecuritas, cúmque ſibi blandirentur &c.

Ibi] Quidam exponunt, In oculis ſeu conſpectu iuſtorum: ſed oratio eſt elliptica, id quod ex pſalmo 53. videre licet. Alij ad tempus referunt: Ibi, id eſt tempore vindictæ diuinæ. Nonnulli etiam pœnæ certitudinem hoc aduerbio oſtendi volunt, ac ſi digito eam demonſtraret. Alij ſententiam pſalmi ſic interpretantur. Trepidant, id eſt, torquentur vano metu & inani terrore in rebus corporalibus, metuunt amiſſionem bonorum, potentiæ, gratiæ ac fauoris regum & principum: vbi tamen nihil erat metuendum: econtra verò Deum creatorem ſuum, à quo omnia habent, & qui ipſos vno momento poteſt perdere, & in ignem æternum conijcere, nihil metuunt: ita omnia fiunt peruerſo ordine. Sed loqui propheram de pœnis impiorum, oſtendit antitheſis quæ ſequitur, in qua oſtendit de quibus locutus ſit.

Sed Dominus eſt in congregatione iuſtorum] Id eſt, Deus eſt in cœtu illo à quo agnoſcitur, celebratur & colitur: hunc reſpicit, exaudit, gubernat, protegit: etiamſi totus mundus aduerſus eum conſpiret, & delere Eccleſiam conetur: conſolatur item & confirmat in afflictionibus, & tandem glorioſè liberat.

In generatione] Id eſt, in cœtu iuſtorum. Nam דור non tantùm ſeculum ſeu ætatem durabilem ac curſum vitæ humanæ ſignificat, ſed etiam hominum vniuerſitatem, quæ eodem tempore in orbe terrarum degit. Iuſti autem ſunt qui doctrinam Euangelij amplectuntur, inuocant Deum vera fide, agunt gratias, obediunt ei.

6 Conſilium oppreſſi pudefacitis: ſed Iehoua protector eius.

Apoſtrophe eſt, qua inuehitur in Epicureos & Cyclopes, quòd pios ludibrio habeant, eóſque ſtultitia damnent: propterea quòd in ſuis ærumnis ad Deum confugiant, & ab eo auxilium & liberationem petant. Mundus enim exiſtimat nihil eſſe ſtultius, quam ſpretis rebus & præſidiis externis, in quibus illi anchoram ſalutis ſuæ collocant, ad vnicum Deum confugere, cuius tamen auxilium & gratia nuſquam cerni aut deprehendi poteſt: ideo deridet pios &c. Sed hanc ipſam ſuperbiam dicit illis fore cauſſam exitij.

Conſilium] quòd ſcilicet totus pendet à Deo & ipſius auxilio, nihilque curat res mundanas, vtpote incertas, inſtabiles, fallaces, infirmas, à quibus nihil opis ſperari poſſit. Hoc conſilium pudefacitis, id eſt, iudicatis eſſe ſtultum, irritum, vanum, ridetis & contemnitis, & iudicatis pudorem afferre piis, id eſt, fruſtrari ipſorum ſpem.

Verba Hebræa, quæ aliàs actionem ſignificant, vel ſunt ſubſtantiua, ſæpe notant non tam actionem ſeu eſſentiam, quàm opinionem ſeu iudicium hominum, 1. Reg. 3. Ego & filius tuus erimus peccatores, id eſt habebimur pro peccatoribus. Prouerb. 3. Ne ſis ſapiens in oculis tuis, id eſt ne videaris tibi ſapiens: ita hic, pudefacitis, id eſt facitis vt videatur putidum & pudorem afferat bonis conſilium. Alij interpretantur in genere de omnibus actionibus piorum, vt hoc velit propheta, Quicquid agit, dicit, ſuadet pius, ſi ſit inops, hoc deridetur, damnatur: & cum ſumma contumelia exibilatur: contrà, quicquid à præpotentibus dicitur, etiamſi ſit falſiſſimum & noxium moribus, aut pernicioſum vitæ & vtilitati communi, tamen admirantur & laudant: idque ideo quia omnia ab hominis perſona æſtimant. Alij conſilium interpretantur doctrinam & admonitionem pij, quam impij contemnunt, & hæreſeos damnant: & dicunt Verbum Dei ideo vocari conſilium, quia conſilium & ſolatium afferat rebus afflictis. Sed hæc omitto, quanquam ſuum in docendo locum habeant. Illud hoc loco diligenter obſeruandum, quòd quem antea dixerat, iuſtum: eundem nunc nominat oppreſſum, miſerum, calamitoſum: talis enim eſt vita piorum: atque interea tamen hunc glorioſum titulum retinent, quòd ſint iuſti coram Domino.

Sed Dominus protectio eius] Id eſt, quantumuis illi rideant & contemnant, & habeant eos pro miſeris, abiectis & damnatis hominibus: tamen Deus non deſeret eos, ſed proteget, defendet, liberabit & ſaluabit. Non eſt igitur pauper & oppreſſus ſine præſidio, quantumuis hoc mundo non appareat. & hoc ſentient tandem impij in pœnis.

7 Quis dabit ex Zion ſalutem Iſraelis: in conuertendo Iehoua captiuitatem populi ſui, exultabit Iacob, lætabitur Iſrael.

Concludit pſalmum à voto. Petit enim vt Deus populum ſuum peccatis oppreſſum, & in triſtiſſimos carceres mortis & æternæ damnationis abiectum, atque inſuper multiplicibus ærumnis, calamitatibus & iniuriis tyrannorum in hac vita fatigatum, tandem liberet, ac vitam & lætitiam ei reſtituat. Diſertè autem ab hac ſalute impiam multitudinem excludit, cui antea æternos pauores & cruciatus erat interminatus. Nam expreſſè nominat Iacob & Iſrael.

Quis dabit] Oratio eſt, non dubitantis aut deſperantis, ſicut ignaris linguæ Hebrææ videri poteſt: ſed optantis, pro, Vtinam ſalus illa Iſraeli promiſſa, & ex Sion deſtinata tandem præſtetur. Vota autem illa ſanctorum in ſacris literis, vim habent promiſſionum. ideo certo euenturum ſignificat, ſdque optat. Similes locutiones paſſim occurrunt in Scriptura. Iud. 9. Quis det populum hunc in manum meam: pro, vtinam populus iſte mihi eſſet ſubiectus. Iob. 11. Quis det Deum loqui, id eſt, vtinam Deus loquatur. & 13. Quis det vt tacendo taceatis, id eſt, vtinam taceretis. Item 16. Quis det vt eueniat poſtulatio mea, id eſt, vtinam eueniat quod poſtulo. Pſalm. 55. Quis det mihi alas ſicut columbæ. Ier. 9. Quis det caput meum aquam. Deut. 28. Quis dabit veſperam, id eſt, vtinam eſſet veſpera.

Salus intelligatur primùm liberatio ex ſpirituali captiuitate, qua liberamur à peccato, à morte & maledictione, quæ peccato eſt introducta. Hæc enim nos captiuos & triſtiſſimo carceri incluſos detinet, donec per Meſſiam Ieſum Chriſtum, ad cuius nomen hic ſine dubio alludit, liberemur. Hic proditurus erat ex Zion, vt dicitur Pſal. 2. Vnxi regem meum ſuper Zion. & Pſal. 110. item Ieſa. 2. Ideo nominat ſalutem ex Zion. Deinde intelligi poteſt & de liberatione corporali. Semper enim Eccleſia in hac vita premitur variis modis: ideo ſubinde aſpirat ad Deum, & petit liberationem, quę ſibi promiſſa eſt: & quo diutiùs differtur auxilium, eo vota hæc ſunt ardentiora.

In conuertendo] Explicat prius membrum, & oſtendit quam ſalutem intelligat, nempe liberationem ex captiuitate. Ea autem duplex eſt, ſicut iam diximus.

Exultabit] Id eſt, ita Eccleſia liberata à triſti ſeruitute peccati, & mortis, & à tyrannide diaboli atque organorum eius, recipiet vitam & lætitiam, aget gratias Deo pro reſtituta vita, & erit perpetuò beata: qua nunc in hac vita nihil videtur miſerius aut ærumnoſius. nunc quidem dolore oppreſſa, mœſta eſt & ſqualida: ſed tunc depoſito dolore exultabit: impij verò perpetuis horroribus & cruciatibus mortis æternæ excarnificabuntur.

Iacob & Iſrael] nominat totam Eccleſiam, quæ fide, promiſſionem factam patribus amplectitur.

PSALMI XIIII.

PARTES.

I. Propoſitio, non ſecus vniuerſum humanum genus (corruptam naturam ſequutus) viuere, quàm ſi nullus Deus eſſet: idque omnibus ſeculis commune fuiſſe oſtendit Paulus, Rom. 3. cap. Propoſitionis autem explicatio petitur 1. à teſtimonio operum quæ filij Adæ committunt aut omittunt, 1. verſ. 2. à teſtimonio Dei, 2. & 3. verſ. 3. à teſtimonio propriæ ipſorum conſcientiæ, 4. verſ.

II. Conteſtatio aduerſus impios, fieri non poſſe quin ſibi (ita viuentes) malè ſint conſcij, v. 4. ac proinde conſcientiæ ſtimulis agitentur, v. 5. Altera pars conteſtationis, quòd nihilominus genio in tantis malis conſtituti indulgeant, v. 4. Poſtrema, quòd peſſimè ſint affecti erga Dei Eccleſiam, ſed fruſtrà. v. 6. quoniam Deus ſuis adeſt.

III. Concluſio prophetica ex ſuperiore conteſtatione naſcens, ad Eccleſiæ membrorum conſolationem: cuius partes ſunt duæ. 1. ſanctum votum. 2. prophetica gloriatio de futura liberatione. verſ.7.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Confuſus & perditus Iudaeæ ſtatus, à Saule inuectus, quum palam feruere cœpiſſet, ita hoc pſalmo depingitur vt in eo etiam ſpiritus ſanctus triſtiſſimam deſcriptionem nobis proponat totius ſobolis veteris Adami, id eſt hominis animalis, ſiue non regeniti, teſte Apoſtolo, Rom.3.10. quæ tum intelligentiæ tum voluntatis deprauatio præcipuè ſpectandam ſe præbet in illo capitali perpetuoq́ odio quo mũdus Eccleſiam perſequitur.

Omnium malorum radix eſt caligo mentis humanæ. Vt enim clara & firma agnitio Dei gignit timorem, fidem & dilectionem erga Deum: ſic amiſſio huius notitiæ in mẽte parit dubitationes de Deo & eius prouidentia, cæcamq́ ſecuritatem, quæ fit vt homines non metuant iudicium & iram Dei: item amorem noſtri, quo magis noſtræ voluptati aut gloriæ ſeruimus quàm gloriæ Dei.

Veſaniæ damnantur à Dei ſpiritu omnes profani homines, qui abiecto Dei metu ſe ad iniuſtitiam proijciunt: nullus enim eſt magis brutus ſtupor quàm Dei obliuio.

Quorum animis inſidet aliqua religio, eos ſemper neceſſe eſt aliquo modeſtiæ fræno retineri, ne quiduis audeant. vnde ſequitur, vbi ſuæ libidini abſque pudore impij tam præfractè & audacter indulgent, eos exuiſſe Dei notitiam.

Sceleratiſſimos quoſque vt magis ſint inexcuſabiles, arcanis conſcientiæ punctionibus ſubinde Deus exercet, vt ſuum nomen & imperium agnoſcere cogantur: ſed ipſi quicquid rectæ notitiæ Deus inſtillat, partim ſuffocant ſua malitia, partim adulterant, donec emortua iaceat religio. Quãuis enim nõ planè Deum eſſe negent, cœlo tamen includunt, iuſtitia & virtute ſua ſpoliatum. quod eſt in corde ſuo Deum negare, & eius loco idolum horrendum fingere.

Ex impietate & Epicureo Dei contemptu, ceu ex venenato fonte fluunt omnis corruptionis, intemperantiæ & iniuſtitiæ riuuli, qui omnes vitæ humanæ partes ac gradus obruunt.

2 Facit peccandi conſuetudo vt obdureſcant homines in ſuis peccatis, ac tanquã in denſa caligine nihil diſcernant: ſed ſpiritus ſanctus teſtatur Deum è cœlo ſpeculari & inquirere, vt ipſum minimè latere ſciamus quid in terris agatur.

Etſi nulla inquiſitione opus eſt Deo, non fruſtra tamen terreni iudicis formã ſuſcipit, vt pro modulo noſtro paulatim arcanã eius prouidentiam apprehendamus, quæ ſtatim ſenſu noſtro concipi nequit.

Diſcamus nos ipſos citare ad mundi tribunal, dum reprobi ſua vel ſocordia, vel hypocriſi, vel impudentia peccata ſua ſepeliunt, & in ſua illa temulenta peruicacia cæcutiunt.

Quemadmodum ſtultitia & mẽtis humanæ caligo ſcelerum omnium radix eſt, ſequitur bene & iuſtè viuendi rationem ab intelligentiæ luce pendere.

Vera intelligentia in eo conſiſtit vt Deus quæratur: quod fit dum homines ſe totos Deo addicunt.

3 Quanquã Dauid confuſam vaſtitatem, quæ ſub Saule fuit, deplorat, attamen haud dubiũ eſt ab eo tacite cõferri cũ Dei filiis quicunq́ non ſunt Spiritu regeniti, ſed feruntur carnis ſuæ ingenio. Horrẽda eſt igitur omnib. modis naturæ humanæ labes, & fallũtur qui cõtẽdũt hic non accuſari homines qui mundi iudicio honeſtè viuũt.

Nos omnes quum naſcimur, amentiam à Dauide deſcriptam, & totius vitæ fœtorem afferimus ex vtero, taleſq́ manemus donec arcana ſua gratia nos Deus in nouas creaturas refingat.

4 Horrore percelli nos decet, dum ſcelerum noſtrorum portentis Deus ſe quodammodo turbari teſtatur.

Maximopere Deo diſplicet & abominabilis eſt illa crudelitas, quã aduerſus pios laruati tum politici tũ Eccleſiaſtici paſtores exercent.

Effrænis iniuſtitiæ fons & cauſa eſt, quòd homines nulla tanguntur Dei reuerentia: nam religio mutuæ inter nos æquitatis optima eſt magiſtra, vbi verò extinctum eſt eius ſtudium, cõcidit etiam omnis iuſtitiæ reſpectus.

Dei inuocatio, quia præcipuum eſt pietatis exercitium, hîc & pluribus aliis Scripturæ locis, Dei cultum ſynecdochicõs complectitur.

5 Non deſeret ſuos Deus ad extremum vſque, quin tandem eorum vindex appareat.

Impij dum ſe immunes putabunt ab omni periculo, imò ſecurè triumphos ſuos agent, quum nulla ſit etiam illis pax, ſubita ruina, quam ſuis ſceleribus indeſinenter moliebantur, miſere peribunt.

Vt Deus ſuorum ſalutem aſſerat, quos ſua gratia per totam ætatem proſequitur, neceſſe eſt ipſum contra iniuſtos & violentos eorũ hoſtes è cœlo fulminare.

6 Quoties increduli vident Dei filios malis obrui, inanem (vt ipſis quidem videtur) confidentiam illis exprobrant, ſed profana hæc ſubſannatio exitij impiorum cauſa eſt.

Nihil magis cõſultum eſt quàm à Domino pendere: atque hæc eſt optima prudẽtia, quãuis ſimus afflicti, quieſcere in ſalute ab eo promiſſa.

7 Etiamſi Deus languere nos ſinat, non debemus tamen tædio frãgi, quin ſemper in Deo gloriemur, exemplo Dauidis: deinde hoc in diuturnis ærumnis optimum eſt ſolatium, vota ſubinde repetere.

Vnicum in malis piorum fulcrum & ſolamen eſt, ex cœlis & Dei verbo, quod in Eccleſia & voce Euangelij ſonat, auxilium percupere & patienter expectare.

Eccleſiæ ſuæ captiuitatem variis modis ſoluit Dominus: quacũque via autẽ ſuos è mortis faucibus eripiat, is afflictionem noſtrorum finis eſt vt fletus noſter in gaudium conuertatur.

Quãuis ſuorum lætitiam in tẽpus liberationis Deus differat, cõſolatio tamen hæc, futuri ſcilicet exitus, non modò ad temperandum dolorem noſtrum valere debet, ſed etiam lætitia condiendum.

Verus Iſrael bono fortiq́ fuit animo, Meſſiæ venturi expectatione fretus. Idẽ multò magis nobis nũc præſtãdũ eſt quũ Chriſtus iã aduenerit, & omne ſalutis noſtræ myſteriũ impleuerit: cuius tamẽ aduẽtũ poſteriorẽ adhuc cũ vetere populo fideli expectamus, tũ demũ videlicet perfectè liberandi & in vera noſtra patria collocandi.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Humani generis, quatenus in Adamo lapſo conſideratur, atheiſmus, impuritas, iniuſtitia.
2. Impiorum hypocritarum intra ipſius Eccleſiæ viſibilis viſcera graſſantium, horrenda cæcitas.
3. Salus Eccleſiæ in regno Chriſti fundata: cuius gloria in tyrannidis Satanicæ abolitione & filiorum Dei in libertatem aſſertione conſiſtit.

ARGVMENTVM PSALMI XV.

O*PPONITVR hic pſalmus impiæ & falſæ imaginationi eorum qui iudicant, totam pietatem & religionis cultum conſiſtere in obſeruatione quorundam rituum & ceremoniarum: & poſſe vera eſſe Eccleſiæ membra, etiam eos qui infecti ſunt impiis & prauis opinionibus, pugnantibus cum fundamento, & polluti delictis contra conſcientiam, dummodo ritus vel à Deo inſtitutos, vel alioqui ab Eccleſia ex patrum traditione receptos, obſeruent. Tales tunc erant multi in populo Iudaico, qui totam pietatem æſtimabant & metiebantur ex obſeruatione rituum legalium: nam quo quiſque in his obſeruandis erat ſtudioſior, eo habebatur religioſior. Et maiorum noſtrorum tempore ſub Papatu eandem opinionẽ inualuiſſe, & Eccleſiam miſerabiliter vaſtaſſe vidimus. Quid enim aliud apud hos fuit profeſſio aut vſurpatio nominis Chriſtiani quàm obſeruatio quorundam rituum & ceremoniarum, quarum quædam ex diametro pugnabant cum doctrina cœleſti: quædam etiam, etiamſi ſuo genere non prorſus erant impia, tamen, quia falſa his opinio cultus, aut meriti, aut neceſſitatis affingebatur: non tantum laqueos iniiciebant conſcientiis infinitos & inextricabiles, ſed totam doctrinam traditam à Deo & commendatam Eccleſiæ multiplicibus erroribus inficiebant & conſpurcabant? Hunc errorem & hanc falſam perſuaſionem, omnibus temporibus vſitatam, taxat & reprehendit Propheta hoc pſalmo: & oſtendit qui ſint cultus aut opera quæ Deo placeãt, & quomodo vera & viua membra*

*Eccleſia ab hypocritis & alijs manifeſtè impijs diſcerni poßint & debeant. Atque hac antitheſi conſiderata ſen-
tentia Pſalmi ſit plana & perſpicua: & facilè refutatur ſomnium Papiſtarum, qui hinc probare conantur, homi-
rem bonis operibus iuſtificari coram Deo, & mereri remißionem peccatorum. Nō enim docet hîc Propheta, qua-
re homo ſit iuſtus coram Deo, aut conſequatur æternam ſalutem: ſed quales illos eſſe conueniat, & quid Deus ab
his requirat quos ſibi in populum delegit, & iam in filios adoptauit: ne videlicet exiſtiment ſe perfunctos eſſe ſuo
officio, & ſatisfeciſſe Deo, ſi in obſeruatione ceremoniarū ſint aßidui: ſed alia requiri opera, longè maiora & præ-
ſtantiora, ea videlicet, de quibus lex moralis concionatur: atque hæc opera, quamuis ſint imperfecta, placere ta-
men Deo: ſi fiant in agnitione & fiducia Mediatoris. Qua de re alibi dicitur copioſius. Videntur autem hi tres
pſalmi 14. 15. 16. non ſine conſilio ita diſtributi eſſe: vt in primo doceatur, omnes homines peccato eſſe obnoxios, nec
eſſe quenquam, qui legi in hac vita ſatisfaciat. Et tamen, quia non vmbra tantùm, ſed perfecta legis obedientia
à Deo requiritur, mox ſubijcitur hic pſalmus, qui de ea concionetur. Huic decimus ſextus ſubiungitur, qui, cum
præſtari à nobis integra obedientia non poßit, Chriſtum conſiderandum proponit, qui ſua paßione & obedientia
pro nobis ſatisfecit, vt paulò poſt dicetur.*

Canticum Dauidis.

1 IEhoua, quis commorabitur in tabernaculo tuo? Quis habitabit in monte ſancto tuo?

Orditur ab interrogatione, qua quæſtionem omnium grauiſſimam, & omnibus temporibus agitatam controuerſiam de vera Dei Eccleſia, quæ & qualis illa ſit, & quomodo agnoſci vera eius membra debeant, deuoluit ad iudicium Dei: vt reſponſio & explicatio plus habeat autoritatis, & cum maiore religione & reuerentia excipiatur. Homines inter ſe diſcreptant, & diſputant inter ſe variè de hac quæſtione, alius enim aliud ſtatuit: quia nihil eſt magis vſitatum quam vſurpare titulum Eccleſiæ, & obtendere nomen Dei, atque hoc titulo ſuperbire: cùm interea nihil minus ſit maxima multitudo, quā quod ſe eſſe gloriatur. Cùm igitur hominum iudicia fallant, tu Domine, inquit, oſtendas nobis quæ ſint vera Eccleſiæ mēbra, & quomodo diſcerni à nothis debeant, ne fallaci titulo homines abutantur, aut etiam decipiantur.

Commorabitur] גור ſignificat peregrinari, habitare, vt aduenam. Id cōgruit ad hāc vitam, ſicut alterum מגורים ad futuram.

In tabernaculo] Meminit tabernaculi, quia nondum erat extructum templum: & quia tabernaculum illud ſeu tentorium quod hactenus fuerat, non habuerat fixam ſedem aut locum: tempore Salomonis debebat auferri & remoueri, & extrui aliud templum in monte Moria. ideo adiungit verbum peregrinandi, ſignificans & locum tentorij non fore certum ac fixum, & pios non debere perpetuò conuenire in iſto tentorio, nec arcam ibi perpetuò commoraturam eſſe. Vtroque autem vocabulo tabernaculi & montis, ſignificat Eccleſiam omnium ætatum. Nam quæ tunc erat Eccleſia in populo Iudaico, ea conueniebat ad tabernaculum, & mōtem in quo tabernaculum & poſtea templum erat extructum. Itaque vſitatis & notis vocibus appellat res præſentes, quibus mutatis mutata ſunt & nomina. Quandiu enim populus conueniebat ad tabernaculum, voce tabernaculi ſignificabatur Eccleſia: poſtea remoto tabernaculo & extructo templo, alia nomina ſortita eſt Eccleſia.

Nunc abolitis ritibus Moſaicis in vniuerſum, & deſtructo templo, & vaſtata illa terra ac politia, quæ olim ſedes erat Eccleſiæ, Chriſtiani alijs vocabulis vtuntur; & quod illi tabernaculum montem ſanctum, Iſrael, Iacob appellabant, nos vocamus Eccleſiam, regnum cælorum, &c. Vocibus autem tabernaculi & montis eleganter pingitur Eccleſia. Primò comparatur tabernaculo ſeu caſtris, primùm, propter aſſidua certamina piorum, quorum vita perpetua eſt militia, ſicut dicitur Iob. 7. Habet enim perpetuos hoſtes & crudeliſſimos, diabolum & mundum, & propriam carnem, aduerſus quos perpetuò eſſe in ſtatione, & belligerare, ac ſtrenui militis officia obire cogitur. Deinde ſicut tentoria & tabernacula transferuntur de loco in locum (non enim manent fixa in vno certo loco) ita Eccleſia nō habet certas & ſtabiles ſedes in hoc mūdo, ſed ſubinde cogitur eas mutare: pellitur enim ex alio loco in alium, exulat, vagatur hinc inde. Eſtque vita piorū in hoc mundo perpetua peregrinatio, donec tādem ad portum, ſeu manſionem ſuam à Chriſto paratam perueniat. Tertiò tabernacula illa non ſunt munita vallo ſeu aggere: quia tantùm ad ſubitas mutationes figuntur, & refiguntur. Ita Eccleſia foris non habet præſidia humana, ſed tamen ſicut tuguriola illa defendunt corpora aduerſus æſtum Solis, & imbres, & alias tempeſtates: ita Eccleſia habet Filium Dei vmbraculum, aduerſus æſtum iræ diuinæ & imbres, ſicut dicitur Ieſa. 25.

Deinde comparatur monti, propter ſecuritatem, ſeu potiùs defenſionem. Olim enim ciuitates ſeu arces extruebantur in montibus & petris, vt difficilior eſſet acceſſus, & ne facilè expugnarentur ab hoſtibus: ita Eccleſia Chriſti fundata ſuper montem, qui eſt verbum Dei ſeu Chriſtus, tuta eſt ab inſidiis & furore diaboli, nec poteſt expugnari, iuxta illud Chriſti, Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Matth. 16.

Alij vocabulo tabernaculi iudicant ſignificari militantem Eccleſiam in hac vita: montis vocabulo, triumphantem: hoc eſt, eam quæ ex huius mundi tentoriis deuicto mundo, Satana & ſeipſa, in cœlum commigrauit.

Vocabulo montis attribuit verbum שכן quia tabernaculū non ita fuit fixum: ſæpe enim eſt tranſlatum, nec tandiu durauit ſicut templum. Vtitur autem hoc verbo, vt oſtendat diſcrimen inter perpetuos Eccleſiæ ciues, & inquilinos ſeu hypocritas, qui ad tempus ſunt illis permixti. Hi enim etiamſi venditent ſe pro veris Eccleſiæ membris, externa profeſſione & obſeruatione rituum: tamen, quia vera & ſolida pietate carent, & variis ſordibus ſunt polluti, tandē iudicio diuino ſeparabuntur à veris Eccleſiæ membris: non erunt ſtabiles aut fixi, non habebunt immotam aut durabilem manſionem. & quidem norma hîc nobis præſcribitur, vt nos quoque diſcernere tales diſcamus, nec offendamur, etiamſi videamus malos & improbos nonnunquam vſurpare nomen & titulum Eccleſiæ, atque hoc magnificè ſe efferre & oſtentare.

Sanctitatis] Id eſt, ſancto, vſitata forma loquendi apud Hebræos. Mons dicitur ſanctus, in quo ſacra & res diuinæ peragūtur, & vbi verbum Dei docetur. Ibi Deus habitat, & ſua præſentia locum ſanctificat: & quidem tunc peculiariter certo verbo ſe habitaturum in hoc monte, ſuæque præſentiæ teſtimonia ex eo editurum oſtenderat: ideo dicitur ſanctus.

Sequitur reſponſio & oraculum diuinum.

2 Qui ambulat integer & facit iuſtitiam: & loquitur veritatem in corde ſuo.

Varias commemorat notas piorum, vt diſcerni facilius ab hypocritis poſſint. Prima eſt, pios ambulare integrè. Hæc phraſis ſumpta eſt ex Gen. 17. cap. vbi Deus ad Abraham dicit, Ambula coram me, & eſto integer. Significat enim, ſe quidem Abrahamum, & eius poſteros gratis adoptare & recipere in fœdus, ſed tamen ita, vt ille integer viuat, ne impietate aut ſceleribus rurſus excidat ex fœdere, aut ſe excludat. Hanc conditionem ſignificat propheta perpetuò annexam eſſe fœderi: vt nemo gloriari de fœdere rectè poſſit, niſi qui illam integritatem & rectitudinem præſtet. Itaque non ſatis eſt eſſe occupatū ceremoniis. Ambulare Hebræis ſignificat in vocatione ſua viuere, vnde & via vocationem cuiuſque ſignificat. תמים autem non eum ſignificat qui prorſus eſt ſine peccato, aut qui perfectam habet iuſtitiam, qualem lex requirit: nam ex præcedente pſalmo audiuimus, nullum omnino eſſe qui viuat ſine peccato: ſed ſignificat immaculatum, ab omni dolo & hypocriſi alienum. Ita Prouerbiorum 11. opponuntur profundi corde & integri. Et Paulus rectiſſimè id interpretatur, 1. Tim. 1. Milita bonam militiam, &c. vt integer ſit, qui retinet fidem & bonam conſcientiam. fides autem requirit veram agnitionem Dei, mentem incontaminatam, & nō corruptam falſis & fanaticis opinionibus aut cultu idolorum, fiduciā, inuocationem & reliqua opera primæ tabulæ. Deinde bona conſcientia excludit propoſitum perſeuerandi in delictis contra conſcientiam, & requirit ſtudium rectè, honeſtè & inculpatè viuendi. Vt autem prophetæ verba rectius intelligantur, ſemper adiungatur antitheſis, quæ tacitè ſubeſt. Ille eſt verè pius qui ambulat in Lege: non hic qui indulget prauis cupiditatibus, & pollutus eſt delictis contra cōſcientiam, atque interim exiſtimat ſacrificiis & aliis ritibus ſe placare iram Dei, aut propter ſanguinis prærogatiuam ſe gratum eſſe Deo.

Operatur iuſtitiam] Secunda nota. Eſt autem operari iuſtitiā ſtudere beneficentiæ, neminem lædere aut afficere iniuria: & complectitur nomen iuſtitiæ omnes virtutes ſeu opera, quæ in ſecunda tabula decalogi continentur, quorum quædam poſtea in ſpecie recenſet.

Verita-

Veritatem loquitur in corde ſuo] Tertia nota. In corde loqui veritatem, eſt in genere apertè, ſincerè, ſine ſimulatione, ſine adulatione, ſine dolo & fuco, ſine ſtudio decipiendi aut nocendi, loqui & agere cum proximo, amare veritatem, odiſſe ſophiſticam, mendacia, &c. Vtitur autem hac phraſi, quæ alioqui videtur eſſe duriuſcula, vt in corde potiùs dicat, quàm ex corde, ſignificans ſummũ debere eſſe cordis & linguæ conſenſum, ne quid lingua dicat, quod cor falſum eſſe ſtatuat: ſed vt ſermo ſit viua latentis affectus effigies. debet autem hoc ad omnia genera vitæ accommodari, ad doctores Eccleſiæ, ad gubernatores, ad ſingulos priuatos, &c.

3 Qui non detrahit lingua ſua: non facit ſocio ſuo malum: & opprobrium non leuat contra propinquum ſuum.

Poſtquam in genere dixit, requiri à piis integritatem & rectitudinem vitæ ac morum in conuerſatione, in factis & dictis, nunc per diſtributionẽ ex antitheſi quædam vitia in ſpecie recenſet, à quibus puros eſſe conueniat homines pios: & opera quædam commemorat, quibus aſſiduè ſtudere debeãt. Et quanquam non omnia opera Decalogi recenſet: tamẽ per ſynedochen ſub his comprehendi intelligamus.

Qui non detrahit] Quarta nota. Significat verbũ רגל aſſentatione & ſimulatione amicitiæ explorare alicuius animum, ingenium, mores, conſilia & affectiones, & more exploratorum ea poſtea aliò deferre. רגל enim pedem ſignificat: & quia delatores rarò quieſcunt, ſed nunc ad hos, nunc ad alios diſcurrunt perferentes fabellas & rumuſculos: ideo verbum inde factum ſignificat deferre, calumnioſè detrahere alicui, minuere alicuius exiſtimationem & famam, effictis fabellis ſeu rumuſculis ſpargere ſeminaria odij & diſſidiorum obtrectationibus. Sæpe etiam ſignificat explorare loca ſeu vrbes: vnde מרגל Gen. 42. explorationem ſignificat.

Non facit malum ſocio ſuo] Quinta nota. Non lædit, non afficit iniuria, non defraudat, non afficit damno: ſed potiùs ſtudet benefacere. Socios intelligit non tantùm eos cum quibus familiaris vſus & neceſſitudo intercedit: ſed omnes qui communi humanitatis vinculo ſunt coniuncti ſibi mutuò aut deuincti. Omnes enim ab vno parente Adamo prognati, in vna ſocietate in hoc orbe, tanquam in communi repub. conſtituti ſumus, vbi alter alterius opera & conſilio indiget.

Opprobrium non leuat] Sexta nota. Non admittit contra proximum ſuum. Sicut famam proximi, boni cupiunt eſſe integram: ita & abſentis famam defendunt, non præbent aures calumniatoribus, non ferunt obtrectatores, memores præcepti quod eſt apud Thucydidem διαβολὰς οὐ ... οὔτε λέγειν τινὰς εἰς ἀλλήλους οὔτε τοὺς ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι. Leuare opprobrium quidam interpretantur comminiſci: vt ſit repetitio prioris membri.

4 Contemptus eſt in oculis eius reiectus: ſed timentes Iehouam honorat: iurat ad malum & non mutat.

Septima nota. Non eſt προσωπολήπτης, non tegit aut excuſat vitia improborum turpi adulatione: nec mouetur vel diuitiis, vel potẽtia, vel externo ſplendore impiorum, vt aliter de his iudicet quàm pietas eum facere iubet, aut etiam, vt quid in gratiam ipſorum faciat quod non ſit honeſtum & pium. Item non vult coli amicitiam, nec habet cõmercium cum his quos ſcit eſſe impios & mancipia Satanæ.

Quidam ex Iudæis, & qui hos ſequuntur, ita interpretantur: Cõtemptus eſt in oculis ſuis abominabilis: id eſt, ipſe ſibi diſplicet, ac ſi eſſet ipſe abominabilis, non ſuperbit, aut effert ſe ſuis donis, quia videt quantum ſibi adhuc deſit ad perfectionem: Sed antitheſis quæ additur, ſatis oſtendit priorem ſententiam eſſe veram.

Honorat] Id eſt, amat, obſeruat, colit, reueretur, magni facit, & omni genere officij proſequitur.

Qui iurat ad malum & non mutat [retractat] Octaua nota. Religioſè & bona fide ſeruat ea quæ iureiurando promiſit. Græcus interpres hic legit, Qui iurat proximo: fortè quia exiſtimauit abſurdum eſſe, iuramento ſe ad rem malam aut iniuſtã obſtringere. Et fortaſſe codex ille Hebræus quo vſus eſt, caruit punctis, vt facile pro רע legere potuerit רֵעַ. Quanquam enim punctis vocalibus nunquam caruerunt Hebræi, quod in Grammatica oſtendimus: tamen credibile eſt nõ ſemper ſcribendo ab illis fuiſſe expreſſa, ſicut ne nunc quidem.

Græcum interpretem ſequuntur alij plerique. Sed cum puncta obſtent, & propheta in genere de omnibus iuramentis loquatur, non tantùm quæ proximo, ſed etiam quæ Deo fiunt, quærenda eſt concinna interpretatio, quæ Grammaticam ſententiam tueatur.

רע malum ſignificat ſiue de malo culpæ ſiue de malo pœnæ intelligas. De malo culpæ ſæpe legitur, cùm alibi, tum in libris Iudicum Et addiderunt filij Iſrael facere הרע id eſt, malum. Hoc autem loco הרע ſignificat non malum culpæ, quod lege Dei ſit prohibitum & Deo diſpliceat (nam iuramentum de re iniuſta vel impia datum, nequaquam eſt ſeruãdum) ſed ſignificat malum pœnæ, hoc eſt, quod graue & damnoſum eſt illi qui iurauit. Et in hac ſignificatione legitur Ieſa. 45. Dominus facit pacem, & creat malum. Ier. 4. Malum adduco ab Aquilone. Amos 3. Non eſt malum in ciuitate quod non fecit Dominus. Eſt igitur hæc ſimpliciſſima ſententia: Homo pius præſtat quod promiſit iureiurando: etiamſi id eſt coniunctum cum ſuo damno, & iactura rei familiaris. non enim ludit iuramentis, ſicut pueri aſtragalis, quemadmodum Lyſander dicebat de regibus, vt ea ſeruet, quamdiu ſibi commodum eſſe videt, & rurſus retractet aut reſcindat pacta, ſi aliquod dãnum ſibi inde emergere intelligat. R. Aben Eſra, R. Dauid, Chaldæus interpres, D. Hier. paulo aliter hoc membrum interpretantur. Nam להרע iudicant eſſe infinitiuum tertiæ coniugationis verbi רעע vt congruat cum illo Iere. 4. Sapientes ſunt להרע ad malefaciendum. Hoc verò loco malefaciendi verbum de afflictione corporum, quæ fit crebris ieiuniis, exponunt. Sed eſt illa opinio nata ex ſuperſtitione illorum temporum: ideo eam meritò repudiamus.

Docemur autem in genere hoc teſtimonio, quod iuramẽta ſint licita. Idque obſeruandum eſt contra Anabaptiſtas, qui prorſus tollunt & damnant iuramenta. Sed tota doctrina de iuramentis aliunde petatur.

5 Argentum ſuum non dat ad vſuram [*non ponit in fœnore*] & munus aduerſus innocentem non accipit. Qui facit hoc, non mouebitur in æternum.

Nona nota. Nomine vſuræ primum damnat in genere omnem auaritiam, quæ, vt Paulus inquit, Radix eſt omnium malorum. Et Phocylides ait: ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης. Et quanquam ſemper cum iniuria aliorum coniuncta eſt auaritia: tamen illa iniuſtitia in vſuris maximè ſe prodit. Nihil enim eſt quod citiùs exhauriat facultates hominũ quã vſura: & pugnat cum charitate, pro officio mutuationis aliquid ſupra ſortem accipere. Oſtendit igitur talis vir ſe ab amore proximi prorſus alienum eſſe. Deinde nomine vſuræ damnantur in genere omnes contractus, in quibus alter ex alterius damno lucrum captat. Et illæ ſunt veræ vſuræ quas Scriptura vbique dãnat, vbi ſcilicet pro officio mutuationis cum detrimento & iniuria alterius aliquid exigitur, ſiue multum, ſiue parum.

Nomen Hebræum quo vſura ſignificatur, à mordendo factum eſt, quia arrodit & paulatim conſumit miſeros homines. Apud Ezech. cap. 18. additur aliud vocabulum quod ſignificationem habet incrementi. Nam in vſura creſcit & multiplicatur ſors.

Munus non accipit] Decima nota. Primùm hoc referendum eſt ad magiſtratus & iudices, atque adeo ad omnes qui in foro verſantur. Hi, ſi boni & pij ſunt, non patiuntur ſe muneribus corrumpi, vt iniuſtis cauſſis faueant, aut iniuſtam ſententiam ferant in iudicio: id quod vſitatiſſimum eſt in communi vita. deinde ad priuatos etiam extendi debet. Hi quoque ſi boni ſunt, non accipiunt munera, vt malis cauſis patrocinentur. In genere igitur omnes corruptelas, quibus à vero & recto abducimur, hic complectitur Propheta.

Qui facit iſta] In concluſione repetit propoſitionẽ pſalmi. Sicut enim antea dixit, eos eſſe vera & viua Eccleſiæ mẽbra, & perpetuos eius ciues, qui integritatem & rectitudinem à Deo præceptam & mandatam præſtant, non hypocritas, qui Eccleſiæ titulo ſe venditãt, atque interim à vera pietate ſunt alieni: ita nunc affirmat, tales, qui verè pij ſunt, & factis animi pietatem declarant, fore perpetuo beatos, hóſque nulla vi, nulla tyrannide aut iniuriis Satanæ ſeu mundi poſſe euerti, aut de ſuo ſtatu deiici: eſſe enim ſecuros & tutos aduerſus mala: cùm interea impij perpetuò nutent, & ruinam ſeu interitum minentur. Nam fucatam pietatem eodem ſequitur ſua pœna.

PSALMI XV.

PARTES.

I. Quæſtio duplex. 1. Quis in Eccleſia aſpectabili commoraturus ſit, dum peregrinamur à Domino.

2.quis in Eccleſia Catholica & cæleſti ſit in ſempiternum habitaturus: denique futurus militantis& triumphantis Eccleſiæ membrum.v.1.

II. Reſponſio,à ſignis,quibus homo hominem ſuo modo & aliquatenus poteſt internoſcere. Tria autem ſigna proponuntur,2. verſ.nempe 1.Integritas.2.Innocentia ſeu iuſtitia.3. Veritas.quæ tria reſpondent tribus illis capitibus,(Epheſ.4.24.)nouo homini attributis: ſequentibus autem verſibus, ordine præpoſtero,ex Hebræorum conſuetudine explicantur. Veritas enim 3.v.ab exemplo vno,nempe quod nouus homo non obtrectet lingua ſua,ſynecdochice explicatur.Sequitur eodem 3.v.Innocentiæ ſeu iuſtitiæ conſideratio.v.4.Integritas occurrit,iudicioſa,minimè adulatrix,non ſibi indulgens,timore Dei in officio detenta. quem timorem verſ.5.amplificat duabus aliis conſiderationibus:1.propter damnum non abſtinet à benefactis.2.non benefacit exſpectatione commodi ver.5.

III. Concluſio à promiſſionibus Dei omnipotentis cultores ſuos tuentis & dono perſeuerantiæ ad finem vſque coronantis.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Quum nihil magis tritum ſit quàm falſo obtendere Dei nomē, ſibiq; magna pars hominum ſecurè indulgeat,quòd cultum aliquē externū amplectatur,hominibus relictis Deus eſt cōpellandus & audiendus in verbo ſcripto;ex eo enim in confuſa filiorum Adæ mixtura electos ſuos efficaciter ad ſalutem vocatos ab alienis facilè & certiſſimis notis diſcernit.

Fruſtra ab hypocritis,qui locum in tēplo Dei occupant,nomē Dei prætexitur:quia neminem inter ſuos agnoſcit,niſi qui iuſtitiam & rectitudinem colit tota vita.Ideo ſi verè cenſeri cupimus inter Dei filios,admonemur vitæ integritate hoc eſſe probandum:quia nō ſufficit cæremonijs Deum colere,niſi rectè & innoxiè viuamus.

Quia ſæpe contingit Eccleſiam Dei multis inquinamentis deformē cernere,ne quis ad hoc ſcandalum impingat,diſcrimen conſtituēdum eſt inter perpetuos Eccleſiæ ciues,& inquilinos qui ad tempus ſunt illis permiſti.Damnandi ſunt igitur Anabaptiſtæ,qui non putant veram eſſe Eccleſiam,quæ vitia quædam tolerare cogitur.

Non ante vltimum diem perfectè mundabitur ſacra Dei area: hoc tamē facere nunc incipit Chriſtus Euangelij ſui doctrina,quam ideo ventilabrū nominat.Acriter igitur eniti conuenit vt ſe in caſta puraq; diſciplina contineant quicunq; nomen Chriſto dederunt.

In ſancto tabernaculo,ſeu vera Eccleſia,non patet ad Deum acceſſus,niſi puris eius cultoribus:quorum fide ac pietate impiorum & hypocritarum omnium ſuperſtitiones & furores damnantur.

Non modo charitatis officiis,verùm etiam ſincero Dei cultu legitimos Dei filios ab hypocritis Scriptura diſtinguit: ſed quia multis cæremonijs ſuperſtitioſi ſe vt plurimū venditant (quorum tamen impietatem coarguunt viuendi mores peſſimi & obſcœni)vt in lucem trahantur,veræ fidei probatio ex ſecunda Legis tabula ab eis exigitur.Nam vt quiſq; iuſtitiam & æquitatem cum proximis ſuis colit,re ipſa demonſtrat ſe Deum timere.

Sinceritas animi eſt primus ſanctæ vitæ gradus:hanc ſequuntur iuſtitia quæ proximos iuuat:deinde fides in ſermonibus.Aliæ virtutes cohærent,quarum hic nonnullæ deſcribuntur, in quibus latens in corde pietas facilè apparet.

3 Quum nomen bonum multis diuitiis præcellat , & nulla grauior noxa inferri poteſt hominibus quàm dum violatur eorum fama : ab obtrectationis crimine conuenit igitur pios eſſe alienos.

Debet præterea ab ijs procul abeſſe omnis iniuſtitia,ne quid ſcilicet damni inferant non iis tantùm quibuſcum familiaris vſus vel neceſſitudo intercedit,ſed omnibus etiam qui communi humanitatis vinculo deuincti ſunt ac coniuncti,quos ſanctus Spiritus ſocios appellat,vt magis abhorreant fideles ab omni maleficio, quandoquidē ius humanæ ſocietatis violat quiſquis alteri nocet.

Cauenda nobis eſt,& quidem ſedulò,credulitas illa nimia,quâ ſiniſtros de proximis ſermones vel haurimus auidè,vel temere admittimus,quibus ſupprimendis danda potiùs erat opera.Qui enim ficta mendacia ſpargunt,colligunt,& de manu in manum tradunt, non ineptè ea tollere dicuntur.

Filij Dei libere iudicant de cuiuſq; factis,neq; gratia ad prauam aſſentationem inflectuntur,vt improbos in ſua malitia foueant.

Si dominantur improbi,non ita ſpernēdi ſunt quin illis pareamus quantum feret officij noſtri ratio:cauendum tamen eſt ne ſeruilis aſſentatio eodem nos cum ipſis reatu implicet:nam qui eorum ſcelera diſſimulat,aut honore dignatur,ſibi probari quantum in ſe eſt oſtēdit.vide Epheſ.5.11.& Ieſa.5.20.

Quia pij homines & iuſti ſæpe ſunt quaſi mundi catharmata, fit vt contempti iaceant & ab omnibus relinquantur,quod fieri non poteſt ſine Dei iniuria.Exigit igitur Dei Spiritus vt homines non à cenſu,vel pecunia,vel fluxis honoribus æſtimemus,ſed pietatem habeamus in pretio.Et certè nemo ad pietatis ſtudium vnquam animum adiiciet niſi qui Dei ſeruos reuerebitur.

Fideles potiùs bonorum ſuorum faciunt iacturam quàm vt à fide & in promiſſis conſtantia diſcedant,priuatiſq; commodis ſua promiſſa præferant,maximè ſi iuramento ſancita ſunt. Ei autem qui dolo malo circumuentus iurauit,tanti debet eſſe nominis Dei ſanctitas,vt damnum potiùs patienter ſuſtineat quàm violet iuſiurandum:modò tamen priuatæ vtilitatis reſpectu non ducatur,fraudem ſibi factam detegere licebit:nulla etiam ratio impediet quominus cum parte aduerſa placide tranſigat.

Damnantur hoc loco Anabaptiſtæ & eiuſmodi ſocietatis humanæ hoſtes,qui illicita iuramenta cum licitis confundentes,iſta vt illa à Deo vetita eſſe vociferantur.

5 Contractus omnes quibus alter ex alterius damno lucrum iniquè captat,quocūq; veſtiātur nomine,hoc verſiculo dānātur.Videāt ergo fideles ne ingenioſi ſint ad captādos colores fraudādi: nec ſibi fingant quicquam eſſe licitum quod aliis graue & damnoſum ſit.

Legis,quæ vſuras ſub Moſe prohibuit,Leuit.25.finis eſt, ne crudeliter opprimantur pauperes qui potiùs miſericordia digni erant. Et quanquam politica fuit lex illa quam Deus peculiariter tulit Iudæis : communis tamen Gentium & ætatum omnium eſt iſta æquitas,ne miſeros homines & attritos deuoremus.In ſumma,modò cordibus noſtris inſculpta ſit præſcripta per Chriſtum æquitatis regula,Matth.7.12.longa diſputatione de vſuris minimè opus erit.

Iudices & cauſarum patroni,aliive qui mercede,promiſſis,aut variis artibus illecti ac cōducti ius & fas omne peruertunt,vel operam ſuam malis cauſis accommodant,omneſq; corruptelæ,quibus à vero & recto abducimur,damnantur hoc verſiculo.

Non omnes qui ſe ingerunt in Dei ſanctuarium ſunt perpetui ciues Ieroſolymæ cœleſtis , ſed cum Iſmaele(cui ſimiles ſunt)eijciētur quicunq; ſanctorum titulo mendaciter ſe venditant.Contrà pij,iuſtitiæ & æquitati ſtudentes,vitæ præſentis & futuræ promiſſionibus ac fructibus ſecurè fruentur.

Sic diuinitus cuſtodiuntur veri Eccleſiæ Dei ciues vt ſubuerti ac perdi nequeant.Occidi poſſunt:è regno Dei moueri non poſſunt. Ij autem ſunt veri ciues reputandi,qui ſalutem in vnico Chriſto oblatam amplexi,iuſtitiæ in lege Dei propoſitæ ex animo ſtudent,& ad charitatis erga Deum & proximos regulam cogitata,dicta, factaq; ſua humili mente referunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Membrorum Eccleſiæ Dei eſſentiales & veræ notæ.
2. De veritate, innocentia ſeu iuſtitia,& integritate.
3. Impiorum & piorum iuſta cenſura.
4. De fide ſeruanda,de vſuris,de iudicum officio.
5. Perſeuerantiæ in timore Dei impetrandæ ratio & modus.

ARGVMENTVM PSALMI XVI.

HIC Pſalmus conciliat pugnantiam quæ in duobus præcedentibus pſalmis 14. & 15. apparet: & docet quomodo vterque rectè ſit intelligendus. Nam vt ille omnes homines accuſat de peccato, & pronuntiat eos eſſe reos & abominabiles coram Deo, propter prauitatem & multiplicia peccata, quæ homines nati ab Adamo ſecum circumferant : ita hic affirmat, neminem poſſe eſſe membrum Eccleſiæ ſeu populi Dei : niſi integer ſit vita & moribus , & qui illam obedientiam præſtet quæ in Lege requiritur. Ex hoc igitur cùm conſequi videatur , neminem poſſe ſaluari, quia nemo ad illam perfectionem, quam Lex requirit, peruenire in hac vita poßit:non ſine cauſſa mox hic pſalmus ſubiectus eſt ab Eſra, ſeu quocunque alio , qui primus eos in ordinem digeßit. Voluit enim oſtendere quomodo dicta legalia , quæ perfectam obedientiam requirunt, atque hanc non præſtantes damnant, ſint intelligenda, nempe, ſicut Paulus inquit, Finem legis eſſe Chriſtum,atque hunc factum eſſe à Deo peccatum,vt nos,qui eramus natura filij iræ,fieremus iuſti-

tia Dei

tia Dei in ipſo. Itaque deducit nos hic pſalmus ad cõſiderationem mortis & reſurrectionis Chriſti, & docet, Chriſtum mortuũ eſſe, & poſtea reſurrexiſſe, vt aliqua pars generis humani ſeruaretur, quæ ipſi in hæreditatem cederet, & quæ vnà cum ipſo æterna vita ac beatitudine frueretur: idque ita fieri, ſi fiduciam ſuam omnem in Deum collocet. Atque huius cœtus, iam placentis Deo, & recõciliati, opera quantumuis ſqualida & imperfecta affirmat placere Deo, non aliam ob cauſſam quàm quòd, vt Chriſtus ipſe inquit, Omnis voluntas eius eſt in ipſis: hoc eſt, quòd bene vult eis, amat eos, recipit eos in gratiam, offert & recõciliat eos Patri, &, vt reconciliatio fiat, ipſe pœnam ſubit pro ipſis, factus victima pro ipſorũ peccatis. Continet igitur pſalmus grauiſſimam doctrinã & prophetiã de paſſione & reſurrectione Chriſti, déq; fructu mortis & reſurrectionis huius. Ipſa verò prophetia formâ precationis, & gratiarum actionis exponitur: ſicut vſitatum eſt & in aliis pſalmis, vt 22. &c. Etſi autem plerique interpretes hunc pſalmum principaliter ad Dauidem, oppreſſum tyrannide Saulis, atque ita deinde generaliter ad reliqua Eccleſiæ membra, quatenus Dauid typum horum geſſit, non inerudítè accommodant: tamen cùm quædam ſententiæ in hoc pſalmo ſint, quæ non niſi de Chriſto intelligi poſſint: atque ita eas intelligendas eſſe, D. Petrus Apoſtolus Act. 2. & Paulus Act. 13. clarè & apertè teſtentur: horum autoritatem ſecuti, ſtatuimus pſalmum primùm & principaliter intelligendum eſſe de Chriſto, déque huius morte & reſurrectione. Sed tamen, quia Eccleſiam ſimilem fieri oportet imaginis filij Dei, ideóque & pati multa, & reſuſcitari tandem à Filio Dei, rectè etiam ad Dauidem, & reliqua membra accommodari poteſt: ita tamen, ne principalis ſententia amittatur: id quod fit, cùm tantum de Dauide vel de aliis Eccleſiæ membris exponitur. Hæc de argumento pſalmi initiò monuiſſe ſatis eſt, ne quis, interpretum autoritate motus, aliter eum intelligat quàm ipſi Apoſtoli faciendum eſſe docuerunt. Sunt quidem pſalmi non pauci, in quibus Dauid, cùm Meſſiæ typum ſe gerere intelligeret, ſuas res ita exponit vt eas cum Chriſti paſſionibus & victoria coniungat, atque in ſua vita imaginem quandam & vmbram illarum maximarum rerum, quæ à Chriſto gerendæ erant, propoſitam fuiſſe oſtendat, vt poſtea videbimus. Nunc tamen in hoc pſalmo interpretando contenti erimus Apoſtolorum autoritate: quorum ſententiam ſi afferamus, ſatisfactum auditoribus iudicabimus. Cæterùm de ordine & diſpoſitione pſalmi dicetur in interpretatione copioſius.

TITVLVS.

מכת□ לדוד.

DE hoc titulo variæ ſunt interpretum ſententiæ. Græci reddiderunt ϛηλογραφία, id eſt, titulus columnæ inſcriptus, ſcilicet de reſurrectione & triumpho Chriſti. Moti ſunt Græci, ſine dubio, teſtimonio Ierem. c. 2. vbi verbũ paſſiuum ſignificat ſignari: Signata eſt iniquitas tua corã me. Rabbi Salomon quoſdã ex priſcis Hebræis recẽſet, qui dictionem eſſe compoſitam aſſerant à מך quod oppreſſum paupertate ſeu ære alieno, & miſerum ſignificat, & ת□ in qua voce ſignificatio eſt ſimplicitatis expertis doli, fraudis, ſimulationis. Itaque ſic reddunt illi: humilis & ſimplicis Dauidis. Atque hos ſecutus eſt D. Hieronymus, qui eodem modo reddidit. Sed hanc ſententiam refutat & reiicit Burgenſis. Chaldæus paraphraſtes ſic reddidit: גליפא תריצא. Sculptura recta ſeu pulchra, exiſtimans nomen eſſe inſtrumenti muſici, pulchrè & eleganter exſculpti, quo decantatus ſit hic pſalmus. Atque huius ſententiam probat Abeneſra, & Rabbi Dauid dicit, Michtom nomen eſſe inſtrumenti muſici. Lyra exiſtimat nomen eſſe cantilenæ decentioris & ſuauioris, vt quaſi initium ſit carminis tunc celebris & noti: vel etiam, quod nonnulli exiſtimant, vt ſit certæ modulationis ſeu toni ſpecies. Burgenſis tamen, vir magni iudicij, dictionem מכת□ ait ſignificare aureum ornamentum, quod ex puriſſimo auro factum eſt, quódque tanquam κειμήλιον aſſeruatur & geſtatur de collo. Nam כת□ volunt Hebræi ſignificationem habere maſſæ auri natiui & non excocti: hoc eſt, mundiſſimi: quales reperiuntur in fodinis Vngaricis ſæpe, & in India. Vnde ſæpe in Scriptura occurrit hæc vox כת□ Ophir, nos germani nominamus, *Gedigen goldt*. Inde מכת□ denominatiuum ſignificat ornamentum factum ex auro mundiſſimo, κειμήλιον aliquod pretioſum: quaſi diceret, pulcherrimum & dulciſſimum carmen, quod non aliter quam κειμήλιον aliquod in pretio haberi debet. Hanc interpretationẽ Burgenſis & plerique ex recentioribus probauerunt. Cum enim pſalmus concionetur de morte, reſurrectione, & regno Chriſti, iudicant hunc titulum aptiſſimè ei conuenire. Tales enim pſalmi, qui prophetias de Chriſto & regno eius continent, eminent inter reliquos, ſicut aurum inter metalla. Ideo & Rabbi Salomõ hanc dictionem interpretatur coronam, quæ eſt præcipuum ornamẽtum regum. Ego quanquã poſteriorem ſententiam libenter amplector: tamen auditoribus liberum relinquo iudiciũ: præſertim cùm etiam aliis pſalmis 56. & quatuor ſequentibus præfigatur, quæ tamen nullum de Chriſti paſſione aut reſurrectione vaticinium continent.

1 Cuſtodi me Deus: quoniam in te confido [*protectionem pono.*]

Totus pſalmus conſtat duobus membris. In primo eſt petitio, in qua Chriſtus ſentiens non tantùm corporis lacerationes & cruciatus: ſed etiam animi pauores & conſternationes inenarrabiles, ex ſenſu iræ Dei in ſe effuſæ, precatur, vt in illa grauiſſima lucta & horribilibus doloribus, quos nulla creatura ferre potuiſſet, ſuſtẽtetur & ſeruetur, ac tandem liberetur, reddita vita & lætitia. Huic petitioni inſerta eſt narratio de paſſione & de applicatione. Alterum membrum eſt gratiarum actio Chriſti reſuſcitati & glorificati: qua celebrat præſens auxilium Dei, & mirandam liberationem. Hæc ſumma eſt pſalmi: nunc membra ordine conſiderentur.

Orditur pſalmum, vt dixi, à petitione, quæ eſt propoſitio pſalmi.

Conſerua me] Id eſt, ne ſinas me ſuccumbere in hoc agone meo omnium maximo, non ſinas me ſuperari aut opprimi doloribus: ſed adiuua luctantem, ſuſtenta, & libera me, vt victis doloribus tandem lætus triumphem, de peccato, morte, Satana & mundo.

Quoniam in te confido] Addit rationem, non à magnitudine dolorum ſeu periculi, aut ſua infirmitate: ſed à ſua ſpe & fiducia in Deum, qua perſuaſus de bonitate Dei, certò ſtatuit, neminem ſperantem in Deum vnquam deſeri.

2 Dixiſti Iehouæ, Dominus meus es tu: Bonum meum non eſt propter te.

Repetit rationem petitionis. Nam cùm peteret ſe ſeruari, addebat rationem à ſua ſpe. Eam nunc repetit, & perſpicuam ponit aſſeuerationem, qua teſtatur ſe prorſus pendere à Deo. Dixiſti, ſcilicet anima. Ita enim interpretatur Chaldæus, cùm verbum ſit fœmininum. Eſt igitur ſentẽtia, Ego in corde meo ſic ſentio, ſtatuo, & ore confiteor, quòd tu ſis Deus meus. Cùm autem nominat Iehouam, ſimul vult diſcernere verũ Deum à commentitiis numinibus, vt hoc dicere velit, Ego pendeo à vero Deo qui ſe patefecit in populo Iudaico, non ab idolis aliarum gentium, à quibus nulla poteſt ſperari ſalus.

Dominus meus es tu] Id eſt, ſuſtentator meus, cui innititur fiducia, & in quo tutus acquieſco. Nam ארון dominum ſignificat, qui eſt columen familiæ ſuæ.

Bonum meum non propter te] Hanc ſententiã variè expoſuerunt interpretes. Nec neceſſe eſt omnes ſententias hoc loco commemorare: aliquas tamen recenſebo, vt ex collatione auditores meliùs iudicium faciant. Græci tranſtulerunt: ὅτι τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις. Horum ſententiã expreſſit vulgata Latina: Bonorum meorum non indiges: quod nonnulli ſic interpretati ſunt, Non indiges victimis: omnia enim ſunt in tua manu, ſicut alibi dicitur pſal. 50. Si eſuriero, &c. D. Hieron. ſecutus eſt Chaldæum, qui ſic reddidit: Bonum meum non prouenit niſi abs te, legens מינך pro עליך. Hieron. enim ſententiam Chaldæi ſic expreſſit: Bene mihi non eſt ſine te: id eſt, quicquid habeo bonorũ, id totum abs te proficiſcitur, & tibi refero acceptum. Ex recentioribus plerique ſic reddiderunt: Bonum meum vel beneficentia mea non ad te, ſcilicet pertinet vel peruenit, ſeu, opera mea ad te non pertingunt: quaſi diceret, Ego quidem nihil tibi poſſum conferre, non modò quia nulla re indiges: ſed etiam quia nulla homini mortali ſuppetit facultas ad Deum ſuis obſequiis promerendum. Interea verò ad ſanctos me refero, hos colo, hos amo & veneror, & cum his te quoque colo. Alij etiam ſic reddiderunt hoc membrum: Bonum meum nihil ad te, id eſt, corporalia bona omnia, honores, dignitates, diuitiæ,

quibus abundo, nihil ſunt ſi tecum conferantur. Qui enim habet te propitium & benignum, facile contemnit omnem huius mundi ſplendorem & opes, & te vno contentus, non tam huius præſentis quàm futuri ſeculi felicitatem in te repoſitã eſſe iudicat: ideóque ego ad te vnum confugio.

Hæ interpretationes omnes ex eo oriuntur, quòd ſentiunt Dauidem eſſe qui in hoc pſalmo petat ſe liberari ex afflictionibus: ideóque de inopia ſua teſtari, & deponere omnem cõfidentiam, ſeque vnius Iehouæ imperio & poteſtati ſubiicere. Sed quia ex autoritate Petri & Pauli certum eſt, pſalmũ hunc de paſſione & reſurrectione Chriſti eſſe intelligẽdum, nemo eſt qui non intelligat, ad hoc caput omnia membra, quantùm fieri poteſt, eſſe referenda, ne quid peregrinum à propoſitione afferatur. Cùm itaque ſententiæ illæ, de quibus dictum eſt, non ſatis commodè ad Chriſtum referri poſſint, placet mihi interpretatio præceptorum noſtrorum D. Lutheri & Philippi qui ita reddiderunt. Bonum mihi non propter te: id eſt, non eſt mihi bene propter te, ego affligor propter te, ego ſubeo has triſtes & horrendas pœnas, non propter aliqua mea peccata, quibus te offenderim: ſed propter te, vt ſatisfiat tuæ iuſtitiæ: & quia ſic decreuiſti in arcano conſilio, vt hoc modo redimeretur genus humanum. Hanc ſententiam vt veram eſſe iudicem, mouet me non tantùm ſeries continua orationis, quæ poſcit vt hoc modo exponatur: ſed etiã phraſis huius linguę. Nam & alibi ſimilis occurrit, vt cùm Gen. 16. Sara ad Abrahã dicit: חמסי עליך. Iniuria mea eſt propter te, id eſt, ſit mihi iniuria. Item 2. Sam. 1. Anguſtia mihi propter te frater Ionathan. צרלי עליך & על prępoſitio ſępe idem ſignificat, quod propter: vt in citatis teſtimoniis, & Ierem. 15. Scito quòd propter te ſuſtinuerim opprobrium. pſal. 44. Propter te occidimur tota die. Omitto igitur alias interpretationes, quę omnes à propoſito abducunt lectorem.

3 Sanctis qui ſunt in terra, & glorioſis: omnis mea voluptas in eis.

Sequitur cauſſa finalis (prior enim fuit impulſiua) oſtendẽs pro quibus patiatur, & quibus illa paſſio ſit profutura. Non enim fruſtra patitur Chriſtus, ſed paſſio eius meretur aliis. Ita ſimul complectitur applicationem ſui ſacrificij. Sicut & Ioh. 17. cùm inquit: Ego me ſanctifico pro eis. Sanctos autem nominat, qui agnoſcunt Chriſtum, & amplectũtur Euangelium vera fide, cum qua fide Spiritus ſanctus eſt efficax, erigit, conſolatur mentes noſtras, & ſanctificat nos.

In terra] Id eſt, qui adhuc ſunt miſeri, calamitoſi & peccatis obnoxij.

Glorioſis] Vocat glorioſos illos qui in mundo ſunt contempti, ſpreti, abiecti & oppreſſi cruce: ſed qui glorioſi ſunt corã Deo, & poſthac in æterna beatitudine ornandi ſunt æterna gloria. Item, ſunt circundati & amicti iuſtitia Chriſti, quam Ieſaias cap. 61. nominat veſtimentum ſalutis. ideo verè ſunt glorioſi.

Omnis voluptas mea in eis] Id eſt, quos ego amo, quibus delector, quos cupio & volo mecum frui æterna beatitudine. Etenim illa tantùm φιλανθρωπία, mouit me vt hoc certamen ſubirem.

Alij ſic interpretantur, Ego, quia tibi nihil poſſum præſtare, conuerto me ad Sanctos, cum his conſuetudinem habeo, &c. impios fugio. Sed has interpretationes omitto.

4 Multiplicantur dolores eorum, [*qui*] ad alium feſtinant: Non libabo libamina eorum de ſanguine: nec aſſumam nomen eorum ſuper labia mea.

Antitheſis eſt, in qua diſcernit veram Eccleſiam à maxima multitudine, quæ eſt impia & profana, atque ideo à Deo abiecta. Vult enim oſtendere, beneficium illud redẽptionis non pertinere ſine diſcrimine ad omnes homines: ſed tantum his prodeſſe qui ſunt ſancti.

Multiplicantur dolores] Id eſt, non ſentient nec accipient cõſolationem vllam ex hac mea paſſione & morte homines impij & idololatræ, qui alibi extra me ſalutem quærunt, erunt in hac vita ſine conſolatione, & poſtea opprimentur æternis doloribus & cruciatibus: atque ita non perueniet ad eos fructus meæ paſſionis. Alij ex Chaldæi paraphraſtis interpretatione, vocabulo doloris intelligunt ſignificari ipſa idola, quæ multa & varia ſibi fingunt homines. Et Scriptura nonnunquam tribuit hanc appellationem idolis, ab effectu.

Alij verò doloribus illis intelligunt ſignificari horribiles furores hominum, qui non verentur deſerto vero Deo varia ſibi numina & idola cõfingere. Tales ſunt & fuerunt furores Ethnicorum, Iudæorum, Mahometiſtarum, Papiſtarum, qui ſubinde ſine metu noua numina ſibi fabricauerunt. Ego verò de doloribus, quibus impij in iudicio Dei opprimuntur, hoc loco vocabulum Hebræum accipiendum eſſe iudico.

Non libabo libamina eorum de ſanguine] id eſt, ego nõ acceptabo, non recipiam, nec offeram tibi illorum ſacrificia, vt tu ea acceptes, & grata habeas. Nulla enim ſacrificia ſunt grata Deo, niſi quæ ipſi per Chriſtum offeruntur, ſicut Petrus inquit. Quanquam igitur nulla vnquam fuit gens tam barbara quæ non iudicauit Deum eſſe colendum, & multa ac varia ab his ſunt inſtituta ſacrificia, & vani cultus, quibus exiſtimabant, ſe poſſe demereri gratiam diuinam: tamen affirmat Chriſtus nulla ſacrificia, nullos cultus placere Deo, quæ non per ipſum Patri offerantur, & commendentur. Cùm igitur Ethnici non agnoſcant Filium Dei, ſed hoc ſpreto & abiecto, alia ſibi numina fingant, certum eſt, nullos hominũ cultus quamuis magnos & ſplendidos, Deo placere. Simul autem antitheſis conſideretur: Piorum opera foris non conſpiciuntur, nihílque eſt in his pompæ aut ſplendoris quod incurrat in oculos.

Econtra idololatrarum opera variis modis coram hominibus ſe oſtentant, vt ἑκατόμβαι apud Græcos & quoſdam Romanos, & totum illud chaos cæremoniarum apud Pontificios, & in primis Miſſa theatrica: & tamen de his omnibus affirmat, ſe ea non acceptare.

Libamina de ſanguine, intellige nõ cruenta, vel ex rapinis parta, ſed quia gentes in ſacrificiis etiam ſolebant ſanguinem libare.

Non aſſumam] Id eſt, non prædicabo, non commendabo illa ſacrificia, non intercedam pro illis idololatris apud Patrẽ, non dignabor vel nominare eos. Nonnulli exiſtimant hoc dicto abrogari ſacrificia & cultus Moſaicos: ſed in genere ad omnia hæc ſunt accommodanda.

5 Iehoua pars portionis meæ, & calicis mei: tu ſuſtentas ſortem meam.

Omiſſis impiis, veluti qui à mentione horum prorſus abhorreat, redit ad deſcriptionem veræ Eccleſiæ, de qua cœperat dicere in tertio verſu. Oſtendit enim nunc cur reiecta & damnata maxima multitudine impia & profana, ſolis his delectetur quos ſuprà nominauit ſanctos: & cur pro his ſuum ſacrificium offerat: quia ſcilicet hæc pars ex genere humano ipſi ſit à Patre attributa in hęreditatem: ideo affirmat, ſe eam amare, amplecti, fouere, denique & vitam pro ea impendere, vt ſeruetur.

Iehoua pars portionis meæ] Metaphora eſt à veteri conſuetudine diuidendæ hæreditatis ſumpta, in qua cuilibet hæredi ſua portio attribuebatur: vult igitur hoc dicere, Dominus mihi attribuit hæreditatem in genere humano, ideò illa mihi tantopere curę eſt, ne eam amittam. Bonus enim filius familias nihil turpius exiſtimat quàm dilapidare bona à patre relicta.

Calicis mei] Alia metaphora, ſumpta ab œconomia ſeu more conuiuiorum. Nam paterfamilias ſingulis ex familia diſtribuebat ſuum demenſum. Atque illud Scriptura nominat calicem, ſiue de bono ſiue de malo accipias. Significat enim portionem cuique attributam, *Eines ieden beſcheiden teil.* Sicut igitur paterfamilias ſuum cuique demenſum diſtribuit: ita Pater cœleſtis Chriſto ex genere humano certum cœtum attribuit, qui eſt eius peculium. Nec ſatis eſt ei attribuiſſe & aſſignaſſe hunc cœtum: ſed hunc ipſum regit, ſeruat & ſuſtentat inter ruinas regnorum, & inter triſtes confuſiones opinionum, cultuum, morum. Ideo addit, *Tu ſuſtentas ſortem meam*] Id eſt, cœtum, ſorte mihi abs te attributum. metonymia & metalepſis: ſors pro eo quod ſorte obuenit.

6 Funes ceciderunt mihi in amœnis: vtique hæreditas pulchra eſt mihi.

Eadem eſt ſententia cum ſuperiore, partim figuratè, partim propriis verbis expoſita. Significat enim ſe delectari ſua hæreditate ſibi attributa, & ſibi ipſi de hac felicitate gratulatur. Id quod conſolationis pleniſſimum eſt, præſertim in hac multiplici infirmitate & miſeriis noſtris, vbi nobis nihil eſt fœdius aut deformius, primùm propter peccata & ſordes quæ nobis adhærent, deinde propter calamitates.

Funes] Id eſt, ſortes per metonymiam. reſpicit autẽ ad conſuetudinem Geodetarum, qui agros dimetiebantur & diſtribuebant funiculis.

In amœnis] Alludit ad benedictionem Ioſepho & Beniamino factam, Deut. 33.

Hæreditas] Quod antea aliquoties dixerat figuratè, nunc ſine figura exponit: quod vſitatum eſt omnibus Prophetis.

Hæreditas præclara eſt mihi] Id eſt, ego habeo Eccleſiam certam, excerptam ex genere humano, quam ego amo & amplector, tanquam hæreditatem à patre mihi attributam, pro hac ſeruanda vitam & omnia impendam, eam mundabo & abluam meo ſanguine, vt ſit pura, munda, ſine ruga & macula vt Paulus inquit. reliquas fæces, ſordidas, impuras & contaminatas idololatria & aliis ſceleribus Deus attribuet diabolo excarnificandas.

7 Bene-

7 Benedicam Iehouæ, qui conſuluit mihi etiam noctibus[*quibus*]caſtigarunt me renes mei.

Sequitur altera pars pſalmi, quæ eſt gratiarũ actio in qua eſt narratio liberationis ex morte & ex inferis, & recitatio reſurrectionis corporis ad vitam æternam. Vſitatum eſt Dauidi, cùm de ſuis calamitatibus & periculis queritur, cum petitione auxilij & liberationis coniungere gratiarum actionem. quia poſt liberationem demum hæc carmina ſunt ſcripta. Idem igitur etiam in hoc pſalmo facit, & quidem cùm prædiceret paſſionem & reſurrectionem Chriſti, ipſe ſpiritu prophetico vidit omnia, tanquam iam facta.

Benedicam Domino] Id eſt, ego gratias agam Domino, celebrabo ipſius bonitatem, quòd non paſſus eſt me opprimi calamitatibus: ſed clementer me eripuit. Dei benedicere, eſt benefacere: noſtrum benedicere, eſt vel optare bona, vel gratias agere pro acceptis beneficiis. pſal.34. Benedicam Iehouæ omni tempore, laus eius in ore meo. 1. Parali. 2. Benedixit Iehouæ Dauid in oculis totius cœtus. & 2. Samuel. 6. Benedixit populo Dauid in nomine Iehouæ exercituum, cùm finem feciſſet offerendi holocauſta, pro, bene precatus eſt.

Conſuluit] Id eſt, dedit conſilium, ſeu inſtruxit me conſilio & robore, ne in hoc triſtiſſimo agone ſuccumberem, ne fremerem aduerſus Deum, néve deficerem ab eo, ſed vincerem & ſuperarem.

Verba notitiæ complectuntur etiam affectus comitantes: ſicut igitur is qui dat conſilium, ſimul confirmat, erigit, iuuat officiis quantum poteſt: ita is cui datur conſilium, præſertim à Deo, ſentit nouum robur, nouam ſpem & lætitiam in corde, vt facilè ſuperare mala poſſit. Atque hæc à Chriſto ad ſingula membra Eccleſiæ transferenda & accommodanda ſunt. Sicut enim Chriſtus in ſua paſſione ſenſit præſentiam Dei: ita omnes pij, quoties vera fide in inuocatione ad Deum cõfugiunt, experiuntur eam in ſuis afflictionibus.

Etiam noctibus quibus caſtigarunt] Id eſt, tunc maximè quãdo ſenſi horribiles dolores in corde, quando ſenſi effundi in me omnem iram diuinam, quando factus ſum piaculum pro toto humano genere.

Renes intelligit, non tantùm illas duas carnes, quas nominamus renes: ſed interiora viſcera omnia κατὰ συνεκδοχήν. Ideo autem illa pars nominatur, quia in mœſtitia animi, cùm humor melancholicus effunditur ex ſplene, cientur & ſentiuntur acres dolores præcipuè in hypochondriis prope renes: &, ſi dolor ille animi augeatur, dolor ille ſe diffundit in loca etiam remotiora. Eò igitur alludit cùm dicit ſe caſtigari à renibus: intelligit enim omnia interiora: ſed nominat illã partem in qua præcipuè ſentiuntur dolores.

Alij ſic interpretantur, Dauidem in afflictionibus & ærumnis multa didiciſſe, & profeciſſe in agnitione Dei in fide &c. ſicut dicitur vſitatè, παθήματα μαθήματα, ſed alterum videtur eſſe ſimplicius. Quod autem dicit, noctibus ſe eſſe caſtigatũ: intelligit præcipuè per noctes, illud tempus paſſionis & tentationis, cum quieſcente natura diuina, ſentiret magnam infirmitatem naturæ humanæ, & ſuſtineret totum onus iræ diuinæ. Eo tempore lux omnis ita fuit ei ſurrepta, vt penè deſtitutus conſolatione clamaret, Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et alioqui, ſicut noctes & tenebræ naturaliter incutiunt pauores: ita dolores animorum antea concepti, tunc recurrunt & ingraueſcunt. Significatur igitur ingens animi trepidatio & dolor.

8 Poſui Iehouam in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextera mea, non mouebor.

Id eſt, quanquã fui in horribilibus doloribus & tentationibus, tamen non abieci omnem fiduciam, nec deſperaui, vt deficerem à Deo: ſed retinui aſſenſionem, fidem & inuocationem, ita ſum ſuſtentatus.

Poſui Dominum] Id eſt, confirmaui fidem meam conſideratione voluntatis Dei. Sciebam enim me victimam fieri debere pro genere humano, ſingulari & inenarrabili conſilio Dei. Hoc conſilium intuens & ob oculos ponens, video & ſtatuo, Deũ mihi adeſſe, ſtare à dextris meis, ſuſtentare & iuuare me: ideo non dimoueo oculos ab eo, & certò mihi perſuadeo, me non poſſe ſuperari & abſorberi ab his doloribus. Sicut autem hîc Chriſtus ſe confirmat: ita pij omnes ſciant ſibi faciendum eſſe, vt oppreſſi ærumnis promittant ſibi certam liberationem. Quod enim in Chriſto valet, idem in membris eius valere neceſſe eſt. Et pulchrè refutatur hic commentum papiſticum, cùm docent homines non poſſe certos eſſe de finali perſeuerantia, ideóque manendum eſſe in dubitatione. Nam Dauid in perſona Chriſti, fiduciam ſuam non in præſens tẽpus tantùm, ſed in futurum extendit, cùm inquit, Non mouebor, vel non nutabo. Stare à dextera alicuius, eſt defenſionem alicuius ſuſcipere, conſiſtendo ad eius latus, vt tutum ab hoſtis impetu & violentia reddas. Metaphora ſumpta eſt à conflictu pugnantium, vbi ſi quis ad dextram alicuius ſtet, & aduerſarij ictus omnes excipiat, ipſum tutum & ſaluum præſtat. Vide infrà Pſal. 109.

9 Propterea lætatum eſt cor meum: & exultat gloria mea: etiam caro mea quieſcit ſecurè.

Id eſt, quia video te mihi adeſſe, méque abs te confirmari & ſuſtentari: ſentio conſolationem & viuificationem, redditúrque mihi vita & lætitia, qua facilè vinco & ſupero omnes dolores.

Gloria mea] Id eſt, lingua mea celebrabit hæc beneficia tua. Interior enim lætitia etiam foris ſe oſtendet in ſermone & prædicatione tuorum beneficiorum. Gloria μεταληπτικῶς pro lingua ponitur, vt Geneſ. 49. Non vnita eſt in cœtu eorum gloria mea: id eſt, ego non approbaui ſcelera eorum mea lingua, nec iuſſu meo impuli eos ad tam graue ſcelus. Item pſalmo 30. Propterea canet tibi gloria, id eſt, lingua. Itẽ pſalmo 57. Exurge gloria mea, excitare nablum. Ita autem dicitur lingua, quòd conditum ſit hoc membrum vt gloriam Dei & hominum laudes celebret. (Itaque qui Deum vel homines contumelia afficiunt: horum lingua meritò dicitur non gloria, ſed ignominia:) deinde quod ſit nobiliſſimum in homine membrum. Etſi enim dignitas hominis ab anima rationali pendeat: tamen cùm ea ſit inuiſibilis, nulla alia re magis conſpicitur quàm oratione, quam format lingua. Alij gloriam interpretantur claritatem & maieſtatem filij Dei, à qua tempore ſui miniſterij ſe exinaniuit. Hebræi animam dicunt ſignificari vocabulo כבור.

Etiam caro mea quieſcit in ſpe] Id eſt, quamuis futurum eſt vt moriar, & caro mea reponatur in ſepulchrum, vt, qui viderint, actum iudicent de mea ſalute: tamen hac ſpe & fiducia mea me ſuſtento, quòd Deus me ſit reſuſcitaturus, ſolutis doloribus mortis. Ita D Petrus hanc ſententiam interpretatur de Chriſto, Actorum 2. ad quem præcipuè pertinet: ſicut & ſequens verſus oſtendit. Poſtea verò ad totam Eccleſiam eſt accommodanda. Chriſtus enim ſingulari quidem modo reſuſcitatur à Patre, antequam caro eius videat corruptionem & putreſcat. Eſtque hæc ſingularis prærogatiua ipſius carni debita: ſed tamen nos quoque per ipſum ſuſcitabimur in extremo die, etiã arroſa & abſumpta iam carne noſtra. Itaque & nos dicere poſſumus & debemus, carnem noſtram quieturam ſecurè ſub ſpe reſurrectionis.

Sumpta eſt autem hæc conſolatio à ſpe futuræ liberationis & nouæ gloriæ in reſurrectione, ſicut prior ſumpta fuit à conſideratione voluntatis diuinæ, & fiducia præſentiæ & auxilij diuini, cùm dicit, Poſui Dominum &c. Atque hæ ſunt præcipuæ & efficaciſſimæ conſolationes, quarũ prorſus ignara eſt philoſophia.

10 Quoniam non derelinques animam meam in ſepulchro: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Explicat ſuperiorem ſententiam. éſtque ſententia plana & perſpicua. Ideo ſum lætatus, quia futurum ſcio, vt, quanquam moriendum mihi ſit, tamen in vitam redeam.

Rident nos Iudæi quòd hæc de Chriſto intelligamus, cùm hiſtoria Chriſti oſtendat, ipſum fuiſſe ſepultum, & hoc loco dicatur: Non dabis ſanctum tuum videre foueam. שחת enim foueam interpretantur: quæ ita dicitur ab effectu, quòd cadauera illata ibi putreſcant & corrumpantur. Sed verbum Hebræum propriè ſignificat perdere & corrumpere. Vnde hoc loco ſimpliciter pro corruptione accipi poteſt: Si tamen omnino pro fouea dictio accipiatur, fieri id per catachreſin intelligatur. Non enim exiſtimatur factum quod breui tempore, vel ad momentum durauit. Ipſe Rabbi Dauid Kimhi, cuius præcipua eſt apud Iudæos autoritas, quanquam de Dauide pſalmum interpretatur, qui fretus Dei bonitate, ſperarit ſe adiuuandum in omnibus periculis, nec intelligit hæc dicta de reſurrectione Chriſti: tamen ex ſuo מדרש citat hanc ſententiam שלטו בור מחות ולעה אחרח מתח מלמר שלא id eſt, poſt mortem docet non dominaturam ipſi tineam & vermem: quod de Dauide intelligi non poteſt. Is enim vt Petrus teſtatur, mortuus eſt apud Iudæos, & extitit eius ſepulchrum vſque ad eum diem.

Sanctum tuum] Chriſtus peculiariter ſanctus Dei κατ' ἐξοχὴν dicitur. Et ſic eum diaboli vocarunt, vt apud Marcum & Lucam legitur. Propriè autem videtur illum ſignificare qui tantùm à bonitate & φιλανθρωπίᾳ Dei pendet.

Cæterùm mouent hîc diſputationem de deſcenſu Chriſti ad inferos, quam prudens omitto, cùm ex hoc loco id ſatis certò euinci non poſſit. Nam vocabulum שאל ſæpe pro ſepulchro accipitur. Geneſ. 37. Prouerb. 30. 1. Reg. 2. Iob. 17. interdum ſignificat dolores, in quibus eſt ſenſus iræ Dei

& iudicij diuini: ſiue illi in hac vita, ſiue poſt hanc vitam ſentiantur: vt vtroq; modo hoc loco & pro ſepulchro, & pro horrendis ac lethiferis doloribus accipi poſſit. Et nomen נפש non ſemper pro anima, quæ eſt altera pars hominis, ſeparabilis à corpore: ſed ſæpe pro corpore exanimi, ſeu homine mortuo ponitur, vt Leuit. 19. Inciſionem ſupra animam non ponatis. Et 21. vbi Græcus habet ἐπὶ ψυχῇ. Num. 15. Omnis immundus ab anima. Num. 6. Expiabit illum ab eo quod deliquit ſuper anima. Itaque nonnulli interpretes animam hoc in loco ſic exponunt, vt eadem ſententia bis repetatur, quod vſitatum eſt præſertim pſalmographis. Aliqui animam exponunt vitam: nam vita quodammodo in ſepulchro incluſa eſt, quandiu corpus illic mortuum iacet. Nonnulli ſimpliciter Animam meam loco pronominis Me, accipiunt, ſicut nos dicimus in vernaculo ſermone, *Meine perſon.* Atque huc magis congruit altera vox in ſequente membro, *Sanctum tuum.* Qua de re iudicet quiſque vt volet.

De deſcenſu verò Chriſti ad Inferos, ſimpliciter & ſine allegoria intelligimus articulum fidei in ſymbolo, & Chriſtum verè ad inferiores partes terræ, vt Paulus loquitur, Epheſ. 4. deſcendiſſe credimus. Sed quòd ita deſcenderit ad infernas partes, vbi damnati pro meritis plectuntur, vt ibi pertulerit ipſe quoque pœnas & tormenta impiorum, nullo ſacræ ſcripturæ teſtimonio oſtendi poteſt. Nobis ſatis eſt credere quod Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum inquit: Ideo deſcendiſſe Chriſtum, vt, quibus oportuit, ſubueniret. Chriſtus enim ſua morte deſtruxit poteſtates inferorum, & tyrannidem diaboli, vt dicitur Oſeæ decimo tertio: O mors, ero mors tua, & peſtis tua, inferne. Et victoriam ſuam certo modo oſtendere voluit diabolis, vt perpetuos terrores ipſi incuteret: nobis verò metum tyrannidis eius adimeret. Hoc ſcire nobis ſufficiat: curioſas verò quæſtiones & diſputationes omittamus.

11 Notam mihi facies ſemitam vitæ: ſatietas lætitiarum in [*coram*] facie tua: iucunditates in dextera tua ſemper.

Pergit in commemoratione beneficiorum diuinorum, eáque exaggerat & amplificat ab effectu. Primùm inquit, Notas facies mihi ſemitas vitæ, id eſt, non tantùm conſeruabis me à corruptione, ſed reſuſcitabis me à morte: non quidem ad hanc corporalem vitam, quæ ad tempus duret, & poſtea rurſus deſinat, ſed ad perpetuam & immortalem. Ideo vtitur vocabulo ſemitæ, quæ ſemper longiùs extenditur, & in qua ambulantes nunquam perueniunt ad metam. Hanc viam, quamdiu in hac vita ſumus, non ingredimur: ſumus enim morti obnoxij. Itaque viam vniuerſæ carnis, vt Scriptura nominat, priùs ingredimur, & ſumus in hac vita morte circundati, quacunque incedimus. Sed poſt hanc vitam deducuntur pij in aliam ſemitam, quæ dicitur vitæ ſemita. Idque beneficium ſoli Chriſto debemus, qui ſua morte hanc ſemitam reperit, & credentes in eam deducit.

Notam feciſti] Hæc phraſis non intelligatur de otioſa demõſtratione, quæ verbis traditur & intellectu capitur: ſed de viua experientia, quæ re ipſa præſtatur.

Societas lætitiarum coram facie tua] Amplificatio eſt à deſcriptione vitæ æternæ. Vita æterna, inquit, eſt conſuetudo familiaris cum Deo, in qua fruemur coràm conſpectu Dei, ſapiẽtia, bonitate, iuſtitia: & hæc conſuetudo affert ſatietatem lætitiarum, id eſt, perpetuam, copioſam & abundantem lætitiã, non momentaneam, quæ, vt in hac vita, interueniente aliquo incommodo aut malo, interrumpatur, aut quæ admixtas habeat aliquas ærumnas, ſicut de hac vita dicitur: ἓν παρ᾽ ἐσθλὸν πήματα σὺν δύο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι.

Coram facie tua] Id eſt, vbi fruor tuo cõſpectu, & quidem paterno & beneuolo.

Delectationes in dextera tua ſemper] Id eſt, hoc gaudiũ nullũ parit faſtidium, vt fit in rebus humanis: ſed eſt verũ, firmum, ſolidum, in quo mentes piorum acquieſcunt, & erit æternum. Quod antea dixerat coram facie, id nũc dicit in dextera tua: idem enim ſignificat. Sed Chriſto præcipuè hoc congruit, qui aſcendens in cœlum collocatus eſt ad dexteram Dei, & nos ſtabimus à dextris Dei. In hac vita ſtat ipſe à noſtris dextris defendens nos: in altera vita ſtabimus nos ad ipſius dextram ornati æterna gloria.

PSALMI XVI.

PARTES.

I. Propoſitio, verſ. 1. qua continentur poſtulatum, & cauſa poſtulati, nempe fides, qua promiſſiones Dei amplectitur Eccleſia, cuius nomine pſalmum hunc Dauid ſcripto conſignaſſe videtur.

II. Enarratio fiduciæ quã Eccleſia cõſtituit in Deo. 1. per theſin, 2. & 3. verſ. 2. per hypotheſin 4. 5. & 6. verſ. Theſeos duo ſunt capita. 1. Deum eſſe Dominum Eccleſiæ ſuæ. 2. Ex natura & fœdere eſſe in eam beneficum, & nunquam cohibere apud ſe benedictiones ſuas. Hypotheſin præcedit amplificatio à cruce piorum, qui ab idolorum cultoribus vexantur: verſ. 4. ſed omnino à Deo pendere ſtatuit quiſquis eum agnouit Dominum & patrem. Capita hypotheſeos duo ſunt. 1. teſtatur ſe nunquam aliunde quàm à Domino bonum ſuum expetere, 5. verſ. 2. explicat bonum illud quod ſibi conſtare nouit in Domino, 6. verſ. Hæc autem petitio & explicatio tribus membris includitur, à ratione ſacrificiorum, ſortitionum, & poſſeſſionum petitis, amplificatione eleganti ſubiuncta quæ pios ab impiis diſtinguit. 1. Idololatris nihil accedit ſuperſtitione; pios auget religio. 2. illis etiam quod habent, deperit; his conſeruatur datum. 3. illis dolores multiplices & infiniti; his amœnitates obueniunt.

III. Sponſio euchariſtica, verſ. 7. à conſcientia beneficiorum Dei, quam 5. & 6. verſ. per antitheſin attigit, & ſequentibus copioſè explicat à bonis præſentibus: deinde fundamentales cauſas huius ſponſionis affert ad finem vſque. Bona præſentia ponuntur tria. 1. Benedictio, id eſt, ſolennis profeſſio benedictionum acceptarum à Domino, hoc 7. verſ. 2. Conſtans obſequium voluntatis eius, 8. verſ. 3. Gaudium in Spiritu, 9. verſ. quæ tria (Rom. 14. 17.) recenſet Apoſtolus.

14. Explicatio cauſarum fundamentalium ſponſionis præcedentis, verſ. 10. & 11. Sunt autem duæ. 1. à virtute cauſæ efficientis. 2. ab effectis illius. Canit igitur cœtus S. & vnuſquiſque fidelis, Animo, Lingua, & ipſa carne ſecurus ſum, quia Chriſtus eſt anima ſeu vita mea. Chriſtus autem ſe à ſepulcro & corruptione vindicabit, tertio die à mortuis reſurgens: ergo & me ſuo ordine vindicaturus eſt: nam efficientis cauſæ ſupernaturalis, liberæ, ac non impeditæ, effectus eſt conſtantiſſimus. Hæc verſ. 10. Altera cauſa, ab effectis. verſ. 11. q. d. Iam viuens in me Chriſtus contulit mihi reſurrectionem primam, è tenebris mortis animam meam excitans, viam vitæ oſtendens, &c. vt expertus & emenſus præſentis vitæ viam, vita illa lætiſſima, amœniſſima, & ſempiterna coram te perfruar. In ſumma, Dauid duo quę animo fideli præceperat ventura beneficia ponit: reſurrectionem carnis, & vitam æternam. Vide Act. 2. 25. &c. & 13. 35.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 *Quamuis hic pſalmus ſit propheticus, & ad Chriſtum, verũ Eccleſiæ regem referri debeat: tamen quum in eo, ſicuti & in alijs propheticis pſalmis, multa occurrãt quæ tum ad Dauidem & alios fideles, vera Chriſti membra, commodè applicari poſſunt: doctrinas mẽbra illa ſpectantes, pro inſtituti noſtri in his obſeruationibus ratione, annotare viſum eſt. Sicuti ergo Dauid regnũ quo potiebatur ſibi immerenti à Deo collatum agnoſcit, cuius etiam vnius ope rite & ſicuti par eſt, illud cupit regere & adminiſtrare, duplici ſcopo ſibi propo-*

propoſito, nēpe vera & ſeria diuini cultus, omni idolomaniæ ſpecie abolita, inſtauratione, & ſedula piorum defenſione: idem ſtudium non modò pios reges, principes & magiſtratus, verùm etiā Dei ſeruos omnes in ſua vocatione decet, vt ſumma erga ſe Dei beneficia gratis animis celebrent, ſtudia factáque ſua ad pietatis & iuſtitiæ normam diligenter per totum vitæ curriculum componant.

Deus ad opem nobis omnibus ferendam paratus eſt, modò certa & ſtabili in eum fide recumbamus. Nulli verò in tutelam ab eo ſuſcipiuntur, niſi qui ſe ei ex animo commendant.

Spes in Deum à nobis exigitur, quæ non ſit diuiſa, aut leuis & temeraria: ſed in ſolum Deū tota feratur, deinde ex ſincero corde ducat originem.

2 Intimo animi affectu fideles Deum conuenire & Dominum agnoſcere debent, qui nullis meritis obſtringi poteſt vt ſit hominibus debitor. Etenim ſe vno contentus, nulliúſque rei indigus, nos bonorum omnium vacuos & egenos ſuis donis locupletat: nec quicquam nobis ſuppetit quo ſimus erga eum liberales.

Nihil periculoſius hypocritarum confidentia, qui penes ſe aliquid eſſe ſomniantes, præcipuam honoris partem Deo detrahunt: à quo etiam non mirum eſt ſi repudiantur.

Piorum, ſua obſequia per ſe nihili eſſe agnoſcentium, nulloq́; pretio digna, candor & humilitas quaſi ſuffitus eſt boni odoris, qui illis gratiam conciliat.

3 Omnes Dei filios fraternæ coniunctionis nexu inter ſe deuinctos eſſe oportet, vt eodē affectu & ſtudio patrem ſuū honorent. Nec vllum gratius Deo ſacrificium eſt, quàm vbi seriò animū adiicimus ad ſocietatem fidelium, vt ſancto pietatis vinculo coniuncti fraternam beneuolentiā colamus. Hæc eſt ſanctorum cōmunio, quæ ipſos ab immundo mundo ſeparat, vt ſacrum ſint Dei peculium.

In hac vita Deus illuſtres gloriæ ſuæ notas extare vult, quibus nos ad ſe deducat: ac ideo fideles imaginem eius geſtant, vt nos ſuo exemplo incitent ad cœleſtis vitæ meditationem.

Præclari, ſeu magnifici vocantur & verè ac reipſa ſunt, Sancti in hac lacrymarum valle gementes, quia iuſtitia & ſanctitate, in quibus elucet ſpiritus Dei claritas, nihil eſt pretioſius. Attentè igitur nobis obſeruandi ſunt Dei cultores, vt nihil pluris nobis ſit quàm in eorum cœtus nos aggregare. quod ita demum fiet ſi prudenter reputemus, quænam vera ſit præſtantia & dignitas, nec vanus mundi ſplendor oculos nobis perſtringat. Huius affectus in ſanctos teſtimonia & exempla illuſtria extant in epiſtolis Pauli.

Non aliter in vnum Eccleſiæ corpus coaleſcimus ſub Deo quàm dum abrumpimus omnes impios nexus, diſiungimus nos ab idololatris: & ab omnibus inquinamentis, quæ purum Dei cultum corrumpunt ac vitiant, integri ſumus ac immunes.

4 Idololatræ & ſuperſtitioſi non modò ſine profectu ſe macerāt, ſed etiā miſerè & infeliciter ſatagunt in ſuam perniciē. Et dū ſubſtantiam ſuam dilapidant, non modo perdūt quæcunque idolis ſuis offerunt dona, ſed irā Dei in ſe prouocando nouis ſubinde moleſtiis ſe obruūt. Vide Iere. 2. 13. Ezech. 16. 33. Falluntur ergo omnium maximè qui vero & vnico Deo relicto ad ſua figmenta confugientes, rerum omnium proſperitatem ex impio cultu ſibi ſomniant.

Non modò errores & impias opiniones pij cauere debēt, ſed etiam ab omni conſenſus ſimulatione abſtinere: externus cultus enim puræ vel peruerſæ religionis eſt teſtimoniū. Hinc ſequitur, ſi fidelibus fas non eſt vllo ſymbolo oſtendere ſibi cum ſuperſtitioſis eſſe conſenſum, Pſeudonicodemitarum friuolas eſſe defenſiones, occultam ſe fidē intus fouere, dum ſe idololatrarum ſacrilegiis adiungunt. Dei ſeruos ergo decet dominum ſuum colere in ſpiritu & veritate: Ioan. 4. rationaliſque ac legitimus eorum cultus Rom. 12. deſcribitur.

5 Inde miſera illa ſuperſtitioſorum inquietudo oritur, quòd vera Dei notitia priuati ſunt: contrà ij demū in vera pietate ſunt rite edocti quibus vnus Deus ſufficit, in quo omnes ſalutis noſtræ partes ac numeros quæramus oportet.

Deus non aliter à nobis poſſidetur quàm ſi portio ſit noſtra ſortis: hoc eſt, ſi nos in totum ſibi addictos teneat, ne vlla amplius infidelitatis cura nos ſollicitet.

Cōmoditas omnium abundantiſſima & prorſus infinita vtique in Deo eſt, ex quo, & per quē, & in quo ſunt omnia. Rom. 11. 36. Vide 1. Cor. 3. 21. & 2. Cor. 6. 10. Item infrà Pſalm. 23. 1. Hunc quiſquis tāquam partem ſuam habet, non modò vitam, ſapientiam, conſiliū, potentiam, auxilium, ſalutem, pacem, gaudium, ſecuritatem, & omnia bona, ſed & ipſum horum bonorum fontem poſſidet.

Deus ita ſe nobis in hæreditatem dedit, vt eiuſdem virtute ſalua nobis maneat fruitio. Parū enim iuuaret nos ſemel ipſo potitos eſſe, niſi contra quotidianos diaboli impetus poſſeſſionem aſſereret.

Modò Deus nobis maneat, etiamſi in hoc mundo omnia alia amittamus, portio & ſors præclara, quæ piis abundè ſufficit, mediis in vndis tranquillos & felices efficiet.

6 Quicūque ſedatis ac trāquillis animis in vno Deo acquieſcūt & gloriantur, quicquid extra ipſum optabile mūdus ſibi fingit, magnificè deſpiciunt. Et ſanè nobiſcū præclare actum eſt, quòd ſe nobis fruendum dederit ille qui perfectā in ſe continet bonorum omnium ſummam. ſic fiet vt nobis ſemper iucunda ſit ac ſuauis noſtra cōditio: quia nulla beatæ vitæ parte deſtituitur qui Deum poſſidet. Vide pſal. 144. 15. Falluntur ergo qui magnatum, diuitum & eiuſmodi hominum funes in amœnis cecidiſſe iudicant: item qui certitudinē fidei ex electorum cordibus euellere conantur; & dubitationis impium dogma in Eccleſiam inuehunt.

7 Vtrumque prouenit ex gratuito Dei dono, quòd ipſe noſtra eſt hæreditas & eum fide poſſidemus.

Conſilium Dei eſt interior Spiritus illuminatio, qua fit vt carnis noſtræ erraticis opinionibus abdicatis, ſalutem ad quam Deus nos vocat, alacriter amplectamur. Vnde ſequitur, nō minus inſcitè quā impiè gratiam Dei lacerari, vbi eius optio vel electio in libero hominis arbitrio ſtatuitur.

Non fidei modò initium Deo adſcribendum, ſed & in eius ſchola proficiendum eſt: quemadmodum neceſſe eſt mentis noſtræ vanitatem tota vita corrigi, accendi clarius fidei lumen, & modis omnibus nos ad ſpiritualem prudentiam altius prouehi.

8 Aliis quàm carnis oculis oportet Deum conſpicere: quia rarò apparet niſi ſupra mundum conſcendimus: ſed fides tamē nos coercet, ne ei tergum obuertamus.

Ea demum vera pietas, fides ac religio eſt, quæ non certis diebus, ſuperſtitioſorum more, ſed perpetuò & indeſinenter Deum habet ob oculos: & ita à Deo pendere conuenit, vt certò ſtatuamus, etiā quum longiſſimè abeſſe videtur, eum nobis eſſe propinquum. Hic conſpectus efficiet, ne inanibus huius mundi ſpectris ludamur.

Donum finalis perſeuerantiæ Dei electis proprium ac peculiare eſt, quicquid ex oppoſito garriant ſophiſtæ, gratiæ Dei hoſtes.

Poſſet equidem Deus ſuos ita tueri vt nullis periculis obiicerentur: verùm donec in terra lugent, vt in fide, ſpe ac patientia exerceantur, vult eos multis procellis & tentationum turbinibus agitari, ita tamen vt loco & gratia ſua tuta ſtatione non moueantur. Vide pſal. 31. 46. &c.

Impiorum etiam vox eſt, nō mouebor in ſeculum, ſuprà pſal. 10. 6. & Babylon dicit, in ſempiternum ſedebo, Domine, Ieſa. 47. 8. At falluntur: nam ex carnis fiducia & rerum præſentium intuitu ſummam ſibi ſecuritatem pollicentur, Deum in cordibus ſuis, & factis etiam abnegantes.

9 Præcipuum vitæ beatæ caput eſt animi tranquillitas, quæ iis tantùm continget qui recumbere diſcent in vnum Deum, ſuámque ſalutem in eius manu reponere. Quum ergo nos innumeræ perturbationes vndique obſideant, ſciamus hoc vnicum eſſe remedium, oculos noſtros ad Deum dirigere: nec modò animos noſtros placabit fides, verum etiam pleno gaudio perfundet.

Fideles non modò in arcano cordis receſſu ſpirituale gaudium fouent, ſed lingua etiam proferunt, quatenus Deum ſalutis ſuæ cuſtodem eſſe gloriantur, necnon actione gratiarum ac diuinæ bonitatis laude nomen eius ſublatis vocibus celebrant. Hæc eſt apertio labiorum cuius meminit pſal. 51. 37. Hanc linguæ exultationem homines carnales non exprimendo, ſed ſimulando, in quæſtum omnium turpiſſimum conuerterunt.

Quamuis corpus ab incommodis & moleſtiis immune nō ſit, quia tamen non ſolùm animas noſtras ſed etiam corpora Deus tuetur, non temere pij cum Dauide carni ſuæ commune faciunt hoc beneficium, vt ſecurè habitent.

10 Nemo verè in Deo confidit, niſi qui ſalutem ſibi à Deo promiſſam ita apprehendit vt mortem deſpiciat.

Quando omnibus Adæ filijs conſtitutum eſt vt redeant in puluerē ex quo ſumpti ſunt, Geneſ. 3. Eccleſ. 12. ſequitur eos interitui prorſus eſſe addictos, donec in medium prodeat Chriſtus, qui eſt primitiæ reſurgentium, à quo ex putredine excitandi ſunt. Hinc rectè & meritò colligit D. Petrus, Act. 2. 30. non potuiſſe Dauidem ita gloriari niſi Spiritu prophetico in authorem vitæ ſibi promiſſum reſpexiſſet, qui ſolus hoc priuilegio ornandus erat.

Chriſtus ſolus à ſepulchri corruptione ita prorſus ac ſolidè fuit exemptus, teſte Petro & Paulo, Act. 2. 30. & 13. 35. vt membra ſua gradatim & pro cuiuſque menſura in ſocietatem ſuam vocet: & quāuis nemo pius à putredine intactus remaneat, vitæ incorruptibilis attamē fit particeps. Vnde ſequitur vitæ plenitudinē, quæ in capite ſolo reſidet, guttatim ſolùm vel per partes ad membra defluere.

Meſſias dicitur ſanctus ſiue miſericors, Hebraicè Chaſid, *id eſt, in quem Pater omnem ſuam gratiam ac beneficentiam pleniſſimè effudit, quam ex ipſo vno per fidem haurimus: vnde ſequitur Euāgelij ſummam breuiter atque vno hoc nomine fuiſſe à propheta propoſitam.*

Fideles ab extraneis & reprobis diſcernuntur quoad perpetuum vitæ ſtatum.

Via vitæ ſic mortalibus occluſa eſt & abſcondita vt nemini pateat: quos igitur ad ſe trahit Dei ſpiritus, iis notā facere vitæ ſemitā dicitur, quæ vitam æternam adeant. Chriſtus eſt ſemita illa, & author, princeps, ac fons vitæ beatæ, quam in Adamo amiſimus.

Solidum gaudium in quo acquieſcant Dei mentes nuſquam inuenitur, niſi in ſolo Deo, cuius faciem in Euangelij doctrina intuemur, quandiu degimus in terris, ſed perfecto quodam & nunc nobis incomprehenſibili modo in cœlis contemplabimur. Ideo ſoli fideles, vnica Dei gratia contenti, numeris omnibus tum in præſenti tum in futura vita beati ſunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Piorum regum, principum, magiſtratuum, omnium denique filiorum Dei munus.
2. De fiducia & ſpe Eccleſiæ in Deum.
3. De vero atque falſo Dei cœtu & cultu.
4. Superſtitioſorum & Apoſtatarum vanitas ac miſeria ſumma.
5. Piorum, tum vitæ præſentis, tum æternæ reſpectu, beatiſſima conditio.
6. Summi boni deſcriptio admodum elegans & iucunda.
7. De Chriſti ſeu Meſſiæ ſepultura viuifica, glorioſa reſurrectione, & mira in ſuis membris efficacia.
8. De reſurrectione carnis, & æterna vita electorum Dei.

ARGVMENTVM PSALMI XVII.

ARGVMENTVM Pſalmi aliquo modo indicat titulus. Continet enim precationem ardentiſsimam contra tyrannos, Saulem & eius ſatellites, à quibus crudeliter oppugnabatur. Eſtque hæc precatio ſæpe & multis verbis repetita. Vt autem facilius moueat Deum, addit rationes huic argumento congruentes, quarum prior ſumpta eſt ab innocentia Dauidis. Oſtendit enim ſe iniuſtè & ſine cauſſa tam crudeliter oppugnari à ſuis inimicis: nulla enim in re vel verbo vel facto eos læſiſſe: atque adeo in toto hoc negotio illā integritatem ſe præſtare affirmat quam ſciat à ſe requiri. Huic teſtificationi ſuæ innocentiæ ſubijcitur mox precatio, vt deinceps quoque ſeruetur à Deo, ne vel in errores vnà cum hoſtibus, vel etiam in ipſorum gratiam, prolabatur, vel ſceleribus contaminetur. Atque ita hac precatione oſtendit, ſe totum hoc, quòd retinuerit profeſsionem veræ doctrinæ, nec in gratiam tyrannorum defecerit, & quòd in reliqua vita talem ſe geſſerit, vt nullam odij contra ſe iuſtam cauſam habere tyranni potuerint, non aſcribere ſuis viribus, ſed bonitati Dei, à quo hactenus ſit ſeruatus. Alteram rationem propoſitionis ſumit à ſuperbia, faſtu, rabie & crudelitate ſuorum hoſtium, & à magnitudine periculi, in quo ait ſibi pereundum eſſe, niſi diuinitus ſeruetur. Addit autem cauſſam cur impij reddantur ita inſolentes & ſuperbi, nempe quia omnibus bonis & delicijs in hac vita affluunt, quibus quia nimia cupiditate inhiant, horum ſtudio non verentur bonos omni iniuria afficere, & per fas neſáſque omnia ad ſe rapere. Addit autem in fine ἀντίθεσιν, *in qua ſe conſolatur ſpe præſentiæ Dei, & affirmat, ſe maiorem capere lætitiam ex fiducia præſentiæ & auxilij diuini, quàm hoſtes ex opibus vndique accumulatis & congeſtis. Docet autem Dauid nos omnes ſuo exemplo: vt quoties à tyrannis videmus oppugnari veram doctrinam de Deo, aut pios eius profeſſores varijs iniurijs peti & exagitari, ad Deum confugiamus, atque ab eo primùm conſtantiam in profeſsione doctrinæ, deinde defenſionem contra iniuſtam vim & tyrannidem petamus: & ſimul ſtatuamus, quanquā varijs calamitatibus & ærumnis premitur Eccleſia in hac vita, tamen nunquam deſtitui eam vera conſolatione: ſed confirmari & exhilarari conſpectu præſentiæ & auxilij diuini, vt patienter ferre ærumnas, & acquieſcere læta in Deo poſsit.*

DAVIDIS ORATIO.

1. AVdi Iehoua iuſtitiam, attende clamori meo, auribus percipe orationem meam [*quæ ſit, deeſt enim relatiuum* אשר] abſque labiis doli.

Orditur pſalmum à precatione, quæ eſt propoſitio. Eſtque quædam proſopopœia in eo quòd fingit clamare iuſtitiam ad Deum, pro defenſione & liberatione, cum ipſe potius iniuſtè oppreſſus clamet. Iuſtitia verò intelligatur non de perſonæ iuſtitia, ſed de iuſtitia cauſſæ. Saul inſidiabatur Dauidi, quia iudicabat eum affectare regnum & vitæ ipſius inſidiari, eſſe ſeditioſum, mouere populum, vt à legitimo rege deficeret. Hæc omnia ſibi iniuſtè obiici affirmat. Ita hoc tempore Pontificij clamant, nos turbare regna, diſcedere ab autoritate ordinaria, &c. Itaque cum Dauide clamemus, Exaudi Domine iuſtitiam. In vocabulo iuſtitiæ argumentum eſt ductum ab honeſto. Cauſſa mea eſt iuſta: ergo exaudi. Hoc poſtea tertio & quarto verſu copioſiùs explicat.

Attende deprecationi meæ] Non ſatis fuit Dauidi, gloriari de bonitate cauſſæ, quod etiam alij interdum extra Eccleſiā facere poſſunt, qui tamen iniurias non ita ferunt vt pij, vt Pompeius & alij: ſed ſimul petit ſolatium ex fide & inuocatione Dei, & Deo cauſſam tuendam commendat. Per clamorem & precationem idem ſignificat. Sed repetitio eiuſdem ſententiæ & vox clamoris, primùm magnitudinem præſentium periculorum, deinde motus animi anxij vehementes declarat.

Abſq; labiis doli] Id eſt, quæ precatio oritur ex intimo pectore. Ego enim ita prodeo in tuum conſpectum, vt totum cor tibi aperiam ſine fuco: nihil hîc obtendo meis cupiditatibus, nihil ſimulo verbis, ſicut hypocritæ. Labia metaleptic⁀ pro ſermone accipit.

2 A facie tua iudicium meum prodeat: oculi tui reſpiciant rectitudines.

Id eſt, tu dicas ſententiam in mea cauſſa, *Sprich du in meiner ſachen*, & oſtende toti populo me iuſtam habere cauſſam. Hominum iudicia ſunt praua & peruerſa: iudicant enim ſecundùm affectus & cæcos impetus, & iniuſtiſſimas cauſſas probant: ideo ab horum iudicio ad te prouoco: tu cauſſam meā ſuſcipias, defendas & approbes, & eos qui me iniuſtè oppugnant, punias. vtrumque enim fit in iudicio rectè conſtituto: bonorum cauſſa probatur & defenditur, malorum improbitas punitur.

Oculi videant] Id eſt, reipſa oſtende & declara, te curare & approbare rectè facta, & non conniuere ad hominum ſcelera.

3 Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, examinaſti me, non inueniſti: cogitaui vt non tranſgrediatur os meum.

Confirmat primam rationem propoſitionis, quòd ſcilicet iniuſtè oppugnetur, & quòd iuſtam habeat cauſſam, & quòd alienus ſit ab omni fuco & dolo. Hæc autem confirmatio ſumpta eſt à teſtimonio diuino, quia in ærumnis, quibus eum exercuerat, inuenerit eum ſimplicem & integrum.

Probaſti me] Quidam præterita exponunt potentialiter vel in ſubiunctiuo: Si me explores, &c. ſed non opus eſt illa mutatione. Nam hactenus variis ærumnis Deus exercuerat Dauidem. Eſtque hæc ſententia. Tu ſcilicet, qui corda noſti, probaſti & exploraſti me antehac variis ærumnis.

Nocte] Id eſt, cruce & tentationibus: nam tenebræ & nox ſignificant afflictionem μεταληπτικῶς, vt in pſalmo præcedente dictum eſt.

Examinaſti] Metaphora ſumpta eſt ab his qui præſunt officinis metallicis, qui igne aurum & argentum examinant, probant & purgant.

Non inueniſti] Non deprehendiſti aliquam perfidiam aut fallaciam in me: ſed rectè & ſincerè egi, cùm in cæteris, tum etiam in hac cauſſa.

Cogitaui] Alij reddunt, cogitatio mea, ſed accentus in penultima oſtendit eſſe verbum, alioqui enim eſſet in vltima: & præterea genere non conueniret verbum cum nomine. Eſt autem hæc ſententia: Ego compeſco meum os, ne aliquid temere effutiat, néve ex impatientia, cùm video fœlices ſucceſſus impiorum, aliquid dicam contra te. Alij ſic interpretantur: Cogitatio mea non tranſibit os meum: id eſt, nō aliud verſabit animus meus fallendi cauſſa, quàm lingua profert. non aliud loquar ore, aliud meditabor corde, ſed erit ſumma conuenientia oris & cordis.

4 Ab operibus hominis iuſſu labiorum tuorum ego abſtinui [*caui mihi*] ſemitis irrumpentis.

Pergit in declaratione & oſtenſione ſuæ innocentiæ: & nunc de externis actionibus & conuerſatione dicit, ſicut ante de cogitationibus & ſermone. In tota mea vita, inquit,

reſpexi ad tuum verbum, quod fuit norma mearum actionum, ideóque diligenter caui ne ſeculi huius moribus fierem ſimilis, néue praua conſuetudo peccantem me quoque abriperet, & ad peccandum impelleret: via enim huius ſeculi eſt via latronum. Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia, quam plerique interpretes ſequuntur: ſed in phraſi explicanda nonnihil diſcrepant. Alij enim לפ עלות exponunt, pro viribus meis, quantum poſſibile eſt homini pietatis & honeſtatis ſtudio dedito, ſic cuſtodiui verba labiorum tuorum, & obſeruaui, vt alienus eſſem à viis diſſipatoris ſeu graſſatoris, &c. Sed ſimplicius eſt vt exponatur, Ab operibus hominum: non enim coniungenda ſunt hæc, Caui vias graſſatoris, cùm accentus diſtinctiuus in שמרתי id non patiatur. Et verbum שמר ſæpe conſtruitur cum articulo ל præſertim in negatiuis & prohibitionibus, vt Exodi 34. שמר לך את אשר. Obſerua tibi ab iſtis quæ ego præcipio tibi hodie. Caue tibi, vel, abſtine tibi. Eadem manet conſtructio & ſignificatio, quando obedientia in huiuſmodi prohibitionibus ſignificatur, vt hoc in loco: Caui ab operibus hominum, vt [*ſemitæ latronis*] addatur per appoſitionem.

In verbo labiorum] Id eſt, iuſſu ſeu mandato labiorum tuorum. Nam nomen דבר quando à fronte recipit literam ב cum ſingulari phraſi vſurpatur pro conſilio, ſuaſu, inſtinctu, inſtructione, iuſſu ſeu mandato. Num. 31. Et dixit ad eos Moſes: Nunquid viuas reſeruaſtis omnes mulieres? Ecce iſtæ fuerunt filiis Iſrael, conſilio ſeu ſuaſu Bileam, vt committeretur transgreſſio contra Dominum. 1. Paralip. 21. Et aſcendit Dauid conſilio ſeu iuſſu Gad. Pſal. 33. In verbo Domini, id eſt, iuſſu, mandato. Vult igitur Propheta ſe omnes ſuas actiones rexiſſe mandato diuino, nec morum fuiſſe communi peccandi conſuetudine, vel etiam impulſu & ſuaſu aliorum, vt delinqueret, ſed retinuiſſe integritatem vitæ & morum.

Semitis latronis] Id eſt, quæ ſunt ſemitæ latronis. alij addunt præpoſitionem in ſemitis. Via verò vel ſemita in Scriptura ſignificat metaphoricè, ſtudium, mores, vitæ inſtitutum, profeſſionem, totiúſque vitæ conuerſationem. Nominat autem vias huius ſeculi, vias latronis, eo quòd his diſſoluatur & diſſipetur iuſta harmonia bene conſtitutæ Eccleſiæ & reipub. Sicut enim latrones turbant & violant ſocietatem communem: ita huiuſmodi opera, ſtudia & conatus huius ſeculi, turbant harmoniam reipublicæ & Eccleſiæ.

פריץ Irrumpens, irruptor, latro, Ieremiæ 7. Feciſtis eam ſpeluncam latronum. Sine dubio autem notat Saulem, & nos ſic appellare poſſumus pontificem Romanum, qui iam dudum vaſtat Eccleſiam & reſpub. & horrenda latrocinia exercet.

Quidam interpretes per opera hominum intelligunt tantùm traditiones humanas & impia dogmata. Quia exiſtimant prophetam loqui tantùm de corruptelis doctrinæ. Itaque & vias latronis intelligi volunt præcipuè de prauis & impiis doctoribus, qui exitioſi ſunt Eccleſiæ. Sed loquitur Propheta in genere de omnibus actionibus pugnantibus cum lege diuina.

5 Suſtenta greſſus meos in ſemitis tuis: ne moueantur plantæ meæ.

Teſtificationi de ſua innocentia ſubiicit precationem, vt deinceps quoque à Deo ſeruetur, ne aliqua impietate aut ſcelere contaminetur: atque ita ſimul fatetur hactenus ſe diuinitus ſeruatum eſſe, ne cum maxima multitudine ſimul in peccandi libidinem prolaberetur, &c. Vult igitur hoc dicere, Sicut hactenus me ſeruaſti, ne vel propria cupiditate impulſus, vel ab aliis perſuaſus aliquid impiè & ſceleratè agerem: ita deinceps me ſerua, & da mihi robur, vt conſtanter verbo tuo adhærere, & in cœpto pietatis curſu progredi poſſim, ne vel Satanæ vel mundi aſtutia, vel prauis exēplis, vel propria etiam cupiditate abducar, vt à recta iuſtitiæ ſemita exorbitem ac deflectam. Hæc precatio oritur ex conſideratione maximæ infirmitatis humanæ: videt enim quàm facile ſit hominem labi, ſi Deus manum ſubtrahat.

Semitæ Dei] Sunt præcepta Dei, ſeu verbum, quo vita noſtra regitur.

Ne moueantur plantæ] Id eſt, ne exorbitent à recto & peccent. Alij vias interpretantur virtutem diuinam, quâ ita conſeruat nos Deus, vt tandem lætum det exitum, & omnes videant Domino curæ eſſe ſuos.

6 Ego inuoco te: itaque [*certè*] exaudies me Deus: inclina aurem tuam mihi, [*&*] exaudi ſermonem meum.

Repetit propoſitionem. Eſt enim eadem precatio, quæ initio pſalmi recitatur, vt exaudiatur & defendatur aduerſus iniuſtam vim & tyrannidem hoſtium ſuorum. Repetitio autem crebra & periculi magnitudinem & animi anxietatem oſtendit: non enim *frigidè hanc rem agit*, ſed magno animi motu: atque *hac* ipſa repetitione vincit & ſuperat dubitationem. כי hoc loco ratiocinatiua particula eſt, non cauſalis; vt pſal. 116. Credidi, ideo locutus ſum.

7 Mirifica [*excellenter fac*] miſericordias tuas, ſeruator ſperantium: ab his, qui inſurgunt contra dexteram tuam.

Id eſt, cùm ſim in tantis periculis, ex quibus nullo humano conſilio euadere poſſum, & omnes exiſtiment actum eſſe de mea ſalute, tu contra quàm cogitant homines, aut ſperant, mirabili modo & miraculoſa potentia eripe me ex his periculis, & hac liberatione præbe inſigne ſpecimen admirabilis miſericordiæ, qua tuos proſequeris. Significatur igitur magnitudo periculi cùm dicit, Mirifica.

Seruator ſperantium] Hoc elogium ſumptum à natura Dei aſpergit petitioni: primò, vt Deum ipſum excitet ad opem ferendam, cùm hoc ipſius naturæ proprium ſit: deinde, vt ſuam ſpem, quam conceperat de auxilio diuino, magis confirmet.

Ab inſurgentibus contra dexteram tuam] Hoc coniungendum eſt particulæ proximè præcedenti, vt ſic legamus: Qui ſperantes ſeruas ab illis qui aduerſus dexteram tuam inſurgunt. Eſt autem doctrina hæc vtilis ad cōſolationem: qua affirmat, eos qui pios oppugnant, in ipſorum perſona, opponere ſe dexteræ, hoc eſt potentiæ diuinæ, & Deo ipſi bellum inferre. Cùm igitur ſalus noſtra coniuncta ſit cum Dei gloria & potentia, impoſſibile eſt Eccleſiam poſſe euerti, impoſſibile eſt Deum de ſolio gloriæ poſſe deiici.

8 Cuſtodi me vt pupillam filiam oculi: ſub vmbra alarum tuarum abſconde me.

Iterum repetit propoſitionem, & explicat modum defenſionis duabus ſimilitudinibus. Tam diligenter cuſtodi me quàm quis pupillam oculi ſui. Pupillam nominat filiam oculi, eo quòd ſit in medio oculi, & ita Chaldæus reddidit: vel quia eſt tenera & delicata, vt ſunt puellæ, ac ſi dicas, quæ eſt teneritudo oculi: & ipſa pupilla dicitur אישון quia in pupilla relucet imago viri. Se igitur & totam Eccleſiam ita deſcribit, Quòd ſit tenera & infirma, quæ facilè lædi poſſit, ſicut exigua res oculos lædit: deinde, quòd ametur à Deo & cuſtodiatur diligentiſſimè: ſicut nos omnes magna cura cauemus ne quid in oculum illabatur, quo lædi poſſit: & natura condidit oculos, vt ad quemuis ſtrepitum ſeu motum inopinatum aut inuſitatum maxima celeritate claudantur. Huc pertinet locus Ciceronis 2. de natura Deorum. Eadem figura vſus eſt Spiritus ſanctus apud Zach. 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei, &c. Vbi promiſſio ſimplici oratione exponitur, hîc verò ſub forma precationis. Nam precatio hæc dictata à Spiritu ſancto, vim habet promiſſionis. Altera ſimilitudo eſt ab auibus, quæ ſuos pullos vel contra radiorum ſolarium calorem tegunt, vt de aquila ſcribitur, Deut. 32. vel contra frigus & accipitrum ac vulturum rapinam ſub alis tuentur & cuſtodiunt, quales ſunt gallinæ. Deum igitur comparat gallinæ vel aui, & Eccleſiam auium pullis, vt hac imagine, curā quam Deus pro Eccleſia ſua gerit, diligentiùs exprimat: atque huc reſpexit Chriſtus Matt. 23. Eodem pertinebant illæ alæ Cherubin ſuper propitiatorium expanſæ, non collectæ. Exod. 25. Ideo dicitur pſalm. 61. Habitabo in tentorio tuo per ſecula, confido in abſconſione ſeu occulto alarum tuarum. Sunt autem alæ Dei, gratia eius ſeu miſericordia in promiſſione oſtenſa.

9 A facie impiorum iſtorum, qui me vaſtarunt: inimicorum meorum [*qui*] pro anima circundant me.

10 Adipe ſuo concluſerunt: ore ſuo locuti ſunt ſuperbè.

11 In greſſibus noſtris nunc circumdederunt nos: oculos ſuos poſuerunt, vt proſternant [*nos*] in terram.

12 Similitudo eius ſicut leo [*qui*] deſiderat ad rapiendum: & ſicut catulus leonis, habitans in latibulis.

Altera ratio eſt propoſitionis ſeu petitionis, ſumpta à facto, ſuperbia, variis inſidiis, & crudelitate hoſtium, & Dauidis periculo. Ideo, inquit, defende & ſerua me: quia inimici mei pro ſua libidine me oppugnant, & inſidiantur vitæ meæ, eſtque tanta illorum ſuperbia & crudelitas, vt, niſi tu ſuccurras, ego ſaluus eſſe aut euadere ex his periculis non poſſim.

בנפש nomen hoc pertinet ad præcedens membrum, non ad ſequens verbum, quod ſignificat punctum Reuia. Ideo

נפש referendum eſt ad inimicos, non ad Dauidem. Qui mihi inimici ſunt in anima, id eſt, pro cupiditate ſua, *Nach irem vvolgefallen vnd mutvvillen.* Anima enim ſæpe vſurpatur pro animæ potentia, quæ appetitiua ſeu concupiſcibilis dicitur. pſal. 27. Ne tradas me in animam hoſtium meorum. Ezech. 16. Dabo te in animã hoſtium tuorum. Lutherus, Pagninus & alij nomen נפש referunt ad Dauidẽ: In anima, ſcilicet mea circumdederunt me, quaſi dicat, Tanta eſt crudelitas eorum, vt non ſint quieturi, donec auferant animam meam, & interficiant me.

Circundederunt] vt ſcilicet nuſquam pateat effugium, niſi tu ſuccurras & liberes me.

Vaſtarunt] Id eſt, ſpoliatum dignitate, opibus, exiſtimatione, & exutum præſidiis omnibus, eiecerunt in exilium.

10 Adipe ſuo concluſerunt: ore ſuo locuti ſunt in elationem, [*id eſt, ſuperbè.*]

Primum eſt amplificatiuncula ab hypotypoſi, qua hoſtium ſuperbiam & faſtum deſcribit: facit enim hoc ad magnitudinem mali oſtendendam, quòd hoſtes non ſunt homines tenuis fortunæ.

Adipe concluſerunt] ſcilicet faciem, id eſt, ita ſunt obeſi & pingues vt vix oculi conſpici poſſint, aut vt ipſi alios aſpicere queant, hoc eſt, affluunt deliciis, pollent potentia, viribus, opibus, dignitate, habent ſtudia vulgi, & eminent ſupra cæteros, ſicut pinguedo ſemper ſupernatat. Nam pingues metaphoricè Scriptura vocat eos qui aliis antecellunt opibus, potentia, dignitate, & cæteris vitæ commodis, ſicut Germanicè dicimus, *Das fett ſchvvimmet oben.* Pſal. 78. Occidit pingues eorum. Et Amos 4. Audite vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ. pſal. 22. Tauri pingues obſederunt me. Item: Et adorabunt eum omnes pingues. Iob. 15. cap. phraſis huius pſalmi integrè exponitur, eo quod operuit faciem ſuam adipe. Et pſal. 73. Præ adipe egreſſi ſunt oculi eorum. Eſtque metonymia: ponitur enim ſignum pro ſignato: & ſumpta eſt phraſis ab eo quod communiter accidit in vita. Nam qui in deliciis perpetuis viuunt, & qui nullis curis conficiuntur, his intumeſcit facies adipe, id eſt rebus ſecundis, & felici ſucceſſu redduntur obeſi, &c. Illam verò voluptuariam vitam ſequitur ſuperbia, ideo addit, Ore ſuo locuti ſunt ſuperbè, id eſt, palam & plenis buccis contemnunt Deum & homines, euomunt contumelias, & agunt omnia pro ſuo arbitrio. Hæc propriè ad Pontifices & horum ſatellites, Epiſcopos & Canonicos, accommodari poſſunt.

Alij ſic interpretantur priorem partẽ huius verſus, Adipẽ ſuum concluſerunt: id eſt, pingues ſuos: hoc eſt, coniungunt potentiam ſuam, colligunt vires, & conſpirant inter ſe.

11 In ingreſſibus noſtris nunc circumdederunt nos: oculos ſuos poſuerũt ad deprimẽdũ in terram.

Confirmat ſententiam noni verſus, in quo dixerat, eos in anima, id eſt, pro cupiditate & libidine ſua, qua flagrabant, machinari & ſtruere bonis exitium. Idem enim nunc repetit: nam dicit tanta eos flagrare nocendi ac perdendi libidine, vt quocunque ille ſe vertat, videat ſe cinctum eſſe ab hoſtibus, nec vllum pateat effugium.

[*In*]*greſſibus noſtris circundederunt nos*] Id eſt, quacunque incedimus, illi nos obſeruant, obſident, inſidiantur, & ceu retibus circumpoſitis vndique circumcluſos tenent, vt nullum pateat effugium, niſi tu opem feras & exitum patefacias.

Nunc] Aduerbio adiecto ſignificat non tantùm in præſenti periculo ſe verſari, ſed ſingulis momentis, quamcunque in partem ſe vertat, hoſtium inſidiis ſe vrgeri. Pluralis verò numerus oſtendit, Dauidem comites complecti.

Oculos ſuos poſuerunt ad proſternendum in terram] Id eſt, in hoc vnum ſunt intenti, huc conferunt omnia conſilia, cogitationes & conatus, vt me & meos euertant: eſtque ille ardor animi ipſorum continuus & infatigabilis, nunquam remittunt de illo ſtudio & impio conatu. Hoc enim eſt ponere oculos ad aliquid, nempe vni huic rei intentum eſſe: in magna enim intentione oculi ſunt immoti. Alij intelligunt phraſin ſumptam eſſe à ſagittariis, qui vbi ferã iaculo perdituri ſunt, diligenter intentis in illam oculis collimant: ſed phraſis eſt generalis. Nonnulli longiùs à ſententia recedunt. Putant enim hîc deſcribi hypocriſin & ſimulationem tyrannorum, quòd cùm ſint crudeliſſimi & æſtuent cupiditate nocendi: tamen deiectis oculis & demiſſo vultu incedant, ſimulantes humilitatem.

12 Similitudo eius quaſi leonis prædæ cupidi [*expetentis diripere*] & quaſi catuli leonis habitantis [*ſedentis*] in latibulis.

Amplificatio eſt, à ſimilitudine. Sicut leo famelicus ſeu fame extimulatus furenter prædam appetit, & in obuia quæque crudeliſſimè ſæuit, ita hoſtes mei magno furore & rabie in me ſæuiunt, méque inſectantur, nec poſſunt quieſcere, donec me videant extinctum.

Quod autem addit, de catulo Leonis habitantis in ſuis luſtris, ſignificat hoſtes non tantùm aperta vi graſſari, ſed coniungere etiam fraudes, dolos, technas, inſidias occultas & varias. vide pſal. 10. &c.

Eius] Mutatio eſt numeri: oſtendit enim ſe præcipue loqui de capite, nempe Saule, ſicut & pſal. 10. cuius eſt idem argumentum.

Quaſi leo] Qui ſcilicet debebat eſſe paſtor ſui populi, factus eſt ſæuiſſima & crudeliſſima bellua.

13 Surge Iehoua, præueni faciem eius, deiice [*proſterne*] eum: libera animam meam ab improbo, gladio tuo.

Repetit precationem, vt aduerſus iniuſtam vim & tyrannidem ſuorum hoſtium defendatur ac ſeruetur.

Surge] Id eſt, noli differre diutiùs auxilium: periculum enim ita magnum eſt, vt, niſi ſubitum tuum auxilium appareat, perire nos neceſſe ſit. Cùm differt auxilium, videtur Deus ſedere quaſi otioſus & nihil agere, hoc eſt, negligere ſuos: cùm autem ad auxiliandum progreditur, dicitur ſurgere. pſalm. 6. Quanquam hoc in loco verbum etiam per Age poteſt exponi. Nam duobus imperatiuis iunctis, prius ferè aduerbiaſcit.

Præueni faciem] ſcilicet leonis: hoc eſt, impedi, coerce, reprime furioſum & rapidum impetum eius, ne pro ſua libidine & rabie in me graſſetur. ipſe hoſtili vultu me inuadit, idque magno curſu: tu præueni eum, & interpone te, ne ad me perueniat.

Deprime eum] Id eſt, frange vires & robur, humilia eum, vt deſinat ſe erigere contra te.

Animam] Id eſt, vitam meam.

Gladio tuo] Quidam interpretes appoſitiuè hoc legunt, qui eſt gladius tuus, hoc eſt, quo vteris vice gladij, in exercendo tuo iudicio, & exequendis pœnis: ſicut alibi Aſſur dicitur virga & baculus furoris Domini: atque eodem modo primam partem ſequentis verſus exponunt, Ab hominibus, qui ſunt manus tua, id eſt, qui ſunt tibi vice manus, qua cędis, caſtigas, & plagas infers, quíque ſunt tuum flagellum, &c. Sed cùm hic modus loquendi ſit aſperior, & non admodum hoc quadret præſenti precationi, in qua de ſua innocẽtia teſtatur Dauid: ideo ſequor eorum ſententiam, qui in ablatiuo reddunt, Gladio tuo: id eſt, tua potentia exerce vindictam, & ſume pœnas ab hoſtibus. Gladius autem Domini opponitur ſubſidiis humanis: his ait ſe non poſſe eripi, ſed opus eſſe auxilio & defenſione diuina. Alij exponunt, gladio, id eſt, verbo tuo exequaris iudicium tuum.

14 A mortalibus manu tua Iehoua, à mortalibus [*inquam*] qui ſunt à ſeculo, quorum portio eſt in vita: & quorum ventrem imples theſauro tuo: ſaturantur filij, & relinquunt reſiduum ſuum paruulis ſuis.

Cohæret hic verſus cum præcedente: itaque ablatiuus à mortalibus, pendet à verbo פלטה. Eſtque conſtructio hæc ſimpliciſſima: eripe ſeu vindica me manu tua, hoc eſt, ope cœleſti à viris, à viris, inquam, qui ſunt à ſeculo.

Viros autem ſeu mortales à ſeculo vocat, quorum potentia & tyrannis nimis diu viguit, & quorum fœlicitas fuit nimis diuturna, quíque abuſi ſunt hactenus ſua potentia & opibus ad opprimendos bonos: atque hanc eſſe ſententiam huius verſus, ſequens declaratio oſtendit. Mortales autem per contemptum nominat, quòd maiorem ſibi potentiam arrogarent quàm ferret ipſorum conditio: inſaniam igitur eorum hac voce deridet. Alij ſic exponunt, Viris manus tuæ, ac ſi nomen מתים ſcriberetur in conſtructione, & viros manus Dei interpretantur, qui ſunt in Dei poteſtate, & quos ille, cùm ſibi viſum fuerit, trahit ad pœnam, ſicut dicitur pſalm. 21. Manus tua inueniet omnes inimicos tuos. Item ad Hebr. 10. Horrendum eſt incidere in manus Domini: vt Antiochus, Herodes, Iulianus, dant pœnas. Sed quia מתים ſcribitur in ſtatu abſoluto, iudico priorem ſententiam eſſe veriorem: & ידך iudico dici, ſicut in præcedẽti verſu חרבך. Alij viros à ſeculo interpretantur, qui nihil quærunt niſi voluptates & harum inſtrumenta, qui bonis externis & fugacibus ita ſunt addicti vt æterna non curent. Hæc interpretatio cum priore ferè coincidit: ſed prior eſt plenior. חלד ſignificat curſum ſeu tempus huius vitæ breue & exiguum. מחלד Id eſt, vltra iuſtum tempus, ſeu diutiùs quàm fert periodus humanæ fœlicitatis, quaſi qui non à triduo aut nuper emerſerint.

Portio eorum in vita] Inſerit rurſus deſcriptionem impiorum,

rum, eſtque amplificatiuncula à cauſa faſtus, ſuperbiæ, & tyrannidis impiorum: oſtendit enim cur ita petulantes reddantur vt ſæuiant in omnes bonos, nempe quia omnibus rebus abundent, & diuturna fœlicitate fruantur. Ita & hoc explicat quod dixerat, eos eſſe viros à ſeculo, & quod verſu 10. dicit eos concluſiſſe adipē ſuū: ſicut antea, cùm dixiſſet in primo verſu, Exaudi iuſtitiā, poſtea explicat quæ ſit illa iuſtitia.

In ממתים Metheg eſt loco dages pro ממתיב aliqui exiſtimant per proſtheſin eſſe adiectum, ideóque in accuſatiuo exponunt.

Portio eorum in vita] Id eſt affluunt bonis, opibus, & deliciis, non exercentur cruce aut calamitatibus, ſunt immunes ab omnibus incōmodis, nihil accidit his triſte: *Sie haben ihr himmelreich vnd ihr beſcheiden theil hie auff erden.* ſicut diues apud Lucam 12. & 16.

De abſconditis tuis] Non tantùm fruuntur communibus bonis cum aliis, aere, ſpiritu, alimentis & reliquis commoditatibus: ſed lautiùs & delicatiùs illos tractas quam vllos alios: vt ſi quis externam ſpeciem intueatur, exiſtimet eos in primis abs te diligi, & quaſi in gremio tuo foueri. Abſcondita enim Dei bona vocantur raræ & magis exquiſitæ, non vulgares deliciæ: his farcit & replet Deus ventrem impiorum, non, vt ſint ſigna ſui fauoris erga ipſos, vt mundus iudicat: ſed vt tanquam porcos ſaginatos tandem mactet, & iuſtum ſuum iudicium aduerſus eorum impietatem & ingratitudinem declaret.

Saturantur filij & relinquunt] Id eſt non tantum pro ſe abundant & affluunt deliciis, ſed & pro liberis habent, & ad poſteros ſuos magnas opes tranſmittunt. Atque hoc vnicum eſt ipſorum ſtudiū, vt liberis ampliſſima patrimonia relinquant, idque ſi perficiant, iudicant ſe eſſe beatos, nihilque vltra deſiderant. Tales ſunt impij: & hæc ſpectacula ſæpe turbant mētes piorum, vt cogitent Deo non eſſe curæ Eccleſiam, ſicut hic videmus etiam ipſum Dauidē torqueri. Sed opponit cōſolationem, qua ſe & alios contra hoc ſcandalum confirmat.

Saturantur filij] Alii nomē בני in ablatiuo caſu exponūt, Abundant ſobole.

15 Ego in iuſtitia videbo faciem tuam: ſatiabor cum euigilauero effigie tua.

Antitheſis eſt, qua ſuam fiduciam & ſpem de futura felicitate conceptam opponit omnibus inimicorum ſuorum conatibus & quibuſcumque fortunis ac deliciis quibus illi abundant. Quanquam, inquit, illi videntur coram mundo felices & beati, affluunt opibus & diuitijs, vt non ipſi tantùm abundè habeant, ſed & poſteris magnos theſauros relinquāt, ego verò interea videor ſpretus & abiectus atque adeo deſertus: tamen hac ſpe me ſuſtento, quòd hæ ærumnæ non ſunt perpetuò duraturæ, & quod futurum ſcio, vt videam faciem tuam, quæ nunc in hac triſti caligine & ærumnis videtur eſſe occulta & abſcondita: hoc eſt, ſcio futurum vt rurſus animus meus exhilaretur conſpectu præſentiæ, fauoris, & auxilij tui. Facies enim Dei ſignificat fauorem & præſentiam eius: & conſpectus faciei, ſenſum fauoris, præſentiæ & auxilij diuini, quod lætificat corda & reddit vitam.

Quod addit in iuſtitia, rurſus intelligatur, ſicut in primo verſu: in iuſtitia ſcilicet cauſſæ, quaſi dicat, Cùm habeam iuſtam cauſſam, ſcio me non fruſtratum iri mea ſpe. Tu enim nō potes in perpetuum deſerere bonā cauſſam. Hinc tamen non ſequitur, Dauidem ſalutis ſuæ cauſſam adſcribere operibus: non enim diſputat quomodò aut quibus meritis recipiendus ſit in gratiam: ſed tantùm hoc affirmat, non carere præmio pios Dei cultores, etiamſi ad tempus premantur, & videatur Deus faciem ſuam occultaſſe. Alij faciem ad æternam conſuetudinem cum Deo accommodant non male: nā tunc verè liberamur à malis cùm ex hac vita in alteram migramus. Eſtque hæc ſumma felicitas piorum; quod ſciunt aliam reſtare vitam poſt hanc. Sed tamē interea corporales liberationes in hac vita non ſunt excludendæ, quas ſimul complectitur Dauid: ſciebat enim futurum vt repreſſis ſuis hoſtibus ipſe eueheretur ad regnum.

Satiabor cùm euigilauero imagine tua] Id eſt, ex illo ſenſu fauoris & præſentiæ tuæ capiam veram ac ſolidam lætitiam in qua acquieſcam. Homines huius ſeculi, etſi abundant opibus, tamen ſæpe ipſorum gaudium variis incommodis interrumpitur: imò ipſi ſuis cupiditatibus, quæ inſatiabiles ſunt, perpetuò torquentur, etiamſi foris nihil aduerſi accidat, vt nunquā de his dici poſſit eos ſaturari gaudio. Pij verò quia in Deo & ipſius fauore acquieſcunt, habent verum, firmum & ſolidum gaudium quo animi ipſorum perpetuò ſaturantur. Illud enim gaudium vita eſt animæ. Hac antitheſi conſiderata ſententia fit illuſtrior.

Similitudinem ſeu imaginem nonnulli interpretātur maieſtatem diuinam, cuius cùm ſpectandæ copia ſit, animus ſatiatur. Alij gloriam intelligunt, eam qua ornabuntur pij in vita æterna, quando reſtituetur in nobis imago Dei: & quidē non malè. Nam ante Chriſti vltimum aduentum, illud gaudium piorum non erit plenum & integrum (manet enim ſubiecta cruci Eccleſia) ſed tamen etiam ad hanc vitam ſententia eſt accommodanda, in qua pij initia ſentiunt vitæ æternæ in ſuo corde, dum in Dei erga ſe fauore acquieſcunt, atque hac fiducia omnia aduerſa patienter perferunt. Itaque ſimilitudo nihil aliud eſt quam quod antea faciem dixerat, hoc eſt, ſenſum fauoris. Ordinem conſtructionis eſſe inuerſum oſtendit accentus Reuia ſupra הקיץ. Nam תמונה debet conſtrui cum verbo Saturandi, non cum proximè præcedente. Alij in accuſatiuo reddunt: In euigilando faciem. Lutherus habet ad faciem.

Cùm euigilauero] Id eſt, cùm reſpirauero ex his doloribus & ærumnis, quibus nunc fatigatus & oppreſſus tanquam ſopitus iaceo. Mœſti enim ſunt dormientibus ſimiles.

PSALMI XVII.

PARTES.

I. Exordium, v. 1. & 2. proponit Dauidis poſtulata, & poſtulatorum argumenta: fidem videlicet & bonam conſcientiam.

II. Enarratio antecedentium poſtulatorum & argumentorum duobus diſtincta locis: 1. à perſona ſupplicis. 2. à perſona aduerſariorum. Cauſæ à perſona ſupplicis exponuntur v. 3. & 4. quibus ſubiiciuntur poſtulata ſua, v. 5. 6. 7. 8. 9. A perſona aduerſariorum cauſæ ſubiiciuntur, v. 10. 11. 12. 13. 14. Poſtulatorum ſuorum prior pars eſt vt ducatur in bonum, & contineatur à malo, v. 5. argumento ducto à natura Dei, facilique attentione eius ad preces ſeruorum ſuorum, v. 6. Altera pars, vt Deus ſeruo ſuo benefaciat v. 7. eumque ſeruet, v. 8. atque ab aduerſariorum violentia tueatur, v. 9. Subiiciuntur cauſæ à perſona aduerſariorum, quos graphicè depingit, & in eis reproborum omnium colluuiem.

III. Concluſio prophetica bimembris, v. 15. ad vitam præſentem, priore parte verſiculi: & futuram, poſteriore, ſpectans.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 *Pij ab impijs vexati, ad Deum confugientes, cauſæ ſuæ bonitatem in medium adducere poſſunt, quia promiſit Deus ſe minimè paſſurum vt innoxij opprimantur quin tandem illis ſuccurrat.*

Bonæ conſcientiæ precatio eſt adiungenda. Sæpe enim profani homines de bona cauſa non immeritò gloriantur: quia tamen non agnoſcunt Dei prouidentiam, ſubſidunt in conſcientiæ ſuæ theatro: ac contumaciter magis quàm conſtanter ferunt iniurias, quia ex fide & inuocatione Dei non petunt ſolatium.

Non conuenit iuſtitiam Dei ſine humili deprecatione implorare, pro qua impetrata vtique gratias agere debemus.

Qui bonæ conſcientiæ teſtimonio freti preces negligunt, Deū fraudant ſuo legitimo honore, iudicandi munus ei non deferentes.

Ad Deum quoties contendimus, ſincerè eſt nobis agendum: piorū enim rhetorica coram Deo mera eſt ſimplicitas: hypocritarum autē orationes peccata & Dei ludibria exiſtimanda ſunt.

2 *Prodit iudicium piorum à facie Dei, dum Deus ſe eorum vindicem oſtēdit, eóſque liberat ab hoſtibus à quibus indignè vexātur.*

Quoniā impij ad tēpus adeo ſecurè exultant vt Eccleſiæ ſalus deplorata videatur, pij Deū res humanas curare certò ſcientes, obnixè precantur vt re ipſa oſtēdat minimè ſe cōniuere ad hominū ſcelera,

vel ſuſque deque habere miſeros homines,qui præter meritum malè tractantur.

3 Si falſa inuidia grauati nullam apud homines æquitatem impetrare poſſumus,nobis prouocare licet ad Deum iudicem: ſed ne temerè id fiat,ſerium examen nobis eſt indicendum, quia externa ſpecie non fallitur Deus, cuius proprium eſt occultos cordis receſſus excutere.

Vbi quis ſubductus eſt ab hominum oculis,clariùs videt quæ alioqui laterent vitia,& tempore nocturno ſolet vt plurimum Deus animos noſtros ab actionibus humanis euocatos ſollicitare & admonere voluntatis ſuæ.vide Iob.4.12.

Quocunque tempore Deus ad nos accedat, & ſuo ſpiritu per verbum patefactum & ſcriptum loquente nobis aurem vellicet,videndum eſt ne quid perfidiæ & impietatis in corde noſtro reperiat: Nihil enim magis Deo diſplicet quàm hypocriſis, quæ aliud lingua aliud animo verſat,idque fallendi cauſa.

4 Etiamſi dura ſit hæc tentatio,& ad vincendum difficilis, nō reſpicere qualiter ſe nobiſcū gerant homines,ſed quid Deus iubeat: attamen Dauidis & aliorum exemplo monemur hanc nobis optimam fore moderationis rationem ac regulam, vbi nos ſuis maleficiis hoſtes ad nocendum ſtimulant,oculos in Dei verbum conijcere. Ita enim fiet vt in fide,obedientia,patientia & charitate progreſſus non pœnitendos faciamus.

5 Vt quiſque maximè excellit,ſibi à præcipitio metuere debet:hæc enim Satanæ aſtutia eſt, ex virtute fabricare carnis confidentiam quæ torporem inducat.

Nō modò neceſſaria nobis doctrina illa cœleſtis quæ mores noſtros format ad rectum obſequium,ſed etiam arcana virtus qua nos fulcit,ac præſidium quo nos conſeruat: non tantùm quia omnes euentus ſunt in Dei manu,ſed quoniam vbi curam noſtri habet, nobis omnia commodè fluunt.

Singulis momentis multi caſus aduerſi nobis inſtant, periculúmque eſt ne pereamus,niſi nos manus Dei ſuſtineat.Agnoſcamus ergo propriam infirmitatem, & quàm opus habeamus diuino præſidio,ne dilabamur.

Quo pluribus Dei donis præditi ſunt Sancti,eo magis propriam imbecillitatem ſentiunt & agnoſcunt, ne inflentur.Hypocritarū eſt igitur de libero voluntatis arbitrio præſumere,infirmitatem propriā non agnoſcere,alienam contemnere,& nullo lapſus metu affici.

6 Ad Deum verè inuocādum ea fides requiritur qua credamus illum non aſpernaturum preces noſtras,ſed clementer auditurum ac reſponſurum, Rom.10.14. Falluntur ergo qui fidem à vera inuocatione diuellunt, & qui pietatis illud eximium exercitium vel imis labris tantummodo attingunt,vel prorſus omittunt: nec non ij qui de Dei exauditione in precibus nolunt fideles eſſe certos.

7 Quamuis promiſcuè in diſcrimen bonos & malos Deus conijciat,tamen diuerſo exitio tandem probat ſe non confusè miſcere paleam tritico,quia ſuos ſeparatim colligit.

Satis eſt quidē pios vulgari & vſitato modo iuuari:ſed aliquoties cogit eos grauiſſima mundi impietas & tyrannis miraculum in ſua ſalute expetere. Quacunque ratione autem cœleſtis pater eis manū porrigat,mirificam multiplicémque ſentiunt eius beneuolentiam.

Quoties ad Deum accedimus, primùm nobis in mentem veniat (quia non fruſtra vocatur ſeruator ſperantium)modò in eius gratiā recumbat fides noſtra,minimè timendum eſſe quin paratus ſit ad opem nobis ferendam.Quòd ſi clauſæ ſint omnes viæ,ſimul etiam in mentem veniat, penes ipſum incredibiles eſſe auxiliandi modos qui eius potentiam meliùs illuſtrent.

Sic Deus eſt ſeruator,vt non ſolùm terrena noſtra,ſed & ſpiritualia curet, nec ad tempus duntaxat, ſed nos perpetuò ſaluos faciat. Hac fide ducimur ad regnum Chriſti,in quo eſt ſalus æterna,& quia verè dicitur ſeruator,ideo & verus Deus.

Violatur Deus in ſuorum electorum perſona, quia ſe ſalutis eorū cuſtodem ſemel profeſſus,quoties iniuſtè appetuntur, manum ſuam pro clypeo opponit.

8 Duplici, elegantique admodum ſimilitudine quum Deus teſtetur variis Scripturæ locis ſuos ſibi eſſe chariſſimos,ſequitur bellum contra Deum moueri, quoties ad lædendos fideles conſurgitur. Vide Deut.32 10.Zach.2.8.Ruth 2.10.Pſal.36.8.& 57.2.Matth.23.37.

Incredibilis in eo elucet Dei bonitas, quòd ſe eò vſque demittit & quodammodo transformat vt fidem noſtram extollat ſupra omnes carnis ſenſus.

9 Quanquam monitore opus non habeat Deus, hic tamen eſt precationis vſus & finis, vt fideles dum ſua mala & ſollicitudines exonerant in Dei ſinū,certò ſtatuant ſuas neceſſitates ab ipſo reſpici.

Non ſine Dei prouidentia affligimur ab impiis, vt ab illorū facie quæ terribilis eſt,ad protectionem ac cuſtodiam Dei cōfugiamus. Et re vera nunquam Sancti ad alas Dei cupidius aduolant quàm dum horrendis modis ab impiis agitantur.

10 Impij profana confidentia, ceu quadam animi pinguedine, vndique ſtipati,ſe ab omni humanitate ſubducunt,faſtuoſáque loquuntur contra Deum & homines. Exempla extant in Saule, 1. Sam.20.31.& 23.21.Vide Pſal.12.5.& 73.9.

Eſt omnis ſuperba locutio vel in vana gloriatione & noſtri ipſorum iactatione, vel in aliorum contemptu,vel in comminatione & præſumptione eorum quæ & diuini numinis contemptum habent, & vires humanas excedunt.

Impiorum ſuperbia ad aures Dei deferenda eſt,quem certo ſcimus reſiſtere ſuperbis.

11.12 Crudelitatis hoſtium Eccleſiæ horridus habitus, truculenta facies,violenti ſpiritus,terribiles rugitus pios omnes ad ardentes preces ſollicitant.

Quo inſolentius contra nos ſæuiunt impij,eo propior nobis eſt Dei manus,vt eorum ferociam reprimat:cuius hæc propria laus eſt feras & ſanguinarias belluas compeſcere. Cauendum itaque nobis eſt ne longius euagemur à Dei cuſtodia, quò ab incurſu leonum, qui nos diripere tentant,tuti ſimus.

13 Vbi iam mors prope ſe oſtentat, Deus præſentibus remedijs eſt inſtructus quæ momento interponere poteſt.vide Exod.14. 22.1. Sam.23.27. Act.12.9.

Impiorum deiectio eatenus optanda quatenus eos humiliari neceſſe eſt, vt ceſſent à maleficijs.

Deus ſuis conſulere manifeſtè videtur, dum impios euertit,frangitque ipſorum robur,vt ab exitio liberet innoxias animas.

Niſi Deus ipſe prodeat vindex, ac ſuæ potentiæ gladium exerat aduerſus hoſtes Eccleſiæ, fidelibus nulla ſpes liberationis ſit reliqua. Ex aduerſo, Deus inuocatus aderit ſuis, impiorúmque robur ſua virtute diſſipabit.

14 Pars ſeu felicitas, & quidem imaginaria, impiorum eſt in hac vita: quia ſpiritu Dei vacui, boniſque caducis affixi ſupra mundum non conſcendunt.

Grauis eſt tentatio,impios ab incōmodis omnibus cernere immunes, adeóque à communi hominum miſerorum ſorte exemptos. ita ſanè, ſi quis Dei fauorem à terrena felicitate æſtimet. At ſi exemplo Dauidis,gemitus noſtros in cœlum dirigere diſcamus,filijs huius ſeculi qualemcunque illorum & breui perituram portionem minimè inuidebimus, quæ reuera digna non eſt vt illius nomine quiſquam inuideat diuitibus,faſtuoſis & potentibus, qui in bonis ducunt dies ſuos,& momento in ſepulchrum deſcendunt. Iob.21.13.

Tanta eſt Dei patientia vt impios ipſe non modò ferat, verùm etiam concedat vt continua quadam ſucceſſione diuitias ſuas ad filios & nepotes vſque tranſmittant. Sed quum ex filiis Dei non ſint,qui hac felicitate terrena fruuntur ad aliquot annos,ſequitur in mactationis diem eos ſaginari.

15 Proſpera fortuna,honoribus & diuitijs impij florentes, videntur Deo propinqui. Atqui fideles quamuis in ſpeciem procul à Deo ſint reiecti, ſibi tamen familiarem eius conſpectum promittunt, tum in præſenti vita,fide,ſpe, bona conſcientia freti, tum in futura ante & poſt carnis reſurrectionem.

Dei conſpectus eſt paterni fauoris ſenſus quo nos exhilarat abſterſis noſtris lacrymis,deinde modis omnib9 beatos & felices reddit.

Operam non ludent Dei cultores: nam vtcunque ad tempus faciem ab illis ſuam ſubducat, opportunè lucidum ipſius conſpectum tandem reſtituet.

Sua abundantia & ſi crepent impij, quia tamen eſt inexplebilis eorum cupiditas, vel quia vento paſcuntur, vel quia attoniti bona ſua non ſentiunt, vel quia diris conſcientiæ tormentis laborant, nūquam animis ſunt ſedatis & tranquillis, ſed inter cæcas cogitationes æſtuant. Vna eſt Dei gratia quæ nobis ſufficit, ne intempeſtiuis deſideriis huc illuc raptemur.

Mundi conflictus non tam animosè ſuſtinent ſancti,quin pro carnis infirmitate langueſcant ad tempus,vel tanquam offuſis tenebris expaueſcant: quæ perturbatio ſopori appoſitè comparatur. Vbi autem affulget Dei fauor,recepto vigore tranquilli fiunt fideles.

Quandiu peregrinamur in hoc mundo, per fidem incedimus, non per aſpectum: ſed quia nihilominus Dei effigiem non tantùm in Euāgelij ſpeculo,ſed in tot documētis gratiæ eius quotidie cernimus,ſe quiſque à torpore excitet, vt nos ſatiet ſpiritualis felicitas, donec facie ad faciem ſe nobis fruendum Deus exhibeat. Vide 1. Ioann. 3.2.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De iuſtitia cauſæ & perſonæ coram Deo,diſtinctio obſeruanda eſt,neque confundenda.
2. Iuſtitiæ Dei conſideratio & imploratio, tutiſſimum piis refugium.
3. Patientiæ veræ ingenium,exercitia,ſolamen.
4. Auxilium Dei,quo animi affectu expetendum.
5. De piorum, Dei opera expectantium ardentibus votis & precibus.
6. Filiorum huius ſeculi inimicorum Eccleſiæ,ſtudia, conatus,ſucceſſus,exitus.
7. Electorum Dei fides & ſpes, tum præſentis, tum vitæ futuræ reſpectu.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI XVIII.

EX hiſtoria Dauidis deſumptus eſt hic pſalmus: quæ deſcribitur 2. Samuel. 22. cap. & titulus argumentum indicat. Nam Dauid, cùm iam conſenuiſſet & propè mortem inſtare videret, repetens animo innumera beneficia diuina, & mirabilem defenſionem, qua inter tot hoſtium odia, aduerſationes & crudeles conatus tot annos à Deo erat ſeruatus, dulciſſimam hanc cantilenam, tanquam ἐπινίκιον *compoſuit, in qua potentiam, ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem, prouidentiam, & beneficia diuina commemorat: ſéque grato animo ea beneficia agnoſcere fatetur. Vt autem oratio ſit illuſtrior, & beneficia diuina fiant conſpectiora, primùm pericula, certamina & ærumnas ſuas narrando exaggerat: mox glorioſas liberationes recitat: vt oſtendat, ſe totum hoc liberationis beneficium non adſcribere ſuæ induſtriæ, ſapientiæ aut potentiæ, nec ſibi triumphum canere: ſed ad ſolum Deum, qui eum in tot periculis immenſa bonitate ſeruarit & defenderit, hæc omnia referre. Hæc ſumma eſt: & ſuo exemplo monet vt nos quoque beneficiis acceptis gratias agamus. Cùm autē Dauid typum gerat Chriſti & Eccleſiæ, rectè etiam ad certamina & victorias Chriſti, atque adeo ad totius Eccleſiæ militiam in hac vita accommodatur à Paulo, & ab aliis interpretibus. Nam Dauid hæc de ſe recitans, mente intuebatur Chriſtum quem cogitabat habiturum ſimiles ærumnas & glorioſas victorias: & ſciebat, Eccleſiam omnium ætatum ſimilia paſſuram eſſe.*

AD triumphandum ſerui Iehouæ Dauidis, qui locutus eſt Iehouæ verba cantici huius; in die, [*qua*] eripuit eum Iehoua, de manu omnium hoſtium eius, & de manu Saulis.

Titulus autorem & argumentum pſalmi indicat. Eſt enim ἐπινίκιον Dauidis & gratiarum actio, pro multis & magnis victoriis quas de ſuis hoſtibus toto tempore regni ſui reportauerat.

Seruum ſe Dei nominat, vt de ſua vocatione teſtetur, & oſtendat ſe non temere aut malis artibus inuaſiſſe regnum, ſed à Deo ſibi traditum adminiſtraſſe. Hoc reges omnes conſiderare oportebat, vt ſcirent ſe eſſe œconomos regni ſibi traditi à Deo, non tyrannos. Eſtque exemplum inſignis modeſtię hic propoſitum: quòd tantus rex, tam glorioſus, tot victoriis inſignis, tantáque dignitate & potentia præditus, non alio titulo quàm ſerui Dei gaudet, oſtendens, maximam hanc eſſe regum gloriam, munus à Deo iniunctum fideliter obire.

Iſto die quo liberauit] Hæc verba oſtendunt hunc eſſe vltimū hymnum quem Dauid compoſuit. Itaque mox in hiſtoria ſequuntur nouiſſima verba Dauidis, quæ ſic dicuntur. Vnde apparet hymnum compoſitum eſſe à Dauide non longè ante mortem. Oſtendunt etiam hæc verba, Dauidem ſub finem regni ſui, cùm iam omnia eſſent pacata, & ſtatus regni eſſet tranquillus, non indulſiſſe voluptatibus, vt ſolent plerique, nec ſuperbiiſſe gloria rerum geſtarum, aut ſe ſupra alios extuliſſe: ſed totum illud tempus ſenectutis ſuæ meditationi beneficiorum diuinorum & precationibus tribuiſſe.

Saul] qui ſcilicet crudeliùs quàm vlli alij hoſtes eum perſecutus eſt, & diutiùs eum exercuit.

2 Et dixit: Ex intimis viſceribus diligo te, Iehoua, fortitudo mea.

Orditur pſalmum à propoſitione, Ego, inquit, grato animo agnoſco immenſa & innumera beneficia, quæ mihi à Deo contigerunt, & propterea diligo eum, adhæreo illi, illum veneror & colo, in hunc ſolum colloco omnem ſpem & fiduciam. Hæc omnia complectitur verbum רחם. ſignificat enim ex intimis viſceribus ad aliquem ferri. Huic propoſitioni adiicit varia epitheta, quæ cauſſam continent propoſitionis, & varia beneficia diuina exprimunt. Et quia tanquam in tabula proponunt arma piorum depicta, diligenter ſunt obſeruanda.

I. *Fortitudo mea*] Id eſt, in quo ſum fortis, vel qui inſtruxit me potentia, robore, magnitudine animi & auxilio, vt omnes hoſtium inſidias & inſultus forti animo ſuſtinere potuerim: item, confirmauit animum meum, ne metu potentiæ hoſtilis deficeret, aut ad inconceſſa præſidia confugeret. In voce metalepſis eſt: ponitur enim effectus pro cauſſa, vt in dicto Pauli, Vt nos fiamus iuſtitia Dei.

3 Iehoua, petra mea, & arx mea, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, ad eum confugiam, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, eleuatio mea.

II. *Dominus petra mea*] Metaphora eſt in voce petra, ſumpta ab his qui vt tuti ſint ab hoſtibus, refugia & latibula quærunt in petris & harum cauernis. Ita Dauid, cùm Saul eum perſequeretur, quærebat latebras in cauernis petrarum. Et 1. Sam. 13. legitur, quòd populus Iſraeliticus metu Palæſtinorum, quos in magna multitudine irruptionem facere in Iudæam audiuerat, ſe occultauit in cauernis petrarum. Affirmat igitur Dauid, ſe non tam propter hęc latibula tutum fuiſſe, quàm quòd à Domino occultaretur & ſeruaretur. Etſi igitur quærebat media conceſſa in ſuis periculis, tamen agnoſcit ſe his conſiliis & mediis non potuiſſe ſeruari, niſi Dominus eum ſeruaſſet.

Alij ideo petram dici exiſtimant, quia fiducia noſtra tutò huic innitatur, & ſtet immota & inconcuſſa, ſicut ædificium ſuper petram collocatum.

III. *Præſidium meum*] receptaculum meum. Id eſt, qui præbuiſti mihi tutum receptum, & me tutatus es aduerſus hoſtium vim. מצודה ſignificat locum natura & arte munitū, quò tempore venationis, hoc eſt, imminentium periculorum, nos recipimus. Significat igitur hac metaphora, ſe inſtar feræ expoſitum fuiſſe libidini & iniuriæ hoſtium, ipſóſque tanquam venatores vndique ei inſidiatos fuiſſe, immiſiſſe canes, tetendiſſe retia, feciſſe foueas, & omnes technas, dolóſque excogitaſſe, quibus eum caperent. Tales omnibus piis inſidiæ ſtruūtur à diabolis & ipſorum organis.

IIII. *Liberator meus*] Id eſt, qui iam circumuentum & oppreſſum, cùm nulla pateret euaſio aut effugium, præter omnium ſpem & opinionem me liberaſti.

V. *Deus meus*] Id eſt, ſeruator meus potens, ſeu qui potentiam tuam declaraſti in me ſeruando. In Samuele hoc nomen cum ſequente iungitur, Deus rupis meæ.

Nomen אל ſignificat potentem, penes quem eſt facultas faciendi aliquid. Ideo Aquila vertit ἰσχυρὸν, acſi Germanicè dicas *mein helt*: ſumitur etiam in abſtracto pro potentia.

VI. *Rupes mea*] Id eſt, cuius præſidio tutus fui ab omnium hoſtium irruptione & violentia. צור ſignificat rupem præruptam & inacceſſam. pſal. 89. Petra gladij, id eſt, acies gladij.

Sperabam in eum] His verbis ſignificat, neminem poſſe de Dei auxilio gloriari, aut aliquid ſibi promittere, niſi qui fiduciam ſuam in illum collocat. חסה ſignificat protectionis cauſſa aliquò ſe recipere.

VII. *Scutum meum*] Id eſt, protector meus, qui omnes hoſtium impetus & ictus pro me excipit, & à me auertit, ſe ipſum obiiciens tanquam clypeum.

VIII. *Cornu ſalutis*] Metaphora ſumpta eſt ab animantibus, quibus defenſionis ac vitæ præſidium eſt in cornibus: nam robore cornuum ſe defendunt. Tu igitur es cornu ſalutis: id eſt, per tuum robur & fortitudinem nactus ſum ſalutem ſeu victoriam. Ita Lucæ 1. dicitur de Meſſia, Erexit nobis cornu ſalutis, id eſt, potentem ſaluatorem.

IX. *Exaltatio mea*] Id eſt, qui me ereptum ex miſeria, in locis arduis & excelſis, ſeu in faſtigio, conſtituis, quò nulla vis hoſtium penetrare aut pertingere poteſt. Qui infeſtantur, ſolent ſe tueri in locis ſublimibus, quæ habent loco refugij. Ita dicit Propheta, Deum ſibi fuiſſe tāquam arcem in ſublimi collocatam, quò tutò perfugere potuerit.

His variis epithetis, quæ hic accumulantur, oſtendit Dauid, Deum non vno modo ſeruare ſuos: ſed ſicut ſunt varia genera periculorum & difficultatum, quæ piis obiiciuntur, ita Deum varia virtute præditum eſſe ad ſaluandum ſuos. Non enim reſtringenda eſt potentia eius ad vnum aliquod periculi genus, ſed ad omnia mala & pericula, nec bene confidit Deo qui in vno periculo ſe defendi credit, in altero deſeri ſe putat. Significat item, Deum, piis militantibus in hac vita, præbere arma, non tantùm φυλακτήρια, quibus impetum hoſtium feliciter excipiant: ſed etiam ἀμυντήρια, quibus hoſtem depellant. Tale eſt quòd nominat eum cornu ſalutis.

4 Laudandum inuocabam Iehouam: & ab inimicis meis ſaluabar:

In omnibus meis periculis, inquit, & neceſſitatibus non confugiebam ad idola aut ad humana præſidia, ſicut faciunt omnes qui Deum non nouerunt: ſed ad ſolum Deum confugiebã, & ipſius opem implorabam: ita factum eſt, vt ab inimicis liberarer, nõ armis aut munitionibus, ſed precatione. Laudandum vocat Deum, primùm, quia dignus eſt vt laudetur propter plurima beneficia exhibita: deinde etiam, quia precibus ſuis ſemper laudes Dei miſcuerit.

5 Circundederant me funes mortis: & torrentes Belial terruerant me.

Sequitur narratio periculorum, quorum exaggeratione beneficia diuina magis commendat. Quo enim maiora ſunt pericula, eo conſpectior fit Dei bonitas & potẽtia, qui huiuſmodi periculis oppreſſum liberat. Eſt igitur amplificatio bonitatis & beneficiorum, à magnitudine oblatorum periculorum. Vtitur autem poeticis & inſignibus figuris, quæ huic exaggerationi ſeruiunt.

I. *Circundederant me funes mortis*] Id eſt, eram in ingenti pauore & conſternatione, vt ſunt ij quibus mors præſens verſatur ob oculos, aut qui funibus conſtricti aut ligati iam ducuntur ad ſupplicia. Nam hinc videtur ſumpſiſſe metaphoram: & quia vtitur verbo circundandi, magis congruit vocabulum funis ad nomen חבל quam doloris, quod legitur in vſitata verſione. Hi ergo dolores & pauores tenebant me ita conſtrictum, vt nullo meo conſilio aut induſtria me expedire poſſem: ſed pereundum mihi fuiſſet, niſi tu ſuccurriſſes. Nonnulli, comites mortis reddunt, & interpretãtur morbos.

Torrentes Belial terrebant me] Id eſt, impetus hoſtiles diaboli & improborum hominum, qui vndique ad me opprimendum concurrebant, & in me irruebant, tantũ terrorem mihi ſæpe incutiebant vt neceſſe fuiſſet me extingui & opprimi, niſi tu me ex præſenti periculo eripuiſſes. Torrens, in Scriptura ſignificat ſubitum & graue periculum, metaphora eſt ſumpta ab inundatione ſubita torrentium in montibus, cùm vel propter nimias pluuias vel niue ſoluta ſubitò exundant, & cum impetu ruentes in conualles obuia quæque proſternunt & ſecum rapiunt. Ita dicitur pſalmo 124. Niſi Dominus fuiſſet nobiſcum, tunc aquæ inundaſſent nos, & torrens pertranſiſſet ſuper animam noſtram: id eſt, hoſtium impetus oppreſſiſſet nos. pſalmo 110. De torrente in via bibet: id eſt, affligetur, & mergetur in mortẽ quaſi abſorptus ab impetu torrentis: ſed rurſus emerget & exaltabit caput. Sicut igitur torrentes, quando exundant, magnum incutiunt hominibus terrorem: ita dicit, ſe hoſtium hoſtili impetu fuiſſe perterrefactum.

בליעל nomen eſt generale ſpiritus mali & noxij, quem Chriſtus apud Iohannem nominat homicidam & patrem mendacij. Et non dubium eſt ſanctos patres, irridentes religionem ethnicam, & alludentes ad nomen Baal, hoc nomen indidiſſe diabolo, per paronomaſiam, ſicut ex Bethel fecerunt Bethauen, Oſe.4. & 10. Nam gentes pleræque vicinæ Iudæis, idola ſua nominabant בעלים Baalim, quibus ſe addixerant, & mancipant, vnde nomen Belus factum eſt, & ſignificat Dominum ſeu præſidem, in cuius poteſtate ſumus. Vt igitur oſtẽderent, ſe ab ethnica idololatria, quæ ab autore diabolo eſſet profecta & inſtituta, toto pectore abhorrere, ipſum diabolum hoſtem Dei & generis humani ſic vocarunt, paululum mutata voce, qua teſtarentur ſe hunc nequaquam dominum, patronum aut benefactorem agnoſcere: ſed potiùs tanquam ſpiritum noxium, & ad perdendum genus humanum intẽtum toto pectore odiſſe & execrari. Nam ſi etymologiam ſpectes, videtur vox facta eſſe, vt Kimhi tradit, ex בלי הועיל ſignificans non tantùm non prodeſſe generi humano diabolum, aut ipſius idolum, ſed plurimùm nocere. Atque huc facit quod ſcribitur Iſaiæ 44. verſu 9. Fictores ſculptilis omnes ſunt vanitas, & deſiderabilia eorum nihil proſunt, בליועילו וחמודיהם Et paulò pòſt, verſu ſequẽte, Quis format Deum aut fundit ſtatuam, quæ ad nullam rem vtui eſt? id eſt, quis eſt tam arrogãs & audax, qui putet ſe poſſe creare & formare Deum, qui tamen non eſt בעל, vt ipſi ſomniant, ſed potiùs Belial?

Alij ex בלי & עיל cõpoſitum eſſe nomen exiſtimant, quòd hominem non ſinat emergere aut mentem eius ferri ſurſum, nec meditari aut quærere ſuperna & cœleſtia: ſed perpetuò premat, & huius mundi ſordibus inuolutum retineat. Diuus Hieronymus ex בלי & עול nomen compoſuit, quòd ſine iugo, ſine lege & diſciplina viuat. Atque ideo Græci παρά-νομον reddiderunt. Et Paulus 2. Theſſal. c. 2. ſecutus Græcam interpretationem, Antichriſtum appellat, ἄνομον. Aquila ἀποστάτην cõuertit, quòd quaſi iugo excuſſo à Deo defecerit. Trãſfertur autem vocabulum hoc etiam ad homines. Et dicuntur filij Belial, homines impij, improbi, mali & noxij, quibus tanquam ſuorum ſcelerum miniſtris vtitur diabolus, & qui, vt Chriſtus ait Iohan. 8. Deſideriis patris ſui obſequuntur. Et ita dicitur Leuit. 13. Egreſſi ſunt homines filij Belial è medio tui, qui impulerunt habitatores vrbis ſuæ, dicentes, Eamus & colamus Deos alienos. Et Prouer. 6. Homo Belial vir iniquus ambulat in peruerſitate oris. Ab hominibus deinde transfertur vocabulum ad cogitationes ſeu conſilia praua, ad actiones impias & nefarias, ad quas impelluntur homines à diabolo, vt Deuter. 15. Caue ne ſit verbum Belial in te, id eſt, res nefaria & impia. pſal. 41. Verbum Belial adhæret ei. Significat & res noxias & exitioſas, quia ſemper vel conſiliis prauis vel rebus noxiis coniunctus eſt diabolus. Atque ita hoc loco torrentes Belial ſignificant pericula quæ præſens exitium minantur, & afferunt, quemadmodum torrentes ſubitò exundantes.

6 Funes inferni [*ſepulchri*] circundederant me: præuenerant me laquei mortis.

Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ. Significat enim, ſe iam in ipſa morte fuiſſe, ex qua humana vi aut ope eripi non potuerit. Non ſatis ei fuit dixiſſe funes mortis, ſed addit etiam funes ſepulchri, alludens ad faſcias ſepulchrales, quibus cadauera ligant. Ego, inquit, non aliter fui morte oppreſſus quàm qui faſciis ſepulchralibus ligati, iam efferuntur ad ſepulturam. Si ad Chriſtum referas, dolores שאל intelligendi ſunt de ſenſu iræ Dei aduerſus peccata totius generis humani, quæ in ipſum effuſa eſt. Et huius iræ guſtum aliquem habuit etiam Dauid, quando à filio ſuo Abſolomo eiectus & ſpoliatus eſt regno.

Præuenerant me laquei mortis] Interpretatur funes ſeu dolores inferni per laqueos mortis, atque hinc intelligi poteſt illud Actor. 2. Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus mortis. חבלי enim & מוקשי idem videntur declarare, ſicut & 2. Samuel. 22. ver. 5. Eſt autem huius membri hæc ſententia, Priuſquam animaduerterem, oppreſſus ſum illis periculis, vt nullum exitum inuenire potuerim his malis. Vſitatè dicitur, *Iacula præuiſa minùs feriũt*: ſed cùm ſubitò præter opinionẽ ingruit periculum, ita turbatur animus vt nullum inueniat remedium in rebus humanis. Hoc nominat præuenire laqueos.

7 In anguſtia mihi [*id eſt, cùm ego eſſem in anguſtia*] inuocabam Iehouam, & ad Deum meum clamabam: audiebat de palatio ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius veniebat in aures eius.

Poſt commemorationem periculorum, ſubiicit aliam narratiunculam, qua oſtendit quid conſtitutus in periculis & anguſtiis fecerit, quæque præſidia & auxilia, ſeu ἀλεξιφάρμακα quæſierit. Alij homines in neceſſitatibus confugiunt ad idola, cõuertunt ſe ad præſidia humana, quærunt remedia illicita, quibus aliud nihil efficiunt quã quòd, vt in prouerbio dicitur, malũ malo ſanant: tantũ enim magis ſe implicant & immergunt in pericula. Ego verò, inquit Dauid, in meis anguſtiis inuocabam non idola aut commentitia numina: ſed Iehouam, qui eſt verus Deus: non quærebam inconceſſa remedia aut præſidia: ſciebam enim mihi in hoc vno ſatis eſſe præſidij: ídque poſtea in liberatione ſum expertus. Repetitio eiuſdem ſententiæ ſignificat eum non ſemel, nec ſegniter aut languidè, ſed ſæpe & magna contentione clamaſſe ad Deum. Nonnulli in neceſſitatibus conſtituti putant ſatis eſſe ſi ſemel Deũ inuocent & periculum ſuum exponant: ideóque ſi Deus non mox ad ipſorum preces ſuccurrat, ferunt impatienter, indignantur, murmurant. Alij, etſi ingeminant preces, tamen faciunt id ſegniter: quia paulatim, cùm periculum creſcit, & differtur auxilium, langueſcit fides. Docet autem Dauid ſuo exemplo contrarium eſſe faciendum. Primùm enim non putat ſe perfunctum eſſe, ſi ſemel inuocet: ſed ſæpe repetit, & ingeminat preces, deinde ita repetit vt fides creſcat & fiat ardentior. Ideo primò vtitur verbo inuocandi, deinde clamãdi, quo ardorem & vehemens ſtudium notat.

היכל hoc loco intelligitur ipſum cœlum, vnde potentia Dei conſpicitur: alludit tamen ad templum, vnde promiſerat ſe exauditurum preces inuocantium.

8 Et commota eſt & tremuit terra: & fundamenta montium turbabantur: quoniam ira erat illi.

Narrationi periculorum ſubiicit commemorationẽ de liberatione. Id enim fieri in gratiarum actione ſolet & debet. Vt autem magnitudinem beneficij diuini magis exprimat, & oſtendat liberationes has nõ fuiſſe vulgares aut fortuitas, ſed inſignes, in quibus potentiam ipſius hoſtes manifeſtè deprehenderint: vtitur inſignibus figuris, ſumptis ab horribilis tempeſtatis deſcriptione. Cùm enim verſu præcedente,

Deo

Deo regiam attribuiſſet, nunc tanquam regem potentem eum inducit, qui excitatus ſuorum clamoribus, & iniuriis hoſtium, iratus conſurgat, & vniuerſa ſua arma expediens atque induens, exercitus educat ad euertendos & opprimendos hoſtes, & liberandos ſuos. Hi autem exercitus, & hæc arma qualia ſint, nouem verſibus ordine oſtendit, in quibus eſt hypotypoſis Dei irati, & ſuos vindicantis, excitatis horribilibus tempeſtatibus. Reſpicit autem propheta hac deſcriptione retro ad alias hiſtorias, in quibus Deus horrendis terræ motibus & tempeſtatibus iræ ſuæ indicia expreſſit, vt Exodi 9. in Ægypto. Item 19. in monte Sina. Ioſ. 10. vbi Deus lapides grandes in exercitum hoſtilem fugientem de cœlo coniicit. Iudicum 4. & 5. vbi Debora hoc beneficium Dei prædicat quòd de cœlo pugnatum ſit contra hoſtes. 1. Sam. 12. ad preces Samuelis dedit Dominus voces: hoc eſt, tonitrua & pluuias, quibus magnum terrorem incuſſit populo. Ad has hiſtorias alludens, dicit diuinitus etiam ſuis hoſtibus terrorem incuſſum eſſe, vt re infecta arma abiicerent, atque ita ſe liberatum eſſe. Hæc ſumma eſt horum verſuum.

Terra mouebatur] Deus terræ motu, concuſſione montium, fulminibus continuis, imbribus, ventis, grandine & aliis ſignis oſtendit & declarauit iram ſuam contra hoſtes, vt ſubito terrore perculſi diſſiparentur, atque ita me liberauit.

נגעש concuſſum eſt, perculſum eſt, colliſum eſt.

רעש tremuit, commotus eſt terrore.

רגז moueri loco, dolore animi, metu vel ira: tribuitur rebus animatis & inanimatis. Hoc igitur loco ſignificat moti ſunt loco: quaſi diceret, ab ipſis fundamentis euerſi ſunt montes.

Fundamenta montium aliqui exponunt inferiores partes, vbi ſunt exhalationes. Pro eo autem 2. Samuel. 22. legitur, Fundamenta cælorum, eodem tamen ſenſu. Quia montes ſua altitudine videntur ſuſtinere nubes. Quemadmodum Atlas fingitur humeris ſuſtinere cælum.

Quia ira ei] Ergo terræ motus erat indicium iræ Dei.

9 Aſcendebat fumus per nares, & ignis ex ore eius deuorabat: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

Amplificatio eſt iræ à ſigno. Qui inter homines vehementer ſunt commoti & irati, ſpirant vehementer & fortiter. Hoc ipſum tribuit etiam Deo ἀνθρωποπαθῶς. Deus, inquit, iratus, nihil niſi fumum & ignem ſpirabat. fumus eſt concitatior flatus narium. Sed hic, cùm de Deo loquitur, per fumum intelligantur vapores & nebulæ denſiores, quæ cum flatu exurgunt, & cælum obnubilantes, cōſpectum Solis & fulgorem ſtellarum terræ eripiunt, & caliginem ſeu tenebras inducunt. Tenebræ autem & caligines ſunt indicia iræ Dei.

Ignis ex ore eius] Exhalationes calidæ gignunt fulgura & fulmina: ideo cum fumo coniungit ignem. Quod dicit ex ore Dei egredi ignem, fit etiam ἀνθρωποπαθῶς, quia inducit ſpeciē hominis irati. De irato enim homine dicimus quòd flammas euomat. Sic Thebani 2. ἑλληνικῶν dicūtur πῦρ πνέειν. Quòd autem dicit, carbones accendi ab igne, ſignificat flammam non fuiſſe euanidam ſed durabilem.

10 Et inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

Inclinari dicitur cœlum & demitti quando obnubilatum penè capitibus noſtris videtur incumbere. Nam nubes in aeris regione ſunt nobis adeo propinquæ vt ipſam penè terram contingere videantur. itaque cœlum, cum eſt obductum nubibus, videtur ſeſe inclinare & propiùs ad nos accedere. Inclinare igitur cœlum, eſt obnubilare ſeu nubibus obducere. Deſcēdere autē Deus dicitur, nō quod loco moueatur, ſed quia ſuam maieſtatem, potētiam atque adeo iram ſuam, aduerſus hoſtes propiore quaſi ad nos acceſſu oſtendit: & quidem tanto magis deſcendere videtur, quanto propius illæ res per quas ſuam poteſtatem oſtendit, ad noſtros ſenſus accedunt. Quando enim cœlum eſt ſerenum, & nullis obductum nubibus, videtur impiis quàm longiſſimè abeſſe nec curare res humanas: itaque ſoluuntur tum in luxum & libidinem: ſed quando obducitur cœlum, videtur propiùs ad eos accedere, & ipſis triſti aſpectu minas incutere: itaque metu tunc conſtringuntur impij. Monet autem hæc ſententia nullam fieri in cœlo vel in terra mutationem, quæ non ſit teſtis præſentiæ Dei. Dicitur autem alioqui etiam deſcendere Deus, quando curam ſuſcipit rerum antea neglectarum, vt cùm dicitur, in Geneſi, deſcendere vt turbaret ædificationem turris Babylonicæ: item, cùm Sodomitæ puniendi eſſent.

Caligo] Id eſt, denſæ & atræ nubes.

11 Et vehebatur ſuper Cherub, & volabat: & agitabatur ſuper alis venti.

Tonitrua & fulgura ſolent præcedere venti ſeu flatus vehementes: hos dicit excitari, non vt phyſicus, cum exhalationes calidæ circundatæ & compreſſæ à nube frigida, tandem cum impetu & fragore erumpunt: ſed Deo aduolante ſuper Cherub ſeu alis ventorum: idem enim ſignificant. Ita pingit Deum veluti regem, qui vehatur curru alato, & pernicìſſimo volatu de cælo deſcendat, ad liberandos ſuos & euertendos hoſtes Nam Cherub & alæ ventorum ſignificant velocitatem incredibilem & perniciſſimum volatum. Quanquam Theodoretus in quæſtionibus in Geneſin, de potentia Dei hoc intelligendū dicat: ita enim hunc verſum interpretatur, μὴ πολλῆς παρῆχθαι τὸ δυνάμεως. Χερουβὶμ γὰρ καλεῖ πᾶν τὸ δυνατόν. Dicit autem Deum ſuper Cherub equitare, vt ſignificet ventorū impetus ipſius mandato per angelos gubernari. Nam ſub figurā Cherubim repræſentantur angeli. Simul autem alludit ad arcam fœderis, in cuius propitiatorio duo Cherubim erāt, de quorum medio Deus loqui populo ſuo, & reſponſa dare ſolebat, vt ſcribitur Exod. 25. Vult igitur ſignificare, hunc Deum qui ſe in hoc populo patefecerat & de ſua præſentia inter Cherubim palam teſtatus erat, & qui cum populo fœdus pepigerat, eundem eſſe qui afflicto opem tulerit.

כרוב ſignificat imaginem aut rem quamcunque, ſiue ſubſtantiam habeat ſpiritualem ſiue corporalem, creatā aut arte fabrefactam, quæ tanquam volucris alis expanſis vehitur, aut propter motus celeritatem volare aut vehi dicitur. Ideo כרוב hoc loco idem ſignificat quod poſtea nominat alas ventorū, ita tamen vt angelos tanquam miniſtros ſimul complectatur. Alij כרוב volunt eſſe effigiem, quæ facie referat infantulum. Nam רביא Babyloniis puerulum ſeu infantulum ſignificat. Hieronymus à multitudine ſcientiæ dictos vult eſſe Cherubim. Alij colores interpretantur.

12 Ponebat tenebras latibulum ſuum circa ſe, tabernaculo ſuo [*vel tabernaculum eius, vt ſit appoſitio, tenebræ quæ erant tabernaculum circa ipſum, nempe*] tenebras aquarum nubes ætheris.

Repetitio eſt, & explicatio verſus decimi. Oſtendit enim hic quid per caliginem ſub pedibus Dei intelligi velit: nubes videlicet atras & denſas: cùm enim contrahuntur nubes, fiunt atræ. His igitur obduci Dei tabernaculum, ipſúmque occultari affirmat, vt iram à Deo aduerſus impios conceptam, etiam hac imagine exprimat. Vult enim hoc dicere, Deum, quanquam deſcendat ad vindictam, & ſigna iræ ſuæ oſtendat: tamen interea prohibere & arcere homines à ſui conſpectu, perinde ac ſi rex quiſpiam populo infenſus, in receſſum & latebras ſe abdat, nec conſpiciendum ſe præbeat. Alij volunt his tenebris maieſtatem & gloriam Dei occultari, vt populus Dei diſcat eam maiorem eſſe quam quæ hominibus poſſit exhiberi in vlla aliqua ſpecie, in huius vitæ imbecillitate: in quam ſententiam Gregorius Nazianzenus ſcribit, in oratione de Theologia: Conſtituit tenebras, quæ latebræ ipſius eſſent, nimirum craſſitiem noſtram; qua cùm præpediantur homines, pauci admodum numero & quidem perparum, veluti per rimam adſpiciunt. Addunt & aliam cauſſam, cur his nubibus ſe occultare voluerit; ne ſcilicet Iſrael Deum ſuum vlla forma pingeret, vel vlla imagine aut diminueret aut obſcuraret immenſam eius maieſtatem. Sed prior ratio magis congruit argumento huius pſalmi.

13 Præ ſplendore [*qui erat*] coram ipſo, nubes eius tranſibant: grando & carbones ignis.

Id eſt, nubes rumpebantur & reſoluebantur à fulgore præſentiæ eius, & erumpebant fulgura, & ſubſequebantur grandines & carbones igniti: In Samuele ſic legitur, A ſplendore coram ipſo incenſi ſunt carbones ignis.

14 Et intonuit de cœlis Iehoua: & altiſſimus dedit vocem ſuam, grandinem & carbones ignis.

Loquitur de tonitruis, quæ nominat vocem Dei, vt ſciamus ea non fortuitò aut naturalibus tantùm cauſis gigni, abſque cœleſti imperio: deinde tonitrua nominat vocem Dei, quia tanquam clamore quodam hoſtes increpat, iiſque terrorem incutit.

15 Et mittebat ſagittas ſuas & diſſipauit eos: & fulgura multitudine & conturbabat eos [*ſcilicet hoſtes ſuos.*]

Hoc verſu & qui ſequitur 17. oſtendit cur hæc tempeſtas à Domino ſit concitata: nempe vt hoſtibus diſſipatis & profligatis ipſe liberaretur. Quæ igitur impiis terribilia ſunt, ea piis afferunt conſolationem, ſicut dicitur in Euangelio, Homines tabeſcent præ metu, vos autem erigite capita. Sagittas Dei nominat fulmina, quibus hoſtes Eccleſiæ cōficit: & cùm dicit ſagittis Dei hoſtes eſſe diſſipatos, ſignificat nulla vi humanā fuiſſe proſtratos, ſed virtute & potentia diuina. Simile exemplum legitur in hiſtoria Theodoſij, cùm aduerſus Eu-

genium & Arbogaſtum pugnaret. Et in hiſtoria Antonini legio Chriſtianorum, quę ſuis precibus huiuſmodi tempeſtates impetrauerat, dicta eſt κεραυνοβόλος. Oroſ. lib. 7. c. 15. Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. & alij.

16 Et apparebant inundationes aquarum, & reuelabantur fundamenta orbis, ab increpatione tua, ô Iehoua, à flatu ſpiritus naris tuæ.

Apparebant] Id eſt, hanc tempeſtatem horrendam ſequebantur imbres & magnæ inundationes, quibus terra prorſus operiebatur: & deinde illæ moles aquarum abſorptæ à terrâ perfractâ faciebant ingentes voragines & profundos hiatus, vt quaſi fundamenta orbis, hoc eſt, inſima terræ, reuelarentur. Alij interpretes dicunt ipſum alludere ad tranſitum maris rubri, vbi aqua dehiſcens alueum ipſum præbuit conſpiciendum. Alij aperiri fundamenta dicunt, quando vi ventorum fluctus attolluntur: atque huc accommodant illud Virgilianum in deſcriptione tempeſtatis,

Hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit &c.

A flatu naris tuæ] Id eſt, à turbine, qui aquas contorquens magna vi, fecit vt in terram irrumperent, atque ita voraginem efficerent.

Sequentes verſus deſcribunt liberationem, & nihil habent obſcuritatis.

17 Miſit ab excelſo, apprehendit me [&] extraxit me de aquis multis.

Miſit ſcilicet manum ab excelſo] Id eſt, non humanis conſiliis, ſed potentia diuina ſum liberatus: & quidem mirabiliter atque inſolitis modis. Alij de angelis exponunt: ſed eſt hoc anguſtius: opponitur enim in genere omnibus terrenis ſubſidiis.

Aquæ in Scriptura ſignificant pericula, ærumnas, calamitates, graues afflictiones, quibus premuntur & obruuntur pij, & tantum non abſorbentur. pſalm. 32. In inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent. Iob. 22. Abundantia aquarum operuit me. pſalm. 69. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Comparat igitur hoſtium ſæuitiam aquis & torrentibus rapidis, vt periculi magnitudinem exprimat.

18 Eripiebat me ab inimico meo forti, & odio habentibus me: quoniam robuſtiores erant me.

Iam abſque figura exponit quod antea dixerat figuratè, vt mos eſt Dauidi.

Quoniam erant robuſtiores] Hoſtibus tribuit duo, odium & potentiam: idque addit vt potentiam Dei magis commendet & amplificet, oſtendátque; tūc maximè opportunum eſſe Deo tēpus ad iuuandos ſuos, cū ſuſtinendis hoſtibus ſunt impares.

כי nonnulli aduerſatiuè exponunt pro quamuis. Alij tamē fere ita reddunt vt ſit cauſalis.

19 Præuenerant me in die contritionis meæ: & fuit Iehoua baculus mihi.

Id eſt, ſubitò oppreſſerant me, vt nullum conſilium humanum aut induſtria ad depellenda hæc mala valeret: irruerant enim in me incautum, & nil tale cogitantem.

איד eſt vapor, fumus, nebula, Geneſ. 2. Vapor aſcendebat. Et quia vapores illi ſępe frugibus & aliis rebus ex terra naſcentibus nocent, ſumitur μεταληπτικῶς pro quauis calamitate.

In die vaſtationis] Id eſt, eo tempore cùm nihil niſi præſentiſſimus interitus mihi verſaretur ob oculos, & omnia eſſent deſperata.

Iehoua factus eſt firmamentum ſeu ſuſtentaculum] Id eſt, nullū habui præſidium, cui inniterer, aut quo confiderem, niſi Iehouam: nam humana præſidia omnia me deſtituebant: hoc itaque innixus, potui fortiter excipere omnium tempeſtatum & aduerſariorum fluctus, ne opprimerer & abſorberer.

20 Et educebat me in latitudinem: eripiebat me, quoniam bene volebat mihi.

Educere in latitudinem, ſignificat, ex carcere & anguſtiis eductum ſtatuere in loco amplo & ſpatioſo, vbi libere reſpirare & recolligere te queas. Significat igitur ſe antehac fuiſſe tantis anguſtiis & doloribus oppreſſum, vt, quaſi triſtiſſimo carceri incluſus, nunquam reſpirare potuerit. Nam cor in doloribus ita contrahitur & comprimitur, vt etiamſi homo verſetur in libero aere, tamen videatur in anguſtias redactus. & nos Germani dicere ſolemus de homine doloribus oppreſſo, *Die gantze VVelt vvird im zu eng:* contra verò vbi liberatur ex illis doloribus, rurſus ſe dilatat cor, & diffunduntur ſpiritus, qui ante obſederant cor, & impediuerant reſpirationem. Ita dicitur rurſus educi in altitudinem, dum depulſa omni triſtitia, dolore & anguſtia, perfunditur nouo gaudio, quo animus laxatur.

Bene volebat] Totum beneficium liberationis refert, non ad ſua merita, ſed ad beneplacitum Dei. Ideo, antequam de ſua innocentia teſtaretur, hoc præmiſit, Ipſe, inquit, me complectitur ſuo fauore: ideo tam illuſtria edidit ſui amoris documenta erga me, & me ſuo conſilio ad hoc regni faſtigiū euexit: ita tribuit plenam & ſolidam laudem Deo, & oſtendit, ſe non ſine vocatione ingeſſiſſe ſe huic muneri, ſed obſecutum diuinæ voluntati. Atque hac ſententia conuincitur Papiſtarum delirium, qui docent eſſe temeritatem & impiam ſuperbiam, pronuntiare quòd ſis in gratia.

21 Rependebat mihi Iehoua ſecundùm iuſtitiam meam: ſecundùm puritatem manuum mearum tribuebat mihi.

Repetit propoſitionem adiectis cauſis per diſtributionem. Dominus liberauit me, quia vidit me abſque mea culpa eſſe oppreſſum ab hoſtibus. Facit autem in his verſibus mentionem ſuæ integritatis & obedientiæ, non quòd ſuis meritis hoc ſit conſecutus vt prę aliis eligeretur, & eſſet in gratia apud Deum (alioquin enim ipſe pugnaret ſecum, qui paulo ante beneplacito & fauori diuino omnia adſcripſerat) ſed vt oſtēdat & teſtetur, ſe has calamitates & mala, nulla ſua culpa attraxiſſe: atque ita hoſtium calumnias refutet: quaſi diceret, Ipſe exitus oſtendit me nihil eorum commiſiſſe quæ aduerſarij obiiciebant. Dicitur igitur hoc reſpectu inimicorum. Interea verò & hoc verum eſt, pietatem habere promiſſiones præſentis & futuræ vitæ.

Secundum iuſtitiam meam] Id intelligatur de iuſtitia cauſæ & innocentiæ Dauidis erga inimicos, quibus non præbuit cauſam aliquam offenſionis. Accuſabant eum defectionis, quòd à legitimo rege defeciſſet: deinde latrocinij, quòd per vim inuaſiſſet regnum: ſeditionis, quòd tranquillū reip. ſtatum turbaſſet: crudelitatis, quòd cauſſam præbuiſſet cædibus: contra hos affirmat ſe fuiſſe iuſtum. non opponit iuſtitiam ſuam iudicio & examini diuino, de quo alibi dicit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, &c. ſed calumniis inimicorum.

Puritas manuum] ſignificat innocentiam vitę & omnium actionum, per metonymiam. Qui tāgit rem immundam, polluit manus, & qui peccato contaminatur, polluit conſcientiam. Iuſtitia conſiſtit in rectè faciendo, puritas manuum in non lędendo.

22 Quia cuſtodiui vias Iehouæ: & non impiè deſciui à Deo meo.

Vias Domini] nominat verbū à Deo pręſcriptum: hoc enim debet eſſe norma vitæ & actionum noſtrarum, & quaſi ſemita, in qua ambulare debemus.

Non impiè deſciui à Deo] Id eſt, manſi firmus in meo propoſito, nec paſſus ſum me à verbo Dei abduci minis vllis, vel pollicitationibus. Verbum enim רשע non ſignificat vnum aliquem lapſum, ſed defectionē quæ hominem à Deo prorſus alienat. Fieri non potuit quin interdum laberetur Dauid (fuit enim homo) ſed tamen nunquam receſſit à ſtudio pietatis, nec defecit à Deo.

23 Quia omnia iudicia eius coram me, & ſtatuta eius non abieci [ſubmoui] à me.

Omnia iudicia eius coram me] Iudicia intellige ſynecdochicōs totam legem: ad hanc ſemper retuli oculos & mentē meam, & ad huius præſcriptum inſtitui vitam meam. Quidam iudicia ad ſecundam legis tabulam referunt, חקות verò ad cultum pietatis in prima tabula præceptum: ſed non eſt tam ſubtili diſtinctione opus. Vocabula enim ſynecdochicōs de tota Lege intelligenda ſunt, alioqui cùm partes Legis recenſentur, חקות complectitur Leges cæremoniales.

24 Et fui integer cum eo: & ſeruaui me ab iniquitate mea.

Fui integer] Id eſt, non fuit hypocritica aut ſimulata pietas, quæ foris externo geſtu aut obſeruatione cæremoniarum ſimularet aliquam ſanctimoniam: ſed vero animi ſtudio adhæſi Deo, & ſectatus ſum legem diuinam. Integritas enim & ſinceritas quæ opponitur hypocriſi & ſimulationi, non ſignificat talem perfectionem in qua ſint omnes gradus obedientiæ: & aliud eſt perfectum ſubſtantia, aliud quantitate ſeu gradibus.

Et cuſtodiui me ab iniquitate mea] Id eſt, cohibui me ne iniquè agerem aut delinquerem, néue ex indignatione aut cupiditate vindictæ ruerem in aliquod ſcelus, quantumuis me vel hoſtium iniuriæ vel affectus carnis exſtimularet. Non enim immunis fuit à ſtimulis affectuum humanorum Dauid: id quod ipſe hic fatetur, dum affirmat, ſe à ſua iniquitate, à qua ſcilicet exſtimulabatur, ſeruaſſe ſe, & quaſi manū ſibi iniecìſſe ac refrenaſſe, ne affectibus prauis indulgeret. עון nominat illam prauitatem quæ nobiſcum naſcitur.

25 Et

25 Et rependit Iehoua mihi ſecũdùm iuſtitiam meam: ſecundùm puritatem manuum mearum; coram oculis eius.

Puritatem corã oculis eius] Id eſt, quę puritas ipſi nota & perſpecta fuit, dum hoſtes mei interea longè aliter iudicarent. illi enim iudicabant me eſſe ſeditioſum, crudelem, perfidum, ingratum, &c. ſed Deo nota fuit mea integritas.

26 Erga pium exhibes [*oſtendis*] te pium: & erga virum integrum exhibes te integrum.

27 Erga purum exhibes te purum: & cum peruerſo agis peruerſè [*præbes te diſtortum.*]

Expoſitio eſt prioris ſententię, qua transfert hypotheſin ad theſin. Nam quæ de ſe dixerat in ſpecie propheta, accommodat nunc ad omnes fideles, ſumens argumentum ab ipſa Dei natura. Deus, inquit, cùm ſit ſanctus & bonus, non poteſt non bonis benefacere, & malos punire, id quod exemplo meo & hoſtium interitu oſtendit: hácque conſolatione confirmare ſe debent omnes qui iniuſtè vexantur & premuntur à tyrannis. Plerique interpretes de conſuetudine quæ eſt inter homines, hos verſus exponunt, vt congruant cum illo dicto, Talis quiſque eſt, qualium vtitur conſuetudine: & cum illo Menandri,

φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Et illo Æſchyli:

ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδὲν.

Sed non vult hoc nunc propheta. Alij ita exponunt, Qualem Deum æſtimas, talem eum habes. ſi es pius & ſanctus, omnia Dei opera videbuntur tibi pia & ſancta, etiamſi ratio longè aliter iudicet: vt cùm bonos ſinis affligi, nõ videbitur tibi hoc peruerſum aut alienum à natura Dei. Si es peruerſus, quicquid Deus facit, erit in oculis tuis peruerſum. Sed, vt dixi, addit propheta generalem doctrinam priori commemorationi, de ſua liberatione, qua oſtendit talem vnicuique eſſe Deum qualem ſe erga eum quiſque gerit: itaque bonis benefacere, & malos affligere & punire.

חסיד dicitur, qui acquieſcit in Dei erga ſe amore, & Deum colit, & amore proſequitur: deinde, qui proximo benefacit.

Exhibes te pium] Id eſt, proſequeris eum amore, & benefacis ei.

Cum viro integro] Qui omnia facit ſine dolo & fraude, ſeu in quo non eſt fraus, aut ſimulata pietas, &c.

Exhibes te integrum] Id eſt, agis ſincerè & fideliter: non fruſtraris eum nec defraudas iuſtis præmiis, etiamſi differas interdum liberationem, & ſinas eum affligi aliquãtiſper: tamen tandem oſtendis te non doloſè agere.

Cum puro] Id eſt, cùm candido, non contaminato aut polluto, exhibes te talem qualem ille exoptat.

Cum peruerſo] Id eſt, cum contemptore ſanctitatis, integritatis, puritatis, Dominus agit peruerſè: id eſt, contra ſuam naturam (quæ eſt benefacere omnibus, nócere nulli) quaſi aliam perſonam induens inuertit ſe: hoc eſt, vt iuſtus iudex punit peruerſos. Mallet enim benefacere: ſed quia tales ſe exhibent vt non digni ſint beneficiis, ideo viciſſim ille talẽ ſe exhibet, non qualem illi vellent, qui ſcilicet eos eriperet ex malis: ſed qualem merentur. Videtur locutio hæc primo intuitu aliquid incommodi vel abſurdi habere, eo quòd Deo tribuat peruerſitatem, quod nomen vitij eſt apud Latinos. Nam ingenio eſſe peruerſo, eſt eſſe malitioſum, aſtutum & verſutum, aliud ore promere, aliud corde tenere, nemini fidere, mutari in horas, ac talem ſe gerere cui nihil tutò committas aut credas. Sed dicitur Deus agere peruerſè cum peruerſis, non quòd talis ſit natura, ſed quòd alium ſe erga improbos gerat quàm erga pios & bonos, videlicet quòd eos comprehendat in ſua aſtutia, & euertat. Similis ſententia extat Leuit. 26. Si ambulaueritis mecum peruerſe, ego viciſſim contra vos peruerſè ambulabo: aliter ſcilicet, quàm ego cupiam & velim, & quàm fert natura mea. Ita apud Ieſaiam dicitur facere alienum opus cùm punit, vt faciat proprium. verbũ Hebræum התפתל quare coniugationis eſt, in qua ſignificatione eſt reciproca, vt loquuntur Grãmatici. Formatur autem à פתל, quod deſcendere à nomine פתיל videtur. Habet autem nomen ſignificationem ellychnij apud Chaldæos, vt verbum inde factum ſignificet alternare, quemadmodum fit dũm fila aut funiculi contorquendo complicantur, cúmque ex duobus aut tribus filis funiculus conficitur, vbi quædam filorum aut funiculorum fit alternatio: inde poſtea tranſlatitia ſignificatione idem valet quod peruerſum ſeu διπλοῦν eſſe. Nam & Græcum verbum διπλόω & nomen διπλόη, quod fraudem, ſeu verſutiam ſignificat, nec voce nec ſignificatione multùm ab Hebræo abludit.

28 Quoniam tu populum oppreſſum ſeruabis: & oculos ſuperbos deiicies [*humiliabis.*]

Proſequitur eandem ſententiam, & tanquam epiphonemate concludit theſin: ſimul autem occurrit tacitæ obiectioni. Nam ſi quis faciem Eccleſiæ intueatur, videbit bonos ſæpiſſimè premi & duriter affligi: contra, homines impios & ſuperbos florere, affluere opibus & diuitiis: id ne quem offendat, monet finem eſſe expectandum: fore enim vt, quanquam differat Deus aliquandiu liberationem, tamen tandem, vbi ſuorum patientiam aliquãdiu exercuerit, eis ſalutem afferat. Dicitur enim Deus ſeruator afflictorum. id rectè dici non poſſet, niſi aliquandiu eos ſuſpenſos teneret & exerceret. rurſus, humiliat ſuperbos: ergo etiamſi aliquandiu his indulgeat, tamen tandem eos trahit ad pœnas. Obſeruandum autem quòd, quem antea nominarat pium, purum, integrum, nunc nominat oppreſſum & afflictum. Ea enim eſt cõditio piorum in hac vita, vt ſemper profeſſionem doctrinæ cœleſtis crux & perſecutio comitetur.

Oculos ſublimes] elatos. Diuerſitas generum aliud iubet ſubintelligere, nempe oculos mentis & cordis. Eſt autem ſynecdochica vel metonymica locutio: tribuit ſuperbiam oculis, quia oculi ſunt animi indices, & faſtus animi elati facilè in oculis conſpicitur: humiles & modeſti incedũt demiſſo vultu & deiectis oculis, cõtrà ſuperbi elato vultu & ſupercilio. 2. Sã. 22. hæc verba paulò aliter leguntur: ועניך על רמים תשפיל Oculi tui contra ſuperbos quos deiicis. Sed hæc varietas in ſenſu nihil mutat.

29 Quoniam tu illuminas [*accendis*] lucernam meam: Iehoua Deus meus illuminat [*lucere facit*] tenebras meas.

Redit ad hypotheſin, & generalem doctrinam ſeu promiſſionem ad ſe accommodans, ſuo exemplo oſtendit Deum veracem eſſe in ſuis promiſſionibus. Meo, inquit, exemplo declaraſti, te talem eſſe qui bonis benefacias, & malos punias: me enim ex calamitatibus ereptum collocaſti in ſummo faſtigio dignitatis, cùm me regem conſtitueres in hoc populo.

Lux ſeu lucerna in Scriptura ſignificat metaphoricῶς, lætitiam, proſperitatem, gloriam, felicitatem, vt Prouer. 13. Lucerna impiorum extinguetur. Num 21. Lucerna eorum auferetur, id eſt, gloria. 2. Regum 21. Non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael: id eſt, ne tua morte calamitatem aliquam adducas Iſraeli. Iob. 18. Lux impij extinguetur & obtenebreſcet in tabernaculo eius. Et 15. Impius non credit quòd reuerti poſſit de tenebris: id eſt, abiicit omnem ſpem in rebus aduerſis. Et 17. Poſt tenebras ſpero lucem. Lux naturaliter exhilarat homines: & dum vtimur rebus proſperis, omnia videntur lucida & ſplendida, quia ſpiritus ipſi ſunt lucidiores in corpore. econtra tenebræ terrent & metum incutiunt, & in calamitatibus ac doloribus animi ſpiritibus turbatis oculi incipiunt caligare: ideo aſpectus omniũ rerum eſt ſqualidior, & videntur omnia tenebris inuolui. Deinde, quia lux colluſtrat res, vt appareant quæ antea tenebris inuoluta non conſpiciebantur: ideo lux etiam ſumitur pro gloria quæ hominem facit conſpicuum & celebrem. Hinc igitur ſumpta eſt metaphora: Tu accendis lucernam: id eſt tu es qui proſperitatem meam, qua hactenus fruor, procuraſti, túque me euexiſti ad hanc dignitatem regiam, tu es qui dediſti lætos ſucceſſus in bellis, & in tota gubernatione, & tu illuſtras tenebras, id eſt, tu depellis calamitates & ærumnas, quibus tanquam denſiſſimis tenebris eram obrutus: tu conuertis triſtitiam meam in gaudium, calamitates & miſerias in felicitatem & gloriam, eamque felicitatẽ continuabis & augebis. Vtitur enim hoc loco verbo futuri temporis.

30 Quoniam in te currebam accinctus, & in Deo meo tranſiliebam murum.

Subiicit rationem, qua priorem ſententiam explicat. Tu, inquit, inſtruxiſti me bellica virtute, vt ſuperior eſſem hoſtibus meis & feliciter bella conficerem, atque inde gloriam compararem.

In te] Id eſt, diuina virtute & robore inſtructus & armatus. Victoriæ enim non mea induſtria aut ſcientia rei militaris ſunt partę: ſed totum hoc tuum eſt beneficium.

ארץ גדוד dupliciter exponitur. *Alij* verbum neutraliter exponunt: Currebam accinctus ac militariter indutus & armatus. Et exiſtimant nonnulli, prophetam reſpicere ad victoriam quam reportauit à cæſo Goliath.

Alij verbum רוץ actiuè exponunt pro incurſionem facere ſeu perrumpere. Quæ ſententia videtur eſſe ſimpliciſſima: Ego perrumpebam turmam hoſtium. Nam גדוד vſurpatur collectiuè pro turma militum, ſeu pro cuneo: ſicut nos militem dicimus pro exercitu militum.

Tranſiliebam murum] Id eſt, expugnabam vrbes munitas, id-

que nullo negotio ſiue difficultate,

31 Dei integra via eſt : ſermo Iehouæ excoctus, clypeus eſt omnibus confidentibus in ipſo.

Redit ad theſin. Suo enim exemplo oſtendere vult, Deum ſimili modo omnes pios defendere, & ſeruare mirabiliter.

Dei integra eſt via] Id eſt, Dei via eſt recta & ſincera, & reſpondet promiſſionibus. Non enim agit fraudulenter aut doloſè cum ſuis, non fruſtratur cultores ſuos, non deſerit ſperantes in ſe : ſed præſtat quod pollicetur. Non agit ſicut homines qui ſuis clientibus non ferunt opem, niſi quatenus id norunt ſibi conducere, ſæpe etiam turpiter deſerunt & fruſtrantur ſuos: Deus verò bona fide agit.

Nonnulli viam hoc loco exponunt pro doctrina à Deo tradita & patefacta, quòd careat corruptelis. Sed ſumitur hic via pro ratione agendi, quam Deus tenet erga pios, ſicut nos dicimus: *Mit einẽ vmbgehẽ, Gott gehet recht mit dẽ ſeinẽ vmb.*

Sermo eius igne excoctus] Promiſſio facta piis de gratia, fauore, beneuolentia & auxilio diuino eſt firma, certa, rata & conſtans, caret omni fraude & fallacia, inſtar argenti à ſcoriis purgati. Loquitur enim non de præceptis, ſed de promiſſionibus: quod manifeſtum fit ex verbo ſperandi. Quod autem coquendo dicit purgari verbum Dei, id reſpectu noſtri intelligatur: nobis purgatur & tale eſſe cognoſcitur igne tentationis excoctum.

Clypeus eſt] Hæc gnome eſt quaſi concluſio ſentẽtiæ. Cùm Deus integer ſit & verbum eius purum, tutò huic fides noſtra innititur, nec fallitur ſperans in eo : & qui ſperat in eo is ſciat ſe ita eſſe munitum & circumdatum diuina ope, vt nulla pericula ad eum pertingere poſſint : itaque hunc clypeum omnibus ærumnis & tentationibus obiiciat.

32 Quoniam quis [*eſt*] Deus præter Iehouam? & quis fortis præter Deum noſtrum?

Concludit theſin & vtitur interrogatione. Primùm vt piorum animos confirmet, vt ſtatuant certò non aliunde petendum aut expectandum eſſe auxilium quàm ab illo Iehoua. Deinde vt hoſtibus idololatris inſultet, & oſtendat ipſorum ſpem & fiduciam quam temere in idola collocant, eſſe vanam & irritam. An non, inquit, meo exemplo euidenter oſtenſum eſt non eſſe alium Deum, qui ferre opem in rebus aduerſis & iuuare poſſit, quàm hunc Iehouam, qui ſe in hoc populo patefecit; & vanam eſſe omnem fiduciam, quæ in fictitia numina collocatur? Quid enim hoſtibus profuit fiducia aut cultus idolorum ſuperſtitioſus?

33 Is Deus præcingebat me virtute [*robore*] & ponebat integram viam meam.

Rurſus à theſi trãſgreditur ad hypotheſin, & pergit commemorare beneficia diuina & victorias. Deus eſt, inquit, qui me inſtruxit robore & viribus, non ego mea virtute & magnitudine animi quidquam geſſi feliciter. Heroica igitur fortitudo à Deo eſt, & non eſt felix bellator, niſi iuuetur à Deo, quod etiam Ethnici agnouerunt. notum eſt enim Pindari dictum, ἴα μαχανὶα πόλεμον χωρὶς θεοῦ.

In verbo מאזר Metaphora eſt ſumpta à baltheo, vel ab ipſis renibus ſeu lumbis, in quibus Scriptura interdum vigorem & robur locat. Vt Iob. 14. Potentia eius in lumbis eius. Lumbi igitur dicuntur cingi, quando ſtrenuitatem & promptitudinem ad laborẽ volumus ſignificare: vt Iob. 38. Accinge nunc ſicut vir, lumbos tuos. Et Prouer. 31. Accingit fortitudine lumbos ſuos: id eſt, agit omnia ſtrenuè & diligenter, non eſt ſegnis aut deſidioſa, ſed aſſidua, in negotiis gerendis. Econtra diſſolui cingula lumborum, ſignificat vires labefactari, & diſſolui, vt quando homo præ mœſtitia vel anxietate elangueſcit & fit imbecillis, vt Daniel. 5. Cingula lumborum eius ſoluta ſunt. Eſaiæ 45. Expandam coram eo gentes & lumbos regum diſſoluam, id eſt, faciam vt viribus deficiant.

Ponit integram viam meam] Id eſt, quicquid ſum aggreſſus aut quicquid facere inſtitui, hoc Deus fortunauit, & ſua benedictione proſpere direxit: fecítque vt omnes meæ actiones haberent felicem euentum. Via integra exponitur hoc loco expedita, quæ non eſt interrupta aut impedita. Via autem ſignificat curſum actionum. Sunt multi viri fortes, qui tamen multis impedimentis retrahuntur, ne aliquid egregium conentur aut perficiant: his via non eſt perfecta.

34 Adæquauit pedes meos ſicut ceruarum : & ſuper excelſa mea ſtatuit me.

Id eſt, inſtruxit me celeritate inſolita, vt inſtar caprearum rupes inacceſſas, & munitiones ob arduum & difficilem acceſſum inexpugnabiles tranſcendere potuerim : nulla fuit arx tam munita, nec tam arduo loco ſita, quam non expugnarim, ídque magna celeritate & facilitate, etiam in perſequendis hoſtibus fuſis attribuit mihi celeritatem. Sua excelſa nominat arces à ſe expugnatas quibus victor iure belli potitus eſt: olim enim arces extruebantur in montibus.

35 Qui docet manus meas ad prælium: & conterebatur arcus æreus manibus [*brachiis*] meis.

Docet] Id eſt, facit me præſtantem bellatorem, donat peritiam rei militaris, & inſtruit me ſingulari robore, vt arcus ferreos deprimere & confringere potuerim, quod non eſt cuiuſuis. Differt igitur hic bellator ab aliis præſtantibus bellatoribus, Alexandro, Fabio, Scipione, &c. Nam in ſuis præliis & bellis ſentit ſibi Deum adeſſe ducem, & ſuam dexteram regi & defendi diuinitus: inuocat Deum, & omnia refert ad gloriam Dei.

Pro נחתה Græcus legit נתתה vertit enim ἔθου. Eſt autem נחתה paſſiuum verbi נחת non נחה vt quidam voluerunt.

36 Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextera tua fulciebat me: & humiliatione tua magnificabas me.

Dediſti ſcutum] Id eſt, tu mirabiliter me ſeruaſti inter varia pericula, cúmque ſingulis momentis eſſem expoſitus variis telis hoſtium, ita tamen fui abs te munitus & circundatus vt nullum telum, nullũ periculum ad me potuerit pertingere.

Salutis meæ] Id actiuè exponatur, quo ſcilicet me ſeruaſti ſaluum & incolumem, ne multitudine telorum & armorũ hoſtilium obruerer aut opprimerer. Quodnã verò illud ſit ſcutum, vide ſuprà pſal. 5.

Dextera tua fulciebat me] Id eſt, tu me confirmaſti, ne in præliis animus aut vires deficerent, néue ſuccumberem victus magnitudine laboris.

Humiliatione tua] Id eſt: quo magis videbaris me premere, eo magis extollebas, & euehebas ad maiorem potentiam & dignitatem. Hunc enim euentum habent humiliationes diuinæ, ſicut dicitur in Epiſt. 1. Petri, Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt extollat vos, &c. Prouerb. 15. Ante gloriam afflictio: econtra ante ruinam impiorum eſt exaltatio.

Alij ſic reddunt. Clementia tua auxit me, id eſt, in dies magis ac magis me prouexit, res meas, vires & potentiam meam conſpicuis incrementis ampliauit: vt verbum augendi intelligatur de continuo fauoris progreſſu. Sed alterum videtur eſſe ſimplicius.

37 Dilataſti greſſus meos ſubtus me.]

Id eſt, quoties concluſus & contectus fui in aliquas difficultates & anguſtias, ex quibus nullo humano auxilio euadere licebat, tu ſubitò patefeciſti mihi viã æquabilẽ, iter expeditum & inoffenſum, feciſtíque omnia plana & expedita, vt ſine negotio euadere poſſem. Latitudo greſſuum ſeu latum ſpatiũ opponit anguſtiis ex quibus pedem mouere non licet.

Et non nutarunt tali mei] Id eſt, fui ad omnia promptus & expeditus vt quocunque curſum inſtituerem atque intenderem, eum facilè & ſine negotio abſoluerem. Quibus nutant tali in curſu, facilè impingunt & collabuntur. In Leuit. cap. 11. pro כרעים quod crura ſignificat, Thargum habet קרסולין vt non ineptè etiam crura hoc loco interpretari poſſis.

38 Perſequebar inimicos meos, & comprehendebam illos : nec reuertebar donec conſumpſiſſem eos.

Amplificat narrationem ab euentu, quo oſtendit, ſe in omnibus ſuis bellis quæ geſſit, Deo propitio vſum eſſe, ideóque proſpere & feliciter omnia eueniſſe.

Non reuertebar] Videntur hæ eſſe voces non humani aut clementis regis, ſed hominis ſanguinarij & truculenti, qui victis & terga dantibus inſiſtat, nec finem cædium faciat, niſi hoſtibus conſumptis & deletis : cùm tamen in tota hiſtoria deſcribatur manſuetiſſimus: adeo vt ipſi Sauli patientia eius & moderatio fuerit miraculo. Sed ſciẽdum eſt, Dauidem ſua bella geſſiſſe, non adductum aliquo priuato odio aut cupiditate, vt alios pleroſq. bellatores: ſed iuxta vocationẽ in exequendo iudicio diuino: hoc eſt, in aſſerenda gloria Dei, in cõſeruatione cæleſtis doctrinæ, prohibitione idolorum, & in defenſione populi Dei munus ſibi iniunctum, eſſe fideliter executũ. Non enim priuatim ſibi illa bella geſſit: ſed pro gloria nominis diuini, & pro ſalute populi Dei. Itaque oportuit eum vti illa ſeueritate, quam ſciebat à ſe in hoc munere requiri : Ideo alibi pſal. 139. inquit, ſe perfecto odio odiſſe eos qui hoſtes erant populi Dei. Deinde & hoc tenẽdum eſt, Dauidem in his omnibus bellis typum geſſiſſe Chriſti, quem oportuit funditus delere inimicos ſuos.

39 Percutiebam eos, & non poterant ſurgere: cadebant ſubtus pedes meos.

In Samuele additur adhuc vnum verbum ואכלם. Et conſumpſi

ſumpſi eos,id eſt,ego ad internecionem deleui eos,nec erant vllæ hoſtium vires tantæ quæ poſſent mihi reſiſtere.

Cadebant ſub pedes meos] Quod ſcilicet ſignum eſt extremæ deiectionis & oppreſſionis.

40 Et præcinxiſti me robore ad bellum: faciebas curuari inſurgentes aduerſus me ſubtus me.

Idem verſus eſt cum 33. éſtque mira prophetæ copia in prædicandis Dei beneficiis. Tua, inquit, eſt omnis gloria, non mea.

41 Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem:& oſores meos exterminabam [*ipſos.*]

Primam partem verſus plerique ſic interpretantur: inimicorum ceruicem dediſti, id eſt, conieciſti inimicos meos in fugam,vt turpiter terga darent. Sed quia ערף non tergum, ſed ceruicem ſignificat. Et verbum ערף inde deductum, ſignificat abſcindere ceruicem,deceruicare: ideo quidam exiſtimant commodiùs ſic exponi, Dediſti hoſtium ceruicem, ſcilicet feriendam, id eſt, tradidiſti eos mihi mactandos.congruit huc & phraſis Latina: *Dare alicui ceruicem*, apud Ciceronem pro Roſc. Amerino. & in 5.Philip.*Nullum erat conſiliũ publicum,nulla libertas, dandæ ceruices erant crudelitati nefariæ.* Alij tamen malunt ſic interpretari, Dediſti mihi ceruices eorum,vt ſcilicet mihi ſubiicerentur, vt iugum ceruicibus eorum imponerem.

Et oſores meos perdidi] Hæbræi ſic legunt:Et oſores mei perdidi eos. Antecedens ſcribitur cum relatiuo pro ſolo antecedente,quod eſt vſitatiſſimum in hac lingua:vel ſubintelligenda erit coniunctio cauſſalis: Dediſti mihi oſores meos, vt exterminarem eos.

42 Clamabant: & non erat Saluator: ad Iehouam,& non reſpondit eis.

Vt beneficium exhibitum fiat illuſtrius, addit antitheſin de hoſtibus. Ego ſemper ſum exauditus & mirabiliter liberatus: illi (inquit) quanquam oppreſſi calamitatibus clamarent ad Deum,non ſunt exauditi & liberati.atque ita Deus exemplo illuſtri, ipſóque euentu oſtendit quantum ſit diſcriminis inter pios & impios, & quàm falsò obtendant hoſtes & iactitẽt nomen Dei: me enim ſeruauit, illos oppreſſos deleuit. Loquitur autem hic propheta præcipuè non de externis hoſtibus,Syriis,Palæſtinis,Ammonitis,Moabitis &c. ſed potiùs de domeſticis,Saule,Ziphæis, & ſimilibus ſeditioſis,qui quidem nomen Iehouæ aſſiduè habebant in ore: ſed erant hypocritæ, qui nullo ſerio cordis affectu ad Deum confugiebant: ſed, vt fieri ſolet,oppreſſi calamitatibus,& in extrema neceſſitate cõſtituti, ex conſternatione & pauore ingenti fundebant preces in aërem, eáſque iterabant: quæ tamen ex fremitu potiùs atque indignatione & impatientia,quàm ex fide vera oriebantur. Ideo tales preces Deus, inquit,reiicit & contemnit. Nec pugnat hæc ſententia cum aliis, in quibus Deus ſalutem & auxilium promittit ſe inuocantibus.

Clamabant] Hic clamor eſt fremitus ortus ex dolore & impatientia: putant enim ſibi iniuriam fieri à Deo,quòd ſubitò deiiciuntur à ſua fœlicitate &c. Ideo non eſt vera inuocatio. In Samuele legitur ישעו aſpiciebant vel reſpiciebant: id eſt, huc atque illuc reſpectabant & petebant opem,ſicut ſolent animi impiorum conſternati & deſtituti omnibus externis auxiliis tandem ad Dominum recurrere,ſed ſerò, quia nõ ſeriò.

אל יהוה in Samuele legitur, על ſed non ſine conſilio hic mutauit illam particulam, & repoſuit על quod ferè ſonat aduerſus Iehouam. Vult enim oſtẽdere eos ſine vera fide ex quadam impatientia clamare & vociferari,atque ita Deo magis oſtrepere quàm vera fiducia ad eum confugere.

43 Et comminuebam eos, vt puluerem coram facie venti: ſicut lutum platearum euacuabam eos.

Redit ad narrationem ſuprà inſtitutam,in qua nunc eſt copioſiùs.

Cõminuebã eos]Hyperbole eſt, qua ſignificat,hoſtes Dei & populi eius funditus abs ſe eſſe conculcatos: ſicut hiſtoria de Ammonitis teſtatur 2.Sam.12. אריקם Euacuabã eos: id eſt, habui eos pro reiectamẽtis:ſeu,vt ſtercus abieci,& cõculcaui. Conferũtur impij rebus viliſſimis & fœtidiſſimis,vt ſciamus quo loco à nobis haberi debeãt.In Samuele legitur ארקעם diſtendebam eos,ſcilicet calcando:id eſt,proterebam & conculcabam eos.

44 Liberabas me à contentionibus populi, ponebas me in caput gentium: populus, quem non noram,ſeruiebat mihi.

Repetitio eſt ſuperioris narrationis,in qua ſummatim colligit beneficia ſibi præſtita, cùm domi aduerſus ſeditioſos ciues,tum foris aduerſus externos hoſtes.

Liberabas me de contentionibus populi] Hoc intelligendum eſt de populo Iſraelitico,cui datus erat rex. Hic ſæpe tumultuabatur aduerſus Dauidem, & per ſeditionem ab eo deficiebat,vt tempore Saulis, Abſolomi. Item quando Ziphæi, Abner,Isboſeth, populum ad defectionem ſolicitabant. has defectiones, rebelliones, tumultuationes, & obmurmurationes varias nominat contentiones.In Samuele additur pronomen ad nomen עם:legitur enim עמי, quod illuſtrat ſententiam.

Poſuiſti me in caput gentium] Id eſt,non tantùm domeſticas turbas ſedaſti,vt regnum domi eſſet pacatum & tranquillum: ſed etiam latè extendiſti fines mei imperij, vt gentes,quæ antea hunc populum variè afflixerãnt & oppugnarant,nũc mihi ſubiicerentur & fierent tributariæ. Ita facta eſt rerum viciſſitudo,& mira mutatio.Satis beneficij præſtitum exiſtimauiſſet Dauid,ſi à ceruicibus ſuorum ſeruitutis iugum depuliſſet, & in priorem ſtatum remp. reſtituiſſet: ſed addit Deus alia maiora beneficia,quæ hic celebrat.

Rectè autem hæc ſententia accommodatur ad Chriſtum. Fuit enim Dauid typus Chriſti in toto regno ſuo. Sicut igitur Dauid ſui populi perfidiam,inſidias,fraudes,&c.eſt expertus:ita etiam Chriſtus à ſua gente oppugnatur, & tandem etiam interficitur: & durat illud odium & contentiones illæ in populo Iudiaco aduerſus Chriſtum vſque in hunc diem: ſed adeo non potuit opprimi Chriſtus, vt magis regnum ipſius hoc modo ſit amplificatum. Nam pro perfidioſis ciuibus adiuncta eſt ei Eccleſia,collecta ex gẽtibus:huius ille eſt caput, hanc regit,ſeruat,defendit,viuificat & ſanctificat. Præſtat enim id Eccleſiæ ſuæ quod caput toti copori.

In Samuele pro תשימני legitur תשמרני vt ſignificet ſtabilem & diuturnam regni poſſeſſionem.

Populus quem non noram] Id eſt, quem olim non reputabam pro meo populo, & cuius tanquam alieni nullam rationem habui,is nunc àgnoſcit me dominum & regem ſuum. Hoc ſignificat noſſe.Ita Chriſtus Matthæi 7.Nunquam noui vos: id eſt, nunquam vos pro meis habui. Et Matthæi 25. Non noui vos:id eſt,non pertinetis vos ad meum regnum.Intelligit autem hoc loco Ammonitas,Syrios,Palæſtinos.

45 Ad auditum auris obedient mihi: filij alienorum,mentientur mihi.

Ad auditum, &c.] Id eſt,tanta erat celebritas nominis mei ex crebris victoriis,vt multæ gentes, contra quas arma nunquam expediueram, ad ſolam famam vltro poſitis armis ſe mihi dederent.

Hoc rectè congruit Chriſto,qui ſola fama nominis ſui: hoc eſt,verbo quod ſonat in miniſterio, gentes ſibi rebelles fecit morigeras.Fuit igitur hęc voluntaria ſubiectio nõnullarũ gẽtiũ tempore Dauidis,typus & quaſi præludium regni Chriſti, cuius imperium oportuit extendi ad fines orbis,nõ vi aut ferro:ſed voluntaria ſubiectione,adductis ad obedientiam populis ſola Euangelij voce.Ideo inquit,*Ad auris auditum.*

Auris auditio ſignificat famam, rumorem de aliquo ſparſum ſeu nuntium.Iob.42.Ad auditum auris audieram te,nũc oculus meus videt te: id eſt, fama de te ac opibus tuis hactenus tantùm peruenerat ad me, & nihil habebam præter auditum: nunc, poſtquam docuiſti me, pleniùs te cognoſco, & quaſi coràm conſpicio.

Nomina ſenſuum ponuntur pro ipſis obiectis ſenſuum: Ita audire auditum,ſignificat famam aut rumorem aliquem percipere,vel audire ſermonem de aliquo.Alij reddiderunt,Aure audiente,hoc eſt,ſtudioſè,& magno obſequio.

Filij alieni mentiti ſunt mihi] Filii alieni,ſeu alienorum,hoc eſt,alieni,ſimpliciter,ſicut filii viri,pro viri,pſ.4.Alienos autẽ nominat populos omnes,qui antea ſui erant iuris,&nihil habebant commune cum populo Iudaico: qui non erant eiuſdẽ religionis,nec eaſdem habebant leges.Mentiri autem ſignificat fieri ſupplicem, & ſe alicui ſubiicere, imperiumque eius ſuſcipere: ídque tamen non alacri obſequio neque libere, ſed animo ficto.Id enim ſolet fieri in nouis dominationibus.Plerique enim mallent excutere illud iugum:ſed metu potentiæ continent ſe,& præſtant obſequia,quanquam non ſponte. Et hoc vocat mentiri,ſicut & pſalmo 66.Propter magnitudinem fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui, id eſt, erunt tibi ſupplices:ſed erit ſubiectio fucoſa & hypocritica. Item, pſalmo 81.Oſores Iehouæ mentiti fuiſſent ei,ſi ambulaſſet in viis meis.Etiam ad Chriſtum hoc rectè congruit, ad quem multi ſe adiungunt hypocritæ qui duplici &perfido animo eum colũt.Hi bonis in Eccleſia in hac vita ſunt permixti,& hos Scriptura nominat alienigenas.

Alii alienos interpretantur de Iſraelitis,qui quidẽ fuerunt filii regni:ſed habiti pro alienis propter inobedientiam & rebellionem. Sicut à Ieremia cap. 2. Vitis aliena,tametſi à Domino plantata,vocantur. Hos igitur dicunt mentiri Deo,

hoc eſt, non reſpondere ſpei, quam Chriſtus de illis conceperat, geſſiſſe ſe non tanquam genuinos, ſed tanquam alienos regni filios, vel vt Lutherus interpretatur, iactitare ſe eſſe hæredes patrum, & eſſe populum Dei, cùm factis tamen negent Deum, & ab eo deſciſcant. Nonnulli etiam ſic interpretantur: Mentiuntur, id eſt, Fœdus cum aliis ictum ruperunt, & ad me deſciuerunt. Alij negarunt ſe quidquam molitos eſſe contra me. Abeneſra ita exponit: Vana fuit ipſorum iactantia & inſolentia.

46 Filij alieni emarceſcebant & trepidabant [*coarctabantur*] è penetralibus ſuis.

Emarceſcebant] Id eſt, metu potentiæ, qua videbant me eſſe inſtructum, abiiciebant & deſpondebant animum, omniſque illorum vigor & fiducia, quam antea habebant in armis, vno momento periit.

Et trepidabant à clauſuris ſuis] Id eſt, tātus terror eos inuaſerat, vt trepidi & conſternati è ſuis latebris & munitionibus, quibus antea ſepti viuebant, prodirent & vltro pacē expeterent, méque regem ſuum agnoſcerent: neque enim profuerunt eis vllæ munitiones, vt liberarent eos à metu: ita Chriſti doctrina arguens peccata & conſcientias hominum, eos qui antea rebelles fuerant, metu proſternit, vt ſe victos agnoſcant, & Deo ſeſe dedant.

Alij cum Græcis ſic reddiderunt: Et claudicarunt à vinculis ſuis, vel propter vincula ſua. In Samuele pro ויחגרו cognationis gratia ſcribitur ויחגוי. Et cingebantur, hoc eſt, conſtringebantur metu.

כסגרותיהם Chaldæus interpres reddidit: בירנתהון id eſt, arces eorum. Abeneſra: ארמונהים id eſt, palatia eorum.

47 Viuat [*vel viuit*] Iehoua, & benedicta rupes mea: & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Concluſio eſt per gratiarum actionem cum acclamatione. Nonnulli יחי exponunt in optandi modo, quia ſequitur futurum exaltetur. Et quanquam non incommodè ſic redditur: tamen videtur locutio ipſa aſperior, vel etiam ridicula, niſi commoda addatur interpretatio. Non poteſt homo ſuis efficere votis vt Deus vel viuat vel non viuat. Itaque ridiculum videtur, Deo vitam ſuis votis optare. ſed eſt huiuſmodi acclamatio per ἀνθρωποπάθειαν ſumpta ex communi hominum conſuetudine. Solent enim homines ſuis regibus & principibus non tantùm bene precari, ſed etiam honorifica acclamatione eos in ſublime extollere, ſicut in hiſtoriis, 1. Sam. 10. 1. Reg. 1. 2. Re. 11. videre eſt, vbi populus nouo regi per acclamationem ita gratulatur, יחי המלך viuat rex. Ita hîc, viuat, id eſt, triumphet, vel oſtēdat in defenſione & liberatione ſuorum, ſe adhuc viuere & eſſe potentem: non eſſe Deum mortuum, vt impij ſomniant. Si quis tamen mauult affirmatiuè in præſenti exponere, non erit alienum à mente prophetæ. Viuit, id eſt, potens & virtute præditus, potenter defendit & liberat ſuos. Eſt enim hæc vita non ad eſſentiam Dei reſtringenda, ſed ad eam quæ ſe exerit in operibus.

Petra mea] Id eſt, qui præſtat mihi perfugium in rebus aduerſis, vbi tutus ſim ab impetu hoſtili. Item, qui eſt robur meum, cui tutò inniti poſſum, & qui confert robur, vt conſiſtere poſſim aduerſus hoſtes.

Et benedictus] Id eſt, laudetur, & celebretur. Hominum benedicere eſt vel bene optare vel laudare: Dei benedicere eſt benefacere. Si verbum יחי exponas in præſenti, ו erit illatiua particula.

Exaltetur] Id eſt, omnes agnoſcant eum eſſe exaltatum ſuper omnia, dominari omnibus, omnia imperio eius eſſe ſubiecta. Itaque illi quoque imperio eius ſe ſubiiciant, eiúſque potentiam celebrent. Alioqui enim non poteſt magis exaltari Deus, cùm eſſentia & potentia eius ſit infinita, & ſemper eodem modo eſt ſublimis: ſed exaltari dicitur, cùm eius maieſtas, gloria & potentia à nobis agnoſcitur & celebratur.

Deus ſalutis meæ] Id eſt, qui me ſaluum ſeruat in omnibus periculis, & à quo vno omnis mea ſalus pendet.

48 Deus qui dat vindictas mihi; & ſubdit populos ſub me.

Rurſus prædicat beneficia diuina & victorias, quas affirmat ſe ſolo beneficio diuino eſſe adeptum. Vtitur autem his crebris repetitionibus, vt oſtendat, ſe nihil adſcribere ſuis virtutibus, ſapientiæ, induſtriæ aut ſcientiæ rei militaris: ſed omnia Deo accepta referre, ideóque plenā ipſi laudē deberi.

Dedit vindictas] Id eſt, inſtruxit me virtute, vt de hoſtibus, quas meriti erant pœnas exigerem. Erant illi, à quibus oppugnabatur, hoſtes Dei & populi ipſius: ideo ex officio regio vltus eſt iniurias Deo & populo ipſius factas. Rectè igitur nominat vindictas: nec eſt priuata illa vindicta: ſed quia erat rex, executus eſt iudicium, quod diuinitus ipſi iniunctum erat. Alij, dedit mihi vindictas: id eſt, vltus eſt me, qui grauia ab ipſis paſſus eram.

וידביר pro eo legitur in Samuele מוריד ſubdit. Hoc autem verbum ſignificat, vel perſuadendo flectere ad obedientiam, vel decernere, iubere verbo, vt populi ſubſint. Nam decretum diuinum facit vt vni homini tam multæ myriades pareant.

49 Liberator meus ab inimicis meis, & ab inſurgentibus in me, exaltabas me: [*&*] à viro violento eruiſti me.

Exaltabas me] Id eſt, collocabas me loco tuto, ne hoſtiū violentia ad me pertingeret. Munitiones enim extruebantur in locis editioribus.

50 Propterea celebrabo te inter gentes, Iehoua: & nomini tuo pſallam.

Id eſt, prædicabo beneficia tua publicè & paſſim inter gentes, vt præſentia tua in Eccleſia agnoſcatur, & gloria tua fiat conſpectior: multi etiam, qui hactenus te non nouerunt, adducti his teſtimoniis, inuitentur ad agnitionem & celebrationem nominis tui. Ad hunc finem referendæ ſunt gratiarum actiones. Tectè autem hic vaticinium comprehenditur de regno Chriſti propagando inter gentes: niſi enim in ſocietatem populi Dei hæ electæ fuiſſent, abſurdum fuiſſet apud ſurdos Dei laudes decantare. Ideo Paulus ad Rom. 15. hoc teſtimonio probat gentium vocationem non fuiſſe fortuitam.

Nomini tuo canam] Id eſt, in honorem nominis tui laudes dicam.

51 Magnificans ſalutes regis ſui, & præſtans miſericordiam vncto ſuo Dauid, & ſemini eius in perpetuum.

Addit rurſus cauſam cur eum celebrare velit, à commemoratione ſcilicet beneficiorum acceptorum. Qui magnificat ſalutes: id eſt, qui regem ſuum ſæpenumero in maximis periculis mirabiliter & magnificè ſupra captum rationis humanæ ſeruauit & liberauit. Quod inquit regis ſui, & non ſimpliciter mecum vel meas ſalutes, opponit hoc hoſtium calumniis, qui vociferabantur eum per ſeditionem inuaſiſſe regnum. Cōtra hos inquit, ſe eſſe regem Dei, id eſt, à Deo creatum & conſtitutum: non (vt Latini loquuntur) quòd imperium exerceat in Deum. Idem poſtea vult, cùm ſe vnctū Domini nominat. Quanquam enim manu Samuelis vnctus erat in regem & inauguratus: tamen non aliud hoc fuit, quàm ſi Deus ipſe palam manu è cælo exerta eum regem inſtituiſſet, & in regio ſolio collocaſſet.

Faciens miſericordias] Iterum fatetur ſe omnia accepta referre bonitati diuinæ, non ſuis meritis.

Et ſemini] Hic extendit beneficium & amplificat inſerto vaticinio de perpetuo regni ſtatu. Non ſatis eſt, inquit, quòd mihi iſta præſtitit, & me ad hanc dignitatem euexit: ſed hoc multo maius eſt, quòd hæc beneficia continuaturus eſt ad poſteros, vt regnum meum ſit ſtabile, firmum & perpetuum, & ex ſemine meo ſemper aliquis ſit qui regnum hoc obtineat. Hoc multo maius beneficium eſt, quàm illæ inſignes victoriꝫ quibus tunc erat ornatus. Quid enim prodeſt regi ſi regnum habeat bene conſtitutum, & multis præclaris victoriis ſit conſpiciendus ac metuendus: & poſt eius mortem regnū ſit corruiturum? vt Auguſtus habuit imperium florētiſſimum, quod poſt ipſius mortem miſerè eſt dilaceratum. Ergo non fuit ea felicitas Auguſti quæ fuit Dauidis, cui regni ſtabilitas promiſſa fuerat, quandiu ſol & luna in cœlo fulgerēt. 2. Samuel. 7. Hoc beneficium tanquam præcipuum & ſummum hîc commendat, atque ita ſimul pſalmum hunc ad Chriſtum trahit. Is enim eſt illud ſemen Dauidis, qui regnum patris obtinet duraturum in omnem æternitatem, & nullum potuit maius beneficium præſtari Dauidi quàm hæc promiſſio. Atque ideo vincit Dauid ſuos hoſtes, & ſuperat omnes difficultates: quia vicit Chriſtus diabolum & mortem, vt redimat & colligat æternam Eccleſiam: ideóque iuuat Dauidem & alios inuocantes.

PSALMI

PSALMI XVIII.

PARTES.

I. Inſcriptio, v. 1. canticum ἐπινίκιον triumphale, atque laudatiuum coram Eccleſia, vt Deus ſolus merito glorificetur, præcinens, verſ. 1.

II. Propoſitio, contenta v. 2. 3. 4. per congeriem metaphoricarum ſimilitudinum, quæ Deum varia virtute ad ſaluandum ſuos præditum eſſe demonſtrant.

III. Narratio beneficiorum Dei planè poetica: cuius duæ ſunt partes. 1. liberationis ex aduerſis à 5. v. ad 29. & glorioſæ victoriæ, inde ad 47. Primus gradus autem beneficiorum Dei eſt exauditio precum in calamitatibus, v. 7. Secundus, præſentiæ Dei teſtificatio multiplex, ad confirmandos ſuos, & hoſtes perterrefaciendos, à v. 8. ad 17. Tertius, liberationis opus, ſub eius ſimilitudine, qui aliquem è profundis aquis eripit, propoſitum, v. 17. Subiiciuntur v. 18. 19. 20. aliæ in hunc finem dulces metaphoræ, quæ liberationem illam illuſtriorem efficiunt. Cauſa item vnica liberationis, verſ. 20. adſcribitur, gratuita nempe Dei erga ſuos beneuolentia. Liberationis altera pars, glorioſam victoriam depingens proponitur v. 29. & ſequentibus, ad 47.

IV. Concluſio, verſ. 47. & ſequent. ad finem vſque: cuius duæ ſunt partes. 1. præſentis laudationis ab anteactis beneficiis. 2. publicæ profeſſionis in futurum, cùm propter ſingularia ipſius in Dauidem beneficia, tum propter ipſorum cauſſam communiter ad perpetuam totius Eccleſiæ ſalutem in Chriſto Ieſu pertinentem.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Pij rebus pacatis non luxuriant in ebria lætitia, ſicut profani homines (vbi data eſt illis ab ærumnis relaxatio) excuſſa beneficiorũ Dei memoria, vel ſe immergunt in craſſas voluptates, vel criſtas erigunt, vel iactantiæ ſuæ fumis Dei gloriam obſcurant.

In mundi naufragiis hic noſtræ ſpei portus vnicus eſto, nihil nos aggreſſos eſſe quod Dei voci & mandato repugnauerit. Nos enim ſeruos eius ſemper ac in ſingulis vitæ partibus eſſe oportet. Nihil enim in rebus aduerſis eſt homine miſerius, ſi ingenij ſui motu diſcrimina ſubit. faceſſant ambitio & malæ artes; præluceatque nobis Dei mandatum.

Ne immunitatem nobis fingamus ab omni moleſtia vbi ſequimur vocantem Deum, ſed nos potiùs ad duram militiam accingamus.

Serui Dei elogium omnem mundi præſtantiam longè ſuperat. nihil enim magis honorificum quàm munus à Deo iniunctum fideliter obire.

Nihil nobis ſupereſt quod Deo pro tot tantiſque beneficiis rependere queamus, nec ipſe præterea quicquam exigit quàm animi gratitudinem & laudis ſacrificium. Impij autem perfunctoriè ſuis idolis, ſeriò ſuis artibus gratias agunt. Vide Pſal. 50. 15. Abac. 1. 16.

Pios & fideles ſuos ſeruos nouit Deus tempore opportuno ex periculis vndique imminentibus eripere: præcipuè verò quũ inuita ipſa morte eos in cœlum euehit.

2 Nullum Deo præſtantius & acceptius ſacrificium eſt quàm vbi liberalis & ſpontanei amoris vinculo nos ſibi deuinctos tenet: ſicuti viciſſim nuſquam meliùs quàm in gratuita bonitate gloria eius refulget. Vide Deuter. 10. 12. & Matth. 22. 40.

Deus fortitudo ſuorum eſt, eo quòd illius potentia & auxilio contra omnes omnium inimicorum ſuorum inſidias & inſultus ſalui perſtant.

Horrenda ingratitudine laborant omnes reprobi, qui neglecto vel poſthabito Deo, ſuauiter in eius donis ſe oblectant, eiſque turpiter abutuntur.

3 In omnibus periculis certò perſuaſi ſunt fideles, multiplicem eſſe Dei virtutem, prout varias nocendi ſpecies excogitant impij. Nam varij tituli, Deo tributi, cunctas Satanæ & mundi molitiones facilè euertunt.

Spes fouetur præteritorum Dei beneficiorum recordatione: ideo cogitandum nobis eſt, quum ex malis quibuſdam fuerimus liberati, Deum quoque in poſterum fore protectorem noſtrum.

4 Deus non modò laude dignus eſt, verùm etiam laudandus à nobis & ardenter inuocandus: quod fit ab ijs qui gratiæ Dei memoria ſe erigunt. Contrà obſtrepunt Deo & expoſtulant, quicunque laudem eius ſuis votis non coniungunt.

Opem Dei implorant in neceſſitate quicunque in eo ſperant, certò perſuaſi ſe tandem fore ſaluos & hoſtium omnium victores.

5. 6. 7. Multæ & maximæ ſunt tribulationes iuſtorum: ſed quum ad Dei manum confugiunt, mirabilibus modis ſeruantur.

Fidei teſtimonium tunc præclarè elucet, quum Dei ſerui in mortis abyſſum iam ferè demerſi, cor ſuum precibus in cœlum efferunt, ita vt atrocitas malorum ab inuocatione omnipotentis eos deterrere nequeat.

Anguſtiæ, inuocatio facilè ſubijcitur: extra metus terminos ægrè ſincera reperitur precatio: ſimulata verò paſſim & facillimè. Vnde liquet quam neceſſariæ & vtiles ſint afflictiones piè in Chriſto viuere cupientibus.

Nimij eſſe haud poſſumus in prædicandis Dei laudibus: vix enim vllum eſt tam palpabile Dei auxilium quod non obſcuret noſtra malignitas.

Immenſa pericula ex quibus pij eripiuntur, liberationis gloriam illuſtrant: quia quum in deſperationis gurgitem coniecti, nihilominus emergunt, humanitus eripi non potuerunt.

Hypocritæ & craſſi Dei contemptores neceſſitate coacti, cœleſte numen confusè inuocant: ſed nec familiariter nec puro corde ad Deum accedunt, de cuius paterna gratia nihil tenent. Contrà vbi prælucet fides, vt perſuaſi ſimus Deum nobis eſſe patrem, tunc demum mutuæ communicationi aperta eſt ianua.

Quum in mundo deſerti ſumus, ac ſurdæ ſunt omnium hominum aures, Deum è cœlo manum definito tempore nobis eum inuocantibus porrecturum credamus.

8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Deus ille qui omnes mundi partes ſua virtute, quoties ita viſum eſt, cōcutit, vbi ſuis liberator adeſſe vult, non minus apertè certiſque indiciis apparet, quam ſi virtutem ſuam exereret ſurſum & deorſum in omnibus creaturis.

Varijs modis iram Dei Scriptura nobis depingit, vt ſocordiam & prauitatem noſtram excutiat, deinde nos ad iudicia eius conſideranda reddat attentiores, & in reuerentia nominis ipſius noſtros animos diligenter contineat.

Sicuti pura luce iucunda Dei facies nos exhilarat: ita cœlo turbido quaſi minacibus ſuperciliis in nos rueret, aut ſeſe in latebras abderet, frontem contrahere præ triſtitia cogimur. Alia extraordinariæ eius præſentiæ tum in terra tum in aere ſigna grauiter ſenſus noſtros concutere debent. Iſta etiam monent nullam in cælo vel terra mutationem fieri, quæ Dei præſentiæ non ſit teſtis.

Subitæ & ſtupendæ rerum præcipuè ſupernarum mutationes vehementiore potentiæ Dei ſenſu nos afficere ſolent.

Tonitru appellatur vox Dei varijs Scripturæ locis, ne putemus vel fortuitò vel naturalibus cauſis gigni abſque cœleſti imperio.

Terribilem Dei potentiam nobis à Sancto Spiritu deſcribi neceſſe eſt, quò gratiam ſuam in noſtra liberatione reddat illuſtriorem.

16. 17. 18. 19. 20. Deus qui ſemel viam per mare Iſraëlitis patefecit, & hac lege ſe vindicem eorum oſtendit, vt conſiderent ſub eius cuſtodia perpetuò ſe fore incolumes, quotieſcunque in vno homine aut pluribus ſeruandis admirabilem ſuam virtutem exerit, toties antiquæ illius hiſtoriæ, & aliarum huiuſmodi, memoriam renouat.

E ſublimi Deus nobis auxilium mittit, vbi mirabiliter & modis inſolitis nos ſeruat: atque ita hæc miſſio terrenis ſubſidiis opponitur, quibus perperam ſolemus mentes noſtras affigere.

Quibuſcunque ſeruemur modis, Deus creaturas ſuas quæ præſto ſunt ad eius nutum, nobis deſtinat, eáſque ad opem nobis ferendam accingit.

Hoſtium Eccleſiæ ſæuitia meritò rapidis torrentibus aſſimilatur, quibus centies abſorberi poſſunt fideles: vt nos peculiari fauore & potentia Dei conſiſtere, periculi & liberationis magnitudinem attentiùs expendere ac celebrare nouerimus.

Dei bonitas in eo maximè apparet, quòd nec noſtra indignitas nec hoſtium noſtrorum vires ac doli impedire queunt, quominus ſalutem in vltima deſperatione afferat, vt redemptionis gloria ei ſoli (ſicut par eſt) tribuatur.

Pijs in vocatione ſua prudẽter & ſimplici corde verſantibus, quicquid accidat, ſemper eſt bene ſperandum. Ambitioſi autem & turbulenti homines qui ſua cupiditate præcipites ad quiduis audendum feruntur, ſibique temere pericula accerſunt, quanuis animoſe luctãdo ſæpe votis potiantur, infeliciter tamen ad extremum concidunt, quia indigni ſunt quos fulciat Deus, quum ipſi inſanas moles ſine vocationis fundamento in cœlum efferant.

21.22.23.24.25. Nunquam deerit nobis auxilium Dei, modò nobis cõſtet vocationis noſtræ ratio, nec quicquã iniuſſu eius tentemus. Sed & illud fixum maneat; initium recti curſus eſſe beneplacitum quo nos Deus adoptat, & vocationem qua nos vltro præuenit.

Nullam iuſtitiam in nobis inuenit Deus cui præmiũ reddat, niſi quam gratis donauit: præterea operum noſtrarum maculis ignoſcens ad iuſtitiam id imputat, quod iure reſpuere poſſet. Et quum nihil operum noſtrorum abſque venia Deo placeat, ſequitur non meriti, ſed indulgentiæ eſſe mercedem.

Ex hoc loco ſophiſtæ perperam colligunt, Deum hominibus propitium eſſe, prout dignos fauore ſuo iudicat: quia tantùm hic aſſeritur cauſæ bonitas contra improbos calumniatores, non autem in examen vocatur tota hominis vita, vt gratiam quis obtineat iuſtuſq; coram Deo cenſeatur.

Dauidis exemplo danda imprimis eſt opera vt nobis bene ſimus conſcij. Accedat deinde hæc magnanimitas, vt ſpretis hominum falſis iudiciis, vindicem noſtrum in cœlo quæramus.

Etiamſi pro carnis infirmitate pij interdum delinquant, nunquã tamen ita recedunt à pietatis ſtudio vt mandatam ſibi ſtationem & militiam prorſus deſerant.

Inflexibilis illa rectè agendi conſtantia piorũ, inter mundi tumultus, inde oritur quod mentem ſuam referunt ad Dei legem, quæ eis ſuppeditat quicquid neceſſe eſt ad inuictum fidei robur retinendum, donec victoria potiantur. In verbi Dei ſtudio igitur quotidie nos exercere conuenit: ſimul enim ac negligitur doctrina, facilè ſocordia obrepit, & euaneſcit omnis Dei timor.

Antitheſis ſemper conſtituenda eſt inter Dei oculos & malignum mundi intuitũ: nec iniquorũ calũnias morari debemus, modo ſimus integri coram Deo, cuius iudiciũ nulli præpoſteri affectus peruertũt.

Integritas quam fideles ſibi aſſerunt, non perfectio eſt, ſed ſinceritas quæ ſimulationi opponitur.

A vitioſis affectibus non ita puri & immunes ſunt Dei ſerui quin ſæpe hoſtium improbitas eos pungat: inteſtinum igitur eis eſt bellum cum multis tentationibus: ſed hæc fidei eorum probatio eſt, manus ſibi iniicere, & quicquid ſciunt verbo Dei aduerſum cohibere: neque enim quiſquam ſtadium pietatis feliciter abſoluet, niſi qui ſedulò ſe cuſtodiet ab iniquitate ſua.

26.27.28. Dum impij imaginaria quadã terrenáque felicitate ebrij impudenter iactant ſe Deo placere, quum tamen Deo poſthabito fortunæ potiùs ſacrificent: fideles ex interiore conſcientiæ ſenſu Dei gratiam in rebus proſperis prædicant.

Nunquam ſeruos ſuos fruſtratur Deus quin benignè eos tractet, ſi modo eius auxilium cum manſuetudine & patientia expectent. Vide Geneſ. 30.33.

Impiorum brutus & quaſi prodigioſus ſtupor Deum cogit excudere nouas loquendi formas & quaſi alienam perſonam induere: hócque proficiunt tandem ſua duritie vt Deus ad eos conterendos ſeſe magis obduret, ac contra ſaxeos ferreus reddatur. Vnde colligimus, horrendum eſſe in manus Dei viuentis incidere.

Non vulgare in rebus aduerſis ſolatium eſt, conſultò differri quod alioqui paratum eſt Dei auxilium, vt afflicti, ſeruemur. Nec nimis acerbæ eſſe debent iniuriæ, quas perferimus, quum Dei ſalutiferum fauorem nobis concilient.

Quo magis ſecurè impij ſibi indulgent, magiſque proteruè miſeros ſub pedibus ſuis deſpiciunt, eo propiores ſunt exitio. Quoties ergo nobis crudeliter inſultant, ſciamus hoc tantùm obſtare quominus præfractam eorum contumaciam Deus retundat, quia nondum ad cumulum vſque peruenit eorum ſuperbia.

29.30. Nullum rebus noſtris aduerſis exitum fore ſtatuamus, niſi Deus caligine diſcuſſa lucem lætitiæ nobis reſtituat. Interim ne moleſtum ſit per tenebras iter facere, modò lucernæ vices nobis præſtet Deus.

Bellorum proſperi ſucceſſus diuinæ benignitati à pijs bellatoribus, Dauidis exemplo ſunt tribuendi, nec conſiliis aut viribus humanis vel tantillum gloriæ tribui poteſt quin Deus honore ſuo ſpolietur.

31. Seruos ſuos in re incerta non deſerit aut fruſtratur Deus, ſed bona fide tuetur quos ſemel ſuſcepit in fidem ſuam.

Nobis cum Deo nihil eſt negotij, niſi cũ verbo ſuo nobis occurrat. Se igitur integrum effectu ipſo erga nos præſtabit, quia pollicitus eſt fore ſe ſalutis noſtræ cuſtodem. eius autẽ promiſſio certa eſt veritas.

Sermonem ſuum Deus argento purgato comparans, fidem ſuam magnificè commendat: quia nihil magis procliue eſt, quoties ſpei noſtræ euentus non reſpondet, quàm vt impiæ de verbo Dei dubitationes ſtatim nobis obrepant. Vide Pſal. 12.7.

32.33.34.35.36.37. Nihil aliunde auxilij, quàm à Deo quærẽdum eſt, quia ſolus ipſe potentia eſt præditus, & omnibus hoſtibus intrepidè opponendus à nobis, modò nihil libidinoſè vel mala conſcientia tentaſſe affirmare poſſimus.

Virtute Dei fortes fiunt qui alioqui molles & timidi futuri erãt. Nec in bellis ſufficit alacritas & vigor, niſi accedat felix euentus quem profani homines vel à ſua prudentia vel à fortuna prouenire imaginantur, fideles autem vni Deo adſcribunt, qui ſua benedictione dirigit proſpere quicquid pij aggrediuntur.

Strenuitas, pedũ pernicitas, celeritas in vincendo, pugnandi dexteritas, dona ſunt, quæ non propria induſtria vel exercitatione & vſu, ſed ſingulari beneficio Dei hominibus obtingunt, deniq; vis, peritia & proſperitas bellica non niſi ab arcano Dei inſtinctu prouenit.

Niſi à Deo mirabiliter ſeruentur pij bellatores, ad multos lethales ictus eos exponi neceſſe eſt: & Dei peculiaris protectio clypeus eſt, tegumẽtis omnibus & armis terrenis præferendus & tacitè opponẽdus.

Quum in extremam deſperationẽ fideles coniecti videntur, Deus nouo modo eos expedit ac liberat. Atque hæc ad corrigendam noſtram diffidentiam apprimè vtilis eſt doctrina: niſi enim nobis amœna ſit ante oculos planities, in qua libere exultet caro, trepidamus ac ſi terra nos deficeret. Non fruſtra ergo munus hoc Deo tribuitur quòd ſuorum vias dilatet, complanet, ac pedes eorum ita ſtabiliat vt nullo aduerſo caſu deijciantur.

38.39.40.41. Etſi impijs & ſceleratis proſperos ſucceſſus interdũ concedit Deus, exitu tamẽ oſtendit ſe illis aduerſum fuiſſe & infenſum. Signa autem fauoris, quibus patefecit erga Dauidem, ſoli eius ſerui ſentiunt: vt hoc modo teſtetur eos ſibi probari & gratos eſſe.

Tanta ingenij manſuetudine pij reges & magiſtratus præditi eſſe debẽt, vt vel à gutta ſanguinis fundeda abhorreãt, niſi quatenus feret officij ratio & neceſſitas. Et quẽadmodũ debellandi ſunt ſuperbi, quorum indomita peruicacia prouocat Dei hominúmque vindictã, ita pios magiſtratus nihil magis decet quàm parcere reſipiſcentibus.

Chriſtus, cuius Dauid typus fuit, ad pœnitentiam comiter omnes inuitans, ferreo ſceptro conterit rebelles qui cõtumaciter & ad extremum reſiſtunt, ſempérq; emergit ſuperior, & manet rex inuito mũdo.

Quum communes nobis ſint Chriſti capitis noſtri victoriæ, ſequitur, inexpugnabile nobis præſidium contra omnes diaboli conatus, omnes peccati machinas & carnis tentationes, promitti. Quamuis itaque trãquillum regnum Chriſtus non niſi bellãdo obtineat, nobis ſatis ſit ad eius conſeruationem ſemper paratam fore Dei manum.

Hoſtes innumeri quãuis ad tempus immineant ceruicibus noſtris, faciet tamen Deus vt tãdẽ non ſolùm terga nobis vertant, ſed ante oculos noſtros pereant, vt digni ſunt. Memores interim ſimus ad quã militiam nos Deus vocet, cum quo hominum genere confligere nos velit, & quibus armis inſtruat: vt nobis ſufficiat, ſpirituali eius virtute, diabolum, carnem & peccatum ſub pedibus noſtris proſterni.

Reges & principes quibus gladium dedit, modò ſub Chriſto capite regnent, Deus tuebitur, nec eos iniuſtè opprimi ſinet.

42.43.44.45.46. Dum vota in vltima neceſſitate concipiunt impij, etſi pauore deiecti metúque trementes humilitatem præ ſe ferunt: non tamen mutant propoſitum vt reſipiſcant. Adde quod audacia & durities illis eſt pro fide, vel dubitando querimonias ſuas profundunt, magis vt Deo obſtrepant quàm vt fiduciam aliquam in eius ſinu deponant.

Quicunque miſeris crudeliter inſultauerint, ac ſuperbè reiecerint ſupplices, Deum etiam ad ſua vota ſurdum ſentient.

Deus impios à ſe abiectos proiicit ad omnem contumeliam, & inſtar luti calcandos tradit. Neque enim tantùm denuntiat ſuperbis & crudelibus clauſas fore ſuas aures, ſed minatur etiam ſe facturũ vt mercedem eadem menſura recipiant.

Is eſt modus tam erigendi quàm conſeruandi regni quod Chriſtus à Patre obtinuit, vt non ſolùm pugnet contra profeſſos hoſtes, tyrannos videlicet & palam impios: ſed etiam hæreticorum & hypocritarum domeſticos tumultus ac rixas compeſcat.

Hoc regnum Chriſti ab ortu Solis vſq; ad occaſum patet, totúmq; mundum occupat, quem verbo ſibi ſubigit, & ad ſolum auditum morigeros reddit populos qui priùs increduli & rebelles fuerant. Gẽtes enim ſolo euangelij præconio in ordinem coactæ ſunt: fideique obedientia, in qua fundatum eſt Chriſti imperium, ex auditu eſt. vide Rom. 10.

Ad Chriſti regnum multi ſupplices accedunt duplici & perfido animo: quos ideo aptè Spiritus S. alienigenas vocat: quia etſi electo populo permixti ſunt, ſincera tamen fide non coaleſcunt in idem corpus, vt Eccleſiæ filij cenſeri debeant. Verum quidem eſt cunctos Gẽtiles initio ex alienis fuiſſe aſcitos: ſed vbi induũt nouum affectum, fideique luce donati obedientiam ex animo præſtant, qui prius erant hoſpites & aduenæ, fiunt ciues cœlorum & domeſtici Dei.

Sicuti hoſtes Dauidis ex ſuis penetralibus extraxit timor, vt ſupplices regi occurrerent; ita incredulos Euangelium timore perculſos ad præſtandum Chriſto obſequium cogit. Hæc enim verbi diuini (teſte Paulo 1. Cor. 14.24.) vis eſt, vt conſcientias arguens, & manifeſtans occulta cordium, qui rebelles antea fuerant, metu proſternat ad dandam Deo gloriam.

47.48.49. Simulac virtutem ſuam ab oculis noſtris Deus ſubduxit, euaneſcit etiam ex animis ſenſus ac notitia vitæ eius. Itaque viuere dicitur, quatenus claris potentiæ ſuæ documentis mundum ſua manu contineri demonſtrat.

Vt homi-

Vt hominibus ſolenne eſt honorifica acclamatione ſuos duces in ſublime extollere: ita pios decet quaſi triumphali quodam elogio Dei celebrare potentiam, illiúſque propagationi bene precari.

Non ſine ſacrilega temeritate illatas ſibi iniurias retaliãt priuati homines: ſed Deus qui ſe vindicem eſſe pronũtiat, reges & magiſtratus armans gladio, vltionum ſuarum miniſtros conſtituit.

Magiſtratuũ vindicta, non carnis impetu, ſed zelo rite compoſito repoſci debent. Niſi enim ad vocationem pia iuſtáque moderatio accedat, fruſtra iactabunt vltionem ſibi à Deo mandatam. quia non minus præpoſterum eſt permiſſo gladio ad carnis libidinem abuti, quàm eum Dei iniuſſu arripere.

Iubemur beneficiis certare cũ hoſtibus, & pro eorum ſalute precari: ergo ſimul optanda eſt illis reſipiſcẽtia & ſanitas mentis, donec certò cõſtet perditæ eſſe ac deſperatæ malitiæ. interim reſignanda eſt arbitrio Dei vindicta, ne ante tempus præcipites feramur.

50.51. Vaticinium de futuro Chriſti regno appoſitè ex hoc verſu elicitur, teſte Paulo, Rom. 15. 9. quia niſi in ſocietatem electi populi allectæ fuiſſent gẽtes, fruſtra inter ſurdos & abſurdè cãtatæ fuiſſent laudes Dei. Alibi ſanè quàm in Iudæa non potuit rite & cum fructu celebrari Dei nomen, donec perforatæ eſſent aures gentibus, quod factum eſt, vbi eas Deus per euangelium aſciuit.

Præcipua huius pſalmi doctrina eſt, vt à Dauide ad Chriſtum, tãquã ab vmbra ad corpus deducamur. Chriſti regnũ igitur etſi eiuſde Chriſti virtute ac merito acquiſitũ, tamen noſtri reſpectu in Dei patris miſericordia & mero beneplacito fundatũ agnoſcamus. Deinde, nouerimus ꝓmiſſionẽ illã eximiã de regni duratione Dauidi factã, 2. Sam. 7. 11. nec in Solomonẽ, nec in alium quempiam ex ſucceſſoribus perfectè competere, ſed in filiũ Dei vnigenitum: ſicuti Apoſtolus, Hebræ. 1. 4. hac dignitate ipſum Angelis antecellere docet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Piorum principum qui ſummo Regi, Deo, ſeruiunt, & profanorum mundi mancipiorum diſcrimen in periculis & liberationibus.
2. Dei varia attributa nos in fide & ſpe firmos, nec non inuictos eſſe debere iubent.
3. De variis & maximis militantis Eccleſiæ, ſingulorúmque piorum tentationibus.
4. Auxilij diuini deſcriptiones diligenter obſeruandæ.
5. Iræ Dei, tum ordinariis, tum extraordinariis modis teſtatæ conſideratio.
6. Iuſtitia cauſæ à iuſtitia perſonæ diſtinguenda.
7. Fides, bona conſcientia, cor inuictum, piorum in tentationum procellis & media morte fulcra tutiſſima.
8. Impiorum prauum ingeniũ, induratio, tragicus exitus.
9. Bella quomodo legitimè gerenda: quando item, quibus, à quo ſucceſſus felices expectandi, & cui tribuendi ſint.
10. Chriſti ſummi principis, & inferiorum Chriſto ſubditorum principum iuſta ſeueritas manſuetudine temperata.
11. Principum piorum vindicta qualis eſſe debeat.
12. Regnũ Chriſti prophetico ſtilo luculenter deſcriptum.

ARGVMENTVM PSALMI XIX.

PLERIQVE Interpretes, ſecuti Iudæos, inter quos eſt & Chryſoſtomus ſuper Geneſ. cap. 5. & ſermon. 3. ad Roman. & Baſilius in principio Prouerb. Salom. pſalmum hunc aiunt eſſe aſſeuerationem & doctrinam de prouidentia diuina, cuius teſtimonia illuſtria primùm in creatione mundi, in cæli machina, in cæleſtium corporum motibus certiſſimis & regularibus, in ordinatis temporum vicibus: deinde verò in promulgatione Legis & patefactione doctrinæ cæleſtis conſpiciantur. Hæc interpretatio, etſi concinna eſt, & quia non procul quærit allegorias, ſed ſimplicem ſententiam, quam Grammatica gignit, retinet, à plериſque probatur: tamen nondum ſatis aſſequitur mẽtem & ſententiam prophetæ. Voluit quidem propheta oſtendere & docere, gloriam, maieſtatem & prouidentiam diuinam, tanquam in illuſtri ſpeculo lucere & conſpici in cœli machina, in perpetuis & ſtatis dierum & noctium vicibus, quas luminaria ſuo motu efficiunt, in admiranda luce, quam Sol de ſe ſpargens, totum orbem terrarum illuſtrat, &c. Sed hanc Dei notitiam ſumptam à creaturis, affirmat adhuc mancam & mutilam, atque adeo etiam nullius pene vſus eſſe, niſi accedat altera, quæ ex verbo patefacto ſumitur. Itaque manifeſta antitheſi has inter ſe opponit, & ex collatione, quantum inter has interſit, oſtendit. Illam vtpote generalem, & gentibus etiam extra Eccleſiam conceſſam, ait, non ducere nos ad illam perfectam Dei cognitionem, nec afferre conſolationem aut vitam: denique non præſtare hoc quod debebat. Hanc verò peculiarẽ eſſe & longè præferendam cuiuis theſauro; vtpote quæ non tantùm eſſe Deum ab illis creaturis, quæ in oculos incurrunt, oſtendat, ſed quæ animas noſtras inſtauret, noſque de Dei voluntate erga nos erudiat, & ſimul in cordibus credentium nouam lucem, iuſtitiam & vitam gignat, nóſque firmos de ſalute noſtra reddat, atque æterna bona verbo obtemperantibus promittat.

Hac antitheſi conſiderata, non obſcura erit ſententia huius pſalmi. Concionatur enim de duplici Dei notitia: quarum altera ex conſideratione & ordine creaturarum, altera ex verbo patefacto ſumitur: & quantum hæc ab illa differat, oſtendit. Cæterùm, ſi quis allegoriis delectatur, non ineptè primam huius pſalmi partem de patefactione & prædicatione Euangelij, quod miniſterio Apoſtolorum in totum terrarum orbem ſparſum, & vnicum Chriſtum, qui eſt Sol iuſtitiæ (vt eum Malachias nominat) conſpiciendum præbet & agnoſcendum docet, interpretari poteſt: id quod multi autoritate Pauli Apoſtoli moti interpretes fecerunt. Condidit enim Deus hanc admirandam mundi machinã per Filium, & hanc per eundem cõſeruat & ſuſtentat, vt perpetuum eſſet theatrum ſapiẽtiæ, potẽtiæ & gloriæ diuinæ. Eſt igitur typus regni Chriſti, in quo Sol hic aſpectabilis Chriſtum Solẽ iuſtitiæ repræſentat tãquã in ſpeculo quodã. Quemadmodũ enim hic Sol viſibilis permeat cœlũ, & ſuos radios mittit in omnes terræ partes, & res varias è gremio terræ producit, naſcentes fouet & viuificat: ita Chriſtus Sol iuſtitiæ ſuos radios mittit in vniuerſum orbem, quibus Eccleſiam ſuam viuificat, vegetat, fouet: vt & ipſa virtute huius tempore opportuno proferat fructus Deo placentes. Luna verò & ſtellæ Apoſtolos ipſos & alios Eccleſiæ doctores eorúmque diſcipulos, quoſque ſuo ordine & gradu notant. In hunc typum reſpiciens Apoſtolus, Rom. 11. inquit, An non audierunt? Vtique in omnem terram exiuit ſonus eorum.

Addit autem propheta in fine pſalmi aliam concionem, in qua oſtendit, voluntatem diuinam erga nos in verbo quidem perfectè reuelatam eſſe, & poſtulari à nobis non tantùm notitiam, ſed etiam obedientiam integram & perfectam: ſed tantam eſſe infirmitatem naturæ humanæ, tantum caliginis, errorum & prauarum inclinationum mentibus noſtris inhærere, vt nunquam ad illam perfectam notitiam, nedum ad obedientiam integrã, quam lex requirit in hac vita, perueniamus. Itaque petit ſibi hos errores & hæc peccata condonari, & ſimul gratia diuina munitum ſe cuſtodiri, ne communi errore atque infirmitate abreptus, ruat in delicta contra conſcientiam, atque ita à gratiæ diuina excidat. Et quanquam ſcit ſuam obedientiam adhuc mancam, mutilam & ſqualidam eſſe: tamen petit & ſtatuit hanc Deo placere, idque propter Mediatorem, quem hic fortitudinem & redemptorem ſuum appellat:

G

AD triumphandum canticum Dauidis.

2 Cæli enarrant gloriam Dei : & opus manuum eius annuntiat firmamentum.

Id eſt, tota hæc mundi machina oſtendit, Deum eſſe mentem architectricem, intelligentem, ſapientem, potentem, &c. Non enim poteſt hæc machina caſu extitiſſe, nec potuit condi niſi à mente ſapiente. Cùm autem meminit cælorum, per ſynecdochē totum mundi opificium complectitur. Nulla enim eſt pars orbis, aut creatura tam exigua, in cuius ſtructura atque vſu non conſpiciatur virtus & ſapientia Dei. Sed quia cælum reliquas orbis partes ſuo ambitu complectitur, & quaſi expreſſiorem imaginem ſapientiæ & maieſtatis diuinæ inſculptam habet, ideo huius præcipuè mentionem facit, vt omnia quæ ſuo complexu cælum fouet, comprehendere videatur. Quòd autem inquit, cælos non monſtrare, ſed enarrare ſeu recenſere gloriam Dei, id fit per προσωποποιΐαν. Tribuit enim mutæ creaturæ perſonā & ſermonem: ídque ideo vt hominibus ingratitudinē & ἀμαθίαν ſuā exprobret. Turpe eſt enim nos homines, quos Deus cōdidit rationales creaturas, vinci & ſuperari ab aliis creaturis ratione carētibus in cōſideratione & celebratione beneficiorū diuinorū: & turpius adhuc multo eſt, cū huiuſmodi habeamus præcones aſſiduos potētiæ & laudum diuinarum, nos tamen ad horum voces aures noſtras occludere, nec excitari aliquo modo ab his ad harum tantarum rerum conſiderationem. Stolida item & vana eſt ſuperſtitio imagines effingere : quæ nos de Deo commonefaciant, cùm Deus cælum & totam rerum creaturam propoſuerit, vt his perſpectis de opifice admoneremur. Nomine gloriæ multa complectitur. Primo, Sapientiam, quæ cernitur non tantùm in ſtructura cæli: ſed etiam in toto ordine reliquarum creaturarum, & in primis diſcrimine honeſtorum & turpiū, cuius notitia indita eſt homini. Secundò, Potentiā in magnitudine, motu & lumine ſeu ſplēdore ipſius cæli & corporum cæleſtium. Tertiò, Quod omnia hæc hominum cauſſa condita ſunt.

Et opus manuum] Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ. Eſt enim quaſi ἐξήγησις prioris. Tota cæli machina, eiuſque exactiſſima ſtructura teſtatur, non fortuitò hæc quæ cernimus, conflata eſſe: ſed condita ab opifice ſapiente & potēte: atque ideo nos in admirationem ſapientiæ, potentiæ & bonitatis diuinæ rapiunt.

Qui allegoricè pſalmum exponunt, ita hunc verſum interpretantur, Cæli, id eſt omnes homines, quibuſcunque ſub plagis cæli ſunt, audiunt doctrinam euangelij, & vbicunque ſunt cæli ſeu horizontes, ibi annuntiatur gloria Dei, & ſpargitur vox euangelij. Eſtque euangelium talis doctrina quæ prædicat non noſtra opera, ſed opera Dei.

Nonnulli longiùs quærentes allegorias, per cælos intelligunt Apoſtolos & horum ſucceſſores, quos nomine cælorum vocari exiſtimant. Primò, Propter dignitatem & excellentiam muneris, afferunt enim cæleſtem doctrinam. Secundò, Quia diuinitus & cælitus mittuntur & excitantur ad docendum. Tertiò, Propter effectum. quia ſicut cælum ſua pluuia terram humectat & fœcundat: ita Apoſtoli ſana doctrina euangelij Eccleſiam Chriſti viuificāt & fœcundam reddunt. Quartò, Propter ſanctitatem vitæ & morum, & dona præclara, comparantur puritati & claritati cælorum. Quintò, dicunt vocari eos firmamentum, propter conſtantiam in confeſſione. Sed hæc omitto, cùm ab aliis prolixè ſint tractata. Opus manuum intelligunt quòd donauit nobis Filium. &c.

3 Dies diei eructat verbum : & nox nocti indicat [*patefacit*] ſcientiam.

Confirmat priorem ſententiam ab effectu partium cæli. Continua & conſtans dierum & noctium ſucceſſio, & ordinatæ temporum vices, quas Solis, Lunæ, & reliquarum ſtellarum curſus & reuolutiones efficiunt, abundè teſtatur de gloria Dei: imò vnicus dies & vnica nox ſufficeret ad hoc teſtādum. Ideo nonnulli hanc orationē ſic reſoluunt : Nullus dies præterfluit quo non inſigne documentum ſuæ virtutis Deus edat. Alij de doctrinę incrementis volunt intelligi, vt ſemper dies poſterior noui aliquid afferat, vt dicitur, *Dies diem docet.* Verbo eructandi ſignificat, nos abundè per has mutas creaturas doceri de Deo & prouidentia eius.

Eructat] Id eſt, copioſè & aſſiduè eloquitur & teſtatur, Deum qui has vices dierum & noctium inſtituit, eſſe ſapientem, potentem & φιλάνθρωπον. Verbum נבע ſæpe ad ſermonem copioſè & ſine hæſitatione fluentem transfertur, metaphora ſumpta à fontium ſcaturiginibus.

Indicat ſcientiam] Id eſt, viciſſitudo illa dierum & noctium celebrat ſapientiam Dei. Qui allegoriam ſequuntur, ita exponunt.

Dies diei eructat verbum] Id eſt, omnibus temporibus vſque ad extremam mundi ætatem audietur vox euangelij, nunquā conticeſcet, nunquam opprimetur vlla potentia aut violentia imperiorum. Item, non prædicabitur tantum in ſabbato, ſicut olim in veteri teſtamento: ſed vbique locorum, vbicunque conſpiciuntur cæli, & ſingulis diebus & noctibus, id eſt, omnibus temporibus. Nam euangelij vox & locum omnem & tempus omne implebit. Hieronymus noctem interpretatur Iudam, qui oſculatus Chriſtum, & dicens, Tenete eum, indicarit ſcientiam nocti, id eſt, Iudæis: ſed hæc aliena ſunt & nimis longè petita.

4 Non [*eſt*] ſermo neque verba [*vbi*] non audiatur vox eorum [*ſcilicet cælorum, dierum & noctium.*]

Nonnulli volunt eſſe ἀνθυποφορὰ, qua occurrat tacitæ obiectioni : & verſum ſequentem coniungunt hoc modo. Etiamſi muti ſint cæli, & voce ac verbis deſtituantur, tamen excellentia opificij ſui, compagine, ſitu, ordine & motu, vi item atque efficacia luminis tanquam viua & canora voce teſtantur de gloria Dei, adeo quidem vt hic ſonus & hæc verba prædicationis eorum terram vniuerſam repleant, & ad fines orbis penetrent. Sed quia ineptum videtur, ter idem repetere quòd cæli ſint muti : ideo magis mihi probatur ſententia illorum, qui ſubaudiunt vocem אשר, quæ ſæpe ab Hebræis omittitur, vt ſic legatur, Non verba vbi non audiantur. Et alioqui negatio בלי magis exceptionē denotat à prioribus membris, quam ſimplicem negationem: quaſi dicas, Abſque audiri vocem eorum, id eſt non obſtat linguarum diſcrepantia quin vbique exaudiatur cæli vox.

Eſt itaque in hoc verſu amplificatio prioris ſententiæ, de efficacia teſtimonij, quod cæli creatori ſuo reddunt, à tacita comparatione. Diuerſitas & diſcrepantia linguarum ita gentes diſtrahit & diſiungit vt nulla inter has ſit communicatio: nec poteſt vnus homo omnibus gentibus loqui : non enim nouit omnium linguas, ſed cæli (inquit) loquuntur omnibus gentibus, nec obſtat linguarum diſcrepantia quin vbique exaudiatur cælorum præconium. Talis igitur hic eſt doctor, qui vno tempore & momento omnibus hominibus in toto orbe terrarum concionatur.

אמר ſignificat elocutionem ſeu prolationem, *Da mā etvvas auſſpricht.* דברים ſignificat diuerſas dialectos. Allegorice ſic exponitur, Euangelium ſonant omnes linguæ, ſparſum inter omnes gentes.

5 In omnem terram exiuit ſonus eorum, & ad extremitatem orbis verba eorum: Soli poſuit tabernaculum in eis.

Explicatio eſt ſuperioris membri. Oſtendit enim quomodo cæli apud omnes populos ſine diſcrimine concionentur, nempe, qui ſua ſtructura, motu, lumine, & efficacia admirabili, tanquam illuſtri ſcriptura propoſita, teſtentur autorem & conditorem harum rerum eſſe mentem ſapientē, nec quenquam eſſe ita ferum & barbarum, qui ex his notis quotidie in oculos incurrentibus non intelligat eſſe aliquem Deum.

In omnem terram] Id eſt, non vni angulo aut certæ hominum parti concionantur, ſed toti orbi terrarum.

Nomen קו variè exponunt. Significat nomen hoc vt plurimùm funiculum menſorium, ab extendendo ſcilicet & protrahendo. Nā קוה ſignificat expectare, Germanicè magis propriè, *Ein verlangen haben*, vbi ſcilicet intercedit mora ſeu continuitas moræ. Itaque qui ſic exponunt, hunc ſenſum eliciūt, quòd cęlorū architectura quaſi lineatim ad regulā compoſita & ad amuſſim fabrefacta, longè lateque gloriam Dei prædicet, & præſtantiam artificis oſtendat: ſed videtur hoc alienius quàm vt mentem prophetæ explicet. Sequitur enim mox, Et verba eorū. Quid autē verbis affine cum ædificio aut funiculo menſorio: præſertim cum de cæli ſplēdore loquatur, qui totum terrarum orbem circumfundit? Ad ſplendorem enim hunc linea vel funiculus menſorius minimè quadrat.

Rectiùs itaque ab aliis redditur, Scriptura eorum, vt ſignificet, in cælis, tanquam in volumine omnibus conſpicuo, deſcriptam eſſe Dei gloriam, quæ omnibus conſpicienda & legenda proponatur: & ſimul illis inditam eſſe ſonoram vocem, quæ ad aures omnium perueniat. Quod igitur de ſermone dixerat antè, oſtēdit eum oculis magis quàm auribus percipi. Sicut autem קו funiculum menſorium ab extenſione ſignificat, ita eadem ratione nonnunquam ſignificat verſum ſcriptum, quem Germani nominant *Ein zeil*, interdum etiam cum Latinis, *Ein linie.* Eſtque id manifeſtum ex Ieſaiæ 28. vbi Deus Iudæos pueris nondum ſatis per ætatem docilibus comparans, ſic loquitur. Quoniam erit illis præceptum ad præceptum, verſus ad verſum, pauliſper ibi, pauliſper ibi: id eſt, opus eſt illis aſſidua inculcatione & repetitione eiuſdem præcepti & verſus: ſicut pueris non multa ſimul ingeri poſſūt. Græcus pro קו legit קולם vox eorum.

Qui

Qui allegoricè de Chriſti regno expoſuerunt, regulam interpretantur verbum ipſum: ad cuius normam Apoſtoli & veri doctores omnia dirigunt, ſicut architecti & fabri ſuam ædificationem ad perpendiculum ſeu gnomonem. Hic verò reſpondendum eſt ad locum Pauli, qui Rom. 10. oſtendens incredulitatem Iudæorum, eámque inexcuſabilem eſſe affirmans, cùm prædicationem Euangelij, ſimiliter vt gentes, audiuerint, adducit hunc locum, In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. Quæ res mouit interpretes vt totum pſalmum ad allegoricum ſenſum traherent. Verùm non hoc agit Paulus, vt doceat, pſalmum totum à genuino ſuo ſenſu eſſe ad aliud inſtitutum trahendum: ſed tantùm, quod vſitatum eſt ipſi & reliquis Apoſtolis, teſtimonio hoc ita vtitur, & ad ſuum inſtitutum id accommodat, vt oſtendat, verè de prædicatione Euangelij dici poſſe, quod Dauid de cælis, die, nocte & Sole cecinit: nempe ſonum ac verba eius ad fines orbis vſque penetraſſe, & ab omnibus exaudiri: atque ita inexcuſabiles eſſe qui non obtemperent. Ita ſæpe Apoſtoli accommodant Scripturæ loca ad ſuum inſtitutum, vt hiſtoriæ ſenſum non euertant. & tamen oſtendunt, non minùs verè ab ipſis iam dici poſſe quod tunc ſecundùm hiſtoriæ ſeriem de alia re dictum eſt. Tale eſt quod 2. Corinth. 8. ex cap. 16. Exodi, de collectione Man adducit Apoſtolus. Qui multum, inquit, habebat, nihil redundabat, qui parum, ei nihil deerat: accommodans ea verba ad ſuum inſtitutum de eleemoſynis, & adhortans, vt opes & dona diuina ita inter ſe diſtribuerent ne cuiquam deeſſet: atque in ea diſtributione intuerentur hiſtoriam de Manna. Tale eſt & illud Matth. 2. Ex Ægypto vocaui Filium meum, de quo in Oſea diximus.

Soli poſuit tabernaculum in eis] Aliud teſtimonium prouidétiæ, ſumptum à præcipuo luminari, quod in cælo conſpicitur: à cuius curſu, ortu atque occaſu, officio item & effectu oſtendit, conditorem cæli & reliquarum creaturarum eſſe métem ſapientem & potentem.

Soli poſuit tabernaculũ] Id eſt, in Sole, cui tota cæli machina ampliſſima videtur eſſe cõdita pro habitaculo, in primis conſpicitur & profert ſe maieſtas diuina. Nihil enim habet hic mũdus pulchrius corpore Solis, atque huius lumine ſeu ſplẽdore. Quare omiſſa mẽtione Lunæ & reliquarum ſtellarum, tantùm Solis meminit, quaſi qui vnus ſufficiat ad conuincendos homines de prouidentia.

Qui allegorias ſequuntur, Solem interpretantur Chriſtũ, vt dictum eſt in argumento, & tabernaculum Solis interpretantur alij Eccleſiam, alij fidem ſeu corda piorum, ſicut dicitur Epheſ. 3. Chriſtus per fidem habitat in cordibus.

6 Et ipſe tanquam ſponſus egreditur de thalamo ſuo: exultat tanquam heros [*vir robuſtus*] ad currendum viam [*ad decurrendum ſpatium: id eſt, peragit curſum ſuum prompto & alacri animo.*]

7 Ab extremitate cælorum egreſſus eius: & circuitio [*recurſus*] eius ſuper extremitatibus [*ad extrema*] eorum: & non [*id eſt, nihil*] abſconditum [*eſt*] à calore eius.

Amplificatio eſt, in qua commendat hoc opus Dei, & quæ in Sole præcipuè ſint conſideranda, quæque nos ad diligentẽ eius conſiderationẽ inuitare debeat, oſtẽdit. Sunt autẽ tria, quæ in Sole præcipuè ſpectãda proponit. *Primò*, Splendorẽ, dignitatem & ornatum: idque ſimilitudine ſponſi progredientis è thalamo ſuo in ornatu nuptiali, & omnium in ſe oculos conuertentis. Veteres etiam hac ſimilitudine alacritatem & temperamentum aſpectus Solis matutini exprimi affirmant: nam cùm meridionale cælum percurrit (inquit Cæſarius) ſępenumero refugium quærere tentamus, igneum calorem non ferentes. *Secundo*, Velocitatem curſus, qua miraculo ſummo & admiratione ingenti vaſtos cælorum tractus & ampliſſima ſpatia, vnius diei ſpatio percurrit: idque ita, vt, quanquam id quotidie faciat, nunquam tamen defatigetur. Addit & ſimilitudinem ſumptam à pernicitate eorum qui olim vel quadrigis vel pedibus in ſtadio certabant. Etſi autem illorum pernicitas longè abfuit à celeritate Solis, ſicut nec ornatus ſponſi ad ſplendorem Solis vllo modo accedit: tamen, cùm nihil in communi hominum vſu inueniret, quod propiùs accederet, voluit hac qualicunque imagine rudioribus rem attentiùs conſiderandam proponere. Eſtque alioqui vſitatum, Spiritum ſanctum à rebus vulgaribus & in omnium oculos incurrentibus ſumere ſimilitudines, quibus res maximæ & cæleſtes adumbrantur. *Tertiò*, Iubet conſiderari vim caloris, quem Sol ſpargit in vniuerſum orbem ſubiectum. Hæc omnia pulchrè quadrant ad allegoriam, de qua ſupra dictum eſt, Chriſtus Sol iuſtitiæ habitat in cœlis, inde prodit ſereno & placido vultu, & Eccleſiam illuminat, patefacit Euangelium, oſtendit Patrem & eius voluntatem, &c. Deinde comparat hunc Solem ſponſo. hîc rurſus multa cõſideranda veniunt. Primò, Amor ſponſi erga ſponsã. Secundò, Gaudium & lætitia acquieſcens in amore ſponſæ erga ſe. Tertiò, Ornatus quo ipſe eſt ornatus, & ſpõſa à ſpõſo ornatur. Quartò, communio omnium rerum, &c. Thalamus ex quo progreditur hic ſponſus, eſt Eccleſia, ſeu cœtus, in quo ſonat vox Euangelij. In eo cœtu generantur Chriſto filij & filiæ. Deinde habet iter ab ortu ad occaſum: id eſt, tranſit per totum genus humanum, & colligit ſibi Eccleſiam voce Euangelij, & calore Spiritus ſancti regenerat, recreat, lætificat, viuificat, & exſuſcitat corda ad agnitionem & inuocationem, eſtque tãquã gigas, qui feliciter expugnat hoſtes. Hæc allegorica vſurpari ſuo loco poſſunt: ita tamen ne principalis ſentẽtia amittatur.

8 Lex Iehouæ perfecta, conuertens animam: teſtimonium Iehouæ fidele, ſapientiam præſtans paruulo [*ſapientem faciens paruulum.*]

Sequitur altera pars pſalmi, quæ eſt antitheſis. Opponit enim doctrinam populo Iudaico patefactam, illi notitiæ quã omnes gentes vbique terrarum ex creaturis de Deo habere poterant: atque illa quantùm ab hac differat, ab effectibus oſtendit.

Lex Domini eſt perfecta] Primum diſcrimen eſt à forma notitiæ ſeu ab ipſo genere doctrinæ ſumptum. Lex domini eſt perfecta: id eſt doctrina diuinitus in hoc populo patefacta multo pleniùs & perfectiùs oſtendit Deum quàm illæ creaturæ, de quibus hactenus dictum eſt. Teſtantur quidem cæli, Sol, Luna, ſtellæ, & reliquæ creaturæ, eſſe Deum mentem ſapientem, & potentem, & eò deducunt homines vt ſtatuant eſſe aliquam prouidentiam diuinam, nec ferri omnia caſu: metum etiam aliquem numinis diuini hominibus incutiunt: vnde Paulus Act. 14. dicit, Deum non reliquiſſe ſe ἀμάρτυρον, quia creaturis viſibilia ſuæ ſapientiæ & bonitatis teſtimonia impreſſit: ſed hæc Dei notitia nequaquam eſt plena & perfecta. Nondum enim oſtendit, quæ ſit illa eſſentia diuina creatrix: multò minus oſtendit plenè quæ ſit Dei voluntas erga nos. Eſt autem alia doctrina huic populo patefacta, quæ & eſſentiam & voluntatem Dei erga nos oſtendit: hæc longè ſuperat omnium philoſophorum diſputationes de Deo, & continet perfectam & abſolutam ſapientiam. Ita ex antitheſi magnitudinem beneficij diuini, quòd ſe in hoc populo patefecerat, conſiderandam proponit. Nomen תורה generaliter ſumitur pro tota doctrina per Moyſen patefacta, non ſignificat tantùm Decalogũ & reliqua præcepta iudicialia & cæremonialia: id quod ſequens deſcriptio ab effectibus ſumptã ſatis oſtendit, cùm dicit eam conuertere animas & reddere corda læta: quod cùm non congruat voci Legis, in primis concionatur de doctrina Euangelij.

Conuertens animas] Alterum diſcrimen ab effectu ſumitur. Philoſophia ſeu ſapientia humana, cùm longè progreditur, tantùm deducit nos ad conſiderationem infirmitatis & miſeriarum humanarum, ſicut Plato dicit, philoſophiam eſſe meditationem mortis. Non oſtendit remedia aduerſus mortem & triſtitia illa vulnera quæ nobis per peccatum diabolus inflixit. itaque relinquit hominem in miſeriis & perpetuò dolore: & vita hominis extra Eccleſiam conſumitur triſtiſſimis querelis de miſeriis humanis: ſed doctrina cæleſtis oſtendit remedia aduerſus mala omnia, & docet quomodo homines ex his eripiãtur & reſtituantur: itaque reducit animas: id eſt, oppreſſas æterno dolore recreat & reficit, vt vitam & lætitiam concipiant: quod nequaquam illa Dei notitia quæ ſumitur à creaturis, præſtare poteſt.

Conuertere ſeu reducere animam, propriè ſignificat animã oppreſſam dolore aut laſſam & deficientem erigere, confirmare, conſolari, recreare, & quaſi iam auolaturam à corpore reducere. Eſt enim משיבת participium tertiæ coniugationis verbi שוב quod reuerti ſignificat in prima coniugatione, in tertia autem reducere: legitur hæc phraſis & *Pſal.* 23. ובכי- נפשי מש animam meam conuertit ſeu reducit, *id eſt*, recreat, & reficit dulciſſimis promiſſionibus, vt depoſito dolore nouam ſpem, nouam vitam & lætitiam concipiat. Aliqui de conuerſione ſeu reſipiſcentia interpretantur: ſed hoc anguſtius eſt: quanquam verum eſt, illum ſenſum conſolationis, de quo hic loquitur, non percipi, niſi in vera reſipiſcentia ſeu conuerſione ad Deum.

Teſtimonium Domini fidele] verum, certum] Tertium epithetum, ſeu præconium doctrinæ diuinitus patefactæ, rurſus ſumitur à genere doctrinæ & ſimul ab effectu. Congruit autem hoc dictum cum illo Chriſti, Iohan. 17, Sermo tuus eſt veritas: id eſt, ſola doctrina tradita per Filium Dei, prophetas & apoſtolos, eſt veritas Dei. Aliæ doctrinæ omnes extra hanc ſũt erroneæ: multos enim habẽt admixtos errores & furores. Deinde etiam ideo verbum à Deo patefactum dicitur fidele

aut firmum, quia firmas & certas reddit conſcientias de voluntate Dei erga nos, cùm reliquæ omnes extra hanc relinquant hominem in perpetua dubitatione & hæſitatione, & tandem præcipitent in æternam deſperationem.

Vocabula עדות, פקודים, מצוה, משפטים, ſubiiciuntur generali voci תורה tanquam ſpecies ſeu partes, & ſemper ſub ſingulis partibus ſynecdochicῶs comprehenditur tota doctrina. Significat autem עדות quod teſtimonium reddiderunt, doctrinam quatenus habet adiuncta teſtimonia & ſacramenta ſeu ritus, quos Dominus addidit doctrinæ tanquam ſigilla, picturas & monumenta ſuarum promiſſionum, qualia in Lege fuerunt, circuncïſio, ſabbatum, ſacrificia, paſcha, & id genus aliæ cæremoniæ: in nouo Teſtamento omnes Euangelij promiſſiones cum ſuis ſacramentis. Nam verbum עיד ſignificat de voluntate ſua certiorem reddere, de fide teſtari, condicere ſeu promittere aliquid, addito promiſſioni iuramento vel ſigno: denique teſtificando aliquid confirmare ſeu ſtabilire. Quemadmodum teſtis iuratus in foro teſtimonium dicit, & iudici fidem facit. Talis eſt igitur doctrina Dei patefacta in Eccleſia. non ſunt nudæ tantùm promiſſiones, ſed habent annexa ſigilla & certa teſtimonia, quibus nos certiores reddit de veritate huius doctrinæ: atque ita diſcernitur ab omnibus aliis doctrinis & ſectis. Cæteræ appellationes, partim à legibus iudicialibus, partim à cæremonialibus ſumptæ ſunt.

Sapientiam præſtans paruulo] Quartum præconium ſeu epithetum ſumitur à proprio effectu. Nulla ſapientia tanta eſt quam non ſuperet hæc ſapientia patefacta in verbo Dei: nec aliunde petenda eſt vera ſapientia quàm ex hoc verbo. Opificium quidem mundi, cælum, ſol, ſtellæ, &c. prædicant gloriam Dei, & proponunt potentiam & ſapientiam diuinam conſiderandam: ſed nequaquam accedit hæc ſapientia ad illam quæ in verbo patefacta eſt: Illa enim erudit nos primùm de voluntate Dei erga nos, quod nulla facit alia doctrina: oſtendit nobis noſtras ſordes & miſerias: monſtrat remedia aduerſus has ſordes, promittit reſtitutionem, detegit inſidias & technas diaboli aduerſus genus humanum, & docet quomodo his ſit occurrendum. Hæc noſſe vera eſt ſapientia: & quidem hæc ſapientia non obtingit his qui inſigni rationis acumine ſunt præditi, vt ferè reliquas doctrinas nulli percipiunt niſi qui ſunt excellenti ingenio & ſagacitate inſtructi & ornati: ſed paruulis, hoc eſt, infirmis, ſimplicibus, rudibus, qui quaſi in puerorum ordinem deſcendunt, & apud ſeipſos ſtulteſcunt, quóſque propriæ rationis altitudo non impedit, quominus ſe docendos verbo Dei offerant & ſubiiciant. Vocabulum igitur פתי refertur non ad ætatem, ſed ad conditionem ætatis, vt ſignificet dociles, humiles, non inflatos fiducia propriæ ſapientiæ: ſed agnoſcentes ſuam infirmitatem & ſordes, & anxie quærentes remedia. Et huc congruit illud quod Chriſtus dicit Matth. 11. Ago tibi gratias quòd hæc abſcondiſti ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Et 1. Corinth. 1. Non multi ſapientes ſecundùm carnem, ſed infirma mundi elegit Deus.

9 Statuta Iehouæ recta, lætificantia cor: præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos.

Quintum epithetum quod diſcrimen inter doctrinas hominum & Eccleſiæ doctrinam exprimit (ſemper enim vt initio dixi, ad antitheſin eſt reſpiciendum) iterum à genere doctrinæ ab effectu ſumitur. Dicit autem doctrinam Eccleſiæ eſſe rectam, hoc eſt, planam & perſpicuam, nullis ſpinoſis aut tortuoſis argutiis aut ſophiſmatum præſtigiis inuolutam, nec abducere nos in deuia aut præcipitia. Econtra verò humanæ doctrinæ ſunt variæ & ambiguæ, & inextricabilibus opinionum labyrinthis inuolutæ: quibus humanæ mentes exercentur ac fatigantur, vt ſe expedire aut explicare non poſſint. Deinde referatur etiam hoc ad effectum. Doctrina cæleſtis & in primis Euangelij (nam de hac præcipuè loquitur) eſt recta: id eſt, reddit conſcientias liberas, expeditas, eximit omnes ſcrupulos, perplexitates, moleſtias, angores, dubitationes. Doctrina verò humana reddit homines perplexos, anxios, dubios, abducit nos à recto tramite, & coniicit nos in auia, vt nuſquam quieſcere, nunquam ad optatam metam aut portum peruenire poſſimus.

Alij vocem ישרים referunt ad æqualitatem Euangelij, quod omnes ſine προσωποληψία accuſat, & rurſus omnibus, confugientibus ad Mediatorem gratiam pollicetur.

Lætificantia cor] Sextum epithetum ab effectu ſumptum eſt, & congruit cum ſecundo. Doctrina cæleſtis exhilarat & reddit pacatas conſcientias coram Deo: quod nulla humana doctrina præſtare poteſt, ne Lex quidem ipſa diuinitus data: ſed ſola fidei doctrina, ſicut dicitur Rom. 5. Iuſtificati fide pacem habemus. Simul autem hæc lætitia ſeu hilaritas opponitur omnibus prauis illecebris & voluptatibus, quæ exitialiter miſeras animas ineſcant: quaſi diceret, Alios omnes qui voluptates & delicias huius ſeculi ſectantur, tandem multiplicem dolorum materiam ſibi accerſere, ſtudio verò verbi diuini acquiri ſolidum gaudium. Et quanquam doctrina eſt crucis: tamen conſolationem habet adiunctam, qua corda lætificata facile ferunt & ſuperant omnes afflictiones.

Præceptum Domini purum] Septimum epithetum. Doctrina cæleſtis non habet admixtas fæces prauarum opinionum, nec admittit vllam prauitatem. Doctrinæ humanæ multiplicibus erroribus ſunt defœdatæ: etiam cùm videntur homines legem tradere: tamen corrumpunt hanc multipliciter, vt, apud Spartanos licebat paciſci de alterius coniuge. Item, approbabantur Lacædemone furta, & alibi aliæ turpitudines: ſed lex Domini nulla approbat ſcelera: ideo eſt pura. Euangelij etiam doctrina non ſolùm ipſa eſt pura: ſed oſtendit & aperit fontem, quo à ſordib⁹ peccatorum purgamur & mundi reddimur. Alij puritatem referunt ad doctrinam de vera Dei inuocatione, quam nulla gens extra Eccleſiam habet: ſed hoc anguſtius eſt quàm vt mentem prophetæ aſſequatur.

Illuminans oculos] Octauum epithetũ. Doctrina cæleſtis tollit tenebras & caliginem ex mentibus, ignorationem Dei, dubitationem de Deo, ſecuritatem carnalem, diffidentiam, falſam inuocationem animi dubitantis & fugientis Deum, & alios motus aberrantes à lege Dei: aperit oculos, vt videamus noſtras ſordes, & intelligamus magnitudinem malorum, quibus oppreſſum eſt genus humanum, & ſimul oſtendit remedia: cùm interim maxima multitudo generis humani ſit oppreſſa perpetua cæcitate, & verſetur in denſiſſimis tenebris: non agnoſcat Deum, nec intelligat ſua mala, multo minùs quærat lucem, iuſtitiam & vitam.

Quanquam igitur ſole & cæteris ſtellis in hoc mundo nihil videtur clarius, purius & lucidius, tamen doctrina Euangelij ſuperat illam claritatem, cuius lumen non oculos corporis, ſed animi & cordis illuminat: & illuminando ſimul recreat & viuificat corda: cùm tenebræ doctrinarum humanarum gignant perpetuas dubitationes, fugam, & fremitus aduerſus Deum.

10 Timor Domini ſincerus, permanens in ſeculum. Iudicia Iehouæ veritas: iuſtificata ſunt ſimul.

Nonum diſcrimen à diuerſitate religionum, quam gignũt diuerſæ doctrinæ. Sapientia humana, quæ ex conſideratione creaturarum agnoſcit eſſe aliquem Deum, fingit religiones & quidem varias: ſed quæ multipliciter ſunt contaminatæ & pollutæ. Primùm enim, qui extra Eccleſiam ſunt, fingunt infinitam multitudinem Deorum: inſtituunt ſacrificia & cultus priuato arbitrio, extra verbum diuinum, & adducunt multiplices furores: approbant mactationem victimarum humanarum, concedunt licentiam variarum libidinum & aliorum ſcelerum: denique longè aberrant à vero cultu Dei. Sed hæc religio, quæ verbo Dei præſcribitur, eſt pura: parit enim veros, ſinceros, perfectos & Deo placentes cultus.

Nomen יראה ſumitur pro tota religione ſeu cultu diuino, vel pro doctrina quæ rationem colendi Deum tradit, vt metalepticῶs vocabulo effectus ſignificetur cauſſa. ſed eſt vſitatum prophetis nomine timoris comprehendere totum cultum.

Stans perpetuò] Aliud diſcrimen à tempore ſeu duratione. Religiones ethnicæ ſubinde mutantur, ſicut teſtantur hiſtoriæ omnium ætatum: hæc ſola durat perpetuò: quod certiſſimum eſt argumentum hanc vnicam eſſe veram.

Iudicia Domini veritas] Quidam iudicia interpretantur de præceptis ſecundæ tabulæ. ſed, ſicut reliqua vocabula, ſtatuta, præceptum, ita etiam hoc loco vſurpatur συνεκδοχικῶς, pro tota doctrina quæ vitæ humanæ norma eſt. Hæc nihil habet falſitatis, nihil vanitatis: itaque ſecundùm huius præſcriptum rectè inſtituitur vita noſtra. econtra aliæ doctrinæ plurimum habent erroris, falſitatis, impoſturarum, vt qui ſecundùm has vitam inſtituit, eum multipliciter aberrare neceſſe ſit.

Iuſtificata ſimul] Id eſt, nihil habent maculæ aut vitij, quod reprehendi aut culpari poſſit: ſed ſunt recta & abſoluta omnibus numeris. Econtra multæ leges aliarum politiarum fuerunt iniuſtæ, vt apud Lacedæmonios lex de adulteriis & furtis. Et nulla eſt politia quæ leges habeat tam abſolutas vt nihil in his ſit vitij. Sola doctrina Dei caret vitio. Ideo dicit, iudicia Dei eſſe ad vnum omnia iuſtificata, ſine exceptione.

11 Deſiderabilia præ auro & obrizo multo: & dulcia præ melle & fauo fluorum.

Amplificatio eſt à collatione, qua commendat verbũ diuinum, tam à pretio quam à dulcedine. Nihil, inquit, eſt in hac tota rerum vniuerſitate pretioſius, expetibilius, amabilius, iucun-

iucundius & ſuauius doctrina cæleſti. Aurum quidem expetitur ab omnibus: ſed magis expeti debet hic theſaurus, quo mundus nihil habet pretioſius. Nam opes reliquæ ſunt caducæ, & tandem deſtituunt ſuos poſſeſſores: hæc bona ſunt firma & perpetua. Reprehendit igitur ingenium mundi, qui peruerſo ſtudio quærit bona fugacia, neglecto hoc præſtantiſſimo theſauro.

פז deducitur à פזז quod eſt confirmari, roborari, conſolidari, vt ſignificet aurum purum & probè recoctum & defæcatum, quod ſoliditatem habet præ cæteris metallis: non enim conſumitur nec minuitur igne. Non habet nomen à loco, vt Ophir. Terra Vphaz, Ierem. 10. videtur inde nomen ſumpſiſſe quia auri puriſſimi fodinas habet. Ex Hebræo Ophir factum eſt Latinum Obrizum. Nam Hieronymus putat Obrizum dici quaſi Ophirizum, hoc eſt, ex terra Ophir. Videtur autem Ophir ea eſſe terra quæ hodie dicitur Peru, tantùm tranſpoſitis literis.

Dulciora] Altera collatio à melle ſumitur. Vt nihil dulcius eſt palato quã mel & fauus: ita afflictis & trepidis cõſcientiis nihil iucundius aut gratius eſt conſolationibus Euangelij. Sed hæc res tota conſiſtit in experientia: ideo homines profani & Epicuræi has & ſimiles ſententias non intelligunt nec aſſequuntur.

נוף agitauit, agitando ſparſit. Inde נפת mel, quod ex fauis eximitur ab inſperſione. צוף fluctuauit, fluidus fuit, inde צוף fluor, fauus fluorum: id eſt, fluidus, vel liquor fauorum.

12 Etiam ſeruus tuus commonefit [*circũnſpectus redditur*] in illis: in cuſtodiendis illis retributio multa.

Addit aliam amplificationem à ſuo ipſius teſtimonio & experientia. Quicquid habeo, inquit, prudentiæ ad regendam & formandam vitam, ad rectè adminiſtrandam rempublicam, ad gubernandum populum, id totum hauſi ex verbo diuino. Ita primùm loquitur de ſua perſona, & vtitur apoſtrophe qua ſermonem ad Deum conuertit, ipſum quaſi teſtem citans: vt certò perſuadeat, ſe ſerio, & ex intimo cordis affectu loqui: poſtea exemplum hoc in genere pertinet ad omnes pios. Hi non aliunde quam ex verbo diuino redduntur prudentes, nec aliunde petunt rationem vitæ bene inſtituendæ.

In cuſtodiendo illa] Alia commendatio à fructu ſeu vtilitate. Qui vitam ſecundum hoc verbum inſtituunt, non ludunt operam: ſed ampla illis merces repoſita eſt: cùm interea fruſtra in reliquis doctrinis homines fatigentur.

Hic verò bonitas Dei commendatur, qui nobiſcum ita paciſcitur, vt quanquam iure ſuo obedientiam à nobis exigat, liberaliter tamen, quam non debet mercedem, ſeruis ſuis promittat. Quanquam igitur vita æterna non datur propter dignitatem noſtrorum operum: tamen ſimul dicitur merces, quia eſt compenſatio, quæ tamen gratuitò accidit, neque enim meritum operum hinc ſtatuendum eſt. Verbum cuſtodiendi hîc non intelligatur de perfecta obedientia Legi debita, quam nemo hominum habet, ſed iuxta dictum Chriſti, Iohan. 14. Si qui ſermonem meum ſeruabit, &c. Et ſicut Apoſtolos idem dicit ſeruaſſe ſermonem, nempe quia amplexi ſint eum fide & bona conſcientia. Deinde עקב ſignificat omne illud quod finem vel operis alicuius, vel ſtudij, perinde atque fructus quidam conſequitur, ſiue id ſtudio quæratur, ſiue non quæratur: imò etiamſi operans nolit vt ſequatur, ſicut fructus mali operis etiam non quæſitus ſic ſequitur vt vitari nequeat, ſed inuitos quoque apprehendat. Eſt autem metaphorica hæc vocis ſignificatio: nam principaliter ſignificat plantam ſeu calcaneum, qui extrema pars eſt corporis humani. Inde quicquid opus aliquod ſequitur tanquam eius finis, dicitur עקב. Et quia merces ſequitur opus: ideo nonnunquam vocabulo mercedis redditur, etiamſi non ſemper id quod ſequitur, rationem habeat mercedis.

13 Errores [*delicta*] quis intelligit? ab occultis munda me.

Exclamatio eſt à triſti querela cum anthypophora, qua delabitur ad precationem, eáque pſalmum tandem concludit. Cùm enim dixiſſet, Seruantibus legem Dei amplam mercedem repoſitam eſſe: & tamen conſtet promiſſiones additas legi eſſe conditionales, ita vt non niſi præſtantibus integram obedientiam vita æterna promittatur, nemo verò hominum ſit qui ad illam perfectionem perueniat: perculſus quaſi horrore ingenti erumpit in hanc exclamationem, qua ſe & alios longè abeſſe ab illa perfectione fatetur: & ſimul oſtendit quomodo illæ legis promiſſiones, quibus addita eſt conditio, ſint accipiendæ: & quomodo etiam non præſtantibus integram obedientiam fiant ratę. Verum quidem eſt, inquit, multum manere infirmitatis & ſordium etiam in ſanctis, vt nemo ſit, qui intelligere hæc mala ſatis, nedum cauere poſſit: ſed propterea non eſt ſpes abiicienda, nec exiſtimandum, quia legis iuſtitia deſtituimur, etiam à ſpe mercedis nos excludi: ſed confugiendum eſt ad miſericordiam Dei, & petendum vt ille peccata condonet: ita promiſſiones illæ erunt ratæ.

Opponatur autem hoc dictum commento monachorum de enumeratione ſingulorum delictorum in auriculari confeſſione. De quo impio dogmate alibi dicitur copioſiùs.

Ab occultis] Explicat quid intelligi velit vocabulo שגיאות videlicet non tantùm illa leuia delicta, quæ per ignorantiam committuntur, ſed etiam alia craſſiora peccata, in quibus tamẽ Satanæ ludibriis ita detinemur irretiti, vt magnitudinem horum non perſpiciamus. Verbum נקה non ad regenerationis donum, ſed ad gratuitam condonationem refertur. Significat enim in ſecunda coniugatione, immunem aliquem facere à culpa vel à pœna, & parcere alicui tãquam innocenti.

14 Etiam à ſuperbiis contine ſeruum tuum, ne dominentur mihi: tunc ero integer, & mundabor à ſcelere multo.

Manifeſta delicta ſeu apertas trãſgreſſiones, quibus adiuncta eſt contumacia, vocat ſuperbias ſeu arrogantias, eo quòd temerario auſu ac faſtu, cum Dei & hominum contemptu fiant contumaciter, atque à talibus ſe cuſtodiri, prohiberi & cõtineri petit. & cùm vtitur verbo חשך ſignificat quãta ſit procliuitas carnis ad peccandum, & quàm facilè etiam ſancti labantur, niſi diuinitus cuſtodiantur, & præſeruentur, & tanquam fræno retineantur.

Ne dominentur in me] Id eſt, ne erumpant in externas actiones concupiſcentiæ ſtimuli, neue contra conſcientiam ſciens & volens delinquam. Fieri non poteſt quin pij pungantur cõcupiſcentiæ ſtimulis, ſed hic opus eſt auxilio diuino, ne imperium obtineant. Mallet quidem Dauid, nullum eſſe in ſe vitioſum motũ: ſed quia in hac corrupta natura nemo à peccati reliquiis prorſus immunis eſſe poteſt: ideo petit, ſe inſtitui à Spiritu ſancto, vt pugnando compeſcere vitioſos motus poſſit, ne iniquitas victrix dominetur. Hinc ſumitur diſtinctio peccati regnantis & non regnantis: de qua dicitur in libris methodicis.

Tunc ero immaculatus] Id eſt, ita potero euadere victor, & tũc non habebo peccata damnantia, non habebo peccatum regnans: & ita placebunt tibi opera mea, non aliter ac ſi legi ſatisfeciſſem. Ita igitur docet quomodo opera ſanctorum placeant Deo, etiamſi Legem non impleant: videlicet cùm ille remittit peccata, & pronuntiat nos iuſtos, & prohibet ne ruamus in delicta contra conſcientiam.

Immunis ero] Id eſt, non opprimar magnitudine & multitudine delictorum, quod omnibus impiis & non renatis, qui deſtituuntur gratia Dei, accidit. Illi enim ruunt ex vno ſcelere in aliud, & cumulant peccata peccatis: & tãdem, mole ſuorum peccatorum oppreſſi, ruunt in deſperationem & æternum exitium.

15 Sint ad beneplacitum verba [*eloquia*] oris mei, & meditatio cordis mei coram te, Iehoua, fortitudo [*petra*] mea & redemptor meus.

Id eſt, non tantùm prohibe me à tranſgreſſionibus ne in externum actum erumpant: ſed etiam linguam & mentem meam guberna ſpiritu tuo, ne quid cogitem vel dicam, niſi quod tibi placeat & gratũ ſit. Ita oſtẽdit qualis ſit homo pius & quomodo placeant eius opera. Doctrina quidem diuinitus patefacta, eſt integra & omnibus modis abſoluta: ſed homines nequaquam perueniunt ad illam integritatem, quæ in verbo requiritur. ideo in Eccleſia ſemper eſt multum ſordiũ, infirmitatis & ſqualoris. Hac triſti ſpecie nemo debet offẽdi, vt deficiat à Deo & ab illo cœtu qui dicitur Eccleſia. Deus enim remittit peccata illa, & ſpiritu ſuo confirmat pios, vt repugnare prauis inclinationibus & vitioſis motibus poſſint, & opera ipſorum acceptat, atque his mercedem rependit, non aliter ac ſi Legi ſatisfeciſſent: idque fit propter Mediatorem, qui hîc dicitur petra & redemptor.

Rupes] Id eſt, qui me ſuſtentas ne corruam.

Redemptor] Id eſt qui conſtitutum in malis eripis & liberas.

PSALMI XIX
PARTES.

I. Propoſitio doctrinæ à 2.verſ.ad 12.cuius ſumma eſt,Dei gloriam modis omnibus prædicari, tum à rebus creatis (nempe cœlis, expanſo, die, nocte, Sole) ex naturæ ordine, & quę illuſtriſſimum exhibent diuinæ gloriæ documentum, v.2. 3. 4. 5. 6. 7. tum à verbo Dei ex diſpenſatione gratiæ, v.8.9.10.11. Commendatur autem alterum illud genus documentorum 1. à natura ipſius, quod ſit integrum, verax, rectum, &c. 2. ab effectis erga pios, quod ſingula effecta ſuam conuenientiam habeant cum prioribus attributis ſingulis de natura Verbi.

II. Concluſio petitoria, ab occaſione ſuperioris doctrinæ, & ſtudio conſequendi boni quod illa explicat. Tria ſunt autem huius petitionis capita. 1. Liberatio à peccatis per errorem commiſſis, 12. & 13. v. 2. Conſeruatio in obſequio Dei & ſanctificatione, 14. v. 3. Acceptio perſonæ per Chriſtum, qui primus eſt aditus ad remiſſionem peccatorum & ſanctificationem, v. 15.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. *Veræ theologiæ ſumma & finis eſt,tum Dei ipſius,tum diuini cultus eam habere notitiam qua ſiamus æternæ vitæ participes.*

Homines Dei gloriam ac maieſtatem,id eſt,æternam ipſius potẽtiam ac diuinitatem ex ipſo cælorum conſpectu, dierum & noctium vicibus,ac præſertim ſolis aureo ſplendore terrarum orbem curſu inenarrabili colluſtrantis,docentur,vt nemo poſſit ignorantiam illius prætexere.Vide Act.14.17.& Rom.1.20.

Nihil tam eſt obſcurum vel contemptibile in minimis terræ angulis,in quo non aliqua virtutis & ſapientiæ Dei nota cernatur:ſed quia cælis inſculpta eſt expreſſim imago,hos præcipuè eligit propheta, quorum ſplendor nos ad totũ mundum luſtrandum dirigere poteſt. Nam vbi quis ex cæli intuitu Deum agnouerit,non modò in terræ ſuperficie., ſed in minimis quibuſque plantulis eius ſapientiam & virtutem reputare ac mirari diſcet.

Gloriæ diuinæ muti præcones,ingratitudinẽ nobis exprobrant,ſi tã clarum teſtimonium ſurdis auribus præterimus.Hanc verò gloriam prædicant,quoniam apertè teſtantur non ſe fortuitò conflatos eſſe,ſed ab opifice præſtantiſſimo & patre optimo in vſum noſtrum mirabiliter conditos.Conditoris item prouidentiam ſuo ornatu, ſplendore, & ordine ſatis ſupérque teſtãtur:ita vt mẽtes noſtras in admirationẽ immenſæ eius bonitatis,ſapientiæ ac omnipotentiæ rapi neceſſe ſit.

3.4.5.6.7. *Nullus prætextus ignorantiæ relictus eſt Adami filiis quia quum doctorum officio tam probè fungantur dies ac noctes,ſatis ſcientiæ ex eorum magiſterio conſequi poſſunt.*

Quamuis inter ſe populi linguis differant, cælis eſt communis ſermo ad omnes pariter docendos:nec quicquam obſtat,præter ſocordiã, quominus alieniſſimi quique quaſi ex ore vnius doctoris proficiãt. Nam vbique terrarum intelligunt homines, cælos propoſitos eſſe teſtes ad celebrandam Dei gloriam. In illis enim,tanquam in volumine conſpicuo,deſcripta eſt hæc gloria, & ſimul illis indita ſonora vox quæ ad omnium aures perueniat.

Quia nullum æquè ſidus,vt Solis iubar,Dei maieſtatem atteſtatur,propheta de Sole peculiariter ſubiicit,in altiſſimo gradu poſitum eſſe,& tam illuſtri familiarique teſtis oculatiſſimi & omnium ſiderum maximi deſcriptione totum mundum ingratitudinis arguit, niſi Sole conſpecto in vera pietate proficiat.

Hoc mirabile Dei opus eſt & inſigne bonitatis ſpecimen, quod vis Solis in terram vſque penetrans, ſua inſpiratione eam fœcundat. præterea viuificum illum calorem,quo nos vegetari ſentimus, nullus effugere cupit.

8 *Quod de Deo teſtantur cæli,non eò vſque deducit homines vt veram pietatem perdiſcant,ſed tantùm huc valet vt inexcuſabiles reddantur.*

Niſi eſſemus nimis hebetes,ſunt in mundi theatro ſatis multa documenta,quæ nos ad pietatem inuitant:ſed quia in luce clara cæcutimus ſine verbi præſidio, nihil nobis prodeſt ſplendida iſta gloriæ Dei repræſentatio,licet ſonoræ concionis loco eſſe debeat. Sed longè perfectiore patefactione indigemus,quæ & eadem illa, & Dei præterea voluntatem perſpicuè commonſtret:conſcientiam denique noſtram lethali peccatorum vulnere ſauciam tranquillet.

Legis nomine propheta nõ tantùm intelligit regulã iuſtè viuendi vel decẽ præcepta:ſed comprehendit totum fœdus quo Deus Eccleſiam ſuam à reliquo mũdo diſtinxit.Vis autem eius fœderis, æternã lætitiã ſpectans,quum tota ſit Euangelij,liquet Dauidem præcipuè de hac diuini ſcripti parte diſſerere, & de gratuita peccatorum remiſſione concionari, quæ tunc erat legalibus cæremoniis adumbrata, nunc verò nobis eſt tum ab ipſo Chriſto,tum Apoſtolicis epiſtolis pleniſſimè ac manifeſtiſſimè explicata.

Ei ad perfectam ſapientiam nihil deeſt qui in verbi Dei doctrina rite eſt edoctus:humana lux autem,in profanis ſcriptis latens,mãca eſt & maligna.

Sicut anima vegetat corpus: ſic etiam Dei verbũ vita eſt animæ noſtræ.Et quamuis quædã primæ originis reliquiæ adhuc ſuperſunt, quia tamen nulla pars ab inquinamẽto & labe pura manet, ſic vitiata animæ conditio prorſus ad mortem tendit, donec Deus adhibito verbi ſui remedio & organo nos in vitam reuocet.

Vbi nos Dei verbo regendos tradimus, non eſt errandi periculum: quia certò hac via Dominus ſuos in ſalutem dirigit.

Quum præſtantiſſima animæ facultas ſit intelligentia, ſapientiã ex lege petẽdã eſſe Propheta docet,quia naturaliter ea deſtituimur.

Nulli rectà intelligentia præditi ſunt,donec in lege Dei profecerint.

Diſcipulos poſtulat Deus qui ſtulteſcant apud ſe & in puerorum ordinem deſcendant,ne impediat proprij ſenſus altitudo quominus Dei verbo ſe penitus dociles offerant.

9 *Non poteſt rite aliter inſtitui vita noſtra quàm ſi formetur ad Dei legem,extra quam in tortuoſis ambagibus erramus.*

Nulla alia eſt niſi bonæ conſcientiæ ſolida lætitia:qua tunc demũ fruimur,vbi certo ſumus perſuaſi vitam noſtram Deo placere. Et hæc hilaritas prauis omnibus illecebris & voluptatibus opponitur, quæ exitialiter miſeras animas ineſcant.

Perperam aliunde quàm ex lege Dei petitur boni & mali diſcrimẽ: quia vitæ puritatem inquinat quicquid ex ſe comminiſcuntur homines.Deinde,cum toto ſuo acumine cæci ſunt, & ſemper errant in tenebris,donec ad cæleſtis doctrinæ lucem conuertant oculos.

10 *Dum vt plurimum metuunt homines Deum, vt falſos & vitioſos cultus excogitando iram eius magis in ſe prouocent, meritò reuocamur ad Dei verbum, quod ab omni ſorde purum, nobis verè præſcribit quomodo Deum timere oporteat.*

Verbum Dei quum ſit theſaurus felicitatis æternæ,ſequitur, filios huius ſeculi qui cæco impetu ad res euanidas feruntur, inanẽ beatæ vitæ vmbram captando veram amittere beatitudinem.

Quicquid poſthabita Dei lege ex arbitrio ſuo ſuſcipiunt homines, vanum eſt,quum illa veritatis elogio indeſinenter gaudeat.

Ab omnibus profanis doctrinis lex Dei hoc diſcernitur nomine, quòd nihil maculæ aut vitij deprehendatur in ea, ſed abſoluta ſit omnibus numeris.

11 *Non æſtimatur pro meritis Dei doctrina, niſi eam omnibus mundi diuitijs præferimus.Hæc æſtimatio ſi apud nos obtineat,facilè nimia auri & argenti cupiditate animos noſtros purgabit.*

Fieri non poteſt vt lex ad obſequium nos cogat & alliciat, quin ſimul corrigantur carnis deliciæ,quibus nos ineſcari mirum non eſt, quandiu inſipido guſtu iuſtitiam Dei reſpuimus.

Nõ de nudis præceptis & mortua litera habetur hîc ſermo,ſed promiſſiones quibus offertur gratia ſimul comprehenduntur:nam ſi lex tantùm iubendo terreret, quomodo eſſet amabilis? Si à ſpe veniæ & Chriſti ſpiritu ſeparatur,tam procul abeſt à mellis dulcedine,vt ſua potiùs amaritudine miſeras animas interficiat.

12 *Nemo de cæleſti doctrina verè & ſeriò diſſeret, niſi qui eam penitus animo infixam alit.*

Si ratio vitæ bene inſtituendæ quæritur, vna Dei lex ſatis ſupérque ſufficit:ſimulatque autem ab ea diſceditur, multis erroribus obnoxius eſt vitæ noſtræ curſus.

Etſi iure ſuo Deus à nobis exigit quicquid lex continet:liberaliter tamen mercedem ſeruis ſuis promittit, quamuis indebitam:nam in fœdere adoptionis incluſa eſt gratuita peccatorum venia,ex qua dependet iuſtitiæ imputatio.

13 *Legis promiſſiones conditionales nos docent ſpe mercedis abſciſſa,neceſſariò ad Dei miſericordiam confugere debere: innumeris enim delictis coram Deo obſtringimur, quæ gratuita condonatione per Chriſti ſanguinem mundantur.*

Supina hypocriſi dementati ſunt ſuperſtitioſi homines,quibus expeditum negotium videtur, ſemel quotannis omnia peccata in faſciculũ colligere, quem in aures ſtupidi cuiuſdã morionis proijciant.

14 *Ea eſt ad peccãdum carnis procliuitas, vt ſancti etiam ſtatim diffluant vel præcipites ferantur,niſi Deus eos protegat.*

Si à tranſgreſſionum periculo tutus nõ fuit Dauid, qui in Dei timore vſque adeo profecerat, quomodo ſibi per liberum arbitrium moderabitur homo carnalis,in quo dominãtur innumeræ libidines?

Docet hic verſiculus non modò totum humanum genus naturaliter peccato mancipatum eſſe:ſed ipſos quoque fideles, niſi ad eos regendos aſſidue inuigilet Deus & in perſeuerantia confirmet, fore peccati mancipia.

Nunquam

Nunquam pro impetranda venia orandum eſt, quin ſimul petamus Dei virtute in poſterum nos armari, ne præualeant tentationes.

Quanquam ſtimulis concupiſcentiæ pungamur, non tamen deſpondere animos conuenit, ſed Deus rogandus eſt vt nos cohibeat.

Hunc honorem ſpirituali Dei præſidio tribuunt fideles, vt eo freti certam ſibi victoriam contra omnes Satanæ inſultus promittant.

Simul ac nos deſtituit Dei gratia, nullũ eſt peccati genus quo nos Satan non illaqueet. Sicut igitur inter tot ac tã multiplices inſidias minimè torpendum eſt: rurſum, modò auxilietur nobis Deus, ſtabimus inuicti, & nobis manebit incolumis integritas.

15 *Difficile eſt, etiam perfectiſſimis, verba & cogitationes ita frænare, vt nihil diuinæ voluntati aduerſum vel animo vel ore concipiant. eo magis igitur diſcamus quàm neceſſaria ſit nobis Spiritus gubernatio ad vitam rectè probéque inſtituendam.*

Nulla alia eſt bene viuendi regula quàm ſi Deo placere ac ſe probare homines ſtudeant.

Extra periculum à Deo ſuſtentamur: in aduerſis & periculis cõſtituti ab eo redimimur & liberamur, per & propter Chriſtum, verum & vnicum fidelium omnium redemptorem.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De duplici patefactione & cognitione Dei, nempe per Opera creationis, conſeruationis & prouidentiæ: item per Verbum in libris ſacris canonicis comprehenſum.
2. De rerum creatarum, cœleſtium præſertim, documentis, & recto vſu.
3. Verbi Diuini, literis conſignati aut cœleſtis maieſtas, perfectio, dignitas, authoritas, præſtantia ſumma, multiplex vtilitas.
4. Euãgelij ſumma, De remiſſione peccatorum, Noua obedientia, Sanctificatione, acceptione credentis perſonæ per Chriſtum Mediatorem.

ARGVMENTVM PSALMI XX.

PRECATIO eſt populi Dei pro rege Iſraelis, atque adeo pro quolibet pio magiſtratu, vt huic Deus felicem gubernationem largiatur, & victorias contra hoſtes concedat. Conſtat autem duabus partibus. Prior eſt, petitio, vt dixi. Poſterior gratiarum actio, quòd hanc politiam clementer ſeruet, & tueatur: & admiſcetur πάθος *fidei triumphantis. Additur & collatio fiduciæ, quam pij & impij habent, & vtriuſque ſucceſſus & exitus deſcribuntur. Exiſtimant autem nonnulli pſalmum hunc compoſitum eſſe eo tempore quando Dauid eduxit exercitum contra Ammonitas, de qua hiſtoria legatur cap. 10. 2. Sam. & 19. 1. Paral. nunquam enim numeroſior & inſtructior exercitus ab hoſtibus miſſus eſt contra Iudæos: habueruntque præter exercitum 32. millia curruum, ex quibus 7000 conciſa ſunt, & ex exercitu 40000 equitum & peditum cæſa. Eò igitur videtur reſpicere verſu octauo, cùm inquit, Hi in curribus & hi in equis, &c. Sed etiamſi illa occaſio fuerit pſalmi ſcribendi: tamen ad omnia referri debet. nam vt tunc populus pro incolumitate ſui regis precabatur: ità quotidie Eccleſia precari debet, vt Deus ſeruet reges, qui ſunt nutritij Eccleſiæ: & politias, quæ hoſpitia præbent ſcholis & Eccleſiis. Et monent nos tales precationes Eccleſiæ de multis magnis rebus. Primò, Quòd ordo politicus res ſit bona & Deo placens: abſque hoc enim ſi eſſet, rogare pro eius incolumitate nemo poſſet: neque enim petendum vt peccata ſtabiliantur. Aliud igitur eſt imperium legitimum, aliud latrocinia, quæ nihil niſi vaſtitates efficiunt in genere humano. Secundò, Quod imperia non caſu, aut tantùm conſiliis humanis ac præſidiis conſeruentur: ſed à Deo, qui ordinem à ſe inſtitutum ſeruat & tuetur. Tertiò, Quòd res magnæ & ſalutares non gerantur noſtra ſapientia & virtute, vt cogitabant Aiax, Timotheus & alii: ſed quòd opus ſit auxilio Dei, ſicut dicitur alibi pſalmo 127. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, &c. De his rebus omnibus monet hic pſalmus. Quartò, Quòd hoc vitæ genus plenum ſit ingentium periculorum. Nam diabolus, vt eſt autor ἀκαταστασίας, ita omnia legitima imperia cupit deleta: ideóque ſubinde excitat turbas & motus, quibus diſſipantur politiæ.*

1 AD triumphandum pſalmus Dauidis.

Titulus oſtendit, pſalmum eſſe compoſitum à Dauide. Functus eſt igitur non tantùm regis, ſed etiam doctoris officio: qui populo formas precandi præſcripſit & dictauit: quod exemplum intueri & imitari principes oportebat.

2 Exaudiat te Iehoua in die tribulationis: exaltet te nomen Dei Iacob.

Orditur à propoſitione, quæ eſt petitio defenſionis, auxilij & liberationis. Vtitur autem apoſtrophe, ad ipſum regem, non ad Deum, vt populus oſtendat ſibi curæ eſſe ipſius regis ſalutem. Eſtque ἐμφατικώτερον quod dicit: Exaudiat te Iehoua, quàm ſi dixiſſet, Iehoua exaudiat regem. Simul etiam reges monet ſui officij, vt ipſi in ſuis periculis & negotijs opem & auxilium Dei implorent, non tantùm committant rem precibus populi. Sunt autem lumina argumentorum ſeu rationes aſperſæ propoſitioni. Nam cùm dicit, *In die tribulationis*, argumentum eſt à neceſſario, ob pericula & anguſtias temporis. Rurſus cùm dicit, Protegat Dei nomen Iacob, ſumitur argumentum ab honeſto. Quia inuocat nomen Dei, qui ſe Iacobo patefecit, & promiſit ſe poſteritatem eius, & in primis regnum tribus Iudæ ſeruaturum eſſe.

Die tribulationis] Id eſt, in aduerſitatibus quæ ſcilicet multæ & magnæ obiiciuntur gubernatoribus, tam pacis quàm belli tempore.

שגב Eleuare ſeu exaltare ſignificat in genere: ſed hoc in loco & alibi metaphoricè ſignificat, aliquem collocare in loco arduo & excelſo, in quo tutus eſſe aduerſus vim & iniuriam hoſtium poſſit. hoc eſt, ſuperiorem facere hoſtibus ſuis.

Nomen Dei] ſignificat Deum, quatenus ſe patefecit & agnoſcitur: eſt enim eius eſſentia, maieſtas, & gloria incomprehenſibilis: ſed quatenus ſe nobis patefecit, cognoſcitúrque eius gratia, potentia & virtus ex eius verbo & operibus, vnde fiducia in ipſum concipitur, tribuitur ei nomen. Hoc igitur eſt, nomen Dei Iacob, hoc eſt, Deus ipſe quem Iacob & eius poſteri agnoſcunt, colunt & inuocant, vt hac ipſa appellatione fides excitetur. Alij nomen interpretantur maieſtatem, virtutem & potentiam, quòd nomina rerum cõplectantur, & repræſentent cuiuſque rei naturam, maieſtatem & vim: ſed melius eſt vt referatur ad agnitionẽ & patefactionẽ. Nomen enim eſt id quo quis agnoſcitur: & ita paſſim in Scriptura vſurpatur. Et quia eius potentia & virtus etiam in conſeruatione ac gubernatione Eccleſiæ & politiarum conſpicitur, etiam huc accommodari poteſt, vt dixi. partim enim ex verbo, partim ex operibus agnoſcitur Deus.

3 Mittat tibi auxilium de ſanctuario: & è Sion fulciat te.

Repetit eandem precationem: ſed aliud aſpergit argumentum ſumptum à promiſſionibus diuinis. Quod enim mentionem facit ſanctuarij & Sionis, non ideo fit quod Deũ concludi aut contineri certo loco exiſtimet, ſed reſpicit ad promiſſiones quibus pollicitus erat Deus, ſe habitaturum in medio ſui populi, cuius præſentiæ ſymbolum & pignus erat ſanctuarium ſeu arca fœderis. Voluit enim Deus ſuccurrere infirmitati ipſorum, ne exiſtimarent eum procul abeſſe: itaque externis ſymbolis oſtendit, ſe ipſis eſſe propinquum. Quòd vero Sionem ſanctuario coniungit, non ideo tantùm fit quòd tabernaculum tunc erat in Sion, cùm nondum eſſet extructum templum: ſed etiam vt oſtendat, regnum eſſe ſacerdotio coniunctum, & ſacro hoc vinculo ita vtrumque contineri, vt diuelli nequeant. Simul etiam hæc vocabula monent, pſalmum à Dauide iam ſene ſub extremum vitæ eſſe compoſitum. Nam arca in Sionem tranſlata eſt penè ſub finem regni Dauidis. Alij nomen Sanctum interpretantur, de modo liberationis, qui ſit ſanctus: hoc eſt, occultus; arcanus, myſticus, memorabilis, quem mens humana excogitare aut præuidere nequeat.

4 Memor ſit omnium oblationum tuarum: & holocauſtum tuum pingue reddat, Selah.

Subiicit petitioni repetitæ aliud argumentum ab honeſto: quaſi diceret, Re ipſa ſeu felici ac proſpero omnium rerum ſucceſſu oſtendat, pietatem tuam non eſſe irritam aut vanam, & preces tuas, quas inter ſacrificandum ad Deum fudiſti, non fuiſſe inane murmur. Nam cùm nominat ſacrificia, ſimul comprehendit preces, quæ ſemper victimis & oblationibus erant coniunctæ. Erant enim ſacrificia tanquam ſymbolum, quo certi reddebantur pij in hoc populo ſuas preces fore gratas & acceptas. ſicut hodie preces noſtræ non ſunt gratæ Deo, niſi quatenus Chriſtus eas odore ſacrificij ſui perfundit & ſanctificat.

מנחה In genere eſt donarium, & ſæpe oblationem quæ Deo offertur, ſignificat: in Moyſe verò ſignificat certum ſacrificium, quod conſtabat farre, cuius quinque ſpecies numerantur, Leuit. 2.

Pingue faciat] Id eſt, faciat ſelectum ſeu eximium, & oſtendat ſibi gratum eſſe. Alludit ad pinguia animantia, quæ deligebantur ad ſacrificia ab his qui ex animi quadam pietate & reuerentia erga Deum offerebant, neque compendia ſua in ſacrificiis quærebant. Macilenta enim reſpuebat Deus, ſicut videre eſt ex Malachia: vbi longa concione reprehendit auaritiam & ſordes eorum qui macilentas, morbidas aut mutilas pecudes offerebant. Maledictus, inquit, qui doloſè agit in ſacrificio, in cuius grege eſt maſculus, &c. & offert corruptum Domino.

Alij exponunt verbo incinerandi, vt videatur alludere ad ſacrificia ſanctorum patrum, quæ Deus accendit & incinerauit igne cœlitus demiſſo, quod fuit ſignum accepti ſacrificij.

5 Det tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum impleat.

Cor hic ſumitur pro affectu cordis μεταληπτικῶς, hoc eſt, pro deſiderio. Nec deſiderium hic intelligatur de ſtulta ambitione, auaritia, cupiditate vindictæ, ſtudio proferendi regni fines, aut alijs prauis affectibus, quibus flagrarit Dauid: ſed de cura & ſtudio publicæ trãquillitatis & ſalutis huius populi tuendæ & conſeruandæ. Hoc enim erat vnicum eius deſiderium, vt ſtatum publicum tam in Eccleſia quam in republica videret florentem: & huc dirigebantur omnia eius conſilia & omnes conatus. Petit igitur felicitatem conſiliorum & euentuum in tota gubernatione, tam domi in pace, quam foris in bello, & oſtendit, humana conſilia non eſſe ſalutaria, niſi Deus ea gubernet & fortunet.

Impleat conſilium] Id eſt, voti te compotem faciat: eſt enim repetitio prioris membri.

6 Exultabimus [*vt exultemus*] in ſalute tua, & in nomine Dei noſtri vexillum erigemus: impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Amplificatio eſt à cauſſa finali ſeu fructu ſecuturo. Ideo adſis regi, & da felicem euentum omnibus conſiliis & conatibus ipſius, vt læti poſſimus prædicare liberationem & reliqua tua beneficia, & erigere trophæum ſeu vexillum quod ſit monumentum tuæ præſentię in hoc populo.

Exultabimus] Id eſt, læti agemus gratias pro liberatione noſtra. Oſtendunt autem hac orationis forma, regis ſalutem complecti communem totius populi, ſeque non pro capite vnius hominis, ſed totius Eccleſię ſalute eſſe ſolicitos, & agi cauſſam communem.

In ſalute tua] Quam tu ſcilicet confers. Alij malunt pronomen referri ad Regem.

In nomine Dei erigemus vexillum] Id eſt, agnoſcẽtes gratiam Dei, celebrabimus lęti triumphum, ingrediemúrque vrbem erectis vexillis tanquam victores. Alij ſic interpretantur, Fiducia in Deum poſita confidenter congrediemur cũ hoſte, certo ſperantes victoriam.

7 Nunc cognoui quòd ſeruauerit Iehoua vnctum ſuum: exaudiet eum de cælo ſancto ſuo [*ſanctuarij ſui*] in fortitudinibus ſalutis dexteræ.

Altera pars eſt huius pſalmi quæ continet gratulationem coniunctam cum gratiarum actione: eſtque πάθος fidei geſtientis & triumphantis. Ita enim fit vt pij in media precatione ſentiant ſolatium, ac iã certam ſibi ſalutem & victoriam quaſi debellatum ſit, polliceantur. itaque erumpunt in gratiarum actiones. Monet igitur hic locus quanta ſit efficacia piarum precum.

Nunc cognoui] Id eſt, nunc certus ſum & certa experientia didici, Deum eſſe cuſtodem eius regni quod ipſe inſtituit & cuius ipſe eſt autor. Ideo enim Dauidem nominat vnctum Dei, vt oſtendat, hunc regem eſſe legitimum, & autoritate diuina conſtitutum, & quidem ſacrum: hoc eſt, ἱερὸν καὶ ἄσυλον.

In fortitudinibus ſalutis] Id eſt in potenti ſalute quam confert dextera tua. Germanicè, *Durch die ſtercke, welche iſt das Heil ſeiner rechten handt*: quaſi dicat, Deus pro admirabili ſua potẽtia ſeruabit regem ſuum, & eripiet, ne opprimatur mole gubernationis aut periculorum.

Alij, in fortitudinibus ſalus dexteræ eius: id eſt, pij iudicant ſalutem dexteræ Dei eſſe in fortitudinibus: hoc eſt, ſatis potentem & validam ad depellenda pericula, ad conferendam ſalutem, etiamſi rationi id non appareat.

8 Hi in curru, & hi in equis: nos autem in nomine Iehouæ Domini noſtri recordabimur.

Gratiarum actioni ſubiicit antitheſin, qua confert inter ſe piorum & impiorum fiduciam in rebus aduerſis: & primùm ab obiectis, deinde ab euentu diſcrimen oſtendit. Impij omnes extra Eccléſiam putant omne pręſidium omnémque vim poſitam eſſe in humanis conſiliis, viribus & armis, & præcipuè in militaribus copiis. itaque quantum quiſque habet potentiæ & virium, tantum concipit animi & fiduciæ. Econtra verò pij non reliquorum hominum more ſpem locant in armis & bellico apparatu: ſed ſciunt, humanas vires & omnia illa quæ in oculos incurrunt, infirma, caduca, momentanea & fallacia eſſe: ideo omnem ſpem & fiduciam in ſolũ Deum ponunt: & euentus tandem oſtendit, impiorum fiduciam fuiſſe vanam, cùm ſpe ſua fruſtrati turpiter & miſerè pereũt: econtra verò piorum ſpem eſſe certam, quæ non fruſtretur ſperantes: nam exitus eſt felix.

Sed hic quæritur, an hoc & ſimilibus dictis omnis vſus armorum & inſtrumentorum bellicorum reiiciatur & damnetur. Reſpondeo, Non vſus ſed fiducia reiicitur & damnatur. nam & Dauid hoc ipſo tempore vſus eſt armis, eáque expediuit contra hoſtes: ſed longè aliter quàm hoſtes videbat facere. Illi enim id ſolum laborabant vt contraherent exercitus, quantos maximos poſſent, armíſq. inſtruerent: atque hoc apparatu confiſi certiſſimam victoriam ſibi pollicebantur, non cogitantes victorias diuinitus dari. Econtra Dauid memor ſuæ vocationis, cum ſciret defenſionem populi ſibi mãdatam eſſe, contrahit exercitum mediocrem, inſtruit eum, educit in aciem, præliatur: interea verò conſilia ſalutaria & victoriam petit & expectat à Deo. Ita vſus quidem armorum communis eſt piis & impiis, ſed conſiſtit diſcrimen in fiducia, quam pij in Deum, impij in creaturas collocant.

Recordari nominis Dei, eſt meditatione & conſideratione diuinæ potentiæ & bonitatis ſe erigere & conſolari contra quamuis vim, & quæuis terriculamenta quę foris obiiciũtur: nec frangi metu potentiæ armorum hoſtilium, ſed fiducia nominis diuini niti contra omnẽ potentiam, minas & terrores qui foris offeruntur.

9 Hi incuruati ſunt & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus [*ſubſiſtimus.*]

Ab euentu oſtendit quàm vana ſit impiorũ fiducia, & quanto ſatius ſit omnem ſpem in vnum Deum collocare. In ipſis verbis ſubeſt tacita antitheſis, qua pingitur vtriuſque partis ſtatus & conditio. Principia impiis ſolent eſſe lęta: videntur enim ſibi probè muniti eſſe aduerſus omnem vim, & ad omnia paratiſſimi, atque hac fiducia elati ſæuiunt contra bonos, quos opprimere conantur. Econtra pii videntur initio ita oppreſſi vt ſurgere aut erigere ſe nequeant. ſed ſubita fit cataſtrophe, nam qui ſtare videbantur, corruunt & euertuntur: qui verò iacebant, ſurgunt & vires recuperant. Surgere enim dicuntur qui priùs iacebant: cadere verò qui priùs ſtabant.

10 Iehoua ſerua: rex ille exaudiat nos in die quo inuocamus eum.

Epiphonema eſt quod continet votum. Eſtque ſumma totius pſalmi hoc verſu repetita. Quidam ſic legunt, Domine, ſerua regem, vno contextu: ſed diſtinctio monet ſic legendum vt nos interpretati ſumus. Eſtque emphaſis in voce מלך propter ה adiectum, quod eſt inſtar articuli aut pronominis demonſtratiui. Nominat autem regem ipſum Chriſtum, cuius perſonam geſtabat Dauid & eius ſucceſſores. Ille igitur verus rex noſter adſit nobis, ſeruet nos de manu hoſtium, &c.

PSALMI XX.

PARTES.

I. Petitio bimembris: precatur enim populus ſalutem regi, à verſ. 1. ad 6. Deinde ſalutem, pa-

cem

cem & lætitiam ſuam à Deo petit populus, verſ. 6. Hæc pro rege petitio duo continet. 1. Vt beneuolentiam ſuam Deus opere teſtetur, regem ſupra omnia pericula euehens. 3. verſ. 2. Vt Deus regis perſonam amplectens, preces eiuſdem exaudiat.

II. Confirmatio, ſiue prædicatio glorioſa Eccleſiæ; velut iam petitionem adeptæ, qua oſtendit ſe planè de felice euentu in Deo ſecuram eſſe. verſ. 7. cuius ſubiicitur explicatio per comparationem fiduciæ fidelium cum infidelium profana ſecuritate, verſ. 8. & vtrorumque euentu, verſ. 9.

III. Concluſio, ſummatim precationem fiduciámque Eccleſiæ, Chriſtum regem ſuum (cuius rex populi Iudaici fuit typus) inuocantis, breuiter repetens.

Observationes locorum doctrinae.

1. 2. 3. *Quanquam filiis ſuis in genere præcipit Deus pro regibus orare, peculiaris tamen fuit regni Iſraelitici, & ab aliis omnibus diſtincta ratio. Ac ſub typo regni temporalis deſcriptum fuit longè melius regimen, vnde pendebat plena eccleſiæ lætitia & felicitas.*

Hoc pſalmo omnes pij hortantur ad piam ſolicitudinem pro regno Chriſti gerendam, quæ nos ad continuas preces exſtimulet.

Vt populi officium eſt pro magiſtratuum ſuorum ſalute precari, ita monentur magiſtratus vt in ſuis negotiis fidem Dei implorent, præcipuè verò in bellis, modò ea ſint iuſta & neceſſaria.

A moleſtiis principes & magiſtratus non erunt immunes: ſed in die tribulationis Deus omnipotens inuocatus aderit, vt eos piè & iuſtè incedentes protegat ac liberet.

Quia nobis incomprehenſibilis eſt Dei eſſentia, quatenus nobis patefacta eſt eius gratia & virtus, in eum ſperare conuenit. Itaque ex nomine inuocandi fiducia naſcitur.

Quando Chriſtus rex noſter pro æterni ſacerdotij ratione apud Deum intercedere non deſinit, totum eccleſiæ corpus conuenit eius precibus ſuccinere: ſicuti etiam nulla ſpes eſt nos exauditum iri, niſi ipſo præeunte.

Non exigua leniendis noſtris doloribus conſolatio eſt, quòd noſtras anguſtias, quoties affligimur, Chriſtus ſuas eſſe ducit: modò ſimul in mentem veniat, animos in tribulatione colligere, quia hic ſpiritus oraculo prædictum eſt, regnum Chriſti periculis & incommodis obnoxium fore.

Quoniam non patitur carnis infirmitas, vt in cœlum vſque homines euolent, obuiam ipſe prodit, & per externa fidei exercitia oſtendit ſe illis propinquum. Sic arca fœderis præſentiæ eius pignus fuit populo veteri, & ſanctuarium cæli imago.

4. 5. 6. *Quoties orabant patres ſub lege, ſpes impetrandi fundata fuit in ſacrificiis: ſicuti etiam hodie non aliter gratæ ſunt noſtræ orationes Deo, niſi quatenus ſui ſacrificij odore Chriſtus perfundit & ſanctificat.*

Reges, principes & magiſtratus, qui conſilia ſua impleri & à Deo quæcunque expetunt impetrare deſiderant, ab ambitione, auaritia, tyrannide, aliiſque impiis affectibus immunes eſſe debent, muneri autem ſibi iniuncto intenti, publicæque ſaluti addicti, vt nihil niſi ſpiritus inſtinctu & præſcripto oris Dei poſtulent.

Piorum gaudium in eo conſiſtit vt pater cæleſtis Chriſti ſui regnum ſtabiliat, etiam in medio inimicorum ſuorum: nam ex Chriſti quotidianis victoriis oriuntur fidei de mundo debellato trophæa & ſpiritualia tripudia.

Quum Deus pios reges & magiſtratus populis excitat, ſubditorum officium in eo præcipuè conſiſtit vt pro ſuis regibus precando, non pro capite vnius hominis teſtentur ſe eſſe ſolicitos, ſed de totius eccleſiæ vtilitate.

7 *Deus dat ſalutem piis regibus ac magiſtratibus, & cuſtos eſt politici ordinis quem ipſe inſtituit, præcipuè autem regni Chriſti, id eſt, eccleſiæ, quam peculiari modo ædificat & tuetur.*

Sicut Deus per arcam fœderis ad populum deſcendere olim dignatus eſt, quo familiarius innoteſceret: ſic rurſus mentes ſuorum ad ſe trahere voluit, ne quid de ipſo carnale vel terrenum conciperent, atque vt ſcirent toto mundo eſſe ſuperiorem. Ita ſub viſibili & manu facto ſanctuario commendatur paterna Dei indulgentia, & familiaris vſus quem cum populo ſuo habet: ſub ſanctuario autem cælorum, immenſa potentia, imperium & maieſtas.

Fideles vt ſe ad bene ſperandum animent, proponunt ſalutem dexteræ Dei eſſe in fortitudinibus: hoc eſt, ſatis validam ad ſuperanda quæuis obſtacula.

8. 9. *Hoc cunctis ferè mortalibus eſt ingenitum vt quãtis quiſq; opibus, potentia, vel militaribus copiis præditus eſt, tantũ cõcipiat animi & fiduciæ. Sed aliter animatos eſſe oportet fideles. Nam quum bellicos hominũ apparatus & Dei auxilium Spiritus S. inter ſe opponat, ſimul ac mentes noſtras occupat carnis fiducia, Dei obliuionem quodammodo obducit: fieri enim non poteſt vt in Deum reſpiciant qui ſua virtute confiſi victoriam ſibi promittunt.*

Dei recordatio fideles quibuſlibet copiis polleant retrahit à vana cõfidentia, ne quid aliũde quàm ex mera Dei gratia expectet: deinde, ſi omnibus ſubſidiis orbati ſunt ac deſtituti, cõfirmat tamen vt intrepidè & conſtanter Deum inuocent. Contrà profani homines vbi viribus pollent, ſuperbia excæcati non dubitant ſecurè Deum contemnere: ad inopiam verò redacti miſerè expaueſcunt.

Euentus tandẽ oſtendit plurimum intereſſe inter piorum & impiorum fiduciam: impij enim corruunt, pij verò eriguntur. vnde liquet ſatius eſſe ſpes omnes noſtras ad vnum Deum applicare quàm propriis viribus inniti.

10 *Quia per Chriſti manum nos Deus regit ac ſeruat, nõ aliunde ſperãda eſt ſalus: ſicut etiã fideles olim ad regem ſuum, tanquã ſalvificæ Dei gratiæ miniſtrum confugere ſolebant. Salus autem iſta communiter ad totum eccleſiæ corpus ſpectat, quæ optat vt Deus regem ſuum benedicendo, totius populi ſeruator appareat. Eius ſalutis hodie tum demum futuri ſumus participes, ſi omnes ſub communi noſtro capite in vnum corpus collecti mutuam alij pro aliis curam geramus, non autem ſeorſum quiſque ſibi conſulat.*

Articvli praecipvi.

1. Deus omnipotens, iuſtus, miſericors & verax, auctor eſt & conſeruator politiarum, miríſque modis viros principes, pios præſertim, tuetur ac conſeruat.
2. Stant politiæ ope diuina, à piis magiſtratibus & ſubditis humiliter implorata: non autem fortuitò, nec conſiliis merè humanis.
3. Bella quædam iuſta ſunt & neceſſaria.
4. Fiduciæ piorum & impiorũ diſcrimẽ, variúſq; euentus.

ARGVMENTVM PSALMI XXI.

PSALMI *huius argumentum idem eſt quod præcedentis. Eſt enim gratiarum actio & ἐπινίκιον, quòd Deus ſeruet hanc politiam, & det victorias & regimen ſalutare, & quòd hoſtium vires & conatus frangat & euertat. Eaque ratione teſtatur, defenſionem huius populi & felicem regni ſtatum non proficiſci ab humano conſilio aut prudentia: ſed eſſe beneficium diuinum. Additur autem precatio, quæ petit continuari hæc beneficia, & additur cauſa finalis, vt ſcilicet bonitas diuina celebrari in hoc populo poſſit. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. ſed quia regnum Dauidis typus erat regni Meſſiæ, ideo quæcunque de Dauidis regno dicuntur, ad Meſſiæ regnum accommodanda ſunt. Vt igitur populus hic fatetur, ſui regis incolumitatem coniunctam eſſe cum totius populi ſalute, & incolumem regis ſtatum ad publicam lætitiam ſpectare: ita ſciamus nos non aliter quàm ſub Chriſto capite noſtro ſaluos eſſe poſſe, totamque ſalutem noſtram ab huius regis victoriis & ſalute pendere. Nonnulli interpretes tantùm de politico magiſtratu interpretantur: quidam ad ſolum Chriſtum trahunt: ſed vt dixi, erant victoriæ Dauidis præludia victoriarum Chriſti: ideo has ita intueri debemus vt cogitemus, Chriſti regnum in hoc Dauidis regno eſſe adumbratum, & Chriſti victoriis ſalutem populi contineri: & vt Dauidis hoſtes diuinitus ſunt repreſſi & deleti, ita ſubinde in regno Chriſti, hoſtes qui ſe huic regi opponunt, euerti.*

1 AD triumphandum pſalmus Dauidis.
2 Iehoua, in fortitudine tua lætabitur [*lætatur: futurum enim ponitur pro præſenti*] rex: & in ſalute tua quàm exultabit vehementer!

Propoſitio eſt gratiarum actionis. Agnoſcit rex ſe inſtructum diuina virtute ſuperaſſe hoſtes ſuos, & euaſiſſe victoré. hoc beneficium ipſe læto animo prædicat & celebrat: & non ipſe tantū, ſed & nos vniuerſi, quibus ſalus hæc eſt cōmunis.

In virtute tua] Qua ſcilicet non tantùm ſuſtentas eum, vt magno animo contemnere pericula poſſit: ſed etiam qua inſtruis & armas eum vt feliciter profligare hoſtiū copias queat. Agnoſcit enim, ſe non niſi tua virtute inſtructum, id facere poſſe: ideo poſtquam ſenſit te affuiſſe prælianti, & armaſſe dexteram eius, lætatur vehementer, quia videt te præſentem eſſe & fauere huic populo. Virtus igitur ſeu fortitudo Dei μετωνυμικῶς hic ſumitur pro præſenti, valido & firmo auxilio. ſalus ſignificat defenſionem & liberationem ex periculis.

3 Deſiderium cordis eius dediſti: & prolocutionem labiorum eius non recuſaſti (*prohibuiſti*) Selah.

Addit rationem: ideo lætatur quòd exaudis eius vota, & liberaliter das quæcunque ille petit. Facit autem duplicem inuocationem: alteram quæ fit corde, alteram quæ fit in ore. poſterior hæc verè fieri non poteſt, niſi in mente & corde à Spiritu ſancto ſit accenſa cogitatio & fiducia confugiens ad Deum. Id enim niſi fiat, labiorum motus tantùm inane eſt murmur, quo Deus ridetur & contumelia afficitur.

4 Quoniam præueniſti eum benedictionibus boni: poſuiſti ſuper caput eius coronam auri optimi.

Sequitur diſtributio, qua recenſet beneficia accepta. Eſt autem enallage in verbis Hebræis: ponitur enim futurum pro præterito, vel potiùs pro præſenti. Quia loquitur non de vnico actu, citò tranſeunte: ſed de perpetua regni felicitate & continuo progreſſu à Dauide vſque ad ipſum Chriſtum, quem illa longa ſeries regum adumbrabat. itaque in præſenti expono. ídque rectè fit in pſalmis, quoties concurrunt verba præteriti & futuri temporis. Præuenire benedictionibus, ſignificat omni genere bonorum, vltro & non petentem, & quidem gratuitò cumulare. Verbo autem præueniendi corrigit id quod antea dixerat, Petitiones labiorum dediſti ei. Significat enim non tantùm rogatum annuere precibus eius, ſed etiam vota regis anteuertere, ſicut alibi dicitur, Antequam clament ego audiam.

טוב verterunt bonitatem, quod videtur alienius eſſe. potiùs enim ſignificat beneficentiam vel gratuita Dei munera & dona: vt benedictiones boni ſignificent multiplicem bonorum copiam, quibus eam locupletauit. Hieronymus dulcedinis voce reddidit.

Qui de Chriſto pſalmum interpretantur, hunc verſum ſic expoſuerunt, Chriſtus ante paſſionem fuit maledictum, poſt reſurrectionem non ſolùm eſt Deus benedictus in ſecula, ſed fons etiam cæleſtis benedictionis: & quod dicitur *præueniſti*, interpretantur ex dicto Pauli ad Coloſſ. 1. Chriſtus eſt primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus principatum tenens. Item 2. Corinth. 15. reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

Impoſuiſti ei coronam] Id eſt, euexiſti eum ad regiam dignitatem, donaſti ei victorias, & hactenus ſeruas regem, tueris & defendis ſtatum regium, nam corona inſigne eſt regni.

Chriſto etiam rectè intelligitur imponi corona, hoc eſt, ſub Chriſto reſtituitur à Deo regnum, quod longo iam tempore iacuerat: & ſuperata à Chriſto morte, peccato & diabolo, eriguntur piorum mentes in certiſſimam ſpem regni æterni, cuius vmbra tantùm & obſcura imago in Dauide & eius poſteris propoſita erat.

Quidam interpretes hunc verſum intelligunt de poſtrema illa victoria Dauidis, qua deuictis Ammonitis, & expugnata vrbe regia, prædam magnam adeptus eſt, & in primis coronam auream pretioſiſſimam, quæ eius capiti impoſita eſt, vt ſcribitur 2. Sam. 12. ſed hoc anguſtius eſt meo iudicio, cùm de perpetua regni felicitate concionetur.

5 Vitam petiit à te: dediſti ei protractionem dierum in ſeculum & ſemper.

Tertium beneficium: quod prorogauit vitam regis inter crebra & ſumma pericula, quod maximū fuit beneficiū. Nam Salomon inter pœnas peccatorum noſtrorum numerat crebras mutationes regum: & certū eſt, facilè cōuelli ſtatum publicum ſi crebro mutentur reges: econtra verò magis floret regnum, ſi rex pius & bonus diu præſit. id quod videre eſt in Dauide, Auguſto & ſimilibus. Hoc igitur beneficium celebrat hoc loco populus: & ſimul docet hic verſus, prorogationem vitæ eſſe petendam à Deo: nec verum eſſe quod dicitur, Optimum non naſci, aut quàm citiſſimè mori. Cæterùm quod additur in fine verſus, in ſeculum, & ſemper: oſtendit hæc adiectio manifeſtè, hunc pſalmum non ad vnius Dauidis perſonam tantùm eſſe reſtringendum. Quanquam enim ad extremam ſenectutem peruenit Dauid: tamen breuius fuit eius curriculum quàm vt ad iſtam dierum longitudinem acceſſerit, quæ pluribus ſeculis conſtare dicitur. Non ſolùm igitur complectitur tempus quo ſucceſſores præfuerunt: quod etiam breuius fuit quàm vt illa longitudo ſeculorum huc accommodari poſſit: ſed æternum regem ſimul cōprehēdit. Hic igitur rex cùm luctaretur cum peccato & morte, & eſſet in ſummis anguſtiis, petiit vitam à Deo, non quidem fugientem & euaneſcentem, ſed æternam & perpetuò duraturam: quam ita obtinuit, vt eius participes faciat omnes credentes.

Protractionem dierum] Id eſt, longius dediſti ei vitæ ſpatium quàm petiit. iuxta dictum Pauli, Deus poteſt cumulatius preſtare, quàm nos petere & expectare.

6 Magna [*eſt*] gloria eius in ſalute tua: ſplendorem & decorem poſuiſti [*adæquaſti*] ſuper eum.

Quartum beneficium: quod non tantùm longam vitam donauit, ſed etiam, cùm videretur eſſe rex tenuis & obſcurus, adeo vt à ſuis quoque initio contemneretur, non multò poſt ſupra omnes reges eum honore & gloria extulerit & ornarit.

Magna gloria eius in ſalute tua] Id eſt, non oſtentat ſe hic rex, nec ſuperbit ſuis diuitiis, opibus, prudentia, potentia, quibus cæteri reges inflantur, vt magnos ſpiritus ſumant, & præ ſe contēnant alios: ſed hanc ducit eſſe maximam ſuam gloriam quòd ſcit ſe habere Deum defenſorem & liberatorem: & hæc ipſa res magnam ipſi peperit gloriam & celebritatem apud exteras gentes, vt cunctis eſſet formidabilis, ſicut ſcribitur 1. Paralip. 14. Diuulgatum eſt nomen eius in vniuerſis regionibus. & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes.

In ſalute tua] Quia ſcilicet eum ſeruas in periculis, & conſtituis eum victorem hoſtium.

Poſuiſti] Metaphora eſt à veſtimentis ſumpta, quæ aptè quadrant corporibus.

Si de Chriſto intelligas, gloria opponenda eſt contumeliis, quibus affectus eſt à ſuo populo, & contemptui maximæ multitudinis generis humani: contumelias factas Chriſto Deus tandem conuertit in gloriam & honorem, collocato Chriſto ad dexteram ſuam, & conſtituto hærede vniuerſorum, ſubiiciens omnia pedibus eius, & dans ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen.

7 Quia poſuiſti eum benedictiones in ſeculum: lætificaſti eum lætitia coram [*cum*] vultu tuo.

Epilogus eſt commemorationis beneficiorum, in quo ſummatim omnia comprehendit.

Poſuiſti eum benedictiones] Id eſt, tanta copia omnium bonorum feciſti eum affluere, vt omnem in eum beneficentiam tuam vno tempore effundere voluiſſe videaris, & ipſe beneficentiæ diuinæ ſit viuum exemplar. Dupliciter interpretantur hanc phraſin. Vſitatè apud Hebræos dari vel eſſe in maledictionem, ſignificat ſic deteſtabilem reddi, & tam duriter affligi à Deo, vt nomen afflicti ſeruiat imprecationibus & diris, vt quicunque velit alicui malè imprecari, huius exemplo id fieri petat: Faciat tibi Deus ſicut huic, &c. In hoc ſenſu legitur vſurpata hæc ſermonis forma, Ierem. 24. de Zedechia & eius principibus: Dabo eos in maledictionem in omnibus locis. Quam phraſin ipſe poſtea cap. 29. repetens & explicans, ita reddidit, & aſſumetur ab iis maledictio inter omnē tranſmigrationem Iuda, dicendo, Ponat te Iehoua ſicut Zedechiam, & ſicut Achab: Item Ierem 44. vt ſitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus. Iuxta hanc phraſin, interpretantur etiam contrariam, Poni benedictionem: pro, ita felicem & beatum reddi, vt ſub nomine eius vota concipiantur, & ſi quis bene precari alicui velit, eius exemplo fieri cupiat. Alij tamen ſimpliciter interpretantur. Poni benedictionem, pro omni genere bonorum affluere & abundare, vt nihil deſiderari poſſit, quod ad ſummam felicitatem faciat, aut vt, quocunque oculos vertat, nihil niſi beneficentiæ diuinæ liberaliter effuſæ ſpeculum videat. Ita loquitur Ezechiel cap. 34. Et ponam eas benedictionem: id eſt, reddam eas feliciſſimas & beatiſſimas. De Chriſto ſi intelligas, benedictio intelligenda eſt actiuè magis quàm paſſiuè: poſui eum benedictionem, vt ſcilicet benedicat omnibus gentibus, iuxta promiſſionem: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: vt referatur hoc ad officium ſacerdotis, ſicut priora ad officium regis. Qualis autem ſit illa benedictio, alibi explicatur. Non affert Meſſias regna huius mundi & opes, &c. vt ſomniant Iudæi: ſed

dæi: ſed ſicut Paulus inquit Epheſ. 1. Deus benedixit nobis benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.

Lætificaſti] Id eſt, quanquam variè exerces eum, & ſinis eum nonnunquam affligi, tamē rurſus exhilaras eum, & tribuis ei lætitiam, quæ facilè omnes dolores diſcutit & moleſtias ſuperat: cùm ſcilicet oſtendis te ei propitium eſſe, & fauere, non iraſci. Ita enim exhilarat nos ſuo vultu Deus, ſicut dicitur pſal. 80. Illumina faciem tuam ſuper nos, & ſalui erimus. Vultus auſterus iram, vultus ſerenus fauorem ſignificat.

8 Quoniam rex confidit in Iehoua: & in bonitate [*miſericordia*] altiſſimi, non commouebitur [*non nutabit*.]

Amplificatio eſt à cauſſa beneficiorum acceptorum. Hæc, inquit, beneficia tam multa & magna conſecutus eſt non ſuo aliquo merito aut dignitate: ſed tantùm quia confidit in Domini miſericordia, & eadem fiducia impetrabit vt hæc felicitas ſit ſtabilis & perpetua. Ita ſimul & bonitatem Dei in largiendo commendat: quòd vltro & gratuitò ſola fide ad eum confugientibus multa & magna beneficia præſtet: & ſimul quæ vera ſint regni præſidia oſtendit: videlicet, non opes, non exercitus, non machinas æneas, non muros ſeu aggeres denſos: ſed ſolam miſericordiam, ſeu bonitatem diuinam, quæ regna ita munit vt concuti aut euerti nulla vi queant. Cùm ad Chriſtum refertur hæc ſententia, dulcis eſt promiſſio, quæ oſtendit regnum Chriſti ſeu Eccleſiam perpetuò manſuram eſſe, nec fore obnoxiam iis ruinis quæ regna huius mundi euertunt.

9 Inueniet manus tua omnes inimicos tuos: dextera tua inueniet eos, qui te oderunt.

Hactenus interiorem regni felicitatem prædicauit: nunc ſequitur altera pars pſalmi in qua ſe ad conſiderationem periculorum, quæ foris huic regi obiiciuntur conuertit, & pœnas atque interitum minatur omnibus qui hunc regem oppugnant aut euertere conantur. Hoc membrum neceſſariò additur. Non enim ſatis eſt intus aut domi florere regnum, bene conſtitutis legibus, iudiciis, ſapientia gubernatorum & pace, quam inter ſe ciues colant, aut etiam opibus & omni bonorum copia refertum eſſe, niſi idem ab externa violentia probè ſit munitum. Hoc igitur beneficium nunc prædicat propheta, quòd non tantum domi Deus ornet regnum variis modis: ſed foris quoque reprimat vires & furores hoſtium, ne conuellere ſtatum regni aut euertere poſſint. Hæc autem omnia in primis regno Chriſti conueniunt, quod quidem oppugnatur ſemper à variis hoſtibus qui vndique aduerſus eccleſiam inſurgunt, euerti tamen illud nequit.

Inueniet] Id eſt, aſſequetur, comprehendet: quaſi diceret, Non effugient pœnas. Manus ſæpe pro potentia, afflictione, ſeu pœnis, ponitur μεταληπτικῶς. Nam manu cædimus aliquem, vt cùm dicitur, Dura eſt eius manus contra nos, 1. Sam. 5. id eſt, duriter affligit nos. Manus mea grauis eſt ſupra gemitum, Iob. 23. id eſt, percuſſio ſeu plaga grauior ſit quam vt gemendo ſatis deplorare queam. Eſt autē hypotypoſis in hac phraſi, Inueniet manus tua inimicos: qua ſignificat, hoſtes eccleſię aliquandiu quidem impunè graſſari, tandem tamen ad pœnas trahi diuinitus. Obſeruetur autem in hoc verſu, quòd oſores regis & regni Iſraelitici, nominat hoſtes & oſores Dei. Nam qui regem hunc oppugnant, hi Deo bellum inferunt.

10 Pones eos tanquam fornacem ignis in tempore iræ tuæ: Iehoua in ira ſua deglutiet eos, & deuorabit eos ignis.

Amplificat & exaggerat priorem ſententiam à ſimilitudine, vt ex pœnæ atrocitate ſceleris grauitatē oſtendat. Exiſtimant nonnulli, prophetam alludere ad ſupplicij genus, quod eum de Ammonitis ſumpſiſſe refert ſacra hiſtoria, 2. Sam. 12. Vbi ſcribitur quòd traduxerit eos in typo laterum: ſed non reſpicit vates ad vnum hoc factum: ſed in genere omnibus huius regni hoſtibus minatur horrendum exitium.

Pones tanquam fornacem] Id eſt, tu coiectos in ignem conſumes hoſtes tuos in tempore vultus tui: hoc eſt, cùm exarſerit furor tuus contra illos.

Alij interpretes reſtringunt hanc ſententiam ad ſolos Iudæos, qui Chriſtum perſecuti ſunt. ſed non dubium eſt quin propheta loquatur de omnibus hoſtibus huius regni: id quod vniuerſalis particula oſtendit. Deus enim ſine προσωποληψίᾳ punit & perdit omnes inimicos ſuos. Eſtque hæc ſententia plena conſolationis: confirmat enim nos, ne deficiamus, aut fidem abiiciamus: etiamſi videamus ad tempus furere hoſtes Chriſti, & eccleſiam interea affligi. Futurum eſt enim vt non multo poſt eccleſia liberetur, & hoſtes tandem pœnas dent ſuæ crudelitatis, quam exercuerunt in pios.

11 Fructum eorum è terra perdes: & ſemen eorum à filiis hominum.

Iterum amplificat & exaggerat iræ diuinæ magnitudinem aduerſus impios Iudæos, vel alios quoſcunque qui regnum Chriſti oppugnant & delere conantur, à circunſtantia. Non ſolùm in ipſos autores ſæuiet ira diuina: ſed etiam poſteros omnes abſumet & extinguet. Hæ comminationes ſunt vſitatę in Scriptura: vt in primo præcepto: Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem: & exempla hanc regulam comprobant. Videmus enim ſæpe pœnas per familias vagari, donec deleantur funditus.

Si quis hic quærat an iuſtum ſit vt poſteritas luat pœnas ſuorum maiorum, cùm apud Ezechielem 18. dicatur, Filius non portabit iniquitatem patris: reſponſio facilis eſt, loquitur Spiritus ſanctus de ſemine radici reſpondente, hoc eſt, de illis qui veſtigiis ſuorum maiorum inſiſtunt, & horum impietatem ſequuntur, quique non tantùm carne, ſed & impietate poſteri ſunt impiorum: alioqui, quocunque die impius conuertitur ab impietate ſua, Deus remittit iram ſuam: iuxta illud, Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.

12 Quoniam inclinauerunt ſuper te malum: cogitauerunt fraudem, non potuerunt [*perficere*.]

Addit cauſſam quare Deus ſuccurrat populo ſuo afflicto & oppreſſo, atque ipſius regi, quia hoſtes non tantùm hominibus bellum inferunt, ſed ipſi Deo. Ita Chriſtus inquit, Saule, quid me perſequeris? Iniuria enim, quæ piis affertur, fit ipſi Deo: Id quod efficaciſſimum eſt ad conſolationem. Non enim dubium eſt quin grauiter vlciſcatur Deus iniuriam ſibi illatam, ſimul autem eſt præoccupatio: Ipſi quidem ſunt fraudulenti & maledici, ſed non perficient quæ moliuntur.

Inclinauerunt] Id eſt, omnes ſuas cogitationes eò intendunt vt tibi & tuis malefaciant: ſicut hodie pontificios videmus nihil aliud cogitare aut moliri quàm quomodo pios opprimant.

13 Quoniam pones eos humerum: in funibus tuis diriges [*ſcilicet ſagittas*] contra faciem illorum.

Repetit comminationem pœnarum [*Pones eos humerum*] phraſis eſt obſcura, & nuſquam niſi hoc in loco occurrit, ideo variè eam expoſuerunt interpretes. Quidam ſic exponunt, Pones eos humerum, id eſt, coniicies eos in fugam, vt perpetuò vertant humerum ſeu tergum, vt ſit ſynecdoche, pars pro toto. D. Lutherus ſic interpretatur, Pones eos Humerum, id eſt, onerabis eos perpetuis miſeriis & calamitatibus, quibus ferendis conficiantur: quanquam in commentariis priorem ſententiam etiam probat. Alij ponere humerum idem eſſe volunt quod deiicere capita: ita vt humeri extent & emineant, vt hac metaphora ſignificetur hoſtium ſubiectio. Quidam ex Hebræis שכם exponunt pro parte, vel regione, vel loco: vt ponere humerum ſignificet detrudere aliquem in angulum, atque ita compeſcere ne amplius ſæuire pro ſua libidine poſſit. Nonnulli putant humerum metaphoricè accipi pro tumulo, in quo figi ſolet ſcopus: vt ſit hæc ſententia, Tu ſtatues eos inſtar tumuli, in quem emittas tuas ſagittas. Sed cùm alibi nō extet phraſis, non facilè dixerim quænam verior ſit ſententia. Et quanquam mihi poſtrema non diſplicet: tamen cùm nuſquam legatur, שכם vſurpari pro tumulo, retineo illam quam primo loco recitaui, quę eſt concinna, & cum ſequentibus fortaſſe meliùs congruit quàm poſtrema. Eſt itaque ſententia huius verſus. Vertes hoſtes in fugam: & tamen non ſic euadent, quia fugientibus occurres arcu tenſo, ita vt vndique circumuenti & concluſi tandem pereant.

In funibus tuis] Id eſt, neruis tuis. Nam literā ב inſtrumentum ſignificatur: Dicunt enim Hebræi, interfecit eum in gladio, pro, interfecit eum gladio.

14 Exaltare Iehoua in fortitudine tua: cantabimus & pſallemus fortitudinem tuam.

Epilogus conſtat epiphonemate: eſtque repetita precatio, vt Deus ſeruet & defendat hunc regem.

Exaltare in fortitudine] Id eſt, exere potentiam in reprimendis & delendis hoſtibus, oſtende te eſſe potentiorem omnibus diabolis & hominibus, qui hunc regem, & eius populum oppugnant & delere conantur. Dei potentia & fortitudo infinita eſt, vt exaltari in ſe & maiores vires acquirere nequeat: ſed reſpectu noſtri dicitur exaltari eius fortitudo, dum fortitudinem ſuam in defenſione ſuorum potenter nobis oſtendit.

Cantabimus] Id eſt, gratias agemus tibi pro hoc beneficio, quòd clementer defendis & ſeruas regem & populum tuum

PSALMI XXI.

PARTES.

I. Propoſitio gratulationis, duobus nominibus: roboris diuini, & ſalutis quam robur diuinum præſtat, v. 2.

II. Narratio operum quibus robur ſuum & ſalutem prǫſtabat Deus. Illius ſalutis gradus tres conſtituuntur. 1. quod Deus res optatas dedit, 3. verſ. 2. imò quòd ſupra optata dedit, 4. 5. 6. 7. 8. verſ. 3. quòd aduerſarios perdit, verſ. 9. 10. 11. 12. 13.

III. Concluſio petitoria pro gloria Dei, ſalute lætitiaque populi ad gloriam eius, verſ. 14.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2.3.4. Quemadmodum olim fidelium mentes directas eſſe oportuit in Chriſtum, qui regni Dauidici finis erat ac perfectio: vt ſcirent nō aliter quàm ſub capite diuinitus ordinato ſe fore ſaluos: ita hodie nos eundem Chriſtum reſpicere conuenit, ſi Deo grati & felicitatis æternæ participes eſſe cupimus.

Etſi in Dauide tuendo, regnique Dauidis ac Chriſti conſeruatione peculiaris Dei omnipotentia, ſapientia & bonitas eluceat: tamen & illud certum eſt, Dei robur in regibus & principibus, legitima ratione politicum ordinem adminiſtrantibus, tuendis eſſe tale vt eos ab innumeris periculus liberos præſtet.

Proſperi regum & magiſtratuum ſucceſſus ſunt totidem Dei beneficia, atque etiam documenta, quæ eos in legitima vocatione & gubernandi ſancta ac iuſta ratione continere debent.

Ita frænare ſuos affectus pios principes oportet vt nihil niſi æquū & rectum expetant: eorúmque adminiſtratio talis eſſe debet vt cōſtet Dei ſpiritum illic primas tenere. Qui autem impietate & iniuſtitia Chriſti ſolium in terris conſpurcant, tādem in ſua ſuorumque capita horrendum è cælis iudicium attrahunt.

Quoniā Chriſtum æternum regem Propheta hoc pſalmo maximè reſpexit, minimè timendum eſt quoties pro eccleſia oramus, ne Deus preces noſtras repudiet, quas non niſi præeunte cæleſti noſtro rege cōcipimus. Eſt & illud obſeruandum, erectas ſub lege fuiſſe pias mentes in ſpem æterni regni, cuius vmbra tantùm vel obſcura imago in poſteris Dauidis propoſita fuit. Quare hic regni Chriſti perpetuitas aſſeritur, quia non hominum fauore vel ſuffragiis impoſitus fuerit ſolio, ſed Deus è cælo caput eius corona ornauerit.

5.6.7.8. Sicuti hoc non parum amplificat Dei gratiam, quòd Dauidem miſerum hominem feréque exanimem quum trepidè mortem deprecaretur, inæſtimabili hoc honore dignatus ſit, vt regale ſceptrum ad poſteros vſque in aliquot ſecula tranſmitteret: quòd item Chriſtum à contemptu, ignominia, morte, ſepulchro, deſperatione, in cæleſte imperium extulit, vt ſedeat perpetuò ad Patris dexteram, futurus tandem mundi iudex: ita Dei beneuolentiam nos agnoſcere decet, in eo quòd inuitis impiis, inter tot clades & turbines vitæ humanæ, pij quidam reges, principes & magiſtratus conſeruantur, quorum opera ſincerus Dei cultus, politicus ordo, & ſocietas hominum aliquatenus viget ac ſubſiſtit: quod item ex innumeris periculis illi reges, principes ac magiſtratus erepti, Satanæ & Antichriſti mancipiis ſunt formidabiles.

Dum regibus profanis relinquūt fideles vt ſe rebus ſuis geſtis nobilitent, famámque ſibi comparent ex propria virtute, diuinæ gratiæ approbationem pluris facientes quàm omnes mundi triumphos, tale ſibi promittunt Dei auxilium, quod piis regibus & magiſtratibus magnifice ornandis ſufficiat.

Dauid omni benedictionum genere abundans præclarum fuit diuinæ liberalitatis exemplar: ita pij reges & magiſtratus, tanquam Dei filij & vicem gerentes, eximiis donis ornati, ſummi illius regis munificentiam claro præconio aliis omnibus hominibus teſtantur.

Non ſufficeret Deum curam noſtri gerere, nobiſque proſpicere, niſi viciſſim nobis ſereno ſuo vultu irradians, bonitatis ſuæ guſtum præberet: & hæc ſolida eſt felicitas, Deum nobis propitium ſentire, vt quaſi ſub eius oculis habitemus.

Quæcunque hìc Regi ſuo tribuunt fideles, quòd videlicet ſperans in Dei bonitate non ſit nutaturus, ſpectat ad totum Eccleſiæ corpus, cui communis offertur promiſſio, quæ pios inter varias mundi iactationes in tranquilla ſtatione contineat. Quanuis enim tanquā in rota voluatur mundus, vnde fit vt repentè decidant qui in ſummum culmen fuerant euecti, regnum tamen Dauidis & ſub eius typo regnum Chriſti excipitur. Præterea hac demum firmitate ſubnituntur qui certa fide in Dei gremium ſe conijciunt, eiuſque miſericordia freti ſalutem ſuam ei commendant.

9. 10. 11. Etſi regnum Chriſti non ſemper oppugnatur aperto Marte, ſed aliqua interdum relaxatio conceditur, malitiam tamen & nocendi libidinem nunquam exuunt Satanæ miniſtri: ideóque euerſionem huius regni moliri nunquam deſinunt. Bene autem habet quod rex noſter, qui manum ſuam opponit ad nos protegendos, omnibus eſt ſuperior.

Qui in reges & magiſtratus legitimè ordinatos inſurgunt, tanquam diuinæ ordinationis hoſtes grauiſſimis ſuppliciis tum in hac vita tum poſt mortem à Deo punientur.

Horrendum exitium manet omnes Chriſti ſummi regis aduerſarios. Quamuis enim furore ardeant contra Eccleſiam, & ſua ſæuitia mundum inflamment: vbi tamen ad cumulum peruenerit eorum impietas, hæc illis merces repoſita eſt apud Deum, vt in ſuam fornacem coniectos abſumat.

Quum ita formidabilis eſt impiorum crudelitas vt huic ſuccumbere fides noſtra videatur, ad Dei iudicium oculos noſtros attollere diſcamus.

Tempus iræ Iehouæ admonet patienter ferendam eſſe crucem, quandiu exercere & humiliare nos Domino placuerit. Ergo, ſi non ſtatim potentiam ſuam exerit ad perdendos impios, ſpem noſtram ad tempus illud extendamus, quod cæleſtis pater iudicio ſuo præfixit, & quo Rex noſter terrifica ſua virtute armatus prodibit ad ſumendam vltionem.

Etiamſi videatur diſſimulare Deus, tamen non oblitus eſt ſui, vel noſtri: ſed ridet eorum amentiam qui impunè graſſando plus audaciæ in dies colligunt. Nobis equidem parum ſuauis eſt iſte Dei riſus: militia tamen noſtra defungi nos oportet, donec adueniat vltionis dies, qui idem redemptionis annus erit, teſte Ieſa. cap. 34. 8.

Dum vindictam ſuam perſequitur Deus in tertiam & quartam generationem eorum qui Chriſti ſubditos afflixerunt, nō temere inſontes ſceleſtis inuoluit: ſed quum maledictum ſit impiorum ſemen quod gratia ſua priuauit, & omnes ſint filij iræ, vltimo exitio deuoti, non minus in filios quàm in patres iuſta eſt eius ſeueritas.

12.13.14. Cæca & furioſa prorſus eſt impiorum audacia, qui aduerſus Deum & Chriſtum eius filium in terris bellando quiduis tētare, ſed fruſtra, non dubitant. Vide Ieſa. 54. 17.

Dominus hoſtes ſuos inſtar tumuli ſtatuēs in quem ſagittas ſuas emittat, huc etiam reſpicit vt nos erudiat ad patientiam, donec ad ſuum finem impios iſtos opportunè adducat.

Regnum Chriſti cum Dei gloria ſic coniunctum eſt, vt illic peculiari modo reluceat eius potentia. Et vt reprobis merito terrorem incutere debet diuina eius virtus, ita nobis ſuauiſſimæ conſolationis plena deſcribitur, quæ nos ad gaudium, cantica, & gratiarum actiones incitet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Chriſti ſummi regis, & Eccleſiæ principis, in typo, nempe Dauidis adminiſtratione, regnum potentiâ, gratiâ, gloriâ illuſtre.
2. Piorum regum, principum, magiſtratuum officia, conſilia, vota, ſucceſſus & affectus.
3. Regni Dauidis & Chriſti hoſtes, omnium infeliciſſimi.
4. De iuſta Dei omnipotentis ira & vindicta in Eccleſiæ ſuæ profligatos aduerſarios.

ARGVMENTVM PSALMI XXII.

ETSI veriſimile eſt Dauidem pſalmum hunc in ſua aliqua afflictione, & quidem non vulgari, compoſuiſſe: & ita aliquo modo hunc ſermonem ad ipſius quoque congruere perſonam: tamen non dubium eſt quin eo ipſo tempore cùm hunc pſalmum ſcriberet, & querelas ſuas & vota Deo expoſiturus eſſet, mens & cogitatio eius omnis à Spiritu ſancto abducta ſit à conſpectu & ſenſu præſentium ærumnarum & calamitatum, & propoſitum ei aliud exemplum, in quod intuens parum aut nihil ſe ſuſtinere ærumnarum cogitaret: atque ita huius cogitatione dolorem ſuum moderaretur. Eſt autem veriſſimum, omnes omnium hominum dolores & ærumnas, ſi in vnum conferantur, nequaquam conferendas eſſe

cum

cum Chriſti doloribus, quos in illo ſuo agone, in quo Patris iram aduerſus totius generis humani peccata in ſe vnũ effundi ſenſit, perpeſſus eſt. In hanc igitur cogitationem à Spiritu ſancto Dauid inducitur, vt dum ſuas querelas in ſinum Dei effundere, & petere liberationem meditatur, potiùs Meſsiæ, cuius ſe typum gerere non ignorabat, paßionem, dolores cordis, cruciatus & mortem deſcribat: atque hac ipſa cogitatione, quòd ſuæ ærumnæ tãtum præludia ſeu imagines ſint, & guſtus quidam exiguus illorum maximorum Chriſti dolorum, ſeſe erigat & confirmet, atque ita ex doloribus eluctetur. Continet igitur hic pſalmus vaticiniũ de paßione, morte & reſurrectione Chriſti. Quamobrem Matthæus, Ioannes, & autor Epiſtolæ ad Hebræos hiſtoriæ ſuæ fidem faciunt, adductis teſtimoniis ex hoc pſalmo. Et Chriſtus ipſe in cruce verba huius pſalmi proferens, oſtendit de ſe hunc eſſe intelligendũ. Eſtque narratio ſeu querela de paßione Chriſti ita illuſtris, vt quaſi in rem præſentem ductus & ſpectator fuiſſe rerum geſtarum videatur. Ac quod Hieronymus de Ieſaia ſcribit, Eius vaticinia ita eſſe perſpicua & illuſtria, vt non futura prædicere, ſed de præteritis hiſtoriam texere videatur: idem verè de hoc pſalmo dici poteſt. Querelæ autem & petitioni ſubijcitur iucundißima gratulatio & gratiarum actio, quòd ſit eductus & liberatus ex triſtißimo agone, & adijcitur deſcriptio regni Chriſti, vt infrà dicetur.

TITVLVS.

AD triumphandum ſuper cerua Auroræ pſalmus Dauidis.

Super cerua Auroræ] Titulus variè exponitur ab interpretibus: nam vt in re dubia & obſcura alius aliam ſententiam attulit, ſicut in pleriſque titulis pſalmorum hactenus vidimus. Varietas autem tota hæc propemodũ inde oritur, quòd plerique iudicarunt, titulum pertinere ad explicationem argumenti: cũque pſalmus vaticinetur de Chriſto paſſuro & morituro, alius alio modo titulum ad hanc rem accõmodare conatus eſt. Septuaginta interpretes reddiderunt, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως ἑωθινῆς, quod neque ad Grãmaticam ſatis congruit, neque argumentum explicat. Suſceptionem tamen hãc quidam interpretantur obedientiam filij Dei, qua ſe maledictioni Legis ſubiiciens, peccata noſtra in ſe tranſtulit ſeu ſuſcepit. Sed hoc, cùm alienum ſit à Grammatica, omitto. Nec recitabo aliorum opiniones, qui tranſlationem Græcam accommodare ad pſalmum quoquo modo conati ſunt. Cùm enim Grammatica repugnet, nõ opus eſt hac in re nimiùm laborare. Nõnulli ſic exponunt, Super ſtella matutina: & ſtellam interpretantur Chriſtum, ſicut ipſe in Apocalypſi ſe nominat ſtellam ſplendidam & matutinam, c.22. eo quòd lucem verbi diuini & agnitionis Dei vniuerſo orbi afferat: & ſpiritu ſuo in piorum cordibus accendat. Et putant matutinam hanc ſtellã dici, quòd tempore paſſionis Chriſti, lux verbi diuini nondum ſparſa fuerit per totum orbem: paſſio verò & reſurrectio argumentũ fuerit mox ſecuturi Solis, ſicut Lucifer ſuo ortu indicat mox oriturũ Solem, qui totum mundum colluſtret. Nã poſt reſurrectionem Chriſti demum ſparſa eſt vox euangelij in totum orbem terrarum. Hæc interpretatio ſatis eſſet concinna, ſi Grammatica non reclamaret: neque enim quod ſciã nomen אילת pro ſtella vſurpatur apud Hebræos. Significat autem אילה, vel ſequente genitiuo אילת, vt hic ſcribitur, ceruam. Ideo plerique ex recentioribus, ne videantur diſcedere à Grammatica, titulum ita interpretantur, Super, vel de cerua matutina: & ceruam matutinã intelligunt, quæ matutino tempore è cubili ſuo egreſſa ad paſtum, circunquaque in paſcuis ſuis oberrat, non quæ veſpertino tempore à paſtu ad cubilia & latebras ſuas ſe recipiat. Hanc igitur ceruam interpretantur Chriſtum, qui tempore matutino, hoc eſt, in exordio regni ſui, & orituræ iam diuinæ lucis primordiis, dum pabula vitæ adminiſtrando circuit, à canibus, id eſt, à pontificibus & eorum ſatellitibus & impia multitudine Iudaica capitur & occiditur, vt fiat hoſtia & ſacrificium pro peccatis totius mundi. Et quidem ceruam quàm ceruum dici malunt: quia & manſuetudo maior eſſe dicitur in femellis, & quia ſignificare voluit, hunc Chriſtum circumduxiſſe Apoſtolos ſuos, quẽadmodum cerua hinnulos ſuos, quibus vbera ſua & lac vitæ cæleſtis præbuerit. Chaldæus interpres vocabulum אילת interpretatur fortitudinem ſeu virtutem, ſcilicet ſacrificij matutini & ſempiterni, quod in primordiis regni Chriſti ſit oblatum. Sed in his diuinationibus & coniecturis quantum ſolidi ſit non video. Certè magnitudini rei, de qua pſalmus cõcionatur, parum congruit appellatio ceruæ: nec video quomodo ad ſacrificium accommodari poſſit, cùm in ſacrificiis nullus harum fuerit vſus: itaque in illorum potiùs ſententiam diſcedo, qui exiſtimant has duas dictiones initium fuiſſe cantilenæ cuiuſdam notæ & vulgaris, ad cuius modos hic pſalmus fuerit decantandus: ſicut in Germania quædam cantilenæ ſunt vſitatæ, ad quarum modos reliquæ canuntur: ſolẽtque initia illarum cantilenarum notari, vt de modis conſtet: & multi ſunt tituli pſalmorum, qui magis ad muſicam quàm ad argumentum ſeu materiam pſalmorum quadrant. Sunt etiam nonnulli, qui אילת השחר exiſtimant fuiſſe nomen inſtrumẽti muſici, quod adhibitum ſit dum in templo hic pſalmus decantandus traderetur.

2 Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? elongando [*vel longus*] à ſalutẽ mea [*& à*] verbis rugitus mei.

Exordium ſumitur à triſtiſſima querela Chriſti, luctantis cum ira Dei & tentatione de abiectione. Cùm enim in paſſione ſua totam iram Dei ſentiret in ſe effuſam, atque hanc ſolus ſuſtineret, vt nihil niſi ſpecies Dei irati, & pro ſua iuſtitia punientis delicta totius generis humani, et verſaretur ob oculos, non potuit non erumpere in tales voces, quæ & iræ diuinæ & peccatorum noſtrorum magnitudinem oſtendunt. Neceſſe eſt enim ingentem eſſe iram, cùm filius adeo ſub hoc onere prematur, vt etiam deſertum ſe queratur: nec leuis res ducenda eſt quæ adeo accendit hanc iram, vt tanta mole in Filium effundatur. Sed magnitudo rei cogitari à nobis nõ poteſt, nedum verbis explicari. Multæ accidunt homini calamitates in vita, quæ ſunt triſtiores ipſa morte, quam tamen vt extremum malum omnes horremus: & tamen ſi omnium hominum calamitates in vnum conferantur, ne minimam quidem partem huius agonis, quem Chriſtus hic ſuſtinet, adæquant. Pereunt multi, qui inter horribiles dolores mortem ſibi conſciſcunt, cùm propter vnum atque alterum delictum vel leuiter ſenſu iræ diuinæ percelluntur. Quantum igitur exiſtimamus fuiſſe Chriſti dolorem, in quem Deus, vt dicitur apud Ieſaiam, incurrere fecit omnium noſtrum peccata, & totam iram ſuam effudit? Hæ cogitationes excutere nobis ſecuritatem noſtram, & accendere pietatem & timorẽ Dei debebant. Sed quid fiat in maxima parte generis humani, manifeſtum eſt.

Deus meus, Deus meus] Hæc verba oſtendunt, Chriſtum in hoc ipſo agone triſtiſſimo tamen retinere fidẽ, nec ſuccumbere certamini: neque enim Deum ſuum appellaret, in quẽ non confideret. Cùm autem ſimilia certamina ſæpe experiantur pij, vt exiſtiment ſe à Deo deſertos eſſe (oportet enim nos ſimiles fieri imaginis eius) exemplo Chriſti animi noſtri muniendi ſunt, vt etiam in extrema deſperatione, fide confugiamus ad Dei miſericordiã, & cũ Chriſto dicamus, Deus meus, &c. Et quidem pulchra lucta ſpiritus & carnis hic cõſpicitur. Nã magnitudo doloris & carnis infirmitas hãc vocem Chriſto exprimit, Quare me dereliquiſti? ſed Spiritus per fidem ſe huic infirmitati opponit, & clamat, Deus meus.

Quare dereliquiſti me?] Nihil triſtius poteſt cogitari hac voce. Deus enim eſt lux, vita, fiducia, conſolatio, & omnis beatitudo noſtra. Deſeri à Deo, ſignificat præcipitari ex ſumma beatitudine in tenebras, errores, deſperationem, mortem, & æternam damnationem. Atque hæc tentatio & lucta Chriſti ſuperauit facilè omnes corporis cruciatus. Gregorius Naziãzenus in oratione 2. de Filio, hunc verſum ita interpretatur, Chriſtus clamans in cruce, Deus meus, &c. in ſeipſo noſtra repræſentat: nam nos & deſerti priùs & deſpecti eramus, nunc autem aſſumpti & ſaluati, &c. Itaque noſtram in ſe perſonam transferens his verbis, vt vult Gregorius, precatur Chriſtus, quò naturæ noſtræ ius cum fiducia accedendi ad Deum acquireret, Cur me deſeruiſti?

Remotus à ſalute mea] Id eſt, prorſus non oſtendis quòd me ames, quòd me velis iuuare & liberare ex his doloribus & periculis: nullam das bonæ ſpei ſignum: ſed, quaſi nullam ampliùs curam ageres mei, ſubducis te ex meo conſpectu. Nonnulli interrogatiuam particulam hoc loco repetũt ἀπὸ τῦ αἰτ-ῦ, Cur te remouiſti à ſalute mea & à verbis rugitus mei?

A verbis rugitus mei] Id eſt, quanquam clamo, & quidem vehementer, & ſine intermiſſione: tamen non animaduerto me exaudiri, ſed magis ac magis immergi me in hos dolores.

Nomine שאגה ſignificat ingentem fuiſſe dolorem, qui ei non querelas tantùm, ſed etiam rugitus extorſerit. Græcus reddidit, Delictorum meorum: exiſtimans eſſe à שגג

& ℵ otioſè eſſe inſertum. Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus iudicant, Chriſtum hæc verba in cruce protuliſſe magis ex impiæ multitudinis opinione quam proprio ſenſu: quia iudicant talem metū, & mœſtitiam nõ cadere in Chriſtum, in quo ſit ardentiſſima Dei dilectio, ſumma conſtantia & firmitas animi: ſed non videntur boni patres illi ſatis conſiderare magnitudinem harum rerum: & profectò beneficio redemptionis noſtræ non parum detrahunt qui Chriſtum immunem fuiſſe ab illis doloribus exiſtimant. Verè enim languores noſtros ipſe tulit, inquit Ieſaias cap. 53. Et Petrus ait, Impoſſibile fuiſſe eum teneri à doloribus mortis: ergo verè ſenſit hos dolores. Deinde valet hoc ad oſtendendam veritatem carnis Chriſti, contra quoſdam neotericos, qui neſcio quā *οἰκονομίαν* in his rebus fingunt, & fundamenta ſalutis noſtræ planè euertunt.

3 Deus meus, clamo per diem, ſed non exaudis: etiam nocte, & non[*eſt*]ſilentium mihi.

Exaggerat querelam à circunſtantia temporis, & ab euentu. Primò, à circunſtantia temporis, quòd malum duret diutiùs, atque hæc diuturnitas dolorem & angores augeat. Secundò, Quòd quærens remedium, & confugiens ad opem diuinam, nihil proficiat, ſed fruſtra clamet.

Deus meus] Hanc vocem tertiò repetit, vt oſtendat, ſe quanquam oppreſſum horribilibus doloribus & cruciatibus, tamē non abiicere fiduciam in Deum.

Non exaudis] Infrà affirmat, ſe eſſe exauditum, & Deo gratias pro hoc tanto beneficio agit: atque idem dicitur epiſtola ad Hebræos, cap. 5. Exauditus eſt pro ſua reuerentia. Cur igitur hîc inquit ſe non exaudiri? Reſpondeo, Magnitudo mali & tentationis dum ea Chriſtum exercet, facit vt quanquā exaudiat Deus, tamen non videatur exaudire: ſed procul ſtare & ſe occultare, atque aures ſuas occludere. Ideo hæc querela oritur ex præſentis doloris ſenſu & auxilij dilatione: quādiu enim nullum finem malorum proſpicimus, neceſſe eſt augeri dolorem: ſed eluctatus tandem ſenſit ſe eſſe exauditum.

Non ſilentium mihi] Id eſt, nõ ſentio aliquod leuamē aut ſolatium, quod animum tranquillum reddat: ſed creſcit potiùs dolor & afflictio. Silentium enim de tranquillitate animi acquieſcentis in Deo intelligitur: ſicut illud pſalmi 62. Ad Deum ſilentium animæ meæ: id eſt, in Deo acquieſcit anima mea, non fremit, non murmurat aduerſus Deum, &c. Alij ſilentium de precibus nunquam intermiſſis interpretantur. Græcus habet, Non ad inſipientiam mihi. quod eſt peregrinum.

4 Tu autem Sanctus: inhabitans laudes Iſrael.

Correctio eſt, qua & Dei naturam, & pactum cum hoc populo initum allegat: vt, cùm omnia ſibi nunc contraria accidant, iuſtiorem querendi cauſam habere videatur: éſtque collatio temporis præteriti & præſentis, oſtendens qualem ſe antea aliis exhibuerit, & qualem ſe nunc exhibeat.

Tu es ſanctus] Hoc aliqui ſic exponunt: Ego quanquam affligor & ſum in miſeriis, tu tamen manes æternus & immutabilis: ſed ſanctitas Dei in hoc loco non intelligatur abſolutè de æterna & immutabili natura Dei, quaſi ſtatus Dei immutabilis opponatur hominū miſeriis: ſed relatiuè ea ſanctitas quæ à nobis in afflictionibus conſpicitur. dicitur enim Deus ſanctus, quando ſuis opitulatur & ſuccurrit, eíſque ſe propitium oſtendit. Ita Ieſa. 1. & 5. vocat Deum ſanctum Iſrael, qui perpetuò ſe benignum oſtenderit populo, eíque variis modis benefecerit. Queritur igitur Chriſtus, neminem vnquam derelictum eſſe à Deo qui ipſum inuocet, ſed ſemper compertum eſſe benignum opitulatorem & liberatorem: ſe verò ſolum nunc negligi & contemni.

Inhabitans laudes Iſrael] Id eſt, qui ſecundùm pactum tuum habitas in hoc populo Iſraelitico, cui te præſentem oſtendis & opitularis, eíque laudis materiam præbes, vt tuam potentiam agnoſcens, grata voce & grato pectore hoc beneficium celebret. Laus enim Iſrael ponitur pro Iſraele laudāte & celebrāte: quaſi diceret, Iſraelitæ agnoſcunt tuā præſentiā & laudant: ego vero, cùm ſim membrū huius populi, tamē nondum cõtigit mihi vt tuam præſentiam agnoſcerē in his ærumnis. Ita igitur exaggerat ſuas afflictiones à comparatione. Nullus vnquam ſanctus incidit in aliquam calamitatem, qui te non expertus ſit propitium & beneuolum: ego verò ſolus ita affligor vt videar planè deſertus & abiectus à te.

5 In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.

6 Ad te clamauerunt & liberati ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt pudefacti.

Per expolitionem exponit inſtitutam collationem: & oſtēdit quomodo ſanctum ſe exhibuerit Deus huic populo, vt poſtea ex antitheſi oſtendat quàm infelix & miſera ſit ſua conditio præ reliquis, cùm toties clamans tamen relinquatur in miſeriis. Hanc autem collationem inſtituit, non tam vt ſit querela, quàm vt recordatione & commemoratione horum exemplorum fidem ſuam exuſcitet & confirmet. His enim exemplis commonefactus ſtatuit, vt, cùm nemo à Deo vnquā deſertus ſit, ipſe quoque tandem Deum experiatur propitium & benignum. Deinde exempla ad hunc finem allegat, vt Deū ad opem ferendam faciliùs flectat.

Ter autem idem repetit, vt oſtendat ſe quoque expectare liberationem, cùm ab his patribus ortum ducat: quanquam Deus ferè contra naturam ſuam nunc prorſus aliū ſe oſtendat quā hactenus fuerit. Ita collatione hac & mala ſua exaggerat, & fidem ſuam confirmat, ſéque conſolatur aliorum exemplo. Notandum autem quod dicit, ſperaſſe patres in Deū, antequam clamauerint: neq; enim preces vllæ veræ eſſe poſſunt quæ non proficiſcuntur ex fide.

7 Ego verò vermis & non vir: opprobrium hominum, & contemptus populi.

Altera pars eſt collationis ex antitheſi, in qua ſuam miſeriā deplorat, & à ſimili exaggerat. Sed, vt dixi, nõ ſunt hæ voces murmurantis, aut frementis ex impatientia aduerſus Deum: ſed flectentis & prouocantis Deum ad miſericordiam. Quo enim maior eſt calamitas & maius periculum, eo fides nouit Deum promptiorem eſſe ad opem ferendam, itaque exaggerando calamitatem, ipſum quaſi extimulat.

Vermis] Ieſa. 53. nominat eum nouiſſimum omnium virorum: hoc eſt, ita humiliatum & afflictum, vt infra omnes homines abiectus ſit: & declarandi cauſſa ſubiicit, Nõ fuit in eo forma neque decor. Hic etiam maior emphaſis eſt in vocabulo vermis. ſignificat enim ſe ita abiectum fuiſſe, vt ne quidem in numero hominum aut animantium ampliùs ſit habitus: ſed tanquam res fœda & viliſſima ab omnibus contemptus & conculcatus.

Sum opprobrium] Id eſt, ſum expoſitus publico omnium ludibrio & contemptui tanquam res fœda & abominanda.

Nomen אדם opponit nomen עם Quare ſicut nomine עם ſignificatur vulgus & promiſcua multitudo: ita nomine אדם videtur notare ſummos principes in repub. qui ſapiētia, virtute, iuſtitia, dignitate & potentia cæteros antecellunt. Hi enim maximè omnium hominis vocabulum ſibi vendicant: ita igitur Chriſtus ridetur ab omnibus. Vt autem tūc ridebatur, ita ſemper talis Chriſti eſt conditio in terris: cõtemnitur & probro afficitur ipſe & doctrina eius à ſummis & infimis. Nos verò intuentes in hanc imaginem Chriſti pendentis in cruce, & ſic abiecti, primùm cogitemus de ingenti eius erga nos amore, qui pro nobis ita ſe abiecit & omnium probris expoſuit: deinde exemplo eius diſcamus nos humiliare ſub potenti manu Dei, ne in cruce aut calamitatibus frangamur animo, aut murmuremus aduerſus Deum: ſi enim Filium ſuum ita exercuit, non ægrè feramus nos quoque aliquandiu exerceri ſub cruce, aut contumeliis coram mundo deformari.

8 Omnes videntes me ſubſannabant me: diuidebant[*diducunt*]labium, mouent caput.

Expolitio ſeu exegeſis eſt poſterioris membri in collatione, in qua longa narratione exponit Chriſtus probra quibus ſit affectus, & reliquas ſuas calamitates ac miſerias, quas ita exprimit propheta, vt non prædicere rem futuram, ſed rem præſentem intueri, vel geſtam narrare videatur. Nam hiſtoria paſſionis Chriſti prorſus congruit cum hoc vaticinio. Hoſtes mei, inquit, non contenti probris verborum, quæ infinita in me iaciunt, etiam geſtibus variis, diductione labiorum, cõmotione capitis, &c. ſummum contemptum, petulantiam & *ἐπιχαιρεκακίαν* oſtendunt.

Videntes me] Notat crudelitatem hoſtium qui ad conſpectū tantarum calamitatum non ſolùm non moti ſunt, vt aliquo modo condolerent: ſed inſuper etiam conuitia addiderunt, cùm alioqui etiam facinoroſis, quoties ad ſupplicia ducūtur, condolere plerique ſoleant.

Subſannant me] Has ſannas & myctiriſmos exprimunt euangeliſtæ, & propheta ſequenti verſu ipſe recitat.

Diducunt labium] Qui geſtus eſt palam & contumelioſè illudentium. Mouent caput, ſcilicet præ contemptu & indignatione.

9 Volue[*id eſt, voluat*]ad Iehouam: eripiat eum, liberet eum, quia ei bene vult.

Mimeſis eſt, qua ſarcaſmos Iudæorum illudentium Chriſto exprimit. Illud verò multo atrocius eſt, & ſuperat priorem crudelitatem, quòd non tantùm petulanter ei illudunt, & rident eum in calamitate: ſed quòd blaſphema oratione conātur ei excutere omnem fiduciam quam habebat ad Deum,

vt ha

vt hac amiſſa ruat in extremam deſperationem & interitum, quaſi qui hactenus temere & fruſtra gloriatus ſit ſe Deum habere patrem.

Voluat] Id eſt, curam & dolorem ſuum deuoluat à ſe in Deum, quem hactenus gloriatus eſt ſe habere patrem & defenſorem, eique committat res & ſalutem ſuam. Eadē phraſis legitur pſalmo 37. Volue ſuper Dominum viam tuam.

Quoniam bene vult ei] Ironia eſt virulenta, qua oſtendere volunt, ſtultam eius fuiſſe iactantiam, qui in Dei erga ſe amore & præſidio tantum fiduciæ hactenus collocarit, cùm euentus longè aliud nunc doceat.

10 Quoniam [*certè*] tu extractor meus ex vtero: faciens me ſperare [*autor mihi fiduciæ*] ſuper vbera matris meæ.

11 Super te proiectus ſum è matrice: ex vtero matris meæ Deus meus tu.

12 Ne procul diſcedas à me, quoniam anguſtia propinqua eſt: quoniam nemo eſt qui auxilium ferat.

Interrumpit narrationem ſeu commemorationem periculorum & ærumnarum precatione, qua ſe iterum munit & confirmat, ne commemoratione & recordatione dolor nimium augeatur, ipſeque abſorbeatur. Hanc precationem abſoluit his tribus verſibus: poſtea redit ad inſtitutam narrationem. In magno dolore variè miſcentur affectus, & ſæpe querelis vota miſcentur. Id fieri etiam in hoc pſalmo videmus. Precationi autem aſpergit argumenta, quæ plurimum videntur habere ponderis ad flectendum & promouendum Deum, ea ordine conſiderabimus.

Quoniam tu] Primū argumentum ſumit à beneficiis antea ſibi præſtitis. Recenſet autem illa prima beneficia quæ accepit à Deo, cùm primum ederetur in lucem: in quibus cùm Deus verè paterni amoris exhibuerit ſpecimen, petit, vt qualem expertus erat à prima infantia, imò adhuc in vtero matris concluſus, talem nunc quoque experiatur.

Extractor meus] quaſi diceret, Ego non ſine ope & beneficio tuo prodij in hanc lucem: tu enim quaſi officio & munere obſtetricis fungens, me eduxiſti ex vtero matris & paterno gremio fouendum excepiſti: eóque argumento euidenter & palam oſtendiſti, me tibi curæ eſſe. Eſt enim opus generationis humanæ tale, vt ſine ope diuina perfici nequaquam poſſit. qua de re copiosè diſputatur ab Anatomicis & Phyſiologis, à quibus, quæ ad hunc verſum explicandum pertinent, petantur. Dicit autem, Extraxiſti, non, exemiſti vel eduxiſti, vt magnitudinem periculi oſtendens miraculum amplificet, quaſi diceret, Tales erant anguſtiæ clauſtrorum vteri materni, vt pereundum tunc mihi fuiſſet, niſi tu me extraxiſſes.

Faciens confidere me] Hoc aliud eſt beneficium. Non ſolùm matri parturienti affuiſti, ſed etiam nato iam & edito mihi in lucem, præparaſti alimentum conueniens in vberibus matris, atque ita fiduciæ materiam mihi præbuiſti: cùm enim non niſi abs te, alimentum haberem, inde me id expectare docuiſti.

Miracula in generatione & nutritione infantis ſunt penè infinita: ſed quaſi vileſcunt aſſiduo vſu. Nam ingratitudo noſtra ſtupore quodam obducit & velut perſtringit oculos noſtros, ne tantas res aſpiciamus, aut (vt debebamus) conſideremus. Spiritus verò ſanctus oſtendit quomodo pij & reliquam rerum naturam & ſeipſos aſpicere debeant, & quantum ex illa conſideratione vtilitatis capiant. Nam conſideratio naturæ infinita exhibet argumenta prouidentiæ: & hæc cogitatio de prouidentia non tantùm ſecuritatem & Epicureum Dei contemptum nobis excutit, ſed & argumenta ſuppeditat quibus nos in afflictionibus & ærumnis ſuſtentare, & fiduciam noſtram in Deum armare poſſimus, ſicut videmus Dauidem & ipſum Chriſtum, hoc loco communia illa argumenta prouidentiæ diuinæ ſibi proponere, atque horum cōſideratione ſe ad maiorem fiduciam excitare.

Quod dicit, faciens me confidere, loquitur ita Scriptura, tribuens infantibus quod nondum per ætatem preſtare poſſunt: quia monere vult, Deum non fruſtra oſtendere his argumentis genus humanum ſibi curæ eſſe, ſed ideo ſe hæc exhibere vt omnium animos & fiduciam ad ſe conuertat. Ideo quanquā illa fiducia nondum eſt in infantibus eo modo quo in his qui iam à Deo edocti & Spiritu ſancto illuminati ſunt: tamē confidere dicuntur, quia talia nobis præſtantur, quæ etiā infantes atque adeo rem brutam inuitare ad fiduciam poterant, ſicut & pulli coruorum inuocare Deum dicuntur, Pſal. 147.

Deus meus] Deum alicuius eſſe, ſignificat eſſe eius protectorem, conſeruatorem & ſaluatorem, qui ſuos vbique tuetur, etiam vbi omnia videntur deſperata: vnde & de homine qui aliquem ex præſenti periculo eripit, dicere ſolemus, *Er iſt ſein Gott gevveſen*. Item, Homo homini Deus. Qua forma loquendi, Dei munus & officium exprimitur: atque ita intelligenda ſunt verba in promiſſione fœderis, Ego ſum Deus tuus, & Deus ſeminis tui, Gen. 17. hoc eſt, potens protector.

Non procul abſis] Concludit argumentū ſuperius petitione. Cùm antea ſemper mihi affueris, vnde vſque ab vtero matris, variis argumentis tuam bonitatem & beneuolentiam erga me oſtenderis, non deſeras nunc, nec negligas ſalutē meā. Hoc enim eſt procul diſcedere: ſicut propè eſſe ſignificat opitulari, aut mitigare calamitates, pſal. 145. Huic petitioni rurſus ſubiicit alias duas rationes. Primam ab obiecto, à neceſſitate ſcilicet vrgente, & magnitudine calamitatum: alteram, ab auxilij inopia.

Anguſtia eſt propinqua] Hominibus profanis videtur mirabilis hæc ratio: cogitant enim, Deum tali argumento nō moueri, vt exaudiat aut opem ferat. Sed qui edocti ſunt in Eccleſia, ſciunt Scripturam Deo hunc affectum atque hoc quaſi officium tribuere, vt quo maius eſt periculum, eo animus eius promptior ſit ad opem ferendam: qua de re diximus etiam pſalmo 6. Serua me Domine, quoniam infirmus ſum. Quod igitur impiis cauſſam præbet deſperandi, id piis occaſio eſt bene ſperandi, & certam de ſalute fiduciam concipiendi.

Opem ferens] Id eſt, non eſt qui poſſit mihi ſuccurrere in his malis & opem ferre, præter te vnum: ergo memor ſis tui officij. tu enim nunquam deſeris eos qui omnibus rebus deſtituti ad te confugiunt.

13 Circundederunt me tauri multi [*validi*] robuſti Baſan cinxerunt me.

Pergit in inſtituta narratione periculorum, in quibus verſabatur. Suprà verſu 8. & 9. ſannas & ſarcaſmos hoſtium expoſuerat: hanc narrationem nunc exaggerans dicit, nondum ſatiatos eſſe in illis ſarcaſmis & illuſionibus, ſed addidiſſe magnam ſæuitiam & crudelitatem. Eam verò vt melius exprimat, comparat eos primùm tauris, deinde leonibus, poſtremò canibus: quaſi dicat, adeo hoſtes eſſe crudeles & ſanguinarios, vt feris belluis magis ſint ſimiles quàm hominibus.

Tauri validi] Tauri irritati & accenſi ira magno impetu feruntur & obuia quæque proſternunt & peſſundant. Addit autem amplificādi gratia validos, vt ſignificet, nihil fuiſſe quod rabiem ipſorum cohibuere potuerit. רב cùm ad quantitatem tum ad qualitatem referri poteſt. Itaque vel quàm multos, vel validos rectè expoſueris. Per tauros autem intelligit principes & potentes in populo, ſicut & Ieſa. c. 34. principes & magnates ſui populi comparat tauris. Atque hi ſunt qui perpetuò Chriſtum oppugnant.

Robuſti Baſan] Idem dicit quod in præcedentibus: ſed eſt auxeſis in his vocibus: quaſi diceret, nō à quibuſuis tauris ſe oppugnari & peti, ſed à potentioribus qui & robore corporis & ferocia aut truculentia reliquos ſuperant: nam in paſcuis Baſan alebantur optimi & robuſtiſſimi boues.

Eſt autem Baſan regio vltra Iordanem, quæ olim fuerat Og regis, ſicut ſcribitur Deut. 3. Ea autē regio optimis & pinguibus paſcuis abundabat. Ideo tauri in his optimè ſaginabātur. Fortes igitur Baſan, ſunt tauri optimè ſaginati: hoc eſt, principes potentes & feroces. Ita Ezech. 39. dicitur בשן מראי & Amos 4. פרות בשן.

Cinxerunt me.] ſcilicet vndique, vt nuſquam pateat exitus.

14 Aperuerunt ſuper me os ſuum [*ſicut*] leo rapiens & rugiens.

Rurſus alia ſimilitudine furorem & crudelitatem hoſtium pingit, & magnitudinem periculi exponit, éſtque εἰκών. Pingit enim, principes tanquam leones famelicos & rugientes quibus nihil eſt formidabilius aut crudelius, magno impetu ac fremitu in ſe irruere, vt fieri non poſſit quin mox ab illis diſcerpatur & deuoretur niſi diuinitus ſeruetur. Tanta enim, inquit, eſt hoſtium rabies, vt ſatiari niſi hauſto meo ſanguine non poſſint.

15 Sicut aqua effuſus ſum [*diffluxi*] ſeparata ſunt [*diſtracta, diſlocata, luxata*] omnia oſſa mea: cor meum ſicut cera liquefactum eſt in medio viſcerum meorum.

16 Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis poſuiſti me.

Amplificatio eſt narrationis ab hypotypoſi, in qua pingit hominem, cui afflictio & mœror omnes tam animi quàm corporis vires ademit, per diſtributionem.

I. *Effuſus ſum ſicut aqua*] Id eſt, totum corpus horrēdis pauoribus concuſſum prorſus elanguit, & cōciderunt omnes vires. oſſa non ampliùs ſuſtinent corpus, & ſpiritus omnes de-

fecerunt, vt nullus ſit vigor in membris. Itaque concidit corpus, & quoquo verſum deuoluitur: non aliter vt aqua effuſa, quæ cùm ſuſtinere ſe non poſſit, quoquo verſum dilabitur & diffluit, nec, niſi ab alio contineatur, ſua natura continere ſe poteſt. Hoc puto ſignificatum eſſe hac ſimilitudine. Voluit enim ingentem dolorem & conſternationem penetrantem vniuerſam corporis compagem, quam extremus languor & reſolutio omnium virium ſecutus ſit, deſcribere, eóque ipſo oſtendere, verè horrendis cruciatibus ſe fuiſſe exinanitum & exhauſtum. Atque hinc magnitudo iræ diuinæ in Chriſtum effuſæ intelligitur.

Alij de effuſione ſanguinis interpretantur, quem in cruce liberaliſſimè effuderit ad nos redimendos & liberandos, ſed ſequentia ſatis oſtendunt, Prophetam non loqui tantùm de ſanguine, ſed de languore totius corporis.

Aliqui per aquam volunt ſignificari vilitatem & abiectionem: quaſi diceret, Reges, principes, & opulenti ex plebe, non pluris me faciunt quàm aquam effuſam, vt congruat cum illo dicto pſalmi 79. Sanguinem eorum ſicut aquam, hoc eſt, rem nihili, effuderunt.

Alij ſic, Ego ita proiectus ſum, vt aqua, quæ effuſa non recolligitur, vt nulla ampliùs de me ſpes fuerit.

II. *Luxata ſunt oſſa*] Id eſt, nullum eſt ex omnibus oſſibus meis, quod officium faciat, tremit præ ingenti pauore totum corpus, titubant & vacillant crura, & cõcutiuntur metu & pauore omnia membra, vt omnia oſſa luxata videantur. id enim fieri videmus in his qui magno metu percelluntur.

III. *Factum eſt cor meum tanquam cera*] Sicut cera, inquit, diſſoluitur & liqueſcit admota igni: ita cor meum ſenſu iræ diuinæ, quo vritur, totum colliquatum eſt. Hæc qualia ſint nõ intelligunt, niſi qui aliquandiu fuerunt in magno dolore: nec tamen vllus poteſt eſſe tantus dolor in homine, qui eum qui in Chriſto fuit adæquet. Tantum enim guſtum aliquem illorum dolorum alij percipiunt, qui tamen, niſi accedat conſolatio & robur Spiritus ſancti, mox hominem extinguunt.

IIII. *Exaruit tanquam teſta virtus mea*] Id eſt, nullus eſt amplius in me vigor. nam humidũ radicale, quod vigorẽ ſuppeditare ſolet, æſtu iræ tuæ prorſus abſumptum eſt, vt corpus ſimile ſit teſtæ, quæ igne excocta & exſiccata nihil ſucci aut humoris reliquum habet. Deus ignis eſt conſumens, dicitur Deuteron. 4. Hoc in primis expertus eſt Chriſtus, in quem ira Dei aduerſus omnium hominum peccata fuit effuſa. Cũ tantis igitur torreri viſcera ſenſit Ignibus, vt de Meleagro Ouidius inquit, lib. 8. metamorph. neceſſe fuit corpus exareſcere.

V. *Lingua mea adhæſit palato meo, ſeu faucibus*] Tota hypotypoſis huc vſq; ſumpta eſt ab effectu mœroris: humido enim radicali abſumpto in magno dolore, neceſſe eſt linguã quoque, cui alioqui plus humoris quàm reliquis membris natura attribuit, propter aſſiduum motum exareſcere, & ſequi ingentem ſitim: ſicut homines qui ad ſupplicia ducuntur, aut qui morti vicini ſunt, videmus auidè potũ expetere. Et Chriſtus ipſe in cruce exclamat, Sitio.

VI. *In puluerem mortis poſuiſti me*] Colligit in ſummã omnia, & concludit. Aufers & præcidis mihi omnem ſpẽ vitæ, & morti me adiudicas: nec quicquã iam ſupereſt niſi vt mortui inſtar ad ſepulturam efferar. puluerem mortis nominat terram ſepulchri, aut ipſum ſepulchrum. Steuchius puluerẽ mortalem interpretatur, in quem homines poſt mortem reſoluuntur.

17 Quoniam circundederunt me canes: cœtus malignantium circundederunt me: foderunt manus meas & pedes meos.

Redit ad querelã de crudelitate atque immani rabie ſuorum hoſtium. Principes comparat tauris & leonibus: nunc reliquam multitudinem comparat canibus rabioſè feram inſectantibus, & allatrantibus, nec quieſcentibus, donec feram comprehendant & diſcerpant.

Cœtus malignantium] Quod figuratè dixerat, nunc abſque figura explicat, vt mos eſt huic prophetæ. מרעים nõ ſignificat eos qui imbecillitate quadã frequenti delinquũt: ſed quorum omne ſtudium in eo inſumitur vt aliis malefaciant.

Foderunt manus meas] Hic Iudæi mouent litem Chriſtianis, eóſque acerbe exagitant. Dicunt enim legendum eſſe, ſicut leo manus meas, &c. & contendunt Chriſtianos perperam interpretari vocabulum כארי verbo foderunt. Sed veriſimile eſt Iudæos ipſos malitioſe textum hunc corrupiſſe, ídque mox à reſurrectione Chriſti. Viderunt enim eum apte ſuffragari hiſtoriæ paſſionis Chriſti. Nam Græcus interpres certè legit ו pro י cùm reddidit verbo ὤρυξαν: ídque ſi facias, lectio erit Grammatica כארו. Quanquam enim verbum ſit כור, quod fodere ſignificat, tamen vſitatum eſt, verbis qui mediam quieſcentem habent, inſeri literam א cognatam, vt Oſeæ 10. וקאם & Zach. 14. וראמה. Deinde cùm antea vſus ſit ſimilitudine leonis, quid opus erat denuo poſt interuallum eãdem repetere? Si cum Iudæis ita legas, oratio erit defectiua, vt ex priore ſententia verbum huc ſit accerſendum, Obſederunt: ſed quid verbum obſidẽdi magis ad manus & pedes quàm ad totum corpus? Preterea vox ארי cum adſciſcit כ ſimilitudinis, ſcribitur id regulariter cum Pathach, & non cum Cametz. Exempla inuenies Numeri 23. & 24. Ezechielis 22. Apud Ieſaiam tamen ſcribitur cum Cametz. Nugas Iudæorum lubens omitto, quas indignas eſſe iudico auribus piorum. Vnicum videntur habere argumentum, in quo eſt aliquid coloris. dicunt enim ex legis ſuæ præſcripto neminem confixum fuiſſe clauis: ſed produnt ſuam inſcitiam. Conſtat enim Romanos multa ex patrio more in prouincias tranſtuliſſe. Sicut & illud quòd viuos homines in cruce tollebãt, cùm Iudæi, antequam patria in prouinciã redacta eſſet à Romanis, lapidatione priùs interfectos, cruci alligarent ſontes. Illud etiam moneo, eſſe qui exiſtiment, ita ſcribi hanc vocem, vt tẽpus paſſionis Chriſti notetur: atque iuxta horum ſententiam, anni ſunt mille ducenti triginta. Sed ſunt tantùm ab vltimo anno Dauidis vſq; ad Chriſtum crucifixum anni 1064. adde 40. regni. Erunt igitur anni 1104. Cætera lege apud Petrum Galatinum lib. 8. c. 17. & lib. 1. c. 8.

18 Numerabo omnia oſſa mea: ipſi aſpiciebant [&] intuebantur me.

Id eſt, corpus ita erat macie confectum, & diſtendebatur in cruce, vt omnia oſſa apparerent. Significatur igitur ſingularis crudelitas Iudæorum. עצמות oſſa ſignificat, à robore. Ideo nonnulli oſſa allegoricè exponunt, pro amicis, quorum præſidio fortes ſumus: aut pro rationibus & argumentis quæ cauſſæ robora ſunt: quaſi diceret, ſe numerando rationes quibus cauſſam ſuã defendere poſſit, nihil tamen proficere: quia ſemel decretum ſit hoſtibus eum è medio tollere.

Ipſi verò intuentur me] Scilicet cum voluptate. Nam verbum ראה quando conſtruitur cum præpoſitione ב, ſignificat capere voluptatem ex illo viſu. Vult igitur hoc dicere, Tam inexplebilis eſt hoſtium ſæuitia, vt miſerum hominum languore & macie confectum, & quaſi tabidum cernentes, oculos tamen tam triſti ſpectaculo paſcant. Rurſus igitur tribuit hoſtibus ἐπιχαιρεκακίαν, id eſt, lætitiam, quæ percipitur ex bonorum calamitate: qui affectus propriè congruit diabolo, & in omnibus indicium eſt mentis à diabolo faſcinatæ, & agitatæ furiis planè diabolicis. Qui ſani ſunt, ne improborum quidem ſupplicio gaudent, ſed potiùs miſeratione aliqua mouentur, & συμπαθείᾳ aliorum leuant dolorem: econtra ἐπιχαιρεκακία hoſtium vehementer cruciat & auget dolorem. Hoc igitur etiã in Chriſto dolorem auxit.

19 Diuidunt veſtimẽta mea ſibi, & ſuper veſtem meam mittunt ſortem.

Hoc quoque Chriſto accidiſſe in paſſione, commemorant, & in primis Iohan. 19. qui hunc verſum citat. Voluerunt milites hoc facto oſtendere, ſe memoriam Chriſti cum omnibus quæ habebat, velle prorſus eſſe ſepultam & extinctam, ne veſtigium Chriſti ampliùs appareret, aut ne videretur vixiſſe vnquam in terra: ideo diſcindunt veſtes ſutiles; vnicam veſtẽ, quæ inconſutilis erat, tradunt ei cui ſorte obuenerat. Si ad Dauidem transferas, veſtimenta ſignificant opes, iumenta & alia quæcunque poſſidebat, quæ ſibi victores rapiebant, & cũ ludibrio inter ſe partiebantur.

20 Et tu Iehoua ne procul abſis: fortitudo mea, & auxilium meum feſtina.

Epilogus eſt in quo repetit precationem. Cùm igitur tot & tantis periculis ſim circumuentus, in quibus niſi tuum auxilium affulgeat, perire me neceſſe ſit, ſubueni mihi & eripe me, ne oppreſſus his calamitatibus funditus peream. Hæc ſumma eſt, & Chriſtus hoc ſuo exemplo docet quæ remedia malis noſtris quærenda ſint, & vnde expectanda liberatio. Qui ad humana præſidia reſpiciunt, vel alioqui illicita remedia adhibent, nihil aliud faciunt quàm quòd malum malo ſanãt, ſéque altiùs in calamitates demergunt. Monet præterea hoc verſu, non eſſe tantùm inanes querelas in ſinum Dei effundendas, ſicut faciunt qui impatienter ferunt crucem: ſed addendam eſſe precationem, quæ oſtendat, animum plenum eſſe ſpei & fiduciæ: ita enim precatur Chriſtus vt oſtendat, ſe certam ſperare ſalutem.

Fortitudo mea] Id eſt cuius virtute confirmatus hactenus adhuc ſuſtineo & perfero has ærumnas, in quibus iam dudum periiſſem, ſi abs te fuiſſem deſertus.

Feſtina] Quia calamitates tales ſunt quæ morã non patiuntur. Itaque neceſſitatem ſuccurrẽdi hoc verbo oſtendit. Græcus reddit πρόσχες, fortè quia Hebræum חוש voluit congruere cum χές.

21 Eripe à gladio animam meam: & è manu

canis

canis vnicam meam.

Per gladium μεταληπτικῶς intelligit mortem,& præſens mortis periculum:idem per manum canis & os leonis intelligit: ſed multiplex periculum variis appellationibus oſtendit.

Vnicam] Id eſt,ſolitariam,derelictam,omnibus præſidiis deſtitutam. Alij vnicam interpretantur vnicè charam & pretioſam.Sed & pſalmo 35.anima eodem ſenſu vocatur vnica, quæ ab omnibus eſt derelicta:quod vel inde manifeſtum eſt, quia paulò antè eodem pſalmo nominat orbitatē animæ, animam deſertam & orbam. Et pſalmo 25. dicit, Reſpice & miſerere mei,quia vnicus & afflictus ſum.

22 Serua me ab ore leonis,& à cornibus vnicornium exaudias me.

A cornibus vnicornium] Metalepſis vel metonymia eſt, qua potentiam & furorem tyrannorum ſæuiſſimorum & indomitorum notat: ponitur enim ſignum pro ſignato. Vnicornu animal eſt ferum & indomitum,quod Plinius appellat aſperrimam feram,

Exaudi me à cornibus] Id eſt,exaudiendo eripe me à potētia tyrannorum: Deus enim exaudiens liberat. ponitur itaque cauſſa pro effectu: ſcribitur autem præteritum pro imperatiuo per enallagen,quæ vſitata eſt Hebræis. Græcus reddidit, τὴν ταπείνωσίν μου,quia iudicauit verbum Hebræum עניתני eſſe nomen à verbo ענה deductum.

23 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

Prima pars pſalmi,vt dixi,continet triſtiſſimas querelas de magnitudine malorum & ærumnarum, quibus ſit oppreſſus: atque his miſcet precationem,vt liberetur:ſunt & inſerta πάθη & hypotypoſes,quæ,vt in poemate,adhibentur ad rem exaggerandam. Nunc ſequitur ſecunda pars pſalmi quæ continet gratiarum actionem, quòd ſit exauditus & liberatus. Oſtendit igitur hæc pars, nec Dauidem, cum eſſet in periculis, nec Chriſtum in ſuo agone ita has querelas effudiſſe,vt prorſus omnem ſpem & fiduciam abiiceret, aut commemoratione ſuorum dolorum in deſperationem rueret: ſed in mediis tentationum fluctibus collegiſſe ſe & dolorem viciſſe. Quomodo enim ad gratitudinem præſtandam ſe obſtringeret, ſi omnem fiduciam amiſiſſet? Deinde cōtinet hæc pars illuſtre vaticinium de reſurrectione Chriſti, quòd ſuperata morte & victo diabolo regnaturus ſit & collecturus Eccleſiam ex genere humano, quæ in æternum viuat apud Deum. Dixerat enim antea,fore vt clauis configeretur & interficeretur: nunc affirmat ſe Deum celebraturum,à quo ſit liberatus: ergo neceſſe fuit Chriſtum reſurgere.

Narrabo nomen tuum] Id eſt, prædicabo tuam bonitatem & miſericordiam, quòd miſerum & afflictum non paſſus es perire in calamitatibus. Item, Spargam vocem doctrinæ inter homines, vt omnes te talem eſſe erga miſeros & afflictos intelligant, hac voce colligam tibi Eccleſiam.quæ te perpetuò agnoſcat & celebret. Ita ſimul de fructu paſſionis & reſurrectionis concionatur.

Quod autem dicit,Fratribus meis, id plenum eſt conſolationis,& præcipuus fructus paſſionis oſtenditur. Significat enim ſua morte hoc beneficium nobis partum eſſe, vt iā adoptemur à Deo in filios, & pars ſummi illius & ardentiſſimi amoris,quo Pater Filium vnigenitum complectitur,in nos deriuetur:quo maius nihil dici aut concipi animo poteſt.Deinde docet,nobis quoque ius regni, quod filio paratum eſt,tradi, nóſque adſciſci in ſocietatem eius regni, quod perpetuò duraturum eſt. Tertiò, ſumma filij erga nos φιλαδελφία commendatur, qui cooptatis in ſocietatem regni non tantùm nō inuidet hæc bona, vt alioqui in rebus humanis nimis verum eſt quod dicitur: *omniſque poteſtas Impatiens conſortis erit:* ſed etiā vt fratres nos diligit & complectitur, imò ipſe huius felicitatis nobis eſt autor.Poſtremò,colligit ex hac appellatione autor Epiſtolæ ad Hebræos cap.2. Chriſtum eiuſdem eſſe naturæ nobiſcum:& vera carnis ſocietate nobis coniunctum.Eſt enim frater non tantùm affectu,ſed etiam natura.

In medio] Significat non ſe tantùm laudaturum & celebraturum hæc beneficia, ſed reliquos ſua voce & exemplo excitaturum ad celebrādum Dei amorem erga genus humanum, & reliqua beneficia: atque adeo quaſi ἔξαρχον reliquo cœtui futurum publicarum precum & gratiarum actionis. Ideo dicit,In medio congregationis.

24 Qui timetis Iehouam, laudate eum vniuerſum ſemen Iacob: glorificate eum & metuite ab eo,omne ſemen Iſrael.

Apoſtrophe eſt ad Eccleſiam,quam hortatur,vt ſuo exēplo diſcat agnoſcere præſentiam Dei in cruce & calamitatibus ſuorum,eámque laudibus celebret.Ita mox ipſo facto gratitudinis exemplū oſtēdit, & transfert ſuū exemplum ad omnes; vúltque omnibus prodeſſe Nam ſi Chriſtus,qui caput eſt Eccleſiæ, ereptus eſt ex morte,neceſſe eſt & membra liberari. Etſi igitur Eccleſia adhuc eſt ſubiecta cruci in hac vita:tamen quia videmus caput iam liberatum, decet nos erumpere in laudes Dei, certa fiducia concepta, quòd reliqua membra non multo poſt etiam ſint liberanda.Docet etiam talem debere in Eccleſia eſſe mutuam communicationem vt alij aliis gratulantes,gratias pro cuiuſque ſalute communiter agant.

Timentes Dominum] Hoc membrū oſtendit,quos ſupra præcedente verſu nominet fratres, nimirum timentes Deum. Timor autem totum cultum diuinum complectitur. Et cùm ita loquitur, excludit hypocritas.quanquam enim mox omnes hortatur, cùm dicit,Omne ſemen Iacob:tamen hic oſtēdit neminem rectè celebrare Deum,niſi qui vera fide, & vero timore colit Deum.Ideóque rurſus dicit,*metuite ab eo*,volens oſtendere, omnes illas voces celebrantium Deum eſſe hypocriticas, & ex ſenſu præſentis boni tantùm ortas, niſi proficiſcantur ex vera animi pietate.

Laudate] Hoc ad vocem propriè pertinet:ſed verbum glorificandi vel honorandi,primò ad interiorem animi reuerentiam atque obſeruantiam:deinde ad externum cultum & reuerentiam,quæ foris exhibetur, pertinet. Glorificate,id eſt, præclare ſentite & ſperate de eius erga vos beneuolentia:& vita, & factis ac geſtibus corporis oſtendite, vos in hac diuinę erga vos beneuolentiæ fiducia acquieſcere. Tertium verbum propriè ad animum referri debet.Significat autem metum,non qui fideles abſterreat à Dei acceſſu, (talis enim nō cadit in filios Dei)ſed qui coniunctus eſt cum quadam reuerentia & humilitate. Ita enim de Dei erga nos fauore & beneuolentia perſuadere nobis debemus, ne interea fiamus ſecuri & nobis indulgeamus,quaſi perfūcti omnibus periculis.

25 Quoniam non ſpreuit neque auerſatus eſt afflictionem afflicti, & non abſcondit faciem ſuam ab eo:& cùm clamaret ad eum exaudiuit.

Subiicit rationem cohortationi à ſua experientia & proprio exemplo, quod ita proponit Eccleſiæ conſiderandum, vt eandem erga ſe Dei miſericordiam fore ſinguli credant, Simul autem dicit quale ſit regnum Chriſti in hac vita,videlicet regnum crucis,cuius membra perpetuò affligantur, & pro liberatione clament: & quanquam differatur interdum auxilium,& Deus videatur negligere ſalutem ſuorum, tamen tandem ſuccurrere oppreſſis.

26 De te[*erit*]laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam coram timentibus eum.

Continuat & amplificat promiſſionem gratitudinis ſuprà inchoatam, & affirmat, ſe non tantùm inter Iudęos prædicaturum hæc beneficia, ſed paſſim in toto orbe inter gentes annunciaturum eius bonitatem,ac miſericordiam, qua omnes confugientes ad ſe recipit, exaudit & liberat: & effecturum vt gentes ipſius voce excitatæ diſcant agnoſcere & celebrare bonitatem diuinam. Eccleſiam enim gentium vocat hoc loco Eccleſiam magnam, quæ ſcilicet per totum orbem terrarum eſt diſperſa:non vni angulo terræ aut politię incluſa, qualis erat Iudaica. Ita ſimul promiſſio & vaticinium de vocatione gentium huic gratiarum actioni inſeritur,

De te] Felix interpretatur ex te,alij à te, & ſubaudiunt verbum proueniet,profluet, aut promanabit:quaſi dicat, Salutem meam tibi vni acceptam fero:itaque ex te petā canendi argumentum. Eſt autem conſideranda ſimul antitheſis. Nam pronomen exponitur emphaticōs:ita igitur ſe celebraturum ſuum Deum affirmat, vt è regione omnium aliarum rerum externarum fiduciam ſit damnaturus.

Vota mea] Quæ ſcilicet tibi voui:quæ qualia ſint, iam antè dixit:Narrabo nomen tuum.Item, Celebrabo te: loquitur enim Chriſtus hoc loco tanquam vnus ex illo populo Iudaico,qui ſua habebat externa exercitia Lege mandata, quibus animi gratitudinem & pietatem oſtendebat. In magnis enim periculis & neceſſitatibus vouebant Deo ſacrificium pacificum ſeu votum gratiarum actionis, quod voto ſuo potiti poſtea ſoluebant. Hinc igitur ſumpto ſermone dicit ſe ſoluturum vota, hoc eſt annuntiaturum & celebraturum ipſius nomen paſſim in toto orbe terrarum,atque ita gratitudinem ſuam declaraturum. Nihil hic dicit de fictitiis votis idololatrarum,quæ plena ſunt ſuperſtitionis & impietatis.

27 Edent afflicti,& ſaturabuntur:laudabunt Iehouam qui quærunt eum: viuet cor veſtrum perpetuò.

Amplificat promiſſionem ab effectu: docet enim quàm efficax ſit futura vox euangelij,& quid ex his ſuis votis,hoc eſt, ex prædicatione & celebratione nominis diuini ſit rediturum vtilitatis ad alios.

Edent, inquit, afflicti & ſaturabuntur] Forma ſermonis iterum ſumpta eſt ex ritu tunc vſitato. Solebāt enim ad ſacrificia vocare multos, & vnà epulari. Chriſtus igitur, dum ſacrificat euangelium (ita enim Paulus loquitur) hoc eſt, dum annuntiat & patefacit verbum promiſſionis, de miſericordia Dei recipientis gratis genus humanum: item dum nobis corpus & ſanguinem ſuum dat edendum & bibendū in cœna, conuocat omnes ad hoc epulum, quo animæ noſtræ ſaturantur, & noua lætitia ac vita perfunduntur. *Edent* igitur, hoc eſt, paſcentur hoc ſacrificio, hoc eſt, verbo euangelij, & quidem afflicti, hoc eſt, oppreſſi mole peccatorum, exhauſti & attenuati ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, nudati & deſtituti omnibus auxiliis & præſidiis humanis, & ſeriò expetentes auxilium & liberationem. His enim ſolis ſapit ille cibus. Et hi ſaturantur, hoc eſt, accipiunt vberrimam conſolationem, qua animi terroribus mortis & aliis calamitatibus oppreſſi, reuocantur in vitam, & reſtituuntur, vt iam amplius nihil deſiderent.

Laudabunt Iehouam] Id eſt, ſaturati erumpent in laudes diuinas, & mecum celebrabunt tuam bonitatem.

Quærentes eū] Hic iterū excludit hypocritas. In Lege multi conueniebant ad ſacrificia, qui ſatis eſſe putabant ſi nuda cæremonia defungerentur & poſtea epularentur: his nihil proderant illæ epulæ, niſi quòd ventrem explebant: & ad vnam atque alteram horam conuiuantes exhilarabant. Alij verò ita ad hæc ſacrificia conueniebant, vt & de præſenti beneficio ac liberatione Deo gratias agerent, & ſimul hoc exemplo excitati, fidem & ſpem ſuam alerent: vt deinceps quoque Deū affuturum ſibi ſperarent. Illi igitur hoc conſequebantur quod hic dicitur, vt corda ipſorum perpetuò viuerent, hoc eſt, perpetua lætitia acquieſcente in Deo perfunderentur: & illi erant qui Deum quærebant, cùm alij tantùm præſentem voluptatem ſpectarent. Quòd ſi illæ epulæ hoc præſtabant in Lege, vt animos & corda reficerent ſpiritualiter, quanto vberius hoc epulum quod Chriſtus præbet in nouo Teſtamēto id præſtat, ſi tamen vera fide eum quæramus?

Simul etiam monet, qualia ſint ſacrificia noui Teſtamenti, nempe ſacrificia laudis.

Viuet] Id eſt, perfundetur lætitia acquieſcente in Deo, ſublato terrore mortis ac ſenſu iræ Dei, & pacificata cōſcientia: ita igitur accedendum eſt ad has epulas, non vt in præſenti ſaturitas corporis aut voluptas quæratur momentanea: ſed talis refectio, quæ perpetuò animam paſcat & exhilaret.

Cor veſtrum] Mutatio eſt relatiui. ſecūda enim perſona pro tertia vſurpatur.

28 Recordabuntur & reuertentur ad Iehouam omnes fines terræ: & adorabunt coram te omnes familiæ gentium.

Iam apertiùs affirmat, hoc beneficium non tantū pertinere ad Iudæos, ſed ad omnes gentes in toto orbe terrarum, quas inuitandas ad hoc ſacrum epulum docet: & manifeſtè ex hoc verſu colligitur, Dauidem non tam de ſe quàm de Chriſto loqui in hoc pſalmo. Quanquam quatenus typus erat Chriſti, etiam ad ipſum aliquo modo congruit: & præbuit ille vicinis gentibus deuictis guſtum aliquem doctrinæ huius.

Recordabuntur] Id eſt, cōmonefacti his concionibus & dulciſſimis inuitationibus meis, primum cogitabunt de ſuis peccatis & miſeriis, quibus hactenus oppreſſi fuerūt, deplorabunt ſuam impietatem & vitam anteactam, & è regione, cōſiderata Dei miſericordia, tandē ſeriò expetent remediū ſuorum vulnerum, atque ita conuertentur: id ſignificat recordari hoc loco: ſicut nos Germani dicimus, *In ſich gehen*: conſiderare in quantis miſeriis fueris, & ſeriò expetere opem. Lutherus paſſiuè & imperſonaliter reddidit, Recordabūtur, id eſt, fiet memoria eorum, qui hactenus videbātur quaſi obliuioni traditi & abiecti, *Man vvird der Heiden als denn auch gedencken.* Alij verbum recordandi de renouata fidei luce apud gētes, quam oblitæ ad tempus fuerant, interpretantur.

Conuertentur] Id eſt, abiecta, & damnata impietate ſua, redibunt ad Dominum, à quo antea abalienati fuerant.

Adorabunt] Id eſt, cōuerſi præſtabunt gratos cultus. Cōplectitur enim nomē adorationis, κατ' ἐξοχὴν omnes cultus noui Teſtamēti, ſeu opera primæ tabulæ. Notandū autē quòd notitiā præmittit cultui. Neque enim poſſunt rectè adorare, niſi priùs recordentur & agnoſcant quales antea ipſi fuerint, & qualem ſe Deus ipſis offerat, atque ita conuertantur.

29 Quoniam Iehouæ eſt regnum: & dominatur inter gentes.

Addit rationem, qua hoc explicat clariùs quod antea dixerat de gentibus vocandis ad ſocietatē Eccleſiæ. Prouidentia quidem diuina ſe extendit per totum orbem, nec exemptæ ſunt ab imperio eius gentes: ſed tamē ita tandem verè cōſtituit regnū, & dominatur inter gentes, cùm diſcuſſis tenebris & erroribus verbi ſui lucē ſpargit. Regnū igitur, quod hactenus viſum eſt incluſum anguſtis Iudæorum finibus, nunc propagatū iri dicit per totū orbem, vt paſſim inter gentes conſtituatur Chriſti ſolium. Intelligatur igitur regnū nō de regno prouidentiæ, ſed de regno euangelij, de quo dicitur, Regnū Dei venit ad vos: quaſi dicat propheta, hactenus diabolus & ipſius organa regnū obtinuerunt inter gentes, nūc verò Iehoua regnū ibi cōſtituet & obtinebit. Alij ſimpliciter ſignificari volunt, cur neceſſe ſit gentes adiungi ad ſocietatē Eccleſiæ: quia ſcilicet Dominus ſit totius orbis terrarū, vnde fieri non poſſit vt perpetuò gentium ſalutē negligat. Quemadmodum & Paulus argumentatur ad Roman. 3. & 10. An Deus Iudæorum tantùm? an non & gentium? certè & gentium.

30 Comedent & adorabūt omnes pingues terræ: coram facie eius incuruabunt ſe omnes qui deſcendunt in puluerem: & qui animam ſuā non viuificat.

Rurſus amplificat promiſſionem ab amplitudine regni. Dicit enim fore vt non tantum afflicti, quorū ſuprà mentionem fecerat, inuitentur & admittantur ad hoc epulū, ſed etiā pingues terræ, hoc eſt, opulenti & potētes. Hic vero dulcis cōſolatio & vtilis doctrina proponitur. Prima, quòd opulenti, hoc eſt, principes & magnates, non excludātur à ſocietate huius regni & participationis gratiæ: ſed quòd ad hos quoque pertineat promiſſio. Secūda, quòd beatitudo ipſorū nō conſiſtat in affluētia opū & rerū caducarū: ſed quòd ita beati ſint ſi his epulis fruātur. Itaque quāquā ita opibus affluāt, vt nihil ipſis deeſſe videatur: tamen neceſſe eſt eos priùs exinaniri, hoc eſt, deiici de ſua ſuperbia, & humiliatos vrgeri fame huius cibi, ſi ſaturari velint: quod niſi fiat, nihil proderit ipſis opulentia ipſorū. Poſtremò hoc quoq; eſt obſeruandū, quòd quanquam cōmune hoc epulū omnibus proponitur: tamen priùs tantùm nominati ſunt pauperes & afflicti: quia his maximè deſtinatū eſt hoc epulū, qui exēplo Dauidis & Chriſti, oppreſſi multitudine ærumnarum conſolationem & liberationem quærunt.

Adorabunt] Id eſt, gratos cultus præſtabunt.

Pingues] Id eſt, ſucculenti, pleni vigore & ſucco: hoc eſt affluentes opibus & diuitiis.

Deſcendentes in puluerem] Id eſt, qui miſerè viuunt, quique in perpetuo ſqualore & miſeriis vitā trahūt. Hoc enim ſignificat deſcendere in puluerē, ſeu iacere in puluere, coniici ſcilicet in miſerias, atque his confici, vt pſalmo 113. Suſcitat de puluere inopē. Phraſis ſumpta eſt à conſuetudine lugentium in hoc populo, qui in magnis calamitatibus, in dolore & luctu abiiciebāt pretioſas veſtes, & ſumpto ſacco, id eſt, vili veſtimento, ſedebant in terra, aſpergētes puluerē ſuper capita, & volutantes ſe in cinere. Vnde eſt illud Ezechielis 10. Et adſcēdere faciēt puluerē ſuper capita, & in cinere volutabunt ſe. Alij puluerem intelligunt de ſepulchrò effoſſo: ſed hoc rectiùs poſteriore membro ſignificatur.

Qui animam ſuam non viuificat] Id eſt, qui iam planè videtur mortuus, aut iamiā moriturus: de cuius vita & incolumitate nulla ampliùs eſt ſpes: huic tamen paratus eſt cibus & quidē viuificus, de quo qui edit in æternum viuit. Alij ſic, Quorū nemo animā ſuā viuificauit, id eſt, viuificare potuit, illi his epulis reficientur & reſtituentur in vitam: vt ſit cōmendatio virtutis Chriſti. Alij de Chriſto intelligunt. Animā ſuā non viuificauit, ſed pro omnibus tradidit, is non repellet quenquā. Videtur hi moueri ſingulari numero in verbo viuificandi, cùm antea vſus ſit plurali. Sed eſt illa enallage numerorum crebra & vſitata in lingua Hebræa: vt non neceſſe ſit ad hāc coactam interpretationem propter numeri mutationem confugere.

31 Semen [*eorum*] ſeruiet ei: cenſebitur Domino in generationem.

32 Venient & narrabunt iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quia fecit.

Rurſus amplificat magnitudinem beneficij à perpetua duratione huius regni. Epulum hoc non erit vnius horæ aut dici, ad quod omnes omnium nationum populi ſemel inuitentur: ſed durabit perpetuò, & ad poſteros per continuas ætates, & continua ſucceſſione propagabitur eccleſia ſeu cœtus conuenientium. Eſt igitur hæc dulcis promiſſio de eccleſiæ perpetuitate, quæ nunquam in hac vita delebitur. Etſi enim non ſemper ſimili modo floret eccleſia: tamen Deus ſemper etiā inter imperiorū ruinas & horribiles confuſiones ſibi aliquos ſeruat, à quibus rectè agnoſcatur & celebretur.

Semen ſeruiet ei] Id eſt, poſteritas colet eum, nō enim erit hæc ſalus momentanea aut vnius temporis.

Accenſebitur Domino] Quidam imperſonaliter interpretantur, De Domino annuntiabitur aut prædicabitur ad omnem poſteritatem. ſed verbum יספר commodiùs refertur ad præcedens nomen זרע ſemen accenſebitur Domino, quia poſteros quoque adoptabit & referet in ſuum cenſum: ídque in generationem, id eſt, per continuas ætatum ſucceſſiones, *Für*

vnd

vnd für. Ponitur enim hoc loco vox Hebræa דור indefinitè pro tempore perpetuò duranto, non de vnius hominis ætate, quam γενεαὶ Græci vocant, vt idem valeat ac ſi dictio geminaretur, quod alioqui ferè fieri ſolet לדור דור. Alij דור exponunt pro generatione, ſicut Latini dicunt hominum nationem, quaſi hoc velit: In generatione: id eſt, in populo Dei electo, qui cenſebitur Dei hæreditas.

Nomen Adonai, quod hoc loco ſcribitur, interpretes ferè omnes referunt ad Chriſtum quem dicunt, hac ſententia eccleſiæ præfici, eámque in ipſius cuſtodiam tradi, vt in ſuum cenſum & gregẽ referat quotquot nomen Deo Patri dederũt.

Venient & narrabunt] Confirmat priorem ſententiam de duratione & perpetuitate eccleſiæ. Eccleſia ſemper manebit. quia patres ſemper beneficiorum acceptorum notitiam ad filios, quaſi per manus tranſmittẽt & propagabũt. Itaq; ſemper vigebit agnitio & celebratio Dei. Ita & promiſſio dulcis hic traditur, & nobis ſimul cura & ſtudium conſeruandæ & propagandæ veræ doctrinæ iniungitur, ne poſt mortem noſtram agnitio veri Dei in terris extinguatur. Verba יבאו יגידו alij reſtringunt ad ſolos Apoſtolos & doctores eccleſiarum, ſed pertinent in genere ad omnes.

Iuſtitiam] Vocabulum hoc complectitur omnia beneficia regni Chriſti, quæ in hoc epulo, cuius ſuprà mentionem fecit, nobis diſtribuuntur: & iuſtitiam Dei ſimpliciter interpretor, qua iuſtos & ſaluos pronuntiat omnes confugientes ad miſericordiam, gratis, abſq; vllis meritis noſtrorum operum, cum qua imputatione coniuncta ſunt reliqua beneficia. Alij iuſtitiam interpretantur fidem, quam in ſuis ſeruãdis præſtat: cuius memorabile exemplum & documentum fuit Dauidis, tanquam typi, & deinde ipſius Chriſti liberatio. Eodem ferè redit hæc ſententia. nã liberatio hæc, de qua hic loquitur, non intelligitur de aliquo momentaneo aut particulari auxilio, ſed de redemptione generis humani ab imperio, poteſtate & tyrannide diaboli. Hanc igitur fidem quam præſtitit nobis ſecundùm promiſſionem, prædicat eccleſia.

Quia fecit] ſcilicet omnia quæ ſunt noſtræ ſalutis: ipſe eſt autor noſtræ iuſtitiæ & ſalutis, non nos. Non enim dicit, fecerunt: ſed ipſe fecit, vt nos liberati à tyrannide diaboli, eſſemus iuſti & ſalui: ita hoc ipſo verbo reiicit omnem iuſtitiam humanã, & ſolam miſericordiam Dei extollit & prędicat. Sicut & alibi pſal. 71. Ego celebrabo ſolius tuam iuſtitiam. Nonnulli ſic interpretantur: Quia fecit, id eſt, re ipſa oſtendit, ſe eſſe fidum ſuorum cuſtodem & liberatorem. Alij כי dicunt poſitum pro אשר, quam fecit, ſcilicet iuſtitiam.

PSALMI XXII. *PARTES.*

I. Precatio coniunctas habens (in typo, Dauide) Chriſti perpeſſiones, à 2. v. ad 23.

Precationis autem membra ſunt duo. Exordium & Propoſitio.

Petitionis Exordium per exclamationem patheticã v. 2. & 3. quibus exprimitur virtus fidei aduerſus carnis infirmitatem grauiſſimè concertantis, & animũ ad Deũ ſuperata carne & difficultatibus eius erigentis.

Propoſitio continet duo petitionis vel poſtulati membra. 1. Deprecationis, ne porrò à ſupplice abſit Deus, à 4. v. ad 12. vſque. 2. precationis ad 23. verſ.

Prius membrũ tria cauſarũ genera cõtinet. 1. A perſona Dei, qui in ſe ſanctus, ſempiternus & laudatiſſimus eſt: deinde beneficus erga ſuos, quorũ laus eſt, fiducia, liberator, & ſeruator. v. 4. 5. 6. 2. A perſona aduerſariorũ (v. 7. 8. 9.) hominem miſerũ contumeliis, ſannis, blaſphemiis indigniſſimè exagitantium atque ludificantium. 3. A perſona ſua profert non meritum ſuum, ſed ante accepta Dei beneficia inde ab vtero, v. 10. & 11.

Poſterius membrum, precationem continens. Huius prior locus, v. 12. commodè poſtea πρὸς μετάβασιν repetitur, v. 20. Precatio eſt admodum pathetica, tria etiam cauſarum genera continens. 1. A perſona Dei, quẽ ſalutarẽ & longinquum anguſtiæ propinquæ opponit. 2. A perſona aduerſariorum, 13. & 14. v. 3. A perſona ſua, v. 15. 16. 17. 18. 19. vbi hyperbolicè in typo, graphicè in Chriſto patiente, depingit humiliationis omnium deiectiſſimæ ſtatũ, atque calamitates, animo, corpore, & ſingulis eorum partibus initas.

Precationis ſecundus locus, ſeu repetitio v. 20. cuius partes ſunt, 1. vt Deus adſit, hoc verſ. 2. vt liberet à malo, 21. verſ. 3. vt plenam ſalutem bonúmque conferat, 22. verſiculo.

II. Gratiarum actio à verſ. 23. ad finem vſque pſalmi. Huius εὐχαριστίας partes ſunt tres.

I. Profeſſio publica beneficij à Deo accepti in Eccleſia, cum hortatione quæ ad propheticum Chriſti officium pertinet, v. 23. 24. 25.

II. De perfunctione Spiritualis & æterni Sacerdotij eiuſdem prophetia, v. 26.

III. Explicatio prophetica regni ad Chriſtum pertinentis, non Iudææ finibus circunſcripti, ſed quod vniuerſale futurum eſt. Huius regni tria capita ſeu beneficia cõſtituũtur prolepticè v. 27. & deinde exponuntur ſequẽtibus verſiculis. 1. educatio fidelium. 2. laus Dei. 3. vita æterna. Ponitur autem Dei laudatio inter præſens tempus educationis & futurum æternæ vitæ, quia ad vtrumque communiter pertinet.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE:

1. 2. Non modò Dauidis, ſed præcipuè Chriſti, cuius Dauid typus erat, exinanitio & gloria hoc pſalmo ad viuum depicta, Eccleſiæ Dei & ſingulorum piorum in terris conditionem & tandem triumphum in cœlis proponit.

Hoc inteſtino conflictu pij exercentur, quoties fauoris ſui ſigna Deus ſubducit, vt quocunq. vertant oculos nihil præter noctis tenebras occurrat, & tamen Dei illius à quo ſeuerè caſtigantur, bonitatẽ ſentiant, ac prædicent, ſecúmque luctando tam carnis infirmitatẽ prodant, quàm fidem teſtentur. Reprobos autem quia diffidẽtiæ ſuæ indulgent, obruit ſua anxietas, vt ad Dei gratiam fide non aſpirent.

Quiſque fidelium id in ſe quotidie experitur, vt pro carnis ſenſu à Deo ſe reiectum & deſertum exiſtimet, fide tamen apprehendat abſconditam gratiam: & ita fit vt in precibus piorum contrarij affectus ſimul permixti ſint ac impliciti.

Quoniã carnis affectus, ſimul ac ebulliũt, nõ facilè cohibẽtur, imo nos abripiũt vltra metas: maturè inter ipſa principia frænãdi ſunt.

Non primo ſtatim congreſſu palmam obtinet fides, ſed multis agitationibus exercita victrix tandem emergit, vt patet in Dauide, qui bis & ter Deum ſuum nominat.

Fideles non tam animoſi & infracti ſunt athletæ vt non vacillet eorum fides. Quamlibet enim ſeriò conentur ſubacto carnis ſuæ ſenſu totos ſe Deo addicere, aliqua tamen infirmitate ſemper laborant. Piorum autem & poſt Chriſtum in carne exhibitum ſub cruce feliciter certantium exẽplis nos ad perſeuerantiã animat Deus, ne infirmitatis noſtræ nimiũ conſcij animos deſpondeamus. Quare hæc nobis ratio tenenda eſt, quoties tumultuatur caro noſtra, & quaſi violentis procellis ad impatientiã nos rapit, vt contra nitamur ad cohibendos eius impetus. Sic fiet vt duriter quidem iactemur, ex naufragio tamen emergat fides noſtra.

Quum penes Deum ſit iuuandi facultas, vbi ſalutẽ noſtrã hoſtiũ libidini expoſitã vidẽs, quieſcit tamẽ perinde ac ſi nõ curaret, manũ ſuã adiutricẽ retrahere, & procul abſcedere videtur: idque vt infirmitatis noſtræ conſcij auxiliũ eius auidiùs expetere, & pro liberatione gratias agere diſcamus.

Chriſtus in cruce pendens, inter vltimos ſpiritus, vt euangelica teſtatur hiſtoria Matth. 27. 46. eandem Dauidis vocem & querelam edidit, ſe à Deo patre derelictũ clamitans. Suſcepta enim noſtra perſona, noſtróque reatu, neceſſe habuit ad Dei tribunal ſe inſtar peccatoris ſiſtere. Interea ſic affectus humanos paſſus eſt, vt carnis infirmitate non lapſus ſit: quia naturæ integritas purum ab omni exceſſu eum præſtabat. Cæterum illo clamore palã oſtendit Chriſtus, quanuis hîc ſuas miſerias deploret Dauid, pſalmum hunc tamen prophetico ſpiritu de ſe fuiſſe compoſitum.

Hæc ritè precandi regula eſt, vt qui viſi ſunt diu ſine profectu aërem verberaſſe, non propterea deſiſtant. Interim hoc Deus ſuis concedit, vt ſi voto ſuo ad tempus fruſtrati fuerint, ſuas anxietates in eius ſinum exonerent.

4 Quoniam periculoſa eſt tentatio videre ſe à Deo deſeri, ne eam aſſidua meditatione alant fideles, ad continua gratiæ Dei documenta mentes reflectunt, ex quibus concipiũt aliquod bonæ ſpei fomentũ.

Deus quum ſanctus ſit & maneat ſemper ſui ſimilis, beneficus itẽ ſit erga ſuos, laudis materiam cõtinuo gratiarum tenore ſuppeditat: niſi enim bonitatis ſuæ guſtum præbeat, nos obmuteſcere neceſſe eſt.

5 Parum eſt tenere quæ Deus ſeruis ſuis exhibuit miſericordiæ documenta, niſi ſe ad eorum ordinem quiſque noſtrum aggreget, ſicuti Dauid in Dei eccleſia ſe includit. Sed in promiſſiones gratuitas

& fidem illis ſubnixam oculos conuenit dirigere.

6 Se Deo fidere impudenter mẽtitur quiſquis in malis ſuis repen opem eius non implorat. Nã ex precibus cognoſcitur fidei veritas, ſicuti bonitas arboris ex fructu. Nec aliæ cenſentur coram Deo preces legitimæ, niſi quæ ex fiducia manant & cum ea ſunt coniunctæ.

7 Ingenti mole afflictionum ſæpius fideles obruuntur: ſed inde petunt ſperandæ liberationis argumentum potiùs quàm deſperationi ſe dedant.

Si Dauidem & Chriſtum tam duriter exercuit Deus, & eò vſq; deiecit vt locus eis non eſſet inter contemptiſſimos homines, ne moleſtum nobis ſit eorum exemplo humiliari.

Quòd huc ſe redigi paſſus eſt Dei filius vt vir fuerit dolorum, cõtemptus, vt quiſque abſconderet ab eo faciem ſuam, imò ad inferos vſq; deſcenderit, adeo cæleſtem eius gloriam non obſcurat, vt potiùs incomparabilis gratiæ eius erga nos illuſtre ſit ſpeculum.

8.9. Nullum eſt Satanæ magis lethale telum ad vulnerandas animas, quàm dum promiſſiones Dei in ludibrium vertendo fidem nobis excutere tentat.

Danda opera eſt, quoties hypocriſin nobis obiectant homines, vt interior cordis ſinceritas apud Deum pro nobis reſpondeat.

Quum Chriſto mordacibus ſannis Satan molitus ſit fidem & ſpẽ excutere, eadem conditio fidelibus qui Chriſti membra ſunt, fortiter eſt ſubeunda: eóſq; hoc clypeo munitos eſſe conuenit, quanuis deplorati ſint apud homines, ſi tamen curas ſuas in Deum coniiciant, eorum preces non fore irritas.

10.11.12. Hanc prudentiam fidelibus dictat ſpiritus ſanctus vt in rebus trepidis diuinæ bonitatis teſtimonia colligant, quæ valeant ad fulciendam fidem.

Quum nunquam Dei liberalitas fatigetur, nec eius diuitias exhauriat largitio, ſicut à prima infantia patrem eum expertiſumus, ſtatuendum eſt talem ad vltimum vſque ſenium nobis fore.

Deus infantes, ratione carentes, quum ita præueniat, quæſitus & rogatus ſpem ſuorum minimè fruſtrabitur.

Nos malorum ſenſus colligere debet ſub alas Dei, vt auxilij ſui præſentia ſollicitum ſe de ſalute noſtra eſſe demonſtret.

13.14.15.16.17.18.19. Eccleſiæ hoſtes adeo ſunt ſanguinarij & crudeles vt feris belluis ſimiles magis ſint quàm hominibus.

Non inſtar immotæ rupis ab afflictionum fluctibus verberantur fideles, ſed intus duris agitationibus percelluntur, quibus ſuſtinẽdis pro carnis infirmitate ſunt impares, niſi Dei virtute fulciantur.

Hyperbolicæ Dauidis loquutiones, verſ. 15. & 16. nobis depingunt horribile illud Chriſti cum morte certamen, quo elicitus fuit ſanguis pro ſudore, deſcenſus ad inferos, & tota eius pro peccatis noſtris exinanitio.

In Chriſto mirabiliter hæc duo fuerũt coniũcta, terror ex Dei maledictione ſe ingerens, & patientia ex fide trãquillãs omnes motus, vt ſub Dei imperio quieſcerent. Nos qui pari non ſumus virtute prædi ti, ſi quando nihil niſi interitum cernentes ad tempus attoniti iacemus, paulatim tamen eniti oportet ad ſpem quæ mortuos viuificat.

Quod Dauid metaphoricè narrat ſe ſpoliatum & cruci fuiſſe affixũ, de ſumma quadam oppreſſione loquens, id re vera in Chriſto impletum eſt, teſte hiſtoria euangelica: & docet qualis futura eſt eccleſiæ conditio vſque ad finem ſeculi.

20.21.22. Quum nihil ad miſeriarum cumulum deeſt, nec vlla futuræ liberationis emicat ſcintilla, admirabile eſt in Dei electis fidei documentum, quòd non modò durant patienter, ſed etiam ex deſperationis abyſſo ad Dei inuocationem emergunt, ſibiq; promittunt quod nondum vident auxilium.

Præſente, & quidem multiplici mortis periculo obſidentur fideles: nihilominus tamen ſtant fortes in Domino, ſemperq; in eorum animis viget vitæ ſpiritus.

23.24.25. Publica gratiarum actio huc pertinet vt ſe modis omnibus exerceant fideles in Dei cultu, & alij alios mutuò inuitent.

Chriſtus teſte Apoſtolo ad Hebr. 2.12. eiuſdem naturæ nobiſcum fuit particeps, nobiſq; vera carnis ſocietate coniunctus, quos pro fratribus agnoſcit. Etſi autẽ competit hoc aliquatenus in totum genus humanum, vera tamen fruitio penes fideles ſolos reſidet, Iohan. 20. 17. Illam enim carnis cognationem quæ omnes homines ſibi ſociauit, impij ſuæ incredulitatis diſſidio abrumpunt, vt ſua culpa alieni prorſus reddantur.

A piis & Deum timentibus illum prædicari decet. Quamuis enim pleno gutture Dei laudes impuri homines detonent, nihil aliud quàm profanant ſacrum eius nomen, quod non rite celebratur, niſi vbi viget interior pietas.

Pius & laudabilis metus non abſterret fideles à Dei acceſſu, ſed verè humiliatos in eius ſanctuarium adducit. Porrò Dei timore nũquam ita ſunt imbuti quin opus habeant continuis ſtimulis.

Afflictiones patienter ferẽdæ ſunt quandiu Domino viſum fuerit nos ad inopiam redigere, vt tandem miſerè oppreſſis ferat auxilium.

26.27.28.29.30. Præcipua cultus Dei pars in eo ſita eſt vt teſtentur fideles ſe Deum agnoſcere bonorum omnium authorem.

Ea demum grata ſuauiſque Deo oblatio eſt, cui annexa eſt humanitas & miſericordia: alioqui cæremoniæ quibus Dei cultũ profitentur homines, cum toto ſuo ſplendore in fumum euaneſcunt.

Certa pietatis nota, verè fideles ab hypocritis diſcernens, eſt, Deum quærere.

Si ſacris epulis in ſpiritualem vitam refecti fuerunt patres ſub Lege, multò vberiùs hodie hæc vis ſe profert in ſacra Chriſti cœna, modò verè & ex animo Dominum quærant quicunque ad eius participationem accedunt.

Inſignibus Dei miraculis expergefactæ Gentes, ad puram religionem à qua receſſerant, iterum ſe contulerunt: extátque 29. verſu, de gentium vocatione nobile teſtimonium.

Quanquam promiſcuè ad totum orbem patet Dei prouidentia, tamen tunc verè dominatur vbi diſcuſſis tenebris & effuſa verbi ſui luce conſpicuus eminet.

Etiamſi ad quærendum doloris ſolatium diuites & pingues terræ non vrgeat præſentium malorum neceſſitas, remedio tamen opus habent ne ſe inebrient deliciis, ſed potiùs gaudium ſuum in cælo reponant. Deinde quum ipſi quoque obnoxij ſint varijs incommodis, maledicta erit eorum opulentia ſi in terris mentes ipſorum detineat. Et ſicuti eos macerari conuenit vt Deo ſe paſcendos offerant, ita fideles qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, animat Dei Spiritus ne ipſos impediat ſua inopia ab acceſſu: imò ipſos quoque mortuos ad epulandum inuitat, vt qui ſunt deſpectiſſimi & ferè coram mundo fœtidi, ſe tamen ad ſacram Dei menſam ingerere audeant. Hæc autem eſt piorum gloriatio, de qua Iacobus Apoſtolus, cap. 1. 10.

31.32. Eccleſia perpetua eſt, nõ quòd ſemper floreat vel æquabili tenore fluat eius ſucceſſio: ſed quia Deus nomen ſuum in mundo extingui nolens, ſemper aliquos ſuſcitat à quibus piè colitur.

Chriſtus eccleſiæ præfectus eſt, vt in cenſum ſuum referat quotquot nomen Deo patri dederunt.

Sola gratia Dei prædicatione fit vt nunquam intereat eccleſia.

Cura & ſtudiũ propagandæ veræ doctrinæ nobis iniungitur, quò poſt mortem noſtram ſuperſtes maneat. Et quũ hoc piis omnibus cõmune tribuat officium Spiritus ſanctus, operam dare inſtituendis liberis vt noua ſoboles ad Deum colendũ ſuccedat: ſummæ turpitudinis damnatur eorum ignauia, quibus Dei memoriam æterno ſilentio obruere nulla religio eſt, vt per eos non ſtet quominus intercidat.

Seruos ſuos Deus à vi & iniuria improborum vindicans, iuſtum ſe eſſe probat.

Non pro aliquo particulari auxilio, ſed pro redẽptione generis humani confeſſio laudis à nobis hic exigitur: & per os Dauidis præconium reſurrectionis & victoriæ Chriſti piis omnibus commendatur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De duplici ſtatu Chriſti, nempe humiliationis & exaltationis ſub Dauidis typo.
2. De militantis Eccleſiæ perpetuis exercitiis, ſingulorúmque piorum in terris conditione.
3. Natura Dei, piorúmque ſub cruce luctantium ingenium.
4. Eccleſiæ hoſtes graphicè depicti.
5. De prophetico, ſacerdotali, & regio Chriſti munere.
6. Cultus diuini regula, fructus, vſus multiplex.
7. De vocatione gentium.
8. Regni Chriſti amplitudo, poteſtas, gratia, conſeruatio, perpetuitas, gloria.

ARGVMENTVM PSALMI XXIII.

PSALMVM hunc apparet à Dauide ſcriptum & decantatum eſſe, quando iam, deuictis hoſtibus qui vndique ei imminebant, & conſtituto regno, otio & pace læta fruebatur. Tota enim hæc oratio proficiſcitur ex animo ſereno & tranquillo, magnáque fiducia in Dei erga ſe beneuolentia acquieſcente. Agit enim gratias Deo quod variis ab ipſo beneficiis, cùm corporalibus tum ſpiritualibus ſit ornatus: ſeque oſtendit in horum bonorum affluentia ita acquieſcere, non vt homines Epicuræi, qui vt caſu ſibi bona offerri, vel virtute atque induſtria ſua parari exiſtimant: ita in rebus ſecundis totos ſe ad voluptates proijciunt, atque in his ſummam felicitatẽ conſtituunt: ſed potiùs vt Dei erga ſe beneuolentiam & amorem agnoſcat & prædicet, cuius beneficio ſe hæc omnia conſequutũ eſſe intelligit. Non vtitur autem longa commemoratione beneficiorum, vt alias fieri ſolet: ſed duabus elegãtiſſimis ſimilitudinibus Dei erga ſe benignitatem ita depingit vt nulla oratio, quantumuis longa, aſſequi magnitudinẽ harum rerũ poſſit. Prima ſimilitudo

militudo ſumpta eſt à paſtore ſeu opilione, ac ouiculis, atque harum natura & officiis, quæ oratio huic regi qui olim paſtor ouium fuerat, bellè conuenit. Memor enim vitæ olim actæ videtur ſcribere voluiſſe hoc idyllion paſtorale, ſuáſque meditationes, quibus animum tunc occupatum habuerit, depingere. Secunda ſumitur ab hoſpite liberaliter excipiente, recreante & exhilarante conuiuam ſeu viatorem defeſſum labore ambulandi. Nam vt vita eſt humana, ſumus peregrinatores, & multas itineris moleſtias & varios labores experimur: in quibus nonnunquam tamen ſuauiter à Deo reficimur, vt cœptum iter feliciter cõficere poſſimus: ſed de his poſtea videbimus. Pſalmum verò hunc quoties legimus, cogitabimus Dauidem ſuſtinere perſonam totius eccleſiæ. Itaque ſicut ipſe Deo gratias agit pro perpetua cùm ſui tum totius eccleſiæ conſeruatione ac defenſione: ita reliquos, vt idem faciant, ſuo exemplo hortatur. Exemplum enim hoc ita proponitur, vt ad totam eccleſiam & ſingula eius membra accommodetur, & ſinguli diſcamus, nos non aliter quàm Deo gubernante & ſeruante tutos & incolumes eſſe.

PSALMVS DAVIDIS.

1 IEhoua paſtor meus, non deficiam: [*indigebo, deſtituar.*]

Propoſitio pſalmi eſt, Ego Deum habeo paſtorem: ergo beatus ſum, & nulla re indigeo. Sacræ literæ, dũ omnem pietatis, amoris, ſuauitatis & ſolicitudinis affectum exprimere volunt, paſtoris nomine hæc omnia ſignificant. Eo namque vocabulo aliquanto plus ferè ſignificant quam ſi vel patrem vel præſidem, vel ducem, vel cuſtodem dicerẽt: ſiquidem paſtor & deducendi, & regendi, & ſeruandi, & ſanandi non ſolùm curam gerit: ſed quodammodo etiam pater eſt. Itaque & Chriſtus hac appellatione gaudet, vt videre eſt Iohan. 10. vbi quidem tantum amoris ardorem tribuit bono paſtori, vt animam relinquat pro ouibus: quod neſcio an in omnes bonos patres cadat. Et prophetæ ac apoſtoli deſcripturi amorem, officia, & beneficia Chriſti in nos, paſtorem eum appellant, Ieſaiæ 40. Ezech. 34. 1. Pet. 2. Nec dubium eſt quin hoc ipſo in loco Dauid ad Chriſtum reſpiciat, quem Iehouam appellat. Beneficia enim ſpiritualia, quæ hic commemorat, à Chriſto nobis ſunt parta. Vt autem verſus hic meliùs intelligatur, & magnitudo beneficiorum aliquo modo conſideretur, officia boni paſtoris cogitanda ſunt. Apud Zachariam cap. 11. malus paſtor deſcribitur: vnde ex antitheſi officia boni paſtoris colligi poſſunt. Ego, inquit, ſuſcito paſtorem qui derelicta nõ viſitabit, diſperſum non quæret, contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. Eſt igitur officium boni paſtoris, primò oues nutrire, & ſufficiendis gregi paſcuis curam impendere. ſecundò, non deuorare oues, nec diſſoluere vngulas: ſed potiùs arcere ab iis & depellere omnes iniurias, propugnare cõtra belluas, & quidem ita pugnare pro ouibus, vt etiã animam ſuam pro harum ſalute relinquat. id enim Chriſtus tribuit bono paſtori. tertiò, vocando ac deducendo viam ipſis monſtrare quã ſequantur, adeóque in omnibus ducem eſſe. quartò, aberrãtes à grege vel amiſſas requirere & reducere. quintò teneros agnos non abiicere propter infirmitatem, ſed fouere, ne inclementia cæli aut tempeſtatibus pereãt: ſicut pulcherrimè hæc imago exprimitur Ieſaiæ 40. ſextò, oues læſas aut morbidas ſanare, Ieſa. 53. ſeptimò quæ adhuc viribus integris ſunt cuſtodire. Poſtremò, Chriſtus paſtor non tantùm in hac vita paſcit gregem ſuum, ſed per paſtoralia ſcientiæ verba: hoc eſt, doctrina de cælo patefacta, oues ſuas ad ſupernam caulam colligit. Nunc ex antitheſi, ſi conſideretur natura ouium, ſententia erit dulcior. Ouis, inquit Ariſtoteles lib. 9. de natura animalium, animal eſt ſtolidum ac iners, & omnium quadrupedum ſtupidiſſimum, quod in deuia & loca deſerta diſcurrit & oberrat: etiamſi paſcua domi habeat, & pabulum copioſum. In tempeſtatibus cùm reliqua animantia ſe ferè in luſtris ſuis contineant, prodit & iniuriis ſe obiicit: & ſi à tempeſtatibus & niuibus obruatur, non diſcedit ex loco, niſi à paſtore abigatur, atque ita perit: præterea animal eſt inerme, quod nihil habet animi aut armorũ, quibus ſe defendat, aut vim illatam propulſet. Talis eſt natura hominum: primùm ſumus ſtolidi in rebus diuinis: nihil enim intelligimus, & aberramus omnes à vero, vt dicit Ieſa. 53. Obiicimus item nos vltro & ſponte tyrãnidi diaboli, à quo opprimimur: niſi à paſtore noſtro inde retrahamur. Paſtoris igitur vocabulo hæc ſpiritualia beneficia præcipuè celebrat Dauid. Non enim tantùm de cura corporis loquitur, quanquam hanc ſimul cõplectitur, dum Deũ paſtorem nominat: ſed ſimul de animæ cura quæ præcipua eſt oratio prophetæ, intelligendum eſt.

Non indigebo] Illatio eſt ad præcedens membrum. Cùm Deus ſit paſtor meus: hoc eſt, cùm tanta ſolicitudine procuret omnia quæ ad ſalutem cùm corporis tum animæ meæ pertinent, nihil poteſt mihi ad plenam bonorum copiam deeſſe: ſed verè ſum beatus. Homines impij & profani aut cruciantur inopia in egeſtate, aut ſi affluant diuitiæ, conficiuntur cura & metu rerum amittendarum, & vt Tantalus, in mediis vndis ſiti contabeſcunt: itaque nunquam ſatiantur, nunquam ſunt animo tranquillo & bene compoſito. Sed qui omnem fiduciam in Deum omnium bonorum fontem reiiciũt, & in grege Domini cenſeri ſe ſtatuunt, horum animi ita pacati redduntur, vt non tantùm nullius ſe egere ſentiant, ſed nec paſſuros vnquam aliqua in re penuriam credant.

2 In paſcuis herbæ viridis facit me accubare: ad aquas quietudinum [*id eſt, leniter fluentes*] deducit me.

Expolitio eſt propoſitionis à diſtributione, quam ſumit ab officiis boni & fidelis paſtoris. Boni paſtoris eſt gregem ſuum ducere ad bona & pinguia paſcua, deinde in æſtu ducere ad aquatum & potare, & vt Virgilius inquit,

Æſtibus in mediis vmbroſam exquirere vallem.

Omnia hæc præſtat hic paſtor fideliſſimè. Primùm corpori, cui diligenter proſpicit de victu; & quidem grato ac copioſo: deinde animæ, quam paſcit verbo promiſſionis, & in æſtu ſuauiter reficit aquis ſalubribus doctrinæ euangelij. Tuguriolum etiam & vmbraculum aduerſus æſtum iræ diuinæ nobis præſtat, ne illo igne abſumamur: ſicut dicitur apud Ieſa. c. 25. נוה eſt amœnum, iucundum, decorum eſſe: inde נוה locus amœnus, graminoſus, paſcuoſus, in quo eſt villa aut tuguriũ. Quidam ſimpliciter exponunt tuguriũ: ſed complectitur hoc loco vtrunque, & paſcua, ſcilicet læta, mollia & opima, quibus ſaginentur, & tugurium ſeu ſtabulum, ſub quo tegantur à ſolis æſtu.

Verbum רבץ alludit ad tugurium, ſub quo quieſcunt in æſtu: & ſignificat animi ſecuritatem non expaueſcentis ſenſu iræ Dei, nec metuentis foris pericula ab incurſionibus luporum: hoc eſt, diaboli & organorum eius. Nõnulli locum graminoſum interpretantur eccleſiam: ſed rectiùs de doctrina, quæ eſt propria eccleſiæ, intelligitur. Hæc enim alit animam & pinguefacit.

Aquas quietudinum nominat aquas leniter fluentes: quia rapidi torrentes ad potum ouium incommodi ſunt, atque etiam vt plurimùm noxij. Per aquas quietas primùm intelligit mitigationem ærumnarum & calamitatum in hac vita, *Er gibt vns ein labtrunck*, in ipſis calamitatibus, quo reficimur: ita enim temperat & mitigat ærumnas, vt ſuſtinere poſſimus: deinde animum intus confirmat & conſolatur verbo euangelij & Spiritu, vt placide feramus quicquid nobis eueniat. Imprimis verò nos hoc potu reficit, ne ab æſtu iræ diuinæ abſumamur. Vt autem paſtor aquis, ſi videantur minùs ſalubres, interdum ſalem aſpergit, ita filius Dei conſolationibus euangelicis ſubinde miſcet prædicationem Legis, quæ ſecuritatem carnalem nobis excutiat.

Ieſaias capite 8. queritur, populum Iudaicum abieciſſe aquas Siloe leniter fluentes: id ad hunc verſum cõferatur. Torrentes rapidi ſuo ſtrepitu terrent miſeras ouiculas, ne accedere & bibere audeant: ita ſola Legis doctrina incutit terrorem, ſed doctrina euangelij lenis eſt & ſuauis, & bibentes ſuauiter reficit. Nonnulli aquam requietis intelligunt ipſum baptiſmum, vt qui ſordes abſtergat, moleſtóque peccati nos onere leuet.

3 Animam meam reducit [*reſtituit, recreat*] ducit me in ſemitis iuſtitiæ propter nomen ſuum.

Prima parte hic verſus explicat præcedẽtem. Mos eſt enim prophetis, vt quæ ſermone figurato erant dicta, mox ſimplici oratione & ſine figura exponãt. Reducit igitur & recreat animam in paſcuis opimis: hoc eſt, voce euangelij, quod cibus eſt animæ: deinde, tuguriolo ſeu vmbra in æſtu, hoc eſt, ſenſu conſolationis, quæ ſequitur promiſſionem apprehenſam fide. tertiò, aquis leniter fluentibus, hoc eſt, Spiritu ſancto, quo perfuſi concipimus nouam lætitiam, acquieſcentem in Deo, & ſuperamus omnes dolores, qui vel ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, vel ex ſenſu calamitatum atque ærumnarum exiſtunt. deinde in hac vita benignè largitur omnia quæ ad conſeruationem vitæ ſpectant: dat eccleſiæ ſuæ hoſpitiola & aliqua halcyonia, dat panem & aquam, victum & amictum. Hæc omnia ſignificantur his verbis, *Reducit animam meam.*

Forma autem ſermonis ſumpta eſt ab his quæ communiter accidunt in vita. Quando enim vel corpus exhauſtum eſt fame, vel animus conficitur dolore, vel ſubita conſternatione percellitur, videtur ille deficere, & ſequuntur lipothymiæ ſeu deliquia. Reduci igitur dicitur anima, cùm vel corpus rurſus confirmatur, & ſpiritus recreantur, vel animæ ea adhibetur medicina quæ eam reficiat. Ita igitur videtur reſtitui & ad ſe redire, ſicut & nos Germani dicimus: *Er vvar gar hinvveg*, id eſt, anima deficiebat eum. Sed recolligens ſe dicitur ad ſe redire, *Vvider zu ſich ſelbs kömen*. Notandum igitur hoc, quòd Dauid etiam in ſumma opulentia & affluentia omnium rerum, nunquam tamen fuit ſine fame & ſiti: hoc eſt, nunquam ita ſibi blãditus eſt, vt exuto omni timore Dei, rueret in ſecuritatem: quemadmodum homines Epicuræi facere ſolent: ſed ſubinde habuit in conſpectu iudicium Dei aduerſus peccata: quod eum ita exercuit, vt ſubinde ei fuerit opus conſolatione. Ea etenim eſt militia hominis Chriſtiani in hac vita: & in hac militia dum exercetur homo pius, ſentit magnitudinem huius beneficij, de quo hîc dicitur, *Animam meam reducit.*

Ducit me per vias iuſtitiæ] Ab alio officio paſtoris amplificat narrationem. Boni paſtoris eſt non tantùm prouidere gregi ſuo de paſcuis, tuguriolis & ſalubribus aquis, ſed etiam ducendo viam monſtrare. Oues enim ſunt natura ſua errabundæ, vt ſi paululum à grege & paſtore ſuo diſcedant, ſe in loca auia & deſerta coniiciant, vt antea dictum eſt. Opus eſt igitur ductu paſtoris, qui nos in via recta ducat, & præcedat, vt dicitur Iohan. 10. Vias autem iuſtitiæ ſeu iuſtas nominat vias planas, æquas & faciles, non impeditas, & quæ non abducunt in auia & præcipitia. Primùm igitur de corporali vita ſi intelligas, ſignificat, ſibi non tantùm benignè ſuppeditari victum à Deo: ſed protegi etiam ab omni moleſtia, non duci ſe per loca ſaxoſa aut confragoſa, aut ſentibus obſita, in quibus implicatus hæreat: non coniici in difficultates ac miſerias, quas ſuperare nõ poſſit, atque in ſummã, præberi ſibi tales vias, per quas commodè incedat. Nos Germani dicimus, *Vver den rechten vnd gebahnten vveg gehet, dem ſchlagen keine ſtreucher vnter die augen.* Talis igitur via ſignificatur. Deinde ad vitam ſpiritualem hoc accommodetur. Via in Scriptura ſignificat vitæ noſtræ inſtitutum, ſiue bonum ſit, ſiue malum. Significat igitur ſe ita duci ab hoc paſtore & gubernari, vt non diſcedat à grege Domini, non deſerat eccleſiam, non recipiat ſe in loca præcipitia aut deſerta, nõ impingat aut ruat in tragica ſcelera & tragicas calamitates: ſed maneat in ſemita iuſtitiæ, & præſtet opera Deo placentia. Monet igitur, vt non niſi ductum huius paſtoris ſequamur: cæteri enim omnes ſeducũt. Atque hîc, ſi vis, adde antitheſin de viis diaboli, quæ ſunt tortuoſæ, confragoſæ, plenę errorum, ſolicitudinum, timoris, terroris, & tandem ad ea præcipitia ducunt quæ homini æternum exitium & ruinam afferunt.

Propter nomen ſuum] Alia amplificatio à cauſſa finali, quam adiicit, ne quid videatur ſuæ dignitati aut meritis adſcribere: omnia enim bona, cùm ſpiritualia tum corporalia, dãtur nobis ex immenſa Dei miſericordia, nullo noſtro merito: & dãtur in hunc finem, vt Deus verè à nobis agnoſcatur & celebretur. Nomen Dei eſt ex quo ille agnoſcitur, & quicquid de eo glorioſè prædicatur: ideo ſumitur pro laude & gloria. Ideo, inquit, hæc præſtat, vt ipſe agnoſcatur miſericors & beneficus erga ſuos, & talis prædicetur.

4 Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malum: quia tu mecum [*es*:] virga tua & pedum tuum, ipſa me conſolantur.

Alia amplificatio ab effectu, qua explicat hoc quod antè dixerat, animam reducit. Illam, inquit, reductionem animæ ſequitur ſumma tranquillitas, quæ caret omni metu, &c. Primũ autem oſtendit qualis ſit conditio piorum in hac vita. Quantumuis enim inter hos nonnulli abundent opibus & diuitiis, vt nihil eis videatur deeſſe, vt Dauid, Abraham & ſimiles: tamen coniiciuntur interdum à via recta in valles tenebroſas, obnoxij ſunt variis periculis, & hoſtes habent potentiſſimos, à quibus ſubinde magna vi & conatu oppugnantur, diabolum & totum mundum. Hic igitur opus eſt defenſione & protectione. ſumus enim inermes, nec habemus ex nobis vires quas opponamus tantæ potentiæ. Quare reſpiciendum eſt ad hunc paſtorem, cuius ſolius præſidio tuti ſimus.

In valle vmbra mortis] Id eſt, in valle vmbroſiſſima, & obſcuriſſima, cuius conſpectus vndique offert pericula, & metum incutit. Nã vmbra mortis ſignificat tenebras dẽſiſſimas, quales oboriuntur iamiam morituris. Tenebræ autem naturaliter incutiunt terrores, afferunt mœſtitiã, & metum variorum periculorum, atque in primis ſunt illæ horrẽdæ, quæ morituros obruunt. Ideo per vmbram mortis, ſeu tenebras, μεταληπτικῶς, Scriptura intelligit pericula, calamitates & ærumnas, & quidem non vulgares, ſed grauiſſimas & quaſi lethales.

Etiamſi ambulauero] Id eſt, etiamſi coniectus fuero in ſumma pericula, quæ nihil niſi mortem minitentur, & vnde euadere nulla humana ope aut conſilio poſſim, vel etiamſi vndime circumſtent hoſtes, & inuadant lupi & aliæ feræ, tamen non timebo: ſed ſecurus ſequar ductum huius paſtoris, cuius præſentia & præſidio ſcio me tutum eſſe aduerſus omnia pericula.

Non timebo] Non hoc vult intelligi quòd prorſus futurus ſit ſine vllo metu mali. Talis enim ἀπάθεια non cadit in ſanctos: ſed ſignificat nullum periculum aut nullum metum tantum fore qui ipſi excutiat fidem, qua in Dei erga ſe beneuolentia & fiducia acquieſcat. Verba enim apud Hebræos ſæpe intelliguntur completiuè, vt effectum ſimul comprehendant. *Non timebo*, id eſt, non opprimar metu ſeu timore.

Virga tua & pedum tuum] Perſiſtit in metaphora ſuprà inſtituta ab officio boni paſtoris: & quod antea ſimpliciter ſine figura dixerat, Dominus mecum eſt, id nunc figurata oratione repetit, Dominus ſuo pedo, hoc eſt, ſua præſentia & præſidio me conſolatur & munit. Boni paſtoris eſt cùm de paſcuis proſpexit ſuo gregi, ſimul etiam aduerſus iniurias & incurſus ferarum oues defendere. Hoc igitur præſtat hic paſtor fideliter.

Tribuit paſtori primùm virgam, qua ſcilicet monſtrat viam & regit ouiculas, ne à paſcuis aberrent: qua etiam compellit gregem & coërcet ne diſſipetur. Itaque nonnunquam etiam percutit dilapſuras aliò aut temere diuagantes, aut etiã negligenter ſequentes. Hęc igitur virga ſignificat perpetuã gubernationem. Sed quomodo inquit, hanc virgam afferre conſolationem, cùm hæc gubernatio non fiat ſine caſtigatione, ſicut paſtor non ducit oues, quin virga interdum eas cædat? Reſpondeo, Tota ſalus ouis in eo cõſiſtit vt in grege maneat: ſi enim ab eo diſcedat, mox obnoxia eſt periculis, & quandiu patitur ſe regi hac virga, eſt extra periculum. Cùm igitur nos à Deo ita gubernamur vt in eccleſia maneamus, habemus hanc conſolationem quòd tuti ſumus aduerſus tyrannidem diaboli, mortem, & alia pericula quæ metum afferunt, etiamſi nonnunquam caſtigemur. Secundò, Pedum ſeu baculum nominat, cui innititur paſtor, interea dũ gregi paſcenti aſtat. Nam nomen factum eſt à שען quod inniti ſignificat. Quandiu igitur paſtor hic innititur baculo, & oues ſuas fouet ac fulcit, ſignum eſt nihil eſſe periculi à feris: ſed omnia vndique eſſe tuta & tranquilla: itaque ſine metu paſcuntur tunc oues. quòd ſi videat lupum aut feram incurrentem, paſtor mox proſilit & depellit feram: ita defenſio & ſecuritas gregis hoc vocabulo ſignificatur. Huc reſpiciens Gregorius Nazianzenus oratione 42. in paſcha, inquit, De baculo atq; eius ſignificatione ita ſentio. Nam cùm alter fulciendi vim habeat, alter paſtoris & doctoris proprius ſit, atque oues ratione prædiras caſtiget, in viámque reducat, hic lex fulcientẽ baculum tibi præſcribit, necubi animo titubes, dum ſanguinem & paſſionem Dei ac mortem audis.

5 Pares [*inſtruis*, *adornas*] in conſpectu meo menſam coram hoſtibus meis: Impinguas [*perungis*] oleo caput meum, calix meus exuberans [*plenus*, *irriguus*.]

Rurſus commemorat & celebrat bonitatem & φιλανθρωπίαν Dei alia ſimilitudine ſeu imagine hoſpitis & conuiuæ. Comparat enim Deum hoſpiti liberali & opulento, qui ſuos conuiuas liberaliter excipit, & vario genere ciborum ac potus reficit & exhilarat.

Paras menſam] Id eſt, exquiſitis epulis inſtruis. Significat enim ערך apertè & ordine omnia collocare, quod non fit fere in vulgaribus aut quotidianis menſis: ſed in conuiuiis lautioribus, quæ ad amicos excipiendos parantur: vbi ſcilicet maior eſt copia & varietas omnium rerum quæ apponuntur. Significat igitur, Deum alere corpora noſtra, & victum nobis largiri, ſine noſtra moleſtia & difficultate, atque id facere magna copia & varietate rerum: ita quidem, vt non tantùm neceſſaria tribuat, ſed etiam voluptati noſtræ nonnunquam indulgeat: deinde animas etiam noſtras paſcere & reficere cibo & potu ſpirituali, quo non tantùm ſaturemur, ſed voluptate etiam afficiamur. Amplificat autem hoc beneficium, addita circunſtantia: coram hoſtibus, vel ſpectantibus hoſtibus meis: id eſt, etiamſi multi maleuoli mihi hanc felicitatem inuideant, méque extinctum cupiant: imò Dei benedictione fraudare me conentur. Seruantur enim pij inuitis diabolis & hoſtibus. Alij exiſtimant ſermonem hunc ſumptum eſſe à conſuetudine magnorum bellatorum, qui hoſtes ſuos deuictos, dum opiparè conuiuabantur, oſtentandi & illudendi gratia producebant, & coram ſe ſtatuebant, vt Iudicum 1. de Adoni-Bezek, & 16. de Samſone legitur. Sed hoc, cùm manſuetudini & humanitati piorum parum conueniat, omitto. Iudei ſcelerati,

rati quod ipſe aliquoties expertus ſum, quoties inuitantur à Chriſtianis, hunc pſalmum ad menſam recitare ſolent, & in primis hunc verſum, tanquam triumphantes & inſultantes nobis alta voce pronuntiant.

Impinguas oleo caput] Id eſt, non tantùm cibo & potu reficis me: ſed inſuper exhilaras me delibutum vnguentis fragrantibus. Forma ſermonis ſumpta eſt à more iſtius gentis. Quoties enim excipiebant conuiuas honoratiores, quos ſplendidè tractare volebant, eos perfundebant vel balſamo, vel aliis vnguentis fragrantibus, vt ita exhilararentur: nam cerebrum & ſpiritus ſuaui odore mirabiliter reficiuntur & excitantur. Significat igitur Dauid, non tantùm res neceſſarias ſibi tribui: ſed quadam copia & abundantia etiam ſe exhilarari. Cōmendat enim illam regalem opulentiam ſuam, qua ſacra hiſtoria teſtatur fuiſſe eum non mediocriter ornatum. Quanquam autem non æqualiter bona corporis diſtribuuntur in hac vita (non enim omnes opulentia accedunt ad Dauidem vel Abrahamum) tamen omnes beneficentiam diuinam ita experimur, vt ſcelerati ſimus ſi non agnoſcamus. Germani dicunt: *Gibt er nicht allen ein ſcheffel vol, So gibt er doch ein leffel vol.* Deinde ad vitam ſpiritualem hic verſus accommodetur. Chriſtus primùm per verbum & ſacramenta accendit in nobis fidem, reficit & conſolatur animā eſurientem & ſitientem: deinde effundit Spiritum ſanctum, qui alibi dicitur oleum lætitiæ quo corda exhilarat, vt victis terroribus peccati, mortis & inferorum, læta in Deo acquieſcant.

Calix meus exuberans [redūdans] Hoc etiam ad copiam ſpectat. Tribuit potum, nō parcè, vt qui ſitim reſtinguere queat: ſed liberaliter & pleno calice, qui etiam exhilaret: neque enim ſtatim primo aut ſecundo hauſtu deficit vinum, ſed ſupereſt etiam, quod hilaritatem conciliet. Alij vertunt inebrians, quod eodem redit. Ebrietatē enim Scriptura ſæpe nominat illam ſpiritualem lætitiam in cordibus piorum, accenſam à Spiritu ſancto, quæ excutit omnes moleſtias & dolores &c. & ſuperat omnem ſenſum ærumnarum vt in martyribus videre eſt. Sed verbum Hebræum propriè irrigandi ſignificationem habet, cum quadam copia. De appellatione calicis vide ſuprà, pſalmō 11.

6 Vtique bonitas & beneficentia perſequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & habitabo in domo Iehouæ in longitudine dierum [*in longos ſeu multos dies.*]

Amplificat commemorationem à cōtinuatione beneficiorū, & præcipuè illius ſummi beneficij quòd perpetuò ſit māſurus membrum eccleſiæ, in qua perpetuò creſcat & proficiat in agnitione Dei.

Vtique] Id eſt, hæc tua beneficia mihi tam liberaliter exhibita, eo ſunt maiora quòd ex promiſſionibus ſcio ea non fore vnius momenti aut exigui temporis: ſed quòd continuaturus ea ſis ad totam vitam. Nunquam enim me deſtituēt tua gratia & benignitas: ſed erunt mei perpetui comites.

Et ſedebo] Hæc poſtrema particula oſtendit, prophetam toto hoc pſalmo non loqui tantùm de corporalibus & caducis bonis: ſed præcipuè de illis ſummis bonis, quòd Deus ſe ei patefecerat ſuo verbo, ex quo perpetuam conſolationem & vitam hauriebat. Hoc beneficium, quod omnium ſummum eſt, coniungit cū corporalibus, & hinc ſe in primis beatū prędicat quòd ſit mēbrum iſtius populi, à quo Deus rectè agnoſcatur & celebretur, & perpetuò ſe mānſurum in eo cœtu certò ſibi perſuadeat. ita docet, corporalia beneficia nobis dari, vt ſint commonefactiones de ſpiritualibus.

Sedebo] Alij vertunt reuertar: ſed exiſtimant Grammatici non eſſe verbum שׁוב: quia Dauid eo tempore non exulabat ab hoc populo. Sed ſcribi ושׁבתי pro וישׁבתי vt י omiſſum ſit fortè propter carmen, aut muſica id exigente, quemadmodū in Germanicis rithmis videmus ſæpe propter carmen elidi quaſdam ſyllabas.

PSALMI XXIII.

PARTES.

I Fiduciam ſuam in benignitatem Dei, & finem illius exponit, duobus modis. Nempe per narrationem allegoricam à 1. v. ad 5. In propoſitione allegoriæ Deus cum paſtore, pia anima cum oue comparatur. Explicatur autem hæc allegoria primùm ſimpliciter, enumeratis partibus, quæ ad officium boni paſtoris pertinent, v. 2. & 3. Deinde per hypotheſin, v. 4.

II. Allegoriæ accommodatio bimembris. Vna explicatio beneficiorum præſentium, v. 5. Altera, futurorum cùm in præſente, tum in futura vita.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Dum Epicurei quod habent vel caſu vel ſua induſtria ſibi eueniſſe ſomniant, & bonis ſibi conceſſis ad turpiſſima quæque abutuntur, fideles (Dauidis exemplo) vnius Dei liberalitati quæcunque poſſident accepta referunt, quæ etiam verbo Dei & gratiarum actione illis ſanctificantur.

Quod frequenter in Scriptura paſtoris nomen Deus vſurpat, perſonámque induit, non vulgare eſt teneri in nos amoris ſignum. Sed non aliis paſtor eſt, niſi qui & infirmitatis inopiæque cōſcij eius præſidio ſe egere ſentiunt, & ſponte in eius ouili manentes ei ſe tradunt regendos.

Reges, populorum paſtores dicuntur, & eſſe debent, ita tamen vt Chriſti ſummi regis & paſtoris ſint oues, eiúſque vocem reuerenter & humili cordis affectu audiant ac ſequantur.

Dauid, virtute & copiis præſtans, quum ſe ouem confeſſus ſit, vt Deum haberet paſtorem, quis noſtrum ſe ab hac neceſſitate eximet, quos omnes propria infirmitas conuincit plus quàm eſſe miſeros, niſi ſub eius paſtoris tutela degamus? Et vt omnia nobis abundè ſuppetant, ſciamus tamen non aliunde nos beatos eſſe, niſi quia Deus in ſuo grege cenſere dignatur.

Chriſtus æternus Dei filius, in carne manifeſtatus, eſt caulæ oſtiū, paſtor bonus, qui vitam & bonorum abundātiam ſuis largitur, qui dedit animam ſuam pro ouibus, qui lupo veniente tuetur oues, qui oues ſuas agnoſcit & ab eiſdem agnoſcitur, qui fideles ex gentibus introduxit. De quo vide Ieſa. 40. 11. Ezech. 34. 11. & 37. 24. Iohann. 10. 11. 14. Heb. 13. 20. 1. Pet. 2. 25. & 5. 4.

Tunc demum legitimo cum honore officium paſtoris Deo tribuitur, vbi perſuaſi ſumus vnicam eius prouidentiam nobis ſufficere.

2. 3. Deus nulla in parte fidelibus ſuis deeſt, quia & eos ſua virtute ſuſtinet, vegetat, viuificat, & noxas omnes auertit, vt per vias æquabiles commodè incedant.

Quòd nos ſibi Deus in oues eligit, & nobis impendit paſtoris officia, prorſus gratuitum eſt. hæc enim omnia præſtat propter nomen ſuum, teſte Propheta.

4 Fideles, quamuis tutò ſub manu Dei habitent, non tamen procul abſunt à multis periculis: imò quò melius ſentiāt quàm ſibi neceſſaria ſit Dei protectio, communibus miſeriis ſubiacent obnoxij.

In proſpera lautáque fortuna nūquam obliuiſci debemus nos eſſe homines, imò, tunc quæ accidere poſſunt aduerſa, nos meditari conuenit. Hinc enim tāta nobis trepidatio, vbi nos cruce Deus exercet, quòd quiſque, vt placidè dormiat, carnis ſecuritate ſe inuoluit.

Quum rebus aduerſis fidem examinet Deus, ſequitur neminem verè fidere, niſi qui ad omnes metus vincendos inuicta conſtantia armatus eſt.

Fideles quum animo apprehendunt quæ incidere poſſunt incommoda, nō aliter tentationes ſuperāt, niſi quia ſe in Dei curam reiiciūt.

Hodie quando Deus in filij vnigeniti perſona ſe nobis luculentius quàm olim patribus ſub Lege paſtorem exhibuit, non ſatis honoris tribuimus eius cuſtodiæ, niſi coiectis in eam oculis calcamus omnes formidines.

5 Quanquam nō omnes peræquè liberaliter tractātur, nemo tamen reperietur quem non Deus ſua beneficentia obſtringat: vt fateri neceſſe ſit, beneficum ſuis omnibus eſſe patrem.

Diuites & reges ipſi hîc officij admonentur, vt eo maiore animo prorumpant ad gratiārum actionem, quo indulgentius ipſos Deus paſcit, moderationémque colant diligēter. Nam quum plus ſatîs ad luxuriem proni ſimus natura, non ideo profuſus eſt Deus erga nos, vt hunc in nobis morbum irritet. In ſumma, non minus abundare quàm penuriam pati nobis diſcendum eſt.

6 A caducis bonis oportet nos ad æternas illas & cæleſtes benedictiones aſſurgere, quum habeat pietas & præſentis & futuræ vitæ promiſſiones.

Fiducia hæc quā Dei clementiam & beneficentiam æternas ſibi fore comites promittit, ex promiſſione fluit, qua Deus ſua erga fideles beneficia condire ſolet, ne inſipido palato temerè vorentur.

Pij non pendent à rebus externis, nec gratiam Dei carnis ſuæ ſenſu metiuntur: imò, vbi terrena omnia adiumenta deficiunt, fidem ſuam in verbo Dei incluſam conſeruant.

Deo legem minimè imponunt fideles, ſed quantum fert mundi cōditio, Dei erga ſe beneficentiam ſperant, qua contenti ſunt.

Non aliter ſe oblectāt terrenis commodis fideles, niſi ſimul ex Dei grege ſint, & certè belluinam vitam agunt homines qui extra Eccleſiam vagantur, & quibus propoſita eſt alia felicitas quàm tendere ad Deum.

Perſeuerantia donum electis Dei ita peculiare ac proprium eſt, vt

domo patris cæleſtis,in qua recepti ſunt,nunquã penitus excludantur:ſed abſoluta in terris ad tempus commorationis,in domo cæleſti

cuius perennis æternáque durat gloria per Chriſti, ouium quæ vocem eius audiunt paſtoris,meritum recipiuntur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De vero veræ Eccleſiæ paſtore.
2. Ouium Chriſti,ſeu membrorum Eccleſiæ notæ eſſentiales.
3. Sinceræ pietatis ingenium,ſtudium,præmium.
4. Piorum,tum in vita præſenti,tum in futura,beatiſſima ſors.
5. Donorum Dei legitimus vſus.
6. De perſeuerantię electorum Dei certitudine.

ARGVMENTVM PSALMI XXIV.

PSALMVS Viceſimus quartus quæſtionem explicat plenam doctrinæ & conſolationis,& quæ multos homines omnibus ætatibus variè exercet:an ſcilicet ſit aliquis in genere humano cœtus, qui diſtinctus à cæteris gentibus peculiariter Deo ſit curæ,& æterna bona ab eo accipiat : deinde vbi & qualis ille ſit. Homines enim ſapientes & politici , dum intuentur vniuerſum mundum, quem vident miranda ſapientia à Deo eſſe conditum:& eiuſdem prouidentia animaduertunt cõſeruari & gubernari cùm reliquas mundi partes,tum præcipuè genus humanum:exiſtimant nullum eſſe inter homines diſcrimen,& rident eos qui affirmant Deum peculiariter ſibi quoſdam delegiſſe quibus ſe patefaciat & ſua bona communicet:& ſtolidos pronunciant omnes quotquot hanc gratiam ſibi arrogare peculiariter non verentur. Iudicant enim hanc ſummam eſſe inæqualitatem,quæ in Deum ſapientem,iuſtum,& totius mundi opificem non cadat. Atque hinc nullo non tempore audiuntur profanæ illæ Epicureorum voces,ſomnia eſſe quæcunq; Chriſtiani fingunt de eccleſia,præ cæteris à Deo electa & ſanctificata. Quemadmodum enim Domini eſt terra, ita, inquiunt,omnes qui in ea habitant,pertinere ad eius imperium:nec eſſe quenquam qui ſibi peculiare ius vẽdicare queat aut debeat. His autem profanorum hominum iudicijs opponendus eſt pſalmus hic , in quo Spiritus ſanctus affirmat,totum quidem genus humanum à Deo eſſe conditum,omniáque in hoc mundo ipſius nutu ac prouidentia regi & gubernari:interea tamen peculiarem ipſius gratiam,quàm hic vocabulis benedictionis, iuſtitiæ & ſalutis complectitur,non ſic vndique eſſe diffuſam vt quotquot in hoc mundo ſub Dei imperio viuunt,eius fiãt participes:ſed eſſe aliquem certum populum,quem Deus ſibi elegerit,cui ſe peculiariter patefecerit , erecto ſanctuario,& conſtituto certo cultu:huic populo dari hæc ſumma beneficia,iuſtitiã,benedictionẽ & ſalutem æternam, quibus nullæ aliæ opes in hoc mundo comparari poſſunt. Ita primum hac collatione dignitatem populi Iudaici,in quo tunc cùm hic pſalmus ſcriberetur,erat eccleſia:deinde omnium, qui poſt ſparſam euangelij doctrinam per totum orbem terrarum ad eum cœtum qui Eccleſia dicitur,ſe adiungunt,commendat & extollit,eóſque à multitudine reliqua ſeparat. Quia verò in hoc ipſo cœtu,qui dicitur populus Dei,ſemper multi ſunt hypocritæ,qui quãquam externa profeſſione & cultu cæteris piis ſe admiſcent:tamen animo & corde à vero religionis cultu ſunt alieni:ideo non ſatis eſſe affirmat,externa profeſſione aut geſtu ſe profiteri aut ſimulare ciuem eccleſiæ, nec pertinere hæc bona cæleſtia ad omnes,qui titulo eccleſiæ ſeſe venditant:ſed tantùm eos qui vera fide ad Deum confugiunt,eúmque vera animi pietate colunt,horum bonorum fieri participes. Hæc prima pars pſalmi eſt,collatio ſcilicet eccleſiæ cum reliqua impia multitudine in vniuerſo mũdo,& quidem peculiariter iſtius partis in eccleſia quæ vera fide colit Deum:nam priorem partem quaſi abrumpit initio & præcidit. In fine hortatur cæteros reges & magiſtratus qui sũt extra hũc cœtum,vt cùm extra eccleſiam nulla ſit ſalus,ipſi quoque imperio huius ſummi gubernatoris ſe ſubiiciant,& locum dent verbo Dei,idque amplectantur,agnoſcant,& propagare ſtudeant.

PSALMVS DAVIDIS.

1. IEhouæ eſt terra , & plenitudo eius: orbis terrarum,& qui habitant in eo.

Orditur pſalmum à comparatione , qua confert populum Iudaicum cum reliquo mundo : vt ita gratuita Dei bonitas in electione & adoptione huius populi fiat magis conſpicua:éſtque ſimul quaſi quædam præoccupatio: quaſi diceret,Dominus quidem latè dominatur per totum mundum, quem condidit , & quem immenſa bonitate & ſapientia regit & gubernat,ſúntque omnes homines imperio eius ſubiecti:ſed tamen non omnes qui habitant in orbe terrarum , dicuntur populus Domini. Ipſe enim ex toto mundo & omnibus regnis vnicum montem Sion ſibi delegit , vbi peculiare regnum ſibi conſtituit,vbi agnoſci & coli voluit. Illud regnum,quanquam anguſtis finibus videtur eſſe incluſum: tamen multò auguſtius eſt & ſplendidius quàm reliqua regna totius orbis terrarum. Talis eſt in hoc & ſequentibus verſibus collatio , quæ illam peculiarem gratiam, qua populum Iudaicum Deus dignatus erat , commendat, & populi dignitatem amplificat. Eccleſia plerunque eſt exigua & ſqualida: non enim ita cõſpicitur,nec floret,vt cætera regna mundana. Hæc ſpecies ne quem offendat aut alienet,monet poſtea vt eam nõ ab externo ſplendore & copia bonorum corporalium,ſed potiùs ab aliis bonis,multò præſtantioribus,æſtimemus.

Hæc primùm in hac collatione cogitanda ſunt. Poſtea ſententia huius verſus in genere ad multa accommodari poteſt. Primò , monentur principes & reges vt cogitent , ſe non eſſe dominos terrarum , nec licere ſibi omnia agere pro arbitratu & libidine ſua : ſed conſtitutos eſſe tanquam vicarios & villicos, qui aliquando ſuæ adminiſtrationis rationem Domino ſint reddituri. Secundò,Paulus 1. Cor. 10. ex hoc loco libertatem Chriſtianam in vſu rerum externarum , & cibi & potus, probat: Omnia,inquit,quæ in macello veneunt,comedite,nihil diſceptantes propter conſcientiam: Domini enim eſt terra. Cùm enim omnes creaturæ ſint Dei,licet his veſci ſine diſcrimine. Neque enim terra eſt dæmoniorum, ſed Dei, & per conſequens filiorum Dei. Tertiò,traditur conſolatio his qui propter veræ doctrinæ profeſſionem eiiciuntur ſuis ſedibus, & pelluntur in exilia : oſtenditur enim nuſquam ipſis defutura hoſpitia,& alias res neceſſarias:etiamſi ſuos nidulos & prædiola deſerere cogantur. Domini enim eſt terra. Poſtremò, argumentum Anabaptiſtarum hîc diluendum eſt , qui ſic argumentantur: Omnia quæ ſunt Chriſti,ſunt cohæredum: Terra eſt Domini, Ergo & cohæredum : & per conſequens , nulla poteſt eſſe diſtinctio dominiorum. Item , ſi quis pellatur in exilium,non debet cedere. Reſpondeo ad maiorem, Omnia quæ ſunt Chriſti,ſunt cohæredum: In hac vita ſcilicet , quod attinet ius ad rem, non in re. Etiam Auguſtinus ex hoc dicto argumentatur , diſtinctionem dominiorum non eſſe iuris naturæ. ſed reſpondendum eſt vt antè. Nam etiamſi filius Dei eſt dominus vniuerſæ naturæ, & habet ius in re , vicit mortem & omnem ſeruitutem:tamen non ſequitur,nos iam habere ſimile ius in re,vt corpora noſtra non ſint obnoxia morti,morbis, ſeruituti,aut aliis ęrumnis:ſed hoc ſequitur,Reſuſcitati,erunt domini vitæ & mortis , & erunt liberati ab omni ſeruitute atque aliis incommodis.

Plenitudo eius] Id eſt,omnia quibus terra repletur. Non ſatis eſt ei dixiſſe,quæ in ea ſunt:ſed plenitudinem nominat,vt copiam & abũdantiam omnium rerum ſignificet. Deus enim terram amplam & vaſtam non reliquit vacuam & inopem,inſtar egentis patrisfamilias:ſed omni genere bonorum eam inſtruit & exornat:ita vt nullus angulus ſit in quo non diuitiarũ & bonitatis Dei ſpecimen eluceat. In primis autem homines hoc vocabulo deſignat:illi enim ſunt præcipuum terræ ornamentum & decus,quibus ſublatis,terra,quanquam alioqui variis & multiplicibus bonis exornata,videretur vaſta & deformis. Itaque proximo membro omiſſis cæteris ſolos homines nominat cum inquit,Orbis terrarum & habitantes in eo.

תבל nomen hoc videtur inditum mundo primùm poſt diluuium, cum pulcherrimus ordo rerum eſt turbatus aquis diluuij , & decus terræ imminutum:ſicut igitur בבל à confuſione linguarum:ita תבל à confuſione rerum naſcentium,

aut

aut partium terræ videtur dici. Alij tamen exiſtimant nomen hoc inditum mundo à confuſione euentuum, cuius conſideratio in multis langueſacit aſſenſionem de prouidentia.

2 Quia ipſe ſuper maria fundauit eam: & ſuper flumina formauit eam.

Addit rationem à creatione. Ipſe condidit orbem, ita quidem, vt magna ipſius ſapientia & potentia ea in re eluceat, nec rapuit ſibi tyrannicè dominium: ergo verè eſt Dominus.

Super maria] Hoc additur ad amplificandam rei magnitudinem. Quòd enim terra ita condita eſt vt in medio mundi ſine fulcris quieſcat, quódque ſuper aquas eminet, & in mediis aquis quaſi natat nec ſubſidit, cùm aquæ elemẽtum etiam philoſophorum ſententia terra ſit ſuperius & liquidius: quòd deniq; Deus violentos maris impetus compeſcit, ne terram obruant: eſt id ſummæ potentiæ argumentum, & animos hominum conuincit, vt ſtatuat, mundum hunc à mente ſapiente ac potente & conditum eſſe, & conſeruari. הוא per emphaſin additur.

3 Quis aſcendet in montem Iehouæ: & quis ſtabit in loco ſancto eius?

Altera pars collationis eſt, qua oſtendit, Deum quidem ita ſibi terræ dominium vendicare, vt tamen non omnes qui in ea habitant, pro populo ſuo agnoſcat aut habeat. Nam in toto orbe terrarum vnicum montem delegit, quem ſanctificauit, & pro ſede regni ſui ſibi conſecrauit, montem videlicet Sion & populum ibi habitantem. Ad hunc montem non omnes, inquit, admittuntur: id eſt, nulli ſunt ciues huius regni, niſi qui vera fide & pura conſcientia Deum colunt: & nulli ſunt cultus Deo grati, niſi qui in hoc monte & in hoc cœtu qui hunc montem aſcendit, præſtantur. Hæc eſt deſcriptio veræ eccleſiæ, qua & reliquam partem generis humani extra populum Iudaicum ſeu cœtum credentium, & in hoc ipſo cœtu ſeu populo omnes hypocritas & ſceleratos à ſocietate huius regni & bonorum cæleſtium excludit. Primam verò collationis partẽ, tanquam de qua minus apud ſuos dubitaretur, ferè omittit, & poſterius membrum tantùm vrget.

Homines ſapientes extra eccleſiam, exiſtimant, Romulum, Numam, Auguſtum, & alios monarchas, non minus Deo curæ eſſe quàm vel Abrahamum, vel Dauidem, vel Ezechiam: non enim minus florent illi opibus, potentia, dignitate, ſapientia, ſucceſſibus, &c. ſed maximum eſt inter eos diſcrimen. Illi enim cùm non aſcendant hunc montem, quem Deus ſuo nomini conſecrauit, hoc eſt, cùm non ſint ciues veræ eccleſiæ, nequaquam cenſendi ſunt in populo Dei. Deinde in hoc ipſo populo Iudaico, qui populus Dei dicitur, multi ſunt qui non aſcendunt in montem, aut ſi conſcendunt, tamen non ſtant, neque conſiſtunt in loco ſancto, hoc eſt, vel non ritè colunt Deum, iuxta verbi præſcriptum: vel deficiunt à Deo, inuitati vel ſplendore, vel cupiditate rerum terreſtrium, vel fracti dolore & impatientia ſub cruce, aut aliis prauis opinionibus & affectibus abducti. Quare nec hi inter membra eccleſiæ cenſendi ſunt.

Aſcendere in montem Domini, eſt ſe adiungere ad ſocietatem veræ eccleſiæ, & in illo cœtu qui eccleſia dicitur, audire, diſcere & amplecti doctrinam à Deo traditam & patefactam: ſimul etiam eorum bonorum quæ in hoc regno diſtribuuntur, fieri participem: poſtremò gratos cultus Deo præſtare. Ita Ieſaias, cap. 2. futurum dicit, vt tempore noui Teſtamenti gentes ſe mutuò cohortentur his verbis, Venite, aſcendamus in montem Iehouæ, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in viis eius. Sententia igitur huius verſus eſt hæc, Quis aſcendet, id eſt, quis habendus verus eccleſiæ ciuis qui ad ſocietatem regni cæleſtis perueniat, & placeat Deo? *Montem Dei* nominat montem Sion, in quo tunc erat ſanctuarium. Itaque quaſi ſedes & domicilium erat Dei, ex quo poſtea ſub nouo teſtamento regnum hoc propagatum & dilatatum eſt per totum orbẽ terrarum, ſicut dicitur Ieſa. 2. Ex Sion, quaſi ex arce regia egredietur Lex, & propagabitur regnum. Porrò, ſicut reliqua regna huius mundi comparantur collibus & montibus, vt pſalm. 30. Stare feciſti in monte meo fortitudinem, id eſt, corroboraſti regnum meum, vt ſit munitũ aduerſus vim & iniurias: & alibi ſæpe: ita etiam regnum Dei nominatur mons, non tantùm ab illo loco quem peculiariter delegerat, vbi mons erat conſpicuæ magnitudinis: ſed etiam à firmitate & duratione, vt dicitur pſalm. 125. Sicut mons Sion non commouebitur. deinde ab eminentia: quia ſicut montes eminent ſupra reliquam terram, ita hoc regnum eminet ſupra reliqua omnia. Et ne quis obiiciat, multos montes altiores eſſe monte Sion, futurum dicit, Ieſa. 2. vt hic mons emineat ſupra reliquos omnes, & ſit in cacumen montium. Itaque mons hic ita dicitur κατ᾽ ἐξοχὴν, quòd dignitate, altitudine & firmitate ſuperet reliquos. Hoc cõſtituto, poſtea mõs intelligatur de eccleſia omnium ætatum, hoc eſt, de eo populo cui ſe Deus patefecit, & in quorum cordibus habitat per Spiritum ſanctum, ſicut tunc illuſtribus teſtimoniis oſtendebat ſe habitare in monte Sion. Quis habitabit in monte Domini, id eſt, quis erit membrum huius populi, qui particeps eſt bonorum cæleſtium? Non omnes inquit, qui ſe inani titulo venditant: vt multi tunc in illo populo, & noſtra ætate pontificij iactitant ſe eſſe eccleſiam, cùm tamen alieni ſint à puritate, quam Deus à ſuis requirit. Mons enim hic ſacer eſt, qui non admittit promiſcuè omnes: ſed tantùm qui puro ſunt corde & puris manibus.

Videtur autem propheta hac phraſi reſpicere ad hiſtoriã quæ eſt Exod. 19. Vbi populus arcetur ab acceſſu montis Sinai, & ne quidem ad terminos præfixos admittitur, niſi priùs certis ritibus purgatus & ablutus. Quo ipſo oſtendere voluit Deus, hominibus profanis & pollutis nullum patere acceſſũ ad Deum, aut nullam his eſſe κοινωνίαν cum Deo.

Aut quis ſtabit in loco ſancto eius] Quia multi erant in populo Iudaico, qui externa tantùm profeſſione erant adiũcti veræ eccleſiæ, & ſemper ſe ingerebant in eum cœtum qui in montem Domini aſcendebat, & gratos cultus Deo præſtabant: ideo, vt etiam hos à veris membris diſcernat, addit: Quis ſtabit, aut quis conſiſtet? Significans non ſatis eſſe etiamſi quis cum reliquo cœtu aſcendat, hoc eſt, externa voce & profeſſione, ſeu geſtibus & ritibus oſtendat ſe eſſe Chriſtianum: ſed conſiſtendum & commorandum eſſe in monte perpetuò, hoc eſt, perſeuerandum eſſe in agnitione veræ doctrinæ, & vero cultu, idque non tantùm externa profeſſione, ſed vera animi pietate & cordis motibus: id qui non faciat, eum nõ eſſe mẽbrum eccleſiæ, quantumuis externa profeſſione & aliis rebus id ſimulet: nec pertinere magis ad Dei curam quam reliquos totius orbis terrarum homines, qui imperio Dei ſũt ſubiecti. Qui extra eccleſiam ſunt, vt Turci, Mahometiſtæ, & alij, ne quidem aſcendunt hunc montem, ſed multi in eccleſia aſcẽdunt qui tamen non conſiſtunt. Non igitur ſatis eſt naſci in populo fidelium, aut ad tempus amplecti doctrinã, atque ita externa profeſſione aſſociari eccleſiæ: requiritur vera pietas & perſeuerantia in ſuſcepto pietatis ſtudio. Continet igitur hic verſus cum ſequente dulciſſimam doctrinam. *Primò* oſtendit vbi ſit eccleſia, nempe vbi eſt mons Domini, & ſanctuarium ab ipſo conſecratum, hoc eſt, vbi auditur doctrina à Deo patefacta, & præſtantur cultus à Deo præſcripti & mãdati, idque non ad tempus tantùm ſed in tota vita. Nõ igitur ſunt eccleſia, qui, quanquam titulum gerunt, tamen non audiunt nec amplectuntur doctrinam quæ in hoc monte ſonat: ſed potiùs eam oppugnant, aut delere conantur. Multò etiam minus dicendi ſunt populus Dei, ingens illa multitudo hominum quæ nunquam aſcendit hunc montem: hoc eſt, quæ non iudicat eſſe aliquem populum à Deo peculiariter electum: ſed omnes æqualiter à Deo recipi, & quemlibet in ſua religione ſaluum fieri. *Secundò*, non ſatis eſt noſſe vbi ſit vera eccleſia, ſed ſciendum etiam qualis illa ſit: multi enim omnibus ætatibus ſe admiſcent veris membris, qui tamen ad eccleſiam verè non pertinent. De hac re dicitur verſu ſequente.

4 Innocens manibus & mundus corde: qui non leuauit [leuat] ad vanitatem animam ſuam, & non iurat ad fraudem.

Reſpondet breuiter ad propoſitam quæſtionem, qualis ſit eccleſia, enumeratis aliquot partibus, innocentia manuum, munditie ſeu puritate cordis, & reuerentia numinis diuini, quibus tamen totam pietatem & vitam ad præſcriptum verbi diuini compoſitam complectitur: ſicut Paulus, comprehẽſurus breui regula totam Chriſtiani hominis vitam, inquit, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiã. *Primò* autem illud ſciendum eſt, hac reſponſione ab eccleſia excludi ingentem illam multitudinem generis humani, quæ ignara eſt doctrinæ à Deo patefactæ, & cultuum diuinorum. illi enim nec puris manibus, nec mundo corde colunt Deũ, nec vera tãguntur reuerentia numinis diuini: itaque non accedunt ad montem. *Secundò*, in hoc ipſo cœtu, qui dicitur eccleſia ſeu populus Dei, multi ſunt, qui quanquam audiunt & diſcunt doctrinam de Deo, tamen exiſtimant, ſe gratiã Dei poſſe demereri, & defungi ſuo officio, ſi in rituum externorum obſeruatione ſint aſſidui & diligentes. Atque hac opinione vel cumulant ſacrificia, vt Phariſæi in populo Iudaico. vel alia exercitia inſtituunt, bona, vt loquuntur, intẽtione, in quibus totam pietatem poſitam eſſe arbitrantur, ſicut noſtro tẽpore pontificij: ſed neque hos dicit vera eſſe eccleſiæ membra, nec participes fieri illorum bonorum. Deus enim nõ colitur geſtibus arte effictis, aut aliis rebus externis: ſed requirit interiorem munditiem, ſeu ſpirituales cultus, & poſtea actiones externas cum his congruentes: quæ omnia hic, vocabulis puritatis cordis & manuum intelliguntur.

Innocens manibus]Id eſt,qui manus non habet contaminatas ſeu pollutas aliquo ſcelere,vtpote cæde aut furto: id eſt, qui externo opere non admittit aliquid quod pugnet cũ lege Dei.Manus enim innocentes ſunt vita innocens.Nam *manus* μεταληπτικῶς ſignificãt,omnia externa opera:ſunt enim pręcipuum inſtrumentum externarum actionum. Interdum & conſilia per manus ſignificantur,vt 2.Sam.14.Nũquid manus Ioab tecum,&c.Phariſæi iudicabant,omnia externa delicta tolli ſacrificiis,vt apud pontificios exiſtimant vna miſſa redimi & expiari omnia ſcelera:ſed còntrà pronuntiat hoc loco Spiritus ſanctus,non ſatisfieri Deo externis cæremoniis, ſed requiri innocentiam manuum,deinde cordis puritatem.Itaque non dicit,qui eſt circumciſus,aut qui eſt de ſemine Abraham,quíve ſabbata ſeruat,aut victimas offert:quanquam illa omnia erant præcepta à Deo,& erant in hoc populo ſeruãda,multò minus dicit qui ſuo iudicio cultus inſtituit,ſicut ethnici omnibus ætatibus,& pontificij ſuas ἐθελοθρησκείας inſtitúerunt,quibus placari poſſe Deum falsò exiſtimant.Deus enim alios longè præſtantiores cultus requirit.

Poſt manuum innocentiam requirit & cordis puritatem. Non enim ſatis eſt manus abſtinuiſſe à cæde & furto, oculos aut pedes habere continentes:ſed priùs cor tanquam fontem ex quo opera externa emanant, purgari neceſſe eſt. Quanquam igitur cor cauſſa eſt actionum externarum: priùs tamẽ nominat manus tanquam effectus,quia externę actiones magis incurrunt in oculos, & faciliùs iudicantur:attamen, quia mera eſt hypocriſis niſi cor conſentiat,& ne quis ſe vel alios hic decipiat,mox ſubiicit,*purus corde.* Non poteſt gloriari etiam coram hominibus ſanis & rectè iudicantibus homo externis ſceleribus pollutus,ſe membrum eſſe eccleſiæ: ſed vera pietas in cordis munditie conſiſtit. Appellatione autẽ cordis complectitur primùm opiniones,& deinde affectus. Primùm homo pius rectè debet ſentire de Deo,non debet habere animum infectum prauis opinionibus:ſicut ethnici omnes aberrantes à vero Deo,fingebant πολυθείαν. Pontificij merita filij Dei magna ex parte transferunt in ſanctos vel opera à ſe excogitata.Turci,etſi dicunt ſe inuocare Deum, creatorẽ cæli & terræ:tamen multipliciter ab eo aberrant. Deinde affectus debent eſſe congruentes cum lege Dei.Quia Deus nõ colitur externo opere,ſed integritatem cordis requirit. abſit igitur à pio,ira,odium,maleuolentia,inuidia,&c.non concupiſcat res alienas:denique motus omnes congruant cum lege Dei:id enim ſignificat cor mundum.

Aliqui ſimpliciter interpretantur,*Mundus corde*,id eſt, cuius cor purificatum eſt fide:ita enim Petrus interpretatur in Actis,cap.15.Hæc interpretatio quidem vera eſt,quia cùm illa puritas cordis,qualem Deus in Lege requirit,in nobis non inueniatur,oſtendit euangelium corda noſtra mundari ſanguine filij Dei,vt quanquam manent in nobis praui affectus, & prauæ inclinationes,& multæ ſordes, ſciamus tamen tegi illos morbos & næuos in his qui fide ad miſericordiam Dei confugiunt,& paulatim à Spiritu ſancto elui & ſanari. Hęc doctrina rectè ex euangelio additur.Interea tamen cùm de phraſi quæritur,explicandum eſt quid puritatẽ cordis Scriptura vocet:*purum* igitur *cor* eſt quod præditũ eſt vero timore Dei,vera fide,quod non eſt infectum prauis & falſis opinionibus,quod non ardet iniuſta cupiditate aut aliis prauis affectibus,quod caret omni hypocriſi & dolo.Tale igitur cor requirit Deus in ſuis cultoribus. Quare longè falluntur qui externis ritibus & cæremoniis ſe ſatisfacere Deo poſſe exiſtimant,ac multo magis qui ſuis ἐθελοθρησκείαις demereri gratiã Dei volunt.Ita ſi reprehenduntur hic Iudæi hypocritæ,& excluduntur à vera eccleſia,qui tamẽ ritus à Deo inſtitutos obſeruabant:quanto magis ἐθελοθρησκεία pontificiorum reiicienda & damnanda eſt?

Qui non leuauit animam ſuam ad vanitatem] Explicat prius membrum ab antitheſi.Nã animam non leuare ad vanitatem ſignificat cor habere vacuum à prauis deſideriis, nõ delectari prauis aut falſis opinionibus,non concupiſcere praua aut illicita,non habere cor irretitum curis rerum inanium, quæ nos à Deo abſtrahunt,vt habent ij qui huius mundi opes,potentiam,aut honores magnifaciunt & expetunt: ſed in vno Deo,tanquam in ſummo bono acquieſcere,&,ſi hũc habeas, non vltra aliquid expetere.

Leuare animam ſuam ad aliquid,ſignificat aliquid concupiſcere,deſiderare,aſpirare,auidè inhiare ad aliquid. Ita dicitur pſal. ſequente 25. Ad te Domine leuabo animam meam. Item pſalmo 86.& Ierem. 22. Ad terram,ad quam leuant animam ſuam,vt reuertantur illuc, non reuertentur. Nomen נפש ſæpe ſignificat Hebræis potentiam animæ appetitiuam: quia anima volũtatis & deſiderij ſedes eſt.Sicut & apud Græcos:vt apud Xenophontem 1.παιδ. de Cyri patre, μέτρον δ' αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, ἀλλ' ὁ νόμος ἐστίν. Punctum hirek ſub Schin oſtendit duplicem eſſe lectionem,Secundũ pũcta enim legitur נַפְשִׁי, ſed ſecundùm literas נפשו. Itaque nonnulli interpretes leuare ſeu aſſumere animam, exponunt pro iurare per animam Dei, vt congruat cum ſequente ſententia: ſed exiſtimo priorem ſententiam eſſe veram,& pro puncto holem irrepſiſſe incuria librariorum punctum hirek.Exod.20.dicitur,Non aſſumes nomen Domini in vanum:id eſt,non iurabis: non tamen videtur idem eſſe aſſumere animam Dei, quod aſſumere nomen Dei.Nec id tribuitur hominibus,ſed Deo ipſi,vt cùm dicitur Iere.51.Dominus exercituum iurauit per animam ſuam. Et Amos 6.Per animam meam iuraui. Nonnulli, quanquam relatiuum tertiæ perſonæ retinent:tamen animam ſuam leuare,exponunt pro iurare, & iurando quaſi vades ſuas animas Deo offerre. Sed cùm de iuramentis in proximo membro dicatur,retineo hoc quod primo loco dictum eſt, & cum phraſi perpetua huius linguæ congruit.

Et non iurauit ad fraudem] Tertiũ quod requirit à fidelibus, eſt puritas oris: ne quis mendaciis aut periuriis fallat & decipiat proximum ſuum,aut etiam fiat blaſphemus cõtra Deum, abnegatione eius doctrinæ: ſed vt veritatem loquatur, & ſit conſtans,cùm in factis,tum in ſermone, fugiátque omnem ſimulationem,leuitatem & ſcurrilitatem in ſermone. Ita tripliciter diuidit cultum piorum, & opera Deo placentia, ſecundùm tria principalia membra quibus perficiuntur,cor,manus, & linguam. Hæc opera igitur requirit Deus: non placatur victimis aut ſacrificiis,multò minus ἐθελοθρησκείαις:itaque qui tales ei cultus præſtant,hi ſunt vera membra eccleſiæ.

5 [*Hic*] Accipiet benedictionem à Iehoua,& iuſtitia à Deo ſalutis ſuæ.

Amplificatio eſt à bonis,quæ propria ſunt eccleſiæ,& quorum participes fiunt hi de quibus iam dixit.Et rurſus opponitur hic verſus imaginationi profanorum hominum,qui fauorem Dei ab externo ſplendore, opibus, potentia aut viribus æſtimant. Et cùm videant illum cœtum, qui dicitur eccleſia, perpetuò verſari in ærumnis,& opprimi triſtiſſimis miſeriis ac calamitatibus,iudicant eum eſſe ſpretum & abiectum à Deo: ita enim cognati Iob, & alij omnibus temporibus argumentantur. Cõtra verò affirmat Spiritus ſanctus,eccleſiã,etiãſi in hac vita prematur cruce & calamitatibus magis quã reliqua fæx generis humani:tamẽ ſua bona habere peculiaria,quibus cõparari nulla alia poſſint: & hæc ita propria eſſe eccleſiæ, vt nemo,niſi qui verũ eccleſiæ membrũ ſit,horum fiat particeps.

Benedictio opponitur maledictioni & damnationi,cui totum genus humanum eſt ſubiectum propter peccatum: ſicut Paulus inquit, Omnes naſcimur filij iræ: deinde pœnis temporalibus. Significat igitur primùm liberationem à maledictione Legis & ab ira Dei:deletionem peccati & mortis:donationem ſpiritus ſancti, accendentis in cordibus noſtris nouam lucem, & nos ſanctificantis:deinde ſignificat & bona corporalia,quæ Deus ſuo conſilio piis diſtribuit,prout ipſis vtile eſſe iudicat. Pietas enim, inquit Paulus, promiſſionem habet præſentis & futuræ vitæ.*Iuſtitia* ſignificat longe aliam quàm mundus iudicat iuſtitiam.Mundus enim externam diſciplinam iudicat eſſe iuſtitiam, quæ tamen nequaquam opponi poteſt iræ & iudicio Dei, nec acceptatur à Domino: ſed eſt opus carnis, vt Paulus nominat. Piorum verò iuſtitia aliunde proficiſcitur, nempe à Domino. Significat igitur iuſtitiam, quæ nobis donatur ſeu imputatur propter Filium: & deinde quæ à Spiritu in nobis inchoatur in hac vita, perficienda in altera. Iudæis nomen צדקה ſæpe ſignificat beneficium ſeu eleemoſynam, quod rectiſſimè ad hunc locum congruit. Noſtra enim iuſtitia reuera nihil aliud eſt quàm eleemoſyna, ſeu beneficium aliunde profectum, & quidem gratuitum. Alij iuſtitiam interpretantur vel de omnibus Dei beneficiis, quibus oſtendit ſe iuſtum eſſe, & bona fide agere cum ſuis, vel de iuſtitiæ fructibus.

Nomine *ſalutis* intelligit perpetuam eccleſiæ conſeruationem,& defenſionem,inter tot cõfuſiones rerum humanarum, inter tot odia & pericula,quibus perpetuò expoſita eſt:deinde mirandas liberationes eccleſiæ & ſingulorum membrorum, quocunque tempore: poſtremò,finalem illam liberationem, quando reſuſcitatos ex morte Filius Dei donabit vita & gloria ſempiterna,ſublato peccato,morte, & omnibus ærumnis. Hæc igitur ſunt bona piorum, quæ etiamſi non cernuntur oculis in hac vita, vel non ita incurrunt in oculos aut ſenſus,ſicut alia huius vitæ bona: tamen longè ſunt præſtantiora, & multis modis cæteris omnibus anteferenda.

9 Hæc eſt generatio quærentium eum: inquirentium faciem tuam,Iacob:Selah.

Cõcluſio eſt,in qua repetit propoſitionem. Hi ſunt illi,inquit,qui dicuntur populus Dei,qui à Deo curantur & ſaluantur:nõ hypocritæ,qui externa tantũ profeſſione aut cæremoniarum obſeruatione aliquam pietatem ſimulant,ſéq; in cœtum ſanctorum ingerunt, aut qui exiſtimant ſatis eſſe ſi à ſan-

ctis maioribus originem ducant: multo verò minùs profana illa multitudo ſparſa per totum orbem terrarum, quæ ne quidem externa profeſſione ſe cum hoc cœtu coniungit, quantũuis ſe à Domino totius orbis terrarũ regi ac gubernari iactitet.

Nomen generationis ſine dubio opponit iactabundis vocibus Iudæorum, qui gloriabantur ſe eſſe ſanctum ſemen, ſéque originem ducere ab Abrahamo: itaque omnes filij fœderis dici volebant. Oſtendit igitur filios Dei non naſci ex ſanguinibus, nec omnes qui ex Abraham progeniti ſunt, propterea eſſe legitimos filios: ſed opus eſſe regeneratione, qua ius filiorum Dei conſequimur.

Faciem Domini quærere dicuntur, qui Deum quærunt & agnoſcunt patefactum in hoc populo, edito verbo & propoſito ſigno viſibili, quo commonefacti ſcirent & crederent Deum ſibi verè præſentem eſſe. Facies enim dicitur qua quis præſens agnoſcitur. Deus autẽ nõ agnoſcitur quàm ex verbo & viſibilibus ſignis, quę ipſe propoſuit. Tale ſignũ erat in hoc populo arca fœderis, quæ quia erat certiſſimum ſignum præſentiæ Dei, dicebatur facies Dei. Itaque oraturi Iudæi faciem ad arcam conuertebant. Multi autem ſe coram arca proſternebant, & variis cæremoniis teſtandæ pietatis cauſſa ſe exercebant, qui tamen non verè erant pij. Ideo dicit hic, non verè quæri Deum aut faciem Dei, niſi præeunte ſanctitatis & iuſtitiæ ſtudio.

Faciem tuam] Mutatio eſt perſonæ, pro faciem eius.

Iacob] Hoc additur collectiuè. Eſtque ſententia: Hi ſunt Iacob & veri Iſraelitæ, qui quærunt faciem Dei, quaſi dicat, etiamſi omnes propagati à Iacob iactitent ſe eſſe populum fœderis: tamen non niſi qui vera fide & animi pietate Deum colunt, pro electo Dei populo agnoſcuntur: itaque nihil iuuat propagatio carnalis, aut circumciſionis & aliarum rerum obſeruatio.

Alij iudicant ſubaudiendam eſſe præpoſitionem In, acſi dicat: Talis eſt generatio eorum qui in Iacob quærunt faciem Dei. Nonnulli ſubaudiunt vocem Deus: Quærentium faciem tuam, ô Deus Iacob.

7 Attollite ô portæ, capita veſtra, & eleuamini portæ mundi, vt ingrediatur rex gloriæ.

Altera pars huius pſalmi continet adhortationem ad omnes homines in toto orbe terrarum, & in primis ad principes & magiſtratus, vt hunc regem ſuſcipiant, agnoſcant & colant. Deducitur autem hæc pars ex ſuperiore commemoratione dupliciter. Primùm, quia Dominus eſt totius orbis terrarum, æquum eſt eum agnoſcere, atque eius imperio vos ſubmittere. deinde, quia nuſquam vera eſt ſalus, niſi in illo cœtu qui eum rectè agnoſcit & colit, neceſſe eſt vos hunc regem recipere niſi perire velitis. Primum ab honeſto, alterum à neceſſitate obtinendæ ſalutis ſumptum eſt. Nonnulli interpretes iudicant, prophetam reſpicere ad templum, quod Dauid in animo habebat ædificare: ſed prohibitus à Deo, filio Salomoni id extruendum reliquit. Quare tanquam iam inchoato opere iudicant, prophetam optare vt quam primùm id perficiatur, & quaſi alloqui ipſas portas vt properè ſtruantur feſtinentque ad excipiendum Dominum gloriæ, quaſi iam ſatis diu habitarit in vili tabernaculo, & de loco in locum translatus. Habitabat Deus hactenus in tabernaculo, quod ante Dauidis tempora nuſquam certo loco conſiſtebat: ideo volunt etiam portas æternas appellari, quòd ibi ſedem fixam Deus elegiſſet. Sed retineo communem interpretum ſententiam.

Portas nominat ipſa imperia atque adeo ipſos reges, principes & magiſtratus, hos hortatur vt aditum patefaciant huic regi, eúmque reuerenter excipiant. Olim apud Iudæos & reliquas gentes Orientales, iudicia exercebãtur in portis. Itaque conueniebant eò reges & conſiliarij ſeu magiſtratus eius loci, & reliqua multitudo. eſt igitur ſynecdoche.

Capita] Id eſt, faſtigia, ne ſcilicet impediatis aduenientem.

עולם] id eſt, mundi. Græcus reddidit Principes: ſed male: ſignificat enim ſæpe hoc nomen ſeculum, mundum, & mundi curſum. Pontificij ineptè ad portas inferorum accommodant. Iuſtinus pag. 55. contrario modo de angelis & aſceſione Chriſti in cælum interpretatur.

Ingredi] vſitata huius linguæ phraſi, ſignificat obtinere regnum, vt in dicto Oſeæ 11. Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego ſum, & non homo: veruntamen non ingrediar in illam, id eſt, non obtinebo ibi regnum.

Rex gloriæ] Id eſt, glorioſus, cuius nimirũ ſumma eſt gloria & potentia, & qui nobis quàm glorioſiſſimus apparere debet.

In primis verò portæ, quas aperire iubet, de ſingulorũ cordibus intelligantur. hæc patere debent Chriſto, vt is regnum in nobis obtineat.

8 Quis eſt iſte rex gloriæ? Iehoua fortis & potens: Iehoua potens in prælio [*fortis prælij, id eſt, fortis præliator.*]

Dialogiſmus eſt, quo hunc regem deſcribit, & commendat, vt facilius perſuadeat regibus & principibus vt eum admittant & recipiant. Interrogatio referri poteſt vel ad ipſum Dauidem, vel ad reges & principes, ad quos ſermo inſtituitur. Si ad Dauidem referas, oratio eſt admirantis potentiam Dei in defendenda & cõſeruanda ſua eccleſia aduerſus hoſtes. Quis, inquit, iſte eſt rex, quem ego ab omnibus ſuſcipi & coli volo? an exiſtimatis vulgarem eſſe aliquem regem, qui virium ſatis non habeat ad ſuos defendendos? Nequaquam talis eſt: ſed eſt fortis & potens præliator, cuius potentia ſuperat omnium hominum vires, & qui vno prælio omniũ ſuorũ hoſtium vires & copias diſiicere atque euertere poteſt. Si ad hoſtes referas, oratio eſt contemnentium & aſpernantium Chriſtum & eius doctrinam. Multi enim iudicant doctrinam de Chriſto prorſus eſſe fabuloſam. itaque rident Chriſtum cum ſuis cultoribus. Multi etiam tanquam facem ſeditionũm & peſtem reip. oderunt & perſequuntur. Nonnulli etiam ex pleno faſtu iudicant, nullum eſſe cui cedere debeant: itaque nullum regis nomen ferunt, à quo leges accipere velint. Quare dicunt, Quis eſt iſte rex, quem tantopere prædicas? an aliquis eſt cui nos cedere de regno, & cui nos ſubmittere debemus? quæ verò eſt iſtius tanta gloria aut potentia vt hoc impetrare à nobis debeat aut poſſit?

Reſpondet Dauid, *Iehoua* eſt, qui ſcilicet orbem vniuerſum condidit, quique ſe huic populo peculiariter patefecit, & cuius potentia maior eſt omnibus mundi viribus: & qui hunc regem agnoſcunt, hi ipſius potentia & virtute ſunt muniti. Itaq; moneo, ne reſiſtatis, quia vno prælio omnes veſtras vires excindere poteſt. Repetitur deinde adhortatio, primùm, vt oſtendat Deum ſeriò & magna ſeueritate hoc à regibus poſtulare vt diſcant doctrinam in eccleſia patefactam, & ſuſcipiant curam ac defenſionem eccleſiæ, nec exiſtiment hanc rem nihil ad ſe pertinere. deinde quia certum ipſis imminet exitium ſi pergant huic regi aduerſari: eſt enim Deus exercituum, inſtructus variis copiis & exercitibus, quorum virtus & fortitudo ſuperat omnium hominum vires & robur: itaque facilè vincit & ſuperat ſuos hoſtes.

9 Attollite, ô portæ, capita veſtra: & eleuamini portæ mundi, vt ingrediatur rex gloriæ.

10 Quis eſt iſte rex gloriæ? Iehoua exercituum, iſte eſt rex gloriæ, Selah.

Rex gloriæ] id eſt, cui omnis gloria debetur. Reges omnes præcipuè gloriantur & efferunt ſe ſuis viribus, virtute bellica, aut proſperis ſucceſſibus: hanc gloriam ipſis adimit propheta, & tribuit ſuo regi.

PSALMI XXIV.

PARTES.

I. Propoſitio, regnum Chriſti explicans duobus modis. 1. A ſubditis eius, ad 7. verſ. 2. Ab eius aduentu in regnum ſuum, verſ. ſequentibus. Subditorum duo ponuntur genera. 1. Natura & creationis iure ad Deum pertinentium, 1. & 2. verſ. 2. Domeſticorum eius quos beneficio gratiæ ſuæ & redemptionis, recipit ad ſe, v. 3. 4. 5. 6.

II. Propoſitionis altera pars, dialogiſtica, de aduentante rege Chriſto: qua per proſopopœiam admonentur pij omnes, cuiuſcunque ordinis, & ætatis, generis, &c. vt ſe comparent ad eum excipiendum. Nam Eccleſia templum Dei eſt: & fidelium ſingulorum animus allegoricè porta eſt qua intromittitur Chriſtus: vt Apocal. 3. 20. Ideóque iubentur animos ab iſtis rebus terrenis auocatos ſurſum erigere.

1 Deus equidẽ totius mundi eſt Dominus, & ipſo iure naturæ cuncti mortales ad eius cultũ ſũt adſtricti. Ideo etiã innumeris donis homines ad ſui numinis obedientiam clementer inuitauit. Horũ autẽ vſus purus eſt ijs omnibus qui ad creatorem his ſcalis aſcendunt.

2 Antequam extarent homines, curæ Deo fuerunt: hoſpitium.n. aliaſq́ʒ cõmoditates eis parauit, non minus benignè proſpiciẽs quàm proprijs liberis paterfamiliâs. Si aũt ab ipſa mũdi origine paterna cura Deus Adæ ſobolem amplectitur, prærogatiuã illã honoris qua cæteris cœtibus præſtat eccleſia, ex gratuito delectu naſci affirmamus.

3 Vtcunqʒ mali permixti ſint bonis in eccleſia viſibili, friuola eſt externa profeſſio niſi accedat interior veritas.

4 Ridiculè quis iactabit ſibi integrum cor eſſe niſi bonam radicẽ à fructibus demonſtret: neqʒ rurſum ſufficiet, manus, pedes & oculos ad iuſtam normam formare, niſi externam continentiam præcedat cordis puritas.

5 Hæc valde efficax eſt ad pietatem & æquitatem ſincerè colendã exhortatio, dum audiunt fideles ſe in vita ad verbi diuini regulam inſtituenda operam non ludere, quia certa benedictio & ſalus apud Deum repoſita ſit.

6 Quoniam hypocritis externa quædam Dei quærendi ſpecies cõmunis eſt cum verè fidelibus, quem tamen ſuis ambagibus fugitãt: pronuntiat hoc verſu ſanctus ſpiritus, non ſincerè quæri Deum, niſi præeunte ſanctitatis & iuſtitiæ ſtudio.

7.8.9.10. Fuit beneficium non vulgare quòd Deus viſibili ſymbolo in medio veteris populi reſidebat, cæleſteq́ʒ ſuũ domiciliũ volebat in terra conſpici. Atqʒ huius doctrinæ vſus inter nos quoqʒ hodie vigere debet, quia inæſtimabilis Dei gratia eſt, nos pro carnis noſtræ infirmitate pietatis exercitijs ſurſum ad Deum attolli.

Quia Chriſti aduentu vmbras euaneſcere oportuit, mirum haud eſt in monte Sionis templum non cònſpici: huius enim amplitudo totum orbem occupat.

Inexpugnabili virtute inſtructus eſt Deus, quoties accedit ad populi ſui ſalutem, vt ſub eius vmbra pij permaneant incolumes.

Repetitiones in Scriptura de Dei virtute ac gloria occurrentes, admonent, fideles in hac meditatione non poſſe nimis eſſe aſſiduos vel ſedulos.

Quum Filius Dei carne indutus apparuit rex gloriæ & Iehoua exercituum, non vmbratili figura tantùm, ſed verè templum ſuum ingreſſus eſt, vt in medio noſtri habitet. Quare nihil obſtat quominus gloriemur nos eius virtute fore inuictos.

Verbi prædicatio & ſacramenta quũ ſint veluti portæ, per quas intrat & nobiſcum habitat rex illæ gloriæ & Iehoua armipotens, hæc adminicula reuerenter amplecti conuenit: quia fieri nõ poteſt, ſi impio faſtu ſpernuntur, quin Deus ſe tãdem prorſus à nobis ſubducat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De creatione, ſuſtentatione & dominio rerum.
2. De regno Chriſti, mundi & Eccleſiæ Domini.
3. De notis internis Eccleſiæ, ſeu de piorum Chriſti ſubditorum characteribus & officio.
4. Præſentiæ Chriſti in Eccleſia militante ſymbola quomodo conſideranda.
5. Nominum regis Eccleſiæ conſideratio.

ARGVMENTVM PSALMI XVI.

HIC Pſalmus precatio eſt ardentiſſima, cui, vt fidem ſuam excitet & confirmet, ſubinde miſcet promiſſiones diuinas in quibus bonitas & miſericordia Dei erga pios commendatur. Apparet autem, hunc pſalmum à Dauide ſcriptum eſſe, cùm variis iniuriis hoſtium, & bellis grauiſſimis premeretur, iámque in eas anguſtias redigeretur vt de omnibus externis remedijs & præſidijs deſperaret. Talibus in anguſtijs conſtitutus, incipit agnoſcere ſua peccata quibus iram Dei in ſe prouocarat. Itaque non tantùm defenſionem aduerſus hoſtes & liberationem ex periculis, ſed in primis remiſſionem peccatorum ſuorum, quibus cauſſam præbuerit his publicis malis, petit. Ac vt faciliùs, quod petit, impetret, miſericordiam Dei, quæ ſemper ab initio editæ promiſſionis pijs omnibus prõpta & parata fuit, ſibi ante oculos ponit, eáque ſe erigit & confirmat. Porrò, quia videt magnam eſſe humanæ naturæ imbecillitatem, quæ cùm aſſiduis cupiditatum flammis æſtuet, & accedant aliunde flabella atque incitamenta, facilè ac leui momento impellitur, vt vel in delicta ruat, vel in cruce & tentationibus langueſiat, vt abiecta fide omnem Dei timorem exuat: ideo petit ſe ſimul regi verbo & Spiritu ſancto, ne vel in tentationibus fractus magnitudine calamitatum aut mora fidem abjiciat, vel rebus proſperè cedentibus ſibi indulgeat, atque ita delinquat. Summa igitur precationis huc tendit vt petat primùm ſibi remitti peccata, ſéque in gratiam recipi. ſecundò regi & gubernari à Spiritu ſancto. tertiò, defendi aduerſus hoſtiũ iniurias, & liberari ex præſentibus periculis. Atque in his petitionibus omnibus fidẽ ſuam ita oſtendit, vt prorſus in miſericordia & bonitate diuina ſe acquieſcere oſtendat.

Eſt autem hic pſalmus vnus ex his quorum verſus à literis ſecundùm alphabeti Hebraici ordinem incipiunt, quanquam in ordine aliquot literæ deſint ו & ק & harum loco aliæ tres ארפ bis repetãtur. Ea res num ad Muſicam pertineat, an verò tantùm memoriæ cauſſa hoc à propheta inſtitutum ſit, affirmare non auſim. Nobis certè, poſtquam Muſica abolita eſt, nullus alius huius rei vſus conſpicitur quàm quod memoriam iuuat. Idem verò obſeruatur in pſalmis 34. 111. 112. 119. quanquam non eadem vbique eſt ratio. nam in pſalmo 119. octoni verſus ſingulis literis tribuuntur. In 111. & 112. à medio verſu ad medium ordine literæ mutantur.

DAVIDIS.

1 AD te Iehoua animam meam leuo.
2 Deus meus in te confido, ne pudefiam:
ne exultent inimici mei propter me.

Exordium ſumit Dauid à teſtificatione ſuæ fidei. Oſtendit enim ſe in ſuis malis & afflictionibus nõ oberrare animo, aut circumagi huc atque illuc in quærendis remediis: ſed ad vnum Deum confugere, & quidem ad illum Deum qui ſe in hoc populo patefecerat, non ad idola. Homines impij, quoties calamitate aliqua premuntur grauiùs, primùm confugiunt ad idola quæ ipſi fabricauerunt, poſtea decurrunt ad alia remedia: quærunt enim auxilia & præſidia humana, & muniunt ſe opibus ac factionibus, ſæpe etiam ad alias artes planè diabolicas ſe conuertunt, dum pacta ineunt cum diabolo, aut quærunt conſilia à veneficis, quibus omnibus adeo nihil proficiunt, vt ſubinde ſe in maiores calamitates immergant. Contra verò Dauid affirmat, ſe in vnico hoc Deo habere omnem ſpem repoſitam, quem ſolum ſciat poſſe opitulari & eripere ex calamitatibus. Nonnulli Animam leuare ad Deum, interpretantur, vitam ſuam in manus Dei tradere, eíque defendendam committere: ſed paulo antè dictum eſt de phraſi.

Ego ad te leuo animam meã] Id eſt, anima mea magno & ingenti deſiderio ad te fertur, totáque abs te pẽdet, à te ſolo opem & auxilium expectat, non à creaturis vllis: non reſpicit ad præſidia humana, non quærit alia remedia extra te. Verbo בטחתי in ſecundo verſu explicat hanc phraſin. Nam fidendo leuatur & attollitur anima ad Deum.

Ne pudefiam] Id eſt, ne deſtituar mea ſpe, quam concepi de tua bonitate & auxilio. Pudefieri enim dicitur, quem fruſtratur ſua ſpes. Et pudefacere & fruſtrari expectationem alicuius, vt pſalmo 110 Ne pudefacias me ab expectatione tua. pſalmo 22. In te ſperauerunt & non ſunt confuſi. Ne pudefiam igitur, idem eſt ac ſi dicas, Fac ne fruſtra in te ſperaſſe videar, vel ne fallas ſpem meam.

Ne lætentur] Addit cauſſam, quæ ad prouocandam Dei miſeridordiam plurimùm valet: ne inimici me oppreſſo exultẽt,

& non mihi tantùm, ſed tibi quoque illudant. Illa enim hoſtium ludibria, quibus inſultant bonis & piis in calamitate, non tantùm animos piorum vulnerant: ſed de gloria Dei plurimùm detrahunt. Gloria enim Dei potiſſimùm in eo conſiſtit quòd ſperantes in ſe non deſerere prædicatur.

3 Etiam omnes qui te expectant, non pudefient: pudefiant [*autem*] qui perfide agunt ſine cauſſa.

Amplificatio eſt ab effectu ſeu conſequente: oſtendit enim quis fructus inde rediturus ſit ad alios, ſi liberetur. Sciebat Dauid omnium piorum oculos in ſe, tanquam præcipuum popul: Dei membrum, eſſe coniectos: itaque futurum ſciebat, vt ſi liberaretur, aliorum fides & ſpes confirmaretur: ſi deſereretur, eadem langueſieret & extingueretur. Ab hac igitur re, quæ non tam ipſum Dauidem quàm Dei gloriam & aliorum ſalutem ſpectabat, ducit argumentum, oſtendens non priuatū fore beneficium: ſed cuius fructus ad omnes pertineat. Addit & antitheſin de hoſtibus, qua ſententiam magis illuſtrat: Hoſtes mei vbi viderint ſe fruſtra ſuas vires in me experiri, pudefient, & contundetur ipſorum faſtus & ferocia, nec ampliùs illudent Deo & bonis hominibus, quaſi vel Deus non potens ſit ad ſaluandum, vel ipſi fruſtra ſperent.

Sine cauſſa] Hoc additur ad exaggerandam hoſtium malitiam, qui nulla iniuria laceſſiti vim inferebant Dauidi, eúmque euertere conabantur. Alij fruſtra interpretantur, ſine euentu optato.

4 Vias tuas, Iehoua, fac me ſcire: ſemitas tuas doce me.

Petitionem liberationis extendit longius. Non enim ſatis habet in præſentia liberari ex periculis: ſed petit verbo diuino ſe perpetuò regi & confirmari, vt intelligens quo conſilio Dominus cultores ſuos ſubiiciat cruci, & quam verax & fidelis ſit Deus in ſuis promiſſionibus, ſemper diſcat pendere totus à promiſſionibus diuinis, nec, ſicut impij ſolent, oculos & animum aliò conuertat, aut circunferat, quærendo alia præſidia & auxilia, aut murmurando in calamitatibus, aut fremendo.

Vias tuas doce me] Id eſt, rege me verbo tuo, & doce me quo modo agere cum tuis cultoribus ſoleas. Ita enim edoctus, leuiùs hæc mala feram, & certiore fiducia auxilium tuum expectabo. Via ſumitur in genere pro vitæ inſtituto, pro operibus & ſtudiis. Ita hic via Dei ſignificat rationem agendi, qua vtitur erga ſuos: & paſſim occurrunt ſimilia teſtimonia. Deut. 32. Viæ Dei iudicium, id eſt, quicquid agit Deus eſt iuſtum & æquum. pſal. 67. Vt cognoſcant in terra viam tuam. Viæ autē, de quibus hic loquitur, deſcribuntur in dicto Salomonis, Ante gloriam humiliatio. Item, iudicium à domo Dei incipit: &, quem Dominus diligit caſtigat, &c. Hoc igitur cupit ſcire, cōſilium ſcilicet Dei ſubiicientis ſuos cruci, & exercentis, ac deinde liberantis. Ea res valde confirmat animos, vt & rectiùs ferant ærumnas, & non aliunde quam à Deo auxilium petant. Quibus verò ignotæ ſunt hæ viæ, illi impatienter ferunt ærūnas, & deſerto Deo, dum quærunt alia remedia, ruunt ex vna miſeria in aliam, donec pereant.

Alij vias Domini lætos & ſalutares exitus interpretantur: ſed aliquanto plus comprehendit. Nam hoc vltimum eſt in viis Domini: priùs enim deducit ad inferos, & mortificat, antequam viuificet, &c.

5 Dirige me in veritate tua, & doce me: Quoniam tu Deus ſalutis meæ, te expecto toto die.

Dirige] Id eſt, doce me vt firmiter ſtatuam, promiſſiones tuas factas fidelibus, eſſe firmas & veras, & vt fretus his promiſſionibus omnem curam & cogitationem in te reiiciā, non impatientia aut cupiditate vindictæ aut alio aliquo prauo affectu aliò ferar aut rapiar quàm me oportet.

הדריכני fac me calcare, id eſt, aſſuefac me ad hoc iter, vt ſenſus meos omnes cohibeam, ne in calamitatibus aliò reſpiciam quàm ad tuum verbū & promiſſionem, & eam ſtatuam eſſe veram.

למרני Id eſt, aſſiduè doce & vrge: non enim ſatis eſt ſemel ſtatuiſſe aliquem in hac ſemita: ſed opus eſt aſſidua cōmonefactione, ne rurſus excedat aut exorbiret.

Quia tu Deus ſalutis meæ, te expectaui] Petitioni addit duas rationes: alteram à natura & quaſi proprio officio Dei: alteram à ſua fiducia.

Tu es Deus ſalutis meæ] Id eſt, quia non alius eſt qui me ſeruare poſſit, nec quiſquam eſt præter te à quo ego ſalutem expectem, túque es qui hactenus me liberaſti: ita præterita beneficia ad ſpem futuri temporis applicat.

Tota die] Id eſt, conſtanter: non enim defeci ſuperatus tentationibus variis.

6 Recordare miſerationum tuarum, Iehoua, & bonitatum tuarum, quia fuerunt in ſecula.

Rurſus argumentatur à natura Dei. Memento Domine, inquit, quàm perpetuò fueris miſericors & bonus, nunquam enim aduerſatus es, aut deſeruiſti implorantes tuam opem & auxilium: quare & nunc mihi adſis. Atque hæc recenſet non tam vt Deum commonefaciat, aut ad opem ferendam extimulet, quàm vt ſe animet & corroboret in fiducia & ſpe impetrandi auxilij. Interdum Deus in calamitatibus piorū videtur ſe ſubtrahere, quaſi oblitus eſſet noſtri, eóq; tempore in mentē veniunt nobis peccata noſtra. Hic ſtatim ſubeūt cogitationes quaſi alienus ſit à nobis, aut quòd abiecerit nos & curam noſtri. His tentationibus opponendę ſunt cōſolationes quòd Dei miſeratio & clementia ſit perpetua, quódque ab initio mundi fuerit miſericors, & receperit omnes confugiētes ad miſericordiam diuinam. Itaque, quanquam nobis videtur aliquantiſper durus & inexorabilis, tamen non exiſtimemus eum diſſimilem eſſe ſui, aut propoſitum mutaſſe.

7 Delictorum iuuentutis meæ & tranſgreſſionum mearum ne memineris. [*Sed*] ſecundum clementiam tuam, memento mei: propter bonitatem tuam, Iehoua.

Diximus in argumento, prophetam non tantùm petere liberationem ex præſentibus malis, quibus premebatur: ſed multo magis, quia videbat ſe peccatis ſuis prouocaſſe iram Dei, ac meritas pœnas dare, nec aliter quàm abolitis peccatis ſperare ſe poſſe liberationem: ideo amoliturus hoc impedimentum, petit ſibi remitti peccata, & ſe in gratiam recipi: ita cauſſam priùs tolli cupit, qua ſublata, futurum ſcit vt reliquæ calamitates mitigentur & tollantur: & nos ad hoc exemplum inſtituere debemus precationem.

Delictorum iuuentutis meæ] Id eſt, quicquid deliqui à prima vſque adoleſcentia ſeu à puero. Non tantùm vnum atque alterum delictum intuetur hoc loco Dauid: ſed quaſi totam vitam retexens, agnoſcit ſe à prima vſque adoleſcentia ſæpe & multum peccaſſe: atque iram Dei prouocaſſe. Inprimis autem per delicta iuuentutis intelligit illud ingens malū quod inde vſque à natiuitate nobiſcum circunferimus, caliginem in mente, dubitationes, inclinationes prauas in voluntate & corde, rapidos & ardentes impetus, pugnantes cum Lege, qui in adoleſcentibus plerunque ſunt vehementiores & crebriores, & qui plus ſolicitant ad peccandum.

Nomen פשע complectitur omnia delicta, tum commiſſionis, tum omiſſionis.

Ne recorderis] Id eſt, ne ponas ob oculos, vt vindices aut punias: ſed remitte & ignoſce, ídque facias pro bonitate & clementia tua, qua ignoſcis omnibus ad te confugientibus.

8 Bonus & rectus Iehoua: ideo docebit peccatores [*aberrantes*] in via.

9 Diriget pauperes in iudicio: & docebit afflictos viam ſuam.

10 Omnes ſemitæ Iehouæ clementia & veritas, cuſtodientibus pactum eius & teſtimonia eius.

Precationi miſcet promiſſiones, quibus fidem ſuam erigit & confirmat: nam inter petendum ſemper obſtrepunt nobis indignitas noſtra, magnitudo peccatorum noſtrorum, & iudicium Dei aduerſus peccata. His fluctibus, & tanquam duriſſimis arietibus ita concutitur fides vt in multis langueſiat, in nōnullis etiā prorſus extinguatur. Quare opus eſt vt ſubinde promiſſionibus diuinis fulciatur, excitetur, alatur & confirmetur. Dauid igitur cùm petiuiſſet ſe doceri viam Dei, mox commonefactus de ſuis peccatis horum petit remiſſionem, atque ita tandem impetrata venia animum conuertit ad promiſſiones diuinas, ex quibus ſpem certam concipit fore vt de viis Domini doceatur, atque ita faciliùs ferre ærumnas, & patientiam ſuam probare Deo poſſit. Hac promiſſione & meditatione refectus & recreatus, poſtea iterum alacrior ſurgit ad precandum. Bonus eſt, ſcilicet propter miſericordiam, qua gratis recipit omnes ad ſe confugientes, nec repellit quenquam: ſed potius ad ſe inuitat. Hæc eſt bonitas Dei, quæ maximè in eo lucet, quòd homines contaminatos peccatis gratis recipit: deinde, quòd benefacit nullis prouocatus meritis.

Rectus] Id eſt, firmus, conſtans & verax in promiſſionibus ſuis, & qui fideliter præſtat quod promiſit. Non enim ludit nos Deus, nec fallacibus dictis animos noſtros ſuſpendit: ſed certò præſtat quod promittit, ſúntque eius dona ἀμεταμέλητα. Roman. 11.

Ideo inſtituet peccatores in via] Id eſt, non ſinet aberrare vt pereant, ſed reducet in viam. deinde, non ſinet eos opprimi mole ſuorum peccatorum, aut magnitudine calamitatum: ſed remittet peccata & pœnas, & docebit eos, & mouebit corda,

vt patienter ferant afflictiones,& ſtatuant,eas non eſſe ſigna iræ aut indignationis Dei,ſed caſtigationes paternas,quibus vitioſam in nobis naturam mortificat,& paulatim abolet, vt tandem cæleſtis gloriæ fiamus capaces.Hæ enim ſunt viç Domini,& hæc ſchola,in qua ſuos inſtituit: ſuntque hæ viæ diuerſæ à viis huius ſeculi.In mundo nemo magnus iudicatur, niſi qui abundat opibus & potentia, quique pollet viribus, aut excellit ingenio,prudentia,fortitudine,& habet proſperos in rebus gerendis ſucceſſus &c.Et horum omnium curſus ferè is eſt qui in verſu Claudiani dicitur,

tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Sed longè alia ratione Deus agit cum ſuis,vt dictum eſt:& qui ita inſtituti ſunt vt hoc ſciant,illi neq; magnitudine ſuorum peccatorum,neque mole calamitatum vnquam ita opprimuntur vt ſpem ſalutis abiiciant.

Peccatores autem hoc loco intelligit,non quoſuis pollutos & contaminatos ſceleribus,ſed ſanabiles,qui non perſeuerāt in delictis contra conſcientiā,ſed qui ad gratiam Dei confugiunt.Atque eoſdem verſu ſequente nominat afflictos, non tantùm quòd ſenſu & mole peccatorum ſuorum,quæ aſſiduè circunferunt,grauiter premantur:ſed etiam quòd ſub cruce ſubinde contineantur atque exerceantur.

Diriget afflictos in iudicio]Repetitio eiuſdem verſus non eſt otioſa,ſed oſtendit,Deum,vbi inchoauerit in peccatoribus illam inſtitutionem & gubernationem,perpetua continuare per totam vitam:ideo vtitur diuerſis verbis:וילמד ידרך יורה.

יורה primam inſtitutionem ſignificat,cum paulatim ad experientiam procedit, וילמד cùm vſu & ſenſu conſolationis confirmat.

In iudicio]Id eſt,rectè & commodè, *VVie ſichs gebürt.* Quēadmodum & 1.Samuel. 8. Hoc eſt ius regis, *Das iſt ſein gebür.* In iudicio igitur ſignificat,prout fert piorum imbecillitas atque vtilitas.Deus enim in gubernatione ſuorum accommodat ſe ad eorum captum & vires,& omnia dirigit ad ipſorum vtilitatem.Non ſinit eos tentari ſupra vires, vt fracti calamitatum magnitudine aut mora abiiciant fiduciam & ſpem, ſed dat cum tentatione exitum,vt ſuſtinere poſſint,vt Paulus inquit 1.Cor.10.facitque vt quantumuis videantur duræ & acerbæ caſtigationes:tamen in ipſorum vtilitatem cedāt. Hoc eſt in iudicio dirigere.In iudiciis bene cōſtitutis ſeruatur ęquitas,quæ ſemper inclinat ad mitiores ſententias,odia infringit & fauores ampliat,neque ſemper procedit ſecundùm rigorē iuris.Ita Deus imprimis agit cum ſuis. Itaque & Ier. clamat cap.10.Corripe me Domine in iudicio.

Viam ſuam]*VVie er mit den ſeinen vmbgehe,vvie er gegen inen ſich erzeige vnd halte*,quomodo gubernet ſuos, quomodo paterno amore procuret omnia quæ pertinēt ad ipſorū ſalutem, quomodo oppreſſos ſubleuet,deiectos erigat,mœſtos exhilaret & ſoletur,miſeris ſuccurrat,& tandem liberatos in ſempiternam gloriam euehat.Conſilium igitur & gubernationis & conſeruationis eccleſiæ vocabulo viæ oſtenditur,deinde verò etiam profectus ſeu progreſſio notatur:nam ingreſſi paulatim progrediuntur longiùs,& in calamitatibus creſcit lux doctrinæ & fidei,fitque ardentiùs ſtudium pietatis, iuxta illud dictum pſalmi 119.Bonum mihi quòd humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas,&c.

Verſus decimus ἐξήγησις eſt præcedentium.Docet enim quę ſint viç Domini,*hoc eſt*,oſtendit, *quomodo agat Deus cum ſuis.* Viæ Domini,inquit,ſunt miſericordia & veritas. Miſericordia eſt quum gratis offert & promittit omnibus ad Deum cō fugientibus remiſſionem peccatorum, donationem Spiritus ſancti,gubernationem in tota vita, mitigationem calamitatum,& tandem liberationem ac donationem iuſtitiæ & vitæ æternæ.Veritas eſt quæ præſtat quod promittit. Deus enim non eſt mendax,ſed verax & conſtans in ſuis promiſſionibus. Ita omnium promiſſionum ſummam complectitur hoc verſu,& docet,Deum ſic agere cum ſuis fidelibus,vt ex omni parte proprium & veracem eum ſentiant.

Cuſtodientibus pactum eius & teſtimonia eius]His verbis diſcernit eccleſiam ab omnibus profanis hominibus,& oſtendit quibus illa beneficia exhibeantur.Nō enim erga omnes promiſcuè Deus ſe exhibet clementem & fidelem : ſed erga eos qui manent in fœdere,& cuſtodiunt teſtimonia eius:hoc eſt, qui verbum ab ipſo traditum amplectuntur, & vera fide iuxta hoc verbum,ipſum inuocant & colunt.Dictum enim hoc intelligendum eſt non legaliter,quaſi de perfecta impletione, Legis loquatur,ſed ſecundùm interpretationem euāgelij, ſicut dictum eſt,vt ſeruare pactum & teſtimonia nihil aliud ſit quàm amplecti veram de Deo doctrinam , in qua ſe patefecit, & ſecundùm hanc vera fide ac bona conſcientia ipſum colere atque inuocare,ſicut Paulus inquit:Milita bonam militiam,retinēs fidem & bona conſciētiā. Fœdus & teſtimonium idem valent,niſi quod alterum exegeticè additur priori.

Comprehendit autem totam doctrinam,in qua cum populo ſuo Deus paciſcitur & fœdus init:in quo fœdere hoc præcipuum eſt,Ego ero Deus tuus,& ſeminis tui,&c.Et poſtea additur,Ambula coram me,&c.& quia doctrinæ addita ſunt teſtimonia, tanquam ſymbola & σφραγῖδες promiſſionum,commodè vtitur vocabulo עדה , quod non nudam doctrinam ſignificat:ſed confirmatam cùm miraculorum teſtimoniis,rum ritibus externis & in oculos incurrentibus,quæ de certitudine promiſſionis teſtantur,eamque ad ſingulos credentes applicant.

11 Propter nomen tuum, Iehouà,& [*vtique*]propitius eris iniquitati meæ:quia multa [*ſeu magna*] eſt.

Repetit principalem petitionem de remiſſione peccatorū. Nam fides petens & accipiens remiſſionem peccatorum,prælucere in omni petitione rerum corporalium debet. Et quia ſubindo obſtrepit nobis,& interpellat preces noſtras indignitas noſtra,& magnitudo noſtrorum peccatorum,quæ nos de præſentia & auxilio Dei deſperare iubent,ideo ſubinde opus eſt illa repetitione,qua fides erigatur & confirmetur, ne ſenſu ſeu magnitudine peccatorum oppreſſa extinguatur.

Petitioni autem duas addit rationes , quarum prior ſumitur à cauſſa finali,altera ab obiecto,hoc eſt à multitudine peccatorum,quibus vates premebatur.Suprà autem verſu ſeptimo & impulſiuæ cauſæ mentionem fecerat: Memor eſto mei propter bonitatem tuam.Hæ cauſæ,petendæ remiſſionis peccatorum,conſiderandæ ſunt,vt nos quoque in precationibus noſtris eas ad Deum afferamus,nec,vt pontificij,vel dignitatem ſeu merita noſtra,vel aliorum ſanctorum interceſſiones allegemus.Deus ſimpliciter ſola bonitate ſua impellitur vt remittat peccata,non meritis noſtris aut aliorum ſanctorum, ſed ſolius filij merito & interceſſione:& facit id propter nomen ſuum,vt magnitudo ipſius miſericordiæ agnoſcatur & celebretur,& multi ad bonitatem ipſius agnoſcendam ac celebrandam inuitentur.

Et propitius eris]Nonnulli iudicant,orationem eſſe ellipticam,& ſubaudiendum eſſe aliquid in priore membro,vtpote Remiſiſti vel pepercisti mihi.Sed ſimpliciſſimum videtur vt non tam addatur vt ſit copula,quàm vt certitudinem fidei exprimat,& exponatur pro certè aut vtique.ſicut in illo Eccleſ. 5.Quia in multitudine ſomniorum etiam vanitates & verba multa ſunt,id eſt,certè ſunt vanitates.

Quoniam multa eſt] Altera cauſſa,quæ & ipſa ad impulſiuā referri poteſt. Nam Deus cùm verè paterno amore nos complectatur,ſicut dicitur Ieſaiæ 64.Pater noſter es tu,& pſalmo 103. commiſeratione erga nos mouetur cùm videt nos oppreſſos eſſe mole peccatorum,vt,quo magis premimur,& gemimus ſub hoc onere, eo magis ipſius erga nos commiſeratio accēdatur, quemadmodum pater διὰ στοργῆς quo maius videt eſſe periculum filij,eo magis viſcera ipſius accendūtur.*Cauſſa* igitur hæc,cùm ad Dei erga nos amorem aſpicimus, multùm valet ad impetrandam veniam, quæ alioqui, ſi in ſe conſideretur,magis præcludere nobis viam & aditum ad gratiam Dei videtur. *Addatur* & hoc, Conſiderationem eſſe infirmitatis humanæ in hac cauſſa. Deus enim infirmitati noſtræ ſuccurrit, ne ſuccumbamus ſub onere peccatorum. Quo igitur magis premimur, eo promptiorem & paratiorem ad opitulandum & exonerandum nos ſciamus habere Deum. *Poſtremò*, & hoc exemplo Dauidis moniti, ſciamus ſeriam agnitionem & ingenuam peccatorum confeſſionem à nobis requiri, & damnari omnem hypocriſin Phariſæorum & Pontificiorum, qui peccata ſua non agnoſcunt, aut qui exemplo Adami foliis fici tegere ſuam turpitudinem conantur.

12 Quis eſt vir timens Iehouam? docebit eum in via[*quam*]eligat.

13 Anima eius in bono morabitur: & ſemen eius poſſidebit[*hæreditatē accipiet*]terram.

14 Secretum [*conſilium*] Iehouæ timentibus eū: & pactum eius,vt nota faciat ipſis.

Redit ad promiſſiones, quas ſuprà diximus prophetam miſcere precationi, vt harum recordatione fidem ſuam, quæ inter precandum variis modis tentatur & oppugnatur,erigat & confirmet,ne victa fatiſcat. Hanc luctam fidei experiuntur omnes qui ſeria habent exercitia pœnitētiæ & inuocationis. Itaque Dauidis exemplo ſe præparare & munire aduerſus huiuſmodi certamina debent.

Commendat autem his verſibus pietatē erga Deum, eámque celebrat à ſuis fructibus. Homines impij iudicant inane nomen eſſe pietatis, & fruſtra ſuſcipi curam religionis, ſicut dicunt apud Malachiam,c.3. Vanum eſt ſeruire Deo, & quod emolumentum eſt quòd cuſtodiuimus præcepta eius, & am-

bulauimus

bulauimus in viis eius? Tales voces omnibus ætatibus audiũtur, & ſæpe etiam piorum animi his cogitationibus oppugnantur & vulnerantur: ſed hic tenendæ ſunt promiſſiones, quas hic recitat Dauid. *Quis eſt vir* (inquit) *qui timet Deum?* Vtitur exclamatione, in quam erumpit ex cõſideratione magnitudinis bonitatis Dei, qua proſequitur ſuos. Eam cùm ſupra verſu 8. & ſequentibus prædicaſſet: nunc hęc, tanquã concluſionis loco, attexit, Quis eſt vir, &c. quaſi dicat Quàm igitur felix & beatus eſt, qui Dominũ colit, qui amplectitur verbum, qui non abiicit fidem in tentationibus. Quis enim pro quantus ſeu quanti æſtimandus, hic accipitur, &c. Alij volunt paucitatem credentium notari interrogatione: ſed altera ſententia melius fluit, & cohæret cum ſuperioribus.

Timet Deum] Timor complectitur totum cultum, qui Deo debetur, hoc eſt, omnia opera primæ tabulæ, fidem, ſpem dilectionem, patientiam, inuocationem, gratiarum actionem, &c.

Docebit, &c.] Primus fructus pietatis eſt doctrina & gubernatio in vita priuata & in vocatione. Humana enim ſapientia infelix eſt, niſi gubernetur diuinitus, ſicut dicitur Ierem. 10. Scio Domine, non eſt hominis via eius. non enim poſſumus proſpicere omnes caſus, nec præſtare euentum.

Cùm igitur quaſi in biuio ſtamus, & in actionibus noſtris hæremus ſuſpenſi & perplexi, nec ſcimus quid rectius ſit, aut quid eligere nos oporteat, Deus occurrit nobis, & monſtrat viam: hoc eſt, & conſilia nobis ſuppeditat, ne quid tentemus, niſi quod cum voluntate ipſius cõgruat, & licita remedia noſtris malis monſtrat, & ſimul præſtat euentus qui nobis ſint ſalutares. Hęc latè patet, & ad omnes vitę actiones omniúmque actionum genera pro cuiuſque vocatione ſunt extendenda: Simul autẽ hic monemur nihil eſſe ſuſcipiendum niſi Deo autore.

Eligat] Quidam referunt ad Deum, & exponunt in præterito, Quam Deus elegit, hoc eſt, quę ipſi placet. ſed electio hęc magis ad homines referenda eſt, qui in ſuis actionibus indigent conſilio, gubernatione & auxilio diuino, & non eligunt feliciter niſi Deo monſtrante viam.

Anima eius in bono pernoctabit] Id eſt, affluet omnibus bonis, cùm ſpiritualibus tum corporalibus, vt nihil deſiderare amplius queat: eritque hæc eius felicitas non momentanea, ſed firma & perpetua. Id enim verbo pernoctandi ſignificat. Homines impij etiãſi florẽt aliquãdiu, & habent dies aliquot ſerenos, tamen non eſt diuturna aut perpetua illa felicitas: coniiciuntur enim ex luce in tenebras, hoc eſt, ex felici ſtatu in miſerias & triſtes dolores, in quibus deinde nulla apparet conſolatio: ſed piis ſua felicitas manet firma & perpetua: & quanquam videntur nõnunquam in hac vita coniici in tenebras, difficultates & ærumnas, ſicut ſunt vices dierum & noctium: tamen hæ non adimunt illis lucem & ſenſum conſolationis: ſed anima in ipſis tenebris non minùs quieta eſt quàm in meridie, hoc eſt, rebus proſpere fluentibus. Atque hæc cauſſa videtur cur animæ appellatione vſus ſit. Illa enim à ſuo ſtatu non dimouetur, etiamſi corpus nonnunquam affligatur.

Et ſemen eius] Tertius fructus eſt, felicitas ſobolis. Homines boni maximè ſoliciti ſunt de poſteritate, quam cupiunt florere. Itaque nec ſumptibus, nec laboribus, nec valetudini parcunt, vt ſuis proſpiciãt: ſed omnis illa ſolicitudo paterna inutilis eſt, niſi Deus noſtro ſemini benedicat. Hic igitur traditur piis conſolatio & promiſſio, vt ſciant tantã eſſe fauoris diuini erga ſuos magnitudinem, vt ſe ad poſteros quoque extendat. Et congruit huc illa ſententia pſalm. 112. Generationi rectorũ benedicetur. Et illud Theocriti,

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ᾽ οὔ.

Arcanum Iehouæ] Quartum beneficium, præſentia & auxilium Dei in ærumnis. Hoc ſummum beneficium eſt quòd in ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, in terroribus mortis & calamitatibus non deſtituimur neceſſaria conſolatione, ſed docemur de cõſilio & voluntate Dei erga nos, vt in hac acquieſcere poſſimus.

Secretum] Nominat doctrinam in cauſſis calamitatum de genere humano, & crucis, cui eccleſia in hac vita peculiariter ſubiecta eſt: deinde promiſſionem de remiſſione peccatorum, de reconciliatione gratuita & donatione iuſtitiæ, de defenſione eccleſiæ & liberatione. Hæc doctrina ignota eſt rationi humanæ, eã verò qui tenet is facilè vincit & ſuperat omnes afflictiones.

Pactum] Nominat promiſſionem præſentiæ & auxilij diuini, iuxta illa fœderis verba, Ego ero Deus tuus, &c.

15 Oculi mei ſemper ad Iehouam: quia ipſe educit de reti pedes meos.

Poſtquam promiſſiones varias commemorauit, nunc vſum harum oſtendit, vt ſit amplificatio prioris commemorationis ab effectu. Affirmat enim, ſe ita confirmatum eſſe his promiſſionibus vt certa fiducia in Deo acquieſcat, & ab ipſo ſolo expectet liberationem. Nam ad hunc finem, vt ſuprà diximus, longa illa commemoratio promiſſionum erat inſtituta.

Oculi mei ad Iehouam] Id eſt, ego confirmatus his promiſſionibus ſecurus acquieſco in Deo, & totus pendeo ab ipſo: itaque certus ſum me liberatum iri. Nõ enim fallet is qui auxilium promiſit, meam ſpem & expectationem.

Qui aliunde aliquid expectat, ſemper eò, ſicut oculos, ita animum & ſpem conuertit: ideo dicit, ſe oculos attollere ad Deum, à quo auxilium expectabat, comprehendens ſimul animi affectus, ſpem & fiduciam. Pronomen *ipſe*, emphaticum eſt, & docet in vero Deo ſpem ſalutis poſitam eſſe: ideóque falli turpiter qui alibi quàm apud Dominum malis ſuis remedium quærunt.

Voce retis intelligit cùm inſidias hoſtium, vt ex ſequentibus apparet, tum omnia illa quæ animum reddunt dubium & perplexum, aut in eas difficultates hominem coniiciunt vnde ſe expedire nequeat. Ex Iudæis nonnulli intelligunt tédiculas peruerſæ cupiditatis.

16 Reſpice ad me, & miſerere mei: quia vnicus & afflictus ſum ego.

Repetit precationem, in qua eadem petit quæ ſuprà, defenſionem ſcilicet & liberationem ex periculis, remiſſionem peccatorum & perpetuam gubernationem. Et quia res explicatæ ſunt hactenus, nunc his omiſſis, verba videamus.

Reſpice ad me] Id eſt, oſtende te mihi non ampliùs iraſci, ſed fauere, téque curam mei agere, & affici meis ærumnis. Forma ſermonis à communi conſuetudine inter homines ſumpta eſt. Qui enim alicui iraſcuntur, aut etiam qui aliquẽ contemnunt & negligunt, faciem ab eo auertunt, nec dignãtur eum intuitu & colloquio, rurſus cùm reconciliãtur, vt oſtendant ſe depoſuiſſe odia & inimicitias, faciem ad eum cum quo in gratiam redeunt, conuertunt. Intuitus igitur, ſignum eſt fauoris & beneuolentiæ: ſicut auerſio faciei eſt odij & iræ: vtraque formula ſæpe occurrit in pſalmis.

Miſerere mei] Hoc priori ſubiungit tanquam cauſſæ effectum. Cauſſam ſalutis ponit Dei intuitum: eo vbi nos dignatur Deus, ſimul ad opem ferendam paratus & promptus eſt.

Quoniam vnicus & oppreſſus] Addit cauſſas à neceſſitate, & à magnitudine malorum quibus eſt oppreſſus, reſpiciens ad promiſſiones quibus Deus promittit ſe miſeris & deſperatis præſto futurum, iuxta illud pſalm. 10. Tu laborem & dolorem conſideras: tibi derelictus eſt pauper.

Vnicus] Id eſt, ſolitarius, deſtitutus omni ope, omnibus auxiliis humanis, ſeu deſertus ab omnibus.

Afflictus] Magna mole calamitatum oppreſſus, ex quibus nulla humana vi aut induſtria eripi poſſum.

17 Anguſtiæ [*afflictiones*] cordis mei dilatarunt ſe: de anguſtiis meis educas me.

Repetit eandem petitionem, aſpergens voces quibus amplificat calamitates: affirmat enim ſibi non tantùm externum eſſe bellum cum hoſtibus, à quibus prematur: ſed intus mœrore & angoribus torqueri ex conſpectu iræ Dei aduerſus peccata, ex ſuorum perfidia & aliis curis innumeris quibus conficiatur.

Dilatarunt ſe] Id eſt, tanta eſt dolorum & curarum congeries vt totum cor occupent, non aliter quam ſi aquæ longè latéque graſſando regionem aliquam obruant.

18 Vide afflictionem meam & laborem meum: & dimitte [*ſeu tolle*] omnia delicta mea.

Quòd toties repetit eandem rem, oſtendit magnitudinem malorum quibus erat oppreſſus, & deſiderij ardorem.

Laborem meum] Id eſt, ærumnas meas quibus premor.

Dimitte] Iterum inſerit precationem de remiſſione peccatorum: quod cur fiat dictum eſt antea.

19 Vide inimicos meos, quia multiplicati ſunt: & odio violentiæ oderunt me.

Rurſus amplificat querelam de ſuis malis, à multitudine, potentia & viribus hoſtium. Scit enim eſſe Dei animum erga ſuos, vt quo maius aut grauius videat eſſe periculum, eo promptiùs ſuccurrat. ideo quantum poteſt pericula amplificat. Odium violentiæ pro crudeli, implacabili, virulento & ſanguinario ponitur. Tanta, inquit, eſt hoſtium rabies, vt placari nõ poſſint niſi hauſto meo ſanguine. Alij ſimpliciter odium violentiæ interpretantur, odium iniquum.

20 Cuſtodi animam meam, & erue me ne pudeſiam: quoniam in te confido [*ad te protectionis cauſſa confugio.*]

Cuſtodi animam] Id eſt, erige animam meam verbo tuo, ne

ſcilicet abſorbeatur dolore in his ærumnis, néve deſtituta conſolatione ruat in deſperationem, néve murmuret aut fremat aduerſus te.

Ne pudefiam] Ne mea ſpes de ſalute cõcepta me fruſtretur.

21 Integritas & rectitudo cuſtodiant me: quia expecto te.

Petitioni de remiſſione peccatorum & liberatione, iterum adiicit illam tertiam de gubernatione. Petit enim ſe regi verbo & ſpiritu Dei, ne vel fractus calamitatibus, vel alioqui prauis cupiditatibus impulſus, deficiat à Deo, vel committat aliquid quo Deum offendat, vtque perpetuò normam verbi diuini in omnibus conſiliis & actionibus ſequatur. Magna enim eſt imbecillitas naturæ humanæ, vt, niſi aſſiduè à Deo regatur, facilè aberret à Deo, & ruat in delicta. Alij interpretes iudicant, prophetam allegare ſuam innocentiam, ac petere, vt cùm hoſtes nullam habeant iuſtam inuadendi & oppugnandi ipſius cauſſam, Deus innocentiæ ſuæ ſit vindex; ſicut alibi ſæpe in pſalmis illæ precationes repetuntur, Iudica me Deus ſecundum iuſtitiam meam, &c.

Integritas ad conſcientiam referatur & animum, vt ſit imbutus rectis opinionibus, non ſtruat praua conſilia, & vt conſcientia non ſit vulnerata. Rectitudo ſignificat cõgruentiam actionum cum lege Dei.

22 Redime Deus Iſraelem ex omnibus tribulationibus [*anguſtiis*] eius.

Epiphonema eſt, quo complectitur ſalutem totius eccleſiæ, eámque Deo commendat. Vult enim ſuam ſalutem coniunctam eſſe cum publica eccleſiæ ſalute: nec priuatim ſibi tantùm conſulit, ſed communem totius populi ſtatum complectitur. Ea enim debet eſſe inter ſanctos ſocietas & κοινωνία vt ſinguli publicis miſeriis afficiantur: itaque petitionibus de priuatis rebus adiungenda ſunt vota pro ſalute vniuerſæ eccleſiæ, niſi enim totum corpus bene habeat, membra ſingula laborare neceſſe eſt. In primis verò Dauid, quia caput erat huius populi, ſciebat ſe ſaluum eſſe non poſſe niſi populus eſſet ſaluus, quo magis neceſſe habuit publicam ſui populi ſalutem Deo commendare, & populi incommodis non minus affici quàm ſuis.

PSALMI XXV.

PARTES.

I. Petitio, ſuis cauſis coniuncta, duo capita ſummatim continens. 1. Demonſtrationem communicationémque boni. 2. Abolitionem mali peccatorúmque noſtrorum, vt perſonæ acceptæ ſint.

Cauſarum tria genera ponuntur. 1. A perſona ſupplicis, verſu primo. 2. A perſona aduerſariorum, 2. & 3. verſ. 3. A perſona Dei, ſuos ducentis, inſtituentis, & in gratiam recipientis atque fouentis, v. 4. 5. 6. 7.

Petitionis caput primum verſiculis 4. & 5. alterum v. 6. & 7. continetur.

II. Confirmatio, 1. à natura Dei, boni, recti, ſapientis, fidelis, omnipotentis, verſ. 8. & ſequentib. paſſim. 2. A gratioſis operibus eius erga electos, quos docet, dirigit, remiſſione peccatorum donat, ditat, clementer inſtituit, & potenter liberat, à v. 8. ad 16.

III. Concluſio precatoria, cuius partes duæ ſunt. 1. Singularis petitio pro ſupplicis perſona, verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Tribus argumentis conſtat. 1. A perſona ſua, 16. 17. 18. verſ. 2. A perſona inimicorum, 19. verſ. 3. A fide ſua integerrima in Dei promiſſiones, 20. & 21. verſibus. 2. Concluſionis precatoriæ pars altera, nempe generalis & publica petitio pro corpore Eccleſiæ, verſ. 22.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Hæc rite orandi regula eſt, non diſtrahi in ſpes varias & ancipites, nec in terrenis auxilijs ſubſiſtere: ſed Deo tribuere hunc honorem, vt ex intimo affectu vota noſtra ad eum tollamus. Soli Deo enim cultus inuocationis debetur.

Piæ orationis vera definitio hîc traditur, videlicet quòd ſit eleuatio animæ ad Deum, ex fiducia promiſſionum diuinarum.

2 Fide & ſpe, tanquàm ſpiritualibus alis, è mundo ſublati ſurſum erigimur ad Deum qui ſuos pudeſieri nunquam patietur.

Impiorum improbitas non magis pios animos vulnerat quàm Deum ipſum laceſſit.

3 Quum nobis obſtrepit indignitas noſtra, & trepidas mentes ab inuocatione depellere conatur, opponenda eſt vox euangelij quæ affirmat, nos quanquam contaminatos recipi tamen in gratiã propter Chriſti meritum, modò in Deum ſperemus, quod fieri nõ poteſt, quin fide eius promiſſiones amplectamur, & propoſitum peccãdi abijciamus.

Dei gloria lucet in confuſione impiorum, quorum in rebus ſecundis exultatio palam Deo illudit, dum contempto eius iudicio audaciùs ad licentiam peccandi ruunt, & nulla iniuria laceſſiti vltrò ad lædendos homines innoxios feruntur.

4 Viæ Iehouæ, id eſt, voluntas, promiſſiones & mandata Domini, rationis lumine cerni non poſſunt. Nam ſi cernerentur hoc lumine, non peteret Dauid eas ſibi monſtrari à Deo.

Niſi Deus in fide promiſſionum ſuarum ſeruos ſuos retineat, huc vel illuc citò delabuntur.

5 Quum ſenſus noſtros obtenebrent res aduerſæ, difficile eſt in tanta caligine diſcernere quid ſequi cõueniat: niſi Deus ſæpe & ardenter inuocatus adſit, qui nos in vijs ſuis iuxta promiſſionẽ & miſericordiam in Chriſto exhibitam, dirigat ac contineat.

Hac lege Deus tandẽ ſuſcipit fidelium ſalutem, & eorũ neceſſitatibus ſubuenit, vt eandem gratiam in finem vſq; velit proſequi: dũmodo huic tantæ bonitati reſpondeat conſtans eorum fiducia.

Fidei hoc proprium eſt, inter ſummas anxietates reſpicere in Deũ, & quaſi tacita quiete in promiſſum eius auxilium indeſinenter recumbere.

6 Etiamſi ad tempus ſubtrahat Deus omne bonitatis ſignum, & ad mala noſtra conniuens, tanquam alienos deſerat, illud tamen retinendum eſt, eum quaſi priſtinæ conſuetudinis ſuæ memorem, nobiſcum denuo clementius acturum.

Fideles ex ſolo miſericordiæ Dei fonte gratiam, auxilium & liberationem haurientes, nihil in ſe reperiunt quod Deum ad remunerationem obſtringat.

Doctrina hæc ſedulò retinenda eſt, Deum ab initio fuiſſe miſericordem: vt ſi quando rigidus erga nos & inexorabilis appareat, non tamen ſui diſſimilem eſſe, vel propoſitum mutaſſe putemus. Fixum enim illud manere debet, Quanuis Dei bonitas interdum lateat quaſi ſepulta, nunquam tamen extinguitur.

7 Quum vrget nos externa aliqua afflictio, non modò rogandus eſt Deus vt nos ab ea eripiat, ſed vt peccata noſtra deleat, quibus & iram eius & flagella prouocauimus. Nec ſolum in mẽtem nobis venire debet poſtrema offenſa, ſed nouum pudorem nouóſque gemitus afferre debent omnes anteactæ vitæ tranſgreſſiones.

Facit peccatorum obliuio vt nos Deus paternis oculis aſpiciat: ſed vt nos recipiat in gratiam, nonniſi bonitate ſua adducitur.

8.9 Dei bonitas & miſericordia eſt fidelium meritum, de quibus actum eſt niſi anteuertat eos diuina gratia, ſpirituq; ſuo renouet, vt diſcipuli, id eſt, dociles & morigeri eſſe incipiant.

Gratiæ Dei progreſſus erga nos ij ſunt, nempe quòd primùm errãtes, imò profugos in viam reducit, compeſcit noſtram contumaciam, & priùs indomitos in obſequium iuſtitiæ ſuæ flectit: deinde, quòd afflictos & laborantes non deſerit, ſed poſtquam eos cruce formauit ad humilitatem & modeſtiam, prouidum ſe in regenda eorum vitæ patrem declarat.

10 Sic Deus agit cum ſuis fidelibus, vt omni ex parte propitium & veracem eum ſentiant. Eius enim clementiam & fidem quaſi peculiarem theſaurum nobis Scriptura deſignat: ac ſi diceret nõ eſſe timendum ne Deus nos fruſtretur, ſi manemus in ſuo fœdere.

11 Vt Deus nos in ſeruorum ſuorum numero reputet, ſemper rogandus eſt vt paterna indulgentia toleret infirmitates noſtras: quia ſine gratuita remiſſione peccatorum nulla operum retributio ſperanda eſt.

Quoties Deus ſuis electis ignoſcit, nõ aliũde cauſam ſumit quàm à ſeipſo. Nomen autem illud ſeu Dei miſericordia in vnico Chriſto pateſit & à nobis quæritur.

12 Exiguus eſt numerus Deum timentium. Nam etſi promiſcuè omnes orant & præ ſe ferunt aliquod pietatis ſtudium, pauci ſe penitus excutiunt, imò ſuo torpori indulgent ferè omnes. Itaque rariſſimus eſt Dei timor, quo fit vt Spiritu conſilij & prudentiæ mundus vt plurimùm priuetur.

Modò nos ad Dei timorẽ ſimus compoſiti, ipſe non deerit ſuo officio, quin Spiritu prudentiæ ad viam eligendam nos dirigat.

13 Veri Dei cultores nõ ſpiritualiter modò beati ſũt, ſed à Deo quoque benedicũtur, quoad præſentis vitæ ſtatũ. Et quãuis curſũ benedictionis diuinæ ſuis peccatis abrũpant, tamẽ Dei gratia in cõfuſa rerũ pertur-

perturbatione ita lucet, vt eorum ſemper optima ſit conditio: nã etſi bonis non ſaturantur, paternum Dei fauorem aſſiduè guſtant, & ad eos placandos longè plus valet mediocritas quàm impijs ſatisfacit abundantia.

Vt ſua quiſque ſorte intus contentus eſt, & cum hilaritate patiẽtiam ac quietem colit, eius anima in bono habitare dicitur.

14 *Secreti nomen doctrinæ excellentiam commendat, quæ nobis propoſita eſt in lege Dei. Vtcunque enim alio faſtu profani homines Moſen & Prophetas deſpiciant, agnoſcunt tamen fideles, in eorum ſcriptis ſibi cælorum arcana patefieri, quæ humanæ ſapientiæ modũ longè ſuperant. Inuitamur præterea hoc nomine ad modeſtiam & humilitatem, ne freti proprio ingenio aut ſolertiæ noſtræ confiſi, perrumpere tentemus ad myſteria, quorum notitiam ſingulare Dei donum eſſe pronuntiat Dauid.*

Vbi viget pietas, periculum non eſt ne in Deo quærendo operam ludamus.

Etſi voce ſua promiſcuè alloquitur Deus bonos & malos, niſi tamen adſit ſincerus affectus, ſurdis canit: impijs enim verbum Dei ſimile eſt clauſo & obſignato libro, Ieſa. 28. 11.

Deteſtabile eſt eorum figmentum qui à Scripturæ ſanctæ lectione, non ſecus ac labyrinthi acceſſu, totam plebem arcent: quaſi verò nõ diſertè ex quolibet ordine vocẽtur ad fœderis Dei notitiam quicumque eum ex corde timent.

15 *Quoniam omnibus qui in Deum reſpiciunt data eſt promiſſio, ſpem eorum non fore irritam, nec poſſe pudefieri: hoc clypeo fideles ſæpe ſe tuentur aduerſus tentationum ictus.*

Legitima precandi ratio ea eſt vt omnes ſenſus & affectus noſtri in Deo defixi contineantur. Fideles enim non circunſpectant huc & illuc, eorum more qui alternando varias ſalutes ſibi confingunt, ſed Deo vno ſunt contenti.

16 *Simulac nos Deus dignatus fuerit ſua cura, manus etiam ad auxilium ferendum parata erit.*

Quum promiſerit Deus ſe miſeris & deſperatis præſto fore ad opẽ ferendam, his promiſſionibus freti fideles, quo vehemẽtius premuntur eo certius auxilium ſperant.

17 *Quando totum cor Dauidis videmus anxietate fuiſſe poſſeſſum, non eſt quòd miremur ſi nos interdum ſua mole tentationes deijciant: tunc autem petendum eſt vt nobis Deus quaſi in deſperationis articulo ſuccurrat.*

18 *Nimis ſtupidi ſunt qui externa liberatione contenti, mala inteſtina (id eſt, peccata) non excutiunt: ſed quantum in ſe eſt cuperent obliuione eſſe ſepulta: quum meminiſſe eos deceat, Deo irato & infenſo omnia peccatoribus infeliciter cedere.*

Quanuis ob diuerſos fines Dominus ſuos cruce erudiat, tamen quoties affligimur, ad conſcientiæ examen reuocamur, vt ſupplices reconciliationem cum Deo quæramus.

19 *Pij de hoſtium ſuorum copia & crudelitate expoſtulãt, ſcientes, Deum eo propenſiorem eſſe ad ſuos iuuandos quo magis premũtur, & pro grauitate periculi eis potentiùs ſuccurrere.*

20 *Nullus ad ſerium precandi affectũ efficacior ſtimulus, quàm vbi teſtari licet, in Deo nos confidere, cuius omnipotentia & veritas facilè quumlibet fideles ex omnibus malis eruit, aut in medijs tentationum flammis illæſos tuetur.*

21 *Quiſquis Deũ expectat placido & mãſueto ſpiritu, quiduis potiùs perferet quàm vt ſibi permittat iniuſtitia cũ hoſtibus certare.*

Fideles, quantum ad ſe attinet, in Dei conſpectum ſemper cũ veniæ deprecatione ſupplices prodeunt: hoc tamen non obſtat quominus, aduerſariorum ſuorum reſpectu, cauſæ ſuæ bonitatem corã Deo commemorent.

Vt noſtri defenſionẽ ſuſcipiat Deus, non ſatis eſt ius & rectitudinẽ à parte noſtra ſtare, niſi Dei promiſſionibus innixi, ſub eius patrocinio tutelâque quieſcimus. Nã ſæpe contingit vt ſtrenuis & cordatis viris, dum ingenio ſuo freti, vel à fortuna pendentes, bonam cauſam tuentur, non tamẽ reſpondeat ſucceſſus. Colenda igitur iuſtitia & integritas, deinde Deo noſtra ſalus eſt committenda.

22 *Mutua inter ſanctos ſocietas poſtulat vt ſinguli, publicis miſerijs affecti, apud Deum vno conſenſu gemant: & dum ſua quiſque mala deplorat, ſimul etiam curas ſuas & vota extendat ad totam Dei eccleſiam.*

In ſumma, toto hoc pſalmo 25. tria petuntur, & quidem ex fide in patefactas nobis promiſſiones reſpiciente. 1. Peccatorum remiſſio gratuita. 2. Vt à Spiritu ſancto regamur in toto vitæ noſtræ curſu. 3. Defenſio aduerſus hoſtium iniurias. Quæ tria tribus poſtremis dominicæ precationis petitionibus reſpondent.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Piæ orationis definitio, partes, cauſæ, &c.
2. Dei veri natura, luculenter deſcripta.
3. Animæ piæ ſenſus, & affectus, & ſors beata.
4. Eccleſiæ militantis conditio & liberatio.

ARGVMENTVM PSALMI XXVI.

EIVSDEM ferè eſt argumenti hic pſalmus cum eo quem iam interpretati ſumus. Dauid enim oppreſſus varijs calumnijs ſuorum hoſtium, petit ſe à Deo defendi & ſeruari: ne fractus calamitatibus deficiat à Deo, ſéque cum ſceleratis coniungat: ſed vt conſtanter in agnitione & profeſſione veræ doctrinæ perſeueret, Deúmque vera fide celebret. Apparet autem, hunc pſalmum à Dauide ſcriptum & decantatum eſſe eo tempore, quando abalienato ab eo Saulis animo crudeliſſima aulicorum odia ſuſtinere cogebatur. Ita enim fieri ſolet vt quò tendit regis & principis animus, eò etiam aulicorum fauor ſe inclinet. Nec dubium eſt pleroſque ex aulicis, initio, cùm Saulis animum ab eo alienatum viderent, varijs modis eum tentaſſe ac hortatores fuiſſe, vt, ſi vitam ſeruare, & ſi pericula vitare atque in gratia regis manere vellet, ſe totum cùm in religionis obſeruatione, tum in reliqua vita ad animum & voluntatem ſui regis & cæterorum, qui in aula verſabantur, accommodaret & componeret, nec ſemper cultui diuino ac ſtudio religionis aut honeſtioribus ſententijs ita addictus eſſet, vt propterea gratiam ſui regis offendere, & grauiſſimis periculis ſe exponere vellet. Hic cum oſtenderet, ſe nec gratiam regis, nec vllius hominis amicitiam tanti facere, vt propterea diſcedere à Deo, & profeſſionem doctrinæ aut honeſtas ſententias abijcere vellet, atque hos ipſos qui talia conſilia ſuggerebant, tanquam homines impios & ſceleratos ſe odiſſe atque auerſari profiteretur: mox, vt fieri ſolet, accenſa ſunt horum odia aduerſus ipſum, atque ita factum eſt vt qui antea ſe diligere eum & ſalutis eius curam agere ſimularant, hi odio acerbiſſimo ac crudeliſſimo eum inſectarentur, & regem atque alios contra Dauidem, quantis poſſent viribus incitarent & armarent. Dauid igitur, cùm vndique ſe oppugnari & peti ab hoſtibus propter profeſſionem religionis & odium ſceleratorum hominum videret, & magnitudinem periculi conſiderãs nuſquam tutum ſe eſſe cerneret, ad Deum confugit, eiúſque fidem & opem implorat, atque vt faciliùs quod petit impetret, ſuam innocentiam allegat, & cauſſam horum malorum omnium eſſe dicit, quòd conſtanter profeſſionem veræ doctrinæ retineat, nec in gratiam vllius hominis ſe ab ea dimoueri patiatur, quódque conſilia, ſtudia & conatus hypocritarum ac ſceleratorum hominum improbet & fugiat. In hac commemoratione, quæ ſimul continet luculentam deſcriptionem hypocritarum, qui in aulis & ſeſe & religionem ad animos & voluntates regum & principum accommodare norunt, penè totus pſalmus conſumitur. In fine tanquam voti compos, ſacrificium laudis pro liberatione promittit. Hæc ſumma eſt pſalmi.

Exemplum verò Dauidis monet nos de varijs rebus. Primò, *Conſtantiam eſſe præſtandam in confeſſione & profeſſione veræ doctrinæ.* Secundò, *Non inflectendam vel accommodandam eſſe religionem ad affectus aliorum.* Tertiò, *Fugiendam eſſe conſuetudinem hypocritarum & aliorum impiorum hominum, qui nos abducere à profeſſione veræ doctrinæ conantur, & qui exemplo nocent: animos etiam & mores eorum noſſe diſcamus, quò faciliùs eos fugiamus.* Quartò, *ſi pericula, aut certamina ſequantur profeſſionem doctrinæ, vt ſemper fieri cõſueuit, defenſionem à Deo petamus, & certò ſtatuamus, eum cauſſæ ſuæ non defuturum.* Poſtremò, *vt liberati ex periculis Deo grati ſimus, &c.*

Exordium pſalmi ſumitur ab ipſa propoſitione, quæ eſt petitio, vt ſeruetur & defendatur à Deo.

Iudica] Id eſt, ſuſcipe tu cauſſæ meæ cognitionem, & cùm videas me iniuſtè premi & oppugnari, vindica iniuriam mihi illatam. vtrunque pertinet ad legitimum iudicium, primùm, vt cauſſa cognoſcatur & diiudicetur: deinde vt cognita cauſſa boni defendantur, mali puniantur. quare vtrumque petit: primò ne ſinat eum diutiùs exerceri, nec cauſſam eius negligat: ſed oſtendat, ſe cauſſam ipſius, quam ſciat iuſtam eſſe, probare: deinde vt hoſtium petulantiam cohibeat. Germanicè ſententia rectè exprimitur his verbis, *Schaffe mir recht*, quaſi diceret. Omnes qui ſunt in aula, iudicant me non tantum eſſe ſtolidum, qui regi & ſapientiſſimis in aula me opponam: ſed clamant etiam, me mihi fabricare religionem ex proprio capite, diſcedere ab ordinaria autoritate, à publico conſenſu, & iniuſtè me reprehendere conſuetudinem communem, &c. ſicut hodie nobis obiicitur, nos diſcedere à catholico conſenſu, ideóque eſſe hæreticos & ſchiſmaticos. Deinde oppugnant me plùs quàm Neroniana ſæuitia, nec eſt qui patrocinium mei ſuſcipiat. Itaque tu iudica me, &c.

Quoniam ego in integritate mea ambulo] Addit rationes ab honeſto. Quia non abiicio profeſſionem veræ doctrinæ, non approbo ſcelerata conſilia aulicorum, non adiungo me ſocium his quos video eſſe impios & ſceleratos: nec patior me vllo modo aut vllis technis abduci à pio & honeſto propoſito. Obſeruandum autem diligenter quòd non dicit ſimpliciter: *In integritate ambulo*: ſed *in integritate mea*. Pronomē enim poſſeſſiuum emphaſin habet, & ſignificat conſtantiam in vera doctrina, in veris & honeſtis ſententiis, quæ non ad tempus duret, ſed quę ad omnem vitam ſe extendat, quantumuis malis artibus & technis oppugnetur.

Deinde monendi ſunt auditores, Integritatem non accipi pro perfecta obedientia Legis diuinæ (ea enim in hominem non cadit in hac vita) ſed integritas Dauidis, ſicut ipſe verſu tertio ſe explicat, in eo conſiſtit quòd miſericordiam Domini ante oculos ponit, id eſt, in ea confidit, & ambulat in veritate, hoc eſt retinet fidem & bonam conſcientiam, iuxta dictum Pauli 1. Timoth. 1.

Ambulo] Id eſt, incedo ita vt non patiar me dimoueri à recto curſu.

Et in Iehouam confido] Id eſt, Retineo fiduciam in Deum, etiamſi variis technis eam mihi excutere conentur hoſtes mei.

Non nuto ſeu vacillo] Id eſt, Pergo conſtanter in illo recto pietatis curſu quem mihi ex verbo tuo propoſui: non declino in hanc vel illam partem, non muto ſententiam in vllius gratiam, non attempero religionem, nec accommodo mea conſilia ad aliorum voluntates ſeu cupiditates.

2 Proba me Iehoua, & tenta me: examina renes meos & cor meum.

Occupatio eſt, qua ab iniquis hominum iudiciis ad Dei teſtimonium & examen prouocat: quod ſcit fallere non poſſe, cùm Deus ſit καρδιογνώϛης. Vel ſimpliciter eſt repetitio propoſitionis: Tu iudica me & cauſam meam. Homines enim longè aliter de eo iudicabant, vt iam dictum eſt: Exiſtimabant eum eſſe hominem ſtolidum, cui ſapientiſſima regis & aliorum conſilia non placerent, deinde iudicabant eſſe ambitioſum & factioſum, qui hac nouitate & ſucceſſione ſe inſinuare in animos multitudinis & turbare regnum conaretur, poſtremò, meram eſſe ſimulationem & hypocriſin, quam obtenderet prauis conſiliis. Hæc iniqua iudicia, quibus grauiter premebatur, & calumnias vt amoliatur, prouocat ad tribunal Dei quem ſcit iuſtè iudicare.

Rurſus autem monendi ſunt auditores, Dauidem innocentiam ſuam allegare & extollere magnificè, non quòd Deo & legi eius ſatisfactum putet. Si enim ſimpliciter ei cum Deo res eſſet, culpam ſuam humiliter deprecaretur, ſicut alibi facit, cùm inquit, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: ſed potius, vt aduerſariorum calumnias refutet, quibus falsò grauabatur. Reſpectu igitur hoſtium hanc integritatem allegat, &c.

Examina] Metaphora à repurgatoribus auri & argēti ſumpta eſt, Inſpice & examina omnia conſilia, cogitationes & affectus meos, & videbis me non aliqua ambitione, aut alia praua cupiditate adductum, hunc rectum pietatis curſum, quem inſtitui, vrgere: ſed ſimpliciter vt tibi ſeruiam & tibi grata faciam: nihil enim eſt ſimulationis, nihil fraudis aut doli in meis actionibus.

Appellationibus cordis & renum deſignat cogitationes, conſilia & intimos affectus. Vide ſuprà pſal. 7. Renum nomine Hebræi notant id quod maximè reconditum eſt in homine. Nam ex viſceribus nullum eſt magis recōditum renibus, latent enim in intimis receſſibus infimi ventris. Quidam per cor intelligunt ſignificari ſuperiores affectus, dolores, triſtitiam, metum, lætitiam, &c. per renes, ſenſuales affectus & magis craſſos, &c.

3 Quoniam bonitas tua coram oculis meis: & ambulaui in veritate tua.

Ætiologiam, quam ſupra verſu primo addidit propoſitioni, nunc explicat per diſtributionem, oſtendens quæ & qualis ſit illa integritas in qua ambulet.

Bonitas tua eſt ante oculos meos] Id eſt, Quia amplector verbum tuum, vera fide in te acquieſco, & ſtatuo me verè abs te diligi, méque tibi curæ eſſe: hac fide me ſuſtento in his tentationibus, ne vel illecebris vllis, vel minis, quas varias adhibēt hoſtes, compulſus à recta via diſcedam, nec ſolicitus ſum de euentu: ſcio enim me ita abs te diligi & defendi vt mali nihil accidere poſſit. Hoc primum eſt in integritate.

Et ambulo in veritate tua] Id eſt, Sequor verbū tuum, quod ſtatuo normam actionibus meis: nihil ago, nihil probo, niſi quod ſciam cōgruere cum verbo diuino. Improbo & damno omnia cōſilia, omnes actiones pugnātes cum verbo tuo. Veritatem hic nominat verbum Dei. Sic enim Chriſtus ipſe loquitur: Sermo tuus eſt veritas, Iohan. 17.

4 Non ſedeo cum hominibus vanitatis: & cum abſconditis [*verſutis*] non ingredior.

Amplificatio eſt prioris ſententiæ ab antitheſi. Ego non tantùm amplector verbum Dei, ſed etiam fugio, improbo & damno omnia conſilia & actiones eorum qui veritati aduerſantur: nec patior mihi ab his vllo modo excuti pietatis ſtudium. Ita vtrunque oſtendit eſſe neceſſarium, & confeſſionem veræ doctrinæ, & ſeiunctionem ab hoſtibus euangelij, ne vel colluſionibus ipſos in impietate confirmemus, & conſciētias noſtras polluamus: vel etiam ne alios infirmos noſtro exemplo offendamus.

Non ſedeo] Verbo ſedendi ſignificat communicationem conſiliorum. Ego non interſum ipſorum deliberationibus, vel cùm dogmata fingunt & pingunt, & religionem flectunt ad ſuam dignitatem ſtabiliendam, vel ad opes cumulandas, vel alioqui conſilia contra pios & innocentes captant.

Cum hominibus vanis] Notanda hic eſt deſcriptio eorū qui tunc in aula regis Saulis verſabantur. Nam ſemper aulæ tales habent. Itaque prodeſt ipſorum ingenia & naturas noſſe: nec poteſt melior pictura excogitari quàm quæ hic à Spiritu ſancto proponitur.

Primò, dicit eſſe homines vanos, hoc eſt, non rectè ſentientes de Deo, vacuos timore Dei, qui nulla cura religionis tangantur: ſed qui honores affectent, & opes, & alias res vanas quærant: & ad has res obtinendas prætextu religionis abutātur. Deinde in reliqua vita ſunt arrogantes, multa ſibi falsò tribuunt, cùm nihil minus ſint quàm quod præ ſe ferunt: promittunt item multa & ampla, & nihil præſtant, ſúntque nubes ſine aqua, vt dici ſolet. Hæc omnia complectitur nomine vanitatis.

II. Nominat occultos, hoc eſt, ſubdolos, verſutos, fraudulentos, & ad fallacias & impoſturas compoſitos, ſimulatores, qui aliud ore proferunt, aliud pectore clauſum tegunt.

Verbo ingrediendi, ſignificat externam conuerſationem & ſocietatem actionum. Ego, inquit, nec conuerſor cum his, nec conſilia ipſorum vel probo vel adiuuo: ſed toto pectore deteſtor ipſorum praua conſilia, & me ab horum conuerſatione ſubtraho: ne vel impietatem ipſorum probare videar, vel etiam conſuetudine ipſorum deterior reddar.

5 Odi cœtum malignorum: & cum impiis non ſedeo.

Non ſatis eſt in externa conuerſatione aut communicatione conſiliorum ſe oſtendere alienum ab impiis: ſed toto corde neceſſe eſt nos abhorrere ab ipſorum doctrina, vita & moribus, vtpote quibus gloria Dei læditur, aut contumelia afficiatur. itaque vtitur verbo שנא.

Quod autem dicitur Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, id intelligendum eſt quatenus ſunt tantùm inimici noſtri: & dilectio illa non facit ad confirmandam impietatē, &c. Abſque eo ſi ſit, iuuandi ſunt omnibus officiis, vbicunque ope noſtra indigent, & ſtudio noſtro inuitandi ſunt ad pietatem. Cùm nominat cœtum, ſignificat magnum fuiſſe numerum ſuorum hoſtium.

III. Sunt maligni, id eſt, hoc vnum ſtudent vt bonos premant & vt malefaciant, nec habent ſtudium iuuandi aut bene merendi de aliis: ſed omnia trahunt ad ſuos affectus & cupiditates. Item, nihil eſt tam ſceleratum quod non tentent: ſi videant ſpem aliquam lucri ſubeſſe, aut ſi videant ſe hoc modo poſſe creſcere.

IIII. Nominat impios, hoc eſt, irrequietos, turbatores, πολυπράγμονας, quorū corda æſtuant & rapiuntur variis affectibus &

bus & cupiditatibus huc atque illuc, & fluctuãt inſtar maris, Ieſa.57. quique omnia turbant & miſcent, tantùm vt ipſi creſcere poſſint, ſicut de Cleone dicitur apud Ariſtophan. Et de talibus inquit Ariſt. in Eth. στασιάζει αὐτῶν ἡ ψυχή. Atque hæc omnia ſignificatur verbo רשע, quod ſignificationem habet improbè & ſeditioſè agendi. Cum his, inquit, nõ ſedeo. Id eſt, nihil eſt mihi commune cum iſtis, non communico conſilia, non coniungo mea ſtudia cum horum inſtituto, &c.

6 Lauo in innocentia manus meas: & circundo altare tuum Iehoua.

Redit ad priorem partẽ antitheſis. Sicut enim antea dixerat, ſe in integritate ambulare: ita nunc eodem ſenſu ſubiicit, ſe in innocentia manus lauare, hoc eſt, ſtudere puritati vitæ & innocentiæ: neminem lædere aut iniuria afficere, & manus mundas ab omni ſcelere ſeruare. Nam in genere ablutio manuum ſignum erat innocentiæ, vt in hiſtoria paſſionis Chriſti Pilatus ablutione manuum ſuam innocentiam oſtendere conatur.

Videtur autem in ſpecie alludere propheta ad ſolennem ablutionis ritum, qui in Lege erat in vſu. Ingrediebantur & aulici hypocritæ in templum, & vtebantur his ablutionibus vſitatis: ſed non afferebant animorum puritatem ad cultum diuinum. Habebant enim animos infectos prauis opinionibus, & corda polluta variis ſceleribus, & tamen exiſtimabãt, ſi hac cæremonia defungerentur, ſe abunde ſatisfeciſſe Deo. Dauid verò hanc craſſam ſuperſtitionem reprehendens, dicit ſe in innocentia lauare manus, hoc eſt, ſe cultum diuinum nõ reponere in externa cæremonia: ſed adferre animi puritatem, &c. cæremonia verò illa tanquam ſigno commonefieri de vera pœnitentia & pietatis fructibus. Erant enim illæ lotiones in Lege inſtitutæ, non quòd per ſe mundarent, vel ablueren peccata, ſed vt vtentes commonefierẽt, ad religionis cultum non eſſe accedendum illotis manibus, hoc eſt, polluta conſcientia: ſed priùs vera pœnitentia animorum ſordes eſſe deponendas atque exuendas.

Circundo altare] Hoc μετωνυμικῶς dicitur pro præſto tibi gratos cultus, offero tibi ſacrificia laudis & precũ, & crebris hoſtiis animi pietatem teſtor, &c. Scio enim tibi placere eos cultus qui ex vera animi pietate proficiſcuntur: non qui in externis cæremoniis tantùm cõſiſtũt. Ita ipſe poſtea ſe explicat. Verbo circundandi aut cingendi vtitur, quia populo attingere altare nõ licebat, imò ne his quidem qui ex familia ſacerdotum erant notati aliqua macula. Leuit. 21.

Eſt autem hoc loco notandum quòd Dauid, quanquam affirmet ſe fugere conſuetudinem impiorum, &c. tamen eorum odio non deſerit eccleſiam, neque abdicat ſe à ſocietate diuinitus mandata, ſicut fecerunt olim Donatiſtæ, Cathari, Nouatiani, & noſtro tempore Anabaptiſtæ.

7 Vt audire faciam [*id eſt, vt magna te voce celebrem*] vocem laudis: & annuntiem [*enarrem*] omnia mirabilia tua.

Amplificat orationẽ à cauſſa finali. Oſtendit enim in quem finem illos externos ritus ſeu cultus ſacrificiorum, dum altare cingit, præſtet, & cur tẽplum ingrediatur: nempe vt Deum celebret & laudet propter immenſa beneficia, quæ ſibi & toti eccleſiæ præſtentur. Beneficia autem vocat mirabilia, quia Deus longè aliter ſeruat & gubernat eccleſiam quàm ratio humana cogitare poteſt.

8 Iehoua, diligo habitaculum domus tuæ: & locum domicilij gloriæ tuæ.

Perpetuæ ſunt in his verſibus antitheſes. Dixerat antea ſe odiſſe homines impios & ſceleratos. Nunc ex antitheſi dicit, ſe diligere templum Dei, atque ita oſtendit, omne illud odium aduerſus impios non aliunde quàm ex amore nominis diuini proficiſci, quod videat contumelia affici à ſceleratis.

Diligo habitaculum] Id eſt, ego verbum tuum, quod ſonat in hoc templo, quódque amplexus ſum, omnibus huius mundi voluptatibus, opibus, amicitiis potentum antefero, & hunc cœtum, in quo ſonat verbum tuum, & quem ſcio eſſe tẽplum & domicilium Dei, verè & ex animo diligo, & ad hũc cœtum ornandum, fouendum, tuendum, omnia mea ſtudia, conſilia & labores refero: hoſtes verò tuæ doctrinæ, & huius cœtus qui hanc amplectitur ex animo odi ac deteſtor. Hæc ſignificat vocabulis habitaculi & domicilij.

Loquitur autem Dauid velut vnus ex populo Iudaico, qui ſuos habebat ritus & cæremonias, quibus regebatur. Non enim exiſtimandum eſt, illum tantùm de ſtructura illa tabernaculi aut ædificio loqui &c. Et tamen quia tabernaculum ſeu arca certiſſimum erat teſtimonium præſentiæ Dei, ideo tam magnificè de ſanctuario loquitur, vt domum Dei, & domicilium gloriæ diuinæ appellet, ſéque ſummo eius amore teneri teſtetur.

מעון quidam deducunt ab oculo, qui Hebræis dicitur עין, atque ideo reddiderunt pulchritudinem ſeu aſpectum: & Septuaginta εὐπρέπειαν, id eſt, decorem. Sed vſitata eſt Hebræis vox מעון quæ manſionem ſeu habitaculum ſignificat, pſalm. 90. & alibi.

9 Ne colligas cum peccatoribus animam meam: & cum viris ſanguinum vitam meam.

Poſtquam de innocentia ſua teſtatus eſt, redit ad petitionem. Sicut enim antea in exordio petebat, diuino iudicio ac vindicta defendi aduerſus virulentas calumnias, odia & inſidias ſuorum aduerſariorum: ita nunc petit ne Deus patiatur eum implicari aut pollui conſuetudine impiorum, ne faciat eum ſocium multiplicium delictorum, quibus hoſtes erant polluti: deinde ne eodem cum ſuis ſceleratis exitio & iiſdem pœnis ipſum inuoluat. Vtrumque enim iudico ſignificari verbo אסף quod in genere ſignificat colligere: & quaſi in aceruum congerere: ideóq; verbo cõiungendi à Chaldæo hic redditur. deinde ſignificat collecta ſeu coniecta in vnum aceruum auferre ſeu abiicere, ſicut ſordes ædiũ primùm colliguntur, collectæ verò abiiciuntur. Germanice, *zuſammen raffen, auffraffen*: quod fit vel ſeruandi vel abiiciendi ſtudio.

Vtraque autem petitio neceſſaria eſt. Primùm quia valde difficile eſt in tanta multitudine peccantium non ſimul tanquam fluctu & impetu cõſuetudinis abripi. Nam ſua cuique ætati conſuetudo tyrannis eſt. Deinde nihil certius eſt quam pœnas comitari delinquentes.

Rurſus autem obſeruanda eſt deſcriptio aulicorum, quam ſuprà inchoaram nunc abſoluit. Suprà quatuor epithetis eos ornauit appellans viros vanos, doloſos, malignos, impios. Nunc alia quatuor addit, de quibus ſi quis prolixè dicere velit, vix longis commentariis rem abſoluet. Nos vocabula breuiter explicabimus. Auditores hortamur, vt ipſi aulas inſpiciant, & talium mores cognoſcere, vitare & deteſtari diſcant: nec poteſt res ipſa melius explicari, quàm ſi perſonæ conſiderentur.

V. Dicit eſſe peccatores, hoc eſt, qui conſuetudinem peccandi ſibi contraxerunt, & quorum omnis vita flagitioſa eſt. Item qui non tantùm delectantur ſceleribus quibus iam adſueuerunt, ſed etiam qui gloriantur in malitia, vt alibi dicit.

VI. Dicit eſſe viros ſanguinum, hoc eſt, Crudeles qui alios lædunt atrociter ſine iuſta cauſſa, qui euertunt & opprimunt multos bonos, vt in ipſorum bona inuolare poſſint, vel ne cupiditatibus ipſorum obſiſtant: & valet hîc etiam quod dicitur, ὄφις αἰ φάγοι ὄφιν, οὔ ποτε γίνοιτο δράκων. Deinde non ſeruant modum in pœnis: afficiunt enim maiore pœna quàm pro modo delicti, tantùm quia delectantur immanitate. Et Lucan. 1. dicit:

Nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

10 In quorum manibus eſt malum conſilium.

VII. Impij aulici non tantum ineunt & agitant fraudulenta & ſcelerata conſilia, ſed etiam manibus ſtrenuè exequuntur quicquid malitiæ in animis conceperunt. Nam זמה ſignificat cogitationem aut machinationem inſidioſam aut prauam, *Ein tückiſcher anſchlag*. Ea in manibus eſſe dicitur cũ quis eam exequitur.

VIII. *Et dextera eorum plena eſt munere*] Id eſt, ſunt δωροφάγοι, qui omnia iudicia peruertunt ſua auaritia, & ius pecunia vendunt. Hoc epithetum oſtendit loqui eum de his qui erant in gubernatione. Ibi enim vſitatę ſunt corruptelę. Demoſthenes inquit, ἡ δωροφαγία ἐκφέρουσα καὶ ἀδωροπολήτας ποιεῖ τοὺς δικαστάς. Quod congruit cum dicto Moſis, Exod. 23. Munera excæcant ſapientes. Deinde non tantùm patiuntur ſe corrumpi muneribus, ſed ita impudenter captant munera vt nullum beneficium à ſe impetrari ſinant, niſi pecunia redimatur.

11 Ego verò in integritate mea ambulo: redime me & miſerere mei.

Repetit & teſtificationem ſuæ innocentiæ & petitionem defenſionis. Ego, inquit, quanquam inter horribilia monſtra verſer quorum ſcelera mihi quotidie ob oculos verſantur, & quos video creſcere ſuis ſceleribus, quóſque audio beatos prædicari ab omnibus: tamen non moueor vel multitudine peccantium, vel etiam ſucceſſu, vt eorum exemplo à rectitudine & pietate deflectam: ſed pergo conſtanter in propoſito pietatis curſu. Cúmque mihi periculum ſit maximum ab his qui virtutem & pietatem omnem oderunt: tu Deus libera me, vt ipſorum manus crudeles euadere poſſim, & miſerere mei, ſuſcipe curam mei, non negligas aut permittas me iniuſtè opprimi ab hoſtibus, *Nim dich meiner not an*, & oſtende te cura mei affici.

12 Pes meus ſtetit in rectitudine: in cœtibus benedicam tibi, Iehoua.

Concluſio pſalmi eſt, in qua promittit gratitudinem. Intelligit enim ſe tantùm Dei beneficio hactenus in illa rectitudine, de qua gloriabatur perſtitiſſe, ſéque diuinitus ſeruatum eſſe, ne impiorum & ſceleratorum hominum ſocietate implicatus rueret in exitium, néve ab his è medio tolleretur. Itaque ſe gratum fore promittit. Eſt igitur hæc ſententia. Quòd hactenus ſum ſeruatus ne contaminarer conſuetudine ſceleratorum, quódque multiplices ipſorum inſidias & manus crudeles euaſi, agnoſco tuum id eſſe beneficium: itaque tibi gratias ago: nec tantùm priuatim huius beneficij memor ero, ſed publicè etiã in cœtibus id celebrabo, vt alios meo exemplo inuitem ad celebrandam Dei bonitatem qua ſuos complectitur & tuetur.

PSALMI XXVI.

PARTES.

I. Propoſitio iuris ſui à 1. v. ad 9. vſque. Huius propoſitionis partes ſunt: Exordium quo ſecum agi poſtulat in cauſa ſua ex formula iudiciorum, v. 1. & 2. Narratio cauſarum quibus ad poſtulatum hoc adducitur. Hæ ſunt, integritas vitæ, & fides in Deum, quæ primo verſu propoſitæ à v. 3. ad 9. fuſius explicantur.

II. Petitio, duabus partibus conſtans. 1. deprecatio mali, nempe, ne Deus ſinat ſeruum ſuum improbis exponi, & eorum miſeriis inuolui: 9. & 10. verſibus. 2. precatio, vt Deus gratiam faciat, & nominis ſui benedicendi argumentum exhibeat, v. 11.

III. Concluſio votiua, gratitudinem & Dei celebrationem in ſacris cœtibus promittens, v. 12.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Vbi hominum præſidio deſtituimur, Dauidis exẽplo diſcamus nos conferre ad Dei tribunal, & in eius protectione acquieſcere.

Quia proprium Dei munus eſt bonas cauſſas aſſerere ac tueri, fideles eum ſibi patronum cõſtituentes, integritatis ſuæ & ſpei teſtem citant, vnde & fiduciam auxilij impetrandi concipiunt.

Exemplum Dauidis à nobis poſtulat etiam quum datur nocendi occaſio, & quum hoſtes varijs modis nos laceſſunt & ſollicitant, vt firmi in ſtatione noſtra maneamus, nec ab integritatis tramite ſinamus nos vllo modo abduci.

2 Si cupimus nos Deo probare, hoc imprimis videndum eſt, vt iniuſtè læſi non modo ab iniuria retalianda abſtineamus, verùm etiam in recto affectu perſtemus.

Sciunt fideles, rectè agendi, quo flagrãt, ſtudiũ, procul adhuc à perfectione abeſſe: ſed vbi ſe falsò grauari vident, impiorum calumnijs animantur ita vt ad Dei tribunal accedere non dubitent: & quum externa innocentiæ ſpecies illic non magni ſit momẽti, ſinceram cordis rectitudinem in medium proferunt.

3 Hoc inter Dei filios & profanos homines notabile diſcrimẽ eſt, quòd pij meliorẽ exitũ à Domino ſperantes ab eius verbo pendent, neq; inquietudine ad noxias artes feruntur: profani autem, quamuis bonas cauſas ſuſtineãt, quia tamen illis ignota eſt Dei prouidẽtia, raptãtur huc & illuc, illicita conſilia captãt, confugiunt ad fraudes, deniq; nihil aliud habent propoſitum quàm malum malo vincere.

4 Etſi perdifficile eſt ſinceram religionem & vitæ integritatẽ in aulis retinere, dominantibus præſertim tyrannis & illorum adulatoribus partim aperta vi, partim per calumniã graſſantibus, ac quibuſdam etiam Polypi mentem obtinere prudentiæ ciuilis prætextu, iubẽtibus: nihilominus tamẽ pij homines dum alij ſuas vocationes deſerunt, alij ad flagitia deflectunt & tetros errores amplectuntur, in ſua ſtatione perſtant, & quæcunque ingruant pericula, Dei promiſſionibus & auxilio freti, ſeſe integram fidei profeſſionem & inculpatos mores ſeruaturos intrepidè profitentur.

5 Non tam cum impijs quàm cum impiorum vitijs bellum nobis eſſe debet: & ita fugiendi ſunt profani homines vt tamen eorum odio eccleſiam Dei non deſeramus, vt factũ eſt olim à Nouati diſcipulis, & ab Anabaptiſtis noſtro ſeculo.

6 Vtcunq; in eccleſia emineant improbi, templáq; occupent eorũ turmæ, exemplo Dauidis externa fidei profeſſio à nobis ita colenda eſt vt eam in veræ pietatis locum minimè ſubſtituamus, ſed vtraque coniuncta ab omni ſcelerum macula puri ſimus & vacui.

7 Spiritualis & legitimus Dei cultus in eo conſiſtit vt cognitis Dei beneficijs, ad pœnitentiam & fidem profitendam impulſi, eius bonitatem celebremus.

8 Pij & integri homines nõ vanæ oſtentationis cauſa loca pietatis exercitiis ſacrata frequentant: ſed quia rectà aſpirant ad quærendum Deum, libenter & cupidè quæ illic offert Deus præclara fidei & ſpei adiumenta ad ſuum vſum accommodant.

Prauum ac deteſtandum eſt eorum faſtidium qui tanquam ſuperuacua contemnunt pietatis exercitia, quibus ne ipſe quidem Dauid carere potuit.

Vt inter nos habitet Dei gloria, viuam eius imaginem in verbo & ſacramentis rite adminiſtratis lucere oportet. Vnde ſequitur, tẽpla, ex quibus exulat ſincera verbi Dei & ſacramentorum à Chriſto inſtitutorum adminiſtratio, fœda eſſe Satanæ proſtibula.

9 Quum Deus iuſtos eodem exitio cum iniuſtis & ſceleratis minimè inuoluat, certò perſuaſi ſimus in tanta rerum confuſione eum de cuiuſque cauſa cognoſcere, vt tandem æquum iudicium proferat.

Etſi non ſtatim ad cædes vſque prorumpunt multi improbi, ſe tamen ſucceſſu temporis ad ſæuitiam obdurant: nec Satan quieſcere eos ſinit, quouſque in cruenta facinora præcipitet.

10 Tot epitheta impiis aulicis tributa animare nos debent ad preces continuas, & ad certam ſpem opis diuinæ.

Fieri non poteſt quin ſe ad omnia ſcelera proſtituant qui muneribus delectantur: nec fruſtra pronuntiat Deus excæcari donis oculos prudentum, & iuſtorum corda peruerti.

11 Raræ & heroicæ virtutis documentum eſt in Dauide & aliis piis viris, quòd nullis illecebris ad æmulationem flectãtur, dum impij quidam ad rerum gubernacula ſedentes breui temporis ſpatio, auaritiæ, ambitionis & profuſæ luxuriei ſe præbent exempla.

12 Pro beneficiis acceptis pij celebrant Dei gratiam, ſimulq; gratitudinem promittunt, non modò priuatam, ſed & publicam: quia ad exemplum intereſt, hanc gratiam palam celebrari, quam toties experti ſunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De perſonæ & cauſæ iuſtitia.
2. Bonæ conſcientiæ teſtimonium firmiſſimum.
3. Piorum & impiorum ingens diſcrimen.
4. Impiorum aulicorum tabella viuis coloribus depicta.
5. De ſincera & aperta veræ religionis profeſſione: inuitis tyrannis, epicureis, hypocritis, apoſtatis, & hominibus huius ſeculi, Polypi mentem obtinentibus.
6. De cœtuum ſacrorum obſeruatione religioſa, aduerſus impiam imperfectiſſimorum hominum perſuaſionem in ſomniis ſuis quærentium perfectionem.

ARGVMENTVM PSALMI XXVII.

PSALMVM hunc apparet ſcriptum, & eccleſiæ decantandum traditum eſſe, quando iam Dauid eluctatus ex magno metu, & liberatus grauiſſimis periculis à Saule illatis, oſtendere voluit eccleſiæ, quibus rebus præcipuè munitus, tantam hoſtium multitudinem, & tantam periculorum magnitudinem ſuſtinere ac ſuperare potuerit, quídve toto illo tempore, cùm ab omnibus amicis deſertus, vndique ab hoſtibus oppugnaretur, egerit, quæve præcipua eius cura fuerit, vnde animi robur & cõſolationes deſumpſerit, quæ præſidia ſibi aduerſus tantam multitudinem hoſtium compararit. Hæc omnia dum recenſet, variè miſcet affectus, vt fieri neceſſe eſt. Primùm *enim oſtendit, quò in ſumma ſua trepidatione, metu & conſilij inopia confugerit, & à quo conſilium, animi robur & conſolationem petiuerit, nempe ab vno Deo, quem ſciuerit eſſe protectorem ſuæ vitæ: atque hac fiducia affirmat facilè ſe ſuperaſſe omnem metum,*

quem

quem aduerſariorum ingentes copiæ & crudeles machinationes initio ſei incuſſerant. Deinde docet quæ in his tribulationibus & anguſtijs vnica ſua fuerit cura, & quod ſtudium, videlicet vt membrum & ciuis maneret veræ eccleſiæ, quã ſciebat nunquam deſtitui patrocinio & auxilio diuino: itaque ſummis precibus hoc vnicum ſe petijſſe ſemper à Domino, atque ita ſecurum fuiſſe de ſua ſalute. Tertiò, oſtendit quibus armis præcipuè pugnarit cõtra hoſtes, maximáſque ipſorum vires & conatus repreſſerit, verbo ſcilicet & precatione: & ne quid ad exemplum, quod in ſe ſpectandum proponit, pio homini deſit, formam etiam precationis, qua in ſuis periculis ſubinde vſus ſit, ſubijcit. Hanc rationem vincendi hoſtes & eluctandi ex metu & periculis, quia optimam & efficaciſſimam eſſe ipſe expertus erat, reliquos pios in fine hortatur, vt ſuo exemplo diſcant animos ſuos aduerſus calamitates cõfirmare, & vera fide ac pijs precibus liberationem à Domino petere.

Summa igitur huius pſalmi hæc eſt. Proponit Dauid exemplum ſuæ liberationis pijs conſiderandum, vt ſinguli in ſuis malis & calamitatibus diſcant, non aliunde quàm à Domino petendam & expectãdam eſſe liberationem. Et quia non alibi quàm in eo cœtu qui rectè Deum agnoſcit & colit, Deus ſe propitiũ oſtendit & exhibet, ſummã & vnicam pij hominis curam eſſe debere demonſtrat, vt membrum & ciuis veræ eccleſiæ maneat, nec vllis difficultatibus aut iniurijs ab ea ſe auelli patiatur.

DAVIDIS.

1 Iehoua lux mea & ſalus mea, à quo [*id eſt, quem*] timebo? Iehoua fortitudo [*robur*] vitę
meæ, à quo trepidabo?
2 Cùm appropinquarent aduerſus me maligni ad vorandum carnem meam, oppreſſores & hoſtes mei in me: ipſi corruebant & cadebant.
3 Si poſita erant aduerſus me caſtra, non timebat cor meum: ſi conſurgebat in me prælium, in hoc ego confidebam.

In prima parte huius pſalmi, Dauid propoſiturus ſuum exemplum eccleſiæ, oſtendit fontem conſolationis, qua confirmatus tot hoſtium impetus ac inſultus ſuſtinere, & tot pericula animo infracto & pluſquam heroico contemnere ac ſuperare potuerit. Nam ſi quis vitam Dauidis intueatur, videbit, eum aſſiduis periculis fuiſſe expoſitum, tótque inſidiis ac telis hoſtium petitum, vt nunquã ei ferè reſpirandi ſpatiũ ſit datum. Et erant ei vires ad reprimendos hoſtes interdum nullæ, interdum exiguæ, quæ nullo modo comparari cum hoſtium potentia & viribus poterant. Itaque mirum videri poterat multis, eum inter aſſidua pericula & perpetuos belli labores tandiu poſſe ſuperſtitem eſſe, aut non deſpondere animum: multo magis etiam admiratione dignum fuit, tantum eum retinere animi robur: ac fortaſſis quiſpiam ex amicis, admiratione virtutis & inuictæ animi magnitudinis eius adductus, quæſiuit, quî factum ſit vt inter tot pericula & tantas hoſtium aduerſationes & machinationes nunquam animum deſponderit, ſed ſemper ſe inuictum ad omnia præbuerit: ac multo magis, quomodo tantas hoſtium vires, quibus tamen nullo modo par eſſe videbatur, tam feliciter ſuperarit, tantóque ſucceſſu bella geſſerit. Ad hanc quæſtionem, quam vel ex amicis quiſpiam mouit, vel ipſe etiam ſibi in ipſis periculis ſubiecit, reſpondet, referens hoc totum beneficium acceptum Deo. Eſt itaque hæc prima pars commemoratio beneficiorum diuinorum & gratiarum actio.

Iehoua lux mea & ſalus mea, à quo, &c.] Lux duo ſignificat, primùm doctrinam, deinde conſolationem & lætitiam illam quæ ſequitur doctrinam. Primum *hæc* eſt, quia docet nos de cauſis ærumnarum & calamitatum, quo conſilio eccleſiam ſubiecerit cruci, aut cur ſuos exerceat & auxiliũ interdũ differat. Hæc doctrina facit, ne impatienter feramus ſi quid mali vel aduerſi nobis accidat, ne frangamur dubitatione aut deſperatione. Deinde addit conſolationem & lætitiam, confirmat animos noſtros Spiritu ſuo, vt certò ſtatuamus, nos diligi à Deo, nos ei eſſe curæ, monſtrat certum portum, in quo acquieſcamus: non ſinit nos fluctuare aut dubiis ventis huc atque illuc agitari, ſed oſtendit ſe præſentem nobis eſſe in ærumnis & daturum lætos exitus. Vbi illa lux oboritur cordibus noſtris, iam non ſunt graues nobis ærumnæ, nec vlla poteſt eſſe tanta hoſtium potentia aut ſæuitia quæ terrorem nobis incutiat. Deinde etiam eſt Salus, id eſt, ipſe potenter ſeruat & eripit nos ex periculis, etiam cùm vndique ſumus circumcluſi, & humano iudicio non apparet exitus vel euaſio. Nam vt filios Iſrael ad mare rubrum, ita Dauidem ſæpe ſeruauit inter medios hoſtes, etiam tùm omnia deſperata viderentur. Etſi igitur, inquit Dauid, ſæpenumero variis periculis fui circumuentus, & tanta fuit hoſtium potentia & rabies aduerſus me, vt hominum iudicio actum fuerit de mea ſalute: ego tamen omnia illa terriculamenta magno animo potui contemnere: quia ſciebam Deum mihi adeſſe præſentem in his ærumnis, qui me liberaturus eſſet. Ita deſcribit ardentem fidem, quæ & contra ſpem in ſpem crediderit, & quæ tandem deuictis hoſtibus triumpharit. Nos quoque exemplo Dauidis diſcamus hanc conſolationem opponere terroribus mortis, inferorũ, & aliis qui à Diabolo & ipſius organis nobis incutiuntur.

Quem timebo?] Interrogatio oſtendit, eum ita certum fuiſſe de ſua ſalute, vt etiam hoſtibus inſultaret audacter.

Dominus fortitudo vitæ meæ] Id eſt, Qui vitam meam contra quoſuis inſultus hoſtium, contra vires, conſilia, machinationes hoſtium, & aduerſus omnia pericula tutatur & defendit, & qui me robore accingit, vt animo ſecuro & intrepido contemnere omnium hoſtium minas & inſultus poſſim.

2 Dum appropinquarent aduerſus me maligni ad vorandum carnem meam, [*nimirum*] hoſtes mei & inimici mei: ipſi impegerunt & ceciderunt.

Hac, inquit, fiducia armatus, ſemper lætus obuiã proceſſi hoſtibus meis. Sciebam enim, Deum mihi præſentem eſſe, & pro me pugnare, atque adeo ducem eſſe mei exercitus. Itaq; factum eſt, vt quanquã magnis viribus & magno furore in me irruerent aduerſarij, nec aliud in animo haberent quàm vt me totum vno momento abſorberent & in nihilum redigerent, ipſi tamen ſubitò corruerint & euerſi ſint.

3 Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si conſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego fido [*quòd ſcil. Dominus eſt lux mea.*]

Tertio verſu idem repetit. Nomine autem caſtrorũ & prælij συνεκδοχικῶς intelligit quicquid formidabile eſt in mundo: quaſi diceret, Etiamſi videbam omnes in meam necem conſpiraſſe, & mihi nuſquam præſidium aut receptum aliquem reliquum eſſe, ſed vndique cinctum ab hoſtibus in præſenti mortis periculo verſari, ego tamen non abiiciebam fiduciam præſentiæ & auxilij diuini: atque hac fiducia omnes hoſtium vires & conatus infringebam.

4 Vnum petebam à Iehoua, hoc requirebam, vt habitarem in domo Iehouæ omnibus diebus vitæ meæ: ad conſpiciendum pulchritudinem Iehouæ, & viſitandum templum eius.

Altera pars eſt huius pſalmi, in qua oſtendit quæ in his periculis & anguſtiis fuerit cura ſeu ſolicitudo ſua, & quod ſtudium, & quæ vota. Homines extra eccleſiam conſtituti in periculis, aut aliquid magnum ſuſcepturi, reſpiciunt & confugiunt ad præſidia humana, colligunt exercitus, congerunt magno ſtudio opes, tanquam neruos rerum gerendarum, cõciliant ſibi potentes, quorum operam & ſtudium iudicant ſibi vſui fore, muniunt ſe factionibus, comparant arma & alias res neceſſarias, conſtruunt munitiones, &c. denique omnia externa remedia adhibent, quibus iudicant ſe poſſe depellere mala ingruentia. Ego verò, inquit, illis omnibus poſthabitis hoc vnicum ſemper petij à Domino, vt perpetuò manerem ciuis eccleſiæ, & ſocius eius cœtus vbi verbum Dei ſincerè ac purè docetur, vbi viget cultus diuinus, vbi verè Deus agnoſcitur, inuocatur & celebratur. Hunc cœtum quia ſciebam Deũ habere præſidem, atque ideo tutum eſſe aduerſus potentiam totius mundi, certò mihi perſuadebam, ſi in eo cœtu manerem, nunquam me deſtitutum iri præſidio & auxilio. Itaque ſummis votis hoc expetebam & requirebam.

Dictum eſt inſigne, quod monet extra eccleſiam, nullam eſſe ſalutem: & qui ſunt membra eccleſiæ, eos nunquam deſtitui neceſſaria conſolatione, præſidio & defenſione in rebus aduerſis.

Hoc requirebam, ſcilicet, animo & votis, & adhuc perpetuò hoc meum eſt votum. Videtur autem inprimis de tempore ſui exilij loqui, quo tempore carebat domo, amicis,

& omnibus aliis rebus. Eo tempore tamen dicit, ſe nec domum, nec familiam, nec quicquam ex ſuis rebus deſideraſſe aut requiſiuiſſe, tātùm hoc vnum aſſiduè optaſſe vt poſſet intrare in templum Domini, & ſimul cum reliquo cœtu gratos Deo cultus præſtare.

Pulchritudinem domus] non tam intelligit elegantem ſtructuram, varios ritus & cultus, qui pulchro ordine & magna elegantia in tabernaculo perficiebātur, ſed multò magis illas res ſpirituales, quarum illa ſtructura & ritus illi typus erant & imago. Quid enim tabernaculum ſignificarit, quíue ſacrificia adumbrarint, notum eſt. Harum rerum omnium conſideratione adeo dicit ſe fuiſſe delectatum, vt huic omnes res alias poſthabuerit: & quia cupiebat ſubinde quaſi in rē præſentem duci, atq; externis ritibus de tantis rebus commonefieri, ideo dicit, ſe hoc vnicum optare & requirere, vt perpetuò in templo Domini habitet. Neque enim hoc vult quòd alibi inuocare Deum non potuerit, aut quòd externi ædificij aſpectum tanti faciat, vt ſine eo gratos cultus Deo præſtare non poſſit: ſed quòd ſciebat, his externis ritibus, qui nō alibi quàm in ſanctuario peragebantur, de aliis rebus maioribus ſubinde ſe commonefieri, & quòd ſimul etiam externus cultus ad illum locum eſſet alligatus. Nobis pulchritudo domus Dei (poſtquam cæremoniæ Moſaicæ & vmbræ ſunt abolitæ) ſunt illæ ipſæ res quæ tunc illa ſtructura & ritibus ſignificabātur: vera ſcilicet doctrina de Deo, vera agnitio & celebratio nominis diuini, verus vſus ſacramentorum, & opera piorum omnia, quibus Deus colitur & honore afficitur. Ideo quoque hoc vnicum ſemper optare debemus, vt in eo cœtu manere poſſimus in quo Deus agnoſcitur & celebratur. Eo enim beneficio nullum maius in his terris à Deo dari poteſt, & ſacris piorum conuentibus in quibus doctrina de Deo rectè explicatur, & ſacramenta iuxta Chriſti inſtitutum adminiſtrantur, nihil eſt in hac vita pulchrius aut iucundius.

5 Quoniam occultabit me in tugurio [*aut tabernaculo*] ſuo in die mali, abſcondet me in ſecreto tentorij ſui: in rupem exaltabit me.

Voto addit duas rationes. Primam ab euentu, oſtendens precationem ſuam nunquam fuiſſe nec fore irritam: alteram ſequente verſu addit à ſuo officio & gratiarum actione.

Quoniam occultabit &c.] Hoc inquit, ſi impetro, vt maneā membrum & ciuis veræ eccleſiæ, & in illo cœtu inueniar, qui templum Domini ingreditur, & gratos ei cultus præſtat: iam ſcio nihil fore mihi periculi ab inſidiis, iniuriis & conatibus hoſtium. Scio enim hunc cœtum peculiariter Deo curæ eſſe, cúmque defendi & ſeruari, quantumuis magnis periculis & iniuriis prematur. Rurſus autem loquitur vt vnus ex Lege, cū inquit, abſcondet me in tabernaculo: vúltque hoc dicere, Ipſe ſua præſentia & auxilio, cuius ſymbolum erat illud tabernaculum, me tutabitur, ne vlla vis aut iniuria hoſtilis ad me pertingere poſſit: ipſe me recipiet in ſuam tutelam tanquam ſupplicem confugientem ad ipſius aram, & abſcōdet me ſub altari. Olim homines vel ſcelerati, vel quibus periculū grauius imminebat, confugiebant in templa, vbi habebant aſylum: ita ego, inquit, confugio ad tuum tabernaculum, & quidem ad adytum, quod nominat ſecretum tabernaculi: vbi alæ Cherubim ſupra propitiatorium ſunt expanſæ: quæ me monent, Deum confugientes ad ſe tanquam ſub alas colligere, ipſóſque ſub vmbra alarum ſuarum aduerſus omnes iniurias defendere, ſicut dicitur pſal. 91. Qui habitat in abdito altiſſimi & in vmbra omnipotentis, &c.

In petram exaltabit me] Id eſt, conſtituet me in loco hoſtibus inacceſſo & inexpugnabili, quò nulla vis hoſtium pertingere poſſit, & vbi ex alto ſecurè hoſtium tela & conatus deſpicere ac ridere poſſim. Arces olim munitionis cauſſa extruebantur in locis excelſis. Nobis arx & petra eſt Chriſtus, in quo dum conſiſtimus, ſumus tutiſſimi.

6 Et nunc exaltabitur caput meum ſuper inimicos meos in circuitibus meis: [*circa me*] & ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia iubilationis: cātabo & pſallam Iehouæ.

Prius membrum huius verſus repetitio eſt prioris ſententiæ. Alterum membrum habet votum gratiarum actionis: de quo antea dictum eſt.

Et nunc exaltabit caput meum ſuper hoſtes] Hoc eſt, liberatum ex periculis cōſtituet me ſuperiorem hoſtibus. De hac phraſi dictum eſt ſuprà pſal. 3. vbi videl. ירום vel abſolutè vel actiua ſignificatione accipi poteſt.

Qui circa me ſunt] Id eſt, qui vndique me cingunt & obſident.

6 Et ſacrificabo in tentorio eius ſacrificia iubili: cantabo & pſallam Iehouæ.

Altera ratio, vt dixi, ſumitur à gratiarum actione. Ego, inquit, ſeruatus & liberatus non iudicabo, caſu depulſum eſſe periculum, ſicut plerique faciunt: ſed Deum autorem ſalutis meæ agnoſcens, ipſique totum beneficium acceptum ferens, gratias agam, & ſacrificia offeram. Item, nō agam triumphos profanos de deuictis hoſtibus, ſicut mundus facere ſolet, quaſi mea virtute & prudētia victoria ſit parta, ſed Domino pſallam & cantabo. Hic erit meus triumphus & pæan, autorem huius beneficij celebrare.

Sacrificia iubili ſeu iubilationis nominat quæ cum clangore tubarum, & ſumma iubilatione fiebant. Nam ad holocauſta & pacifica, in quibus comprehenduntur νικητήρια, clangebatur buccinis, vt legitur Num. 10. Clangor igitur ſeu ſonus tubarum dicitur תרועה.

7 Audi Iehoua vocem meam, [*qua*] clamo: & miſerere mei, & exaudi me.

Hactenus oſtendit quibus rebus ſe præcipuè munierit contra vim hoſtilem, fiducia ſcilicet præſentiæ, & auxilij diuini. Eam autem vt quis habere poſſit, alia etiam requiruntur, de quibus ſuo loco dicitur, præſertim ad Epheſ. 6. Nunc etiam arma deſcribit, quibus præcipuè contra hoſtes pugnauerit, & quibus eos depulerit, verbo ſcil. & precatione orta ex fiducia præſentiæ & auxilij diuini. Sunt enim arma piorum duplicia, alia φυλακτήρια, alia ἀμυντήρια. Formam autem ipſam precationis ſubiicit, qua ſubinde in ſuis periculis & ærumnis ſit vſus. Quia, vt in argumento dictum eſt, ſuo exemplo alios vult docere & excitare, vt ipſi quoque in ſuis ærumnis ad talia arma confugiant.

8 Tibi dicit cor meum: Requirite faciem meam: faciem tuam, Iehoua, requiram.

Primum occurrit obiectioni: inter precādum ſæpe, inquit, obſtrepit mihi indignitas mea & magnitudo peccatorū meorum: ſæpe etiam imbecillitate quadam impedior, quominus alacri animo ad Deum accedere auſim: quia iudico temerarium eſſe hominem mortalem, ita audacter in conſpectum Dei irrumpere. Sæpe etiam Deus, dum vel differt auxilium, vel alia mala aliis accumulat, videtur non tantùm occultare faciem ſuam & ſubducere ſe à noſtro conſpectu, ſed etiā prorſus iraſci nobis, nóſque abieciſſe. Nonnullis etiam in mētem veniunt diſputationes de electione, quibus fides vehementer concutitur. In his tentationibus quid eſt faciendum? Ego, inquit, omnibus his tentationibus, quæ me arcent à Dei cōſpectu, ipſúmque quaſi ex oculis meis ſubducunt, vnicum Dei mandatum oppono, quo me ad ſe inuitat & me accedere iubet. Eo mandato fretus & confirmatus remoueo ex conſpectu omnia obſtacula, quæ mihi aditum ad Deum præcludere videntur, atque ita plena ad eum fiducia accedo.

Tibi dicit, &c. Lutherus commodè reddidit, *Mein hertz helt dir fur dein vvort*, id eſt, Etiamſi videris te ſubducere nōnunquam ex meo conſpectu, aut iraſci, nec velle admittere meas preces, vel, etiamſi ego maximè indignus videor qui opem tuam implorem: tamen vincit & confirmat me tuū mandatum, ídque obtendo & quaſi oppono his fulminibus, quæ fidem meam mihi excutere conantur. Cæterùm, cùm de mandato dicitur, ſciamus coniungendam eſſe promiſſionem. Ita enim mandat Deus inuocationem, vt ſimul promittat auxilium, &c. Græcus obſcurauit ſententiam mutata perſona, ἐξεζήτησέ με τὸ πρόσωπόν μου.

Faciem Domini quærere quid ſit, diximus pſal. 24. Requirite faciem, id eſt, quærite me patefactum in meo verbo, & ſignis quæ addidi verbo.

Requiram] Quaſi dicat, non deterrebor, vel mea indignitate vel concurſu malorum, vel alia quacunque re, &c.

9 Ne abſcondas faciem tuam à me, ne abiicias in ira ſeruum tuum: auxilium meum [*adiutor meus hactenus*] es: ne deſeras me, & ne derelinquas me, Deus ſalutis meæ.

Poſtquam oſtendit quomodo ex illis tentationibus quæ inuocationem turbabant, & fidem languefaciebant, ſit eluctatus, redit ad precationem, qua ipſa quoque partem tentationis ſuperauit. Non enim vincuntur aut excutiuntur illa diaboli tela meliùs quàm cogitatione mandati & fiducia promiſſionis diuinæ, & deinde precatione: ſicut igitur antea dixerat ſe confirmatum mandato diuino non velle fugere à cōſpectu Domini, ſed accedere ad Deum & petere ab eo opem & auxilium: ita nunc petit ne Dominus quæſitus ſe abducat aut occultet, ſed oſtendat faciem, hoc eſt, ſe præſentem eſſe in afflictionibus, ſe curam agere ſuorum, paratum eſſe ad opem ferendam, &c. Id enim hic ſignificat facies, præſentiam ſcilicet, vel potiùs ſenſum fauoris, præſentiæ & auxilij diuini in afflictionibus.

In ira

In ira] Hæc verba tacitam habent peccati confeſſionem adiunctam. Agnoſcit enim ſe peccatis ſuis prouocaſſe iram Dei, vt iure eum reiicere poſſit. Eam verò deprecatur, quaſi dicat, Tu quidem iuſtè iraſceris, ſed cùm miſericors ſis, non abiicias me in ira, ſicut abieciſti Saulem quem repudiaſti, & alios hoſtes tuos.

Auxilium meum es] Id eſt, non poſſum aliunde ſperare auxilium quàm abs te vno, nec habeo alium ad quem confugiam, túque hactenus ſeruaſti me, itaque deinceps etiam me ſerua, &c.

Deus ſalutis meæ] Id eſt, qui me hactenus ſeruaſti, & qui ſolus ſeruare potes: vt in vno membro confeſſio ſit & potentiæ diuinæ & beneficij hactenus præſtiti.

10 Etiamſi pater meus & mater mea me deſerāt: tamen Iehoua colliget me [*aſſumet me*]

Rurſus precationi aſpergit argumentum fidei ſuæ, ſeu conſolationem ſumptam à promiſſione diuina, qua animum languentem erigit & confirmat, ne ſuccumbat tentationi ſeu dubitationi. Nam fides excitata his conſolationibus fit firmior, & creſcit ardor precandi. Ideo ſæpe inter precandum repetēdæ ſunt promiſſiones diuinæ, eáſque ſinguli ad ſe applicare debent. Sicut enim flamma creſcit oleo affuſo, ita fides alitur & excitatur promiſſionibus. Cùm igitur dixiſſet, ne deſeras me, ſubiicit mox vocem fidei & promiſſionis, Non deſeret me. Hanc verò promiſſionem ſeu gratiam diuinā amplificat collatione. Non enim ſatis fuit dixiſſe, Dominus certò colliget me ſub ſuas alas, & proteget me ſub vmbra alarum, ſecundū promiſſiones mihi factas, ſed addit: Etiamſi pater & mater me deſerant, hoc eſt, etiamſi omnibus rebus externis vel cauſſis ſecundis, vt loquuntur, deſtituar, & ab omnibus creaturis, adeóque ab ipſis parentibus deſerar, tamen Deus me ſeruabit. Nam nomine parentum omnia conſilia & præſidia externa intelligit.

כי hoc loco magis eſt cauſſalis quàm rationalis particula, vel vt alij volunt, eſt temporis, Cùm, quando &c. pater & mater deſeruerint &c. Et congruit cum dicto Ieſa. 49. Etiāſi mater obliuiſcatur infantis ex ſe nati, ego tamen tui non obliuiſcar. Oſtēdit igitur, amorem Dei erga nos ſuperare omnium hominum, etiam ipſorum parentum, amorem, ſtudia, curam, officia, &c.

De parentibus Dauidis non legitur quòd eum deſeruerint aut contempſerint: imò fuerunt ſocij exilij. 1. Sam. 22. Itaque non eſt affirmatiuè legenda hæc ſententia.

11 Doce me Iehoua, viam tuam: & deduc me per ſemitam rectitudinis propter aduerſarios meos.

Redit ad precationem. Viæ Domini quæ ſint, diximus pſal. 25. Via Domini ſignificat rationem agendi, qua vtitur erga ſuos: & hæc tantùm oſtenditur in verbo patefacto diuinitus.

Doce me viam tuam] Id eſt, fac vt ſemper in conſpectu habeam & conſiderem conſilium tuum, quare ſinas tuos exerceri ſub cruce: inſtrue me item, vt ſciam quomodo eccleſiam tuam colligas & conſerues in hac vita. Ita fiet vt fides non lāgueſcat aut extinguatur, aut, vt ego ruam in impatientiā ſeu deſperationem. Alij viam intelligūt lætos & ſalutares exitus.

In ſemita rectitudinis] Id eſt, inſtitue me, vt in illis viis rectà incedam, non aliò conuertam oculos aut reſpiciam, non capiar admiratione aliarum rerum externarum, quæ me abs te abducant: remoue omnia obſtacula, difficultates & præcipitia, &c.

Propter inimicos meos] Addit cauſſā à neceſſitate. Quia grauiter oppugnor ab hoſtibus meis, qui & variis modis excutere mihi conantur illam fiduciam, quam in te habeo, & prorſus euerſum atque extinctum me cupiunt.

12 Ne tradas me in deſiderium [*animam*] anguſtiatorum meorum: quia ſurrexerunt in me teſtes mendaces, & [*qui*] loquitur audacter violentiam.

Ne tradas me] Id eſt, ne permittas me arbitrio & libidini hoſtium, qui aliud nihil quærunt aut exoptant quàm vt me perdant. Non permitte vt inimici odium & rabiem ſuam in me opprimendo expleant.

Nomen נפש aliquando ſumi pro concupiſcentia diximus ſuprà pſal. 16.

Quia inſurrexerunt in me] Addit rationes ab honeſto: quia oppugnant me & calumniis, ſeu falſis delationibus, & deinde vi aperta.

Loqui mendacia] Hic ſignificat falſis criminationibus aliquē deformare, & delationibus falſis odia principum erga bonos accendere. Sicut tunc in aula Saulis proceres regni incitabant regem contra Dauidem, cùm dicerent eum eſſe ſeditioſum, inſidiari vitæ regis, conuellere publicum ſtatum regni, corrumpere alios ſuo exemplo, &c. Et noſtro tēpore qui ſunt in aulis regum & principum, clamant, nos eſſe hæreticos & ſchiſmaticos, ideóque extirpandos eſſe.

Proferre violentiam] Significat, nihil niſi arma, cædem & ſāguinem ſpirare: ſumitur autem ſingularis numerus diſtributiuè, Quilibet loquitur violentiam.

13 Attamen credo me viſurum bona Iehouæ in terra viuentium.

Rurſus erigit ſe fide intuente promiſſionem, & ſpe liberationis, eſtque hæc ſententia: Quanquam hoſtes vndique me petunt ſuis technis & telis, méque oppugnant cùm dolis & fraudibus, tum vi aperta, tamen confiſus auxilio diuino, credo me non oppreſſum aut extinctum iri aut periturum in hoc exilio: ſed rediturum in terram Domini, vnde eiectus ſum, vt rurſus fruar bonitate Domini qua ad tempus fui priuatus. hac fide me ſuſtento & vinco omnes difficultates & tentationes quæ mihi in hoc exilio obiiciuntur. Atque hic verſus oſtendit, Dauidem, cùm hunc pſalmum ſcriberet, vel in exilio vixiſſe, vel certè ad illud tempus, quo eiectus à Saule exulabat à patria, reſpexiſſe, ſicut & verſus quartus idem oſtendit. Alij exiſtimant nonnulla initio huius verſus eſſe omiſſa, quæ his aut ſimilibus ſupplenda cenſent: Actum fuiſſet de me, niſi credidiſſem me viſurum bona, &c.

Terram viuentium] Lyra & alij exponunt futuram vitam & cæleſtem hæreditatem: ſed loquitur propheta principaliter de terra populi Dei, ex qua erat eiectus. Hanc vocat terram viuentium, quòd ſolos illos, qui in hac terra habitabant, iudicaret viuere, eo quod habebant verbum Dei, & ſciebant Deū ſibi eſſe præſentem, &c. reliquos extra hanc terram, quantumuis florerent opibus & diuitiis, iudicabat mortuis eſſe ſimiles, quia carebant Deo & vera illa luce doctrinæ cæleſtis quæ vitam affert animæ: vel ſimpliciter intellige præſens ſeculum, vt Ieſa. cap. 53. Abſciſſus eſt de terra viuentium. & pſal. 142. Portio mea in terra viuentium. Ita & Ezechias, cum ab Ieſaia denuntiata eſſet ei mors, in ſua precatione queritur, ſe non viſurum Dominum in terra viuentium, nec aſpecturum hominem vltra cum habitatoribus orbis. Ieſa. 39.

Sed hic quæri poteſt quomodò de rebus corporalibus, quarum promiſſiones ſunt conditionales, & quæ datæ ſunt cum exceptione, tam certò ſibi polliceri audeat. Reſpondeo, nō facit id temere: ſed inſtructus ſpeciali promiſſione. Sciebat enim, ſe electum & conſtitutū eſſe regē in hoc populo, autoritate & mandato diuino: itaque ſciebat futurum vt reſtitueretur. Nobis verò, quanquam illæ ſpeciales promiſſiones non ſunt factæ: tamen ſciamus paratam eſſe vitam cæleſtem, in qua poſt huius vitæ ærumnas bonitate Dei fruamur, frementibus diabolis & mundo. Fuit enim illa terra typus vitæ æternæ & cæleſtis hæreditatis. Atque interea etiam hoc ſciamus, ſeruare Deum & tribuere eccleſiæ aliqua hoſpitia in vita: & verum eſſe dictum Pauli, Pietas habet promiſſionem præſentis & futuræ vitæ, 1. Timoth. 4.

14 Expecta Iehouam, ſis fortis, & ſit firmum cor tuum: & expecta Iehouam.

Concludit pſalmum epiphonemate: vtitúrque apoſtrophe, qua & ſeipſum & reliquos ſuo exemplo hortatur, vt firma fiducia & ſpe petant & expectent auxilium diuinum in cruce.

Expecta] Id eſt, non frangaris mora, ſi diutiùs differat auxilium, aut te exerceat: non fias impatiens, non fremas.

Eſto firmus] Id eſt, Fortiter perfer ærumnas, & retine fidem & ſpem promiſſionis: non remittas, non deficias, non deſperes. חזק *ſich feſt halten.*

Et confirmetur cor tuum] Id eſt, nō frangaris vllis terroribus aut periculis quæ foris obiiciuntur, non deficias aut deſperes, ſed retine conſtantiam fidei, & acquieſce in promiſſionibus diuinis. Alij actiuè exponunt, & ad Deum transferunt, ne propriis viribus hoc videatur tribuere, quòd in cruce retinemus firmitatem fidei, &c. & verbum tertiæ coniugationis videtur ſignificationem actiuam requirere. Vide infra pſal. 31. vbi legitur idem verbum neutraliter חזקו ויאמץ לבבכם.

Expecta Iehouam] Id eſt, Perſeuera in patientia & pete auxilium, &, ſi diutiùs differat, vrge & inſta precibus, &c.

Oſtendit hic verſus in quem vſum hunc pſalmum conſcripſerit, nempe vt ſe & alios ſuo exemplo confirmaret, ne in ærumnis & calamitatibus animos & fiduciam in Deum abiicerent, ſed certa fide & ſpe à Deo defenſionem & liberationem peterent & expectarent.

PSALMI XXVII.

PARTES.

I. Propoſitio fiduciæ in Deum ad v.7.Huius duo ſunt membra.1.Continet beneficium Dei erga fideles 2.Indubitatam in Deum ſecuritatem ex fide.Et hæc quidem primo verſu.Sequenti autem,nempe 2.ſequitur ἐργασία propoſitionis præcedentis,ab anteacta experientia: vnde naſcitur glorioſa fiduciæ prædicatio v.3.4.5.6.

II. Oratio,cuius membra ſunt tria.1.Exordium v.7.audientiam faciens.2.Propoſitio,v.8. qua mandatum Dei,& officium ſuum ex mandato,agnoſcit.3.Petitio,v.9. trimembris.1. Deprecatur abiectionem, hoc verſu.2.Petit ſe recipi,doceri & deduci à Deo,v.10.11.ne impij glorientur.3.Precatio,ſaltem ſi nondum liberationis tempus aduenit,non exponatur aduerſariorum libidini:quorum petulantiæ opponit certam illam ſpem placidę fruitionis bonorum quæ Deus illi promiſerat.v.12.& 13.

III. Concluſio,qua ſe & alios hortatur ad ſpem & fidem in Deo collocandam,ſubiecta diuinæ promiſſionis confirmatione.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Hoc Pſalmo 27.aperiuntur nobis,etiam quum deſperata omnia videtur,tres perẽnes & inexhauſti fontes,ex quibus certã cõſolationem hauriamus.1.Dei per fidem apprehenſi potentia omnibus terriculamentis oppoſita.11.Perpetuum gloriæ Dei ſtudium,recta vbiq; conſcientia ſeruata & ſtudioſè vſurpatis mediis quibus fides noſtra cõfirmatur,verbi videlicet diuini auditione & ſacramentorum vſu,ſi quidem id nobis cõceditur: ſin minùs aſſidua eorundem meditatione. 111.Inuocatio, cum fiducia & patientia.

Verſ.1.Neceſſe eſt Dei electos acriter ſecum luctari,vt dubitationibus,ad quas nimis propenſa eſt caro,repulſis aut ſubactis,alacres & expediti ad orandum properent,& tandem victricem aduerſus curas quibus æſtuauerunt vocem emittant, Deo propitio & fauente nihil eſſe metuendum.

Quum Deus ſit lux,ſalus,fortitudo vitæ noſtræ,diſcamus tanti facere eius veritatem,bonitatem & virtutem ad nos ſeruãdos,vt ad pfligãdas,peccati,carnis ac mundi tenebras,& ad expellẽdos omnes metus cùm externos tum internos præualeat,non quòd in hac carnis infirmitate à pauore ſemper intactæ ſint fideliũ mentes,ſed quia ſtatim recepto vigore,ex alta fiduciæ arce pericula omnia deſpicimus. Porro hanc fiduciã longiùs extẽdere cõuenit,vt omnes videlicet conſcientiæ formidines diſcutiat:ſicuti Paulus de æterna ſalute differẽs libere exclamat,Si Deus pro nobis,quis cõtra nos?Rom.8.31.

2 Ad confirmationem fidei nihil magis valet quàm earum rerũ recordatio in quibus Deus clarum tam gratiæ quàm veritatis & potentiæ ſuæ ſpecimen nobis edidit.

Hoſtium eccleſiæ malignitas & immanis truculentia pios erigere debet,& ſpem liberationis facere.

3 Quicquid acciderit aduerſi bene ſperandum eſt,nec de potentia Dei,iam vſu perſpecta,dubitandum.

Quamuis conſpirent cuncti mortales in eccleſiæ perniciem, eorum vires paruipendit , quia ſuperior eſt Dei virtus quam à ſua parte ſtare ipſa nouit.

Non prorſus à metu pij ſunt immunes,ſed opponunt fidei clypeum ne obiectis terroribus cor eorum ſuccumbat:& fructum ſuum opportuno tempore fides profert,quum in mediis periculis fortes & intrepidi ſtamus.

4 Conſtantia in precibus eſt neceſſaria. multi enim magno impetu incitantur,in quibus non modò ſucceſſu temporis languet ardor, ſed momento ferè extinguitur. Perſeuerantia igitur verè fideles ab hypocritis diſcernit.

Etſi à patribus longè differamus,quatenus tamen ſuos adhuc ſub externo aliquo ordine Deus continet,terreniſq; rudimentis ad ſe deducit,manet adhuc templis ſuus decor,qui affectus votaq; fidelium meritò ad ſe rapere debet.Nam verbum,ſacramenta,preces publicæ, aliaq; pietatis exercitia reiici nequeunt abſq; impio Dei contemptu qui illic velut in ſpeculo vel imagine ſe nobis repræſentat.

5 Quiſquis Deum verè & ſincero animo quæret,tutus latebit ſub vmbra præſidij eius.

Non metiendũ eſt Dei auxilium externa ſpecie vel externo modo, ſed media quoq; in morte ex victrici eius manu ſalus ſperãda eſt.

6 Vota gratiarum actionis,quæ pij nuncupant,poſtquam liberati fuerint,eos in ſpe liberationis confirmant.Sacra iubilatio & cantica quibus ſe Deo gratias acturos pij profitentur,tacitè opponuntur profanis mundi triumphis.

7 Fidelium arma tutiſſima,aduerſus omnem mũdi & ſatanæ inſultum,ſunt ardentes preces: & quo magis premuntur,eo magis feſtinat liberatio,ipſaq; neceſſitas gratiam Dei conciliat.

8 Fieri non poteſt vt quiſquam fide aſſurgat ad Deum quærendum,donec eius inuitatione patefactus fuerit aditus.Porrò ſimul ac Deum ſe liberaliter nobis offerre audimus,prompto animo reſpondeamus,amen:eiuſq; promiſſiones nõ ſecus reputemus nobiſcũ ac ſi familiaris cum eo nobis ſermo eſſet.Nam vox Dei in animis noſtris, non ſecus atque echo in concauis locis,reſonare debet , vt ex mutuo concentu emergat inuocationis fiducia.

Verum eſt,peregrinari nos à Deo quandiu in mundo degimus, quia remota eſt fides ab aſpectu:ſed æquè verum eſt,in ſpeculo & ænigmate Deum à nobis cerni,donec vltimo die palam ſe nobis exhibeat.

Quum Deus in verbo & ſacramentis ſe nobis conſpiciendum præbeat,hoc intuitu contenti,quandiu ab eo peregrinamur, impia commenta ſuperſtitioſorum,Deo affingentium quaſcũq; in ſuo cerebro pinxerunt imagines,deteſtemur.

9 Vt Deus ſe nobis actu & reipſa præſentem exhibeat,ante in verbo ſuo quærendus eſt.

Fideles agnoſcunt iure ſe à Deo poſſe abiici,ideo iram eius humiliter deprecantur:prioraq; Dei beneficia in memoriam reuocando, ſeſe ad ſpem impetrandi animant, & hoc argumento Deum ad opem ſuam continuandam inducunt, ne mutilum opus ſuum deſerat.

10 Quamuis naturaliter propenſi ſint terreni parentes ad prolem ſuam iuuandam,imò ardenter eius fouendæ curam ſuſcipiant: tamen,vbi extincta fuerit omnis in mundo pietas, Deus erga ſuos fideles patris ſimul & matris officio fungetur.Perperam ergo à nobis æſtimatur Dei gratia,niſi omnes carnis ſenſus fides noſtra ſuperet: centiès enim continget euerti naturæ ordinem potiùs quàm vt Deus ſuis deſit.

11 Mundi ſalebris & præcipitiis ſuperandis ſumus impares, niſi ducis partes ad nos regendos Deus ſuſcipiat. At ſi nos ita committere Deo cupimus: primùm ab aſtutia & malis artibus abſtineamus neceſſe eſt,ne cum impiis in idem exitium præcipitemur.

12 Duobus modis ſuos Deus eripit:vel impiorum ſæuitiam placando,vt manſueſcant:vel,vbi furore ardere ſinit,manus eorũ compeſcendo,vt fruſtra nocere cupiant ac conentur.

Si non modò crudelitate,ſed etiam mendaciis impij eccleſiam adoriuntur,ſuccurrat nobis Dauidis & Chriſti ipſius exemplum,qui non minus iniuriæ à linguis mendacibus quàm à gladiis paſſi ſunt; Deúmque innocentiæ noſtræ vindicem indeſinenter inuocemus.

13 Etſi Dauid peculiari quadam ratione de longiore vita ſpem habuerit, in genere tamen pios omnes ſperare oportet, quamuis non apertè eos liberet Dominus, nec fauorem ſuum viſibili modo declaret,propitium tamen in hac quoque vita ſemper eis fore.

14 Expectandi verbum admonet pios de nouis exercitiis, & crucem proponit:tunc enim expectare Deum dicuntur, vbi ſubducta ſua gratia patitur nos languere ſub ærumnis.

Non contumacia ſunt fortes filij Dei,ſed patientia,vbi Deo ſuas animas placidè commendant:nam in ſpe & ſilentio fortitudo eorum conſiſtit,Ieſa. 30.15.

Quando Scriptura teſtatur , Deum præſto ſuis adfuturum, qui robur eis ſuppeditet,ſatis clarè oſtendit,quum ſtrenuè laborant fideles,eos aliena virtute pugnare.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Conſolationis firmiſſimæ capita,omnipotentiæ diuinæ conſideratio,gloriæ diuinæ ſtudium cum recta conſcientia & legitima vocatione coniunctum; Inuocatio Dei,quam fiducia & patientia comitentur.
2. De piorum periculoſis certaminibus.
3. Dei,ſub cruce ſuorum, facies qualis, & quibus oculis conſpicienda.
4. Cultus externi neceſſitas,multiplex vtilitas & vſus.
5. Gratiarum actiones,Iubilationes, Sacra Cantica,Preces ardentes maximi momenti.
6. Liberationes piorum quales & quomodo conſiderandæ.
7. Fortitudo piorum in humili patientia conſiſtit.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI XXVIII.

ETIAM hunc apparet ſcriptum eſſe à Dauide, quandò vel in exilio viuebat, vel reductus in patriam, beneficium diuinum ad eccleſiam celebrare volebat. Nam prima pars pſalmi formā precationis continet, qua vſus eſt in ſummis exilij calamitatibus: eaque oſtendit non aliunde quàm à Deo petendam & expectandam eſſe mitigationem. Altera pars gratiarum actionem continet pro liberatione, qua teſtatur ſe diuinitus ſeruatum eſſe, & reliquos ſuo exemplo hortatur, vt eodē modo diſcant petere & expectare auxilium & defenſionem in omnibus ſuis ærumnis & periculis. In fine addit precationem, qua ſalutem vniuerſæ eccleſiæ complectitur. Orat enim vt, ſicut ipſe ſeruatus erat diuinitus in maximis periculis: ita tota eccleſia omni tempore à Deo regatur & defendatur, ne ab hoſtibus oppreſſa deleatur.

DAVIDIS.

1 AD te, Iehoua, clamo, petra mea, ne ſileas à me: ne, ſi fortè taceas à me, ſimilis fiā deſcendentibus in lacum [*ſepulchrum.*]

Principali propoſitioni præmittit petitionem, vt exaudiatur. In omni enim inuocatione hæc prima cura & ſolicitudo nos exercet, An, & cur exaudiamur. Et quia multi ſunt qui exiſtimant, ſe fruſtra clamare, nec poſſunt certò ſtatuere an exaudiantur, oppreſſi dubitationibus, omittūt inuocationem. Dauid verò vt initio excutiat hanc dubitationē, & alacriore animo & maiore πληροφορίᾳ, vt Paulus loquitur, ad Deum accedat, petit ſe exaudiri, Domine exaudi, &c. inquit, & addit rationes. Prima eſt, Quia clamo. Qua voce reſpicit & ad mādatum diuinum, & ad promiſſiones. Vult Deus & iubet ſe inuocari in tribulatione: & addit promiſſiones, quòd ſit exauditurus. Secūda ratio, à ſua fiducia: Quia tu es petra mea: id eſt, quia te conſtitui propugnaculum ſeu ſubſidium meū, in quo ſolo ſcio me tutum eſſe aduerſus omnes inſidias & inſultus hoſtium.

Metonymia eſt in vocabulo petræ. Olim enim arces munitionis cauſſa extruebantur in rupibus & petris, quæ oppugnationibus hoſtilibus minùs erant expoſitæ. Dicit igitur, ſe nullam aliam habere arcem aut munitionem, ad quam in periculis confugiat, quàm Iehouam.

Ne ceſſes à me] Id eſt, ne deſeras me, ne ſubtrahas auxilium tuum, non abiicias curam mei.

Ne taceas à me] Id eſt, ne obſurdeſcas ad meas preces, néve talem te oſtendas, qui ſit à me alienatus, quíque nolit exaudire orationem meam, aut reſpondere ad meas preces.

Similis fiam] Tertia ratio, à magnitudine periculi & neceſſitate. Quia, inquit, niſi tu opem feras, actum eſt de mea ſalute, & perij. Oratio eſt figurata, ſumpta ab his qui ſepeliendi efferuntur, aut alioqui aberrantes, in voragines præcipitantur, atque ita intereunt. De horum enim vita iam deſperatum eſt, ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες, inquit Theocritus: quod ad hanc phraſin explicandam pertinet.

2 Audi vocem precationum mearum, dum clamo ad te: dum eleuo manus meas ad oraculum ſanctum tuum.

Repetit eādem precationem, & addit geſtum, quo iterum Deum commonefacit de ſuis promiſſionibus. Nam Exod. 25. Deus promittit ſe locuturum eſſe de medio propitiatorij, atque inde exauditurum preces. Dicit igitur, ſe fiducia huius promiſſionis leuare manus ad propitiatorium, atque ideo petere vt exaudiatur: & quanquam abſens ſit à loco ſanctuarij, tamen animo & corpore ad illum locum ſe reſpicere, qui ſymbolum erat diuinæ præſentiæ in hoc templo. Rectè autem ſignificat, ſe petere vt exaudiatur propter Chriſtum mediatorem, quem ſciebat ſignificari & adumbrari illo propitiatorio.

Verbo clamandi, ardorem precandi oſtendit & periculi magnitudinem. Non enim fuit frigida eius oratio: ſed ex magno dolore propter præſentes calamitates, & ex ingenti deſiderio liberationis profecta.

דביר interior locus tabernaculi dicebatur, in quo arca fœderis locata erat, ſic dictus quòd inde Deus loqueretur, & redderet oracula, ac de ſua præſentia in hoc populo teſtaretur.

3 Ne trahas me cum impiis, & cum operariis iniquitatis: qui pacem loquuntur cum proximis ſuis, & malum in corde eorum [*eſt*].

Hæc eſt principalis propoſitio pſalmi, in qua petit ne vel ſimulationibus hypocritarum deceptus contaminetur, vel ſimul cum ipſis, tragicis pœnis inuoluatur. Veriſimile eſt autem, Dauidem loqui de his qui in aula regis Saulis tum verſabantur. Erant enim multi inter proceres & ſatellites regios, qui quanquam ſe amicos eſſe Dauidis ſimulabant, tamen interea vitæ ipſius inſidiabantur, ipſúmque è medio tollere conabantur. Multi etiam ſpecioſa oratione abducere eum à vera pietate & honeſto propoſito ſtudebant, vt ſupra monuimus. Hos quia impios & ſceleratos eſſe iudicabat, atque ideo certum ipſis exitium imminere videbat, petit ne vel ipſorum hypocriſi dementatus, vel ſocietate corruptus, iiſdem cum ipſis pœnis inuoluatur. Simul autem admiſcet deſcriptionem hypocritarum, qua animos, ſtudia, mores, & molitiones eorum graphicè depingit, vt oſtendat ſe toto pectore conſuetudinem ipſorum auerſari, & ſcelera eorum deteſtari.

Non trahas me cum impijs] Id eſt, ne ſinas me pollui ipſorū conſuetudine, & ne iiſdem me pœnis implices.

Primò, nominat eos impios, ſignificans eos eſſe ſine vero timore Dei, ſine vera fide: qui, quantumuis foris aliquam pietatem ſimulent, in corde tamen rident Deum & omnem religionem: ideóque ſententias ſuas de religione, ad regis ſui & potentum voluntatem inflectūt, vel ad ſuam vtilitatem accommodant.

Secundò, Operarios iniquitatis intelligit eos qui ita dediti ſunt ſceleribus vt ipſis voluptati ſit, grauiter alicui nocere, aut aliquem iniuſtè defraudare & opprimere, & qui, vt alibi inquit, in ſceleribus ſuis ſe oſtentant & gloriantur. Peccant etiam ſæpe homines pij, & labuntur pro communi hominum infirmitate: at iidem non delectantur ſuis vitiis, ſed dolent potiùs de ſua infirmitate, & emendantur. Itaque non ſunt operarij iniquitatis.

Tertiò, Magna hypocriſi tegunt ſuam impietatem & ſcelera dum *pacem loquuntur*, cúmq; ſint homines ſceleratiſſimi, & omnium bonorum famæ, vitæ & fortunis inſidientur, tamen interea ſimulāt amicitiam, prætexunt zelum, curam religionis, piam ſolicitudinem quam pro cuiuſcunque ſalute gerant, ſuis cupiditatibus, ambitioni, auaritiæ, & ſimilibus affectibus: nec poteſt vlla oratione illa varietas colorum & blanditiarum depingi, quibus ſe in animos hominum inſinuant, vt tandem incautos opprimant.

4 Da illis ſecundum opus eorum, & ſecundum malitiam facinorum eorum: ſecundum opus manuū ipſorum da illis, repende retributionem illis.

Alterum membrū eſt precationis, qua hoſtibus ſuis exitium imprecatur, & quaſi denūtiat. Nam huiuſmodi vota Dauidis, quæ crebrò occurrunt in pſalmis, magis ſunt vaticinia quam preces à Spiritu ſancto profectæ, quibus ſententia fertur de pœnis hypocritarū, atque adeo eorum omniū qui in impietate & ſceleribus pertinaciter perſeuerant: id quod in ſequenti verſu oſtenditur. Neque enim cogitandū eſt, Dauidem ex humana aliqua perturbatione atque indignatione tanquā vindictæ cupidū has voces effundere: ſed facit hoc tanquā organū Spiritus ſancti, qui has pœnas impiis per os Dauidis denūtiat: vt & ipſe rex & cæteri pij cōfirmentur, ne ſucceſſibus impiorū fracti profeſſionē veræ doctrinæ abiiciant: quia certum ſit, veritatem tandem fore victricē, & Deum exſtirpaturū eſſe impia dogmata, & blaſphemos horum propugnatores.

Deinde hoc etiam notandū eſt, in his & ſimilibus votis Dauidē nō tam ſuam quā Dei cauſſam agere: ideóq; iuſto iuſtitiæ zelo impelli ad hæc vota proferenda. Sicut enim dilectio Dei & proximi requirit vt inimicos priuatos diligamus: ita poſtulat vt cauſſam quā impij & blaſphemi tuētur, ſeueriſſimè dānemus, & ipſos blaſphemos tanquā Dei & populi ſui hoſtes execremur, & exitio deuoueamus. Vbi tamē ſemper hoc cauendū eſt, ne ex incōſiderato zelo, mala quæ nos offendūt potiùs quā Dei gloriā lædunt, & eccleſiæ ſaluti obſunt, amoliri ſtudeamus, ſicut Luc. 9. diſcipuli Chriſti igne cæleſti abſumi cupiunt, qui magiſtro hoſpitiū negauerāt. Poſtremò, cū ſine auxilio diuino vincere veritas nō poſſit, neceſſe eſt nos à Deo petere vt ipſe reprimat errores & errorū propugnatores.

Hac itaque ratione excuſantur hæc vota. Sed quomodo congruit cum his dictū Chriſti, Matth. c. 5. Benedicite maledicentibus vobis. Reſpondeo, Maledicentes intellige non blaſphemos, ſed ſanabiles. Itē, Iuxta ordinē diuinū: non enim ita diligēdi ſunt hoſtes vt impietas confirmetur, &c. Quòd toties eadem ſententia tantùm mutatis vocabulis iteratur, dum dicit ſecundùm opus, ſecundū malitiam facinorum, & ſecūdùm opus manuum: oſtendit, eos non ſemel nec exiguo tempore,

neque in vno genere peccare: ſed eò vſque progreſſos eſſe maleficiis, vt iam intolerabilis ipſorum ſit audacia: ſeque non tam impatientia moueri vt finem his malis fieri petat, quàm quòd videat hoſtes eſſe obſtinatos, & nullum finem facturos niſi diuinitus reprimantur.

פועל ita differt à מעשה vt comprehendat ſimul affectus & cupiditates impiorum, quas afferunt ad ſuos conatus: feruntur enim ingenti ardore & cupiditate ad opprimendos bonos. Malitia facinorum referri videtur ad conſilia, technas & fraudes, quas ſtruunt piis.

5 Quoniam non attendunt ad opera Iehouæ, & ad opus manuum eius: deſtruet eos, & non ædificabit eos.

Addit rationem, cur cupiat eos deleri, & cur certò futurum pronunciet vt deleantur. Atque hîc oſtēdit manifeſtè, ſe magis vaticinari de ipſorum interitu quàm male imprecari. Dicit enim, Quia nō attendunt, ideo deſtruētur. Et tamen, quòd imprecatur eis diras, non aliò reſpicit quàm quòd pietatis erant hoſtes & contemptores Dei. Itaque nō dicit, deſtrue eos, quia mihi perpetuò aduerſantur: ſatis enim fuiſſet ei dicere, libera me ex ipſorum manibus: ſed quòd, dum me oppugnāt, non putant ſibi cum Deo eſſe negotium, nec exiſtimant, ſe Deo magis quàm mihi aduerſari, ideo, inquit, deſtruet eos. Deus enim conſtituerat & vnxerat Dauidem in regem. Id quanquam ſciebant hoſtes eius, tamen non deſinebant furenter oppugnare Dauidem, ipſúmque è medio tollere conabātur. Itaque non tam ipſum Dauidem quàm Deum & conſilium Dei in ipſius perſona oppugnabant.

Ita quandocunque eccleſia oppugnatur ab hypocritis, ipſe Deus potiùs quàm homines, petitur. Sequitur igitur exitus ille quem hîc Spiritus ſanctus prædicit.

פעלות rurſus intelligatur de electione & decreto diuino, qui eum regem huic populo deſtinarat.

Opus manuū eius] ſignificat illā externam cęremoniam ſeu ſymbolum vnctionis, quò declarauit cū eſſe regem. Nā quòd Samuel eum vngit, facit tāquam miniſter, qui præbet manus. interea verò Deus ſua eum manu conſecrat & vngit. deinde quòd variis teſtimoniis oſtenderat, hunc regē à ſe electū ſibi curæ eſſe, de hac re primū cogitandū eſt hoc loco: deinde vocabula hæc ad collectionem, gubernationem, & defenſionem eccleſiæ, quæ fit omni tempore, accommodari debent. Ita enim regitur & ſeruatur eccleſia in hac vita diuinitus, vt, qui id non agnoſcit, eum neceſſe ſit obſtinatia eſſe excæcatum.

Alij opera manuum intelligunt beneficia quibus Deus affecerat Iſraelem per Dauidem, ex quibus intelligere poterāt præſentem Dei virtutem.

Deſtruet] Id eſt, ita euertet vt nunquā poſtea emergere rurſus aut vires recuperare poſſint, ſitque ruina irreparabilis: nunquam enim erunt felices, ſed in perpetuis miſeriis contabeſcent. Nam ædificare, metaphoricè ſignificat reſtituere in priſtinum & florentem ſtatum, vt alicui bene ſit, vtque feliciter & proſpere agat. vt Iere. 3. vbi cùm de reditu populi ex captiuitate vaticinatur, ait, Adhuc ædificabo te, & ædificaberis, virgo Iſrael. Item Iob. 22. Si reuerteris vſque ad omnipotentem, ædificaberis, id eſt, aſſequeris priſtinam felicitatem. Prima pars felicitatis eſt, inquit ille, bene habitare: ſed cōtrà, miſerum eſt vagari ſine certis ſedibus, ſine tecto. Inde igitur ſumpta eſt hæc forma loquendi. Alij optandi orationem volunt eſſe, Deſtruat, & non ædificet, &c.

6 Benedictus Iehoua: quoniam audiuit vocem deprecationum mearum.

Altera pars pſalmi eſt gratiarū actio, qua teſtatur, ſuas preces non fuiſſe irritas, ſeque diuinitus exauditum & ſeruatum eſſe profitetur. Atque ita ſuo exemplo alios confirmat, vt ipſi quoque in ſuis calamitatibus petāt à Deo liberationē, & hanc certa fiducia expectēt. Nam vt antea ſæpe monui, non tā priuatim ſibi quàm in aliorum vſus, hos pſalmos cōſcripſit Dauid, nimirum vt fideles omnes ſuo exemplo de multis rebus erudiret. Nam gratiarum actiones precationibus adiectæ oſtendunt, pleroſque pſalmos poſt liberationem & acceptum beneficium eſſe conſcriptos. Quanquam etiam hoc diſſimulandum non eſt, in omni vera inuocatione fidem ita tandem confirmari, vt de liberatione & cęteris beneficiis ita certò ſibi perſuadeat ac ſi iam eſſent exhibita. Ideo ſæpe ipſius petitionibus miſcentur gratiarum actiones. Cæterùm de gratitudine & gratiarum actione dicitur alibi copioſiùs.

Orditur autem gratiarum actionem ab exclamatione, qua in laudes Dei geſtiens quaſi, & cum impetu animi exultantis prorumpit. Benedictus, inquit, Deus: id eſt, ſumma tu laude es dignus, atque ego perpetuis laudibus te proſequar. Benedicere, cùm Deo tribuitur, ſignificat benefacere, augere, ditare, multiplicare aut fœcūdare. Dei enim dicere eſt facere, iuxta illud pſalmi 33. Ipſe dixit & facta ſunt. Quando verò hominibus tribuitur, ſignificat ſalutare, bene precari, valedicere, bene loqui, gratulari, magnificè celebrare, gratias agere pro beneficiis, &c.

7 Iehoua fortitudo mea, & ſcutum meum, in illo cōfidit cor meum, & adiutus ſum: & [*de quo*] exultat cor meum, & [*ideo*] cantico meo laudabo, [*celebrabo*] eum.

Pergit celebrare beneficia diuina, atque eadem amplificat ab effectu. *Primum* beneficium fuit quòd inuocantem exaudiuit, & oſtendit, ſe opem eius imploranti præſto eſſe, nec auerſari aut contemnere vocem ſupplicis. *Secundum*, Quòd fuit robur eius, confirmans ſcilicet animum, vt fortiter perferre ęrumnas poſſet, ne magnitudine malorum aut periculorū oppreſſus ſuccumberet. Impoſſibile enim eſſet homines pios in illa varietate tentationum ac mole ęrumnarū, retinere animi conſtantiam & fidē, niſi diuinitus cōfirmarentur. *Tertium*, Eſt ſcutum meum, inquit, id eſt, munit, cingit & tuetur me vndiq; inſtar clypei, ne quod lethale vulnus ab hoſtibus mihi infligi poſſit: arcet vndique & depellit à me pericula &c.

In ipſo ſperat cor meum] Id eſt, quoties ſum in calamitate aut periculo, tantùm reſpicio ad hunc Iehouām, & certa fiducia in eius amore & beneuolentia acquieſco: nō reſpicio ad idola, vt alij, non colloco fiduciam in ſapientia, viribus aut præſidiis humanis: quia ſcio, hæc omnia eſſe vana, & fallere ſpē hominum.

Et adiutus ſum] Hæc mea ſpes me non fefellit neque fruſtrata eſt.

Et exultat cor meum] Amplificatiuncula eſt ab effectu. Ego, inquit, ſentiens Dominū mihi adeſſe in meis periculis, & me tueri ac defendere, excuſſo omni metu & dolore, quem conſpectus periculorum antea mihi afferebat, perfuſus ſum ingenti lætitia, vt iam exultare & gloriari, vt Paulus inquit, in afflictionibus poſſim. Ita differunt afflictiones piorum à calamitatibus impiorum. Impij mox trepidant, vt deſperent: pij fiducia præſentiæ & auxilij diuini magno animo deſpiciunt pericula, atque adeo in his etiam gloriantur.

Græcus pro לבי legit בשרי & verbum עלז reddidit verbo θάλλω. ἀνέθαλλεν ἡ σάρξ μου.

Cantico meo celebrabo eum] Id eſt, hæc lætitia cordis mei etiā os mihi aperit ad canendas laudes diuinas.

8 Iehoua fortitudo eis: & robur ſalutum Chriſti [*vncti*] ſui ipſe.

Repetit eandem ſententiam. Dominus, inquit, non me tantùm, quem voluit regem eſſe in hoc populo, confirmauit & defendit: ſed & illos qui ſocij fuerunt periculorum.

Et robur ſalutum] מעוז ſignificat locum munitum vel natura vel arte, ſeu arcem, quæ non facilè expugnari poteſt. Sicut igitur antea nominarat eum petram ſuam: ita eodem ſenſu nunc nominat eum munitionem ſuam, in quam ſe recipiens ſeruatus ſit in variis periculis. Vtitur autē plurali numero, ſaluationum vel ſalutum: vt ſignificet, ſe non ſemel nec vno modo ſeruatum fuiſſe.

Nominat autem ſe vnctum Dei: quia inde omnia ei pericula creabantur, quòd creatus erat in regem diuinitus: atque inde ęrat eius fiducia, quòd ſciebat ſe diuinitus eſſe vocatum ad hoc officium, ſeque nihil facere extra legitimam vocationem.

9 Serua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: paſce eos, & extolle eos in perpetuum.

Epiphonema, quo pſalmum concludit, precatio eſt, qua totum populum curæ & gubernationi diuinæ commendat. Sciebat enim, ſe ſaluum eſſe non poſſe, niſi populus, cui deſtinatus erat rex, ſimul ſeruaretur: & ſuo exemplo docet vt in precibus noſtris cum priuata publicam totius eccleſiæ ſalutem complectamur. Reges item monet vt publicæ vtilitati ita ſint addicti, vt non niſi populi cauſſa ſalui eſſe cupiant.

Serua populum tuum] Ne ſcilicet in his diſſenſionibus & diſtractionibus animorum & potentum tumultuationibus diſſipetur, aut tragicis calamitatibus inuoluatur.

Benedic] Id eſt, benefac, vt creſcat primùm agnitione verbi tui, & ſtudio pietatis: deinde opibus terrenis & commodis huius vitæ.

Paſce eos] Quaſi dicat, Cùm rex Saul ſit impius, & tota eius gubernatio ſit talis vt non quærat ſalutem populi, tu ſuſcipe curam huius, & age paſtorem.

Extolle eos] id eſt, ita euehe eos vt nomen eorum ſit celebre apud omnes gentes, & vt omnes agnoſcant, hūc populum tibi peculiariter præ omnibus aliis curæ eſſe.

PSAL-

PSALMI XXVIII.

PARTES.

I. Oratio,cuius partes ſunt duæ.1.Pro ſalute ſupplicis,1.2.3.verſ.argumentum autem ducit,v.1.à natura, officio,& promiſſionibus Dei. 2. Pro exitio aduerſariorum,qui opere,ſermone & animo deprauati,obfirmati,& Deo infenſi ſunt,v.4.& 5.

II. Laudatio. 1. A ſingulari beneficio Dei erga Dauidem,6.& 7.verſ. 2. A publico beneficio erga totam Eccleſiam,in Chriſto dilectam:v.8.

III. Concluſio,qua Eccleſia Deo & Chriſto ſeruanda,augenda & benedicenda, modis omnibus commendatur:v.9.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 *Dum impij in rebus aduerſis vel Deo contumaciter reſiſtunt, vel in aerē ſpargunt inanes vlulatus,vel (deſperatione victi) malis ſuccumbunt ,pij ad vnius Dei opem confugientes ,tam de ſua fide, quàm de bona conſcientia,ſibiipſis & aliis ferunt teſtimonium.*

Quòd robur eccleſiæ Deus dicitur,oſtendit,fideles nō modò in vmbra & quiete de auxilio diuino eſſe perſuaſos ,ſed eandem fidem in vltimis tentationibus adhuc fouere.

Reſpōdere dicitur Deus ſuis electis quādo reipſa oſtendit,eorū vota ſibi curæ fuiſſe:ſilere autē, vbi ſe preces eorum audire diſſimulat.

2 *Fideles cura & metu perculſi non frigidè precantur,ſed ingēti deſiderio flagrant:vt qui doloris impetu compulſi clamorē attollunt.*

Quū precādi cauſa manus ſurſum leuamus,viſibili ſigno ad vnū Deū,ſuorū protectorē & vindicem, noſtros ſenſus nos dirigere teſtamur.Videndū igitur,ne externa cæremonia cōtenti,non gratiam,ſed iudiciū nobis accerſamus,vt iis accidit qui Deū quem fugiūt corde, labiis & manibus conueniunt. Certè ipſa manuū leuatio,vbi abeſt hypocriſis & fallacia,piæ & veræ precationis eſt appendix.

Sicut pij Iſraelitæ promiſſæ gratiæ præſentiā olim in ſanctuario nō ſecus ac in ſpeculo intuebātur: ita nunc verè Chriſtianos,vt Deum ſibi propinquū eſſe ſtatuāt,ad Chriſtum rectà intendere oportet,qui ſub humili carnis habitu ad nos deſcendit,vt ad Patrem euehat.

3 *A naturæ Dei cōſideratione ratiocinantur fideles ſibi eſſe bene ſperandum,quia proprium eius ſit pios à reprobis diſcernere , ac ſingulis rependere iuſtam mercedem.*

Reproborū nota ea eſt quòd ſint operarij iniquitatis, id eſt,homines in totū ſceleribus dediti.Cōtrà,Dei electi quāuis interdū labantur vel aberrēt,vel quouis modo delinquāt,non tamē ſuis vitiis ſtudent aut delectantur: quin potius ad reſipiſcentiam eos ſolicitat Dei timor.

Deo maximè ſunt deteſtabiles quicunque blanditiis,tāquam veneno ſimplices & incautos adoriuntur.

4 *Fideles diuturna tolerantia feſſi,& ſub afflictionum mole fatiſcentes , iure poſtulare queunt vt Deus impiorum laſciuiam , qui pridem ſcelera ſceleribus addere non ceſſant,compeſcere velit.*

Vt impiis malè quis precetur,ante omnia perturbatio faceſſat neceſſe eſt:deinde adhibēda eſt prudētia,ne malorum quæ nos offendūt indignitas ad incōſideratum zelum nos præcipitet: vt Chriſti diſcipulis accidit,Luc.9.54.Tenenda autem eſt cōmunis regula,vt nobis totius generis humani ſalus cordi ſit ac curæ : ita fiet vt non modò locum demus miſericordiæ Dei,ſed etiam optemus reduci ad ſanam mentem qui deuoto animo videntur in ſuam perniciem ruere.

Quanuis ad tempus impij proteruiant,tādem ad cæleſte tribunal trahentur.

5 *Impij dum hominibus infeſti ſunt,nec ab vlla maleficij ſpecie abſtinent,non putant ſibi cum Deo eſſe negotium.Sed pij iniuſtè vexati,perſuaſi ſunt ſe Dei prouidentia vtiliter exerceri ad patiētiam, & rebus in mundo turbatis ac confuſis , Deum ſedere nihilominus in cælo moderatorem.Inde ſenſus illorum expergefiunt ad reputanda Dei opera,quæ ad timorem eos erudiant,contineant in patientia, & in pietate confirment.*

6.7. *Ideo Dominus nos è periculis eripit incolumes,ac hilaritate corda noſtra perfundit, vt ora nobis ad canēdas ſuas laudes aperiat.*

Quoties verè & ex animo quæretur Deus,praſto erit ad opem ſuis ferendam.

Veri ſolidique gaudij materia ea eſt quòd fideles Deum ſibi propitium eſſe ſentiunt.

8 *Quū à Deo procedat quicquid humanitus auxilij obtigit,proſperos ſucceſſus à gratuito eius fauore manare certū eſt : ideo in mediis etiam,quantumuis validis & aptis,intuenda eſt Dei manus,ac ſi apertè ſe è cælo exereret , nec humanæ induſtriæ aut virtuti vel tantillum gloriæ reliquum eſt faciendum.*

Quæcunque in nos Deus confert beneficia, ex hoc fonte fluere diſcamus,quòd gratis in Chriſto nos elegit.

9 *Reges & magiſtratus ita vtilitati publicæ debent eſſe aſtricti, vt non niſi populi cauſa ſalui eſſe cupiant.*

Quum Deus nos tanto honore dignetur,videndum eſt vt paterno eius amori reſpondeat fidei noſtræ obedientia, vt nos populum ſuum & hæreditatem ſuam agnoſcat.

Chriſtus eſt vnicus eccleſiæ ſuæ paſtor : homines autem ſunt eius miniſtri.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Pij principis & magiſtratus eſt, ſalutē populi ſibi concrediti Deo ſollicitis votis commendare.
2. De ceremonijs externis in orationibus tum priuatis tum publicis.
3. Electorum Dei, & hominum reproborum diſcrimen.
4. De precibus propheticis ſeu imprecationibus aduerſus deſperatos Eccleſiæ Dei hoſtes.
5. De fine liberationum noſtrarū ex grauiſſimis periculis.
6. Fons beneficiorum Dei erga Eccleſiam , gratuita electio,in Chriſto, eiuſdē vnico paſtore & protectore.

ARGVMENTVM PSALMI XXIX.

PSALMVM Vigeſimum nonum plerique allegoricè exponunt de regno Chriſti,& de voce euangelij,quam cum prædicat Spiritus ſanctus per Dauidem,ſpargendam eſſe per totum orbem terrarū,hortatur omnes reges & principes,vt poſita ſua ſapientia,& exuta opinione ſuæ potentiæ & iuſtitiæ,hanc doctrinam,quæ ſumma ſit ſapientia, agnoſcant, & hunc regem quem cognoſcendum proponit,complectantur,& vero pietatis ſtudio colant:ductis ſcilicet argumentis,cùm ab ipſius regis potentia & viribus,quibus comparari nullæ hominum vires poßint, tum verò ab ipſius vocis , ſeu miniſterij euangelici efficacia. Hæc interpretatio quanquam concinna eſt, & ſuum locum habet in docendo, cùm de efficacia miniſterij euangelici concionaturi imagines ex hiſtoriis ſacræ ſcripturæ quærimus:tamē cū omnib. allegoriis anteponēda ſit ſimplex & natiua ſentētia,quam ipſa Grāmatica & verborū contextus gignit,nos omiſſa allegoria,primùm hanc quæremus,qua explicata poſtea non incōmodè,ſi quis volet,attexere allegoriam poßit. Hortatur enim Dauid in hoc pſalmo omnes homines,vt depoſita propriæ ſapientiæ,opum,potentiæ & virium opinione ac fiducia, & abiectis idolis ſuis,quæ ſibi quiſque pro ſua vanitate fingit, vnū verum Deum,qui ſe in populo Iudaico patefecerat,agnoſcant & colant,ipſiúſque imperio ſe reuerenter ſubiiciant. Hæc propoſitio eſt pſalmi,atque hæc poſtea confirmatur variis argumentis ductis ex miraculis naturæ,nempe tonitruis,tempeſtatibus,procellis,aquarum inundationibus,terræ motibus,atque horum miraculorum effectionibus,quæ non ſolùm oſtendunt orbem ſemel à Deo conditum eſſe,ipſiúſque potentia regi & nutu diuino gubernari:ſed etiam homines præfractos,feroces & Cyclopico faſtu Deum ridentes conuincunt,vt diuinum numen,vel inuiti in his agnoſcere,ſéque,ſi non cum reuerentia,horrore tamen & metu ſubiicere ei cogantur. Addit autem in fine antitheſin,qua oſtendit illam potentiam Dei, quæ oſtenſa in hiſce miraculis aliis terrorem incutit, populo Dei adeo non eſſe formidabilem, vt hac ipſa potiùs cōfirmētur,nè cùm vident mundum furere aduerſus eccleſiam, & ad eam delendam totis viribus concurrere,animum deſpondeant,ſed potentem ſe habere defenſorem & ſaluatorē ſibi perſuadeāt,atque inde nouā fiduciā concipiant.

PSALMVS DAVIDIS.

1 Afferte Iehouæ, filij fortium, afferte [*inquam*] Iehouæ gloriam & robur.

2 Tribuite Iehouæ gloriam nominis eius, incuruate vos Iehouæ [*id eſt, adorate Dominum*] in decore [*ſplendore, ornatu*] ſanctitatis.

Antequam de pſalmo dicamus, monendi ſunt auditores de titulo, quem Græcus interpres, & deinde Latinus, Græcum imitatus, pſalmo præfigit. Nam poſtquam ea quæ in Hebræo codice extant, & nobis titulo pſalmi Dauidis expoſita ſunt, reddidit, mox de ſuo ſubiicit Græcus hæc verba: ἐξοδίου σκηνῆς, hoc eſt, cantici tabernaculi, ſeu, vt interpres vult, in conſummatione tabernaculi. Exiſtimant enim interpretes, compoſitum eſſe pſalmum vt decantaretur in conſummatione tabernaculi: eámque ob cauſſam hanc ἐπιγραφὴν eſſe inſcriptam cõiiciunt: quę tamen vnde nata ſit ſciri non poteſt, cùm in titulo apud Hebræos nulla fiat huius rei mentio.

In duobus primis verſibus continetur propoſitio pſalmi, quæ hortatur principes, & omnes qui ſunt in aliqua eminentia conſtituti, vt Dei eſſe omnem gloriam & potentiam agnoſcant, atque huius rei cogitatione ad veros cultus ei præſtandos excitentur. Vt autem meliùs intelligatur propoſitio, addenda eſt antitheſis.

Omnes penè reges & principes, quorum aliqua eſt potentia, exiſtimant illam ſua virtute eſſe partam, aut certè à maioribus ad ſe tranſmiſſam, ſua virtute, ſapientia atque induſtria conſeruari & augeri. Hac igitur cogitatione inflati, animos ſumunt & ſuperbiunt: nec tantùm homines reliquos præ ſe contemnunt, ſed Deum ipſum in cælis rident, eíque ſe opponere audent: ſicut Nabuchdonoſor apud Danielem c. 4. dicit, Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in robore meo? atque hac admiratione & fiducia ſuæ potentiæ inflatus erigit idolum quod vult adorari ab omnibus. Hũc inanem faſtum & iactantiam vt ipſis adimat hic rex, iubet vt cogitent ſe non eſſe αὐτοχειροτονήτους ſeu αὐτοδυνάστας, qui ſua virtute ſibi imperia compararint: ſed tãtùm eſſe miniſtros Dei, à quo quicquid habeant potẽtiæ & virium, accipiant, iíſque ad gloriam Dei celebrandam & propagandam vtantur.

Filij fortium.] Valde diſcrepãt interpretes in redditione nominis אלים Græcus interpres, quem ſequitur vulgata tranſlatio, habet filij Dei. Et filios Dei nonnulli interpretantur angelos. Nam & Iob. 38. filij Dei dicuntur angeli. Hieronymus reddidit, Afferte Domino filios arietum, quem alij nonnulli ſequuntur. Atque hi omnes vocis affinitate ſunt decepti. Nam nomen אל quanquam Deo tribuitur ſæpe, tamen idipſum à potentia & robore factum eſt, ſignificátque nomen אל & potentem & potentiam.

Eſt autem huic aliud nomen vicinum איל, quod arietem ſignificat, fortè quòd firma cornua habeat in fronte prominentia, quibus iniuriam propulſat, idque in plurali regulariter habet אילים non אלים. Doctiores itaque omnes ita interpretantur vt nos reddidimus: ſed in expoſitione rurſus variant. Alij enim pro filiis fortium intelligunt ſpiritus cæleſtes ſeu angelos, quorum ſit præcipuum inter creaturas robur, alij caſtra, alij potentes intelligunt patres, Abraham, Iſaac & Iacob, &c. & filios fortium intelligunt Iudæos natos ex his. Sed phraſis huius linguæ eſt vt nomen filius, ſi accedat genitiuus, ſæpe ſignificet alicui rei addictum, & tanquam proprium, ſicut filius eſt patri. Inde pſalmo 89. Filius iniquitatis dicitur homo iniquus & iniquitati addictus. Item, filius mortis, 1. Samuel. 20. pro addictus, ſeu adiudicatus morti, & de quo iam conſtitutum eſt vt moriatur. Ita filij fortium intelliguntur homines potentia aliqua prædicti, quam tanquã propriam ſibi vendicant, aut hæreditario iure traditam habent. Sicut Eccleſiaſtes 10. Beata tu terra, cùm rex tuus, filius eſt nobiliũ, id eſt, generoſus, vt ſunt verè nobiles, hoc eſt, qui eſt amans virtutis eíque addictus.

Afferte gloriam] Id eſt, agnoſcite, vos omnem gloriam & potentiam habere ab hoc vno Domino, eáque ita vtimini vt vos ipſius imperio reuerenter ſubiiciatis: non ſuperbiatis fiducia potentiæ & virium veſtrarum, non ad oppugnandum Deum aut ipſius eccleſiam, aut bonos, non ad turbanda regna & politias honeſtè conſtitutas, non ad cupiditates iniuſtas explendas eas conferatis: ſed potiùs tanquam miniſtri & vaſalli Dei ad celebrandam & amplificandam ipſius gloriam, in genere humano. Id fiet ſi curetis rectè doceri verbum Dei & adminiſtrari ſacramenta diuinitus inſtituta, ſi foueatis ſtudia doctrinarum, quarum vſus ad intelligendam doctrinam cæleſtem eſt neceſſarius: denique, ſi operam detis vt vniuerſa veſtra gubernatio ſeruiat gloriæ diuinæ.

Gloriam nominis eius] Id eſt, dignam eius nomine & maieſtate: quaſi diceret, agnoſcite ipſum eſſe omnipotentem, & omnia ipſius imperio eſſe ſubiecta.

Adorate] Verbo adorandi complectitur totum cultum ſpiritualem & Deo placentem, qui conſiſtit in vera agnitione, fide, timore & inuocatione Dei, iuxta verbum ab ipſo patefactum & eccleſiæ traditum, atque ideo facit mentionem ſanctuarij, quod ſymbolum erat præſentiæ Dei in hoc populo, & teſtimonium, quòd hunc cultum ſibi iuxta ſuum verbum præſtitum gratum haberet, vt hac mentione cunctos reges à ſuperſtitioſis cultibus ad vnicum illum verum cultum, quem Deus ſuo verbo approbauerat, reuocet. Adorare igitur in ſplendore ſanctuarij aut ſplendido ſanctuario, eſt colere Deũ iuxta verbum in hoc populo patefactum, abiectis omnibus ſuperſtitionibus, quæ non ſunt approbatæ expreſſo verbo aut teſtimonio diuino.

Alij reddunt: In ornatu ſancto, hoc eſt, pontificio, per quem iudicant intelligi iuſtitiam fidei, de qua Ieſaias 61. concionatur, Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me veſtimenta ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me. Hæc allegorica non reiicio. Habent enim ſuum locum in exornanda atque amplificanda oratione: ſed primùm quærenda eſt natiua ſententia, quam gignit Grammatica.

3 Vox Iehouæ [*eſt*] ſuper aquas: Deus gloriæ tonat: Iehoua [*tonat*] ſuper aquas multas [*ſeu magnas.*]

Sequitur confirmatio propoſitionis, in qua rationes adducit, quæ mouere principum animos debent, ne ſuæ potentiæ aut viribus nimium tribuant: ſed vnius Dei potentiæ & imperio ſe ſubeſſe agnoſcant. Ducit autem illa argumenta non ab ordinariis Dei operibus, quæ tamen ipſa ſapientiam & potentiam Dei luculenter oſtendunt: ſed quia illa ferè ab omnibus tanquam communia & omnibus obuia negliguntur, ſumit alia à miraculis naturæ, à tonitruis, fulminibus, &c. vt dictum eſt in argumento. Nam hæc euidentiùs potentiam diuinam oſtendunt ad homines Epicuręos, eóſque conuincunt, vt velint nolint, fateri cogantur eſſe aliquod numen, cuius ſapientia & potentia hic orbis non tantùm ſit conditus, ſed huc vſque gubernetur.

Vox Iehouæ) Quaſi dicat, Si non mouent vos illa ordinaria opera naturæ, quibus Deus notas ſuæ ſapientiæ & potentiæ impreſſit: moueant ſaltem vos illa horribilia tonitrua, quę toties edit, ad quorum fragorem expaueſcunt omnes creaturæ.

Vox Domini] Quid per vocem Domini intelligat, ipſe mox oſtendit, cùm inquit, Dominus intonat. Sunt enim tonitrua voces ſeu ſonitus Dei virtute editi, quibus de ſua potentia & robore teſtatur, & cùm reliquas creaturas, tum principes excitat, vt cogitent eſſe aliquẽ Deum, cuius vires ſuperent omnium creaturarum potentiam & robur.

Aquas] Intelligit nubes aquoſas, in quibus illa tonitrua excitantur.

Deus gloriæ intonat) Id eſt, edens ſuam vocem in nubibus facit conſpicuam ſuam gloriam, maieſtatem & potentiam.

Vox Iehouæ ſuper aquas multas.) Tertiò idem repetit: quia ſcit ſibi negotium eſſe cum hominibus præfractis & contumacibus, qui, niſi huiuſmodi fulminibus concuciantur & expergeſiant, nunquam ſe ita ſubmittunt vt opinionem & fiduciã potentię ſuę deponant, & Dei imperium agnoſcant. Aquas multas vocat nubes, quę concuſſæ iſtis tonitruis, & reſolutæ, poſtea magnam copiam aquarum effundunt. Hæc ſimpliciſſima eſt huius verſus ſententia, cum qua, quæ ſequuntur, aptè cohærent.

Qui allegorias ſequuntur, vocem Domini interpretantur de voce doctrinæ ſonante in miniſterio, cum qua voce Deus per Spiritum ſuum ſimul eſt efficax, mouet corda, & accendit nouam lucem, agnoſcentem primùm peccata, deinde iuſtitiam Dei, recipientis omnes confugientes ad ſe propter Filium: ſicut dicitur Act. 2. His auditis compuncti ſunt corde, & ad Heb. 4. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinque incidente, &c. Et hanc vocis diuinæ in miniſterio efficaciam, quaſi præludio ſeu typo quodam adumbratam eſſe intelligunt tempeſtatibus editis in monte Sina, ad quarum vocem populus contremiſcens non audet prodire in conſpectum Dei. De hac enim tempeſtate hunc locum interpretantur.

4 Vox Iehouæ in virtute: Vox Iehouæ in decore [*gloria, ſplendore, magnificentia.*]

Pergit in deſcriptione tonitruum. Non ſunt tonitrua inanes ſonitus, aut rauca tantùm cæli murmura, quæ celeriter aures præteruolent: ſed, vt Lucretius inquit, *Concuſſa tonitru tremunt omnia:* & habent vim mirabilem, ſicut poſtea ipſe dicit.

In decore] Seu magnificẽtia: id eſt, habet admixtas flammas,

quæ

quæ reddunt ei quaſi magnificentiam, vt maiore cum metu & reuerentia audiatur. Poſſunt tamen etiam hæc ad magnificẽtiam quæ in ſono eſt referri, vt eadem ſententia bis mutatis verbis exprimatur.

Qui allegoriis inſiſtere vult, cõmodè hæc ad miniſterium euangelij referre poteſt. Vox ſonans in miniſterio, nõ eſt inanis ſonitus, ſed mouet & percellit corda, vt aliquam reuerentiam & metum concipiant: & habet admixtas flammas Spiritus ſancti, qui accendit in cordibus nouam lucem, & nouos motus congruentes cum lege Dei.

5 Vox Iehouæ confringit cedros, & confringit [*Iehoua*] cedros Libani.

Expolitio eſt præcedentis verſus, & amplificatio ab effectu. Tanta eſt vis tonitruũ vt proceriſſimas quaſque arbores proſternat, & deiiciat, & quidem cedros Libani, quæ à proceritate & magnitudine commendantur.

Subeſt autem his verbis & ſequentibus tacita comparatio à minori, qua humani cordis duritiem incuſat: quòd brutę ſcilicet mundi partes, vtpote arbores, montes, feræ, ad tonitrua contremiſcant, & ad obſequium Deo præſtandũ præſto ſint: ſoli homines ſenſu & ratione prædit, ita obduruerunt, vt ad eorum ſenſum & animos iſta vox quantumuis ſonora nõ penetret. Sed ſicut cedros altiſſimas vno momento deiicere poteſt: ita etiam humana corda, & imprimis illa quæ tumẽt perſuaſione ſapientiæ & fiducia virium, tandem ſubigit Deus, vt ſe huius imperio ſubdere diſcant. Nam per cedros intelligit ἀλληγορικῶς quicquid eſt eximium in mundo.

6 Et exilire facit eas ſicut vitulum: Libanum & Sirion, ſicut filium vnicornium.

Hypotypoſis eſt quã depingit illam vehementem terræ cõcuſſionem, qua montes ferè à radicibus videntur conuelli. Illa tonitrua vel terræmotus (nam etiam de his videtur loqui) ita terram & inprimis altiſſimos montes concutiunt vt quaſi ſubſilire videantur.

Libanum & Sirion nominat, ponẽs ſpeciem pro genere, quia illi montes erant Iudæis notiores. Libanus à Septentrione claudebat Iudęam. Huic adhæret mons Hermon deſcendens à Libano verſus meridiem, & nonnihil ad occaſum vergens. Eum montem, vt Moyſes, Deuter. 3. ſcribit. Sidonij vocabant Sirion, Amorrhei Sanir.

7 Vox Iehouæ excĩdit flammas ignis.

Id quoque non contemnendum eſt miraculum, & maximum potentiæ diuinæ argumentum, quòd è medio nubium & aquarum flammas ignis eiaculatur, cùm naturæ ignis nihil æquè ſit contrarium atque illa vis aquarum quæ iſtis denſis nubibus continetur. Diſputant autem Phyſici de his cauſis eruditè, quantum ad propinquas cauſſas attinet: ſed omittunt ferè id quod præcipuum eſt, & de quo hic pſalmus nos monet. Ita enim de his cauſſis diſputant vt animos tantùm in contemplatione naturæ retineant, non ſurſum attollant, vt ad pietatem nos erudiant, quod præcipuum in his eſſe debet. Ita igitur audiendæ ſunt illæ diſputationes Phyſicorum, ne in his conſiſtamus.

8 Vox Iehouæ contremiſcere facit deſertum: contremiſcere [*inquam*] facit Iehoua deſertum Cades.

Supra de monte Libano dixerat, quòd ad tonitrua ſubſiliat: nunc idem dicit de deſerto Cades, rurſus nominans ſpeciem pro genere. Nam illa loca erant Iudæis notiora. Cades enim deſertum claudebat Iudæam à meridie. Hoc deſertum dicit contremiſcere concuſſum tonitruis. Quanquam plerique ſynecdochicῶs pro feris deſertum incolentibus accipiant. Nam ita ferè fit vt, cùm ſolitudines per ſe ſint horridæ, plus illic terroris incutiant tonitrua: ita quidem, vt beſtiæ, ſæuiente tẽpeſtate, ſaltus & nemora linquant.

9 Vox Iehouæ facit parturire ceruas, & denudat ſyluas: Et in templo eius quiſque dicit gloriam.

Per ceruas rurſus ſynecdochicè intelligit omnes feras. Sed ceruarum præ cæteris mentionem fieri exiſtimant ob difficilem partum, vel quòd perterrefactæ tempeſtatum violentia ſæpe abortiant.

Denudat ſyluas] Id eſt, venti illi procelloſi decutiunt folia & ramos: alij reddunt, detegit ſyluas, id eſt, in abditiſſimos receſſus ſeu ſpecus penetrat.

In templo eius quiſque dicit gloriam] Id eſt, in illis horrendis tempeſtatibus, cùm tota rerum natura concutitur & contremiſcit, ſola Dei eccleſia adeo non perterreſit, vt populus vniuerſus ad templum Dei conueniat, eiúſque laudes & gloriã celebret. Nam vt mundo impio illa tonitrua ſunt ſigna iræ Dei: ita pios commonefaciunt de potentia Dei, qua inſtructus delere poſſit hoſtes eccleſiæ, & ſuis laborantibus opem ferrẽ. Hac igitur fiducia erecti & confirmati laudes Deo dicunt, qui oſtendat ſe nondum ita exarmatum eſſe quin poſſit aduerſarios ſuos repellere: & in poſterum nouas de ſua ſalute ſpes concipiunt. Ita vox Dei quæ aliis terrorem incutit, pios conſolatur, & ad celebrandam gloriam Dei inuitat. Id verò exemplum imitari totum genus humanum decebat. Eſt autẽ notandum, quod dicit, in templo eius dici Deo gloriam, quia etiam inter gentes, qui ſunt ſaniores, agnoſcunt Dei potentiam & ſapientiam, cùm in reliquis creaturis, tum verò in illis miraculis, de quibus hactenus dictum eſt: ſed interea non dicunt Deo gloriam: quia non adiungunt ſe ad illum cœtum qui ad hoc templum conuenit. Nec enim alibi tunc rectè celebrabatur quàm in illo populo, in quo ſe patefecerat: & nunc non alibi quàm in eccleſia.

Mouit hic verſus nonnullos interpretes, vt iudicarent pſalmum hunc in eum vſum à Dauid eſſe conſcriptum, vt in magnis tempeſtatibus & tonitruis à populo frequente decantaretur in templo: quod quidem mihi fit valde veriſimile, præſertim cùm rurſus in fine ferè eandem ſententiam repetat. Fortaſſis enim in prima gentium eccleſia pij conuenerunt orandi gratia, quoties videbant ingruere tempeſtates, quod tinnitus campanarum in pleriſque locis indicat: qui tamen nunc in ſuperſtitionem abiit.

10 Iehoua ad diluuium ſedet: [*præſidet*] & ſedet Iehoua rex in æternum.

Pergit in deſcriptione tempeſtatis ſuprà inſtituta. Dominus, inquit, potentiam ſuam oſtendit illis denſiſſimis imbribus, quos deſuper inter tonitrua inſtar diluuij ita effundit, quaſi mox obruiturus ſit orbem terrarum multitudine aquarum & inundatione: & tamen eoſdem rurſus mox cohibet & ſedat cùm vult, vt oſtendat, ſe totius naturę curſum habere in manu, & gubernare ac moderari omnia pro ſuo conſilio & prouidentia. Ideo addit concluſionis loco, Deum in æternum præſidere regem, id eſt, nihil horum vnquam fieri caſu, aut materia elementari temere ſic concurrente: ſed omnia gubernari perpetuò in hoc mundo, & adminiſtrari diuina prouidentia, & potentia.

Alij interpretes diluuium interpretantur de diluuio Nohæ, & exemplo Petri ad baptiſmum accommodant. Regnat Chriſtus in ſua eccleſia per vocem euangelij & per Baptiſmum, atque ita colligit ſibi eccleſiam, quam ſecum aſciſcit in ſocietatem regni perpetuò duraturi.

11 Iehoua virtutem [*robur*] populo ſuo dabit: Iehoua benedicet populo ſuo in pace.

Concluſio eſt, quà rurſus omiſſis impiis & hoſtibus populi, conuertit ſe ad eccleſiam, vt antea verſu 9. Docet enim quomodo affecti ſint pij, dum audiunt cœlitus tonare vocem Domini, & concuti totum orbem terrarum metu & timore: & quid vtilitatis ex conſideratione potentiæ diuinæ, quam ipſis tempeſtatibus oſtendit capiant. Dum totus, inquit, orbis concutitur metu, atque adeo ſummi reges & principes, quos notare appellatione cedrorum videtur, expaueſcunt, Deus hac ipſa voce dat robur, id eſt, confirmat populum ſuum, ne animis frangantur propter pericula & calamitates, quæ foris ab hoſtibus & cauſſis ſecundis offeruntur, & poſtea ita confirmatos cumulat omni genere bonorum.

Vox שלום non tantùm pacem, ſed reliqua bona omnia complectitur, neceſſaria corpori & animæ.

PSALMI XXIX.

PARTES.

I. Hortatio ad Dei laudem, principibus viris, imo omnibus pietatem profitentibus propoſita v. 1. & 2.

II. Expoſitio, laudis argumenta continens. Horum duo ſunt genera. 1. Communia, quæ palam omnibus rebus creatis offeruntur, vſque ad finem verſus 9. Vnum verò tantùm genus exempli cauſa ponitur, à quo cætera cognoſci poſſunt: nempe tonitrua, cuius natura oſtenditur primùm à vehementia, v. 3. & 4. Deinde ab effectis, 5. 6. 7. 8. 9. verſibus. 2. Glorioſa: quæ tamen particulæ ſunt duntaxat illius

gloriæ quam Deus explicat in eccleſia ſua, non tantùm opere externo, ſed etiam prædicatione verbi.

III. Deſcriptio gloriæ, quam Deus Eccleſiæ ſuæ teſtatur. 1. A ſempiterna maieſtate eius, tum in diluuio Noachi, tum initio, ſeu prima die creationis rerum, tum ab æterno: v.10. 2. Deinde à potentiſſimo fauore & beneficentiſſima communicatione erga Eccleſiam. v.11.

Observationes locorum doctrinae.

1.2 Quũ principibus huius mundi, ſuperbia ebrijs, nihil magis tritũ ſit quam altitudine ſua ad ſacrilegium abuti, dũ ſibi furioſè arrogant quicquid Deo proprium eſt, vt omnipotenti domino modeſtè ſe ſubijciant, & ſuæ fragilitatis memores recumbant in eius gratiã, meritò iubentur tribuere Deo robur & gloriam. Et certè, quandiu falſa imaginatione deluſi dignitatem ſuam ſibi aliunde quàm è cœlo ſuppetere ſomniant, Deúmque ſua gloria fruſtrantur: ideo vehementiùs vrgendi ſunt, vt illis extorqueatur iuſta confeſſio.

Qui neglecto vel contẽpto vero Deo mortalibus plus quàm par eſt tribuunt & præcipuè in rebus ad animæ ſalutem pertinentibus hominum placita ſequuntur, Deum gloria & virtute ſua ſpoliant, ſiúntque idololatrarum peſſimi.

3.4 Vt malo nodo durus cuneus adhibendus eſt, ita torpentes & ſomnolenti, quales ſunt principum & magnatum non pauci, acriùs pungendi & quaſi reluctantes trahendi ſunt ad Deum in ira ſua terribilem ſuppliciter adorandum. Nec enim contumaces & ſuperbi libenter cedunt niſi terrore ſubigantur.

5.6.7.8 Superbi omnes prorſus inſaniunt qui vocem Dei igni coruſco nubila diuidentem, & validiſſima quæque deijcientem non audiunt. Portentum enim eſt, & quidem horrẽdum, vbi omnes brutæ mundi partes coram Deo tremunt, ſolos homines ſenſu & ratione præditos non moueri.

Philoſophia naturalis, diuinæ lucis veſtigium, & gratiæ Dei beneficium illuſtre, horrendo omnipotentis iudicio terrena & diabolica ſcientia fit ijs omnibus qui in naturæ contemplatione hærentes à Deo auertuntur, eiuſdémque gloriam tollunt vel ſuis commentis obſcurant. vide Rom.1.

A meteoris & ſecundis ac medijs cauſis ad primam, nẽpe ad ſummum illum mundi opificem & Dominum, pij aſſurgunt. Vide pſal. 104. & 107. Delirant enim quicunque ex medijs illis cauſis vela ſibi contexunt, ne manum Dei palam operantem agnoſcere cogantur. Contrà, verè philoſophicum & laude dignum acumen eſt, vehiculis iſtis attolli in cælum vſque, vt non tantùm confuſus ſonitus feriat noſtras aures, ſed vox Domini nos ad pietatem erudiat.

9 Deteſtabilis eſt ſocordia, raris & inſolitis Dei operibus, quæ feras beſtias ad obſequium cogunt, homines non doceri.

Inuia omnipotentis Dei brachio & voci nulla eſt via, nulliſque integumentis aut præſidijs arcetur, quominus in abditiſſimos quoſq; receſſus penetret.

Vox Dei mundum equidem implet, ſed partim vt terreat homines, partim vt ſtupidos relinquat. At in eccleſia non modò articulatè loquitur, ſed blandè etiam fideles ad ſe inuitat. Et certè ſola eſt ſalutis doctrina quæ Dei gratiam omnémque volũtatem nobis clarè patefaciens corda noſtra exhilarat, oráque noſtra aperit ad canendas eius laudes. Nam quicquid de pietate & religione philoſophorum ſchola diſſerit, non modò frigidum eſt, ſed ferè inſipidum. Ergo in ſolo Dei verbo lucet veritas quæ nos ad veram pietatem adducat.

10 Quum maxima aeris intemperie videntur elementa inter ſe miſceri & confundi, Deus tamen è cæleſti ſolio ſuo regit, ac moderatur iſtas perturbationes. Nihil ergo fortunæ aut cauſis medijs tribuendum, ſed creatoris omnipotens ſapientia & bonitas eſt humili mente ſuſpicienda.

11 Deus quãuis promiſcuè virtutem ſuam toti mundo viſibilẽ exhibeat: peculiari modo tamen eam in eccleſia ſua exerit. Suos enim domeſticos non formidine terret, ſed ſuſtentat, fouet ac confirmat, ita vt nihil ad proſperum vitæ curſum plenamq; beatitudinẽ deſit. Vnde diſcunt ſic Dei imperium revereri vt tamen ab eo felicia omnia ſperent: & quantum ipſe valet immenſa potentia, certò perſuaſi ſunt ſe inuicto præſidio eſſe munitos.

Articuli praecipui.

1. Omnium piorum, præſertim Magiſtratuum, officium in eo conſiſtit, vt Deo gloriam & laudem ſartam tectam conſeruent.
2. Phyſices & Meteorologiæ veræ conſideratio.
3. Tonitrua, ſonori diuinæ potentiæ & gloriæ teſtes.
4. Vox Dei duplex: terribilis in mundo, gratioſa dulciſque in Eccleſia.
5. Impiorum & piorum ad Dei voces terrificas & clementes audiendas ingenium.

ARGVMENTVM PSALMI XXX.

PSALMVS triceſimus eſt εὐχαριστικός. Agit enim Dauid gratias Deo, non tantùm quòd defenſus ſit & ſeruatus aduerſus vim iniuſtam ſuorum hoſtium, qui exitium ei minabantur: verùm etiam quòd ex grauiſſimis tentationibus & animi morbis ſit liberatus: qui quales fuerint, aut vnde extiterint, etſi ipſe non ſatis exprimit, tamen quantum ex verbis eius colligi poteſt, tanti fuerũt dolores, vt his penè ſit abſorptus. Deinde ſuo exẽplo ſanctos omnes hortatur, vt Dei erga ſe amorem defenſione perpetua totius eccleſiæ & ſingulorum membrorum agnoſcant & celebrent. Ideo enim exempla liberationum proponuntur, vt teſtentur, Deum iuxta ſuas promiſſiones adeſſe eccleſiæ laboranti in hac vita, exaudire eam, defendere & liberare: atque ita ſingulos ad fidem & inuocationẽ excitent. Abſoluta gratiarum actione, cauſſas horum malorum explicat: deplorat enim ſuam ſecuritatem, quòd in rebus ſecundis elatus admiratione ſuæ potentiæ & virium nimiùm ſibi indulgere ac blandiri cœperit, quaſi qui aduerſus omnem vim externam ita eſſet munitus & paratus vt deijci ipſe de ſuo ſtatu, aut labefactari eius vires non poſſent. Hanc ſecuritatem eius atque indulgentiam mox ſecutæ ſunt pœnæ, in quibus, cum conſpectu præſentiæ & bonitatis Dei aliquãtiſper priuatum ſe ſentiret, mox in triſtiſſimos dolores & metum de perpetua ſui abiectione & damnatione fuit coniectus. Hæc tentatio initium aliquod & guſtus fuit illorum inenarrabilium dolorum, quos impij ſentiunt in omni æternitate. Oſtendit autem ſe in his tantis doloribus non abieciſſe omnem fidem, nec ſuccubuiſſe tentationibus, ſed rurſus erectum ſpe promiſſionis, & ſtudio celebrandæ gloriæ Dei, confugiſſe ad miſericordiam diuinam, & petiuiſſe liberationem, quam etiam impetrarit. Ita redit ad primam propoſitionem, & pſalmum claudit gratiarũ actione, à qua exorſus erat, affirmans, Dei beneficio ſe rurſus emerſiſſe ex illis doloribus, & quaſi ex inferorum faucibus retractum, in vitam reſtitutum eſſe. Huius beneficij memoriam nunquam ſe eſſe depoſiturum, ſed perpetua animi gratitudine, ac voce celebraturum pollicetur.

PSalmus cantici dedicationis domus Dauid.

Titulus occaſionem pſalmi ſcribendi indicat: ſed in explicatione variant interpretum ſententiæ. Nonnulli enim exiſtimant dedicationem domus intelligendam eſſe de illa templi dedicatione, quæ facta eſt poſt reditum populi ab exilio Babylonico, cùm ſuaſu Haggæi templum eſſet reſtitutum: & autorem pſalmi fuiſſe iudicant quempiam ex prophetis, Zachariam videlicet, vel Haggæum, vel alium quempiam. Sed cùm disertè titulus nomen Dauidis exprimat, non video cauſſam cur vel ad illud tempus pſalmum referamus, vel de templi dedicatione interpretemur. Sequamur igitur ſimplicem ſententiam, & ſciamus pſalmum conſcriptum eſſe quando Dauid ſuam domum, quam ſibi conſtruxerat, dedicare voluit.

Sed

Sed hic quoque nodus occurrit explicatu non minùs difficilis. Nam cùm mentio fiat domus Dauid, de qua ſcribitur 2. Sam. 5. exiſtimant nonnulli hanc dedicationem tunc factam eſſe quando primùm inhabitare cœpit eas ædes: & dolores de quibus hic dicitur, intelligunt fuiſſe quendam grauem morbum quo ante illud tempus laborauerat. Sed ſi quis paulò attentiùs pſalmum aſpiciat, & hiſtoriam Dauidis huc conferat, videbit dedicationem hanc non ad illud initium inhabitationis, ſed ad aliud tempus eſſe referendam. Quanquam enim credibile eſt, Dauidem, cùm arcem Sion eiectis Iebuſæis cepiſſet, non inhabitaſſe eam, niſi priùs ritibus iſti genti vſitatis, quaſi expiatam & ſanctificatam: tamen hiſtoria oſtendit, animo Dauidem tunc fuiſſe tranquillo: & quidem diſertè affirmat textus 2. Sam. 5. Dauidem tunc, cùm inhabitare cœpiſſet ſuum palatium, cognouiſſe quòd Dominus confirmaſſet eum in regem, & quòd exaltaſſet regnum eius ſuper populum: quod cùm hic penè iiſdem verbis dicat Dauid, & dolores, quorum mentionem facit, ſecutos deinceps fuiſſe ipſe affirmet, credibile eſt pſalmum hunc multò poſt fuiſſe à Dauide conſcriptum: eóque magis à vera ſententia aberrant, qui ad Saulis tempora hunc pſalmum referendum cenſent. Quomodo enim dedicaret domum quam nondum occupauerat?

Exiſtimant autem nonnulli hanc dedicationem referendã eſſe ad illud tempus, quando poſt interfectum Abſalomũ Dauid rediit in regnum, & compoſitis motibus à filio excitatis rurſus habitare in domo ſua regia cœpit. Nam & titulus & tota querela pſalmi de ingentibus pauoribus & doloribus, quibus aliquandiu fuerit oppreſſus, cõmodiſſimè huc referri poſſũt. Primùm enim, quod ad dedicationem attinet, teſtatur hiſtoria, domum Dauidis inceſtis, ſtupris, aliiſque ſceleribus pollutam ac contaminatam fuiſſe à filio Abſalomo, vt non minùs tunc noua dedicatione fuerit opus, quàm cùm Iebuſæis idololatris eiectis primùm eam inhabitare cœpiſſet: nec reditus ille Dauidis ad regnum aliter æſtimandus eſt quàm ſi primùm ad regnum tunc fuiſſet euectus.

Deinde, quod hic de ſecuritate ſua queritur & fatetur, nequaquam poteſt hoc de illo tempore quod anteceſſit mortẽ Saulis, aut quod paulo poſt ſecutum eſt, intelligi. Ita enim Dominus tunc eum exercuit, quod hiſtoria & plerique pſalmi oſtendunt, vt à deſperatione maius fuerit ei periculum quàm à ſecuritate. Sed cùm occupata arce Sion, & vicinis Palæſtinis, Moabitis, Ammonitis, Syriis & aliis hoſtibus multis ſecundis prælijs conciſis & deuictis, iam confirmaſſet regni vires, & omnibus factus eſſet formidabilis, redditus ſecurior atque inſolentior, remittere nonnihil de ſtudio pietatis, atq; indulgere ſibi cœpit, adeo vt coniugem alterius raperet, & maritum eius interficeret. Secutæ ſunt igitur pœnæ, quando excuſſus regno ab Abſalomo filio, coactus eſt videre diſtractionem regni, ſtupra & inceſtas libidines ſui filij, cædes multorum ſanctorum hominum, & alias calamitates infinitas: quas quia ſuis delictis prouocaſſe, ſéque horum malorum omnium autorem eſſe non ignorabat, incidit in hos triſtes & horrendos dolores, in quibus cum æterna morte & doloribus inferorum ei fuerit luctandum. Quòd igitur ex his doloribus fuerit retractus, atque in vitam diuinitus reſtitutus, & oppreſſis hoſtibus rurſus in regno confirmatus, id beneficium videtur hoc pſalmo celebrare: atque huius ſuæ lætitiæ quaſi ſymbolum eſſe voluit iteratam domus ſuæ dedicationem.

Cæterùm de dedicatione ædium, etſi, qualis illa fuerit, & quibus ritibus peracta, ſciri non poteſt: tamen in genere monendi ſunt auditores, voce diuina illos ritus fuiſſe inſtitutos, ſicut ex 20. cap. Deuter. apparet, vbi egreſſus ad bellum, ſi domum ſuam nondum dedicauit, iubetur reuerti in domum ſuam, eámque dedicare, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam. Et Nehem. 12. fit mentio dedicationis murorum Ieroſolymæ. Erátque hic ritus, ſicut cæteri & exercitium pietatis, & commonefactio de multis grauiſſimis rebus. *Primum* enim, quia domus antequam habitaretur, dedicatione, hoc eſt, certo ritu, additis precibus & gratiarum actione, erat conſecranda, monebantur pij, nullius rei vſum ſine oratione & gratiarum actione eſſe legitimum: ſicut & cibum Paulus ait ſanctificari per verbum & precationem. 1. Timoth. 4. id eſt, vſum eius fieri legitimum. *Deinde*, homines in hoc mundo tanquam Dei eſſe inquilinos, qui eis ſedes & hoſpitia attribuat, tanquam οἰκιστής, idque beneficium à piis velle agnoſci & celebrari. *Tertiò*, vt hac dedicatione admonerentur, quamlibet domum debere eſſe quoddam Dei ſacrarium, & ſcholam pietatis & honeſtatis: nec admittendos in contubernium homines impuros & ſceleratos, qui ſua turpitudine atque impietate parietes Deo conſecratos rurſus polluant. *Poſtremò*, noxios & impuros ſpiritus, qui inſidiantur vitæ hominum, piis precibus pellendos & arcẽdos eſſe à noſtris domiciliis, & aditus omnes ipſis præcludendos eſſe, ne ingreſſi, nos & familiam noſtram turbent aut lædant.

Hæc nobis quoque in dedicatione noſtrarum ædium erant cogitanda. Sed nunc ferè tota res verſa eſt in luxum conuiuiorum & plurimas helluationes, quibus & ædes polluuntur, & impuri ſpiritus inuitantur, vt deinceps eas inhabitent.

2 Exaltabo te Iehoua, quia extraxiſti me: & non feciſti lætari inimicos meos de me.

3 Iehoua, Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me.

4 Iehoua, aſcendere feciſti ab inferno animam meam: viuificaſti me, à deſcendentibus in lacum [*ſepulchrum*.]

Orditur pſalmum à propoſitione, & adiicit deinde rationes, in quibus eſt commemoratio beneficij, amplificata à magnitudine periculorum quibus fuerat oppreſſus. Nã quo grauiora ſunt pericula, eo maiorem laudem meretur qui oppreſſum eripit.

Exaltabo te] Id eſt, laudibus efferam & extollã te ſuper omnia. Non enim aliter exaltari à nobis poteſt Deus, quàm cùm beneficia eius celebrantur.

Quia extraxiſti me] Id eſt, Quoniam liberaſti me ab illis ingentibus pauoribus & doloribus, quibus eram obrutus. Sedebam enim quaſi in profundo, & opaco ſpecu, immerſus perpetuis tenebris, hoc eſt, pauoribus & doloribus, in quib. nulla lux ſeu cõſolatio mihi oſtendebatur. Tu verò extractum eduxiſti me in lucem, vbi auram vitalem haurire poſſem, hoc eſt, depulſis illis tenebris & doloribus erexiſti animum meum noua conſolatione, & ab interitu vindicaſti.

Verſio Tigurina habet, Quoniam attriuiſti me: ſed דלה ſignificat propriè haurire aquam ex puteo, & ſubuehere in altum. Eſt autem aliud vicinum דלל, quod quanquam ipſum quoque ſignificat haurire, ſeu exhaurire, tamen ſæpè ex conſequenti etiam ſignificat exhauriendo attenuare, & ad inopiam redigere: eò igitur reſpexit interpres ille. Verbum ſuſcepiſti, quo Græcus & Latinus vtitur, non ſatis exprimit vim vocis.

Et non feciſti] II. ratio, nõ præbuiſti hoſtibus meis, qui iamdudum me extinctum cupiunt, materiam lætitiæ, nec permiſiſti vt ſuos conatus perficerent, atque animum explerent. Ipſi quidem hoc ſummis votis exoptabant vt perpetuò exularem, & mœrore extinguerer, tu verò hanc illorum ἐπιχαιρεκακίαν & ſpem confudiſti & conuertiſti in luctum.

Iehoua, Deus meus, ad te clamaui.] III. ratio, quia inuocantem exaudiuiſti.

Et ſanaſti me] Ex his verbis nonnulli colligunt, Dauidem poſt morbum aliquem hunc pſalmum conſcripſiſſe, & totam commemorationem de magnitudine periculorum interpretantur de morbo, quo penè fuerit extinctus. Sed ſanatio illa de qua hîc loquitur, nõ tam de corporis ſeu valetudinis quàm animi reſtitutione eſt intelligenda, ſicut & pſalmo 41. cùm inquit, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Quanquam fieri non poteſt quin animo laborante corpus etiam affligatur. Nã, vt Salomon inquit, Spiritus triſtis exiccat oſſa. Ideo rectè vtitur verbo ſanandi.

Iehoua, aſcẽdere feciſti à ſepulchro animam] Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ. Ego, inquit, penè extinctus & oppreſſus eram illis doloribus: ſed tu Domine retraxiſti me quaſi ex faucibus mortis & inferorum. Viuificaſti me à deſcendendo me, id eſt, ne deſcenderem, vel, vt alij, ne cum aliis deſcenderem in lacũ: id eſt, ſeruaſti & vindicaſti me ab interitu.

Si legas מירדי, erit participium, quale legitur & pſalmo 28. Si verò legas מירדי, vel מיורדי, vt annotat Maſoreth, erit ſecundùm Rabi Dauid infinitiuus cum affixo primæ perſonæ.

5 Pſallite Iehouæ pij eius: & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

Poſtquam ipſe gratias egit, alloquitur totam eccleſiam, eámque hortatur vt ſuo exemplo diſcat agnoſcere & celebrare bonitatem Dei in defenſione & liberatione ſuorum. Ita ſuum exemplum accommodat ad vniuerſam eccleſiam, & ab vna ſpecie tranſiens ad totum genus, generalem inde doctrinam extruit. Sicut enim ipſe mirabiliter in tantis doloribus & tentationibus erat ſeruatus: ita quocunque tempore affirmat vniuerſam eccleſiam ſeruari & liberari in variis ærumnis, calamitatibus & doloribus. Hanc igitur bonitatem & amorem diuinum erga ſuos vult ab omnibus agnoſci, celebrari & prædicari.

חסיד ſignificat beneficum, qui naturali quadam φιλοστοργίᾳ aut φιλανθρωπίᾳ multis benefacit, nullis meritis prouocatus. Sed in pſalmis, cùm piis & fidelibus tribuitur hæc appellatio, videtur potiùs paſſiuè accipienda eſſe quàm actiuè. Significat enim eos qui bonitatem, miſericordiam & amorem diui-

num experiuntur, quóſque Dominus ſuo amore & στοργῇ cõplectitur, vel, qui toti à bonitate & φιλοστοργίᾳ Dei pendent. Quanquam interea hoc quoq; ſciendum eſt, ſanctos, qui experiuntur & ſentiunt ſe diligi à Deo, & quidem amore gratuito, eo ipſo accendi ad beneficentiæ ſtudiũ, vt aliis ſimiliter, exemplo patris ſui qui ſolem ſinit oriri ſuper bonos & malos, benefacere ſtudeant.

Laudem dicite memoriæ ſanctitatis eius] Memoriam accipiũt interpretes pro nomine. Nomen autem id eſt quo ſe in aſſidua defenſione & liberatione ſuorum agnoſcendum præbet. Videlicet quòd ſit bonus, miſericors, quòd afficiatur calamitate ſuorum, & qui curam eorum agat. deinde quòd ſit potens, qui eripere ſuos poſſit. His operibus, quæ in defenſione eccleſiæ conſpiciuntur, reddit ſe memorabilem Deus, & quaſi nomen inter homines ſibi comparat. Ideo memoriam pro nomine accipiunt: eſtque hoc nomen ſanctum, quod non agnoſcitur à profana multitudine, nec celebratur. Laudatur igitur memoria Domini, dum hæc opera eius celebrantur. Alij tamen memoriam referunt ad tabernaculum, quod erat memoriale præſentiæ eius. Quod igitur dicit, Confitemini memoriæ, id ita interpretantur, Proſternite vos ad arcam &c. vt ל ſit locale.

6 Quoniam momentum in ira eius: vita in beneplacito eius. Veſperi morabitur fletus, & mane exultatio [*ſcilicet erit.*] *Verbum enim ſubſtantiuum ſubinde omittitur ab Hebræis.*

Subiicit adhortationi generalem doctrinam, quam ex ſuo exemplo & conſideratione perpetuæ defenſionis eccleſiæ colligit.

Ira eius eſt momentanea) Id eſt, etiamſi iraſcitur Deus & punit, tamen non eſt tenax offenſionum: citò enim remittit irã, imò in ipſis pœnis eam moderatur, Ieſa. 54. 2. Corinth. 4. Nec punit vt perdat, ſed vt ad pœnitentiam nos reuocet.

Vita in beneuolentia eius] Vitam opponit momento. accipitur igitur pro longa duratione vel continuo diuturni tẽporis progreſſu, eſtque hæc ſententia: Beneuolentia, qua ſuos complectitur Deus, durat per omnem vitam, & Deus fauorem ſuum prorogat in longum tempus. Ratio verò noſtra contrarium iudicat. Momentum afflictionis iudicat multorum annorum eſſe ſeculum: econtra gratiam Dei, quantumuis diu in nos prorogatam, iudicat eſſe momentaneam. Alij paulò aliter reddunt. Exiſtimant enim ſignificari cauſſam finalem cur Deus puniat ſuos.

Vita eſt in voluntate eius] Id eſt, quærit caſtigati emendationem & conuerſionem: non punit vt occidat, vel, non delectatur hominum interitu.

Veſperi &c.] Repetit eandem ſententiam: ſed figuratè, vt mos eſt huic prophetæ. Tempus veſpertinum intelligit illud quo tempeſtates ingruunt, quæ moleſtias & dolorem afferunt hominibus. Nam ſicut poſt occaſum Solis, euaneſcente luce ingruunt tenebræ, quæ metum & terrores naturaliter afferunt hominibus: ita in calamitatibus oboriũtur nobis dolores, qui animos noſtros variis modis excruciant & turbant. Sed ſicut viciſſitudo eſt dierum & noctium: ita propheta futurum affirmat vt paulò poſt rurſus exoriatur nobis lux, quæ tenebras depellat, & rurſus animos noſtros recreet & exhilaret.

Solet Scriptura nocti comparare calamitatem & ærumnas, luci conſolationem & liberationem: & meminimus ſæpe D. Præceptorem vti hac ſimilitudine ex hoc Scripturæ loco ſumpta. Hominis pij conditionem in hac vita eſſe, qualis eſt viatoris noctu iter facientis: qui propter tenebras, quibus circumfunditur, anxius eſt & plenus metu, & ad leuiſſimum ſtrepitum contremiſcit: ita pij in hac vita obruuntur variis calamitatibus: ſed tandem ad aſpectum Auroræ & ortum Solis iuſtitiæ, qui eſt Chriſtus, liberantur omni metu atque periculis.

7 Ego verò dicebam in proſperitate mea, non mouebor in æternum.

8 *Sed tu*] Iehoua, in beneplacito tuo ſtabilieras monti meo robur: abſcondiſti faciem tuam [*&*] ſum conturbatus.

Hæc altera pars pſalmi eſt, in qua recitat cauſſas ſuarum ærumnarum, quas fuiſſe dicit ſecuritatem carnalem, & fiduciam propriarum virium, ortam ex felici rerum ſucceſſu & florente regni ſtatu. Talis enim eſt natura hominum, vt rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus, mox Deum ex conſpectu ſuo remouens, ſuæ conditionis obliuiſcatur, nihilque cogitet de ſua infirmitate, de periculis, aut malis propriis: ſed incipiat inſoleſcere atque intumeſcere fiducia ſuæ ſapientiæ & virium, & cum Niobe dicat: *Exceſſere metum mea iam bona,* &c. Sed hæc ſecuritas magnam poſtea ſecum ruinam trahit. cùm enim ingruunt pœnæ, multi ita immerguntur doloribus vt extrahi nequeant: pauci admodum ſunt qui adiuti à Deo eluctantur.

In proſperitate mea] Cùm vndique arrideret fortuna, cùm nihil eſſet periculi, cùm viderem me habere regnum florens & ſapienter conſtitutum.

Dicebam] Sic ſtatuebam mecum, hanc felicitatem fore perpetuam, & me non fore obnoxium mutationi. Iudicabam enim, me ſatis eſſe inſtructum & paratum aduerſus externam vim.

Stabilieras monti]. Id eſt, firmaueras meum regnum, idque inſtruxeras omnibus rebus neceſſariis, ita vt nulla vi externa concuti & euerti poſſe videretur. ego verò, qui ad tuum erga me amorem reſpicere debebam, vt in eo acquieſcerem, oculos nimis ſtolide conuerti ad has res fluxas & caducas, ad præſentem ſcilicet illam opulentiam & pacem, vt cogitarem me his rebus beatum eſſe, ac deinceps fore perpetuò.

Mons in Scripturis ſignificat regnum per metonymiam, ſicut faſces apud Romanos, Imperium. Solebant enim arces, in quibus præcipuum regni robur eſt, conſtrui in montibus, non tantùm vt hoſtium inuaſioni minùs paterent, ſed etiam vt ipſo ſitu maieſtatem aliquam ac ſplendorem præ ſe ferrét, & metum ſubditis incuterent. Ita Dauid ſuam regiam ſedem extruxerat in monte Sion, quem hic montem ſuum appellat, in quo regni ſui ſedes & arx erat.

Vulgata tranſlatio, ex Græcorum interpretatione habet, In voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, fortaſſis quòd illi pro לחררי legerunt לחררי. Nam חדר decorem ſignificat.

Abſcondiſti faciem tuam.] Additur antitheſis: ſed ſecuritatem illam ſecutæ ſunt pœnæ. tu enim abſcondiſti faciem: id eſt, in pœnis & calamitatibus, quæ mox ſubſequutæ ſunt, oſtendiſti te receſſiſſe à me, ſubtraxiſti ſenſum fauoris & beneuolentiæ tuæ, ita vt, quocunque me verterem, nihil niſi Deum iratum cernerem, ita tandem excuſſus eſt mihi ille veternus, quo mens antea erat ſopita, & incidi in magnam conſternationẽ & horrendos dolores, in quibus luctari me oportuit cum deſperatione, cum ſenſu mortis & inferorum, &c. Hæc enim eſt illa conſternatio, de qua hîc loquitur.

9 Ad te, Iehoua, clamabam: & ad Iehouam deprecabar [*dicendo.*]

Amplificatiuncula eſt ab effectu, in qua oſtendit fructum caſtigationis, quòd videlicet tanquam ex profundo ſecuritatis ſomno expergefactus, confugerit ad verum medicum, ſicut dicitur Baruch 3. Anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. item: Caſtigatio tua diſciplina eſt eis. Sicut enim ferrum, quod diuturna quiete rubiginem contraxit, accommodari ad nullos vſus poteſt, niſi in ignem coniectum recoquatur & malleo contundatur: ſic, poſteaquam ſemel præualuit ſecuritas carnis, nemo alacriter animum ad Deum attollit, niſi cruce maceratus & probè ſubactus.

Ad te] Non, vt homines impij, in hac conſternatione mea confugi ad humana præſidia, vel ad illicita remedia, ſed ab illo ipſo à quo eram percuſſus, petiui dolorum remedia. Clamandi verbum ingentem animi ardorem notat.

10 Quæ vtilitates in ſanguine meo, dum deſcendo ad foueam? Num celebrabit te puluis? num prædicabit veritatem tuam?

Miſcet πάθη orationi ſuæ, ſumpta ab vtili & cauſſa finali. Ego tantùm ideo petebam me ſeruari, vt deinceps maiori ſtudio celebrare beneficia diuina, eorúmque celebratione inuitare alios ad agnitionem nominis diuini poſſem. Dicebam igitur in meis precibus, *Quæ vtilitas in ſanguine meo?* Hoc quidam ſic exponunt, quid profuerit me vixiſſe, niſi eò vſque proroges vitam donec curſum vocationis abſoluero: Sed ſanguis hoc loco ponitur pro morte, ſicut ſequens oratio quæ hanc explicat, oſtendit, & alibi ſæpe ſanguis pro morte accipitur. pſalm. 72. Pretioſus eſt ſanguis piorum in conſpectu Domini.

Eſt igitur ſententia, Quid proderit ſi ego interficiar ab hoſtibus, aut alio tragico caſu vel immatura morte peream? aut quem fructum ex mea morte capies? Eſt enim querela, quæ oritur non ex fremitu aduerſus Deum, vel ex impatientia, ſed ex ingenti deſiderio celebrandi beneficia diuina, & propagandi nomen eius. Talibus querelis non modò non offenditur Deus, ſed potiùs placatur.

Si deſcendero in foueam] Id eſt, Si mortuus ſepeliar.

Nunquid puluis, &c.] Id eſt, Nunquid ego redactus in puluerem potero celebrare nomen tuum?

Veritatem tuam] Quòd ſcilicet præſtes promiſſa, quòd non deſeras inuocantes te, &c. Ita enim à cauſſa finali argumentatur, & ſimul cõmonefacit Deum ſuæ promiſſionis, qua opem

promi-

promiſerit omnibus eam implorantibus.

11 Exaudi Iehoua,& miſerere mei:Iehoua,ſis adiutor mihi.

Concluſio eſt precationis. Cùm igitur liberatio mea cum gloria nominis tui ſit coniuncta,econtra verò interitus meus contumeliam aliquam allaturus ſit nomini tuo,exaudi, iuua, & eripe me.

12 Conuertiſti luctum meum in tripudium mihi:ſoluiſti ſaccum meum, & circumcinxiſti me lætitia.

Redit ad gratiarum actionem,à qua exorſus erat pſalmum. Tu igitur motus meis precibus liberaſti me,ne abſorptus ab illis horribilibus doloribus,quibus oppugnabar, perirem: & rurſus exhilaraſti me conſpectu tui fauoris.

Conuertiſti in chorum] Vtitur metaphora ab his qui choreas ducunt,vt ſignificet effuſiſſimum fuiſſe gaudium. Non enim choreæ ducuntur à puellis & iuuenibus,niſi corda ſint vacua omni dolore,& animus lætitia perfuſus: imò qui triſtes ſunt ne ſpectatores quidem illarum chorearum eſſe poſſunt. Eſtque hoc obſeruandum contra Stoicam duritiem,quæ vt omnem doloris ſenſum,ita conceſſa gaudia lætis temporibus adimit hominibus.

Soluiſti ſaccum meum] Idem repetit alia figura:eſtque metonymia in vocabulo ſaccus.Erat ſaccus genus vilis & ſtrictioris veſtimenti,quo vtebatur in luctu,erátque mos vt ſaccum circa lumbos conſtringerent,& in terra ſedentes caput cinere aſpergerent,vt hoc ritu tanquam ſupplices ſe Deo proſternerent,& veniam deprecarentur. Quum igitur dicit , *ſoluiſti ſaccum*,ſignificat,ſe rurſus noua lætitia perfuſum abieciſſe veſtem lugubrem.

13 Propterea pſallet tibi gloria [*mea*]& non ſilebit:Iehoua,Deus mi,perpetuò celebrabo te.

Repetit primam propoſitionem,quæ eſt gratiarum actio. Ego, inquit, agnoſco me tua ope liberatum euaſiſſe ex iſtis ſummis doloribus & periculis,in quibus alioqui pereundum mihi fuiſſet.Ideo nunquam deſinam tuas laudes canere,prædicare & celebrare.Gloriam alij corpus,alij animam, aut ſuperiores animæ ſenſus interpretantur.Baſilius, Spiritum qui eſt in homine.Nonnulli,quia non additur pronomen,exponunt in accuſatiuo caſu, & ſubaudiunt particulam quiſque: ac ſi diceret,beneficium hoc dignum eſſe vt publicis omniũ præconiis celebretur.Sed retineo ſimpliciſſimam ſententiam & gloriam interpretor linguam,ſicut & pſalmo 16.& pſal. 27. & ſimul inſtrumenta muſica, quibus laudes & gloria diuina celebrantur,vt gloria accipiatur pro inſtrumento gloriæ celebrandæ aut decantandæ.

Non ſilebit]Id eſt,non erit muta,non defraudabit te debita laude.

In perpetuum celebrabo]Id eſt,nunquam deponam memoriam horum beneficiorum,nec ſemel prædicabo,ſed quandiu vixero.

PLSAMI XXX.

PARTES.

I. Singularis & eximia propoſitio laudis,à 2.v.ad 5.ob beneficium maximæ liberationis à Deo acceptę, quam per congeriem Dauid amplificat.

II. Hortatio ad Dei laudes celebrandas in Eccleſia , v. 5. Huius argumenta exponuntur à 6. v. ad finem pſalmi.Argumentum primum petitur ab ordinaria adminiſtratione Dei erga ſuos. v. 6. Alterum , à ſingulari exemplo ſuo,reliquis verſibus.Summam orationis admiſcet,quam habuit in ſummo periculo cõſtitutus.Huius partes ſunt duæ,exordium ab inutili,v.10.&petitio v.11.Cui adtexit liberationis deſcriptionem,cum gratitudinis voto & fine coniunctam.

III. Epiphonematica & pathetica concluſio , Dauidi ex ſummis calamitatibus erepto , familiaris.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.& 2.Sicut Deus nos in profundo demerſos manu ſua in altũ erigit,ſic viciſſim noſtrum eſt laudes eius ore & lingua efferre.

Deus nobis eſt author ſalutis,vbi preces noſtras exaudiuit.

3.4 Pij ex quocunque periculo erepti,tanquam ſi è ſepulchro educerentur,potentiam & clementiam Dei agnoſcunt ac prædicant.Nõ leuia enim ſunt illis diuinæ præſentiæ teſtimonia & auxilia.

5 Liberationes eccleſiæ & ſingulorum fidelium nos ad Dei laudes canendas excitare debent.

Suis operibus memorabilem ſe Deus reddit,& in iis relucet gloriæ eius imago,cuius intuitu nos ad eum celebrãdũ expergeſieri cõuenit.

6 Si quando ſuos caſtigat Deus,non tantùm mitigat pœnarum rigorem,ſed ſtatim placatur,& iræ ſuæ modum imponit:indulgentiam verò & fauorem prorogat in longum tempus.

Nulli niſi qui cæleſtis vitæ guſtu ſupra mundum feruntur , ſeriò hunc indefeſſum & perpetuum gratiæ Dei curſum ſentiunt,vt alacriter eius caſtigationes perferant.vide 2.Cor 4.17.

Quicunque ad vitæ beatæ meditationem erunt erecti,nunquam afflictionibus,licet continuis,ſuccumbent:& illis ingentes ac multiplices Dei gratias dum conferunt,tantum honoris deferunt Dei beneficentiæ,vt eius bonitatẽ centuplo iram præponderare fateantur.

Dominus,etiam eo temporis momento quo nos malorum caligine obruere videtur,ſemper opportunè ſuggerit lætitiæ materiam , ac ſi poſt noctem ſurgeret aurora.

7 Fiducia carnis etiam ſanctis,dum in ſuis deliciis , tanquam in facibus,reſident,ſubinde obrepit.Vide Ier.31.18.2.Para.32.34.Vidẽdum igitur ne inter lætos ſucceſſus blanditiis ſuis nos faſcinet ſatã: & quo quiſq; benignius tractatur à Deo,à carnis inſidiis diligentius ſibi caueat,ne frigidiores ſimus ad precandum,& fluxæ felicitati nimiùm confidamus.

8 Mera & incredibili quadam ratione Deus tanquam obductis tenebris illuminat oculos ſeruorum ſuorum qui in clara luce nihil videbant.Et neceſſe eſt nos ſæpius vehementer concuti,ad abigendas blanditias,quæ & fidem ſuffocant,& inuocationem Dei morantur, & dulci amentia nos prorſus obſtupefaciunt.

9 Hæc præcipua eſt afflictionum vtilitas,quòd nos,miſeriæ noſtræ conſcios ad expetendam Dei gratiam reuocant.

10 Quum alij aliis viciſſim gloriæ Dei ſimus præcones,hac meditatione defuncti vſq; ad vltimam vitæ metam,in morte obmuteſcimus,ideo vita expetenda,vt Deum celebremus:ſed cum ea conditione,quantum feret arcana & ſancta eius voluntas, cui nos acquieſcere par eſt.

11 Fideles in media morte ſe ad Deum liberiùs inuocandum animant,& noua quadam ſpe concepta eius implorant auxilium.

12 Vt nulla durities quæ omnem doloris ſenſum adimat,ita nulla mollities,quæ pœnitentiæ meditationem & peccati ſenſum in ſanctis auferat,fingenda eſt.

13 In hunc finem ex variis periculis manu Dei liberamur vt iuſtum gratitudinis officium Deo rependamus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De piorum liberationibus & gratitudine.
2. De ira & indulgentia Dei erga ſuos.
3. Proſpera conditio piis aduerſâ perculoſior.
4. De afflictionum vtilitate,vſu,& exitu.
5. Vitæ præſentis laudatum & illaudatum deſiderium.

ARGVMENTVM PSALMI XXXI.

HIC Pſalmus variè mixtus & magna affectuum viciſſitudine inſignis eſt.Primùm enim petit liberationem ex anguſtiis & periculis. Mox verò exultans ſibi gratulatur, quòd ſaluus euaſerit ex præſenti mortis periculo.Sed quia nõdũ omnino perfunctus erat omnib.periculis,videbatque ſibi plurima

I.

adhuc reſtare certamina, redit ad precationem, à qua erat exorſus pſalmum: atque vt oratio ſit ardentior, fortiúſque feriat aures diuinas, inſtituit longam querelam de magnitudine ſuarum calamitatum, quibus erat obrutus & oppreſſus, ex quibus, quia non niſi ope diuina liberari poterat, petit ſe ſeruari, & hoſtium vires infringi ac malitiam retundi. In hac precatione, quia mox ſentit aliquam dolorum leuationem & conſolationem, qua cor erigitur, & confirmatur, erumpit in commendationem bonitatis Dei, qui nunquam deſerat ſuos, ſed ſemper eis præſto ſit, exaudiat eos, & mirabiliter ſeruet. Hæc commemoratio bonitatis diuinæ annexas habet promiſſiones dulciſſimas de vniuerſali gubernatione ac defenſione eccleſiæ in hac vita, & docet, exēpla liberationum in eccleſia quocunque tempore ita intuenda eſſe, vt ſinguli ea ad ſe applicare, & fidem ſuam horum conſideratione alere & confirmare diſcant. Ideo & in fine ſubiicit adhortationem, quæ hanc applicationem oſtendit: Viriliter agite, inquit, & confirmetur cor veſtrum, omnes ſperantes in Dominum, id eſt, omnes, meo exemplo, quoties ingruunt pericula, erigite & confirmate animos veſtros, ſpe & expectatione auxilij diuini, non abijcite profeſſionem doctrinæ, non fremite aduerſus Deum, fracti magnitudine malorum aut mora, ſed patienter expectate, quia cuſtodit fideles Dominus. Hæc ſumma eſt pſalmi, ſed principalis propoſitio eſt, vt dixi, petitio liberationis. Quòd autem miſcet gratiarum actionem, eius rei duplex poteſt eſſe cauſſa: vel enim ex aliquo inſigni periculo præſenti ſaluus euaſit, cùm tamen nondum eſſet extra omnem periculorum metum: vel, quod in aliis etiam obſeruauimus, pſalmum hūc poſt liberationem conſcripſit, & publicè decantandum dedit, id quod & titulus monet. De occaſione conſcribendi pſalmi dicetur infrà nonnihil verſu 23.

1 AD triumphandum, pſalmus Dauidis.
2 In te Iehoua protectionē pon , ne pudefiam in æternum: in iuſtitia tua libera me.

Propoſitio pſalmi, quæ eſt petitio liberationis, & addit rationes à ſua fiducia, Ideo libera me, quia omnis mea ſpes & fiducia in te recumbit, & à te ſolo expectat auxilium: non enim reſpicio ad auxilia humana, quibus prorſus ſum nudatus & deſtitutus: multò minus confido mea prudentia, ſapientia aut iuſtitia: video enim nulla humana ope aut conſilio poſſe hoc periculum diſcuti. Quid ſignificet pudefieri, dictum eſt antea ſæpe. *Ne pudefiam,* id eſt, ne fruſtretur me mea ſpes, vt in mei confuſione, gloria fidei & veritatis tuæ obſcuretur.

In æternum] Hoc dupliciter exponitur. *Primò.* Quanquam nūc ad tempus gratiam tuam ſubducis, nec ſubitò opem fers: tamen ne ad finem vſque vel perpetuò ſinas me excidere mea ſpe, aut fruſtra ſperare. *Secundò,* Quicquid accidat malorum, tamen ſis præſto ad opem ferendam: quaſi diceret, nunquam pudefiam.

In iuſtitia tua] ſeu, pro iuſtitia tua: ſicut Latini dicunt, pro amore tuo. Iuſtitiam Dei vocat, qua præſtando fidem ſuis datam iuſtum ſe probat. *Alij* exiſtimant iuſtitiam Dei opponi iuſtitiæ hominum, & intelligi eam qua iuſtos nos gratis reputat abſque operibus legis, ſed hoc exilius eſt. Iuſtitia enim hic accipitur pro fide, qua eos, qui ſe in eius clientelam conferunt, tuetur & defendit. Argumentum igitur hoc ſumptum eſt à natura Dei, qua ſuam fidem confirmat. *Alij* iuſtitiam intelligunt, qua Deus iuſtam mercedem meritis bonorum operum rependit: ſed hoc coactum eſt. repugnat enim tota oratio: & creber vſus huius vocabuli in pſalmis oſtendit hoc nequaquam velle prophetam.

3 Inclina ad me aurem tuam, celeriter eripe me. Sis mihi in petram fortitudinis, [*&*] in domum munitionis, ad ſeruandum me.

Repetitio eſt propoſitionis, quæ non eſt otioſa: ſed affectus vehementiam & deſiderij magnitudinem exprimit. In magnis enim periculis ſæpe iteramus eaſdem preces: quia angit & terret nos circunſtans periculum.

Inclinare aurem, eſt exaudire preces, attendere precibus, & exaudiendo opem ferre. Eſtque metonymia in ſermone.

Celeriter] Hoc etiam magnitudinem periculi exprimit. Idē enim eſt ac ſi diceret, Actum eſt de vita, niſi tu mox opem feras & acceleres.

Sis petra fortitudinis] Id eſt, conſtitue me in loco munito, vbi tutus ſim aduerſus vim hoſtilem.

4 Quoniam petra mea, & munitio mea [*es*] tu: & propter nomen tuum duces & diriges me.

Sicut initio ſtatim propoſitioni addit rationem ſumptam à ſua fiducia: ita nunc eandem repetit, ſed figurata oratione. Ideo, inquit, ſuccurre, quia te vnicū habeo, qui me poſſit defendere & ſeruare aduerſus vim & iniuriam hoſtium, nec aliunde mihi ſalus eſt petenda quàm abs te vno.

Petram nominat locum tutum, & hoſtibus inacceſſum, quò nulla vis hoſtilis penetrare poteſt: ideo arces olim in rupib' extruebantur. Significat igitur hæc vox defenſionem: ſicut & altera מצודה, quæ propriè ſignificat munitionem, quò homines ſe, tempore belli aut cùm periculis vrgentur, recipere ſolent.

Et propter nomen tuum] Familiare eſt Dauidi ſubinde miſcere precibus argumenta quæ dubitationem excutiunt, & certitudinem confirmant. Ita hîc, poſtquam ex promiſſionibus diuinis collegerat, Deum eſſe petram & munitionem ſuam, nūc à cauſſa impulſiua nouum confirmandæ fiduciæ argumentum colligit.

Propter nomen tuum duces me] Id eſt, Vt tu agnoſcaris talis eſſe, qualis prædicaris, aut qualem te in promiſſionibus eſſe oſtendis, iuſtum ſcilicet, qui ſuę fidei commiſſos non deſerat: & veracem, qui promiſſa ſeruet, &c. has virtutes vt prædicare poſſim, tu eris mihi dux & gubernator toto vitæ curſu. Tu enim vis nomen tuum agnoſci & celebrari: vis extare inter homines teſtimonia tuæ iuſtitiæ & veritatis.

Hoc exemplum nobis quoque imitandum eſt, ne inter precandum multas in aerem temere voces ſpargamus, ſicut increduli, qui quanquam multa optant, tamen quia certo ſibi de euentu polliceri non audent, fluctuant animis, & huc atq; illuc dubitationum fluctibus agitantur.

Duces & diriges me] Non contentus eſt vnicum verbum vſurpaſſe, ſed duo penè idem ſignificantia coniungit: quia ſignificare vult, non vnum tantùm periculum, quod nunc ob oculos verſetur, ſed plura inſtare, & ſubinde eſſe metuenda, atque in his declinandis nūc per montes arduos reptandum, nunc per loca ſalebroſa & ſentibus obſita enitendum, núncque has nunc alias eſſe vias tentandas. In his omnibus petit Deum ſibi ducem & gubernatorem: ne ſi eo careat, ipſe impingat & corruat. Humana enim conſilia impedimenta obiiciunt potiùs quàm tollunt: nec oſtendunt ſalutarem exitum. Qui autem Deum ducem habent, quantumuis per loca aſpera incedant, tamen ad metam optatam perueniunt, & difficultates itineris feliciter ſuperant.

5 Educes me è reti quod abſconderunt mihi: quia tu fortitudo mea.

Repetitio eſt propoſitionis & annexæ rationis: & quidem ita exponitur propoſitio, vt ſimul fiduciam ſuam oſtendat. non enim dicit, educ, ſed educes, vt ſimul & petere & certò ſperare auxilium videatur. Vocabulo retis notat inſidioſa conſilia, technas & fraudes quibus erat circumuentus ab hoſtibus, & metaphora ducta eſt à venatoribus, qui locum in quo ſciunt feram latere, vndique cingunt retibus, ne euadere poſſit.

6 In manus tuas commendo ſpiritum meum redemiſti me Iehoua Deus veritatis.

Ἐπιφώνημα, in quo & periculi magnitudinem & fidei ſuæ certitudinem oſtendit. Ego, inquit, cùm videam tanta vi & impetu in me irruere hoſtes, méque vndique ab his ita cinctum eſſe vt nulla euaſio humanitus appareat, & iam mors certa mihi ob oculos verſetur; vitam meam tibi commendo & in manu tua depono, nec ſolicitus ero de euentu. Tibi enim ſcio meam vitam curæ eſſe: atque etiamſi interficiar, tu tamen ſuſcipies ſpiritum meum, ſeu animam meam. Hac precatione vſus eſt & Chriſtus expiraturus in cruce, & ſuo exēplo nos docuit quid in extremis periculis, atq; adeo in mortis agone nobis cogitādum ſit, videlicet, ne dolore fracti ſuccumbamus, aut ruamus in deſperationem: ſed hac fiducia nos ſuſtentemus, quòd certò Deo curæ ſimus, qui animas noſtras ad ſe recipiat, nóſque æterna vita ſit donaturus. Eſt igitur teſtimonium inſigne de cura Dei quam gerit prò ſuis, & de immortalitate animæ.

Redemiſti me] Argumentatur à præterito ſeu à prioribus liberationibus quarum recordatione ſuā fiduciā exuſcitat. Tu antea ſæpe me liberaſti & oſtendiſti me tibi curæ eſſe: eo

magis

magis ſecuro & tranquillo animo vitam meam tibi commẽdo, certò ſtatuens, te optima fide ſeruare depoſitum: es enim Deus veritatis, id eſt, verax, fidelis & ſeruans promiſſionum, ſemper manes tui ſimilis, nec mutas animum, vt homines.

7 Odio habui obſeruantes vanitates temeritatis: ego autem in Iehoua confido.

Primam rationem quam à ſua fiducia ſumpſit, vt dictum eſt, nunc illuſtrat ab antitheſi. Eſt enim collatio fiduciæ veræ & ſpei carnalis. Hæc contrariorum antitheſis rem melius illuſtrat, & πληροφορίαν Dauidis planiùs oſtendit. Alij, inquit, in periculis conſtituti confugiunt ad cauſſas ſecundas, & quærunt varia ſuis malis remedia, omiſſo Deo, à quo ſolo liberatio erat exſpectanda. Sed omnes illæ ſpes vanæ & irritæ ſunt: quantumuis enim initio blandiantur & arrideant nobis, tamen tãdem nos deludunt & fruſtrantur. Itaque non tantum contemno iſta, ſed etiam qui talia mihi conſilia ſuggerunt, aut qui ex his pendent, odi, & omnem ſpem ac fiduciam colloco in Deo qui fallere non poteſt.

Vanitates quidam ad magicas artes, ſeu potiùs impoſturas reſtringunt, quibus Orientales in primis fuerunt addicti: ſed non loquitur propheta de vna tantùm ſpecie, ſed in genere de omnibus illis mediis ad quæ profani homines relicto Deo confugiunt. Illa omnia vocat vanitates temerarias, hoc eſt, conſilia irrita & vana, quæ vt temerè & ſtultè ab hominibus ſuſcipiuntur, ita euẽtu optato homines fruſtrãtur. Verbo obſeruandi deſcribit anxietatem humanorum animorum in quærendis externis præſidiis.

8 Exultabo & lætabor in bonitate tua, quòd vidiſti afflictionem meam: cognouiſti in anguſtiis animam meam.

9 Et non concluſiſti me in manu inimici: [*ſed*] ſtatuiſti in latitudine pedes meos.

Inſerit petitioni gratiarum actionem, quia iam tum inter precandum ſenſit ſua vota non eſſe irrita, & fortaſſis ſubitò periculum aliquod præſens tunc diſcuſſum eſt, ex quo quia videt ſe eſſe eluctatum, erumpit in laudes diuinas. Et tamen quia adhuc videt ſe nondum omnibus periculis eſſe defunctum, redit mox ad precationem. Hæc ratio eſt cur diuerſi affectus vno tempore miſceantur: ſemper enim cum vera & ardenti precatione ſenſus aliquis conſolationis & lætitiæ coniunctus eſt. Deinde & hoc repetendum eſt, quod antea in argumento monui, pſalmum à Dauide poſt liberationem eſſe ſcriptum. Itaque non mirum eſt, eum illas mutationes, hoc eſt, fidei luctam & liberationem ſimul commemorare: fortaſſis autem & hæc ita diſtributa fuerunt in cantorum choro: vt alij petitionem, alij gratiarum actionem canerent.

Vidiſti afflictionem meam] Id eſt, ſuſcepiſti curam mei in afflictione, nec paſſus es me perire in illis periculis. Verba ſenſuum apud Hebræos complectuntur affectus qui ſequuntur. *Videt Deus* afflictionem noſtram, cùm oſtendit ſe non negligere noſtram ſalutem, ſed eius curam ſuſcipere, hoc eſt, cùm ſeruat & tuetur nos in ſummis periculis. Ita noſſe alicuius animam, ſignificat deſtitutam omni ſpe & ope, & afflictam cõſolari, erigere & cõfirmare, ne magnitudine dolorum aut periculorum oppreſſa pereat.

In bonitate Dei] Senſus ille bonitatis diuinæ maiore lætitia Dauidem afficit quàm ipſa liberatio, ideo potiùs dicit, In bonitate tua, quàm in liberatione.

Non concluſiſti] Videtur totus pſalmus præcipuè agere de illo tempore, quando Saul cũ ſuo exercitu ex indicio Ziphæorum Dauidem ita concluſerat, vt iam nullus eſſet euadendi locus, & iãiam ipſius ceruici imminerent hoſtes, 1. Sam 23. In his periculis cùm eſſet Dauid, nũtiatum eſt Sauli, Philiſtinos ſubitam feciſſe irruptionem. eo nuntio commotus, ſtatim abduxit exercitum, vt hoſti, antequam progrederetur, occurreret. Ita Dauid ex manibus eius eſt elapſus: & hoc eſt quod hic dicit, pedes ſuos in loco ſpatioſo eſſe conſtitutos, vt iam declinato præſenti periculo, quocunque ſe vellet verteret: cum antea in anguſtias redactus & quaſi concluſus teneretur, nec vſquam pedem mouere poſſet, vbi non hoſtis eum vrgeret.

10 Miſerere mei Iehoua, quia tribulatio [*eſt*] mihi: Corroſa eſt in indignatione facies mea [*etiam*] anima mea & venter meus.

11 Quoniam defecit in mœrore vita mea, & anni mei in gemitu: concidit in iniquitate mea virtus mea, & oſſa mea [*tanquam à tineis*] corroſa ſunt.

Redit ad precationem, à qua exorſus erat pſalmum: quia etſi vnum fortè periculum tunc depulſum eſt, quoniam Saul ſubitò & præter opinionem cogebatur exercitum reducere: tamen nondum omnino erat defunctus: ſed nouæ ſubinde inſidiæ & noua pericula erant ei metuenda. Ideo redit ad preces, Miſerere mei, vel eſto mihi gratioſus, proſequere me tu fauore tuo, & libera me ex hoc periculo.

Quoniam tribulatio mihi] Addit rationem à neceſſitate: quia tot malis & doloribus vndique premor, vt neceſſe ſit me ſuccumbere & perire, niſi tu me extrahas ex conſpectu ſeu metu malorum imminentium.

Hanc rationem amplificat per diſtributionem, in qua longa eſt querela miſeriarum & magnitudinis dolorum, quibus conficiebatur. Tales querelæ, quæ miſcentur precationibus, non ſunt inutiles, vt multi exiſtimant: ſed valde efficaces, cùm ad Deum flectendum, tum ad fiduciam noſtram confirmandã. Nam Deus, cùm ſe affici ſenſu calamitatum noſtrarũ teſtetur, vult nos viciſſim ita affectos eſſe vt de ipſius beneuolentia perſuaſi libenter curas noſtras in eius ſinum exoneremus, & familiariter cũ eo colloquamur. Ac ſicut pater στοργῇ, etiãſi vltro filiolæ ſuæ calamitate mouetur, vt cogitet de remediis, tamen cùm audit filiam commemorare ordine mala quibus premitur, magis etiam accenditur eius cura & ſtudium iuuandi. Deinde in nobis hoc fieri videmus, vt, quo diutius commemorationi malorum immoramur, eo magis animi noſtri ſe erigant ad ſpem auxilij impetrandi.

Arroſa eſt facies mea] Ab effectu oſtendit magnitudinẽ doloris. Solet enim mœſtitia exhaurire omnem ſuccum corporis, ſicut Salomon inquit, Prouerb. 17. Spiritus triſtis exiccat oſſa. & Prouerb. 25. Sicut tinea veſtimentum, aut vermis lignum: ita triſtitia cor viri exedit. Fit igitur, vt exhauſto ſucco, cutis contrahatur & corrugetur, præſertim in facie: Hoc igitur eſt quod dicit, faciem eſſe eroſam, hoc eſt, amiſiſſe ſpeciem ſuam, vt iam conſenuiſſe videatur. Eadem phraſis pſal, 6. legitur: atque huc congruit illud Heſiodi:

αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.

Oculus, ſynecdochicè pro tota facie ponitur.

Anima mea] per animam hoc loco videtur intelligere ſpiritus vitales, qui in doloribus fiunt languidiores, vt iam non ampliùs ſit ille vigor animi qui fuerat antè.

Ventrem pro reliquo corpore accipit, quaſi dicat: totũ corpus exhauſtum eſt dolore, vt cadaueri veriùs quàm homini ſimilis ſim.

Quia defecit vita in dolore] Id eſt, vires omnes, tam animi quã corporis, ita conſumptæ ſunt & defecerunt vt mihi mortem hæc res ſit acceleratura.

Concidit in iniquitate mea] Subinde aliis verbis res eadem exponitur, & repetitio primùm magnitudinem, deinde diuturnitatem dolorum ſignificat: non enim hæc ſubitò fiunt. & vſitatè dicitur: Vbi dolor, ibi manus.

עון ſæpius delictum ſeu culpam, interdum etiam pœnam peccati ſignificat. Ideo nonnulli hoc loco exponunt ærumnas. Sed cùm ærumnas omnes ſciat Dauid ſe ferre propter peccatum, ideo, quoquomodo exponas, conſtabit ſententia. Contextus tamen orationis exigere videtur vt pro ærumnis, quæ pœnæ ſunt peccatorum, potiùs quàm pro ipſis peccatis exponas: non enim nunc inſtituit commemorationẽ ſuorum peccatorum, ſed calamitatum.

12 Propter omnes hoſtes meos factus ſum opprobrium, etiam vicinis meis valde, & terror notis meis: videntes me foris fugerunt à me.

A malis, quæ propria ſunt animi & corporis, tranſit ad alia externa quæ foris obueniunt. Ita amplificatur querela.

Propter hoſtes meos] Id eſt, quia vident tantam eſſe multitudinem & potentiam meorum hoſtium, & quotidie numerum & animos eorum creſcere, ideo vicini mei cõmuni hominũ iudicio tanquam tẽpeſtate abrepti, ipſi quoque commutata voluntate cœperunt me odiſſe, & quod alios facere vident, ipſi ſimiliter me rident & probris afficiunt in hac calamitate. Inter præcipua vincula amicitiæ erat vicinitas: itaque ſicut ſine ſcelere illa violari non poteſt, ita iniuria à vicino illata maiorem dolorem affert.

Alij præpoſitionem מ exponunt comparatiuè, præ omnibus hoſtibus oderunt me vicini, &c. Sed prior ſententia videtur eſſe concinnior.

Et terror notis ſeu familiaribus meis] Quid hoc ſit ipſe exponit, cùm inquit, videntes me foris fugerunt, id eſt, Amici fugiunt meum conſpectum, & abhorrent à me tanquã à re monſtroſa, ſeu fœda, &, ſi procul accedentem me videant, mox tãquam ſubito terrore ad meum conſpectum perculſi, coniiciunt ſe in pedes & fugiunt, ne qua mali contagio ad ipſos pertingat: adeo enim me faſtidiunt vt iudicent vmbrã meam, quemadmodum Bellerophon dicebat, ipſis nocituram eſſe.

בחוץ Id eſt, ex interuallo longinquo.

13 Obliuioni traditus ſum, ſicut mortuus à corde: factus ſum tanquam vas perditum.

Sum traditus obliuioni] Id eſt, perij, ſeu deleta eſt mei memoria ex hominum animis, non aliter ac ſi mortuus eſſem. Nam mortuorum memoria, præſertim ſi homines ſint obſcuri & ignobiles, ſubitò euaneſcit. Itaq; nemo ſuſcipit ampliùs mei curam, nemo oſtendit ſe affici ſenſu mearum calamitatum: ſed omnes habent me pro vaſe abiecto, quod nullo loco aut numero ampliùs cenſetur, ſúmque contemptiſſimus & abiectiſſimus.

14 Quoniam audiui diffamationem [*vituperationem*] multorum [*vel magnorum*] pauor circunquaq;, dum conſultant ſimul contra me: ad capiendum animam meam conſilia ineunt.

Audiui] Id eſt, paſſim multorum conuitiis exagitor & traducor: dicunt enim, me hominem eſſe ſceleratum & ſeditioſum, qui per vim regnum inuadere & alteri eripere conetur, dicunt me eſſe hominem ingratum erga regem, à quo multis beneficiis ſim affectus: & quod maius eſt, dicunt me autorem eſſe diſſidij & diſtractionis in populo Dei, turbare animos piorum, impedire inuocationem, contriſtare Spiritum ſanctum in multorum cordibus, &c.

רבים Nonnulli magnos interpretantur potiùs quàm multos, vt videatur loqui de proceribus regni, quorum authoritas tāta erat, vt quicquid ab his diceretur inuidioſè in Dauidem, id alij ex plebe verum eſſe iudicarent.

Pauor vndique] Id eſt, ſumma eſt conſternatio in plebe, cum vident proceres regni inſtruere deliberationes, & conferre conſilia de me tollendo. Exiſtimant enim id fieri non poſſe, niſi pro homine ſceleratiſſimo ab ipſis iudicarer. Itaque conſternati has voces edunt, Neceſſe eſt certè hunc hominem eſſe ſceleratiſſimum, in quo opprimendo & euertendo omnes principes & proceres regni ſunt occupati. Vel etiam de Dauide intelligere licet, Pauor vndique: id eſt, Ego totus trepido, quando cogito de ipſorum inſidioſis conſiliis & fraudulentis machinationibus.

15 Ego tamen confido in te Iehoua: Dixi, Deus meus es tu.

Magnitudini malorum & periculorum opponit ſuam fidē, quam inter tot hoſtium machinationes & procellas, atque amicorum perfidiam conſtanter retineat, atque ideo de auxilio diuino ſe bene ſperare dicit. Eſt igitur repetitio rationis, quæ ſupra propoſitioni in exordio pſalmi adiiciebatur. Nam & hic ſtatim ſequente verſu petitio repetitur.

Ego tamen confido] aduerſatiuè accipitur: quaſi dicat, Quanquam multiplicibus doloribus ſum defatigatus & variis iniuriis exagitatus, tamen non abiicio ſpem, qua hactenus me ſuſtentaui.

Dixi] Id eſt, ita penitus in animo meo ſtatui: nec vlla vel iniuria, vel calamitas, vel perfidia amicorum hāc fiduciā meam labefactare aut excutere poterit.

Tu es Deus meus] Primum argumentum, quo fiduciam confirmat, ſumptum eſt à natura & affectione Dei erga pios. Tu es meus Deus, qui ſcilicet afficeris ſenſu mearum calamitatum, qui me curas & reſpicis, qui defenſionem mei ſuſcipis, qui me liberas & ſaluas. Hoc enim eſt, Deum alicuius eſſe.

16 In manu tua [*ſunt*] tempora mea: Libera me à manu hoſtium meorum, & à perſequentibus me.

Aliud argumentum, quo fiduciam confirmat, ſumptum à prouidentia diuina.

In manu tua ſunt tempora mea] Id eſt, Tu regis totum vitæ meæ curſum, adeò vt nihil, vel proſperum vel aduerſum, ſine tua voluntate mihi accidere poſſit. Idque cùm ita ſit, non vereor nunc hoſtium inſultus ac conatus. Scio enim vitam aut mortem meam non eſſe in ipſorum poteſtate. Tu es arbiter vitæ & necis.

Vtitur autem plurali numero, cùm dicit, Tempora, vt varietatem euentuum, qua agitatur vita humana, notet: Variæ enim ſunt fortunæ vices, nunc læta nunc triſtia tempora: & multi, quia vident illas varias vices, ſeu mutationes atque inconſtantiam rerum humanarum, exiſtimant omnia ferri & volui caſu: ſed qui intelligit diuinitus res hominum gubernari, & prouidentiam diuinam vtramque fortunam moderari, is non agitatur illis dubitationum fluctibus ſed ſecurè in Deo acquieſcit, ſicut Iob inquit, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

Alij *tempora* intelligunt de vltimo vitæ termino, quaſi dicat, Tu terminū conſtituiſti vitæ meæ, &c. Sed hoc nō eſt ſatis.

17 Lucere fac ſuper ſeruum tuum faciem tuam: Serua me in bonitate tua.

Repetit precationem. *Lucere fac faciem tuam*: Id eſt, auxilio præſenti oſtende te mihi eſſe propitium & fauentem, téque non amplius iraſci mihi propter mea peccata, ſed rediiſſe mecum in gratiam. Forma ſermonis, vt ſæpe iam dictum eſt, ſumpta eſt à communi hominum ſenſu. Sicut enim inter homines, qui alicui iraſcuntur, auerſantur eum, & vel prorſus faciem ab eo auertūt, vel auſtero & triſti vultu eum aſpiciūt: ita, quoties ſumus in calamitatibus, iudicamus, Deum nō reſpicere nos, nec curam gerere noſtri, ſed potiùs iraſci: ita ille ſenſus nihil aliud quàm toruum Dei vultum nobis offert: ac ſicut nebulæ Solis ſplendorem, ita afflictiones faciem Dei obſcurant. Rurſus verò, quando cum aliquo in gratiam redimus, admittimus eum in noſtrum conſpectum, id eſt, intuemur eum blando & ſereno vultu: ita cùm Deus nos liberat, videtur depoſuiſſe iram, & rediiſſe nobiſcum in gratiam, & blandè nunc arridere nobis, qui antea tetrico & minaci vultu ſe nobis offerebat. Hoc igitur petit Dauid.

Lucere fac] Id eſt, fac vt intelligam te iam fauere mihi, & aſpice me blando vultu. Id verò non fit, niſi cùm liberet. Ideo ſequente membro exponit, quid voluerit. Serua me, &c. quaſi dicat, non iudica, non puni me ſecundùm mea merita: ſed potiùs pro miſericordia tua ſerua me.

18 Iehoua, ne pudefiam, quia inuocaui te: pudefiant impij, conſileſcant in ſepulchro [*inferno*].

Vt precatio plus habeat ponderis, inſtituit antitheſin qua ſe cum hoſtibus confert, & Deum æquitatis admonet. Eſſet abſurdum & iniquum, hoſtes impunè elabi qui apertè Deo illudebant, irámque eius ſuis ſceleribus prouocabant: hominem verò pium & innocentem, qui totus à Dei ope & auxilio diuino pēdebat, deſtitui & decidere ſua ſpe. ideo dicit, Nō pudefiam ego, ſed potiùs impij, &c. Pudefieri autem quid ſit, dictum eſt antea ſæpe.

Conſileſcant in ſepulchro] Id eſt, morte coerceatur ipſorum petulantia, ne ampliùs nocere poſſint. Silere dicuntur quę ita auferuntur vt ampliùs non appareant: vt cùm leges dicuntur ſilere inter arma: & Plinius ſilentia Lunæ nominat illud temporis ſpatium quo Luna coniuncta Soli non conſpicitur.

Silentium verò opponitur, primò, faſtui impiorum qui ſe ſupra deos & homines efferebant, & vires ſuas magnificè prædicabant, quíque ſuperbè dominabantur, & clamore ſuo Deo & hominibus moleſti erant: deinde quoque inſidioſis machinationibus & conatibus hoſtium.

19 Obmuteſcant labia mendacij, quæ loquuntur aduerſum iuſtum durè, in ſuperbia & deſpectione.

Continuat precationem contra impios, & miſcet rationes ab intoleranda ipſorum ſuperbia & faſtu, & à mendaciis quæ ſcit odiſſe Deum.

Labia mendacij] Id eſt, hoſtes mendaces qui varias contra Dauidem calumnias eo tempore ſpargebant, & animum regis aduerſus eum accendebant effictis criminibus, quòd videlicet inſidiaretur vitæ regis, quòd conſpiratione facta regnum armis inuaſurus, & legitimum regem excuſſurus eſſet, quòd regnum turbaret, &c. Illa verò audacia ſpargendi calumnias, naſcebatur ex mera ſuperbia & faſtu.

Rem duram nominat calumniam, ab effectu: quia grauiter afficit viros bonos, &, ſicut Salomon inquit, turbat ſapientem, & frangit robur cordis eius. Infligit enim vulnus, quod firmiter inhæret, nec facilè ſanari poteſt: & experientia teſtatur nimis verum eſſe quod Medias dicere ſolebat, Calumniare audacter: nam, etſi vulnus curetur, manet cicatrix.

Superbia] Quam ſcil. parit fiducia propriæ, ſapientiæ & virium, contemptus Dei & iudicij eius. Et hæc ſemper eſt coniuncta cum contemptu aliorum hominum.

20 Quàm multa [*magna*] bonitas tua, quam abſcondiſti [*ſepoſuiſti*] timentibus te [*& quam iam*] operatus es [*exhibuiſti vel exercuiſti*] confidentibus in te coram filiis hominum.

Dauid ſentiens ſe eſſe exauditum & liberatum diuinitus, ex ſuo exemplo extruit generalem doctrinā de perpetua cōſeruatione ac defenſione piorum. Iudicat enim talem eſſe Deum erga omnes, qualem ipſe in ſua calamitate erat expertus: & hanc bonitatem diuinam ipſe laudat & celebrat.

Vtitur autem exclamatione, quæ oritur ex admiratione magnitudinis miſericordiæ diuinæ, quam præſtat piis. Habétque hæc oratio plus vehementiæ quàm ſi ſimpliciter diceret, Deum eſſe benignum erga ſuos.

Quàm multa vel magna, &c.] Id eſt, Tanta eſt bonitas Dei erga pios, vt ſenſus humanus illam magnitudinem non capiat. Nunquam enim tātum ſperare à Deo poteſt homo, quin maior in Deo ad benefaciendum ſit promptitudo: & ſemper magnitudo beneficiorum ſuperat noſtram ſpem.

Quod dicit hanc bonitatem abſconditam eſſe, eò videtur reſpicere, quòd hæc bonitas qua ſuos proſequitur Deus, longè alia ſit ab illa qua mundum hunc à ſe conditum conſer-

uat, &

uat,& qua,vt Chriſtus dicit,Solem ſuum ſinit oriri ſuper bonos & malos. Hæc enim in omnium oculos incurrit, & niſi quis petulanter oculos occludat,ab omnibus intelligi poteſt. Sed quod pios ſingulari quodam amore proſequatur arctiúſque complectatur,hoc ratio humana non videt:Ideo, quemadmodum paterfamilias liberalis theſaurum pro filiis reponit,quem non oſtentat: ita hic theſaurus verè eſt abſconditus,& non omnium,ſed piorum tantùm oculis expoſitus: ſed ita tamen vt ſuo tempore toti mundo id patefiat,vt omnes fateri cogantur,hæc ſic ſe habere:ſicut in eductione Iſrael ex Ægypto,& ex aliis miraculoſis liberationibus Deus teſtatum fecit. Alij abſconſionem intelligunt occultationem gratiæ & dilationem auxilij, qua ſuos aliquandiu exercet ſub cruce. Nam in calamitatibus miſericordia diuina videtur piis quaſi ſepulta & abſcondita,ſed rurſus in liberatione ſe oſtendit. Eodem ferè redit hæc ſententia,niſi quòd prior eſt paulò luculentior & plenior.

Operatus es coram filiis hominum,&c.] Id eſt,tandem toti mũdo oſtendis,te tuorum ſingularem ac prorſus paternam agere curam, vt omnes fateri cogantur,hæc eſſe peculiaria diuinæ bonitatis erga ſuos argumenta:vt cùm tres iuuenes ſeruantur in camino, & Daniel inter leones, agnoſcit Nebuchadneſar hunc eſſe verum Deum,quem illi colant, & hos viros illi in primis charos eſſe. Ita Saul,cùm videret toties Dauidem elabi ex ſuis manibus,quem tamen ita ſe concluſiſſe exiſtimabat vt euadere non poſſet,intellexit eum diuinitus ſeruari.

21 Abſcondis eos in abſcondito vultus tui ab elationibus [*ſuperbiis*] viri, [*cuiuslibet*] occultabis eos in tugurio à rixa linguarum [*id eſt, à contentioſis linguis.*]

Expoſitio eſt præcedentis verſus. Explicat enim hoc quod dixerat,Deum bonitatem ſuam abſcondere timentibus eum. Hoc enim eſt abſcondere bonitatem piis vultu ſuo eos reſpicere & ſingulari fauore complecti:& quidem in abſcondito, id eſt,tunc maximè cùm non videtur reſpicere, videlicet in cruce & calamitatibus. Atque hæc vnica cura & reſpectus Dei ſufficit piis ad abſconſionem,hoc eſt,ad defenſionem in omnibus ærumnis & periculis,vt quantumcunque ſe efferãt homines ſuperbi,maligni & contentioſi,ipſi tamen maneant tuti & ſalui.

In tugurio] Id eſt,Tu præbes eis gratam vmbram in æſtu ærumnarum & periculorum, refrigeras & recreas eos ne deficiant,&c. Item,præbes defenſionem aduerſus incurſus & impetus hoſtium. Alij Tugurium intelligunt de Sanctuario, ſicut ſuprà pſal.27.

רכסי alij prauitates,alij conſpirationes vertunt: ſed verbũ רכס propriè ſignificat efferre,eleuare,vel eleuando connectere,Exod.28.& 30. Inde רכסים ſunt colles eminentes, elati, Ieſa.40.& רכסים eleuationes, μεταφορικῶς ſuperbiam ſignificat. Nomine verò ſuperbiæ comprehendit & crudelitatem hoſtium,ſunt enim illa coniuncta.

Linguas contentioſas intelligit virulentam maledicentiam & calumniandi audaciam,de qua ſuprà queſtus eſt Dauid.

22 Benedictus Iehoua: quia mirabilem reddidit bonitatem ſuam erga me in ciuitate munita.

Addit gratiarum actionem pro liberatione qua generales promiſſiones,quas antea ad omnes pertinere dixit, ſibi eſſe exhibitas affirmat.

Mirificauit bonitatem ſuam,&c.] Id eſt,Sua bonitate mirabiliter me ſeruauit longè aliter quàm ego cogitare aut ſperare poteram. Sæpe enim tantis periculis fui circumuentus vt nullus exitus apparuerit,ibi ſubitò & præter ſpem mihi allatum eſt auxilium.

In ciuitate munita] Id eſt,tanquam in ciuitate probè munita, non aliter ac ſi vndiq; firmis munitionibus & propugnaculis fuiſſem circumſeptus,cùm tamen eſſem nudus & deſtitutus omnibus præſidiis.

23 Ego autem dixeram in feſtinatione mea,proiectus [*abſciſſus,deciſus*] ſum à conſpectu oculorum tuorum: Vtique tamen exaudiſti vocem deprecationum mearum,dum clamaui ad te.

Rurſus recitat ſuas ærumnas & dolores,& è regione quomodo ex his eluctatus ſit oſtendit:idque ad amplificandam gratiæ diuinæ magnitudinem facit. Quòd enim in his doloribus & in hac lucta non eſt extinctus,id ſolius Dei eſt beneficium qui trepidè orantem non eſt aſpernatus,ſed exaudiuit, & ex doloribus mortis & inferorum retraxit.

Dicebam] Id eſt,in corde meo ita diſputabam mecum.

In feſtinatione mea] Id eſt, cùm anxius & præceps fugerem metu periculorum imminentium, & iam viderem mihi imminere mortem, 1.Samuel.23. hoc verbum tribuitur Dauidi, cùm fugeret à facie Saulis, quem iam propè adeſſe ſciebat, ויחי דוד נחפז ללכת מפניאשול & erat Dauid feſtinans,anxius & præceps ad fugiendum. Ideo nonnulli probabili coniectura inde colligunt, prophetam hoc pſalmo principaliter reſpicere ad illud tempus cùm à Saulis exercitu vndique circunclusus premeretur. In eo periculo diabolus immiſit illi has cogitationes, quod actum eſſet iam de ipſius ſalute. Hoc vulnus longè fuit atrociſſimum, & multi in huiuſmodi lucta ſuccumbunt, vt ruant in æternam deſperationem. Nihil enim dici triſtius poteſt quàm à Deo eſſe abiectum,ſine quo nulla vita aut ſalus eſſe poteſt. Sed Dauid, vt fortis athleta & exercitatus in hac palæſtra, non mox cedit his tentationibus, nec indulget diffidentiæ aut deſperationi, vt multi faciunt,qui æternùm pereunt: ſed clamat ad Deum, & ad eius miſericordiam confugit. Atque ita clamans ſentit efficacem conſolationem in corde, quæ certiſſimum erat argumentum, ex quo ſtatuit ſuas preces fuiſſe exauditas. Ita Ionas propheta cùm ſimili tentatione oppugnaretur, nullum alium clypeum opponit quàm orationem, quam certò ſtatuit à Deo exaudiri,cũ inquit cap.2. Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum vt veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum. Hæc exempla diligenter à nobis conſideranda ſunt, vt,ſi quando contingat nos in feſtinatione noſtra, hoc eſt, cùm præcipites abripimur noſtris cogitationibus,aut metu aliunde allato,mergi in has triſtiſſimas cogitationes de abiectione noſtri, confugiamus ad preces,& fide repugnemus tentationi. Ita ſentiemus conſolationem,de qua hic loquitur Dauid.

Verbum חפז ſignificat propriè cum trepidatione anxiè & præcipitanter fugere, quod faciunt, quibus imminet præſens mortis periculum. eáque ſignificatio, cùm ex aliis locis tum verò ex illo qui ſcribitur 2. Sam.4. manifeſtè colligi poteſt. Cùm allatus eſſet nuntius de interitu Saulis, & filij Ionathæ, nutrix apprehendit Mephiboſeth, quinquennem filium, & factum eſt,cùm illa anxia & præceps eſſet ad fugiendum, cecidit puer, vnde factus eſt claudus. Deuteron. 20. Ne timeatis,neq; fugite cũ trepidatione. Μετωνυμικῶς idẽ verbum ſignificat timere,quia pedibus timor addit alas, vt eſt apud poetã.

24 Diligite Iehouam omnes manſueti [*benefici*] eius: fideles cuſtodit Iehoua: & rependit abundè [*per excellentiã*] facieñti ſuperbiã [*ſuperbè ſe gerenti.*]

Concluſio pſalmi continet adhortationem, & applicationem exempli ad vniuerſam eccleſiam. Cùm videatis,inquit, me non eſſe deſtitutum aut deſertum à Deo in mea calamitate: ſed mirabiliter adiutum & ſeruatum, vos quoque in veſtris ærumnis bene ſperate de beneuolentia & amore diuino, nolite fremere aut murmurare aduerſus Deum, nolite reſpicere ad humana præſidia, aut alia illicita remedia quærere, quibus medeamini veſtris malis, ſed potiùs omnem veſtram curam & ſpem in Dominum coniicite, & in ipſo acquieſcite. Hæc omnia ſignificantur verbo diligendi. reſpiciẽdum enim eſt ad antitheſin. Habent homines in periculis ſua conſilia & rationes,quibus conantur depellere malum,& ſeſe explicare,ea pleriſque plus nimio arrident: itaque mox in ea ita incumbunt vt Dei ſui obliuiſcãtur: ſed qui animum & cogitationem à rebus externis auocare, atque ad ſolum Dominum reſpicere poteſt,is diligit Dominum, omniáq; de ipſius amore & beneuolentia ſibi pollicetur.

Vox חסידים ſæpe in ſcriptura vſurpatur de piis & fidelibus. ſignificatio autẽ vocis eſt paſſiua. Cùm enim חסד propriè ſignificet στοργὴν, qua ex nobis natos & ſanguine iunctos complectimur, & deinde beneficium, quod ex vera στοργῇ, ſeu beneuolentia, non ex fucato aut ſimulato amore proficiſcitur: nomen חסיד ſignificat eum quem Deus verè paterna στοργῇ complectitur, & pro filio reputat, & cui ex bonitate Dei benefit,ſeu qui bonitate diuina præ aliis fruitur.

Fideles cuſtodit Deus] Id eſt, veraces & conſtantes, qui verbũ Dei vera fide amplectuntur, & firma fiducia Deo adhærent, in quibus nulla eſt hypocriſis,ſed rectum conſcientiæ ſtudiũ. Hos cuſtodit Dominus, quantumuis oppugnentur ab impiis tyrannis & malis hominibus.

Superbè agenti rependit] Etiamſi enim aliquandiu floreãt impij,& omnia proſpere ipſis ſuccedant: tamen tandem dabunt pœnas ſuorum ſcelerum. Non autẽ ſimpliciter dicit ſuperbũ: ſed facientem ſuperbiam, hoc eſt,qui cõtempto iudicio Dei, & fretus ſua ſapientia & viribus ſibi indulget, & quiduis ſcelerate committit,cùm in Deum tum in ipſius membra.

על יתר Hæc particula variè exponitur. Quidam ita vertũt, pro vel propter ſuperbiam retribuet ſuperbè agentibus. Alij, ad cumulum vel vltra menſuram: quod cum vſitata verſione congruit. Alij exponũt,vſque ad filios & nepotes,qui reſidui erunt ex eorum ſemine. Sed quia יתר ſignificat reſiduum,

quod ex numero, cumulo aut menſura abundat, commodiſſimè redditur per aduerbium abundè.

25 Fortiter vos gerite, & firmum ſit cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Iehouam.

Hic verſus cohæret cum ſuperiore adhortatione. Hæc enim conſtantia, de qua loquitur, non niſi ex dilectione Dei oritur. Cùm autem ſupra pſalmo 27. ſit explicatus, nunc ſum breuior.

Fortiter gerite vos] Id eſt, non frangamini metu aut deſperatione, retinete fidem, nihil remittatis ab ardore & ſtudio pietatis, nec fracti magnitudine malorum deficiatis. Etiamſi calamitates creſcant, & differatur auxilium, nolite abiicere ſpē: nec ſolicitet vos æmulatio praua, etiamſi videatis impiis omnia aliquandiu proſpere ſuccedere.

Sit firmum cor veſtrum] Id eſt, Non abiicite profeſſionem doctrinæ aut fidem metu periculorum, ſed acquieſcite in promiſſionibus diuinis: non frangatur cor magnitudine calamitatis aut diuturnitate temporis.

Oſtendunt hi verſus, quomodo exempla liberationis ſanctorum ſint intuenda, & ad vſum transferenda.

PLSAMI XXXI.

PARTES.

I. Precatio, cuius partes ſunt duæ, 1. pro ſalute ſupplicis à 2. ad 18. verſi. 2. pro aduerſariorum exitio, v. 18. & 19.

In priore precatione argumenta ducuntur, tum à fiducia perſonæ ſuæ, ver. 2. tum à natura & officio Dei, miſericordis, omnipotentis, fidelis, v. 2. 3. 4. 5. 6.

Verſu 7. repetit argumentum à fiducia perſonæ ſuæ, 2. v. delibatum: nempe quod 1. integro animo & ſincera fide coram Deo verſatus ſit. v. 7. 8. 9. Deinde 2. quod grauiſſimis & indigniſſimis modis affligatur. verſ. 10. 11. 12. 13. 14.

Petitum ſecundo loco à natura & officio Dei argumentum repetit v. 15. Deum in fœdere conſtantem, promiſſi tenacem, benignum, iuſtum, impios reprimentem proponens, v. 15. 16. 17.

Precationis pars altera, pro exitio aduerſariorum, qui mendacio, crudelitate, ſuperbia & impietate delectantur: v. 18. 19.

II. Laudatio gratiæ & beneficiorum Dei. 1. In genere, v. 20. & ſequente. 2. in ſpecie, ſingulari perſonæ ſuæ exemplo in medium propoſito. v. 22. cui addit v. 23. amplificationem laudationis huius ſpecialis ab infirmitate ſua labaſcente propter calamitatum magnitudinem.

III. Concluſio hortatoria, ad amorem Dei, v. 24. Cur autem pij amare Deum debeant exponit, nempe 1. ſuos tuetur. 2. improbos coercet & talionis pœna afficit. 3. magnificus in omnibus operibus apparet.

Hortatoriæ concluſionis altera pars, ad confirmationem fidei amoriſque erga Deum pios excitans, verſ. 25. cui ratio ſeu confirmatio ſubiicitur à promiſſionibus Dei omnipotentis erga ſperantes in ſe petita.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1. 2. *Quoties ad Deum accedimus, ex hoc fonte manare debent noſtræ orationes, quòd ſalutem noſtram in Dei manu repoſitam eſſe ſumus perſuaſi.*

Quicquid acciderit malorum, ſemper ad opem ferendam præſto erit Deus, ſubindeq; prout res poſtulabit, manum porriget.

Deus quum ſeipſum abnegare nequeat, fidem ſeruis ſuis datã præſtando, iuſtum ſe eſſe probat.

3 *Pij hoſtibus ſuis impares ſunt ad reſiſtendum, ideo ſpes vnica illis ſupereſt in Dei præſidio.*

4 *Non temere ſpargunt de Deo & eius natura voces quicunq; vera fide precantur, ſed ad certitudinem exauditionis, variis nominibus Deum inſigniunt. Contrà multa optare ſolent & inani battologia petere à Deo increduli homines, quos dubij euentus timor tenet ſuſpenſos.*

Deus non aliunde ad nos iuuandos inducitur quàm quum nomẽ ſuum vel gloriam reſpicit.

5 *Ad ſcindendos omnes laqueos quibus irretiti tenentur fideles, Dei fortitudo ſufficit.*

6 *Quiſquis ſe committit in Dei manum & cuſtodiam, nõ modò eũ ſibi fert arbitrum vitæ & mortis, ſed placidè inter omnia pericula in eius præſidium recumbit. vnde emergit etiam precatio, vt vitã noſtram tuendam & aſſerendam ſuſcipiat Deus, quam ſub cuſtodia ſua ſcimus eſſe repoſitam. Efficit item hæc fiducia vt ad obeundum vocationis noſtræ munus prompto obſequio accingamur, & conſtanter ac intrepide contendamus ſemper ad metam.*

Fideles nec in vita nec in morte à Deo vnquam deſeruntur: quia quos præſidio ſuo ſaluos ad finem vſq; deducit, tandem ad ſe recipit morientes.

Chriſtus pro nobis moriens hæc verba Dauidis vſurpauit, nõ modò vt piè moriendi præberet nobis exemplum, ſed multò etiam magis, vt neq; dormire, neq; interire, ſed ſuperſtites manere hominum animas à corporibus ſeparatas, & (ſi quidẽ in Domino moriamur) cum Chriſto colligi doceret. Animam enim ſuam tunc Patri commendans, omnes ſuorum animas cuſtodiendas ſuſcepit.

Locus hic eximius eſt inter innumeros, & ad corrigendam diffidẽtiã maximè idoneus: primùm ne ſe peruerſis curis & moleſtiis vltra modum torqueant fideles, deinde ne metu fracti ab officio diſcedant, tum ne ad captãdas ſpes vanas & fallacia ſubſidia defluant, terroribúſve ſuccumbant: ne denique mortem exhorreant, quæ licet carnis ſit interitus, animas tamen non extinguit.

Quũ ex liberatione tẽporali Dauid tãtum conceperit fiduciæ, plus quàm maligni ſumus, redemptione Chriſti ſanguine parta & patefacta, niſi contra omnes ſatanæ machinas inuicta fortitudine inſtruimur.

7 *Spes illæ quæ nos à Dei fiducia retrahunt, generali vocabulo vanitatum appellantur, & quidem falſitatis vel mẽdacij, nec immeritò: quia etſi ad tempus magnifica oſtentatione nos paſcunt, tandem deludunt ac fruſtrantur. Nec aliter ſpem noſtram Deo poſſumus addicere, niſi ab omnibus auocamentis abhorreamus.*

8 *Gaudij materiam piis ſubminiſtrat Deus, quum eos duris anguſtiis vndiq; concluſos mirabiliter eripit.*

9 *Non modò ſuos liberat Dominus, verùm etiam ſubita ac inopinata mutatione mirificam illam erga eos miſericordiam ſuam oſtendit.*

10 *Multis rationibus ad Deum flectendum & perſuadendum nobis minimè opus eſt: ſed vt curas noſtras exoneremus, familiariter ſecum nos agere patitur: & quo pluribus malis vrgemur, dum ea coram Deo deploramus, tantundem erigimur ad ſpem auxilij impetrandi.*

11 *Sanctis durum ſæpe & arduum eſt cum ſuis paſſionibus certamen, nec eorum patientia immunis eſt à mœrore: ſed anxiè luctãdo hoc tandem obtinent ne eos malorum congeries obruat.*

12 *Ea eſt piorum in terris conditio, vt ſæpe non alienis modò, quibus antea ignoti erant, ſed & præcipuis amicis ſint deteſtabiles.*

13 *Pij ab impiis tanquam mundi purgamenta cenſentur, nulloq; loco vel numero inter homines habentur.*

14 *Luctuoſus eſt admodum in hoc mundo ſtatus eccleſiæ, quum principes & primarij, qui non minus iudicio quàm authoritate pollere videntur, pios traducunt & infamant, quaſi ſceleratos: quia apud plebeios inſtar eſt præiudicij quicquid ab illis profectum eſt.*

15 *Sic in triſtitiæ dirorumq; cruciatuum tenebris fideles demergũtur vt occulta lux fidei intus fulgeat in eorum cordibus: ſicq; ſub ingenti tentationum mole ingemunt vt animos tamen ad Deũ inuocãdum colligant. Et hæc ſanè vera fidei probatio eſt, in media etiam morte, ſtabile hoc principium retinere, nos eſſe ſub Dei tutela, ita, vt libere, Tu Deus noſter es, dicere poſſimus.*

16 *Etſi mille diſcrimina aſſiduè impendeant, totq; inopinatis euẽtibus cingãtur vndiq; fideles, ſecurè nihilominus recũbũt in Dei prouidentiam, quam vtriuſq; fortunæ moderatricem eſſe ſciunt.*

17 *Fideles ſe à Deo non reſpici exiſtimant, niſi reipſa & effectu oſtendat ſe gerere eorum curam. Faciem ſuam verò ſuper eos illuſtrat vel quum oculos ſuos aperit ad res eorum curandas, vel quum fauorem ſuum eis oſtendit. Sed noſtri potiùs quàm Dei clauſi ſunt vel caligant oculi, quãdiu videtur miſerias noſtras non aſpicere.*

18 Quum

18 Quum abſurdum ſit, impios impunè elabi, quorum malitia iram Dei apertè prouocat, pios verò qui in Deum recumbunt cum fruſtratione ludibrio exponi, diuinam iuſtitiam & miſericordiam patienter expectemus.

19 Impiorũ nomina hoc verſiculo appicta, nos ad veritatis, humilitatis & manſuetudinis perpetuum ſtudium & amorem inuitant, ſi modò Dei auxilium tandem obtinere percupimus.

20 Fideles ſupra mentis ſuæ captum aſſurgere debent, vt longè ſibi plus promittant à gratia Dei quàm concipiat humana ratio.

Dei electis abſcondita eſt eius bonitas, quoniam propiùs & magis familiariter fauore ſuo eos proſequi, vtpote ſeruos & filios ſuos, dignatur.

Etſi omnia Dei opera clauſis oculis præterit mundus, ac maximè paternam eius erga ſanctos curam ignorat: certum tamen eſt, quotidie ſic fulgere eius documenta, vt ne reprobos quidem lateat, niſi quatenus oblatam ſibi lucem ſuffocant.

21 Sola prouidentiæ Dei virtus ad omne malorum genus repellendum ſufficit, radiiſque ſuis perſtringit improborum omnium oculos, & manus eneruat, ne nobis noceant.

Etſi Dei filijs metuenda eſt hoſtium crudelitas, ſuperat tamen virulenta eorum maledicentia. Quum autem nobis meritò charior debeat eſſe integritas quàm vita noſtra, diſcamus ſic iuſtitiam colere vt freti Dei patrocinio, falſas omnes calumnias ſpernamus: ſempérque nobis in mentem veniat, hoc proprium Dei eſſe munus ſuos ab iniuſtis probris aſſerere.

22 Pijs in ſua nuditate & inopia pluris eſt Dei auxilium quàm vrbs bene munita vel inexpugnabile propugnaculum.

23 Sæpe luctantur ſancti cum propria diffidentia, vt partim labaſcant, partim animos ſuos colligant & afferant ad precandum. Nec obſtat carnis infirmitas quominus etiam ferè deiecti, indefeſſos Deo athletas ſe præbeant.

24 Quoniam nos oblectant noſtra figmenta, non ſapit nobis Deus, vt par erat, nec ei ſenſus omnes noſtri adhærent.

Recte conſcientiæ ſtudendum eſt & integritas colenda, quia Deus rectorum ac veracium ſe cuſtodem fore promittit.

Superbos deijcere & conculcare dicitur Deus, ne, vbi videmus illis proſpere ſuccedere ad tempus, praua æmulatio nos ſolicitet, vel nos frangat & exanimet eorum ferocitas, dum quiduis ſibi licere putant. Imò tunc ſciamus à Dei vindicta repoſitam illis eſſe mercedem & ineluctabile ſupplicium.

25 Hoc à nobis exigitur: primùm, vt placidè in Dei fidem & tutelam nos tradamus, ac bonitatis eius guſtus ſenſus omnes noſtros retineat: deinde, vt firma conſtantia & infatigabili virtute inſtructi, ſubinde ad noua prælia accincti ſtemus: poſtremò, vbi nos officij noſtri admonet Dei ſpiritus, qualis ſit cuiuſque facultas non expendamus, nec officium ipſum propria hominum virtute metiamur: ſed potiùs ad preces confugiamus, vt defectum noſtrum, ſolus qui poteſt, Deus corrigat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Bonæ conſcientiæ teſtimonium.
2. Dei natura & officium.
3. Animæ humanæ, à corpore ſeparatæ vita & immortalitas.
4. Capitis & membrorum Eccleſiæ ſpes certa, vitæ beatæ poſſeſſio.
5. Multæ, grauiſſimæ, externæ & internæ piorum afflictiones.
6. Prouidentiæ Dei, & vitæ humanæ limitum conſideratio.
7. Improborum ingenium & ſors miſera.
8. De amplitudine miſericordiæ Dei erga ſuos.
9. Piorum in ſemitis Dei currentium lapſus, eorundémque inſtauratio, & poſt reſtitutionẽ gratitudo atque officiũ.
10. Dei potentia duplex: nempe ſuos protegens, & inuictos reddens: impios autem euertens.

ARGVMENTVM PSALMI XXXII.

CONTINET hic pſalmus doctrinam grauiſſimam de remiſſione peccatorum & reconciliatione ſeu acceptatione hominis coram Deo: quam doctrinam neceſſe eſt in eccleſia extare integram & incorruptam. Ideo & titulus ei præfigitur conueniens argumento. Eſt enim hæc doctrina præcipua eccleſiæ ſapientia, & eruditio ignota rationi, & patefacta in euangelio, qua ſeſe erigit homo pius in triſtiſſimis conſcientiæ doloribus & certaminibus, cùm ſenſu peccatorum & iræ Dei premitur & angitur. Nec eſt vlla alia doctrina quæ remedium aduerſus hæc triſtiſſima mala oſtendat. Ideo ſemper ab initio editæ promiſſionis hæc doctrina ſonuit in eccleſia, & vno conſenſu prophetarum & apoſtolorum tradita & eccleſiæ commendata eſt. Quare & Paulus, cùm ad Romanos ſcriberet, ſuam epiſtolam ab hac doctrina inchoat, & teſtes eius, Moſen antiquiſſimum eccleſiæ doctorem, & hunc Dauidis pſalmum allegat. Cum autem hæc doctrina omnibus ætatibus à ſapientibus oppugnetur, quòd omnes virtutes in homine quaſi ſepelire atque æterna obliuione obruere videatur, & noſtro tempore pontificij, vt humanam iuſtitiam ſtabilirent, varijs corruptelis eam contaminarint, danda eſt à nobis opera vt hunc præcipuũ eccleſiæ theſaurum conſeruemus integrum & incorruptum: & cũ Dauide ſtatuamus, hanc maximam eſſe eruditionis noſtræ partem, ſi hanc doctrinam bene teneamus, eáque nos in conſcientiæ doloribus & ærumnis ſuſtentemus & confirmemus. Nam qui id non faciunt, eos neceſſe eſt mergi in triſtiſſimas dubitationes & dolores, quibus oppreſſi tandem pereant miſere. Cæterum, tota doctrina de remiſſione peccatorũ gratuita, & iuſtificatione hominis corã Deo, alibi explicatur copioſius. Nos ad argumentũ reuertamur.

Poſtquam in genere doctrinam tradidit propheta de remiſſione peccatorum, confirmat eam à ſuo exemplo, & teſtatur, ſe in his doloribus non habere aliam conſolationem, in qua acquieſcat, quam hanc, quæ gratuitam Dei miſericordiã cõmendat: ad eã igitur ſeſe confugere, atque ita conſequi remiſſionẽ peccatorũ, & cor concipere nouã lætitiam, quod horrendis doloribus prius penè fuerat oppreſſum & extinctũ. addit deinde conſolationem, cui mox ſubijcit adhortationem, qua omnes homines ad cognoſcendã hanc doctrinam inuitat: idque vt facere poſſint, monet vt cordis duritiẽ, quæ nullo peccatorũ ſenſu tangitur, corrigant, & arrogantiã, quæ proprijs virtutibus laudem iuſtitiæ tribuit, deponant. Et argumentum addit ab exitu vtrorumque tam piorum quàm impiorum. Pij, inquit, perpetuò erunt felices & beati, quia bonitas diuina eos circundat: ſed impij mergentur tandem in triſtiſſimos dolores, ex quibus cùm eluctari nequeant, ruunt in æternum exitium. Pſalmum concludit epiphonemate, in quo hortatur omnes pios vt accepta remiſſione peccatorum & conſolatione, lætantur in Domino & exultent, ipſique gratias agant pro acceptis beneficijs. Atque hæc adhortatio ſimul fructum huius doctrinæ oſtendit. Cùm enim hortatur pios, vt in Domino lætentur, ſimul monet, neminem id rectè facere, niſi in cuius corde hæc lux & conſolatio de gratuita remiſſione peccatorum & auxilio Dei in cruce ſit accenſa. Hæc eſt ſumma pſalmi.

DAVIDIS INTELLIGENTIA.

משכול Titulus etſi non argumentum ipſum explicat in ſpecie: tamen pſalmum commendat à ſingulari doctrina, quæ in eo continetur. Significat enim Dauid ſe proponere inſignem doctrinam, & peculiarem quandam ſapientiam, quæ non omnibus obuia aut nota ſit: ſed tantùm his qui ex verbo diuinitus patefacto eam hauſerunt. Quòd enim Deus gratis omnibus ad miſericordiam confugientibus remittat peccata, eóſque in gratiam recipiat: id profectò non videt nec intelligit ratio humana, imò verò iraſcitur & fremit, cùm audit nullam haberi à Deo rationem iuſtitiæ aut meritorum noſtrorum, ſed ex æquo omnibus remitti peccata. Ita doctrina, quæ eccleſiam erudit, hypocritis & Phariſæis occaſionem præbet iraſcendi & fremendi contra Deum.

Additur autem nomen autoris, vt conſtet, hanc ſummam & imprimis neceſſariam doctrinam non ab aliquo incerto autore confictam, & ſparſam, ſed à Spiritu ſancto quem Scriptura teſtatur per Dauidem locutum eſſe, profectam & eccleſiæ commendatam eſſe. Idque facit ad certitudinem fidei noſtræ confirmandam. Non enim acquieſcere cor in his dictis poteſt, niſi certò perſuaſum habeat, hæc non eſſe figmenta humana, ſed oracula cæleſtia.

1 BEatus cui remiſſa eſt iniquitas [&] cuius
tectum eſt peccatum.
2 Beatus homo, cui non imputat Iehoua iniquitatem: & in cuius ſpiritu non eſt dolus.

Orditur pſalmum à propoſitione. Ille, inquit, eſt beatus, hoc eſt, iuſtus coram Deo, & hæres vitæ æternæ, (ita enim Paulus hanc vocem interpretatur ad Rom.) non qui in conſpectum Dei affert ſua opera aut merita, & his confidit: & multò minùs beati qui externis ritibus, aut cæremoniis putant ſe poſſe defungi, aut gratiam diuinam promereri, ſed cui gratis remittitur peccatum, idque à Deo tegitur, & non imputatur. Quomodo autem illa gratia ſeu venia peccatorum impetretur, poſtea docet, cùm ait: Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: id eſt, omnes qui vera fide ad Deum confugiunt, & petunt ſibi remitti peccata, his Deus condonat. Ita hîc traditur plena Iuſtitiæ fidei definitio, quam Paulus in epiſtola ad Rom. ex hoc loco colligit: quòd videlicet iuſtitia noſtra coram Deo nihil aliud ſit quàm remiſſio peccatorum, & gratuita acceptatio, qua perſona eſt iuſta, hoc eſt, accepta & Deo placens: non qualitas aliqua in nobis hærens, quæ nos Deo commendet, ſicut Pontificij ſomniant. Hæc ſumma eſt horũ verſuum. Sed vocabula diligenter conſiderãda ſunt, quæ multum habent ponderis, & cauillationes aduerſariorum ſunt refutandæ. Primùm, quòd dicit beatum eſſe cui remiſſæ ſint iniquitates, non debet intelligi cum illa ſynecdoche, quam Pontificij hic aſſumunt. Dicunt enim ad hoc dictum adiungenda eſſe alia Scripturæ dicta, quæ de operibus concionantur, vt cùm dicitur pſal. 41. Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c. Et pſal. 1. Beatus vir qui non ambulat in conſilio impiorum, & ſimilia. Item pſal. 119. Beati immaculati in via. Nec poſſe aiunt ſine hac ſynecdoche conſtare veram iuſtitiæ definitionem. ſemper enim ſomniant, iuſtitiam fidei requirere aliquid in nobis. ideo, quanquam concedunt, fidem eſſe fundamentum cæterarum virtutum, & remiſſionem peccatorum eſſe initium iuſtitiæ: tamen hanc fidẽ iuſtificare affirmant, ſi formata ſit cæteris virtutibus. Sed & Dauid, & Paulus optimus interpres ſententiæ Dauidis, longè aliter de iuſtitia hominis pronũtiant. Affirmant enim, omnes homines æternæ morti & damnationi eſſe ſubiectos, nec quẽquam eximi hoc reatu, niſi cui gratis remittantur peccata, ſicut dicitur pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens. Et pſal. 130. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? &c. Et Paulus inquit Rom. 3. Omnes peccauerunt. Hæc dicta oſtendunt quomodo doctrina de Iuſtificatione ſit intelligenda, Si enim in conſpectum & iudicium Dei non afferimus niſi ſordes & peccata, neceſſe eſt tunc demũ nos iuſtificari cùm peccata illa & ſordes remittuntur & non imputantur: & in hac remiſſione conſiſtere iuſtitiam hominis.

Sed obiiciunt aduerſarij, Cùm in dictis de operibus ſemper doceamus intelligendam eſſe ſynecdochen de fide prælucẽte & accipiente remiſſionem peccatorum: cur non eodem modo ad hoc dictum pſalmi adiunguntur dicta de operibus? vt intelligatur iuſtus eſſe coram Deo qui virtutes ſuas in cõſpectum Dei affert, ita tamen vt quod perfectioni deeſt, ipſe remittat & condonet. Reſponſio eſt plana & perſpicua. In omnibus dictis de operibus neceſſe eſt priùs comprehendi doctrinam de gratuita reconciliatione. Nullum enim opus, quãtumuis magnum & ſpecioſum, placet Deo, niſi perſona priùs placeat & Deo ſit reconciliata: ſicut dicitur in epiſtola ad Hebr. 11. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo. Si igitur ante omnia opera neceſſe eſt perſonam placere & acceptam eſſe, hoc ipſo excluduntur à iuſtificatione opera. Non enim verſantur in rationem, dum iuſtificamur.

[נשוי] Participium præteriti eſt, ex prima coniugat. verbi נשא vel נשה: nam ה interdum ſcribitur pro א propter cognationem. Significat autem leuatum aliquo onere, *Der einer groſſen vnd ſchvveren bürden entladen vvirdt.* Innuit igitur hoc verbo, peccata premere totum genus humanum, atque omnes oppreſſos hoc grauiſſimo onere ſuccumbere & perire niſi quibus immenſa Dei miſericordia adimitur illud onus & culpa remittitur. Ita hypotypoſis quædã eſt in hoc verbo, qua pingit totum genus humanum ſub triſtiſſimo onere & mole peccatorum iacens proſtratum & oppreſſum, & cruciari ſub hoc onere mirabiliter: nec quenquam poſſe aſſurgere aut erigere ſe ſub hoc onere: ſed ſolum Deum immenſa miſericordia eos qui ſub hoc onere gemunt & liberari cupiunt, leuare hoc onere, atque ita leuatos & liberatos in gratiam recipere: atque hos demum eſſe felices & beatos: reliquam multitudinem, quæ hoc onus non ſentiat, quales ſunt homines Epicuræi & hypocritæ, ab omni ſalute excludi. Huc videtur reſpicere Ieſaias 1. cap. quãdo accuſans ſuum populum, inquit, Heu gens peccatrix, populus onuſtus iniquitate, &c.

Deinde addit Dauid, *Cui tectum eſt peccatum.* Etiamſi, cùm ſublatus eſt reatus, & ſentimus nos eſſe leuatos illo ingenti onere, vt cor noſtrum ampliùs non condemnet nos: tamen animaduertimus in nobis manere multas reliquias peccatorum, & ſordes, dubitationem de Deo, ſecuritatem carnalẽ, diffidentiam & multas errantes flammas cupiditatum. Harũ ſordium aſpectus ne iterum concitet æſtum iræ diuinæ, ait in piis, illas tegi quidẽ, ſicut Ieſai. 4. inquit, vmbraculo filij Dei. Hic enim ſe interponit, & ſuo vmbraculo mitigat ac tẽperat illum æſtum, & tegit noſtras ſordes, ne in conſpectum Dei veniant, néve ratio harum nobis reddenda ſit.

In ſecundo verſu repetitur propoſitio. Eſt autem illa repetitio minimè otioſa aut ſuperuacua. Etſi enim ſententia eſt plana & perſpicua, quòd ita beati ſimus, ſi remittantur peccata: tamen animi noſtri in doloribus cõſcientiæ non facilè admittunt illam conſolationem, ſed turbantur multipliciter, & immittit diabolus tela ignita cordibus noſtris, quibus illam conſolationem excutiat: ſicut hi qui habent exercitia pœnitentię experiuntur. Ideo opus eſt illa iterata aſſeueratione, vt certò ſtatuamus, hanc ſententiam eſſe immotam Dei veritatem, in qua ſecurè acquieſcere cor noſtrum poſſit.

Cui non cogitat peccatum] Id eſt, cuius peccatũ iam ampliùs non habet aut reputat pro peccato, cui nõ iraſcitur ampliùs, tanquam reo, & cuius peccatum non damnat, nec punit. Hoc enim ſignificat cogitare, aut imputare peccata, cùm Deo tribuitur. Is enim cùm cogitat noſtra peccata, ſimul his iraſcitur, damnat ea & punit: cùm non cogitat, remittit pœnã, ſicut Gen. 15. dicitur. Cogitabat hoc illi iuſtitiam. Atque ita recordari verbo vtitur Iere. cap. 31.

D. Paulus reddidit verbo λογίζεσθαι, quod etiam ad cogitationem refertur, ſicut & verbum imputandi.

Diuerſa vocabula, quibus peccatum notatur, diuerſitatem peccatorum oſtendunt. Sunt enim alia peccata externa, alia interna, quæ foris quidem non conſpiciuntur, ſed reuera ſunt mala pugnantia cum lege Dei, vt odium, inuidẽtia, æmulatio, &c. Eſt & peccatum originale. Externa delicta tam commiſſionis quàm omiſſionis, videtur notare vocabulo פשע: ſed interiora vitia, prauas inclinationes, cupiditates vitioſas & aberrantes à lege Dei, nominat חטאה. Nam, verbum propriè ſignificat aberrare. Originale peccatũ videtur notare voce עון quæ iniquitatem ſignificat. Eſt enim peccatum originale, vt Anshelmus inquit, Carentia iuſtitiæ originalis, ſeu illius rectitudinis, in qua conditi eramus, & ἀταξία omnium virium. Complectitur igitur his vocabulis omnia peccata, quæ tamẽ ita accipienda ſunt vt ſimul reatus comprehendatur.

In cuius ſpiritu non eſt dolus] Id eſt, qui non, vt ſolent hypocritæ, exiſtimat ſe eſſe purum & ſine peccato, qui peccata ſua non extenuat, vel quocunque modo excuſat & palliat, quíq; nõ blãditur ſibi in ſuis vitiis. Vult enim diſcernere fideles ab hypocritis. Hypocritæ ſemper quærunt tegumenta tanquam folia fici, quibus nuditatem ſuam tegant: putant ſe iuſtos eſſe coram Deo externa diſciplina aut obſeruatione quorundam rituum, & hanc ſatisfacere legi Dei exiſtimant. Sed hæc perſuaſio dolus eſt, quo, cùm Deo fucum facere, ſéque reatu eximere conantur, ſibiipſis imponunt. Quandiu enim hic dolus manet in corde hominis, nunquam patet ei aditus ad gratiam diuinam, nec conſequitur remiſſionem peccatorum: ſed qui verè pius eſt, excutit hunc dolum, hoc eſt, agnoſcit ſe eſſe reum coram Deo, & fatetur ſuum peccatum, & confugit ad gratiam diuinam, atque ita conſequitur remiſſionem peccatorum.

3 Quando tacui, inueterauerunt [*quaſi vetuſtate confecta, attrita & exiccata in ſenibus*] oſſa mea [etiã] in rugitu meo tota die.

Confirmat generalem doctrinam à ſuo exemplo & propria experientia, quod plurimùm facit ad confirmationem doctrinæ. Nam in exemplis vſus doctrinæ conſpicitur: & primùm antitheſis eſt poſterioris ſententiæ, quæ eſt in ſecundo verſu. Ego, cùm tacerem, inquit, id eſt, cùm quidem ſentirem peccatum & ſtimulos conſcientiæ, qui pulſando nonnunquã aures & animum mihi vellicabant, & tamen non accederem ad Deum ſine dolo, non faterer meum delictum, non peterem veniam ſeu remiſſionem peccatorum: nec confugerem ad miſericordiam, ſed manerem in dubitatione, pauoribus & fremitu iraſcente Deo & nolente fateri ſua peccata: vel etiam

cùm

cùm cuperem tegere illa vulnera conſcientiæ, & ſopire illos morſus qualicunq; conſolatione deprompta ex ſapiētia humana aut θελκτηρίῳ inter homines vſitato. Solent enim homines ſibi excogitare varia θελκτήρια quibus peccata ſopire & tegere conantur, ne prodeant in conſpectum Dei, alij alia, &c.

Hæc omnia complectitur verbo tacendi, videlicet non ſolùm diſſimulationem, ſed omnem illam vanitatem humani cordis, quæ quærit his malis remedia extra verbum, aut leuiùs iudicat de peccato quàm debebat. Tantùm autem abeſt vt his θελκτηρίοις tollatur dolor conſcientiæ, vt etiam magis ingraueſcat, & tandem oſſa & medullam conſumat, ſicut hic dicit: & Salomon inquit, Spiritum triſtem exiccare oſſa. Id enim efficit ſenſus iræ Dei aduerſus peccata, ſi non accedat conſolatio, quæ vincat & ſuperet dolores.

In rugitu meo] Id eſt, cùm etiam hæc inquietudo ſeu impatientia doloris in triſtem eiulatum & querelas prorumperet, ſicut fieri ſolet in magnis doloribus, cùm homines prorumpunt in eiulatus & clamores, quibus conantur exonerare dolorem. Et tamen neque ſic proficitur quidquam. Ille enim dolor non expletur, neque egeritur lacrymis. Siue igitur taceas, ſiue clames, non ceſſat ille morſus conſcientiæ, qui intus cor rodit. Sed opus eſt alio remedio, de quo poſtea dicit.

4 Quia interdiu & noctu ingraueſcebat ſuper me manus tua: verſus eſt viror meus in ſiccitates æſtatis, Selah.

Repetit eandem ſententiam addita cauſſa, à qua hic tantus mœror & hi pauores ſint orti & aucti. Ideo, inquit, omnes vires meæ exhauſtæ & conſumptæ ſunt, quia manus Dei, hoc eſt, ſenſus iræ & iudicij diuini ſubinde magis ingraueſcebat: quo magis enim ego conabar tegere & extenuare hoc malum, eo magis creſcebat dolor. Manus ſæpe μετωνυμικῶς ſumitur pro percuſſione, ſeu plaga, & pro ſenſu doloris qui ſequitur plagam. 1. Samuel. 5. Manus Dei erat ibi grauis valdè, id eſt, grauiſſimè affligebat locum illum. Iob. 23. Manus mea grauis eſt ſupra gemitum, id eſt, percuſſio ſeu plaga quam ſuſtineo, grauior eſt quàm vt ſatis deplorare poſſim.

Cōuerſus eſt viror meus] Idē dicit quod ante, ſed illuſtrat ſententiam figura, ſeu imagine: ſicut in æſtate omnia torrentur & exiccātur radiis ſolis: ita ſuccus natiuus, qui corpus humectare & fouere debebat, ſenſu iræ Dei abſumitur. Vſitata verſio habet, dum cōfigitur ſpina: videtur enim legiſſe קוץ pro קיץ.

5 Peccatum meum tibi notum faciebam, & iniquitatem meam non abſcondebam. Dicebam, confitebor aduerſus me iniquitatem meam [*ſcelus meum*] Iehouæ, & tu remiſiſti noxam peccati mei, Selah.

Iam attexit alterum membrum ex antitheſi, quo propoſitionem declarat. Cùm igitur neque tacendo, neq; clamando proficerem quidquam, ſed ſubinde dolores ingraueſcerent, nec inuenirentur in rebus humanis remedia vlla, quibus illud malum tolleretur: ego, inquit, ad Deum confugi, huic illud malum aperui, nec vt antè tegere aut palliare illud ſum conatus, neque ſubterfugi iudicium Dei: ſed ſponte prodij in eius conſpectum, libere faſſus ſum me peccaſſe & eſſe reū, & petij mihi remitti peccata gratis. Atque ita veniam ſum cōſecutus. Tu enim remiſiſti noxam peccati, id eſt, ego ſtatim ſenſi in meo corde conſolationem, vt ſtatuerim, me eſſe abſolutum à reatu, & culpam mihi eſſe remiſſam. Nam verba illa, *Tu remiſiſti, &c.* ad ſenſum Dauidis ſunt referenda, quādo ſenſit conſolationem in corde, & initia nouæ vitæ ac lætitiæ.

Dixi] Id eſt, certa fiducia de miſericordia Dei concepta ſic ſtatui. Ita verbum hoc includit fidem Nemo enim obrutus & oppreſſus peccatis, id dicere poteſt, niſi qui verbum intuetur, & certa fide ſtatuit, Deum gratis remittere peccata confugientibus ad miſericordiam. Alioqui enim pauor conſcientiæ præcludit viam liberę confeſſioni, nec permittit nos prodire in conſpectum Dei, ſed quærit latebras & effugia, quæ ſi non inueniat, ad deſperationem adigit. Itaque rectè dicit Chryſoſtom. Homil. 2. in ſymbolum Apoſtolorum. Ex fide fit initium confeſſionis.

Contra me] Ita ſcilicet, vt fatear me eſſe reum æternæ damnationis, nec quæram hic vllos prætextus, aut effugia ſeu latebras, ſed ſimpliciter ſubiiciam me iudicio Dei, & miſericordiam eius implorem.

Hic autem diluenda eſt obiectio aduerſariorum qui ex hac ſententia colligunt, pœnitentiā ſeu cōfeſſionem eſſe cauſſam remiſſionis peccatorum; atque ita meritum operum ſtabilire conantur. Dixi, confitebor, &c. & tu remiſiſti. Ergo confeſſio meretur remiſſionem peccatorum. Reſpondeo, Dauid hoc loco non differit de cauſſa, ſed oſtēdit modum, quo Deo peccator reconcilietur. Et quidem ipſe, cùm dicit ſe nihil niſi peccata afferre in conſpectum Dei, ſatis refutat hanc Sophiſticam de meritis operum. Quomodo enim merita allegare poteſt, qui nihil niſi veniam delictorum petit? Accedit quidem confeſſio peccati, ſed fides, vt ante dixi, aperit corda & linguas, atque ea eſt quæ veniam impetrat, non actus ille confitendi ſeu loquendi: ſed fides intuens miſericordiam Dei, & in ea acquieſcens.

6 Propterea orabit omnis pius ad te in tempore inueniendi: Vtique in diluuio aquarum multarum ad ipſum non pertingent.

Accommodat ſuum exemplum de modo iuſtificationis ad totam eccleſiam, & docet id pertinere ad omnes, adeóque vnam & eandem eſſe rationem conſequendæ remiſſionis peccatorum & iuſtitiæ. Deinde modum illum oſtendit quo recōciliatio quærenda ſit.

Propter hoc orabit omnis, &c.] Id eſt, Sicut ego in meis doloribus & pauoribus conſcientiæ, quos tantos ſenſi vt penè fuerim extinctus, nihil aliud egi quàm quod confugi ad miſericordiam Dei: ita omnes ſancti in hac vita ſimiliter accipiunt conſolationem, retrahuntur ex doloribus & viuificantur, cùm ſupplices ſe coram Deo abiiciunt, eiúſque miſericordiam implorant. Hæc vnica eſt via, qua tranſitur à morte ad vitam, & non eſt alia. Quare qui volunt in numero ſanctorum cenſeri, eos neceſſe eſt intueri & imitari hoc exemplum. Atque ita vſus illius doctrinæ, de qua initio pſalmi dixerat, conſpicitur.

Interea verò hoc obſeruandum eſt, perſpicuum hoc loco teſtimonium tradi, quòd etiam peccata maneant in ſanctis. Coguntur enim ſubinde orare etiam ſancti, Remitte nobis debita noſtra, agnoſcentes ſua peccata, & petentes condonationem. Itaque non ſatisfaciunt legi Dei, nec ſunt iuſti impletione Legis, &c. ſed fiducia miſericordiæ, quā ſtatuunt tegi à Deo & non imputari peccata.

Tempore inueniendi] Hoc quidam interpretantur de ſtatis horis precandi, matutinis & veſpertinis, quas illi habuerūt: ſed rectiùs exponitur per illud dictum Ieſa. 55. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum dum prope eſt. Significat enim tempus inueniendi, illud tempus quo gratia offertur, dum ſcil. ſe Deus in verbo placabilem oſtendit. nam eo ſublato perit omnis conſolatio, & fruſtra quæritur. Significat etiam tempus inueniendi illud, quando nos extimulant dolores noſtri, vt remedium quæramus. Tunc enim propè eſt Dominus, ſicut dicitur apud Ieſa. Vbi habitabit Dominus? In ſpiritu contrito, &c. Quandiu verò indulgemus peccatis, nec afficimur ſenſu peccatorum, non inuenitur Deus. Nam ſecuritas & ſegnities noſtra, impedit nos quominus Deum quæramus.

In diluuio aquarum multarū] Hactenus de iuſtificatione docuit, & modum eius conſequendæ oſtendit. Nunc addit aliam doctrinam, nempe conſolationem. Sicut & Paulus ad Romanos, poſtquam de iuſtificatione docuit, addit doctrinā de conſolatione. Hæ doctrinæ ſemper ſunt coniungendæ. Manet enim eccleſia in hac vita ſubiecta cruci & calamitatibus: quod cùm vident homines profani, rident totam doctrinam quam profitetur eccleſia, tanquam fabuloſam, & quam ipſa experientia refutet. Sicut Cicero ſcribit in Oratione pro Flacco, Calamitates & ſeruitutem gentis Iudaicæ teſtari quàm illa gens Deo ſit inuiſa. Alij etiam, qui ſunt imbecilliores, anxij ſecum diſputant, quid proſit illa iuſtitia & beatitudo, quam tantopere prædicat & commendat, cùm nullus finis malorum conſpiciatur; imò cùm illa pars generis humani, quæ eccleſia dicitur, magis oneretur calamitatibus quàm alij. His imaginationibus opponenda eſt hæc cōſolatio, quæ hîc traditur, & alibi in Scripturis repetitur copioſiùs.

In diluuio] Aquæ in Scriptura ſæpe ſignificant tribulationes, miſerias. Nam inundationes afferunt magnas calamitates & clades, cùm ædificiis tum omnibus rebus naſcentibus. Vt pſal. 73. Aquæ pleni calicis exprimuntur eis, id eſt, hauriunt magnum dolorem & cruciatum ex illo proſpero ſucceſſu improborum. Ezech. 26. Quum aſcendere fecero ſuper te voraginem, & operuerint te aquæ multæ. pſal. 124. Tunc aquæ obruiſſent nos, torrens tranſiuiſſet ſuper animam noſtram. & Oſe. 5. dicitur, Effundam ſuper eos furorem meum tanquam aquam. Vtrique rei ergo opponitur hæc conſolatio, ſenſui iræ & iudicij diuini aduerſus peccata, qui intus cor rodit, & deinde cæteris calamitatibus, quæ foris ingruūt. Eſtque hæc ſententia, Qui vera fide ad Dei miſericordiam confugiunt, hos nec æſtus iræ diuinæ, aut dolores mortis abſument, nec aliæ calamitates vllæ, quantumuis magno impetu ab omni parte ingruant, ſicut aquæ ſubitò intumeſcentes, opprimient aut abſorbebunt.

Ad eum] Qui ſcilicet totus pendet à bonitate & miſericor

ia Dei,& vera fide & ſpe auxilium petit & expectat. Hic enim dicitur חסד. Hæc eſt ſumma huius verſus : Nulla eſt tanta calamitas quæ poſſit opprimere pium: habet enim conſolationem & lætitiam in corde,qua omnia ſuperat.

Pingitur auté in hoc verſu imago eccleſiæ in hac vita. Stat illa,vt alibi dicitur, in petra, cui innititur : & irruunt in eam magno impetu & furore ab omnibus lateribus diaboli & mundus,vt eam obruant & euertant,nec habet ex ſe tantum virium aut roboris vt ſuſtinere illam ſubitam impreſſionem, aut auertere impetum harum aquarum poſſit: videtur igitur interitura : ſed hic Deus ſuccurrit, & cingit eam aggere , ne inundationes illæ eam abſorbeant. Hæc eſt dulcis conſolatio.

7 Tu [*es*] latibulum mihi , à tribulatione cuſtodies me : canticis euaſionis circundabis me, Selah.

Rurſus applicat generalem doctrinam ad ſe , & primum ſuo exemplo confirmat veritatem promiſſionis affirmans, ſe hactenus inter varia pericula mirabiliter à Deo defenſum & ſeruatum eſſe. Deinde petit , deinceps quoque iuxta promiſſionem ſe ſeruari.

Tu es latibulum] Id eſt, Tu me hactenus ſeruas & defendis aduerſus vim & furores hoſtium , etiam cùm pericula ita magna ſunt vt nullo humano conſilio euaſio conſpici poſſit.Atque ita meo exemplo didici hanc promiſſionem eſſe veram.

Ab anguſtia cuſtodies me] Scil.in poſterum, quemadmodum hactenus feciſti immenſa bonitate.

Canticis euaſionis circundabis me]Id eſt,Facies vt ſeruatus tibi gratias agere & celebrare tuam bonitatem poſſim. Sicut enim,qui ex ſubitis periculis vel clade aliqua præter ſpem euadunt,læti canunt pæana, & ſibi mutuo gratulantur : ita eccleſia ſeruata inter varia pericula,canit laudes Deo. Et hæc cauſſa eſt cur Eccleſiam ſinat aliquantiſper oppugnari, & tãdem glorioſa liberatione eam eripiat ex calamitatibus, vt ſcilicet ipſe celebretur.

Verbo circundandi vtitur potiùs quàm inſtruendi, aut ſimili, quia vult ſignificare, ſe habiturum non vnam laudis materiam,ſed varias,propter innumera beneficia & varias liberationes. Semper enim noua liberatio præbet nouam laudis materiam , & creſcunt ſubinde Dei beneficia erga eccleſiam , vt tandem his cincti nuſquam nos vertere aut nihil intueri poſſimus, vnde non copioſam materiam laudãdi Deum arripere queamus.

8 Erudiam te, & docebo te in qua via ambules: conſulam ſuper te oculo meo.

Poſtquam principalem propoſitionem abſoluit, in qua doctrinam de iuſtificatione , & conſolationem neceſſariam eccleſiæ tradidit : nunc ſubiicit ἀποστροφὴν, quæ continet adhortationem,vt ſinguli conuertamur ad Deum, addita graui obiurgatione , ne ſi oblata beneficia reſpuamus , cum reliqua multitudine impia in æternum pereamus. Atque ita ex antitheſi oſtendit perire omnes æterna morte,qui non cõſequuntur remiſſionem peccatorum & veram beatitudinem,eo modo quem ſuprà oſtenderat.

Erudiam te] Non alloquitur in genere eccleſiam: ſed conuertit ſermonem ad ſingulos , vt exhortatio plus habeat energiæ. Quæ enim in genere dicuntur,non ita feriunt animos quàm vbi ad ſingulos deſcenditur : & quòd vtitur verbo erudiendi , monet hanc doctrinam non eſſe notam rationi humanæ,ideóque audiendam eſſe eccleſiam docentem.

Erudiam te] Id eſt , ego meo exemplo inſtruam primùm animum tuum,vt doctrinam hanc intelligas, ne ſequẽdo ſomnia humana præcipiteris in errores,& à via veritatis aberres. Deinde docebo te viam,in qua ambules:Id eſt,monſtrabo tibi rationem iuxta quam totam vitam inſtituas.

Conſulam ſuper te oculo meo]Id eſt,magna ſolicitudine hanc rem agam, & inſtruam te ſalutaribus conſiliis:non ludam tecum,ſed fideliter agam, non oſtendam inania θαυματεῖα, qualia philoſophia oſtendit. Id enim per oculi intuitum ſignificatur. Qui enim ſoliciti ſunt pro aliquo, præſertim ſi ſit in aliquo periculo,perpetuò eum obſeruant, & nunquam ab eo oculos auertunt. Ita bonus oculus apud Salom. Prouerb.22. dicitur , qui fauet pauperi,ſeu qui benignè reſpicit pauperem eiuſque curam agit. Bonus oculus benedicetur. Et infra pſal.34.eodem ſenſu dicitur:Oculi Domini ſuper iuſtos. Eſtque exemplum notandum de ſolicitudine,quam quiſque pro aliis gerere debet.Alij interpretes Deo ſermonem huius verſus attribuunt.

9 Ne ſitis ſicut equus , ſicut mulus , [*burdo*] [*quibus*] non eſt intelligentia : Capiſtro & fræno maxillam eius conſtringes,ne accedant ad te.

Iam exponit conſilium ſuum. *Ne ſitis ſicut equus*,&c.Id eſt, nolite petulanter aduerſari Deo,aut repudiare ipſius doctrinam : nolite pertinaciter perſeuerare in delictis contra conſcientiam : ſed præbete vos dociles, & audita hac dulciſſima doctrina de gratuita remiſſione peccatorum , deponite contumaciam,abiicite propoſitum peccandi, & confugite ad miſericordiam Dei,atque ita accepta remiſſione ſponteſubmittite vos Dei imperio, & ſtudete placere ei vera animi pietate ac morum honeſtate.

Equi & muli cùm ratione careant, non poſſunt perſuaderi verbis aut oratione : opus eſt igitur capiſtro & fræno , quibus maxillæ eorum conſtringantur vt ferocia coerceatur,ipſique imperio parere diſcant. Et quidem à mulis conuitium ſumitur in ſtupidos ac prorſus indociles,vt apud Catullum, *Mule, nihil ſentis*.Tali,inquit,modo in eccleſia Deus non vtitur:non rapit violenter quenquam,ſicut Enthuſiaſtæ imaginantur,ſed proponit doctrinam:hanc vult nos audire, diſcere , meditari & amplecti , & per hanc ipſe eſt efficax ſuo ſpiritu,conuertit & viuificat corda noſtra.Si qui verò ferocire & petulanter aduerſari non deſinant , & prorſus ſunt intractabiles, aduerſus hos non deſunt ei fræni,hoc eſt pœnæ,quibus eos tandem cõpeſcat, vt deſinant ſe contra Deum erigere, aut cum eo contendere.Equis volunt quidam comparari impios & hypocritas propter ſuperbiam,mulis propter ſterilitatem.

Capiſtro & fræno ad conſtringendum] Oratio eſt infinitiua quæ commodè redditur imperſonaliter , vt Germani dicunt. *Die man mus zeumen,vnd zwingen*. Quorum ora conſtringẽda ſunt,& ferocia ſubigenda frænis ac lupatis,ne accedant ad te,id eſt,ne calcitrent contra te , ne contendant tecum, néve oppugnent te , ſed diſcant admittere ſeſſorem & ferre imperium. Vel vt alij : Qui non accedunt ad te,id eſt,qui non volunt admittere tuum imperium,vt בל accipiatur pro eo quod Latini dicunt,ſi non.

10 Multi dolores [*erunt*] impio: at ſperantem in Iehouam bonitas circundabit eum [*relatiuum abundat*.]

Exhortationi addit rationem à pœnis impiorum & à beneuolentia Dei,qua ſuos complectitur.

Ita antitheſis eſt in hoc verſu, qua vtriuſque conditionem & euetus,pij ſcilicet & impij,inter ſe confert. Impius,inquit, manet in perpetuis doloribus , quos ei affert ſenſus iræ Dei aduerſus peccata:aut,ſicut Ieſa.inquit,Impius eſt,quaſi mare feruens,quod quieſcere non poteſt, & cuius fluctus redundãt in conculcationem & lutum:non eſt pax impiis, dicit Dominus. Aſſiduè enim impij luctantur cum ira Dei , & tandem fracti doloribus,cùm non inueniunt conſolationem,ruunt in æternum exitium.etiam,cùm non ſentiunt in hac vita ſe premi ira Dei : tamen huc atque illuc rapiuntur à ſuis affectibus & cupiditatibus.

Bonitas circumdabit eos] Id eſt,ſentiet conſolationem in corde,vt certò ſtatuere poſſit,ſe eſſe in gratia apud Deum,ſe habere Deum præſentem in ærumnis, ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe hæredem eſſe vitæ æternæ.

Hæc conſolatio ſedat omnes dolores intus in corde, qui ex ſenſu iræ Dei exiſtunt, & foris ſuperat omnes ærumnas & calamitates,quæcunque accidere poſſunt.

11 Lætamini in Iehoua,& exultate iuſti : & cantate omnes recti corde.

Concludit pſalmum epiphonemate , quo hortatur pios,vt hac doctrina & conſolatione erecti non frangantur dolore in ærumnis & calamitatibus: ſed eas potiùs magno animo contemnant , atque in Domino lætentur , quem ſciunt ſe habere tam propitium & benignum. Doleant,inquit, impij, fremant & pereant in ſuis ſceleribus , quibus non quærunt remedium:vos interea lætamini & gratias agite Deo, qui tanto amore vos proſequitur , vt gratis confugientibus ad miſericordiam peccata remittat, atque hac lætitia vincite & ſuperate omnes ęrumnas,quibus in hac vita eccleſia oneratur. Ita ſimul de fructu huius doctrinæ concionatur. Monet enim, hãc doctrinam de gratuita remiſſione peccatorum parere pacem conſcientiæ, vt Paulus nominat, & afferre vitam & lætitiam perpetuam.

Atque hac re differt doctrina eccleſiæ ab omnibus aliis doctrinis philoſophicis. Illæ enim relinquunt hominem in perpetuis doloribus , nec oſtendunt portum, in quo cor perterrefactum agnitione peccatorũ & ſenſu irę Dei acquieſcere debeat. Iubent quidem nos quærere remedia in rebus humanis:ſed ſi illa nos deſtituunt,(vt quidem tandẽ deſtituunt) ſimul euaneſcit omnis illa conſolatio quam ratio oſtẽdebat, & mergitur homo in deſperationem & interitum. Hic exitus eſt eorum , qui omiſſo verbo diuino alibi ſuis malis remediũ quærunt. Ieſa.8.

PSAL-

PSALMI XXXII.

PARTES.

I. Propoſitio ſummorum Dei beneficiorum, ſua confirmatione iuncta à 1.verſ. ad 6. Gnomen inſignem exordij loco præfigit, cuius ſumma eſt, Beatitatem hominis poſitam eſſe in remiſſione peccatorum & imputatione iuſtitiæ Chriſti, teſte Apoſtolo, Rom. 4. Iuſtificatió autẽ tribus modis declaratur. 1. Quòd peccata tolluntur adeo vt non ſint. 2. quòd teguntur, vt ne peccatorum quidem veſtigia & ſordes appareant. 3. quòd ea non imputet Deus, quum ſemel ſuſtulit deleuítque: ſed tantum imputet iuſtitiam in Chriſto, cuius ſpiritu iuſtificati aguntur, vt ſincero cordis affectu coram Deo ambulent. v.1.& 2.

Confirmatio ab experientia ſingulari, v.3.4.5. Huius partes duæ ſunt. 1. Fatetur v.3.& 4. dum continuit apud ſe peccatum, Dei manu grauiſſimè preſſus eſt. 2. Quum primum reiecit in Deum, atque confeſſus eſt peccata, gratiam (v.1.& 2.declaratam) expertus eſt, v.5.

II. Altera propoſitio, iuſtificatorum atque liberatorum à peccatis & ærumnis grauiſſimis officium exponens. Huius duæ ſunt partes. 1. Inuocatio fidei, v. 6.& 7. expreſſa. 2. Obſequium & attentio ad voluntatem Dei, v.8.& 9. Fidei autem Deum inuocantis efficacia duplex eximiè prædicatur, nempe quod conſeruet in ſummis malis poſitos, & à periculis immunes canticis liberationis circumdet, Dei beneficio gratuito. Ab obſequio Dei remouet ſtuporem & contumaciam.

III. Concluſio: cuius partes duæ ſunt. 1. Cauſa cur attenti debeant eſſe peccatores in gratiam recepti vt Deo obſequium præbeant, nempe iuſtitiæ diuinæ in præfractos, atque miſericordiæ in humiles & fideles conſideratio. v. 10. 2. Hortatio ad pacem & lætitiam ſpiritus, interno & externo animi ſenſu amplectendam & colendam, verſ.11.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Quia non aliter iuſti coram Deo reputamur niſi gratuita peccatorum remiſſione, hanc æternæ ſalutis eſſe ianuã profitemur: ideóque ſolos eſſe beatos qui in Dei miſericordiam recumbunt. Damnãtur autem hoc verſiculo omnes ſuperſtitioſi, idololatræ, hypocritæ, ſuperbi & ſophiſtæ quærentes iuſtitiam hominis peccatoris coram Deo alibi quàm in gratuita eius miſericordia per Chriſtum: cuius imputatur iuſtitia omnibus in eum credentibus.

Vt ſopitos excitet, ſecuris ſolicitudine inijciat, torpentes impellat, trepidas & anxias mẽtes certa cõſtantiq; fiducia traquillet, Spiritus ſanctus remiſſionem peccatorũ pluribus verbis confirmat & ſancit.

Deus leuando, aut tollendo, deinde tegendo & non imputado peccata, gratis ignoſcit. Quare ſuperſtitioſi ſatisfactiones ſuas & ſupererogationis (vt vocant) opera ingerendo, beatitudine iſta ſe priuant: Intempeſtiua item eſt pœnæ & culpæ diſtinctio, qua ſophiſtæ dimidiam veniam faciunt, quæ plena à Dauide conſtituitur.

2 Quandiu Deus imputat peccata, nihil eſt homine miſerius: contrà electorum felicitas in eo vno conſiſtit vt coram Deo iuſti reputentur per Chriſtum, cui imputatum eſt mundi peccatum, vt iuſtitia eius nobis ad vitam æternam aſſequendam imputaretur.

Vt quiſque fidelium ſanctitate maximè excellit, ſe à iuſtitiæ perfectione adhuc longiſſimè diſtare profitetur, nec alibi confidit quàm in mera Dei miſericordia. Falluntur ergo qui in peccatorum remiſſione nonniſi initium iuſtitiæ eſſe putant. Nam quum ſe quotidie multis delictis obſtringant fideles, nihil proderit viam beatitudinis ſemel ingreſſos eſſe, niſi eadem eos gratia vſque ad vltimam vitæ metam proſequatur.

Scelerati & hypocritæ Dei examẽ & iudicium fugientes, ac tenebras captantes, vel folijs tecti ſe beatos ſomniantes, ſecũ doloſè agũt, & cũ ipſo Deo. Pij autem, etſi aliquo timore & gratiæ deſiderio tãgatur, aliquoties tamen ſibi indulget, vel frigidè mouetur ad veniã quærendã. Quare ſi hac felicitate frui cupimus, ſedulò curandũ eſt ne Satã fallacijs corda noſtra occupãs, miſeriæ noſtræ ſenſũ nobis adimat, in qua tabeſcere neceſſe eſt quicunq; ſubterfugia quæritant.

3 Tunc demum capimus quanta ſit felicitas Deum habere propitium, vbi grauibus tẽtationum luctis intus exercitati probè ſenſimus quàm ſit formidabilis ira Dei.

Quocunque ſe vertant peccatores, & quoſcunque induant affectus, non tamen leuant ſua mala, nec quicquam proficiunt, donec cũ Deo redierint in gratiam.

4 Tunc concidit totus hominum vigor, vbi Deus iudex apparet, ac propoſitis iræ ſuæ ſignis eos humiliat ac proſternit.

Serò reſipiſcunt homines vbi ſemel lapſi ſunt, & ad parendum tardi admodũ apparent, donec ſubinde plagas ſuas ingeminet Deus, & continuando augeat.

Non fruſtra iterãtur caſtigationes, quibus in nos Deus ſæuire videtur, nec fruſtra aggrauatur manus eius, donec ferocia noſtra ſuccũbat, quam ſcimus eſſe indomitam niſi duriſſimis plagis cogatur.

5 Voluntaria confeſſio piorum, qui peccata ſua coram Deo deflent, cum fide ſemper coniuncta eſt: impij autem captant latebras, vt Dei conſpectum effugiant, vel ſua flagitia extenuant, vel fucos inducunt, aut obſcurant tergiuerſando: denique nunquam ingenuè & pleno ore rectam confeſſionem afferunt.

Qui ſub onere peccati fatiſcunt & ad Deũ ſuſpirant, eum ſentiẽt propitium, ſimul ac rectà & voluntario affectu ad eũ ſe contulerint.

Confeſſio non eſt cauſſa remiſſionis peccatorum, ſed modus quo ſe Deo reconciliant peccatores, quorum fides corda & linguas aperiens, veniam etiam impetrat.

Quum eadem inter nos vigere debeat confitendi ratio quæ olim patribus ſub lege fuit, ſatis hoc loco refellitur Antichriſti edictum quo nos ad ſacrificos ſuos ablegat.

6 Veniæ potiundæ modus nobis hoc verſiculo præſcriptus eſt, vt confugiamus ad orationem, quæ verum eſt fidei ſacrificium.

Nemini ſpes ſalutis aliter ſit quàm ſi coram Deo ſupplex ſe proſternat, quia eius miſericordia omnes ad vnum indigemus.

Singulis momentis Deus quærendus eſt, cuius gratia ſemper egemus: præcipuè verò quum noſtra nos neceſſitas ſolicitat.

Etiamſi nos vndique circundent profundi mortis gurgites, metuendum non eſt ne nos abſorbeant: ſed tuti & incolumes erimus, modò nobis fide receptus ſit ad Dei miſericordiam.

7 Deus eſt vnicus portus ſalutis, ſuorumq; cuſtos fidelis futurus; qui tamen à tribulationibus non erunt immunes, ſed in periculis conſtituti, Dei ſentient multiplex auxilium, vt vberrima hinc inde eius laudandi materia ſuppetat.

8 Quum omnibus Dei filijs ſalutis vita hîc monſtretur, ſummopere cauendum eſt ne ab ea vel minimùm deflectamus.

Hac lege nos Deo reconciliamur vt quiſque fratres ſuos eiuſdem beneficij participes facere ſtudeat. Et quicunque de ſalute noſtra ſoliciti ſunt, ij nobis à Domino (paterna cura nobis proſpiciente) conſtituuntur viæ duces.

9 De corrigenda duritie meritò monemur: quia ſi attẽti eſſemus, vt decet, ad Dei ferulas, certatim quiſque ad quærendam Dei gratiam properaret. Tanta autem illa tarditas vel à ſtupore, vel à peruicacia ducit originem.

Pudorẽ hominibus incutit Dei ſpiritus, dũ brutis animalibus eos cõparat, ſimulq; docet, contra ſtimulũ calcitrando eos nihil proficere.

10 Dum reprobis dura flagella parat iuſtus iudex, cogitemus non aliud eſſe malis noſtris remedium, niſi vt humiliati ſub Dei manu ſalutem noſtram in ſola eius miſericordia fundemus, noſq; omnibus numeris fore beatos ſi in Deum recumbamus: quia vndecunque nos oppugnet Satan, Dominus cum ſuo præſidio occurret.

11 Quum tam benignè & comiter ad reconciliationem Deus ſe offerat, nihil obſtat quominus eum ſtatuamus nobis eſſe propitium, ideóque in eo lætemur.

Hic eſt incõparabilis fructus fidei, dum ſcilicet piorum conſcientiæ tranquillæ & hilares pace & gaudio ſpirituali fruuntur. Nam vbicunque vigebit fides, eam ſequetur hæc ſancta gloriatio.

Quia mundo ſua impietas obſtaculum eſt, ne ad veri gaudij participationem accedat, ideo ſoli iuſti compellantur.

Iuſti dicuntur recti corde, vt ſciamus, externæ iuſtitiæ ſpeciẽ quæ hominibus arridet, nihil eſſe coram Deo. Nec alij recipiuntur in gratiam, niſi qui ſibi in vitijs diſplicent, & ex animo reſipiſcunt, ſinceróque cordis affectu pietatem colunt atque iuſtitiam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Peccatum (variis nominibus deſignatum) omnium onerum grauiſſimum onus.
2. Beatitas hominis peccatoris in quo poſita.
3. De remiſſione peccatorum, iuſtificatione & ſanctificatione.
4. Conſcientiæ ſauciæ, ſilentis, latebras captantis, miſeria.
5. Peccati certa medicina, confeſſio ad Deum.
6. De multiplici confeſſione, locus.
7. Iuſtificatorum in Chriſto priuilegia eximia, cogitationes, officium.
8. Reproborum mala mens, malus animus.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIII.

IN HOC pſalmo hortatur Dauid (aut quiſquis eius eſt autor) eccleſiam, vt conſideratis innumeris beneficiis, quibus cùm totum genus humanum tum inprimis eccleſiam, Deus affecit, aßiduis laudibus eum celebrent, & horum beneficiorum cogitatione ad timorem, fidem & reliquos cultus Deo gratos præſtandos exuſcitentur. Hac ſumma eſt pſalmi. Sed ordo conſiderandus eſt, qui lucem affert huic carmini. Primùm propoſitionem recitat, quæ eſt adhortatio, vt dixi, eámque pluribus verbis iterat, quia non vult perſunctoriè aut frigidè id fieri. Hanc propoſitionem confirmat varijs argumẽtis. Primum *ſumptum eſt à iuſtitia, bonitate, prouidentia, ſapientia & potentia Dei, quæ lucet in creatione & perpetua conſeruatione huius mundi: quod opus ita magnum eſſe dicit vt eius aſpectu & conſideratione meritò expaueſcant omnes creaturæ.* Secundum *argumentum ſumptum eſt à rebus humanis, quas Deus mirabili bonitate ita ordinat, diſpenſat & gubernat, ne furore diaboli aut malitia hominum ſceleratorum hic ordo pulcherrimus, quẽ ipſe inſtituit, turbetur aut euertatur, & extrema vaſtitas fiat: ſed vt maneant politiæ, honeſtæ leges, iudicia, coniugia, ſocietates hominum & contractus, quibus omnibus genus humanũ ita inter ſe deuinxit, vt ſi his careant, ſaluæ res hominũ eſſe non poßint.* Tertium *argumentum, quod præcipuum eſt, ſumptũ eſt à mirabili conſeruatione, & defenſione eccleſiæ in hac vita. Ea enim quanquã nudata videtur eſſe omnibus præſidijs & habet hoſtes potentißimos, qui magnis viribus eã oppugnant & delere conantur: tamen ſeruatur & tegitur à Deo, qui ſæpe in liberationibus ſuorũ oſtendit nullã eſſe tantam potentiam aut vires quæ euertere Dei conſilium, aut opprimere eccleſiam poßint. Ex his argumentis colligit & concludit, nihil igitur tutius aut melius eſſe quàm ſuam ſalutem committere Deo, & ab eo ſolo firma fiducia pendere, nec reſpicere ad res externas, quæ ſpes noſtras fallant, & in neceßitate nos deſtituant. Hic enim vſus & finis eſſe debet huius conſiderationis. Concludit autem pſalmum precatione, in qua petit vt Deus eccleſiam ſuã perpetuo fauore & miſericordia complectatur, nec ſinat eam opprimi mole peccatorum ſuorum, vel tyrannide diabolorum, & reliquorum hoſtium, qui perpetuò eam infeſtant & delere conantur.*

CAnite iuſti in Iehoua: rectis decora eſt laus.

2 Celebrate Iehouam in cithara: in nablo [*&*] decachordo pſallite ei.

3 Cantate ei canticum nouum: ſtrenuè canite [*benefacite canendo*] cum iubilatione.

Tres primi verſus continent propoſitionem pſalmi, qua hortatur fideles, vt conſiderantes magnifica Dei opera cum in creatione tum in conſeruatione huius mundi, atque adeo in primis eccleſiæ ſuæ: ſapientiam, potentiam & bonitatem eius celebrent quocunque modo poſſint.

Iuſti] Iuſtos nominat eos qui per fidem facti ſunt membra veræ eccleſiæ & hæredes vitæ æternæ, & qui, vt Petrus inquit, per bona opera ſatagunt firmam facere ſuam vocationem. Hos vult canere laudes Dei, atque hos adeo decere vt canant, affirmat: quia nulli alij idonei ſunt gloriæ Dei præcones. Homines enim profani & Epicurei, qui ſummam felicitatem in opum affluentia & honorum atque dignitatum amplitudine collocant, aut qui bonitatem Dei nunquam guſtarunt, aſpiciunt hæc opera Dei, de quibus hic concionatur, non aliter vt brutũ aliquod animal: nec ita his afficiuntur vt eorum conſideratione ducantur ad Dei agnitionem & celebrationem.

Quanquam igitur maxima generis humani pars negligat, & quaſi clauſis oculis prætereat hæc opera Dei, tamen non decet propterea in vniuerſum laudes illius conſileſcere. Ideo addit, *Rectos decet laudatio*, ſeu rectis conuenit celebratio. Impij enim nec faciũt id, nec ſi faciant gratæ ſunt Deo ipſorum voces: quia ex impuro corde proficiſcuntur, quo nomen Dei magis polluitur & cõtaminatur quã celebratur. Nã laus quæ ab illaudato proficiſcitur, vituperatio eſt. Ideo dicitur pſal. 50. Impio autẽ dixit Dominus, Quid enarras iuſtitias meas? &c. Econtra nulla res magis digna eſt in qua piorum ſtudiũ occupetur, quàm in conſideratione & celebratione operum Dei.

In cithara] Id eſt, non tantùm voce, ſed etiam inſtrumentis muſicis celebrate laudes eius, & nihil omittite quod mentes & ſenſus hominum ad canendas Dei laudes accendat. Muſica enim animi hominum mirabiliter accenduntur & excitantur, vt maiore impetu & feruore in rem, quæ conſideranda proponitur, incumbant. Ideo maximus eius fuit vſus in populo Legis, & excogitata ſunt varia inſtrumenta: vt hac ipſa varietate quaſi calcaria adderentur animis piorum.

Quomodo differant cithara & pſalterium, vide Auguſtinũ in hunc pſalmum, & alibi.

Nablum fuit inſtrumentum muſicum, non abſimile noſtræ teſtudini: nam & nomen inde habet quòd ſit concauum aut vacuum. Suidas dicit eſſe organi ſpeciem aut lyram: & in dictione ψαλτήριον, dicit nablum nõ differre à pſalterio. Ioſephus lib. 7. antiquit. Iudai. cap. 12. diſcrimen illuſtre facit inter nablum & citharam, his verbis: Cithara decem chordas habet & plectro percutitur: nablum duodecim, & digitis tangitur.

Decachordum igitur non eſt epitheton nabli: ſed alterius inſtrumenti nomen.

Cantate Iehoua canticum nouum] Hoc eſt, non vulgare, ſed rarum & exquiſitum, quod tam ſplendidæ materiæ & argumento conueniat: & quidem ſubinde noua carmina ſcribite & canite: quia quotidie noua materia laudis diuinæ ſeſe offert diligentiùs conſideranti ſapientiam Dei in creatione, & potẽtiam eiuſdem in conſeruatione cùm mundi tum inprimis eccleſiæ. Ideo non ſatis eſt ſemel ceciniſſe eius laudes, ſed ſubinde illæ ſunt renouandæ.

Benefacite pſallendo ſeu pulſando] Id eſt, Strenuè pſallite. Alij, ſuauiter, & arte, vt היטיב ad modos concinnè aptandos referatur. Et ita vſurpatur 1. Sam. 16. Quærite mihi virum מיטיב, id eſt, qui arte ſciat ludere aut canere inſtrumentis muſicis.

Cum vociferatione] Id eſt, magno cordis affectu, qui ſe continere nequeat quin in vocem erumpat: quaſi diceret, Non ſint tantùm voces aut ſoni torpentes, temere in aerem ſparſi, ſine mente aut ſine affectu, qui faſtidium harum rerũ potiùs quam admirationem notent.

4 Quia rectum [*eſt*] verbum Iehouæ: & omnia opera eius in fide.

Prima ratio propoſitionis, vt dictum eſt in argumento, ſumitur à ſapiẽtia, bonitate, iuſtitia, & potẽtia Dei, quæ in creatione & conſeruatione huius mundi conſpicitur.

Verbum Domini hoc loco non accipio tantùm de verbo patefacto in eccleſia, in quo de voluntate Dei erga nos docemur, & veritas ipſius in præſtandis promiſſis oſtenditur. Ita enim plerique hunc verſum interpretantur. Sed intelligo totum conſilium & decretum de creatione mundi eiúſque gubernatione. Illud, inquit, eſt rectum, ita vt vndique iuſtitia & æquitas ipſius inde eluceat & nihil reprehendi queat. Quocunque enim oculos cõuertas, videbis iuſto & debito ordine omnia eſſe condita, & ſumma æquitate ac rectitudine eadem gubernari & conſeruari. *Es iſt alles richtig vnd recht*, quicquid Deus ſtatuit & mandat. Hac generali ſententia præmiſſa, poteſt deinde etiam ad eccleſiæ doctrinam hic verſus accommodari. reſpicit enim ad omnia illa de quibus ſermonem copioſiorem inſtituit.

Opera eius] Eadem penè eſt ſententia. Eſt enim vſitatum eadem repeti: ſed opera tamen nonnihil diſcrepant à verbo. Verbum enim de conſilio & decreto interpretor, in quo nihil niſi ſumma ſapientia & rectitudo conſpicitur: opera intelligimus eius effectum, ſeu executionem, primùm in creatione, deinde in gubernatione: ea verò ſunt in fide, id eſt, carent omni iniquitate, dolo, fuco. *Er handelt redlich vnd auffrichtig.* Si ad gubernationem reſpicias, ſententia erit plana: Homines à ſeipſis diſcedunt ſæpe, & fallunt aliorum ſpem & expectationem: Deus verò vt verax eſt, ita carent eius opera omni ſimulatione, ſeu fuco. Ita deinde in promiſſionibus eccleſiæ factis veritas & conſtantia hoc dicto commendatur.

5 Dili-

5 Diligit iuſtitiam & iudicium: bonitate Iehouæ plena eſt terra.

Repetit & confirmat eandem ſententiam. Itaque rurſus hæc ad gubernationem mundi primùm ſunt referenda. nam de hac nunc ſermo eſt.

Ipſe diligit iuſtitiam & iudicium, &c.] Id eſt, nō induit varios affectus, vt homines, quibus impulſus, ſubinde mutet rationem ſuæ gubernationis: ſed quia natura amat iuſtitiam & æquitatem, ideo ſecundùm hanc moderatur omnia: etiamſi homines impij & peruerſi aliter ſæpe de eo iudicent, horum enim cupiditatibus niſi obſequatur, putāt eum iniuſtum eſſe aut crudelem, qui curam ſuorum non agat.

Iuſtitiam] Intellige probantem probanda. *Iudicium*, damnās damnanda. Alij iuſtitiā & iudicium intelligūt, quæ in hominibus ſunt. Diligit iuſtitiam, ſcilicet in hominibus. Id quidem verum eſt, ſed remotum ab orationis contextu.

Baſilius & alij, ſequuti Græcum interpretem, qui צדקה vertit ἐλεημοσύνην, hanc ſententiam interpretantur de temperamento iuſtitiæ & miſericordiæ Dei, quòd videlicet non agit nobiſcum ſtricto iure: ſed iuſtitiam moderatur clementia.

Bonitate Domini, &c.] חסד non intelligitur hîc principaliter de illo amore quo eccleſiam ſuam complectitur, dum ei remittit peccata, & attribuit hæreditatē vitæ cæleſtis: quāquam de hac etiam intelligi poteſt: nam illa quoque exundat in vniuerſam terram: ſed loquitur nunc de omnibus illis beneficiis quæ cernuntur & deprehendūtur cùm in creatione, tū verò in aſſidua cōſeruatione rerū creatarum. Quocunque enim oculos conuertas, paſſim occurrent in ſingulis creaturis plurima argumēta bonitatis diuinæ. Cùm enim totus hic mundus in hominum vſum ſit conditus, nihil eſt tam exile & minutum quod bonitatem Dei erga nos non commendet. De hac igitur loquitur. Tota rerum natura, inquit, propoſita eſt, vt ſit theatrum ſapientiæ, iuſtitię & bonitatis Dei.

6 Verbo Iehouę cæli facti ſunt: & ſpiritu oris eius, omnis exercitus eorum.

Sequitur narratio quæ eſt ἐπεξήγησις prioris rationis. Dixerat enim, Deum eſſe celebrandum, quia omnia mirabili ſapientia & iuſtitia condiderit & condita conſeruet. Id explicaturus copioſiùs, primùm ipſam mundi machinam, & in hac quaſdam partes aſpiciendas nobis proponit, in quibus hæc omnia ita euidenter elucent, vt negari niſi impudenter non poſſint. Loquitur autem primùm de creatione: quia hæc quaſi baſis & fundamentum eſt alterius doctrinæ de prouidentia. Neque enim facilè alicui perſuaſeris, Deum prouidentia ſua regere hunc mundum, niſi priùs doceas, eundem ab ipſo eſſe conditum. Hæc cogitatio quaſi χειραγωγία eſt ad illam alteram doctrinam de prouidentia.

Verbo Domini] Id eſt, ſolo ipſius iuſſu & nutu, Deo tantùm dicente: vt non fuerit opus præexiſtente aliqua materia aut aliis mediis externis, vel etiā magno labore & opera ad tam ſplendidum & nobile ędificium extruendum: quæ res potentiam ipſius commendat, quòd ſolo verbo hanc machinam mundi condidit. Cæterùm *Verbum* intelligendum eſt hoc loco non de verbo aliquo vocali, ſeu ſono, qui per inſtrumēta voci formandæ deſtinata exprimitur, & emiſſus in aerem euaneſcit, nec de mandato quod conceptis verbis profertur: ſed momentum & pondus imperij ipſius ſignificatur, aut, ſicut D. Iohannes interpretatur, λόγος intelligitur filius Dei, per quem ſecula condidit, & ordinem creationis patefecit.

Cælos συνεκδοχικῶς intelligit totam mundi machinam à præcipua eius parte, qua maximè incurrit in oculos, & homines rapit in admirationem.

Spiritum oris nonnulli idem eſſe dicunt quod verbum. ſicut in dicto Ieſaię 11. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: ſermonem efficacem & non euaneſcentem ita nominans: ſed tota antiquitas hoc teſtimonio vſa eſt, ad probandam pluralitatem perſonarum in diuinitate. Ideo libenter hanc ſententiam retineo. Non enim ſpiritum ſine cauſſa voluit à verbo diſtinguere. Et quod nominat ſpiritum oris ſui, ſignificat eum prodire de ſubſtātia Dei, & non eſſe ſpiritum creatum, ſed creantem.

Cælorū exercitus intelligit ſydera & ſtellas, quaſi ordine atque in acie collocatas ad militandum Deo, & mandata ipſius exequēda: Vnde & Euāgeliſtæ per δυνάμεις τῶν οὐρανῶν intelligunt illos exercitus. Lutherus omnem exercitum interpretatur, quicquid ab illis & intra illos cælos continetur.

7 Congregat ſicut cumulum aquas maris: ponit in theſauris abyſſos.

Commemorat aliud opus creationis & gubernationis, ex quo cùm ſapientia diuina tum potētia elucet: nec perſequitur omnia quæ de ſingulis mundi partibus dici poterant, ſed illa quæ maximè ſunt inſignia, & quæ ab omnibus notari & intelligi poſſunt. Primùm inquit, colligit ſicut cumulum aquas maris. Hoc verò eſt inſigne miraculum, quòd elementum illud fluidū & inſtabile certis metis & limitibus includit, & inſtar ſolidi aceruí collectum ſuo arbitrio tenet.

Fatentur phyſici, & experientia palam clamat, aquas terra ſuperiores eſſe. Quòd igitur non diffluūt, nec terrā obruunt, tanquam carceri incluſæ, hoc & ſapientiæ & potentiæ & bonitatis diuinæ eſt argumentum, quod partem terræ extare voluit, vt ſaluti generis humani conſuleretur.

Alij vocabulum נד interpretantur vtrem, quaſi idē ſit cū נאד & addit Baſilius hanc expoſitionem, Ipſe nunc inflat mare tempeſtatibus ventorum, nunc rurſus ſedat, & quaſi in ſe contrahit. Affirmat tamē, in quibuſdam exemplaribus legi, in vtrem. Sed & in hiſtoria exitus Iſraelitarum ex Ægypto, Exod. 15. de mari rubro conſiſtente vtrinque tāquam in duos ſcopulos ſeu cumulos diuulſo, & de Iordane conſiſtente in ſuperiori parte ad trāſitum Iſraelitarum, vſurpatur vocabulum נד Ideo priorem interpretationem ſequimur.

Ponit in theſauris abyſſos) Repetit eandem ſententiam, ſed cū amplificatione: quaſi dicat, Non tantùm concludit, & quaſi firmis aggeribus oppoſitis coercet illam immenſam molem aquarum: ſed, quòd in ipſis terræ viſceribus mira & incomprehenſibili virtute aquas recondit, hoc inprimis dignum eſt admiratione. Nam quiſquis elemēta eorúmque naturas inter ſeſe confert, præter naturam, & non ſine ingenti miraculo fieri dicet, vt abyſſi & immēſi gurgites aquarum, ſeu voragines, ſub terra lateant, qui potiùs debuerāt eam ſubmergere & abſorbere. Hic igitur potentia & virtus Dei conſpicitur.

Ponit in theſauris) Id eſt, clā abdit & cōcludit certo loco ſeruandas abyſſos, non aliter quàm theſauri concludi ſolent, ne ſcilicet terram obruant.

8 Timeant à Iehoua omnis terra: ab ipſo paueāt omnes incolæ orbis.

Cōcludit hunc locum adhortatione, in qua oſtendit vſum huius doctrinæ. Monet enim ita intuenda & conſideranda eſſe opera diuina, vt ad timorem Dei exuſcitemur, & diſcamus nos reuerenter ſubiicere ipſius imperio: nec cogitemus nos eſſe dominos orbis conſtitutos, aut quiduis nobis in eo licere. Hic finis eſſe illius conſiderationis & ſtudij noſtri debet.

Timeant] Id eſt, agnoſcentes immenſam eius ſapientiam & potentiam in creatione & cōſeruatione huius mundi, cogitent reuerentiam & timorem deberi huic creatori.

Timeant terra] Synecdoche eſt frequēs in hac lingua. Nam terræ nomen, collectiuè κατὰ συνεκδοχὴν ponitur pro habitatoribus terræ: quod ex ſequente membro facilè intelligitur.

9 Quia ipſe dixit, & fuit: Ipſe mandauit, & ſtetit.

Repetit priorem rationem, & ſummatim vniuerſa quæ priùs dixerat, comprehendit.

Ipſe dixit] Id eſt, Tanta eſt eius potentia vt ſolo verbo & nutu omnia crearit. Nam imperium eius protinus eſt opus.

Ipſe mandauit & ſtetit) Id eſt ipſius mandato & iuſſu adhuc ſtat & conſeruatur tota rerum natura.

10 Iehoua labefactat (*irritum facit*) conſilium gentium: infringit (*annihilat*) cogitationes populorum.

Alterum argumentum, quo confirmat propoſitionem, eſt prouidentia & gubernatio, qua non tantùm ſeruat naturam vniuerſam à ſe cōditam, vt ordinem motuum cæleſtium, vices temporum, fœcunditatem terræ & animantium: ſed etiam curat & ſeruat genus humanum, cuſtodit politicam ſocietatem, imperia, iuſtitiam, diſciplinam, punit atrocia ſcelera pugnantia cum lege naturæ, & tandem iniuſtè oppreſſos liberat.

De hac re concionatur hoc loco, cùm inquit, Iehoua labefactat & infringit conſilia gentium, id eſt, etiamſi multi ſunt qui turbare omnia in genere humano & miſcere conantur, tamen Deus ſeruat honeſtas politias leges, iudicia, &c. contra vim & furorem diabolorum & malorum hominum, &, ſi quid illi in perniciem generis humani machinātur, id labefactat & infringit, reprimit tumultuantes & compeſcit ipſorum ferociam: nec negotium aliquod illi facit, etiamſi ingens multitudo ex omnibus populis & vndique concurrat: quàm facilè enim vnum atque alterum reprimit, tam facilè etiam maximam hominum multitudinem deiicit aut coercet.

11 Conſilium (*autem*) Iehouæ in æternum ſtabit: cogitationes cordis eius in ſeculum & ſeculum.

Addit antitheſin: ſed conſilium Domini, quo decreuit ſeruare imperia, honeſtas politias, leges, iudicia, &c. defendere iniuſtè oppreſſos, punire atrocia ſcelera, ſeruare eccleſiam, eſt firmum & ratum, nec poterit vlla humana audacia infringi aut labefactari. Docet igitur hac antitheſi, euentus non reſpondere humanis conſiliis: ſed ſimpliciter pendere à conſilio & voluntate Dei.

12 Beata gens cui Iehoua Deus eius: populus [*quem*] elegit in hæreditatem ſibi.

Inſerit huic doctrinæ inſigne epiphonema, quo præcipuũ eius vſum oſtendit. Non ideo tantùm prodeſt noſſe, Deum ſuo conſilio & ſapientia gubernare res humanas in hoc mũdo, vt ſciamus manſuras eſſe aliquas honeſtas politias & ſocietates hominum: ſed multo magis, vt inde colligamus, manſuram eſſe eccleſiam in hac vita, etiamſi variè ea oppugnetur. Si enim, vt honeſtas politias, leges, & iudicia ſeruet, reprimit tyrannos & ſceleratos homines, quanto magis eccleſia ſeu populus quem ſibi elegit, erit ei curæ: Ideo inquit: *Beata gens, &c.*

Ita igitur doctrina de prouidentia eſt cogitãda, vt ad noſtrũ vſum in eccleſia eam accommodemus, & cogitemus, inter ſumma miracula & beneficia diuinę numerandam eſſe collectionem, conſeruationem & liberationem eccleſiæ, quam Deus, vt hic pſalmus loquitur, in hæreditatem ſibi aſciſcit.

Deum alicuius eſſe, ſignificat ſingulari amore aliquem complecti, curare, ſeruare, defendere, ornare multiplicibus bonis, tam ſpiritualibus quàm corporalibus. Sed ne quis exiſtimet, homines ſuis meritis aut operibus id conſequi vt à Deo diligantur, addit mox, totum beneficium pendere ex gratuita Dei adoptione. Nonnulli ſententiam hanc corrumpunt & prorſus inuertunt. Ita enim interpretantur, Populus qui elegit Deum ſibi in hæreditatem, id eſt, vera fide eum diſcernit à commentitiis numinibus.

13 E cælis reſpexit Iehoua: Vidit omnes filios hominis.

14 Ex habitaculo ſolij ſui proſpexit ſuper omnes habitatores terræ.

15 Qui finxit ſimul cor eorum: Qui intelligit omnia opera ipſorum.

Iam continuat doctrinam de prouidẽtia ſuprà inſtitutam, de qua triſtes in mẽte hominum ſunt dubitationes. Mouentur enim ita plurimi varietate euentuũ, & incõſtantia rerum humanarum, vt exiſtiment res humanas fortuitò verſari, nec adminiſtrari aliquo cõſilio: ſicut totus liber Eccleſiaſtis plenus eſt talium argumentorũ, & exempla quotidiana ſunt in conſpectu.

Pompeius victus à Cæſare diſputat Athenis, nullam eſſe prouidentiam: quia deſertus ſit in iuſta cauſa. Et poëtæ fingunt fortunam eſſe cæcam, &c. Contra has dubitationes & blaſphemias affirmat Dauid, Deum non ita reſidere in cælo vt otioſus ſit rerum humanarum ſpectator, aut vt negligat ea quę in terris gerũtur: ſed proſpicere de cęlo, & mundum ſubiectum ſumma ſapientia & ratione gubernare.

Ex habitaculo ſolij] Amplificat priorẽ ſententiã ab hypotypoſi, qua pingit, Deum tanquam regem ſeu iudicem, ſedere in ſolio, vt imperium ſuum per omnes mundi partes exerceat, omniúmque hominum cauſſas & negotia cognoſcat, & cuilibet ius adminiſtret.

Qui finxit] Addit argumentum à facili, ſumptum ab ipſa creatione. Ille, inquit, Deus, qui finxit & formauit corda, adſpicit res humanas: ergo facile eſt ei, non tãtùm res quæ foris geruntur aſpicere, ſed etiam abdita cordis intueri, & intimos receſſus ſcrutari. Quare non eſt quòd ſomnient aut fingant ſibi homines, ſe poſſe latere, aut ſubducere ſe ſuis technis & aſtutiis à Dei conſpectu, aut ſe aliquid gerere aut efficere poſſe præter ipſius voluntatem. Nihil enim tam occultum eſt quod ipſe non coram videat, & quod non ſua ſapientia moderetur. Simile argumentũ eſt pſal. 94. Qui plantauit oculum, an non videret? &c.

Verbũ יצר non accõmodatur ad malas cogitationes, conſilia, affectus prauos, quorũ autor non eſt Deus: ſed ad ipsã ſubſtantiam & motus cordis proprios, quales ſunt ſua natura. Hæc cùm condiderit, eſt καρδιογνώστης, & conſilia mala ſeu conatus prauos facilè poteſt inhibere.

יחד non intelligitur de tempore, quaſi vno temporis momento omnium hominum corda ſint formata: ſed de tota multitudine & numero ſimul collecto. *Simul*, id eſt, omnia ad vnum, ſine exceptione.

16 Non ſeruatur rex in multitudine exercitus: fortis non eripietur (*euadet*) in multitudine roboris.

17 Mendacium (*eſt*) equus ad ſalutem: & in multitudine roboris ſui non liberabit (*quenquam.*)

Concludit hunc locum de prouidentia. Cùm igitur à Dei potentia & nutu omnia pendeant, non eſt quòd exiſtiment reges & principes, ſe ſua potentia aut viribus obtẽturos quicquid libet: non enim conſtituuntur imperia niſi diuinitus: nec vlla eſt tanta potentia, quæ nõ ſubitò infringi aut euerti poſſit. Damnat igitur hoc loco fiduciam humanarum virium, & iubet nos tãtùm pendere à Deo, cuius ſumma eſt potentia & ſummũ imperium: & monet ſimul, ne ſi videamus contra nos inſurgere aut conſpirare totum mundum, animũ abiiciamus aut deſperemus.

Reges, heroes ſeu gigantes, nominat, in quibus illa fiducia propriarum virium, & faſtus qui inde exiſtit, magis conſpicitur quàm in aliis.

Equus] συνεκδοχικῶς quoduis genus auxilij ſignificat, & quæcunque media terrena, quæ homines excogitant, vt his ſe muniãt: ea, inquit, omnia ſunt fallacia, & fragilia, nec poſſunt præſtare ſalutem quam homines in his reponunt.

18 Ecce oculus Iehouæ (*eſt*) ſuper timentes eũ, qui ſperant in miſericordia eius.

19 Vt eripiat à morte animam eorum, & viuificet eos in fame.

Tertiũ argumentum, quo confirmat propoſitionem, ſumptum eſt à ſingulari amore & cura, qua Deus eccleſiam ſuam complectitur, eámque mirabiliter regit, defendit & ſeruat inter varia pericula & ęrumnas, atquè adeò in ipſa morte. Hoc ſummum eſt argumẽtum bonitatis diuinę, quòd ex hac miſera & variis peccatis obnoxia generis humani maſſa excerpit ſibi cœtũ aliquẽ, quẽ peculiari amore proſequitur, & cui donat non tantùm corporalia, ſed æterna quoque bona: quo argumẽto maximè excitari debemus ad gratias Deo agendas. Ita Theodoretus, huius pſalmi exemplo poſtquam multis libris diſputauit de prouidentia diuina, ductis argumentis ab omnibus partibus naturæ, tandem in poſtremo ſummum eſſe dicit prouidentiæ Dei argumentum, quòd miſit filium, vt aſſumpta humana natura fieret victima, & voce euangelij colligeret ſibi hæreditatem æternam.

Additur autem hoc argumentum ſuperiori ex antitheſi. Homines impij plerunque affluunt diuitiis, opibus, potentia & viribus, quibus ſtultè confidunt. Econtra pij verſantur in variis periculis, habent hoſtes potentiſſimos, ſunt in contemptu & odio. Itaque ſi quis externam ſpeciem conſideret, hos dicet eſſe abiectos à Deo, illos verò amari, & quaſi in ſinu à Deo foueri. Sed longè aliter pronuntiat Spiritus ſanctus. Impij, inquit, pereunt cum ſuis opibus, &c. ſed oculi Domini ſunt ſuper timentes eum: hoc eſt, ipſe curam agit ſuorum, quantumuis videantur variis ærumnis oppreſſi.

Oculi Domini] Peculiaris emphaſis eſt in his verbis. Significat enim, Deum perpetuò quaſi in excubiis ſtare pro ſalute ſui populi, & nunquam auertere oculos à ſuis, aut remittere curam quam pro eis gerit. Eſt autem hoc loco obſeruanda deſcriptio piorum, quos nominat timẽtes Deum, & ſperantes in miſericordia eius.

Vt eripiat à morte] Mors, vltimum & grauiſſimum malum, complectitur omnia pericula quæ piis intentantur, & quæ Deo permittente eccleſiæ immittuntur, vt poſtea præſentia Dei in liberatione cõſpectior fiat. Idem igitur eſt ac ſi diceret, vt liberet eos ex ſummis periculis, in quibus omnes cauſſæ ſecundæ nos deſtituunt, & nihil niſi mors ante oculos verſatur.

Ad viuificandum in fame] Id eſt, vt det ſuis in hac vita aliqua hoſpitiola, proſpiciat de victu & aliis rebus neceſſariis. Verbum viuificandi ad omnia beneficia corporalia extendi debet.

20 Anima noſtra ſperat in Iehouam: auxilium noſtrum & ſcutum noſtrum ipſe eſt.

21 Certè [*ideo*] in eo lætabitur cor noſtrum: Certè in nomine ſanctitatis eius [*hoc eſt, in nomine ſancto eius*] ſperabimus.

Concludit pſalmum, & totam hanc doctrinam de creatione & prouidentia diuina ad vſum vniuerſæ eccleſiæ accommodat. Docet enim quam conſolationem ex hac doctrina capere homines pij, & quo animo verſari in harũ rerũ cõſideratione debeãt. Cũ Deus primũ in creatione, deinde cõſeruatione huius mũdi, & inprimis eccleſię ſuæ, oſtẽdat ſingularem

rem ſuam ſapientiam, iuſtitiam, potentiam & bonitatem: nos tutò omnem fiduciam in ipſum collocamus, & certò ſtatuimus, nos ſaluos fore ipſius præſidio, vtut tumultuetur diabolus, & mundus in perniciem noſtram conſpiret. Voce Animæ ſerium affectum exprimit: quaſi diceret, Integro & ſincero corde.

Expectat Iehouam] Id eſt, pendet ab ipſo ſolo, non à rebus humanis, nec abiicit fiduciam, etiamſi res terrenæ omnes nos deſtituant: imò potius lætatur, &, vt Paulus inquit, gloriatur in afflictionibus: quia ſcit Deum certò adeſſe nobis: hac ſpe ſuperat ærumnas, & vincit omnes dolores. Homines profani, qui ſpectant has mundi illecebras, atque his capiuntur, tandiu lætantur quandiu fortuna arridet: ea cùm mutatur, ſimul ipſi mutantur & vacillant: ſed pij manent perpetuò in ſuo ſtatu.

חכה ſignificat per fauces patentes emittere anhelitum. Inde metonymicῶs accipitur pro inhiare auidè alicui rei, ſicut famelicus inhiat cibo: aut vehementer aſpirare ad aliquid. Nam quæ cupimus, ad ea aſpiramus. Inhiare igitur Dominum, eſt auidè expectare. Talis eſt illa loquendi forma apud Plautum, *Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat quaſi eſuriens lupus, &c.*

Nomen] Eſt ipſe Deus ſic agnitus, quemadmodum ſe patefecit. Non ſperaremus in Deum, niſi nomen eius ſciremus, id eſt, niſi ſe patefeciſſet certo verbo, & certis operibus declaraſſet quòd bonus ſit & miſericors erga omnes, fide ad eius gratiam confugientes: ſemper enim ab eo tanquam iuſto & irato iudice refugeremus.

Speramus] Id eſt, tanquàm in tutiſſimum aſylum confugimus.

22 Sit miſericordia tua ſuper nos Iehoua: quemadmodum ſperauimus in te.

Subiicit in fine precationem, tanquàm epiphonema. ſemper enim cum gratiarum actione coniuncta eſt precatio. Eſtque hæc ſententia, Sicut hactenus in perpetua eccleſiæ defenſione oſtendiſti tuum populum tibi curæ eſſe, te clementer remittere pœnas æternas, & mitigare præſentes ærumnas, ita deinceps quoque eadem miſericordia nos proſequere, ne nos ſpes noſtra quam in te collocauimus, fruſtretur.

Verbo ſperandi etiam monet, non debere nos languefieri etiamſi non ſtatim conſpiciatur eius miſericordia, præſertim in afflictionibus: ſed perſeuerandum eſſe, atque inſtandum oratione.

PSALMI XXXIII.

PARTES.

I. Hortatio ad laudes Dei celebrandas tum voce, tum inſtrumentis muſicis, vt legis pædagogia ferebat, verſic. 1. 2. 3. idque cantico nouo, id eſt non euaneſcente, ſed perpetuò vigente in Eccleſia.

II. Propoſitio ſiue narratio argumentorum ad Dei laudes pertinentium à v. 4. ad 20.

1. Argumentum, ab ordinaria adminiſtratione Dei, verbo & opere: quæ duo ſunt ordinaria documenta iuſtitiæ, iudicij & benignitatis eius, v. 4. 5. 6. 7. Dei autem adminiſtrationem ordinariam in opere creationis & conſeruationis conſiderat.

2. Argumentum ab extraordinaria adminiſtratione Dei. 1. Vniuerſè, v. 9. tranſitione facta, v. 8. ad illud genus argumentationis. 2. Sigillatim, tum in omnium conſilia præter ipſius voluntatem inita, v. 10. & 11. tum eccleſiam ſuam. v. 12.

3. Argumentum, ex 12. v. naſcens, à ſollicita attentione & adminiſtratione Dei, humanitus deſcripta, v. 13. 14. & 15. deinde accommodata ad ſingulos homines, conſilia & facta eorum, tam improborum, v. 16. & 17. quam bonorum & Dei timentium, v. 18. & 19. per hypotypoſin.

III. Concluſio, cuius duæ partes ſunt. 1. Profeſſio fiduciæ & gloriationis noſtræ in Deum, verſ. 20. & 21. 2. Petitio gratiæ, v. 22.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Quum aſſiduis beneficiis Deus celebrandæ ſuæ gloriæ materiam iuſtis & rectis corde præbeat, ac immenſa eius bonitas in proprium theſaurum ipſis ſit repoſita, eos de laudibus Dei ſilere abſurdum & turpe foret. Debemus igitur, iuſtitiam, bonitatem, & potentiã Dei, quarum notitiam animis infixã gerimus, apud homines prædicare.

2 Nihil à fidelibus omittendum eſt quod mentes ſenſuſque eorum ad canendas Dei laudes accendere poſſit. Porrò, quum totum illud muſicæ genus, nempe cymbalorum pulſatio, cantus ad citharam, nablum, pars fuerit legalis pædagogiæ, in ſacris conuentibus, nec muſica inſtrumenta, nec ſuffitus, lucernas, & ſimiles legis vmbras reuocare decet. Vide 1. Cor. 14. 16.

3 Quo diligentiùs expendunt fideles Dei opera, altiùs etiam in eius laudes efferri æquum eſt.

4 In toto operum ſuorum curſu Deus ſic imperium ſuum exercet vt refulgeat vbique ſumma æquitas & fides: id eſt, quicquid ſtatuit ac mandat, rectum eſt: quicquid opere ipſo perficit, fidele & verax: in verbo eius denique, id eſt, in tota mundi gubernandi ratione, rectitudo omnibus numeris abſoluta conſpicitur.

5 Quoniam Deus natura iuſtitiam & æquitatem diligit, fieri non poteſt vt eum præpoſteri affectus, more hominum, ad praua conſilia & iniquam adminiſtrationem rapiant.

Etſi Dei iuſtitia nos ad celebrandũ eius nomen meritò ſtimulare debet, acrior tamen ſtimulus eſt eius bonitas: quia vt quiſque beneficum & miſericordem ipſum ſentit, magis ad eum colendũ afficitur.

6 Donec agnitus fuerit Deus mundi creator & opifex, nemo credet ab eo curari res humanas, mundique ſtatum eius conſilio & manu gubernari. Mundus autem per æternum Dei ſermonem, ſeu Patris filium vnigenitum, fabricatus eſt.

7 Inſigne lucet in mundi ſuperficie & dignum notatu miraculũ, quòd Deus elementum aquæ, fluidũ & inſtabile, inſtar ſolidi acerui collectum, ſuo arbitrio teneat: nec tantùm immenſam illam aquarum molem in mari compeſcat, ſed in ipſis quoque terræ viſceribus mera & incomprehenſibili virtute recondat, ita vt altera quoque Dei virtus hîc refulgeat, quòd terram tot caui meatus & voragines non ſingulis momentis abſorbeant:

8 Quum totus orbis ſuam originem à Deo ducat, & ab eodem conſeruetur, iuſta eſt cauſa cur Dei imperio reuerenter ſe ſubiiciat, formidabilémque eius poteſtatem ſuſpiciat.

9 Deus non magno apparatu ad mundi creationem vſus eſt, ſed vt probaret immenſam verbi ſui potentiam, iuſſit vt imperium protinus eſſet opus. vide Geneſ. 1.

10 Vbi ex alto pronuntiat Deus, ſuarum eſſe partiũ, diſcutere quicquid decernunt impij homines & populi, & in nihilum redigere eorum conſilia: nihil obſtat quominus ipſis feruidè tumultuantibus quietem colamus, ita tamen vt ne quid, niſi Dei iuſſu & auſpiciis, tentemus.

11 Quia Deus paſſim teſtatur, ſibi cordi eſſe iuſtitiam & rectitudinem, ſibi curæ eſſe iuſtos & probos, ſibi in animo eſſe opitulari ſuis cultoribus, dum iniuſtè premuntur, hoc eius conſilium ſtabile & ratũ fore ſciamus. Quicquid igitur in perniciẽ noſtrã molietur impij, nos minimè terrebũt eorum ſtudia & conatus, quoniã ſimulac Deus ſe oppoſuerit, nulla erit aſtutia quæ eius conſiliũ eludat.

12 Conſilium Dei, cuius antea fit mentio, non eſt reconditum, ſed viget & ſpectatur in eccleſiæ ſalute.

Quod ſalutis noſtræ curam ſuſcipere, fouere nos ſub alis ſuis, neceſſitatibus proſpicere, opem in periculis ferre Deus dignetur, hoc totum ex eius adoptione pendet: nec alia nobis patet ianua ad felicitatem quàm vt mero beneplacito indignos eligat.

13. 14. Non feruntur cæco impetu res humanæ, ſed Deus occultè dirigit quicquid agitur.

Dei intuitus ideo nobis commendatur, vt nos viciſſim fidei oculis inuiſibilem eius prouidentiam aſpicere diſcamus.

Cælum non eſt otioſum palatium, ſed Dei regia è qua imperium ſuũ per omnes mundi partes cũ ſumma ratione & ſapientia exercet.

15 Vtcunque ſe aſtutiis, fraudibus & clandeſtinis artibus ſubducere à Dei conſpectu conentur impij, & ſibi cauernas effodere, Dei tamen oculi penetrant in iſtas tenebras.

Omnia ad vnum & ſine exceptione formata ſunt hominũ corda à Deo, ita vt fruſtra notitiã fictoris ſui latere vel ſubterfugere conetur: nec erraticis cogitationũ ſuarũ figmẽtis minuẽt Dei imperium;

quominus arcana ſua prouidentia temperet quæ fortuitò accidere putant.

16 Vita hominum, non propria eorum virtute, ſed vnius Dei gratia, ſtat incolumis: & nihil homine, etiam dignitate & opibus florẽtiſſimo, eſt miſerius, donec in Dei præſidium recumbat.

17 Qui terrenis mediis vitam ſuam probè munitam exiſtimant, vt plurimùm in ipſo articulo deſtituuntur, & miſere deluſi pereũt, vt hoc modo eorum ſtultitiam Deus coarguat.

Armorum, equorum, opum & copiarum vſus eſt legitimus, ſed quia maior pars quo pluribus cincta eſt munimentis, eo longius à Deo recedit, iure hanc veſaniam fruſtratur.

18 Fideles, quanuis neque magna potentia ſint præditi, neque opibus abundent, vnica Dei gratia ſatis tuti ſunt.

In hoc tota vitæ noſtræ perfectio continetur, primùm, vt Deum reuerenter & ſincerè colamus: deinde vt intenti ſimus in eius gratiam.

19 Quũ ſibi Deus in fame & morte prompta remedia ad ſeruandam piorum vitam eſſe aſſerat, eius prouidẽtiæ defertur iuſtus honor, dum in extrema penuria animos non deſpondent fideles, quin potiùs è ſepulchro ſpem ſurſum attollunt: quia Deus in hunc finem eſurire ſuos ad tempus patitur, vt poſtea ſatiet: mortiſque tenebras offũdit, vt vitæ lucem reddat.

20 Nihil melius eſt quàm ſalutem noſtram Deo committere, & fideles omnes hortantur vt ſecurè excelſóque animo in paternã Dei curam ſe reiicere non dubitent.

21 Meritò gloriantur fideles cor ſuum lætari in Domino, quia nõ vagantur poſt mundi illecebras, vt pro variæ fortunæ inclinatione nutent ac vacillent, ſed in gratuito Dei fauore totam beatæ vitæ ſummam includunt.

Quia ſpes fidelium in Deo defixa eſt, non deerit ipſe ſuis partibus, quin perennem gaudij materiam ſuppeditet.

22 Ianua diuinæ gratiæ aperitur, vbi non aliunde ſalus vel expetitur vel ſperatur.

Dummodo ſpes noſtra in medio curſu non fatiſcat, minimè timẽdum eſt quin Deus ſuam erga nos miſericordiam continuo tenore vſque in finem proſequatur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Opera creationis, adminiſtrationis rerum, redemptionis & conſeruationis Eccleſiæ Dei, ſanctarum laudum argumentum.
2. Dei Optimi, Sapientiſſimi, Iuſtiſſimi, Benigniſſimi, operum conſideratio.
3. Prouidentiæ diuinæ deſcriptio multiplex.
4. Eccleſiæ felicitas in quo poſita.
5. Piorum characteres, fides, ſpes, humilitas, mens læta, charitas, perſeuerantia.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIV.

Dauidis, quando mutauit ipſe vultum ſuum coram Abimelech, qui expulit eum: & abiit.

HIC Pſalmus plenus eſt doctrina & conſolatione, & addita ſunt promiſſionibus inſignia lumina verborum & ſententiarum, quibus animi legentium facilè alliciuntur atque inuitantur. Ac ſicut de tota Scriptura dicit Baſilius in quadam epiſtola: Sicut putei quo magis hauriuntur, fundunt aquas magis limpidas: ita non dubium eſt, hunc pſalmum, quo ſæpius legitur cum quadam attentione, eo magis dulceſcere. Quare ſemper in eccleſia hic pſalmus hominibus piis fuit commendatiſſimus: neſcio an alius ſit qui toties citetur, præſertim cùm agitur de cruce eccleſiæ, & de conſolationibus, quibus animi in ærumnis ſint muniendi.

Eſt autem ſumma huius pſalmi hæc. Primùm agit gratias Deo pro ingenti beneficio, quòd coniectum in extremum periculum clemẽter ſeruarit & defẽderit, nec paſſus ſit hoſtes pro ſua libidine in ipſum ſæuire: nec pro ſe hoc facit tantùm, ſed alios etiam, vt idem faciant, hortatur. Deinde, quia inſigne exemplum ſuæ bonitatis & miſericordiæ in hac liberatione Deus ediderat, vult hoc ſuum exemplum piis omnibus perpetuò verſari ante oculos, vt ipſius exemplo diſcant, in calamitatibus ad Deum confugere & huius opem implorare. Ac, ne exiſtiment ſingulare illud fuiſſe exemplum, quod ad alios non ſit trahendum, (vt ſolent pauidæ mentes cogitare, quaſi priuilegia ſint quæ ad paucos pertineant) ſubiicit dulciſſimas promiſſiones, in quibus oſtendit, Deum perpetuò omnibus piis adeſſe, exaudire eorum preces, defendere, ſeruare & liberare eos in maximis periculis & calamitatibus: impios verò & tyrannos à quibus iuſti aliquandiu premuntur, horribiliter punire & euertere. Hæc doctrina per totum pſalmum traditur, & elegantiſſimis verbis ac figuris exponitur. Inſeritur autem adhortatio, quæ monet vt cõſideratione tantæ bonitatis & amoris diuini, quo ſuos complectitur Deus, omnes pij excitentur ad verum timorem, & veram fidem, & ad reliquos cultus Deo gratos præſtãdos. Non enim pertinent illæ dulciſſimæ promiſſiones ad hos qui in delictis contra conſcientiam perſeuerant, & qui perpetuò in ſuis ſordibus deliteſcunt: ſed qui his abiectis, veræ pietati atque innocentiæ ſtudent, & Dei erga ſe beneficia agnoſcunt & grato animo celebrãt. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Occaſionem verò huius ſcribendi titulus oſtendit: & hiſtoria, cuius mentionem facit, copioſè deſcribitur 1. Samuel. 21. Cùm peteretur inſidiis à Saule, & ab ipſius aulicis coactus eſſet patriam deſerere & fuga ſibi ſalutem quærere, in ea fuga an ſponte profectus ſit ad regem Gath, quem hiſtoria nominat Achis, an verò captus ab eius militibus in eius aulam peruenerit, incertum eſt. Hiſtoria certè oſtẽdit, Dauidem, cùm agnoſceretur ab aulicis, fuiſſe in ingenti conſternatione & metu, quòd ſciret nomẽ ſuum ob interfectum Goliath & cæſum exercitum Philiſtinorum eſſe inuiſum omnibus. Incidit igitur ex vno periculo in aliud, & vidit ſe periclitari de vita. Sed vt antea ſemper: ita nunc quoque in hoc periculo ad Deũ confugit, à quo petit & expectat opem & auxilium, idque tandem experitur. Nam præter ſuam & omnium ſpem, iuſſus eſt excedere ex aula, atque ita liberatus fugit in deſertum, vbi in ſpelunca Odollam latitauit. Vſus eſt autem arte aliqua, qua regem & aulicos eluſit: finxit enim inſaniam ridiculis & incompoſitis geſtibus, & ſaliua ſpuma in barbam demiſſa. Atque hoc eſt quod hîc & in Samuele Scriptura dicit, eum mutaſſe guſtum ſuum. Significat enim guſtus μεταληπτικῶς, non tantùm vultum vt nonnulli reddiderunt, ſed omne id quo homines dant ſpecimẽ aliquod ſui, vt poſſit intelligi quales ſint, quemadmodum guſtu diſcernere ſolemus cibos: refertur igitur ad omnes geſtus, quibus finxit alienationẽ mentis. Solet autem hîc diſputari an illa ſimulatio, quæ reuera fuit mendacium, ipſumque Dauidem ac gratiam Spiritus ſancti, quo regebatur, ludibrio exponebat apud impios, fuerit licita: & excogitãtur diſtinctiones, quibus hoc & alia ſimilia facta in Scripturis excuſantur. Dicunt enim, ex ſententia Auguſtini, aliud eſſe mẽdaciũ pernicioſum, aliud iocoſum, aliud officioſum, quo non tantùm quis iuuatur, ſiue ſit is qui dicit, ſiue ad quem dicitur, ſed etiam peccatum prohibetur in eo ad quem dicitur vel in alio. Tale volunt eſſe & Abrahæ, & hoc mẽdacium: atque ita excuſari poſſe factum exiſtimant. Sed ipſe Auguſtinus, autor huius diſtinctionis, diſertè affirmat, nullũ mendacium, niſi impulſu Dei fiat, eſſe probandum: proficiſci enim ait etiam illa officioſa ex quadam imbecillitate

& diffi-

& diffidentia. Etiam ſi igitur exitus fuit felix, Deo ſic gubernante & mitigante hoſtis ſæuitiam: tamen illud artificium volunt non caruiſſe culpa aut vitio. Sicut nec illud, quod paulo ante apud Achimelech ſacerdotem finxit, ſe miſſum eſſe à rege, ad ſeria quadam negotia conficienda: debebat enim Dauid ſimpliciter ſalutem ſuam committere Deo, nec inani ſolicitudine de euentu talia media excogitare, quæ ipſi & populo Dei ignominiam apud hoſtes afferrent, aut pericula aliis crearent. Quemadmodum altera illa ſimulatio ſacerdoti Achimelech & eius familiæ fuit exitio. Quicquid ſit, apparet aliquid fuiſſe infirmitatis in hoc mendacio, qua tamen Deus vſus eſt ad ſuam gloriam illuſtrandam. Quod Achis rex hoc loco dicitur Abimelech, Baſilius, ex traditione maiorum, & alij exiſtimant, nomen illud regibus Palæſtinæ fuiſſe commune, ſicut Ægyptijs nomen Pharao, aut Romanis Imperatoribus nomen Cæſaris. Nam & tempore Abrahæ, rex qui præfuit, dicitur Abimelech, Geneſ. 20.

2 Benedicam Iehouæ omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.

3 In Iehoua gloriabitur anima mea: audient afflicti, & gaudebunt.

Primi duo verſus continent propoſitionem, quæ eſt gratiarum actio pro liberatione. Ego, inquit, gratias agam Deo, quandiu vixero, pro hoc beneficio, quòd in tot & tantis periculis ita mirabiliter me ſeruauit: neque enim mea prouidentia aut viribus euaſi, ſed ſolius Dei bonitate.

Benedicere] In Scriptura accipitur dupliciter: interdum tribuitur Deo, & tunc ſignificat benefacere: interdum hominibus, & tunc ſignificat bene precari, aut laudare, ſeu gratias agere pro acceptis beneficiis.

Omni tempore] Hæc particula extollit magnitudinem beneficij diuini. Quanquam enim variis beneficiis Deus Dauidem affecit quæ eum excitare ad gratiarum actionem debebant: tamen hoc præ cæteris dicit ita eſſe inſigne vt æterna memoria dignum ſit. Cúmque hoc de vnico beneficio prædicet Dauid, quid de tanto cumulo bonorum, quibus nos quotidie Deus ornat, eſt iudicandum? *Omni tempore*, Baſilius interpretatur, in rebus ſecundis & aduerſis.

Erit in ore meo] Id eſt, ſemper prædicabo hoc beneficium ad alios, vt etiam hi diſcant admirari & celebrare bonitatem Dei.

In Iehoua gloriabitur] Repetit eandem ſententiam, & quaſi declarat hoc quod dixerat, laudem Dei in ore ſuo fore perennem. Affirmat enim non fore inanem linguæ ſtrepitum, qualis eſſe ſolet hypocritarum, ſed laudem quæ proficiſcatur ex intimis animi affectibus. *Anima* enim hic ſignificat non ſpiritum vitalem, vt aliàs ſæpe, ſed ſedem affectuum. Interea, quod Baſilius monet, antitheſis obſeruanda eſt in his vocibus, cùm inquit, In Domino. Homines profani & hypocritæ, ſi proſpera vtantur fortuna, adſcribunt hoc ſuæ prudentiæ, potentiæ, opibus, amicorum ſtudiis, &c. non cogitãt diuinitus ſe ſeruari aut ornari. Itaque ſuperbiunt fiducia ſuarum virium, & efferunt ſe ſupra alios. Dauid verò totum hoc beneficiũ non adſcribit ſuæ induſtriæ aut prudẽtiæ, ſed dicit ſe tantùm gloriari in Domino, cuius ſolius beneficio ſit ſeruatus, & quem ſciat ſe habere in Deum propitium ac fauentem.

Audient afflicti] Addit amplificatiunculam à fructu gratiarum actionis. Etiam ad alios ex hac celebratione mea redibit aliqua vtilitas: nam alij afflicti & oppreſſi, vbi viderint me diuinitus in iſtis periculis eſſe ſeruatum, etiam ipſi concipiẽt bonam ſpem, non abiicient animum, nec deſperabunt in ſuis ærumnis: ſed confirmabunt ſe hoc exemplo, tanquam illuſtri gratiæ Dei documento, & animos erigentes à mœrore, lætabuntur vbi ſenſerint Deum adeſſe ſuis in tribulatione.

ענוי non quoslibet miſeros ſignificat: ſed μεταληπτικῶς qui malis ſubacti & humiliati, ſunt demiſſi & ſupplices. Ideo ſæpe opponuntur ſuperbis.

4 Magnificate Iehouam mecum: & exaltemus nomen eius ſimul.

Per ἀποστροφὴν ſubiicit adhortationem, qua vniuerſam eccleſiam hortatur ad celebrandum Deum, & hæc ipſa adhortatio habet amplificationem beneficij Dei. Oſtendit enim tam amplum & liberale iſtud eſſe, vt dignum ſit quod à tota eccleſia celebretur, & vt fructus eius ad omnes pertineat.

Magnificate] Id eſt, magnificè celebrate & extollite laudes eius. Baſilius plura hoc verbo comprehendi dicit. Ita enim interpretatur μεγαλύνει τὸν κύριον ὁ μεγάλῃ διανοίᾳ, καὶ γαύρῳ τῷ φρονήματι καὶ ἐπιμόνῳ τῶν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας πειρασμοῖς ὑπομένων, ἔπειτα δὲ καὶ ὁ μεγάλῃ διανοίᾳ καὶ θεωρήμασι βαθυτάτοις τὰ μεγέθη τῆς κτίσεως καθορῶν, ἵνα ἐκ μεγέθους καὶ τῆς καλλονῆς τῶν κτισμάτων τὸν γενεσιουργὸν αὐτῶν θεωρήσῃ.

Exaltemus ipſius nomen] Id eſt, prædicemus ipſius potentiam & bonitatem, quam in aſſidua defenſione ſuorum oſtendit: non exaltemus noſtras virtutes.

5 Quæſiui Iehouam, & reſpondit mihi: & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

Addit rationem propoſitioni à ſuo exemplo, quod vniuerſæ eccleſiæ intuendum atque imitandum proponit. Ideo inquit, ego laudo Deum, & laudabunt alij.

Quia quæſiui &c.] Quærere Iehouam quid ſit, ex ſequenti membro colligitur, videlicet implorare eius opem & auxilium in calamitatibus & periculis. In Prophetis paulo aliter accipitur. Significat enim ſæpe omnes ſenſus & vires intendere ad Deum rectè agnoſcendum & colendum.

Ex pauoribus] Μετάληψις eſt, in qua effectus pro cauſſa ponitur: pauores enim ſignificant pericula, quæ metum & terrorem incutiebant. Interea verò teſtatur, terrores, qui intus exiſtũt ex ſenſu iræ Dei, magis cruciare & affligere homines pios quam externa illa mala, quæ foris obiiciuntur. Sicut & Paulus cum inquit, Intus terrores, foris pugnæ, &c. Non igitur pij ſunt ἀπαθεῖς qui nulla re afficiantur. Nam & Dauid qui heroica fortitudine præditus erat, varia metuebat.

6 Aſpicient ad eum, & confluent: & facies eorum non confundentur.

Transfert hypotheſim ad theſin, applicans ſuum exemplum ad totam eccleſiam, & rurſus fructum gratiæ ſibi exhibitæ commendat. Nam exempla liberationis proponuntur in eccleſia, non tantùm vt bonitas Dei vni atque alteri exhibita celebretur: ſed magis vt confirment promiſſionem eccleſiæ factam, & ſinguli ea ad ſe applicẽt. Non enim cogitare debemus, promiſſiones Dei eſſe tanquam priuilegia, quæ ad paucos pertineãt: ſed eſſe & vniuerſales & gratuitas. Ideò inquit, afflicti, admoniti & confirmati meo exemplo aſpiciẽt ad eum: id eſt, non opprimentur mole calamitatum, vt ruãt in deſperationem, aut fugiant à conſpectu Dei, tanquam irati & ſeueri iudicis, ſed audebunt attollere oculos, & Deum tanquam benignum patrem intueri.

Confluent] Id eſt, magno ſtudio, alacritate, celeritate & copia accurrent ad eum, petentes & expectantes opem, nec impedientur dubitatione aut aliis difficultatibus. Metaphora ſumpta ab aquis, qua ſignificatur copia, aſſiduitas & voluntarius concurſus, quem efficit magnitudo beneficij, Ieſaiæ 2. Rabbi Abraham & Rabbi Dauid exponunt, Illuminabuntur, id eſt, gaudebunt. Nam qui gaudent, ſunt vultu ſereno & ſplendido. Eſt autem ex Chaldaico idiotiſmo hæc interpretatio ſumpta. Nam quod Hæbræi dicunt, אור pro eo Thargum habet נהורא.

Non confundentur facies] Id eſt, non excident ſpe ſua, non patientur repulſam. Eſt enim metonymia, vbi ſignum pro ſignato accipitur.

7 Iſte pauper clamauit, & Iehoua audiuit: & ex omnibus anguſtiis eius ſeruauit eum.

Vt exemplum applicationis ſit illuſtrius, & ad conſolationem magis efficax, introducit pios omnes ſecum loquentes: atque ita oſtendit, quis vſus ſit exemplorum in eccleſia. Pauper iſte & afflictus Dauid, inquit, clamauit, & Iehoua audiuit, &c. Ergo reliquos ſimiliter clamantes exaudiet. Non eſt igitur quod ab eo fugiamus, cùm tam illuſtre exemplum in conſpectu habeamus. Pauperes verò Baſilius interpretatur non omnes egentes, ſed τοὺς κρείττονας ἡγησαμένους τῶν τοῦ κόσμου θησαυρῶν τὴν ἐντολὴν τοῦ Χριστοῦ.

Vox Hebræa ſignificat oppreſſum, afflictum, neglectum, atque omnibus præſidiis humanis ſpoliatum.

8 Caſtra metatur angelus Iehouæ in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Poſtquam de ſuo exemplo dixit, idque ad vniuerſam eccleſiam accommodandum eſſe oſtendit: nunc ex eodem generalem extruit conſolationem, vt omnes intelligant, non deſtitui eccleſiam neceſſaria defenſione & præſidio etiamſi grauiter prematur & oppugnetur, ipſaque prorſus ſit inermis.

Eſt autem hæc cõſolatio dulcis & grata piis mentibus, qua affirmat angelos additos eſſe eccleſię cuſtodes, qui perpetuò ſint in excubiis pro ſalute piorum, & qui eccleſiam militantem in hac vita vndique cingant caſtris, ne vis hoſtilis ad eã pertingere poſſit. Multis autẽ & magnis de rebus hic mo-

nemur. Nam cùm facit mentionem caſtrorum, primùm ſignificat perpetuam eſſe militiam eccleſiæ in hac vita, & habere illam hoſtes potentiſſimos non ab vno latere, ſed vndique, qui acerrimè eam oppugnent: diabolum, mundum, carnem. Itaque neceſſe eſt, eam perpetuò in armis eſſe, & tanquam in caſtris viuere, aut in obſidione, vbi vndique immineant hoſtes, ſicut dicitur in Iob, militia eſt vita hominis in terra: & alibi dicitur, eccleſia vt caſtrorum acies ordinata eſt, Cant. 6. Fieri igitur non poteſt quin ſæpe in multas difficultates, pericula & ærumnas incidat. Nunquam enim bellum tam feliciter geritur quin plura afferat ſecum incommoda. vt Iacob, quanquam victor euadit, tamen ex lucta illa perpetuò claudicat.

II. Cùm magna ſit infirmitas naturæ humanæ, quæ ſua prudentia cauere inſidias hoſtium aut repellere ſuis viribus non poſſit, & foris non tantùm nudata ſit eccleſia omnibus præſidiis humanis, ſed etiam ab illis ipſis, à quibus ſuſcipi eius patrocinium debebat, oppugnetur: additur ei diuinitus præſidium, & quidem validum, quo facilè reprimuntur impetus hoſtiũ. Nam angelus Domini ſua caſtra noſtris adiungit, ita quidem, vt nos ipſius præſidio cincti intra caſtra maneamus, & maxima pars laboris, excubiarum & periculorum, in ipſum deriuetur.

Ex hac re oritur dulciſſima conſolatio: cúmque hoc præſidio ſciamus nos eſſe munitos, non abiiciamus arma, fracti difficultatibus aut magnitudine periculorum: ſed maneamus in ſtatione noſtra, & fortiter noſtro loco pugnemus. Non enim tanquam ignaui milites aut ῥιψάσπιδες verſari in his caſtris debemus.

III. Potentia cæleſtium ſpirituum hoc loco deſcribitur, cùm inquit, vnum angelum vndique cingere & ab omnibus partibus munire timentes Dominum. Etſi autem Auguſtinus hoc intelligi vult de filio Dei, qui alibi dicitur Michael Archangelus pugnans pro filiis populi ſui, idque rectè meo iudicio: nam ille caput & dux eſt exercitus angelici: tamen ſimul ſciendum eſt, angelis quoque munus iniunctum eſſe vt ſint miniſtratorij ſpiritus, qui excubent pro ſalute noſtra: & quidem vnius angeli tantas eſſe vires, vt magnos exercitus vno momento delere poſſit, vt in hiſtoria Sennacherib videre eſt.

Poſtremò, ingens bonitas Dei & cura paterna erga eccleſiam deſcribitur, quòd tales nobis præſides adiungit, &c.

9 Guſtate & videte quàm bonus ſit Iehoua. Beatus vir, qui protectionem ponit in eo.

Subiicit adhortationem, qua monet ne tantam bonitatem Dei, quæ in aſſidua piorum defenſione conſpicitur, clauſis oculis prætereamus aut cõtemnamus: ſed ea freti omnem fiduciam noſtram in ipſum collocemus, nóſque aduerſus terrores & pericula, quæ foris obiiciuntur, ſuſtentemus. Habet autem hæc adhortatio obiurgationem quandam admixtam, in qua homines inſimulat ſocordiæ atque ignauiæ, quòd bonitatem Dei, vt debebant, non agnoſcant aut conſiderent. Guſtate, inquit, & videte, quaſi dicat, excutite ſoporem & ignauiam, excitate vos ad conſiderationem beneficiorum diuinorum, & ſi non meo ac ſimilium piorum exemplo cõmoueri poteſtis, vt agnoſcatis bonitatẽ & clementiam Dei, ſenſus veſtros excutite & conſulite, quibus multiplicia beneficia quotidie experimini. Nolite omnia beneficia Dei ſine guſtu deglutire, aut malignè perpetua obliuione ſepelire, ſicut faciunt impij: ſed adhibete palatum, videte & iudicate. Nam immenſa Dei bonitas in aſſidua defenſione ſuorum vndique cõſpicienda ſe vobis offert, ſi modò adhibere cogitationem & aperire oculos velitis.

Hoc primùm eſt in verbis guſtandi & videndi conſiderandum. Poſtea & hoc addendum eſt, quod Baſilius monet, afflictiones eſſe tanquam καρυκεύματα ſeu grata condimenta, quibus deſideria noſtra incenduntur, & promiſſiones diuinæ redduntur dulciores. Nemo enim intelligit quàm bonus ſit Deus, niſi qui variis tribulationibus eſt exercitatus, &, ſicut dicitur vſitatè:

Dulcia non nouit, qui non guſtauit amara.

Poſtremò monemur verbo guſtandi, nos in hac vita illã bonitatem Dei experiri tantùm ex parte. Non enim dicit, Implemini ἐμπλήσθητε, ſed γεύσατε. Guſtus quidem nobis præbetur in hac vita, non plena fruitio.

Beatus vir] Concluſio eſt promiſſionis: Cùm ita bonus ſit Deus & ſolicitus de ſalute ſuorum, beati ſunt qui in illo protectionem ponunt, qui non confugiunt ad humana præſidia, aut alia quærunt illicita remedia, ſed toti ab hoc vno pendẽt.

10 Timete Iehouam ſancti eius: Quia nihil deeſt [*nulla eſt penuria*] timentibus eum.

Pergit in inſtituta adhortatione, cui rurſus ſubiicit promiſſionem: Non ſatis eſt, inquit, agnoſcere Dei præſentiam & bonitatem in defenſione ſuæ eccleſiæ: ſed hanc conſiderationem ſequi debet timor Dei, qui gratos cultus Dei præſtet, & non aliunde quàm ab ipſo expectet auxilium. Homines impij, cùm vident ſibi omnia proſpere ſuccedere & ad voluntatem fluere, non cogitant diuinitus illa bona ſibi dari, ſed ſua induſtria parari: quare ſuperbiunt fiducia ſuarũ opum, & virium. Qui verò guſtant & vident bonitatem Dei, hoc eſt, qui agnoſcunt, ſe tantùm beneficio Dei ſeruari in ſummis periculis, & inſuper ornari in hac vita variis bonis, in his neceſſe eſt exiſtere timorẽ Dei. Ita igitur, inquit, guſtate beneficia Dei, vt ille guſtus timorẽ Dei producat, ne vos metus vel diffidentia abducat à recti ſtudio, aut ne cũ impiis indulgeatis cupiditatibus veſtris, vt quæratis illicita media, quibus aut opes cumuletis, aut dignitatẽ vobis cõparetis. *Quia*, inquit, *nihil deerit timentibus eum.* Hoc propemodũ paradoxũ eſt mũdo. Vident enim illam partem generis humani, quæ dicitur eccleſia, magis premi & magis ærumnoſam eſſe quam vllum alium cœtum, & tamen ſeruat Deus eccleſiã ſuam in hac vita, eíque dat varia bona etiam corporalia, ſicut Paulus inquit: Pietas habet promiſſionem præſentis & futuræ vitæ.

11 Catuli leonum deſtituuntur [*egent*] & eſuriunt: timentes autem Iehouam non egebunt vllo bono.

Amplificat & illuſtrat doctrinam à comparatione. Prius, inquit, leones, aliæque feræ beſtiæ, quæ ad prædam natæ videntur, & quę ex præda & rapina viuunt, eſurient & fame peribunt, quàm homines pij, qui Deum ſibi amicum & patrem diligunt, neceſſario victu deſtituantur.

Talis primùm eſt comparatio in hoc verſu. Deinde non eſt dubium, voce leonum notari reges, principes & alios, qui viribus & opibus pollent, & qui more leonum omnia ad ſe rapiunt. Hi ſępe ex ſuo faſtigio deiiciuntur, exuuntur opibus, ſpoliantur dignitate, & veniunt in extremas calamitates, in quibus cùm nullam habeant firmam conſolationem, conficiuntur & contabeſcunt dolore: multi etiam, cùm ferre illos dolores non poſſint, vitam abrumpunt. Súntque hiſtoriæ plenæ exemplorum. Ita igitur eſurire dicuntur. Poſtea etiam in ipſa proſpera fortuna eſuriunt: quia nunquam ſatiantur ipſorum cupiditates, ſed creſcunt in infinitum: vt videre eſt in omnibus ambitioſis & auaris: & rectè Baſilius hoc loco inquit, σωματικαὶ ἀπολαύσεις πλεῖον τὸ ὀδυνηρὸν ἔχειν τοῦ ἡδέος. Econtra pij etiamſi non abundent ſæpe magnis opibus, tamen aluntur & defenduntur à Deo mirabiliter, & quod maximum eſt, non deſtituuntur neceſſaria conſolatione, qua ſe in variis periculis, ærumnis & calamitatibus ſuſtentent.

12 Venite filij, audite me: timorem Iehouæ docebo vos.

13 Quiſnam eſt vir cupiens vitas? amans dies [*quibus*] videat bonum?

Supra hortatus erat fideles ad timorem Dei, vt oſtenderet non in quoſlibet redundare hanc bonitatẽ Dei quam hoc loco prædicat: ſed tantùm in eos qui ipſum rectè agnoſcunt & colunt, & omnem fiduciam ſuã in ipſum collocant. Nunc doctrinam inſerit, quid timor Dei ſit, aut quid operetur: & hanc opponit prauo iudicio maximæ multitudinis hominum. Ita enim plerique in hoc mundo affecti ſunt, vt exiſtiment, tunc ſecum optimè agi, ſi rapinis, fraudibus, iniuriis, calumniis, & aliis nocendi artibus ſuperiores eſſe contendant: atque in hoc omnes magno ſtudio & conatu incumbunt, vt quacunque via ac modo creſcant, & inter cæteros emineant, aut vt opes corradãt, nullo habito reſpectu nominis aut timoris diuini. Propheta autem, quia veram hominis felicitatem in timore Dei collocauit, omnes has artes, quibus alij creſcere conantur, repudiat, & verum Dei timorem cum morum ſimplicitate atque integritate coniunctum eſſe docet.

Vtitur autem in exordio blanda inuitatione, nominãs filios ſuos, diſcipulos, quia ſcit non præberi aures ſuæ doctrinæ à præfractis & intractabilibus, quorum animi prauis affectibus ita imbuti ſunt vt nullam doctrinam ſeu admonitionẽ admittant. Requirit igitur filios, hoc eſt, tractabiles & morigeros, & qui manſuetudinis ſpiritu formati ſint ad modeſtiam.

Audite me] Id eſt, depoſita omni contumacia ſedatóque impetu, & feruore ſtultarum cupiditatum, præbete vos dociles & tractabiles.

Timorem Domini nominat regulam piè viuendi. Omnibus in ore eſt timor Domini: ſed pauci ſciunt quid ſit Deum rectè colere.

Quis eſt vir?] Interrogatio non hoc vult, quod omnes ferè ita ſint affecti vt ſponte ſibi miſerias accerſant, nec quiſquã ſit qui nõ ſibi cupiat bene eſſe. Omnibꝰ enim hoc eſt innatũ, vt cupiat quiſque eſſe quàm beatiſſimus. Sed perſtringit propheta præpoſterũ maximæ multitudinis in quærẽda felicitate

citate ſtudium. Quanquam enim nemo ſit qui non ſummo ſtudio hoc agat vt ſibi & rebus ſuis rectè conſulat: tamen pauciſſimi ſunt qui veram viam & modum inquirendæ felicitatis teneant, aut, ſi edocti ſint, in hoc pietatis curſu ſe exercere velint, ſicut de ſanitate dici verè poteſt, neminem eſſe, qui nō cupiat eſſe in optima valetudine: ſed quotuſquiſque eſt, qui rectè curet valetudinem?

Quare omiſſa reliqua multitudine profana, quæ moleſtias ſibi & curas potiùs accerſit, quàm vt eam viam ingrediatur quæ ad veram felicitatem ducit: ad pios ſe conuertit, & clamans, inquit, Quis eſt qui verè & ex animo appetit veram felicitatem & durabilem, quam non interturbent viciſſitudines rerum humanarum? Id enim nominat vitam, quę ſcil. cõiuncta eſt cum perpetua lætitia, quam nullus conſcientiæ dolor, nulla mœſtitia, nulla calamitas reddat triſtem, aut acerbam. Et dies bonos nominat perpetuum felicitatis curſum, quem nulla nox, nullus metus, nullus turbidus affectus interrumpat, hoc eſt, vitam tranquillam & commodam. Videre autem dies bonos, eſt experiri dies bonos, & his frui.

14 Cuſtodi linguam tuam à malo: Et labia tua, ne loquantur dolum.

Timorem Domini non ex ſe, ſed ab effectibus ſeu operibus, quæ foris conſpiciuntur deſcribit. Primùm autē linguæ vitia prohibet. Nā, vt Baſilius hoc loco inquit, χεδὸν ἡ εὐχερεστάτη καὶ πολύτροπος ἁμαρτία διὰ γλώσσης ἐστὶν ἐνεργουμένη. Prauitas naturæ humanæ nuſquam ſe magis prodit quàm in lingua. Primùm vult nos eſſe veraces in ſermonibus: non vult nos lingua abuti ad fingenda mendacia, ad concilianda odia, ad cõcitandas rixas & diſſidia inter homines, ad obtrectationes, ad periuria & ſimilia ſcelera, ſpe alicuius commodi aut lucri. Deinde monet, ne diſſimulationibus aut ad ſpeciem veritatis effictis ſermonibus dolū proximo ſtruamus: ſed vt ſermo congruat cum ipſa mente, ſitque eius purus character. Hîc ſi quis vitā communē inſpiciat, videbit hac in re maximè peccari à plurimis. Debet enim ſingulis mēbris addi antitheſis.

15 Declina à malo, & fac bonum: Inquire pacem & inſequere eam.

Hîc de vniuerſali iuſtitia concionatur, quæ abſtinet ab omni iniuria & ſcelere, &, vbicunque poteſt, pro viribus & facultatibus omnibus bene facit. Et docet, non ſatis eſſe abſtinere ab iniuria, aut nocere nemini: ſed oportere etiam benefacere & quaſi in commune conferre ſuas operas.

Quidam duas pœnitentiæ partes ſeu gradus hîc deſcribi exiſtimant, ſed propriè hoc nūc docet quomodo cū proximis verſari nos oporteat.

Quod autem dicit, Declina, ſignificat, malum ita nobis adhærere, vt tanquam perpetuus comes nos circumſtet, & multo labore opus ſit vt ab eo nos auellamus.

Inquire pacem] Id eſt foueto publicam & communem tranquillitatem, quam, ne quis turbet, neceſſe eſt eum humanitate & tolerantia non vulgari prędit um eſſe. Multa enim accidunt nobis incōmoda & iniuriæ vel à moroſis, vel à præfractis & malis, vel ab ingratis hominibus, quæ animos noſtros laceſſunt & ad pugnas accēdunt. Sed hîc opus eſt animi moderatione, quæ vindictæ cupiditatē & odia iniuſta reprimat, & iniurias publicæ tranquillitatis cauſſa condonet, ne turbæ aut bella exoriantur. De hac igitur moderatione animorum concionatur.

Addit autem, *Et perſequere eam*] Id eſt, non abiice ſtudium pacis & publicę concordiæ, etiam cùm illa fugere te videtur: ſed eſto conſtans in tuo propoſito, perfer & obdura, non frangaris impatientia aut dolore, etiam cùm vides aduerſarios non deponere maleuolentiam & iniuſta odia, &c. Hæc verò omnia proficiſci vult ex vero timore Dei, qui hæc omnia moderetur. Ideo ſuprà dicebat, ſe docturum auditores ſuos timorem Dei. Nam timor Dei prælucere debet omnibus actionibus noſtris atque eas regere. Loquor autem de filiali timore, non de ſeruili.

16 Oculi Iehouę ſuper iuſtos: & aures eius ad clamorem eorum.

Redit ad promiſſiones, de quibus ſuprà dicere inſtituerat: atque ita obiectionibus occurrit. Vident omnes, eos qui vitam ſuam iuxta regulam hîc traditam inſtituunt, magis premi quàm vllos alios homines, & riſui ac libidini omniū eſſe expoſitos, improbos verò, aſtutos, nefarios turbatores publicæ pacis, prædones, venire ad ſummos honores, florere opibus & potentia, valere autoritate & gratia apud omnes. Hîc ne quis exiſtimet fruſtra Spiritum S. concionari de amore iuſtitiæ, deque ſtudio veritatis & pacis, addit conſolationem: *Oculi*, inquit, *Domini ſuper iuſtos*: id eſt, etiamſi mundus eos rideat, contemnat & pedibus conculcet: tamen Dominus eorum curam agit, amat, defendit & tuetur eos. (Oculi enim ſignificant aſſiduam attentionem & curam, &, vt Baſilius loquitur, ἐποπτικὴν δύναμιν, à more hominum, qui quem amant vehementer, ſemper in eius ſalutem ſunt intenti, nec auertunt oculos ab eo) Eſt autem multo maior felicitas in Dei tutelam ſuſcipi, quàm ab hominibus magnifieri.

Aures eius ad clamorem eorum] Id eſt, Exaudit preces eorum; non contemnit, non negligit, nec faſtidit eos, ſicut mundus, qui pios habet tanquam καθάρματα: ſed audit eos, & ſuſcipit eorum defenſionem. Aures, inquit Baſil. ἀντιληπτικὴν τῶν ἀχῶν δύναμιν ſignificāt: loquitur .n. Scriptura de Deo ἀνθρωποπαθῶς.

17 Vultus Iehouæ ſuper facientes malum: vt excindat è terra memoriam eorum.

Addit antitheſin. Impiis verò iraſcitur grauiter, & punit eorum ſcelera. Hoc enim eſt, vultum Domini eſſe in aliquem. Videtur interdum conniuere Deus ad illorum ſcelera dum non ſtatim punit: atque hæc impunitas addit eis audaciam peccandi, & animos eorum attollit, vt exiſtiment ſe perpetuò fore felices, atque adeo immortales: tandem verò prodit Deus in iudicium, & oſtendit vultum ſuum ſeuerum & iratum, quo non minatur, ſed terrores incutit, quibus mox abſorbentur impij. Sicut oculi beneuolentiam, & fauorē: ita vultus iram μετωνυμικῶς ſignificat. Nam irati vultu minantur.

In facientes mala, inquit, non in delinquentes. Aliud enim eſt ſimpliciter peccare & labi, quod omnibus commune eſt: aliud, facere malum, quod eſt ſtudio mali teneri & delectari, & petulanter in ſcelere perſeuerare. Et faciendi verbum nō tantùm de actionibus externis, ſed de ſtudiis, meditatione, conatibus, approbatione, delectatione, intelligendum eſt.

18 Clamauerunt: & Iehoua audiuit: & ex omnibus anguſtiis eorum liberat eos.

Repetit eandem promiſſionem ſubinde, aliis atque aliis verbis. quia valde prodeſt hac de re nos eſſe certos quòd ſimus curæ Deo: alioqui enim illa quæ foris accidunt, & noſtra immundities interior, facilè excutiunt nobis hanc fiduciam & ſpem.

Clamauerunt] Id eſt, quoties clamant, Deus exaudit, nec vnquam ſunt irrita eorum vota & preces.

Ex omnibus anguſtiis liberat] Hic, ſi quis obiiciat, ſępe pios interfici ab impiis, tenenda eſt diſtinctio. Duplex eſt liberatio: Vna, qua ex præſentibus periculis & calamitatibus multos eripit, vt extent teſtimonia amoris Dei erga eccleſiam: vt Dauid, Daniel, &c. liberantur. Altera, cùm ita corda eorum confirmat vt ſumma tranquillitate animi afflictiones ferant. Ideo Baſilius inquit, Liberat eos οὐ τοσοῦτον ἀπολύων αὐτοὺς τῶν ὀχληρῶν, ὅσον κρείττονας τῶν συμβαινόντων κατασκευάζων. Et tamen tandem etiam iniuſtè oppreſſos liberat, cùm ereptos ex huius vitæ miſeriis donat vita æterna.

19 Prope [*eſt*] Iehoua confractis corde: & contritos ſpiritu ſeruabit.

Amplificat priorem doctrinam & exaggerat. Etiam cùm videntur pij ad vltima redacti, & omnibus rebus externis deſtituuntur vt nihil reſtet niſi interitus, Deus adeſt ipſis. Nam quo magis euaneſcunt ſpes humanæ, eo propius ad nos accedit Deus, conſolatur nos, confirmat & roborat nos, vt perferre poſſimus, & tandem liberat. Ratio verò humana, quæ nō niſi præſens obiectum, quod cerni oculis poteſt, intuetur, longè aliter iudicat.

Confractis corde] Id eſt, iam penè exanimatis metu & dolore, vel ex ſenſu peccatorum, vel ex calamitatibus & miſeriis.

20 Multa mala iuſti: & ex omnibus illis liberat eum Iehoua.

In hoc verſu præoccupationem, de qua ſuprà dixit, ipſe exprimit. Non tantùm qui ſunt extra eccleſiam ſic iudicant, ſicut amici Iob, omnes qui affliguntur grauiùs, eſſe ſceleratos & abiectos à Deo: ſed ipſis etiam piis obrepunt ſæpè illæ cogitationes, qui fieri poſſit vt iuſti curæ ſint Deo, cùm aſſiduè tot aduerſis fluctibus iactentur. Quorſum enim Dei protectio, niſi vt placido otio fruantur qui veræ pietati ſtudent? Et quid magis abſurdum quàm vexari ita duriter qui nemini faceſſunt negotium? Hæ cogitationes grauiter exercent etiam pios, & multorum fidem languefaciunt. Propheta igitur vt his occurrat, vtitur primùm cōceſſione. Verū eſt, inquit, & experiuntur omnes, iuſtos multis miſeriis eſſe obnoxios: quandiu enim in hoc mundo ſunt, fieri aliter non poteſt quin ab hoſtibus Dei atq. adeo à ſe ipſis oppugnētur. Sed opponit conſolationem, qua ad tolerātiā & conſtātiam eos animat. Non propterea, inquit, deſerti ſunt à Deo, ſicut ratio exiſtimat: ſed exercet eos Deus vt fides, ſpes, inuocatio, patientia, & aliæ virtutes in ipſis creſcant, & tandem glorioſa liberatione oſtendit ipſorum ſpem non fuiſſe inanem.

21 Cuſtodit omnia oſſa eius: vnum ex ipſis non frangitur.

Hoc congruit cum dicto Chriſti, Matth. 10. Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt, &c. quo docemur nihil accidere piis præter voluntatem Dei, ipſóſque adeo beneuolentia Dei eſſe circundatos & munitos vt ex omni parte ſint illæſi. Oſſa Auguſtinus interpretatur fidem & patientiam, quæ ſunt firmamenta fidelium, fortaſſis ad reſurrectionem carnis reſpiciens.

22 Occidet impium malitia: & odio habentes iuſtum perdentur.

Rurſus promiſſioni attexit antitheſin, de qua ſuprà quoque dictum eſt. Gloriantur impij in ſua malitia, & efferunt ſe ſupra alios: imperant ſuperbè & tyrannicè: ſed pereunt tandem in ſuis ſceleribus. Vſitata verſio ex Græco ſic reddit ſententiam prioris membri, mors impiorum peſſima, vt ſit ſententia, impios miſerè perituros eſſe. Fortaſſe enim Græcus pro חמותת legit חמות. Sed altera interpretatio eſt plenior, quòd impij ſuis ſceleribus ſibi interitum accerſant.

Perdentur] vel erunt rei. Id enim propriè ſignificat verbum אש[redacted].

23 Redemit Iehoua animas ſeruorum ſuorum: & non peribunt [*erunt rei*] quicunque confidunt in eo.

Verbo redimendi exprimit modum liberationis, à quo tamen caro noſtra valde abhorret. Si enim redimit nos, oportet nos prius morti eſſe addictos, & quaſi in fauces eius coniectos. Non enim mox ad primum moleſtiæ ſenſum accurrit Deus vt opem ferat: ſed ſinit nos immergi aliquantiſper & cruciari, vt tandem liberatio ſit conſpectior & glorioſior.

Non peribunt] In Hebræo, erunt, non erunt rei aut piacula. Ita enim de his iudicat mundus, quando ſunt in calamitatibus, quòd ſint abiecti & damnati à Deo. Sicut Paulus inquit, habemur tanquam καθάρματα & περιψήματα, ſed non ſunt tales in conſpectu Dei.

Qui confidunt in eo] His verbis deſcribit qui ſint ſerui Dei, ne quis ſeruos Dei æſtimet ab illa vulgari ſubiectione, qua homines imperio Domini ſui ſunt ſubiecti.

PSALMI XXXIV.

PARTES.

I. Exordium laudatiuum ex abrupto, quo exponit pſaltes, ſe omni tempore, ex animo, palam in Eccleſia, celebraturum Deum, v. 2. & 3.

II. Propoſitio hortatoria ad laudationem Dei, duas partes continens. 1. A ſingulari experientia ſua, v. 4. & 5. ad populum perditum confugerat, ſe in præſentiſſimum periculum coniecerat, ſimulata ſtultitia Dei cultum diſſimulauerat: tamen Deus miſericors abiecta tantæ infirmitatis ratione, ſeruum miſerum exaudiuit. Sic ſe ipſum toti Eccleſiæ proponit exemplum miræ liberationis & eximiæ gratitudinis.

2. Altera pars, à communi fidelium omnium experientia. v. 6. tranſit ab hypotheſi ad theſin piis cunctis accommodans, quæ de ſeipſo prædicauerat: deinde dictans, quæ v. 7. omnes gratis animis efferunt, nempe pauperem iſtum (ac ſi in Dauidem digitum intenderent) non humanitus ſed diuina ope fuiſſe ex tot periculis ereptum. Auxilij diuini modus ſpecialis ſubiicitur. v. 8.

III. Inſtitutio, ſeu doctrina bimembris, à 9. v. ad vltimum. 1. De piorum officio erga Deum. Huius officij genus eſt quadruplex. 1. vt ex perceptis, & viſis bonis cognoſcamus eum, hoc 9. verſiculo. 2. vt cognitum timeamus, 10. & 11. verſ. 3. vt timentes audiamus eius voluntatem, 12. verſ. 4. vt auditæ voluntati eius obſequamur, verſ. 13. 14. & 15. Singulis autem partibus ſuæ promiſſiones certæ adiunguntur.

2 Alter inſtitutionis ſeu doctrinæ locus de adminiſtratione Dei, duo membra continens. 1. De beneficiis eius erga bonos. 2. De ſuppliciis improborum. v. 17. 22. beneficia erga iuſtos proponuntur v. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

IV. Concluſio, v. 23. ad confirmationem & conſeruationem piorum pertinens.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Noſtrum officium eſt acceptis Dei beneficiis, non tantùm Deo gratias agere, & nos ipſos eiuſmodi experientia aduerſus cæteras tentationes in fide & ſpe confirmare, ſed etiam alios, propoſitis iſtis exemplis, ad idem faciẽdum cohortari, vt liberationes iſtas ſtatuant non eſſe ſpecialia quædam cuipiam irrogata priuilegia, ſed totidem eſſe veluti conciones, quæ tum ad vniuerſam eccleſiam, tum ad ſingula eius membra pertineant.

Deus ſuos interdum ita liberat, vt ipſi aberrent in eligendis mediis, vel labantur. Ita fit vt Dei gloria in eorum conſeruatione illuſtrior appareat, & fideles maiore cordis affectu liberatoris & vindicis ſui laudes palam prædicent.

2 Quicquid in nos bonorum Deus contulit, ſubinde in mentem reuocare debemus: ſi quando tamen in nobis ſeruandis ſplendidius exerit ſuam virtutem, eo ardentiore ſtudio ad teſtandam eius gratitudinem eniti decet.

3 Sic perſonare Dei laudes in ore noſtro debent, vt præeat ſemper interior animi affectus.

Fructus gratiarum actionis piorum eximius hic eſt, quòd ex corũ liberatione bonam ſpem afflicti & miſeri homines concipiunt, & velut accepto ſalutis pignore alacriter ſe ad Deum conferunt.

4 Quoties vnicuique ſuorum Deus opem tulerit, incitamur ad bene ſperandum: & dum quiſque accepta priuatim beneficia commemorat, publicè omnes ſimul ad Deum laudandum ſtimulantur.

5 Fideles non ferreo animo metus & trepidationes repellunt, ſed pauoribus vehementer concuſſi, & horrendis periculis obſeſſi ad Deum quærendum, id eſt ſerio & ardente cordis affectu inuocãdum, ſe accingunt.

6 Vnius pij hominis experiẽtia aliis omnibus exemplo eſſe debet, vt ad Deum rogandum intrepidè accedant, & quaſi exorta luce oculos ad Deum alacriter erigãt: vnde noua illis adfutura eſt gloria.

7 Pauperes omnes, id eſt fideles afflictos, Deus ad clamandum inuitat, quos exaudire paratus eſt, ſeu ex anguſtiis tandem liberare.

8 Multis equidem noxis obiecti ſunt fideles, ſed Deus eſt vitæ eorum cuſtos fidiſſimus, auxiliíque ſui præſentiam in angelis ſuis explicat. Quamlibet igitur multi hoſtes nos oppugnent, multáque diſcrimina nos obſideant, angeli inuicta Dei potentia armati excubãt & ab omni parte opponũt ſuum auxilium vt nos à malis omnibus eripiant. Vide Pſalm. 91. 11. 2. Reg. 6. 15. Hebr. 1. 14.

9 Per Deum minimè ſtat quominus certis experimentis compertam habeant eius bonitatem fideles. vnde colligimus, ipſos quoque communis ſtuporis vitio laborare.

Deus neminem gratia ſua cupidum fruſtratur. Sed nobis ſola incredulitas obſtat quominus largè & honorificè omni bonorum affluentia ſatiet.

10 Non ad alios Dei beneficia pertinent quàm ad eos qui ex periculis eruti reſipiſcunt, & Deum ſeriò reuereri diſcunt.

Hunc honorem Deo deferre iubemur vt plus ab eo vno expectemus, quàm impij ab illicitis ſuis artibus.

Meritò ſanctis hoc præceptum datur vt Iehouam timeant: quia dum nulla ſpes proſperè & beatè viuendi, niſi in mũdi illecebris apparet, lux pietatis extinguitur, niſi Spiritus S. eam mirabili quodam modo in electis ſuis conſeruet.

11 Quicunque in Deum recto & ſimplici animo reiicient ſuas ſolicitudines, ſibique nutritium ac patrem fore ſtatuent, quieti & placidi inter homines abſque vlla noxa verſabuntur. Et, ſi à penuria aliquoties premuntur, tempeſtiuè ad auxilium ferendum manus Dei extenta erit, vt ſemper vltimus euentus demonſtret, non fruſtra quicquid opus eſt ad tolerandam vitam ab ipſo peti.

12 Nemo inter tot malorum turbines quietus ſtabit, niſi qui manſuetudinis ſpiritu formatus fuerit ad ſummam modeſtiam.

Quum virtus & iuſtitia in omnium ore volitent, pauci tamen ſunt qui vitam probè & rite inſtituant: quia, quid ſit Deum colere, neſciunt.

13 Omnes quidẽ felices eſſe cupiũt: ſed ad felicitatẽ obtinẽdã nemo ferè animum adijcit, imò ſibi quiſq; ſua culpa varias accerſit moleſtias,

ſtias. Ideo exclamatione vtitur propheta, vt torpentes & ſopiti animi melius expergeſiant.

14 In ſermonibus veraces & minimè aſtuti eſſe debemus. quia autem nihil difficilius eſt quàm ita moderari ſermones noſtros vt lingua purus ſit mentis charactèr: ideo ſedulam cuſtodiam exigit propheta, ne ad fallendum eam diffluere ſinamus.

15 Filij Dei ab omni iniuria abſtinere debent, ſéque ad beneficentiam exercere: ac ſedulò dare operam ne pax illis effluat, vtcunque eam retinere moleſtum ſit ac incommodum.

16 Hæc optima eſt patientiæ fultura, dũ perſuaſi ſumus nos à Deo reſpici: atque vt quiſque ſe in recti & æquitatis ſtudio cõtinet, illius præſidio tutum & incolumem fore. Dum autem Dei aures ad clamores ſuorum apertæ eſſe dicuntur, admonemur, hoc opportunũ eſſe remedium in omnibus ærumnis, præſertim quum præter ius & meritum affligimur, vt Dei opem imploremus.

17 Dum ſceleratis peccandi audaciam addit impunitas: ita vt non modò ad finem vſque vitæ beatos ſe fore confidant, ſed immortalitatem quoque ſibi fingant in mundo, vigilat Deus vt in nihilũ redigat eorum memoriam. Vide 1. Petr. 5. 10.

18 Quanuis Deus iuſtos tueatur, non tamen ſunt à rebus aduerſis immunes: mirificè enim temperat ſuum in illis ſeruandis præſidium, vt multis certaminibus eos exerceat.

Non leuis ad precandũ ſtimulus nobis eſſe debet quòd liberatio non promittitur niſi Deum inuocantibus. neque enim ſuam prouidentiã ita vult à pijs reputari vt otioſi torpeant: ſed potiùs vt ſalutis ſuæ cuſtodem eſſe perſuaſi, ad eum vota ſua dirigant.

19 Deus liberator ſuorum eſt, quanuis ad vltima redacti ægre iam ſpiritum trahant: & ita clariùs refulget eiùs potentia dum illos è ſepulchro attollit. Adde quod fideles prorſus deijci & atteri conuenit, vt non niſi in Deo reſpirent.

20 Quanuis iuſtos Deus gubernet, illiſque proſpiciat, ſubiecti tamen & obnoxij ſunt multis miſerijs, vt talibus experimentis probati ſpecimen edant inuictæ ſuæ conſtantiæ, Deúmque liberatorem meliùs ſentiant.

21 Ex omni parte manebunt illæſi quos Deus tuendos ſuſcepit: & vt Chriſtus affirmat, Luc. 12. 7. capitis noſtri capilli numerati ſunt.

22 Quicquid impij peruerſè aggrediẽtur, ipſis exitiale erit, quanuis aliunde nemo quicquã moneat, ſibique erunt propriæ necis artifices.

23 Priùs morti nos addictos eſſe oportet quàm Deus redemptor appareat. Vnde ſequitur, eos gratiæ Dei ianuam præcludere qui nimis præcipites feruntur, ac niſi eorum feſtinationi reſpondeat, virtutem eius non apprehendunt.

Ne quis Dei ſeruos à philoſophica quadã virtute tantùm æſtimet, hac nota inſigniuntur quòd in Deo confidunt, vnde etiã ſalus pẽdet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Gratiarum actionis ad Deum conſideratio.
2. Fideliũ in vita præſenti varię grauiſſimæq; tentationes.
3. Angelorum ſanctorum potens miniſterium.
4. Piorum ex periculis ereptorum officium.
5. Vitæ rectè inſtituendæ ratio.
6. Piorum & impiorum diſcrimen.

ARGVMENTVM PSALMI XXXV.

QVO tempore hic pſalmus à Dauide ſcriptus ſit, facilè ex ipſa oratione colligi poteſt. Hoſtes enim, de quorum perfidia, ingratitudine, odijs & inſidiis hîc queritur, ſine dubio illi fuerunt qui in aula regis Saulis tũc plurimùm valebant. Illi enim, cùm Dauidem propter virtutem & induſtriam charum eſſe regi viderent, ipſi quoque amare eum cœperunt: & tanquam fratrem complexi, certatim in eùm ſtudia ſua contulerunt: ſed mutato regis animo, non tantùm ab amicitia eius diſceſſerunt: imò vt fieri ſolet, regis odium iniuſtum virulentis calumnijs & obtrectationibus aduerſus eum inflammarunt, certatímque in perniciem eius conſpirarunt. Contra hos igitur aſſentatores, & ſcelerum adminiſtros, petit ſe defendi & ſeruari: ipſos quoque hoſtes cum ſuis conſiliis & conatibus euerti. Huic petitioni addit rationes ſumptas à cauſis impulſiuis, videlicet ab iniuſtis odiis, ingratitudine & ſceleratis conſiliis hoſtium ſuorum, de quibus crebras & bene longas intexit querelas: deinde à cauſis finalibus, ab ipſius ſcilicet Dei iuſtitia, & ſua innocentia, vt in interpretatione videbimus: poſtremò à ſua & aliorum gratitudine. nam & ſe gratum fore pollicetur, & alios hoc exemplo admonitos de Dei bonitate & amore erga ſuos perpetuò ipſum celebraturos eſſe promittit. Cùm autem ſimilia omnibus temporibus piis accidant, & noſtro tempore multi animos regum & principum contra pios doctores, & alios rectè ſentientes accendant, tam voce quàm ſcriptis, etiam nos cum Dauide petamus vt Deus reprimat impios, & eccleſiam ſuam contra tyrannidem, odia & virulentas calumnias hypocritarum defendat.

DAVIDIS.

1 LItiga Iehoua cum litigantibus mecum, præliare cum præliantibus mecum.

Propoſitio pſalmi eſt, quæ ſubinde poſtea repetitur, & ſplendidis verbis exornatur. Duo autem petit in hoc verſu, primùm vt aduerſus calumnias, falſas delationes & mendacìa, deinde aduerſus manifeſtam vim & crudelitatem ſuorũ hoſtium defendatur. Nam vtroque modo oppugnabatur in aula Saùlis.

Litiga] Metaphora ſumpta eſt à iudiciis ſeu foro, vbi innocentes ſæpe falſis delationibus & calumniis opprimuntur, vt Suſanna, Palamedes, Socrates, Theramenes, Ariſtides, Miltiades, &c. & omnibus ætatibus, piis hoc accidit, vt corã magiſtratu, regibus aut principibus ſuis, effictis criminibus accuſentur, quòd ſint autores ſeditionum & turbarum.

Ita Dauid tunc apud Saulem accuſabatur à proceribus regni, quòd ſeditioſa agitaret conſilia, quibus regnum ad ſe raperet, quòd inſidiaretur vitæ regis, &c. Contra hos igitur inquit *Litiga*: quaſi dicat, Cùm dictis meis fides non habeatur, cúmque nulla à me defenſio admittatur: ſed omnes præbeant aures calumniis, & iniquis iudiciis præoccupati me damnent, tu ſuſcipe mei patrocinium, & oſtende meàm innocentiam, coercendo petulantiam calumniatorum &c.

Pugna cum pugnantibus mecum] Altera ſimilitudo ſũmpta eſt à re militari, vbi vi & armis res geritur. Aduerſarij enim non tantũ calumniis, ſed manifeſta vi ipſũ oppugnabant: quibus cum non eſſet par, petit vt Deus ipſorum armatæ violentiæ reſiſtat.

2 Apprehende ſcutum & clypeum: & ſurge in auxilium meum.

3 Et exere lanceam, & conclude [*obſiſte*] ad occurſum perſecutorum meorum: Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.

Perſiſtit in poſteriore metaphora à re militari ſumpta. Et quanquam nec lancea nec clypeo indigeat Deus in reprimendis hoſtibus, quos ſolo nutu ac flatu diſiicere poteſt: tamen Spiritus ſanctus his locutionibus & hac hypotypoſi ſẽſui noſtro ſeſe accommodat, vt de præſentia & defenſione diuina nos certiores ſimus. Nam alioqui oppreſſi magnis calamitatibus, non facilè animos attollimus ad inuiſibilem Dei virtutem & potentiam, qua ſola hoſtes reprimit.

Vt igitur quaſi viſibilis eius virtutis imago nobis in anguſtiis & periculis occurrat, inducitur Deus hominum more, gladio, ſcuto, & aliis armis inſtructus, vt ita infirmitati noſtræ ſuccurratur. Simul autem, cum petit vt Deus ſcutum apprehendat, affirmat ſe nullas habere alias vires quas tantæ hoſtium potentiæ opponat: ſed ſola diuina virtute & potentia ſe eſſe tutum.

צנה Scutum à forma acuminata ſic dictum eſt, quòd in ſuperiore parte ſit latius, vt tegat pectus, in inferiore paulatim deſinat in mucronem: primum, quia corpus paulatim attenuatur: deinde ne curſum impediat. Eadem ratione צנינים dicuntur ſudes ſeu ſtimuli. Et Salom. Prouerb. 25. aculeum ſeu cuſpidem niuis nominat *ein Eiſszapffen*, à forma. Alij ſpadam, mucronem, ſeu ſpiculum interpretantur. Sed ex pſalmo 5. apparet eſſe ſcutum. Et loquitur hoc verſu de armis defenſoriis, quibus hoſtium impetus ſuſtinetur, & corpus cõtra ictus hoſtium munitur. Sequẽte demũ verſu loqui-

tur de iis armis quæ vocant ἀμυντήρια, cùm ait, Deprome lanceam.

מגור *Claude*, hoc eſt, interpoſito muro, vel aggere tuo obiecto prohibe hoſtes ab acceſſu, vel, vt alij, interclude occurſum & ſis obſtaculo, hoc eſt, interpone te inter me & ipſos, & excipe iſtorum impetum, ne ego opprimar ab ipſorum violentia. Alij putant מגור eſſe nomen, & vertunt vel ſcutum, vel lanceam: quod non videtur eſſe probabile.

Dic animæ meæ, &c.] Id eſt, Hunc ſenſum conſolationis mihi inde, vt quicquid mihi accidat, certò ſtatuam, apud te mihi ſalutem repoſitam eſſe, tuóque auſpicio & ductu me ſaluum fore. Hanc fiduciam in me confirma, ne variæ tentationes aut conſpectus periculorum huc atque illuc me impellant, aut fidem meam labefactent. Stabat enim tunc quaſi in acie Dauid, & videbat hoſtes magno numero atque impetu in ſe incurſionem facere: ſe verò nudum eſſe & inermem, atque omnibus præſidiis deſtitutum. Hic fieri non potuit quin trepidaret & multa metueret: ſed in hac trepidatione hunc vnicum clypeum apprehendit, quem omnibus terroribus opponit.

4 Erubeſcant & pudefiant qui quærunt animam meam: Vertantur retrorſum & pudore afficiantur cogitantes malum meum.

Petitio huius pſalmi duo continet. Primò, vt defendatur aduerſus iniuſtam vim & calumnias ſuorum aduerſariorum. Secundò, vt hoſtes reprimantur, & dignas dent pœnas ſuæ impietatis & petulantiæ. Ita imprecatio coniuncta eſt cum petitione vt ſemper alias, etiam cùm non exprimitur. Nec iudicandum eſt, talia vota piorum eſſe inania terriculamenta: ſed afferunt illa hoſtibus præſens exitium, & perpetua ſunt vaticinia de interitu omnium qui Eccleſiam & eius membra perſequuntur. Quod enim hoſtibus ſuis hoc loco imprecatur Dauid, id omnibus ætatibus euenturum eſſe tyrānis & hoſtibus Eccleſiæ Dei affirmat. De quæſtione verò, an huiuſmodi vota pugnent cum dicto Chriſti, Diligite inimicos: item, Orate pro perſequentibus: dictum eſt antea, pſal. 26. verſu 5.

Erubeſcant] Id eſt, deiiciantur ſpe ſua & ſint irriti ipſorum conatus, vt ſuorum eos conſiliorum pudeat.

Ignominia afficiantur] Id eſt, pro gloria quam quærunt ex oppreſſione bonorum, perpetuam ignominiam & infamiam reportent, vt omnes eos rideant & contemnant, *Das man ihrer ſpotte.* Vſitatè dicitur: *Vver den ſchaden hat, darff für den ſpot nit ſorgen.* Quærere animã alicuius, eſt inſidiari alicuius vitæ, dignitati, exiſtimationi, &c.

Agantur retrorſum] Id eſt, reprimantur ipſorum iniuſti conatus, inhibe ipſorum curſum & impetum, ne pergant vaſtare eccleſiam.

5 Fiant quaſi gluma [*palea*] coram vento: & angelus Iehouæ impellens [*vrgens, à tergo inſtans.*]

Subinde creſcit oratio inter imprecandum, & quaſi per gradus aſcendit, vt ſolet fieri in auxeſi. Non tantùm, inquit, ſpe ſua deiiciantur: ſed agitentur & excrucientur terrore & perpetua inquietudine, vt quócunque ſe vertant, ſecum ipſi tumultuentur, & nuſquam tutò conſiſtere queant. Huc pertinet illud Ieſaiæ dictum, cap. 57. Impij ſunt ſicut mare æſtuans, quod impulſum quieſcere non poteſt.

6 Sit via eorum caligo & lubricitates: & angelus Iehouæ perſequatur eos.

Sit caligo] Id eſt, nullum inueniant in ſuis rebus conſilium, neque inueniant effugium ſuis malis: ſed ſubinde ſe magis immergant calamitatibus, donec tandem coniiciantur in lubrica, vbi prorſus euertantur & corruant.

Perſequatur eos] Sit vindex & executor ſententiæ Dei. Nam per angelos Deus ſua iudicia exequitur, &, ſicut bonos eorũ miniſterio cuſtodit & munit, vt ſuprà pſalmo 34. dictum eſt: ita malos punit & delet.

7 Quia ſine cauſa abſconderunt mihi foueam retis ſui: ſine cauſa foderunt animæ meæ [*foueam.*]

Prima ratio, quam propoſitioni addit, ſumpta eſt à cauſa impulſiua: hoc eſt, tam ab iniuſto odio & crudelitate aduerſariorum, quàm ab innocentia Dauidis, quam iuſtum erat Deum defendere. Ideo, inquit, defende me, quia ego ſine aliqua mea culpa duriter affligor. Quod enim aduerſarij tanto odio & rabie me proſequũtur, nulla re niſi ſua cupiditate impelluntur. Ardent enim inexplebili odio aduerſus Deum, & ſitiunt ſanguinem piorum. Inde tot exiſtunt calamitates.

Foueam retis] Id eſt, qua me tanquam reti capere conantur, vel, in qua rete ſuum expanderunt. Beſtiarum aliæ reti, vt piſces, volucres & lepores, aliæ foueis capiuntur, vt lupi: vtrunque igitur comprehendit, vt oſtendat ſibi varias inſidias & dolos ſtrui. Alij exponunt foueã rete ſuum, vt ſit appoſitio.

8 Veniat ei præcipitium [*ruina*] quod non nouit: & rete eius quod abſcondit capiat eum: in præcipitium cadat.

Redit ad imprecationem, & petit vt mala conſilia & exitium quod homini pio atque innoxio machinantur, in ipſos autores recidat.

Veniat ei] mutatio eſt numeri. Non enim loquitur de vno tantùm hoſte, ſed omnibus. Quãquam fieri poteſt vt Saulem ipſum tanquam caput illius factionis, vel alium aliquem ex proceribus, præcipuè notet.

Veniat ei præcipitium] Id eſt, ſubitò corruat & euertatur, idq; præter opinionem, cùm videtur ſibi maximè florere, & eſt ſecurus.

Rete eius capiat eum] Id eſt, conſilia & doli quos ſtruit bonis ſint ipſi exitio.

9 Et anima mea exultabit in Iehoua: lætabitur in ſalute eius.

Addit aliam rationem, à ſua gratitudine. Ego, inquit, ſeruatus celebrabo Dei erga me beneficentiam: non adſcribam quicquam meæ induſtriæ aut fortunæ, vt alij ſolent: ſed totum beneficium liberationis Deo acceptum referam.

Exultabit in Iehoua] Quem ſcilicet videt ſibi præſentem eſſe in calamitatibus & opem ferre.

10 Omnia oſſa mea dicent, Iehoua, quis ſimilis tibi? eripiens afflictum à fortiori ſe, pauperem item & egenum à diripiente eum.

Omnia oſſa dicent] συνεκδοχὴ eſt, pro, totum corpus dicet. Videtur eſſe hyperbolica locutio, non enim oſſa loquuntur: ſed voluit hac figura exprimere ſuum feruorem, & ſtudium in celebranda Dei bonitate: quaſi dicat, Ita animus flagrat ſtudio celebrandi nominis diuini, vt oſſa ipſa velim erumpere in laudes Dei.

Quis ſimilis tui?] Qui ſcilicet ita deſtitutos omni ope & deſertos ſeruare & liberare poſſit? &c.

11 Surgebant teſtes violenti: quæ ignorabam quærebant ex me.

Tertia ratio ſumitur à perfidia, calumniis, ingratitudine, mendaciis, conuitiis & inſidiis hoſtium quibus petebatur: atque in hac querela, cuius etiam ſuprà mentionem fecerat, cùm de ſua innocentia teſtaretur, immoratur diutiùs: addita antitheſi à ſua ſolicitudine, cura & officiis, quæ ſubinde hoſtibus præſtiterit.

Teſtes violenti] Non ſatis ei eſt dixiſſe impios teſtes: ſed nominat violẽtos, quia magna violentia & impetu in Dauidem inſurgebant, quaſi iam iam eum oppreſſuri. Atque ita audaciam & proteruiam aduerſariorum deſcribit.

Quæ ignorabant] Primum ſcelus. Obiiciebant mihi crimina quorum mihi non eram conſcius, vt ita grauatum falſis criminibus prætextu quodam iuris opprimerent. Dicebant enim eum eſſe ſeditioſum, & cupiditate dominandi inuadere regnum alienum: ſicut nos hodie accuſamur à pontificiis motæ ſeditionis & hæreſeos. Bonis autem mentibus & ſibi bene cõſciis nihil poteſt grauius aut acerbius accidere quàm talibus calumniis onerari. ſunt enim ſæuiſſima vulnera quæ à calumniatoribus infliguntur: & vſitatè dicitur, *Contra ſycophantæ morſum non eſt remedium.* Ideo primo loco de his conqueritur.

Quærebant ex me] quaſi rationibus ſcilicet adductis oſtẽſuri ſe verum dicere. Germanicè his verbis reddi poteſt: *Vvas ich nie gedacht hatte, darumb vvard ich von jnen zu rede geſetzt, vnd das muſte ich gethan haben.*

12 Rependunt mihi malum pro bono: orbitatem animæ meæ.

Secundum ſcelus eſt ingratitudo. Non tantùm calumniis me inſontem premunt, & nihil tale meritum vexant grauiter, ſed etiam beneficiis variis affecti iniquiſſimã mercedem reddunt. Hæc verò ingratitudo implacabilem hoſtium ſæuitiam indicabat, quòd nullis officiis aut beneficiis flecti, aut vinci potuerint: vt odia iniuſta deponerent.

Orbitatem animæ meæ] Hoc additur ad exaggerandam ipſorum crudelitatem. Significat enim tãtam fuiſſe odiorum virulentiam in hoſtibus, vt nihil aliud quæſiuerint quam quomodo hominem miſerum, nudatum omnibus præſidiis, & deſperatione obrutum perderent. Vt ſit ſententia, In orbitatem animæ meæ: hoc eſt, vt ita nudarent & orbarẽt animam, eandémque obrutam deſperatione perderent: vel, per oppoſitionem, Rependunt malum pro bono, nempe orbitatem animæ meæ: hoc eſt, intentant cædem.

13 Ego

13 Ego autem cùm ægrotarent, indumentum meum [*erat*] ſaccus, affligebam ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinum meum reuertebatur.

Amplificat querelam ab antitheſi, in qua primùm ſuum amorem,& ſolicitudinem erga hoſtes, aliáque amoris officia, deinde è regione, illorum odia, crudelitatem, & alia ſcelera commemorat. Ægrotationem pro quouis malo & incommodo intellige.

Indumentum meum ſaccus] Id eſt, Ego malis ipſorum ita afficiebar, vt etiam veſtitu lugubri, ieiuniis & oratione communem dolorem & iuuandi ſtudium oſtenderem, vt ſi quis fuiſſet in eis ſenſus humanitatis aut æquitatis reliquus, flecti nõnihil his officiis debuerint.

Saccus veſtis erat vilior & ſtrictior, quo vtebantur in luctu: quando enim vrgebat maior neceſſitas, adhibebatur hoc exercitium. Eſt igitur metonymia, in qua à ſigno oſtendit dolorem.

Oratio mea in ſinum meum reuertebatur] Id eſt, ego in ſinum meum effudi orationem meam, non ambitioſè coram hominibus iactaui vota mea, vt ſolent oſtentatores & hypocritę, qui plus foris oſtentant quàm intus in animo latet: ſed tacitè mecum, cùm ne quidem conſpici ab aliis hoc poſſet, precando teſtatus ſum quàm verè & ex animo dolerem, & de vita ac fortunis ipſorum eſſem ſolicitus. Nam ſicut dicimus, gaudere in ſinu eos, qui arcano & interiori gaudio affecti non publicè oſtentant aut edunt ſigna lætitiæ: ita in ſinu flere aut precari dicitur, qui ſuas lacrymas & vota non in aerem aut aures hominum ſpargit, ſed vno Deo contentus illi ſua vota & preces effundit. Alij tamẽ geſtum precantis hac phraſi notari volunt: quaſi dicat, ſe capite demiſſo, & mento pectori admoto, vt mœſti ſolent, oraſſe. Alij volunt eſſe obteſtationẽ: quaſi hoc velit, Adeo bene precabar, & omnia proſpera optabam, vt orationem meã velim redire in memetipſum: ſi quæ mala imprecor illis, in me recidant. Nonnulli verbo reuertendi crebram iterationem ſignificari exiſtimant. Alij fructum orationis ad ipſum Dauidem rediiſſe dicunt, cùm pro aliis orando nihil proficeret.

14 Quaſi ſocius; quaſi frater mihi [*eſſet*] ambulabam: ſicut lugens matrem pullatus, humiliabam me.

Id eſt, amor meus non fuit ſimulatus, ſed vera ϛοργῇ & beneuolentia ipſos ſum complexus, & eorum calamitatibus & malis affectus ſum non aliter ac meis.

Pullulatus humiliabam me] Id eſt, habitu lugentium incedebam deiecto capite, vt oſtenderem me ipſorum calamitatibus condolere.

15 Ipſi verò in claudicatione mea læta ti ſunt & congregati ſunt, congregati ſunt [*inquam*] aduerſus me claudi [*percuſſi*] & non noui: ſciderunt [*lacerauerunt*] & non tacuerunt.

Alterum membrum antitheſis additur, in qua hoſtium odia & crudelitatem deſcribit. *Claudicationem* nonnulli intelligunt ſimpliciter quæ ex morbo aut caſu Dauidi acciderit, vt claudicaret. Fingunt enim crus fractum eſſe Dauidi, aut alioqui neruum læſum ex morbo, &c. ſed ſimplicius eſt & concinnius vt claudicatio intelligatur in genere de aduerſis caſibus, quemadmodum & pſal. 38. Ego ad claudicationem paratus ſum, id eſt, ad ruinam, quaſi dicat, Cùm viderent me labaſcere, & ruinæ propinquũ, ibi omnes magno feruore, quaſi in parietẽ inclinatum, concurrerunt, vt me prorſus euerterent. Illa ἐπιχαιρεκακία eſt vſitata inter homines, quæ ſignum eſt magnæ crudelitatis, & naturæ diabolicæ. Nam homines ſæpe etiam hoſtium ſuorum calamitate manſueſcunt, vt miſeros perſequi & odiſſe deſinant: eo magis indignum eſt amicos huius calamitatibus inſultare.

Verbum congregandi bis repetitur, ad notandum ardens ſtudium & pertinaciam in propoſito.

Percuſſi] Hoc eſt, claudicantes animo magis quàm corpore, *Die auff beiden achſelen tragen.* Alij percuſſos intelligũt homines plebeios, abiectos & viliſſimæ conditionis, quos proceres regni concitarant in Dauidem. Non ſciebam, id eſt, præter opinionem meam, & me nihil tale cogitante. Alij ad perſonas referunt, vt hoc dicere velit, Tantũ abeſt vt queri poſſint, ſe aliqua iniuria à me eſſe affectos & laceſſitos, vt mihi prorſus ſint ignoti. Vulgus enim ſolet odiſſe præſtantes viros, ſine ratione & cauſa.

Sciderunt] Hoc variè exponunt interpretes, ſed ſimpliciſſimum eſt vt de ſciſſione ſeu apertione oris intelligatur, ac ſi diceret, labiis diſtentis petulanter ſua conuitia in me iactant, vel, quod eodem redit, lacerant me ſuis conuitiis.

Non ſilebant] Id eſt, nullum faciebant aut finem aut modum maledictis, ſed petulanter & pleno gutture, quicquid in buccam venit, in me euomunt.

16 Inter hypocritas [*vel cum hypocritis*] ſubſannantes adulatula frendendo ſuper me dentibus ſuis.

Dixerat ſuprà, multos magno numero & feruore concurrere & conſpirare in ſuam perniciem. nunc id explicaturus, dicit illam concurſationem ſeu conſpirationem fieri inter hypocritas & ſubſannatores, & quidem tales, qui ob buccellam panis non vereantur prodere vitam amici: hoc enim eſt quod dicit, qui ſubſannant pro pane ſubcinericio. Ita deſcribit aulicos gnathones. *Hypocritas* primùm nominat ſuos hoſtes, quòd totos ſe componant ad voluntatem & affectus ſui regis, omniáque ſua conſilia ad ipſius nutum accommodent. *Subſannatores* verò vocat homines perfidos & perfrictæ frontis, ſeu menſarios ſcurras, qui ſine pudore quoduis ſcelus audent confingere & dicere in eum à quo vident regem eſſe alienatum: idque faciunt ad aucupandam eius gratiam & honores captandos, ad menſas item lautas & opiparas obtinendas, quas hic per contemptum nominat panem ſubcinericium. Qui enim huiuſmodi ſunt, linguas ſuas proſtituunt venales etiam pro fruſto panis ſeu re leuiſſima. Quoties igitur illi aſſidebant ad menſam regiam, diſputabant de Dauidis nece, & confingebant ſcelera, quæ animum regis exaſperarent & acuerent contra Dauidem. De hac re loqui hoc loco videtur. Alij panes ſubcinericios interpretantur garrulam dicacitatem, & ſermonem otioſum. Nonnulli etiam ſeruiles & ſordidos, hac appellatione perſtringi volunt. Quod genus hominum petulantiſſimè maledicit omnibus bonis, præſertim in aulis.

Frendent] Hic verò accuſat eos ſæuitiæ, quòd velut rabidæ feræ dentibus contra ſe frendeant. Frendere enim eſt concuſſis & ſtrictis dentibus quaſi cum iracundia vocẽ emittere.

17 Domine, quouſque videbis? Eripe animam meam à tumultibus eorum: à leonibus vnicam meam.

Redit ad precationem, & primùm familiariter, quaſi cum eo expoſtulat, quòd nimium ſit patiens, qui ſinat homines ſceleratos, crudeles & architectos malorum, impunè graſſari, nec mox in ipſos animaduertat. Tam familiariter querelas noſtras exponere, & tædium moræ deplorare permittit Deus, qui tamen vult interea nos patienter ferre iniurias, nec frangi illa mora. Quidam interpretes dictionem כמה reddunt, quando tandem, ſcilicet, poſt longam patientiam & diſſimulationem videbis & punies?

Vnicam] deſertam & deſtitutam omnibus præſidiis: alij vnicam intelligunt charam & pretioſam. vide ſuprà pſalmo 22.

18 Celebrabo te in cœtu magno: in populo multo laudabo te.

Repetit ſecundam rationem à ſua gratitudine, de qua ſuprà dictum eſt verſu 9. Ideo liberatio petenda eſt, non vt nobis bene ſit in hac vita, ſed vt Deus agnoſcatur & celebretur. Nec habent homines quicquam quod Deo rependant, præter ſacrificium laudis. Ideo ſubinde in pſalmis illa repetuntur. Sunt autem illæ pollicitationes de gratiarum actione, ſimul vaticinia de euentu, oſtendunt enim fore vt liberatus gratias agere poſſit Deo: imò ſæpe, quaſi iam voti compos, inter ipſas preces erumpit in gratiarum actionem.

In cœtu magno] Non priuatim tantùm celebrabo hoc beneficium: ſed in publico cœtu, vt alios etiam meo exemplo excitem ad cognoſcendam & celebrandam bonitatem Dei erga ſuos.

In populo forti] Id eſt, multo & frequenti, qui ad ſacros conuentus agendos conuenit, vt in ſolennibus feſtis. Alij populum fortem dici exiſtimant, quòd eccleſia prędita ſit magna virtute & robore.

19 Ne lætentur de me, qui falſò [*immeritò*] inimici mei ſunt: nec, qui oderunt me ſine cauſſa, oculis nictent [*innuant.*]

Subinde repetitur precatio in toto pſalmo: hic verò precationi miſcetur etiam cauſſa finalis. Ideo, inquit, libera, ne ex mea ruina agant ſuos triumphos inimici, atque eam ob cauſſam non indulge votis ipſorum. Rurſus autem de ſua innocentia teſtatur, cùm dicit, illos ſine cauſſa ſuſcipere tantum odiũ aduerſus ſe. De ea dictum eſt ſæpe magni intereſſe ad opem diuinam impetrandam teſtimonium bonę conſciẽtiæ: ſicut Iohannes inquit, Si cor noſtrum non condemnat nos, fiduciam habemus.

שקר aliqui exponunt inſidioſè: ſed repetitio, quæ ſequi-

tur,oſtendit,queri prophetam de voluntario ipſorum odio, quòd homini amico & bene merito, nulla prouocati iniuria, ſponte infeſti eſſent. Prætendunt quidem ſe habere iuſtam aduerſus me odij cauſſam,ſed falsò.

רדץ ſignificationem habet nictandi limis oculis per ludibrium.

20 Quia non loquuntur pacem : ſed contra quietos terræ verba doloſa cogitant.

Rurſus queritur de ipſorum ſæuitia & crudelitate : & hac querela ſe iterum excitat ad certam fiduciam impetrandi auxilij diuini , nam quo magis vrgemur periculis,eo certior parata eſt liberatio.

Non loquuntur pacem]Id eſt,ardent implacabili odio aduerſus me, ſúntque animo ita obſtinato ad ſæuitiam, vt nullam ferant fieri mentionem pacis apud ſe:ſed omnia perſtrepant tumultibus & cæde.

Contra quietos] Id eſt,amantes pacis & concordiæ. Verbum רגע duas habet contrarias ſignificationes. Primùm ſignificat ſubitò commoueri concitari,ſcindi. Secundò,in voce paſſiua ſignificat quieſcere. Ierem. 47. Inde eſt רגע momentum, id eſt,motus mox ceſſans. Et רגעים ceſſantes,quieti.

Nonnulli priorem ſignificationem ſecuti, reddiderunt Super ſciſſuras terræ,hoc eſt contra calamitoſos , qui velut fracti ſunt ac mutili,& propter ærumnas ac pericula in cauernas terræ ſe abdunt. Alij,in cauernis vel locis abditis,ne ſcil. praua & verſuta ipſorum conſilia pateſiant. Sed retineo alteram ſignificationem , quam antitheſis ipſa in hoc verſu offert. Nam cùm dixiſſet,ipſos alienos eſſe à pacis conſilijs, commodè per antitheſin infert , contra quietos & amantes pacis omnia conſilia ipſorum dirigi,&c. Nec quietos intelligo,ſicut nonnulli,pingues & ſaturos,qui placido otio fruuntur,ſed, vt dixi,quietis ſtudioſos & pacificos. Voluit enim ſine dubio ſe & ſocios ſuos notare.

21 Et dilatauerunt [*diduxerunt*] contra me os ſuum:dixerunt,haha,vidit oculus noſter.

Diduxerunt]Id eſt,diſtento ore clamant, ſicuti illi qui effunduntur in riſum,gratulantes ſibi cum plauſu. האח Interiectio eſt exultantis.

Vidit oculus noſter]Scil. quod cupiebamus. Videmus eum eſſe proſtratum & deſertum , nihilque habere animi aut virium,ſed quærere latebras,quibus ſe ad tempus abdat: facile igitur nobis erit eum euertere. Tales voces hoſtium gratulantium ſibi hîc exprimuntur.

22 Vidiſti Iehoua, ne taceas:Domine,ne procul abſis à me.

Ex antitheſi infert precationem. Hoſtes ita me aſpiciunt vt ſibi de meo interitu gratulentur , & hoc ſpectaculo ſeſe paſcant: ſed tu aliter me aſpicis, conſideras enim meum periculum, ſuſcipis curam mei, notas hoſtium ſceleratam malitiam, quam tandem punies &c. Ita auertens oculos ab hoſtibus, quos intentos eſſe ſciebat ad ſuam perniciem,conijcit ſe totum in prouidentiam & curam diuinam, atque in ea acquieſcit.

Ne ſileas]Id eſt, non negligas meas ærumnas,non concede illis conniuendo perpetuam impunitatem, non confirma ipſorum malitiam nimia patientia: ſed oſtende me tibi curæ eſſe,& dirime tandem hoc certamen tua voce vel auxilio interpoſito.

23 Expergiſcere & euigila ad iudicium meum, Deus meus & Dominus meus , ad cauſam meam.

Subinde repetitur propoſitio ad declarandum animi ardorem & deſiderium in precatione.

Excitare]Id eſt,oſtende te non dormitare.hoc eſt,negligere iniurias tuis factas, ſed euigila ad iudicium,id eſt,defende me aduerſus improbos, & puni ipſorum ſceleratam audaciã: vtrunque enim fit in iudicio.

Cauſam meam] Id eſt, oſtende omnibus me eſſe innocentem, & hoſtes ſine cauſa tantopere in me ſæuire, libera me oppreſſum,& defende innocentiam meam.

24 Iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam,Iehoua Deus mi:& ne lætentur de me.

Iterum repetitur propoſitio, ſed adduntur cauſæ finales. Prima,vt conſpiciatur iuſtitia Dei,quæ non patitur iuſtos & rectos perpetuò affligi,aut tandem opprimi. Ede, inquit, teſtimonium iuſtitiæ tuę.vt in hoc meo exemplo conſpiciatur, tibi curæ eſſe eccleſiam tuam , & te odiſſe iniuſtam violentiam tyrannorum , qui iuſtos & bonos opprimere cupiunt. Nam iuſtus iudex diſcernere debet inter bonos & malos,hos punire,illos defendere & tueri.

Ne lætentur]Altera cauſa finalis,ne impij ſcilicet ſint ſuperiores,ne nimium inſoleſcant,ne cogitent, doctrinam eccleſiæ,quæ promittit defenſionem piis,eſſe falſam & commentitiam,aut nullam eſſe prouidentiam diuinam,nullum diſcrimen bonorum & malorum. Hic finis propoſitus eſſe nobis debet in petitione liberationis,gloria ſcilicet Dei.

25 . Ne dicant in corde ſuo,Euge anima noſtra: néve dicant,deuorauimus eum.

Iterum inducit hoſtes loquentes, vt depingat ipſorum ferociam & crudelitatem. Si ipſis pro libidine ſuccedat,inquit, nullum facient modum proteruiæ ſuæ : ſed lætabuntur & gratulabuntur ſibi de ſuo ſcelere: quare,ne id fiat,prohibe ipſorum ferociam,& compeſce audaciam ſcelerum.

Euge]Blandientis & exultantis eſt.

Anima noſtra] Id eſt, hoc ſucceſſit nobis pro animi noſtri ſententia,& pro voto: facti ſumus compotes voti. נפש enim ſæpe pro voto & deſiderio accipitur.

26 Pudefiant & erubeſcant pariter qui lætantur malo meo : induantur pudore & ignominia qui ſe magnificant ſupra me.

Repetit imprecationem,de qua quia antea dictum eſt,nunc non ſum prolixior. Repetitio autem illa non eſt otioſa,ſed magnitudinem periculorum & ingens animi deſiderium in Dauide exprimit.

Pudefiant] Id eſt, excidant ſua ſpe,vt cum pudore fruſtrationem conſiliorum & conatuum ſuorum agnoſcant & deplorent.

Simul] Emphaſis eſt in hac particula,ſignificat enim magnum fuiſſe hoſtium numerum, qui aduerſus ipſum inſurrexerant:& tamen in tanta multitudine non abiicit ſpem, ſed ſtatuit vno ictu omnes à Deo poſſe proſterni.

Qui lætantur malo meo] Hic ἐπιχαιρεκακίαν & crudelitatẽ hoſtium notat. Poſtea,cùm inquit, qui ſe magnificant,notat faſtum & ſuperbiam,nam illa plerũque ſunt coniuncta. Quod autem Dauid his imprecatur , id expectandum eſſe omnibus ſuperbis & crudelibus non eſt dubium.

Induantur]Id eſt,non ad tempus tantùm pudefiant:ſed tãquam perpetua ſigna reatus, circũgeſtent pudorem & ignominiam,vt alij ipſorum exemplo moniti,diſcant non ſuperbire aduerſus Deum.

27 Exultent[*iubilent*]& lætentur qui deſiderãt [*vel quibus placet*] iuſtitiam meam: & dicant ſemper , magnificetur Iehoua , qui diligit pacem ſerui ſui.

Antitheſis eſt,in qua fructum ſuæ liberationis oſtendit. Affirmat enim ſuam liberationem pertinere ad omnes pios, vt confirmetur in ipſis aſſenſio de prouidentia & cura,quam Deus gerit pro eccleſia,déque ea lætentur. Ita rurſus addit cauſam finalem,vt Deus celebretur.

Quibus placet iuſtitia mea] Id eſt, Qui,vt dolent innocentem obrui ab impiis & ſceleratis hominibus:ita expetunt & optãt diuinitus defendi & ſeruari , & toti mundo meam iuſtitiam atque innocentiam patefieri.

Magnificetur Iehoua] Id eſt, celebretur ipſius iuſtitia,qui liberat iniuſtè oppreſſos. Opponitur autem magnificẽtia Dei impiorum faſtui. Quandiu impij florent & premuntur pij, quaſi obſcuratur gloria Dei, dum non conſpicitur ab hominibus. Sed cùm in pœnis impiorum oſtendit Deus ſe affici cura ſuorum, rurſus prodit ſe ipſius gloria, & relucet ipſius maieſtas. Hoc igitur eſt magnificari Iehouam, vt in interitu Pharaonis,Iuliani apoſtatæ, & aliorum.

Diligit pacem ſerui ſui] Id eſt,non ſinit perpetuis ærumnis vexari ſuum ſeruum, ſed tandem liberatum ſinit frui otio & tranquillitate,&c.

28 Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, quotidie laudem tuam.

Concludit pſalmum à promiſſione gratitudinis. Ego autẽ, inquit,liberatus perpetuò celebrabo tuam iuſtitiam, qua innocẽtes & iniuſtè oppreſſos defendis & liberas, nec ſinis opprimi calamitatibus tuos cultores: ſed tandem punis & euertis omnes qui aduerſus eccleſiam tuam inſurgunt. Hæc ſignificantur hîc voce iuſtitiæ: quia nunc loquitur de Deo tanquã de iuſto iudice,ſeruante & defendente innocentes, & puniẽte ſceleratos.

Omni die] Indeſinenter : quaſi dicat, Nunquam obliuiſcar huius beneficij , & nunquam ceſſabo celebrare tua benefacta.

PSALMI XXXV. PARTES.

I. Exordium ex abrupto, ſeu petitio pathetica, duobus membris conſtans: quorum 1. imprecationem continet in aduerſarios, v. 1. & 2. precationem pro ſeipſo, verſ. 2. Quæ duo deinde exornat vſque ad v.9. poſtea verò amplificat à ſummo fine, qui eſt gloria & laudatio Dei, vſque ad v.11.

Αἰτιολογίαν verò huius imprecationis admiſcet verſ.7. ab atrocitate peccati aduerſariorum, qua oſtendit ſe hîc minimè indulgere perturbationibus animi ſui, ſed omnia iuſtitiæ Dei tribuere.

II. Propoſitio ſiue narratio querelæ ſuæ: cuius loci ſunt tres. 1. Quòd iniuriam grauiſſimam patitur: v.11. falſis teſtimoniis exagitatus. 2. quòd indigniſſimè patitur: ver.12.13.14. vt qui modis omnibus benefecerit aduerſariis. 3. quòd per fraudem, ludibrium, ſimulationem, & ſummam perfidiam ei inſultent, v.15. & 16.

III. Petitio, argumento planè cum prima parte conueniens: nam & imprecatur inimicis Deum implorans, & bene precatur ſibi, v. 17.18.19. Hanc petitionem confirmat, v. 20. ab iniuria publica aduerſariorum contra pios omnes. & v.21. ab iniuria ſingulari contra prophetam. vtrunque membrum explicant v.22.23.24.25.26.

IIII. Concluſio à rebus conſequentibus, nimirum 1. Lætitia Eccleſiæ. 2. gloria Dei & prædicatione eius: in qua duo genera bonorum recenſentur, nempe laus bonorum omnium, v.27. & priuata Dauidis, verſi.28.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Quando regum & principum odia maleuoli calumniis accendunt & ad ſæuitiam acuunt, cuius etiam adminiſtros ſeſe præbent, fideles iniuſtè oppreſſi debent ad Deum confugere, cui neque vires deſunt ad perdendos iſtiuſmodi adulatores aulicos, neque voluntas ad ſuos conſeruandos. ſed ne precibus iſtis abutamur primùm videndum eſt, vt iuſtam cauſam tueamur: deinde vt animum non vlciſcendæ priuatæ iniuriæ, ſed gloriæ Dei aſſerendæ & illuſtrandæ cupidum afferamus: denique, vt ne voculam quidem niſi nobis præeunte Dei, non carnis ſpiritu effundamus.

1 *Nobis mirum aut nouum videri non debet ſi nos carpant ac mordeant homines maligni, qui ne Dauidi quidem pepercerunt. Sed vtut nobis grauis acerbáque ſit eorum iniuria, incomparabile ſolatium hinc offertur, quod ſuum patrocinium Deus ipſe falſis accuſationibus opponit.*

2 *Vt gradatim fides noſtra ad cæleſtem Dei potentiam conſcendat, inducitur hominum more gladio & clypeo inſtructus: quia non aliter pro ſuo modulo caperent mentes noſtræ immenſam illam virtutem, quæ omnes auxiliandi formas in ſe continet, nec aliunde ſubſidia accerſit.*

3 *Penitus animo ſuo infixum eſſe ac perſuaſum optare debet vnuſquiſque pius, quod ex præſenti rerum intuitu ſtatui non poteſt, ſalutis ſuæ autorem eſſe Deum. Nam quæ noſtra ſocordia eſt ac ſtupiditas, Deus ſæpe dormientes ac nihil tale ſentientes nos liberat.*

4 *Etiamſi ad tempus impij vertice ſidera ferire altiſque radicibus in terra firmari videantur: tamen Deus à piis clamantibus excitatus, hoſtes ſuos ſpe ſua deiicit, & quiſquiliis reddit ſimiles.*

5 *Arcano angelorum impulſu impij turbantur, & de gradu ſuo tempore vindictæ deiiciuntur. quia ſpiritu vertiginis eos Deus percellit, & inquietudine diſtrahit, vt ſecum ipſi tumultuentur.*

6 *Per angelos, tum bonos tum malos, iuſta tremendáque iudicia ſua Deus exequitur, ita tamen vt electos angelos reprobis præficiat.*

7 *Nemo in Dei conſpectum temere proſilire debet, vel eum aduocare vindicem, niſi bona conſcientia fretus.*

8 *Vbi pacem fallacibus illecebris ſibi promiſerint impij, percellet eos horror inſolitus, & cùm tumultuoſo pauore ſentient ſe laqueis ſuis deprehenſos. Piis autem liberatio ex omnibus periculis, & alta pax æternaque in Dei ſinu parata eſt.*

9 *Dum impiorum alij fortunæ tribuunt quòd ſunt ſeruati: alij ſuæ induſtriæ, omnes Deum ſua laude ſpoliant: pij acceptorum beneficiorum memores, non in liberatione ſibi ignota, ſed in Dei ſalute lætantur.*

10 *Deo quod ſuum eſt aſſeritur, quum ornatus ſua virtute, ſpes omnes noſtras ſibi addictas tenet: & fruſtra ſonaret Dei nomen in ore noſtro, ſi eius potentiam & bonitatem pro arbitrio noſtro diuideremus.*

Quando Deus vindex pauperum & afflictorum dicitur, bonam ſpem in afflictionibus retinendam eſſe docemur: quia non eſt cur animos noſtros debilitent hoſtium vires & copiæ, quantumuis præualeant, dum è cælo pronuntiat Deus, in hunc finem ſe regnare vt validis & fortibus reſiſtat.

11 *Filiis Dei ambulandum eſt per infamiam & bonam famam, & patienter ferendæ calumniæ, donec eorum innocentiam Deus è cælis aſſerat.*

12 *Impiorum ingratitudo quoad ſenſum carnis maximè vulnerat probos homines: ſed dici non poteſt quantum hoc afferat ſolatij, vbi teſtari coram Deo licet nos omnibus officiis eſſe perfunctos, quæ ad humanitatem flectere debent eorum animos qui implacabili ſæuitia ad nocendum rapiuntur. Deus enim feram hanc ingratitudinē non ſinet inultam, quæ ita nudare & deſtituere pios conatur, vt deſperatione obrutos perdat.*

13.14 *Veri & ſerij amoris certæ notæ ſunt, erga proximos & hoſtes non aliter atque erga germanos fratres affectos eſſe.*

Non ambitioſè votis ſuis coram hominibus iactant fideles, ſed tacitè ſecum & remotis arbitris precando teſtantur quàm ſincere & ex animo vicem impiorum doleant.

Sincera piorum animi demiſſio, & ſupplex pro inimicis apud Deum oratio tantundem valet ac ſi reos ſe ſubſtituerent hoſtiū loco, qui infeſti ruunt in eorum perniciem.

Saccus & cinis numerantur quidem inter ritus legales: ſed idem manet apud Chriſtianos ieiunij vſus. Quare ſi nos Deus oſtenſis iræ ſuæ ſignis ad pœnitentiam inuitat, meminerimus non modò preces ſolito more fundendas eſſe, ſed addendos etiam ſtimulos qui ad humilitatem nos ſolicitent.

15 *Ea eſt piorum in terris conditio, vt non modo ab iis qui rerum potiuntur, verùm etiam à contemptiſſimis & fæce vulgi contumelioſè tractentur.*

16 *Impiis ſolenne eſt, vt ex Eſthera & Ioannis Baptiſtæ hiſtoria conſtat, inter pocula de piorum euerſione & cæde diſputare.*

17 *Etſi Deus fideles iubet quietos expectare, dum ipſe maturum ferendi auxilij tempus eſſe iudicet: permittit tamen vt moræ tædium quo vruntur, in precibus deplorent.*

18 *Ad impetrandi auxilij fiduciam fideles ſe animant, & inuictæ fortitudinis produnt teſtimonium, dum in mediis curarum & diſcriminum fluctibus, quaſi iam voti compotes, erumpunt in gratiarum actionem.*

19 *Magni intereſt bonæ conſcientiæ teſtimonium afferre coram Deo, vt ſit ad nos iuuandos propenſior.*

20 *Quò durius ab impiis vrgemur, eo certiùs ſperanda eſt liberatio à Deo.*

21 *Improbi & crudeles, quum vt plurimùm timidi ſint & ſeruili ingenio, non efferuntur ad ferociam niſi quum ex bonorum & ſimplicium ærumnis oblata eſt occaſio.*

22 *Hæc demum ſolida eſt munitio contra hoſtium ludibria, vbi illis omiſſis mentes noſtras ad Deum colligimus, & paterna erga nos cura eius freti petimus vt reipſa declaret ſibi non incognitas eſſe moleſtias noſtras: imò quo feruentiùs inhiare videt improbos ad noſtram perniciem, celeriùs ad opitulandum occurrat.*

23 *Vt rite compoſita ſint vota noſtra, fulgeat in cordibus noſtris primùm neceſſe eſt fides prouidentiæ Dei, qui nec tacet, nec recedit, ſed in tempore ſuorum precibus excitatur: nec tantùm ordine præcedere omnes affectus, ſed etiam temperare ac dirigere debet.*

24 *Vbi omni auxilio excluſi videmur, nullum eſt vincendæ tentationi efficacius remedium quàm Dei iuſtitiam non poſſe excidere, ex qua pendet noſtra liberatio. vide 2. Theſſalon. cap.1. verſ.6.*

25 *Quia tanto magis in ſe prouocant Dei vindictam ſcelerati homines quantò magis ſe efferunt, hoc argumento pij ſpem ſuam erigunt, preceſque ſuas obſignant.*

26 *Quum à Spiritu S. dictata fuerit hæc precandi forma, ſuperbos omnes haud dubiè manet exitus qualis hic prædicitur, vt cum pudore & ignominia retrorſum abeant.*

27 *Hoc humanitas & pietas poſtulat vt quoſcunque cernimus iniuſtè affligi, ſi alia iuuandi ratio non ſuppetit, votis ad Deum, & fauore in animis noſtris proſequamur.*

Pax & gaudium erit iis omnibus, qui ſalutem & pacem eccleſiæ & ſingulorum eius membrorum exoptant.

In eo elucet Dei maieſtas, dum re ipſa demonſtrat ſeruorum ſuorum cura ſe tangi, ſibique cordi eſſe pacem eorum.

28 Pij quibus par eſt laudibus, iuſtitiam Dei, qua ſeruati ſunt, celebrare cupiunt & ſanctè pollicentur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De vindictæ expetitione pia & impia.
2. Omnipotentiæ Dei ſuos aſſerentis, impios opprimentis conſideratio.
3. Angeli tum boni tum mali iudicia Dei exequuntur.
4. Impiorum & piorum in aduerſis & ſecundis rebus ingenium.
5. Spes Eccleſiæ ſub cruce.
6. Inuocationis Dei fructus vberrimus.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVI.

VT Argumentum huius pſalmi fiat magis perſpicuum, cogitandum eſt, eccleſiam in hac vita ſemper verſari inter homines impios & Epicureos, qui abiecto & exuto omni timore Dei, indulgent prauis cupiditatibus & ſceleribus contra conſcientiam: & homines pios ac bonos nunquam non affligunt. In hos dum pij intuentur, fieri non poteſt quin multipliciter animi ipſorũ ſaucientur, & fides atque inuocatio langueſiant. Vident enim tales plerunque impune graſſari in mundo, & omnia ſceleribus ſuis complere, nemine vel prohibente vel puniente: atque interea illum cœtum, qui dicitur eccleſia, miſerabiliter premi & affligi. In tales igitur cogitationes ingreſſus Dauid, ipſe quoque ſentit nonnihil vulnerari cor ſuum, vt languidiùs ſtatuat de prouidentia diuina, & cogitet nullum eſſe diſcrimen piorum & impiorum. Ideóque initio, quaſi cum indignatione, longam inſtituit querelam de impiorum improbitate & ſcelere, à quibus & gloria Dei lædatur, & homines pij crucientur, atque vt ſtudia ipſa & opera eorum magis conſpiciantur, fontem ipſum omnis ſceleris indicat eſſe vacuitatem timoris Dei. Ex hac enim, tanquam ex vberrimo fonte, omnis generis ſcelera redundant. Sed mox ſeſe recolligit & retrahit ab illis cogitationibus, oppoſito verbo Dei, quod oſtendit non tantùm diſcrimen eſſe apud Deum bonorum & malorum, ſed Deum pro ſua ſapientia, iuſtitia & bonitate ſæpe permittere vt impij pro ſua libidine graſſentur, illiſque vt aliis creaturis benefacere.

Interea tamen oſtẽdit promiſsiones illas dulciſsimas, quæ veras & firmas conſolationes cõtinent, non pertinere promiſcuè ad omnes, ſed tantùm ad illos qui Deum vera fide agnoſcunt & colunt. Itaque diſcrimen bonorum & malorum, non petendum eſſe docet ab externa aliqua ſpecie, vtpote à ſucceſſu impiorum aut bonorum afflictione, ſed à veris illis bonis & perpetuò duraturis, quæ ſunt eccleſiæ propria. Horum bonorum conſideratione ac commemoratione, quia ſentit leuari dolorem ſuum, & animum ſuum erigi & confirmari aduerſus illud ſcandalum quod ex felicitate impiorum hominibus piis obijcitur, erumpit in precationem, in qua petit vt perpetuò Deus eccleſiam ſuo fauore proſequatur, eámque defendat aduerſus malorum improbitatem & audaciam, & iuſto tandem iudicio atque euerſione impiorum, oſtendat eſſe diſcrimen inter bonos & malos. Hanc vltimam precationis partem ita recitat vt non tam precari quàm prædicere certum interitum hoſtibus eccleſiæ videatur. Nec dubium eſt has voces Spiritus ſancti perpetua eſſe vaticinia de euerſione & interitu impiorum, & de perpetua eccleſiæ conſeruatione. Ita igitur Dauid duabus rebus, cogitatione ſcilicet verbi diuini ſeu promiſsionum, & precatione, vincit illam tentationem qua tunc oppugnabatur: & ſuo exẽplo nos docet vt quoties illæ cogitationes animos noſtros ſubeunt, aut cùm videmus impios impune graſſari & ſæuire in quoſlibet, non frangamur dolore aut deſperatione: ſed recurramus ad verbum Dei, & cogitemus promiſsiones quæ factæ ſunt eccleſiæ, atque fiducia harum promiſſionum confugiamus ad Deum, & petamus defenſionem & auxilium.

AD triumphandum, ſerui Iehouæ Dauidis.

2 Dixit iniquitas impij in medio cordis mei: Non eſt timor Dei in oculis eius [*vel ante oculos eius.*]

Prima pars pſalmi, quaſi per querelam continet deſcriptionem illius cœtus qui non agnoſcit Deum iuxta verbum in eccleſia patefactũ, ſed ſecurè indulgens ſuis cupiditatibus, omni genere ſcelerum ſeſe polluit. In hac deſcriptione, & ſuas & aliorum piorum cogitationes pingit. Nam homines pij, dum intuentur illum cœtum, mirantur ſæpe vnde tot ſcelera exiſtant, & cur Deus non ſtatim in ea animaduertat. Hic primùm fontem oſtendit, poſtea de iudicio Dei aduerſus peccata diſputat. Ego, inquit, dum intueor vitã hominum ſceleratorum & perditorum, qui ſine metu ex vno ſcelere in aliud ruunt, video non aliam eſſe huius rei cauſam quàm quod corda eorũ vacant omni timore Dei. Non enim cogitant eſſe aliquam prouidentiam aut iudicium diuinum, exiſtimántque omnia fieri temere, non puniri ſcelera, non ornari benefacta præmiis. Hic contemptus Dei, & illa ſecuritas, impellit eos in omnis generis ſcelera, vt nihil non audeant, aut ſibi permittant.

Dicit impietas impij in corde meo] Id eſt, Ego cogitans de illa infinita ſcelerum licentia quam vſurpant impij, & qua totum orbem pene obruunt, ſic ſtatuo apud me, fontem iſtorum ſcelerum omnium eſſe vacationem timoris Dei. Nam dicere in corde, eſt apud ſe ſtatuere, decernere. Iniquitatem ſeu defectionem nominat illa infinita ſcelera impiorum hominum, quæ intuens dicit ſe ſic ſtatuere.

Nomen לרשע plerique in datiuo caſu reddendum cenſent: Dixit iniquitas ſcelerato. quod eodem redit: Idem enim eſt ac ſi diceret, Ego de impij ſceleribus ſic ſtatuo & iudico, & ſic pronuntiat eius impietas in meo corde, quoties cogitatio de ea animum meum ſubit, vtut ille ſua ſcelera pingat. Vſitata tranſlatio habet, Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo. Hieronymus, In medio corde eius. Legit vterque לבו pro לבי.

Non eſt timor] Id eſt, non cogitant eſſe aliquem Deum qui facta hominum aſpiciat, quíque malos puniat & bonos præmiis ornet, ſed dicunt Deum ſedere in cælo otioſum, nec affici rebus hominum. Ita Epicurus ſtatuebat, quem Lucianus præ cæteris commendat, & Lucretius hunc tanquam Deum admiratur:

Deus illa facit, Deus, optime Memmi,
Depulit ex animo qui monſtra metúſque Deorum.

3 Quoniam blanditur ſibi in conſpectu ſuo [*in oculis ſuis*] vt inueniat iniquitatem ſuam: ad odio proſequendum [*id eſt, vt ardeat odio, vel vt excitet odium.*]

Iam à fructibus ſeu ſignis per diſtributionem oſtendit impios vacare omni timore Dei. Primùm inquit, impius blanditur ſibi, hoc eſt, non cogitat nec expendit magnitudinem ſcelerum ſuorum, non exiſtimat Deum his grauiter offendi aut ad iram prouocari, non diſplicet ſibi in ſuis ſceleribus: ſed quia eſt φίλαυτος, qui ſua admiratur, & magnifacit, oblectat ſe in ſuis ſceleribus, & his blanditiis alit vitia. Hæc latè extendi poſſunt & debent, non tantùm ad prauos doctores, quibus impiæ opiniones domi conceptæ arrident & placent, ſed in genere ad omnes qui excuſſo timore Dei, prauis affectibus indulgent.

Vt inueniat iniquitatem ſuam] Hoc ſecundum eſt ſcelus. Ideo ſibi

ſibi ita adulatur vt poſſit indulgere ſuis prauis affectibus, & ſubinde alia atque alia ſcelera excogitare. Hoc enim eſt inuenire iniquitatem ſuam, ſubinde aliud atque aliud ſcelus excogitare, & quaſi ſcelus ſceleri addere. Sicut Paulus ad Roman. nominat eos inuentores malorum: quales ſunt qui cultus idololatricos excogitant & ſtabiliunt, vt Ieroboam, Achas, & tota illa colluuies pontificum & monachorum. Itē, qui variis prætextibus defraudant alios qui inſidiantur alienæ pudicitiæ, qui latrociniis & cædibus graſſantur, vt licentiam ſuarum cupiditatū obtineant, &c. ſunt enim illa infinita.

Ad odium] Hoc tertium eſt, quod indicat eos eſſe ſine timore Dei, quia & ipſi ardent odio implacabili aduerſus bonos, & paſſim odia accendunt, turbant politias, ſerunt diſcordias in genere humano, vt diſtrahantur voluntates, quæ erant coniunctiſſimæ. Nam vtroque modo iudico poſſe exponi verbum Hebræū, abſolutè & actiuè. Odium verò complectitur vicinos affectus prauos, inuidiam, ἐπιχαιρεκακίαν, &c. Alij paſſiuè interpretātur, vt inueniatur iniquitas ad odium, id eſt, quamuis omnibus ſunt exoſi, aut digni odio, tamen ſibi blandiuntur.

4 Verba oris eius [*ſunt*] iniquitas & dolus: ceſſat intelligere vt benefaciat.

Hactenus de interioribus affectibus & cogitationibus dixit, nunc ad externas actiones progreditur, & primùm qualis ſit ſermo oſtēdit. Is verò reſpondet cogitationibus & affectibus. Primùm, verba oris eius ſunt iniquitas, ſeu deſideriū & dolus: id eſt, ſermone abutuntur ad ſuas cupiditates obtinendas, & ad circumueniendos alios: nulla eſt veritas aut fides in ipſorum ſermone, nihil eſt certum nihil ſincerum, ſed omnia ſunt inuoluta mendaciis, & tecta ſophiſticâ ſeu calūniis. Hoc verò latè patet. Non enim tantùm ad illam ſophiſticam, quæ exercetur in iudiciis, contractibus, artibus, & in tota vita, & ad dolos qui paſſim ſtruuntur bonis, hoc referēdum eſt, ſed etiam ad eam fraudem quæ veritatem doctrinæ cæleſtis corrumpit & adulterat.

Ceſſat ad intelligendum vt benefaciat] Aliud ſignum, pertinacia ſcilicet in propoſito, quæ non admittit vllas admonitiones, nec patitur ſe doceri, ſed furenter ruit, quò fert cæca libido. Atque hoc etiam vitium oritur ex φιλαυτίᾳ, de qua antea dixit. Cùm enim antecellant opinione ſapiētiæ & ſanctitatis, ſintque inſtructi opibus, aut viribus, non patiuntur ſe admoneri, ſed dimicant de ſuis opinionibus, & de ſua autoritate, vt ſuam gloriam & dignitatem tueantur, non volunt cedere de ſua ſententia aut propoſito, ne videantur erraſſe vel peccaſſe.

5 Iniquitatem cogitat ſuper cubili ſuo: inſiſtit in via non bona: malum non reprobat.

In hoc verſu tanquam in faſciculum colligit & complectitur omnia ſcelera, quæ oſtendunt homines impios eſſe ſine vllo timore Dei. Primùm, inquit, iniquitatem cogitant, id eſt, quicquid praui affectus ſuggerunt, hoc conantur perficere, & quicquid libet, hoc putant ſibi licere, vtque perficiant quod inſtituerunt, noctes atque dies omnes cogitationes & ingenij neruos intendunt.

Inſiſtunt in via non bona] Id eſt, magna pertinacia perſeuerāt in ſuis delictis, ſine vlla ſpe emendationis. Emphaſis eſt in verbo יתיצב ſtatuit ſe, id eſt, obfirmat ſe, & indurat cor ſuum ad perpetranda quæuis ſcelera.

Malum non reprobat] Id eſt, nullum eſt tantum ſcelus à quo ille abhorreat: ſed fertur laxis habenis in quæuis flagitia. Nā voluntaria cæcitas ita præcipitat impios vt vltro ſceleribus ſe mancipent, cúmque ipſi ſint ſcelerati, etiam ſimilium conſuetudine delectātur, eóſque ornant & prouehūt potiùs quā vt à ſe abigant. Hæc eſt deſcriptio & imago hominū impiorum, in quam cùm pij intuentur, mirantur ſæpe vnde tantum ſcelerum & confuſionum ſit in mundo, & eò delabuntur vt cogitent interdum, nullam eſſe prouidentiam diuinam, aut nullum eſſe diſcrimen inter bonos & malos: ſed hæ cogitationes ne excutiant nobis fidem & timorem Dei, opponēda eſt doctrina ex verbo Dei petita, quæ oſtendit nō propterea tolli prouidentiam diuinam, etiamſi homines impij aliquandiu tumultuentur, & omnia in rebus humanis miſceant & perturbēt. De hac igitur doctrina nunc deinceps concionatur.

6 Iehoua, vſque ad cœlos bonitas tua: veritas tua vſque ad nubes.

7 Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus magna: Hominem & iumētum ſeruas, Iehoua.

Diximus ſuprà, homines pios conſiderantes infinitam licentiam, & morum corruptelam, quæ paſſim graſſatur, & cùm Dei gloriam lædit, tum vitæ humanæ ſocietatem turbat, in tantos dolores & perturbationes incidere, vt nonnunquā dubitare incipiāt, an ſit aliqua prouidētia diuina, quæ hunc mundum regat: iudicant enim iuſtitiæ Dei eſſe, homines ſceleratos punire, & piis ac bonis præſtare tranquillitatem, &c. Id cum non fiat ipſorum iudicio, videtur Deus quaſi otioſus ſpectare res humanas, nec vlla earum cura affici. Hæ cogitationes, quia periculoſæ ſunt, & ſæpe nōnullos ita abripiunt, vt omni pietatis cura & ſtudio omiſſo, ipſi quoque cōmunem multitudinis viam ſequantur, ſéque ſceleribus immergant, oſtendit iam Dauid ſuo exemplo, quomodo animi ab illis cogitationibus profanis ſint retrahendi, & quarum rerum cōſideratione doctrina de prouidētia in animis noſtris ſit confirmanda. Nam ipſe quoque, vt ex ſuperiore querela apparet, his ſtimulis animum ſuum ſenſit pungi & vulnerari: ſed, vt dixi, mox ſe recolligit, ſibíque reſpondet, atque hîc quaſi per admirationē, & exclamationem erumpit in cōmendationem earum virtutum diuinarum quibus hic mundus regitur & conſeruatur: dicit enim non ſolùm iuſtitiam Dei eſſe conſiderādam, ſed reliquas etiam eius virtutes, quæ cum hac ſunt coniunctæ.

Iehoua vſque ad cælos bonitas tua] Prima virtus, quę in conſeruatione huius mundi conſpicitur, eſt bonitas. Non eſt mirum, inquit, impios in hac vita interdum graſſari impunè: nam cùm Dei bonitas ſit infinita, & totum mūdum repleat, fieri aliter non poteſt, quin magna patientia toleret Deus hominum ſcelera, ipſiſque adeo ad tempus benefaciat. Nam id bonitatis Dei propriū eſt, paſſim ſe exerere, ſeque diffundere in omnes. Non itaque iraſcaris, ſed bonitatem Dei in eo conſideres, &, ſi quando contingat te quoque labi, hac cogitatione te ſuſtentes quòd Deus ſit bonus.

Veritas tua vſque ad nubes] Secūda virtus eſt veritas, quæ in promiſſionibus ſeruandis non eſt fallax, ſed perpetuò ſibi conſtat. Etiamſi igitur pro bonitate ſua toleret impios: tamē non exiſtimandum eſt, propterea veritatem promiſſionum aboleri. Nam Deus, vt verax eſt & conſtans in ſuis promiſſis, ita mirabiliter in ſuis iudiciis oſtendit ſe nunquam à ſeipſo recedere, nec aliter agere quàm ſua natura fert, nec abolere promiſſiones.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei] Id eſt, iuſtitia ipſius paſſim conſpicitur, & manet immota: neq; enim propterea dicēdus eſt Deus iniuſtus, etiamſi patiatur interdū impunè graſſari ſceleratos. Ipſe enim manet perpetuò iuſtus, & ſuo tempore iuſtitiam & iudicium ſuum aduerſus impios declarat.

Montes Dei dicuntur montes excelſi, qui firmi conſiſtunt nec loco mouentur. Nam Hebræi diuinum vocant quidquid excellit, Gen. 23. Princeps Dei es in medio noſtri, id eſt, habemus te pro præſtanti, excellentiſſimo principe. Et cap. 10. Luctationibus Dei luctata ſū, id eſt, magnis & præclaris &c.

Iudicia tua abyſſus) Id eſt, quoquo vertas oculos, vel ſurſum, vel deorſum, omnia iuſto Dei iudicio diſponuntur. Et quanquam magna abyſſus ſcelerū inter homines exundet & terrā obruat: tamen maior eſt prouidentiæ diuinæ abyſſus, qua iuſtè omnia diſponit & gubernat. Alij ſic interpretantur, iudicia Dei ſunt abyſſus multa, id eſt, ſuperant captū noſtrum, ſuntque magis abſcondita quàm vt ratio aſſequi ea queat, &, vt Paulus loquitur Rom. 11. ſunt ἀνεξερεύνητα. Iudicium nonnulli interpretantur clementiam, quæ mitigat pœnas: ſed ſimpliciter intelligo iudicium quod exercet Deus in gubernatione & conſeruatione huius mundi. Id etiamſi nobis videatur interdum iniquum, tamen cùm acie mētis noſtræ perueſtigari non poſſit, reuerēter nos ei ſubiiciamus potiùs quàm vt curioſè id inquiramus. Nam Dei iudicia alia ſunt ab hominū iudiciis, & tamē, quoquo vertas oculos, videbis omnia iudiciis diuinis eſſe plena.

Hominem & iumentum ſeruas) Hoc rurſus pertinet ad illam virtutem quam primo loco celebrauit, bonitatem ſcilicet. Etiamſi iuſtus eſt iudex, tamen ſimul cogitandum eſt, eum eſſe bonū, ſicut alibi dicitur, 1. Tim. 4. Deus eſt ſaluator omnium hominum, maximè fidelium. Item Matth. 5. Sinit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos: cúmque tanta ſit bonitas, vt etiam bruta ſeruet, cur dubitemus eum etiā curam agere rerum humanarum? Ita ex copulatione multarum virtutū quæ ſunt in Deo, oſtendit quomodo ſit iudicandum de prouidētia diuina, ſi quando illæ cogitationes animos noſtros feriāt.

Seruas) Hoc intelligendum eſt de ſuſtentatione & conſeruatione rerum in eo ſtatu in quo nunc ſunt. Non enim loquitur nunc de actione ſpeciali.

8 Quàm pretioſa eſt bonitas tua, Deus! Itaque filij hominum in vmbra alarum tuarum confident [*ſub vmbram alarum tuarū protectionis cauſa ſe recipient.*]

Hactenus de generali prouidentia diuina concionatus eſt. Nunc aliam addit doctrinam de ſpeciali cura & bonitate

qua Deus ſuos proſequitur. Atque ita iam oſtendit eſſe magnum diſcrimen inter bonos & malos, etiamſi à pleriſque id non conſideretur. De bonitate Dei ſuprà dixerat, eam extẽdi vſque ad cælos, &c. Sed quia homines impij & profani eã non conſiderant, ſed contemnunt, imò ſcelerate ea abutuntur ad cupiditates ſuas explendas, dicit, Dominum peculiari quodam fauore complecti filios ſuos, ipſóſque adeo eam experiri in variis ſuis ærumnis & doloribus. Ideo enim ait eã eſſe pretioſam, quia ſenſus bonitatis & amoris diuini homines pios cùm premuntur à malis, aut alioqui cùm ſunt in ærumnis, efficaciter cõſolatur & erigit, vt acquieſcere in Dei erga ſe bonitate poſſint. Cõplectitur igitur vox חסד hoc loco omnia beneficia illa quæ peculiariter eccleſiæ à Deo ſunt deſtinata, &c. Eſt autem hic verſus malè diſtinctus. Ideo nõnulli ſic interpretãtur: pretioſa eſt clementia Diis, id eſt, angelis & filiis hominum, &c.

Et filij] id eſt, ideo filij. ו enim non tam copula hoc loco eſt quàm rationalis particula.

Confident] Id eſt, ſtatuent ſe habere defenſionem, ſeu protectionem aduerſus impetum & inſultus malorum hominũ, aduerſus furores ſatanæ & mũdi. Vtvt igitur ſæuiant impij, ſciunt boni ſibi paratam eſſe defenſionem.

Filios hominũ nominat etiam bonos & pios, qui obnoxij ſunt variis iniuriis & calamitatibus, quibus hæc humana natura eſt ſubiecta.

Alarum tuarum] Similitudo eſt ſumpta ab auibus ſeu gallinis, quæ pullos ſuos tegũt: qua & Chriſtus vtitur, Matth. 23.

9 Saturabuntur [*irrigabuntur*] pinguedine domus tuæ : & fluuio deliciarum tuarum potabis eos.

Amplificat promiſſionem, quæ propria eſt eccleſiæ, ab vbertate & copia omnium bonorum quæ piis parata ſunt.

Pinguedinem domus Dei nominat non tantùm bona corporalia, quæ affatim & copioſè dantur piis, ſicut alibi dicitur, opes & diuitiẹ in domo eius: ſed inprimis ſpiritualia & cæleſtia dona, quæ Deus ſuppeditat largiſſimè per Spiritum ſanctum. Atque illa bona oſtendunt præcipuè quantum ſit diſcrimen inter pios & impios.

Pinguedinem nominat Scriptura optimum ſuccum, qui eſt in quacunque re, vel in animantibus, vel in rebus naſcentibus, quo corpora noſtra ſuauiter recreantur, ſaturantur & corroborãtur. De rebus naſcentibus dicitur Gen. 45. Pinguedinem terræ comedetis, id eſt, electa & optima bona terræ. & 27. De rore cœli & de pinguedinibus terræ, det tibi. De cibis. Iob. 36. Requies mẽſæ tuæ plena eſſet pinguedine, id eſt, optimis & delicatis cibis. Pinguedo igitur hoc loco ſignificat omnis generis bona, & quidẽ talia, quẹ non tantũ corpus, ſed & animam reficiunt. In verbo רוה copia ſignificatur. Quòd additur *domus tuæ*, ſignificatur, illa bona non promiſcuè omnibus eſſe propoſita: ſed iis qui ſunt in domo Dei. Impij etiam in hac vita abundant variis bonis corporalibus, quibus ſeſe ingurgitant, & ſaturantur ſicut pecora: ſed ſuccus illorum bonorum nõ penetrat ad animam. Illa enim ſemper eſt famelica, nec vnquam rigatur, ſed eſt ſterilis & arida, hoc eſt caret omni conſolatione & vita. Poſtea repetit eandem ſententiam. Nomine fluuij ſignificatur copioſa vbertas. Nomen נחל ſæpe ſignificat tribulationẽ, ſeu afflictionẽ, μεταληπτικῶς, vt pſal. 118. Item 18. torrentes Belial, &c. ſed genitiuus qui additur, corrigit illam ſententiam. *Torrens deliciarum* ſignificat delicias magna copia & continenter effuſas, vbi ſcilicet alia voluptas aliam excipit. Interea deliciæ intelligãtur non tantùm quæ palato gratæ ſunt, ſed quæ animam exhilarant, &c.

10 Quia apud te eſt fons vitæ: in lumine tuo videbimus lumen.

Confirmat quæ prius dixerat, à cauſſa: ideo ſcilicet perpetuis illos frui deliciis, quia à Deo qui eſt autor & fons omnis vitæ, eas hauriant. Etiam impij paſcuntur Dei beneficentia in hac vita, ſed quia in his donis non agnoſcunt Deũ authorem, nec ad veram illam vitam aſpirant, ſed contenti ſunt corporis ſagina, durat illa ſaturitas ad tempus, & tandem cùm illa deſinit, in triſtiſſimam mortem merguntur.

Fons vitæ] Id eſt, fons aquæ viuificantis, hoc eſt, vita indeſinens tecum eſt. Huc pertinet concio Chriſti ad Samaritanam, Ioh. 4.

In lumine tuo videbimus lumen] Id eſt, Abs te haurimus non tantùm hanc corporalem vitam: ſed etiam illam cæleſtem, quæ animos noſtros in tenebris huius vitæ, in dubitationibus & pauoribus, paſcit vera Dei agnitione, conſolatione & lætitia, vt cunctos terrores, pericula & ærumnas facilè ſuperare poſſimus. Lumen primò notitiam, deinde conſolationem & lætitiam ſequentem ſignificat.

11 Protrahe (*extende*) bonitatem tuam agnoſcentibus te, & iuſtitiam tuam rectis corde.

Tertia pars huius pſalmi eſt petitio, in qua petit vt Deus bonitatem ſuam, quam ſuprà dixerat, piis & Deum colentibus tanquam peculiarem & pretioſum theſaurum repoſitam eſſe, perpetuò eccleſiæ exhibeat, ipſóque facto oſtendat, ſe peculiari quodam amore proſequi ſuos, atque impios odiſſe. Atque hac petitione rurſus oſtendit quàm opus ſit eccleſiæ hac conſolatione, quod pij peculiariter Deo ſint curæ, & quã facile hominibus piis illa in cruce excutiatur, niſi ſubinde Deus eam nobis ingerat.

Extende] Id eſt, vſq. ad finem proſequere cultores tuos beneuolentia & fauore, ne deſtituti conſolatione in ærumnis ſuccumbant aut deficiant.

Iuſtitiam tuam] Id eſt, exhibe te perpetuò iuſtum, tam in defendendis bonis quàm in reprimenda atque vlciſcenda iniuria malorum. Nam iuſtitia eſt tueri ſuæ fidei cõmiſſos, eorúmque patrocinium ſuſcipere: itaque Deus, cùm eos qui ſe ipſius fidei committunt tuetur, dicitur iuſtus.

Eſt autẽ obſeruãda deſcriptio piorum: primùm dicit, pios eſſe qui agnoſcunt Dominum. Nam vera pietas oritur à Dei notitia: deinde dicit eſſe rectos corde, quia vera notitia & vera fides nõ eſt otioſa: ſed eſt efficax, & format corda noſtra ad rectitudinem, & ad præſtandam obedientiã Deo placentem.

12 Ne veniat mihi [*in me*] pes ſuperbiæ: & manus impiorum ne commoueat me.

Antea in genere orabat pro tota eccleſia, nũc ſe peculiariter & ſalutem ſuam Deo cõmendat, ac petit vt ab impiorum violentia atque iniuriis defendatur.

Ne veniat mihi pes ſuperbiæ] ſeu ne inuadat me homo ſuperbus] id eſt, non conculcent me pedibus ſuis homines ſcelerati, qui contemnentes iudicium diuinum furenter obſequuntur ſuis cupiditatibus, & fiducia ſuarum virium nihil non tentant & moliuntur.

Manus impiorum] Eſt vis illata ab impiis, quaſi dicat, cõpeſce pedes & manus impiorum, ne depellant me à fiducia ſalutis quam concepi, neue deiiciant me de meo ſtatu.

13 Illic ceciderunt qui faciunt iniquitatẽ: impulſi ſunt, & non potuerunt ſurgere.

In fine nõ tam precatur impiis exitium, quam certò euenturum prædicit vt euertantur. Illa verò conſolatio eſt neceſſaria, vt ſciamus mãſuram eccleſiam & hoſtes eius interituros eſſe.

Illic] Videtur tam eſſe temporis quàm loci. Illic, ſcilicet in die iudicij, cùm dixerint Pax & ſecuritas, cúmque nihil metuent: vel illic, id eſt, eo ipſo in loco vbi proſternere & delere cœtum piorum conati ſunt, vt locus ipſe ſit teſtis iudicij diuini. Vtitur autem verbo impellẽdi, vt ſignificet res impiorum eſſe lubrico loco, nec ſtabilem eſſe vllam quam ſibi ſomniant felicitatem.

PSALMI XXXVI.

PARTES.

I. Laudatio Dei, tribus argumentis conſtans. 1. Ab æquanimitate, diuturnáque patientia Dei erga impios, à 2. verſ. ad 6. Æquanimitas illa autem amplificatur à contumaciſſima impiorum rebellione: tum factis & conatibus, v. 3. deinde verbis, v. 4. poſtremò conſiliis & cogitationibus, v. 5. Horum malorum fons indicatur prolepticè, verſ. 2. nempe atheiſmus & vacuitas à timore Dei, vnde tot impietatis riuuli.

2. Secundum argumentum, verſ. 6. & 7. à continuatione beneficæ adminiſtrationis Dei in rebus omnibus creatis: idque per apoſtrophen ad Deum, cuius ſummam, profundiſſimam, adeóque infinitam benignitatem, veritatem, iuſtitiam, iudiciáque prædicat, metaphoricis comparationibus ad humanum ſenſum accommodis.

3. Ter-

3 Tertium argumentum, v. 8. per exclamationem ex admiratione profectam: cuius ſubiectio habetur v. 9. agnoſcit enim, Deum omnem victum, neceſſitatem, & amœnitatem, cùm præſentis, tum venturæ vitæ, ſubminiſtrare credentibus in ſe.

II. Precatio bimembris. 1. publica, pro toto regno & Eccleſia Chriſti, v. 10. & 11. Huius tria ſunt poſtulata, lucis, benignitatis, iuſtitiæ. 2. Precatio priuata pro Dauide in adminiſtratione regni ſui ſeruire Deo cogitante, v. 12. & 13. Ita autem deprecatur malum, vt è contrario intelligatur optare in bono conſtantiam & perſeuerantiam.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Rara eſt virtus, vbi impunè graſſatur impietas, & caliginem nobis offundit, ſuſpicere fidei oculis Dei prouidentiã, quæ, animis noſtris ad patientiã compoſitis, conſtãter nos in vera pietate retineat.

2 Pijs non ſecus notum eſt quicquid impij volutant in corde ſuo, ac ſi Deus teſtes & arbitros ſeruos ſuos locaſſet ad retegendam hypocriſin, qua ſcelerati homines deteſtabilem ſuam malitiam profundè ſepultam eſſe putant.

Quod nulla Dei reuerentia impios cohibet à peccando, ex occulto alloquio oritur quo eos dementat ſua prauitas, vt brutorum animalium inſtar ſibi indulgeant.

3 Impij in ſenſum reprobum coniecti, etiamſi in ſe prouocent omnium mortalium odia, malorum tamen ſuorum ſenſu priuati ſunt.

4 Quum reprobi rationem ad bene agendũ hominibus ducem, fugitare dicuntur, ne vitã ſuã cogantur in melius corrigere, docemur, ſi quando à via deflexinus, hoc vnicum eſſe remedium, aperire mẽtis oculos, vt boni & mali diſcrimen ab errore nos reuocet: contrà, vbi quis intelligentiam reſpuit, hoc deſperationis ſignum eſſe.

5 Meditantur reprobi ſcelera ſuper cubile ſuum: docentur ergo fideles longè aliò ſua ſtudia conferre vbi ſoli ſũt, nempe vt vitam ſuam examinando malas cogitationes ſtrenue à ſe repellant.

Reprobi ſeipſos falſis adulationibus decipiũt: electi, ſeueri in ſe ſunt cẽſores: illi laxis habenis in vitia rapiũtur: hi cohibẽtur fræno timoris Dei: illi cauillis obtegũt vel fucãt ſua delicta, & lucẽ in tenebras cõuertũt: hi verò libenter agnoſcũt ſe peccaſſe, & ingenua cõfeſſione ad pœnitentiam ſe hortantur: illi repudiant ſanũ omne iudiciũ: hi ad vitæ lucẽ emergere ſẽper cupiũt: illi ſuper cubile ſemper excogitãt varios peccãdi modos: hi ſedulò intenti ſunt ne ſibi peccandi cupiditatem accerſãt: illi altè ſe demergunt in Dei contemptu: hi verò in malorum ſuorum diſplicentia libenter ſe exercent.

6 Quamuis triſtis & horrenda cõfuſio undique appareat, quæ inſtar vaſti gurgitis abſorbere poſſet mentes noſtras, nihilominus ſtatuamus mundum plenum eſſe Dei bonitate, & iuſtitia, & optima æquitate cælum & terram ab ipſo regi.

7 Quãtũuis magna ſcelerum vorago inter homines exundet, terramq́ obruat, maior tamẽ eſt prouidẽtiæ Dei abyſſus, vt iuſtè omnia diſpenſet ac tẽperet. Quoties ergo in cæca & obſcura iactatione vacillat fides noſtra, veniat nobis in mẽtem, in tota mundi gubernatione iudicia Dei meritò cõferri abyſſo quæ cælum & terrã implet, vt immenſa ſua amplitudine curas omnes noſtras & moleſtias deglutiat.

Quum videamus, Deũ ad bruta vſque animalia curã ſuam extendere, multò magis eum proſpicere rebus humanis, præcipuè verò ſuæ eccleſiæ, ſciamus.

8 Etſi perditè luxurient in ſceleribus impij, non tamen obſtat hæc tentatio quominus fideles Dei bonitate freti, in paternam eius curam ſe conijciant: cuius bonitatis guſtum impiorum mentes, vt ſunt inſipidæ, nunquam percipiunt, vt inde ad fidem deducti, ſub vmbra alarum Dei quieſcant.

9 Quum ſe ingurgitent impij bonorum Dei copia, ſaginatur quidẽ eorum caro perinde ac porcorum: ſed anima eorum ſemper eſt famelica. Solos autem fideles ſatiat Dei liberalitas, quia illis pignus eſt paterni erga eos amoris.

10 Increduli quum minimè agnoſcant ſe in Deo moueri, eſſe, & viuere, quin potius propria virtute ſtare imaginẽtur: pij fontẽ vitæ in Deo eſſe ſentiẽtes, ad eius gratiã ſitibũdi ſemper confugiũt, nullámque vitæ beatæ tum in præſenti tũ in futuro ſeculo guttã extra ipſũ poſſe inueniri, & quæ non fluat ex eius gratia, corde & ore fatentur.

Luce carent homines niſi quatenus eos Dominus irradiat. Quòd ſi hoc de luce vitali vere prædicatur, quomodo ad vitæ cæleſtis intuitum erimus oculati, niſi Dei ſpiritus nos perpetua luce ſua illuminet & in rectam viam deducat?

11 Quòd ſuos tuetur Deus, id gratuitò illis præſtat, quod ſæpiſſime in Scriptura repetitur, vt ex mera Dei gratia pendere diſcamus.

Dei notitia primùm, deinde cordis rectitudo, electis tribuitur, vt ab hac notitia verãm pietatẽ oriri diſcamus, & rurſum fieri non poſſe quin lux fidei corda noſtra formet ad rectitudinem.

12 Impiorum inſolentiæ, contumelijs, ac violentiæ obnoxij ſunt fideles, & ab ijs ſuperbè calcãtur, niſi maturè Deus ferat ſuis auxiliũ.

13 Dum ſecunda fortuna ſuperbiunt impij, illiſque mũdus plaudit, fideles quaſi è ſublimi fidei ſpecula procul aſpiciunt eorum interitum, nec minus ſecurè de eo pronuntiant quàm ſi propè inſtaret.

Perperã faciunt qui temporis articulos ex votorum ſuorum feruore definiunt: ſed dandus eſt locus prouidentiæ Dei, vt ſurgat in iudicium quando eius arbitrio opportunum fuerit tempus.

In lubrico agitantur impij, ita vt minimè ſtabilis ſit eorũ felicitas: exitialiſque ruinæ eorum nunquam ſperanda eſt reſtitutio. Contrà, pios erigit & ſuſtentat Dominus tantiſper dum in tuto ſupra cælos euehat ac collocet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Atheiſmi radix, rami, lethiferi fructus.
2. Dei æquanimitas, tolerantia, benignitas, beneficentia, iudicia.
3. Credentium in Deum conditio beatiſſima, tum in vita præſenti, tum in futura.
4. Beatitatis veræ deſcriptio.
5. De vitæ veræ & beatæ authore.
6. Spei piorum fulcra & firmamenta.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVII.

EIVSDEM ferè argumenti eſt hic pſalmus cum ſuperiore. Ibi enim cum longam querelam de improbitate, & ſcelere maximæ multitudinis hominum inſtituiſſet, addit doctrinam, quæ oſtendit non propterea Deum vel iniuſtum eſſe, vel negligere ſalutem ſuorum, etiamſi permittat aliquantiſper impune graſſari homines impios & ſceleratos, nec mox pœnas ab illis ſumat: tandem enim euerti & perire homines impios: pios verò ornari cæleſtibus & nunquam interituris bonis affirmat. Hanc doctrinam copioſiùs nunc proſequitur in hoc pſalmo. Eſt enim illa in primis neceſſaria eccleſiæ, vt contra illud ſcandalum, quod ex felicitate improborum & calamitatibus bonorum obijcitur, bene muniatur & confirmetur. Videmus enim non tantùm ſapiẽtes extra eccleſiam, cùm intuentur cõfuſiones mirabiles in genere humano, & vidẽt ſæpe homines ſceleratos peruenire ad ſummas dignitates & opes, ecõtra homines bonos & virtute præditos premi atque affligi, ſæpe etiam à ſceleratiſſimis hominibus crudeliter interfici, in has ingredi cogitationes, vt exiſtiment nullam eſſe prouidentiam diuinam, & mundum hunc fortuitò regi, fortunamque in rebus humanis planè dominari, verumetiam pios in eccleſia iiſdem cogitationibus excruciari, adeo quidem, vt non tantum fides ipſorum hoc ariete percuſſa, langueſiat: ſed multi etiam ex infirmioribus abiecta profeſſione veræ doctrinæ deficiant à Deo, & cum reliqua multitudine furenter ſe proijciant in omnis generis ſcelera. Nec opus eſt hic lõga declaratione. Nam quid fiat quotidie non eſt obſcurum, pleni ſunt libri philoſophorum his diſputationibus & exemplis. Dauid igitur, vt ſe & alios contra hoc ſcandalum muniat, hortatur eccleſiam, ne ab illa externa ſpe-

cie quæ foris in oculos incurrit, & multos perturbat, ſumat iudicium de voluntate Dei erga ſuos, nec præfracta impatientia à Deo deficiat ac prauos æmuletur. Hæc principalis eſt propoſitio in hoc pſalmo. Adhortationi adduntur primum comminationes ſeueriſſimæ de interitu & ruina impiorum, & promiſſiones dulciſſimæ, quæ oſtendunt Deo curæ eſſe bonos. Deinde ex antitheſi adduntur præcepta & commonefactiones, quæ oſtendūt quid fieri Deus interea à nobis velit, dum variis procellis hæc vita agitatur, & res humanæ inter ſe miſcentur, & in primis, dum graſſantibus tyrannis eccleſia ſub cruce relinquitur. Horum præceptorum ſumma hæc eſt, vt Deo nos ſubiiciamus, & fideliter faciamus opera vocationis, atque in Dei prouidentia & cura de nobis ita acquieſcamus, vt ab ipſo perpetuam gubernationem & defenſionem petamus: reliqua verò Deo commendemus, qui ſuo tempore oſtenſurus ſit iudicium ſuum aduerſus ſceleratos, & bonos præmiis cùm corporalibus tum æternis ſit ornaturus. Hæc omnia crebro repetuntur in hoc pſalmo & aliis, & adduntur lumina orationum & figuræ, quæ hanc doctrinam illuſtrant & ſuauiorem reddunt legentibus. De his in ipſa interpretatione dicetur copioſius.

DAVIDIS.

1 NE ſuccenſeas ob malos: neque æmulatione tangaris ob facientes iniquitatem.

Propoſitio pſalmi eſt, quę continet adhortationem, ne adficiamur læta conditione & ſucceſſibus impiorum, aliter quā oporteat.

Ne ſuccenſeas] Id eſt, non feras impatienter, ſi videas florere malos: non iraſcaris, ita vt fremas aduerſus Deum, aut eū accuſes iniuſtitię & crudelitatis, qui malos euehat & varijs bonis accumulet, bonos verò ſinat affligi: nō frangaris impatiētia, vt damnes propterea pium tuum & aliorum ſtudium, aut profeſſionem doctrinæ & cultum religionis abiicias.

Hæc omnia complectitur verbo indignandi. Nec loquitur hoc loco, de iuſta indignatione aduerſus turpitudinem (nam pij eo zelo ardere debent) ſed de impatientia & fremitu. Interdum mouentur pij aliqua impatientia, vt Ieremias, Iob & alij: ſed vincunt illam indignationem cogitatione voluntatis Dei & ſpe auxilij diuini.

Non inuideas [zelum habeas] *ob facientes iniquitatem*] Alterū membrum monet ne ex inuidia concitemur vt ſceleratorum ſocietate nos inuoluamus, neue praua exempla imitanda nobis exiſtimemus. Proſperitas impiorum primùm mouet indignationem, ab ea facilis eſt lapſus ad ęmulationem. Prouerb. 3. integrè exponitur ſententia, תבחר בכל דרכיו אל תקנא באיש חמסואל. Inuidia duplicem parit moleſtiam, primò quod ſenſu propriarum calamitatum inuidos diſcruciat, deinde quod aliorum bonis torquentur. Ita Agis reſpondit dicentibus quod aliqui ipſi inuiderent. Deinde fit vt addat ſtimulos ęmulationis. Omnia hęc complectitur Propheta verbo קנא.

2 Quoniam ſicut gramen ſubitò excindentur: ſicut viror herbæ (*id eſt, herba virens*) marceſcent.

Addit rationem amplificatam ſimilitudine à repentino interitu improborum. Etiamſi, inquit, floreant aliquantiſper: tamen felicitas ipſorum non eſt ſtabilis aut diuturna, ſed caduca & momentanea: nam ſicut herba abſciſſa, aut ſolis æſtu exuſta, ſubito concidit & marceſcit, ita illa felicitas citiùs opinione euaneſcit.

3 Confide in Iehoua, & fac bonum: inhabita terram, & paſcere fideliter.

Adhortationi ſubiicit præceptum, quod continet regulam vitæ perpetuam. Fieri ferè non poteſt quin turbentur animi piorum, cùm intuentur illam inęqualitatem euentuum, cúmque vident bonos premi & affligi, malos verò creſcere, & pro libidine ſua tumultuari: atque hæ cogitationes ita lāguefaciunt fidem plurimorum, vt abiecta in Deum fiducia incipiant quærere hominum præſidia, quæ vel in opibus, vel in amicorum multitudine conſiſtūnt. ſed hîc tenenda eſt regula, quæ hic traditur. Etſi, inquit, ſcio illas cogitationes obrepere interdum etiam piis, vt cogitent vanam eſſe fiduciam in Deum, & fruſtrà exerceri hominem in ſtudio pietatis, cum præmia non reſpondeant: tu tamen noli abiicere fiduciam in Deum, noli reſpicere ad multitudinem, quæ abiecta fiducia in Deum, nititur præſidiis humanis, opibus, beneuolentia potētum & amicorum, atque in his rebus iudicat ſe eſſe beatam: habent enim illa ſubitas conuerſiones: quare retine fiduciam in Deum, animo ſedato & compoſito, excute illas cogitationes quę pariunt dubitationes de prouidentia, ſtatue te curæ eſſe Deo, etiamſi ferendæ ſint aliquantiſper ærumnæ. Ita fide, non tantùm philoſophica moderatione, monet, vincendam eſſe hanc tentationem. Etiam philoſophi dicunt cōtemnendas eſſe opes: ſed non dicunt fide acquieſcendum eſſe in Deo: itaque carent vera beatitudine.

Fac bonum] Id eſt, Etiamſi vides multos improbos diteſcere, aut malis artibus creſcere, & ad ſummas dignitates ac potentiam peruenire peccandi licentia: tu tamen horum ſplēdore aut opibus non mouearis, vt æmulandos aut imitandos exiſtimes: ſed conſtanter perſeuera in ſtudio probitatis.

Inhabita terram [ſeu cohabita terram] Id eſt, non impatiētia aut dolore frangaris: vt cogites deſerendam eſſe stationem, aut fugiendum eſſe in ſolitudinem, etiamſi videas paſſim florere homines impios, teque à malis vndique cinctum ac circundatum eſſe: ſed maneas in tua ſtatione, & fac opera vocationis.

Et paſcere fideliter] Id eſt, fruaris rebus præſentibus ſtabili quiete, ſine metu excuſſionis. אמונה enim non tantùm fidem aut veritatem, ſed etiam firmam diuturnitatem ſignificat. Et mandatum hoc ita exponitur à Dauide vt ſimul habeat annexam promiſſionem. Alij ita exponunt paſcere fideliter, id eſt, quæras victum fideliter & veraciter, hoc eſt, honeſto labore. Alii אמונה intelligunt fiduciam pręſentiæ & auxilij diuini. Alij actiuè verbum paſcendi exponunt: paſce fidem, id eſt, ale promiſſiones in cordibus. Nec libet hîc commemorare omnes interpretum opiniones. Retineo hoc quod eſt ſimpliciſſimum.

4 Et oblecta te in Iehoua: & dabit tibi petitiones cordis tui.

Id eſt, Hæc ſit tua ſumma voluptas quòd ſcis te habere Deū propitium & fauentē. His cogitationibus te oblecta, nō reſpicias ad vanas & fallaces mundi illecebras, quibus maxima multitudo ita capitur, vt ſpreto Deo non aliam ſomniet beatitudinem, quàm quæ ad momentum ſe ingerit oculis noſtris, aut foris ſenſibus noſtris ſe offert.

Et dabit] Pręcepto additur promiſſio. Si totum te commiſeris Deo, eóque vnico contentus eris, dabit tibi liberaliter quicquid petiueris ab eo, aut quicquid optaueris, atque ita ſatiaberis vt nihil amplius ſis deſideraturus. Hæc verò promiſſio intelligenda eſt ſecundùm dictum Iohan. Hæc eſt fiducia noſtra, quam habemus apud eum, quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Non ſtatim obtinent fideles quicquid inconſideratè aut temere illis in mentem venit. Neque enim vtile nobis eſſet, Deum prauis cupiditatibus noſtris morem gerere. & ſępe neſcimus quid petamus: ſed ſignificat, ſi in vno Deo acquieſcamus, fore vt reliqua bona ſuo ordine accedant.

5 Deuolue ſuper Iehouam viam tuam: & confide in eo, & ipſe efficiet.

Id eſt, in officiis vocationis, quæ iuxta mandata Dei facis, rectè inuoca Deum fide & ſpe, nec deterrearis tua indignitate aut infirmitate, aut quòd euentus non ſtatim reſpondet: ſed ſcias Deum tibi opitulaturum eſſe, vt labores ſint felices: agnoſce item, vitam & vocationem non poſſe regi humana diligentia: ſed opus eſſe præſentia & auxilio Dei in tāta infirmitate noſtra inter tantas diaboli inſidias, & in tanta mole negotiorū & periculorum, iuxta illud Iere. 10. Scio Domine quòd non eſt hominis via eius, neque viri dirigere greſſus ſuos.

Vias ſuas in Deum deuoluere, eſt omnium actionum ſuarum euentum eius arbitrio committere: & patienter ferre vtramque fortunam, curas item & labores omnes in Dei ſinum exonerare. Via vſitate accipitur pro negotiis omnib. & vitę inſtituto.

Confide in eo] Rurſus iubet confidere, vt oſtendat ſola fiducia iuſtum tribui Deo honorem. Confide in eo, id eſt, ſtatuas & petas te regi à Deo.

Ipſe faciet] Id eſt, ipſe dabit euentum ſalutarem.

6 Et educet ſicut lucem iuſtitiam tuam: & iudicia tua quaſi meridiem.

Rurſus addit promiſſionem. Eſtque quaſi occupatio, quæ dubitationibus multorum occurrit. Multi enim dum exiſtimant, ſe, Deum colendo, aut honeſtè viuendo operam ludere: aut cogitant ſuam integritatem & innocentiā improborū calum-

calumniis eſſe expoſitam: atque ideo ſibi damnoſam eſſe ſuã probitatem, eò dilabuntur vt putent ſe contemni à Deo, ac melius ſibi fore, ſi exemplo multitudinis ad malas artes ſe conuertant, quibus creſcant. His cogitationib⁹ opponit hanc promiſſionem. Noli, inquit, abiicere ſtudium pietatis & iuſtitiæ, etiamſi non ſtatim præmia reſpondeant, vel, etiamſi tua omnia damnentur, & rideantur ab hominibus, quemadmodum Iob ridetur, & contumelia adficitur etiam à domeſticis & agnatis: non enim patietur Deus perpetuò latere in tenebris tuam iuſtitiam, ſed educet eam in lucem, vt omnibus fiat conſpicua: quia tandem rependet mercedem.

Educet] Alludit ad tenebras noctis, quibus omnia inuoluuntur, ne cerni queant: ſed ſol exoriens repentè diſcutit omnes tenebras.

Iuſtitiam nominat vitam piè & rectè inſtitutam.

Iudicia nominat æquitatem in omnibus actionibus. Congruit enim cum illo dicto, Feci iudicium & iuſtitiam, id eſt, probaui & feci probanda, & damnaui mala & non probanda.

7 Sile Iehouæ, & anxiè ſuſtineas illi [*excrucia te illi*, [*halt ihm aus*] ne ſuccenſeas [*propter eum*] qui proſpere dirigit viam ſuam, in viro perpetrante [*peragente*] conſilia [*ſcelera*.]

8 Deſine ab ira & relinque furorem: ne ſuccenſeas vtique ad peccandum.

Dixi prophetam adhortationi miſcere præcepta: ea nunc concludit: & quaſi ſummatim comprehendit his duobus verſibus, & ſimul repetit propoſitionem, quæ eſt in exordio pſalmi.

Sile Iehouæ] Id eſt, etiamſi cogaris multa videre & ferre, quę tibi dolorem adferant, & non ſtatim conſpiciatur liberatio, tu tamen noli erumpere in indignationem, murmura aut fremitum aduerſus dominum, vt ab illo deficias, aut illum blaſphemes: noli decurrere relicto Deo ad alia præſidia quæ malum malo ſanant: ſed patienter & placidè fer impoſitas ærumnas, compeſce impetus & tumultus cordis tui, ſeda & in placidum obſequium compone affectus tuos. Hæc omnia comprehendit verbo ſilendi, quo natura fidei optimè exprimitur. Nam ſicut affectus noſtri obſtrepunt Deo, tumultuantur, indignantur ſi non omnia ex voto noſtro ſuccedant: ita fides eoſdem ſedat & compeſcit. Muſculus ita interpretatur, *Sile Iehouæ*, id eſt, propter Iehouam, permitte omnia ipſius prouidentiæ, ſed datiuus *Iehouæ* rectius ſic reſoluitur: Iehouæ, id eſt, in obſequium Iehouæ.

Suſtineas illi] Id eſt, non frangaris mora, aut magnitudine periculorum, non ſuccumbas dolori: fieri enim non poteſt quin doleas: ſed dolor hic moderandus eſt patientia, & quicquid eſt moleſtiarum, id totum in ſinum Dei eſt exonerandum. Id verò non fit ſine magno certamine & lucta: ideo vtitur hoc verbo, excrucia te, ſcilicet, repugnando dolori. Alij habent, præſtolare eum, vt congruat cum dicto Iſai. 30. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra: ſed vox Hebræa ſignificat non ſimpliciter expectare, ſeu ſuſtinere, ſed dolorem ex præſentibus ærumnis & certamine includit. nonnulli ſic reddunt, & formare ipſi, quaſi dicat, ſine ipſum te formare ad imaginem filij ſui. ſed hæc videntur aliena ab hoc loco.

Ne ſuccenſeas] Repetit propoſitionem ex antitheſi prioris mẽbri. מצליח neutraliter accipitur pro eo cui proſpere ſuccedit quicquid agit: vel actiuè, qui vias ſuas producit ad optatum finem, & ſucceſſum habet votis ſuis reſpondentem.

Facere conſilia] Significat perficere quod inſtitueris aut cogitaueris, atque in propoſito ſuo non reſpicere ad Dei iudicium, ſed ſimpliciter obſequi ſuis cupiditatibus: vt hac phraſi notetur audacia improborum: quæ quoniam felix eſt nonnunquam: monet non eſſe ſuccenſendum propterea.

Vtique ad peccandum] Quaſi dicat, Occurre ſtatim, & reſiſte dolori, ne, ſi indulgeas, ſimul ad peccandum impellaris, ſicut alibi dicit pſal. 37. Mei autem pedes propemodum moti ſunt. אך eſt affirmantis hoc loco.

9 Quoniam improbi excidentur: ſed expectantes Iehouam hæreditate poſſidebunt terram.

Repetit rationem quam ſuprà addebat propoſitioni, ſumptam ab euentu, ſeu à comminatione interitus impiorum. ſed vt res ſit illuſtrior, addit antitheſin ab euentu qui pios manet. Improbi quanquam florent aliquandiu, omneſque in ſui admirationem trahunt, tamen tandem funditus delentur. Virent quidem & florent: ſed non diutius quàm adueniat maturum excidij tempus.

Hæreditabunt terram] Id eſt, ipſorum fortuna eſt firma & ſtabilis: nam benedictio diuina eos vſque ad mortem proſequitur, imò ad poſteros extenditur, ſicut dicitur, Beneficio his in multa millia. Vt Saul extinguitur cum tota poſteritate, Dauid manet. A fine igitur æſtimanda eſt hominum conditio, non à præſente fortuna.

Reſpectantes Iehouam] Hac forma ſermonis conditionem piorum in hac vita exprimit, dum non iuſtos aut pios nominat, vt aliâs ſæpe, ſed expectantes Iehouam: ſignificat enim illos ſub cruce gemere, & expectare liberationem.

Cæterùm, promiſſiones corporales quomodo intelligendæ ſint, alibi dicitur. Non ſemper habent ſtabilem ſedem pij in hac vita, imò circumaguntur, pelluntur in exilia, ſæpe eſuriunt ſtrenuè, & nihil non miſeriarum experiuntur: interea tamen non eripitur illis iuſta terræ poſſeſſio, cuius hîc meminit, quia ſciunt ſe eſſe legitimos mundi hæredes: vnde fit vt tranquilla conſcientia fruantur pane ſuo, & quamuis inopia laborent, tamen Deus ſuccurrit neceſſitatibus, defẽdit eos contra iniuriam hoſtium, protegit eos, vt ſecuriùs viuat in exilio ſuo, quàm impij in iis nidis quibus ſunt affixi. Ita bonum hoc, quod celebrat Dauid, magis internum eſt, & à fidelibus intelligitur: & tamen tandem etiam corporaliter Deus præſtat quod promittit.

10 Et adhuc paulùlum, & non erit impius: & attendes ad locum eius, & non erit ipſe.

Confirmat proximam ſententiam, impij quidem exultant in deliciis ſuis, quando boni & pij fame & mœrore tabeſcunt, hæc videntur pugnare cum promiſſione: ſed ne hic præcipitemus iudicium, iubet nos quieſcere ad modicum tempus. Sunt autem exempla huius comminationis paſſim obuia in hiſtoriis. Quàm miſerè pereunt Iulianus, Valens, & ſimiles tyranni.

11 Et manſueti erunt hæredes terræ: & oblectabunt ſe in multitudine pacis.

Antitheſis eſt ſuperioris comminationis. Videtur hinc ſumpſiſſe Chriſtus, quod habetur Matth. 5. Beati mites, quia hæreditate capient terram. Eſtque exemplum illuſtre ipſius Dauidis. Hîc extincto Saule & tota eius poſteritate euehitur ad regnum, & habet longam & florentem poſteritatem. Nomen pacis ſumitur generaliter apud Hebræos pro omni proſpero rerum ſucceſſu, ſed hic nomen pacis, vt apud Latinos ſonat, meliùs congruit. Impij enim perpetua inquietudine & terroribus exagitantur, στενάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχὴ, vt ille inquit: ſed piorum animi ſemper in vtraq. fortuna ſunt tranquilli. Et in vniuerſali liberatione ac defenſione eccleſiæ etiam pax illa corporalis non eſt inane nomen.

12 Cogitat impius contra iuſtum: & fremit contra eum dentibus ſuis.

Prima pars pſalmi, vt diximus, continet adhortationem & præcepta, atque hæc in fine repetuntur. Nunc inſtituit refutationem quarundam obiectionum, vt quaſi ἀλεξιφάρμακα oſtendat, quibus illæ tentationes piorum vincãtur, & animi ipſorum in ſtudio pietatis confirmentur.

Prima tentatio quæ pios plurimùm moleſtat, eſt impiorũ potentia, crudelitas, & odiorum immanitas. Fieri enim non poteſt quin homines pij, dum illa intuentur, vehementer perturbentur, & ſæpe in eas cogitationes veniant vt exiſtiment promiſſiones, quarum ſupra mentio facta eſt, eſſe vanas. Quomodo enim affirmare audes iuſtos poſſeſſuros terram, cùm impij non tantùm floreant, ſed magnis viribus eccleſiam oppugnent & delere tẽtent? aut quomodo dicis eos curę eſſe Deo qui vident ſe perpetuis periculis & morti ac crudeliſſimis ſupplicijs expoſitos eſſe? Hîc reſpondet propheta, vtens primò conceſſione. Verum eſt, inquit, hoc ita fieri: ſed addit correctionem. Omnes illorum conatus erunt irriti & vani, imò conſilia ipſorum erunt ipſis exitioſa. Hæc ſumma eſt huius & ſequentium aliquot verſuum.

Fremit dentibus] Id eſt, magna acerbitate odiorum in eum fertur: à ſigno enim magnitudinem odij oſtendit.

13 Dominus irridebit eum: quia videt quod venit dies eius.

Simili forma loquendi vtitur & pſal. 2. Significat autem, Deum non ſtatim armatum prodire ad impios perdendos, quia vult nos aliquandiu exercere ſub cruce, & patientiam noſtram probare: itaque conniuet ad tempus: nec mox vlciſcitur iniurias eccleſię ſuę factas: ſed tamen non eſt prorſus otioſus ſpectator, vt caro exiſtimat, nec negligit ſalutem ſuorum: ſed ex alto ſtultitiam & inanes conatus impiorum ridet, & ridendo irritos reddit. Hæc igitur conſolatio eſt piorum in ærumnis & perſecutionibus, fide ſcilicet, intueri Deũ ridentem, & qui hoc facit, faciliùs cõtemnunt hoſtiũ impetus.

Quia venit dies eius] Id eſt, quia tempus iudicij venit, & exitium eſt propinquum.

14 Gladium educunt impij, & calcant [*tendunt*] arcum ſuum, vt proſternant pauperem & egenum: vt mactent rectos via.

Repetit priorem confeſſionem addita hypotypoſi, in qua oſtendit qualis ſit impiorum furor,& piorum conditio in hoc mundo, donec Deus illis ſuccurrat:circunſtantes habent impios, qui ſtrictis gladiis & tenſis arcubus excidium eis minitantur, vt tanquam victimæ & piacula mactentur & interficiantur, ipſi verò ſunt egeni, nudati omnibus præſidiis, & nullis viribus inſtructi: itaque ſingulis momentis imminet ipſis interitus: ſed mirabiliter Deus vim attentatam prohibet, imò tandem in iugulum & viſcera hoſtium gladios ipſorum conuertit.

Rectos via nominat, quia vult ſignificare, ſe de his loqui qui præter meritum affliguntur. *Via* ſignificat externam conuerſationem,ſeu vitæ inſtitutum. Recti via igitur dicuntur qui in externa conuerſatione, & externis vitæ officiis nihil agunt contra honeſtatem, qui non deflectunt à rectitudine, etiamſi variis illecebris aut minis impellantur. Recti corde dicuntur, qui interiorem cordis integritatem erga Deum ſeruant.

15 Gladius eorum veniet in cor ipſorum: & arcus eorum confringetur.

Id eſt, conatus eorum non tantùm erunt irriti: ſed etiam exitioſi ipſis, vt dicitur. Malum conſilium conſultori peſſimum.Gladium quidam interpretantur apertam vim: arcum occultas inſidias, occaſione ſumpta ex pſalmo 11. vbi dicitur, vt ſagittis feriant in abſcondito rectos. ſignificat igitur eos omnia tentare, quibus euertant bonos.

16 Melius eſt pauxillum iuſto, quàm opulentia impiorum magnorum.

Reſpondet ad *alterum tentationis genus*,quod oritur ex multitudine diuitiarum quibus abundant impij in hac vita, cùm econtra pij ferè perpetuò egeant, ac fame tabeſcant. Hæc tentatio eo eſt grauior, quo grauius eſt onus paupertatis. Nam vt Menander inquit, οὐδὲν πενίας βαρύτερόν ἐστι φορτίον. Et notæ ſunt ſententiæ philoſophorum de miſeriis paupertatis, vt illa eiuſdem Menandri: Πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ. Item, πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ καὶ γὰρ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει. Et Euripides in Med. πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος. Alcæus citat dictum Ariſtodemi Spartani, χρήματ' ἀνήρ, πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἐσθλὸς οὐδὲ τίμιος.

Ita iudicat mundus:& multi qui hoc onus ferre nequeunt, conuertunt ſe ad malas artes, vt quoquo modo diteſcant. Propheta igitur in hoc verſu & ſequentibus opponit conſolationem aduerſus hãc tentationem.Melius eſt inquit pauxillum iuſto, &c. quam ſententiam Baſilius eleganter expreſſit in ſuo hexametro, πενία μετ' αὐταρκείας ἀληθοῦς πάσης ἀπολαύσεως τοῖς σωφρονοῦσι προτιμωτέρα. Obſeruandum autem quòd in collatione non tam reſpicit od opum multitudinem (alioqui enim negari non poteſt, magnas opes præſtare exiguis) quam ad hos qui eas poſſident,& his vtuntur, nempe ad iuſtos & impios.Iuſti vt rectè & honeſtè acquirũt opes, ita recte his vtuntur. Impij verò prauis artibus acquirunt & accumulant diuitias, & peſſimè iiſdem abutuntur. Ideo reuera illis non ſunt diuitiæ.quare Ariſtot.1. Rhet. dicit, τὸ πλουτεῖν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι.

המון Quidam exponunt pro magna hominum turba, & hunc ſenſum eliciunt,paucos iuſtos præſtare impiorum multitudini: ſed vox Hebræa nunc magnam hominum turbam, nunc rerum multitudinem ſeu copiam ſignificat. Eccleſ. 5. Ideo prior ſententia eſt retinenda.

רבים Magnorum,qui ſcilicet præſtant potentia & authoritate.

17 Quia brachia impiorum frangentur: ſuſtentat autem iuſtos Iehoua.

Probat propoſitiones à ſubiectis cauſis.*Prima ratio* ſumpta eſt ab inſtabilitate diuitiarum & potentiæ impiorum. Brachia enim nominat opes,quibus impij inſtructi putant ſe ſatis virium habere ad audendum quidlibet. nam brachia μετωνυμικῶς ſignificant potentiam ſeu vires.

Suſtentat]Fulcit eos ſua benedictione,vt quanquam parum habeant, nunquam tamen aliquid eis deſit. Nam vitæ piorũ ipſe curam agit.

18 Nouit Iehoua dies integrorum: & hæreditas eorum in æternam manebit.

Secunda ratio eſt à cura & ſolicitudine,quam Deus gerit pro piis,cum interea impios odio habeat. Nouit Dominus, id eſt: pij ſunt curæ Deo, amat eos,tuetur eos. Dies nominat fortunam piorum, ſiue aduerſam ſiue proſperam: in vtraque Deo ſunt curæ. In aduerſa videt & conſiderat tempus opportunum, quo ſuppetiæ ſint ferendæ: in proſpera fulcit eos ne deficiant.

Hæreditas] Id eſt, opes eorum erunt firmæ & ſtabiles,eáſque tranſmittent ad poſteros, per multa ſecula. Eſt enim antitheſis prioris membri in 17.verſu. Brachia impiorum euertuntur.

19 Non pudefient in tempore aduerſo:& in diebus famis ſaturabuntur.

Tertia ratio à defenſione quæ piis eſt parata diuinitus, etiamſi videantur laborare inopia, & deſtitui præſidiis neceſſariis.

Non pudefient] id eſt, non deſtituentur aut excident ſpe ſua, quam collocant in Deo,nam promittitur liberatio. Deindè pij *ſaturantur in fame*, etiamſi tenui victu id fiat interdum:ſed auri ſacra fames in impiis nunquam ſaturatur aut expletur. Item,deſtituuntur vera conſolatione euangelij in rebus aduerſis,quæ maxima & triſtiſſima eſt fames.

20 Sed impij peribunt & inimici Iehouæ:ſicut pretioſum pratorum conſumentur, in fumo conſumentur.

Antitheſis eſt prioris promiſſionis: ſunt enim perpetua antitheta in hoc pſalmo, quæ rem ipſam valde illuſtrant. Impij inquit,in ſummis opibus& media abundantia peribunt:deinde addit duas ſimilitudines.

Sicut pretioſum pratorum] id eſt,ſicut flores & gramina in pratis, cùm maximè virent & florent, ſubitò marceſcunt & concidunt. Vſitata verſio habet, Mox vt honorificati fuerint & exaltati,deficient ſicut fumus.

Alij,vt pretium agnorum,id eſt,vt adeps agnorum vertitur in fumum quando ſuperponitur prunis altaris holocauſti: vt ſit metaphora ducta ab adipe, qui in ſacrificiis igni altaris abſumi ſolebat. Alij præſtantiam ſeu pretioſum agnorum intelligunt agnos ſelectiores & pinguiores, qui tantùm ad mactandum ſeruantur. Sed veriſimile eſt prophetam reſpicere ad ſimilitudinem, quæ eſt initio huius pſalmi verſu ſecundo.

In fumo] Altera ſimilitudine ſignificat breuem & ſubitum interitum. Conſumi enim in vel cũ fumo,eſt breui euaneſcere,ſicut fumus ſparſus in aerem ſubitò diſſipatur & euaneſcit. Sæpe igitur hac ſimilitudine Scriptura,vt Oſe. 15. pſal 68.pſ. 102. Alij legunt כ pro ב,ſicut fumus conſumentur.

21 Mutuatur impius & non ſoluit:iuſtus autem miſeretur & donat.

Quarta probatio ſumitur à ſigno, quo oſtendit quantùm valeat benedictio. Adeo inquit,verum eſt, quod dixi modicum melius eſſe iuſto, vt etiam iuſtis ex ſuis opibus ſuperſit, vnde aliis benefaciant:impij vero ſemper ſint famelici. Quantumuis enim abundent, tamen cùm inexplebilis ſit ipſorum cupiditas, hinc inde tanquam prædones rapiunt, quicquid poſſunt, non vi tantùm, ſed etiam fraude. Auaro enim tam id quod habet,quàm quod non habet,deeſt.In verbo לוה ſynecdoche eſt, ponitur enim ſpecies pro genere: variis artibus impius ad ſe rapit aliorum opes, quia nunquam ſaturatur.

חונן gratificatur, benignè largitur, etiam cùm videt ſibi graue eſſe, tamen lætatur illo officio. נותן dat, ſcil. ſine obligatione ad reddendam ſortem.

22 Quoniam benedicti eius poſſidebunt terram: ſed maledicti eius excindentur.

Addit rationem à Dei benedictione & maledictione. Nam ſi quæras vnde piis ſuppetat illa facultas vt poſſint etiam aliis benefacere:reſpondet: quia illorum opes augentur diuinitus mirabiliter.poſtea, cur impij,etiam qui videntur opulentiſſimi,tamen exhauriantur, vt non tantùm nemini benefaciant, ſed ne quidem illa, quæ debent obligatione ciuili, perſoluere poſſint: reſpondet:quia opes eorum diuinitus atteruntur & diſſipantur, vt in ſumma opulentia ſint egentiſſimi.Exempla quotidiana ſunt in conſpectu.

מבורכיו quidam actiue exponunt, Benedicentes iuſto: ſed contra Grammaticorum regulas.

Excindentur]Id eſt,non fruentur diu bonis huius vitæ.

23 A Iehoua greſſus viri firmantur: & viam eius diligit.

Continuat promiſſiones,ſeu elogia benedictionis diuinæ.

Greſſus viri firmantur] Ne ſcilicet cadat:hoc eſt,quicquid agit aut inſtituit homo pius, hoc feliciter procedit, habet felicem & optabilem ſucceſſum,non impingit, eſtque totius vitæ curſus æquabilis. Greſſus ad externos euentus referendi ſunt.

Et viam

Et viam eius diligit] Addit cauſam cur actiones eius ſint felices: nam copula in cauſalem reſoluenda eſt: quia diligit, id eſt, quia Deo placet ipſius vita, ideo non poteſt non largiri lætos ſucceſſus.

24 Si ceciderit, non auferetur [*abijcietur*] quia Iehoua ſuſtentat manum eius [*vel manu ſua.*]

Occurrit obiectioni. Nam quia dixerat, greſſus hominis pij firmari à Deo ne cadat, poterat obijci, magnam conſpici in piis hominibus imbecillitatem, nec poſſe humana diligentia omnes lapſus caueri, ſæpe etiam optimos quoſque labi, hallucinari, errare in deliberationibus, vinci à prauis cupiditatibus, &c. huic obiectioni reſpondet: etiamſi interdum ſuperentur à ſua infirmitate vt cadant, tamen propterea non abijciuntur à Deo propter talia errata. Sicut dicitur ad Rom. 8. Nulla nunc condemnatio eſt his qui in Chriſto Ieſu ambulant: non dicit, nullum peccatum.

Deinde & ad calamitates hic verſus eſt accommodandus. Non abijciuntur ſancti propter calamitates, vt ratio ſomniat: cúmq; Deus affligit ſuos, ſimul mitigat calamitates, ne prorſus ſuccumbant: deijciuntur, ſed non pereunt: laborant, ſed non deſtituuntur, &c.

Suſtentat manum eius] Huius promiſſionis illuſtre exēplum, & quaſi imago, proponitur in hiſtoria Petri, Matt. 14. qui ſuſtentatur manu Chriſti ne ſubmergatur.

25 Puer fui, & ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, aut ſemen eius quærens panem.

Amplificat promiſſionem à ſuo exēplo, ſeu propria experientia. Eſtque hoc exemplum ita intuendum, vt quod ille de ſua experientia prædicat, ad omnes ætates accommodetur.

Mendicitas Deut. 25. inter Dei maledictiones cenſetur, & ab ea cultores Dei Lex eximit. Ideo ſermonem accommodans ad promiſſiones Legis, inquit, ſe non vidiſſe ſemen iuſti quærens panem.

Sed hic obijcitur exemplum Lazari, & multorum aliorum, qui ad mendicitatem ſunt redacti. Reſpondet idem quod antè diximus. Promiſſiones corporales ſunt intelligendæ cum exceptione caſtigationis & crucis. Temporalia enim beneficia non vno & eodem modo dantur, cuius rei cauſæ alibi explicantur: interea tamen non ſunt irritę promiſſiones Legis, quæ promittunt opes, diuitias, incolumitatē cultoribus ſuis. Sed interpretatio illarum promiſſionum ſumenda eſt ex doctrina euangelij.

26 Quotidie gratificatur [*miſeretur*] & dat mutuò: & ſemen eius [*eſt*] ad benedictionem.

Repetit argumentum à ſigno, de quo ſuprà verſu 21. dixerat: oſtendit enim Dei gratiam perennem & inexhauſtum eſſe bonorum omnium fontem, ideo, dum in pios exundat, non modò ipſis ſuppetere quod ſatis ſit ad priuatum vſum: ſed vnde aliis quoque largiantur.

Quotidie] Id eſt indeſinenter.

Miſeretur] Scilicet gratis dans ſine obligatione ad reddendam ſortem, vbi ſcilicet videt eam eſſe neceſſitatem proximi. Verbum enim Hebræum ſignificat gratis dare, & ſponte, nō prouocatum aliquo merito aut officio.

Dat mutuò] vbi ſcilicet non videt eſſe neceſſe vt gratis det.

Semen eius in benedictione] Id eſt, poſteritas eius erit fortunata, quia Deus etiam poſteritatem ſuorum cultorum beneuolentia proſequetur: non enim extinguitur Dei benedictio ſimul cum morte iuſti, ſed extenditur etiam ad poſteros.

Alij paulò aliter interpretantur hoc membrum. Semen erit in benedictionem, id eſt, filij parētum exemplo ipſi quoque benefacient pauperibus, & erunt liberales erga omnes. Sed hoc videtur nimis argutum. Alij ita interpretantur, Erunt in benedictionem, id eſt, laudabuntur ab omnibus, & trahentur in formulam bonæ & fauſtæ precationis: ſicut in maledictionem poni ſignificat, in eas redigi miſerias vt nomen ipſorum fiat deteſtabile, & ſeruiat imprecationibus ac diris. Ier. 24. 29. 44.

27 Recede à malo, & fac bonum: & inhabita in ſeculum.

Poſtquam ad duas tentationes de potentia & tyrānide impiorum & de paupertate piorum reſpondit, nunc repetit ſuperiora præcepta, promiſſiones, conſolationes & comminationes. Hæc repetitio oſtendit quàm neceſſariæ ſint hæ regulæ quæ hic traduntur. Niſi enim ſubinde inculcentur, facilè à ſenſu malorum nobis excutiuntur.

Recede) Id eſt, non moueat te impiorum felicitas, vt iudices eos eſſe imitandos: quin potius recede à malo, abſtine ab iniuria, & ſtude innocentiæ, præſta omnia humanitatis & beneficentiæ officia, &c. Non enim fruitur hac felicitate, quam hic prædicat, niſi qui pietati & honeſtati ſtudet. Deſcribitur autem his verbis iuſtitia vniuerſalis, & complectitur totam ſecundam Legis tabulam. primùm, vt abſtineamus ab omni iniuria: deinde, ne nobis tantùm viuamus, nec commodis priuatis tātum ſimus addicti: ſed quoad ſuppetit facultas, etiam aliis benefaciamus.

Inhabita terram] Promiſſio videtur potius eſſe quàm mandatum, vt imperatiuum accipiatur pro futuro: quanquam eò etiam referri debet quod ſuprà diximus, ne fracti magnitudine malorum vel offenſi prauitate hominum, iudicemus fugiendos eſſe hominum cœtus, aut deſerendam eſſe ſtationē: ſed vt quilibet ſuo loco fideliter faciat officia ſuæ vocationis, & adiuuet communem ſocietatem. ideo vtitur verbo שכן quod cohabitare propriè ſignificat.

28 Quia Iehoua amat iudicium, & non relinquit beneficos ſuos, in ſeculum cuſtodientur: ſed ſemen impiorum excindetur.

Addit rationem. Quia Deo placet iuſtitia & rectitudo, non placet ei tyrannis, crudelitas, aut alia ſcelera impiorum, quemadmodum mundus ex horum felicitate iudicat. Atque idem Deus rependit præmia iuſtè agentibus.

Non relinquet] Etiamſi ſcilicet oppugnentur & premantur, non patietur eos euerti: ſed aderit ipſis perpetuus defenſor. Iterum igitur ſignificat, eccleſiam non eſſe immunem à malis. Hoc ergo dictum affirmat eſſe prouidentiam diuinam, quicquid tandem ratio colligat, quod opponere poſſit.

29 Iuſti hæreditate poſſidebunt terram: & cohabitabunt in perpetuum in ea.

Hic verſus ſuprà eſt explicatus. Repetitio autem hæc non eſt otioſa, quia paucis hæc perſuaderi poſſunt vt credant.

30 Os iuſti loquetur [*proferet*] ſapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

Inſerit narrationem, in qua facit collationem piorum cum impiis. Oſtendit enim quales ſint pij, & quomodo ſe gerant in hac vita, dum impij regna & opes tenent, ipſi verò premũtur multipliciter: & quibus rebus animos ſuos confirment ad moderatè ferenda hæc mala: econtra verò quid impij agant ac moliantur, & qualis euentus maneat vtroſque. Hæc narratio vim habet adhortationis ſeu præcepti. Nam vitam piorũ, tanquam perpetuam regulam ſeu normam actionum, proponit omnibus intuendam atque imitandam.

Sapientiā loquuntur] Id eſt, honorificè & cum reuerentia loquuntur de Dei iuſtitia: non negant prouidentiam, non accuſant Deum iniuſtitiæ aut crudelitatis, ſicut homines profani, etiamſi interdum aliquid accidat quod ipſorum cupiditatibus repugnet: ſed in omnibus rebus agnoſcunt iuſtum Dei iudicium, idque prædicant & extollunt, atque ita & ſe & alios in pietate erudiunt: non tegunt aut excuſant ſua ſcelera, nec blandiuntur ſibi, vt indulgeant ſuis cupiditatibus ſpe impunitatis, opum, honorum, &c. Hæc vera eſt ſapientia, quæ ſcilicet cōgruit cum verbo Dei, nec accommodat ſe ad iudicium rationis aut ſtultæ multitudinis.

Iudicium] Id eſt, quod rectum eſt, *was recht vnd billich iſt.*

31 Lex Dei in corde eius: [*ideò*] non nutabit greſſus eius.

Ne quis exiſtimet, pietatem conſiſtere in ſola cognitione & ſermone, addit mox, Lex Dei in corde eius: id eſt, Spiritus ſanctus habitans in cordibus piorum, excitat & accendit in ipſis veros & ſpirituales motus congruentes cum Lege. Non enim eſt Lex in corde alicuius, niſi per Spiritum ſanctum huic imprimatur & inſcribatur.

Non nutant greſſus eius] Id eſt, cum hunc habeant formatorē & gubernatorem ſuarum actionum, non vacillant, non patiuntur ſe abduci à pio & honeſto propoſito vllis illecebris aut minis: ſed tenent rectum curſum, & in eo conſtanter pergunt.

32 Obſeruat [*ſpeculatur*] impius iuſtum: & quærit interficere ipſum.

Dixerat, qualis ſit hominis pij vita: nũc, quid foris ei accidat & quæ ſit eius fortuna, oſtendit, atque ita repetit ea quæ ſuprà attigit, verſibus 12. 13. 14. 15. Verſantur pij, propter confeſſionem doctrinæ & ſtudium pietatis in perpetuis periculis, & vndique ſunt circumſeſſi ab hoſtibus, à quibus mille artibus & dolis oppugnantur. Nam verbo ſpeculandi ſignificat varias technas & inſidias, quas impij ſtruunt piis.

33 Iehoua non relinquet eum in manu eius: & non damnabit eum, cùm iudicabitur.

Non relinquet] Id eſt, eripiet eum ex periculo, & quidem nō prius quàm cum iam impius manum in eum iniicit; & mortem ei intentat. Hæc circumſtantia hoc loco obſeruan-

da eſt. Et illuſtre exemplum huius promiſſionis proponitur in ipſo Dauide, qui aliquoties è manu Saulis atque ex præſenti mortis periculo ereptus eſt. Congruit & Ioſephi & multorum aliorum exemplum cum hac promiſſione. Eáque colligenda & conſideranda ſunt, ad excutiendam dubitationem de prouidentia, & ad confirmandam fidem noſtram.

Non damnabit eum] Id eſt, non ſinet illum iniuſtis inimicorum calumniis opprimi. Nam hæc quoque fortuna piorum eſt, vt quanquam de omnibus bene mereri ſtudeant, & fugiāt omnes offenſas & iurgia: ſemper tamen falſis criminationibus ſint expoſiti, idque non tantùm priuatim, ſed publicè quoque, vt cùm à tyrannis, hypocritis & Epicureis accuſantur hæreſeos, motæ ſeditionis, rebellionis, læſæ maieſtatis, &c. Aduerſus has iniuſtas accuſationes tuetur ſuos Deus, & innocentiam eorum profert in lucem. Itaque quanquam impij pontifices fulmina ſua vibrant aduerſus noſtras eccleſias: Deus tamen iuſtos pronuntiat & glorificat ſuos, cùm in hac vita, tum poſt hanc vitam.

34 Expecta Iehouam, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate poſſideas terram: cùm excindentur impij, videbis.

Iterum redit ad exhortationem, quam ſuprà initio pſalmi inſtituerat.

Expecta Iehouam] Id eſt, non frangaris vel magnitudine malorum, vel mora, vt deficias à Deo, vel abiicias profeſſionem doctrinæ, & ſtudiū pietatis: ſed fretus promiſſionibus diuinis patiēter fer ærumnas, fiducia & ſpe præſentiæ & auxilij Dei.

Exaltabit te] Quantumuis ſcilicet oppreſſum & obrutum ingentibus calamitatibus. Congruit ſententia cum dicto Petri, Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos extollat tempore opportuno.

Dum excindentur] Id eſt, impij peribunt coram oculis tuis, & reipſa experieris has promiſſiones & comminationes non eſſe vanas.

35 Vidi impium robuſtum, & ſe extendentem inſtar [*arboris*] indigenæ viridis.

36 Et tranſiuit, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus.

Rurſus confirmat promiſſiones à ſua experientia.

Robuſtum] Id eſt, inſtructum opibus, & formidabilem potentia, dignitate, viribus.

Diffundentem ſe ſicut arbores proceræ & patulæ] Id eſt, oſtentātem ſuas opes, potentiam, robur, habentem magnam affinitatem, inſtructum multitudine amicorū, & his rebus confidentē. אזרח alij laurum, alij cedrum intepretantur. D. Hieronymus indigenam vertit, quod congruit cum etymologia vocis.

Tranſiuit] Id eſt, ſubitò euanuit ipſe cum ſua opulentia & viribus, ſicut nebula tranſiens & euaneſcens. Latinus ex Græco in prima perſona reddidit, Tranſiui: ſed facilè incuria librariorum ſcribi potuit, παρῆλθον, pro παρῆλθε. Certè Chryſoſtomus hom. 9. in 1. ad Cor. legit παρῆλθε.

37 Obſerua integrum, & conſidera rectum [*ſcilicet hominem*] quia finis huius hominis pax.

Sicut antea de ſua experientia teſtatus erat: ita nunc ad exempla & experientiam aliorum prouocat. Quod ego obſeruaui longa experiētia, idem tu quoque videbis, ſi diligenter attenderis.

Finis erit pax] Id eſt, tandem poſt varias calamitates eripitur, vt ſit beatus & felix: quare noli præcipitare iudicium, nec ferre ſententiam ex proximo intuitu, ſicut mundus facit.

Pax] ſignificat incolumitatem & omnium rerum copiam, & affluentiam. תם alij in abſtracto exponunt, integritatem. Nomen אחרית quidam de poſteris intelligunt: ſed cùm in toto pſalmo affirmet in exitu diſcrimen piorum & impiorum poni, etiam hanc vocem eò refero.

38 Tranſgreſſores autem delebuntur ſimul: finis impiorum excindetur [*id eſt, impij tandem excindentur.*]

39 Salus autem iuſtorum à Iehoua: [*qui eſt*] fortitudo eorum in tempore anguſtiæ.

Comprehendit in ſumma omnes promiſſiones, de quibus hactenus dixit: atque ita pſalmū hunc concludit. Videtur iuſti deſerti ab omnibus, ſunt in odio, oppugnantur ab impiis, tyrannis, hypocritis & Epicureis: ſed ſeruantur à Domino, qui mirabiliter eos tuetur & defendit inter mille pericula: cōfirmat etiam animos, vt ſuſtinere fortiter ærumnas poſſint.

40 Et auxiliabitur ipſis Iehoua, & eruet eos: eruet [*inquam*] eos ab impiis, & ſeruabit eos: quia ſperant in eo.

In fine addit rationem cur piis adſit in afflictionibus: nulla ſcilicet ratione, niſi vera philanthropia & bonitate, mouetur, nec requiruntur hic merita aut opera, quibus beneuolentiam eius demereatis: ſed tantùm fiducia miſericordiæ, quæ ad Deum accedat & defenſionem petat. Itaque dicit, Quia ſperant in eo. non dicit, Quia ſunt ſine peccato, aut quia benefactis hoc promeruerunt.

PSALMI XXXVII.

PARTES.

I. Propoſitio officii noſtri, cuius membra duo ſunt. 1. Interdictum, v. 1. adiuncta comminatione v. 2. aduerſus operarios iniquitatis. 2. Mandatum ex aduerſo dehortationi ſiue interdicto reſpondens, v. 3. cuius partes ſunt duæ. 1. vt animum & cogitationes auertendo à conſuetudine oculorum, ſola fide, in Deum reſpiciamus: cuius fidei fructus hoc 3. v. exponuntur. 2. vt cum ſilentio voluntati Dei acquieſcamus: v. 4. 3. vt prouidentiæ diuinæ innitamur, verſ. 5. à qua protectionem & liberationem ſperare debemus.

II. Confirmatio ſiue exornatio ſuperiorum documentorum, ad quam tranſitur, breui repetitione illorum, ordine inuerſo. Nam fidei & ſpei doctrina, priore loco: dehortatio vero poſteriore ponitur. v. 7. & exegeticè amplificatur, v. 8.

Αἰτιολογία documentorum, tres confirmationis locos continens. 1. Ab euentis, quæ per antitheſin inter ſe comparantur, nimirum exitio improborum, v. 10. & bonorum conſeruatione, verſ. 11. quæ hic prolepticè poſita ſunt.

2. Locus, v. 12. à prouidentia & ſapientiſſima adminiſtratione Dei, qui dum tolerat improbum ridere dicitur, v. 13. & dum vult iudicium perficit, v. 14. & 15.

3. Locus, verſ. 17. & ſequentibus ad 25. à conſtitutione præſente animi & conſcientiæ iuſtorum & improborum. Iuſtis adeſt maieſtas, cura, promiſſio, efficacitas & benedictio Dei. Improbis copia nocet, robur in exitium cedit, ſplendor eſt euanidus, omnia cedunt in malum.

4. Locus ab exemplo & experientia, v. 25. cui negationi ſubiicitur v. 26. contraria affirmatio. Huic tacitè opponitur impiorum conditio, qui in miſeriæ perpetuæ luto hærent, & viuentes mortui ſunt coram Deo.

III. Concluſio hortatoria ad obedientiam & fidem, v. 27. Obedientiæ duo capita pœnitentiæ adſcribuntur: mortificatio veteris hominis, & excitatio noui in iuſtitia & ſanctitate vera. Fidei adſcribitur promiſſio, fidelem virum iam iam velut in præſentis & perpetuæ vitæ ac hæreditatis poſſeſſionem mittens.

Huius propoſitionis exornatio atque confirmatio vſque ad finem oſtenditur. 1. Cōfirmatio bimembris, v. 28. reſpiciens ad duo ſuperiora reſipiſcentiæ capita, nempe à conſilio & ordinatione iudiciorum Dei. Nam bonis (inquit) bene eſt à Deo, malis autem peſſimè.

2. Confir-

2. Confirmationis exornatio in qua 1. bonorum ſtatus exponitur, v. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & luculenter expo[illegible]itur. 2. improborum, v. 35. 36. Amplificatio verò ſubiicitur, v. 32. & 33. ab improborum ſtudio quod bonor[illegible]m felicitati aduerſatur. Deinde hortatio ad hominem iuſtum, de improborum ſtatu, v. 34.

3 Hæc duo capita autem de piorum & impiorum ſorte ſummatim & per anacephalæoſin repetita, v. 35. & 36. concluduntur à prædicatione ſalutis & beneficentiæ Dei, v. 37. & iuſtitiæ, v. 38. Additur tandem, v. 39. & 40. αἰτιολογία ſuperioris demonſtrationis, ἀνανταπόδοτος: nam cauſam quidem felicitatis bonorum explicat, ſalutem, opem, & liberationẽ à Deo: ſed infelicitatis quæ manet improbos, reticet narrationem, quæ à contrario facilè colligitur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Vtcunque proſpere habeant ad tempus impij, & caducam & euanidam eſſe eorum felicitatem S. Spiritus hoc pſalmo pronũtiat: ideóque miſeros eſſe, & maledictam qua exultant lætitiam: pios autem & ſanctos Dei cultores etiam in ſummis ærumnis beatos eſſe, quia curæ Deo ſunt, qui tempeſtiuè demum illis ſuccurrit. Huius pſalmi doctrina, ſenſus noſtros à præſenti rerum intuitu auertens, iubet in Dei prouidentia tantiſper acquieſcere, dum ſeruis ſuis manum porrigat, & rationem ſeuerè ab impiis repoſcat, tanquam furibus & ſacrilegis, qui paterna ſua beneficentia fœdè abuſi ſunt.

1 Meritò monentur fideles ne mentes eorum irritet caduca & imaginaria reproborum felicitas, deinde ne praua æmulatio eos ad peccandum ſolicitet: nam dum vident impiis bene eſſe, vt vulgò loquuntur, quia colligere promptum eſſet, Deum nõn curare res humanas, periculum eſt ne abiiciant Dei timorem, & ſceleratorum ſocietate ſe inuoluant.

2 Dei iudicium inſtar falcis eſt ad impios excindendos, vt momento exareant.

3 Quum de vera felicitate, mundi ſapientibus ignota, Dei ſpiritus iubet nos eſſe ſolicitos, à fide facit exordium, oſtenditque Deum eſſe bonorum authorem, in quem reſpicere debemus, nec ſperandos eſſe ſucceſſus proſperos, niſi ab vnica eius benedictione. Cui ſpei coniungit vitæ probitatem, quia rectè & innoxiè viuet, ac beneficentiæ ſtudebit, quiſquis Dei prouidentiæ & fidei ſe committet.

Etſi hoſpites & inquilini ſunt in mundo fideles, Dominus tamen ſua manu eos protegit, vt ſecurè quieſcant.

4 Non [illegible] nobis bene eſt, niſi quatenus propitius eſt Deus: vnde fit vt lætitia quam de paterno eius fauore concipimus, omnes mundi voluptates ſuperet. Porrò, dum in ſolo Deo ſenſus noſtros ſiſtimus, alia beneficia ſuo ordine accedunt.

5 Vt Deus votorum compotes nos faciat, curas noſtras (ſub quarum onere fatiſcimus) ſpe & patientia in eum coniicere oportet: quem ſi agere permittimus, fungetur ipſe ſuo officio, neque ſpem noſtram eludet, ſicuti iuſtè filiorum huius ſeculi punit incredulitatem.

6 Deus non patietur vt ſemper in tenebris lateat ſuorum iuſtitia: ſed vindex eius erit, vt conſpicua fulgeat, dum ſcilicet mercedem rependet, qualem exoptant. Quoties ergo indignè grauamur, & Deus ſibi innocentiam noſtram probari diſſimulat, non eſt cur magis nos conturbet iſta viciſſitudo, quàm dum noctis tenebræ operiunt terram, quia diurnæ lucis expectatio ſpem noſtram ſuſtinet.

7 Patienter & moderatè ferendum eſt quicquid animos noſtros inquietare ſolet. Et, vt affectus noſtri Deo obſtrepunt, ita fides in placidum obſequium nos componens, tumultus omnes in cordibus noſtris compeſcit. Ne tumultuemur ergo, vt increduli, nec cum fremitu nos opponamus Dei imperio, ſed quietis animis expectemus vt opera ſua in ſilentio peragat.

8 Irritabiles admodum ſumus & propenſi ad concipiendas offenſas, niſi ſtrenuè luctando turbulentos noſtros affectus cogamus in obſequium. Si verò in lucta perſeueremus conſtanter, tandem noſtri conatus non erunt irriti. At niſi ſtatim ac celeriter iræ noſtræ occurrimus, fieri non poterit quin ad peccandum nos impellat.

9 Impij virent & florent, donec maturum adueniat tempus excidij eorum. Contrà fideles ſic victuri ſunt vt Dei benedictio eos ad mortem vſque, quamuis ſub cruce gementes, proſequatur.

Fideles tanquam peregrini vagantur in mundo, & tamen poſſident terram: quia certò ſciunt ſe legitimos eſſe mundi hæredes: vnde fit vt tranquilla conſcientia pane ſuo veſcantur. & quanuis inopia laborent, Deus tamen ipſorum neceſſitatibus in tempore ſuccurrit, aduerſus impiorum inſultus potenter tuetur, virtutéque ſua ſic eos ſuſtinet, vt ſecuriùs in exilio viuant, quàm impij in nidis quibus affixi ſunt. Id autem reipſa ſentiunt fideles, ſed interiùs & in animis ſuis, quoniam iacta in Deum anchora vitam de die in diem placidè tranſigunt.

10 Hæc prudentia à fidelibus requiritur vt iudicium ſuum paulisper ſuſpendant, donec è cælo Deus oſtendat adeſſe tempus plenitudinis: atque ita non ſubſiſtant in ſingulis momentis, ſed mentem extendant ad Dei prouidentiam.

11 Niſi quis ſtatuat, Deum mirabiliter ſuos tueri, non ſecus atque oues inter lupos, vim vi repellere ſemper tentabit. Sola igitur ſpes manſuetudinem ex ſe parit, quia frænandò carnis impetus, feruorémque placando, ad æquitatem & tolerantiam eos erudit qui ſe Deo ſubiiciunt.

Dum impij turbas ſibi mouent, & Deus vndique ipſos terroribus implicat, fideles ſe multa pace oblectant: non quod expertes ſint omnis moleſtiæ, ſed quia interior animi tranquillitas illos fulcit, vt momentaneum eſſe reputantes quicquid perturbationum ſuſtinent, ſpe ſerenitatis promiſſæ interea lætentur.

12 Quicquid machinentur impij, fideles tuti ſunt Dei præſidio, ac in perpetuum ſeruabuntur. non eſt igitur quòd impiorum malitia nos terreat, ac ſi eſſemus expoſiti eorum furoribus.

13 Efficax iſta conſolatio piis eſt, Deum ridentem fide intueri: quia inde ſtatuunt non ſtare in cælo ignauum, vel clauſis oculis mundi gubernationem fortunæ permittere, ſed conſultò ceſſare, quia inanem impiorum ſtultitiam deſpicit, quum dies interitus eorum accedat. Patienter ergo flere debemus in Dei riſu, vt lacrymæ noſtræ ſint obedientiæ ſacrificium. Deus item rogandus, vt nos ſuo lumine illuſtret: quia ſic eueniet vt fidei noſtræ aſpectus eiuſdem riſus in media triſtitia nos faciat participes.

14. 15. Quamuis gladium exerant impij, & arcum tendant in perniciem iuſtorum, quicquid conabuntur, exitiale ipſis erit iuſta Dei vindicta, quæ egenis & pauperibus, pietatis & æquitatis cultoribus opem feret, & interea ſpem læti exitus proponit, ne ſub crucis onere deficiant.

16 Impij quidem excellunt in mundo, referti ſunt magna abundantia & ſuis opibus nituntur: ſed pauxillum quod poſſidet iuſtus, pluris eſt quàm omnes illorum acerui. Etſi enim pij in diem victitent, è cælo tamen non ſecus ac manna paſcuntur, quum impij ſemper eſuriant, vel in ſua opulentia ſepulti putreſcant.

17 Dum propriis viribus nituntur, & ſuo robore inſolenter ſe iactant impij, expectemus Deum qui ipſorum brachia conteret: confidamus autem, Dei manum infirmitatis noſtræ fulcrum fore firmiſſimum.

18 Vtcunque verſemur ac iactemur, atque ipſa varietas ſingulis momentis præſentem mortem oſtentet, ſufficere nobis debet hæc conſolatio, non ſolùm dies noſtros à Deo numeratos eſſe, ſed innumeros etiam caſus, qui nobis ſubeundi ſunt, ei eſſe cognitos. Et quum ſic inuigilet ad tuendam noſtram ſalutem, in hac peregrinatione nõ ſecus animis quieſcere nos conuenit, quàm in fundo hæreditario. Porrò quum integri dicuntur protegi à Domino, ad ſincerum probitatis ſtudium hortamur, ſi ſub Dei præſidio tuti latere cupimus.

19 Sicuti malis in hoc mundo permiſti ſunt fideles, ita vtriſque communes ſunt fames & aliæ res aduerſæ: vnum eſt diſcrimen, quòd Deus ſuis in neceſſitate manum porrigens, impios deſerit. Et quanuis non ſuppeditet Deus quantum ſatis nobis videtur ad pios ſaturandos, niſi tamen obſtet ingratitudo, in fame & egeſtate ſentient benignè & liberaliter ſe ab eo ali.

20 Impij etiam in media abundantia, pereunt: quia Deus occultis modis eorum vanam confidentiam in nihilum redigit, & quidem iuſta vindicta quam ſuis ſceleribus ſibi accerſunt. Et, ſi patientia diuina eos fert, id fit quia ſaginantur in diem mactationis, vt eorum interitus maturior ſit, quo lautiùs fuerint tractati: & quum nihil in illis ſubſit firmi vel ſolidi, breui euaneſcent.

21 Quantumuis abũdent impij, facit tamen inexplebilis eorum cupiditas vt hinc inde quaſi prædones rapiant, neque vnquam ſint ſoluendo: interea ſuppeditat Deus filiis ſuis quod non modò ſufficiat in mediocres vſus, ſed vnde etiam alios iuuent.

22 Neque à cælo neque à terra nobis prouenit, quicquid ad tuendam vitam & colenda humanitatis officia neceſſarium eſt, ſed profluit à ſolo Dei fauore. Si autem gratiam ſuam ſubducat, totius mundi affluentia nobis ſufficere nequit.

23 Quia videt Deus fideles recta conſcientia agere, neque deflectere à via quam præſcripſit, ideo benedicit ipſorum ſtudia.

24 Fideles, quanuis Deum purè colant, & innocentiæ ſtudeant, non tamen ſtabiles manent in eodem gradu, ſed multis incommodis quatefiunt & deiiciuntur; ita tamen vt ruinæ eorum non ſint lethales, propter præſens Dei auxilium. Impij autem leuiter percuſſi, in vltimum exitium r[illegible].

25 Non fruſtra neque de nihilo promittitur fidelibus copia quæ ad victum ſufficiat: modo addatur exceptio, quatenus ſcilicet Deus expedire nouerit. Sic enim fiet vt refulgeat in communi hominum vita Dei benedictio, & tamen inopia quidam fideles laborent, quia ipſis vtile eſt. Addamus & illud, Deum ſuis proſpicere, vt ſorte ſua contenti nulla re egeant: quia parcè victitando liberaliter interim viuunt, vtpote qui abundare & penuriam pati didicerint.

26 Dei gratia inexhauſtus eſt bonorũ omnium fons, ideóque dũ ſe exerit erga fideles, non modò ipſis ſuppetit quod ſatis eſt in priuatũ vſum, ſed vnde aliis largiantur: nec euaneſcit Dei benedictio vbi

iuſtus quiſpiam moritur, ſed peruenit vſque ad eius filios.

27 Vt ſolida felicitate fruamur, ab omni iniuria abſtinere, humanitatis officia colere, & beneficientiæ operam dare ſtudeamus: ſicque iuuemus egenos, vt vnum alterius iactura erigere, vel hunc illius mœſtitia exhilarare non velimus, more quorundam qui plena etiã manu de ſuo largiuntur, ſed interim aliunde rapiunt vnde ſuam oſtentent liberalitatem.

Quanuis experientia communis nondum liquidò demonſtret filios Dei hæredes eſſe terræ, ſentimus tamen pro menſura noſtræ fidei quid valeat Dei benedictio, quæ aſſiduè inſtar fontis inexhauſti ſcaturit.

28 Quiſquis iuſtè & innoxiè verſatus fuerit inter homines, beatus erit, quia Deo propitio tandem illi bene ſuccedere neceſſe eſt.

Deus piorum cuſtodiam ſuſcepit, non vt eos ſemper foueat in vmbra & otio, ſed vbi cruce exercuerit, tandem illis ſuccurrat.

Etiamſi non ſtatim appareat Dei iudicium in ſceleratos, nihilo tamen meliore loco conſiſtunt, quia iuſta eos pœna in filijs ſuis manet. Quòd ſi erga illos Dei maledictio non ſtatim vim ſuam exerit, mirum non eſt ſi fauorem ſuum erga fideles occultum contineat.

29 Poſſeſſio hæreditaria piorum hæc eſt quòd inter turbulentos mundi motus, ſub alarum ſuarum vmbra Deus eos protegit: & quum nihil ſit ſub Luna ſtabile, quaſi in tuto portu ſaluos præſtat. Accedit deinde vitæ tranquillitas, quæ centum vitis præcellit: atque ita meritò pro incomparabili priuilegio cenſetur.

30 Iuſti honorificè & reuerenter Dei iuſtitiam extollunt, vt ſe & alios in vera pietate erudiant: deinde tam in ſuis quàm in aliorum negotiis, quod rectum eſt, ſine fuco probant, nec ſophiſtice colorem inducunt malis cauſis: denique nunquam à vero deflectunt.

31 Quanuis multæ peccandi occaſiones filios Dei ſollicitent, ac magna etiam hominum pars, quantum in ſe eſt, prauitate ſua eos à Dei timore abducat: quia tamen lex Dei occupat & regit eorum corda, non vacillant, ſed fixo gradu ſtant in propoſito, vel certè rectum curſum tenent.

32.33 Formidoloſæ per ſe ſunt inſidiæ quibus impij non modò fortunas bonorum appetunt ſed vitam: quia crudeliter in eorum exitium conſpirant: iubet tamen Dei ſpiritus eos infractis animis ſtare, quia Deus ſe vindicem fore promiſit.

Piis & iuſtis equidem non applaudet mundus, imò vi & calumniis eos opprimere conabitur: ſed vbi in iudicium & ad lanienam tracti fuerint vt damnatis & mortuis ſint ſimiles, aderit Deus qui à cruentis hominum linguis & manibus ſuorum aſſeret innocentiam, & ſemper vindex in cælis ſedebit.

Contingit ſæpiſſime vt Dei ſerui ab impijs damnentur & extremo ſupplicio è terra tollantur: nec tamen eos fallit Dei promiſſio. Primùm enim, ne ipſis quidem quicquam melius vel magis optabile eſt quàm vt Dei gloriam morte ſua illuſtrent. Secundo, *idem ipſe Deus qui impiis ad exercendam ſæuitiam laxat habenas, non deſinit eſſe aſſertor iuſtitiæ ſuorum: quia coram angelis & tota eccleſia ſibi probari demonſtrat & ſe cognitorem fore oſtendit.* Tertiò, *è tenebris in quibus demerſi ſunt, eos attollens facit vt eorum cineres ſuauiſſimum ſpirent odorem.* Poſtremò, *vbi paſſus erit indignis probris ipſos obrui feret ipſe ſententiam, qua iuſtam eorum cauſam ab iniuſtis impiorum calumniis aſſerat.*

34 Fideles freti Dei promiſſionibus ac ſuffulti, nullis tentationibus ſe huc illuc per vias obliquas trahẽdos permittere debent, ſed in Dei obſequio manere conſtantes.

Etiamſi totus mundus cæcutiat, non deſinit Deus ſceleribus hominum iuſtam mercedem rependere: ſed occultioribus modis illa puniens, fructum hunc quo nos priuat noſter ſtupor, à nobis ſubducit. Felices autem qui Dei iudicia fidei oculis intuentur, & corde ſubmiſſo omnipotentem Dominum non contemnere ſed colere diſcunt.

35.36 Quanuis impios inebriet ſua felicitas, & admirationi ſit apud omnes, caduca tamen eſt & euanida, ideóque nihil aliud quàm merum figmentum.

37 Fine diſcernuntur reprobi ab electis. Diſcamus igitur iudicia noſtra ſuſpendere, ſi non ſtatim ſua Deus exequitur: & ſi vota noſtra nimis ebulliunt, ſtatim occurrat hæc moderatio, nondum veniſſe finem, dandumque Deo eſſe tempus quo res confuſas in ordinem reſtituat.

38 Poſtquam ſeruos ſuos duriter Deus exercuit, rebus eorum aduerſis benedicens, impiorum lætitiam conuertit in luctum.

39 Quicquid accidet, iuſti ſalui fient, quia in manu Dei ſunt, & nunquam poteſt eorum obliuiſci. Certa eſt igitur ſalus quam fideles à Deo ſperant: quia æternus eſt Deus probátque iuſtitiam, nec fieri poteſt vt pios etiam in mediis afflictionibus & ſub cruce gementes fraudet ſuo auxilio.

40 Se ad tentationes aſſuefacere debent Dei filij, & [illegible]ngiùs eos Deus extrahat, ſubinde in memoriam reuocare, vbi [illegible]orum patientiam fuerit expertus, demum fore liberatorem.

Articvli praecipvi.

1. De imaginaria filiorum huius ſeculi felicitate, certaque miſeria.
2. Prouidentiæ Dei recta conſideratio & vſus eximius.
3. Veræ beatitudinis in præſente vita comites, fides, ſpes, innocentia vitæ.
4. Conſcientiæ ſinceræ fructus, patientia Deum reuerenter & iugiter reſpiciens.
5. Eccleſiæ militantis pictura. Impiorum characteres varij.
6. Dulciſſimæ conſolationes piorum ſub cruce gementium.
7. De copia filiorum Dei, & filiorum huius ſeculi inopia.
8. Iuſtorum in via pietatis claudicantium, of[illegible]cium, conditio, affectus. Impiorum finis luctuoſus.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVIII.

HIC Pſalmus inter pœnitentiales numeratur. Etſi enim apparet, vel morbo aliquo graui fuiſſe correptum Dauidem, vel alioqui inſigni aliqua calamitate oppreſſum, cum has preces ad Deum effunderet: tamen non tantùm mitigari illas calamitates, aut ſanari morbum petit, ſed potiùs, vt ferè aliâs ſemper, ad cauſſam horum malorum reſpicit, nimirum ad peccata, quibus cum prouocaſſe ſe iram Dei & has pœnas ſibi accerſiuiſſe intelligat, ante omnia hæc deplorat, & iuſtum Dei iudicium in ſuis pœnis intelligens, remitti ſibi peccata petit. Ita cauſſam mali primò tolli cupit: deinde & morbi magnitudinem ab effectibus & circunſtantiis exaggerat & amplificat: vt faciliùs opem & auxilium diuinum impetret. Cùm enim Deus ſit φιλάνθρωπος, *& noſtris calamitatibus non aliter vt pater* φιλόστοργος *afficiatur: nulla re magis ad opem ferendam impellitur quàm ſi mala noſtra ipſi patefaciamus, atque in eius quaſi ſinum ea exonerãtes, auxilium eius imploremus. Cauſſæ impulſiuæ addit etiam finalem, ne ſcil. ſe oppreſſo hoſtes triumphent & confirmentur in ſua impietate: id quod fieri ſolet cùm vident bonos & pios opprimi calamitatibus, ſeque interea viuere in omni rerum copia & abundantia. Hæc ſumma eſt huius pſalmi.*

Exordium pſalmi ſumitur ab ipſa petitione, qua & pſalmum concludit. Cæteri verſus triſtiſſimæ ſunt querelæ & narratio ingentium dolorum, additis cauſsis, effectibus, circunſtantiis, quæ narrationem exaggerant & amplificant, vt in interpretatione dicetur.

1 PSalmus Dauidis ad re[illegible]miniſcendum.

Inſcriptio monet hu[illegible]lmum ita conſcriptũ eſſe à Dauide, non vt ſemel tantu[illegible]citaretur, ſed vt perpetuum eſſet memoriale, quo ſibi h[illegible] caſtigationem diuinam atque eius cauſſam in memoriam reuocaret, eiúſque recordatione ſe ad timorem Dei, inuocationem & pietatis ſtudiũ exuſcitaret. Facilè enim nobis effluunt pœnæ diuinæ, & plerunque ita fit vt homines liberati à morbis fiant deteriores, ſibíque plus indulgeant quam antè, ſicut dicitur prouerbio Germanico, *Da der kräck genaſs, VVard er erger denn er ie gevvas.* Hoc primum monet *hic* titulus. Deinde, quia ſciebat ſe tanquam doctorem & magiſtrum, præfectum eſſe eccleſiæ, voluit hoc ſuum exemplum proponere imitandum omnibus piis, vt quod ipſe priuatim in ſchola Dei didicerat, id omnibus in commune prodeſſet: vt, ſi quando vſus ferret, ipſi quoque in ſuis calamitatibus & morbis quærere vera remedia, atque his rectè vti diſcerent: imprimis verò, vt ſuo exemplo doceret, nihil vtilius eſſe ad pietatem in animis noſtris alendam & confirmandam, quàm aſſiduam cogitationem pœnarum, quibus ſuum iudicium Deus aduerſus peccata hominum oſtendit & declarat.

2 Iehoua, ne in furore tuo arguas me: & [*ne*] in ira tua

ira tua corripias [*caſtiges*] me.

Propoſitio eſt pſalmi, quæ continet precationem. Petit autem duo. Primùm optat, pauores in corde ſuo, qui ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata exiſtebant, leniri, & hunc ſenſum ſibi indi, quo ſtatuat ſibi verè remiſſa eſſe peccata, & ſe receptum eſſe in gratiam, &c. Quandiu enim iudicamus Deū iraſci nobis, nihil niſi furor & indignatio eius ob oculos verſatur. Atq. huc videtur reſpicere priore membro. Deinde ſublato peccato petit mitigari pœnas, quas meritus erat. Iram & furorem pro ſummo rigore accipit, & opponit paternæ caſtigationi.

Ne in furore tuo arguas] Quaſi dicat, agnoſco me peccaſſe & iram tuam commeruiſſe: ſed moderare rigorem iræ tuæ, nec effunde totam iram tuam: tempera iram miſericordia, & mitiga pœnas. Non poſtulat ſibi remitti omnes pœnas, ſed mitigari. Ego, inquit, permitto me tibi caſtigandum: ſed vide ne me duriùs tractes quàm ſum ferendo: non accende totam iram, ne ad nihilum redigas me.

3 Quia ſagittæ tuæ deſcenderunt [*impreſſæ ſunt*] in me: & manus tua impreſſa eſt in me.

Ratio propoſitionis ſumitur ab ingētibus doloribus quibus premebatur: atque in horum cōmemoratione diutiùs commoratur, non ſolùm, quia commemoratio illa nonnihil dolorem animi leuat, (nam, ſicut lacrymis, ita commemoratione malorum & querelis egeritur nonnunquam dolor) ſed multo magis vt oſtendat ſe ſumma neceſſitate cogi ad petēdam malis ſuis leuationem. Cùm enim mala tanta ſint vt ferre nequeat, non poteſt alibi quàm apud Deum onus ſuum deponere. Promittit enim Deus, ſe non tentaturum nos vltra quàm ferre poſſimus.

Monendi autē ſunt auditores, has querelas & ſimiles, quæ crebrò repetuntur in pſalmis, non proficiſci ex quadam impatientia aut fremitu aduerſus Deum, quales ſunt impiorum querimoniæ, & voces obſtreperæ: ſed eſſe confeſſionem infirmitatis, quæ ad Dei promiſſiones reſpicit: & habet coniunctam certam fiduciam præſentiæ & auxilij diuini.

Sagittas Dei nominat vulnera conſcientiæ ſeu terrorem iudicij diuini, quem Deus incutit, dum in nobis ſenſum peccatorum exuſcitat. Nullum autem vulnus eſt tam triſte aut acerbum quàm quod his ſagittis incutitur. Affert enim horrēdam & ineffabilem conſternationem, quæ hominem mergit in æternam mortem: niſi promiſſionem apprehendat. De his ſagittis loquitur & Iob 6. Verba mea dolore plena ſunt: quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritū meum, & terrores Domini militant contra me. Sagittæ igitur ſunt ſenſus iræ Dei, quo corda ceu fulmine conſternata planè opprimuntur, niſi aliunde conſolatio accedat.

Alij ſagittis ſignificari volunt morbum peſtilentem, quo tunc laborauit, ſicut pſal. 91. peſtis nominatur ſagitta volans per diem. Atque eò accommodant quod infra dicitur, Inimicos à longè ſtetiſſe: ſed cùm in toto penè pſalmo imprimis queratur de doloribus conſcientiæ, retineo vſitatā ſententiam.

Manum ſeu plagam nominat morbum ſeu malum externum, per metalepſin.

Manus tua impreſſa eſt in me] Id eſt, tu non ceſſas me affligere, & ſubinde auges morbum, non remittis manum, ſed ſubinde magis ac magis me premis.

In impreſſionis voce emphaſis eſt. Sagittæ aut plagæ ab hominibus immiſſæ non ita vulnerant cor vt hæ quæ à Deo immittuntur.

4 Non [*eſt*] integritas in carne mea à facie iræ tuæ: Non eſt pax in oſſibus meis à facie peccati mei.

Repetitio eſt prioris ſententiæ. Explicat enim ſimplici oratione quod antea figuratè dixerat: & addit cauſſam, vnde tantus ſit dolor & tanta conſternatio, nempe à peccato. Ita iram Dei coniungit cum peccato ſuo, quod non faciunt hypocritæ. Hi enim clamant ſe iniuſtè affligi, ideóque accuſant Deum tyrannidis, murmurant & fremunt aduerſus eum, &c.

Non eſt integritas] Id eſt, ſenſus iræ tuæ aduerſus peccata mea abſumit omnes vires animi & corporis, vt nullus ampliùs in me ſit vigor, & ego iam mortuo ſim ſimilis. Deus enim, vt dicitur Deuteron. 4. eſt ignis conſumens.

Non eſt pax oſſibus meis] Id eſt, ipſa oſſa cōteruntur & cōſumuntur hoc ſenſu doloris, tanquam fulmine. In hanc ſententiam inquit Ezechias, Ieſà. 38. Sicut leo contriuit omnia oſſa mea. Quid hoc ſit, verbis explicari non poteſt: ſed in veris exercitiis pœnitētiæ iſta aliquo modo diſcuntur. Hypocritæ, Phariſæi & monachi nihil horum intelligunt: quia blandiuntur ſibi, & exiſtimant ſe eſſe iuſtos externa diſciplina.

5 Quoniam iniquitates meæ tranſgreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus graue aggrauatæ ſunt præ me] *grauiores factæ ſunt quàm vt ſim ferendo.*]

Exponit copioſiùs quod verſu præcedente breuiter dixerat, à facie peccati: & affirmat non aliam ob cauſſam quàm propter peccata ſua ſe affligi, & ſe ſuo merito Deum adeo ſeuerum & formidabilem ſentire.

Omnibus autem his verſibus ſeu querelis intextum eſt argumentum à neceſſitate. Tu Domine remitte iram & mitiga calamitates: quia ego ferre ampliùs molem meorum peccatorum & malorum non poſſum. Tu fer opem, ne ego oneri ſuccumbam aut deficiam.

Tranſire caput eſt obruere mole ſua, vt ferre ampliùs nequeas, ſicut aquas exundantes.

6 Putruerunt, fœtent, liuores mei: à facie ſtultitiæ meæ.

Hactenus de cauſis ſuorum dolorum dixit, videlicet de ira Dei, & de mole ſuorum peccatorum, quibus hæc mala ſibi attraxerat. Nunc de effectibus talium conſternationum loquitur, quæ cogitari aliquo modo ab homine pio, & non ignaro exercitiorum pœnitentiæ, verbis verò exprimi nequaquam poſſunt.

Primus effectus eſt, putrefactio & fœtor vulnerum, hoc eſt, incrementum pauorum & dolorum. Nam vulnera, cùm putreſcere incipiunt, acriorem dolorem coniunctum cum teterrimo fœtore cient. Hic verò loquitur de animi vulneribus, quæ ſagittis Dei fiunt. Ea vulnera, ſicut corporis, ſuam quoque habent epitaſin & intentationem acerrimam, in qua pij non procul abſunt à deſperatione. Ac niſi Deus dolorem hunc mitigaret emplaſtris ſuæ bonitatis & miſericordiæ, ſicut Euagrius loquitur, mergerētur pij in æternum exitium. Euagrij verba hæc ſunt, lib. 4. ἡ τῶν ἀνθρώπων σωτηρία τοῦ θεοῦ κηδεμονίᾳ περὶ τὰς πληγὰς τὰ φάρμακα πλάττει, καὶ φιλανθρωπίᾳ τὸ ξίφος τῆς ὀργῆς θήγει.

Alij putrefactionem intelligunt diuturnitatem mali, quaſi hoc velit, ſe continuo languore & dolore confectum quaſi putreſcere in ſuis malis, & in ſaniem liquefieri, ideóque tempus eſſe vt Deus ſuccurrat.

Stultitiam nominat peccatum, non quidem extenuādi cauſſa, ſicut hypocritæ ſolent, dum vel errore vel ignorantia ſe peccaſſe oſtendunt: ſed potiùs reſpicit ad cordis prauitatem, quod aberrans à Deo, non conſiderat nec intelligit magnitudinem peccatorum & iræ diuinæ ſeueritatem, atque ita obrutū ignorantia & caligine obſequitur & indulget cupiditatibus ſuis aduerſus Deum, nec intelligit quo rectore indigeat. Hanc ſtultitiam nominat caliginem, ſcilicet mentis, & prauam concupiſcentiam.

7 Incuruatus ſum, deiectus [*humiliatus*] ſum valde: quotidie niger incedo.

Secundus effectus eſt triſtis inceſſus, qui non eſt toruitatis ſimulatio: ſed ſignificatio ingentis & inenarrabilis mœſtitiæ. In doloribus enim magnis non incedimus alacres, erecto vultu aut ſplendido veſtitu: ſed demiſſo & deiecto vultu ac ſordidis veſtibus. De hac re igitur loquitur, Inceſſus, inquit, geſtus & veſtitus oſtendunt magnitudinem doloris: non ſum præfractus, qui iudicium Dei rideat & contemnat. Ita à circunſtantia ſeu ſigno amplificat priorem querelam, & magnitudinem doloris ſui oſtendit.

קודר nonnulli non de veſtitu, ſed de nigredine cutis interpretantur, quaſi hoc velit: Natiuus color periit in facie. Nam mœſtitia deformat homines macie & ſqualore.

8 Quoniam ilia mea impleta ſunt ardore: [*combuſtione*] nec eſt integritas in carne mea.

Tertius effectus doloris eſt torrefactio ſeu aduſtio iliorum, ſeu illius partis corporis ſub renibus, quæ vergit ad coxendices, ſeu quæ media eſt inter femora & ilia. In illa parte exiſtimant nonnulli, qui de morbo peſtilenti pſalmum interpretantur, fuiſſe vlcus ſeu apoſtema, & certè multa in hoc pſalmo eò alludunt. Si cui id non placet, ſimpliciter intelligat, illas partes quæ alioqui abundant pinguedine & humore, nimio dolore fuiſſe exuſtas & torrefactas. כסל Forſterus ſpondylum ſeu vertebram interpretatur. נקלה alij ignominiam, Græcus illuſiones interpretatur. Nos Chaldæum paraphraſten ſecuti ſumus, qui reddidit vocabulo קריותא quod ardorem ſignificat.

9 Reſolutus ſum & contuſus ſum valde: rugio à rugitu [*præ gemitu ſeu fremitu* [*fur vnruhe*] cordis mei.

Quartus effectus, de quo & ſuprà dixit, eſt languefactio & reſolutio omnium virium corporis. פוג ſignificat remiſſum, laſſum, debile eſſe, quod antea erat firmum, vegetum & excitatum.

Quintus effectus eſt clamor ſeu rugitus, qui non oriebatur

O

ex mollitie ſeu impatientia: ſed magnitudinem doloris oſtendit, qui non tantùm lacrymas, ſed etiam clamores extorſerit. נהמה tumultuoſum impetum ſignificat.

10 Domine, coram te eſt omne deſiderium meum: & gemitus meus abs te non eſt abſconditus.

Sextus effectus eſt, aſſidui gemitus cõiuncti cum ingenti deſiderio auxilij & opis diuinę, & ſimul teſtatur ſe certò ſtatuere quòd hi clamores, vota & gemitus non ſint inanes, ſed certò exaudiantur. Ergò non ex impatientia oriuntur, nec fuit in Dauide murmur aut fremitus aduerſus Deum, aut conſternatio, quæ animum eius huc atque illuc impelleret & agitaret. Quòd enim dicit, *Coram te eſt omne deſideriũ*, affirmat ſe exoneraſſe ſuas curas & mœrores in ſinum Dei, & iam deinceps minùs eſſe ſolicitum.

11 Cor meum circuiuit, deſeruit me: virtus mea & lumen oculorum, etiam ipſi [*ſcilicet oculi*] non ſunt mecum.

Septimus effectus eſt palpitatio ſeu tremor cordis. De his motibus medici diſputant. παλμὸς motus eſt cordis deprauatus, in quo præter naturam vehementi concuſſione dilatatur & conſtringitur. Eſtque eius tanta vis, vt ſæpe thoracis vicinas coſtas effringat: ſępe etiam eas quę ſupra mammam ſunt, de propria ſede depellat. Verbum Hebręum propriè ſignificat peregrinari, vagari, & varia loca adire, vt ſolent mercatores diſtrahendarum mercium cauſa. Hic ſumitur metaphoricè pro agitatione, quam generat dolor & anxietas, vbi deſtituimur conſilio. Non enim fuit expers Dauid communis infirmitatis. Ideo, quanquam fides vincebat dolores, tamen ſenſit percelli cor iſtis fluctibus, quibus tunc iactabatur.

Octauus effectus eſt caligo oculis offuſa. Vt enim in lætitia oculi acutiùs cernunt lucem & colores, quia ſpiritus ſunt puriores: ita in mœſtitia tenebræ & quaſi nox quędam oculis circumfunduntur, quia ſpiritus ſunt languidiores, turbidiores & craſſiores, Hinc fit vt talibus, qui in dolore ſunt, ipſa lumina cęleſtia videantur obtenebrari: quod apud prophetas legitur. Alij lumen interpretantur conſilium vel prouidentiam. *Lumen oculorum* Baſilius interpretatur ſpiritum propheticum.

12 Amici mei & ſocij mei è regione plagæ meæ ſteterunt [*ſtant*]: & propinqui mei è longinquo ſteterunt.

Alia amplificatio dolorum à circumſtantia. Ad animi dolorem & morbi magnitudinem acceſſit etiam perfidia & deſertio amicorum, quæ vehementer ſolet augere dolorem.

Steterant à longè] Id eſt nullum humanitatis officium exhibuerunt: nihil opis aut ſolatij attulerunt: imò ne quidem miſerationis aliquod ſignum ediderunt.

13 Et laqueos tetenderunt qui quærunt animam meam: & qui quærebant malum meum, locuti ſunt prauitates [*exitioſa*] & dolos quotidie meditantur.

Addit aliam circumſtantiam ex antitheſi, qua magnitudinem doloris exaggerat. Hoſtes interea, dum vident me in iſta calamitate ab omnibus deſertum, ſtrenuè me oppugnant, tanquam optima occaſione me euertendi ſibi oblata.

הוות exitium ſeu calamitatem ſignificat, quæ vocem lachrymabilem alicui extorquet. Eſt enim ab הוה voce χάλιασμὴ.

14 Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & tanquam mutus [*qui*] non aperit os ſuum.

Amicorum perfidiæ & hoſtium inſidiis ac tyrannidi nihil opponit niſi ſuam patientiam. Ego nec audiebam, nec quicquam contra loquebar, id eſt, patienter ferebam omnia, non obmurmurabam vel ipſis vel Deo, nec ita admittebam iſta in animum vt cor langueſieret, aut vt fiduciam præſentiæ & auxilij diuini abiicerem: ſed retinui firmitatem fidei. Sicut dicitur in Ieſaia cap. 30. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Deinde & hoc ſignificat, ſe falſis criminationibus & peruerſis iudiciis ita fuiſſe obrutum vt ne verbum quidem, iuſtæ defenſionis cauſſa, facere licuerit. Cùm igitur non admittatur mea defenſio, ego, inquit, taceo & obſurdeſco.

15 Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo reprehenſiones.

Repetit eandem ſententiam. Reprehenſiones nominat ſermones, quibus oſtenderet ſuam innocentiam. etſi enim non defutura erat ei honeſta oratio, qua de ſua innocentia teſtaretur, tamen cùm intelligeret, nullum eſſe æquitati aut rationi apud aduerſarios locum, iudicabat rectiùs ſe facturum, ſi ſileret, quàm ſi fruſtra loquendo hoſtes magis irritaret.

16 Quia ad te expecto: tu reſpondebis Domine Deus mi.

Addit rationem, cur tam patienter tulerit & diſſimulauerit omnes iniurias, & ſimul indicat fontem veræ patientię. Ego ideo, inquit, patienter tuli & ſuperaui illas tentationes, quia in te confido, ſciens te fore vindicem. Nam ſi indulgere nimiùm affectui & hoſtibus meis acerbiùs me opponere voluiſſem, ego tibi vindictam, quantum in me eſt, pręripuiſſem, tuóque auxilio quaſi aditum præcluſiſſem. Non volui igitur ipſe vindex eſſe, vt tu eſſes. Simul autem, vt dixi, oſtendit vnde oriatur vera patientia, ex fiducia ſcilicet præſentiæ & auxilij diuini: atque in hoc differt patientia Chriſtiana à philoſophica. Illa enim intuetur voluntatem Dei: & ſemper complectitur petitionem & ſpem auxilij diuini: hæc verò tantùm intuetur rationis iudicium, nec expectat auxilium à Deo, ſed ad externa obiecta ſe conuertit, à quibus ita pendet vt iis ſublatis ipſa quoque euaneſcat.

17 Quia dixi, ne fortè lætentur de me [*nam*] in lapſu pedis mei aduerſum me ſeſe efferunt.

Altera cauſſa cur præſtiterit patietiam. Quia ſi contigiſſet eum vacillare aut deſeri, hoſtes triumphum acturi eſſent, & obſtinatiores perrecturi in ſuis ſceleribus. Hæc verò ratio plurimum habet momenti ad Deum mouendum, vt opem ferat. Sicut enim affirmat ſe ideo patienter illa tuliſſe, ne hoſtes triumphos agerent: ita ſimul petit ſe liberari ex his malis, ne hoſtes in ſua impietate cõfirmentur, neue illæ voces impiæ & blaſphemæ paſſim audiantur, quòd vana & irrita ſint quæ Deus ſuæ eccleſiæ promiſit. Alij quibuſdam verbis incertis orationem huius verſus ita explent: quia dixi quòd me exauditurus ſis, ne fortè, &c.

18 Certè ego ad claudicationem paratus ſum: & dolor meus coram me eſt ſemper.

19 Certè iniquitatem meam annuncio: ſolicitus [*anxius*] ſum de peccato meo.

Amplificat querelam antitheſi, in qua ſuam & omnium piorum vitam confert cum impiorum cœtu, & ſuum calamitoſum ſtatum deplorat.

Ego ad claudicationem &c.] Id eſt, talis eſt mea & aliorũ piorum conditio vt neceſſe ſit nos ferre ærumnas: ſcio enim eccleſiam eſſe ſubiectam cruci. Ita igitur ſum afflictus vt neceſſe ſit me tota vita mutilum ac debilem incedere, niſi tu opem feras. Claudicationem nominat ærumnas, quibus onerantur pij. Sicut Iere. cap. 21. dicit, hoſtes ſuæ claudicationi inhiare: Omnes inimici pacis meæ obſeruant claudicationem meam, fortè decipientur & præualebimus. & ſuprà pſalmo 35. In claudicatione mea lætati ſunt. id eſt, ſi quid aduerſi & ſiniſtri mihi acciderat, ex ea re lætitiam capiebant ſummam. Alij hinc colligunt, Dauidem laboraſſe aliquo vlcere, ex quo illi menda eſſet perpetua claudicatio: ſed videtur vox claudicationis poni metaphoricè hoc loco.

Dolor meus coram me eſt ſemper] Id eſt, Ego aſſiduè circumfero meum dolorem ex conſpectu peccatorum, iſque dolor adeo me vrget, vt ne quidem ad momẽtum aliquid relaxationis concedat obliuio. Nam pij ſemper cruciantur magis cogitatione peccatorum quàm ipſa mole calamitatum. Id quod ſequenti verſu ipſe oſtendit.

20 Inimici autem mei viui roborantur: & roborantur [*augentur potentia*] qui me oderunt iniuſtè.

21 Et qui rependunt malum pro bono aduerſantur mihi, eo quòd ſecutus ſum [*ſequor*] bonum.

Altera pars eſt antitheſis, qua querelam amplificat. Non ſatis eſt me oppreſſum eſſe miſeriis, & aſſiduos circumferre dolores propter peccata: ſed inſuper hoſtes pietatis & honeſtatis viuunt, hoc eſt, florent rebus proſperis, & læti omnium rerum copia affluunt. Viuere enim ſignificat Hebræis eſſe animo læto & tranquillo, & habere omnium rerum copiam, Gene. 42. Hoc facite & viuite. Et in acclamationibus hæc forma vſitata eſt. 1. Sam. 10. Viuat rex, id eſt, proſperè ſuccedant ei omnia.

Roborantur] Id eſt, magnifiunt, augentur potentia & viribus, habent ſtudia & fauorem multitudinis, habent multos amicos ſibi obſtrictos: ideo redduntur audaciores & ferociores, vt bonos ſine cauſa & nullo ipſorum merito oppugnent.

Et qui rependunt] Confirmat quod dixerat, & amplificat hoſtium ſcelus à ſua beneficentia. Non tantùm nulla à me affecti ſunt iniuria, ſed variis à me beneficiis ſunt ornati. Has querelas ideo inſerit, non vt impatienter ſe hæc ferre oſtẽdat:

ſed

ſed potiùs quia ſibi perſuadet, non minùs Deum quam ſe hac ingratitudine & ſcelere impiorum offendi: itaque ad leniendum dolorem valet hæc doctrina, quia Deum ſcimus fore vindicem iſtius ſummæ impietatis hoſtium, quòd bonos non aliam ob cauſam oderunt, quàm quòd ſtudio pietatis ſunt deditì.

22 Ne derelinquas me Iehoua: Deus mi, ne procul abſis à me.

23 Feſtina in auxilium meum, Iehoua, ſalus mea.

In fine repetit precationem, à qua exorſus erat pſalmum: petit autem tria, præſentiam Dei, auxilium, & celeritatem in opitulando.

Ne deſeras] Alioqui ſcilicet ob omnibus deſertum & miſerè omnibus modis afflictum.

Non procul abſis] Non abiicias curam mei. Scit quidẽ Deum non deſerere ſuos, nec procul ab eis diſcedere iuxta promiſſionem, quæ infra recitatur pſal. 91. Cum ipſo ſum in tribulatione: ſed dum pij curas ſuas exonerant in ſinum Dei, loquuntur & vota concipiunt ex carnis ſuæ ſenſu.

Feſtina] Quia mora frangit etiam fortes.

Salus mea] Id eſt, qui es ſalus mea, vel à quo ſolo pendet mea ſalus. Alij reddunt, ad ſalutem: ſed coactum eſt hoc. Dauid enim omnibus inſidiis & machinis, quibus oppugnabatur, hunc tantummodo clypeum opponit, ſalutem ſcilicet, quam à Deo expectabat.

PSALMI XXXVIII.

PARTES.

I. Exordium, ſiue petitio ex abrupto, quo iram Dei & flagella deprecatur Dauid, v. 2. Eadem petitio proponitur Pſal. 6. v. 2.

II. Narratio, ſiue petitionis αἰτιολογία, tribus partibus conſtans. 1. A natura Dei, calamitates peccatoribus iuſtè infligentis, à 3. v. ad 10. vſque. 2. A perſona ſua, cuius infirmitates deſcribit, v. 10. & 11. ita tamen vt de affectione ſua in tantis malis Deum teſtem appellet. 3. A perſona circunſtantium, ſiue de ratione qua circunſtantes erga ipſum vtebantur: ſiue amici, v. 12. ſiue inimici, v. 13. ac poſtremo ipſe erga omnes, v. 14. & 15. vt qui ſurdus atque mutus in afflictione ſua fuerit.

Silentij ſui cauſam reddit. 1. A fide ſua in Deum, 16. verſ. 2. Ab improbitate aduerſariorum, v. 17. & 18.

III. Concluſio petitoria, cuius partes duæ ſunt. 1. Cauſæ duæ. *Vna* à perſona ſua, quòd ſeipſum ſiſtit coram Deo, & peccatum ſuum ex animo confitetur, ad glorificandum Deum, v. 19. *Altera*, à perſona inimicorum, iniuſto odio & immeritis maleficiis Dauidem proſequentium, 20. & 21. verſiculis. 2. Poſtulata duo: deprecationis, v. 22. & precationis oppoſitæ, v. 23.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Præter exemplum hoc Pſalmo pijs propoſitum, quod in maximis tum corporis tũ animi cruciatibus ſequantur: quatuor præcipua doctrinarum capita occurrunt. I. Peccata veram eſſe cauſam (quanuis neque vnicam neque perpetuam) miſeriarũ quibus diuexamur, vt nulla ſit Dei iudiciis obmurmurandi occaſio. II. Remitti gratis peccata in Chriſtum credẽtibus, tum quòd ad culpam, tum quòd ad pœnam attinet: ſed hanc tamen remiſſionem ne in ſanctorũ quidem cordibus ſtatim ſentiri, ac proinde ſupereſſe etiam in illis ad tẽpus grauiſſimam diffidentiæ tentationem, quæ tandem cum ſeria peccatorum agnitione ac deteſtatione, tum conſtanti inuocatione diuinæ miſericordiæ ſuperetur. III. Supereſſe graues, etiã poſt remiſſa peccata, temporales pœnas, minimè id quidem quibus vllo modo ſatisfiat Dei iudicio: ſed quibus caſtigati & domiti magis ac magis ſapere condiſcamus, & diligentiùs quàm antea in timore & tremore ſaluti noſtræ dare operam. IIII. Sanctos petentes liberationem nõ tam ſeſe reſpicerẽ, quàm gloriam Dei quærere, nimirum vt ipſius clementia ſic appareat: & ne ſcelerati, ſi pios deſeri & penitus opprimi viderint, in impietate confirmentur.

1 Quoniam facilè & citò nobis euaneſcunt pœnæ diuinitus inflictæ quibus in totam vitam nos erudiri decebat, vtile eſt exercitij genus, memoria ſæpe repetere quas ob peccata noſtra Deus caſtigationes exegit.

2 Fideles ſe Deo permittunt caſtigandos, ſed paternam ferulã ſummo eius rigori opponẽtes precantur ne eos duriùs tractet quã ſint ferendo, ac ſua iudicia ad modũ infirmitatis eorũ attemperet, ne mali grauitas eos prorſus obruat. Vide obſeruat. in 1. & 2. verſ. pſal. 6.

3 Quum nos de Dei iudicio admoneant omnia eius flagella, hæc vera fidelium prudentia eſt (dum impij cæcutiunt in Dei iudiciis, ac fortuitos eſſe caſus ſomniant, nec vnquam Dei manum reſpiciunt) Deum ſagittis innumeris quoſcunque vult, potenter ac ſapienter ſaucìantem reſpicere. Vnde etiam colligimus ineuitabiles eſſe pœnas, quas ſuo tempore Dei manus infligit.

4 Si iuſtam Deo laudem cupimus tribuere, diſcamus exemplo Dauidis iræ eius coniungere noſtrorum peccatorum ſenſum.

5 Quando pij ſua mala deplorãt, aliquoties videri poſſunt in ſpeciem cum Deo litigare: ſed hanc retinent modeſtiam (quia Deus puniendo modum non excedit) nihil ſibi reſtare præter deprecationem.

6 Diuturnitatem malorum ſuorum pij Deo proponunt, vt infirmitatis eorum habita ratione ſuos ſubleuet, qui etiam non diffitentur ſe fuiſſe mente alienatos, & inſtar pecudum abreptos, dum neglecto Deo ſuas cupiditates ſequuti ſunt.

7.8.9. Extremis doloribus aliquando neceſſe eſt pios premi, vt ardentiore cordis affectu ſub robuſta Dei manu ſe humilient. Nec eſt aliud leuandis malis noſtris remedium, niſi vt depoſita omni peruicacia curuemur ſub Dei ferulis, grauitérque concuſſi cæleſtem noſtrũ iudicem ex profundis afflictionum abyſſis humiliata mente precemur & ad miſericordiam flectamus.

10 Ideo nihil proficit maior pars hominum gemendo, in ſuis doloribus, quia vota & ſuſpiria ad Deum non dirigit. Contrà fideles, vt intrepidè ſibi promittant Deum fore liberatorem, ſuarum anxietatum teſtem ſemper & conſcium fuiſſe ſentiunt.

11 Quamuis ſuffulti Dei promiſſionibus in ſuo gradu pij conſiſtant, non ſunt tamen humanæ infirmitatis expertes, præcipuè verò quum tentationes horrendæ ingruunt, à quibus extra viam raperẽtur, niſi Spiritus ſancti virtute ſenſus omnes ſuos verbi Dei cancellis incluſos tenerent.

12.13. Si nos deficiunt omnia mundi præſidia: (vt hæc eſt in terris piorum conditio) aliique nos fraudant iuſtis officijs, alij nihil quã cædem noſtram ſpirant: veniat nobis in mentem, non fruſtra hæc inter precandum Deo proponi, cuius proprium eſt ſuccurrere miſeris, perfidè deſertos ac proditos ſuſcipere in ſuam tutelam, & homines aſtutos ac violentos compeſcere.

14.15 Dum falſis & peruerſis iudiciis ita obruuntur fideles, vt ne verbum quidem iuſtæ defenſionis cauſa facere liceat, patientiam ſuã proferunt coram Deo, quò magis eum ad miſericordiam inclinent, ſpémque ſuam in ſilentio fouentes (ſtatuunt enim ſuum vindicem in tempore venturum, cuius etiam implorant opem) compeſcunt ſuos affectus, & in Deo prorſus acquieſcunt.

16 Nunquam animus noſter compoſitus erit ad lenitatem, neque etiã motus ſuos frænabit donec in ſpei ſtatione reſidere didicerimus.

Hæc vnica eſt perſeuerãdi ratio quum Dei promiſſionibus inſtructi eum interpellamus: imò fidem eius, & in ſeruandis promiſſis conſtantiam ante oculos ponendo nobis ſumus ipſi pro eo ſponſores.

17 Eo plus ſpei concipere debemus de propinquo Dei auxilio, quo crudeliùs inſoleſcunt hoſtes noſtri, vel iam rebus aduerſis grauatos magnifico ſuo faſtu calcare pergunt.

18 Niſi remedium à Deo impetremus, afflictiones etiam leuiſſimæ fient lethales. Senſus igitur omnes noſtros & vota ad vnum Deum colligere decet: quia ſimulatque deflexerimus ab eo, ruina præſens occurret.

19 Aliquoties Dei manus ſuis adeo aduerſa eſt & infeſta, vt ex miſeriæ qua premuntur intuitu, iudicet mundus homines eſſe damnatos & reprobos: illi etiam hoc ſenſu perculſi triſtem & calamitoſum ſuum ſtatum coram Deo altis gemitibus deplorent, & proſtrati ſub ingenti malorum congerie, hæc omnia mala iuſtas eſſe caſtigationes ingenuè fateantur.

20 Dum pij à Deo caſtigantur, impij valent, tolluntur in altũ, afflictóſque ſuperbè deſpiciunt & opprimunt: ſed vt tandem lapſu grauiore ruant.

Vt nos ſuo fauore protegat Deus, ſemper danda eſt opera ne quem lædamus, & ne cuiuſquam in nos prouocemus odium.

Quoties iniuriis nos afficiunt improbi, quibus ſtuduimus benefacere, ad leniendum dolorem ſemper valeat hæc doctrina, Deum (ad quem nos confugere oportet) fore certum iudicem.

21 *Summus gradus deſperata malitia is eſt, quòd reprobi exoſum habent in Dei ſeruis integritatis ſtudium. Sed omnia mundi odia potiùs prouocanda ſunt (Dauidis exemplo) quàm vt minimum ab officio declinemus, neque refugiamus hoſtes habere quos videmus bono & omni iuſtitia aduerſari.*

23.24. *Pij ab hominibus deſeruntur, miſere omnibus modis affliguntur, & vndique imminet illis exitium: ſed ad Deum viua fidei alis euecti, è calis ab omnipotente & optimo Patre protectionem, auxilium & certam è malis omnibus liberationem expectant, ac tandem obtinent.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De formidanda ira Dei.
2. Miſeriarum noſtrarum cauſæ.
3. De remiſſione peccatorum.
4. Pœnæ temporales, etiam poſt remiſſa peccata, quomodo conſiderandæ.
5. De Sanctorum afflictorum piis votis & precibus.
6. Piorum & Impiorum, ſub manu Dei trepidantium, diſcrimen.
7. Eccleſiæ militantis, & cuiuſque pij dura in terris conditio.
8. Perſeuerantiæ in grauiſſimis tentationibus retinendæ ratio & modus.
9. Fidei in Deum recumbentis, & tandem ex calamitatum abyſſo emergentis, glorioſus triumphus.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIX.

NVLLA ferè doctrina in ſacris literis ſæpius repetitur quàm quæ animos piorum confirmat contra ſcandalum felicitatis impiorum. Nam cùm eccleſia perpetuo in hac vita ſit ſubiecta cruci, & variis ærumnis onerata, impij econtra & ſcelerati homines plerunque teneant imperia, opes, dignitates, & omnibus rebus abundent: fieri non poteſt quin animi piorum, his ſpectaculis interdum ſauciati & grauiter excruciati, ſæpe in eam cogitationem veniant, vt exiſtiment illam multitudinem quæ floret opibus, dignitate, potentia, amicorum multitudine & aliis rebus, quas mundus aſpicit & admiratur, potiùs curæ eſſe Deo quàm illum miſerum cœtum quem mundus odit & crudeliſſimè oppugnat. Ita enim Cicero & alij ſapientes extra eccleſiam, cùm viderent gentem Iudaicam eſſe oppreſſam ſeruitute, & Romanos tenere imperia, nequaquam exiſtimarunt illam gentem curæ eſſe Deo, ſe verò negligi & contemni. Et multi in Eccleſia his cogitationibus ita exercentur vt abiiciant profeſſionem veræ doctrinæ, & deſerto Deo ſe cum blaſphemis & ſceleratis hominibus coniungant. Hæc igitur cauſa eſt cur toties argumentum hoc repetat ſacra Scriptura: quia neceſſe eſt animos noſtros aduerſus hoc ſcandalum bene eſſe munitos & confirmatos. Ac Pſalmi quidem complures in hanc ſententiam conſcripti ſunt à Dauide, nempe 1.4.36.37.39.49.73. &c. Non tamen eodem modo idem argumentum tractatur: ſed, vt in poëmate, aliis atque aliis argumentis vtitur Propheta, quibus ſententiam ſuam confirmat, & addit inſignia lumina orationis, quibus rem exornat. Eſt igitur propoſitio huius Pſalmi adhortatio, ne intuentes felicitatem impiorum incipiamus dubitare de prouidentia & cura diuina, neue animo frangamur, vt deficiamus à Deo, aut murmuremus aduerſus Deum: ſed conſtanter feramus ærumnas, & retineamus profeſſionem doctrinæ. Adduntur autem rationes: primò à breuitate vitæ, quod breui tempore floreant impij, & afflictio eccleſiæ ſit momentanea: altera à collatione iudiciorum humanorum & conſilij diuini. In fine additur precatio, vt eripiatur ex his doloribus & ærumnis, & Spiritu diuino confirmetur, ne fractus magnitudine malorum deficiat aut opprimatur.

1 AD triumphandum pro Ieduthun, Pſalmus Dauidis.

Ieduthun vnus eſt ex illis præclaris cantorum præfectis quos Dauid inſtituit 1. Paral. 16. & 25. huic datus eſt Pſalmus decantandus. Aliqui de melodia, alij de initio carminis noti vocem intelligunt.

2 Dixi, cuſtodiam vias meas, ne peccem lingua mea: cuſtodiam [*ponam*] ad os meũ capiſtrum, dum [*ſtat*] impius coram me.

Totus Pſalmus eſt παραινετικός, vt in argumento diximus. Hortatur enim vnumquenque ne deficiat à Deo, nec dubitet de prouidentia, etiamſi videat florere impios in hoc mundo: ſed hanc παραίνεσιν transfert in narrationem, quam à ſuo exẽplo inſtituit. Fuit enim Dauid inter ſumma lumina & præcipuos doctores eccleſiæ. Itaque quòd ille in ſuis certaminibus fecit, id toti eccleſię imitandum proponit. Ita igitur hæc narratio eſt legenda, vt ſinguli ad ſe eam transferant, & hoc Dauidis exemplo ſe erudiant.

Dixi, cuſtodiam, &c.] Id eſt, quanquam animus meus excruciatur & cor dolet vehementer, dum video impios & hoſtes Dei florere, bonos econtra premi, atque hic dolor ita me vrget, vix vt continere me poſſim, quin deficiam à Deo & obloquar ipſius iudiciis, aut negem prouidentiam: tamen non deficiam à Deo, non murmurabo, non fremã aduerſus Deum propter hanc offenſionem, non accuſabo eum iniuſtitiæ aut crudelitatis: non loquar aut dicam aliquid quod gloriam Dei deformare, aut ſcandalo eſſe eccleſiæ poſſit. Ita verbo dicendi ingentem & grauem luctam deſcribit, quæ non tantùm ipſum Dauidem, ſed omnibus ætatibus omnes pios duriter exercet: & ſimul ſignificat fide intuente verbum Dei & promiſſiones hanc tentationem vinci & ſuperari. Nam illud dicere ſeu decernere non aliunde naſcitur, quàm ex vera fide acquieſcente in Deo & eius promiſſionibus. Eſtque arduum hoc & difficile certamen, in quo animi impetus ſic cohibentur, ne erumpãt in ſermones impios & profanos, quibus Dei gloria lædatur, aut animi piorum ſaucientur. Pompeius poſt pugnam Pharſalicã, diſputans apud Cratippum de ſua cauſſa, negat eſſe prouidentiam: quia deſertus eſſet in optima cauſſa. Itaque non cohibet animi ſui impetus, quod hoc loco Dauid de ſe affirmat.

Dixi] Id eſt, ſtatui, decreui: nam verbo dicendi non tãtùm externus ſermo, ſed etiam quod quis animo intus concipit, notatur. Ideo interdum additur, in corde: alius enim eſt λόγος προφορικός, alius ἐνδιάθετος. ad vtrumque accommodatur verbum Hebræum. Vias nominat omnes actiones, conſilia & ſermones, qui indices ſunt animi & conſiliorum.

Capiſtrum] Id eſt, tanto ſtudio frænaui animi affectus, vt ne verbum quidem ex ore efflueret, quod proderet aliquam impatientiam, ſeu murmur aduerſus Deum. Eſt enim linguæ procliuis lapſus. Ideo diligenter muniri eam oportet. Illud verò frænum de quo hîc loquitur, non eſt niſi fides excitata à S. Spiritu, voce doctrinæ cæleſtis.

Dum ſtat impius coram me] Id eſt, dum verſatur ob oculos meos, oſtentans ſuas opes, potentiam, vires, dignitatem: atque adeo non mihi tantùm, ſed Deo etiam arroganter & faſtuoſè inſultat.

3 Obmutui ſilentio: tacui à bono: & dolor meus turbatus eſt.

4 Incaluit cor meum in medio mei: & in meditatione mea exarſit ignis, (*ideo*) locutus ſum lingua mea (*dicendo*.)

Repetit propoſitionem, quæ antea explicata eſt. Obmuteſcere ſilentio eſt, patienter ferre ærumnas ſibi impoſitas, non murmurare aut fremere aduerſus Deum, non accuſare eum iniuſtitiæ. Eodem enim ſenſu quo ſuprà dicebat, Pſal. 37. Sile Domino, hîc dicit, ſe tacuiſſe, non aliter ac ſi mutus fuiſſet.

Tacui à bono] Hanc particulam variè exponunt interpretes. Quidam ſic reddunt ſententiam: Non modò nullam impiam aut temerariam vocem protuli, ſed prorſus à loquendo abſtinui, ita vt ne bona quidẽ, quę abſq. peccato dicere potuiſſem, protulerim. Alij מטוב interpretantur, eo quòd non eſſet

bonum

bonum aut bene mihi, id eſt, quia tantis miſeriis obrutus eram, vt nuſquam quicquam ſolatij aut opis inuenirem: vel, dolor tantus fuit, vt nullas laudes canere Deo potuerim. Sed videtur ſimpliciſſima eſſe ſententia, *Tacui à bono*, id eſt, Nō oppoſui meam iuſtitiam aut innocentiam illorum mendaciis. Quanquam enim non deeſt mihi iuſta defenſio, vel honeſtus expoſtulandi prætextus, tamen ceſſi vltro, & malui cauſſam meam deſerere, quàm dolori indulgendo aliquid dicere quod impatientiam argueret.

Et dolor meus turbatus eſt] Id eſt, quanquam excruciabar vehementer, intuens illam inæqualitatem euentuū. Dolor torbatur, cùm nō ſtatim offerunt ſe conſilia quibus expediamus nos: tunc enim intenditur. Si ו vt copulam interpreteris, ſignificantur vices dolorum & fidei vincentis in lucta.

Incaluit cor meum] Amplificat magnitudinē doloris ſimilitudine. Dolor aliquādiu ſuppreſſus plus ſubinde caloris cōcepit, donec ardor ingēs magis & magis incaleſceret, & magnum inde incēdium oriretur. Nam quo magis ad obſequiū me parabā, tanto acrius dolor me pungebat, adeo quidem vt oppreſſus fuiſſem, niſi Spiritus oſtendiſſet conſolationes, de quibus iam dicetur.

Lingua locutus ſum] Id eſt, cùm hominibus loqui atque exonerare dolorem non poſſem, tandem ad Deum animum attollens, in hæc verba erupi.

5 Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum: vt ſciam cuius ſim æui.

Primum argumentum, ſeu *prima conſolatio* quam opponit tentationi eſt fugacitas vitæ humanæ: huius cōſideratio quia efficaciſſima eſt ad vincendam hanc tentationem, & tamen, quæ eſt infirmitas humana, non ſatis diligenter in huius rei conſideratione verſari poſſumus (ſubinde enim aliò abripimur) petit à Deo vt in mente ſua accendat illam lucem, quæ monſtret non quidem momenta & articulos huius vitæ, ſed breuitatem vitæ mortalis. Id ſi fiat, fore vt nō indulgeat nimiùm dolori, quem ex felicitate improborum capiat: nec ſecurus fiat, ſicut impij. Ita meditatione mortis docet vincendam eſſe hanc tentationem, nec tantùm, vt philoſophia, illā meditatur, quæ neque cauſſas eius intelligit, nec quomodo per mortem ad vitam tranſeundum ſit, nouit.

Finem meum] Id eſt, oſtende quàm breuis & momentanea ſit hæc vita, & quòd propter peccatum morti & aliis calamitatibus ſit ſubiecta.

Numerum] Id eſt, Menſuram ſeu breuitatem.

Cuius æui] Id eſt, quàm breuis æui ſim, & quàm mox ceſſatura ſit hæc vita.

6 Ecce palmares poſuiſti dies meos, & æuum meum ac ſi nihil eſſet coram te: certè mera vanitas eſt omnis homo, dū conſiſtit, [*vel, vt cōſiſtat ſeu ſtare videatur.*] Selah.

Iam, quaſi impetrarit quod petiuerat, expreſſam ponit aſſeuerationem, quę continet conſolationem, de qua diximus. Totum vitæ curriculum, inquit, accedit ad palmæ menſuram.

Palmos] Hic expreſſè nominat ſpeciem menſuræ, quæ admodum exigua eſt. Poſuiſti palmares dies meos, id eſt, vita hominis ſubitò tranſit, & finis eius initio ferè eſt contiguus.

Homo conſtitutus] Id eſt, qui maximè floret opibus, dignitate, potentia, quique maximè viget: quaſi diceret, Quid igitur eſt quod admiremur iſtas res, quas homines ſuſpiciunt, cùm tanta ſit breuitas vitæ noſtræ, aut cur ægre feramus, impiis illa tribui à Deo, cùm non diu his fruantur?

7 Certè in imagine [*vmbra*] ambulat vir [*vnuſquiſque*] certè in vanum tumultuantur: coacervat, & neſcit quiſnam colliget ea.

Repetit eandem ſententiam, quam illuſtrat ſimilitudine. בצלם intelligit imaginem, quæ homini offertur in ſomno: ea nihil habet ſolidi aut durabilitatis, ſed cum ſomno euaneſcit. Talis eſt vita humana: etiam cùm maximè videtur florere, eſt inanis apparentia ſeu imago in ſpeculo oblata, & vt philoſophus dicit, σκιᾶς ὄναρ.

Fruſtra tumultuantur] Id eſt, moliuntur res magnas fruſtra, fatigant ſe inſanis curis & laboribus. Vt Alexander magnus turbat orbem terrarum, eúmque miſcet bellis, & vaſtat cædibus, & tamē nihil proficit. Atque ita per omnes hominum gradus eundo hæc ſententia amplificari poteſt.

8 Et nunc quid expecto, Domine: Expectatio [*ſpes*] mea ad te eſt.

Addit *alteram conſolationem*, quæ plenior & efficacior eſt illa priore. Nam prior illa etiamſi aliquo modo lenit dolorem, tamen quia nondum certum portum oſtendit, in quo acquieſcamus, neceſſe eſt aliam addi. Etiam philoſophia illam conſolationem monſtrat, contemnendas eſſe opes, gloriā, & cæteras res, quas alij auidè appetūt, quia ſint res fragiles & caducæ. ſed quæ nunc additur, ex fontibus doctrinæ cæleſtis ſumpta eſt: oſtēdit enim vera remedia. Cùm res humanæ ita ſe habeant, quid ergo in hac vita quæram? Admirentur ſanè alij opes, dignitates, imperia, voluptates, & cùm faſtu in his incedant ac ſuperbiant, exiſtimantes ſibi nihil ad verā beatitudinem deeſſe, ſi his fruantur: ego verò aliud habeo magis firmum præſidium, ſcilicet Deū ipſum. Hoc præſidio munitus ſcio me tutum eſſe aduerſus mortem & alias calamitates, quæ ſubitas mutationes rebus humanis afferunt. Quicquid enim de me fiat, ſcio me habere Deum propitium & liberatorem, &c. Qui hanc conſolationem ignorant, ſubitò euertuntur ingruentibus magnis calamitatibus.

9 Ab omnibus tranſgreſſionibus meis eripe me: opprobrium ſtulti ne ſtatuas me.

Conſolationi miſcet precationem. Et primùm quidem oſtendit, præcipuum dolorem eſſe ex conſpectu iræ Dei aduerſus peccata; qui ſi tollatur, faciliùs feruntur externa mala. Ideo primùm petit remiſſionem peccatorum: & ſuo exēplo monet, in omni precatione prælucere debere fidem accipientem remiſſionem peccatorum. Non enim ab ærumnis tantùm quæ nobis moleſtæ ſunt, petere leuationem, ſed ab ipſa cauſa incipere debemus, vt ſcilicet peccatum nō imputet Deus, & vt tollat reatum. Docet etiam hoc verſu, præcipuam cauſam afflictionum eccleſiæ eſſe peccata, quæ multa & magna ſinguli circumferimus: ideóque non iniuſtum eſſe Deum, qui eccleſiam tot calamitatibus oneret.

Opprobrium ſtulti] Altera petitio eſt, in qua petit defenſionem & mitigationem pœnarum: non proſtituas me, inquit, ludibriis impiorū: quod fiet, ſi perpetuò me in iſtis miſeriis relinquas: ideo libera me, ne homines impij mihi inſultent, aut dicant aliquando, vbi eſt Deus eius? atque ita nomen tuū cōtumelia afficiatur. Alij ſic reddunt: ne eodem probro, cui addicti ſunt impij, me ſimul inuoluas.

10 Obmutui, non aperiam os meum; quia tu feciſti.

Repetit primam propoſitionem, & tacitè quodammodo ſeipſum obiurgat, quòd antequam illa conſolatio de præſentia & auxilio Dei in ipſius corde accenderetur, non ſatis diligēter tenuerit illud ſilentiū: ſed interdum doloris vehementia ſit abreptus, vt ederet voces, quæ impatientiā quandam arguerent: ſicut Iob & Ieremias. Etſi igitur (inquit) mihi quoque interdum hoc accidit, vt victus magnitudine doloris in tales voces erumperem, nunc tamen confirmatus diuinis promiſſionibus, poſthac me humiliabo ſub forti manu Dei, & cum ſilentio acquieſcam eius iudiciis.

Quia tu feciſti] Id eſt, non caſu aut temere iſta mihi & cæteris ſanctis accidunt: ſed ſapientiſſimo tuo conſilio & iuſto iudicio res hominum reguntur & gubernantur, & ſunt graues cauſæ cur eccleſiam velis eſſe ſubiectam cruci, & interdum differas pœnas impiorum, nec propterea deſeris eccleſiam, etiamſi eam affligas.

11 Aufer à me plagam tuam: à tractione [*exagitatione*] manus tuæ ego defeci.

Continuat precationem ſuprà inſtitutam, quia, etiamſi vincit fides: tamen ſubinde recurrunt dolores, éſtque perpetua viciſſitudo tentationum & conſolationum in terroribus peccatorum. Ideo opus eſt aſſidua repetitione precationum, ne fides languefacta ſuccumbat. Dixerat, ſe poſthac velle acquieſcere in Dei erga ſe beneuolentia, atque huius agnitione mala omnia contemnere: nunc, quia ſentit ſibi adhuc obſtrepere peccatum, atque hinc quaſi redintegrari prælium, rurſus petit vt Deus amoliatur illud malum, & tollat ſenſum iræ ſuæ aduerſus peccatum ſeu terrores conſcientiæ: hos enim Hebræi vocant plagam Dei. éſtque emphaſis in pronomine *tuam*: quaſi dicat: hominum plagas aut iniurias facilè contemnam, ſi tu deſieris me percutere & vulnerare.

A tractione] Addit cauſam à neceſſitate, allegans ſuam infirmitatem: quia niſi tu remittas manum, neceſſe eſt me ſuccumbere & perire.

12 In correptionibus propter iniquitatem caſtigas virum [*hominem*] & tabeſcere facis [*vel & tabefactum eſt*] quaſi tinea deſiderabile eius [*præſtantiam, pulchritudinem*] certè vanitas omnis homo, Selah.

Repetit primum argumentum ſeu rationem à fugacitate rerum, hoc eſt, illuſtratam ſimilitudine: & ſimul adiicit cau-

ſam horribilium pœnarum, quibus tandem Deus iudicium ſuum aduerſus impios declarat. Mundus exiſtimat omnia ruere & interire caſu: phyſici fingunt cauſam mortis eſſe in materia, ſed Dauid affirmat fieri iſta propter peccata. Ita cauſam nunc exponit, cum antea de remedio dixiſſet.

In correptionibus] Id eſt, pœnis ſeueris & horrendis, atque adeo triſti morte & æterno exitio tandem euertis impios, vtcunque floreant aliquandiu: idque facis propter ipſorum peccata. Correptiones opponit paternis caſtigationibus ſeu ferulis quibus ſanctos in hac vita percutit Deus: illæ enim ferulæ ſeu plagæ ſemper temperantur ſenſu amoris & clementiæ Dei, vt nuper dictum eſt ex Euagrio. Sed in correptionibus quas impiis infligit Deus, oſtendit iuſtum ſuum iudicium aduerſus peccata, adeóque omnem iram ſuam tunc effundit. Itaque affirmat hoc rigore abſumi mortales, vel tabeſcere tanquam tineam ſeu vermé, qui tādem amiſſo omni ſucco exareſcit & in puluerem redigitur. Si actiuè exponas, Conſumis ſicut tinea, erit hæc ſententia, ſicut tinea rodendo conſumit ligna aut pannos, ita tu occulto iudicio impios paulatim conſumis, etiamſi illi id non animaduertant.

13 Audi precationem meam Iehoua, & auribus percipe clamorem meum, ad lacrymas meas ne ſileas: quia peregrinus ego [*ſum*] coram te, inquilinus, ſicut omnes patres mei.

Variè miſcētur affectus in hoc pſalmo, vt fieri ſolet in precationibus, quando fides luctatur & ſubinde nouo ariete percutitur. Vincit Dauid tentationem fide promiſſionum diuinarum: interea tamen ſenſus malorum & calamitatum quibus exercebatur, verſatur ei ante oculos, & ſentit ſe grauiter premi; nec poteſt omnino oculos atque animum inde, dum in hac vita eſt, abducere. Ideo rurſus ad precationes conuertitur, & petit ſibi mitigari calamitates in hac vita, ne preſſus nimio onere malorum aliquando ſuccumbat & deficiat. Id vt impetret, tot verbis inſtat, vt exaudiatur & ne fruſtra preces ſuas effundat. Procedit autem gradatim, quia ſubinde ardor precandi creſcit. primò petit exaudiri precationem: deinde clamorem: tertiò lacrymas.

Quia peregrinus ſum] Addit rationem à ſuis miſeriis, ſeu conditione triſti & miſerabili. Quanquam enim videor eſſe rex potens: tamen tua eſt hæc terra potiùs quam mea, vt coram te reuera nihil ſim niſi hoſpes & peregrinus, qui non habet fixum locum, ſed peregrinatur, & ad patriam ſuam tendit: intereà verò dum eſt in itinere, varias eum moleſtias labores & pericula ſuſtinere oportet.

14 Deſine à me vt roborer [*reficiar*] antequam vadam & non ſim.

Id eſt, Ceſſa percutere & affligere, & da mihi pauxillum relaxationis, vt vires recuperem, & ſaltem reſpirem ante mortem, vt tranquillus animam in manum tuam deponam, ne onere peccati & doloribus oppreſſus peream.

PSALMI XXXIX.

PARTES.

I. Narratio, loco exordij, tribus membris conſtans. 1. Continet v.2. explicationem animi & conſilij ſui. 2. Vitæ ſuæ (v.3.) cum propoſito antea conformatæ picturam. 3. Prætermiſſionem & aberrationem à propoſito, præ grauitate mali, v.4.

II. Petitio, cuius articuli duo præcipui. 1. Immodeſta poſtulatio, ex animi perturbatione naſcens, qua mortem præſentem exoptat, 5. 6. 7. verſiculis. 2. Correctio, qua veluti reſipiſcens ſe committit Deo, à v.8. ad finem vſque. Duo membra autem reſipiſcentis prophetæ correctio hæc continet: 1. Deprecatio eſt de liberatione à peccatis eorúmque pœnis. v.8. 9. 10. Ætiologia ſubiicitur v.11. ab imbecillitate ſua: & v.12. amplificatio αἰτιολογίας, à communi hominum ſorte, quorum nullus, ſi cum grauitate diuini iudicij ſe ipſum comparabit, eam firmitatem habet qua perferre poſſit: ſed contra eſt inaniſſimus.

III. Petitio pro impetranda gratia, v.12. & inſtauratione ſui, v.13.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Quum impiorum furor augetur, & periculum eſt ne patientia noſtra concidat, cogitationibus malis, propheta exēplo, hæc argumenta ſunt opponenda. I. Momentaneam eſſe hanc vitā, ac proinde certamen iſtud breui ceſſaturum, nec poſſe nobis eripi niſi quod per ſe fragile eſt ac caducum. II. Vtut à malis premamur, Deo non eſſe nos inuiſos, quo nobis patrocinante nō eſt quòd dubitemus quin tandem omnia noſtro bono cedant. III. Grauiores etiam pœnas mereri peccata quæ commiſimus. IIII. Quum temere nihil eueniat, nec quicquam à Deo niſi iuſtè fiat, æquiſſimum eſſe vt in eius volūtate acquieſcamus, ſic humani generis ἀταξίαν iuſtè punientis. V. Proponēda nobis aliorum ſanctiſſimorum virorū exempla, quos ſic exercuit, nec tamen neglexit Dominus.

2 Quoties nos angunt moleſtiæ, decet ad moderandos noſtros affectus acriter eniti, ne qua impia obtrectatio aduerſus Deum nobis excidat.

3 Dauidis ſtrenuiſſimi athletæ in arena & certamine anhelantis imago nos ad ſimilem lapſum metuendum, & Deum inuocandum hortatur.

4 Si quando in nobis feruent magni tentationum æſtus, memoria reuocandum eſt certamen hoc Dauidis, ne animos deſpondeamus, vel ſaltem, ne ad deſperationem infirmitas noſtra nos præcipitet, ſed humanæ, id eſt, noſtræ infirmitatis cōſcij ſolicitè ſub vmbram alarum Dei confugere diſcamus.

5.6. Tunc demum ſentiunt homines quàm nihil ſint, dum premuntur rebus aduerſis. Res enim ſecundæ eos inebriant, vt ſuæ ſortis obliti, ſomnient immortalem ſtatum in terra. Sic autem miſera noſtra conditio nobis diſpliceat, vt proſtrati & ſupplices ad Dei miſericordiam tollamus oculos.

7 Nullum ad temperandas ſuperuacuas curas melius remediū eſt quàm vt in mentem nobis veniat, vitæ noſtræ curriculum quaſi palmare eſſe.

8 Nemo ſeriò ad Deum reſpicit, vt ab ipſo pendeat, vel ſpem in eo defigat, donec ſuæ fragilitatis conuictus fuerit, adeóque in nihilū redactus, vt deinde ad Deum accedens, in quem tota mente recumbere debet, vere incipiat aliquid eſſe, vbi Dei manu exceptus ſurſum aſpirare cœperit.

9 Dum fideles ſe à ſceleribus eripi poſtulant, Deo iuſtitiæ laudem adſcribunt, miſeriæ quam ſuſtinent culpam in ſe ſuſcipiunt: neque vnius tantùm peccati ſe accuſant, ſed fatentur multiplici reatu ſe eſſe obſtrictos.

10 Vnum ex præcipuis fidei noſtræ exercitiis eſſe ſciamus, humiliari ſub potenti manu Dei, & cum ſilentio acquieſcere eius iuſtis iudiciis.

11 Nemo mortalium tanta virtute aut gloria excellit, quem ira Dei, ſi vehementiùs in eum exarſerit, non ſit protinus in nihilum redactura.

12 Quamuis non palam fulminet è cælo Deus, non aliter tamen occulta eius maledictione conſumuntur reprobi, ac tinea cæco morſu pannum vel lignum abſumit.

Remedium purgandæ ſuperbiæ eſt vbi homines territi ira Dei ſenſu, non modò ſibi diſplicere, ſed prorſus ſe deijcere incipiunt.

13 Deus è cælo videt quàm incerta in terris & miſera ſit noſtra conditio, dum nos excipit ſua miſericordia.

14 Quamuis ſedulò compeſcant pij homines carnis ſuæ affectus, tamen aliquoties nonnihil perturbationis patiuntur, ita vt modum in querelis & lacrymis coram Deo fundendis excedant. Videndum eſt igitur vt infirmitatis noſtræ conſcij Dei opem ardentiùs imploremus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudato & illaudato ſilentio.
2. Piorum ſub tentationum pondere anhelantium hypotypoſis.
3. De vitæ humanæ breuitate, momentaneiſque conuerſionibus.
4. Mortem an expetere liceat.
5. Humani generis vanitas, & ſumma extra Deum miſeria.
6. Precum rectus vſus & fructus in Liberatione à malis, & gratiæ veræ impetratione conſiſtens.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI XL.

PSALMVS magna ex parte continet gratiarum actionem pro liberatione ex variis periculis. Celebrat enim Dauid bonitatem Dei, quòd circumuentum variis periculis non deſeruerit: ſed præſto fuerit & liberauerit, atque hoc exemplo oſtenderit, ſe omnibus ad gratiam diuinam confugientibus velle adeſſe & opitulari. Cùm verò ad gratitudinem noſtram pro beneficiis acceptis declarandam non ſatis ſit verbis illa vtcumque commemoraſſe, ſed vita & factis animi gratitudinem declarare nos conueniat: promittit ſe totum deinceps fore Deo ipſiúſque gloriæ deprædicandæ atque illuſtrandæ addictum. Atque hic ſimul vtiliſsimam doctrinam inſerit, qua verum cultum definit, eúmque à falſo ac commentitio diſcernit.

Hæc prima pars eſt pſalmi, gratiarum actio ſcilicet, & pollicitatio perpetuæ gratitudinis & animi pietatis. Cum autem intelligeret Dauid, ſe nondū defunctum eſſe omnibus periculis, ſed ſubinde, quandiu in his terris vitā ageret, varia ſibi imminere pericula, ſeque hoſtes habere crudeliſsimos, à quibus perpetuò oppugnaretur, petit ſe deinceps quoque ſeruari & defendi, & hoſtiū vires ac potentiā infringi: & addit cauſam finalē, ſe id petere non vt ſibi tantùm bene ſit: ſed potius vt aliorum fides confirmetur, & nomen Dei paſsim à multis celebretur.

Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Sed quia Dauid typus erat Chriſti, ipſiusque afflictiones, patientia & obediētia in cruce præludium quoddā erāt eorum quæ Chriſtus verus rex & caput Eccleſiæ ſuæ erat paſſurus, autor epiſtolæ ad Hebræos hunc pſalmum ad Chriſti paſsionē ipſiúſque ſpontaneam obedientiam quā æterno Patri in tolerādo cruce & ſupplicio præſtitit, accommodat. Et quia doctrina de veris cultibus inſerta eſt, dulciſsimā doctrinam hinc extruit, quæ oſtēdit non ſacrificiis aut externis ritibus ſatisfieri pro peccatis, aut placari irā Dei: ſed ſola obediētia filij, qui ſeipſum obtulit Deo, & hac oblatione eccleſiæ ſuæ peperit æterna & cæleſtia bona, remiſsionem peccatorum, donationem Spiritus ſancti, iuſtitiam & vitam æternam. Nos igitur ſequuti authoritatem huius epiſtolæ, etiam de Chriſto, de ipſius paſsione & liberatione pſalmum interpretabimur: nec difficile erit poſtea vel ad Dauidem, vel ad alia membra pſalmum accommodare. Oportet enim Dauidem & omnes ſanctos ſimiles fieri imaginis filij Dei, & non tantùm compati ipſi: ſed quæ ille præſtitit in ſuis afflictionibus & periculis imitari, ipſúmque adeo in omnibus tanquam ducem & ἡγεμὸν ſequi, donec vna cum ipſo ad cæleſtem gloriam, quæ nobis ſanguine ipſius parta eſt, perueniamus.

1 AD triumphandum Dauidis pſalmus.
2 Expectando expectaui Iehouam: & inclinauit ad me, & audiuit clamorem meum.
3 Et extraxit me è puteo præcipiti, è luto cœnoſo, & ſtatuit ſuper rupem pedes meos, firmauit greſſus meos.

Exordium ſumitur à gratiarum actione, in qua Chriſtus celebrat liberationem non tantùm ex doloribus quibus angebatur, ſed ex præſentis mortis periculo. Suſtinuit enim Chriſtus ingentes dolores, quia ſenſit in ſe effundi iram Dei aduerſus omnia peccata generis humani, & ſubiit mortem pro nobis, non aliter ac ſi ipſe polluiſſet ſe noſtris ſceleribus: nec poteſt magnitudo horum dolorum à nobis intelligi, aut oratione explicari. Sed Chriſtus intelligens magnitudinem beneficij diuini, quòd liberatus ex his euaſerit, magno ardore erumpit in gratiarum actionem. Nos verò hoc exemplū ita intueri debemus, vt nos quoque in noſtris afflictionibus & ærumnis diſcamus confugere ad Deum, ab eo petere & expectare auxilium, & vt liberati Deo gratias agamus: ſicut videmus, Chriſtum, & eius typum Dauidem id facere. Nam & Dauid pro ſe gratias agit Deo.

Expectans expectaui] Id eſt, ſolicitè, anxiè, patienter & perſeueranter expectaui Dominum in calamitatibus & afflictionibus, non quæſiui præſidia humana, non confugi ad illicita remedia: ſed ad ſolum Deum: nec fractus ſum mora, etiamſi aliquandiu differretur auxilium, & Dominus opem ſuam ſuſpenderet.

Inclinauit] Scilicet aurem: vel, inclinatus eſt. Alij reddunt, inclinauit ſe. Geſtus enim hoc verbo ſignificatur, ſiue ad totum corpus, ſiue ad aures referas.

Audiuit me] Id eſt, vota mea non fuerunt irrita, nec ſpes fuit inanis.

Et extraxit me] Puteum præcipitem ſeu profundum, primùm de Chriſto intelligendo, nominat illam ingentem animi conſternationem & dolorem in paſſione, cùm oppreſſis tenebris mortis nihil cerneret niſi iram Dei, & mortis ac inferorum fauces, adeo vt ipſe exclamaret, Quare me deſeris? Deinde & Dauidem intelligamus fuiſſe ſæpe in magnis doloribus propter ſua peccata, in quibus neceſſe fuiſſet eum perire, niſi diuinitus fuiſſet extractus.

E luto cœnoſo] Alia metaphora idem ſignificat, pericula ſcilicet crucis & mortis: ſed per cœnoſum lutum periculi magnitudinem ſimul amplificat. Significat enim ſe ita altè & tenaciter fuiſſe defixum in his malis, vt nulla humana ope inde potuerit euelli.

Poſuit me ſuper petram] Id eſt, extractum ex profundo gurgite, vbi antea aquis eram obrutus, collocauit me in ſummo faſtigio tanquam in rupe, vbi deinceps tutus eſſem ab aquis tribulationum.

Firmat greſſus] Qui ſcilicet priùs in lubrico non tantùm vacillabant, ſed erant in cœno defixi. Antitheſis eſt gemina putei, & rupis, cœnoſi luti & greſſuum firmatorum.

4 Et poſuit in os meum canticum nouum, laudem Deo noſtro: videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Iehoua.

Addit cauſam finalem liberationis. Deus enim quoties nobis ſuccurrit & opitulatur, nihil requirit à nobis niſi gratiarum actionem. Quoties igitur nouo beneficio nos afficit, toties aperit nobis os ad celebrandum nomen ſuum. Ideo inquit, poſuiſti in os meum canticum nouum, id eſt, dediſti mihi materiam canendarum tuarum laudum & celebrandorum tuorum beneficiorum. Nouum autem dicit pro ſingulari & exquiſito. Sicut enim genus liberationis erat non vulgare: ita requirebat non vulgarem gratiarum actionem, ſeu vulgare carmen, ſed tale, quod aliquo modo magnitudini gratiæ diuinæ reſponderet.

Laudem] Id eſt prędicationem ſeu celebrationem diuinorum beneficiorum ſeu diuinæ bonitatis, quòd clamantes exaudit.

Deo noſtro] Noſtro dicit: Quia exemplum ſuum vult prodeſſe aliis: ſicut mox ipſe vſum ſeu fructum auxilij ſui & liberationis oſtendit, cùm addit:

Videbunt multi] Id eſt, Meum exemplum erit commune documentum, ac teſtimonium perpetuæ tuæ bonitatis erga omnes pios.

Timebunt] Id eſt, reuerenter ſe ſubiicient Dei imperio: non iudicabunt caſu aut fortuitò omnia fieri in mundo: ſed agnoſcent iuſto Dei iudicio omnia gubernari & adminiſtrari, & ſimul ſperabunt ſe in ſuis calamitatibus habituros Deum propitium. Epicurei, quia vident bonos affligi, rident & contemnunt Deum. Huic igitur contemptui opponit timorem.

5 Beatus vir qui poſuit Iehouam ſpem ſuam: & non reſpexit ad ſuperbos, & qui diuertunt [*ad*] mendacium.

Addit epiphonema, in quo plenius oſtendit vſum huius ſui exempli. Docet enim, omnes pios & ſanctos, ſi ſuo exemplo ſpretis omnibus huius mundi illecebris totos ſe Dei curæ & fidei committant, perpetuò fore beatos.

Beatus vir qui poſuit Dominum ſpem ſuam] Id eſt, qui vnico Deo contentus omnem ſalutis ſpem in hoc repoſitam habet, quíque non alibi quærit opem & auxilium quàm à ſolo Deo. Addit autem antitheſin, vt magis illuſtret hanc ſententiam.

Non reſpicit ad ſuperbos] Id eſt, qui non ſuperborum exemplo putat ſe felicem & beatum fore, ſi abundet opibus, potentia, viribus, aut qui non admiratione harum rerum ad imitationem rapitur. Nominat enim ſuperbos, qui ſummam felicitatem ponunt in honoribus, dignitate, potentia, opib⁹ ea

diuitiis, atque has res vt conſequantur, nihil non moliuntur & tētant: vbi verò conſequuti ſunt, ſuperbè ſe efferūt ſupra alios, cōfidunt ſuis viribus, & faſtuosè in his ſuis deliciis incedunt. Horum ſplendore capiuntur multi, vt ipſi quoq; praua æmulatione ad idem tentandum ſolicitentur. Hi igitur reſpicere dicuntur ad ſuperbos: ſed qui his illecebris non capitur, ſed in vnico Deo acquieſcere poteſt, hic verè eſt beatus. Addunt alij, etiam eos ſuperbos dici qui propria iuſtitia & meritis confidunt. Eſt enim duplex ſuperbia: alia externa, quæ externis rebus confidit, & variis geſtibus atque oratione ſeſe prodit, eá cùm in oculos omniū incurrat, faciliùs iudicari poteſt. ſed alia eſt interna, qualis eſt Phariſæorum. De hac poſteriore, videtur ſequenti membro loqui, cùm inquit, Qui diuertunt ad mendacium. id eſt, qui arrogāt ſibi vel ſapientiam, vel iuſtitiam, vel magnum rerum vſum, atque his rebus putant ſatis ſe munitos eſſe aduerſus iniurias, vtpote qui Deum ſibi ſuis meritis habeant obſtrictum, & à ſe quoq; ſint inſtructi: cùm tamen omnis illa confidentia nihil ſit niſi vanitas & mendacium: fallit enim & deſtituit hominem. Ideo nominat mendacium, id eſt, rem nihili.

6 Multa feciſti tu Iehoua, Deus meus, mirabilia tua, & cogitationes tuas ſuper nos non ordinare [*licet, vel non eſt noſtrum eas ordinare*] ad te narrabo & loquar, præualent ſupra numerum [*à narrando, id eſt, ſunt maiora quàm vt enarrari aut commemorando exponi poſſint.*]

Exclamatio eſt in quam erumpit ex admiratione bonitatis & beneficiorum diuinorum, quæ Deus ſubinde ſuis exhibet: atque ita à ſpecie iam ad genus progreditur. Prius enim dixerat de beneficiis in ſpecie ſibi exhibitis. Cōmendat autem illa à tribus rebus. primò, à magnitudine, & multitudine: ait enim ita multa & magna eſſe vt eorum magnitudinem & multitudinem nulla oratio aſſequi enumerando aut narrando poſſit. Hic ſi quis per diſtributionem aliquam ſaltem inſigniora velit colligere, creſcet oratio in immenſum. ſecundò, A magnificentia, quòd non ſint vulgaria, ſed planè miraculoſa, quæque captum humanum ſuperent. tertiò, Ab incomparabili ſapientia diuina, qua res hominum & imprimis eccleſiæ, gubernat.

Multa feciſti] Id eſt, non tantùm hac mea liberatione oſtēdiſti, tibi genus humanum & imprimis eccleſiam eſſe curæ: ſed paſſim in toto orbe, in cōſeruatione mūdi, in aſſidua gubernatione & defenſione eccleſiæ contra furores diaboli & tyrannidem impiorum, & imprimis in reſtauratione generis humani, quæ fit hac mea miſſione, & paſſione, cōſpicitur tua bonitas & cura, quam geris pro genere humano.

Cogitationes tuas] Scilicet quas pro ſalute noſtra ſuſcipis.

Non eſt ad nos, vel in nobis, ordinare ad te] id eſt, nō poſſumus ea opera ita æſtimare, vt in ſe ſunt: tanta eſt imbecillitas humani ingenij, vt ad harum rerum cogitationem obſtupeſcat & deficiat, nec poſſit in ſuum ordinē omnia digerere. Etiam ſi enumerem, tamen ſuperant numerum, id eſt, Non poſſumus aſſequi tua beneficia, quia ſunt innumera. Et tamen initia aliqua huius cōſiderationis & prædicationis eſſe in nobis oportet. Qui enim ita negligunt beneficia Dei, vt nunquam de his cogitent, ſunt ingrati & impij erga Deum. Ideo non exiſtimandum eſt, Dauidem hac ſententia nos velle à conſideratione vel inquiſitione beneficiorum diuinorum abducere vel abſterrere: ſed potiùs in admirationem nos adducere, vt tanto magis ea ſuſpiciamus & ornemus, & ne nobis vileſcant vſu quotidiano.

7 Sacrificium & oblationem nō amaſti: aures perfodiſti mihi: holocauſtum & piaculum non poſtulaſti.

Poſtquam verbis gratias egit pro beneficiis acceptis, nunc addit alteram partem gratitudinis: conſtat enim gratitudo ex duabus virtutibus, veritate & iuſtitia. Veritas agnoſcit & fatetur vnde ſit acceptum beneficium. Iuſtitia obligat nos ad æquitatem ſeu ad mutua quædam officia. Quando verò cum Deo nobis res eſt, non poſſumus ei aliquid reddere, quod cōpenſatio ſit pro beneficiis acceptis: ſed tamen poſtulat Deus vt noſtram obedientiam ipſi offeramus, nóſque totos ipſius cultui addicamus. Hæc vera eſt gratitudo quam à nobis requirit. Chriſtus igitur, tanquam caput eccleſiæ, ſub perſona Dauidis, qui eius typum gerebat, poſtquam verbis commemorauit beneficia accepta, nunc affirmat, ſe deinceps teſtandæ gratitudinis cauſſa penitus addictum fore Deo, ſéque cultus gratos ei præſtiturum eſſe. Atque vt magis animi pietatē oſtendat, ex antitheſi docet, qui ſint veri cultus qui Deo placeant, & qui falſi ſeu ſimulati, quos Deus repudiet.

Hæc ſumma eſt huius & aliquot ſequentium verſuum. Cæterùm doctrina hæc ad omnes ſanctos eſt accōmodanda. Non enim loquitur Chriſtus tantùm de ſua obedientia, qua ſe obtulit patri, cùm fieret victima pro peccatis totius generis humani, & perſolueret λύτρον ſeu debitum: ſed poſtulat vt qui membra eius ſumus, in noſtris ærumnis & calamitatibus, atque adeo in tota vita nos Deo offeramus, ac conſecremus, ipſiúſque beneficia agnoſcamus ac celebremus. Interea diſcrimen obſeruādum eſt inter obedientiam, quam Chriſtus præſtitit patri in paſſione & morte, & noſtram qualēcunque ſubiectionem & obediendi voluntatem. Mors enim Chriſti ſacrificium eſt ἱλαστικὸν, quo expiantur peccata generis humani: noſtræ verò paſſiones & ærumnæ, in quibus fides intuetur Deum, nihil aliud ſunt quàm ſacrificium εὐχαριστικὸν, &c. ſed alibi hæc explicantur copioſiùs.

Sacrificium & oblationem non amaſti] Id eſt, Non delectaris externa pompa ſeu cæremoniis: odiſti enim omnem hypocriſin, quæ externis ritibus ſeu geſtibus exiſtimat Deum poſſe placari: requiris autem integram cordis pietatem ſeu interiorem obedientiam. Illa ſola quum de Chriſto loquimur placat & tollit iram Dei, non illa ſacrificia Legis, aut ſanguis victimarum: ſicut ex hoc loco erudite colligit epiſtola ad Hebræos. In cæteris ſanctis interior obedientia, quæ in hac vita inchoatur à Spiritu ſancto, placet Deo propter mediatorem, éſtque gratum ſacrificium, ſicut dicitur in epiſtola Petri: Offerte hoſtias ſpirituales acceptas propter Ieſum Chriſtum.

Sacrificium] Recenſet quatuor ſpecies, quibus omnia Legis ſacrificia deſignat συνεκδοχικῶς. In Moſe plures ſpecies Leuiticorum ſacrificiorum deſcribuntur.

Tria nominabantur ἱλαστικά, non quòd mererentur remiſſionem peccatorum vel expiarent ſcelera perpetrata, & irā Dei placarent: ſed quod typi eſſent illius victimæ quæ Deo ſatisfactura erat pro peccatis generis humani. Ex his *primum* dicebatur עולה Græcis ὁλόκαυστον ſeu ὁλοκαύτωμα: quia tota victima comburebatur. *Secundum* eſt חטאת *Hathat*, θυσία περὶ ἁμαρτίας, quod genus ſacrificij offerebatur pro peccatis ex errore aut ignorantia commiſſis. *Tertium* dicebatur אשם, Græcis θυσία περὶ πλημμελίας quod offerebatur pro peccatis ἐκ προαιρέσεως commiſſis. Erant & tria εὐχαριστικά. *Primum* מנחה cuius hic fit mentio: erátque id multiplex: ſed ſemper è frugibus conſtabat, non tamen eodem modo paratis. eius ſpecies quinque enumerantur Leuit. 2. Græci interpretantur δῶρον θυσίαν. *Secūdum* erat זבח שלמים *Sebah Selomim*. i. ſacrificium pacis, quo gratitudo propter accepta beneficia declarabatur: Græcis θυσία σωτηρίου. *Tertium* erat תודה *Thoda*, θυσία αἰνέσεως, quod quomodo differat à priore, Moſes ipſe oſtēdit. Hæc autem ſacrificia omnia, vt dixi, diuinitus inſtituta erāt, non quòd his poſſet placari aut tolli ira Dei (impoſſibile enim erat ſanguinem taurorum auferre iſta, &c. Heb. 10.) ſed primùm qui illas victimas auferebant, hoc ritu admonebantur, ſtipendium peccati eſſe mortem. Nam qui hoſtiam mactandam adducebat, teſtabatur ſe commeritum eſſe vt occideretur: ſed bonitate Dei mortem ſuam tranſlatam eſſe in victimam. Ita *primùm* hoc ritu admonebantur, vt peccata cauerent & deteſtarentur, tanquam quæ æternam mortē promerentur. *Deinde* illæ victimæ animos piorum in Chriſtum dirigebant. Nam cùm ſcirent iram Dei non poſſe placari ſanguine taurorum, docebantur, Chriſtū qui his typis adumbrabatur, fore victimam illam, quæ tolleret peccata mundi, & in quam noſtra mors & damnatio transferenda eſſet. *Tertiò*, erant teſtimonia profeſſionis, diſcernentia hunc populum ab aliis gentibus. *Quartò*, erant exercitia & certa ſymbola ſeu teſtimonia fidei, pœnitentiæ, inuocationis & gratiarum actionis. Ad hos fines quoties referebantur, placebant Deo, erántque ei odor ſuauitatis, vt loquitur Scriptura.

Sed hîc oritur quæſtio. Cùm diuina voce inſtituta & mandata ſint ſacrificia, cur inquit Dauid, Deum non delectari ſacrificiis? Neque enim hic addi poteſt tantùm illa interpretatio, quæ alibi occurrit, de his qui pollutas conſcientias afferebant ad hæc ſacrificia, quíque externis tantùm ritibus poſſe placari Deum exiſtimabant. De his enim vera eſt regula: Miſericordiam volo, non ſacrificium, Oſe. 6. Hic verò Dauid ita loquitur, qui certè non erat impius aut hypocrita: ſed intelligebat in quem finem ſeu vſum inſtituta eſſent illa ſacrificia, & lege tenebatur vt offerret ſacrificia. Multo magis verò Chriſtus, cui hunc ſermonem epiſtola ad Hebræos tribuit, intelligebat voluntatem Dei requirentis illa ſacrificia: nec poterat omnino, dum ille cultus vigebat, ea, quæ diuinitus inſtituta erant, abiicere. Ideóque legimus eum eſſe circumciſum, oblatum in templo, aſcendiſſe ad feſta, comediſſe cum diſcipulis agnum Paſchalem, & cætera præſtitiſſe, quæ ſibi ex lege præſtanda eſſe ſciebat. Cur igitur dicit, Deum non velle nec requirere ſacrificia?

Reſpondeo primùm de Dauide, Eum quidem non damnare

nare ſacrificia: fuit enim religioſus in ſacrificiis offerendis, & ſciebat ſe mandato diuino ad ea offerenda obſtringi. ſed inſtituit comparationem inter ſpiritualem Dei cultum & illum vmbratilem. Et quia ſpiritualis cultus longè eſt excellentior, ideoque multis modis præferendus illis externis ritibus ſeu vmbris, non eſt mirum ſi huius comparatione externa ſacrificia quæ in alium finem & vſum inſtituta erant, hoc eſt, quæ tantùm pædagogia erant ad illum internum cultum, dicat non magnifieri à Deo. Ita ſi comparatio, qua id quod principale eſt, & quo perfectus Dei cultus per ſe conſtat, & diſtinguitur ab acceſſorio ſeu aduētitio, intelligatur eſſe in his verbis, non difficulter poteſt reſponderi ad hanc quæſtionem. Perfectus Dei cultus eſt interior animi obedientia, etiamſi foris illa ſacrificia non accedant. Ergo ſtatuendum eſt Deum principaliter & per ſe requirere cor hominis, ſacrificia verò externa tantùm per accidens: eò quòd ſubſeruiant interiori cultui, ſintque quaſi ſtimuli quidam pietatis religioſæ. Et tenenda eſt hic regula: Quicquid per ſe Deo non placet, ſed propter aliud duntaxat, non poteſt pro vero ac legitimo cultu cenſeri: & ſi cenſeatur, repudiandum mox eſt.

De Chriſto alia eſt reſponſio. Nam is ſuo aduentu ſuſtulit vmbras Legis & ſacrificia, quibus ipſius mors & ſacrificium erat adumbratum. Cùm itaque dicit, Deum non delectari ſacrificiis, ſignificat iam finem fore iſtorum cultuum legaliū: quia tantum fuerint vmbræ duraturæ non diutius, quàm verum illud ſacrificium exhiberetur. Et docet nequaquam iram Dei talibus ritibus placari: ſed alia victima ad hanc rem eſſe opus quam ipſe nunc offerat, atque ita finem illis cæremoniis legalibus imponat. Hæc in epiſtola ad Hebræos cap. 10. copioſè declarantur.

Non poſtulaſti] Scilicet tanquam principalem cultum ſeu tanquam λύτεον pro peccatis.

Aures perforaſti mihi] Id eſt, conſecraſti me in obedientiam voluntatis tuæ, ſeu per fidem obſtrinxiſti me tibi ad obedientiam, & vis tibi præſtari veros cultus, qui non conſiſtunt in ſacrificiis, ſed oriuntur ex vera fide. Nam per aures notatur fides, quia fides eſt ex auditu, vt ad Romanos dicitur. Auris autem perfoſſione mancipabantur ſerui & obſtringebantur ad perpetuam obedientiam, Exod. 21. Hinc igitur videtur illa phraſis ſumpta. Eſtque obſeruandum, quòd plurali numero vtens, aures dicit, non aurem. Nam ſeruo vna tantùm auris perforabatur ſubula: ſibi dicit vtramque perforari: quia intelligit, ſe obſtringi non tantùm ad externū obſequium, vt ſerui in hoc populo: ſed ad interiorem cultum: & quidē præſtare illa obſequia non poſſumus, niſi diuinitus nobis aures perforentur: ſunt enim nobis aures per peccatum obſtructæ & heberatæ, vt vocem diuinam non admittant, niſi à Domino perforentur. Docilitas igitur, ad quam formamur Spiritus ſancti gratia, hoc verbo notatur. Si de Chriſto intelligas aut interpreteris, erit hæc ſententia: Scio te non requirere ſacrificia ad hoc, vt ſint λύτρον pro peccato: ſed meam obedientiam voluiſti eſſe ſacrificium ἱλαστικόν, quo ira tua placaretur, méque tanquam ſeruum fidelem tibi obſtrinxiſti, vt manu mea tua voluntas & redemptio generis humani perficeretur. Ita epiſtola ad Hebræos hanc phraſin interpretatur: Voluntate Chriſti ſanctificati ſumus per oblationem corporis eius ſemel.

Verbum כרה alij interpretantur, aptare, ſcilicet aures in obſequium, ex Græco. Eodem quidem redit ſententia, ſed figura ſermonis non explicatur, quæ gignit commodam ſententiam. Lutherus ita interpretatur: Aures, ſcilicet, mundi, aperuiſti mihi, vt audientes & credentes ſine ſacrificiis ſalui fiant.

8 Tunc dixi, Ecce venio: in volumine libri ſcriptum eſt de me.

9 Vt faciam beneplacitum tuum, Deus mi: Volui, & lex tua in medio viſcerum meorum [*eſt.*]

Dixerat ſe conſecratum eſſe ad obedientiam Deo præſtandam. Iam intuens illam voluntatem Dei requirentis promptam ac volūtariam obedientiam, offert ſe ad illā ſpontaneam obedientiam, in quam agnoſcit ſe eſſe conſecratum. Hac ſua obedientia intelligit Chriſtus placari iram Dei aduerſus genus humanū, tolli peccatum, mortem & æternam damnationem. Ideo magno cum ardore & ingenti deſiderio ſalutis noſtræ hæc verba profert: *Tunc dixi, Ecce venio*, id eſt, Ego Meſſias adſum promiſſus ſaluator, qui tanquam vades ſe ſiſtit & offert ad ſoluendum debitum: & offero me tibi tanquam victimam gratam, propter quam reconcilieris generi humano.

In volumine] Id eſt, tota Lex loquitur de me, quòd debeam mea morte abolere peccatum. Non enim voluiſti iram tuam placari hoſtiis pecudum: ſed voluiſti me obedire: hac obedientia mea oſtendiſti te poſſe placari & reconciliari generi humano. Huic igitur tuo arcano decreto volens obtempero: & ipſe dicit apud Iohannem 17. Ego me ſanctifico pro ipſis, id eſt, ſponte & volens me tibi offero tanquam gratam victimam, qua placatus redeas in gratiam cum genere humano.

Cùm autem volumen nominat, non tantùm de promiſſionibus loquitur, in quibus aduentus Chriſti in carnem & mors prædicta erat: ſed Legem ſimul comprehendit. Nam tota Lex varias habebat vmbras, quæ Chriſtum ſignificabant.

Deus meus] Hoc emphaſin quandam habet: reddit enim rationem tam obedientiæ quàm animi prompti: deinde etiam fiduciam quam habebat de euentu oſtendit. Voluiſti, ſcilicet, facere beneplacitum tuum.

Lex tua in medio viſcerum] Id eſt, non ſunt verba tantùm quę loquor, ſed ipſe animi mei affectus huc propendet: ego enim ſumma voluntate & toto corde tibi obedio.

Poſtquàm vero de Chriſto hi verſus ſunt expoſiti, videndum quomodo ad Dauidem & reliqua eccleſiæ membra congruant. Etſi enim, vt dixi, noſtra obedientia in cruce & ærumnis non eſt λύτρον, quod ſatiſfaciat pro peccatis: tamen in genere colligimus hinc, Deum ab omnibus piis, pro ſummis illis beneficiis quibus nos quotidie afficit, requirere veram animi gratitudinem & ſpontanem obedientiam: nec ſatis eſſe ad cultum diuinum, ſi variis ritibus ſeruandis ſimus occupati, vt ſomniant monachi, & tota illa colluuies pontificiorum. Sicut igitur Chriſtus in paſſione & morte ſponte ſe obtulit patri: ita nos quoque huius exemplo ſtatuere debemus, hanc λατρείαν ſolam Deo gratam eſſe, qua nos ipſos ad voluntariam obedientiam per Chriſtum Deo conſecramus. Hæc enim eſt λογικὴ λατρεία, & ſpiritualis hoſtia, quam vox diuina ab omnibus requirit. Reliqua, quæ homines offerunt, ſunt friuola & putida, ſi interior illa & voluntaria obedientia abſit: nec tantùm non placent Deo, ſed magis eum offendunt. Iam verba ordine expendamus, & ad hanc ſententiam accommodemus.

Aduerbio *tunc*, ſignificat homines non prius idoneos eſſe ad præſtandam ſpontaneam obedientiam, quàm Deus illis aures perforet, hoc eſt, Spiritu ſuo alacres & promptos reddat ad obediendum. Etiam Chriſtum Spiritus reddebat promptum, cùm caro eſſet infirma & exhorreſceret mortem, vt ipſe teſtatur.

Dixi] Id eſt, hoc fuit firmum animi mei propoſitum.

Venio] Caro noſtra naturaliter fugit Deum in hac corrupta natura: ſed mota à Spiritu ſancto, venit & ſiſtit ſe Deo. Nec agit Deus tanquam in lapide: vt rapiat nos violento motu: ſed voluntas mota à Spiritu ſancto habet ſe ἐκ προαιρέσεως αὐτεξουσιακῆς, vt inquit Macarius, & ſponte ſequitur.

In volumine libri ſcriptum eſt de me] Id eſt, intelligo tota Lege requiri à me hanc obedientiam. Volumen enim libri, vt dixi, intelligit totam Legem. Græcus reddidit, In capite libri: quæ interpretatio occaſionem præbuit multis ineptis commentationibus, quas lubens omitto.

Lex tua in viſceribus, &c.] Id eſt, ſcio tibi non placere tantùm externa opera ad ſpeciem pietatis efficta, nec ſatis eſſe, ſi manus, pedes, oculi aliquam Legis obſeruationem foris effingant aut repræſentent: ſed ſcio te requirere vt ex viuo corde proficiſcatur illa obedientia.

10 Annuntiaui iuſtitiam [*tuam*] in cœtu magno: ecce labia mea non prohibebo: Iehoua tu noſti.

11 Iuſtitiam tuam non abſcondi in medio cordis mei: veritatem tuam & ſalutem tuam prædicaui: non celaui bonitatem tuam & veritatem tuam in cœtu magno [*ſeu multo.*]

Amplificat narrationem ſuam Chriſtus à fructu paſſionis, &c. Non ſatis erat Chriſtum pati, mori & reſurgere: ſed neceſſe erat etiam, quemadmodum ipſe inquit Lucæ 24. in nomine eius prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Niſi enim accederet prædicatio Euangelij, maneret beneficium hoc ignotum & quaſi ſepultum, nec applicaretur hominibus. Chriſtus igitur non tantùm præſtat Patri ſpontaneam obedientiam in placanda ipſius ira & reconciliando genere humano: ſed voluntatem Patris reconciliatam nobis quoque annuntiat, & vtraque re ſummum ſuum erga genus humanum amorem declarat. Vtitur autem verbo, quod propriè ſignificat res bonas & lætas annuntiare. Nec dubium eſt, Apoſtolos reſpexiſſe ad hoc verbum, cùm doctrinæ ſuæ de miſſione filij & ſalute per ipſum parta tam dulcem & blandam appellationem tribuerent, vt nominarent εὐαγγέλιον. Volueruntque hac ipſa appellatione diſcrimen Legis & promiſſionum de reconciliatione facere illuſtrius. Lex

non annunciat læta: requirit enim perfectam obedientiam, atque eum qui non præſtat, addicit æternæ morti & damnationi: itaque terret, accuſat & damnat. Euangelium verò gratis offert ſumma bona, de quibus in his duobus verſibus concionatur, miſericordiam, veritatem, iuſtitiam & ſalutem Dei. Hæc ſumma bona oſtendit gratis tribui omnibus credentibus. Quare meritò hæc concio dicitur εὐαγγέλιον.

Iuſtitiam] Scilicet, quam imputas credentibus, propter hãc meam obedientiam, condonatis peccatis, & deleto chirographo, quod aduerſus nos ſcriptum erat. Alij iuſtitiam interpretantur, qua Deus protegit ſuos. Hæc quidem interpretatio non aliena eſt: ſeruat enim & defendit Deus ſuæ fidei commiſſos, atque in eo iuſtitiam ſuam declarat: ſed huic præmittenda eſt illa altera, qua reconciliamur & iuſti pronunciamur coram Deo.

Cœtum magnum nominat eccleſiam collectam ex gentibus toto orbe diſperſis.

Veritatem] Quòd ſcilicet fideliter ſeruat promiſſa, & quòd vera det nec fugacia bona: Deus enim non eſt fallax aut mutabilis, & dona Dei ſunt ἀμεταμέλητα, vt Paulus inquit.

Salutem] Salus complectitur integrum beneficium: liberationem à peccatis, à morte, à tyrannide diaboli, ab ærumnis huius vitæ, & donationem vitæ æternæ. Hæc verò omnia dantur ex mera miſericordia, abſque vllis noſtris meritis & operibus. Ideo poſtremo loco recenſet bonitatem ſeu φιλοστοργίαν Dei, qua ſola mouetur & adducitur Deus, vt nos recipiat in gratiam, & accedit impulſiua, meritum filij. Quæ doctrina in libris methodicis explicatur copioſiùs. Sicut autem Chriſtus fuit præco horum beneficiorum diuinorum: ita Dauid quoque affirmat ſe publicè in ſua eccleſia prædicaſſe hæc beneficia diuina: & faciunt id omnes pij, quiſq; pro ſua vocatione & ſuo loco, idque in mutuam ædificationem. non omnes quidem funguntur munere docendi in eccleſia: ſed tamen quiſque ſtudere debet ædificationi eccleſiæ pro modo ſuæ vocationis.

Tu noſti] His verbis non tantùm voluit diſcernere ſe ab hypocritis, qui quanquam ipſi quoque plenis buccis ſolent reſonare Dei laudes, faciunt id tamen abſq. affectu: ſed ſimul ſignificat ſe ſedulò & diligenter dediſſe operam narrandis operibus, ſeque omnem vitam & laborem in hoc impendiſſe vt paſſim nomen diuinum celebraretur: idem eſt igitur ac ſi diceret, Feci id ſine fuco, & feci ſedulò.

12 Tu Iehoua ne prohibeas miſerationes tuas à me: bonitas & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

Altera pars pſalmi, vt in argumento dictum eſt, continet precationem. Etſi enim initio gratias agit pro liberatione: tamen exiſtimandum eſt, in ipſo agone, quando iam ſenſit aliquam conſolationem & leuationem, has preces eſſe conceptas. Sed quia nondum omnino erat defunctus periculo, addit precationem, vt ſeruetur & liberetur. Et quidem ex hac ipſa precatione apparet, ideo gratiarum actionem præmiſſam eſſe, vt Deum magis flecteret ad opem ferendam. Sæpe enim fit etiam inter homines, vt gratias agendo nouum beneficium petamus atque impetremus. Id verò apud Deum imprimis valet. Sicut enim ſilentium noſtrum, quo beneficia diuina obruimus & celamus, fontem bonitatis diuinæ claudit & obſtruit, ne deinceps ita liberalem ſe exhibeat vt antea, ita econtra prædicatio beneficiorum nouas ſubinde gratias ſeu beneficia elicit, & fontem hunc aperit, vt maxima copia in nos ſe diffundat. Atque huc reſpicit in gratiarum actione, cùm dicit, ſe non clauſiſſe labia ſua, ſeque aperuiſſe os ſuum ad celebrandas laudes diuinas. Vult enim quaſi tectè monere Deum, ne ille viciſſim ſuas miſerationes obſeret vel cohibeat.

Miſerationes] Id eſt, non ita aſpicias meas miſerias vt eas negligas, ſed mouearis meis ærumnis ad opem ferendam.

Bonitas] eſt quæ vltro mouet Deum vt opem ferat, gratuitus ſcilicet fauor & beneuolentia, qua nos proſequitur, & plurima dat nullis noſtris meritis prouocatus. Hæc ad ſingula membra applicentur.

13 Quia circundederunt me mala, vt non ſit numerus [*in immenſum*] comprehenderunt me iniquitates meæ, vt videre non potuerim: multiplicata ſunt ſuper capillos [*præ capillis*] capitis mei: cor meum deſeruit me.

Addit rationem à neceſſitate, hoc eſt, à magnitudine malorum, quibus premi ſe queritur. Hæc ratio apud Deum, qui noſtris miſeriis afficitur, plurimùm valet, vt ſæpe dictum eſt.

Me] Phraſis Hebraica plus exprimit quàm Latinè redditur: dicit enim עלי ſuper me, ſignificans ſe non tantùm vndique ad omne latus eſſe obſeſſum, ſed capiti etiam ſuo magnam malorum molem incumbere.

Mala] Nominat afflictiones vel tormenta & cruciatus, quibus foris lacerabatur corpus.

Iniquitates] Nominat illum ingentem dolorem: quem ſuſtinebat ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata generis humani in ſe vnum effuſæ.

Hic diſputant interpretes, quomodo Chriſtum ſuæ iniquitates cõprehenderint, qui tamen erat abſque peccato: atque ideò tantùm ad Dauidem hunc pſalmum referunt. Sed reſponſio facilis eſt. Chriſtus nominat ſuas iniquitates, quia ſenſit in ſe tranſlata eſſe peccata omnium noſtrûm, ſeque propter hæc plecti, non aliter ac ſi ipſe ſe meis, tuis & omniũ hominum ſceleribus polluiſſet. Eſtque magna in hac re conſolatio propoſita, quòd noſtra peccata nominat ſua. Si de Dauide intelligas, accipienda erit vox iniquitatis non de termino tantùm, ſed de fundamento: & continet ſententia ingenuam confeſſionem, qua fatetur ſe non immeritò vel ſupra culpæ ſuæ modum affligi, nec extenuat ſua delicta vt hypocritæ. Exaggeratio autem malorum multiplex eſt in hoc verſu: primùm, inquit, ſunt innumerabilia. ſecundò, non poſſunt cognoſci, vel oculi mei defecerunt præ dolore. tertiò, ſuperant numerum capillorum. quartò, ab effectu, deſtituit me virtus vitalis, & iaceo tanquam exanimatus præ dolore & anguſtia. Fuit igitur non leuis agon, nec niſi ab exercitatis in hac palæſtra iſta intelliguntur.

14 Placeat tibi Iehoua liberare me: Iehoua, ad auxilium meum feſtina.

Repetit precationem. Verbum רצה ſignificat ex mero beneplacito velle. Cupit igitur liberari gratuita Dei miſericordia. Verbo feſtinandi innuit periculi magnitudinem.

15 Pudefiant & confundantur qui quærunt animam meam ad perdendum eam: auertantur retrorſum & pudefiant qui quærunt malum meum.

Hæc altera pars eſt precationis, qua exitium imprecatur hoſtibus. De his ſanctorum imprecationibus quid ſentiendũ ſit, diximus ſæpe. Imprecatur exitium non tanquam ſuis, ſed Dei & veritatis hoſtibus. Eſtque comminatio magis & vaticinium quàm imprecatio.

Auertantur retrorſum] Id eſt, ſint eorum conatus irriti & vani, nec perficiant hoc quod inſtituerunt, ſed in medio curſu retroagantur.

16 Vaſtentur pro mercede pudoris ſui, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Additur argumentum ab æquitate: eſtque hæc ſententia, Sicut ipſi hoc vnum ſpectauerunt, vt me ignominia affectum opprimerent, & confuſo ac perdito, petulanter inſultarent: ita ſimilis confuſio in ipſorum capita recidat. Nam vocabulum pudoris accipitur hic actiuè, quò ſcilicet me pudefacere conabantur. Alij, qui paſſiuè interpretantur, hanc eliciunt ſententiam: Ferant è veſtigio confuſionem ſuam.

Qui dicunt, Euge euge] id eſt, qui inſultant meis calamitatibus, quique iam pœnas conceperunt, vt me miſerum & calamitoſum traducant. Eſt enim Euge vox exultantis, quam μιμητικῶς hic vſurpat.

17 Exultent & lætentur in te omnes quærentes te: dicant ſemper, Magnificetur Iehoua, qui diligunt ſalutem tuam.

Aliud eſt argumentum ſeu ratio à cauſa finali. Ideo, inquit, libera me, vt pij omnes videant & intelligant, te præſto eſſe his qui te colunt & inuocant, atque ita communem quandã voluptatem ex mea liberatione capiant, téque pro hoc beneficio mecum laudent. Ita docet exempla ſingulorum transferenda eſſe ad vniuerſos, & Deum in ſingulis hominibus ſuæ erga omnes bonitatis ſpecimen edere.

Salutem tuam diligunt] Id eſt, qui non aliunde quàm abs te ſalutem ſuam, hoc eſt defenſionem & liberationem expectãt, quique non ab alio ſeruari cupiunt. Tales ſunt verè pij, qui omnes ſuas ſpes in Deum proiectas habent: hi non reſpiciunt ad mundana præſidia, nec confugiunt ad alia illicita remedia.

18 Ego autem quanquam pauper & inops [*ſum*] tamen Dominus cogitabit de me [*ſolicitus erit pro me*:] adiutor meus & liberator meus es tu: Deus meus ne tardaueris.

In fine miſcet precationem & conſolationem: ſolent enim tales affectus in ardenti inuocatione concurrere. Precatio autem habet admixtam querelam. Ego, inquit, cùm ſim egenus, cùm contemnar & opprimar à mundo, & deſtituar omnibus præſidiis externis, tu Domine ſis ſolicitus pro me, non abiicias curam mei, ſerua & defende me quantumuis oneratum & oppreſſum magnis miſeriis.

Tu es

Tu es adiutor meus.] Hæc magna conſolatio eſt, quod propter ęrumnas non abiicimur à Deo, nec pariunt noſtræ ærumnæ Deo faſtidium, imò quo magis premimur, eo propius ad nos accedit.

Auxilium meum] Id eſt, tu potes ſolus auxilium & opem ferre, tu potes me ſeruare, nec alium habeo ad quem confugiam.

PSALMI XL.

PARTES.

I. Propoſitio argumentorum, fidem confirmantium, triplex. 1. Magnifica Dei Optimi Maximi opera, tum ſingularia erga Dauidem, v. 2. 3. 4. tum publica erga omnes pios. 5. & 6. verſiculis. 2. Sequentibus tribus, nempe 7. 8. & 9. proponitur ſingulare beneficium redemptoris Chriſti, & in Chriſto fœdus Dei nobiſcum. 3. Obſequium fidei, quo animi piorum velut ſigillo confirmantur, de fœdere ad ipſos pertinente v. 10. & 11.

Argumentum *primum*, Dauidis liberationem metaphoricè depingit, calamitates ſummas exponens è quibus feliciter emerſit, v. 3. vnde ſequitur laus Dei & Eccleſiæ ædificatio, v. 4. Laus illa piis omnibus communis, v. 5. & 6. exprimitur. Eccleſia autem laudat Chriſtum Iehouam à communibus & ſingularibus beneficiis erga electos: quorum indicia ponuntur tria, fides, humilitas, & veritas. v. 5. Sequens, nempe 6. continet apoſtrophen ad Chriſtum Iehouam, oſtendens quàm beati ſint qui fiduciam ſuam in ipſo collocant: primùm à communibus ipſius beneficiis, v. 6. Secundò à ſingulari ipſius gratia & beneficio quod in nos contulit per redemptionis noſtræ myſterium, verſ. ſequentibus.

Argumentum *ſecundum*, pertinet etiam ad confirmationem fidei, quatenus Dauid & alij pij, membra Chriſti, caput ſuum Chriſtũ munere impoſito ritè fungentẽ adſpiciunt. Propheticã igitur habemus hypotypoſin Chriſti, qui tanquam *Propheta* noſter, & Dei patris ſeruus, in myſterio illo redemtionis noſtræ exponit eius voluntatem: tanquam *Sacerdos* ſeipſum Deo & Patri ſiſtit ſacrificium, & tanquam *Rex* perficit in nobis voluntatem Dei: vt tribus verſ. nempe 7. 8. & 9. exponitur.

Argumentum *tertium*, v. 10. & 11. ab obſequio fidei & profeſſione ſancta, quæ nominis diuini religioſa appellatione, nempe iuſtitia, fide, ſalute, benignitate, & veritate, confirmatur.

II. Petitio, altera pars Pſalmi, illata ex tribus argumentis fidem confirmantibus: qua eam ipſam miſericordiam, benignitatem & veritatem implorat Dauid, quam ſuperioribus prædicauerat. Propoſitio autem generalis optati ſiue petitionis v. 12. continetur, & illius αἰτιολογία v. 13. quæ duo minutatim ad finem vſque exponuntur.

Explicatio petitionis illius quam propoſuit v. 12. continens tria capita. 1. Pro liberatione Supplicis v. 14. 2. Pro confuſione impiorum, v. 15. & 16. 3. Pro bonorum exhilaratione v. 17. quæ omnia ſpectant ad ſummum illum finem, nempe vt magnificetur Chriſtus.

Concluſio petitionis, v. 18. à miſera conditione ſua, & à Dei officio.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. Quanuis non ſtatim appareat Dei auxilium, quin potiùs data opera nos ſuſpenſos & anxios teneat, minimè tamen cedendum eſt: quia fides non niſi longa tolerantia ſolidè probatur, à qua ſi ſuſtineamur, tandem opportunum aderit liberationis tẽpus, quod Dei gloriæ noſtróque bono cedet.

3.4. Inextricabiles ſunt piorum miſeriæ, niſi Dominus præſto adſit. Sed illo volente, ſubitæ & incredibiles fiunt mutationes, quæ magnitudinem gratiæ eius optimè illuſtrant.

Quocunque modo opituletur nobis Deus, nihil viciſſim compenſationis exigit, niſi vt grati ſimus ac memores.

Etſi nullum eſt tam leue Dei beneficium quod non magnificè prædicare deceat, quò tamen potentiùs manum ſuam exerit ad nos iuuandos, vehementiùs ad hoc pietatis exercitium nos accendi æquũ eſt, vt cantica noſtra gratiæ magnitudini reſpondeant.

Quæ in vnumquemque fidelium beneficia confert Deus, teſtimonia eſſe vult ſuæ perpetuæ erga omnes bonitatis, vt alij aliorum exemplo edocti, eandem gratiam ſibi expoſitam fore non dubitent.

Quia in conſiderandis Dei operibus tam multi cæcutiũt, ſciamus eos tantùm cenſeri oculatos quibus datus eſt intelligentiæ ſpiritus, vt non occupentur in euentis, ſed occultam Dei manum fide perſpiciant.

5 Piæ fiduciæ, quæ in vnum Deum recumbit, mundi vanitas & ſuperbia quanuis inſultet, nec quicquam carni difficilius ſit quàm acquieſcere in vno Deo, paſſimque faſtuoſi homines obambulent, qui ſibi in ludicris illecebris placentes labefactarent animos noſtros, attamen hoc frænum nobis iniicere debemus ad cohibendas omnes erroneas opiniones, Beatos eſſe qui in Deo ſperant.

6 Nemo rite Deum ſibi in ſolidam fiduciam proponit, niſi qui clauſis oculis permittit ſe regendum eius arbitrio: quanuis enim ratio operum eius nos fugiat, ſemper in conſiliis ſuis admirabilis apparet.

Quando S. Spiritus negat Dei opera diſtinctè poſſe cognoſci, non ideo nos vel à notitia, vel inquiſitione abſterret, ſed temeritatem noſtram compeſcit, quæ in hac parte alioqui nimis exultat.

7 Verus Dei cultus non eſt poſitus in externis cæremoniis, ſed ſpiritualis potiùs eſt, & integram cordis pietatem requirit, fide & vitæ ſanctimonia decoratam.

Quum legalibus ſacrificijs tanquam rudimentis populũ ſuum ad fidem & pœnitentiam vocauerit & exercuerit Dominus, ſequitur eum ſacrificijs coli noluiſſe. Pij ergo (vt Dauid & alij) quibus aures ſpiritu ſuo perforauit, agnouerunt Deum aliquid præſtantius requirere, nempe Meſſiæ ſacrificium & iuſtitiam: Deinde totius eccleſiæ ſpiritualem illum cultum qui in fide & obedientia conſiſtit.

8 Quicquid offerunt homines Deo, friuolum & putidum eſt, niſi ſeipſos offerant: deinde hæc oblatio niſi in Chriſto fundata, atque voluntaria ſit, nullius eſt pretij.

Hominum opera quantumuis reſplendeant, niſi tamen ex viua cordis fide in Chriſtum purgati radice naſcantur, meræ ſunt laruæ: fruſtra item in obſeruationem Legis componuntur pedes, manus & oculi, niſi à corde incipiat obſequium.

Proprium eſt opus Spiritus ſancti legem Dei cordibus noſtris inſculpere, dum voluntatem noſtram corrigit in melius, vt liberè appetamus iuſtitiam, à quo toto affectu prius eramus auerſi: atque hinc vera libertas, vbi corda noſtra, quæ prius mãcipata erant peccato, Deus in ſuum obſequium format.

9 Perſonat quidem vox Dei per totum orbem, vt inexcuſabiles reddantur quicunque non obtemperant: ſed tantùm in corda piorum penetrat, quibus in ſalutem deſtinata eſt.

Ad Chriſtum propriè hic locus refertur ab Apoſtolo in epiſt. ad Hebr. quia Dauid non ſuo tantùm priuato nomine loquutus eſt, ſed in genere quid conueniat omnibus Dei filiis oſtendit. Vbi autem in medium prodit eccleſiæ communitas, ad caput ipſum aſcendere neceſſe eſt.

10 Pij gratitudinem ſuam in medium proferunt vt Deum prouocent ad continuum beneficentiæ curſum. nam quum Deus, quoties ſe oſtendit erga nos liberalem, ad gratias agendas nos inuitet: hac quoque vna ratio eſt cur ſui ſimilis eſſe pergat, dum nos videt gratos eſſe ac memores.

Quiſquis Dei laudes intus ſupprimit, ipſum Dei nomen quantũ in ſe eſt ſepelire conatur. Etſi autem præconiis noſtris Deus non indiget, multis tamen de cauſis vult hanc inter nos mutuam exercitationem vigere.

11 Pluribus elogiis Dei beneficia erga nos ſunt illuſtranda, ita tamẽ vt ab eius miſericordia oriri ea omnia ſciamus, cui iuſtitiã, benignitatẽ & veritatẽ decet adiungere, vt Deum ſui manere ſimilem,

nec iuuando fatigari, nec vnquam manum ſuam retrahere, ex eius verbo diſcamus.

12 *Bonitas Dei nobis ſemper præſto aderit, imò inſtar fontis inexhauſti erga nos diffluet, modo noſtra ingratitudo eius curſum non abrumpat.*

13 *Dum videmus tam ſeuerè exceptum fuiſſe Dei ſeruum, diſcamus etiam ſub extremis malis gementes iudicem noſtrum deprecari.*

14 *Etſi tardante Deo contra tædium nobis luctandum eſt, pro ſua tamen indulgentia hanc precandi formam nobis concedet, vt pro voto noſtro acceleret.*

15 *Cum improbitate hoſtium noſtrorum certat Dei miſericordia: vt paratior ſit ad ferendum auxilium, quo ardentiùs illi ad nocendum feruntur.*

Seruorum Dei imprecationes aduerſus impios concipientium ne quis temere in exemplum trahat. videndum eſt primùm quid vocatio noſtra requirat: deinde, ne carnis impetum pro ſpiritus zelo ducem ſequamur.

16 *Vt hoc verſu docemur, vbi nos atrociter inſectati fuerint impij, paratam illis mercedem eſſe, vt in eorum capita quicquid machinati ſunt, Deus retorqueat: ſic eadem doctrina moderationis frænum eſſe debet, vt nos humaniter cum proximis geramus.*

17 *Quia Deus communiter ab omnibus, non tantùm ab vno vel altero, vult agnoſci miſericors: quoties vnum ex ſuis aliquẽ liberat, commune præſtat beneficium, quod ſimul fideles in ſe transferre debent, dum in vnius hominis perſona ſpectant qualis erga omnes futurus ſit Deus qui ſibi non eſt diſſimilis.*

Verè demum fides noſtra probatur, ſi non aliũde quàm ab vno Deo ſeruari ſperamus aut cupimus, Nã qui ſibi varias imaginãtur ſalutes in hoc mũdo, ſalutẽ quã à ſe peti Deus iubet, negligũt vel reſpuũt.

18 *Miſeria noſtræ non parient Deo faſtidium, vt nobis conſulere grauetur: imò ſua bonitate præueniens non expectat dum nos res aduerſæ vrgeant, ſed ad auxilium ferendum properat, vt clarè appareat eius erga nos miſericordia.*

Si Dauidem, eximium Dei ſeruum, huc inopiæ redigi oportuit, quid mirum eſt ſi gregarij homines eodem ſæpe modo humiliemur, vt nos Dei manu ex deſperatione & ſepulchro fuiſſe ereptos ſentiamus, & ſeriò agnoſcamus ac palam profiteamur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Piorum crux multiplex, patientia inuicta, liberatio glorioſa, gratus animus.
2. Vitæ in terris beatæ deſcriptio.
3. De vero cultu Dei.
4. Chriſti Mediatoris munus Propheticum, Sacerdotale, Regium.
5. Piorum, Chriſti membrorum, fides, fidei obſequium, & ſancta profeſſio.
6. Fidei fulcra, miſericordia & veritas Dei.
7. Imprecationum & precationum piarum formula.
8. Perfectio piorum militantium in eo conſiſtit, vt ſe imperfectos eſſe & auxilij Dei indigos agnoſcant.

ARGVMENTVM PSALMI XLI.

ARGVMENTVM huius pſalmi luculenter expoſitum eſt à præceptore noſtro Domino *Philippo Melanchthone, in eo libello qui multorum pſalmorum argumenta continet. Quare in eo recitando non ero prolixior: ſed auditores hortor vt inde petant, quæ ad declarationem huius pſalmi pertinent. Neque enim obſcurus eſt hic pſalmus.*

Dauid *in magnis periculis, aut in morbo aliquo graui, animaduertit, animos eorum quos antea familiares habuerat, ſimul cum fortuna mutari, nec tantùm non iuuari ſe vel conſilio vel officiis, quibus iuuari æquum erat: ſed etiam perfidè ſe deſeri atque inſidiis peti, vt ſe ſublato noua regni forma, quæ cupiditatibus prauorum hominum conueniret, inſtitueretur. Hoc enim agebant multi proceres in eius aula, quibus vel doctrinæ forma, vel diſciplinæ ſeueritas non placebat, vt ſublato rege alium ad regni gubernacula eueherent, qui ipſorum cupiditatibus indulgeret, & honeſtæ diſciplinæ vincula laxaret. Quare poſt multas & varias inſidias tandem filium etiam in patrem concitarunt, à quo cùm regno ſpoliatus & pulſus eſſet in exilium, ipſi ſimulantes priorem beneuolentiam & fidem, omnia eius conſilia explorauerunt, quæ filio patefacerent: cúmque ingenti eũ dolore cruciari, propter turbatum regnum & publicas ſui populi clades, adeóque confici eum curis ac doloribus animaduerterent, adeo non condoluerunt, vt mortis ipſius ſpe certa concepta ſibi mutuò gratularentur, ipſiúſque morti auidè inhiarent.*

Hæc omnia cernens & intelligens Dauid, *etſi fieri non potuit quin graue vulnus acciperet (quod enim vulnus maius eſt amico perfido? vt Sophocles inquit:* τί μεῖζον ἕλκος ἢ φίλος ἀδικῶν; *tamen non ſtatim animum deſpondit: ſed colligit ſe, & ad preces ſe conuertit. Petit enim vt diuinitus aduerſus perfidiam & inſidias, cùm amicorũ fucatorum, tum hoſtium, defendatur: & ſimul petitioni miſcet conſolationem, quæ oſtendit ipſum ſuperato dolore, de euentu bene ſperare.*

Initio autem pſalmi generalis conſolatio traditur, quæ affirmat, pios non propterea eſſe deſertos vel abiectos à Deo quòd interdum calamitatibus & ærumnis premantur: ſed ſingulari cura ab eo interea foueri & ſeruari. Ideóque omnibus ſtudiis & officiis eſſe iuuandos. eos verò, qui id faciunt, affirmat variis à Deo præmiis ornari. Huic conſolationi & promiſſioni ſubijcit precationem, qua fatetur, ſe quidem peccatis ſuis offendiſſe Deum & commeruiſſe pœnas: ſed petit ſibi ea remitti. Et addit longam querelam de perfidia & iniuriis amicorum. deinde petitionem, quam inſtituerat, abſoluit, &, vt dixi, conſolationem admiſcet, quòd certò ſtatuat, ſe incolumem euaſurum eſſe ex his periculis: ideóque gratias Deo agit, quòd mirabiliter ſit ſeruatus & defenſus.

1 AD triumphandum pſalmus Dauidis.
2 Beatus qui prudenter iudicat ſuper egenum: in die mala liberabit eum Iehoua.

Orditur pſalmum à conſolatione, quam opponit iudicio aduerſariorum ſuorum & aliorum, qui ſunt extra eccleſiam. Nam hoſtes Dauidis atque etiam nonnulli ex familiaribus, quia videbant eum affligi variis calamitatibus, morbis, exilio & aliis malis, iudicabant eum deſertum & abiectum eſſe à Deo. Accidit ei idem quod ſancto Iob. Itaque qui antea hoſtes fuerant, tunc magis in id incumbebant, vt inclinatum prorſus euerterent: alij verò perfidè ab eo deficiebant, & cum hoſtibus aduerſus eum conſpirabant: Iudicabant enim eum exitio iam eſſe deſtinatum & addictum. Vulgus enim de Dei fauore aut odio iudicat ex rebus externis. Horum igitur prauis iudiciis opponit hanc doctrinam & conſolationem: *Beatus,* inquit, *qui prudenter iudicat de hominibus afflictis,* qui non offenditur cruce piorum, & qui nouit diſcernere inter plagas à Deo immiſſas. Non enim omnes plagæ aut calamitates ſunt ſigna iræ diuinæ, ſicut mundus iudicat; nec ſtatim pro reprobis aut damnatis habendi ſunt qui malo aliquo premuntur: ſed variæ ſunt cauſſæ quare eccleſiam ſuam Deus ſubiecerit cruci, de quibus alibi dicitur. Qui igitur præcipites feruntur iudicio, ſunt impij & ſcelerati: econtra verò felices & beati ſunt, placent Deo & variis beneficiis ab eo afficiuntur, qui prudentiam dignam homine pio in iudicando adhibent, & qui non remittunt de fauore, ſtudio & beneuolentia erga pios, quantumuis miſeros aut oppreſſos: ſed omnibus humanitatis officiis interea dum ſunt ſub cruce, eos iuuant. Vtrumque enim iudico ſignificari voce *Maſchil*, & prudens iudicium, & ſtudium iuuandi. Eſt autem ſententia hæc accommodanda ad omnium ordinũ homines. *Primùm* ad doctores eccleſiæ, qui imprimis munire animos auditorum aduerſus ſcandalum crucis, & pauperum

rum habere rationem debent. *Deinde*, ad reges & principes ne faſtidiant miſeros & inopes, & vt ſuis officiis ærumnoſam eccleſiam foueant, tueantur, iuuent, exemplo Dauidis, Conſtantini & aliorum. *Poſtremò*, ad reliquos omnes, vt diſcāt intelligere quæ ſint cauſæ calamitatum: ne, mox ſuperbè inſultent miſeris & afflictis, nec animum ipſi abiiciant in cruce: ſed ſuo quiſque loco & rectè ferre diſcat ærumnas ſibi impoſitas, & alios officiis ſuis iuuet. Hic, ſi quis exempla eorū qui afflictis & miſeris benefecerunt, & præmia, quæ illa officia conſecuta ſint, velit adferre, creſcet oratio.

In die mala liberabit eum Dominus] Subiicit conſolationes per diſtributionē, vt & ſe & alios ad ferenda mala confirmet, & oſtendat iniqua & peruerſa eſſe illa iudicia maximæ partis hominum, qui ſi quem ærumnis oppreſſum videant, exiſtimant eum à Deo abiectum eſſe.

I. *Liberabit eum*] Relatiuum refert proximum nomen דל. Quamuis, inquit, videatur eſſe oppreſſus calamitatibus, & iā quaſi morti vicinus, vel etiamſi Deus ad tempus iram & indignationem aliquam aduerſus eum præ ſe ferat, tamen Dominus liberabit eum, & glorioſa liberatione oſtendet eū ſibi curæ eſſe. Alij relatiuum ad eum qui prudenter iudicat, referunt, vt ſit promiſſio, qua affirmet, Deum, ſi quando tales quoque contingat affligi, redditurum ipſis huius clementiæ & pietatis mercedem. Atque in hac ſententia plerique ſunt interpretes. Nonnulli per mineſin iudicant referri verba piorum, quibus curam, ſolicitudinem & beneuolentiā ſuam erga pauperes oſtendant. Ita R. Kimhi exponit, ſed in optatiuo: *Dominus liberet eum*, &c. ſed prior ſententia, vt verior eſt, ita vberiorem continet doctrinam. Nam quæ ſequuntur, ſimiliter ad pauperes & calamitoſos ſunt referenda.

3 Iehoua cuſtodiet eum, & viuificabit eum: beatus erit in terra, & non tradet eum in animam inimicorum eius.

II. *Iehoua cuſtodiet eum*] Scilicet ne animo ſuccumbat aut pereat fractus magnitudine malorum: item ne à crudelibus hoſtibus opprimatur.

III. *Viuificabit eū*] Id eſt, reſtituet eum in vitam, qui antea videbatur iam morti addictus, & cui ſpes vitæ omnis propemodum erat extincta, eum donabit longiore vita.

IIII. *Beatus erit in terra*] Id eſt, Deus benedicet ei & oſtēdet manifeſta fauoris ſui ſigna erga ipſum, ditabit eum vt affluat omni rerū copia, & ab aliis beatitudo eius prædicetur, & in exemplum benedictionis trahatur.

V. *Non tradet eum in animam*] Id eſt, in deſiderium hoſtium eius: non patietur vt hoſtes pro libidine ſua in eum ſæuiant aut manus ei inferant.

4 Iehoua fulciet eum ſuper lectum doloris: omne ſtratum eius vertiſti in infirmitate eius.

VI. *Iehoua fulciet eum ſuper lectum doloris*] Id eſt, languentem dolore & ægritudine ſuſtentabit, ne conficiatur mœrore, confirmabit & roborabit eum, vt poſſit perferre ærumnas. Nonnulli lectum doloris ſimpliciter de morbo interpretantur. Sed loquitur in genere de afflictionibus & doloribus animi, qui ex his exiſtunt, & inprimis de doloribus qui exiſtunt ex ſenſu iræ & iudicij diuini. Eſt enim vſitatum vt qui mœſto ſunt animo, ſe in lectum coniiciant & decūbant. Nam triſtitia ſæpe magis debilitat & conficit hominem quàm morbus.

Stratū eius vertiſti in infirmitate eius] Id eſt, tuis manibus verſas lectū eius vt ſuauius & mollius cubet & quieſcat, adſtas ad lectum eius, & fungeris officio vigilantiſſimæ matris, quæ filio decumbenti adſtans componit culcitram, vt mollius recumbat, hoc eſt, mitigas & lenis ærumnas & calamitates. Alij ita reddunt: Vertis lectum, id eſt, ſublato morbo reſtituis ſanitatem.

5 Ego dixi, Iehoua, miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Poſtquam generali conſolatione ac promiſſionibus diuinis animam ſuam confirmauit, nunc ad alterum præſidium confugit, nempe ad preces. Neque enim ſatis eſt, promiſſiones diuinas in calamitatibus conſiderare, ſed fides quæ his nititur, ſimul accendi debet, vt ad Deum confugiat eiúſque opem imploret. Eſt autem modus precandi quo vtitur, diligenter obſeruandus. Non enim tantùm petit tolli calamitates & pericula, vt corpus meliùs habeat, ſed ad cauſſam horum malorum reſpiciens, ſéque peccatis ſuis has pœnas attraxiſſe agnoſcens, primùm animam, quæ ingenti dolore propter admiſſa delicta conficiebatur, erigi & ſanari petit. Ea ſanata, hoc eſt, doloribus de peccato ſedatis, etiam corpus nō dubitat meliùs habiturū eſſe. Altiùs igitur orditur quàm ſolet maior pars hominum. Ea enim petit tantùm laxari pœnas, & ſatis habet ſi quocunque modo ab his liberetur, cauſ-ſam ferè non conſiderat. Pauci enim ſunt qui eò aſcendunt vt de cauſis malorum cogitent: ac faciunt pleríque, quod febricitātes, qui in præſentia æſtū reſtinguunt potu frigido, nec cauſam conſiderant aut tollere ſtudent. Dauid verò ſanationē à capite orditur, & nos ſuo exemplo hortatur, vt, ſi amoliri pœnas à nobis velimus, cauſam malorum primum tollamus: Id fit agnitione & confeſſione peccatorum & imploratione gratiæ diuinæ.

Miſerere mei] Id eſt, remitte mihi peccata, oſtende deinceps quòd ſim in gratia, & quòd mihi ſis placatus.

Sana] Id eſt, tolle ſenſum iræ tuæ aduerſus peccata, qui me nunc grauiter premit & animum vulnerat, & inde mihi hanc cōſolationē vt ſtatuam mihi remiſſa eſſe peccata. Sanitas enim, de qua loquitur, eſt miſericordiæ effectus.

Quia peccaui tibi] Id eſt ſcio me meritum eſſe has pœnas, méque iuſte plecti, ſed tu, cùm ſis miſericors, remitte peccata.

Vocabulum כי nonnulli aduerſatiuè exponūt. ſed retineo proprium & natiuum ſenſum.

6 Inimici mei dixerunt malum de me: Quando morietur, & peribit nomen eius?

Secunda pars pſalmi cōtinet querelam de prauitate, fraudulentia, & iniquis odiis ſuorum aulicorum, quos ille miniſtros gubernationis piæ & honeſtæ & autores rectorum cōſiliorum eſſe volebat. Illi enim cùm odiſſent illam ſeueritatem quam Dauid in gubernatione adhibebat, & doctrinæ de Deo, quę tunc vigebat, eſſent infenſi, quærebāt occaſionem rumpendi illa vincula ſeuerioris diſciplinæ, vt deinceps liberiùs viuere & indulgere genio ac cupiditatib. poſſēt. Quare pro amicis & conſiliariis fiunt inimici & proditores, cupiúntque extinctū atque è medio ſublatum Dauidem. De hac igitur perfidia nunc queritur, & hac indignitate Deum ad miſericordiam prouocat. Scit enim, Deū ad opem ferēdam eo magis promptum & paratum eſſe, quo durius & inclemētius ſuos tractari videt. Et nos ſuo exemplo docet propheta, vt ſtatuamus hoſtium ſæuitiam & furorem adeo nobis non obeſſe aut periculum creare, vt quò iniquior ſit, eo plus fauoris nobis apud Deum conciliet.

Dicunt] Id eſt, cùm conueniūt & conferunt inter ſe ſermones, ſubinde audiuntur hæc verba ex ore ipſorum: aut etiam cùm ſunt ſoli perpetuò mihi exitium imprecantur. Vt *Dicere* ſit hoc loco, non tantum ſermones conferre, ſed etiam imprecari.

Quando morietur] μίμησις, qua hoſtium ſermonem exprimit.

Et peribit nomen eius] Amplificat crudelitatem odiorum in aduerſariis hac orationis forma, quaſi dicat, Nō ſatis eſt quòd me cupiunt extinctum, ſed memoriam quoque meam ſimul deleri cupiunt.

7 Quòd ſi venit ad viſendum, mendaciter loquitur, cor eius accumulat [*colligit*] iniquitatem ſibi: vbi egreſſus fuerit foras, loquitur.

Antea de odio, nunc de perfidia ſuorū hoſtium queritur.

Ad viſendum] Id eſt, ſi quis officij cauſa ſimulat ſe venire, ita familiariter mecum loquitur, ac ſi afficeretur mea calamitate, affirmat eā ſibi dolori eſſe, ſéque cupere mihi præſto eſſe ſuis conſiliis & opera, ideóque affert mihi ſuum ſtudiū & operam. Omnia verò illa ſunt vana & ficta. Dū enim beneuolentiā illam foris ſimulat, interea cor colligit iniquitatem, id eſt, verſat fraudes & dolos, explorat meum animum & conſilia. Nam mox vbi egreſſus fuerit, prodit omnia conſilia mea, & reliqua quæ vidit. Hæc vſitata ſunt in aulis, & in qualibet gubernatione. Nulla enim eſt tam parua gubernatio, in qua nō ex æmulatione accendātur odia, ex quibus poſtea reliqua oriuntur, de quibus hîc loquitur. Dauid verò in hoc verſu, cùm in ſingulari numero loquitur, videtur vnum aliquem notare, qui præ cæteris in aula ad has artes fuerit compoſitus, ſiue is fuerit Achitophel, ſiue alius quiſpiam.

8 Simul aduerſus me ſuſurrant omnes oſores mei: ſuper me [*contra me*] cogitant malum mihi.

Iam vtroſque complectitur, & qui palam oſtendebant ſe eſſe hoſtes, de quibus verſu ſexto dixerat, & qui ſub ſpecie amicitiæ ei inſidiabātur ac dolos ſtruebāt. Hi omnes, inquit, in meam necem conſpirauerunt, & conſilia ac ſermones de me tollendo cōferunt. Verbū לחש propriè ſignificat exquiſitis verbis aliquid pronūtiare, ſiue fiat hoc ab incantatorib. ſiue ab oratoribus. Eſt enim μίσον. Vnde Ieſa. 1. vſurpatur nomē לחש pro eloquentia, quæ vtitur verbis lectis & efficacibus, ita vt aliquo modo incantet auditores: hoc eſt, cogat inuitos quodammodo, & in ſuam ſententiam pertrahat. Hoc loco igitur ſignificat conſilia clam conferre & accuratè omnia meditari, ac diligenter in omnes partes penſitare.

9 Verbum Belial adhæret ei, & [*itaque*] vbi iacuerit, non addet vt reſurgat.

Μίμησις eſt, qua iterum ſermonem ſuorum hoſtium exprimit. Dum de meo exitio inſultant, inter cætera etiam hæc verba audiuntur, quæ ipſis animum & fiduciam addunt, vt exiſtiment actum eſſe de mea ſalute. Dicunt enim, verbum iniquum, hoc eſt, facinus horrendum & ſcelus inexpiabile tenet eum conſtrictum, vt elabi aut euadere non poſſit: ergo neceſſe eſt eum iam perire. Nam calamitates iſtæ ingentes arguunt, Deum ita ei infeſtum eſſe vt placari amplius nolit. Quare ſecurè pergamus eum oppugnare: iam enim non euadet manus noſtras. Argumentantur hoſtes Dauidis non aliter quàm amici Iob. Quia enim vident eum premi variis calamitatibus ac ærumnis, ideo iudicãt, Deum propter ſcelera ita eſſe exacerbatum, vt ſtatuerit eum delere. Hinc igitur concipiunt animum, vt alacriter in eum inſurgant, & ſuo odio indulgeant. Fuit autem hæc ingens & difficilis tentatio, qua Dauid, Iob & alij ſancti ſunt oppugnati: eſtque illud certamen multis verbis in libro Iob deſcriptum. Nec facile fuit hominib. ſanctis ex hoc certamine eluctari. Quid enim triſtius & durius quàm ſi quis ſibi rectè conſcius hominum iudicio ad ima tartara præcipitetur? Sicut hoc quoque tempore multi boni & ſancti viri iniquis hominum iudiciis premuntur & damnantur.

Verbum] דבר Hebræis & ſermonem & obiectum ſermonis ſignificat, hoc eſt, rem de qua aliquid dici poteſt, vt Lucæ 2. Videamus verbum: ideo & cauſam ſeu negotium quodcunque ſignificat.

Belial] quando de actionibus dicitur, ſignificat rem impiã, nefariam, diabolicam, quæ digna ſit æterna morte & damnatione, vt Deuteronomij 15. Caue ne ſit verbum Belial in te, id eſt, res nefaria, & impia. Quando aliis rebus inanimatis accommodatur, ſignificat res noxias & exitioſas, vt pſal. 18. Torrentes Belial: vbi vide longiorem huius vocabuli explicationem.

צוק ſignificat firmiter adhærere, ſi abſolutè accipiatur: vel actiuè, adhærendo premere, vrgere, coarctare, & *μεταληπτικῶς* coarctãdo exprimere, extorquere. Hoc loco ſumitur abſolutè pro adhærere, vel adhærendo quaſi concluſum & cõſtrictum tenere, vt nuſquam ſe vertere poſſit. Germanicè *ſeine Büberey dringet vnd drücket in*: ſcelus ſuum premit eum, vrget eum, vt ad ruinam properet: quaſi diceret, Hactenus ſimulauit magnam ſanctimoniam, ſed nunc res aliud docet. Aliqui verbo effundendi vel conſtituendi reddiderunt, & mutarunt perſonam. Nam pro בו legunt בי verbum iniquũ conſtituerunt aduerſum me. *Sie haben ein Bubenſtück vber mich beſchloſſen.* Sed hoc eſt coactum. Alij, ne perſonam cogãtur mutare, hæc verba volũt eſſe imprecationem, qua hoſtes eum deuoueant & æterno exitio addicant ſeu deſtinent. Verbum iniquum, id eſt, mors & interitus detorqueatur in eum. Sed ſimpliciſſimum eſt vt tota oratio huius verſus intelligatur eſſe *μιμητική*.

10 Etiam vir pacis meæ, in quo ſperaui [*cui confidebam*] cõmedens panem meum, extulit contra me calcaneum.

Hactenus in genere de odiis, iniuriis & perfidia ſuorũ hoſtium eſt conqueſtus: nunc amplificat querelam, à perfidia neceſſarij cuiuſdam & præcipui amici, quam experiri ei fuit acerbiſſimum.

Homo pacis meæ] Id eſt, qui mihi familiaritate, beneuolentia & variis officiis fuit coniunctiſſimus, vel cum quo fuit mihi ſingulare fœdus amicitiæ, cum quo pacificè & familiariter viuebam.

In quo ſperaui] Id eſt, quem iudicabam prẹſtare fide præ cæteris: ideóque ſemper adhibebam eum menſæ, nec patiebar eum diſcedere à meo latere. Apud Hebræos vſitata loquẽdi forma relatiuũ ſcribitur cum antecedente, pro ſolo antecedente: quo in eo, pro in quo.

Efferre calcaneum] Metaphoricè videtur ſignificare idẽ quod contumelioſè inſurgere in hominem deiectum, quaſi pedibus conculcaturus eum ſis qui iam ante iacet oppreſſus. Notat enim ſingularem maleuolentiam & *ἐπιχαιρεκακίαν* huius perfidi amici. Alij interpretantur, inſidias moliri & ſtruere. Nã planta ſæpe ſumitur in Scriptura pro fraude & dolo: ſũpta tranſlatione ab iis qui in curſu aliquem ſupplantãt. Alij, magnifecit paſſus ſuos, id eſt, non iudicauit me dignũ quem inuiſeret: ſed hoc videtur eſſe alienius.

Chriſtus Iohannis 13. hunc verſum de ſe & Iuda interpretatur. Eáque res mouit pleroſque interpretes vt omiſſo Dauide, hunc pſalmum tantùm de Chriſto exponerent. Sciendum eſt autem, Dauidem quãquam de ſe & in hoc & in aliis pſalmis loquitur, tamẽ non loqui ſicut priuatum hominem, ſed qui ſuſtineat Chriſti perſonã, atque adeo qui ſit cõmune exemplar totius eccleſiæ. Quare quæ illi acciderunt in hoc regno, ea in Chriſto, tãquam in capite eccleſiæ ſolide oportuit impleri, deinde etiam in reliquis membris quocunque tempore vſu venire. Sicut igitur Chriſtus, & qui eius typum gerebat, non tantùm violẽter & aperto Marte eſt oppugnatus, ſed etiam domeſticos habuit proditores: ita ſingulos, qui ſunt in eccleſia, oportet animos ad hæc mala ferenda præparare. Hæc ſimplex reſponſio eſt. Interea ſimul monendi ſunt auditores, vt conſiderẽt quæ ad Chriſtum referri & accommodari queant, quæ non. Nam Chriſtus ipſe hũc verſum citans omittit illa verba, *In quo ſperaui.* Notat enim Chriſtus ſuum proditorem, & multo ante futurum prędixerat vt proderetur. Quare Dauidi potiùs congruũt quàm Chriſto. Nõnulli tamen vt etiam hæc verba ad Chriſtum rectè accommodent, verbum Hebræum interpretantur actiuè, cui credidi, aut commiſi miniſterium meum.

11 Et tu Iehoua miſerere mei, & erige me, & rependam illis.

Redit ad precationem, quam ſuprà inſtituerat. Cùm igitur tanto furore in me inſurgãt hoſtes, & cupiant me extinctum atque oppreſſum, tu miſerere mei.

Erige me] Id eſt, eripe me ex hac calamitate, qua ſũ oppreſſus, ne ampliùs iacentem pedibus conculcent hoſtes.

Vt rependã illis] Hic diſputatur an rectè fecerit Dauid quòd cupidus fuerit vindictæ. Faſſus erat antea ſe meritò affligi, & petebat ſibi remitti peccata. Cur idem aliis non facit quod ſibi fieri cupit? Et quę eſt humilitas in ipſa morte adhuc ſperare vindictam? Reſponſio duplex eſt: Primò, videbat Dauid non tam ſe quàm gloriam Dei contumelia affici ab hoſtibus, ideo iuſto zelo vindictæ ardet. Eſtque hic motus opus Spiritus ſancti in eo, & quidem in hoc ipſo geſſit perſonã Chriſti: vt nihil inordinatũ hîc cogitari de eo poſſit. Deinde, quia rex erat & diuinitus poteſtate inſtructus, pro ratione ſui officij minatur pœnã hoſtibus, quam meriti erant. Si igitur quis hoc in exemplum trahere velit, notandum eſt primum diſcrimen perſonarum & officij. Deinde videndum an idem ſit zelus in nobis qui fuit in Dauide: ac diligenter cauendum ne carnalis & falſus zelus obtineat pro vero.

12 In hoc cognoui quòd placuerim tibi [*quòd bene voluiſti mihi*] quoniam non iubilabit inimicus ſuper me.

Iam ſentiens cõſolationem, incipit gratias agere Deo pro liberatione. Eſtque hæc tertia pars huius pſalmi. Ita ardens precatio nunquam abit ſine aliquo conſolationis ſenſu.

In hoc cognoſco] id eſt, iam magis ac magis confirmor in mea fide, vt certò ſtatuam, me abs te electum & adoptatum eſſe in regẽ populi tui: quia non ſinis me opprimi iniuriis & violentis conatibus aduerſariorum: ſed potenter ſeruas & eripis me, ne ipſi pro ſua libidine mihi inſultare poſſint. Nitebatur quidem antea fides eius promiſſione, ſed iam ipſa experientia & exemplo confirmatur, & fit firmior. Hic fructus eſt ardentis inuocationis.

13 Et ego, in integritate mea ſuſtentaſti, & collocaſti me in conſpectu tuo in æternum.

In integritate mea ſuſtentaſti me] Id eſt, quanquam interitum meũ optarint & ſperarint inimici: tu tamen ſeruaſti me integrum & incolumem, vt adhuc perſiſtam contra omnes ipſorum impetus & conatus. Alij integritatem referunt ad rectitudinem & firmitatem fidei, quam ſeruauerit Dei beneficio in illis afflictionibus. Alij integritatem ad cauſſam referunt, quaſi de iuſtitia cauſæ loquatur. Nam quanquã ſe iuſtè & ſuo merito puniri affirmat: tamẽ quantùm ad aduerſarios pertinebat, nulla eos prouocauerat iniuria. Quantum igitur ad hos, erat innocens, & iuſtitiam cauſæ quod aliàs eum facere videmus, prætendere in precibus poterat.

Ego] Interdum apud Hebræos non tam eſt pronomẽ quam particula, quæ emphaſis gratia præponitur, vt pſal. 42. Et ego, penè declinauerũt pedes mei. pſal 69. Et ego, oratio mea ad te. pſalmo 73. Et ego, acceſſio ad Deum bona eſt mihi.

Conſiſtere me facies [ſtabilies me] *corã te in ſeculũ*] Id eſt, perpetuò continuabis hoc beneficiũ & proſequeris me fauore tuo: nunquam oculos tuos à me auertes, aut curam mei abiicies, nec priùs facies finem gratiæ, qua me hactenus proſequeris, quàm in finem vſque ſaluum me præſtes. Collocare enim coram facie ſua ſignificat fauore proſequi & variis ſignis fauorem declarare: cui cõtrarium eſt remouere ſeu abiicere à facie ſua, vel abſcondere faciem ab aliquo.

14 Benedictus Iehoua Deus Iſrael, à ſeculo vſque in ſeculum, Amen & Amen.

Concludit

Concludit pſalmum epiphonemàte,in quo repetit gratiarum actionem,de qua ſupra dictum eſt.

Benedictus Iehoua] Hoc eſt, celebretur Deus non à me tantùm, ſed ab vniuerſo cœtu ſuorum omnibus temporibus,pro immenſa miſericordia & beneficiis quibus ſuos cultores proſequitur.

Deus Iſrael] Id eſt, qui ſuis beneficiis teſtatur ſe memorem eſſe illius fœderis quod cum patribus noſtris pepigit , & oſtendit ſe non velle diſcedere ab illo pacto.

Amen] Dictio eſt acclamationis, approbationis & confirmationis: quanquam & optandi ſignificationem habet:quaſi dicat, Hoc vtique fiat,nunquam conticeſcant ipſius laudes in eccleſia. Geminatio autem,animi feruorem & ingens deſiderium eius exprimit. Cupit enim omnes magno ſtudio incitare ad celebrandum Deum.

PLSAMI XLI.

PARTES.

I. Exordium,à graui ſententia,qua oſtendit beatos eſſe miſericordes, & eorum officium duobus modis explicat. *Prior*,eſt miſericors prædicatio promiſſionis diuinæ erga afflictos,v.2.&parte verſ.3.*Poſterior*, oratio pro illis coram Deo,reliqua parte v.3.& v.4.

II. Propoſitio ſiue narratio. 1. Eius quod faciebat Dauid in calamitatibus, v.5. 2. De inimicorum optatis,factis ſimulatis,aduerſis conſiliis,præiudiciis,transfugiis,& rebellionibus,v.6.7.8.9.10.

III. Petitio,cuius ſumma eſt,vt inſtauretur Dauid per gratiam Dei, quæ vnica eſt inſtaurationis cauſa efficiens.v.11.

Petitio fine triplici munitur. 1. Ab officio Dauidis, qui pios omnes remunerare cupit, & impios coercere. 2. A conſeruatione ſui ipſius. 3. A perſona Dei celebrandæ ſuæ gloriæ argumentum præbentis.Primus finis,parte altera v.11.includitur:alter,v.12.tertius,v.13.

IV. Concluſio laudatiua ex tertio fine,& primi pſalmorum libri periodus,v.14.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1.2. *Prudenter iudicandum eſt de afflictis fratribus,vt de eorum ſalute bene ſperemus:ne,ſi inclementer ante tempus à nobis damnati fuerint,hic iniuſtus rigor in capita noſtra recidat.*

Si quando ſuperbis hominum præiudiciis fidem noſtram labefactare molitur ſatan, diſcamus, beatos eſſe qui prudenter de afflictis iudicant,vt Dei miſericordia contenti, deſperatione non obruamur.

Quanuis ad tempus ſe Deus afflictis infenſum oſtendat,propitius tamen erit,vt lætior demum exitus appareat, quàm iudicium ferri poſſit ex præſenti rerum intuitu.

3 *Miſeros & afflictos fideles Dominus ſuo tempore liberare,atque ex periculis eripere nouit,quos iniqui & crudeles perditos eſſe iactabant.*

4 *Quanuis mœſti iaceant quos Dominus ſub cruce erudit,opportune tamen ab eiuſdem Dei manu continget leuatio,qua vires recuperent,quantùm expediet.nec enim male nobiſcum agitur quum à morte ab omnibus ærumnis liberamur: nam in cælis nos manet longè melior quàm in terris conditio.*

5 *Pij in ſuis malis captant blanditias,nec de remedijs humanis gloriantur aut vehementer ſunt ſolliciti,ſed ante omnia ſuppliciter culpam deprecantur,& ad Dei miſericordiam, languentis animæ medicinam,confugiunt.*

6 *Hoſtium noſtrorum ſæuitia quo iniquior eſt, plus nobis fauoris apud Deum conciliat.*

7 *Non modò manifeſtos, verùm etiam tectos inimicos,amicos videlicet ſimulatos habet eccleſia,à quorum fraudibus,vt ab aliorum violentiis, prouocat ad Deum iuſtum vindicem.*

8 *De piorum exitio ſermones ab impiis conſeruntur:at ſedet in cælis omniſcius & omnipotens,ſine cuius prouidentia & voluntate ne pilus quidem à ſatana & eius coniuratis nobis eripietur.*

9 *Quum videmus quàm iniqua trutina ſæpe mūdus virtutes & vitia ponderet, alibi quàm in terra quærenda eſt iuſtitiæ merces.*

10 *Sicut ſolidè in Chriſto impleri oportuit quod inchoatum erat in Dauide : ita quotidie in ſingulis eius membris vſuuenire neceſſe eſt,vt non tantùm violenter & aperto Marte vexentur,ſed etiam domeſticos habeant proditores:& ita,pugnent foris,intus verò timeant.*

11 *Quando mundus nos iniuſtè perſequitur,non tantùm in defendis iniuriis nos occupatos eſſe,ſed Deo cauſſam noſtram commendare conuenit:& quo magis nos huc illuc diſtrahere conatur ſatan, eo attentiùs in vnum Deum mentes noſtras colligere debemus.*

Dauid,vt rex,propheta,& Chriſti typus,vindictā exequi potuit. Noſtrum verò eſt(quia gladio non ſumus armati)ad cæleſtem iudicem confugere:ſed compoſito animo rogandus eſt vt ſe vindicem noſtrum oſtendat, & cauendum ne excuſſo S. Spiritus in verbo ſcripto loquentis fræno,vota noſtra intemperanter exultent.

12 *Specialis gratiæ,Dauidi cōmunicatæ,(qui rex Dei populo datus erat) conſideratio,regulam perpetuam non tollit : videlicet Dei beneplacitum non ex nuda experientia , ſed præcipuè ex verbo eius cognoſci,ne ita ſimus attenti ad liberationes temporarias, vt æternam negligamus, aut Deo ſemper gratos putemus omnes qui ex inſigni quodā periculo,quod pios de medio auferat, incolumes euadūt.*

13 *Deus non antè finem gratiæ ſuæ facturus eſt , quàm ſeruos ſuos,tum corpore tum anima,præſtet incolumes. Quum autem mortis limen attingunt, tunc ampliore quadam gratia ſalutem eorum confirmat,quam numeris omnibus abſolutam reddet die illa quando Chriſtus ad iudicium vltimum veniet.*

14 *Ex hoc fonte manat piorum liberatio, quòd Deus cùm ipſis eorumque patribus fœdus gratuitum,in Chriſto ſtabilitum,ferire dignatus eſt: vnde fluunt illæ gratiarum actiones,ad quas toties inuitantur, & quæ non ſine vehementi affectu hoc verſiculo voce Amen repetita nobis omnibus commendantur.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Miſericordiæ piorum erga afflictos merces ampla.
2. Dei benignitas erga miſeros.
3. Piorum ægritudine animi & corporis laborantium cogitationes.
4. Impiorum piis proterue illudentium pictura.
5. Apoſtatarum , Chriſti & Eccleſiæ infeſtiſſimorum hoſtium ingratitudo ſumma,horrendúſque exitus.
6. Spes piorum in tentationibus grauiſſimis.

PSALMORVM DAVIDIS
LIBER SECVNDVS.
ARGVMENTVM PSALMI XLII.

HIC Pſalmus ſcriptus videtur à Dauide, quando vel à Saule, vel à filio Abſolomo eiectus & exutus regno, pulſus erat in exilium. Continet enim deſcriptionem ingentium dolorum & certaminum quæ eum tunc exercuerunt, & quibus penè fuit obrutus & oppreßus. Vt autem magnitudo horum dolorum aliquo modo intelligatur, cauſſæ horum ſunt conſiderādæ. Graue fuit Dauidi, ſicut aliis multis, deyci ex illo faſtigio honorum, dignitatis, potētiæ, & exui gloria ſapientiæ & iuſtitiæ, quam antea habuerat. Nemo enim ita eſt ferreus aut durus vt amißione tantarum rerum non moueatur. Cicero in exilio lamētatur miſerabiliter. Cato & aly multi, cùm ferre non poſſent dolorem, mortem ſibi conſciſcunt: ſed non tam amißione bonorum, dignitatis, potentiæ cruciabatur Dauid, quàm quòd abeßet à ſacris publicis, & exularet à populo Dei: inprimis verò, quòd conſcientia admißi ſceleris eum turbabat, nihilque niſi abiectionem à Deo & æternam damnationem ipſi ob oculos ponebat. Hic ſenſus abiectionis & deſertionis ſuperabat reliquos dolores, & tantum non mergebat eum in mortem & deſperationem. Sunt igitur triſtes querelæ in hoc pſalmo, quibus hunc dolorem ſuum oſtendit, & ſuo exemplo docet, omnes ſanctos, cum ſunt in calamitatibus, non tam moueri præſentibus ærumnis, etiamſi grauiter illis premantur, quàm ſenſu peccatorum, qui omnē gratiæ & miſericordiæ Dei conſpectum nobis adimit. Accedunt autem ſæpe & hoſtium ſarcaſmi & amarulentæ irriſiones quæ hunc dolorem acuunt: ſicut Chriſto pendenti in cruce inſultabant. Ea de re etiā hoc loco Dauid grauiter queritur. Sed ſicut Dauid vera & ardenti fide atque inuocatione hos dolores ſuperauit, ſéque contra hæc ignita diaboli tela certa ſpe & fiducia præſentiæ & auxily diuini erexit & confirmauit: ita ſciamus, in noſtris doloribus & ærumnis hoc vnicū nobis reſtare præſidium, & hunc ſalutis portum: ad quem ſi confugiamus, à morte & æterna damnatione erimus tuti, quantumuis multis & magnis peccatis ſimus onuſti & grauati. Idque titulus monet: oſtendit enim in vſum totius eccleſiæ eſſe conſcriptum.

AD triumphandum erudiens filiis Core.

Filiis Core] Plerique exiſtimāt filios Core huius pſalmi autores eſſe. Nam Coritæ, præterquam quòd functionem ordinariam Leuitarum obibant in templo, etiā propriam quādam habebāt. Nam cùm eſſent inter cantores, etiam prophetabant. Sed veriſimilius eſt ipſum Dauidem, in cuius perſona compoſitus eſt, pſalmi autorem eſſe. Nam Dauid excellebat prophetico ſpiritu inter omnes, vt non opus ei fuerit aliena opera in hac re, erátque totius eccleſiæ communis doctor. Quare ſicut Ieduthun & aliis traditi ſunt pſalmi decantandi: ita exiſtimo etiam hunc pſalmum filiis Core à Dauide eſſe præſcriptum, vt in publico cœtu eum decantarent.

De voce *Maſchil* dictum eſt pſalmo 32. Vt plurimùm hic titulus præfigitur his pſalmis in quibus Dauid refert ſe diuinitus caſtigari. Quia caſtigationum finis eſt vt erudiant Dei filios, παθήματα γου μαθήματα. Poſtea titulus ad ſingulos fideles eſt accommodandus. Monet enim in vſum totius eccleſiæ hos pſalmos eſſe compoſitos, ideóque aſſiduè legēdos, & pia meditatione ad vſum accommodandos eſſe. Forſterus exiſtimat hanc vocem ſignificare certum genus carminis, quaſi dicat heros ſeu heroicum.

2 Sicut ceruus clamat ad fontes aquarum; Ita anima mea clamat ad te, Deus.

3 Sitit anima mea ad Deum, ad Deum viuum [*dicens*] quando ingrediar, vt appaream coram facie Dei?

Prima pars pſalmi continet narrationem, in qua exponit in quanta ſolicitudine ac dolore fuerit, cùm eiectus vel à Saule, vel à filio, paſſim in deſerto, procul à conſpectu templi Domini & conſuetudine piorum hominum exul oberraret. Hæc narratio exponitur & ornatur ſimilitudine ſumpta à ceruo. Ceruus à canibus & venatoribus agitatus, & æſtuās magno deſiderio atque impetu, fertur ad aquas, vt ſitim reſtinguat. Scribunt præterea phyſici, naturale eſſe ceruis odiū cum ſerpentibus: itaque ſæpe ore admoto ad lapides, ſuo anhelitu ex rimis extrahere ſerpētes & deuorare: poſtea abſumpto ſerpente eius veneni ardore incendi, vt magno deſiderio aquas appetant. Vtraque res pulchrè ad Dauidem & reliquos ſanctos congruit. Primùm in hac vita perpetuo agitantur à canibus & venatoribus, hoc eſt, à tyrannis impiis & ſceleratis hominibus qui eccleſiam perpetuò oppugnant. Ita Dauid à Saule, à filio Abſolomo & aliis infeſtatur. Deinde perpetua eſt eis lucta cum ſerpentibus, hoc eſt, cum diabolo, morte & ſenſu peccatorum, vt verum ſit illud Pauli, Foris eſſe pugnas, intus pauores. Non enim abit illa lucta ſine ingenti pauore & conſternatione, qua animi piorum percelluntur. In hac verò lucta & æſtu quærunt aliquam refrigerationem & conſolationem: eam non alibi quàm apud Deum inueniunt. Hæc ſumma eſt horum verſuum.

Simul autem antitheſis eſt conſideranda, cùm inquit, ad te. Significat enim, ſe non angi aut cruciari amiſſione bonorum, honoris, dignitatis, deliciarum & voluptatum, &c. Sed hunc vnicum & ſummum eſſe ſuum dolorem, quòd abſit à templo, à ſacris ritibus, quibus pietatē antea ſolebat alere & confirmare. Ab his dum abeſt, videtur ſibi quodammodo à Deo alienatus. Nam dum Deum nominat, templum ſeu tabernaculum, in quo colebatur, ſimul comprehendit, ſicut tertio verſu ſe declarat. Non enim loquitur ſimpliciter de præſentia Dei: ſed cum circunſtantia. Etſi enim vbique Deum adeſſe & audire preces ſciebat, ideóque eum inuocabat: tamen quia non ignorabat, illum externum cultum, qui exercebatur ad tabernaculum, voce diuina eſſe inſtitutum, vt eſſet perpetuum pietatis exercitium, & quaſi vinculum quoddam ſacræ cum Deo coniunctionis, ideo tantopere dolet, ſe hiſce adminiculis pietatis in hoc exilio carere, ſibíque iter illud ad Deum quodammodo interclusum eſſe.

In tertio verſu repetit eandem ſententiam. Ego, inquit, exhauſtus dolore nuſquam reperio firmam conſolationem, niſi in ſolo Deo: itaque toto animi deſiderio ad eum feror.

Ad Deum viuum] Non ad lacunas ſeu ciſternas conſolationum humanarum: ſed ad fontem aquæ viuæ. Philoſophicæ conſolationes non medentur doloribus, qui exiſtunt ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata. Non enim oſtendunt promiſſionē reconciliationis cum Deo ſeu remiſſionis peccatorum donādæ propter Mediatorem, non oſtendunt, Deum præſentem eſſe in ærumnis, eáſque petentibus mitigare, nullam oſtendūt ſpem liberationis & ſalutis æternæ. Itaque illa remedia quæ adhibet philoſophia, ſunt inania θέλγητρα, quæ in leuioribus ærumnis vtcunque leniunt dolores, & quaſi cicatrices obducunt:

obducunt: at conſcientiæ ſauciatæ vulneribus non medetur. Monet item ſe non inhærere mortuis elementis aut ritibus externis, quando his frui licet: ſed his quaſi adminiculis adiutum, animam ſe attollere ad verum Deum.

Quando videbor coram facie tua] Id eſt, quandiu vis me circumagere in hoc exilio? & quando tandem me reduces ad templum tuum, vbi in ſacro cœtu celebrare poſſim nomen tuũ, & tibi gratos cultus præſtare? Querela eſt, quæ habet annexum votum, quaſi diceret, Vtinã tandẽ ille dies illuceſcat, quo rurſus poſſim adire templum, &c. *Faciem* Dei nominat ſanctuarium, quod erat teſtimonium præſentiæ Dei in hoc populo, & vbi rectè agnoſcebatur, in verbo, & cultu à ſe inſtituto. Facies enim Dei eſt qua agnoſcitur, & qua ſe præſentem nobis oſtendit. Nos videmus faciem Dei, cùm promiſſionem reconciliationis amplectimur, & ſtatuimus nos eſſe in gratia, nos reſpici, & exaudiri preces noſtras.

4 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?

Alia eſt querela ab inſultatione & ſarcaſmis hoſtium. Ad ſummum animi mei dolorem, inquit, quem ex eo capio, quòd abſum à ſanctuario & à miniſterio publico, accedunt hoſtium ſarcaſmi & impiæ voces, quibus conantur mihi excutere omnem fiduciam quam in te habeo. Nam quia abſum à ſanctuario, & hinc inde oberro in exilio, iudicant me prorſus abs te eſſe reiectum & deſertum, & fruſtra me hactenus ſtuduiſſe pietati, &c. Quare ſæpe has voces mihi obganniunt. Vbi nunc eſt Deus tuus? quibus mihi miſero in his calamitatibus inſultant, méque altiùs immergere ſtudent, vt depoſita omni fiducia tui auxilij ruam in deſperationem & interitum. Hæ verò voces aduerſariorum ita acrem dolorem animo meo afferunt, vt perpetuò lachrymis indulgeam, & in aſſiduo ſim mœrore: quódque alij ex cibo & potu quærunt, vt ſe reficiant, id mihi præſtant lachrymæ. Non enim alibi plus ſolatij reperio quàm in lachrymis. Eſt enim quodammodo verum poetæ dictum,

Expletur lachrymis, egeritúrque dolor.

5 Hæc dum recordor, effundo intra me animam meam: quia tranſibam in numero [*denſitate*] deducebam eos vſque ad domum Dei, in voce exultationis & laudis, multitudinem tripudiantem.

Pergit in querela inſtituta, & amplificat miſerias ſuas à collatione prioris ſtatus cum præſentibus miſeriis. Recordatio, inquit, præteriti temporis valde auget meam dolorem. Antequam enim in has calamitates inciderem, non ipſe tantùm adibam crebrò templum ſeu ſanctuariũ: ſed aliis etiam eram hortator, imò dux & quaſi anteſignanꝰ ad ſacros cœtus obeundos. Et nihil in tota vita accidit mihi iucũdius illo ſpectaculo, quando magno numero cõueniebamus ad ſacros cultus peragendos, & ad celebranda beneficia diuina. Nunc verò ita ſum reiectus à ſanctuario vt ne quidem aſpicere illud liceat. Hæc igitur dum recordor, in ingenti ſum dolore, atque adeo anima mea quaſi diffluit præ mœrore. Id enim videtur ſignificare hæc phraſis, *Effundo animã meam intra me*, ſicut ipſe ſequenti verſu ſe declarat, Cur deiiceris, &c. Atque ita legitur Iob. 30. Nunc autem effunditur ſuper me anima mea, & apprehenderunt me dies afflictionis, id eſt, penè ſum exanimatus dolore. Alij de gaudio intelligunt, animus meus quaſi liquefiebat in gaudium, cùm viderem illos cœtus, &c. Nam vtrinque immodico affectu diſſoluitur anima. Sed ſequens verſus oſtendit eum de dolore loqui. Alij interpretãtur effundere animã, pro exponere tribulationem, & depromere quicquid eſt in animo triſte: & afferunt ſimile exemplũ ex 1. Sam. 1. Putant autem ſermonem ſumptum eſſe à cæremonia veteri de effuſione aquarũ, cuius fit mentio 1. Samu. 7. Nam aqua ſignum eſt tribulationis & afflictionum, quod lacrymæ oſtendunt. Sed in hoc ſenſu addũtur ferè hæc verba: Coram Iehoua, & omittitur particula עלי, ſuper me, vt aliud ſit, effundere ſuper ſe animam, & aliud, effundere coram Domino animam ſuam.

בסך in denſitate, hoc eſt, in magno numero, & in magna frequentia.

Nonnulli exiſtimant Dauidem in hoc verſu proponere ſibi conſolationem, & loqui non de præterito tempore, ſed futuro, quòd paulo poſt reuerſus ab exilio cum frequentia ſit aditurus templum, & celebraturus beneficia Dei. Sed ſequens verſus oſtendit, ex dolore potiùs & recordatione prioris felicitatis, quàm ſpe futuræ liberationis hæc verba eſſe prolata.

6 Quid conſternata es [*cur deiiceris*] anima mea, & tumultuaris intra me? quoniam adhuc celebrabo [*confitebor*] ei ſalutes faciei eius.

Hactenus pauores & dolores ſuos deſcripſit: nunc per apoſtrophen ad ſeipſum conuerſus, quaſi expoſtulat ſecum, quòd animo ſit nimis deiecto & anxio, & quod promiſſionibus diuinis non tantùm fidat quantùm debeat: interdum etiam tumultuetur & fremat aduerſus Deum. Quare animam hortatur, vt ſeſe recolligat, vt moderetur dolorẽ, & promiſſiones Dei intueatur: ita fore affirmat, vt non tantùm non abiiciatur à Deo, quod hoſtes cupiebãt & optabant: ſed etiã, vt liberetur ex præſentibus ærumnis, & reſtituatur priori dignitati.

Deſcribitur igitur hîc triſtis lucta Dauidis & aliorum piorum, quibus in calamitatibus arduum & difficile certamen eſt cum diffidentia: cui ne ſuccumbant, ſubinde neceſſe eſt eos reſpicere ad promiſſiones, atque fide eas apprehendere: quemadmodum hîc Dauidem facere videmus. Et quãquam ſubinde recurrunt eædem tentationes, nec ſtatim vnico prælio ſuperãtur: tamẽ danda opera eſt ne amittatur promiſſio.

Quid deiecta es?] Id eſt, cur deſperas de fauore Dei? cur ſomnias te eſſe abiectam & deſertam à Deo, atque ita certamini incipis ſuccumbere?

Quid tumultuaris?] Id eſt, cur es inquieta, cur erumpis interdum in illas querulas voces, quæ indignationem, impatientiam & fremitum aduerſus Deum quodammodo arguunt? Tales ſunt vices tentationum. Interdum iacemus prorſus proſtrati, interdum erumpimus in indignationem, quemadmodũ Iobo, Dauidi, Ieremiæ & aliis ſanctis id accidiſſe videmus.

Spera in Deo] Id eſt, erige te fiducia præſentiæ & auxilij diuini, & ſpe liberationis. Non enim te abiecit Deus, nec deſeruit: ſed adeſt tibi præſto, & liberabit te. Itaque non deſperes aut deficias conſpectu peccatorum ſeu metu abiectionis & damnationis.

Adhuc confitebor ei ſalutes vultus eius] Id eſt, etiãſi nunc oppreſſus ſum ingenti mole ærumnarum, & videtur quodammodo iraſci mihi Deus, tamen futurum ſcio vt paulo poſt me reſpiciat benigno & placido vultu, & receptum in gratiam liberet me ex his calamitatibus, vt eius bonitatem celebrare poſſim.

Salutes vultus eius] Hoc membrũ iudico per appoſitionem adiectũ eſſe præcedenti. Celebrabo eum, nempe ſalutes vultus eius, id eſt, opem & liberationem, quæ mihi continget, poſtquam cœperit me reſpicere, & rurſus blando vultu intueri. Vultus enim pro fauore ſeu fauoris declaratione hîc ſumitur. Res aduerſæ obnubilant & obſcurant Dei vultum, vt non appareant: ſed res ſecundæ oſtendunt nobis ſerenam faciem, diſpellúntque nebulas, &c. Alii ſubaudiunt particulam *propter*, Cõfitebor illi propter ſalutes, quæ ab eius vultu, hoc eſt, præſentia & fauore proficiſcuntur.

7 Deus meus, anima mea intra me deiecta eſt: propter quod recordor tui à terra Iordanis & Hermonim, à monte Mizar [*puſillo*.]

Redit ad querelas. Tales enim ſunt vices in lucta piorum: nunc nonnihil ſuccumbit animus, nunc rurſus ſe erigit, nec vno prælio poteſt defungi: ſed ſubinde redintegratur prælium, & trahitur fides ad nouas pugnas.

Antea reprehenderat & obiurgarat ſeipſum, quòd animo eſſet nimis deiecto, ſeque nonnihil collegerat: ſed quia dolor ſubinde recurrit, fatetur ſe non eſſe ita firmo animo, vt ſubitò eum vincere poſſit, & addit cauſas grauiſſimas. Primùm, ſe non dolere, quòd abſit à coniuge & liberis, quòd careat illis voluptatibus quibus antea fruebatur, quòd deiectus ſit ex ſummo illo faſtigio honorum: ſed quòd abſit à conſpectu ſanctuarij & cultu Dei, & procul in terra Iordanis & in montibus Hermon exulet: hanc eſſe cauſſam doloris iuſtiſſimam. Alteram cauſſam proximo verſu recitat, quia ſubinde recurrant eædem tentationes.

על כן] Nonnulli volunt hic conſolationem proponi: quaſi dicat, etiamſi ſit animo conſternato, tamen ſe non propterea deſperare. Quanquã enim abſit à ſanctuario, nec liceat ſibi intereſſe cultui diuino: tamen ſubinde animo reſpicere ad ſanctuarium, etiam ex terra longinqua, atque ita vincere dolorem Sed meliùs fluit contextus orationis, ſi in hac particula ſit cauſſæ redditio: Propterea, id eſt, eo quòd recordor tui à terra Iordanis, id eſt, quã alluit Iordanis, & quæ eſt trans Iordanẽ reſpectu Ieroſolymæ, procul ſcilicet à tabernaculo.

Hermonim] dicitur totus tractus montis Hermon, in plurali numero, ſicut Alpes. Quanquam nõnulli volunt eſſe gẽtile Hermonitarum.

Mizar] Plerique exponunt appellatiuè, & intelligunt nõnulli montem Sion. Alij etiam conferri hunc montem cum Sion exiſtimant, eúmque dici paruum, reſpectu mõtis Siõ, in

quo tunc verſabatur, quòd quanquam modicus ſit Sion, tamen monti altiſſimo ſit præferendus. Iuxta illud Ieſa. 2. Erit in caput montium. Sed in re dubia & obſcura retineo hoc quod videtur eſſe ſimpliciſſimum, & iudico eſſe nomẽ proprium partis illius tractus qui dicitur mons Hermon: & ſic dici exiſtimo, quia paulatim ibi ſe iam demittat Hermon, vt reſpectu altiſſimorum montium in illo continuo tractu illa pars poſſit dici puſillus aut modicus mons. De Sione prorſus exiſtimo non poſſe intelligi: quia non verſabatur tunc in Sion, nec potuit vno tempore eſſe in regione Iordanis in monte Hermon & in arce Sion.

8 Abyſſus ad abyſſum clamat: ad vocem canalium tuorum [*cataractarum tuarum*] omnes inundationes [*colliſiones*] tuæ & fluctus tui ſuper me tranſiuerunt.

Altera cauſſa cur animo ita ſit deiecto, eſt magnitudo ſeu grauitas & diuturnitas malorum. Quia etiamſi interdum fide & ſpe vincat dolorem: tamen quia ſubinde aliæ nouæ tentationes recurrunt, ſicut fluctus in mari agitato vehemẽtibus fluctibus, fit vt animus crebris ictibus tandem lãgueſcat & remittat. Vtitur autem oratione figurata, qua tentationes comparat fluctibus & procellis. Vt enim in mari agitato fluctus vnus poſt alium excitatur: ita animus piorũ in veris exercitiis pœnitentię & inuocationis nõ vno genere tẽtationis, ſed variis oppugnatur, nec poteſt defugi vno prælio: ſed ſubinde diſcuſſo vno periculo aut propulſo vno hoſte, alius hoſtis eſt excipiendus, donec tandem fides vincat. Illa verò aſſiduitas fatigat hominem, nec poſſet in eo certamine ſubſiſtere, niſi diuinitus confirmaretur.

Abyſſus ad abyſſum clamat &c.] Id eſt, tentatio vna aliam trahit ſeu excipit, & calamitas calamitatem vrget. Tentationes verò nominat abyſſos: quia ſunt quaſi gurgites quibus abſorbentur hi qui non reſiſtunt fide.

Ad vocem] Id eſt, dum tuæ cataractæ cum ſtrepitu ſuper me pluunt, ſeu, dum tu immittis has calamitates. Aquæ enim in Scriptura calamitates ſignificant.

Omnes fluctus tui] Id eſt, non vnum genus malorum & afflictionum: ſed variæ calamitates me obruerunt & quaſi abſorpſerunt. Notandum autem quòd hoſtium inſultus nominat inundationes Dei: quia ſtatuit, nihil horum fieri abſque cõſilio Dei.

9 In die mandabit Iehoua bonitatem ſuam, & nocte canticum eius mecum: Oratio ad Deum vitæ meæ.

Rurſus miſcet conſolationem, qua ſe erigit, ne illis tentationum fluctibus abſorbeatur. Quanquam, inquit, variis tẽtationibus & magna mole calamitatum ſum obrutus: tamen propterea non abiicio ſpem & fiduciam. Scio enim Deũ mihi eſſe propitium. Nam etiam inter ipſas calamitates & tentationes, ſiue interdiu ſiue noctu me impetant, bonitas eius mihi occurrit, in quem dum intueor, adeo non opprimor triſti malorum ſpecie, vt etiam in canticum laudis erumpã.

Die mandat & nocte] Id eſt, nunquam deſtituit me bonitate ſua: ſed ſubinde in his tentationibus præbet mihi conſpiciẽdam ſuam bonitatẽ: atque ea ita me confirmat & exhilarat vt facilè ſuſtinere illam vim malorum poſſim. Facilè enim video, Deum has caſtigationes mihi immittere, non vt me perdat: ſed vt fidem meam, patientiam & inuocationem exerceat.

Mandare bonitatem ſuam dicitur Deus, cùm facit vt ſenſus bonitatis & amoris eius erga nos à nobis percipiatur. Ita dicitur mandare benedictionẽ alicui, Leuit. 25. Deut. 28. Pſalm. 133. Item mandare ſalutes Iacob. Pſal. 44. Id eſt, felices reddere, vt reipſa experiamur nobis benedici à Deo, & facere vt ſaluetur Iacob.

Et nocte canticum eius mecum] Id eſt, continuabit noctu ſuũ erga me etiam amorem, vt de eo lætari poſſim. Canticum per metonymiam ſignificat ingentem lætitiam inter ipſos pauores & dolores, *Ich kan frœlich vnd mit eim geſang zu bett gehen vnd ſchlaffen*: quia ſentio in corde hanc conſolationem eſſe accenſam, quòd tu me fauore proſequaris. Alij extra eccleſiam, qui has conſolationes ignorant, ſubinde cruciantur ſenſu malorum, & maximè ſub noctem dolor & cura recurſat.

Oratio ad Deum] Orationem non tam hoc loco intelligit qua afflictus petit mitigationem calamitatum, quàm qua ſibi gratulatur de Dei erga ſe fauore, & quòd liberum ad eum acceſſum habeat. Ideo enim appellat eum Deum vitæ ſuæ. Ea enim notitia parit hilaritatem in corde & ſuperat dolores. Quanquam autem verum eſt, in tribulationibus creſcere ardorem precandi: nunc tamen de eo principaliter non loquitur.

10 Dicam Deo rupi meæ: Quare oblitus es mei? Quare pullatus incedo in oppreſſione hoſtis?

Poſtquã ſe cogitatione bonitatis Dei & fiducia miſericordiæ diuinæ nonnihil erexit, nunc dicit ſe deinceps fore animoſiorem & alacriorem ad precandum: ego, inquit, quia ſtatuo Deum mihi eſſe propitiũ, liberiùs & maiore παρρησίᾳ deinceps ad eum accedam, & omnes meas moleſtias in eius ſinum exonerabo. Dicam Deo, quem ſtatuo eſſe rupem meam: Quare oblitus es mei? id eſt, familiariter conquerar, & miſerias meas ei exponam, tanquam apud amicum.

Quare oblitus es] Hæc verba non ſic intelligenda ſunt, quaſi ſtatuat, ſe prorſus à Deo eſſe reiectum. Id enim ſi ſtatueret, non eum inuocaret: ſed ex carnis ſenſu ita loquitur. Cùm enim malis obruimur, caro noſtra, quæ tantũ res externas intuetur, ita turbatur, vt iudicet ſe nõ reſpici ampliùs à Deo. Interea tamen fides aliter iudicat: itaque accedit ad Deum & petit ſe recipi. Talis eſt lucta carnis & Spiritus. Et interdum pij ex carnis ſenſu loquuntur, interdum vocem fidei depromunt. Atque hinc magna eſt varietas affectuum & orationis in pſalmis.

Quare pullatus incedo?] Id eſt, quare cõcedis vt perpetuò maneam in luctu & dolore propter vim & iniurias hoſtiũ? Quare non adimis mœrorem & luctum? In voce קודר eſt metonymia. Lugentes enim pullati incedebant.

11 Occiſio in oſſibus meis, dum me probro afficiunt inimici mei, dicentes mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?

Petitioni, vt præcedente verſu diximus, miſcet querelas, quas etiam ſuprà aliquo modo attigerat, de improbitate hoſtium, qui calamitoſo petulanter inſultabant: & quantus ille ſit dolor, quem ex hoſtium probris & ſarcaſmis accipiat, oſtendit.

Occiſio in oſſibus dum me probro afficiunt] Id eſt, hoſtiũ probris non minore cum dolore ſum vulneratus quàm ſi oſſa perforaſſent. Variat hoc loco lectio. Nonnulli enim legunt ברצח vt ב ſit inſtrumenti nota, quemadmodum iam expoſuimus. Alij vero, ſecuti Chaldæum paraphraſten, legunt ברצח cum ב ſimilitudinis. Atque hi ſic exponunt, Tanquam occiſio ſeu cædes eſt in oſſibus meis, quòd me probro afficiunt.

In oſſibus] Ex oſſium percuſſione acerbiſſimus exiſtit dolor, Ideo dicit de dolore oſſiũ. Et non eſt mirum tantũ ex ſarcaſmis hoſtium accepiſſe eum dolorem: quia ea res non tantùm in Dauidis, ſed Dei contumeliam vergebat, quaſi qui ſuos cultores deſereret. Ideo non exiſtimandum eſt, eum tam impatienter priuatas iniurias ferre: ſed contumelia, quæ nomini diuino inurebatur, ita eum inflammat & iuſtum dolorem adfert.

12 Quare deiicis te anima mea, & cur tumultuaris intra me? expecta Deum: quia adhuc confitebor ei, ſalutes vultus mei, & Deus meus.

Repetitio oſtendit quod antea dictum eſt, vices eſſe tentationis & conſolationis, nec vno congreſſu Dauidem mox fuiſſe ſuperiorem.

Salutes vultus mei] Id eſt, liberationes, quas facit me videre, & quibus vultum meum exhilarat.

PSALMI XLII.

PARTES.

I. Expoſtulatio de exſulio ſuo & abſentia ab Eccleſia Dei. Primùm autem v. 2. vniuerſale ſtudium proponitur Dauidis, quo ad Deum ferebatur per cerui comparationem illuſtratum. Subiicitur v. 3. querimonia, cuius ſumma eſt, Dauidem ægrè ferre quod Deum ex præſcripto Legis (Exod. 23. 17.) accedere non poſſit.

Expoſtulationẽ hanc amplificat, 1. à conuiciis & probris ipiorũ, v. 4. 2. à præteritæ ſortis beatæ conſideratione, v. 5. nempe dum arceri ſe videt à publicis cœtibus & congreſſibus ſacris.

Queri-

Querimoniæ additur conſolatoria concluſio ad animam, v. 6. cuius concluſionis partes ſunt. 1. reprehenſio ſiue correctio fluctuantis animæ. 2. conſolatio, ſpe certa innitens, quæ Dei laudes & pietatis exercitia publica complectitur.

II. Expoſtulatio de calamitatibus quæ ſibi tantopere afflicto ab inimicis importantur. De infirmitate animæ ſuæ conqueritur, tribus argumentis. 1. Ab exſulio ſuo, v. 7. cui opponitur conſolatio, quòd nuſquam niſi in Deo quieſcere poſſit. 2. A miſeriis nouis indies ad ipſius exſulium accedentibus, verſ. 8. 9. & 10. cui argumento reſpondet Dei fides in præſtandis promiſſis, & in precibus perſeuerantia. 3. A contumelioſis in Deum blaſphemiis, v. 11. cui opponitur conſolatio ei reſpondens, quæ verſ. 6. exprimitur.

III. Concluſio tum prioris, tum poſterioris expoſtulationis, v. 6. & 12. amœbea.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1. 2. & 3. Dauidis zelus hoc pſalmo ad viuum expreſſus eos damnat, qui, quoniam ſibi ſatis ſapientes videntur, conciones ſacras & ſacramenta vltro negligunt: ac multò etiam magis qui caducorum bonorum vſum redimunt ſacri miniſterij iactura, qui deniq; malũt in idololatriæ ſordibus iacere quàm eccleſiæ accenſeri.

Externus cultus eſt vinculum ſacræ coniunctionis noſtræ cum Deo: non quòd per ſe Deo nos cæremoniæ reconcilient, ſed quia pietatis ſunt exercitia, quibus carere non ſuſtinet infirmitas noſtra.

Vbi notas præſentiæ Dei in verbo vel ſignis ſacris habemus inſculptas, dicere licet cũ Dauide, illic extare Dei faciem: modò puros animos afferamus ad eum ſpiritualiter quærendum. Vbi autem homines Deum præſentem aliter imaginantur quàm ſe verbo & ſacris ſignis patefecit, vel craſſum aliquid terrenumq; concipiunt de cæleſti eius maieſtate, fingunt meras laruas quæ Dei gloriam deformant, eiúſq; veritatem conuertunt in mendacium.

4 Quoties nobis impij inſultant, & odioſè exprobrant Deum eſſe nobis aduerſum, à ſatana impelluntur vt fidem noſtram deijciat: ideo nõ eſt locus deliciis vbi tam periculoſum bellum nobis mouetur.

5 Ita affectus noſtri temperandi ſunt, vt gaudium noſtrum ad paternum Dei fauorem reſpiciat: cum doloris noſtri cauſa ſit, eum habere infeſtum.

6 Hæc optima eſt vincendi ſatanæ ratio, non egredi extra nos, ſed cum propriis affectibus ſuſcipere intrinſecum certamen. Et hæc ordinaria eſt piorum lucta, proprios affectus in ordinem cogere, ac præſertim bellum gerere cum diffidentia.

Dum iacemus proſtrati, inquietudo ad fremitum nos impellit: vtrique malo medetur ſpes in Deum, quæ ſola facit, primùm vt conſiſtant animi noſtri inter maximas tempeſtates, deinde vt patienter quieſcant.

Gratiæ Dei apud fratres noſtros tunc idonei erimus teſtes, quũ eam primùm teſtati fuerimus cordibus noſtris.

7 Dum impij nullum niſi in Dei obliuione reperiunt ſolatium, pij eius manu vulnerati, medicum tamen agnoſcunt & inuocant.

Quamuis nos deficiant adminicula quæ Deus ad fidei noſtræ & pietatis ædificationem inſtituit, ſedulò tamen acuendæ ſunt mentes noſtræ, ne vnquam obrepat Dei obliuio.

Quum hominis anima ſit quaſi officina ſatanæ ad fabricandos mille deſperationis modos, niſi virtutem nobis Deus ſuppeditet, & niſi promiſſionum eius ſancta meditatio nos ad precandum ſollicitet, fieri nequit vt tot prauis cogitationibus, quæ ſingulis momentis ſe ingerunt, ſimus ſuperiores.

8 Quoniam ea eſt noſtra ſocordia vt non ſatis iuſta Dei iudicia metuamus, non vnam modò abyſſum parat ad nos deglutiendos, ſed facit vt abyſſus ad abyſſum clamet, ſuáſque cataractas aperit, ita vt nullus malorum finis appareat, donec fuerit placatus.

9 Ea eſt fidei natura, vt in vmbra mortis, Dei ſerui ſperent, Deũ ſibi fore propitium, vt interdiu occurrat eius bonitas, & nocte cantica lætitiæ naſcantur, quæ mœrorem aut tollant aut mitigent.

10 Externa rerum facies, & inquietudo qua ſecundùm carnẽ fideles agitantur, cau[illegible] eſt querelæ, ac ſi Deus oblitus eſſet eorum: licet interea fide ſtatuan[illegible] à Deo reſpici, nec ſurdas ſibi fore eius aures.

11 Vera pietate præditis hominibus nihil atrocius accidere poteſt inter ſæuiſſima quæque mala, quàm vbi laceratur Dei maieſtas, eorúmque fides lethaliter impetitur. At qui priuatas ſuas iniurias iniquiſſimo perferunt animo, & Dei gloriæ illatas contumelias non curant, ſibi horrendum accerſunt iudicium.

12 Quanuis ſatan non deſinat nobis faceſſere moleſtias, & creare pericula, non eſt tamen quòd animis frangamur: ſpes enim non confundit neque confunditur, & quas Deus parauit nobis ſalutes, mundi furor & portæ inferorum abolere non poterunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Libertinorum, Anabaptiſtarum, & aliorum profanorum cœtus ſacros & miniſterium Eccleſiæ contemnentium, impietas.
2. De cultu externo, & duplici facie Dei.
3. Fidei lucta, luctus, eluctatio, exultatio, triumphus.
4. Spei veræ vis, ſublimitas, fructus vberrimi.
5. Impiorum blaſphemiæ in Deum & eius Eccleſiam.
6. Perſeuerantiæ in vera pietate modus & ratio.

ARGVMENTVM PSALMI XLIII.

IDEM eſt argumentum huius pſalmi quod ſuperioris, & eodem tempore à Dauide eſt ſcriptus, quando ſcilicet eiectus & expulſus patria, in exilio procul à ſanctuario & cœtu piorum oberrabat, nec ſacros cultus, vt antè conſueuerat, obire poterat. Sicut enim pſalmo præcedente dolorem ſuum, quem ex ea re capiebat, multis verbis oſtendit & exaggerat: ita & in hoc pſalmo eandem querelam penè iiſdem verbis repetit. Sed addit petitionem, qua primùm Dei opem & auxilium contra ſeditioſos ciues & tyrannidem, atque iniurias ſuorum hoſtium implorat. Deinde reduci ſe in patriam & reſtitui eccleſiæ petit, &c. Iterum igitur commendatur hic dignitas miniſterij publici.

1 IVdica me Deus, & diſcepta litem meam: à gente non manſueta, à viro doloſo & improbo eripe me.

Propoſitionis ſeu petitionis prior pars in hoc verſu recitatur, & additur ratio neceſſitatis à perſona inimicorum. Petit enim, ſe diuinitus defendi aduerſus iniuſtam violentiam & tyrannidem ſuorum hoſtium, qui crudeliter & aſtutè ipſum oppugnabant.

Iudica me] Hæc phraſis complectitur omnia officia iudicis: primùm vt diligenter inquirat & cognoſcat cauſſam, & videat vtra pars iniuſtè & ſceleratè agat. atque ita teſtatur, ſe quod ad hoſtes attinet, bonæ conſcientiæ teſtimonium afferre in Dei conſpectum. Non enim vlla affecerat iniuria hoſtes. Deinde, vt cognita ipſius innocentia, cauſſam iuſtam tuendam ſuſcipiat, & hoſtium iniuſtos conatus reprimat. Hoc enim eſt iuſti iudicis, punire ſontes & tueri bonos.

Diſcepta litem] Id eſt, age cauſſam meam, ſeu defende cauſſam, quæ iuſta eſt & bona.

A gente non bona] Id eſt, ab illa factioſa multitudine, quæ in me inſurgit magna crudelitate atque acerbitate, & nihil aliud ſitit quàm ſanguinem, quæque nullo miſericordiæ aut humanitatis affectu tangitur. חסיד enim, quando actiuè accipitur, ſignificat eum qui vera beneuolentia alium proſequitur, nec fucatè colit amicitiam, &c. Alij חסיד exponunt ſancta, ac ſi eſſet קדוש: & gentem non ſanctam, interpretantur, non habentem veram doctrinam & veros cultus Dei, ſed pollutam prauis opinionibus & externa idololatria.

A viro doli] Id eſt, doloſo & callido, qui exiſtimat ſua calliditate ſe perfecturum quod inſtituit: nec putat ſuos conatus diuinitus poſſe infringi. Itaque omne genus doli & fraudum excogitat, quibus me circumueniat & euertat.

Virum iniquitatis nominat pollutũ omnis generis ſceleribus, & qui à nullo ſcelere, quantumuis graui, abhorret, dummodo licentiam ſuarum cupiditatum obtinere poſſit. Tales igitur ſunt hoſtes eccleſiam Dei oppugnantes. Primũ

ſunt immites & crudeles,& carent omni ſenſu humanitatis, ac manifeſta ſæuitia oppugnant eccleſiam. Deinde ſunt callidi & aſtuti, & variis artibus eccleſiam inuadunt. Denique ſunt tales qui nõ verentur quiduis committere vt ſtabiliãt ſuam tyrannidem, tueantúrve ſuam authoritatem, & ſuas cupiditates obtineant. Nec opus eſt procul petere exempla, cùm noſtra ætas nimis multa (proh dolor) ſuppeditet. Vox איש ponitur per ſyntheſin pro tota illa factione quæ in ipſius necem conſpirauerat. Vtitur autem illa voce, vt ſæpe ſolet Scriptura, diſtributiuè: quia petit non vnum atque alterum, ſed omnes reprimi. Alij tamen ad Saulem, alij ab Abſolomum vel Achitophelem referunt.

2 Quia tu [*es*] Deus fortitudinis meæ: quare me repuliſti? [*&*] quare triſtis incedo in oppreſſione hoſtis?

Aliæ duæ rationes adduntur propoſitioni. Prima, à promiſſione diuina: altera à magnitudine doloris quẽ capit ex ſuis miſeriis. Suprà autem pſalmo præcedente verſu 10. penè iiſdem verbis hæc dicuntur. Ideo non immoror diutius.

Tu es Deus fortitudinis meæ] Id eſt, tu promiſiſti defenſionẽ contra hoſtes: hac promiſſione me ſuſtento & confirmo, & te ſperò iuxta promiſſionem adfuturum mihi, méque confirmaturum, vt ſuſtinere impetus hoſtiles poſſim.

Quare repuliſti] Id eſt, quare oſtendis te eſſe à me alienum? Non reuera abiecerat eum Deus, ſed ex ſenſu carnis ita loquitur.

Quare triſtis, &c.] Id eſt, quare tandiu conniues ad hoſtium iniurias, & quaſi otioſus es ſpectator mearum ærumnarum, & quî fit, vt cùm defenſionem promiſeris, tandiu præualeat hoſtis?

3 Mitte lucem tuam & veritatem tuam: Ipſa me deducant [*dirigant*] & adducant me ad montem ſanctum tuum, & tabernacula tua.

Altera pars eſt propoſitionis, qua petit vt reſtituatur eccleſiæ, & reducatur ab exilio in patriam.

Lucem] intelligit fauorẽ, vt, qui anteà faciẽ ſuã obſcuraſſe, ac triſti vultu eum aſpexiſſe viſus erat, nunc deinceps ſereno ac lucido vultu intueatur, hoc eſt, vt diſcuſſis tenebris ærumnarum & ſenſu iræ Dei, deinceps fauore eum complectatur, atque ita eum reſtituat. *Emitte lucem*, id eſt, fac vt intelligam te mihi fauere, atque ita oſtende te veracem eſſe in promiſſionibus.

Per *veritatem* intelligit promiſſiones: quia lux illa non cernitur niſi in promiſſionibus. Hæ verò ſunt firmæ & minimè fallaces: ideo nominantur veritas.

Dirigant me] Oſtendit ſe non tam expetere reſtitutionem dignitatis, honorum aut voluptatum, quàm reductionem ad templum, vbi frui poſſit pietatis exercitiis, & verſari in iſto cœtu qui templum & domicilium eſt Dei.

Montem ſanctum intelligit Sionem, in quo tunc erat tabernaculum (ſi tamen pſalmus poſt conſtitutum ibi tabernaculum eſt ſcriptus:) quòd certè hinc fit veriſimile.

4 Et ingrediar ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ: & celebrabo te in cithara. Deus, Deus meus.

Addit argumentum à gratitudine & remuneratione. Ego reſtitutus non indulgebo otio & voluptatibus ex ſecuritate quadam carnali, quod facere plerique ſolent in rebus ſecundis: ſed ingrediar templum, & tibi agam gratias pro beneficiis acceptis, & celebrabo nomen tuum perpetuò.

Per *altare* ſignificat, ſe oblaturum ſacrificium pacificum, hoc eſt, gratiarum actionis.

Deum lætitiæ nominat, qui eum ex doloribus & ærumnis extracturus & nouo gaudio perfuſurus eſſet. Addit autem vocabulum *exultationis*, vt ſignificet, non vulgarem fore illã lętitiam, vbi Deus præter ſpem omnium eum reſtituerit, ſed talem quæ etiam foris in geſtus eruptura & inſtrumentis muſicis ſe oſtenſura ſit. Deum lętitiæ exultationis, id eſt, Deum qui perfundit me lætitia exultante ſeu geſtiente.

5 Cur deiicis te anima mea, & cur tumultuaris intra me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei: ſalutes vultus mei & Deus meus.

De hoc verſu dictum eſt aliquid in præcedente pſalmo.

PLSAMI XLIII.
PARTES.

I. Petitio liberationis ab aulicorum improborum & impii Saulis fraude & violentia, v.1.

II. Exornatio petitionis. 1. à fœdere officióque Dei, v.2. qui ſuis adeſſe ſolet, eóſque gratioſa ſua præſentia ſuſtentare. 2. à genere petitionis, quod nihil poſtulet à fœdere alienum, v.2. & 3. honeſtum eſt enim Dei ſeruos & filios in eius tabernacula introduci, nec decet eos vagari extra ædes. 3. à fine, v.4. nẽpe vt in familia ſuo fungatur officio, Deúmque celebret.

III. Concluſio hortatoria, vt ſupra pſal. 42. v. 6. & 12.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1 Sicuti ſuauiſſima hinc conſolatio ad nos redit, quòd Deus cauſæ noſtræ cognitor eſſe non grauatur: ita fruſtra ſperamus eum fore iniuriarum noſtrarum vltorem, niſi in medium prodeat noſtra integritas, quæ fauorem nobis contra aduerſarios conciliet.

Viri ſanguinum, doloſi & improbi, qui aduerſus Chriſti eccleſiam crudelitate, ſophiſtica, & impietate diſceptant, tandem à Deo excindentur.

2 Quum impiis non plus ſit poteſtatis ad inferendas moleſtias quàm Dominus permittit, ideo fideles tanquam de re abſurda quærunt ſæpius quî fiat vt præualeant hoſtes, quum Deus filios ſuos ſub ſua fide ac tutela receperit. Sed hinc animum colligunt ad precandum, vt Deus gratiam ſuam iterum exerat, quam ad tempus abſcondere viſus eſt.

3 Non aliunde contingũt miſeriæ, niſi quia Deus paterni amoris ſigna ſubducit: ſimulac verò lætã ſerenámque faciem oſtendere dignatur, liberatio & ſalus emergit. Fauor autem ille nonniſi ex Dei promiſſione ſeu veritate promanat.

Etſi cognitio gratiæ Dei ex verbo petenda eſt, nec fides noſtra aliter ſtabilis erit, niſi verbo nitatur, non vulgaris tamen verbi & fidei confirmatio eſt ipſa experientia, dum ad nos iuuandos manum extendit Deus.

Vt piis præcipua mœroris cauſa eſt, exulare à ſacris cœtibus: ſic etiam, caput omnium bonorum, quandiu degunt in terris, exiſtimãt, ſi pietatis exercitiis frui liceat.

4 Quia ex mœrore ad hilaritatem traducti fideles, Dei laudandi præclaram occaſionem nacti ſunt, gratis etiam animis ſe ſuaque hoſtiam viuam, ſanctam & acceptam Deo offerunt, rationalẽ videlicet illum cultum, cuius meminit Apoſtolus, Rom. 12.

5 Quum Deus in ſe confidentes deſerere non poſſit, ſciamus eum nobis non defuturum: imò inuitis hoſtibus faciet vt in cœtibus ſacris laudes ipſius deprædicemus, ob liberationem qua nos paterno fauore beabit.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Deus vindex & liberator piorum ad eũ confugientium.
2. Tyrannorum, hypocritarum, apoſtatarum, facies & exitus.
3. Liberatio & ſalus ab vno Deo.
4. Lux & Veritas piorum comites.
5. Pietatis exercitia magnifacienda.
6. De gratiarum actionibus ſub pædagogia Legis & ſub Euangelio.

ARGVMENTVM PSALMI XLIV.

VT ARGVMENTVM pſalmi rectiùs explicari poßit, primùm conſtituenda eſt propoſitio, vt ſciamus quid principaliter ſpectet aut agat autor huius pſalmi. Eſt autem propoſitio huius pſalmi precatio, qua petit vt Deus populum ſuum duriter afflictum & varijs ærumnis atque iniuriis oppreſſum defendat

defendat & ſeruet, & ex calamitatibus tandem eripiat. Semper enim eccleſia in hac vita propter profeßionem veræ doctrinæ, magna mole calamitatum atque ærumnarum eſt grauata, atque adeo omnium iniuriis expoſita: ſicut Paulus ad Rom. 8. ſententiam ex hoc pſalmo allegans, inquit, Propter te occidimur tota die. Ipſa verò eccleſia nullis instructa eſt armis aut præſidiis humanis, quibus arcere hoſtes, aut iniurias depellere poſſit: ideo in ærumnis ad Deum confugit, cuius patrocinium & opem implorat. Id faciunt pij etiam in hoc pſalmo, qui ſcriptus eſſe videtur longè poſt tempora Dauidis, quando inclinata iam repub. & ſublatis è medio ſalutaribus regibus, populus iam prædæ eſſe cœperat hoſtibus externis, & paulatim in exilium nunc ab Aſſyriis, nunc à Babylonis abducebatur: vel, vt alij volunt, quando Antiochi tyrannide premebatur. Propoſitio verò pſalmi non mox initio, ſed in fine recitatur. Argumenta vero quibus flectere Deum ad miſericordiam, & ad opem ferendam promptum reddere conantur, propoſitioni præmittuntur, ſúntque hoc ordine collocata, quem ſi quis obſeruet, ſententia pſalmi non erit obſcura.

I. Argumentum ſumptum eſt à prioribus liberationibus, ſeu ab exemplo patrum, quos Deus adoptatos in fœdus, in terram Chanaan introduxerat, eiectis & deletis hoſtibus potentißimis atque instructißimis, eóſque deinceps immenſa bonitate protexerat & ſeruarat, ac ſæpe inſignibus victoriis ornarat: cùm quidem ipſi pauci eſſent numero, & viribus nequaquam pares ſuis hoſtibus. Id quod ex hiſtoria Gedeonis & ſimilium manifeſtum eſt. Hoc primum eſt argumentum, cui concluſio deinde annectitur in fine. Petit enim vt qualem ſe Deus exhibuerat regem in aßidua defenſione huius populi, deinceps quoque talem ſe præſtet, populúmque variis iniuriis oppreſſum liberet. Concludit deinde hoc argumentum gratiarum actione. Agnoſcit enim hæc beneficia Dei, quæ in aßidua defenſione eccleſiæ conſpiciuntur, tanta eſſe vt dignis laudibus nunquam celebrari ſatis poßint.

II. Argumentum eſt querela de præſentibus ærumnis & periculis, in quibus tum temporis verſabatur populus. Hæc querela ſuperiori argumento additur per antitheſin, eóque quaſi indignitas rei exprimitur, quod hic populus qui hactenus aßiduum habuerit Deum defenſorem, nunc ab eo deſeratur, & tyrannidi atque libidini hoſtiū obiiciatur, quaſi Deus iā diſceſſerit à ſua natura atque ingenio. In hac querela diutius cōmoratur, exaggerās magnitudinē periculorum atque ærumnarū, varijs circunſtantijs: ſicut poſtea in enarratione videbimus.

III. Argumentum ſumptum eſt à tolerantia huius populi in cruce, & conſtantia in profeßione doctrinæ. Etſi enim ingenti calamitate erant obruti & oppreßi, & maxima pars iam captiua abducta viuebat inter gentes idololatras & tyrannos crudelißimos, vbi difficile eſt, aut exemplo impiæ multitudinis, aut ſpe bonorum & præmiorum, aut metu ſuppliciorum non abduci à profeßione veræ doctrinæ: tamen affirmant pij, ſe conſtanter perſeueraſſe in vera doctrina & veris cultibus, nec perſide defeciſſe à Deo: ſicut maxima multitudo fracta magnitudine calamitatum omnibus temporibus facere ſolet. Hic iterum vtilis doctrina proponitur. Sicut enim ſupra oſtendit qualis ſit eccleſia in hac vita & quæ eius ſit facies: ita hoc loco docet qualem ſe gerere debeat eccleſia in ærumnis.

IV. Argumentum ſumitur à cauſſa afflictionum, quod plurimùm ad Deum mouendum & flectendum valet. Affirmant enim, ſe non aliam ob cauſam tantopere affligi quàm quòd profeßionem veræ doctrinæ hactenus conſtanter retinuerint, nec inflectere ſe ad aliarū gētium idololatriam, aut turpitudines harū probare voluerint. Propter te, inquiunt, occidimur tota die. Huic demum argumento ſubiicitur propoſitio, quæ vt dixi, eſt petitio vt tandem miſertus ſui populi Deus expergeſiat & opem ferat. Atque ita hunc pſalmum cōcludit. Propoſitioni verò, quæ ſubinde aliis atque aliis verbis repetitur, miſcet autor argumentum à magnitudine calamitatum, oſtendens tot malis ſe eſſe oppreſſum vt emergere ex calamitatibus niſi Deo iuuante non poßit. Ita autem hic pſalmus nobis dulceſcet ſi in quotidiana inuocatione eum, ad vſum transferamus. Nos enim ſimiliter premimur & expoſiti variis periculis ſumus, quæ nulla alia ratione quàm piis precibus auertere eccleſia poteſt.

1 AD triumphandum, filiis Core erudiens.

Vox משכיל ſignificat, pſalmum in eum finem ſcriptum eſſe, non vt præſenti illi tempori tantùm ſeruiret quando autor eum edidit: ſed vt imaginem eccleſiæ omnium temporū depingeret, & ſingulos pios quid ſub cruce & calamitatibus agendū ſit, erudiret. Nam Paulus ad Rom. 8. ex hoc ipſo pſalmo docet, hāc eſſe perpetuā eccleſiæ in hac vita cōditionem quæ fuit populi Iudaici reuerſi ab exilio. Itaq. nūc eadē doctrina crucis & eædē conſolationes ſonare in Eccleſia debēt. Quare nō abſq. cauſſa pſalmus dicitur *Maſchil.* Doctrina enim crucis præcipua eſt eccleſiæ eruditio, ſicut dicitur pſal. 119. Bonū, quòd humiliaſti me, vt diſcerē iuſtificationes tuas. Creſcit enim doctrina, fides, inuocatio, pietas, in ærumnis.

2 Deus, auribus noſtris audiuimus: patres noſtri narrauerunt nobis opus [*quod*] feciſti in diebus ipſorum, diebus priſcis.

Exordium, vt dixi, ſumptum eſt, à cōmemoratione beneficiorum diuinorum, quibus antehac Deus hunc populum ſuum affecerat in conſtituenda primū & ſeruanda deinceps per multas ætates ſua eccleſia. Eſtque hoc primum argumētum in hac materia ſuaſoria, in quo reſpicit ad perpetuam Dei bonitatem erga ſuos: quæ cùm mutari non poſſit, videbitur alienum quid à ſua natura facturus, ſi nunc populum ſuū deſerat. Argumentū itaq. tale eſt: Tu ſemper ex quo fœdus iniiſti cū patribus noſtris, mirabiliter adfuiſti huic populo, eúmque contra varios hoſtes & pericula defendiſti, ergo & nūc nos defendas. Obſeruandū eſt autem qualis fuerit diſciplina in illo populo, ad quā reſpicit hoc loco, quòd parētes doctrinam de Deo & ipſius beneficiis diligenter & aſſiduè inculcabant ſuis liberis, ſicut ſæpe præcipitur in Moſe, Deut. 6. & alibi. Et liberi ſtudioſi erant auditores & diſcipuli doctrinæ à maioribus acceptæ. Vtrunque exemplum valere ad nos excitandos debet, vt fideles ſimus cuſtodes depoſiti, idque ad poſteritatem tranſmittere ſtudeamus.

Auribus audiuimus] Non tam eſt pleonaſmus in his verbis quàm emphaſis, qua certitudinem doctrinæ à maioribus traditæ exprimit. Illa enim quę à maioribus acceperūt, aiunt eſſe tam certa vt nulla opus ſit dubitatione.

Patres narrauerunt] Scilicet, non tantùm quæ à maioribus longa annorum ſerie acceperant: ſed etiam quæ ipſi coràm viderant in aſſidua defenſione & mirandis liberationibus huius populi. Ideo coniungit dies patrum & dies antiquos, vt ſignificet, ſe complecti continuam ſeriem omnium beneficiorum Dei, quæ de manu (quod aiunt) in manum tradita vſque ad hanc vltimam ætatem peruenerint.

3 Tu manu tua expuliſti gentes, & plantaſti eos: contriuiſti populos, & propagaſti [*dilataſti, extendiſti*] eos.

Hic verſus ἐξήγησις ſeu expoſitio eſt præcedentis verſus: oſtendit enim quale illud ſit opus de quo locutus erat.

Gentes nominat Chananæos & finitimos populos, quibus eiectis, Deus illas ſedes attribuit populo Iſraelitico, vt teſtatur liber 5. Moſis & liber Ioſuæ. Nonnulli malunt gentes dici duodecim tribus Iſrael. Itaque verbum תורישׁ interpretantur, attribuiſti hæreditatem, ſeu immiſiſti eos in bona hæreditaria. Sed antitheſis ſequentis membri oſtendit priorem interpretationem eſſe veriorem. In vtroque enim membro gentes & populi opponuntur Iſraelitis.

Emphaſis eſt in pronomine *tua*: quā poſtea ſequens verſus declarat. Ita enim Dei bonitati & virtuti totum hoc opus adſcribit, vt humanis viribus nihil relinquat. Itaque cùm dicit Manu tua, excludit omnes humanas vires, ſicut poſteà vide-

bimus. Eſt autem dulcis in hoc verſu & ſequente propoſita doctrina & conſolatio. Docemur enim, eccleſiam in hac vita non colligi aut conſtitui humana ſapientia aut viribus, ſed miranda Dei ſapientia & potentia colligi, regi, ſeruari & defendi. Sicut enim tunc ille populus in poſſeſſionem terræ Chanaan eſt immiſſus, eiectis & deletis hoſtibus ſola virtute & potentia Dei: ita omnibus ætatibus colligitur & ſeruatur eccleſia à Deo abſque vllis viribus humanis. Eſtque præpoſtera ſapientia humana, quæ putat humanis viribus conſtitui aut conſeruari eccleſiam poſſe. Media quidem aſpernanda non ſunt, ſi qua Deus offert: ſed fiducia in his nequaquam eſt collocanda, nec hominibus quicquam adſcribēdū.

Plantaſti eos] ſcilicet, patres & maiores noſtros. Nam relatiuum apud Hebræos non ſemper refert proximè antecedens ſubſtantiuum, ſed interdum remotum. Eſt autem metaphora in verbo, qua primùm Chananæos comparat arboribus, quæ longo tempore in ea terra radices egerant, & omni genere deliciarum ac voluptatum abundarant: his euulſis alias dicit in earum locum eſſe plantatas, non vt ad tempus tantùm manerent, ſed vt fixas ibi haberent radices.

Additur & altera metaphora in verbo שלח miſit ſeu emiſit, qua ſignificat beneficium illud fuiſſe continuatum. Neque enim ſatis fuit populum plantari, ſed radicibus actis auctus eſt hic populus, vt longe latéque emitteret ramos, & ſobolem ſuam in multa ſecula propagaret.

Extendiſti] Id eſt, feciſti vt creſcerent multitudine, opibus, dignitate, ſplendore, potentia. Alij de gentibus hoc interpretantur, idcoque verbum שלח eiiciendi verbo reddunt.

4 Quoniam non in gladio ſuo poſſederunt [*adepti ſunt*] terram, & brachium eorum non ſeruauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & lumen vultus tui: quia beneuolus fuiſti erga eos.

Expoſitio eſt præcedentis verſus. Dixerat enim, Deum ſua manu eieciſſe gentes, &c. Id ab antitheſi nunc explicat copioſiùs.

Brachium & dextra metaphoricè ſignificant virtutem & robur. Nam brachio defenditur corpus, & ij quos tuendos ſuſcipimus: atque ita in Scriptura ſæpe appellatur filius Dei, per quem & propter quem colligitur & defenditur eccleſia, Ieſai. 53. pſal. 136. &c.

Lumen vultus] μετωνυμικῶς ſignificat fauoris declarationem, quam oſtendimus ſereno vultu. In ærumnis videtur Deus nos aſpicere obſcuro, triſti & contracto vultu: econtra in liberationibus, ſereno, lucido & benigno vultu conſpiciendum ſe nobis exhibet.

Quia beneuolus] Addit amplificatiunculam à cauſſa. Quod enim Deus ita excerpit eccleſiam ex genere humano, eamque mirabiliter ſeruat & defendit contra furores diaboli & tyrannorum, eius rei nulla alia cauſa eſt, niſi quòd ſummo amore & beneuolentia proſequitur genus humanum: nec prouocatur vllis meritis, ſed ſola bonitate & amore gratuito mouetur, vt nos complectatur & nobis benefaciat.

5 Tu ipſe rex meus, Deus: manda ſalutes Iacob.

Continuat cœptam narrationem. Ait enim, non tantùm in prima liberatione atque introductione populi in terram Chanaan conſpectum eſſe Dei amorem & curam erga hunc populum, ſed ſemper poſtea ipſum aſſiduum fuiſſe defenſorem & gubernatorem huius populi, idque continua ſerie vſque ad illa tempora. Hoc enim ſignificatur vocabulo regis, *Tu es rex meus*, id eſt, tu huc vſque populum ſeruaſti & defendiſti, nec alius fuiſti erga poſteros quàm qualem initio te exhibuiſti Abrahamo, cui promiſſio facta eſt: Ego ſum protector tuus. Rex enim ſicut domi legibus gubernat populum, vt piè & honeſtè inter ſe viuat: ita foris defendit eum ab iniuriis hoſtium.

Manda ſalutes Iacob] Nonnulli volunt eſſe petitionem vt nunc quoque ſaluet populum ſicut antea fecerat. Sed quia continua eſt in exordio narratio, & petitio primùm in fine ſubiicitur, etiam imperatiuus, vt aliàs ſæpe, naturam præſentis temporis induit. Manda, id eſt, qui mandas ſalutes Iacob. Mandare autem ſalutes alicuius, eſt, non tantùm promittere, ſed procurare ſalutes, aut efficere vt aliquis ſit ſaluus & incolumis. Deus enim, quia vniuerſam naturam habet ad manum, ita vt ei militet, & ad omnes nutus præſto ſit, dicitur mandare ſalutes, quoties miniſterio creaturarum in ſaluandis ſuis vtitur. Súntque creaturæ quaſi nuntij aut milites eius, qui opus ſibi iniunctum ſtrenuè exequuntur. Hinc ſumpta eſt phraſis. Vtitur autem plurali numero *ſalutes*, quia non ſemel tantùm, ſed ſæpe & variis modis eos ſeruauit.

6 In aduerſarios noſtros cornu petebamus: in nomine tuo cōculcabamus inſurgentes contra nos.

Declaratio eſt præcedentis verſus. Oſtendit enim qualis huius populi fuerit rex, qui ſcilicet ipſe non tantùm pugnauerit pro ſalute huius populi, aut aliorum miniſterio vſus ſit: ſed ipſum populum etiam viribus inſtruxerit, vt hoſtes repellere à ſe poſſent. Futura per præterita imperfecti exponenda ſunt, quia narratio eſt præteritorum beneficiorum, id quod facilè ex antitheſi quæ poſtea ſubiicitur, apparet.

In te] Id eſt, abs te inſtructi & armati, & te ſuppeditante vires, cornu petebamus, id eſt, cunctis hoſtibus noſtris fuimus formidabiles, ità vt quicunque nobis arma inferrent, cæſi ac profligati ſuccumberent. Eſt autem metaphora in hoc ſermone ſumpta à feris aut bobus, qui obuia quæque cornibus diſiiciunt, proſternunt & peſſundant. Significat igitur, ſe plus quam humano robore à Deo inſtructos fuiſſe.

In nomine tuo] Id eſt, tuo auſpicio & ductu militantes, tuáque ope & auxilio freti, fuimus ſuperiores hoſtibus, quia ſciuimus te eſſe ducem exercitus noſtri & militare nobiſcum. Eſt rurſus emphaſis in pronomine *tuo*, ſicut antea dixit, manu tua. Eam poſtea explicat ſequenti verſu per antitheſin.

7 Non enim in arcu meo ſperabam: & gladius meus non ſeruabat me.

Id eſt, non mea virtute aut viribus adeptus ſum has victorias, ſed tuo beneficio. Ita rurſus docet, eccleſiam nulla humana ſapientia, aut viribus regi & conſeruari, ſed ſola potentia & virtute Dei.

8 Certè ſeruaſti nos ab hoſtibus noſtris: & oſores noſtros pudefeciſti.

Id eſt, omnes noſtræ victoriæ & liberationes tuo beneficio nobis obtigerunt, & tibi ſoli ſunt adſcribendæ. Nec enim potuiſſemus tantis hoſtium viribus eſſe pares niſi tu nos ſeruaſſes.

Pudefeciſti] Deſtituiſti aut fruſtratus es eos ſua expectatione & ſpe. Hoc enim eſt pudefacere, vt ſæpe iam diximus.

9 In Deo laudamus quotidie: & nomen tuum perpetuò celebramus, Selah.

Concluſio eſt primæ partis à gratiarum actione. Tanta eſt, inquiunt, hæc tua bonitas, quam oſtendiſti in perpetua defenſione huius populi, vt perpetuas nos tibi laudes & æternam gratiam debere agnoſcamus, & meritò hæc tua beneficia ſummis laudibus euehimus & celebramus. Eſt auté cauſſa finalis liberationis eccleſiæ in hoc verſu ſimul comprehenſa. Ideo enim colligit, ſeruat & defendit eccleſiam Deus miris modis, vt ipſum agnoſcamus & celebremus.

10 At nunc repuliſti & ignominia affeciſti nos: & non egrederis cum exercitibus noſtris.

II. Argumentū ex antitheſi additur ſuperiori. Eſt enim querela ſeu commemoratio præſentium ærumnarum & calamitatum, in quibus dum verſantur, iudicant, Deum quaſi cōmutata voluntate iam alieniorem eſſe factum ab hoc populo, & qui antea benignus fuerit, nunc quaſi naturam ſuam mutaſſe. Ita enim caro noſtra in rebus aduerſis de Deo iudicat. Sunt enim hæ voces non tam fidei quàm carnis noſtræ, quæ impatienter fert crucem. Et quo magis in mentem nobis veniunt beneficia in alios collata, eo maiore dolore afficimur, ſi in noſtris reb⁹ aduerſis non ſuccurrat. Expoſtulat igitur ſæpe caro noſtra cum Deo, ſicut in multis pſalmis videre eſt, & in quotidianis malis omnes experimur. Sed non indulgendum eſt hic impatientiæ, ne fremamus aduerſus Deum, aut iudicia eius reprehendamus: ſed erigendus eſt animus verbo promiſſionis, in quo Deus oſtendit, ſe non abieciſſe ſuam eccleſiam, etſi interdum affligi nos ſinit. Ita pij in fine huius pſalmi ſeſe colligunt. Eſtque hæc doctrina diligenter obſeruanda in pſalmis. Sæpe enim diuerſi affectus quaſi inter ſe confligunt, quos nemo, niſi in hac pietatis palæſtra probè ſit exercitatus, conciliare aut componere poteſt.

11 Conuertiſti nos retrorſum ab affligente: & oſores noſtri diripuerunt ſibi [*opes noſtras.*]

Iam amplificat querelam, facta diſtributione, in qua ordine enumerat mala quibus premebantur. Quod enim antea in genere dixerat, ſe reiectum eſſe à Deo & ignominia affici à gentibus, id nunc explicat particulatim.

I. Primùm, inquit, *conuertiſti nos*, &c. id eſt, quoties in aciem prodiimus, vt pugnaremus contra hoſtes, tu conieciſti nos in fugam, & feciſti vt terga verteremus. Deus incutit ſæpe pugnaturis ſubitum terrorem, quem Panicum appellant, in quo & cor & ratio eos deſerit: quod & Pindarus teſtatur in Nemeis: ἐν δὲ δαιμονίοισι φόβοις φεύγονται καὶ παῖδες θεῶν. Id etiam accidit tunc Iudæis.

II. *Et oſores noſtri diripuerunt*] Id eſt, expoſuiſti nos prædæ & libidini hoſtium.

למו ſibi, id eſt, pro ſua quiſque libidine, *ſie haben allen mutvvillen an vns geübt.*

שמר eſt

שרם eſt à שמם non à שום. Quod verò accentus eſt in prima, id fit propter accentum ſequentis dictionis, propter quē retrahitur ab vltima in penultimam. Alij exponunt conculcauerunt, quaſi ſit à ברם.

12 Das nos tanquam oues in cibum: & inter gentes diſperſiſti nos.

III. *Das nos*] Id eſt, hoſtes quotquot in acie capiunt, aut etiam extra pugnam, mactant crudeliter, nec vllo miſericordiæ ſenſu tanguntur, vt parcãt. Addit autem ſimilitudinem, qua orationem amplificat: Das in cibum tanquam oues: quaſi diceret, hoſtes noſtri non magis afficiuntur ſi quem ex noſtris interficiant, quàm ſi ouem mactẽ: imo tanquam famelici inhiant ſanguini noſtro, vt non priùs explere libidinem quàm ſanguinem noſtrum hauriant, poſſint.

IIII. *Inter gentes diſperſiſti nos*] Id eſt, quibus furor belli pepercit, eos ſpoliatos patria eiecisti in triſte & calamitoſum exilium. Hoc autem oppoſitũ eſt ei quod antea dixerat, patres & maiores ſuos collocatos & plantatos eſſe à Deo in hanc terram, vt ibi haberent ſedem fixam. Hic primùm in genere cogitare debemus quàm triſte & calamitoſum ſit viuere & vagari in exilio inter homines barbaros, alienos à religione, &c. atque ibi mendicando cibum quærere, & omniũ iniuriis eſſe expoſitum, de qua miſeria extant hi verſus Tyrtæi, digni memoria:

Eſt miſerum patria amiſſa laribúſque vagari,
Mendica & timida voce rogare cibos.
Cum natiſque errare ſuis & coniuge mœſta,
Et cum matre pia, cúmque parente ſene.

Et extat verſus Græcus, κακὰ σὺν αὐτῇ πολλ' ἐφέλκεται φυγή. Sed Iudæi, præter illas cõmunes miſerias quas aliis exilium adfert, præcipuo quodam dolore affecti ſunt. Nam cùm ea eſſet huius populi conditio, vt Deo ſuo, tanquam capiti, perpetuò coniuncti vnum eſſent corpus, a que in eo præcipua ipſorum gloria & felicitas poſita eſſet, auelli ab hoc capite & tanquam lacera membra diſpergi inter gentes, extremæ fuit maledictionis ſignum. Hoc igitur ſummum ipſis dolorem attulit.

Inter gentes] Vbi ſcilicet viueremus tanquam ſine Deo.

13 Vendidiſti populum tuum, nec inde diuitiæ: & non auxiſti pretia eorum.

V. Quinta calamitas. Populum tuum, inquit, hoc eſt, abs te peculiari fœdere adoptatum, vt eſſet tuum peculium, hæreditas & סגלה: nunc tanquam vile mancipium vendis pro nullo ferè pretio, vt nullum redeat inde ad te lucrum. Diſputat de hoc loco Auguſtinus, & ait primò aſpectu abſurdum videri, aliquos vendi vbi nullum pretium intercedit. Et reſpondet, quo ad hoſtes, à quibus Iſraelitæ vendebantur, pretium quidem ab ementibus fuiſſe interpoſitum: ſed quo ad ipſum Deum, qui præcipua cauſſa erat venditionis, ipſe pretium nullum accepit. Quemadmodum Ieſai. 52. dicitur, Gratis venundati eſtis, ita ſcilicet, vt fides Dei non ſit obſtricta venditori. Hoc ad Auguſtini interpretationem accedit. Ego omiſſa illa diſputatione, quæ tamen non aliena eſt ab hoc loco, ſententiam pſalmi ſimpliciter ſic expono: Vendidiſti populum nullis diuitiis, id eſt, tam vili & paruo pretio venditi ſunt Iudæi, vt pro nihilo reputentur.

Non auxiſti in pretiis eorum] Videtur alludere ad morē licitandi, qui adhuc vſitatus eſt in magnis emporiis. Ea enim quæ licent, non priùs attribuũtur emptoribus quàm crebra licitatione pretium ſit auctum: atque inde eſt vocabulum Latinum, auctio. Inde Vlpianus dicit: *Res quæ venit, eius eſt qui plus licetur.* Hoc igitur volunt: ſe ita fuiſſe proiectos, vt deteriore fuerint conditione quàm omnes ſerui. Serui enim non vẽdebãtur, niſi crebra licitatione aucto pretio. Ipſi verò primo licitanti concedebantur. Hoc autem totum factum eſſe non temere aut caſu, ſed Dei iudicio & prouidentia affirmant. Vnde diſcamus nihil nobis accidere, niſi Deo volente.

14 Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ludibrium & ſubſannationem his qui circum nos ſunt.

VI. Sexta calamitas. Non tantùm hoſtes crudeliter in nos ſæuiunt, ſed etiam vicini noſtri, quos commoueri ad cõmiſerationem decebat, petulanter inſultant nobis, rident in noſtra calamitate, & iudicant omnem religionem noſtram & cultum, quem Deo præſtamus, vanum eſſe. Itaque per ludibrium nobis Deum noſtrum, quem hactenus colimus, & cuius potentia & præſentia tantopere confidimus, obiiciunt.

Qui circum nos ſunt] Non ab vna gẽte vicina ridẽtur, ſed ab omnibꝰ in circuitu, *Es iſt nicht ein nachbar der mittleiden hette.* Hac circunſtantia exaggerat multitudinem mali.

15 Poſuiſti nos prouerbium in gentibus: agitationem capitis in populis.

VII. Subinde magis amplificat calamitatem à circunſtantiis & atrocitate malorum. Non tantùm vicinis fuimus communis fabula: ita vt ſi quis aliquid bellum narrare vellet quo vel tempus falleret, vel alios oblectaret, noſtras calamitates & miſerias recenſeret. Hoc primùm ſignificare videtur משל, dicterium bellum, bellam narrationem, *VVenn man ein kurtzvveilige rede brauchen vvil, ſo müſſen vvir herfür, vnd vnſer vnglück mus gehœrt vverden, das die gantze vvelt von vns zuſingen vnd zuſagẽ vveis.* Deinde משל videtur etiã ſignificare formulam imprecãdi. Ita, inquiunt, nomẽ noſtrum & calamitas abiit in prouerbium, eſtque hic populus adeo deteſtabilis, vt ſi quis alicui mala imprecari velit, noſtram ei calamitatem precetur. Ea enim ita celebris eſt, vt cùm nulla ei par ſit aut magis horribilis, vulgò omnes eam iactent, atque hinc formulam imprecandi ſumãt. Hæc verò omnia prædicta erant in lege, Deut. 2. Nam Prophetæ, cùm ſint Moſis interpretes, verba etiam ab ipſo mutuantur.

Commotionis capitis] Agitatio capitis geſtus fuit deridentiũ & illudentium, ſicut videre eſt ex pſalmo 22. Diſtenderunt labia, mouerunt caput.

In populis] Hæc repetitio emphaticè adiecta eſt, vt indignitatem rei oſtendat. Videbatur enim indignum & non ferendum vt populus à Deo electus à profanis gentibus rideretur, & conuitiis proſcinderetur.

16 Quotidie opprobrium meum coràm me [*eſt*] & opprobrium vultus mei obtegit me.

Alia eſt amplificatio ſumpta à tempore ſeu diuturnitate. כל היום quidã exponunt pro toto vel integro die, à mane vſque ad veſperum. Alij pro ſingulis diebus; vt longa duratio ſignificetur. Vtram interpretationem eligas, non multùm refert. Eodem enim ſententia redit, & ſignificat nulli conſpici malorum finem: ſubinde enim ſe in eandem calamitatem reuolui, eámque perpetuò verſari ob oculos

Coram me] Id eſt, ita mihi verſatur ob oculos, vt recordatio grauiter me premat & cruciet, & nunquam eius obliuiſci poſſim. Mutatio numeri eſt in pronomine, quæ eſt vſitata Hebræis: concipitur enim ſermo eccleſiæ quaſi in perſona vnius hominis.

Ignominia vultus] In vultu pudor ſe prodit. Dicit igitur pudorem totam faciem occupaſſe, ita vt oculos attollere non audeat.

17 A voce exprobrantis & conuitiantis, à facie aduerſarij & vltoris [*vel propter inimicũ & vltorem.*]

Addit cauſſam cur vultus obrutus ſit pudore. Quia, inquit, nulla mihi datur à petulantia & hoſtium conuitiis reſpiratio. Quocunque me verto, cogor audire opprobria & ſannas. Quòd ſi liceret in latebras me abdere, poſſem vtcunque in ſilentio deuorare meas miſerias. Sed nunc, quia cogor in luce & frequentia hominum verſari, & quotidie illa conuitia audire ab hoſtibus, malum hoc tanto fit maius, tantóq; grauius animum meum vulnerat.

De voce מתנקם dictum eſt ſuprà pſalmo 18. ſignificat vox Hebræa non tantùm eum qui perpetuo odio flagrat cõtra aliquem, quíque magno conatu & ſtudio ſubinde nouas vias & modos quærit, quibus animi ſui libidinem in inferenda alteri iniuria expleat, ſeque hoc modo de eo quem odit, vlciſcatur: ſed ſimul complectitur affectus, qui perpetuò comitantur eum qui vindictæ cupidus eſt, crudelitatem ſcilicet & faſtum. Talis eſt primùm diabolus, qui ita, vt dixi, deſcribitur pſalmo 18. & tales ſunt omnes hoſtes Dei & eccleſiæ ipſius, crudeles, truculenti, faſtuoſi, ardentes odio Dei & membrorum eius, & ineuntes varia conſilia, vt, quam Deo facere iniuriam non poſſunt, eam nocendi libidinem in membris ipſius expleant.

18 Totum hoc venit nobis: & [*tamen*] non obliti ſumus tui, nec perfidè egimus in teſtamento tuo.

Argumentum ſumptum eſt à tolerantia in cruce, & conſtantia piorum in profeſſione doctrinæ. Maior pars hominum in perſecutionibus & periculis non tantùm abiicit profeſſionem doctrinæ: ſed etiam fremit aduerſus Deum, furenter clamat Deum eſſe iniuſtum, & tyrannum, qui ſuum populum præter meritum ſinat affligi. Sed pij agnoſcunt Deum habere iuſtas & graues cauſas cur eccleſiam ſubiecerit cruci, ideo patienter ferunt ærumnas, nec deficiunt à Deo, ſed cõſtanter perſeuerant in cultu religionis, retinẽt fidem, ſpem, inuocationem. Atque clamare cum propheta poſſunt. Totũ hoc venit nobis, &c. Atque hic tota doctrina de cruce & calamitatibus eſt repetenda, &c.

Nec perfide egimus in pacto tuo] Id eſt, non abiecimus profeſſionem doctrinæ aut cultuum.

19 Non deflexit[*ceſſit*]retro cor noſtrum: nec declinauit greſſus noſter à ſemita tua.

Repetit & declarat eandem ſententiam. Oſtendit enim quid ſit frangere fœdus. Primùm, non defecimus ad idola, amorem & ſtudium noſtrū non tranſtulimus abs te ad alios, non recepimus falſam doctrinam ſeu cultum, deinde tota vita & externis operibus teſtati ſumus, cor noſtrum tibi vni addictum eſſe, nihil enim egimus quod pugnaret cum tuo verbo & voluntate, nulla vis calamitatum aut tormentorum potuit nos abducere à profeſſione doctrinæ: maluimúſque quælibet ſupplicia ferre quàm nomen tuum abnegare. Negatio ex priore membro ad poſterius eſt trahenda. Ea enim vis eſt particulæ negatiuæ, vt priore loco poſita ſuam vim in vtrunque membrum ſpargat. Exemplum ſimile legitur pſalmo 9. Non in perpetuum obliuiſcetur.

20 Licet contriueris nos in loco draconum: & operueris nos vmbra mortis.

Particula כי in aduerſatiuam reſolui debet, vel in aduerbium temporis cùm attereres. Eſt autem hæc ſententia. Quanquam ingentibus calamitatibus oneraris nos, ita vt penè oppreſſi & extincti ſimus: tamen non defecimus abs te. Locum draconum nonnulli interpretantur loca deſerta & ſolitudines, hoc eſt, regionem in qua habitent hoſtes feritate draconibus ſimiles. Alij profundiſſimos gurgites maris ſeu abyſſos in quibus balenæ & grandia cete verſantur: vt hoc velint, ſe mole calamitatum tanquam gurgite profundiſſimo penè eſſe abſorptos. Hæc videtur ſimpliciſſima ſententia: atque huc congruit quod ſequente membro dicūt, ſe opertos eſſe vmbra mortis, id eſt, ita ſe eſſe abſorptos illo mari calamitatum, vt nihil niſi mortem ante oculos viderint. Vmbram enim mortis nominat illam caliginem, quæ iamiā morituris offunditur. תנים ſignificat dracones tam terreſtres quàm marinos, hoc eſt, balenas.

21 Si obliti eſſemus nomen Dei noſtri: & expandiſſemus manus noſtras ad Deum alienum.

22 An non Deus requiret hoc? quia ipſe nouit abſcondita cordis.

Confirmat priorem ſententiam ab obteſtatione graui & ſeria, qua pij Deum integritatis ſuæ conſtituunt arbitrum. Si, inquiunt, abalienati à Deo noſtro defeciſſemus ad idola, nonne ipſe, qui nouit intimos ſenſus animorum, & abſtruſos cordis receſſus introſpicit, hoc noſtrum ſcelus animaduertiſſet? Auderemúſne igitur apud illum mentiri, & falſa prædicatione iactare innocentiam & pietatem noſtram erga ipſum?

Si expandiſſemus manus] Synecdoche eſt, aut metonymica potius locutio, pro eo ac ſi diceret, Si imploraſſemus auxilium alterius quam veri Dei, quem colimus. Phraſis eſt, quæ exprimit habitum ſeu geſtum adorantis & petentis opem. Nam cor, cùm aſcendere ad Deū vſque & coràm eum comprehendere non poſſit, manibus extenſis deſiderium ſuum oſtendit. Eſtque circūſtantia hęc obſeruanda, quòd negant ſe ad alium Deū expandiſſe manum. Ita enim refutantur pontificij, qui dum alios patronos & mediatores extra Chriſtum quærunt: ad hos manus ſuas expandunt, id quod idololatricum eſſe pſalmus teſtatur. Idque ſi de externis geſtibus verum eſt, multo maior idololatria eſt in interiore animi cultu, & precibus quæ ſanctis adhibentur.

23 Certè propter te occidimur quotidie: æſtimati ſumus tanquam oues mactationis.

Poſtremum argumentum ſumitur à cauſſa ærumnarum & afflictionum. Non ob noſtra, inquiunt, ſcelera ita ſæuiunt in nos hoſtes: non enim offendimus aut vlla iniuria affecimus quenquam: ſed tantùm, quia religionem noſtram abnegare, atque illorum impietatem ac ſuperſtitiones probare nolumus, hinc eorum rabies & furor in nos accenditur, vt tanquam pecudes nos mactent & interficiant. Itaque, cum tibi nobiſcum cauſſa ſit communis: ſuccurre & fer opem. Atque hinc apparet pſalmum hunc vel tempore captiuitatis Babylonicæ, vel cum Antiochus crudeliter in Iudæos ſæuiret, conſcriptum eſſe.

Cum autem ſimilis nunc ſit facies eccleſiæ: quàm crudeliter enim & ſceleratè paſſim in pleriſque Europæ regnis pij ad ſupplicia rapiantur, nemo eſt qui ignoret, aut qui non ad cogitationem immanium ſuppliciorum interdum cohorreſcat: exiſtimemus formam precandi à Spiritu ſancto nobis hîc præſcriptam & dictatam eſſe, vt in horum temporum perſecutionibus & triſtiſſimis lanienis ad Deum clamemus, ſicuti videmus pios hoc loco facere.

24 Excitare [*exurge*] quare obdormis Domine? expergiſcere, ne repellas nos perpetuò.

25 Quare faciem tuam abſcondis? obliuiſceris afflictionis noſtræ & oppreſſionis noſtræ.

26 Quia incuruata eſt vſque ad puluerem anima noſtra: adhęſit terræ venter noſter.

27 Surge in auxilium nobis [*ſeu, qui es ſolus, ſcilicet, auxilium noſtrum*:]& redime nos propter miſericordiam tuam.

Subiicitur petitio, quæ eſt propoſitio pſalmi. Petunt enim vt tandem miſertus ſui populi opem & remedium rebus afflictis afferat, motus ſcilicet fœdere, quod cum patribus iniuit: deinde & magnitudine calamitatum: tertiò, conſtantia piorum in confeſſione: quartò, quod pro nominis ipſius gloria patiantur.

Quare obdormis? Ita loquuntur pij in precibus ſuis iuxta carnis ſenſum. Quādo enim Deus differt auxilium, videtur nobis dormire, ſeſe abſcondere, & res noſtras negligere, cùm alioqui non dormiat qui cuſtodit Iſrael, pſal 121.

Quare abſcondis faciem] Id eſt, quare non oſtendis, nos tibi curæ eſſe.

Quoniam incuruata eſt anima] Repetit rationem à magnitudine malorum. Ad terram, inquit, deiecti ſumus pondere calamitatum preſſi, & morti proxima eſt anima noſtra. Hoc enim eſt incuruari animam ſeu vitam ad puluerem, quemadmodum Latini dicunt, ſenes incuruos iam alterum pedem habere in ſepulchro, & quotidie locum ſibi diſpicere, vbi ſepeliantur.

PSALMI XLIIII.

PARTES.

I. Exordium, quo pij vtuntur ad conciliandam ſibi miſericordiam. Huius loci ſunt tres 1. Ab anteactis Dei operibus, quæ pij ſe auditu percepiſſe profitentur per fidem, verſ. 2.3.4. gratuita liberatione & benedictione erga Iſraelitas aduerſus Chananæos propoſita. 2. A Dei ſempiterno fœdere & officio, v. 5 6.7. huius fœderis & officij ſe conſcios & participes eſſe profitentur pij. 3. A gloria Dei omnipotentis, ſuóſque ſeruantis, v. 8. & ab eorundem officio, v. 9.

II. Propoſitio, cuius partes ſunt duæ. 1. Expoſtulatio malorum acceptorum & perpeſſionum Eccleſiæ, à 10. verſ. ad 18. vſque. 2. Profeſſio fidei animíque ſui in Deum integri per medias calamitates, à 18. v. ad 24.

Integritatis ſuæ duo ſunt capita verſ. 18. prolepticè expreſſa. 1. Ipſos non obliuiſci Dei. 2. Non mendaciter agere in fœdus ipſius. Vtraque inficiatio, verſ. 19.20. 21.22. exornatur, & affirmatio contraria ex aduerſo ſubiicitur, verſ. 23. vbi confirmatio etiam cauſæ perpeſſionum ſuarum conſpicitur, nimirum martyrium glorioſum pro vera religione. Vide Rom. 8.36.

III. Concluſio petitoria, humanitus implorans Dei opem: nempe vt euigilet, exſurgat, non ſemper abiiciat ſuos, imò faciem ſuam oſtendat, meminerit afflictionis & oppreſſionis eorum: quæ petitiones admodum patheticæ fidei ſub cruce (veluti ſtellæ in atra nocte) lucentis, ſuis deprecationibus, interrogationibus & facundis admodum Deóque gratiſſimis querelis exornantur: à v. 24.25.26.27.

OBSER-

Obſervationes locorum doctrinae.

Verſ. 1. Ante & poſt Chriſtum in carne manifeſtatum, eadem eſt piorum in terris conditio: id eſt, omnes qui Deum colere cupiunt, fuerunt & ſunt iiſdem ærumnis deuoti: nec aliud ſperandum eſt Chriſtianis vſque ad mundi finem, quàm quod in Iudæis, ante & poſt exilium, quaſi præludium oſtendit Deus. Quòd autem Chriſtus apparuit redemptor, nō id factum eſt vt luxurietur caro noſtra, ſed potiùs vt militem⁹ ſub cruce, vſque dū cæleſtis regni quies nos excipiat.

2 *Quod pij afflicti aliquoties Deo proponunt bonitatem illam qua erga veteres vſus eſt, fit vt ipſa diſſimilitudine ad clades ſuas leuandas eum prouocent.*

Cognitio beneficiorum Dei erga eccleſiam vetuſtate intercidere non debet, imò vigere propter continuam memoriam.

Non decem aut viginti annis beneficus eſt Deus erga piorum filios, ſed ex quo eos complectitur, non ceſſat à continuis gratiæ ſuæ documentis.

3 *Fides in rebus aduerſis ad eum finem nos dirigere debet, vt ſtatuamus nos quoque tandem, vt olim alij fideles, aliquid ſenſuros leuationis, quia Deus ſui ſimilis manet.*

In animis piorum diuerſi inter ſe affectus etiam precando confligunt: Sed Spiritus ſanctus immodicum eorum dolorem ſedando, querimonias omnes cum patientia & obediendi ſtudio conciliat.

Quia doctrinam ſalutis Deus deponit apud nos hac lege vt eam ad poſteros tranſmittamus: quantum in nobis eſt, ſtudeamus eius imperium prorogare, vt eius cultus per continuas ætates vigeat.

4 *Tunc demum tribuere Deo incipimus quod ſuum eſt, vbi expendimus & fatemur quàm nihili ſint vires noſtræ.*

Quòd collecti ſumus in eccleſiam, quòd fouemur ac protegimur paterna Dei manu, cauſa non alibi quàm in Dei beneplacito quærenda eſt.

5 *Omnibus aliis figmentis excluſis, Deum vnum ſalutis ſuæ authorem ac præſidem fideles celebrant: qui etiam vt innumeros ſeruandi modos in manu habet, ſalutes dicitur, quaſi nuntios, quocunque viſum fuerit, deſtinare.*

6.7.8. *Deo in ſolidum adſcribendæ ſunt piorum omnes & ſingulæ victoriæ: quia nihil tale induſtria aut fortitudine humana conſequi potuerunt: nihil enim ſunt extra Deum.*

9 *Tunc demum ex rebus proſperis ſancta & rite compoſita lætitia concipitur, dum in Dei laudes erumpit, & ſperat ſe longo temporis ſucceſſu fauoris Dei teſtimonia grato animo celebraturam.*

10.11.12.13.14.15.16.17. *Quia piis hoc perſuaſum eſt, fortes & animoſos eſſe homines quatenus eos Deus ſuſtinet arcana ſua virtute, ſtatuunt in fuga & trepidatione diuinitus metum incuti, vt ratio & cor deſerant miſeros homines. Vide Deuter. 32.30. Ergo qui iuſtam cauſam tuentur, & Deo inſeruire cupiunt, non imputent fortunæ quòd aliquoties expaueſcunt ad hoſtium conſpectum, in quos priùs intrepide fortes impetus facere ſoliti erant: ſed cæleſti decreto fieri ſentiant quòd retrorſum aguntur. Et ſicuti fatebantur fortitudinem ſuam priorem eſſe donum Dei, ſic viciſſim timiditatem à Deo ſibi inflictam eſſe agnoſcant.*

Deus ſit à piis calamitatum author, non obſtrepēdi cauſa, ſed vt confidentiùs ab eadem manu quæ percuſſit & vulnerauit, petant remedium.

Nihil nobis melius eſt vel vtilius, quàm in rebus aduerſis reputare Dei prouidentiam & iudicium.

In quacunque afflictione nos ad Deum conſcendere neceſſe eſt, vt ſciamus ab eo nos probari & examinari, ſiue vt nos caſtiget, ſiue vt patiētiā noſtrā exerceat, ſiue vt vitioſos ſubigat carnis noſtræ affectus, ſiue vt nos humiliet, erudiátque ad noſtri abnegationem.

Quum audimus patres ſub lege tam probroſè fuiſſe habitos, non eſt cur nos vlla contumelia deijciant, ſi quando huc nos Deus pertrahat.

Probris innumeris vndique expoſiti ſunt fideles, vt in ſpe & ſilentio diſcant ad Deum attollere mentes, & certam in cælis requiem ac felicitatem quærere.

18.19. *Magnum in perſecutionibus pro Dei veritate fidelibus manet ſolatium, quòd ſpiritus ſancti virtute roborati ad impiorum figmenta & idolorum cultum animum & corpus non inclinarunt.*

20.21.22. *Inuicta fortitudo piis commendatur, quæ ſub malorum congerie eos ita ſuſtentet vt verè teſtari poſſint in ſumma deſperatione ſe ſperaſſe in Deo, nullis tentationibus excuſſum eis fuiſſe Dei timorem, nulla denique afflictionum mole fuiſſe fractos quin ſemper in eum reſpexerint.*

Quum inter malorum agitationes & fluctus, pluſquam difficile ſit rectè compoſitos in pura fide manere, ſedulò tenenda eſt ſanctorum patrum obteſtatio, quòd miſeriis confecti in verum Deum recūbere nō deſtitimus. Hinc ſequitur eos turpiter errare, qui poſtquā verbo tenus confeſſi ſunt credere vnū Deū, poſtea confugiunt ad creaturas, quibus gloriam Deo debitam tribuunt.

Quoties prodimus in conſpectum Dei, veniat ſimul in mentem eius memoria, quoniam eſt cordium cognitor, vanis coloribus nihil apud eum profici.

23 *Exemplo Patrum placidè ferendæ ſunt afflictiones, quibus ſancienda eſt fidei noſtræ confeſſio. Deinde in profundiſſimis mortis tenebris conſtanter inuocandum Dei nomen, & in eius timore perſtandum.*

Cæleſti decreto iniuncta nobis eſt perpetua crucis ferendæ militia: & quanuis non ſemper exerti ſint contra nos gladij (quòd infirmitati noſtræ Deus parcit) quia tamē ſumus Chriſti membra, ad ſocietatem crucis paratos nos eſſe oportet.

24 *Statuendum eſt à Deo nos reſpici, etiamſi diſſimulet: quia tamen hæc perſuaſio fidei eſt, non carnis, contrarium illum ſenſum quem ex afflictione concipiunt fideles, familiariter in Dei ſinum exonerant: atque hoc modo purulentos affectus ex animis ſuis eiiciunt, quo deinde pura & liquida fides emergat.*

26.27. *Quo magis premuntur fideles, eo fidentiùs ad Dei auxilium confugiunt, quod in eius bonitate ſitum eſſe profitentur.*

Articuli praecipui.

1. Eccleſiæ in terris militia perpetua, & crux veræ religionis comes.
2. Beneficiorum Dei recordatio ipſi Deo grata: piis autem neceſſaria, & vtilis.
3. Precum fide, humilitate, patientia fultarum præſtantia.
4. De fortitudine, victoriis, lætitia, rerúmque miris conuerſionibus Eccleſiæ militantis.
5. Piorum ſub cruce fulcra tutiſſima.
6. De multiplici piorum probatione, & martyrio.
7. Puræ conſcientiæ fructus dulciſſimi in perſecutionum amaritudine.
8. Idololatrarum gloriatio vaniſſima.
9. Fidei luctantis, eluctantis, triumphantis ſublimitas.

ARGVMENTVM PSALMI XLV.

HVIC Pſalmo ſcribendo videntur occaſionem præbuiſſe nuptiæ Salomonis, quas, ducta in matrimonium filia regis Ægypti, celebrauit, vt ſcribitur 1. Reg. 3. & 11. Eſt enim epithalamium, in quo, vt fieri ſolet, primùm ſponſi Salomonis forma, eloquentia, fortitudo, potētia, opes & cæteræ virtutes, quæ in rege erant conſpicuæ, ſplendidis elogijs celebrantur. Deinde, ſponſa quoque ab eleganti forma, ornatu exquiſito, & comitatu ſplendido ſeu gynæceo commēdatur. & additur adhortatio grauis & pia, quæ ſponſam monet vt amore gentis ſuæ valere iuſſo, & abiecta idololatria Ægyptiaca, totam ſe marito ſuo dedat, & veram de Deo doctrinam, quæ in populo Iudaico ſonabat, vnà cum cultibus diuinitus inſtitutis amplectatur. Et affirmant Iudæi conſtanter, pacta de religione interueniſſe, vt iuxta legem Moſis filia Pharaonis coleret Iehouam, eóque reſpexiſſe autor in hoc Pſalmo videtur. In fine Pſalmi promittitur huic coniugio multimoda benedictio. Futurum enim inquit, vt ex hoc coniugio naſcantur liberi, qui maiores ſuos omnium virtutum excellentia æquent, & regnum longè latéque prolatis finibus propagent, atque ita ſempiternam ſui memoriam in genere humano relinquant.

Hæc ſumma eſt Pſalmi, ſi literam ſpectes. Neque enim litera, aut ſenſus hiſtoricus omnino in interpretatione eſt omittendus: præbuit enim occaſionem huic argumento & ſcriptioni: & multa ſunt, quæ in ſpecie ad pompam illam nuptialem deſcribendam pertinent. Sed cum ſciret propheta, regnum in hoc populo Iudaico ita diuinitus conſtitutū eſſe, vt Dauid & ipſius poſteritas, typus & imago eſſent regni Chriſti: ideo, ſicut Dauid in multis Pſalmis, in quib. de ſe cōcionatur, ſimul Chriſtū tanquā caput huius populi, cuius ſe typū gerere ſciebat, complectitur:

Ita hic quoque (quicunque autor eſt Pſalmi, nam de autore non conſtat) altiùs conſcendens, atque oculos ſpiritus attollens, non præſentem illam pompam & feſtiuitatem, quæ tunc agitabatur in nuptiis Salomonis, tantum conſiderat: ſed rem ipſam, quam adumbrari hoc typo ſciebat, intuetur, atque ſtylum ſuum accommodat, vt non tam de præſente illo cōiugio, quàm de altero illo ſpirituali, quo Chriſtus eccleſiam ſuã non tantùm ex Iudæis, ſed ex gentibus quoque, collectam, æterno amoris fœdere & bonorum ſuorum omnium communicatione ſibi copulat & coniungit, verba faciat. Quod vt rectiùs intelligatur, cauſſa etiam huius rei conſideranda eſt. Videbat propheta fore, vt mortuo Salomone regnum Iſraeliticum diſtraheretur, & inteſtinis bellis variè affligeretur. Opus igitur erat conſolatione, ne inter iſtos tumultus & diſtractiones pij exiſtimarent promiſſiones Dauidi factas de incrementis, ſtabilitate & gloria huius regni eſſe vanas aut irritas. Carmen igitur huius Pſalmi eſt κωμαςικὸν, ſeu amatorium, in quo, vt fieri in epithalamiis ſolet, non tantùm regis Salomonis ſplendorem, formæ elegantiam, potentiam, vires, dignitatem, magnificentiam commemorat: ſed multo magis Chriſti veri ſponſi dotes & virtutes commendat, vt eum hac commemoratione ſponſæ ſuæ magis amabilem reddat. Ex altera verò parte, ſponſam quoque à ſuo ornatu & ſplendore depingit, eamque felicem & beatam prædicat, quæ tali marito coniungatur: ita vt eam ſimul hortetur, ne vlla alia in re quàm in ſincero erga ſponſum amore, vero cultu, reuerentia atque obedientia felicitatem ſuam ponat: ſéque ita beatam fore iudicet, ſi relicta paterna idololatria, & ſpretis huius mundi illecebris, huic vni ſe totam dedat, atque ab eius erga ſe amore pendeat.

Hunc eſſe verum & genuinum huius Pſalmi ſenſum oſtendunt verba nonnulla, quæ in Salomonem plenè competere non poſſunt: adeo vt ipſi etiam Rabini, doctiores præſertim, horum verborum euidentia conuicti, fateri cogantur, hunc Pſalmum de Meſſia ſcriptum & compoſitum eſſe. Et confirmat hoc autor epiſtolæ ad Hebræos, qui capite primo, ex hoc Pſalmo verſus quoſdam citat, eóſque ad Chriſtum & eius regnum accommodat. Nos igitur Pſalmum ita interpretabimur, vt quæ ad Salomonem congruere videantur, primùm expendamus, deinde quod præcipuum & principale eſt, explicemus.

AD triumphandum ſuper lilia, filiorum Corah, erudiens canticum amorum.

Titulus variè expoſitus eſt ab interpretibus. Nos ea, quæ commonefactionem aliquam vtilem habere videbuntur, indicabimus, cæteris omiſſis.

De voce למנצח ſupra aliquoties dictum eſt, vt non opus ſit eadem hoc loco repetere.

Super liliis] Hic titulus etiam aliis pſalmis præfigitur, vt pſalmo 60. Vbi tamen ſingularis numerus ſcribitur. pſalmo item 69. & 80. Ideo plerique exiſtimant fuiſſe nomen organi muſici, vel certè principium vulgaris alicuius cantici apud Iudæos, ad cuius modulos decantati fuerint iſti pſalmi: idque non abſimile vero eſt. Alij tamen ad argumentum pſalmi vocabulum accommodant. Significat propriè שושן lilium, & nomen inuenit à numero ſex foliorum, vt inquit Rabi Dauid. שש enim ſex eſt Hebræis, voce Græca, Latina & Germanica congruente cum Hebræa. Et apud Phrygas σοῦσον dicitur liliũ: quod ipſum quoque factum videtur ex Hebræo: vnde & σούσινον eſt oleum ex liliis confectum, vt annotauit autor etymologici magni.

Exiſtimant autem interpretes, hac voce ſignificari ſponſum & ſponſam, hoc eſt, Chriſtum & eccleſiam: quibus hoc epithalamium cantatur. Nam & Cantic. 2. ſponſus eccleſiam ſuam alloquens, dicit, Ego ſum flos campi & lilium conuallium: ſicut lilium inter ſpinas, ita amica mea. Lilio autem cōparari dicunt ſponſum & ſponſam à fragrantia cæleſtis doctrinæ, qua mutuus amor Chriſti & eccleſiæ conciliatur. Alij roſam interpretantur, eodem ferè ſenſu. Dicunt enim roſis ſignificari nuptiarum celebritatem. Præbent enim roſæ materiam coronis quæ ornant virgines, & nuptiarũ conuiuas. Sed vocabulum, vt dixi, propriè lilium ſignificat. Nonnulli etiam exiſtimant, pſalmum compoſitum eſſe tempore verno cum florent lilia, ideóque hunc ei titulum inditum eſſe. ſed hoc friuolum eſt. Ego, vt in re dubia & incerta, nihil affirmo. Neque enim res eſt magni momenti, nec ad ſenſum pſalmi eliciendũ magnopere pertinet. Ideo quemlibet ſuo ſenſu hic abundare ſino.

Filiis Corah] Quibus ſcilicet datus fuit hic pſalmus decantandus. Erat enim illis ordo & locus inter cantores & cuſtodes templi ſeu principes excubiarum attributus, ſicut ſcribitur 1. Paralip. 26. Eſtque in hoc & cæteris pſalmis, quibus hic titulus præfigitur, inter cætera etiam hoc notandum, quòd poſteritas Core non luit pœnam impij parentis. ſed cùm cōmonefacti exemplo paterno pietatẽ magno ſtudio amplexi ſint, viciſſim à Deo ingentibus donis ornati ſunt. Nonnulli exiſtimant, vnum ex filiis Core huius pſalmi eſſe autorem: ſed fieri potuit vt à quodam propheta vel doctore cōpoſitus daretur illis decantandus. vide pſal. 84.

Erudiens canticum] Etiam ex hoc titulo colligi poteſt, pſalmum hunc ita ſcriptum eſſe, ne literali ſenſui tantùm inhæreremus: ſed animum & oculos altiùs attolleremus, & conſideraremus quid præcipuè in hoc carmine ſpectetur, & quæ doctrina hinc haurienda ſit. Ideo enim dicitur erudiens carmen: quia continet doctrinam vtilem & neceſſariam eccleſię, de ſpirituali ſcilicet coniugio, quo filius Dei eccleſiam ſibi adiungit & copulat perpetuo fœdere. Alioqui enim, niſi eò trãsferatur, parum eſt eruditionis aut doctrinæ in conſideratione formæ, veſtium, ſplendoris & potentię Salomonis, vel etiam in ornatu ſponſæ, quæ ex Ægypto ei adducta eſt, & quam pręſtitiſſet nunquam veniſſe in eius thalamum.

Titulus igitur nos quaſi manu ducit ad illam interpretationem, quæ tanquam nucleus eſt huius pſalmi: hoc eſt, monet vt ſub Salomonis figura ſanctam & diuinam Chriſti cum eccleſia coniunctionem nobis proponi ſtatuamus, nec terrenos aut laſciuos hominum amores hic fingamus.

Carmen amorum] exiſtimant quidam ideo ſic dici, quia paternus Dei amor in beneficiis quibus ornatus fuit Salomon, celebretur. Sed non opus eſt illa longè petita ſententia. Simplex ſententia eſt, vt carmen amorum vel amatorium intelligas gratulationem de felici & læto cōniugio, in quo ſponſus & ſponſa dignis laudibus celebrantur, & quale futurum ſit inter ipſos coniugium oſtenditur. Nonnulli, præſertim Rabini, nomen ידידות ad Salomonem accommodãt, quia idem 2. Sam. 12. dicatur ידידיה. Sed argumentum ipſum & ſeries orationis poſtulat vt referatur ad mutuum amorem quo ſe complecti debent coniuges. Et debet hic amor eſſe caſtus, honeſtus & ordinatus, non obſcœnus aut impudicus; id quod monet vox משכיל.

2 Ebullit [*eructat*] cor meum verbum bonum: dicam ego opera mea de rege [*regi*]: lingua mea calamus ſcribæ velocis.

Præmittitur pſalmo exordium, tanquam procemium ſeu præfatio, quæ propoſitionem continet. Dicit enim ſe inſtituiſſe carmen de rege. Vtitur autẽ verbis magnificis & ſplendidis ad auditores aut lectores attentos reddendos, cum inquit, Cor ſuum eructare ſeu ebullire verbum bonum. Quibus verbis ſignificat, ſe non de caduco aliquo rege aut eius fortuna tantùm verba facere, ſed aliquid excellentius ſe in medium proferre: cor enim eſſe accenſum à Spiritu, & ardere ingenti amore atque admiratione Meſſiæ atq; eius regni: itaque continere ſe manus & linguam non poſſe, quin erumpant in eius laudes. Hoc enim proprie ſignificat verbum רחש calore ſcilicet ignis excitatum feruere atque ebullire, ſicut quæ in ſartagine friguntur. Inde enim nomen eſt מרחשת, quod ſartaginem ſignificat, in qua carnes ſeu placentæ friguntur.

Ebullire verò verbum bonum de rege, ſignificat canere laudes regis ipſius atque reginæ, vel aliquid bonũ & memorabile de rege promere. Nam bonum loqui de aliquo, eſt eum laudare, in Scriptura, vt cùm dicitur, Benedicite maledicentibus, vel loquimini bona de iis qui de vobis malè loquuntur, id eſt, laudate vituperantes vos.

Dico opera mea regi.] Id eſt, canticum ſeu carmen ſcribo de rege.

Lingua mea] Id eſt, lingua & calamus exponunt cogitationes cordis, ſúntque interpretes piarum cogitationum. Significat igitur conſenſum cordis & linguæ, vt quod cor concepit, lingua mox proferat & calamus ſtatim in chartã effundat. Dicit autem linguam eſſe calamũ: quia ſicut calamus eò mouetur quò manus ſcriptoris eum ducit: ſic linguam & manum prophetæ Spiritus ſanctus mouebat & moderabatur. Eſt enim

nium organum hoc additum cordi, quo explicare cogitationes ſuas poſſit.

Quod dicit ſe eſſe ſcribam velocem, ſignificat, illa carmina quæ à Spiritu ſancto dictantur, non ita tardè componi, vt alia poemata, ſéque promptum eſſe ad excipienda dictata Spiritus ſancti, non tardum aut ignauum: verè enim *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit*: ideóque cùm mētem afflat, longa intentione aut ſtudio non eſt opus.

3 Pulcher es præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis: eo quòd benedixit tibi Deus in æternum.

Sequitur narratio ſeu deſcriptio regis atque ipſius regni. Primum autem encomium ſumitur à pulchritudine & eleganti forma, qua reliquos mortales dicitur antecellere. Sed primum in Salomone non vſque adeo magnum decus fuit: quia bona corporis etiamſi hominem ornant, tamen inter virtutes non poſſunt recenſeri: ſed tamen quando corporis formæ animi dotes reſpondent, & homo eleganti forma ſimul virtute præditus eſt, nihil eſt amabilius, ſicut dicitur, ὡς ἡδὺ κάλλος, ὅταν ἔχει νοῦν σώφρονα. Et notus eſt verſus: *Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.* In quam ſententiam etiã hoc ſcriptum legitur à Luciano: τὸ δὲ ἐντελὲς κάλλος οἶμαι τοῦτο ἐστιν, ὁπόταν εἰς τὸ αὐτὸ συνδράμῃ ψυχῆς ἀρετὴ καὶ εὐμορφία σώματος. Talis igitur fuit Salomõ initio regni ſui. Sed omiſſo Salomono, videamus quid illa pulchritudo in Chriſto ſignificet. Non enim ad oris formam, vt pulchritudinem, quæ fluxa & caduca eſt, reſpiciendum iudico, quamquam illam quoque non dubito eximiam fuiſſe in Chriſto: ſed Spiritus ſanctus his formis loquendi à rebus terrenis ſumptis, aliquid ſpirituale docere voluit, ſicut paſſim vſitatum eſt in Scriptura.

Pulchritudo igitur Chriſti, qua totum genus humanum ſuperat & antecellit, illa eſt: primùm, quòd caret omni labe peccati. Alioqui enim tempore paſſionis, quòd ad externum aſpectum attinet, qui ſignum erat reatus in eum tranſlati, affirmat Ieſaias non fuiſſe in eo ſpeciem ſeu decorem. Deinde, quod excellentiſſimis donis præ omnibus aliis ornatus eſt. Eſt enim in eo ſumma ſapientia & omnium virtutum κορυφή, vt ſic dicam, quarum rerum vera & ſumma eſt pulchritudo. Humanæ virtutes, de quibus Ariſtoteles dicit quòd Heſpero ſint pulchriores, ſunt tãtùm vmbræ collatæ ad iſtas virtutes. Imò potiùs dicendum ex antitheſi, totum genus humanũ ad hanc pulchritudinem collatum, eſſe deforme & ſqualidum, hoc eſt, pollutum peccatis & reum coram Deo, ac carere gloria Dei, ſicut Paulus inquit ad Romanos. Sicut autem ſponſus non modò corpus, ſed fortunas omnes cõmunicat ſponſæ: ita Chriſtus ſua bona omnia donat eccleſiæ, & gloriam illam ſeu pulchritudinem quã caremus, nobis reſtituit, in hac quidem vita, imputatione & inchoatione, qua ſordes noſtras tegit, & paulatim abſtergit ac mundat, in altera, conſummatione. Hæc poſtea explicantur, cùm dicitur, eum vnctum eſſe propter conſortes.

Effuſa eſt gratia] Secundò, laudatur Salomon à facundia & eloquentia. Ea autem neceſſaria eſt in rege, qui non modò conſilio & autoritate populum regere: ſed etiam rationibus & ſermonis gratia allicere populum in obſequium debet. Ideo laudatur Neſtoris eloquentia apud Homerum, & vetuſtas finxit, Herculem aureis catenis homines ab his ſuſpenſos ad ſe trahere.

Taxatur autem ignauia regum & principum huius ætatis, qui exiſtimant indignum eſſe principe verba facere in populo, quibus eum flectat, eoque oſtendunt ſibi propoſitum magis cogere quàm perſuadere, & tanquam mancipiis abuti potiùs quàm iuſta ratione populum docilem & morigerum gubernare, hoc eſt, malunt imperium δεσποτικὸν, quàm πολιτικόν. Magna itaque hæc laus eſt Salomonis, quòd dicit eum vti imperio politico.

Sed nunc ad Chriſtum veniamus. Hic ſumma eloquentia præditus eſt. Ita enim alloquitur eccleſiam, dum ſuauiſſimis verbis & promiſſionibus eam ad ſe inuitat, vt ſimul corda Spiritu ſancto flectat, vt aſſentiantur & in his acquieſcant. Homines ſuadere & perſuadere interdum poſſunt dulcedine & ſuauitate orationis, ſicut Pericles, Phocion & ſimiles: ſed reuera illa flexanima ſuadela, quæ hominem ereptũ ex terroribus mortis & æterna deſperatione, imbuit ſolido & perpetuo gaudio, & quæ lætitia acquieſcente in Deo corda perfũdit, nulli niſi huic oratori data eſt, qui ideo λόγος à Iohãne dicitur: quia nullius creaturæ oratio hoc præſtare poteſt. Hæc igitur gratia, quæ reuera ſuadelam habet adiunctam, in labiis Chriſti commendatur. Quod igitur Eupolis de Pericle ſcripſit: πειθώ τις ἐπεκάθητο ἐπὶ τοῖς χείλεσι, hoc Spiritus ſanctus rectiſſimè in hoc pſalmo tribuit Chriſto.

Propterea] עַל־כֵּן Non ponitur illatiuè, quaſi propter formæ & eloquentiæ gratiã Salomon à Deo benedictus ſit: ſed potiùs cauſſæ redditio eſt, cur his donis excelluerit: quia ſcilicet Deus ei benedixerat & tantis cũ donis ornauerat. Et Chriſtus à patre inſtructus eſt non tantùm ſapientia, ſed iuſtitia, potẽtia & aliis virtutibus, vt poſſit delere peccatũ, tollere mortẽ, reddere ſalutẽ & vitã eccleſiæ. Hæc eſt illa benedictio de qua principaliter loquitur, & hanc ſequentibus verſibus explicat copioſiùs.

4 Accingere gladio tuo ſuper femur, ô heros, decore & gloria.

Magna ſunt ornamenta & præſidia gubernationis politicæ, ſapientia, virtus, eloquentia, quibus ſtatus regni & æquitas ac iuſtitia conſeruatur: ſed niſi adſint etiam reliqui nerui rerum gerendarum, non poteſt regnum diu florere. Nam illæ quidem virtutes domi reuerentiam atque obedientiam apud ſubditos conciliant, eóſque in officio retinent: ſed quia foris etiam regnum eſt defendendũ aduerſus hoſtes, ideo fortitudine bellica inſtructum oportet eſſe regem, vt hoſtem arma inferẽtem reprimere, & ſuos defendere ab iniuria poſſit. Eſt igitur vtrũque βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Hęc autem virtus etſi Salomoni tribui poteſt: tamen quia nõ multa bella geſſit (habuit enim tranquillum & pacatum regnũ) ideo ad Chriſtũ eſt referẽda. Hic pingitur accinctus gladio iuſtitiæ & ſagittis: primò, quia verbo ſuo, qui eſt gladius Spiritus, ferit corda noſtra, eáque redigit in captiuitatem, in obſequium ſibi, 2. Cor. 10. Deinde quia rebelles multi ſunt, qui doctrinam eius non recipiunt, ſed oppugnant & perſequuntur, contra hos ſagittas ſuas expedit vt tandem ſuo exitio ſentiãt Chriſtum non eſſe inermem. Hic igitur conſolatio proponitur piis, ne multitudine hoſtium, à quibus perpetuò oppugnatur eccleſia, fracti deſperent. Gladius μετωνυμικῶς ſignificat bellicum robur, quod comparatum eſt depellendis hoſtibus.

Decore & gloria ſeu ornatu] Hoc additur, vt ſignificet, non fore vanam oſtentationem huius regis: quæ eum faciat contemptibilem inter ſuos (ſicut omnes thraſoniſmi & oſtentationes, quibus nihil ſubeſt virtutis, odium magis & contemptum conciliant, quàm admirationẽ aut beneuolentiam) ſed fore veras virtutes, quæ eum celebrem, ornatum atque inſignem inter ſuos, formidabilem autem hoſtibus reddant.

5 Et decore tuo proſperare [*proſpere age*] equita ſuper verbum veritatis & afflictionis iuſtitiæ: & [*tunc*] docebit te terribilia dextera tua.

Fortitudini bellicæ addit ſucceſſum ſeu felicitatem, ſine qua nihil præclarè geritur.

Proſperare] Id eſt, omnia tibi feliciter cedent: nihil ſuſcipies quod non maxima celeritate & admirabili felicitate ad exitum perducas. Ideo enim vocatur Silo in Geneſi: quia eſt felix & fortunatus.

Equita ſuper verbum veritatis] Id eſt, Strenuè procede in ſuſcepta populi tui defenſione, non deficias, non remittas de labore militiæ: ſis perpetuò in armis & expeditione. Addit cauſſam: Propter veritatem: id eſt, vt veritas doctrinę à Deo patefactæ & cultuum diuinorum retineatur, ne ab hoſtibus aboleatur vera religio, & introducantur praui aut idololatrici cultus. Alij verbum veritatis de veritate ſeu bonitate cauſæ, pro qua bellum ſuſcepturus ſit, interpretantur.

Et oppreſſionis iuſtitiæ] Id eſt, ne iuſtitia opprimatur, ne tyranni, qui omnia pro libidine agunt, paſſim dominentur, oppreſſis legibus, euerſis iudiciis & deletis honeſtis politiis. Hæc videtur ſimpliciſſima ſententia, vt cauſſam indicet quare reges & principes arma debeant induere, aut bella ſuſcipere, vt ſcilicet veritas doctrinæ cæleſtis conſeruetur, & prohibeantur latrocinia & vaſtationes regnorum & politiarum. Veritati autem & iuſtitiæ oppreſſæ nemo potuit ſuccurrere niſi vnicus iſte rex, de quo hic Pſalmus eſt compoſitus. Neque enim iuſtitia tantùm ciuilis hoc loco, cùm de Chriſto loquimur, intelligenda eſt: ſed multo magis vera illa iuſtitia quæ corã Deo valet, quæque per peccatũ eſt amiſſa, aut ab hoſte erepta, quam hic rex debet recuperare, & ſubditis ſuis reſtituere.

עַל דבר Propriè ſignificat, ſicut expoſuimus, propter, & exẽpla ſimilia extant paſſim in Scriptura, Pſal. 79. *Propter gloriã nominis tui.* Gen. 43. *Propter argẽtũ.* Exod. 8. *Et clamauit Moſes ad Deũ propter ranas.* Num. 25. *Propter Peor, & propter Cosbi.*

ענוה non ſcribitur in regimine: ideo, ſi quis vult hanc vocẽ diuellere à ſequenti dictione, poteſt ita interpretari: propter afflictionem, ſcilicet, populi ſeu ſubditorum, & propter iuſtitiam, vt ſcilicet ea ſeruetur & adminiſtretur in genere humano. Virgula tamen Macaph, qua connectitur ſequenti dictioni, requirere videtur vt exponatur non aliter quàm ſi ſcriberetur in conſtructione, vt ſequens caſus ſit genitiuus: Alij aliũ ſenſum eliciunt. Equita ſuper veritatem, mãſuetudinem & iuſtitiam, id eſt, his virtutibus ornatus prodeas in

Q iſ.

conſpectum populi, iiſque te commendes: non reddant te ſpectabilem faſtus, ambitio, ferocia, crudelitas, exactionum acerbitas, rapinæ, violentia, quibus alij reges formidabiles ſe populo reddere ſtudent, atque his tanquam equis ſeu vehiculo in ſublime elati incedunt, ſeque populo oſtentant: tu verò ſis verax, manſuetus, iuſtus, clemens, &c. Hæ enim virtutes vehicula ſunt quæ regem in ſublime attollunt, & quæ thronum regium ſtabiliunt, non illæ inanes & ambitioſæ pompæ magni equitatus & multarum quadrigarum. Hanc ſententiam ſiquis amplecti vult, non repugno. Neque obſcurum eſt quomodo & ad Salomonem & ad Chriſtum accommodari illa poſſit. Qua de re poſtea videbimus. Nam infrà has virtutes regi tribuit.

Et docebit te terribilia dextera tua] Id eſt, rebus præclarè geſtis & felici ſucceſſu incuties terrorem hoſtibus, vt abiectis armis, aut dedant ſe ſponte, ſeque tuo imperio ſubmittant, aut iuſtè pereant in ſuis ſceleribus, ſi odium pertinax aduerſus te retineant.

6 Sagittæ tuæ acutæ, [*ideo*] populi ſub te cadent: in cor [*enim*] inimicorum huius regis [*ſcilicet cadent. Verbum enim repetendum eſt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.*]

Suprà, verſu quarto, gladio regem accinxerat: nunc tela ei tribuit, quæ arma ſunt ἀμυντήρια, quibus hoſtis repellitur: gladius ferit cominus, telis verò eminus pugnatur. Significat igitur, regem hunc fore victorioſum, & feliciter expugnaturum hoſtes, etiam priuſquam ad ipſum accedant: quaſi diceret, nemo reſiſtet huius regis potentiæ, &, ſi qui auſi fuerint aliquid tentare aduerſus eum, experientur eum inſtructum eſſe inuicto robore & viribus, quibus facilè depellere hoſtes ſuos poſſit.

Populi cadent] Non inquit, vna gens, ſed, populi multi: quia totus mundus aduerſus hunc regem inſurget, ſed fruſtra.

In cor inimicorum regis] Mutatio eſt perſonæ, familiaris Hebræis. Debebat enim dicere, In cor inimicorum tuorum. Sed mentio regis, præſertim cùm etiam ה δεικτικὸν accedat, habet peculiarem emphaſin.

In cor] Hoc quidam interpretantur, In medium, vt ſignificetur, hunc regem vndique cinctum fore hoſtium inſidiis, ideóque inter medios hoſtes pugnaturum, & tela ſua in eos iaculaturum. Cor enim, cùm medium corporis occupet, generaliter ſæpe pro medio ſumitur, vt Deut. 4. Cor cæli accipitur pro medio cæli. Et Exod. 15. Cor maris, pro medio maris. Alij tamen ſimpliciter vocem interpretantur ſine figura vt, quia cor ſedes eſt vitæ, ſignificet, ſagittas haſce ad fontem vitæ penetraturas, ideóque certiſſimum exitium allaturas eſſe hoſtibus.

7 Solium tuum Deus in ſeculum & vltra: virga [*ſceptrum*] rectitudinis ſceptrum regni tui.

A bellicis virtutibus tranſit ad alias, quarum vſus eſt in toga & pace. Sunt enim duæ partes regni adminiſtrandi, bellica vna, altera iudiciaria: illa foris hoſtes depellit, hæc domi improbos punit, & inſontes defendit aduerſus vim & iniuriam improborum, vt pax, & tranquillitas & diſciplina honeſta in regno conſeruari poſſit. Sicut autem bellica virtus vtitur armis & exercitu: ita altera illa vtitur iudicio & iuſtitia. Hanc igitur virtutem nunc tribuit regi. Et primùm vt de Salomone dicamus, affirmat, eum non tyrannicè pro ſua libidine dominari, vt plerique alij, qui pro voce legis, quam ſonare debebant, vſurpant illud,

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas:

ſed rectis & æquis legibus adminiſtrare regnum, vbi nulla προσωποληψία habeat locum, nulla ambitio, aut auaritia, aut odium, aut alius prauus affectus impediat iudicium. Et additur alia commẽdatio, Regnũ hoc omnibus ſeculis fore firmũ & ſtabile: quia ſcilicet iuſtè adminiſtretur. Idque congruit cũ illa Salomonis ſententia Prou. 25. Iuſtitia ſtabilitur thronus regis. Hac de re plura dici hoc loco poſſet. Sed cũ interpretatio noſtra ſit Grãmatica, breuiter monuiſſe iſta ſatis ſit.

Nunc de Chriſto videamus, de quo principaliter hic pſalmus concionatur, quod hic ipſe verſus perſpicuè oſtendit. Nominat enim regem hunc Deum: quæ appellatio quanquam interdum angelis & hominibus qui in magiſtratu ſunt tribuitur, vt pſal. 82. Ego dixi, dij eſtis: & pſal. 138. Coram Diis pſallite: atque hoc titulo à Spiritu ſancto ornantur, quòd diuinum officium gerant, & Deus aliquam ſui officij partem illis commendet: tamen, quia nunquam ita abſolutè vni homini tribuitur, vt hoc in loco, ſatis apparet, non poſſe eam ita ad Salomonẽ reſtringi, vt de eo ſolo intelligatur. Cum enim angeli vel iudices vocantur dij, vtitur Scriptura plurali numero, quod docent exẽpla citata & alia ſimilia: ſed vnus homo nunquam vocatur in Scriptura אלהים pluraliter, quin ſimul addatur aliqua reſtrictio ſeu nota, quæ diſcernat eũ à vero Deo. Ita Moſes Exod. 7. dicitur אלהים, ſed additur mox declaratio, Ego conſtitui te in Deum Pharaonis: Et apud Latinos dictum vſitatum eſt, *Homo homini Deus*: vbi, cum non abſolutè, ſed relatiuè vocabulum accipiatur, nequaquã exiſtimandum eſt, πολυθεΐαν inter homines conſtitui. Hic verò ſimpliciter abſque vlla exceptione vel adiectione titulus hic tribuitur Chriſto. Vnde colligitur primùm quod ante dixi, ita Salomonem & eius regnum in hoc pſalmo conſiderandum eſſe, vt cogites altiùs eſſe conſcendendum, & aliquid maius quàm hoc vmbratile regnum eſſe ſpectandum, hoc eſt, referendum eſſe hunc pſalmum principaliter ad Meſſiam: tribuitur enim ei appellatio, quæ propriè Salomoni conuenire non poteſt, ſed tantùm per relationem: deinde, diuinitatem filij expreſſe probari hoc teſtimonio, quia nomen hoc abſolutè ei tribuitur.

Interea verò monendi ſunt auditores, ne exiſtiment ſermonem hic haberi tanquam de nudo Deo: ſed de Deo & homine. Nam etſi Deus dicitur, quia de Patris eſſentia ab æterno genitus eſt: tamen regis officium, quod hic deſcribitur, pertinet ad totam perſonam. Ideo, quæ de æterno eius regno dicuntur, de perſona intelligenda ſunt, quod imprimis plenum eſt conſolationis: Chriſtus enim, quatenus Deus & homo, caput eſt eccleſiæ, & ſalutis noſtræ cuſtos ac præſes: Iſque non regnat ad tempus, ſed in æternum.

Solium] In vocabulo Solium ſeu ſedes, metonymia eſt, ſignificans regni adminiſtrationem. Nam ſolium ſymbolum eſt seſſionis, auditionis, examinationis cauſarum, dicendarum ſententiarum, & in ſumma, iuris adminiſtrandi. Itaque & Deo ſæpe ſedendi verbum tribuitur, cùm de iudiciaria eius poteſtate loquimur. vnde eſt illud Auguſtini, Sedet Deus ad iudicandum, & ſurgit ad puniendum. Cùm autem dicat hoc loco propheta regnum hoc fore perpetuum: inde conficitur, fore vt deſinat hoc vmbratile Salomonis, & ſuccedat aliud longè glorioſius, & quidem quod ſit cæleſte. Nam humana omnia ſunt caduca & variis mutationibus obnoxia. In hoc igitur verſu propoſita eſt conſolatio de qua ſuprà dixi in argumento: videbat propheta futurum vt paulò poſt regnum hoc conuelleretur, & poſteritas Salomonis tandem in arctum cogeretur: ea res ne piis cauſam dubitandi de promiſſionibus Dauidi factis præberet, affirmat regnum hoc ita inſtauratum iri ſub Meſſia, vt deinceps ſit perpetuum.

Sceptrum rectitudinis] Iterum metonymia eſt in voce ſceptrũ, vt cùm faſces apud Romanos dicuntur Imperium. Tuũ regnum, inquit, rectè & iuſtè adminiſtratur, nec pro affectu aut libidine nunc in hanc nũc in illam partem inflectitur ius, ſed ęquabiliter adminiſtratur. Tu enim conſtanter defendis bonos & punis improbos: nulla hic eſt προσωποληψία. Recipis enim omnes confugientes ad te vera fide, improbos verò, & contumaciter perſeuerantes in ſceleribus, punis & perdis.

8 Diligis iuſtitiam & odio habes impietatem: propterea [*quod*] vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ conſortibus [*participibus*] tuis.

Ἐξήγησις eſt ſuperioris ſententiæ. Oſtendit enim quæ ſit illa rectitudo ſceptri, quæ in hoc rege commendatur. Primùm eſt amor iuſtitiæ, deinde odium impietatis & nemeſis ſeu iuſta indignatio aduerſus ſcelera. Hæ duæ virtutes neceſſariò requiruntur in rege. Debet enim eſſe & aſſertor iuſtitiæ, & ſeuerus iniquitatis vindex.

In Chriſto verò alius etiam eſt amor iuſtitiæ, ſcilicet, diuinæ, à nobis violatæ, quam cupit inſtitutam: deinde nemeſis illa tanta eſt vt cum videat totum genus humanum ita immerſum eſſe ſceleribus, vt nulla ſua aut aliarum creaturarum ope inde retrahi poſſit, ipſe vitam ſuam pro eccleſia impendat, vt hoc modo liberatam à peccatis noua iuſtitia ornet. Hæc verè heroica eſt nemeſis, de qua alibi ipſe dicit, Zelus domus tuæ comedit me.

Propterea] Rurſus על־כן vt ſuprà non ſignificat effectum ſeu fructum iuſtè adminiſtrati regni, ſed cauſſam. Non enim vnxit eum quia rectè adminiſtrauit regnum, ſed ideo vnxit vt rectè adminiſtrare poſſet.

Vngere autem hoc loco non ſignificat externa pompa aut ritu declarare regẽ, qui mos in hoc populo erat vſitatus, quoties rex aut ſummus ſacerdos creandus erat: quemadmodum in hiſtoria Saulis, Dauidis, Aaronis & aliorum videre licet: ſed aliquid longè excellentius, & quidem illud ipſum quod illa externa cæremonia tectè adumbratur & ſignificatur. Oleum enim, cùm non ipſum tantùm ſit limpidum & pellucidum, ſed & alias res multas oleo perunctas faciat pellucidas, & flammis fomentum atque alimoniã ſuppeditet: inde ſumpta metaphora vngere, in Scriptura ſępe ſignificat, Spiritu ſãcto intus animum illuſtrare, & accendere in eo veram agnitionem Dei & motus congruentes cum Deo. Hinc in prima epiſt.

ma epiſt.Iohan.cap.2.dicitur, Vnctio docet vos de omnibus, id eſt, ſpiritus ſanctus illuſtrat mentes, & accendit in eis veras virtutes, vt donati ipſius gratia efficaciter de veritate beneficiorum Chriſti erudiantur, & nouos concipiat motus ac flammas amoris diuini. Atque huius vnctionis ſacramentum ſeu ſymbolum erat illa altera externa. Inde igitur amor iuſtitiæ & odium impietatis fuit primùm in Salomone, tanquam in typo, deinde in Chriſto homine, quia mẽs eius erat illuſtrata & confirmata à Spiritu ſancto, & cor ardebat illa flãma accenſa per Spiritum ſanctum, vt & vera ac recta intelligeret, & omni ſtudio ac conatu hæc ſibi tuenda ſtatueret. Non igitur ſunt ſalutares reges qui non vnguntur hoc oleo. Regnum verò Chriſti in eccleſia in primis eſt ſalutare, quia inauguratio fit à Spiritu, eo modo, de quo paulo pòſt dicetur.

Addit autem, hoc oleum eſſe oleũ lætitiæ, ab effectu: quia vult ſignificare, eccleſiæ felicitatẽ omnẽ & ſalutem pẽdere ex illo regno Chriſti. Ipſe enim affert pacem & tranquillitatem conſcientiis ſignificatam per oleum: atq. inde exiſtit vera lætitia acquieſcens in Deo, quæ eſt initiũ vitæ & ſalutis æternæ.

Præ conſortibus tuis] Hoc Rabini ita accommodant ad Salomonem: quia hic ex numero fratrum ſuorũ electus & euectus eſt ad regnum diuinitus, etiam antequam naſceretur, deſtinatus regno: ſed illa typica, quanquam monent Salomonẽ non ſua virtute ad hoc faſtigium euectum eſſe, leuiora tamen ſũt quàm vt in his hærere aut ſubſiſtere debeamus. Ideo ad ipſã rem oculos intendere oportet, idque monet vox אלהים bis repetita. Primò enim vocandi caſu ponitur, & ad Chriſtum refertur, eo ſenſu quo ſuprà diximus eum vocari Deum. Chriſtus igitur dicitur vnctus præ conſortibus ſuis: quia vult hũc Meſſiam diſcerni à Moſe, prophetis & omnibus aliis hominibus, quorum fuit præſtans virtus. Moſes habuit glorioſam vocationem, & eius ductu ac miniſterio res maximæ geſtæ & miracula inſignia diuinitus edita ſunt: ſed tamen non liberauit populum à morte æterna, non reddidit ſuis iuſtitiam ac vitã. Imò omnes virtutes quæ fuerunt in eo, fuerunt tantum inchoatæ, non perfectæ. Manſit enim adhuc in eo ingens caligo & dubitatio, vt ex hiſtoria percuſſæ petræ apparet. Eodẽ modo de aliis prophetis & doctoribus iudicetur. Chriſtus verò longè ſupra prophetas eſt plenitudine Spiritus & vocatione. Huic enim pater non dat Spiritum ad menſuram, vt dicit Iohan. Baptiſta, Ioh.3. Eſt igitur in eo perfectiſſima Dei notitia, iuſtitiæ & omnium aliarum virtutum ſummi gradus: denique vocatio eius quæ hac ordinatione & vnctione ſignificatur, maior eſt & excellentior omnium aliorum vocatione. Ipſe enim talis eſt rex, non qui ab externo hoſte ad tempus nos liberet, ſed qui à peccato, à morte, à poteſtate diaboli ereptos donat iuſtitia, libertate & vita perpetuò duratura. Atque hinc exiſtit illa lætitia de qua antea diximus. Non enim ipſe tantùm abundat Spiritu, ſed de ſuo Spiritu dat nobis, vt certi ſimus, nobis illa eſſe data, 1.Iohan.4.

Alij præpoſitionem מן vertunt propter, vt ſignificetur, ideo ordinari ad hoc regnum, vt ipſe huius regni ciues, quos dulciſſimo vocabulo conſortes ſeu participes nominat, liberet ab omnibus malis, & donet eos Spiritu ſancto.

9 Myrrha & aloe, caſia omnia veſtimenta tua [*ſcilicet redolent, vel omnibus veſtimentis tuis ſunt*] ex palatiis eburneis [*ſcilicet deprompta*] vnde lætificauerunt te.

Hactenus de virtutibus huius regis & dotibus animi internis, quæ ſe foris in gubernatione & adminiſtratione regni oſtendunt, concionatus eſt. His enim virtutibus in primis regẽ inſtructum eſſe oportet, atque ab his rebus maximè commẽdari atque amabilem reddi decet. Nunc incipit etiam deſcribere pompam nuptialem. Hic primum occurrunt veſtimenta regis, deinde ædificia, in quibus illæ nuptiæ celebrantur. In vtriſque ſplendorem deſcribit. Primùm in veſtimentis, cùm dicit ea redolere myrrham, aloen & caſiam, hoc eſt, fundere odorem fragrãtiſſimum & ſuauiſſimum, quo aſtantes recreantur. Nam pretioſa veſtimenta ſolebant perfundi aromaticis & pretioſis odoribus, fuitque hoc apud orientales magis vſitatum quàm apud alias gentes. Habebãt autem illi odores aliquid mixtum ex myrrha & aloe, vt non tantùm ſuauis eſſet odor, ſed ſimul veſtes præſeruarentur à putredine.

Primùm autem, vt de Salomone dicamus breuiter, non dubium eſt, eum veſtimenta habuiſſe pretioſiſſima: id quod vel ex Chriſti teſtimonio conſtat, Mat.6. Decet enim dignitatem regiam aliquis ſplendor in veſtitu, qui ſi ſit moderatus, damnari non debet. Et ſine dubio ille ſplendor in veſtitu Salomonis typicè adũbrauit illa veſtimenta quibus Chriſtus eccleſiã ſuã ornat & induit, vt dicitur Ieſa. 61. Deinde fragrantia boni odoris in veſtitu monet, regem ita ſe gerere debere vt ad nomen & mentionem ipſius omnes exhilarentur: non fœteat ipſius nomen inter ſubditos, ſicut tyrannorũ, quos cùm nominari audiunt ſubditi, toti cohorreſcunt. Fama igitur reip. bene adminiſtratæ & rerum præclarè geſtarũ, virtutis item ſtudium per fragrantiam boni odoris in veſtitu ſignificatur. Atque huc congruit illud Cant. 1. Oleum effuſum ſeu aroma fragantiſſimum eſt nomen tuum. Et quod Eccleſ. 7. dicitur, Melius eſt nomen bonum quàm vnguenta pretioſa.

Sed iam videndum quomodo illa ad Chriſtum congruant. Huius veſtimenta, ſi externum quid ſpectes, non ſunt ſplẽdida, ſed vilia admodum & tenuia. Alia verò ſunt huius Chriſti veſtimenta, de quibus antea ex cap. Ieſa.61. dictum eſt, veſtimenta ſcilicet iuſtitiæ & ſalutis, quæ ille ſuo quaſi corpori detrahens, ſuæ ſponſæ induit, & induendo communicat. Illam enim iuſtitiam, quam ſua obedientia peperit, donat eccleſiæ, vt ea induta ſordes ſuas tegat, & iuſta, hoc eſt, accepta in conſpectu Dei appareat. Deinde ſunt fragrantia hæc veſtimenta, vt in cantico dicitur: hoc eſt, doctrina euangelij de Chriſto, de remiſſione peccatorum, de iuſtitia & vita æterna donanda per Chriſtum aſpirat omnes credentes, & mirabiliter eos recreat & reficit, ſicut dicitur 2.Cor.2. odorem notitiæ ſuæ per nos manifeſtat.

Atque hæc de ſententia huius verſus dicta ſufficiant. Nũc vocabula etiam conſideremus.

מור omnes interpretantur myrrham, voce Latina congruente cum Hebræa, quemadmodum & Græca, quæ eſt μύῤῥα, éſtque nomen factum ab amaritudine. Ea verò, præterquam quòd bonum odorem fundit, ſeruat res à putredine, ideo adhibebatur cum aloe in vngendis cadaueribus, quòd vel ex hiſtoria paſſionis Chriſti notum eſt. Eadem autem & aloes ratio eſt, quam Græcis interpres στακτὴν reddit, id eſt, guttans. eſt autem στακτὴ σμύρνης εἶδος τὸ λεπτότατον, teſte etiam Dioſcoride lib.1. cap.62. Hebræi tamen volunt veram στακτὴν eſſe צרי, hoc eſt, reſinã ſeu liquorem, qui ex arboribus balſami inciſis aut vulneratis effluit, & à noſtris balſamum vocatur. Ita enim ex autoritate Rabinorũ ſcribit R. Dauid in libro Radicũ, ſed cùm Hebræa vox cõgruat cum Latina (eſt enim vſitatũ cum exoticis rebus etiã vocabula peregrina inuehi in alias nationes) nõ video cur mutari debeat. Cæterùm quid ſit aloe, nõ cõgruunt Iudæorum ſententiæ. Nam Rabi Immanuel in cõmentariis dicit eſſe genus aromatis, quod Arabicè vocatur צנדל, i. ſandalum. Alij dicunt in piſcibus maris inueniri, ſed hoc reprehẽdit Abenezra, quia nonnunquã dicatur plantari. Medici aloen eſſe herbam dicunt, & extat eius deſcriptio luculenta apud Dioſcoridem lib.3. cap.22. apud Galenum lib.6. ſimplic. medicament. & lib. 8. de compoſitione medicamentorum, & apud Meſuen. Vtraque autem res, myrrha ſcilicet & aloe, vt dixi, cum ſuaui odore habet coniunctam hanc vim, quòd propter amaritudinem veſtes à tineis & putredine conſeruat. Id verò quanquam ad tempus fit, tamẽ tandem conſumi illas neceſſe eſt. Nam iuxta poetam, *Mors etiam ſaxis marmoribuſque venit.* Sed illa veſtimẽta, quibus ſponſus eccleſiæ Chriſtus ornatus eſt, & quibus ille eccleſiã ſuam ornat, nunquam conſumuntur aut putreſcunt, cõſeruantur autẽ, vt ſint perpetua, ſi apponantur myrrha & aloe, hoc eſt, crux & afflictio. Nam cruce & calamitatibus horum partorum beneficiorum memoria in nobis excitatur & conſeruatur, ne vileſcant aut ſordeſcant, quod alioqui rebus ad voluntatem fluentibus fieret. Videmus enim omnes rebus ſecundis fieri negligentiores in æſtimandis Dei beneficiis. Hoc præcipuè ſignificari eſſe myrrha & aloe exiſtimo. Quanquam alij etiã ad Chriſti afflictiones & paſſiones accommodant. Ille enim dum hæc iuſtitiæ veſtimenta nobis parit, guſtat mortem & iram Dei aduerſus peccata.

קציעות Nonnulli plicas veſtimentorum reddiderunt, ſequuti Abenezram. Alij tamen interpretantur caſiam, voce Latina congruente cum Hebræa. Eſt autem caſia cognata cinnamomo. Nam olim caſia aromatica & lignea vtebantur medici, tanquam ſuccedaneo cinnamomi, & duas caſiæ partes præbebant pro vna cinnamomi. Imò plerique hoc tempore ex doctioribus medicis (inter quos eſt Matthiolus & alij) exiſtimant id quod hodie cinnamomum dicimus, eſſe caſiam. Nam Galenus ſcribit, verum cinnamomum propter raritatẽ & præſtantiam fuiſſe tantùm in theſauris regum, nec publicè fuiſſe notum. Baſilius caſiam ita definit: κασσία φλοιός τις ὢν λεπτότατος καὶ εὐώδης ξυλώδει κόρτει περιτειθόμενος. Nomen factum eſt ab radendo: abraditur enim cutis caſiæ, ídque quomodo fiat, oſtendit Plinius.

Commendatur autem caſia à ſuauitate odoris, & hodie aquæ ex cinnamomo deſtillatæ odorem fundunt ſuauiſſimũ. Deſcriptionem caſiæ vide apud Plinium lib.12.cap.18. vbi de pretio cinnamomi loquens inquit: Pretia quondam fuere in libras denarium mille. Auctum id parte dimidia eſt, incenſis, vt ferunt, ſyluis ira barbarorum. Et paulò poſt de caſia ſcribens ſic loquitur, Frutex & caſia eſt, iuxtáque cinnamomi cã-

pos naſcitur,ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute veriùs quàm cortice.Sed hæc ab aliis petēda ſunt. Nobis hoc quod de ſuauitate odoris diximus,ſufficiat. Ea verò in veſtimentis huius regis ſignificat,doctrinam de iuſtitia & æterna ſalute parta nobis per filium,ſuauiter recreare perterrefactos & languentes ſenſu iræ Dei aduerſus peccata.

Ex palatiis eburneis]Non tantum in veſtitu eſt magnus ſplēdor,ſed etiam in ædificiis:ſicut autem de veſtimentis diximus, decere regem aliquem ſplendorem, qui ipſius dignitati reſpondeat,& qui autoritatem aliquam ad vulgus conciliet: ita de ædificiis quoque iudicandum eſt. In his enim quædam maieſtas conſpici debet, vt ſubditi commonefiant quātæ dignitatis & pretij res ſit adminiſtratio regia. Sicut igitur rex ſuperat dignitate reliquos:ita etiam ſplendore ædificiorum hanc dignitatem & maieſtatem quodammodo oſtendere debet, ita tamen vt abſit omnis luxuria & ſuperfluæ deliciæ. Salomon præcipuum ornatum poſuit in ebore: & narrat hiſtoria, 1.Reg.10.eum comparaſſe ſedem eburneam, quæ ita fabrefacta fuerit vt nulla ei fuerit ſimilis.De tabernaculo verò ſeu habitaculo eburneo nihil legitur in eius hiſtoria, niſi hoc in loco.

Chriſtus verò non habet tabernaculum eburneum, ſed cæleſte,ex quo egreſſus ſeſe manifeſtauit & exhibuit ſuis,eóque deinde parta redemptione æterna regreſſus eſt,vt inquit epiſtola ad Hebræos cap.9.Non in manu facta Sancta ingreſſus eſt Chriſtus exemplaria verorum,ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis.

Vnde lætificauerunt te]Id eſt,vnde prodeunti tibi omnes gratulantur & applaudunt.

10 Filiæ regum in pretioſis tuis,adſtat coniunx ad dexteram tuam in auro Ophir.

Diximus pompam nuptialem deſcribi.Primùm enim prodit rex ſplendida domo,veſtitu pretioſo & ſuaueolente ornatus.Iam etiam producitur regina ſponſa cum reliquis Salomonis concubinis.Illæ verò commendantur primò à generis ſplendore,quia dicit eſſe filias regum,ortas ſcilicet ex regio ſanguine.Deinde ab ornatu,quòd ſumptu regio exornatæ incedant.Id enim ſignificat in pretioſis tuis,hoc eſt,tuo ſumptu ſplendidè & magnificè exornatæ. Quanquam alij hoc ad gynæceum referendum eſſe cenſeant,vt ſit ſententia,Filiæ regū ſunt inter nobiles,ſcil.matronas gynæcei tui. Deinde regina adſtat ad dexteram,cuius ſcilicet maior eſt dignitas quàm reliquarum,& quæ liberū acceſſum habet ad cubile.Hinc enim dicitur שגל vt hac appellatione diſcernatur à reliquis quę nō erant eodem loco & honore. Hanc ornatam eſſe dicit auro Ophir,id eſt,optimo & puriſſimo.Nam ex inſula Ophir, quā nunc tranſpoſitis literis atque inuerſo ordine prolatis, Peru dici exiſtimo,aduehebatur optimum aurum, 1.Reg.10.

Hæc eſt grammatica & literalis, quam vocant, ſententia, quæ primùm oſtendenda fuit.Diſputant autem hic interpretes de polygamia Salomonis,an Spiritus ſanctus illam laudet & probet, cùm alibi Scriptura vagos huiuſmodi concubitus improbet, & prima coniugij lex ſit,vt duo ſint in carnem vnam.Nam quòd cum peregrinis & alienis à populo Dei,vt cū filia Pharaonis regis Ægypti,cum Ammonitidis,Moabitidis, Idumæis,Sidoniis,Cethæis contraxit matrimonia,id manifeſtè pugnat cum lege diuina,Exod.34.Fuítque ea res occaſio lapſus Salomoni,vt hiſtoria eius teſtatur.Ideo monendi ſunt auditores, prophetam hoc loco non laudare polygamiam, ſed ſimpliciter ipſi propoſitum eſſe celebrare regis opulentiam & gloriam,quæ in illis nuptiis, atque in illo ornatu ſplēdido,cùm ipſius regis,tum reginæ & totius gynæcei conſpiciebatur:etiam ille ea opulentia potuit abuti.Fuit enim reuera illa potentia,dignitas & ſplendor Salomonis, benedictio Dei non vulgaris,quæ digna eſt laude & celebratione, atque eâ ſi ſemper ille rectè vſus fuiſſet,etiam hoc veniſſet in ipſius laudes.Nunc verò his omiſſis(neque enim quicquam vel de vero bonorum vſu vel abuſu diſputat autor)tantum illa quæ in oculos incurrebant, quæque admirationem apud omnes concitabant,tanquam dona diuinitus data recenſet. Si tamen ad Chriſtum hæc referre volumus, vt certè debemus, hic typus commonefactionem habet de re non parui momenti.Cùm enim coniugium Salomonis,quo ſibi variarum nationum vxores coniunxit, typus quodammodo ſit illius coniugij quo ſibi Chriſtus eccleſiam ſuam deſpōdet & arctiſſimo amore copulat,monemur hac imagine, Chriſtum non tantùm ex Iudæis,ſed etiam ex gentibus ſibi eccleſiam colligere.Et magnus ille numerus concubinarum,multitudinem credentium euangelio,atque ita in ſocietatem bonorum omnium cum Chriſto venientium, deſignat. Nam Salomon ſeptingentas vxores reginas, trecentas verò concubinas habuiſſe ſcribitur,qui numerus millenarium complet: ſed eorum qui Chriſto copulantur per ſpirituale matrimonium, multæ ſunt myriades. Ad hunc igitur typum autor magis quàm ad rem ipſam reſpexit. Sed pergamus etiam reliquas huius typi partes explicare, & quantùm ſpiritualia vel ſuperent vel diſcrepent à corporalibus, oſtendere. Sponſa atque eius comitatus in hac narratione conſtat tantùm ex ſexu fœmineo. Vnde pontificij ineptè hunc verſum adaptarunt muliebri ſexui in conſecratione monialium,vbi hic pſalmus decantari ſolet. Sed in Chriſto nullum eſt diſcrimen ſexus. Nō enim hic valet mas aut fœmina, ſed noua creatura. Gala. 3. Cuiuſcunque igitur ſimus ſexus, omnes deſponſi ſumus vni Chriſto. 2.Corinth.11. Deſpondi vos vni viro. Secundò, illud gynæceū partim ex filiabus regum conſtat, partim ex concubinis & aliis virginibus.Sicut Cātic.6.dicitur: Sexaginta ſunt reginæ & octoginta concubinæ,& adoleſcentularum non eſt numerus.Sed apud Chriſtum totum gynęceum eſt ex filiabus Dei,ſúntque omnes filiæ regum, quæ vna cum ſuo marito dominātur morti,mundo,peccato,ſatanæ:vicimus enim mūdum per ſanguinem agni,vt dicitur in Apocalypſi. atque hæc ſumma eſt eccleſiæ dignitas. Tertiò, ornatus etiam regius & pretioſiſſimus deſcribitur. Ille autē gynæcei Salomonis ornatus quantūuis ſplendidus, erat corruptibilis: in hoc regno induuntur omnes incorruptione & gloria filiorum Dei, vt ſimiles ſint angelis. ſplendor igitur regni Chriſti præſtat omnibus huius mūdi diuitiis aut ornatui. Quartò,apud Salomonem vna erat præ reliquis adamata, quæ dicitur שגל, quæ liberum habebat acceſſum ad thorum & cubile mariti, ſed in hoc regno omnes habēt liberum acceſſum ad regē ſponſum. Hanc pontificij reginam interpretantur Mariam, eámque appellant reginam cæli, vbi tamen ipſa orationis circunſtantia facilè eos redarguit. Nam iſta regina, non vt mater,ſed vt coniunx, aſtat regi ad dexteram. Maria igitur nōn quatenus mater eſt Chriſti ſecundum carnem, ſed quatenus membrum eſt ſponſæ eccleſiæ, fidei oculis intuens, atque eiuſdem brachiis amplectens Chriſtum, inter reliquos adſtat ad dexteram Chriſti, fitque cum aliis particeps bonorum cæleſtium. Quintò, imprimis verò hoc obſeruandum eſt, quòd dicit filias regum non proprio ſumptu eſſe ornatas, ſed regio mundo & ornatu. Chriſtus enim ornat ſponſam ſuam, quæ ipſa erat nuda & deformis, ſicut deſcribitur ab Ezechiele cap.16. Et quidem ornat eam de pretioſis ſuis, hoc eſt, cæleſtibus & perpetuò duraturis bonis, iuſtitia,vita, immortalitate, gloria ſempiterna. Nec fert illa alienum aut aliunde allatum ornatum.Is enim eſt meretricius & in oculis Domini deteſtabilis. Sextò,cōſtituitur ſponſa ad dexteram Chriſti:id eſt, Chriſtus facit eam conſortem regni ſui, qua dignitate nulla maior cogitari poteſt. De hac dicitur Epheſ.2. conſidere eam fecit cum Chriſto in cæleſtibus.

11 Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populi tui & domus patris tui.

Apoſtrophe eſt, qua ipſam reginam compellat, eámque hortatur vt depoſita memoria patriæ & paternæ domus, & abiecta idololatria, in qua erat educata, verā de Deo doctrinam in hoc populo ſonantem amplectatur, ne,ſi ipſa prauos cultus retineret, quibus aſſueuerat, aliis ſuo exēplo noceret. Id quod fieri ſolet: οἷαι γὰρ δέσποιναι, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες. Quales Dominæ,tales ancillæ. Imò maritus ipſe ſæpe per mulieres à religione abducitur, id quod Salomoni non multo poſt accidit, eáque res magnam ruinam ſecum traxit.Et noſtro ſeculo vidimus reges & principes à ſuis coniugibus dementari, vt repudiata, quam agnoſcebant, vera religione, idololatricos cultus retinerent, & praua dogmata, cum ipſo fundamento pugnantia, ſtabilirent. Quod quomodo pleriſque ceſſerit, euentus docuit & docebit deinceps.

Hoc primò obſeruandum eſt in hac adhortatione. Atque huc pertinet illud dictum Chriſti Lucæ 14. Si quis venit ad me,nec odit patrem ſuum ac matrem, & vxorem & filios, & fratres, & ſorores, præterea autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.Et Matth.10. Qui amauerit patrem aut matrem ſupra me,non eſt me dignus. Et Moſes in eandem ſententiam inquit, Deut.33.Qui dixerit patri ſuo & matri ſuæ, Neſcio vos,& fratribus ſuis, ignoro illos, & qui neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodiuerunt eloquium tuum,& pactum tuum ſeruauerunt &c. Deinde monet,vt omnem amorem ſuum transferat & transfundat in maritum,hunc vnū diligat,obſeruet,& colat, nec ſubinde ad ædes paternas,in quibus nata & educata erat,reſpectet,earūue amore ita capiatur vt à marito ſuo ſit alienior.Vtitur autem blāda compellatione,cùm nominat eam filiam, ídque valet ad attētionem excitandam.Oſtendit enim,ſe verè paterno amore & cura duci vt talia moneat: ipſam etiam vt filiam, decere aures ſibi accommodare atque obtemperare. Ita authoritatem ſibi hac compellatione conciliare & reginam attentā reddere voluit. Simul etiam hæc vox innuit, autorem huius pſalmi nō fuiſſe

hominem

hominem vulgarem aut obſcurum, ſed cuius in aula regis & vniuerſo populo ſumma fuerit autoritas. Alioqui enim hæc compellatio nõ deceret hominem priuatum. Quòd verò pluribus verbis poſtea attentionem exigit, ſignificat rem eſſe nõ parui momẽti, de qua monere reginam inſtituerit. Non enim facilè exuuntur aut deponuntur opiniones, quas cum primo lacte hauſimus: & quibus innutriti ſumus. Idque experientia quotidiana abundè teſtatur. δόξα γὰρ βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Deinde magna etiam vis eſt conſuetudinis, ὥσπερ γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι, inquit Ariſtoteles. & confirmant hoc multorum ſcripta & dicta, quibus veritati ex præconceptis ac longo vſu inueteratis opinionibus iniquiſſimè præiudicatur. Hæc conſiderans autor, toties eãdem rem repetit & inculcat, vt his quaſi ſtimulis eam vrgeat & flectat, ne in idololatria aut moribus paternis perſeueret, aut ne deſiderio patriæ aut deliciarum Ægyptiacarum amorem ſuum à rege alienet.

Præmiſſa hac grammatica & literali ſententia, nunc à typo ad Chriſtum tranſeamus, cuius regnum ſpirituale, vt dictum eſt, in hoc pſalmo deſcribitur. Primùm autem eccleſia, tam ex gentibus quàm ex Iudæis collecta, dicitur à ſpiritu ſancto, filia. Is enim per miniſterium verbi & ſacramentorum gignit filios Deo, qui antea erant filij ſatanæ, iræ, maledictionis & damnationis æternæ. Ideo & Paulus tanquam miniſter euangelij Galatas cap. 4. nominat ſuos filios, quos iterum parturierit. Eſtque hæc appellatio plena conſolationis. Eramus enim omnes natura filij iræ, hoſtes Dei, abiecti à Deo, &c. nunc ab eo adoptamur, vt ſimus filij & hæredes bonorum æternorum. Sicut dicitur Iohã 1. Dedit his poteſtatem filios Dei fieri. Audiamus igitur vocem huius parẽtis ita blandè nos inuitantis, & cogitemus quanta ſit magnitudo amoris diuini erga nos, dum ſe patrem noſtrum eſſe teſtatur.

Primùm inquit, *Audi*, quo verbo ſignificat qualis ſit adminiſtratio huius regni, & quid agere oporteat eos qui membra ſunt huius regni. Non conſtituitur nec retinetur hoc regnum armis aut vi corporali, ſicut regna huius mundi, ſed verbo & doctrina. Nam audire & docere ſunt correlatiua. Non opus eſt igitur huc afferre gladios aut tela, quibus ſalus & vita regis, aut regnum defendatur: ſed aures afferendæ ſunt, quæ audiant & patiantur ſe erudiri & doceri de Deo ex verbo, non quærant reuelationes extra verbum Dei aut ſine verbo Dei, non præferant opiniones præconceptas aut conſuetudinem inueteratam verbo diuinitus patefacto: ſed ſemper memores ſint mandati de cœlo ſonantis, Hic eſt filius meus, hunc audire. Deinde auditum ſequatur fides, quæ credat verbo, & acquieſcat in promiſſionibus. Nam fides ex auditu eſt, vt inquit Paulus Rom. 10.

Addit autem, *Et vide*, quod idem eſt ac ſi diceret, Ab ipſa experientia, ſeu ab ipſo vſu & effectu diſce qualis ſit hæc doctrina, & quantus theſaurus hîc tibi offeratur. Nulla enim alia eſt doctrina, quæ veram aut firmam conſolationem in doloribus conſcientię ex agnitione peccati aut in aliis ærumnis mõſtret, aut quæ certum portum, ad quem in periculis confugiamus, oſtendat, quàm hæc quæ in populo Dei eſt patefacta. Nam cæteræ doctrinæ omnes relinquunt hominem in triſti dubitatione & morte. Ideo Dauid pſalm. 34. inquit, Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Senſus autem ille conſolationis, de qua & Dauid, & hic pſalmus loquitur, ſequitur fidem, non præcedit. Ideo priùs iubet nos audire, deinde videre.

Inclina aurem tuam] Repetit præceptum de audiendo: Quia ſcit quàm arduum & difficile ſit deponere opiniones prauas, & à prima educatione recedere, imò ſuam ſapientiam & iuſtitiam exuere, ſeque totum Chriſto ita ſubiicere, vt ipſi ſoli te addicas, & ab eo pendeas, ipſique omnia accepta referas: ideo inquit: Inclina aurem: quaſi iuxta Baſilium diceret, Noli aſpicere & admirari ea quæ magna & ſublimia ſunt in mundo, vt ſunt opes, regna, iuſtitia mundi, ſapiẽtia rationis humanæ, &c. Sed demitte oculos & aures, & hæc quæ coram mundo humilia videntur, conſidera.

Inclinare aurem phraſi Hebræa propriè ſignificat diligenter attendere, & auſcultare: forma ſermonis ſumpta à communi hominum conſuetudine, qui dum diligenter attendere volunt, aures loquenti rectà obuertunt, & quaſi ad eum inclinant.

Obliuiſcere populum tuum & domum patris tui] Per domum patris intelligit prauas opiniones de Deo, & omnes corruptelas doctrinæ ac cultuum diuinorum, quas ex vtero afferimus, aut quæ ex praua inſtitutione nobis adhærent. Per populum intelligit omnia ea quæ ex mala conſuetudine & conuerſatione cum impiis & idololatris acquiſita nos à Deo abducunt. Primùm enim naſcitur nobiſcum ingens prauitas naturæ, eſt in mente triſtis caligo, ſunt dubitationes de Deo & eius prouidentia, voluntas eſt auerſa à Deo, in corde ſunt errantes flammæ cupiditatum & aliorum affectuũ pugnantium cum lege Dei, quæ omnia trahimus ex natiuitate, & ex domo patris afferimus, vt dicitur pſalmo quinquageſimo primo: In peccatis ccõcepit me mater mea. Deinde plurima adſciſcuntur praua educatione & conſuetudine. Talis enim quiſq; eſt qualium delectatur conſuetudine. Hæc igitur omnia deponendæ ſunt, ſi volumus huic ſponſo coniungi. Atque hîc primùm refutantur ij qui hodie dicunt ſe non velle plus ſapere quàm ſui parentes & maiores ſapuerunt, ideóque malle ſe in ea religione mori, quam à maioribus ſuis acceperunt, quàm nuper, vt exiſtimant, exortam amplecti. Deinde & hi taxantur, qui conſuetudinem longi temporis allegant, vt hodie pontificij. Nam conſuetudo ſine veritate, vt inquit Cyprianus, nihil aliud eſt quàm vetuſtas erroris. Tertiò, etiam hoc tectè ſignificatur, politiam Moſis aliquando eſſe delendam, & cultus Leuiticos abolendos. Quanquam enim principaliter eccleſiam collectam ex gentibus alloquatur, tamen ſimul monet eos qui erant in populo Iudaico, vt venientem Meſſiam recipiant, eúmque anteferant templo & politiæ ſuæ, imò politiæ prorſus obliuiſcantur: quod fieri non potuit, niſi illa penitus ceſſante.

12 Et concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe Dominus tuus, & adorabis eum. [*incuruabis te ei.*]

Amplificat orationem à fructu ſequuturo. Ita, inquit, eris grata & accepta huic regi ſponſa, ſi hunc ornatum ad eum afferas, hoc eſt, ſi abiecta idololatria & profanitate gentili, huic ſoli te addicas. Ipſe enim, ſi quid ex illa deſertione domus paternæ erit triſtitiæ aut moleſtiæ, abundè compenſabit dulciſſima ſua conſuetudine & amore ardentiſſimo, quo te complectetur. Hæc tranſlata ad eccleſiam fiunt dulciſſima. Eius ſpecies propter infirmitatem, crucem & ſcandala, videtur eſſe deformis. Et tamen in conſpectu Dei ita formoſa eſt, vt rex delectetur eius pulchritudine. Eſt enim circundata veſtimento iuſtitiæ & ſalutis.

Concupiſcet] Id eſt, acquieſcet in tuo erga ſe amore, delectabitur tua conſuetudine, nunquam auelletur à tuo complexu, &c.

Quoniam ipſe eſt Dominus tuus] Addit ſuperioribus reſtrictionem ſeu correctionem: ne hac dignitate atque eminentia, quòd ſcilicet ad dexteram regis collocatur, & quòd ardentiſſimè ab eo diligitur, elata ſuperbire incipiat, aut quiduis ſibi licere exiſtimet: quod accidere mulieribus ambitioſis ſolet, quæ vbi vident ſe coli paulò diligentiùs à ſuis maritis, mox ita ſe efferunt, vt in ipſos maritos ſibi imperium ſumant. Et hodie pontificij, qui nomen eccleſiæ ſuis erroribus obtẽdunt, eam ſibi licentiam vſurpant, vt leges contra ipſum Chriſtum maritum ſuum ferre non vereantur. Monet igitur propheta, ſponſam hanc ita elatam eſſe in ſummam dignitatem, atque ita amari à ſponſo, vt interea illam meminiſſe velit, maritum, dominum & caput eſſe, cui illa perpetuam reuerẽtiam atque obediẽtiam debeat: quam etiam geſtu externo iubet eam declarare. Nam verbum השתחוי ſignificat inclinato corpore reuerentiam alicui exhibere. Chriſtus autem caput & ſponſus eccleſiæ non colendus eſt tantùm externo geſtu corporis, qui exhibetur præſenti regi more politico, aut nuda cæremonia, ſed coniuncta debet eſſe vera animi reuerentia & pietas, quæ intelligat qualem & quantum eccleſia habeat maritum cui adiungitur, & quanta ab eo bona accipiat.

Hæc conſideratio parit veram reuerẽtiam, verum amorem, verum cultum & inuocationem, quæ petit bona, quæ non poſſunt dari à creaturis. Atque hic cultus etiam in externis geſtibus ſe oſtendit, dum tanquam ſupplices nos coram Deo proſternimus, & cum manibus corda ad cælum leuamus. Synecdoche igitur in verbo Hebræo conſideranda eſt: eſt enim illa vſitata in Scriptura, quod multis teſtimoniis oſtendi poteſt, eóque diligentiùs hæc obſeruanda ſunt, ne eludi verbum hoc inanibus Iudæorum cauillationibus patiamur. Illi enim tantùm ad externum corporis geſtum accommodant, cùm Scriptura, quoties de adoratione Dei hoc verbum vſurpat, ſimul interiorem animi reuerentiam, & cultum complectatur. Niſi fortè velimus dicere, Deum delectari aut placari externo aliquo ritu aut geſtu in ſpeciem pietatis efficto, ſine interiore cordis motu: cùm certum ſit, Deum omnem ſimulationem & hydocriſin extremè odiſſe. Eſt autẽ pronomen לו emphaticῶs poſitum hoc loco. Oſtẽdit enim eccleſiam ita regem ſuum colere & adorare, vt interea fugiat & deteſtetur omnem idololatriam: ideóque non eſſe ciues huius regni, qui idola ſibi ad cultum erigunt, aut creaturarum vel etiam ſanctorum opem implorant.

13 Et filia Tyri, cum munere vultum tuum deprecabuntur diuites populi.

Suprà iuſſerat, vt oblita domus paternæ totam ſe dederet marito, nec ſubinde ad opes aut delicias huius mundi, qui-

bus ante aſſueuerat, reſpectaret. Ne igitur exiſtimet ſe deinceps fore miſeram & egenam, quæ ex ſummo ſplendore & opulentia in extremas anguſtias ſit deiecta, id quod euenire plerunque ſolet his qui Chriſtum ſequuntur, affirmat hanc pietatem abundè compenſatum iri, primum, vt diximus, amore mariti ardentiſſimo: deinde opulentiſſimorum hominum cultu ac liberalitate. Tyrios enim ait veturos ſupplices cum muneribus, hoc eſt, ſicut ipſe mox explicat, opulẽtiſſimos quoſq; veneraturos eſſe hanc ſponſam, & quibuſcunque poſſint officiis ac muneribus culturos atque ornaturos eſſe. Hæc igitur compenſatio facilè mitigabit, vel potiùs abolebit deſiderium prioris fortunæ.

Filia Tyri] Id eſt, nata in vrbe Tyro, ſicut filiæ Hieruſalem alibi dicuntur ciues eius vrbis. Tyrum autem in ſpecie nominat, quia vrbs illo tempore erat potentiſſima & opulẽtiſſima, adeo vt ſingulos ciues Iſaias dicat eſſe principes, & erat illa propter vicinitatem Iudæis maximè nota. Itaque ſummi honoris loco hoc ponit, quòd dicit ex tam nobili & opulenta vrbe venturos, qui reuerentiam & cultum ei præſtent, & omni officij genere eam iuuent. Interea verò in genere intelligendi ſunt potentes & opulenti cuiuſcunque loci, ætatis aut ordinis. Nam Deus ſubinde aliquos excitat reges, principes & proceres, vrbes item opulentas, quæ eccleſiæ hoſpitium præbeant, eámque omni humanitate foueant & tueantur. Cæterùm de appellatione vrbis Tyri monẽdi ſunt auditores, factam illam eſſe à voce Hebræa צור Sor, mutata litera ſibilante in Tau, quod & in aliis ſimilibus fieri videmus. Gellius libro decimo quarto, capite ſexto, dicit, Tyrum antea dictam fuiſſe Saram, id planè congruit cum Hebræa appellatione: atque inde eſt illud apud Virgilium, ſecundo Georgicôn, *Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro*, id eſt, Tyria purpura. & Columella Sarranas violas nominat purpureas. Iuuenalis item Sarrana aulæa in vrbe Tyro facta. Ita autem dicta videtur vrbs, quòd eſſet in petra extructa. Nam צור petram ſignificat: vel, vt alij volunt, quòd per rebellionem facta ſeceſſione nonnulli ciues Sidonij hanc vrbem condiderint, à verbo צור vel צרר: eadem enim eſt vtriuſque ſignificatio.

Deprecabuntur] Id eſt, omni cultu reuerentiæ proſequentur, & expetent tuam amicitiam.

14 Tota glorioſa [*eſt*] filia regis intrinſecus: ex veſtibus auro intertextis [*ocellatis, vel ex deauratis interſertionibus*] indumentum eius.

Abſoluta parœneſi, quæ doctrinam de applicatione beneficiorum Chriſti continet, pergit nunc in deſcriptione ſplendoris & ornatus ſponſæ. Suprà autem dixerat eam ornatam eſſe auro Ophir, id eſt, puriſſimo & ſelectiſſimo. Nunc addit, eam non tantùm foris, ſed intrinſecus etiam ornatam eſſe. Id Iudæi ita ad coniugem Salomonis accommodant, vt dicant, eam nõ tantùm, quando prodit in conſpectum populi, ſed etiam cùm ſedet in cubiculo expectãs maritum, ſplendidè & magnificè veſtitam eſſe, atque ita etiam quotidianũ ornatum eſſe ſumptuoſum, vel, vt alij hoc interpretantur, ſplendorem ornatus non eſſe fucatum ad fallendos oculos, ſed ex ſolida opulentia conſtare. Alij etiam hanc ſententiam eliciunt, Totam reginæ gloriam in eo ſitam eſſe, quòd rex familiariter eam ad ſe inuitet, &c. Sed hæc tenuia ſunt. Non enim dubium eſt quin aliud ſpectet propheta. Nam ab illo reginæ ornatu, quem operoſiſſimum & ſplendidiſſimum fuiſſe affirmat, abducit animũ & oculos ad eccleſiæ Chriſti ſponſæ ornatum. Hunc dicit non omnino foris conſpici, aut in oculos ita incurrere, vt admirationem ſuis excitet. Nam ſi externam eccleſiæ faciem conſideres, eſt illa ærumnoſa, miſera, afflicta, quæ & ſuorum peccatorũ mole & hoſtium iniuriis premitur duriter & acerbè, adeo vt Paulus dicat, quod ad hãc ſpeciem attinet, nullum eſſe populum magis miſerum aut ærumnoſum. Interea tamen non caret illa ſuo ornatu aut ſplendore. Sed gloria illa eſt interna, quam nemo niſi fidei oculis aſpicere & intueri poteſt. Sunt autem huius gloriæ plures gradus, quorum aliquos recitaſſe, ac ceu digito monſtraſſe ſatis ſit. I. Eſt vera agnitio eſſentiæ & voluntatis Dei ex verbo patefacto. Ideo pſalm. 145. dicit: Non fecit taliter omni nationi. II. Præſentia Dei, & conſolatio vera ac ſolida in ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, in ærũnis & perſecutionibus. III. Exauditio precum, Deut. 4. IIII. Perpetua conſeruatio eccleſiæ inter horribiles furores diaboli & organorum eius. V. Inſignes liberationes eccleſiæ & ſingulorum membrorum, vt Danielis & aliorum, & tandem finalis illa liberatio & reſtitutio vitæ æternæ & gloriæ immortalis. VI. Miracula & vaticinia prophetica. VII. Variæ virtutes accenſæ per ſpiritum ſanctum in cordibus piorum, quæ lõgè differunt à philoſophicis virtutibus. Hæc gloria eſt eccleſiæ, quam mũdus non cernit. Deinde accedunt etiam dona Spiritus ſancti, quæ conſpiciuntur in conſeruatione eccleſiæ, de quibus Paulus loquitur, Aſcendit in altum, dedit dona hominibus. In eccleſia ſunt doctores, qui lucent in hoc veſtimento, tanquam gemmæ auro incluſæ, ſúntque interpretes Scripturæ, donis linguarum & variarum rerum cognitione inſtructi. Hi ſunt tanquam veſtes auro intextæ, aut acu pictæ, de quibus proximo verſu dicitur.

15 In veſtibus acu pictis [*phrygionicis*] adducetur regi, virgines poſt eam ſociæ eius adducuntur tibi [*ſcilicet regina & gynæceum.*]

Puellæ, quæ comitantur reginã in nuptiis Salomonis, pompam illam nuptialem reddunt ſplendidiorem. In eccleſia verò puellæ illæ ſignificant ſingula membra eccleſiæ, quæ pertinent ad ſocietatem regni cæleſtis, & per miniſterium euangelij adducuntur Chriſto. Dicuntur autem virgines propter fidei ſanctimoniam & ſimplicitatem. 2. Cor. 11.

16 Adducuntur in lætitiis & exultatione: ingredientur palatium regis.

Hæc lætitia gynæcei Salomonis fuit exigui temporis, & planè momentanea: ſed eccleſiæ gaudium, vt Chriſtus inquit, eſt ſolidum, quod nemo auferet ab ea. Conſiſtit autem illa lætitia primùm in vera agnitione Dei, & ſenſu miſericordiæ Dei erga nos, quòd quanquam peccatis horrendis pollutos, recipit in gratiam: deinde in donatione Spiritus ſancti, qui corda regenerat, & omnem timorem expellit. non enim eſt ſpiritus timoris. tertiò, in ſpe & expectatione futuræ vitæ & gloriæ æternæ, quia futurum ſcimus vt tandem poſt huius vitæ ærumnas introducamur in palatium regis noſtri, & donemur vita & lætitia perpetua.

17 Pro patribus tuis erunt filij tui: conſtitues eos principes in vniuerſa terra.

In fine epithalamij promittit regi non tantùm numeroſam ſobolem, ſed etiam, quod imprimis ad regni gloriam & celebritatem facit, quæ virtute & dignitate maioribus non cedat, & quæ latè propagato imperio plures prouincias occupet, & quibus pater regna mundi ipſe diſtribuat. Hæc de Salomone intelligi non poſſunt, niſi quatenus in eo adumbrata fuerunt aliquo modo. Nam eius poſteritas tantùm abfuit vt amplificaret imperium, vt primus hæres Roboam, exiguam tantùm regni partem retinuerit, nec quiſquam ex legitimis ſucceſſoribus ad patris potentiam peruenerit. Quare ad Chriſtum iſta referenda ſunt, qui medius fuit inter veterem & nouam eccleſiam ex gentibus collectam. Is verè filios genuit numero & præſtantia maioribus ſuis non cedentes, eóſque vniuerſo orbi præfecit: non quidem vt more regum in hoc mundo dominarentur, ſed vt voce euangelij deſtruerent potentiam diaboli, minas atque illecebras mundi, & magno atque incredibili ſucceſſu paſſim in toto orbe Deo æternam eccleſiam colligerent.

Pro patribus erunt filij] Id eſt, in locum maiorum, qui ſapientia, pietate & aliis virtutibus claruerunt, ſuccedent filij.

18 Memorare faciam [*memorabile faciam*] nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi confitebuntur tibi in ſeculum & perpetuò.

Verſus 18. promittit eccleſiæ ſtabilitatem & firmitatem inter colliſiones regnorum, & concionatur de vita æterna, quorum neutrum regno Salomonis tribui poteſt. Chriſti, inquit, memoria perpetuò vigebit: ergo eccleſia erit perpetua: & perpetuò celebrabuntur laudes Chriſti: ergo nunquam delebitur eccleſia, ſed manebit cœtus retinens profeſſionem doctrinæ de Deo, & veris cultibus eum honorans, & poſtea in æterna conſuetudine manebit apud Deum in vita cæleſti. Eſt autem in hoc verſu propoſita doctrina de veris cultibus noui teſtamenti, de quibus cùm alibi dicatur copioſiùs, non ſum nunc prolixior.

PSALMI XLV.

PARTES.

I. Exordium floridum, vt vocant, quo pij omnes in vnius perſona, omnium nomine canentis, ſe animo, ore, manibus, ſeu ſtylo omnia effecturos quæ ad celebrandum Chriſtum ſponſum, Eccleſiam ſponſam, & coniugium ſacrum pertinent: v. 2.

II. Laudatio ſponſi, quæ typicè Salomoni à nonnullis, ſed tenuiſſima ex parte competit, omnibus

verò

verò numeris Chriſto eſt accommodanda. Sunt autem huius laudationis loci. 1. Commendatio elegantiæ, vultus, & ſermonis, v. 3. 2. Hortatio à potentia magnifica ad adminiſtrationem regni, v. 4. 5. 6. 3. Maieſtatis gloriæque ſempiternæ prædicatio, v. 7. 8. 9.

Horum omnium origo eſt à Deo Patre, qui Filium vnxit, & dedit ei Spiritum ſine menſura, Ioan. 3. 34. Quamobrem, & ſi hæc in ſpeciem Chriſto minimè videntur adfuiſſe, dum in forma ſerui ambulauit: non dubium tamen eſt quin propria ſint illius: prout docemur Euangelio quædam in ipſo conſummata eſſe, & alia in dies conſummari.

Gladius Chriſti eſt ſpiritualis, nempe verbum procedens ex ore ipſius, de quo Ieſa. 11. 4. Hebr. 4. 12. Apoc. 1. 16. Robuſtiſſimus appellatur, nempe cui poteſtas omnis tributa ſit in cælo & in terra: cuius vi omnes munitiones ſubuertimus, ratiocinationes, omnémque ſublimitatem, quæ aduerſus Dei cognitionem extollitur, 2. Cor. 10. 4. &c.

Regia Chriſti adminiſtratio exponitur, tum erga ſubiectos fideles, v. 5. quibus Euangelium odor eſt vitæ ad vitam: tum erga rebelles & impios, v. 6. quibus verbum ad mortem annuntiatur, 2. Cor. 2. 15. 16. Deinde, nempe v. 7. ſubiicitur deſcriptio Maieſtatis, iuſtitiæ, & gloriæ diuinæ in Chriſto, ex donis & vocatione Dei: nam hæc ad Salomonem minimè pertinere, tum ipſa verborum ſeries oſtendit, tum Apoſtolus cap. 1. epiſt. ad Hebræos. Vnctus eſt autem Eccleſiæ ſponſus, vnctione Spiritus, per quem regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Chriſto. Rom. 14. 17. Chriſtiani autem ſponſi conſortes & amici: tum Chriſti, tum dignitatis ipſius fiunt participes per fidem. hæc v. 8. Cui additur nonus, vnctionis huius myſticæ & ſpiritualis pręſtantiam deſcribens.

III. Laudatio ſponſę ad tria capita refertur. 1. Ipſius reginę, & comitatus eius commendatio, v. 10. Dicitur autem ſponſus, ſola ſua charitate impulſus, filias rçgum, nempe Eccleſię membra ad nuptias inuitaſſe, & in precioſiſſimum ſponſę ſuę comitatum cooptaſſe. 2. Sequitur v. 11. & 12. hortatio ad officium coniugale, fidem, obſequium & honorem deferendum Chriſto ſponſo ac regi. 3. Pręedicatio glorię quam Eccleſia in Chriſto perceptura eſt: primùm glorię pręſentis, velut in ipſo nuptiarum tempore, v. 13. 14. 15. 16. Deinde glorię euenturę ex coniugio Chriſti, nimirum quòd plurimos & potentiſſimos liberos ipſi genitura eſt, v. 17.

IIII. Concluſio, v. 18. qua pij pollicentur monumenta laudum ſponſi, quę ſemper coram ſponſa durent.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Deſcribit hic pſalmus, & quidem diuiniſſimè, ſpiritualem Chriſti & eccleſiæ copulationẽ, allegoria à communib. matrimonijs ſumpta, quam ſæpe poſtea illuſtrarunt prophetæ & apoſtoli. Et quæcunq; confert ſuæ eccleſiæ beneficia Chriſtus, eiuſque regium munus, eccleſiæ item felicitas & officium paucis ſed abſolutè, proponuntur.

2 De rebus eximiis eximiè cogitandum & loquendum eſt, in ſapiẽtia Spiritus ſancti, qui deducit nos in omnem verbi ſui veritatẽ.

Rex eccleſiæ Chriſtus, ab omnibus, præcipuè verò verbi Dei miniſtris, ſummis laudibus eſt celebrandus.

3 Chriſtus rex, & eccleſiæ maritus, eſt omnium hominum pulcherrimus, vt qui omni labe careat.

Gratia in labiis Chriſti verè diffuſa eſt, ſi eius ſuadelæ vim expendimus, quæ non tantùm in alliciendis, ſed etiam mutandis hominũ animis apparet ex euangelij prædicatione ac virtute inenarrabili. Et idem, quatenus homo, accepit ſpiritum non ad menſuram, ſed quàm abundantiſſimè, adeo vt in omnes ſanctos redundet. Ex eius ore igitur pendere nos decet, de eius plenitudine haurire ac ſapere ex Dei verbo, quod in euangelio patefit. Hinc ſequitur pſeudochriſtianos turpiter errare, qui ſermonem viuificum Chriſti reſpuentes, commẽta ſtultorum & ſophiſtarum recipiunt.

4 Gladius Chriſti, eſt euangelij verbum, ad ſpiritus & animæ diuiſionem penetrans, cuius efficaciam pia corda quotidie ſentiunt, & quidem cum gloria illa Spiritus ſancti in eorum infirmitate miro modo operantis.

5 Veritas, manſuetudo, iuſtitia Chriſtum regem in verbo Dei cõſpicuum pijs omnibus in eum confidentibus, pacificum, & impijs terribilem, vehunt.

Certitudo ſalutis, mens Deo ſubmiſſa, Deique in ſuis protegendis clementia & conſtantia, ſunt velut equi celeres quibus fertur eccleſia in verbi diuini curru cum Chriſto ſponſo & rege per mundũ vniuerſum, & tandem ſupra cælos euehitur.

Vera ſolidaq; regum ac regnorum ſtabilitas eſt, fidem & iuſtitiam colere, & ſuum imperium clementia moderari. Nam qui cæco & turbulento impetu feruntur reges, etiamſi ad momentum metu & pauore omnia repleant, mole ſtatim ſua concidunt. Contrà, æquabilis & iuſta moderatio facit vt manus fortium tremendæ ſint.

6 Chriſtus vt vult parcere ſubiectis, ita nouit debellare ſuperbos: & quemadmodum euangelium pijs eſt odor vitæ: ita ſit mortis odor impijs: & arma eius valida ſunt tum ad debellandos inferos, mortem, peccatum: tum ad ſubuerſionem omnium munitionum, dum verbi ſui virtute omnem ſublimitatem euertit quæ extollitur aduerſus Dei cognitionem, captiuam ducit omnem cogitationem, paratum habet quod impiorum contumaciam vindicet, dum ſpiritualibus quibuſdam ſagittis eorum mentes ſtupore aut cæcitate & peruicacia transfigit.

7 Teſtimonium hic occurrit perſpicuũ de æterna Chriſti deitate: & de Chriſto verba ſunt hic, quatenus Deus eſt manifeſtatus in carne.

Eximia inde oritur conſolatio, dum intelligimus quatenus Chriſtus eſt caput eccleſiæ, & ſalutis noſtræ cuſtos ac præſes, non regnare ad tempus, ſed æterno imperio potiri: quia hinc nobis ſolida tam in vita quàm in morte naſcitur ſecuritas.

8 Meſſias mediator nobis proponitur: quia vnctus à Deo ſuo dicitur, & quidem præ ſocijs. Chriſtus ergo carne indutus, ſeruus Dei eſt, & frater noſter, ex cuius plenitudine haurimus fidem, quæ dona gratuitò nobis confert.

9 Hæc verba pertinent partim ad illam ipſius Patris vocem, Hic eſt filius meus ille dilectus in quo acquieſco: qua ſignificatur, noſtri Immanuelis tum perſonali integritate tum obedientia vſque ad mortem crucis fragrantiſſimo odore Patrem fuiſſe nobis recõciliatũ: partim verò ad dictum illud Apoſtoli 2. Cor. 2. Chriſti bona fragrãtia ſumus, vt qui nobis ſit factus ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio: idque ex palatijs eburneis, cæleſti videlicet ſede, ex qua nos reſpicit: & hæc omnia, imò etiam ſeipſum in nos quodammodo inſtillat.

10 Eccleſia Iſraelitica, reginæ & coniugis perſonam ſuſtinens, alias regum filias, id eſt eccleſias ex gentibus collectas, adiunctas & comites habuit, quæ omnes vni marito Chriſto addictæ ſuſtinent vnicæ eccleſiæ catholicæ perſonam, quæ omnia ſua ornamenta non ex ſuis κειμηλίοις, ſed à rege ipſo accepit: vt omnia illius benignitati accepta ferantur, qui nuditatem noſtram texerit. Proinde illa demum catholica habenda eſt eccleſia, quæ ſola Chriſti iuſtitia gratis imputata incedit cum ſuis comitibus ſeu eccleſiis prrticularibus coronata: quanquam iuſtitiam illam altera quoque conſequitur in nobis inchoata, caſtam ſponſam diſcernens à meretrice illa quæ vxoris nomen amiſſo pudore mentitur.

Quanquam donorum ſpiritualium, quibus eccleſiam ſuam locupletat, ſplendor & dignitas à mundo cõtemnitur, coram Deo tamen præſtat omnibus mundi diuitiis.

Eccleſia dicitur adſtare Chriſto, non quòd peculiare aliquod imperium exerceat: ſed quoniam in ea dominatur Chriſtus, quo ſenſu vocatur noſtra omnium mater.

11 Quia mutatio hæc quæ transfigurantur in nouos homines, qui ex filijs Adæ, filij Dei eſſe incipiunt, difficilis eſt: eam vehementius vrgeri his verbis, Audi, vide, inclina aurem, oportuit. Et certè experientia oſtendit quàm ſegnes ac tardi ſimus ad ſequendũ Deũ.

Inde miſeria noſtra eſt, quòd non ſatis reputamus quàm pretioſũ theſaurum Deus in filio ſuo vnigenito nobis per euangelium offerat: tunc enim pro ſtercore aut nihilo omnia mundana duceremus, vt ſuis nos diuitijs Chriſtus ditaret.

Non vulgaris eſt conſolatio, nos filio Dei in ſummus delicijs fore, vbi terrenum ingenium exuerimus. Interea diſcere nos conuenit, noſtri abnegationem ſacræ cum Chriſto coniunctionis eſſe principium.

Iuſtam & legitimam ſubiectionem excutit eccleſia, niſi Chriſti verbo ſe addicat, repudiatis iis omnibus corruptelis quas ex Adamo poſſidet.

12 Dona ſua Chriſtus in ſuis electis agnoſcit, amplectitur, & auget: amatque ſponſæ ſuæ decorem & pulchritudinem: quod perpetua allegoria explicatur in libro Cantici canticorum.

Non parua eſt eccleſiæ dignitas ſedere ad dextram regis & ſponſi ſui, ſicuti non vulgaris honor eſt, piorum omnium cenſeri matrem, quæ ſub diſciplina ſua eos contineat: ſed à vera eccleſia Chriſtus adoratur, colitur, auditur: atque ex innumeris Scripturæ teſtimoniis conſtat, Chriſtum eccleſiam ſuam minimè extollere, vt de ſuo iure quicquam minuat vel abroget.

13 Fructum aliquem huius vaticinij etiamnum guſtat eccleſia, quum facit Deus vt quidam ex mundi proceribus Chriſtum oſculentur: alij, quanuis iugum eius non prorſus ſuſcipiant, eccleſiam tamen humaniter fouent ac tuentur.

14.15.16. Felix eſt omnino ſanctæ eccleſiæ ſtatus & conditio coram Deo & angelis. Quòd autem in terris decore conſpicua non eſt, in quo refulgeāt Chriſti diuitiæ, hominum ingratitudini eſt imputandum, qui vel ſua ſegnitie liberalitatem Dei reſpuunt, vel ad inopiam vltro rediguntur.

17 Chriſtus vere filios genuit, numero & præſtantia patribus non cedentes, quos orbi vniuerſo præfecit. Et quia euangelij doctrinam (quæ regni ſceptrum eſt) eis depoſuit, Chriſti poteſtatem quodāmodo exercent, ita vt totidem per euangelij doctrinam erigat ſibi principatus, quot per verbi ſui miniſtros in diuerſis regionibus colligit eccleſias.

18 Quanquam vndique emergant hoſtes innumeri ad opprimēdum Chriſti regnum, coram eo tamen flecti incipit omne genu, donec poteſtates omnes ſibi contrarias proſternat & pedibus conculcet. Interea noſtrum eſt, ſedulò dare operam ne vnquam intercidat memoria hæc regis noſtri, quæ ſeculis omnibus ſuperſtes vigere debet in æternam hominum ſalutem.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Myſterij magni, nempe Coniugij ſpiritualis Domini noſtri Ieſu Chriſti & Eccleſiæ, typica & allegorica deſcriptio.
2. Sponſus vnus Eccleſiæ Chriſtus.
3. Antichriſti, ſponſum Eccleſię Catholicæ ſeſe affirmantis, impietas blaſphema.
4. Chriſti regis & ſponſi decor, pace & bello, elegantiſſimè depictus.
5. De æterna deitate Chriſti in carne manifeſtati.
6. De vera eiuſdem natura humana & perſona duabus naturis conſtante.
7. De eiuſdem Mediatoris noſtri, merito, dignitate, & efficacia.
8. Eccleſiæ Chriſti dignitas, notæ eſſentiales, præſtantia, felicitas, officium.
9. Filij ſponſi & ſponſæ, qui & quales.

ARGVMENTVM PSALMI XLVI.

HIC PSALMVS eſt ἐυχαριστικός. Eſt enim gratiarum actio pro recenti aliqua victoria & liberatione, qua populo Dei pax reſtituta fuit, hoſtibus diuina potentia & virtute profligatis ac funditus deletis. Etſi autem quidam Iudæorum exiſtimant, pſalmum loqui de ea liberatione qua Hieroſolyma è manu Aſſyriorum erepta & liberata eſt per manum Angeli, 2. Reg. 19. tamen, cùm nulla huius hiſtoriæ, vel in titulo, vel poſtea in oratione pſalmi fiat mentio, illud in medio relinquimus. Apparet autem periculum fuiſſe non leue, nec vnum tantùm hoſtem tum arma ſumpſiſſe contra hunc populum: ſed plures ſimul, eóſque potentiſſimos & crudeliſſimos, in perniciem huius populi conſpiraſſe, ac vires ad eum delendum coniunxiſſe. Nominat enim populos & regna, quæ montibus & mari tumultuoſo comparat: à quibus cùm tanquam diluuio terra Iudaica oppleretur, & vrbs Hieroſolyma in ſummum veniſſet diſcrimen, affirmat populus, nihil ſe habuiſſe opis aut virium, quas tantæ hoſtium multitudini & potentiæ opponeret: ſed ſolius Dei beneficio, quem in auxilium vocauerant, vrbem eſſe liberatam metu & periculo, & ciues ſeruatos incolumes. Hoc exemplum diuinæ & admirandæ liberationis ita prædicat autor pſalmi, vt & Deo gratias agat pro reſtituta pace ac tranquillitate, & ſimul omnes pios hortetur, vt hoc exemplo admoniti diſcant, Deum eccleſiam ſuam quouis tempore mirabiliter contra furores diaboli & tyrannorum ſeruare, eámque defendere & gubernare: cùm interea regna mundi inter ſe collidantur & horribilibus pœnis deleantur: & Deo pro hoc ſummo beneficio, quo amorem ſuum erga eos, quos in populum delegit, declarat, aſſidue gratias agant. Ideo enim exempla liberationum eccleſiæ proponuntur, vt fides de promiſſionibus diuinis in nobis confirmetur, & nos in noſtris periculis atque ærumnis, cùm foris à rebus omnibus deſtituimur, diſcamus ſperare & expectare auxilium à Deo, & vt liberati ad gratiarum actionem exuſcitemur. Nam, vt apud prophetam inquit, propter ſe & nominis ſui gloriam liberat populum ſuum.

1 AD triumphandum, filiorum Corah, ſuper alamoth canticum.

De voce עלמות in titulo non conſentiunt interpretes. Nonnulli appellatiuè accipiunt pro iuuentute: & iuuentutem interpretantur eccleſiam, quę eſt tanquam pulchra & formoſa iuuentus, non deformata ſcortationibus, hoc eſt, cultibus idololatricis. Alij de occultis, hoc eſt de piis, quorum vita abſcondita eſt in Chriſto, donec occulta reuelentur in iudicio Dei, interpretantur. Alij exiſtimant, fuiſſe nomen inſtrumēti muſici, & nomen habere quòd ſonus eius ſit obtuſior quàm aliorum, penè vt Germani inſtrumentum quoddam muſicum nominant *ein Virginal.* Plerique tamen volunt eſſe initium vulgaris cantilenæ & vulgo notæ, ad cuius modos hic pſalmus fuerit decantandus, qua de re dictum eſt pſal. 9.

2 Deus nobis protectio & robur: auxilium in tribulationibus inuenimus abundè [*vel, vt alij, inuentus eſt valde.*]

Propoſitio eſt gratiarum actionis, quæ continet commemorationem beneficij. Hoc enim primum eſt in gratitudine vt agnoſcamus & prædicemus vnde profectum ſit beneficium. Conſtat enim gratitudo duabus virtutibus, veritate & iuſtitia. Veritas agnoſcit vnde profectum ſit beneficium. Iuſtitia obligat ad mutua officia.

Continet autem hæc ipſa commemoratio dulcem promiſſionem, pollicentem auxilium eccleſiæ quocunque tempore. Eſtque hæc promiſſio opponenda noſtris cogitationibus, quas ratio ſuggerit. Omnes enim ſic ratiocinamur, Nullum cœtum eſſe durabilem, niſi habeat certam ſedem aliquam, & adiuncta præſidia firma, quibus ſe tueatur aduerſus iniuſtam vim. Eccleſia verò vagatur ſine certa ſede, nec tantùm nulla habet præſidia, ſed potiùs oppugnatur ſumma vi & crudelitate à potentioribus. Hîc aliud nihil cogitare poſſumus quàm quod ratio ſuggerit, interituram ſcilicet eſſe eccleſiam paulo pòſt. Ideóque multi reſpiciunt ad præſidia humana, quibus ſi deſtituatur eccleſia, actum eſſe de eius ſalute exiſtimant. Sed his cogitationibus opponenda eſt hæc conſolatio, quæ hic traditur: & ſciendum, manſuram eſſe eccleſiam, etiamſi totus mundus aduerſus eam conſpiret.

Obſeruandæ autem hoc loco ſunt appellationes quæ Deo tribuuntur. Sunt enim plenæ conſolationis, & promiſſiones eccleſię factas valde illuſtrant. Primùm, inquit, ipſe eſt מחסה, hoc eſt, ipſe præbet nobis tutum aſylum, quò confugiamus in rebus aduerſis. Ipſe protegit nos vmbra manus ſuæ, vt dicitur Ieſaię 51. Nam מחסה propriè latibulum ſignificat, quò nos in tempeſtatibus protectionis cauſſa recipimus.

II. *Robur*] Id dupliciter intelligatur. Primùm animos noſtros fulcit & confirmat ſpiritu ſuo, ne frangamur magnitudine aut multitudine calamitatum: ſed animo intrepido omnia pericula contemnamus. Deinde foris munit, &, vt propheta inquit, muro igneo cingit nos, ne vis hoſtilis pertingere ad nos poſſit.

III. *Auxilium*] Id eſt, etiamſi aliquandiu differt auxilium & ſinit creſcere tribulationes: tamen tandem opitulatur & liberat nos ex malis. Vox, *valde*, ſi poſteriorem ſententiam, quę à nobis expoſita eſt, ſequamur, referenda videtur ad tribulatio-

bulationes, quaſi dicat, in magnis tribulationibus, cùm ſcilicet nihil amplius ſpei & opis apparet, Deus tandem oſtendit ſe præſentem, qui aliquandiu ſe occultauerat. Hanc eſſe ſententiam monet accentus Reuia, in voce בצרות, monens ordinem conſtructionis eſſe inuerſum.

3 Propterea non timebimus, dum mouebitur terra: [*vel potiùs actiuè, in conuertendo terram, hoc eſt, etiamſi terram ſubuertat*] & concident montes in cor maris.

Illatio eſt, quæ continet applicationem promiſſionis. Cùm Deus adſit perpetuus cuſtos eccleſiæ ſuæ, non timeamus fracti magnitudine malorum aut multitudine hoſtium: ſed potiùs animos erigamus & vincamus dubitationem. Atque hic oſtenditur vera probatio fidei, cuius decus inter ærumnas maximè lucet. Nã extra pericula, cùm omnia ſint pacata & trãquilla, facile eſt magnam fiduciam præ ſe ferre, ſicut audimus etiam profanos ſæpe de hac gloriari: ſed cùm creſcunt pericula, & foris nihil apparet præſidiorum, nullúſque conſpicitur exitus aut finis calamitatum, ibi retinere fiduciã, magnus eſt labor, & peculiare Spiritus ſancti opus.

Non timebimus] Hæc verò non ita intelligẽda ſunt, quaſi omni ſolicitudine & metu careant homines pij in periculis, ſintque prorſus ἀπαθεῖς, vt Stoici fingunt, qui nulla re afficiãtur, (is enim eſſet ſtupor dicendus, non fides) ſed hoc docet, nunquam opprimi metu homines pios, quantumuis magnis calamitatibus premantur: ſed ſubinde ſeſe cogitatione promiſſionum diuinarum colligere, & vincere dubitationem.

Dum mouetur terra] Id eſt, etiamſi totus orbis conuertatur, & terra quaſſata ac mare intumeſcens confundantur inter ſe in vnum chaos: id eſt, etiãſi imperia mundi horribilibus tumultibus inter ſe collidantur. Terram nominat eam partem orbis quæ ſedem præbet habitantibus. Etiamſi igitur nulla, inquit, conſpiciatur ſedes, vbi ſit manſura eccleſia, aut hoſpitium habitura, tamen non deficiet fides noſtra, nec erunt irritæ promiſſiones.

Montes metaphoricè nominat regna, & potentia atque opibus ſuffulta imperia, quæ variis tumultibus omnibus temporibus iactantur & colliduntur, vt omnia videantur interitura. Hic tamen retinenda eſt illa fides & conſolatio quòd manſura ſit eccleſia Dei.

4 Sonabunt & turbabuntur aquæ eius: concutientur montes à tumore [*in eleuatione*] eius, Selah.

Repetitio eſt poſterioris ſententiæ, in qua amplificat fremitum & furorem impiorum contra eccleſiam, & ſæuitiam diaboli & organorum ipſius aduerſus pios. Etiamſi, inquit, aquæ totius orbis magnis tempeſtatibus concuſſæ tumultuentur, hoc eſt, etiamſi totus orbis concurrat & vires ſuas coniungat ad delendam eccleſiam: tamen non abiiciemus fiduciam. Nam aquæ in Scriptura ſæpe ſignificant magnã multitudinẽ populorum & exercituum, vt Iere. 47. Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone. Item, exercitus maximus, & erit in torrentem & inundabit terram. Ieſa. 17. Tumultus populorum ſicut ſonitus aquarum multarum ſonabunt. Inde in Apocal. dicitur cap. 17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & turbæ, & gentes, & linguæ. Per fremitum autem & tumultum aquarum cogita notari odium quod concipiunt aduerſus pios, & ſæuitiam qua in eos graſſantur.

Ecce concutientur montes] Id eſt, regna & imperia: dum aquæ eleuatæ aut intumeſcentes, hoc eſt, populi cum magno impetu ac fremitu concurrentes, ea concutiunt.

In tumore eius] Id eſt, dum mare intumeſcit, & fluctus attollit, qui diluuium terræ minantur.

5 Fluminis riuuli eius lætificabunt [*exhilarabunt*] ciuitatem Dei: ſanctuarium tabernaculorum excelſi.

Hic verſus additur ſuperioribus ex antitheſi, & repetit atque explicat priorem propoſitionem. Quanquam, inquit, aquæ maris paſſim in toto orbe intumeſcant & tumultuentur, vt violento impetu ſuo montes ipſos concutiant, hoc eſt, regna & imperia vaſtent: tamen inter illos horribiles ſtrepitus & tumultus placidè quieſcet, erit læta & tranquilla ciuitas Dei, contenta ſcilicet exiguis riuis, quibus irrigatur. Ita igitur conſolatio in hoc verſu traditur opponenda ſcandalo crucis.

Vocabulo פלגיו alludit ſine dubio ad riuum fluentem ex Siloah, qui perfluebat Hieroſolymam. Is quãquam exiguus erat: tamen multiplicem vſum præſtabat incolis vrbis Hieroſolymæ. Non quidem ita muniebat ciuitatem Hieroſolymam, vt Nilus aut Euphrates vrbes iuxta ſe ædificatas, id quod multi ex populo exoptabant: ſed hi à Ieſaia reprehenduntur, quòd ſpernentes aquas Siloah leniter fluentes, profundos & rapidos fluuios appetant, qui hoſtes ab acceſſu arcere poſſint, cap. 8. & tamen tenues illi riuuli magnam, inquit, lætitiæ materiam præbent, ſi forte contingat totum mundum mutuis armis inter ſe concurrere & cædibus confici. Sedet enim hæc ciuitas interea ad hos riuulos tuta & ſecura ſub protectione alarum Dei: cùm cæteræ vrbes munitæ, foſſiſque & aggeribus cinctæ, euertantur.

Hæc eſt ſimplex & plana ſententia. Interea verò non dubium eſt, per riuulos ſignificari miniſterium verbi diuini, quod in hoc populo voce diuina conſtitutum perpetuò ſcaturiebat, & emittebat dulciſſimas aquas, quæ ſuauiter recreabant æſtuãtes: hoc eſt, perterrefactos ſenſu iræ Dei, & pacem & lætitiam conſcientiis afferebant. Nam riuuli & fontes ſignificant doctrinam & munus docendi. Ille igitur fons, inquit, perpetuò lætificat incolis huius vrbis. Nunquam enim exareſcet, hoc eſt, manebit miniſterium euangelij & durabit perpetuò in eccleſia Dei, quicquid interea mundo atque eius regnis accidat.

Ciuitatem Dei nominat Hieroſolymam, atque eandẽ poſtea ſanctuarium tabernaculorum excelſi, alludens ad ſtatum illius temporis. Erat enim ibi templum & ſanctuarium, in quo collocata erat arca fœderis, & Deus elegerat hanc vrbẽ quaſi regiam ſedem, vnde totum populum ſuum regeret. Et quia arca fœderis ſymbolum erat præſentiæ in hoc populo, ideo ſanctuarium vocat habitaculum Dei. Sed iſtæ appellationes accommodandæ ſunt ad eccleſiam omnium ætatum, & ad ſingulas ciuitates quæ doctrinam euangelij fouent. קדש משכני hoc Græcus & poſt eum Latinus ita reddidit. Sanctificabit tabernaculum ſuum. Vterque igitur legiſſe videtur קדש משכנו confuſis tam literis quàm punctis vocalibus.

6 Deus in medio eius, non mouebitur: adiuuabit eam Deus ad conſpectum auroræ [*appetente mane.*]

Addit cauſſam cur illa ciuitas ſedeat ſecura inter maximos mundi fragores & impiorũ ruinas: quia ſcilicet Deus in medio eius reſidet aſſiduus cuſtos & defenſor, qui omnia pericula ab ea depellit & auertit: & ſi quid periculi ingruat, ad opem ferendam ſemper eſt paratus. Hæc dulcis eſt conſolatio de perpetuitate eccleſiæ.

Non mouebitur] Scilicet, ciuitas (eſt enim fœmininum.) id eſt, non turbabitur eius quies, nec concutietur aut euertetur à concurſu aquarum. Hæc quomodo ad totam eccleſiam accommodanda ſint, conſiderandũ eſt. Manet eccleſia, etiamſi nõ habeat ſemper fixam ſedem aut vrbem, ſicut illo tempore in illa politia erat eccleſiæ certa ſedes promiſſa: quia etiã exulanti eccleſiæ proſpicit de hoſpitio aut nidulis, vbi fœtus ſuos educet & nutriat. Ad conſpectum auroræ ſeu mane, plerique interpretantur, maturè, iuxta promiſſionem: Veniens veniet & non tardabit: quaſi dicat, non differet auxilium ſed maturè ſuccurret: non enim dormit, qui cuſtodit Iſrael, vt alibi dicitur. Alij ita reſoluunt. Ad conſpectum auroræ, id eſt, quotidie, ſimul ac ſol terris oritur.

Eodem redit hæc ſententia: ſignificat enim, nunquam Deũ deſerere ſuam eccleſiam: & quanquam non ſemper pro noſtrorum votorum feruore ad nos iuuandos feſtinet, tamen ſatis opportunè eum nobis adeſſe. Sinit enim interdum nos per noctem lugere ac tenebris horrorum plenis obrui: & videtur nobis illa nox admodum diuturna: ſed rurſus aurorã ſuæ gratiæ tandem nos exhilarat.

7 Tumultuatæ ſunt gentes: mota ſunt regna: dedit vocem ſuam, liquefacta eſt terra.

Repetit tertium & quartum verſum, & quod antea dixerat figuratè, nunc exponit ſine figura, quod vſitatum eſt in pſalmis. Eſt igitur hæc ſententia, Nũquam eccleſia Dei in hac vita caret hoſtibus: perpetuò enim tumultuantur gentes, ineunt inter ſe fœdera, conſpirant & coniungunt arma aduerſus eam, & horribili odio ac fremitu contra eam feruntur: imò inter ſe quoque aſſiduè bella gerunt: interea tamen illa manet ſecura & tranquilla: quia, vt ſequitur, Dominus exercituum eſt nobiſcum. Hæc generalis doctrina & cõſolatio continetur in hoc & ſequente verſu: ſed, vt initio monui, loquitur ſimul in ſpecie de aliqua inſigni liberatione, quæ tunc populo Iudaico contigerat. Ea enim erat documentum perpetuæ præſentiæ Dei in ſuo populo. Ideo inquit, Tumultuatæ ſunt gentes &c. hoc eſt magno impetu & fremitu confluxerãt ad hanc vrbem delendam.

Dedit vocem ſuam] Vocem dupliciter accipiunt interpretes. Primùm, interpretantur tonitrua & fulgura, quibus hoſtibus incutit Deus terrorem, vt abiectis armis paſſim diffugiant & latebras quærant: deinde, promiſſiones, quibus teſtatur Deus ſe aſſiduum fore eccleſiæ cuſtodem.

Liquefacta eſt terra]Scilicet perculſa timore & metu. Terram autem nominat hoſtes,qui totam penè terram oppleuerant præ multitudine.

8 Iehoua exercituum nobiſcum: arx nobis Deus Iacob,Selah.

Rurſus adiicit rationem cur hoſtium vires nihil poſſint aduerſus eccleſiam. Quod autē antea dixerat, *Dominus in medio eius*,id ſinguli nunc ad ſe accommodent.

Nomen משגב arcem ſignificat ſublimem,& hoſtibus inacceſſam. Verbum enim vnde formatur,ſignificat excelſo loco, adeóque tuto,aut natura loci munito,conſiſtere.

9 Venite,videte[*conſiderate*]opera Iehouæ: quas poſuerit ſolitudines in terra.

Conſolationi addit παραίνεσιν,quia vniuerſam eccleſiam inuitat,vt miranda Dei facta in euerſionibus regnorum, & interitu hoſtium eccleſiæ conſiderent,Deique bonitatem quam in aſſidua defenſione & gubernatione eccleſiæ oſtendit,grato animo celebrent. Hac verò adhortatione piorum ſocordiam tacitè obiurgat,qui opera Dei non tanti æſtiment quanti par erat:imò totum ferè mundum ingratitudins arguit. Multi enim,ſi qua ſalus eccleſiæ contingit,fortunæ adſcribunt,& caſu id fieri opinantur:alij exiſtimant,ſua prudentia atque induſtria res tantas ſe conficere : nonnulli ad medias cauſſas transferunt. Hos redarguens hortatur omnes vt Deo ſalutē eccleſiæ adſcribant,ipſique ſoli acceptum referant,quòd inter tantos regnorum tumultus & hoſtium potentiam,eccleſiā ſeruat incolumem. Simul autem monendi ſunt auditores,prophetam reſpicere his verbis ad hiſtoriam illius temporis,quę occaſionem præbuit ſcribendo pſalmo. Nam quia inſigni miraculo vrbs Hieroſolyma liberata erat obſidione , & hoſtes paſſim per totam terram horribili cæde ac ſtrage iacebāt diſiecti,pios quaſi ad ſpectaculum educens,iubet eos hæc opera Dei aſpicere,atque ex hoc ſpectaculo diſcere quāta ſit Dei potentia,quam in deletione hoſtium oſtenderit, & quantus amor erga hunc populum, quum aſſiduè pro ſuorum ſalute ſit in excubiis. Hæc enim nominantur opera Domini.

Solitudines]Videtur nominare illam multitudinē cadauerū quæ paſſim terrā opplebant,& fœdabant,vt iam nō ampliùs videretur terra culta,ſed ſolitudo. Interea omnium regnorū euerſiones atque interitus quouis tempore iubet nos cōſiderare,in quibus tamē Deus mirabiliter ſeruat eccleſiam. Nulla enim fuit vnquam in genere humano tanta potentia quæ non leui momento ſit euerſa:idque docent tot regna & monarchiæ hactenus euerſæ:ſola eccleſia,quæ nihil habuit armorum aut præſidiorum,manſit durabilis vſque ad hanc ætatem,& manebit deinceps inuitis diabolis,&c.

10 Ceſſare facit prælia vſque ad extremum terræ:confringit arcum,& præcîdit(concîdit) lanceam [*haſtam*,]currus exurit igni.

Hoc eſt, qui profligatis & deletis hoſtibus reſtituit pacem & tranquillitatem ſuæ eccleſiæ. Hac cogitatione exuſcitate vos, vt deinceps quoque firma fide expectetis & petatis defenſionem & liberationem, ſi quando periculū ingruat:quod enim tunc fecit,idem perpetuò præſtabit ſuæ eccleſiæ.

11 Quieſcite, & cognoſcite quòd ego ſum Deus:exaltabor in gentibus, exaltabor [*inquam*] in terra.

Poſtquam pios hortatus eſt vt aſſiduam Dei præſentiam in eccleſia ſua ex illis exemplis liberationis agnoſcant & intelligant(ille enim vſus eſſe horum exemplorum debet)nūc ſermonem cōuertit ad hoſtes populi Dei, qui confiſi ſua potentia & viribus audacter inſultant eccleſiæ, eámque quibus poſſunt artibus & viribus premunt & perſequuntur : nec cogitant interea, ſe Deo bellum inferre, ſed tantùm ſibi negotium eſſe cum hominibus. Horum rabiem atque intemperiem vt compeſcat & refrænet, vtque oratio plus habeat vehementiæ,Deum ipſum loquentem inducit. Primùm autem iubet eos quieſcere, id eſt, omittere illos conatus & ſtudia, & deponere illos furores quibus in eccleſiam ſęuiunt: quia ſcilicet fruſtra cum Deo bellum geratur. Addit enim rationē à ſua potentia.

Ego exaltabor inter gentes] Id eſt,mea potentia non extendit ſe tantùm ad populum Iudaicum, nec eſt incluſa anguſtis finibus huius terræ : ſed complectitur totum mundum : neque quidquam eſt quod meo imperio ſit exemptum. Alij ſermonem hunc non ad hoſtes eccleſiæ,ſed ad populum Dei dirigi exiſtimant,& iudicant taxari diffidentiam,trepidationem & πολυπραγμοσύνην plurimorum in ærumnis & calamitatibus,ac præcipi tolerantiam coniunctam cum fiducia & ſpe auxilij diuini,vt ſit hæc ſentētia:*Vacate*:id eſt,patienter tolerate impoſitas ærumnas,nolite fremere aduerſus Deum:deinde,non accerſite vobis vltro pericula ſine vocatione,nolite diſcurrere ad præſidia quærenda, aut inconceſſa, aut iniuſto ordine, ſed acquieſcite in Deo & expectate liberationem.

Exaltabor] Id eſt, Ego volo conſpici teſtimonia meæ præſentiæ etiam à gentibus.

12 Iehoua exercituum nobiſcum: arx [*eſt*] nobis Deus Iacob,Selah.

Poſtremus verſus eſt epiphonema: quod eſt teſtimonium de perpetua Dei præſentia in eccleſia, & animos contra furores hoſtium confirmat.

PSALMI XLVI.
PARTES.

I. Propoſitio continens duo capita. 1. Præſentiſſimæ Dei beneficentiæ erga Eccleſiam , v. 2. Eſt enim Deus aſylum , robur & auxilium præſentiſſimum in anguſtiis. 2. Fidei noſtræ in eum conſtantiſſimæ,v.3.& 4.

II. Exornatio propoſitionis,à v.5. ad 9. vſque , à conſideratione periculorum, fiducia Eccleſiæ, quæ eſt ciuitas, templum, & domus Dei, patris familias & feſtini protectoris ſuorum in horrendis motibus & impiorum ſtudiis cruentis.

III. Hortatio ad omnes vt 1. opus Dei obſeruent , v.9.& 10. 2. deſinant maledicere , ac ex operibus mirandis in ſuorum gratiam agnoſcant, v.11. 3. Fideles tandem eius prædicantes audiant, eodem verſu.

IIII. Concluſio amœbea, v. 12. vt & 8. tum ad maiorem emphaſin, tum ad gloriæ Dei ardentiorem celebrationem hac repetitione pios excitans.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Hortatur fideles Propheta, vt ſe intrepidè in Dei tutelam committant , nec dubitent , eo cuſtode & ſalutis ſuæ vindice freti, contra omnes hoſtiles inſultus perpetuo ſe fore ſaluos:quia proprium eius munus ſit omnes motus ſedare.

2 Quum extollitur Dei potentia & bonitas erga ſuos, prōptumque eius laudatur auxilium , ideo fit , ne in rebus aduerſis aliò circumſpiciamus,ſed vna eius protectione ſimus contenti:& certè nulla trepidandi cauſa nobis eſt, quum Deus ſemper ad nos liberandos paratus ſit,& quidem inuicta potentia inſtructus.

3 Hæc vera eſt & legitima ſpei probatio , vbi ſcilicet rebus ita confuſis , vt propemodum videatur cælum ruere,terra loco moueri, & montes dehiſcere à radicibus, ſtamus tamen tranquillis & ſecuris animis:tunc enim Dei potentiæ iuſtum honorem deferimus.

Quicquid piis accidat , nunquam terrore obruuntur , ſed potiùs vires colligunt,quæ ſufficiunt ad placandum terrorem.

4.5. Inter horribiles impiorum tumultus & turbas, quibus cælū terræ miſcere ſtudent,hilariter ac placidè quieſcet Dei eccleſia.

Hæc eſt fidei contra mundum victoria , vbi ſcilicet è rebus cōfuſis ſic emergit vt creaturis omnibus exitiū minitātib. omnes tamē metus ſuperet,nō quòd pij in periculis rideāt,ſed quia promiſſū ſibi à Deo auxilium pluris æſtimant quàm mala omnia quæ terrorē incutiūt.

Animi magnitudo in ſolo Dei præſidio fundata eſt,vt vere iactare queant qui recumbunt in Deum , non modò ſe impauidos, ſed etiam tutos & ſaluos fore,etiamſi fractus illabatur orbis.

Quanuis Dei auxilium tenuiter in ſpeciem quaſi per riuulos diſtillet,plus tranquillitatis & lætitiæ nobis affert,quàm ſi tota mundi potentia ad nos iuuandos ſimul eſſet coaceruata.

6 Si cupimus Dei manu protegi , danda imprimis eſt opera vt inter nos maneat: quia ex ſola eius præſentia pendet ſpes ſalutis: & ideo ipſe inter nos habitat vt nos præſtet incolumes.

Etſi non

Etſi non ſemper ad nos iuuandos feſtinet Deus pro votorum noſtrorum feruore, ſatis tamen opportunè nobis aderit, vt facilè appareat nunquam dormire, ac ne quidem dormitare eccleſiæ cuſtodem. Pſalmo 121.

7 Quanuis totus mundus contra nos inſurgat, & veſano feruore omnia perturbet, poteſt momento redigi in nihilum, ſimulac Deus ſe nobis fauere oſtenderit.

8 Quæ paſſim de immenſa Dei virtute prædicat Scriptura, in vſum noſtrum accommodare licet, ſi perſuaſi ſimus ex eorum nos eſſe numero quos Deus paterno amore amplectitur & fauore dignatur: & hinc gloriandi fluit fiducia quòd nos in peculiarem populum delegit, vt virtutem ſuam ad nos ſeruandos exereret. Colligimus etiam miſere eos vagari in Scriptura, qui in aëre ſuſpenſum relinquunt quicquid de potentia Dei prædicatur: nec ſtatuunt ſibi fore in patrem eum qui credentibus gratiam ſuam liberaliter offert.

9 Debent ante oculos nobis verſari documenta gratiæ Dei, quæ reipſa exhibuit in nobis ſeruandis, vt promiſſionum fidem in animis noſtris ſanciant.

Non fruſtra omnes homines accerſuntur vt Dei opera reputẽt: ita enim accuſantur quòd in Deo ſpem ſalutis minimè reponunt, quia vel ignaui ſunt vel maligni in conſiderandis eius operibus. Et fideles ipſi torpent ac frigent, donec ſeriò excitentur à Dei Spiritu.

10 Multiplex Dei virtus nobis depingitur & ad viuum ponitur ob oculos, vt toto mundo tumultuante pacem ab eo ſperemus.

11 Dum impij exhibent piis moleſtias, bellum ſe Deo inferre non cogitãt: ideo vel ſeruorũ ſuorũ voce, vel arcanis motibus impiorum furores coercet, eóſque iubet ſilere ac eius intueri potentiam omnibus in locis extenſam, quò ſe vbique glorificet, eóſque frangat ac minuat in puluerem, ſi in ſuperba ſua contumacia & violentia pergere conantur.

12 Deus ſatis ſupérque viribus & armis inſtructus eſt ad ſeruandam, quam adoptauit, eccleſiam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Dei omnipotentia quomodo conſideranda.
2. Eccleſiæ conſtantia inuicta, aduerſus quam inferorum portæ nihil poſſunt.
3. Nomina Eccleſiæ, ſublimia: vt quæ ſit ciuitas, templum, domus Dei.
4. Conſeruatio Eccleſiæ inter mundi ruinas, vnde.
5. Piorum diligens circumſpectio, impiorum autem cæcitas.
6. De vocatione gentium.

ARGVMENTVM PSALMI XLVII.

HIC Pſalmus ἐπινίκιον eſt, ſeu carmen triumphale. Continet enim vaticinium de Chriſti regno, cuius amplitudinem & gloriam dicit non vnico iſto angulo terræ Iudaicæ tantùm debere aut poſſe concludi, etiamſi ad tempus ſedes eccleſiæ & ſanctuarium ibi fuerit conſtitutum: ſed ſpargendam eſſe in vniuerſas orbis nationes: ita vt inter gentes quoque illa fiat conſpicua. Futurum enim inquit vt ſparſa euangelij voce per totum orbem terrarum, gentes ad ſocietatem eccleſiæ inuitentur & adiungantur, & reges & principes vnà cum filiis Abrahæ verum Deum agnoſcant, eíque ſe ſubijciant. Hanc immenſam Dei bonitatem, colligentis ſibi eccleſiam in toto genere humano, & donantis eam perpetua iuſtitia & vita, ſublato peccato, morte, tyrannide diaboli, & calamitatibus, vult agnoſci ab omnibus hominibus, & perpetuis laudibus celebrari. Ideo initio hortatur omnes homines vt ad conſiderationem tantæ bonitatis & potentiæ huius regis Meſſiæ, quam in conſtitutione, propagatione ac conſeruatione huius regni oſtendit, in laudes Dei erumpant, ipſique veros ac gratos cultus præſtent. Hæc ſumma eſt pſalmi.

Occaſionem autem eius ſcribendi exiſtimant Iudæi ſumptam eſſe ab aliquo typo ſeu feſtiuitate, quæ celebrabatur quando templum fuit dedicatũ, & arca fœderis in ſanctuario collacata, 3. Reg. 8. 2. Paral. 5. & 6. Quam rem ſeu cæremoniam ita voluit conſiderari Spiritus ſanctus, ne in illo nudo ſpectaculo conſiſterent ſpectatores, aut exiſtimarent regnum & gloriam Dei vnico iſti templo ſeu ſanctuario eſſe incluſam, aut etiam anguſtis terræ Iudaicæ limitibus eſſe circunſcriptam & comprehenſam, ſed vt altiùs animos attollerent, & perpetuum ac longè latéque paulo poſt in omnem terram propagandum regnum hoc typo adumbrari intelligerent. Hæc vtrum fuerit occaſio ſcribendi pſalmi non curioſè diſputo, neque enim ad rẽ multum lucis affert. veriſimile tamen eſt, atque adeo oratio ipſa docet, ad ſolennem aliquem conuentum hunc pſalmum fuiſſe deſtinatum, in quo populum de his tantis rebus, de Chriſti ſcilicet regno perpetuo, ac beneficiis æternis Spiritus ſanctus voluit admoneri. Non enim cõueniebat populus ad nudas cæremonias, vt nunc ferè fit in regno pontificio: ſed præmittebatur aliqua pars doctrinæ & explicatio, & admonebantur de veris cultibus, qui ſunt ſpirituales: ideo hîc iubet eos pſallere ſapienter. Itaque plerique pſalmi hac occaſione ſunt compoſiti.

1 AD triumphandum, filiorum Corah pſalmus.

2 Omnes populi plaudite manu: pſallite [*iubilate*] Deo in voce exultationis.

Propoſitio pſalmi continet adhortationem, vt hunc regem agnoſcentes eius potentiam & bonitatem, quã in collectione ſuæ eccleſiæ, in amplificatione & perpetua conſeruatione regni ſui oſtendit, perpetuis laudibus celebrent, ſeque ciues eſſe huius regni lætentur. Nullum enim maius contingere nobis beneficium potuit, quàm quòd ad ſocietatem huius regni vocamur, & quòd, vt in verſu quinto dicitur, eligimur vt ſimus hæreditas æterna. Hæc itaque cogitatio maximam parit lætitiam acquieſcentem in Deo: de qua Paulus loquitur, Regnum Dei eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Hanc verò interiorem animi lætitiam accenſam à Spiritu ſancto iubet ſuos voce & geſtibus etiam declarare, vt magnitudinem huius gaudij ſpiritualis declaret.

Omnes populi] Non tantùm alloquitur Iudæos, ſed omnes populos: quia ſcit paulo pòſt propagatum iri hoc regnum in vniuerſum orbem: & quòd iubet gentes lætari, ſignificat hoc regnum non conſtitui eo modo ſicut alia huius mundi regna. Ea enim non ſine multa cæde & ſanguine parantur, & afferunt ſecũ onera & calamitates multiplices, euerſiones & diſtractiones familiarum ac bonorum, ſeruitutem triſtem & alia mala multa. Itaque nemo ferè eſt, præſertim ex ſubditis, qui magnopere in mutationibus regnorum lætetur: omnes potiùs exhorreſcunt, trepidant ad nouam potentiam exorientem, obruuntur deſperatione, & fremunt aduerſus ſuũ principem, cui formidine pœnæ obtẽperare coguntur. Sed Chriſti regnum ita conſtituitur vt omnes lætentur: ergo regnum hoc aliud eſt à regnis huius mundi: non eſt formidabile, non affert ſecum triſtẽ ſeruitutem, aut alia mala: ſed perpetuam libertatem & ſalutem. Inde igitur illa lætitia exiſtit in ærumnis piorum.

3 Quoniam Iehoua excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.

Addit rationes quare velit omnes lætari. Primùm, quia hic rex eſt excelſus, cuius ſcilicet potentia ſuperat omnem creaturarum potentiam & robur: priùs quidẽ habita illa fuit contemptui, cùm quaſi in vnico terræ angulo deliteſcere aut circunſcripta eſſe crederetur: ſed poſthac propagato & amplificato ſuo imperio, oſtendet ſe excelſum, qui dominetur morti, tollat peccatum, reprimat diabolum, & ipſius organa, ne nocere eccleſiæ poſſint. imò quicquid eſt ſublime in mundo, ipſe deprimet, & oſtendet ſe excelſiorẽ, vt dicitur Ieſa 2. Nominatur autem rex Iehoua: quæ appellatio Dei propria eſt, eúmque ab omnibus creaturis & idolis diſcernit. Eſt igitur in hoc Meſſia, cuius regnum deſcribitur, natura diuina. Idque obſeruandum eſt contra eos qui contendunt, nomen Iehoua non tribui Meſſiæ. Teſtantur autem ipſi etiam Iudæi, hunc pſalmum concionari de Meſſia.

Terribilis] Hoc epitheton non ita accipiendum eſt quaſi

tyrannica violentia ac truculentia, atque oſtentatione potentiæ & armorum, terrorem incutiat miſeris hominibus quibus imperat: alioqui enim non exhilararet, ſed mœrore opprimeret. Vox igitur hæc ad inimicos referenda eſt. His eſt terribilis, primùm diabolis, qui ad nomen eius expaueſcunt: ſciunt enim ſuam potentiam & opera ſua ab hoc rege deſtrui: deinde hominibus impiis & contumacibus, qui oppugnare hoc regnum & conuellere in hac vita non deſinunt. Hoc igitur ſolatij plenum eſt.

Rex magnus ſuper omnem terram] Tertium epitheton, ſeu deſcriptio potiùs, diſcernit Chriſti regnum ab omnibus regnis huius mundi & imperiis. Nullum enim imperium aut monarchia totum orbem terrarum eſt complexa: ſolum Chriſti regnum extendit ſe per totum orbem. Colligit enim ſibi eccleſiam Chriſtus ex toto genere humano, eámque mirabiliter regit & defendit contra furores diaboli & hominum. Nec vlla eſt tanta potentia quæ euertere hoc regnum poſſit. imò alia regna euertuntur variis caſibus: hoc verò manet perpetuò, vt præcedente pſalmo dictum eſt.

4 Ordinauit (*in ordinem redegit*) populos ſub nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.

Quarta ratio: quia propagata & ſparſa euangelij voce facit vt vna nobiſcum cæteræ gentes obediant eius verbo, ipſúmque colant. Iudæi hîc ſomniant regnum aliquod politicum, & fingunt, Meſſiam, vbi venerit, occupaturum eſſe vniuerſa regna huius mundi, & diſtributurum inter ſuos prouincias. Sed hæc ſomnia refutat primùm Grammatica, deinde orationis circunſtantiæ. Nam חרביר non ſignificat armis domare vel ſubiicere, ſed perſuadendo ad obedientiam flectere, vel potiùs decernere & iubere, vt populus ſubſit & aliorum poteſtati ſe ſubiiciat. Tale igitur eſt reginem in eccleſia, quod conſiſtit in voce miniſterij ſeu doctrina. Deinde cùm iubeat initio pſalmi omnes lætari, non poteſt hoc de ſeruili aliqua ſubiectione intelligi: neque enim qui vi aut metu coacti ſeruiunt, præ gaudio exultant. Neceſſe eſt igitur de tali obſequio hæc intelligi, vbi animus verbo flectitur ad ſpontaneam obedientiam, qua, vt Paulus inquit, mentes redigimus in captiuitatẽ & obſequium Chriſti. Hæc obedientia adeo non eſt moleſta hominibus piis, vt eam omnibus mundi regnis & potentiæ præferant. Valeāt igitur ſomnia Iudæorum, quæ ex carnis affectib us nata, miſeros homines eò abducunt, vt in ſuis ſordibus contabeſcentes, nunquam ad regni illius æterni ſocietatem perueniant.

Quod autem inquit futurum vt Iudæis in obſequium redigantur gentes, id intelligatur iuxta dictum Ieſa. 2. Ex Sion exibit Lex. Et pſal. 10 Sceptrum regni tui emittet Dominus ex Sion. Item Matth. 8. Venient ab oriente & occidente, & accumbent cum Abrahamo, &c. Iudæi enim ſunt oliua naturalis, in quam gentes inſeruntur. Rom. 11. Et vſq; ad Chriſti aduentum fuerunt doctrinæ cuſtodes. Poſtquam igitur miniſterio Apoſtolorum & aliorum, qui ex Iudæis erant conuerſi, ſparſa eſt doctrina inter gentes, illæ præbuerunt ſe Iudæis dociles ac morigeros, & paſſæ ſunt ſe ab eis doceri ac regi. Illud igitur imperium ſignificatur quod conſiſtit in verbo & doctrina, quam à Iudæis gentes hauſerunt.

5 Selegit nobis hæreditatem noſtram: gloriam Iacob quem dilexit, Selah.

Quinta ratio ſumitur à peculiari amore quo proſequutus eſt Deus hunc populum, quòd videlicet excerptum ex reliquo genere humano, voluit eum ſibi eſſe peculium. Hāc prærogatiuam dicit omni laude & celebratione dignā eſſe. Quid enim magis glorioſum eſſe potuit quàm homines obſcuros & ignobiles poſthabito toto mundo adoptari à Deo, & in hæreditatem filio attribui, vt participes & conſortes eſſent omnium bonorum cæleſtium? De hac igitur hæreditate loquitur cùm inquit, Selegit nobis hæreditatem noſtram: id eſt nobis ſelectis & adoptatis repoſuit & attribuit illam hæreditatem præſtantiſſimam, cum qua nullæ mundi opes comparari poſſunt, nimirum ius & poſſeſſionem regni cæleſtis. Huius verò poſſeſſionis, tanquam pignus & arrha erat poſſeſſio terræ Canaan. Ideo de illa principaliter nunc loquitur.

Gloriam Iacob] Nominat eandem rem per appoſitionem. Hac enim adoptione & attributione cæleſtis hæreditatis extulit Iacob & ipſius poſteros in ſummum honoris & dignitatis gradum, ita vt gloriari poſſent ſe dignitate præſtare omnibus aliis gentibus, quia peculiariter eſſent à Deo ſelecti. *Gloriam Iacob*: hoc eſt, quæ eſt materia gloriæ huius populi, vt nō tantùm celebretur ab aliis paſſim in toto orbe, ſed vt ipſe etiam gloriari de ſua dignitate poſſit.

Cæterùm hic ſciendum eſt, illam prærogatiuam quam ad tempus habuerunt Iudæi, vt dicerentur peculium Dei, & illud diſcrimen ſublatum eſſe poſt Chriſti aduentum in carnem. Nam omnes credentes ſunt hæredes regni cæleſtis, & parta eſt per Chriſtum nobis omnibus illa gloria qua initio Iacob & eius poſteri erant ornati, vt dicerentur populus Dei. Non enim filij carnis ſunt filij Dei, ſed filij promiſſionis reputantur in ſemine, vt inquit Paulus.

Quem dilexit] Relatiuum cauſam huius dignitatis & gloriæ, quæ Iacobo & ipſius poſteris eſt attributa, ſimul comprehendit. Non enim ſuis meritis hoc obtinuit Iacob vt ad tantam dignitatem eueheretur, atque ea glòria, quam dixi, ornaretur, ſed totum hoc beneficium ex gratuito Dei amore proficiſcitur, quo eum ſibi delegit.

6 Aſcendit Deus in [*cum*] iubilo: Iehoua in voce tubæ.

Hic verſus occaſionem præbuit nonnullis, non tantùm Iudæis, ſed etiam noſtratibus, vt exiſtimarent hunc pſalmum decantatum eſſe quando ſub Salomone arca fœderis ingenti cum gaudio, clamore, iubilatione, tubis & reliquis muſicis inſtrumentis in templum collocata eſt: qua de re ſupra dictū eſt in argumento. Nam Deum & Iehouam hoc loco intelligunt arcā teſtamenti, quę dicitur Deus & Iehoua, non quòd Dei eſſentia vel maieſtas eſſet incluſa arcæ, aut quòd virtus eius huic ſymbolo extra verbum eſſet alligata: ſed quia ſymbolum & teſtimonium erat præſentiæ in hoc populo. Ideo, quod vſitatum eſt, nomen rei ſignatæ transfertur ad ſignum. Itaque & in Numeris, quoties arca leuaretur, clamabant, Surge Deus: cum verò reponeretur, Reuertere Deus in requiem tuam. Ita alibi, vt Exod. 17. altare dicitur, Iehouæ vexillum, non quòd in res corporeas transformetur Deus, aut his includatur, ſed quia illę res incurrentes in oculos, teſtimonia erāt & σφραγίδες præſentiæ Dei, & μνημόσυνα peculiaris patefactionis. Ad hunc igitur, quem dixi, ritum veriſimile eſt alludere prophetam, vt, aſcendere Deum, ſignificet arcam fœderis in locum excelſum transferri cum iubilo & triumpho: qua de re iterum dicetur pſalmo 78. Sed interea ſciendum eſt, hanc cæremoniam, vt reliquas omnes populi Iudaici, vmbrā tantùm fuiſſe rerum futurarum, & per aſcenſum arcæ ſignificari Chriſti aſcenſum ſupra cælos: poſtquā deuicto diabolo, morte & peccato ingreſſus eſt in gloriam ſuam, exaltatus ſupra omnes creaturas, & nomen adeptus, quod eſt ſupra omne nomen, ſubiectis & ſubiugatis ſibi omnibus populis per vocem euangelij, qua hæc gloria regni Chriſti per vniuerſum orbē ſpargitur & propagatur, & populi ad hanc vocem paſſim cōcurrunt, & duci atque victori ſuo, partim voce, partim cantu tubarum felicitatem hanc admirabilē & planè diuinam gratulantur. Iterum autem Chriſtus hoc loco nominatur Iehoua, vnde euincitur, hunc verum eſſe Deum, non aſcititiū aut παρείσακτον, vt Eunomius volebat. Iudæi, qui nihil in Chriſto niſi terrenum & carnale imaginantur, referunt hunc aſcenſum ad futuram reductionē arcæ in ſanctuarium, vbi fuerat olim. Somniant enim nouum regnum politicum in Meſſia, à quo fingunt arcam reſtituendam eſſe in ſuum locum, magno cum gaudio & tripudio.

7 Pſallite Deo, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite.

Repetitio eſt promiſſionis, quæ continet adhortationem vt Dei laudes decantent, eúmque propter conſtitutum & cōfirmatum hoc regnum celebrent. Repetitio autem eiuſdem verbi ſignificat aſſiduè Dei laudes eſſe canendas & cum magna alacritate. Non enim ſatis eſt ſemel atque iterum & quidem perfunctoriè, vt monachi faciunt, laudes Dei recitaſſe, &c.

8 Quia rex vniuerſæ terræ Deus: pſallite intelligenter.

Addit rationem qua ſimul hoc corrigit quod antea dixerat, *Regi noſtro*. Non tantum, inquit, eſt rex populi Iudaici, quanquā ius & honos primogeniturę nobis debetur, ſed propagabitur eius regnum in vniuerſum orbem, & omnes terrarum nationes complectetur, erítque deinceps multo nobilius regnum quàm nunc eſt ſub legis vmbris & figuris. Itaq; hoc nomine maximè celebranda eſt eius virtus & potentia.

משכיל Videmus ſingulare poſitum eſſe pro plurali לים
משכי vt ſententia ſit, Pſallite intelligentes: vel, quod eſt vſitatiſſimum, nomen ſingularis numeri adiectum verbo plurali, accipitur diſtributiuè. Pſallite quilibet intelligens, aut quicunque ex vobis eſt intelligens: vel certè dicendum nomē participiale degenerare hoc loco in aduerbium. Primùm autem hæc vox referenda eſt ad ſcientiam artis muſicæ, vt omnem ſuam induſtriam & artem in pulſandis chordis oſtendant: *ſie ſollen jre kunſt hoeren laſſen*. Deinde ad animū refertur, & oſtendit quos cultus præcipuè poſtulet Deus. Non enim capitur Deus illa harmonia muſica, ſicut aures noſtræ hac delectantur, aut inani ſono, qui aerem verberat: nec coli vult tantùm lingua aut labiis: ſed requirit cor, vt inquit Ieſaias,

& ſcien-

& ſcientiam quæ prçluceat, & rectrix ſit linguæ in cantando, aut manuum in pulſandis inſtrumentis muſicis. Illa verò cognitio conſiſtit in agnitione verç doctrinæ, in vera fide ac fiducia promiſſionis, in veris exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, atque aliorum cultuum quos Deus requirit. Non igitur ſapienter pſallunt Iudæi, ſomniantes regnum politicum & ignorantes Meſſiam, nec intelligentes quales cultus hic rex requirat, neque hypocritæ qui violant mandata Dei contra conſcientiam, atque interea foris oſtentant vmbram aliquam diſciplinç externæ, multo minus pontificij, de quibus vere dixit Ieſaias, Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

9 Regnat Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſolium ſanctitatis ſuæ.

Repetit hoc quod antea dixerat. Eſt rex vniuerſæ terræ: ídque quaſi declarat, oſtendens ſe de nouo & inaudito prorſus regnandi modo loqui. Hactenus enim regnum eius his anguſtis finibus fuit concluſum, ita vt nuſquam agnoſceretur aut prædicaretur, niſi in terra Iudaica: ſed Chriſtus, inquit, proferet fines huius regni, illúdque ita ampliabit vt totum orbem complectatur. Et regnandi verbum non intelligendum eſt corporaliter, vt Iudæi ſomniant: ſed regnat Chriſtus verbo & Spiritu ſancto, quo in mentibus hominum inchoat nouam lucem, & regenerat eos ad vitam æternam.

Sedet ſuper ſolium] Hoc dupliciter exponitur. Primò, de tabernaculo ſeu templo, quod dicitur ſolium Dei ſanctum: quia Deus ibi reſidebat tanquam cuſtos & præſes populi: vt ſit hæc ſententia, Deum ita gentes reliquas ſibi ſubiicere & imperio ſuo complecti, vt tamen primaria eius ſedes Hieroſolymæ maneat. Inde enim propagata eſt doctrina euangelij, vt nuper dictum eſt ex Ieſaia, & pſalmo 110. Secundo, de cælo, ex quo perſpicuis argumentis & ſignis potentiam & virtutem non tantùm in conſtituendo hoc regno, ſed etiam in tuendo & conſeruando oſtendit. Sicut autem de tabernaculo hoc rectè dicitur: ita μετωνυμικῶς etiam de eccleſia intelligatur.

10 Principes populorum congregati ſunt [*ad*] populum Dei Abrahæ: quia Deo clypei terræ, valde exaltatus eſt.

Amplificat & exornat præcedentem ſententiam à circunſtantia perſonarum: non tantùm populi paſſim in toto orbe terrarum, ſed etiam multi principes omnibus ætatibus adiungentur ad ſocietatem eccleſiæ, & erunt participes vitæ & ſalutis æternæ.

Hic primùm dulcis conſolatio traditur, quæ oſtendit etiã munus principum placere Deo, atque eos quoque ad ſocietatem eccleſiæ & cæleſtium bonorum vocari. Vſitatè dicitur, *Omniũ bonorũ principũ imagines in vno annulo ſculpi poſſe*: quia pauci admodum ſunt qui veræ pietati ac virtuti ſtudeant. Et tamen ex hoc loco manifeſtum eſt, eos non excludi à regno Dei. Deinde, ipſi principes monentur, vt ſe placidè & modeſtè ſubmittant huic regi, & commune iugum ſubeant.

Congregati ſunt] Hæc deſcriptio notanda eſt. Oſtendit enim quomodo Deus hoc regnum inter gentes ſibi acquirat & cõſtituat: non abdicando prorſus Iudęos, aut abolendo fœdus quod cum illis pepigerat: ſed potius nos illis adiungendo, atque ad eorundem bonorum ſocietatem vocando: vt vocatio gentium nihil aliud ſit quam inſitio in familiam & genus Abrahæ. Itaque qui volunt eſſe membra eccleſiæ, & numerari inter filios Dei, eos neceſſe eſt ſe includere huic fœderi quod Deus fecit cum Abrahamo, nec alibi eccleſiam quærere quàm in eo cœtu, in quo ſonat hæc promiſſio facta Abrahæ, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Alij ſic reddunt, congregati ſunt vt ſint populus Dei Abraham: quæ ſententia eodem redit cum priore.

Deo ſcuta terræ] Hoc quidam ſic reddunt, Deus à ſcutis terræ vehementer eleuatus eſt. Alij verbum נעלה legunt in plurali, quoniã Dei ſcuta terræ, vel fortes terræ (vt habet vulgata tranſlatio) vehementer eleuati ſunt. Hi omnes exiſtimant, principes vocari ſcuta terræ, ab officio ſcilicet, quia ſunt cuſtodes pacis & diſciplinæ, defendentes corpora & fortunas ſubditorum, &c. Id videtur non malè quadrare ad cõtextum, quaſi moneret propheta, Deum etiam hos qui aliis dominantur, ſuo imperio ſubiicere & eccleſiæ ſuæ inſerere: ſed phraſis aliud videtur velle: & non tam de principibus quàm de Deo ipſo hæc ſunt intelligenda. Nam hæc phraſis *Deo clypei*, idem valet ac ſi dicas, Deus eſt clypeus, aut præſtat ſe clypeum, hoc eſt, tutorem ac defenſorem totius mundi. & quidem nominat eum clypeos, quia in variis & prope innumeris periculis, quæ aſſiduè ſingulis mundi partibus impendent nóſque circunſtant, multiplici Dei prouidẽtia, tanquã multis clypeis defendimur & ſeruamur. Similes phraſes occurrunt paſſim in Scriptura, vt 1. Sam. 17. dicit Dauid ליהוה המלחמה Domino ſeu Domini eſt bellũ, id eſt, ipſe præliatur, ipſe gerit bellum pro nobis, defendit nos ac depellit hoſtes. Ita ſæpe occurrit in Pſalmis & Prouerb. 20. hæc phraſis ליהוה הישועה Domini eſt ſalus, id eſt, ipſe mirabiliter ſeruat ſuam eccleſiã in ærumnis & periculis Sic לאלהים מגני ארץ Dominus eſt clypei terræ, id eſt, Ille variis modis defendit, regit & ſeruat ſuam eccleſiam, & habet ille ſuperius dominiũ, etiamſi principibus aliquam partem ſui imperij conceſſit. Quamuis igitur excellant opibus & honore in mundo: propterea tamen non debent ſuperbire, ſed ſe & ſua imperia, & ſuam ſapientiam ſubiicere Deo, non tyrannicè dominari in eccleſia, non conſtituere religiones aut cultus pro ſuo arbitrio. Talis eſt antitheſis in hac phraſi, qua conſiderata, ſententia fit illuſtrior & magis perſpicua.

Exaltatus eſt valde] Id eſt, potẽtia ipſius paſſim in toto orbe celebratur à populis & principibus. Nam reliqui exemplo principum inuitati maiore ſtudio & cupiditate amplectuntur doctrinam, & viget ac feruet paſſim pietas, cùm principum animi & voluntates conſentiunt in religione cum reliquis piis, & ipſi liberalitate fouent eccleſias & ſtudia.

PSALMI XLVII.

PARTES.

I. Hortatio ad Iudæos & Gentiles, vt Chriſto aduentanti & regnum ſuum per Euangelij prędicationem inter ſuos ſtatuenti gratulentur, v. 2. Αἰτιολογία hortationis à natura officióque Chriſti, verſ. 3. & effectis regni eius, verſ. 4. 5. Eſt autem hic Iehoua Chriſtus, cui poteſtas omnis in cœlo & in terra data eſt.

II. Deſcriptio regni Chriſti, verſ. 4. 5. cuius duplex effectus. 1. Vocatio gentium in communionem gratiæ, ac velut in Iudæorum caulam, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Ioann. 10. 16. ſoluto ſepto intergerini parietis, & vtriſque in vno corpore reconciliatis Deo per crucem, Epheſ. 2. 14. prout à Noacho (Geneſ. 9. 27.) fuerat prædictum. 2. Vocatio electorum Dei ex Iudæis & Gentibus ad vitam æternam. Etſi enim in vita præſenti in vnum ouile cogimur, tamen ille longè melius nobis proſpicit, comparans hæreditatem incorruptam, quæ nec contaminari poteſt, nec marceſcere, nobis ſeruata in cœlis, 1. Petr. v. 4.

III. Propoſititio depingens humanitus & typicè gloriam illam in quam re vera Chriſtus aſcendit tradito Euangelio, vt victor triumphans, v. 6. 7. Αἰτιολογία hortationis, v. 8. cuius deſcriptio ſubiicitur, tum à maieſtate ipſius, verſ. 9. tum à fidelium ſe illi ſiſtentium obſequio, verſ. 10. Cauſæ autem ad finem verſ. 10. adduntur, cur pij ad Chriſtum confugiant: 1. potentiſſima adminiſtratio regni: 2. ſumma eius gloria.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 Quatuor præcipui ſunt in hoc pſalmo loci doctrinæ. I. Ardenti zelo quærendam eſſe Dei gloriã. II. Oportere fideles omnes, præſertim principes & magiſtratus, ſollicitos eſſe publici ſacri miniſterij ſtabiliendi ac amplificandi. III. Ingẽs illud inter populum à Deo

ſelectū & reliquas gentes diſcrimē, à ſola Dei miſericordia proficiſci.
IV. Gentes, quæ ante Chriſti reſurrectionem Dei cognitione nō fruebantur, huius eximiæ beneficentiæ tandem fore participes.

2.3 Quum ſpecimen huius regni, quod nunc prædicatur, à Deo fuiſſet editū ſub Dauide, quanquā paulò pòſt ſequuta eſt triſtis & ferè pudenda imminutio, deinde grauiſſima clades, & tandē miſerrima diſperſio quæ ab interitu parū diſtabat: Spiritus ſanctus fideles ad cōtinuadū plauſum hortatus eſt, donec veniret promiſſus redemptor.

4 Quanuis Iudæi, quo tempore in lucem emerſit Chriſti regnum, miſerè & probroſè profanis gentibus ſeruierint, fuerintque veluti illarum mancipia, verè tamen & meritò imperiū illis tribuitur: quia Deus virgā virtutis ſuæ emiſit ex Sion: & quū Iudæi eſſet legis cuſtodes, munus eorū fuit eius authoritate gētes frænare: quia nō aliter ſub Dei obſequium collectus fuit reliquus orbis, niſi dum homines ſpiritu Dei renouati, vltro ſe præbuerunt Iudæis dociles ac morigeros, ſeque paſſi ſunt eorum magiſterio regi.

5 Quicquid ſuis electis peculiariter cōfert Deus ſupra alios, paterno eius amori adſcribere debent, quia eos ſibi in gregem elegit. Neque gratia iſta ad omnes patet, ſed priuilegium eſt quo paucos à maiori numero diſcernit.

6 Sub vmbratili legis cæremonia alium aſcenſum propheta commendat, nempe dum Chriſtus ſupra cœlos omnes euectus mundi totius imperium adeptus eſt, cæleſtique virtute inſtructus ſuperbiam omnem & altitudinem ſubiugauit.

7 Cauſa fidelibus ſuppetit cur alacriter Dei laudes perſonare debeant, quando certò ſciunt præſentem ſibi adeſſe, ac ſi inter eos regale ſoliū locaſſet. Sunt autem hodie in Chriſtiana eccleſia verbū Dei & ſacramenta, à Dei filio inſtituta diuinæ præſentiæ teſtimonia.

8 Longè nobilius fuit Dei regnum aduentu Meſſiæ, quàm ſub Legis figuris: quia propagatum fuit in vltimos terræ fines: ideo ἐμφατικῶς quinquies repetitur verbum, Pſallite.

In canendis Dei laudibus requiritur vera intelligentia, ne vano clamore (vt ſub antichriſti tyrānide factū eſt) nomē Dei profanetur.

9 Quum toties dicatur Deus ſuper gentes regnare, colligimus de nouo & priùs inaudito regnandi modo haberi ſermonem: ſubaudienda enim eſt antitheſis inter legis tempus quo Deus imperium ſuū continuerat intra Iudææ limites, & Chriſti aduentum quo illud per vniuerſum orbem ampliauit.

Deus manum ſuam exerens ad homines ſub obſequium ſuum cogendos, palam oſtendit ſe ex ſolio cæleſti dominari ſupra homines: & niſi propinquis ac claris ſignis virtutem ſuam demonſtret, mundi gubernator non agnoſcitur.

10 Quum illuxit euangelij doctrina, non abduxit Iudæos à fœdere quod pridem Deus cum illis pepigerat, ſed potiùs nos illis adiunxit: nec aliter cenſemur inter Dei filios, niſi quia inſiti ſumus in genus Abrahæ. Atque ipſis principibus nihil ad ſummam felicitatem potius eſſe debet aut poteſt, quàm vt ſe ad veteres illos veróſque Abrahæ filios aggregent.

Nulla carnis dignitas tributa eſt Iudæis quæ in ipſorum perſonis reſideret: ſed tota eorum præſtantia inde pendebat quòd purus Dei cultus & cæleſtis doctrina inter ipſos haberet locum.

Quicunque inter Dei filios numerari volunt, debent locum in eccleſia quærere, vt fraternam charitatem cum piis omnibus colant.

Vnitas eccleſiæ non aliunde eſt æſtimanda quàm ex ſincero ad obſequium verbo Dei præſtandum conſenſu, vt ſit vnius ouilis vnus paſtor.

Qui opibus & honore excellunt in mundo, depoſita omni ſuperbia debent modeſtè & libenter commune iugum ſubire, vt ſe obſequentes eccleſiæ filios probent.

Quia mundus protegitur ſeruatúrque ab vno Deo, tanta potentia & prouidentia, quæ clypeorum multorum vice ad tam arduam cuſtodiam ſufficit, meritò & cum admiratione ſuſcipienda eſt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Vocatione Gentium ad Chriſti cognitionem & fruitionem.
2. De regno Chriſti in eccleſia militante & triumphante.
3. Electio Dei, ex Iudæis & Gentibus quoslibet gratuitò vocantis.
4. De aſcenſione Chriſti in cœlum typicè adumbrata.
5. De cura miniſterij ſacri ad quoſuis pios, pro ratione ſuæ vocationis pertinente.
6. Alii alios in vera religione inſtituere debent.
7. Obſequium voluntarium Deo præſtandum.

ARGVMENTVM PSALMI XLVIII.

IDEM eſt argumentum huius pſalmi quod quadrageſimi ſexti. Nam & hic celebrat victoriam quandam, quæ huic populo, diuino beneficio contigerat, hoſtibus qui Hieroſolymam oppugnabant, diuina virtute ab vrbe reiectis & deletis, & cultu ac miniſterio doctrinæ, quod illi delere conabantur, ſeruato. Hanc victoriam cùm intelligat populus non humanis viribus eſſe partam, ſed diuinitus vrbem eſſe ſeruatam, gratias Deo agit, qui his admirandis liberationibus oſtendat & teſtetur, ſe aſſiduè adeſſe ſuo populo, ſe curare, regere & defendere eos quos ſemel in ſuam tutelam recepit. Pertinet autem illa doctrina non tantùm ad ciues vrbis Hieroſolymæ: ſed ad eccleſiam omnium ætatum & temporum. Nam ſicut tunc illa vrbs mirabiliter à Deo eſt defenſa & ſeruata contra hoſtium furores & impios conatus: ita eccleſia perpetuò ſeruatur à Deo, etiamſi totus mundus in eius perniciem conſpiret, iuxta promiſſionem, Matth. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Hæc ſumma eſt pſalmi. Additur autem, vt in poemate, deſcriptio ſeu elogium, quo felicem vrbis Hieroſolymæ ſtatum extollit & commendat, eámque omnibus aliis regum arcibus & palatiis præfert. Etſi enim, ſi externa ædificia ſpectes, aliorum regum & monarcharum ædes fuerunt longè ſplendidiores atque ornatiores (ſcimus enim quantos ſumptus ea in re fecerint & faciant etiam hodie) tamen nunquam ad eam magnificentiam ac dignitatem ſunt elatæ, propter quam arx Sion & vrbs Hieroſolyma, quæ ei adiacebat, hoc loco celebrantur. Ibi enim non tantùm rex huius populi, ſed Deus ipſe quaſi ſedem ſuam collocauerat: ex qua prodiens, ſe populo Iudaico patefecerat, ſéque ibi agnoſci & inuocari & coli volebat, ac ſubinde teſtimonia ſuæ præſentiæ edebat in admiranda defenſione ac liberatione huius populi. Hæc dignitas tanta fuit vt nulla alia cum ea comparari poſſit. Ideo vrbem Hieroſolymam & arcem Sion nominat gaudium vniuerſæ terræ. Erat autem, vt antea monui, Hieroſolyma, imago & typus eccleſiæ omnium temporum: quare quæ de hac vrbe hoc loco & alibi dicuntur, ea omnia ad eccleſiam ſunt accommodanda, vt rurſus in interpretatione monebimus. In fine pſalmi additur præceptum, quod iubet ſingulos amare, magnifacere, iuuare & ornare eccleſiam, vt quæ Deum habeat præſidem, gubernatorem ac defenſorem: & imprimis iubet eos operam dare vt doctrina vera & cultus ſincerus ad poſteritatem propagetur.

Cæterùm de occaſione aut hiſtoria, quam autor in hoc pſalmo celebrat, cùm in titulo nulla huius fiat mentio, difficile eſt aliquid aſſeuerare, nec ego curioſè inquirendum iudico. Exiſtimant tamen nōnulli celebrari illa quæ tempore regis Achab acciderunt, quando obſidio vrbis in ſumma deſperatione repentè fuit ſoluta. 2. Reg. 16. Alij ad tempus Ioſaphat referunt, quando exercitus Moabitarum & Ammonitarum diuinitus eſt cæſus. 2. Paral. 20. Fortaſſis autem Spiritus ſanctus hiſtoriam ideo annotari noluit, vt ſciremus præſentiam Dei in eccleſia eſſe perpetuam, ideóque gratiam diuinam non eſſe reſtringendam ad vnum locum ſeu tempus.

1 CAnticum pſalmi filiis Corah.
2 Magnus Iehoua & laudabilis valde: in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

Propo-

Propoſitio eſt pſalmi. In Sion, id eſt, in eccleſia Deus agnoſcitur & celebratur magnificè propter ſumma beneficia quæ ſuo populo præſtat. Etſi enim in vniuerſa mundi gubernatione & cōſeruatione Dei ſapientia, bonitas & iuſtitia ſic elucet vt meritò agnoſci & celebrari ab omnibus debeat, tamen mūdus quaſi clauſis oculis hæc beneficia præterit, non agnoſcit nec conſiderat Dei præſentiam in genere humano, ſed exiſtimat omnia vel caſu volui, vel humana prouidentia adminiſtrari. Eccleſia verò ſola agnoſcit Dei præſentiam & bonitatem, nō tantùm in gubernatione & cōſeruatione mūdi, imperiorum & ordinis politici, ſed imprimis, quòd ſibi eccleſiam excerpit ex genere humano, cui ſe patefacit, cui ſua bona communicat, & quam mirabiliter ſeruat & defendit. Ideo inquit in vrbe ſancta eſſe magnum Dei nomen, cùm alibi quaſi conſileſcat Dei laus & gloria. Atque ita eccleſiam à toto mundo ſeparat. Agnoſcunt aliqui etiam ex ethnicis, Deum fabricatorem eſſe mundi, cui obediendū ſit iuxta diſcrimen honeſtorum & turpium, ſed non agnoſcunt eum, ſicut ſe patefecit. Ideo non rectè colunt nec laudant eum. Hac antitheſi conſiderata planior erit ſententia pſalmi. In ſola, inquit, eccleſia Deus rectè agnoſcitur & celebratur: alibi verò extra eccleſiam memoria eius quaſi ſepulta iacet. Siō nominat montē ſanctū, quia arca fœderis mādato diuino ibi erat collocata. Non erat Hieroſolyma ſācta ſuo merito aut dignitate, ſed quia Deus ibi reſidebat, cuius præſentiæ ſymbolum erat arca ibi collocata.

3 Pulcher ſurculo, gaudium totius terræ [*eſt*] mons Sion, ad latera Aquilonis: ciuitas regis magni.

Ex inſtituta antitheſi digreditur ad laudes vrbis, quam præfert omnibus aliis regnis in toto orbe terrarum, eiúſque dotes ita prædicat vt nullæ opes cum his comparari poſſint aut debeat. Ita verò elegans deſcriptio eccleſiæ hic traditur. Primùm, inquit, hic mons eſt pulcher ſurculo: quaſi dicat, Eſt tanquam pulcherrimus & amœniſſimus hortus, in quo prouenit aut conſpicitur ſurculus, qui ſua pulchritudine & vſu ſuperat omnes res naſcentes in toto orbe terrarum. Exiſtimāt autem nonnulli, eum ſurculum intelligi qui gignit balſamum, quod, præterquam quòd eſt fragrātiſſimum & odore ſuo reficit mirificè languentes, ſcitis eſſe præſtātiſſimum remedium in vulneribus: atque eo ſignificari dicunt vocem doctrinæ euangelij, quæ ex Sion propagata, & in totum orbem terrarum ſparſa, efficaciſſimum eſt remedium contra peccatum, mortem, morſus diaboli & vulnera conſcientiæ. Nam & nomen נוף dicitur ab agitando.

An balſamum in monte Sion prouenerit, non ſatis conſtat: veriſimile eſt tamen, prophetam ad eum ſurculum alludere, & tectè ſignificare doctrinam, vt dixi: quanquam non inepte etiā de arca ipſa poſſit intelligi. Ea enim ſua præſentia montem ornabat, & ita pulchrum reddebat, vt cætera regna in vniuerſo mundo nullum habuerint ſimile ornamentum Eccleſia igitur pulchra eſt ſurculo, quia habet arcā, hoc eſt, verbū & ſacramēta, quæ teſtamenta ſunt & pignora præſentiæ & fauoris diuini. Alij vocē נוף vertunt terminū, eóq; vrbis ſitum ſignificari exiſtimant, qui fuerit amœniſſimus.

Gaudium vniuerſæ terræ] Id eſt, gaudium & lætitiam adferens toti orbi terrarum. Eſt enim actiue accipiēda vox משוש idque pulchre congruit ad ſententiā iam indicatam. Ex Sion enim orta & propagata eſt doctrina euangelij, quæ ſalutem annuntiat toti orbi terrarum. Cætera regna nihil ſecum trahunt quàm triſtem lanienam, ſeruitutem, onera & miſerias infinitas: hoc regnum gaudium affert, & quidem firmum & perpetuū. Iudæi, ſicut nihil niſi terrenū imaginantur in regno Chriſti, ita gaudium inepte referunt ad ſalubritatem aeris, qui ſua temperie regionem illam reddebat ſalubrem: vel etiam ad ſuaues & eximios fructus, qui exteris gentibus poſſent gaudium afferre.

Latera aquilonis] Sic nominat montem Sionis, quia ſitus eſt in aquilonari vrbis parte, cuius etiam meminit Ieſai. 14. Sedebo ſuper mōtem teſtimonij, in lateribus aquilonis. Nonnulli tamē orationem ita reſoluunt: Quanquam ad Septentrionem ſpectet mons Sion, hoc tamē de eius pulchritudine nihil diminuit, ídque rectè ad eccleſiam accommodari poteſt. Ea in hac vita non eſt ſpecioſa, ſed triſtis & ſqualida, & tamen coram Deo nihil eſt ea pulchrius aut ſpecioſius.

Ciuitas regis magni] Tertium encomiū à potētia regis, quia magnus rex cuius potentia ſuperat omnium hominum vires hîc reſidet, hîc habet ſuam ſedem, & inde dominatur toti populo: reliqua regna habent reges, quorum potentia & felicitas penè eſt momentanea, & quæ ſubito caſu euertitur: hoc regnum eſt firmū & ſtabile, quia potentem & magnum habet regem.

4 Deus in palatiis eius: agnitus eſt in arcem.

Quartum encomium eſt à notitia Dei. Deus ibi agnoſcitur & rectè colitur: nam verbum נודע exiſtimo ad vtrūque mēbrum eſſe referendum. Cætera regna oppreſſa ſunt horribilibus tenebris, & cùm careāt luce euangelij, nihil aliud ſunt niſi ἐργαστήρια plena multarum miſeriarum.

Notus eſt in præſidiis] Quintū encomiū à diuinę protectionis experiētia: ſicut ſuprà pſal. 46. Deus in medio eius, non mouebitur, &c. Hæc ciuitas, inquit, tuta eſt auxilio diuino: non palatia, non turres hanc vrbē muniunt, ſed nomen Dei. Eſt autem dulcis conſolatio in hoc encomio, quæ oſtēdit & affirmat eccleſiam nullis humanis viribus poſſe deleri.

5 Quia ecce reges congregati ſunt, tranſierunt ſimul.

6 Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt, trepidauerunt, præcipites acti ſunt [*in præcipitem fugam acti ſunt.*]

7 Timor apprehendit illos ibi [*tunc*:] dolor quaſi parturientis.

8 Per ventum orientalem confringis naues Tharſis.

Iam exemplo recentis victoriæ & liberationis, probat quę antea dixerat de protectione diuina: atque ita iam redit ad commemorationē beneficij diuini: quod celebrare inſtituit.

Congregati ſunt] id eſt, inito fœdere cōtraxerūt omnes ſuas vires, ad delendam ac perdendam vrbem Hieroſolymam. Et quod tunc accidit vrbi Hieroſolymæ, hoc omnibus ætatibus accidit eccleſiæ.

Tranſeunt] Id eſt, impetus & conatus eorum trāſiit irritus, & ſubitò euanuit omnis potentia eorum, nō aliter ac nebulę euaneſcunt. Alij paulò aliter interpretantur. Tranſierunt, id eſt, inſtructa acie expeditionem ſuſceperunt.

Ipſi viderunt) Id eſt, Acceſſerunt quidem ad vrbem, & admouerunt exercitum, & iam ſpe ſua quaſi deuorauerant vrbem: ſed ſimul ac viderunt, inquit, admirati ſunt: id eſt, ad conſpectum vrbis obſtupuerunt, & ſteterunt attoniti, nec potuerūt expedire arma, aut explicare aciē: ita Deus ſplendore gloriæ ſuæ omnes ſenſus eorum hebetauit.

כן Videtur quaſi rem digito monſtrare.

Trepidauerunt) Id eſt, ſubito terrore perculſi & diſſipati ſūt Nam חפז ſignificat anxie & præcipitanter fugere, quod faciunt quibus imminet præſens mortis periculum, 2 Sam. 4.

Dolor quaſi parturientis) Amplificat narrationem ſimilitudine: id eſt, ſubito & inopinato metu perculſi prorſus conciderunt animis.

Illic) Ad vrbem ſcilicet, cùm iam omnia parata eſſent ad oppugnationem.

Per ventum) Amplificatiuncula eſt à ſimilitudine. Sicut naues maris ſubitis procellis & violentis tempeſtatibus diſiciuntur & conteruntur, vt nunquam deinceps conſpiciantur: ita etiam noſtri hoſtes ſubitò præter ſpem & expectationem abs te deleti & profligati ſunt. Videmus ſæpe maximam & validam claſſem vno momento tēpeſtatibus perire, ſicut hoc anno in Hiſpania & ſuperiori in mari Balthico. Talia exempla mouere pios debent, vt cogitēt facillimum eſſe Deo maximas hoſtium vires vno impetu ac nutu proſternere.

Venti orientalis meminit, quia huic in Scriptura tribuitur maxima vehementia: quo modo poetæ Latini non rapidum tantùm ſed atrocem nominant Eurum. Et apud Ouidium, Aeolus dicitur truculentior Euris.

Mare Tharſis intelligitur συνεκδοχικῶς totum mare mediterraneum. Nam quod eſt ad Ciliciam, quæ olim Tharſis dicebatur, teſte Ioſepho, hoc nomine appellari ſolebat, ſicut alibi dicitur mare Aegæum vel Ionium. Deinde in genere ad omnia maria accōmodatur. Iudæis illa pars maris mediterranei quæ Ciliciā alluebat, propter propinquitatem & negotiationem erat notiſſima. Ideo totū mare mediterraneum hoc nomine appellatur. Nomen תרשיש exiſtimant factum eſſe à colore cæruleo: ſed nomen propriū eſt filij Iauan, qui vrbem Tharſis metropolin Ciliciæ condidit. Is cum fratribus mare ingreſſus, Ciliciam & inſulas maris mediterranei & magnam Græciæ partem occupauit. Appellatio igitur Tharſis hæſit in ea parte, in qua ipſe conſedit, & vrbem condidit.

Nonnulli pro רבוח legunt כרוח: vt ſit ſententia, tanquam vento orientali (qui) confringit naues maris.

9 Sicut audiuimus, ſic vidimus in vrbe Iehouę exercituum, in vrbe Dei noſtri: Deus ſtabiliet eam vſque in perpetuum, Selah.

Amplificat narrationem à teſtimonio & veritate verbi diuini. Audiuimus ſemper ex promiſſionibus diuinis Deum eſſe cuſtodē & defenſorem eccleſiæ ſuæ: id verū eſſe noſmet

ipſi iam vidimus & reipſa experti ſumus. Continetur autē in hoc verſu vtilis doctrina, de certitudine ſcilicet verbi diuini & promiſſionum, atque comminationum diuinarum. Nam verbum Dei non eſt inanis ſonitus: ſed re atque euētu comprobatur: impiis minatur pœnas: illæ minæ non ſunt inania terriculamenta, ſed re atque euentu comprobātur: piis promittitur ſalus, defenſio, pax, &c. Hæ quoque voces non ſunt inania θέλγητρα: ſed ſunt reales cōſolationes, quas ſuo tempore experiuntur credētes. *Vrbem Iehoua* nominat vrbē Hieroſolymam, in qua Deus agnoſcebatur & colebatur. Promiſſiones enim illæ non promiſcuè ad omnes pertinent, ſed tātùm ad electum Dei populum.

Iehouam exercituum nominat à potentia qua inſtructus eſt: habet enim vim paratam qua defendit ſuos. Tota enim rerum creatura huic Iehouæ militat, & ad exequēda eius mandata præſto eſt. Inde dicitur Iehoua exercituū. Deinde rurſus nominat eum Deum ſuum: non enim ſatis eſt ſcire Deum eſſe potentem, niſi etiam credas, te eſſe ab ipſo adoptatum, vt ſperare & expectare ab eo auxilium poſſis. Itaq. qui extra eccleſiam ſunt, non poſſunt eum vocare Deum ſuum.

Deus ſtabiliet eam] Addit promiſſionem de futuro tempore, vt fides magis confirmetur: quaſi diceret, Sicut hactenus ſeruauit hanc vrbē, ita deinceps quoque eam ſeruabit. Liberationes enim ſunt exempla promiſſionum, quibus fides quaſi in rem præſentem ducta confirmatur. Ita verò hanc vrbem à cunctis aliis vrbibus diſcernit: illæ enim ſuas habent viciſſitudines ac periodos: nec niſi ad tempus florēt: hæc verò ita à Deo eſt fundata ac firmata, vt inter varias mūdi conuerſiones atque regnorum euerſiones firma permaneat. Quòd autem abducto in exilium populo vrbs ſemel exciſa fuit, id nō pugnat cum hac ſententia, quia iam antea à Ieremia prædicta erat reſtitutio, quæ hāc promiſſionem cōprobauit. Poſtquam verò aduentu ſuo Chriſtus eccleſiam renouauit, quicquid olim de illa vrbe dictum fuit, ad ſpiritualem Hieroſolymam, hoc eſt, eccleſiā, pertinet, quæ per omnes mundi plagas diſperſa eſt. Eſt igitur dulcis conſolatio in his verbis, de ſtabilitate eccleſiæ. Poteſt quidem illa grauiter concuti: ſed non ita labefactatur vt cadat aut euertatur.

10 Expectauimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.

Additur alia amplificatio à fiducia piorum, de bonitate Dei erga ſuam eccleſiam. Cùm, inquiunt, ſciremus tuas promiſſiones eſſe ratas & firmas, nos quanquam miſere affligebamur, & animus variis dubitationum fluctibus agitabatur, tamen acquieuimus in tuo verbo, nec paſſi ſumus nobis excuti illas promiſſiones, ſed expectauimus tuam bonitatem, certò ſtatuentes, te non fruſtraturum ſpem noſtram, ſed tandem opem laturum populo tuo iuxta promiſſionem.

Verbum דמל ſignificat ſilere, deinde patienter & cum ſilentio, hoc eſt, cum animi tranquillitate, expectare. Significat igitur præceſſiſſe magnas animorum perturbationes & tumultus, vt fieri ſolet in magnis calamitatibus. Caro enim expaueſcit, trepidat & ad conſpectum malorum indignatur, fremit aduerſus Deum & ipſius iudicia: ſed fides intuēs promiſſionem, tandem compeſcit illos tumultus, & mētes tranquillas & quietas reddit, vt in promiſſionibus acquieſcant.

In medio templi] Quia promiſſiones illæ de amore Dei erga ſuos aſſiduè ſonabant in templo, vbi ſimul ſymbolum præſentiæ diuinæ oculis ipſorum erat propoſitum, quod promiſſionem reddebat certiorem & efficaciorem. Non igitur hoc vult, eos tantum in templo ſpem habuiſſe, quam poſtea domum reuerſi abiecerint, imò potiùs affirmat, ſpem in templo conceptam conſtanter deinceps retinuiſſe.

Deinde monet hæc oratio, extra templum, hoc eſt, extra eccleſiam, nullam eſſe ſpem aut ſalutem. Si igitur Deum habere volumus propitium, danda eſt opera vt templum eius in medio noſtri ſit, id eſt, vt rectè agnoſcatur & colatur iuxta verbum.

11 Sicuti nomen tuum Deus, ſic laus tua vſque ad fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.

Epilogus eſt gratiarum actionis. Hoc tuum, inquit, beneficium paſſim celebrabitur in toto orbe terrarum, quocūque fama eius rei penetrauerit.

Sicuti nomen tuum] Id eſt, agnitio tui & beneficiorum tuorum: quaſi dicat, quocunque perueniet fama nominis tui, aut vbicunque prædicabitur hoc beneficium nobis præſtitum.

Sic laus tua) Id eſt, ibi ſimul tuæ laudes celebrabuntur. omnes enim agnoſcent te eſſe ſumma laude dignum, vbi intellexerint qualem te præſtiteris populo tuo. Tacita autem his verbis ſubeſt antitheſis, qua reſpicit ad idola illorum tēporum, quæ quanquam paſſim colebantur pro numinibus, tamen quia nullum edebant diuinitatis ſignum in defenſione ſuorum cultorum, carebāt iuſta & vera laude. Laus igitur idolorum non erat ſecundum nomen ipſorum: quia non præſtabant hoc quod cultores expectabāt. Sed alius eſt Deus Iſrael, qui nō fruſtratur ſpem & vota ſuorum. Alij paulò lōgiùs petitam huc afferunt ſententiam. Laus, inquiunt, tua reſpondebit nomini tuo, ſcilicet אעל quod fortem & potentem ſignificat.

Dextera tua eſt plena iuſtitia] Id eſt, tu auxiliū fers tuo populo iniuria oppreſſo, & hoſtes punis, atque ita iuſtitiam tuam palā demōſtras, quòd ſerues innocētes & ſontes punias, &c. Significat hoc loco צדק fidē quā in tuendis ſuis Deus ſeruat.

Quod dicit, dexteram eſſe plenam, ſignificat non vnum atque alterum edere ſpecimen ſuæ iuſtitiæ, ídque raro: ſed omnes numeros implere. Per dexteram verò intelligit opera, quæ dextera fieri ſolēt, vſitata figura, quā μετάληψιν vocāt.

12 Lætabitur mons Sion, exultabunt filiæ Iuda propter iudicia tua.

Amplificatiuncula eſt ab effectu. Agnitionem præſentiæ Dei in periculis & liberationē ingens ſequitur lætitia. Ideo, inquit, montē Sion & filias Iuda, hoc eſt, totam eccleſiam & ſingula eius membra lætari & exultare propter hanc victoriam, in qua Deus iuſtum iudicium ſuum oſtendit in defenſione eccleſiæ & in pœnis hoſtium.

Filias Iuda nominat, vel totam ſtirpem Abrahæ, vel etiam vrbes tribus Iuda, quæ ad Hieroſolymam tanquam ad ſuam metropolin reſpiciebant, atque ab eius imperio pēdebant. Vſitatum enim eſt Hebræis, filiarum nomine vel congregationem intelligere, vel vrbes ipſas deſignare: cuius phraſis exempla plurima in Threnis Ieremiæ reperies: eſtque illud Ieremiæ 49. inprimis illuſtre, vbi prædicens fata metropoli Ammonitarum, inquit, Audire faciā Rabbath clamorē prælij, & filię eius igne ſuccidentur. Atque hæc vox innuere videtur, hunc pſalmum eſſe ſcriptum quando iam decem tribus erant abductæ: alloquitur enim tantùm tribum Iuda, quę reliqua erat: quanquam per Iudam ſynecdochicōs totus populus intelligi poteſt.

13 Circundate Sion & circuite eam: numerate turres eius.

14 Adiicite [*ponite*] cor veſtrum ad munitionem eius, exaltate palatia eius: vt narretis generationi poſteræ.

Poſtrema pars pſalmi continet exhortationem & præceptum de amanda, magnifacienda, ornanda & omnib. officiis iuuanda eccleſia: quod quiſque facere ſuo loco diligēter debet: primò, doctores, rectè docendo, honeſtè viuendo, tuendo publicam concordiam: ſecundo magiſtratus, tuendo miniſterium, ſanciēdo pacem & diſciplinam, conferendo liberaliter ſumptus ad conſeruanda doctrinarū ſtudia: ſcholaſtici, diſcendo doctrinam generi humano neceſſariam, de Deo & aliis rebus: cęteri, orando, quæ ad pacem ſunt Hieroſolymæ, vt alibi dicitur: & ſtudia ſua, operas & facultates conferendo ad conſeruationem miniſterij publici.

Circuite Sion] Commendat pulchritudinem Hieroſolymæ: primùm, ab amplitudine: deinde, à multitudine turrium: tertiò, ab altitudine murorum. Ea omnia ita vult conſiderari, non quòd altitudo murorū aut turrium multitudo vrbem reddat inuictam & inexpugnabilem, aut cauſa ſit huius victoriæ nuper partæ: ſed quia etiam in his externis notis Dei benedictio iam conſpiciebatur aliqua ex parte. Quòd enim illæ turres non erant deiectæ tanta multitudine hoſtium, & quòd murus mā ſerat illæſus, in tanto fremitu, odio, & indefeſſo conatu eorum, qui vrbem venerāt oppugnatum, id totum contigerat ipſis tantùm beneficio Dei, quem ſuprà dixerat conſpici in palatiis, in arce aut præſidio. Eo igitur ſtudioſiùs atque impenſiùs vult eos amare hanc vrbē: quia etiam in ipſis muris & turribus appareant manifeſta ſigna præſentiæ Dei.

Circuite] Id eſt, circumeundo cōſiderate amplitudinem vrbis, & murorum non tantùm altitudinem ſed integritatem: Id cùm feceritis, maxima cum voluptate videbitis admirando Dei beneficio vrbem ſeruatam eſſe illæſam: itaque eo ſtudioſius deinceps complectemini eam.

ספרו legitur abſque dages, ex prima coniugatione, atque ita habet exemplum Complutenſe & alia nonnulla. Alioqui enim ex ſecunda coniugatione legendum eſſet ספּרו.

Ponite cor] Id eſt, conamini tueri hanc munitionem, nec patiamini vt veſtra negligentia illa corruat: ſtudioſè ſeruate eam, ita vt ſi rimas faciat aut ruinam minetur, mox reſarciatis, ac neque hoc tantùm, ſed & ampliùs operam date vt turres & palatia exaltetis & magis ornetis.

Hæc omnia ad miniſteriū doctrinæ ſunt accōmodāda: neque enim ita turres & muros commemorat vt in his velit

piorum

piorum mentes ſubſiſtere: ſed ad miniſterium doctrinæ animos deducit. Nam ſicut muri foris vrbem muniunt contra incurſus: ita cœtum piorum continet miniſterium doctrinæ euangelij: quo tanquam vrbe muniti tenentur concluſi contra omnium hoſtium inſultus & conatus. Illud igitur amare & tueri omnibus modis debent.

Ponere cor ad rem eſt, intendere omnem cogitationem & curam in rem aliquam.

פסגו Id eſt, exaltate inſtar collium ſublimium. פסגה enim collem ſignificat, vnde verbum formari videtur. Alij, roborate, nonnulli, aſpicite, ſcilicet, cum admiratione.

Vt narretis] Addit cauſam finalem. Ideo opera danda eſt vt hæc munitio ſeruetur integra, vt poſteris hæc admirabilis victoria & defenſio diuina narrari poſſit: vbi enim audierint & viderint, muros & vrbem in tanto hoſtilis exercitus conatu manſiſſe illæſam, magis admirabuntur beneficium diuinum, & ipſi in ſuis periculis quoque concipient certam ſpem de ſalute. Hoc primum eſt. Alterum quod hîc monet, illud eſt, vt omne ſtudium noſtrum in eo occupatum ſit, vt miniſterium doctrinæ ad poſteros propagari poſſit. Ideo enim omnibus officiis fouendum ac tuendum eſt miniſterium, vt poſteri quoque hoc theſauro fruantur. Nullum enim tã amplum patrimonium relinqui liberis poteſt, quod cũ hoc theſauro comparari queat. Quòd ſi igitur ſtudemꝰ poſteris noſtras facultates relinquere, vt habeant vnde honeſtè viuant: multo magis ſtudeamus hunc ipſis theſaurum relinquere.

Cæterum verbo narrandi rectè nõnulli ſignificari volunt fore vt aliquando illi muri deſtruantur, nec ampliùs conſpiciantur. nam ſplẽdor & ornatus murorum non indiget narratione: ſed in oculos ipſe incurrit. Cum igitur dicit, narrandum & commemorandum eſſe poſteris illum ſplendorem qui fuerit, facilè apparet, non fore eum perpetuò ſtabilem. Nam quæ de ſtabilitate ſupra dicta ſunt, ea ad corpus totius eccleſiæ pertinent. Et poſteri intelliguntur qui quocunque tempore ſe ad cœtum eccleſiæ adiungunt. Ad hos igitur dirigitur illa narratio, vt quæ veteri populo Deus beneficia præſtitit, nobis communia eſſe ſciamus. Nam quemadmodum ſeruauit illum populum: ita in omni tempore ſeruat eccleſiam.

15 Quia hic Deus, Deus noſter in ſeculum, & vſque [*perpetuò*:] ipſe deducet nos vſque ad mortem.

Addit rationem, qua oſtendit vſum huius contemplationis & narrationis. Eò enim hæc omnia tendere debent vt & nos ſciamus & illi ſciant, quòd hic Deus, qui ſe patefecit nobis, & qui hactenus mirabiliter nos defendit, deinceps quoque ſit ſeruaturus eccleſiam: & quòd perpetuum in ipſo nobis ſit paratum præſidium. Exempla enim ſunt teſtimonia promiſſionis, quæ monent ſingulos de applicatione.

זה demonſtratiuum diſcernit hunc Deum ab aliis fictitiis numinibus.

Ipſe deducet nos] Ἐξήγησις eſt prioris ſententiæ. Ipſe, inquit, aderit nobis perpetuò dominus & cuſtos vſque ad finẽ: nunquam deſeret nos ne in ipſa morte quidẽ. Non enim excluſiuè intelligendum hoc eſt, quaſi in extremo mortis articulo nos deſerat, atque ita miſere perire ſinat. Alij coniunctim legunt עלמות iuuentutẽ, & addunt כ ſimilitudinis. Deducet nos ſicut iuuentutem, id eſt, leniter & placidè, ſicut pater filium. Alij vertunt, in abſcondito: quia præſentia Dei non cernitur oculis corporis, ſed animi, hoc eſt, fide: ſed quam primò loco recitaui ſententia, magis grammatica eſt.

PSALMI XLVIII.

PARTES.

I. Propoſitio laudatiua, *primùm*, maieſtatis Dei à ſingulari beneficio eius in populum ſuum & ciuitatem obſeſſam, v. 2. *Secundò* Ieruſalaimorum, quo velut inſtrumento ſuos ſeruauit Deus, v. 3. & 4.

II. Propoſitionis confirmatio per narrationem acceptæ liberationis, & rerum geſtarum, v. 5. 6. 7. 8. deinde documentorum fidei, ex rebus geſtis confirmatæ, verſ. 9. Subiungitur verſ. 10. apoſtrophe ad Deum epiphonematica: qua oſtendit Pſaltes, quàm facilè res hominum firmiſſimæ perrumpantur.

III. Profeſſio certæ in Deum fiduciæ, & gratæ recordationis beneficiorum quæ Eccleſia accepit à Deo, v. 11. & 12.

IIII. Hortatio ad Eccleſiam, vt lætetur, recognoſcat, & prædicet beneficia Dei præterita, præſentia & futura, v. 13. 14. 15. Finis autem huius hortationis eſt celebratio gloriæ Dei, qui fœdus initum olim, ſeruaturus eſt ſemper, & populo ſuo ſalutem præſtiturus, poſtrema parte, v. 14. & v. 15.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 & 2. Quanuis in vniuerſa mundi gubernatione, ſapientia, bonitas & iuſtitia Dei ſic refulgeat vt nulla pars vacua ſit ab eius laude: in eccleſia tamen protectione diuina gloria peculiari quodã modo conſpicitur.

Eccleſia eſt ſancta illa ciuitas & ſublime theatrum in quo magnitudinem ſuam ſpectari vult Deus: nõ proprio quidẽ eccleſiæ merito, ſed quia verbum fœderis gratuiti apud eam depoſitum eſt.

3 Laudes Hieroſolymæ in mentem nobis reducere debent ſpiritualem illum eccleſiæ decorẽ, quo fit vt in media morte, inuicta aduerſus inferorum inſultus perſtet, mundique tenebras & ſqualorem luce ſua diſcutiat atque abſtergat.

Ad exhilarandas pias mentes planè ſufficit vnius Dei fauor: ſicuti eo ſublato neceſſe eſt cunctos mortales miſera inquietudine & triſtitia torqueri.

4 Si in arcibus & palatiis habitamus, ſedulò cauendum eſt ne ſplendor ille vel altitudo potentiam Dei obruat: ſicuti profani homines terrenis opibus contenti pro nihilo ducunt Deum habere cuſtodem. Videndum igitur vt in cunctis dotibus quibus erimus ornati, ſemper clarè fulgeat Dei gloria, ſtatuamúſque non alibi quàm in ipſo nos eſſe beatos.

5 Claris documentis experiuntur fideles Deum eſſe cuſtodem ſuæ eccleſiæ, dum inuicto hoſtium potẽtiſſimorum robori manum ſuam opponit, eorúmque fœdera, conſilia, conatus & copias euertit.

6. 7. Nihil noui hodie accidit ſi validis copiis oppugnatur ac formidoloſos impetus ſuſtinet eccleſia: quia ſic Deus ab initio ſuos humiliare conſueuit, vt admirabilẽ ſuam potentiã magis illuſtremreddat. Sed illud occurrat, ſolum Dei nutum ſufficere ad nos liberãdos: atque vt nobis obruendis vndique immineant hoſtes, in eius arbitrio eſſe, quoties voluerit, ſtupore percutere eorum animos, vt inter medios conatus momento deficiant. Atque hæc cogitatio nos compeſcat, ne huc & illuc ad humana media circunſpiciamus.

8 Quoties virium ſuarum confidentia inflatos eccleſiæ hoſtes videmus, in mentem recurrat Dei potentia: quæ ſicut confringit ventorum impetu robuſtas naues, claſſémque oceano ipſi formidabilem diſſipat, ita vno momento ſuperbam impiorum iactantiam deiicit: quemadmodum noſtro hoc ſeculo tot luculentis & recentibus exemplis comprobauit.

9 Deus ſpem verbo ſuo datam minimè fruſtratur: nec magis liberaliter promittere ſolet quàm implere quod promiſit.

Non eandem promiſcuè omnibus ſalutem Deus promittit, ſed populo quem ipſe propter Chriſtum elegit & peculiarem ſibi fecit.

Quicquid diſcriminum immineat, tertò teneamus, ſalutem eccleſiæ (quam Deus ſtabiliuit) poſſe quidem grauiter concuti, ſed non ita labefactari vt cadat.

10 Fideles diuinitus ſeruantur, quia in ſumma rerum omnium perturbatione patienter quieſcunt, donec tandem miſertus ipſorum Deus opem afferat. Aliquoties autem prohibetur ab eis Dei auxilium, quando videlicet diffidunt eius promiſſionibus, nec præ tumultu patiuntur ad ſe vſque adfluere illam gratiam quæ ſilentibus eſt repoſita.

Si vmbratile illud præſentiæ Dei ſymbolũ ſub Lege, nempe tẽplum Hieroſolymitanum, valere eo vſque debuit vt vitã ſperarẽt fideles in media morte: quum ad nos deſcenderit Chriſtus, vt multò pleniùs nos patri ſuo coniungeret, quanuis ſurſũ ac deorſum miſceatur mũdus, iuſta nobis quieſcendi cauſa eſt. Tantùm danda eſt opera vt purus & integer vigeat apud nos Dei cultus, quo templum eius in medio noſtri refulgeat.

11 Idolorum falſorumque Deorum nomen per ora ſuperſtitioſorũ volitat inaniter quidem & ſine vera laude: longè autem alia ratio eſt in vero Deo, quia quocunque eius fama perfertur, intelligunt omnes eum eſſe liberatorem populi ſui, qui ſpẽ & vota ſuorum non fruſtratur, nec eos in diſcrimine deſerit.

12 Eccleſia tum in hac vita tum præcipuè in futura, laudis materiam habebit, quòd Deum vere ſenſerit ſalutis ſuæ vindicem.

Deus eccleſiæ ſuæ cauſam ſuſcipiens, eius oppreſſoribus ſe hoſtem profitetur, vt eorum ferociam compeſcat.

13.14 Quæcunque veteri populo beneficia Deus contulit, nobis communia ſunt: non quòd ſplendor ille externus, quo admirabilis fuit Hieroſolyma, hodie inter nos emineat: ſed quia ſpiritualibus donis non minùs ſplendidè ornata fuit eccleſia poſt exhibitum Chriſtum, quàm olim muris & turribus inſtructa Hieruſalem ſub legis vmbris.

Beneficia Dei erga eccleſiam ſedulò notanda ſunt, vt à patribus tanquam theſaurus pretioſus ſuis liberis relinquantur, quæ aliis deinde prædicent.

15 Quicquid dignitatis vel præſtantiæ in eccleſia refulget, non aliter eſt conſiderandum, quàm vt nobis Deus occurrat, atque in ſuis donis celebretur.

Fideles profitentur non eſſe ſibi incertum Deum, vel quem confuſa opinione apprehendant, ſed cuius firma ipſis conſtet veritas: eumque prædicant perpetuò conſtantem in ſeruanda eccleſia, æternumq; ducem ac cuſtodem fore promittunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſiæ Dei encomia & priuilegia eximia ſub typo vrbis Ieroſolymitanæ.
2. Conſcientiæ pax in vnico Dei fauore incluſa.
3. Deus ſolus Eccleſiæ ſuæ cuſtos & protector.
4. Militantis Eccleſiæ proprium, Satanæ & impiorum inſultibus grauiſſimis premi, non opprimi.
5. Hoſtium Eccleſiæ furor, error, interitus.
6. De vera veri Dei laude.

ARGVMENTVM PSALMI XLIX.

DOCTRINA huius pſalmi antè à nobis explicata eſt in interpretatione pſalmi 37. 39. & infra rurſus explicabitur pſal. 73. Ideo nunc in recitãdo argumẽto non ero prolixior. Cõtinet autẽ vſitatam doctrinam, cuius vſus maximus eſt in vita piorum, opponendam ſcandalo crucis. Cum enim eccleſia in hac vita ſubiecta ſit cruci & calamitatibus, & prematur non tantum inopia & domeſticis miſeriis, quæ cum aliis ferè ipſi ſunt communes: ſed foris etiam rideatur, conculcetur & affligatur ab hominibus impiis, ac perpetuis periculis ſit expoſita, interea verò homines impij & profani proſpere & feliciter agant, viuant in ſummo otio, luxu, voluptatibus, & diffluant deliciis, teneant imperia, perueniant ad ſummos honores ac dignitates, vt beati prædicentur ab omnibus: multi intuentes illam inæqualitatem euentuum, ita perturbantur vt exiſtiment nullam eſſe prouidentiam diuinam: & doctrinã eccleſiæ, quæ piis perpetuam felicitatem pollicetur, eſſe inanem ſonitum. Itaque relicto eo cœtu qui dicitur eccleſia, ſequuntur maximam multitudinem, & ſecurè ipſi quoque ſceleribus indulgent, iudicantes ſibi melius fore ſi ad latus nauis felicius incumbant. Alij etiam quanquam omnem timorem Dei non exuant, tamen magnitudine calamitatum ita interdum opprimuntur, vt deſperare & deſpondere animos incipiant, & fides ipſorum langueſcat. Hæc omnia fieri docet quotidiana experientia. Quare Spiritus ſanctus, vt nos muniat aduerſus hoc ſcandalum, non tantùm in hoc pſalmo, ſed in aliis multis tradit conſolationem, qua pij confirmandi ſunt, quoties illæ cogitationes animos ſubeunt. Etſi enim aliquandiu florent impij in hac vita, & affluunt bonis omnibus pro ſuo voto, econtra verò pij aliquãdiu affliguntur, idque propter multas cauſſas, quas monſtrat doctrina eccleſiæ: tamen tandem in exitu vtrorumque conſpicitur diſcrimen. Nã de piis hîc dicitur expreſsè, redimet Deus animas eorum ex manu inferni: id eſt, nõ ſinet eos mergi in mortem, aut perire æterna morte: ſed recipiet eos ad ſe in regnum ſuum, vbi fruentur vita & lætitia perpetua: econtra verò impij morientur, & in æternum non videbunt lumen: id eſt, nullam ſentient conſolationem: ſed conficientur triſtibus doloribus & æternis cruciatibus, eruntque in morte perpetua. In morte igitur & extremo iudicio conſpicietur diſcrimen inter pios & impios: atque huius cogitatione iubet nos pſalmus contemnere illam momentaneam & vmbratilem felicitatem, in qua ſibi tantopere placent impij: & retinere conſtanter profeſſionẽ doctrinæ, ne fracti calamitatibus aut ærumnis deficiamus à Deo, aut de eius prouidentia, cura & amore, quem erga ſuos gerit dubitemus.

1 AD triumphandum, filiorum Corah pſalmus,
2 Audite hoc omnes populi: auſcultate omnes habitatores ſeculi [*orbis.*]
3 Etiam [*vos*] filij hominum, etiam filij viri: pariter diues & pauper.

Exordium pſalmi prorſus eſt rhetoricum. Nam, vt auditores reddat attentos, dicit ſe dicturum de rebus magnis & reconditis, adeóque ad omnes, ſine exceptione, pertinentibus: ideóque non paucos, ſed omnes omnium nationũ, ordinum, & ætatum homines ad ſe inuitat. Hæc ſumma eſt exordij, exhortatio ſcilicet, vt diligenter & ſũmmo ſtudio attendant, doctrinamque hanc & admonitionem in animum admittãt. Atque ea cauſa eſt cur orationem ingeminet.

חלד idem eſt quod חדל per metatheſin: ſignificat autem חדל curriculum vitæ humanæ citò ceſſantis, aut ſeculum deſinens, Ieſai. 28. Hæc ipſa igitur appellatio ſignificat mundũ paulo pòſt deſiturum eſſe, & res mundi omnes eſſe caducas.

Filij hominum] Collectiuè ſingularis numerus ponitur pro plurali. Filij hominum autem vſitata Hebræis phraſi dicũtur plebeij, obſcuri & ignobiles, ſicut filij viri, magni, nobiles, antecellentes aliis dignitate, ſapientia, potentia, autoritate. Alloquitur igitur ſũmos quoſq; & infimos, ſine exceptione.

4 Os meum loquitur ſapientias: & meditatio cordis mei [*eſt*] intelligentiæ.

Addit rationem cur velit eos diligenter attẽdere. Non adferam, inquit, in medium fabellas, nec dicam de rebus leuiculis aut vanis, quibus aures tantùm demulceam: ſed de rebus maximis & neceſſariis, quas didici in ſchola Dei, & in quibus ſumma ſapientia eſt comprehenſa. תבונה diſcernitur à חכמה. Nam חכמה exprimit θεωρητικὴν. Ea autem tunc dicitur תבונות quando generalia particularibus accommodantur, atque vnde homines in rebus agendis prudentes vocantur. Ita Paulus ad Rom. 11. & Coloſſ. 2 diſcernere videtur inter σοφίαν & γνῶσιν, vt σοφία ſit cognitio totiꝰ doctrinæ de Deo, & experientia terrorum in contritione, & conſolationum fidei, illuſtrans doctrinam & diiudicans dogmata: γνῶσις verò prouidentia ſit, quæ dat conſilium in rebus agendis.

5 Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in cithara ænigma meum.

Addit aliam rationem, partim à re ipſa, partim à ſua perſona ſumptam. Ita enim hortatur alios ad ſtudium diſcendi hanc neceſſariam doctrinam, vt ipſe profiteatur ſe ſimul fore attentum, ſeque ita exequuturum doctoris partes vt ſimul diſcipulus ſit futurus, qui diſcere & proficere cũ aliis cupiat. Hæc ratio docendi optima eſt in eccleſia, qui aliis præfectus eſt magiſter, ipſe aurem inclinet ad diſcendum, priuſquam os aperiat ad loquendum. Ita enim ſapientia, quæ in verbo Dei traditur, non naſcitur in hominis ingenio aut cerebro, ſed diuinitus patefacta eſt. Ideo docere nemo in eccleſia rectè poteſt, niſi qui priùs ipſe à Deo didicerit.

Inclinare aurem] vſitata Hebræis phraſi ſignificat audire cum attentione: metaphora ſumpta ab illis animantibus quæ ad ſonum aures inclinant & arrigunt: vel etiam ab hominum conſuetudine, qui diligenter auſcultaturi, aurem propiùs admouent loquenti.

Doctrinam verò quam traditurus eſt nunc, nominat *parabolã* ſeu prouerbiũ. Nomen Hebræum factum eſt à dominando, quia parœmiæ aut alioqui inſignes ac notatu dignæ ſententiæ, cùm figuris & tranſlationibus vt plurimùm ornẽtur, quaſi dominantur, & tanquã peculiaria ornamẽta eminẽt in oratione: vnde & à Salomone huiuſmodi dicta hac voce appellãtur. *Ænigma* verò vocat eandẽ doctrinã quia eſt ſapiẽtia arcana lõgè poſita extra cõſpectum rationis, ideoq; abſq;

pate-

patefactione diuina prorſus ignoratur, atque etiam cùm patefacta eſt non plenè percipitur, vnde Paulus ait, 1. Corin. 13. Nunc cernere nos per ſpeculum in ænigmate, & ex parte cognoſcere. Etſi enim philoſophia quoque docet, opes & diuitias tanquam res caducas & vanas, eſſe contemnendas, neque quid faciendum eſſe contra virtutẽ ſpe dignitatis, ſeu opum, aut metu ærumnarum ſeu periculorum (qua de re hicquoque pſalmus præcipere videtur) tamen nihil docet de vita poſt hanc vitam, in qua diſcrimen ſit futurum piorum & impiorum, vel de futuro iudicio, nec cauſas oſtendit cur iuſti in hac vita affligantur, & eccleſia ſubiecta ſit cruci. Iſta igitur ænigmata explicat verbum Dei, & quomodo Deus, iuſtus cùm ſit, bonos tamen nonnunquam affligi ſinat, oſtendit &c.

Cum cithara] Ita loquitur, quia vſitatum erat pſalmos ad citharam & alia inſtrumenta muſica decantare. Alij exiſtimant citharæ mentionem fieri, vt cantus ſuauitas mitigaret ſi quid eſſet aſperum.

6 Cur timebo in diebus malis? [*quando*] iniquitas calcaneorum meorum circundabit me.

Exordio ſubiicitur *propoſitio*, in qua conſolationem inſtituit opponendam illis cogitationibus quæ turbant nos, quoties videmus iuſtos affligi. Ita enim ratiocinamur omnes ex voce Legis, Iuſtis debet bene eſſe Ieſa. 3. eccleſia eſt iuſta: ergo debet ei bene eſſe. Reſpondeo ad maiorem, Iuſtis debet bene eſſe, ſcilicet, ſecundùm interpretationem Euangelij, finaliter ſcilicet & in vita æterna. eccleſia eſt iuſta, ſcilicet in hac vita, imputatione & inchoatione, nondum conſummatione. Et quia circunferunt pij reliquias peccati, quādiu ſunt in hoc corpore morti obnoxio, vult Deus in ærumnis conſpici iram ſuam & iuſtitiam aduerſus peccata: ideóque eccleſia magis oneratur cruce quàm cæteri, quia mundus contemnit hoc iudicium.

Loquitur autem propheta in ſua perſona & de ſeipſo, quia antea dixerat ſe quoq; fore diſcipulum & auditorem huius doctrinæ, & ſuam perſonam tanquam exemplum cæteris eccleſiæ membris intuendum proponit. Interrogatio, qua vtitur, magis emphatica eſt quàm ſi ſimpliciter diceret, Etiamſi hoſtes mei, qui me antecellunt opibus & potentia, me conculcant pedibus, & multæ magnæ miſeriæ mihi ſunt ferendæ: tamen propterea non deficiam à Deo. non abiiciam profeſſionem doctrinę, nec faciam contra Dei mandatum, victus minis aut magnitudine periculorum, multo minùs verò id faciam captus illecebris voluptatū, quibus homines impios diffluere video. Hæc eſt propoſitio pſalmi nuda & ſimplici oratione expoſita: ſed interrogatio addit emphaſin.

Cur timebo] Quaſi diceret, Non eſt cauſa cur timeam aut exhorreſcam, quia video illam hoſtium potentiam & felicitatem tantùm ad momentum durare, & diuitias illis occaſionem eſſe ruinæ & interitus.

In diebus malis] Id eſt, quum afflictionibus premor, & cùm publicæ tum priuatę calamitates me exercent.

Quando iniquitas calcaneorum meorū circundat me] Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ: vult enim hoc dicere, quando improbi dominantur & violentiā impunè in bonos exercēt. Deeſt enim in Hebræo aduerbium temporis אשר: eáque ellipſis huic linguæ eſt familiaris.

Iniquitas calcaneorum meorum] Id eſt, eorū à quibus premuntur calcanei mei, quíque inſiſtendo veſtigiis meis atque vrgendo me ſupplantant atque euertere conantur. Nomen enim עון accipitur paſſiuè pro iniuria, nō quam ipſi calcanei aliis inferunt, ſed quæ calcaneis infertur ab hoſtib⁹. Hęc ſimpliciſſima & minimè coacta eſt ſententia. Alij calcaneum metaphoricè pro vitæ exitu accipiūt, & verſum ita interpretantur, ſi in diebus malis timeam, & mihi nimis anxiè proſpiciam, tandem in calcaneo, hoc eſt, in morte ſeu fine vitæ iniquitates meæ tenebunt me conſtrictum & obſeſſum. ſed hoc videtur eſſe nimis coactum. Alij etiam calcaneos interpretantur cogitationes, ſed metaphora eſt peregrina: cuius, quod ſciam, nullum extat exemplum.

7 Qui confidunt ſuper opulentia ſua: & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.

8 Frater redimendo non redimet quenquam [*vel, vt Hieronymus reddidit, fratrem non redimet quiſquam*] non dabit Deo pretium redemptionis eius.

Additur *ratio*, cur non trepident in rebus aduerſis. Atq; hæc ratio conſtat antitheſi. Initio enim vtitur quaſi conceſſione: Ipſi, inquit, confidunt ſuis opibus, potentia aut viribus, & cùm tumidè ſe efferant fiducia potentiæ & opum, non tantùm contemnunt alios præ ſe, ſed etiam omni genere petulantię & iniuriarum moleſtiam exhibent bonis. Hæc eſt conceſſio de facto, vt ſic dicam: ſed additur mox correctio ex antitheſi. Qualis verò hæc eſt confidentia aut felicitas, qua ſe ita ſtolidè efferant? certè, inquit, eſt momentanea & inutilis. Opes enim quantumuis magnæ non poſſunt depellere mortem, nec proſunt morientibus. Nemo enim eſt qui poſſit hominem redimere à morte interpoſito pretio, aut impetrare vt ei vita prorogetur. Qualis igitur inſania eſt, de his rebus fugacibus tantopere eſſe ſolicitum, atque interea negligere res omnium maximas, & ad æternam ſalutem pertinentes? Talis eſt antitheſis in his verſibus, qua conſiderata minùs erit obſcuritatis.

Ipſi confidunt in opulentia ſua] Id eſt, exiſtimant omnẽ felicitatem ſuam poſitam eſſe in multitudine opum, quas vbi adepti ſunt, ſomniant ſe ſatis eſſe munitos cōtra omnes iniurias: ideóque rident & contemnunt iudicium Dei, fiunt ſecuri, indulgent ſuis cupiditatibus & prauis affectibus, nihil non moliuntur & tentant fiducia ſuarum opum. Hæc omnia comprehenduntur verbo confidendi.

Deinde inquit, *Gloriantur*: id eſt inſoleſcunt & efferunt ſe ſupra alios, contemnunt alios præ ſe, premunt bonos, incedunt faſtuoſè, ſceleratè abutuntur donis diuinis in profuſionibus, in luxu ædificiorum, veſtitus, conuiuiorum, &c. Sequēs verſus, vt dixi, eſt antitheſis: ſed frater nō redimet quenquā, id eſt, nulla bona tanta ſunt quæ poſſint tollere mortem.

9 Et pretioſa erit redemptio animæ eorum, & deficiet perpetuò.

Expolitio eſt præcedentis verſus, éſtque ו initio verſus magis rationale quam copula, quia, inquit, maius eſt pretium vitæ quàm vt homo perſoluere poſſit. Alias res ad hanc vitā pertinentes poteſt ſibi homo opibus cōparare, ſed à morte atque interitu ſe vindicare non poteſt, hîc enim nullum inuenitur pretium vel λύτρον quo ſibi vel aliis quiſpiam æternitatem in mundo redimat. In hanc ſententiam adduntur hęc verba: *deficiet perpetuò*, ſcilicet redemptio. *Sie kan nicht zu vvuege gebracht vverden.* Alij hoc membrum ita reddunt, duratio in ſeculum, ſcilicet, eſt pretioſior quàm vt redimi pecunia poſſit. Sed prior ſententia, vt ad grammaticam congruit, ita eſt magis perſpicua.

10 Vt viuat amplius in perpetuum, nec videat ſepulchrum.

Id eſt, non ſolùm poſtquam mortui fuerint, non poſſunt redimi aut reuocari in vitā: ſed etiam dùm adhuc ſuperſtites agunt in mundo, non poſſunt ſibi opibus ſuis prorogare vitā. Nam cuique ſuus terminus eſt fixus, quem tranſilire nequit. Ita à circunſtantia temporis ornat & amplificat orationem. Alij ſic reddunt hunc verſum, etiamſi viuat in perpetuum, hoc eſt, etiamſi quam diutiſſimè viuat, tamen erit ei tandem moriendum: & viuere accipiunt pro bene habere, otióque & voluptatibus frui. Sed mihi prior ſententia videtur eſſe plana magis & perſpicua.

11 Quia videtur [*quòd vel quomodo*] ſapientes moriuntur, ſimul [*etiam*] ſtultus & inſipiens pereunt: & relinquunt alienis [*vel etiam aliis, vt tam legitimos ac ſuos hæredes quàm alieniores deſignare videatur*] opulentiam ſuam [*diuitias ſuas.*]

Ab experientia & quotidianis exemplis probat quod antea dixerat, neminem poſſe vel ſe vel alios ab interitu & morte redimere pecunia. Nam quotidiana experientia oſtendit, omnes homines eſſe mortales, & mortem omnibus eſſe communem. Nemo enim tam ſapiens aut potens eſt, qui ſua ſapientia aut potentia mortem effugere poſſit. Verbum יראה initio verſus vſurpatur imperſonaliter, *Man ſihet*, vel, videt ſcilicet quilibet, vt ſapientes & ſtulti, id eſt, omnes homines ſine diſcrimine moriantur: aut quomodo mors nulla habita ratione ſexus, ætatis, conditionis, dignitatis, abripiat omnes.

12 Intimum eorum [*id eſt cor aut cogitatio eorū eſt quod*] domus ſuæ in perpetuum [*&*] habitationes ſuæ in generationem & generationem: vocentur nominibus ſuis ſuper terram.

Ex antitheſi deſcribit ingenia, mores, & ſtultas cupiditates impiorum, quibus ſeſe miſere decipiunt. Quanquam, inquit, videant quotidie ſine diſcrimine, homines mortē oppetere: tamen tanta eſt horum hominum ſtultitia & ſtupor, vt nihil aliud ſibi ſomniēt, nihílque in corde ſuo verſent aliud quàm perpetuam vitam in his terris. Ita enim omnia ſua inſtituunt quaſi perpetuò ſint victuri: ædificāt ſplēdidas ædes maximis ſūptibus, atq; his exiſtimāt perpetuitatem nominis poſſe conſeruari. Hoc enim eſt quod dicit, intimum eorū eſt

quod ædificia ſua ſint in perpetuum: id eſt, hæc cogitatio intimos eorum ſenſus occupat, quod ædificia illa quibus conſecrare memoriã ſuam poſteritati, & vindicare nomen ſuum ab interitu conantur, ſint perpetuò duratura. Nam nomen קרב cùm medium cuiuſque rei ſignificet, metaphoricè etiam pro corde hominis accipitur, quod medium locum in corpore occupat. Et cordi non tantùm affectus, ſed cogitationes etiam tribuit Scriptura. Alij קרב interpretantur ſepulchrum, quod viui extruxerunt magnificè, vt per metatheſin ex קבר factum ſit קרב. Nomen בית non tantùm de ædificiis, ſed inprimis de familia accipi debere exiſtimo. ſed quod ſequitur vocabulum משכנות propriè ad ædificia pertinet.

Vocentur nominibus] Id eſt, magno conatu in hoc incumbunt vt nomen ipſorum ſit celebre ad poſteros, eáque in re nulli parcunt ſumptui aut labori, cùm, ſi ſaperent, hoc potiùs agere & curare deberent, vt nomina ipſorum referrentur in librum vitæ, & coram Deo in numero electorum cenſerentur. Hieronymus, quem plerique hoc in loco ſequuti ſunt, ſententiam huius membri his verbis expreſſit: vocauerunt nominibus ſuis terras ſuas, id eſt, indiderunt nomina ſua regionibus & vrbibus, vt gloriæ monumentum poſteris relinquerent, vt ab Alexandro dicta eſt Alexandria, ab Antiocho Antiochia, à Seleuco, Seleucia, &c.

13 Et [*ſed*] homo in ſplendore [*excellentia*] non permanebit [*perdurabit:*] ſimilis factus eſt iumentis [*quæ*] intereunt.

Redit ad priorem doctrinam de communi hominum ſorte. Quantumuis, inquit, homo ad magnam dignitatem & potentiam in hac vita perueniat, tamen non eſt illa durabilis aut perpetua. Nam & multæ ſunt rerum conuerſiones in hac vita, & exiguo momento etiam ſumma potentia euertitur, iuxta illa dicta.

--ſummiſque negatum
Stare diu. Item,
Irus & eſt ſubitò qui modò Crœſus erat. &,
Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.

Etſi autem in hac vita nonnunquam fortunata eſt malitia, & arridet malis fortuna ſæpe vſque ad mortem, tamen poſt mortem ſepeliuntur æterna obliuione. Ideo dicit eos interire more pecudum: non quòd nullum diſcrimen ſtatuat inter homines aut bruta animantia, aut quòd in ea ſit opinione, vt exiſtimet animas vnà cum corporibus interire: ſed loquitur propheta tantùm de præſentis vitæ ſtatu, in quo pariter omnes occidere atque interire videmus, non aliter vt iumenta. Neque enim opus erat ad impios & crudeles, cum quibus ei negotium eſt, diſputare de futura vita, quibus perſuaſum eſt, nullam reſtare aliam poſt hanc vitam, ideóque nullam aliam animo felicitatem concipiunt quàm qua in præſentia fruuntur. Poſtea verò quando de pœnis impiorum & conditione piorum agit, expreſſè facit mentionem futuræ vitæ.

Alij paulo ſubtilius hunc locum interpretantur. Dicunt enim, ideo homines iumentis fieri ſimiles & obbruteſcere, quia non intelligant ad quam dignitatem ſint conditi. Sed de hac ſententia in fine pſalmi dicitur, vbi verbum ילין quo in hoc loco vſus eſt, mutatur in verbum יבין. Alij etiam ad Adamum hunc verſum accommodant: ſenſu tamen admodum peregrino & coacto.

14 Hæc via ipſorum ſtultitia ipſis, & [*tamen*] poſteri eorum ore ſuo approbant, Selah.

Hic verſus referendus eſt ad duodecimum, in quo deſcribit vitam, ingenia & mores impiorum. Eum igitur quaſi concludens inquit, *Hæc eſt via ipſorum:* id eſt, hoc vnicum agunt & ſtudent vt conquirant magnas opes perueniant ad ſummos honores & potentiam, fruantur voluptatibus, & famam celebrem ſibi ad poſteros comparent. In his rebus ſummam felicitatem ponunt, hoc verò ſtudio & labore nihil aliud quàm ſtultitiam ſuam profitentur. Homo enim cum non ſit conditus ad voluptates huius vitæ, ſtultitia eſt ſummum bonum commodis ſuis aut voluptatibus metiri. Hæc eſt ſimplex & plana huius loci ſententia, vt nomen כסל per appoſitionem addatur præcedenti דרך *Hæc eſt via*, nempe ſtultitia ipſorum, vel quod idem eſt. Hæc eſt ſtulta via ipſorum, viam autem nominat more Hebrǽorum inſtitutũ ſeu rationẽ vitæ, mores, negotia, denique quicquid agimus. Germani quàm proximè ad Hebraiſmum accedentes, viam nominant *Alles damit man vmbgehet.* Alij longius diſcedunt à ſententia. Nam nomen כסל interpretantur adipem: ac ſi diceret, Hęc cogitatio eſt illis inſtar adipis, qua ſenſus ſuos tegunt & ſuffocant, ne res optimas & cęleſtes, vt par erat, intueantur aut intelligant, ſed hoc peregrinum eſt. Alij addunt literam כ ſimilitudinis. Hæc via eorum quaſi ſtultitia eſt. Quidã etiam ita diuellunt hoc membrum, vt quod de ſtultitia dicitur, referri ad prius membrum exiſtiment, ideóque illatiuam particulam inſerunt. Hæc eſt via eorum, ideo ſtultitia eſt ipſis, *Darumb iſt es thorheit mit ihnen.*

Et tamen poſteri ipſorum ore ſuo approbant] Inſerit querelã ab indignitate rei. Etiam poſteri quanquam vident omnes res humanas eſſe fragiles & caducas, & parentibus nihil profuiſſe opes, aut potentiam, aut dignitatem, tamen ſequuntur exempla ſuorum maiorum, & ipſi quoque has nugas ſectantur, magnifaciunt & laudant. Hãc iudico eſſe natiuam huius membri ſententiam: quod tamen variè ab interpretibus eſt expoſitum. Alij verbum ירצו ac ſi eſſet ירוצו ſcriptum, interpretantur verbo ambulandi ſeu currendi, & nomen פה accipiunt pro menſura, vt ſit ſententia, Filios ſecundùm patrum rationem incedere vel progredi. Atque hi literam ב quę inſtrumẽti hoc loco eſt, conuertunt in כ ſimilitudinis, & nomini פה metaphoricã ſignificationẽ affingũt: iuxta illud Deut. 21. vt det illi os duorum, id eſt, portionem ſeu menſuram. Nonnulli etiam nomen פה μεταληπτικῶς pro ſermone, inſtitutis ac præceptis accipi volunt: quaſi dicat, Poſteri ipſorum inſtitutis acquieſcunt.

15 Tanquam oues in ſepulchro ponuntur, mors depaſcet eos: & dominabuntur eis recti manè: & robur eorum vt veteraſcat, infernus habitatio ei [*id eſt, eorum. Eſt enim enallage numeri.*]

Epilogus eſt huius partis, in quo receſet extremam infelicitatem, miſerias & cruciatus impiorum, quibus ſint deſtinati. Primùm, inquit, tanquam oues ſeu pecora ponuntur in ſepulchro, id eſt, ſicut paſtor oues in ouile ſuum colligit & includit, quas tandẽ mactet: ita impij, quibus antea totus mundus non erat ſatis amplus ad cupiditates ipſorum explendas, quique, Alexandri exemplo, ſi audiant plures eſſe mundos, aut voluptates quas nondum conſequuti ſint, in maximum animi dolorem coniiciuntur: hi inquam ſuo tempore colligentur in ſepulchrum & in anguſtam foueam, quæ ſtultas ipſorum cupiditates finiet & coercebit.

Mors depaſcet eos] Hoc non tantùm de morte corporis intelligendum eſt, ſed multo magis de æterna morte corporis & animæ, in qua non tantùm corpora impiorum excruciabuntur igne inextinguibili, ſed anima orbata omni luce & cõſolatione iacebit oppreſſa horribilibus doloribus, qui tanquam vermes perpetuò vellicabunt & mordebunt conſcientiam, ſicut inquit Ieſa. 66. Vermis eorum non moritur. Horum dolorum magnitudo animo concipi, aut verbis exprimi non poteſt.

Recti dominabuntur ipſis] Hoc eſt, Qui antea ſe efferebãt cõtra Chriſtum & eius ſanctos, eóſque crudeliter perſequebantur & mactabant, hi tandem ſubiicientur Chriſto, vt ſint ſcabellum pedum eius, pſal. 110. Et quia Chriſtus eſt caput ſuæ eccleſiæ, etiam hoc ad membra pertinet. Sancti igitur ſimul cum Chriſto dominabuntur reprobis in altera vita. Etſi igitur interdum interficiuntur crudeliter à tyrannis homines ſancti, tamen non intereunt, imò eſt ipſis hæc mors aditus ad illud beatum regnum, in quo filius Dei non multo pòſt ſe victorem oſtendet diaboli & omnium hoſtium ſuorum, & pios in ſocietatem regni adſciſcet.

Additur autem *Manè*: in quo dulciſſima eſt tranſlatio: ſignificans alteram vitam quæ hanc ſequutura eſt. Ea enim hoc loco comparatur tempori matutino, quod lucem nobis reducit poſt triſtes noctis tenebras. Nunc enim in hac vita verſamur in denſiſſimis tenebris tãquam in nocte perpetua, obiicimur variis miſeriis & periculis, omnia ſunt plena ęrumnarum & dolorum, & quanquã pij aliquam cernunt in verbo lucem ſeu conſolationem, tamen id fit tanquam in ænigmate, &, vt Petrus inquit, in obſcuro loco lucet hæc lucerna. Sed in altera vita, diſcuſſis omnibus nebulis ac noctis tenebris, illuceſcet nobis ſol iuſtitiæ Chriſtus, quem claro intuitu faciè ad faciem cernemus. Hæc principaliter iudico ſignificari aduerbio *manè*: poſtea etiã accipi poteſt vox Hebręa pro eo quod nos dicimus, citò aut maturè: in hac enim ſignificatione ſæpe vſurpatur. Atque ita ſi accipias, opponitur hęc dictio tentationi de mora auxilij & liberationis, quæ grauiter excruciat animos piorum. Recti dominabuntur mane, id eſt, ſubitò facta rerum commutatione, etiam in hac vita, id quod ſæpe fieri videmus. Nam cùm neceſſe ſit eccleſiam manere in hac vita vſque ad Chriſti aduentum, non poteſt tantum vis hoſtilis, quin illa ſuperatis omnibus difficultatibus & periculis læta triumphet.

Robur eorum ad veteraſcendum] Id eſt, veteraſcet: hoc eſt, omnes illæ opes, quas magno ſtudio collegerant, & potentia illa, quæ magnis laboribus erat parta, & qua tantopere confide-

fidebant, inſtar veſtimenti vetuſtate conſumpti dilabetur, concidet & euaneſcet.

צור] Hebræis petram ſignificat ſeu rupem inacceſſam, & figuratè rem qua quis tanquam firma petra & munitione cõfidit. Græcus reddidit βοήθειαν. Alij interpretati ſunt imaginẽ ſeu figuram, quæ tendit ad defectionem, ſicut Paulus inquit, 1. Corint. 7. Præterit figura huius mundi. vt gloriam inanem comparet figuræ in ſpeculo aut ſomnis apparenti, cui nihil ſolidi ſubeſt.

Infernus habitaculũ ipſis] Id eſt, qui in hac vita habitabant in ædibus ſplendidis, vbi videbantur ſibi fixum habere domicilium, illi paulo pòſt egredi inde cogentur, & pro ædificiis ſplendidis & magno ſumptu exornatis habebũt aliud domicilium, ſepulchrum nempe & infernum ad quẽ deſcendent. מזביל plerique ita ſcribunt & legunt, vt מ ab initio ſit hæmanticum, quemadmodum nos interpretati ſumus, Infernus eſt domicilium ipſis. Complutenſe tamen exemplar & alia habent מזביל in qua forma מ eſt præpoſitio. Atque ſi ita legas erit hæc ſententia, Cùm cogentur egredi ex ſuis domiciliis ſplendidè ornatis, deſcendẽt in aliud triſte habitaculum, nempe in infernum.

לו *ei*, id eſt, quod erat ei, deeſt enim relatiuum אשר & ſcribitur לו pro לחם propter carmen.

16 Veruntamen Deus redimet animam meam è manu inferni: quia [*vel quando*] ſuſcipiet me, Selah.

Antitheſis eſt ſuperioris orationis. Hactenus enim de vanitate & ſtultitia impiorum, qui omnem ſpem in diuitiis repoſitam habent, atque harum fiducia ita inſoleſcunt, vt Deum & ipſius iudicium rideant & contemnant: deinde de exitu & pœnis eorundem dixit. Nunc attexit alteram partem de piis, quos plerunque in hac vita cernimus variis ærumnis & calamitatibus eſſe oppreſſos. Ne igitur ab illis externis ſpectaculis fiat iudicium de felicitate piorum, finem intuendum eſſe docet. Futurum enim inquit, vt impiis in exitium præcipitatis pij liberentur à morte perpetua, & vita æterna donentur. Hæc bona multo maiora ſunt quàm omnia corporalia, quibus affluunt impij in hac vita.

Iterum autem ſuum exemplum eccleſiæ proponit, in quo petit omnium piorum conditionem conſiderari. Nam quod Dauidi aut quicunque autor eſt pſalmi, accidit, idem expectare & ſtatuere de ſe debent omnes, qui promiſſiones diuinas vera fide amplectuntur. אך affeuerantis eſt, certè, atqui.

Redimet me] Hæc oratio diligenter eſt conſideranda. Primùm enim docet, ſe & omnes pios naturaliter morti eſſe obnoxios, ſed Deum erepturum eos ex ipſa morte & donaturũ vita & lætitia perpetua. Morte enim deſtructa & abolita neceſſe eſt ſuccedere vitam. deinde monet non eſſe ſubſiſtẽdum in hac vita præſenti, ſed animo intuendam eſſe alterã vitam, ídque qui faciunt, multo faciliùs ferre communes huius vitæ ærumnas. Tertiò, luculentum immortalitatis noſtræ teſtimonium in hoc proponitur.

Manus μεταληπτικῶς accipitur pro imperio & poteſtate. Mors quidem videtur rapere tam bonos quàm malos, & dominari in omnes ſimiliter, cùm nemo effugere eius manus poſſit: ſed pij habent potentem liberatorem, qui eos à morte redimit.

Inferni] Non dicit ærumnarum & calamitatum, quibus in hac vita eccleſia premitur. Quanquam in his quoque ſuam præſentiam & potentiam ſæpe oſtendit, dum glorioſè eccleſiam liberat: ſed extremum malum nominat, hoc eſt, æternã mortem & damnationem: à qua qui liberantur, facilè huius vitæ ærumnas contemnunt.

Quia ſuſcipiet me] Addit cauſſam: quia, inquit, ille me adoptauit & fauore ſuo complectitur: ideóque ſecundùm promiſſionem & fœdus quod mecum pepigit, non relinquet me in morte & exitio, ſed animam meam ſuſcipiet in morte & ad ſe in ſuum regnum transferet. In illa igitur vita conſpicietur diſcrimen inter pios & impios.

17 Ne timeas cum ditabitur vir: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.

Repetit principalem propoſitionẽ, quæ initio pſalmi recitatur. Quod autem antea de ſe dixerat, nunc ad omnes pios transfert. Hortatur enim omnes, ne offenſi felicitate & ſplẽdore impiorum deficiant à Deo, aut ſpem abiiciant, ſed vera & æternum duratura bona vmbris fugacium & euaneſcentium bonorum anteponant.

Ne timeas] Id eſt, ne frangaris animo ſi videas impios creſcere opibus, potentia & viribus, nec exiſtimes hinc eſſe ſumendum iudicium de fauore Dei erga homines, ſed potiùs auerte oculos in iſtis ſpectaculis, & conſidera finem illorum hominum: ita fiet vt facilè ſpernas & rideas vanam iſtorum hominum iactantiam.

18 Quia non auferet omnia in morte: non deſcendet poſt eum gloria eius.

Repetit rationem quam ſuprà quoque recitauit: quia, inquit, illa felicitas impiorum eſt momentanea: etiamſi enim aliquandiu floreant opibus, & affluant voluptatibus ac deliciis: tamen paulo pòſt, ſi non in hac vita, in morte tamen cogentur iſta omnia relinquere: nam vt nudi in terram venerunt, ita nudi diſcedent, nec auferent ſecum opes ſuas.

19 Quia animæ ſuæ in vita ſua benedicet, & confitebuntur tibi [*laudabunt te*] cùm benefeceris tibi.

Reprehenſio eſt peruerſi ſtudij impiorum, qui tantùm in hac vita ſuis voluptatibus indulgent, & deliciis carnis ſunt addicti: ea verò quæ ad vitam æternã & animæ ſalutem pertinent, deplorata ſecuritate negligunt & contemnunt.

Anima ſua benedicit in vita] Id eſt, blanditur ſibi, placet ſibi propter opes, quas videt copioſè affluere, ſecurè indulget voluptatibus, atque in his ſummam felicitatem collocat. hoc enim eſt benedicere animæ ſuæ, ſicut diues ille apud Lucam cap. 12. à Chriſto deſcribitur. *Dicam animæ meæ: Anima mea, habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, lætare.* Et ſimiles alibi phraſes occurrunt, ne fortè errore quis ſeductus, cũ audiuerit verba maledictionis huius, benedicat ſibi in corde ſuo, id eſt, ne ſibi blandiatur aut indulgeat, nec ſecurus factus rideat & contemnat iudicium Dei, quaſi hæ maledictiones nihil ad ipſum pertineant, aut quaſi ſint inanes verborum ſonitus.

In vita] Id eſt, quãdiu fruitur voluptatibus, *So lang im vvol iſt.* Ita enim vita in Scriptura ſæpe accipitur. Alij ita orationẽ reſoluunt: Animæ ſuæ debuerat benedicere, id eſt, quærere ea quæ pertinent ad ſalutem animæ. Sed alienũ hoc eſt à phraſi linguæ Hebrææ.

Et celebrant te cùm benefeceris tibi] Mutatio eſt perſonę vſitata Hebręis. Nam & hoc quoque ad impios in genere pertinet. Eſtque apoſtrophe, ad illos voluptuarios homines qui propter opum multitudinẽ in hac vita ſomniant ſe beatos eſſe. vult autẽ hoc dicere. Homines Epicuręi non tantum propria ſua ſtultitia & errore ita infatuantur, vt ſe beatos eſſe exiſtiment ſi abũdent opibus: ſed magis etiã dementantur à ſuis aſſentatoribus, aut à vulgo, à quibus habentur in pretio, laudãtur, extolluntur & magnifiunt, vt iam ſemideos ſe eſſe putent. Ita Alexander à ſuis gnathonibus perſuaſus credidit ſe eſſe filium Iouis, & alios idem credere voluit. Et in primis hoc vſitatum eſt vt voluptuariis hominibus aſſideant paraſiti, qui ipſorum felicitatem prædicent, non aliam ob cauſam quàm vt ipſi quoque illarum voluptatum participes fiant.

Interpres Græcus ad Deum referendum hoc eſſe membrum cenſet, per ἀποστροφήν. Laudant te, cùm benefeceris ipſi: hoc eſt, quemadmodum Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues trepidantes ſcribit, mores improborum ſeruorum imitantur, qui herum benefacientem prædicant, caſtigantem auerſantur.

20 Venies ad generationem patrum eius: vſque in perpetuum non videbunt lucem.

Iam concludit, & ab exitu impiorum hominum oſtendit quàm ſint miſeri & infelices, etiamſi in hac vita perpetuò diffluant opibus & deliciis. Vbi enim, inquit, ex hac vita exceſſerint, nullo vnquam tempore videbunt lucem, id eſt, nullam ſentient conſolationem, lætitiam aut vitam, non ornabuntur gloria & luce cæleſti: ſed erunt perpetuò abiecti & damnati à Deo, & conficientur horribilibus doloribus ac cruciatibus.

Venies ad ætatem patrum eius] Id eſt, Etiãſi diu viuas & oblectes te iſtis voluptatibus, tamen non peruenies vltra patrum ætatem, nec prorogabis vitam vltra præfinitum terminum vitæ humanæ, aut præfixam metam, ſed morieris ſicut reliqui, & tunc erit initium æternorum dolorum.

Alij venire ad ætatem patrum interpretantur, colligi in ſepulchrum vnà cum patribus: ſicut mors in Scriptura dicitur via vniuerſæ carnis: ſed ego vocem דור accipio de duratione vitæ quæ in his terris agitur.

21 Homo in excellentia [*honore, dignitate*] & non intelligit: ſimilis factus eſt iumentis, [*quæ*] intereunt.

Epiphonemate concludit pſalmum. Continet autem deplorationem miſeriæ & ſtultitiæ humanæ, quæ excæcata rebus ſecundis, aut ebria voluptatibus non cogitat ad quam præſtantiam & dignitatem homo ſit conditus: ſed neglecto Deo, ad cuius imaginem conditus erat, pecudum mo-

re ſe voluptatibus immergit, quaſi ad has res caducas abſorbendas & deglutiendas tantùm ſit conditus.

In excellentia] Silicet erat. Homo enim conditus erat vt eſſet imago Dei agnoſcens Deum & celebrans eum, & vt vitam diuinam in his terris ageret: ſed ille brutis factus eſt ſimilis, & in eundem cum pecudibus interitum cadit.

Similis factus eſt brutis] Quæ ſcilicet tantum ventrem paſcunt rebus terra naſcentibus, nec longius proſpiciunt: non enim agnoſcunt autorem horum bonorum, nec quomodo his rectè vtendum ſit norunt.

PSALMI XLIX.
PARTES.

I. Exordium rhetoricum, audientiam ſibi, verè & elegantiſſimè concilians. 1. A perſona auditorum, ad quos huius pſalmi documenta ex æquo pertinent, 2.&3.verſ. 2. A materia ſiue argumento, quod duobus nominibus commendatur: nempe à natura ipſius, quod ſapientiæ & intelligentiæ ſit argumentum, v.4. tum etiam à forma, v.5.

II. Propoſitio glorioſæ ac ſanctæ fiduciæ & ſecuritatis in Deo, aduerſus omnia mala mortem præcedentia & ſubſequentia, per interrogationem, v.6.

III. Amplificatio glorioſæ & ſanctæ huius fiduciæ, per comparationem cum humana carnalique confidentia ſeu ſtulta ſecuritate, quæ 1. aut in opulentia, 2. aut in ambitione, 3. aut in honoribus, 4. aut in vitæ luxu, ac non in Deo collocatur: quorum omnium inſtabilitatem docet, tum etiam miſerum eorum qui illis confidunt exitum, à v. 7. ad 16. proinde meritò ſtatuit ſibi nihil metuendum eſſe, vt qui rebus iſtis incertis miſeriſque omiſſis conquieſcat in Deo, v.6.

IV. Deſcriptio ſtudiorum hominum. 1. Opulentia & gloriatio ob diuitiarum multitudinem, v.7.8.9.10.11. Remedium proponitur, mortis aliorum & ideo ſuæ ipſius conſideratio. 2. Secundum ſtudium, ambitio, ſeu gloria celebritáſque nominis, v.12. cui remedium idem quod aduerſus auaritiæ morbum applicatur, nempe mortis meditatio, & ambitioſorum vanitas, quæ parietes æternos in mundo perituro cogitat. 3. Tertium ſtudium, honores, v.12. Remedium, homo quantumuis excelſus, eſt cinis, nec in morte differt à brutis, ſi externam ſpectes ſpeciem: cur igitur pecus ſuperbit? 4. Quartum ſtudium, vitæ luxus & pompa, morti ipſi inſultans; & poſteris ſtultitiæ tantæ præbens documentum, v. 14. cui remedium opponitur, v.15. vel potius ad pios admonitio, aduerſus inanem illam impiorum fiduciam. Admonitio hæc tria continet, 1. impiorum gloriam à morte abſorptum iri. 2. Dei electos in Chriſto, cuius regni fient participes, reprobis dominaturos. 3. die reſurrectionis in ſecundo Chriſti aduentu id euenturum.

V. Reſponſio, v.16. ad ſecuram illam & confidentem interrogationem, quæ habetur ſupra, v.6. explicata humani ſtudij vanitate.

VI. Concluſio hortatoria ad omnes pios, ex ſuperiore hypotheſi, ſiue exemplo ſingulari Prophetæ, v. 17. Huius ſumma eſt, non eſſe ferendum, vt impiorum exemplis aut ſolicitationibus abducamur: ſed fidei & bonis operibus incumbendum. Confirmatio ſumitur 1. à vanitate & incerto ſtatu rerum quibus confiditur, v.18.19.20. 2. ab inſtabilitate & exitio hominum qui rebus fluxis nituntur, verſ.21.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Quamuis impij homines, terrenis deliciis & diuitiis addicti, feliciter agere, & Dei cultores ſub miſeriarum iugo languere videantur: non eſt quod diuites iſti in ſua fortuna ſuperbiant, alij verò deſpondeant animos. Nihil enim eſt inanius diuitum qui pios pauperes opprimunt, arrogantia, ſicut res ipſa tandem demonſtrat. Ex quo conſequitur non eſſe timendos illos faſtuoſos, perinde ac ſi parem ſuæ nocendi voluntati facultatem haberent. Deinde certa ſpes melioris vitæ omnibus illis cogitationibus eſt opponẽda, quæ in eiuſmodi ærumnis nobis occurrere ſolent: ac ſemel ſtatuendum, beſtiarum quàm hominum ſimiliores eſſe qui honoribus aut opibus aucti quomodo ſit illis vtendum non intelligunt, nedum vt illis ſapiens quiſquam inuideat.

2 Doctrinæ quam Dei Spiritus proponit, vtilitas omnibus hominibus ac populis cõmunis eſt: qui ideo inuitandi ſunt ad eam amplectendam.

3 Omnes ſeria admonitione opus habent, quia nemo ad rectam rerum cæleſtium & terreſtrium æſtimationem, niſi expergefactus, erigitur.

4 Elogiis certis ornatur Sacra doctrina, tum vt à contemptu vindicetur, tum vt mentes ſtupidas & terrenarum deliciarum amore, aut ærumnarum dolore ſopitas excitet.

Sapientia non naſcitur in hominis ingenio, ſed è cælo petenda eſt: ideóque nemo prudenter & ſcitè in ædificationem eccleſiæ vnquam loquetur, niſi qui Deo ſe priùs docilem præbuit.

Aperiendi verbo vtens propheta, teſtatur ſibi minimè eſſe propoſitum, res, de quibus acturus eſt, perplexis & obſcuris ambagibus inuoluere. Et certè quanuis longè à ſenſu noſtro remota ſit cæleſtis doctrina propter ſuam ſublimitatem, Spiritus ſanctus ad captum noſtrum ſic temperauit ſua oracula vt tota Scriptura vtilis ſit nobis ad ædificationem. vnde fruſtra ignorantiæ prætextus à multis captatur: quia nihil tam arduum eſt vel difficile, quod non rudibus & idiotis ſit patefactum.

6 Pij non debent vltra modum turbari rebus aduerſis, etiãſi proteruè eos vrgeant impij, & iam pro libidine vndique concluſos teneant, quia Dominus, quãuis diſſimulet ac quieſcat, nõ tamen dormit in cælo: ſed iudicia ſua in tempus opportunum differt ac ſuſpendit.

Ea eſt piorum in terris conditio vt ab impiorum potentia premantur, &, quaſi calcibus eorum petantur, vix pedem referre poſſunt, quum violenti iſti immineant ad pios obruendos.

7.8.9.10. Dum homines metuimus, vano & fallaci metu turbamur, quia non reputamus qualis ſit eorum conditio, miſera videlicet ac euanida, quanuis ſuperbè ob ſuas diuitias efferantur: perinde ac ſi ab vmbra vel ſpectro quiſpiam ſibi metuat.

Confidere in ſua opulentia & in diuitiis gloriari, certum amentiæ ſignum eſt, vbi ſtulti homines non vident quod eorum oculis eſt expoſitum. Quotidie enim experiuntur nullo pretio cuiuſquam hominis vitam ab aliis poſſe redimi. Cur igitur illis inuideremus?

Omnium vita in vnius Dei manu & arbitrio eſt: nec poteſt vlla pactione tranſigi vt tempus prorogetur, quoties Deo viſum fuerit hunc vel illum euocare. Non eſt igitur quòd impiorum infirmorum & mortalium hominum vim ita reformidemus.

Non poteſt inter homines inueniri pretium quo ſibi vel aliis æternitatem in mundo redimant: præfixus eſt enim cuique viuendi finis, quem trãſilire nequeat. Itaque dum in ſua peruerſa fiducia deſipiunt profani homines, propinqui ſunt ſepulchro, à quo fruſtra ſe eximere tentant. Hîc autem humili ſtylo & populariter ac apertè diſſerere videtur propheta: quia tamen quaſi è ſublimi Dei ſolio ſtuporem hominum damnat, qui ſuperbia excæcati obliuiſcuntur ſe eſſe homines: quiſquis rem ipſam expendet, fatebitur ænigmata proponi in verbis perſpicuis, ac quæ ne rudiſſimos quidem idiotas lateant.

11.12. Etiamſi impij videant mortem omnibus eſſe communẽ, & ſapientes promiſcuè cum ſtultis extremum diem claudere, non deſinunt tamen æternum ſibi in terris fingere domicilium. perinde enim vitam inſtituunt ac ſi nunquam hinc migrãdum ipſis foret. Contrà, fideles ad meliorẽ vitam ſpe certa euecti, tanquam exules ac peregrini degentes in mundo, impiorum veſaniam deplorant.

Profani homines, ſiue filios relinquant in quorum perſona ſuperſtites quodammodo eſſe ſomniant, ſiue in morte, propter orbitatem, ſuum nomen videant extinctum, adeò nihil proficiunt his documentis, vt nihil aliud quàm perpetuitatem in terra, id eſt vitam in miſeria & morte, in animo verſent.

Dum

Dum piorum vota huc tendant vt nomen ipſorum in libro vitæ ſcriptum maneat, ac benedictum coram Deo & angelis: impij perperam rapiuntur in contrarium affectum, & laborioſè contendunt, vt famoſi ſint ſuper terram, ac altè ſua nomina reſonent.

13 *Quãuis profani & crudeles diuites, quaſi communi hominum ſorte exempti, cornua ſupra nubes efferant, mors tamen imminet, quæ abolebit eorum ſuperbiam, ita vt nihil inter eos & aſinos vel canes mortuos interſit.*

14 *Quũ profanis hominibus vana ſua confidentia cedat in ſtultitiam, vt meritò ſint apud omnes ridiculi, prodigioſus eſt furor in poſteris eorum, qui ne tali quidem experimento admoniti ſapere incipiunt, verùm ſe oblectant iiſdem deliriis, idem quod patres ſentiũt ac loquuntur. At Dei miſericordia erga pios in tertiã & quartã generationẽ, patres, filios, & nepotes in pietatis ſtudio efficaciter retinet.*

15 *Ambitioſi primatũ inter homines ſibi quidem vſurpant, ſed venient tandem ſub mortis iugum, & tunc ſeriò, magnoque cum ſuo dedecore diſcent de nihilo ſe fuiſſe gloriatos. Qui verò ſub potenti manu Dei humiliantur, ac æterna bona fide conſpiciunt, inenarrabili fruentur lætitia.*

In impios recti dominiũ obtinebunt, quia reprobi omnes ſub Chriſto capite noſtro proſternentur, vt ſint pedum eius ſcabellum: hæc victoria autem ad omnia Chriſti membra pertinet.

Ne filiorum huius ſeculi petulãtia nos conturbet, ſuccurrat nobis prophetæ dictum, quanuis nũc demerſus ſit mundus in tenebris, exoriturum ſubitò nouum mane (primùm quidem in morte corporum noſtrorum, præcipue verò in die reſurrectionis eorundem) quod faciem veræ & æternæ vitæ nobis reſtituet.

Terrena felicitas eſt vmbratilis & imaginaria quædã ſpecies, cui nulla ſubeſt ſoliditas: præterit enim figura huius mundi: vita eſt vapor euaneſcens: & homo, vmbra, ſomnium, vanitas & res nihili.

Quamuis nunc in ſplendidis ædibus habitent prophani, nec vnquam in publicum ſine magna pompa prodeãt, ac in mundo fixum ſibi domicilium habere videantur, breui tamen exire cogentur, ac ſepulchrum eos excipiet.

16 *Sancti patres ſub lege vixerũt & mortui ſunt in fide, nec ſubſtiterũt in præſenti vita, ſed mẽtibus in cælũ ſublatis cucurrerũt per hunc mundum, vt ad cæleſtem domũ tandẽ peruenirẽt. Execrandi ſunt igitur Sadducæi eorúmque diſcipuli, qui animã hominis putãt nihil aliud eſſe quàm halitũ: & Epicurei omnes qui nullã felicitatẽ extra huius vitæ terminos apprehẽdunt. Nam ſi redimi à morte, priuilegium eſt filijs Dei datum, certò colligimus meliorẽ vitam eſſe ſperãdam, ergo vtcũque in ſpeciem euaneſcat hominis anima dum migrat à corpore, ſtatuendum tamen eſt, colligi tanquam in Dei ſinum, vt illic fideliter ſeruetur vſque ad diem reſurrectionis.*

17 *Duplici ſolatio corda noſtra ſunt munienda: impiorum felicitatem eſſe vmbratilẽ & caducam: deinde finem vitæ ſemper eſſe intuẽdum. Sic fiet vt nos minimè obruat tædium miſeriarum quibus nos in hoc breui curriculo exerceri oportet: deinde vt alto animo ſpernamus fallaces pompas, in quibus ſibi tantopere plaudunt profani homines, qui fucato rerum euaneſcentium ſplendore exuti, à morte in ſepulchrum deiicientur.*

18 *Quantũuis luctẽtur miſeri homines, & quaſi inuita natura aliquid gloriæ poſt mortem ſibi aſſerere conentur, putredinem tamẽ & nuditatis probrum nõ effugient: quemadmodum ſcite à quodam dictum eſt, mors ſola fatetur Quantula ſint hominum corpuſcula.*

19 *Impij ſe beatos ſomniãtes delicias ſibi faciunt: præterea fallaci adulatorum plauſu dementantur, dum paſſim habentur in pretio, & vulgi opinione cenſentur felices, dum libidines ſuas explent poſthabita cæleſtis vitæ cura. Pij autem tanquã mundi piacula & purgamenta habiti ad ſupernæ vocationis ſcopum toti ferũtur, ſpe gaudent & ſupra cælos habitant, donec tandem re ipſa vitam & lætitiam æternam cum Chriſto poſſideant in cælis.*

20 *Poſtquam impij inebriati fuerint tam proprio errore quàm vulgi plauſu, tamen non tranſibunt metam cunctis mortalibus præfixam, nec (vt maximè ſint longæui) fruentur perpetua luce.*

Luce vitali non potiuntur filij huius ſeculi niſi ad breue tempus: quia ſimulac è mundo migrauerint, non alia vita illis ſupereſt.

Sedulò cauendum eſt ne in hac vita nobis benedicamus, ſed potiùs danda opera vt extra mundum egreſſi ad cæleſtem benedictionem continuò aſpiremus: nec minùs etiam prouidendum eſt ne vani hominum plauſus nos abripiant.

21 *Quanquam increduli, quantiſper in mundo viuunt, præcellunt brutis pecudibus, quia ratione & intelligẽtia præditi, notas adhuc aliquas imaginis Dei retinent, verè tamen à fine ipſo dicuntur iumentis ſimiles: quia inſipidè vorantes quicquid bonorum illis largitur Deus, & in caduca dignitate obſtupeſcẽtes, tandem inani ſua gloria ſpoliati, in eundem cum pecudibus interitum cadent. Nam quòd ſuperſtites à morte erunt eorum animæ, id minimè obſtabit quominus in æternum dedecus mors ipſos demergat. Inde etiam colligimus nonniſi noſtra culpa nos in mundo eſſe miſeros: quia ſi bona noſtra agnoſceremus, illiſque rectè vteremur, iam hic quædam ſcintillæ futuræ beatitudinis emicarent.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Electorum Dei in rerum humanarum miris conuerſionibus fiducia: mortis, & beatæ vitæ poſt mortem, præſertim in ſecundo Chriſti aduentu, perpetua meditatio.
2. De hominum omnium, terrenis rebus addictorum vanitate & inſania.
3. Auaritiæ, ambitionis, faſtuoſæ & luxurioſæ vitæ deſcriptio.
4. Mortis conſideratio impiorum terror & euerſio, piorum ſolamen.
5. De reſurrectione beata, & luce æterna piorum.

ARGVMENTVM PSALMI L.

PSALMVS quinquageſimus partim eſt generis didaſcalici, partim ſuaſorij. Continet enim grauiſſimam doctrinam de diſcrimine cultuum. Nam veros ſeu Deo placentes à falſis ſeu hypocriticis diſcernendo, quid de vtriſque ſtatuendum ſit docet, & cùm hypocritas obiurgando, pios ad veros cultus præſtandos hortatur, hoc ad ſuaſorium genus referendum eſſe, nemo eſt qui non intelligat. Huius verò doctrinæ maximus eſt vſus in vita Chriſtiana. Ideo toties in pſalmis & prophetis repetitur. Cùm enim conditi ſimus ad agnitionem & cultum nominis diuini, & nos naturali luce nec comprehendere Deum, nec intelligere quales ille cultus à nobis requirat, poſſimus, neceſſe eſt nos hac de re diligenter doceri. Niſi enim normam in verbo diuino præſcriptam teneamus, ea eſt maxima multitudinis hominum audacia, vt vel extra verbum Dei peculiares ſibi cultus confingat, quos Deo pro veris obtrudat (id quod ethnicos omnes extra eccleſiam omnibus ætatibus feciſſe hiſtoriæ gentium teſtantur) vel ipſos etiam externos ritus à Deo inſtitutos, vt eſſent teſtimonia promiſſionum, quæ de fide nos commonefacerent, & ſigna profeſſionis, diſcernentia eccleſiam populi Iudaici ab aliis gentibus, arripiat, atque in horum obſeruatione omnem pietatis cultum & religionem conſtituat, neglecto illo fine principali ad quem alendum atque excitandum hi ritus erant inſtituti. Ita enim Iudæi de ſuis ceremoniis iudicabant. Hæc impia & Phariſaica opinio omnibus ſeculis doctrinam de Deo & veris cultibus diuinis corrupit, fuitque tum ipſi Chriſto, tum omnibus prophetis & doctoribus, certamen hac de re acerrimum cum hypocritis in populo Iudaico: & noſtro tempore tota religio pontificia nihil aliud eſt quàm certorum quorundam rituum, qui tamen voce diuina non ſunt inſtituti, obſeruatio. Atque vt Phariſæi in populo Iudaico putabant externa illa obſeruatione rituum ſatisfieri Deo, eóque placato homines mereri remiſſionem peccatorum, ita nunc pontificij de ſuis traditionibus ſomniant, harum obſeruationem eſſe iuſtitiã coram Deo, quæ etiam aliis applicari poſſit. Eſtque impudentia noſtrorum pontificiorum eo magis deteſtabilis, quòd ſuis adinuẽtionibus, hoc eſt, ritibus humana audacia excogitatis, has opiniones affingunt: cùm ne quidem illi ritus, qui voce diuina inſtituti ſunt, Deo placeant ſine interiore pietate, hoc eſt, ſine timore Dei, ſine pœnitentia, ſine fide quæ agnoſcit Mediatorem, & propter illum ſtatuit ſe recipi, quæque accedit ad Deũ, & petit atque expectat bona cùm ſpiritualia tum temporalia: item ſine patientia, ſine tolerãtia in cruce, & reliquis virtutibus, de quibus in prima

tabula Decalogi præcipitur. Neceſſe eſt autem doctrinam de veris cultibus in eccleſia ſumma diligentia & ſtudio ſeruari, vt impij & craſſi errores hypocritarum redargui ac refutari queāt. Ideo & in hoc pſalmo illa doctrina explicatur, & cauſa ſeu controuerſia, quæ piis doctoribus hac de re eſt cum hypocritis, vt plus habeat autoritatis, in iudicio diuino coram toto orbe terrarum diſceptatur ac diiudicatur, domino ipſo aduerſarios refutante ac ſententiam ferente.

Etſi autem nonnulli exiſtimant, pſalmum hunc ſcriptum eſſe vt pij in hoc populo admonerentur de abrogatione Legis & cultuum externorum, ac de renouatione eccleſiæ, quæ futura erat ſub aduentum Chriſti, atque id meo iudicio rectè: nam & D. Stephanus in actis cap. 7. ita argumentatur, vt, cùm ille cultus externus, qui in populo Legis vigebat, non ſit principalis, quippe qui omitti poſſit, & qui antea omiſſus ſit ab Iſraelitis in deſerto, quique nondum inſtitutus fuerit, quando vocatus eſt Abraham ex Vr Chaldæorum, inde colligat, eum tantùm ad certum tempus eſſe inſtitutũ, quo peracto & circunuoluto, nẽpe in aduentu Meſſiæ, & promulgatione euãgelij, rurſus ſit abolendus: tamen nunc hoc primùm & principaliter agit autor pſalmi, vt ſit interpres Legis, & oſtẽdat qui ſint veri & principales cultus quos Deus requirat, & ſine quibus illi externi ritus nunquã placeant. Atque ita ſuis auditoribus illas Phariſaicas opiniones, quibus tunc maxima pars erat infecta, quaſi cæremoniæ ex opere operato placeant, eximere conatur. Hæc fuit principalis eius intentio. Interea altera illa doctrina ſponte ex hac conſequitur, vt poſito vno alterum neceſſariò inde conficiatur.

PSALMVS ASAPH.

AN Aſaph autor fuerit huius pſalmi, an verò à Dauide traditus ei ſit ad decantandũ, non cõſtat inter interpretes. Neque multum momẽti ea in re poſitum eſt. Ex c. 29. 2. Paralip. apparet nonnullos pſalmos ab Aſaph eſſe compoſitos. Nam Ezechias præcepit Leuitis, vt laudarent Dominum ſermonibus Dauid & Aſaph videntis. Functus eſt igitur Aſaph munere doctoris in hoc populo. Eſtque obſeruandum quòd Scriptura numeret eum inter prophetas. Hoc enim autoritatem conciliat pſalmo, etiamſi à Dauide non ſit compoſitus. Pietas etiam Dauidis ex eo intelligitur, quòd collegium cantorum conſtituit ex viris doctiſſimis, qui prophetico ſpiritu eſſent ornati, non qui illos verſus in templo ſine mente canerent, vt nunc faciunt Canonici, aut horum miniſtri, otioſi vicarij.

1 Deus deorum Iehoua loquutus eſt: & vocauit terram ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius.

Propheta conciliaturus autoritatem ſuæ concioni, Deum ipſum, tanquam iudicem, depingit, conſtituentem iudicium hac de re, vt controuerſiam quæ in populo ſuo agitabatur, cognoſcat. Erat enim mota quæſtio de cultibus legalibus ſeu de cæremoniis, quas Deus ſua voce inſtituerat. Has ita plerique efferebant, vt contenderent nihil præterea à Deo requiri quàm hos externos cultus, & homines horum obſeruatione ſatisfacere Deo, placare iram eius & mereri remiſſionem peccatorum. Et habebant certè aliquam ſpeciem. Erant enim ritus illi à Deo mandati, & miraculis ſanciti ac cõfirmati. Pij verò in hoc populo contradicebant, & affirmabãt alios eſſe cultus magis principales, quos primum & ante omnia Deus requireret, & ſine quibus illi externi ritus nihil prodeſſent.

Hoc certamen perpetuum eſt piis cum impiis & hypocritis, qui non verentur ſe pro veris Dei cultoribus oſtentare & venditare, ſi modò interiorem cordis immunditiem atque impuritatem externa aliqua & fallaci pietatis ſpecie tegere poſſint. Quemadmodum hoc tempore pontificij, quorũ tamen impudentia multo maior eſt, vt qui ſuis traditionibus tribuant quod Iudæi cæremoniis diuinitus inſtitutis. Propheta igitur, vt de hoc certamine pios erudiat, & impiis falſam perſuaſionem atque inanem fiduciam, quam de ſuis cultibus conceperant, eximat, vtitur grandi exordio, in quo tanquam præco à Deo miſſus denuntiat ipſis diuinum iudicium, in quo de hac cauſa ſemel cognoſcatur & decidatur, vt cognita veritate hypocritæ tandem deſinant ſuperbire ac blandiri ſibi propter effictã & mentitam religionis ſpeciem. Ad huius iudicis tribunal citat omnes. Eſt igitur hypotypoſis in hoc exordio, quæ monet, hæc verba quæ in hoc iudicio proferuntur, eſſe excipienda tanquam oraculum cœlitus demiſſum, & deinceps in hac ſententia acquieſcendum eſſe.

Iehouam nominat *Deum Deorum*: id valet ad maieſtatem & autoritatem iudicis commendandam. *Dij* nominantur iudices quicunque, Exod. 21. pſal. 82. Iehoua verò horum dicitur Deus, non tantũ quia omnes iudices & magiſtratus huic ſummo iudici ſunt ſubiecti, vt nemo detrectare ipſius imperium poſſit, ſed etiam vt tribuat ei officia omnia boni iudicis. Primũ igitur affirmat ſummã huius iudicis eſſe æquitatem in cognoſcendis controuerſiis ad ſe deuolutis: nam à iudicibus imprimis requiritur æquitas: deinde ſeueritas in exequenda ſententia, in defendendis bonis & puniendis malis: imo aliquid peculiare ei præ cæteris tribuit, quod videlicet non decipiatur externa ſimulatione. Quare monet vt deſinant ſibi blandiri hypocritæ. Nam homines falli poſſunt externa ſpecie. Hic verò cùm ſit Deus deorum, ipſum cor introſpicit.

Loquitur] Id eſt, oſtendit ſe diiudicaturum hanc controuerſiam publico & ſolenni iudicio, cui adeſſe vult omnes homines tanquam ſpectatores & teſtes.

Vocat terram] Hoc etiam ad exprimendam ſeriam iudicij grauitatem, & ad hypocritarum falſam perſuaſionem redarguendam facit. Quod enim inquit, ad hoc iudicium vocari non tantùm Iudæos, ſed totius orbis incolas, ſignificat Deum non tantùm toti orbi de hac cõtrouerſia declaraturũ ſuam ſententiam, id quod facit ſubinde in verbo à ſe tradito: ſed etiam manifeſtè conuicturum hypocritas in hoc populo, vt cunctos mortales habiturus ſit teſtes ſuæ æquitatis ac veritatis, vtque oẽs fateri cogantur hãc doctrinã eſſe verã.

Alij hoc de promulgatione euangelij in totum orbem terrarum interpretantur: quia Deus dicitur ab ortu vſque ad occaſum vocare populum. Sed non eſt neceſſe huc torquere ſententiam. Vſitatum enim Deo eſt in Scripturis, cùm de aliqua re magna & graui docere ac commonefacere vult ſuum populum, cælum & terram, atque adeo totum genus humanum conteſtari, vt & ſpectatores & teſtes ſint earum rerum quæ cum hoc populo aguntur. Hinc enim ſunt illæ conteſtationes, Deuteron. 32. Audite cæli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Item Deuteronom. 30. conteſtator hodie cælum & terram, quòd propoſuerim tibi viam vitæ & mortis. Et Ieſaias ita orditur conciones ſuas, Audite cæli, & auſcultet terra, quoniam Dominus locutus eſt. Talis eſt & hæc oratio, ſicut & illa quæ ſequitur verſu 4. Vocat cælos supernè, &c. Vult enim hac vehementia orationis retundere ſuperbiam hypocritarum, ne ſibi nimiùm blandiantur & placeant propter cæremonias: vbi enim ad iudicium Dei venerint, non ipſum Deum tantum, ſed totam creaturam dicturam eſſe contra eos teſtimonium affirmat.

2 Ex Sion vniuerſitas pulchritudinis [*perfectione pulchritudinis, vel, qui eſt perfecta pulchritudo, vt deſit relatiuum* אשר] Deus reſplenduit.

Pertinet & hoc ad hypotypoſin ſuprà inſtitutam. Pingit enim Deum illum iudicem prodeuntem in conſpectum, vt ſe iudicem conſtituat & cauſam cognoſcat. Et quidem in Sion dicit iudicium hoc celebrari, vt moneantur, non hoc agi vt cultus à Moſe præſcriptus, hac doctrina conuellatur aut mox aboleatur, ſed multo magis vt ſanciatur, & oſtendatur quomodo illi cultus præſtari debeant, ne qua falſa opinio his affingatur. Sion enim mons diuinitus electus erat, vt eſſet ſedes ſanctuarij, in quo ſonabat doctrina de Deo, & vbi peragebantur illa ſacrificia mandata à Moſe. Itaq; quòd in Sion conſtituitur hoc iudicium, ſignificat Deum fore interpretem ſuæ legis, & declaraturum quomodo illa doctrina de cultibus ibi mandatis intelligi debeat. Ita præcidit occaſiones diſputandi, & variis obiectionibus occurrit. Ideo etiam ſplendorem & quidem perfectum ei tribuit, quia doctrinam hanc explicaturus eſt, vt nihil maneat in ea obſcuritatis, & omnes tanquam in clariſſima luce intelligant quænam ſit vera doctrina de cultibus: deinde illa lux etiam ad maieſtatem iudicis commendandam facit. Iudices prodeunt ad iudicium, ſplendidiore veſtitu ornati, vt actio habeat plus autoritatis. Deus verò amictus eſt luce, qua fulget & omnium hominum oculos perſtringit, vt vereri eius maieſtatem cogantur.

3 Veniet Deus noſter & non ſilebit: ignis in conſpectu eius vorabit, & in circuitu eius tempeſtas

peſtas coorta eſt[*turbatio agitata eſt*] valde.

In prima parte eſt repetitio ſuperioris ſententiæ. Affirmat enim Deum certò venturum ad iudicium, in quo de hac cauſa ſtatuatur. Non enim,inquit,feret perpetuò illam petulantiam hominum qui ſuo arbitrio ſibi cultus fingunt, eóſque pro veris & legitimis Deo obtrudunt: imò, inquit, ſeueriſſimè puniet illam impietatem & audaciam. Ideo dicit iudicem prodire cum igne, tonitruis & tempeſtatibus, alludens ad illud horribile ſpectaculum quod Deus in monte Sinai exhibuit, cùm Legem promulgaret. Sicut enim tunc tonitruis, fulmine & flammis, populi animis terrorem incuſſit,eóſque ad reuerentiam Legis excitauit: ita nunc quoque prodit armatus terrifica potentia, vt contemptum Legis ſuæ & craſſum illum doctrinæ ſuæ abuſum vlciſcatur. Deſcribitur igitur his verbis formidabilis Dei maieſtas, vt maiore reuerentia hanc doctrinam hypocritæ audiant, & cogitent nihil ſe proficere ſuis puerilibus nugis, eſſe enim ſibi negotium cum iudice formidabili & potente. Quòd Deum *noſtrum* vocat, exiſtimant nonnulli à propheta ideo fieri vt oſtendat ſe ex eorum numero eſſe qui veros cultus Deo præſtabant, qui tamen erant pauci, ideóque ridebantur & contemnebantur à reliqua multitudine: quaſi dicat. Vos ridetis nos,qui contendimus in Spiritu & veritate Deum eſſe colēdum: ſed habemus iuſtum iudicem, qui hanc controuerſiam diiudicabit, & vindex erit violati ſui cultus.

4 Vocauit cælos deſuper [*ſupernè*] & terram ad iudicandum populum ſuum [*dicendo.*]

De hoc verſu dictum eſt antè verſu primo: illum enim nunc repetit, & affirmat iudicium hoc fore ſolenne, in quo coram angelis & cunctis mortalibus hæc controuerſia decidatur.

Ad iudicandum] Id eſt, ad arguendam impietatem & hypocriſin maximæ multitudinis, & ad oſtendendam pietatē & innocentiam eorum qui veram de Deo doctrinam & de cultibus diuinis retinuerunt.

5 Congregate mihi pios meos: qui percutiunt fœdus meum ſuper ſacrificijs.

Iam citat partes,vt dicitur,hoc eſt, eos inter quos orta erat rixa & contentio de ritibus externis. Nominat autem vno nomine omnes ▭חסידיו, id eſt,pios quibus ille bene vult & benefacit: non quòd omnes eodem amore proſequatur (nā maxima multitudo erat impia & profana) ſed à potiori aut præſtantiori parte totum corpus denominat. ſicut eccleſia in hac vita dicitur ſancta,nō quòd omnes in ea ſint ſancti (ſunt enim multi mali ſemper admixti) ſed per ſynecdochen à potiore parte ſumitur denominatio,cuius reſpectu mixta ex bonis & malis turba ſanctus Dei populus vocatur, ſicut & fœdus pertinet ad omnes, niſi qui petulanter ſe excludunt.

Qui faciunt fœdus meum] Hanc ſententiam variè exponunt interpretes. Quidam ad ſolos ſanctos reſtringunt, & hanc ſententiam eliciunt: Qui pluris faciunt pactum meum, hoc eſt, præceptum primum de obedientia interiore & cultibus ſpiritualibus,quàm illos cultus externos,quaſi hoc laudet in veris cultoribus,quòd amplius quid in fœdere requiri agnoſcant quā externas cæremonias. Hi particulam עלי accipiunt pro מן vel præter ſacrificia,vel,vt nōnulli reddūt, pro ſacrificiis: hoc eſt: loco illorum ſacrificiorū fœdus meum legitimo ritu ſanciunt. Alij de parte aduerſa, hoc eſt,de impiis & hypocritis interpretantur hoc modo. Qui ordinant teſtamentum meum ſuper ſacrificia, id eſt, qui exiſtimant teſtimonium meum eſſe ſacrificia, & nihil aliud requirere quàm illos externos ritus, & qui propter ſacrificia volunt me ſibi quaſi fœdere quodam deuinctum & obſtrictum eſſe. Sed cū iubeat vniuerſum populum, vt dixi, congregari & citari ad hoc tribunal, non dubium eſt hanc ſententiam de toto corpore populi eſſe intelligendam, nec ſeparatim vel ad impios vel ad pios trahēdā. Eſt igitur hæc ſimpliciſſima ſententia: Vocate populum, qui iniit fœdus mecū ſuper ſacrificia, id eſt, additis vel interuenientibus ſacrificiis, quæ fuerunt tanquam ſigilla & σφραγῖδες huius pacti. Alludit enim ad vſitatum morem ineundorum fœderum, quibus vt maior eſſet religio & fides, addebantur mactationes victimarum, quibus confirmabantur. Quod etiam apud ethnicos fuit vſitatum: idque vel ex hoc Virgilij verſu notum eſt.

Et cæſa iungebant fœdera porca.

Ita & Deus, vt oſtenderet ſuum fœdus eſſe firmum & ratum, inſtituit ſacrificia in iſto populo. Hac ipſa igitur oratione commonefacit eos de vero vſu & fine horum ſacrificiorum, & docet qui rectè vtantur his ritibus, qui non.

6 Et annuntiabunt cæli iuſtitiam eius: quia Deus iudex ipſe, Selah.

Id eſt, è cælo Deus patefaciet ſuam iuſtitiam, rectè diiudicabit hanc controuerſiam, & oſtendet quæ ſit vera doctrina, quæ falſa, atque ipſi adeo cæli teſtes erunt veſtræ iniquitatis & ſimulationis, qui contempta vera ſanctitate ſincerum Dei cultum profanaueritis, eíque externis atque in ſpeciem ſanctitatis effictis geſtibus fucum facere volueritis. De hac impietate rationem reddetis coram cælo & omnibus hominibus, & impietas veſtra manifeſtabitur.

Quia Deus iudex] Hactenus, inquit, pios contradicētes & reprehendentes tam craſſos errores contempſiſtis, imò odio proſecuti eſtis: nunc audietis ipſius Dei iuſti iudicis ſententiam, quæ hanc litem dirimit.

7 Audi popule mi, & loquar: [*tu*] Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego [*ſum.*]

Sequitur propoſitio, quæ continet obiurgationem, éſtque propoſitio illa bimembris. Primùm enim arguit hypocritas ob falſum cultum, quem ſi præſtarent, iudicabant ſe defungi & ſatisfacere Deo. Deinde doctrinā de veris cultibus ſubiicit ex antitheſi. Antequam verò propoſitionem recitet, rurſus attentionem mouet hoc verſu: cùm enim controuerſia magni ſit momenti, & magnis contentionibus ac pertinaciter iſte error phariſaicus à maxima multitudine hactenus ſit defenſus, ita vt facilè erui ex mentibus hominum illa opinio non potuerit, neceſſe fuit tali oratione eos excitari.

Primùm autoritatem ſibi & verbo ſuo conciliat & vendicat, cùm nominat populum ſuum. Nam populus ſeu ſubditi debent obedientiam ſuo regi, multo magis ſuo Deo. Erat autem hic populus peculiari fœdere à Deo adſcitus & electus ex toto genere humano, vt eſſet peculium Dei: debet igitur magna reuerentia & obediendi ſtudio audire hunc Deum loquentem. Nominat autem totum cœtum ſeu promiſcuam multitudinem populum ſuum: quia vno, vt dixi, fœdere omnes erant comprehenſi.

Ego loquar] Ego diiudicabo hanc controuerſiam, & oſtēdam qui ſint veri cultus, qui non.

Teſtificabor] Id eſt, ego expoſtulabo tecum & conuincā te, quòd à legibus pacti receſſeris, vt ampliùs excuſationi nō ſit futurus locus. Proferā enim leges pacti vt quid mihi ex pacto debeatur, & quàm longè ab eo receſſeritis intelligatis. Hæc enim omnia ſignificat verbum חעיר quod eſt verbum legale ſeu forenſe, & ſignificat publicè conteſtari alium, interpoſita quaſi ſolenni proteſtatione. & differt conteſtatio à cōmuni ſermone, quia illic interponitur, vel iuſiurandum vel legitima autoritas, cui refragari non liceat, quaſi ſacra eſſent verba. Vide infra Pſal. 81.

Deus, Deus tuus] Primò cùm dicit, ego ſum Deus, affirmat ſibi deberi obedientiam ab omnibus hominibus: cùm enim ſit Deus, conditor eſt vniuerſæ creaturæ. Omnis autem creatura debet obedientiā ſuo creatori, cuius imperio nemo ſine ſcelere poteſt ſe ſubtrahere. & quidem ita ad obedientiā obſtringitur, vt non iuxta ſua figmēta, ſed ſecundùm ipſius voluntatē ei obediat. Poſtea verò cùm dicit, Deus tuus, affirmat etiam ab hoc populo peculiariter ſibi deberi cultum & reuerentiam, quia populum hunc ſibi a[...]auerat inito fœdere cum patribus ipſorū, in quo fœdere hæc verba ſunt: Ambula coram me, & eſto perfectus, id eſt, ſine hypocriſi, Gen. 17. Itē Sancti eſtote, ſicut & ego ſum ſanctus. Leuit. 11.

8 Non ſuper ſacrificiis arguam te, & holocauſta tua coram me ſemper.

Hæc eſt *propoſitio* & cauſæ ſtatus. Ego, inquit, nō moror vlla ſacrificia, nec placet mihi vſus cæremoniarum, ſi per ſe æſtimētur & fiant ſine fide prælucente. Non omnino reiicit ſacrificia Deus, quæ ipſe ſua voce inſtituerat, & quādiu illa politia durabat, ſeruari ab omnibus volebat, ſed quia non ita ſimpliciter aut nudè erant inſtituta vt valerēt ex opere operato, vt exiſtimabant hypocritæ, ſed ad alium finem referenda erant, hoc eſt, quia teſtimonia debebant eſſe promiſſionū, & exercitia atq. adminicula pietatis ſeu interiorū cultuum, ſi ad hūc finem non referantur, & tota pietas, ſeu religio tantùm in obſeruatione horum rituum, ſeu in opere operato, vt loquuntur, conſtituatur, affirmat Deus ſe ea repudiare. Illa enim opinio profanat & polluit omnem cultum, vt melius ſit ea prorſus omittere quàm cum hac profanitate loca ſacra adire, Ieſai. 1. Ita ſunt intelligenda omnia dicta Scripturę, quæ damnant ſeu repudiant omnia ſacrificia, vt cùm dicitur Ieremiæ 7. Non præcepi patribus veſtris de holocauſtis. Item Mich. 6. Nunquid poſtulat abs te Deus, vt immoles greges arietum, aut in millibus arietum beneplacitum eſt ei? Hoſe. 6. Miſericordiam volo, non ſacrificium. Et apud Ieſaiam crebrò iſta doctrina repetitur, cap. 1. 58. 66. Damnantur enim ſacrificia omnia quæ fiunt cū hac opinione quòd ille ritus externus ſit cultus Deo placēs, & quòd mereatur remiſſionem

peccatorum & iuſtitiam. Cùm autem ita pronuntiet Deus de ritibus à ſe inſtitutis, quid de pontificiis, qui humana autoritate inſtituti, & in eccleſiam introducti ſunt, iudicandum ſit, quis non videt?

Non arguam te] Nõ mouebo vobis litem ob neglectum aut minùs diligenter præſtitum hunc cultum: quia ſcilicet maius aliquid requiro, cùm hic cultus non ſit principalis.

Holocauſta tua in conſpectu meo ſemper] Hanc orationem ſic reſolue, & erit plana ſententia. Nec ſuper ſacrificia tua arguam te, quæ ſcilicet in conſpectu meo ſunt ſemper: deeſt enim relatiuũ אשר & prępoſitio על ex priori mẽbro eſt repetenda. Alij ita interpretantur, Sacrificia tua ſunt ſemper corã me, id eſt, verſantur mihi perpetuò ante oculos vſque ad faſtidium & nauſeam, vt congruat cum illo Ieſa. 1. In ſenſum abominatio eſt mihi, odit hæc anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens, &c. Sed prior interpretatio & concinnior eſt & magis grammatica.

9 Non ſumam è domo tua iuuencum: [*nec*] à caulis tuis hircos.

Amplificat propoſitionẽ ab hypotypoſi. Non ita, inquit, delector ſacrificiis vt neceſſe habeam ex veſtris ſtabulis & caulis petere vitulos aut hircos. Etiamſi enim veſcerer carnibus ſacrificiorum, tamen non indigerem ad eam rem hominum opera.

10 Quoniam meæ ſunt omnes beſtiæ ſyluæ: animalia in montibus mille.

Addit propoſitioni duas rationes, quarum prior ſumpta eſt à Dei opulentia. Quid, inquit, putas me expetere tauros vel hircos è ſtabulis tuis, aut opus mihi eſſe, mutuari quicquam ab hominibus, cùm tantam habeam copiam ferarum beſtiarum, volucrium, paſſim in montibus, ſyluis & agris, in toto orbe terrarum, cuius plenitudo mea eſt: pſalmo 24. & mox verſu 12. Ad hanc ſententiam referantur & proximi duo verſus.

11 Noui omne volatile mõtiũ: & fera [*copia*] agri [*id eſt quicquid in agro eſt ferarum*] mecum [*penes me eſt.*]

12 Si eſuriero, non dicam tibi: quia meus eſt orbis & plenitudo eius.

Verbum noſſe in vndecimo verſu ſignificat quaſi in numerato habere, ideóque pro ſuis agnoſcere.

13 Nunquid comedam carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam?

Altera ratio eſt à diuerſa Dei & hominũ conditione. Homines neceſſe habent cibo & potu hanc caducam vitam ſuſtentare & fouere. Ita enim ſunt conditi vt abſque his rebus viuere non poſſint. Ego verò cibo & potu non indigeo, ſed propria vita, quæ totum mũdum viuificat, abundè ſum contentus. Sum enim αὐτάρκης qui nulla re externa indigeo. Quæ igitur inſania eſt quòd de me tãquam de aliquo homine cogitãtes exiſtimatis mihi gratum fieri, ſi multa mihi ſacrificia quotidie offerantur? aut quòd ſomniatis, me his rebus externis capi aut concili[illegible]iquam?

14 Sacrifica Deo laudem: & redde excelſo vota tua.

15 Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & glorificabis me.

Altera pars propoſitionis ſubiicitur ex antitheſi, in qua explicat qui ſint veri ac Deo placentes cultus. Ita prior pars illuſtratur hac comparatione. Non enim ſatis eſt ſcire qua in re non ſit poſitus cultus Dei, ſed neceſſe eſt vt cognoſcas qui ſint veri & Deo placentes cultus.

Sacrifica] Ita loquitur per imitationẽ, ſicut Chriſtus Ioh. 6. Hoc eſt opus Dei vt credatis. quia enim de ſacrificiis agebatur, quibus Iudæi omnia tribuebant, oſtendit non quidem ſacrificia omnia damnari à Deo aut tolli in iſto populo, ſed legitimum horum vſum præcipi. Itaque dicit primum & ante omnia requiri ſpiritualem Dei cultum, qui ſit principalis & perpetuus. Is verò conſiſtit in laude Dei & inuocatione, non in externis ritibus.

His verò vocabulis, quibus vtitur hoc loco, totum cultum interiorem συνεκδοχικῶς comprehendit, de quo in primo & ſecundo præcepto Decalogi dicitur. Nam laus & inuocatio primùm & ante omnia requirunt veram agnitionem Dei, iuxta verbum ab ipſo traditum, deinde fidem, & reliquas virtutes, quæ cum hac ſunt coniunctæ. Quomodo enim inuocabunt in quem non credunt? inquit Paulus Rom. 10. aut quomodo credent ei de quo non audiuerunt? Hæ igitur virtutes, agnitio Dei, fides, timor, ſpes, abnegatio noſtri, tolerantia in cruce, ſi prælucéant, placent poſtea in hoc populo ſacrificia, tanquam teſtimonia & exercitia interioris pietatis.

Primo loco collocat laudem ſeu gratiarum actionem, quia neceſſe eſt nos ante omnia ſcire Deum eſſe bonorum omnium fontem, à quo vitam & reliqua omnia habeamus, ídque grato animo agnoſcere & prædicare: ne quod hypocritæ faciunt, noſtris meritis, dignitati, prudentiæ illa bona tribuamus. Deinde, quòd maluit dicere Deo eſſe ſacrificãdam laudem, cùm ſimpliciter potuiſſet dicere, Sacrifica mihi, & quòd poſtea addit *excelſo*, non caret ratione & emphaſi. Vult enim eos monere vt cogitent quid ſibi vt Deo debeatur à populo ſuo, quidque deceat & cõueniat ei offerri qui ſit Deus & altiſſimus, vt faciliùs illorum ſtultum errorẽ conuincat. Cùm enim Deus ſit, certè non tantum ridiculum, ſed etiam impium eſt cogitare, quòd externis geſtibus ei ſatisfacere homines, aut demereri eius beneuolentiam poſſint.

Redde altiſſimo vota tua] Id eſt, ſi accepiſti beneficiũ à Deo, noli illud perpetua obliuione ſepelire, ſed grato animo & voce celebra. Alludit autem ad veterem legis ritum de votis reddendis ac præſtandis. Nam ſi quis vel corpus, vel agrum, vel iumẽtum vouerat ad obſequium, ſeu cultum templi, cogebatur id reddere. Nu. 30. & Deut. 23. Hac verò cæremonia ac ritu vouendi vtebantur patres in veteri teſtamento, vt hac quaſi pædagogia erudirentur debito perpetuo & nos & noſtra omnia deberi Deo. Quòd igitur de votis hic dicitur, non ad cæremoniam referẽdum eſt, ſed ad rem ſignificatam, hoc eſt, ad gratiarum actionem, quæ agnoſcit à Deo dari & proficiſci omnia bona: erant enim vota tantùm ſymbola & notæ gratiarum actionis. Ita pſal. 56. definit vota: Hæc vota voui tibi vt tibi gratias agam. & pſal. 61. Sic pſalmum dicam nomini tuo, vt reddã vota mea. Nihil hic præcipitur de votis monaſticis ſeu papiſticis.

Inuoca me] Alterum, quod in cultu requirit, eſt inuocatio. Non enim ſatis eſt ſcire, Deum dediſſe nobis vitam, & alia huius corporis bona, eáque prædicare: ſed quia perpetua nobis defenſione in maximis huius vitæ periculis opus eſt, ideo accedere & inuocationem ſeu petitionem bonorum neceſſe eſt Hi igitur ſunt præcipui & ſummi cultus quibus Deus affirmat ſe honore affici. Cæremoniæ verò ita placẽt, ſi adminicula ſint harum rerum, non ſi in his cultus conſtituatur.

Addit autem, *in die afflictionis*, non quòd extra tempus afflictionis Deus non ſit inuocandus, ſemper enim atque indeſinenter, vt inquit Chriſtus, eſt orãdum: ſed quia in rebus ſecundis homines ferè ſiunt languidiores & negligentiores, monet in ærumnis & periculis fieri inuocationem ardentiorem, & ſimul docet in neceſſitatibus nõ eſſe abiiciendos animos, aut deſperandum de bonitate & auxilio diuino, id quod faciunt omnes hypocritæ. Nam vt in rebus ſecundis ſecuri confidunt ſuis ſacrificiis, aut cultibus abs ſe excogitatis: ita in rebus aduerſis ruunt in dubitationes & deſperationem, murmurant & fremũt aduerſus Deum, eúmque fugiunt tanquam iratum & ſeuerum iudicẽ. Pij verò non adeo fugiunt Deum in rebus aduerſis, vt etiam maiore deſiderio & feruore ad eũ accedant, atque in ipſius erga ſe amore, tunc maximè cum foris omnia in interitum noſtrum conſpiraſſe videntur, acquieſcant, & quanquam animus eorum concutitur & quaſſatur multis dubitationum fluctibus, tamen vincit & ſuperat fides acquieſcens in Deo, petens & certa ſpe expectans liberationem. Hæc fidei lucta, ac victoria, qua nos in veris doloribus & pauoribus ſuſtentamus, & Deo laudem veritatis, iuſtitiæ, clementiæ, bonitatis, tribuimus, verus eſt cultus de quo hîc dicitur, & quem hypocritæ prorſus ignorant.

Additur autem promiſſio, quæ pollicetur, inuocationem ex vera fide profectam, non fore irritam. Hac conſolatione opus eſt, vt ea ad fiduciam concipiendam excitemur. Nam alioqui nos ſenſus indignitatis noſtrę, aut etiam cõſideratio iuſtitiæ, ſeueritatis, vel maieſtatis ac gloriæ diuinæ ita nos deiicit & demergit, præſertim in calamitatibus, vt ad thronum eius accedere non audeamus.

Et honorificabis me] Id eſt celebrabis beneficia à me accepta, coles me vt Deum ſaluatorem tuum, diligẽs me, ſtudebis obtemperare voluntati meæ. Nam experiẽtia auxilij diuini parit in piis laudem bonitatis diuinæ, & acuit ſtudium obediendi.

16 Impio autem dicit Deus, quare tu annuntias [*quid tibi vt annunties*] ſtatuta mea, & ſumis fœdus meum ſuper os tuum?

Redit ad obiurgationem ſeu comminationem, & iam apertiùs conuincit hypocritas ſeu falſos Dei cultores, oſtẽdens ipſos ab omni pietate eſſe alieniſſimos, etiã ſi foris aliquam pietatem & ſanctimoniam in geſtibus ſimulent, & fœdus Dei perpetuò in ore habeant, aut ſeſe mẽbra eccleſię Dei iactitent. Impiũ nominat, qui cor habet expers omnis timoris Dei & veræ pietatis, & qui perpetuis cupiditatũ fluctibus

quaſi agitatur ac quoquo verſum rapitur,etiamſi foris ad homines illa vitia tegere vtcunque poſſit. Nec tantùm de doctoribus, ſed de omnibus hypocritis in genere hoc intelligendum eſt. Omnium enim hic natura & ingenium deſcribitur.

Quare enarras ſtatuta mea] Id eſt, habes perpetuò ſtatuta mea in ore, ſæpe, multum & prolixè diſſeris de doctrina eccleſiæ diuinitus patefacta, hanc commendas, prædicas, oſtendis etiã te odiſſe eos qui ab hac doctrina diſſentiunt. Tales hodie multi non tantùm inter papiſtas, ſed etiam inter noſtros deprehenduntur.

Aſſumis pactum meum] Id eſt, quid eſt quod iactitas te eſſe vnum ex ſacro populo, quem mihi peculiari fœdere adoptaui, quaſi ad te quoq; fœdus meum pertineat, cùm vita & moribus oſtendas te eſſe alieniſſimum? Id enim facere ſolent hypocritæ, ſicut hodie pontificij clamitant ſe eſſe eccleſiam, atque hoc inani titulo craſſiſſimos errores ſuos & abuſus, & deteſtandam morum turpitudinem tegere atque obumbrare conantur. Et inter noſtros quotuſquiſque eſt ex iis qui ſe filios Dei iactitant, ex cuius vita ac moribus vel ſcintilla pietatis eluceat?

17 Tu verò odiſti correctionem [*diſciplinam*] & proieciſti verba mea poſt te.

Iam detegit ipſorum hypocriſin, & oſtendit quàm vana ſit illorum iactatio, qui ſe pro populo Dei venditant, & pietatem verbis iactitant cùm vita & factis eam abnegent.

Odiſti correctionem] Id eſt, nullam defers reuerentiam verbo diuino, rides & contemnis omnes minas quæ propoſitæ ſunt tranſgreſſoribus legum: imò legem ipſam tanquam durum carcerem, & tyrannum, qui cupiditates hominum coerceat, odiſti & execraris. Malles enim illa legum vincula eſſe ſublata, vt ſecurè & ſine metu indulgere tuis cupiditatibus poſſes.

Abiicis verba mea] Quæ ſcilicet perpetuò habes in ore, hoc eſt, doctrinam quam ore profiteris, factis negas. Tale enim eſt ingenium omnium hypocritarum.

18 Si videas furem, curris cum eo [*vel potius conſentis cum eo*] & cum adulteris portio tua [*eſt*].

Amplificatio eſt per diſtributionem: in qua enumerat aliquot ſcelera hypocritarum ſeu fructus impietatis, quibus cõuincit eos, quòd vita & moribus oſtendant ſe à vera pietate eſſe alieniſſimos: quódque adeo ſeipſos ſua voce damnent, cùm externa profeſſione verbi diuini talia ſcelera & flagitia tegere conãtur. Eſt autem ſynecdoche in hac enumeratione, quæ ſummatim omnia vitia comprehendit, & ſignificat hypocritas nullo metu numinis diuini retrahi, quin ſuis cupiditatibus indulgeant & ſceleribus oblectentur.

Primùm, inquit, coniungis te furibus, hoc eſt, cùm cupiditates tuæ ſint infinitæ, rapis clam ex aliorum bonis, quicquid potes, vt diteſcas variis fraudibus ac dolis: ídque vt ſecuriùs facias, cum aliis furibus ſocietatem inis, cum his tuam operam & ſtudium coniungis, & conſilia communicas, ipſóſque adeo in ſuis ſceleribus laudas & defendis.

תרץ Thargum & ſeptuaginta interpretes vertunt, currebas: vocem deducentes à verbo רוץ quòd currere eſt Hebræis: ſed rectiùs formatur futurũ hoc à רצה abiecta ה tertia radicali. Ideo Hieronymus reddidit, conſentiebas.

Cum adulteris] Alterũ ſcelus. Non tantùm cor ardet errantibus flammis, ſed inſidiaris etiam pudicitiæ aliarum, & omnis generis libidinibus te polluis: ſicut hodie ſacerdotes & monachi in papatu ſcortantur ſine pudore, & committunt omnis generis flagitia, poſtea exiſtimant illa expiari miſſis votiuis, peregrinationibus aut ſimilibus nugis.

19 Os tuum emittis ad malum: & lingua tua concinnat [*nectit*] dolum.

Tertium ſcelus: ſeris noxios ſermones quibus proximum decipias & in ſcelus impellas, inflammas odia aliorum, contra bonos ſeris lites, ex quibus pugnæ, bella, & alia incõmoda oriuntur: detrahis aliorum exiſtimationi obtrectãdo, premis & euertere conaris bonos virulentis calumniis & mendaciis. Hæc omnia complectitur: quanquam etiam ad corruptelas doctrinæ verſus accommodari poteſt.

20 Sed [*&*] contra fratrem tuum loqueris: contra filium matris tuæ ſtatuis probrum.

Quartum ſcelus, eſt maledicentia, qua proximi famam lædunt, & falſa inuidia homines bonos & innocentes grauant: idque non tãtùm priuatim, ſed etiam publicè in foro, in cõuentibus hominum, in cœtibus & iudiciis. Nam verbo ſedendi videtur alludere ad iudicia, quæ cùm ſpeciem habeant legitimæ cenſuræ, hypocritæ, cùm bonos conuitiis proſcindunt & accuſant, videntur potius iuſtitiæ eſſe patroni quam inuidi ſeu maleuoli: quia in publicis iudiciis videtur ferre ſententias contra homines ſceleratos. Sicut hoc tempore in Synodis, in regum & principum conciliis nos proclamamur hæretici, ſchiſmatici, turbatores communis pacis & tranquillitatis, autores ſeditionum. Et quia hęc in publicis iudiciis dicuntur, illi qui ita acerbè de nobis iudicant, videntur nulla alia re moueri quam amore veræ doctrinæ, iuſtitiæ & tranquillitatis, atque ea ſpecie maximè mouẽt animos regum & principum. Sed cor ipſorum interea ardet incredibili odio aduerſus Deum & eius membra, oderunt doctrinam, quę incidit neruos potentiæ & autoritatis ipſorum, & ἐθελοθρησκείαν, quæ huic ordini quæſtuoſa eſt, damnat.

Fratres deinceps nominat etiam filios matrum, vt magis emphaticè exprimat quàm crudelis ſit eorum maledicentia, quia communis naturæ obliti ne vterinis quidem fratribus parcunt.

21 Hæc feciſti & tacui: exiſtimaſti [*quod*] eſſem futurus tui ſimilis: coarguam te & ordinabo coram oculis tuis.

Obiurgationi ſubiicit comminationem, qua hypocritis denuntiat pœnas. Initio verò reprehendit ſecuritatem, quòd ſibi in ſuis ſceleribus blandiuntur hypocritæ, & obfirmãtur, vt fiant pertinaciores, quia vidẽt non mox puniri à Deo ſcelera, quaſi ipſe quoque ſceleribus delectetur.

Iſta facis] Id eſt, tu ſecurè ruis in ſcelera ſine vllo metu, quia ego taceo, id eſt, magna patientia aliquandiu conniueo, & non mox proſilio ad vlciſcenda hominum ſcelera. Iſta tolerantia, quæ inuitare vos & flectere ad pœnitentiam debuit (ſicut Paulus inquit) adeo vos demẽtat, vt exiſtimeris me eſſe ſimilẽ veſtri, hoc eſt, ſcelerum patronum & approbatorem, itaque patientia mea abutimini, vt ſecurè in ſceleribus pergatis, quaſi omnium ſcelerum impunitas vobis ſit propoſita. Ego verò nõ patiar ſcelus tuum inultum, ſed arguam te, hoc eſt, caſtigabo & puniam tua ſcelera ſeueriſſimis pœnis, & ob oculos ſtatuam tibi peccata tua & flagitia quæ hactenus tegere voluiſti, eáque in lucem producam.

ערך ſignificat quaſi diſtincto ordine catalogum omnium ſcelerum proponere, vt velint nolint, legere & agnoſcere ea cogantur. Id vero fit, quando peccatum reuiuiſcit, vt Paulus loquitur.

22 Hoc nunc intelligite, qui obliuiſcimini Deum: ne rapiam, & non ſit qui eripiat.

Subiicit adhortationem vt deſinant ſibi blandiri hypocritæ in ſuis ſceleribus, & agnoſcant Deum iuſtum eſſe iudicem, qui non patiatur ſibi fucum fieri ab hominibus, vt plerique exiſtimant. Ita omnes ad pœnitentiam inuitat & ſpem veniæ facit. Ea eſt bonitas diuina, vt etiam offenſa non tamẽ proſiliat ad pœnas. Vt autẽ plus põderis habeat adhortatio, rurſus ſubiicitur triſtis comminatio pœnarum, quæ ſecuturæ ſint niſi reſipiſcant.

Hoc intelligite] Scilicet falſam eſſe iſtam opinionem, quæ fingit Deum placari poſſe ſacrificiis, aut obſeruatione externorum quorundam rituum, nec referre qualis ſit vita veſtra, modò in harum rerum obſeruatione ſitis aſſidui.

Ne rapiam] Significat maturandam eſſe emendationem, ne poſtea vbi cœperit punire Deus, omnis ſpes ſalutis præcidatur. Comparat ſe Deus per metaphoram leoni famelico, qui prædam arreptam non patitur ſibi eripi à quoquam.

23 Sacrificans laudem glorificabit me: qui viam diſponit [*alij ibi via*] oſtendam ei ſalutem Dei.

Subiicitur epilogus repetens alterum membrum propoſitionis de veris cultibus Dei, & annexã habens promiſſionem quæ præſtantibus hanc obedientiam promittit gubernationem, auxilium, defenſionem & liberationem ex omnibus periculis.

Qui ſacrificat laudem] Id eſt, qui agnoſcit ſe omnia ſua bona non aliunde habere quam à me, idque inter homines prædicat mihíque gratias agit, hic me glorificat, id eſt, tribuit mihi veram laudem, & verum ſeu legitimũ cultum, quo ego delector & quem ego ab hominibus imprimis requiro. Homines me putant capi iſtis pompis cæremoniarum, gratiarum verò actionem, quę eſt præcipuum pietatis officiũ, tanquam vulgare & friuolum contemnunt & negligunt: ſed errant & falluntur. Iterum verò monendi ſunt auditores hoc loco, vocabulo laudis totum cultum interiorem ſignificari. Nemo enim rite laudat aut celebrat Deum, niſi qui agnoſcit Dei erga ſe bonitatem & beneficentiam. Id autem non fit niſi fide, vnde à poſteriore ſeu ab effectu colligimus totum ſpiritualem cultum hic notari.

Qui viam ponit ſeu diſponit] Alij interpretantur viam ponere, peccata confiteri, alij, offendicula è medio tollere & viam

ſternere quam omnes ſequantur. ſed ſi ponendi verbo Hebræum שם reddas, videtur via opponi tortuoſis & flexuoſis hypocritarum erroribus, qui varia excogitant media ſeu ambages quibus ad Deum accedant: quibus omnibus tamen adeo nihil proficiunt, vt ſubinde longiùs ab eo recedant. Ponere igitur vel componere viam, eſt omiſſis ambagibus & in auia abducentibus diuerticulis, recta via, quam verbum Dei monſtrat, incedere, & ſincero corde ac ſimplici rectitudine ad Deum accedere. Alij tamen pro ▭ש legunt שם vt ſit aduerbium. Ibi eſt via, in qua ſcilicet, qui incedunt, hoc eſt, qui Deum ita colunt, illis oſtendam ſalutem Dei, hoc eſt, faciam vt intelligant ſibi in Deo certum præſidium & ſalutem eſſe repoſitam Salutem Dei nonnulli accipiunt pro inſigni & memorabili. Nam Hebræa lingua Deo attribuere ſolet quicquid eſt maximum & præſtantiſſimum: vt montes Dei. Sed ſimplicior ſententia, vt mihi videtur, hæc eſt, vt Deus de ſe ita loquatur in tertia perſona, vt maior ſit emphaſis. Non itaque dicit ſimpliciter, ego oſtendam ei ſalutem meam, ſed Dei, vt intelligant ſe non fruſtra Deum colere. Et quanquã aliquandiu premuntur in hac vita veri Dei cultores, ac crudeliter oppugnantur ab hypocritis: tamen tandem eos liberabit: & pleno gaudio perfundet, vt deinceps læti acquieſcant in Deo, & ipſius bonitate fruantur. Verbum videndi quando conſtruitur cum præpoſitione, ב ſignificat cum voluptate aſpicere, & quaſi iucundo frui ſpectaculo: vt pſalmo 112. Cor eius ſuſtentatur, ne timeat donec videat inimicos ſuos, id eſt, cum voluptate videat hoſtes Dei & eccleſiæ eius perire.

PSALMI L.

PARTES.

I. Narratio prophetica vice exordij fungitur ad conciliandam fidem & auctoritatem ſequentibus documentis. Continet autem duas partes vniuersè. 1. Proponit maieſtatem Dei comparantis ſeſe ad Eccleſię gubernationem. verſ. 1. 2. 3. Naturæ autem documentis ius ſuum indeſinenter teſtatum facit in toto mundo, verſ. 1. Speciali quadam ratione populum ſuum docet ſalutari verbo & præſentia ſua, v. 2. Sion autem perfectiſſimæ pulchritudinis locus dicitur, quoniam Deus perfectiſſimis & abſolutiſſimis ornamentis temporariis ac æternis Eccleſiam ſuam (cuius Sion fuit typus) decorauit. Inde Deus illuceſcit, gratioſam veritatis & miſericordiæ ſuæ lucem electis in Chriſto exhibens. Ignis, de quo verſ. 3. agitur, comes aduentantis maieſtatis diuinæ, allegoricè transfertur ab eo tempore quo lex tradita eſt. quaſi dicat, Deum circumfulgere gloria & potentia ad perdendum aduerſarios & illuſtrandum ſuos. 2. Narrationis altera pars, exponens effectum aduentus Dei, qui auctoritate verbi ſui cœlo & terra velut præconibus, teſtibus & adminiſtris iudiciorum ſuorum vtitur, v. 4. Formam & vſum gubernationis explicat ſequentibus, nempe 5. & 6.

II. Propoſitio documentorum, verſ. 7. quæ vt prius lege fuerant præſtituta, ita hoc tempore erant amplius ſancienda, & religioſiùs obſeruanda, deſignato ad cultum loco. Sunt autem documentorum genera duo. 1. Ad fideles pertinens, verſ. 8. de cultu ceremoniali & vero, qui erat Deo exhibendus. Cultus huius partes duæ ſunt: vna, ceremonialis, vmbratilis & temperarij, vſque ad verſ. 14. altera ſpiritualis, veri & æterni, verſ. 14. & 15. Ceremonias autem oſtendit neque ſimpliciter aut per ſe ad cultum Dei neceſſarias eſſe, neque ſemper duraturas: ſed tantùm quatenus præfigurabant Chriſtum, donec plenitudo gratiæ & veritatis in eo exhiberetur, verſ. 9. addita ratione cur Deus neque ſua neque Iudæorum cauſâ ſacrificiis egeat, primum à iure dominij ſui & adminiſtrationis in omnes res creatas, verſ. 10. & 11. deinde à natura ſua quæ ſola eſt omnipotens & αὐτάρκης, verſ. 12. & 13. Cultus diuini pars altera, nempe ſpiritualis, membra ſunt duo: nempe gratiarum actio, & profeſſio accepti à Deo beneficij, verſ. 14. deinde inuocatio in rebus aduerſis, verſ. 15. quibus officiis ſuæ promiſſiones coniunctæ ſunt.

2. Alterum documentorum genus ad impios pertinens. In eo tria prolepticè reprehenduntur. 1. ipſorum ſermones animo operibúſque aduerſantes. 2. Opera improba in vniuerſum. 3. Animus impius, v. 16. quæ poſtea minutatim oſtenduntur, vſque ad v. 21. deinde vero minis reuocantur, verſ. 22. & promiſſionibus, verſ. 23.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Cõteſtatio ꝓphetæ, cum Moſis & Ieſaiæ ꝓnũtiatis (Deuter. 30. 19. & 32. 1. & Ieſ. 1. 2.) cõueniẽs, apud hypocritas fuit perneceſſaria, vt excuſſis blãditiis ad Dei iudiciũ attẽderẽt. Et hodie, niſi pſeudochriſtiani ad idem tribunal citantur, non deſinunt in ſuis figmẽtis acquieſcere, & de externis cultibus, vera reſipiſcentia, fide, obedientia, miſericordia & charitate vacuis, ſuperbè gloriari.

Iehoua, Deus Deorum nominatur, vt iniecto ſerio terrore profani homines Deo illudere deſinant: pij verò in ſolida numinis eius reuerentia contineantur. Nam vt nihil proficiunt hypocritæ puerilibus nugis, quia cum ſeuero iudice eſt illis negotium: contrà, fideles, pietatem & iuſtitiam ſincero animi affectu colentes, mercedem gratuitam ſibi repoſitam in cælis eſſe credunt.

2 In eccleſia eſt perfectio decoris, ibiq; lucet Dei gloria: quia Deus ſacrarium illud (olim Hieroſolymis, nunc per vniuerſum orbem extenſum) elegit, vbi nomen ſuum inuocetur, eiúſque imago in Legis & Euangelij doctrina luceat.

Quemadmodum olim Deus tremefecit populum in lege ſua promulganda: ita ſemper armabitur terrifica potentia aduerſus hypocritas, vt craſſum doctrinæ ſuæ abuſum vlciſcatur.

4 Quotieſcunque Deus voluerit, hypocritæ non poterunt effugere quin ad cauſſam agendam trahantur coram angelis & cunctis mortalibus.

5 In eccleſia corrupta, piis & integris (quamuis pauci ſint reſidui) defertur tantum honoris, vt eorum reſpectu, mixta & bonis & malis turba ſanctus Dei populus vocetur.

Hi apud Deũ ꝓ veris eccleſiæ mẽbris cenſentur qui ſpiritu manſuetudinis præditi æquitatẽ colũt cum fratrib⁹, & oblatũ ab ipſo fœdus adoptionis ſincero fidei obſequio confirmãt. Vnde ſequitur ritus omnes q[illegible]on pendẽt ex Dei verbo, adulterinos eſſe, & cultũ omnẽ, qui illuc non refertur, nihil aliud eſſe quàm pietatis corruptelam.

6 Vt fateantur homines Deum eſſe iudicem, quia tamen luſus deinde ſibi fabricant, quibus tranſigant cum eo, obliquè iudicandi munus & poteſtatem ei abrogantes, à vanis eorum cauillis neceſſe eſt quam laturus eſt ſententiam aſſeri.

7 Quum Deus in nos ſummum obtineat imperium, compeſcere debet omnem proteruiam maieſtas eius, vt ad vocem, cœlo ac terræ formidabilem, omnis caro ſileat.

8 Tenẽda hîc eſt diſtinctio. Vbi viget inter homines inſtitutio Dei, & ſe in cæremoniis ad fidem ſuam alendam & cõfirmandam exercent, in parte veræ pietatis locari, cuius ſunt adminicula. Vbi autem non modò ſine fide eas hypocritæ obtrudunt, ſed neglecta cordis mũditie, ad propitiandum Deum fingunt eſſe piacula, non tantùm pro nihilo duci quaſi friuolas nugas, ſed grauiter damnari tanquam inquinamenta quæ Dei cultum profanant.

9. 10. 11. 12. 13. Quia ad carnalem Dei cultum natura tam ſumus procliues vt Deum æſtimemus ex noſtro ingenio: hæc admonitio valde vtilis eſt, arcanámq; ſapientiã continet, vbi omnia conati fuerimus, nihil tamen poſſe Deo cõmodare, ſicut pſalmo 16. 2. dictum eſt, Deum item nihil in ſuum vſum poſcere, ſed quum ſua perfectione contentus ſit, noſtram vtilitatem quærere in omnibus præceptis. Vide Ieſa. cap. 66. 1. &c.

14. 15. Deus eodẽ quo nũc modo, ſpirituali videlicet, olim voluit

coli

coli à patribus. quòd cæremoniis eos onerauit, hoc fecit pro temporis ratione, ſicuti in earum abrogatione nobis conſuluit. Idem cultus quoad ſubſtantiam, externa tantum ſpecie diuerſus eſt.

Spiritualis Dei cultus hîc & alibi ſub laude, precibus, & gratiarum actione deſcribitur.

Quia rebus aduerſis magis ſerium fidei noſtræ examen requiritur, non abs re fit mentio temporis anguſtiæ: acſi diceret propheta, Deum in omni neceſſitate quærendum eſſe, quia vnicus ſit ſalutis portus. Et quia ad eius conſpectum ferè trepidant homines, aut immenſa eius gloria territi, aut deiecti propriæ indignitatis ſenſu, additur promiſſio quæ nos ad orandi fiduciam animet atque ſtimulet.

Gratitudinem Deo debemus qui ſe votis noſtris fore propitium clementer eſt pollicitus.

Si cupimus noſtram pietatem vero experimento teſtari, hunc Deo honorem ſummo ſtudio integrum & illibatum deferre conuenit, vt eum ſolum inuocemus: & certè collabatur tota pietas neceſſe eſt, ſi alius quàm Deus ſolus inuocetur.

Simul ac ſignum gratiæ ſuæ Deus ſubducit, quod putamus dum aduerſa occurrunt, obrepit dubitatio an curam ſuſcipere velit noſtræ ſalutis, imò diffidentia nos ſolicitat. Contrà verò, Deus rebus aduerſis quaſi ſtimulis nos pungit ad ſe quærendum & inuocandum.

Tunc preces noſtræ ad regulam probè orandi formantur, vbi nos ſuo præcepto inuitat Deus, & addita promiſſione ad fiduciam impetrandi animat.

Locus de votis Deo reddendis, in dogmatum ſeu locorum communium Theologicorum commentariis explicatur, ad quos (breuitatis gratia) lectorem remittimus.

16 Nihil proficiunt apud Deum qui impuro cordi & ſceleratæ vitæ, cæremonias atque externum tantummodo cultum obtendunt.

17.18.19.20. Vera fidei & timoris probatio hæc eſt vbi nos verbo Dei ſubiicimus, & libenter amplectimur quicquid illic præcipit ac docet.

Præfracti omnes & immorigeri, qui correctionem reſpuunt, quocunque tulerit libido, vel prouocauerint mala exempla, cupidè & effræni licentia ruunt.

21 Quamuis ad tempus Deus conniueat, impij malè & in ſuum exitium vanis adulationibus ſe mulcent.

Atrociore contumelia non poteſt affici Deus quàm dum iuſtitia ſua ſpoliatur.

Hypocritæ breui in apertam lucem trahentur, vt cogantur oculis ſuis cernere quæ à Dei oculis conati ſunt abſcondere flagitia.

22 Niſi acerrimis aculeis pungantur hypocritæ, doctrinam omnẽ contemptim eludunt.

In eo maximè immenſa Dei gratia apparet, quòd ſceleratos peccatores ad pœnitentiam inuitat ſpe reconciliationis propoſita, vt alacriter ante eius conſpectum prodire audeant. Idem certè experti ſumus hoc ſeculo, quos Deus incredibili miſericordia rurſus in ouile ſuum colligit, quum perfida defectio nos ab eo alienaſſet.

Cauendum ſemper eſt ne per ignauiam nobis effluat tempus beneplaciti, vt fruſtra deinde, Eſaui exemplo, vlulemus.

23 Deo nihil acceptius eſt ſacrificio laudis, quo noſtram erga eum gratitudinem teſtamur. Nec ſuperuacua eſt repetitio: nam & beneficiorum Dei facilè nobis obrepit obliuio, imo etiam ex mille vix vnũ leuiter & perfunctoriè guſtamus. Deinde laudem Dei minimè quo decebat pretio æſtimamus. Quum enim præcipuum ſit pietatis officium, in quo nos tota vita exerceri oporteat, quaſi vulgare aliquid ac friuolum negligitur.

Rite demum ac verè Deus colitur & glorificatur vbi eius beneficia ſincero gratóque animo celebrantur inter homines: alias verò cæremonias quibus incumbunt hypocritæ, ſuperſtitioſi & ſcelerati, nihil moratur nec in cultu reputat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Dei aduentus & præſentia in Eccleſiæ gubernatione & reformatione hypocritis vt formidabilis, ita fidelibus amabilis eſt.
2. De cultu ceremoniali & Spirituali.
3. De ſacrificiis ſpiritualibus, inuocatione, gratiarum actione.
4. Hypocritarum & Dei timentium diſcrimen.
5. Iudicium Dei prorſus ineuitabile.
6. Dei ſeueritas & benignitas.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SECVNDA PARS
ENARRATIONIS PSALMORVM DAVIDIS,
EXCEPTA EX PRÆLECTIONIbus Henrici Molleri Hamburgenſis.

MAGNIFICIS, DIGNITATE, PRVDENTIA AC PIETATE ORNATISSIMIS VIRIS, Conſulibus atque Senatoribus inclytæ Reipubl. Lunæburgenſis, Dominis ſuis plurimùm obſeruandis, S. D.

ETSI EXPERIENTIA in veris pœnitentiæ atque inuocationis exercitiis, optima cuique eſt magiſtra ad intelligendos ſacræ Scripturæ libros: atque inprimis pſalmi, non niſi à probè ac diu in Spiritus ſancti palæſtra exercitatis intelliguntur: (Nam qui non eſt tentatus qualia ſcit? Et, tantùm vexatio dat intellectum, inquit Ieſaias.) Pſalmi verò ab his ſcripti & editi ſunt quibus cùm aſſiduum eſſet cum ira Dei, cum hoſte generis humani diabolo, cum mundo & carne ſua certamen, rationem ſuæ militiæ & graue hoc Martis opus, quod in his exercitiis diſcitur, deſcribere voluerunt: vt quemadmodum fruſtra homines ſecuros & militiæ Chriſtianæ ignaros ad horum ſcriptorum lectionem inuitamus: ita ad illos qui ſe in Spiritus ſancti ſcholam tradiderunt, atque in veris conſcientiæ doloribus ex fontibus ſalutis dulciſſimas conſolationum aquas hauriunt, lōga commonefactione aut inſtitutione non ſit opus: tamen cum multi ſubinde ad eccleſiam rudes accedant, qui docendi atque erudiendi ſunt de rebus ſummis & aciem humani ingenij effugientibus, de Deo, de peccato, de gratia & iuſtificatione, de hoſte generis humani diabolo, de damnatione impiorum, & vita piorum perpetuò duratura, atque hi non vbique genus ſermonis intelligant, nec ſtatim rerum ordinem videant, aut verborum vim percipiant, de his commonefaciendos eſſe tyrones, antequam ad rerum cognitionem ducantur, atque in hac palæſtra, quæ & genus ſermonis à Spiritu ſancto vſurpatum, hoc eſt, verborum proprietatem ac phraſin & rerum ordinem tradit, aliquandiu retinendos atque exercendos eſſe nemo eſt qui non intelligat. Quomodo enim arma militiæ huius omnium grauiſſimæ & periculoſiſſimæ rectè tractabit, aut quomodo hoſtem repellet, qui adeo rudis hæc caſtra ingreditur, vt ne genus quidem ſermonis duci atque huius miniſtris vſitatum intelligat? Nam quod de Nomadibus dixit Euripides, ἀκούει ὐδ'εὶς οὐδὲν οὐδενός, id vſu venire omnibus, qui Chriſtianam militiam profitentur, ſi doctrinæ ac ſermonis Chriſti ſint ignari, neceſſe eſt. Oues meæ vocem meam audiunt, inquit Chriſtus, alienum verò non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem eius. Quomodo enim ducem ſuum miles aut paſtorem ouis ſequatur, cuius vocem non intelligat? Meminimus, ante annos non multos, cùm ex ruſticis miles collectus in aciem aduerſus hoſtem duceretur, & haſtas erectas demittere ad excipiendum hoſtis impetum iuberetur, illos phraſi militari non intellecta contos abiicere & in fugam verti: vnde ſtrages in exercitu, ab ea parte nudato, edita eſt ſanè miſerabilis, & ſecuta ſunt alia longè triſtiora, de quibus nunc ſcribere non eſt neceſſe. Illa igitur vt cum periculo & detrimento rerumpubl. coniuncta ſunt, & ſæpe huiuſmodi errata leuiſſima, magnas vrbes ac regna euertunt: ita in eccleſia ignoratio ſermonis errores in doctrina parit multiplices, & eos qui ſub Chriſti vexillis militare decreuerunt, aliò potius quàm ad Chriſtum adducit: cuius rei eccleſiæ hiſtoria locuples eſt teſtis. Monachi, cum non intelligerent verbum iuſtificandi, in eccleſiæ doctrina de reconciliatione hominis cum Deo, vſurpatum, & ex philoſophia potius ac Phariſaicis ſomniis, quàm ex diligenti collatione teſtimoniorum diuinorum atque exemplorum, adhibitis veris pœnitentiæ exercitiis, in quibus vſus doctrinæ cæleſtis maximè perſpicitur, de hoc doctrinæ capite diſſererent, natum eſt impium illud & blaſphemum dogma de meritis operum humanorum: quod non tantum non adducit hominem ad Chriſtum, neque ſub vexillis eius quenquam retinet, ſed planè ab aditu eius, & bonorum cæleſtium participatione vnumquemque excludit, inque ſuis ſordibus & vitiis eum putreſcere ac perire ſinit. Quæ enim poſſunt eſſe hominum merita aut opera, quæ illi iudicio Dei ſeueriſſimo opponant, aut quibus eum demereantur? cum ſcriptum ſit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: & vnum-

vnumquenque conſcientia ſcelerum extra Chriſtum accuſat & damnat maximè. Ita monachi ſua inſcitia totam doctrinam euangelij de beneficiis filij Dei, quæ hominem Deo propter vnius Chriſti meritum, fide intuente promiſſionem, reconciliari atque hæredem fieri vitę æternæ, docet, ſepeliuerunt atque in philoſophicam doctrinam transformarunt. Ex hoc autem errore multi deinceps alij tetri abuſus & ſuperſtitiones ortæ ſunt, quæ eccleſiam ſub Papatu ita oppleuerunt vt maxima orbis Chriſtiani pars tandem deſerto ſuo duce & redemptore, alios ſibi opitulatores deligeret, quorum interceſſione ac meritis, ſi quid ſuis deeſſe opinaretur, bona cæleſtia ſe impetraturam crederet. Nec longè à monachorum errore abſuit Oſiander, niſi quod illi effectum, hoc eſt, opera à Spiritu ſancto effecta, hic cauſam, Deum ipſum in nobis habitantem, nóſque ad normam iuſtitiæ conformantem, pro effectis obtruderet.

Origenes cùm in pſalmo primo ſcriptum legeret: Ideo non reſurgent impij in iudicio, ſeu, vt Græca ſonant, διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσονται ἀσεβεῖς ἐν κρίσει, non intellecta proprietate verbi Hebræi, tetrum errorem finxit, de impiis nunquam ad iudicium excitandis: eúmque poſtea arripientes Marcio, Baſilides, Valentinus & Manichæi, corporum reſurrectionem planè negarunt. Apud Iohannem cùm filius Dei dicatur λόγος, non intelligens Samoſatenus id fieri ad imitationem linguæ Chaldææ (quæ pro nomine proprio Dei Iehoua quo eſſentia eius æterna exprimitur, vbicumque de filio eſt ſermo, in tranſlatione vſurpat dictionem מימר Meimar) ad vocem Græcam reſpexit, cuius ſignificatione deceptus, λόγον iudicauit dici vel ἐνδιάθετον vel προφορικόν, qualis eſt in homine. Itaque ſi de ſermone, quem organa huic deſtinata formare ſolent, non accipiatur λόγος apud Iohannem, de æterno ſaltē Dei propoſito ſeu decreto, quod fuerit in ipſius mente, dum rationē & ordinem creationis ab æterno ſecum quaſi deſignaret, eámque ſuo tempore in effectum produceret: aut etiam dum Chriſtum hominem cogitaret ſe miſſurum in mundum velut excellentem doctorem, qui ſalutis doctrinam tradendo, teſtimonia de Deo ederet, intelligendum eſſe docuit. Hic enim græcis eſt λόγος ἐνδιάθετος. Ex hoc igitur errore, quem partim inſcitia linguæ Chaldæę, partim negligentia in conſideranda Euangeliſtę oratione peperit, dogma in Eccleſiam ſparſum eſt, quod diuinitatem filij negat: & ἀνθρωπολατρεία eſt inuecta, quæ totum cultum diuinitus pręſcriptum, atque à piis ab initio conditæ eccleſiæ vſurpatum, planè euertit. Cùm enim non dubitarent Chriſtum eſſe inuocandum, de quo teſtimoniis Scripturæ & exemplis purioris eccleſiæ edocti eſſent, atque hunc tamen nudum tantùm hominem eſſe ex Samoſateni figmento ſtatuerent plerique, alijs quoque extra Chriſtum hic cultus adhiberi cœpit: donec tandem confirmato impio & blaſphemo dogmate conſuetudo inuocandi homines mortuos, etiam apud cæteros inualuit, maximámque pietatis ruinam ſecum traxit.

Sed deſino plura hoc loco veterum errorum exempla commemorare. Nam & hic pſalmorum liber offert penè infinitas interpretum hallucinationes & errores non tolerandos, & perpetua eccleſiæ hiſtoria oſtendit, teterrimos quoſque & fœdiſſimos errores non alia ferè ex re quàm ex ignoratione ſermonis diuini exiſtere: & peſſimè de eccleſia mereri qui neglectis linguarum ſtudiis, ac ſpretis doctrinæ fontibus, ſuis aut aliorum ſomniis inter docendum applaudunt & plus nimio indulgent. His enim dum ſeſe ad vulgus oſtentant, & ſæpe facundi magis quam veri Chriſti diſcipuli videri volunt, nō ſeſe tantū, ſed & auditores ſuos in triſtiſſimos errores abducunt, & doctrinæ fundamenta conuellunt: vt tandem amiſſa veritatis luce, qui Chriſti nomen profitentur, Ethnicis fiant deteriores. Huic malo igitur vt mederentur aliquo modo homines pij & docti, ab initio ſtatim, cùm ſpargi vox doctrinæ in totum orbem per Apoſtolos & horum diſcipulos cœpit, ſapienti & bono conſilio eccleſijs publicas ſcholas adiunxerunt: in quibus & doctrina ipſa, adhibita iuſta docendi ratione ac methodo, explicaretur, & ſi qua in ſermone occurreret obſcuritas aut difficultas, de hac ex linguæ Hebrææ proprietate iudicium fieret.

Hoc conſilio Alexandrina eccleſia ſcholas & auditoria habuit frequentiſſima, in quibus Origenes, Clemens & alij multi docuerunt. Et Origenes quidem, cum collationem linguarum ad natiuam ſcriptorū propheticorum ſententiam aſſequendam neceſſariò requiri intelligeret, primum τετραπλᾶ βιβλία, mox etiam ἑξαπλᾶ, à ſenaria diſtinctione ſic dicta: tandem & ὀκταπλᾶ confecit, eo ordine diſpoſita vt primò exponerentur Hebraica, duplici quidem ſerie, vna qua illa ſuis propriarum literarum elementis deſcripta legerentur: altera qua deſcriberentur eadem notis Græcarum literarum: tertio loco Aquilæ interpretatio collocaretur: quarto Symmachi: quinto Septuaginta duum: ſexto Theodotionis: ſeptimo & octauo duæ ἀνώνυμοι. Eum laborem plurimum profuiſſe diſcentibus, ſtudia illius ætatis oſtendūt non obſcurè. Et Lucianus Martyr aliquanto pòſt huius viri conſilium ſecutus, Græcæ verſionis emendationem inſtituit, atque vt quàm proximè ad ſermonis Hebræi veritatem accederet, effecit. Baſilius quoque illum in ſcholis docendi morem adeo probauit, vt cum magna parte ſuorum auditorum, ne ſtudia ab vrbis ſtrepitu impedirentur, extra hominum frequentiam ſecederet: ſúntque eius exemplum plurimi imitati, qui monaſteria initio inſtituerent, vt ἐργαστήρια eſſent & officinæ optimarum artium. Quæ tamen res poſtea in ſuperſtitionem & manifeſtam impietatem euaſit. Omiſſis enim doctrinarum ſtudiis, qui in cœnobiis viuebant, totam religionem in Miſſarum nundinationem, ex qua quæſtum fecerunt vberrimum, conuerterunt, & idolomaniam inuexerunt lacrymis & luctu piorum perpetuo dignam.

Cùm autem & Aſiaticæ & Europææ gentes à Barbaris gentibus non multo poſt vaſtatæ eſſent, & iam non tantum in monachorum cœtu, ſed in oppidis quoque, quibus Epiſcopi hactenus præfuerant, pietate & eruditione præſtantes, vox doctrinæ cæleſtis aut conſileſceret prorſus, aut diluta ſomniis monachorum, atque horum inſcitia corrupta, proponeretur: Carolus Magnus, qui Romanum imperium in Occidente inſtaurauerat, ſapienti conſilio primùm in Italia & Gallia ſcholas publicas conſtituit, & docentibus præmia ampliſſima attribuit, non tantùm vt cæteras artes liberales, quarum vſus in vita maximus eſt, quaſi ab exilio reuocaret & ſuo nitori reſtitueret, ſed multo magis vt eccleſiæ doctrinam à barbarie atque interitu vindicaret: mox etiam confecto bello Saxonico, quod annos 30. eum exercuit, in Germaniæ eccleſiis cathedralibus collegia tanquam doctrinarum ſcholas, adiunxit: in quibus non tantum con-

ciones audiri, quales ad vulgus in templis haberi ſolent: ſed totam doctrinam cæleſtem iuſta methodo tradi, & natiuam ſcriptorum propheticorum & apoſtolicorum ſententiam ex ipſis fontibus erui voluit. Idque vt rectiùs fieret, non Latinam tantùm linguam, ſed & Græcam & Hebræam doceri in his iuſſit. Fuit ſanè hoc Caroli inſtitutum laudatiſſimum, & huius beneficio conſeruatam eſſe in multorum mentibus aliquam doctrinæ lucem inter regni pontificij tenebras, ſuperiorum ſeculorum hiſtoriæ oſtendunt.

Etſi autem, vt alia multa, ita hæc quoque à ſua tandem origine degenerauerunt: & non tantùm in monaſteria & monachorum cœtus, ſed in collegia quoque iam opibus multorum ditata ingeſſerunt ſe homines voluptatibus & ventri potiùs quàm ſtudiis literarum aut religionis cultui dediti: conſilium tamen Caroli de conſtituendis ſcholis publicis, & ornandis honeſtarum diſciplinarum ſtudiis profuit plurimum. Nam cùm neque in monaſteriis, neque in templis cathedralibus id præſtari ampliùs quod debebat, intelligerent homines pij & Deum timentes, & barbaries cum inſcitia creſceret quotidie, autores illi fuerunt principibus & rerump. gubernatoribus, vt ſcholas per Germaniam ad exemplum Caroli Magni conſtituerent, darêntque operam vt cum doctrinæ ſacræ profeſſione ſtudia artium & linguarum in his florerent. Ita enim futurum ſperabant vt detectis monachorum fraudibus atque impoſturis, & animaduerſa impietate, quæ ex horum inſcitia eccleſiam inuaſerat, doctrinæ cæleſti ſua puritas reſtitueretur. Ea res Dei beneficio eum habuit euentum quem illi expectabant & optabant. Simul enim cum artium & linguarum ſtudiis lux doctrinæ cœleſtis effulſit: & ſermo diuinus ita nunc in pluribus ſcholis proponitur, vt iam non ſecundùm monachorum præcepta in varios ſenſus Scriptura diſtrahatur: ſed vt vna & perpetua ſententia, quam ipſa Grammatica & ſermonis proprietas gignit, auditoribus proponatur: ipſique prophetæ & apoſtoli non aliena ſed ſua lingua loquentes audiantur. Ea res quantum ad puritatem doctrinæ cæleſtis conſeruandam, & ad refutandos errores profuerit, oſtendunt certamina & ſcripta ἐλεγκτικά, quæ hoſtibus veritatis à noſtris ſunt oppoſita. Nam cùm Pontificij magno conatu noſtris eccleſiis ſe opponerent, & vndique conquirerent quæ ad fulciendam cauſſam peſſimam facere viderentur; ab altera etiam parte diabolus magna hæreticorum agmina excitaret, quæ ſubinde comminiſcendo nouos errores, eccleſiarum noſtrarum conſenſum turbarent: nulla re faciliùs aut euidentiùs quàm proprietate ſermonis & natiua ſcriptorum ſacrorum ſententia plerique ſunt refutati.

Monachi & Papæ ſatellites, quorum opera ille in oppugnanda doctrina harum Eccleſiarum vtebatur, gratiam in doctrina de iuſtificatione interpretabantur gratiam infuſam, ſeu nouas virtutes à Spiritu ſancto excitatas: atque his iuſtificari hominem, ac vitam æternam mereri contendebant: & qui noſtro tempore iuſtificationem definiunt infuſionem plenitudinis gratiæ in vrceolos vacuos, quàm proximè ad monachos accedunt, atque in eoſdem labyrinthos, facta tantum cauſæ & effectus permutatione, hominem abducunt. Sed quibus phraſis Hebræa & vis vocabuli חן Hen nota eſt, ſciunt voce illa primum & principaliter notari vel fauorem, actiua ſignificatione, vel gratiam, qua quis afficitur, dum ſine ſuo merito ex mera beneuolentia & amore in gratiam recipitur. Atque hanc, quæ vocabuli huius propria eſt, ſignificationem ſequitur nonnunquam illa ex conſequente, quæ donum gratuitò collatum deſignat. Prophetæ igitur & Apoſtoli ad natiuam vocis ſignificationem reſpicientes, cum doctrinam de iuſtificatione hominis nulla alia rectius explicari poſſe cernerent, ita ea ſunt vſi, vt gratuitam acceptionem & remiſſionem peccatorum, in qua iuſtificationem hominis conſiſtere affirmat Spiritus ſanctus, vocabulo gratiæ deſignari, atque hanc Phariſaicis hominum meritis, quaſi ex diametro opponi oſtenderent. Paulus etiam, vt quàm rectiſſimè vocem Hebræam interpretaretur, reconciliationis vocabulum pro hac non rarò ſubſtituit. Et quanquan cum hac acceptatione ſeu adoptione gratuita coniuncta eſt donatio Spiritus ſancti (Deus enim cùm gratuito fauore aliquem complectitur, quæ bonitas eius eſt, non poteſt non ſimul dona quàm plurima in eundem conferre) tamen ne de virtutibus per Spiritum ſanctum accenſis in hac doctrina vox accipiatur, diſertè Ioh. c. 1. & Rom. 5. Paulus gratiam hanc à donis, quæ à gratia proficiſcuntur, diſcernunt. Hęc igitur ſi attentiùs conſideraſſent monachi, aut noui illi eccleſiarum Germanicarum turbatores, nunquam eò prolapſi eſſent vt excluſa gratia ſeu reconciliatione gratuita, in qua iuſtificatio hominis tota conſiſtit, dona à Spiritu ſancto accenſa, aut merita ſua, tanto non tam verborum quàm armorum ſtrepitu, eccleſiæ obtruderent.

De peccato hodie diſputatur à nonnullis non inſulsè tantum, ſed petulanter atque impiè, dum peccatum eſſe ſubſtantiam, atque adeo animam ipſam aſſerunt, & editis libris defendere conãtur. Iohannes verò Apoſtolus peccatum rectiſſimè definiens ſcribit eſſe ἀνομίαν: qua voce nihil aliud ſignificari quàm defectum & ἀταξίαν omnium virium in homine, quæ quod ſubdi legi Dei, atque in ordinem redigi non poſſit, æterno reatu hominem obſtringat, niſi fiat remiſſio per Filium, norunt ij quibus vocis Græcæ ſignificatio nota eſt. Paulus etiam, cùm omnes homines dixiſſet eſſe peccatores, mox vocem explicaturus adiicit ἐξηγητικῶς & admodum ſignificanter, eos carere gloria Dei. Quid hæc ad ſubſtantiam, quam Flacius inuehere conatur, aut quid ad illam tranſelementationem ac μεταμόρφωσιν, quam diabolo tribuere in formatione hominis non veretur homo ſophiſticus, & ad turbandas eccleſias natus? niſi fortè deſtructionem facultatum atque ἀδυναμίαν in homine ſeu confuſionem ordinis diuini eſſe animæ ſubſtantiã à diabolis in ipſo hominis lapſu noua formatione introductam, perſuadere nobis, & diaboli vires ſupra Dei potentiam collocare velit impoſtor. Videt lector vel ex his paucis, quam neceſſaria ſit diligentia, quæ occupatur in conſideratione proprietatis vocabulorum & phraſium, & quàm multi errores deprehendi ac refutari commodiſſimè poſſint, ſi phraſin & vim vocabulorum, quibus vſus eſt Spiritus ſanctus, paulo diligentiùs conſideremus. Ac vel hæc ſola vtilitas ita euidens eſt vt inuitare vnumquemque ad linguarum ſtudium debeat: in primis verò eos quibus docendi munus in eccleſiis & ſcholis aliquando eſt commendandum. Eratque hac in re inprimis tenendum illud Phocylidis præceptum: μήποτε γὰρ κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς. Nam ſecundùm Pindarum, τὸ διδάξασθαι δέ τοι εἰδότι ῥᾴτερον, ἄγνωμον δὲ τὸ μὴ προμαθεῖν, κουφότεραι δὲ ἀπει-

ἢ ἀπειράτων φρένες. Idque quàm verum ſit, inſulſi indoctiſſimorum hominum clamores, quibus templa & ſcholæ per Germaniam hoc tempore complentur, oſtendunt, certiſſima cum veritatis iactura & patriæ interitu. Sed de his querendi locus nunc non eſt: neque enim querelis quidquam proficitur in tanta huius ſeculi peruicacia & contendendi libidine. Illi potiùs quibus veritas doctrinæ cæleſtis, & publica eccleſiæ ſalus curæ eſt, mihi monendi ac rogandi ſunt, vt cùm videant quàm faciles ſint lapſus & hallucinationes humanorum ingeniorum, dent operam ne alienis ſemper oculis videant, aut ab indoctiſſimorum hominum opinionibus pendeant: ſed ipſi fontes doctrinæ cæleſtis inquirere ſtudeant, adhibitis iis quæ ad veritatis inueſtigationem requiruntur, adminiculis. Id enim ſi fecerint, & errores, qui ab ingeniis ambitioſis ac turbulentis ſparguntur, faciliùs deprehendent, & fidei πληροφορίαν ſibi comparabunt, vt ſi mali & indocti tumultuari in eccleſia, & quod hoc tempore fit, conſtituto inſcientiæ atque impudentiæ regno, ſuperbiſſimè præſcribere atque imperare conſcientiis hominum non deſinant, ipſi tamen habeant in quo tutò acquieſcant, & inſulſos clamores ac latratus rabioſiſſimos tribunitiorum hominum rideant ac contemnant. Magna animorum carnificina eſt dubitatio, præſertim in dogmate quod ad doctrinæ fundamentum pertinet: error verò planè eſt damnabilis, & cum animarum exitio coniunctus. Extremæ igitur dementiæ eſt, ita ſe alicuius opinioni addicere ac mancipare vt totus ab ipſo pendeas, & non vltra inquirendum cenſeas: præſertim cùm occaſio diſcendi & cognoſcendi de doctrinæ veritate ſe offerat multiplex & varia. Ciues Theſſalonicenſes, atque inter hos ſummo genere nati, cùm audiuiſſent Apoſtolum Paulum in ſynagogis concionantem de filio Dei, déque beneficiis generi humano per hunc exhibitis, non priùs receperunt eius ſermonem quàm quotidie ſcrutati Scripturas, intellexiſſent hæc ita ſe habere. Horum exemplum vtinam imitarentur principes, magiſtratus & cæteri, qui hodie nomen Chriſti profitentur: cúmque in cæteris libertatem appetant & cupidè amplectantur, non ſeruos alienarum opinionum, adhibita nulla legitima & pia inquiſitione ſe facerent. Nihil enim hac ſeruitute eſt triſtius, nihil perículoſius. Exclamat Ariſtophanes in ſuo theatro, ὦ θεὸς ὡς ἀργαλέον πρᾶγμά ἐστι δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. Nos verò in eccleſia multo rectiùs illud vſurpare poſſumus, ἀργαλεώτατον ἐστὶ πρᾶγμα δοῦλον γενέσθαι ἀμαθοῦς καὶ ἀναιδοῦς διδασκάλου. Cúmque in medio poſiti ſint libri ſacri: qui nos erudire poſſunt ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, non ſimus ita prodigi ſalutis noſtræ, vt cum aliis errare & perire potiùs, quàm adhibito pio ſtudio & veritatis indagatione, redimere animas ab interitu velimus. Seruiunt autem huic inquiſitionis ſtudio quàm plurimum ſcripta illa in quibus vera & natiua ſententia ſcriptorum propheticorum & apoſtolicorum ex ipſis fontibus atque ex phraſi, quæ cuique linguæ propria eſt, oſtenditur, & ſeries membrorum, ac propria cuiuſque vocis ſignificatio monſtratur. Et excitauit Deus hoc tempore quàm plurimos ingeniis & doctrina excellentes, qui præclaram hac in re operam eccleſiæ nauarunt. Súntque in diſcentium manibus horum commentarij, ex quibus, niſi quis ſponte in media luce cæcutire velit, Spiritu ſancto duce abundè inſtrui ac doceri poteſt de iis, quorum cognitio ad eximendas animis dubitationes & confirmandam cuiuſque fidem eſt neceſſaria. Hos ergo ſi legant diligenter & cum pia attentione ac cognoſcendi ſtudio, ſepoſita interim omni profanitate, φιλονεικίᾳ, ambitione ac præconceptis opinionibus, quas multi in ſacras Scripturas, atque harum tractationem ſuo & aliorum cum periculo nonnunquam ingerunt: lectioni verò preces aſſiduè miſceant, & militiæ Chriſtianæ non ſint planè rudes, aſſequentur tandem hanc ſanctorum ſcientiam, cui æterna & immarceſcibilis corona repoſita eſt; & de fontibus ſalutis aquas haurient dulciſſimas, atque, vt Chriſtus inquit, in vitam æternam ſalientes. His verò guſtatis, ſecurè deinceps (ni fallor) contemnent vanos illos indoctiſſimorum hominum huius ætatis clamores & boatus, qui fontes doctrinæ cæleſtis ſcelerate contaminant, & tantùm non obſtruunt: dúmque cælum terræ miſcere nonnulli ex his conantur, ſe ipſos & auditores in fœdos errores atque exitium præcipitant.

Etſi autem in tanta eruditiſſimorum huius generis ſcriptorum copia non opus erat mea aliqua commonefactione: nec ego mihi hoc ſumo vt addere me aliquid ad exactiſſimas præſtantiſſimorum virorum lucubrationes poſſe exiſtimem (ſunt enim, Dei beneficio, cùm veteris tum noui teſtamenti ſcripta illorum ſtudio ita illuſtrata, vix vt deſiderari aliquid queat) tamen cum labores docentium in hac ſchola ita diſtributi eſſent vt aſſiduè eadem doctrina repeteretur, inque ea repetitione alij integrum doctrinæ corpus iuſta methodo comprehenſum explicarent, alij natiuam ſcriptorum biblicorum ſententiam ſine fuſiore rerum tractatione inquirerent, & auditoribus ſuis exponerent: ac mihi inter cæteros ad docendi munus adſcito prophetarum interpretatio iniuncta eſſet, officij ratio id à me exigere videbatur, vt collatis cùm veterum tum recentium interpretum ſententiis omnibus, & adhibitis ipſis fontibus Hebræis, vnam, ſimplicem, veram & natiuam ſententiam, qua niti fides in conſcientiæ lucta ſine hæſitatione poſſet, elicerem, atque auditoribus proponerem. Qua in re quod præſtitum hactenus à me eſſet, cùm nonnulli guſtum eius aliquem ac ſpecimen quoddam requirerent, de horum voluntate & iudicio hoſce commentarios typographis edendos tradidi, non vt laudem aliquam aucuparer, quæ vt ex re tenui, laborioſa tamen, &, vt ſpero, non inutili, expectari haud poteſt, in tanta præſertim cenſorum noſtræ ætatis maleuolentia, & odij acerbitate, ac carpendi libidine: ſed vt quàm plurimos ad ſimile ſtudium meo exemplo inuitarem, pſalmorúmque aſſiduam meditationem pietatis ſtudioſis commendans, hac χειραγωγίᾳ viam ipſis ad maiora aſſequenda quaſi ſternerem. Id igitur hoc meo labore ſi aſſequar, non malè operam hanc me collocaſſe iudicabo, & deinceps, vt alia etiam huius generis ſcripta in lucem prodeant, operam dabo.

Vobis verò, Viri ampliſſimi atque ornatiſſimi, hanc partem, continentem quinquaginta Dauidis pſalmos, dedicandam iudicaui, quòd cùm nuper ad Reuerendiſſ. Principem D. Eberhardum Epiſcopum Lubecenſem ac Verdenſem, & Abbatem ad D. Michaelem in inclyta vrbe veſtra, primam harum lucubrationum partem miſiſſem, atque Dominationi illius Reuerendæ non ingratum fuiſſe hoc meum officium ex quorundam ſermonibus intellexiſſem, eos nunc mihi compellandos ducerem, quos & ipſe pro-

pter ſapientiam ac virtutem admiratur & complectitur familiariùs, & quorum præ cæteris per Saxoniam pietas & conſeruandæ veritatis cæleſtis ſtudium celebratur. Eccleſiam enim Dei beneficio in vrbe veſtra habetis tranquillam, in qua Euangelij doctrina ita traditur, non vt iniuſtis criminationibus aut amarulentis inſectationibus ſeu rixis non neceſſariis animi auditorum à pietate alienentur, aut, quod paſſim fit, miniſterij euangelici dignitas in contemptum apud plebem adducatur: ſed vt vſu doctrinæ in veris animorum doloribus perſpecto, fides vera ac religionis cultus in multis accendatur ac confirmetur, neque alij quã Chriſto regnũ apud vos cõſtituatur. Eſtque conſenſus inter docentes & auditores ſummus: de quo cùm cogito, ſæpe illud vetus mihi in mentem venit, οὐ χρυσὸς, οὐκ ἄργυρος, οὔτε ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψιν, ὡς ἀγαθῶν καὶ θεοσεβῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις. Quid enim dulcius atque ad pietatem alendã doctrinæque cæleſtis veritatem propagandam vtilius, quàm cùm, ſecundùm pſalmũ, principes, magiſtratus, & ciues in vnum cõueniunt, vt ſeruiant Domino, & quidem, vt eſt apud prophetam, humero vno? Quid contra triſtius atque ad pietatem euertendam efficacius, quàm ſi doctores ipſi incipiant ζυγομαχεῖν, & bellum gerant non pro Chriſti regno propagando atque ornando, ſed ſtolidiſſimis cupiditatibus ſuis obtinendis ac ſtabiliendis? auditores verò factioſè vel ad hos, vel ad alios ſeſe inclinantes, in contentiones mutuas, & à pietate prorſus alienas exardeſcant? Digna igitur laude eſt pietas veſtra, quòd cùm nutritios eccleſiæ Chriſti vox diuina vos præfecerit, id agitis ſummo ſtudio & vigilantia, vt patria veſtra non legibus tantùm & diſciplina honeſta florens inter multas alias Saxoniæ vrbes emineat: verumetiam vt cõſtitutis rectè eccleſiis ſit quàm ornatiſſima, & doctores habeat veritatis & pacis amãtes, quorũ & voce & exemplis cæteri ad pietatis cultũ adducantur, & eccleſia feliciter creſcat, ac fructus pietate dignos proferat. Ego verò, vt de his ſummis bonis vobis & Reipub. veſtræ ex animo gratulor, eóque conſilio nunc hoſce commentariolos ad vos mitto, vt agnoſcere me hæc beneficia diuina & vobiſcum pro his agere Deo gratias intelligatis: ita eundem Deum toto pectore oro, vt hanc felicitatem vobis & poſteris veſtris concedat perpetuam, faciátque vt Reſpub. veſtra quàm diutiſſimè floreat, & creſcat, non tantùm ciuium multitudine & opibus, ſed pietate inprimis erga Deum, & iuſtitiæ cultu. Hæc enim, vt vera ſunt vrbium ornamenta, ita præſidia Reipub. muniunt ac quaſi adamantinis vinculis conſtringunt, vt nulla vi aduerſaria diſſolui aut labefactari queant. Bene ac feliciter valete. Vviteberga, die caſtorum Angelorum, Anno Chriſti 1573.

Veſtræ amplitudinis

ſtudioſiſſimus

Henricus Mollerus
Hamburgenſis.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI LI.

QVINQVAGESIMVS primus pſalmus ita notus eſt in eccleſia, vt non opus eſſe exiſtimem longa explicatione. Nullus enim familiarior eſſe piis ſolet in quotidiana inuocatione, atque in veris pœnitentiæ exercitiis. Nam cùm neceſſe habeant ſancti, propter peccata, quæ magna & multiplicia ſecum circunferunt ſinguli, quotidie (vt pſalmo 32. dicitur) ad gratiam & miſericordiam Dei confugere, formam precationis hîc præſcriptam, atque ab ipſo Spiritu ſancto dictatam habent, quæ oſtendit, non tantùm vnde mala ſeu peccata in genere humano oriatur, ſed etiam vnde vera remedia in doloribus conſcientiæ ex ſenſu iræ Dei ortis ſint petenda. Nam Dauid poſt commiſſũ adulterium, cùm obiurgatione Nathan expergefactus ſentiret iram Dei aduerſus peccata, & horribili dolore iaceret oppreſſus, non ita indulget dolori, vt ruat in deſperationem, quemadmodũ plerique facere ſolent, in quibus peccatũ, quod ſecuritate carnali ſopitum aliquandiu quieuit, vel legis voce vel pœnis reuiuiſcit, & ſenſu iræ Dei ac motu æternarum pœnarum acuitur, ſed promiſſione, quam audiuerat à propheta, confirmatus cõfugit ad Dei miſericordiam, & peccata ſibi remitti, ſeque in gratiam recipi petit. Hæc eſt principalis propoſitio, quæ ſubinde per totum pſalmum repetitur. Admiſcet autem triſtes querelas, vt fieri ſolet in magnis doloribus, in quibus cõfeſſione ingenua vtens, & ſceleris ſui atrocitatem patefacit, & fontem omnis mali in genere humano indicat, nimirum peccatũ originis, quo ſe & ſanctos omnes ita infectos & corruptos eſſe affirmat, vt cùm corpus peccati quotidie ſecum circunferant, immunes eſſe ab hoc malo non poſſint, ideóque externis etiam delictis Deum ſæpe offendant. E regione verò immenſam Dei miſericordiam magnificè prædicat, eámque magnitudini & multitudini ſuorum peccatorum opponens, certò ſtatuit gratiam exuberare ſupra peccatum, atque hac conſolatione ſe in iſtis doloribus erigit & ſuſtentat. Sicut autem Paulus gratiam coniungit, & donum per gratiam, Rom. 5. ita Dauid petitioni de remiſſione peccatorum adiungit petitionem ſanctificationis, quæ fit per Spiritum ſanctum.

Petit enim vt reſtitutus gratiæ deinceps ſpiritu ſancto regatur ac gubernetur, vt huius ductu in via Domini incedens ſanctè viuat, & ſponte Deo obediat, nec quicquam deinceps, quod conſcientiam ſauciare, aut offendere quenquam poſſit, admittat. Poſtremo, quod fieri in petitionibus ſolet, promittit ſe fore gratum ac memorẽ accepti beneficij. Affirmat enim ſe deinceps operam daturum vt quàm plurimi de Deo rectè doceantur, & damnata impietate ſua Deum verè agnoſcant ac celebrent, ipſúmque vera pietate colãt. Huic pollicitationi inſerit doctrinam de diſcrimine cultuum diuinorum, de quo etiam præcedente pſalmo concionatus eſt prolixè & luculenter. Affirmat enim Deum nequaquam placari externis ritibus aut ſacrificiis, ſed requirere veram cordis humiliationem, quod magnitudinem ſuorum peccatorum & triſtiſſimum reatum aliquo modo agnoſcat, & Deum offendiſſe ſe doleat: ſimul tamen in his doloribus ad thronum gratiæ cõfugiat, & peccata ſibi remitti petat. In fine pſalmi ſubiungit orationem, qua ſalutẽ vniuerſæ eccleſiæ complectitur. Petit enim vt vniuerſam eccleſiam Deus tueatur & defẽdat, idque propter gloriam nominis ſui, vt ſtudiũ religionis & pietatis deinceps vigeat, & multi quotidie ad agnoſcendum ac celebrandum Deum inuitentur.

1 AD triumphandum, pſalmus Dauidis:
2 Quando venit ad eum Nathan propheta, poſtquam ingreſſus fuerat ad Bathſeba.

Titulus monet de occaſione pſalmi. Iacebat Dauid, quaſi perpetuo ſtupore oppreſſus, antequam audiret vocem Nathan: ſed huius voce expergefactus incipit agnoſcere ſua peccata & deteſtari: atque in hoc dolore quærit remedia de quibus in hoc pſalmo dicitur. Hiſtoria autem deſcribitur 2. Sam. 11. & 12.

3 Miſerere mei Deus, ſecundùm miſericordiam tuam: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates [*præuaricationes*] meas.
4 Multùm laua me ab iniquitate mea, & à ſcelere meo munda me.

Propoſitio pſalmi continet deprecationem culpæ. Petit enim ſibi ignoſci & remitti peccata, ídque gratis ex mera bonitate & clementia. Nihil enim hîc affert in conſpectum Dei, niſi triſtia peccata & ſordes multiplices, quas petit tegi & ablui: Ideo inquit:

Secundùm miſericordiam] Quia ſcit Deum nulla alia cauſa moueri vt nobis condonet peccata, niſi amore illo gratuito quo genus humanũ proſequitur: & ille amor qui quaſi reſtinctus erat peccatis noſtris, rurſus accenditur interceſſione atque obedientia filij Dei. Eò igitur reſpicere omnes oportet, qui quærunt remiſſiones peccatorum: non confugere ad ſatisfactiones humanas aut interceſſiones ſanctorum, vt fecerunt Pontificij. Miſericordiam igitur intellige hoc loco quam patefecit in verbo ſuo, Intuetur enim promiſſiones, quarum fiducia ad Deum accedit.

Secundùm multitudinẽ miſerationum tuarum] Repetit ſæpius propoſitionem. Illa verò repetitio non eſt otioſa, ſed exprimit ardentes affectus & magnitudinem deſiderij. Quo enim maior dolor eſt ex peccato, eo magis creſcit in ſanctis deſiderium redeundi in gratiam cum Deo. Animus igitur non eſt contentus ſemel petiuiſſe veniam, ſed ingeminat preces, vt ſuo deſiderio aliquo modo ſatiſfaciat, & in beneuolentia eius, apud quem deprecatur, tandem acquieſcat. Eſt autem diligenter conſiderandum, quòd multitudinem miſerationũ opponit magnitudini & multitudini peccatorum. Nam illa antitheſis ſubeſt huic nomini multitudinis. Etſi enim ſentiebat ſe variis delictis eſſe pollutum & contaminatum, & diabolus dolorem illum, quem ex peccatis ſuis conceperat Dauid, admotis ſuis flabellis, vt ſolet, augebat, tamen vincit hũc dolorem hac cogitatione, Quòd gratia exuberet ſupra peccatum, quod regnum filij Dei potentius ſit regno diaboli.

In verbo מחה dulcis eſt metaphora, qua alludit ad tabulas rationum, in quibus annotantur debita. Significat enim verbum Hebræum talem deletionem, ſicut cùm patinam quis inuertit & abſtergit, aut cùm characteres in tabula cerea ſcriptos extergit ne ampliùs conſpiciantur. Vult igitur dicere propheta, Scio mea peccata apud te eſſe conſignata, & longum ac triſtem catalogum meorum delictorum eſſe cõſcriptum: Tu verò dele illas tabulas, ne amplius peccata mea veniant in rationes. Ita Paulus inquit ad Coloſſ. 2. Deum viuificare nos condonantem nobis omnia delicta, deleto quod aduerſus nos erat chirographo, eóque ſublato & cruci adfixo.

Multùm laua me] Iterum figuratè exponitur præpoſitio: cuius repetitionis quæ ſit cauſa iam diximus. Animus enim anxius non poteſt mox acquieſcere ad primam deprecationẽ, Semper enim obſtrepit nobis indignitas noſtra Ideo ſubinde iterat petitionem: ſignificat autẽ non leues eſſe ſordes, ſed variis & multiplicibus ſordibus ſe eſſe pollutũ, eáſque ita tenaciter inhærere vt multa & iterata ſæpe ablutione ſibi opus eſſe affirmet, quibus ſordes eluãtur, ne deinceps ſordidus ſeu fœtidus in conſpectu Dei appareat. Peccata enim faciũt nos ſordidos in conſpectu Dei, ideo horũ remiſſio dicitur ablutio. Atque huc referendum eſt dictum illud Chriſti, Ioh. 13. Niſi ego te lauero, &c. Hæc vero doctrina odium & deteſtationem peccatorum in nobis gignere, & gratiam Dei nobis cõmendare debet. Imperatiuũ הרבה aduerbialiter vſurpatur ſicut & 2. Reg. 10. Achab coluit Baal modicùm, ſed Iehu multùm colet eum. Atque hanc ſignificationem puncta vocalia hoc loco innuunt. alioqui enim ſcribendum erat הרבה.

Munda me] Hoc pertinet & ad remiſſionem culpæ, & ad reliquias peccati hærentis in homine iuſtificato. Atque huc referatur dictum Apoſtoli, 1. Ioh. 1. Sanguis Chriſti mundat nos ab omnib⁹ peccatis. Mũdat autem non tantùm tollendo,

ſeu, non imputando præteritos lapſus: ſed etiam reliquias peccati, quas in hac infirmitate circunferimus, tegendo & ſubinde abſtergendo, & magis magiſque nos renouando.

5 Quoniam tranſgreſſiones meas ego cognoſco:& peccatum meum coram me eſt ſemper.

Addit rationẽ cur petat ſibi ignoſci. Quia, inquit, ego agnoſco peccata, & doleo me offendiſſe te, &c. In hac ratione triſtis eſt querela, quã poſtea in ſequẽtibus duobus verſibus amplificat. Et hæc ipſa querela eſt confeſſio peccati. Eſt autẽ hęc querela diligẽter obſeruãda. Oſtẽdit enim modũ quo remiſſionem peccatorum conſequamur, de quo anxiæ mentes ſemper diſputant. Alij alias quærunt & excogitant ſatisfactiones, quibus dum expiari poſſe peccata credunt, non ſolum non eximunt ſe à reatu, ſed potiùs immergunt ſe altiùs. Cùm igitur fruſtra excogitentur tales ſatisfactiones, Dauidis exemplum hoc loco intuendum eſt, qui nihil affert in conſpectum Dei, quo redimat peccata, niſi triſtes querelas & ingenuam confeſſionem delictorum, quę certè in iudicio hominum non ſatisfit ei qui eſt offenſus. Sed aliter agit Deus nobiſcũ quàm homines. Ipſe enim requirit ſimpliciter vt agnoſcamus & ſtatuamus nos peccaſſe, & ad gratiam ipſius confugiamus, petentes remitti nobis peccata propter filium, idque facientibus promittit ſe remiſſurum peccata. Sicut dicitur 1. Iohan. 1. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Interea tamen cùm ſit iuſtus, non remittit niſi ſatisfiat ipſius iuſtitiæ. Illa verò ſatisfactio à nobis tranſlata eſt in filium, qui factus λύτρον placauit iram patris.

In verbo *agnoſco* emphaſis eſt non obiter prætereunda. Nõ enim agnitio ſignificat otioſam conſiderationem, qualis etiam ante prophetæ obiurgationẽ erat in Dauide. Nam ex lege ſciebat adulterium eſſe prohibitum: ſed ſignificatur pauor & conſternatio, quæ oritur ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, & ex reatu. Nomina enim cognitionis complectuntur affectus comitantes. Vult igitur dicere Dauid, Ego ſentio & experior peccatum, quod gignit in me triſtes dolores & cruciatus: video enim me propter peccatum reum eſſe æternæ iræ Dei & pœnæ, & Deũ mihi iuſtè iraſci. Nam in nomine peccati etiam intelligenda eſt relatio, hoc eſt, reatus.

Corã me eſt ſemper] Id eſt, perpetuò verſatur ob oculos: perpetua inquietudine ſeu continuis tormentis me exagitat & vexat, vt quieſcere aut reſpirare non poſſim donec tibi ſim reconciliatus.

6 Tibi, tibi ſoli peccaui, & malum in oculis tuis [*coram te*] feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis [*in loquendo te*] mundus ſis cùm iudicas.

Repetit querelam & confeſſionem triſtiſſimis verbis amplificatam.

Tibi, tibi] Id eſt, hoc vnicum me cruciat & affligit quòd ſentio me tibi peccaſſe, & te eſſe iudicẽ meũ, qui me iuſtè poſſit abiicere & in æternas pœnas præcipitare. Ille dolor tantus eſt, vt etiãſi totus mundus me abſoluat, tamẽ me quieſcere nõ patiatur. Hominũ enim leuationes, ſi vel parcant mihi, vel adulandi cauſa extenuent ſcelus, vel blanditiis dolorẽ lenire ſtudeant: adeo nihil proficiunt, vt ſentiam peccatum ſubinde fieri grauius. Neque enim blanditiæ vllæ aut hominum ϑωπεύματα tollunt ex meo conſpectu tribunal & iudicium Dei. Obſeruandum autem hoc loco, verbum peccandi non tantùm de vna actione, ſed de perpetuo morbo qui nobis inhæret, & de reatu intelligẽdum eſſe. Vt cùm dicitur Rom. 3. Omnes peccauerunt, id eſt, omnes nati in hac deprauatione naturæ habent peccatum, & ſunt rei coram Deo, nõ ſunt neque fieri poſſunt iuſti lege. Ita hic cùm dicit peccaui, idem eſt acſi diceret, ſum peccator & reus. Atque ita vſurpatur etiam 2. Sam. vlt. Ego & filius tuus erimus peccatores.

Malum feci] Id eſt, offẽdi te meis ſceleribus, & agnoſco me reum & dignum eſſe ira ac pœnis æternis.

Vt iuſtus ſis in verbo tuo] Id eſt, ſicut me fateor eſſe reum, & meritum pœnas: ita te pronuntio iuſtum eſſe, cùm iuſtiſſimam tuam iram aduerſus peccatum meum declaras & me accuſas. Et purum eſſe in iudicando, hoc eſt, & iuſtè me punire, id quod hypocritæ non faciunt. Nam Saul & alij cùm puniuntur, cogitant ſe non meritos eſſe tantas calamitates, ac Deum eſſe iniuſtum ſeu nimis durum, qui tanta mole calamitatum genus humanum onerarit: itaque fremũt aduerſus iudicium Dei, damnant eum, maledicunt ei. Dauid verò & alij, qui verè pœnitentiam agunt, ſubiiciunt ſe Deo, & agnoſcunt ſe iuſtè puniri: ſicut Daniel inquit, Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei. Illam antitheſin voluit oſtendere his verbis. Alij hæc verba contexunt cum primo verſu, ac ſi ad proximam ſententiam referri non debeant, hoc modo: Miſerere mei, vt iuſtus & purus ſis. Sed Paulus optimus interpres, in epiſtola ad Rom. 3. oſtendit iuſtitiam Dei opponi iniquitati hominum. Quid ergo, inquit, an, ſi quidam ex Iudæis fuerunt increduli, iniuſtus erit Deus? Et dictio למען hoc loco non tam cauſſam quàm conſequentiam notat, quaſi diceret, Ideo iuſtus es cùm iudicas.

Sermonẽ nonnulli intellexerũt promiſſiones Dei, vt Deus dicatur iuſtus cùm ſtat promiſſis: ſed ſequens membrum declarat prius. Itaque de accuſatione & damnatione peccati intelligatur, & verbum שפט actiuè potiùs interpretãdum quã paſſiuè, quanquam Paulus ſecutus Græcum interpretem paſſiuè quoque reddat. Non enim adeo fuerũt curioſi Apoſtoli in adducendis teſtimoniis. Et in primis vſitatum eſt Paulo, vt verba actiua reddat paſſiuè, vt quod Geneſ. 15 dicitur: Imputauit ei hoc ad iuſtitiam, Paulus paſſiuè interpretatus eſt, Ro. 4. & Gal. 3. imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Et illud Ieſa. 25. Abſorpſit mortem omnino, Paulus 1. Corinth. 15. interpretatus eſt paſſiuè, Abſorpta eſt mors in victoriam.

Mundus ſis] Id eſt, abſque reprehenſione vel accuſatione.

7 Ecce in iniquitate conceptus ſum [*formatus ſum:*] & in peccato calefecit me mater mea.

Amplificat & exaggerat querelam ſeu peccatorum confeſſionem, à malo ſiue peccato hærẽte in natura humana, quod nobiſcum naſcẽtes in hunc mundum afferimus, & quod fons eſt & origo omnium malorum. Affirmat enim ſe non vnius peccati, ſeu plurium etiam, quæ nuper commiſerit, reum eſſe: ſed ab vtero materno peccatum attuliſſe in hũc mundum, & naturaliter ſe corruptum eſſe, hoc eſt, totam maſſam, cum primum formaretur, fuiſſe vitioſam, ita vt poſtea non niſi ad peccata eſſet inclinata. Sicut & Moſes dicit, Geneſ. 8. Fabricationem ſeu figmentum cordis humani malum eſſe à pueritia, id eſt, homines non tantùm praua aſſuefactione corrumpi, aut ſicut Pelagiani docebant, Peccatum originis tranſiſſe ab Adamo in poſteritatem, tantùm exemplo ſeu per imitationem: ſed in ipſo corde eſſe peccatum, hoc eſt, non tantum reatum, ſed prauas inclinationes & auerſiones à Deo, quæ reuera ſunt mala pugnantia cum lege Dei. Eſt igitur hoc illuſtre teſtimoniũ de peccato originis, quod affirmat omnes naſcentes afferre ſecum peccata, triſtem ſcilicet caliginem & dubitationes de Deo in mente, auerſionem voluntatis à Deo, incendia prauorum affectuum, & multiplicem contumaciam cordis aſſiduè rebellantis Deo. Atque hoc teſtimonium opponamus, primum Pelagianis, deinde Pontificiis, qui ipſi quoque, etſi non prorſus negant peccatum originis, tamen ita extenuant, vt dicant illam inclinationem ad peccandum in baptizatis, ſeu concupiſcentiam, non eſſe malum pugnans cum lege Dei, ſeu (vt loquuntur) non habere vllam rationem peccati, ſed eſſe tanquam materiam relictam, in qua pij militiam exerceant, & coronam vitæ adipiſcantur, ſi ſtrenue pugnent. Contrà verò inquit Dauid ſe formatum eſſe in iniquitate, id eſt, maſſam ipſam, ex qua formatus ſit, fuiſſe vitioſam & peccato contaminatam ſeu, peccatum naturaliter ſibi inhærere. Neque hoc dicit vt culpam ſceleris nuper admiſſi extenuet aut aliquo prætextu palliet, ſicut hypocritæ ſolẽt, quaſi in parentes transferre culpam conetur, dum ſe illis vitioſis cupiditatibus, quibus addicti & deuincti ſunt homines, à natura impulſum & collapſum eſſe fatetur, vt hoc ſcelus committeret, ideóque leuius eſſe cenſendum ducat, quia non potuerit aliter agere: ſed potiùs malorum ſuorum grauitatem amplificat, quòd ab ipſo vtero fuerit iniquitate refertus, ideóque iam tunc ſe reum fuiſſe agnoſcit: commonefactus nimirum illo peccato quod paulo ante commiſerat. Idem igitur eſt acſi diceret ſe tota vita fuiſſe damnabilem.

Verbum חולל referendum eſt ad tempus conceptionis, cùm primum in vtero conciperetur, ſicut alterum יחמתני ad tempus quo fœtus latet & geſtatur in vtero: ſignificat enim calefacere ſeu calefaciendo fouere, vt non tantùm ſignificet, ſemen, ex quo primũ conceptus fuerit, fuiſſe impurum, & ipſam conceptionem fieri non ſine flamma concupiſcentiæ: ſed totam illam ſanguinis maſſam, quæ alendo embryoni affluxerit interea dum mater fœtum aleret, in vtero fuiſſe vitiis fœdatam. quaſi diceret, cùm maſſa embryonis in primo ardore cõceptionis primùm inciperet vteri calore foueri, iam erat peccato contaminata.

8 Ecce veritatem dilexiſti in intimis: & in occulto ſapientiam patefeciſti mihi.

Ex antitheſi illuſtrat & confirmat priorem ſentẽtiam. Dixerat enim ſe impuram traxiſſe maſſam à cõceptione & natiuitate. Itaque quoties in conſpectum Dei prodeat, nihil

in ſe reperiri quod non ſit damnabile, ſi iuſto Dei iudicio examinetur. Id vt confirmet, addit hanc ſententiam, Deum delectari rectitudine & ſinceritate, & requirere iuſtitiam interiorem, nec ſatisfieri ei ſi quis externis geſtibus aliquam pietatem ſimulet. Odit enim Deus omnem hypocriſin tanquam mendacium, & non modo externis peccatis offenditur, ſed cor vult eſſe mundum & purgatum ab omni fallacia. Quod cùm ita ſit, facilè ſe intelligere dicit quàm miſera ſua conditio ſit futura, ſi ad vnum omnia reſecare & accuratè examinare Deus velit. Nam ab illa veritate agnoſcit ſe procul abeſſe. Eo igitur maiore ſibi indulgentia & bonitate diuina opus eſſe affirmat, qua peccata illa tegantur & condonentur.

Veritate in intimis nominat veras virtutes profectas ex integritate cordis, vbi ſcilicet nulla eſt ſimulatio, ſed ſunt cõformia legi Dei, inclinatio, affectus, voluntas & actio exterior. Veritatẽ enim opponit geſtib⁹ ſimulatis ſeu arte effictis: ſicut & Chryſoſtomus τὰ σχήματα τῆς ἀρετῆς opponit τῇ ἀληθείᾳ.

In occulto] Confirmat hanc ſententiam, & ſuum ſimul crimen exaggerat. Affirmat enim ſe de hac re à Deo eſſe ita edoctum vt nullum hic prætextũ fingere queat, nec vlli effugio locus relinquatur. Eóque grauiorem eſſe culpam ſuam adfirmat, quòd hanc ſuam lucem in mente ſua per Spiritum ſanctum accenſam paſſus ſit à prauis cupiditatibus extingui, ſéque pecudis inſtar ad fœdas libidines abripi.

בסתם nonnulli interpretantur myſterium ſeu rem abſconditam ab ſenſu humano: & referunt ad promiſſionẽ miſericordiæ diuinæ, quòd gratis recipiat omnes confugientes ad miſericordiam & petentes remiſſionem peccatorum. Hæc doctrina eſt ignota mundo & occultata rationi humanæ, nec in lege reuelata, ſed tantùm in euangelio patefacta, quæ non intelligitur niſi ab his qui ſe in terroribus conſcientiæ hac promiſſione & conſolatione erigunt & ſuſtentãt. Ideo voluit promiſſionem dici hoc loco rem arcanam & concluſam.

Alij etiam, qui veritatem, ingenuam peccatorum confeſſionem interpretantur, occultam ſapientiam dicunt eſſe agnitionem peccati: Nam humana ratio nõ intelligit magnitudinem peccati, multo minùs ſuſtinet prodire in conſpectum Dei, ſeque nudatam laude iuſtitiæ confiteri peccatricem. Sed ſola eccleſia ex verbo agnoſcit peccatũ ſuum. Ideóque hæc doctrina & ſapiẽtia eſt eccleſiæ propria. Atque hoc volunt eſſe occultum illud de quo hîc loquitur.

Sed ſicut antea nominabat veritatem in intimis, quæ ex intimo corde & affectibus proficiſcitur: ita hîc ſapiẽtiam in occulto nominat, quæ in mente accenſa eſt per Spiritum ſanctum, qua mens agnoſcit quid Deus à nobis requirat, & quomodo ille à nobis ſit colendus. Ea ſapientia & lux ſi à prauis affectibus obruatur & ſuffocetur, maior eſt peccati enormitas. Tota enim hæc oratio ad exaggeranda delicta pertinet, nec loquitur propriè nunc de conſolatione, quæ in euangelio eſt patefacta, quanquam illa verè ſuo loco dici poteſt ſapientia in abſcondito.

9 Expiabis me hyſſopo & mundabor: lauabis me, & præ niue dealbabor.

Abſoluta querela de magnitudine & multitudine peccatorum repetit principalem propoſitionem, quæ eſt petitio remiſſionis peccatorum & reconciliationis. Idem enim nũc docet quod antea in exordio pſalmi. Sed exponitur propoſitio figurata oratione, in qua reſpicit ad figuras ſiue ritus legis Moſaicæ. Primùm inquit, expiabis me hyſſopo. Hyſſopi vſus erat in Lege. Primùm in aſperſione ſuperliminaris, & vtriuſque poſtis, &c. Exod. 12. Secundò in mundatione leproſi, Leuit. 14. Tertiò in ſacrificio pro peccato, & aſperſione luſtralis aquæ, quæ conficiebatur ex cinere combuſtæ vaccæ & pro peccato oblatæ. Num. 19. itaque Græcus interpres, ad ritum ipſum ſeu ſignum reſpiciens, verbo aſpergẽdi reddidit verbum Hebręum, quod expiandi ſignificationem habet, vt vſitata in his rebus figura ſignũ accipiatur pro ſignato. Nam & leproſi aſpergebantur ſanguine paſſeris, faſciculo hyſſopi, & viuo paſſere in ſanguinem immolati intincto: & qui alioqui polluti erant contactu cadaueris, expiabantur aſperſione aquæ, in quam faſciculus hyſſopi erat intinctus. Huius cæremoniæ meminit Dauid, & petit ſe hyſſopo expiari, tanquam immundum & contaminatum peccato: non quòd fiduciam ſuam locaret in hoc externo expiationis ſymbolo: ſed quia ſciebat hæc non fruſtra eſſe in lege mandata. Sciebat enim illo ritu aſperſionis aliud ſignificari multo maius, aſperſionem ſcilicet ſanguinis Chriſti, qui futurus eſſet victima pro peccatis, & cuius aſperſione homines mũdarentur à peccatis. Ad hanc igitur rem, quæ typo ſignata erat, reſpicit.

Eſtque metonymia in his loquendi formis vſitatiſſima: *aſperges ſeu expiabis me hyſſopo*, id eſt, ablues & mundabis me à reatu ſanguine filij tui, quo verè expiãtur & tolluntur peccata. Vult autẽ ſe à Deo aſpergi, non à ſacerdote tantùm, quia ſciebat illa legalia eſſe typica. Et hyſſopus adhibebatur iſti cæremoniæ, quia habet vim purgandi interna, maximè pulmonem, vt ſignificaretur, apud Deum non opus eſſe externa ſed interna purgatione. Ita Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 16. id explicat. Alij hyſſopo miniſterium externum ſignificari volunt.

Similis oratio eſt in ſequenti membro, vbi ablui & mundari ſe petit. Nam in Lege inſtitutæ erant illæ crebræ lotiones, quæ teſtabãtur Chriſti ſanguine purgari nos ab omni immunditie, vt Deus placatus nos in gratiã recipiat, nec ſordes noſtræ ampliùs nos ab eius cõſpectu arceant. Ita typum hũc explicat Iohan. in ſua epiſtola: Sanguis Ieſu Chriſti mũdat nos ab omni peccato. 1. Iohan. 1.

10 Audire me fac gaudium & lætitiam: exultabunt oſſa quæ contriuiſti.

Amplificat petitionem ab effectibus. Petit enim ſibi ita remitti peccata vt cordi ſimul ille ſenſus cõſolationis per Spiritum ſanctum immittatur, vt verè ſtatuere poſſit, ſibi remiſſa eſſe peccata, & Deum ſibi iam eſſe placatum, vtque in hac conſolatione lætus acquieſcere poſſit. Hactenus enim fuerat triſtiſſimis doloribus oppreſſus, adeo quidẽ vt oſſa ipſa præ magnitudine doloris & præ terroribus fuerint cõtuſa & quaſſata, & vigor omnis fuerit exhauſtus & cõſumptus, id quod fieri in magnis doloribus ſolet. Spiritus enim triſtis exiccat oſſa, inquit Salomon, & in magna cõſternatione oſſa ita quatiuntur vt corpus ſuſtinere non poſſint. Petit igitur ſe illa cõſolatione de remiſſione peccatorum rurſus erigi & cõfirmari, vt lætus deinceps accedere ad Deum, & acquieſcere in ipſius promiſſionibus poſſit.

Facies me audire gaudium] Id eſt, exhilara cor meum, quod penè dolore extinctum eſt, illo ſenſu conſolationis, quòd verè me in gratiam receperis & peccata condonaueris. Hac lætitia ſi perfuderis cor meum, ceſſabit & diffugiet dolor omnis, & oſſa rurſus exultabunt, & redibit vigor ſuus totius corporis membris.

Dicit autem hoc gaudium auditu percipi, quia non more Enthuſiaſtarum expectandi ſunt violenti raptus aut motus, ſeu infuſiones plenitudinis gratiæ, quæ fiant certo aliquo momento nobis tamen incognito, vt nunc quidam ſomniãt, nec indulgẽdum dolori, donec ſine vlla cogitatione tua rapiaris violenter: ſed audiendum eſt verbum promiſſionis, in quo oſtenditur & offertur illa conſolatio quæ parit pacem & gaudium conſcientiæ, & per hoc verbum auditum, lectum, cogitatum, Spiritus S. eſt efficax, & erigit corda. Extra illud verbum nulla eſt alia conſolatio firma & ſolida.

11 Abſconde faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Subinde repetit eandem petitionem, cuius rei cauſſam ſuprà annotauimus.

Abſconde faciem tuam à peccatis] Ne ſcilicet illorum fœditate offenſus atque irritatus in me animaduertas duriùs, aut me damnes: obliuiſcere peccatorum meorum, noli aſpicere vulnera mea, aut delicta, quæ quaſi in tabula conſignata, ſemper oculis tuis ſunt propoſita. Tu verò dele illas tabulas, vt ampliùs non appareant. Ita modum iuſtificationis ſeu recõciliationis cum Deo oſtendit, docens nos conſequi remiſſionem peccatorum coram Deo, non aliter quàm ſi ille faciem ſuam auertat à peccatis, & non imputet nobis peccatum quod hæret in natura, idque non initio conuerſionis tãtùm, ſed etiam tunc cum reconciliati ſumus: item, ſi nos aſpergat ſanguine filij ſui. Hęc enim eſt vera iuſtificatio, de qua Scriptura loquitur.

12 Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum [*firmum*] innoua in viſceribus meis.

13 Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritũ Sanctum tuum ne auferas à me.

14 Reſtitue mihi lætitiam ſalutis tuæ: & ſpiritu liberali [*ſpontaneo*] confirma me.

Hactenus petiuit gratiã, hoc eſt, remiſſionem peccatorum & reconciliationem, ſeu acceptationem gratuitam propter filium Dei. Nunc petit donum per gratiam, hoc eſt ſanctificationem ſeu donationem Spiritus ſancti, & inchoationem vitæ æternæ. Nam Dauid amiſerat Spiritũ ſanctum per peccatum, & priuatus erat donis. Itaque ipſo diſcedente aut non regẽte Dauidẽ, cor ſtatim pollutũ eſt omnis generis ſceleribus. Ideo petit rurſus in ſe creari cor mundum, id quod Apoſtolus dicit Actor. 15. purificatum fide, à peccatis ſcilicet & reatu, quod etſi habet adhuc ſordes, quæ hærent in hac natura (nõ enim omnes in hac vita deponere poſſumus) tamen

Deo placet per miſericordiam,poſtquam fide accepit remiſſionem peccatorum,& incepit iam ſanari,vt rectè ſentiat de Deo,verè agnoſcat Deum,ſine hypocriſi aut ſimulatione,nō fugiat Deum,ſed accedat ad eum,inuocet eum,credat in eū, timeat eum,obediat ei, &c. Hæc enim omnia requiruntur ad munditiem cordis,de qua hîc loquitur. Vtitur autem verbo creandi,vt ſignificet, illud opus regenerationis & renouationis eſſe donum Dei gratuitum,non conſtare viribus humanis nec noſtro arbitrio,vt finxerunt Pelagiani.

Spiritum rectum ſeu firmum,nominat confirmantem nos, vt certò ſtatuamus nos eſſe in gratia,& eſſe adoptatos à Deo, & vt acquieſcamus in promiſſionibus,ſtatuamus nos exaudiri à Deo: tollentem item omnes dubitationes, quæ nos arcent à conſpectu Dei. Nam qui hoc Spiritu non ſunt præditi,illi perpetuò dubitant an ſint in gratia,an exaudiantur, & ſemper magnitudine peccatorum ſuorum deterrētur,ne accedere ad Deum audeant,ſicut pontificij & omnes extra eccleſiam.

Ne proÿcias me]Inſerit rurſus priorem petitionem de remiſſione peccatorum. Ne abiicias me,ſcilicet propter ſordes meas multiplices, vel ne auerſeris me propter peccata quibus ſum pollutus.

Spiritum ſanctum]Quem antea dixerat Spiritū rectum,nūc nominat ſanctum, id eſt, ſanctificantem & renouantem corda,& accendentem in his motus congruentes cum lege Dei, dilectionem Dei,& vniuerſam obedientiam,quam lex requirit. Hunc petit non auferri à ſe,ne perpetuò deſtitutus illo rectore,ſuis cupiditatibus feratur ſine ordine & modo,atque ita ſibi exitium accerſat.

Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ] Rurſus petit ſe liberari illis doloribus mortis & inferorum,quos genuerant in eo peccata:& firma conſolatione de amore & beneuolentia Dei cor erigi:ne oppreſſum magnitudine dolorum extinguatur, aut deficiat à Deo. Illa crebra repetitio anxietatem animi in veris doloribus oſtendit. Redde mihi,inquit,lętitiā,id eſt,reſtitue illam cōſolationem,vt certò ſtatuam te mihi eſſe propitium,te adfuturum mihi opitulatorem & ſaluatorem; lætifica cor meum,vt in te acquieſcam. Lætitiam ſalutis Dei nominat,qua hominem extractum ex doloribus ſaluat & vitæ reſtituit.

Spiritu liberali]Spiritum liberalem ſeu ſpontaneum nominat,qui eum regat & gubernet in omnibus vitæ ſuæ actionibus,in omnibus conſiliis & periculis, vt ſponte & libenter Deo obediat,placidè obtemperet Deo in afflictionibus,magno animo ferat ærumnas,non fremat aduerſus Deum,non ſit immorigerus,non reluctetur volūtati diuinæ,ſicut hactenus ſenſerat ſe feciſſe,quādo,veluti peccati mancipium, non aliud agebat quàm quòd cæca libido ſuaderet.

Verbum נדב ſignificat ſpontaneum,liberalem, munificum eſſe in conferendo vel in dando. inde נדיבים dicuntur domini ſeu principes κατ' ἐξοχὴν,quod prę cęteris debeāt eſſe liberales & munifici. Et Chriſtus Lucæ 22. vbi euangeliſta nominat eos εὐεργέτας,ſine dubio vſus eſt hac voce. Ideo vſitata verſio habet,Spiritu principali ſeu regio,& Græci ἡγεμονικῷ,verterunt,quaſi hoc petat propheta vt cū rex populi Dei ſit,heroicis virtutibus inſtruatur ad exequendum munus ſuū.

Verbum תסמכני quidam volunt eſſe tertiæ perſonæ, quia nomen רוח eſt fœmininum: Itaque ſic vertunt, Spiritus me ſtabiliat. Et exemplū ſimile exſtat pſal. 143. Spiritus tuus bonus ducat me,vel Spiritu tuo bono ducas me. Nam cùm eadem forma ſit ſecundæ perſonæ maſculinæ & tertiæ fœmininæ in futuro,vtroque modo legi poteſt.

15 **Docebo tranſgreſſores vias tuas: & impij ad te conuertentur.**

Secunda pars pſalmi continet promiſſionem gratitudinis, & fructum gratitudinis ſuæ commemorat,cùm inquit ſe daturum operam vt alij ſuo exemplo reſipiſcant,& vt doctrina de Deo longè latéque propagetur. Hæc cauſa ſæpe in petendis liberationib. repetitur:quia ad hūc finē Deus vult referri liberationes,vt ipſe agnoſcatur, & doctrina propagetur, & vt his exemplis conformati rurſus incipiant eum colere.

Ego docebo tranſgreſſores vias tuas]Vias Domini nominat rationem & modū quo ille agit cum peccatoribus, qui peccata ſua agnoſcunt,& his liberari petunt,aut qualem ſe exhibeat talibus. Hoc niſi ex verbo diuinitus reuelato diſci nō poteſt. Nam homines non edocti verbo diuino,vbi premuntur ſenſu peccatorum & iræ Dei, exiſtimant Deum nihil aliud eſſe quam ſeuerum & iratum iudicem, qui peccata ſeuerè puniat & damnet:itaque fugiunt eum,&(ſi poſſent)cuperent ſe prorſus occultare ab eius facie:ſicut Adam in paradiſo quærit latibula. Non enim audent accedere ad eum quem ſciunt ſe offendiſſe, & quem in ſuis doloribus experiuntur ignem eſſe conſumentē,vt dicitur Deuter. 4. ego verò meo,inquit, exemplo docebo eos, ne propter peccata abs te alienentur, aut te fugiant, ſed vt ad te accedant, & petant remiſſionem peccatorum. Ita enim te eſſe affectū demonſtrabo vt omnes ad te confugientes & petentes veniam recipias in gratiam. Hæ ſunt viæ Domini de quibus hic loquitur. Atque ita futurum eſt,vt hac mea doctrina multi ad te conuertantur, te agnoſcant,tibi gratos cultus præſtent,&c.

16 **Libera me à ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ: & cantabit cum iubilo lingua mea iuſtitiam tuam.**

17 **Domine, labia mea aperias: & os meum annuntiabit laudem tuam.**

Gratiarum actioni rurſus miſcet precationem,in qua duo petit. Primùm mitigationem calamitatum:deinde auxilium in propagatione doctrinæ & confeſſione. Videbat Dauid ſe ſuis peccatis meruiſſe graues pœnas, deinde ad docendum non ſatis eſſe inſtructum iis donis quibus oportebat,præſertim quamdiu erat oppreſſus dolore ex ſenſu iræ Dei & peccati. Itaque cùm dixiſſet,Ego docebo,&c. nunc addit. Id verò vt præſtare poſſim,duo mihi abs te ſunt petenda. Primùm, vt mihi parcas in pœnis, ſeu vt mitiges pœnas. Deinde, vt non tantùm me inſtruas viribus idoneis ad hoc munus exequendum,ſed ſenſum etiam doloris,qui eſt à peccato,tollas, ne ille me in hoc munere impediat. Quamdiu enim ille dolor ante oculos verſabitur,non potero aperire labia,vt alios doceam, ſed neceſſe eſt me obmuteſcere. Semper enim quod etiam Origeni aliquando accidiſſe legimus, ſonabit in auribus meis illa triſtis obiurgatio,de qua in præcedente pſalmo dictum eſt: Impio autem dixit Deus, cur enarras ſtatuta mea?

Hęc ſumma eſt horum duorum verſuum, qui pulchre cum petitione cohærent. Nam vt alacriùs alios docere poſſit,cupit illa amoliri quæ videbātur eius promptitudini fore impedimento.

Sanguines nominat tragicas calamitates, quibus viderat paulò antè,Saulem & eius familiam & duces interiiſſe. Nomen דמים ſæpe ſignificat reatum,interdum pœnam,ſępius cędes & atrocia facinora ſeu quoduis ſcelus capitale. Hic verò ponitur pro pœna,ſeu mortis ſupplicio, cui adiudicari ſe poſſe propter peccatum admiſſum ſciebat.

Deus, Deus] Illa ingeminatio notat anxietatem animi agnoſcentis in hoc dolore & periculo,non in alio quàm in Deo ſibi ſpem ſalutis eſſe repoſitam.

Iuſtitia]non intelligatur hoc loco ea quæ exequitur pœnas ſcelerum ab impiis, ſed quæ ſeruat promiſſa, quæ non fruſtratur,non deſerit miſeros homines confugientes ad opem diuinam. Prędicabo iuſtitiam tuam,id eſt,oſtēdam omnibus quàm fidelis ſis in ſeruandis promiſſis,& tuenda ſalute tuorum. Alij iuſtitiam interpretantur,qua nos liberat à peccatis per ſuam gratiam. Græci enim חסד & צדקה ſæpe vna voce δικαιοσύνῃ reddiderunt.

Labia mea aperies[Id eſt,præbebis materiam cantici & laudum tuarū,tollendo ſcilicet ſenſum peccati & doloris,& exhilarando animum,iuſtitiam reddēdo,& adiuuando,vt lætus prorumpere in laudes tuas,& nomen tuum profiteri poſſim. Deus enim ora ſeu labia ſuorum aperire dicitur, quoties liberalem ſe erga ipſos & beneficum exhibet. Inde ſuprà pſal. 40. dicitur,poſuit in os meum canticum nouum.

18 **Quoniam non delectaris ſacrificio: etiamſi tibi dem**[*vel & ſtatim darem. Nam copula interdum promptitudinem & feſtinantiam actionis eius verbi cui additur deſignat:*]**holocauſtum non acceptas.**

Addit antitheſin, quā ſuum ſtudium & promptitudinem propagandi doctrinam de Deo magis commendat. Ego,inquit,pro tātis beneficiis nihil aliud habeo quod rependam, niſi animum memorem & promptum ad propagandum tuā doctrinam,& ad celebrandos tuas laudes paratum. Hoc officio ſcio te magis delectari quā externis ſacrificiis illis,quib. vulgus falsò exiſtimat poſſe expiari & tolli peccata,& placari iram Dei. Id enim ſi ſacrificiis impetrari poſſet,nō eſſet mihi graue quàm plurima vno tempore offerre. Sed alia ſunt ſacrificia longè nobiliora & præſtantiora,quibus tu delectaris. Ita & craſſas vulgi ſuperſtitiones reprehendit, & ſimul doctrinam de diſcrimine cultuum exponit, de quo & proximo pſalmo dictum eſt nonnihil.

Erant inſtituta ſacrificia in hoc populo voce Dei, nec illa negligebantur à Dauide(fuit enim cultui diuino addictiſſimus)non tamen offerebantur ea opinione quòd mererentur remiſſionem peccatorum, aut quòd eſſent compenſatio pro peccatis:ſed ſciebat illa inſtituta eſſe vt eſſent typi & commonefactiones de futura victima,& vt eſſent exercitia & ſymbola interioris animi pietatis. Quare dicit,ſacrificia hac o-

pinione

pinione facta quòd placeant & ſint cultus ex opere operato, nequaquam placere Deo: ſed alia eſſe ſacrificia maiora, de quibus ſequens verſus concionatur.

19 Sacrificia Dei ſpiritus contritus: cor contritum & afflictum Deus non deſpicies.

Poſtquam opinionem meriti ſeu virtutem ἱλαστικὴν ſacrificiis detraxit, nunc ex antitheſi dicit quæ ſint vera ſacrificia quæ Deo placeant. Etiamſi quis nihil niſi cor contritum & humiliatum in conſpectum Dei afferat, hoc ait Deo abundè ſufficere. Quia hoc vnum inprimis exigat à nobis vt deiecti & proſtrati miſericordiam eius imploremus.

Hic multiplex doctrina ſeſe offert. *Primùm* enim monet, interiorem animi pietatem ſeu λογικὴν λατρείαν quam Paulus ita nominat, anteferendam eſſe omnibus cæremoniis: imò nunquam placere cæremonias, niſi præluceat pœnitentia, timor Dei, fides intuens Mediatorem, & propter hunc petens ſe recipi. Non enim geſtibus colitur Deus, ſed Spiritu & veritate, vt dicitur Iohan. 4. *Secundò*, docet calamitates non eſſe ſigna deſertionis, aut reiectionis, ſed exercitia piis neceſſaria, & ſalutaria: imò illos dolores, cùm accedit fides erigens ſe fiducia promiſſionis, dicit eſſe ſacrificia, quibus Deus rite colatur, & honore afficiatur. Hæc plena ſunt conſolationis. Nam homines, qui non ſunt de his rebus edocti, cùm ſunt in calamitatibus, iudicant ſe negligi & abiici à Deo: ſed vox diuina affirmat adeo nō abiici afflictos, vt potius tunc inprimis præſentia & auxilium diuinum cernatur. Sicut dicitur Ieſai. 57. Habitans cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet, &c. Et 66. Ad quem reſpiciam, niſi ad miſerum & contritum ſpiritu?

Sacrificia Dei] Vtitur plurali numero non ſine cauſſa, quia vult ſignificare, illud ſacrificium quo homo ſe ipſum abiicit coram Deo, ſeque agnoſcit reum, & confugit ad miſericordiam diuinam, petēs ſe recipi propter filium, ſufficere vnum pro omnibus. Atque ita ſatisfactionum commenta excludit.

20 Benefac in beneplacito tuo ipſi Sion: ædifica muros Ieruſalem.

21 Tunc accepta habebis ſacrificia iuſtitiæ, holocauſtum & oblationem: tunc aſcendent ſuper altare tuum vituli [*vel actiuè, facient aſcendere vitulos, id eſt, offerent.*]

In fine addit precationem communem pro tota eccleſia. Singuli enim ſalutem ſuam ita commendare Deo debent, vt ſimul totius corporis incolumitatem complectantur. Benefac vrbi, inquit, quæ ſedes eſt eccleſiæ, vt ſemper in ea ſonet tua doctrina & vigeat cultus, vt eccleſia creſcat & augeatur: muni eam aduerſus rabiem hoſtium tuorum, cōcede pacem & concordiam inter docentes, prohibe ſcādala, diſtractiones & diſſidia, quibus muri eccleſiæ deſtruuntur, vt cœtus dilabatur: da item ne illa peccatorum meorum pœnas luat.

Tunc acceptabis] Hæc ſententia videtur pugnare cum ſuperiore, in qua reiicit ſacrificia: ſed antea ſolutio eſt data. Suprà enim damnat opinionem cultus aut meriti ex opere operato, vt nunc loquuntur: Hoc eſt, affirmat ſacrificia nullius eſſe momenti, ſi ex ſe vel externo opere æſtimentur. Hic verò placere dicit ſacrificia, quatenus ſunt exercitia pœnitentiæ & fidei, & ſymbola gratiarum actionis, & ſeruiunt conſeruationi miniſterij ſeu propagationi doctrinæ. Atque ita de noſtris quoque cæremoniis iudicandum eſt eas placere Deo nō ex ſe (vt Pontificij nugantur qui cultum omnem in cæremoniis collocant) ſed ſi ad hos fines de quibus diximus, referantur. Sacrificia autem iuſtitiæ vocat ſacrificia recta & legitima, quæ rite ſecundùm verbi diuini præſcriptum offeruntur. Eſtque eadem deſcriptio pſalmo 4. Sacrificate ſacrificia iuſtitiæ.

עולהוכליל] ad nomen generale adiungit duas ſpecies, 1. Sam. 7. hæ duæ voces abſque coniunctione iunguntur, vt nihil videatur inter eas eſſe diſcriminis. Accepit Samuel agnū lactentem, & obtulit עלחכליל, id eſt in holocauſtum totale ipſi Iehouæ. Sed hoc in loco per coniunctionem videtur alterum ab altero diſtingui. Itaque nonnulli tale faciunt diſcrimen, vt עלה tantùm dicatur de animalium ſacrificiis, ex quibus pars lege Deo deſtinata tota cremabatur: כליל verò etiam de Minha, hoc eſt, de farina, panē, oleo & ſale dicatur, & ita quidem imprimis de ſacerdotis ſacrificio, cuius libatio tota comburebatur, vt habetur Leuit. 6. Hic ritus erit perpetuus ipſi Iehouæ, totaliter adolebunt, omnis etiam oblatio ſacerdotis totum erit, nec comedetur. R. Dauid & alij volunt copulam ו ἐξηγητικῶς addi.

PSALMI LI.

PARTES.

I. Petitio ſingularis, Dauidem reſpiciens: cuius loci duo. 1. Poſtulatorum. 2. Cauſarum quibus Dauid ad hæc poſtulanda adductus eſt. Poſtulata ſigillatim apponuntur ſingulis cauſis.

Cauſæ verò ſunt tres. 1. A perſona ſupplicis, à 3. v. ad 11. nimirum liberatio à peccato, & ſalutis communicatio. Tria capita continet prima hæc cauſa. 1. gratiæ Dei imploratione, confeſſioni peccatorum ex ſeria & conſtante animi reſipiſcentia proficiſcenti coniunctam, verſ. 3. 4. 5. 6. 7. peccati fœditate amplius explicata per oppoſitionem, verſ. 8. 2. abolitionem & ablutionem peccati admiſſi, quæ allegoricis formis ex lege deſumtis figuratur, verſ. 4. & 9. 3. lætitiam & pacem in ſpiritu ex duobus illis beneficiis conſequentem, verſ. 10. Sequente verò, nempe 11. iteratur poſtulatum illud primum, nempe de abolendo peccato. 2. de gratia Dei communicanda, cuius effecta ſunt inſtauratio & confirmatio noſtri: inſtrumentum verò, communicatio ſpiritus, verſ. 12. & 13. 3. de lætitia & pace in ſpiritu, verſ. 14.

2. Secunda cauſa, à perſona aliorum, id eſt, Eccleſiæ ædificatio verſ. 15. cui admiſcetur ardens expetitio remiſſionis peccatorum priori parte, v. 16.

3. Tertia cauſa, gloria Dei, promouenda duobus modis, priuata & publica prædicatione, v. 16. & 17. atque ſanctificatione animi ſtudioſoque obſequio, quo ſiſtunt pij (vt dicitur Rom. 12. 1.) corpora ſua hoſtiam viuam, ſanctam & acceptam Deo, v. 18. & 19.

II. Concluſio, à petitione boni publici, cuius rationem Dauid neglexerat, quum peccato ſuo Deum prouocaret, & populum eius gladio inimicorum exponeret: quod allegorice cum labe murorum comparatur, v. 20. fideles enim (1. Petr. 2. 5.) ſunt viui lapides in domo Dei.

Concluſionis altera pars, verſ. 21. nempe votum de legitimis & acceptis Deo ſacrificiis offerendis, quæ tunc quidem pro ritu ceremoniarum legalium offerebantur: nunc verò ſpiritu exhibentur in Chriſto.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2. Quum ſancto propheta & præſtantiſſimo regi obrepſerit tam bruta ſocordia, nemo eſt qui non ad eius exemplum expaueſcere debeat.

Non alius eſt regū quàm pauperū Deus: & quo magis aliquis inter homines eminet, eo eminentius eſt ipſius peccatum, ac proinde tanto magis elaborandum vt cæteris praeat pœnitentiæ exemplo.

Vbi peccauimus, non expectandum eſt dum è cælo tonet Deus, ſed placidè & libenter obtemperandum eſt eius ſeruis, quorū ore ad pœnitentiam nos inuitat.

3. 4 Peccata, quaſi ſordes & immūditiæ, nos in Dei conſpectu fœdant ac polluunt, fœtidóſque reddunt, ideo eorum remiſſio aptè ablutio vocatur: atque hæc doctrina tam ad commendationem gratiæ Dei quàm ad peccati odium & deteſtationem valere debet. Et nimis ſtupidi ſunt quos horrore non percellit hæc locutio.

Peccator quo ſe magis inquinatū ſētit, magis ſeipſū incitare debet ad anxios dolores & gemitus, quò tandē feruentiore affectu ad Dei

miſericordiā immenſam confugiens è conſciẽtiæ terroribus emergat.

5 Tunc ſeriò Deum precamur vt nobis ignoſcat, dum ſcelerũ atrocitas oculis noſtris ſe ingerens horrorem ſimul incutit. Vnde ſequitur, quamdiu ſibi indulgent homines, magis in ſe accendere Dei vindictam, vt ſeuerius ipſos puniat. Ideo diſcamus non modo ore nos damnare, ſed rigidum & formidabile examen habere de peccatis noſtris, ſi cupimus à Deo abſolui.

6 Hæc regula nobis tenenda eſt, ſi cupimus vero pœnitentiæ affectu imbui, vt ingrediamur in nos ipſos, ſenſibuſq; omnib. ad Deum collectis, etiãſi nullus mortalium ſit nobis infeſtus, corã iudice noſtro expaueſcamus, ac metus iræ eius delicias omnes nobis excutiat.

Vtcunq; interdum, vbi de nihilo extollit Deus contemptiſſimos quoſque, vel quos in ſublime extulerat ſinit ruere, in his iudiciis aliqua repugnantiæ vel abſurditatis ſpecies nos conturbet: tamẽ hac admonitione (Quicquid Deus ſtatuit iuſtum eſt) *in ſobria modeſtiaq; reuerentia contineri nos decet.*

7 Non aliter peccata noſtra inſolidum agnoſcimus, niſi totum ingenium noſtrum damnemus corruptionis: imò vnumquodq; particulare delictum ad hanc generalem notitiam adducere nos debet, meram prauitatem in omnibus animæ noſtræ partibus regnare.

Tam hoc loco quàm pluribus aliis Scriptura aſſerit ingenitum nobis eſſe peccatum, vt intus reſideat & infixa ſit corruptela. Locus illuſtris de peccato originali, cuius explicatio extat in methodis Theologicis veterum & neotericorum, Auguſtini videlicet, Philippi Melanchthonis, & aliorum.

Adam poſt ſuam defectionem ſpoliatus eſt eximiis illis donis quibus ornatus fuerat. Ita quũ extincta eſſet quæ prius in eo fulgebat ratio, & volũtas (priùs in Dei obſequiũ formata) cõtumax facta eſſet, tã mẽte q̃ corde fuit corruptus, & deinde genuit filios ſui ſimiles.

8 Quiſque ſibi conſcius vnius peccati, alia quoq; reuocet in memoriam, vt ſe totum coram Deo proſternat, deinde expendat quàm formidabile ſit eius iudicium, & cum illius rectitudine ſuam vanitatem comparans ſe prorſus obrui ſentiat, tandem addat hunc cumulum, ſi edoctus fuerit à Deo, quaſi vnus ex domeſticis, eo ſe maiori damnationi eſſe obnoxium, quia ſuffocauit lucem ſpiritus ſancti, peruerſus fuit diſcipulus, pedibúſque calcauit tot pretioſa dona quibus ornatus fuerat.

9 Quamuis non alibi quàm in Chriſti ſanguine quærenda ſit expiatio: quia tamen nec oculis perſpicitur, nec manibus palpatur ſpiritualis gratia, non poſſumus, niſi externis ſignis adiuti trãquillis animis ſtatuere Deum nobis eſſe propitium.

Aſperſiones quibus ſub Lege vſi ſunt Iudæi, teſtatæ ſunt purgari nos ab omni immunditie, per ſanguinem Chriſti, vt Deus placatus, nos in gratiam recipiat.

Spiritus ſancti officium eſt intus abluere conſcientias noſtras ſanguine Chriſti, ne à Dei acceſſu nos prohibeant ſordes noſtræ.

10 Donec Dei verbo exhilaretur peccator vt animum colligat: fruſtra alia ſolatia ſibi accerſet, & hæc vera eſt pacis & ſolidæ lætitiæ ratio, acquieſcere in Dei promiſſionibus, dum ſcilicet ille pollicetur, abolito noſtro reatu ſe fore nobis propitium.

11 Iuſtificamur coram Deo, vbi voluntaria obliuione peccata noſtra delet: & hæc eſt noſtra puritas, dũ gratuita veniã nos dignatur.

Non poſſumus ſeriò precari, vt Deus nobis ignoſcat, niſi iã fide cõceperimus ipsũ fore placabilẽ. nec pugnant hæc duo inter ſe, vbi fide amplexi ſumus Dei gratiã, precari tamẽ vt peccata noſtra aboleat.

12 Siue ab initio nos regeneret Deus, ſiue lapſos in gradum reſtituat, quicquid eſt in nobis rectitudinis, gratuitum eſt eius donum. Vnde ſequitur, totum cor hominis, vbi in natura ſua conſideratur, contortum eſſe & peruerſum: quia ſi vlla eſſet à natura rectitudo vel mundities, non hanc vocaret Dauid Spiritus donum, illam vero Dei creationem.

13 Fideles, ſub onere peccatorum ſuorum gementes, vt maneant in poſſeſſione S. ſpiritus, ſibi adoptionis gratiam manere ſaluam cupiunt: quia niſi locum obtineant inter Dei filios, nihil ſibi ampliùs reſiduum fore vident.

Quamuis aliquoties ſuffocata ſint in fidelibus dona ſpiritus ſancti: non tamen in totum ablata ſunt. Etiamſi igitur Deus eos interdum abiiciat in ſpeciem, non tamẽ ita exuit donis omnibus, quin tandem appareat non penitus fuiſſe abdicatos, etiam quo tempore in illis gratiæ ſigna non fulgebant.

Fideles, quum peccarunt, meritò ſunt anxij, quia repudiarũt (quãtum in ſe eſt) Dei gratiam: debent tamen in hoc articulo conſiſtere, quum ſemen Dei incorruptibile ſit, gratiam, qua præditi ſemel fuerunt, euaneſcere non poſſe.

14 Nimis ſtupidi ſunt qui Deo infenſo quietem ſibi pollicentur: nec vlla tranquillitate nobis frui licet, donec affulgeat paternus Dei fauor.

Fideles, ſenſu delictorum afflicti, ſe peccati mancipia agnoſcentes, & conſtricti ſuo reatu ad liberum illum & vltroneum ſpiritum aſpirant, à quo ferè excidiſſe videbantur.

16 Non modo hoc præſcribit charitatis regula, vt manum alijs porrigant qui erecti ſunt à Domino: ſed huc etiam impellere eos debet pietatis ſtudium & zelus gloriæ Dei, vt omnes, quantum in ſe eſt, eiuſdem gratiæ faciant participes.

Deum ſtudemus in viam errantes reuocare, etſi ſurdis canere videamur, non tamen ſemper ludimus operam, quia Dominus verbo ſuo benedicit.

16 Fideles, dum ſe mortis ſupplicio faciunt obnoxios, oſtendunt vnicam ſibi ſpem reſtare in Dei bonitate & miſericordia.

Iuſtitiæ elogium, quod hîc Deo tribuitur, ſignificat eum in ſeruãdis promiſſis & tuenda ſalute ſuorum eſſe fidelem, neque vnquam eos fruſtrari qui miſericordiam eius implorant, imò eos liberando iubilandi præbere materiam.

17 Quodammodo obmuteſcimus donec veniam adepti ad gratiarum actionem vocemur: nec alio fine in gratiam nos recipi poſtulare debemus, niſi vt apud omnes gratiæ Dei ſimus clamoſi præcones.

18 Tametſi in externis pietatis exercitiis fideles ſedulò ſe exerceãt, ſicuti Deum ſibi placabilem fore minimè confidunt, niſi in medio ſiſtant vnicum Chriſti ſacrificium, quo expiata ſunt mundi peccata: verè quidem & meritò nihil ſe compenſationis afferre teſtãtur, quia gratuitam petunt reconciliationem.

19 Non aliter gratiam conſequimur apud Deum quàm dum in nobis deiecti ac confuſi, in ſolam eius miſericordiam recumbimus, dum ſupplices prodimus cum ingenua nuditatis noſtræ confeſſione: denique curui & fracti iacemus vt nos erigat.

20 Eccleſiæ reſtauratio, vbi collapſa eſt, non aliunde quàm ex mera Dei gratia ſperanda.

Simulac reconciliati ſumus Deo, non tantùm libera cuiq; pro ſalute ſua precandi fiducia permittitur, ſed nos etiam pro aliis admittimur ſuffragatores: imò quod magis honorificũ eſt, regni Chriſti gloriã, quæ magis pretioſa eſt quã totius mũdi ſalus, commẽdare licet.

21 Sacrificia, quatenus exercitia fidei & pœnitentiæ, ac gratiarũ actionis ſymbola, Deo grata fuerunt.

Voti compotes redditi non modò tacitè nobiſcum reputare debemus Dei gratiam, ſed in celebri etiam conuentu, pro noſtræ vocationis ratione prædicare.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De miniſtrorum eccleſiæ Dei ſancta libertate, ſapientiæ ſpirituali coniuncta.
2. Lapſus eximiorum Dei ſeruorum in ſcriptura luculenter depicti.
3. Reſipiſcentia electorum in Chriſto, ex peccati tyrannide Satanæque faucibus ereptorum.
4. De amplitudine miſericordię Dei.
5. Peccati ſenſus, grauitas, confeſſio, deteſtatio.
6. De peccato originali & actuali.
7. De remiſſione peccatorum typis adumbrata ſub lege, impleta in Chriſto, qui iudicio Dei ſatisfecit pro peccatoribus reſipiſcentibus.
8. Pauor, tremor, pax & lætitia conſcientiæ vnde.
9. Peccatoris in gratiam recepti officium.
10. De ſacrificiis legalibus & ſpiritualibus.
11. Eccleſiæ cura piis principibus commendata.
12. Animi planè regij, regi ſummo gloriam tribuentis pictura.

ARGVMENTVM PSALMI LII.

TITVLVS ipſe indicat argumentum pſalmi. Scriptus eſt enim à Dauide, quando nuntiatum eſt ei de crudelitate Saulis, qui per Doëgum ſceleris ſui miniſtrum vno die interfecerat octoginta quinque ſacerdotes cum coniugibus & liberis, atque adeo cum ipſorum pecoribus, in oppido Nobe, non aliam ob cauſam quàm quòd Achimelech ſacerdos fugientem Danidem hoſpitio excepiſſet, & viatico inſtruxiſſet. Quæ hiſtoria copioſè deſcribitur, 1. Reg. 21. & 22. Neceſſe autem fuit magno in dolore fuiſſe Dauidẽ, quãdo de illa cæde & calamitate audiuit, cuius ſe quodãmodo cauſam fuiſſe ſciebat. Ipſe enim accedens ad Achimelech, ſimularat ſe mitti à rege ad graue negotiũ quoddam conficiendũ, eáque oratione perſuaſit, vt non tantùm panes propoſitionis, ſed & gladiũ Goliath Dauidi tanquam iter facturo daret: quæ res animum Sauli ita accendit, vt non in ipſum tãtum, ſed in omnes ſacerdotes, mulieres, virgines, infantes & pecora ſæuiret.

In hoc igitur ſummo dolore, quem ex illo triſti caſu accepit, hunc pſalmum compoſuit, in quo primum in Doegum delatorem, & cædis perpetratorem, acerbiſſimè inuehitur, eiuſque impium ſcelus exaggerando & amplificando multis deteſtatur. Deinde triſtiſſimas pœnas minatur & denuntiat. Hæc prima pars eſt pſalmi.

Altera pars conſolationem continet, qua non tantum ſe, ſed omnes pios, qui tunc reliqui erant in hoc populo, & quibus terror ex cæde ſacerdotum non leuis incuſſus erat, confirmat, ne animum abyciant, aut bene ſperare deſinant. Futurum enim affirmat vt Deus & ſuperbiam hoſtium vlciſcatur, & ſuos ſeruet incolumes. In fine epiphonematis loco addit gratiarum actionem pro hoc inſigni beneficio, quòd ex præſenti periculo ope diuina liberatus erat, eóque ſe confirmatum dicit, vt deinceps quoque de beneficentia & ope diuina bene ſperet. Hæc ſumma eſt pſalmi.

Eſt autem pſalmus ad eccleſiam omnium temporum accommodandus. Semper enim eccleſia ſuos habet Saules, hoc eſt, reges & principes, qui eam horribili odio proſequuntur & delere conantur, & imprimis odij ſui crudelitatem aduerſus miniſtros & doctores eccleſiarum oſtendunt. Habent autem & illi in aulis ſuos Doegos & ſycophantas, homines crudeles & ſanguinarios, qui iniuſta principum odia falſis criminationibus & obtrectationibus accendunt & inflammant, ſeque miniſtros ſcelerum in opprimendis piis præbent. Etſi autem ſæpe nonnulli ex piis iniuſtè interficiuntur, vt Achimelech cum ſuis collegis, quemadmodum & in exercitu victore nonnullos cadere videmus: tamen ſicut Dauid cum aliis piis in illis periculis eſt ſeruatus: ita ſemper eccleſia ſeruatur & defenditur, ne ab impiis tyrannis opprimi & deleri poſſit, & tandem oppugnatores eccleſiarum horribilibus pœnis delentur, vt Saul, Iudas, Maxentius, Iulianus, Valens & ſimiles.

1 AD triumphandum, erudiens Dauidi.

משכיל Hic titulus, vt antea monuimus, plerunque præfigitur iis pſalmis, quoties Dauid aliquam ſuam calamitatem ſeu afflictionem commemorat, quibus admonitus accenſus ſit ad precationes & alia pietatis exercitia. Verè enim dicitur παθήματα μαθήματα. Et qui nõ eſt tentatus, qualia ſcit?

2 Cùm veniſſet Doeg Idumæus, & nuntiaſſet ipſi Sauli ac dixiſſet ei, Venit Dauid in domum Achimelech.

דואג Appellatio eſt conueniens homini aulico: ſignificat enim hominem ſolicitum. Solicitudo autem facit homines curioſos, πολυπράγμονας, qui omnia inquirunt, qui rimantur & venantur rumuſculos, vt habeant quod ad regem ſeu principem deferant, & vnde beneuolentiã captent. Altera appellatione crudelitas vocatur. Nam ארומי ſi appellatiuè interpreteris, ſignificat rufũ, hoc eſt, ſanguinarium. *Ein bluthund.* Ita his duabus appellationibus ingenium & ſtudia hoſtium eccleſiæ, & præcipuè eorum qui ſunt in aulis impiorum principum, depinguntur.

3 Quid gloriaris in malitia [ô] potens? bonitas Dei quotidie.

Exordium eſt abruptum. Nam per apoſtrophen (antequam aliud quidquam dicat) compellat Doegum abſentem, cuius ſcelera & malitiam inſectatur.

Quid gloriaris] Id eſt, quæ eſt tanta impietas tua vt cùm crudeliſſimè interfeceris tot homines innocentes & pios ſacerdotes, mulieres, virgines, infantes, méque calumniis virulentiſſimis in grauiſſimum odium adduxeris, auſis adhuc gloriari, quaſi re bene geſta? An exiſtimas te hoc ſcelere perpetrato fore deinceps fortunatiorem? quaſi dicat, nequaquam. Ita primùm exaggerat ſcelus Doegi, quòd in nefario crimine ſe iactet ac beatum prædicet, qui hoc modo ſibi regem magis conciliarit, & ad maiorem autoritatem ac potentiam peruenerit. Eſt enim hoc ſignum deploratæ malitiæ. Debet autem hæc obiurgatio ita intelligi vt quæ aduerſus omnes improbos in genere à Spiritu ſancto dirigatur. Quẽadmodũ & Gregorius Nazianzenus ad gentiles hoc accommodans dicit eos vnumquenque ſuorum deorum congruenti vitio colere: vt illud ipſum quod peccant, in Dei honorem cedat, ad quem vitium ipſum, quaſi res quædam honeſta & prædicãda confugit. Nam cùm ſceleris cuiuſdam conuicti eſſent gentiles, non modò non erubeſcebant, ſed quaſi præclaro aliquo facinore patrato gloriabantur, ac Deũ illũ quẽ colebant, pro defenſionis ac purgationis patrono habebãt, cũ dicere nõ vererentur, huiuſmodi vitij inuentorem Deum eſſe, atque eã ob cauſam in illius honorẽ ac cultũ facere quod facerẽt.

Potens] Hoc additur per ironiam. Vir fortis, ſcilicet, ac ſtrenuus, quale illud eſt: *Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis*, &c. quaſi dicat, Egregia certè fortitudo, quòd homines inermes, imò ſanctos & cultui Dei deſtinatos ſacerdotes, nempe cum mulieribus & infantibus occidiſti, imò ne pecoribus quidem pepercisti, eáque re autoritatem & potentiam tibi comparare voluiſti. Græcus addit in iniquitate, & omittit has voces חסד אל.

Bonitas Dei quotidie] Virulentiæ & odio implacabili Saulis & Doegi opponit hanc neceſſariam conſolationem, ſe certò ſtatuere quòd bonitate diuina defendatur aduerſus iſtorum iniuſtam vim, vtcunque illi fremant, & omnia aduerſus ſe moliantur: Dei enim miſericordia eſt quotidie, hoc eſt, nunquam ille defatigatur ſuos iuuando & defendendo, nunquam intermittit curam, quam pro ſuis ſuſcepit, nec abiicit eos, etiamſi aliquandiu affligi patitur.

4 Prauitates [*damna*] cogitat lingua tua: tanquam nouacula acuta faciens impoſturam [*fraudulenter agens.*]

Vt rectiùs & hic verſus & duo ſequentes intelligantur, ſemper particula מה ex priori eſt repetenda. Eſt enim perpetua obiurgatio atq; inſectatio ſcelerũ Doegi, quibus tamẽ oſtendit eum nihil profecturum, vt ita ſe & alios quos conſternatos videbat, confirmet & muniat.

Cogitat prauitates lingua] Id eſt, homines bonos & innocentes virulentis calumniis & falſis delationibus prægrauas, & conaris opprimere: putas cùm in vno ſcelere tibi ſucceſſerit te reliquos ſimiliter oppreſſurum eſſe. Me initio calumniatus es quòd affectem regnum, quòd agitem ſeditioſa conſilia, quomodo rege excuſſo regnum ad me rapiam. Deinde Achimelech accuſaſti, quòd mecum communicauerit ſeditioſa conſilia, & ſimul aduerſus regem conſpirarit, nunc paſſim omnes, ſi quos vides bonos, qui mea calamitate afficiuntur, aut quibus illa regis crudelitas, quam per te exercuit, diſplicet, calumniaris & accuſas, tanquam conſcios conſiliorum & actionum ſeditioſarum Dauidis. Ita regis animum accendis, vt aduerſus omnes bonos odium concipiat grauiſſimum, & omnes cupiat extinctos. Hæc eſt illa prauitas quã meditatur lingua. Addit autem ſimilitudinem, vt crimen exaggeret. Lingua tua eſt ſimilis nouaculæ acutæ, quæ adhibita barbæ iugulum petit: eodem ſenſu quo pſalmo 120. dicit, virulentas linguas eſſe ſimiles ſagittis acutis.

Faciens dolum] Id eſt, non lædens aperto ictu præſentem, vt gladius, ſed clam & quidem abſentem, vel quæ doloſè petit iugulum, cùm in alium vſum eſſet adhibita. Nã & lingua in alium vſum erat condita. Voluit enim Deus linguam eſſe organum quo ipſe celebraretur, & communis hominum ſocietas iuuaretur, ſeu, vt Baſilius inquit, διὰ τὸ κοινωνικὸν τῆς φύσεως: ſed homines hoc organo turpiter abutuntur ad contumeliam Dei, & ad perniciem proximi. Alij hanc orationem ad ipſum Doegum accommodant: ſtruens dolos; id eſt, inſidiaris vitæ & fortunis omnium bonorum.

5 Diligis malitiam præ bonitate: fallaciam potiùs quàm loqui iuſtitiam, Selah.

Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ, amplificata collatione. Nam ſcelerum, ſi è regione collocentur virtutes, turpitudo magis conſpicitur. *Iuſtitiam*, id eſt, veritatem, ſiue quæ vera & iuſta ſunt.

6 Deligis omnia verba abſorptionis: linguam impoſturæ.

Id eſt, cur tantum delectaris iis rebus quæ poſſunt afferre perniciem proximo, cur confingis mendacia & calumnias, quæ bonos & innoxios homines abſorbeant? Vſitata verſio habet præcipitationis, Græci καταποντισμοῦ, Hieron. ad deuorandum.

Linguam doloſam] Id eſt, ſermonem fraudulentum, quo rex capiatur & inflammetur: nec pudet te cõminiſci varia mendacia, vt affectibus tui regis inſeruias, eúmque quò alioqui ſponte inclinat, tuo ſermone impellas. Ad hoc exemplum conferantur plerique in aulis impiorum principum, nec opus eſt ex hiſtoriis quærere exempla, cùm quotidiana vita ſuppeditet innumera.

7 Etiam Deus deſtruet te prorſus: rapiet te & euellet te à tabernaculo,& eradicabit à terra viuentium,Selah.

Altera pars pſalmi continet comminationem pœnarum. Minatur enim Doëgo & ſimilibus ſycophantis, calumniatoribus,& crudelibus piorum perſecutoribus perpetuum exitium,idque non tam vt ipſos pœnarum mentione terreat, quos ſcit ſine metu numinis diuini audacter ruere in quæuis ſcelera,quàm vt ſe & ſuos in ſpem firmam erigat. Quandiu enim impij florent potentia & opibus, pij ſemper iacent quaſi perpetuo metu proſtrati & oppreſſi: ſed cùm vident illos deleri horribilibus pœnis, rurſus ſe erigunt, & nouam ſpem de Dei erga ſe beneuolentia concipiunt. Hęc eſt cauſa cur pœnas commemoret, ſicut ſequente verſu videbimus.

לנצח id eſt,omnino,te penitus ſublata,vt eius ſit finis. Verbum enim vnde formatur, ſignificat vrgere operas, vt ad finē perducatur. Inde Latinus interpres reddidit hoc loco,In finem:alibi etiam, ex Græco in victoriam,quòd victoria ſit finis belli ſuſcepti. Quale eſt illud 1.Cor.15.ex 25.cap.Ieſa. Abſorpta eſt mors in victoriam, id eſt,prorſus vel omnino.

Deſtruet te] Doeg ſcelerata ſua proditione comparauerat magnam ſibi autoritatem & gratiam apud regem, iámque erat potens,vt omnes præ ſe contemneret & deſpiceret. Sed Deus,inquit, deiiciet te de illo faſtigio honorum & dignitatis, & deſtruet te,ſicut cùm quis magnum aliquod ædificiū demolitur. Nam verbum נתץ propriè intelligitur de muris & ædificiis quorum partes hinc inde diſiiciuntur. Hic igitur metaphoricè de homine in ſummo faſtigio honorum & potentiæ collocato accipitur.

Rapiet te]Tollet te & auferet te ex illo loco, in quo nunc videris tibi confirmatus aduerſus omnes iniurias.

Euerret te] Vtitur magna verborum congerie ad confirmandam fidem ſuorum,& ad eximendum timorem. Verbū נחת ſicut & cognata נחה & מוח ſignificat propriè euerrere, repurgare ſcopis. Prouerb. 21. Domum ſuperborum euerret dominus. Interpretes generaliter verbo exterminādi reddiderunt. Scelerati homines ſunt tanquam ſordes ſuarum ædium,qui non tantùm non ornant ædes, ſed polluunt ſuis ſceleribus,vt tandem opus ſit tali expiatione.

De tabernaculo]In quo ſcilicet ſuauiter nunc viuis & deliciaris indulgens tuis voluptatibus,& exiſtimans, nihil aduerſi tibi poſſe accidere. Fieri poteſt vt hac voce etiam alludat ad perſonam Doeg, quia ſolebant habitare in tabernaculis paſtores. Non eſt nomen intelligendum de tabernaculo Domini,à quo ſe dudum ſuis ſceleribus alienauerat.

Eradicabit]Id eſt, euertet te cum tota familia. *E terra*,Id eſt, ne amplius tui memoria extet inter viuentes, néue vllus ex te ſit ſuperſtes: non enim relinquet radicem,ne repullulare aut creſcere iterum familia poſſit. Qui multos habent liberos, videntur ſibi ita firmas & profundas radices egiſſe, vt facilè deleri ipſorum nomen & memoria non poſſit: ſed Deus ſubitò etiam numeroſam familiam euertere & delere poteſt. Idem accidit Doego & multis aliis.

8 Et videbunt iuſti & timebunt: & ſuper eum ridebunt[*dicentes.*]

Amplificat comminationem à cauſſa finali. Ideo,inquit, punieris tu & tui ſimiles,vt iuſti videant & maiore reuerentia Deum deinceps colant,non abiiciant mox profeſſionem doctrinę aut ſpem ſalutis, etiamſi videant ſe à potentibus duriter premi & oppugnari, ſed ſtatuant ſe certò curæ eſſe Deo,ideóque patienter ei in cruce & ærumnis obediant. Id enim ſignificat timor hoc loco, reuerentiam ſcilicet, quæ patienter fert ærumnas ſpe præſentiæ & auxilij diuini. Non enim loquitur hîc de formidine, qua metu pœnarum expaueſcunt homines pij.

Super ipſum ridebunt] Vbi viderint ſcilicet,eum iniuſtæ ſuæ crudelitatis meritas dare pœnas, & Deum cauſam ſuorum ſuſcipere ac tueri. Nam cum videmus Deum ſeſe nobis adiungere ſocium in cauſa, ea res parit immenſum gaudium. Elegans hoc loco eſt paronomaſia in verbis יראו & יראו quæ Latinè reddi non poteſt. Vult autē ſignificare. Pios non eſſe otioſos ſpectatores operū Dei,ſed ita illa exempla pœnarū intueri vt ipſi emendētur & proficiāt in ſtudio pietatis.

9 Ecce vir [*qui*]non poſuit Deum fortitudinē ſuam:& confiſus eſt in multitudine diuitiarum ſuarum [*fidit opulentiæ ſuæ.*] roboratus eſt in prauitate ſua[*in damno ſuo,quod ſcilicet alijs dedit.*]

Ἐξήγησις eſt præcedentis verſus. Exponit enim ſermonem piorum,quo illi & timorem & riſum exprimunt. Dum enim rident pij,non inſultant calamitatibus aliorum petulanter, nec ſunt ἐπιχαιρέκακοι. Sed riſus ille coniunctus eſt cū timore Dei qui eos erudit & coercet, ne ipſi quoque ſuperbè ſe efferant contra Deum,aut inſoleſcant,ſed ſe iudicio ipſius reuerenter ſubiiciant,certáque fiducia auxilij diuini patienter ferant ærumnas. Ideo dicitur,*Ecce vir*,&c. Non dicunt:Simus bono animo, ſiue indulgeamus nobis,quia hoſtis noſter eſt ſublatus è medio,&c.ſed, ille dedit pœnas ſuæ impietatis & ſuperbiæ:nos igitur Deum timeamus, eíque nos ſubmittamus,& gratias agamus,quòd pręſenti periculo nos clementer eripuit.

Ecce]ponitur hęc vox δεικτικῶς,quaſi in theatrum produceret & omnibus ſpectandum proponeret infelicē exitum,qui ſuperbos Dei contemptores manet. הוה malitiam plerique exponunt,nōnulli perniciem,ſed actiua ſignificatione:quaſi diceret,præmunit ſe,vel vires ad hoc colligit vt poſſit nocere,vel, in hoc putat ſe fortē ſi quā plurimos lædat. Vox Hebræa propriè calamitatem ſeu ærumnam ſignificat, quæ extorquet vocem lacrymabilem, qualis eſt apud Hebræos הוי, at ſignificatio hoc loco eſt actiua.

10 Ego autem ſicut olea viridis[*frondoſa*]in domo Dei: ſpero in bonitate Dei in ſeculum & vſque.

Addit antitheſin quæ habet conſolationem. Eſtque hæc oratio amplificata ſimilitudine. Ego,inquit, quanquam nunc iaceo proiectus, & tanquā inutilis & putidus truncus cōtemnor & conculcor ab omnibus:tamen futurum eſt,vt collecto nouo vigore rurſus floream,& ſim tamquam olea frondoſa, quę nunquam fronde viridi deſtituitur,quęque ſuo aſpectu, odore & fructu exhilarat omnes. Talis igitur,inquit,ero,vbi hoſtes fuerint euerſi & deleti.

In domo Dei]Quia nō ſatis eſſe exiſtimat peruenire ad dignitates,ad opes & potentiam,niſi ſimul membrum ſis veræ eccleſiæ, & inter Dei cultores locum habeas, vbi in profeſſione pietatis te exerceas,& alios quoque inuites,ac labores tui proſint eccleſiæ. Hoc igitur cōſtituit ſummum caput ſuæ felicitatis,quod futurus ſit in domo Dei ſeu ſanctuario,à quo hactenus ſummo cum dolore exulauerat. Saul, Doeg & ſimiles occupabant templum, ſed non ornabant, verùm polluebant & contaminabant:ideo, his eiectis dicit ſe reſtitutum iri,vt domum Dei ſuis laboribus & honeſtis exemplis exornet,& ſuaui odore omnes pios reficiat. Hoc exemplum Dauidis ad totam eccleſiam eſt accōmodandum. Ita enim ſuum exemplum proponit vt omnibus piis velit eſſe commune. Oppugnatur ille à Doego, & eccleſia ſemper multos habet ſimiles in aulis regum, qui eam crudeliſſimè perſequuntur. Hic ſtatuendum eſt fore certò vt deletis impiis tyrannis & hoſtibus,eccleſia floreat & creſcat ſicut olea, & fructus gratos Deo proferat. Imagines ductæ à natura oleæ alibi explicātur. Olea inſita viti ſimul gignit oliuas & vuas:Ita eccleſia inſita Chriſto,qui eſt vitis vera,vt ipſe ſe nominat,ſimul legē & euangelium docet:& lōga eſt ætas oleæ(durat enim ad annos ducentos)ſic eccleſia ſeruatur perpetuò. Oleum vindicatur ſale à pinguitudinis vitio:Ita crux emendat ſecuritatem & faſtidiū verbi diuini,& alios multos vitioſos affectus.

Speraui] Addit rationem cur futurus ſit ſimilis oleæ frondoſæ,quia ſperaui,inquit,in bonitate Dei,id eſt, ego inuoco Deum tam in rebus aduerſis quàm ſecundis, alo ſpem & fiduciam cogitatione promiſſionum diuinarū,expecto auxiliū ab eo in hac mea calamitate,nec vnquam patiar mihi eripi hanc conſolationem, quòd me reſpiciat in meis ærumnis, quòd me curet,& ſuſtentet, & tandē ſit liberaturus. Alij qui non egerunt has radices,ſubitò exareſcunt, etiamſi aliquantiſper ramos ſuos latè diffundant.

11 Celebrabo te in perpetuum[*ſeculum*] quia feciſti: expectabo nomen tuum, quia bonum eſt coram manſuetis[*pijs*]tuis.

Vſitatum eſt Dauidi in fine pſalmorum adiicere aliquod inſigne epiphonema,ídque poetis eſt familiare. quare& hūc pſalmum concludit gratiarum actione. Agnoſcit enim ſe hactenꝰ inter mille inſidias & varia pericula diuino beneficio ſeruatū eſſe,ſeq; Dei præſidio & auxilio tutum fuiſſe aduerſus omnes iniurias. Id igitur beneficiū prædicat, & deinceps per totam vitam prędicaturum ſe promittit. Alij de futuro beneficio intelligunt:Tu facturus es, *du vvirſt es vvol machen.*

Et expectabo]Cum gratiarum actione dicit ſpem fore coniunctam. Nam gratiarum actio,dum beneficia diuina conſiderat & commemorat,ſimul ſpem accendit & confirmat, vt deinceps quoque de bonitate Dei bene ſperemus,& in ſimilibus neceſſitatibus auxilium & liberationem expectemus. Nomen hic ponitur pro fauore μετωνυμικῶς. Nam nomē Dei eſt quicquid glorioſè de eo prædicatur,aut quo ſe agnoſcendum præbet. In hoc autem facto elucebat inprimis fauor & beneuolentia Dei erga Dauidem. Ideo expectare nomen hoc loco ſignificat,ſemper ad gratiam Dei oculos atque animum

mum referre, eiuſque conſideratione ſe confirmare & ſuſtentare, etiamſi interdum illa videatur ſeſe abſcondere & ſubducere noſtro conſpectui. Vel ſimpliciter expectare nomen, eſt pendere à Dei verbo & promiſſionibus, in quibus talis nobis deſcribitur, quòd certò reſpiciat & curet nos, etiamſi differat ſæpe auxilium.

Quia bonum eſt] Amplificatiuncula eſt à cauſa finali, ideo celebrabo tales liberationes, vt ſcilicet alij his exemplis confirmati diſcant quoque obedire Deo in ærumnis, ne frangantur magnitudine malorum & calamitate ſeu mora, ſed petant & expectent liberationem, & ſciant exaudiri ſuos gemitus & vota ſua non fore irrita.

Alij טוב iudicant eſſe adiectiuum, quod referendum ſit ad nomen שׁם. Quia bonum eſt, ſcilicet, nomen, id eſt, Quia Deus ſuam bonitatem ſemper exhibet conſpicuam, nunquam fruſtratur fideles ſuos. Incredulis quidem odioſum eſt nomen Dei, imò terrorem incutit, vt quoties in ipſorum auribus ſonet, ſubitò expaueſcant. Id fit quia nunquam guſtarunt Dei bonitatem. Ideo addit coram piis, quia ſolis piis & fidelibus ſuaue eſt Dei nomen, qui aſſiduè eius bonitatem experiuntur, vt dicitur in pſalmo 34. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.

PSALMI LII.

PARTES.

I. Increpatio, continens, 1. reprehenſionem (v.3.4.5.) Doegi impij aulici. Huius loci ſunt tres. 1. pertinax maleficentia, v.3. 2. cogitatio impia, v.4. 3. ſermo, v.5. Opponit autem peruicaciæ Doegi perſonam & conſilia Dei omnipotentis & benigni.

2. Continet increpatio denuntiationem futuri iuſti iudicij Dei v. 6. quod multis ſimilitudinibus exponitur, v.7.

II. Prædicatio lætitiæ quam pij percepturi ſunt ex iudicio Dei, v.8. & 9.

III. Concluſio, à gloriatione fidei qua vtitur Dauid, oſtendens ſe in mediis calamitatibus ſecurum eſſe certa ſpe ſuæ ſalutis: cuius nomine pollicetur ſe omnia fidei officia exhibiturum Deo, v.10. laudans eum ſecundis rebus, in aduerſis autem ſperans in eo, v.11.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. & 2. Dū impij, cædibus ac perfidiis polluti, triumphos agūt, fideles ſe ad bene ſperandum hortantur: quia Deus in cælo iuſtus iudex ſedeat, tùm ad opem ſeruis ſuis ferendam, tum ad vlciſcendam eorum ſuperbiā qui eo contempto, quiduis ſibi pro libidine indulgēt.

3 Sola integritas eſt dignitatis & potentiæ fidelis cuſtos: nulla autem vis tyrannica, nulla perfidia vel iniquitas diuturna.

Impij in malitia ſibi placere audēt, quia contemptos & humiles ſpernendo, quiduis in eos ſibi licere fingant: nam indignos eſſe putant quorum Deus ſuſcipiat curam: imò Dei prouidentiam qua ſuos tuetur pro nihilo ducentes, æternam peccandi licentiam ſibi promittūt.

Deus ſuos iuuando, & eorum miſerias leuando non fatigatur: ſed vt centies rebus aduerſis eos affligi permittat, ſemper ad opem ferendam paratus erit: nec vllæ interruptiones obſtabunt quin ſubinde bonitatis ſuæ documenta renouet.

4.5.6 Maturum nobis inſtat à Deo tempus liberationis, dum ſe ad extrema quæque ſcelera proiiciunt, qui ſalutem noſtram iniuſtè oppugnant.

Impiorum probra non ſunt à nobis recenſenda, vt eos apud homines infamemus (quum ipſi ſibi ſuis ſceleribus ſatis ſupérque æterni dedecoris inurant notam) ſed diuini iudicij memores, contra atroces quas patimur iniurias, nos ad bonam ſpem debemus animare.

7 Quanuis ad tempus ceſſet Deus, non patietur ſemper vt impiorum cruentæ proditiones inultæ maneant.

Impiis, quandiu proſpere habent, nihil magis præfractum: ideo Dei Spiritus multis verbis eorum interitum depingit, vt pij ſuperborum iſtorum ſecuritati inſultantes, animos ad bene ſperandum attollāt, ſuámque caſtigent timiditatem, ac dicant: Quamlibet altas radices egerint impij, ac validum ſit robur eorum, Deus ſatis ſuperque potens eſt vt eos euellat, & è ſuis tabernaculis deiiciat.

8 Ideo ſua iudicia exercet Deus vt maiorem ſibi reuerentiam apud fideles conciliet, atque eos exhilaret iuſtitiæ ſuæ documentis.

In manifeſtis Dei operibus cæcutiunt reprobi, vt mirum non ſit in eius iudiciis nihil proficere: ſed iuſti vident Dei manum exertam, quia oculis præditi ſunt.

Quandiu fideles expoſiti impiorum iniuriis non ſentiunt Deum vindicem, multis dubitationibus æſtuant: experimenta autem iuſtitiæ eius ad ſerium pietatis ſtudium & numinis timorem ſopitas eorum mentes excitant.

Timor filialis & riſus optimè cohærent: vt ſcilicet ſe reuerenter Deo ſubiiciant fideles, quem iniuſtæ crudelitatis vltorem agnoſcunt: & eum videntes, à parte ſua ſtare, inæſtimabile gaudium concipiāt: quia dum ſe nobis coniungere dignatur in commune bellum, hæc ſocietas potior eſt omnibus triumphis.

9 Impiorum fruſtratio pios admonet patienter ferendam eſſe ſuperbiam, quæ ſuo impetu ruit: deinde eos quoque erudit ad modeſtiā, ne ſimili vanitate inflati contra Deum & homines inſoleſcant, ſed Dei auxilio contenti, mundique illecebris valedicentes, omnipotenti Domino ſe libenter ſubiiciant.

Quoties in mundo & terrenis opibus ſubſidunt hominum mentes, totidem obſtaculis à quærendo & colendo Deo prohibentur.

10 Pij in ſublime euecti fidei & ſpei alis, ſplendorem opulentiæ hominum profanorū animoſe deſpiciunt: ipſique ex ſuis miſeriis caput attollentes, quanquam inſtar inutilis ac putridi trunci proiecti iaceant, propter ſpē futuræ inſtaurationis oliuæ meritò comparātur.

Hic viuendi finis ſemper nobis eſt ſpectādus vt reputemur in grege Dei. & quia infirmitas noſtra externis adminiculis indiget, ſingularis beneficij loco id nobis ſit, quòd ſacros conuentus, vbi fideles alij alios ad Deum colendum & inuocandū incitant, frequentare liceat.

Legitimi Dei filij & hypocritæ in eccleſia ſimul permixti ſunt: ſed alios ſpes ſua in perpetua ſtatione confirmat; alios ſua vanitas inſtar paleæ diſcutit.

11 Quum in aliis omnibus pietatis officiis pios ad perſeuerantiā eniti conueniat, in actione gratiarum maximè eos ſibi inſtare neceſſe eſt: quia & facilè obrepit obliuio, & maior pars etiam dum ſe defunctam putat tridui laudibus, ſtatim ſepelit quod æterna memoria colendum erat.

Deus fideles ſuos nunquam fruſtratur, quin ſuam bonitatem illis conſpicuam exhibeat: & dum eius nomen impiis eſt odioſum, quia expertes ſunt eius clementiæ, continuis experimentis quām ſuaue ſit illud nomen, pij ſentiunt & agnoſcunt.

ARTICVLI PREACIPVI.

1. Conſcientiæ bonæ & malæ tabella.
2. Impiorum aulicorum ingenium.
3. Piorum expectatio & gloriatio firmiſſima.
4. Deus ſeuerus iudex impiorum, ſuorum autem benignus protector & vindex.

ARGVMENTVM PSALMI LIII.

HVIVS pſalmi argumentum ſuprà expoſitum eſt, quando decimum quartum interpretati ſumus. Nam idem pſalmus paucis tantum verbis mutatis hîc repetitur. Quia neceſſe eſt, hanc doctrinam quæ in vtroque pſalmo proponitur, in eccleſia bene notam eſſe: éſtque diligentis & boni paſtoris ſubinde eam inculcare. Nam extra eccleſiam hæc doctrina de peccato quod hæret in hominibus, non intelligitur. Omnes enim ſumus faſcinati opinione noſtræ iuſtitiæ & dignitatis, eámque cupimus ſtabilire. Sicut Paulus inquit ad Rom. 10. Nec intelligimus, illa triſtia mala quæ in nobis hærent, vt dubitationes de Deo, auerſionem voluntatis, ſecuritatem, contemptum iudicij diuini, & in corde contumaciam repugnantem legi Dei, atque alias omnes errantes flammas cupiditatum, ſeu inordinatos motus, eſſe reuera peccata pu-

gnantia cum lege Dei, quæ mereantur iram & pœnas. Sed blandimur nobis, occultamus & excuſamus illa mala quantum poſſumus: ſicut olim Pelagiani, qui contendebant, illas prauas inclinationes in homine non eſſe peccata: & hodie pontificij, quanquam docent in decretis Synodi Tridentinæ, homines afferre ſecum peccatum originis: tamen in baptiſmo id ita tolli affirmant, vt poſtea nihil maneat reliquum, quod per ſe rationem peccati habeat, & concupiſcentiam in renatis & baptiſatis contendunt non eſſe peccatum. Contrà verò & hic pſalmus & multa prophetarum atque apoſtolorum dicta docent, hæc mala eſſe reuera per ſe, & ſua natura res pugnantes cum lege Dei, offendere Deum & mereri æternam damnationem, niſi tegantur illo vmbraculo meriti filij Dei, & condonentur gratis propter mediatorem. Itaque longa & triſtis accuſatio hîc inſtituitur, in qua totum genus humanũ propter hanc prauitatem & deformitatem, quæ nobiſcum naſcitur, arguit, & oſtendit omnes eſſe ſub peccato, & reos coram Deo: & Paulus ad Rom. 3. cùm oſtenſurus eſſet omnes homines peccato eſſe obnoxios & carere gloria Dei, ex hoc pſalmo teſtimonia adducit.

Hæc concio vniuerſalis eſt, quæ totum genus humanum complectitur, ſed vt diſcrimen ſit eccleſiæ & aliorum, affirmat non totum genus humanum, oppreſſum his peccatis & malis, perire in æternum: ſed eſſe aliquem cœtum, quem Deus immenſa miſericordia excerpat ex genere humano, vt ei vitam & ſalutem reſtituat, nec alibi quàm in Sione, hoc eſt, in vera eccleſia, hæc bona eſſe ſperanda, aut expectanda: & quanquam ille ipſe cœtus in hac vita variis modis premitur & oppugnatur: tamen tandem eum liberatum iri ex ærumnis, reddita ſalute & vita æterna, in qua noua luce, ſapientia & iuſtitia ornati Deum celebrent, & æterna eius conſuetudine ac conſpectu fruantur. Cætera require in pſalmo decimo quarto.

PSALMI LIII.

Partes, Obſeruationes locorum doctrinæ, & Articuli præcipui.

Conſule quæ deſcripta ſunt pag. 95. 96. 97. 98. in Pſal. XIIII.

ARGVMENTVM PSALMI LIIII.

ARGVMENTVM pſalmi titulus ipſe oſtendit. Dauid enim proditus Sauli à Ziphæis, cùm eſſet in ſummo diſcrimine, & videret ſe vndique eſſe cinctum & concluſum hoſtilibus copiis, non aliò confugit quàm ad Deum, à quo petit & expectat liberationem, certa ſpe & fiducia præſentiæ & auxilij diuini. Et nos ſuo exemplo docet, vt in noſtris ærumnis & calamitatibus non frangamur animo, nec quæramus illicita media, quibus malis noſtris mederi ſtudeamus: ſed à ſolo Deo pendeamus, eique vitam & ſalutem noſtram commendemus, nec dubitemus Deum nobis adeſſe, exaudire noſtros gemitus, & variis modis ſeruare innocentes: ſicut Dauidẽ mirabiliter periculo eripuit, ſemel immiſſis Palæſtinis in agrum Iudæorũ, iterũ graui ſopore oppreſſis Saule & eius militibus, vt facilè fuerit Dauidi, ſi voluiſſet, hoſtem interficere, quæ hiſtoriæ leguntur, 1. Sam. 23. & 26. Additur autem in fine pſalmi gratiarũ actio. Vſitatum enim eſt Dauidi, atque adeo omnibus piis, miſcere precationem & gratiarum actionem. Nam ſemper in ſeria & ardenti inuocatione animus aliquo modo leuatur dolore & ſentit conſolationem, imò quaſi Deum ipſum præſentem intuetur, cuius auxilio videt ſe iam quaſi defunctum eſſe periculo. Itaque ſimul erumpit in gratiarum actionem: & alioqui veriſimile eſt, Dauidem pleroſque pſalmos, in quibus recitantur pericula, ſcripſiſſe poſt liberationem, idque feciſſe doctrinæ & exempli cauſa. Voluit enim eccleſiam docere, vnde in ærumnis & periculis grauiſſimis petendum ſit remedium & auxilium, & ſuo exemplo teſtatum facere, promiſſiones diuinas certa fide petentibus & expectantibus liberationem, eſſe ratas & firmas.

Cæterùm quæ de vtraque hiſtoria dici poſſunt, ab aliis explicantur copioſiùs, inprimis in libello D. præceptoris Philippi Melanthonis ſanctæ memoriæ, in quo argumenta & diſpoſitiones pſalmorum complexus eſt.

1 AD triumphandum in Neginoth.
2 Quando venerunt Ziphæi dicẽtes, An non Dauid latet apud nos?

זיף Duæ ſunt huius nominis vrbes in tribu Iuda, quarum mentionem facit Ioſue cap. 15. Ex quibus prior nomen dedit magnæ ſolitudini verſus meridiem, in cuius montanis latuit Dauid aliquandiu. Nomen ſignificat picem, quaſi dicas, picei, nigri, contaminati, noxij, de quibus dici prouerbio ſolet, *hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.* Veteres enim, quod bonũ & laudabile erat, creta vel alba linea notabant: quod malum & noxium, nigro colore.

Sunt autem Ziphæi imago eorum qui quocunque tempore regum tyrannidem calumniis & delationibus adiuuant & odia accendunt, vt pios proſequantur: iiſque artibus beneuolentiam regum captant. Erat Saul queſtus, neminem ex ſubditis affici ſua calamitate. Ibi Ziphæi, vt viderentur regi bene velle, indicant ei locum, vbi Dauid deliteſcat. Tales hodie multi ſunt in aulis regum. Erant autem Ziphæi ex ſtirpe Chaleb. Nam inter eius filios numeratur Ziph, 1. Par. 2. ex quo iſti putantur oriundi.

3 Deus, in nomine tuo ſerua me: & in virtute [*fortitudine*] tua iudica me.
4 Deus, audi precationem meam: auſculta ad ſermones oris mei.

Exordium habet propoſitionem, quæ eſt petitio vt exaudiatur, defendatur & liberetur. Nomen Deus emphaticè ponitur, in cuius ſcilicet tutela ſumus, quem ſolum agnoſcimus & colimus tanquam ſaluatorem.

In nomine tuo] Nomen primùm intelligatur de promiſſione qua Deus recepit, ſe confugientibus ad ſuam opem opitulaturum eſſe. In hac enim promiſſione ſe patefacit quali animo ſit erga afflictos, quòd ſcilicet ſit miſericors & beneficus. Hebræis enim nomen dicitur, quo quis ſe agnoſcendum præbet, cúmque non aliter quàm in promiſſione talis agnoſcatur, rectè illa nomen Dei dicitur. Eſt igitur hîc primùm cauſa impulſiua notata. *In nomine*, id eſt, ſecũdum promiſſionem tuam: & ſimul antitheſis cõſideretur. Cùm enim dicit *in nomine tuo*, ſignificat ſe omnibus aliis mediis quibus iuuari ſolent aut poſſunt homines, eſſe deſtitutum, nec alibi quàm in Deo ſe quærere ſalutem.

Deinde *Nomen* etiam ad cauſſam finalem transferatur. Serua me in nomine tuo, id eſt, propter nomen tuum, vt tu agnoſcaris & celebreris, vt nomen tuum innoteſcat, cuius conſideratione multi inuitentur ad te agnoſcendum & celebrandum. ב litera addita dictionibus ſæpe ſignificat idem quod Latinis propter. Iſrael in peccatis iuit Babylonem, id eſt, propter peccata. Ne pereatis in omnibus peccatis eorum, Num. 16. Nunquid diſperdes propter quinque בחמשה Geneſ. 18.

In virtute] Id eſt, in potentia tua, quia potentes me opprimunt, ideo potenti defenſione mihi opus eſt. Antea de voluntate dixerat, nunc etiam potentiæ ſeu facultatis, vt fieri ſolet

ri ſolet

ri ſolet in materiis ſuaſoriis, mentionem facit.

Iudica me]Id eſt: ſuſcipe mei patrocinium,defende me,declara me iniuſtè premi ab hoſtibus,& vlciſcere hoſtium perfidiam & crudelitatem. Vtrunque complectitur verbum iudicandi, defenſionem innocẽtis & animaduerſionem in ſceleratos. Nam iudex cognita cauſa ſeruare debet innocentẽ, & ſontem punire. Cúmque potentia Dei non ſit tyrannica, ſed cum iuſtitia coniuncta, commodè ei adiungitur iudiciũ: eſt enim iudiciaria.

Deus exaudi]Repetit propoſitionem:nam animus anxius in tentationibus & periculis non mox acquieſcit, nec mox ſedatur dolor, imo inter cogitandum magis conſpicitur magnitudo iræ diuinæ. Ideo ſimul cum tentatione & periculo creſcit etiam ardor inuocandi. Hinc ſunt illæ ingeminationes precum paſſim in pſalmis.

Audi precationem] Id eſt, non ſinas me fruſtra clamare ad te,ſed factis oſtende meas preces veniſſe in conſpectu tuum & eſſe exauditas. Non dubitabat Dauid preces ſuas exaudiri, ſed manifeſto etiam teſtimonio cupit oſtendi quòd ſit exauditus. Ideo toties inſtat,orans vt exaudiatur.

Verba oris mei]Non tantùm precatur corde Dauid, ſed ore etiam recitat preces certis formulis conceptas, quod obſeruãndum eſt contra quoſdam Enthuſiaſtas, qui putant ſatis eſſe ſi precatio fiat gemitibus cordis. Verum eſt, non opus eſſe ſemper voce in priuatis precibus, quemadmodum in Moſis exemplo videre eſt,qui clamare ad Deũ dicitur, dum cor plena fiducia ad eum fertur: ſed tamen non adhibetur abſque fructu: ſúntque multæ cauſæ,propter quas vtilis eſt. Primùm, quia in precibus nonnunquam langueſcimus & animus defatigatur,vox autem interpoſita nos excitat & quodammodo reficit, vt pij motus in pectoribus rurſus accendantur,& redeat vigor. Imò fit,vt cùm vehementer oramus animo, vox etiam imprudentibus erumpat. Atque huc reſpiciens Nilus rectè præcipit inquiens: ἡνίκα προσεύχῃ, τὸν λογισμὸν πρὸς θεὸν ἀνάγαγε, κἂν παρασπασθῇς κατὰ λήθην πάλιν αὐτὸν ἀνάγαγε. Deinde illa recitatio eſt confeſſio quædam ſegregans nos ab impiis & profanis gentibus. Poſtremò expreſſa recitatio incutit terrorem diabolis.

5 Quia alieni inſurrexerunt aduerſus me; & formidabiles quærunt animam meam: Non poſuerunt Deum in conſpectu ſuo, Selah.

Propoſitioni addit rationẽ à periculo & neceſſitate:quod vſitatè fieri ſolet in genere deliberatiuo, ſeu materiis ſuaſoriis: ſumuntur enim rationes ab obiectis, quæ mouere animum poſſunt: ſicut igitur pater εὔστοργος mouetur calamitate filij:ita & Deus noſtris ærumnis afficitur. Simul etiam continet accuſationem hoſtium,in qua illuſtribus verbis furores hoſtium exaggerat,vt audiemus.

Quoniam alieni]Alienos putant dici Ziphæos,quòd degeneres eſſent filij Abrahę,qui abiecto pietatis ſtudio deſciuiſſent ad profanas gentium corruptelas, nec digni eſſent qui cenſerentur in familia Abrahę,aut fœdere quod Deus pepigerat cum Abrahamo & eius poſteris. Nam Iudæi alienos nominabant,qui non eſſent illo fœdere comprehenſi,& qui ſceleribus ſuis ſe abdicauerant. Alij nomine alienorum & Ziphæos,& totum Saulis exercitum putant perſtringi, quia Saul & eius ſatellites in Dauidem ſæuiebant, tanquam extraneum,qui nulla religione,nulla conſuetudine,nullis vinculis populo Dei eſſet coniunctus,ſed prorſus ignotus. Ipſe verò hoſtes ſuos alienos appellat, tanquam in quibus nulla eſſet religio & pietas, vtut illi titulum eccleſiæ obtenderent & aſſiduè iactarent. Nonnulli ſuſpicantur זרים ſcriptum eſſe p o זרים. Nam & pſalmo 86. vbi hic verſus penè ad verbum repetitur,ſcribitur זרי▭: & exemplar Pſalterij quinarij habet זרי▭. Facilè autem ד mutatur in ר,vt veriſimile ſit, incuria librariorum hunc errorem eſſe commiſſum. Si legas זרי▭ ſignificat hoſtes ſuos carere omni timore Dei,& fiducia ſuarum virium inflatos nihil non audere, & quoſuis per iniuriam opprimere. Nam זרי▭ ſunt ſuperbi.

Formidabiles] Qui prorſus belluino more in me ruunt, & ſua potentia ac viribus omnibus bonis terrori ſunt. Primùm ſuperbia notatur,deinde tyrannis & crudelitas: ſunt enim illa ferè coniuncta. עריץ non tantùm ſignificat robuſtum, ſed qui ſua potentia formidabilis eſt omnibus. Nam עריץ eſt ſua potentia formidabilem eſſe aliis,violentia ſua & impetu terrorem incutere.

Quærunt animam meam]Id eſt,vitam conantur mihi eripere. Tanta enim illorum eſt crudelitas vt ſatiari non poſſint, niſi hauſto meo ſanguine.

Non poſuerunt Deum in cõſpectu ſuo] Id eſt,ſunt ſecuri,nõ cogitant Deum eſſe iuſtum iudicem & vindicem ſcelerum: quare excuſſo timore Dei, ſecuri ruũt in omnis generis ſcelera. Vbi enim hoc fræno ampliùs non retinentur homines,quòd Deus habeat ἔκδικον ὄμμα,iã ſine metu ſe proiiciunt in quæuis ſcelera. Fons igitur omnium ſcelerum eſt ſecuritas,negligens & contemnens iudicium Dei. Hanc tribuit ſuis hoſtibus,atque ita impietatem & effrænem rabiem ipſorum exaggerat, & Deum ad vindictam prouocat.

6 Ecce Deus adiutor[*auxiliator*]mihi: Dominus inter fulcientes animam meam.

Petitioni ſubiicit conſolationem,quia nulla ſeria inuocatio abit ſine fructu. Mox enim in corde ſentitur conſolatio, quę promiſſionibus diuinis acquieſcit. Id quod omnes pij in quotidianis inuocationis exercitiis experiuntur. Fides enim intuetur Deum præſentem,atque ille fidei intuitus non abit ſine conſolatione. Homines ebrij voluptatibus, qui aut nunquam, aut ſine fide inuocant, iſta non intelligunt. Ideo mirantur cur petat ſe defendi,& ſimul ſe adiutum affirmet.

Ecce]Emphaſis eſt in aduerbio, éſtq. ardens vox fidei,quæ dubitationes carnis aut obiectiones aliorum vincit & repellit. Nam & caro in magnis calamitatibus, vbi ab omnibus creaturis deſerti videmur,clamat Deum procul abeſſe à nobis,non reſpicere, nõ curare nos:itaque fruſtra nos ſperare auxilium, clamando ingeminat. Præterea mundus inſultat nobis,ſicut Iudæi Chriſto pendenti in cruce. Vbi eſt Deus eius?veniat nunc & ſaluet eum. Tales ſarcaſmos & obiectiones propriæ carnis & malorum hominum fides vincit. Itaque dicit, ecce, quaſi digito Deum præſentem monſtrans, ipſámque carnem ſuam obiurgans, & impios redarguens ac caſtigans,qui hãc ei fiduciam excutere conabũtur. Fides verò hæc confirmatur conſideratione non tantùm promiſſionis, ſed præcedentium quoque liberationum. Promiſerat Deus auxilium,& ſæpe iuxta promiſſionem affuerat ei. Inde igitur colligit. Ecce Deus eſt mihi adiutor iuxta promiſſionem ſuam,quæ fallere non poteſt, & hactenus variis exemplis id oſtendit,vt deinceps dubitare ea de re non debeam,nec ſine ſcelere poſſim.

Dominus cum ſuſtentantibus]Hoc quidam ſic interpretãtur, quaſi Dominus vnus fuerit ex illis qui Dauidem defendebant, quaſi ſocium ſe iungens Ionathano & aliis, qui ei fauebant, cúmque confirmabant:ſed ita parum honoris Deò defertur, ſi ei aliqua pars eius beneficij, & non in ſolidum tota liberatio adſcribatur. Ideo ſententia hoc modo eſt explicanda: Deus inter ſuſtentantes, id eſt,Dominus ſtat ab illorum parte. Nam etiam illos,quanquam paucos numero, ſuſtentat & confirmat, ne fracti metu potentiæ Saulis à me deficiant,& me ſimul cum impiis oppugnent. Alij ſimpliciter reddiderunt:Dominus ſuſtentat animam meam.

7 Rependet malum inſidiatoribus meis; in veritate tua conſtringe illos.

Antitheſis eſt primi membri. Sicut enim antea, tanquam voti compos,certam ſalutem ſibi pollicebatur:ita nunc hoſtibus comminatur & denuntiat pœnas. Nam cùm eccleſia liberatur à perſecutione,hoſtes pereunt. ישבי duplex lectio eſt,ſcribitur in tertia coniugatione:redire faciet,ſeu reddet, ſcilicet Dominus malum. Sed abſque punctis legitur in prima,reuertetur malum, id eſt,ille impius conatus retorquebitur in ipſorum capita. Vt autem prædictio illa ſit rata & firma,addit etiam imprecationem, ſeu votum, *Conſtringe eos* &c. De his imprecationibus dictum eſt aliâs ſæpe,non enim pugnant cum dicto Chriſti, benedicite his qui maledicunt vobis,aut cum præcepto de patientia. Primùm enim diſcernenda eſt res ſeu cauſa à perſonis. Petunt ſancti vt Deus cauſam malam, cuius patrocinium impij ſuſcipiunt, funditus deleat & extirpet. Nam cauſa,quam blaſphemi tuentur, ſeueriſſimè damnanda eſt, atque adeo ipſi blaſphemiarum propagatores. II. Diſcernendi ſunt gradus perſonarum. Alij ignoranter peccant & ſunt ſanabiles, alij blaſphemi & inſanabiles. Pro iis qui ſunt ſanabiles, ſunt vota facienda, exẽplo Chriſti,Stephani & aliorum. Blaſphemi & pertinaciter defendentes idola ſunt execrandi, tãquam hoſtes Dei, & organa diaboli. Sicut Paulus 1. ad Cor. vlt. Qui non diligit Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. Item ad Gal. Vtinam excindantur qui turbant vos. III. Tales imprecationes in prophetis non proficiſcuntur tantùm ex humana indignatione, ſeu impatientia, ſed ſunt vox Spiritus ſancti ferentis vltimam ſententiam de blaſphemis: & conſolantis eccleſiam,vt ſciant veritatem fore victricem,& Deũ repreſſurum & extirpaturum eſſe homines blaſphemos & impia dogmata. Vota enim ſanctorum habent vim promiſſionum & vaticiniorum.

Addit autem *in veritatẽ*, eodẽ ferè ſenſu quo initio dixerat, in nomine tuo. Intuetur enim promiſſiones diuinas de defenſione piorum,&c.quas cum ſtatuat eſſe ratas & firmas:

nec Deum ludificari eccleſiam ſuam inanibus verbis aut θελητρίοις, petit vt iuxta has impij deleantur.

In veritate] Id eſt, ſecundum promiſſiones tuas, quæ ſunt ratæ & firmæ. Vel etiam propter veritatem, vt tua veritas in promiſſionibus conſpiciatur ab omnibus.

8 Voluntariè ſacrificabo tibi: celebrabo nomen tuum Iehoua, quoniam bonum eſt.

Altera pars pſalmi continet gratiarum actionem. Promittit enim ſe vbi liberatus fuerit memorem fore accepti beneficij, ſeque illud celebraturũ eſſe, vt plures agnita Dei bonitate & miſericordia erga ſuos, ad ipſum agnoſcendum & celebrandum inuitentur.

Voluntariè ſacrificabo] Id eſt, ego ſolennes tibi agam gratias, & externis etiam ſacrificiis animi gratitudinem teſtabor, idque faciam ſponte, ſolenniter, ac liberaliter. Diſcernit enim ſe ab hypocritis, quorum cultus & ſimulatus eſt, & perperã ad demerendum Deum inſtituitur. Sed quare dicit ſe ſacrificaturũ, cùm antea pſalmo 51. dixerit, Deum non delectari ſacrificiis? Reſpondeo ſicut antea: Sacrificia non placebant ex ſe, nec placebat Deo illud opus externum (requirebat enim Deus aliquid amplius in cultu, animum ſcilicet, & interiores cordis affectus) ſed tamen quia Deus in lege de illis ſacrificiis mandauerat, quæ in populo iſto volebat eſſe exercitia fidei, pœnitentiæ, & gratiarum actionis, non potuit nec debuit Dauid illos ritus in lege præſcriptos negligere. Interea tamen norat ſacrificiis illis notari alios cultus multo præſtantiores, quos συνεκδοχικῶς vocabulo ſacrificandi intelligit, fidem, ſpem, charitatem, contritionem cordis, abnegationem ſui, animi gratitudinem, &c.

Quia bonum] De hac ſententia ſuprà dictum eſt pſalmo 52. Eſtque ſententia: Quia hoc ſcio tibi placere, vt tibi gratiæ agantur, & tua beneficia in eccleſia celebrentur, vtque alij etiam ad te agnoſcendum & celebrandum inuitentur. Alij paulò aliter interpretantur: Quia nomen tuum eſt bonum, id eſt, quia tu es miſericors, es benignus, longanimis, &c.

9 Quia ex omni anguſtia eruit me: & in hoſtes meos vidit oculus meus.

Addit rationem, in qua ſummatim videtur complecti omnia beneficia ſibi hactenus præſtita. Eſtque cauſa impulſiua notata. Nunquam fui in periculo aliquo, ex quo non eripueris me: ſemper adfuiſti mihi defenſor & liberator.

In hoſtes meos vidit oculus] De hac phraſi diximus antè. Nam verbum videndi, quando conſtruitur cum præpoſitione ב, non ſignificat ſimpliciter, videre aut otioſe contemplari, ſed cum quadam admiratione & voluptate ſpectare. Significatur igitur ſuauis & iucundus aſpectus. Sed hic rurſus quæritur, An liceat piis hoſtium ruinam & interitum cupidè expetere, cùm id videatur non carere vitio ἐπιχαιρεκακίας. Reſpondeo. Non intuentur pij talia ſpectacula vt ἐπιχαιρέκακοι, qui voluptatem ſimpliciter capiant ex aliorum calamitate aut interitu aut qui vindictam priuatam expetant: ſed admirantur primùm iudicium diuinum, quod ſumitur de impiis: idque probare potius quàm accuſare debent, quia pertinet hoc ad gloriam Dei. Deinde etiam gaudent eccleſiam liberari illo metu horrendorum ſuppliciorum, & crudelitate tyrannorum, & oſtendi his exemplis, Deum eſſe protectorem ſuorum. Illa verò lætitia pia eſt & ſancta, quatenus iuſtitiæ Dei teſtimonia in hoſtes, & amoris erga eccleſiã intuetur, nõ quatenus praua libidine accenſa, carni grata expetit.

PSALMI LIV.

PARTES.

I. Petitio ſeu precatio, bimembris .1. pro ſalute ſupplicis, v. 3. & 4. Cauſa prior huius precationis ſumitur à perſona aduerſariorum, qui vtcunque Iſraelitæ ſunt ſecundum carnem & profeſſionem externam, operibus tamen oſtendunt ſe à Deo, religione, & ab omni humanitate eſſe alienos, v. 5. Altera cauſa, fides Dauidis præſentiſſima in veritatem promiſſionum Dei: quam deinde euentus ipſe à Deo confirmauit, cùm Saul fuit per nuntium reuocatus, v. 6. 2. Secundum precationis membrum, pro ſupplicio aduerſariorum, v. 7.

II. Concluſio votiua, agnoſcendi Dei, & prædicandi beneficia eius, v. 8. cauſa duplex, 1. liberatio ex periculis. 2. aduerſariorum opprobrium.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2. Pij de cruce in vmbra non philoſophantur, ſed in præſentiſſimum vitæ diſcrimen ſæpius conſtituti, & Dei auxilio freti, inuictum fidei ſuæ robur oſtendunt, quòd multiplici morte imminente, Deum tamen inuocare non deſtiterint.

3. 4 Etſi nihil eſt auxilij extra Deum, ordinarios tamen modos habet quibus exerat erga nos gratiam ſuam & virtutem. Vbi autem ita nos deſtituit vt nihil auxilij ſub cælo appareat, tunc per ſe ipſum agit.

Vt nos Deus tuendo ſuſcipiat, danda in primis opera eſt vt probè & rectè nobis ſimus conſcij: quia nihil magis peruerſum eſt quàm temere ad eum inuocandum proſilire, ac ſi malarum cauſarum eſſet patronus.

5 Quum hoſtium truculentiam & impietatem pij coram Deo multis verbis amplificant, non id faciunt quòd monitore opus habeat Deus, ſed metus ſui cauſam referentes, in illius ſinum curas ſuas exonerant.

Hoc ſolum eſt frænum quo mali homines cohiberi poſſunt, ſi veniat illis in mentem, aliquem mundi iudicem ſedere in cælo, ad cuius tribunal ſemel omnibus reddẽda ſit vitæ ratio: excuſſa verò Dei memoria nullus ſupereſt moderationi locus.

6 Hæc vis eſt fidei, vt ab ipſis inferis vſque ad Deum pios celeriter euehat: nam dum latent inter feras, Deus illis eſt propinquus: ac in ſepulchro demerſi mortiſque caligine obruti Deum præſentem aſpiciunt, ac de eius auxilio gloriantur. Præterea certò ſciunt Deum ſtare ab eorum parte quibus curæ eſt ipſorum ſalus, & quamuis illi ſint numero pauci, & debiles, attamen Deo præſide & directore futuri ſunt omnibus impiis fortiores.

7 Deus praua impiorum conſilia, malignas artes, & improbos conatus in eorum capita retorquebit.

Spem noſtram confirmat illud quòd Deus verax ſit: alioqui quoties auxilium ſuum differt, mentes noſtræ labaſcerent.

8. 9 Quoties prodimus in Dei conſpectum, liberales afferamus animos, ſi cultum noſtrum ei probare cupimus.

Vno beneficio excitati fideles, plura alia quæ diuerſis temporibus erant experti, quaſi in faſciculum colligunt, ac nomen Dei eſſe bonũ, & ſe ab omni anguſtia eſſe ereptos ingenuè profitentur.

Quando Deus impiorum ſcelera vlciſcitur, licet piis tale ſpectaculum cupidè expetere, & modò puri ſint oculi, piè & ſanctè oblectari iuſtitia Dei teſtimoniis: ſed vbi praua aliqua libidine, tanquam macula ſunt infecti, in vitioſum finem omnia trahunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Sycophantarum & delatorum mala mens, malus animus.
2. Fidei piorum varia duráque exercitia.
3. Crucis ſchola, Lucis ſchola.
4. Oratio feruens, vt ſtellæ noctu, in afflictionibus micat.
5. Dei auxilium quando certius exſpectandum.
6. De Sacrificiis eucharisticis, vni Deo per Chriſtum offerendis.

ARGVMENTVM PSALMI LV.

EIVSDEM penè argumenti eſt hic pſalmus cum præcedente. Nam & hîc petit ſe defendi & ſeruari ab iniuſta violentia & tyrannide Saulis, qui Dauidem rabioſè & crudeliter perſequebatur, & omnes vias tollendi atque interficiendi Dauidem tentabat, quod hiſtoria eius oſtendit. Videtur autem hic pſalmus ſcriptus eſſe à Dauide, quando ex Keilah fugiebat in deſertum, cùm oraculo diuino admonitus eſſet, ne ſe perfidiæ iſtius vrbis committeret: futurũ enim vt Sauli traderetur. Ideóque non tantùm de hoſtis Saulis crudelitate & iniuſtis machinationibus, ſed in primis de eorum quos multis

multis beneficiis affecerat,& quorum fidei ſe commiſerat,perfidia queritur,& pœnas illis grauiſsimas minatur atque imprecatur. Has querelas,in quibus magnitudinem periculi ſui,& perfidiam ſuorum amicorum exponit, vt fieri ſolet in materiis ſuaſoriis,exaggerat & amplificat variis circunſtantiis & figuris,vt faciliùs Deum ad miſericordiam moueat & ipſe ſui voti compos fiat. In fine quaſi ſuperato periculo certam ſibi defenſionem & liberationem pollicetur,quantumuis magnis periculis ſe circundatum videat,& hoſtibus certum interitum prædicit. Hæc ſumma eſt Pſalmi. Quod autem de Chriſto & Iuda proditore exponitur à pleriſque, de eo poſtea monebimus auditores. Catera quæ de perfidia amicorum dici hoc loco ſolent,& quare Deus interdum ſinat pios à ſuis amicis deſeri aut oppugnari, videant ſtudioſi in commentario Reuerendi D. Philippi Melancht. vbi luculenter iſta ſunt expoſita.

1 AD triumphandum in Neginoth,erudiẽs Dauidis.

Idem eſt titulus qui præcedentis.

2 Auſculta Deus precationem meam :& ne te abſcondas ab oratione mea.

3 Intende mihi & exaudi me, deſcendam [*cùm deijcior,proſternor*]in querela mea,&gemam[*tumultuabor.*]

Propoſitio Pſalmi,vt antea dixi,eſt precatio , in qua petit defenſionem & liberationem.Hæc duobus iſtis verbis comprehenditur,*Auſculta*,ideſt,oſtende te mihi eſſe beneuolum, meas preces habere apud te pondus;méque eſſe abs te exauditum.Quando ſancti ſe exaudiri petunt, non id faciũt quòd dubitent an exaudiantur(eſt enim promiſſio certa,quæ falle re non poteſt)ſed petunt hoc ipſo facto oſtendi quod ſint in gratia,& quòd ſint exauditi.Repetitio & ingeminatio eiuſdẽ petitionis,primum magnitudinẽ periculi notat:deinde animi ardorem & deſiderij vehementiam deſcribit. Non naſcitur tantùm in labiis hæc oratio,vt hypocritarum,qui edunt ſine mente & affectu ſonos,ſed ex intimis cordis affectibus proficiſcitur.

Verbum אריד variè reddiderunt interpretes Græci, & autor Latinæ verſionis verbo contriſtandi. Hieron.vertit, humiliatus ſum.Pagninus,clamabo.Felix, lamentabor. Campenſis,præ dolore moueo me nunc huc nunc illuc. alij , circunferor. alij,plango. Ex recentioribus nonnulli reddiderunt dominabor,exiſtimantes eſſe à רוד ſed hoc eſt peregrinum,neque enim fortitudinem ſuam nunc iactat : ſed potiùs animi anxietatem & conſternationem hoc verbo exprimit. Significat autem verbum רוד deſcendere, deſignans motum ex loco ſuperiore in inferiorem, vt & vicinum ירדי. In tertia coniugatione,in qua tantùm vſurpatur,ſignificat deſcendere,facere , demittere, deiicere , vel etiam abſolutè deiici. Gen.27.Deſcendere facies iugum eius de collo tuo , id eſt, excuties. 1.Reg. 6.Deſcendere faciet ſuper Cherubim aurum,id eſt,demittet,ſternet. Deſcendere igitur aut demittere ſe in querela, eſt anxiè & magna animi conſternatione ſeu deiectione exponere ſuas querelas. Eſt enim in verbo hoc loco metaphora à corpore ad animum. שיח anxiam meditationem ſeu querelas , quæ animi anxij teſtes ſunt , ſignificat.

אהימה] Id eſt,dum turbor,trepido,animo ſum perturbato propter multitudinem periculi,quod video mihi inſtare, vt neſciam quò me vertam. Video enim omnia plena eſſe perfidiæ,doli,inſidiarum:non ab hoſtibus tantùm, ſed ab his etiam quos credebam amicos : ſentio etiam in hac trepidatione reuiuiſcere peccata mea,quæ dolores augent. Nam in magnis periculis fit hoc quod Paulus dicit , vt foris ſint pugnæ,intus pauores,hoc eſt,concurrunt externa pericula, & interior dolor,qui oritur ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata.

4 Propter vocem inimici, propter oppreſſionem[*fremitum*]impij:quia deuoluunt ſuper me iniquitatem,& in ira aduerſantur mihi.

Confirmatio eſt propoſitionis à neceſſitate,exponit enim magnitudinem ſui periculi,ex quo euadere nõ poſſit, niſi diuinitus ſeruetur.

Propter vocem]Vocem intelligit illas ſuperbas minas quas Saul & eius ſatellites ſpirabant in ipſius necem. Paſſim enim illæ voces in Iudæa exaudiebantur. Alij exiſtimant notari ſtrepitum, qualis ſolet eſſe in hominum turba : quaſi hoc velit, Quia inimici validis copiis inſtructi magno clamore irruunt in me.

Propter preſſuram] Id eſt, quia nihil aliud quærit quàm vt me opprimat,atque ita ſuam libidinem expleat. העיק preſſit, vt gemeret aut ſtrepitũ ederet , Amos 2. Ego gemere facio ſub vobis, quemadmodum gemit plauſtrum onuſtum fœno. inde eſt עקה preſſura tanta quæ alicui gemitus exprimit.D.Forſterus in Lexico ſuo reddit fremitum. Fremitum verò intelligit illum furorem quo palàm oſtendebat hoſtis ſuum odium & indignationem aduerſus Dauidem conceptam,& violenter graſſabatur ad perdendum Dauidem.

Quia deuoluunt ſuper me]. Id eſt,irruunt in me hoſtiliter, & omnia ad me delendum machinantur , vel , quicquid praua cupiditas ipſis ſuggerit in meam perniciem , hoc deuoluunt in me,hoc conantur experiri,*vvas ſie nur erdencken kœnnen,damit ſie iren mutvvillẽ an mir külen mœgen, das verſuchen ſie*,quicquid aſtutè & malitioſè poſſunt excogitare , hoc conantur perficere.

Alij deuoluere iniquitatem, accipiunt pro onerare vel grauare criminibus inſontem , & nihil tale meritum , q.d. *iren mutvvillen den ſie vben , treiben ſie auff mich,als ſey ich bœs vnd mutvvillig*,quaſi iuſtas odij cauſas habeant , qui ſeditioſum punire velint.

In ira aduerſantur] Id eſt,perſequũtur me implacabili odio & furore , vt dubium non ſit, actum eſſe de mea ſalute , niſi tu me defendas.

5 Cor meum contremiſcit [*dolet*] intra me: & terrores mortis ceciderunt ſupra me.

6 Timor & tremor venerunt in me: & operuit me horror.

Alteram rationem, ſeu querelam , ſubiungit à ſuo dolore, nam prior erat ab obiectis. Sunt autem hæc ſua natura coniuncta. Magnitudo enim periculi concitat dolorem in animis, & quo maius eſt periculum , aut ſentitur eſſe , eo magis creſcit dolor. Itaque commemorando ſuum dolorem,ſimul magnitudinem periculi complectitur.

Depingitur autem animus piorum his verbis , quales ſint in periculis. Etſi enim freti miſericordia diuina patienter ferunt pij ærumnas,& Deo exitum commendant , nec eſt muliebris in eis mollities, quæ tales querelas eis exprimat, quales paſſim in Pſalmis leguntur : tamen non ſunt ita ferrei aut ἀπαθεῖς , vt non moueantur periculis , ſicut Stoici fingunt : aut ſtupidi prorſus qui ſenſu calamitatum , aut periculi metu non afficiantur: ſed eſt dolor vehemens , accedit etiam diaboli malitia, qui non tantùm illum dolorem , qui ex calamitatibus percipitur , exaſperat , ſed hac occaſione nos ad deſperationem ſolicitat & impellit , dum animis hanc opinionem inſtillat quaſi Deus nos abiecerit , nec curam noſtri ampliùs agat. Hinc igitur ille tremor & illi terrores mortis , qui hominem extinguunt & in deſperationem mergunt,niſi diuinitus ſuſtentetur.De his igitur nunc queritur Dauid , vt oſtendat ſibi maximè nunc opus eſſe auxilio & ope diuina,ne illis doloribus abſorbeatur.

Cor contremiſcit] Scilicet, non tantùm periculi metu, ſed etiam , quia in his periculis oboriuntur mihi illæ cogitationes,quaſi deſerueris me,&c.

Terrores mortis] Id eſt, terrores mortiferi in quibus nihil niſi mors ipſa ante oculos mihi verſatur.

Timor & tremor venit ſuper me]Id eſt,Non tantùm intus cor pauet,ſed foris totum corpus concutitur horrore & tremunt omnia membra. Quod fieri ſolet in magna conſternatione, quando ſpiritus refugientes ad cor deſtituunt membra.

7 Et dixi,quis mihi dabit alam [*ſingulare ſcribitur pro plurali*] ſicut columbæ ? auolabo & requieſcam[*habitabo.*]

8 Ecce elongabo [*procul diſcedam*] aufugiendo pernoctabo [*commorabor*]in deſerto.

9 Accelerabo [*celeriter compararem*]euaſionem mihi à vento commotionis,à tempeſtate.

Querelæ miſcet votum de fuga , atque ita magnitudinem periculi & mali exaggerat. Nam cùm alas columbæ ſibi dari optat,quibus in deſertum aufugiat, ſignificat non tantùm nullum effugium ſibi patere , niſi miraculo aliquo elabatur & diuinitus eripiatur : ſed tam miſerum eſſe iſtius reipublicæ & populi ſtatum , vt inter feras beſtias tutior ſit locus bonis hominibus , quàm apud illos perfidos amicos & crudeles tyrannos.

De phraſi [*quis det*]diximus ſuprà Pſal.53.

Alas columbæ optat ſibi dari, ἐπὶ τῆς ὑπερορίας καὶ τειχίσεως, ἐπὶ τὸ πνεῦμα σκιαζόμενος, ἢ μόνος τῇ ἐρήμῳ φυγών, inquit Nazianzenus orat. ad ciues trepidantes. Vt nimirum à malis iis quę in id tempus inciderant, quàm longiſſimè abeſſet. De pernici volatu columbarum, vide Plin. lib. 10. cap. 37. Columba tã præcipitis eſt volatus, vt niſi in aëre plaudat alis, atque ita curſus rectitudinem & feſtinantiam ipſa impediat, tuta ſit à rapina accipitris. De hac celeritate loqui eum oſtendit verbum חישה. Accelerabo verſu 9. Deinde metum ſuum atque imbecillitatem hac voce exprimit. Nam columba meticuloſa eſt & imbellis. itaque cõſpecto accipitre, quanta poteſt celeritate, conatur effugere hoſtis ſæuitiam.

Auolabo] Id eſt, in remotiſſimas terras diſcederem, vbi tutus eſſem à perfidia & ſcelere iſtorum hominum.

Habitabo] Id eſt, quærerem alibi extra has terras locum habitandi.

Ecce elongabo] Subinde magis prodit ſuum metum, & oſtendit in quantas anguſtias fuerit coniectus. Non enim nunc cogitat ſibi regnum eſſe promiſſum, nec eius potiũdi ſpe quærit inducias, aut operam dat vt tempus trahat, quemadmodum ſolent quibus aliquid ſpei vel ſolatij adhuc reſiduum eſt: ſed quaſi nihil ſuperſit ſpei, & promiſſiones ſibi factas prorſus iudicet inanes, cupit ex illa terra procul diſcedere. Videntur igitur hæ voces eſſe hominis deſperati, & certè multiplex hic imbecillitas carnis conſpicitur, quæ manet in ſanctis in hac vita, nec caret vitio, ſed tegitur illa & corrigitur à Deo, & ſancti adiuti à Spiritu ſancto ſuperant illam carnis imbecillitatem, ſéque reuocant, ſicut mox videbimus.

In deſerto] Auxeſis eſt, de qua antea dixi: ſignificat enim ſe tutiùs verſari inter feras quàm inter ſimulatos & perfidos amicos. Antiſthenes dicere ſolebat, κρεῖττον εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν, *Melius eſt incidere in coruos quàm in aſſentatores*, qui ſpecie amicitiæ nobis imponunt. Et Sophocles inquit, *Nullum eſt atrocius vulnus quàm defectio amici*. Eò igitur reſpiciẽs cupit quàm longiſſime fugere ex terra inſidiarum & fraudum plena.

מסעה, Id eſt, propulſionis: deducitur à נסע, & ſignificat ventum procelloſum, quem excitat turbo. סער Hebræis eſt mouere loco, ſeu diſpellere, & quidem violenter, ſicut palea diſijcitur ex area, à סער, quod turbinem ſignificat, vel ventum procelloſum, qui omnia diſijcit, proſternit & euertit. Ita autem figuratè per metaphoram deſcribit furorem ſuorum hoſtium. Ventus impetuoſus & turbulentus homines compellit ad celerem fugam, donec tectum vel latebras quærant.

10 Abſorbe Domine, diuide linguam eorum: quia vidi iniuriam & lites [*rixam*] in ciuitate.

11 Die ac nocte circundant eam ſuper muros eius: & iniquitas & moleſtia [*quam ſcilicet aliis creant*] in medio eius.

12 Prauitates [*damna, nocumenta*] in medio eius [*ſcilicet, ſunt*] neque diſcedit à platea eius fraus & dolus.

Addit imprecationem, quam exprimit ei iuſtus dolor. Videbat Keilitas conſuſurrare & conſilia conferre, quo modo Dauidem proderent. Ideo vt diſſipet illas nefarias conſpirationes, & impediat perfida hoſtium conſilia, inuocat Deum iuſtum iudicẽ ac vindicem. De quæſtione verò, an liceat mala imprecari hoſtibus, dictum eſt pſalmo præcedente. Ideo hac relictâ verba conſideremus.

Abſorbe] Id eſt, in nihilum redige, vel, fac vt irrita ſint conſilia & machinationes ipſorum.

Diuide linguam] Fac ne conſentiant in dicendis ſententiis, turba ipſorum conſilia, & diſſipa ipſorum congreſſus & conuenticula contra me inſtituta. videtur alludere ad pœnam Babyloniis inflictam, Gen. 11. Monet enim illa hiſtoria Deum immiſſis diſſidiis maximas ſæpe hoſtium vires & conatus frangere.

Quia vidi] Addit rationem, ne videatur temere imprecari hoſtibus.

Vidi iniuriam] Id eſt, video bonos in hac vrbe iniuſtè opprimi à malis, nec defendi eos à magiſtratibus: malos verò impunitate ſcelerum inuitari ad peccandum.

Lites] Id eſt, contentiones: quaſi diceret, video malos impunè turbare quietem bonorum, exagitare eos, mouere eis lites, vt excutiant eos bonis, & omnis generis petulantiam exercere.

Vrbem nonnulli volunt eſſe Hieroſolymam, atque hi Pſalmum de conſpiratione Abſolomi interpretantur: ſed in argumento diximus cõmodiùs referri ad illud tempus, quando Dauid à Saule redactus in extremas anguſtias, cùm aliquãdiu latitaſſet, tãdem oblata occaſione Palæſtinos ab vrbe Keilah depulit, atque apud eius vrbis ciues, quos tanto beneficio affecerat, aſylum quæſiuit. Itaque vrbem intelligit Keilam. vel ponitur vox Hebræa indefinitè, vt tacita ſit antitheſis inter longinquos receſſus & ſolitudines, in quibus commorari cupiebat, & inter vrbes ſuæ patriæ.

Die ac nocte circundant] Amplificatio eſt ſcelerum. Primum *à tempore*, non interdiu tantùm mali inſidiantur bonis, ſed etiam noctu. Imò ſcelera hæc excubant in muris, vel per circuitum occupant muros, atque adeo, velut muri, ipſam vrbem cingunt, vt nuſquam boni à rapinis & violentis incurſibus ſint tuti. Eſtque hæc altera amplificatio *à loco*, cùm inquit, *in medio eius*: quaſi diceret, non tantùm per circuitum occupant ciuitatem, ſed ipſam vrbem, atque adeo ſingulas ædes penetrarunt: nulla enim eſt domus quæ his vitiis non ſit infecta.

Non recedit] Tertia amplificatio *à mora* & perpetuitate.

13 Quoniam non inimicus probro affecit me, & ferrem [*ſuſtinerem*.] non oſor [*aduerſarius*] meus magnificatus eſt ſuper me, & abſcondiſſem me ab eo.

14 Tu verò homo ſecundùm ordinem meum, dux meus & familiaris meus.

15 Qui ſimul dulce capiebamus [*ſuauiter conferebamus*] conſilium: in domum Domini ibamus in ſocietate.

Iterum exaggerat ſuam calamitatem & iniuriæ atrocitatem à perfidia fucatorum & perfidorum amicorum, inter quos vnum in primis videtur notare, ad quem verſu decimo quarto orationem conuertit. Quantus dolor ſit ex perfidia amici, experiuntur ſinguli. Verum enim eſt illud Sophoclis, οὐδὲν μεῖζον ἕλκος ἢ φίλος ἀδικῶν. Nam alioqui ferè in rebus aduerſis, cùm vel improbitate inimicorum iactamur, vel aliis malis premimur, in fide amicorum nonnihil conquieſcimus. Itaque ſi illi quoque mutata voluntate tunc nos oppugnent, idque vel calumniis vel aliis artibus, augetur calamitas & creſcit dolor in immenſum, quia accidit nobis præter ſpem, & eſt tale genus hoſtium quod neque fugere, iuxta Bernardi ſententiam, neque fugare poſſumus: imò hoſtium furores quoque hac perfidia augentur, & ſcelerati conatus faciliùs perficiuntur. Ideo triſtis hoc loco querela exponitur de perfidia amici. Etſi autem quis ille fuerit non exponitur, & alij aliud diuinant, (nam qui de Abſolomi hiſtoria pſalmum interpretantur, iudicant notari Achitophelem, alij proditorem quendam ex vrbe Keila, quem præ aliis ſibi amicum delegerat) tamen veriſimile eſt notari vnum ex aulicis proceribus, cum quo peculiaris Dauidi hactenus interceſſerat neceſſitudo, quæ vulgo etiam nota eſſet. Dicit enim fuiſſe hominem ſui ordinis, cum quo ſæpe communicarit ſua conſilia & frequentarit templum, quod non videtur conuenire ad ciuem Keilitam. Eſtque illud aulicorum ingenium vt ad regis voluntatem facilè ſe inflectant, & ſi quem in odio eſſe animaduertant, ipſi quoque odiſſe eum incipiant. Hic diſcamus noſſe ingenia aulicorum, ne ſi iiſdem artibus cum Dauide oppugnemur, impatienter feramus aut animo frangamur. Diſcamus etiam ex his verſibus, qualis ſit piorum omnium conditio in hac vita. Non enim tantùm manifeſta vi & armis oppugnatur eccleſia ab hoſtibus, ſed fraudibus etiam ac dolis, ab illis qui ſe amicos & ſocios religionis ſimulant.

Cæterùm quomodo de Iuda proditore hi verſus rectè exponantur, facilè intelligi poteſt, ſi ea repetantur memoria quæ ſuprà aliquoties de ſimilibus exemplis diximus. Erat Dauid in pleriſque typus Chriſti, erat enim rex iſtius populi diuinitus conſtitutus, cui Meſſias erat promiſſus. Ideo quæ Dauidi acciderunt triſtia & aduerſa ab eo tempore quo electus fuit, ea omnia imago quædam fuerunt eorum quæ Chriſtum pati oportuit.

Verbum נשא ſignificat leuare, eleuare, vt cùm ſarcina aliqua eleuatur, quæ alicui imponitur geſtanda, vt Gene. 42. Leuauit frumentum ſuum ſuper aſinos. Deinde quia verba apud Hebręos complere ſignificant, ſignificat ex conſequente etiam, onus illud ſeu ſarcinam, quam quis leuauit, in ſe recipere, ferre & geſtare. In hac ſignificatione vſurpatur hoc loco.

Ego ferrem] ſcilicet faciliùs, ſeu tolerarem. Hoc eſt, non tantum dolorem ex ea re caperem, quia iamdudum ſcio hoſtes in meam necem conſpiraſſe. Alij tamen, qui ad ſignificationem ſequentis verbi reſpicientes ad eam huius quoque ſignificationem accommodant, ita exponunt, Ego leuarem, id eſt, ego ictum eleuando repellerem, hoc eſt, ego cauerem mihi & intentus eſſem, quomodo ictus eius ſeu conatus eluderem.

Magni-

Magnificari] pleriſq; idem ſignificat quod inſultare, ſed ſimpliciſſima ſententia eſt hæc: magnificat ſe, vel abſolute, magnificatur, hoc eſt, violenter ſe effert & exurgit contra me, vt vitam mihi auferat. Genus dicendi ſumptum eſt à communi conſuetudine hominum, qui dum opprimere aliquem aut proſternere volunt, contra eum ita ſe attollunt vt corpus vno momento quaſi creſcere videatur. Et nos Germani de huiuſmodi homine dicimus, *Er macht ſich gros vnd breit.*

Abſconderer] Declinarem ipſius in me impetum, & quærerem latibula.

Secundum ordinem meum.] Id eſt, æqualis aut collega meus, hoc eſt, quos vitæ & cōditionis æqualitas coniunxerat: Fuimus enim vterque eodem loco in aula. Solet autem in omnibus vitæ partibus communis vſus & commune officium amicitiam inter homines conciliare, vt inter ſcholaſticos, quòd in vno & eodem genere vitæ verſantur, facilè coit amicitia. Ita inter milites quos eadem ſtatio in caſtris coniungit, atque item inter collegas eiuſdem muneris. Hæc igitur illis prima fuit occaſio amicitiæ contrahendæ, quòd verſarentur in eodem munere: ſed poſtea acceſſit arctior neceſſitudo, cùm Dauid vſus eſt eo tanquam ductore, qui nihil ſuſciperet aut ageret in aula, niſi de eius conſilio & nutu. Ideo nominat eū ducem. Et quia ex ea re arctior contrahitur amicitia, ideo dicit fuiſſe familiarem ſuum.

Verſu ſequente amplificat crimen proditoris, cùm dicit, ſe omnia conſilia ſua communicaſſe cum eo, & omnia ei arcana ſua commiſiſſe. Deinde, quòd ſimul celebrauerint ſacros conuentus, & ſocij fuerint eiuſdem religionis & confeſſionis. Hoc membrum in primis eius ſcelus amplificat. Nam religio debet eſſe ſanctiſſimum humanæ ſocietatis vinculum, & qui eadem religione coniuncti ſunt, ſanctiſſimo quodam fœdere inter ſe deuincti ſunt. Qui igitur hoc vinculum amicitiæ abrumpunt, & hoc ſacratiſſimum fœdus violant, eos neceſſe eſt eſſe ſceleratiſſimos.

In ſocietate] id eſt, coniunctim, ſimul, ita vt mihi eſſet proximus comes. Alij ad turbæ ſtrepitum referunt, putant enim verbum רגש pſalmo 2. eſſe idem quod tumultuari, ſtrepitum edere: ſed videtur potiùs ſignificare idem quod coire, conuenire, ſocietatem inire, &c. & habet contrariam ſignificationē verbo גרש quod ſignificat eiicere ex ſocietate ſeu conuerſatione hominum.

16 Irruat mors ſuper eos, deſcendant in ſepulchrum viui: quia malitiæ [*ſunt*] in habitaculo eorum in medio eorum.

Addit imprecationem qua in totam factionem inuehitur, de hac quid ſentiendum ſit alibi dictum eſt. נשה Hebræis ſignificat obrui curis, malis, ſeu aliis occupationibus, vel irruere in aliquem vt fœneratores exigēdo debitum. Ideo alij exponunt, mors ſit exactix, ſeu debitum exigat ab eis. alij, nullo præcedente morbo, id eſt, ſubitò ingruat mors.

Deſcendant viui] Exiſtimant prophetam reſpicere ad pœnam Chore, Dathan & Abiron, atque ipſorum factioni inflictam, Num. 16. Poteſt tamen ſimpliciter exponi, ſubita & inopinata mors eos opprimat, vel abripiantur in ipſo curſu felicitatis, quia excæcati rebus ſecundis & potentia, non ampliùs cogitant ſe eſſe mortales, ſed deliciantur, tanquam perpetuò victuri, vt viui hoc loco ſint qui florent, aut qui exiſtimant ſe victuros perpetuò.

17 Ego autem ad Deum clamabo: & Iehoua ſeruabit me.

18 Veſpere & mane & meridie orabo & ſtrepitum edam [*turbabor, trepidabor & trepidè confugiam ad eum*] & audiet vocem meam.

19 Redemit in pace animam meam, à prælio [*quod*] mihi erat, quoniam in multis fuerunt mecum.

20 Audiet Deus & affliget eos, & qui ſedet ab initio, Selah: quia non ſunt mutationes ipſis & non timent Deum.

Iam nonnihil ex doloribus ſe recolligit, & incipit animum erigere fiducia & ſpe auxilij diuini. Atque hac ſpe concepta petit opem. Ita videmus ſanctorum querelas longè differre ab impiorum querelis. Impij in calamitatibus ita effundunt ſuas querelas vt murmurent & fremant aduerſus Deum, accuſent eum crudelitatis, quòd humanam naturam tot malis onerarit, & dicant ſe iniuſtè plecti. Pij verò ita querulantur vt interea cogitent de ſuis peccatis, & patienter ſe ſubmittant ferulæ diuinæ, & ſimul certa ſpe & fiducia petant mitigationem calamitatum, & liberationem. Etſi igitur quædam impatientia carnis mixta eſt querelis ſanctorum, ſicut ſuprà vidimus, cùm diceret, ſe cupere diſcedere ex ea regione: tamen vincit tandem fides, quæ accedit ad Deum, & certam ſibi liberationem pollicetur.

Clamabo] Significat orationem ſuam non eſſe frigidā, qualis eſt hypocritarum, ſed proficiſci ex veris cordis motibus.

Veſpere & mane] Id eſt, indeſinenter. Notat enim perſeuerantiam, quæ ſignum eſt patientiæ & fidei.

Tumultuabor] Hoc verbo, ſicut & ſuprà, primùm anxietatem ſeu conſternationem notat, deinde feruorem precandi, qui oritur ex anxio illo metu. Nam ingens dolor ille ſicut preces illi extorquebat, ita eaſdem ardentiores reddebat.

Redemit] Iam quaſi liberatus & perfunctus periculo, affirmat euentum reſpondiſſe ſuo voto, & agit Deo gratias, qui exaudiuerit clamores: vnde apparet pſalmum ſcriptum eſſe poſt liberationem, vel certè, vt alibi quoque diximus, fidem futuram liberationem ita aſpexiſſe, quaſi ea iam præſens eſſet ſeu præteriiſſet.

In pace] Id eſt, ita quaſi nullum vnquam fuerit periculum, me ſeruauit illæſum, cùm tamen ſingulis momentis mors mihi verſaretur ob oculos. Tales enim ſunt diuinæ liberationes, prorſus miraculoſæ ſcilicet.

Mecum] Hoc bifariam exponitur. Nonnulli enim de hoſtibus intelligunt, & interpretantur, contra me. Ego fui ingenti hoſtium turba obſeſſus, ita vt nuſquam pateret effugiū, & tamen tu me liberaſti, ac ſi nunquam fuiſſet mihi aliquid ab his periculi. Alij de angelis interpretantur, qui caſtra locant in circuitu timentium Deum, vt dicitur pſalmo 34. & quoties vident ſanctos eſſe in periculis, magnis agminibus ſeu turmatim aduolant, vt eos tueantur, ſicut ex hiſtoria Eliſæi apparet. Vtraque ſententia bona eſt, ſed priorem plerique ſequuntur, quia exiſtimant continuari querelam: quanquam ferè aliud exemplum non reperiatur, vbi ſignificet contra.

Audiet Deus & affliget] Antitheſis eſt prioris membri, me liberabit, hoſtes autem delebit.

Affliget eos] Ludit ambiguitate verbi. Nam ענה ſignificat & reſpondere & affligere. Prius ad ſe trahit, cùm dicit, Dominus audiet, ſcilicet me, aut preces meas: poſterius ad hoſtes accommodat. Ita me exaudiet, vt hoſtes ipſius vindicem manum ſentiant, & mole malorum oppreſſi pereant. ſi primæ perſonæ eſſet, ſignificaret reſpondere vel exaudire, & tunc ſcribenda eſſet vox hoc modo ויענני.

Qui ſedet ab initio] Addit epitheton Dei, quo ſuam fidem confirmat. Deus, inquit, eſt ab æterno, nunquam deſinit eius potentia aut robur, nunquam abiicit curam, quam pro ſuis ſuſcepit. Et quidem verbo ſedendi iudiciariam ei maieſtatem attribuit. Sedet, inquit Auguſt. Deus ad iudicandum, & ſurgit ad puniendum. Eſt igitur αἰτιολογία in hac oratione, Deus affliget eos, quia eſt iudex. Capiunt mentes multum ſolatij ex hac imagine in rebus aduerſis. Itaque ne impatientia nos abripiat aut præcipitet, intueamur Deum iuſtum iudicem, qui perpetuò ſedeat ad iudicandum &c.

Quia non mutationes ipſis.] Addit aliam rationem, cur neceſſe ſit breui perire inimicos, quia non mutationes ipſis. hoc autem dupliciter exponitur. Alij enim ſic exponunt: Quia ſunt indurati in malitia & obſtinati in ſceleribus, vt nulla conuerſio in melius ſit ſperanda. Non enim flecti poſſunt ad pœnitentiam. Alij putant hanc orationem habere ſpeciem querimoniæ, quia non mutationes ipſis, id eſt, perpetuò fruuntur proſpera fortuna, ac ſi communibus incommodis & miſeriis humanis non eſſent ſubiecti. Illa verò Dei indulgentia ita corrumpit eos, vt omnem metum exuant & fiant ſecuri, nec cogitent eſſe aliquem Deum, qui ſcelera puniat.

Deum non timent] III. ratio eſt, in qua cauſa iſtius obſtinatæ malitiæ ſignificatur. Si poſteriorem ſententiam amplectaris, ו in dictione ולא erit illatiua particula, Non ſunt mutationes, ideóque non timent Deum.

21 Miſit manus ſuas in paces ſuas: violauit fœdus ſuum.

IIII. Ratio eſt cur credat Deum facturum quæ tam pro ſe quàm contra hoſtes erat precatus, quia, inquit, violato fœdere amicitiæ bellum inferunt bonis, à quibus nulla ſunt laceſſiti iniuria. Eſt autem mutatio perſonæ, quia cùm antea de pluribus locutus eſſet, & in fine rurſus omnes hoſtes comprehendat, nunc tamen tanquam de vno loquitur. Hæc mutatio perſonarum crebra eſt in Hebræa lingua, & hoc loco non ſine cauſa fit illa enallage: vult enim perſtringere autorem & caput illius impiæ conſpirationis, nempe Saulem, quem perfidiæ accuſat, quòd contra fœdus initum & fidem toties datam non deſinat armis ipſum oppugnare ſine vlla cauſa.

Miſit manus ſuas in paces]Id eſt, violauit pacem publicam, & turbauit regnum moto bello iniuſto aduerſus me, à quo non eſt læſus aut laceſſitus vlla iniuria,& quidem miſit in paces ſuas.Quia ipſius regis in primis erat curare vt pax publica conſeruaretur.Ille igitur,qui cuſtos eſſe debebat pacis,primùm rumpit & violat pacem,& eſt autor belli funeſti. Mittere manum in aliquem,μετωνυμικῶς ſignificat Hebræis hoſtiliter adoriri & vim inferre.

Alij abſtractum exiſtimant poni pro concreto.In paces,id eſt,in pacificos ſuos,in eos ſcilicet qui nihil tentarunt aduerſus pacem publicam,qui ſunt quieti & tranquilli,imò qui regi optimè eſſe cupiunt.Eodem redit hæc ſententia, ſed prior eſt aliquanto planior. Græci & vulgata tranſlatio habent in retribuendo,legerunt enim בשלו[illegible] in infinitiuo.

Violauit fœdus]Id eſt,factus eſt perfidus:toties enim fœdera mecum inita iam violat,vt appareat eum non moueri religione iuriſiurandi,aut metu numinis diuini:ſed ludit iuramentis, ſicut pueri aſtragalis, vt Lyſander dicere ſolebat, Hoc verò longè eſt ſceleratiſſimum. Nam qui iniurias ſuas aperte vlciſcitur,non reprehenditur ferè ab hominibus, ſed qui fœdera,quæ fiunt intercedēte religione & mentione nominis diuini,violat,is etiam ab hominibus habetur ſceleratiſſimus.

22 Lenia ſunt præ butyro [*verba*] oris eius, & prælium cor eius:teneriores [*molliores* [*ſeint glat*] ſunt ſermones eius oleo,& ipſi apertiones [*vulnera.*]

Addit amplificationem ab hypotypoſi, in qua pingit inſidioſas pacis & amicitiæ ſimulationes in hoſte,quibus Dauidem in inſidias pellicere & præcipitare conatus eſt. Eſt autē hic pulchra deſcriptio eorum qui ſub ſpecie amicitiæ,fœderum,affinitatum,aut coniugiorum,non tantùm fallunt,ſed euertunt & in perniciem trahunt bonos.Eſtque nulla non ætas plena talium exemplorum.

Præ butyro]Exiſtimant interpretes pathach ſcribi ſub מ pro tzere,euphoniæ cauſa.Vſitata verſio habet:Diuiſi ſunt ab ira vultus eius.Idem enim nomen מחמת ſignificat furorem, iram & butyrum. Quanquam cùm butyrum ſignificat,ferè ſemper legitur cum epentheſi literæ א vt hoc in loco. Ego verò ſic legere malim,vt חלקו verbum prorſus ſeparetur à ſequēti oratione,quod videtur indicare accentus Peſic, diuiſerunt, diſpertiuerunt,hoc eſt,faciunt contraria dictis,nā facta ipſorum non reſpondent dictis:aliud enim ore proferunt, aliud corde premunt. Deinde ſequitur ἐξήγησις ſeu explicatio: *Os eius eſt butyra* (vt ſit nomen hæmanticum pluralis numeri tantùm)*ſed cor eſt prælium*:id eſt,ſermones quidem ſunt blādi,ſed cor æſtuat ira,& nihil quærit niſi perniciem meā, &c. nihil meditatur niſi bellum.

פתחות apertiones accipiendo paſſiuè ſignificat vulnera, vel actiue iacula,ſpicula,ſeu gladij,quæ penetrando aperiūt & faciunt vulnera.

23 Proiice ſuper Iehouam onus tuum,& ipſe proſpiciet tibi[*paſcet te*]non permittet in æternum motionem iuſto.

Poſt multas querelas de iniuriis & perfidia ſuorum hoſtium,à quibus ſe defendi in hoc pſalmo petit,ſubiicit nunc tanquam epilogi loco conſolationem, qua ſuam fidem & ſpem confirmat, atque hac ſpe curas ſuas & ærumnas lenit. Eſt autem ſententia generalis: quia dum ſe ipſum hortatur, exemplum ſuum tanquam communem regulam omnibus piis proponit.

Proiice ſuper Iehouam onus tuum]Id eſt,depone & exonera in ſinum Dei omnes curas, moleſtias & ſolicitudines tuas, téque ac tua ipſius fidei ac miſericordiæ committe, certa ſpe & fiducia præſentiæ & auxilij Dei pete & expecta liberationem vel mitigationem, nec frangaris magnitudine aut multitudine periculorum, non abiicias animum,etiamſi videas non tantùm aperto Marte,ſed inſidiis,dolis & fraudibus fucatorum amicorum tuum iugulum peti: quia Deo de te cura erit.

יהב Verbum eſt irregulare & defectiuum, quod tantùm vſurpatur in imperatiuo הב ſeu הב & הבה quod tamen non tam eſt imperantis,quàm deſiderantis & amicè compellantis aut efflagitantis, vt aliquid fiat. Inde eſt יהב quicquid alicui obuenit ſeu accidit,quo afficitur,ſeu quicquid alicui imponitur aut offertur diuinitus.Inde Lutherus reddit *dein anliegē*.Alij vertunt tuum dare,vel donum tuum:& dare interpretantur paſſiuè,pro beneficiis omnibus quæ nobis à Deo conferri expetimus.

Proiice dare tuum]Id eſt,omnem curam eorum quæ tibi vſui ſunt,vel quibus opus eſt tibi,reiice in Deum.

Ipſe te ſuſtentabit[paſcet]Id eſt,ille ſubueniet neceſſitatibus tuis, conſolabitur & confirmabit te, vt poſſis ſuſtinere ærumnas, mitigabit etiam & tollet eas pro ſua bonitate, vt poſſis ſufferre.

כול potuit ſuſtinere, conſummauit, continuit, ſuſtentauit, inde eſt verbum ſecundæ coniugationis כלכל, ad calculum ſeu in ſummam diſpoſuit, ſuſtentauit, certa ratione, modo, menſura aliquid diſpenſauit,procurauit,2.Sam.19. Ipſe aluit regem.Prouerb.18.Spiritus viri poterit ſuſtinere infirmitatem eius.

Non dabit motionem iuſto] Id eſt,ſtabiliet iuſtum,non ſinet perpetuò vexari aut opprimi iuſtum, non patietur vt opprimatur onere malorum.

24 Et tu Deus deiicies eos in puteum corruptionis:homines ſanguinarij & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.Ego autem in te ſperabo.

In fine repetit imprecationem,qua hoſtes exitio deuouet,& pœnas eis denuntiat.Sunt enim imprecationes piorum vaticinia Spiritus ſancti. Hanc autem precationem addit, vt oſtendat diſcrimen inter piorum & impiorum exitum.Pij affliguntur aliquandiu, & nonnulli à tyrannis crudeliter interficiuntur, ſed liberantur tandem & perducuntur ad æternam lætitiam.Impij verò ad tempus quidem deliciantur in hac terra, ſed tandem pereunt horribilibus pœnis.

Foueam corruptionis]Non tantùm intelligit corporales pœnas,aut mortem, cui etiam pij ſunt obnoxij, ſed pœnas æternas,quarum mors illa eſt initium.

Viri ſanguinarij]Addit epiphonema ſeu generalem ſententiam de tyrannorum & ſceleratorum hominum pœnis ac interitu. Viri ſanguinarij,id eſt,crudeles tyranni,qui pro ſua libidine graſſantur in genere humano,& cædibus ſeu cadaueribus omnia complent.

Viri doli] Id eſt, qui fraudibus & dolis bonos oppugnant, quíque mendaciis vel dogmata pia conuellunt,vel bonis periculum creant.

Non dimidiabunt dies ſuos] Dies Lutherus non incommodè interpretatur negotia, quæ moliuntur perficere ante finem vitæ ſuæ.Illa non dimidiabunt,id eſt, abripientur ex medio curſu, antequam id perficiant quod conſtituerant. Poſſunt tamen dies etiam ſimpliciter exponi pro tempore huius vitæ: Tyranni non dimidiant dies, id eſt pereunt antè quàm ſperent.Pollicentur enim ſibi longam vitam: imò ita viuunt quaſi ſint immortales. Etiamſi igitur improbi aliquando ad extremam ſenectutem perueniant, tamen quia ſemper ille exceſſus ipſis eſt immaturus,dicuntur nō dimidiare dies ſuos. Econtra pio immatura mors nunquam accidit, ſiue enim ſenex,ſiue iuuenis mortem obeat, ſcit ſe ſuum tēpus expleuiſſe,& animo lęto ex hac vita migrat.Interea etiam hoc verum eſt, pleroſque tyrannos tragicis calamitatibus aut violenta morte ante tempus perire,ſicut dicitur,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Non igitur pugnat hoc dictum cum illo Iobi capite 14. Numerus menſium apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.Intelligendum enim eſt hoc pſalmi dictum de eo ætatis humanæ termino quem plerique aſſequuntur,quémque eſſe vel 60. vel 70. vel etiam plurium annorum cernimus. Ad eam enim ætatem, qui ſunt impij, perrarò perueniunt, quòd vel in acie cadant, vel inter pocula pereant, vel veneno tollantur, vel ſupplicio capitis afficiantur, vel alio quocunque modo præuenti ad iuſtum & communem cæteris mortalibus vitæ finem nequeant peruenire.

PSALMI LV.

PARTES.

I. Oratio quā habuit, quum à filio Abſalomo inita eſt conſpiratio & primùm commota, à 2. v. ad 16. vſque. Eſt autem bipertita. 1. Agit enim de perſona ſua. 2. De perſona inimicorum. Et vtrique parti ſuas adiungit cauſas.

1. De perſona ſua agit, v.2. Sequentibus nempe 3. & 4. explicat cauſas petitionis quæ reſpiciunt

planctum

planctum & ſtrepitum internum propter mala quæ aduerſarij inferebant.v.5.& 6.humanam ipſius imbecillitatem & calamitatem,quam amplificat ab optato hypothetico,v.7.8.9.

2. De perſona inimicorum agens,imprecationem edit,duobus iudiciis figuratam:vno eorum quos(Nũ 16.)abſorbuit terra:altero priſcorum qui turrim Babelis extruere conati ſunt:v.10. Cauſa imprecationis. 1.A communi improbitate quæ indigniſſimè inualeſcebat in ciuitate ſancta,v.10.11.& 12.2.A ſingulari perfidia & ingratitudine Achitophelis(qui Iudæ proditoris typus fuit)ſummi auctoris omnium malorum quæ tunc Regnum & Eccleſiam grauiſſimè afflixerunt:v.13.14.& 15.

II. Altera pars Pſalmi prophetica,exponens improborum exitium,& bonorum ſalutem:quæ duo per prolepſin poſita,v.16.& 17.poſt copioſius explicantur.

III. Amplificatio ſui erga Deum officij à circunſtantia temporis,formaque & aſſiduitate precũ,v.18. quam ſequitur confirmatio ſuperioris officij,& perſeuerantiæ erga Deum ab anteacta experientia, v.19. Deinde Dei deſcriptio,qui natura,conſilio,iudiciiſque æternus eſt,& ſemper ſui ſimilis.v.20. Tertiò,pictura aduerſariorum,ab obfirmata impietate,v.20.ab inhumanitate,v.21.à peruerſiſſima hypocriſi,& vulpino animo,v.22.

IIII. Concluſio hortatoria,qua Pſaltes oſtendit vſum fidei,quæcunque eueniunt accepta ferentis Deo, & illius adminiſtrationi committentis:prout ſecura eſt piorum fides de promiſſione eius,v.23. Accommodat v.24. ſuperiorem theſin ad pręſentem cauſam,oſtendens ſe iam animo per fidem præcipere ruinam aduerſariorum,& ſalutem ſuam.

Observationes locorvm doctrinae.

Verſ.1.2.3.4.Graues neceſſitates, planctus,querelas & tumultuoſos clamores piis extorquere ſolent.

In perſequutionibus magnum ſolatium eſt,ſibi bene eſſe conſciũ, neq; ſua culpa ſed gratis prouocari:quia tunc quoq; ſperandum eſt leuamen à Domino,qui ſe miſeris omnibus patronum & defenſorem fore pollicitus eſt.

5.6. Vbi duriùs ſeruos ſuos exercet Deus,nulla eſt tanta fortitudo qua non labaſcat:& hac occaſione Satan aſtutè nos ad deſperationem ſollicitat,acſi Deus ſubducto ſui Spiritus auxilio,ſe curam noſtra ſalutis abijcere oſtenderet.Sed occurrunt Dauidis & aliorum exempla qua nos ad conſtantiam animare debent.

7.8.9. Aliquoties piis nullum patet ex periculis effugium,nec niſi miraculo elabi poſſunt,ſitq; eorum conditio deterior quàm auicula cuiuſlibet: vt diſcant tanto ardentiùs ad Dei opem confugere.

10.11.12. Miſcent quidem fideles precibus ſuis confuſos gemitus, ſed tandem ad orandi fiduciam ſe reuocant.

Deus peruerſas factiones impiorum quotidie diſcindit,dum inter ſe eos committit,vt alij aliijs inuideant,laborent diffidentia,ferãtur in contrarios affectus : & dum quiſque dominari cupit,nec ſuſtinet aliis cedere,ſeipſos vltrò eneruent.

Quo inſolentiùs ruunt homines ad peccandum,propiùs inſtat Dei vindicta qua eorum furori occurrat.

Vrbes impietate & prauis moribus imbuta,non modò piorum imprecatione,ſed Spiritus ſancti iudicio in aternũ exitium deuouẽtur.

13.14.15. In Dauidis perſona , non modo vi aperta oppugnati, ſed etiam malitioſè proditi ab amicis, nobis depingitur piorum omnium conditio, vt quiſq; noſtrûm ad ſubeundum hoc duplex certamen ſit paratus.

Non gladiis tantùm & cadibus eccleſiam Dei Satan infeſtat, ſed ſubornat etiam hoſtes domeſticos , qui eam per fraudes & inſidias adoriantur. Quod genus hoſtium neque fugere neque fugare conceſſum eſt.

Damnantur à Spiritu ſancto ij omnes qui ſacra natura fœdera violant quibus erant inter ſe deuincti.

Quadam eſt totius humani generis ſocietas:ſed quo quiſq; propiùs ad nos accedit,eo ſanctiore vinculo nobis eſt cõiunctus. Nam principium,quod profanis hominibus incognitũ fuit,nobis tenendũ eſt,nõ fortuitò,ſed Dei prouidentia fieri vt vicinitas, cognatio, vocatio communis, pracipuè verò ſacratiſſimum pietatis fœdus, homines ipſos,maximè fideles,inter ſe conſociet.

16 In imprecationibus, fugiendus eſt inconſideratus Zelus & iracundia:quia ſi nos agat vindicta cupiditas, perperam ſanctũ prophetã amulabimur, qui ſincero & compoſito zelo hîc Deũ vindicẽ implorat contra reprobos qui iam aterno exitio deuoti erant:nec tã in perſonas hoſtium ſuorum fertur, quàm pœnas denuntiat impiis omnibus qui eccleſiam iniuſtis moleſtiis affligunt.

17.18. Aſſiduitas & vehementia requiritur in precibus.Quum autem ſimus aquo tardiores ad orandum,niſi quiſque ſe ipſum ſollicitet ac vrgeat, pracipuum hoc pietatis officium apud nos frigebit, adeóque obrepet precandi obliuio, niſi nos ſtimulemus, & certas horas praſcribamus,quas nobis elabi abſque precibus non patiamur.

Nulli cruciatus vel dolores piis ſunt obſtaculo quominus ſuas querimonias ad Deũ dirigant,& ſpẽ ſalutis fixam ac firmã in cordibus ſuis foueant:quia certò perſuaſi ſunt vota ſua à Deo exauditum iri.

19 Vltimo diſcrimine fideles quãuis ſint oppreſſi,nihilominus tamen ſalutẽ & pacem non ſine ſingulari miraculo tandẽ obtinent.

Quando hoſtium multitudinem poſt pericula fideles cõmemorant, liberatricem Dei potentiam magis inde extollunt.

20 In eo cognoſcunt fideles ſe fuiſſe exauditos,quando Deus vindex exurgit,vt eorum hoſtes affligat.

Æternitatis Dei cõſideratio impatientia tutum remediũ. Contrà nihil magis peruerſum quàm,mortales homines,qui ſingulis momẽtis inſtar vmbra diffluũt,Deũ ſenſu ſuo metiri:quia hoc modo eum ab aterno ſolio detractum variis mundi inclinationibus ſubiiciunt.

Dei indulgentia impij ſiũt deteriores,vt omnẽ metũ exuant, ac ſi immunes forent ab omnium hominum ſorte:& quo diutiùs torpẽt in ſuis deliciis,in malitia quoq; magis obdureſcũt. At fideles ſedulò cauẽt ne rebus proſperis obrepat eis ſecuritas,qua etiã cõtra Deum exultet.

21.22. Longè ſceleratior eſt qui fœderatos ſuos ſine cauſa adoritur,quàm qui ſuas iniurias apertè & ingenuè vindicat.

Hoc peculiare eſt certamen filiis Dei, vt illecebris deceptos aſtuti homines conentur in perniciem illaqueare. Sed interea Spiritus ſanctus obliquos aſtus damnans, praſertim fallaces blanditias, eos ad ſimplicitatem colendam hortatur.

23. Cura eorum omnium qua nobis vſui ſunt,Deo eſt reſignanda. Neq; enim ſatis eſt à Deo petere vt neceſſitatibus noſtris ſuccurrat, niſi etiam petitiones noſtra & vota in eius prouidentiã recumbant: quia pleroſque videmus tumultuoſe precari , & dum ſine modo laborant vel ſolliciti ſunt, Deum ad ſuas leges adigere velle.

Deus ſuis electis erit paſtoris loco, qui neceſſitates eorum cura habebit,eiſque ſuppeditabit quacunque vſus vita poſtulare videbitur.

Ad tempus nutant iuſti,& dum huc & illuc quaſi variis procellis agitantur,propè labaſcunt: at Deus non patietur vt anxietatibus ſemper ſint obnoxij,vel periculis & curis concutiantur,ſed concedet eis tranquillum ſtatum.

24 Pij inter multa vita diſcrimina trepidantes quietem ſibi paratam eſſe confidunt:fide enim ſpeculantur quod hoſtibus ſuis impendet iudicium.

Non temporalis modò clades inſtat impiis,ſed aternus etiam interitus.

Certa Dei vltio crudeles & doloſos omnes manet, quam effugere nõ poterunt. Et quanuis non ita ſubitò pœnas Deus exigat , multis tamen documẽtis planum fit quod hîc dicitur. Et vtcũque ſcelerati homines vitã longiùs producant,agunt tamen trepidam & inquietam vitam,vt verſentur in vmbra mortis:nec in rationẽ vita venire meretur vita hac qua ſic maledicta eſt à Domino , vbi mala cõnſcientia ſuis tormentis,tanquam ſauiſſimus carnifex,eos excruciat:& certè non alij ad vita metam perueniunt quàm qui Deo viuunt & moriuntur:quia illis ſolis tam mors quàm vita lucrũ eſt.

Iudicium in ſanguinarios omnes paratum nõniſi fide & patientia cernitur : & ſalutis noſtra cuſtodia in ſpe reponenda eſt. Vnde colligimus non ita maturè è medio tolli impios , quin diuturnis iniuriis ad tadium vſque nos exerceant.

Articvli praecipvi.

1. Orationis piæ animæ ad Deum omnipotentem,iuſtum & miſericordem efficacia.
2. Improborum in eccleſiæ ſinu latentium perniciosiſſima hypocriſis.
3. Piæ animæ conflictus & luctæ mirabiles.
4. De imprecationibus aduerſus profligatos Dei & Eccleſiæ hoſtes.
5. Apoſtatarum, crudelium proditorum animus, ſtupor, interitus.
6. Prouidentiæ Dei recta conſideratio.

ARGVMENTVM PSALMI LVI.

EIVSDEM ferè eſt argumenti cum aliquot ſuperioribus. Nam & hic Pſalmus ſcriptus eſt tempore exilij, cùm Dauid à Saule pulſus paßim quæreret latibula, vt crudeles regis manus effugeret. Narrat autem hiſtoria 1.Sam. 21. cuius hîc mentionem facit, Dauidem, cùm à Ionatha admonitus eſſet, patrem prorſus implacabili odio ardere aduerſus ipſum, nec vllam niſi in fuga ſpem eſſe, abiiſſe ad Palæſtinos, ibique in itinere comprehenſum, deductum eſſe in Aulam Achis regis Gath, non tantùm vt exploratorem aut proditorem, ſed vt hoſtem huius populi infeſtißimum, quem ſciebant non multò antè interfeciſſe Goliath, & autorem fuiſſe eius cladis quæ tunc ſecuta eſt, ſed & poſtea, cùm rex dotis loco pactus eſſet 100. præputia Philiſtinorum, ducentos ex Philiſtinis interfeciſſe, atque adeò celebre iam nomen apud Iudæos conſequutum eſſe, vt in publicis cantilenis, quibus victoria Iudæorum celebrabantur, diceretur decem millia Philiſtinorum interfeciſſe. Cùm itaque in ſummo diſcrimine ſe verſari videret, etſi foris ad hoſtes fallendos ſtultitiam ſimulauit, atque ita periculum euaſit, tamen interea animo erat compoſito, & mente Deum intuebatur, à quo petit in hoc Pſalmo ſe ſeruari & defendi: vt ſatis appareat, illam ſimulationem non fuiſſe talem animi perturbationem, quæ illum ad illicita media impelleret, ſed aſtutum fuiſſe conſilium, quod periculi magnitudo eum excogitare coegit, vt vitæ ſuæ potiùs quàm dignitati conſuleret. Neque tamen interea ita animo fuit abiecto, vt illi qui ſpem non habent, ſed ſpe & fiducia auxilij diuini ſe ſuſtentauit: Quod hic Pſalmus luculenter oſtendit. In quo, poſtquam defendi ſe & ſeruari ab hoſtium crudelitate petiuit, & magnitudinem periculi expoſuit, ſubijcit conſolationes, quibus animi ſui magnitudinem & fiduciam, quam in his periculis habeat, oſtendit. Affirmat enim ſe in hoc ſummo periculo in ſolius Dei promißione acquieſcere, & certò ſe ſtatuere quòd curæ ſit Deo, & quòd incolumis ſit euaſurus. Talis igitur eſt via piorum in periculis & certaminibus. Foris quidem videntur nonnunquã eſſe animo abiectißimo, ſed intus in animo luctatur fides cum timore, & tãdem feliciter vincit, & læta triumphat. Cuius rei exempla in martyrum hiſtoriis occurrunt penè infinita.

AD triumphandum ſuper columba muta in remotis, aureolum Dauidis, cùm comprehendiſſent eum Philiſtini in Gath.

Super columba muta] Hunc titulum quidam exiſtimant fuiſſe verba tritæ & vulgaris cantilenæ, ad cuius modos hic pſalmus fuerit decantandus, quemadmodum & in aliis pſalmorum titulis huiuſmodi quid à nobis annotatum eſt. Plerique tamen ad argumentum pſalmi hunc titulum accommodant. Exiſtimant enim Dauidem metaphoricôs ſe comparare columbæ procul fugatæ, & veluti in medium accipitrum cum ſummo periculo pulſæ, & captæ. Quod certè non malè congruit argumento. Erat enim Dauid ad hoſtes cum ſummo vitæ diſcrimine pulſus, cùm domi nullum locum ab inſidiis tutum inueniret. Quod autem mutam columbam ſe vocat, id ita interpretantur: quòd quanquam ſummis eſſet affectus iniuriis à rege Saule, tamen coactus fuerit obmuteſcere, ne accuſaret Saulem, aut hoſti ſcelera Regis populi Dei prodendo occaſionem ridendi hunc populum præberet. Imò cùm audiret multas contumelioſas voces in Deum apud gẽtem impiã & profanam, apud quam cùm refutando nihil proficeret, coactus fuit tacere. Fuit igitur Dauid columba muta, quæ tulit iniurias & patienter tulit. De voce ▭לא videi infrà pſalmum 58.

In remotis] In locis, quæ ſunt remota à terra ſancta.

Michthan] volunt eſſe ſpeciem melodiæ, ad quam multi pſalmi decantati fuerint, vel inſtrumentum muſicum. Alij tamen interpretantur appellatiuè pro aureolo, quemadmodum & pſalmo 16. quaſi dicat, inſignis pſalmus qui tanquam pretioſum aliquod κειμήλιον reponendus, & in pretio habendus eſt.

2 Miſerere mei Deus, quia abſorbet me homo: quotidie impugnans [*vel comedens, vt ſit continuatio metaphoræ*] coarctat me.

Initio ſtatim ponitur propoſitio, quæ eſt precatio, in qua petit defenſionem aduerſus iniuſtam vim & rabiem ſuorum hoſtium. Inquit enim, *Miſerere mei.* quaſi diceret, Homines paſſim crudeliſſimè me perſequuntur, nec vllus eſt locus veniæ aut miſericordiæ apud ipſos, itaque deſertum ab omnibus & variis inſidiis petitum, tu recipe in gratiam & ſuſcipe mei defenſionem.

Addit autem mox rationem à neceſſitate, in qua commemorat ſua pericula & ærumnas.

Deuorat me homo) Nomẽ אנוש indefinitè ponitur pro ſpecie. Homo me deuorat, id eſt, omnes crudeliter me perſequũtur tanquam mox abſorpturi: omnéſque ad deuorandum me inhiant. Verbum שאף ſignificat illam inexplebilem rabiem qua ad eum deglutiendum ardebant.

Quotidie) Amplificatio eſt à tempore, quaſi dicat, ſine intermiſſione: tanta enim eſt odij in eo acerbitas vt nihil aliud agere eum ſinat quàm vt mihi exitium moliatur.

3 Deuorant [*abſorbent me*] obſeruatores mei quotidie: certè multi belligerantur aduerſum me ſſuperbè.

Repetit eandem querelam amplificatam nõ modò à tempore, ſed etiam modo & numero. Multi, inquit, oppugnant me crudeliter domi & foris apud quos exulo: deinde ſuperbè etiam inſultant meis calamitatibus.

לי Alij exponunt mecum, quaſi de angelis dicat, pugnant pro me, vt ſit conſolatio. Sed illi abrumpunt querelam, quæ continua eſt in toto verſu.

▭מרו nomina cum verbis conſtructa ſæpiſſimè aduerbiaſcunt.

4 Quo die timeo, ego in te ſperaui.

5 In Deo laudabo verbum eius: in Deo confido, non timebo quid faciat caro mihi.

Narrationi periculorum miſcet conſolationem. Affirmat enim ſe in iſtis periculis & terroribus retinere ſpem & fiduciam præſentiæ & auxilij diuini, & intueri promiſſionem, in qua Deus opem pollicetur inuocantibus & petentibus.

Quo die timeo] Quando video vndique me circunſtare pericula, & omnes in meam necem conſpiraſſe, non poſſum non terreri illo conſpectu periculorum, ſed tamen non ſuccumbo timori, non frangor deſperatione, ſed erigo me hac fiducia quòd mihi adſis defenſor & ſeruator.

In Deo laudo verbum eius] Iam altiùs etiam aſſurgit. Nam in lucta creſcit fides, & fit ardentior. Non tantùm igitur nunc dicit: Ego confido, ſed etiam, ego glorior in Deo, quem certò ſcio mihi adeſſe. Sicut Paulus inquit Rom 5. Pios gloriari ſuper afflictionibus. Huius verò lætitiæ obiectum ſeu materia eſt verbum, hoc eſt, promiſſio de defenſione & liberatione, facta piis. Hanc dum fide intuentur & ſtatuunt ratam eſſe, vincunt dubitationem omnem & excutiunt trepidationem ſeu timorem. Quicquid igitur accidat foris, ferunt patienter, nec dimouentur à ſua ſpe, quia ſciunt Deum veracem eſſe in ſuis promiſſis, atque in eo acquieſcunt.

Alij interea, qui non habent fidem, tumultuantur, fremũt & murmurant aduerſus Deum, ruunt in deſperationem, quia exiſtimant ſe eſſe abiectos à Deo. Alij verbum pro re interpretantur, quaſi diceret, quicquid mihi accidat, fit Dei permiſſu & voluntate. Sed Dauid verbum hoc loco nominat promiſſionem, & quidem in ſpecie eam quæ de regno ſibi facta erat, intuetur. In hac gloriatur & ſtatuit, nullas hoſtium vires aut conatus tantos eſſe, qui infringere aut labefactare hanc queant.

Carnem per contemptum nominat homines, qui comparati ad Deum nihil habent roboris aut virium, & tamen ita ſuperbè ſe efferunt contra Deum, quaſi de cælo eum ſint deiecturi: hanc ſtultam ipſorum confidentiam & audaciam ridet hoc vocabulo, quemadmodum & pſalmo 78. Recordatus quòd caro eſſent, id eſt, vidit eſſe mortales & caducos, in quibus nullum eſſet robur. Item, Omnis caro herba. Ieſa. 40. Gen. 6. quòd ſit caro, &c.

Mihi] Scilicet, ſuffulto Dei promiſſionibus.

6 Quotidie verba mea torquent: [*deprauant:*] aduerſus me omnes cogitationes eorum ad malum.

Redit ad ſuprà inſtitutam querelam, in qua magnitudinem periculi ſui exponit, & hoſtium furorem depingit: miſcentur enim

enim in precationibus affectus ſine certo ordine. Itaque videas nunc fidem erumpere, nunc triſtitiam & metum, & varias eſſe affectuum vices.

Prior ſententia variè exponitur ab interpretibus. Quidam דברי legunt in nominatiuo, & ſententiam referunt ad Dauidem. Verba mea mœrore afficiunt: ſcilicet me, vel conturbāt me, id eſt, quidquid ego inſtituo id infeliciter cadit, & omnia mea cōſilia turbātur triſti & infelici exitu. Nōnulli abſolutè, Verba mea ſunt moleſta, id eſt, negotia mea. Plerique tamen de hoſtibus interpretantur: ſed in ſignificatione verbi עצב diſſentiunt. Nonnulli enim ita reddunt: Tota die verba mea, id eſt, cauſam meam moleſtam & magis inuidioſam reddūt, dum ſcilicet Saulem aduerſus me ſuis mendaciis & calumniis incitant, & odium eius magis accendunt. Alij verò ſic interpretantur. Quotidie verba mea detorquent vel calumniis deprauant. Verbum enim עצב in ſecunda coniugatione ſignificat & contriſtare, & arte figurare, formare ſeu elaborare aliquid: prioris ſignificatio eſt in dicto, Ieſa. 63. Ipſi exacerbauerunt & cōtriſtauerunt Spiritum ſanctitatis eius. Vnde Paulus ſumpſit ſuum dictum, Epheſ. 4. Poſterioris in facto. Iob 10. Manus tuæ formarunt me & perfecerunt me. Atque inde nomē עצבים idola, formę, imagines, ſimilitudines. Hanc ſignificationem huic ſententiæ cōgruere exiſtimo. Qui enim aliorum verba calumniantur, illi arte alium fingunt & formant ſermonem quàm ab eo quem calumniantur eſt dictus.

Contra me] Non minùs commodè poteſt referri ad prius membrum quàm ad poſterius. Nec impedit accētus athnach, in quo notando non vbique eadem eſt habita à librariis diligentia.

Omnes cogitationes eorum ad malum] Id eſt, omnes vias & artes excogitant, quibus me euertant: nullum tēpus relinquunt vacuum ab inſidioſis conſiliis.

7 Congregantur occultè, obſeruant [*alij occultant ſe*] ipſi calcanea mea obſeruant, dum expectant [*expetunt*] animam meam.

Congregantur] Id eſt, conſpirant inter ſe, conferunt omnia conſilia & vires ſuas ad me vnum euertendum.

Occultè obſeruant] Id eſt, varias ſtruunt mihi inſidias. Verbū צפן ſignificat abſcondere, recondere, & aliquando ex occulto loco obſeruare, vt pſalmo 10. Oculi eius ad turbam infirmorum obſeruant. Prouerb. 1. Obſeruabimus innocentem. Alij ſimpliciter exponunt, occultant, ſcilicet ſe, callidè & ex inopinato conantur incautum opprimere, quærunt latebras in ſuis fallaciis, vt occultè me circumueniant.

Calcanea obſeruant] Id eſt, inſiſtunt veſtigiis meis, & quocunque me verto inſtant acriter, vt nuſquam me occultare poſſim, quin mox illi ſubſequantur.

Quia expetunt animam meam] Addit cauſam, quam dicit eſſe implacabile odium & cupiditatem tollendi è medio Dauidem.

8 Super iniquitate euaſio ipſis: in ira populos deiice eos Deus.

Id eſt, ipſi quidem ad tempus potenter & ſine obſtaculo graſſantur in ſuis ſceleribus, & quia non mox punitur ipſorum ſcelerata audacia, hæc impunitas reddit eos petulantiores & ferociores, ſed non effugient tandem pœnas. Tu enim Deus ſuo tempore proſternes eos & quidem in ira, id eſt, grauiſſimis pœnis, & triſtiſſimis calamitatibus obrues & euertes eos.

R. Dauid, & qui eum ſequuntur, interrogatiuè legunt: An erit illis euaſio? Lutherus, *vvas ſie thun iſt ſchō vergeben, iſt eitel Ablas.* Septuaginta interpretes & Hieronymus videntur pro און legiſſe אין. Nam ſeptuaginta ita interpretantur, ὑπὲρ τοῦ μηθενὸς σώσεις αὐτούς. Hieronymus in commentariis ita interpretatur: Saluantur pro nihilo, cùm non commutātur ad gloriam, ſed ad pœnam transferuntur. Id ſua verſione ita reddit: Nullus eſt ſaluus in eis, &c. Muſculus vertit: ſpem euadendi collocant in verſutiam. In poſteriore membro accentus Reuia oſtendit ordinem conſtructionis eſſe inuerſum, & in ordinatione membrorum vocem באף poſteriore loco collocandam eſſe, ne quis exiſtimet conſtrui cum ſequenti nomine, vt ſolent ſubſtantiua.

9 Fugam meam numeraſti [*habes in numerato*] pone lacrymas meas in vtre tuo: an non in numero tuo?

Septuaginta vocem נאד reddiderunt ζωλὼ, & in verbo mutarunt numerum. Hieronymus ſecretiora mea legit, ac ſi eſſet סודי.

Rurſus ſubiicit conſolationem, qua vincit illum metum quem ex hoſtium multitudine, inſidiis & hoſtili furore ceperat. Ipſi quidem hoc agūt omnibus viribus, omniáque ſtudia & conatus ſuos impendunt vt me euertant: ſed ſcio me curæ eſſe Deo in his ærumnis & hoc exilio, atq; adeo ſingulos paſſus mei exilij & lacrymas ſingulas numerari ab ipſo & reponi, nec fruſtra eas fundi. Hac igitur fide me ſuſtento. Eſt autem illuſtris deſcriptio prouidentiæ diuinæ in his verbis, quæ digna eſt obſeruatione. Exiſtimant multi indignum eſſe maieſtate diuina, curare homuncionem oberrātem paſſim in mōtibus & agris, & quærentem latebras, quemadmodum ille inquit, *Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui*: ſed affirmat Dauid, adeo id non indignum iudicare Deum ſua maieſtate, vt etiam ſingulos greſſus numeret, & lacrymas in vtrem colligat. Hæc eſt inſignis conſolatio, & congruit cum hoc dicto Chriſti, Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt, Matth. 10.

Vtre] Solebant orientales in vtribus ſeruare vinum & oleū. Ideo hac metaphora vtitur.

Pone in vtre] Id eſt, ne patiaris in terram excidere, ſed fideli cuſtodia, tanquam pretioſas, conſerua, atque harum conſpectu flectaris ad opem ferendam. Lacrymæ ſunt ſigna doloris, infirmitatis, atque etiam interdum impatientiæ, & tamen Deus eas non aſpernatur.

An non] Iam quaſi voti factus compos, affirmat id fieri quod petiuerat, quia certò ſtatuit res hominum eſſe curæ Deo, atque hac fiducia audet ad Deum accedere. Qui verò ſtatuunt Deum non curare res humanas, non inuocant, nec expectant ab eo auxilium.

In commentario tuo] Id eſt, ſunt in memoria perpetua & nūquam delentur. A more hominum ſumptus eſt ſermo, quia quæ meminiſſe volunt, annotāt. Si igitur ratum honorem defert lacrymis, quantò magis ſanguini qui pro Chriſti nomine & gloria effunditur?

10 Tunc vertentur inimici mei retrorſum, quo die clamauero: hoc noui quòd Deus mecum.

Confirmatus promiſſione præſentiæ & auxilij diuini, quaſi certum tempus deſignat quo inimici ſint euertendi. Inquit enim:

In die quo ego clamo] Non quidem mox ad preces eius trucidabantur hoſtes, eo momento quo precabatur, ſed quia certò ſtatuebat ſuas preces certò eſſe exauditas, ſéque voti ſui compotem factum, ideo ſic loquitur, quaſi eo ipſo momento hoſtes ſint euertendi. Deus enim non fruſtratur ſuorum preces. Ideo quandocunque id oſtendit re vel facto, dicere poſſumus, id factum eſſe eo tempore quando ad Deum clamauimus.

11 In Deo laudabo verbum: in Iehoua laudabo verbum.

12 In Deo confido: non timebo quid faciat homo mihi.

Hi duo verſus antea ſunt expoſiti. Continent autem conſolationem, quam opponit tentationi de mora.

13 Super me Deus vota tua ſoluam: laudes tibi.

Addit gratiarum actionem, vt vſitatum eſt Dauidi, vel quia inter precandum ſentit certam conſolationem in qua cor acquieſcit, vt certam ſibi ſalutem polliceatur (nunquam enim ſeriæ & ardentes precationes ſine tali fructu abeunt) vel etiam, quia pſalmus poſt acceptum beneficium à Dauide eſt compoſitus, ſicut ſupra in argumento pſalmi 54. & alibi dictum eſt.

Cæterùm de gratitudine quam Deo debemus, & de cauſis quæ nos impellere debent ad gratiarum actionem, alibi dicitur copioſius. Nos verba & phraſes conſideremus.

Super me Deus vota tua] Scilicet ſunt. Lutherus, *Ich hab dir gelobt*, id eſt, cùm tāta abs te beneficia acceperim, & tua ſolius ope ex his periculis euaſerim, intelligo me tibi gratitudinem debere, méque tibi meis votis obſtrictum eſſe, vt tua beneficia paſſim apud omnes prædicem & tuas laudes annuntiem.

Eſſe ſuper aliquem vota] Phraſis eſt linguæ Hebrææ, aliena nonnihil à Latinis auribus. Itaque explicanda eſt. Valet autem idē ferè quod Latinis, damnari votorum vel votis. Nam cùm Deus beneficia aliqua hominibus præſtat, his ſibi obnoxios eos facit ad vota ſoluenda, quæ antequam ſoluantur, obligatos & quaſi damnatos homines retinet, vel, vt Hebręus loquitur, Super aliquem ſunt aut manent vota. Solent enim ſancti in neceſſitatibus ſæpe nuncupare vota Deo: id cùm faciunt, Latinis dicuntur damnati votorum. Et quanquam non ſemper expreſſè id faciunt, tamen ſemper obligantur vel damnantur illius voti gratiarum actionis, cuius hîc fit mentio. Exempla autem illarum locutionum reperient ſtudioſi apud Virgilium & Liuium. Verg. 5. Eclog. *Tibi vota quotannis Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis*, id eſt, tenebis eos obſtrictos ad perſoluenda vota. Et Liuius libro 7. ab vrbe condita de L. Furio ducente exercitum aduerſus Auruncos, inter ipſam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouit, cuius damnatus voti cùm victor Romam reuertiſſet, dictatu-

ra ſe abdicauit. Ex his exemplis intelligi poteſt hæc phraſis Hebræa. Super me ſunt vota tua,id eſt, ego ſum tibi obſtrictus votis. Qualia autẽ ſint illa vota, ipſe mox explicat cùm inquit,perſoluam laudes tibi, id eſt, ego gratias tibi agam & prædicabo beneficia tua, addam etiam ſacrificia, quæ ſint teſtimonia & ſymbola animi grati.(Nam publicæ gratiarum actiones nunquam peragebantur ſine ſacrificiis in illo populo) vt ſic vota,quibus teneor obſtrictus,perſoluam. Non de aliis igitur quàm de gratiarum actionis votis loquitur hoc loco propheta, ſicut & pſalmo 61. Idque obſeruandum eſt contra Papiſtas,qui cùm nomen votorum audiunt, exiſtimãt quælibet vota probari. Nomen נדריך accipitur paſſiuè *vota tua*,id eſt quibus tibi teneor obſtrictus. non actiuè,quæ tu feciſti. Non enim Deus ſe nobis obſtringit talibus votis, ſed nos Deo ſumus obſtricti, itaque vt debitor pecuniam quam in manu aut loculo habet, dicit eſſe creditoris, quia eſt in ipſius ære: ita vota noſtra dicuntur Dei vota,quia Deo obſtricti ſumus votis.

14 Quia liberaſti animam meam à morte, nec non pedes meos ab impulſione[*præcipitio*]vt ambulem coram Deo in luce viuorum.

Addit rationem: quia tu eripuiſti me ex his periculis, in quibus nihil niſi mors mihi ante oculos verſabatur: actum enim fuiſſet de mea ſalute, niſi maturè tu ſuccurriſſes, atque opem tuliſſes. Anima hîc accipitur pro vita, vt aliàs ſæpe.

A morte] Hac voce magnitudinem periculi in quo fuerat oſtendit, vt magnitudinem beneficij diuini è regione amplificet. Non enim dicit ſe à fraude, malitia, inſidiis, impetu aut gladiis hoſtium eſſe ſeruatum, ſed ab ipſa morte, ſignificans ſe in ipſo mortis diſcrimine fuiſſe. Eò vſque ſinit ſuos demergi Deus in calamitates,vt glorioſior ſit liberatio.

דחי non ſignificat ſimpliciter lapſum, vt plerique reddiderunt,ſed violentum impulſum,quo fuiſſet euerſus ſubitò, niſi Deus ſuppoſita manu ſua eum retinuiſſet & ſeruaſſet.

Vt ambulem] Addit cauſam finalem liberationis; ideo me eripuiſti,vt ambulem in luce viuentium,id eſt,vt fruar adhuc hac luce vitali, & ſim ſuperſtes aliquandiu. Id enim eſt Hebræis lux viuentium, qua ſcilicet viuentes fruuntur & gaudent.Sed non id tantùm: neque enim ſatis eſt piis ita liberari à morte vt vitalem auram haurire adhuc aliquandiu & frui rebus humanis poſſint: ſed addit, *coram Deo*, id eſt, ita vt totam vitam meam referam ad Deum, & exhibeam me exemplum ad obſequendum, credam me gubernari & ſeruari diuinitus:item eſſe in gratia & fauore Dei. Ita diſcrimen facit inter pios & impios. Impij enim erepti ex aliquo periculo tantùm abeſt vt coram Deo ambulent, vt magis etiam ſe in voluptates immergant & in quæuis ſcelera audacter præcipitent.

PSALMI LVI.

PARTES.

I. Precatio pro gratia & ſalute à calamitatibus conſequenda: cuius partes duæ, poſtulatum & cauſa, v. 2. & 3. cui ſubiicitur laudatio à conſtantia fideli, v. 4. & fiducia in Dei promiſſionem, v. 5.

II. Deſcriptio improbitatis aduerſariorum, v. 6. & 7. aduerſus quos imprecationem edit v. 8. deinde ſubiicit confirmationem à fiducia ſupplicis in Dei beneuolentiam, v. 9. & 10.

III. Concluſio ætiologica ſuperiorum, v. 13. qua oſtendit Pſaltes ſe hæc officia præſtiturum meritò: quia pij è manu inimicorum ſuorum liberantur, vt ſine metu ſanctè & iuſtè Deo ſeruiant. Confirmatio concluſionis additur, v. 14.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Piorum in extremum vitæ diſcrimen conſtitutorum eſt, compoſita mente conſtanter inuocare Deum,vt fides ſub infirmitate latens virtutem ſuam coram Deo exerat.

Quo minus apparet fidelium magnanimitas apud homines, eo magis ſtrenuè cum cæcis timoribus intus luctari debet eorum fides.

2.3 In eccleſiam ab aduerſariis externis capitaliter exoſam non minùs atrociter ſæuiunt domeſtici hoſtes:ad eámque vorandam totus mundus inhiat: ſed bonũ & potentem habet dominum, ad quẽ tutò confugere poteſt.

4 Hoc verũ eſt fidei noſtræ examen, vbi nos pro ſenſu carnis timores ſollicitant,non tamen animos noſtros è gradu deijciunt. Nec enim tranquillo animi ſtatu ſpes exercetur,imò quaſi ſopita eſt: ſed vim ſuam tunc demũ exerit vbi animum curis deiectum erigit, ægritudine turbatum ſedat,formidine perculſum ſuſtinet ac fulcit.

5 Etſi ægrè in ſpe initio conſiſtunt Dei ſerui,imò non ſine arduo certamine timoribus oppreſſi in ſpem aſſurgunt: nitendo tamen vires colligunt ad emergendum, donec maiore fiducia, tanquam ſtrenui athletæ,ad inſultus repellendos progreſſum faciant.

Multum profecit qui inter tentationes vnico Dei verbo fretus, viriliter pergit in eius laude.

Hoc certaminis genere præcipuè ſe exercere debent pij omnes, vt Dei auxilium noxis omnibus præferendo, quicquid terroris eſt deſpiciant.

Nihil magis indignũ quàm in æquilibrio, vt aiũt,furioſos hominũ(qui nihil aliud ſunt quàm vmbræ ſomnium,miſeria & infirmitas ipſa,id eſt caro)conatus cum inuicta Dei virtute relinquere.

6.7 Quanuis hoſtes ſuos ex fidei ſpecula pij deſpiciant, non ſunt tamen extra anxietatem & metum, imò varijs tentationibus premuntur,quas fidei conſtantia vincit,non tollit.

Dum eccleſia Dei ſub pondere ſuarum infirmitatum fatiſcit,hoſtes non ceſſant capita conferre, & cudere dolos in eius perniciem,acriter etiam inſtare,vt nulla ſit relaxatio. quia ſatiari aliter quàm eius morte nequeunt.

8 Quanuis impunitatẽ impij ſibi promittant, & ſpes opeſq́ſuas collocent in maleficijs,omnibus incõmodis ſibi paratum eſſe remediũ putãtes,tamen vbi vindictæ maturum tempus aduenerit,Deus eos proſternet, cuius propriũ munus eſt non vnum hominem duntaxat vel paucos,nec populum modò vuum, ſed totum mundum deijcere.

9 Quum perſuaſi ſint fideles, quicquid patiuntur moleſtiarum venire in rationem corã Deo,in hanc precandi fiduciam emergunt, vt Deus in vtre recondat eorum lacrymas, quarũ conſpectu ad auxilium ferendum tandem flectatur.

10 Fideles vt poſtulata impetrent, non fortuitò vel dubitanter ſe orare dicunt, ſed certò perſuaſi ſunt quòd Deus propitius eos exaudiet: & hac fide concepta ſpernere non dubitant quicquid Satan & impij moliuntur.

11 Etſi Deus nobis multiplicem gloriandi materiam ſubinde in ſuis beneficijs ſuppeditat, vix tamen vnquam tres paſſus conficere licebit,niſi didicerimus in ſolum verbum eius recumbere.

12 Quicquid intentent homines, quibuſcunque polleant conſilijs aut viribus,quocunque apparatu ſint inſtructi,ſi eos conferimus cum Deo, non eſt cur terreamur:quia euaneſcet quicquid alioqui in illis terribile eſt.

13 In mediis afflictionibus ea ſemper fiducia fideles animatos eſſe conuenit, vt parati & accincti ſint ad gratias Deo agendas. Et vbi polliciti ſumus nos fore gratos,Deus autem precibus noſtris annuit,contrahitur obligatio,à cuius perſolutione(quæ in nominis diuini celebratione conſiſtit)recedere nobis non licet.

14 Vbi nos eripuit Deus ex aliquo diſcrimine, noſtrum eſt meminiſſe quantum & quàm formidabile fuerit, vt Deum laudemus:ne gratiæ eius memoria ſimul cum metu noſtro euaneſcat.

Fideles ambulare dicuntur corã Deo, quòd illis propoſitũ ſit vitã ſuã referre ad Deum:profani autem,velut fugitiui, licentioſè oberrant,non quòd fugiant Dei oculos,ſed quia tergum ei obuertunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De piorum ærumnis ferè obrutorum officio.
2. De militia Eccleſiæ intus & foris afflictæ.
3. De variis pauoribus & animi conſternationibus.
4. Verbum Dei & fides piorum,victoriæ ſpes.
5. Hominum imbecillitas Dei auxilio longè poſtponenda.
6. Fidei & diffidentiæ lucta in nobis perpetua.
7. Hoſtes Eccleſiæ graphicè depicti.
8. Orationes & lachrymæ piorum, lapides in impiorum capita.
9. Fidei verbo Dei innitentis efficacia multiplex.
10. De ſacrificiis euchariſticis.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI LVII.

SVNT in hanc libri partem coniuncti aliquot Pſalmi, quorum vnum fere & idem eſt argumentum, eadémque ſcribendi occaſio. Sunt enim ſcripti eo tempore à Dauide, quando eiectus à Saule in ſummo vitæ diſcrimine verſabatur, nec locum vllum, quò tutò confugeret, aut vbi quieſceret, reperiebat. Ita enim quinquageſimus ſecundus Pſalmus ſcriptus eſt, cùm interfecto & ſublato toto collegio ſacerdotum in oppido Nobe, Saul implacabili odio aduerſus Dauidem exarſiſſet, omnéſque regni ſui vires & conatus in ipſius perniciem contraxiſſet. Quinquageſimus quartus paulo pòſt ſcriptus eſt, cùm proditus eſſet Sauli à Ziphæis, & iam concluſus teneretur ab exercitu hoſtili, vt ſuprà dictum eſt. Quinquageſimo quinto ſcribendo occaſionem præbuit ſcelerata perfidia ciuium vrbis Keilah, apud quos in ſummum venerat periculum, vt Sauli proderetur, niſi maturè diuinitus admonitus, fuga ſibi conſuluiſſet. Quinquageſimus ſextus apud Palæſtinos ſcriptus eſt, cùm profugus ex patria apud regem Gath exularet, & ab aulicis regem concitari in ſe tanquam in hoſtem & exploratorem intelligeret. Hic verò Pſalmus illud periculum exponit, in quod coniectus erat Dauid, cùm ſe abdidiſſet in deſertum Engeddi, atque ibi latebras quæreret inter rupes & ſaxa abrupta, vt ſcribitur 1.Reg.24. Neque enim tunc quoque latere diu potuit. Nam proditus Sauli cùm ab illo & exercitu ipſius quæreretur, ne ſe mox interficiendum Sauli obijceret, abdidit ſe Dauid in ſpeluncam, cuius mentio hîc fit in titulo. Cùm autem locum in quo latebat cinctum eſſe ab exercitu Saulis videret, nec iam vllum effugium pateret: quod antea ſemper in ſimilibus periculis fecerat, nunc quoque ad Deum confugit, eiúſque opem & auxilium implorat: vtque facilius quod volebat impetret, triſtes querelas miſcet, in quibus magnitudinem periculi ſui, & animi anxietatem exponit, petens vt ſuam potentiam & gloriam in hoc præſenti periculo Deus oſtendat, ídque obtinuit. Nam hoſtis Saul, cùm exonerandi ventris cauſa ſpeluncam ingreſſus eſſet, in poteſtatem eius quem perſequebatur venit, vt ſi iure ſuo atque occaſione oblata vti voluiſſet Dauid, tollere hoſtem atque interficere potuerit. Hîc verò inſigne exemplum tolerantiæ & moderationis in Dauide conſpicitur. Quanquam enim hoſtem à quo iniuſtiſſimè vitam ſuam expeti ſciebat, in ſua poteſtate haberet, & iam defungi periculis, ſi vellet, poſſet: tamen ſeſe reprimit, & Saulem ſaluum & incolumem abire patitur. Iudicauit enim rem peſſimi exempli fore in populo Dei, ſi per cædem regis & ſoceri ſui regnum occuparet, & alioquin ſuam innocentiam conſpici ab omnibus volebat, quã nullo facto melius oſtendere poterat. Itaque hoſte dimiſſo & ſeſe & cauſam ſuam Deo commendat, atque ab eo defendi & ſeruari ſe petit. Idque conſequitur. Non enim periculum tantùm tunc euadit, ſed & ab hoſte laudem iuſtitiæ, clementiæ, manſuetudinis & bonitatis reportat, vt notum eſt ex hiſtoria. Quare & gratiarum actionem pro liberatione in fine huius Pſalmi attexit, in qua & iuſtitiam Dei celebrat, qui iniuſtos hoſtium conatus reddiderit irritos, atque adeo in ipſorum capita conuerterit, ſéque perpetuò memorem tantorum beneficiorum fore affirmat. Hæc ſumma eſt Pſalmi.

Tota autem hæc hiſtoria multa habet inſignia exempla & documenta, quæ diligenter conſiderare, & ad vſum in vita transferre ſinguli debent. Primùm enim vita piorum in exemplo Dauidis qualis ea ſit deſcribitur. Exiſtimant plerique cùm ex legis ſententia iuſtis debeat bene eſſe, populum Dei vocari ad delicias & voluptates. Itaque illos quos vident præditos honore & dignitate, aut florere potentia & opibus, iudicant charos eſſe Deo, & cenſeri inter populum Dei, hóſque magnificant & colunt: reliquam multitudinem, vt exoſam Deo, abominantur. His cogitationibus multi decipiuntur, vt, niſi id quod cupiunt, aſſequantur, à Deo deficiant, id quod exempla omnium ætatum oſtendunt. Sed ſicut Dauid, qui fuit inter præcipua membra & lumina eccleſiæ, vagatur per multos annos exul & miſer, & ex vno periculo in aliud conijcitur: ita omnes pij in hac vita varijs expoſiti ſunt periculis, & multis ærumnis ac miſerijs obnoxij. Ea enim eſt conditio eccleſiæ in hac vita, vt ſit ſubiecta cruci. Sed ſicut Dauid mirabiliter defenditur in ſuis periculis: ita ſciamus Deum adeſſe perpetuò ſuæ eccleſiæ, eam regere, gubernare, defendere ſub vmbra alarum ſuarum: & ſicut Dauid deſtitutus omnibus humanis præſidijs non confugit ad illicita remedia, quibus ſuis malis medeatur: ſed ad vnicum Deum reſpicit, & certa fiducia ab ipſo opem implorat & expectat: ita nobis quoque vnicum illud ſalutis refugium propoſitum eſſe ſciamus, ne deterreamur vel indignitate noſtra, vel aliis cogitationibus, quominus ad eum accedamus. Nam vt Dauidem ſeruauit, ita nos quoque ſeruamur. Poſtremò de moderatione Dauidis cogitemus, ídque exemplum nobis imitandum proponamus.

AD triumphandum, ne fiat corruptio, Dauidis aureolum: cùm fugeret à facie Saulis [*vel propter Saulem*] in ſpeluncam.

אל תשחת] Titulus argumentum & occaſionem ſcribendi argumenti oſtendit. Itaque ſi hiſtoria ſit nota, argumentum non erit obſcurum. Sed hæc tituli verba varie exponuntur. Alij enim volunt alterius cuiuſdam pſalmi ſeu cantilenæ initium eſſe, ad cuius melodiam hic pſalmus ſit decantandus, vel eſſe certæ modulationis ſeu toni ſpeciem. Plerique ex Hebræis de eo intelligunt quod Dauid ad Abiſai dicebat, Ne perdas eum: cùm ille vellet dormientem Saulem perfodere, vt ſcribitur 1. Reg. 26. & ſuprà in argumento pſalmi 54. dictum eſt. Volunt igitur hanc vocem Dauidis tanquam inſignem & dignam quæ memoriæ mandetur, præfigi pſalmo. Alij Græcum interpretem ſecuti, ſimpliciter verba, vt ſonant, exponunt, & argumentum pſalmi his indicari volunt, quòd ſcilicet exitium ſeu periculum, quod imminebat à Saule, deprecetur: μὴ διαφθείρῃς, Ne perdas, ſcilicet me, vel abſolutè, Ne fiat perditio, ſeu, ne ſinas me perire, vt hæc verba ei ſubito metu etiam ante conceptas preces ſint extorta. Sed quia hæc verba etiam aliis pſalmis, qui non ſunt eiuſdem argumenti, præfiguntur, vt pſalmo ſequenti, & pſalmo ſeptuageſimo quinto, exiſtimo initium fuiſſe tritæ alicuius & notæ cantilenæ, ad cuius numeros hic pſalmus fuerit decantandus, ſicut & aliæ multæ voces in titulis pſalmorum. Sed tamen vt in re dubia nihil affirmo, & ſine periculo, quod volet amplecti lector poteſt.

Eadem obſcuritas eſt in voce מכתם, quam ipſam quoque nonnulli, vt Rabi Dauid & alij exiſtimant eſſe nomen inſtrumenti muſici pulchrè & eleganter exculpti, quo decantatus ſit hic pſalmus. Nam כתם interpretantur ſignare aut ſculpere. Lyra exiſtimat nomen eſſe cantilenæ decentioris & ſuauioris, vt quaſi initium ſit cantilenæ celebris. Burgenſis affirmat ſignificare aureum ornamentum, quod ex puriſſimo auro factum eſt: vt מכתם in titulis pſalmorum ſignificet pulcherrimum quoddam & dulciſſimum carmen, quod tanquam κειμήλιον aliquod magnifaciendum & diligenter aſſeruandum ſit. ſed hac de re dictum eſt pſalmo 16. Ideo non ſum nunc prolixior.

2 Miſerere mei, Deus, miſerere mei, quia in te confidit anima mea, & ſub vmbra alarum tuarum protectionem quæro, donec tranſeat calamitas, [*id eſt, multitudo calamitatum ſeu damnorum atque ærumnarum.*]

Orditur pſalmum à precatione, quæ eſt propoſitio: petit enim ſe in præſentibus periculis & ærumnis ſeruari diuinitus, nec obiici furori hoſtium, qui nihil niſi necem eius ſpirabant. Cùm hoſtes tanto odio aduerſus me ardeant, vt nulla re placari poſſint, & iamiam ceruici meę gladios intentent, foris verò nihil opis & auxilij appareat, atq; adeo ab omnibus creaturis ſim deſertus, ego, inquit, ad te reſpicio, à te opem & auxilium imploro: itaque miſerere mei, vide afflictionem meam, ſuccurre mihi & fer opem.

Quoniam in te confidit] Propoſitioni ſubiicit rationem, quæ quantum valeat in precibus piorum, dictum eſt antea ſæpe. Apud homines ſi in precibus adhibeatur hæc ratio, des mihi hoc, quia id à te expecto, vel quia bene de te ſpero, non multùm mouet animos. Non enim exiſtimamus ita nos alteri eſſe obligatos, vt ipſius cupiditati ſemper obſequi, aut quicquid ille velle videtur, præſtare debeamus. Itaque talia argumenta facilè contemnimus & repudiamus. Apud Deū verò multùm hæc ratio valet, ſi precatio ſit ardens & nō hypocritica. idque ideo, quia promiſit ſe exauditurum preces, & facturum volūtatem timentium ſe, pſal.145. Cùm autem verax ſit Deus, pij allegant promiſſionem factam, qua & Deum ſuæ promiſſionis commonefaciunt, & ſimul ſuam fiduciam oſtendunt, quæ promiſſione nititur. Ea enim ſi abſit, nihil impetramus. Itaque plus valet hæc ratio quàm ſi dixiſſet, quia iniuriā patior, magis enim illa vrget Deum.

Eſt autē emphaſis in vocabulo נפשי, quæ robur fidei exponit. Non enim ſimpliciter dicit, Ego ſpero ſeu protectionem quæro, (Id enim propriè verbum חסה ſignificat) ſed anima mea protectionis cauſa ad te confugit. Significat enim ſe intimo cordis affectu & plena fiducia, atque adeo omni deſiderio ad eum ferri, in quo ſtatuat ſibi paratum eſſe tutum aſylum. Videt enim in rebus humanis nullum eſſe præſidium, aut locum, quò ſe recipere, aut vnde expectare aliquid opis queat. Ideo dicit, animam ſuam ad ſolum Deum reſpicere, atque inde ſalutem expectare. Sunt igitur voces ardētis fidei, quæ nos commonefacere debent, vt diſcamus quomodo accedendum ſit ad Deum, & quomodo auxilium impetretur, videlicet, ſi oculos ab omnibus rebus externis amoueamus, & vera fide ad Deum ſolum reſpiciamus.

Et in vmbra] Repetit eandem ſententiam, ſed exornatam dulciſſima metaphora ſeu imagine. Nam cuſtodiam diuinam comparat vmbræ alarum, ſeu gallinæ abſcondenti & tegenti pullos ſuos ſub alis. Sicut igitur gallina alas ſuas expandit, & ſub his pullos ſuos fouet & defendit ab iniuria tempeſtatum, ne lædantur frigore aut ventis, vel prædæ ſint miluis aut aliis auibus rapacibus: & ſuo calore mirabiliter eos recreat, & reficit: ita Deus ad ſe confugientes operit ſuis alis, recipit eos in ſuam tutelam, ſeruat, defendit, calorem viuificum inſpirat & impertit, vt confirmentur vires, & conſiſtere aduerſus tempeſtatum fluctus ſeu procellas poſſint. Id ſignificatum eſt hac imagine, qua blandiſſimè & familiariſſimè nos ad ſe inuitat Deus: & ſimul reſpicit ad propitiatorium, quod tegebatur alis Cherubim. Sed de hac imagine alibi quoque dictum eſt, pſalm.17.

3 Clamabo ad Deum excelſum [*Hanc vocem opponit magnitudini periculi, quam ratio oſtendebat*] ad Deum, qui perficit pro me.

In omni ſeria & ardenti inuocatione ratio nobis obſtrepit, & multa obiicit quæ fidem labefactant: nunc magnitudinem peccatorum & indignitatem noſtram, nunc periculorum varietatem & multitudinem hoſtium, nunc Dei maieſtatem & excellentiam, nunc alia: & habent ſinguli ſua quædam vulnera & næuos, quibus arcentur à Deo, aut retinentur, quominus audacter accedant ad Deum. Idque Dauid etiam expertus eſt in ſuis precibus. Has igitur remoras, quaſi cum indignatione quadam repellens, inquit, Ego clamabo: quaſi dicat, non patiar mihi his terriculamentis conceptam fiduciam excuti. Imò quo magis mihi ratio obſtrepit, eo magis clamabo. Addit autem, *Qui perficit pro me*, vt oſtendat ſe niti promiſſione, atque huius fiducia ſe ita animatum reddi, vt auſit ad Deum accedere.

Qui perficit pro me] Hoc eſt, qui cōplet hoc quod eſt pollicitus, & ad finem vſque perducit opus quod incepit, etiamſi ego ſim prorſus otioſus aut etiam indignus, & nihil habeam virium, quod poſſim opponere. Promiſit autem regnum. Itaque haud dubiè quod promiſit præſtabit, & hoſtium conatus eludet. Græcus habet, qui benefecit mihi, τὸν εὐεργετήσαντά με: ſed alterum plenius eſt. Alij ſic exponunt: qui conſumit, quod contra me eſt. Eſt enim גמר verbum μέσον, & in genere perficere, abſoluere, ſiue de bono, ſiue de malo intelligas. Quando autem res abſoluta & conſummata eſt, deponitur de manibus, & tantùm non abiicitur. Ideo tunc abſolutè redditur conſumi, deficere, ceſſare, finiri. Pſalmo duodecimo, Serua Iehoua, quia conſumptus eſt pius. Ideóque nonnulli reddiderunt: Qui deficit erga me, id eſt, qui nunc me deſtituit & deſerit ad tempus. alij reddunt, qui rependit mihi, quaſi ſit גמל.

4 Mittet è cælo, & ſeruabit me [*ab*] opprobrio abſorbentis me, Selah: mittet Deus clemētiam ſuam & veritatem ſuam.

Continuat promiſſionem de qua verſu præcedente cœperat dicere. Nam rationi obſtrepenti (vt dixi) opponit ſuam fiduciam in Deum, quam vt erigat & confirmet, intuetur verbum promiſſionis: idque dum facit, ita ſentit ſe confirmari, vt iam certiſſimò etiam in ipſa morte polliceatur ſibi auxiliū & ſalutem. Inquit igitur, *Mittet de cælo*, id eſt, quanquam in hoc mundo nuſquam conſpiciatur aliquod auxilium aut defenſio, & videar deſertus ab omnibus creaturis (id enim inter cætera ratio ei ſuggeſſerat, vt fidem ei excuteret) tamen Deus ſeruabit me, & quidem admirabili modo, & lōgè aliter quàm ratio cogitat. Hoc enim eſt de cęlo mitti auxilium, nempe admirabili modo, qui omnem rationem ſuperet, vt cùm euenerit, omnes fateri neceſſe ſit, hoc ſolius Dei opus eſſe. Cælum enim opponit mediis terrenis & naturalibus, ad quæ homines ferè tantùm reſpiciunt, ſed falluntur. Ita autem Deus agit cum ſanctis, vt deſerat eos aliquandiu, & ſubtrahat auxilium & omnes res externas: tandem verò glorioſè eos liberat, vt omnes videant & intelligant nullis humanis viribus aut ſapientia hæc eſſe geſta, & tunc dicitur è cælo mittere, poſtquam ſcilicet omnia terrena ſunt è conſpectu ſublata. Alij exponunt, mittet, ſcilicet angelum vel auxilium: ſed altera ſententia eſt plenior.

חרף plerique ſubaudiunt præpoſitionem מן, eſtque ſententia ſatis plana, ſi ita legas (*ab opprobrio.*) Intelligit autem opprobrium omnis generis iniurias, quibus Saul & ipſius ſatellites Dauidem afficiebant, & inprimis illas calumnias quibus eum odioſum reddere apud populum conabantur, cum dicerent eum eſſe ſeditioſum, qui per ſanguinem & cædem conaretur rapere regnum, ideóque dignum eſſe iudicabant, ad quem interficiendum omnes concurrerent: præterea probra illa & ſarcaſmos, cùm dicerent eum eſſe abiectum & deſertum à Deo, & fruſtra eum expectare opem à Deo, quem ſuis ſceleratis conſiliis & conatibus à ſe alienaſſet: imò iam teneri conſtrictum & iamiam deuoratum iri. Ab his opprobriis, quæ fidem labefactabant, & ſæpe ad deſperationem impellebant, petit ſe liberari. Nonnulli tamen malunt ſic exponere, ſeruabit me in opprobrium abſorbentis, id eſt, vt hoſtis ipſe tandem confundatur, & agnoſcat ſe ſcelerate feciſſe, qui me tanto odio abſque mea culpa ſit proſecutus. Id quod factum eſſe hiſtoria teſtatur. Nā cùm cognoſceret Saul ſe fuiſſe in poteſtate Dauidis, tribuit ei laudem iuſtitiæ, & ſeipſum cōdemnat. D. Forſterus & Vatablus verbaliter exponunt, probro afficit vel afficiet abſorbentē me: ſed exiſtimant alij חרף formam eſſe nominis maſc. vnde fœmininum חרפה, quod magis vſitatum eſt, deſcendit.

Mittet Deus clementiam] Repetit eandem ſententiam, ſed eam pleniùs exponit, mittet clementiam & veritatem, id eſt, ipſe faciet vt bonitas eius erga me & veritas in ſeruandis promiſſis paſſim ab omnibus conſpiciatur, & ſi vſpiam declarauit bonitatem & fidem ſuam erga quempiam ex ſuis cultoribus, certè in hac re oſtendet. Nunc quidem iudicatur eſſe à me alienus, méque abieciſſe à ſuo conſpectu, tanquam indignum cuius curam agat: ſed paulo pòſt apparebit quàm fuerit bonus & miſericors erga me, & quàm verax in iis quæ promiſit, ſeruandis. Hæc ſunt voces ardentis fidei, quibus ſe in tētationibus erigit.

5 Anima mea in medio leonum, iaceo inter ardentes [*nempe*] filios hominum: dentes eorum lancea & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Petitioni addit querelam, in qua primùm magnitudinem periculi ſui, & animi dolores, deinde hoſtium ſuorum ſæuitiam, poſtremò virulentas ipſorum calumnias, quibus iniuſtè grauabatur, & in odium apud hoſtem adducebatur, exponit, vt eò magis Deum ad opem ferendam moueat & excitet. Eſtque hæc ſecunda ratio addita propoſitioni, à neceſſitate ſumpta, ſicut prior ab honeſtate. Miſerere mei, inquit, quia maximis periculis ſum circumdatus, & virulentiſſimis calumniis iniuſtiſſimè ſum deformatus. Hæc eſt ſumma huius verſus. Eſt autem imago eccleſiæ in hoc verſu propoſita, quæ diligenter aſpicienda eſt. Nam Dauid typus eſt eccleſiæ omnium temporum. Primùm inquit, ſe iacere inter medios leones, hoc eſt, hoſtes crudeliſſimos & ſæuiſſimos, qui magnis viribus & potentia ſint inſtructi, & qui ſint ardentes, hoc eſt, ingenti furore & implacabili odio ipſum perſequantur, ſe

verò

ſe verò iacere, hoc eſt, in terram proſtratum, nudatum & deſtitutum eſſe omnibus præſidiis, nihil foris cernere opis & auxilij: & tamen interea iacere & quieſcere, hoc eſt, non circunſpicere ad humana præſidia vel auxilia, nec quærere illicita remedia, &c. ſed in vnius Dei erga ſe beneuolentia & amore acquieſcere, atque ab eo ſolo opem & defenſionem expectare. Talis eſt eccleſia in hac vita, ſicut & in hiſtoria Danielis pingitur.

Additur deinde & querela de calumniis, quibus eccleſia in hac vita iniuſtiſſimè grauatur, & paſſim traducitur, dum pij accuſantur, tanquam blaſphemi, hæretici, ſchiſmatici & autores ſeditionum & tumultuum, qui orbem terrarum bellis & cædibus inuoluunt. Has calumnias comparat lanceis, ſagittis, & gladiis acutis, quia ſubitò penetrant animos hominum, in primis regum & principum, & eorum qui aliis iudicantur eſſe ſapientiores: quorum animi ſauciati deinde ingẽs aduerſus eccleſiam odium concipiunt: quod hoc loco comparat flammæ ardenti. Oritur enim mox perſecutio grauiſſima aduerſus pios & bonos.

Inter ardentes] Scilicet furore & odio prorſus implacabili. Alij actiuè exponunt inflammantes, ſcilicet, odium regis & procerum regni aduerſus me, cùm dicunt me inſidiari regis vitæ & regno, méque mouere ſeditiones contra regem, turbare conſenſum in religione & republica.

Filios hominum] Hoc appoſitiuè additur. Filios autem hominum nominat ſatellites regis, qui, vt omnia in gratiam ſui regis facerent, varia excogitabant, quibus Dauidem in odium adducerent. Ideo autem nominat filios hominum, quia carebant timore Dei, non metuebant eius iudicium, nulla erant pietate præditi, nihil ſpectabant niſi humana in ſuis actionibus, hoc eſt, quærebant nõ cæleſtia ſed terrena, nimirum gratiam potentum, fauorem & applauſum multitudinis, opes, honores, dignitates, & alia, quibus quærendis occupari ſolent filij hominum.

6 Exaltare ſuper cælos, Deus: ſuper omnem terram gloria tua.

Repetitio eſt propoſitionis ſeu precationis, à qua exorſus eſt pſalmum, & addit cauſam finalem. Petit enim vt, cùm tanta ſit hoſtium potentia & rabies, & totus populus in ipſius necem conſpirauerit, ipſe verò prorſus ſit inermis & omnibus præſidiis humanis deſtitutus, Deus tandem ſuam potentiam in compeſcendo hoſtium faſtu & furore oſtendat, atque ita non tantùm Dauidis ſaluti, ſed ſuæ imprimis gloriæ conſulat. Nam impij dum pios oppugnant, non tantùm miſeris hominibus, ſed ipſi Deo inſultant, cuius cauſam illi defendunt. Ille verò cùm gloriam ſuam profanari, aut nomen ſuum ludibriis proſtitui nolit, cogitur tandem ſe ſupra cælos & terram exaltare ſua gloria, hoc eſt, oſtendere ſuam potentiam maiorem eſſe omnium hominum viribus, nec pati ſe velle vt perpetuò ſuum nomen in oppreſſione piorum contumelia afficiatur. Sicut inquit apud Ieſai. cap. 48. Propter me propter me faciam ne blaſphemer. Hoc igitur nunc petit Propheta. *Exaltare*, id eſt, oſtende tuam potentiam & aſſere gloriam tuam, noli ferre vt impij perpetuò tibi inſultent & conuitientur, idque ſi feceris, homines deinde te extollent ſupra cælos, id eſt, agnoſceris ab omnibus potens auxiliator, & ab omnibus laudaberis. Nam Deus alioqui eſt excelſus & omnia habet in ſua poteſtate, verùm id non agnoſcitur ab omnibus.

Gloria] Eſt ablatiuus hoc loco, ſi tamen ſit nominatiuus, neceſſe eſt ſubaudiri verbum, extendatur, aut ſimile aliquid.

7 Rete parauerunt greſſibus meis, incuruata eſt anima mea [*vel actiuè incuruauit, ſcilicet hoſtis animam meam, vt ſit mutatio numeri vſitata Hebræis*] foderunt coram me foueam, ceciderunt in eam, Selah.

Primùm repetit querelam in hoc verſu de hoſtium inſidiis & machinationibus, quibus conabantur Dauidem euertere, & de ſuis doloribus: poſtea quaſi de exitu bene ſperans addit vaticinium de hoſtium interitu, & futurum dicit vt hoſtes prauis ſuis conſiliis capti & irretiti pereant, quemadmodum dici ſolet,

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, ἅσπερ ὑπῆρξεν.

Et Heſiodus inquit:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Item, Τἀλλῳ ὡς ἑτέρῳ τι ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Et nota ſunt dicta ſimilia de pœna talionis.

Greſſibus meis] Id eſt, quacunque incedo ipſi tendunt mihi inſidias, vt nuſquam me vertere poſſim, quin vbique paratæ ſint mihi inſidiæ.

Incuruata eſt anima] Id eſt, ego ſum oppreſſus ingenti dolore, quia video me circunſtare vndique ingentia pericula. Metaphora eſt in ſermone, qua ea quæ corporis ſunt transferuntur ad animam. Homines enim conſternati ſeu trepidi ſolent ſeſe contrahere, & aliquo modo incuruare. Ita etiam anima in magno metu quodammodo ſeſe contrahit, quaſi cupiens fugere & declinare periculum. Alij actiuè exponunt incuruauit, vt ſit continuatio querelæ de crudelitate hoſtis. Plerique tamen neutraliter exponunt, quos ſequor: & quanquam נפש eſt fœmininum: tamen non eſt inuſitatum addi verbum maſculinum nominibus fœminini generis. Sunt enim enallagæ generum, temporum, modorum, perſonarum, numerorum, vſitatiſſimæ Hebræis: ſi quis tamen mauult actiuè exponere cum Vatablo & Forſtero, non repugno.

8 Confirmatum eſt cor meum Deus: confirmatum eſt cor meum, cantabo & pſallam.

Altera pars pſalmi continet gratiarum actionem, de qua ſæpe iam dictum eſt. Et vſitatum eſt Dauidi, petitioni defenſionis ac liberationis mox ſubiungere gratiarum actionem, quia fides in precatione, cùm Deum intuetur præſentem, capit conſolationem, vt ſecurè in Dei erga ſe beneuolentia acquieſcat, & de felici euentu certam fiduciam concipiat. Ideo inquit, *Cor meum confirmatum eſt*, id eſt, quanquam initio Deus videbatur quàm longiſſimè abeſſe, méque deſeruiſſe, cùm vndique irruerent in me calamitates: nunc tamen præſentem eum video adeſſe mihi, méque defendere & ſeruare. Quare nunc totus acquieſco in Deo, & animo ſum ita confirmato, vt illa terriculamenta, quæ foris mihi ab hoſte obiiciuntur, facilè contemnere poſſim, & deinceps conſtanter celebrare laudes Dei velim. Hoc propriè videtur velle verbo נכון quod propriè ſignificat confirmari, firmari, ſtabiliri. Id enim pij conſequuntur ſuis precibus, vt qui antea videbantur animo abiectiſſimo, inter preces nouum quoddam & admirabile robur concipiant, quo omnes difficultates & pericula facilè ſuperant, omnémque metum diſcutiunt. Idque norunt hi qui aliqua harum rerum exercitia habuerunt.

Alij exponunt, paratum eſt cor meum, vt ſignificetur promptitudo & alacritas in celebrandis beneficiis diuinis, quæ ſit oppoſita hypocritarum ſimulationi aut aliorum etiam torpori. Hypocritæ enim etſi interdum recenſent beneficia diuina, & habent nomen Dei aſſiduè in ore: faciunt tamen id ſine affectu vllo, & ſine ſincero zelo. Alij etiam ita ſegnes ſunt in conſiderandis beneficiis diuinis, vt illas cogitationes nunquam in animum admittant. Horum igitur vel ſegnitiei vel ſimulationi putant oppoſitum eſſe verbum נכון. Atque ita ſi exponas, ingeminatio verbi ardentiſſimum deſiderium propagandæ gloriæ diuinæ notat. Alioqui enim ſi verbo confirmandi reddas, repetitio illa ſeu ingeminatio ſignificat fidei πληροφορίαν. Oſtendit enim ſe ita confirmatum eſſe, vt iam nullis terriculamentis, aut minis, aut etiam periculis excuti ſibi illa conſolatio poſſit: quia iam certam & firmam habeat conſolationem & ſpem. Tales ſunt conſolationes diuinæ, & in hoc differunt à philoſophicis. Hæ enim ad tempus quidem leniunt dolores, ſed tamen animos dubios relinquunt, vt nunquam acquieſcere tutò in his conſolationibus queant.

Cantabo] Non tantùm dicit, Ego grato animo agnoſcam, ſed cantabo. Nam animus agnoſcens beneficia accepta non poteſt ſe continere quin erumpat in vocem, qua Dei beneficentiam celebret. Nec tantùm contentus eſt voce celebraſſe Deum: ſed corporis geſtu, inſtrumentis muſicis, & quibuſcunque poteſt modis animi gratitudinem declarat. Ideo mox addit, Pſallam.

9 Exurge [*excitare*] gloria mea: exurge nablum & cithara: excitabor diluculo.

Vt omnem torporem, qui abeſſe à piorum animis & precibus debet, excutiat, ſeipſum hortatur & excitat, atque ita aliquo modo alacriorem ſe reddit ad celebranda beneficia diuina, aduocans linguam, nablum & citharam, vt ſibi præſto ſint in celebrando Dei nomine.

Excitare] Quaſi dicat, noli quaſi perpetuo ſomno aut obliuione ſepelire aut obruere beneficia diuina, ſed profer & prædica laudes Dei, quibuſcũque potes modis, nunc lingua, nunc cithara, nunc aliis inſtrumentis muſicis. Sedulitas igitur & alacritas hoc verbo exprimitur.

Gloria] Metonymia eſt, ponitur enim ſignatum pro ſigno. Significat enim inſtrumentum gloriæ diuinæ celebrandæ, ſiue ea ſit lingua, ſiue inſtrumentum aliquod muſicum: hîc verò videtur pro lingua ſumi, ſicut & Pſalmo 16. Alij ſimpliciter exponunt gloria mea, id eſt, cithara mea, quæ eſt

meum decus, ſicut muſico, ornamento eſt cithara, quam artificioſè pulſare nouit. De nablo vide Ioſephum. Suidas dicit pſalterium & nablum fuiſſe idem inſtrumentum. Cithara 10. chordas habebat, & plectro percuti ſolebat. pſalterium 12. chordas, & digitis pulſabatur.

Excitabor diluculo] Id eſt, nihil prius faciam quàm vt celebrē tuas laudes, inde enim ordiar diem & operas meas in celebratione tuorum beneficiorum, nec ero hac in re ſomniculoſus aut ſegnis.

Alij tranſitiuè reddunt: excitabo diluculum ſeu auroram, id eſt, præueniam auroram vt non ipſa me, ſed ego illam excitare videar, ſurgens ſcilicet ante auroram vt cantem, quemadmodum gallus ſuo cantu dicitur excitare auroram, vt apud Ouid. Metamor. 11. *Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris Euocat auroram.*

10 Celebrabo te in nationibus, Domine: pſallam tibi in populis.

Amplificat pollicitationem gratitudinis à circunſtantia loci & perſonarum, quia dicit, ſe non tantùm priuatim aut domi ſuæ intra priuatos parietes, ſed publicè etiam in cœtu celebraturum laudes Dei, vt alij etiam his exemplis liberationum inuitentur ad veram Dei agnitionem & fidem, & inuocationem. Hic enim finis eſſe debet publicæ gratiarum actionis, & hoc exigit vera animi gratitudo, vt alij noſtro exēplo inuitentur. Sicut enim qui malè de aliquo ſentiunt, aut quem oderunt, eum paſſim apud alios traducunt, & odioſum reddere conantur: Ita qui bene de aliquo ſentit, eum laudat, eíque conciliare omnium hominum voluntates & ſtudia conatur. Atque ita pij agnoſcentes Dei erga ſe amorem & beneficia, non ſatis habent priuatim eum celebraſſe: ſed etiam foris apud alios eum prædicant, omnéſque ad agnitionem & celebrationem nominis diuini inuitant.

Quòd autem dicit, ſe celebraturum Deum etiam inter populos ſeu nationes, hoc eſt, gentes quæ non ſunt de populo Iſraelitico: inde colligimus Dauidem in his ærumnis (vt ſæpe ante monuimus) perſonam Chriſti geſſiſſe. Nam Chriſtus illa paſſione & ærumnis Dauidis fuit adumbratus. Ille igitur eſt qui inter gentes nomen Dei propagauit & celebrē fecit. Ideo Paulus Rom. 15. Pſalmi 17. ſententiam, quæ eadem cum hac eſt: confitebor tibi inter gentes, pſallam nomini tuo, de Chriſto interpretatur. Eſt igitur & hæc ſententia illuſtre teſtimonium, quòd gentes ad agnitionem Dei ſint vocandæ. עמי generalius eſt quàm לאמי & pertinet ad gentes linguis, moribus, legibus & cæteris rebus diſcrepantes. Altera verò vox לא populum ſignificat, quaſi ab vna matre propagatum, ideóque iiſdem legibus vtentem.

11 Quia magna ad cælos bonitas tua: & ad nubes veritas tua.

Addit rationem à cauſa impulſiua. Ideo celebrabo, quia bonitas & veritas tua excellit omnia, atque adeo totum non tantùm mundum complet: ſed etiam cælos penetrat, & excedit. Tanta enim eſt vt nulla eam capere queat creatura. Ita enim ſolemus magnitudinem eorum, quæ vel laudamus vel vituperamus, exprimere, vt dicamus ea cælos attingere, vel ſuperare.

Eſt autem dulcis conſolatio in hoc verſu, quæ opponi debet vel magnitudini peccatorum, vel multitudini ærumnarum noſtrarum, quibus in hac vita grauamur. Si nos premant peccata, non debemus cum Cain dicere, Maior eſt iniquitas mea quàm vt remitti poſſit: ſed potiùs cum Paulo & Dauide, Gratia exuberat ſupra peccatum. Deinde ſi variis malis & humanis conſiliis inextricabilibus oneremur, non cum Epicureis exiſtimemus, Deum non agere curā noſtri, vel etiam, quod multi faciunt, aduerſus Deum fremamus, eúmque crudelitatis accuſemus. Sed his tentationibus opponamus hoc dictum. Bonitas Dei & veritas maior eſt quàm vel peccatum, vel ærumnæ noſtræ: & certò ſtatuamus nos eſſe curæ Deo, reſpici ab eo, ídque Deum ſuo tempore oſtenſurum eſſe non dubitemus.

חסד ſignificat propenſionem ſeu amorem Dei gratuitum quo ſuos complectitur, qui amor non meritis humanis prouocatur aut conciliatur: ſed proficiſcitur ex mera bonitate & vera στοργῇ. Vt autem certi ſimus de illo amore, & ne exiſtimemus illam facilitatem Dei carere conſtantia, addit etiam, veritatem, quæ ſeruat promiſſa, extendi ad cælos vſque. Quo nihil poteſt dici dulcius aut efficacius ad conſolationem. Itaque gratum debet eſſe hoc dictum piis mentibus & imis pectoribus infigi.

12 Exaltare ſupra cælos: & ſuper omnem terram gloria tua.

Repetit verſum ſextum, vt mos eſt poetis inſignes verſus in poemate ſæpius repetere. Eſt igitur hic verſus epiphonema quo Pſalmum concludit, repetens petitionem, & addens cauſam finalem, cur liberare pios ex afflictionibus debeat Deus, vt ſcilicet ſuam gloriam aſſerat, vt agnoſcatur & celebretur, & ne contumelia ab impiis afficiatur, vt ſuprà dictum eſt.

PSALMI LVII.

PARTES.

I. Petitio, v. 2. & petitionis argumenta, quibus ſubiicitur ſuo loco amœbæus verſus ſummum petitionis finem explicans, v. 6. & 12.

Vehementiſſimæ huius petitionis, quæ oſtendit fontem liberationis & ſalutis noſtræ, primum argumētum eſt à fide in Deum, v. 2. & oratione fidei, v. 3. ex quibus oritur certa illa prædicatio venturæ liberationis ſuæ, & iudicij in aduerſarios, verſ. 4. Additur v. 5. petitionis exaggeratio ab immanitate periculi quo circumcludebatur Dauid, cruentos aduerſariorum animos, conſilia, conatus, comparationibus elegantiſſimis explicans. Summus finis ſubiicitur v. 6. nempe gloria Dei.

Petitionis argumentum ſecundum, à fraude, vi, & improbitate aduerſariorum: ad quas reſpiciens ruinam illorum prædicat, v. 7.

Tertium petitionis argumentum à ſummo fine, qui eſt gloria Dei & illius prædicatio v. 8. Sequitur forma illius prædicationis continens exordium proſopopœeticum, v. 9. propoſitionem, v. 10. & confirmationem, v. 11.

II. Concluſio repetens verſum ſextum, & mentem ad Deum erectam, cuius gloriam ſolam ſpirat, oſtendens.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. In manu Dei poſitum eſt, non modò quàm grauibus, ſed etiam quàm diuturnis ærumnis, & quidem per ſceleratiſſimos homines, ſeruos ſuos velit exercere, ac proinde vt fidei, ſic quoque perſeuerantiæ donum aſſiduis precibus eſt petendum.

2 Petendæ miſericordiæ legitima ratio eſt quum in Deo ſperamus.

Singulari quadā clementia & benignitate Deus fouet eos omnes qui ſupplices ad eius thronū cōfugiūt: quo minùs excuſabilis eſt noſtra prauitas, niſi ad tā blandā inuitationem celeriter accurrimus.

Quanuis interdū nobis velut ſereno & trāquillo cælo apricari liceat: quia tamen ſubitis procellis quotidie obnoxia eſt hæc vita, ſpes noſtras in Deū contrahere conuenit, vt nos operiat eius protectio.

Spei inuocatio ſubijcienda eſt: nam fieri nequit vt non preces ſuas ad Deum dirigant qui in eum confidunt.

3 Ad fulciendam ſpei noſtræ perſeuerantiam hoc nobis occurrere debet, Deum, quia opus manuum ſuarum non deſerit, ſalutem fidelium numeris omnibus complere, & illis ſemper fore ducem, donec eos ad metam vſque perduxerit.

4 Quum ingruunt ingentia pericula, pij ſperant Deum potenter & euidenti quodam miraculo prolaturum quam facturus eſt ſalutem, eiuſque clementiam ac in promiſſis conſtantiam tanquam auxiliares manus ſtatuunt, & fide intuentur.

5 Dauidis exemplo querimonias noſtras deferre coram Deo ſufficiat, cuius eſt fallaces linguas & ſceleratas manus à noxa compeſcere.

6 Summa hæc eſt conſolatio, Deū ſuis ſuccurrere vt gloriæ ſuæ conſulat. Eis enim non minùs quàm Deo impij inſultant: ipſe autē gloriæ ſuæ iacturam facere non vult, nec ſacrum ſuum nomen profanorum ludibrijs proſtituere.

7 Varijs dolis & artibus ſuos aggredi ſinit Deus, vt in eorum liberatione quàm ſit potens & miſericors, impij etiam ipſi videant.

8 Sincerus piorum zelus, hypocritarum labris & aliorum torpori oppoſitus, omnibus impedimentis valere iuſſis, attentus eſt ad laudes pro ſua liberatione Deo canendas.

9 Qui ſeriò expergefactus eſt ad Deū celebrandū, nulla in parte ceſſat, ſed cordi adiungit oris confeſſionem, aliaque adminicula, quæ poteſt

poteſt,adhibet,vt ſtudium illud magis acuat & accendat.

10 Locus de vocatione gentiũ, vt præconium hoc ſub regno Chriſti adimpletum ad eas perueniret.

11 In vera inuocatione initium fit à bonitate Dei, deinde fides eius coniungitur: quia vt propenſus ſit Deus & liberalis ad promittendum, non aliunde quàm gratuita ſua bonitate adducitur. Et ne facilitas hæc putetur conſtantia carere, fidei & veritatis elogio ſanciuntur omnes promiſſiones.

12 Deus rogandus vt per totum mundum iudicia exerceat, quibus ſibi apud omnes populos aſſerat imperium.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Gratia Dei fons omnium liberationum & ſalutis noſtræ.
2. Inuocatio ſincera, manus Deum è ſolio ſuo ad auxilium ferendum pertrahens.
3. Eccleſiæ militantis hoſtes deſcripti.
4. Impiorum doli, conatus irriti.
5. De gratitudine piorum.
6. De benignitate & veritate Dei.

ARGVMENTVM PSALMI LVIII.

HIC pſalmus oppoſitus eſt calumniis & falſis criminationibus procerum in aula regis Saulis, qui, vt mos & ingenium eſt aulicorum, cùm vidiſſent regem à Dauide eſſe abalienatum, ipſi quoque commutata voluntate, quem antea amare & venerari ſe oſtenderant, ad regis exemplum odio proſequi cœperunt. Atque vt gratiam inirent maiorem, falſis delationibus ipſum apud regem deformarunt, nunc hac, nunc alia aſtutè confingentes: quibus cùm concitari regem aduerſus ipſum intelligerent, ipſi deinceps adminiſtros ſeſe crudelitatis regiæ in perſequendo atque opprimendo Dauide præbuerunt. In hos igitur nunc inuehitur duriùs, malitiam horum & crudelitatem grauiter accuſans & reprehendens. Atque, vt in poemate fieri ſolet, figuras & ſimilitudines adhibet, quibus malitiam & ſæuitiam graphicè deſcribens exaggerat & amplificat, vt poſtea in enarratione videbimus. Hæc prior pars pſalmi eſt, obiurgatio ſcilicet calumniatorum, vt ſuam è regione integritatem & innocentiam aſſerat. Addit deinde precationem, vt Deus illorum crudelitatẽ & ſæuitiam reprimat, conſiliáque omnia & conatus peſſundet. Ac ne inane fuiſſe illud votum oſtendat, mox vaticinium ſubiicit, quo certum hoſtibus ſuis interitum prædicit. Poſtrema pars pſalmi continet dulciſſimam conſolationem, & quaſi amplificationem huius vaticinij ad ſingulos pios. Promittit enim piis defenſionem & liberationẽ, & oſtendit, Deum interea dum ſæuiunt tyranni in eccleſiam & crudeliter eam oppugnant, non abiicere curã, aut negligere ſalutẽ ſuorum, ſed præſentem adeſſe in ærumnis, & ereptis piis tãdẽ iuſtis pœnis delere impios. Hæc sũma eſt pſalmi. Cæterùm exemplum Dauidis monet, eccleſiã ſubinde ab impiis & Epicureis, qui verã de Deo doctrinã oderũt, ſimilibus artibus oppugnari, & in odiũ adduci apud reges & principes. Quos cũ illi gnathones aulici non deſinant concitare aduerſus bonos, accendunt bella, quibus eccleſia duriter quaſſatur & affligitur. Quales multi ſunt hoc tempore in aulis Pontificis, regum & principum, qui non deſinunt clamare hæreticos, ſchiſmaticos, ſeditioſos Lutheranos omnino eſſe tollẽdos, nec poſſe quidquam in repub. feliciter geri vel adminiſtrari, niſi priùs illæ peſtes de medio tollantur. Atque horum crudelitatem imitantur etiam qui ex nobis exierunt falſi fratres, qui vt impia & abſurda dogmata ſua ſtabiliant, & vel principũ gratiam vel vulgi applauſum artibus parum honeſtis comparatum retineant, nihil non in perniciem bonorum & doctrinæ ſanæ interitum moliuntur.

Sicut autem Dauid his virulentiſſimis calumniis nihil aliud opponit quàm aſſeuerationem de ſua innocentia, & precationẽ, qua ſe defendi aduerſus iniuſtam vim & violentiam petit: ita cogitemus ſimilibus armis nobis eſſe in hoſtes pugnandum: & quod de interitu impiorum ac defenſione eccleſiæ hoc loco dicitur, eã cõſolationem nobis quoque proponamus, ac certò ſtatuamus manſuram eſſe eccleſiam, & iuſtorũ probitati ſuo tempore fructum nõ defuturum, vt hîc loquitur: impios verò iuſtas daturos eſſe pœnas ſuorum ſcelerum, quas Deus tãdem ab ipſis ſumet, vt diſcrimẽ apud ſe eſſe inter bonos & malos, nec caſu aut temere res humanas ferri, vt multi exiſtimãt, oſtẽdat. Vt autem oratio plus habeat gratiæ & euidentiæ, vtitur Dauid dialogiſmo, quem Cicero vocat ſermocinationem.

AD triumphandum, ne fiat perditio, Dauidis aureolum.

2 An verè congregati iudices, loquimini? recta iudicatis filij hominis.

Exordium ſumitur ab obiurgatione, qua in hoſtes ſuos inuehitur, & in primis hoc taxat & reprehendit quòd iniuſtas & falſas criminationes ſuas, quibus Dauidem apud regem & alios deformabant, titulo iuſtitiæ & iudicij ornare non verebantur. Affirmabant enim ſe vera & comperta atque explorata dicere, nec fingere quidquam, ideóque iuſtam habere odij cauſam aduerſus eum, ipſúmque dignum eſſe quem boni omnes execrarentur: Sicut hoc tempore, qui piorum cauſam in aulis prægrauant, ſua mendacia ita pingunt, vt videantur vera dicere & iuſtam habere cauſam, cur cœtum illum qui veram doctrinam profitetur, deletum cupiant. Fingunt enim nos turbare reſpubl. mouere ſeditiones, conuellere politias, euertere religionem, pietatem, honeſtatem & ordinem omnem. Ita in primitiua eccleſia obiiciebatur Chriſtianis non tantùm quòd imperia legitimi magiſtratus detrectarent, ſed etiam quòd in ſuis conuentibus vagos concubitus permitterent & carne humana veſcerentur, ideóque extirpandos eſſe vociferabantur. Eſt autem nulla nocentior iniquitas quàm quæ ſpecie iuſtitiæ graſſatur. Si enim vera ſunt illa quæ piis obiiciuntur, videntur reges iuſtam habere cauſam cur pios oppugnent. Et rex Saul ſi quidem verum erat quod aſſentatores illi ſuggerebant, non videbatur iniuſtè facere quòd hominem ſeditioſum, latronem, perfidum & transfugam conaretur trahere ad pœnam. His igitur ſuis criminatoribus reſpondet, quaſi inſultans ipſis, atque ad ipſorum cõſcientiam, tanquam horum omnium teſtem prouocans: *An verè*, &c. quaſi dicat, putatis ne vos dicere vera, cùm hæc impudenter contra me fingatis? *Meint ir denn, das ir recht redet?* Imò verò, an non pudet vos ita turpiter & impudenter mentiri? Conſcientiam veſtram ipſi aſpicite quæ vos mendacij arguit. Et, Exiſtimatis ne vos Deum fallere poſſe veſtris mendaciis, ſicut homines fallitis? Talis eſt oratio increpantis & exprobrãtis illis impudentiam in confingendis mendaciis.

אלם variè expoſuerunt interpretes. Græcus tanquam expletiuam particulam reddit εἰ ἀληθῶς ἄρα, Si verè vtique. Hũc ſequuntur Hieronymus & alij. Nonnulli exiſtimant diſſimulationem & ſilentium iniuſtum in proceribus regni hoc verſu taxari, qui cùm ſcirent Dauidem eſſe innocentem, & iniuſtè à Saule oppugnari, ipſi tamen ne regem offenderent, nunquam contradicebant, ſed ſilentio ſuo comprobabant ea quæ à Saule gerebantur.

Eſt autem id quoque peccatum maximum. Peccant grauiter qui bonos produnt hoſtibus, aut qui ſimul ipſi crudelitatem adiuuant: ſed ſimul peccant, qui diſſimulando aut tacendo furores principũ confirmant, atq; interea hoc prætextu ſuam diſſimulationem excuſant, quòd negotia religionis ad ſe non pertinere arbitrantur. Hos igitur volunt reprehendere Dauidem hoc loco. Itaque ſic reddunt: Nunquid planè muti eſtis, ne iuſtitiam loquamini?

Significat autem verbum אלם colligare manipulos ſeu faſciculos, vt cùm Geneſis 37. Ioſeph exponens ſomnium,

inquit: Ecce nos colligabamus manipulos in medio agri. In voce paſſiua primæ coniugationis ſignificat ligare linguam, ne loqui aut verba proferre poſſit. Ita Marci 7. dicitur, Solutum eſt vinculum linguæ. Ideo reddiderunt verbo obmuteſcendi. Hinc eſt quòd nomen אלם ſic reddiderunt, Nunquid eſtis muti? Nam cùm abſtractum mutitas Latinis non ſit in vſu, coacti ſunt adiectiuè reddere: ſicut & Fœlix, qui mutam iuſtitiam, id eſt, quæ verbis quidem profertur, factis non oſtenditur, vult ſignificari hoc vocabulo. Hanc ſententiam nõ reprehendo: eſt enim concinna, & cum ſequentibus ſatis accommodè cohæret. Sed tamen, ſi veram ſignificationem vocis, & mentem Prophetæ conſideremus, videtur אלם potiùs ſignificare congregationem ſeu cœtum, qui coit aut colligitur ex variis, ſicut manipuli aut faſciculi ex variis ſpicis aut aliis rebus colligantur. Idque videntur verba ſequentis membri confirmare. Nam quos nunc nominat congregationem, hos in ſequenti membro nominat filios hominum, vt vſitatũ eſt Dauidi variis epithetis vel perſonas vel res deſcribere. אלם igitur ſimpliciter intelligo illum cœtum ſeu numerum conſiliariorum qui in aula regis quotidie ad deliberationes publicas conueniebant, ſéque inire conſilia, quibus regni incolumitas conſeruaretur, oſtendebant. Hi quoties conueniebant, vt de Dauide conſilia conferrent, nunc hæc, nunc alia mendacia afferebant, quibus eum prægrauarent atque in odium adducerẽt. Et quia tanta erat horum autoritas, vt quicquid dicerent, id ab omnibus tanquam verè & ſapienter dictũ exciperetur: ideo hos compellans inquit, nunquid ô congregatio iuſtitiam loquimini, aut rectè iudicatis?

Filios hominum nominat, ſicut ſuprà præcedente pſalmo, carnales, qui non reguntur Spiritu ſancto.

3 Quin potiùs in corde iniquitates [*malitias*] operamini [*agitatis*] in terra violẽtiam [*iniuriam*] manibus veſtris [*manuum veſtrarum*] appenditis.

Subiectio eſt per aduerſatiuam, qua malitiam & crudelitatem eorum depingit. Ipſi quidem omnia ſua ita proferunt & proponunt, vt videantur vera, iuſta, & ad ſalutem reipublicæ pertinentia dicere, atque ideo magno applauſu eorum voces excipiuntur in aula. Sed profectò, inquit, ſunt omnia ipſorum conſilia ſcelerata, quibus aliud nihil moliũtur quàm vt bonis oppreſſis ipſi pro ſua libidine in republica dominentur, ſuámque dignitatem & opes tueantur, quas vident ſaluas eſſe non poſſe, ſi boni in republica floreant, aut regnum obtineant. Sicut & hoc tempore pontificij noſtras eccleſias oppugnant, nullam ferè aliam ob cauſam quàm quòd dignitates ſuas imminui vident reprehenſione ſuperſtitionum & falſorum cultuum. Neque enim religionis, ſed opum ſtudio illum ſtatum regni pontificij tueri conantur.

Mala operari in corde, ſignificat cor eſſe accenſum odio bonorum & cupiditate nocendi, ideóq; praua inire conſilia, quę in perniciem bonorum vergant. Cor enim æſtuans ira & odio ſemper aliquid machinatur & ſtruit, quò eum quem odit euertat. Hoc igitur eſt quod dicit, iniquitates operamini in corde, id eſt, vos ſtruitis mala, excogitatis varios dolos & fraudes quibus alios euertatis.

Iniuriam manuum veſtrarum appenditis] Id eſt, iniuſtas cupiditates veſtras & praua conſilia audacter exequimini: omne enim genus iniuriarũ & crudelitatis exercetis in bonos, quãtumuis honeſta ſpecie, aut titulo veſtram crudelitatem tegere conemini. Verbo תפלסו reſpicit ad conſiliariorum, quos taxat, officium. Cùm enim fungerentur officio iudicum, qui de omnibus negotiis cognoſcerent & iudicarent, debebant illi omnia iuſta lance trutinare ac diiudicare, & pro meritis cuique quod rectũ ſit diſcernere, non per calumnias bonos premere, aut malos fouere & euehere. Ideo enim veteres iuſtitiam per libram depinxerunt, quæ perpetuò & vbique quod rectum & æquum eſt expendit. Vnde prouerbium natum eſt: Trutina iuſtior. & Pythagoræ Symbolum, ζυγὸν μὴ παραβαίνειν. Illi verò nihil niſi iniurias appendunt: id eſt, prætextu iuſtitiæ nihil niſi ſcelera ſua exercent, & praua ſua conſilia exequuntur.

פלם trutinauit. hinc פלם Rabbi Dauid dicit eſſe illud quod ponderans ſua capit manu, in cuius medio eſt lingula ſtaterarum. Alij tamen rectiùs meo iudicio פלם dicunt vocari virgam ferream, notis ex certo interuallo ſignatam, in quibus cũ ponitur lapis, vel aliud quoddam pondus, & è regione appẽditur res ponderanda, lapis pondus indicat. German. *Ein ſchnellvvag*, hinc germanicum *Boltz* & Græcũ βέλος. differt enim פלם à מאזנים hoc eſt libra habens duas lances tanquam auricuas.

In terra] Id exponitur aduerbio palam, vt ſignificetur effrænis eorum licentia.

4 Alienati ſunt impij à vulua: errauerunt ab vtero, loquentes mendacium.

Exaggerat hoſtium malitiam à tempore. Dicit enim non nuper eos cœpiſſe indulgere prauis conſiliis & cupiditatibus, aut ad ſcelera ſeſe proiicere, vt ſpes aliqua emendationis eſſe poſſit: ſed inueteratam eſſe malitiam & pertinaciam inflexibilem, quia ab ipſa pueritia, & ab ipſis incunabulis ingenio fuerint prauo, & quia ſecum ab vtero materno illam prauitatem attulerint. Naſcimur quidem omnes natura mali, ſicut dicitur, Figmentum cordis humani prauum eſt omni tempore, Gen. 6. & afferimus peccatum originale in hunc mundum: tamen magnum eſt inter homines diſcrimen. Multi enim prauas inclinationes & impetus vagos gubernant & moderantur recto iudicio & honeſta diſciplina. Nam de piis in eccleſia nunc nõ dico, in quorum cordibus Spiritus ſanctus accendit motus congruentes cum lege Dei: ſed de aliis extra eccleſiam, quales fuerunt Scipio, Ariſtides, Pomponius Atticus, & alij. Aliqui etiam quanquam interdum vel leuitate, vel libidinis impetu, vel prauis exemplis, vel alia aliqua occaſione abripiuntur vt peccent, tamen mox ſeſe retrahunt, & vitam emendant. Sed multi ſunt adeo peruerſæ naturæ, vt nulla diſciplina, nullis plagis aut pœnis corrigi aut emẽdari poſſint. Itaque nihil niſi quod ſceleratum eſt meditantur & agunt. Tales eſſe ſuos hoſtes affirmat propheta, cum quibus perfidiam, crudelitatem, & alia ſcelera dicit nata eſſe, quæ poſtquã longa conſuetudine ſint confirmata, nullam polliceantur emendationem.

Alienati ſunt] Scilicet à Deo, hoc eſt, non reguntur à Deo, itaque reprobi facti ſunt ad opus bonum, vt nihil poſſint niſi ſceleratè agere.

5 Venenum ipſis ſecundùm ſimilitudinem veneni ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ [*quæ*] obturat aurem ſuam.

6 Quæ non audit ad vocem incantantium: coniurantis coniurationes periti [*ſcilicet incantationum, vel, vt alij reddunt aduerbialiter, peritè, ſcienter.*]

Alia nunc eſt amplificatio ſceleratæ ipſorũ malitiæ à duabus ſimilitudinibus, in quarum priore virulentiam & cupiditatem nocendi, ſeu venenatam malitiam, in altera & aſtutiam & pertinaciam in ſceleribus, quæ corrigi nullis admonitionibus, nulla ſana doctrina poſſit, depingit.

Venenum ipſis] Id eſt, ipſi ardẽt incredibili cupiditate nocẽdi & ſæuitia, non poſſunt quieſcere quin noceant & effundant ſuum virus in bonos, ſicut ſerpentes irritati.

חמה ſignificat ardorem, iram, furorem, & poſtea etiam venenum, vel quia ab accenſis ira effunditur, vel ab effectu, quia quædam venena inflammant læſos, & vredine atque æſtu cõſumunt, quædã verò frigore enecant partes vitales. Ita Deut. 31. dicitur, Ardor draconum vinum ipſorum, id eſt, venenum quod dracones effundunt irati.

Sicut aſpidis ſurdæ] Hoc eſt, ad illam odiorum virulentiam, crudelitatem & ſæuitiã, qua turgent & referti ſunt ſicut ſerpentes veneno, accedit non ſolùm aſtutia, qua cauent diligẽter ne ſua conſilia & conatus impediantur, ſed etiam ingens pertinacia, quæ repellit & repudiat omnes pias admonitiones, omnia honeſta & ſalutaria conſilia. Sicut enim aſpides obturant aures, ne incantationibus prohibeantur, quominus effundant ſuum venenum: ita illi omni ſtudio cauent ne audiant vel admittant ſalutarem doctrinam & pias admonitiones, quibus à ſuo inſtituto reuocari poſſint. Talis pertinacia plerunque eſt in perſecutoribus eccleſiæ, ſicut exempla omnium ætatum, & præſentis ſæculi malitia ſatis oſtendit.

Quæ nõ audit vocẽ incantantiũ, coniurantis cõiurationes periti] Mutatio eſt numeri vſitata in hac lingua: éſtque hæc ſimpliciſſima ſententia, Etiam eius qui inter magos eſt peritiſſimus & inſtructiſſimus. Itaq; eſt appoſitio, qua מחכם additur ſine coniunctione participio חובר coniurantis coniurationes, & quidem periti, vel etiam qui peritus eſt ad coniurandum cõiurationes. Vel participium naturam gerundij aliquo modo induit. Græcus ſic reddidit, φαρμακοῦ τε φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ. legit enim מחכם pro מחכם.

Verbum חבר ſignificat concinnare, coniungere, copulare, & metaphoricè coniurare, conſpirare: inde participium חובר ſignificat coniuratorem, incantatorem, qui incantationibus efficit vt res vel earum ſpecies colligantur & appareant in aliquo loco, & חבר talem incantationem. Eadem phraſis legitur Deuteron. 18. verſu 11. חבר וחובר.

לחש exquiſitis verbis aliquid pronuntiauit: vt non aures tantùm, ſed animus in primis his capiatur: inſuſurrauit auribus. In prima coniugatione participiũ vſurpatur. לחש ſignificat oratorem, incantatorem, exorciſtã & לחש eloquentiã ſeu incantationem. Eloquentia enim vtitur lectis & efficacibus

verbis

verbis,ità vt aliquo modo incantare auditores videatur, cogit enim inuitos quodammodo ſuos auditores.

Hic occurrunt variæ quæſtiones. Nam cùm propheta dicat quoſdam eſſe ſapientes vel peritos artis incantandi,quæri primùm poteſt,An ſit,deinde an ſit ars, poſtremò , an incantationes probet. Eſſe incantationes, experientia docet, & lex diuina eas prohibet,Deut.18.Ieſ.8.De poſtremo reſpõdet Auguſt. hoc ipſo in loco tradens regulam vtilem & dignam quæ obſeruetur.Non,vndecunque datur ſimilitudo à Scriptura, laudatur ipſa res: ſed tantum ſimilitudo inde trahitur.Non enim laudauit iniquum iudicem, Luc. 18. qui nolebat audire illam viduam,quique vt ibi dicitur,nec Deũ timebat,nec hominem reuerebatur. Tale eſt & illud de diſpenſatore iniquo,Luc.16.&c.Et tamen inde ſimilitudinẽ Dominus traxit.Ergo de rebus non laudandis trahuntur ſecundùm quendam modum nonnullæ ſimilitudines. Aut ſi propterea putaris eſſe eundum ad Marſos, quia hoc audiſtis in Scriptura Dei: eundum eſt & ad ſpectacula theatri,quia dicit Apoſtolus, Non ſic pugillor quaſi aerem cædens,&c. Aſtutiæ ſerpentum quæ non admittit incantationes,meminit & Ier. 8. Ecce ego mitto in vos ſerpentes regulos,quibus non eſt incantatio.

7 Deus,deſtrue dentes ipſorũ in ore eorum:molares leonum contunde,Iehoua.

Obiurgationi & querelæ de malitia & furoribus hoſtium ſubiicit precationem. Non enim alia habet arma quibus ſe aduerſus illas virulentas calumnias &varias iniurias hoſtium tueatur,quàm precationem. Nóſque ſuo exemplo docet, vt quoties iniuria afficimur,aut iniuſtè premimur,nos quoque noſtras ærumnas apud Deum exoneremus,atque ab ipſo nos defendi & liberari petamus.

Dentes deſtrue] Id eſt, frange vires hoſtium & compeſce nocendi furorem.Eſt autem metaphora in voce שני & deinde in his מלתעות כפירים qua & potentiam & ſæuitiam hoſtium & genus belli denotat Primùm enim quia leonibus eos comparat,ſignificat robur ipſorum eſſe indomitum & inuictum:deinde per dentes & molares ſignificat eos laniandi ac diſcerpendi eſſe cupidos,vt ſæuos & irritatos leones , & in primis docet,eccleſiam iniuſtis criminationibus hypocritarũ & Epicureorum miſere lacerari ac deformari , atque has maiorem bonis afferre dolorem quam mortem ipſam.

8 Abiicictur [*alij,diffluent*] ſicut aquæ abibunt [*quæ abeunt*]ſibi: calcabit ſagittas ſuas[*id eſt,calcando arcum imponet ſagittas ſuas*] tanquam ſe confringerent [*excinderentur.*]

Precationi addit vaticinium, quo certum hoſtibus ſuis cõminatur & prædicit interitum. Illam verò comminationem variis ſimilitudinibus exornat, quibus vtrumque oſtendit,& irritos fore hoſtium conatus,& pœnas ipſis certas imminere.

Primum inquit,*Diffluent ſicut aqua*,id eſt quanquam potentia & robur ipſorũ videtur eſſe inſuperabile , & exiſtimant ſe ita eſſe inſtructos , vt vno quaſi impetu me obruere & opprimere poſſint:tamen paulo pòſt omnis illa potentia diſſoluetur & diffluet, ſicut aqua quæ effunditur, & cuius nullus eſt vſus. Significat verbum מאם cum faſtidio rem aliquam à ſe reiicere.

Quæ abeunt ſibi] Scilicet ſine damno. Torrentes magno cũ ſtrepitu & fragore decidunt ex ſummis montibus, vt videantur omnem terram ſubiectam vno impetu ſecum abrepturi: ſed cùm ad valles ſubiectas peruenerint , ſenſim in alueum colliguntur & diffluũt ſine damno,& ſine vllo ſtrepitu. Tales exitus habent etiam hoſtium fremitus, minæ & conatus. Altera ſimilitudo *Calcabit arcum ſuum*(ſagittas ſuas)tanquã cõfringantur,vel excindantur, id eſt, habent quidem tela & arcus paratos,& direxerunt ſagittas ſuas in homines pios & innocentes, vt iamiam videantur interfecturi omnes : ſed irriti erunt conatus ipſorũ, quia ſagittæ fruſtra cõcident tanquam confractæ, & nulla facient vulnera piis. Ita excindentur: *vvie ſie auffgelegt vverdẽ.* In verbo ידרוך mutatio eſt numeri vſitata Hebræis.

9 Quemadmodum limax liquefactionis , id eſt,liquefacta , abibit: [*euaneſcet:*] tanquam abortiuum mulieris non viderunt ſolem.

Tertia ſimilitudo : ſicut limax ſubitò quidẽ oritur & dum viuit aut mouet ſeſe , videtur cornibus ſuis neſcio quid periculi minari aſtantibus,& tamen nihil nocet , ſed rurſus diſſoluitur & ſubitò euaneſcit, vt interitus ſimilis ſit origini : ita potentia impiorum quantumuis videatur terribilis, & ſubito creſcat, tamen nullo negotio à Deo diſcutitur , & in nihilum redigitur. Loquitur autem valde cõtemptim de humana potentia , quæ ſe Deo opponit, quia ſcit nihil eſſe tam firmum & validum in mundo quod nón vno momento diſiici & euerti à Deo poſſit. Eáque res confirmare fidem noſtram in ærumnis debet.

שבלול Græci reddiderunt ceram. Hieronymus vermem tabefactum, nonnulli ex Hæbræis exiſtimant eſſe araneam, & iudicant eſſe compoſitum ex duabus literis ſeruilibus ש & ב & dictione לול, quaſi dicat, quæ eſt in foramine. Sed doctiores iudicant ſignificare limacem,& nomen inde factum, vel quòd ſtatim diffluat,vel quòd,quacunque incedit,ſui fluxus veſtigia relinquat. שבל enim vnde nomen videtur deductum geminata tertia radicali,ſignificat perpetuo fluxu aut curſu aliquò ferri,vnde שבלות eſt fluxus ſeu decurſus aquarum:item culmus frumenti ſeu calamus , à rectitudine ſcilicet,& extenſione. Quanquam ſi priorem etymologiam retineamus,non erit illa quoque inconcinna. לולים enim propriè ſignificat domunculas limacum,quas circunferunt, & in quibus deliteſcunt,& deinde gradus,qui facti ſunt in formã illarum domũcularum,quos nominamus cochleas,*Schnecken*. Atque hanc eſſe veriorem etymologiam videtur ſignificare dages in litera ב vt שבלול dicatur,eoquòd lateat in ſua teſta, eámque ſecum circunferat.

תמם iudicant eſſe nomen,vt ſignificationem habeat liquefactionis,& ſic dici putant,quia in ſua teſta cõtabeſcat,& tũc ת ſcribitur cum Tſere,vt in תקל Gen.16. Alij tamen in futuro tertiæ perſonæ exponunt,& ſubaudiunt relatiuum אשר quæ liquefiet,abibit,id eſt,quæ liqueſcendo abibit. Quando enim immediatè iunguntur ſine copula duo verba futuri temporis, primum commutandum eſt in gerundium.

Tanquam abortiuum mulieris non viderunt ſolem] præteritum ſcribitur pro futuro propter certitudinem.

Quarta ſimilitudo. Erunt tanquam abortiuum mulieris, quod antequam viuere incipiat,aut ſolem aſpiciat,interit. Ita illi,inquit,quanquam tument fiducia ſuarum virium,& iã iam videntur erupturi,vt mundum compleant fama nominis ſui,& rerum geſtarum,tamen in ipſo conatu extinguentur & peribunt. Abortiuum mulieris Græcus interpres reddidit ἔπεσε πῦρ ἐπ' αὐτούς.ſed occaſio erroris non obſcura eſt,iis qui linguæ Hebrææ ſunt periti:pro נפל enim legit נפל pro אשת legit אש vel אשה,quod tamen non ignem , ſed ſacrificium igne conſumendũ ſignificat. *Non videbunt ſolem*]id eſt, non fruentur ſucceſſu. נפל Hebræis dicitur , quod cadit ante tempus,quódque eſt caducum , immaturum : inde ſignificat fœtum ciectum ante maturitatem.

10 Antequam ſentiant ollæ [*vel ſpinæ*] veſtræ rhamnum , velut viuum ſicut ardore abripiet illum [*ſcilicet rhamnum.*]

Quinta ſimilitudo à rhamno ducta, eandem comminationem repetit,éſtque ſententia non obſcura,quanquam in verbis eſt aliquid obſcuritatis,propter ambiguitatem vocis סיר quæ nunc ollam , nunc ſpinam ſignificat. Eſt autem ſimpliciſſima ſententia vt à doctore Luthero eſt expoſita. Priuſquã dimidium ſuarum machinationum eò perducant impij quo deſtinarant,deſtruet eos ira Dei opem ferens iuſtis. Significatur enim his verbis feſtinatio vindictæ diuinæ quæ ex medio curſu impios rapit ad pœnam , ſicut exempla Antiochi, Diocletiani,Maximini,Licinij & ſimilium oſtendunt.

סיר in ſingulari ollam ſignificat , in plurali duplex forma eſt vſitata:altera maſculina quæ ſpinas ſignificat , vel hamos à ſimilitudine , fœminina ferè pro ollis vſurpatur paſſim in Scriptura. Cùmque forma hoc loco ſit fœminina, malũt plerique interpretes, ſequuti interpretationem Rabbi Dauidis, vſitatam retinere ſignificationem. Itaque ſic exponunt,antequam ollæ veſtræ ſentiant rhamnum,id eſt , antequam incaleſcant rhamno , & ſentiant ignem ex ſpinis accenſum , ſicut viuens, id eſt,dum adhuc caro eſt cruda,nondum percocta,ſic veniet ira,& vt turbo mox perdet illos. Rhamnus enim,vt facilè concipit flammam, eámque deinceps copioſam emittit cum ſtrepitu ingenti : ita facilè & ſubito deflagrat antequam lebetes bene incaleſcant,non enim habet materiam,quæ diu fomentum aut pabulum præbeat igni. Talis igitur eſt furor impiorum,ſubitò quidem erumpit, & longè lateque graſſatur , magna vi & impetu ſeſe diffundens atque omnibus terrorem incutiens , ſed antequam circumſpicias, omnis illa flammæ vis euanuit. Conſumitur enim rhamnus, tanquam viuus ardore ignis,id eſt, ipſo vigore flammæ : malo enim ſic exponere,quam de carne cruda, quod facit R.D.& qui ipſum ſequuntur , & כמו iudico eſſe aſſeuerantis , potius quam ſimilitudinis.

Alij ſecuti Græcum interpretem סירות exponunt acanthas ſeu ſpinas hoc modo : Antequam ſpinæ veſtræ ſentiant rhamnum, id eſt, antequam adoleſcant & creſcant in maiorẽ altitudinem, & grauiores & duriores aculeos emittant, dum ſcilicet adhuc eſt viuus rhamnus, id eſt, tener , ſucculentus

vel immaturus, abripietur tempeſtate: Ita impij immatura morte è medio tollentur in ipſo vigore ſuo, antequam vel ſcelera ipſorum & vitia, vel iniuriæ creſcant & augeantur, vt intolerabiles fiant. Quod ad rem attinet, nihil eſt diſcriminis. Eodem enim tendit hæc ſententia, quò prior, & congruit hæc poſterior cum illa ſententia Nahum 1. Nam ſicut ſpinæ implicatæ & tanquam ſucco ſuo ebriæ, id eſt, virides, abſumpti ſunt, & quaſi ſtipula ariditate plena. Eſt autem eadem apud Nahũ vox, ſed forma maſculina סירים. Et pſalmo 118. dicitur de impiis, Extincti ſunt ſicut ignis ſpinarum, vbi vox alia eſt, קוצים. Itaque quamcunque volet ſentẽtiam lector amplecti poteſt.

אטר eſſe illud genus ſpinæ quam rhamnum dicimus, ipſa appellatio teſtatur. Nam rhamnos ab Afris Aradim dici etiã Dioſcorides teſtatur. Fuit autẽ Afrorum lingua cognata Hebrææ, quod multa vocabula teſtantur, & ex Auguſtino intelligi poteſt. Cæterum deſcriptionem Rhamni videant ſtudioſi apud Dioſcoridem libro 1. cap. 102. Plinium lib. 24. cap. 14. & alios recentiores, qui de plantis ſcripſerunt. Illud præterire hoc loco non poſſum, quod quidam annotarunt, rhamnos rubor um interdum à ventis concuti atque agitari tam vehemẽter, vt ignem concipiant, & non modò ipſi, ſed tota ſylua in qua fuerint, concremetur. Id ſi verum eſt, accommodè ad poſteriorem ſententiam referri poteſt.

11 Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: pedes ſuos lauabit in ſanguine impij.

12 Et dicet homo, vtique eſt fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans in terra.

Poſtremi duo verſus continent promiſſionem liberationis piorum & lætitiæ ſeu fructus inde ſequuturi. Futurum enim, inquit, vt hoſtibus deletis pij non tantùm ſeruentur mirabiliter, & liberentur ex periculis, ſed etiam vt gaudio ſeſe oblectent, vbi viderint Deum ſuſcipere cauſam & patrocinium ſuorum, & impios pœnis afficere. Hæc verò liberatio etſi in hac vita quoque conſpicitur à piis (quocunque enim oculos conuertas, videbis exempla iuſti iudicij diuini in defenſione piorum, & euerſione impiorum) tamẽ quia eccleſia in hac vita manet ſubiecta cruci & calamitatibus, nec ita vnquam ex his eximitur, quin ſubinde gemere ſub onere ærumnarũ ſuarũ neceſſe habeat, ideo & liberatio & lætitia, de qua hic loquitur, principaliter referenda eſt ad tẽpus extremi iudicij. Tunc enim eccleſia prorſus & integre liberabitur ab omnibus ærũnis & miſeriis, ab inſidiis, fraude, dolis diaboli, à crudelitate & libidine malorum hominum, & perfundetur æterna lætitia, atque ita capiet fructus ſuorum laborũ & ærumnarum, quas ſuſtinuit in hac vita, & Deo plenè tribuet laudem iuſti iudicij, de quo hic loquitur.

Interea tamen ſciendum eſt, etiam in hac vita Deum ſæpè multis mirandis & glorioſis liberationibus oſtendere præſentiam ſuam in eccleſia, vt in deletione exercitus Pharaonis, Chananæorum, Iuliani, Licinij & aliorum multorum, & ſuos complere illo gaudio de quo hic loquitur. Non enim ita in hac vita Deus gubernat eccleſiam, vt prorſus eam deſerat, & ſinat perpetuis ærumnis iacere oppreſſam: ſed ſuo cõſilio imponit eccleſiæ ærumnas, & has ita mitigat & moderatur, vt illa Dei præſentiam & opem agnoſcat, & cùm viſum fuerit, eam glorioſè liberet.

Cæterùm lætitia, de qua hic loquitur, non intelligenda eſt de intemperata aliqua animi elatione, aut paſſione animi, qualis in pleriſque hominibus cernitur, qui ex graui aliquo periculo liberati, ſi videant hoſtes ſuos iam eſſe oppreſſos & extinctos, ideo lætantur, quia impatienter ferebãt iniurias, & hoſtes oderant vehementer, atque extinctos cupiebãt: deinde quia deinceps ſine periculi metu ſe cupiditatibus ſuis obſequi poſſe exiſtimant. hinc igitur effunduntur in lætitiam & voluptates, vt ſæpe peiores euadant illis ipſis à quibus antea quodammodo in officio continebantur. Piorum verò lætitiam ita moderatur Spiritus ſanctus, vt in his exemplis pœnarum non ad ſuas voluptates, quibus frui deinceps ſublato metu & periculo poſſint, reſpiciant, aut impiorum calamitatibus ac pœnis crudeliter inſultent: ſed vt iuſtum Dei iudicium in pœnis impiorum cõſiderantes id approbent, atque vt ſceleribus iuſtam rependi à Deo mercedem, ſic eccleſiam liberari ab iniuſta crudelitate hoſtium & cæteris ærumnis ac miſeriis lætentur.

Eſt igitur hæc lætitia talis, quæ caret crudelitate, odio, ira, impatientia aut aliis turbidis affectibus, quales in impiorum gaudiis cernuntur. Non enim à ſtatu manſuetudinis, patientiæ, charitatis aut ſimilium virtutum deiiciuntur, etiamſi vindictã diuinam in pœnis impiorum cum gaudio cernant: ſed multo magis confirmantur, vt Dei iudiciũ deinceps quoque pertimeſcant, ſeque intra officiſ ſui metas contineant. Et præcipua lætitia inde eſt quòd gloriam Dei illuſtrari cernũt quæ antea, cùm pij affligerentur, quodãmodo obſcurabatur.

Pedes ſuos lauabit in ſanguine] Hoc eſt, vt Lutherus interpretatur, vindicta grauior erit quàm quiſquam expetere potuit, vt qui guttulam vnam vindictæ poſtulauit, tamen cernat effuſi ſanguinis copiam, vt in eo ſe lauare poſſit. Primùm enim magnitudinem iræ diuinæ graſſantis in impios, & paſſim cadaueribus omnibus loca complentis, deinde ſecuritatem piorum ſequuturam hac phraſi deſcribit, non petulantiam aliquam crudeliter inſultantem cadaueribus hoſtium commẽdat. illa enim crudelitas etiam in barbaris ſemper digna fuit odio. Laudatur Pauſanias à Laertio, quòd Mardonium mortuum non voluit contumelia afficere, etiamſi is Leonidam ſuſpenderat. & in Sophoclis Aiace multæ ſunt ſententiæ, quæ docent mortuis non eſſe inſultandum. οὐ γὰρ θανόντι καὶ προσεμβῆναί σε χρή.

Figura igitur eſt in oratione & quodammodo hyperbolica locutio, qua magnitudo iræ & vindictæ diuinæ, & deinde, vt dixi, ſecuritas piorum ſeu recreatio ſimul notatur. Sumpta enim eſt phraſis ex cõſuetudine eius gentis, quæ defatigatorum ex itinere aut labore diurno pedes lauare atque ita refocillare ſolebat, vnde eſt illa phraſis Paulina 1. Timoth. 5. Lauare pedes ſanctorum, pro recreare, & omnibus officiis iuuare. Alij ſic interpretantur: lauabunt pedes in ſanguine, hoc eſt, Alieno periculo reddentur cautiores. Sed hoc videtur eſſe alienius.

12 Et dicet homo [*id eſt, vnuſquiſque intuens hæc ſpectacula*] vtique fructus eſt iuſto: vtique eſt Deus iudicans terram.

Alter fructus, qui ſequitur euerſionem impiorum & liberationem eccleſiæ. Pij, inquit, quanquam initio erant turbati & metu perculſi, iam tamen erecti & cõfirmati his exẽplis liberationum, agnoſcunt ſe Deo curę eſſe, ſe exaudiri & iuuari. Deinde etiam illi qui ſunt extra eccleſiam, agnoſcent nomen pietatis non eſſe inane, & doctrinam, quam profitentur pij, non eſſe vanã aut fabuloſam. Ita addit cauſam finalẽ, cur interdum tyranni & perſecutores eccleſiæ in hac vita horribilibus pœnis deleantur, quia ſcilicet Deus vult extare teſtimonium ſuæ præſentiæ in eccleſia, & iuſti ſui iudicij aduerſus ſceleratos.

Eſt Deus iudicans] Id eſt damnãs & puniens impios, & iuſtos defendẽs & liberans. Ita hoc verſu oſtendit quæ ſit præcipua lætitia piorum: Quòd ſcilicet iudicium Dei pateſit, & quòd pij non ludunt operam, nec fructu pietatis carent.

In terra] Hoc addit vt oſtendat Deum illa iudicia non omnia differre in alteram vitam, ſed ea etiam in hac vita exercere: ne ſicut prophani homines iudicant, exiſtimemus Deum non reſpicere facta hominum, ideoque fortunam cæcam vagari & dominari in rebus humanis potius quàm Deum iuſtum iudicem.

PSALMI LVIII.

PARTES.

I Reprehenſio ſeu obiurgatio aduerſariorum, cuius loci ſunt duo. 1. Inficiatio, v. 2. qua ipſorum conſcientiam appellans Dauid, negat ineſſe boni quidquam illorum animis. 2. Affirmatio & explicatio malæ illorum mentis, praui conſilij & facti ad quam tranſit per correctionem, v. 3. deinde amplificat, primùm à naturali & ingenita illorum corruptione, poſita in alienatione & aberratione à Deo, v. 4. Secundò, ab obſtinato illorum ſtudio ſeipſos confirmandi in malo & auertendi à bono, v. 5. & 6. Hanc contumaciam aut e m allegoria aptiſſima depingit.

II. Imprecatio contra viros illos præfactos & in impietate ſua obfirmatos, ſex allegoriis ad viuum deſcripta. v. 7. 8. 9. 10.

III. Con-

III. Concluſio prophetica, tum iudiciorum Dei aduerſus improbos, reliqua parte, v. 10. tum rerum conſequentium, nimirum lætitiæ & pacis per ſpiritum ad Eccleſiam Dei ex eius iudiciis peruenturæ, verſ. 11. & 12.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Nulla grauior iniuria quàm quæ iuris ſpecie graſſatur: ſummeq; ſunt iniuſti qui ſub iuſtitiæ velo innocentes opprimunt. Eccleſiæ autem iniquis præiudiciis oppreſſæ ſolatium eſt quòd audacter & bona conſcientia ad Dei tribunal prouocare poteſt.

2 Quamuis à toto mundo impetantur ſerui Dei, nullus terror illis obſtat, modò ſibi rectè conſcij ſint, quominus tam regibus ipſis & eorum conſiliariis, quàm populi quiſquiliis inſultent.

3 In eo ſe prodit impiorum deplorata cæcitas quòd ordinet ac diſponant quas corde iniquitates conceperunt.

4 Quamuis corruptio originalis peccati in toto humano genere graſſetur, experientia tamen oſtendit, quoſdam eſſe verecundos & honeſtis moribus, alios mediocri tantùm corruptelæ imbutos: alios verò naturæ adeo peruerſæ, vt ſint prorſus intolerabiles. Locus de originis peccato: de peccati gradibus, item & eius effectus.

5. 6. Nulla poteſt in ſerpentibus venenata verſutia reperiri, quæ non in impiis nonnullis regnet.

7 Qui exaudiri à Deo cupiunt, eumq; experiri patronum & vindicem, ſint Chriſti oues, tunc ille leonum maxillas contundet.

8 Etſi eccleſiæ hoſtes magnis copiis & opibus inſtructi ſint, altiſq; radicibus innitantur, ac ſaxeis montibus videantur ſimiles, piis tamen non eſt deſperandum: in tempore enim, iuſto Dei iudicio, tanta durities diffluet, & velut pluuialis aqua ſiccabitur.

Quum aptatæ impiorum ſagittæ tam nobis mortiferos ictus minantur, ſpectanda eſt Dei omnipotentia, & precibus accerſenda, vt arcum frangat, ſagittaſq; in hoſtes ipſos retorqueat.

9 Hunc honorē Deo tribuere diſcamus, eum poſſe momento & abſq; negotio diſcutere, ac redigere in nihilum quicquid in mundo ducitur inſuperabile.

Omnis impiorum proſperitas & confidentia eſt euanida, repentinúſq; illorum interitus ſimilis erit origini, ne facilibus incrementis fruſtra ſuperbiant.

10 Ira Dei turbulento impetu abripiet impios, nec ſinet eos radices altas ſumere, imo excindet antequam matureſcant.

11 Iuſti iniurias placidè tolerando, hoſtes ſuos libenter in viam ſalutis reuocarent, & eos reſipiſcere mallent quàm perire: vbi tamen ad maturum vindictæ tempus eos adduxit ſua obſtinatio, iuſtā habent gaudendi materiam: quia hoc modo vitam ſuam Deo pretioſā eſſe agnoſcunt. Sicuti ergo gemunt ac torquentur quandiu ad eorū afflictionem Deus conniuet: ita fieri non poteſt quin illis iucundum ſit iuſtam ſceleribus mercedem rependi.

12 Res in mundo confuſæ & inodinatæ multos concutiunt, qui rurſus patefacta Dei iuſtitia animos colligunt, vt paſſim mutētur hominū ſētētiæ vbi Deus manū ſuā è cælo exerit. Vide Ieſa. 26. 9.

Eſt hic nō exiguus profectus ad pietatē, bene & penitus nobis eſſe perſuaſum, iuſtos, ſollicitè in Dei timore ambulādo, nō ludere operā.

Pijſ fructu ſuæ pietatis minimè carent, quia Deus eſt mundi iudex. Nec fieri poteſt ſi Dei prouidentia mundus regitur, quin tandem diſcrimen apud ſe eſſe oſtendat inter bonos & malos, idq; vt apud omnes iuſtificetur, quoniam profani homines fortunam putantes dominari in terra, Dei imperium cælo includunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De principum conſiliariis & primariis aulicis.
2. Magnatum improbitas quàm noxia ſit.
3. Impiorum potentia venenata, ferox, turbida, crudelis.
4. De imprecationibus aduerſus Dei & piorum hoſtes.
5. De piorum, iudicia Dei in impios videntium, lætitia.
6. De Dei iudiciis, iuſtorúmque mercede.

ARGVMENTVM PSALMI LIX.

NON differt huius pſalmi argumentum ab aliquot ſuperioribus. Eſt enim petitio vt aduerſus Saulis inſidias & crudelitatem defendatur. Ideóque quanquam verba ſunt alia, ſententiis tamen penè omnibus congruit cum ſuperioribus, vt longa interpretatione non ſit opus. Qua autem occaſione ſcriptus ſit hic pſalmus, ipſe titulus indicat. Narrat enim hiſtoria 1. Samuelis 19. cuius in titulo mentionem facit, cùm à Saule miſſi eſſent ſatellites, qui Dauidem ex domo ſua extractum atque in regiam adductum in conſpectu regis interficerent, ipſum admonitum à coniuge Michol & per feneſtram demiſſum noctu fuga ſibi conſuluiſſe, atque ita periculum euaſiſſe. In illo verò periculi metu, cùm domum ſuam cinctam eſſe ab hoſtibus, & omnes vrbis exitus teneri videret, has preces ad Deum fudit, in quibus ſe defendi & ſeruari petit. Argumenta autem ſeu rationes ſuæ petitionis, vt in aliis quoque compluribus pſalmis, petit primùm à commemoratione periculi, ab hoſtium crudelitate & iniuſta ſæuitia, deinde à ſua integritate & innocētia, vt mox dicetur. Petitioni verò ſubiicit imprecationem & vaticinium, quo hoſtibus ſuis certum interitum & exitium denuntiat. Habent enim omnes imprecationes ſanctorum vim vaticinij, cùm ſint voces à Spiritu ſancto profectæ & dictatæ: ideóque euentus reſpondet. In fine promittit ſe memorem fore liberationis, & animi gratitudinem in celebrādis aſſiduè beneficiis diuinis declaraturū. Vt autē alij pſalmi multi, in quibus ærumnæ & pericula Dauidis exponuntur, & vaticinia de interitu hoſtium commemorantur, ad Chriſtum ab interpretibus referuntur: Ita hic quoque pſalmus de Chriſti paſſione & pœnis Iudæorum, quæ ſecutæ ſunt, rectè intelligi poteſt. Erat enim Dauid, vt ſæpe iam monuimus, typus Chriſti, & ſuis ærumnis quodammodo Chriſti paſſionem adumbrabat, ſicut Chriſtus ipſe & pſalmos quoſdam ad ſe accommodat, & aliorum quoque ſanctorum ærumnas, tanquam vmbras & præludia ſuæ paſſionis, allegat. Notum enim eſt exemplum Ionæ, Matth. 12. 16. Lucæ 11. & Matth. 2. cap. Euangeliſta hiſtoriam eductionis populi ex AEgypto ad Chriſtum exulantem, & poſt aliquot tempus reuertentem, accommodat, allegans dictum Oſeæ ex cap. 11. Ex AEgypto vocaui filium meum. Vt igitur Saul implacabili odio Dauidem perſequebatur, idque innocentē, & præclarè non tantùm de familia Saulis, ſed de toto regno meritum: ita Iudæi cæci & furentes ſæuierunt in Chriſtum, nec priùs quieſcere potuerunt quàm cruci eum affixum & è viuis ſublatum cernerent. Sed vt Dauid ſeruatus ex periculis, factus eſt rex huius populi, Saule extincto, & tota eius familia penè deleta: ita Chriſtus reſuſcitatus ex morte, euectus & exaltatus in ſuo regno, ſedet ad dexterā patris, & potēter dominatur in eccleſia, politia Moſis horribili exemplo prorſus deleta, & Iudæis in perpetuas ærumnas & exilia cōiectis. Hæc ſimul cogitanda ſunt, cū has ærumnas Dauidis & liberationū exēpla in eius hiſtoria cōſideramus, & ſinguli etiā in noſtris ærūnis hos pſalmos ad vſum transferre diſcamus. Nā exēpla liberationū promiſſiones confirmāt, vt, quēadmodū Dauid ereptus eſt ex periculis, ita nos quoque inter varia pericula ſeruatum iri ſtatuamus. Cúmque ſocietas ſit omnium membrorum in corpore Chriſti, & coniunctio ſumma, exiſtimandum eſt ſocietatem quoque doloris eſſe oportere. Quod igitur Chriſto tanquam capiti & præcipuis membris, vt Dauidi, Iohanni Baptiſtæ, Paulo, & ſimilibus accidit, idem ferè & experiri etiam reliqua membra oportet.

1 AD triumphandum, ne fiat perditio, Dauidis aureolum, quando miſit Saul, & cuſtodiuerunt domum, vt interficerent eum.

Cuſtodiuerunt] Id eſt, cinxerunt vndique domū, ne qua elab-

poſſet. Ita ſignificat in ſummo ſe fuiſſe periculo, ex quo non niſi diuina miſericordia ſit ſeruatus. Quanquam enim aſtutè quædam excogitauit Michol, quibus patrem, & milites tandiu falleret, donec elabi Dauid ex ipſorum manibus poſſet, tamē illud totum Dauid in hoc pſalmo adſcribit miſericordiæ diuinæ. Ita nos cùm liberamur, etiamſi videmur iuuari à cauſis ſecundis, tamen ſtatuere debemus, defenſionem & liberationem eſſe beneficium diuinum.

2 Libera me ab inimicis meis mi Deus: & ab inſurgentibus aduerſus me attolle [*eleua*] me.

3 Libera me ab operariis iniquitatis: & à viris ſanguinum ſerua me.

Primi duo verſus continent propoſitionem, quæ, vt dixi, eſt petitio defenſionis & liberationis. Simul autem petitioni aſpergit argumenta ab aduerſariorū crudelitate & ſæuitia ſumpta, vt Deum faciliùs in ſuas preces trahat, & ad opem ferendam excitet.

Primùm nominat hoſtes ſuos אויבי, hoc eſt, ſicut ipſe poſtea interpretatur, qui nulla laceſſiti iniuria immane odiū aduerſus ſe conceperint, & inimicitias graues exerceāt. Deinde dicit eos in ſe conſurgere, hoc eſt, ipſo facto exequi odia, & magno conatu hoc agere, vt ipſum opprimant. Petit igitur vt quanquam viribus & potentia hoſtes videantur multò ſuperiores, & iam ſupra caput eius emineant, ipſe tamen in altum attollatur, vt ſuperior euadat, nec periculum eum attingat. Ita Deo tribuit potentiam ſeruandi, etiam cùm foris nulla apparet via aut ratio euadendi ex periculis.

Operarios iniquitatis nominat ſuos hoſtes, quia nulla iniuria irritati iniuſtè & ſceleratè ipſum perſequebātur. *Viros ſanguinum* nominat eos propter crudelitatem & ſæuitiam. Nam vir ſanguinum dicitur, & qui pollutus eſt ſanguine humano ſeu cædibus, & qui fundendi ſanguinis innoxij cupidus eſt. Itaque per αὔξησιν ſubinde exaggerantur ſcelera hoſtium.

4 Quia ecce inſidiati ſunt [*inſidiantur*] animæ meæ: congregati ſunt [*congregantur*] *Iunguntur enim præterita & futura, inter quæ cùm præſens medium ſit, rectè verbis præſentis temporis redduntur apud Latinos*] aduerſus me robuſti: non iniquitas mea & non ſcelus meum, Iehoua.

Addit rationem propoſitioni, quæ eſt querela, in qua primùm exponit magnitudinem periculi ſui à potentia, crudelitate & ſæuitia ſuorum hoſtium: deinde innocentiam ſuam allegat, vt Deum faciliùs flectat ad opem ferendam. Cùm enim Deus ſit iuſtus, & iuſtarum cauſarum patronus: fieri non poteſt quin tandem iuſtum ſuum iudicium in defenſione bonorum & euerſione ſceleratorum oſtendat. Quòd verò Dauid dicit ſe eſſe ſine peccato, & ſuam innocentiā prædicat: intelligatur ſicut antea etiam pſal. 7. dictum eſt, de iuſtitia cauſæ, nō de iuſtitia perſonæ. Nā quòd ad illā cauſam attinebat, Dauid nulla iniuria affecerat Saulē, ſed ſola ambitione ſeu æmulatione vrebatur Saul, vt tanto odio Dauidē perſequeretur. Dolebat enim hunc diuinitus anteferri ſibi & ſuis liberis, & huic ſucceſſionem in regno promiſſam eſſe, ideo cupiebat eum tollere è medio, vt regnum ſuis liberis relinqueret. Hoc igitur eſt quod Dauid inquit, Ob nullum ſuum peccatum ſe tantas perpeti iniurias, Saulis ſcilicet reſpectu, qui dicebat eum eſſe ſeditioſum, appetere regnum, turbare rempublicam. Horum ſcelerum dicit ſe non eſſe reum. Interea tamen ſi in iudicium Dei ſibi ſit prodeundum, clamat, non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Item, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Nam in conſpectu Dei agnoſcit ſe eſſe miſerum peccatorem, & pollutum ac contaminatum, & petit ſibi peccatum condonari per miſericordiam propter Mediatorem. Ita igitur fit iuſtus coram Deo, non quòd mundus ſit ab omni peccato, ſed quòd ſcit & firma fide ſtatuit peccata ſua tegi, & condonari per miſericordiam. Hęc eſt iuſtitia perſonę, quæ diſcernenda eſt à iuſtitia cauſæ ſeu bonæ conſcientiæ. Simul autem hîc traditur doctrina, de qua dicitur 1. Iohann. 3. Si cor noſtrum non condemnat nos, habemus fiduciam erga Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.

Inſidiati ſunt] Id eſt, non tantùm aperta vi me oppugnant, ſed variis dolis hactenus me petiuerunt, vt mihi vitam eriperent, nec deſinunt ſuis aſtutis conſiliis mihi interitum machinari.

Robuſti] Id eſt, iam etiam aperta vi me oppugnant, & tantùm valent viribus, vt niſi tu ſuccurras, actum ſit de mea ſalute.

Non peccatum meum] Id eſt, cùm non offenderim eos vlla re, nec cauſſam præbuerim vlli, vt odium aliquod aduerſus me ſuſciperent. Quòd enim clamant me eſſe ſeditioſum, me inſidiari vitæ regis, ea omnia confinguntur ſceleratè.

5 Sine iniquitate concurrunt & ſe confirmant: excitare in occurſum meum, & vide [*reſpice.*]

Repetit priorem ſententiam, deinde iterat precationem. *Abſque iniquitate*] ſcilicet mea, quaſi diceret, non irritati aliqua à me iniuria aut ſcelere.

Concurrunt] Hoc verbo impetum inſanum & furorem hoſtium deſcribit. Significat enim eos magno impetu ſine ratione currere ad bellum, non aliter vt feræ beſtiæ rabie accenſæ, adeóq; hoc vnicum agere & moliri vt innocentem opprimant atque interficiant.

Et ſe confirmant] Id eſt, vires vndique ſuas contrahunt, vt inermem faciliùs opprimant, & nulla ſit euadendi ſpes vel occaſio.

Excitare in occurſum] Repetit precationem, de qua ſuprà dictum eſt: ſimul autem hac forma loquendi alludit ad hoſtium feſtinationem & impetum. Petit enim vt Deus maturet auxilium, ne hoſtes ipſum ſuo impetu anteuertant, atque more patris videntis filium eſſe in periculo, mox omiſſis omnibus conſurgat, & ad opem ferendam accurrat. Ideo addit, Et vide.

6 Et tu Iehoua Deus exercituum, Deus Iſrael, expergiſcere ad viſitandas omnes gentes: ne miſerearis omnium tranſgredientium iniquè, Selah.

Continuat precationem, eámque vehementiùs vrget, familiariter quaſi appellans Deum, eumque non tātùm de ſuo officio & potentia, ſed etiam de ſingulari amore erga ſuos, quem in promiſſione oſtenderit, commonefaciens. Id enim volunt primùm illud pronomen *tu*, & nomen *Iehoua*, quo ſignificat, Deum ita verè eſſe iudicem iuſtum, quàm verè eſt Deus, nec poſſe cauſam ſuorum deſerere vel abiicere, niſi fortè ſeipſum abnegare, aut naturam ſuam exuere velit. Deinde illa epitheta, cùm nominat eum Deū exercituū, & Deū Iſrael, quorum illo ad immenſam eius potentiam reſpicit, quam hoſtium ſuorum multitudini opponit: dicitur enim *Deus exercituum*, quia militat ei tota rerum creatura, adque eius nutum præſto adeſt: hoc verò paternā eius curam, quam pro ſuis gerit, cōmendat. *Deus* enim *Iſrael* dicitur, quòd peculiaribus promiſſionibus hunc populum ſibi adoptauit & elegit, quódque omnem beneuolentiam, curam, amorem, defenſionem ab illo pij, iuxta promiſſionem expectant.

Expergiſcere ad viſitandum omnes gentes] Id eſt, puni omnes quicunque iniuſto odio alios perſequuntur, & aliorum vitæ crudeliter inſidiantur: idque dum facies, non patieris domeſticos eccleſiæ tuæ hoſtes ita impunè graſſari. Ita in genere omnibus ſceleratis hominibus & crudelibus tyrannis, vbicunque locorum ſint, pœnam imprecatur, vt faciliùs quod vult obtineat. Si enim alios extra eccleſiam homines ſceleratos puniat Deus, certò futurum ſibi perſuadet vt inteſtinis & domeſticis hoſtibus, qui vel religionis prætextu, vel coniunctionis atque fraternitatis titulo in bonos graſſantur, & ordinem diuinitus in eccleſia ſanctum conturbant, minimè parcatur. Hæc igitur cauſa eſt cur omnibus gentibus paſſim vltionem diuinam imprecetur, cùm tamen bellum ipſi non eſſet cum omnibus gentibus, ſed cum domeſticis, videlicet, vt faciliùs impetret quod volebat, deinde etiam vt fidem ſuam confirmet, ne propter tantam hoſtium multitudinem, à quibus ſe peti videbat, deſperet. Ita enim petit, vt ſimul ad verbū Dei reſpiciat, in quo cùm Deus oſtendat ſe eſſe iudicem totius orbis terrarum, non fore ei difficile ſtatuit tam exiguam hoſtium manum coercere.

Viſitare quid ſignificet in Scriptura, dictum eſt alibi ſæpe.

Non miſerearis] Id eſt, ſine vlla miſericordia deleas eos, vt funditus pereant: non ſis benignus, non prouehas ipſorum conatus, ne quod inſtituerunt, perficiant, oſtende te odiſſe eos.

Hic iterum explicanda eſt quæſtio, de qua & ſuprà dictum eſt aliquoties, pſal. 54. & 28. Cùm enim ſcriptum ſit Luc. 6. Benedicite maledicentibus, quæritur à multis An liceat imprecari pœnas extremas, aut maledicere inimicis: vt videmus Dauidem in multis pſalmis, & Paulum ad Galatas facere, Vtinam excindantur qui turbant vos. Reſpondeo. Primùm diſcernenda eſt res ſeu cauſa à perſonis. Cauſſa enim quam blaſphemi tuentur ſeueriſſimè damnāda eſt. Id enim niſi faciamus, quodammodo ſocios nos facimus ſcelerum, & oſtendimus nos nō affici illa cōtumelia qua Deus afficitur. Deinde quod ad perſonas attinet, diſcernendi ſunt gradus: alij ſunt ſanabiles, alij blaſphemi. Qui ſunt blaſphemi & pertinaciter perſeuerant in defenſione idolorum & ſcelerum contra conſcien-

ſcientiam, ſunt execrandi, tanquam hoſtes Dei, & organa diaboli, vt Paulus ad Corinth. inquit: Si quis non diligit Dominũ Ieſum, ſit anathema. Videndum autem ne miſceantur turbidi humani affectus aut odia priuata: ſed vt proficiſcantur illæ imprecationes ex puro pietatis & gloriæ Dei zelo. Poſtremò, addenda eſt & illa Auguſtini explicatio, qui tales imprecationes dicit eſſe prædictiones ſeu vaticinia & voces Spiritus ſancti ferentis vltimam ſententiam de blaſphemis, & conſolantis eccleſiam, vt ſciant veritatem tandem victricem fore. His conſideratis facilis eſt reſponſio ad dictum Chriſti, Benedicite, ſcilicet, non blaſphemis.

7 Reuertuntur ad veſperam: ſtrepitum edunt vt canis, & circumeunt ciuitatem.

8 Ecce eructant ore ſuo, gladij in labiis ipſorũ: quia, quis audiet?

Redit ad querelam ſuprà inſtitutam de crudelitate & iniuſtis molitionibus hoſtium ſuorum, eámque amplificat à ſimilitudine & hypotypoſi. Pingit enim ſuos hoſtes, tanquam canes famelicos & rabioſos hinc inde circumcurſitantes per ciuitatem, latrantes, ſtrepentes, omnes vrbis angulos peruestigantes, nihilque niſi cædes & ſanguinem ſpirantes.

Futura verba omnia reſoluenda ſunt in verba præſentis vel præteriti imperfecti temporis, ita oratio erit plana. Eſt hoc vſitatum in lingua Hebræa, non tantùm in pſalmis, ſed etiam in vulgari ſermone, vt 2. Sam. 1. Vnde tu venies? pro, vnde tu venis? dicit Dauid ad Amalekitam afferentem nuntium de morte Saulis.

Primùm dicit, eos reuerti *ad veſperam*: qua oratione indefeſſum & indefatigabile ſtudium ac conatum eorum depingit. Si toto, inquit, die circumcurſitando atque indagando nihil profecerint, non quieſcunt tamen ſub noctem: ſed tanta eſt ſæuitia & nocendi cupiditas, vt quod interdiu perficere nõ potuerunt, noctu iterũ aggrediantur, quaſi tenebræ ipſorum ſceleribus magis faueant quàm lux diurna.

II. *Strepitum edunt*] Id eſt, edunt voces minaces, quibus terrorẽ bonis incutiunt, non aliter vt canes irritati aut rabioſi latratu ſuo formidabiles ſunt hominibus.

III. *Circumeunt vrbem*] Id eſt, circumcurſitant hinc inde, & omnes angulos vrbis perluſtrant & explorant, vt inueniant in quem ſuos dentes virulentos defigant & odium effundant.

IIII. *Eructant ore ſuo*] Id eſt, ſine diſſimulatione nefanda ſua conſilia & conatus proferunt, vt omnes audiant quid in animo habeant. Non enim ampliùs clam mihi ſtruunt inſidias, vt antè, ſed aperta vi graſſantur & publicè, & cum iactãtia effutiunt quid in animo habeant. Hæc etiam ad Iudæos crucifigentes Chriſtum referenda ſunt. In verbo eructandi metaphora eſt à fontibus ſumpta.

V. *Gladij in ore ipſorum*] Id eſt, nihil ſpirant, nihil crepant niſi cædem & ſanguinẽ. *All ire reden ſind ſchvverter, her, ſchlag todt, ſtich todt*. Vel, tot euomunt gladios, quot voces proferũt, ſicut apud Ariſtophanẽ homines irritati ac minaces dicuntur δόρυ καὶ λόγχας πνέειν.

Quoniam quis audit?] Hæc μιμητικῶς adiiciuntur. Refert enim ipſorum ſermonem, quo extremũ tam Dei quàm hominum contemptum declarant. Exiſtimabant enim nec Deum curare hominem miſerum & abiectum, & hominum aures & animos iam ita occupatos eſſe calumniis credebant, vt etiamſi viderent hoſtiles conatus, nihil tamen eſſent contradicturi. Eo igitur audaciùs pergunt in ſuo ſcelere, excuſſo omni metu & pudore, quaſi in extremam dementiam præcipitati.

Quis audit] Id eſt, quis curat quid fiat de tali homuncione? Nam Deus iam dudum abiecit curam eius, & homines iudicant nos non ſolùm nihil peccare, ſed præclaram regi noſtro nauare operam, qui hominem ſeditioſum compeſcamus, & ad pœnam trahere ſtudeamus.

9 Tu autem Iehoua ridebis eos: ſubſannabis omnes gentes.

Hoſtium furori & implacabili odio opponit conſolationem, quam ex verbo promiſſionis petit. Quanquam, inquit, magna eſt hoſtium potentia, & furor inflammatus atque ignitus, vt iam iam videantur petituri meum iugulum, tu tamen Deus ridebis eos, id eſt, nullo negotio & quaſi per riſum ſeu iocum euertes ipſorum conatus. Ita contemptim dicit, Deo non eſſe opus magno apparatu, ſed tantùm riſu & ſubſannatione, qua contemnere vanos ſe hoſtium conatus oſtendat. Ita fore non dubitat quin mox diſſipentur, & in nihilum redigantur.

Omnes gentes] Hoc addit vt fidem ſuam magis confirmet. Oſtendit enim non difficile eſſe Deo, vel vnico nutu diſiicere totius mundi vires & potentiam, nedum tam exiguam latrunculorum manum. Ita igitur eludit ſtultam ſuorum hoſtium iactantiam, qui multitudine ſua freti nihil non audebant, ſibíque certò optatos ſucceſſus pollicebantur.

10 Fortitudinem eius ad te cuſtodiã: quia Deus arx mea eſt.

Redit ad precationem, quam ſubinde miſcet querelis & commemorationi periculorum, vt vſitatum eſt Dauidi. Quo magis illi, inquit, inſaniunt, & magno furore ad me opprimendum concurrunt: eo magis fides mea accenditur, vt à te auxilium expectem: ſcio enim in te mihi paratum eſſe certũ præſidium, & quo magis pericula creſcunt, eo te propiùs ad iuuandum accedere, atque accelerare.

Relatiuum in voce עזו fortitudinem eius, facit ſententiam obſcuriorem, ſuntque variæ interpretum hac de re ſententiæ. Alij mutationem eſſe perſonæ, & tertiam loco primæ poni exiſtimant. Alij relatiuum ad Saulem & ipſius ſatellites referunt. In interpretatione tamen diſcrepant. Nonnulli enim ita ſeiungunt hanc ſententiam à ſequenti membro, vt iudicent eſſe quaſi conceſſionem. Sit licet potentia ipſius Saulem ſumma, & iam videatur victoriam habere in manibus, ego tamen te cuſtodiam, nec deſinam in te ſperare. Alij ſubaudiunt præpoſitionem propter: propter fortitudinem eius, id eſt, cùm videam eum tanta potentia inſtructum, cui reſiſtẽdo ego nequaquam par ſum, & audiam eum tumere, ſéque intemperanter iactare fiducia ſuarum virium, ego ad te reſpiciam. Alij etiam ſic interpretantur: fortitudo eius ad te, id eſt, tu gubernas & moderaris ipſius vires, quæ à te vno pendent. Mihi non dubium eſt quin incuria librariorum pro י ſubrepſerit ו & עזו ſcribi pro עזי quod σφάλμα facilè committi poteſt. Atque hanc eſſe veram lectionem probat vltimus verſus huius pſalmi, vbi eadem ſententia repetitur. Eſtque vſitatum Dauidi inſigni aliqua ſententia ex medio pſalmo deſumpta carmen claudere. Cum igitur in fine legatur עזי etiam hoc in loco ſic legẽdum exiſtimo, atque ita Græcus legit τὸ κράτος μου. Cõpellat igitur Deum hac voce, quẽ ſuam fortitudinem ſeu robur nominat, quia in eo vnico tale ſibi paratum eſſe præſidium ſtatuebat quod hoſtium furori deſpiciendo ſufficeret.

Obſeruabo] Id eſt, ego fide te intueor, in te coniicio meas curas & ſolicitudinem, ſúmque animo pacato & tranquillo, nec reſpicio ad res externas, nec mouent me pericula quæ circunſtant. Ipſi quidem me obſeruant, & domum cingunt miſſis cuſtodibus, ne quà elabar: ſed non tam diligenter me illi obſeruant quàm ego te. Videtur enim ſimul alludere ad cuſtodes à Saule miſſos.

11 Deus clementiæ meæ [*vel clementia ſua, ſi ſecundum literas, non ſecundum puncta legas: ſed ſi ita legas, forma conſtructa in voce* אלהי *accipienda erit pro abſoluta* אלהים] præueniet me, Deus faciet videre me in aduerſarios meos.

Addit rurſus conſolationem, qua ſe contra inſultus & furores hoſtium confirmat, & de exitu felici certam ſpem concipit.

Deus clementiæ meæ] Paſſiuè relatiuum intelligatur, id eſt, Deus qui me amanter complectitur, non aliter vt pater filiũ ex ſe natum (is enim amor voce חסד ſignificatur) qui curam ſollicitè gerit pro me, qui omni ſtudio & cura cauet ne quid mali mihi accidat, & qui hactenus clementiæ & amoris erga me ſigna & documenta oſtendit: *Is præueniet me*, id eſt, maturè ad opem ferendam occurret. Quanquam enim periculum videtur eſſe propè: ipſe tamen periculum anteuertet, & interponet ſe medium inter me & hoſtium ictus, quos mihi intentant. Hoc eſt, præuenire, maturè ſcilicet & opportunè, atque adeo in ipſo articulo adeſſe & opem ferre, antequam ſcilicet inimicus nos comprehendat aut interficiat.

Faciet me videre in hoſtes] Id eſt, exhilarabit me poſt hoſce dolores & ærumnas iucundo ſpectaculo, vbi vindictam ſumpſerit ab hoſtibus. Videre enim, quando conſtruitur cum ב non ſignificat ſimpliciter videre aut otioſè contemplari, ſed cum quadam voluptate aſpicere, & quaſi iucundo ſpectaculo frui. ſicut ſuprà quoque pſalm. 54. dictum eſt. Rurſus autem monendi ſunt lectores, ne exiſtiment hunc ſermonem proficiſci ex animo flagrante odio aut cupiditate vindictæ, aut oriri ex ἐπιχαιρεκακίᾳ. Tales enim affectus procul abſunt à piis nec probatur Spiritui ſancto, ſed quia iudicium ſuũ in pœnis aduerſus impios declarat Deus, quod pij non poſſunt non probare & laudare, & quia hoc modo liberari eccleſiã metu iniuſtæ tyrannidis & ſæuitia hoſtiũ intelligunt: ideo dicit ſe cum voluptate viſurum vindictam diuinam, nempe, quia gloriam Dei hoc modo illuſtrari, & piorum fiduciam, quam de Dei iuſtitia conceperant, confirmari videt.

12 Ne interficias eos, ne obliuiſcantur popu-

lus meus: (vagari verò fac eos in exercitu tuo, & deiice eos clypeus noſter Domine.)

13 Ne obliuiſcantur peccati oris ipſorum, ſermonis labiorum ipſorum: ſed capiantur [*deprehendantur*] in ſuperbia ſua, & de execratione & mendacio annũtient [*verba faciant, ſcilicet, populus meus. Eſt enim ſyntheſis tam in verbis quàm in relatiuis pronominibus.*]

Redit ad imprecationem ſuprà verſu 6. inſtitutam, quâ hoſtes ſuos perpetuis exiliis & ærumnis deuouet. In ſententia videtur eſſe aliquid obſcuritatis, quia membra periodi ſunt disiuncta, & ſeries ſeu ordo ſententiæ eſt perturbatus, ideóque varias huc attulerũt expoſitiones, quæ ſententiam magis obſcurarunt, quàm illuſtrarunt & perſpicuam reddiderunt. Erit autem plana & perſpicua (ni fallor) ſententia, ſi duodecimi verſus poſterius membrum includatur parentheſi, & ſequens verſus coniungatur cum priore membro præcedentis. Idque faciendum eſſe accentus monent. Nam accentus forma ſibi inuicem correſpondentes ſæpenumero dictiones etiam procul diſſitas in vnam contrahunt ſententiam, & oſtendunt quomodo ſingulæ periodorum partes & dictiones cohæreant. Sunt autem accentus ſupra dictiones ישכחו & שפת ימו ſic formati, vt videantur vtranque dictionẽ connectere. Significat igitur poſterior accentus in שפת ימו quòd hæc pars alterius periodi cohæreat cum priori, & pertineat ad verbum præcedente verſu poſitum ישכחו. Nec impedit quod intercedit ſophpaſuc. Nam is accentus non ſemper abſoluit ſententiam, quod aliquando in Grammatica oſtendimus compluribus exemplis. Ita igitur ordinata ſententia intelligi ab auditoribus aliquo modo, & deprehendi mens prophetæ poteſt. Iam verba & phraſes conſideremus.

Priùs tamen monendi ſunt auditores, has pœnas non tantùm ſpectare ad Saulem & ipſius ſatellites, ſed quia vt in argumento dictum eſt, ſub Dauidis perſona etiam Chriſti paſſio in hoc pſalmo adumbratur, hæ pœnæ ad totum populum Iudaicum, qui Chriſtum horribili furore & odio perſequebatur, & tandem etiam crudeliter interficiebat, ſunt referendæ. Nam quod de exilio perpetuo, & de miſeriis exilia comitantibus in hoc pſalmo dicitur, magis ad diſperſionem gentis Iudaicæ factam poſt excidium vrbis Hieroſolymæ, quam ad illam exiguam hoſtium manum, quæ Dauidem perſequebatur, congruit. Eaque cauſa eſt cur omiſſo Dauide plerique interpretes tantùm de Chriſto pſalmum exponant.

Ne interficias] Hoc primùm facit ad pœnæ atrocitatem. Si enim mox interficerentur, vno tempore defungerentur periculis & miſeriis, quod eſſet illis optabilius. Eſt enim triſtius & grauius multò, perpetuò vagari in exiliis ſine certa ſede, ſine politia, ſine legitima defenſione, ſine magiſtratu, miſerum & egenum, atque omnibus iniuriis expoſitum, quã vno tempore per mortem his miſeriis omnibus eximi. Multa enim talibus accidunt mala, quæ ſunt triſtiora ipſa morte. Ideo inquit, Ne mox interficias, vt ſcilicet pœna ſit grauior. Addit autem propheta aliam cauſam, quæ non tam ad hoſtes quam ad populum Dei ſeu cœtum piorum ſpectat. Ideo inquit, non vno momento deleas hoſtes, ne apud populum meum extinguatur harum rerum memoria, ſed vt ſubinde quoties intuentur exilia & ærumnas ſuæ gẽtis, illo triſti exẽplo de iuſto tuo iudicio & ira aduerſus peccata cõmonefiant, atque ita pœnis aliorum edocti in pietate proficiant. Si enim Deus nõ pepercit naturalibus ramis, inquit Paulus ad Rom. 11. quid fiet de ſurculis inſititiis? Ita pœnas gẽtis Iudaicæ, quæ omnibus nobis ante oculos verſantur, vult perpetuas eſſe cõciones de ira & iudicio Dei, quibus pij ad timorẽ Dei, ad inuocationem, ad gratitudinem pro præſtitis beneficiis, & cęteras virtutes excitentur. Felix enim ille eſt qui alterius malo ſapit. Hæc igitur vna cauſa eſt cur politia illa deleta ſit.

Deinde & ad Dauidem atque ipſius hoſtes accommodari hæc poſſunt. Petit Dauid ne mox hoſtes interficiantur, atque ita patientiam ſuam oſtendit. Non enim cupit in nihilum redigi hoſtes, ſicut alij impatientiores, ſed triſtibus & aſſiduis pœnis commonefieri, vt diſcant quàm graue ſit, manus ſuas in vnctos Domini, hoc eſt, in pios & fideles mittere, ídque exemplum profuturum iudicat ad reliquã multitudinem coercendam, atque in officio retinendam.

Sequitur alterum membrum ex antitheſi: *Sed fac eos vagari in exercitu tuo* (cœtu tuo) id eſt, diſſipa & diſperge omnes in triſte exilium paſſim per totum mundum, vt vbicunque eſt aliqua eccleſia, ſeu cœtus, qui te agnoſcit & colit, ibi quoque conſpiciantur aliqui ex Iudæis, qui ſuis ærumnis teſtentur quantum ſcelus ſit oppugnare veram de Deo doctrinam, & blaſphemas in filium Dei voces emittere.

De exilij calamitatibus dictum eſt alicubi: κακῶν οὐδ' αὐτῇ πολλὰ ἐφέλκεται φυγή. & noti ſunt verſus Tyrtæi, in quibus calamitates exulum deſcribuntur: qui huc referantur.

Eſt autem dignum obſeruatione quòd cœtum piorum nominat exercitum Dei. dicitur enim exercitus, Primum, quia in hac vita perpetuò militat, & aſſiduum bellum gerit cum peccato, morte, diabolo, cum propriis affectibus pugnantibus cum lege Dei. Deinde, quia in miniſterio piorum multas magnas res in hoc mundo gerit Deus, ſicut ad Ierem. dicit Deus: Ego dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas & diſpergas & diſſipes & ædifices. Alij exponunt in virtute tua, hoc eſt, potentia tua, cùm illi fidant ſuis viribus, quaſi inexpugnabiles.

Deijce eos] Id eſt, exue eos omni dignitate & potentia, ſpolia eos patria, politia, legibus, defenſione legitimi magiſtratus, ſubde eos aliorum imperio, quorum cupiditatibus cogãtur obſequi, denique coniice eos in huiuſmodi miſerias & ærumnas, ex quibus rurſus emergere aut caput attollere nequeant.

Clypeus noſter Domine] Hoc addit vt fiduciam obtinendi eius quod petit, confirmet: quaſi diceret, cùm ſis populi tui defenſor aſſiduus & fidus, præſta hoc nobis quod petimus.

Peccatum oris ipſorum] Iam continuat priorem ſententiam, in qua cauſa finalis explicatur, cur non velit mox vno momẽto omnes hoſtes interfici, & in nihilum redigi. Ne, inquit, populus meus obliuiſcatur peccati oris ipſorum, hoc eſt, ſermonis labiorum ipſorum. Nam alterum membrum additur per appoſitionem, qua prius mẽbrum declaratur. *Peccata oris* nominat, ſermones labiorum, hoc eſt, blaſphemias & cõuitia, quibus Chriſtum & eius doctrinam quotidie inceſſebant, & mendacia, quibus ipſum & miniſterium eius deformabant, cùm dicerent eum habere diabolum, & in Beelzebub eiicere dæmonia, cùm dicerent eum eſſe blaſphemum, quòd ſe nominaſſet filium Dei, denique cùm totam eius doctrinam, tanquã vanam & fabuloſam riderent & contemnerent. Hæc ſunt illa triſtia peccata oris ipſorum, quibus iram Dei aduerſus ſe concitarunt, vt nunc eiecti ex patria vagabundi oberrent in toto orbe terrarum, nec vſquam certam ſedem reperiant, ſintque variis miſeriis, ærumnis & iniuriis obnoxij. Atque has Iudæorum miſerias, vult Dauid aſſiduum eſſe ſpectaculum iræ & iudicij diuini, in quod pij intuentes harum triſtium pœnarum cogitatione emendentur. Si de Dauide tanquam typo Chriſti & de ipſius hoſtibus intelligas, peccata nominat illa conuitia & calumnias aulicorũ, quibus ipſum traducebant, cùm dicerent eum eſſe ſeditioſum, turbulentum, qui per vim & cædem conaretur regnum inuadere, ſublato Saule & ipſius poſteris, deinde illas ſuperbas voces, quas plenis buccis euomebant, cùm gladios & necem illi minitarentur.

Deprehendantur in ſuperbia ſua] Puniantur propter illam ſuperbiam, quæ indicat extremum Dei & doctrinæ ipſius contemptum, teneantur irretiti, tanquam aues, vt in conſpectu omnium proſtet exemplum punitæ ſuperbiæ.

Et de execratione & mendacio annuntient [*commemorent.*]

Iam in ſpecie declarat hoc quod antea generaliter dixerat peccatum oris ipſorum ſeu ſermonem labiorum. Facit autem illa peccata duplicia: primùm execrationem ſeu blaſpemias, quas euomebant in filium Dei, vt dictum eſt: deinde mendacia, quibus ipſum & doctrinam eius deformabant, ridebant & contemnebant.

Verbum יספרו non eſt referendum ad hoſtes, ſicut ילכדו ſed ad populum Dei. Eſt enim antitheſis inter illa duo verba ימכרו & יספרו ne obliuiſcantur populus meus, ſed annũtient, id eſt, in perpetua habeant memoria, perpetuò hoc exemplum iræ diuinæ meditentur, & ſuis liberis ſeu auditoribus commemorent, vt cõmonefacti, timere Deum & verbum eius reuerenter amplecti diſcant, ne, ſi Iudæorum ſimiles fiãt, iiſdem cum Iudæis pœnis inuoluantur.

14 Conſume in furore, conſume, vt non ſint: & cognoſcant, quod Deus dominator [*ſit*] in Iacob, vſque ad fines terræ, Selah.

Videtur hic verſus pugnare cum 12. ibi enim petebat ne interficerentur mox, ſed variis miſeriis onerati diſſiparentur per totum orbem terrarum. Hic verò petit hoſtes conſumi, ne amplius ſint. Sed conſumptio illa, de qua hic loquitur, non referenda eſt ad vitam, quaſi illos extingui mox atque è medio tolli velit, ne amplius in terra conſpiciantur: ſed ad potentiã, vires, dignitates, voluptates, opes & diuitias, quibus antea ſuperbiebant, ſéque ſupra alios efferebant: ea omnia vult cõſumi, ne amplius ſe opponere Deo, aut nocere eccleſię poſſint.

poſſint. hãc eſſe verã ſententiã, oſtẽdit mox ſequens mẽbrum: *& cognoſcant quòd*, &c. Id certè in hac vita vult fieri. Vult enim Deus in liberationibus piorum conſpici ab hoſtibus præſentiam ſuam in eccleſia, eámque illis confeſſionem, vel inuitis exprimi, quòd Deus curet, ſeruet & defendat ſuos contra diaboli & malorum hominum furores & odia. Eſt igitur hæc ſententia, *conſume*, &c. id eſt, Exue illos omni potentia, eripe ipſis opes, & quicquid habent quod mundus admiratur & ſuſpicit, aut quo ipſi ſe efferre contra te, aut inſultare bonis poſſint. *Vt non ſint*, id eſt, vt nullas habeãt vires, nullas opes, dignitatem, eruditionem, opinionem ſapientiæ aut virtutis, quibus rurſus emergere aut creſcere poſſint.

Alij diuerſum tempus notari exiſtimant, vt ſcilicet aliquãdiu tolerentur, & ſint ſuperſtites, vt aliis in exemplum proponantur, ſicut captiui, qui ab Imp. in triumpho ducebantur: tãdem verò vbi exemplo eorum alij ſint edocti, maturè tollantur. Sed concinnior videtur eſſe prior ſententia, cum qua ſequens membrum rectè cohæret. Inquit enim, *vt agnoſcant*, &c. Ergo neceſſe eſt eos eſſe ſuperſtites. Ita enim ſuis calamitatibus & miſeriis edocti, diſcunt Deum mirabiliter gubernare & ſeruare eccleſiam ſuam paſſim per totum orbem terrarum ſparſam, etiamſi illa foris nudata omnibus præſidiis à potentiſſimis hoſtibus oppugnetur.

15 Et reuertentur ad veſperum: latrabunt vt canes, & circumibunt vrbem.

16 Ipſi vagabuntur ad comedendum: ſi non fuerint ſaturati, etiam pernoctabunt.

Continuat imprecationem ſeu vaticinium: nam, vt dixi, imprecationes habent vim vaticinij. Itaque vel in futuro tempore, vel in optatiuo hæc verba legi poſſunt.

Eſt autem notandum, prophetam hac oratione alludere ad illam figuram ſeu ſimilitudinem, qua antea vſus erat verſu 7. & 8. alio tamen modo & in alium finem hæc verba repeti. Ibi enim hoſtes ſuos cõparabat canibus famelicis & rabioſis, qui omnes vrbis angulos perreptarent & perueſtigarent, vt inuenirent quo famem ſuam ſedarent. Sed nunc ſimilitudinem illam conuertit in vaticinium, vt quod querelæ loco antè commemorauerat, id quaſi gratulando ſibi & eccleſiæ iterum ſubiiciat, in aliũ ſcilicet ſenſum flectendo. Cùm ſint tales, inquit, qui tanquam canes magna rabie bonos inſectentur, & quorum fames expleri non poſſit, ipſi deinceps quoque erunt tales canes, qui hinc inde oberrent, & victum fruſtra quærant. *vveil ſie luſt haben vmbher zulauffen vvie raſende hunde, ſo ſol es jnen begegnen, das ſie lauffens gnug kriegen.* Similes ſententiæ occurrunt alibi apud prophetas, vt cùm Deus apud Oſeam c. 4. de Iſraelitis dixiſſet: Iſrael, quaſi iuuenca laſciua & indomita, quæ nec in ſtabulo eſſe quieta, nec iugo aſſueſcere poteſt, ſed emiſſa hinc inde vagatur in campis exiliendo & decurſitando præ laſciuia, quærit libertatem in omnibus ſuis actionibus, nõ vult coerceri aut conſtringi legũ vinculis, ſed cupit vagari pro ſuo arbitrio. Mox ſubiicit: itaque Dominus paſcet eos, quaſi agnum in loco ſpatioſo, id eſt, Deus exẽptos ex ſtabulis, hoc eſt, ſpoliatos patria cõiiciet in loca ſpacioſa, *vvird inen raums gnug geben*, ſed non vt ibi ampliùs tanquam iuuenca laſciuiãt, ſed tanquam agnus tener ibi oberrent ſine paſtore, atque ita fame, terrore, & metu contabeſcant: hoc eſt, eiiciet eos in exilium, vbi vagentur incertis ſedibus, & hinc inde oberrẽt quærentes victum, ſed fruſtra. Similis prorſus eſt hæc locutio.

Reuertentur ad veſperum] Id eſt, cùm toto die ſeſe fruſtra fatigauerint, redibunt tandem re infecta, ac vana ſpe deluſi. nihil enim proderunt ipſis omnes ipſorum conatus, ſtudia, molitiones. nunquam enim perficient hoc quod inſtituerant, vt quod de reſtitutione politiæ & regni ſæpe cogitarũt, vel quod de opprimendis piis ſperarunt.

Latrabunt vt canes] Hoc videtur de eiulatu canum intelligere, qui eſt querulus & triſtis. *ſie vverden heulen vvie die hunde*, prę magnitudine calamitatum edent miſerabiles querelas. Vtitur verbo המה metaphoricè: propriè enim ſtrepitum ſignificat, qualis eſt multitudinis concurrentis. Nam נבח ſignificat propriè latrare, quod eſt canum, Ieſa. 56.

Circumibunt vrbem] Paſſim oberrabũt querula voce & gemitu quærentes victum apud gentes peregrinas: ita tamen vt nuſquam inueniant certam ſedem, ſed mox ex vno loco in alium migrare cogantur. Erunt enim omnibus gentibus exoſi.

Si non fuerint ſaturati] Id eſt, cùm non fuerint ſaturati, cogentur totam noctem ieiuno ſtomacho tranſigere. Hac circunſtantia videtur magis augere velle lnediæ & famis incommoditates. Miſerum eſt totum diem mendicando fruſtra conſumere: ſi tamẽ ſub veſperum corpus recreari cibo poſſit, minus eſt incommodi. Nam & cibus & ſomnus reſtituunt vires & depellunt mœrorem: ſed ſi noctem etiam eum ieiunum & inſomnem tranſigere oporteat, & vires exhauriuntur, & dolor animi augetur. Hæc amplificatio eſt in hoc membro. Interea verò per famem ſignificat non tantùm corporis, ſed animi bonorum inopiam. Vagãtur enim Iudæi nunc annos 1500. ſine politia, ſine legibus ſine magiſtratu, ſine certa ſede, vagi ac profugi, atque omniũ odio atque iniuriis obnoxij, & (quod maximum eſt) ſine luce verbi diuini, ſine vera animi conſolatione, ſine ſpe, oppreſſi horribilibus tenebris & doloribus, qui hîc per noctem ſignificantur. Eſt igitur ſententia: *Si non ſaturabuntur*, id eſt, cùm nullam inuenerint conſolationem, ita iacebunt perpetuis tenebris, ærumnis, miſeriis ac doloribus oppreſſi, & ita tandem in æternum exitium mergentur. Alij אם לא volunt eſſe iuramenti formam: alibi etiam bis volũt repeti negationem: ſed quæ à nobis expoſita eſt ſententia, eſt plana & perſpicua. לין non ſignificat actum dormiendi, ſicut ישן, ſed ſignificat pernoctare, hoc eſt, tranſigere noctem ſiue commemorando alicubi, ſiue meditando, ſiue operas nocturnas faciendo, ſeu quacunque re ſe occupando. Significat & eiulare in voce paſſiua, vt nocte faciunt beſtię ſylueſtres in eremis aut ſolitudinibus: & in tertia coniugatione הלין ſignificat, querulum eſſe, querulas voces edere. Num. 14. Quid queruli fuiſtis contra me? Sed regulariter in ea ſignificatione prima radicalis ſolet dageſſari. Vtrunque autem videtur hoc loco complecti, & dolorem nocturnum ac perpetuò durantem, & gemitus ſeu querelas, fremitus item aduerſus Deum, quales ſolent edere homines impij.

17 Ego verò cantabo fortitudinem tuam, laudabo manè bonitatem tuam: quia fuiſti arx mihi, & refugium in die [*qua*] anguſtia mihi.

18 Fortitudo mea, ad te pſallam: quia Deus arx mea, Deus clementiæ meæ.

Poſtrema pars pſalmi continet pollicitationem gratitudinis, quam plerunq; in fine precationum ſubiicere ſolet, quando iam conſolationem aliquam ſentit, & ſpem de liberatione certam concipit.

Cantabo] Id eſt, cantando celebrabo tuam potentiam, quæ ſuperat omnium vires, quòd iam circumſeſſum ab hoſtibus, & vndique cinctum mirabiliter me ex eorum manibus eripuiſti.

Decimus octauus verſus idem eſt cum 10. niſi quòd pro voce אשמורה vtitur vicino אומרה per paronomaſiam. Atque hinc apparet pro עזו in eo legendum עזי, vt antea monuimus.

PSALMI LIX.
PARTES.

I. Propoſitio ſumma poſtulati ſui, nempe vt liberetur ab hominibus inimicis, iuſto ſuperbè inſultantibus, iniquis & ſanguinariis, v. 2. & 3.

II. Narratio ſiue cauſarum explicatio ex quibus liberationem petebat. 1. A perſona ſupplicis, propter innocentiam ipſius, v. 4. & 5. 2. A perſona aduerſariorum, à v. 6. ad 17. quorum perfidiam, improbitatem, ferociam, crudelitatem, impietatem, ſuperbiam ordine deſcribit: addita Dei in eos animaduerſione, vt qui ſubſannabit, exagitabit, deiiciet, conſumet & perdet eos in ira ſua. Ex aduerſo erit protector benignus & potens, nempe editus locus & clypeus ſuorum. Inimici verò irriſi, deiecti, macilenti, diſperſi & omnium miſerrimi apparebunt.

III. Concluſio euchariſtica, v. 17. & 18. qua Deus agnoſcitur piorum robur, benignitas, locus editus, & refugium.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. Quemadmodum in ſola Dei miſericordia ſalus quærenda eſt: ita eius beneficia poſt liberationem nos agnoſcere decet, & meminiſſe iuuat.

Seruandi modus in Dei manu eſt, quantumuis ſupra capita noſtra hoſtes immineant.

3. 4. Quò ſibi meliùs ſunt cõſcij fideles: eo plus ad quærendũ Deũ

fiducia illis ſuppetit: quia liberior patet aditus,eo quòd communem ſuſtineant cum Deo ipſo cauſam. Nã quia Deus iuſtitiæ aſſertor eſt, bellum cum eo ſuſcipit quiſquis innoxios aggreditur.

Quanuis Deus ſuos affligendo,eorum peccata caſtiget, meritò tamen fideles, impiorum reſpectu, ab omni culpa ſe eximunt,atq; hoc modo Deo deferunt iudiciũ ſuæ integritatis, quæ apud homines perverſis calumniis ſuccubuerat.

Vt pios perdant impij,neruos omnes intendunt,nihilque omittunt ad extremam diligentiam, adeo in perniciem filiorum Dei cupidè intenti ſunt.

5 Quum impij ad perniciem piorum incumbant, maximus eſt ille fidei profectus,Dei vrgere auxilium: cuius fauorem nobis conciliamus,ſi cauſa noſtra ipſum appellamus teſtem ac iudicem.

Dum videndi partes Deo tribuimus, nihil eius prouidentiæ abſconditum eſſe agnoſcimus.

6 Non poteſt magis fieri vt Deus abijciat iudicandi munus, quàm vt ſeipſum abneget,vel exuat ſuam eſſentiam.

Proprium Dei munus eſt non modò paucos in ordinem cogere, ſed pœnas exigere de ſceleribus totius mundi.

Quum Dei miſericordiam ab impijs prohibent Dei ſerui, reprobos tantùm notant,quorum deplorata eſt iniquitas.

In imprecationib⁹ aduerſus hoſtes eccleſiæ hæc concurrere debent. 1.vt priuato affectu ſimus exuti: 2.omni turbida intẽperie purgati. 3.exitio iã addictos veluti quibuſdã notis (ſumma videlicet impietatis,deplorata perfidia,& horrẽda crudelitatis) diſcernamus,arcana ſua iudicia Deo relinquentes. 4.puro & compoſito ſpiritus zelo, communem potiùs eccleſiæ cauſam quàm noſtram agamus.

7 Impiorum inexplebilis eſt ſæuitia,&nocendi libidine ardentes nullum ſatagendi,necnon viros pios allatrandi modum faciunt.

8 Non modò clanculum agitant conſilia ſcelerati eccleſiæ inimici in eius perniciem,ſed publicè & cum iactantia effutiunt quod cõceperunt animis: atque ad iugulandos innocentes tot euomunt gladios, quot voces proferunt, quia in poſſeſſionem crudelis iniuſtitiæ & horrendæ impietatis pridem venerunt.

9 Vbi omnia machinati ſunt impij,Deus nullo negotio, & quaſi per iocum diſſipat omnes eorum conatus.

Etiamſi numero æquarent totum mundum crudeles eccleſiæ aduerſarij,ludibrio tamen erunt cum ſuis opibus & copijs.

10 In ſummis periculis eccleſia Deo tribuens potentiam qua totum mũdum gubernet,hoſtes ſuos arcano fræno conſtringi, totumq; eorum robur aliunde pendere colligit,vt ne digitum quidem mouere queant, niſi annuente Deo, cuius voluntatem & auxilium pacato & tranquillo animo expectat.

11 Vtcunque ceſſet Deus, vel opem ſuam differat,in ipſo tamen aderit articulo.

12 Deus conſultò vltimam vltionem differt: ne ſi impios vno momento deleat, ſtatim memoria iudiciorum eius in animis noſtris extinguatur.

13 Etſi aliquoties ſubdolosè agant impij, & velut laruati incedant, tamen ſæpius in eorum vultu & ore peccatum eminet, quia plenis buccis ſuperbiam & crudelitatem ſuam euomunt.

14 In diuinorum iudiciorũ conſideratione hæc duo nobis occurrere debent, iudicia Dei nobis ſtatui ante oculos longo temporis ſucceſſu, ne excidat eorum recordatio: & tamẽ vbi ſatis ſumus edocti, infenſo & aduerſo Deo nihil reprobis ſupereſſe præter lentam tabem, qua paulatim ad ſuum exitium deferuntur,oportere vt tale ſpectaculum meliùs expergefaciat noſtras mẽtes,vel pigras, vel leuioribus pœnis minùs attentas.

In eccleſia præcipuè agnoſcitur Dei imperium: abſurdum enim videri poſſet res illic tam confuſas eſſe, vbi ſibi Deus regium ſolium erexit,vt ſacrarium eius nihil differret à latronum ſpoliario.

15.16. Impij vbi ſatagendo ſe toto vitæ curriculo fatigauerunt, vt eccleſiæ Dei negotium faceſſant,ſuis votis fruſtrabuntur.

17 In medijs etiam periculis eccleſia ſibi fore canendi materiam ſperat,& ſe quodammodo ad gratiarum actionem accingit.

Liberatio eccleſiæ ex tot periculis eſt magnificum opus omnipotẽtiæ Dei:deinde gratuitum beneficium.

18 Sicuti Deus fortitudinem impiorum cõtinet,vt cohibeat aut frænet,imò oſtẽdat fallaces & nullas eſſe quas illi vires ſibi arrogãt: ita ſuos fulciens robur illis ſuppeditat,ne vnquam deficiant.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Hoſtes Eccleſiæ ad viuum depicti.
2. De iuſtitia cauſæ,& perſonæ.
3. Omnipotentia & Veritas Dei,piorum conſolatio.
4. Subſannare hoſtes ſuos quo ſenſu Deus dicatur.
5. De imprecationibus aduerſus Eccleſiæ hoſtes.
6. Eccleſiæ perſecutores cur alij aliis ſuccedant.
7. Iudiciorum Dei conſideratio & vſus.
8. Pſalmorum & hymnorum ſacrorum argumentum.

ARGVMENTVM PSALMI LX.

HIC pſalmus eſt εὐχαριστικὸς, & velut carmen triumphale ſeu ἐπινίκιον,in quo celebrantur crebræ victoriæ diuinitus huic populo poſt varias multorum annorum ærumnas & iactationes conceſſæ. Erat enim regnum Iſrael antequam Dauidi gubernacula ab omnibus tribubus committerentur, miſerè turbatum,attritum & laceratum, cùm interfecto rege Saule & filiis eius,optimóque exercitus robore ſeu flore deleto,Palæſtini potenter in Iudæa dominarentur, multis paßim vrbibus occupatis ac præſidio munitis, & ipſi Iſraelitæ paßim deſertis vrbibus in montes confugerent, ſéque inter rupes occultarent, vt ſcribitur primo Samuelis vltimo. Has verò clades ſequuta ſunt alia inteſtina bella & ſeditiones, quibus regnum miſerè in partes fuit ſciſſum & diſtractum, pleriſque ſequentibus ducem Abner, filium Ner, qui Iboſetum Saulis filium regem conſtituerat, ſola tribu Iuda excepta, quæ Dauidem ſequebatur, vt ſcribitur ſecundo Samuelis 2. & 3. Vnde bella & laniena aßiduæ ſequebantur,vt fieri in diſſenſionibus ciuilibus neceſſe eſt. Has miſerias initio pſalmi commemorat & amplificat, vt è regione magnitudo beneficij diuini in reſtauratione & reſtitutione regni, atque in conceßis crebris victoriis aduerſus hoſtes magis conſpiciatur. Non enim humanæ erat induſtriæ aut ſapientiæ,regnum ita turbatum,atque in tot partes ſciſſum, vno quaſi momento ita reſtituere, vt non tantùm priſtinum ſplendorem & vires recuperaret,ſed etiam vt viciniis oppreßis fines ſuos longiùs proferret. Hæc igitur beneficia agnoſcens Dauid, carmen gratulatorium compoſuit,in quo ſibi & toti regno de hac felicitate, quæ diuinitus contigerat,gratulatur,& Deo pro his beneficiis gratias agit: ipſum etiam populum hortatur, vt hæc beneficia agnoſcentes,Dauidi,à quo hactenus alieniores fuerant, promptiùs ſe ſubiiciant. In fine precationem addit,vt deinceps pergat Deus populum defendere, & ſeruare contra hoſtium furores & conatus. Agnoſcit enim nullis humanis viribus regnum hoc & eccleſiam, quæ hoc regno adumbrata eſt, defendi aut ſeruari poſſe,ſed ſola diuina potentia tutam & ſaluam conſiſtere. Ideo cùm Dei opem & auxilium implorasſet, ex antitheſi addit ſententiam memorabilem,quæ de inſtabilitate rerum humanarum nos admonet,& Dei potentiam commendat. Vana,inquit, eſt ſalus hominum:ſed in Deo faciemus virtutem. Legentes autem hunc pſalmum,nos quoque cogitemus quantum ſit beneficium diuinum,quòd eccleſiam inter horribiles regnorum confuſiones & ruinas, inter nos ſibi colligit, & mirabiliter aduerſus diaboli & aliorum hoſtium furores hactenus eam ſeruat & defendit. Non enim illa ſunt humanæ ſapientiæ aut potentiæ:& Deum oremus, vt deinceps eam ſeruet, nec deleri eam à tyrannis & diabolorum furoribus ſinat.

AD triumphandum, ſuper lilio teſtimonij: aureolum Dauidis ad docendum.

2 Cùm præliaretur aduerſus Syriam fluuiorum, & aduerſus Syriam Zoba: Et reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edom in valle ſalis duodecim millia.

שושן עדות interpretes, vt pleraque alia eius generis, exiſtimant eſſe initium tritæ & vulgaris cantilenæ: quod vel ex

coma-

eo manifeſtum eſſe volunt quòd diuerſis argumentis accommodatur, vt ex pſalmo 80. videre eſt. Alij tamen roſam teſtimonij vel ornamenti exponunt, & de regno Iudaico id intelligi volunt, quod eo tempore tanquam roſa fragrantiſſima eminebat inter reliqua regna totius orbis terrarum, non tantùm felicitate ſucceſſuum & crebris victoriis, ſed quod præcipuum & ſummum erat, luce verbi diuini, doctrina de vera agnitione Dei, de veris cultibus Deo debitis: in quo promiſſio erat de venturo Meſſia, & de duratione huius politiæ vſque ad eius aduentum, de aſſidua Dei præſentia in hoc populo, &c. Has tantas res volunt eum comparare roſæ ſeu lilio quod emineat inter omnes flores, & inprimis regem & regnum ornet. Nam עדות ornamentum regium ſignificat. Eſtque hoc argumentum eruditè expoſitum à R. D. præceptore Philippo Melanchthone in commentariis, ad quos auditores remitto. De voce שושן dictum eſt pſal. 45. in cuius titulo ſcribitur.

Ad docendum] Hoc nonnulli ſic interpretantur, quòd à Dauide hic pſamus fuerit datus Leuitis, quem ediſcerent & alios docerent. Sed quia etiam reliqui pſalmi, qui hac nota non ſunt inſigniti, Leuitis ediſcendi atque aliis proponẽdi tradebantur (erant enim Leuitæ, quaſi doctores ſeu interpretes ſacræ Scripturæ) ideo alij exiſtimãt Dauidẽ hac dictione illos, qui ex ſubditis adhuc factiones alebant, & ſubinde occaſiones deficiendi & turbandi rempublicam quærebant, voluiſſe cõmonefacere, vt tot illuſtribus victoriis, tanquam certiſſimis documentis edocti, tandem agnoſcerent, ipſum regem eſſe diuinitus creatum, & ſepoſitis odiis & factionum ſtudiis placidè ſe ſubmitterent eius imperio. Non enim ſubitò omnium animi poſt Iſboſethum interfectum ei conciliabantur: ſed erant qui perpetuò res nouas molirentur, & regnum ad alios trahere conarentur. Hos cupit docere, vt conuicti fateantur Deum approbare Dauidis regnum, eique adeſſe tanquam legitimo & à ſe conſtituto regi.

Cùm præliaretur contra Syriam Meſopotamiæ] Meſopotamiam Hebræi vocant Syriam fluuiorum, quia Meſopotamiam annumerant Syriæ, quam ipſi Aram nominant. Ex Latinis quidã Græcos æmulati Meſopotamiam nominant Interamnem Syriam. Zoba exiſtimant quidam eam eſſe quæ à Latinis dicitur Caua, Zain litera in cognatam c mutata. Alij putant eſſe Sophenen partem Syriæ, qua tranſit Taurum, vt inquit Plinius libro 5. cap. 12. hoc eſt, regnum vltra & citra Taurum inter vtramque Armeniam.

Sed non videtur eò vſque penetraſſe cum exercitu Dauid. 1. liber Paralip. 18. affirmat Syriam Zoba pertinere ad Syriam Hemath, hoc eſt, ad eam Syriæ partem in qua eſt Antiochia, quæ olim dicta eſt Hemath. Nam Adarezar rege Zoba deuicto miſit Tohu rex Hemath filium ſuum ad Dauidem petitum pacem, & gratulatum de deuicto hoſte, cum quo ei perpetuæ fuerant lites de finibus. Ex 2. libro Sam. cap. 8. colligitur, Syriam Zoba eſſe illam Syriæ partem quæ ad Septẽtrionem & Occaſum vergit. Numerat enim Berithum inter vrbes Adarezar regis Zoba. De Beritho verò vide Volaterr. lib. 6. & tabulas Chorographicas. Ego exiſtimo ſub appellatione Zoba hoc loco comprehendi Syriam Damaſci. Nam deuicto rege Adarezar etiam exercitum regis Damaſceni profligauit, interfectis ex exercitu eius viginti duobus hominum millibus. Erat autem Damaſcus caput Cœleſyriæ.

Edom] Nominat vltima loca ad Septentrionem & meridiem, ſub quibus intermedia comprehendit. Nam & alios, vt Ammonitas, & Moabitas, eodem ferè tempore profligauit.

In valle Salinarum] Vallem Salis nonnulli exiſtimant eſſe lacum Aſphaltiten. Ibi enim aqua, quæ ex Iordane influit, calore ſolis conuerti ſcribitur in ſalem: & fortaſſis ille locus eſt in quo Abraham feliciter pugnauit. Nam in Geneſ. cap. 4. dicitur bellum geſſiſſe in valle Salis.

Duodecim millia] 1. Paral. 18. dicuntur interfecta 18. millia, & res tribuitur Abiſai fratri Ioab. 2. Reg. 8. eadem res Dauidi adſcribitur. Hic verò Ioabo illa victoria tribuitur. Hæc videntur quodammodo inter ſe pugnare, ſed conciliatio facilis eſt. Primùm, quod ad perſonas attinet, res tribuitur Dauidi tanquam regi, cuius auſpiciis omnia gerebantur. Deinde Ioabo tanquam ſummo duci, qui nomine regis præerat exercitui, & penes quem ſumma erat poteſtas poſt regem. Abiſai verò, quia cum ſuis militibus primus in hoſtes impetum fecit, eorúmque copias diſſipauit. Et fieri potuit, vt partiti ſint inter ſe exercitum Ioab & frater Abiſai, & in primo congreſſu interfecta ſint 5. aut 6. millia: reliquum numerum, cuius hîc fit mentio, à Ioabo eſſe cæſum veriſimile eſt, cùm in fugientes ipſe cum ſuo exercitu incidiſſet. Atque ita Hebræi hanc pugnantiam conciliant.

3 Deus, repuleras [*abieceras*] nos, diſſiparas nos:
iratus eras [*ſed*] redibis nobis [*redi ad nos.*]
4 Tremere feceras [*concuſſeras*] terram, dehiſce-
re feceras eam: ſana contritiones [*rupturas*] eius, quia
commota eſt [*ſeu commotione rupta eſt.*]
5 Oſtendiſti populo tuo durum: potaſti nos vi-
no vacillationis.

Vt commemoratio beneficiorum, quæ in hoc pſalmo prædicatur, ſit illuſtrior, orditur narrationem à deſcriptione eius temporis & ſtatus regni, qui mortem Saulis præceſſit, & proximè ſecutus eſt eius interitum, antequam Dauid in regno confirmaretur. Fuit enim ille ſtatus turbulentiſſimus & periculoſiſſimus, ſicut in argumento dictum eſt. Ex collatione igitur ſeu antitheſi confert præſentis temporis ſtatũ cum eo qui paulo antè præceſſerat, vt ita magnitudo beneficij magis conſpiciatur. Et quia illa recordatio priorum calamitatum ita Dauidem afficit vt ſine ſummo dolore eas recenſere non poſſit, ipſi commemorationi ſubinde miſcet precationem, qua petit, ne populum deinceps deſerat Deus, atque vt regni vulnera ſanet. Tota igitur oratio horum trium verſuũ referenda eſt ad finem regni Saulis & ad illud tempus, quod proximè ipſius mortem ſecutum eſt. Tunc enim variis calamitatibus erant obruti & oppreſſi Iudæi, vt viderentur prorſus deſerti & abiecti à Deo. Primùm rex erat impius, qui magna crudelitate graſſabatur in ſacerdotes, commouebat totũ populum, vt Dauidem iniuſtè perſequerentur, & aula plena erat peſſimorum & ſceleratiſſimorum hominum, ſicut antea hac de re querelas Dauidis audiuimus, Ideo inquit, *repuleras nos.* Atque id ſi teneatur, nõ opus eſt diſputare hoc loco quomodo exordium congruat cum ſequenti narratione: in quo valde laborare Baſilium videmus.

Diſſiparas ſeu feceras rupturam inter nos] Cęſa ſcilicet magna parte exercitus cum Saule, & ipſius filiis, atque ipſo iuuentutis ſeu militum flore extincto: intromiſſis item Palæſtinis in noſtram regionem, qui vrbes occupatas præſidiis munirent, & ſubinde armis ſuis nos infeſtarent, *Das vvar ein groſſer ris.*

Iratus eras] Id eſt, oſtendebas te iraſci nobis, quia grauiter nos affligebas bellis, non tantùm externis, ſed etiam inteſtinis, cùm inter ſe committeres tribus.

Reuertere ad nos] Id eſt, oſtende te non ampliùs iraſci, non auertas vultum tuum à nobis, vt ſolent irati, ſed blandè nos aſpice, & conſolare, recrea nos benigno vultu tuo.

Concuſſeras terram, &c.] Hoc videtur referẽdum ad ſeditiones, quæ mortem Saulis ſecutæ ſunt, tunc enim quaſi dehiſcens rupta eſt terra diſtractis voluntatibus procerum regni, aliis ad Iſboſethum filium Saulis, aliis ad Dauidem inclinãtibus, & ſæpe armis inter ſe de regno contendentibus, vt ſcribitur 2. Sam. 2. & 3.

Sana contritiones] Iam cœperant ſanari illa vulnera, cùm interfecto Iſboſetho Dauid conſenſu omnium tribuum factus eſſet rex, & Deus his pulcherrimis victoriis, quas paulo pòſt commemorat, iudicium populi comprobarat. Iam enim refloreſcere reſpub. & vires ſuas recuperare cœperat. Sed quo affectu fuerit in iſtis periculis, & qualia vota conceperit pro ſalute huius populi, his verbis oſtendit Dauid: deinde vt in futurum ſtatus regni integer & incolumis conſeruetur, petit. Fieri etiam poteſt, vt nondum eo tempore quo pſalmus ſcriptus eſt, plenè coaluerit regnum, & nondum ſanata fuerint omnium odia: id quod ex ſequentibus etiam apparet.

Oſtendiſti durum] Feciſti vt videret & experiretur dura, hoc eſt, grauiter afflixiſti populũ & duriter eum tractaſti, vt nullum penè genus ſit calamitatum, quod non ſint eo tempore experti.

Potaſti] Exaggerat calamitates & malorum acerbitatem à ſimilitudine. *Potaſti nos vino vacillationis*, id eſt, oneraſti nos tantis calamitatibus quas ſuſtinere ampliùs non poteramus, & quibus neceſſe erat nos ſuccumbere, ſi diutiùs duraſſent. Iã enim vacillabamus & nutabamus, ſicut ebrij, nec vbi conſiſteremus aut acquieſceremus inueniebamus. Magna pars populi quaſi deſperabat de ſalute, abiiciebat promiſſiones diuinitus ſibi factas, & vel deſperabat prorſus, vel ad alia præſidia quærenda ſe conuertebat. Hoc nominat vinum vacillationis. Phraſis ſumpta eſt à cura œconomica: vt enim paterfamilias ſuis domeſticis diſtribuit demenſum: ita Deus quoties onerat nos calamitatibus, dicitur nobis quaſi demenſum noſtrum diſtribuere. Ideo pſal. 75. pingitur Deus habere calicem plenum forti vino in manu, & ex eo propinare hominibus, dum ſingulis ſuam portionem afflictionum diſtribuit quam ſuſtineant. Atque inde calicis nomen in Scriptura vſurpatur μετωνυμικῶς, pro calamitatibus cuilibet à Deo impoſitis.

6 Dediſti timentibus te vexillum, ad vexillan-

dum propter firmamentum [*certitudinem. firmitatem*] Selah.

Sequitur alterum membrum collationis, in quo ſui temporis ſtatum depingit, quem longè alium & lætiorem eſſe ſignificat quā fuerat ille prior: nunc verò, inquit, facta mutatione & conceſſis crebris victoriis erexiſti vexillum ad quod populus tuus antea diſperſus & disiectus, & deſperatione oppreſſus rurſus ſeſe colligat, & vires afflictas & penè euerſas recuperet. Illud enim vexillum quoties agitatur, ſignum eſt fauoris & præſentiæ tuæ, in quod intuentes, in nouam ſpem recuperandi regni eriguntur. Quoties igitur educitur exercitus, toties res bene & feliciter geritur: non redeunt duces amiſſis vexillis, aut magna exercitus parte deleta, vt antè: ſed vexillum illud, quod tu dediſti, ſemper agitatur, & militum animos accendit, vt alacriores pugnam ingrediantur, & victoriam reportent. De hac igitur felicitate ſibi & toti populo gratulatur, & Deo gratias agit. Quod autem dicit Deum dediſſe hoc vexillum, ſignificat inprimis Dei auſpicio & iuſſu illa bella geri, ideóque euentus eſſe felices. *Du haſt ein fenlin auffgevvorffen, die ſich zu dem halten, den gereth es vvol.* Alij ſignum interpretantur arcam fœderis: ſed intelligo victorias, atque ſigna militaria, quæ exercitus victor circumferebat.

Propter firmitatem] Id ſimpliciter ſic interpretor: vt certi ſimus promiſſiones huic populo factas non eſſe irritas, vt ſtatuamus te nobis adeſſe iuxta promiſſionem, téque ducē eſſe exercitus noſtri, & nos pulcherrimis illis victoriis ornare, vt fides noſtra confirmetur. Alij nimis procul diſcedunt à ſententia, qui ita exponunt: propter veritatem, id eſt, qui veraces & integri inuenti ſunt Iudæi. Nam hiſtoria eius temporis hanc interpretationem facilè redarguit. Maxima enim pars erat fœdifraga, dum relicto Dauide, quem ſciebant diuinitus eſſe electum & vnctum in regem, alios quærerent, nunc Isboſethum, nunc Mephiboſethum, &c. Periuri igitur erant potiùs quàm firmi aut veraces.

Eſt autem obſeruandum quod dicit, *Timentibus te.* Etſi enim totus popu'us illo beneficio diuino fruebatur, tamen dicit Deum in illo facto in primis reſpexiſſe ad timentes ſe, atque horum cauſa tam fuiſſe benignum & beneficum: ideo rurſus ſequenti verſu hoc repetit, beneficia hæc ad pios maximè pertinere, quorum inprimis Deus curam agat.

7 Vt liberentur dilecti tui: ſerua dextera tua, & exaudi me.

Primùm, vt dixi, cauſa finalis explicatur. Ideo nouis viribus hunc populum inſtruis, & regnum antea laceratum & diſtractum vis reſtaurari, vt pij tandem ex illis triſtiſſimis calamitatibus quibus hactenus fuerant oppreſſi, liberentur. Deinde, ſicut ſuprà commemorationi calamitatum, quæ præceſſerat, ita hic rurſus narrationi victoriarum & ſucceſſuum miſcet precationem, vt deinceps pergat Deus adeſſe huic populo, eúmque contra hoſtes defendere & ſeruare. Talia enim vota ſubinde miſcet animus pius gratiarum actioni. Cupit enim illa beneficia eſſe perpetua.

8 Deus locutus eſt in ſanctitate ſua: lætabor: diuidam Sichem: & vallem Succoth dimetiar.

9 Meus eſt Galaad, & meus Manaſſe: Ephraim robur capitis mei: Iuda legiſlator meus.

Iam propiùs accedit ad commemorationem victoriarum. Eas verò ne ſuis viribus, ſapientiæ, induſtriæ aut peritiæ rei militaris, vel, quod alij faciunt, fortunæ adſcribere videatur, initio dicit, Deum ſuo ore teſtatum eſſe, & promiſiſſe ſalutem & victorias huic populo: eas promiſſiones nunc re & euentu comprobari: atque ita docet omnes illas victorias ad nullum aliū quàm ad Deum eſſe referendas.

Locutus eſt in ſanctitate tua] Id eſt, promiſit nobis ſalutem certò & verè. Non minùs enim fallere nos hæc promiſſio poteſt, quàm ille ſanctitatem ſuam deponere aut exuere poteſt. Itaque & hactenus variis victoriis nos ornauit, & deinceps ornabit. Loqui enim in ſanctitate ſua, hoc loco videtur idem ſignificare quod ſanctè promittere, vt quàm verè ſanctus eſt Deus & purus, atque ab omni ſimulatione & mendacio alienus, tam verè hoc etiam præſtet. Alij tamen ſimpliciter ſanctitatem intelligunt ſanctuarium, vbi Deus ediderit illud oraculum, & de ſua voluntate teſtatus ſit. Qui de Spiritu ſancto intelligunt nomen קודש videntur à phraſi Hebræa recedere longiùs.

Exulto] Id eſt, in illa promiſſione mihi facta lætus acquieſco, & bella pro ſalute huius populi eo alacriore animo ſuſcipio & gero, quia certus ſum Deum mihi iuxta promiſſiones ſuas adeſſe, armare meam dextram & vires attribuere, vt feliciter conficiam bella ſuſcepta.

Diuidam Sichem] Iam oraculi ſummam refert, ita tamen, vt in ipſa oratione ſimul fidei ſuæ certitudinem oſtendat. Loquitur enim partim de partis victoriis, partim de futuris, tanquam certò exploratis. Nam priores victoriæ certam ei ſpem etiam de ſequuturis fecerant.

Diuidam] Id eſt, poſtquam externos hoſtes Syrios & Idumæos, à quibus maximum huic populo imminebat periculū, ita feliciter profligaui, meóque regno ſubieci: iam vltro & ſponte ſe mihi ſubiicient, Sichem, vallis Succoth, Manaſſe, Ephraim, &c. qui ſcilicet hactenus ſecuti erant Isboſethum, & regnum in duas partes diſtractum crebris ſeditionibus & bellis inteſtinis turbarant. Videtur enim pſalmus hic compoſitus ſub illud tempus, cùm adhuc, vel viuente Isboſetho, vel paulo pòſt plerique ex Iſraelitis Dauidem adhuc odiſſent. Et narrat hiſtoria 1. Paralip. 18. & 2. Sam. 8. Dauidem primùm poſt illas victorias à Syriis & Idumæis reportatas confirmatum eſſe in vniuerſo regno Iſrael, vt ſolus dominaretur, atque illi ſponte obtemperarent. Nam ad illud vſque tempus erant multi qui cùm alieniores eſſent à Dauide, ſubinde quærerent occaſiones tumultuum, quibus Dauid rurſus excuteretur. Ideo facit præcipuè mentionem eorum locorum in quibus Isboſeth ſua habuerat præſidia aduerſus Dauidem.

Sichem ſita fuit non procul ab vrbe Samaria, quæ multo pòſt condita eſt, vicina monti Garizim. Nomen factum eſt ab humero, fortaſſis à ſimilitudine ſitus, ſicut Ancona in Italia, quòd in formam cubiti ſit extructa, & *Ellenbogen* in Germania, ad Rhenum & in Dania. Gen. 12. Deus rurſus apparuit Abrahæ in Sichem, & repetiuit promiſſionem: propter huius rei memoriam, locus fuit valde celebris, antequam Samaria conderetur: eóque reſpexiſſe eos qui loca illa per ſeditionē occupabant, veriſimile eſt. Ex Gen. 33. apparet huic Sichem antea fuiſſe nomen Salem.

Diuidam] Id eſt, poteſtati meæ ſubiiciam, diſtribuam enim agros colonis, tanquam verus Dominus. חלק enim refertur ad diſtributionem agrorum, ſicut & alterum מדד. Metonymia eſt in vtroque verbo, ſignum enim ponitur pro ſignato. Nam qui aliis agros diſtribuit, oſtendit ſe eſſe eius terræ dominum. Verbum Hebræum חלק ſignificat in certas portiones diuidere & diſtribuere: inde חקל per metatheſin ſignificat agrum, partem terræ alicui attributam, atque inde eſt illud in hiſtoria Chriſti Hakeldama, Actor. 1.

מדד ſignificat adhibito vel funiculo, vel alia certa & conueniente menſura, dimetiri. Quo verbo ſignificatur æqualitas Geometrica, quam ſeruaturus ſit in diſtributione. *Das einer nicht zuuiel, der ander zuvvenig bekomme.*

Succoth] locus eſt vltra Iordanem ad torrentem Iaboc, vbi Iacob congreſſus eſt cum Eſau, Gen. 33. Vocabulum ſignificat tabernacula, quam appellationem Iacob ei indidit, quòd poſt digreſſum fratris ibi domum ædificaſſet, & tentoria fixiſſet.

Meus eſt Galaad] Galaad, nomen montis eſt vltra Iordanem, verſus Arabiam ad dorſum Phœnices & Arabiæ, continuo tractu cohærens cum collibus Libani & monte Hermon, & deſcendens verſus meridiem, vſque ad torrentem Iaboc. Inde regio ei adiacens, dicitur Gileaditis. Nomen ſignificat aceruum teſtimonij, quia Laban & Iacob ibi congeſtis lapidibus, & veteri more facto monumento fœdus fecerunt. Gen. 31.

Ephraim robur capitis mei] Abundabat tribus Ephraim multitudine hominū præ aliis. Ideo nominat eam robur ſui principatus ſeu regni. Hæc tribus, inquit, bellatores præcipuos & milites prætorianos proferet.

Iuda legiſlator meus] Id eſt, hæc familia ſuppeditabit mihi optimos conſiliarios & gubernatores tempore pacis, qui iudicia rectè adminiſtrent & domi diſciplinam conſtituant & tueantur. Alludit autem hac appellatione ad oraculum diuinum ſeu vaticinium Iacob, quod extat Geneſ. 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec legiſlator, de pedibus eius, donec veniat Siloh.

10 Moab olla lotionis meæ, ſuper Edom proiiciam calceamentum meum: ad me Palæſtina iubila.

Iam omiſſis Iſraelitis tranſit ad exteros & alienigenas, quos etiam ſuo imperio ſubiiciendos docet, alio tamen modo & conditione quàm erāt Iſraelitæ. Nam de ſui populi tribubus honorificè loquebatur, vt ſignificaret illud imperium fore prorſus paternum & mite. Sed imperium in gentes vicinas alienas à populo Dei & incircumciſas, ſignificat fore duriùs. Ideo formis loquendi vtitur, quæ contumelioſam ſubiectionem ſignificant. Si ad Chriſtum accommodes, ſignificatur Chriſtum colligere eccleſiam ex Iudæis & gentibus.

Moab,

Moab, erit olla [vel peluis] lotionis meæ) Id eſt, ad viliſſima quæque officia abutar horum opera. Lotiones pedum in vſu communi erant orientalibus, & ad hanc rem vtebãtur opera miniſtrorũ & ſeruorum. Videtur autẽ ſic de Moab loqui, quia abũdabat illa regio paludibus, *Moab iſt men vvaſchtopff.*

Proijciam calceum meum] Hoc ſignum eſt nõ tantùm ſubiectionis, ſed etiam contumeliæ, vt cùm quis alicui ſuperbè inſultãs & calce eum feriens, calceum inter feriendum in eum proiicit, ſignificans ſe hunc non tantũ contemnere, ſed etiã ludibrio habere, atque aliis ridendum proſtituere. Significat igitur hac phraſi Idumæos non tantùm ſeruiliter tractandos, ſed etiam cum quadam contumelia ipſorum miſerias aliis eſſe oſtentandas. Atque hæc iuſta fuit talionis pœna. Ipſi enim hactenus petulãter & ſuperbè inſultauerãt populo Dei, & quacunque poterant contumelia eum affecerant.

Ad me iubila Palæſtina] Hoc videtur eſſe paulo obſcurius: neque enim ſatis explicatur qualis ille clamor Palæſtinorum ſit futurus. רוע enim in genere ſignificat clamare, ſtrepitum ſeu ſonitum edere, ſiue id fiat ore tantùm, ſiue etiam admoto inſtrumento, vt tuba aut buccina. Nec tantùm lætum clamorem ſignificat, aut eum quo ſeſe milites concitant, ſed etiam qui ex triſtitia oritur, vt Iud. 7. Et cucurrit turma vniuerſa & vociferati ſunt & fugerunt. Et Eſa. 15. Propterea turma Moab clamabunt, id eſt, edẽt lugubres voces & eiulatus. Quidam exiſtimãt hoc loco eſſe ironicã loquutionem, quaſi exprobret ipſis Dauid inanem iactantiam, & ſuperbos ſermones, quibus integris adhuc viribus inſultare huic populo ſolebant. Alij intelligunt de ſeruili applauſu, & turpi adulatione, ad quam neceſſitas eos adegerit, vel etiam de clamore & vociferatione triſti, quę oſtẽdat eos dura ſeruitute eſſe oppreſſos. Pſal. 108. lectio eſt magis perſpicua, Super Palæſtina iubilabo: id eſt, triumphabo de Palæſtinis, canã carmen triumphale, canam pæãna. Ideo Flaminius imperatiui ſignificationem hoc loco retinens, ſic interpretatur, Iubila, id eſt, proſequere me fauſtis acclamationibus vtpote regem tuum, neque recuſa imperium.

11 Quis adducet me in vrbem munitam? Quis deduxit me vſque ad Edom?

12 Nonne tu Deus [*qui*] repuleras nos, & non egrediebaris cum exercitibus noſtris?

Iam ſummatim omnes victorias comprehendit, tam eas quas antea adeptus erat, quàm quas futuras ſperabat, eáſque omnes ſoli Deo adſcribit, ſeipſum exuens & ſpolians omni gloria ſapientiæ, virtutis, fortitudinis, & peritiæ rei militaris. Tales eſſe gratiarum actiones debent, vt quicquid nobis euenerit boni, id in ſolidum Deo tribuatur. Aiax apud Sophoclẽ inquit, *Ignauis opus eſſe auxilio diuino, ſe ſine Deo etiã vincere poſſe.* Talis Thraſo non eſt Dauid: non ſtolidè effert ſe aut prædicat ſuas vires, ſed agnoſcit vires ſuas lõgè inferiores eſſe, quàm vt effici his præclarum aliquid poſſit, niſi Deus euentũ felicem largiatur. Atque huc pertinet illud Pindari:

ἴα μάχαν, ἴα πόλεμον χωρὶς θεοῦ.

Quis deducet me in vrbem munitam] Id eſt, quis in poſterum dabit victorias, & faciet vt reliquos hoſtes, qui hunc populum perpetuò infeſtant, atque horum munitiones feliciter expugnem?

Vrbem munitam, nonnulli intelligunt Rabath, quæ metropolis erat Moabitarum, ſed videtur in genere, atque indefinitè de omnibus munitionibus loqui, quibus hoſtes confiſi audaciùs inſultabant huic populo, & ad arma inferenda faciliùs mouebantur.

Quis deduxit me] Id eſt, quis præclaram illam victoriam mihi dedit, qua Idumæorum potentia nuper fracta & contuſa eſt?

An non tu Deus qui repuleras nos] Poſtquàm confeſſus eſt ſolum Deum authorem eſſe harum victoriarum, vt in exordio, rurſus ex antitheſi miſerias prioris temporis allegat, vt è regione magnitudo gratiæ diuinæ, quæ nunc ſuo regno affulgeat, fiat conſpectior, & omnes agnoſcãt Deum his teſtimoniis præſentiam ſuam oſtendere, & electionem huius regis comprobare voluiſſe. Diximus enim antè, quoſdam hoc tempore fuiſſe alieniores adhuc à Dauide.

Egredi cum exercitu) Significat ducem eſſe exercitus, & exercitum inſtruere conſilio, diſponere in acie, addere deinde animum ad fortiter pugnandum, &c. Hoc enim eſt boni ducis, & hoc nemo faciliùs præſtat quàm Deus. Ideo Moſes inquit: Niſi tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto, Exod. 33. Et ſupra pſal. 24. eadem eſt phraſis. infrà quoque pſalm. 68. iterum de ea dicendum erit.

13 Affer nobis auxilium à tribulatione: quia vana ſalus hominis.

In fine ſubiicit precationem, quam ſuprà aliquoties tam commemorationi priorũ calamitatum quàm gratiarũ actioni de præſenti felicitate miſcuerat. Petit enim vt deinceps pergat Deus adeſſe huic populo aſſiduus defenſor & propugnator contra iniurias & vim hoſtilem. Et addit rationem, quã omnes humanas vires, potentiam & prudentiam ita abiicit vt dicat, nihil feliciter geri ſine Deo, & ſolũ Deum eſſe qui felices ſucceſſus & victorias in bellis largiatur.

A tribulatione) Id eſt, poſt tot annorum calamitates, quibus attriuiſti hunc populum, fac vt tuo auſpicio & ductu rurſus reſpiret & ſeſe recolligat. Video enim illa humanis viribus effici non poſſe. Nam ſi ad humanas vires reſpicias, non minùs fuerat Saul inſtructus & paratus ab omnibus rebus quàm Dauid. Imò ſi omnia conſideremus, erat hominum iudicio Saulis conditio multo melior quàm Dauidis. Habebat enim firmiſſimum exercitum ex toto populo delectum, eúmque ad omnia promptiſſimum & paratiſſimum. Habebat deinde duces præſtantiſſimos, filium Ionathan, cuius erat excellens virtus & fortitudo, qui non multo antè cũ vno armigero hoſtium caſtra ita turbauerat vt in fœdam fugam cõiicerentur, ſéque mutuis vulneribus conficerent, multa etiam millia à Saule trucidarentur. 1. Sam. 14. Deinde Abnerum, quem Dauid mortuũ hoc elogio ornat, vt dicat eum fuiſſe maximum principem in Iſrael. Habebat inſuper ſtudia vniuerſi populi. Econtra Dauid vix vnam habebat tribum, & ex reliquis, qui paulatim accedebant, nondũ ita affecti erant erga Dauidem, vt erga Saulem, ſed erant adhuc alieniores ab eo, & beneuolentia erat ὕπουλος. Et tamen Saul cum ſuo exercitu occubuit: Dauid verò res tam pręclaras cum paruis illis reliquiis geſſerat. Ita experientia didicit verum eſſe quod hic dicit: Vana eſt ſalus hominum. Hanc verò ſententiam iterum confirmat ex antitheſi.

14 In Deo faciemus virtutem, & ipſe conculcabit inimicos noſtros.

Solus Deus eſt, inquit, qui facit vt feliciter prælięmur, & hoſtibus ſuperiores euadamus: ille enim inſtruit nos robore & viribus, & hoſtibus conuerſis in fugam, magnam in ipſorum exercitu edit ſtragem. Ille idem facit vt rempublicam fortiter & feliciter adminiſtremus. Hæc ſententia deinde ad omnes actiones accommodatur. Sine Deo enim nihil benè aut ſalubriter geritur.

PSALMI LX.

PARTES.

I. Expoſtulatio, cuius ſumma 3. verſu continetur, & copioſius exponitur ad verſum 6. Paucis autem indicantur bella externa & ciuiles diſcordiæ quibus Dei populus per multos annos ſub iudicibus & Saule agitatus fuerat. In his autem Eccleſia per Dauidem agnoſcit iuſtam Dei ſeueritatem duplici comparatione, motuum & fractionum terræ, ſpiritualis item ebrietatis & ſoporis illuſtratam, 4. & 5. verſ.

II. Actio gratiarum admixta v. 6. Depingit paucis felicem ſtatum populi, quem luce promiſſionum ſuarum, & inſigni victoria contra Syros, quaſi præeunte gratiæ potentiſſimæ ſuæ vexillo Deus recreauit.

III. Petitio, ex hac gratiarum actione commodè naſcens, quæ prolepticè, v. 7. poſita in ſequentibus confirmatur vſque ad v. 13. deinde repetitur eodem verſu. Sunt autem iſtius petitionis argumenta tria. 1. A perſona eorum nempe dilectorum Dei, quibus ſalus exoptatur, verſ. 7. 2. A promiſſione Dei, verſ. 8. 9. 10. 3. Ab omnipotentia eius qua ſola promiſſiones præſtari poſſunt, verſ. 11. 12. 13.

IIII. Concluſio hortatoria ad exercitum, quaſi iam conclamatis armis in procinctu eſſet ad conſerendam manum cum hoſte, v.14. Ita loquitur Ioab, 1. Chron. 19. 13. qui victoriam perſequutus eſt primum ab Abiſai reportatam: & 12000. Syrorum occidit: Abiſai autem 6000. qui numerus in hiſtoria S. continetur. Hic autem Dauid notat Ioabi victoriam, quæ bello finem impoſuit.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2. Etiamſi interdum quaſi periiſſe eccleſia videatur, Deus tamen fœderis ſui memor, vexillum verbi ſui poſtea ſublimius quã vnquam antea, excitatis heroico ſpiritu præditis hominibus erigit. & quamuis aduerſus armatas ferro copias ſuos tueatur, tamen ad victoriam quam de ſpiritualibus hoſtibus reportaturi ſumus, animos attollere nos docet.

3.4. Ira Dei fons omnium afflictionum eſt: ſed idem qui percuſſit, inuocatus ſanat eccleſiæ fracturas.

5 Dei iudicia tunc ſunt formidabilia, quum mentes ſenſu & intelligentia priuantur, vt populi neq; malorum ſuorum cauſas agnoſcere, neq; remedia expetere queant.

6 Vbi præter ſpem reſtituitur eccleſia, videtur quodammodo Dei veritas è tenebris exoriri, vt tanquam ſub vexillo palantes fideles colligat in vnum.

Non ita rependet Deus ſuis cultoribus mercedem, quin ſimul gratuitæ dilectionis reſpectum habeat.

Quamuis in ſublime nos extulerit Deus ſuis beneficiis, modeſta tamen & humili mente ſemper rogandus eſt vt opus ſuũ proſequatur.

8.9.10.11.12 Vtcunq; Deus innumeris gratiæ ſuæ exemplis nos obruat, nulla tamen vigebit eorum notitia, niſi præfulgente verbo.

Etſi ad nos exhilarandos plurimum valere debeant omnia Dei beneficia, meritò tamen ſummum gradum obtinet fides, quæ & lethales omnes triſtitias aboleat, & ſpirituali gaudio mortuos viuificet.

Dei in ſuis promiſſionibus fides ac conſtantia efficiet vt tandẽ eccleſia, omnibus hoſtibus deuictis & funditus deletis, morteq; ipſa abolita, victoria & gloria æterna in cælis potiatur.

13 Modò auxilietur Deus, vt non aliunde quicquam ſubſidij accedat, in ſola eius manu plena eſt ſalus.

Quia ſtulte varias ſalutes nobis in hoc mundo imaginamur, per conceſſionem S. Spiritus figmentis noſtris nomen ſalutis tribuit. Neque enim, ſi quando vtitur Deus opera hominum in nobis ſeruandis, vel munus illis ſuum reſignat, vel eos ornat ſuis ſpoliis. Imò verè ea quoq; ſalus Dei cenſetur, quam per homines adminiſtrat. Fictitium eſt ergo quicquid aliunde quàm à ſolo Deo auxilij ſperatur.

14 Simul ac gratiam ſuam ſubduxit Deus, concidit & effluit quicquid in hominibus creditur eſſe virtutis. At qui in ſolo Deo ſũt fortes, perfecta virtute muniuntur, vt ſuperandis cunctis difficultatibus pares ſint ac idonei.

Si cõtra homines pugnando, laudem agendi inter nos & Deũ partiri nefas eſt: quantò minus tolerabile eſt ſacrilegiũ in ſalute promerenda vires liberi arbitrij ſpiritus ſancti gratiæ opponere, ac ſi æqualis eſſet concurſus? Sua itaque ſuperbia ſe præcipitant quicunq; ſeorſum à Deo ſibi arrogant vel minimam guttam virtutis.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Robur militare, & proſperi ſucceſſus omnes à Deo.
2. Principum arma belláque iuſta eſſe oportet: ſiue ditionum ſuarum fines tueri, ſiue hoſtes etiam fortiter aggredi cogantur.
3. Seueritate Dei nihil magis formidabile.
4. Bellorum externorum & ciuilium effectus.
5. Eccleſiæ vexillũ inuictum quodque nunquam omnino deiectum manet, ſed tandem glorioſè erigitur: veritas & potentia Dei, ſuos dilectos glorioſè ſeruantis.
6. Benedictio Dei electis in tutò repoſita eſt.
7. Auxilij humani ſine Deo vanitas.
8. Prouidentiæ & omnipotentiæ Dei vſus & ſenſus certus, ad eos pertinet qui intra metas legitimæ vocationis ſeſe continent, & officio ſuo ſtrenuè funguntur.

ARGVMENTVM PSALMI LXI.

PSALMVM ſexageſimum primum, etſi titulus occaſionem ſcribendi non indicat, exiſtimant tamen nonnulli compoſitum eſſe à Dauide, quando à filio Abſolomo pulſus in exilium, paßim in finibus regni Iudaici oberrans, latebras quærebat in locis deſertis, ſéque ægre contra vim & furorem filij ſuſtinebat. Erat enim tunc deſertus ab omnibus etiam familiarißimis, & in grauißimis periculis conſtitutus, de quibus hîc initio pſalmi queritur. Quod igitur antea ſemper in ſuis calamitatibus & animi doloribus fecerat, ad Deum confugit, ſeque ſeruari & defendi contra iniuſtam vim petit. Mox verò tanquam voti compos factus certam animi ſui fiduciam quam conceperat, oſtendit, ſibique non tantùm reditum in patriam & reſtitutionem regni, ſed vitæ etiam prolongationem & bonorum omnium affluentiam ita pollicetur, vt tanquam de iam adeptis his omnibus ſibi & ſubditis gratuletur: In hac commemoratione maxima pars pſalmi conſumitur. Tandem verò pſalmum concludit pollicitatione gratitudinis, vt ſolet in petitionibus auxilij & defenſionis. Hæc ſumma eſt pſalmi. Eſt autem hic pſalmus, ſicut alij qui de regno Dauidis concionantur, ita legendus, ne in perſona Dauidis ſubſiſtamus, ſed mentem & oculos ad Chriſtum verum huius populi regem conuertamus. Erat enim Dauidis regnum vmbra & typus eius quod à Chriſto erat conſtituendum. Idque vel ob hanc cauſam, quia ex Dauidis ſemine Meßias oriundus erat, & alioqui regia dignitas penes poſteros Dauidis vſque ad Meßiam manſura erat. Ideo quoties de ſuo regno concionatur Dauid, ſimul alterum illud comprehendit, atque de eo ita glorioſè loquitur, vt oratio non mundano aut terreno alicui regno, ſed cæleſti & æterno cõuenire videatur. Ille igitur rex eſt, cuius anni (vt hîc dicitur) ſunt ſicut generatio & generatio, & qui in ſeculum habitat coram facie Dei, aßiduè gubernans & defendens eccleſiam ſuam. Hæc de typo breuiter monuiſſe ſatis eſt. Nonnulli interpretes non in Dauidis, ſed populi perſona hunc pſalmum exponunt. Exiſtimant enim à Dauide hunc pſalmum populo præſcriptum eſſe, vt ſubinde decantando hunc pſalmum commonefierent, bonos & ſalutares principes, qui religionem & eccleſiam fouent, quique iuſtitiam & diſciplinam tuentur, non niſi à Deo dari & conſeruari. Deinde vt hac cogitatione excitati eo ardentiùs orarent & vota facerent pro ſalute, & incolumitate ſui regis, vt quemadmodum Paulus inquit, 1. Timoth. 2. quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & honeſtate.

1 AD triumphandum, ſuper inſtrumento muſico Dauidis.

2 Audi Deus clamorem meum: attende precationi meæ.

3 Ab extremo terræ ad te clamabo: dum obtegitur cor meum: in petram [*quæ*] exaltatur ſupra me, deduc me.

Propoſitio pſalmi eſt precatio, vt exaudiatur & defendatur ad-

tur, aduerſus iniuſtam vim ſuorum hoſtium, & vt diuino præſidio muniatur, ne ſi hoſtium furori aut libidini obiiciatur, mox pereat. Ita verò hac ipſa petitione docet, Regna in hoc mūdo non niſi diuinitus conſeruari, nec florere diu, niſi Deus ſuo præſidio ea muniat. Neque enim vllæ vires tantæ ſunt quæ non ſubitò euerti poſſint, ſi Deus manum ſubtrahat. Quàm facilè enim & leui momento euerſa eſt monarchia Perſica, & cætera regna etiam potentiſſima? Petitioni aſperguntur argumenta ducta à neceſſitate. Primùm enim dicit ſe clamare, quo ſignificat ſe magnis doloribus & periculis eſſe oppreſſum, quæ non genere tantùm, ſed clamare ac vociferari ſe cogant: deinde dicit cor ſuum obtegi, hoc eſt, tantū eſſe animi doloré, vt ſæpe patiatur animi deliquiū, & tanquam mortuus concidat. Nā verbum עטף quod tegere ſeu operire ſignificat, quando de anima ſeu corde ac vita hominis dicitur, ſignificat vitā ita occultari, vt exerere ſe, aut operationē aliquā edere ampliùs nequeat: quod fit in deliquiis & lipothymiis. Sanguis enim in magno dolore à mēbris recurrit ad cor, tanquam ad fontē vitæ, atque ita cor obrutum ſpiritum vitalem per membra diffundere non poteſt. Itaq. fit vt corpus cōcidat tanquam mortuum: hoc igitur eſt quod dicit, cor ſuum in iſtis doloribus obtegi. In primis autem loquitur de illis tentationibus interioribus quæ ipſum exercebant, cùm cogitaret ſe ſuis delictis iram Dei ita in ſe prouocaſſe, vt filius aduerſus patrem bellum pararet, & regnum ſeditioſè inuaderet. Eadem phraſis occurrit in titulo pſalmi 102. Alij reddiderunt, Dum voluitur cor meū, id eſt, dum æſtuat ac deorſum iactatur. Sed altera ſententia congruit cum ſignificatione verbi.

Ab extremo terræ] Ex his verbis colligunt interpretes, Dauidem cùm eſſet in exilio, has preces fudiſſe ad Deum. Neque enim niſi profugus, & procul à loco ſanctuarij reiectus potuit clamare ab extremis finibus terræ. Et quia mox ſe regem nominat, quod viuente Saule nunquam fecerat, inde non obſcurè colligitur, illam fugam ſeu exilium illud notari hoc loco, quod ipſe ſibi, vt crudeles filij manus effugeret, indixerat. *Ab extremo terræ* igitur idem eſt ac ſi diceret, ab extremis angulis Iudææ, vbi nunc exul vitam inopem & variis periculis obnoxiam ago.

In petram] Id eſt, in locum aliquem tutum & munitum, in quem ego ſubmerſus in luto ſponte mea aut viribus concedere nequeo, & in quem nullus pateat hoſtibus aditus ſeu acceſſus. Vult enim hoc dicere, cum tanta ſit hoſtium multitudo qui me oppugnant, & ego planè deſertus ſim ab omnibus, tu ſuſcipe mei patrocinium, & præbe ſecuritatem ac protectionem contra inimicos. Per petram enim intelligit protectionem tutam, in qua nullus ſit metus.

4 Quia fuiſti ſpes [*protectio*, *latibulum*] mihi: turris fortitudinis à facie inimici.

Addit rationem à prioribus liberationibus, quas ſibi in memoriam reuocat, vt hoc modo fidem ſuam & ſpem confirmet. Hactenus ſemper fuiſti mihi tutum aſylum, & defendiſti me contra varia pericula ab hoſtibus intentata. Ea res facit vt deinceps ſperem te mihi adfuturum, & maiore fiducia auxilium à te petam. Si in præſenti legas, quia es mihi ſpes, iam non ad præterita beneficia, ſed præſentem liberationem reſpicit, eámque fide ita intuetur vt ſibi de ea gratuletur, ac ſi eam iam eſſet adeptus. Atque ita ſi intelligas, cohærebit hic verſus cum ſequentibus, éſtque hic initium faciendum illius gratulationis, in qua reliquam partem pſalmi con ſumit. In hoc verò ſenſu particula כי aſſeuerandi potiùs erit quàm cauſalis: certè tu es mihi ſpes ſeu aſylum. Vocabulum מחסה ſignificat latibulum ſeu receptaculum, quò ſe aliquis in magnis imbribus, tēpeſtatibus aut periculis, recipit. Significat igitur obiectum ſpei, non actum ipſum ſperandi. Eſt autem vſitatum omnibus linguis, vt obiecta affectuum ipſis affectuum vocabulis exprimantur, & contrà: vt, Amor pro re amata, fiducia pro obiecto fiduciæ.

Turris fortitudinis] Id eſt, arx munita, quæ facilè vim hoſtilem arcet & repellit, quæque expugnari non poteſt. Atque huc reſpiciens Salom. Prouerb. 18. inquit, Turris fortiſſima nomen Domini, iuſtus confugiet ad eam & ſaluabitur.

5 Habitabo in tabernaculo tuo in ſecula: protectionem quæram ſub latibulo alarum tuarum, Selah.

Iā paulatim fides eluctata ex periculis ſeſe prodit, ac de euentu ita certò ſibi pollicetur, quaſi iam defunctus ſit Dauid omnibus periculis, & priori dignitati reſtitutus. Habitabo, inquit, in tabernaculo: id eſt, quanquam videor perpetuo exilio addictus, tamen te autore & duce reuertar in ciuitatem ſanctā, & aſſiduè adibo templum tuum, vt te ibi adorē, & tibi gratos cultus præſtem, eróque perpetuum eccleſiæ membrū. Ita oſtendit ex nulla re in exilio ſe maiorē cepiſſe dolorem quàm quòd abeſſet à ſanctuario, ſéque non tam expetere vt reſtituatur regno & priſtino ſplendori, ac dignitati, quàm vt cultui diuino deinceps vacare poſſit. Hunc enim omnibus ſuis deliciis, opibus, potentiæ & dignitati anteponit.

Protectionem quæram] Reſpicit ad alas Cherubin, quibus tegebatur propitiatorium ſeu arca, ſicut & ſuprà diximus. Id verò propitiatorium ſymbolum erat præſentiæ Dei in hoc populo. Itaque ſymboli mentionem faciens ſignificat ſe fide reſpicere ad hunc Deum, qui ſe dato verbo & externis ſymbolis præſentem in hoc populo oſtendat.

6 Quia tu Deus audiuiſti vota mea: dediſti hæreditatem timentium nomen tuum.

Addit rationem, cur poſthac tutus & immunis ſit futurus ab omnibus periculis: Quia, inquit, tu exaudiſti vota mea, eripuiſti me ex doloribus, quibus iacebam oppreſſus, reddidiſti lætitiam cordi meo, & me quaſi ex morte in vitam reuocaſti, oſtenſa certa ſpe reſtitutionis.

Vota] Synecdoche eſt qua preces ſimul comprehendit, in quibus vota nuncupauerat.

Hæreditatem timentiū] Id eſt hereditatē quæ manet omnes cultores Dei: illam verā felicitatem, quā non ad tēpus tantū fruūtur, vt impij, qui in diuitiis & voluptatibus ſummam voluptatem ponunt, cùm tamen ſint res caducæ & perituræ: & cùm his deſtituuntur, ruunt in horribiles dolores, atque adeo in mortem merguntur. Piorum verò & hæreditas & patrimonium eſt lætitia acquieſcens in Deo, & vita, qua cor extractum ex doloribus impiorum & viuificatum perpetuò exultat: & deinde ſpes futuræ vitæ. Hanc igitur hereditatem dicit ſibi obtigiſſe. Alij legunt, hæreditatem timentibus, ſubaudientes literam ל ſed prior lectio eſt Grammatica, ירשת enim ſcribitur in conſtructione.

7 Dies ſuper dies regis adiicies: anni eius ſicut generatio & generatio.

Ad illa ſumma & præcipua bona etiā hoc adiicies, inquit, vt non tantùm me reſtituas, ſed etiam vitam meam proroges, vt diu præeſſe populo tuo, eúmque in pietatis ſtudio cōtinere poſſim. Ita longè alium finem & exitum habebunt illi tumultus à filio excitati, quàm vel ipſe vel alij iudicant. Ipſe enim ſperat, ſe patre oppreſſo regnaturū: ſed contrà eueniet vt mihi anni prolongētur, ſicut pſalmo 21. dicitur: Vitam petiit à te: tribuiſti ei longitudinem dierum. Addit autem annos ſuos fore *ſicut generationē & generationem*. Id nō poteſt intelligi de perſona Dauidis. Etſi enim vſque ad extremam ſenectutem vita ei eſt prorogata, tamen non exceſſit vnius hominis ætatē, vt plures ei generationes attribui poſſint. Mortuus eſt enim anno ætatis 71. vt ſcribitur, 2. Samuel. 5. Quare cùm ſic loquitur, poſteritatem ſuam ſimul comprehendit de qua ei facta erat promiſſio, quòd penes eam manſura eſſet regia dignitas & autoritas, vſque ad Meſſiam, qui tandem nouum regnum eſſet inſtauraturus, quod duraturum eſſet in æternum. Ita à ſua perſona progreditur ad Chriſtum, & totā regum ſeriem qui poſtea regnaturi erant, complectens, affirmat nullum regni ſui fore finem, quia ſcilicet Chriſtus ex Dauidis ſemine oriundus, regnum æternum, ceſſante illo corporali & temporali, erat conditurus.

Sicut generatio & generatio] Id eſt, vbi vna generatio ſuccedit alteri, & nunquam finitur illud regnum.

8 Sedebit in ſeculum coram facie Dei: clementiam & veritatem deſtina [*quæ*] cuſtodiant eum.

Primùm hoc ad Dauidem referatur. Ille *ſedebit*, hoc eſt, reſtitutus ſuæ dignitati adminiſtrabit regnum in multam ætatem. Regnauit enim annos 40. quod hic nominat ſeculum. Sedebit autem coram facie Dei, hoc eſt, ita vt tota eius gubernatio ſit talis quæ Deo probetur, non ſit dura, aſpera, iniuſta, vel tyrannica, aut etiam cum impietate coniuncta: ſed quæ ſit eò directa vt doctrina de Deo & eius beneficiis ſonet in hoc populo, eáque pura & incorrupta trāſmittatur ad poſteros: vt vigeant leges, vt rectè adminiſtrentur iudicia, & honeſta diſciplinā ciues in officio contineantur. In ſumma ita adminiſtrabit remp. vt ſemper Deum habeat in conſpectu, tanquam ſupremum iudicem, cuius ille ſit vicarius, omniáque ad ipſius gloriam referat.

Hoc primùm ſignificat, coram facie Dei ſedere, deinde & hoc addendum eſt: Facies ſimul diligentem inſpectionem.

curam paternam & defenſionem ſignificat. Vbi enim reſpublica ita adminiſtratur, vt omnia ad gloriam Dei referantur, ibi Deus faciem ſuam ad tales principes & magiſtratus conuertit, hoc eſt, fouet, tuetur & defendit eos contra iniuſtam vim & varia pericula, ſuſcipit eorum curam, & armat eos virtute, & ſucceſſibus, ne à ſuis hoſtibus opprimantur. A Dauide verò poſtea ad Chriſtum tranſeamus: huius regnum per Dauidem eſt adumbratum. Is igitur ſedebit in ſeculum, hoc eſt, vſque ad finem mundi colliget ſibi ex genere humano eccleſiam, eámque reget verbo & Spiritu ſancto, & defendet contra iniuſtam vim & tyrannidem diabolorũ & impiorum hominum. Eáque omnia faciet coram facie Dei, id eſt, Deo patre volente, approbante & felices ſucceſſus tribuente.

Sedere in ſcriptura non ſignificat otiari, aut ignauam & deſidioſam vitam agere, vt interdum apud Latinos, vt cùm Terentius inquit: *An ſedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illuc veniret expectantem:* ſed forma loquẽdi ſumpta eſt à iudicibus ſedentibus pro tribunali, cognoſcentibus cauſas, & conſtituentibus quæ ad incolumitatem reipub conſeruandam pertinent. Hi certè non otiantur, ſed ea agunt quæ ſui officij eſſe ſciunt. Ideo cùm Deo verbũ ſedendi tribuitur in Scriptura, ſignificat iudiciariam poteſtatẽ qua illa maieſtas nũquam caret, ſemper digna dignis tribuendo, vt inquit Auguſt. de fide & Symb. cap. 7. & in libro de eſſentia diuinitatis inquit: Sedere ſignificat potentialiter ſuper omnem creaturam rationalem præſidere. Vide pſalmum 47. Regnat Deus ſuper gentes, ſedet ſuper ſedem ſanctã ſuam.

Clementiam & veritatem deſtina [ordina.] Id dupliciter intelligi poteſt, vel enim de clementia regis loquitur: vúltque hoc dicere, clementia & veritate inſtrue regem, vt his virtutibus ſtabiliat ſuum thronũ. Nam illæ virtutes præcipuè cõmendant regem, & faciunt eum charum ſuis ſubditis. Vel de clementia & veritate, quæ eſt in Deo, hoc intelligitur. Tu clementia tua & veritate mihi adſis, me defendas & tuearis. In ſola enim tua miſericordia & fide ſentio regni mei incolumitatem conſiſtere. Si priorem ſententiam eligas, ſignificat clementia, amorẽ & beneuolentiam regis, qua complectitur ſuos ſubditos tanquam pater ſuos filios, ita vt omnem curam, cogitationem & ſtudium in eo ponat, primùm, vt rectè doceatur de Deo, deinde vt ſubditis rectè proſpiciatur de omnibus rebus, vt augeãtur eorũ facultates, vt ſint felices & beati, vt protegantur aduerſus iniuriam. Tali enim animo princeps debet eſſe erga ſuos ſubditos, vt inquit Xenophon: οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός. Et Homerus regem appellat ποιμένα λαῶν, qua voce multa comprehendit. Eſtque hæc virtus oppoſita crudelitati, arrogantiæ, faſtui, inſolentiæ, rapacitati, quibus plerique metum ſibi apud ſubditos comparare ſtudent. Veritas ſignificat fidem & conſtantiam in promiſſis, pugnátque cum mendacio, vanitate, ſimulatione, calumniis, ſuſpicionibus, quæ vitia cùm cæteros omnes, tum inprimis reges & principes deformãt. Non decet principem labium mendax, inquit Salomon, Prouerb. 17. Si ad Deum dictum referas, clementia ſignificat amorem diuinum & curam paternam qua Dauid cupit ſe & regnum ſuum muniri aduerſus omnis generis iniurias & pericula. Veritas rurſus ſignificat fidem in ſeruandis promiſſis. Nec obſcurũ eſt quomodo de Chriſto hoc intelligi queat. Nam & eccleſia in hac vita, quæ eſt regnum Chriſti, non ſeruatur, niſi clementia & veritate diuina.

מן metaphora eſt in verbo, qua alludit ad mores diligentis patrisfamilias, qui cuique ex ſua familia ſuum demenſum ſubtrahendo de penu ordinat & deſtinat. Id enim verbum מנה propriè ſignificat. Talem igitur pingit Deum, qui ex ſua penu quotidie depromit in vſum hominis omnia neceſſaria. Græcus interpres reddidit, clementiam & veritatem eius quis requiret? τίς ἐκζητήσει; Pro מן enim legit מי.

9 Sic pſallam nomini tuo in ſeculum: vt reddam vota mea quotidie.

Poſtrema pars pſalmi continet gratiarum actionem, qua plerunque ſuas precationes Dauid concludere ſolet.

Sic] Si ita me reſtitutũ in regnum adiuueris & defenderis, tunc aſſiduè prædicabo hæc tua beneficia: & celebrabo nomen tuum, ſicut tibi voui. Antea dixerat: Tu audiuiſti vota mea, nũc dicit, Ego reddam tibi vota. Ergo vota piorum primùm inuocationem in ſe comprehendunt, deinde pollicitationem gratitudinis. Et hæc ſunt vera illa vota quæ Scriptura celebrat & requirit, vt ſuprà dictum eſt pſalmo 56. non illa vota monaſtica, quæ nec in poteſtate ſunt vouentis nec Deo placent, & pugnant cum dilectione proximi: quibus præterea affingitur impia & blaſphema opinio, quòd mereantur remiſſionem peccatorum & vitam æternam.

PSALMI LXI.

PARTES.

I. Petitio ſingularis, pro Dauidis perſona, cuius exordium continetur, v. 2. Summa v. 3. αἰτιολογία ab antecedente experientia, v. 4. breuis concluſio, à voto fidei atque obſequij, v. 5.

II. Petitio publica pro Chriſto & regno ipſius, à Dauide adumbrato, comprehenſa, v. 7. & 8. Huius ſunt duo capita. 1. Vt Deus largiatur ſuis vitam æternam, & benedictionum æternitatem per Chriſtum, regnúmque eius in ſempiternum continuet. 2. vt regnum ſit iuſtiſſimum, benignitate nempe & fide, ſeu clementia & veritate, quæ ad officium regis pertinent, inſtructiſſimum.

III. Concluſio votiua, v. 9. quæ inuocationis Dei continuationem, & pollicitationis gratitudinem continet.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3. Sicut perpetuum bellum eſt inter mundũ & ſanctos, ita priorum beneficiorum recordatione perpetua ſpes ſanctorũ fouetur: quoniam Dei decretum de conſeruandis ſuis eſt immutabile.

Precandi aſſiduitas in Dauide nobis exemplo eſſe debet, ne defatigemur orando, quanuis non ſtatim palã faciat Deus ſe votis noſtris fuiſſe propitium. Et, ſi ſub vmbratili Legis cultu, quanuis à ſanctuario longè profugus eſſet, orare tamen non deſtitit, nulla erit hodie torporis noſtri excuſatio niſi fide in cælum conſcendimus, quæcunq. obſtacula nobis obiiciat ſatan, quando nos ad ſe tam benignè Deus inuitat, & via patefacta eſt per Chriſti ſanguinem. Si nobis igitur ablata eſt verbi prædicatio, & ſacramentis priuati ab eccleſia viſibili exulamus, ab ipſo deſerto & longa diſtantia, tanto ardentiùs ad Deum clamare conuenit.

Quo magis ſe conſtringi ægritudine vel cura ſentiunt fideles, eo fortiùs eniti conuenit, vt hæc impedimenta perrumpant.

Salutem quæ à Deo ſperanda eſt, proprio carnis ſenſu fideles metiri non debent, nec ſubſiſtere in mediis quæ occurrunt, ſed Dei arbitrio permittere arcanos ſeruandi modos.

4 Nihil nos ad bene ſperandum meliùs animat quàm recordatio cognitæ & perſpectæ Dei gratiæ.

5 Fideles ad felicitatem pluris æſtimant in exercitiis pietatis proficere, & in ſacris cœtibus verſari, quam ſedere in ſoliis principum.

6 Lætitia piis ideo oritur quòd Deus exauditis precibus eorum, tenebras in lucem conuertit.

Serui Dei non euanida proſperitate, ſed ſolido firmóque gaudio fruuntur: quia temporales quibus probantur afflictiones adiumenta ſunt æternæ ſalutis.

Quum fide non poſſideant impij beneficia diuina, quaſi ex rapto in diem viuunt. Vera autem & legitima bonorum fruitio penes ſolos Dei cultores reſidet.

7 Chriſtus (cuius Dauid typus erat) non in ſe modò, ſed in ſuis membris viuit vſque ad mundi finem, & deinde in æternum. Quanuis ergo variæ tempeſtates & procellæ, variique hoſtium inſultus quotidie multas ruinas eccleſiæ minentur, tamen ſeculis omnibus erit ſuperſtes.

8 Inter tot pericula, quibus vndique obſidemur, ne ad momentum quidem ſtaremus, niſi nos Dei oculus ſaluos præſtaret. Et hæc vera eſt beatæ vitæ ſtabilitas, vbi perſuaſi ſumus diuinitus eam gubernari.

Eccleſiæ, (quæ eſt Chriſti regnum) fidelis cuſtodia in ſola Dei miſericordia & fide includitur.

9 Vt in mediis periculis ad Dei opem fideles confugiunt, ita gratos ſe oſtendunt poſt liberationem.

ARTI-

1. De inuocatione veri Dei.
2. Orationis fidelis fulcra, Dei benignitas, veritas, potentia.
3. Spes piorum neque confundit, neque confunditur.
4. Precum exauditio, & vitæ æternæ promiſſio, piorum merces gratuita.
5. Regni Chriſti perpetuitas, gratia & veritate illuſtris.
6. Pioru͂ vota & gaudia ſpiritualia, ex gratiæ Dei in Chriſto rege fruitione procedunt.

ARGVMENTVM PSALMI LXII.

NON obſcura eſt oratio huius pſalmi, nec longa indiget declaratione. Pſalmus enim compoſitus eſt vt ſit doctrina quæ aſſiduè ſonet in cœtu piorum, vt commonefacti de inſtabilitate, atque inconſtantia rerum humanarum, non ponant fiduciam in opibus, viribus, aut beneuolentia & ſtudiis amicorum: ſed in vtraque fortuna, tam ſecunda quàm aduerſa, ad ſolum Deum reſpiciant, atque ab eo auxilium & ſalutem expectent. Initio autem ſuum exemplum eccleſiæ conſiderandum proponit. Affirmat enim ſe in ſuis calamitatibus & ærumnis non more aliorum hominum hinc inde diſcurrere aut quærere præſidia humana, quibus ſe aduerſus imminentem tempeſtatum vim muniat & confirmet, nec more incredulorum turbari conſpectu periculorum: ſed à ſolo Deo pendere, & fiducia diuini auxilij pericula omnia contemnere, animóque eſſe tranquillo, quia ſciat ſibi à Deo paratum eſſe firmum præſidium, & arcem adeò munitam, ex qua nulla hoſtium vi aut molitionibus deijci poſſit. Hanc verò ſuam fiduciam, vt magis declaret, in ſuos hoſtes acriter inſurgit ac inuehitur, quorum cæcitatem & pertinaciam mirari ſe oſtendit, qui cùm videant ſe nihil horu͂ quæ volebant efficere poſſe, non tamen deſinant cùm vi aperta, tum inſidiis vitam innocentu͂ petere. Atque hîc rurſus hoſtium armis, vanis molitionibus & minis opponit ſuam fiduciam, qua ſe aduerſus horum furores erigit & co͂firmat. Verſu deinde nono exemplu͂ ſuum ad vniuerſa͂ eccleſiam accommodat, eámque hortatur, vt ſuo exemplo edocta, omni tempore ſecurè in Deo ſuo acquieſcat, atque ab ipſo ſi qua neceſſitas ingruat, opem & auxilium petat: nec more aliorum hominum, vel ad humana præſidia confugiat, vel ſpem in iniuſtis armis aut opibus collocet. Eſſe enim omnia humana incerta, vana, & caduca, nihílque ſubeſſe ſolidi his rebus quas mundus admiratur & ſuſpicit: ſolum verò Deum & potentem eſſe & clementem, vt & poſſit liberare ſuos ex periculis faciliimè, & eo ſit erga pios animo vt nunquam eos deſerat aut perire ſinat.

AD triumphandum, ſuper Ieduthun, pſalmus Dauidis.

Titulus penè idem eſt cum titulo pſalmi 39. niſi quod pro לידותון hîc ſcribitur על ידותון; litera ל quæ eſt articulus datiui caſus, in præpoſitionem על mutata. Quæ igitur ſuprà de Ieduthun dicta ſunt, hîc repetātur. Fuit Ieduthu͂ vnus ex præcipuis cantoribus, cuius mentio fit 1. Paralip. 16. & 25. huic videtur pſalmus traditus eſſe, vt publicè ab eo decantaretur, & tanqua͂ depoſitum pretioſiſſimum obſeruaretur. Idque præpoſitio על innuere videtur, quæ ſæpe idem ſignificat quod iuxta, vel ad, vel apud, vel pro. Alij exiſtimant nomen Ieduthun ſignificare vel inſtrumentum muſicum, vel initiu͂ carminis, cuius autor atque inuentor fuerit Ieduthun. Nomen ipſum ſignificat dans laudem vel celebrationem, quæ appellatio congruit cum officio.

2 Vtique [*profectò*] ad Deum ſilentium anima mea: ab ipſo ſalus mea.

3 Vtique ipſe eſt petra mea & ſalus mea: eleuatio mea: non mouebor multùm [*grauiter.*]

Orditur pſalmum ex abrupto, vt ſolet fieri in magnis animorum commotionibus, & profundis ac ſeriis meditationibus. Apparet enim Dauidem ſecum in magno quodam periculo, quod tamen hîc non exprimitur, diſputaſſe diu, quonam ſeſe conuerteret, aut medium his malis, quibus oppreſſus erat, quæreret: & ratio quidem & ſtolidi affectus, ſeu potiùs diabolus, nunc hunc, nunc illuc eum impellebat, vt fieri ſolet in talibus certaminibus, præſertim ſi no͂ mox co͂ſpiciatur præſentia Dei, & auxiliu͂ differatur, periculum verò creſcat. Tunc enim diabolus illas cogitationes animo noſtro ſuggerit, vt relicto Deo qui iam dudum noſtri curam abieciſſe videatur, ad alia præſidia magis profutura & quæ oculis cerni poſſint, nos conuertamus, & aliis quidem alia obiicit & oſtēdit media, quibus ceu illecebris eos à Deo abducat & auellat. Dauid igitur cùm aliquandiu luctatus eſſet cum huiuſmodi cogitationibus, quòd periculum ſubinde fieret maius, quódque Deus longiùs abeſſet: tandem fide illas ſuperans & excutiens erumpit in hanc vocem, Vtique, vel veruntamē, vel tantùm. Eſt enim vel aſſeueratiua vel exceptionis nota, vel etiam aduerſatiua: quaſi diceret, Quanquam variis cogitationibus diſtrahor & impellor, vt abiecta in Deum fiducia, alibi potiùs quàm apud Deum his malis quæram remedia, tamen *anima ſilet ad Deum*, id eſt, patienter & placidè fert ærumnas ſibi impoſitas, & vera fide petit & expectat à Deo auxilium, nec patitur ſe ab illo vanis huius mundi illecebris dimoueri. Hæc omnia ſignificantur vocabulo ſilentij. Primò patientia, quæ no͂ fremit in calamitate aduerſus Deu͂, non indignatur, non accuſat eum, non frangitur vel magnitudine calamitatu͂, vel mora, vt deficiat, vel quærat remedia non conceſſa: deinde petit & expectat auxilium. Talis enim patientia, quanquam ſilet, dum ſe ſubmittit Deo, tamen interea clamat, & voces eius penetrant nubes.

דומיה] Rabi Dauid dicit eſſe nomē adiectiuum, vt ſit idem quod Latinis Tacita, ſcilicet, eſt anima mea, & radicem dicit eſſe דום Iod verò inſertum eſſe Iod לירחש ſicut in תחתיה inferior, & in שלישיה tertia. Alij tamen exiſtimant eſſe nomen ſubſtantiuum à רמה & exponunt ſilentium.

Ab ipſo ſalus mea] Semper addenda eſt antitheſis, ita enim ſententia erit magis perſpicua. *Ab ipſo*] Non ſcilicet ab hominibus, non à multitudine amicoru͂, à firmitate præſidioru͂, aut aliis rebus externis, *Es kan mir keine Creatur helffen*, ſed ſolus Deus.

Vtique ipſe rupes mea] Repetitio ſignificat primùm certaminis magnitudinem & iterationem, deinde fidei πληροφορίαν, firmitatem & ardorem inter pugnandum oſtendit. No͂ enim mox vno prælio defunctus eſt periculo, ſed ſubinde etiam repulſus diabolus renouat certamen, & aliis telis eum petit. Toties igitur quaſi nouu͂ clypeum ei obiicit, quibus illa tela excipiat & excutiat. Cùm igitur antea dixiſſet, Ipſe eſt ſalus mea, nunc dicit, *Ipſe eſt rupes mea*, in qua ſcilicet dum conſiſto, ſcio me tutum fore aduerſus omnem vim & impetum hoſtilem. Eſt enim rupes illa hoſtibus inacceſſa, nec poteſt impetu aquaru͂ euerti. Repetit deinde quod dixerat, *Eſt ſalus mea*, id eſt, ipſe ſaluum me ſeruat, ne opprimar his malis quibus ſum circu͂datus. Tertiò, Ipſe eſt arx, vel *eleuatio mea*, id eſt, ipſe collocat me in locum tutum, tranquillum & munitum, vndedeiici non potero. Sunt metalepticę locutiones quibus ſignificatur, Deum hoc præſtare ſuis quòd rupes & arx munita præſtare videtur eò confugientibus.

Non mouebor multùm) Id eſt, etiamſi grauiter oppugnor ab hoſtibus, & premor rebus aduerſis, tamen illę non euertent me.

4 Quouſque cogitabitis contra virum [*vt*] occidatis omnes vos tanquam parietem inclinatum & maceriam impulſam?

Poſtquam nonnihil emerſit ex illis tentationibus quibus intus animus percellebatur, nunc hoſtes à quibus foris oppugnabatur aggreditur: hos primùm obiurgat, quòd tam crudeliter ſæuiant in hominem miſerum & afflictu͂, atque in eo opprimendo non tantùm aperta vi, ſed inſidiis etiam, ac ſi-

mulatione amicitię vtantur. Deinde arma ſua illis oſtentat, quibus ſe aduerſus ipſorũ vim & inſidias munierit, vt ſtultos eſſe demonſtret, qui contra talia arma aliquid tentent aut moliantur. Hæc ſententia eſt huius & ſequentium quatuor verſuum.

Verbum הות variè expoſuerunt interpretes. Chaldæus paraphraſtes detrahendi ſignificationem ei tribuit, cùm reddidit, quouſque detrahitis ſingulis. Rabi Immanuel putat ſignificare idem quod linguam exerere in ſignum ludibrij. Hiero. machinari & ſtruere inſidias. Græci ἐπιτίθεσθε irruitis, inuaditis. Ego ſimpliciter cum aliis multis ſic reddendum exiſtimo, vt ſignificet inſidiosè, ac malitiosè cogitare contra aliquem, aut machinari exitium alicui, & hanc eſſe veram ſignificationem oſtendunt ſeries & circumſtantiæ orationis: ſequitur enim mox verbum תרצחו quod conatum ſequentem notat. Significatur igitur verbo hoc obſtinata hoſtium malitia, qui nunquam quieſcant in exitium ipſius aliquid excogitare aut moliri.

Virum] Id quidam diſtributiuè interpretantur, de quolibet pio, idque rectè fit in accommodatione. Quæ enim Dauidi tunc ſtruebantur à ſuis hoſtibus, eadẽ ferre & expectare oportet omnes pios. Nunc verò Dauid de ſe ita loquitur. Nã vt crudelitatem ipſorum & malitiam magis exaggeret, dicit ſe eſſe vnicum virum, in quem omnes illi conſpirarint. Opponuntur enim illa איש & תרצחו כלכם. Nonnulli reddiderunt paſſiuè, & intelligunt de pœnis, quæ hoſtes maneant, vos occidemini & interibitis breui, ſicut paries inclinatus qui iam minatur ruinam. Sed forma eſt actiua ex ſecunda coniugatione, quod oſtendit ſcheua ſub characteriſtica ת alioqui enim ſi vox paſſiua eſſet, ſcribi debebat cũ tzere, & quãquam cametz ſcribatur ſub prima radicali, tamen id ex pathach & dages ſecundę litteræ coaleſcit, quod eſt vſitatum. Idque fieri exiſtimo ne durior vel aſperior ſit pronunciatio, ſi צ geminetur. Complutenſis tamen editio habet תרצחו quæ forma eſt perfecta ſecundæ coniugationis.

Omnes vos] Hoc addit exaggerandi ſceleris & crudelitatis cauſa. Eſt enim magna crudelitas, omnes contra vnum miſerum hominem conſpirare.

Tanquam parietem inclinatum] Hoc quoque membrũ à ſimili amplificat ipſorum malitiam. Ego veni, inquit, in odium apud regem Saulem, nulla tamen mea culpa. Id cùm videãt aulici, omnes conantur me opprimere, vt regi ſuo gratificẽtur, quemadmodum ſi quis in parietem iam inclinatum incumbat, vt eum prorſus euertat & deiiciat. Vſitatæ ſunt illæ artes in aulis. Omnes enim ſe accommodant ad affectus ſui principis, atque pro huius animo odia vel amores erga alios concipiunt: Si quem principi videt eſſe charum, eum colunt & obſeruant: contrà, ſi gratia eum excidiſſe intelligunt, calumniis eum deformant & infamant, & quibus poſſunt artibus odium principis accendunt. Idem vult altera ſimilitudo de maceria impulſa.

5 Vtique ab eleuari ipſum [*id eſt, ne eleuetur ipſe*] conſultant, vt impellant: diligunt mendacium [*delectantur mendacio*] ore ſuo benedicunt, & medio ſuo, [*id eſt, corde*] maledicunt, Selah.

Pergit in deſcriptione crudelitatis & perfidiæ hoſtiũ. Omnia, inquit, ipſorum ſtudia & conatus eò tẽdunt vt me opprimant. Metuunt enim ne ſi autoritas mea creſcat in aula, ego ipſorum iniuſtis cupiditatibus obſtem.

Diligunt mendacium] Id eſt, excogitant fallacias & impoſturas, quibus me arte circumueniant. vel arte ſtruunt mihi dolos & inſidias, ſimulantes ſummam erga me beneuolentiã, fingentes ſe affici meis calamitatibus, & dolere propter iniurias mihi factas, vt ita ſpecie amicitiæ me incautum opprimant. Etſi enim ore mihi benedicunt, hoc eſt, fauere ſe mihi, & affici meis ærumnis oſtendunt, tamen corde oderunt me, & cupiunt me euerſum.

6 Vtique ad Deum ſile anima mea: quia ab ipſo expectatio mea.

7 Vtique ipſe rupes mea, & ſalus mea: eleuatio mea, non mouebor.

8 Ad [*in*] Deum ſalus mea, & gloria mea: petra fortitudinis meæ, protectio [*refugium*] mea in Deo.

Hoſtium crudelitati atque inſidiis opponit ſua arma, non ex humanis armamentariis, ſed ex officina Dei deprompta, quibus fretus affirmat ſe cõtemnere omnes ipſorum minas & ſæuitiam: atque ita repetit propoſitionem, à qua exorſus erat pſalmum: oſtendit enim ſuam fidem, qua in Deo acquieſcat, & qua cõfirmatus de euentu optimè ſperet. Eſt autẽ illa repetitio teſtimoniũ firmitatis fidei, & quidem eam ob cauſam inſtituitur, vt inter repetendum creſcat lux fidei. Nam conſideratio crudelitatis hoſtium & inſidiarum, quas ſtruebant, nonnihil concuſſerat fidem, vt aliquatulum trepidaret. Nam Spiritus ſanctus nõ reddit homines ita ἀπαθεῖς, vt prorſus nullo calamitatum ſenſu moueantur, néve ſuis periculis & ærumnis afficiantur: imò acuit ſenſum dolorum, vt conſolatio deinceps ſit dulcior & efficacior. Cùm igitur ſentiret animũ ſuum ex hac conſideratione nonnihil vulnerari, mox ſeſe recolligit, & armat contra illos inſultus. Idque exemplũ monet & inſtruit nos vt in noſtris quoque ærumnis & periculis diſcamus hæc arma arripere, quibus nos tueamur aduerſus inſidias diaboli & malorum hominum.

Ad Deum ſile] Antea affirmauerat animam ſuam ſilere & quietam eſſe, nũc rurſus iubet vt ſileat, quaſi quæ tumultuetur & minimè quieſcat. Ea videntur quodammodo inter ſe pugnare. Sed repugnantia iſta facilè ſolui ex his, quæ dicta ſunt, poteſt. Quãquam enim initio videbatur animo eſſe pacato & tranquillo: tamen cùm hoſtium rabiem, furorem & molitiones intueretur, & auxilium videret differri diutiùs, nõ poterat non quodammodo moueri. Suntq. illæ vices in vita piorum vſitatæ, vt qui antea videbantur animo eſſe compoſito & firmo ad ferendas omnes iniurias, mox nouo quodam impetu percellantur, quòd fides incipiat nonnihil titubare. Subinde igitur opus noua cõfirmatione. Eáque cauſa eſt cur animam ſuam, quæ antea ſibi videbatur pulchrè quieta, nũc denuo iubeat quieſcere, hoc eſt, conſtanter perferre ærumnas, & in vno Deo acquieſcere, atque ab eo expectare auxilium & ſalutem, non tumultuari, non fremere, non diſcurrere hinc inde ad comparãda remedia, nihil profutura, aut à Deo deſciſcere.

Ab ipſo expectatio mea] Addit rationẽ, quæ oſtẽdit qua tẽtatione animus maximè eo tempore fuerit perculſus, nẽpe cogitatione de magnitudine periculi, & de mora auxilij. Inquit enim, Quia ab ipſo eſt expectatio mea: quaſi dicat, Etſi pericula ſubinde video creſcere, & rabiem hoſtium magis magiſque contra me accendi, auxilium verò differri diutiùs: tamẽ propterea non volo abiicere ſpem, ſed conſtanter manere in propoſito, & à Deo expectare opem & auxilium. Ille enim tandem non fallet aut decipiet me, ſed certò pręſtabit quod promiſit. Promiſit autem mihi non tantùm defenſionẽ, ſed etiam regnum, id certò mihi tradet, &c.

7 Septimus verſus antea eſt explicatus. Eſt enim idem cũ tertio, ſed hîc etiam fidei ſuæ robur oſtendit, cùm inquit, *Ego non mouebor*: cùm antea dixiſſet, ego nõ mouebor multũ. Ita in lucta & certamine creſcit lux fidei, & fides fit firmior, vt experiuntur ij qui aliquem horum certaminum habent guſtum.

8 *Super Deum*] Id antea verſu ſecundo dixerat, à Deo, vt præpoſitio על ponatur pro מן ſimul tamẽ fidei reſpectu notatur, quòd ad ſolum Deũ in periculis & ærumnis reſpiciat.

Gloria mea] Id eſt, qui me glorificaturus & exaltaturus eſt ſupra hoſtes, ac regnum promiſſum traditurus. Quòd autem tam varia epitheta colligit, quibus Dei præſentiam & defenſionem in ærumnis commendat, id facit vt fidem ſuam magis confirmet, & carnis ſeu affectuum inquietudinem, atque oblatrationes faciliùs compeſcat. Non enim dubiũ eſt quin caro illi multa ſuggeſſerit, quæ fidem languefacerent. Vt igitur ſupra vocabulũ expectatio opponebatur cogitationi de mora, ita *rupes* nunc opponitur illi cogitationi quòd eſſet deſertus ab omnibus, & hinc inde oberraret expoſitus omnium libidini & iniuriis, vt qui neminem haberet, à quo defenderetur. Imò inquit habeo qui me defendat. Vox *ſalus* opponitur omnibus aliis mediis, quibus ij qui ſunt ſine fide, conantur mederi ſuis malis. Ea media hac voce omnia reiicit, & affirmat non aliunde quàm à Deo, quærendum eſſe remedium his malis. Vox משגב *eleuatio* penè eodem pertinet quò צור. Commendat enim diuinum præſidium, contra illas cogitationes de deſertione. *Gloria* opponitur, cogitationi de cõtẽptu ſui & vilitate cõditionis, cum interea hoſtes florerent opibus, potentia, & haberent regnum: quaſi dicat ad animã: Ne moueat te hæc miſera & abiecta conditio, neque hoſtium potentia, &c. quia tu rurſus glorificaberis. *Rupes fortitudinis* opponitur rurſus magnitudini periculorum & multitudini hoſtium.

9 Confidite in eo omni tẽpore populi: effundite coram eo [*in conſpectu eius*] corda veſtra. Deus refugium nobis, Selah.

Altera pars pſalmi cõtinet applicationẽ. Ita enim vult ſuũ exemplum conſiderari, vt alij quoque ipſius exemplo confirmati diſcant à Deo pendere, atque ab eo auxilium & ſalutem petere. Exempla enim liberationum confirmant veritatem promiſſionis, & exuſcitant fidem in ſingulis.

עם Alloquitur ſuum populum, qui repræſentat cœtum

fidelium

fidelium quocũque tempore: ſcribitur autem ſingulare collectiuum pro plurali, ſyntheſi huic linguæ inprimis vſitata.

Confidite in eo] Semper vt initio monui, addenda eſt antitheſis, ita ſententia erit illuſtrior. Idque eum velle monet ratio ſubiecta ex antitheſi, eùm inquit, Vana eſt ſalus hominum: ergo confidite in Deo, non vtique in opibus, diuitiis, potentia, ſapientia, multitudine amicorum, beneuolentia potentũ: ſed credite ſolum Deum eſſe qui ſuos liberare ex periculis poſſit, atque ab ipſo opem petite.

Omni tempore] Id eſt, tam in proſpera quàm in aduerſa fortuna. Tempore læto cùm omnia proſpere cedunt, non fiatis ſecuri, non exiſtimetis caſu vobis obiici bona, non indulgeatis cupiditatibus, non exiſtimetis veſtra prudentia iſta bona eſſe parta: ſed cogitate Deum eſſe autorem illorũ bonorum, atque ab eo conſeruationem horum bonorum petite. Econtra aduerſo tempore non deficiatis animo, non deſperetis, non murmuretis aduerſus Deum, non indulgeatis dolori, vt victi impatientia confugiatis ad humana præſidia, aut quæratis illicita remedia, imò ne licita quidem contra ordinem diuinitus inſtitutum.

Effundite coram eo corda veſtra] Id eſt, ſi qua ingruit neceſſitas aut periculum, ex quo emergere non poteſtis, exonerate omnes veſtras curas & ærumnas in ſinum Dei, & huic committite euentum, & quidem id facite abſque metu aut trepidatione, ne Deum repellere veſtras preces fingatis. Item: facite hoc recto & aperto corde, ſine hypocriſi, non obducatis velamen cordi, vt partem aliquam veſtræ prudentiæ, viribus, opibus aut præſidiis amicorum adſcribatis: in partẽ verò vel ſocietatẽ vocetis Deũ, vt ille defectũ ſuppleat: ſed totum cor, inquit, exponite, atque adeò vno impetu effundite ante Deũ, & toti ab illo pendete. *Effundere* enim *cor*, ſignificat neceſſitatem & pericula ſua in precibus proponere Deo, eíque omnia quæ nos premunt committere, ſine metu aut ſolicitudine de euentu, & quidem ita, vt dixi, ne pars beneficij ſeu liberationis Deo adſcribatur, pars tribuatur noſtris virtutibus. Phraſis ſumpta videtur à ceremonia, quam oraturi peragebant effuſione aquarum, cuius mentio fit, 1. Sam. 7. Populus enim congregatus in Miſpa cum accuſaretur grauiter à Samuele propter idololatriam, dolore tactus hauſit aquam, & effudit eam corã Domino, & ieiunauit illa die & dixit, Peccauimus Iehouæ. Illam ceremoniã Rabini recentiores putant fuiſſe ſymbolum remiſſionis peccatorum, ſicut cæteræ lotiones in veteri Teſtamento. Nam quemadmodum aqua eluuntur ſordes, ita Dei miſericordia populi peccata delere affirmant. R. Leui Ben Gerſon ait, ceremoniam illam fuiſſe ſignum mutati propoſiti, quia ſignificare hoc ritu voluerint, ſe poſthac munditiæ operam daturos, nihílque ſuperfuturum idololatriæ. Ioſephus putat populum eam aquam libaſſe Domino. Alij putant eſſe metaphoram, nec aquam ſimpliciter intelligi, quæ effuſa ſit, ſed vim magnam lacrymarum. Paraphraſtes Chaldaicus ſine dubio reſpiciens ad ſententiam huius pſalmi, dicit eos ita effudiſſe curam ſuam coram Domino, ac ſi aquam funderent, nihílque eos ſimulaſſe, ſed prorſus omnes ſuas cupiditates patefeciſſe. Id videtur eſſe ſimpliciſſimum: ſed tamen ceremonia ſimul fuit adhibita: ſcribuntur enim hauſiſſe aquam, eámque effudiſſe, atque ita ſignificarunt ſe cupere mũdari & ablui à ſuo peccato. Inde igitur hæc phraſis eſt ſumpta. Quæ ex veteribus Rabinis in hanc ceremoniam annotat Hieronymus, lubens hoc loco omitto: videntur enim eſſe fabuloſa.

Eſt autẽ & hoc obſeruandum, quòd hac phraſi monet tamdiu cor teneri conſtrictum anguſtiis & premi doloribus, nec poſſe priùs ſedari hos dolores, aut quietum cor reddi, donec in Deum ſuas curas effundat, atque in eo acquieſcat. Nam humana omnia ita comparata ſunt, vt etiamſi ad tẽpus ſpem faciant & cor demulceant, tandem tamen illud deſtituant, & in triſtiſſimos dolores ac deſperationem mergant.

Deus refugium [ſeu protectio] *nobis*) Addit rationẽ, qua fidẽ piorum confirmat, eóſque inuitat vt maiore fiducia ad Deũ accedãt Eam ſuprà quoque recitauerat. Ideo, inquit, in Deũ rectè reiicimus noſtras curas, pericula & ærumnas, quia apud ipſum paratum eſt nobis tutum aſylum, quò ſi cõfugiamus, nulla eſt hoſtium vis, aut ærumnarum acerbitas tanta quæ nos opprimere poſſit. Ille enim confugientes ad ſe tegit ſuauiſſimo vmbraculo alarum ſuarum, & vndique arcet hoſtes, & depellit pericula, vt ſuauiter ſub eius tutela & vmbra etiã in ſummis periculis dormire & acquieſcere poſſimus.

10 Atqui vanitas [*ſunt*] filij Adam: mendacium filij viri in ſtatera, vt aſcendant ipſi præ vanitate ſimul.

Addit rationem quæ & præcedenti & ſequẽti verſui ſimul reſpondet. Nã ſequens verſus vndecimus, nono ſubiiciendus erat per antitheſin, ſed inuertit ordinẽ propheta. Nã priore loco ponit rationẽ ſeu confirmationẽ, deinde addit antitheſin. Ideo inquit ſoli Deo fidendũ, quia in rebus humanis nihil eſt firmi aut ſolidi, quo niti noſtra fiducia poſſit, ſúntque omnes ſpes omnium hominum planè fallaces & vanæ, quantumuis initio arrideant & blandiantur nobis, & homines pro ſua vanitate patiantur ſe his illecebris decipi.

Vanitas filij hominum] Comprehendit vtrumque, ſpei ſeu animorum humanorum vanitatem, qui facilè nunc hæc nunc illa arripiunt, quibus ſe contra aduerſam fortunam muniant, & tamen nihil proficiunt: falluntur enim mirabiliter: deinde obiectorum, quæ animus noſter extra Deum intuetur, vanitatem, quia etiam ea quæ videntur firmiſſima præſidia, tamen nihil habent ſolidi aut firmi, ſed euaneſcunt ſubitò, & ſpes noſtras fruſtrantur.

Mendacium ſunt] Id eſt, fruſtrantur ſpes noſtras, decipiunt nos: ita vt ſtultus ſit quiſquis ſalutem ſuam his committit.

Filios viri interpretantur filios heroum & potentũ, qui inſtructi ſunt virtute, opibus, potentia & aliis rebus, quas mundus admiratur & ſuſpicit. In his maior ſolet eſſe ſpes hominũ, quam in aliis plebeiis aut vulgaribus hominibus, quos hic putãt dici filios hominis, & tamen hi quoq; fallunt ſpes noſtras.

In libra ad aſcendendum [Id eſt, ſi in libram coniiciantur] *ipſi plus quam vanitas ſimul*] Exornat ſentẽtiam ſimilitudine ſeu hypotypoſi. Tanta, inquit, eſt vanitas rerum humanarũ, vt ſi omnia colligantur, in quibus eſſe aliquid ſpei poteſt, vt ſunt opes, vires, prudẽtia, autoritas, ſtudia amicorum, potẽtia humana, & in bilancem ponantur: illud tamẽ quod vanum eſt, hoc eſt, quod nullius eſt ponderis, non ſint præponderatura, *Sie kœnnen das aller geringſt nicht vberwegen*, ſúntque vanitate ipſa vaniora. Hæc magna eſt extenuatio virium & potentiæ humanæ, in qua tamen mundus tantum fiduciæ collocat, & fiducia harum rerum tantopere inſoleſcit.

11 Ne confidatis in iniuria & in rapina: ne fiatis vani: [*ne agatis vanè*] diuitiæ ſi proueniant [*accreſcant*] ne apponatis cor.

Hic verſus, vt dixi, continet antitheſin ſuperioris adhortationis, éſtque coniungendus cum nono. Confidite in Domino, & nolite fiduciam collocare in iniuria.

Per iniuriam & rapinam intelligamus, primùm ipſum actum prædandi, rapiendi & corradendi opes per fraudes & iniurias, deinde res ipſas aut opes iniuſtè partas. Exiſtimant homines ſi abundent opibus, nihil ampliùs ſibi deeſſe poſſe ad felicitatem. Itaque quacunque poſſunt ratione colligunt opes, partim manifeſta vi & rapinis, partim fraude, calumniis & aliis variis inſidiis, ſed nihil proficiunt. Nunquam enim hoc conſequuntur quod optabant: imò opes illæ ita acquiſitæ ſunt ipſis exitio.

עשק ſignificat iniuriam, quæ fit fraude & dolo. Nam vt Rabbi Dauid inquit, ſignificat verbũ עשק qualicunque prætextu & ſophiſtica fallere proximum, eiuſq; bona ad ſe transferre, vel, vt ipſe loquitur, non reſtituere rẽ proximi ſui, quę in poteſtatem cuiuſpiã venit per depoſitum, mutuum, obligationem, vt eſt merces mercenarij, quam quis illi tenetur reddere, aut ſimile aliquid.

גזל aperta vi rapere ſignificat. Rapina autem ſic definitur: Rapina eſt iniuſta & violenta alienæ rei inuaſio, cum iniuria & contemptu eius cui ea res vi aufertur, & in rebus captis cũ contumelia alterius ſuperbire & ſeſe oſtentare. Autor vulgatæ verſionis verbum עשק ſæpe reddidit verbo calumniandi: ſed hoc fit verbis, illud verò factis.

Ne euaneſcatis] Ne fallat vos ſpes veſtra, quia mera eſt illuſio.

Diuitiæ ſi affluant] Id eſt, etiam cùm iuſtè opes poſſidetis, vt potè vel à parentibus relictas, vel ex prouentibus agrorum collectas, vel manuum labore atque induſtria partas, tamen nolite cor apponere, vt in his hæreatis tanquam fæcibus affixi. Etſi enim illæ opes maximè ſunt fugaces, quæ per fraudem & vim parantur: tamen etiam illa quæ iuſtè parta ſunt nos fallunt, ſi fiduciam in his collocemus. *Cor apponere* ad diuitias, ſignificat non tantùm immoderatè appetere diuitias, aut his nimis cupide inhiare: ſed etiam fiducia earum efferri, fieri inſolentem aut ſecurum, ita vt diues iudicium Dei contemnat, & quibuſuis petulanter inſultet. Nec opus eſt hic longa declaratione: nam quotidiana vita nimis multa ſuppeditat exempla eorum qui diuitiis, vt ille inquit, incubuere repertis.

חיל propriè ſignificat ſtrenuitatem, virtutem, potentiam, hîc verò μεταληπτικῶς ſignificat opes noſtra virtute, induſtria & ſtrenuis laboribus partas. נוב prouenire, propagari, ſeu fructificare ſignificat, vt infrà pſalmo 92. Adhuc prouentum faciunt in ſenecta. Inde נובה fructus eſt ex terra natus, ſeu prouentus agrorum.

12 Vnum [*ſemel*] locutus eſt Deus, duo hæc [*vel*

vt alij volunt, bis hoc] audiui quòd fortitudo [*robur*] ſit Deo, [*id eſt, quòd Deus eſt fortis.*]

13 Et tibi Domine clementia: certè tu rependes viro [*id eſt, vnicuique*] ſecundùm opus ſuum.

Ἐπιφώνημα eſt, quo concludit pſalmum, & ſimul cauſam recitat cur tutius ac melius ſit in Deo quàm in hominibus, opibus aut vllis aliis creaturis ſpem repoſitam habere. Primùm, quia eſt potens ad ſeruandum & ad liberandum ſuos: nec eſt vlla calamitas tanta, aut periculum vllum tam atrox, ex quo ille non facilè eripere hominem poſſit, nec verò vlla eſt hoſtium tanta potentia quã ille non vno momẽto infringere, atque euertere poſſit. Econtra tanta eſt imbecillitas, non tantùm naturæ humanæ, ſed vniuerſæ creaturæ, vt ne minimum quidem periculum per ſe aut ſuis viribus depellere poſſit, aut ſi qua facultas ſit aliquid agendi, tamen illa multis modis impediatur. Quid igitur ſtultius quàm huiuſmodi rebus, quæ per ſe imbecilles, fragiles & caducæ ſunt, ſalutem ſuam committere? Econtra, quid tutius aut ſalutarius quàm ad Deum tã potenté ſua omnia deuoluere, atque eius curę & gubernationi committere, cuius imperio tota rerum natura eſt ſubiecta? Deinde, inquit, eſt bonus & ἄστοργος, atque amãs noſtri. Afficitur enim noſtra calamitate, nõ aliter ac pater filiorum ſuorum miſeriis mouetur, éſtque coniunctus ille affectus cum ardenti cupiditate & ſtudio iuuãdi. Hoc enim propriè hic ſignificat חסד. Econtra ex creaturis ferè nulla eſt, exceptis paucis hominibus, quæ noſtra calamitate aliquando moueatur, aut quæ ſtudium habeat iuuandi: Homines verò, ſi qui ſunt, qui aliorum calamitate mouentur, aut opé ferre rebus afflictis conantur, faciunt id admodum leuiter & frigidè. Eſt enim verum illud Pindari dictum,

Τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δὲ οὐ μέλει ἀνθρώποις.

Hæc antitheſis, vt dixi, declarat ſententiam prophetæ.

Vnum & duo] Nomina hæc numeralia plerique exponunt aduerbialiter. Semel locutus eſt Deus. Bis hoc audiui: vt hac iteratione certitudo promiſſionis ſignificetur. Nam iteratio promiſſionis de certitudine nos confirmat, vt fides eo certiùs & tutiùs niti ea poſſit. Nam quod ſæpius promulgatur, id magis firmatum & ratum nobis eſſe ſolet.

Semel igitur atque iterum Deus id patefecit in ſuo verbo, quòd ſit potens &c. vt nefas ſit de hac re dubitare. Eſtque ſimilis forma loquendi in lib. Iob. cap. 40. verſu 14. Vnum locutus ſum & non reſpondebo, & duo etiam, non adiiciam quidquam, id eſt, locutus ſum ſemel atque iterum, reprehendens quaſi tua iudicia, & tibi obmurmurans: ſed nunc tacebo, & factus prudentior hoc lapſu ſummo ſtudio cauebo deinceps ne te irritem meis reſponſationibus. Hæc ſententia non aliena eſt à Grãmatica. ſi quis tamen ſimpliciter ſic vult interpretari, *Dum vnũ locutus eſt*, id eſt, Deus in verbo ſuo edidit promiſſionem dulcẽ & ad conſolationẽ efficaciſſimã: In ea promiſſione duo ſunt quæ egoaudiui, & quæ ſtatuo eſſe vera, & in quibus acquieſco; quòd ſcilicet Deus ſit & potens & miſericors, quod poſſit & libenter velit iuuare: is non aberrabit à mente & ſententia prophetæ. Eodem enim redit hæc ſententia cum priore. Alij verba רבר & שמעתי ſic exponunt, vt cùm Deus ſemel in verbo ſuo locutus ſit, & volũtatem ſuam patefecerit, nos bis illud audire, id eſt, ſummo ſtudio conſiderare & expendere, ac fidem adhibere iubeat, nõ aliter ac ſi ſæpius iſta dicta eſſent. Neq; enim ea lex Deo imponenda eſt, vt ſæpius idem loquatur, nec in dubiũ vocãda ſunt ea de quibus tantùm vnicũ extat Scripturæ teſtimonium. Alij videntur hîc argutias potiùs quærere quàm mentem prophetæ exprimere. Quòd enim dicit, Deum ſemel locutum eſſe, id intelligunt de lege, in qua primùm voluntatem ſuam patefecerit: quod verò de iteratione dicitur, id intelligi volunt de prophetis, qui interpretes fuerunt legis, ideóque aſſiduè doctrinam in lege traditam iterarunt.

Tu rependes vnicuique] Confirmat priorem ſententiam à generali ſententia de prouidentia Dei, qua hunc mundum gubernat. Cùm Deo ſint curæ res hominum, atque is iuſtus ſit iudex, dubitare non debemus quin iuſtorum patrocinium ſit ſuſcepturus, atque ipſo euentu declaraturus, iuſtos & iuſtorũ opera ſibi placere, impiorum verò opera damnaturus & puniturus. Non enim caret præmio pietas, nec perpetuò manet impunita malitia & audacia ſceleratorum hominum, etiamſi interdum aliud rationi videatur. Hæc eſt ſimpliciſſima huius dicti ſententia. Eſt enim conſolatio, quòd ſtudium pietatis nõ ſit inanis labor, & quòd hoſtes tandẽ ſint daturi pœnas. Nec, quod pontificij faciunt, hinc eſt colligendum, bona opera mereri vitam æternam, ſicut mala damnationem. Nã mala quidem opera, cùm violent legẽ Dei, & pugnẽt cũ volũtate Dei, merẽtur æternã dãnationẽ: ſed bona opera iuſtorum in hac vita, nõ ita dicuntur bona, quaſi ſatisfaciant legi (nulla enim ſunt perfecta aut ſine labe) ſed ideo dicuntur bona, quia perſona iam placet propter mediatorẽ, etiãſi obedientia noſtra adhuc ſit mutila & ſqualida. Nã cum perſona ſit iuſta, hoc eſt accepta, neceſſe eſt etiam opera, quæ ab ea proficiſcuntur, non diſplicere, etiamſi non ſint talia, qualia lex requirit. Eſt igitur huius dicti interpretatio ſumenda ex euangelio, quod oſtendit quomodo opera piorum placeant, & quomodo vita ęterna ſit merces. Qua de re conſulantur libri methodici, qui extant. Nobis enim illa attigiſſe tantùm & digito quaſi monſtraſſe ſatis eſt.

PSALMI LXII.

PARTES.

I. Exordium, v. 2. & 3. ex abrupto, continens propoſitionem fiduciæ, de qua gloriatur Dauid aduerſus omnes difficultates, quaſi repente emergens ex illarum violentia, Dei omnipotentis præſenti auxilio fretus, quod metaphoricis & appoſitiſſimis locutionibus deſcribit.

II. Reprehenſio adminiſtrorum nequitiæ Saulis, per apoſtrophen, eorundémque pictura & interitus prædictus, v. 4. & 5.

III. Doctrina, continens duo documentorum genera, 1. vnum, ad pios pertinens vt in fide pergant. 2. alterum ad improbos, vt à praua fiducia auocentur. Fidei documenta duorum ſunt generum. 1. Singulare, ad Dauidem ipſum pertinens, v. 6. 7. 8. Is teſtatur ſe confidere & conquieſcere in Deo, quem inſignit eximiis elogiis. Eſt enim, inquit, expectatio, ſalus, arx, gloria, & tutiſſima rupes mea. 2. Commune totius Eccleſiæ, à Dauidis exemplo, v. 9. cui ſubiicitur, v. 10. αἰτιολογία, cur in Deo confidendum ſit, non homini, vel plebeiis vel præſtantibus parentibus orto. Alterum documentorum genus, ad improbos Saulis adminiſtros pertinens, & ad omnes vniuerſè, ne animi illorum in varia huius mundi traducti, diffluant, verſ. 12.

IIII. Confirmatio ſuperiorum documentorum ab auctoritate verbi Dei, qua Deus proponitur nobis potens, miſericors, & iuſtus, ad ea perficienda quæ dicta ſunt.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. Silentium piorum ſub cruce nihil aliud eſt quàm compoſita ſubiectio, dum acquieſcunt fideles in Dei promiſſionibus, locũ dant eius verbo, imperio obtemperant, omnémque affectuum ſtrepitum cohibent in cordibus ſuis.

In ſpe & ſilentio piorum robur conſiſtit: quicunque enim Deũ patienter expectant, ſalutẽ ſuã in tuto repoſitam eſſe reipſa experiẽtur.

Repetitiones eiuſdem ſententiæ fidei conſtantiam & eccleſiæ conditionem demonſtrant. Nec enim ſufficit vno prælio vel congreſſu victores eſſe fideles in tentationibus: quia mox de integro nouas illis pugnas mouet ſatan.

Deus tot epithetis in Scriptura inſignitus nobis proponitur, vt totidem ſcilicet clypeis ſatanæ tela excipiamus ac repellamus.

Quanuis ad tẽpus afflicti iaceãt fideles, quia tamen non ſuccũbunt quin ſaltem Deus eos attollat, hoc non eſt propriè cadere: imò quum Dei ſpi-

Dei ſpiritus cos ſuſtentet, non eſt percelli nec labi.

4 Patienter ferendum eſt quoties hoſtes noſtri infatigabili ſæuitia pergunt nefaria in perniciem noſtram conſilia inire, & ſatan etiam noua artificia illis ſuppeditat.

Etiamſi in ſublime erecti ſint eccleſiæ hoſtes, & ex largo faſtuoſóque pulmone atroces minas crepent, ruent tamen ſubito, & quidem præcipiti caſu inſtar parietis impulſi.

5 Contra omnem perfidiam, omnes fraudes & noxas impiorum, hoc vno ſe muniunt electi, quòd in Dei fulturam recumbentes fruſtra omnibus aduerſis machinis impetuntur.

6 Quia inter mundi & carnis impulſus nunquã perfectè quieſcimus, vt decet, & periculum eſt ne exorientibus ſubinde nouis ventis turbetur interior noſtra trãquillitas, Dauidis exemplo ad pergendũ nos hortemur, donec carne ſubacta cõpoſiti ſimus ad Dei obſequiũ.

In Deo fideles tutò ſperant, etſi non ſtatim reſpondeat: ſuo etenim ſilentio mercedem ſciunt eſſe repoſitam, ideóque ſe cohibent, ne feſtinatio ſalutis curſum perturbet.

7.8 Quoniã nihil infirmitati carnis noſtræ procliuius eſt quam dilabi ad vagos errores, variis elogiis ornanda eſt Dei potẽtia, qua ſuos ſeruat, vt totidem fulturis ad conſtantiam confirmemur, & totidẽ frænis compeſcamus carnis noſtræ leuitatem, ne quam ſalutis noſtræ partem alibi quàm in Deo quæramus.

9 Indignum prorſus eſt niſi ſe totos Deo addicant fideles, quibus patefacta eſt eius gratia, & quos in ſuum patrocinium recepit.

Quamuis Deus ſuos probet multis & quidẽ grauiſſimis afflictionibus, fortiter tamen in ſpe & tolerantia ſtandum eſt: & in omnibus malis ſolari nos debet hæc cogitatio, mortis exitus eſſe penes Deum.

Ne obruant nos tentationum onera, hinc nobis leuatio petenda eſt quòd ægritudini noſtræ ſuccurret Deus, modò ne in illius ſinum eã reijcere negligamus.

Vt de Dei auxilio vnuſquiſque noſtrum certus eſſe debet, ita ad totum fidelem populum extendenda eſt huius fiduciæ efficacia, eum videlicet ſub Dei cuſtodia fore ſaluum.

10 Vbi audimus non in paucis hominibus dãnari hanc prauitatem, vt vanitate ſint vaniores, ſed in ipſa natura, ſequitur nihil reſiduum ſieri rationi, prudentiæ ac libero arbitrio. Nec obſtat quòd fideles hoc morbo purgat Deus: quia ſi regeneratione ſpiritus corrigitur in illis mendaciũ & vanitas, ſequitur natura fuiſſe mendaces. Et quamuis præclaris dotibus ornati ſunt filij Adæ, tamen peccati labe corrumpuntur, & in nihilum euaneſcunt.

11 Non antè ſolidè confidunt homines Deo, quàm exuerint fallaces omnes fiducias, quæ totidem fidei ſunt auocamenta.

Spes omnes quæ à Deo ad creaturas nos abſtrahũt, luſoriæ ſunt ac mẽdaces, præſertĩ, vbi malis & peruerſis artib. diteſcere appetimus.

Cor apponunt ad diuitias, non modò quicunq; nimis cupidè ad eas inhiant: ſed ij etiam qui earum ſiducia perperam efferuntur, & potẽtiæ ſuæ fiducia ebrij fragilitatis humanæ memoriã ſuperbè ſepeliũt.

12 Non aliter abſtrahi poſſunt à vanitate noſtri animi, quàm ſi penitus & conſtanter in Dei verbum intenti ſint, quo teſtatur Deus mundum ſe regere iuſto imperio.

Quum Deus ſibi probè conſtet, minimè timenda eſt mutatio, quoties ſermonem protulit.

Quia Deus vbi ſemel loquutus eſt, ſermonẽ non retractat, noſtrũ eſt diu & prolixè meditari quicquid ex ſacro eius ore proficiſcitur: & ſimul ac verbum vnũ aut alterũ protulit, mox abſq; controuerſia acquieſcendum eſt, piáque attentione & reuerentia excipiendum.

Si cupimus firmis animis excipere tentationum fluctus, tribuendus eſt Dei clemẽtiæ & potẽtiæ ſuus honor: quia nunquã à recta linea deflectet, quiſquis ſeriò perſuaſus erit, nihil contingere niſi Dei arbitrio, eúmque non minùs clementia quàm imperio pollere.

13 Dei prouidentiæ ita mundus ſubeſt vt omnium hominum iudex futurus ſit.

Quum Scriptura mercedem filijs Dei promittens, tantùm eos ad pietatis & iuſtitiæ ſtudium incitet, quò alacriùs Deo militent, nihil autem Dei ipſius miſericordiæ deroget: nimis inſulsè inferunt hypocritæ iuſtitiarij, mereri fideles quod illis gratuitò rependitur. Quantum verò ad pœnas, nulla eſt dubitatio quin eas meritò legis ſuæ cõtemptoribus infligat Deus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De efficaci piorum ſub cruce gementium ad Deum, ſilentio.
2. Aulicorum impiorum aduerſus piorum capita machinantium deſcriptio.
3. Principes viros pietatis ſtudioſos protegit ſummi principis benignitas.
4. Dei nomina ſeu attributa varia, fidei ſuorum columnæ firmiſſimæ.
5. Fiducia in Deum à quibus requiratur, & qualis eſſe debeat.
6. De vanitate filiorum Adę.
7. Impiorum confidentia praua.
8. Dei potentia, miſericordia, iuſtitia, conſcientiæ hominum calcar & habenæ.
9. De operum bonorum & malorum mercede.

ARGVMENTVM PSALMI LXIII.

IN HOC pſalmo, depingitur animus & affectus hominis pij exulantis à miniſterio publico verbi diuini & vſu ſacramentorum, quales multi ſunt hoc tempore, qui propter tyrannidem Turcicam & Pontificiam abeſſe ab iis locis, in quibus vox doctrinæ cæleſtis ſonat pura & incorrupta, coguntur, qui ſine dubio hunc pſalmum aſsiduè habent in ore. Nam Dauid pulſus à Saule, cùm in ſolitudinibus oberraret, etſi graue ei erat excidere illa dignitate & gratia, qua antea floruerat, & amittere non tantùm bona ſua omnia, ſed etiam amicos omnes penè à ſe alienari, verſari denique apud homines ignotos & infidos, vitámque ſuam aſsiduis exponere periculis & iniuriis: tamen illa omnia leuia eſſe exiſtimat præ illo incommodo quòd cogeretur abeſſe à ſanctuario, & verſari in ijs locis vbi nullum eſſet miniſterium doctrinæ publicum, & nulli cultus diuini peragerentur. Hac igitur re magis affici ſe oſtendit quàm amiſsione bonorum, dignitatis, ſtudij, aut beneuolentiæ amicorum, aut cogitatione periculorum, quæ ſubinde ſibi imminere videbat. Quare omiſſa mentione periculorum aut cæterorum incommodorum, hoc vnicum ſuum deſiderium in hoc pſalmo exponit, ac reſtitui ſe petit, non aliam ob cauſſam quàm vt vacare deinceps cultui diuino & intereſſe ſacris publicis ac cœtui piorum poſsit. Quanquam enim in deſerto nunquam ceſſabat ad Deum reſpicere, ac preces ad eum fundere, eaque vnica re ſe in iſtis ærumnis & periculis ſuſtentari intelligit: tamen cultum diuinum nuſquam ita animo læto aut plenè præſtari affirmat, quàm in loco in quo vox doctrinæ publicè ſonat, & pij cœtus ad agnoſcendum & celebrandum Deum conueniunt.

Hoc vnicum dum ſe vehementer expetere atque exoptare multis affirmat, mox tãquam voti ſui compos factus, futurum prædicit: vt hoſtibus qui hactenus eum à ſacris publicis arceant, & vitam eripere conentur, oppreſsis ac deletis, ipſe in regnum reſtituatur, & cultus diuinos magna lætitia in cœtu piorum celebret. Primùm igitur doctrina hîc traditur de dignitate miniſterij, & quia nullum eſſe maius bonum quàm ciuem eſſe eccleſiæ affirmat, omnes hortatur vt quæ & vbi ſit vera eccleſia, oculis atque animo circumſpiciant, ſéque ad eam adiungant. Secũdò, dãnat ex antitheſi omnes qui nullius eccleſiæ ciues eſſe volũt. Tertiò, cõſolatur eos qui abſunt à cœtu piorũ.

1 PSalmus Dauidis, cùm eſſet in deſerto Iuda.

Hiſtoria legatur in 1. lib. Sam. 22. intelligit autem ſaltum Hareth in terra Iuda, in quem, poſtquam rediit à Moabitis, receſſerit, vel etiam deſertum Ziph, in quo diu hinc inde oberrans latuit, 1. Sa. 23. 26.

2 Deus Deus meus tu [*es,*] mane quæram te [*in aurora veniam ad te:*] ſitit ad te anima mea: concupiuit te caro mea in terra ſicca [*ſqualida*] & ſiticuloſa [*laſſa, defatigata*] ſine aquis.

Totus penè pſalmus eſt commemoratio ingentis & ardentis deſiderij, quo tenebatur, quandiu aberat à ſanctuario, cui

ſatisfieri poſſe negat, priuſquam reducatur ab exilio & reſtituatur. Illa verò commemoratio habet admixtas querelas de præſentibus calamitatibus, quæ efficiant, vt ſummo illo bono quod omnibus reb⁹ humanis anteferendum exiſtimat, vſu ſcilicet miniſterij publici carere cogatur, & ſimul votum complectitur, vt tandem reponatur in illum locum vbi frequentare templum & peragere ſacra cum cæteris poſſit. Oſtendit autem hic verſus, calamitatibus & ærumnis adeo non frangi animos piorum, vt etiam fiducia in Deum & inuocatio creſcat & fiat ardentior. Non enim deſperat Dauid de beneuolentia & amore Dei erga ſe, etiamſi ſit eiectus à cœtu piorum, nec abiicit profeſſionem doctrinæ aut pietatis ſtudium, vt multi, qui doloribus fracti incipiunt odiſſe Deum & doctrinam eius contênere. Sed multo magis accendi ſuum deſiderium affirmat, idque nunquam expleri poſſe teſtatur, niſi priùs ad locum ſanctuarij redeat. Ita affecti eſſe debent omnes hoc tempore, qui ab iis locis in quibus ſonat vox euangelij exulant.

Deus Deus meus es] Id eſt, ego quanquam oppreſſus ſum calamitatibus, & vagor in exilio deſertus ab omnibus, & abſum ab illo cœtu qui dicitur eccleſia, tamen ſtatuo me tibi curæ eſſe, téque patrocinium mei ſuſcepiſſe, & in hac fiducia acquieſco & perfero has ærumnas. Nam Deum alicuius eſſe, ſignificat curam & defenſionem ſalutis alicuius ſuſcipere, adeſſe ei, confirmare eum, munire eum, vt perferre ærumnas poſſit, denique omni bonorum genere eum cumulare & ornare.

Mane quæram te] Id eſt. principium omnium mearum actionum eſt vt ad te reſpiciam, & tuam opem atque auxilium implorem. Ab hac re enim ordior diem, & in hac re diem totum conſumo. Verbum Hebrǫum D. Lucas cap. 21. reddidit verbo ὀρθρίζειν. πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτόν.

Sitit ad te anima & caro concupiſcit] Subeſt his verbis tacita comparatio. Eccleſiam enim comparat loco in quo fons ſcaturit, ex quo conſolationes animæ efficaces hauriuntur: reliquas ſectas locis ſqualidis, in quibus fame & ſiti tabeſcunt homines. Eſt autem metaphora à corporeis ſenſibus, ſermone ad animam tranſlato. *Anima ſitit ad te*, inquit, id eſt, ingẽti deſiderio anima mea te expetit: quandiu enim ſum in exilio & abſum à ſanctuario & à miniſterio publico, tandiu videor mihi abs te abeſſe, & carere illa dulci conſolatione quam animi hauriunt ex tuo verbo. Conficior enim hic dolore & ſiti, quæ reſtingui non poteſt, niſi dulciſſimis illis aquis verbi tui, quæ ſunt aquæ vitæ. Alludit autem his verbis ad egeſtatem & penuriam, qua premebatur in deſerto, quam tamen non tantam eſſe dicit, quin longè præualeat illa fames & ſitis verbi diuini, quod vnicum ſit animæ ſuæ pabulum, quo paſcatur & reficiatur.

Cùm dicit non tantùm animam ſitire, ſed etiam carnem cõcupiſcere, ſignificat ſe totum flagrare deſiderio redeundi ad ſanctuarium. Græcus interpres verbum כמה reddidit ποσαπλῶς quàm multipliciter, quaſi dictio ſit compoſita ex כ & מה & ſit כמה cum dages.

3 Sic in ſanctuario contemplarer te: ad videndum robur tuum, & gloriam tuam.

Confirmat priorem ſententiam, à cauſa ſeu fine ſui deſiderij. Ideo, inquit, tanto deſiderio ad te & ſanctuarium tuum feror, quia ſi in ſanctuario eſſem, ego quotidie viderẽ te preſentem, viderem tuum robur & gloriam, atque ex ea re ſummam caperem conſolationem & voluptatem. Nunc quãdiu ſum in deſerto, quodammodo tuo conſpectu careo, nõ enim video illa ſigna tuæ præſentiæ & fauoris, quæ in ſanctuario tuo conſpiciuntur à piis, arcam ſcilicet fœderis & cætera Sacramenta.

Sic] Scilicet, ſi liceret mihi redire in patriam & intereſſe cœtui ſacro. Oratio eſt abrupta aliquomodo, vt fieri ſolet in magnis animi motionibus.

Conſpicerem] Verbum prǫteritum exponẽdum eſt per præteritum imperfectum vel præſens, quia ſequuntur plurima verba futuri temporis.

Videre potentiam & gloriam tuam] Sic nominat arcam fœderis, eo quòd eſſet ſymbolum præſentię Dei in hoc populo, qui ſua gloria hunc populum compleret, & potenter defenderet aduerſus hoſtes quoſcunque. Ideo enim iſtæ appellationes fœderis tribuũtur per metonymiam. Ita Aſaph, pſalmo 78. cùm dicere vellet hanc arcam permiſſu Dei in poteſtatem hoſtium veniſſe, dicit illum fortitudinem & gloriam ſuam in manus inimici tradidiſſe: & vxor Phineæ ſacerdotis cùm audiuiſſet arcam à Palęſtinis captam eſſe, dicit gloriam Domini ab Iſraele trãſlatam eſſe ad Palæſtinos, 1. Sam. 4 dicitur enim *arca, gloria Dei*, μετωνυμικῶς, quia ſignum & ſymbolum erat gloriæ Dei, qui ſe huic populo peculiariter patefecerat dato verbo, eúmque delegerat ex toto genere humano, vt ab eo agnoſceretur & celebraretur, eíque æterna bona communicaret, & qui eum in hac vita glorioſè defendebat. Hac gloria nulla potuit cogitari maior. Eadem ratio eſt & in altero vocabulo.

Sed quęri hic poteſt. An Dauid etiam abſens à ſanctuario non poterat illam gloriam & potentiam Dei cogitare, atque eius conſideratione ſeſe confirmare atque oblectare? Reſpondeo, poterat: & quidem id faciebat ſedulò, ſicut ipſe in exordio huius pſalmi teſtatur, Deus meus es tu: poſtea iterum cùm dicit עזרתי nominans Deum auxilium ſuum. Sed tamen quia arcam fœderis, ſacrificia, & cultus illos externos ad ſanctuarium inſtitutos, ſciebat eſſe adiumenta, quibus fides piorum excitaretur & confirmaretur, & quibus certa ſigna ſui fauoris & præſentiæ Deus in hoc populo oſtenderet: ideo dicit, ſe non ſine magno dolore à conſpectu harum rerum abeſſe, carúmque deſiderio ita affici, vt mori malit quàm perpetuò à ſanctuario abeſſe. Neque enim ita affixus adhærebat ceremoniis, vt hypocritę aut vulgus imperitum, qui totam religionem exiſtimãt conſiſtere in externa rituum obſeruatione, aut in arcæ fœderis contemplatione: ſed iuuari his rebus tanquam mediis à Deo ordinatis, & confirmari in pietatis ſtudio cupiebat, & conſolationes videbat eſſe efficaciores, altiúſque animum penetrare, quæ publicè in miniſterio, cui adiuncta ſunt Sacramenta & pignora præſentiæ & fauoris diuini capiuntur, quam quæ ex priuata meditatione afferuntur. Ita igitur commendat dignitatem miniſterij publici, & nos hortatur vt omni ſtudio hoc agamus, vt nos ad eum cœtum aggregemus, in quo ſonat pura & incorrupta euangelij doctrina, & ritè adminiſtrantur Sacramenta, eiúſque eccleſiæ ciues fieri ſtudeamus, nec more erronum hinc inde vagemur; aut contemnamus illum cœtum qui dicitur eccleſia.

4 Quia clementia tua eſt melior quàm vita: labia mea celebrarent te.

Prius membrum huius verſus quod per parentheſin inſeritur, ætiologia eſt prioris ſententiæ, oſtendit enim iam cur tantopere cupiat verſari in eo cœtu, in quo publicè ſonat doctrina de Deo, & ſacri cultus peraguntur: & cur tantopere cupiat arcam contemplari. Hanc rationem exornat collatione. Quia, inquit, *tua clementia*, quam oſtendis in verbo, & amor tuus, quem piis repræſentãt illa externa ſigna ſanctuarij tui, eſt optabilior, & longè anteferenda vitæ humanę, hoc eſt, rebus omnibus, quibus ad hanc vitam tuendam opus eſt. Quid enim proſunt opes, honores, dignitates & cætera omnia, quæ mundus ſuſpicit & admiratur, ſi careas illa conſolatione, quòd Deum habeas propitium & benignum, quòd ſis membrum corporis Chriſti, aut quòd ad te pertineat promiſſio vitę æternæ? Ea verò cõſolatio nuſquam niſi in verbo diuinitus patefacto & in Sacramentis offertur. Ideo inquit, ſe tantopere cupere verſari in publico piorum cœtu, vt illa conſolatione frui poſſit. Eſt autẽ inſignis doctrina quæ monet res omnes humanas, atque adeo vitam ipſam poſtponendam eſſe veræ agnitioni Dei & conſolationi, quæ ex ea hauritur. Quod vtinam multi conſiderarent, qui voluptates, diuitias, honores anteferunt animæ ſaluti. Quid prodeſt homini, inquit Chriſtus, ſi totum mundum lucratus fuerit, & animæ ſuæ iacturam fecerit?

Labia mea laudarent te] Scilicet, ſi eſſem in ſanctuario, ſeu in illo loco, vbi celebrantur publici congreſſus à piis. Non quidem deſinebat etiam in deſerto prædicare beneficentiam Dei & amorem erga ſe, ſed rectiùs & meliùs, atque adeo maiore cum fructu & lætitia ſignificat ſe id facturum in publico cœtu: vbi ipſe ſimul voce cæleſti & exemplo aliorum incitaretur, & alios viciſſim excitaret & confirmaret.

5 Sic benedicerem tibi in vita mea: in nomine tuo leuarem manus meas.

Idem dicit quod antè. Sic publicè laudarem te & gratias agerem tibi pro beneficiis acceptis, idque non ſemel atque iterum, ſed per totam vitam. Quanquam vitam etiam intelligere potes de felicitate. Nam in calamitate & doloribus impeditur ſæpe gratiarum actio.

Per *eleuationem manuum* μετωνυμικῶς intelligit vota & preces, quas maiore fiducia, & maiore ardore fundere ad Deum in publico cœtu poſſet.

6 Sicut adipe & pinguedine ſatiaretur anima mea: & labiis iubilationum laudaret os meum.

Pergit commemorare felicitatem qua fruuntur ij qui verſantur in eo loco in quo eſt publicum miniſterium doctrinę: atque hac cogitatione ſe impelli demonſtrat, vt eo ardentiùs ad ſanctuarium aſpiret.

Anima mea ſaturaretur adipe & pinguedine] Id eſt, ſaginaretur

tur illis dulciſſimis conſolationibus,quæ in verbo tuo & Sacramentis proponuntur, vt læta in Deo exultaret & acquieſceret, non aliter, quam corpus ſaginatur pinguedine, & redditur magis vegetum & aptum ad alacritatem. Nunc enim in his calamitatibus conficior egeſtate, ærumnis & doloribus, vt anima ſimul cum corpore contabeſcat: ſed ſi eſſem in ſanctuario,abundarem omnibus rebus,eſſem animo læto & tranquillo, quia nihil mihi deeſſet ad ſummam felicitatem.

In vocabulis *adipis* & *pinguedinis* metaphora eſt,qua ſignificatur recreatio,viuificatio & lætitia animæ, quæ proficiſcitur ex verbo, quod pabulum eſt animæ. Eo enim ſi deſtituatur, contabeſcit, ſicut corpora, cùm deſtituuntur bono & vtili nutrimento. Interea verò ne illa letitia intelligatur de immoderata aliqua animi elatione, aut nimia luxuria, quæ plerumque comitari res ſecundas, & homines præcipitare in omnis generis ſcelera ſolet, ipſe oſtendit de tali lætitia ſe loqui, quæ aſſiduè in laudes Dei propter accepta beneficia erumpat. Ideo addit, *Labiis iubilationis laudaret os meum*, id eſt,ego lætus prædicarem tua beneficia.Talis eſt igitur letitia piorum,coniuncta ſcilicet cum amore& dilectione Dei, non qualis eſt profanorum hominum, qui ſe ita in voluptates immergunt, vt non Dei tantùm,ſed ſui quoque obliuiſcantur.

7 Certè memor ſum tui, ſuper ſtrato meo: & in vigiliis nocturnis meditor de te.

Hactenus deſiderium redeundi ad ſanctuarium, eiúſque cauſſam finalem expoſuit: nunc nonnihil ſeſe recolligit & confirmat, ne illo deſiderio nimiùm prouectus in præſenti calamitate animum abiiciat, quaſi abiectus ſit à Deo, qui hoc tempore à ſanctuario, & à loco miniſterij publici exulet. Non enim dubium eſt quin hæc & ſimilia ei in mentem venerint, quæ fidem grauiter concuſſerunt. Cùm in ſanctuario extent certiſſima ſigna præſentiæ & fauoris diuini: tu verò ab hoc cœtu, qui dicitur Eccleſia, & qui ad ſanctuarium conuenire, atque ibi intueri Deum præſentem ſolet,ſis eiectus, an non exiſtimas te gratia & fauore diuino ſimul excidiſſe, & amiſiſſe illa bona, quæ propria ſunt illius cœtus, qui dicitur Eccleſia? Quid enim tibi ampliùs commune eſſe cum eo poteſt,cuius nec verbum habes nec Sacramenta? Hęc cogitatio multorum piorum exulum animos exercet,& tantùm non ad deſperationem adigit:ſed hi intueri exemplum Dauidis debent. Ille enim repellens has cogitationes,& excutiens,inquit, *Certè memor ſum tui*,hoc eſt,quãquam abſum à ſanctuario, nec frui illo bono, vt volebam, poſſum,tamen propterea non abiicio cogitationem de Deo, nec patior mihi perſuaderi quòd ſim deſertus vel abiectus ab eo. Imò verò ſiue componam me in ſtrato meo (ſtrata pluraliter, quia ſæpe mutabat locum) ſiue quicquid agam euigilans ex ſomno, perpetuò habeo Deum in conſpectu:hũc mihi propono vnicum defenſorem & opitulatorem in his ærumnis & periculis:huic cõmendo vitam & ſalutem meam, & ſtatuo me ipſi curæ eſſe,non minùs quam ſi eſſem in ſanctuario,& coràm cernerem illa pignora præſentiæ & amoris ſui erga me.Hanc eſſe veram & natiuam ſententiam oſtendit ſequens verſus.

אם aſſeuerantis eſt hoc loco,vt in aliis multis.vt Oſeæ 12. ſi in Gilead eſt idololatria, pro,certè eſt. Atque ita à pleriſque exponitur illud Ieſa.4. Si lauerit Dominus ſordes filiarum Sion,id eſt,certò abluet.

8 Quia fuiſti auxilium mihi:& in vmbra alarum tuarum iubilabo.

Ideo, inquit, ſemper tui memoriam animo meo circumfero, quia experior te hactenus in his ærumnis & maximis periculis mihi affuiſſe defenſorem & adiutorem, & de hac tua protectione cogitans, lætor ex animo & triumpho,nõ aliter ac ſi extra omne periculum eſſem poſitus.

9 Adhæſit anima mea poſt te:me ſuſtinet dextera tua.

Repetit eandem ſententiam. Etiamſi exulo à terra Domini & abſum à ſanctuario: tamen propterea non diuellor abs te,nec locum do illis cogitationibus, quaſi abs te ſim deſertus aut proiectus: ſed adhæreo tibi,hoc eſt,vera & firma fide te apprehendo, non minus quàm ſi verſarer in medio ſanctuario. Imò ſi fugere interdum aut ſubducere te è conſpectu meo videaris, ego veſtigiis fugientis mox inſiſto, téque proſequor,vt nuſquam abs te diuellar. Hòc enim propriè ſignificat verbum דבק conſtructum cum præpoſitione אחר videlicet,non tantùm fixum adhærere aut conglutinari alicui, ne ab eo diuellaris, ſed etiam, ſi ille fugiat,mox eius veſtigiis ita inhærere & perſequi, ne vnquam è conſpectu eum amittas. Vſurpatur enim ſępe hoc verbum de iis qui hoſtem fugientẽ perſequuntur, 1. Sam.31.& alibi. Significatur igitur firmitas & perſeuerantia fidei hoc verbo,quæ nullis periculis aut tentationibus,nulliſque remoris patitur ſe abduci à Deo, aut aditum ſibi ad eum intercludi. Videtur Deus interdum ſe ſubducere à noſtro conſpectu.Ibi verò fides curſum intendit,vt eum rurſus aſſequatur.

Me ſuſtinet dextera tua] Ne ſcilicet deficiam aut collabar in illo curſu,tu confirmas me, vt curſum inſtitutum abſoluere, & ad metam optatam peruenire poſſim. Fides enim noſtra admodum eſt infirma & languida, eſtque illud iter, quo ad Deum contendimus, longum & difficile, & multæ nobis remoræ inter currendum obiiciuntur à diabolo mundo & carne noſtra,quas ſuperare fides noſtra non poſſet, niſi Deus nos manu ſua ſuſtineret, & currentes confirmaret. Eſt igitur dulcis in hac ſententia conſolatio: Quòd Deus currentes & certantes adiuuet & viribus inſtruat, ne deficiant.

10 Illi verò [qui] ad præcipitium quærunt animam meam,ibunt in infimas partes terræ.

Altera pars pſalmi continet vaticinium de interitu hoſtiũ, & ſui reſtitutione. Dauid enim confirmatus illa meditatione & ſenſu conſolationis, qui ſecutus eſt illam meditationem & precationem, ſtatuit Deum deinceps ſibi quoque adfuturum, & ſicut hactenus potentiam ſuam in eludendis hoſtium conatibus & tuenda Dauidis vita oſtenderat: ita deinceps quoque eandem in euerſione hoſtium, atque in reſtitutione regni declaraturum eſſe. De hac re igitur,tãquam parta iam victoria,exultat & lætatur: quia de euentu ita certus eſt,vt falli nequeat. Ex his autem & ſimilibus vaticiniis,quæ paſſim in pſalmis repetuntur, diſcamus quantum fructus & vtilitatis nobis illæ meditationes piæ, quæ coniunctæ ſunt cum precibus, adferant. Nunquam enim ita abeunt, quin fidem confirment, & ſenſum aliquem conſolationis in corde relinquant, eáque re excitari ad crebras preces fundendas debemus.

Ad præcipitium] Vt præcipitem deiiciant, atque interficiant.

Quærunt animam] Id eſt, inſidiantur, ineũt varia conſilia, & nectunt dolos, quibus me circumuentum opprimant. Eſtque hoc vnicum ipſorum ſtudium, vt me tollant è medio.

Ibunt in infimas partes terræ] Id eſt, peribunt funditus & deſcendent ad inferos.

11 Trahent [adigent] eum ſuper manus gladij: pars vulpium erunt.

Pergit in vaticinio, & non tantùm in genere interitum ſuis hoſtibus, ſed etiam modum & genus mortis prædicit. Futurum enim dicit vt Saul cum ſuis gladio cadat, & hoſtium cadauera paſſim in agris proiecta à feris lanientur & vorentur. Illa autem hiſtoria deſcribitur copioſè, 1. Samuel.31.

Trahent eum] Intelligit Saulem, qui dux & caput erat reliquorum hoſtium:hunc ait, Trahent hoſtes ſuper manus gladij, id eſt,interficient eum gladio, vel etiam proceres regni & conſiliarij trahent eum ſuper manus gladij,hoc eſt erunt ei autores & ſuaſores, vt deſcendat in prælium,atque ibi interficiatur gladio. Synecdochicè tamen complectitur reliquos. *Manus gladij* intelligit aciem gladij, vel ictus,qui manibus hoſtium inferuntur. Vti Iob.5.In bello redimet te à manibus gladij. Eſt autem ſimilis phraſis Ierem.18. Vbi propheta impiis ſacerdotibus imprecatur exitium, inquiens, Filios eorum trade fami, & ipſos trahe ſuper manus gladij; id eſt, fac vt pereant gladio ſeu interficiantur. Et Ezech 35. Traxiſti filios ſuper acies gladij. Alij paſſiuè exponunt,& trahentur. ſed quia adiicitur pronomen הו, & forma eſt vocis actiuæ, etiam ſignificatio eſt actiua.

Pars vulpium erunt] Id eſt, proiicientur cadauera,ſine honore ſepulturæ,& erunt præda vulpibus,lupis & canibus. Nos Germani ferè eadem phraſi vtimur, *Sie vverden den Füchſen zu teil vverden.*

12 Rex autem lætabitur in Deo: & gloriabitur quiſquis iurat per eum: quia obſtruetur os loquentium mendacium.

Addit alteram partem vaticinij de ſui reſtitutione. Hoſtibus inquit interfectis & deletis,ego reſtituar in regnum:erítque publica lætitia & congratulatio omnium bonorum.

Quòd ſe regem nominat, cùm tamen adhuc vagaretur in exilio, & variis periculis eſſet expoſitus, in eo fidei ſuæ robur & certitudinem oſtendit. Ita enim loquitur, quaſi iam promiſſum regnum teneret,cùm non niſi fide illud tunc poſſideret.

Lætabitur in Deo] Id eſt,ita erit lætus & ita triumphabit,de

reſtitutione, vt totum illud beneficium liberationis & reductionis in regnum Deo adſcribat, & grata voce prædicet.

Gloriabitur quiſquis iurat per eum] Id eſt, hæc lætitia erit publica omnium piorum, quia ſciunt ſalutem ſuam eſſe cum mea coniunctam. Erat enim Dauid caput huius populi, & quidem tale, quod Chriſtum ipſum referret & adumbraret. Sciebant igitur pij in hoc populo ſe ſaluos eſſe nō poſſe niſi florente & vigente Dauidis regno, quod vmbra erat ſeu typus regni Chriſti. Inde igitur eſt illa publica lætitia, quòd vident reſtituto Dauide regnum Chriſti quodammodo efflorescere, ſéque de ſua ſalute deinceps benè ſperare poſſe.

Qui iurant per eum] Id eſt, quiſquis piè colit Deum in hoc populo. Eſt enim ſynecdochica locutio, qua omnes pios cultores Dei deſignat. Eſt enim ſpecies diuini cultus, ſtatuere Deum eſſe inſpectorem & teſtem noſtrarum actionum & iuſtum iudicem. Id quod faciunt iurantes per Deum. Tota igitur pietatis profeſſio per iuſiurandum hoc loco συνεκδοχικῶς deſignatur. Nec tamen exiſtimandum eſt, omnes qui nomen Dei ſacrum vſurpant in iuramentis aut crebro in ore habent, mox eſſe ſanctos, aut inter cultores Dei numerandos. Neque enim ea res facit ſanctum aut Chriſtianum: & alioqui multipliciter peccatur iuramentis. Ludunt reges iuramentis, ſicut pueri aſtragalis, vt dicebat Lyſander: alij ſæpe temere & non neceſſarias ob cauſas iurant: alij peierando Deum contumelia afficiunt. Loquitur igitur propheta de iis qui rectè iurant, quíque ſtatuunt Deum teſtem eſſe ſuorum ſermonum, & iudicant eum eſſe vindicem periurij, ideóque propter reuerentiam nominis Dei fideliter ſeruant iuſiurandum. Illi enim hoc ipſo declarant, ſicut & cæteris actionibus, ſe Deum ita ſibi colendum propoſuiſſe, vt ſemper eum in conſpectu habeant, & omnia ad gloriam eius referant. Ita iuramentum legitimum in bonis nota eſt pietatis, non eſt cauſa quæ efficiat ſanctum.

Eſt autem hoc teſtimonium obſeruandum contra Anabaptiſtas, qui damnant omnia iuramenta, & hoc modo turbant vincula politici ordinis. Mandat lex diuina vt iuremus per nomen Dei, Deut. 6. Et epiſtola ad Hebræos inquit cap. 6. Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum. Hoc verò loco inter cultores Dei cenſentur qui iurant per nomen eius. Licet igitur iurare: imò lex te cogit, ſi aliter finiri controuerſia quàm interpoſito iuramento non poſſit.

Nonnulli interpretes peregrinam huic loco aſſuunt interpretationem. Relatiuum enim, quod eſt in dictione בו referunt ad illud nomen, quod eſt remotius, ſcilicet המלך atque ita exponunt, omnes qui iurant per eum, ſcilicet regem. Solebant enim Iudæi iurare per ſalutem regis. Inde ſæpe occurrunt illæ formæ: Viuit rex, & anima tua. Exiſtimant igitur hoc velle Dauidem, quòd ſe reſtituto deinceps populus libere per ſalutem Dauidis iurare poſſit, quod antea Saule incolumi nemo tutò audebat: ſed hoc eſt peregrinum, & coactum.

Quia obſtruetur] Subiicit antitheſin priori ſententiæ, qua oſtendit ſe non loqui in genere de omnibus iurantibus, ſed de his qui rectè & legitimè iurant, quíque iuramenta adhibent, vt veritatem confirment: non vt eo prætextu fallant & Deū contumelia afficiant. Ideo addit, eos daturos eſſe pœnas qui mendaciis alios deformant, aut decipiunt, aut qui periuriis nomen Dei profanant.

PSALMI LXIII.

PARTES.

I. Petitio ardentiſſima, vt Dauidi liceat tranquillè verſari in Eccleſia Dei, duobus argumentis nititur. 1. à natura & officio Dei. 2. à difficultatibus & ſtudio Dauidis, quæ ſummatim v. 2. poſita, ſequentibus, nempe 3. 4. 5. 6. amplificantur. Amplificationis 1. locus, à commemoratione ante obſeruati cultus, à quo ſe arceri indignatur Dauid, v. 3. Amplificationis 2. locus à fine. finis autem duplex ponitur, gloria & cultus Dei, v. 4. & 5. pax & lætitia ſupplicis, v. 6.

II. Narratio, ſeu conſolatio Dauidis, v. 7. 8. 9. 1. quod Dei ſemper recordetur. 2. accepta beneficia repetat. 3. Deo firmiter adhæreat, à quo viciſſim confirmatur.

III. Prophetia euentorum, quæ tum impiis, v. 10. & 11. deinde etiam piis, ad regnū Chriſti peruenientibus euentura ſunt, v. 12.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. In ſummis doloribus ad Deum tendere & eniti decet nos, quibus minimæ quæque tentationes omnem ferè eius notitiam excutiunt.

Fides, qua perſuaſi ſunt electi, Deum ſibi propitium eſſe & ſalutis cuſtodem, deſiderium in cordibus eorum accendit, vt aſſiduis votis ardentibus quam ſperant gratiam expetant.

3. Etiamſi nos externis omnibus gratiæ Dei ſymbolis ſpoliari cōtingat, inter medias tamen abyſſos, Dauidis exemplo, Deum fidei oculis aſpiciendum nobis eſſe diſcamus, ne tergum ei obuertamus ſimulac viſibiles figuræ nobis erunt ablatæ.

4 Nihil eſt ſi omnibus modis ad vitæ ſecuritatem muniti ſint homines: quia præſtat à ſola Dei miſericordia pendere, quàm in eſſentia noſtra omnibúſque eius fulturis fundari.

5 Deus liberaliter nobiſcum agendo, non modò ad gratitudinem nos incitat, ſed ſpem noſtram confirmat in futurum tempus, ne de ſolido complemento gratiæ dubitemus, cuius initia ſumus experti.

6 Quia multis neceſſitatibus patientiam noſtram Deus probare vult in hac vita, diſcamus vſque dum adueniat tempus ſatietatis, conſtanter ferre iniurias impiorū qui ſine modo luxuriantur in ſua copia.

Modus ſatietatis piorum is eſt, vt eò alacrius ad canendas Dei laudes ſe accingant.

7 Pij quoties in mentem venit Dei nomen, libenter cogitant & verba etiam faciunt de eius beneficiis.

Fideles vbi ſubducti ſunt ab hominum cōſpectu, liberiùs ſe applicant ad ſanctas de Deo cogitationes.

8 Auxilij diuini conſideratio non modò ſtimulare nos debet ad laudes Deo canendas, ſed etiam ad inuocandum nomen eius.

Non minus ſecurè læto & hilari animo quieſcunt fideles ſub præſidio Dei, quàm ſi eſſent extra omnem aleam.

9 Cor ſuum firma perſeuerantia ſemper affixum fore Deo ſperāt fideles, quatenus videlicet Dei ma..u fulcietur.

10. 11. Impii, quamuis capitibus piorum immineant, breui tamē peribunt, quia Deus præcipites eiiciet: neque modò tradet in exitium, ſed ſummo dedecore etiam poſt interitum afficiet.

Contingit interdum Dei ſeruis ſepulchri honore priuari. Sed hoc eſt diſcrimen, quod Deus ſeruorum ſuorum oſſa, etiam huc & illuc diſſipata, colligit & ſub fideli reponit cuſtodia, ne quod ex illis pereat, in reprobis autem oſſium diſperſio, æterni interitus eſt præludium.

Multis mortibus obſeſſi fideles, in Deo tamen gloriari, & lætari non deſinunt.

Sub Dauidis figura docere nos voluit Deus, totam noſtram felicitatem & gloriam in Chriſto fundatam eſſe.

Qui ſobriè & reuerenter quum opus eſt per Dei nomen iurant, & quorum linguis reſpondent corda, Dei cultores cenſendi ſūt: perfidis autē, doloſis & profanis os tandem Deus obſtruet.

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. De piorum ſingulari deſiderio & affectu.
2. De ſanctuario Dei & miniſterio ſacro.
3. Piis quid maximè ſufficiat.
4. Vita & lætitia ſumma filiorum Dei.
5. Impiorum, Chriſti regis, & Eccleſiæ hoſtium interitus.
6. Chriſti (cuius, Dauid typus) & omnium electorum gloria, Satana & reprobis æterno exitio addictis, erit perfecta.

ARGVMENTVM PSALMI LXIIII.

ARGVMENTVM commune habet hic pſalmus cum multis aliis, quos hactenus interpretati ſumus. Nam Dauid cùm gratia apud regem excidiſſet, animaduertit Saulis animum iniquis calumniis & obtrectationibus aulicorum ſubinde inflammari, & magis magiſque contra ſe acendi, cùm quidem ipſe nullis iniuriis quenquam ex his irritaſſet. Suum igitur periculum conſiderans, Deo vitam

vitam & ſalutem ſuam commendat, eámque defendi aduerſus iniuſtam ſæuitiam & inſidias hoſtium petit. Atque vt faciliùs quod volebat impetret, longam petitioni querelam ſubiicit, in qua & pericula ſua & hoſtium virulentas calumnias atque iniuſtos conatus exponit. Tandem verò ſeſe recolligens & confirmans, quemadmodum ſe curæ eſſe Deo ſtatuit, ſibíque de exitu meliore gratulatur: ita calumniatoribus & ſycophantis certum interitum & triſtes pœnas denuntiat, vt alij his pœnarum exemplis moti, iuſtam Dei iram aduerſus ſceleratos agnoſcant, huiúſque bonitatem & iuſtitiam in defenſione piorum prædicent.

1 AD triumphandum, pſalmus Dauidis.
2 Audi Deus vocem meam in precatione mea [*in querela mea:*] à timore inimici cuſtodi [*conſerua*] vitam meam.
3 Abſconde me à conſilio malignorum: à concurſu operantium iniquitatem.

Primi duo verſus continent propoſitionem, quæ eſt petitio vt exaudiatur & defendatur.

In querela mea] Quam ſcilicet magno animi ardore, adeoque ſummis meis periculis compulſus ad te fundo.

A timore inimici] Id eſt, ab inimico, quem ego metuo, vel à terrore, quem mihi incutit inimicus. Accipitur enim timor inimici actiuè non paſſiuè, hoc eſt, non quo inimicus ipſe afficitur, ſed quem Dauidi afferebat.

Abſconde me à conſilio] Id eſt, fac ne illorum conſilia, quæ illi ſubinde dant regi, mihi ſint exitioſa, aut periculum aliquod mihi creent: fac vt declinare illa pericula & inſidias poſſim, quas illi mihi machinantur & ſtruunt.

A concurſu] Id eſt, à manifeſta vi, dum ſcilicet collectis viribus impetum in me faciunt, vt me opprimant. Ita verò dum orat, oſtendit ſe imparem eſſe hoſtium viribus ſuſtinendis, nec poſſe ſe hæc pericula effugere, niſi Deus opem ferat. Illo autem defendente, tutum ſe fore ſtatuit aduerſus illa inſidioſa conſilia & vim.

רגש ſignificat concurſum hominum, qui coniunctus eſt cum magno ſtrepitu, vt fieri ſolet in ſubitis tumultibus, vt ſuprà quoque dictum eſt.

4 Quoniam acuerunt ſicut gladium linguam ſuam: direxerunt ſagittam ſuam, ſermonem amarum.

Petitioni ſubiicit rationem, à neceſſitate, quia magna, inquit, eſt in hoſtibus meis odiorum virulentia, & magno conatu hoc agunt vt me nihil tale meritum opprimant. Hæc querela de hoſtium virulentia & falſis obtrectationibus ſeu calumniis vſque ad verſum octauum extenditur.

Acuerunt linguam] Linguam obtrectatricem & calumniatricem comparat gladio, & ſermonem amarum ſeu virulentum ſagittis, quia calumniæ ſubitò occupant animos auditorum, eóſque ita vulnerant, vt nunquam poſtea rectè ſanari queāt. Verum eſt enim illud dictum Medij, quod Plutharchus citat in libro de diſcernendo amico & adulatore: δεῖ θαῤῥοῦντας ἅπτεσθαι καὶ δάκνειν ταῖς διαβολαῖς, ὅτι κἂν θεραπεύσῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς.

Verbum amarum nominat calumniam, quia turbat & cōtriſtat ſapientem, & frangit robur cordis eius, vt Salomon inquit.

5 Vt iaculentur in occultis contra integrum: ſubitò iaculantur, & non metuunt.

Querelæ aſpergit argumentum de ſua innocentia, vt indignitatem rei, & magnitudinem ſceleris in hoſtibus magis exaggeret. Leuior eſſet eorum culpa, ſi aliqua iniuria eos irritaſſem: ſed faciūt illud, nullo vnquam verbo vel facto à me laceſſiti. Integritas enim intelligi debet hoc loco reſpectu hoſtium, quos nulla iniuria affecerat: non de integra obedientia, quam lex requirit, vt eam opponere Deo in ſuo iudicio poſſit.

Subitò iaculantur] Id eſt, incautum & nihil tale metuentem aut ſuſpicantem calumniis opprimunt, & in extremum periculum adducunt. Quo enim quiſque eſt melior, eo minùs alios eſſe malos ſuſpicatur. Ideóque hæc ſimplicitas obnoxia eſt multorum iniuriis. Id voluit ſignificare aduerbio פתא[illegible].

Non metuunt] Id eſt, faciunt illud ſine vllo pudore & metu, non cogitantes quanto ſe ſcelere obſtringant, dum hominem innoxium & nullius ſibi culpæ conſcium ita perfidioſè & impudenter opprimere conantur. Calumnia enim perpetuò habet comitem impudentiam.

6 Obfirmant ſibi rem malam [*facinus malum:*] recenſent [*id eſt, conferunt conſilia & ſermones*] vt abſcondant laqueos: dicunt, quis videbit eos?

Subinde creſcit oratio in hac querela. Hactenus enim malitiam & impudentiam calumniatorum depinxerat: nunc progreditur longiùs, & dicit malitiam eorum eſſe obſtinatam in qua conſtanter perſeuerent, adeo vt nullis officiis ad humanitatem flecti aut trahi poſſint. Deinde etiam ferociam & animi confidentiam in exequendis ſuis ſceleribus illi demonſtrant, cùm dicunt, Quis videbit eos? Exiſtimant enim nullum eſſe Deum, qui hæc ſcelera iudicet: ideóque ſibi impunè licere quiduis tentare & audere in bonos perſuaſum habent.

Obfirmant ſibi) Id eſt, pertinaciter perſeuerant in ſcelerato propoſito, nec vlla ratione, conſilio aut officio poſſunt inde abduci. Pertinaciæ deinde & ſceleratæ audaciæ addunt dolos & technas. Quò enim leonina vis non pertingit, vulpinam, vt dicitur, aſſuunt. ideo inquit, conſultant de abſcondendis laqueis, quibus me capiant: éſtque tanta animi confidentia, vt exiſtiment illas inſidias ita callidè ſtructas eſſe, vt à nemine poſſint animaduerti, atque adeo ſibi perſuadent Deum quoque has technas latere.

Pronomen למו tam ad ipſos fraudum architectos, quàm ad laqueos & inſidias commodè referri poteſt. Si ad laqueos referas, ſuam ipſi calliditatem in ſtruendis & occultandis inſidiis commendant.

Quis videbit eos? ſcilicet laqueos) Id eſt, quis animaduertet dolos? Si ad hoſtes referas, arguit oratio ſecuritatem & contemptum iudicij diuini, coniunctum cum inſigni arrogantia. Ita verò pronomen tertiæ perſonæ ponitur pro ſecunda לנו.

Dicunt) Scilicet in corde, hoc eſt, ita cogitant & ſtatuunt.

7 Scrutantur iniquitates: perficiunt ſcrutinium ſcrutatum, & intimum cuiuſque, & cor profundum.

Exaggerat ſcelus hoſtium ab indefatigato ſtudio & cupidita te nocendi.

Scrutantur iniquitates) Id eſt, nihil meditantur niſi ſcelera & varias fraudes quibus me circumueniant: in hanc rem dies noctéſque incumbunt, vt technam aliquam faciant, qua me euertant, nec priùs quieſcere poſſunt quàm perficiant ſua ſcelerata & inſidioſa cōſilia, quæ ipſe nominat ſcrutinia ſcrutata, hoc eſt, magna calliditate & aſtutia cogitata & inſtructa: & poſtea eadem nominat intimum cuiuſque, & cor profundum, quaſi explicans id quod prius dixerat.

תמנו Rabbi Dauid in libr. rad. & in comment. dicit eſſe תמ[illegible] & ſic ſcribi pro תממו. Alioqui enim, ſi eſſet תמן quod abſcondere ſignificat, ת ſcribi debebat cum camerz. Alij tamen à תמן deducunt, & exiſtimant patach ſcribi pro camerz irregulariter.

Poſterius membrum Latinus ex Græco ſic reddidit, Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Legit enim וקרב איש כלב עמוק ויר[illegible] neglectis punctis vocalibus & confuſis ſententiis.

8 Et iaculabitur eos Deus ſagitta: ſubitò erunt plagæ eorum.

9 Et impingere [*ruere*] facient eam [*relatiuum abundat*] ſuper ſe linguam ſuam: & fugient [*trepidabunt, mouebunt ſe*] omnes videntes in eos [*Iam relatiuum cum antecedente ponitur pro antecedente ſolo.*]

Altera pars pſalmi continet vaticinium de interitu hoſtium, & addit conſolationem quam pij capient ex illis ſpectaculis ſuppliciorum & pœnarum, quas Deus ab impiis ſumit. Ita verò docet ſuo exemplo, quòd precationes piorum non ſint inane murmur, quod aerem fruſtra feriat ac nihil efficiat: ſed quòd certo exaudiantur pij, & tandem glorioſè liberentur ex calamitatibus. Dauid enim quanquam oppreſſus erat ingentibus ærumnis, & verſabatur in ſummo periculo: tamen cùm ſalutem ſuam Deo commendaret, ita confirmatur, vt non tantùm preces ſuas exauditas eſſe ſtatuat, ſed etiam plura impetraſſe ſe videat, quàm ſperarat.

Iaculabitur eos ſagitta Deus] Id eſt, perdet & euertet eos ſubitò, tanquam ictos fulmine, & quidem tunc cùm ſecurè ſibi indulſerint & iudicarint ſe extra periculum eſſe. Hoc enim vult ſignificare aduerbio פתא[illegible] ſicut Paulus illud interpretatur 1. Theſſ. 5. vbi de pœnis impiorum inquit, Vbi dixerint pax & ſecuritas, repentinus obruet eos interitus. Noſtra tranſlatio habet, Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum,

Id ſumptũ eſt ex Gręca trãſlatione, in qua legitur, βέλος νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, legerunt enim פתאים pro פתאם &, vt antea dixi, hunc verſum cum ſuperiore confunderunt.

Fuerunt plagæ eorum] Præteritum ſcribitur pro futuro. Erunt plagæ eorum, hoc eſt, pœnæ erũt graues & atroces, *Es vverden harte ſchlege oder tieffe vvunden ſein*, non leue erit aliquod vulnus quod mox curari poſſit, ſed penetrabunt altè, & malè cruciabunt eos. Verbum enim היה ponitur ἐμφατικῶς, quod oſtendit accentus Reuia, qui monet verbum ſubſtantiuum habere vim prædicati hoc loco.

Et impingere facient] Id eſt, exitium, quod mihi machinati ſunt hoſtes ſuis virulentis calumniis, tandem recidet in ipſorum caput, atque ita ſuis ſe gladiis conficient. Eſt enim illa vulgaris ſententia: ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Item: *Neque enim pœna iuſtior vlla eſt quàm necis artifices arte perire ſua*. Et alibi dicit pſalmus, Incident in foueam, quam fecerũt. Græcus interpres verbũ כשל interpretatus eſt paſſiuè ἐξασθένησαν, infirmatæ ſunt ויכשלו.

Et trepidabunt] Id eſt, tanta erit pœna, vt quicunque videat calamitatem, mox conſternatus fugiat: metuent enim ne ſimilibus pœnis & calamitatibus inuoluantur. Ita ab euentu exaggerat calamitatem & pœnas. Alij יתנודדו interpretantur mouebunt, ſcilicet caput, tanquam illudentes & inſultantes hoc geſtu ipſorum calamitatibus, *ſie vverden ihr ſpotten*.

10 Et videbit vnuſquiſque [*omnes homines*] & narrabit opus Dei, & factum eius [*rem geſtam*] intelligent [*vel intelligere facient, vt ſit tranſitiuum. Solent enim ſæpe eandem rem bis repetere.*]

Primùm in genere oſtendit, quis fructus ex illis pœnis ad omnes etiam non fideles perueniat. Sequente verſu poſtea de ſolis piis loquitur. Mundus vbi videt malos florere opibus, dignitate & potentia, valere gratia, autoritate: bonos cõtra premi & affligi, exiſtimat nullam eſſe prouidentiam diuinam, nullúmque eſſe diſcrimen factorum apud Deum. Sed ſi quando videt impios rapi ad pœnas, & horribilibus calamitatibus opprimi, ibi tandem plerique illo ſpectaculo expergefacti incipiunt agnoſcere & conſiderare Dei iudicium, & confirmantur vt credant eſſe aliquam prouidentiã diuinam, qua hunc mundum regat & gubernet. Sicut Claudianus, cùm diu dubitaſſet de prouidentia diuina, & argumenta collegiſſet, quæ aſſenſionem de prouidentia labefactant, tandẽ Ruffini interitu admonitus ſtatuit eſſe prouidentiam.

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitque Deos: & non iam ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum
Vt lapſu grauiore ruant.

Idem hoc loco affirmat propheta. Homines vbi viderint iudicium Dei, illud annuntiabunt & prædicabunt, agnoſcent Deum iuſtum eſſe iudicem, qui etiamſi aliquandiu differat pœnam, tãdem tamen grauitate ſupplicij tarditatẽ cõpenſet.

In pleriſque codicibus legitur וייראו. Ideo non tantùm Græcus interpres, ſed plerique ex Latinis reddiderunt, Et timuerunt. Nonnulla tamen exẽplaria habent ויראו. Quã lectionem doctiores probant & ſequuntur: vt futurum ſit à ראה quod Græcis eſt ὁρᾶν, non à ירא quod Hebræis eſt timere.

11 Lætabitur iuſtus in Iehoua, & ſperabit in eo: & gloriabuntur omnes recti corde.

Iam ad fideles deſcendit, & docet quis fructus ad hos redeat ex talibus exemplis pœnarum. De prouidentia quidem diuina illi non dubitant, ideóque etiam in aduerſis rebus ſtatuunt ſe curæ eſſe Deo. Sed quia oppreſſi calamitatibus & doloribus fiunt interdum ſegniores & languidiores, & vincuntur doloribus, vt remittant nonnihil de lætitia acquieſcente in Deo, præſertim ſi longior mora auxilij intercedat: ideo inquit fore, vt oppreſſis impiis deinceps læto animo acquieſcant in Deo, quem videant iuſta exercere iudicia, & ab impiis pœnas repoſcere ſuorum ſcelerũ, conſiliáque ipſorum diſſipare, vt minùs deinceps eccleſiæ nocere queant. Nam lætitia piorum non eſt ἐπιχαιρεκακία, in qua priuatis cupiditatibus aut inimicitiis aliquid tribuitur aut indulgetur: ſed reſpicit ad iudicium Dei & gloriam nominis diuini, quã illuſtrari hoc modo, ſi impiorum audaciam coerceat & puniat, lætantur.

Sperabit in eo] Id eſt, fides eius confirmabitur hoc exemplo, vt deinceps certiore & maiore fiducia ad eum accedat, omniáque ſua ei tutò committat. Verbum Hebræum ſignificat protectionis cauſa aliquò ſe recipere.

Gloriabuntur] Quòd ſcilicet vident & experiuntur doctrinam, quam profitentur, non eſſe figmentum aliquod fabuloſum, ſicut mundus iudicat, quódque intelligunt promiſſiones verbi diuini eſſe ratas, & piis paratum eſſe in Deo certum præſidium & patrocinium. Quandiu premuntur boni, coguntur audire illas contumelioſas voces, Vbi eſt Deus veſter? aut quid prodeſt vobis pietas & religionis ſtudium? Talia cùm audiunt pij, coguntur aliquandiu tacere, atque illas iniurias deuorare. Quando verò Deus iudicium ſuum declarat aduerſus impios, & inſignibus exemplis liberationum oſtẽdit eccleſiam ſibi curæ eſſe, poſſunt iam pij audacter gloriari ſe habere Deum defenſorem & protectorem, quem non fruſtra colant, & qui ſuos defendere & ſeruare in periculis norit. Hæc eſt illa gloriatio ſanctorum, de qua hic loquitur.

Recti corde] Quos antea iuſtos nominarat, eoſdem nunc rectos corde appellat, vt ſignificet iuſtitiam piorum non eſſe laruam aliquam pietatis aut externam hypocriſin, aut fucum quo ſe commendare Deo conentur, ſed eſſe ſinceram, vtpote, quæ ex ex intimo corde proficiſcatur.

PSALMI LXIV.

PARTES.

I. Petitio liberationis & ſalutis, v.2. Huius ſubiicitur amplificatio, à perſona inimicorum, v.3. ab eorum calumniis, v.4. item à fraude & violentis eorundem conatibus, v.5.6.7.

II. Doctrina prophetica, ad conſolationem piorum appoſita, qua explicat 1. quod aduerſariis euenturum eſt, v.8.9. 2. quod bonis. v.10.11. Euentus verò his poſtremis 4. verſ. deſcripti allegoriis & antitheſibus elegantiſſimis illuſtrantur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2.3. Quo acrior eſt impiorum violentia, eo ardentior debet eſſe piorum oratio: & qui Deum vitæ ſuæ cuſtodem implorant, de ea ſe periclitari fatentur.

Quantumuis magna turba pij obruãtur, eis ſufficit protectio quã è cælis expetunt.

Quo vel iniquiùs vel crudeliùs nobiſcum agunt homines, eo certius ſtatuere licet Deum nobis fore propitium.

4.5. Non modò vi aperta, ſed etiam operta, id eſt, calumniis virulẽtis Satan pios homines adoritur: quibus ſolatium hoc supereſt, ad Deum confugere, vt bonæ cauſæ patrocinium ſuſcipiat.

Vbi improbi, centies deprehenſi, obſtinatè tamen pergunt, talis ſecuritas perditæ audaciæ ſignum eſt.

6.7. Non tantùm aperto Marte, ſed recõdita etiã malitia hoſtes eccleſiæ machinãtur perniciem, atque ad hoc inſtructi ſunt ſumma perſpicacia, vt inopinatos nocendi modos quaſi ex tenebris eruant.

8 Semper in diuturnis malis hoc nobis ſolatium occurrat, Deum pœnas quas de impijs ſumpturus eſt, conſultò differre, quò violentiùs in eos fulminet: quúmque dixerint pax & ſecuritas, eos obruat repentino interitu.

9 Ad hanc meditationem incumbere nos decet, Deum excubare pro nobis, vt quicquid fraudum in nos cudunt improbi, conuertat in eorum perniciem, ac ſi data opera præmium tale captaſſent.

Quum cæcutientes hominum oculos præterfluant Dei iudicia, inſignes notas extare neceſſe eſt, vt ad metum & conſternationem cogatur mundus.

10 Prout mentes noſtras aperire dignatur Dominus, vt iudicia ſua cõtẽplemur, nouis & inſolitis expergefacti ſpectaculis, qui priùs Dei prouidentiã ferè pro nihilo ducebamus, meliùs conſiderare incipimus quod antea nobis erat incognitũ, vt etiã alij alijs narremus.

11 Alicuius ſerui Dei liberatio, lætitiæ, ſpei & ſanctæ gloriationis materia pijs omnibus eſſe debet: quia eundem erga ſe Deum fore colligere poſſunt qualis erga hunc apparuit.

Iuſti vocantur recti corde, vt ſciamus nullam Deo iuſtitiam probari, niſi quam ex ſe profert interior cordis ſinceritas.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Sanctorum pericula & pauores.
2. Maleficorum arcana, tumultus, conatus crudeles, impietas, hypocriſis abominanda, horrendus interitus.
3. Iudiciorum Dei mira effecta.
4. Sancti quomodo iudicia & miſericordias Domini meditentur.

ARGVMENTVM PSALMI LXV.

HIC pſalmus eſt εὐχαριστικὸς, qui videtur populo Iſraelitico præſcriptus eſſe à Dauide, vt eſſet communis formula gratiarum actionis, quoties ad celebranda beneficia diuina conuenirent. Complectitur enim præcipua beneficia, quibus Deus amorem ſuum erga genus humanum declarat, quorum primum & ſummum eſt, quòd aliquem cœtum ſibi ex genere humano excerpit & colligit, quem ſibi in populum adoptat, cui peccata benignè remittit, cuius preces exaudit, cui dat Spiritum ſanctum, qui nouam accendat in eo lucem rectè agnoſcentem Deum, & lætitiam in ipſo acquieſcentem, quam hîc ſocietatem bonorum domus diuinæ appellat propheta. Alterum beneficium eſt, quòd condit politias & conſtituit regna, eáque mirabiliter ſeruat & defendit contra omnes furores diaboli & malorum hominum, vt eſſe aliqua ſocietas in genere humano & conſeruari honeſta diſciplina & pax publica poſsit. Poſtremò, ad œconomiam deſcendit, ac Dei beneficentiam in fœcundandis agris & producendis ad vſum hominum omnis generis fructibus commendat, ac multis verbis prædicat. Hæc beneficia omnia, quia mundus clauſis quaſi oculis præterit, nec autorem horum cognoſcit aut celebrat, vult propheta à piis conſiderari diligentiùs, & harum rerum cogitatione excitari ad aliquam animi gratitudinem & prædicationem. Ideo mox initio Pſalmi inquit, in Zion annuntiari laudes Dei, hoc eſt, in vera eccleſia, cùm extra eam beneficia diuina profundo ſilentio atque æterna quaſi obliuione obruantur.

AD triumphandum, Pſalmus Dauidis canticũ [*hoc eſt, publicè in cœtu decantandus.*]

2 Tibi ſilentium laus Deus in Sion: & tibi redditur votum.

Orditur Pſalmum à propoſitione, quæ eſt gratiarum actio. Etſi mundus beneficia tua non agnoſcit nec celebrat, tamen propterea non conticeſcent omnino tuæ laudes, nec prorſus ſpoliaberis debito honore. Nam cæteris tacentibus populus tuus qui conuenit in Sion ad ſanctuarium, grato animo agnoſcit & prædicat tua beneficia. Hæc antitheſis illuſtrat nõnihil propoſitionem, atque hoc velle prophetam innuere exiſtimo, cùm inquit: *Tibi ſilentium eſt laus in Sion*, id eſt, quod alibi ſiletur, hoc laudatur in Sion: cúmque alibi in toto orbe terrarum ſit perpetuum ſilentium, laudes tamen tuæ exaudiuntur in Sion, hoc eſt, in eccleſia ſeu cœtu piorum. Hanc iudico eſſe natiuam ſententiam, niſi fortè רמיה ſcriptum ſit pro ירמה vt ſit ſententia, Tibi congruit laus. Ita enim Græcus legiſſe videtur, qui reddidit verbo πρέπει. Alij exponunt, tibi ſilentium laudis, id eſt, laus quæ in ſilentio tribuitur tibi, hoc eſt, in patientia, redditur in Sion. Sed quia vox דומיה non ſcribitur in regimine, & intercedit accentus peſic, qui illas duas dictiones ſeparat, videtur hæc interpretatio eſſe coacta: ídque animaduertentes nonnulli præpoſitionem ב huc accerſunt, eámque adiiciunt voci דומיה. Tibi in ſilentio laus. Alij ſequuti Hebræos, nomen דומיה, vt verbum ſeu participium præſens interpretantur. Cúmque verbum propriè ſignificet ſilere, illi metaphoricè accipiunt pro quieſcere ſeu expectare. Itaque ſic reddunt, Te manet ſeu expectat laus in Sion, id eſt, tu ita beneficus es erga tuos, vt quotidie nouam illis materiam laudis ſuppedites. Iuxta horum ſententiam דומיה ſcribitur pro תוהלת. Rabbi Dauid dicit דומיה eſſe nomen adiectiuum, quod ſic exponit, Tibi tacita eſt laus, id eſt, tacet laus ratione magnitudinis beneficiorum tuorum. Tanta enim ſunt beneficia tua ad vt horum conſiderationem toti obſtupeſcamus, nec aſſequi illa iuſta commemoratione, aut debitis laudibus poſſimus.

Sion ſignificat eccleſiam συνεκδοχικῶς. Nam tempore Dauidis in Sion erat ſanctuarium, cùm illuc tranſtuliſſet arcam. Ibi igitur tunc cœpit coli & adorari Deus à ſuo populo. Ideóque Sion eccleſiam omnium ætatum repræſentat.

Tibi redditur votum] Idem bis dicit, id eſt, tibi aguntur gratię ob beneficia accepta. Vota enim, vt ſæpe iam audiuimus, præſertim Pſalmo 56. & 61. complectuntur precationes & gratiarum actiones.

3 Qui exaudis orationem: ad te omnis caro veniet.

Subiicit cauſam, atque ita iam deſcendit ad commemorationem beneficiorum diuinorum. Primo autem loco illud recenſet, quod inter cætera ſummum & maximum eſt ſalutis noſtræ præſidium, quòd ſcilicet Deus exaudit preces, & annuit votis omnium, à quibus quæritur & inuocatur: quo certè nihil maius cogitari à nobis poteſt, præſertim ſi noſtras miſerias, noſtra peccata, atque indignitatem conſideremus, atque è regione maieſtatem & gloriam diuinam intueamur. Quid enim eſt homo collocatus ad Deum, vt auſit in eius conſpectum irrumpere, & aliquid ab eo petere? Sumus enim natura filij iræ: ille verò eſt ignis conſumens, Deuteronom. 4. Quo igitur Deus maior eſt, & quo nos ſumus viliores aut magis indigni, eo beneficium eſſe maius apparet.

Omnis caro ad te veniet] Amplificat beneficium: quia affirmat non vni atque alteri Deum præbere aures, aut exorabilem eſſe: ſed quicunque ad eum accedit, eum ait ſine vllo reſpectu perſonarum exaudiri, neque hic locum dari meritis aut dignitati cuiuſquam, ſed omnibus liberum & facilem aditum ad Deum patere. Sententia igitur ſic reſoluenda eſt: *Omnis caro ad te veniet*, id eſt, cuiuſcunque hominis qui ad te venit: & quidem nomine carnis intelligit homines deſtitutos ope, auxilio, defenſione, præſidiis externis, & anxiè quærentes conſilium & opem rebus afflictis. Ratio cogitat, ſicut ille inquit, *Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui.* Item: Peccatores Deus non exaudit. Interea verò cogitandum quomodo ad Deum veniendum ſit. Non enim omnes homines veniũt ad Deum, etiamſi interdũ ſenſus calamitatis aut neceſſitas multos vrgeat, vt vota faciant, ſicut videmus hypocritis atq; adeo omnibus profanis hominibus id eſſe familiare, vt in calamitatibus clament: Succurre nobis Deus, opitulare, &c. Sed non accedunt ad Deum, niſi qui fide intuentur mediatorem. Per hunc enim habemus acceſſum ad Deum cum fiducia, vt inquit Paulus Ephes. 3. Et Chriſtus ipſe inquit: Nemo venit ad Patrem niſi per me. Idque intelligebãt in veteri teſtamento homines pij, cùm oraturi conuerterent faciem ad arcam ſeu propitiatorium, quo ſciebant adumbrari Mediatorem. Eſt autem & vaticinium in hoc verſu de vocatione gentium, & futuro Chriſti regno. Cùm enim dicit, Omnis carnis venientis ad Deum preces exaudiri: tunc verò nulla erat eccleſia niſi in populo Iudaico, quæ rectè agnoſceret & inuocaret Deum: ſignificat hac oratione illud beneficium quod eo tempore ſoli populo Iudaico conceſſum erat, vt Deum haberet appropinquantem ſibi, & exaudientem preces, vt Moſes loquitur Deut. 4. fore aliquando cunctis gentibus commune.

4 Verba iniquitatum [*id eſt, res iniquæ. Accipitur enim apud Hebræos nomen* דבר *pro re qualibet, de qua ſermo inſtitui poteſt*] præualuerunt ſuper me: ſcelera noſtra [*tranſgreſsiones noſtras*] tu expiabis ea [*abundat relatiuum.*]

Commemorat aliud beneficium non minùs dignum celebratione quàm illud prius, quòd ſcilicet benignè & clementer remittit peccata, nec ſinit ſe his ita alienari à nobis, quin, ſi ea agnoſcamus, deploremus, ac remitti petamus, exaudiat. Hæc dulcis eſt conſolatio & valde grata piis mentibus. Semper enim in precationibus nobis obſtrepit hæc cogitatio, Peccatores Deus non exaudit. Cúmque agnoſcamus ſinguli nos multiplicibus ſceleribus eſſe pollutos, trepidamus & fugimus Deum, nec audemus in conſpectum eius prodire. Atque hinc ſunt triſtes illæ dubitationes, quibus multi in mortem merguntur. Contra hanc tentationẽ animat & cõfirmat nos hic verſus. Fateor quidem, inquit, me habere peccata, & quidem multa & grauia, quę me poterant arcere à conſpectu Dei, ſed ſcio tantum eſſe Dei erga nos amorem, vt peccata confugientibus ad ipſius miſericordiam vltro remittat & expiet.

Verba iniquitatum] Id eſt, res iniquæ: ita verò appellat peccata ſeu ſcelera.

Præualuerunt ſuper me] Id eſt, tanta eſt moles meorum peccatorum, vt ego his ferendis non ſim par, ac neceſſe ſit me ſub hoc onere perire, niſi tu illud mihi adimas.

Pro me] Dauid in ſua perſona, cũ rex eſſet, repræſentat totũ populum: & quia pſalmus, vt eſſet tanquam communis for-

mula gratiarū actionis, erat præſcriptus, volebat alios exemplo ſuo commonefactos ſua agnoſcere delicta, atque horum confeſſionem in conſpectum Dei afferre. Ideo in ſingulari numero de ſe loquitur. Quædam tamen exemplaria habent מנו.

5 Beatus [*quem*] elegeris & feceris accedere [*propinquum feceris tibi*] habitabit in atriis tuis: ſatiabimur bono domus tuæ, ſanctuarij palatij tui.

Inter ſpiritualia beneficia tertio loco recenſet, quòd per miniſterium verbi Deus excerpit ſibi ex genere humano ecclesiam, quam eligit, vocat, iuſtificat & regenerat ad ſalutem æternam & ſocietatem omnium bonorum quæ in Deo ſunt, iuſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, vitæ & lætitiæ perpetuæ. Hæc tanta bona Deus non communicat, niſi per miniſterium verbi. Ideo electionem coniungit cum habitatione in atriis Domini, vt ſignificet electos non eſſe niſi in cœtu vocatorum: & addit, hæc bona cœleſtia diſpenſari in domo Domini, vel in ſanctuario palatij eius. Non enim niſi per illa media ſe nobis communicat Deus, ſcilicet per verbum & vſum Sacramentorum. Hæc obſeruanda ſunt contra eos qui de electione ita diſputant, vt eam auellant à vocatione, & vſum miniſterij prorſus eneruent.

Orditur autem verſum ab exclamatione, in quam ex conſideratione magnitudinis beneficij diuini erumpit. O quàm beatus ille eſt, quanta eſt felicitas illius hominis, quem tu non abiicis inter maximam multitudinem generis humani, quæ eſt impia, reiecta, & damnata: ſed quem gratuito amore eligis & recipis in gratiam propter filium, eúmque per miniſterium verbi facis membrum eius cœtus, cui te, & tua bona in omni æternitate es communicaturus. Hic enim ſatiatur bonis domus tuæ, id eſt, accipit veram conſolationem, qua ſe erigit & ſuſtentat aduerſus ſenſum peccati, dolores mortis & inferorum: fit iuſtus, hoc eſt, acceptus coram Deo, perfunditur lætitia acquieſcente in eo, donatur Spiritu ſancto, denique initia habet vitæ æternæ in corde accenſa, vt quanquam adhuc in terris verſetur, & inter varias mundi calamitates iactetur, tibi tamen ſit ſemper propinquus, & ſatietur illo ſenſu bonitatis & amoris tui erga ſe. Hæc ſumma eſt huius verſus. Sed miniſterij externi commẽdatio diligẽter hic eſt obſeruanda. Nam illa ſumma bona cœleſtia dicit non alibi reperiri quàm in domo Domini, atque in ſanctuario palatij eius, hoc eſt, in eccleſia, ſeu cœtu in quo ſonat verbum & adminiſtrantur Sacramenta diuinitus inſtituta, vbicunque ille eſt. Nam ſicut tempore Dauidis Deus inſtituerat miniſterium ad tabernaculum, quod nominat ſanctuariū palatij diuini, atque ibi habitare dicebatur: ita in nouo Teſtamẽto eccleſia, quæ eſt domus Domini, eſt ſparſa per totum orbem terrarum, & vbicunque ſonat vox doctrinæ de Deo, ibi eſt illud ſanctuarium, de quo hic loquitur, & ibi eſt ille cœtus, quem Deus eligit. Nullum igitur maius bonum contingere hominibus poteſt quàm ſi ciues ſint eius cœtus. Quod vtinā cogitaremus diligentiùs. Quia extra illum cœtum nulla eſt ſalus aut beatitudo.

Quem elegeris] Id eſt, quem tu gratuito amore complexus fueris, vt facias eum membrum eccleſiæ tuæ, quémque tu adoptaueris in filium. Non conſequitur hoc homo ſua prudẽtia, ſuis meritis vel operibus, vt ſit hęres vitæ ęternę, ſed adoptio tota pendet ex gratuito amore. Ideo inquit, Beatum eſſe quem eligit Deus: ſi enim homines ſua dignitate anteuerterent, nulla eſſet electio penes Deum.

Propinquum feceris tibi] Id eſt, quem recipis in illum cœtum ſeu gregem, cui illa ſumma bona communicas, & qui illo incomparabili priuilegio fruitur, vt aditum habeat ad poſſeſſionem bonorum cœleſtium. Dicit autem Deum facere vt accedamus ad ipſum, quia ille per verbum & Spiritum ſanctum mouet corda noſtra, vt aſſentiamur & accipiamus illa beneficia. Interea voluntas nō habet ſe vt truncus, ſicut multi hoc tempore diſputant: ſed mota à Spiritu ſancto accedit, obtemperat vocanti, & ſequitur vocãtem Deum. Quandiu enim illa refugit, ſubinde magis ab eo alienatur. Quare execrandæ ſunt illæ voces, quas arrogantiſſimè ebuccinat Flacius: Homo habet ſe in conuerſione repugnatiuè, hoſtiliter & aduerſatiuè, &c.

Habitabit in atriis] Id eſt, verſabitur (vel, vt verſetur) in illo cœtu, audiet, diſcet doctrinam de Deo, amplectetur eam vera fide, & acquieſcet in promiſſionibus: non enim intelligit otioſam habitationem: multo minus falſam aut fucatã ſpeciem religionis, quaſi ſatis ſit calcare limina templi, aut temere ſe ingerere in illum cœtum qui dicitur eccleſia, & ſimul frui ſacramentis. Nondum enim illi ſunt vera membra aut ciues eccleſiæ, nec ſatiantur illis bonis cœleſtibus, ſed redeunt vacui & ieiuni domum.

נשבעה ſatiabimur, mutatio eſt perſonæ: vult enim oſtendere ſe ita loqui de illo cœtu, vt ſimul ſe fide huic includat. Non enim ita diſputat de electione, vt exiſtimet certum eſſe numerum electorum, cui promiſſa ſint illa beneficia: interea verò de ſe ipſo dubitet, an ſit ex illo numero, ſed ſicut Paulus de ſe & auditoribus ſuis inquit, elegit nos in Chriſto: ita Dauid ſe includens dicit, ſatiabimur.

6 Terribilia in iuſtitia reſpondes nobis, Deus ſalutis noſtræ: ſpes omnium finium terræ & maris longinquitatum.

Quartum beneficium, quod hoc loco recenſet, ſpectat ad gubernationem eccleſiæ in hac vita, quæ profectò eſt mirabilis & ſtupenda. Habet enim illa hoſtes ſæuiſſimos & acerrimos: diabolum qui odio Dei crudeliter in eam graſſatur: & paſſim ſua organa ad eam infeſtandam atque opprimendam excitat: & mundus, quia rideri, contemni & damnari ſe & ſua omnia à piis videt, ingenti rabie & furore aduerſus eccleſiam accenditur, & ſumptis armis ad eam delendam concurrit. Sedet igitur eccleſia tanquam in medio leonum, vt pingitur in hiſtoria Danielis, & foris nihil habet præſidij vel armorum, quibus ſe aduerſus iniuſtam vim & iniuriam defendat. Hæc pericula primùm videtur ſignificare vocabulo נוראות. Eſt enim ille conſpectus periculorum terribilis, & multos duriter exercet, vt in magnis perſecutionibus videre licet. Sed hic exerit ſeſe potentia & iuſtitia diuina, in defenſione ſcilicet ac liberatione eccleſiæ, & in pœnis hoſtium. Vbi enim omnia apud pios ſunt plena timoris, atque adeo parum abſunt à deſperatione cultores Dei, ſuccurrit ipſe & potenti manu liberat eccleſiam, & hoſtes horribilibus pœnis delet. Ita Pharaone ſubmerſo educit populum Iſraeliticum per mare rubrum, ita tollit Antiochum, Maxentium, Diocletianum, Iulianum, & ſimiles tyrannos, & pios cœtus defendit. Ideo dicit Deum reſpondere ſuo populo *terribilia*, hoc eſt, in mirificis liberationibus eccleſiæ, & horribilibus pœnis impiorum oſtendere ſuam terribilem potentiam & iuſtitiam.

Quòd autem vtitur verbo reſpondendi potiùs quàm oſtẽdendi ſeu exhibendi aut conferendi, ſignificat Deum quaſi expugnatum precibus piorum id facere, eorúmque votis id tribuere. Quod plenum eſt conſolationis.

Deus ſalutis noſtræ] Id eſt, qui ades nobis in periculis & calamitatibus, nos conſolaris & ſeruas, ne opprimamur mole ærumnarum, & tandem potenter liberas.

Spes omnium finium terræ] Hoc epitheton exprimit fructum iſtarum liberationum. Exempla enim illa liberationum confirmant fidem in piis, & alios inuitant vt ipſi ſe quoque adiungant ad eum cœtum qui dicitur eccleſia. Ideo inquit, Deum eſſe fiduciam omnium finium terræ, hoc eſt, talibus liberationibus innoteſcere nomen ipſius paſſim in toto orbe terrarum, vt deinceps maiore fiducia homines ad eum accedant, & creſcat numerus fidelium, quia videant Deum non fruſtrari ſpem ſuorum cultorum.

Fiducia] Ponitur pro obiecto fiduciæ, vt vſitatum eſt in nominibus affectuum. Amor enim ſæpe pro re amata ponitur, vt cùm Cicero, Piliam & Atticam nominat ſuos amores & delicias, &c. Et Ignatius, de Chriſti paſſione loquens, plurimùm in ore habuiſſe fertur hoc dictum quod legitur in epiſtola ipſius ad Romanos ſcripta, & refertur à Dionyſio, lib. de diuin. nom. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται.

Maris longinquitatum] Id eſt, maris longinqui, quàm longè ſcilicet & latè ſe extendit & patet. Eſt autem ſynecdoche in vtroque vocabulo קצוי & [illegible]י pro accolis maris & habitatoribus omnium finium terræ.

7 Stabiliens montes virtute ſua: accinctus fortitudine.

8 Compeſcens ſonitum marium [*&*] ſonitum fluctuum eorum: & tumultuationem [*fremitum*] gentium.

9 Vt timeant habitatores terminorum à ſignis tuis: egreſſiones [*exitus*] mane [*id eſt, matutinas*] & veſperi [*id eſt, egreſsiones veſpertinas*] ouare facis.

A beneficiis ſpiritualibus, quæ propria ſunt eccleſiæ, deſcendit ad commemorationem corporalium beneficiorum, quæ piis quidem cum aliis ſunt communia, ſed tamen nuſquam niſi in eccleſia rectè agnoſcuntur & celebrantur. Profani enim homines exiſtimant, imperia, opes, dignitates & ſimilia bona parari induſtria & ſapientia humana, aut caſu obiici. Sicut Nabuchodonoſor inquit, Hæc eſt mea Babylon, quam ego condidi: & Brutus victus ab Antonio exclamat, Quæcūque de virtute & ſtudio rectè viuendi diſputantur, merę ſunt nugę, quia fortuna dominatur in rebus humanis, iuxta dictum commune: τύχη τὰ θνητὰ πράγματ᾽ οὐκ εὐβουλίας. vitam regit fortuna non ſapientia. Hæc iudicia ſunt profanorū hominum.

num. Pij verò cùm ſciant hæc dona eſſe diuina, autorem horum bonorum grato animo celebrant. Inter beneficia verò corporalia illud primùm occurrit, quòd Deus conſtituit ordinem politicum, eúmque ſeruat mirabiliter, vt eſſe aliqua ſocietas & diſciplina poſſit, nec more ferarum homines inter ſe graſſentur, & mutuò ſe conficiant. De hoc beneficio igitur nunc loquitur.

Stabiliens montes] Id eſt qui conſtituit & firmat regna, vt ſint durabilia. Non enim ſapientia aut humanæ vires conſtituunt aut ſeruant imperia: ſed Dei ſapientia & potentia, qui hoc modo ſaluti generis humani proſpicit. Ac multo rectiùs & veriùs de Dei ſapientia & potentia, quàm de opibus caducis, dici poteſt illud Dionyſij, Hæc eſſe adamantina vincula imperij.

Montes paſſim in Scriptura per metaphoram dicuntur regna & imperia propter ſublimitatem. Extolluntur enim à planitie in altum, ſicut regia dignitas ſupra aliorum hominum conditionem extollitur. Et olim arces regiæ extruebantur in montibus, vt ſimul eſſe metonymia poſſit. Ita Babylon à Ieremia vocatur mons: & pſal. 30. Dauid ſuum regnum vocat montem: ſtare facis in monte meo robur, id eſt, tu firmas meũ regnum, & facis vt ſit inuictum.

Accinctus robore] Robur tribuit Deo κατ' ἐξοχὴν, ſignificans omnium hominum vires ſi conferãtur cum Deo, prorſus nihil eſſe, & quidem verbum גבר vnde nomẽ deducitur, ſignificat præualere.

Qui compeſcit] Id eſt, qui reprimit diabolos & homines tumultuantes ac conantes euertere ordinem politicum, nec ſinit bellis ac ſeditionibus omnia vaſtari, aut in nihilum redigi, ſed ſeruat immẽſa bonitate aliquas politias. Mare per metaphoram ſæpe ſignificat magnos excercitus ex omnib. mũdi plagis concurrentes, ſicut aquæ marinæ. Ita Ierem. 51. dicitur: Aſcendit contra Babel mare, id eſt, immenſus exercitus vndique confluens, & multitudine fluctuum eius obruta eſt.

Comparat igitur Dauid bella & ſeditiones tempeſtatibus & procellis marinis. Ac ſicut nemo hominum poteſt motos compeſcere fluctus: ita non eſt in hominum poteſtate bella mota & tumultus excitatos ſedare: nota enim eſt Pindari ſententia: Ῥᾴδιον πόλιν σεῖσαι καὶ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ αὖθις καθιστάναι μόνου θεοῦ ἔργον.

Tumultum populorum] Explicat ſine figura quod antea dixerat figuratè.

Vt finiant habitatores finium] Amplificat ſententiam à conſequenti ſeu euentu. Homines impij & profani vbi vident potentiam Dei in repreſſione & pœnis ſeditioſorum hominum, qui turbare & conuellere politicum ordinem volebant, commonefacti de iudicio diuino incipiunt timere & ſibi metuere, & his ſpectaculis redduntur aliquanto modeſtiores, vt ſe continere deinceps intra metas ſui officij diſcant, nec pro ſua libidine erumpant. Hoc vult, cùm inquit, Et timebunt habitatores finium terræ, id eſt, etiam gentes remotiſſimæ, quæ ad extremos orbis angulos habitant. *Signa* nominat illas pœnas, in quibus iudicium ſuum aduerſus turbatores communis tranquillitatis, & crudeles homines oſtendit, vt cum Pharao deletur in mari rubro. Sennacherib profligatur ad Hieroſolymam. Licinij exercitus cæditur à Conſtantino. In illis enim pœnis magis conſpicitur à nobis aſſidua præſentia Dei in genere humano, quàm in quotidiana conſeruatione politiarum & regnorum. Ideo κατ' ἐξοχὴν illas nominat ſigna, cùm alioqui perpetua conſeruatio ordinis politici non minus ſit miraculum ſeu ſignum quàm illæ pœnæ.

In altero membro recenſet commoda pacis diuinitus poſt bellorum motus reſtitutæ. Tu, inquit, exhilaras, ſcilicet reſtituta pace, egreſſiones matutinas & veſpertinas, hoc eſt, non homines tantùm: ſed feras quoque beſtias in agris & ſyluis. Nam *egreſſiones matutinas* intelligit homines egredientes mane ad operas. *Veſpertinas* intelligit feras, quæ noctu ex ſyluis egrediuntur ad paſcua & prædas. In bellis omnia ſunt plena pauoris & periculi. Itaque homines non tantùm ſe continẽt intra vrbes, ſed etiam feræ in ſyluis ſeſe abdunt. Illo verò terrore ſublato homines læti rurſus egrediuntur ex munitionibus, incipiunt colere agros, hortos, vineas, tutò transferunt merces & exercent contractus, canunt paſſim, & ſunt læti: feræ etiam ex ſyluis prodeunt. Hanc eſſe natiuam ſententiam oſtendit pſalmus 104. qui cum hoc debet conferri Alij exponunt orientales & occidentales, alij viciſſitudines diei & noctis, quas dicunt exhilarari his ſignis.

10 Viſitaſti terram & irrigaſti eam, copioſè ditaſti eam: riuus Dei plenus aquis: firmas [*paras*] frumentum eorum, quia ſic illam paras.

Dixit de eccleſia & politia. Nunc etiam ad œconomiam & priuatam ſingulorum vitam deſcendit. Nam in hoc quoque immenſa Dei bonitas conſpicitur, dum quotannis fœcundat terram & agros, & hominibus tanquam bonus & ἄσπορ pater de victu & corporis cultu proſpicit. Hoc beneficium his ſequentibus verſibus prædicat, ac ſimul profanorum hominum impias opiniones refutat, quibus ſomniant victum & alias res, quibus indiget hæc vita humana, vel caſu obijci, vel induſtria humana parari.

Viſitas terram] Id eſt, tu pro tua bonitate facis ne terra perpetuò ſit ſterilis & ſqualida, aut ne nihil proferat in vſum hominum: ſed fœcundas eam, vt quotannis varias res producat ad victum & cultum hominum neceſſarias. Hoc enim ſignificat hoc loco viſitare, fœcundam ſcilicet reddere, quæ ſua natura erat ſterilis. Eſt enim frigida & ſicca.

Irrigas eam] Exponit modum viſitationis: Nam irrigatione Deus terram viſitat & fœcundam reddit. Et pluuiæ per ſe nõ fœcũdant terram, niſi Deus etiam his benedicat, hoc eſt vim fœcundandi attribuat. Ideo pluuiæ apud Malachiam dicũtur benedictiones diuinæ, cap. 3. Ego euacuabo vobis benedictionem. Et verſu ſequẽti dicitur, Germini eius benedices. Significat autem verbum Hebræum largas pluuias, quæ non tantùm ſuperficiem terræ ſtringant, ſed quæ bene humectent & penetrent. Significat enim propriè verbum שוק præ abundãtia diffluere, atque excurrere, *Vberlauffen*. In hac ſignificatione legitur apud Ioelem cap. 2. Laci excurrunt muſto. Ita igitur exponendum cenſeo. Das largas pluuias, quæ hinc inde diſcurrant & diffluant.

Copioſe ditas eam] Id eſt, magna varietate & amœnitate res naſcentes ex ea producis. Res naſcentes tam in ſuperficie quã in ipſis viſceribus nominat diuitias terræ, quib. illa quaſi ſuperbit & opulentiam ſuam oſtentat.

Riuulum Dei videtur in ſpecie nominare vel Iordanem, vel tenuẽ & exiguum riuum Siloah ad vrbem Hieroſolymã: eum commendat à perennitate aquarũ, quòd ſemper abundet aquis & nunquam deficiat. Cùm enim populo Iudaico hunc pſalmum præſcriberet, voluit eos beneficiũ hoc conſiderare, quod oculis omnium erat expoſitum. Interea non dubium eſt notari in genere omnes fluuios per totum orbem terrarum, quorum perennitas, vt prorſus miraculoſa eſt, ita multiplices vſus affert omnibus. Non enim tantùm fœcundãt regiones, ſed ſuppeditant piſces magna copia, ſeruiunt ſupportandis commeatibus, & aliis vſibus penè infinitis.

Riuum autem *Dei* nominat, quia non labore hominum, ſed naturaliter erat factus. Ita & arbores Dei dicuntur in Scriptura, quæ ſua ſponte ſunt natæ, non plantatæ: ſic montes Dei. Et tamen non exiſtimandum eſt illam perennitatem caſu exiſtere. Ideo dicit eſſe riuum Dei, quem Deus ſcilicet producat ex ſuis theſauris, ſine hominum induſtria & labore. Alij riuum Dei interpretantur magnum.

Paras frumentum eorum] Id eſt, tu es qui hominibus tanquã optimus paterfamilias proſpicis de victu & rebus neceſſariis, quia tu ſic paras terram, vt proferre frumentum & alias res in vſum hominum poſſit. Nihil enim prodeſſet aratio, ſtercoratio, aut cultura hominum, niſi Deus terram fœcundaret, Sicut Paulus inquit, 1. Cor. 3. Nihil eſt, qui plantat, nihil eſt, qui rigat: Deus dat incrementum.

Frumentum eorum] Silicet hominum. Relatiuum enim ponitur ſine antecedente, quod admodũ vſitatum eſt Hebræis.

11 Sulcos eius inebria [*id eſt, inebrias*] deprime [*pro deprimis, facis deſcendere*] glebas eius: imbribus [*ſtillis*] liquefacis eam: germini eius benedicis.

Amplificat orationem à diſtributione, quod enim ſummatim dixerat, Deum quotannis irrigare terram & fœcundam reddere, id facta diſtributione pluribus verbis quaſi per partes oratione diducta explicat, idque ideo, vt hanc gratiam diuinam, quam maior pars hominum impiè & ſceleratè contemnit & perpetua obliuione obruit, ſuo populo magis commendet & inculcet, ne pij quoque in conſiderandis & prædicandis his beneficiis more profanorum hominum fiãt ſegnes.

Inebria] Nonnulli volunt eſſe precationem, quia verba נחת & רוה ſcribuntur in imperatiuo. Sed quia & præcedentia & ſequentia verba partim ſunt præteriti, partim futuri temporis, non dubium eſt quin inſtitutam gratiarum actionem continuet propheta. Sunt itaque imperatiua reddenda per verba præſentis temporis, ſicut & cætera. Eſtque hæc enallage modorum vſitata in hac lingua.

Sulcos inebrias] Id eſt, non decidunt pluuiæ caſu, nec producuntur tantùm ex aſtrorum poſitu naturali quodam ordine, ſicut Philoſophi imaginantur, ſed tu es qui agros proſciſſos aratro irrigas.

Deprimis glebas eius] Id eſt, reſoluis glebas largis pluuiis, ne ſata ſuffocent. In multis locis, vbi agri ſunt pinguiores, ſi ſiccitas maior ſit aut æſtus diuturnior, non ſine magno labore frangũtur glebæ. גדד excurrit turmatim, fecit excurſio-

nem ad depopulandum. Inde גדוד turma ex multis collecta, excurrens ad depopulandos agros, & gleba collectiuè, quæ ſcilicet turmatim quaſi & ſparſim occupat agros.

Germini eius benedicis] Iam oſtendit vnde ſit illa fertilitas agrorum, vel illa vis in pluuiis, vt res naſcētes ex terra producant, nempe, quia Deus benedicit germini, non tantùm producens è terra: ſed etiam faciēs vt ad maturitatem perueniat. Alioqui enim aqua pluuia per ſe illam vim non habet.

12 Coronas annum beneficentia tua [*ſeu beneficentiæ tuæ*] & ſemitæ tuæ ſtillant pinguedinem.

Coronas) Id eſt, ſingulis penè diebus aliquid ex terra producis, quo tempus illud ornas, & ſinguli menſes habent ſuos peculiares fructus, aut alias res ad vſum hominum comparatas: ita vt totus annus ſit quaſi corona ex beneficiis Dei contexta, & homines illa varietate delectentur.

Quod reddidimus *beneficentia tua*, legitur apud Hebræos in genitiuò propter conſtructionem: *coronas annum beneficentiæ tuæ*, id eſt, ita ornas annum variis rebus ad vſum & victum humanum procreatis, vt quocunque anni tempore oculos conuertam, tua beneficentia conſpicienda ſeſe offerat: vt annus beneficentiæ ſit, quem Deus ſua beneficentia ornat. *Annum beneficentiæ* alij interpretantur, qui præ reliquis eſt fertilis. Eā fertilitatem dicunt eſſe coronam, ſeu peculiare ornamētum eius anni. Sed non eximit propheta vnum annum præ cęteris. Etſi enim non eadem eſt omnium fertilitas, tamen habent ſinguli anni ſua ornamenta.

Semitæ tuæ ſtillant pinguedinem) Id eſt, quacunque tu incedis, impinguas ſolum. Vſitatè dicitur, nullum ſtercus meliùs ſtercorare agrum quàm quod de plantis ſeu calceis patrisfamilias defluit. Nam ſi paterfamilias ipſe inſpiciat & gubernet operas ruſticas, multo rectiùs colitur ager, quam ſi curæ miniſtrorum omnia committat. Ab hoc igitur ſermone vſitato ſumpta eſt hæc phraſis, quæ pingit Deum tanquam bonum patremfamilias perpetuò adeſſe operis ruſticis, & ſua benedictione ſtercorare & fœcundare agros. Quacunque enim incedit, trahit ſecum ac relinquit poſt ſe benedictionem, qua nulla poteſt eſſe melior ſtercoratio. Nonnulli nubes volunt metaphoricè dici ſemitas Dei, quia Deus pſal. 104. dicitur inequitare nubibus, vt nubes ſint quaſi vehicula Dei, quibus circumuectus per totum orbem agros paſſim fœcundat, & quidem מעגל ſignificat propriè viam tritam plauſtro, quæ orbitas habet, quaſi dicat, *Da du her fereſt mit deinem vvagen, da vvird der acker fett vnd vvolgedünget.*

13 Stillant [*ſuper*] habitacula [*paſcua*] deſerti: & exultatione colles accinguntur.

Amplificat gratiam diuinam, quòd non tantùm agros hominum labore excultos fœcundet, ſed etiam quòd pinguedo illa ad multas vſque regiones ſe diffundat. *Deſerta* vocat non aridas ſolitudines, in quibus nihil naſcatur, ſed loca minùs culta & remotiora à ciuitatibus, in quibus non tanta frequentia homines habitant. Ibi etiam inquit, ſtillat pinguedinem pro paſcuis, quę pabulum prębent iumentis. Vnde multiplex vſus redit ad homines.

Etiam colles exultatione accinguntur) Quia etiam ſuper hos ſtillat pinguedinem, ne omnino ſint ſteriles. In collib⁹ enim vineæ ſunt, quæ optimum liquorem, in vſum hominum producunt. Dicit autem colles exultatione cingi, quia, cùm vindemia eſt copioſa, homines redduntur læti, canunt & exultāt propter vberem vini prouentum.

14 Induuntur [*veſtiuntur*] prata ouibus: & valles operiuntur frumento: clamant: etiam canunt.

Singulæ terræ partes habent ſua ornamenta, agri proferūt fructus varij generis, colles proferunt vina, prata paſcunt oues: ita nulla pars terræ vacua eſt Dei opibus, vt vndique eius liberalitas eluceat.

Clamant) Tribuit rebus inanimatis gaudium per proſopopœiam: ſicut & apud Latinos ager dicitur ridere, cùm omnia florent, & res naſcentes ſua pulchritudine exhilarant hominum oculos.

Etiam canunt) אף hoc loco ſignificat continuationem gaudij, vt ſignificet non vnius tantùm anni fore gaudium, ſed aſſiduos recurſus. Alioqui enim canere minùs eſt quàm iubilare: vel certè dici poteſt quòd ordinis ſit inuerſio, quæ vſitata eſt Hebræis, ídque innuere videtur accentus Reuia.

PSALMI LXV.

PARTES.

I. Laudatio, à beneficiis Dei ſingularibus erga Eccleſiam ſuam, à 2. v. ad 7. vſque. Huius propoſitionis ab Eccleſiæ officio duæ ſunt particulæ. 1. vt fideles in Deo conquieſcant & ipſum adeant per fidem. 2. vt gratias agant & habeāt beneficiorū acceptorum nomine: quæ omnia typice proponūtur, ex vſu legis.

Argumentorum laudis genera ſunt hæc; remiſſio peccatorum, v. 4. reconciliatio per verbum Dei in Eccleſia, benedictióque, v. 5. continuum benedictionum incrementum verbo Dei atque operibus, v. 6.

II. Laudatio, à communi rerum creatarum adminiſtratione, ad quam tranſitio eſt circa finem v. 6. Hæc laudatio autem eſt, de communi adminiſtratione terræ & maris tum ordinaria tum extra ordinem. v. 7. & 8. Deinde rerum cæleſtium, v. 9. quæ omnia in oculis omnium expoſita ſunt ad fidem & laudem Deo comparandam.

III. Laudatio, ab eximiis Dei benedictionibus in domicilium populi ſui, à v. 10. ad finem. Porro hæ benedictiones elegantiſſimis figuris & ſuis veluti coloribus ad viuum depictæ noſtris oculis ſubiiciūtur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Quatuor præcipui loci hoc pſalmo cōtinētur. I. Dei beneficia nuſquam alibi quàm in ſanctis cœtibus ritè agnoſci & celebrari. II. Deū ſibi colligere eccleſiam, in qua celebrari velit, vbi precātes exaudiat, vbi peccata condonet, quā denique omni beneficentiæ genere cumulare, & potentiſſimè tueri non deſinat. III. Deum humanam ſocietatem conſtitutis & conſeruatis politiis, in tanta rerum perturbatione tueri. IIII. Omnia iſtius vitæ vſui neceſſaria copioſè ac munificè cælitus ſubminiſtrari.

verſ. 2. Deus ita eſt beneficus erga ſuos vt quotidie illis ſuppeditet nouam laudis materiam.

Nunquā fruſtratur Deus ſeruos ſuos, dū ab illis inuocatur, ſed propitius annuit eorū votis: nec vnquā eorum preces erunt irritæ, quia eas repudiando Deus quodāmodo naturā ſuā exueret. Quòd ſi propriū eſt Deo & inſeparabile exaudire preces, nunquā excutietur nobis orandi fiducia, quæ lætum & proſperum ſucceſſum indubiè ſperare docebit, quum nunquam iuuandi facultate Deus deſtituatur.

3 Sicuti nemo coram Deo ſiſtere ſe auderet, niſi perſuaſus eum ſibi fore exorabilem: ita vbi ſponte occurrit ac pronuntiat non fruſtra ſe inuocari, aperta eſt ianua vt certatim omnes ad eū confluāt. Qui autem fidei certitudinem non afferunt ex Dei verbo cōceptam, ſed pendent ab expectatione fortuiti euentus, nō verè ad Deum accedunt. Regula precandi etiam apud eos nulla eſt, qui ſuſpenſis & dubiis animis ſemper Deum orant.

Quod ſingulare fuit olim Iudæis, poſt Chriſtum in carne manifeſtatum cunctis gentibus ſit commune.

4 Non aliter exorari poteſt Deus à nobis, niſi dum ſuppliciter peccatis noſtris veniam deprecamur.

5 Quia electo populo promiſſa eſt remiſſio peccatorū, beati ſunt certè quos Deus in gregē ſuum recepit, vt hoc incomparabili beneficio fruantur.

Propinqui Dei ſiunt, non qui externa tantùm ſpecie locū obtinēt in eccleſia viſibili, ſed qui vera fide ſe in Dei conſpectum offerunt.

Hoc effectu ſe oſtendit gratuita Dei adoptio, dum Spiritu S. duce ad eius ſanctuarium accedimus.

In Dei verbo & pietatis exercitiis conſiſtit animæ ſatietas, nō vno momēto quidē, ſed gradatim: quia etſi inſtillet Deus ſpiritus ſui dona, ſuos tamē quatenus vtile eſt, locupletat, donec adducat ad ſolidā perfectionem. Contrà profani homines, ſacri cōtemptores miniſterij, qui ſibi plaudunt, & mundo prorſus adhærent, vento & inani rerum vmbra paſcuntur, vt tandem in ſempiternum ruant exitium.

6 Eccleſiam ſuam Deus non vulgari vel ordinario modo, ſed elato brachio & terribili potentia ſemper ſeruauit. Quod cognitu vtile eſt, vt in rebus perditis non tamen bene ſperare deſinamus.

Quum Dei ſalus Iudæis deſtinata, ſit etiam ſpes extremitatū terræ, ſequitur gratiam illam ad gentes quoque extendi.

7. 8. Fortitudo Dei extat quidem in cunctis mundi partibus: præcipuè verò in rupibus altis ac immenſa illa terræ congerie. Deinde quum motos maris & hominum fluctus componere nouit, ſe omnipotentem eſſe teſtatur.

9 Tam illuſtres ſunt & erunt Dei gratiæ erga eccleſiam vt ad reuerentiam & admirationem barbaras etiam gentes & longiſſimè remotas cogant.

Ab ortu vſque ad occaſum ſolis non formidabilis modò Deus eſt, ſed gaudij quoque author.

10 *Noſtrum eſt, vbicunq; habitemus, diuitias bonitatis Dei in terra prouentu & fertilitate agnoſcere. Hæc.n.opulẽtiã ditauit optimus ille pater cæleſtis, ita proſpiciens, vt alimenta in tẽpore ſuppeditaret.*

11 *Totius naturæ ordo teſtimonium eſt paterni erga nos Dei amoris, quòd quotidianã victus noſtri curam ſuſcipere dignetur. Porrò, quum acutiſſimi quiq; pluuiæ originem in aere & elementis quærentes, oculos & ſenſus à Deo auertant: pluribus verbis nos hîc expergefieri neceſſe fuit.*

12 *Dei beneficentia per ſingulos annorum circuitus eſt cõſpicua, & quocunque facit iter, fluit ad eius pedes fru[illegible] copia & vbertas.*

13.14. *Nulla eſt terræ pars Dei opibus vacua: [illegible] liberalitas ad totum orbem locupletandum ſufficit.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Deus in Eccleſia ſua, nuſquam alibi, rectè agnoſcitur & celebratur.
2. Eccleſia theſauros Dei poſſidet.
3. De Oratione, exauditione, peccatorum remiſſione.
4. Eccleſiæ domeſticorum priuilegia.
5. Verbi Dei præſtantia, efficacia, authoritas.
6. Creationis & adminiſtrationis mundi conſideratio.
7. Terræ fertilitas à Dei benedictione ſpeciali.

ARGVMENTVM PSALMI LXVI.

ETIAM hic Pſalmus eſt euchariſticus: ſed occaſio ſcribendi fuit alia quàm prioris. Apparet enim hunc Pſalmum compoſitum eſſe poſt aliquam inſignem liberationem huius populi, quæcunque tandem illa fuerit. Nam titulus eius mentionem non facit: ſed querelæ de magnitudine calamitatum, quæ Pſalmo adſperſæ ſunt: & collatio illius primæ liberationis, quæ facta eſt ſub Moſe, quando populus illuſtri miraculo eductus ex Ægypto trãſiit per mare rubrum & Iordanem ſiccis pedibus, oſtendit quàm inſigne fuerit hoc beneficium quod hîc prædicat. Affirmat enim non minus admiratione & laude dignum eſſe illud recens beneficium, quàm fuerit illa prior liberatio. Ideóque omnes homines ad agnoſcendum & celebrandum hoc beneficium inuitat. Et mouit nonnullos hæc ratio, vt Pſalmum de liberatione ex captiuitate Babylonica intelligerent. Poſtquam verò omnes homines ad gratias Deo agendas hortatus eſt, & magnitudinem beneficij diuini expoſuit, ad ſuam perſonam deinde autor Pſalmi deſcendit, & primùm de ſua gratitudine teſtatur, quam ſe debere Deo oſtendit non tantùm ex generali quadam obligatione, ſed peculiari voto, quod in afflictionibus & ærumnis Deo nuncupauerat. Deinde cauſas addit, in quibus beneficia ſibi exhibita commemorat, eáque ita commendat, vt nunquàm ſatis prædicare ſe poſſe amorem Dei, quem in his anguſtiis & periculis expertus ſit, affirmet.

AD triumphandum, canticum pſalmi.
1 Iubilate Deo omnis terra.
2 Cãtate gloriam nominis eius: ponite gloriam laudem [*vel laudi*] eius.

Summa pſalmi, vt dictum eſt in argumento, eſt gratiarum actio. Ea autem vt ſit illuſtrior, non intra priuatos parietes peragitur ab vno atque altero, ſed in publico cœtu, vt vniuerſus populus ad agnoſcenda & celebrãda beneficia diuina inuitetur. Exordium igitur habet adhortationem, qua omnes hortatur, vt ſuas voces coniungant cum piis in celebratione beneficiorum diuinorum. Cùm enim beneficium liberationis publicum ſit, & ad omnes pertineat, decet ab omnibus quoque id prædicari.

Omnis terra] Poteſt illa vniuerſalis reſtringi ad terram Iudaicam, quæ experta erat hoc beneficium, cuius infrà fit mentio. Sed tamen quia liberatio illa prælúdium & exemplum fuit omnium liberationum eccleſiæ, quocunque tempore, ideo non dubium eſt, cæteras quoque gentes in toto orbe terrarum vocari ad ſocietatem huius celebrationis, atque ita vaticinium quoddam miſceri de futura regni Chriſti amplitudine, & eccleſiæ per totum orbem ſparſæ conſeruatione. Sicut igitur populus Iudaicus quandiu illa politia ſtetit, mirabiliter eſt ſeruatus & liberatus à Deo: ita eccleſia vbicunque terrarum illa eſt, ſemper à Deo defenditur & liberatur, ídque beneficium agnoſcere pij & prædicare quocunque tempore debent.

Iubilate] Id eſt, eſtote læti, quòd Deum habetis defenſorem in periculis & ſeruatorem, eúmque celebrate.

Canite gloriam] Id eſt, extollite & prædicate eius beneficia pro merito & dignitate, vt ita nomen eius paſſim in toto orbe inclareſcat, & debita ei gloria tribuatur.

Ponite gloriam laudem eius] Id eſt, facite vt laus eius ſit glorioſa: quaſi diceret, non ſitis ignaui aut ſegnes in prædicandis beneficiis diuinis, nec ſitis contenti mediocri præconio, ſed ſplendidè & glorioſè prædicate beneficia accepta, vt par eſt. Alij gloriam laudis reddunt, ſed cùm כבוד non ſcribatur in conſtructione, iudico alteram ſententiam eſſe veriorem.

3 Dicite Deo, quàm terribilis es operibus tuis: in multitudine roboris tui, mentientur tibi inimici tui.

Iã incipit attingere nonnihil illud præſens beneficiũ, quod agnoſci & celebrari vult ab omnibus. Nondũ tamen integrè id explicat. Quod enim dicit, Deum eſſe metuẽdum ſeu terribilem eſſe operibus ſuis, hac oratione ſignificat Deũ edidiſſe magnam aliquam & fœdam ſtragem inter hoſtes, quorũ potentiam ſubitò & præter ſpem omnium euerterit, atque ita omnibus etiam hoſtibus terrorem incuſſerit.

Dicite Deo] Non ſatis eſſe iudicat inter homines commemoraſſe illud beneficium, ſed vult dici Deo, vt ſcilicet animi ſint ardentiores & excitatiores in meditandis beneficiis diuinis. Nam ſi in conſpectum Dei nobis prodeundum, & dicendum aliquid ſit, facimus id maiore cum reuerentia & attentione.

In multitudine roboris tui mentientur] Amplificat adhortationem ab exemplo. Etiam inimici tui, inquit, nolint velint, coguntur agnoſcere tuam potentiam & robur, & ſe tuo imperio ſubiicere. Id quanquam faciunt inuiti (mallent enim iugum excutere) tamen metu potentiæ tuæ id faciunt. Quanto magis igitur decet pios hæc beneficia grato animo agnoſcere & celebrare, in quorum ſalutem hæc ſunt facta? Hoc propriè ſignificat illa phraſis, *Mentiuntur tibi.* Atque ita Græci eam exponunt. Homines enim impij & profani, vbi vident in horribilibus euerſionibus & ruinis imperiorum, & pœnis hoſtium eccleſiæ, nullam eſſe hominum potentiam tantam, quæ opponi poſſit potentiæ diuinæ, incipiunt ſibi ab eo metuere, eiúſque potentiam agnoſcere & prædicare. Vt cùm Iulianus dicit, Viciſti Galilæe. Sed quia id faciunt coactè, non liberè aut ſponte, ideo dicuntur mentiri Deo, id eſt, ſimulare illam ſubiectionem, cùm animus interea ſit alienus à Deo. Ita & pſalmus 18. loquitur: Filij alieni mentiti ſunt mihi, id eſt, agnouerunt meum imperium, & facti ſunt mihi ſupplices, quanquam inuiti. Et pſalmus 81. Oſores Iehouæ mentiti fuiſſent ei, ſi ambulaſſet Iſrael in viis meis, id eſt, bello domiti ſubieciſſent ſe ei, quanquam non voluntario obſequio. Alij qui ita exponunt, Inimici tui mentientur tibi, id eſt, excident ſpe ſua, vel, vt quibuſdam placuit, negabunt ſe quicquam hoſtile in te fuiſſe molitos, non videntur aſſequi proprietatem huius phraſis.

4 Omnis terra adorabunt te [*ſynthesis eſt & ſynecdoche coniunctæ, pro, habitatores terræ adorabunt te*] & canent tibi: canent nomen tuum, Selah.

Alia amplificatio ab exemplo eorum qui ſe ſponte ex gentibus Deo ſubiiciunt. Eſtque hæc ſententia: Tanta eſt potentia tua, vt per totum orbem terrarum ſeſe illa extendat, & homines moueat, vt ſe Deo ſubiiciant, eúmque reuerenter adorent. Quanto igitur rectius hoc fit à nobis Iudæis, qui tantis beneficiis ab eo ſumus affecti. Rurſus autem, vt antè, futurum prædicit, vt doctrina de Deo & eius beneficiis aliquando ſpargatur per totum orbem terrarum, eáque omnes homines ad agnoſcendum & celebrandum Deum inuitentur. Quod igitur gentes olim facturæ ſunt magno ſtudio & alacritate, cùm ſe Dei imperio vltro ſubiicient, id vos nunc præſtare æquiſſimum eſt, ne ſegniores videamini ipſis gentibus, quæ paulo pòſt acceſſuræ ſunt ad eccleſiam. Ita ab exemplis conatur eos excitare & alacres reddere ad prædicanda bene-

ficia diuina. Idque ſequens adhortatio oſtendit.

5 Venite & videte opera Dei : terribilis opere ſuper filios hominum.

Multis verbis conatur ſuo populo excutere ignauiam : quæ plerique ita ſtupebant, vt animum nunquam ad conſideranda beneficia diuina attollerent. Itaque crebrò repetuntur adhortationes, & vrgentur auditores exemplis aliarum gentiũ, imò hoſtium quoque. Tanta ſunt, inquit, miracula, quæ Deus edidit in liberatione eccleſiæ, vt hoſtibus quoque illa terrorem incutiant. Cur igitur vos ita ſtupetis, vt caput attollere, aut animo attendere ad hæc beneficia non poſſitis?

Venite, & videte] Quaſi diceret, excutite illam ignauiam veſtram : nolite perpetua obliuione & ſilentio obruere illa ingentia beneficia, quæ vobis exhibuit : excitate vos, vt ſaltem aliquo modo illa beneficia aſpiciatis, & conſideretis. Sunt enim tanta, vt etiam illi qui ſunt extra eccleſiam (quos hîc nominat filios hominum) Dei potentiam & virtutem in his agnoſcant & formident. Nolite igitur fieri deteriores ipſis gentibus.

6 Conuertit mare in aridam : per fluuium tranſierunt pede: ibi lætati ſumus in eo.

Amplificat beneficium acceptum à collatione prioris liberationis in eductione populi ex Ægypto, vt vel hoc modo populi ſtuporem corrigat. Deus, inquit, inſigni miraculo olim eduxit maiores noſtros ex Ægypto, & terram hanc illis attribuit: atque eo beneficio ſuum erga nos amorem oſtendit. Id verò beneficium patres noſtri agnouerunt, & animo læto ac grato prædicarunt. Quid igitur nunc ſtupemus, cùm non minore beneficio à Deo ſimus affecti quàm tunc? Talis eſt collatio in hoc verſu.

Quod autem inquit, *Lætati ſumus*, ſignificat illud beneficiũ, quod maioribus præſtitum fuit, pertinere ad omnes poſteros, quia perpetuum ſit pignus & teſtimonium amoris diuini erga totam poſteritatem : ideo non minùs ſe de ea liberatione lætari, quam illos ipſos qui olim ex Ægypto deducti erant. Quòd ſi igitur illud præteritum beneficium ita læto animo conſideramus & prædicamus, cur ad præſens beneficium obſtupeſcunt & obmuteſcunt plerique?

7 Dominatur in fortitudine ſua ſeculo: oculi eius ſuper gentes ſpeculantur: defectores [*rebelles*] nõ eleuabuntur ſibi, Selah.

Addit aliud argumentum à fortitudine, viribus, potentia diuina, & à prouidentia, qua totum hunc mundum gubernat. Etiamſi, inquit, nulla peculiaria beneficia vobis eſſent exhibita, tamen mouere vos debebat illa infinita Dei potentia, quam in totius mundi gubernatione oſtendit, & illa cura, quã pro omnibus hominibus in toto mundo gerit, vt eius laudes prædicaretis & decantaretis.

עולם non ſignificat nũc ſeculum aut temporis perpetuitatem, vt ſæpe aliàs, ſed ipſam mundi fabricam, quemadmodum & ſuprà Pſal. 24. Eleuamini portæ ſeculi. Deus ſua fortitudine dominatur mundo, id eſt, Omnes homines ſuo imperio ſubiecit.

Oculi eius reſpiciunt gentes] Id eſt, quanquam peculiari cura & amore proſequitur populum Iudaicum: tamen interea non negligit cæteras gentes, ſed has quoque ſeruat & tuetur: dat illis victum, & alia corporis neceſſaria, ſeruat politias & coniugia, non ſinit bellis & vaſtationibus inter gentes deleri reſpub. aut fieri infinitas vaſtitates, ſed etiam ſua prouidentia gentes complectitur. Quòd ſi igitur illa beneficia digna ſunt quæ celebrentur ab omnibus, quanto magis hoc inſigne beneficium, quod nuper nobis eſt exhibitum, & ex quo peculiaris amor Dei erga hunc populum affulget, prædicari ab omnibus debet?

Rebelles non exaltabuntur ſibi] Confirmat prius membrum. Quòd enim gentes curæ quoque ſint Deo, id vel inde apparet, quòd reprimit tyrannos, & ſceleratos homines rapit ad pœnas, nec ſinit nimiùm creſcere furorem & potentiam malorum hominum.

סוררים nominat homines ſceleratos, qui petulanter excutiunt Dei imperium, & non agnoſcunt ſe obedientiam debere Deo, quique indulgẽt ſuis cupiditatibus, & ſine vllo metu numinis diuini ruunt quò impellit cæca libido. Illi enim dicuntur defectores, quia non continent ſe intra illas metas, quas illis Deus circumdedit: ſed perfractis repagulis & ruptis carceribus vagantur liberè ſine metu. Quales pinguntur Cyclopes ab Homero & aliis.

8 Benedicite populi Deo noſtro : & reſonate vocem laudis eius.

Poſtquam varia argumenta collegit, quibus populum ad gratitudinem excitare voluit, nunc repetit adhortationem, à qua exorſus erat pſalmum. Cùm omnes homines agnoſcant Dei potentiam & prouidentiam, adeo vt hoſtes quoque ipſius fateri cogantur, ſe effugere ipſius imperium non poſſe, & nos tanto beneficio nuper affecerit, vt ſi ad primam liberationem id conferatur, non minùs illuſtre id ſit & miraculoſum, decet certè nos grato animo nuper exhibita nobis beneficia agnoſcere & celebrare. Eſſet enim ſceleratum nos à gentibus alienis à Deo, atque adeo ab ipſis etiam hoſtibus hac in re vinci.

Benedicite igitur, inquit, *populi Deo noſtro*, id eſt, laudate & prædicate beneficia noſtri Dei, qui ſcilicet ſe nobis peculiariter dato verbo patefecit, & præterquam quòd hanc terram nobis tanquam ſedem firmam attribuit, inſuper hoc recenti beneficio ſingularem ſuum amorem erga nos teſtatus eſt.

עמים hoc loco non intelligit gentes, ſed populum Iudaicum, qui in plures tribus erat diſtributus, ídque ex ſequentibus verſibus colligitur. Populus autem Iudaicus repræſentat eccleſiam omnium ætatum. Ideo quæ de eo dicuntur, ad eccleſiam transferri debent.

9 Qui poſuit animas noſtras in vitam : & non dedit ad lapſum pedes noſtros.

Propoſitioni addit rationem, in qua iam commemorat illud recens beneficium, quod dicit eſſe ita inſigne & miraculoſum, vt non ſine maximo ſcelere ſupprimi & taceri ab ipſis poſſit. Propter hoc verò beneficium inſtituta eſt principaliter hæc gratiarum actio.

Poſuit animas noſtras in vitam] Id eſt, ſeruauit nos incolumes in ſummis periculis, ne magnitudine calamitatum oppreſſi periremus. Pericula erant maxima, quæ omnibus attuliſſent interitum, niſi Deus illa depuliſſet, & nobis ex præſenti mortis periculo ereptis vitam reſtituiſſet.

Non dedit ad lapſum] Id eſt, effecit ne magnitudine calamitatum opprimeremur, aut ne victi dolore aliquid committeremus, quo ipſum offenderemus. Confirmauit igitur nos ſpiritu ſuo, vt patienter perferremus pericula, ne fracti impatientia aut dolore murmuraremus aduerſus Deum, aut illo deſerto, alia remedia inconceſſa aut falſa numina quæreremus. Qui extra eccleſiam ſunt, non conſiſtunt in calamitatibus.

10 Quia probaſti nos Deus: examinaſti nos ſicut conflatur [*examinatur*] argentum.

Amplificat beneficium primum à cauſa finali ærumnarum & periculorum, quibus pij in hac vita exercentur. Illæ calamitates, inquit, erant diuinitus nobis immiſſæ, non vt nos perderent, ſeu vt eſſent τιμωρίαι tantùm aut ſigna iræ diuinæ aduerſus nos. (Ita enim homines qui ſunt extra eccleſiam, iudicare de ærumnis ſolent, itaque animum facilè abiiciunt & deſperant) ſed erant illæ calamitates, δοκιμασίαι, quibus Deus conſulere voluit noſtræ ſaluti, nóſque excitare ad inuocationem, & confirmare in nobis fidem, ſpem, patientiam & cæteras virtutes : voluit item expurgare vitia & ſordes noſtras, vt his depoſitis animo magis ſincero deinceps Deo noſtro adhæreremus. In otio enim & voluptatibus ſemper contrahunt pij multum vitij & ſordium, ſicut ferrum æruginem. Illas ſordes calamitatibus ruſus excoquit Deus: ſicut argentum coniectum in ignem purgatur à ſcoriis, ipſo argento manente ſaluo: non enim conſumitur, ſed redditur purius. Ita ſimilitudine, quam adiecit, oſtendit pios non conſumi afflictionibus, ſed purgatos à vitiis emendari, & confirmatiores in ſtudio pietatis reddi.

11 Deduxiſti nos in laqueum : poſuiſti coarctationem in lumbis noſtris.

12 Equitare feciſti hominem ſuper capita noſtra: venimus in ignem & in aquas : & eduxiſti nos in refectionem.

Rurſus amplificat beneficium ex antitheſi, hoc eſt, à commemoratione magnitudinis calamitatum, quibus fuerant oppreſſi. Quo enim maius eſt periculum aut calamitas, eo magis beneficentia Dei in liberatione fit conſpicua. Leuia pericula exiſtimant plerique vel caſu vel conſilio atque induſtria humana poſſe depelli: ſed ſi grauioribus periculis ſimus circumuenti, ex quibus nullum effugium pateat humano conſilio, ſi ſubitò auxilium & liberatio affulgeat, fatentur etiam profani homines illud beneficium ſoli Deo adſcribendum eſſe. Quanto magis igitur nos id facere decet, qui diffiteri non poſſumus, nos diuina ope ex tantis periculis ereptos eſſe?

Deduxiſti nos in laqueum] Vtitur figuris tanquam in poemate, éſtque hæc ſententia: conieciſti nos in ſummas anguſtias, ex quibus nullo humano conſilio aut prudentia euadere potuimus. Fuimus enim vndique obſeſſi & circumdati periculis, non aliter ac ſi carceri anguſto fuiſſemus incluſi. Nomen

men מצודה ſignificat cauernam aut ſpeluncam, in quam ſe feræ, aut homines in extremis periculis & anguſtiis, dum vndique à venatoribus ſeu hoſtibus premuntur, recipiunt, vt ibi lateant, & ex qua prodire ſine vitæ periculo non poſſunt. Ita Dauid, cùm eſſet exul & vagaretur in deſerto, quoties audiuit Saulem aduentare cum exercitu, deſcendit במצודה, hoc eſt, in cauernam, vt ibi deliteſceret. 1. Sam. 22. 2. Sam. 5. Et per metaphoram ſignificat arcem munitam, in qua homines includuntur tempore obſidionis. Significat & laqueum ſeu plagas quibus feræ cinguntur, vt euadere non poſſint quin capiantur. Vt Iob. 13. מזור. Et rete ſuum ſeu laqueum ſuum contra me circumduxit, id eſt, ita concluſit vt nuſquam pateat exitus. Ezech. 12. Expandam rete meum ſuper eum, & comprehendetur ſagena mea, &c. In hac ſignificatione vſurpatur hoc loco, & tunc Grammatici nomen deducunt à צור non à מצר.

Coarctationem in lumbis] Explicat & exaggerat quod priùs dixerat de laqueo, ne nomẽ מצודה accipiatur de munitione, & vt periculum maius ac propius fuiſſe intelligatur, quàm ſi retibus vndique fuiſſent concluſi. Nam feræ etiàm concluſæ interdum ruptis laqueis ſeu retibus euadunt. Hic verò nulla fuit euaſio, quia iã laqueis ſeu catenis duriſſimis tenebamur conſtricti, tanquam abducendi ad triſtiſſimam ſeruitutem vel lanienam, id eſt, nulla ampliùs erat ſpes vitæ & ſalutis. Eramus enim iam deſtinati mactationi, & imminebat carnifex ceruicibus noſtris, vt ſequente verſu dicitur.

Equitare feciſti hominem ſuper capita noſtra] Id eſt, feciſti vt hoſtes nobis contumelioſè & petulanter inſultarent, nóſque crudeliter & tyrannicè tractarent. Non aliter enim nos æſtimarunt quàm vile aliquod iumentum, in quod pro ſua libidine ſæuire poſſent, videbantúrque iamiam nos oppreſſuri.

Venimus in ignem & in aquam] Id eſt, omne genus ærumnarum & afflictionum ſumus experti. Sæpe ſola aqua in Scriptura ponitur pro grauiſſimis afflictionibus, vt Pſalmo 32. In inundatione aquarum multarum ad eum non pertingent, id eſt, ſeruabuntur in maximis ærumnis & calamitatibus. Iob. 22. Abundantia aquarum operuit te, id eſt, vehementes afflictiones. Pſal. 69. Salua me quia venerunt aquæ vſque ad animam meam, id eſt, proximum eſt mortis periculum. Homo enim ſi mergatur in aquam, facilè ſuffocatur. Et in diluuio aquæ attulerunt interitum hominibus & animalibus. Inde aqua accipitur pro calamitatibus, quæ ſunt periculi plenæ & exitioſæ. Ignis etiam, quia conſumit omnia, in Scriptura ponitur pro afflictionibus, vt Ezech. 30. cùm dederim ignem in Mizraim, id eſt, cùm miſero afflictionem, vel hoſtem, qui omnia vaſtet. Et 15. De igne egreſſi ſunt, & ignis conſumet eos: id eſt, ex vna afflictione liberati conijcientur in aliam, quæ eos abſumat. Hîc verò vtrunque elementum coniungit, vt ſignificet nullum fuiſſe genus afflictionis, quo Deus ſuos non exercuerit, & ſubinde vnam calamitatem excepiſſe aliam, ita vt nulla fuerit hactenus reſpiratio. Talis eſt eccleſiæ conditio in hac vita, iactatur enim variis ærumnis, & iniuriarum procellis. Obſeruandum autem quod dicit: Deum iſtas calamitates omnes adduxiſſe ſuper populum, quia, quãdo eccleſia affligitur ab hoſtibus, id non fit ſine conſilio Dei: eáque res conſolationem affert piis mentibus, quia ſciunt ſe interea tamen curæ eſſe Deo.

Eduxiſti nos in irrigationem] Id eſt, poſt multos labores tandem recreaſti nos ſuauiter, depulſis periculis & calamitatibus, & reſtituta priore felicitate.

רויה ſignificat propriè locum irriguum, fertilem & amœnum, in quo omnia feliciter proueniunt, & qui ſuo aſpectu hominem exhilarat. Accipitur igitur hic metaphoricè pro felici rerum ſtatu, in quo nihil eſt metus & periculi, vbi ſumma eſt animorum tranquillitas & lætitia, & vbi omnia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, abundè ſuppetunt.

13 Veniam in domum tuam cum holocauſtis: perſoluam tibi vota mea.

14 Quæ protulerunt labia mea: & os meum locutum eſt in afflictione mea.

Hactenus totam eccleſiam ad publicam gratiarum actionem hortatus eſt propheta, & argumenta adhibuit, quæ excitare eos ad conſiderationem & celebrationem beneficiorum diuinorum poſſent. Nunc ad ſuam perſonam deſcendit, ac ſuam gratitudinem declarat. Nam vt adhortatio ſit efficacior, oſtendit ſe ἔξαρχον fore illius publicæ gratiarum actionis in ſolenni cœtu. Hoc enim boni doctoris & principis eſt officium.

Cum holocauſtis ingrediar] Id eſt, ego animi gratitudinẽ teſtabor publicis ſacrificiis, quæ tibi offeram, tanquam σωτήρια. Erant ſacrificia externa inſtituta in hoc populo. Primùm, vt eſſent exercitia pœnitentiæ & gratiarum actionis: nemo enim ritè offerebat, ſi animum afferret profanum & alienum à Deo: & animi gratitudo aliquo externo ſymbolo & teſtimonio erat declaranda. Deinde, vt eſſent ſigna promiſſionis de venturo Meſſia. Tertiò, vt eſſent nerui publicæ congregationis & miniſterij. Poſtremò, vt notæ eſſent, quæ diſcernerent hanc gentem ab aliis hominibus. Hos fines intelligebat propheta, & huc reſpicit, cùm mentionem facit ſacrificiorum, præſertim verò ad primum illum finem. Voluit enim hæc ſacrificia eſſe teſtimonia gratitudinis animi.

Perſoluam tibi vota] Quænam illa ſint vota iam ſæpe audiuimus. Fuerunt vota publicæ & ſolennis gratiarum actionis, quam publicè in cœtu piorum declaraturus eſſet adhibitis ſacrificiis. Ea vota nuncupauerat, cùm eſſet in afflictione & periculis, quod vſitatum fuit in illo populo. Et nihil habuerunt impietatis.

Itaque perſeuerantiam ſuam, & conſtantiam in pio propoſito oſtendit, quia perſoluturum ſe affirmat, quod vouerit. Multi enim poſtquam liberati ſunt ex periculis, mox obliuiſcuntur beneficij, nec perſoluunt vota. Hanc ſceleratam perfidiam Deus punit ſeueriſſimè etiam in hac vita. Extat exemplum de diuite quodam mercatore apud Cedrenũ, qui in graui & periculoſo morbo, non tantùm vouerat, ſed etiam legauerat pauperibus 30. libras, quas cùm reddere liberatus à morbo recuſaret, amicus ſoluturum ſe illam pecuniam recepit, ſi templum ingreſſus profiteretur non ſe, ſed amicum illam pecuniam in vſum pauperum elargiri. Quod cùm feciſſet, & argẽtum ab amico recepiſſet, mox egreſſurus ad ipſam templi portam mortuus concidit. Vide integram hiſtoriam pag. 314.

15 Holocauſta pinguium offeram tibi cum ſuffitu arietum: faciam boues cum hircis, Selah.

Amplificat promiſſionem gratitudinis à multitudine & bonitate victimarum, quas Deo oblaturus ſit. Atque hinc apparet autorem huius pſalmi non fuiſſe priuatum aliquem, aut tenuis fortunæ hominem, ſed vel regem ipſum, vel prophetã, cuius præcipua fuerit dignitas & autoritas in hoc populo.

Holocauſta pinguium] Id eſt, offeram ſplendida & varia ſacrificia, nec parce id faciam, ſed liberaliter.

Cum ſuffitu arietum] Suffitus ille per ſe non poterat eſſe gratus Deo, ſed quatenus erant figuræ venturæ victimę, & fide offerebantur arietes, ſuauiter redolebant coram Deo, ſicut ſæpe Scriptura de ſacrificiis piorum loquitur, Odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis.

Faciam boues] Sicut verbum facere in Latina lingua & ῥέζειν in Græca ſignificat præparare victimam ad ſacrificium, & peragere ea quæ requiruntur, vt ritè oblatio fieri poſſit: ita עשה Hebræis idem ſignificat, vt ex hoc loco apparet. Eccius cùm in verbis inſtitutionis cœnæ Chriſti verba, Hoc facite, allegaret, promiſſa idololatrica ſtabilienda, ex hoc pſalmo probare voluit, & verbum facere eo in loco idem eſſe quod ſacrificare: ſed quàm inſulſa illa ſint, oſtenſum eſt ab aliis copioſè, & Paulus manifeſtè hanc ſophiſticam refutat: Qui cùm dixiſſet, hoc facite, mox ſubiicit, Quotieſcunque comederitis, &c. Faciendi igitur verbum refertur ad totam actionem præcedentem.

16 Venite audite, & narrabo omnibus timentibus Deum quæ fecerit animæ meæ.

Non tantùm holocauſtis & ſacrificiis gratitudinem ſuam teſtatur, ſed tanquam doctoris munere fungens, publicè in cœtu ſacro prædicat & commendat beneficium ſibi exhibitum, vt alios ſuo exemplo excitet ad agnoſcenda & celebrãda hæc beneficia, & vt aſſenſionem de cura Dei, quam gerat pro hoc populo, & fidem ac ſpem in ipſis confirmet. Neque enim ſatis grati Deo ſunt, niſi qui deſiderio flagrant publicandæ, quam experti ſunt, gratiæ diuinæ.

Timentibus Deum] Ad hos ſolos dirigit orationem, quia hi ſoli idonei ſunt auditores. profani homines & hypocritæ non mouentur his concionibus.

17 Ad ipſum ore meo clamaui & exaltatus eſt ſub lingua mea.

18 Iniquitatem ſi reſpexi in corde meo, non audiet Dominus.

19 Vtique audiuit Deus: attendit ad vocem precationis meæ.

Iam commemorat beneficium ſibi exhibitum, quòd ſcilicet re ipſa expertus ſit ſuas preces eſſe exauditas, quia ſequuta ſit liberatio quam expetiuerat. Docet igitur preces piorum non negligi à Deo, & ſuo exemplo confirmat nos, vt ſimili fide ad Deum accedamus.

Per os & linguam exprimit vehementiam & ardorem precandi: non enim fuit frigida oratio, neque durauit ad vnum momentum, ſed crebrò fuit repetita, quod fuit ſignum ardoris.

Exaltatus fuit ſub lingua mea] Dum ſcilicet hunc honorem illi tribuerem, quòd ſolus eſſet qui poſſet ſaluare, & à quo ſalutem noſtram pendere crederem. Ita enim rectè exaltatur Deus, ſi huic vni ſalus noſtra adſcribatur, non in ſocietatem vocentur ſancti, vel alia numina, ſicut in Papatu fieri videmus: vel etiam, ſi non induſtriæ aut potentiæ humanæ aliquid tribuatur, quod ethnicis eſt familiare.

Sub lingua] Illud quidam tantundem valere volunt atque in corde, quòd cor ſit ſub lingua: ſed voces, quæ vario linguæ flexu formantur, rectè dicuntur naſci ſub lingua. Sicut & alibi loquitur, Venenum aſpidum ſub lingua eorum: Pſalmo 14. & 140. id eſt, nihil niſi venenum loquuntur.

Iniquitatem ſi reſpexero] Hic verſus per parétheſin inſeritur. Voluit enim propheta non tantùm de ſua oratione teſtari, qualis illa fuerit: ſed etiam communem regulam inuocationis præſcribere omnibus piis. Docet enim nullas preces placere Deo, niſi quæ proficiſcuntur ex corde puro & non contaminato delictis contra conſcientiam. Impios enim, hoc eſt, afferentes in conſpectum Dei peccata contra conſcientiam & in his perſeuerantes, Deus non exaudit, vt dicitur Iohan. 9. Et huc congruunt cætera dicta 2. Timoth. 2. Diſcedat ab omni iniquitate, quiſquis inuocat nomen Chriſti. 1. Iohan. 3. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, habemus fiduciam ad Deum quòd inuocantes exaudiamur. Hæc regula diligenter obſeruanda eſt in inuocatione.

Reſpicere iniquitatem in corde ſignificat, non ſimpliciter habere aliquod peccatum mortale: ſed cum propoſito perſeuerandi in delicto contra conſcientiam, accedere ad Deum. Id enim non eſt inuocare Deum, ſed illudere Deo. Alioqui ſi quis pollutus ſit aliquo peccato mortali, & ſupplex fiat Deo, ac culpam ſibi remitti petat propter filium, is quia hoc ipſo deſinit eſſe peccator, non iam cenſetur in illorum numero, de quibus dicitur Iohan. 9. Peccatores Deus non exaudit. Nec dicitur reſpicere iniquitatem in corde, quia abiicit propoſitum peccandi, & petit ſibi remitti peccata.

Obſeruandum autem quod addit, In corde. Quia non ſatis eſt puras habere manus à cæde, à furto, aut aliis ſceleribus: ſed cor quoque oportet eſſe mundum. Phariſæus apud Lucā 18. gloriatur, quòd non ſit raptor, mœchus, aut qui aliorum bona vi aut dolo ad ſe rapiat: interea cor intus tumet ambitione, iudicat ſe Deo placere propter illam diſciplinā externam, ardet odio, inuidia, cupiditate vindictæ, & aliis variis ſceleribus eſt pollutum. Hic igitur verè reſpicit ad iniquitatem in corde, dum iudicat has flammas vitioſorum affectuū non eſſe peccata, atque his ſecurè indulget. Ita Pontificij cùm dicunt, Peccatum originale non eſſe peccatum, aut non habere rationem peccati, verè in corde ſuo reſpiciunt iniquitatem.

Vtique exaudiuit] Hic verſus reſpondet decimoſeptimo. Affirmat enim ſuas preces non fuiſſe irritas, ſed impetraſſe quod volebat.

20 Benedictus Deus qui non amouit [*reiecit*] precationem meam & miſericordiam ſuam à me.

Concludit pſalmum gratiarum actione, vnde exorſus erat, & ſummatim omnia beneficia complectitur, cùm inquit, ſuas preces non eſſe repudiatas à Deo, ſed clementer ſe eſſe exauditum & voti ſui compotem factum. Cùm enim exaudit Deus, præſtat hoc quod petimus. Monet autem de cauſa cur exaudiantur preces piorum: non quidem quòd digni ſimus, aut quòd merita in conſpectum Dei afferamus quæ eum moueant, vt precibus noſtris annuat. Nam quod ad nos attinet, ſumus indigni qui exaudiamur: ſed tanta eſt Dei bonitas & amor erga nos, vt quanquam ſumus indigni & variis ſordibus polluti, tamen non repudiet preces noſtras, aut nos accedentes à ſe repellat. Quòd igitur exaudimur & beneficia à Deo impetramus, cùm ſpiritualia, tum corporalia, id totum amori ipſius erga nos eſt adſcribendum.

PSALMI LXVI.

PARTES.

I. Propoſitio hortatoria ad laudandum Deum & promulgandum gloriam Chriſti in tota terra, v. 2. vſque ad 13. nititur duobus argumentis. 1. Ab operibus antea deſignatis in Eccleſia eius. 2. Ab auctoritate, potentia & operibus eius in exteros: v. 6. & 7.

Hortamenti ad laudandum ſumma repetitio ſubiicitur v. 8. qua tranſitur ad ἐργασίαν prioris argumenti, quod poſitum eſt, verſ. 6. vbi oſtendit Pſaltes, ſi vſquam apparet beneficentia Dei in populum ſuum, eam illuſtrem eſſe in liberationibus, & eo quidem illuſtriorem, quo grauiora ſunt mala, vſque ad v. 13.

Additur v. 10. exegeſis allegorica malorum & liberationis acceptæ, quæ v. 9. ſummatim propoſuerat. 1. à metallis probatis & fuſis ad ignem. 2. à venatione ſeu aucupio. 3. à iumentis, quæ clitellis grauantur: v. 10. 11. & 12.

II. Confirmatio ſuperioris propoſitionis, ab exemplo ſingulari: duas partes continens. 1. Laudationem Dei, v. 13. 14. 15. 2. Narrationem argumentorum laudis, v. 16. 17. 18. 19.

III. Concluſio Euchariſtica, v. 20.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2 Quum de futura regni Dei amplitudine, quæ Chriſti demum aduentu ſpectata fuit, hoc pſalmo agatur, non mediocri præconio, ſed ſplendidè & pro ſua amplitudine ingens illud beneficium fuit prædicandum.

3 Nihil meliùs ad Dei reuerentiam nos cogit, quàm vbi nos ſiſtimus coram eius facie.

Si duri & præfracti, qui ſe libenter Dei imperio ſubducerent, velint nolint, coguntur ſe coram eo humiliare: quid fidelibus agendum eſt, quos non terroribus ſibi ſubijcit, ſed blandè ad ſe inuitat?

Dei robur impijs adeo eſt formidabile, vt inuitos ſubigat, & ad ſeruilem coactámque pertrahat ſubiectionem.

4 Quum ita parci & maligni ſint homines, vt vix tenui ieiunáque laude Deum aſpergere dignentur, ad eum celebrandum neruos omnes ac conatus intendere nos decet.

5.6 Clauſis oculis præterit maior mundi pars Dei opera, quoniā vix centeſimus quiſque ad eorum conſiderationem ſtudium ſuum applicat. Inſtigandi igitur & caſtigandi ſumus, vt nos ad hanc cōſiderationem accingamus. Porrò, niſi opera hæc eſſent in propatulo, fruſtra Spiritus ſanctus ea conſpici iuberet.

In tuendo ac conſeruando hominum ſtatu, maximè admirabilis eſt Dei prouidentia.

Innumera ſunt Dei erga fideles beneficia, quibus ſancit redēptionis gratiam.

Ad nos & poſteros ſpectat redemptionis lætitia, quatenus continui amoris pignus ac documentum à Deo editum erga totum eſt eccleſiæ corpus, dum Chriſtus exhibitus eſt, ex quo fonte commune ad omnes pios gaudium profluxit.

7 Deus fortitudine præditus eſt, qua ſub imperio ſuo cōtinet totum orbē: & quanuis ſub lege propriam imperij ſedem erexit in Iudæa, ſemper tamen prouidentia ſua totū orbē complexus eſt, & apud gentes pœnas exegit de ſceleratis ac deſperatis: nec ſic in abdito vnquam latere paſſus eſt ſua iudicia, quin ſigna quædam eorum, & quidē ſatis illuſtria, propoſuerit oculatis & attentis ſpectatoribus.

8 Gentes tandem eius gratiæ participes fuerunt, cuius olim electo populo guſtum Deus præbuit: & inſignis hæc liberatio digna fuit quæ fama ſua compleret orbem vniuerſum.

9 Nō vulgariter ſuos iuuat Deus, & ſed & collapſos erigit, & vt ſtent, maturè occurrit, ac ſummo quodā beneficio ſeruat incolumes.

10.11.12 Nihil vtilius eſt quàm reputare nos affligi Dei manu, quoties aduerſis premimur: & quidem non alio conſilio, niſi vt ſaluti noſtræ conſulat.

Etſi gratias Deo agunt fideles, quòd tantùm probati fuerint afflictionibus, non prorſus conſumpti: malorum tamen varietas & grauitas his verſiculis clarè expreſſa demonſtrat, nullū eſſe afflictionis genus quo non exerceat Deus ſuam eccleſiam.

Iniuriæ quas pij perpetiuntur impiorum ſæuitia, pro pœnis diuinitus inflictis ſunt recenſendæ, ne exiſtiment Deo ſopito, vel aliud agente, tam duriter ſe eſſe vexatos.

Eccleſiæ conditio iam olim hæc fuit vt pace externa non gaudeat: quod diligenter eſt obſeruandum, ne, vbi contigerit ab igne in aquā nos raptari, atque iactari huc & illuc, ipſa nouitas nos exanimet vel terreat.

Quanuis temporalibus pœnis duriter caſtiget ſuos Deus, ſemper tamen concedit proſperum & lætabilem exitum.

13.14 Indignè ſupprimitur Dei gloria, quoties in rebus aduerſis nobis ſuccurrit, niſi liberationem ſequatur ſolennis gratiarum actio.

Hæc vera eſt pietatis probatio, ſi quis inter ſummos dolores ad Deũ ſuſpiret, fideique & tolerantiæ ſuæ perſeuerantiam orando probet, deinde gratitudinem teſtetur.

Nunquam ita mœrore conſtringuntur fideles, quin diſertas preces concipiant, & profiteantur ſe in manu Dei ſalutem ſuam deponere.

Fideles nihil vnquam Deo vouerũt, niſi quod ei probari ſcirent: nec in aliũ finẽ, niſi vt gratitudinis ſuæ redderent teſtimonium. Faceſſant igitur temeraria, ſuperba & ſacrilega ſuperſtitioſorum vota.

15 Vtcunque nobis ſit propoſitum laudare Dei nomen, impuris tamen labiis ipſum profanamus, niſi quatenus ſe Chriſtus ſemel hoſtiam obtulit, vt nos & noſtra omnia ſanctificet.

Arietes aliæq́ victimæ, quatenus erant figuræ Chriſti, ſuauiter coram Deo re dolebant.

16 Præconium gratiæ Dei, verum eſt condimentum, ne inſipida ſint piorum ſacrificia.

Non ſatis grati ſunt Deo, niſi qui deſiderio flagrant publicandæ quam experti ſunt gratiæ, non modò vt incitentur omnes ad eum vno conſenſu laudandum, ſed vt documentis gratiæ eius ad fidem & ſpem animentur.

Dei ſerui ſoli ſunt operum eius idonei auditores: profanis autẽ & hypocritis tanquam ſurdis canitur.

17 Votorum fructus gratiam Dei nobis reddit certiorem.

Lingua cordis comes eſſe debet, vt ſerio affectu nos ad Deum accedere, non perfunctoriè & frigidè, ſciamus.

Non alia honoris ſpecie melius colitur Deus, quàm vbi ab ipſo ſalus expetitur.

18 Deum rectè inuocant qui ad eum puro corde accedunt. Verum quidem eſt non alios quàm peccatores exaudiri, quia omnibus ad vnum præſcripta eſt forma, vt peccata ſibi remitti petant. Sed quanuis ingenuam reatus ſui confeſſionem coram Deo aſſerant fideles, hoc tamen ipſo iam peccatores eſſe deſinunt, quia Deus ſupplices abſoluit.

Qui vitia ſua videre coguntur, vt ſibi in illis diſpliceãt, iniquitatem in corde nõ aſpiciunt: ſed qui iniquitati intenti & addicti ſunt.

19 Nũquã ſpes noſtra erit irrita, modò ex animo Deũ quæramus.

20 Nil aliud quàm gratuitus Dei fauor vel nobis eũ reddit placabilem, vel pretium ac impetrandi gratiam conciliat precibus noſtris, ne ſint infructuoſæ.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudum diuinarum celebratione, & duplici earum argumento, rerum nempe geſtarum in Eccleſia & extra Eccleſiam.
2. De filiorum Dei tentationibus & perſecutionibus.
3. De ſacrificiis & votis Legalibus & Euangelicis.
4. De ſinceræ conſcientiæ teſtimonio.
5. Gratiarum actio vera in quo conſiſtat.

ARGVMENTVM PSALMI LXVII.

PRECATIO eſt, vt Deus eccleſiam ſuam, quam ex genere humano excerpit, non deſinat amare, fouere, tueri, ſed adſit ſemper cuſtos & patronus, atque omni genere benedictionum eam ornare pergat. Idque faciat non tantùm vt eccleſia illi gratias agat pro acceptis beneficÿs, ſed etiam vt aliæ gentes alienæ à Deo, his beneficÿs inuitentur ad agnoſcendum & celebrandum Deum, atque ita laus eius in toto terrarum orbe innoteſcat. Alioqui enim ſi pÿ deſerantur, & libidini tyrannorum obÿciantur, nec præmia pietati reſpondeant, exiſtimant plerique Deum non curare res humanas, aut fruſtra pietatis ſtudium ab hominibus ſuſcipi. Itaque hac opinione dementati, pergunt deinde ſecurè in ſua idololatria & aliis ſceleribus. Hæ igitur impiæ opiniones, vt profanis hominibus eximantur, & ad pietatis ſtudium inuitentur, petit eccleſiam à Deo ita regi & adminiſtrari in hac vita, vt vndique amoris & beneuolentiæ diuinæ erga eam ſigna conſpiciãtur. Hæc ſimplex & natiua eſt ſentẽtia Pſalmi, qui compoſitus eſt, non tantùm vt vni tempori aut populo inſeruiret, ſed omnium temporum & ætatum eccleſiam complectitur, cuius ſalus his & ſimilibus precibus Deo comẽmdatur. Debet autem nobis quoque perpetuò in ore eſſe, quia etiam hoc tempore propter ſcandalum crucis ab eccleſia abalienantur plurimi, & fabuloſa iudicatur religionis doctrina.

Plerique interpretes de aduentu Meſsiæ Pſalmum eſſe compoſitum affirmant. Volunt enim eſſe precationem ſeu votum, quod Dauid, ſpiritu intuens amplificationem regni Chriſti, & propagationem doctrinæ cœleſtis, quæ futura erat poſt aduentum Meſsiæ in carnem, animo conceperit. Cùm enim videret quanta eſſet futura iſtius regni gloria, cuius hactenus tenuia quædam & obſcura initia in illo angulo terræ Iudaicæ eſſent conſpecta, non potuit ſe continere quin de illa felicitate ſibi ac toti terrarum orbi ita gratularetur, & optaret quamprimum ſuo voto ſatisfieri, regnúmque illud, quod ſalutem omnibus gentibus allaturum eſſet, exhibito Meſsia conſtitui. Nulla enim res erat, in qua amorem & beneuolentiam ſuam, cuius hìc in exordio fit mentio, declarare magis erga ſuos poſſet, quàm ſi quamprimum Meſsiam promiſſum mitteret, & gentes per totum orbem terrarum ſparſas ad ſocietatem huius regni & beneficiorum diuinorum vocaret. Huius petitionis cauſam deinde ſubÿcit. Quia expediat beneficia & laudes diuinas non perpetuò illis anguſtis limitibus terræ Iudaicæ concluſas teneri, ſed per totum orbem terrarum ſonare, atque exaudiri. In hac verò cauſa explicanda, dum diutius commoratur, & penè totum Pſalmum conſumit, ſimul cultum huius regni proprium deſcribi affirmant. Habebant Iudæi ſua ſacrificia & ritus diuinitus inſtitutos, ſed quia in horum obſeruatione non conſiſtebat principalis cultus, quem Deus à ſuis requirit, ideo his omiſsis illorum fieri mentionem dicunt, qui ſunt principales & perpetui, agnitionis ſcilicet Dei & celebrationis beneficiorum diuinorum, lætitiæ acquieſcentis in Deo, timoris, qui omnis religioſæ pietatis fons eſt, & homines ad gratos cultus Deo præſtandos excitat. In his igitur cùm regni Meſsiæ cultus conſiſtat, volunt hanc doctrinam in hoc Pſalmo explicari.

AD triumphandum in inſtrumentis Muſicis, Pſalmus Dauidis.

2 Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis: lucere faciat vultum ſuum erga nos, Selah.

Propoſitio pſalmi, vt diximus, eſt precatio. Nec ſententia obſcura eſt, ſi id quod primo loco dixi, teneamus. Petit enim vt Deus ſe talem exhibeat eccleſiæ ſuæ, vt appareat eum curam gerere ſuorum, & amare ſuos. Eſt enim eccleſia in hac vita multiplicibus onerata ærumnis. Primùm premitur à ſuis peccatis, quæ ingentem dolorem & magnos paubres afferunt piis: deinde foris oppugnatur ab hoſtibus ſæuiſſimis & crudeliſſimis, à diabolo & organis ipſius, qui eccleſiam delere conantur, vt nunquam non grauiſſimis periculis illa ſit expoſita. Hìc igitur petit vt Deus ſuum fauorem, ſuam beneuolentiam & amorem erga ſuos oſtendat: primùm, in delendis peccatis, & ſanandis vulneribus noſtris, quæ intus nos mordent & cruciant, in conſolandis animis noſtris & viuificandis Spiritu ſancto: deinde, in aſſidua defenſione & protectione ſuæ eccleſiæ, & in ſuppeditandis bonis corporalibus, quæ neceſſaria ſunt ad hanc vitam. Sententia ſumpta eſt ex cap. 6. Num. in quo recitatur formula benedictionis, qua ſummus ſacerdos populum dimiſſurus vti iubebatur. Atque ita ſimul oſtendit à quo illa benedictio & ſalus eccleſiæ proficiſcatur, nempe ab illo vero Aarone Chriſto.

חנן ſignificat propriè gratuito fauore aliquẽ proſequi. Itaque non ſatis commodè verbo miſerendi exprimitur. Nam miſericordia propriè in calamitatibus locum habet: fauor verò etiam in rebus ſecundis conſpicitur. Eſt igitur ſententia, *Deus faueat nobis*, id eſt, proſequatur nos perpetuo amore & fauore, non abiiciat aut odio proſequatur nos propter ſordes noſtras & peccata, non deſinat ſui amoris ſigna in noſtri defenſione oſtendere.

Benedicat] Benedictio, ſicut & fauor, dupliciter intelligatur. Primùm benedicit in ſpiritualibus, dum ſcilicet tollit reatum peccati à nobis, aufert maledictionem legis & damnationem

indit conſolationem pectoribus noſtris,quæ ſe erigunt & confirmant aduerſus terrores peccati, mortis, diaboli & inferorum,perfundit corda noſtra lætitia acquieſcẽte in Deo, eáque viuificat Spiritu ſancto, vt initia nouæ & æternæ vitæ ſentiãt. Deinde benedicit etiam in rebus corporalibus:dat aliqua hoſpitia eccleſiæ, dat aliqua halcyonia, conſeruat miniſterium doctrinæ, dat ſalutares doctores & principes, qui ſint nutritij eccleſiæ, non ſinit opprimi eccleſiam à tyrannis & hæreticis, potenter ſeruat & defendit eccleſiam aduerſus diaboli & impiorum rabiem & furorem:denique dat victum,felicem ſobolem,& variis bonis nos ornat in hac vita.Hęc omnia comprehenduntur vocabulo benedictionis.

Lucere faciat vultum ſuum] Id eſt,re ipſa oſtẽdat & declaret ſe nobis fauere, ſe nos amare, noſtri curam gerere. Id autem fiet,ſi ita benedicat nobis, quemadmodũ iam diximus. Deus dicitur illuminare faciem ſuam ſuper nos, quando nos blando & ſereno vultu intuetur. Id enim ſignum eſt fauoris & beneuolentiæ etiam inter homines. Sed apud homines,ad illam vultus ſerenitatem, ſæpe nihil ſequitur. Non enim præſtare omnes beneficia quæ vellent, poſſunt. Sæpe etiam inter hos vultus eſt ſimulatus: quoties enim fit vt qui foris amicitiam ſimulant, intus odium alant acerbiſſimum? Deus verò cùm faciem ſuam illuminat ſuper nos, non tantùm nihil ſimulat, ſed fauorem ſuũ re ipſa declarat.Forma igitur loquendi ſumpta eſt à communi hominum conſuetudine, qui cùm fauent alicui,blando & ſereno,ſeu,vt Hebræi loquuntur, lucido eum vultu aſpiciunt: econtra toruo, triſti & obſcuro vultu odium & iram declarant.In hanc ſententiam dicitur Prouer.16. Lux vultus regis eſt vita,& beneuolentia eius vt nubes quæ effundit pluuiam ſerotinam. Vultum enim lucidum & beneuolentiam pro eodem accipit.

3 Vt cognoſcant in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutem tuam.

Propoſitioni ſubiicit rationem à cauſa finali.Non ideo hoc petimus vt nobis bene ſit in hac vita, ſiue vt ſuauiter viuere in otio & deliciari poſſimus: ſed tua cauſa hoc petimus, vt homines alieni à nobis his tuis beneficiis alliciantur & inuitentur,vt ſeſe adiungãt huic cœtui, qui te verè agnoſcit & colit.Homines profani intuentes calamitates,pericula & ærumnas eccleſiæ, exiſtimant nullam gentem magis eſſe exoſam Deo quàm illum cœtum qui de Dei erga ſe amore gloriatur. Si enim curæ eſſet Deo hic cœtus, iudicant fieri non poſſe quin amoris iſtius ſigna in felicitate & perpetuis ſucceſſibus piorum conſpicerentur. Itaque Cicero in oratione pro Flacco de Iudæis inquit: *Quàm chara eſſet diis immortalibus illa gẽs, docuit quòd eſt victa,quòd elocata,quòd ſerua:* quaſi diceret, Ipſæ miſeriæ teſtimonium dicunt contra eos, quòd non ſint curæ Deo.Sunt enim triſtiſſimæ ſeruituti & perpetuis miſeriis ſubiecti.Hæc enim triſtia ſpectacula mouent maximam multitudinem in genere humano, vt ab eccleſia fiant alieni, & incipiant odiſſe illam doctrinam quam eccleſia profitetur. Illa igitur impedimẽta petit tolli propheta in hoc Pſalmo,vt deinceps maiore numero & alacritate homines ſe ad eccleſiam adiungant.

Vt agnoſcãt viam tuam & ſalutem tuam]Id eſt,vt alij qui extra eccleſiam ſunt, intelligant te ita agere cum tuis cultoribus,vt illos ames,ſerues, defendas, protegas,curam eorum agas,ex calamitatibus eos liberes,& tandem æternam ſalutem dones, non ſinas eos perire aut opprimi mole ærumnarum, quaſi ideo excerpſiſſes aut ſeparaſſes eos à reliqua multitudine,vt haberes in quos odium tuum exonerares. Ita enim ferè iudicant impij de eccleſia, cùm ærumnas piorum aſpiciunt. Hanc eſſe ſimpliciſſimam ſentẽtiam,oſtendit vox ſalutis,quæ priorem explicat. *Via* in genere apud Hebræos ſumitur pro vitæ inſtituto, pro operibus,ſeu ſtudiis.Via igitur domini hoc loco & alibi ſignificat rationem qua ille agit cum ſuis. *Vvie er mit den ſeinen vmbgehe,vnd ſich gegen jhnen erzeige.* Deus verò ita agit cum ſuis,ita tractat & gubernat eos,vt eos ſaluet,ſicut hîc dicitur, non vt eos perdat. Hanc eius viam cupit agnoſci ab omnibus hominibus. Nam ſi id ſciant & intelligant,futurum inquit, vt paſſim homines ſe eccleſiæ adiungant, & Dei beneficia celebrent. Conferatur autem ad hanc ſententiam Pſal. 25. ita erit illuſtrior. Omnes ſemitæ Domini,inquit,ſunt beneficentia & veritas:id eſt,ita agit Deus cum ſuis,vt eos ardenti amore complectatur, benignè remittat peccata, promittat mitigationem calamitatum, & liberationem. Eáque omnia præſtat fideliſſimè. Promiſſiones enim eius non ſunt vanæ aut irritæ.

Alij qui de Meſſiæ aduentu Pſalmum intelligunt, vias Domini interpretãtur doctrinam ab ipſo traditam & patefactam, in qua ſalus cunctis gentibus offeratur,atque ita ſæpe in Scriptura accipitur,præſertim Pſal. 119. Viam præceptorum tuorum fac me intelligere, id eſt, doctrinam tuam, vt ſciam quonam modo vita mihi inſtituenda ſit. Item, in via teſtimoniorum tuorum gauiſus ſum, vt in omnibus diuitiis. eſtque teſtimonium contra eos qui tollunt tertium vſum Legis.

Nonnulli viam intelligunt fœdus,quo ſe Deus patefecit populo Iudaico,& in quo oſtendit ſe patrẽ fore ſui populi,quod fœdus dicunt quaſi ampliari, & clariùs atque efficaciùs exhiberi in regno Chriſti, in quo gentes ad ſocietatem eccleſiæ vocantur,& vberior datur adoptionis ſpiritus.

4 Celebrabunt te populi Deus: celebrabunt te populi omnes ipſi [*relatiuum abundat.*]

Amplificat rem ab euentu. Agnitionem viarum Dei & beneficiorum eius ſequetur celebratio nominis diuini. Vbi enim populi,hoc eſt, gentes, quæ ſunt extra eccleſiam, cognouerint quanta beneficia tuis cultoribus præſtes,& quomodo eos regas & gubernes,ipſi ſponte ſe nobis adiungent,& nobiſcum tuas laudes canent, qui hactenus nomen tuum contumelia affecerunt, dum te repudiato ad vana numina confugerent, atque his ſuam ſalutem committerent.Ita igitur amplificabitur regnum tuum, & creſcet numerus piorum:quod non fiet, ſi perpetuis miſeriis eccleſia iaceat oppreſſa. Hæc eſt ſententia huius verſus.Atque huc iam congruit illa altera interpretatio de Chriſti aduentu & de gentium vocatione. Non enim agnitus eſt Deus inter gentes nec celebratus, niſi quando exhibitus Meſſias vocem doctrinæ ſuæ per Apoſtolos ſparſit per totum orbem terrarum. Acceſſerunt quidem omnibus ætatibus etiam ante exhibitum Meſſiam ex variis gentibus aliqui ad eccleſiam, qui adiunxerunt ſe ad populum Iudaicum, moti illis ingentibus beneficiis, quæ Deus huic populo præſtiterat: ſed tamen non ita vt publicè inter gentes doctrina de Deo ſonaret,aut paſſim in toto orbe ipſe celebraretur. Ita non dubium eſt, vaticinium de vocatione gẽtium his verſibus incluſum eſſe.

Eſt autem emphaſis in pronomine *te*,quæ ad antitheſin reſpicit. Celebrabunt te, non vana & falſa numina ſeu idola. Quamdiu enim ipſis amor tuus erga eccleſiam,& tua beneficia fuerunt ignota, ab aliis fictitiis diis opem & ſalutem quæſiuerunt,eóſque religioſè coluerunt. vbi verò viam tuam,hoc eſt, beneficia tua, quæ tu eccleſiæ præſtas, & amorem illum ſingularem, quem in aſſidua defenſione tuorum oſtendis, agnoſcere cœperint, mox euaneſcet omnis ille cultus idololatricus,& pro falſo reſtituetur verus cultus. Celebrationis nomine,ſicut & infrà appellatione timoris,συνεκδοχικῶς complectitur totum cultum religionis & pietatis.

5 Lætabuntur & exultabunt [*ouabunt*] populi: quia iudicas populos in æquitate:& populos in terra diriges eos,[*abundat relatiuum*] Selah.

Amplificat eandem ſententiam. Non tantùm celebrabunt te populi: verumetiam accendetur in ipſorum pectoribus noua lætitia acquieſcens in te & tuis promiſſionibus, quia videbunt te gubernare & regere eccleſiam tuam in hac vita, non vt permittas eam libidini cuiuſlibet diuexandam & lacerandam,aut vt curam eius omnem abiicias: ſed vt perpetuò tuis adſis patronus & defenſor, depellas ab ipſis pericula & calamitates, eóſque inter maximas mundi ruinas & imperiorum colliſiones ſerues incolumes. Hoc enim vult cùm dicit, Deũ populos iudicare rectè, id eſt, ita præeſſe eccleſiæ ſuæ, non vt tyrannum agat, aut ignauum & otioſum ſpectatorem, qui nulla cura ſuorum ſubditorum tangatur, ſed qui omnia officia boni & iuſti iudicis exequatur, tueatur ſuos aduerſus iniuſtam vim & tyrannidem, & improbos ac ſceleratos hoſtes grauiſſimè puniat. Quanquam enim inſurgunt ſæpe hoſtes aduerſus eccleſiam vt eam opprimant, & neceſſe eſt eccleſiam interea dum tyranni ſæuiunt, aliquid pati: tamen Deus eam defendit & ſeruat mirabiliter. Id igitur vbi viderint populi, lætabuntur & exultabunt,quia agnoſcent ſe non deſtitui neceſſario præſidio & defenſione,ſi ſint in eo cœtu qui dicitur eccleſia: imò gloriabuntur, etiamſi quid pro nomine Chriſti ſit patiendum: cùm antea quodammodo iraſcerentur Deo, fremerent & murmurarent aduerſus eum,imò crudelitatis ſæpe eum accuſaret,qui ſuos cultores deſereret,aut nullam ſuorum curam ageret.

רנן ſignificat voce interiorem animi lætitiam declarare.

[illegible]א populum ſignificat vnius nationis, & linguæ,iiſdémque legibus & inſtitutis viuentem, quaſi qui ab vna matre, ab vna eadémque familia ſit oriundus. Nam [illegible]א matrem ſignificat. [illegible]ע ſignificat populum promiſcuè ex variis gentibus, nationibus & linguis collectum. Verbo [illegible] curam prorſus paternam in tuendo & ſeruando piorum cœtu pingit. Significat enim נחה placidè & ſenſim educere ac reducere,ſicut paſtor gregem, & pater filium ſuum. Qualem igitur curam gerit pater pro filio ſuo, aut paſtor pro grege, talem Deus gerit pro eccleſia. Et ſicut pater aut paſtor hoc

vnum

vnum agit vt filio aut gregi de omnibus rebus rectè proſpiciatur: ita Deus omnia ad ſalutem piorum in eccleſia adminiſtrat & moderatur.

6 Celebrabunt te populi, Deus: celebrabunt te populi omnes ipſi [*iterum abundat relatiuum.*]

Repetit verſum quartum, eáque iteratio primùm ardorem animorum in celebrandis beneficiis diuinis, deinde conſtantiam in honeſto & pio propoſito demonſtrat. Pij non ſunt ſegnes in celebrandis beneficiis diuinis, nec contenti ſunt ſemel atque iterum prædicaſſe illa beneficia, ſed iterant perpetuò, idque cõſtanter. Fit interdum, vt aliqui, qui guſtum quẽdam bonitatis diuinæ perceperunt, vel calamitatibus fracti, vel prauis affectibus ſeducti, rurſus à Deo deficiant: ſed quorum animi perfuſi ſunt illa lætitia quæ prorſus in Deo acquieſcit, illi perpetuò celebrant Deum, tam in rebus ſecundis quàm aduerſis. Habent enim certam ſpem ſalutis, & pax Dei quæ ſuperat omnem ſenſum & cogitationem, vt Paulus inquit ad Philip. 4. cuſtodit corda & ſenſus ipſorum per Chriſtum Ieſum.

7 Terra dedit fructum ſuum: benedicet nobis Deus Deus noſter.

8 Benedicet nobis Deus: & timebunt eum omnes fines terræ.

Repetit priorem ſententiam, idque figuratè. Terram enim videtur ſynecdochicè dicere pro habitatoribus terræ: idque apparet ex ſequenti verſu, vbi dicit, & timebunt eum omnes fines terræ. Quos igitur antea nominarat populos & nationes, nunc ſynecdochicè nominat terram. Terra, inquit, dabit fructum ſuum, ſi modo Deus nobis benedicat, id eſt, ſi Deus pergat tueri & defendere eccleſiam, eámque omni genere bonorum ornare & cumulare, ea res non carebit ſuo fructu. Nam ſicut pluuia cæleſtis, quæ benedictione diuina decidit, terrámque humectat & fœcundam reddit: ita hæc cura & amor diuinus erga eccleſiam, vbi paſſim innotuerit, multiplices pariet fructus. Paſſim enim ex toto orbe terrarum ad eccleſiam concurrent, & huic cœtui ſe adiungẽt. Hæc eſt ſententia huius verſus. Terra dabit prouentum ſuum, id eſt, proferet innumeros Dei cultores. Ideo additur in fine ſequentis verſus tanquam per ἐξήγησιν: Et timebunt eum omnes fines terræ. Hic enim eſt fructus quem proferet terra, vbi annuntiabuntur Dei beneficia, nempe timor Dei & rectus ac ſincerus Dei cultus. Antea cùm ignotæ eſſent viæ Dei, terra nihil proferebat niſi idololatricos cultus, iră & odium aduerſus Deum, fugam, fremitum, & omnis generis ſcelera.

Timor ſynecdochicῶs complectitur totum cultum diuinũ, qui cõſiſtit in vera reuerentia nominis diuini, vera fide & fiducia erga Deum, ſpe, dilectione & patientia in cruce. Sunt enim illæ virtutes coniunctæ, & ſæpe vnico vocabulo timoris ſignificantur. Itaque ſi quis quærat, quomodo timor Dei cõiunctus eſſe poſſit cum lætitiâ, cuius antea fecerat mentionẽ: reſponſio facilis eſt, timorem non intelligi de ſeruili aliquo metu fugiente Deum, aut iudicium ipſius: ſed de vera reuerentia & honore qui Deo debetur, & oſtenditur in ipſius cultu, quique coniunctus eſt cum dilectione, fide & ſpe. Atque ita intelligatur illud dictum 1. Iohan. 4. Dilectio foras pellit timorem, ſcilicet ſeruilẽ, qui metu iudicij diuini fugit & conatur ſeſe abdere atque occultare à conſpectu Dei. Qualem timorem habuit Adam poſt lapſum, antequam erigeretur conſolatione, Cain, Saul, & ſimiles.

Deinde etiam hoc modo poteſt reſponderi. Non pugnant lætitia & timor, quia ad diuerſa referuntur obiecta. Gaudium excludit diffidentiam, mœſtitiam & anxietatem. Timor verò excludit Epicuræum cõtemptum Dei, & falſam ſecuritatem, & hypocriticos geſtus, quos alij pro vero cultu Deo obtrudunt. Ideo rectè coniunguntur hæc duo non hoc tantùm in loco, ſed alibi quoque: Vt cùm dicitur pſal. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Cæterùm, quòd ter in fine repetitur nomen Dei, rectè iudicant interpretes ſignificari Trinitatis myſterium. Neque enim iudicandum eſt otioſam eſſe hanc repetitionem, ſiue ταυτολογίαν. Quòd autem dicitur *Deus noſter*, id referendũ eſt ad patefactionem & promiſſionem datã de Meſſia & huius beneficiis. Ita enim factus eſt Deus noſter, cùm inito nobiſcum fœdere & miſſo Filio teſtatus eſt, ſe fore Deum noſtrũ, qui remiſſis peccatis nobiſcum redierit in gratiã, nóſque adoptarit in filios & hæredes regni cœleſtis, atque ita nobis ex pacto ſeſe obſtrinxerit, vt audacter petere & expectare hęc bona ab ipſo poſſimus. Quare nihil maius cogitari à nobis poteſt. Deinde opponatur etiam fictitiis numinibus. Nõ enim ſunt dij. Poteſt & ad Filium rectè referri hoc pronomen. Nã iteratio illa nominis אל comprehendit, vt dixi, numerum, ordinem & diſtinctionem perſonarum vnius eſſentiæ diuinæ, in qua Filius mediator vere eſt Deus noſter, quia perpetuò eſt propitiator. Et vt Eſai. 7. nominatur Immanuel, id eſt, nobiſcum Deus, cùm propter aſſumptionem humanæ naturæ tum propter efficaciam, quia per fidem habitans in cordibus noſtris facit nos ſibi palmites & ſurculos, ex ſe propagatos.

PSALMI LXVII.

PARTES.

I. Petitio, vt Deus populo, quem iam ſibi acquiſierat, benefacere dignetur. Hæc beneficia autem quatuor variis loquendi formis exprimuntur. 1. vt gratiam faciat. 2. benedicat. 3. illuſtret faciem ſuam erga ſuos. 4. vt Dei populus agnoſcat viam eius in terra, v. 2. & 3.

II. Altera petitio, ex maxima charitate concepta: nempe vt iiſdem beneficiis ſpiritualibus populos alios proſequatur & ducat, à 3. v. ad 6. Hæc autem ad tria capita refertur: 1. Vt gentes omnes Dei ſalutem agnoſcant. 2 Celebrent Deum. 3. Lætentur de recta, potentiſſima ſalutarique eius adminiſtratione.

III. Tertia petitio, vt omnibus, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus, collectis fidelibus, tum in futura, tum in præſente vita Deus benedicat, tanquam populo vni & adunato per Chriſtum, ad gloriam ipſius, qui ſummus eſt omnium petitionum finis. Huius ſumma eſt, celebratio, benedictio, reuerentia Dei, ſuos miſericordia immenſa amplectentis: à ſuis viciſſim ſincero mentis affectu celebrati & omni reuerentia ac filiali timore culti.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2. Quandiu viuimus, non aliunde ſumus felices, affluimus bonorum copia, denique proſperè agimus, niſi quia Deus gratuito amore nos proſequitur.

Vbi & amoris ſui ſenſum cordibus noſtris inſpirat Deus, & reipſa ſe propitium eſſe declarat, ſuper nos ſerena eius facies lucere dicitur, ſicut obnubilari, dum peccatis noſtris offenſus, conſcientias noſtras terret, ſignáque aufert ſui fauoris.

3 *Conſpicuus fuit Dei fauor, quando gentes ſuo fulgore cum Iudæis in eiuſdem ſpei ſocietatem adduxit.*

Via in Dei in terris, à gentibus cognita, eſt fœdus quo ſe patefecit veteri populo in patrem, clarius deinde per euãgelium, quo datus eſt vberior adoptionis ſpiritus, vnde ſalus manat. Vide Iohann. 17. 3.

4. 5. 6. *Vocatio gẽtium diſertis verbis hîc exprimitur: populi enim omnes ad Deum celebrandum hortantur: quod fruſtra fieret, niſi efficax eſſet vocatio.*

Verè & ſeriò laudari nõ poteſt Deus, niſi tranquillis & hilaribus animis, vbi Deo reconciliati gloriamur in certa ſpe ſalutis, & pax Dei, exuperans omnem ſenſum, palmam in cordibus noſtris obtinet.

Gubernatio ſeu ſpiritualis illa iuriſdictio, quam Deus in eccleſia miniſterio verbi ſui exercet, æquitate perpetua nititur: vt prorſus amentes ſint ac deſperati, qui ſuaue illud Chriſti iugum excutiunt: Vide Ieſa. 11. 4 & Mich. 4. 3.

7 *Terrenis benedictionibus etiam proſequitur Deus, quos amore ſuo dignatur, vt nihil prorſus, eo propitio, deſit ad beatam vitam.*

8 *Ex Dei beneficentia oritur eius reuerentia, & timor quidam filialis, quia eo libentiùs Deo ſubiicimur, vbi experientia edocti ſumus tam benignum eſſe erga ſuos patrem.*

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. De Dei benedictionibus erga populum ſuum.
2. Fideles quo ſenſu Deo benedicere dicantur.
3. Benedictionum Dei argumentum, miſericordia ipſius.
4. Quid pios ad benedicendum Deo maximè impellat.
5. De gentium vocatione, & Dei adminiſtratione tum in mundo, tum in Eccleſia.
6. De Dei cultu interno & externo.

ARGVMENTVM PSALMI LXVIII.

PSALMVM *ſexageſimum octauum volunt plerique interpretes eſſe ἐπινίκιον ſeu carmen triumphale Chriſti reſurgentis à morte, & magna cum gloria ac triumpho aſcendentis in cælum, & deinceps miſſis Apoſtolis & dato Spiritu ſancto colligentis voce euangelij eccleſiam, eámque potenter gubernantis ac defendentis, oppreſſis ac deletis hoſtibus, qui eam oppugnant. Et autoritas quidem Pauli Apoſtoli ita interpretari nos pſalmum cogit: qui in epiſtola ad Epheſ. c. 4. teſtimonia ex eo citans ad Chriſti reſurrectionem & triumphum, quem deſtructa morte & potentia diaboli ex ſuis hoſtibus reportarit, & ad collectionem eccleſiæ, quæ fit voce Euangelij per miniſterium Apoſtolorum, ea accommodat. Cuius veſtigiis inſiſtentes nos quoque operam dabimus, vt pſalmi interpretationem, quantum quidem fieri omnino poteſt, ad hanc pompam triumphalem referamus, & doctrinam vtilem ad nos erudiendos & confirmandos inde excerpamus. Ita enim tractanda eſt Scriptura ſacra, ne putamina & teſtas abiecto nucleo retineamus. Sed tamen, quia vſitatum eſſe ſcimus Dauidi, illa myſteria & vaticinia de regno Chriſti, eiúſque amplificatione ac gubernatione ſuis quibuſdam rebus miſcere & inuoluere, vt qui ſe typum gerere venturi Meſſiæ non ignoraret, & hactenus aliquot huius rei exempla in pſalmis vidimus, exiſtimo etiam huic pſalmo ſcribendo occaſionem aliquam ex rebus geſtis Dauidis oblatam eſſe: quas cùm altiùs ipſe conſideraret, & non ſui tantùm regni, ſed aliquanto pòſt futuri, ſtatum & imaginem in his pingi, atque adumbrari Spiritu Prophetico videret, ita eas extollit, exornat & amplificat, vt facilè intelligi poſſit, eum non in re præſenti, quam agebat, ita hæſiſſe fixum, quin longiùs proſpiceret, & quæ futura eſſent animo complecteretur. Etſi igitur pleraque in pſalmo ad Chriſti regnum accommodari poſſunt & debent, vt mox in interpretatione videbimus: tamen quædam interdum membra ſunt, quæ in ſpecie ad præſentem hiſtoriam ſeu pompam aliquam quam Dauid celebrat, referenda eſſe, nemo eſt qui non intelligat. Nec difficile eſſet has ſententias rectè & dextrè explicare, ſi occaſio ſcribendi pſalmi, vt aliàs ferè in titulis fieri ſolet, eſſet indicata.*

Nunc, vt in re obſcura & ambigua, alij aliud diuinant. Nam Iudæi, quorum deploranda eſt in confingendis fabellis audacia, exiſtimant cædem exercitus Sennacherib, quæ per angelum diuinitus miſſum facta eſt tempore Ezechiæ, hoc carmine celebrari. Cuius ſomnij vanitatem titulus ipſe, qui Dauidi pſalmum tribuit, facilè refellit. Quidam ad victorias Dauidis, quas à deuictis vicinis hoſtibus Ammonitis, Moabitis, Syris, Idumæis & Palæſtinis paulò antè reportauerat, pſalmum accommodant, & eiuſdem eſſe argumenti cum 60. pſalmo exiſtimant. Nam & in hoc illæ victoriæ celebrantur, & nominatim hîc mentio fit tributorum & ſpoliorum, quæ non niſi ad illas victorias referri poſſe videntur. Alij pompam illam deſcribi iudicant, in qua Dauid arcam fœderis cum magna tā ſua quàm populi lætitia in arcē Sion adduxit, ſibique ac toti regno de illa felicitate gratulatus eſt, quòd arca fœderis, quæ certum erat præſentiæ Dei in hoc populo teſtimonium, quæque hactenus locum certum aut fixum non habuerat, ſed ſæpe ex vno in alium tranſlata erat, nunc tandem poſt tot annos locum aliquem aut ſedem certam repeiſſet, in qua deinceps quieſceret, eáque res Dauidi ſpem certam de ſtabilitate huius regni & perpetuo Dei fauore erga hunc populum faceret. Quandiu enim ex loco in locum illa migrabat, nondum ſperari ſtabilitas aliqua poterat. Poſtquam verò certus locus fuit monſtratus, iam tum in certam ſpem Dauid erectus eſt, vt firmum & ſtabile fore hoc regnum crederet, & de eo, vt par erat, lætaretur. Eam igitur animi ſui lætitiam oſtendere hac pompa, & carmine encomiaſtico celebrare voluiſſe Dauidem, nonnulli ex doctioribus affirmant. Atque hæ ſunt præcipuæ interpretum ſententiæ de occaſione & hiſtoria huius pſalmi. Ego, etſi vt in re incerta & obſcura certum aliquid affirmare non poſſum, tamen in illorum ſententiam magis inclino, qui illam pompam, de qua iam dictum eſt, deſcribi exiſtimant. Video enim pleraque huius pſalmi membra ad illam pompam aptè congruere, & exordium pſalmi id quodammodo oſtendit, vt poſtea dicetur. Quod igitur ante nos aliqui fecerūt ſummæ autoritatis viri, pſalmum ita interpretabimur, vt pompam illam, quæ hîc depingitur, priùs explicemus. Deinde ad triumphum Chriſti aſcendentis in cælum, qui hac pompa adumbratus eſt, accommodemus. Oeconomiam verò & diſpoſitionem membrorum ſimul inter interpretandum indicabimus. Ita enim rectius id fieri à nobis poſſe exiſtimo.

AD triumphandum, Dauidis pſalmus cantici [*id eſt, pſalmus publicè decantandus, à Dauide compoſitus & præſcriptus.*]

2 Exurgat Deus, diſpergantur inimici eius: & fugiant oſores eius à facie eius.

Exordium ſumitur ab acclamatione, quæ vſitata eſt in celebribus pompis, & publicis ſpectaculis. Eſtque ſumta hæc ſententia ex Num. cap. 10. Quoties enim caſtra mouebantur & arca Domini à Leuitis leuabatur, clamabat Moſes, Surge Domine & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Quoties autem deponebatur, dicebat: Reuertere Domine ad multa millia Iſrael. Cùm igitur hoc tempore arca fœderis à Dauide publico & ſolenni ritu ſeu pompa ex ædibus Obededom, vbi aliquandiu conquieuerat, in arcem Sion transferenda eſſet, Dauid intuens hiſtoriam populi Iſraelitici, vagantis in deſerto, & memoria repetens quod factū fuerat, quoties arca fœderis loco mouenda eſſet, in hæc verba, quæ vſurpata eſſe à Moſe ſciebat, cum populo erumpit, atque exclamat, *Exurgat Deus.* Optat enim & petit vt Deus adſit ſuo populo, ſitque dux, defenſor & gubernator aſſiduus, qui pericula imminentia depellat, & lætos ab hoſtibus deuictis triumphos concedat. Arcam autem nominat Moſes & Dauid Deum, non quòd illam arcā ex ligno factam loco Dei haberēt aut inuocarent: ſed quòd ſcirent hanc eſſe certiſſimū præſentiæ Dei teſtimonium & pignus, quia verbo ſuo ſe ibi præſentē fore oſtēderat. Ideo cùm arca leuatur, dicunt, Exurgat Deus. Atque ita ſæpe loquitur Moſes & tota Scriptura Exod. 17. poſt deuictos Amalekitas ædificat Moſes altare, & vocat illud Iehoua נסי. Sic Ioſue 4. Quadraginta millia armatorum militum tranſierunt ante Iehouam. Nec

eſt

eſt quicquam hac in re ſuperſtitionis.Eſt autem ſententia huius verſus. Sicut antea Deus arcam fœderis voluit eſſe teſtimonium ſuæ præſentiæ in hoc populo,ita nunc quoque,poſtquam in arcem Sion transfertur, vt habeat ibi locum fixum, ſimul cum arca ad eum locum migret, & regnum hoc meum ita ſtabiliat,vt deinceps ſit firmum,ſtabile & perpetuum, nec hoſtium potẽtia aut viribus diſſoluatur.Hoc igitur eſt votum Dauidis & populi acclamantis.

Interea verò monẽdi ſunt auditores, votum illud ſimul includere vaticinium ſeu promiſſionem, cui reſpon[illegible] eſſet euentus. Sicut enim arca iam in arcem Sion transf[illegible]tur, vt deinceps ibi fixam haberet ſedem, vt poſtea inqu[illegible]ic mons eſt quem Deus elegit: ita illis auſpiciis edoctus certo futurum videbat,vt hoc regnum deinceps maneret firmum,ſtabile, inconcuſſum: & hoſtes, ſi qui id delere conarentur, triſtiſſimis pœnis oppreſſi perirẽt. Itaque oratio optatiua ſic eſt accipienda, vt ſimul vaticinium illud comprehendamus. Idque voluerunt ij qui in futuro ſententiam expoſuerunt.

Atque hîc iam mox initio pſalmi ſe Chriſtus nobis conſiderandum offert. Dauid enim ,quantum ad illud corporale regnum,ad quod nuper euectus erat,attinet,ſciebat illud non fore perpetuum,ſed futurum aliquando vt deleretur. Interea tamen , quia Chriſtum ex ſuis lumbis proditurum diuinitus erat edoctus, quoties regni ſui gloriam vult extollere, alterum illud quod à Chriſto inſtaurandum erat, ſimul complectitur. In eo enim illa gloria, de qua toties concionatur, maximè elucebat: & quidem propitiatorium,quod arcæ fœderis imponebatur, peculiariter ſciebat eſſe typum Chriſti. de hac igitur re imprimis nunc concionatur. Eſtque,vt typum pompæ inſtitutæ explicemus, hic verſus & duo ſequentes gratulatio de perpetuitate & felicitate eccleſiæ ſeu regni Chriſti, quod nullis vnquam armis aut viribus deleri queat, quia habeat Deum defenſorem & patronum. Vbi igitur Deus ſurrexerit, id eſt , vbi Chriſtus ſuſcitatus ex mortuis conſederit ad dexteram Dei,& exaltatus ac confirmatus fuerit in ſuo regno , cuius hoc meum regnum agnoſco eſſe vmbram & præludium,tunc ita adminiſtrabit illud regnum ſuum, vt impios & aduerſarios ſubinde reprimat, ne nocere ſuæ eccleſiæ poſſint. Et quidem verbo exurgendi ſignificat Chriſtum armare ſeſe quodammodo in ſubſidium & defenſionem eccleſiæ ſuæ:non quidem vt homines ſolent.Nam alioqui ſatis magna potentia eſt inſtructus:tantùm opus eſt vt conſurgat, hoc eſt, exerat ſuam potentiam, quæ ei cum regno attributa eſt. Videtur enim interdum quieſcere,dum non mox vindicat iniurias eccleſiæ factas. Ideo exurgere dicitur , cùm vindictam exequitur.

Illud autem diligenter eſt obſeruandum , quòd hoſtes & oſores Dei dicit eſſe omnes,qui hoc regnum Dauidis,hoc eſt, eccleſiam in his terris oppugnãt. Eſt enim valde dulcis hac in re conſolatio.Cũ enim hoſtes Dei dicantur,monet propheta Chriſtum ſuæ eccleſiæ curam ita ſuſcepiſſe,vt piorum iniuriis non ſecus afficiatur ac ſi violaretur ſua ipſius maieſtas.

3 Sicut propellitur fumus, propelles: ſicut liqueſcit cera à facie ignis , peribunt impij à facie Dei.

Amplificat ſententiam de pœnis hoſtium à duabus ſimilitudinibus. Tu, inquit, diſiicies hoſtes tuos qui hoc regnũ oppugnant,nõ aliter vt ventus diſſipat fumũ. Fumus cùm erumpit ex camino,magno impetu ſeſe mox diffundit, vt nubis inſtar totam aeris regionem occupaturus videatur , ſed ſubitò diſſipatur & euaneſcit. Talis eſt hoſtium huius regni potẽtia. Initio eſt illa formidabilis , vt multis terrorem incutiat , ſed nihil habet ſolidi aut firmi : poteſt enim vno momento diſſipari,ſicut fumus. Ita vocabulo fumi extenuat hoſtium vires, quantumuis magnas,& hominum iudicio firmas atque munitas.Eſtq; vſitatum Spiritui ſancto, de hoſtium Chriſti viribus ita contemptim loqui. Nam & Oſe.13.vbi de pœnis Iſraelitarum , qui ſuis opibus , potentia & fœderibus,quæ cum vicinis iniuerant,ſuperbè & ſtultè confidebant,loquitur,eadem ſimilitudine vſus eſt:erunt ſicut nubes matutina,& ſicut ros mane tranſiens,ſicut palea,quæ vento proiicitur ex area,& ſicut fumus ex camino. Atque huc reſpexiſſe Athanaſius videtur,cũ Iulianum apoſtatam & perſecutorem eccleſiæ, nubeculã eſſe dicit,quæ citò ſit tranſitura. Idem docet & ſimilitudo de cera igni admota , quam hoc loco adducit. Videtur cera habere corpus ſolidum magis quàm fumus , ſed tamen à calore ignis facillimè diſſoluitur & liqueſcit. Ita ab æſtu iræ diuinæ ſubitò conſumuntur hoſtes eccleſiæ.

4 Et iuſti lætentur [*&*]exultent coram Iehoua, & delectentur in lætitia.

Antitheſis eſt ſuperioris ſententiæ de pœnis & interitu hoſtium.Hoſtes huius populi peribunt,pij verò ex illis victoriis capiẽt lætitiam perpetuam. Qui videbunt Deum iam non iraſci ſibi, ſed eſſe placatũ, & perpetuò adeſſe ſui defenſorem & patronum. Fuerant aliquandiu expoſiti Iudæi variis iniuriis,& calamitatibus oppreſſi non tantùm ſub Saule,ſed etiam ſub iudicibus, quo tempore etiam arca fœderis ab hoſtibus capta & abducta fuit,1.Sam.4. Erant igitur tunc Iudæi in maximo dolore,vt qui Deum receſſiſſe ab hoc populo iudicarẽt. Sicut inquit vxor Phinees, Migrauit gloria Dei ab Iſrael. Poſtea etiam cùm reducta eſſet, nec tamen certum haberet locum vbi quieſceret , erat illa ſpes Iudæorum de Dei præſentia adhuc fluxa & dubia, ideóque cum metu aliquo ſemper coniuncta. Sed poſtquam in arcem Sion illa tranſlata eſt , quam Deus elegiſſe ſibi ſedem, vbi habitaret in perpetuum, teſtatus eſt, iam tum cœpit illa ſpes eſſe certior & firmior , & ſequuta eſt ingens piorum lætitia , quam hîc multis verbis deſcribit, vt oſtendat eam non fore mediocrem , ſed quæ omnes animi affectus in ſe rapiat & occupet , & foris in omnibus corporis geſtibus ſeſe oſtendat. Hæc ſententia eſt huius verſus. Nunc ad Chriſti regnum hoc accommodetur. Nam tranſlatio arcæ, vt dixi , typus eſt Chriſti reſurgentis à morte , aſcendentis in cœlum,& conſidentis ad dextram Dei,vt eccleſiam ſuam perpetuò regat,defendat & tueatur, eámque perpetuis bonis ornet. Vbi igitur Chriſtus ſolio ſuo, non in monte Sion , ſed ad dextram Dei collocato,regnum ſuum inchoarit,& potentiam ſuam in aſſidua defenſione eccleſiæ & interitu hoſtium ſuorum oſtenderit , exorietur in piorum cordibus ingens lætitia, quia ſciunt Deum morte filij ſui iam placatum eſſe & reconciliatum generi humano , ſciunt ſe placere Deo propter hunc Meſſiam , ſciunt ſe habere gubernatorem & defenſorem , vident, hoſtes oppugnantes hunc regem horribiles pœnas dare ſuorum impiorum conatuum. Hinc igitur conſolatio piorum & lætitia tanta eſt , quæ omnem ſenſum & cogitationem ſuperat, vt Paulus loquitur. Atque hic fructus eſt reſurrectionis Chriſti, & glorioſæ in cælum aſcenſionis. Obſeruandum autem , quod opponit inter ſe illa duo vocabula , מפני & לפני. De impiis loquens dicit,fugiẽt à facie eius,quia impij exhorrent faciem Chriſti, nec poſſunt ferre ipſius vultum ſeuerum, ſed mox eo conſpecto fugiunt, & conantur ſe abdere in latebras. Pij verò lætantur & exultant ad faciem eius,quia vident Deum ſibi propitium eſſe. Hos igitur facies Dei exhilarat: illis eſt formidabilis. שוש ſignificat illud verum & ſolidum gaudium in corde , cum quo eſt voluptas , éſtque intelligendum propriè de continuato gaudio,quod nulla triſtitia interrumpit,atque ita differt à שמחה.

3 Cantate Deo,pſallite nomini eius,ſternite viam ei qui vehitur in deſertis:in Iah nomine eius [*ſcilicet canite*]& exultate in conſpectu eius.

Hactenus de prooemio pſalmi diximus,quod continet acclamationem & gratulationem,vt dictum eſt.Nunc ſequitur propoſitio,quæ continet adhortationem,vt pij Deum agnoſcant & celebrent pro his tantis beneficiis,quòd oſtendat ſibi curæ eſſe hunc populum,alioquin miſerum,egenum & oppreſſum,eiúſq; patrocinium deinceps ſe ſuſcipere velle hoc ipſo declaret, quia arcam fœderis , quæ teſtimonium ac pignus ſit ipſius præſentiæ & amoris erga hunc populum, poſthac in regia arce habitare,& ſedem fixam habere velit. Eſt igitur apoſtrophe ad populum Dei,& παραίνεσις. Nec obſcurũ eſt quomodo hæc ad Chriſtum accommodari poſſint & debeant.Sicut enim tunc,cùm ſpes regni Dauidi atque eius poſteris hac deductione & collocatione arcæ cõfirmabatur,pij hoc beneficium Dei celebrare iubebantur:ita exhibito Meſſia regnũ eius glorioſa aſcenſione in cælum conſtitutum,ſtabilitum & firmatum eſt:& quia agnoſcunt pij in aſſidua gubernatione & defenſione eccleſiæ ipſius præſentiam & fauorem,habent cauſas iuſtiſſimas celebrandi ipſius beneficia.

Cantate,pſallite] Repetitio aſſiduitatem,perſeuerantiam & ardorem animorũ in agnoſcendis & celebrãdis beneficiis diuinis notat.Non enim frigidè vel tanquam in tranſcurſu cogitanda aut celebranda ſunt beneficia diuina : ſed meditatio debet eſſe ſeria & aſſidua:& vox ſubſequi & exprimere meditationes cordis debet.Deinde etiam,quia publica & ſolennis fuit pompa,in qua ſigna lætitiæ edere debebãt,commodè vtitur verbis canendi & pſallendi,quorum alterum ore fit,alterum inſtrumentis muſicis.

Sternite viam ei] Hoc eſt,honorificè excipite & deducite eum.Primùm autem hoc de arca intelligatur. Loquitur enim ſemper de arca,tanquam de Deo ipſo,vt antea monui. Primùm,quia ſymbolum erat præſẽtiæ Dei.Deinde,quia Chriſtum verum regem huius populi adumbrari hac arca ſciebat. Vt igitur reges aduentantes honorificè excipiũtur à ſuis ſubditis,& viæ ita adornantur ac ſternuntur vt commodè & cum quadam pompa incedere poſſint : ita nunc quoque in hac deductione iubet omnia impedimenta amoueri & vias ador-

nari,vt commodè traduci arca poſſit, ne aliquid obiiciatur, quod pompam interrumpere, aut deformare hunc actum poſſit.

Interea non dubium eſt,prophetam reſpicere ad veram animorum præparationem,quæ regi Chriſto excipiendo conueniat. Neque enim ſatis eſt vias ſeu vrbis vicos & plateas ſternere atque ornare. Præparatio verò illa fit vera & ſeria pœnitentia,qua vitia ex animis noſtris tolluntur,& tanquam remoræ,quæ Chriſti ad nos aduentum impediunt,remouentur.Non enim habitat Chriſtus in corde polluto & contaminato peccatis contra conſcientiam.Ideo Iohannes & cæteri miniſtri præmittuntur ei,vt,quemadmodum Malach. cap. 3. inquit,Viam ante faciem eius parent.Et Ieſaias quaſi explicans illam phraſin c.40.cùm dixiſſet,parate viam eius,addit hæc verba,rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri,omnis vallis exaltetur,& omnis mons & collis humilietur,& fiant aſpera ſeu diſtorta in recta,& aſpera in vias planas.Atq; hinc intelligitur quod ſequitur, *Et qui vehitur in deſertis*:quē locum variè expoſuerunt interpretes,vt mox dicemus. Priùs enim vera & natiua ſententia eſt elicienda,quæ ex Ieſaiæ dicto facilè colligi poteſt.Cum enim dixiſſet:Domino viam eſſe expurgandam in deſerto,& rectam ſeu planam faciendam בערבה in deſerto(pro eodem vſurpans voces מדבר & ערבה) mox tanquam explicaturus has voces addit:Omnis vallis exaltetur,& omnis mons humilietur,vt ערבה nihil aliud hoc loco ſit quā locus incultus,inæqualis,aſper & impeditus,vbi mixtim nūc montes ſunt,nūc valles,nunc viæ aſperæ,tortuoſæ,impeditæ,difficiles & errore implicitæ.Ideo D. Forſterus alicubi reddidit,in miſturis.Has igitur iubet æquari & cōplanari,vt qui vehitur,molliùs & commodiùs incedat,vtque nihil ſit quod remorari aut impedire ipſius iter poſſit.

Hæc ſimplex eſt huius loci ſententia, quæ quomodo primùm ad illam pompam præſentem,deinde ad Chriſtum ipſū congruat,non obſcurum eſt, & in explicatione dicti Ieſaiæ alias dicetur copioſiùs.Vehitur Chriſtus verbo potentiæ ſuę, hoc eſt,efficaci,cui tanquam vehiculo inſidet & ad nos accedit,quærens domicilium apud nos. Sūt autem corda noſtra aſpera,intricata,& impedita ſentibus & aliis rebus,hoc eſt,occupata curis huius vitæ,& aliis prauis affectibus, quæ impediunt Chriſti aduentum,tument perſuaſione & fiducia propriæ iuſtitiæ,quæ montibus ab Ieſaia comparatur:ardent ambitione,quam per colles notare videtur:multi etiam propter ſuas ſordes ita ſūt abiecto animo,vt attollere vultum aut intueri Chriſtum non auſint:ſed iaceāt perpetuo dolore & perpetua deſperatione oppreſſi.Hos cōparat vallibus imis,quas iubet attolli.Non enim vult nos mergi in perpetuam deſperationem,aut dolore abſorberi.

Ita igitur paratur Chriſto via in deſerto,hoc eſt, in cordibus noſtris,ſi hæc impedimenta omnia tollantur, & vera ac ſeria pœnitentia ad Chriſtum conuertamur. Quod enim dicit,rectas eſſe faciendas vias in deſerto,ſignificat ערבה locum eſſe confragoſum & inæqualem, qui aſperum & impeditum iter præbeat euntibus.Ita ex Ieſaiæ dicto verſum hunc rectè explicari poſſe exiſtimo.Eſtque eadem D.Hieronymi ſententia,niſi quòd ille videtur reſpicere ad egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto.

In ordinanda ſerie verborum commodè meo iudicio vox בערבות iungitur cum verbo סולו, Sternite viam in deſerto. Idque innuere videtur accētus regius pazer,qui ſignificationem ſuam non tantùm in proximam dictionem לרוכב ſed in alteram quoque ſpargit.

Hac ſententia præmiſſa,nunc videamus aliorum interpretationes,in quibus recenſendis ero breuior.

Plerique ex noſtris exponunt,Ei qui vehitur ſuauiter. Nā verbum ערב vt miſcere & ex conſequenti dulceſcere interdū ſignificat,eo quòd mixti ſapores fiant grati:ita ערבה de eo quod gratum & ſuaue eſt,interpretantur.Cúmque ב à fronte accedat,iudicant vocem aduerbiaſcere,In ſuauitatibus,id eſt ſuauiter,molliter.Idque oppoſitum eſſe exiſtimant ei vecturæ,quæ erat in monte Sinai,cùm lex daretur. Tunc enim ita accedebat Deus ad populum Iſrael,vt audirentur tonitrua, fulgura item & coruſcationes conſpicerentur in aere, terra tremeret,montes fumarent, ſonitus buccinæ perſtreperet, & populus metu conſternatus penè exanimaretur.Ita enim Deus tunc naturam & effectum legis voluit depingere.Chriſtus verò venit & apparet,non cum fulmine aut terræ motu, hoc eſt,non affert terrores conſcientiis:ſed affert conſolationem,qua mentes perterrefactas iterum erigit.

Septuaginta interpretes reddiderunt τῷ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ δυσμῶν Ei qui aſcendit ſuper occaſū. Eſt enim dictio Hebræa מערבה quæ occidētem ſignificat,propterea quòd eo loco ſol mergatur ſub horizontem,atque ita commixtionem lucis cū tenebris adducat,ſeu rerū diſcrimina tollat.Sed alia dictio eſt hæ emantica מערבה diſcernenda ab hac qua vtitur propheta.

Rab.Abraham & Rab. Moſes exponunt, ei qui vehitur in cælos.& cælum ita appellari dicit Rabbi Dauid à pulchritudine & ornatu : nullo tamen exemplo. Alij ערבות nubes interpretantur,in quibus potentiam & maieſtatem ſuam Deus ſæpe declarat,cùm tempeſtates maximas ciet.

In Iah nomine eius.]Alij in Iah,quod eſt nomen eius.Repetendum eſt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verbum canite, item pſallite,hoc eſt, ita celebrate eum, ſicut ſe patefecit & ſicut vult à nobis celebrari, nempe vt diſcernatis eum ab omnibus commentitiis numinibus,nec miſceatis nomen eius cum idolis, ſicut gentes faciunt:ſed agnoſcatis hunc verum eſſe Deum,qui ſe huic populo patefecit : & quidem oſtendit inuocationem & gratiarum actionem non competere niſi ſoli naturæ diuinæ.Eſt enim יה conciſum ex יהוה ſicut אל ex אלוה. Cùm autem de Chriſto præcipuè pſalmus loquatur,oſtendit etiam hic locus Chriſtum eſſe natura Deum. Nam nomen יה non competit niſi eſſentiæ diuinæ.

6 Qui pater eſt pupillorum, & iudex viduarum: Deus in habitaculo ſuo ſancto.

7 Deus qui vnicos [*ſolitarios*]habitare facit domum: & educit vinctos compedibus : rebelles autem habitant ſiccitatem[*terram arentem.*]

Adhortationi addit argumenta, quibus perſuadeat dignum eſſe Deum,qui ab omnibus agnoſcatur & perpetuis laudibus celebretur, & vt in nobis fiduciam excitet,ne gloriæ immenſitate deterreamur,quo minus ad eum accedamus,ſicut multi faciunt. Illa igitur argumenta ſumit, non à generali prouidentia,qua hunc mundum gubernat, aut à potentia, vt pote quòd mundum hunc ex nihilo condiderit, & ſua potentia conſeruet, quódque ſit rex regum, & Dominus dominantium, &c.ſed ab amore, quo eccleſiam ſuam complectitur, & beneficiis, quæ huic præſtat.Eſt igitur deſcriptio, qualis hic rex ſit, de quo concionatur: & qualis ſit ille cœtus qui dicitur populus Dei ſeu eccleſia.

Primùm dicit, eum eſſe *patrem*,id eſt, vero & ardenti amore complecti ſuum populū ſeu eccleſiam ſuam,pro qua mortem ſubiit, & paſſus eſt ſe crucifigi : verè paternam curam gerere pro ſalute eius, & ampliſſimam hæreditatem ei acquirere. Hæc enim ſunt patris officia. Qualis autem eſt ille cœtus quem tantopere amat? Eſt cœtus,inquit,orphanorum,viduarum,ſolitariorum & vinctorum.Hæc eſt deſcriptio eccleſiæ ſeu populi Dei,qualis eſt in hac vita.Homines cùm audiunt nomen eccleſiæ, alias habent cogitationes, in quibus nihil niſi terrenus ſplendor,dignitas,potentia, opulentia & voluptates perpetuę animo obuerſantur.Sed lōgè alia eſt facies eccleſiæ quam qualis à noſtris cogitationibus pingitur. Primùm eſt orphana,id eſt,orbata parētibus,iacet ſordibus immerſa,ſicut infantes quos nemo curat,caret cōſilio, ope,præſidio, & deſtituitur omnibus rebus, nemo eſt qui calamitate eius afficiatur, nemo qui curam eius ſuſcipiat. Huic igitur ſe præſtat patrem.

II. Eſt *iudex viduarum.* Viduæ amiſſis maritis viuunt in perpetuo luctu & ſūt obnoxię variis iniuriis. Nemo enim ferè eſt qui curā harum ſuſcipiat,aut qui eas contra iniuſtā vim defendat. Deſeruntur enim à perfidis amicis, & multi harum pudicitiæ aut bonis inſidiantur.Talis igitur eſt eccleſia in hac vita, deſerta ſcilicet & multorū libidini atque iniuriis expoſita, habet hoſtes ſæuiſſimos, & crudeliſſimos,qui eius pudicitiæ & bonis inſidiantur,diabolum, mundum,& carnem,nec videtur in hac vita habere maritum aut caput. Nam Chriſtus,qui caput eſt,nō cernitur oculis. Sed hic Chriſtus ſe præſtat iudicē,id eſt, defendit eam aduerſus iniuſtam vim & violentiam, & punit hoſtes qui ei vim faciunt: non patitur eam opprimi iniuriis.Hæc dulcis eſt promiſſio, quæ grata eſſe orphanis,pupillis, viduis, & deinde eccleſiæ, quæ his comparatur, debet. Mundus tales præterire & contemnere ſolet, tanquā indignos auxilio:nec tantū cognati, ſed etiam magiſtratus eos deſerunt.Deus verò etiam ceſſante magiſtratu horum cauſam ſuſcipit.

Deus in habitaculo ſacrarij ſui]Id eſt,de hoc Deo loquor,qui in ſanctuario iſto habitaturū ſe pollicitus eſt:Non enim Deus tantum in cælo habitat, vt procul & à longè aſpiciat res humanas,vel ex illo loco gloriam & maieſtatē ſuā oſtendat, ſed habitat in hoc ipſo ſanctuario,hoc eſt,in ipſa eccleſia, atque adeo in medio populi ſui, eſt aſſiduè præſēs in eccleſia, aſpicit, curat, regit & defendit eam. In ſanctuario verò habitare dicitur,quia inde teſtimoniū edebat ſuæ præſentiæ,propoſitis viſibilibus ſignis.

III. *Deus facit ſolitarios habitare domum*] Solitarios nominat ſteriles,qui nullam habent ſobolem,nullam familiā, qui viuunt ſoli ſine liberis. Tales vero magno deſiderio expetunt ſobolem, ne moriantur inglorij & ἀνώνυμοι: & apud Iudæos imprimis

imprimis ſterilitas erat probroſa. Horum etiam calamitate & deſiderio afficitur Deus. Facit enim vt habeant domum, id eſt, familiam amplam & ſobolem numeroſam, atque ita benignitatem ſuam erga hos oſtendit, ſicut & pſalmo 113. dicitur: Qui habitare facit ſterilem in domo, &c. Hæc ſi ad eccleſiam referantur, ſterilitas intelligenda eſt de paucitate credẽtium. Hæc enim eſt magna eccleſiæ calamitas, & quodammodo probrum, quod ex toto genere humano omnibus temporibus tam pauci ſunt qui doctrinam de Deo amplectuntur, & ſe ad eum cœtum adiungunt, qui dicitur eccleſia & familia Dei: imò, quòd ſæpe ad tãtas anguſtias & ad eam paucitatem redigitur numerus credentium, vt vix ſupereſſe videantur qui dici eccleſia poſſint. Quemadmodum tempore Eliæ, cùm ipſe iudicaret ſe ſolum ſupereſſe: & proximis ſuperioribus ſeculis in Papatu, quàm pauci fuerunt, qui doctrinam de Deo rectè intellexerunt, aut qui legitimè ſecundùm verbum eum coluerunt. Verè igitur tunc eccleſia tanquam mater ſterilis fuit ſolitaria & in anguſtũ redacta. Et multi ſapientes omnibus temporibus illa paucitate credentium offenduntur, ne ad eccleſiam accedãt. Sed Deus repurgata luce ſuæ doctrinæ, & reſtaurato miniſterio, hoc tempore effecit vt eccleſia iterum ſit fœcunda, & multos gignat liberos. Paſſim enim non tantùm in Germania, ſed in tota Europa multi quotidie ſe ad eccleſiam adiungunt. Atque hoc congruit cum illo vaticinio Ieſ. 54. Lætare ſterilis, quæ non paris, quia plures ſunt filij deſertæ quàm eius quæ habet virum.

Græcus interpres vocem יחידים reddidit μονοτρόπους. Id Latinus interpretatus eſt, vnius moris. Græci interpr. & hos ſecutus Auguſtinus μονοτρόπους interpretati ſunt vnanimes, concordes: quaſi hoc velit, Deum tollere diſſidia in dogmatibus, & facere, vt vnus ſit conſenſus in doctrina de Deo: quod certè magnum eſt beneficium: ſed illam interpretationem, cùm nõ ſit Grammatica, hoc loco omitto. Poteſt autem vox יחידים etiam de iis intelligi, qui exuti & ſpoliati omnibus bonis, pelluntur ſuis ſedibus, & non habẽt vbi pedem figant. His tãdem Deus de aliquo hoſpitio & domo proſpicit, & quietem reſtituit, vt annis ſuperioribus Anglos exules reſtituit.

IIII. *Educit vinctos compedibus*] Id eſt, liberat eos qui tyrannica ſeruitute aut iniuriis ſunt oppreſſi. Sicut populus Iſraeliticus in Ægypto erat oppreſſus triſti ſeruitute, & tanquam perpetuo carceri incluſus. Horum calamitate adeo non erat qui moueretur, vt etiam ſuperbè ipſis inſultarent Ægyptij, & ſubinde onera augerent. Ita multi ſubinde à tyrannis coniiciuntur in vincula, tractantur duriter & crudeliter ſine cauſa. Cúmque nemo ſit qui eorum patrocinium ſuſcipiat, Deus tandem mirabiliter eos eripit, ſicut in hiſtoriis occurrunt non pauca exempla. Sed præcipuè hoc ad eccleſiam pertinet. Illa in hac vita experitur vim & crudelitatem tyrannorum, à quibus pij coniiciuntur in vincula, & omni genere cruciatuum excarnificantur. Sed hic Deus oſtendit ſuam bonitatem, dum pios liberat illis carceribus & vinculis, & tyrannos tandem punit. Ita Petrus in Actis liberatur ex carcere, & multi alij ſancti: & noſtro tempore vidimus exempla penè infinita. Quòd autem quoſdam ſinit Deus interdum rapi ad ſupplicia, eius rei cauſa alibi recitatur. Vult enim illa ſupplicia piorum eſſe teſtimonia de doctrina, quòd ſit vera, & de alia vita, quæ reſtet poſt hanc vitam, &c.

Eſt autem & alia captiuitas, non corporis, ſed animorum, vt cùm faſcinati ſunt animi ſuperſtitionibus, & quaſi vinculis tenentur conſtricti, vt quid verum ſit videre aut intelligere nequeant. Hæc triſtiſſima eſt captiuitas, qua maxima pars generis humani tenetur conſtricta, erroribus ſcilicet & ignoratione Dei, deinde doloribus propter admiſſa ſcelera. Itẽ, cùm à ſuis magiſtratibus homines adiguntur ad falſos & impios cultus, & impiis decretis interdicitur ipſis vſus miniſterij publici: quam tyrannidem hodie experiuntur paſſim pij in multis regionibus. Sed hîc Deus ſuam potentiam & bonitatem oſtendit, dum ſubinde nunc hos, nunc alios ab illa triſti tyrannide liberat, & vincula ſuperſtitionum ſoluit. Idque beneficium agnoſcendum & prædicandum eſſe monet Dauid, בכושרות reddiderunt alij in opportunitatibus, id eſt, tempore opportuno & commodo, cùm ipſi viſum fuerit, & cùm prodeſſe id piis iudicarit. Significat enim verbum כשר rectum, congruum, conueniens eſſe, congruente ſignificatione cum verbo ישר, à quo non multùm abludit. Sed Rabbi Dauid, & qui eum ſecuti ſunt, exiſtimant ב in dictione בכושרות commutatum eſſe cum ק cognata & eiuſdem inſtrumenti litera. ſignificat autem קשר ligare, & קשורים ſignificat vincula, ligamina, ſeu faſciolas. Itaque ב ab initio ſecundùm hos litera eſt inſtrumenti. Eſtque illa locutio in Hebræa lingua trita & vulgaris. Prò eo enim quod Latinus dicit, vincti compedibus, ipſi dicunt vincti in compedibus. Interfectus in gladio, pro interfectus gladio, Græcus interpres reddidit ἐν ἀνδρείᾳ, quod planè eſt peregrinum.

Rebelles verò habitabunt terram aridam] Addit aliud argumentum à contrario. Sicut piis Deus adeſt tutor, defenſor, liberator, & ſaluator: ita impios & hoſtes eccleſiæ punit & euertit horribilibus pœnis. Coniicit enim eos in loca vaſta, arida & inculta, vbi fame & ſiti pereant, hoc eſt, relinquit eos immerſos perpetuis tenebris, vt nullam lucem cœleſtis doctrinæ, nullam conſolationem aut guſtum bonitatis & amoris diuini percipiant, & tandem horribilibus conſcientiæ pauoribus oppreſſi in æternum pereant. Hic exitus eſt impiorum & rebellium, qui non patiuntur ſe regi verbo Dei, etiamſi aliquandiu in hoc mundo floreant, & omnibus rebus abundent.

צחח ſignificat candidum, nitidum, limpidum eſſe: tribuitur autem cùm aliis rebus nitentibus, vt dentibus, Thre. 4. tum verò cœlo limpido & ſereno, quod nullis nubibus obſcuratur. Vt Ieſa. 58. Et ſatiabit בצחצחות in ſerenitatibus, id eſt, in ſiccitatibus animam tuam. Et Ieſa. 18. calorem limpidum nominat eum quem ſol facit cœlo ſereno, qui exiccat & adurit כחום צח עליאור. Et quia ſiccitas & æſtus magni ſunt ex perpetua ſerenitate, ideo per metalepſin צחיחה ſumitur pro ſiccitate ſeu ariditate. ה in fine ſignificat motũ ad locum, ſicut ſuprà in ביתה Septuaginta reddiderunt: ὁμοίως τοὺς παραπικραίνοντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν τάφοις, quæ ſententia planè aliena eſt ab hoc loco.

8 Deus, cùm egredereris ante populum tuum: cùm iter faceres per ſolitudinem, Selah.

9 Terra tremebat, & cœli quoque ſtillabãt à facie Dei huius Sinaici, à facie Dei, Dei Iſrael.

Amplificat & exornat inſtitutam commemorationem de amore, cura & ſolicitudine Dei, quam gerit pro populo ſuo, ab exemplo primæ liberationis atq; eductionis ex Ægypto. In ea enim ille amor paternus, quẽ hic prædicat, ſe maximè exeruit, quando videlicet totam penè rerum naturam Deus commouit, vt oſtenderet ſe potentem eſſe ad defendendum, ſeruandum ac liberandum hunc populum. Ideo enim facit mentionem tot miraculorum, concuſſionis terræ & cælorum, tremoris montium, vt oſtendat Dei potentiam ſeu virtutem cum ſalute populi coniunctam eſſe. Alij dicunt in his & ſequentibus duobus verſibus collationem eſſe legis & euangelij, ab effectu vtriuſque. Lex enim incutit terrores, adigit hominem ad deſperationem, & mergit in mortem. Id ſignificatum eſt per tonitrua, fulmina, montium concuſſionem, quando lex promulgata eſt in Sinai. Euangelium verò comparatur pluuiæ cœleſti, quæ ſuauiter recreat, humectat, & fœcundam reddit terram aridam, ſitientem atque æſtu ſolis exhauſtã. Nã & promiſſiones euãgelij corda perterrefacta, agnitione iræ Dei aduerſus peccata erigunt, conſolantur & recreant, & Spiritus ſanctus per verbum regenerat & viuificat corda vt nouas vires concipiant, & varios fructus Deo gratos proferant. Hæc non incommodè hoc loco docendi cauſa ab aliis afferuntur. Sed ſi propiùs mentem prophetæ aſpiciamus, nõ dubium eſt, illum adhuc in explicatione ſuperioris argumenti commorari. Dixerat Deum eſſe laudandum & celebrandũ: & ſuos auditores, vt id ſtrenuè facerent, hortatus erat. Huic adhortationi argumenta ſubiungenda erant, quibus id perſuaderet. Ideo ſubiicit Deum eſſe patrem orphanorum, iudicem viduarum, benefactorem ſolitariorum, vel, auctorem familiarum, liberatorem vinctorum, vindicem hoſtium & aduerſariorum. Hæc quæ in genere de Deo dicta erant, nunc exemplis ac teſtimoniis in oculos incurrentibus confirmat. Quod enim talis ſit Deus, qualem dixi, id eductio huius populi ex Ægypto, quæ facta eſt illuſtribus & inſignibus miraculis, introductio in terram Canaan, & poſtea perpetua nutritio, & defenſio huius populi oſtendit. Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam. Interea non dubium eſt, illis corporalibus beneficiis, quibus hic populus afficiebatur, perpetuò adumbrari & ſignificari ſpiritualia beneficia. Itaque rectè poſtea cœleſtis pluuia de promiſſione euangelij intelligitur, ſicut poſtea dicemus.

Deus, cùm egredereris ante populum] Non loquitur propheta principaliter de promulgatione Legis, quæ facta eſt in mõte Sinai: ſed de tota gubernatione diuina, qua populum hũc annos quadraginta rexit, pauit & mirabiliter defendit in deſerto. Idque oſtendit phraſis linguæ. Nam egredi ante populum, ſignificat fungi munere boni ducis, regendo, paſcendo & defendendo exercitum ſeu populum ſuæ curæ commiſſum, inſtruendo ad pugnam & ducendo in hoſtes, vt alias dictum eſt. & ſæpe occurrit hæc phraſis, 1. Sam. 8. Rex egredietur ante nos, pugnabítque bella noſtra. pſalm. 44. Et non egrederis cum exercitibus noſtris. & pſalm. 60. Non egredieris, &c. Deus igitur cùm eduxiſſet populum per mare rubrũ, poſtea perpetuò adfuit ei tanquam dux, gubernator, pro-

tector & defenſor, Idque Moſes petit Exod.33. cũ inquit, Niſi tu ipſe præcedas nos, ne educas nos de loco iſto. Poſtea verò illa gubernatio ad eccleſiam omnium ætatum accommodanda eſt: nam & nos ſimiliter regit & defendit Deus eductos ex regno tenebrarum & ſatanæ, & tandem in cœleſtem patriã ducit, idque pij agnoſcunt & celebrant.

Iter faceres] Repetit ſententiam: Deus ita præceſſit populũ, vt vbique viam quaſi ſterneret & pararet, vt ſine difficultate aut impedimento ſubſequi poſſent, eáque in re ſuam fidem & curam erga hunc populum oſtendit. Erant viæ impeditiſſimæ & longæ in locis deſertis, obiiciebantúrque variç difficultates humanis conſiliis prorſus inexplicabiles: hic oſtendit viam & exitum. Ideo dicitur iter facere in deſerto, hoc eſt, præire & regere: vires item laboribus ferendis ſufficere.

Cæterum vocabulo ישימון deſcribitur huius præſentis vitæ conditio. Sicut enim tunc populus per annos quadraginta vagabatur in deſerto, & diuinitus defendebatur, & tandem in terram promiſſam educebatur: Ita pij quandiu ſunt in hac vita, viuunt in deſerto extra patriam: laborant interdum penuria aquæ, ciborum, inopia rerum omnium: non habent certa domicilia: ſunt expoſiti variis iniuriis: habent hoſtes potẽtiſſimos & ſæuiſſimos, à quibus crudeliter oppugnantur, & quoquo vertunt oculos, nihil occurrit niſi triſte & ærumnoſum. Sed tamen diuinitus aluntur & defenduntur: & tandem educti ex hoc deſerto, tanquam ex carcere triſti introducuntur in cœleſtem patriam, vbi in æternum viuunt cum Deo. Hæc ſunt beneficia eccleſiæ propria, quæ conſiderãda & prædicanda ſunt.

Terra tremebat] Id eſt, Deus inſignibus miraculis oſtendit ſuam potentiam, ne populus animum deſponderet, quaſi omni præſidio aut defenſione eſſet nudatus. Hic primus finis eſt horum terræ motuum, ad quem hic reſpicit. Deinde etiã terrorem aliquem populo ſuo incutere voluit, vt timeretur & coleretur, ſicut ipſe dicit Exod.20. Vt terror ſit in vobis, ne peccetis.

Cæli ſtillabant] Id eſt, effundebant imbres & procellas poſt tonitrua.

A facie Dei] Id eſt, à præſentia Dei: quia Deus ſe his miraculis oſtendebat præſentem eſſe & potentem ad defendendos ſuos, & ad hoſtes profligandos. Non extiterunt igitur illa miracula caſu, aut tantùm à cauſis phyſicis, vt philoſophi imaginantur, ſed à facie Dei.

Sinai exiſtimant nonnulli hoc loco eſſe denominatiuum: Deus iſtius Sinai, id eſt Sinaici, qui appellationem habeat ab iſto monte, in quo illuſtribus miraculis potentiam ſuã oſtẽdit & legem promulgauit. Alij tamen non obſeruata diſtinctione Hebræi codicis, vocem Sinai à priore membro auellũt & cum poſteriore iungunt. Itaque ſic legunt: cæli ſtillabant à facie huius Sinai, à facie Dei, ſcilicet ſtillabat vel concutiebatur, vel potiùs, vt ego exiſtimo, iſte Sinai: atque ſic legendũ eſſe oſtendit liber Iudicum, vt mox dicetur. Quòd autem repetuntur illæ voces מפני אלהים & poſtea adiicitur אלהי ישראל, A facie Dei Iſrael. Ideo fit vt oſtendat ſe loqui non de imaginario aliquo Deo aut fictitio numine, ſed de vero illo Deo qui ſe huic populo patefecerit, & illuſtribus miraculis ab omnibus fictitiis numinibus diſcernendum exhibuerit.

Sunt autem hi duo verſus deſumpti ex cantico Deboræ, quod extat Iudicum 5. cap. in quo ipſa ſimili oratione potentiam Dei deſcribit in defenſione huius populi. Deus, inquit, cùm egredereris de Seir, cùm proficiſcereris de Edõ, terra tremuit, etiam cæli diſtillarunt, & nubes diſtillarunt aquam, mõtes fluxerunt ante faciem Dei יהוה. Iſte Sinai ſcilicet fluxit à facie Iehouæ Dei Iſrael. Ex quo loco duo colligere licet, quç ad explicationem horum verſuũ faciunt. Primùm, quòd principaliter de potentia Dei, quam in defenſionem ſuorum adhibuerit, eámque illuſtribus miraculis conſpicuam fecerit, dũ hoſtes illis prodigioſis tempeſtatib. terreret, loquatur. Deinde, quod ad diſtinctionem huius verſus attinet, iudico eam ſecundùm illam ſententiam, quç eſt in cantico Deboræ, vnde deſumpta eſt, ordinandam eſſe. Iſte Sinai, vbi ſcilicet præcipuè ſuam potentiam & magnificentiam oſtendit, commotus eſt à facie huius Dei.

10 Pluuiam largam agitando ſpargis Deus [*ſuper*] hæreditatem tuam, & afflictam [*laſſam*] tu reparas [*confirmas, inſtauras.*]

Iterum confirmat priorem narrationem ab alio exemplo. Non tantùm in deſerto adfuit Deus ſuo populo, & illuſtribus miraculis præſentiam ſuam oſtendit, ſed perpetuò illam beneficentiam ſuam hucuſque continuat, nec vnquam carere nos ſua liberalitate, auxilio & defenſione ſinit. Poſtquam enim eductos maiores noſtros ex deſerto in hanc terram, quã eis hæreditariò attribuit, collocauit, ab eo tempore nunquã ceſſauit nos alere, ſuſtentare, fouere, omniáque paterni amoris beneficia atque officia præſtare. Quotannis enim terram noſtram imbribus humectat & fœcundam reddit, nóſque liberaliter paſcit. Hæc ſimplex eſt huius verſus ſententia, narratio ſcilicet de continuatione beneficiorum diuinorum. Sed vt antea monui, trãſferenda hæc deinde ſunt ad res ſpirituales. Neque enim ideo introducti erant Iſraelitæ in terrã Canaan, vt vbertate eius regionis, tanquam porci in hara, ſaginarentur, aut vt cõtenti illarũ externarũ rerũ fruitione, nihil amplius à Deo expectarent. Sed erant illæ ipſæ res corporales commonefactiones de rebus ſpiritualibus, & ad ſalutem animarum pertinentibus: atque ita iis fruebantur pij in hoc populo, vt ab his animum ad cælum & ad cæleſtia bona attollerent. Terram igitur Canaan intuẽtes, quæ tanquã hæreditas huic populo erat attributa, ſciebant aliam reſtare patriam, in quam poſt vitæ huius ęrumnas, tanquam ex deſerto horrido, ſqualido & perpetuis ſordibus oppleto, anguibus etiam venenatis ſcatente, & ab hoſtibus crudeliſſimis circumdato, eſſent transferendi. Et pluuiis cœleſtibus, quibus quotannis agri fœcundi reddebantur, ſciebant notari dulciſſimas euangelij promiſſiones, quibus animi exhauſti dolore & ſenſu iræ Dei, recreãtur, vt nouam lætitiã & vitam cõcipiant. Ita beneficia corporalia erant ipſis manuductiones ad conſiderationem rerum ſpiritualium, & quaſi ſacramenta quædam bonorũ cœleſtiũ. Non igitur illa tantùm corporalia beneficia, ex quibus præſentiam & amorẽ Dei erga ſe cõſpiciebant Iſraelitæ, hoc loco prædicat: ſed multò magis ſpiritualia & æterna, quæ propria ſunt huius regni Chriſti, quod in hoc carmine celebrat. Ea dicit poſt exhibitũ Chriſtum multò liberaliùs ſpargenda quàm hactenus. Atque huc iam congruit illa interpretatio, quæ pluuias de promulgatione euangelij per totum orbẽ terrarũ, & miſſione Spiritus ſancti poſt aſcenſionem Chriſti in cælum exponit.

Pluuiam liberalem] נדבה ſignificat ſpontaneam voluntatem ſeu meram liberalitatẽ. Ideo ad gratuitũ Dei beneplacitum ab interpretibus refertur, quaſi diceret, Pluuiam ex mero beneplacito & ſponte fundes, nulla alia re quam amore erga hunc populũ motus. Alij reddunt pluuiã voluntariũ, id eſt optabilem. Alij mitem, aut vltro ſine impetu fluentem. Plerique largam & vberem interpretantur, quod cum prima interpretatione coniungi poteſt & debet. Dat Deus pluuiam ſponte, nullo prouocatus noſtro merito, & dat liberaliter & copioſè. Vtrumque enim ſignificatur verbo נדב.

Hæreditati tuæ] Sic nominat terram Iudaicam, quç in hęreditatem filiis Iſrael erat attributa, & cuius incolas tanquã hęreditarium populum ſibi delegerat Deus. Ea indigebat irrigatione liberali & pluuiis cælitus demiſſis, quia montoſa erat & collibus plena, nec poterat humectari aquarum riuulis, ſicut Ægyptus. Eſtque emphaſis in pronomine *tua*, quæ dignitatẽ huius populi commẽdat, quòd ſolus à Deo electus eſſet, cui illa hæreditas attribueretur.

Cæterùm de beneficiis ſpiritualibus cum verſum interpretamur, hæreditas Domini intelligenda eſt eccleſia, quæ ex genere humano per verbum colligitur, vt Dei ſit peculium & hæreditas Chriſti. Ille igitur Chriſtus poſtquam inſtituit & confirmauit regnũ ſuũ, ſpargit pluuias cœleſtis doctrinæ, ſuper omnes gentes, conſolatur nos verbo, viuificat nos Spiritu ſuo ſancto, &c. Tale eſt eius regnum, & hæc ſunt eius beneficia, quæ à nobis ſunt prædicanda. Ideo in Scriptura verbo ſtillandi ſæpe doctrina ſignificatur. Stilla ad meridiem, id eſt, loquere, Ezech.20. Amos 7. Ne ſtilles contra domum Iſaac. Mich.2. Nolite ſtillare, id eſt, prædicere nobis futuras calamitates.

Laſſam] Id eſt, aduſtam continuis ardoribus ſolis, & quaſi iam defatigatam, atque effetã redditam, tu rurſus inſtauras, vt nouo vigore concepto rurſus fiat fœcunda, & multiplices fructus proferat. Hæc quoque quomodo ad euangelij doctrinam accommodãda ſint, non eſt obſcurum, & antea nonnihil oſtenſum.

21 Pecus tuum habitat [*ſyntheſis eſt. Nam nomen* חיה *collectiuè vſurpatur* [in ea] *hæreditate quam*] dirigis [*confirmas*] in bonitate tua pro afflicto, ô Deus.

Cohæret hic verſus cum ſuperiore. Eſtque amplificatio à cauſa finali. Terrã ideo quotannis recreat & fœcundat Deus vt populus electus in ea habitet, & omnia neceſſaria ad victum habeat. Hoc iterum eſt argumentum amoris Dei erga hunc populum, & curæ prorſus paternę. Poſtquam enim ex deſerto eos eduxit, & in hanc terrã collocauit, ac ſedes attribuit, non abiicit poſtea horum curam, ſed tanquam pater φιλόστοργος ſeu paſtor fidelis proſpicit ſuo gregi de victu, vt commodè ſine tumultu & querela habitare in terra Domini poſſint. Hoc eſt quod dicit, Pecus tuum habitat in ea. Nominat autem populum Iſrael *pecus Dei*, non per contemptum, quaſi

quaſi Deus ſuos electos loco pecudum habeat: ſed primùm curam illius, quam gerit pro ſuo populo hac figura deſcribit. Ipſe.n.velut paſtor deligit ſibi hunc populum paſcendum, & omnia fidelis paſtoris munera obit, de quibus pſalm.23.concionatur. Deinde, quod ad ipſum populum attinet, ideo pecus dicitur, quia ſua induſtria, labore, vigiliis aut ſumptibus non poteſt ſibi comparare victum, ſed paſcitur Deo benedicente ac proſpiciente ipſi de victu. Iumenta enim & beſtiæ in ſyluis non arant, non ſerunt, non metunt, nō reponunt in horreā, & tamē, vt Chriſtus inquit, alit illas Deus. Huc igitur reſpicit propheta, cùm populum nominat beſtiā ſeu animal vita præditum. Primùm ſcilicet ad curam diuinam, deinde ad ἀδυναμίαν in comparandis vitæ neceſſariis. Eſt autem nomen חיה collectiuum hoc loco, quod totum gregem ſeu cœtum complectitur, vt ſuprà etiam monui.

Alij per pecus nihil aliud intelligunt quam oues, boues, & reliqua iumenta, quæ ad vſum pauperum & inopum in terra Canaan educabantur. Terra enim Canaan, quia montoſa erat & plena collibus, magis apta erat ad paſtum pecorum, quàm ad agriculturam & vinearum ſitionem, quanquam & illis non planè carebat. Quantum autem ſubſidium ſit vitæ humanæ ex re pecuaria, nemo eſt qui ignoret. Itaque & patres huius populi exercebāt rem pecuariam. Eam ob cauſam nonnulli verſum hunc ſimpliciter de armentis & ouibus interpretantur, hoc modo: Armētum tuum habitat in ea (quod) bonitate tua pauperi comparas. Non incommoda eſt hæc lectio, ſed quia vtitur verbo ישב propheta, quod potiùs hominibus quàm pecudibus congruit, nec additur nomen שדה vel יער, iudico priorem ſententiam eſſe veriorem, & vſitatum eſt Spiritui ſancto per nomen חיה cœtum hominum deſcribere, vt paulo pòſt in hoc ipſo pſalmo, Increpa feram arundinis: & 2.Sam.23. Exercitus Philiſtinorū caſtra habebat in valle Rephaim חית פלשתים.

Quam bonitate tua confirmas] Id eſt, immenſa bonitate facis, vt illa hæreditas ſemel attributa maneat illis certa & firma, vtque certas & fixas ſedes in illa habeāt, ne mox rurſus excutiantur: idque nunc hoc ipſo ſpectaculo confirmas, dum arcæ fœderis certam ſedem attribuis. Fuit autem hoc ingens beneficium diuinum, quòd hic populus habuit promiſſionem de certa ſede, idque agnoſci & celebrari vult.

טובה Nonnulli interpretantur victum copioſum: ſed alterum eſt ſimplicius & meo iudicio rectius, vt de liberalitate Dei accipiatur. Vult enim oſtendere, nos quicquid habemus, id Dei bonitati acceptum eſſe referendum, atque huc cōgruit quod ſequitur לעני. Affirmat enim hunc populum per ſe eſſe miſerum, egenum & famelicum, qui, niſi diuina bonitate alatur, ſua induſtria aut labore parare victum nequeat. Et certè ſi regionis conditionem ſpectes, mirum eſt quomodo in illo exiguo terræ angulo tot hominum myriades ali potuerint, quæ hodie non milleſimæ hominum parti ſufficit.

Nunc hæc ſentētia ad eccleſiam accommodetur, quemadmodum & prior. Hæreditas Domini dicitur Eccleſia, in ea ſedet piorum congregatio, proſpicitur ei diuinitus de aliquo domicilio, de victu & aliis rebus neceſſariis in hac vita, quantumuis ſit miſera, egena & oppreſſa. Habet enim fidelem curatorem & paſtorem qui miſeram & egenam confirmat, ſuſtentat, alit, atque omniū bonorū cæleſtiū ſatietate exhilarat.

12 Dominus dat [*vel dabit*] ſermonem annuntiatricum [*ſcilicet, læti de victoria nuntij*] exercitum multum.

Addit aliud argumentum, quo priorem narrationem confirmat ab inſignibus & celebribus victoriis conceſſis huic regi & populo, hoſtibus diuina virtute profligatis ac protritis. In hoc argumento explicando diutius commoratur, tāquam principali, propter quod pſalmodia erat inſtituta: diximus enim antea in argumento eſſe ἐπινίκιον ſeu carmen triumphale. Eſt autē huius & ſequentium verſuum hæc ſententia: Quòd hic rex & Deus noſter, quem colimus, pater ſit orphanorum, iudex viduarum, eámque ob cauſam à nobis omnibus modis celebrandus: id oſtendunt & monent non tantùm illa vetera beneficia, quæ maioribus noſtris præſtitit, cùm eos educeret ex Ægypto, & aleret ac defenderet in deſerto: vel etiam illa aſſidua & quotidiana beneficia, quòd collocatos in hanc terram liberaliter paſcit, fouet, & omnium rerum naſcentium copia nos exhilarat: ſed etiam cōfirmant hoc illæ inſignes victoriȩ, quȩ toties iam ab hoſtibus cȩſis ac profligatis reportātur, & quȩ paſſim cantilenis puellarū ac mulierum celebrantur. Hæc eſt ſimplex & Grammatica ſententia. Eſt autē metonymica in hoc verſu locutio, in quo ſignū ponitur pro ſignato. Non enim ſimpliciter dicit, Deus dat victorias: ſed inquit, Deus dat ſermonem. Qualem verò ſermonem intelligat, oſtendit ſequens dictio המבשרות. Significat enim בשר annuntiare lætum victoriæ nūtium, 2.Sam.18. Accipitur igitur אמר ſermo, pro בשרות, quod ſignificat εὐαγγέλιον. Deus dat lætū nuntium victoriæ: ergo hoſtes ſunt cæſi, & parta eſt victoria, éſtq; pax & tranquillitas.

Et dat *annuntiatricum exercitum magnum*, id eſt, Illæ victoriæ paſſim in omnibus oppidis & pagis à puellis & virginibus magno numero concurrentibus decantantur & celebrantur. Erat enim vſitatum in populo Iudaico, vt ἐπινίκια canerentur à puellis & mulieribus. Ita enim Miriam ſoror Moſi cum mulierum coro canit triumphum, cùm exercitus Ægyptius eſſet ſubmerſus in mari rubro, Exod.15. Et Goliath interfecto à Dauide tripudiantes muliercularum chori procedunt Sauli redeunti obuiam, & canunt carmen triumphale: Percuſſit Saul mille, Dauid verò decem millia, &c.1.Sam.18. Ita & recentes victorias, quas varias ab hoſtibus reportauerat Dauid, dicit celebrari paſſim à mulierum choro, & quemlibet chorū nominat exercitum, quia non temere concurrebant ad illos cœtus, ſed ſeruabant ordinem & aliquam harmoniam in inceſſu, in ſaltationibus & tripudiis, atque in canendo. Idque ſignificatur verbo צבא, cuius ſignificatio eſt à ratione militandi ſumpta, in qua ordine omnia neceſſe eſt agi.

Dicit autem Deum dare materiam & occaſionem his cātilenis. Ergo non adſcribit victorias ſuæ virtuti, induſtriæ aut viribus, ſed ſoli Deo.

Hæc de Grammatica monuiſſe ſatis eſt. Nunc ad Chriſtum nos conuertamus, cuius regnum ſub hoc typo celebratur: Victoriæ enim omnes diuinitus conceſſæ Dauidi, antequam hoc viſibili ſigno, nimirū collocatione arcȩ fœderis in monte Sion, regnum ipſi & poſteris confirmaretur, præludia quædam erant & vmbra illarū victoriarum, quas Chriſtus aſcendens in cælum reportaturus erat de ſuis & populi Dei hoſtibus, de diabolo ſcilicet, morte & mundo. Horum potentia per mortem & reſurrectionem ſuam deſtructa Chriſtus dat ſermonem, id eſt, ſpargit optatiſſimum illum victoriȩ nūtium, & diuulgat per totum orbem terrarum, vt omnes credentes ſciant, nullum deinceps in eccleſiam aut mortem aut diabolum habere imperium, ſed redemptos & ſeruatos à crudeliſſimis hoſtibus habere iam regem, qui æterna pace, iuſtitia, ſalute & vita (quæ bona hæc victoria peperit) credentes ſit donaturus. In huius verò læti nuntij prædicatione vtitur Chriſtus miniſterio & opera Apoſtolorum, & qui his ſucceſſerunt. Ideo addit eum dare exercitus multos euangelizantium ſeu annuntiantium hunc lætum nuntium. Et quidem vtitur genere fœminino, non quòd mulieres in eccleſia munere docendi fungi debeant: ſed vt imbecillitatem miniſtrorum eccleſiæ notet. Sunt enim vaſa & organa prorſus infirma & fragilia, per quæ tamen tantas res gerit & efficit Chriſtus, vt inſtar magnorum & validorum exercituum vagentur & diſcurrant per totum mundum, eúmque in obſequium Chriſto adducant, fruſtra fremente & renitente diabolo, atque ipſius organis. Græcus interpres nomē צבא reddidit δύναμιν. Sæpe enim in Græca lingua accipitur pro exercitu, ſicut & in Germanica vocabulum *Macht*, *Er iſt mit einer groſſen macht auſgezogen*, id eſt, cum exercitu valido. Sed Latinus interpres fere ſemper vocabulo virtutis Græcam vocem reddidit, quod eſt aliquanto obſcurius. Quod igitur legitur in Latino codice, virtute multa, non ſatis exprimit ſententiam, quæ eſt in fontibus.

13 Reges exercituum fugient fugient: & amœnitas [*vel turba*] domus diuidet ſpolia.

Continuat narrationem de victoriis: ac fortaſſis per μίμησιν refert ipſa mulierum verba ex ipſarum cantico. Eſt autē hæc ſententia: Profligatis & cæſis hoſtibus deinceps erit pax perpetua in hoc populo, nec poterit is vllis humanis viribus deleri. Quòd ſi qui tentarint arma mouere contra hunc populum, illi inquit, nondum conſpectis noſtris armis ante congreſſum fugient, tantus iniicietur illis terror & conſternatio. *Reges exercituum* nominat, quòd ſint inſtructi magna potentia & magnis viribus, quos illi ad delendum populum Dei cogunt, & quòd ſint bellicoſi. Habent enim non vnum tantùm exercitum, nec vnum tantum norunt genus nocendi: ſed varios habent exercitus, & variis artibus & dolis eccleſiā oppugnant. Quod fugiendi verbum bis repetit, primum magnitudo conſternationis: deinde conatus ingens elabendi atque effugiendi periculum: poſtremo diſſipatio hoſtium in varias mundi plagas oſtenditur. Fugient, inquit, trepidi & celeriter, quantis poterint viribus, nec per vnam tantùm viam, ſed per varias: ſicut dicitur in promiſſione Deut. 28. Per vnam viam venient, & per ſeptem fugient à facie tua.

Et decus domus] Id eſt, deuictis & fugatis hoſtibus bellicoſiſſimis, tāta erit ſpoliorū copia & varietas, vt matribus familiās inter ſuos domeſticos diſtribuenda ſint ceſſura. Tanta enim erit rerū omniū conuerſio, vt qui prædæ hoſtibus potentioribus eſſe ſolent, deinceps prædam ab hoſtibus partam in-

ter ſe diuidāt. Solet enim illa imbellis turba domeſtica prædæ eſſe exercitui victori.

נותבית exponunt decus vel amœnitatem domus: atque ita affirmant dici matremfamilias, quæ præcipuum eſt ornamentum & decus ſuæ domus. Mihi videtur ſimpliciter ſignificare habitatricem domus, atque ita matremfamilias comprehendi συνεκδοχικῶς cum liberis & tota familia. Nam alioqui nomen נוה ſignificat habitaculum, tugurium vel tabernaculum, & in fœminino genere נוה ſignificat mulierem habitantem in domo atque exornantem eam.

Alij, qui de regno Chriſti tātùm hunc pſalmum interpretantur, ſecuti ſunt Hieronymum, qui verbum ידודון reddidit fœderabuntur. Quanquam Hieron. aliud videtur voluiſſe. Ad illam igitur interpretationem alludentes reddiderunt, reges exercituum erunt dilecti dilecti, id eſt, apoſtoli & doctores eccleſiarum, quos hîc putant dici reges exercituum, quòd cum diabolo & ipſius organis belligerantur, erunt concordes in doctrina, non turbabunt pium conſenſum ambitione, æmulatione, odio, aut aliis prauis cupiditatibus adducti: ſed ſtudebunt paci & coniunctioni animorum. Sed ſequens mēbrum oſtendit, prophetam loqui de fuga & cæde hoſtium: nō enim diuiduntur ſpolia, niſi hoſtibus fuſis & fugatis. Itaque etiam cùm ad regnū Chriſti accommodatur pſalmus, quod fieri debere toties iā diximus, rectè de victoriis, quibus Deus eccleſiam ſuam quocunque tempore ornat, intelligi poteſt. Cōſpirant aduerſus eccleſiam Chriſti reges in toto orbe terrarū, & omnibus viribus conantur eam opprimere & delere: Sicut tunc Palæſtini, Ammonitæ, Moabitæ, Syri, Idumæi regnum Iudaicum inuadebant & delere conabantur. Et diabolus ardens odio filij Dei, non ceſſat omnes ſuas vires experiri in ea euertenda. Sed adeo non ſuccedit eis res, vt illi ipſi conatus, ipſis autoribus ſint exitio. Et plenæ ſunt hiſtoriæ taliū exemplorum. Multi etiam, qui initio hoſtes erant eccleſiæ, paulo pòſt mutatis animis, vltro ſe adiungunt ad eccleſiam, vt Paulus & ſimiles. Ita dici poteſt Reges qui deprædaturi venerant eccleſiam, & adducturi ad cultum idolorum, paulo pòſt huic ipſi fieri prædæ. Quanquam in genere diuiſio ſpoliorum ſignificat crebras victorias, quibus eccleſia creſcit & ditatur. eſtque rurſus metonymia in oratione, Eccleſia diuidet ſpolia, id eſt, habebit crebras victorias, ornabitur ex ſpoliis gentium, id quod factum eſſe res oſtendit.

Alij ſpolia interpretantur poteſtatem abſoluendi à peccato agentes pœnitentiam, & excommunicandi contumaciter perſeuerantes in manifeſtis delictis. Diuidet ſpolia, id eſt, dona à Chriſto parta, quod fit in annunciatione remiſſionis peccatorum & abſolutione.

Ex his quæ dixi, iudico verſum hunc rectè poſſe intelligi, & accommodari ad argumentum, de quo initio dictum eſt. Cùm enim carmen ſit triumphale, veriſimile eſt de hoſtium cæde & fuga inſtitui ſermonem hoc loco. Verbum igitur ידודו cum Rabi Dauid & Abraham iudico eſſe à נדד, quod ſignificat celeriter aufugere ſeu ſe amouere, non à דוד vt illi, qui de conſenſu & coniunctione animorum inter docentes, verſum interpretantur. Nec quod ſciam vſurpatur ab Hebræis verbaliter vocabulum דוד. Quòd autem ſcribitur ידודון non ידדון id in poſteriore voce fit, propter accētum diſtinctiuum, qui mutat Scheua in holem, quod erat in perſonis ſingularibus & in prima plurali. In priore verò, ne ſit diſſonantia vnius atque eiuſdem verbi, atque eodem modo vſurpati, & mox ſine intermediis dictionibus iterati: Nonnulli ex noſtratibus, qui de Apoſtolis verſum intellexerunt, omiſſa radice דוד, verbum נדד ita interpretati ſunt, vt ad felicem ſucceſſum Apoſtolorum, quo vſuri eſſent in ſuo miniſterio, accommodarint. Itaque reddiderunt verbo pergendi, ſeu promouendi caſtra. Reges exercituum, id eſt, Apoſtoli pergunt pergunt, hoc eſt, feliciter progrediuntur, *rücken immerfort*, quaſi diceret, celeriter occupant regna ſeu principatus, & promouent pomœria euangelij. Græca verſio aliena eſt ab hoc loco quæ neque ſententiam, neque Grammaticam rectè explicat, ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ τῇ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελέσθαι τὰ σκῦλα.

14 Si iacueritis intra limites [*eritis*] velut alæ columbæ opertæ argento: & remigia eius [*pennæ alarum*] in flauedinem [*fuluorem*] auri.

Poſtquam varia argumenta recitauit, quibus Dei beneficentiam & amorem erga ſuum populum oſtendit, nunc addit promiſſionem ſeu conſolationem, quæ in futurum quoque eos confirmet, déque Dei erga hunc populum beneuolentia ſpectatores bene ſperare, omniáque optima ſibi polliceri iubeat. Non enim ſatis erat Deum hactenus ſe præſtitiſſe patrem & benignum largitorem huic populo: ſed eundem animum & amorem ſeruaturus & continuaturus erat in poſterum. Ideo & in præcedenti verſu non tantùm præteritas victorias, ſed futuras quoque celebrat, & nūc de præſentia & auxilio Dei in futuris periculis & ærumnis concionatur. Si iacueritis, inquit, inter terminos, id eſt, ſi habueritis caſtra aut præſidia in limitibus cōſtituta aduerſus incurſiones hoſtium, ita vt quotidie pericula ab hoſtibus ſint metuenda, ea res nō debet deiicere, aut frangere animos veſtros, aut excutere arma. Nam in illis ipſis periculis fulgebit magis & conſpicietur virtus & fortitudo veſtra, & inter ipſas lucebit ærumnas decus. Non enim frangitur aut euertitur eccleſia hoſtium armis, periculis, aut ærūnis foris obiectis, ſed in his ipſis præſentiā & amorē Dei erga ſe magis experitur, &, vt Baſilius inquit, ἐν ταῖς δυστυχίαις καὶ διωγμοῖς τὴν ἰσχὺν ἔχουσα μᾶλλον θάλλει. Hoc ſignificatum eſt per argenteum & aureum colorem fulgentem in pennis columbarum, animi, ſcilicet, præſentia & lætitia ſeu gloriatio in periculis & afflictionibus. In ærumnis olim incedebant homines atrati: ſed hic populus in ærumnis fulget vt argentum & aurum. Vnde colligitur eccleſiam nō deformari, aut euerti calamitatibus, ſed ornari & firmiorem fieri. Alij interpretes illum ſplendorem accommodant ad illū fulgorem quem præ ſe ferunt arma polita.

Hebræi & qui hos ſequuntur nomen שפתים reddiderūt ollas, & ſic interpretantur: Si iacueritis inter ollas, quaſi obruti toti & oppleti fuligine & tenebris, tamen eritis candidi & nitidi: quia diuinitus in illis ærumnis ſeruabimini, & liberatio, ſi quid doloris aut fuliginis contractum à vobis eſt, diſcutiet. Eodem redit hæc ſententia quò prior. Sed malo ego cum Hieronymo & cæteris nomen שפתים interpretari limites quàm ollas: & congruit cum noſtris Græcus interpres, quem tamen Latinus non bene intellexit, ἐὰν κοιμηθῆτε ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων. Significat enim κλῆρος vt Suidas annotat, interdum πάλος, interdum κτῆμα, ſæpe etiam μέρος γῆς, quod ad ſignificationem vocis Hebrææ non malè congruit.

Hæc verò quomodo ad Chriſti regnum, atque eius regni populum ſint accommodanda, non eſt obſcurum. Ornatur eccleſia illuſtribus à Deo victoriis omni tempore, & ditatur ſpoliis hoſtium, vt antea dictum eſt. Sed tamen nunquam in hac vita ita plenè liberatur periculis aut metu horum, quin ſubinde excubandum ſit pro pace, & collocanda ſint præſidia in limitibus, quæ ab incurſionibus hoſtes arceant. Habet enim eccleſia varios hoſtes & variis armis inſtructos, à quibus oppugnatur. Alij manifeſta vi delere eam conantur, alij pugnant ſophiſtica & ſpargunt praua dogmata, quibus animos piorum inficiant, alij ſplendore opum, dignitatis, honorum, atque aliis illecebris inuitāt pios ad defectionem. Hic igitur neceſſe eſt pios excubare pro ſalute eccleſiæ, & operam dare vt limites huius regni tueantur. Idque primùm præſtant Apoſtoli & deinde horum ſucceſſores. Hi conſtituti in diuerſis limitibus, quilibet ſuo loco ſuam ſtationem tuetur, nec permittit vt hoſtis aliquà perrumpat aut damnum det. Deinde ſinguli etiam ſuo loco obſeruant hoſtem, & pugnant vbi opus eſt. Et quanquam fieri non poteſt quin pericula illa aſſidua & ærumnæ penè infinitæ afferant piis hominibus ingentes dolores: tamen adeo his non franguntur aut debilitantur, vt tunc ipſorum fides, conſtantia, pietas erga Deum, & cæteræ virtutes magis conſpiciantur & fulgeant. Nam inter ærumnas creſcunt virtutes, vt antea dictum eſt.

Nonnulli interpretes & doctores exiſtimant eccleſiā comparari columbis verſicoloribus, propter varietatem donorū, vbi alius excellit dono linguarum, alius dono interpretationis, alius dono ſanationis, alius rectitudine iudicij in diiudicandis controuerſiis & dogmatibus. Sed videtur alterum eſſe concinnius & ſimplicius, & ad totam narrationem rectius congruere.

Quòd autem eccleſia & huius miniſtri columbis conferuntur, id ideo fieri exiſtimant plerique, quia cùm ſimplices ſint columbæ & ſine felle, nec roſtro lædant, & vngues habeant innocuos, hoc typo admonentur cùm doctores, tum cæteri, vt ſint ſine amarulentia, ſine φιλονεικίᾳ, ſine ambitione, ſine odiis, non ſint pugnaces: ſed deinde imago ipſa columbarum, de conditione eccleſiæ nos admonet. Columbæ ſunt inermes & prædæ ſunt accipitribus & miluis. Ita eccleſia in hac vita eſt ſine armis, ſine præſidiis, & ſtruuntur ei variæ inſidiæ à potentioribus: ſed tamen inter illa pericula & ærumnas retinet ſuum ſplendorem, ſuam dignitatem. Congruit & illa imago columbæ ad eccleſiam, quòd ſicut iſta à fœtoribus prorſus abhorret: ita hæc diligenter cauet ne peccatis contra conſcientiam, Spiritum ſanctum, qui ſpecie columbæ aliquando apparuit, contriſtet.

15 Cùm diſperſerit [*diſſipauerit*] omnipotens reges in ea, albeſcet in Zalmon.

Continuat promiſſionem & amplificat ab effectu. Dixerat antea futurum vt reges exercituum, qui oppugnatum venirēt hunc populum, conijcerentur in fugam, & poſt ſe ingen-

tem

tem prædam relinquerent: pij verò etiamſi ab hoſtibus vndique cincti eſſent:fulgerent ſicut argẽtum & aurum. Eam narrationem ſeu promiſſionem nunc pertexit, & alia ſimilitudine illuſtrat hoc quod antea dixerat de candore argenti: *Cum diſiecerit reges*, id eſt,cùm egerit hoſtes in fugam, & diſſiparit eos,vt paſſim per varias diſcurrant vias,& elabi conẽtur,tunc diſcuſſo periculo *albeſcet in Salmon*: id eſt, ſequetur publica lætitia & ſtatus proſper. Antea cùm hoſtes irrumperent in hanc terram,erant omnia oppreſſa tenebris,mœrore, luctu & periculis,quæ ſignificantur per tenebras:ſed hoſtibus diſſipatis & diſſectis ſuccedet noua lætitia,nouum gaudium, noua felicitas,quæ hic per albedinem ſeu candorem niuium montis Salmon ſignificatur: ſiue mons ille propter altitudinem ſemper oppletus fuerit niuibus, vt ſimilitudo notetur: ſiue vmbroſus & obſcurus ille mons fuerit præ cæteris, vnde nomen habere videtur. Nam צל vmbram ſignificat, vt ſit hæc ſententia. Illis tam illuſtribus victoriis etiam ea quæ denſiſſimis tenebris ſeu vmbris erant inuoluta,vt mons Salmon,illuſtrabuntur & candeſcent. Hæc eſt ſententia huius verſus. Nunc vocabula conſideremus.

פרש ſignificat expandere, diſtendere. in ſecunda coniugatione ſæpe intenditur ſignificatio, vt פרש ſit expandendo, diſtendendo,hinc inde iactare,diſiicere &diſſipare,vt cùm Ieſa.25.dicitur,Expandent manus ſuas in medio eius, ſicut expandit natator ad natandum,id eſt,hinc inde diſiicit & iactat. Et Zach.2.In quatuor ventos cœli diſperſi vos.

De nomine שדי dictum eſt aliàs ſæpe. Idem eſt quod Græci dicunt ὁ ὢν αὐτάρκης,cui nihil deeſt,qui & ipſe ſibi ſufficit in omnibus,& qui aliis ſufficienter de ſua ſufficientia, quantum ſatis eſt ſuppeditat.

בה relatiuum fœmininũ referri poteſt ad vocem נחלה quæ ſuprà verſu 10. ponitur. Eſt enim vſitatum in linguâ Hebræa,vt relatiuum ſæpe longè remotum nomen referat. Alij tamen ad nomen חיה referunt, quod eſt in vndecimo verſu. Eſt igitur ſententia,In ea,ſcilicet hęreditate vel congregatione. Eodem igitur recidunt illa. Nonnulli etiam vrbem Hieroſolymam intelligi volunt, vt ſit relatiuum abſque antecedente.

מלכים nonnulli ex Iudæis de Gog & Magog intelligunt.

תשלג aliqui transitiuè exponunt in ſecunda perſona, facies albeſcere,ſcilicet Deus, id eſt, reduces & reſtitues publicam ſerenitatem,tranquillitatem & lætitiam. Alij abſolutè accipiunt in tertia fœminina.

שלג niuem ſignificat, inde verbum ſignificat niueſcere vel candeſcere inſtar niuis.

Salmon]nomen montis eſt prope Sichem,vt apparet ex hiſtoria Iudicum cap.9. De etymologia dictum eſt antè. Cæterùm niſi ſimilitudo in voce intelligatur, ſynecdoche conſtituenda eſt,vt Salmon pro tota terra accipiatur. Quidam interpretes nomen צלמון appellatiuè accipiunt pro tenebris. Tenebræ dealbabũtur ſicut nix. Quæ ſententia eodem redit cum priore.

Nunc ad Chriſti regnum hanc ſententiam transferamus. Etiam in Eccleſiam penetrant arma hoſtilia, & quanquam interdum magnam ſæuitiam exercent hoſtes in membra Chriſti, ſæpe etiam praua doctrina & falſis cultibus tenent mentes hominum faſcinatas & captiuas, vt in denſis & perpetuis tenebris homines verſentur, ſicut in Papatu: tamen tandem Deus diſſipat illos reges, qui ſuis armis eccleſiam obſident, & depulſo periculo & diſſipatis errorũ tenebris reſtituit lucem doctrinæ,vt paſſim mõtes vmbroſi,hoc eſt, mẽtes hominum illuſtrentur,agnoſcant & deponant errores, & poſt longum mœrorem & luctum, póſtque varia pericula, rurſus concipiant nouam animorũ lætitiam, & eccleſia deinceps floreat. Hæc interpretatio rectè cum his quæ antea dicta ſunt,congruit. Alij tamen,qui Apoſtolos reges dici volunt, vt antea monuimus, ſecuti Græcum interpretem, verbum פרש verbo διαστέλλειν,quod eſt diſcernere,diſtribuere,vel conſtituere,reddunt, idque de miſſione, vel diſtributione Apoſtolorum per totum orbem terrarum, quorum miniſterio deinceps tenebræ, quibus mundus erat oppreſſus, ſint ſublatæ,intelligunt. Itaque de vocatione Apoſtolorum & aliorum miniſtrorum, deinde de effectu miniſterij horum multa ab interpretibus hic dicuntur, quæ ego lubens hoc loco omitto. Exiſtimo enim priorem ſententiam veriorem eſſe, idque contextus orationis facilè oſtendit.

16 Mons Dei, mons Baſan: mons multorum collium [*habens multa iuga vel dorſa,vel gibbos*] mons Baſan.

17 Quare exultatis[*exilitis*] montes colliculoſi? hunc montem expetiuit Deus vt habitaret in eo: etiam Iehoua habitabit in perpetuum.

Abſoluto exordio, in quo erat gratulatio de victoriis eccleſiæ,& adhortatio ad gratiarũ actionem, additis argumentis ex genere ſuaſorio ſumptis, nimirum à beneficiis huic populo exhibitis,ac deinceps exhibendis, nunc paulatim digreditur ad deſcriptionem pompæ quam inſtituerat. Ac initio montem Sion,in quem arca iam deducenda erat, commendat facta,collatione cum cæteris montibus, qui vel propter celſitudinem,vel pinguedinem celebrabãtur. Inter quos præcipuè erat mons Baſan vltra Iordanem, vbi fuit regnum Og regis Amorrheorum, cuius mentio fit Deut.1.&3. Hic mons in Scriptura commendatur, non tantùm propter altitudinem, ſed etiam propter pinguedinem & bonitatem paſcuorum, ſicut ſuprà pſalmo 22.audiuimus. vbi tauros Baſan nominat pingues, robuſtos & feroces,eo quòd illa regio tales proferret & aleret. Et Amos 4.cap. Vaccas Baſan nominat proceres regni,hoc eſt, Samariæ principes, voluptatibus deditos,ſuperbos ac feroces.Ad hunc igitur montem confert propheta montem Sion. Nec dubium eſt appellatione montis Baſan,quem vt vicinum &magis notum producit,reliquos montes in toto orbe terrarum ſynecdochicè cõprehendi. Eſt igitur hæc ſententia: Mons Baſan eſt mons Dei, hoc eſt,non tantùm exceſſus, (vt D.Hieronymus & alij interpretantur. Quicquid enim eximium, magnum & præſtans eſt, id Dei eſſe dicunt Hebręi,vt ciuitates,arbores,montes Dei. Pſalmo 36.Iuſtitia tua ſicut montes Dei,id eſt,immenſa & perpetua) ſed etiam variis donis à Deo ornatus. Abundabat enim vt dixi, pinguibus paſcuis, proceris arboribus, vt videre eſt apud Zachariam 11.& Ieſa.2. Ezech.27.& aliis variis rebus naſcentibus. Hæc omnia tribuit huic monti per conceſſionem, & addit eſſe montem multorum collium, id eſt, occupare longum terræ tractum ſeu ſpatium, nec eſſe ita exiguo termino concluſum,vt erat mons Sion. Si igitur ad illa externa reſpicias, hic mons & altitudine & terræ ſpatio, quod occupabat,deinde bonitate ſoli & cæteris rebus facilè ſuperat mõtem Sion,collem exiguũm,anguſtum & vndique concluſum. Ideo addit interpretationem, *Quid exilitis montes colliculoſi?* quaſi diceret,Quid ſuperbitis aut effertis vos veſtra celſitudine vel amplitudine, vel ſoli bonitate, aut aliis rebus quibus ornati eſtis? Nihil ſunt omnia illa ornamenta veſtra, quibus tantopere ſuperbitis,ſi conferantur ad illam dignitatem &excellentiam, quæ eſt huius ſacri montis Sion. Hic enim eſt ille mons quem Deus iam ſibi elegit,vt ibi habitet, & vbi deinceps in perpetuum habitaturus eſt.Habeant igitur Baſan & cæteri montes ſua ornamenta,quibus ſuperbiant & ſeſe oſtẽtent: hic mons habet ornamentum, cum quo nullum aliud conferri in rebus humanis poteſt,arcam ſcilicet fœderis, quæ eſt teſtimonium & pignus præſentiæ Dei in hoc populo.Hæc collatio valdè illuſtrat ſententiam. Nec dubium eſt quin hæc mens ſit prophetæ. Nam decimoſeptimo verſu rurſus opponit manifeſtè montes & colles huic ſacro monti, & præterquam quod res ipſa id oſtendit, etiam accentus Reuia in voce גבננים verſu decimoquinto monet membra propoſitionis eſſe tranſpoſita ſeu inuerſa,vt mons Baſan in vtroque mẽbro locum ſubiecti obtineat. Alij ſimpliciter abſque collatione hos verſus exponunt, & montem Dei de ipſo monte Sion interpretantur.Mons Dei,id eſt,mons Sion, eſt mõs Baſan,id eſt,pinguis. Et mons colliculorum,id eſt,colliculi adiacentes Sioni ſunt pingues. Hi ſubiecti loco ponunt, quod nos prædicati loco ponẽdum monuimus. Sed valdè vſitatum eſt Hebræis ordinem membrorũ in propoſitione ita inuertere,vt prædicatum priore loco,ſubiectum poſteriore ponatur, quod multis exẽplis oſtendi poteſt,eáque res ſicut emphaſin quandã habet, ita in collationibus & antitheſibus crebrò vſurpatur,vt pſalmo 1.Beatus vir qui ambulat in Lege Domini,quaſi dicat,non eſt miſer,nõ abiectus à Deo,ſicut mundus iudicat de piis,præſertim quum cruci ſunt ſubiecti.

Pagninus ſequutus aliquos interpretes interponit aduerbiũ ſimilitudinis, Mons Dei eſt vt mons Baſan: ſed non opus eſt illa adiectione, ſi prior ſententia retineatur, quæ ſimplex eſt & plana,& cum tota oratione optimè conſentit.

Hæc de Grammatica initio monuiſſe ſatis eſt. Nunc videamus quid per montes ſignificare voluerit propheta. Montes in Scriptura ſignificant imperia & regna quæ eminent, & quorum eſt aliqua potentia ſeu robur, & antea diximus appellatione Baſan συνεκδοχικῶς comprehendi cæteros montes in toto orbe. Illa igitur regna in toto orbe terrarum confert Dauid cum monte Sion,hoc eſt, cum ſuo regno, atque illis quidem tribuit, quòd altitudine emineant & ſuperent hunc montem, deinde quòd amplitudine ſua & collibus adiacentibus multò maius terræ ſpatium occupent, hoc eſt, quòd imperia & regna in hoc mundo potentia, robore & viribus ampliſſimis ſint inſtructa &munita,quódque abundent opibus,diffluãt deliciis & voluptatibus, floreant amicitiis & fœderibus, iiſque ſeſe muniant aduerſus iniurias & inſul-

tus fortunæ, denique quòd longè latéque ſeſe diffundant & fines ſuos extendant. Cùm interea mons Sion, hoc eſt, regnum Dauidis, ſi ad illa externa reſpiciatur, nulla in parte cum his conferri queat. Erat enim regnum hoc anguſtis limitibus concluſum, nec erat ea potentia aut robur huius regni, quale erat tunc vel Aſſyriorum vel Ægyptiorum vel ſimilium regnorum: opulentia etiam erat exigua, ſi cum illis conferretur. Et tamen longè maior erat dignitas huius regni quàm cæterorum. Quia Deus hoc regnum & populum huius regni peculiariter ſibi delegerat, cui ſeſe patefaceret, in quo habitaret, vbi potentiæ ſuæ & bonitatis teſtimonia in aſſidua gubernatione & defenſione huius populi oſtenderet. Hæc ornamenta multò erant maiora, & multò pluris facienda ſunt, quàm omnia illa quibus cætera regna ſeſe efferunt & ſuperbiunt. Ideo addit interpretationem: *Quid exilitis montes cæteri*, id eſt, Quid tantopere ſuperbitis & effertis vos fiducia veſtrarum virium & opum? cur contemnitis & deſpicitis hoc regnum tanquam exiguum & nullis viribus ſuffultum? aut cur euertere illud conamini? Stultum eſt rebus externis ita capi, vt non ad vera illa ornamenta, & munimenta regnorum reſpiciatis: ſtultius verò multò eſt hoc regnum deſpicere, aut huic ſeſe opponere. Cùm enim Deus in hoc regno habitet & ſit aſſiduè præſens, quomodo poterit humanis viribus euerti?

Hæc eſt doctrina horum verſuum, quæ quomodo ad regnum Chriſti accommodari debeat & poſſit, non eſt obſcurum. Nec immoror hac in re diutius, cùm res per ſe ſit plana. Sion enim repræſentat eccleſiam, quæ eſt regnum Chriſti: quæ igitur de Sione dicta ſunt, de eccleſia intelligantur. Eam Deus ſibi delegit poſthabitis regnis potētiſſimis atque opulentiſſimis, huic ſeſe patefecit, hanc regit, defendit & tuetur in æternum, vtvt ſuperbiant & ſeſe efferant cætera regna. Etſi igitur miſer, ſqualidus ac variis ærumnis oppreſſus videtur ille cœtus, qui dicitur eccleſia: tamen hac conſolatione ſeſe ſuſtentet, quod habeat Deum præſentem & propitium, quòd Deo ſit curæ, quòd diuinitus regatur, & ſeruetur. Ita pulchra hic definitio & deſcriptio eccleſiæ traditur. Eccleſia eſt cœtus quem ſibi ſelegit Deus ex toto genere humano, & in quo habitat ipſe in perpetuum. Quomodo autem habitet in eccleſia, alibi dicitur copioſius: habitat ibi per verbum, quo ſeſe patefecit, inito fœdere cum ſuo populo de gratuita remiſſione & acceptatione, vt dicit Ieremias, & per Spiritum ſanctum, quo ſanctificat & regenerat eos ad vitam æternam. Poſtremò adeſt ei perpetuò præſens, cuſtodit, defendit & ſeruat eam mirabiliter inter colliſiones & ruinas imperiorum, inter varias ærumnas, calamitates, & pericula, audit gemitus piorum, liberat eos & variis modis ornat. Addit autem Deum perpetuò habitaturum, vt ſignificet eccleſiam perpetuò duraturam in hac vita. Quæ res plena eſt conſolationis. Mons Sion quidem dicebatur domicilium Dei, quamdiu arca fœderis in illo requieſcebat, & quādiu regnum hoc politicum durabat: ſed Chriſto veniente & potenter regnante ad dexteram Dei, ceſſauit illud regnum politicum, & commutatum eſt in ſpirituale & nunquam finiendum. Ideo dicitur in Sion Deus habitaturus in perpetuum, quia hoc regnum Dauidis temporale Chriſtus erat cōtinuaturus & amplificaturus. De Sion enim exibit Lex, inquit Ieſa. cap. 2.

His explicatis nunc vocabula conſiderent adoleſcentes. בשן vt appellatiuum exponunt Græci, & qui eos ſequutus eſt Latinus interpres, κατὰ μετωνυμίαν, vt antea monui. גבננים הר reddiderunt, ὄρος τετυρωμένον, mons coagulatus inſtar caſei, fortè quòd גבינה caſeum Hebræis ſignificet. Sed altera vox Hebræa colles ſignificat, qui ſunt inſtar gibbi terræ. Nam גבן gibbum ſignificat: & eadem ratione caſei à forma, quam habent, dicuntur: ſed vocabula interim ſunt diuerſa גבינה & גבננים.

Verſum decimumſeptimum ſic reddiderunt Græci: τί ὑπολαμβάνετε τὰ ὄρη τετυρωμένα, quid ſuſpicamini montes coagulatos? Nuſquam enim niſi hoc in loco in Scriptura vſurpatur verbum רצד. Ideo difficile eſt iudicare de proprietate huius verbi. D. Hieronymus verbo contendendi reddidit. Ex Iudæis Rabi Salomo verbo inſidiandi, eúmque ſequitur Rabi Moſe Hadarſan, qui in lingua Arabica idem ſignificare hoc verbū dicit. Alij aliud diuinant: ſed ſequor in re obſcura cōmunem doctiorum interpretum ſententiam, qui verbo ſubſiliendi aut exiliendi reddiderunt.

18 Currus Dei bis dena millia, multa millia falcatorum: Dominus in [*cum*] illis: Sinai in ſanctitate [*vel ſanctuario.*]

Iam de ipſa pompa loquitur, in qua arca deducebatur à frequente populo adhibitis equis & curribus, cùm aliis, tum etiam his, quos ante in bellis ceperat, quos hic nominat falcatos. Currus autem Dei dicuntur: quia ſeruiebant illi pompæ ſacræ, in qua arca (quæ quod teſtimonium eſſet præſentiæ Dei, ſæpe ipſe Deus dicitur) in montem Sion adducebatur. Procedit igitur iam arca cincta equis & curribus cum magna pompa & ſplendore, non aliter vt magni reges illius temporis poſt celebres victorias cum triumpho ingredi in vrbem ſolebant. Et ipſe Rex ſeu Dominus, hoc eſt, arca fœderis, eſt in medio iſtius comitatus cinctus à ſuo populo. In voce רבותים numerus finitus pro infinito ponitur.

Quòd mentionem *Sinai* facit, vult commonefacere populum, vt cogitent quanta maieſtate & gloria in eo monte ſe conſpiciendum Deus olim præbuerit, ne quid humile in hac pompa animo concipiant. Nec diſplicet mihi quod quidam hoc loco ex Sinai denominatiuum faciunt. Sinaicus eſt ille qui ſcilicet ſe tantis miraculis in Sinai oſtendit, hunc reuerenter agnoſcite, colite, & proſequimini ingredientem in ſuum ſanctuarium.

Hac verò pompa quia triumphus Chriſti aſcendentis in cælum adumbratur & pingitur, currus Dei & eos qui his inſident, intelligamus vniuerſum agmen eccleſiæ, quod Chriſtum triumphantem de deuicto diabolo & morte, & aſcendentem cum magna gloria in cælum deducit, & ſimul cum eo cœlum intrat. In ea pompa præcedunt patres & prophetæ, & cœtus credentium, qui ante Chriſtum fuerunt. Sequuntur Apoſtoli & cæteri credentes, qui exhibito Chriſto ad regnum eius perueniunt.

De voce שנאן variæ ſunt interpretum ſententiæ. Græcus interpres reddidit εὐθυμούντων, lætantium. Hieronymus, abundantium. Pagninus & Felix reddiderunt Angelorum, nullo quod ſciam exemplo. Nonnulli duplicatorum: vt millia millia duplicatorum ſint duplicata millia. Iudicant enim nomen factum eſſe ex שנה quod iterare ſignificat ſeu duplicare, & dici שנאן volunt ſicut כנין à כנה & קנין à קנה. Sed ſequor ſententiam præceptoris mei D. Forſteri, qui deducit nomen à verbo שנן quod Hebræis eſt acuere, & iudicat ſic dici currus falcatos, quos ereptos hoſtibus in variis præliis in hac pompa, cum cæteris ſpoliis, vt mox audiemus, conſpici volebat Dauid.

19 Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona inter homines, etiam rebelles ad habitandum, Domine Deus.

Pergit in deſcriptione pompæ, & videntur eſſe voces regis & populi acclamantis, interea dum procederet arca. Hanc verò dicit nunc aſcendere in altum, hoc eſt, in illuſtrem & conſpicuum locum, atque adeo in ipſam regiam domum, quæ antea quaſi humili & obſcuro loco ſemper delituerat, atque ex vno loco in alium ſubinde tranſlata fuerat. Fore igitur dicit vt deinceps maior ſit gloria, cùm arcæ ipſius in tam illuſtri loco collocatæ, tum verò regni, cuius illa quaſi columna & fulcrum erat. Itaque ipſa aſcendendo ſimul hoc regnum ſecum exaltat & glorioſum reddit. Addit autem captiuam à Deo duci captiuitatem, hoc eſt, hoſtes, qui antea multa regna vaſtarant & victos captiuos abduxerant, nunc vice verſa duci captiuos. Nam captiui, qui ſuperioribus bellis in poteſtatem Dauidis venerant, ſimul in hoc triumpho & ſpectaculo deducti ſunt: ſicut mos fuit illorum temporum atque ex triumphis Romanis videre licet. Fortaſſis autem ille ipſe mos triumphandi, à Dauide ad alias gentes promanauit. Nam Romani triumphi poſteriores ſunt temporibus Dauidis. Solebant autem Romani ingreſſuri vrbem cum triumpho, captiuos ducere in illa pompa, & arma victricia oſtentare, poſtea aſcendebāt in Capitolium. Eſtque hic mos pulchrè deſcriptus à Plutarcho in vita Pauli Æmylij. Ad eum igitur videtur hoc loco alludere propheta. Quia verò victorias illas ſoli Deo, atque ipſius potentiæ adſcribit, ideo dicit ab ipſo Deo duci captiuitatem captiuam.

Accepiſti dona inter homines] Hoc ſimpliciter intelligi poteſt de ſpoliis, quæ hoſtibus cæſis erāt detracta, aut quæ vltro pro redimenda pace ab hoſtibus erant oblata. Multi enim metu potentiæ Dauidis, vltro fecerunt deditionem aut pacem redemerūt. Illa verò ſpolia & munera apparet ſimul in hoc triumpho eſſe traducta, vt pompa eſſet celebrior.

Paulus verbum לקח interpretatur verbo dandi. Sed de eo poſtea dicemus: prius enim quæ ad pompam hanc pertinent abſoluenda ſunt.

Etiam inter rebelles] Id eſt, etiam rebelles & ſuperbè ac pertinaciter rebellantes, tandem fractos & domitos coegiſti agnoſcere imperium tuum, ſéque tuo iugo ſubmittere ac tributa pendere.

Ad habitandum] Addit cauſam finalem, cur illa munera acceperit, tam ab his qui viribus ſuis diffiſi ſeſe dediderunt, quàm quos ſubinde renouantes bella, & pertinaciter reſiſtentes tandem vi & armis ſubegit, vt ſcilicet habitaret, id eſt,

eſt, vt habitationem tandem certam ſeu domum haberet, ne ſubinde ex vno loco neceſſe haberet migrare in alium, ſicut hactenus factum fuerat. Exiſtimo enim prophetam his verbis reſpicere ad ſuum conſilium, & hiſtoriam quæ deſcribitur ſecundo Samuelis octauo. Narrat enim hiſtoria, Dauidem vaſa aurea, argentea & ærea hoſtibus erepta, cæteráſque manubias omnes confectis bellis, intuliſſe in vrbem Hieroſolymam, eáque omnia ſanctificaſſe Domino. Ac filium deinceps ex his manubiis feciſſe omnia vaſa templi, idque inde exornaſſe. Etſi igitur ipſe Dauid illas manubias Deo ac templo ipſius dedicauerat: tamen quia victorias diuinitus ſibi conceſſas, atque has ipſas cogitationes de conſecrandis manubiis non niſi à Deo immiſſas & profectas eſſe ſciebat, totum hoc factum ſuũ Deo ipſi adſcribit. Ab hoc dicit illa munera eſſe accepta, & ad ædificationem domus collocata ac deſtinata.

Hac Grammatica interpretatione præmiſſa, nunc ad Paulum accedo, qui Epheſ. quarto capite hunc verſum de triumpho Chriſti aſcendentis in cœlum, & conſeruantis miniſterium doctrinæ, excitatis ſubinde doctoribus & miniſtris idoneis interpretatur. Diximus autem ſuprà, totam hanc pompam præludium fuiſſe & typum eius triumphi, cuius Paulus mentionem facit, & vſitatum eſſe Dauidi in ſuis factis præclaris ſubinde reſpicere ad illum cuius ſe typum gerere ſciebat, atque ad eum ita res ſuas accommodare, vt & ipſe & alij intelligant, has res non ab humanis tantùm cogitationibus eſſe inſtitutas, aut humana induſtria geſtas, ſed Spiritum ſanctum hæc omnia ad doctrinam & ædificationem eccleſiæ referri voluiſſe. Erant igitur res geſtæ Dauidis tanquam verba quædam viſibilia in oculos incurrentia, quibus & ipſe & alij de regno Meſſiæ erudiebantur. Atque ita plereque ipſius hiſtoriæ à nobis ſunt legendæ.

Quod igitur inquit, *Aſcendiſti in altum*] Glorioſam illam pompam deſcribit, qua Chriſtus deuicta morte, diabolo & peccato, & ſuperatis doloribus inferorum, aſcendit in cælum tanquam in regiam ſuam, atque ibi nouum regnum inchoauit & ſtabiliuit, ſparſa voce euangelij per totum orbem terrarum, qua ſibi eccleſiam in hac vita colligit. Erat autem cùm in terris viueret, obnoxius variis ærumnis huius vitæ: vagabatur ex vno loco in alium, atque vt ipſe dicit, non habebat vbi caput reclinaret: premebatur fame, ſiti, doloribus, & aliis difficultatibus, tandem etiam mortem guſtauit, & (quod Paulus ex antitheſi colligit) in infimas partes terræ deſcendit: ſed peracto ſuo curſu, & ſuperatis illis miſeriis, hoſtibus etiam ſuis deuictis & in poteſtatem redactis, tandem glorioſo triumpho aſcendit in altum ſupra omnes cælos, receptúſque eſt in ſuam regiam, & exaltatus in ſuo regno, vbi deinceps perpetuò gubernat ſuam eccleſiam tãquam rex potens, eámque defendit contra hoſtium furores & conatus. Hæc omnia adumbrata fuerunt illa arcæ fœderis deductione & collocatione in Sion. Tunc enim Dauidi, atque eius poſteritati, primùm confirmata eſt ſpes de regno firmo & perpetuo, quando arca fœderis in ſuam quaſi regiam deducta, ſtabilem ſedem nacta eſt.

Captiuam duxiſti captiuitatem] Hoc quoque ad Chriſti triumphum ſpectat: Vſitatum erat in triumphis deducere captiuos, vt antea monuimus ex Romanorum hiſtoria. Etſi igitur Chriſtus non viſibili aliqua pompa hoſtes ſuos deuictos in triumpho duxit, aut ſpectandos exhibuit: tamen & voce & re ſeu ſenſu ipſo in piorum cordibus teſtatur ſe viciſſe mortem, diabolum & mundum, ſéque Dominum eſſe vitæ & regni cælorum, & acquiſiuiſſe ſuis æternam libertatem, qui antea captiui tenebantur. Hoc igitur his verſibus ſignificatur. In quibus, vt in poëſi, pictura quædam eſt. Sicut & in epiſtola ad Coloſſ. cap. 2. cùm Paulus inquit, Chirographum, quod erat aduerſus nos affixum cruci, Chriſtum deleuiſſe, & principatum ac poteſtates expoliatos oſtentaſſe palam, atq; in triumpho duxiſſe. *Captiuitatem* igitur nominat hoſtes generis humani, mortem, diabolum, peccatum, inferorum poteſtatem, æternam maledictionem quæ in Lege non præſtantibus integram obedientiam, propoſita erat. Nam ab his genus humanum extra Chriſtum detinetur captiuum. Eſtque metonymia in voce, cũ actio pro ipſo obiecto ſeu ſubiecto accipitur, hoc eſt, pro hominibus capientibus. Sicut nomina ſenſuum pro obiectis ſenſuum vſurpantur. éſtque nomen מבי hoc loco actiuæ ſignificationis, quòd aliâs ſæpè paſſiuè accipitur pro hominibus aut rebus captis.

Accepiſti dona inter homines] Hoc Paulus reddidit: dedit dona hominibus. Sed parum eſt diſcriminis. Accepit filius Dei dona à patre, quæ poſtea diſtribuit & dat ſuæ eccleſiæ, ſicut Act. 2. dicitur, Dextra Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à patre, effudit hoc donum. Itaque verbum לקח ſic exponendum eſt, vt ſignificet accipere, quod mox rurſus diſtribuas: & habent alioqui illa duo verba לכח & חלק mutuũ reſpectum, éſtque ſignificatio huius verbi vſitata, vt apud Oſeam cap. 14. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, id eſt, da bonum, & reddemus tibi vitulos labiorum. Gen. 32. Accepit Iacob munus Eſau fratri ſuo, id eſt, quod mitteret fratri. & cap. 43. de filiis Iacob: & acceperunt viri munera, quæ ſcilicet deferrent in Ægyptum.

Quæ verò ſint hæc dona, quæ filius Dei diſtribuit in hoc regno ſuæ eccleſiæ, exponit Paulus Epheſ. 4. cùm inquit, Dedit alios quidem apoſtolos, alios verò prophetas, alios euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores. Hi ſignificantur per illud aurum, argentum & æs, quod Dauid collectum ex manubiis hoſtium ſanctificauit Domino, & repoſuit ad ſtructuram & ornatum templi. Nam hi ſunt quorum miniſterio & opera Chriſtus templum hoc ſeu domicilium ſuum ædificat & exornat, & quia diuerſa ſunt dona, quibus alij alios antecellũt, ideo alij aurum, alij argentum, alij æs referunt. Non omnes tã excellentibus donis præditi ſunt, vt Paulus & Petrus, qui ſunt præcipua lumina eccleſiæ, & fulgent ſicut aurum: ſed tamen habent alij ſua quoque dona, &, vt Hieronymus inquit, afferunt ad conſtructionem tabernaculi alij aurum, alij argentum, alij æs, alij etiam pilos caprarum. Simul autem cùm de miniſtris eccleſiæ dicitur, Spiritum ſanctum complectamur, qui præcipuum donum eſt, & qui per miniſterium Apoſtolorum eſt efficax.

Etiam rebelles] Id eſt, excitas doctores eccleſiæ, etiam inter eos qui populum tuum oderunt & perſequuntur, & ſubinde multos ex hoſtibus tuis ad hoc regnum adducis. Ita Paulus perſecutor eccleſiæ conuertitur à Chriſto, & fit Apoſtolus. Cyprianus magus, Auguſtinus Manichæus, fiunt præcipui doctores eccleſiæ: & ſubinde multi rebelles conuertuntur.

Vt habitet Iah Deus] Id iterum interpretatur Paulus in loco ſuprà citato. Apoſtolos enim & cæteros miniſtros euangelij, dicit dari eccleſiæ à Filio Dei ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti. Mittuntur Apoſtoli, vt colligant & ædificent Chriſto eccleſiam, quæ dicitur templum Dei, in quo ipſe habitet, cui ipſe ſeſe communicet, quod viuificet tãquam ſuum corpus, quódque perfundat luce cœleſti, & iuſtitia ac vita æterna: ac per horum miniſterium eſt efficax, & effundit Spiritum ſanctum, ſicut in Actis dicitur. Ita videmus Paulum ipſum, typum, de quo priùs dictum eſt, interpretari, & quaſi digitum in illam hiſtoriam, quæ eſt 2. Sam. 8. cap. intendere. Itaque vel hęc vnica ſententia confirmat hanc interpretationẽ noſtram eſſe veram, & pſalmum ita de Chriſto intelligendum eſſe, vt typum ſimul comprehendamus.

20 Benedictus Dominus: quotidie onerat nos [*onus imponit nobis*] Deus ille ſalutis noſtræ, Selah.

Has eſſe voces acclamantium manifeſtum eſt. Et quidem inter acclamantes Dauid eſt ἔξαρχος, quem reliqui ſua voce ſubſequuntur. Habet autem hoc epiphonema gratiarum actionem pro variis beneficiis huic populo præſtitis, atque inprimis pro illis admirãdis & illuſtribus victoriis, quibus paulo antè diuinitus erant ornati. Sit benedictus, inquit, Deus noſter, & laudetur omni tempore à ſuis. Etſi enim quotidie nouum ferè onus imponit, adducítque aduerſus nos hoſtes varios, cum quibus difficilia & periculoſa bella gerimus, atque in his varias aduerſitates experiri, & difficilia onera ferre cogimur, nóſque ferè ex vno genere calamitatum & periculorum in aliud conicit: tamen ipſe eſt Deus ſalutis noſtræ: ſeruat nos hactenus in illis periculis: defendit nos: confirmat nos, ne animos deſpondeamus aut ſuccumbamus: ſed vt forti animo perferre ærumnas ac vincere poſſimus: reprimit hoſtes, & dat illuſtres & ſalutares victorias. Pro his beneficiis omnibus meritò tibi gratias agimus. Vt autem populus Iudaicus illo tempore experiebatur multa aduerſa, non tantùm in bellis aduerſus hoſtes, ſed domi etiam ſinguli in priuata vita: ita ſemper cum triumphis eccleſiæ coniuncta eſt crux. Omni enim tempore oneratur cruce & calamitatibus, quibus duriter exercetur & premitur: ſed adeſt filius Dei eccleſiæ laboranti & gementi ſub hoc onere. Conſolatur igitur & confirmat eam, vt perdurare poſſit: mitigat calamitates, nec onerat eam ſupra vires: tandem etiam glorioſè eam educit, ſicut ſequenti verſu dicitur. Hæc tota doctrina de cruce & calamitatibus eccleſiæ, de præſentia & auxilio Dei in cruce, de mitigatione calamitatum, & finali liberatione, alibi traditur copioſiùs. Eſt autem obſeruandum quod dicit, hunc Dominum, qui aſcendit, eſſe inuocandum & celebrandum, ex natura correlatiuorum. Ipſe ſedet ad dextram patris, & dat dona hominibus: ergo eſt inuocandus.

Quotidie] Græcus interpres & alij, dictiones Hebræas quæ quum iterantur, continuitatem ſignificant, coniungunt

tum præcede ntibus,& à ſequẽte ſententia diſtinguunt: quod mihi non diſplicet. Gignit enim commodam ſententiam. Quotidie ſit benedictus Deus, qui imponit onus. Verbum יעמס Græcus reddidit κατευοδώσει, proſperum reddet iter. Pagninus ex ſententia Rab. Dauidis & Immanuelis interpretatur, afferet vel apportabit nobis ſalutem. alij, onerabit nos donis ſuis & ſalute, id eſt, cumulatim afferet nobis ſalutem, & nunquam defatigabitur, quin ſubinde nouis beneficiis populum ſuum cumulet, vt ſit explicatio verbi לקח, quod ſcribitur in præcedenti verſu: Accepit dona propter homines, quæ cumulatim effundit. Alij reddunt, portabit nos: iuxta dictum illud Ieſa. 46. qui portamini à meo vtero: quaſi hoc velit propheta, Deum ſaluatorem noſtrum portare, geſtare & fouere nos, nõ aliter, nec minore cura aut ſtudio, quàm mater infantem in vtero: ſed quia intercedit diſtinctio, meo iudicio non negligenda aut omittenda in interpretatione, & ſequenti verſu, qui eſt expoſitio huius, fit mentio eductionis ex morte, exiſtimo ſimpliciter verbum exponendum eſſe vt ſonat, de onere quod ſuis Deus imponit.

21 Ille Deus nobis Deus [*eſt*] ad ſalutes: & Iehouæ [*ſunt*] egreſſus mortis.

Hic verſus expolitio eſt & declaratio ſuperioris. Dixerat enim eccleſiam non ſemper ita agere triumphos ab hoſtibus victis, quin ſubinde recurrant ærumnæ, calamitates & pericula, & nouis denuo oneribus prematur. Sunt enim vices illarum rerum in hac vita, ſed addit mox conſolationem, partim à conſilio & voluntate Dei, partim ab euentu ſumptam. Primùm enim dicit: Non caſu aut temere iſtas calamitates accidere piis hominibus, ſicut Epicurei iudicant: ſed à Deo ipſo imponi, vt hoc modo vires ſuorum, hoc eſt, pietatem, probet & exerceat, non tamen vt ſub illo onere ſuccumbant aut pereant. Ideo additur alia conſolatio ab euentu. Ille ipſe Deus, inquit, qui onus imponit, & qui ſuo quodam cõſilio pios ſub cruce aliquandiu exercet, idem etiam ſaluat & liberat nos. Hanc conſolationem in hoc verſu repetit & declarat à cauſa finali electionis. Non ideo, inquit, elegit Deus ſuum populũ, aut in fœdus aſciuit, vt perpetuis calamitatibus atque ærumnis oppreſſum perdat, aut in nihilum redigat, ſed vt ſaluet. Itaque tandem liberat ſuos ex ærumnis & periculis, idque non vno modo. Nouit enim & in promptu habet varias vias & rationes, quibus ſuos ex periculis educat, etiam cùm humano iudicio nulla ſpes aut ratio apparet ſalutis. Ideo vtitur plurali numero. Eſt nobis Deus ad ſalutes.

Addit autem amplificandi cauſa, *Et Iehouæ ſunt mortis egreſſiones*: id eſt, etiam in ipſa morte, cùm nulla ſpes reliqua eſt, atque adeo actum videtur de ſalute piorum, adeſt Deus, atque ex ipſis quaſi faucibus mortis ſuos eripit. Ita enim ferè agere Deus ſolet cum ſuis, vt prius eos in mortem mergat, atque omnem ſpem liberationis, quantum humano conſilio proſpici poteſt, adimat ac præcidat, deinde verò glorioſè liberet, vt appareat non humana induſtria aut prudẽtia, ſed ſolius Dei potentia hanc ſalutem partam eſſe. Vtitur rurſus plurali numero, vt oſtendat Deum varias noſſe vias & modos ſeruandi ſuos.

Iudæi paulò aliter hoc poſterius membrum exponunt. Dei ſunt ad mortem egreſſiones, ſeu eductiones, id eſt, iudicia mortis, quibus perduntur impij, egrediuntur ex Deo: Ipſe enim ſumit vindictam ab hoſtibus ſuis. Volunt enim hanc ſententiam congruere cũ ſequentibus, ſed rectiùs meo iudicio priori ſententiæ iungitur declarandi cauſa.

22 Atqui [*certè*] Deus cruentabit caput inimicorum ſuorum: verticem capilli ambulantis in delictis ſuis.

Promiſſioni de liberatione addit antitheſin, vt plenior ſit conſolatio. Non tantùm ſuos liberabit, ſed hoſtes etiam perdet, & tragicis pœnis opprimet.

Cruentabit caput] Id eſt, cruentas ſtrages edet inter hoſtes, & infliget ipſis vulnera prorſus lethalia.

Verticem capilli] Id eſt, verticem capillorum. Ita ſynecdochicè nominat caput. Et non dubium eſt per verticem ſeu caput notari ipſos reges & principes, qui immani odio perſequuntur & delere conantur eccleſiam. Hi quòd in ſummo faſtigio dignitatis & potentiæ ſunt collocati, dicuntur per metonymiam vertex, qui eſt ſuprema pars corporis: & præ cæteris membris eminet.

Ambulantis in delictis] Id eſt, perſeuerantis in illo odio Dei & membrorum ipſius, crudeliter ſæuientis in eccleſiam, & nihil non perpetrantis, quo Deo & eccleſiæ eius ægrè faciat. Verbum התהלך in quarta coniugatione habet ſignificationem verborum frequẽtatiuorum apud Latinos. Significat igitur talem qui pertinaciter perſeuerat & pergit in odio Dei & aliis ſceleribus contra conſcientiam.

Alij interpretes hunc verſum & vigeſimum quartum interpretantur de euerſione gentis Iudaicæ ſeu ſynagogæ, quæ propter ſuam impietatem & odium aduerſus Chriſtum horribilibus pœnis oppreſſa & deleta eſt. Sed iudico in genere non tantùm de Iudæis, ſed de omnibus hoſtibus filij Dei, quicunque illi aut quocunque tempore ſint, hos verſus intelligendos eſſe. Et Iudæorum quidem triſtiſſima abiectio & calamitas oſtendit has minas non eſſe irritas aut vanas. In aliis etiam tyrannis ſimiliter Deus iudicium ſuum declarat aduerſus impietatem & crudelitatem hoſtium eccleſiæ, vt in pœna & interitu Neronis, Maxentij, Diocletiani, Iuliani & ſimilium.

23 Dixit Dominus, è Baſan conuertam [*reducam*:] conuertam de profundis maris.

Confirmat promiſſiones ab exemplis priorum liberationũ, in quibus Deus manifeſtè ſuam potentiam oſtendit, vt deinceps quoque ſibi paratum eſſe in hoc Domino præſidium ſtatuant. Reſpicit enim propheta ad illas victorias, quas Iſraelitæ, cùm terram Canaan ingrederentur, adepti erant, profligato atque deleto rege Baſan, potentiſſimo & truculentiſſimo. Deinde ad illam eductionem Iſraelitarum per mare rubrum, de qua ſcribitur in Exodo. Has tam inſignes liberationes dicit, non ideo factas eſſe, vt deinceps ſine cuſtodia vel præſidio neceſſario relinquantur, aut hoſtium libidini obiiciantur: ſed eundem Deum, qui tunc adfuit, & potentiam ſuam in liberatione huius populi oſtendit, perpetuò ſuis adeſſe defenſorem & liberatorem.

Dixit Dominus, ex Baſan reducam] Quaſi diceret, Etiamſi denuo incidatis in pericula, qualia experti ſunt maiores veſtri, cùm eſſent ad mare rubrum, aut cùm è deſerto egrederentur occupaturi terram Canaan, ego tamen educam & liberabò vos. Quod enim ſemel tunc factum eſt, vt ex profundo mari educerentur maiores veſtri, & à terrore hoſtis potentiſſimi, atque ab omnibus rebus inſtructiſſimi regis Baſan liberarẽtur, idem faciam omni tempore in ſimilibus periculis. Non enim deſeram meos, nec patiar, vt vel à mari calamitatum abſorbeantur, vel à crudeliſſimis tyrannis trucidentur. Idque certò apud me decretum & conſtitutum eſt. Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam huius verſus. Eſt enim vſitatum prophetis in conſolationibus illam primam liberationem populi Iſraelitici tanquam illuſtre exemplum promiſſionis, oculis atque animis piorum ſubiicere, vt fides hanc intuens creſcat & fiat firmior.

Nõnulli interpretes vaticinium eſſe volunt de quorundam Iudæorum conuerſione. Etſi enim illa gens horribili odio & furore filium Dei & eccleſiam eius eſt perſecuta, eámque ob cauſam iuſto Dei iudicio in tantas calamitates & miſerias eſt abiecta, vt ſine politia, ſine regno, ſine ſacerdotio, ſine certo domicilio vagetur in perpetuo exilio, atque hinc inde oberret vaga & errabunda: tamen ſubinde Deus aliquas reliquias ex illa colluuie excerpit, eáſque cõuertit, vt fiant membra eccleſiæ & corporis Chriſti. Hæc etſi verè dicuntur, tamen exiſtimo prophetam hoc nunc principaliter non agere. Nam & antecedentia & ſequentia oſtendunt aliud eſſe prophetæ conſilium: nec vtile eſt ſententias ita diuellere: qua in re nimium ſibi plerique interpretes indulgent.

24 Propterea cruentabis pedem tuum in ſanguine: linguam canum tuorum ex inimicis, ex ipſo.

Hic verſus cohæret cum vigeſimo ſecundo, in quo triſtes pœnas, & exitia hoſtibus populi Dei denuntiat. Alloquitur autem ipſum populum. Propterea ſcilicet, quia Deus populum ſuum ſaluum & incolumem vult eſſe: *cruentabis pedem tuum*, id eſt, talem edet Deus ſtragem inter hoſtes ſuos, vt quacunque incedas, aut te conuertas, pedem ſanguini fuſo immergas. Omnia enim erunt oppleta cadaueribus cæſorum hoſtium, & ſanguis profluet copioſè ex ipſorum vulneribus.

Linguam canum tuorum] Id eſt, etiam canes tui lingent ſanguinem hoſtium, tanta erit ſtrages & cadauerum multitudo.

Ex eo] Scilicet ſanguine rubefacient: voces ſunt diſiectæ, éſtque conſtructio ſic ordinanda, cruẽtabis pedem tuum in ſanguine ex inimicis, ſcilicet fuſo: quin etiam linguam canum tuorum, ex eo ſcilicet, cruentabis.

D. Hieron. מנהו reddidit ex temetipſo: ſed hoc eſt alienum ab hoc loco, nec Grammatica hoc patitur: non enim legitur ממנו, ſed מנהו.

Alij, qui de interitu gentis Iudaicæ hos verſus accipiunt, linguam canum interpretantur Romanos, qui crudeliter ſæuierunt in iſtum populum. Sed eſt ſententia generalis, vt dixi, éſtque intelligenda de interitu omnium hoſtium eccleſiæ. Solet autem Deus deſtruere imperia per alia regna.

Itaque

Itaque dum id facit, prȩſtantes bellatores excitat, quos tanquã canes famelicos in regna & imperia immittit, vt omnia vaſtent & lanient, ſéque ſanguine hoſtium exaturent.

25 Vident ingreſſus tuos, Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei in ſanctuarium.

Deſcriptioni pompæ triumphalis per digreſſionem quãdam inſeruerat dulciſſimas conſolationes de præſentia & auxilio diuino in ærumnis & calamitatibus piorum, vt aliquem fructum huius pompæ, qui inde capiendus eſſet, oſtenderet. Non enim voluit populum ita otioſis animis ſpectare hanc pompam, vt oculos tantùm hoc ſpectaculo paſcerent, aut vt in hac externa contemplatione ſubſiſterent: ſed altiùs attollere animos & oculis ſpiritualibus intueri eos hanc pompã iubet. Monet igitur vt cogitent in quantis ſæpe antehac fuerint periculis, quanta miſeriarum & calamitatum mole ſæpe fuerint oppreſſi, cùm bella ex bellis ſererentur, & nunquam tuti eſſent ab hoſtium impetu ac violentia: nunc verò depulſis illis periculis & reſtituta pace ac tranquillitate in quantã lætitiam ſint coniecti. Hæc conſiderantes vult eos autorem horum beneficiorũ agnoſcere & celebrare. Ideo inquit verſu 20. Benedictus Deus, per ſingulos dies imponit nobis onus: Deus ſalutis noſtræ, &c. Nec tantùm de præteritis beneficiis eos lętari iubet, ſed docet vt his exẽplis liberationis, atque adeo illo certiſſimo & viſibili teſtimonio præſentiæ Dei, quod corãm in illa pompa cernebãt, excitati & commonefacti, in poſterum etiam de Dei erga ſe amore & beneuolentia bene ſperarent, ipſúmque in omnibus ærumnis & periculis ſuo populo adfuturũ crederẽt. Hæc eſt ſentẽtia quinque præcedentium verſuum, quos iam interpretati ſumus. Nunc omiſſa hac doctrina redit ad deſcriptionem pompæ.

Vident ingreſſus tuos] Ingreſſum Dei vocat ipſam arcæ deductionem & progreſſum in illa pompa. Nam vt ſæpe iam monuimus, loquitur de arca Dei, vt de Deo ipſo cuius erat ſymbolum. Hunc ingreſſum videt populus circumfuſus in illa pompa, nec oculis corporis tantùm intuetur, ſed animi inprimis. Itaque gaudet & lætatur quòd videt ſe Deum habere præſentem & benignum, ac de eius erga ſe amore omnia ſibi pollicetur. Fides enim hoc externo ſpectaculo confirmatur, vt animo firmiore & alacriore in promiſſionibus diuinis acquieſcat. Hęc omnia complectitur verbo vidẽdi. Verba enim ſenſuum apud Hebræos comprehendunt ſimul affectus comitantes. ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν dicitur vſitatè. Qui aliquid læti, aut quod ſibi profuturum ſit videt, non poteſt non lætari & voluptatem ex eo aſpectu capere. Erátq. Iſraelitarũ lætitia eo maior, quia diu nõ viderãt arcam celebri aliqua põpa deduci, vt quæ ſub regno Saulis prorſus fuerat neglecta.

Ingreſſus Dei mei & regis mei] Ita loquitur propheta ſub perſona totius populi, à quo cœtu ipſe tamen ſe non excludit. Etſi enim ipſe erat rex huius populi, tamen agnoſcebat ſibi diuinitus hoc regnum datum & cõmiſſum, ſéque quaſi mandatarium Dei eſſe in huius regni adminiſtratione. Ideo nominat eum regem ſuum. Tali animo decebat eſſe omnes reges & principes.

In ſanctuarium] Quò ſcilicet iam arca deducebatur. Nõnulli hunc verſum cum præcedentibus coniungunt. Viderunt ingreſſus, Id eſt, euentus oſtẽdent quòd illæ pœnæ ſint diuinæ. Nam Scriptura inceſſum Dei figuratè nominat progreſſionem & præſentiam eius, & in iuuandis piis & in vlciſcendis hoſtibus. Eſt enim inceſſus ab vno ad aliũ progreſſio, ſed ſequens verſus me mouet, vt priorem ſententiam amplectar.

26 Præcedunt cantores, pòſt canentes organis: in medio ſunt puellę tympaniſtrię.

Pompa ornatur varia muſica, vt maior ſit celebritas. Atque vel hinc apparet fuiſſe aliquam externam pompam ſeu ſpectaculum inſtitutum, cùm hic pſalmus cõponeretur, de quo tamen nihil dicitur ab illis qui tantùm de Chriſto pſalmum interpretantur.

Græcus reddidit cantores ἄρχοντες, & hunc ſecutus eſt interpres Latinus: legit enim *Sarim* pro *Scarim*. Cantorum autẽ & Muſicorum chori ſunt diſtincti, ne aliquid diſſonum ſit, ſi miſceantur, aut confundantur ſoni: ideo dicit alios præcedere, alios ſubſequi. Mulieres & virgines ſolitas fuiſſe pulſare tympana in publicis triũphis, apparet ex hiſtoriis, Exod. 15. In regno verò Chriſti hæc omnia ſpiritualiter ſunt cõſiderãda. Laudatur Chriſtus aſcendens in cœlum, & conſtituens regnum ſuum, ab eccleſia omni tempore.

27 In cœtibus benedicunt Deo, Domino, de fonte Iſrael.

In cœtibus, id eſt, cateruatim ac turmatim canunt laudes Deo, vt fieri in huiuſmodi pompis ſolet. Plerique in imperatiuo ſecundæ coniugationis legunt, Benedicite: vt ſit adhortatio ad cœtum. Eodẽ redit hęc ſententia. Sed quia tota oratio deſcriptio eſt pompæ & continua narratio, malo cum aliis legere in tertia præteriti primę cõiugationis ברכו benedicunt vel celebrant, id eſt, lęta voce accinunt.

De fonte Iſrael] Id eſt, qui originem ducunt de Iacob, quique ſunt Iſraelitę, ad quos promiſſiones diuinę pertinent. Erant enim Iſraelitę tanquam riuuli deducti à Iacob conditore gentis.

Alij pios & fideles diſcerni hac forma à multitudine prophana exiſtimãt. Erãt enim multi hypocritę & prophani huic cœtui admixti, qui tamen non propriè erant de fonte Iſrael, quia non agnoſcebant, neque colebãt Deum iuxta verbũ traditum Iſraeli. Hoc verò etiam ad regnum Chriſti pertinet. Ibi enim in cœtibus, hoc eſt, in eccleſia viſibili & in congreſſibus publicis (vult enim Deus conſpici ſuam eccleſiam, vult eam habere congreſſus publicos, & publicè eius vocem exaudiri) decantantur laudes & celebrantur beneficia à Chriſto nobis exhibita, editur confeſſio & oſtenditur à piis qualẽ Deum colant. Non poſſunt autem verè agnoſcere aut colere Deum, niſi recurrant ad fontem Iſrael, hoc eſt, ad ſcripta patrum & prophetarum, atque inde hauriant limpidas aquas, hoc eſt, veram & incorruptam doctrinam. Iſrael enim tradidit verbum ſuum, atque ab hoc populo propagari deinceps tanquam à fonte riuulos in alias gentes voluit, ſicut dicitur Ieſaiæ 2. Ex Sion exibit lex. Non ex ſordidis lacunis philoſophiæ, aut traditionum humanarũ doctrina de Deo eſt petenda: ſed ſemper ad fontẽ ipſum recurrendum eſt. Fõtes Iſrael igitur interpretamur vocem & inuocationem cõſentientem cum prophetis & patribus. Et imprimis ſciamus ſtudium linguæ ſacræ hac ſententia nobis commendari.

28 Ibi Beniamin paruus dominatur eis: [*ibi*] Principes Iuda congregatio ipſorum: [*ibi*] Principes Zabulon, principes Naphthali.

Iam tribus etiam commemorat, quæ frequentes aderant, & ornabant iſtam põpam. Nominat autẽ duas maximè propinquas: Beniamin & Iuda, & duas remotiſſimas Zabulon & Naphthali, ſub quibus ſynecdochicè reliquas comprehendit. *Beniamin paruum* nominat, vel quòd Beniamin natu minimus fuit inter filios Iacob, vel quòd ſi ad reliquas tribus conferretur, non abundabat tanta multitudine hominũ. Erat enim illa tribus acciſa ſuperioribus bellis propter ſcelera Gabaonitarum: & tamen ne memoria iſtarum calamitatũ, aut paucitas hominũ illi tribui eſſet ignominioſa in illa pompa, aut cauſam doloris præberet huic dominatũ tribuit, idque vel quia primum agmen tenebat, vel quia fortaſſis præcipuus adornator atque adminiſtrator huius pompæ ex tribu Beniamin erat delectus, vel etiã aliam ob cauſam, quę cũ explicata nõ ſit, nos diuinando eã aſſequi non poſſumus, nec curioſè à nobis inquirendam exiſtimo. Sunt qui dominatum ei tribui exiſtimant, quòd Saul primus rex Iſraelis ex illa tribu fuerit oriundus. Ab aliis tamen hoc tanquam parum conueniens repudiatur.

רודם Græcus reddidit ἐν ἐκστάσει, in exceſſu mentis: iudicauit enim participium eſſe רדם, quod eſt ſoporari, aut profundo ſomno obrui. Hieronymus habet, continens eos.

Principes Iuda dicit eſſe congregationes eorum, quia cũ regia dignitas eſſet penes illam tribum, habebat illa ius cogendi populũ: & ſcimus præcipuos duces exercitus Dauidis fuiſſe ex tribu Iuda, imò cognatos Dauidis. Verbum רגם ſignificat lapides colligere atque in vnũ aceruũ congerere. Inde enim nomẽ eſt מרגמה quod ſignificat aceruum ſeu cumulum lapidum congeſtorum. Et quia in lapidatione hominis ſontis & damnati multi lapides in vnum locũ coniiciuntur, accipitur etiam pro lapidare vel lapidibus obruere hominẽ ſontem, vt cognationẽ habeat cũ verbo סקל Inde poſtea per metaphoram ad aliarum rerum collectionẽ ſeu congregationẽ accõmodatur, vt hoc in loco Græca tranſlatio habet ἡγεμόνες αὐτῶν quod penè cõgruit cum noſtra interpretatione. Felix reddidit, interitus ipſorum. Reſpexit enim ad ſignificationẽ verbi סקל D. Hieronymus tranſtulit in purpura ſua. Secutus eſt enim quorundam Iudęorũ ſentẽtiam qui exiſtimant ג ſcriptũ eſſe pro cognata litera ק & nomẽ factum eſſe ex רקם Rakam, quod ſignificat acu pingere: quo artificio excellebãt Phryges, vnde Phrygiana veſtimenta dicuntur acu picta, in quibus ſcilicet, tramæ diuerſis modis retortæ & perplexi mæãdri ſunt: ea hodie Itali dicũt *Ricamata*, appellatione ipſa cum veſtimẽtis accepta à Syris. Tardiùs enim illa ars innotuit Italis, nimirum ſub imperio Auguſti. Secundũ hos igitur רגמתם ſcribitur pro רקמתם Qui de Chriſto pſalmum interpretantur, Principes tribuum, quorum hîc mentio fit, interpretantur Apoſtolos, quos Chriſtus poſtquã aſcendit in cęlũ, miſit in totũ mundum, vt voce euangelij eccleſiam Chriſto colligerẽt, atque hoc regnũ ſpirituale ſeu cęleſte conſtituerent. Hi quanquam derideantur à ſapientibus huius mundi & habentur pro

hominibus nihili, pro erronibus aut fatuis: tamen Spiritus ſanctus ornat eos hac honeſtiſſima appellatione principum: vt ſignificetur labores ipſorũ in conſtituendo & amplificando hoc regno non fore irritos aut inanes, ſed Spiritũ ſanctũ per miniſterium ipſorum fore efficacem, vt multi audita voce euangelij hunc regem Chriſtũ amplectantur, ſeq. ei ſubmittãt: gerũt enim res maximas hi principes ad quas aliorũ regum & principum res geſtę comparari nequaquã poſſunt. Beniamin paruulum intelligunt Paulum Apoſtolum qui ex ea tribu fuit oriundus: atque huc reſpicere eum volunt, cùm ſe nominat minimũ Apoſtolorum. 1. Cor. cap. 15. Hic quanquã paruus eſt, tamẽ maiora efficit quàm reliqui. Ipſe enim præcipuas eccleſias in Aſia & Europa condidit & conſtituit, &, vt ipſe inquit, plus laborauit quàm cæteri omnes.

Principes Iuda interpretantur Iohannem & Iacobum filios Salomæ, ſororis Ioſephi, qui inter Apoſtolos eminuerũt, vt inſignia lumina. Hi dicuntur congregatio piorum & fidelium, quia eccleſiam numeroſam Chriſto colligunt & adducunt. D. Forſterus exiſtimat Chriſtũ ad hanc vocem רגמת alludere Marc. 3. cùm Iacobo & Iohãni, imponit nomẽ, βοανηργές, id eſt, ſicut euangeliſta interpretatur υἱοὶ βροντῆς, quaſi ſit illud בריחרג idque interpretãdũ ſit, filij obruitionis, quòd potentia euangelij obruituri eſſent plurimos, vt ם in fine cõmutatũ ſit in. Sed ſi pro ם ſcribitur ם quod mihi fit veriſimile, exiſtimo Chriſtum appellationem illã feciſſe ex duabus בני רע Ea enim vox propriè ſignificat tonitru: & notum eſt ע literam à Latinis & Gręcis commutari in γ, aut g, vt ex plurimis appellationibus propriis Gomorrha, Gaza, & ſimilibus colligi poteſt. Niſi fortè quis velit illam appellationem factam eſſe à רעש vel, vt nonnulli volunt à רגש hoc eſt, à tumultu & ſtrepitu. Filios autem tonitrui dici illos Apoſtolos exiſtimat Gregorius Nazian. διὰ τὸ μεγαλόφωνον. Ita enim hoc interpretatur. Poteſt etiam addi ab effectu miniſterij ipſorum ſic dici hos apoſtolos, quia mouent corda, iiſque terrorẽ incutiunt, vt agnoſcant ſua delicta & incipiant quærere remedia.

29 Mandauit Deus tuus robur tuum: corrobora Deus illud: quod ipſe nobis paraſti.

Deſcriptioni pompæ inſerit precationem. Eam verò orditur à commemoratione prioris beneficij.

Deus mandauit robur tuũ] Id eſt, Deus inſtituit hoc regnũ, idque vult eſſe firmum & perpetuum, itaque inſtruxit hoc regnum robore, & muniuit, vt vim hoſtium externorum non tantùm ſuſtinere facilè, ſed depellere quoque poſſit. Nõ enim humana induſtria aut viribus partũ aut conſtitutum eſt hoc regnum, ſed totum hoc opus eſt beneficentię & potentię diuinæ. Quòd igitur hactenus hoc regnũ ſtat firmum & immotum, nec vlla vi hoſtili euerti potuit, illud totum adſcribendum eſt virtuti & bonitati diuinę. Deus enim eſt qui hoc robur tuũ mãdauit. Mandare dicitur Deus robur alicuius, cùm facit vt aliquid ſit firmũ, potens & inuictum. Dei enim mandata coniuncta ſunt cum effectu & exequutione: éſtque aliquanto plus in mãdato quã in nudis promiſſionibus, quæ interdum certo conſilio differuntur, mandata non item. Ita pſalmo 42. dicitur Deus mãdare miſericordiam, cũ facit vt ſenſus bonitatis & amoris diuini à nobis percipiatur. Et pſalmo 44. mandare ſalutes Iacob, eſt facere vt ſaluetur Iacob. Ita mandare benedictionem, Deuter. 28. Leuit. 25. pſal. 133. ſignificat felices reddere, vt reipſa experiamur nobis benedici diuinitus.

Et quidem explicatio phraſis in hoc ipſo verſu traditur: Addit enim mox, quod feciſti nobis. Idem igitur prophetæ eſt, mandare robur, & facere robur. Cæterùm nomen roboris μεταληπτικῶς ſumitur pro regno, vt pſalmo 110. Sceptrum roboris tui mittet Dominus ex Sion, & pſalmo 8. Ex ore infãtium & lactentium conſtituiſti robur.

Corrobora Deus] Id eſt, fac vt deinceps quoque hoc regnum ſit firmum quod conſtituiſti: adſis perpetuò præſens & defendas hunc populum, continues bonitatem tuã, quã in conſtitutione huius regni nobis exhibuiſti.

Hæc verò omnia primùm ad regnum Dauidis referantur. Ille enim agnoſcit, regnum hoc diuinitus eſſe conſtitutum & munitum, ſeque tot victorias nõ ſua induſtria aut viribus peperiſſe, ſed diuinitus ſibi has cõtigiſſe. Pro his igitur tãtis beneficiis gratias agit Deo, & petit vt deinceps Deus talem ſe huic populo exhibeat, qualem ſe hactenus in aſſidua defenſione populi & amplificatione regni oſtenderit. Deinde verò ad regnum Chriſti, cuius illud Dauidis vmbra tã tùm fuit, hoc referatur. Illud regnum dicit nõ eſſe humano conſilio, humana vi vlla, aut opibus conſtitutum: ſed Deo mandante & ſucceſſum tribuente. Neque enim Apoſtoli ſunt qui regnum illud conſtituunt, vagando per totum orbem & concionando de Chriſto paſſo & mortuo: ſed eſt ſolius Dei opus collectio eccleſiæ. Ille facit vt regnum hoc feliciter conſtituatur, capiat incrementa, & ſit firmum contra furores diaboli & malorũ hominũ: vtque perpetuò id maneat inuictum & immotum precatur Dauid cum tota eccleſia: & quidem illæ precationes Spiritus ſancti habent vim vaticiniorũ, vt ſępe antè monuimus. Ita hîc traditur doctrina plena cõſolationis, qua hoc tempore, dum totus mundus aduerſus eccleſiam inſurgit, & Diabolus maiore vi & conatu quàm antehac vnquam, delere eam conatur, maximè nobis opus eſt. Non delebitur hoc regnũ, vt vt ſæuiat Diabolus & ipſius organa, omniáque arma ſua aduerſus eã expediat: quia diuinitus hoc regnum eſt conſtitutum atque ita firmatum, vt nulla vi labefactari aut euerti poſſit. Poſtremò, quod de toto corpore eccleſię hoc loco dicitur, id ſinguli ad ſe trãſferant in quotidianis exercitiis pœnitẽtiæ & inuocationis. Cœpit Deus in nobis regnum ſuum, quando nos verbo ſuo tranſtulit ex regno tenebrarũ in regnum lucis, & initia vitæ cœleſtis in nobis inchoauit. Hæc bona confirmari in nobis ſinguli petamus, ne aſtutia & inſidiis Diaboli rurſus nobis eripiantur.

30 E templo tuo ſuper Ieruſalem: tibi offerent reges munera.

Primum membrum huius verſus iungẽdum eſt cum præcedẽti precatione. Petit enim vt è templo ſuo hoc beneficiũ ſuo populo præſtet. Ita verò dũ loquitur, reſpicit ad promiſſiones datas, eáſque cupit eſſe firmas & ratas. Promiſerat enim Deus ſe perpetuò adfuturum arcæ fœderis & tabernaculo, atque inde teſtimonia ſuæ præſentiæ & fauoris oſtẽſurum eſſe. Ideo dicit, è tẽplo ſeu ſãctuario tuo corrobora hoc quod feciſti ſuper Ieruſalem. Nomine Ieruſalem autẽ συνεκδοχικῶς cõprehendit totum regnum ſeu populum. Erat enim Ieruſalem regia ciuitas ſeu caput regni. Alij ita exponunt, vt cauſa finalis hoc membro exprimatur: propter templum tuũ, quod eſt in Ieruſalem, id eſt, vt maneat tẽplum ~~tuum~~, in quo ſonat doctrina quam nobis tradidiſti, & exerceãtur cultus abs te inſtituti, vt ſemper vigeat doctrina & cultus in hoc loco, non opprimatur aut deleatur cultus diuinus armis barbaricis. Hanc interpretationem etſi non repudio, tamen exiſtimo alteram eſſe ſimpliciorem.

Abſoluta hac precatione incipit vaticinari de amplificatione, dilatatione & gloria huius regni, quæ paulò poſt ſit futura, qua de re ſibi & regno ſuo gratulatur. Sec hoc vaticinium mox iterum abrumpit, & ſequenti verſu precationem inſtitutam abſoluit.

Reges inquit, offerent tibi munera] Id eſt, creſcet hoc regnum mirabiliter. Nam reges exteri moti gloria, crebris victoriis & teſtimoniis præſentiæ Dei in hoc populo, ambient noſtram amicitiam, offerentque munera, quibus teſtabuntur ſe agnoſcere tuum numen, tuam potentiam & vires. Atque hęc quidem aliquando inchoata ſunt in Dauide atque eius ſucceſſore Salomone, ſicut hiſtoria ſacra teſtatur. Sed in Chriſti regno demum hæc ſunt adimpleta. Ad hoc regnum omnibus temporibus multi reges & principes ſe adiungunt eiuſdem doctrinæ profeſſione, & religionis cultu, & vt gratitudinem ſuam teſtentur, liberaliter conferunt munera ad conſeruationẽ miniſterij, & ſtudiorum doctrinæ, ſúntque nutritij eccleſiæ, vt alibi dicitur.

31 Increpa feram arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum, calcantem in fruſtis argenti: diſſipa populos, qui bella volunt.

Nondum abſoluerat precationem, ideo interrupto vaticinio ad eam redit. Sicut autem antea petebat vt Deus regnũ hoc à ſe cõſtitutum ſeruaret integrum, efficerétque firmum, durabile & perpetuum: ita nunc petit vt depellat ab eo hoſtes, qui ſubinde motis armis hoc regnum delere conantur. Nunquam enim ceſſat diabolus odio Dei ſæuire in ipſius membra, & paſſim organa ſua excitat, vt opus Dei impediant, & quantum in ipſis eſt deſtruant. Horum crudelibus conatibus opponit hanc precationem.

Increpa feram arundinis] Id eſt, reprime hoſtes & tyrannos, qui magna vi & conatu hoc regnum oppugnant. Increpandi verbum, cùm Deo tribuitur, non intelligatur de verbali aliqua obiurgatione, ſed reali, qua impium & furioſum conatũ hoſtium populi Dei coercet & reprimit. Sicut enim mandata, ita & increpationes Dei ſunt cõiunctæ cum effectu: & quidem oſtẽditur, repreſſionem hoſtium, quantumuis potentũ, rem Deo eſſe facilem & expeditam, quaſi vnica tãtùm increpatione, ſeu vno verbo ſit opus, quo hoſtium vniuerſas copias poſſit diſſipare. Ita Chriſtus Matth. 8. increpat mare & ventos, id eſt, voce ſua potenter reprimit, vt deſinant ſæuire: ſic febrim Lucæ 4. increpat, id eſt, cohibet & abire iubet.

חיה] Collectiuè ſumitur pro cœtu ſeu congregatione, vt

ſuprà

ſupra verſu vndecimo dictum eſt. Cœtum autem arundinis nominari dicunt exercitum inſtructum & armatum haſtis ſeu lanceis. Nam in quibuſdã regionibus calami arboreſcunt, vel certè ligneam firmitudinem contrahunt, vt confici inde iacula poſſint: & notum eſt ex hiſtoriis, orientales vt plurimùm fuiſſe iaculatores in prœliis. Ideo nominat cœtum arundinis, quaſi dicat, lanceatum ſeu iaculis inſtructum, nõ ab imbecillitate: nam id ſequẽs oratio non admittit. Alij feram arundinis interpretãtur, eam quæ deliteſcit in loco vliginoſo & pingui: ſicut Pontifices, Cardinales, Epiſcopi & horum ſatellites, qui helluantur de agapis eccleſiæ, & voluptatibus ac crapulæ ſuæ indulgent, omiſſa cura rerum ſibi commiſſarum.

Congregationem taurorũ] Hoc additur per appoſitionẽ. Quos enim antea dixerat cœtũ arundinis, nunc nominat congregationem fortium ſeu taurorum, vt Græcus etiam reddidit. Nam vt tauros, qui à robore ſic dicuntur, malim exponere, facit hoc quod ſequitur de vitulis. Congregationem igitur taurorũ nominat hoſtes, quòd ſint inſtructi magna potẽtia & viribus: quibus populus Dei, ſi externa ſpectes, nequaquam par eſſe poſſit.

Cum vitulis populorum] Sicut tauros nominat reges & principes à robore & truculentia (tauro.n. irritato nihil eſt truculẽtius, aut ferius, nihil robuſtius) ita reliquã multitudinem impiam & profanam, quæ ſe huic regno opponit, comparat vitulis bene ſaginatis & ferocientibus, qui omnia ad ſuas voluptates referunt, nec regi ſe verbo aut mitti ſub hoc iugum patiuntur. *Die da vvollen frey ſeyn vnd gute tag haben, vnd mitler vveil allen freuel vnd mutvvillen vben, vnd ſol ihnen niemãd vvehren oder hindern.*

Calcantem in fruſtis argenti] Hoc membrum obſcurũ eſt, & variè redditum ab interpretibus. Græca verſio prorſus aliena eſt à Grãmatica, τοῦ ἐκκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους ἐν ἀργυρίῳ, vt excludantur ij qui probati ſunt argento. Hieronymus reddit, calcitrantium contra rotas argẽteas: omitto reliquas interpretationes, quas tædioſum eſſet recenſere omnes.

Videtur autẽ hac phraſi ſuperbiã & faſtum hoſtium voluiſſe notare, qui circundati vel ornati argento faſtuoſè incedant, & obuios quoſque proculcẽt. Nã *Fruſta argenti* intelligo ornamẽta veſtibus addita, vt ſolet nobilitas, vel pileis, vel veſtibus affigere aliquod ornamentum, vel aureum vel argenteũ: eóque quaſi cõptior & ornatior facta ſuperbè & faſtuoſe incedit: vel de fibulis, aut aliis ornamẽtis argenteis in calceis intelligi poteſt: fuerunt enim talia in vſu apud orientales, atque adeo ipſos Iudæos quoque, ſicut videre eſt ex tertio capite Ieſaiæ, qui illa ornamẽta nominat עכסים Græci περισφύρια. His igitur ornati calcant & quatiunt terram, incedentes põpoſe, erecta ceruice & arte quadã cõpoſito inceſſu, vt videantur omnes præ ſe deſpicere & contemnere. Eſtque conſtructio ſimilis ei quæ eſt verſu 22. מתהלך באשמיו Verbum רפס ſignificat calcare & proculcare, habet enim cognationẽ cũ רמס, ſunt enim literæ eiuſdẽ inſtrumẽti מ & פ. Inde eſt participium quartæ cõiugationis hoc loco, & videtur nihil aliud ſignificare quàm calcando & proculcando incedere, vt habeat ſignificationem verbi frequẽtatiui, ſicut התהלך qui enim incedit, aut progreditur, crebrò calcat & pulſat terram. Fruſta igitur argenti per contemptum nominat ornamenta ipſorum argentea, & totum ſplendorem externũ quo ſe magnificè iactitant & oſtentant.

Nonnulli tamen literam ב exponũt cauſaliter, conculcantem propter fruſta argenti, id eſt, qui pios cõtumelioſè tractat & conculcat, vt acquirat opes, gloriam, honorem, vt perueniat ad magnam potentiam & dignitatem: quod hodie multi faciunt in aulis rẽgum. Eſtque hæc ratio loquendi ſatis vſitata in lingua Hebræa, vt cum Mich. 3. dicitur: Principes eius pro munere בשוחד iudicãt, & ſacerdotes eius pro pretio במחיר docent, & prophetæ eius pro argento, vel propter argentum בכסף diuinant. Ierem. 17. fortitudinem tuam & omnes theſauros tuos in direptionẽ dabo, & excelſa tua propter peccata בחטאת in vniuerſis finibus tuis. Ad hanc ſententiam reſpexiſſe Felicẽ iudico, cùm reddidit, optantẽ numerationes argenti. Quidam ad humiliationem hoſtium hanc ſententiam accommodant, quòd ſupplices futuri ſint in tributis argenti reddẽdis. Nam Rabi Abrahã & R. Dauid ita exponunt, vt ſit conculcatus, vel vt calcandum ſe præbeat in inciſionibus ſeu fruſtis argenti, dũ ſcilicet pendit tributũ.

Diſſipa gentes] Hebræus legit, diſſipauit, vt ſit prædictio de interitu hoſtium. Solet autem Spiritus ſanctus in vaticiniis vti præterito tempore propter certitudinem euentus: vſitatum eſt & hoc in lingua Hebræa, vt ſi prius membrum periodi efferatur imperatiuo modo, etiam præteritum ſequentis membri in imperatiuo exponatur cuius rei antea habuimus exempla. Itaque & Græcus in imperatiuo expoſuit, διασκόρπισον. Quòd ſi in præterito legere malis, pertinet hoc membrum ad ſequentem narrationem &c. Diſſipabit Deus gentes, quæ bella volunt.

32 Venient optimates ex Ægypto: Æthiopia celeriter protendet manum ſuam ad Deum.

Cõtinet vaticinium ſeu promiſſionẽ ſuprà verſu 30. inſtitutã de amplificatione huius regni. Ea verò principaliter ad Chriſti regnum referenda eſt. Neque enim in poteſtate Dauidis venit Ægyptus aut Æthiopia, quanquam amicitiam cũ ipſo & filio Salomone coluerunt, & interdum miſſis muneribus eã confirmarũt. Sed ſparſa euãgelij voce per totum orbẽ terrarum, etiam Ægyptus & Æthiopia (quę regna antea prauis ſuperſtitionibus & vario idolorum cultui præ cæteris omnibus dedita erant) amplexæ ſunt doctrinam Apoſtolorũ, & conſtitutæ ſunt in his regnis eccleſiæ pulcherrimæ, quę diu floruerunt, ſicut hiſtoria oſtẽdit. Verſus igitur hic loquitur de vocatione gentium. Ita enim amplificandum erat hoc regnum, gentibus per totum orbem terrarum ad hunc populum, qui hunc regem Meſſiam agnoſcebat, adiunctis. Quæ igitur de Ægypto & Æthiopia hoc loco dicũtur, ſynecdochicè de omnibus regnis in toto orbe terrarum ſunt intelligenda. Vocem חשמנים plerique interpretantur, oratores aut legatos, ſequuti Gręcum interpretem: ſed propriè ſignificat principes & optimates. Inde enim Machabęi vſurparunt hãc appellationem, cùm dici voluerunt Aſmonæi, quòd principatum in populo Dei tenerent, à morte Antiochi Epiphanis vſque ad Herodem magnum.

Æthiopia facit currere manus ſuas] Metaphora videtur aſperior Latinis auribus. Ideo reddiderunt, celeriter protendet vel accelerabit. Manuũ verò protẽſio ſignum eſt ſubiectionis, ſiue id fiat animo placãdi aliquem offenſum atq. irritatũ, ſiue offerendi aliquod munus, quo ſuam promptitudinem in accipiendo eius imperio ſignificet. Nam de vtroq. exponi poteſt. Quod autem dicit fore vt ad Deum manus extendantur, ſatis oſtendit hãc gloriam non ſibi aut ſuo regno deberi: ſed Chriſto reſeruari, qui verus eſt Deus. Gręcus habet προφθάσει χεῖρα αὐτῆς τῷ θεῷ præueniet manu ſua Deo.

33 Regna terræ, cantate Deo: pſallite Domino, Selah.

In fine pſalmi repetit adhortationem, à qua pſalmum erat exorſus: nam initio pſalmi ſimilis eſt exhortatio. Sed tũc populum ſuum, qui ad publicam hanc pompam conuocatus erat, alloquebatur. Nunc verò quia futurum dixit vt regnum hoc per totum orbem terrarum dilatetur, hortatur reges & principes paſſim in toto orbe terrarum, vt ipſi quoque hunc populum in agnoſcendis & celebrandis beneficiis diuinis imitentur: atque ita oſtendit quodnam præcipuũ debeat eſſe regum & principum ſtudium, & quæ maxima horum cura: nimirum vt Deus agnoſcatur & celebretur. Eſt igitur epilogus pſalmi παραινετικὸς, congruens cum exordio, ſicut vſitatè id fieri in pſalmis videmus. Nomen ממלכות complectitur omnem potentiam & gloriam huius mundi. Quicquid potens & glorioſum eſt in mundo, ſeruiat huic Deo, agnoſcat & celebret eius beneficia.

34 Qui vehitur in cælis cælorum antiquitatis: ecce dabit in voce ſua vocem roboris.

Addit rationem ab honeſto. Non mirum videri cuiquam debet, quòd omnes homines in toto orbe terrarum adhortor & moneo vt hunc Deum agnoſcant & celebrent, idque aliquando futurum eſſe multo ante prænuntio. Non enim alij debetur hic honor quàm huic Deo. Ille enim eſt qui equitat ſuper omnes cælos, id eſt, cuius imperium per totum orbem terrarum extenditur, quíque hũc mundum ſuo arbitrio moderatur & gubernat. Exiſtimant reges & principes ſe eſſe dominos orbis terrarum, ideo ſuperbiunt & ferociter premunt imbelles: ſed ſi cogitarent Deũ eſſe, cuius imperiũ nõ aliquo anguſto terræ angulo circumſcriptũ eſſet, ſed qui totum mũdum ſuo imperio complecteretur, remitterent nõnihil illos ſpiritus, illum faſtum & ferociã, & cogitarent quidnam huic ſummo regi deberent. De hoc igitur eos commonefacit.

Cælos cælorum] Intelligit extremum ſeu ſupremum cælum, quod totum mũdum ambit & complectitur. Nam alioqui & aeris regio & planetarum orbes, Hebræis dicuntur cœlum. Addit autem nomen antiquitatis, vt ſignificet illud imperiũ non nuper cœpiſſe, ſicut hominum imperia habent ſua exordia, progreſſus & periodos, cúmque ad ſummum venerunt, paulatim rurſus deficiunt atque collabuntur: ſed cum ipſis primordiis cœpiſſe & perpetuò durare.

Ecce dat in voce ſua vocem roboris] Addit aliud argumentum à ſigno potentiæ: Quanta ſit huius Dei potentia, hoc oſtendũt illa horribilia tonitrua, quæ totum orbem terrarum violento ſonitu concutiunt. Nullũ eſt animal tam ferum, quod non

ad hanc vocem trepidet & contremiſcat. Sicut ſuprà pſal. 29. de tonitruis dicitur: Vox Dei concutit deſertũ, quod plerique interpretes de feris deſerti intelligunt. Vox Domini facit parturire ceruas. Multò magis igitur homines agnoſcant Dei imperium, eique ſe ſubiiciant.

Particula הן excutere hominibus ſocordiam, atque excitare eos ad conſiderationem harum rerum, quæ illuſtria de Deo præbẽt teſtimonia, conatur. Multi enim ita ſunt ignaui & ſomnolenti, vt nulla re expergefieri queant. Hos igitur alloquens ait, *Ecce*: quaſi dicat: Si tãtus eſt ſtupor, vt nulla beneficia, nulla ſigna potẽtiæ diuinæ excitare vos queant ad agnoſcendum hunc Dominum, ſaltem illæ horrendæ voces in nubibus, quibus abundè ſatis ſuam potentiam declarat, hunc ſtuporem vobis excutiant, vt aliquo modo Dei imperium agnoſcatis, eique gloriam debitam tribuatis.

Alij de efficacia euangelij & externi miniſterij dictũ interpretantur, iuxta illud Pauli Rom. 1. Euangelium eſt potentia Dei &c. & 2. Cor. 3. Euangelium eſt miniſterium ſpiritus. Non eſt inanis ſonitus vox euangelij, nec fruſtra ſpargitur per Apoſtolos & horum ſucceſſores: ſed addit Deus robur & ſucceſſum, vt hoc regnum, quod voce euangelij colligitur, feliciter creſcat & ſubinde maiores vires acquirat.

35 Date robur Deo: ſuper Iſrael magnificentia eius: & robur eius in nubibus.

Hanc adhortationẽ infert ex proximo membro. Cùm tantum ſit eius robur, vt concutere horribili fragore totum mundum poſſit, vos etiam tribuite ei hoc robur, agnoſcite eum potenter dominari in hoc mundo, celebrate eius honores, nec perfidè ſepelite aut ſilentio perpetuo obruite eius laudes, agnoſcite veſtram imbecillitatem, nolite ſuperbire fiducia veſtrarum virium, aut contra Deum vos efferre.

Addit autem, *Super Iſrael magnificentia eius*, vt auocet eos à ſtultis figmentis & ſomniis mentis humanæ, quæ ſibi ſuo arbitrio fabricat Deum, & varia ac diuerſa numina confingit, quibus honorem & cultum exhibet: ſed vana, inquit, ſunt hæc numina, & vaniores humanæ cogitationes, quæ rebus nihili numẽ aliquod affingũt, aut cultum tribuunt. Vnus autem eſt Deus, qui ſe Iſraeli patefecit illuſtribus miraculis, & perſpicuæ ſuæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatiſque teſtimoniis. Hic in Iſraele, quemadmodũ ſe patefecit, agnoſcitur & celebratur, atque hoc modo à cæteris quoque vult agnoſci & celebrari. Deinde præſentia eius in hoc populo aſſiduè cõſpicitur ex perpetua defenſione, & illuſtribus victoriis. Hæc igitur eſt magnificẽtia Dei ſuper Iſrael, quod talis ſcilicet ab Iſraelitis agnoſcitur.

Robur eius in nubibus] Repetit hoc quod antea dixerat, Deũ per tonitrua declarare ſuam potẽtiã & robur, & ſimul oſtendit hunc ipſum Deum & non alium coli à populo Iſraelitico: quaſi diceret, Quem Iſrael colit, hic ipſe eſt de quo locutus ſum, quòd virtutem ſuam in nubibus oſtendat.

36 Terribilis es Deus à ſanctuariis tuis, Deus Iſrael: ipſe dat robur & fortitudines populo: benedictus Deus.

Continuat priorem ſententiam: Tu ita ades populo tuo, eámque præſentiã ex ſanctuario tuo ita oſtendis vt facilè terrorem incutias hoſtibus, qui ſe imperio aut regno tuo, quod in hoc populo cõſtituiſti, opponunt. Etſi enim multi cũ magnis exercitibus hanc terram ſæpe inuadunt: tamen tu manu tua eos diſiicis, vt facilè agnoſcant non humanis viribus, ſed tua virtute regnum hoc defendi, & tantas res à nobis geri: ideóque deinceps ſibi metuunt. Túque idem es qui regnũ & robur das populo tuo. Facis enim vt hic populus fortiter perferat & depellat pericula foris ab hoſtibus intẽtata: ſeruas & protegis eũ mirabiliter, ne mole calamitatũ aut periculorũ opprimatur. Nam robur eccleſiæ in ærumnis & periculis non eſt niſi à Deo. Sanctuaria quidã interpretantur cælum & terram: ſed nõ dubium eſt, quin de ſanctuario, quod in hoc populo cõſtitutum erat, loquatur. Id quia in tres partes diſtinctum erat, vtitur plurali.

Benedictus] Epiphonemate, quo etiã ſuprà eſt vſus, concludit pſalmum. Eſtque ſentẽtia ex his quæ dicta ſunt, plana & perſpicua.

PSALMI LXVIII.

PARTES.

I. Exordium, ab effectis præſentiæ Dei, tum in aduerſarios, fuſos fugatóſque quum primum ſe exſerit Deus, v. 2. & Dei iudicio planè euerſos, quod duplici ſimilitudine illuſtratur, v. 3. tum erga pios & morigeros, lætitia ſingulari affectos, v. 4.

II. Propoſitio hortatoria ad laudationem Dei, duobus nominibus. A maieſtate & natura Dei, v. 5. Omnia poſſidet amœniſſima, nullis perturbationibus aut angoribus premitur: ac proinde eſt omnis amœnitatis auctor. Præterea, præditus natura ſempiterna, per ſe exiſtente, quæ dat eſſe aliis. 2. Ab eius officiis, v. 6. & 7. quæ præſtat quoties & quomodo vult, voluntatem ſuam in cælis & in terra nullo negotio perficiens. Hæc autem officia, miſericordiam Dei erga pupillos, viduas, ſolitarios, vinctos: deinde iuſtitiam erga rebelles complectuntur.

III. Confirmatio, demonſtrans quàm vera ſit ſuperior propoſitio laudis. 1. Ab exemplo maiorum, quibus gratioſè benefecit Deus, tum in profectione tota ab Ægypto, v. 8. & 9. tum in poſſeſſione terræ, v. 10. & 11. tum denique in hoſtium deturbatione, v. 12. & 13. 2. A documentis præſentiæ & operum Dei, à v. 14. vſque ad 23. Chriſti autem, v. 13. 18. 19. mentio fit diſertis verbis, interprete Apoſtolo, cap. 4. v. 8. epiſt. ad Epheſios. 3. A verbo & promiſſionibus Dei, quibus pij confirmati debent ſupra aduerſa omnia gloriari, v. 23. & 24.

IIII. Oratio à v. 25. ad 33. Cuius pars 1. eſt Euchariſtica, v. 27. & quidem conuentu publico indicto, iuxta legis prædagogiam, vt ex 25. & 26. v. apparet, & 27. ac 28. etiam exponitur. 2. pars orationis ſeu precationis, occaſione ſumpta à præcepto Dei, v. 29. quatuor particulas continens, vt ipſe det robur quod imperat, v. 29. benefaciat ſuis, v. 30. aduerſarios edomet, & cogat ad obſequium, v. 31. exteros aduocet in regni ſui communionem, v. 32.

V. Concluſio hortatoria ad laudem Dei per apoſtrophen ad omnes gentes vocatas in Chriſto, v. 33. tribus locis deinde conſtans. 1. A maieſtate Dei, operibus & verbo teſtata, v. 34. 2. A benefica adminiſtratione rerum creatarum in cœlo, & in terra, v. 35. 3. A ſingulari ipſius communicatione cum Eccleſia ſua, verſ. 36.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1. 2. 3. *Quamuis Deus ad tẽpus quieſcat, impiis proteruè & crudeliter eccleſiam affligentibus, tandem ſurgit vindex: & ſatis eſt præſidij fidelibus in eius auxilio, ſimul ac manum ſuam contra impios exerit. Nec opus eſt magno apparatu vt Deus hoſtes ſuos perdat: quia in eius arbitrio eſt ſimul ac digitum ſuſtulerit omnes diſſipare.*

Fit Dei tolerantia vt interdum praualeant hoſtes: & quantumuis inſoleſcant, nihil poſſunt niſi eius permiſſu, quia nondum eſt tẽpus ſurgendi.

Cùm Deus nos ſuſceperit tuendos, non ſecus afficitur noſtris iniuriis ac ſi violaretur ſua ipſius maieſtas.

Non ſubeſt hoſtibus noſtris quam putamus firmitudo, ſed quaſi fumo hebetantur noſtri oculi: fallimur etiam in ipſa impiorũ duritie, quia non reputamus ſolo Dei conſpectu liqueſieri montes ipſos.

4 *In ſalutem eccleſiæ ſuæ Deus eſt formidabilis omnibus impijs: & poſtquam ſuos humiliauit ad tempus, affert nouam gaudij lucẽ, ne ſemper ſub triſtitia demerſi iaceant.*

Tunc demum pij verè exhilarantur, dum ſibi propitium Deum cernunt, ſuámque ſalutem ei eſſe charam.

5 Nihil

5 Nihil craſſum vel terreſtre concipiendũ eſt de Deo, qui ita ſupereminet, vt laudes omnes infra ipſum ſubſidant.

Idola omnia & terrenorum hominum figmenta faceſſere debent, vbi in medium prodit verus ille Deus.

Non ſatis eſt ſuppliciter coli Deum à nobis, quem impij quoq; dum expaueſcunt & tremunt, reuereri coguntur, ſed lætos & alacres ad ipſum accedere nos iubet S. ſpiritus.

6 Quamlibet miſeri ſimus ac in ſordibus demerſi, Deus incõprehenſibili gloria ornatus minimè tamen nos deſpicit, imò citiùs ad nos accedit, vt ſe patrem & protectorem reipſa demonſtret.

Cælũ Deo ſolij inſtar eſt vnde orbem iudicet: ſed quia domicilium ſibi delegit inter homines, vnde familiariter eos ad ſe inuitat, nihil aptiùs erigere afflictorum fiduciã poteſt, quã vbi audiũt non procul quærendum eſſe. Porro domiciliũ illud eſt vbicunq; ſonat incorrupta vox euangelij, & in omnium verè credentium cordibus.

7 Quocunq; afflictionis genere premamur, in Dei manu eſt ſolatium, quo dolores noſtros leniat & curas exoneret.

Quamuis impij ad tempus ſibi placeant, quicquid tamen nũc videtur illis maximè proſperum, tandem infeliciter illis ceſſurum eſt.

8.9.10.11 Dei bonitas propriè in eccleſia reſidet, quam peculiariter in eum finẽ delegit vt theatrum eſſet paternæ ſuæ ſolicitudinis.

Deus in illo memorabili exitu ex Ægypto, & tot conſequutis miraculis teſtatus eſt omnibus ſeculis quantopere eccleſiam ſuam diligeret.

Non alio reſpectu terra benedicitur à Deo, niſi quia ſacrũ eſt eccleſiæ per Chriſtum à maledictione peccati redemptæ domicilium.

12.13 Quum Dei partes ſint carmen vel præconium triumphale dare, ſequitur proſperos belli euentus in manu eius eſſe repoſitos.

Fidelium omniũ eſt Dei beneficia decenti gratitudine prædicare: nec modo viros, ſed etiam mulieres decet nominis diuini celebratio.

Quamlibet magnis & validis copiis inſtructi proſiliant hoſtes ad perdendam eccleſiam: tamen diſſipabuntur.

14 Etiamſi fideles interdum contingat iacere in tenebris, nihilominus in tempore Deus prodit liberator, qui ſuos ita reſtituit, vt nulla malorum ſigna appareant.

15 Quoties Deus eccleſiæ ſuæ potentes hoſtes euertit, nouo quodã modo terra ipſa renouari videtur, & candida fieri, ſicut montem obſcurum dealbant niues.

16.17 Regnum Chriſti, quod Deus in Dauidis perſona auſpicatus erat, longè excellit ſupra omnes mundi glorias.

Fideles hac vna prærogatiua cõtentos eſſe decet, quòd Deo placuit habitare in medio ipſorum: quãdiu enim ei (id eſt ſummo bono) coniuncti ſunt, non eſt cur eos ſuæ conditionis pœniteat.

18 Præſto ſunt in Dei obſequium ingẽtes exercitus ad ſalutẽ noſtram tuendam: quod abundè ad erigendos animos ſufficere debet, quamuis centum mortes nobis immineant.

Non magis exui poteſt Deus ſua virtute quin ſub ſe quaſi incluſos omnes angelos teneat, quàm ſeparari à ſua eſſentia. Quanquam pluris eſt vnus Deus quàm decem angelorum mundi.

Vt inuicto præſidio tuti ſimus, non aliunde quærenda eſt certitudo præſentiæ Dei, quàm ex verbo eius.

19 Sicuti per manum Dauidis virtutem ſuam aſſeruit Deus, vt in altum euectus populum ſuum erigeret: ita in filio ſuo vnigenito ſummam ſuam altitudinem monſtrauit.

Verè in Chriſti perſona impletum eſt quod Dauid hic pronũtiat, teſte apoſtolo Epheſ. 4. 8. Chriſtus autem ſurſum aſcendens poſt reſurrectionẽ imperio ſuo cælum & terram ſubiecit: indomitos hoſtes coegit ad obſequium: huc enim tendit euangelij doctrina, vt increduli depoſito carnis faſtu & contumacia, ſe ſuáque omnia Chriſto dedant, captiuique fiant ſenſus hominũ & affectus. Quantum ad reprobos angelos & homines attinet, quos obſtinata malitia ſẽper ad defectionem inſtigat, eos arcana ſua potentia conſtrictos tenet, ne pro ſua rabie omnia miſceant & perdant.

Arcana regni cæleſtis non tantùm hoc verſiculo, ſed præcedẽtibus & ſequentibus traduntur. Arca enim filiũ Dei carne noſtra indutũ, in quo plenitudo deitatis reſidet, Sion cælorũ tabernaculũ nõ manu factũ, arcæ introductio aſcẽſum Chriſti in cælos, captiuorũ traductio ſatanã, peccatum & mortẽ ſuperatos, temporales benedictiones in Iſraelem effuſæ, ſpiritualia & æterna Chriſti dona in eccleſiam quotidie per ſanctum euangelij miniſterium collata anagogicè ſignificant: teſte Apoſtolo in epiſtola ad Epheſios & Hebræos.

20.21 Nunquam in curſu beneficentiæ ſuæ Deus fatigatur, quin nouis ſubinde bonis populum ſuum cumulet.

Quamuis nos obſideant innumeræ mortes, innumeros quoq; ſeruandi modos Deus habet in promptu: vt hodie erepti in craſtinum bene ſperemus.

Miræ ſunt, variæ & abſconditæ rationes Deo, quibus ſuos à morte in vitam excitet: vt diſcamus eius auxiliũ non metiri ſenſu proprio, ſed in abyſſos demerſi ad omnipotentem illam manum ſpes noſtras referamus, cuius proprium eſt viam per inuia patefacere.

22 Dei hoſtes vocantur quicunq; piis iniuſtè moleſti ſunt: ne dubitemus ipſum ſemper fore intermedium ad nos tuendos, & plaga lethali vulnerandos eſſe quicunque eccleſiam Chriſti infeſtant.

23.24 Non olim eripuit Deus populum ſuum ex tot abyſſis, vt eum nunc in ſimilibus periculis deſerat: ſed quoties ita tulerit neceſſitas, præſto aderit liberator.

25 Fide pij intuentur Deum è cælis, arcana ſua ſede, mirabili modo prodeuntem, vt populum ſuum felicibus auſpiciis per mundi varias ſemitas ad beatam illam quietem deducat.

26.27.28 Quum eccleſiæ ſuæ laudum argumentam multiplex ſuppeditet Dominus, pios decet etiam omnibus modis, non modo priuatim, verùm etiam in publicis cœtibus, pro ſuæ vocationis ratione, beneficia Dei gratis animis celebrare.

29.30 Quicquid habemus virtutis fluit à ſolo Deo, eiuſq; mandato inſtillatur: nec modo initium ab ipſo eſt, ſed ipſa quoque perſeuerantia.

31 Dauid toties victor, ſalutis ſuæ & totius populi defenſionẽ Deo cõmendans, nos docet minimè ſperandũ eſſe in hoc mundo trãquillũ eccleſiæ ſtatum: quia ſubinde alios atque alios hoſtes ſuſcitat ſatã, & Deus etiam hoc modo patientiam noſtram exercet & probat.

Impij quum bellis oblectentur & ſanguine gaudeant, pios contra ad manſuetudinem propenſos eſſe oportet, vt paratum inueniant auxilium in Deo, qui tauros & bellicoſos gigantes compeſcere nouit.

32.33.34 Quum Deo viſum erit, mundi primates ad Chriſtum exoſculandum & colendum accedent.

Sola Dei cognitio linguas reſerat ac ſoluit ad prædicãdum Dei nomen: & hoc aliiſq; ſimilib. locis probatur Gentiũ vocatio, quòd propheta eas ad offerendum laudis ſacrificium acceſſant.

Deus equitat ſuper omnes cælos, id eſt, cũ ſummo imperio præeſt omnibus creaturis, totũmque orbem ſuo arbitrio moderatur.

Cælorum antiquitas, id eſt, ſymmetria, temperamentum & ordo, gloriam Dei, eiúſque mirabile opificium ſpeciali quodam modo commendat.

Tonantem Deum non abs re proponit Scriptura: quia nihil ad incutiendum terrorem efficaciùs percellit hominum mentes.

35.36 Illa Dei potentia quæ in cælis & terra non modò lucet, verùm etiam ſonora quadam voce perſonat, iubet nos viciſſim reſonare eius laudes.

A creatione & gubernatione mundi faciendi ſunt progreſſus ad eam doctrinam qua Deus familiariter ad nos acceſſit, ne perperam vagemur.

Tunc propriè tribuimus Deo robur ſuum, dum acquieſcimus in ſolo eius præſidio.

Virtus Dei in eccleſia latens, tempore conſtituto egreditur & patefit, vt hoſtes eius validè proſternat.

Non alio iure excellunt fideles vt ſub Dei cuſtodia tutò deliteſcãt, niſi quia gratuito fœdere electi ſunt in Dei peculium.

Tremendæ Dei fortitudines ſunt eccleſiæ ſalus & protectio tutiſſima: ex cuius beneficij recordatione tum publicæ tum priuatæ laudes ac gratiarum actiones emergunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De effectis præſentiæ Dei, tum in aduerſarios, tum erga pios & morigeros.
2. De maieſtate glorioſa beatiſſimáque, tum de Æterna Dei natura.
3. Beneficiorum Dei erga Eccleſiam enumeratio.
4. De Angelis electis, Chriſto miniſtrantibus.
5. Aſcenſionis Chriſti regis deſcriptio, triumphus, liberalitas erga ſuos, omnipotentia eiuſdem ad compeſcendum hoſtes.
6. De ſacris cœtibus.
7. Votorum piorum, in publicis conuentibus ſacris, ſumma.
8. Hoſtes Eccleſiæ Dei, feroces & hypocritæ, deſcripti.
9. Laudum diuinarum argumenta, ab eius maieſtate, adminiſtratione, & communicatione cum Eccleſia.

ARGVMENTVM PSALMI LXIX.

NON obſcurum eſt argumentum huius pſalmi. Sunt enim perpetuæ ferè querelæ de triſtiſſimis doloribus & de atrocibus hoſtiũ iniuriis, immani violentia & contumeliis grauiſſimis, quibus vexabatur. His verò ſubinde admiſcet preces, quibus petit vt ex his periculis & ærumnis liberetur. Atq. in fine,

quod vſitatum eſt Dauidi, & hoſtibus exitium imprecatur, & de ſua liberatione certam ſpem concipiens, Deo gratitudinem & laudis ſacrificia pollicetur. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Veriſimile autem eſt, Dauidem in ſua aliqua afflictione & periculis has preces pro ſua ſalute concepiſſe: ſicut & in argumento pſalmi 22. qui huic affinis eſt, annotauimus. Interea verò dum ille ſuas querelas atque ærumnas in ſinum Dei effundere conatur, Spiritus ſanctus mentem & cogitationes eius ita dirigit, vt Chriſti potiùs, cuius ſe typum gerere ſciebat, dolores & ærumnas, quas propter peccata noſtra perpeſſurus eſſet, intueatur, atque horum dolorum & cruciatuum, deinde & liberationis ſecuturæ exemplo ſeſe confirmet, atque ex præſentibus doloribus eluctetur. Si enim illi dolores atque illa iniuria, quas tunc patiebatur Dauid, præludia tantùm & vix leuis quidam guſtus erant illorum maximorũ dolorum, quos Chriſtus propter peccata generis humani perpeſſurus erat, nõ decebat eum angi nimiùm aut dolore opprimi, ſed Chriſti, quem referebat, exemplo fortiter reſiſtere, & diuino auxilio adiutum feliciter vincere. Deinde & liberatio in Chriſto propoſita admonebat eum, vt ſtatueret has ærumnas & iniurias ab hoſtibus illatas non fore diuturnas. Quod enim capiti euenturum videbat, id ſibi quoque, qui typum eius gereret, certò polliceri poterat & debebat. Eaque cauſa eſt cur tanta vehementia poſt abſolutas preces, & liberationis ſpem conceptam, tam in ſuos quàm in Chriſti hoſtes inuehatur, iiſque perpetuum exitiũ imprecetur ac denuntiet. Ita igitur Dauid in hoc pſalmo ſuos dolores & ærumnas, quas non vno tempore ſed multis annis perpeſſus erat, exponit, vt principaliter ad Chriſti paſſionem reſpiciat, atque de ea multò antè vaticinetur. Ad hanc, exemplo Iohannis Euangeliſtæ, Petri & Pauli, Apoſtolorum, qui teſtimonia ex hoc pſalmo in hiſtoria paſſionis Chriſti exponenda citarũt, interpretationem noſtram accommodabimus: nec tamen Dauidem prorſus excludemus, cuius ærumnæ & pericula non tantùm occaſionem huic pſalmo ſcribendo præbuerunt, ſed imago & præludium quoddam horum maximorum Chriſti dolorum fuerunt.

1 AD triumphandum ſuper liliis, Dauidis [*ſcilicet pſalmus ſiue canticum.*]

De hoc titulo dictum eſt ſatis in interpretatione pſalmi 45. vnde ea petantur, quæ ad explicationem huius tituli facere poſſunt. Ego, quod tunc quoque oſtendi, in re dubia & incerta, potiſſimùm in eorum ſententiam inclino, qui dicunt, titulum hunc non tam pertinere ad argumentum pſalmi explicandum (variis enim & diuerſorum argumentorum pſalmis præfigitur), quàm vulgarem aliquam & notã cantilenam notari, ad cuius modulos hic pſalmus fuerit decantãdus. Græcus interpres & in hoc pſalmo & in cæteris, in quibus extat, interpretatur ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, fortè quia exiſtimauit dictionem eſſe factam à שנה quod mutare ſeu iterare ſignificat, & alteram literam ש ab initio adiici loco relatiui.

2 Serua me, Deus: quia intrarunt aquæ vſque ad animam.

Orditur animam à precatione, quæ eſt propoſitio. Petit enim vt ſeruetur in his periculis in quibus verſabatur, ne calamitatum mole aut dolorum magnitudine oppreſſus pereat. Huic petitioni ſubiicit rationem à neceſſitate ſumptam, in qua exponit magnitudinem periculorum & dolorum ſuorum. Ita petitioni ſubiicitur triſtis querela, in qua maxima pars pſalmi conſumitur, & quod fieri in huiuſmodi querelis ſolet, ſubinde miſcentur atque iterantur preces.

Vtitur autem figurata oratione in deſcribendis periculis: ea enim conuenit poëmati. Primò inquit: *Aquæ intrarunt ad animam*, id eſt, periculum eſt proximum, & iam imminet interitus, niſi tu properè accurras, meque extrahas: ſum enim ita immerſus in aquas, vt iam corpus ingrediantur & ad cor penetrent. Anima enim hic pro vita accipitur: quæ cùm periclitatur, dicunt Hebræi aquam penetraſſe ad animam, qua ſcilicet cor ſuffocetur. Nos Germani dicimus de eo qui in magnis eſt periculis: *Das vvaſſer begint im ins Maul zulauffen*, id eſt, iam penè deſperatũ eſt de eius ſalute, mox enim aquæ ſeu gurgites eum abſorbebũt. Talis etiam hæc eſt oratio. Aquæ enim in Scriptura ſæpe μεταληπτικῶς ſignificant ingentes afflictiones & pericula, ſicut pſalmo 18.32. & aliis dictum eſt. In Chriſtum verò effunditur ira Dei, tãquam torrens aquarum. Itaque emphaſin quandam habet hæc phraſis, cùm de illo intelligitur.

3 Demerſus ſum in lutum profunditatis, & non conſiſtentia, [*vt conſiſtere non poßim*] veni in profunditates aquarum, & fluctus aquæ inundauit me.

Sæpe per totum pſalmum iterat eaſdem querelas, aliis atque aliis verbis & figuris. Eaque iteratio magnitudinem dolorum & periculorum oſtendit. Lutum profundum metaphoricωs ſignificat anguſtias & difficultates, ex quibus humano conſilio aut viribus nemo euadere poteſt, atque ex quibus quo magis egredi aut expedire ſe quis conatur, eo altiùs ſe immergit. Tales ſunt dolores hominum de peccatis admiſſis, ex quibus nunquam homo emergere, niſi oblata diuina conſolatione poteſt. Et Chriſtus ſuſtinens noſtros dolores & noſtra peccata, immerſus eſt in hoc cœnum.

Vbi non eſt conſiſtentia] Id eſt, nullus eſt fundus, vbi pedem figere & conſiſtere queam: nulla enim datur requies aut relaxatio à dolore & periculis, ſed ſubinde nouus dolor, & noua pericula occurrunt, quę priora mala augent, meque ſubinde altiùs immergunt. Vide pſalmũ 40. qui videtur eſſe gratiarum actio ſcripta poſt hanc liberationem.

Veni in profunditates aquarum] Hoc congruit cum ſuperiori verſu. Quanquam profunditatibus aquarum figuratè volunt quidam notari occultas inſidias: nam & aquæ profunditas tecta latet. Sed accipio in genere de omnibus periculis, quæ ſimul vno tempore concurrebant. Fluctus aquarum nominat gurgites aquarum, quę cum magno impetu decurrunt aut deuoluuntur, omnia ſecum abripiunt & inuoluunt. שבלת enim propriè ſignificat id quod nos dicimus *den Strom*, fluxũ perpetuum aquarum in ſuum alueum magno impetu decurrentium. Quidam à ſibilo ſeu ſtrepitu, quem aquæ decurrentes edunt, nomen factum eſſe exiſtimant, vt vox Latina ſibilus non multum abludat ab Hebræa voce, ſed cætera vocabula ab eadem radice deducta oſtendunt, nomen factum eſſe à perpetuitate fluxus ſeu decurſus. Idem enim nomen & culmum ſeu calamum frumenti ſignificat, qui rectà à radice in ſpicam vſque decurrit: & שביל ſignificat actum ſeu ſemitam, quæ continuo ductu extenditur aut procurrit.

4 Defatigatus ſum dum clamo: exuſtum eſt guttur meum: defecerunt oculi mei expectando ad Deum meum.

5 Multiplicati ſunt ſupra capillos capitis mei, qui oderunt me gratis: roborati ſunt qui me conſtringunt: qui inimici mei ſunt falſò: quæ non rapui tunc exoluebam.

Pergit in inſtituta querela, in qua ex conſequentibus ſeu à ſignis ſuos dolores & pericula exprimit. Primùm autem mirabilis & raræ patientiæ exemplum hîc deſcribitur, tam in Dauide quàm in Chriſto. Cùm enim omnia eſſent deplorata, & pericula ſubinde augerentur, ille tamen non ceſſat clamare ad Deum, nec abiicit fiduciã ſuam: & quanquã corpus ſentit defatigari, & omnibus viribus ac ſenſibus defici, tamen animo non deſinit ad Deum reſpicere: atque ab eo auxilium expectare. Quo exemplo erudiri nos decet vt in noſtris calamitatibus & ærumnis, etiamſi auxiliũ aliquandiu differatur, non abiiciamus fiduciam noſtram. Deinde & magnitudo doloris cogitetur, quæ ei has aſſiduas querelas & preces expreſſit: non loquitur de vnius diei clamore, ſed cõtinuo. Poſtremò cùm de Chriſto cogitamus, noſtra nobis peccata veniãt in mentẽ, quæ illũ ita preſſerũt vt defatigaretur.

Defatigatus ſum clamando] Verba hæc non ceſſationẽ ſignificant, quaſi deſperato auxilio cùm nihil ſe proficere videret deſierit tandem clamare: ſed potius infatigabilem perſeuerantiã deſcribunt: ſicut & illa quæ ſequuntur. Significat enim ſe tãdiu clamaſſe, vt ſentiat vires corporis omnes eſſe abſũptas, & ſenſus externos defeciſſe. Interea tamẽ retinuit animi vigorem, in quo luxit fides Deum intuens: dicit enim ſe expectare interea ad Deum, hoc eſt, fide præſtolari eius auxilium.

Exuſtum eſt guttur] Scilicet ariditate. Nam aſſiduo clamore fauces exiccantur atque exaſperantur.

Oculi conſumpti ſunt] Spiritibus conſumptis oculi obſcurantur vt iam penè nihil videant, & omnia videantur tenebris inuolui.

Multiplicati

Multiplicati ſunt] Dixerat de internis pauoribus& doloribꝰ, quos ei afferebat ſenſus ſeu metus iræ & iudicij diuini aduerſus peccata. Fit enim non rarò, vt in calamitatibus multi in eam cogitationem veniant, vt exiſtiment illas ſuas ærumnas ſigna eſſe abiectionis à Deo. Nunc externa pericula cõmemorat, quæ ei foris afferebantur ex conſpiratione tot hoſtium aduerſus ſe: totus enim populus vno impetu in eum ferebatur & cupiebat extinctũ. Ideo dicit plures eſſes hoſtes quàm capitis capillos. Addit autem aduerſari hoſtes ſibi fruſtra, hoc eſt, ſine cauſa, aut nulla laceſſitos iniuria. Itẽ falsò, id eſt, nulla honeſta ratione aut conſilio, ſed tãtum ſtulta & furioſa nocẽdi cupiditate adductos. Ita ſuo exẽplo docet & dãdam nobis operam eſſe, ſi quando affligimur, ne noſtra culpa aut ſcelere attraxiſſe nobis illas calamitates, aut odia inimicorum aduerſus nos concitaſſe videamur, atque vt conſcientiæ bonæ teſtimonium opponere hoſtibus noſtris poſſimus. Non enim pati debemus, vt fures, latrones, ſeditioſi aut alij ſcelerati homines, vt rectè Petrus monet.

Dauid quidem non ſolum nulla affecerat Saulem aut populum iniuria, ſed multis etiã beneficiis eum affecerat, quod hiſtoria teſtatur. In Chriſto verò hoc magis conſpicitur. Ille enim non tantùm non læſerat quenquam, ſed & publicè & priuatim benefecerat omnibus: & in illa ipſa paſſione, quod maximum eſt, pœnas quas illi merebantur ſuſtinebat, atque in ſe transferebat. Pro tanto beneficio ille nihil reportat, niſi odium virulentiſſimum, & pericula ſibi accerſit grauiſſima. Non igitur miremur ſi aliis quoque id accidat.

Quæ non rapui reddebam] Id eſt, non tantùm fortunæ meæ mihi ab hoſtibus eripiuntur, ſed cogor inſuper illa probra & cõtumelias perferre, quaſi iniuſtè alios ſpoliauerim aut aliorũ bona rapuerim. Illud verò grauiſſimũ eſt. Multi enim mortem facilius ferunt quam illam ignominiam. Extat in hiſtoria eccleſiaſtica exemplum Vſthazanis eunuchi Saporis regis Perſarum aliquando pędagogi & fidi deinceps miniſtri: qui cùm iuſſu regis abducendus eſſet ad ſupplicium propter profeſſionem Chriſtianæ doctrinæ, hoc vnicum pro multis beneficiis in regem collatis & perpetua in rempub. fide ſibi reddi petiuit, ne tanquam infidus aut de familia regia malè meritus pœnas luere diceretur, vtque publicè facto præconio omnibus ſignificaretur, non aliam Vſthazanem ob cauſam interfici, quam quod Chriſtianam doctrinam amplexus ſolem adorare, aut diuinum ei cultũ exhibere noluerit. Id cùm impetraſſet, placidiſſimo animo mortem obiit, neque tam ſua quam aliorum cauſa lætatus eſt. Dauidi verò, imo Chriſto ipſi calamitas ipſa & dolores, de quibus hic queritur, multò grauiores atque acerbiores fuerunt, quòd cùm non tantùm nulla iniuria quenquam affeciſſet, ſed omnibus benefeciſſet, à falſis tamen calumniis & criminationibus immunis eſſe non potuit. Notum enim eſt ex hiſtoria, quæ ei crimina de ſeditionibus in hoc populo excitatis & aliis iniuriis ſint obiecta. De his igitur cõtumeliis hoc loco queritur: cumque hominum animos iniquiſſimis calumniis ac præiudiciis occupatos ſciat, ad Deum iuſtum iudicem prouocat, vt poſtea dicetur. Loquitur autem Dauid tanquam in lege Moſis inſtitutus. Ea enim præcipit, ſi quis furatus ſit bouem aut ouẽ, &c. & res furtiua apud eum inueniatur, vt reddat duplum. Si vendiderit, reddat quadruplum aut quintuplũ, pro vno quidẽ boue quatuor, pro vna oue quinque, Exodi. 22. Significat igitur ſe ab hoſtibus rapinæ & furti inſimulatum eſſe, ſibique bona omnia erepta eſſe pro compenſatione eorum quæ aliis extorſiſſe, vel per calumniam & fraudem rapuiſſe dicebatur. Interea omnes illas falſas criminationes & calũnias, quibus grauabatur, ſynecdochicè comprehendit: Cogebar, inquit, luere pœnas pro flagitiis quæ non admiſeram. Nonnulli argutius de Chriſto interpretantur hoc modo: Quæ nõ rapui ego ſolui, id eſt, Ego debita aliorum in me ſoluenda recepi, vt alij illa obligatione liberarentur. Chriſtus enim tranſtulit in ſe noſtra peccata, factus pro nobis maledictum, vt Paulus loquitur, & perſoluit debitum Legi pro nobis, atque ita obligationem omnem, qua nos aſtricti eramus ad maledictionem Legis & ad pœnas æternas, ſuſtulit.

6 Deus, tu noſti inſipientiam meam: & delicta mea non ſunt à te abſcondita.

Hoc verſu, quia iniquis hominum iudiciis ſe premi videbat, prouocat ad Deum tanquã ad iuſtum iudicem. Nõ enim propriè queritur ſe premi graui mole peccatorum, atque ideo in tantis ſe eſſe doloribus, vt plerique expoſuerũt, ſed malitioſè & falsò ſibi iſta crimina obiici ab hoſtibus affirmat, idque Deo, quem nihil lateat, notum eſſe oſtendit. Quare ironica locutio eſt in his verbis, in qua maior eſt emphaſis, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet: Tu noſti integritatem meam. Nam ex ſermonibus inimicorum ſuã innocentiam, quã illi publicè falſis calumniis traducebant, nominat inſipientiam, & delicta: quaſi dicat, Illi quidem talem me eſſe iudicant qui ex ſceleribus quaſi totus ſim conflatus: ſed quam hoc verum ſit, & quam ego ſtultè egerim, tu probè noſti, à cuius oculis & iudicio nihil eſt abſconditum. Similis locutio eſt Iere. 20. vbi Ieremias dicit: Decepiſti me Domine, hoſtium ſcilicet iudicio, qui exiſtimant me vana, aut nunquã euentura vaticinari, atque ita deceptum eſſe vanis ſomniis: cogor itaque ferre hanc contumeliam, quòd vanus & falſus ſim propheta: ſed cùm à te totum hoc ſit, ipſi ſentient aliquando quàm fuerim vanus propheta, & pœnas dabunt ſuæ blaſphemiæ. Qui ſimpliciter abſque ironia hunc verſum interpretantur, exiſtimant, Chriſtũ, quod noſtra peccata in ſe tranſtulerit, ea nominare ſuam inſipientiam & ſua delicta, non quòd ille ſe illis peccatis contaminarit, ſed quòd reatũ ſuſtinuerit & pœnas debitas perſoluerit. De termino igitur interpretantur, non de fundamento, vt in ſcholis loqui ſolemus. Auguſtinus multùm laborat, vt oſtendat quomodo peccata noſtra dicantur Chriſti. Dicit enim ex ore totius corporis Chriſtum hæc dicere. Fuit enim delictorum ſuſceptor non commiſſor.

Nomen אולת quod ſtultitiam ſignificat, ſæpe in Scriptura in peccati ſignificatione accipitur vt ſupra pſalm. 38. Diffluxerunt aut putruerunt liuores mei à facie ſtultitiæ meæ. Idẽ fit in altero vocabulo huic vicino נבלה 2. Sam. 13. Noli facere ſtultitiam hanc. Auguſtinus reddit imprudentiam, & ſuo more in interpretatione rhetoricatur: dicit hõminum iudicio imprudentiam videri aut ſtultitiam ſummam, quòd ſe morti pro aliorum ſalute obiiciat, cùm quidem inimicos habeat in ſua poteſtate: ſed hanc imprudentiam ſuam ſummam eſſe ſapientiam, & affert ſimilitudinem de agricola, qui ſemen coniiciens in terrã videtur ſtultè facere: ſed quod nõ ſit imprudentia, ſpes vberis prouentus efficit. Hæc quanquã ſuo loco rectè dicuntur, vt alia eiuſdẽ interpretis multa, videntur tamen aliena ab hoc loco. Sæpe autẽ huic interpreti & aliis accidit, quod dici ſolet: καλῶς τρέχειν, ἀλλ' ἐκτὸς ὁδοῦ.

7 Ne erubeſcant in me, qui te expectant Domine Iehoua exercituum: ne pudefiant in me, qui quærunt te Deus Iſrael.

Addit propoſitioni aliam rationem ſumptam à cauſa finali: Ideo ſerua me, quia pij omnes, qui reliqui ſunt in hoc populo, intuentur in meum exemplum, & futurum eſt vt ſi ego deſerar abs te, aut peream in his ærũnis & periculis, omnes deinceps abiecta fiducia deſperent: ſciunt enim me iniuſtè premi ab inimicis meis, & abs te ſolo opem expectare: econtra verò confirmabitur ſpes & fiducia illorum, ſi præſto mihi fueris, & oſtenderis te iniuſte oppreſſos non deſerere aut negligere.

Ne erubeſcant] Id eſt, ne excidant ſpe ſuã, non labefactetur eorũ fides & fiducia meo interitu. Quòd toties repetit illas voces *Domine, Iehoua, Deus Iſrael*, vehemens animi deſideriũ & fiduciam ſuam exprimit. Sunt enim illæ iterationes in magnis periculis, in quibus deſiderium auxilij ſubinde creſcit, vſitatæ. Eſt inquit, Adonai, & eſt Iehoua. Ergo poteſt ſeruare in maximis periculis, etiam in morte ipſa: ac tutò in hunc coniiciuntur omnes curæ. Deinde cùm nominat Deum Iſraelis, oſtendit ſe intueri promiſſiones Iſraeli factas, iiſque certa fiducia niti. Non tantùm poteſt ſeruare, ſed etiam oſtendit ſe velle confugientes ad ſe eripere ex periculis. Ita argumenta à facultate & voluntate ſeu promptitudine, quæ in verbo oſtenſa erat, huic rationi aſperguntur.

8 Quia propter te ſuſtinui opprobrium: operuit ignominia faciem meam.

Addit aliam rationem propoſitioni, quæ ſumpta eſt à cauſa impulſiua. Ideo etiam ſerua me, quia non propter aliquod meum delictum ſeu ſcelus, ſicut illi malitioſè mihi obiiciunt, in tantum apud ipſos veni odium & periculum: ſed tantùm, quia tuæ vocationi obtempero, & tuum nomen profiteor. Ideo enim tantopere in me ſæuiunt, méque tanquam ſeditioſum ſeu latronem conuitiis proſcindunt, quòd oſtendo & affirmo, me non priuata aliqua cupiditate adductum appetere hoc regnum in populo Dei, ſed diuino mandato & iuſſu electũ & cõfirmatũ nõ debuiſſe Deo vocãti repugnare. Cùm igitur mihi cauſa tecũ ſit communis, nõ deſeras me nec patiaris me opprimi iſtis iniuſtis calumniis & criminationibus. Hæc eſt ſententia huius verſus, ſi de Dauide intelligatur. Poſtea & ad Chriſtum accõmodetur. Ille quoque ſimilia ſuſtinet opprobria, quod ſibi rapiat vocationem præter mãdatum diuinum, ſtudio creſcendi: ideóque turbas & ſeditiones excitet in populo, quem ab ordinario magiſtratu abducere conetur. Talia enim ei obiecta eſſe à Pontificibus oſtendit hiſtoria paſſionis. Sicut autem Dauid & Chriſtus ex hac re præcipuam capiunt conſolationem, & certam liberationis ſpem concipiunt, quòd ſciũt & criminationes illas in-

iuſtas eſſe, & vocationem ſuam eiuſque opera niti mandato diuino: ita nos quoque ſi nihil extra vocationem tentemus, & mundus in nos inſurgat propter doctrinæ & fidei confeſſionem, certò ſperemus Deum nobis adfuturum, & non ſolùm illas calumnias & criminationes refutaturum: ſed ingenti inſuper gloria nos ornaturum eſſe. Sicut inquit, Glorificãtes me glorificabo, 1 Sam. 2. Eſtque hac conſolatione nobis hoc tempore inprimis opus: quo non tantùm à Pontificiis & manifeſtis hoſtibus, ſed etiam à falſis fratribus conuitiis proſcindimur, & multis mendaciis deformamur.

Eſt autem hic verſus explicatio ſexti, in quo dixerat Deo ſuam inſipientiam & delicta eſſe nota, nunc enim addit, ſe quidem nullum ſuum ob ſcelus venire in tantum odium, ſed tãtùm quia nomen diuinum profiteatur & vocationi obtemperet. Ideo Deum non latere, qualis ſit illa ſtultitia, quam aduerſarij toties homini innocenti obiiciebant.

Ignominia operuit faciem meam] Id eſt, tot probra in me iaciunt, tótque conuitiis me proſcindunt, vt nemo ferè ampliùs adſpectum meum ſuſtineat, ſed vt omnes à me tanquam homine contaminato refugiant, ego quoq; deiicere oculos tãquam κάθαρμα aliquod cogar.

9 Extraneus factus ſum fratribus meis, & alienus filiis fratris mei.

Amplificat priorem ſententiam ſeu querelam à circunſtantia perſonarum. In tantum, inquit, veni odium, vt non tantùm peregrini me deſerant, ſed etiã conſanguinei & propinqui, imò fratres quoque vterini à ſe repellant tanquam ignotum & nullo ſanguinis vinculo ipſis coniunctum. Non enim volunt propter me diſcrimen aliquod adire. Hæc calamitas dolorem auget in bonis, ſed diſcamus exemplo Dauidis & Chriſti etiam hoc malum ferre patienter, & de felici exitu eo certiùs ſperare.

10 Quia zelus domus tuę comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

Rurſus amplificat querelam à cauſa impulſiua & finali. Dicit enim ſe ardere ingenti zelo aſſerendæ glorię ſeu nominis diuini, quod cõtumelia affici ab hoſtibus videat: ideoque falſas ipſorum perſuaſiones ſeu prauas opiniones, præpoſterúmque in colendo Deo ſtudium & fictam pietatem toto animo execrari & odiſſe, ac vehementer dolere quòd videat eos qui nomen eccleſię ſeu populi Dei vſurpant, adeo non eſſe veros Dei cultores, vt illi ipſi ſint qui eccleſiam opprimere ac delere conentur. Tales enim erant Saul & ipſius aſſentatores. Nec dubium eſt quin hanc impietatem ſæpe apertè reprehenderit & caſtigarit Dauid in Saule & eius ſatellitio, ſicut & Chriſtus in Phariſæis & Sadducæis, vt teſtatur Ioh. 2. adducens hoc ipſum teſtimonium, & ad Chriſtum accommodans: eámque ob cauſam illi tantum odium aduerſus vtrumque conceperunt, ipſóſque publicè deformarunt, vt dicerent eſſe hæreticos, blaſphemos, hoſtes Dei, indignos qui inter membra populi Dei cenſerentur. His verò ſuis iniuriis & contumeliis non tam ſe moueri & affici dicit Dauid & deinde Chriſtus, quam illo publico malo & calamitate, quòd videat domum Dei ſeu eccleſiam opprimi, deprauata & corrupta vera de Deo doctrina, & ſincero Dei cultu planè euerſo. Hoc igitur eſt quod inquit: *Zelus domus tua comedit* vel abſumpſit *me*, id eſt, dolor quem capio ex vaſtata domo tua conſumit me. Eſt enim zelus mixtus affectus ex amore & dolore ſeu indignatione. Eſt enim amor certæ rei ardens & vehemens dolor ſeu indignatio orta vel ex alienatione, vel ex violatione, ſeu indigna tractatione eius rei. Alij definiunt eſſe affectum in parte concupiſcente: vnde ſequatur vehemẽs dolor ob rem quam non aſſequimur, vel ſi habeamus alios participes.

Opprobria exprobrantium tibi ciciderunt ſuper me] Id eſt, ego iudicabam illa opprobria & contumelias, quibus nomen tuũ deformabatur, dum vel de doctrina vel de cultu diuino prauas conciperent opiniones, & falſa atque impia dogmata ſpargerent, ad me quoque pertinere, iiſque multo magis quam priuatis illis iniuriis afficiebar. Imò his probris ideo imprimis afficior, quia oſtendo me ægrè ferre & improbare illas profanationes nominis tui. Eſt itaque mihi tecum cauſa communis, eóque libentius ac promptiùs ſuccurrere atque opem ferre debes. Paulus Rom. 15. de Chriſto ita interpretatur, vt opprobria intelligat peccata noſtra & reatum: qua de re ſuo loco dici poteſt & debet copioſiùs.

Quem autem affectum Dauid & Chriſtus hic ſibi tribuit, debet ille eſſe & conſpici in omnibus piis: quoties enim affici vident Dei nomen indignis contumeliis, debent affici ingenti dolore & flagrare zelo depellendæ iſtius contumeliæ. Nimis enim frigidus eſt amor Dei & nimis pigrũ pectus, quod dolore violatæ glorię Dei non afficitur: & imprimis ille affectus eſſe debet in doctoribus & miniſtris eccleſiæ. Priuatas iniurias ſeu maledicta contemnere & deuorare debent: ſed vbi de gloria diuina agitur, debent iuſtam concipere indignationem & feruorem. Vbi tamen videndum eſt vt zelus ſit purus & ritè compoſitus, ne miſceantur priuati affectus, aut ne zelus ſit intempeſtiuus, qualis ille fuit Audæ epiſcopi, qui in Perſia euertit ſacellum idolorum, vnde rex commotus omnia templa Chriſtianorum euerti iuſſit, vt refert Theodoret. lib. 5. vel etiam ne careat ſciẽtia, vt monet Paulus Rom. 10. Ὁμοίως γὰρ ἄχρηστα καὶ νωθρότης ἀπρακτος, καὶ θερμότης ἀπαίδευτος, vt Gregorius inquit: & quidem ſatius eſt in defectu hic peccare, quã in exceſſu, καὶ γὰρ ἀργὸς ἔστι μᾶλλον τοῦ δέοντος ἢ περίεργος δέχομαι, εἰ μὴ ἀμφότερα διαφθέγγειν ἐξῇ, καὶ μετρίου τυγχάνειν, καὶ δειλότερος μᾶλλον τοῦ δέοντος ἢ θρασύτερος, iuxta eundem Gregorium. Deinde ſicut Chriſtus opprobria aliorum in ſe tranſtulit: ita & nos infirmitates aliorum portare, nec placere nobis ipſis debemus iuxta Pauli admonitionem.

11 Et fleui in ieiunio animę meę [*vel, vt alij in ablatiuo, anima mea:*] & fuit in opprobria mihi.

12 Et poſui veſtimentum meum ſaccum: & factus ſum illis in parabolam [*dicterium.*]

13 Loquebantur aduerſus me qui ſedebant in porta: & in me pſallebant [*organa muſica ſcilicet erant his*] qui bibebant vinum.

Addit πάθος à ſigno ſui doloris, quo ipſo quoque oſtendit qualis hic fuerit zelus. Nam cum contradicendo aut reprehendẽdo iuxta vocationem ſuam errores in doctrina & falſos cultus, & ſimulatam ſuorum hoſtium ſanctimoniam, non tantùm nihil proficeret, ſed potiùs rabiem ipſorum magis aduerſus ſe accenderet, ipſe tamẽ dolorem illum ſeu zelum non abiicit, ſed luctu & lacrymis aſſiduis teſtatus eſt, nihil ſibi eo acerbius eſſe, quòd videret ſacrum Dei nomen contumeliis expoſitum eſſe, atque ita, cùm aliter non poſſet, Deo ſatisfecit. Sed quid conſequutus eſt, aut quid effecit hac corporis ſui maceratione? Coram hominibus aliud nihil quàm vt ludibrio ſeſe proſtitueret & ridendum præberet. Ideo inquit eam ipſam rem factã ſibi eſſe in opprobriũ, & ſe factum fuiſſe illis dicterium ſeu fabulam. Solent enim homines Epicurei & profani ridere piorum facta omnia, iiſque illudere tanquã ſtolidis hominibus, qui propter futilẽ religionis cauſam (ita enim iudicant) tanto odio & periculis ſe exponant, ſibíque vltro dolores & ærumnas accerſant. Ideo addit, Paſſim ſedentes in porta, & locis publicorum congreſſuum ſeſe oblectare his ſermonibus, & cantilenas etiam de hac re componere, quibus ſe in conuiuiis exhilarent.

In ieiunio anima mea] Hoc eſt, cùm anima eſſet oppreſſa ingenti dolore, & pre dolore ieiunio affligerem animã meam. Vel certè legatur in ablatiuo, Fleui anima mea, *Ich hab von hertzen gevveint.* quaſi diceret, nõ fuit dolor ſimulatus aut effictus, neque vi expreſſæ lacrymæ: ſed fuit ſerius & ardens, atque ex ipſo animo & corde profectus. Ieiunia autem & ſaccus erant inſignia luctus apud Iudæos. Eſtque metonymia in oratione, in qua per ſignum voluit exprimere rem ſignatam. Ieiunaui, indui ſaccum, id eſt, fui in dolore & luctu, idque aſſiduis ieiuniis & veſtitu lugubri oſtendi.

Qui ſedent in porta] Hac forma præcipuè notat & taxat eos qui erant in aliqua dignitate ſeu autoritate: vt erant iudices & ſeniores plebis, qui ſedere & conuenire ſolebant in loco publicorum iudiciorum, vbi de repub. & rebus ſeriis agendum erat. Iudicia enim exercebantur in portis, Ruth 4. Qui igitur, inquit, defenſores eſſe debebant meæ innocentiæ, hi captant conſilium de me euertendo.

Altera forma notat homines plebeios & leues, qui ad compotationes conuenire, ibíque ludis aut ſermonibus fabuloſis & ſcurrilibus ſeſe oblectare ſolebant. Tales congreſſus, inquit, nunquam fiunt quin nomen meum ibi audiatur, & per riſum paſſim apud omnes traducatur.

14 Ego autem, precatio mea ad te, Iehoua, tempore beneplaciti: Deus, in multitudine clementiæ tuę, reſponde mihi in veritate ſalutis meę.

Poſt longas & triſtes querelas redit ad precationem, à qua pſalmum quidem exorſus erat, ſed eam tunc mox abruperat cogitatio imminentiũ periculorũ. Repetit igitur propoſitionem pſalmi, eáque ſubinde iterat, adhibitis verborum & orationis luminibus, ſicut in ſequẽtibus verſibus videbimus. Eſt autem fidei conſtantia conſideranda in Dauide & Chriſto, qui tantis periculorum procellis non deiiciuntur, vt animos deſpondeant: ſed his ipſis excitantur, vt ad Deum confugiant ardentiùs, ſuíſque malis remedium quærant. Suo igitur exemplo vterque nos docet, ne periculorum magnitudine

tudine fracti fiduciam noſtram & ſpem abiiciamus: Deinde ne in illa animorum anguſtia aliò quàm ad Deum confugiamus, atque inde opem & auxilium petamus. Homines impij & profani in vtroque peccant vehementer. Sicut enim in rebus ſecundis ſunt inſolentes & feroces, & non tantùm homines, ſed Deum & iudicium eius contemnunt ac rident: ita in aduerſis animo ſunt abiectiſſimo, quia deſtituūtur vera conſolatione. Deinde, quia Deum iratum eſſe exiſtimant, non audent oculos ad cælum attollere, ſed conuertunt ſe ad humana præſidia, vel alia quærunt illicita remedia quibus ſuis malis medeantur. His verò adeo nihil proficiunt, vt altiùs etiam in calamitates ſe immergant, & tandem in certiſſimam mortem & interitum coniiciantur. Dauidis igitur & Chriſti exemplo hic diſcamus, quomodo mederi poſſimus noſtris malis, & quomodo euadere ex calamitatib⁹ poſſim⁹.

Ego oratio mea ad Dominum] Id eſt, cùm pericula ſint grauiſſima, atque omnibus rebus externis deſtituar, & videā me deſertum eſſe ab omnibus creaturis, ego me ad te conuerto, ad te confugio, petens & expectans opem & auxilium.

אני Annotant Grammatici interdum peculiari modo vſurpari pro לי vt ſit nominatiuus poſitus loco datiui, vt pſalmo 109. Pro dilectione mea ipſi aduerſabantur mihi, at ego oratio, id eſt, meum erat orare, vel ego orabam. Eccleſ. 8. Ego os regis ſeruare, id eſt, meum eſt os regis obſeruare, vel, mihi hoc incumbit vt obſeruem, &c. 1. Sam. 2. Nunquid defectus furioſorum ego pro mihi. Ita hoc loco, Ego oratio mea, id eſt, ego in his periculis, poſtquam omnia tentaui, quæ ad ſanandos ſeu conciliandos hoſtes valere debebant, nec tamen quicquam proficio, nihil aliud poſſum nec debeo facere quā vt ad te confugiam, & meas curas omnes in te coniiciam.

Ego precatio] Id eſt, meum eſt orare, vel ego precatus ſum.

Tempore beneplaciti] Id eſt, dum Deus adhuc prope eſt, & dū inueniri poteſt, ſicut hoc Ieſa. exponit cap. 55. Antequā enim iram ſuam accendat Deus, exaudit & eſt exorabilis.

Reſpicit autem hac phraſi ad morem principum, à quibus tempore beneuolentiæ omnia læta ſperantur. Alij ita exponunt: Precatus ſum vt veniret tempus beneplaciti, & Deus mihi propitius eſſe inciperet.

Alij tanquam conſolationem ſeu vaticinium de futura liberatione interpretantur, quaſi diceret, Quanquam vndique me circunſtant mala, & nihil video me orando proficere, tamen erunt Dei beneplacito ſuæ vices, eritq; tandem aliquis malorum finis. Hi vocem אלהים quæ ad ſequens membrū pertinet, vt monet accentus, coniungunt cum præcedenti membro. Tempus beneplaciti Deus, ſcilicet, erit. ſed ſequor receptam interpretationem, quæ rectiùs cum Grammatica diſtinctione & cum tota oratione conſentit.

In multitudine bonitatis] Id eſt, Ego ad te confugio fretus bonitate tua, qua omnes ad te confugientes exaudis & recipis. Non affero in conſpectum tuū merita, aut iuſtitiam meā, ſed tantùm ad tuam bonitatem, & miſericordiam reſpicio, quæ cùm multa & magna ſit, non me repelles aut repudiabis. Ita petitioni admiſcet cauſam impulſiuam, qua non tantùm Deum excitat ad audiendas preces, ſed ſuam etiam fiduciam confirmat. Qui enim merita ſua allegant, eos neceſſe eſt ſemper dubitare an audiantur, tandem etiam prorſus deſperare, ſed qui miſericordia & bonitate Dei freti ad eum accedunt, habent certam ſpem & fiduciam, quia ſciunt Deum nunquam ſuam naturam deponere aut mutare, & hunc fontem diuinæ miſericordiæ nunquam exareſcere.

Exaudi me] Accentus Reuia oſtendit ordinē orationis eſſe inuerſum, & ſic legi debere.

In veritate ſalutis exaudi me] Referendum eſt igitur verbum hoc tam ad præcedens, quàm ad ſequens membrum hoc modo:

In multitudine bonitatis tuæ, & veritate ſalutis tuæ exaudi me ô Deus] Veritatē ſalutis intelligit veram ſalutem ſeu liberationem, quæ ipſo effectu oſtendat Deum eſſe miſericordem & bonum erga omnes, qui ſalutem & opem ab ipſo expectant & quærunt. Item, quæ non fallat ſpem piorum, ſicut de hominum ſalute paſſim dicitur, & experientia teſtatur quòd vana ſit.

15 Erue me de luto ne immergar: liberer ab aduerſariis [*oſoribus*] meis, & à profundis aquarum.

Hic verſus & ſequentes ſubinde repetunt precationem, vt liberetur à calamitatibus & periculis, quibus erat circumuentus. Sicut autem antea in querelis, variis figuris & ſimilitudinibus pericula ſuā exponebat; ita nunc rurſus in precatione vtitur iiſdem figuris, atque ita argumentum à magnitudine periculi ſubinde propoſitioni aſpergit. Quæ igitur de luto & aquis antea dicta ſunt, hîc repetantur.

16 Ne inundet me fluctus aquarum, & ne abſorbeat [*deglutiat*] me profunditas: & non claudat ſuper me puteus os ſuum.

Duo priora mēbra antea in querela ſunt expoſita: poſtremi verò membri eadem eſt ſententia. Cùm enim petit ne puteus claudat ſuper ipſum os ſuum, petit ne mole afflictionū obruatur, aut ne à dolore abſorbeatur, tanquam in voraginem demiſſus, vnde egredi rurſus non poſſit. Sum, inquit, in magno dolore & anguſtiis, tanquam in altum puteum demiſſus & concluſus vbi lucem aſpicere nequeo, aut vbi nulla conſolatio ſeſe offert: ſed tu Domine non permittas vt puteus claudat os ſuum, atque mihi omnis ſpes liberationis præcidatur.

17 Reſponde mihi [*exaudi me*] Iehoua, quia bona eſt clementia tua: in multitudine miſerationum tuarum reſpice ad me.

Repetitio petitionis, vt exaudiatur per miſericordiam, oſtendit Dauidem in ipſa precatione oppugnari cogitationibus de indignitate: idque omnes ſancti experiuntur, quoties ad Deum accedunt. Sicut autem Dauid has tentationes repellit, cogitatione & fiducia miſericordiæ diuinę, quæ eſt gratuita: Ita nos quoque in ſimilibus tentationibus, diſcamus fiducia promiſſionis gratuitę nos erigere & confirmare. Aliòqui enim niſi hęc arma arripiamus, facilè nobis omnis conſolatio in hac difficili lucta excutitur.

Reſpice ad me] Deus quidem nunquam auertit faciem ſuam à piis. Sunt enim oculi eius intenti in pauperem, ſicut dicitur Pſal. 10. Cur igitur petit ſe reſpici? Reſpondeo, hoc ad ſenſum piorum eſt referendum. Nam caro in calamitatibus iudicat Deum auertiſſe faciem & abieciſſe curam noſtri. Tunc vero iudicat Deum nos reſpicere, cùm reipſa oſtendit ſibi hactenus ſuos fuiſſe curę, hoc eſt, cùm liberat eos. Idem igitur eſt ac ſi diceret, libera me, vt certò videam me tibi curę eſſe.

18 Et ne abſcondas faciem tuam à ſeruo tuo, quoniam anguſtia mihi: feſtina, exaudi me [*id eſt, citò exaudi me.*]

Etiam hic verſus oſtendit quales tentationes animum eius verberarint. Cùm enim mora intercederet, nec mox ad primas preces Deus ſuccurreret, iudicabat caro Deum abſcondiſſe faciem ſuam, hoc eſt, nullam ampliùs eius curā agere, nec affici eius calamitatibus & periculis, ſed abieciſſe eum, tāquam indignum cui opem ferret. Hęc ei caro ſuggerebat, & nos ſimilibus cogitationibus in periculis diuexamur. Itaque exēplo Dauidis & Chriſti diſcamus retinere fidem, & precibus inſtare, quoties illæ curę nos turbant, aut fidem noſtram tentant. Verbo abſcondendi ſignificatur geſtus recuſantis audire.

A ſeruo tuo] Adſpergit propoſitioni aliud argumentum à gratuita adoptione ſeu electione. Ego ſum, inquit, ſeruus tuus, quem ſcilicet ſemel adoptaſti, & à quo voluiſti agnoſci ac coli. Non igitur me deſeras. Non iactat Dauid merita aut obſequia ſua cùm ſe nominat ſeruum Dei: ſed ad illam primam adoptionem reſpicit. Non enim fit ſeruus Dei, niſi ab ipſo adoptatus, & quaſi in domum Dei collocatus, poſtea etiam hoc locum ſuum habet, vt ſeruus ſit fidelis, præſtet ſua obſequia Domino, & viciſſim à Domino expectet defenſionem. Itaque ſimul, cùm ſe nominat ſeruum Dei, de ſua pietate & conſtantia in profeſſione doctrinę teſtatur: & verum eſt hanc impetrare vel mitigationem calamitatum, vel liberationem: ſed illis obſequiis fides noſtra non nititur, vt alibi dicitur copioſiùs.

19 Accede ad animam meam: libera eam: propter inimicos meos redime me.

Iterum ex carnis ſenſu iudicat Deum longè abeſſe, nec curam ſui agere, quia non mox opem ferat. Ideo petit vt propè accedat, atque ita fides vincit illas dubitationes & latratus carnis.

Propter inimicos meos] Addit cauſam finalem, ne ſcilicet inimici de me glorientur, ne confirmentur in ſua impietate & ſcelere, ſi videant me in cauſa honeſta occumbere, ſibíque in maleficio ſuccedere, néve deinceps pergant oppugnare bonos & innocentes.

20 Tu noſti opprobrium meum, & confuſionem meam, & ignominiam meam: coram te omnes aduerſarij mei.

21 Opprobrium fregit cor meum, & afflictus ſum: & expectaui vt commoueretur [*condoleret*] aliquis, ſed nemo erat: & conſolatores, & non inueni.

22 Et poſuerunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

Redit ad querelam. Nam quia proximo verſu inimicorum mentionem fecerat, horum rabiem & furorem nunc pluribus depingit. Et quia ſcit Deum certò vlciſci iniurias factas hominibus piis, ad hunc iudicium de aduerſariorum malitia & odio implacabili deuoluit. Domine, inquit, Tu noſti opprobrium, quaſi dicat, tu vides quanta rabie in me ſæuiant, quanta virulentia & odio me oppugnent, & tollere è medio conentur hoſtes, nec tamen pericula illa, in quibus verſor, tantum mihi adferunt dolorem, quantum illæ contumelioſæ voces quibus me iniuſtiſſimè traducunt & deformãt, dum me ſeditioſum, crudelem, perfidum, turbatorem publicæ tranquillitatis, & regnandi cupidum proclamant. Hæc probra, ex iniuſtiſſimo aduerſariorum odio profecta, tibi non ſunt ignota. Et tu vides qualis ſit numerus eorum qui tam acerbè me inſectantur, ac vitæ meæ inſidiantur. Hæc eſt ſententia primi verſus, in quo diuerſis vocabulis illas contumelias depingit, vt magnitudinem ſui doloris exprimat.

Sequenti verſu primo amplificat illam ſententiam ab effectu. Dicit enim illas calumnias, & falſas criminationes fregiſſe cor ſuum. Etſi enim ſciebat ſe nihil horum admiſiſſe, quæ ab aduerſariis ſibi obiiciebantur, ſéque teſtimonio ſuæ conſcientiæ ſuſtentabat vt ſuprà vidimus: tamen dolebat talia de ſe ſpargi in populo Dei, in quo multi imbecilliores, vel autoritate hoſtium moti, vel etiam ſua credulitate decepti fidem habebant dictis, & in Dauide offendebantur, vt fierent alieniores à doctrina. Dici enim ſolet,

Φήμη δ᾽ οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα πολλοὶ
φημίζουσι κακοί.

Et alioqui iudicabat boni viri eſſe, non tantùm crimine ſed etiam ſuſpicione criminis carere: quemadmodum Cæſar de ſua domo dicere ſolebat. Hinc igitur erat ille dolor & illa vulnera, quæ cordi ſuo ita altè infixa eſſe conqueritur, vt vitam omnem ſibi acerbam & difficilem reddant, adeóque de ſalute penè deſperare cogant. Cæterùm, quòd Dauid de ſe conqueritur, idem alij qui cauſam & fatum cum illo habent commune, in eccleſia experiuntur. Videmus enim quid omnibus ætatibus hominibus piis, & præſertim doctoribus & miniſtris eccleſiarum acciderit, & quid hoc tempore illis accidat qui de eccleſia & ſtudiis literarum optimè ſunt meriti, non ſine ingenti dolore recordamur. Sed hi exemplo Dauidis & Chriſti ſe conſolentur & confirment, & quam Spiritus ſanctus in hoc pſalmo pœnam calumniatoribus Dauidis & Chriſti imprecatur, eam horum quoque aduerſarij ſe non effugituros certò ſibi perſuadeant. Græcus interpres hunc verſum ſic reddit: *ὀνειδισμὸν προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου καὶ ταλαιπωρίαν.*

Legit enim שברה pro שברח *Sabrah pro Schabrah.*

Et expectaui qui commiſeraretur] Rurſus vt verſu nono amplificat querelam à perfidia amicorum. Ad illa triſtia vulnera & dolores, quos capiebat ex falſis criminationibus, inſectatione & odiis inimicorum, accedebat amicorum perfidia, qui vel metu potentiorum, vel ſtudio creſcendi in aula, vel quadam leuitate qua plerique laborant (*φύσει γὰρ εὐμετάβολον ζῷον ὁ φίλος*) ab amicitia eius diſceſſerant, vt nemo in tanto amicorum numero eſſet, qui vel dolore ſe affici oſtenderet, vel in quem dolorẽ ſuum exonerare poſſet. Hoc verò triſtiſſimum eſt in iniuſta calamitate, neminem videlicet inuenire, qui condoleat, aut qui dolorem lenire aliquo officio ſtudeat, cùm tamen natura homines penè ita ſint affecti, vt plerique commiſeratione aliqua ſe moueri oſtendant.

נוד quidam interpretantur verbo narrandi, & putant prophetam quæſiuiſſe in quos effunderet ſuas querimonias. Sicut enim lacrymis expletur egeritúrque dolor: ita quoque ſi apud amicum deponere poſſimus noſtros dolores, capimus inde aliquid leuationis. ſed verbum Hebræum propriè ſignificat mouere ſe ocyus vel aufugere: poſtea per metaphoram ſignificat illum geſtum condolentis, quando quis communem dolorem ſuum quem habet cum altero, commotione capitis oſtendit. Ad illum igitur geſtum condolentium dicit ſe reſpexiſſe, ídque Græcus reddidit, quæſiuiſſe, & expectaſſe *συλλυπούμενον*, ſed neminem fuiſſe inuentum qui ipſius calamitate afficeretur: quin potiùs tantam fuiſſe odiorum acerbitatem & virulentiam in omnibus, vt ſuis ſannis, probris & ſarcaſmis ærũnas, quas ſuſtinebat, fecerint triſtiores & grauiores. Id enim ſignificatur metaphoricè, vocabulis fellis & aceti. Pro cibo & potu inquit, hoc eſt, pro cõſolatione & officiis, quibus leuare dolorem debebant, ipſi cõiiciunt in me probra, & amarulentis irriſionibus dolorem meum augent. Interea verò Chriſto, de quo imprimis propheta loquitur, reuera hoc accidit, vt in paſſione, cùm ſitire ſe diceret, potaretur aceto. Oportuit enim hoc viſibiliter in Chriſto repræſentari, quod de ſe figuratè Dauid affirmat, quemadmodum & pſal. 22. de diuiſione veſtium dici poteſt.

23 Sit menſa eorum coram ipſis in laqueum: & pacifica in rete.

24 Obtenebrentur oculi eorum ne videant: & lumbos eorum ſemper fac tremiſcere.

25 Effunde ſuper eos indignationem tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

26 Sit palatium eorum deſertum: in tabernaculis eorum non ſit habitans.

Addit diras imprecationes, quibus ſuos hoſtes æterno exitio & damnationi deuouet & addicit. Habent autem illæ imprecationes vim vaticinij: vt alibi etiam monuimus. De illis verò imprecationibus ſanctorum, quid ſentiendum ſit, dictũ eſt aliàs ſæpe, & inprimis pſal. 54. & 59. Non proficiſcuntur illæ imprecationes ex prauis ſeu turbidis affectibus, quaſi voluptatem capiant ex interitu aliorum, aut vindictam expetant, ſed, vt Auguſtinus inquit, ex zelo iuſtitiæ, vt in interitu impiorum laudetur Dei iuſtitia, & veritas Dei confirmetur. Deinde vt ceſſet etiam perſecutio, & pax eccleſiæ reſtituatur. Ita igitur Dauid ſuis hoſtibus, & Chriſtus blaſphemis Iudæis, atque adeo omnibus, qui ſcientes & volentes agnitam doctrinam oppugnant, imprecatur exitium, non adductus priuata cupiditate, ſed amore iuſtitiæ & gloriæ diuinæ. Citantur autem hi verſus à Paulo Rom. 11. de abiectione Iudæorum.

Sit menſa eorum in laqueum] Metaphoræ ſunt quibus ſimpliciter hoc petit, vt omnia quæ illis in vitam & proſperam commoditatem deſtinata erant, Deus conuertat in exitium. Menſa enim *συνεκδοχικῶς* accipitur pro cibo & potu, atque adeo pro omnibus rebus quibus ad hanc vitam ſuſtentandã opus eſt, aut vnde lætitiam & iucunditatem homines ſibi quærunt. vult igitur dicere: quemadmodum infœlices aues eo ipſo alliciuntur ad mortem, vnde vitam petunt: ſic Iudæis in mortem cedat illud ex quo vno vitam captant. illud verò plerìſque nihil aliud eſt quam omnium bonorum corporalium affluentia, quæ hîc menſarum lautè inſtructarum appellatione veniunt. *Pacifica* nominat proſperum ſtatum aut fœlicem omnium rerum ſucceſſum. His rebus omnibus dum ad ſatietatem fruuntur impij, exiſtimãt ſe planè beatos eſſe, nec quicquam ſibi ad felicitatem deeſſe: ſed conuertuntur ea ipſis in laqueos & offendicula, vt tandem miſere corruant & pereant in ſuis voluptatibus.

Alij etiam menſam interpretantur ſacram ſcripturam, quæ illis fuit tanquam menſa ſaluberrimis epulis inſtructa.

Græcus vocem Hebræam לשלומים reddidit *εἰς ἀνταπόδοσιν* quam interpretationem plerique ſequuntur, quaſi eadem ſit vox cum שלמים.

Obtenebrentur oculi eorum] Oculos intelligit non tam corporis quàm mentis. Eſt igitur hæc ſententia. Priua eos ratione & conſilio, vt nihil videant, nihil intelligant, ſint ſtupidi & ſine conſilio in rebus agendis, non videant nec intelligant mala ſibi imminentia. Ita congruit hoc cum dicto quod citat Lycurgus in oratione contra Leocratem:

Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,
Auferre mentem talibus primum ſolet,
Caliginémque offundit, vt ruant ſuas
Furenter in clades, ſibi quas noxiis
Accerſierunt vltro conſiliis malis.

Poſtea etiam ad ſpiritualem cæcitatem hoc accommodetur. Amittãt veram doctrinam, vt verum Deum & veram notitiam ſalutis ignorent. Hæc verò ſumma eſt miſeria.

Lumbos eorum fac nutare] Id eſt, eneruа vires eorũ, vt prorſus ſint inutiles ad omnem actionem. Metaleptica eſt locutio. In lumbis enim ponuntur vires hominis. Aliqui inconſtantiam rerum agendarum notari exiſtimant, quæ cæcitatẽ comitatur. Græcus reddidit *καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν σύγκαμψον.* Atq; ita Paulus hunc verſum citat Rom. 11. Itaque de triſti ſeruitute plerique eum exponunt, quam per dorſum incuruum *μετωνυμικῶς* intelligi veriſimile eſt.

Sequentes duo verſus nihil habent obſcuritatis. Nam vigeſimus quintus petit ne effugiant iram & pœnas diuinas, & ne tantùm ad tempus puniantur, ſed vt pœna ſit perpetua & durabilis. Voce indignationis, vt Baſilius inquit, celeritatẽ vindictæ, voce iræ durabilitatem ſignificat. *ὁ μὲν γὰρ θυμὸς ὀξὺς καὶ ὀλιγοχρόνιος, ἡ δὲ ὀργὴ βαρυτέρα καὶ μονιμωτέρα. θυμὸν τοίνυν ὀργῆς τὴν ὀξεῖαν, καὶ ἐπίμονον ἐκάλεσε τιμωρίαν.*

Sequẽti verſu petit, vt vaſtata patria & deleta ipſorum politia eiiciantur in exilium, vbi perpetuis miſeriis conficiantur ſine vlla ſpe reditus. Has triſtiſſimas pœnas cùm videamus hodie vagari per gentem Iudaicam, cohorreſcamus toto pectore, & metuamus iram Dei aduerſus contemptum filij Dei & membrorum ipſius. Si enim naturalibus ramis, vt Paulus inquit, non pepercit, multò minus parcet inſititiis. Hæc igitur doctrina excitare in nobis timorem Dei, & ſtudium

pietatis

pietatis debet. Deinde ſi calamitatibus obruamur, & hoſtes Chriſti crudeliter in nos ſæuiant, confirmemus animos noſtros hac fiducia, quòd finis tandem horum malorum ſit futurus, & quòd hoſtes horribiles daturi ſint pœnas.

27 Quia quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & dolorem vulneratorum tuorum numerauerunt.

Addit cauſam cur eos grauiter cupiat puniri, & cur dignos cenſeat tam atrocibus pœnis. Quia tāta fuit horum crudelitas, vt exuta omni humanitate, miſero & à Deo afflicto inſuper belluina ſæuitia inſultarent, & prorſus eum delere conarentur. Si quis ſenſus humanitatis reliquus fuiſſet, commiſeratione aliqua moti erga hominem miſerum & afflictū opem aliquam afferre conati fuiſſent: ſed quia inſuper addūt nouam ſæuitiam, vt iam ante ſatis afflictum prorſus euertere conentur, oſtendūt ſe eſſe homines ab omni ſenſu humanitatis alienos, & exemplo patris ſui diaboli ἐπιχαιρεκάκοις & oſores omnium bonorū & piorum hominum, quódque extremum eſt, vacare omni timore Dei & pietate. Digni ergo ſunt qui pereant malè.

Quem tu percuſſiſti] Id eſt, quem tu afflixiſti ſatis duriter: vt aſpectus miſeriarum commouere aliquam commiſcrationem in hominibus non omnino monſtroſis, aut ab humanitate non prorſus alienis, poſſet. *Vulneratós Dei* eodem ſenſu dicit, quo percuſſum à Deo: atque huc videtur reſpexiſſe Ieſa. cap. 53. cùm Meſſiam dicit percuſſum à Deo. Numerare autem dolorem vulneratorum à Deo, eſt cum quadam voluptate recenſere ipſorum calamitates, atque hac commemoratione ſe non tantùm oblectare aut ſatiare, ſed etiam ad maiorē audaciam & furorem concitare, & nouū quaſi calcar ad crudeles conatus ſibi addere. Solent enim eiuſmodi voces ab impiis perſecutoribus & hoſtibus eccleſiæ audiri, *Ey eſt iſt nicht gnug, ſie muſſen beſſer her halten, vnd vvir muſſen noch beſſer vnſer mütlein külen*, quaſi adhuc nimis lēti hactenus fuerint in affligendis piis. Græcus reddidit ἐπὶ τὸ ἄλγος τῶν τραυμάτων μου προσέθηκαν, legit enim יספו pro יספרו. alij reddūt, cōſultat de iis affligendis, quos tu vulneraueras.

אל Præpoſitio ſcribitur pro את articulo, quod vſitatū eſt in hac lingua, vel certè conſtructio Hebraica hoc requirit, vt ספר conſtruatur cum אל, & à nobis reſoluitur in præpoſitionem מן.

28 Adde iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & ne ingrediantur in iuſtitiam tuam.

Alius eſt gradus pœnę, atque hæc triſtior eſt ſuperioribus: ſubinde enim creſcit oratio. Petit autem vt deſeratur à Deo, atque ita deſtituti gratia diuina ruāt ex vno ſcelere in aliud, atque ita menſuram ſuorum peccatorum impleant, & tandem ſine pœnitentia ruāt in æternum exitium. Iniquitatem nonnulli interpretantur pœnas peccati, quaſi hoc velit propheta vt Deus pœnas pœnis accumulet, atque ex vno genere calamitatum in aliud eos coniiciat: ſed ſequens membrum oſtendit eum loqui de culpa potius quàm de pœna. Cùm autē dicit, *Adde iniquitatem ſuper iniquitatem*, nō hoc vult quòd Deus autor ſit peccati, aut quòd velit ſeu efficiat peccata. Hęc enim ſunt quæ odi, dicit Dominus: & ſupra pſal. 5 dicit Dauid. Non Deus volens iniquitatem tu es. Dicitur igitur addere iniquitatem iniquitati, dum retrahit gratiam ſuam & deſerit impios pro ſuis meritis, vt ſponte & vltro ruant ex vno ſcelere in aliud: atque ita peccatis Deus punit peccata, nō quidem effectione, ſed deſertione: idque facit ex iuſtiſſima ira aduerſus peccatum. Atque ita intelligendum eſt hoc quod Paulus dicit, Deum tradere impios in reprobum ſenſum, & ſimilia dicta. Nam vt Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 18. inquit: Non ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum inuitus aliquis cogitur, ſed Deo deſerente pro meritis in malum, & Deo adiuuante ſine meritis conuertitur ad bonum. Et in hunc ipſum pſalmum inquit: Addit iniquitatem non vulnerando, ſed non ſanando: ſicut febrē vel morbum augemus non morbum adhibēdo, ſed non ſuccurrendo.

Non perueniant ad tuam iuſtitiam] Id eſt, nunquā conuertantur aut reſipiſcant, vt tu eos recipias in gratiam & pronunties eos iuſtos, hoc eſt, acceptos, & facias hæredes vitæ æternæ: ſed obdureſcant in ſuis ſceleribus, vt conſtet eos ſua culpa & merito eſſe alienatos à Deo, & abiectos: atque ita dignas ſuæ impietatis & blaſphemiarum pœnas dare. Alij iuſtitiam Dei interpretantur ſanctitatem, quæ Deo probatur, paſſiuè: ſed retineo illam priorem interpretationē, & iuſtitiā expono actiuè pro ea qua Deus pronuntiat iuſtos, & qua donat ſuos electos dum eos ſpiritu ſuo regenerat. Ita enim Paulus paſſim, & inprimis in epiſtola ad Rom. 3. iuſtitiam interpretatur. Et ſupra pſalmo 51. cum dixiſſet, libera me à ſanguinibus: addit: Et exultabit lingua mea prædicando iuſtitiam tuam.

29 Deleantur de libro viuentium: vt cum iuſtis ne ſcribantur.

Poſtremus gradus pœnarum eſt æterna abiectio & damnatio, qua nihil poteſt dici triſtius aut cogitari formidabilius. *Deleantur de libro vitæ*] Id eſt, abiiciantur cum cęteris impiis in æternam damnationem, mortē, & cruciatus nunquam finiendos. De phraſi diſputant nonnulli, quomodo Deus, qui immutabilis eſt, ſemel electos & adſcriptos numero ſaluandorum commutata voluntate poſſit delere ex illo catalogo aut rurſus abiicere. Certè non videtur hoc conuenire conſtantiæ Dei. Et Auguſtinus hoc loco exclamat. Homo dicit, quod ſcripſi, ſcripſi: de Pilato nolēte mutare titulū, qui cruci Chriſti affigendus erat: & quomodo Deus delebit, quod ſcripſit? Reſpondet autem, hoc dictum eſſe ſecundùm ſpem eorum: quia reuera ſcripti non erant, ſed ſe ſcriptos putabant. Sæpe enim Scriptura accommodat ſermonem magis ad ſenſum & opinionem hominum, quam vt reuera id ita eſſe affirmet. Dicitur igitur Deus delere impios de libro vitæ, dum iuſto iudicio ſuo declarat eos à ſe eſſe reiectos, etiamſi illi aliquando in hac vita ſe pro eccleſia Dei, & pro membris Chriſti venditarint, & iactarint ſe eſſe filios Dei. Id enim tunc faciebant impij Iudæi clamantes ſe eſſe ſemen Abrahæ, & faciunt idem hoc tempore pontificij. Iactant enim ſe eſſe veram eccleſiam, & damnant omnes qui ſe ab hoc cœtu ſeiungunt. Sed Deus ſuo tempore declarabit quòd nūquam ſint ſcripti in libro viuentium, atque ita abolebit illos glorioſos titulos & voces iactabundas. Quod igitur Deus dicitur habere librum vitæ, in quo nomina electorum deſcripta habeat, id intelligatur ſecundum hominum ſenſum, ſeu ἀνθρωποπαθῶς, quo ſenſu librum illum Ezech. nominat Scripturam domus Iſrael, cap. 13. Hieron. to. 8. exponens hunc locum diuerſos eſſe ait libros, viuentium & iuſtorum, vt viuentium liber ſit fœdus veteris teſtamenti, in quo Iſraelitis poſſeſſio terræ Canaan & felicitas huius vitæ promittitur, iuſtorum verò liber ſit fœdus noui teſtamenti. de qua diſtinctione ſentiat quiſque quod volet.

Iuſti] Hîc vocantur qui ſunt accepti & hæredes vitæ æternæ. Itaque deleri de libro vitæ eſt excidere à ſpe illius vitæ.

30 Ego autem pauper & dolens: ſalus tua Deus exaltabit me.

In hoc verſu reperit querelam, in qua exponit ſua pericula & dolores, & addit conſolationem, qua oſtendit ſe iam emerſiſſe quodammodo ex illis doloribus, & ſpem certam liberationis concepiſſe. Ego quidem, inquit, multiplicibus miſeriis atque iniuriis premor, & cor meum multis vulneribus ſaucium luctatur cum ingenti dolore: ſed tamen non opprimet me hic dolor, non deiiciet me iſta calamitas à ſpe quam concepi. Quia quo maior eſt calamitas aut maius periculum, eo certius futurum ſcio vt Deus me tandem extrahat ex illis doloribus & calamitatibus, & liberatum rurſus exaltet & extollat, atque in locum tutum collocet.

31 Laudabo nomen Dei in cantico: & magnificabo eum in laude.

Poſtrema pars pſalmi continet promiſſionem gratiarum actionis ob impetratam liberationem. Etſi enim veriſimile eſt, Dauidem poſtquam periculo perfunctus erat, hunc pſalmum compoſuiſſe: tamen animi ſui cogitationes, quas habuerit in ipſis periculis, hic exprimit, & ſuo exemplo docet, etiam in media morte non eſſe deſperandum de auxilio diuino. Erat Dauid circumſeſſus à crudeliſſimis & infeſtiſſimis hoſtibus, qui noctes atque dies vitæ ipſius inſidiabantur, & erat deſertus ab omnibus non tantū amicis, ſed creaturis: intus verò in animo luctabatur cum grauiſſimis tētationibus, ſicut ſupra in querela expoſitum eſt: & tamen in tantis calamitatibus cùm petiuiſſet ſe ſeruari, addit, ego laudabo nomen Dei in cantico, certam ſibi in morte victoriam & ſalutem promittens, Deóque ſe gratum fore oſtendens celebrando beneficia ab ipſo accepta. *Nomen Dei* ſignificat agnitum Deum, qualem ſe in hac liberatione oſtenderat bonum videlicet, miſericordem & iuſtum, qui confugientes ad ſe nō deſerat, quique ſuorum patrocinium ſuſcipiat.

Laudabo igitur nomen Dei, idem eſt, ac ſi diceret, celebrabo Deum, qualem ſe in iſtis periculis exhibuit, & qualem eum eſſe erga ſuos in hiſce meis anguſtiis & miſeriis cognoui. Nomen enim eſt quo aliquem agnoſcimus.

Magnifico eum in laude] Id eſt, celebrabo eum magnificè, & extollam nomen eius inter homines. Non quidem accedit aliquid gloriæ diuinæ noſtra celebratione (eſt enim per ſe ampliſſima) ſed dicitur magnificari Deus, cùm inter homines beneficia eius celebrantur, eorúmque prędicatione plures alij ad agnoſcendum & colendum Deum inuitantur.

32 Et placebit [*hoc*] Iehouæ præ boue iu-

uenco qui profert cornua & vngulas.

Amplificat ſuperiorem ſententiam à collatione: poſſet enim quis dicere, & ſine dubio animus ei has cogitationes ſuggerebat: Cur non potius offeres ſacrificia σωτήρια, quæ in lege Moſis mandata ſunt, atque hoc modo oſtendes gratitudinem? Reſpondet Dauid, non eſt ille cultus principalis, ſed alia ſunt ſacrificia longè gratiora & magis accepta, cultus ſcilicet interior & ſpiritualis, cuius illa externa ſacrificia erãt quædam teſtimonia ſeu ſymbola. Ideo dicit celebrationem nominis diuini & prædicationem beneficiorum ipſius magis placere Deo quàm ſacrificia. Et quidem cùm non de ſe tantùm, ſed de Chriſto hoc pſalmo ſe loqui intelligat, ita extollit hunc ſpiritualem cultum, vt præ hoc externa illa ſacrificia prorſus abiiciat. Quia docere nos voluit, ceremonias illas Moſaicas ſacrificio & morte Chriſti prorſus eſſe abrogandas. Duplex igitur eſt doctrina in hoc verſu. Prima eſt de diſcrimine cultuum: docet enim cultum internum & ſpitualem longè anteferendum eſſe externis cæremoniis ſeu ritibus, & vanam atque impiam eſſe ſuperſtitionem eorum, qui cultum aliquem in externis rituum pompis reponunt, aut Deum hiſce promereri ſe poſſe exiſtimant. Sicut hodie pontificiorum religio tota in externorum quorundam rituum obſeruatione conſiſtit. Sacrificabat quidẽ Dauid iuxta legem, ſed illos ritus ſciebat tantùm eſſe externa quędam exercitia pietatis & commonefactiones. Ideo dicit gratiarum actionem magis placere quàm victimas. Hæc doctrina explicatur pſal. 50. Altera doctrina eſt, quòd Chriſtus cæremonias legis Moſaicæ ſuo ſacrificio aboleuerit. Ideo enim dicit, ſe omiſſis ſacrificiis Moſaicis oblaturum vitulos labiorum ſuorum, vt Oſeas loquitur, hoc eſt, ſacrificia gratiarum actionis, quę magis grata ſint futura quàm boues mactati.

Per bouem iuuencum intelligit ſelectiſſimum ac bene ſaginatum & aptum ſacrificiis. Reprehenduntur enim in lege qui marcidos, mutilos, ætate aut laboribus confectos boues offerebant, vt videre eſt ex concionibus Malachiæ.

מקרין מפרים Hæc vocabula videntur ad extenuationem externorum ſacrificiorum referenda eſſe. Bos nihil profert niſi cornua & vngulas: ſed lingua profert laudes Dei & celebrat beneficia diuina: ergo vituli labiorum longè anteferendi ſunt bobus cornutis & vngulas habentibus.

33 Videbunt afflicti [*&*] lętabuntur: quærentes Deum, & viuet cor veſtrum.

34 Quia audit pauperes Iehoua: & vinctos ſuos non contemnit [*negligit.*]

Addit aliam amplificationem ab effectu ſeu fructu ſuæ liberationis. Meo exemplo, inquit, quod tanquam commune pignus ſalutis omnibus propoſitum eſt, inuitabuntur alii ad agnoſcendum & celebrandum Deum. Capient enim dulciſſimam conſolationem, vbi viderint me non eſſe deſertum à Deo in his periculis: atque ita confirmabitur fides eorum & fiducia acquieſcens in Deo. Hic fructus eſt liberationis piorum: atque ideo Deus ſępe edit illuſtria teſtimonia ſuæ præſentiæ in eccleſia, nimirum vt imbecilliorum animi confirmentur de promiſſionibus diuinis, & fides creſcat & fiat ardentior. In primis autem liberatio Chriſti ex morte confirmat fidem noſtram, vt credamus Deum iam nobis placatum eſſe, atque inde exiſtit illa vita de qua hic dicit.

Quærentes Deum] His verbis indicat de quib⁹ afflictis loquatur. Non enim omnes afflicti capiunt fructum aliquem ex talibus exemplis liberationum, ſed qui in ſuis anguſtiis & periculis Dei opem & auxilium quærunt.

Viuet cor veſtrum] Mutatio eſt perſonæ vſitata & familiaris huic linguæ. Neque caret illa ratione: hac enim apoſtrophe certò confirmat futurum, quod videbatur promittere, viuet cor veſtrum, id eſt, concipiet nouum vigorem & nouam vitã & lætitiam, quod antea erat lãguidum & exhauſtum, ac quaſi emortuum dolore.

35 Laudent eum cæli & terra: & maria & quicquid reptat in eis.

Poſtquam de ſua gratitudine teſtatus eſt, nunc tanquam bonus & fidelis præco laudum diuinarum hortatur vniuerſam creaturam ad celebrationem Dei & beneficiorum eius. Animus enim verè gratus cupit non tantùm ipſe celebrare beneficia accepta, ſed ab omnibus paſſim ea agnoſci & prædicari. Ideo ὑπερβολικῶς, vt in poemate, etiam elementa ſenſu carentia & bruta animalia ad hanc ſocietatem vocat. Et quidem ſi ad Chriſtum reſpiciamus, beneficia ipſius morte nobis parta ita magna ſunt, vt tota rerum natura ad illam magnitudinem amoris & beneficiorum Dei quodammodo obſtupeſcat & nobiſcum lætetur.

36 Quia Deus ſeruabit Sion, & ædificabit vrbes Iuda: & habitabunt illic, & hæreditate obtinebunt eam.

Addit cauſam cur omnes creaturas lætari & celebrare hoc beneficium velit: quia Deus hoc facto oſtendit manifeſtè, ſe deinceps inſtauraturum hoc regnum, cui Dauidem præeſſe volebat, illúdque firmaturum, ne deinceps vi externa aut aliis calamitatibus concuteretur aut euerteretur, ſicut antea ſub Saule & tempore Iudicum factum meminerat. Nam à Dauide fuit aliqua ſtabilitas eius regni in ſucceſſoribus, cùm poſteri ipſius regiam dignitatem obtinerent vſque ad Chriſtũ: Chriſtus verò regnum ſuum ita inſtaurauit & ſtabiliuit, vt deinceps perpetuò ſit duraturum. De huius igitur regni durabilitate pręcipuè hic loquitur. Nam alterum illud erat vmbra tantùm & typus huius regni.

37 Et ſemen ſeruorum eius hæreditariò poſſidebunt eam: & qui diligunt nomen eius, manebunt in ea.

Id eſt, manebit populus agnoſcens & celebrans Deum in omnem æternitatem. Nam patres filiis, filij nepotibus acceptam poſſeſſionem regni, de manu in manum tradent, & habitabunt in illa terra ſine metu excuſſionis, nec vlla vis tanta erit quę eos expugnare poſſit. Sicut Chriſtus ipſe inquit, Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, Matth. 16.

Serui eius & qui diligunt nomen eius] Oſtendit quib⁹ deſtinata ſit poſſeſſio huius terræ & regni: non adulterinis filiis Abrahæ ſeu hypocritis, non impiis deriſoribus & contemptoribus Dei, etiamſi illi ſe aliquantiſper populo Dei admiſceant, atq; in eorum cœtu conſpiciantur: ſed his, qui Deum colunt in Spiritu & veritate.

PSALMI LXIX.

PARTES.

I. Propoſitio continens poſtulatum, & poſtulati cauſam allegoricam, à v. 2. ad 30. vſque. Duobus capitibus præcipuis comprehenditur. 1. Precatio ſupplicis, à 2. v. ad 23. vſque. 2. Imprecatio in aduerſarios, inde ad 30. quorum vtrique cauſæ ſuæ adhibentur. Allegoricè autem ſuas miſerias depingit, v. 2. 3. 4. 5. vt eò ardentius ad precandum incitetur.

Precationis cauſæ ſumuntur. 1. A perſona ſupplicis, in grauiſſimo vitę diſcrimine conſtituti, v. 2. & ſequentibus. 2. A perſona aduerſariorum, v. 5. 3. A Dei cõſcientia, v. 6. quaſi dicat, tu mihi es horum criminum, quę mihi obiiciuntur, teſtis & iudex idoneus. 4. A ſummo precationum fine, gloria Dei in omnium fidelium confirmatione, v. 7.

Amplificatio tertię cauſę. 1. per explicationem & profeſſionem ſtudij ſui erga Deum; quòd etſi indignè premebatur, inuictum tamen permanere docet, v. 8. 9. 10. 2. per antitheſin improbitatis aduerſariorum, cum officio ipſius erga Deum, v. 11. 12. 13.

Cauſas precationis ſequitur ſalutis petitio, à 14. v. ad 23. Huius exordium continetur, v. 14. ſumma, allegoricis verbis, miſeriam precantis continet, verſ. 15. 16. & Dei benignitatem, miſerationum amplitudinem, potentiam, iuſtitiam, verſ. 17. 18. 19. Additur querimonia pathetica, de probris & calamitatibus Da-

bus Da-

bus Dauidis,qui Chriſti typus fuit,verſ.20.21.22.

Imprecatio,ſeu altera pars petitionis, à verſi. 23. ad 30. Cuius partes ſunt duæ 1. In præſentem vitam. 2. In futuram. Præſentis duo ſunt genera:vnum in ipſas perſonas, verſ. 23. 24. 25. alterum in habitationes & facultates earum,verſ. 26. Subiicitur, verſ. 27. αἰτιολογία, ab infidelitate,iniuſtitia & inhumanitate hoſtium,capiti &membr is Eccleſiæ illudentium.Futuræ vitæ ſupplicia figuratè deſcribuntur,v.28. & 29.

II. Concluſio laudatiua,continens 1.propoſitionem laudis. 2. propoſitionis cauſas.Laudationis tria ſunt membra. 1. A ſupplice liberato,verſ.30.31.32. qui ex miſeria ſumma ereptus ſpirituali ſacrificio Deum colere conſtituit. 2. Ab Eccleſia,verſ.33.& 34.Hæc autem ex manſuetis & quærentibus Deum compoſita, recreabitur,Dei liberationes mirificas intuens. 3. A toto mundo,verſi.35.Cauſæ propoſitionis laudum Dei verſ.36.& 37.continẽtur:nempe quòd ſit Eccleſiæ ſeruator & inſtaurator,pater electorum ſuorum in Chriſto quibus(nominis eius amantibus)parata eſt hæreditas æterna.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2.3. Quum certum ſit Dauidem non tam priuato nomine ſcripſiſſe hunc pſalmum quàm in totius eccleſiæ perſona,quippe qui geſtaret capitis imaginem,ſicuti ex contextu & euangelica hiſtoria liquet,eo magis attẽtos nos eſſe cõuenit ad hoc ſpeculum in quo nobis proponitur cõmunis piorũ omniũ cõditio & cũ Chriſto cõmunio.

Extremis malis ad deſperationem vſque fideles videntur obruti, nec emergere poſſunt niſi ſpeciali quodam Dei auxilio.

4 Videri nobis abſurdum nõ debet,ſi quando morte obrutis nulla apparet vitæ ſcintilla:imò dum nobis parcit Deus maturè ad hanc meditationem accingere nos diſcamus,vt in profundiſſimis quibuſque malorum gurgitibus fides nos ſuſtentet,imo ad Deum erigat.

5 Dauidis & Chriſti exẽplo danda nobis eſt opera, ſi quãdo affligimur, vt nos ſuſtineat teſtimonium bonæ cõſcientiæ,ac liberè coram Deo profiteri liceat hoſtes noſtros eſſe gratuitos. Et hoc verum probitatis eſt examen conſtanter manere in iuſtitiæ colendæ ſtudio, quanuis nullum aut iniquum præmium à Deo reportemus.

6 Vbi nos ſtuduimus hominibus probare,ſi trahant in ſiniſtram partem ac deprauent quicquid à nobis rectè ſit ac dicitur, tenenda nobis eſt hæc ma-nanimitas, vt Dei vnius iudicio contenti,mundum & diabolos omnes ſpernamus.

7 Sicuti quoties auxiliatur ſeruis ſuis Deus,totidem ſigillis gratiã ſuã erga nos cõfirmat:ita fieri aliter nõ poteſt quin cõcidat animis, ſi pius quiſpiam in extrema neceſſitate deſeritur.

Pericula ſua fideles Deo obiiciunt, non quòd vlla admonitione indigeat:ſed quia familiariter ſecum agere nobis permittit.

Fides nequaquam eſt ignaua,quia nos ad quærendum Deum ſolicitat.

8 Hinc non parum ſolatij capiunt fideles: vbi teſtari licet nihil ſe præter legitimam Dei vocationem tentaſſe. Quòd ſi propter fidei confeſſionem nobis infeſtus eſt mundus,duplicatur noſtra fiducia.

Quàm prodigioſa ſit hominũ malitia,inde liquet quòd ſtudiũ gloriæ Dei in dedecus cõuertunt.Bene autẽ nobiſcum agitur,quòd probra quibus nos onerãt impij,non modò abſtergit,ſed etiam illuſtrat, vt ſuperent omnes mundi triumphos.

9 Poſthabito carnis & ſanguinis reſpectu ſequendus eſt Deus,ſi pietatis cauſa fratrum noſtrorum offenſas effugere non liceat.

10 Eccleſia hîc ſubſtituitur in Dei locum, non vt ad ſponſam transferamus quod ſpõſi proprium eſt:ſed vt ſciamus fabricari inane Dei nomen vbi repudiatur vera pietatis regula, cuius eccleſia fidelis eſt cuſtos.

Quum natura nimis teneri ſimus & delicati ad ferendam ignominiam,mutandus eſt præpoſterus hic affectus,vt magis excrucient nos probra quæ in Deum redundant.

Dauid totius eccleſiæ perſonã ſuſtinuit:ideo quicquid de ſe prædicat,impleri neceſſe fuit in ſummo capite.Ideóque nõ mirum eſt,locũ hunc ab euãgeliſtis Chriſto aptari:qui quum nõ grauatus ſit ſe probris omnibus ſubijcere ad tuendum patris nomen, turpe ac pudendum nobis eſſet eandem ſortem recuſare.Porrò in omnibus dictis & factis gloriam Dei ſeruare incolumem debemus, & attentè cauere ne culpa noſtra obſcuretur.

11.12. Ne contumacia illa qua hodie hoſtes euãgelij diabolos ſe magis quàm homines produnt, nos exanimet,exemplum Dauidis nobis occurrat:ſcilicet danda eſt opera ne oleum addamus camino, & ſi impios reprehendere non licet,animos noſtros excruciemus: Imò etiam vbi nos audire cogentur impij, optimum tamen ſancti zeli condimentum erit modeſtia & humilitas.

13 Piorum Dei ſeruorũ ea eſt & ſemper erit cõditio, vt nõ à vulgaribus tãtùm ſcurris,ſed etiã à principibus & primariis irrideãtur. Impij enim ſuam præſtantiam non in virtute,ſed in effræni licẽtia conſtituunt,& pijs omnibus illudentes ſuauiter cantillant de eorum ſimplicitate,quaſi pietatis cauſa temerè ſe fatigent ac macerent.

14 Quanuis apud impios nihil proficiant fideles,victores tamen ſtabunt,ſi ſeipſos contrahant ac colligant ad Deum orandum.Porro hæc nobis vnica eſt vincendi ratio, dum ſpes nobis in tenebris illucet,ac diuini beneplaciti expectatio nos ſuſtentat.

15.16.17.18.19. Fideles in extremis periculis conſtituti dum ad exitum reſpiciunt,ſpe liberationis in media morte vita fruuntur.

Ardui negotij res eſt,ſtatuere Deum nobis propitium dum iraſcitur,& propinquum eſſe dum remotus eſt.

Ideo fideles in mediis fluctibus attollunt capita,quia Deum miſericordem eſſe certò ſciunt.

Quando ſuis fert Deus auxilium,& reipſa oſtendit eorum preces non fuiſſe irritas,eos reſpexiſſe dicitur.

Petunt fideles ne faciem ſuam abſcondat Deus,non quod ſibi timeant à repulſa:ſed quia fieri non poteſt quin anxietas(dum pericula ingruunt)huc & illuc eos agitet.

Quo crudeliùs fideles vrgentur,eo magis cõfidũt Deũ ſibi fore redẽptorẽ,qui quum ſuperbis reſiſtat,quãuis ad tẽpus diſſimulet, fieri tamen non poteſt quin tandem impiorum conterat audaciam.

20 Vbi impotenter ruere videmus impios,Dei prouidẽtia nobis occurrat,ne dubitemus auxilio nobis maturè venturum:quia neq; oculos claudere poteſt ad noſtras miſerias,nec pati impunitam malorum licentiam,niſi ſeipſum abneget.

21.22.Dum omnibus mundi auxiliis & ſolatiis priuantur fideles, hoc modo ſibi conciliant Dei miſericordiam.

Pijs nihil relaxationis cõceditur ab impiis,imò torquentur modis omnibus:quẽadmodũ ſi homo miſerè alioqui afflictus cibũ quoq; & potum amarulentia corruptum reperiat.

Viſibili ſigno in Chriſto repræſentari oportuit quam reprobi crudelitatem exercent in eius membra.Vide Iohann.19.20.

23 Quiſquis Dauidẽ in imprecationibus pro bẽ imitari cupiet,nõ cæco & temerario impetu ad diras proſiliat: deinde cõpeſcat turbidas animi ſuas paſſiones:neque ſibi priuatim ſit addictus, ſed ſtudia ſua affectúſque ad quærendam Dei gloriam adiiciat.

Sicuti Deo propitio quæ naturaliter & per ſe noxia eſſent,adiumenta ſunt in bonum: ita eo infeſto quæcunque vtilia ſunt maledicuntur, vt totidem ſint exitij cauſæ.

24 Quum eccleſiæ hoſtibus maledictio immineat, non eſt quòd nos terreat eorum vel malitia vel rabies: quia in manu Dei eſt ſubitò eos percutere cæcitate,vt nihil videant: & lumbos confringere, vt iaceant confuſi.

25 Quia furiosi eccleſiæ hoſtes non facilè mouentur,pios in precationibus ad Deum,& imprecationibus aduerſus deploratos perſeuerare neceſſe eſt.

26 Non nouum eſt patrum ſcelera reiici in ſinum filiorum:ideo fideles precantur vt ad impiorum poſteros vſque Deus iram ſuam effundat.Vide Exod.20.5.

27 Quum humanitas opem afflictis afferre præcipiat,belluinam ſæuitiam prodit,grauiſſimũque ſibi accerſit iudicium quiſquis inſultat oppreſſis.

28 Iuſta Dei vindicta impij demerguntur in profundum iniquitatis gurgitem, vt nunquam ad ſanam mentem redeant: vt qui ſordet ſordeſcat adhuc.

29 Liber vitæ nihil aliud eſt quàm æternum Dei conſilium. quo ſuos prædeſtinauit ad ſalutem.

Quanuis locum ad tempus impij occupent inter Dei electos, tandem Deus eos reſecat, vt appareat extraneos fuiſſe quum domeſticis permiſti forent: eorum autem abdicatio deletioni è libro aptè comparatur.

30 Pij turgido & feroci affectu ſpoliati liberiùs ad Dei ſalutem aſpirant & in tempore exaltationem ſperant.

31 Magnificatur Deus laudibus noſtris, non quòd immenſæ eius gloriæ quicquam accedat:ſed quia inter homines extollitur eius nomen. Nec aliam bonorum omnium quæ nobis largitur compenſationem exigit,quàm vt gloria ſua per nos celebretur.

32 Nullum fuit tam opimum vel pretioſum ſacrificium, quod æquè Deo placeret atque gratiarum actio.

33.34 Exemplum vnius pij liberati ex periculis cauſa eſt lætitiæ aliis Dei cultoribus,dum ſuis afflictionibus remedium quærunt.

Studium quærendi Dei cum afflictione in Scriptura cõiungitur:vt

ſub Dei ferulis ſincero fidei affectu petamus ab eo ſalutem.

Alienæ liberationis conſideratio fidem in nobis velut extinctam denuo accendit vt quodammodo reuiuiſcat.

35.36 *Nō ſatis ſerio animati ſumus ad canendas Dei laudes, quorum immenſitas totum mundum ſuperat, niſi aſcendimus ſupra ſenſus noſtros, & præſertim niſi eccleſiæ conſeruationem intuemur.*

37 *Solida bonorum omnium perpetuitas Chriſto innititur, cuius figura erat Dauid.*

Miſericordia Dei æterna in eccleſiæ benedictione ac miranda cōſeruatione elucet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Chriſti, capitis Eccleſiæ, & membrorum eius, duplex ſtatus, nempe humiliationis & exaltationis, in typo Dauide graphicè depictus.
2. Hoſtium Euangelij ad viuum item expreſſa effigies.
3. Grauiſſimis calamitatibus premitur Eccleſia, tum in capite, tum in membris: non autem opprimitur.
4. Deus cognitor, iudex & vindex ſuorum.
5. De zelo diuino, humano, ſuperſtitioſo, ſatanico.
6. Piorum & impiorum ſtudia & exercitia.
7. In ſpe, fide, & precatione, fortitudo piorum conſiſtit.
8. Paſſionum Chriſti tabella.
9. De imprecationibus aduerſus Chriſti & Eccleſiæ coniuratos hoſtes.
10. De libro vitæ.
11. De ſacrificiis legalibus & Euangelicis.
12. Piorum notæ & nomina inſignia.
13. Dei erga ſuos afflictos animus.
14. Eccleſiæ ſpes certa.

ARGVMENTVM PSALMI LXX.

HIC pſalmus videtur quaſi communis formula precationis Dauidi fuiſſe, quoties in magnis fuit periculis, & mora liberationis animus eius cruciabatur. Nam & ſuprà in fine pſalmi 40. iiſdem verbis repetitur: & titulus, qui monet ad reminiſcendum eſſe ſcriptum, id quodammodo innuere videtur: veriſimile enim eſt Dauidem in longa illa oberratione & diuturno exilio, cùm à Saule atque eius ſatellitio crudeliter oppugnaretur, ac variis inſidiis peteretur, hoc ſecum quaſi ἐφόδιον *perpetuò circumtuliſſe, eóque ſe contra hoſtium inſultus, inſidias, machinationes iniuſtas & crudeles, atque adeo contra moram auxilij, quæ ipſa quoque non minùs quàm cætera pericula fidem eius oppugnabant ac quatiebant, armaſſe. Petit enim vt ab hoſtium inſidiis, molitionibus & conatibus crudeliſſimis quàm primùm liberetur, ne vel magnitudine aut multitudine periculorum, vel diuturnitate malorum oppreſſus pereat: & argumenta addit ſumpta partim à neceſſitate, partim à cauſa finali, vt fieri ſolet in huiuſmodi precationibus. Orditur autem pſalmum à propoſitione: Deus adiuua me, & quidem celeriter. Periculum enim creſcit, & niſi tu maturè ſuccurras, actum erit de mea ſalute. Tertius verſus, alteram partem petitionis continet. Nam ſicut præcedenti verſu ſe ſeruari ac liberari petebat: ita nunc ex antitheſi hoſtium conſilia & conatus petit infringi atque irritos reddi. Nā cōfundi & pudefieri, eſt fruſtrari ſua ſpe, nec perficere quod inſtitueras, atq; ita cū pudore deſiſtere à ſuo propoſito. Quartus verſus eſt repetitio prioris, ſed admixtum habet argumentum ab æquitate. Hoſtes conantur me ignominia affectum opprimere, & tanquam certa victoriæ ſpe concepta, petulanter mihi calamitatem exprobrant. Tu verò retorque hæc mala in ipſorum capita, & fac vt illi confuſionem illam ferre cogātur. Quintus verſus addit cauſam finalem, vt dictum eſt pſal. 40. Sextus verſus, habet querelam, in qua argumentum eſt à neceſſitate, & additur precatio, quæ eſt repetitio propoſitionis. Cætera require ex pſalmo 40.*

AD triumphandum, Dauidis [*ſcilicet pſalmus*] ad reminiſcendum [*ſeu commonefaciendum.*]

2 Deus, ad liberandum me: Iehoua, ad auxiliū meum feſtina.

3 Pudefiant & confundantur qui quærunt animam meam: retroagantur & ignominia afficiantur qui delectantur malo meo [*qui expetunt malum meum.*]

4 Reuertantur pro mercede confuſionis ſuæ, qui dicunt, hæah hæah.

5 Gaudeant & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant, ſemper magnificetur Deus, diligentes ſalutem tuam.

6 Ego verò [*ſum*] oppreſſus & egenus, Deus feſtina ad me, auxilium meum, & liberator meus es tu: Iehoua, ne differas.

PSALMI LXX.

PARTES.

I. Imploratio auxilij diuini contra perſecutores ſuos. Huius auxilij τὸ ὅτι, per δεῖξιν proponitur, ſimpliciter, & ſecundum quid, v. 2.

II. Cauſæ, cur adiuuandus ſit, ſeu τὸ διότι, per ἐξήγησιν adiunctæ, ſumuntur à perſona aliorum, nempe 1. Impiorum, qui opere, corde, ore Dei ſeruum (Eccleſiam) perſequuntur, verſ. 3. 4. quæ paucis exprimunt iſtorum ingenium & artes. 2. Piorum, vt lætentur de fratris ſui liberatione, ver. 5. Hos deſcribit, ſeruos Dei externo & interno cultu, nempe quærentes Deum, & ſalutem eius diligentes. 2. Cauſæ ſumuntur à perſona ſua, v. 6. In qua 1. miſeriam ſuam conſiderat & proponit. 2. Miſericordiam Dei, eum ſpe & fiducia munientis, atque ſeruantis.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

1. v. Commonefactiones neceſſariæ ſunt in Eccleſia, quæ piis præteritas ærumnas & liberationes proponant, atque ad bonam ſpem in poſterum incitent.

2 *Deus inuocandus vt feſtinet ad ſuorum liberationem.*

3 *Quicquid cogitent & agant Chriſti & Eccleſiæ hoſtes, neceſſe eſt vt tandem horrendo opprimantur exitio.*

4 *Merces impiorum erit ſempiterna confuſio, vermis non moriens, ſtridor dentium, ignis æternus.*

5 *Ad*

5. Ad tempus flebunt & pudore afficientur pij: ſed quãdoquidem quærunt Deum, ſalutémque eius diligunt, ſtudij ſui gratuitam mercedem recipient, æternam nempe lætitiam & beatitudinem.

6. Etſi Deus differre videatur: hoc fixum animis noſtris maneat: auxilium eius ſuis opportunè adfuturum.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De auxilio Dei.
2. Impiorum mens, ſtudia, opera, miſeria ſumma.
3. Piorum Characteres, ſpes certa, vota ſublimia, voces cæleſtes.
4. Crux, lux, Deum ſapientem, omnipotentem, miſericordem oſtendens, & ad nos pertrahens.

ARGVMENTVM PSALMI LXXI.

ARGVMENTVM commune habet hic pſalmus cum multis aliis, nec indiget longa declaratione. Eſt enim petitio vt ſeruetur ac liberetur ex malis, quibus erat oppreſſus. Petitioni autem, vt ſolet, miſcet querelas de ſuperbia, impietate & crudelitate ſuorum hoſtium: & periculum in quo verſabatur, multis verbis exaggerat: argumenta etiam ſuæ fiduciæ, quibus ſe aduerſus imminẽtem tempeſtatum molem muniat, paſſim aſpergit. Tandem in fine pollicetur ſe grato animo prædicaturum beneficium Dei, ſi ex his periculis euadat. Hæc enim præcipua argumenta ſunt, quibus mouere Deum ſtudet, vt exaudiatur. Cùm autem ſenectutis ſuæ mentionem faciat Dauid, exiſtimant plerique interpretes, pſalmum ad conſpirationem Abſalomi referendum eſſe, quæ in illa extrema & decrepita ætate magis affligebat Dauidẽ quàm vllæ aliæ ærumnæ aut calamitates, quas antea ſuſtinuerat: & augebat dolorem quòd à filio, quem vnicè dilexerat, regno excuteretur, & penè vniuerſus populus, quem tot beneficiis huc vſque affecerat & ornarat, tanta rabie & furore in necem ſui regis conſpiraret, nullo ſanè prætextu aut ratione. Nam Saul quidem, & ipſius ſatellites, ſpeciem aliquam ſeu σχῆμά τι πολιτικὸν λόγου, vt Thucyd. inquit, ſuo conſilio atque odio prætexere poterant. Erat enim Saul rex diuinitus cõſtitutus: & videbatur Dauid ſeditioſè affectare regnũ excuſſo legitimo rege. His calumniis accendebatur odium Saulis aduerſus regem. Itaque paſſim in his pſalmis, quos eo tempore conſcripſit, has calumnias refutat: & quia inter aulicos nullum æquum iudicem reperiebat, ad Dei iudicium ſæpè prouocat. Sed Abſalomi impietas ac crudelitas nullo prætextu pingi ſeu occultari poterat. Ideo nulla fit in hoc pſalmo calumniarũ mentio: ſed tantùm impietas & crudelitas hoſtium depingitur. Sicut autem Dauid in extrema ſenecta has calamitates eſt expertus: ita non tantùm ſinguli ſuo loco ſciant extremam ætatis ſuæ partem plenam fore periculorum & ærumnarum: ſed multò magis totam eccleſiam cogitent in extrema ſenecta fore magis miſeram & ærumnoſam, cùm propter hoſtes externos, tum verò inprimis propter filios, quos illa in ſuo ſinu educauit. Illi enim facta nunc conſpiratione crudeliùs eam oppugnant quàm alij hoſtes, nulla ferè re alia quàm regnandi cupiditate adducti. Vt igitur Dauid ſe in ſua ſenecta defendi & ſeruari petit: Ita ſinguli petamus, & nos & eccleſiam totam in hac languida mundi ſenecta, & in tantis periculis diuinitus regi & ſeruari.

Græcus interpres titulum pſalmo præfigit, τῷ Δαβὶδ ψαλμὸς τῶν υἱῶν Ἰωναδάβ, καὶ τῶν πρώτων αἰχμαλωτισθέντων. *Sed apud Hebræos eſt* ἀνεπίγραφος. *Filij autem Ionadab ſunt Rechabitæ, Ierem. 35. qui ideo fortaſſe primitiæ captiuorum dicũtur, quod cùm eſſent* ἁμαξόβιοι, *& paſſim per paſcua & ſaltus victum quærerent, primi omnium capti & afflicti ſunt à Chaldæorum exercitu.*

1 IN te Iehoua confido [*protectionem quæro*] ne confundar in æternum.

2 In iuſtitia tua eripe & libera me: inclina ad me aurem tuam, & ſerua me.

3 Sis mihi in rupem fortitudinis [*firmitudinis*] in quam ingrediar ſemper [*quò ſemper confugiam in periculis*] mandaſti ad ſeruandum me [*promiſiſti me ſeruare*] quia rupes mea & refugium meum es tu.

4 Deus mi, libera me à manu impij: à manu iniqui & fermenteſcentis [*id eſt, exacerbati & magna acerbitate odiorum me oppugnantis.*]

Exordium habet petitionem auxilij & liberationis. éſtque idem cum pſalmo 31. vnde ea quæ ad explicationem harum ſententiarum pertinent, petantur. Nunc tantùm ea explico quæ non habentur pſal. 31.

Petram in quam ingrediar] Rupem per metaphorã, vel etiam metalepſin nominat locum tutum, quò ſe recipere in periculis poſſit, vbi expoſitam ſibi opem diuinã & tutum receptum inueniat.

Mandaſti ad ſeruandum] Rurſus confirmat fiduciam ſuam cogitatione promiſſionis, & priorum exemplorum: Domine, inquit, tu promiſiſti mihi, nunquam defuturum apud te mihi præſidium aut defenſionem, & hactenus in variis periculis & ærumnis oſtendiſti me tibi curæ eſſe. Quare nunc quoque eum te exhibe, quem hactenus te oſtendiſti, quia tu es rupes & refugium meum. De verbo mandandi diximus ſupra Pſal. 68. Deus mandauit robur tuum, id eſt, fecit vt regnum tuum eſſet firmum, ſtabile, potens & inuictum. *Mandare* enim dicitur Deus, cum aliquid efficit, aut aliquo ſigno ſuũ fauorẽ ſeu voluntatem exerit & confirmat: vt cùm Pſal. 44. dicitur. Manda ſalutes Iacob, id eſt, fac vt ſaluetur. mandata enim Dei coniuncta ſunt cum effectu Ita hîc dicitur mandaſſe ad ſeruãdum, non tantùm quia promiſit defenſionem, ſed etiam quia variis exemplis promiſſiones antehac confirmauit. Alij legunt in optatiuo, vtinam angelis tuis committas vt me muniant & cuſtodiant aduerſus pericula, nam mandata illa reſtringunt ad angelos, quibus Deus tanquam adminiſtris in ſalute ſuorum defendenda vtitur. Id quanquam piè & rectè dicitur: tamen habet Deus innumera media ſeruandi ſuos. Ideo indefinitè intelligatur, ſicut antea expoſuimus. Quarto verſu admiſcet petitioni argumenta à conditione ſeu qualitate aduerſariorum, quos graphicè depingit: quia ſcit Deo tales diſplicere, ideóque ſuam fiduciam hac ipſa commemoratione confirmat. Primum autem dicit eos eſſe impios (ponitur enim ſingularis numerus pro plurali collectiuè: intelligit enim totum exercitum hoſtilem.) Hac autem voce ſignificat hoſtes ſuos eſſe ſine vllo Dei metu, & ſuis malitioſis & turbidis affectibus huc atque illuc temere rapi ad quæuis facinora patranda, ſicut mare impulſũ quieſcere nequit. Id enim propriè ſignificat vox רשע. Atque huc pertinet illud Ieſaiæ teſtimonium cap. 57. Impij ſunt ſicut mare æſtuans.

מעול ſignificat hominem fraudulentum & iniuſtum, qui prauis cõſiliis & iniuſtis conatibus alios circumuenire & per iniuriam opprimere ſtudet.

חומץ ſignificat eum qui inſatiabili odio & cupiditate nocendi ardet, quíque aſper, crudelis & implacabilis eſt, & qui beneficiis non tantùm non vinci poteſt, ſed etiam magis efferatur & fit rabioſior. Metaphora ſumpta eſt à fermento, quod maſſæ acorem inducit. Alij actiuè interpretantur infermentãtis, hoc eſt, corrumpentis ſanam doctrinam & miſcentis corruptelas. Nam & Chriſtus & Paulus prauam doctrinam conferunt fermento.

5 Quia tu expectatio mea Domine: Iehoua fiducia mea à pueritia mea.

Repetit argumentum à ſua fiducia amplificatum à tempore, vt ita magis ſeſe muniat aduerſus ingruentiũ malorum

vim,& Deum faciliùs ad opem ferendam extimulet. Ego inquit,à nullo alio pendeo niſi à te ſolo,idque feci à prima pueritia,& ſemper expertus ſum te fuiſſe mihi fidelem patronũ & defenſorem:quare nunc quoque adſis mihi. Expectatio mea, plus eſt,quàm ſi diceret,ego te expecto. Excludit enim omnia alia externa præſidia & remedia, quibus alij confidunt.

6 Super te ſuſtentatus ſum (*innixus ſum*]ab vtero: à viſceribus matris meæ,tu extractor(*auulſor*) meus: in te laus mea ſemper.

Amplificat magis argumentum à tempore ſumptum, & longiùs extendit.

Non tantum à puero expertus ſum tua beneficia, ſed ante quam in hanc lucem ederer,cùm adhuc laterem concluſus in vtero matris,& cum poſtea mihi prodeundum eſſet in hanc lucem,ſenſi te mihi adeſſe,teque vice obſtetricis fungi. Ita docet partum muliebrem iuuari diuinitus,&non caſu naſci homines,vt Epicurei & profani homines iudicant.

In te laus mea ſemper]Id eſt,tot beneficiis me ab eo tempore quo primum editus ſum in lucem,affeciſti, vt nunquam mihi defuerit materia aut occaſio tui laudãdi. Tu igitur hũc curſum beneficiorum tuorum continua & perfice.

7 Quaſi prodigium fui multis(*ſeu magnis:*)tu verò fiducia mea robuſta(*firma.*)

Petitioni miſcet obiter querelam, quam poſtea pluribus pertexit.Ei deinde conſolationem opponit, qua ſe aduerſus illud ſcandalum crucis,& aduerſus illa iniqua mundi iudicia erigit & confirmat.Habetur Dauid ab aduerſariis pro portẽto,hoc eſt,pro re abominabili & execranda, cui ipſe Deus & tota rerum creatura iraſcatur,& qui tollendus ſit omnino,ne terra ipſius vmbra aut veſtigiis polluatur.

Hæc enim eſt conditio piorum in hac vita,vt cogantur audire huiuſmodi voces contumelioſas , quòd degenerarint à natura hominum,quod digni non ſint qui ferãntur inter homines,ſed qui tanquam καθάρματα & περιψήματα, quam primũ ſint remouendi,ne alios ſuo contagio lædãt.Ita Paulus Apoſtolus queritur,Apoſtolos in mundo haberi pro piaculis: & Ieſai.cap.8.dicit,ſe & diſcipulos ſuos inter Iſraelitas haberi pro ſigno & portento.Noſtro tempore accuſantur pij tanquã ſeditioſi,rebelles,hæretici,blaſphemi,rei læſæ maieſtatis,&c. Nullus autem eſt animus tam firmus aut fortis,qui non moueatur hiſce calumniis & mendaciis,&c.vt ſuprà pſalmo 69. audiuimus,probra huiuſmodi frangunt corda piorum:dolent enim non ſe tantum,ſed Deum quoque atque ipſius doctrinam ita ſcelerate contumelia affici,&intelligunt quam virulenta ſint odia eorum qui tales calumnias ſpargunt,idque poſtea in periculis experiuntur.Hic verò opus eſt conſtantia ne huiuſmodi dolore frangamur,ſed quo magis illi nos oderunt,abominantur,fugiunt aut perſequuntur,eo firmiore in Deum fiducia recumbamus , & ſtatuamus nos nequaquam propter hominum iniuſta iudicia reiectos eſſe à Deo,aut excluſos à ſocietate eccleſiæ: ſed illud fatum nobis commune eſſe cum ipſo filio Dei,cum Dauide,cum Ieſaia,cum Apoſtolis & plurimis aliis ſanctis. Atque hac cogitatione dolorem noſtrum moderemur & vincamus.Teſtimonia etiam colligamus,quibus fiduciam noſtram de cura & amore Dei erga eccleſiam confirmemus.

Fui portentum]Id eſt,inſtar prodigij me execrati ſunt homines.Ieſa.8.

רבים interpretari licet vel multos,vel magnos ſeu proceros.Nõ enim tantum vulgus ſpernit homines pios,ſed qui prudentia & iudicio excellunt,&in aliqua ſunt autoritate, plerunque à vera doctrina ſunt alieniores,& pios grauius oderunt quàm alij.

8 Replebitur os meum laude tua:quotidie gloria tua.

Iam quaſi certus de læto exitu promittit ſe grato animo celebraturum beneficia Dei. In precationibus enim affectus piorum variè miſcentur.Interdum dolor querulus pios abripit longius:mox verò rurſus ſeſe colligunt & fide aſſurgunt, vt tanquam victores in laudes Dei erumpant.

Talium exemplorum pleni ſunt pſalmi,& experiũtur ſinguli in magnis doloribus tales affectuum vices, de quibus cũ alias dictum ſit ſæpe,non ſum nunc prolixior.

9 Non proiicias me in tempore ſenectutis:cùm defecerit virtus mea ne deſeras me.

10 Quia dixerunt inimici mei de me:qui obſeruant animam meam,conſultaueruut ſimul:

11 Dicendo , Deus reliquit eum : perſequimini & comprehendite eum , quia non[*eſt*] eripiens.

12 Deus ne longè abſis à me: Deus mi ad auxilium meum feſtina.

13 Pudefiant , conſumantur aduerſarij animæ meæ : operiantur probro & pudore qui quærunt malum meum.

Repetit propoſitionem,& addit querelam, in qua exponit magnitudinem periculi ſui. Eam verò ſumit primùm à ſua perſona, deinde à perſona aduerſariorum. De ſe inquit, quòd elanguerit virtus : hoſtium verò odium & rabiem multis deſcribit. Cùm autem ſenectutis meminit verſu nono,reſpicit ad illud ſuperius argumentum, ductum à tempore. Tu fuiſti fiducia mea à iuuentute mea, & toto vitæ curriculo fuiſti mihi fidelis cuſtos & patronus. Ergo nunc in ſenecta , quando vires omnes me deficiunt , magis neceſſe habeo ad te confugere, túque vt hactenus mihi adfuiſti:ita deinceps me protege, &c. Hac verò precatione eccleſiæ hoc tempore inprimis opus eſt. Ea enim in hac vltima & delira ſenecta mundi imbecillior eſt & ſqualidior , non tantùm quia ætatis infirmitate vrgetur, de qua verè dicitur, *Senectus ipſa morbus eſt:* ſed quia pœnis quoque deformatur quæ propter peccata cumulatæ ſunt:& creſcit furor ac rabies in diabolis,qui ſciunt breui inſtare iudicium,in quo daturi ſint pœnas ſuarum blaſphemiarum, turpitudinum & furorum. Petamus igitur cum Dauide, vt Deus memor ſuæ promiſſionis eccleſiam languentem & multipliciter deformatam in hac vltima mundi ætate in quam incidimus, tanquam ægrum,ſenile , caducum & ferè emarcidum corpus, benignè foueat, tueatur & gubernet.

Cum defecerit virtus] Si enim,cũ integræ eſſent vires & corpus vegetum in flore iuuentutis , opus mihi fuit tuo præſidio & defenſione : quanto magis nunc in hac languida ſenecta neceſſe eſt vt tu me fulcias,& curam mei geras?

Verſu 10.& 11. exprimit non tantùm furorem & implacabile odium hoſtium , ſed extremam quoque impietatem & petulantiam. Non enim tantùm oderant Dauidem , eúmque plane cupiebant extinctum : verumetiam eò impietatis prolapſi erant,vt quia res Dauidi non admodum feliciter ſuccedere viderent, cogitarent eum iam eſſe deſertum & abiectum à Deo,ſibíque impunitatem pollicentes eo alacriùs & maiore cum conatu aduerſus eum inſurgerent. Nihil inquirunt in ſua cõſilia,an ea ſint honeſta,an iuſtas habeãt odij ſui cauſas aduerſus ipſum: ſed tantùm hoc vnicũ ſpectant vt impunè & ſine impedimẽto effundere in ipſum ſuum odium & graſſari pro libidine poſſint.Ita igitur hîc depinguntur iudicia & affectus profanorum hominum. Illi enim oculos conuertunt ad res externas, atque ex præſenti fortuna Dei gratiam metiuntur.Ac, ſi videant eccleſiam nõnihil premi ærumnis,ipſi totis viribus eam euertere tentant. Nos verò hinc fiduciam capere debemus , quia gloriæ Dei intereſt omnibus hoc teſtatum fieri,quòd ſuos nunquam deſerat.

Verbum שמר verſu decimo accipitur in malam partem, pro obſeruare aliquem atque eius vitæ inſidiari.

Deus,ne procul abſis à me]Impiis vocibus hoſtiũ, quibus miſero & afflicto inſultabant,opponit precationem,qua oſtẽdit ſe non ita deiici horum contumelioſis vocibus, vt propterea fiduciam ſuam abiiciat : ſed quo magis illi inſultant , tanto ille ardentiùs precatur : & quidem cùm *Deum ſuum* appellat, oſtendit ſe certò ſtatuere quòd non ſit deſertus vel abiectus ab eo,vt hoſtes iudicabant. Phraſis autem, *Ne procul abſis,* ſumitur ex iudicio rationis ſeu carnis, vt ſæpe iam monuimus. Non enim reuera procul abeſt à nobis Deus. Nam ſicut Pſal.9. dicitur, Eſt nobiſcum in ipſa tribulatione : Sed quia caro ſic iudicat in ærumnis , ideo in magnis calamitatibus tales voces ſæpe nobis excidunt , quæ magis carnẽ quàm ſpiritũ ſapiunt.Et tamẽ ea eſt bonitas diuina vt hanc infirmitatem noſtrã toleret , & non diſplicere ſibi tales voces oſtendat.Nam ſicut voces balbutientis infantis ſibi placere affirmat : ita etiam tales voces ex infirmitate piorum ortas non reiicit aut damnat.

Decimustertius verſus ſæpe antea eſt explicatus.Ideo nũc non immoror huic rei diutius.

14 Et ego ſemper ſperabo : & adiiciam ſuper omnem laudem tuam.

Altera pars pſalmi cõtinet promiſſionem gratitudinis, eáque ipſa Dauidi quaſi vaticinium eſt de felici exitu:Affirmat enim ſe deinceps celebraturum hanc liberationem & cætera beneficia ſibi exhibita , quæ ſunt innumera : id verò facere non poſſet,ſi oppreſſus malis periret. Ita dum ſe gratum fore promittit, fidem ſuam ſimul confirmat, & tanquam victor ex illis periculis quibus erat circumdatus, emergit. Hic fructus eſt ardentis & piæ inuocationis ac gratiarum actionis,vt in ipſis periculis,atque adeo in media morte,de hoſti-

bus

bus ſuis triumphent pij, & quaſi lætum pæana etiam ante victoriam canant.

Initio autem inquit ſe ſemper ſperaturum, ſeu anxiè expectaturum donec potiatur voto ſuo. Id enim propriè verbum Hebræum ſignificat. Qua oratione affirmat, ſe, etiamſi foris nulla ſpes liberationis, ſeu exitus malorum adhuc ſe oſtēdat, & hoſtes non deſinant ſuperbè ipſi inſultare, & fiduciam eius ridere, omniáque moliri & tentare quibus eum euertant, non tamen abiecturum fidem, ſed conſtanter perſeueraturum in illa ſpe, quam conceperat, quia certò ſibi perſuadeat, Deum non fallere ſpem ſuorum. Ita pulchrè & luctam fidei ſuæ in calamitatibus, & ardorem eius ac perſeuerantiā in certamine propoſito, ex quo tandem victrix abit, depingit. Multa enim erant, quæ fidem eius labefactare poterāt, hoſtium virulentia & potentia, ipſius Dauidis imbecillitas, & diuturnitas malorū. Sed hæc omnia ille hac vnica fidei voce proſternit: *Ego ſemper ſperabo.* Et addit: *Ego adijciā ſuper reliquas Dei laudes.* Qua oratione oſtendit quàm ſit certus & ſecurus de proſpero euentu huius belli ſeu periculi, in quo verſabatur. Dicit enim fore vt ad cætera beneficia, quæ hactenus Deus ſibi præſtiterit, etiam hoc accedat, quod ſibi nouam materiam & occaſionem celebrandæ gratiæ diuinæ præbeat. Qui igitur antea, inquit, varia beneficia à Deo accepi, & accepta celebraui, idem etiam hoc beneficium deinceps celebrabo, atque ita laudes diuinas noua acceſſione cumulabo.

15 Os meum narrabit iuſtitiam tuam: quotidie ſalutem tuam: quia non cognoui numeros.

Ἐξήγησις eſt præcedentis verſus: oſtendit enim quales laudes ſit decantaturus, & quid ſit celebraturus.

Primùm inquit, cantabo *Iuſtitiam.* Eam verò, vt ſæpe monuimus, intelligit fidem, quam Deus præſtat ſuis in aſſidua defenſione. Eſt enim iuſtitiæ diuinæ, eos qui ſe ipſius tutelæ committunt, tanquam ſupplices non deſerere, ſed tueri, ſeruare, defendere. Itaque actiuè intelligatur vox *Iuſtitia.* *Salutem* intelligit liberationem, quæ iuſtitiam ſequitur, tanquam effectus cauſam. Sicut enim iuſtitiæ diuinæ eſt, velle fidei ſuæ commiſſos eſſe ſaluos & incolumes: ita neceſſe eſt eos tandem eripi ex periculis & liberari. Iuſtitia igitur & ſalus coniunguntur: eſtque illa coniunctio dulcis & plena conſolationis hominibus piis. Sicut enim illa iuſtitia diuina firma eſt & immota, vt omnium ad ſe confugientium certò ſuſcipiat curam & patrocinium: ita ſalus quoque hanc curam & tutelam certò conſequitur.

Quia non noui numeros] Ideò, inquit, nunquam deſinam prędicare tuas laudes, quia beneficia ſunt innumera, nec poſſum ea animo aut cogitatione comprehendere. Alij aduerſatiuè legunt, Quamuis non norim numerum beneficiorum tuorum. Sed prior ſenſus meliùs fluit. Oſtendit enim ſe hac ipſa multitudine & immenſitate beneficiorum diuinorum excitari, vt cùm aliud rependere non poſſit, aſſiduè horum memoriam recolat, eáque grato animo commemoret. Græcus reddidit, ὅτι οὐκ ἔγνων γραμματείας: quia non noui literaturas. Atque hac ſententia olim homines fanatici & indocti abuſi ſunt ad ſuam ignauiam atque inſcitiam excuſandam, cùm affirmarēt exemplo Dauidis ſpernendas eſſe omnes literas & ſcientias liberales. Et noſtro tempore Enthuſiaſtæ, & Anabaptiſtæ, & ſimiles, ſpreta & abiecta omni doctrina ſomniant afflatus diuinos, ſuúmque tetrum errorem hac ſentētia perperam tegere conantur. Auguſtinus reddidit negotiationes: & prolixè declamitat contra negotiationem omnem, vt eos, qui velint eſſe Chriſtiani, iubeat abiicere negotiationes, & deſerere illud vitæ inſtitutum. Poſtea etiam alteram, quæ eſt in Græco codice interpretationem affert [Non noui literaturam] ac ne Grammaticos quoque, vt negotiatores, offendat, mollire commoda interpretatione hanc ſententiam conatur. Sed talia multa Auguſtino & aliis acciderunt, quòd fontes inſpicere non poſſent.

16 Incedam in fortitudinibus Domini Iehouæ: memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.

Incedam in fortitudinibus, vel ingrediar in fortitudines Domini: id eſt, Ego quidem nullo robore externo ſum inſtructus, quo poſſim impetum & vim repellere: ſum enim deſertus & deſtitutus omni auxilio. Sed interea dum me ſic nudatum conſpicio, ad tuam potentiam ego confugiam, eáque tanquam firmiſſimo propugnaculo nitar. Et memor ero iuſtitiæ tuæ ſolius, id eſt, hac fiducia excipiam omnia pericula, quòd ſcio te, vt Deum iuſtum, non deſerere tuos. Hac vna cogitatione & ſpe in omnibus illis periculis me ſuſtinebo: non reſpiciam ad alias res externas, ad præſidia amicorum, opes, virtutem aut induſtriam vel meam, vel etiam eorum qui me comitantur, & ſocij ſunt exilij & periculorum. Sunt enim hæc omnia fallacia & vana: ſed ſola tua fides quam præſtas iis qui ſe tuæ tutelæ committunt, arx eſt & præſidium firmum ac munitum, quo circumuallatus omnia pericula ab hoſtibus intentata facilè contemnam. Addatur autem antitheſis hominum impiorum extra eccleſiam. Illi in periculis non ingrediuntur in fortitudines Domini: ſed quærunt arces munitas, colligunt exercitus, muniunt ſe præſidiis. Deinde non nituntur iuſtitia Dei, ſed ſua prudentia, virtute, induſtria, opibus. Hæc antitheſis aliquid lucis affert ſententiæ pſalmi.

Alij, vt antea quoque monuimus, iuſtitiam interpretantur gratuitam illam miſericordiam diuinam, qua gratis nos pronuntiat iuſtos, & acceptos ad vitam æternam propter filium. Et Auguſtinus in ſuis ſcriptis hoc teſtimonio pſalmi affirmat excludi omnia operum merita: quia iuſtitia illa gratis donetur, atque hæc ſola excluſis noſtris operibus ſit prædicanda & celebranda. Hæc doctrina quidem vera eſt, & à Paulo ac cæteris Apoſtolis copioſè explicatur. Sed tamen hoc in loco & multis aliis, cùm iuſtitiam nominat propheta, eam intelligit, vt nos interpretati ſumus, de fide, quam iuxta promiſſionem ſuis præſtat in aſſidua defenſione. Idque oratio ipſa, & res de qua loquitur, ſatis demonſtrat. Addenda tamen eſt & illa commonefactio: Si in externis rebus nemo pendere debet à ſuis opibus, prudentia, virtute, ſed totum ſe committere potentiæ & iuſtitiæ diuinæ: quanto magis vbi de ſpirituali & æterna vita agitur, in qua promerenda nihil poſſunt vires humanæ, præſtandum hoc eſt, vt in ſolum Deum certa fiducia recumbamus & acquieſcamus, omiſſis illis monachorum nugis de ſatisfactione & meritis bonorum operum?

17 Deus, docuiſti me à pueritia mea, & huc vſque: annuntiabo mirabilia tua.

18 Et etiam vſque ad ſenectutem & canitiem Deus ne deſeras me, donec annuntiem brachium [*id eſt, robur*] tuum generationi: cunctis veniētibus fortitudinem tuam.

Repetit precationem & argumentum à tempore ſumptum, de quo ſuprà dictum eſt verſibus 5. & 6. Deus, inquit, tu à prima pueritia variis argumentis, ſeu experimentis, oſtendiſti tuam erga me beneuolentiam, amorem & ſolicitudinem, dum me inter tot pericula, tot aduerſationes, tot inſidias hoſtium, tot ærumnas clementer protexiſti, & ad regiam dignitatem euectum multiplicibus donis ornaſti. Eáque beneficia omnia, quæ prorſus ſunt admirabilia, ego in hunc diem vſque grato pectore agnoſco & celebrare non deſino. Quare etiam in hac ſenecta & canitie, quando mihi maximè opus eſt tuo auxilio & præſidio, non deſeras me. Scio enim te eſſe conſtantem & æqualem, nec mutare naturam aut animum, vt quos in prima pueritia & deinceps toto vitæ curriculo amore complexus ſis, deinceps in ſenectute abiicias. Ita à memoria præteritorum beneficiorum, & ſuā fiduciam confirmat, & Deum ad opem promptiùs ferendam impellit. Verbum docendi intelligatur non tam de doctrina ſonante in publico miniſterio, quàm de reali inſtitutione ſeu commonefactione, dum benefaciendo, & ex periculis eripiendo de ſuo erga nos amore Deus teſtatur.

ועד Illatiuè exponendum eſt.

Donec annuntiem] Addit aliud argumentum à cauſa finali: vt ad finem vſque celebrare tuas laudes & memoriam tuorū beneficiorum propagare ad poſteros poſſim, fac ne laudes illæ, quas nomini tuo dicere ſoleo, mea calamitate aut interitu interrumpantur.

Robur tuum] Brachium metalepticè ſignificat robur: intelligit autem robur & potentiam ſuam, quam declarari cupit in ſui liberatione.

19 Et iuſtitia tua, Deus, vſque in excelſum, quia feciſti magnifica: Deus, quis ſimilis tibi?

Exclamatio eſt, quam ei exprimit admiratio conſilij & bonitatis diuinæ in defendendis piis. Etſi, inquit, tua iuſtitia cōſpicitur in aſſidua defenſione piorum, ea tamen ita eſt excelſa, vt capere eius magnitudinem aut celſitudinem animus nō poſſit. Longè enim aliter tu ſeruas pios, quàm nos cogitamus aut optamus: affligis eos ad tempus, & videris quaſi diſceſſiſſe ab iis. Inde hoſtibus animi creſcunt, & piorum fides lāgueſcit. Tandem verò cùm omnia videntur eſſe deſperata, tu exeris potentiam, & glorioſè liberas eccleſiam.

Alij verſum hunc coniungunt cum ſuperiori, & repetunt verbum annunciandi ex verſu decimoſeptimo, vt ſit ſententia, ego annuntiabo iuſtitiam tuam, Deus qui es in excelſo.

20 Quia videre me feciſti tribulationes magnas & malas: & conuerteris [*id eſt, rurſus*] viui-

ficabis me:& ex abyſſis terræ rurſus extolles me.

21 Multiplicabis magnitudinem meam:& conuerteris [*circuibis, id eſt, rurſus*] conſolaberis me.

Exclamationi ſubiicit rationem,in qua oſtendit cur ita rapiatur in admirationem potentiæ,fortitudinis & iuſtitiæ diuinæ.Quia,inquit,in meis calamitatibus multis & magnis experior te talem eſſe,iuſtum videlicet in defenſione,& potentem in liberatione tuorum:& quidem longè aliter te defendere & ſeruare tuos,quam ratio humana cogitat.Vtitur autē comparatione,vt magnitudinem beneficij diuini magis illuſtret.Initio quidem oneras me multis & magnis calamitatib. atque ærumnis:vt qui me carnis oculis aſpiciunt, aliter iudicare non poſſint, quàm quòd actum ſit de ſalute mea, atque nulla ampliùs ſalutis ſpes reſtet:quia magnitudo & multitudo calamitatum facit vt ratio humana cogitet me abs te eſſe deſertum & abiectum,atque adeo morti addictum.Sed antequam illi animaduertant,tu rurſus te ad me conuertes, & ereptum ex morte & triſtiſſimis doloribus viuificabis, & perfundes perpetua lætitia.

Videre me feciſti]Verbum videndi etiam reliquos ſenſus & affectus complectitur,qui hunc ſenſum comitantur.Primum enim mala &pericula imminentia,vel oculis vel auribus percipiuntur.Deinde vel metus futurorum vel ſenſus præſentiū cor ipſum penetrat & vulnerat,& foris etiam corpus affligit. Videre igitur dicitur mala,qui intus &foris cruciatur dolore propter calamitates & ærumnas ſibi impoſitas:& nos Germani ſimili phraſi dicimus,*Du vvirſt es ſehen*,de eo cui periculum aliquod aut malum imminere dicimus.Eſt autem notandum,quòd affirmat non niſi Dei conſilio & voluntate hæc mala ſibi eueniſſe.Id enim efficaciſſimum eſt ad conſolationem.Epicurei caſu talia accidere exiſtimant. Stoici fingunt talem eſſe connexionem cauſarum primæ & ſecundarum, vt neceſſariò iſta fiant & mutari non poſſint.Tales cogitationes remouendæ ſunt ex animis piorum,& quicquid nobis accidat ſtatuendum eſt,voluntate & conſilio diuino id nobis accidere.Id docet hic verſus.

Conuerteris, viuificabis]Id eſt,rurſus viuificabis me.Quando enim duo verba abſque coniunctione iunguntur,prius aduerbiaſcit.Eſtque illud peculiare &vſitatū in verbo שוב &quod cognatæ eſt ſignificationis verbo סבב.

Dicit autem ſe viuificatū iri. Significat igitur ſe tantis fuiſſe calamitatibus oppreſſum, vt nulla ſpes fuerit ſalutis aut vitæ, ſed iam penè à morte fuerit abſorptus. Eo vſque enim nos mergi ſinit Deus, vt beneficium liberationis eo ſit conſpectius.

Idem poſtea figuratis verbis repetit. Ex abyſſis terræ rurſus exaltabis me. Abyſſi enim per metaphoram ſignificant maximas calamitates, ex quibus humana induſtria aut viribus euadere non poſſumus, & quibus facilè abſorbentur hi qui non ad Deū cōfugiunt. Aquæ vſitatè in Scriptura ſignificant calamitates,ſicut ſuprà dictum eſt pſalmo 69.ſed abyſſus ſignificat concurſum multarum calamitatum humano conſilio inextricabilium: vt pſalmo 42. Abyſſus abyſſum vocat. Tribuitur autem vocabulum תהום non tantùm profunditati aquarum, ſed cuilibet voragini:id quod vel ex hoc loco apparet.

Multiplicabis magnitudinem] Amplificat beneficium liberationis à ſequutura dignitate & gloria, quam affirmat deinceps maiorem fore quàm fuerit antehac vnquam. Ita enim Deus compenſat exigui temporis labores,anguſtias &pericula,vt non tantùm nos incolumes ſeruet & periculis eripiat, ſed etiam noua dignitate & gloria nos augeat & ornet.Ita Ioſephum liberatum ex carcere euehit ad ſummos honores & potentiam.Ita Danielem & ſimiles ornat ſumma dignitate & autoritate poſt exigui temporis ærumnas.

Rurſus conſolaberis me] Qui nunc ſcilicet penè abſorptus sū dolore propter imminentes calamitates,& pericula quæ me circunſtant.

Verbo תסוב ſignificat Deum aliquandiu quaſi auertiſſe faciem ſuam à Dauide,nec voluiſſe eum blandis oculis aſpicere,futurum verò vt mox ſe conuertat,ſuámque faciem blandam & ſerenam oſtendat,ex qua vera & ſolida conſolatio capitur.Dum enim tergum nobis obuerterit Deus, iudicamus eū nobis iraſci.Sed cùm faciem ad nos conuerterit, videtur nobis rurſus conciliari & in gratiam nobiſcum redire.

Formæ ſermonis ſumptæ ſunt à communi hominum conſuetudine.Solet enim Spiritus ſanctus,vt ſe ad captum noſtrū accommodet,loqui de Deo ἀνθρωποπαθῶς.

22 Etiam ego celebrabo te in organo nabli: veritatem tuam,Deus meus,pſallam tibi in cithara, ſancte Iſrael.

Redit ad promiſſionem gratitudinis, quæ altera pars eſt pſalmi,vt ſupra dictum eſt.Ego,inquit,non ſepeliā perpetua obliuione hæc tua immenſa beneficia, ſicut ſolent homines impij,profani aut Epicurei, qui exiſtimāt,vel caſu,vel ſua induſtria & prudentia ſe euadere ex periculis.Sed grata mente horum memoriam recolam,& voce atque inſtrumentis muſicis ea celebrabo.Veritatem nominat,quam præſtiterit in ſeruandis promiſſis.Deus enim,vt verax eſt,ita certò præſtat ea quæ promittit.Sanctum Iſraelis vocat Deum,quia peculiariter ſe huic populo patefecerat,& promiſſionib.certis obſtrinxerat:atque ita hac patefactione huic populo ſe peculiariter addixerat,erátque is hac patefactione ab omnibus alijs totius orbis diis ſeparatus.Sanctum enim eſt quod à cōmuni & profano vſu ſeparatum eſt.Alij ſanctum interpretantur ſanctificatorem Iſraelis,quod penè eodem redit. Ad hunc enim finem facta erat adoptio,de qua in fœdere dicitur.

23 Exultabunt labia mea dum pſallam tibi:& anima mea quam redemiſti.

Id eſt, illæ laudationes & gratiarum actiones non erunt ſimulatæ,aut in ſpeciem effictæ, ſed proficiſcentur ex ſerio & intimo cordis affectu: præſtabo enim tibi hoc officium magno animi deſiderio, & conſentiet cor cum ipſa lingua. Hypocritæ, vt apud Ieſaiam dicitur,labiis honorant Deum, cor autem eorum longè abeſt. Sed Dauid linguam,& cor, ſeu animam,coniungit.

24 Etiam lingua mea quotidie annuntiabit iuſtitiam tuam: quia pudefacti ſunt, quia ignominia affecti ſunt qui quærunt malum meum.

Hic verſus cohæret cum ſuperiore, & nihil habet obſcuritatis. Tantùm de vocabulo Iuſtitiæ iterum monendi ſunt auditores. Iuſtitiam enim nominat defenſionem quam iuxta promiſſionem præſtat piis: & quod inquit ſe quotidie celebraturum Deum, oſtendit qualis debeat eſſe animus piorum in meditandis & celebrandis beneficiis diuinis. Non enim ſatis eſt ſemel atque iterum quaſi defunctoriè prædicaſſe beneficia diuina:ſed faciendum id eſt aſſiduè.

PSALMI LXXI.

PARTES.

I. Petitio,cuius ſumma eſt, vt Deus ſeruet ſupplicem: quæ per prolepſin enunciata v.1. ſuis deinde argumentis amplificatur.1. A natura Dei iuſta & gratioſa.2.v. 2. A verbo & promiſſionibus Dei, 3.v. 3. Ab operibus ſingularibus Dei, præſertim erga Dauidem, 4.5.& 6.v. 4. A gloria Dei, reliqua parte 6.v. & duobus ſequentibus.

Alterum argumentorum genus, à perſona aduerſariorum. Repetit autem v. 9. poſtulatum cum amplificatione & auxeſi à perſona ſupplicis, qua ratione tranſit ad alterum illud genus, & primùm impietatem aduerſariorum exponit, v.10.11.deinde auxilium poſcit, v.12. tertiò, imprecationem iuſtam concipit & pronunciat, v.13.

Tertium argumentorum genus, à perſona ſupplicis: in quo profitetur pſaltes 1. ſpem ſuam præſentem & fidem in Deum, v.14. & 15. 2. Officium in futurum pollicetur de laudibus Dei prædicandis, v.16. 3. Ab anteacta experientia & acceptis documentis & beneficiis Dei, poſtulatum ſalutis ſuæ repetit, à v. 17. ad 22. vſque.Rerum autem antè geſtarum duo genera ponuntur: 1. documenta de verbo & ſpiritu, v. 17. & 18.2. Opera,v.19.20.& 21.

II. Concluſio votiua laudis omnimodæ,atque gratiarum actionis ex corpore & animo, v.22.23. 24.

OBSER-

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2.3. Pij vt exaudiantur non concipiunt fictas preces, ſed ad Deum ſeriò confugiunt: quia certò ſunt perſuaſi in eius manu repoſitam eſſe ſuam ſalutem.

Etſi ad tempus fideles velut cõfuſi iaceant, confidunt tamen Deũ effecturum vt aliquando liberentur, nec paſſurum vt in æternũ pudefiant.

Fidelis eſt Deus, qui ideo non patietur ſuos ſupra vires tentari, ſed tandem eos ex omnibus ærumnis ereptos glorificabit.

Protectio Dei eſt inſtar munitionis in petra ſublimi ac forti collocatæ, ad quam eccleſiæ aduerſarijs non eſt acceſſus. Turris fortiſſima nomen Domini, Prouerb. 18.10.

Apud Deum nobis ſemper parata eſt defenſio, & quoties ad eum confugiemus propitius occurret.

Deus mandat de ſuorum ſalute quod decreuit, quoties fauorem ſuum palam exerit aliquo ſigno, & nunc ſolo nutu, nunc per homines vel alias creaturas exequitur quod apud ſe ſtatuit: quanuis in ſolo eius præcepto ſatis autoritatis inſit ad nos ſeruandos.

4 *Ad impetrandi fiduciam hoc plurimùm valet, vbi nobis conſcij ſumus propriæ integritatis, vt liberè coram Deo conqueri liceat, iniuſtè nos & ſcelerate ab hoſtibus oppugnari.*

5 *Ex beneficijs Dei materia bene ſperandi datur fidelibus, quibus ab ætatis initio exhibentur gratiæ documenta, ex quibus diſcere poſſunt nonniſi in ſolo Deo eſſe recumbendum.*

6 *Admirabilis virtus Dei & ineſtimabilis bonitas lucet in hominum generatione: cuius ratio, niſi ad eam eſſemus aſſueti, prorſus incredibilis foret. Antequam verò exeamus in lucem, & quum ex matrum noſtrarum viſceribus trahimur, niſi Deus peculiari quadã benedictione nobis adſit, nulla vitæ ſpes eſſe poteſt, quum tot mortes vndique immineant.*

7 *Quanuis ſe abominationi multis & potẽtibus eſſe videant fideles, non poteſt tamẽ vllis tenebris extingui memoria beneficiorum Dei, quæ ad fidẽ erigendam ſunt inſtar lampadis in eorum cordibus.*

8 *In medijs afflictionum tenebris, fideles quaſi votis ſuis potiti, futuræ gratitudinis teſtimonium in corde proferunt, & ſe Dei laudes indeſinenter cantaturos profitentur.*

Quo nos magis deficiunt vires, & ſicut ipſa neceſſitas ad Deum quærendum nos ſolicitat, ſic etiam ſperanda eſt eius ad nos iuuãdos propenſio.

10.11 *Filijs Dei hoc propè ordinarium eſt vt nihil non audeant contra ipſos improbi, dũ ſibi diuinitus in prædam expoſitos eſſe fingunt. Sed proterua hæc eorum inſultatio viciſſim animos noſtros debet erigere: quia Dei gloria intereſt, re ipſa comprobari quod toties promittit, pauperis & afflictis ſe opem laturum.*

12.13 *Etſi impij exiſtimant nos penitus à Deo deſertos: ſcimus tamen quanto fauore nos hactenus ſit proſecutus, & cõfidimus fieri nõ poſſe vt nos ope ſua deſtituat Deus, quos à matrum vteris & vberibus in ſuam tutelam benignè ſuſcepit.*

Moram Deus nectere non poteſt, quũ impij perſuadere conantur à Deo deſeri qui in ipſum certa fide & ſincero animo confidunt.

Aduerſus planè deſperatos eccleſiæ Dei hoſtes auxilium Dei implorandum, vt pudore afficiantur & funditus intereant.

14 *Dum impij non deſinunt ſuperbè ridere noſtram fiduciam, in ſpe nobis eſt perſeuerandum: & hæc vera eſt fidei probatio, attendere ad ſolam Dei promiſſionem, vt ſola eius luce per denſiſſimas afflictionum tenebras regatur.*

Quia pridem ad Dei beneficia fideles aſſuefacti ſunt, non dubitãt quin noua acceſſio nouam quoque materiã celebrandæ diuinæ gratiæ eis afferat.

15 *Hinc naſcitur ineſtimabilis conſolatio, dum ſalutem noſtrã audimus ita inniti Dei iuſtitiæ, vt eandem cum hac ſimilitudinem habeat.*

Nihil eſt quod magis accendere animos noſtros debeat, ad canendas Dei laudes, quam vbi nos innumeris beneficijs eſt proſecutus.

16 *Etſi non ſine moleſtia nituntur fideles, neque alacriter volitant, quin potius præ laſſitudine gemunt: quia tamen obſtacula & difficultates inuicta animi magnitudine ſuperant, in Dei protectione & fideli promiſſione prorſus defixi, ideo pergere dicuntur, donec curſum ſuum abſoluerint.*

Neque conſilio proprio, vt neque induſtriæ, neque virtuti, neque vllis opibus innituntur fideles, vt ſecurè ſibi ſalutem promittant: ſed hoc vnum illis eſt propoſitum, quia iuſtus & fidelis eſt Deus, fieri nõ poſſe vt ab eo deſerantur.

Si in externo vitæ ſtatu gradum aliter tenere non potuit Dauid, quàm ſe, abdicatis omnibus alijs fiduciis, reijciendo in Dei iuſtitiã: vbi de ſpirituali æternáque vita agitur, ſi vel minimũ delapſi fuerimus à Dei gratia, nullo modo conſiſtere poſſumus.

17.18 *Omnino ſic ſtatuendum eſt, poſtquam nos adhuc infantes dignatus eſt amore ſuo Deus, pueros eodem fauore complexus eſt, totóque vitæ curriculo benefacere non deſiit, fieri non poſſe quin ſibi ad extremum conſtet. Et vt ad finem vſque nos iuuare dignetur precandus eſt, vt poſteris commendemus æquabilem gratiæ diuinæ curſum, ac in morte ipſa teſtemur Deum fideles qui ad eum confugiunt nunquam fruſtrari.*

19 *Vt iuſtitia Dei aditus ad nos ſeruandos pateat, ad concipiendam eius amplitudinem, ſurſum ac deorſum, longè & latè mentes noſtras diffundi oportet. Quòd ſi cognitæ Dei potentiæ iuſtam ac debitam laudem tribuimus, nunquam nos deficiet bene ſperandi argumentum.*

Eò vſque progredi oportet bonitatis Dei ſenſus, vt nos in admirationem rapiat. ſic enim fiet vt in Deo ſolo acquieſcãt mentes noſtræ, quæ huc & illuc ſubinde praua inquietudine feruntur.

20.21 *Duriter affligi in hac vita fideles neceſſe eſt, & ad mortem vſque deſcendere, vt ſentiant quid ſit incredibili virtute Dei eripi ab interitu: ac, vbi in deſperatione Dominus ſuccurrit, reſurrectio ipſa illuſtre eſt gratiæ diuinæ ſpeculum.*

Fidelibus nihil fortuitò accidit aduerſi: quia ſimulac illucet Dei fauor, rerum vices mutantur, perinde ac ſi ex inferis pij eueherentur in cælum.

22.23.24 *In hunc finem liberaliter ſuos iuuat Deus, vt celebretur eius bonitas.*

Pars fuit legalis pædagogiæ & vmbratilis cultus ad citharam & nablum canere Dei laudes. Poſt Chriſtum exhibitum, etſi priuatim non vetamur interponere inſtrumenta muſica, à templis tamẽ manifeſto Spiritus ſancti edicto arcentur, dum Apoſtolus 1. Corinth. 14.13. non niſi cognita lingua benedicere vel orare permittit.

Niſi pendeamus ex Dei verbo, inſipida nobis erunt quæcunq; beneficia conferet: nunquam etiam vel ad preces, vel ad gratiarum actiones incitabimur, niſi eodem verbo prælucente.

Pijs nullum maius eſt oblectamentum quàm in Deo laudando: vnde ſequitur profanã eſſe eorum lætitiam qui poſthabito Deo ſibi in euanidis delicijs gratulantur. Nec enim vllum ſuaue & optabile eſt gaudium niſi cum Dei laudibus cohæreat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Precum piarum characteres ac definitio.
2. Deus qualis ſit erga verè eum inuocantes.
3. Spei & fidei ſinceræ deſcriptio.
4. Quid mundi filij de Dei ſeruis iudicent.
5. Perſeuerantiæ fiducia cum humilitate & ſeria inuocatione coniuncta.
6. De imprecationibus aduerſus impios.
7. Piorum variis periculis liberatorum officium.
8. Dei maieſtas & Omnipotentia in quibus elucet.
9. Iuſtorum proprium, calamitatibus grauiſſimis exerceri.
10. Muſices vocalis & inſtrumentalis rectus vſus.
11. Laudum Dei argumentum.
12. Corpore & anima piorum, Deus celebrandus.

ARGVMENTVM PSALMI LXXII.

PSALMVM hunc veriſimile eſt Dauidem conſcripſiſſe, cùm paulò ante mortem, filium ſuum Salomonem ſucceſſorem declaraſſet, eúmque vnctum à Zadoc ſacerdote & Nathan Propheta inaugurari, ac publicè regem proclamari vidiſſet, vt ſcribitur 1. Regum. 1. Nam & Salomoni hunc pſalmum inſcribit, & qui pſalmos in vnum volumen collegit, teſtatur hunc vltimum fuiſſe à Dauide compoſitum. Initio igitur pſalmi, quod antea priuatim eum feciſſe hiſtoria teſtatur, etiam hac publica & ſolenni precationis forma, quam populo præſcripſit, filium à ſe regem nominatum atque electum Deo commendat, eúmque rogat vt filium inſtruat ſalutaribus conſilijs, vera prudentia & virtute, vt tota gubernatio eius ſit iuſta, tranquilla & ad communem ſubditorum ſalutem comparata. Atque hac ipſa precatione vtrumque docet, & qualis debeat eſſe rex bonus, & quòd ſalutares reges & principes dona ſint diuina, ideóque aſſiduis votis à Deo petẽdi.

Sicut autem Dauid in omnibus ſuis ærumnis & rebus à ſe geſtis, ad Chriſtum, cuius ſe typum gerere ſciebat, præcipuè reſpicit, vt hactenus in multorum pſalmorum enarratione vidimus: ita etiam nunc, poſtquam omnia fauſta & felicia precatus eſt filio ſuo, incipit oculos mentis conuertere ad conſiderationem regni ſpiritualis, quod ex hoc corporali Salomonis tanquam vmbratili & typico producendum ac conſtituendum erat: eóque nomine, & ſibi & filio gratulatur, quibus diuinitus illud regnum cõmiſſum ſit, quod in populo Dei à poſteris ſuis continua ſerie adminiſtrandum ſit, donec illud nouum longè auguſtius & ſplendidius ſub Meſſia emergat. Ita igitur vtrumque regnum coniungit, Salomonis ſcilicet & Chriſti, atque ex eo dignitatem atque amplitudinem huius præſentis regni conſiderari iubet, quia continua ſerie vſque ad Chriſtum duraturum ſit, qui deinceps regnum hoc ita amplificaturus ſit, vt ad extremos orbis terrarum fines dilatetur, & nullo vnquam temporis fine claudatur. Hæc magna dignitas fuit regni Salomonis & ἀξίωμα præclarũ, cum quo nullorum monarcharum aut regum potentia vel autoritas vel eminentia comparari poteſt. Quotquot enim fuerunt reges aut principes, qui vel regna feliciter conſtituerunt, vel à maioribus accepta ad poſteros tranſmiſerunt, habuerunt illi ſuas periodos, quibus reuolutis & circumactis, mox cum omni potentia & dignitate ſua corruerũt. Solum hoc Salomonis regnum in Chriſto ex poſteris ipſius oriundo factũ eſt æternum atque inuictum. De hoc igitur tanto bono meritò gratulatur Dauid ſuo filio, qui tale regnũ adipiſcatur, quod nullo vnquam ſeculo ſit finiendum, quódque ſua potentia & amplitudine totũ orbem terrarũ ſit cõplexurum. Habet igitur hic pſalmus, præterquam quòd precatio eſt pro felici gubernatione, illuſtrem deſcriptionem regni Chriſti, de quo ne in argumento prolixiores ſimus, deinceps in interpretatione dicetur cõmodiùs. Multa enim de beneficijs, quæ ab hoc rege in ſubditos diſtribuuntur, déque officijs & cultu ſubditorum, deſcriptione regis & regni admiſcentur, quæ peculiarem requirunt declarationem: & à multis interpretibus ſunt hæc copioſè & ſplendidè illuſtrata. Nos vt in Grãmatica interpretatione, contenti erimus breui notatione ſeu indicatione eorum quæ præcipuè obſeruanda ſunt, & ſententiam perſpicuam & planam inueſtigabimus. Cætera ex alijs doctiſſimorum huius ætatis interpretum commentarijs auditoribus petenda relinquimus.

לשלמה Salomoni.

Titulus videtur indicare, Salomonem ipſum autorem eſſe huius pſalmi. Nam aliis multis pſalmis, quorum autor eſt Dauid, ſimili forma nomen eius præfigitur לדוד ſed tamen quia finis pſalmi indicat, hanc vltimam eſſe precationum Dauidis, & hiſtoria 1. Regum 1. manifeſtè oſtendit, Dauidem in inauguratione filij ſui ardentes preces fudiſſe ad Deum: exiſtimo ipſum Dauidem autorem eſſe huius pſalmi, cúmque in gratiam Salomonis filij, cui de regno gratulabatur, compoſitum eſſe, vt in datiuo legatur Salomoni, ſcilicet dedicatus aut conſcriptus pſalmus à patre. & quidem iudico Dauidem voluiſſe hunc pſalmum extare ad omnem poſteritatem, vt in hoc tanquam ſpeculo ſeſe contuerentur poſteri, & non tantùm de ſua dignitate, qua excellebãt, ſed etiam de officio ſuo commonefacti Deo gratias agerent, à quo ad tantam dignitatem eſſent euecti, & in adminiſtratione reipub. ea præſtarent, quæ à ſe requiri hoc loco cernerent. Nomen enim Salomonis totam poſteritatem complectitur, adeo quidem, vt Chriſtum ipſum includere videatur.

Si quis tamen omnino Salomoni hunc pſalmum adſcribendum cenſet, ita quidem id recipi poteſt, vt verba dicantur à Dauide inter preces eſſe concepta, aut velut materia filio præſcripta, quæ Salomon deinceps in numeros redegerit, atque ita æternæ memoriæ conſecrarit. Alij literam ל exponunt per præpoſitionem מ de Salomone, quod tamen à pleriſque video repudiari.

1 Deus, iudicia tua regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.

Orditur pſalmum à precatione. Dauid enim conſiderans & ſuo exemplo edoctus, quàm ſit res ardua & difficilis, adminiſtratio regni, præſertim in illo populo, in quo erat eccleſia Dei, & aduerſus quem ſciebat Diabolos atque horum organa perpetuò conſpiraſſe, omniáque in huius interitum moliri, quámque nulla ſapientia humana in gubernatione ſit felix ſine Deo: petit regem diuinitus gubernari, veráque ſapientia atque aliis virtutibus neceſſariis inſtrui, vt gubernatio eius ſit iuſta, felix, tranquilla, pacata & ſalutaris huic populo. Hoc pij regis & patris votum in extremo penè agone tanto fuit ardẽtius, quanto de ſalute huius populi erat magis ſolicitus, & quanto cogitabat de promiſſione ſibi facta diligentiùs. Erat enim promiſſio Dauidi facta, manſurum regnũ in ipſius poſteritate vſque ad Chriſti aduentum, & populi ſalutem externam quodãmodo conſeruari debere à ſuis poſteris, donec à Chriſto æterna ſalus & beatitudo afferretur. Tantam rem videbat eſſe non humanarum virium, aut induſtriæ humanæ, ſed opus beneficentiæ diuinæ. Ideo inquit, *Deus, tu da iudicia tua & iuſtitiam tuam regi*, id eſt, inſtrue & doce hũc regẽ iam electum, vt intelligat quid debeat ſuis ſubditis, & vt rempubl. ita adminiſtret, vt tota eius gubernatio ſit iuſta, nõ diſcedat à norma honeſti, non ſit crudelis aut tyrannica, non ſit auara, non negligens, aut ſegnis, non quæ aliquam partem reipub. curet, pleraque verò negligat: ſed quæ ita ſit comparata, vt in omnibus tua iudicia & tuam iuſtitiam referat, ſitq; tota quaſi exemplar iuſtitiæ & iudiciorum tuorum, vt quemadmodum tu totum mundum gubernas æquiſſimè, ita ille hanc regni ſui partem ſibi commiſſam æquis legibus & iudiciis adminiſtret. Hæc natiua eſt ſententia huius verſus. Nam iudicium & iuſtitia paſſim in pſalmis Dauidis ſignificant rectitudinem, in qua nihil eſt vitij, in qua nihil eſt quod exorbitet ab honeſto, vel ab æquo & bono, vbi nihil cõceditur affectibus vel libidini cuiuſquam, aut vbi nulla tyrannis dominatur: denique vbi quod iuſtum eſt probatur, & quod iniuſtũ damnatur. Ita Dauid fatetur pſal. 119. ſe feciſſe iudiciũ & iuſtitiam: & Abſalom 2. Sam. 15. vt populum ad ſe allicere, inquit, Quis ponat me iudicem in terra, & ad me veniat omnis vir cui ſit cauſa, & iudicium & iuſtitiam faciam ei?

Si quis vocabulum vtrunque iudicij & iuſtitiæ ſeorſim cõſiderari cupit, *Iuſtitiam* interpretetur, vt pſal. præcedente, de defenſione & præſidio, quo rex tuetur inopes auxilij & fidem huius implorantes: *iudicium* pro pœnis, quibus afficit ſceleratos. Eſt enim Magiſtratus, vt Paulus inquit, miniſter Dei, vt ſit honori bono operi & terrori malo, hoc eſt vt tueatur & præmiis afficiat rectè facientes, malos verò & ſceleratos puniat: quorum prius eſt iuſtitiæ, poſterius verò iudicij. Et pſalm. 99. Deus dicitur iudicium & iuſtitiam feciſſe Iacob, hoc eſt, impios malos, & ſceleratos puniuiſſe & coercuiſſe: bonos verò atque ad ipſius opem confugientes, ſeruaſſe.

Atque ita, cùm de Chriſto hanc ſententiam interpretãtur, hæc verba intelligenda ſunt: *Deus, iudicium tuum regi da*, &c. id eſt, Da vt hoc in regno Chriſti, pij qui ſe ipſius fidei commiſerunt, defenſionem habeant aduerſus diabolos & alios ſceleratos hoſtes ſuos, à quibus perpetuò oppugnantur, & furorem diabolorum & malorum hominum, qui regnum tuum conantur euertère, compeſce, vt deſinant oppugnare aut turbare tuum regnum. Sunt enim pij, vt ſequente verſu dicitur, oppreſſi triſti ſeruitute peccati, mortis & diaboli: hos iudicat eripiendos & vindicandos in libertatem Spiritus, & tuendos. Hæc eſt igitur illa iuſtitia, de qua hîc loquitur. Poſtea addatur hoc quod alij dicunt de iuſtitia, quam ille ſuis impertit, non enim tantùm iuſtos tuetur, ſed antequam in tutelam recipit, iuſtos facit, hoc eſt, reconciliatos adoptat ad vitam æternam.

Hic ampliſſima ſe offert doctrina de regno Chriſti, quæ alibi copioſiùs explicatur.

Alij qui tantùm de Chriſto pſalmum interpretandum cenſent, Iudicia interpretãtur, vt nos, quibus iudicat & condẽnat hoſtes huius regni, mortem, peccatum, diabolũ: ſed Iuſtitiam intelligunt, qua ipſe iuſtificat impium, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti non imputans illi peccata, ſed gratis eum acceptans ad vitam æternam. Sed vocabulum iuſtitiæ aliquanto plus, vt dixi, in ſe comprehendit. *Filium regis* non tantùm intelligit Salomonem, ſed totam poſteritatem, qua ipſum Chriſtum quoque comprehendi intelligamus.

2 Iudicabit [*id eſt, vt iudicet*] populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.

Huius verſus explicatio pendet ex ſuperiore, éſtque quaſi ratio addita ab officio regis ſeu cauſa finali. Ideo enim petit diuinitus ei dari iudicium & iuſtitiam, hoc eſt armari & inſtrui omnibus virtutibus neceſſariis ad honeſtã reip. guberna-

tionem

tionem,vt populum à Deo peculiariter ſelectum, & quidem multiplicibus ærumnis atque iniuris oppreſſum, feliciter & rectè regere & gubernare poſſit: ne ſcilicet gubernatio eius degeneret in tyrannidem, in qua pro arbitrio ſuo dominetur: néve inane tantùm nomen regium gerat, oblitus ſui officij & muneris: ſed vt iuſtitiã ex æquo omnibus adminiſtret, & bonos aduerſus iniuriam defendat, malos verò & ſceleratos pœnis coerceat.

Verbum iudicandi συνεκδοχικῶς omnes partes legitimæ gubernationis complectitur, & ſignificat idem quod regere ſeu gubernare. Ita *Iudices* dicuntur, qui ante reges præerant Iſraelitis,& rempubl. gubernabant: & cùm anni adminiſtrationis ipſorum in hiſtoria annotãtur, dicuntur tot vel tot annos iudicaſſe. Iſraelitæ 1. Samuelis 8. cùm regem poſcunt, dicunt,iudicabit nos rex noſter, id eſt, præerit nobis & reget nos.Quidam in optatiuo hanc ſententiam reddunt. Vtinam iudicet. Alij futurum tempus retinent,vt ſit vaticinium.Sed concinnior eſt ſententia,ſi in coniunctiuo exponamus.Quòd ſi omnino futurum indicatiui retinere placet, ita reſoluenda eſt oratio:ita ſcilicet,ſi dederis ei iudicia tua,iudicabit populum tuum iuſtè.

Eſt autem emphaſis in pronomine *tuum*, qua ſignificat reges eſſe miniſtros Dei,nec habere plenum dominiũ in ſubditos,aut poteſtatem quiduis agendi.

3 Proferent montes pacem populo: & colles in iuſtitia.

Amplificat orationem ab effectu ſeu fructu bonæ gubernationis. Si ita regnum conſtitutum fuerit vt iuſtitia vbique adminiſtretur,& omnia legitimè,& rectè agantur à rege & cæteris quos ille gubernationi præfecerit, tunc exorietur vel proueniet pax in montibus & collibus,hoc eſt,erit ſtatus huius regni lætus & proſper,nihil deerit ad felicitatem ſubditis, nihílque deſiderabitur ampliùs. *Pax* ſignificat Hebræis non tantum vacationem à bello aut armorum ſtrepitu, ſed felicẽ & proſperum omnium rerum ſucceſſum in tota vita:complectitur enim omnia bona & commoda per ſynecdochen, poſita ſpecie pro genere,idque κατ' ἐξοχήν. Nam inter res humanas nihil eſt optabilius pace,vnde eſt illud Silij.

pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt,pax vna triumphis
Innumeris potior.

Eſt autem metaphora in oratione,cùm dicit: Montes producturos eſſe pacem. Reſpicit enim ad terræ fœcunditatem quæ nunc maximè eſt conſpicua, quando etiam in montibus,qui vt plurimùm ſterilitate laborant,vel ſaltem non tanta frugum copia abundant vt valles, omnia feliciter proueniunt. Atque hac figura ſignificat illam felicitatem in hoc regno non fore paucorum tantùm, ſed redundaturam paſſim in omnes, cuiuſcunque ſint conditionis vel ætatis. Nullum enim terræ angulum affirmat vacuum fore illa felicitate.

Eſt autem concinna alluſio ad nomen Salomonis in voce שלים quæ aliena lingua exprimi non poteſt.

In iuſtitia] Plerique reddiderunt,iuſtitiam, ſecuti Græcum interpretem, quaſi litera ב litera ſit ſuperuacanea. Et quia de Chriſto pſalmum intelligendum eſſe ſciunt, mentes interpretantur Apoſtolos,colles,cæteros doctores eccleſiæ:hos dicunt afferre pacem & iuſtitiam, hoc eſt, annunciare remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam donandam propter filium Dei,ſicut apud Ieſaiam dicitur, Quàm pulchri pedes annunciantium pacem.

Sed videntur illi non ſatis aſſequi mentem prophetæ. Vox enim בצדקה in iuſtitia vtrique membro præcedenti cohæret,& bis repeti debet,idque accentus Reuia monet,qui vocem גבעות à ſequenti dictione diuellit. Eſt igitur hæc ſimpliciſſima ſententia: Montes & colles proferent pacem in iuſtitia, id eſt, vbi regnum iuſtè adminiſtrabitur, & forma gubernationis ad iuſtitiæ normam compoſita fuerit, proueniet pax paſſim in toto regno, erítque lætus & tranquillus ſtatus.Docet igitur nulla regna feliciter adminiſtrari,ex quibus exulat Iuſtitia:& noti ſunt verſus: *nam cætera regna*
Luxuries vitiis odiiſq; ſuperbia vertit.

Nec verò difficile eſt hanc ſententiam ad Chriſti regnum accommodare Nam in hoc iuſtitia ita adminiſtratur ab hoc rege, vt ſuſcipiatur defenſio piorum, qui oppreſſi peccato, morte & tyrannide Diaboli ad Chriſti opem & auxilium confugiunt,& ab hoc ſe defendi & liberari petunt. Hos igitur ille tuetur & ſeruat, deſtructa potentia & tyrannide diaboli,deuicta morte & abolito peccato, atque ita in montibus & collibus, hoc eſt, paſſim in omnibus regnis, prouinciis & vrbibus,vbi hic rex agnoſcitur & colitur, prouenit pax & ſecuritas conſcientiarum, lætitia acquieſcens in Deo & alia innumera dona.

4 Iudicabit pauperes oppreſſos populi: ſalutem afferet filiis egeni: & conteret iniurioſum [*calumniatorem.*]

Proſequitur eandem ſententiam, in qua finem ſeu fructum bonæ gubernationis deſcribit. Si enim tu inſtruxeris eum iuſtitia & iudicio,tunc ſicut omnia erunt plena pacis, ita rectè etiam adminiſtrabit rempublicam. quomodo verò? Iniuria oppreſſos vindicabit, defendet, tuebitur & ſeruabit: egeſtate & inopia oppreſſis ſubueniet,ne fame pereant: econtra petulantes,iniurioſos & ſceleratos, turbãtes communem pacem & tranquillitatem, & rapientes bona aliorum, reprimet & puniet ſeueriſſimè.Hæc enim præcipua ſunt gubernationis officia, vt ſuprà dictum eſt, & oſtendit hic verſus, hæc officia non præſtari feliciter à quocunque magiſtratu, niſi diuinitus inſtruantur ſapientia,amore iuſtitiæ atque aliarum virtutum,& armentur autoritate, & ornentur felici rerũ ſucceſſu. De Chriſto quomodo hic verſus intelligendus ſit ſuprà oſtenſum eſt: *Filios egeni* nominat egeſtate oppreſſos:ſicut filius mortis dicitur qui eſt morti addictus. Sæpe enim filius alicuius Hebræis dicitur, qui quoquomodo ad eum pertinet, qualecunque illud vinculum ſit, quod huic cũ coniungat vel obſtringat. Ita filius thalami dicitur nuptialis aut occupatus illis curis, negotiis aut rebus quæ ad nuptias ſeu cõiugia pertinent,Matth.9.&c.Et filij pharetræ pro ſagittis,pſal.80.

5 Timebunt te cum ſole: & coram luna generatio generationum.

Hæc verba nonnulli de rege interpretantur, quem culturi ſint ſubditi omnibus officiis, & ſtudiis, ſi intellexerint eum iuſtè adminiſtrare regnum. Nam iuſtitia & reuerentiam & amorem conciliat regi, vt apoſtrophe ſit ad ipſum regem, & cum de Chriſto interpretantur, æternitatem regni ipſius deſcribi affirmant. Sed quia Deum in exordio huius pſalmi compellat, exiſtimo ad hunc quoque ſententiam huius verſus eſſe referendam, & de alio fructu qui felicem gubernationem ſecuturus ſit,ſermonem hic inſtitui. Hactenus enim politica ferè tantùm officia huius regis deſcripſit, & bona corporalia,quæ ex felici gubernatione promanant, oſtendit. Nunc verò ad alia maiora & ſpiritualia progreditur, oſtendit enim fore vt ſi diuinitus iis virtutibus filius inſtruatur, de quibus hactenus dictum eſt, etiam cultus Dei deinceps perpetuò vigeat in hoc populo, & Deus rectè agnoſcatur ac celebretur. Vocabulum enim *timoris* συνεκδοχικῶς complectitur totum cultum Deo debitum. Hæc ſine dubio vera eſt huius verſus ſententia: & multæ vtiles doctrinæ hîc proponuntur, quas conſiderare vtile eſt. Primùm reges ſui officij admonentur, vt ſciant curam religionis & legitimi cultus diuini præcipue ad ſe pertinere, ſibíque hoc inprimis incumbere vt dent operam, ne vel doctrina de Deo corrumpatur,vel cultus diuinus polluatur aut prophanetur,néve miniſterium publicum aboleatur. Neque enim rectè agnoſci aut coli poteſt Deus, ſi hæc negligantur aut parum rectè curentur.

Deinde monemur hoc dicto omnes, vt ſtatuamus tales principes non exiſtere caſu,ſed eſſe dona diuina.

Tertiò, ſubditi monentur vt exemplo Dauidis ſubinde petant dari ſibi ſalutares, pios & bonos gubernatores, quibus & religio curæ ſit, & qui rectè rempubl. adminiſtrent. Sicut & Paulus 1.Timot.2.iubet nos orare pro regibus, vt tranquillam ſub ipſis vitam degamus in omni pietate & honeſtate. Et notum eſt vetus dictum, χώρης κακῶς ἐχούσης νοσεῖ καὶ τὰ θεῶν,laborante rep.laborat etiam religio. Poſtremò ad Chriſti regnum digrediamur, quod hîc inprimis deſcribitur. Sub hoc enim reſtituitur verus Dei cultus, atq; ita fundatur religio, vt ad finem vſque mundi paſſim in toto orbe Deus rectè agnoſcatur,celebretur & colatur.Atque huc reſpicit,cùm inquit,*generationem generationum*,hoc eſt,vnam ætatem poſt aliam continua ſucceſſione vſque ad finem mundi rectè agnitură Deum. Eius rei primordia quædam in regno Salomonis fuerunt exhibita, quæ deinceps à poſteris quodãmodo cõſeruata & propagata ſunt vſque ad Chriſtum.Ille verò deinceps nouum & perpetuò duraturum regnum condidit, in quo nũc ſine fine & intermiſſione viget cultus diuinus. Hoc eſt quod dicit,generatio generationum timebunt te.

Cum ſole & coram luna] Hoc eſt,quandiu erunt ſol & luna, & quandiu durabit hic mundus.

6 Deſcendet ſicut pluuia ſuper deſectum [*ſuper pratum detonſum*] & ſicut imbres [*qui ſunt*] irrigatio terræ.

Amplificat à ſimili,vt fieri ſolet,in poeſi, fructum bonæ & felicis gubernationis. Illa,inquit, gubernatio,quã tu Spiritu & gratia tua iuuabis,erit ſicut pluuia, quæ pratũ deſectũ rurſus humectat & irrigat, vt gramina & herbæ rurſus feliciter

proueniant,& omnia pulchrè floreant: id eſt, afferet ſubditis omnis generis bona & commoda. Prata deſecta initio æſtatis niſi nouo humore humectentur, exuruntur continuo ardore ſolis & exareſcunt. Ita tyrannica & iniuſta imperia abſumunt facultates ſubditorum, eóſque exhauriunt, vt tandem radicibus exareſcentibus nihil acquirere ampliùs aut comparare rem familiarem non poſſint. ſunt enim tyranni, aut qui ad delicias ſuas referunt omnia, tanquam mali κηπουροὶ, οἳ ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνουσι τὰ λάχανα, quos Alexander ſe odiſſe dicebat. Econtra boni & ſalutares principes operam dant vt opes & facultates ſubditorum & augeantur & creſcant, & agnoſcunt imperia ſibi data eſſe οὐ πρὸς ὕβριν, ἀλλὰ πρὸς εὐεργεσίαν. Ideo comparantur pluuiæ cæleſti, quæ terram arentem, fructuoſam & frugiferam reddit. Talis rex & Chriſtus eſt in eccleſia, qui in pectora piorum deſtillat pluuiam cæleſtem, hoc eſt, doctrinam de gratia & remiſſione peccatorum, eáque animos ſitientes & exhauſtos dolore propter peccata recreat & viuificat, & ſimul Spiritum ſanctum donat, vt concepta noua vita omnis generis ſpirituales fructus proferant. Non addit dolorem dolori: non terret iam antea ſenſu iræ Dei fractos & defatigatos, ſed ſuauiter ad ſe inuitans, inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Ita cùm de regno Chriſti hic verſus intelligitur, efficacia euangelij deſcribitur.

Alij גז interpretantur vellus: & iudicant prophetam alludere ad hiſtoriam Gedeonis Iudicũ cap. 6. & 9. in qua Chriſti regnum adumbratur. Hanc allegoriam eleganter exponit Chryſoſtomus in expoſitione huius verſus, cuius verba ne ſim prolixior hîc adſcribo: Pluuiâ in vellus oſtenditur prædicatio Chriſti in ſynagoga. Nam quando tulit librum coram omnibus ſacerdotibus, obſtupeſcentes dixerunt: hic quomodo legit, cùm literas neſciat? Ergo ſedebat & docebat in templo populum Dei. Ideo pluuia in vellus, quia prædixit Ieſaias dicens, Rorate cæli deſuper,& nubes pluant iuſtum, & terra germinet ſaluatorem. Nam quid ſignificabat temporibus illis Hierobaali, qui alio nomine dictus eſt Gedeon, quando ſignum petiit à Deo & ait: hoc vellus deſcendente pluuia, ipſum ſolum madefiat,& tota area ſicca ſit. Quid ſignificat pluuia niſi prædicationem legis? (id eſt, totam doctrinam cum cultu externo) Nam vellus illud ſacrificia Iudæorum ſignificat, in quibus ſacrificiis iuſſerat ſibi pecora offerri. In iſto ergo vellere deſcendit pluuia, quia in ſola fuit Iudæa legis cultura. Aliam petitionem poſtulauit, vt vellus ſiccum eſſet & area pluuiâ perfunderetur, in qua pluuia demonſtrauit nobis transferri ſacrificia à ſynagoga,& totam aream mundi impleri prædicatione Chriſti. Illis enim repudiatis nobis aduenit miſericordia in aduentu ſaluatoris. Deſcendit ergo pluuia in vellus, Chriſtus in Synagogam, legem confirmans & adimplens. Sed quia ſolummodo filium hominis putauerant: ideo Dominum gloriæ crucifixerunt. Subſequitur ergo verſiculus, & ſicut guttæ deſtillantes ſuper terram. Guttæ iſtæ virtutes ſunt, quibus idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignatus eſt terram veniens implere. Gutta fuit quando leproſum mundauit, puerum centurionis à morbi periculis ſanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit, mortuos ſuſcitauit, & cætera miracula, quæ legiſtis in euangelio, faciente Domino.

Hanc allegoriam ſicut & alteram, quæ ad naturam humanam Chriſti nomen velleris refert, vt in hymnis & cantilenis publicis videre eſt, etſi non repudio, tamen priorem ſententiam iudico eſſe concinniorem. Nam quod גז hoc loco non pro vellere ſed pro prato detonſo, in quo poſt primum fœniſecium noua herba non ſuccreſcit, niſi pluuiis bene humectetur, accipiendum ſit, oſtendit nomen in altero membro, quod tanquam explicandi cauſa priori ſubiicitur, & oſtendit Dauidem non tantùm de vna parte terræ loqui, ſed totam complecti. Princeps enim non debet quoſdam in ſuo regno, ſed omnes eodem fauore complecti, nec debet in hunc magis propenſus eſſe, quàm in alium.

Significat autem גז vtrunque & vellus, & pratum, & factum eſt nomen à detonſione: itaque & ipſam detonſionem ſignificat. Amos 7. Nam גזז tondere aut detondere ſignificat.

7 Florebit in diebus eius iuſtus: & [*erit*] multitudo pacis donec non ſit luna.

Repetit amplificationem ab effectu huius regni, vbi hoc modo, quemadmodum dictum eſt, regnum adminiſtrabitur, florebit iuſtus, id eſt, boni eminebunt, erunt felices, valebunt gratia & autoritate apud omnes, creſcent opibus, non prementur vel affligentur, ſicut antehac ſub regno Saulis factum eſt. In ſumma habebit populus bene ſub tali rege, quia erit perpetua pax & tranquillitas,& omnia fluent ad voluntatem hominum, vt adminiſtratio verè congruat cum nomine Salomonis. Iterum enim exiſtimo eum alludere ad nomen filij, quo pax ſignificatur. Atque hęc ſententia eſt huius verſus genuina: ſed quia dicit hanc partem duraturam eſſe vſque ad finem mundi, oſtendit manifeſtè ſe de Salomone ita loqui, vt ſimul animo comprehendat, non tantùm poſteros eius, qui ſucceſſuri erant in regno, ſed ipſum quoque Chriſtum atque eius regnum. In hoc enim regno verè floret iuſtus. I. Quia gratis acceptatur imputata ei iuſtitia & fit hæres vitæ æternæ, qui antea erat reus mortis & damnationis. II. Quia Spiritu ſancto donatur & regeneratur, ac qui antea mortuus erat ad bona opera tanquam fructus producenda, nunc concepta noua vita ac nouo vigore incipit nouas gemmas & flores protrudere, & ſuaues atque in cõſpectu Dei bene olentes fructus proferre. III. Quia non ampliùs afflatur aut enecatur, vt arbor hyemis frigore, hoc eſt, non impeditur à malitia & odio diaboli aut mundi, quin fidem ſuam ſubinde oſtendat, & operibus ſuis patrem qui in cælis eſt glorificet. Poſtremò, non opprimitur mole calamitatum aut ærumnarum, nec deiicitur impetu ventorum, quominus floreat & fructus omnis generis producat. Nam inter ipſas floret magis & lucet ærumnas decus, &, vt alibi pſalmo 91. dicitur, Iuſtus vt palma florebit. Pax verò in regno Chriſti intelligatur, ſicut ipſe exponit Iohannis 14. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do. Item 16. In mundo preſſuram habebitis, in me pacem, &c. Intelligit igitur pacem de tranquillitate cordis acquieſcẽtis & lætantis in Deo, poſtquam fide accepit promiſſionem, & ſtatuit ſe reconciliatum eſſe cum Deo propter filium, ſicut Paulus inquit, Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum, Rom. 5. Hanc pacem dicit fore æternam: quia illud fœdus pacis, quod cum eccleſia pepigit Deus, & in quo oſtendit ſe in gratiam recipere omnes confugientes ad miſericordiam diuinam, nunquam violabitur aut infringetur, ſed erit firmum, ratum atque immotum, nec vllo vnquam tempore delebitur. Atque huc congruit illud dictum apud Iſaiam 54. Montes commouebuntur atque colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te,& fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus.

Eſt autem dulcis conſolatio non tantùm in nomine *pacis*, ſed etiam in voce *multitudinis*, eáque opponenda eſt tentationi de magnitudine vel multitudine peccatorum noſtrorum. Nulla enim peccata tanta aut tam multa ſunt, quæ illa multitudo pacis non obruat & tegat, iuxta illud dictum, Gratia exuberat ſupra peccatum, Rom. 5.

8 Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos terræ.

Hactenus de fructu huius regni concionatus eſt: nunc amplitudinem eius deſcribit. Populo Iſraelitico promiſſa erat terra Canaan, certis limitibus concluſa & comprehenſa, vt videre eſt in fœdere quod Deus pepigit cum Abrahamo, Geneſ. 15. Erant autem hi limites, quorum in hoc pſalmo fit mentio, mare rubrum à meridie, mare Syriacum ab occaſu, fluuius Euphrates à ſeptentrione, & deſertum magnum ab oriente. Salomonem igitur dicit dominaturum à mari ad mare, à fluuio Euphrate vſque ad deſertum magnum, vt doceat ſub hoc regno integram fore poſſeſſionem, & Deum præſtaturum hoc quod in fœdere promiſerat. Ex hoc verò regno deinceps regnum Chriſti tanquam ex prima ſede eſt ortum ac propagatum: ſicut dicitur apud Ieſaiam cap. 2. Ex Siõ exibit lex. Et pſal. 110. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Ideo cùm de Chriſto pſalmum interpretamur, hæc regni deſcriptio intelligatur, quaſi hæc prima ſedes ſit futura, vbi regnum ſuum ſit inchoaturus, ac deinde in omnes orbis partes ſparſa euangelij voce per Apoſtolos propagaturus. Nam poſtea ſequentibus verſibus docet paſſim omnes reges in toto orbe terrarum fore ei tributarios & ſubditos. Sequitur enim:

9 Coram ipſo curuabunt ſe incolæ deſerti: & inimici eius puluerem lingent.

10 Reges Tharſis & inſularum munus afferent: reges Scheba & Saba donum adducent.

11 Et proſternent ſe coram eo omnes reges: omnes gentes ſeruient ei.

In his verſibus manifeſtè Chriſti regnum deſcribitur. Dauid enim, vt in argumento dictum eſt, à filio ſuo & nepotibus exorſus, prophetico ſpiritu ad ſpirituale Chriſti regnum conſcendit, atque huius præſentis dignitatem ſeu eminentiam ex illo altero, quod ex hoc oriundum erat, commendat. Quæ igitur in his verſibus dicuntur, de Chriſti regno intelligantur. Præludia quidem harum rerum in regno Salomonis

ſunt

ſunt exhibita, quando nonnulli ex vicinis regibus ei tributum pendebant, aut muneribus miſſis pacem redimebant, aut amicitiam eius ambiebant, aut quando regina Auſtri auditura eius ſapientiam cum multis muneribus ad eum venit. Sed his tanquam vmbris ſignificata eſt illa ſubiectio omnium regnorum, quæ Chriſti regno reſeruabatur.

ציים in Hebræa lingua vocátur tam animantes quàm homines incolentes loca deſerta, & ſiti atque æſtu torrefacta, cuiuſmodi ſunt Africæ deſerta & ſolitudines. Nam ציה ſignificat ſiccitatem aut locum deſertum, & perpetuo ardore ſolis & ſiti torrefactum. Apud Ieſaiam cap. 13. per paranomaſiam connexa איים & ציים pro feris & monſtroſis animantibus vacuarum inſularum & ſolitudinum incolis vſurpantur. In hoc verò pſalmo ſignificat homines vaſtiſſima loca incolentes, ad quos tamen quamuis abditè latentes, & à reliquorum hominum commercio alienos vox euangelij peruentura ſit.

Curuabunt ſe ei] Id eſt, agnoſcent & recipient hunc Dominum, ſéque ei ſubiicient: μετωνυμία eſt in oratione. Nam geniculatio ſeu incuruatio corporis, ſignum eſt reuerentiæ & ſubmiſſionis. Similis figura eſt & in proximo membro. Qui hactenus eius inimici & hoſtes fuerunt, illi ſuſcepto eius imperio proni terram oſculabuntur, vt hoc ritu teſtentur hunc ſe regem, cui ſe meritò ſubiiciant, agnoſcere. Sumpta eſt autem hæc figura à more orientalibus vſitato, vt videre eſt in hiſtoria Alexandri magni apud Curtium libro ſexto. voluit enim ſuos Macedones, quemadmodum cæteros orientales venerabundos, humi iacere, paulatímque, vt Curtius inquit, ſeruilibus miniſteriis tot victores gentium imbuere, & captiuis pares facere: vnde poſtea magnæ inter eos ortæ ſunt lites.

Reges Tharſis & inſularum] Mare Tharſis nominant Hebræi, illud quod Ciliciam alluit, in qua eſt vrbs Tharſus patria D. Pauli, condita à Tharſis filio Iauan, & per ſynecdochen pro toto mari mediterraneo accipitur. Reges igitur Tharſis nominat partim Aſiaticos, partim Europæos, quorum regna alluútur mari mediterraneo. Et quia Iudæis nō aliud mare erat notum, per ſynecdochen totum Oceanum & omnia regna mundi complectitur. Idem etiam de inſulis dicatur. Non enim loquitur tantùm de inſulis maris mediterranei, ſed de omnibus etiam Oceani inſulis.

מנחה intelligo munus voluntarium, quod in ſymbolum ſeu teſtimonium ſubiectionis offerebant. אשכר munus ſignificat honorarium, quod vltro ad teſtandam animi beneuolentiam offertur, qualia illa ſunt quæ hoſpitibus aduenientibus mitti ſolent, inter quæ primum ferè locum habet vinum generoſum, vnde hæc appellatio facta eſſe Hebræis videtur. In regno Chriſti quanquam voluntarius eſt cultus: tamen ordo eſt immotus & immutabilis, vt regenerati præſtent bona opera, & eſt obedientia neceſſaria. Vtrumque igitur his vocabulis ſignificatur, ſpontanea obedientia, quæ tamen obligatione immutabili aſtringatur.

שבא filius fuit Regma, nepos Chus, pronepos Cham, Geneſ. 10. Hic nomen indidit illi regioni, quæ poſtea Æthiopia dicta eſt, in qua regia ciuitas fuit dicta Saba, quam Ioſephus libro 2. deinceps Meroen à Cambyſe de ſororis nomine appellatam ſcribit. Arabica lingua dicunt myſterium ſignificare. Hieronymus captiuitatem ſeu conuerſionem interpretatur.

Saba סבא filius fuit Chus, nepos Cham. Hic conceſſit in illam partem quæ dicitur Arabia felix, atque ibi metropolin eius regni de ſuo nomine condidit, quam poſtea Strabo Meriabam nominatam ſcribit. nomen factum eſt à circumeundo, vel potando, vel à canitie. Nam Syriacè סבא ſenem ſeu canum ſignificat.

Adorabunt eum omnes reges] A ſpecie tranſit ad genus, & ſignificat totum orbem terrarum venturum ſub eius imperium: quod quia nunquam ſub Salomone aut poſteris eius factum eſt, neceſſe eſt de Chriſto intelligi. Atque hic rurſus multa docemur, de quibus breuiter monendi ſunt auditores.

Primùm docet pſalmus hoc loco, Chriſti regnum non fore corporale, quale fuit Salomonis aut poſterorum. Chriſtus enim non armis aut gladiis vnquam ſibi ſubiecit orbem terrarum, nec tributarios ſibi fecit reges & principes, ſicut Auguſtus & alij: & tamen quia totus mundus ei ſeruire debet, neceſſe eſt hoc regnum eſſe ſpirituale. II. Cùm regnum ſit ſpirituale, conuenit ei etiam cultus ſpiritualis, iſque ſignificatus eſt in verbo השתחוה, quod non tantùm de inclinatione corporis, ſiue externa reuerentia, quæ eſt in geſtibus, ſed de adoratione quoque hoc loco intelligatur. Nam à rebus externis res interiores ſignificantur. Sicut ſæpe verbum hoc de inuocatione, quâ ad Deum acceditur, vſurpatur à prophetis. Quandiu durabat regnum corporale in populo Iſraelitico, opus erat cultu externo & variis ceremoniis, quibus populus contineretur in religione vſque ad Chriſti aduentum. Illo verò exhibito abolitum eſt illud regnum corporale, & aliud nouum conſtitutum eſt, in quo non opus eſt illis externis ceremoniis, ſed cultu interiore & ſpirituali, de quo Chriſtus ipſe inquit: Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Iohā. 4. De his igitur loquitur hic pſalmus. III. Cū inuocatio tribuatur huic regi, neceſſe eſt eū natura eſſe Deū. Nulli enim creaturæ competit ille honos diuinus, vt præclarè Epiphanius inquit, contra eos qui cultum illum Mariæ aut ſanctis tribuendum eſſe cenſebant. IIII. Reges annumerantur huic cœtui, qui Chriſtum agnoſcunt & colunt. Pertinent igitur & reges ad gregem & eccleſiam Chriſti: quod plenum eſt conſolationis, & decus eccleſiæ oſtendit. Non enim tantùm obſcuri & ignobiles aliquot viri perueniunt ad ſocietatem huius regni, ſed reges quoque & principes, vt Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, & noſtra ætate multi heroes & principes. V. Cùm dicitur reges oblaturos munera, ſignificatur eos nutritios eſſe eccleſiæ Chriſti, & operam dare debere, vt hoc regnum Chriſti in terra conſeruetur: quod fit ſi miniſterium doctrinæ & ſtudia neceſſaria eccleſiæ conſeruent, & ſumptus ad eam rem neceſſarios conferant. VI. Traditur hic doctrina de vocatione gentium, &c. De qua alibi dicitur copioſiùs.

Cæterùm in dicto *Omnes reges*, teneatur vſitata ſynecdoche, qualis eſt in multis ſimilibus dictis: vt cùm dicitur, Omnis Iudæa exibat ad Iohannem, Matth. 3. Id eſt, ex tota Iudæa multi. Ita hic omnes reges, id eſt, omnium regnorum & imperiorum aliqui reges.

12 Quia eripiet pauperem clamantem, & oppreſſum cui non eſt adiutor.

13 Miſerebitur ſuper egenum & pauperem: & animas egenorum ſeruabit.

14 A fraude & violentia redimet animas eorum: & pretioſus erit ſanguis eorum in oculis eius.

Deſcriptioni amplitudinis huius regni addit rationem ab officio proprio huius regis, & à beneficiis, quæ ſuis præſtat: atque ita alia in his verſibus regni Chriſti deſcriptio traditur. Hæc verò rurſus tam ad Salomonē & ipſius poſteros, quàm ad Chriſtum pertinent. *Primùm* enim monet filium & nepotes, qui ſucceſſuri erant in hoc regno, quales eſſe erga ſuos, & quæ præſtare officia ſubditis debeant: *deinde* quibus officiis & beneficiis conciliare ſibi etiam externorum regum & populorum ſtudia debeant, aut quibus rebus regnum ſtabiliatur & amplificetur. *Poſtremò* regni Chriſti forma hic depingitur, & quale illud futurum ſit deſcribitur. Nam dum officia boni & ſalutaris regis enumerat, ſimul tanquam propheta vaticinatur, tale omnino Chriſti regnum, quale hic deſcribitur, futurum, in quod filium ſuum & ſucceſſores aſſiduè intueri, atque ad illud tanquam ad optimum & perfectiſſimum exemplar ſuam quoque gubernationem componere & conformare iubet, idque multò magis, quòd typum ſe gerere venturi Meſſiæ non ignorarent. Maximè enim decet vt typus ſeu figura congruat cum archetypo.

I. Quia eripiet inopem & oppreſſum, cui non eſt adiutor, id eſt, gubernatio ipſius eò directa erit, vt ſubditis, atque imprimis his quos videt vel egeſtate, vel aliis iniuriis oppreſſos, benefaciat. Tale debuit eſſe regnum Salomonis & ſucceſſorum: & fuit tale, quandiu gubernabantur reges diuinitus, & inſtruebantur iis virtutibus, de quibus antea dictum eſt. Non fuit imperium tyrannicum aut crudele, in quo reges ſuæ tantùm libidini & cupiditatibus inſeruirent, aut in quo tātùm ſubditorum opibus vel corporibus, quod alij plerique faciunt, ad ſuam tyrannidem ſtabiliendam, vel ad licentiam cupiditatum ſuarum obtinendam abuterentur, neglecta ſalute ſubditorum: ſed comparatum fuit εὐεργεσίαις, ita vt pauperum inopiæ paſſim ſuccurreretur, vtque communi ſubditorum ſaluti conſuleretur. Inprimis verò illa beneficentia in Chriſti regno conſpicitur. Hic pauperes, hoc eſt, perterrefactos ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, &, vt Paulus inquit, carentes gloria Dei (hæc enim vera eſt paupertas) eripit ex illis doloribus, & dat remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, ſpiritum ſanctum & hæreditatem vitæ æternæ, atque ita ſublato terrore mortis & æternæ damnationis, rurſus eos exhilarat omnium ſpiritualium rerum copia & abundantia, vt fiant ditiſſimi, qui antea erant pauperrimi: ſimul etiam tyrannidem diaboli reprimit, ne pro ſua libidine ſæuire in pios poſſit. Alioqui enim nemo ſe tutari aduerſus ipſius tyrannidem poſſet, vt rurſus dicetur. Obſeruandum autem, quod dicit, non niſi clamantes eripi, id eſt, confugientes ad gratiam diuinam vera fide, & expetentes opem

& auxilium. Id enim qui non faciunt, manét oppreſſi ſuis peccatis & miſeriis.

13 Miſerebitur ſuper egenum & pauperem: & animas egenorum ſeruabit.

Hîc inprimis de ἐπιεικείᾳ loquitur, quæ neceſſaria eſt in omni gubernatione. Verbum enim חוס ſignificat parcere conniuendo, vel miſereri conniuendo. Id autem dupliciter intelligatur. Primùm, ne nimiùm onerentur ſubditi, vel exhauriantur iniuſtis exactionibus aut aliis oneribus, qualibus plerunque in durioribus imperiis res & corpora ſubditorum attenuantur & affliguntur: néve tractentur tanquam iumenta & mancipia. Deinde ne in pœnis reges nimiùm ſint aſperi, duri aut crudeles, ſed propter probabilem rationem mitigẽt aliquid de ſummo iure, iuxta dictum, Miſericordia ſuperet iudicium. Et multa extant dicta de ἐπιεικείᾳ, & exempla hiſtoriarum, quæ nota ſunt auditoribus. In Chriſto verò, atque eius regno hæc maximè conſpicitur. Primùm doctrina euangelij, quam ille profert ex ſinu patris, dulciſſima eſt ἐπιείκεια legis; mitigans eius rigorem, ne ſecundùm iuſtitiam ſuam nobiſcum agat, ſed ſecundùm miſericordiam condonet peccata. Deinde etiamſi crux & calamitas in hac vita non tollitur à piis propter cauſas quæ notæ ſunt, tamen non onerantur pij ſupra quàm ferre poſſunt, & confirmantur Spiritu ſancto, vt perferre & ſuperare poſſint. Mitigantur etiam calamitates & pœnæ peccatorum immenſa bonitate diuina, ne fluctibus tentationum opprimantur pij, ſicut dicitur, Non accendit totam iram ſuam. pſal. 78. Item, in ira miſericordiæ recordatur, Habacuc 3.

A fraude & violentia] Hîc verò magnanimitatem & animi fortitudinem à rege requirit, quæ in defenſione ſubditorum aduerſus iniuſtam vim & violentiam, atque aduerſus inſidias malorum hominum conſpiciatur. Non enim digni ſunt imperio, qui ſua ignauia aut timiditate ſalutem ſuorum ſubditorum produnt: qualis Xerxes deſcribitur, ex continente ſpectans pugnam naualem, in qua claſſem & præcipuum robur ſui regni amiſit, cum quidem Artemiſia regina Halicarnaſſi fortiter pugnaret: aut qualis fuit Sardanapalus, qui in gynæceum ſe abdens, nihil fuit ſolicitus de ſubditorum ſalute: aut ſicut de Nino ſcribit Ath. lib. 2. ἄριστον ἐσθίειν καὶ πίνειν, τὰ δὲ ἄλλα χ[illegible] ἄδει. Eſt autem obſeruandum quod dicit, *redimet*. Non enim ſatis eſt diſplicere principi furta & rapinas, aut improbare tantùm ſcelera, ſed oportet etiam iuſtam in eo eſſe νέμεσιν, quæ armet eius dextram contra fures & latrones, vt ſe fortiter his opponat, atque in vindicandis ſceleribus, quæ humanam ſocietatem turbant, animi fortitudinem declaret. Fraus & violentia complectitur omne genus iniuriarum.

Quod addit, *pretioſum eſſe ſanguinem ſubditorũ in oculis eius*, ſignificat quo animo eſſe debeant reges erga ſuos ſubditos, & quanta cura horum ſalutem curare debeant. Ἀρχὸν γὰρ δεῖ (dicebat Architas) οὐ μόνον δίκαιον, ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπον εἶμεν. Tyranni habent ſuos ſubditos pro rebus viliſſimis, quibus pro ſua libidine abuti poſſint, & ſine metu ſæpe quàm plurimos interficiunt. Ignaui etiam nullo in pretio habent ſuorum vitam & ſanguinem, nec afficiuntur, ſi videant quàm plurimos ex iis obiici lanienæ, aut interfici crudeliter, ſiue id fiat in bellis, ſiue aliis tumultibus aut rixis: & qui expilationibus iniuſtis exhauriunt facultates ſubditorum, oſtendunt ſe lamias potiùs eſſe, quàm patres patriæ. Sed boni & ſalutares principes pretioſum iudicant ſanguinem ſuorum, nec patiuntur quenquam iniuſtè lædi aut interfici: cædes iniuſtè factas puniunt ſeuerè, & bellis depellunt latrocinia. Scipio dicere ſolebat, ſe malle vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes perdere. Tali animo eſſe debent omnes principes erga ſuos: ſed ille affectus & amor inprimis in Chriſto conſpicitur & eminet. Ille enim, ſicut amore ſuorum flagrat ardentiſſimo, ita non patitur quenquam ex his perire: & quidem ipſorum ſalutem ſuam eſſe ducens, hoſtibus diabolo & tyrannis, qui perdere animas piorum conantur, ſeſe opponit, eorúmque rabiem & furorem coercet & contundit. Inſidias etiam, quibus diabolus atque ipſius organa auellere pios ab hoc rege conantur, patefacit, nóſque aduerſus eas munit verbo & Spiritu ſuo, ne circumuenti dolis in exitium præcipitemur. Denique etiamſi nonnunquam accidat, vt à tyrannis nonnulli crudeliter ob doctrinæ profeſſionem interficiantur, horum tamen ille ſanguinem pretioſum habet, & quaſi in vtrem, vt ſuprà pſalmo 56. de lacrymis dictum eſt, colligit, & vitam quam illi pro hoc rege in diſcrimen adduxerunt, hæreditate vitæ cœleſtis compenſat.

15 Et viuet, & dabit ei de auro Saba, & orabit pro eo ſemper: quotidie benedicet ei.

Sicut præcedentibus verſibus amorem & ſtudium regis erga ſuos ſubditos deſcripſerat: ita nunc viciſſim de amore quoque & beneuolentia ſubditorum erga ſuum regem concionatur.

Primùm autem inquit, *viuet hic rex*, id eſt, producet vitam ad longam ſenectam, & diu florebit, vt rempublicam eò feliciùs conſtituere & adminiſtrare poſſit. Longa enim bonorum principum vita ſingulare eſt donum diuinum. Nam crebræ regum & principum mutationes afferunt reipublicæ multa incommoda & clades. Et Salomon prouerbiorum 28. inquit, propter peccata populi illas crebras mutationes accidere. De Salomone igitur inquit, eum fore longæuum. Quia verò non tam de filio Salomone, quàm de Chriſto vaticinatur, vtitur verbo indefinito, nulla addita circunſtantia, vt ſignificet Meſſiam perpetuò victurum, & ſine fine regnaturum eſſe. Atque ita Spiritus ſanctus prædicit eius reſurrectionem, *viuet*: ergo impoſſibile eſt eum manere in morte. Quidam verbum יחי referunt ad nomen אביון, quod eſt verſu 13. ſed hoc eſt coactum.

Et dabit ei] Oratio hæc & ſequens impersonaliter ſunt exponendæ. Nam verba apud Hebræos in tertia perſona abſolutè poſita ſine nomine antecedente vſurpantur imperſonaliter. Idem enim eſt ac ſi diceret, Et dabitur ei, vel, quilibet ex ſubditis ad teſtandam animi beneuolentiam & gratitudinem dabit ei de auro Saba. Aurum Saba autem videtur κατ' ἐξοχὴν nominari aurum optimum & puriſſimum, quòd illa regio, quæ inde dicitur Arabia felix (videtur enim vna appellatione vtrumque regnum, de quo antea dictum eſt, complecti) tale aurum proferat. Tale quia offerunt, oſtendunt ſubditi ſe nihil in rebus ſuis habere tam charum aut pretioſum, quod non libenter pro ſalute huius regis profundere velint, & ſe cupere hoc regnum eſſe quàm ornatiſſimum & opulentiſſimum. Atque hoc vaticinium, cùm de Salomone loquimur, impletũ eſt in regina Saba, 3. Reg. 10. Sed cùm de Chriſto loquimur, aurum nõ tam intelligatur de opibus externis, quas tamen ipſas pij libenter & liberaliter ad conſeruationem miniſterij & ſtudiorum doctrinæ cæleſtis conferunt, quam de interiore animi cultu, quo ſe totos ſuáque omnia Chriſto addicunt. Hæc eſt opulentia & ſplendor huius regni. Chriſti enim regnum non conſtat illo externo ſplendore, nec fulget auro aut gemmis: ſed animorum requirit cultum & promptitudinem, vt ſi neceſſe ſit, non tantùm aurum & opes, ſed corpora quoque & vitam pro ipſius nominis gloria profundamus.

Et orabit pro eo ſemper] Id eſt, precibus huius regis vitam & incolumitatem commendabit Deo, atque hunc petet quàm diutiſſimè eſſe ſuperſtitem, quod ſignum eſt veræ beneuolentiæ & amoris. Quem enim ſubditi oderunt, hunc quamprimùm è medio ſublatum cupiunt, & diris deuouent. Sed hic quæritur, quomodo eccleſia precetur pro Chriſto, cùm ipſe potiùs deprecator ſit pro nobis & opitulator, nec indigeat noſtris ſuffragiis: & Iudæi calumniantur nos, dũ de Chriſto pſalmum hunc exponendum eſſe confirmamus, quòd eccleſia non poſſit orare pro Chriſto, ſi ſit Deus. Reſponſio plana & perſpicua eſt. Illa precatio fit pro toto corpore regni Chriſti, & precatur eccleſia Dei, cum ipſo filio Dei precante, ſicut in pſalmo 118. Et Matth. 21. Vbi verba pſalmi canit populus: Hoſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini. Deinde ſemper precantur pij pro aduentu Chriſti ad nos.

Quotidie benedicet ei] Id eſt, precabitur ei omnia felicia & fauſta, & cupiet, perpetuò florere hunc regem & hoc regnum.

15 Erit denſitas frumenti in terra, in capite montium, commouebitur ſicut Libani fructus eius: & efflorebunt è ciuitate tanquam herba terræ.

Amplificatio eſt deſcriptionis inſtitutæ à fertilitate, & omnium rerum abundantia, quæ ſub hoc rege ſit futura. Summa, inquit, erit, hoc regnante agrorum fertilitas, & quidem in ipſis cacuminibus ſeu verticibus mõtium, qui vt plurimum non adeo ſunt feraces, ſegetes copioſè prouenient, ita vt quocunq; manum extendas, eam complere ariſtis poſſis. Nam denſitas frumenti opponitur raritati ariſtarum, quæ alioqui ferè in cacuminibus montium aut locis arenoſis conſpicitur.

Concutietur ſicut Libani fructus] Amplificat priorẽ ſententiã à finibus. Tanta, inquit, erit denſitas, vt ariſtæ agitatæ à ventis edituræ ſint ſtrepitum, ſicut fructus vel arbores Libani: quo enim dẽſiores & firmiores ſunt ariſtæ, eo maiorem ſtrepitum concuſſæ edunt. Sub hac autem ſpecie συνεκδοχικῶς omnium bonorum abundantiam complectitur. Nam inter res neceſſarias vitæ humanæ præcipuum eſt frumentum.

Cùm autem de Chriſto pſalmum interpretamur, hæc corporalia de ſpiritualium bonorum copia & abundantia ſunt intelligenda, nempe de verbi diuini copia & conſolatione, quam piæ mentes ex eo hauriunt, eáque ſe confirmant aduerſus

uerſus terrores peccati, mortis & inferorum. Sicut enim panis ſuſtentat hanc vitam corporalem: ita doctrina Euangelij mentes perterrefactas erigit & confirmat, ne doloribus mortis abſorbeantur aut opprimantur. Et quidem tunc maximè id præſtat, quando non miſcetur cum paleis traditionum humanarum, ſed incorruptum & ſincerum proponitur. בר enim ſignificat frumentum purum, quod nihil habet palearum aut ſordium admixtum, quódque Nicephorus libro 14. interpretatur κριθὴν καθαρὰν καὶ εὐγενῆ, far purum & generoſum. Et quod de ſtrepitu hîc dicitur, intelligatur de interiore animi lætitia & παῤῥησίᾳ, quæ ſe poſtea in celebratione beneficiorum diuinorum & in confeſſione oſtendit. Vera enim eccleſia non occultat ſua dona & beneficia: ſed ea prædicat ad alios. Deinde piorum oratio, quæ ex corde puro & conſcientia læta proficiſcitur, eſt ille ſtrepitus qui fugat diabolum, &c.

Et efflorebunt] Alia eſt amplificatio à multitudine hominum ſeu ciuium, quæ futura ſit in hoc regno. Bonus & ſalutaris rex id maximè ſtudet, vt vrbes abundent hominibus, & pagi non deſtituantur colonis. Nam, vt Salomon inquit, Prouerbiorum decimoquarto: In multitudine populi dignitas eſt regis: & in paucitate populi ignominia principis. Econtra tyranni vaſtant vrbes & regna. Dauid igitur deſcripturus regnum florens & bene conſtitutum, dicit magnam ſub hoc rege fore multitudinem ciuium. Et ſimilitudinem addit ſumptam à floribus ſeu plantis terræ. Sicut enim terra paſſim producit varias plantas & herbas: ita ciuitates in hoc regno generandis hominibus erunt fœcundæ: atque in Salomone tanquam in typo hæc impleta eſſe teſtatur liber regum. Erant, inquit hiſtoria, filij Iſrael multi, edebant, bibebant & lætabantur. In Chriſti verò regno maxima erit fœcunditas. Sparſo enim verbi diuini ſemine paſſim in toto orbe terrarum generantur eccleſiæ filij, quam hic ciuitatis nomine intelligit.

17 Erit nomen eius in ſeculum, coram ſole propagabitur nomen eius: & benedicent ſe in eo: omnes gentes beatum prædicabunt eum.

Rurſus amplificat dignitatem huius regis & regni à perpetua duratione: atque ita, quod antea quoque dictum eſt, oſtendit ſe ita de Salomonis regno vaticinari, vt alterum illud Chriſti regnum, quod ex hoc emerſurum erat, ſimul complectatur. Nam corporale illud regnum Salomonis, ſicut cæteræ monarchiæ & regna in hoc mundo, habuit ſuam periodum & terminum præfixum, quem poſtquam attigit, ſubitò euerſum à Romanis corruit: ſed eo ipſo tempore, cùm illud corporale euerteretur, alterum illud ſpirituale ex eo eminuit, quod nunquam delebitur. Hanc igitur dignitatem huius regni hoc loco prædicat: & quantum ab aliis monarchiis hoc Salomonis regnum differat, oſtendit. Nullum enim regnum niſi hoc, tale produxit, quod eſſet perpetuum.

Nomen eius erit in ſeculum] Id verò de nullo alio dici præterquam de hoc regno poteſt. Habét cætera regna ſuam quoque celebritatem: & fama quidem etiam ipſis regnis euerſis manet ſuperſtes. Nam monarchiæ & alia regna in hoc mundo, etiam poſtquam euerſa ſunt, hiſtoriarum monumentis celebrantur: ſed regna ampliùs non ſunt, aut dicuntur. Huius verò regni nomen manet in ſeculum, vt non tantùm fuiſſe, ſed eſſe quoque regnum dicatur quocunque tempore. Hoc enim vult cùm dicit, nomen eius fore in ſeculum, *man wirdt es ſtets ein Reich, vnnd jhn einen kœnig nennen.* Non enim erit nomen inane abſque rege.

Coram ſole propagabitur nomen eius] Expolitio eſt prioris ſententiæ. Oſtendit enim ſe non loqui de ſeculo, ſicut interdum vox עולם accipitur de finito aliquo tempore, quo circumacto poſtea nomen hoc euaneſcat: ſed de infinito & perpetuò duraturo. Quamdiu enim hic ſol lucebit, inquit, tamdiu propagabitur & prædicabitur nomen eius à filiis in filios, manebítque etiam inter poſteros, quando anteceſſores moriuntur. Id enim propriè ſignificat verbum ינין, quod tamen ſecundùm literas hoc loco legi poteſt actiuè in tertia coniugatione ינין propagabit nomen ſuum, לפני שמש. Expono ſicut antè verſ. 5 לפני ירח. Eſt autem dulcis conſolatio in hac doctrina, quæ monet, Eccleſiam, quæ eſt regnum Chriſti, in hac vita quantumuis grauiſſimis periculis & ſatanæ machinis concutiatur, tamen nunquam deletum iri, ſed manſuram in omnem æternitatem. Hac conſolatione inter colliſiones & ruinas imperiorum, & inter acerbiſſima odia hoſtium noſtrorum, hoc tempore maximè opus eſt. Alij de arcana filij generatione à patre hæc intelligunt, iuxta dictum Micheæ: Egreſſus eius ante dies mundi, id eſt, Filius Dei fuit ante aſſumptam humanam naturam.

Benedicent ſe in eo] Hac ſententia ſummatim omnia beneficia quæ hic rex allaturus erat, complectitur. Reſpicit enim ad illam promiſſionem quæ tradita eſt Abrahamo Geneſ. 12. & 22. Vnde verba hæc mutuatus eſt. De Salomone quidem verſum hunc ita interpretari poſſumus: eum propoſitum fuiſſe aut proponendum eſſe tanquam exemplar inſigne benedictionis diuinæ, tantæque admirationis fore ipſius felicitatem, vt quicunque deinceps vel ſibi vel aliis bene precari volet, Salomonem allegaturus, atque hac formula orationis vſurus ſit, Benedicat tibi Dominus ſicut Salomoni, quemadmodum & ſuprà Pſal. 21. de ſe ipſo dicit Dauid: Poſuiſti eum, ſcilicet regem, benedictiones in ſeculum, id eſt, tot bonis ornaſti & cumulaſti eum, vt quicunque ſibi benedicturus eſſet, optaret Deum ſibi non minùs eſſe beneficum & liberalem, quàm fuit Dauidi. Econtra in maledictionem dari dicuntur, qui in tantas calamitates & miſerias coniiciuntur, vt fiant coram mundo deteſtabiles, & nomen ipſorum ſeruiat imprecationibus & diris, vt Ierem. 24. Dabo eos in maledictionem. Quam phraſin poſtea cap. 29. exponés dicit, Dabo eos in maledictionem, & aſſumetur ab eis maledictio ab omni transmigratione Iuda dicendo: Ponat te Iehoua ſicut Zedechiā & ſicut Achab. Hæc rectè de Salomone dicuntur. Sed quia hoc verſu præcipuè ad Chriſtum reſpicit, benedictio illa nō intelligenda tantùm eſt de rebus corporalibus, aut de bonis fugacibus & caducis, ſed longè excellentioribus & præſtantioribus bonis, quæ vt rectiùs æſtimari poſſint, antitheſis conſideretur. Cùm enim dicit, gentes benedicendas fore in hoc rege, innuit omnes gentes priùs maledictioni eſſe ſubiectas, hoc eſt, reas eſſe mortis æternæ propter peccatum & filios iræ, ſicut Paulus loquitur ad Epheſ. 2. hoc eſt, abiectas eſſe à Deo, & æternæ damnationi obnoxias. Nam maledictionem nulla creatura tollere aut delere potuit: ſed ſolus filius Dei, cuius regnum hîc deſcribitur, deriuauit in ſe iram Dei aduerſus peccata, & factus victima placauit iram patris, atq; ita ſublata maledictione reſtituit nobis benedictionem, hoc eſt, remiſſionem peccatorum, donationem iuſtitiæ & vitæ æternæ. Sicut Paulus inquit Galat. 3. Chriſtus factus pro nobis maledictum redemit nos à maledictione, vt benedictionem Abrahæ conſequeremur. De hac igitur benedictione nunc principaliter loquitur. Scit enim hunc regem non dari, vt conſtituat regnum aliquod politicum in terris, in quo bona corporalia ſuis diſtribuat, ſed alia eſſe longè maiora bona, quibus adeptis gentes ſe iudicaturæ ſint verè beatas. Eſt autem obſeruandum, quod dicit *omnes gentes*: debet enim hoc tam ad præcedens quàm ad ſequens verbum referri. Significat enim non tantùm Iudæos, ſed totum genus humanum vocari ad ſocietatem & participationem horum bonorū cæleſtiū. Quod plenum eſt conſolationis. Qua de re in doctrina de vocatione gentium dicitur copioſius.

Beatum prædicabunt eum:] Id eſt, Ideo optabunt ſibi exemplo huius regis benefieri, quia hunc iudicabunt præ cæteris omnibus à Deo diligi, qui tantis ab illo bonis ſit ornatus. Pij verò in eccleſia non tantùm exemplo ſui regis optant ſibi benefieri: ſed illa ipſa bona quib. rex ornatus eſt, ſua iudicant, eáque ſibi fide applicant & propria faciunt. Itaque regem ſic beatum prædicant, vt ſe ſimul huic beatitudini includant, & ad ſe hanc benedictionem deriuari ſciāt, ſicut dicitur pſal. 45. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præter conſortes tuos. Alij interpretantur, magnificabunt eum.

18 Benedictus Iehoua Deus, Deus [*inquam*] Iſrael faciens mirabilia ſolus.

19 Et benedictum nomen gloriæ eius in ſeculum: & repleatur gloria eius omnis terra, Amen & Amen.

Concludit pſalmum à gratiarum actione. Quia enim recenſendo beneficia, quæ Deus per hunc regem daturus erat generi humano, cogitat quantā illa ſint, non poteſt non rapi in horum admirationē. Itaque abreptus quaſi hac admiratione in celebrationem Dei erumpit, & omnes homines, vt idem faciant hortatur. *Mirabilia* vocat illa beneficia, quę Deus per hunc regem ſuo populo exhibuit. Ea quia captū rationis humanæ omnino ſuperant, meritò dicūtur à propheta mirabilia. Quid enim mirabilius quàm quòd Deus filiū ſuum vnigenitū mittit, vt aſſumpta humana natura fiat victima pro peccatis, deſtruat mortem, diabolum & poteſtatem inferorū, & reddat piis hęreditatē vitæ cæleſtis & iuſtitiā æternā, à qua per peccatum exciderant? Deinde quid mirabilius quā quòd eccleſia ſeu regnū Chriſti in his terris inter tāta diaboli & reliquorum hoſtium odia & furores ſeruatur & defenditur? Hæc igitur beneficia in regno Salomonis adumbrata & quodammodo inchoata vult perpetuò agnoſci & celebrari in toto genere humano. Ideo addit, nomen eius glorioſum benedictum ſit in ſeculum, & omnis terra repleatur gloria eius.

Amen & Amen] Hæ voces & certitudinem huius vaticinij ſignificant, & omnes pios inuitant, vt ſimili ardore ſe his votis ſocios adiungant.

Finiũt orationes Dauid filij Iſai] Hic verſus monet hanc fuiſſe poſtremam precationem Dauidis, eámque ob cauſam eò diligentiùs conſiderandam eſſe.

PSALMI LXXII.

PARTES.

I. Petitio, cuius tria ſunt capita. 1. Vt Deus ſpiritu iuſtitiæ Solomonem inſtruat ad officium perfunfungẽdum, v. 1. prout ipſe Solomon (1. Reg. 3.) petit à Deo. 2. Vſus iuſtitiæ à Deo collatę, v. 2. nempe vt Dei populum & pauperes iuſtè regat. 3. Fructus benedictionis Dei ex adminiſtrata iuſtitia ad ipſum & ad totũ regnum peruenturus, v. 3.

II. Explicatio prophetica regni Chriſti (quod Solomonis regno præfiguratum eſt) per exornationem duorum capitum, quæ in petitione poſita ſunt. 1. adminiſtrationis iuſtitiæ. 2. fructus ex ea peruenturi.

Iuſtitiæ autem duæ ſunt partes, bonorum defenſio, & improborum vltio, v. 4. Fructus 4. gradibus diſtinguitur. 1. Eſt timoris & reuerentiæ Dei, v. 5. 2. Incremẽti & ædificationis Eccleſiæ, verſ. 6. & 7. 3. Propagationis regni per vocationem gentium, & voluntarium illarum obſequium, verſ. 8. 9. 10. 11. 4. Infinitæ benedictionis ad ſubditos, & gloriæ ad regem peruenturæ, à v. 12. ad 18.

III. Concluſio laudatiua, v. 18. & 19. v. 20. hanc vltimam orationem à Dauide moribundo habitam fuiſſe, indicat.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Dei iudicia & iuſtitiam regibus dari propheta poſtulans, nullos ad obeũdum munus idoneos eſſe admonet, niſi quatenus Dei manu formantur. Ideo apud Salomonem, Prouerb. 8. 15. clamat ſapientia Dei, reges per eam regnare.

Nulla in poſteris Dauidis reperietur regni ſoliditas, donec ad Chriſtum ventum fuerit, qui inter filios Dauidis primum gradum tenet.

2 Reges, vbi donati ſunt Dei ſpiritu, tunc demum verè iudicant. Eſt enim donum longè præſtantius, bene regere populum, quàm vt è terra proueniat. Spirituale verò Chriſti regimen, quo omnia inſtaurantur in perfectum ordinem, multo magis cæleſte eſt donum.

3 Tunc feliciter degit populus, ſi formatus fuerit publicus ſtatus ad iuſtitiæ normam.

4 Nulla quidem eſt apud Deum perſonarum acceptio: ſed nõ abs re Deus tenues, qui iniuriis & violentiæ magis ſunt obnoxij, præ alijs commendat.

Chriſti regis eccleſiæ proprium illud eſt afflictos ſeruare, violentos autem & rebelles confringere.

5 Quanquã inæſtimabile bonum eſt, æquitatẽ mutuò coli inter homines, maiori tamen in pretio meretur eſſe Dei cultus, ad quem procurandum piorum vota & ſtudia contendere debent. Porrò, vbi ad Chriſtum venitur, hic verſiculus longè veriùs in eum competit: quia non alibi quàm in eius regno fundata eſt vera pietas.

6 Non aliter Deus conſulit eccleſiæ ſuæ ſaluti, ſub manu regis cã protegendo, quàm irrigatione terrã ab æſtu defendit. Hoc verò præcipuè in Chriſto impletur, qui arcanam gratiam ſtillando facit eccleſiam ſuam pullulare.

7 Ad ſummam beatæ vitæ nihil pace optabilius: quando inter bellicos tumultus nihil ferè iuuat rerum omniũ abundãtia, ſed corrumpitur & perit. Cæterùm, non modò cõprehenduntur poſteri Dauidis qui terrenum ſolium occuparunt, ſed præcipuè Chriſtus hîc deſignatur, qui à morte reſurgens cæleſtem ſibi vitam ac gloriam acquiſiuit, vt eccleſiam ſuam ſine fine moderetur.

8 Dauidis verba ſuo tempori accommodanda ſunt: quia nõdum amplitudo regni Chriſti clarè patefacta erat. Exorſus eſt igitur à deſcriptione ſub lege & prophetis celebri: imò & Chriſtus ipſe regnũ ſuum inde auſpicatus eſt, antequam penetraret in vltimas terræ plagas. Vide pſal. 2. & 110. 2.

9 Regibus à Deo electis in Iuda proſperi ſucceſſus in varios hoſtes qui eos ſuppliciter ſunt venerati, olim cõcedebãtur: ita tamẽ vt tota illa maieſtas in Chriſto perfectè appareat, cuius ſceptro omnia mũdi regna ſubmiſſa ſunt.

10. 11. Dauid à filio ſuo & nepotibus exorſus, ſpiritu prophetico ad ſpirituale Chriſti regnum conſcendit. quod notatu dignum eſt, vt ſciamus nõ temerè nos in ſpem æternæ ſalutis fuiſſe aſcitos: ſed quia iam cæleſtis pater nos filio ſuo deſtinauerat.

Hinc etiã colligimus in eccleſia Chriſti regib. eſſe locũ, quos hîc Dauid nõ exarmat gladio, nec diademate ſpoliat, vt admittat in eccleſiã: ſed cũ ſua dignitate vẽturos eſſe dicit, vt ſe corã Chriſto ꝓſternãt.

12. 13. 14. Si de toto genere humano prouerbij vice celebrata fuit ſententia, nulla re magis ad Deum accedere mortales quàm beneficẽtia: nimis abſurdum eſt, virtutem hanc non fulgere in regibus quos ſibi Deus propiùs coniunxit.

Datũ eſt Chriſto ſummum imperium in cælo & in terra, vt ſuos non modò protegat à tẽporalibus noxis, ſed præcipuè ab omni ſatanæ iniuria, donec omni moleſtia exemptos in æternã quietem colligat.

15 Regni Chriſti non erit finis, & remotiſſimi quique populi erũt in officio, vt ſe ei totos ſuáque omnia addicant: nec nouum eſt, ſpiritualis regni gloriam ſub externo ſplendore delineari.

Chriſtus non indiget ſuffragiis noſtris: ſed hoc pietatis teſtimonium meritò exigit à ſuis cultoribus, vt regni eius aduentum non modò percupiant, ſed etiam precibus & votis poſtulent.

16 Varijs deſcriptionibus intelligit propheta plenam fore bonorum (ſpiritualium præcipuè) abundantiam ſub Rege Chriſto.

17 Non poteſt hic verſiculus intelligi de terreno imperio, quod in familia Dauidis non niſi ad breue tempus floruit: ſed ad Chriſti regnũ applicari debet, quod, etſi in terra ſæpe labaſcit (vt totius mũdi furioſis odijs impetitur, & quaſſatur grauiſſimis ſatanæ machinis) mirabiliter tamen à Deo fulcitur, ne concidat.

Benedicunt ſe in Chriſto omnes gentes, dum ab eo petunt felicitatis ſuæ cauſam: quia nihil optabilius ſibi eſſe vident quàm ſuaue iugum eius, i d eſt, euangelij doctrinam ſuſcipere.

18. 19. 20. Eorum libera & alacris eſt exultatio, quorum mentis oculi fide illuſtrantur, vt regni Chriſti felicitatem & incrementum intueri poſſint.

Ad regni Dauidis & Chriſti conſeruationem opus fuit & erit mirifica & incredibili Dei virtute.

Tam ſerio affectu quàm indefeſſa aſſiduitate orandus eſt Deus, vt ſub manu filij ſui eccleſiam tueatur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Principes verum Deum ſincerè colentes, quibus notis ab Ethnicis, idolorum cultoribus, profanis, impiis, diſcernantur.
2. De legitimorum magiſtratuum & principum officio.
3. De Regno Chriſti, veri Salomonis.
4. Eccleſiæ Chriſti in terris felicitas.
5. De vocatione gentium ad Chriſti cognitionem.
6. De Nominis diuini ſanctificatione.

PSALMO-

PSALMORVM DAVIDIS LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIII.

HABET hic Pſalmus argumentum commune cum multis aliis, quos antea interpretati ſumus, vt 4.36.37.39.49. Continet enim grauiſſimam doctrinam & conſolationem neceſſariam, quæ opponenda eſt ſcandalo crucis eccleſiæ & felicitatis impiorum. Fieri enim non poteſt quin animi hominum etiam piorum ſæpe turbentur, quoties diſſimilitudinem euentuum in rebus humanis aſpiciunt, & cùm pios omnibus iniuriis expoſitos ſubinde affligi, impios verò florere opibus, dignitate, potentia, & abundare omnibus rebus vident: & multi dum his cogitationibus indulgent, fiunt ſæpe à doctrina eccleſiæ alieniores, & tandem prorſus à Deo deficiunt. Itaque & ipſe Aſaph ſe his cogitationibus abreptum & offenſum eſſe dicit, vt fides ſua nõnihil fuerit lãguefacta, & penè à recta via diſceſſerit. Cùm autem impoſſibile ſit ſeſe expedire ex his cogitationibus, niſi doctrinam eccleſiæ, quæ & cauſas huius rei explicat, & conſolationes efficaciſſimas oſtendit, in conſpectu habeas: ipſe quoque Aſaph poſtquam ea quæ rationem humanam offendunt, longa oratione expoſuit, & ſuas de Dèo & prouidentia diuina dubitationes, quas illæ cogitationes pepererant, commemorauit, affirmat ſe ingreſſum eſſe templum Dei, atque ex verbo diuinitus patefacto didiciſſe, quomodo Deus eccleſiã ſuam in hac vita regat & gubernet, & qualis tandem exitus tam piorum, quàm impiorum hominum ſit futurus. Hac cogitatione ait ſe repreſſiſſe illas dubitationes, quæ fidem turbant, & aſſenſionem de prouidentia & cura, quam Deus pro eccleſia gerit, confirmaſſe affirmat. Cùm autem ſinguli pij huiuſmodi cogitationibus ſæpe turbentur & vrantur grauiter, diſcamus exemplo Aſaphi non ex humana ratione, quæ nihil magis quàm brutum aliquod animal in his rebus cernit, ſed ex verbo Dei de hac diſputatione pronuntiare, & conſolationibus inde petitis fidem noſtram confirmemus, ne fracti magnitudine calamitatum, quibus in hac vita oneratur atque exercetur eccleſia, abyciamus profeſſionem doctrinæ, aut à Deo deficiamus: & certò ſtatuamus reſtare aliam vitam poſt hanc vitam, in qua pij fruentur æterna beatitudine & lætitia: impij verò abycientur in æternam damnationem & pœnas: atque hac ſpe patienter ærumnas huius vitæ & difficultates feramus.

Pſalmus Aſaph.

ASaph quis fuerit, oſtendit hiſtoria 1. Paralipo. 6. vbi inter Muſicorum magiſtros, quos Dauid conſtituit, recenſetur: & apparet non tantùm ex hoc, ſed etiam aliis pſalmis qui huic inſcribuntur, fuiſſe eum inſtructum varia doctrina, & excelluiſſe non tantùm in arte muſica, ſed etiam in oratoria. Eſt enim oratio eius grandis, ac multis figurarum & verborum luminibus referta atque ornata: & aſperguntur affectus conuenientes tantis rebus quas tractat: vt dubium nõ ſit, magnam fuiſſe huius Aſaphi in aula Dauidis & in populo Iſraelitico autoritatem. Quæ res commendare nobis ipſius pſalmos, & inuitare nos ad lectionem horum debet. Exiſtimant nonnulli pſalmum hunc, ſicut & cæteros qui ſequuntur, à Dauide compoſitum, & Aſapho decantandum traditum eſſe. De ea re quanquam non diſputo, nec inquiro curioſiùs: tamen genus orationis in his pſalmis tale eſt, vt appareat alium eſſe carminum horum autorem quàm Dauidem, cuiùs oratio planior eſt, & minùs obſcura: & quanquam interdum etiam ipſe Dauid aſſurgit: tamen Atticum illum leporem magis refert, & ſuauitate mirabili lectorem demulcet: cùm hic autor ſtylum, qualis eſt in Horatij aut Perſij carminibus, exprimere videatur.

1 Atqui bonus Iſraeli Deus: puris corde.

Orditur pſalmum ex abrupto. Eſt enim pathetica exclamatio. Apparet enim Aſaphum diu multúmque de hoc argumento ſecum diſputaſſe, & inter diſputandum, dum varia colligeret, quæ ſententiam de prouidentia diuina vel labefactant, vel confirmant, nunc in hanc, quod fieri ſolet in tali animorum æſtu, nunc in illam ſententiam inclinaſſe: tandem verò, tanquam victor egregius, diſcuſſis illis impiis imaginationibus quas diabolus ei ſuggeſſerat, ponit aſſeuerationem, in qua affirmat, eccleſiam, vtvt affligatur in hac vita & prematur ab impia multitudine, Deo curæ eſſe, & habere Deum ſuæ ſalutis cuſtodem & præſidem. Eſt igitur hic verſus propoſitio pſalmi, quæ ex longo & difficili certamine, in quo fides tandem victrix fuit, elicitur. Et ſuo exemplo Aſaph nos docet, non leue nec contemnendum eſſe hoc certamen: ſed tale quod multos ſæpe abſorbeat, & ex quo difficulter pij eluctentur. Cùm enim dicit, *Atqui bonus*, &c. hac orationis formula, quaſi repellens diabolum & ipſius tela, quibus animum huius vulnerarat, Deũ amare ſuam eccleſiam, fouere, tueri & defendere affirmat, etiamſi contrarium rationi humanæ appareat, aut diabolus aliud ſubiiciat. Oratio igitur hæc eſt fidei victricis, & quaſi ex longa & difficili lucta emergentis. Noſtra lingua ita reddere poſſumus ſententiam: *Es habe ein anſehen mit den frömen wie es wolle, ſo iſt Gott dennoch gütig gegen ihnen.*

Eſt bonus Iſraeli] Oſtendit ſe loqui nunc principaliter non de generali prouidentia, qua mundum hunc Deus gubernat, ſed de peculiari amore & cura quam gerit pro eccleſia: de hac enim diſputatio fuit. Iſraelem enim intelligit cœtum illum cui ſe Deus peculiariter patefecit, dato verbo & miraculorum teſtimoniis. Sed quia huic ipſi cœtui admixti ſunt multi hypocritæ, qui externa tantùm profeſſione piis ſe coniungunt, ideo quaſi corrigens & reſtringens priorem appellationem addit, *puris corde*. Tales autem nominat qui vera fide Deum agnoſcunt & colunt. Eſtque puritas cordis oppoſita hypocriſi ſeu ſimulationi pietatis. Nam ille eſt verus Iſraelita, in quo non eſt dolus, ſicut Chriſtus de Nathanaele inquit, Iohan. 1.

2 Ego verò, propemodum declinauerunt [*ſi legas ſecundùm puncta* נטוי, *vel declinatus, ſi legas ſecundùm litteras* נטיו] pedes mei: quaſi nihil [*id eſt tantum non*] effuſi ſunt greſſus mei.

3 Quia æmulatus ſum [*æmulatione accenſus ſum*] in glorioſis [*iactabundis, quando*] pacem impiorum videbam.

Addit querelam, in qua oſtendit quales illæ fuerint diſputationes quæ animum in diuerſa traxerint, & quàm eædem periculoſæ, ex quibus vix ſit eluctatus, & ſuo exemplo monet, ne eiuſmodi cogitationibus nimium indulgeamus, aut in

illos labyrinthos temere nos coniiciamus, vnde egredi deinde aut expedire nos non poſſimus. Si enim hoc tam præſtanti & exercitato in pietatis palæſtra militi accidit, vt parum abeſſet à lapſu ſeu ruina, quid nobis cogitamus accidere poſſe, quibus non eſt tantum fidei robur, vt ſimili modo repellere illos diaboli inſultus poſſimus? Monet igitur vt cauti ſimus, ne temere nobis periculum huiuſmodi cogitationibus acceſſamus.

Penè effuſi ſunt greſſus mei] Id eſt, vix potui me cohibere quin extra metas erumperem, & Deum vel iniuſtitiæ, vel crudelitatis accuſarem, qui iuſtos præter meritum affligeret, & impios ac ſceleratos redderet felices ac fortunatos, atque ita me ipſum præcipitarem. Effundi dicuntur greſſus alicuius, cùm conſtitutus in præcipitio aut lubrico loco ſubitò euerſis aut eliſis pedibus corruit. Itaque defectio à Deo & lapſus irparabilis hac phraſi ſignificatur: ſicut titubatione pedum dubitationes mentis, quibus penè fuerit abſorptus. Creſcit autem oratio, quia ſubinde periculum creuit: priùs enim dixerat titubaſſe pedes, nunc dicit penè effuſos fuiſſe greſſus.

Tertius verſus habet ἀπολογίαν, quæ explicat tentationis ſpeciem: cùm enim impios ex præſenti fortuna æſtimaret, affirmat ſe accenſum eſſe æmulatione: idque aliis ſimiliter accidit, non profanis tantùm, ſed piis etiam, qualis hic Aſaph fuit.

4 Quia non ſunt conſtrictiones ad mortem ipſorum: & firmum palatium.

Sequitur longa narratio, in qua per diſtributionem deſcribit proſperitatem & commoditates impiorum in hac vita: deinde ſcelera corúdem, quibus animi piorum in primis vulnerentur. Eſt itaque in hoc & in ſequentibus verſibus hypotypoſis hominum impiorum & profanorum.

Primùm inquit, illis nõ eſſe *ligamina ad mortem*, id eſt, nullis eos diuexari morbis, quibus veluti captiui ad mortem trahantur: ſed ſemper vti proſpera valetudine, eſſe vegeros & robuſtos. Morbos enim figuratè nominat vincula mortis, quæ dum iniicit, nos ſub ſuam poteſtatem redigit. Alij ligamina mortis exponunt remoras & impedimenta mortis: vt cùm quis longo & difficili morbo excruciatur, vt nec conualeſcere, nec expirare poſſit, hunc volunt teneri vinculis ad mortem. Et impios ea in parte quoque felices videri dicunt, quòd non diu luctantur cum mortis doloribus: ſed ſubitò & in temporis articulo moriuntur. Sicut in lib. Iob. cap. 20. hoc inter felicitates terrenas cenſetur, vt poſtquam iam pertæſi ſint illarum voluptatum & deliciarum homines profani, quibus hactenus ſe oblectarunt, in puncto in ſepulchrum deſcendant. Ait enim, Impij conſumunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendũt. Et Iulius Cæſar pridie quàm interficeretur, dixit ſibi ἀθανασίαν videri ſubitò & ex inopinato mori. Atque huc congruunt hiſtoriæ. Agria enim aut ſecundùm alios Cydippe ſacerdos Cereris à Cleobe & Bithone filiis ad Dianæ templum in curru vecta, cùm Deam oraſſet vt illis præmium daret pro pietate, quod homini videretur optimum, mortuos in lecto manè reperit. Quod argumento fuit, matura morte nihil eſſe melius. Cicero 1. Tuſc. Plutarch. in Solone. Idem de Theophonio & Agamede, qui templum Delphicum ædificarunt, narrat Cicero. Sed exiſtimo priorem ſenteritiam eſſe veriorem & concinniorem. Græcus interpres reddidit ὅτι οὐκ ἀνάνευσις (reſpectus) ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, quod eſt alienum ab hoc loco: nam Hebræa vox quid ſignificet ſatis apparet ex Ieſaiæ 58. cap.

Et firmum [craſſum] *palatium*, id eſt, habitant in amplis, ſplendidis & bene munitis ædificiis: ex quibus oſtentant ſuas opes & luxum, & putant ſe his munitos eſſe ſatis aduerſus omnem iniuriam. אולם ſignificat porticum ſeu veſtibulum ædium. Hic συνεκδοχικῶς ſumitur pro toto ædificio. Rabbi Dauid tamen exiſtimat ם eſſe affixum, & אולם legit pro אולם firmũ eſt robur eorum: vúltque coniunctim legi hęc duo membra, vt poſterius ſit antitheſis prioris. Atque hunc plerique ex recentioribus ſequuntur. Græcus reddidit στερέωμα ἐν τῇ μάστιγι αὐτῶν.

5 In labore hominis non ſunt: & cum homine non flagellantur [*affliguntur*.]

Id eſt, impij non experiuntur calamitates aut miſerias, non exercentur ærumnis, non eſt laborioſa aut miſeriis referta ipſorum vita, ſed ſunt fortunati & diuites, omniaque illis ſuccedunt ex animi ſententia. Fieri quidem non poteſt quin communium ærumnarum ſenſus interdum ad ipſos quoque perueniat: ſed habent illi parata varia vitæ præſidia & cõmoda, quæ illa mala facilè ſarciant aut leniant. Econtra verò pij in hac vita affliguntur variis modis, premuntur egeſtate, morbis, bellis, odiis & inuidia aliorum. Deinde impij in hac vita, cùm ſint ſecuri, & viuant ſine ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, nec cogitent reſtare iudicium, in quo ſcelerum pœnas aliquando daturi ſiut, non excruciantur doloribus aut pauoribus conſcientiæ, aut grauiſſimis illis tentationibus de abiectione ſui: imò ex præſenti fortuna ſuam felicitatem æſtimantes, iudicant ſe habere Deum propitium & fauentem, adeóque in gremio ipſius foueri, vt pote qui tantis à Deo beneficiis adficiantur. Atque ex hac ſtulta perſuaſione ſequitur illa ſuperbia & faſtus, de quo ſequente verſu concionatur. Pij verò, etiamſi ſint aliquando ſine ærumnis: tamen viuunt perpetuò in timore Dei, habent dolores ex agnitione peccati & ſordium ſuarum. Itaque nunquam fiunt ita ſecuri, vt ſibi indulgeant, ſed, vt prouerb. 28. dicitur, etiam in rebus proſperis ſunt pauidi.

6 Ideo tanquam torques circundat eos ſuperbia: [*ad verbum, ideo torques eorum ſuperbia*] operit eos [*tanquam*] amictus violentia.

Hactenus de proſpera impiorum fortuna dixit, & qualis ipſorum conditio ſit in hac vita oſtendit: nunc etiam mores ipſorum deſcribit. Primùm ſunt ſuperbi. cùm enim adfluant diuitiis & opibus, & omnia ad voluntatem ipſorum fluant, incipiunt ſeſe admirari, inflantur ſtulta perſuaſione ſapientiæ & prudentiæ, atque hac opinione tanquam torque ornati incedunt, & alios præ ſe contemnunt, gloriantur & iactitant ſe, non aliter quàm ſi ſplendido & aureo torque ornati eſſent. Nec ſatis eſt eos inſoleſcere & efferre ſe ſupra alios: ſed fiũt etiam feroces & iniurioſi: inuadunt aliorum corpora & fortunas, lædunt alios atque iniuria afficiunt, rapiunt honeſtorum hominum coniuges & bona, iiſque pro ſua libidine abutũtur. ὕβρις enim perpetua comes eſt ſuperbiæ: *Das iſt jhre kleidung vnd ſchmuck, damit ſie prangen vnd ſich ſchavven laſſen.* Contra, piorum & honeſtorum hominum veſtitus & ornatus eſt humilitas & patientia. Fœlix poſterius membrum ita reddidit: Inuoluet nates iniquitas ipſorum. Sed alia eſt forma nominis שת quod nates ſignificat vocabulo congruente cum Saxonico *Geſete*: alia vero nominis שית quod hic & prouerb. 7. veſtem, & quidem ſplendidam & ornatam ſignificat. Alij ita interpretantur: operietur tanquam veſtitu iniuria ipſorum, id eſt, illi norunt occultare ſua ſcelera atque ornare, vt non videantur ſceleratè agere.

7 Egreditur præ pinguedine oculus eorum: tranſierunt cogitationes cordis.

Amplificat narrationem à ſigno. Dicit enim oculos eorum turgere aut prominere præ adipe: ideóque non mirum eſſe ſi ita ferociant: κόρος γὰρ ὕβριν τίκτει, vt eſt apud Theognidem. Inter peccata Sodomæ numeratur ſaturitas panis, Ezechiel. 16. Quòd igitur ita ferociunt, eius rei nulla alia cauſa eſt quàm quòd abundant omnibus rebus, & deliciis diffluunt: cuius rei ſignum eſt quòd oculi turgent. Græcus interpres reddidit, ἐξελεύσεται ὡς ἐκ στέατος ἡ ἀδικία αὐτῶν. Iudicauit enim nomen עיגימו eſſe vel ab עון quod iniquitatem ſignificat, vel ab ענה quod Hebræis eſt opprimere.

Tranſierunt cogitationes cordis] Id eſt, ſtultæ eorum cupiditates nullis finibus poſſunt claudi aut coerceri. Quò enim plura affluunt, eo maiora appetunt ſubinde. Cupiditates enim hominum ſunt inſatiabiles: quod poetæ ſignificare voluerunt fabula Danaidum puellarum, quæ apud inferos aquã cribro hauriunt, eámque hauſtam in vas rimarum plenum infundunt. Et Diogenes auaros hydropicis comparabat. Illi enim argento pleni, hi aqua referti ampliùs deſiderant. Hoc iudico eum velle cùm dicit, cogitationes cordis ipſorum tranſire ſeu progredi ſubinde, quaſi dicat, eos ſubinde cupiditatibus ſuis tendere vlteriùs, nec vnquam præſentibus rebus ſatiari. Alij ad euentus accommodant, qui vt plurimùm impiis feliciores accidunt, quàm ipſi initio cogitauerant aut ſperare poterant: quæ ſententia videtur non eſſe incommoda, *Sie kommen vveiter als ſie gedachten.*

8 Diffluunt & loquuntur in malitia rapinam [*iniuriam*:] è ſublimi loquuntur.

Diffluunt] Verbum מיק quod tantùm hoc loco vſurpatur, videtur congruere ſignificatione cum מקק quod putreſcere aut tabeſcere ſignificat. Ea autem quæ putreſcunt, diffluunt hinc inde. Ideo nonnulli de impiis hoc ita interpretantur, quòd ſui obliti diffluant, diſſolutam agant vitam, & neminem non iniuria laceſſant ac pedibus ſuis proculcent. Alij tamen malunt actiuè exponere, faciunt putreſcere aut fœtere, ſcilicet aliorum famam & exiſtimationem, dum omnibus præſertim bonis obloquuntur, & omnes conuitiis proſcindunt. Græcus reddidit διενοήθησαν.

Loquuntur in malitia rapinam] Id eſt ſceleratè & impudẽter iactitant ſua ſcelera, furta & rapinas. Tanta enim eſt horum impudentia & audacia, vt non clam ampliùs perpetrent ſcelera, aut occultare ſua facinora ſtudeant: ſed publicè ea deprædicant,

prædicant,ſeſque horum commemoratione formidabiles aliis reddere ſtudent.

E ſublimi loquuntur] Id eſt, ſermo eorum eſt plenus faſtu: neminem dignantur alloquio: quia exiſtimant reliquos homines ſecum collatos nihil eſſe. Nos Saxones phraſin Hebræã his verbis exprimimus, *Vber den kropf reden*, inflexo gutture loqui.

9 Poſuerunt in cælum os ſuum: & lingua eorum perambulat in terra.

Id eſt,non tantùm in homines ſunt contumelioſi,ſed etiam contra Deum audacter ſe efferentes,doctrinam ab ipſo traditam ſuis cupiditatibus inſeruire volunt: ideóque quocunque lubet eam inflectunt: & cùm ſint potentia armati & instructi, volunt ratum eſſe quod ſtatuerunt de rebus diuinis, & cogunt homines ſuis decretis aſſentiri. Ita tyrannidem impiorum regum & pontificis Romani pulchrè depingit hoc verſu. Poſtea etiam de prauis doctoribus hoc intelligatur, qui magna arrogantia & audacia petulanter ſtatuunt de rebus diuinis, iudicántque ſe ſolos intelligere ſcripturam ſacram, nec poſſe errare. Imò non tantùm doctores eccleſiarum,ſed etiam alij priuati ſæpe ita inflantur, vt exiſtiment ſe ſolos ſapere,& de rebus diuinis diſſerere poſſe. Itaque audacter ſibi iudicium de rebus diuinis &doctrina cœleſti ſumunt, & ſua deliria paſſim ad alios euomunt & defendunt: quales multos vidit hæc ætas noſtra. Et hoc eſt quod dicit, impios *ponere os ſuum in cœlum*,id eſt,audacter loqui de Deo & rebus diuinis, & totam religionem ſuis vel aliorũ affectibus attemperare & accommodare: alios deinde, vt hæc approbent cogere,atque ita ipſum quaſi cælum & terram ſuo arbitrio ſubiicere, *Gott vnd die gantze vvelt muſſen ſich von ſolchen buben reformieren vnd richten laſſen.*

10 Propterea reuertetur populus eius huc: & aquæ pleni[*calicis*]exprimuntur illis.

Amplificat narrationem ab euentu. Hæc felicitas, inquit, impiorum facit, vt multi non tantùm ex profana multitudine ſe huic cœtui adiungant ſpe opum & tranquillitatis, ſed etiam ex his quibus propoſitum eſt Deum rectè agnoſcere, &colere, & qui initia pietatis habent, accendantur iniuſta æmulatione, vt paulatim à doctrina facti alieniores,incipiant ipſi quoque cogitare melius eſſe relicta doctrina cæleſti,quæ tantum ærumnarum, odiorum & periculorum ſecum trahat, ſe conuertere & aggregare ad illum cœtum, cui bene ſit in hac vita, & qui omnibus rebus abundet, quàm cum tanto periculo vitæ & fortunarum manere in curſu inſtituto,aut conſtanter retinere profeſſionem doctrinæ. Ea enim eſt imbecillitas naturæ humanæ, vt facilè his rebus externis capiatur: atque vt egeſtatem,ærumnas & pericula refugit: ita vbicunque videt occaſionem aut ſpem opum, gloriæ & tranquillitatis adipiſcendæ propoſitam eſſe, eò magno impetu incumbit. Nec opus eſt exemplis hoc oſtendere, cùm quotidiana vita nimis multa (proh dolor) offerat. Hæc ſimplex eſt ſentẽtia prioris membri, quod variè ab interpretibus expoſitum eſt. Relatiuum, quod ponitur ſine antecedente in voce עמו nonnulli referunt ad multitudinem impiam, vt indefinitè poſito accipiatur ſingularis numerus pro plurali, populus eius, ſcilicet impij,id eſt, cuiuſlibet impij:quaſi hoc velit propheta, multos turmatim confluere ad illum cœtum. Græcus interpres legit עמי pro עמו, populus meus, vt ſit querela prophetæ ſub perſona Dei, de inconſtantia & leuitate huius populi, cui ſe Deus peculiariter patefecerat. Quæ ſententia non eſt mala. Sed quia hoc grammaticæ repugnat, retineamus relatiuum tertiæ perſonæ, & exemplo Græci interpretis ad ipſum Deum referamus, non ad impiam multitudinem: *Populus eius*,ſcilicet Dei: quaſi dicat,non tãtùm profana multitudo extra eccleſiam,ſed qui ſunt in corpore eccleſiæ eò inclinant,capti ſcilicet illecebris huius mundi.Hanc ſententiam confirmat verbum ישוב. הלם nonnulli accipiunt pro afflicto: ſignificat enim verbum הלם crebris ictibus aliquid comminuere aut contundere. Sed puncta oſtendunt eſſe aduerbium loci ab eodem verbo deductum: ſignificat enim locum,vbi concuſſio pedis inſiſtit.

Et aquæ] Alterum membrum ſubiicitur tanquam cauſa. Nam præterquam quod ו litera præcedens membrum connectit cum ſequente, ſæpe etiam eſt rationalis: vt apud Ieremiam 6. Fruſtra conflat excoctor,quia mali non ſunt extracti. ורעים לא נתקו Ieſaiæ 64. Tu iratus es, quia peccauimus. &c. Eſt igitur cauſæ redditio in hoc membro. Bifariam autem exponitur ab interpretibus, quia relatiuum למו alij ad impiam multitudinem florentem opibus & dignitate, & omnium rerum copia affluentem, alij ad præcedens vocabulum עמו referẽdum cenſent. Qui priorem ſenſum ſequuntur,ſententiam ita reddunt:quia aquæ plenitudinis,vel pleni,ſcilicet calicis,ipſis exprimuntur,hoc eſt,quia abundant omnium rerum copia, *Sie haben alles dinges die fülle*,vt nihil illis deſit ad ſuauem &tranquillam vitam agendam. Aquam hi μεταληπτικῶς pro refectione ſeu recreatione accipiunt. Vnde Spiritus ſanctus per aquam & fontem viuum adumbratur Ieſ.44. & Iohann.7. Alij,qui orationem referunt ad eos qui proſperitate impiorum offenſi,incipiunt nutare, & paulatim remittere de ardore pietatis, exponunt hoc modo: Quia aquæ pleni(ſcilicet calicis) exprimuntur illis,id eſt,quia vident hunc cœtum, qui dicitur populus Dei,nunquam non onerari cruce & calamitatibus.Fracti igitur magnitudine calamitatũ præſentium, aut metu periculorum imminentium, incipiunt animos deſpondere, & paulatim ſe ad illã multitudinem inflectere,quæ videtur extra aleam fortunæ & iactum telorum poſita. Hæc ſententia magis congruit cum phraſi linguæ Hebrææ, & cum ipſa Grammatica: cùm enim præcedat nomen collectiuum עמו, commodè eò refertur pronomen למו, & aquas in ſcriptura ſcimus accipi pro afflictionibus, doloribus, ærumnis & calamitatibus,vt aquas pleni calicis haurire hoc loco nihil aliud ſit,quàm triſtiſſimis doloribus & ærumnis perpetuò iacere oppreſſum. Græcus reddidit, καὶ ἡμέραι πλήρεις εὑρεθήσονται ἐν αὐτοῖς.legit enim ימי pro ומי.

11 Et dicunt,quomodo intelligeret Deus,&, an eſt ſcientia in excelſo?

Pergit in inſtituta narratione: & per μίμησιν refert ſermonem illorum,de quibus verſu præcedente cœperat loqui, qui videlicet offenſi illis ſpectaculis incipiunt ipſi quoque paulatim deficere, & à doctrina Dei fieri alieniores. Cùm enim vident etiam boni impios & ſceleratos paſſim florere, & viuere in omnium rerum abundantia, atque otio, nec pœnas mox dare ſcelerum ſuorum, incipiunt ita ſecum ratiocinari: Quomodo intelligeret hoc Deus, &c. id eſt, ſi eſſet aliquis Deus, qui curaret res humanas, & qui debita præmia iuſtis perſolueret, impios verò ad pœnas traheret, an ferret talia? an pateretur tantam eſſe inæqualitatem euentuum in rebus humanis? Aut,quomodo poſſumus dicere eſſe prouidentiam, qua Deus hunc mundum gubernet, cùm perpetua ſit ſcelerum impunitas, & impij ac ſcelerati euehantur ad ſummas dignitates & opes, pij verò perpetuis iniuriis exagitentur? Hanc eſſe ſententiam huius verſus,oſtendunt tres ſequentes, qui cum hoc cohærent, & cogitationes ſeu ſermonem piorũ, qui cruce eccleſiæ & felicitate impiorum offenduntur, exprimunt. Alij de ipſis impiis & profana multitudine hunc verſum interpretantur.Sed meliùs fluit contextus totius orationis,ſi piis ſecum diſputantibus & luctantibus hic ſermo attribuatur:id quod ſequentes verſus manifeſtè oſtendunt.

12 Ecce iſti impij & fortunati ſeculi[עולם *plerique mundum interpretantur: alÿ tamen ſtabilem & diuturnam felicitatem impiorum hac voce notari exiſtimant,idq. Græcus ſignificauit,cùm reddit* εἰς τὸν αἰῶνα] amplificant[*acquirunt & cumulant*]diuitias.

Qui præcedentem verſum de impiis exponunt,putant hũc verſum eſſe epiphonema,quo ſuperiorem narrationem concludat propheta:ſed vt dixi,continuat ſuperioris verſus ſententiam,& non tam in ſua quàm aliorum perſona loquitur propheta. Ab euentu enim volunt oſtendere nullam eſſe prouidentiam. Ecce,dicunt illi qui felicitate impiorum offendũtur, Iſti qui manifeſtè ſunt impij & blaſphemi contra Deum, ſunt fortunati in hoc mundo,acquirũt maximas opes,& perueniunt ad ſummam dignitatem & potentiam. Huic verſui ſubiiciunt mox antitheſin:

13 Certè fruſtra mundaui cor meum, & laui in innocentia manus meas.

14 Et fui afflictus quotidie,& correptio mea ſingulis matutinis.

Id eſt,totum ſtudium pietatis video eſſe inanem laborem & moleſtiam. Nihil enim aliud conſequor, quam quòd mihi & aliis accerſo pericula & ærumnas,quódque accendo odia potentum aduerſus me,& coniicio me in varios dolores. Ita per hypotypoſin exprimit cogitationes & diſputationes non tam impiæ & profanæ multitudinis quæ ſecura ridet & contemnit iudicium Dei,quàm illorum hominum qui ſunt in eccleſia:qui cùm vident florere impios,& pios crudeliter ſæpe excarnificari in hac vita,non rarò his cogitationibus grauiter exercentur & excruciantur:& multi in hoc certamine lãguefacti ſuccumbunt:nonnulli etiam inuitati ſplendore, dignitate,opibus & incolumitate profanæ multitudinis abiiciũt profeſſionem doctrinæ,deſerunt eccleſiam, fiunt paulatim profani,&tandem ita degenerant,vt nihilo ſint meliores illis quos antea deteſtabantur.

Mundaui cor meum]Mundatur cor fide apprehendente Mediatorem,& ſtatuente ſibi remitti peccata,ſicut dicitur, Fide

purificans corda eorum, Actorum 15. Et cum hac fide datur Spiritus ſanctus qui corda piorum regenerat & renouat, & excitat in illis motus congruentes cum lege Dei, vt deinceps abiectis operibus tenebrarum, pij militent bonam militiam, retinentes fidem & bonam conſcientiam.

Laui in innocentia] Id eſt, ſtudui innocentiæ, integritati, honeſtati: non volui quenquam lædere aut iniuria afficere. Primum membrum de interna obedientia loquitur: poſterius de externis actionibus ſeu iuſtitia exteriore.

Singulis mane] Quoties ſol oritur, id eſt, perpetuis miſeriis affligor, ita vt calamitas alia aliam excipiat.

15 Si dixero, narrabo ſic: Ecce in generationem filiorum tuorum incurri [*transgreſſus ſum, id eſt, ſum iniurioſus in eccleſiam, vel, facio iniuriam fidelibus.*]

Poſtquam de magna multitudine imbecilliorum dixit, qui his cogitationibus aut diſputationib. de prouidentia abrepti labuntur, vt ex impatientia & dolore interdum edant voces impias & contumelioſas in Deum: nonnulli etiam prorſus deficiant à Deo, & ſe impiorum cœtui adiungant: nunc ad ſe redit, & de ſua perſona loquitur. Initio autem fatetur ſe quoque nonnihil moueri illa inæqualitate euentuum, vt interdū incipiat ſecum diſputare, an ſit aliqua eccleſia, aut cœtus aliquis, qui Deo peculiariter ſit curæ: & an ſit aliqua prouidentia. Sed mox quomodo repreſſerit has cogitationes & quomodo ſe confirmarit aduerſus hoc ſcandalum, oſtendit. Primùm autem allegat ſummum peccatum, quod inde oriatur, ſi his cogitationibus nimium indulgeamus, aut huic impiæ dubitationi aſſentiamur. Si enim illa impia opinio obtineat, de qua verſu vndecimo dictum eſt, neceſſe eſt affirmare, nullam eſſe, aut vnquam fuiſſe, aut futuram eſſe eccleſiam, quam Deus ſibi ex genere humano excerpat, cui ſeſe patefecerit, & cui æterna bona daturus ſit. Quocunque enim oculos vertas, ſemper videbis eandem eſſe & fortunam & conditionem eccleſiæ omnium ætatum, vt ſemper illa fuerit ſub cruce. Cùm igitur grauiſſimum peccatum ſit illos ſanctiſſimos homines, qui inde ab initio vſque ad hæc tempora fuerunt, non alio locò ponere aut habere quàm homines profanos, impios & ſceleratos, hac cogitatione inquit ſe repreſſiſſe illas dubitationes, quæ fidem ipſius videbantur labefactaturę. Ita oſtendit de eccleſia non eſſe iudicandum ex ſplēdida fortuna: ſed ex aliis notis.

Generationem filiorum Dei nominat eccleſiam Dei, quæ vnquam fuit, eſt, aut futura eſt. Nam דור ſignificat continuā ſucceſſionem temporum. Venerunt itaque prophetæ in mētem illa ſumma lumina generis humani, quæ ab initio mundi fuerunt: Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Moſes, Samuel, &c. qui omnes experti ſunt triſtiſſimas ærumnas & pericula varia. Eos verò dicere non fuiſſe curæ Deo, iudicat ſummum eſſe ſcelus. Itaque hac cogitatione dicit ſe ſibi frænum inieciſſe, ne longiùs progrederetur quàm pietas ferret. Nonnulli paulò aliter verſum hunc interpretātur. Si his impiis dubitationib. aſſentirer, ego tranſgredior, quia ecce perdurant fideles in mundo, & tu ſemper aliquem populum tibi conſeruas. Hi aliter verſum diſtinguunt quàm Hebræi, & iudicant particulam cauſalem eſſe omiſſam. Sed cùm prior ſententia commoda ſit, & cum grammatica conſentiat, non video cauſam cur ab ea nobis ſit diſcedendum.

16 Et ſi cogitaui [*applicui animū meū*] ad hoc ſciēdum, moleſtia fuit in oculis meis.

Poſtquam dubitationes nonnihil repreſſit hac cœleſti doctrina, quòd de eccleſia non ſit iudicandum ex euentibus, vel ex rerum externarum aſpectu: non tamen mox ſe eluctatum fuiſſe, ſed diu multùmque adhuc ſecum diſputaſſe, & anxium atque dubium hæſiſſe inter illas cogitationes affirmat. Ita ſuo exemplo monet humanam rationem non poſſe ſe expedire ex illis tumultibus diſputationum, qui exiſtunt in animis noſtris, quoties in illas cogitationes ingredimur, an ſit aliqua prouidentia diuina, an ſit aliquis cœtus in genere humano, qui Deo peculiariter ſit curæ, &c. Si enim ſecundùm humanam rationem in hac re iudicandum ſit, potiùs illos dicemus charos eſſe Deo, penes quos ſumma eſt potentia & autoritas in hoc mundo, aut qui opibus & diuitiis pollent & nihil aduerſi patiuntur, quàm illum miſerum & ærumnoſum cœtum, qui omnium odiis atque iniuriis eſt expoſitus, atque ingenti mole calamitatum in hac vita eſt oneratus. Ideo dicit has cogitationes (intellige eas quas non gubernabat verbum Dei & Spiritus, ſed quas ratio ei ſuggerebat) attuliſſe ſibi plurimos dolores & moleſtias, cùm ſe ex his expedire non poſſet. nam moleſtia & dolor inde exiſtit cùm videmus nos noſtro ſtudio & conatu nihil proficere.

17 Donec ingrediebar in ſanctuaria Dei: intelligebam nouiſſima eorum.

Nunc tandem oſtendit remedium, quod adhibuerit huic malo, & quo illos animi ſui tumultus compeſcuerit ac ſedarit. Non priùs, inquit, quieſcere aut eluctari ex his dubitationibus potui, quàm venirem in ſanctuarium, hoc eſt, in cœtum, in quo ſonat verbum Dei, & vbi cauſæ oſtenduntur cur Deus eccleſiam ſuam velit ſubiectam eſſe cruci, & cur impios in hac vita patiatur aliquandiu florere atque omnium rerum copia affluere: qualis itē ſtatus maneat pios poſt hanc vitam, & quæ pœnæ impiis ſint paratæ. Hæc enim ſapientia poſita eſt extra captum & intelligentiam rationis humanæ: nec diſcitur niſi in hac ſchola, quam hîc ſanctuarij nomine intelligit, eámque opponit rationi humanæ.

Alij ſanctuarium ipſum cælum interpretantur, in quo habitant piæ animæ & angeli: donec ingrediebar ſanctuarium, id eſt, donec cogitabam nos conditos eſſe, non ad hāc vitam, ſed ad cœlum vbi noſtrum eſt πολίτευμα.

Intelligebam nouiſſimum eorum] Id eſt, donec tādem ex verbo diſcebam, illam felicitatem impiorum prorſus eſſe momentaneam: vbi enim aliquandiu floruerint impij, affirmat doctrina cæleſtis eos ſubitò euerti & perire, atque etiamſi vſque ad mortem feliciter omnia ipſis ſuccedant, poſtea tamen in æternum eſſe damnatos & abiectos. Quid autem eſt illa momentanea felicitas, comparata ad illos æternos dolores & cruciatus quos impij ſuſtinebunt poſt hanc vitam? Hæc eſt ſententia huius membri, & ſequentium trium verſuum. אחרית intelligatur de mutatione fortunæ impiorum, quocunque tempore illa iuſto Dei iudicio accidat, ſiue in vita ſiue morte impiorum hoc fiat.

18 Certè in lubricis poſuiſti [*ponis*] eos: deiicis eos in præcipitia.

19 Quomodo fuerunt in vaſtationem tanquam momento? ceſſarunt, conſumpti ſunt ab horroribus.

20 Quaſi ſomnium ſunt ab euigilando [*id eſt, poſtquam aliquis expergefactus fuerit*] Domine in excitando imaginem eorum contemptibilem reddes.

Hi tres verſus ἐξήγησις ſunt poſterioris membri. Explicat enim qualis ſit finis impiorum: & qualis exitus eos maneat: verſu autem 18. pulchra eſt hypotypoſis, qua ſtatum & conditionem impiorum hominum in hac vita eleganter deſcribit. Pingit enim impios in hoc mundo ſtare in excelſo loco aut in ſummo faſtigio: hoc eſt, euehi ad ſummam potentiam, conſpici & magnifieri ab omnibus, ipſóſque propter potentiam & opes ex alto deſpicere, contemnere & proculcare omnes alios. Sed locum illum in quo conſiſtunt, affirmat eſſe lubricum, & ſub pedibus immenſam & profundam eſſe voraginem, in quam tandem paululū iudicio diuino impulſi præcipitentur, vt in æternum pereant. Hæc imago ſicut horrenda eſt impiis & profanis hominibus: ita pios conſolatur, ne animis frangantur, ſi videant illos fortunæ ſucceſſibus nimiùm florere aut ſuperbire. Quo enim altiùs extolluntur, eo periculoſiore loco conſtituuntur, vt citiùs corruant.

Animaduertendum autem eſt diligenter, quod affirmat non caſu, aut etiam à prouidentia vel induſtria humana, ſicut homines plerunque iudicant, ſed diuinitus eos extolli, ac rurſus deiici. Fiunt enim hæc omnia iuſto iudicio Dei.

Verſus 19. habet exclamationem, in quam erumpit ex admiratione diuinorum iudiciorum, quæ fides quaſi coràm intuetur: atque ita cōfirmatur vt excuſſa omni dubitatione certò ſtatuat, nō propterea placere Deo homines, etiamſi in hac vita variis eos beneficiis ornet & cumulet.

Conſumuntur à terroribus] Id eſt, leui aliquo terrore diuinitus incuſſo corruunt & pereunt ſubitò: cùm antea confiſi ſuis opibus & potentia ſe eſſe extra omnem teli iactum putarent. Sicut Nero, Diocletianus & alij multi tyranni iſtis terroribus iuſti iudicij diuini adiguntur, vt ſibi mortem conſciſcant. Eſtque ſimilis exitus impiorum hominum. Diſcedūt enim ex hac vita cum fremitu & indignatione, & oppreſſi horrendis pauoribus ruunt in deſperationem: atque ita migrant ad illos æternos cruciatus.

Verſus 20. aliam imaginem ſeu ſimilitudinem habet: in qua momentaneam & lubricam impiorum felicitatem extenuans depingit. Comparat enim omnem illum ſplendorem ſomnio, quo aliquandiu fruſtra ſe quis oblectat, dum ſpes ingentes de opibus, regnis, atque aliis rebus caducis ſomnians cōcipit: ſicut piſcator ille apud Theocritū: vbi enim euigilauerit, omnes illæ ſpes pereunt & euaneſcunt ſubitò. Talis eſt impiorum felicitas: nihil enim eſt ea vanius aut fallacius. Idq;

nunc

nunc tandem incipit Aſaph, aut quiſquis eſt autor pſalmi, poſtquam cogitationes ſuas ad verbum Dei componere cœpit, agnoſcere. Sæpe autem Scriptura hac imagine vtitur, quoties impiorum potentiam & opes ridet & extenuat Spiritus ſanctus, vt Ieſ. 29. Erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt cōtra Ariel. Iob. 20. Inſtar ſomnij auolabit homo & non inueniet eum, & profugabitur, vt viſio noctis.

Cùm excitaueris imaginem eorum reddis contemptibilem] Additur hoc membrum ſuperiori explicandi cauſa: imaginē enim nominat omnia illa quæ impij quaſi per ſomnium animo conceperunt & confinxerunt, quorum fiducia tument & ſuperbiunt, vt nihil non ſibi arrogent, ſicut dicitur: μάταιοι μάταια λογιζόμενοι διὰ ἐπιθυμίας. Quia enim omnia illa vana ſunt & fugacia, dicit Deum hanc ipſorum imaginem, id eſt, vanas ipſorum ſpes, quas quaſi per ſomnium conceperunt, contemptibiles & euanidas reddere, vbi eos à ſomno excitauerit, vt ipſi videāt omnes illas ſpes vanas fuiſſe atque fallaces: atque huc congruit illud pſalmi 39. Profectò in imagine tranſit homo, id eſt, tota felicitas humana nihil habet firmi aut ſolidi: ſed ſicut imago, quæ vel in ſomno vel in aqua apparet, ſubitò euaneſcit: ita leui occaſione impulſi euertuntur homines ſummi & potentiſſimi: vt videant fruſtra ſe fiduciam ſuam collocaſſe in rebus humanis. Alij imaginem interpretantur illum externum ſplendorem, qui in oculos aliorum incurrit, & admirationem ſui apud omnes excitat, vt cum ſtupore & metu tales ſuſpiciant. Hic quantus quantus eſt, nihil aliud eſt quàm imago lubrica & euanida, qua ſublata pereūt omnia illa terriculamenta, quibus antehac aliis erant formidabiles. Eodem redit hæc ſententia, niſi quòd ad aliud obiectum refertur.

Inſuſcitando] Plerique ſecuti Græcum interpretem reddiderunt, in ciuitate, & ciuitatem interpretantur eccleſiā Dei, cuius ciues ſint pij: vt ſit ſententia, Tu efficis vt impij, qui antea lumina & capita eccleſiæ videbantur, & quaſi vertice cœlum attingebant, ideóque ſapientia, dignitate, authoritate, exiſtimatione & omnium rerum copia cæteris mortalibus lōgè antecellebant (vt pontifex Rom. & huius ſatellites, Cardinales, & mitrati epiſcopi ante hæc tempora) iam nihil aliud quàm inane ſomnium aut imago fuiſſe videantur. Hæc ſententia, quanquam non eſt incommoda, tamen exiſtimo eos meliùs aſſequi & reddere ſententiam prophetæ, qui dictionem בעיר iudicant eſſe verbum infinitiui modi in tertia coniugatione, à verbo עור & ſcribi בעיר pro בהעיר. Eſt enim vſitatum in gerundiis horum verborum, vt literæ נלב excludant ה literam characteriſticam, ſicut & in voce paſſiua primæ coniugationis, vt Geneſis 24. locus nobis ללין pro להלין Ieſa. 3. לריב ad iudicandum, pro להריב vt inquit R. Dauid: & in prima coniugatione paſſiua in infinitiuo verborum quieſcētium in medio לאור pro להאור Iob. 33. Et in ordine perfectorum בעטף cum deficeret, pro בהעטף Thren. 2.

21 Certè efferueſcebat inſtar fermenti [*exacerbabatur*] cor meum; & renibus meis compungebar.

Repetit ſuperiorem querelam, de qua verſu ſecundo dictum eſt. Non enim ſubitò vincere illum dolorem potuit, etiamſi cogitaret quo conſilio Deus ſuos affligeret, & impios florere ad tempus pateretur. Subinde recurrebant illæ cogitationes, quas ratio humana etiam bonis nonnunquam ſuggerit, Iuſtitiæ diuinæ eſſe bonos præmiis afficere, malos pœnis: id quia non fiat in hac vita, non poſſe dici eſſe aliquam prouidentiam, qua hunc mundum Deus gubernet. Hæ cogitationes acrem dolorem atque adeo fremitum quendam & indignationem aduerſus Deum atque ipſius iudicia gignebant, quam hîc deſcribit. Homo profanus non magnopere cruciatur intuens illam diſſimilitudinem euentuum in rebus humanis. Iudicat enim omnia caſu & temerè ferri, aut fortunam in rebus humanis dominari: quæ quia cæca ſit, vt poetæ fabulantur, ſine diſcrimine bona huius vitæ ſpargat. Sed homines pij, quibus perſuaſum eſt, Deum eſſe, & prouidentia diuina mundum gubernari, illi non poſſunt non moueri, atque adeo excandeſcere nonnunquam, ſi videant pietati non ſtatim reſpondere ſua præmia, ſuámque expectationē & ſpem falli. Ex horum igitur numero autor pſalmi ſe quoque fuiſſe in hac querela fatetur. Vtitur autem duabus ſimilitudinibus, quibus dolorem ſuum atque indignationem ſeu zelum deſcribit. Primùm inquit cor ſuum efferbuiſſe inſtar fermenti. Vbi bilem, quæ ei his cogitationibus mota eſt, cōparat fermento quod maſſam inflat & turgere ſeu feruere facit. Ita enim bilis in illis cogitationibus cor ipſum atq; adeo omnes humores cōmouere ſolet, vt inſtar vini aut maſſæ infermentatæ feruesant. Significat igitur acrē & vehementem dolorē ſibi peperiſſe has cogitationes. Verbum יתחמץ Græcus reddidit ἐξεκαύθη inflammatum eſt. Hieronymus, contractum eſt. Ex recentioribus nonnulli interpretati ſunt, coaceſcit ſeu acidum fuit. Nam חומץ Hebræis acetum ſignificat. Sed verbum חמץ propriè ſignificat fermentari, conſpergi fermento, intumeſcere fermento: vnde Græcum ζύμη per inuerſionem literarum eſt factum. Metaphoricè autem ſignificat interdum aſperum, & tanquam acido fermento infectum, vnde eſt illa altera ſignificatio aceti, quòd fermentum acidum habeat saporem. Retineo igitur propriam huius verbi ſignificationem, quæ ſententiam prophetæ magis illuſtrat, & vſitata eſt illa phraſis etiam Latinis. Nā Plautus in Mercatore mulierem iracundia feruentem deſcribere volens, inquit illam totam in fermento iacere, id eſt, inflatam & iratam totam feruere. Ita & hîc loquitur, meum cor eſt infermentatum, id eſt, excandeſcit.

Altera ſimilitudo ſumpta eſt à doloribus, quos in renibus gignunt calculi. Eos qui experti ſunt, ſciunt eſſe ſæuiſſimos, nec opus eſt hic longa declaratione. Significat enim dolorem ingentem permixtum fuiſſe indignationi, eúmque ſæpe recruduiſſe, quoties impiorum felicitatem aſpexerit. Quale eſt illud Virgilianum, *Et mixta inſania luctu:* de tali dolore agēs, qui indignationem parit. Græcus interpres ita reddidit, καὶ οἱ νεφροί μου ἠλλοιώθησαν. fortè quia iudicauit verbum Hebræum eſſe שנה quod iterare ſeu mutare ſignificat. D. Hieronymus reddit, lumbi mei velut ignis fumigans, vel perſuaſus à ſuo præceptore, vt crederet dictionem Hebræam ab אש & עשן compoſitam eſſe, quorum alterum ignem, alterum fumum ſignificat: vel imitatus Thargum, in quo ſententia ita redditur. Sed verbum Hebræum eſt שנן quod acuere aut acuta cuſpide pungere ſignificat. Inde in quarta coniugatione fit השתונן acri dolore ſeu ſtimulo compungi, & in futuro אשתונן. Quanquam R. Dauid in libro radicum exiſtimet more Chaldæorum pro ה ſcribi א, & eſſe præteritum: vt ſit ſententia, & renes mei, id eſt, quodlibet ex renibus meis cōpungitur.

22 Et ego ſtultus, & non cognoui: [*quaſi*] iumenta fui apud te.

Querelæ ſubiicit correctionem, qua ſeſe reprimit, ſuámque ignorantiam & ſtoliditatem accuſat, & fatetur. Eam orationem à ſimili illuſtrat. Comparat enim ſe beſtiis & brutis animantibus, quæ nihil intelligunt. Atque ita oſtendit, rationem humanam non intelligere iudicia Dei, nec rectè de his iudicare: & monet reprehenſione dignam eſſe illam æmulationem, tanquam prauam, qua interdum animi piorum accenduntur. Oritur enim ab inſcitia animorum humanorum, quæ iudicia & opera Dei extra verbum ab ipſo patefactum non magis intelligunt quàm brutum aliquod animal. Quoties igitur illæ cogitationes animis noſtris obuerſantur, de quibus ſuprà diximus, ſtatuamus eas à naturæ noſtræ prauitate & ſtoliditate oriri, & verbo Dei eas reprimere diſcamus. Hæc doctrina traditur in hoc verſu: accuſatio nimirum ſtuporis & inſcitiæ hominum in æſtimandis Dei iudiciis. Alij paulò aliter hunc verſum interpretantur. Referunt enim hæc verba ad iudicia & opinionem impiorum, qui pios, ſeu coram Deo ambulantes, habent in hac vita pro fatuis, nec pluris eos faciunt quàm brutum aliquod animal, ſicut ſcribitur Sapientiæ 5. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Iuxta hanc igitur ſententiam ita reſolui volunt orationem, Ego illorum opinione & iudicio ſum ſtultus, & habeor pro iumento, quod nihil de rebus humanis intelligat: eáque res dolorem meum auget. Sed retineo priorem ſententiam, quæ videtur eſſe ſimpliciſſima: etiamſi ſciam formam hanc loquendi vſitatam eſſe Hebræis, vt ſæpe de ſe ex opinione & iudicio aliorum potiùs, quàm quòd ita ſe res habeat, loquantur: quemadmodum illud Oſeæ 9. iuxta hanc phraſin nonnulli interpretantur, Stultus propheta, Inſanus vir Spiritu, ſpeculator cum Deo, laqueus aucupis ſuper omnes vias eius, id eſt, ſic iudicant de ſuo propheta, qui pœnas ſecuturas prædicit, eáſque auertere conatur, quòd ſit ſtultus, & de viro Spiritus, quòd ſit inſanus. Item ſpeculator cum Deo iudicatur ab ipſis laqueus aucupis in omnibus viis ſuis.

עמך exiſtimo comparatiuè vſurpari à propheta. Etiamſi, inquit, in mundo videar excellere prudentia, & multi me admirentur propter opinionem ſapientiæ de me conceptam: tamen ſi hæc ſapientia quæ mihi tribuitur ad illam cœleſtem conferatur, ſtultitia planè eſt, quæ nihil differat à brutorum inſipientia. Ita iudicare de nobis debemus omnes in conſpectu Dei.

23 Ego verò ſemper tecum: tenuiſti [*tenes*] manu dexteram meam.

24 Conſilio tuo diriges me, & tandem in gloriam [*cum gloria*] ſuſcipies me.

Addit aliam conſolationem, qua ſeſe in iſtis doloribus erigit & ſuſtentat, ſumptam à præſentia & auxilio Dei in ærumnis piorum. Prior conſolatio ſumpta erat ab interitu & pœnis impiorum. Hæc quanquam nonnihil confirmat nos, ne nimiùm offendamur ipſorum felicitate, cùm ſciamus hanc eſſe momentaneam & caducam: tamen non ſatis eſt efficax ad ſedandos & tollendos dolores, quos ex noſtris ærumnis & calamitatibus percipimus. Quid enim iuuat nos, tandem impios deiici de ſuo ſtatu, aut planè euerti, ſi perpetuò in iſtis ærumnis nobis quoque manendum ſit, & nullus finis malorum proſpiciatur? Ideo ſubiicit nunc aliam conſolationem magis ſolidam & efficacem, videlicet, quòd certò ſciat ſe in iſtis calamitatibus & ærumnis non eſſe abiectum à Deo aut damnatum, ſed ſemper ſibi Deum præſentem adeſſe, & ſuo conſilio ita illas ærumnas moderari, vt tandem ad æternam gloriam ſibi cedant. Simul etiam confirmari ſe diuinitus in iſto certamine & lucta animaduertit, ne carnis indignatione nimiùm abripiatur, vt à Deo deficiat. Hæc igitur vera eſt conſolatio, quæ illos dolores in cordibus piorum facilè ſedat. Súntque hæc non inania θελκτήρια, qualia philoſophia proponit.

Ego ſemper tecum] Id eſt, ego non abiicior, non negligor, aut deſeror abs te in iſtis calamitatibus, ſicut ratio aut mundus iudicat. Sed ſicut ſemel me in fœdus tuum adſciuiſti: ita perpetuò maneo tecũ, etiamſi mihi in hac vita variæ ærumnæ perferendæ ſint, aut ratio etiam aliud mihi perſuadere conetur. Hæc vox eſt fidei, quæ contra rationem & carnis ſenſum pronunciat Deo curæ eſſe ſuos, etiamſi foris aliud appareat.

Tenuiſti manu dextram meam] Id eſt, tu in mediis illis fluctibus & tentationum procellis paterno affectu me complecteris, paterno more gubernas & ducis, confirmas etiam animum meum, ne fractus magnitudine aut mole calamitatum animum deſpondeam aut deficiam. Hæc dulcis eſt conſolatio, in qua Deus tanquam pater φιλόστοργος, pingitur eccleſiam ſuam tãquam filium, dum in hoc mũdo agit, manu ſua apprehendere & ducere, vt euadere ex illis periculis, quibus aſſiduè cincta eſt, poſſit, & animum ſimul confirmare & vires addere, vt perferre laborem itineris & ſuperare pericula queat. Huius igitur patris ductũ & auſpicia ſequamur in noſtra vocatione & ærumnis, & ſpe præſentiæ & auxilij diuini, quãdiu nobis cum ſcelerato mundo confligendum eſt, nos ſuſtentemus, nec auellamus nos ab hoc ductore, nec petulanter aut ſcelerate manus noſtras retrahamus, quaſi duce hoc nobis nõ ſit opus. Quum primũ enim manum noſtram retrahimus, aut nos ab hoc ductore auellimus, labi nos & ruere neceſſe eſt.

Duo igitur conſideranda nobis ſunt in hoc membro. Primùm infirmitas naturæ humanæ. Deinde, bonitas Dei in ſeruandis & fouendis ſuis.

Conſilio tuo dirigis me] Id eſt, totum curſum vitæ meæ tuo cõſilio regis & gubernas: ſinis quidem interdum me affligi & exerceri ærumnis: ſed habes eius rei cauſas graues & iuſtas, & ita dirigis hunc curſum, vt mihi ad ſalutem cedat. Tandem enim poſt varios huius vitæ labores & ærumnas ſuſcipis me in gloriam, hoc eſt, glorioſè liberas me primum in hac vita (non enim illa gloria excludi ab altera debet) deinde donas me vita & ſalute æterna, & ornas ingenti gloria ac luce, cum qua nullæ mundi deliciæ aut voluptates aut honores comparari poſſunt. Conſilium autem Dei, cur ita mirabiliter eccleſiam ſuam in hac vita gubernet, deſcribitur paſſim in Scriptura, vt cùm dicitur Exod. 14. Ego glorificabor in Pharaone. Deus enim in mirifica gubernatione & defenſione eccleſiæ vult ſuam ſapientiam & potentiam oſtendere, contra mundi ſapientiam & potentiam: vult confundere & perdere ſapientiam ſapientum, vt ſcribitur 1. Corinth. 1. Vult ſuam potentiam conſpici in noſtra infirmitate. Ideo longè aliter gubernat eccleſiam quàm nos volumus aut optamus. Vult item nos à ſe ſolo pendere, non à rebus humanis: ſicut dicitur, vana ſalus hominum, & tantùm in me auxilium tuum. Ideo ſæpe eccleſiam in eas calamitates coniicit Deus, vt omnibus præſidiis & rebus humanis, ad quas alioqui natura nos ducente nimiùm reſpicimus, nudetur, & tandem cùm nulla ſpes auxilij vel ſalutis reliqua eſt, ipſe ſuam potentiam in liberatione eccleſiæ oſtendit, vt in eductione populi Iſraelitici ex Ægypto, & ſimilibus miraculis. Sunt & aliæ cauſæ huius conſilij diuini, de quibus alibi dicitur copioſius.

25 Quis mihi in cælo? & tecum: nõ optaui [*nulla re delector*] in terra.

Amplificat priorem ſententiam à voto. Cùm enim dixiſſet pios tandem poſt varias & multiplices calamitates ornari diuinitus ingenti gloria, eius deſiderio accenſus erumpit in votum, oſtendens ſe nihil aliud optare aut expetere quàm vt liberatus ex hoc corporis carcere & miſeriis huius vitæ, quàm primùm in cœlum migret, vbi frui conſpectu Dei & viuere cum ipſo poſſit. Nam res terrenas, quantuſcunque harum ſit ſplendor & admiratio, eas tamen facilè ſe contemnere & pro nihilo reputare dicit, modo id quod optat, aſſequatur. Ita collatio eſt Dei & creaturarum in hoc verſu, & affectus hominis pij erga res terrenas & cœleſtes deſcribitur, qui vt meliùs intelligatur, antitheſis conſideretur. Homines impij & profani toti ſunt addicti rebus terrenis & caducis, in quibus comparandis per totam vitam ſe fatigant. Ab his præſidia & ornamenta in vtraque fortuna petunt, ſéque tunc beatos putant, ſi nihil eorum bonorum, quibus ad hanc vitam tutandam opus eſt, deſit. Sunt igitur illis opes, honores, amicorum præſidia & ſimiles res Dei loco. Has enim res colunt, admirantur, in his ſpem & fiduciam collocant. Econtra homines pij rebus terrenis ita valedicunt, vt vni Deo adhæreant, hoc vnico ſe oblectent, in hoc omne præſidium & & robur ſuum collocent, atque huius fiducia præſentis vitæ ærumnas patienter ferant & vincant. Id quanquam difficile eſt (ſemper enim caro de cælo in terram nos retrahere conatur) tamen opera à nobis danda eſt, vt in hac pietatis ſchola tantùm proficiamus, vt cum propheta dicere poſſimus, nos à ſolo Deo pendere, atque huius amore & deſiderio omnia mundana contemnere ac pro nihilo habere.

Quis mihi in cœlo?] Oratio eſt optãtis, qualis eſt illa 2. Sam. 23. Quis potabit me aqua de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam? id eſt, vtinam aliquis efficeret vt biberem. & pſal. 4. Quis videre faciet nos bonum? Qui verſus planè cum hoc congruit. Ita igitur reſoluenda eſt oratio. Quis mihi det, vt ſim in cœlo & cœleſtibus bonis perfrui poſſim? Alij paulò aliter interpretantur, ſed quantum ad ſententiam, parum eſt diſcriminis. Votum autem ſimul habet incluſam certitudinẽ fidei. Nam vota à Spiritu ſancto profecta, ſignificant ea certò euenire quæ pij optant.

Et tecum] Hoc ad antecedens membrum referendum eſſe oſtendit accentus Reuia, qui hanc dictionem diſtinguit à ſequenti membro. Additur itaque ſuperiori ἐξηγητικῶς, vt in cœlo eſſe & cum Deo eſſe, idem ſit.

Non deſideraui in terra] Id eſt, in hac vna re acquieſco, quòd ſcio me hæredem fore regni cœleſtis, & fruiturum tua conſuetudine. Itaque res terrenas & caducas facilè contemno, non ardeo amore & deſiderio horum, ſicut impius mundus: ſed iudico eas eſſe res nihili & euanidas: imò noxias potiùs quàm vtiles.

26 Defecit [*conſumitur*] caro mea & cor meum: petra cordis mei & portio mea, Deus, in ſeculum.

Voto attexit conſolationem cum repetitione querelæ ſuprà expoſitæ. Fieri non poteſt quin caro vehementer crucietur, & cor ingenti dolore prematur ac conſumatur, ſi videat ſe in hac vita premi inopia, egeſtate, perfidia amicorum, exilio & aliis calamitatibus, nec quidquam habere ſe quo ſe aduerſus imminentia pericula muniat, eáque à ſe depellat: econtra verò homines impios & ſceleratos videt circumfluere opibus & diuitiis, euehi ad ſummam dignitatem & potentiam, eáque ad oppreſſionem bonorum ſceleratè abuti. Hic dolor prophetæ communis eſt cum omnibus ſanctis. Nemo enim eſt inter ſanctos qui huius doloris ſtimulis interdum non pungatur. Sicut autem propheta ſe contra hos dolores confirmat fiducia præſentiæ & auxilij diuini: ita huius exemplo diſcamus nos quoque in ſimilibus tentationibus hũc clypeum arripere, & cum propheta clamare: Robur cordis mei & portio mea Deus in ſeculum. Petram μεταληπτικῶς nominat munimentum ſeu robur, quod nulla vi aduerſantis fortunæ aut hoſtium oppugnantium expugnari poteſt: ſed in quo conſiſtentes tuti ſumus aduerſus omnes ventorum flatus & hoſtium incurſiones: ſicut Chriſtus parabolam, de eo qui domum ſuper petram ædificat, eleganter exponit Matth. 7. & Lucæ 6. & olim arces extruebantur in petris, ne facilis eſſet hoſti acceſſus. Nominat autem Deum robur ſuum, quia intelligit ſe diuinitus in his tentationibus confirmari, ne illa externa ſpecie felicitatis impiorum, quæ animos multorum vehementer verberat ac vulnerat, fractus, ipſe quoque exemplo aliorum, magnifacere & admirari nimiùm illa bona corporalia diſcat, atque ita tandem horum deſiderio à Deo deficiat. Non enim eſt humanarum virium, illas tentationes vincere aut ſuperare, aut fidem in his retinere, ſed opus eſt robore diuino.

Portio mea Deus] Id eſt, tu es ſors mea, qua ego ſum cõtentus. Etiamſi non ſuppetant opes aut diuitiæ magnæ: tamen ſcio mihi in te ſatis opum repoſitum eſſe, nec defuturum mihi quidquam.

In voce חלקי metaphora eſt ſumpta à veteri cõſuetudine diuidundæ hæreditatis, in qua cuilibet hæredi tribuebatur

ſua portio. Solet enim hæreditas in certas portiones diuidi, atque inter hæredes ſorte diſtribui. Eſtque eadem phraſis Pſalmo 16.

In ſeculum] Hoc non additur ſine cauſa. Oſtendit enim conſtantiam ſeu perſeuerantiam fidei ſuæ, quæ nullis tentationum machinis expugnari queat. Quicquid mihi accidat, inquit, quouis tempore, ego feram patienter, ac tua ope & præſidio nitar.

27 Quia ecce qui procul diſcedunt abs te peribunt: perdidiſti omnem fornicantem abs te.

28 Ego verò [*quod ad me attinet*] appropinquare Deo mihi bonum eſt: poſui in Domino Iehoua ſpem meam [*refugium meum*] vt enarrem omnia opera tua.

Concluſio eſt pſalmi, in qua ſuperiorem doctrinam ſeu cõſolationem repetit, atque ex antitheſi oſtendit, nihil melius aut tutius eſſe quàm vni Deo adhærere, ínque eo ſolo acquieſcere. Magna pars pſalmi poſt querelam conſumitur in deſcriptione interitus impiorum, vt videre eſt verſibus 17, 18, 19, 20. Cùm enim felicitas impiorum magis ferè quàm piorũ ærumnæ nos offendat (pij enim propter peccata quæ circunferunt, etſi iuſtè ſe puniri intelligunt, tamen impiis, qui maioribus ſceleribus contaminati ſunt, cur ita Deus indulgeat ſæpe mirantur, ídque alienum eſſe à Dei iuſtitia iudicant) ideo neceſſe eſt hanc doctrinam de momentanea felicitate impiorum, atque de æterno interitu qui eos maneat, diligenter inculcari, ne iniuſtus Deus videatur, dum aliquantiſper ad ſcelera impiorum conniuet. Repetit igitur in fine hanc doctrinam, & poſtea ex antitheſi infert, melius eſſe adhærere Deo, nec offendi illis externis ſpectaculis, quæ aſſenſionem de prouidentia diuina in multis labefactant.

Qui longè diſcedunt] Non ſine cauſa vtitur hoc verbo, quod procul diſcedere ſignificat. Nam etiam pij interdum incipiunt nutare & dubitare de Deo, déque prouidentia diuina, ſicut querelæ huius prophetæ & multorum ſanctorum hoc oſtendunt. Illi verò non nimis procul à Deo aut ipſius verbo diſcedunt, ſed mox curſum inhibent & ſeſe retrahunt, ſenſúſque omnes & cogitationes ad verbi diuini præſcriptum cõponunt. Sed qui procul diſcedunt, hoc eſt, qui relicto Deo atque abiecto ipſius verbo ſequuntur ſua ſomnia & cupiditates, iiſque ſecurè indulgẽt, hi tandem peribunt, & ex huius vitæ miſeriis ruent in æternos cruciatus.

Perdidiſti (conſtrinxiſti ad pœnam) *fornicãtem abs te*] Repetit eandem ſententiam figuratè. Fornicari à Deo, eſt deſerto Deo, cui ſoli tanquã marito vera fide adhærere, & à quo ſolo pendere debebamus, cor & animum adiicere ad res externas, ad opes, honores, dignitates, amicorum & potentum præſidia ac beneuolentiam, & in his comparandis omne ſuum ſtudiũ ponere, atque in eo occupari. Solet enim Scriptura paſſim defectores & apoſtatas comparare mulieri adulteræ, quæ relicto ſuo marito aliis ad turpitudinem ſe proſtituit, vt in Hoſea dictum eſt aliquoties.

Ego verò, appropinquare] Ex antitheſi oſtendit longè melius eſſe adhærere Deo, eíque ſe gubernandum tradere: quàm ſequi exempla impiæ multitudinis, aut captum illo externo ſplendore rerum humanarum à Deo auelli.

Et ego] De hac forma loquendi dictum eſt pſalmo 69. Pronomen אני ponitur hoc loco emphaticè: quaſi dicat, Ego horum pœnis admonitus non nimiùm indulgeo illis cogitationibus, quæ fidem videbantur labefactaturæ, nec abripior longiùs illis fluctibus tentationum: ſed ſtatuo mihi bonum eſſe relictis & poſthabitis illis rebus externis, quas mundus admiratur & magnificat, ſoli Deo adhærere, atque in eo omnem ſpem & fiduciam collocare. Alij omnes, ſi ita libet, & ſi libido ipſorum coerceri non poteſt quin capiantur huius mundi illecebris, ſuo malo pereant.

Appropinquandi verbum opponit verbo רחק & ſignificat pios ſubinde in fide & pietatis ſtudio proficere: atque ad Deũ propiùs accedere, vt arctior inter ipſum, & nos ſit coniunctio: ſicut econtra impij, quotidie ab eo magis alienantur & longiùs diſcedunt.

Poſuit in Domino] Exponit quid ſit appropinquare ad Deũ, videlicet omnem fiduciam & ſpem in Deum collocare: non in illis rebus caducis, in quibus comparandis ac retinendis totus mundus eſt occupatus, & in quibus ſolis omnem ſpem & fiduciam ſuam collocat.

Vt enarrem omnia opera tua] Id eſt, vt te & opera tua, quæ ſemper ad ſalutem & gloriam tuorum agis, celebrem. Opera autem præcipuè intelligit illam gubernationem & defenſionem eccleſiæ ac piorum in hac vita, quæ plena eſt miraculorum, & nunquam non laudandi materiam piis præbet.

PSALMI LXXIII.

PARTES.

I. Propoſitio voluntatis Dei erga ſuos, ex abrupto, qua Propheta per paralepſin certamina carnis ſuæ & ſpiritus reticens, & quaſi repente ex eorum difficultatibus emergens, concluſionem proponit tantum: affirmans, vtcunque calamitates vrgeant, tamen Dei bonitatem ſemper eſſe præſentiſſimam bonis: v. 1.

II. Confirmatio propoſitionis, v. 2. per narrationem certaminis quod ſubeunt pij, vſque ad v. 15. & euentus quem Deus largitur, inde ad v. 23.

Certaminis duo genera ponuntur. 1. Vnum, ſingulare Prophetæ ipſius, qui (à 2. v. ad 10.) carnem ſuam fatetur proſperitati improborum, ſuíſque calamitatibus non ſatis acquieuiſſe. 2. Alterum, cõmune piorum, v. 10. vſque ad 15.

Ætiologiæ locus prior, v. 4. ad 10. à continua improborum proſperitate, metaphora ſumpta à textorum telis firmiſſimis, quam luculenter illuſtrat. Poſterior locus, à 10. v. ad 15. à communi piorum ſenſu, qui indignam impiorum & veræ Eccleſiæ (ſi faciem externam rerum aſpicias) ſortem intuentes, bonis malè, malis bene eſſe exiſtimant.

Sequitur à 15. v. ad 23. vſque, altera pars confirmationis, quã docet, quam rationem tandem ſecutus ſit ad euentus bonorum malorúmque cognoſcendos. Hæc ratio, ſi carnis iudicium ſequitur, inſanit, v. 15. vel ludit operam, v. 16. Si iudicium Spiritus à Dei verbo edocti, videt impiorum exitum, & prauum carnis iudicium, v. 17. 18. &c.

III. Concluſio, qua beneficium Dei agnoſcens, v. 23. primò ſe illi regendum & ducendum tradit, v. 24. Deinde ſummam Dei maieſtatem cum infirmitate ſua comparans, bonorúmque euentũ cum improborum exitiis, ſe hæſurum Deo perpetuò profitetur ad gloriam ipſius, reliquis verſibus.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Docet Spiritus S. hoc Pſalmo, etiamſi Deus quibuſdam cõmodis malos dignatur, ideo non tolli ipſius prouidentiam, ſed infinitã potiùs bonitatẽ & patientiam cõmendari: quòd boni varijs in hac vita calamitatibus exerceantur, euenire partim ne Dei indulgentia abutantur, partim quòd caſtigatione indigeant, tum etiam vt meliora ſperare diſcant: vt quò difficiliora certamina obierint, eò illuſtrior Dei virtus in ipſorum victorijs appareat, & ipſi athletæ tanto maiore præmio donentur: denique quod præcipuum eſt, malis nũquam bene eſſe, idq́ ipſorum culpa: bonis contrà nunquam malè eſſe, idque ex Dei ſingulari miſericordia: quoniam malis etiam bona in malum, bonis contrà etiam mala in bonum cedant.

1 Quamuis in ſpeciem negligat Deus ſuos cultores, fauore tamen ſuo eos ſemper complectitur.

Iſrael ſeu filij Dei ſunt non qui externa tantùm profeſſione contenti fallacem titulum præ ſe ferunt: ſed ſpirituales Abrahæ filij, qui ſe puro cordis affectu Deo conſecrant.

In Dei cultu primas partes obtinet interior cordis ſinceritas.

2 Eximius Dei propheta ſe parum à lapſu abfuiſſe dicens, admonet omnibus inſtare cadendi periculum, niſi eos potenter ac forti manu Deus retineat.

3 Impiorum proſperitas peccandi eſt illecebra: quia fingimus Deo placere quibus tam ſuauiter indulget.

Quamlibet aſtuti ſint impij, quia tamen principium recti iudicij non tenent, ad Dei arbitrium formandam eſſe vitam noſtrã, in ſua cæcitate inſaniunt.

4 Commoditates in vita & obitu impiorum totidem ſunt ad labefactandam piorum fidem machinæ.

Non fruſtra morbi comparantur vinculis, quibus nos Deus ad iugum ſuum adſtringit, ne vigor & robur ad petulantiã nos incitent.

5 Quũ laborioſa ſit & miſerijs referta hominũ vita, atq; omnibus

præſcripta ſit hæc lex ac ratio viuendi, grauis tẽtatio eſt cernere Dei contẽptores in ſuis delicijs quieſcere, ac ſi è mundo in cæleſtem aliquem nidum ſublati forent.

6 Rapiunt ac prædantur vndecunque impij, ſæuitiámque exercent, quia pro nihilo ducunt omnes alios, & humanum genus ſibi natum eſſe fingunt: ſuperbiáque ſua, omnis violentiæ matre, non ſecus gloriantur ac ſi ſplendidè & aureo torque ornati incederent.

7 Ita ſe ingurgitant impij in ſuam abundantiam, vt arrogãtiæ deinde crepent: patientia Dei eos expectante, & ſupra vota ac cogitationes bonorum omnium copiam illis ingerente.

8 Vbi aliquandiu votorum ſuorum impij fuere compotes, omnẽ verecundiam exuunt, nec captant latebras ad peccandum, ſed pleno ore ſuam turpitudinem efflant: atque oppreſſiones ſuas iactando, nullámque ſibi cum hominibus ſocietatem eſſe putantes, ſimplicibus & quietis formidinem incutiunt.

9 Tã in Deum quàm in homines impij ſunt contumelioſi: quia nihil illis eſt arduum, ſed ſuo arbitrio ſubijciunt cælum & terram.

10 Imaginaria impiorum felicitas nõ modò profanum vulgus, ſed fideles ipſos quibus propoſitum eſt Deum colere, impellit ad illicitam æmulationem: & ſæpius pij mœſtitia torquentur dum externus nullus apparet pietatis fructus.

11 Non modò homines profani, quum vident res in mundo turbulentas, fortunæ dant cæcum imperium: ſed ipſi quoque fideles concutiuntur vt ambigant de prouidentia Dei: attamen mirabiliter diuina manu retinentur, ne prorſus mergantur in hac abyſſo. vide Ierem. 12. & Abac. 1.

12. 13. 14 Nihil minùs conſentaneum videtur quàm liberaliter tractari à Deo, quorũ apud homines infamis eſt ac deteſtabilis improbitas. Ita carnis ſenſus iudicat, dum etiam Dei cultores aſſiduis afflictionibus vexari videt.

Prophetæ exemplo diſcamus puritatem cordis & externam operum iuſtitiam coniungere: ac incipere quidem à munditię cordis, deinde verò eam teſtari rectitudine & iuſtitia apud homines.

15 Quum eccleſia Dei tam furioſè à tot hoſtibus impetita, ſalua maneat, grauiter in eam peccant qui impiorum vmbratili felicitate attoniti, electum Dei populum miſerum eſſe arbitrantur.

16 Quiſquis naturaliter ratiocinando, de iudicijs Dei certior fieri volet, abſque profectu ſe fatigabit.

17 Homines niſi aliũde ſapiant quàm ex ſeipſis, non ſunt idonei ad conſiderandũ prouidentiæ Dei ordinẽ: ideo ſapientia noſtra in eo conſiſtit vt obediẽter amplectamur quod Dei ſpiritus in verbo ſcripto (quod eſt Dei ſanctuarium in hac vita) nobis proponit.

Quũ Deus impios omnes malè perituros pronuntiet: ſi apertã in hac vita vindictam de illis ſumit, occurrat nobis Dei iudicium. Si autem nulla vltio in terra appareat, mentes noſtras ſuſpendere cõuenit: quia nondum finis vel nouiſſimus dies aduenit.

18 Quamuis pauliſper ſubſiſtunt impij, in lubrico tamẽ agitãtur vt breui concidant. Hoc quidẽ videtur etiã pijs eſſe commune, quia totus mundus lubricus eſt, & mole ruit ſua: quoniã verò è cælo pendent fideles, imò fundati ſunt in Dei virtute, quãlibet ſint fragiles, & incerta videatur eorũ cõditio, non dicũtur in lubrico ſtare. Quòd ſi nutent, vel etiam labantur, Dominus ſuppoſita manu nutantes confirmat & lapſos erigit. Inde autem lubricitas impiorum, quòd in ſua potentia, quaſi in glacie pedem figunt, ſéque veſana exaltatione ad præcipitium comparant.

19 Sicuti torporẽ nobis adeóque ſtuporem inducit proſperitas impiorũ, ita inopinata pernicies meliùs nos expergefacit, vt inquirere quiſq; cogatur quomodo factũ ſit quod omnes putabãt fieri nõ poſſe.

Deus vbi nos adeo tardos ad conſideranda iudicia ſua videt, vt torporem noſtrum corrigat, violenta iudicia exercet, ac inuſitatis modis perſequitur impios, ac ſi terram concuteret.

20 Qui verbo Dei illuminati vigilãt, quamuis ante eorum oculos ſplendeant impij, contrario ſplendore (qui longe ſuperat) retinẽtur. Expergefactis igitur à Dei ſpiritu, apparet meram eſſe vanitatem quicquid in mundo ſuſpiciunt.

Quum impiorum euanidus ſplendor nihil aliud ſit quàm idolum & inanitas, meritò ſumus coarguendi qui de nihilo nobis phantaſmata concipimus.

Etſi nunquam res in mundo compoſitæ cernuntur vt optandum foret: quoties tamen Deus manum ſuam contra impios exerit, illucet quædam aurora, ne denſior caligo nos ſopore occupet.

21 Quo magis perſuaſum eſt fidelibus Deum eſſe mundi iudicem, eò magis excandeſcunt vbi non reſpondet eorum votis.

22 Quoties non placebit nobis Dei ratio in mundi gubernatione, id fit ſenſus noſtri ſtupore & prauitate: cæleſtiſque ſapientiæ reſpectu ſumus quaſi iumenta.

23 Qui ſe à Deo negligi fingit, non eſt apud Deum, proprio ſenſu: ſed occulta Dei gratia apud eum manet, quoniam nõ deſeritur. At propinquus eſt Deus electis ſuis: quia licet tergum obuertant, eos tamen paterno ſemper intuitu proſequitur.

Pretioſa Deo eſt ſalus noſtra. nã dum procul ab ipſo vagamur, ſollicitè tamen nos reſpicit, manúmque extendit ad nos colligendos.

24 Deus poſtquam ſuo ſpiritu per verbum loquente ſuos in viam ſemel reduxit, poſthac etiam regere pergit, donec tandem in gloriam ſuam eos ſuſcipiat.

25 Ita vt par eſt in Dei ſanctuario profecerũt fideles, quum ipſo vno contenti, quæcunque ſe præter ipſum offerunt, reijciunt. Et hæc vna eſt quærendi inueniendiq; Dei ratio, vbi non abſtrahimur per varios circuitus, ſed exuti omni ſuperſtitione & ſuperbia, ad Deum vnum nos rectà conferimus.

26 A Deo ſeparati nihil ſumus: ſed ad eum accedẽtes reperimus illic plenam fortitudinem: nam vnus ipſe nobis abundè ſufficit, & in eo perfecta noſtra conſiſtit felicitas.

27 Simulac à Deo quiſpiã diſcedit, horribilis ipſum interitus manet. Diſcedũt autẽ omnes qui ſpes ſuas variè partiuntur & diſſipãt.

Quum mentis noſtræ caſtitas in fide, inuocatione Dei, cordis integritate, & verbi obedientia cõſiſtat, ſequitur omnes apoſtatas, id eſt, infideles, ſuperſtitioſos, profanos & impios, eſſe ſpirituales adulteros.

28 Dũ impios & infideles videmus vagis erroribus à Deo alienari, noſtrũ eſt ſub Dei manu ſemper manere, vt ab eo pendeamus, & ſacram cum eo coniunctionem colamus. Nec ille nos retinebit niſi perſuaſi ſimus non aliter quàm eius gratia nos ſaluos ſtare.

Illi vere Deo benedicunt, qui nebulis humanæ ſapientiæ diſcuſſis, perſpecta Dei prouidentia, eius fidei tutelæq; ſe permittunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De lucta carnis & ſpiritus in rerum humanarum conſideratione.
2. De prouidentia Dei, impios ad tempus ferentis, pios exercentis.
3. Impiorum ſuperbiâ tumidorum deſcriptio.
4. Piorum exercitia ſpiritualia.
5. Verbi Dei, de piorum & impiorum finibus determinantis vtilitas.
6. Impiorum felicitas vmbratilis & euanida.
7. Prouidentiæ Dei ignoratio, ſtuporis bellnini mater.
8. Adminiſtrationis gratioſæ Dei meditatio iucundiſſima.
9. Conſcientiæ pax & ſecuritas in Dei protectione & laude conſiſtit.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIIII.

PSALMVS hic precatio eſt contra hoſtes & perſequutores eccleſiæ, qui paßim in populo Dei templa & ſcholas vaſtant, & miniſterium doctrinæ abolent, reſtitutis idolis & cultu diuino profanato: ſicut hoc tempore Turcæ & Pontificij magnas vaſtationes efficiunt, & paßim templa & ſcholas delent, pióſque omnes crudeliter trucidant, vt ſuos idololatricos cultus & doctrinam blaſphemam in filium Dei ſtabiliant. Apparet autem Aſaphum, cùm hunc Pſalmum ſcriberet, ſpiritu prophetico præuidiſſe illam horribilem vaſtationem, & templi profanationem, quæ ſequutura erat poſt multos annos, quando vel rex Babylonicus templum Hieroſolymitarum funditus euertit, vel Antiochus alterum illud, quod à reditu populi extructum erat, horribiliter profanauit, collocato ibi idolo, & ſacrificijs Moſaicis ethnica idololatria pollutis & profanatis. Ita enim de templi vaſtatione loquitur Aſaph, vt quaſi coram ſpectator eſſe furoris & crudelitatis hoſtium videatur. Niſi forte dicere velimus alium fuiſſe Aſaph, qui eo ipſo tempore, cùm has calamitates ſentirent, Pſalmum compoſuerit. Id enim quoſdam interpretes velle video. Eam igitur calamitatem ſuæ gentis multis verbis in hoc Pſalmo deplorat, ac petit vt Deus miſertus ſui populi, tandem opem rebus afflictis & deſperatis afferat. Hæc ſumma eſt Pſalmi.

Argumenta verò quibus perſuadere Deo conatur vt patrocinium ſuorum ſuſcipiat, diligenter conſideranda ſunt, vt nos in quotidianis precibus, his vti diſcamus. Sunt autem hæc ferè. Primùm, fœdus allegat, quod cum hoc

populo

populo ita iniit Deus, vt eum ſibi vellet eſſe peculium & hæreditatem, eique receperat ſe perpetuò fore defenſorem & patronum. Secundum *argumentum ſumitur ab immanitate & crudelitate hoſtium, qui nulla reuerentia numinis diuini tangantur, vt ſacratiſſimo templo parcant, aut ab impia profanatione abſtineant.* Tertium & quartum *ſumpta ſunt à magnitudine calamitatum & dolorum, quos afferebat piis non tantùm præſentium malorum conſpectus & ſenſus, ſed etiam futurorum metus: cùm nullum his malis finem perſpicerent, nec propheta amplius eſſet, qui de voluntate aut decreto diuino populum commonefaceret.* Quintum *argumentum ſumptum eſt à blaſphemis vocibus hoſtium, quibus ſacrum nomen Dei ſcelerate polluebant & contumelia afficiebant.* Sextum *argumentum ſumptum eſt à prioribus miraculis & beneficiis, quæ Deus huic populo in prima eductione ex Ægypto, & poſtea in aſſidua conſeruatione eius benignè præſtiterat. Ea in memoriam Deo reuocat, vt horum recordatione eum promptiorem ad opem ferendam reddat.* Septimò, *repetit blaſphemias hoſtium, & rurſus oſtenſa calamitatum magnitudine, quibus populus premebatur, fœderis mentionem facit, in quo ſe huic populo peculiariter ad aſſiduã defenſionem & protectionem Deus obſtrinxerat.* Octauò, *ſpẽ & expectationem pioru allegat, quæ ne fruſtrentur pij petit, vt quàm primum ipſorum ſpei ſatisfaciat.* Nonò, *gratitudinem piorum pollicetur in celebranda liberatione & cæteris beneficiis diuinis.* Decimum *& poſtremum argumentum ſumptum eſt ab ipſa cauſa. Affirmat enim, non tam populi quàm Dei hanc cauſam eſſe, cuius doctrinam & cultum abolere atque euertere hoſtes conentur. Petit igitur vt ipſe ſuæ cauſæ patrocinium ſuſcipiat, & doctrinam ac cultum à ſe inſtitutum aſſerat, atque à profanatione & corruptelis defendat. Iterum autem in fine blaſphemiarum & contumeliarum, quibus nomen Dei inceſſebant hoſtes, meminit, vt Deum magis vrgeat & faciliùs ad arma contra hoſtes expedienda commoueat. Cùm enim ſanctus ſit Deus, nequaquam ferre diu poteſt contumeliam ſibi fieri, aut nomen ſuum ab idololatris profanari. De hac igitur re diligenter eum commonefacit.*

Eruditiuum Aſaph.

De Titulo משכיל dictum eſt ſuprà Pſal.32.42.& 45.

1 Vt quid Deus repuliſti [*repudiaſti*] in finem: fumat ira tua in gregem paſcui tui?

Exordium eſt patheticum: queritur enim, & quaſi familiariter cum Deo expoſtulat de mora auxilij, & magnitudine calamitatum. Tales querelæ & expoſtulationes crebræ ſunt in Pſalmis & precibus ſanctorum. Nec exiſtimandum eſt, Deum etiamſi ex carnis ſenſu plerunque tales voces proficiſcantur, iis offendi, ſi fides adſit & vincat. Eſt enim vis, ſicut Tertullianus alicubi inquit, quæ Deo grata eſt, & quam vult ſibi in precibus adhiberi.

Quare nos repuliſti?] Quaſi dicat, cùm ſis ita bonus & fidelis erga tuos, potéſne ita obliuiſci tui fœderis, tuæ promiſſionis aut populi tui, vt nos ita deſeras & hoſtibus laniandos obiicias? idque non ad tempus tantùm, aut vt ad paucos hæc calamitas redeat: ſed *in finem*, id eſt, prorſus, ita vt omnes ſimul iiſdem periculis & calamitatibus inuoluantur, & nullus finis malorum conſpiciatur? Vtrumque enim complectitur vox נצח moram ſcilicet, & multitudinem eorum ad quos periculum pertingat. Eſt autem obſeruandum, quòd calamitates non tam hoſtium libidini & furori, quàm Deo iraſcenti ac manum ſuam ſubtrahenti adſcribant pij. Ita enim loquuntur, vt à Deo potiùs quàm ab hoſtibus illas plagas infligi affirment. Sciebant enim non niſi Deo infenſo tantum licentiæ contra ſe permitti profanis gentibus. Itaque ſtatuunt non temerè has calamitates ſibi infligi: ſed iuſto Dei iudicio. Quæ cogitatio & patientiam in animis piorum gignit, eóſque ad inuocationem & ſpem auxilij exuſcitat. Cùm enim cogitamus nos propter peccata noſtra à Deo affligi, & iudicium Dei eſſe iuſtum, præparamus animos noſtros ad obedientiam & patientiam: & quia Deum ſcimus eſſe miſericordem & veracem in ſeruandis ſuis promiſſis, eo maiore fiducia ad eum accedimus & opem imploramus. Quorum neutrum illi facere poſſunt, qui vel caſu publicas calamitates accidere exiſtimant, vel Deum tanquam iniuſtum & crudelem iudicem in pœnis accuſant.

Fumat ira vel naſus tuus] Id eſt, grauiter excandeſcis & cõmoueris. Metonymica eſt locutio. Qui enim vehementer commouentur, illi fortiùs ſpirant & fumum efflant ex naribus, idque non tantùm hominibus, ſed brutis quoque animalibus accidit: vt in bobus, equis, vrſis, &c. videre eſt. Phraſis igitur ſumpta eſt à geſtu eorum qui commoti vehementiùs ſpirant: eſtque illa non tantùm Hebræis, ſed Græcis quoque vſitata, vt cùm Xenophon de Thebanis ſcribit quòd ignem ſpirent.

In oues paſcui] Querelæ aſpergit argumentum à fœdere ſumptum, quod verſu ſequente & deinceps verſu 19 & 20 repetit copioſiùs. Reuocat enim Deo in memoriam illud fœdus quo fuerant Iſraelitæ in filios adoptati, vt huius mentione eum ad opem ferendam flectat. eſtque hoc argumentum ſumptum ab honeſto. Etiamſi nos peccata multa & varia habemus, quibus iuſtè ſuccenſes: ſumus tamen oues paſcui tui, id eſt, ſumus à te adoptati & electi, atque hac electione gratuita ab omnibus gentibus ſegregati: cuius rei ſignum certiſſimum & ſymbolum hoc eſt, quòd eiectis gentibus nos in hanc terram collocaſti, in qua hactenus nos mirabiliter aluiſti & defendiſti. Hoc igitur eſt quod dicit, Oues paſcui tui.

2 Recordare congregationis tuæ [*quam*] poſſediſti multò antè [*pridem quam*] redemiſti: virgæ hæreditatis tuæ, montis Sion iſtius in quo habitas.

Querelæ ſubiicit petitionem, quæ eſt propoſitio pſalmi, vt opem ferat. Atque hîc iam argumentum illud à fœdere ſumptum explicat copioſiùs. Primùm inquit, recordare congregationis tuæ, id eſt, cœtus ſeu populi tui quem tibi ſelegiſti, deſtinata ei certa ſede & loco, in quo habitaret, vbi te agnoſceret & coleret, vbi teſtaretur de iis quæ diuina voce ſibi tradita & commiſſa ſunt. Id enim propriè ſignificat עדה. Itaque ſi peccatis noſtris offenſus iram remittere non vis, & ſi nos digni ſumus in quos grauiter animaduertas: tu tamen potiùs ad promiſſionum tuarum veritatem quàm ad nos reſpice.

Quam acquiſiuiſti ab olim] Obiter aſpergit etiam argumentum à tempore ſumptum. Non nuper, inquit, venimus in hãc poſſeſſionem hæreditatis, ſed ante multa ſecula nos adoptaſti & mirabiliter hactenus ſeruaſti ac defendiſti. Addit deinde, *quam redemiſti*: quo verbo reſpicit propheta ad illam inſignem liberationem ex ſeruitute Ægyptiaca, qua fœdus illud adoptionis olim cum Abrahamo initum, fuit ſancitum & ſtabilitum. Illa verò redemptio præludium & typus fuit illius æternæ redemptionis, quam Chriſtus ſua morte & ſanguine peperit & inuenit, ſicut autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 9. loquitur. Vtrunque igitur beneficium verbo גאל complectitur: & Deum commonefacit, vt qui tanta hactenus præſtiterit, & tantis in rebus amorem ſuum erga hunc populum declararit, deinceps quoque eum amare & tueri non deſinat. Pergit deinde in commemoratione fœderis, & populum quem antea congregationem ſeu cœtum Dei dixerat, nunc nominat virgam hæreditatis Dei, id eſt, hæreditatem, quam Deus ſibi dimenſus ſit, & quaſi peculium acquiſiuerit. Solebant enim agros perticis ſeu funiculis terminare & diſtribuere, ſicut & nos Germani in diſtributione agrorum mẽſuram ſumimus à virga ſeu pertica certæ longitudinis, quam vocamus *ein Ruten*, Latini decempedam à numero pedum. Hinc igitur ſumpta eſt illa phraſis, cùm terram promiſſam patribus & poſteris traditam nominat virgam hæreditatis Dei. Eſtque & metonymia & metaphora in oratione. *Virga* enim *hæreditatis* ſignificat hæreditatem virgis menſuratam, figura ſumpta à geodetis. Populus autem Dei dicitur hæreditas Dei μεταφορικῶς. Alij nomen שבט maluit vertere tribum, quæ tamen ipſa quoque appellatio figurata eſt. Tribus enim שבט Hebræis dicitur, quòd vt baculus ſeu virga ex trunco enaſcitur: ita tribus ex vno quaſi ſtipite communi oriantur. Nam duodecim tribus gentis Iudaicæ ex vno patre Iacob, tanquam ex trunco ſeu ſtipite ortum habebant. Retineo igitur priorem interpretationem, quæ gignit ſententiam magis concinnam. Pingit enim Deum tanquam decempedam, aut decempedatorem Iſraelem ſibi in proprium fundum diſtinguere à reliquis gentibus. Et congruit hæc ſententia cum illa Pſalmi 16. Funes ceciderunt mihi in amœnis, ſcilicet locis, etiam hæreditas pulchra eſt mihi.

Montis Sion iſtius in quo habitas] Poſtremò loco tẽpli quoq; facit mentionem, in quo ſe habitaturum promiſerat Deus, vt eius promiſſionis memor, tandem ſuæ doctrinæ & ſui cultus, quem ad illum locum inſtituerat, patrocinium ſuſci-

piat,ne doctrina aut cultus Dei prorſus aboleatur. Dicit autem Deum habitare in illo monte aut templo, non quòd eſſentia Dei in loco aliquo includi poſſit(eſt enim infinita)ſed quia ſe huic loco peculiari verbo & patefactione alligarat, & pij eius virtutem & gratiam illic ſibi præſentem eſſe ſentiebant.

3 Eleua plantas tuas ad præcipitia [*vaſtationes*] perpetuò [*id eſt, perpetua*:] omnia afflixit inimicus in ſanctuario.

Hæc altera pars eſt precationis. Non enim populum Dei tantùm defendi petit, ſed hoſtes quoque euerti & in nihilum redigi. Solent enim illa duo membra plerumque coniungi. Leuare pedes ſeu greſſus, ſignificat animo forti hoſtibus ac vaſtatoribus ire obuiam, ſéque eorum furori opponere.

פעם ſignificat pulſare per vices & concutere. Inde nomen ſignificat primò incudem, deinde plantam pedis, quæ pulſat terram, ſeu veſtigium, quod non imprimitur ſine pedis ſupploſione: ſignificat & ipſum ictum ſeu percutiendi actum: ideo nonnulli ſimpliciter reddiderunt, Eleua percuſſiones, id eſt, percute ſeu profliga, phraſi ſumpta à geſtu percutientiũ, qui brachia ſeu manus eleuant percuſſuri.

Ad præcipitia omnino] Id eſt, vt omnino præcipites & deiicias eos in profundas voragines, ne emergere rurſus aut efferre ſe contra te poſſint.

Omnia afflixit hoſtis in ſanctuario] Addit rationem ſeu querelam ab immanitate atque impietate hoſtium. Eſtque hoc ſecundum argumentum, vt ſuprà dictum eſt, quod in ſequentibus verſibus explicat copioſiùs. Ideo, inquit, perdas hoſtes, quia tanta eſt horum rabies & impietas, vt ne quidem ſanctario tuo pepercerint, ſed crudeliter vaſtarint, diſiecerint & profanarint. Sanctuarium Dei nominat templum illud Hieroſolymitarum quod Deus peculiari teſtimonio ſuo cultui deſtinarat, in quo agnoſci & coli volebat. Nonnulli membrum hoc ita interpretantur: præcipita omnem, qui affligit hoſtem in ſanctuario.

4 Rugierunt aduerſarij tui in medio templi tui: poſuerunt ſigna ſua ſigna.

5 Cognoſcitur [*apparet*] tanquam adducens ſupernè in condenſum ligni [*perplexitatem ligni*] ſecures.

6 Et nunc ſculpturas eius ſimul bipenni & malleis confringunt.

7 Miſerunt in ignem ſanctuarium tuum: ad terram polluerunt domicilium nominis tui.

8 Dixerunt in corde ſuo: populemur [*deprædemur, vaſtemus*] eos pariter: incendunt omnia tabernacula Dei in terra.

Hi quinque verſus ἐξήγησις ſunt ſuperioris membri, ſeu querelæ de immanitate & crudelitate hoſtium per diſtributionem, qua illam querelam exaggerat.

Primùm comparat hoſtes leonibus, vt truculentiam ipſorum atque immanitatem, quam in ipſis Dei ſanctuariis exercuerint, depingat. Fuit enim barbara feritas non parcere loco ſacro & religioſo. Pro שאגו Græcus habet ἐνεκαυχήσαντο. מועד hic ſignificat certum locum, ad quem homines conueniũt religionis & cultus diuini gratia. Sic igitur nominat primùm ipſum tẽplum, quod erat Hieroſolymis: poſtea etiam ſcholas & ſynagogas in cæteris oppidis, in quibus conueniebant Iudæi ad diſcendam doctrinam de Deo & ad inuocationem nominis diuini, vt infra videbimus verſu 8.

Poſuerunt ſigna ſua ſigna] Ingeminatio eiuſdem vocis auget indignitatem rei. Alij reddunt ſigna ſua pro ſignis, id eſt, euerſis pietatis inſignibus, alia in templum & ſcholas intulerunt ſigna ſacrilega, quibus hæc loca ſacra polluerunt & profanarunt: vt cùm Antiochus idolum Iouis Olympij in templum intulit & adorari iuſſit. Alij de magicis diuinationibus ſigna interpretantur, quibus vſum fuiſſe Nebucadnezarem teſtatur Ezech. cap. 21.

Cognitus eſt(ſcilicet impius hoſtis)*tanquam adducens ſupernè in perplexitatem ligni ſecures. Et nunc ſculpturas eius ſimul bipenni & clauis confringunt.*

Exaggerat hoſtium crudelitatem à circunſtantia: quòd ædificium templi tanto ſumptu extructum, tanta elegantia & ſplendore ornatum, tanta induſtria atque arte expolitum immaniter diſiecerint, atque euerterint. Eſtque hypotypoſis in his verſibus. Pingit enim hoſtes magna vi confringentes & deiicientes altaria & parietes templorum, non aliter ac ſi quis in ſyluis magnas arbores ſecuri deiiciat. Eſt enim ſimilitudo in oratione, quod ex litera כ quæ verbo מביא adiicitur, colligi poteſt. Nec opus eſt illa coacta ſeu arguta interpretatione eorum qui participium מביא pro offerente Deo ſacrificium exponunt.

Perplexitatem ligni nominat arbores denſas in ſyluis ob perplexitatem ramorum. Sicut autem arbores in ſyluis ſecuri cæduntur: ita hoſtis, inquit, cædit & diſiicit ædificia templi, quod tuo nomini conſecratum eſt. Tanta eſt eius impietas, profanitas & crudelitas: vt non alio loco hoc ſacratiſſimum templum habeat quàm arbores in ſyluis.

Et nunc ſculptura] Alia eſt amplificatio ſceleris à forma ædificij, & artificio inſigni, cui meritò, ſi religione non tangeretur, parcere debebat. Nam etiam barbari hoſtes interdum elegantioribus ædificiis propter artem parcere ſolent. Demetrius, cùm tabulam à Protogene pictam in ſuburbio Rhodiorum cepiſſet, rogatus à Rhodiis, vt arti parceret, ne tabulam corrumperet, reſpondit τὰς τῶ πατρὸς εἰκόνας ἐμπρῆσαι μᾶλλον ἢ τέχνης πόνον τοσοῦτον. Superauit igitur horum hoſtium feritas aliorum barbariem, qui ædificium tanta arte exſculptum atq; expolitum crudeliter deiecerunt.

Miſerunt in ignem ſanctuarium tuum, ad terram polluerunt domicilium nominis tui.] Subinde creſcit oratio, qua crudelitatẽ hoſtium depingit. Cùm igitur dixiſſet, hoſtes intus omnia eleganter & artificioſè fabrefacta malleis & bipennibus confregiſſe ac diſieciſſe, addit totum poſtea ædificium igne iniecto conſumptum eſſe, & ita horribili profanatione atque impietate pollutum eſſe. Polluere ad terram, ſignificat polluendo ad terram deiicere.

Dixerunt in corde ſuo &c] Vt magis exprimat hoſtium impietatem ac rabiem, etiam conſilia & ſermonem eorum recenſet, quo ſe mutuò cohortati ſunt, ſibíque mutuò ſtimulos addiderunt, ne quenquam ſegnities aut metus impediret aut ab inſtituto auerteret.

Vaſtabimus eos ſimul] Id eſt, omnes ſine exceptione perdamus, nec patiamur quenquam euadere &c. Si relatiuum non ad homines, ſed ad ædificia referre placet, licebit vertere, vaſtabimus ea ſcilicet ædificia, tẽpla, ſcholas, &c. Verbũ נינם futurum eſt à ינה & grammaticè debebat ſcribi נינם, vt monet Maſoreth.

Omnia tabernacula] Id eſt, omnes ſcholas & ſynagogas quæ paſſim in oppidis erant conſtitutæ. Habebant enim Iudæi paſſim in vrbibus ſuas ſcholas, in quibus conueniebant ad legendos & enarrandos prophetas, ad explicandã doctrinam traditam in ſcriptis prophetarum, ad cohortandos atque excitandos auditores ad ſtudium pietatis, & ad inuocandum nomen Dei. Oſtendit igitur quantum odium doctrinæ & nominis diuini fuerit in hoſtibus, qui nullum locum, in quo doctrina de Deo ſonaret, integrum aut intactum reliquerũt. Hæc hiſtoria euerſionis templi deſcribitur copioſè 2. lib. Regum vlt. cap. & in hiſt. Maccab.

9 Signa noſtra non videmus, non eſt ampliùs propheta: & non eſt nobiſcum, qui cognoſcat vſquequo?

Alia querela eſt à magnitudine calamitatum & dolorum, qui inde oriuntur quòd careant ſuis vſitatis ſignis, nimirum, voce prophetarum, doctrina, vaticiniis, reſponſis Dei per Vrim & Tummim, quibus de exitu & fine horum malorum admoneantur. Atque hæc rectè congruunt ad tempora Antiochi. Eo enim tempore ceſſarant prophetiæ, nec erant qui de euentu Iudæos docere poſſent. Fortaſſis etiam tempore Chaldæorum ad tempus iuſſi ſunt prophetæ ſilere. De hac igitur calamitate queruntur, quòd nullum videant finem horum malorum, nec diuinitus ampliùs de his rebus admoneantur. Id verò dolorem ipſorum auxit vehementer.

Signa interpretantur miracula, quibus Deus teſtari ſolebat ſe huic populo fore propitium: ſemper enim in magnis calamitatibus huius populi edebat Deus inſigne aliquod teſtimonium ſuæ præſentiæ & fauoris erga ipſos: ſicut hiſtoriæ iſtius gentis vſque ad illud excidium, quod hîc deplorat, oſtendunt. Ego verò ſigna intelligo non tantùm illa miracula inuſitata & rara: ſed alia quæcunque etiam magis familiaria & quotidiana, ex quibus Iudæi cognoſcere præſentiã & fauorem Dei poterant, vt quòd reſponſa crebrò dabat per Vrim & Tummim: & de propitiatorio: quódque per verbum & miniſterium doctrinæ & cultuum externorum teſtabatur de ſua voluntate erga hunc populum. Nam templo euerſo & ſcholis paſſim vaſtatis, iam conticuerat publica doctrina, & ceſſabant cultus voce diuina inſtituti. Cùm igitur ampliùs publicè nec docerentur de Deo, nec offerrent ſacrificia, verè dicunt pij ſibi ablata eſſe ſigna gratiæ. Sacrificia enim, quia typi erant venturæ victimæ, quæ deletura erat peccatum & mortem, inprimis erant ſigna, quæ teſtabantur Deum omnes ad ſe confugientes propter illam victimam recipere in gratiam, eóſque amare & tueri.

Non

Non eſt propheta] qui ſcilicet futuram liberationem promittat: vt antehac in publicis calamitatibus fieri ſolebat: aut qui animos noſtros in iſto publico luctu confirmet & conſoletur. Non queruntur nullum eſſe ducem, qui bellum adminiſtret. Nam doctrina cœleſti carere multò maior eſt calamitas quàm deſtitui ducibus idoneis.

Qui cognoſcat vſquequo] Id eſt, qui dicere nobis queat, quãdo tandem finis horum malorum ſit futurus.

10 Vſquequo Deus exprobrabit aduerſarius? contumelia afficiet hoſtis nomen tuum perpetuò?

Quintum argumentum, vt antea monuimus, ſumitur à blaſphemis vocibus & conuitiis, quibus nomen diuinum ab hoſtibus proſcindebatur, quaſi non eſſet verus Deus hactenus à Iudæis celebratus, vtpote qui ſuos cultores defendere aut liberare non poſſet. Solent enim tales voces contumelioſæ in Deum edi ab hoſtibus, quoties pij videntur negligi in ſuis calamitatibus & ærumnis, ſicut Rabſaces 2. Reg. 18. Nolite audire, inquit, Ezechiam qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij gentium terram ſuam de manu regis Aſſyrij; vbi eſt Deus Emath & Arphad? Vbi illi ſunt in vniuerſis diis terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, vt poſſit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea? Et Cicero pro Flacco inquit, Ipſas calamitates Iudęorum dicere teſtimonium contra eos quòd non ſint chari Deo. Meminimus & noſtra ętate tales voces exauditas eſſe non tantùm à Turcis, ſed etiam à Pontificiis. Quàm multi enim ſunt qui calamitatem belli, quod geſtum eſt anno 1547. publicis ſcriptis nobis exprobrant, atque ex eo oſtendere conantur religionem & doctrinam quam profitemur, eſſe impiam & commentitiã. Promiſit autem Deus ſe ad vindicandam gloriam nominis ſui tandem opitulaturum eſſe eccleſiæ ſuæ, ſicut dicitur Ieſa. 48. Propter me, propter me faciã ne blaſphemer. Ideo petit propheta ne patiatur Deus nomen ſuum perpetuis probris & conuitiis proſcindi, ſed oſtendat tandem ſe gloriæ nominis ſui eſſe vindicem. Simul etiam pium ſuum zelum oſtendit propheta, dum affirmat ſe magis vri ac torqueri contumelia nominis diuini, quàm ipſo ſenſu calamitatum: talis eſſe affectus in omnibus piis debet.

Vſquequo exprobrabit] Id eſt, quouſque feres vt hoſtis ita impune conuitium dicat nomini tuo? an non vindicabis tandem, & aſſeres gloriam tuam ab hoſtibus? Nimis profectò es patiens, qui tamdiu conniuere ad tanta ſcelera poſſis.

Perpetuò] Id eſt, ſine intermiſſione, ſine fine & modo: ita vt impunitas illorum audaciam & furorem magis confirmet.

11. Quare auertis manum tuam, & [*quidem*] dexteram tuam, è medio ſinus tui omnino?

Alia eſt querela, congruens cum exordio pſalmi, in qua queritur, Deum, populum ſuum, quem antea ſuauiter in ſinu ſuo fouerat, non aliter vt mater infantem, nunc reductis brachiis & manibus permiſiſſe vt ex ſinu ſuo collapſus in horrendas calamitates & miſerias inciderit, ex quibus niſi retrahatur, perire eum neceſſe ſit.

Auertere manum è medio ſinus ſui, eſt reductis aut remiſſis manibus non ampliùs complecti aut fouere id quod antea in ſinu geſtabas. Idem igitur dicit, quod antea in exordio: Deus quare nos abiecisti omnino?

Et dexteram) Id eſt, & quidem dextram, quæ ſcilicet ſymbolum fidei eſt, nec facilè receptos in ſuam tutelam deſerere vel abiicere ſolet. Habet enim dextera manus apud Hebręos nomen à fide, quòd fidei ſit conſecrata.

כלה Imperatiuus commodiſſimè exponitur aduerbialiter per omnino, vel prorſus: quaſi diceret, Ita vt nulla parte manus tuæ, ſeu digito extremo nos ruentes apprehendas. Sic Græci reddiderunt εἰς τέλος, quod alibi illis idem eſt, quod Hebręis לנצח. Et occurrunt ſimilia exempla, in quibus imperatiua vſurpantur aduerbialiter, vt Exodi 1. Da ſapientiores ſimus illo, pro Eia, agite. Significat propriè verbum Hebræum conſumere. Quæ autem conſumuntur, ea omnino deficiunt. Itaque poteſt etiam in infinitiuo exponi cõſumendo, id eſt, ita vt prorſus nos conſumas vel aboleas. Atq. hanc interpretationẽ iudico eſſe ſimpliciſſimã: cæteras tanquam peregrinas & à mente prophetæ alienas lubens omitto. Flacius alicubi ſic interpretatur, E medio ſinus tui conſume dexteram, id eſt, perfectè educito & extende ad nos liberandos, qui ſcilicet hactenus quaſi otioſus fuiſti ſpectator. Nã habere manum in ſinu, eſt otiari.

12 Deus autem rex meus ab olim: operans ſalutes in medio terræ.

Sextum argumentum ſumptum eſt à præteritis beneficiis huic populo collatis. Ea in memoriam reuocat Deo, vt horũ commemoratione eum excitet ad continuanda illa beneficia inchoata.

Tu es rex meus ab olim] Qui ſcilicet me regendum, defendendum & tuendum initio ſuſcepiſti, vt tua tutela & patrocinio ſaluus & incolumis eſſem. Eum igitur te nunc quoque præſta, vt conſpiciatur, te tuæ fidei commiſſos non deſerere aut negligere. Græcus mutata perſona legit, rex noſter.

Operans ſalutes] Id eſt, mirabiliter protegens, ſeruans, defendens & liberans hunc populum inter varia pericula & ærumnas. *In medio terræ*, id eſt, in loco conſpicuo, ita vt ab omnibus conſpici, & agnoſci hæc tua beneficia tanquam in illuſtri theatro poſita, poſſent. Quæ enim in angulis aut latebris geruntur, non ab omnibus cõſpiciuntur aut intelliguntur. Ita Exod. 8. dicitur Pharaoni: Ego cognoſcar in medio terræ, id eſt, ita agam cum Pharaone vt omnes incolæ huius regni meam manum & potentiam agnoſcant.

13 Tu diſiecisti [*fregiſti*] in robore tuo mare: contriuiſti capita draconum ſuper aquas.

14 Tu confregiſti caput Leuiathan: poſuiſti eum eſcam populi qui incolit deſerta.

Confirmat priorem ſententiam ab exemplis, quibus Deus oſtendit ſe huius populi regem & tutorem eſſe. Eſtque hoc primum exemplum maximè illuſtre. Reſpicit enim propheta ad illam primam liberationem populi Iſraelitici ex Ægypto, in qua Deus illuſtri teſtimonio & miraculo oſtendit ſe huius populi curam & patrocinium ſuſcepiſſe.

Dracones nominat principes & proceres regni Ægyptiaci, qui erant in exercitu Pharaonis, hóſque ita à truculentia & ſæuitia, quam exercuerunt in Iſraelitas, appellat. Leuiathan videtur metaphoricôs nominare ipſum regem Pharaonem. Vt enim immanes balenæ ſeu grandia cete latrocinia exercent in mari: Ita ille graſſabatur & tyrannidem exercebat in terra. Eſtque venuſta & conueniens metaphora in his vocibus. Quia regnum Ægypti alluit mare, & Nilus alit multas beluas.

Poſuiſti eum eſcam] Perſiſtit in metaphora inſtituta. Vt enim eiecta balena aut grandiore piſce in littus vicini accolæ accurrunt, & cibos ex piſce diſſecto domum reportãt: Ita, inquit, Pharaone cum exercitu deleto, atque in littus eiecto, ſuauiter hoc cibo recreatos fuiſſe incolas deſerti, ſic nominans vel Iſraelitas vagantes poſtea per annos 40. in deſerto, vel Æthiopes habitantes in locis deſertis & aridis: non quòd humanis carnibus aut cadaueribus illi veſcerentur, ſed quòd metu tyrannidis Ægyptiorum liberati, interitu ipſorum tanquam ſuaui edulio delectarentur, aut etiam, quod Baſilius alicubi monet, regnum vacuum ac defenſoribus deſtitutum inuaderent, opibúſque ab aliis partis fruerentur. De voce ציים dictum eſt ſupra Pſal. 72. Alij populos deſerti interpretantur feras & aues.

15 Tu ſcidiſti fontem & torrentem: tu ſiccaſti fluuios vehementiæ [*id eſt, magno impetu fluentes ſeu rapidos.*]

Allegat alia duo exempla, quæ ipſa quoque teſtimonia illuſtria fuerunt amoris Dei & curæ quam gerebat pro hoc populo. Prior hiſtoria deſcribitur, Exodi 18. & Num. 20. Cùm enim Iſraelitę vagarentur in deſerto ac ſiti premerentur, iuſſit Dominus percuti petram virga Moſis, atque inde eduxit flumina aquarum, quæ potum præbuerunt ſitientibus. Altera de exſiccato Iordane, cùm filij Iſrael ſicco pede tranſirent, exponitur Ioſ. 3. Nec opus eſt longiore explicatione.

איתן ſignificat vehementiam, & hoc loco intelligitur de impetu fluuij decurrentis magna vi. Græcus nomen proprium eſſe exiſtimat, quod eſt alienum ab hiſtoria ſacra & mente prophetæ.

Recitat autem propheta duo tantùm aut tria exempla ex veteribus hiſtoriis repetita, ſub quibus reliqua omnia συνεκδοχικῶς comprehendit. Alij hunc verſum in genere de omnibus fluuiis atque horum perennitate intelligunt. Eſt enim illa productio & perennitas fluuiorum ſingulare teſtimonium prouidentiæ Dei. Et qui ſic interpretantur, exiſtimant hunc verſum coniungendum eſſe cum duobus ſequentibus, in quibus non de ſpeciali aliquo beneficio eccleſiæ ſeu populo Dei exhibito, ſed de generali prouidentia Dei concionatur.

16 Tuus eſt dies: etiam tua eſt nox: tu firmaſti lucem & ſolem.

17 Tu conſtituiſti omnes terminos terræ: æſtatem & hyemem tu formaſti.

Pertinent hi duo verſus, vt dixi, ad generalem prouidentiã Dei commendandam: nec tantùm de præteritis benefi-

ciis nunc agit: ſed etiam illa quæ quotidie in oculos incurrunt, & quæ communia ſunt omnibus commemorat. Etſi enim illa beneficia, de quibus loquitur, publicè omnibus propoſita ſunt, & communiter omnes his fruuntur: ſoli tamen pij in eccleſia agnoſcunt illa beneficia diuinitus dari, & teſtimonia eſſe prouidentiæ & amoris Dei erga ſuos. Sicut enim propter eccleſiam ſeruatur genus humanum: ita & illa communia beneficia quibus omnes promiſcuè fruuntur, ſciunt propter eccleſiam dari. Non minus igitur horum cōſideratione fides piorum cōfirmatur, quam illis ſpecialibus, quæ propria ſunt eccleſiæ. Simul etiam à facili argumentatur: Cùm talia præſtes quotidiè, quanto faciliùs potes nos liberare?

Tuus eſt dies, & tua eſt nox] Id eſt, tu efficis gratiſſimas vices temporum, & hominum naturæ accommodatiſſimas. Facis enim vt diei ſuccedat nox, vt homines à labore recreentur & quieſcant, & terra à diurno ſole exhauſta ſeſe recolligat, &c. Non enim temere extiterunt illæ vices dierum & noctium: ſed tu hunc ordinem inſtituiſti.

Tu firmaſti lucem] Hoc addit rationis loco, vt oſtendat quæ res efficiat illam viciſſitudinem dierum & noctium. Ideo enim, inquit, tu præparaſti lucem, & qui eius quaſi vehiculum eſt, ſolem, vt lucem interdiu adminiſtret. Verbum הכינות non ſatis commodè vno verbo Latino reddi poteſt. Itaque hac periphraſi exprimas licet, ita paraſti vt ſit firmus, ſtabilis & perpetuus ordo illius motus. Propriè enim ſignificat firmare ſeu ſtabilire. Nonnulli lucem interpretantur Lunam.

Tu fixiſti omnes terminos terræ] Id eſt, tu certū ſpatium terræ hominibus habitandum attribuiſti, ídque ita certis quaſi terminis fixis muniuiſti, ne aquæ ſuis fluctibus obruant terrā. Alij de ſpecialibus terminis intelligunt, quibus ſingulæ regiones diſtinctæ ſunt: hos terminos dicunt figi à Deo, dum ſingulis gentibus ſuam habitationem attribuit, & coercet cupiditates multorum, ne hos terminos præfixos tranſgrediantur, aut tyrannide ſua omnia loca compleant.

Aeſtatem & hyemem formaſti] Id eſt, tu efficis vices æſtatis & hyemis: qua in re oſtendis quàm benignè hominum neceſſitatibus proſpicias. Qui igitur tam variis argumētis & ſignis amorem tuum erga genus humanum oſtendis: quomodo potes ſalutem populi tui electi negligere aut curam eius abiicere? Talis illatio addenda eſt huic ſententiæ: ita magis apparebit quò tendat propheta.

18 Recordare huius: hoſtis exprobrauit Iehouæ: & populus ſtultus contumeliis irritauerunt nomen tuum.

Repetit argumentum verſus decimi. Redigit enim Deo in memoriam illas voces blaſphemas & contumelioſas, quibus non tantùm huic populo, ſed Deo ipſi hoſtes petulanter illudebant atque inſultabant: & petit vt tandem nomen ſuū vindicet ab illis contumeliis. Nominat autem hoſtes populū ſtultum, non ſimpliciter, vt Latini ſtultum nomināt, ſed ſtultitia illa quam his tribuit, eſt ignoratio Dei & doctrinę ipſius: ad quam poſtea accedit ingens malitia, furor & odium aduerſus Deum atque ipſius membra, deinde etiam in moribus turpitudo. Sæpe enim נבלה ſtultitiam ſignificat coniunctam cum malitia & ſcelere.

19 Ne des beſtiæ animam turturis tuæ: congregationis pauperum tuorum ne obliuiſcaris prorſus.

Repetit principalem propoſitionem pſalmi, quæ eſt petitio auxilij & liberationis. Figuratè autem eccleſiam ſeu populum Dei nominat turturem. Quia, ſicut turtures, prædæ expoſiti ſunt pij, auibus rapacibus, tyrannis & hoſtibus Dei, nec habent vires quas illis opponant. Deinde turturum natura eſt, quocunque modo affligantur, non vociferari impatienter, ſed ſecum gemere: ita populus Dei in calamitatibus ad Deum ſuſpirat & ingemiſcit. Itaque ψυχὴ eſt in metaphora. Nominat autem eccleſiam turturem Dei, vt ſignificet iniuriam piis factam pertinere quodammodo ad ipſum Deum. Hoſtes deinde comparat feris crudelibus & rapacibus, quales ſunt lupi, vrſi, aut ſimiles beſtiæ, quæ obuios quoſque laniant & diſcerpunt. Græcus habet, Ne tradas beſtiis animam confitentium. Legit enim ד pro ר litera admodum cognata.

Congregationis] Nomen חיה ſæpe accipi pro multitudine dictum eſt ſuprà pſalm. 68. Nec gratia caret quòd idem nomen propter ambiguitatem nunc hoſtibus, nunc Dei cultoribus tribuit, diuerſo tamen reſpectu. Hoſtium exercitus eſt ingens multitudo ferarum crudeliſſimarum. Nos verò ſumus grex puſillus & inermis, obnoxius iniuriis, qui ſaluus eſſe non poſſit niſi abs te defendatur.

20 Reſpice ad fœdus: quoniam repletæ ſunt tenebræ terræ habitaculis violentiæ.

Iterum in memoriam reuocat Deo fœdus, quod cum hoc populo inierat. De hoc argumento ſuprà dictum eſt verſu 1. & 2. Addit autem rationem cur velit eum memorem eſſe fœderis. Quia paſſim, inquit, graſſatur violentia & oppreſſio, & hoſtes promiſſa ſibi impunitate nullum finem ſtatuūt ſuis cupiditatibus & tyrannidi, ſed quocunque perueniunt, habitacula ſuæ tyrannidi figunt.

Tenebras terræ] Nominat illa latibula impiorum hominū, ex quibus tanquam ex luſtris ſeu cauernis proſiliunt ad inuadendos atque interficiendos innocentes. Putant enim impij ſe latere tanquam tenebris circumfuſos, nec cōſpici ipſorum ſcelera à Deo: ideo maluit dicere tenebras terræ quàm terram.

Alij ſic reddunt, replera eſt terra tenebris, & habitacula violentia. Sed verbum pluralis numeri מלאו non poteſt iungi cum ארץ nomine ſingularis numeri: & conſtructio oſtendit nomen ארץ eſſe caſus genitiui, adiiciendum præcedenti ſubſtantiuo iuxta communem regulam ſubſtantiuorum. Alij vertunt, quia repleta ſunt tenebris terræ habitacula iniuriæ: & iniuriam accipiunt paſſiuè, quæ iniuriam patiuntur. Atque hæc ſententia videtur quàm proximè accedere ad mentem prophetæ, & confirmat eandem accentus Reuia, qui oſtendit ordinem conſtructionis eſſe inuerſum.

21 Non reuertatur contuſus pudefactus: oppreſſus & inops laudabit nomen tuum.

Hic verſus duplex habet argumentum. Primùm allegat ſpem & expectationem piorum. Deinde gratitudinem horū, ſi liberentur, promittit.

Contuſus non reuertatur pudefactus] Id eſt, nō diſcedat vacuus aut ſpe ſua deiectus, non patiatur repulſam. Omnem enim ſuam ſpem & fiduciam in te collocauit: eam non fruſtreris. Sunt autem tres in hoc verſu appellationes, quæ conditionem piorum in hac vita oſtendunt. Primùm ſunt exhauſti, contuſi & oppreſſi variis iniuriis. Totus enim mundus aduerſus hos inſurgit & ſæuit crudeliter. Deinde ſunt inopes, carent conſilio & prudentia, deſtituuntur omni ope & auxilio, non ſunt inſtructi opibus, viribus aut potentia, qua ſe aduerſus iniuſtam vim defendant. Denique nihil habent præſidij, niſi hoc vnicum, quòd norunt confugere ad Deum, atque ab eo opem & auxilium expetere. Poſtremò ſunt pudefacti, hoc eſt, ridentur à ſapientibus huius mundi, & variis contumeliis afficiuntur.

22 Surge Deus, contende contentionem tuam: recordare opprobrij tui à ſtulto [*id eſt, quod tibi à ſtulto infertur*] quotidie.

23 Ne obliuiſcaris vocis aduerſariorum tuorum: tumultus inſurgentium [*qui*] contra te aſcendit ſemper.

Concluſio eſt pſalmi, in qua repetit propoſitionem principalem, eíque argumentum illud à contumeliis nomini diuino factis rurſus admiſcet, addito inſuper alio nouo argumento, quod ſumitur à cauſæ ipſius conditione. Affirmat enim hanc cauſam & negotium, quod agitur, Dei eſſe potiùs quàm hominum: ideo æquum eſſe vt ipſe eius patrocinium ſuſcipiat. Hoſtes enim non tam quęrunt populi iſtius interitum, quàm vt nomen Dei & doctrinam cœleſtem in genere humano deleant.

Surge] Hoc eſt, non diutiùs conniueas ad illas iniurias & ſcelera hoſtium, nec nimia tolerantia ipſorum furorem augeas: ſed oſtende te vindicem impietatis & ſcelerum, & accelera ad opem piis ferēdam. De hac phraſi dictum eſt Pſal. 7. verſu 7.

Contende contentionem tuam] Id eſt, Cùm tua res & negotiū agatur, ſuſcipe tu eius patrocinium, nec ſinas perpetuò blaſphemari nomen tuum.

Quotidie] Amplificatio eſt ſceleris hoſtium à circumſtantia temporis. Non vno genere contumeliæ te inceſſunt, neque ſemel id tantùm faciunt, ſed aſſiduè ſine vlla intermiſſione cumulant voces blaſphemas. Poſtea in fine etiam dicit furorem ipſorum ſubinde inualeſcere, quia videant ſibi omnia feliciter ſuccedere, nec mox ſcelerum ſuorum ſe pœnas dare. Impunitas enim armat impios & animos addit, vt confidentiùs pergant in ſcelere ſuſcepto. Ideo petit impios tandem puniri, ne nimiùm ſeſe contra Deum efferant.

PSALMI

PSALMI LXXIIII.

PARTES.

I. Exordium, ſiue propoſitio proleptica, conſtans duabus partibus. 1. expoſtulatione cum Deo, v.1. 2. petitione, v.2.3. quæ duæ partes exordij reliquo Pſalmo exornantur.

II. Narratio, explicans v.1. expoſtulationem: 1. à maleficiis tyrannicis aduerſariorum, à 4.v. ad 9. vſque. 2. à priuatione ſingularium Dei beneficiorum, verſ. 9. horum primum, ceremoniæ, quarum pædagio Deus Iſraelitas inſtituebat. Cui ſubnectuntur alia duo: vnum ordinariæ prædicationis verbi: alterum ſingularis prophetię, qua extra ordinem conſolabantur populum Prophetæ, per ſingulares reuelationes ſpiritus.

III. Expoſtulatio cum Deo, cuius partes duæ. 1. quòd blaſphemetur Deus, v.10. 2. quòd ipſo ceſſante pij opprimuntur, v.11.

IIII. Propoſitio argumentorum, quibus prouocatur Deus ad miſericordiam. 1. A conſtantia naturæ eius fœderíſque gratioſi, v.12. 2. A conſideratione ſingularium operum quæ extra ordinem Deus populo ſuo præſtitit, in mari rubro, v.13.14. & in deſerto, v.15. 3. A conſideratione operum, quæ ex ordine naturæ pergunt, v.16. & 17. 4. Ab indignitate blaſphemiarum, quas in Deum torquent inimici, v.18.

V. Petitio tripartita, pro ratione, 1.2. 4. cauſarum, quæ modò adductæ ſunt. 1. Poſtulat ſalutem Eccleſię, v.19.20.21. 2. Nominis diuini gloriam. v.22. 3. Compreſſionem impiorum, v.23.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Fideles à profanis vexati oculos ad Deum attollunt, ac ſi plagas omnes ſola eius manus infligeret. Hinc diſcamus quoties premimur rebus aduerſis, non temere in nos iactari fortunæ tela, ſed arcano Dei impulſu flagella hæc aut ferulas excitari, quibus peccata noſtra caſtiget.

Propriè loquendo non iraſcitur Deus electis ſuis, quorum morbos afflictionibus quaſi medicinis ſanat: quia tamen ſenſus ipſe pœnarum iram eius nos apprehendere cogit, per nomen iræ Spiritus ſanctus de reatu admonet fideles.

Dei miſericordiam ſibi conciliant fideles dum confugiunt ad fœderis memoriam, quo fuerunt adoptati in filios.

2 Precandi fiducia in nobis naſcitur ex gratuita Dei electione, promiſſionibus, & cultu nobis per verbum eius tradito.

3 Quum hanc orandi formulam dictauerit Spiritus ſanctus, immenſum erga nos Dei amorem inde colligimus, quòd iniurias nobis illatas tam ſeuerè velit vlciſci: deinde quo in pretio habeat nominis ſui cultum, cuius violationem ita perſequitur.

4 Hoſtium eccleſiæ rabies effera docet nos ad Dei manum his ferulis nos caſtigantem ſupplices confugere: ſimulq; oſtendit, quum ſatan, eiuſmodi leonum & prædonum anteſignanus, ſit ſemper ſibi ſimilis, pacem non in terris ſed in cælo nobis eſſe quærendam.

5.6.7.8. Ad excindendum Dei populum amice conſpirant qui priùs alij aliis hoſtes erant infenſiſſimi, atq; in euertenda pietate & ſanctis omnibus exercitijs è medio tollendis, abolendiſq; eccleſiis, ſcholis & politiis ſtrenuam nauant operam. Quo magis nos eniti decet vt Dei nomen & ſincerum cultum poſteris noſtris cuſtodiamus & velut hæreditariò relinquamus.

9 Extrema ea eſt eccleſiæ afflictio, quũ nemo apparet qui ſpe miſericordiæ animos mœrore collapſos erigat, finemq; malorum in denſis calamitatum tenebris perſpicere poſſit.

10.11 Quum naturaliter ad ferenda mala nimis delicati ſimus ac molles, hoc verum eſt pietatis experimentum, ſi nos magis vrit ac torquet Dei contumelia, quàm quicquid nos patimur.

Eccleſiæ hoſtes Deum reſidem & otioſum imaginantur, quoties lõganimis & patiens apparet: ſed in tempore ſuorum preces exaudiẽs, faciet vt impij reipſa ſentiant eius manum non perpetuò quieſcere, ſed opportunè extrahi vt fideles liberet, impioſq; potenter conterat.

12 Quia non ſufficit vota labijs concipere, niſi ex fide oremus: animi ſemper reuocãdi ſunt ad beneficia quib. paternũ ſuum amorẽ Deus ſanciuit erga nos, & quæ electionis eius teſtimonia eſſe debent.

13.14.15 Hoc fine Deus potentiam ſuam in Iſraelitis ex Ægypto liberandis exeruit, vt ad finem vſq; mundi ſperaret eccleſia perpetuũ ſalutis ſuæ fore cuſtodem: nec enim debuit tam celebre bonitatis & omnipotentiæ Dei documentum ad ætatem vnam reſtringi.

Eccleſiæ hoſtes aſtutia quidem & potenti malitia pollent: at omnipotens Deus, quum libet eorum capita conterit, & belluas iſtas robore vitaq; ſpoliatas omnibus deridendas proponit.

Naturæ ordinẽ mutabit & inuertet Deus omnipotens, potiùs quã eccleſiæ ſuæ protectionem deſerat.

16.17 Quum in hoc ordine rerum apertè refulgeat incomparabilis erga homines Dei bonitas, fideles meritò inde petunt fiduciæ materiam. Et quũ humani generis neceſſitatib. adeò benignè Deus proſpexerit, nihil minùs eſt conſentaneum quàm vt erga ſuos domeſticos patris officium facere negligat.

18 Quoniam non leue crimen eſt, ſacrum Dei nomen ludibrio habere, meritò precantur fideles vt impiorum petulanter probra ſua contra cælum iactantium inſaniam Deus compeſcat.

19 Etſi in aliquo numero ſint fideles, longè tamen impares ſunt ſuis hoſtibus, imò in prædam iacent expoſiti: ſed puſillus ille grex ab omnipotentiſſimo paſtore protegitur.

20 Hoc perpetuum ſanctis aſylum fuit, in ſummis periculis ſalutẽ ſperare, quia pepigerat Deus ſe fore illis in patrem: vnde colligimus non alia fultura ſolidè niti preces noſtras, niſi quia Deus gratuita electione nos ſibi in populum adoptauit.

Vbi Deus faciem ſuam abſcondere videtur, improbi ſibi latebras ad quoduis ſcelus vbiq; eſſe putant.

21 Quum maximè deiecti ſumus, egeſtati noſtræ paratum eſt in Dei inuocatione remedium.

22.23 Eccleſiæ Dei hoſtes, (omnium mortalium ſtultiſſimi) quũ Deum ipſum, potiùs quàm homines, blaſphemis vocibus laceſſant, confidenter compellendus eſt Deus, vt maieſtatem ſuam ab aduerſariorũ ſuorum opprobrijs vindicet: quod quum factu ſit facile, impiorum interitus iã nobis præſens eſſe debet: quò .n. magis ferociunt, eò magis imminet in eorum capita horrendæ mortis ſupplicium.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. An Eccleſiam ſuam Deus reiiciat.
2. De ira Dei aduerſus pios.
3. De Dei reminiſcentia, & affectibus qui ei tribuuntur.
4. Poteſtas tenebrarum quanta ſit aliquando.
5. Impiorum furor & immanitas, præſertim in Dei Eccleſiam.
6. Deus rex omnipotens Eccleſiæ.
7. De Dei operibus extraordinariis & ordinariis.
8. Hoſtium Eccleſiæ characteres, impietas, ſtultitia, violentia, blaſphemæ voces.
9. Eccleſia grex, cœtus, turtur, caterua pauperum afflictorum, oppreſſorum, egenorum Dei.

ARGVMENTVM PSALMI LXXV.

GRATIARVM actio eſt, quòd Deus inter horribiles colliſiones imperiorum, & confuſiones rerum humanarum ſeruat aliquas politias & cœtum aliquem, à quo agnoſcatur & celebretur: quódque repreſſis furoribus impiorum hominum & tyrannorum, qui omnia pro ſua libidine euertere conantur, excitat ſalutares principes & gubernatores, qui res collapſas in genere humano reſtituant, & pacem, iuſtitiam & politicam ſocietatem tueantur. Huic gratiarum actioni ſubijcitur obiurgatio, qua in impiorum tyrannorum faſtum & ſuperbiam inuehitur, quòd confiſi ſuis viribus aut prudentia nihil non tentent, quo licentiam ſuarum cupiditatum obtineant: nec deſinant bella ex bellis ſerere, & omnia turbis miſcere, vt ipſi interea creſcant & dominentur. Horũ verò inſania & irritos conatus ridet: & pœnas eis gra

uiſsimas minatur, addita eleganti hypotypoſi, in qua diſcrimen pingit inter crucem piorum & pœnas quas impij ſuſtinebunt. Tandem verò in fine, eccleſiæ gratulatur, quòd euerſis & deletis impiis ipſa rurſus exerit caput & florere incipit, idque beneficium ſe grato animo perpetuò prædicaturum affirmat.

Veriſimile autem eſt hunc Pſalmum à Dauide compoſitum & Aſapho decantandum traditum eſſe, cùm euerſo Saule atque eius ſatellitibus, à quibus regnum Iſraeliticum miſerè fuerat turbatum ac laceratum, ipſe ad regnum euectus eſt & inauguratus. Ita enim loquitur in hoc Pſalmo, vt & præteriti temporis calamitates deploret: & in poſterum promittat ſe operam daturum vt regnum lacerum ac conuulſum rectè deinceps conſtituatur, & pace, iudiciis, legibus, honeſta diſciplina & religionis cultu firmetur ac ſtabiliatur. Pios verò in hoc populo conſolatur, ne offenſi faſtu & ſuperbia hoſtium, quam ſub Saule experti erant, fiant alieni à Deo, aut cogitent Deum nullam curam agere rerum humanarum: ſed finem & exitum impiorum intueantur, quem ait eſſe triſtiſsimum. Quia verò Dauid typum gerit Chriſti, non ineptè hic Pſalmus ab interpretibus ad Chriſtum transfertur. Is enim vnicus & verus Rex eſt, qui oppreſsis & deletis hoſtibus ſuperbiſsimis & pertinaciſsimis, diabolo & morte, res collapſas in genere humano reſtituit, & verbo ac Spiritu ſancto corda piorum munit ac confirmat, ne ab horribilibus doloribus conſcientiæ aut mortis, atque æternæ damnationis conſpectu abſorpti, cum reliqua impia multitudine in æternum pereant: quique eccleſiam in hac vita inter horribiles furores diaboli & malorum hominum mirabiliter ſeruat & defendit, vt quanquam calamitates & ærumnas ipſa experiatur varias, tandem tamē deletis hoſtibus rurſus exaltetur, & gloria eius paſsim conſpiciatur: idque beneficium eccleſia grato animo agnoſcit & prædicat.

AD triumphandum, ne perdas, Pſalmus Aſaph canticum.

Ne perdas] De hoc titulo dictum eſt ſuprà in interpretatione Pſalmi 57.

2 Celebramus te Deus, celebramus: & propinquum nomen tuum: narrant mirabilia tua.

Orditur pſalmum à gratiarum actione. Eſtque hęc principalis propoſitio, in qua ſub perſona totius populi ita Deū compellat. Nos gratias tibi agimus Deus. & quidem verbum celebrandi ingeminat, vt ſtudij ardorem in canendis Dei laudibus exprimat. Non enim ſegnis eſt eccleſia in æſtimandis aut celebrandis beneficiis Dei, nec contenta eſt ſemel illa commemoraſſe: ſed ſubinde illa meditatur & prædicat. Ideo idem verbum repetit, & vtitur tempore præterito ad ſignificandam illam aſſiduitatem, *vvir habens bis anher gethan, vnd vvollen es hinfurt fur vnd fur thun.*

Et propinquum nomen tuum] Coniunctio videtur habere vim cauſalis particulæ, vt ſæpe aliàs. Itaque commodè ſic reſoluitur oratio: quia propinquum nomen tuum. *Nomen* verò Dei ſignificat ipſum Deum qualis agnitus eſt à piis in calamitatibus pręteriti temporis, quòd videlicet ſit bonus, fidelis, fortis & potens in defendendo ſuo populo aduerſus rabiem & furorem ſuorum hoſtium: hoc nomē dicit eſſe *propinquum*, quia ſenſerint Dei fidelitatem & potentiam in ſeruanda eccleſia & delendis hoſtibus propinquam & ſubitam, cùm nōdum ſperare talia poſſent. Alij nomen de verbo parefacto interpretantur. Sed vſitatum eſt Dauidi nomen Dei accipere pro ipſo Deo oſtendente & exhibēte ſe aliquo illuſtri facto & teſtimonio, atque hoc modo quaſi imponente ſibi nomen quo innoteſcat. Quando etiam Deus opem fert miſeræ & afflictæ eccleſiæ, eámque ex calamitatibus eripit, hoc facto oſtendit ſe memorem eſſe ſuorum, fidelémque eſſe in ſeruandis promiſſis, & ſuam potentiam in euerſione hoſtium declarat. Hoc igitur nunc eius eſt nomen, vt & bonus, fidelis ac miſericors in ſeruandis ſuis, & potens in delendis hoſtibus dicatur.

Narrant] Mutatio eſt perſonæ vſitata Hebræis. Nec enim alij ſunt qui narrant mirabilia, quàm qui celebrant beneficia accepta. *Mirabilia* autem vocat illam admirandam liberationem, quæ illis pręter omnem ſpem & expectationem contigit.

3 Quum aſſumpſero cœtum [*vel tempus ſtatutum:*] ego recta iudicabo.

Huius verſus & ſequentis ſermonem tribuunt plerique interpretes Deo ipſi, qui promittat ſe politiam diſſipatam & miſerè diſiectam ſuperioribus bellis reſtauraturum & in legitimum ordinem reuocaturum, & populum tanquam ſine certo paſtore hinc inde oberrantem ad vnum caput reuocaturum ac collecturum eſſe. Sed ſi diligenter totus pſalmus aſpiciatur, apparet ipſum Dauidem de ſe verba facere, quod ex ſequentibus verſibus facile colligi poteſt: cùm inſultans impiis Dei cōtemptoribus dicit, fruſtra ipſos cōfidere in ſua potentia, aut fiducia ſuarum virium ſeſe efferre contra Deum atque ipſius mēbra: quia ſolus Deus ſit qui exaltet, & qui humiliet. Et pſalmum concludēs inquit, Ego annūtiabo in perpetuum, &c. Et omnia cornua impiorum confringam: quod certè de vno atque eodem intelligi neceſſe eſt. Quia verò vt ſæpe iam dictum eſt, Dauid typum gerit Meſſiæ, ideo hunc ſermonem etiam Chriſto rectè tribuimus. Is enim eſt qui eccleſiam miſere diſtractam & laceratam tyrannide diaboli, & oppreſſam ingentibus doloribus & ærumnis reſtaurat, & firmis columnis eam ſtabilit & confirmat, vt deinceps immota conſiſtat aduerſus omnem vim.

Quum aſſumpſero cœtum] Id eſt, poſtquam imperium mihi diuinitus commiſſum accepero, & populus Iſraeliticus cœperit me agnoſcere ſuum regem, ſéque mihi adiungere & mea auſpicia ſequi. Vocabulum מועד interpretari poſſumus vel cœtum ipſum, vel tempus conſtitutum ſeu imperium, quod conſtituto certo tempore tandem ad Dauidem deuolutum eſt. Etſi enim multò ante Dauid creatus erat rex populi Iſraelitici: cùm à Samuele vngeretur: tamen non niſi poſt multos annos & quidem poſt varias iniurias & ærumnas peruenit ad imperium, & Saule mortuo manſit annos ſeptē in Hebron, donec omnes tribus ſe coniungerent. Atque hoc eſt illud deſtinatum tempus de quo hic loquitur. Chriſtus etiam, quanquam æternus rex eſt ſuæ eccleſiæ, tamen cùm aſſumpta humana natura opus noſtræ redemptionis perageret in carne, & regnum ſuum, iam in anguſtias redactum, & variis modis contuſum ac conquaſſatum, inſtauraret & amplificaret, dicitur accepiſſe illud tempus ſeu illud regnum, quod ei multò ante erat promiſſum à patre.

Ego recta iudicabo] Id eſt, ego rectè adminiſtrabo hoc regnū. Verbum iudicandi συνεκδοχικῶς complectitur omnia officia boni & ſalutaris principis. Primùm enim rectè iudicare ſignificat rectè conſtituere iudicia, quibus boni aduerſus iniuſtam vim defendantur & mali puniantur, & in tota gubernatione nihil facere cæco impetu vel affectu abreptum, nihil tribuere gratiæ, nihil iræ, nihil odio, ſed ius ęquabiliter adminiſtrare omnibus ſecundùm leges, & operam dare, vt ciues inter ſe viuant honeſtè, καὶ ἀλλήλοις φίλοι, vt Plato de fine Legum politicarum inquit. Deinde ſi foris bellum ingruat, arma induere pro repub. & ciues ſimùl armare atque inſtruere, fortiter pugnare & reprimere hoſtes, & defendere ſubditos, ac depulſis hoſtibus pacē reſtituere. Hæc ſunt præcipua officia boni regis, in pace & bello feliciter & rectè adminiſtrare rempub. Iam fiat accommodatio. Quia ſub Saule conciderant leges ac iudicia, & populus variis bellis erat attritus, affirmat Dauid ſe deinceps reſtauraturum hoc regnum, & reſtituturum ea quæ ſunt collapſa.

Talis autem rex inprimis eſt Chriſtus. Is ſuo aduentu reſtaurat, & repurgat verbum, quo conditur & conſtituitur eccleſia: quod antea multis erroribus à Phariſæis & aliis erat corruptum & deprauatum: damnat impietatem & hypocriſin hominum, & oſtendit veram viam rectè agnoſcendi & ritè colendi Deū. Hęc enim ſunt iudicia quæ Chriſtus exercet in ſua eccleſia. Deinde foris liberat eccleſiam ab hoſtibus, diabolo, morte & poteſtate inferorū, à quibus erat oppreſſa & in ſeruitutem redacta: reſtituítque ei bona erepta ab hoſtibus: armat etiam ipſam eccleſiam contra hoſtem, vt pugnare deinceps feliciter contra eum poſſit: adeſt eccleſiæ pugnanti, & non tantùm ipſe fortiter præliatur, ſed noſtræ quoque infirmitati opitulatur, ac dextras noſtras regit & firmat, vt feliciter pugnemus. Tandem verò eductos ex hac vita plenè liberat nos, & adducit in conſpectum Dei, donat æterna luce, iuſtitia & vita. Hæc omnia hîc ſignificantur, cùm inquit, *Ego rectè iudicabo*: & ſimul per antitheſin damnat eos qui vel prauis dogmatibus ſeduxerant antehac eccleſiā, vt Phariſæi: de quibus apud Iohannem 10. dicitur: Omnes qui ante me venerunt, ſunt fures & latrones: vel qui tyrannide eccleſiam oppreſſerunt.

Non-

Nonnulli interpretes hæc ad extremum iudicium accommodát, & tempus, de quo in hoc verſu loquitur, intelligunt diem extremi iudicij. Sed cum de Chriſto pſalmum interpretamur, totum illud tempus, quo in hac vita filius Dei eccleſiam colligit & mirabiliter gubernat, comprehendendum eſt. Quanquam enim in extremo die tandem iuſtum ſuum iudicium aduerſus impios & hoſtes Dei declarabit, tamen in hac quoque vita iuſta eius iudicia in aſſidua conſeruatione & defenſione eccleſię, & in victoriis aduerſus diabolum conſpiciuntur.

4 Diſſoluti (*liquefacti*) ſunt terra & omnes habitatores eius: ego confirmabo columnas eius, Selah.

Pollicitationi ſuæ, diligentiæ & fidei in adminiſtranda republ. primùm ex antitheſi miſcet querelam, qua ad prioris temporis ſtatum reſpicit: deinde ad pollicitationé officij ſui redit. Sub Saule, inquit, ita reſpub. erat afflicta, vt illa collapſa ſubditi viderentur deſperaſſe de ſua ſalute. Nulla enim ſub eo iudicia rectè adminiſtrabantur, nihílque agebatur ſecundùm leges, ſed & rex & qui eius loco præerant, omnia trahebant ad ſuas cupiditates: quærebant ſuas delicias & otium: conniuebant ad ſcelera, furta, rapinas, corrupti pecunia: non afficiebantur calamitate aut iniuriis ſubditorum: denique nullam partem reipub. rectè curabant. Vnde neceſſe fuit ſubditos coniici in varias calamitates, ærumnas & dolores, & ſtatum reipub. conuelli ac lacerari, ita vt triſtis eius eſſet ſpecies. Hoc vult cùm inquit, Terram fuiſſe liquefactam. Oſtendit igitur Dauid hac querela, quantum mali accipiat reſpubl. ſi malus atque impius rex præſit: ſicut econtra ingens bonum eſt rex bonus & pius. Verum enim eſt quod eſt apud Xenophontem, ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ. Ad Chriſtum deinde ſi pſalmus accommodetur, hæc querela magnitudinem malorum & calamitatum, quibus totum genus humanum erat oppreſſum propter peccatum, complectitur. Poſtquam enim ab integritate ſua deſciuit homo, cœpit diſſolui & diffluere: id eſt, non tantùm amiſit illam iuſtitiam & ſanctitatem, quæ erat imago Dei fulgens in homine: ſed etiam contaminata & corrupta eſt natura humana horribilibus peccatis, facta eſt rea iræ & æternę damnationis, & ingenti mole calamitatum & dolorum in hac vita eſt onerata. Hæc eſt illa liquefactio & diſſolutio, de qua hîc loquitur, quæ non tantùm in omnes poſteros Adæ redundauit, ſed etiam in ipſam terram. Nam terra propter peccatum hominis facta eſt ſqualidior & triſtior, & vt Paulus ad Romanos 8. inquit, συστενάζει νῦν.

Ego firmabo columnas eius] Metaphora eſt ſumpta ab ædificiis ruinam minantibus. Eſtque hæc ſententia, ego reparabo ruinas, ego fulciam & firmabo rẽpub. rectè conſtitutis iudiciis & legibus, firmata diſciplina & pace, & quod maximum eſt, cultu religionis ritè conſtituto. Hæc enim ſunt illa adamantina vincula, quibus cõtinetur reſpubl. non opes aut magni acerui auri & argenti, vt Dionyſius tyrãnus Siculus iudicabat: & hæ ſunt illæ columnæ, quibus nititur reſpub. puritas ſcilicet doctrinæ de Deo, & legitima adminiſtratio cultus diuini, ſeueritas iudiciorũ, in quibus ſecundùm leges honeſtas iudicetur, honeſta diſciplina, pax & trãquillitas publica, deinde depulſio iniuriæ, ſi qua ab externis hoſtibus inferatur. Ideo Baſilius in hexamero, columnas rectè interpretatur συνεκτικὴν δύναμιν.

Ita in his verſibus pingit propheta officium boni & ſalutaris principis, & docet quomodo res corruptæ & collapſę in repub. corrigi & reſtitui debeant ac poſſint. Ac veriſimile eſt Dauidem ad confirmandos ſubditorum animos hæc ſcripſiſſe. Nam magna pars populi mortuo Saule, adhuc ſequebatur Isboſetum filium Saulis, vt neceſſe habuerit talia de ſe promittere, quibus animi paulatim allicerentur, & rurſus coaleſcerent.

Quod autẽ in iſta repub. præſtitit Dauid, id Chriſtus præſtat in eccleſia. Ille enim eſt qui firmat & ſtabilit columnas eccleſiæ, hoc eſt, qui res collapſas in genere humano reſtaurat, & qui rurſus eccleſiam Dei ex genere humano colligit verbo promiſſionis & ſpiritu ſancto, & hanc mirabiliter regit & defendit aduerſus ſatanam & mundum, ne delere eam poſſint. Ipſos etiam pios ſenſu iræ Dei aduerſus peccata liquefactos atque ingẽtibus doloribus oppreſſos conſolatur & erigit, Spiritu ſancto renouat, vt nouum robur, nouam lætitiam, & nouam vitam deinceps concipiant, ne deinceps dolore fatiſcant aut in æternum exitium ruant.

תכנתי Id eſt, ita menſurabo, vt ad perpendiculum collocentur, ne in hanc vel illam partem inclinent.

5 Dixi gloriabundis, ne glorieminì: & impiis, ne attollatis cornu.

6 Ne attollatis in altum cornu veſtrum: ne loquamini collo duro.

Pergit in deſcriptione & commendatione ſui officij & fidei in adminiſtranda repub. & oſtendit quo animo ſemper fuerit & deinceps futurus ſit. Vtitur verbo præteriti temporis, cùm inquit: Ego dixi gloriabundus, ſicut & verſu præcedente, verbo תכנתי vſus eſt: quia ſignificare vult, ſe antehac ſemper odio habuiſſe homines ambitioſos, arrogantes & ſuperbos, qui ſua potẽtia & opibus cõfiſi nihil nõ tentant in repub. & ſine pudore omnes leges violãt, quales hactenus fuerant Saul & ipſius ſatellites: & deinceps ſe ita adminiſtraturum rempub. ne huiuſmodi hominibus partẽ eius aliquam committat: ſimul etiam oſtendit non potẽtia aut viribus humanis parari aut conſeruari vlla imperia ſed ſolius Dei hoc eſſe beneficium, vt poſtea dicetur. Chriſtus verò, qui in perſona Dauidis pingitur, imprimis odit & aduerſatur ſuperbos & iactabundos, hoc eſt, eos qui confidunt vel prærogatiua aliqua propter propagationem carnalem, vt Iudæi, vel ſua iuſtitia & operibus exiſtimãt ſe demereri gratiam diuinam, & regnum cælorum comparare. Tales non tantùm reprehendit hoc loco Chriſtus, ſed nullam in ſuo regno habituros partem affirmat. Nec ineptè hæc reprehenſio ad ambitionem & arrogantiam miniſtrorum eccleſiæ accommodari poteſt. Illi enim ſunt qui columnas eccleſiæ ambitione & creſcendi ſtudio, aut fiducia ingeniorũ aut eloquentiæ plerunque labefactant, & triſtia diſſidia ac diſtractiones pariũt, vt olim Samoſatenus, Arius, Neſtorius, Eutyches, aut ſimiles, & noſtro tempore non pauci. Hi ſciant ſe hac grauiſſima comminatione & obiurgatione Chriſti abigi ab adminiſtratione eccleſiæ, & niſi deſinant turbare eccleſiam, futurum aliquando vt humilientur, & fęces indignationis (vt hic dicitur) bibere cogantur.

Dixi iactabundis] Videtur in primis notare eos qui ſub Saule regnum Iſraeliticum adminiſtrarant. Illi enim faſtu tumebant, & quòd ad ſummos honores euecti eſſent, nihil non ſibi licere putabant, itaque reliquos omnes præ ſe contemnebant, peruertebant iudicia & leges, exercebãt tyrannidem in quoſuis, turbabant remp. immoderatis ſuis conſiliis, faſtidiosè repellebant à ſe omnes bonos.

Nolite gloriari] Id eſt, iactare veſtras opes, dignitatem, potentiam, vires.

Ne attollatis cornu] Id eſt, nolite fiducia veſtrarum viriũ inſoleſcere, aut tentare aliquid contra Deum aut contra eius populum: nolite opprimere bonos per vim, nolite violenter cõcutere & turbare rempub. aut eccleſiam. Metaphora ſumpta eſt à cornutis animantibus, quibus robur præcipuum eſt in cornibus, vnde & Latini dicunt cornua ſumere, pro ſuperbire, inſoleſcere: quale eſt illud Ouidij. *Tunc pauper cornua ſumit.* Loqui collo duro ſeu præfacto, eſt loqui arroganter & ſuperbè, minas efflare, nec flecti conſilio aut precibus vllis ad moderationem, ſed pertinaciter perſeuerare in ſuſcepto odio aduerſus alios, nec quieſcere donec animum expleuerìs. Tales multi ſemper ſunt in aulis malorum principum, & nulla ætas caret exemplis: habuit autem Saul miniſtros tales complures, de quorum arrogantia, inhumanitate & inclementia ſæpe in Pſalmis queritur Dauid.

7 Quia neque ab oriente, neque ab occaſu, neque à deſerto exaltare [*id eſt, exaltationes.*]

8 Quia Deus iudex [*eſt*] hic humiliat & hic exaltat.

Addit rationem, cur depoſita fiducia ſuarum virium velit eos eſſe modeſtos. Quia exaltationes non ſunt ab oriente, neque ab occaſu, id eſt, non ſunt à terra, aut ab hominum prudentia, conſilio & fauore, ſed à ſolo Deo. Et quanquam nonnulli ſua aſtutia, vel malis artibus, vel gratia & fauore plebis, vel aliis mediis & occaſionibus interdum ad ſummos honorum gradus, Deo ſic permittente, aſcendunt, ij tamen rurſus iuſto Dei iudicio euertuntur & deiiciuntur: vt ſubitò inanis ille faſtus & pompa omnis euaneſcat. Hæc ſimplex & genuina eſt horum verborum ſententia. Eſtque hoc optimum ſuperbiæ corrigendæ remedium, ſi cogitemus non humana induſtria, vel aſtutia, vel viribus parari opes, potentiam, regna, vt plerique cogitant: ſed diuinitus illa dari hominibus: non vt libidini ipſorum inſeruiant, aut inſtrumenta ſint tyrannidis & violentiæ, aut cupiditatum iniuſtarum, ſed vt ad vſum & ſalutem aliorum hominum his vtamur. Deinde, ſi cogitemus Deum eſſe iuſtum iudicem, qui cùm odio habeat omnes ſuperbos, mox illos de ſuo faſtigio deiiciat, ſi videat eos abuti ſuis opibus, ſua potentia & viribus, aut fiducia harum tumidos, alios crudeliter premere & perſequi.

Neque ab oriente, neque ab occidente, &c.] Homines in compa-

randis opibus & aliis ſubſidiis, reſpectant ad omnes mundi plagas, núncque ad orientem, nunc ad occidentem, nunc ad meridiem, nunc ad ſeptentrionem ſeſe conuertunt, & omnia tentant ac moliuntur vt hæc præſidia ſibi comparent, in quibus felicitatem rerum humanarum collocant: ſed omne illud ſtudium & omnis labor ille, inquit propheta, eſt vanus & irritus, quia à rebus humanis nõ pendet exaltatio, ſed à Deo. Conatum igitur & ſtudium hominum ambitioſorum hac diſtributione voluit pingere propheta. Deſertum Iudeę erat ad meridiẽ, ideo hoc vocabulo meridionalis plaga notatur.

הרי Doctiores infinitiuum eſſe iudicant tertiæ coniugationis à verbo רו. Eſtque vſitatum in lingua Hebræa infinitiuis vti loco nominum verbalium. Exaltare igitur idem eſt quod exaltatio ſeu exaltationes. Ita verò ſi legas מדבר ſcribendum eſt cum cametz ſub ב media radicali in ſtatu abſoluto, vt quædam habent exemplaria. Alij ſequuti Græcum interpretem nomen plurale eſſe iudicant ab הר quod montem ſignificat, & ſic legunt: Neque à deſerto montium, id eſt, neque à meridie. Nam deſertum quod erat ipſis ad meridiem, erat montoſum. Et qui ſic interpretantur, iudicant eſſe mimeſim in hac oratione, qua impiorum & ſuperborum hominum ſermo exprimatur, qui euecti ad ſummam potentiam, aut nacti magnas opes, exiſtiment ſe iam ſatis bene eſſe munitos aduerſus omnes fortunæ caſus, nec quicquam vel ab oriẽte, vel ab occidẽte, vel à meridie ingruere poſſe, quod vel metuendum ſit, vel quod deiicere eos de ſuo ſtatu poſſit. Itaque ſecuri in has voces ſæpe erumpunt: Neque ab oriente &c. aliquid ſcilicet eſt quod metuendum ſit. Hæc ſententia etſi ſatis concinna eſt, tamen iudico alteram eſſe veriorem: nam antitheſis ſequentis verſus ſatis declarat, prophetam Dei exaltationes & humiliationes, atque adeo iuſta ipſius iudicia opponere hominum imaginationibus, qui ſpreto Dei iudicio, exiſtimant ſe in rebus humanis ſemper aliquid reperire poſſe, quod vel potentiam, vel autoritatem vel opes conciliet, eóque quo cupiditates ipſorum tendunt, eos prouehat.

Deus eſt iudex] Qui ſcilicet mundum gubernat & res humanas moderatur ſuo conſilio, & in cuius manu eſt attollere vnumquenque vel deprimere.

Ille humiliat] Alij reddunt, iſtum humiliat, ſed quia non addit articulum את malo exponere in nominatiuo. Alioqui enim dicendum erat את-זה.

9 Quia calix in manu Iehouæ & vinum turbidum [*fæculentum, quod turbidum eſt, vt ſubaudiatur relatiuum* אשר *Eſt enim tertia præteriti*] impletus eſt mixtione & effundet ex eo: vtique fęces eius exugent, bibent omnes ſcelerati terræ.

Expolitio eſt præcedentium verſuum, qua occurrit tacitæ obiectioni. Poterat enim quis dicere, ſi Deus ſolus eſt qui exaltat & humiliat nunc hos nunc illos, & nihil hic tribuendum eſt induſtriæ aut conſilio humano, qui fit vt in hac vita pij & boni plerumque duriter affligantur & premantur, mali econtra mirabiliter creſcant, & ad ſummos honores, ad ſummam dignitatem & potentiam perueniant? Hæccine ſunt iuſta Dei iudicia, de quibus gloriaris? Si enim res illæ à conſilio aut voluntate diuina penderent, æquum erat hos primos omnium euehere & opibus ac dignitate ornare, qui Deo proximi ſunt, & qui ipſum ex animo colunt. Huic obiectioni reſpondet eleganti oratione ſeu hypotypoſi, qua rẽ ipſam quaſi oculis ſubiicit. Pingit enim Meſſiam regem noſtrum, quem hîc nominat Iehouam, tanquam ἐπιστάτωρ ſeu συμποσιαστὴν totum genus humanum in hac vita ita excipere conuiuio, vt ſinguli aliquem guſtum illarum miſeriarũ, quibus obnoxium eſt genus humanum, percipiant. Illę enim per vinum turbidum & mixtum hic ſignificantur: ſed non eodẽ modo omnibus illum potũ diſtribuit, ſed tanquã cõuiuator ipſe primus bibit & cæteris propinat, id eſt, ſummas ipſe calamitates & miſerias in hac vita perfert, quas à nobis in ſe transfert, ne magnitudine malorum nos oppreſſi pereamus. Deinde omnibus ordine calicem porrigit, id eſt, ſingulis ſuã portionem afflictionum, quas ſuſtineant, diſtribuit.

Calix enim in Scriptura afflictiones ſignificat, vt aliàs dictũ eſt, *Es mus ein ieglicher ein trüncklein thun, einer grœſſer denn der ander.* Non enim poteſt hæc vita eſſe ſine calamitatibus & miſeriis: & ſemper vinum, quod lætificare debebat, manet turbidum: ſed quo quiſque magis ſedet propinquus huic conuiuatori, eo citiùs eum bibere neceſſe eſt, hoc eſt, quo quiſque magis ſtudet pietati, & quo propiùs accedit ad Chriſtum, vera illa κοινωνία quę eſt membris cum capite, eo citiùs guſtat has miſerias. Oportet enim pios conformes fieri imaginis filij Dei, & vt Paulus inquit ad Col. 1. Oportet nos in carne noſtra ſupplere quæ deſunt afflictionibus Chriſti: non quidem quod ad meritum, ſed quod ad ſocietatem attinet, quæ nondũ eſt completa, nec niſi ante extremũ diem complebitur. *Sie muſſen alle ein geſellentrück thun.* Ideo Chriſtus in euangelio interrogat filios Zebedæi, num poſſent de eodem poculo bibere, vnde ipſe deſtinarat bibere. Hæc igitur cauſa eſt cur piis hoc vinum turbidum ſit guſtandum, & cur citiùs quàm alij has miſerias deguſtent. Priùs enim hos ordo attingit: ſicut & Petrus inquit, Iudicium in domo Dei incipit: Impij verò etſi tardiùs communes calamitates ſentiunt, vtpote remotiores à Chriſto, atque interea à ſuis voluptatibus & honoribus ſuauiter deliciantur: tamen tandẽ ad hos quoque ſenſus calamitatum peruenient, nec illi mox defungentur vt pij, qui leuiter tantùm hunc calicem deguſtant, ſed fęces ipſas cogentur exugere, id eſt, extremas & nũquam finiendas pœnas & cruciatus cogentur ferre. Fęces enim illæ ſunt exitioſæ & lethales bibentibus.

Plenus mixtione] Hoc ad conſolationem piorum adiicitur. Significat enim Deum ita temperare has miſerias & ærumnas piis hominibus, vt perferre poſſint, vt cùm quis vinum forte & plenum miſcet, ne ſubitò in cerebrum penetrans furorem generet, vel febrem accendat, aut cùm quis fęces amaras miſcet vino dulci & ſuaui, vt bibi poſſint. Deus enim ærumnas ſuorum temperat dulciſſimo & ſuauiſſimo vino cõſolationum euangelicarum, quæ oſtendunt fauorem, præſentiam & auxilium Dei in ærumnis. Impijs verò, quia poſtremò bibunt, nihil relinquitur niſi amaræ fęces, nulla conſolationum dulcedine mixtæ.

10 Ego verò annuntiabo in perpetuum: pſallam Deo Iacob.

11 Et omnia cornua impiorum ſuccîdam: exaltabuntur cornua iuſti.

Concludit pſalmum repetitione propoſitionis, quæ vt dixi, eſt gratiarum actio, quòd hanc politiam Deus tandem deletis impiis tyrannis & turbatoribus reipub. reſtituiſſet in integrum, & vulnera eius ſanare cœpiſſet. Huius beneficij hîc ait ſe perpetuò memorem futurum, gratáque mente & animo id celebraturum eſſe. Huic pollicitationi gratitudinis rurſus, vt in exordio, ſubiicit promiſſionem de coercendis & reprimendis hominibus ſuperbis, arrogantibus, iniuſtis & impiis, & de euehendis, ornandis ac tuendis bonis & iuſtis. Qua de re dictum ſatis eſt in exordio.

Succidam cornua] Id eſt, euertam & frangam potentiam impiorum, non ſinam eos emergere aut ad aliquam potentiam peruenire, non committam illis gubernacula, ſicut antehac ſub Saulis regno factum eſt. Sed iuſtorum cornua exaltabuntur, id eſt, iuſti à me euehentur ad dignitates, erunt in honore & gloria in meo regno, omniáque adminiſtrabo per homines iuſtos & probos, ac quo quiſque melior eſt, eò magis à me diligetur & ornabitur. Chriſtus etiam ſicut potentiam impiorum deſtruit: ita iuſtos æterna gloria ornat.

PSALMI LXXV.

PARTES.

I. Propoſitio locorum, ex quibus miſericordia Dei imploratur. 1. A confeſſione beneficiorum præteritorum & præſentium Dei, v.2. reſpicit autem Dauid propriè ſingularia Dei opera erga ipſum, quum profugus eſſet, reſtitutus, euectus, & in regno vnius tribus conſeruatus contra vim cæterarum: partim etiam ad publica beneficia erga regnum ſuum. 2. Profeſſio officij quod ſe præſtiturum pollicetur Dauid, v.3. ad 10. vſque, in genere v. 3. & 4. ſpeciatim, v.5. & 6. quæ theſi ornantur, v.7. 8.9. à Dei ſapientis, & iuſti conſideratione, metaphoricis & illuſtribus loquutionibus depicta. Alloquitur autem Iſraelitas perduelles qui in Saulis domo regnum formare ſtudebant, nec iram Dei Dauidem ad rerum gubernacula vocantis metuebant.

II. Petitio per paralepſin, verſ. 10. & 11. nam perinde eſt ac ſi diceret Dauid, Ne perdas, O Deus, ſed po-

ſed potius rationem ineas qua tui Iſraelitæ conſeruentur. Tunc tria illa pij principis præſtabo officia. 1. Annuntiabo tuas laudes, pſallam tibi. 2. Debellabo ſuperbos. 3. Subiectis parcam,& lætitiæ multiplicis argumenta ſuppeditabo.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Tria præcipua continet hic Pſalmus.1. Quòd Deus ſit omnis iuſtæ politiæ auctor atque moderator.2.præcipuas illas magiſtratuum duas partes,nempe vt terrori ſint malis,bonos autem foueant.3.Horũ omnium vltimum finem,nempe vt Deo gloria tribuatur.

1.2 Deus virtutem ſuam exerẽdo ſeruis ſuis os aperit ad enarrãda ſua opera: iuſtáque laudandi Dei materia ſuppetit,quia ſe oſtẽdit præſto fore ad opem ſuis ferendam.

Præſentia vel propinquitas Dei cenſetur ab auxilio quod in neceſſitate ſeruis ſuis offert.

3 Quanuis non ſtatim Deus ſuis opituletur, nunquam tamẽ obliuiſcitur eorum,ſed remedium quod in promptu eſt differt in idoneũ tẽpus:ſuique officij eſſe pronuntiat moderari res turbatas, & ad æquitatem componere,vt nos hæc expectatio in omnibus miſeriis ſuſtineat ac ſoletur.

Chriſto eccleſiæ regi & mundi domino,Dauidi item & piis omnibus regibus ac magiſtratibus,quæcũque in hoc pſalmo de mundi & publici ſtatus inſtauratione dicũtur,commodè(ſed diſtinctè & iuxta Scripturæ ſenſum ac fidei analogiam)referri poſſunt & debent.

4 Quanuis collapſus ſit orbis,attamen penes Deum eſt ei dare nouam firmitatem.

5 Piorum ſancta iactantia pendet ex iudicio quod impiis inſantẽtibus inſtare vident: quia dum expectant Deum iudicem,breuique affore perſuaſi ſunt,inter medias oppreſſiones non deſinunt gloriari.

6 Superbia eſt audaciæ & inſaniæ mater:nec ita præcipitanter ruerent homines, niſi quatenus faſtu excæcati ſibi nimiũ arrogant. Nec facilè hic morbus euellitur,vt ex prophetæ repetitionibus liquet: quo magis nos eniti decet vt animo demiſſo coram Deo & proximis incedamus.

7 Optimum corrigendæ ſuperbiæ remedium,dum admonemur altitudinem non à terra eſſe, ſed à ſolo Deo. Huius doctrinæ vſus eſt, vt ſe fideles Deo totos ſubijciant,nec fallaci confidentiæ vẽto ſe efferant. Vbi autem viderint impios proteruire,contemnere non dubitent ſtultam & veſanam eorum confidentiam.

8 Quanquam ſumma eſt imperij poteſtas penes Deũ, vocatur tamẽ iudex,vt ſciamus optima æquitate res humanas ipſũ moderari. Hinc fiet vt quiſque ab omni iniuria & maleficio abſtinẽs,iniuſtè læſus,ad Dei tribunal confugiat.

9 Deum regnare affirmat Scriptura,vt omnes iniquitati paratã eſſe ſuppliciũ certò ſciamus, & ſceleratos homines,vbi laſciuierint, meritas pœnas daturos: nec poſſe effugere quin ſugendo ad vltimam vſque guttam ignominiæ & internecionis æternæ calicem ebibant à Deo iuſto iudice propinatum. Certæ ſunt igitur,ineluctabiles, & iuſtiſſimæ impiorum pœnæ.

10 Fideles ſibi meritò gratulari debent,quòd Deum in rebus aduerſis liberatorem experti ſunt.

11 Auxilio Dei frangunt fideles quicquid potentiæ eſt in reprobis: probè item & innoxiè viuendo plus ſibi præſidij acquirunt quàm ſi per omne ſcelus emergere ſtuderent.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Monarchiarum & rerum publicarum, auctor, cuſtos, inſtaurator,euerſor Deus.
2. Regum & magiſtratuum officium luculenter expoſitũ.
3. Subditorum erga legitimos magiſtratus officium.
4. Perduellium & flagitioſorum hominum, politias & Eccleſias vaſtantium,ingenium & exitus.
5. De Dei prouidentia iuſta in conſeruandis piis & deprimendis impiis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVI.

PSALMVS eſt Eucharisticus & carmen triumphale,in quo gratias agit Deo pro ſummis illis beneficiis, quod populum Iſraeliticum ſibi ex omnibus gentibus delegit,cui dato verbo & conſtituto cultu peculiariter ſe patefecit,eumque aſſiduè contra furores hoſtium protegit & defendit,hoſtibus ipſis fœda ſtrage cæſis ac deletis.

Etſi autem veriſimile eſt, hunc Pſalmum ,ſicut & quadrageſimum ſextum, cuius idem ferè eſt argumentum,poſt inſignem aliquam liberationem & victoriam eſſe compoſitum,& nonnulli 70.interpretum ſententiam ſequuti de pulſo & profligato exercitu Sennacherib eum interpretantur (in titulo enim Græci Pſalmi legitur ᾠδὴ πρὸς τὸν Ἀσσύριον*) nonnulli etiam ad victoriam ab Ammonitis partam ſub rege Ioſaphat referendum cenſent: tamen in genere de continua gubernatione & defenſione primùm huius populi,deinde eccleſiæ omnium ætatum Pſalmus eſt intelligendus,& celebranda ſunt ab omnibus illa beneficia quæ hîc prædicat. Vt enim tunc inſigni miraculo cæſis & deletis hoſtibus Iſraelitarum vrbem Hieroſolymam & populum Iudaicum ſeruauit:ita ſtatuendum eſt, Deum aſſiduè adeſſe ſuæ eccleſiæ,& depellere ab ea hoſtes, non tantùm eos qui foris arma nobis inferunt: ſed multò magis Diabolos,qui* ἄσπονδον πόλεμον *gerunt cum eccleſia , & implacabili odio ardent aduerſus filium Dei & eius membra. Quòd ergo aſſiduè defenditur eccleſia,& mirabiliter inter horribiles furores & crudeliſſimos hoſtium conatus ſeruatur,agnoſcamus ſolius Dei hoc eſſe beneficium,idque grato animo cum propheta celebremus.*

AD triumphandum in inſtrumentis muſicis, Pſalmus Aſaph,canticum.

2 Notus (*eſt*) in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.

3 Et fuit (*eſt*) in Salem tabernaculum eius:& habitatio eius in Sion.

Initio hoc ſummum beneficium celebrat propheta,quòd huic populo Deus peculiariter ſe patefecit,atq; in eo aſſidua teſtimonia ſuæ præſentiæ & potentiæ edidit. Etſi enim vt Paulus ad Rom. 1. inquit, Deus ſe omnibus hominibus patefecit, idque quod de Deo agnoſci poteſt,manifeſtauit: tamen non ita fuit notus gentibus extra eccleſiam, vt Iſraelitis. Iudæi enim peculiari fœdere erant adoptati,vt ſelecti in peculium,& habebant verbum quo ſe Deus patefecerat,& cultum externum,qui tanquam σφραγὶς ſeu ſignaculum erat promiſſionis factæ. Et accedebant quotidie multa inſignia miracula,quæ hanc adoptionem confirmabant. Ideo inquit,Deũ eſſe notum in Iudæa, hoc eſt,perſpicuis teſtimoniis demonſtratum, vt rectè agnoſcatur & colatur,tã ex verbo quàm ex operibus & miraculis editis quouis tempore. Aliæ gentes extra eccleſiam , etiamſi innumera quotidie à Deo accipiant beneficia,tamen autorem horum non agnoſcunt,ſed vel ſuæ prudentiæ vel fortunæ omnia adſcribunt. Similis phraſis eſt Rom.1. Chriſtus cognitus eſt filius Dei.

In Iſrael magnum nomen eius] Id eſt,magnificè celebratur in hoc populo ipſius bonitas & potentia,quã in aſſidua defenſione noſtri,atque adeo in hac recenti liberatione oſtendit. Eſtque nomen eius glorioſum & illuſtre propter inaudita miracula, quæ edit in ſalutem gentis ſuæ. Nomen Dei quid ſignificet,diximus pſalmo præcedente.

Eſt in Salem tabernaculum eius] Id eſt,certo verbo alligauit ſe ad hunc locum,vnde tanquam ex regia ſua aſſiduè edit teſtimonia ſuæ præſentiæ in hoc populo. Hîc enim cùm habitet, ſedem ſuam aduerſus omnem vim & iniuriam egregiè tutatur: ita & beneficium patefactionis commemorat,& ſimul cauſam aſſignat, cur tot miraculis potentiam ſuam aduerſus hoſtes in aſſidua huius populi defenſione declaret: quia ſcilicet hanc vrbem ſibi in habitationem peculiariter delegerit. Nemo enim facilè patitur ſe ex ſua domo pelli aut eiici: ſed quandiu poteſt ſe aduerſus iniuſtam vim tutatur. Deinde

oſtendit, hæc beneficia & has victorias ſoli miſericordiæ & gratuitæ adoptioni diuinæ, non Iſraelitarum meritis aut ſcientiæ rei militaris & fortitudini eſſe adſcribenda. Ideo enim defendit, quia ipſe ibi habitat, non ipſorum meritis vllis prouocatus. Quod vero de externo & viſibili tabernaculo hîc dicitur, in quo Deus habitet, & ex quo teſtimonia ſuæ præſentiæ oſtendat, id quanquam de nobis dici ita non poteſt, qui nullum tale, quod in oculos incurrat, habemus: nec alligata eſt nunc eccleſia ad certam ſedem ſeu locum, vt tunc: tamen cùm per Chriſtum in medio noſtri & in nobis habitet Deus, idque verbo & ſacramentis confirmet, ſtatuamus eum non minus nobis nunc præſentem eſſe, quàm tunc fuit Iudæis.

Salem eſſe dictam vrbem Hieroſolymam apparet ex Gen. 14. Græcus legit בשלום in pace.

4 Illic fregit ſagittas, arcus, ſcutum & gladium, & bellum, Selah.

Sequitur narratio hiſtorica ſeu commemoratio victoriæ, quam ſimpliciter adſcribit virtuti & potentiæ diuinæ. Et quia aduerbium שמה ad vrbem Hieroſolymam referendum cenſent interpretes, exiſtimant nonnulli hanc narrationem de exercitu Sennacherib ad vrbem Hieroſolymam deleto accipiendam eſſe.

Ibi] Scilicet ad vrbem Hieroſolymam: quanquam non ineptè ad totam Iudæam referri poteſt. Ibi, id eſt, in terra Iudaica. Vſus eſt enim aduerbio hoc, vt quaſi digito rem præſentem monſtraret, & auditoribus ſpectaculum recentis hoſtium cladis in memoriam reuocaret.

Fregit ſagittas] Id eſt, fudit & profligauit hoſtes, qui ad opprimendum ac delendum hunc populum inſtructi armis venerât, iiſque arma eripuit, ne nocere deinceps eccleſiæ Dei poſſent.

5 Illuſtris tu [*es*] magnificus præ montibus prædæ [*rapinæ*.]

Amplificat narrationem à collatione. Ait enim maiorem eſſe Dei potentiam & gloriam quàm omnium regnorum in hoc mundo, quantumuis magnis ea viribus ſint inſtructa. Quæ doctrina vtilis eſt ad confirmationem fidei noſtræ, & ad conſolationem: vt ſi hoſtes maximis viribus in nos irruere videamus, non frangamur animis: ſed ſtatuamus nos patronum habere multò potentiorem noſtris hoſtibus.

Illuſtris tu es] Id eſt, es glorioſus, ſplendidus & celebris, ſcilicet propter potentiam & virtutem, qua es præditus. Græcus legit φωτίζεις, actiuè ſcilicet, ac ſi ſcriptum eſſet מאיר.

Montes prædæ μεταφορικῶς nominat regna huius mundi, quæ per vim, iniuſtas cædes & latrocinia parantur. Sicut enim in montibus feræ beſtiæ prædantur, & quicquid occurrit, crudeliter laniant & diſcerpunt, & nonniſi ex rapto viuût: ita reges in hoc mundo regna ſua prædando & latrocinando comparant, proferunt & amplificant.

6 Spoliati ſunt robuſti corde, dormierunt ſomnum ſuum: & non inuenerunt omnes viri roboris manus ſuas.

Pergit in narratione inſtituta de profligato & deleto exercitu hoſtili, ex quo potentia & virtus Dei elucet.

Primùm inquit robuſtos corde: id eſt, tumêtes fiducia ſuarum virium & certam iam ſibi victoriam pollicentes, fuiſſe ſpoliatos & exutos omnibus armis. אשתוללו ſcribitur more Chaldæo pro חשתוללו. Chaldæi enim verbum paſſiuum formant ab actiuo adiecta ab initio ſyllaba את, & quanquam Seghol ſub א propria vocalis eſt imperatiui, ſicut hirik preteriti, vt in his exemplis אתקטל אתקטל videre eſt, quorum alterum, quod cum hirik ſcribitur, præteritum eſt, alterum verò imperatiuum: Tamen interdum illæ voces inter ſe commutantur, vt Daniel. 7. dicitur אתכרות רוחי decurtatus eſt Spiritus meus. Simile exemplum in Hebræo codice ocurrit, 2. Paralip. 20. אתחבר aſſociatus eſt ſeu iunxit ſe Ioſaphat. Alij exiſtimant א ſcribi pro י. Et ſunt ex Iudæis qui exponant, infatuati ſunt: quaſi dicat, ſpoliati ſeu orbati ſunt ratione & conſilio.

Deinde inquit, *dormierunt ſomnum ſuum*, ſeu ſomno ſuo côſopiti ſunt, id eſt, qui priùs erant alacres, ſtrenui & feroces, iam ignauia & torpore fuerunt ſopiti, vt pericula ſibi imminentia nec animaduerterent, nec quomodo his occurrerent (vt par erat) cogitarent: ſed tanquam veterno oppreſſi trucidandos & mactandos quibuſuis ſe præberent, atque ita obdormirent.

Tertiò *non inuenerunt manus ſuas*, qui antea fuerunt viri bellicoſi & ſtrenui: id eſt, nihilo magis ad pugnandum fuerunt donei, quàm ſi mutilæ & truncatæ fuiſſent ipſorum manus, actique ſunt prorſus imbelles. Deus enim ademerat eis conſilium & animi robur: ita factum eſt vt neque manus, neque reliquæ partes corporis ſuum officium ampliùs facerent. Hoc eſt quod Pindarus inquit in Nemeis, ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγονται καὶ παῖδες θεῶν, in diuinis pauoribus fugiunt etiam Deorum liberi, id eſt, præſtantes heroes fugiunt. Græca verſio ſic habet, καὶ οὐχ εὗρον οὐδὲν πάντες οἱ ἄνδρες τοῦ πλούτου ταῖς χερσὶν αὐτῶν.

7 Ab increpatione tua ſopitus eſt tam currus quam equus.

Confirmat eandem ſententiam, & pœnam diuinam etiam ad currus & equos, quorum vſus fuerat in bellis, extendit. Ipſi equi, inquit, & currus, ex quibus pugnabant viri armati, ſimul cum hoſtibus ſunt conciſi, idque factum eſt ſola increpatione tua. Increpare dicitur Deus cùm punit. Increpationes enim diuinę ſunt efficaces. Significat igitur hæc phraſis Deum ſolo nutu vel vnico verbo poſſe maximas hoſtium vires proſternere.

8 Tu terribilis es: quis conſiſtet coram facie tua? ex quo vel quando ira tua.

Repetitio eſt verſus quinti, vbi collationem inſtituerat propheta inter Dei potentiam, & hoſtium, qui eccleſiam eius oppugnant, ferociam. Hanc collationem copioſiùs in hoc & ſequentibus verſibus declarat. Poſterius pronomen אתה primùm vim habet verbi ſubſtantiui ſicut הוא. Deinde Dei potentiam & virtutem illa repetitio ita extollit vt omnes homines ab illa gloria excludat. Idem enim eſt ac ſi diceret, Tu ſolus es terribilis & metuendus: non homines, qui altos ſpiritus gerunt, quique faſtu & ſuperbia turgêt, & alios omnes præ ſe contemnunt, aut qui fiducia potentiæ ſuæ & virium totum orbem terrarum miſcent, ſuóque imperio ſubiicere tentant. Nemo enim eſt qui incutere terrorem talem hominibus poſſit, qualem tu.

Et quis conſiſtet] Hæc interrogatio tanquam ratio prioris membri ſubiicitur. Nemo enim eſt quantumuis tumidus & inflatus fiducia ſuæ potentiæ, qui huic reſiſtere poſſit, ſi vel modicum ira eius accendatur. Interdum quidem diſſimulat, nec mox ad vindicandum proſilit Deus: atque interea eius patientia abutuntur homines ſcelerati: ſed ſi vel leuiter exardeſcat eius ira, nemo eſt tam fortis, potens aut ferox, quem non vnico momento funditus euertere poſſit. Tantum enim terrorem ſubitò vel potentiſſimis iniicit, vt concidant atque exanimentur.

9 Ex cælis audire feciſti iudicium: terra timuit & quieuit.

10 Quum exurgeret ad iudicium Deus: ad ſeruandum omnes oppreſſos terræ, Selah.

Videtur loqui de inſolito quodam liberationis genere, quod omnes intellexerint à nullo niſi à Deo eſſe. Iudicat & punit Deus homines impios & hoſtes eccleſiæ ſuæ in hac vita, variis modis & mediis vtens, nec tamen ab omnibus intelliguntur illa iudicia eſſe diuina. Plerique enim prudentiæ & virtuti hominum, alij occaſionibus aut fortunæ euentus felices in bellis adſcribunt: pauci ſunt qui hos ipſos Dei dona eſſe agnoſcant. Ideo interdum Deus è cælo facit audire iudicium, id eſt, vtens modo extraordinario ſeu inuſitato, ita iudicat & punit hoſtes, vt omnes agnoſcant & fateri cogantur hæc diuina eſſe iudicia, & nihil hic tribuendum eſſe externis mediis, quæcunque illa ſint. Hoc ſenſu dicit, è cælo tanquam aliquod tonitru reſonaſſe Dei iudicia, & ſuo fragore hoſtiû animos percelluiſſe, vt tâquam exanimati ſeu metu attoniti ad hanc vocem quieſcerent, & Dei iudicium agnoſcerent, ita vt ne hiſcere quidem contra auderent.

Quum exurgeret] Addit cauſâ finalem, cur iſta iudicia Deus exerceat: vt hoſtes, inquit, puniat & perdat, pios verò ſeruet & liberet. Surgit qui aliquandiu ſedit aut quieuit. Ita hoc verbo ceſſationem aliquam, quæ præceſſerit, ſignificat. Ea verò ſicut valde angit & cruciat animos piorum: ita libidinê & inſolentiam hoſtium confirmat. Sed tandem Deus declarat quod iuſtus ſit iudex.

11 Certè indignatio [*furor*] hominum confitebitur tibi: reſiduum [*reliquias*] irarum ſuccinges (*quaſi vinculo conſtringes & cohibebis.*)

Amplificat narrationem de potentia Dei à teſtimonio hoſtium. Ipſi hoſtes, inquit, quantumuis ſint feroces, aut ingentes m nas ſpirent aduerſus te & eccleſiam tuam: tamen tandem ſuis calamitatibus edocti coguntur fateri, tuam manum multò potentiorem eſſe ſuis viribus, tibique laudem iuſtitiæ & potentiæ deberi. Et tandem ſuo furore nihil aliud efficiût quàm quòd Deû faciût celebriorem. Vt cùm Iulianus accepto vulnere lethali clamat, νενίκηκας Γαλιλαῖε. Aut cùm magi in Ægypto dicunt, Verè hic eſt digitus Dei. Aut cùm Rodol-

Rodolphus, quem pontifex Romanus aduerſus imperatorem Henricum concitarat, manum amputatam oſtendens epiſcopis, inquit, ecce hæc manus eſt, qua iuraui Imperatori: nunc iuſtè pœnas do meæ perfidiæ. Ita clades exercitus Sennacherib verè erat teſtimonium diuini iudicij aduerſus ipſum, quod & ipſe agnouit, & teſtati ſunt, qui ei à filiis interfecto monumentum poſuerunt, his verbis ſtatuæ eius inſcriptis: εἰς ἐμὲ ὁρῶν τὶς εὐσεβὴς ἔςω. Alij paulo aliter interpretantur: Tu impios ad hoc ſuſcitas, vt hoc modo illuſtres tuam gloriam: ſicut de Pharaone dicitur, In hoc excitaui eum, Exodi 9.10.

Reliquias indignationum ſuccinges] Id eſt, etiāſi interdum recolligant vires, & rurſus arma tuæ eccleſiæ inferre tentent, magno conatu atque impetu concitati: tu tamen conſtringes eorum indignationem & furorem, ne vltra quàm eccleſiæ tuæ expediat, erumpat. Vel, vt alij verbum חגר interpretantur, tu quaſi in faſciculum colliges, ſi quid reliquum ſit furoris, & colligabis, vt prorſus abiicias. Nonnulli pronomen *te* adiiciunt verbo חגר contra reliquias indignationum te accinges, vt eis obuiam eas & harum conatum impedias, ſumpta metaphora à militibus accingentibus ſe ad bellum: ſed prior ſententia videtur eſſe ſimplicior.

12 Vouete & reddite Iehouæ Deo veſtro, quicunque in circuitu eius: adferant munus terribili.

Epilogus eſt, in quo hortatur vniuerſam eccleſiam, vt ſuo exemplo iuſta Dei iudicia in aſſidua defenſione & liberatione eccleſiæ agnoſcant & grato animo celebrent. Vota enim hoc loco non alia intelligit quàm illa de quibus ſuprà aliquoties dictum eſt, vt pſalmo 50.56.61 65.66. Vnde quæ ad hunc verſum pertinent, petantur. Solebant in lege vouere σωτήρια quæ offerebant poſt impetratam ſalutem aut pacem, vt teſtarentur ſe ſuam ſalutem acceptam referre Deo. Ad hunc morem reſpicit: & tanquam vnus ex populo legis loquitur.

Quicunque in circuitu eius] Id eſt, quicunque ad cultum eius ſacrum conuenitis in hoc loco, vbi templum & habitaculum eius eſt. Iudæi enim quoties conueniebant ad templum celebraturi ſacra & oblaturi victimas, templum ſeu tabernaculum circumdabant: & in deſerto tabernaculum erat in medio caſtrorum poſitum, vt ab omnibus cingeretur. Leuitæ etiam in circuitu templi excubias agebant. Huc igitur reſpicit. Et munera intelligit ſacrificia pacifica. nos vitulos labiorum noſtrorum offerimus.

Alij ad vicinas gentes hoc membrum accommodant, quaſi has quoque ad ſocietatem cultus inuitet.

Terribili] מורא nomen eſt ſubſtantiuum, & ſignificat timorem. Sed ſæpe abſtracta per auxeſin ſumuntur pro concretis. Terror igitur hic accipitur pro terribili, aut pro eo qui dignus eſt quem metuant omnes: vt nomen affectus accipiatur pro eius obiecto, vt aliâs ſæpe.

13 Abrumpet [*auferet*] ſpiritum principum: terribilis regibus terræ.

Addit rationem, quæ habet vim epiphonematis. Verbum בצר ſignificat tempore vindemiæ auellere vel abſcindere botros à racemis. Eſt igitur metaphora hoc loco, qua ſignificat, Deum impiis & ſceleratis tyrannis auferre mentem & prudentiam, & adimere omne animi robur: vt qui antea videbantur inuicti, & erant cunctis formidabiles, inopia conſilij ſubitóque metu ac terrore fracti animum deſpondeant, ſibíque mortem vltrò conſciſcant, vt Saul, Diocletianus, Arbogaſtus & ſimiles, quorum fit mentio in hiſtoriis: ſicut ècõtra bonis & piis addit animos, vt ſine metu adeant pericula & fortiter ac feliciter prælientur, vt Dauidi, Conſtantino Theodoſio & ſimilibus.

Terribilis regibus terræ] Qui ſcilicet alioqui videntur nullum numen metuere (ſicut Cyclops apud Homerum dicit ſe non curare fulmen Iouis) ij tandem ſentiunt eſſe Deum, cui ſatis ſit roboris & virium ad proſternēdas atque euertendas maximas hominum vires, ideóque iudicia ipſius, velint nolint, coguntur metuere. Id verò ad conſolationem piorum plurimùm facit, ne intuentes perpetuos ſucceſſus & potentiam impiorum, animo frangantur, aut de ſalute ſua deſperent.

PSALMI LXXVI.

PARTES.

I. Exordium, generatim proponens argumenta duo laudationis Dei. 1. A mirificis operibus (v.2.) quibus ſe ipſum in Eccleſia ſua nobilitauit Deus. 2. A ſingulari ipſius præſentia & habitatione in Ieruſalem & templo, v.3. vnde miſit Angelum ſuum perditurum copias Sancheribi Lachiſchum oppidum obſidentis: 2.Reg.19.& 2.Chr.32.& Iſai.37.

II. Inſignis huius cladis Narratio, rem ipſam velut oculis ſubiiciens, v.4.5.6.7.

III. Propoſitio doctrinæ ad Eccleſiam peruenientis ex illa narratione, reuerentiam Dei omnipotentis mentibus piorum magis ac magis inſculpens, v.8. Ἐργασία propoſitionis ſubiicitur v.9.& 10. ab exemplo totius terræ, quod metaphoricè exponit Pſaltes, Deum cum iudice terreno comparans. Sententiæ verò ſummi illius iudicis duplex vſus, v.11. proponitur. 1. Impiorum manu Dei repreſſorum interitus Dei omnipotentiam demonſtrat, ad illius laudem. 2. Eccleſiæ conſeruatio, idem præſtat.

IIII. Concluſio hortatoria ad gratiarum actionem, v.12. Ratio petita, v.13. ab inuicti roboris, quo vel potentiſſimi Eccleſiæ hoſtes coercentur, conſideratione.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2.3 Perpetua Dei cura in tuenda quam elegit eccleſia hoc pſalmo laudatur, vt de eius protectione fideles gloriari non dubitēt.

Quum Eccleſia inſigne ſit gloriæ Dei theatrum, ſedulò ſemper cauendum eſt ne beneficia in eam collata, præcipuè quorum memoria vigere debet omnibus ſeculis, ingratitudo noſtra obruat.

Quanuis nunc in tabernaculo viſibili non colatur Deus, quia tamen per Chriſtum in medio noſtri & in nobis ipſis habitat, experiemur haud dubiè, quoties opus fuerit, nos ſub eius protectione ſaluos ac tutos eſſe.

4 *Qualis ſit Deus agnoſcimus, quum admirabilis virtutis ſuæ ſpecimen in eccleſia ſeruanda, & impijs vi nocendi erepta oſtendit,*

Variis armis hoſtes eccleſiam oppugnant: ſed multiplici auxilio eam protegit Deus, potentique manu facilè impiorum vires cõterit.

5 *Dum aduerſarij noſtri hoſtiliter graſſantur, Deus ſupra omnes excelſus terribiliſque prædatoribus iſtis nubes vertice ferientibus apparet, ne terroribus ſuccumbamus.*

6.7 *In manu Dei eſt quicquid facultatis ſuppetere videtur hominibus, vt ſingulis momentis quā dedit prudentiam eripere queat; corda effœminare, manus reddere imbelles, totúmque robur contere re. Ergo vt nos ſubſidia omnia deſtituant, ſufficiat nobis vnicus Dei fauor, quando non opus habet magnis copiis ad repellendos totius mundi impetus, ſed ſolo flatu diſcutere eos poteſt.*

8 *Quicquid eſt in mundo potentiæ, facilè efflatur & concidit in nihilum vbi Deus in medium prodit: & quanuis ſuperbia crepent impij, ſimul ac tamen aduenerit iræ diuinæ tempus, ſummi iudicis conſpectum ferre non poterunt.*

9 *Quādo Dei iudicia adeo illuſtria ſunt, vt fortunæ vel induſtriæ hominum nullo modo adſcribi poſſint, & genus auxilij eſt inſolitū, è cælis proficiſci dicuntur: ac vbi detonat ex alto Deus, ceſſant tumultus quos rebus confuſis excitabat impiorum proteruia. Nec proficiūt homines ſua peruicacia, quia fulminibus conteri neceſſe eſt quicunque paternam Dei vocem ſtrepitu contempſerint.*

10 *Tribunal conſcendere Deus dicitur, vbi claro effectu oſtendit ſibi curæ eſſe eccleſiam: nec magis fieri poteſt vt miſeros & innoxios deſerat quàm vt ſeipſum abneget: vocaturque iudex, vt ſciamus eum iniuſtè oppreſſis afferre auxilium. Et hic optimus eſt afflictionum fructus, animos noſtros ferocia purgatos ad manſuetudinem ac modeſtiam flectere: quia inde certò colligimus nos Dei clientes eſſe, quibus opitulari velit.*

11 *Quamuis initio impiorū furor omnia perturbans quaſi tenebras obducat, tandem cadet in laudem Dei, quia euentu palam fiet, quicquid moliantur, nihil tamen poſſe contra Deum. Non deſinent quidem truculentiam ſpirare, ſed Deus eos impediet ac conſtringet, ne exequantur ſuos conatus.*

12 *Non modò grati eſſe debemus ergaDeum, nec ſolùm in ſubitam confeſſionē erumpere, ſed continuo temporis ſucceſſu teſtari penitus noſtris cordibus infixam eſſe liberationis memoriam. Præcipuum quidem eſt vt apud nos reputemus Deum eſſe ſalutis autorem: ſed non ſuperuacua eſt ſolennis pietatis profeſſio, quæ non modò ſe quiſque ad officium ſtimulat, ſed alij alios.*

13 *Tyrannos & prædones publicos infatuat Deus, quia videt eos ingenium & conſilia omnia ad nocendum applicare.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Laudum Dei argumentum, impiorum euerſio, piorum conſeruatio.
2. De potentia humana & diuina.
3. De Dei formidabilibus iudiciis, tum ordinariis tum extraordinariis.
4. Tribunal Dei in cœlis, vt terram iudicet.
5. De votis & ſacrificiis Euchariſticis.
6. De humanæ celſitudinis vanitate, quoties in Deum inſurgit.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVII.

PROPONITVR in hoc Pſalmo exemplum hominis luctantis cum ira Dei, & cum deſperatione. Quæ tentatio omnium grauiſſima & periculoſiſſima eſt, adeoque initium & guſtus æternæ dãnationis. Niſi enim quis diuinitus retrahatur atque eluctetur, mox mergitur & ruit in mortem & perit in æternum: quod triſtiſſima exempla Cain, Iudæ, & multorum aliorum etiam noſtra ætate teſtantur. Quo autem maius periculum eſt in hoc certamine, eo maiore ſtudio & diligentia comparanda ſunt remedia, ſeu arma, quibus hæc ignita diaboli tela excutiamus & extinguamus: idque faciendum eſt maturè, antequam illæ tentationes ingruant. Neque enim facilè in ipſo agone, niſi antea bene munitus ſis, arma illa ſeſe offerunt. Ea enim eſt diaboli aſtutia & malitia, vt etiam diu præmeditata, & longo vſu atque exercitiis confirmata nonnunquam labefactare atque excutere poſſit.

Propheta igitur vt magnitudinem huius periculi piis hominibus ob oculos ponat, lõga & triſti narratione ſeu querela ſuos dolores & certamina, quæ in hoc agone ſuo, in quo cum ſenſu iræ Dei & mortis æternæ luctabatur, ſuſtinuerit, & quàm non procul ab ipſa morte & portis inferorum abfuerit, recenſet. E regione verò remedia, ad quæ confugerit, & arma, quibus has cogitationes à diabolo immiſſas excuſſerit, vt tandem victor euaderet, oſtẽdit: atque ita ſuo exemplo nos inſtruit & docet, vt nos quoque, ſi quando his tentationibus fides noſtra tanquã fortiſſimo & duriſſimo ariete oppugnetur, diſcamus illas diaboli ἐπιβολὰς fortiter ſuſtinere, & tela ab ipſo emiſſa excutere. Continet igitur hic Pſalmus grauiſſimam doctrinam & conſolationem, quæ opponenda eſt terroribus mortis & inferorum, eóque diligentius à nobis illa meditanda & diſcenda eſt, quod nemo noſtrûm ferè ſit qui in veris pœnitentiæ exercitiis viuat, quem nõ interdum aliquis ſenſus horum dolorum, quorum hîc meminit, exerceat, aut grauiter etiam vulneret. Sicut igitur boni milites antequam ad bellum eant, armis neceſſariis ſeſe inſtruunt, atque ab aliis, quod ex vſu ſit, diſcunt: ita nos quoque ad hanc militiam multò antè nos præparemus, ne incautos aut nihil cogitantes nos circumueniat & opprimat diabolus. Quæ autem remedia ſint opponenda huic tentationi, in ipſa interpretatione videbimus.

AD triumphandum ſuper Ieduthun, Aſaphi Pſalmus.

De Ieduthun diximus in titulo Pſalmi 39. Inde igitur petantur quæ huc pertinere videntur.

2 Vox mea ad Deum, & clamaui: Vox mea ad Deum, & exaudiebat me.

Initio pſalmi, antequam de doloribus ſuis dicat, mox oſtendit maximè neceſſarium & efficaciſſimum ad ſedandos dolores remedium. Ait enim ſe non, vt alij multi faciunt, ex impatientia doloris & fremitu vel accuſaſſe Deum crudelitatis & tyrãnidis, aut voces blaſphemas emiſiſſe, quibus Deum contumelia afficeret, vel indulgẽdo dolori & diffidentiæ interitum ſibi acceleraſſe, vel etiam querelis & eiulationibus aerem fruſtra impleuiſſe: ſed rectà confugiſſe ad Deum, atq; in hunc dolorem ſuum exoneraſſe, ac petiuiſſe ne ſe à gratia illa, quam omnibus clementer offerat, excluderet. Hoc vnicum & verè ſalutare eſt remedium, quod his doloribus efficaciſſimè medetur. Quandiu enim mens & animus refugit Deum, aut fremit aduerſus eum tanquam iratum & ſeuerum iudicem, nõ poteſt deponere hos dolores, de quibus hîc concionatur: nec expletur lacrymis aut egeritur hic dolor, vt cæteri de quibus poëta loquitur: ſed quo magis huic quis indulget, eo magis ille creſcit, & fit ſæuior ex conſpectu noſtrarum ſordium & peccatorum, & conſideratione iuſtæ iræ & indignationis Dei aduerſus peccata. Non igitur priùs his liberamur, quàm remotis ex conſpectu peccatis noſtris, & animo auocato à cogitatione iræ & iudicij diuini, verbum gratiæ & promiſſionis intueamur, atque huius fiducia ad thronum illum gratiæ diuinæ accedamus, & nos recipi atque exaudiri petamus. Id verò quàm difficile ſit, experiuntur illi quibus aliquando cum his doloribus eſt luctandum. Homines verò ſecuri & voluptatibus ebrij nihil horum intelligunt: ideo parum fructus aut vtilitatis ex lectione horum pſalmorum percipiunt.

Et clamaui] Non ſatis fuit preces fudiſſe ad Deum, ſed inſuper inquit ſe clamaſſe, vt primùm magnitudinem doloris ſui, deinde ardorem deſiderij exprimat. Quo enim maior eſt cruciatus, eo vox magis intẽditur: & quo magis ſolicitè expectamus & expetimus opem, eo precatio fit ardentior. Repetit autẽ quod antea dixerat: *Vox mea ad Deũ*, vt oſtẽdat ſe nõ ſemel atque iterum clamaſſe, ſed perſeueraſſe in illo propoſito orandi, etiã ſi non mox ad primas preces conſolationem aliquam perciperet: atque ita tandem id quod petebat impetraſſe. Hæc diligenter obſeruanda à nobis, & in ſimilibus doloribus ad vſum transferenda ſunt. Non mox ad prima vota noſtra ſentimus conſolationem: ſed ſæpe etiam duriter ſicut mulier Cananæa, à Chriſto repellimur, dum cogitationes de particularitate & indignitate noſtra nobis obrepunt. Hic verò opus eſt vt inſtemus orãdo & perſeueremus, ſicut mulier Cananæa & propheta hoc loco, nec deterreamur conſpectu indignitatis aut peccatorum noſtrorum, aut etiam cogitationibus illis de particularitate. Ita tandem impetrabimus vt exaudiamur, & retracti ex illis doloribus conſolationem accipiamus.

3 In die afflictionis [*anguſtiæ*] meæ Dominum quæſiui: manus mea nocte extracta [*effuſa, extenſa*] eſt, & non ceſſauit: renuit conſolationem accipere anima mea.

Repetit eandem ſententiam. Quia in hac re arx & præſidium ſalutis noſtræ poſitum eſt. Nunquam enim liberamur, ſi ab hac arce nos depelli patiamur. Ideo ſæpius eandem rem inculcat.

Anguſtiæ] Qualis illa fuerit afflictio & anguſtia, exponit ſequenti membro, quando dicit, Renuit conſolationẽ accipere anima mea, id eſt, cùm anima eſſet oppreſſa horribilibus doloribus & tentationibus de abiectione ſui à conſpectu & gratia Dei, cùmque tanta eſſet horum dolorum magnitudo, vt eluctari inde non poſſem, ac propemodum iam abſorptus eſſem, in illo, inquit, ſummo periculo ego quæſiui Dominum tanquam vnicum & verum medicum, qui his doloribus rectè mederi poſſet; non quæſiui inania θελκτήρια, quæ ad tempus dolores ſedarent, & eoſdem paulo pòſt acerbiores redderent: vt ſolent alij, qui remoto ex conſpectu iudicio Dei, tanquam porci proiiciunt ſe ad voluptates & delicias, quibus ſe aliquantiſper oblectant.

Manus mea nocte effuſa eſt & non ceſſauit] Id eſt, non tantùm interdiu ad te clamaui, ſed etiam noctu, quando dolores animi maximè hominem infeſtant, ego extendi ad te manus ſine intermiſſione, nec defatigatus ſum orando, donec aliquam leuationem & conſolationem ſentirem, etiamſi diu anima renuit conſolationem accipere. Ita luctam ipſam deſcribit, cùm inquit animam ſubinde reclamaſſe & repudiaſſe omnem conſolationem: & tamen affirmat ſe perſeueraſſe in orandi propoſito, nec priùs remiſiſſe, quàm, quod peteret, obtineret. Alij manum interpretantur plagam ſeu vulnus, quod perpetuò fluxerit, eo quod eſſet ſanioſum & purulentum. Sed quod ſuprà pſalmo 62. dicit corã Deo effudere

cor ſuum,id videtur hoc loco transferre ad manus,quas dum magno deſiderio expandimus,effundere quaſi videmur : & in ſeriis animorum motibus geſtus corporis congruunt cum corde.

4 Recordabar Dei & inquietus eram [*tumultuabar*] meditabar, & mœrore opprimebatur ſpiritus meus,Selah.

Poſtquam de remedio dixit,nunc incipit vim & magnitudinem doloris ſui & periculi grauitatem exponere. Eſt igitur in hoc & ſequentibus verſibus triſtis querela animi anxij & luctantis cum extrema deſperatione & ſenſu mortis æternæ : quæ profectò talis eſt vt eius cogitatione animus pius cohorreſcat:nec intelligunt hanc orationem niſi qui aliquando huius rei aliquem guſtum perceperunt.

Primùm, inquit, cùm inuaderent me illi dolores, recordabar quidem Dei, hoc eſt, cogitabam quam eſſet benignus & miſericors erga omnes qui ad gratiam ipſius confugerent: memoria repetebam etiam omnia beneficia mihi antehac exhibita , quæ teſtimonia eſſe poterant amoris diuini erga me: colligebam item exempla eorum quos antehac in gratiam recepiſſet:ſed tanta erat doloris magnitudo , vt initio his cogitationibus parum proficerem. Animus enim interea tumultuabatur & inquietudine agitabatur, nec inuenire poterat vbi acquieſceret. Subinde enim recurrebant dolores: Deus offerebat ſe mihi non placido aut ſereno vultu : ſed tanquam iratus & ſeuerus iudex , cuius conſpectu ita turbabar , vt ſpiritus operiretur & obrueretur tanquam ſyncope & ſubinde deficeret.Id enim ſignificat hoc loco verbum עטף Hæc profectò triſtis eſt querela, de qua cogitantes, exhorreſcere & toto pectore orare Deum debemus, ne nos inducat in huiuſmodi tentationes. Non enim omnes facilè eluctantur : ſed multi his tentationum fluctibus oppreſſi abſorbentur & pereunt in æternum:cuius rei exempla vidimus noſtra ætate non pauca.

5 Tenuiſti cuſtodias oculorum meorum: perculſus ſum & non loquar.

Id eſt,dolores illi quos incuſſeras mihi,non dabant locum ſomno, ſed totas noctes peruigiles duxi.In magnis enim doloribus, ſi nulla detur reſpiratio aut interuallum , oculi non poſſunt ſomnum capere , quia cor æſtuat & fuligo aſcendens turbat cerebrum.

שמרות Alij vigilias ipſas , in quas noctes à veteribus diſtribui ſolebant, interpretantur,alij palpebras,quæ ſunt tegmenta & quaſi cuſtodiæ oculorum,alij, tenuiſti vigiles : tanquam nomen Toar,id eſt, adiectiuum. Sed hoc minùs congruit ad grammaticam.

Addit deinde ſe ita fuiſſe perculſum & exanimatum vt loqui non poſſet.Paruæ enim curę,vt dici ſolet,loquuntur, ingentes ſtupent. In magnis enim doloribus & conſternationibus ſpiritus deficit exteriora membra , & recurrit ad fontem,inde exteriora omnia ſtupent tremit totum corpus, oculi quaſi immoti conſiſtunt, nec lingua ampliùs officium facit.Inde eſt quòd Niobe à poetis fingitur conuerſa in ſaxum. Et nota eſt Pſammeniti hiſtoria apud Herodotum,qui ad calamitates liberorum ſedit tacitus & ſtupens,cùm amici calamitatem multis lacrymis & planctu proſequeretur.

Videtur autem ſecum pugnare propheta , qui nunc dicat ſe ita perculſum fuiſſe dolore,vt vocem emittere non potuerit , cùm antea dixerit , ſe ſæpius iteraſſe preces & clamores. Sed facilis eſt ſolutio conſideranti vices tentationum & dolorum : in hac enim querela loquitur de doloribus quando fuerunt intenſiſſimi, cum nulla adhuc ſolida conſolatio , in qua acquieſceret,ſe offerret. Exordium verò oſtendit, quomodo tandem dolorem nonnihil ſuperarit.Illas viciſſitudines ſentiunt luctantes : etiam cùm interdum vincit fides, recurrunt tamen dolores & fidem penè ſubmergunt,donec illa effulgens atque emicans victrix euadit.

6 Cogitaui dies antiquos [&] annos ſeculorum.

Alterum remedium quod adhibuerit iſtis ſuis doloribus, eſt cogitatio liberationum eccleſiæ inde vſque ab initio lapſi & recepti in gratiam generis humani. In hac cogitatione non dubium eſt primùm veniſſe ei in mentem ipſum Adamum, qui ſuo peccato non ſe tantùm, ſed totam poſteritatem in triſtiſſimam mortem & damnationem coniecerat: & tamen receptus eſt ille in gratiam & reſtitutus , cum quidem tantis doloribus eſſet oppreſſus vt cum conſpectum Dei ferre amplius non poſſet, latebras paſſim quæreret , quibus ſe à facie Dei occultaret. Poſtea reliqua etiam exempla liberationum conquirebat: vt quòd ſolus Noe cum ſua familia ſeruatur in diluuio:quod populus Iſraeliticus ingenti miraculo educitur ex Ægypto, & ſeruatur in mari rubro: quòd Aaron autor horrendæ idololatriæ non abiicitur, nec abſorbetur ab ira diuina : quòd populus Iſraeliticus moræ impatiens & fremens in deſerto aduerſus Deum & eius miniſtros non totus conſumitur in deſerto , ſed tandem introducitur in terram promiſſam. Poſtremò ſuas quoque liberationes , in quibus antehac præſentiam & amorem Dei erga ſe conſpexerat,memoria repetiuit.Atque his omnibus etſi non ſubitò ſedare dolorem potuit : tamen hoc effecit vt tandem animus nonnihil ſeſe colligeret & reſpiraret. Conferebat enim exempla , vt poſtea dicit,ad promiſſiones, & ad has illa accommodabat , atque inde ſtatuebat Deum nunc alium non fore quàm fuerat antehac. *Dies* igitur *antiquos & annos ſeculorum* nominat hoc loco exempla priorum liberationum , in quibus omnibus Deus non ita ſeuerum ſe oſtenderat,quin iuſtitiam ſuam miſericordia temperaret.

7 Recordabar carminis mei: nocte cum corde meo meditabar:& inueſtigabat ſpiritus meus.

Tertium argumentum quod oppoſuit illis tentationibus, fuit cogitatio promiſſionum diuinarum , quas ipſe toties carminibus expreſſerat & adhibitis organis muſicis decantarat:deinde recordatio lętiorum temporum priorũ, quibus beneficia diuina ſibi exhibita variis carminibus celebrare ſolebat. Hæc cogitatio etſi plurimùm lenire dolorem potuit : & paulo pòſt ipſe id intellexit:tamen initio antequam fides vinceret , adeo id non præſtitit,vt etiam acriùs tunc animum eius vulneraret : ſicut mox ex ſequentibus verſibus apparebit. Dolebat enim plurimùm ſe nunc Deum non ſentire talem , qualem in promiſſionibus ipſe ſe pingit, aut qualem hactenus erat expertus. Ideo poſtea inquit. Num in perpetuum repellet Deus? Hæ ſunt technæ & artificia diaboli, vt etiam dulciſſimum mel in amariſſimum fel conuertat.

Nocte cum corde meo meditabar] Rurſus mentionem noctis facit,quia ſub noctem , vt poeta inquit, cura recurſat,& augetur propter ſolitudinem. Nam interdiu variis obiectis & interpellationibus hominum animus interdũ à ſenſu doloris auocatur. Nocte igitur cùm ſolus eſſet & remotus à conſpectu hominum , cœpit recurrere dolor animamque eius grauiùs infeſtare. Hic igitur cœpit ſecum diſputare & colligere omnia quæ ad ſedandum dolorem facere videbantur:ſed non mox eſt eluctatus. Ideo inquit,ſe cum corde ſuo diu multúmque diſputaſſe,& ſpiritum inquiſiiſſe, quaſnã ob cauſas tantopere affligeretur, & cur Deus tã diu differret auxilium & conſolationem. In illa igitur inquiſitione & diſputatione multa ei venerunt in mentem, quæ aliqua ex parte ipſe iam commemorat. Græcus interpres videtur pro ויחפש legiſſe ויחפר Reddidit enim ἔσκαλλε τὸ πνεῦμά μου. Eſt autem σκάλλειν fodere, ſicut חפר Hebræis. Latinus habet,ſcopebam ſpiritum meum. Nonnulli interpretes poſterius mẽbrum huius verſus paulò aliter interpretantur. Nam cùm nomen ſit fœmininum , verbum verò quod adiungitur, formæ ſit maſculinæ,ſubaudiri volunt nomen Dei ,& hunc ſenſum eliciunt: Deus ſcrutatur ſpiritum meũ his tentationibus, & explorat cor meũ quale illud ſit,vt videat ſeriò ne credã Deo,an verò ſimulata ſit religionis profeſſio. Sed quia non inuſitatum eſt in Hebræa lingua nomina & verba diuerſorũ generum coniũgi, retineo priorem ſententiã, quę eſt planiſſima & ſimpliciſſima,& cum ſequẽte oratione rectè cohęret.

8 An perpetuò [*in ſecula*] repellet Dominus?& non addet beneuolus eſſe [*bene velle*] amplius?

9 Nunquid prorſus defecit pietas eius? conſumptum eſt [*deſiit*] verbum in generationem & generationem?

10 An oblitus eſt miſereri [*vel gratiarum: vt ſit nomen*] Deus? nunquid contraxit in ira miſerationes [*miſericordias*] ſuas? Selah.

Ἐξήγησις eſt ſuperioris membri , in quo dixerat ſe multa diſputaſſe ſecum & inquiſiuiſſe ſpiritu ſuo. Atque ita oſtẽdit quales fuerint cogitationes animi luctantis cum ira Dei & cum deſperatione Cùm enim dolor non remitteret,etiamſi multæ quæ ad eum ſedandum factura videbantur , animo colligeret,ſed ſubinde ille magis intenderetur & creſceret: tandem penè fractus magnitudine & mora calamitatis erumpit in has voces, *An in ſecula repellet*? Hæc epitaſis eſt huius certaminis,in qua parum abfuit à deſperatione. Videbat nullis remediis hactenus ſedari potuiſſe dolorẽ. Ideo diabolus immittit ei has cogitationes,fruſtra eũ reſpicere ad gratiam & miſericordiam diuinam:quia ira Dei ita accenſa & effuſa ſit,vt ſedari aut extingui poſthac non poſſit: nec reſtare aliud quàm triſtem damnationis ſententiam,quæ ei expectãda ſit.Hæc cogitatio grauiter eum exercuit.Sed tamen inter

has ipſas tentationes lucet aliqua fidei ſcintilla. Etſi enim ratio aut diabolus hoc ei dictabat, nullum ampliùs eſſe gratiæ aut veniæ locum: tamen ille interea ad naturam Dei reſpicit, quam cùm ſciat eum exuere non poſſe, hac ipſa cogitatione ſe rurſus nonihil erigit & confirmat. Ita quanquam querela eſt triſtis in his verbis: tamen ſimul argumentum fidei illuſtre eſt aſperſum.

Animus ita oblatrat ei, Deus in æternum abiecit te: non ampliùs proſequitur te fauore: fruſtra quæris conſolationes in verbo, quod ad te non pertinet. Deus enim contraxit ſuas miſerationes: nec ad omnes eas extendit. Inter has ipſas verò cogitationes fides rurſus aſſurgit, & primùm ad naturam Dei reſpicit, quam ſcit perpetuò eandem eſſe. Ideo per interrogationem hanc orationem effert: quaſi dicat, Audio quidem te hæc mihi ſubinde ingerere, quòd perpetuò ſim abiectus: ſed eſtne ea Dei natura, vt quos ſemel fauore complexus eſt, deinceps abiicere à ſe & repudiare omnino poſſit? poteſtne ita curſum paterni amoris abrumpere, vt deinceps obliuiſcatur ſe eſſe patrem? An clementia eius tantùm eſt momentanea? qua ſi quando aliquem proſequi cœpit, mox mutato propoſito odiſſe eum incipiat? eſtne ita ſui diſſimilis Deus? Deinde, ita ne abſumptum eſt aut periit verbum, vt nulla ampliùs conſolatio ſit reliqua? aut, fruſtra ne verbum ſuum patefecit? vt qui ſe clementem & miſericordem in eo pingat, non talem etiam nobis ſe exhibeat? oblitúſne eſt ſuarum promiſſionum? aut, exuítne nunc naturam ſuam, vt qui hactenus miſertus ſit eorum qui ad gratiæ thronum confugerent, nunc ampliùs recipere eos nolit? Ita ne miſericordia eius nunc contracta eſt, vt qui hactenus omnes ad ſe confugientes vltro & benignè ſuſcepit, nunc delectum habeat nec idem ſit omnibus? Hæc eſt illa lucta grauiſſima, in qua etſi caro nihil niſi triſte Dei iudicium & damnationẽ videt, & iamiam quaſi ceſſura & ſe permiſſura tentationum fluctibus videtur: tamen fides interea luctatur & pugnat. Et quanquam languida eſt: tamen hanc ipſam languentem & propemodum deficientem fidem Deus erigit & confirmat, vt tandem victrix euadat.

Eſt autem hoc *quartum* argumentum, quod opponendum eſt illis tentationibus de abiectione noſtri, ſumptum à natura Dei, quæ perpetuo vna & eadem eſt: de conſtantia item & veritate eius in promiſſionibus patefactis, déque harum promiſſionum vniuerſalitate. Hinc enim veræ & ſolidæ conſolationes in iſtis tentationibus petuntur.

11 Et dixi, Ægritudo mea [*ægrotare meum*] hæc: mutationes dexteræ Excelſi.

Concludit ſuperiorem diſputationem, & oſtendit quomodo tandem ex his doloribus eluctata ſit & emerſerit fides propemodum tentationum fluctibus oppreſſa. Ego quidem, inquit, his cogitationibus, quas ſuprà expoſui, grauiter aliquandiu exercebar, atque in grauiſſimam ægritudinem coniiciebar: ita vt non procul abeſſem à morte & portis inferorum. Iam enim fides incipiebat non tantùm languefieri, ſed remittere prorſus & cedere tentationibus, & videbatur plaga incurabilis. Sed fuit tamen illa plaga non perpetua nec lethalis: tandem enim dextra Dei hæc mutauit, meque ex his doloribus ereptum in vitam reuocauit. Non enim paſſus eſt Deus me his doloribus opprimi. Ita ſoli bonitati & potentiæ diuinæ hoc beneficium adſcribit, non ſuis viribus aut fidei robori. Imò ſuam infirmitatẽ deplorat & exaggerat, cùm inquit, hæc eſt ægritudo mea, vt è regione magnitudinem beneficij diuini in liberatione commendet, & quàm non fruſtra preces ſuas ad Deum fuderit, oſtendat.

Alij verbum חלותי exponunt, occidere meum, quaſi confeſſio ſit deſperationis. *Das iſt mein todt, oder, das iſts das mich tœdtet:* quaſi diceret, Tanta mole & congerie malorum ſum obrutus, vt neceſſe ſit me ſuccumbere.

שנות quidam vertunt annos, eodem tamen ſenſu quo alij mutationes, Habent enim anni in Hebræa lingua nomẽ à reuolutione, qua in ſuos circulos vertuntur. Quo reſpiciens Virgil. 2. Georg. inquit,

Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

Annos igitur interpretantur reuolutiones, vbi tandem ſuperatis doloribus ſuccedit fides victrix. Poſterius membrũ plerique ſic reddunt: hæc mutare poteſt dextra excelſi. Ego verò exiſtimo aſſeuerationem eſſe non de mutatione quæ fieri poſſit, ſed quæ iam facta ſit, ſicut antea, cùm de precibus ſuis aſſiduè ad Deum fuſis loqueretur, mox ſubiicit, & exaudiebat me.

12 Recordabar operum Dei: certè recordabar ab initio mirabilium tuorum.

13 Et meditabar in cunctis operibus tuis: & in factis tuis commentabar.

Quintum & poſtremum argumentum, quod oppoſuit illis ſuis doloribus, penè idem eſt cum ſecundo, de quo dictum eſt verſu ſexto: ſed plura tamen hîc complectitur. Non enim nunc loquitur tantùm de liberationibus antea in eccleſia factis, quarum conſideratio fidem vehementer cõfirmat: ſed ſimul conſilium Dei & modum, quo ille in collectione, gubernatione & defenſione eccleſiæ ſemper ſit vſus, ſecũ perpendit. Hæc cogitatio in primis efficax eſt ad cõſolationem. Non enim vocat Deus eccleſiam ſuam ad delicias huius mundi, ad voluptates, ad otium perpetuum, ad animorum ſecuritatem aut indolentiam, ſicut multi imaginantur, & ſicut omnes ferè optamus: ſed ad duriſſima & periculoſiſſima certamina, quæ ſubeunda nobis ſunt in hac vita aduerſus diabolum, mortem, peccatum, & carnem noſtram: cum quibus perpetuò nobis pugnandum & confligendum eſt. Vita enim hominis pij perpetua militia eſt in hac terra, vt dicitur in libro Iob: & cur Deus eccleſiam ſuam ita exerceat, cauſæ ſunt grauiſſimæ, quæ alibi exponuntur. Et tamen, quantumuis duriter premat & caſtiget eccleſiam Deus, mirabiliter eã ſeruat & defendit, & tandem etiam glorioſè eam liberat ex ſuis ærumnis, vt potentia ipſius & præſentia in eccleſia ab omnibus conſpiciatur: ſicut paulò pòſt dicit, Scire feciſti in populis robur tuum.

His igitur cogitationibus & meditationibus dicit ſe plurimùm adiutum & confirmatum eſſe: & ſuo exemplo monet vt in ſimilibus animorum doloribus ſimilia remedia adhibeamus, hoc eſt, vt cogitemus conſilium Dei, cur eccleſiam ſuam velit ſubiectam eſſe cruci, cur præcipua membra eccleſiæ, vt Dauidem, Paulum & ſimiles duriùs ferè exerceat quàm alios: nec fieri nobis iniuriam exiſtimemus, ſi ad ſocietatem horum certaminum vocemur. Si enim ſummis illis luminibus eccleſiæ Dauidi, Paulo, imò filio ſuo proprio non pepercit, non peculiarem nobis fortunam poſtulemus. Deinde exempla liberationum etiam colligamus, in quibus Deus aſſiduè ſuam præſentiam & potentiam in eccleſia oſtendit, & his fidem noſtram confirmemus. Non enim alium ſe nobis exhibebit, quàm ſe aliis ab initio conditæ & huc vſque conſeruatæ eccleſiæ oſtendit. Ac ſicut Dauid & alij eum præſentem in ſuis doloribus & anguſtiis ſenſerunt: ita nobis quoque eum adeſſe non dubitemus. Hæc vtilis & neceſſaria eſt doctrina in magnis animorum doloribus, de qua libri philoſophorum prorſus ſunt muti: eóque gratior ea nobis eſſe debet.

Opera Dei nominat illam aſſiduam præſentiam Dei in eccleſia, eiuſque defenſionem. Mirabile ſeu mirabilia nominat illum mirabilem modum gubernationis, defenſionis & liberationis piorũ in hac vita, qui prorſus rationi noſtræ abſurdus videtur. Ratio enim iudicat, iis qui Deo curæ ſunt non poſſe non bene eſſe in hac vita: ſed Deus hos maximè affligit, vt nemo ſit ærumnoſior illo cœtu qui dicitur eccleſia. Quos enim diligit, hos caſtigat. Et tamen hunc miſerum & ærumnoſum cœtum aſſiduè regit, defendit & ſeruat Deus: & facit vt inter ipſas ærumnas eius decus magis luceat, ipſáque eccleſia floreat & creſcat. Hoc eſt igitur illud mirabile Dei opus, de quo hîc loquitur, quòd ſcilicet Deus ſuos cultores priùs ad inferos vſque deiicit, & deinde glorioſè eos reducit & exaltat: quòd priùs mortificat & deinde viuificat, vt dicitur 1. Sam. 2.

Decimus tertius verſus repetit eandem ſententiam. Eſtque illa iteratio non otioſa: oſtendit enim ſe aſſiduò conſideraſſe illa opera, etiamſi ratio ſubinde alia ei ſuggereret, quæ eum tranſuerſum raperent, vel etiamſi non mox auxilium affulgeret, ſe tamen vrſiſſe ſuum inſtitutum, nec deſiiſſe ea colligere ac meditari quæ ad ſedandum hunc dolorem facerent: nec ſequutum eſſe exemplum maximæ multitudinis hominum, qui cùm vident ſe non ſtatim tantùm proficere, vt obtineant quod volunt, mox verbum Dei faſtidiũt, tãquam inutile & parum efficax ad conſolandas & erigendas mentes dolore exhauſtas, ſéque excuſſo aut omiſſo Deo ad turpes voluptates aut alias profanas occupationes proiiciũt. Docet igitur perſeuerantia & aſſiduitate opus eſſe, ne mox ad primos ictus, ſi talem ſe non exhibeat Deus qualem optamus, reſiliamus aut deficiamus. Præpoſitio ב ponitur pro על quam rationem loquendi imitatur Paulus 2. Corinth. 2. ἐν χριστῷ λαλοῦμεν.

14 Deus, in ſanctuario via tua: quis Deus magnus ſicut Deus?

15 Tu Deus faciens mirabilia: notum feciſti in populis robur tuum.

Ἐξήγησις eſt ſuperiorum verſuum per apoſtrophen. Oſtendit enim qualia ſint opera Dei in eccleſia, quorum conſideratione fidem ſuam erexerit & confirmarit. Dicit autem in ſanctuario eſſe opera Dei, hoc eſt, opera Dei in eccleſia eſſe abſcon-

abſcondita humanæ rationi,nec apprehendi aut cognoſci niſi fide. Nam in ſanctuarium non patebat ingreſſus multitudini,eránque omnia in eo abſcondita &velata:ſed fide tantùm homines pij ea quæ in ſanctuario erant, intuebantur. Ita opera Dei non intelliguntur,niſi,vt pſalmo 73.dicitur, fide ingrediamur in ſanctuarium. Alij ſanctuarium cælum interpretantur,eodem tamen ſenſu quo alij templum. Nam quia cælum ſupra mundum eleuatum eſt, ideo niſi quis extra hunc mundum in cælum conſcendat, opera Dei non cognoſci aut comprehendi hac forma loquendi ſignificatur. Sunt enim viæ Domini altiores, quàm vt capere mens humana vel aſſequi ſuis viribus poſſit: & ſtultus eſt qui ex carnis ſuæ ſenſu eas metiri inſtituit aut conatur. Nonnulli ſimpliciter exponunt, Deus in ſanctitate,vel, in ſancto via tua, id eſt,quicquid tu facis eſt iuſtum,pium & ſanctum,nec potes accuſari alicuius iniuſtitię aut tyrannidis: etiamſi interdum videaris nobiſcum ſeueriùs aut duriùs agere.

Via Domini quid ſignificet,ſæpe aliâs dictum eſt,vt pſalm. 67 & alibi.

Quis Deus magnus ſicut tu] Id eſt,etiãſi infinita ſibi homines fabricent aut quærant numina in ſuis ærumnis aut periculis: tamen non eſt qui poſſit tam potenter & mirabiliter ſeruare nos ſicut tu. Comparatio eſt, quæ non affirmat plures eſſe Deos: ſed mundi dementiam arguit & caſtigat,quòd non vno Deo contentus,cuius gloria & potentia ita conſpicua eſt,plures Deos ſibi fabricet. Si enim rectis & puris oculis aſpicerent homines Dei opera,facilè in ipſo vno acquieſcerent.

Tu facis mirabilia] Probat & confirmat antecedens membrũ à Dei operibus. Ipſe ſolus eſt magnus, quia ipſe eſt qui mirabilia edit opera,bonitatis,iuſtitiæ,ſapientiæ & potentiæ in aſſidua gubernatione & defenſione ſuæ eccleſiæ.

Scire feciſti] Id eſt, nemo eſt qui non potentiam tuam & gloriam ex operibus tuis agnoſcat. Quocunque enim oculos noſtros conuertamus, offert ſe tua potentia conſpicienda.

16 Redemiſti in brachio populum tuum: filios
Iacob & Ioſeph,Selah.

Amplificat orationẽ ab exemplis ſeu à rebus antea geſtis, ex quibus potentia Dei & virtus in tuenda ſuorum ſalute elucet. Allegat autem hiſtoriam liberationis populi Iudaici ex Ægypto,quæ maxime eſt inſignis & celebris:&in qua præcipuè potentia Dei & virtus fuit conſpecta. Quòd potẽs ſis & mirabilis in regendo &ſeruando tuo populo,inprimis,inquit, oſtendit illa redemptio populi Iſraelitici,quando multis editis inſignibus miraculis eduxiſti patres noſtros ex Ægypto, hoſtibus, qui eos perſequebantur, obrutis & deletis. Hoc exemplum, vt illuſtre eſt, ita Spiritus ſanctus aſſiduè in decalogo,in pſalmis & alibi hanc redemptionem inculcat,vt fidem in nobis exuſcitet & confirmet. Non enim alius nunc eſt erga ſuos,quàm qualis tunc fuit. Ideo ſicut populum ſuũ horribili tyrannide oppreſſum tandem liberauit: ita ſinguli quoque in ſuis doloribus &ærumnis certò ſtatuere debent,Deum tandem ſuam potentiam &bonitatem in ſuorum ſalute tuenda oſtenſurum eſſe.

Brachium metaphoricῶs in Scriptura ſignificat potentiam & robur, vt ſuprà pſalmo 37. Brachia impiorum confringentur. Et Ierem. 17. Maledictus qui fidit homini, & ponit carnem brachium ſuum. Accipitur igitur hîc pro illa inſigni & memorabili virtute quam in eductione populi ex Ægypto Deus oſtendit.

Filius Iacob & Ioſeph] ἐξήγησις eſt vocis עמך,& ſimul cauſam complectitur,cur in his liberandis potentiam ſuam ita illuſtri exemplo oſtendere & declarare voluerit, nimirũ quòd eſſent filij Iacob & Ioſeph, hoc eſt, eorum cum quibus Deus pepigerat fœdus. Sicut igitur iſtos, quos in fœdus receperat, non deſeruit: ita nos quoque ſtatuamus, ad quos ſonat promiſſio, nos eſſe in gratia,quantumuis alium interdum ſe nobis oſtendat Deus: ídque ſi fecerimus,experiemur tãdem ipſum talem qualem eum experti ſunt Iſraelitæ.

Filios Ioſeph videtur honoris cauſa appellare,cùm quidem ſub filiis Iacob comprehendantur. Fuit enim Ioſephi eximia virtus,& maxima eius in hanc gentem extabãt beneficia. Vnde poſtea factum, vt quanquam duos haberet filios, vterque tamen eo loco reputaretur,ac ſi ex ipſo Iacob eſſet natus,&in diſtributione terræ æquam cum aliis portionem acciperet, Gen. 48. Ioſ. 13.

17 Viderunt te aquæ Deus: viderunt te aquæ,
doluerunt: etiam tremuerunt [*commotæ ſunt*] abyſſi.

18 Inundatæ ſunt aquis nubes: vocem dederunt æthera [*nubes*:] etiam ſagittæ tuæ diſcurrebant.

19 Vox tonitrui tui in ſphæra: illuminarunt fulgura orbem: tremuit & concuſſa eſt terra.

20 In mari via tua: & ſemitæ tuę in aquis multis:
& veſtigia tua non cognoſcebantur.

21 Duxiſti ſicut oues populum tuũ: per manum
Moſis & Aaronis.

Amplificat narrationem hiſtoriæ à diſtributione: in qua recenſet quædam inſignia miracula, quibus in illa ſui populi eductione Deus ſuam potentiam & præſentiam in hoc populo oſtendit. Primùm inquit,aquas maris,ſcilicet rubri,quaſi parturientis mulieris doloribus correptas & ruptas eſſe, vt populo Iſraelitico tranſitum præberent, cúmque quaſi fœtum intra ſe concluſum ederent. Hoc enim ſignificat verbum יחילו. Id verò non feciſſe ait priùs quàm Deum vidiſſent, hoc eſt, Dei potentiam & præſentiam in hoc populo ſenſiſſent,cuius imperio ipſæ deinde vltro ceſſerunt. Repetit autem eandem ſententiam: quia non tantùm mare rubrùm fuit fiſſum in illo populi Iſraelitici tranſitu, ſed & Iordanis ſuperiore parte conſtitit,vt aquæ affluentes in modum aceruí colligerentur,& inferiores defluerent. Complectitur igitur vtrũque miraculum. Quòd autem inquit,aquas,cùm vidiſſent Dei potentiam, tremuiſſe, tacitè redarguit ſtuporem animorum humanorum, qui tanto miraculo ferè non afficiuntur, cùm mortua elementa ad hanc Dei præſentiam expauefacta tremuerint,eiuſque imperium aliquo modo agnouerint. Abyſſos deinde aquis adiungit, vt ſignificet Dei imperium & vim non ad ſuperficiem aquarum tantùm,ſed ad profundiſſimos etiam gurgites penetraſſe, ipſáſque aquas ex ipſo fundo commouiſſe ac retraxiſſe.

Secundum miraculum, quod in illa eductione populi Iudaici edidit, eſt hoc, quòd poſtquam Iſraelitas per mare traduxit,hoſtes deinde inſequentes, magnis tempeſtatibus,nimbis,fulmine, & tonitruis obruit atque oppreſſit. Nonnulli interpretes hanc tempeſtatis deſcriptionem ad ſeptimam Ægyptiorum plagam, quæ paulo antè præceſſerat, & 9. capite Exodi deſcribitur, referunt. Scribit enim Moſes Dominum excitaſſe tonitrua & grandinem & diſcurrentia fulgura ſuper terram Ægypti, quibus iumenta & homines in agris ſint oppreſſi & extincti: vt vel hoc miraculo Pharaonem moueret, vt populum ſponte dimitteret. Sed exiſtimo prophetam reſpicere ad ipſum eductionis tempus,cuius verſu præcurrente meminerat,tempeſtates illas,de quibus hic loquitur,excitatas eſſe poſt tranſitum populi per mare rubrum vt hoſtes inſequentes his oppreſſi interirent,nec quiſquam fuga euaderet. idque ſatis manifeſtè oſtendit hiſtoria, Exod. 14. vbi tranſitus populi per mare deſcribitur. Cùm enim in medium mare Ægyptij eſſent ingreſſi,cœpit Dominus interficere exercitum eorum,& ſubuertere rotas curruum,vt ferrētur in profundum,cúmque metu perculſi dicerẽt, Fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos: ait Dominus ad Moſen, Extende manum tuam ſuper mare,vt reuertãtur aquę ad Ægyptios ſuper currus & equites eorum. ídque ita factum eſt. Tempeſtates igitur præceſſerunt, quibus priùs turbari & diſiecti ſunt Ægyptij, antequam fluctibus aquarum obruerẽtur. Earum tempeſtatum etiam hiſtoriæ profanæ mentionem faciunt, vt videre eſt apud Iuſtinum. Et de his loqui prophetam hoc loco veriſimile eſt.

Inundatæ ſunt aquis nubes] Id eſt,nubes aquis repletæ, quas antè hauſerant,magna copia & impetu eas effuderunt. Nonnulli verbum [illegible] actiuè interpretantur, Exundare fecerũt nubes aquas. Sed forma verbi eſt paſſiua ex ſecunda coniugatione,niſi fortè quis dicere velit holem ſcribi pro cametz vel ſægol. Expono igitur paſſiuè,ne vim Grammaticæ faciamus: éſtque hæc propria verbi ſignificatio. Ponitur autem antecedens pro ſequente,cùm dicit nubes ipſas inundatas eſſe aquis,cùm potius dicere deberet,terras eſſe inũdatas aquis nubium. Nã nubes hauſto multo humore, quaſi grauidæ factæ, poſtea facta ſubita reſolutione ingentes moles aquarum deiiciunt,vt paſſim inſtar torrentis magno impetu diſcurrant. Id ſignificatur verbo Hebræo.

Sagittas metaphoricè nominat fulmina, quæ tanquam tela ſunt & ſagittæ Dei,quibus impios ferit & conficit.

19 Vox tonitrui tui in rota [*ſphæra*] illuminauerunt fulgura orbem: commota eſt & tremuit terra.

Decimus nonus verſus cohæret cum præcedente. Vocem tonitrui dicit ſonuiſſe in ſphæra,hoc eſt,in aere,qui cùm cælo includatur,quod ſphæricæ eſt figuræ,orbis dicitur ſeu globus. Eſt autem notandum, quòd & ſagittas & tonitrua Dei eſſe dicit,ne quis exiſtimet caſu aut tantùm ex cauſis phyſicis ea excitari. Habẽt meteora ſuas cauſas in natura, ſed non

FF

ſiunt niſi Deo ſic diſponente & gubernante.

Illuminarunt orbem] Id eſt, totus aer coruſcabat fulgore.

Tremuit terra] Tonitrua enim vehementiora concutiũt terram. Significat igitur vehementes fuiſſe tempeſtates, quas ad declarandam iram ſuam aduerſus hoſtes populi ſui excitauerat. Non enim ad turbandos Iſraelitas, ſed ad hoſtes diſiiciẽdos atque euertendos hæ tempeſtates ſunt immiſſæ. Quanquam, ſi ad Iſraelitas ſpectes, etiam hac ratione exprimitur conſilium Dei & modus, quo ille in gubernanda & liberanda ſua eccleſia vtitur. Liberationes enim eccleſię non fiunt ſine aliquo mortis horrore præcedente. Sicut hoc ipſo tempore Iſraelitæ, cùm viderent ſibi hoſtes à tergo imminere, & mare vtrinque ſuper capita tranſeuntium eſſe ſuſpenſum: & tonitrua audirent, non poterant nõ cohorreſcere & extrema quæque metuere: ſed ex his periculis tandem educuntur & ingenti lætitia perfunduntur. Ita tranſitus fit per mortem ad vitam. Et, vt Oroſius inquit, pij viam deſperatæ ſalutis, impij foueã inſperatæ mortis intrant. Atque ita Deus vniuerſaliter gubernat totam eccleſiam & ſingula eius membra. Primum enim coniicit nos in mare periculorum, vnde exitus aut regreſſus non pateat: tãdem lætos educit & in tuto collocat, vt mox ſequetur.

20 In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcebantur.

Recenſet aliud miraculum, quòd per mare alioquin inuiũ Deus præbuerit tranſitum ſuo populo. Dicit autem vias Dei fuiſſe per mare, non populi, etiamſi populus ipſe quoque trãſiuerit per mare: vt ſignificet populum Dei auſpicio & ductu tranſiſſe vaſtos gurgites maris, nec hominum induſtria aut caſu mare fuiſſe exhauſtum aut aliò deriuatum. Quod dicit, *in aquis multis*, hoc addit amplificandi miraculi cauſa. Nõ enim erant aquæ vadoſæ, ſed profundæ, quæ poſtea traductis Iſraelitis hoſtes obruerunt & oppreſſerunt.

Et veſtigia tua non fuerunt cognita] Quia non manſit ille hiatus quem Deus vento ſicco & vrente effecerat: ſed aquæ reductæ ſunt in ſuum locum, vt veſtigia tranſitus non comparerẽt. Significat autem propheta his verbis, Deum ſemper ita gubernare eccleſiam, vt veſtigia eius à mundo & ratione non conſpiciantur: nec quenquam poſſe illa ſequi, niſi Deum ductorem habeat, & illius ductum è veſtigio ſequatur. Qui igitur Deum ſequi cupit, non vereatur ſe committere mari periculorum, ærumnarum & calamitatum: & certum ac lætum ſperet exitum. Non tranſit Deus, interea dum eccleſiã in hac vita colligit & gubernat, per hortum voluptatis aut deliciarum: ſed per mare tempeſtuoſum, quod excipit omnes ipsũ ſequentes, & extrema omnia minatur, nec exitum mox conſpiciendum præbet: ſunt enim veſtigia Dei incognita. Sed qui fide Deo adhærent, eiúſque ductum ſequuntur, illi læti euadunt, & in terram promiſſam, hoc eſt, cæleſtem patriam tandẽ introducuntur Hæc pulchra imago eſt eccleſiæ, quæ plena eſt conſolationis. Et ſinguli in ſuis periculis & ærumnis hac imagine & hoc exemplo ſe conſolentur, ſicut Dauidem in ſummis ſuis doloribus ſe hac cõſolatione ſuſtẽtare videmus.

21 Duxiſti velut gregem ouium populum tuũ per manum Moſis & Aaronis.

Iam addit cauſam finalem, cur tot inſignia ediderit miracula, vt ſcilicet populum ſuum educeret & liberaret: atque hoc exemplo oſtenderet ſe eccleſiæ ſuæ perpetuum patronũ eſſe & defenſorem. Eſt igitur hæc hiſtoria ita legenda & intuenda vt ſalutem omnium fidelium hoc liberationis exemplo tanquam certiſſimo pignore obfirmatam & obſignatam eſſe cogitemus: ideo enim edi & ſcribi hanc hiſtoriam, & ad poſteros eius memoriam propagari voluit Deus: qua de re præcepta crebrò in Moſe repetuntur. Ouibus autem comparat Iſraelitas, vt ſignificet nullis eos inſtructos fuiſſe viribus, armis aut prudentia contra tantam vim hoſtium ſibi imminentem, ſed ſolius Dei, qui paſtoris munere tunc fungebatur, ductu & auſpicio tutos euaſiſſe.

PSALMI LXXVII.

PARTES.

I. Propoſitio generalis, v. 2. quam reliquo pſalmo exornat Propheta ab antecedentibus: explicans 1. Afflictiones ſuas grauiſſimas, vſque ad ver. 6. 2. Conflictationem animi, per conſiderationem adminiſtrationis ſuperiorum temporum, ſiue vniuerſalis, v. 6. ſiue ſingularis, v. 7. deinde per hypotypoſin conflictantis animi cum grauiſſimis & difficillimis neceſſitatibus, ac velut diſceptantis de fide & conſtantia Dei, v. 8. 9. 10.

II. Confirmatio, quaſi redeuntis ad ſe & reſipiſcentis animi, à v. 11. ad finem pſalmi. Hæc conſiſtit in recordatione diuinorum operum in Eccleſia & extra Ecclenam, v. 12. 13. 14. generatim. ſequentibus autem, ſpeciatim in plagis Ægypti & conſeruatione Iſraelitarum, v. 15. in liberatione populi ex Ægypto, verſ. 16. in tranſitu maris, verſi. 17. 18. 19. 20. in gubernatione populi per Moſis & Aaronis miniſterium, verſ. 21.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Docet nos hic pſalmus remedia qua in certamine cõſciẽtiæ cum ira Dei ſenſu ſunt adhibẽda. Ea autem ſunt 1. Aſſidua preces, etiamſi animus ipſe precibus repugnet, & ipſa de Deo cogitatio nos perterrefaciat. 2. Meditatio ſuperiorũ teſtimoniorũ beneuolẽtia Dei erga nos, coniuncta cum ipſius immutabili voluntate, vt quẽ ſemel à ſe electũ teſtatus eſt, nũquã in perpetuũ repellat, quum eiuſmodi ipſius dona ſint ἀμεταμέλητα. *3. Clementia diuina infinitas. 4. Eiuſdem in moderanda rerum ac temporum viciſſitudine ſumma poteſtas. 5. Recordatio denique admirabilium Dei operum tum in exploranda tum in conſeruanda eccleſia.*

2 Non temere eiulant fideles, vt multi ſine ratione intemperiem doloris effundunt, ſed rectà ad Deum contendunt, quũ neceſſitas clamorẽ exprimit: nec illis excutitur perſeuerantia quanuis ſapius iterandi ſint clamores: Deus enim propitius & exorabilis eſſe ſolet.

3 Decet fideles continuò cum deſperatione luctari, vt dolores, licet ſummi, ianuam tamen piis votis minimè praecludant.

4 Fit ſape vt tormentum piis augeat Dei recordatio in rebus aduerſis, vbi ſcilicet iratum ſibi & infenſum concipiunt: ſed vtcunque fremitu, mœrore, tumultu pleni ſint, pergendum tamen eis eſt in Dei vocatione.

5 Fideles mœrore oppreſſi non ſeruant aquabilem ſtatum: ſed nunc erumpunt in gemitus & querimonias, nunc quaſi praecluſa eſſent fauces, obmuteſcunt. Vide pſal. 32. 3.

6 Fideles non modò qua experti ſunt Dei beneficia, ſed quacunque omnibus ſeculis in eccleſiam contulit, ſibi in afflictionibus proponere, & in animum reuocare debent.

7 Etſi nullũ ſanãdis noſtris malis ſit aptius remediũ quàm beneficẽtia diuina recordatio: tamẽ ſenſus ipſe priuationis acriùs animos noſtros vulnerat. At in illa mẽtis diſceptatione & tẽtatione, ſcrutari nos decet quaſnam ob cauſas ita exerceamur, deinde quis tandem malorum erit exitus. Vidẽdum autem ne dolor nos abſorbeat, deinde (ſi omnia Dei iudicia perueſtigare tẽtemus) nos abyſſus nos obruat.

8 Bonitatis Dei memoria clypeus eſt quo tentationum inſultus ſunt repellendi.

9 Quanuis hoc in primis triſte ſit & acerbum, ſi quando Deus nobis verbum ſuum ſubducere videtur, non tamen debet precibus noſtris aditum obſtruere.

10 Quoties in curis & doloribus dubitationes nobis obrepunt, diſcamus ad hunc ſcopum tendere, An Deus naturam ſuam exueret, vt non ſit miſericors?

11 Tanta mole malorum aliquoties premuntur fideles, vt de ſua ſalute actum eſſe pronũtient: quòd Dei manum antè auxiliatricem in ſuam perniciem armatam eſſe ſentiant: idque vt poſtea Dei auxilium expertum ardentiore animi affectu celebrent.

12 Sub afflictionum inſultibus fideles quaſi iam victoria potiti in memoria diuinorum operum exultant: quia certò perſuaſi ſunt eum non alium fore quàm ſe ab initio oſtendit.

Mirifica Dei virtus qua ſemper vſus eſt in tuenda ſuorum ſalute, ſi modò probè à nobis expenditur, ſufficit ad ſuperandos omnes dolores: & licet eius recordatio nõ ſatis afferat nobis ſolatij, luctandum tamen eſt, ne tadio frangamur: imò tunc magis ſollicitè cura noſtra in Deum reiicienda ſunt.

13 Operum Dei meditatio aſſidua eſſe debet, donec legitimo tẽpore maturum eius fructum percipiamus. Nam quòd nihil nobis proſunt tot gratia Dei exempla, nec fidem noſtram adificant, inde fit, quia ſimulac ea guſtare cœpimus, aliò nos abſtrahit noſtra leuitas.

14 Via Dei altè ſupra mundum excellũt, vt neceſſe ſit conſcendere ſupra omnes calos, ſi cupimus eas verè cognoſcere: quauis enim nullꝰ

ſit terra

ſit terræ angulus, vbi non ſpecimen aliquod Deus exhibeat ſuæ virtutis, fugit tamen hominum oculos admirabilis operum eius ratio.

In eo apparet mundi dementia, quòd vno Deo non contentus, cuius gloria ſic conſpicua eſt, plures ſibi fabricet. Nam ſi puris oculis conſpicerent homines Dei opera, in eo ſolo facilè acquieſcerent.

15 *Magis nota eſt Dei gloria, & clariùs perſpicitur, quàm vt iuſta ſit ignorantiæ excuſatio: mirabiliter enim operatur Deus, vt ne profanas quidem gentes ſua cæcitas excuſet.*

16 *Liberatio populi ex Ægypto ſuggerit nobis bonæ ſpei materiam: quia tunc documentum in omnia ſecula edidit Deus ſui erga electos amoris.*

17 *Maris Deum audientis obſequium pungit hominum ſtuporem, niſi Dei præſentiam, a quis viſibilem, in liberatione eccleſiæ ſuæ agnoſcant.*

18.19 *Satis ſupérque in exitu populi teſtata eſt Dei potentia auribus & oculis: ac quocunque ſeſe vert ũt homines, vbiq; ſurſum atque deorſum, à cælis vſque ad abyſſos in eccleſiæ redemptione patet Dei gloria.*

20 *Inſolitis modis, & humanæ prudentiæ prorſus ignotis, ſuos è periculis liberat Deus.*

21 *Nihil conſilij, nihil roboris in* Dei *populo eſt: ſed* Deus *paſtoris officio fungitur, ſuóſque placidè & tutò deducit. Vide pſal. 23. Porrò* Dei *virtus eò magis apparet, dum in vaſis teſtaceis ac fragilibus, id eſt, hominibus infirmis, quales fuere Moſes, Aaron, & alij, miris modis operatur.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De fortitudine ſpirituali in certaminibus conſcientiæ aduerſus Dei ſenſum.
2. Infirmitas piorum ſub tentationum mole fatiſcentium.
3. De remediis tutiſſimis aduerſus vulnera quæ in lucta carnis & ſpiritus nobis inferuntur.
4. Operum Dei clementis, omnipotentis, ſapientiſſimi, recordatio perquam neceſſaria.
5. Miracula vetera vt recentia fidem piorum in tentationibus erigunt & fulciunt.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVIII.

PSALMVS ſeptuageſimus octauus longam habet commemorationem beneficiorum quæ Deus populo Iſraelitico à prima adoptione atque electione, vſque ad Dauidis ætatem exhibuit: vt his amorem ſuum erga hunc populum teſtaretur, ipſúmque his ſibi obnoxium ad gratos cultus præſtãdos redderet. In hac verò commemoratione, omiſſis aliis, præcipuè illa commemorat beneficia, quæ maximè erant inſignia, & inprimis documenta gratiæ & amoris diuini erga hunc populum, quæque potentiam Dei manifeſtè oſtendebant. Sed his tam variis atque illuſtribus beneficiis & miraculis, adeo non obtinuiſſe Deum, quod volebat, affirmat, vt illi in peccandi ac rebellandi propoſito fierent pertinaciores. Ait enim nunquam ferè Deum aliquod inſigne in ipſos contuliſſe beneficium, quin nouo illi petulantiæ & rebellionis crimine ſe obſtrinxerint, Deóque exoſos reddiderint. Et quanquam pœnis interdum eos in viam reuocare conatus ſit: tantam tamen ait fuiſſe peccandi libidinem, & in ſuſcepto ſcelere pertinaciam, vt nec beneficiis nec plagis corrigi illa naturæ malitia potuerit. Subinde enim illos rediiſſe ad ingenium, & deſerto Deo varia ſibi numina confinxiſſe, quibus cultum ſoli Deo debitum præſtarent: donec tandem his iniuriis irritatus Deus populum hunc deſeruit, & variis calamitatibus & pœnis affecit, repudiato tabernaculo Siloh, & arca fœderis in hoſtium manus proiecta: ipſis verò Iudæis partim trucidatis in aduerſis prælijs, partim omni ope & præſidio orbatis, atque in omnis generis calamitates & miſerias coniectis. Hæc verò omnia quanquam talia ſunt, vt cauſas iuſtiſſimas habuiſſe Deus videatur, prorſus abdicandi atque abiiciendi hunc populum, & quidem in tribu Ephraim, quam propter inſignem contumaciam, & peccandi, quam ſibi ſumebat, licentiam repudiauerat, aliquomodo iuſtũ ſuum iudicium & iram aduerſus peccata declarauit: tamen quæ eſt eius erga ſuam eccleſiam bonitas, non paſſus eſt mox populum vniuerſum funditus deleri aut perire: ſed memor fœderis ſui, tribum Iuda rurſus elegit, atque in ea domicilium ſibi conſtituit, erecto rurſus in Sion tabernaculo, & arca fœderis eò deducta: rege etiam Dauide creato, qui populum deinceps ſapienter & rectè gubernaret, & in pietatis, atque aliarum virtutum officiis contineret. Hæc tota narratio ideo inſtituta eſt à propheta, vt commemoratione beneficiorum & pœnarum exemplis in auditoribus ſuis timorem Dei, fidem & gratiarum actionem exuſcitaret, & moneret, ne ſua diffidentia, incredulitate, idololatria aut aliis ſceleribus iram Dei prouocarent, eaſdémque, quas non multò antè maiores ſuos perpeſſos eſſe meminerant, ſibi pœnas attraherent.

Erudiens Aſaph.

1 Auſculta, popule mi, legem meam: inclinate aurem veſtram ad verba oris mei.

Exordium ſumitur ab exhortatione, qua oſtendit in quem finem hunc pſalmum conſcripſerit, & hanc prolixam concionem inſtituerit, nempe, vt auditores ſuos doceat & commonefaciat de vera pietate, timore & fide erga Deum. Ideo enim iubet eos eſſe attentos, ne otioſis auribus aut animis hæc dicta accipiant, quia res magnæ ſint, & ad ſalutem vniuſcuiuſque pertinentes, de quibus orationem inſtituerit. Compellat autem populum tam in doctoris quàm regis perſona. Ideo inquit, popule mi. Nonnulli exiſtimant Deum hîc alloqui populum ſuum: ſed non abſurdum eſt, etiam regem & doctorem ſuos ſubditos & auditores nominare populum ſuum: Sicut Ieremias capite 9. Iſraelitas nominat populum ſuum. Suntque illæ compellationes in orationibus exhortatoriis vſitatæ.

Legem meam] Legem nominat, non illam quæ à Moſe tradita aut in tabulis lapideis perſcripta erat: ſed hanc ipſam doctrinam quam in hac concione aut carmine ſit propoſiturus. Eſt enim nomen תורה generale, quod quamlibet doctrinam ſeu inſtitutionem complectitur. Verbum enim הורה vnde formatur, docendi ſeu inſtituendi ſignificationem habet.

Vocat autem doctrinam ſuam, quam ipſe iam populo ſit propoſiturus, & quam ſibi, tanquam depoſitum, diuinitus cõmendatam intelligit, ſicut Paulus Rom. 2. & 16. nominat euãgelium ſuum, non quod ipſe fabricauerat, ſed cuius erat præco & teſtis, & quod ſciebat ſibi diuinitus eſſe commendatum. Ita lex Moſis dicitur, Malach. 4. quia ipſius miniſterio erat tradita.

Inclinate aurem] Repetitio facit ad excitandos ſegnes & ignauos, quorum multi ſemper ſunt in populo Dei.

Verba oris] Eodem ſenſu dicit, quo antè, doctrinã: & vel hinc manifeſtum eſt, nomen תורה generaliter accipiendum eſſe pro doctrina.

2 Aperiam in parabolam os meum: eloquar [*promam*] ænigmata ab antiquo.

Propoſitio eſt, qua ſimul reddit attentos auditores à rerum præſtantia, de quibus verba ſit facturus. משל ſignificat graues & inſignes ſententias, quæ quaſi dominantur in oratione, aut lumen & ornamentum ſunt orationis: vt ſunt parœmiæ, prouerbia, apophthegmata: in quibus peculiaris vis eſt ad excitandos & oblectandos animos legentium vel audiẽtium. Talem igitur dicit ſe doctrinam allaturum eſſe, quæ ſua vel vi vel ſuauitate percellere animos ipſorum & mouere poſſit: & quidem dicit ſe aperto ore, hoc eſt, palam coram omnibus & ſine diſſimulatione id facturum.

חידה nominat hoc loco non tam obſcuras ſententias, qualia ſunt ænigmata, quæ ſine interprete ferè aſſequi non poſſumus, quàm doctrinam imprimis vtilem & notatu dignam. Sicut enim ænigmata propter argutias admiramur & diligenter notamus: ita vult hanc doctrinam quoque cum attentione diligenti excipi & memoriæ mandari.

Promam]Metaphora eſt in verbo ſumpta à fonte qui vbertim fundit aquas. Nam נבע propriè ſcaturire ſeu exundare ſignificat. Pectora enim doctorum in eccleſia debent eſſe fœcunda, & aſſiduè aliquid aquarum fūdere, quo eccleſia rigetur, non debet arida eſſe eorum vena, aut quæ in æſtu deficiat.

Ab antiquo] Tertium attentionis membrum ſumitur à tēpore. Dicit enim ſe veteres hiſtorias huius populi, quæ omnibus notæ eſſe debeant, repetiturum, atque inde neceſſarias cōmonefactiones exculpturū. Citatur autē hic verſus à Matthæo cap. 13. & ad Chriſtum accommodatur, qui in parabolis & ſimilitudinibus locutus ſit ad vulgus. Id quod fit non ineptè. Nam & Chriſtus fungebatur munere doctoris, & concionabatur de ſublimibus regni cæleſtis myſteriis: ad quæ explicanda quia variis ſimilitudinibus & parabolis vtebatur, rectè ad hunc verſus ille accommodatur. Dauid enim etiam tanquā doctor huius populi typum gerebat Chriſti.

3 Quæ audiuimus & cognouimus: & [*quæ*] patres noſtri narrauerunt nobis.

Quartum attentionis argumentum ab ipſo doctrinæ genere ſumitur. Dicit enim hanc communem eſſe doctrinam & à patribus per manus traditam, quam ipſe & alij, qui munere docendi funguntur, ſepelire ſilentio non debeant, ſed ſuorum maiorum exemplo eandem ad poſteros ſuos propagare.

Et cognouimus] Id eſt, quæ certis & euidentibus teſtimoniis conuicti ſcimus eſſe diuinitus tradita, nec eſſe aniles fabulas, vt ſunt poetarum aut philoſophorum figmenta.

4 Non occultabimus [*Græcus: Non ſunt occultata. Legit enim* נכחדו] à filiis eorum, ad generationem poſteram narrantes laudes Iehouæ: & fortitudinem eius, & mirabilia eius quæ fecit.

Dixerat eos etiam antehac ſæpe audiuiſſe & cognouiſſe doctrinam à patribus traditam: ideóque ne quis diceret ſuperuacaneum eſſe, ea quæ iā antea nota eſſent toties repetere & inculcare, reſpondet, poſteritatis etiam habendam eſſe rationem, ad quam hæc doctrina diligenter propaganda ſit, quia Deus velit hanc doctrinam per continuas ætatum ſeries promulgari ac propagari. Additur autem finis: Ideo, inquit, inſtitui hanc commemorationē, vt celebretur potentia Dei in editis miraculis, & laudes in exhibitis beneficiis: qua de re infrà rurſus dicit verſu 7.

5 Et ſuſcitauit [*ſtatuit*] teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael: quam mandauit patribus noſtris, vt nota facerent ea filiis ſuis.

Addit aliud argumentum attentionis à mandato Dei. Non enim ſatis eſt ad doctrinam de Deo atque eius beneficiis tradendam allegare longi tēporis aut patrū conſenſum, ſicut hodie pontificij multiplices ſuos abuſus & errores in eccleſiam inuectos hoc vnico argumento excuſare & defendere conantur, quòd à maioribus ſuis hanc doctrinam, quaſi per manus acceperint, ſed neceſſe eſt accedere expreſſam vocem & mādatum, vt ſciamus hanc verè eſſe doctrinam diuinitus traditā. Non enim niti poteſt aut debet fides traditionibus patrum, aut commentis hominum extra verbum Dei. Itaque cùm dixiſſet, ſe eam doctrinam repetiturum, quam à patribus & maioribus acceperint, addit mox, Hanc doctrinam non eſſe confictam aut excogitatam à patribus, ſed diuinitus traditam, & additum eſſe expreſſum mandatum, vt eā filiis traderent & ad poſteros propagarent. Hoc verò mandatum extat Deut. 4. & 6. Erunt verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis. Vult Deus inter homines ſēper ſonare doctrinam de ſua voluntate erga genus humanū. Ideo publicum miniſterium inſtituit, idque mirabiliter conſeruat: atque hanc ob cauſam populum Iudaicum à cæteris gentibus tunc ſelegit & ſegregauit, vt eſſet cuſtos illius doctrinæ, eámque perpetuò ſonaret ac docendo propagaret.

Teſtimoniū & legem nominat totā doctrinā huic populo traditam cum certo fœdere, ritibus & ceremoniis: quæ omnia certiſſima erant teſtimonia & pignus præſentiæ & fauoris diuini erga populum. Non enim ſatis erat tenere hiſtoriam rerum geſtarum: ſed ſcire eos oportebat hanc doctrinam obſignatam eſſe certo fœdere, vt conſtaret eos qui hanc doctrinā amplecterentur, pertinere ad illud fœdus: & quilibet ſibi beneficia huius fœderis vera fide applicaret. Hęc cauſa eſt cur teſtimonium iungat cum lege. Parum fuiſſet ſcire quòd Deus maiores eduxiſſet ex Ægypto, niſi ſimul ſtatueretur hac eductione ſalutem ſingulorum eſſe obſignatam.

6 Vt cognoſcant generatio poſterior [*futura:*] filij, qui naſcentur, ſurgant & enarrent filiis ſuis.

Hic verſus cohæret cum ſuperiore. Sicut autem præcedente verſu dixerat patres mandato diuino teneri obſtrictos vt hanc doctrinam diligenter poſteris ſuis tradant: ita ſimiliter à liberis affirmat hoc requiri, vt hanc doctrinam diligenter audiant & diſcant. Vbi enim non eſt auditus, ibi non eſt ſermo, vt dici ſolet. Mandatum igitur de propaganda doctrina complectitur vtrumque: & vt patres fideliter eam liberis ſuis tradant: & vt filij ſe dociles præbeant: & vbi ad ætatem iuſtam peruenerint, illi rurſus patrum vicem ſubeant, & in obeundo docendi munere patribus ſuccedant, vt continua & perpetua ſucceſſione hæc doctrina in genere humano conſeruetur. Non enim vni tantū ſeculo hæc doctrina à Deo fuit tradita, ſed vult eam perpetuò ſonare vſque ad finem mundi. Cogitemus autem nō tantùm miniſtris eccleſiæ hoc loco demandatam curam conſeruandi, & propagandi doctrinam, ſed ſingulis etiam patribusfamilias.

7 Vt ponat in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei: & [*vt*] mandata Dei obſeruent.

Addit cauſam finalē latæ legis, & vſum doctrinæ oſtendit, vt hoc modo ſinguli excitentur ad maiorem curam conſeruandæ & propagandæ huius doctrinæ. Non traditur hæc doctrina, inquit, vt mores tantùm externos regat, aut homines in politica ſocietate honeſtis inter ſe officiis deuinciat, ſicut philoſophorum doctrina, quæ tantùm politicū finē ſpectat, ſed vt audita Dei erga nos voluntate & amore, certò ſtatuamus nos eſſe in gratia apud Deum, atque hac fiducia ſuſtētemus nos cōtra terrores peccati, mortis & inferorum, & contra varias ærūnas & pericula, quibus hæc vita hominū eſt obnoxia, nos firmo præſidio muniamus. Hic primus & ſummus fructus eſt huius doctrinæ, quod mōſtrat Deum erga nos benignū & placatū, vt læti collocare in ipſum fiduciā noſtram poſſimus, in quibuſcunque doloribus & ærumnis, & certa ſpe ad ipſum confugere, & opem atque auxilium expectare. Secundus vſus eſt, ne obliuiſcantur operum Dei, hoc eſt, vt cogitatione operū Dei, quæ aſſiduè edidit in eccleſia, alant & confirment fidem, eáque beneficia grato animo celebrent. Tertius, vt mandata eius obſeruent. Non enim adoptamur à Deo, & tantis beneficiis ornamur, vt nos interea indulgeamus cupiditatibus, & in omnis generis ſcelera nos proiiciamus, ſed vt membra noſtra præbeamus arma iuſtitiæ Deo, & vt ſciamus nos cōditos eſſe ad bona opera, quæ Deus præparauit, vt in iis ambulemus, vt Paulus loquitur.

8 Et non ſint ſicut patres eorum, generatio deſectrix & amareſcens, [*id eſt, inobediens, rebellis*] generatio [*quæ*] non firmauit cor ſuum, & non fidelis fuit erga Deum ſpiritus eius.

A contrario exemplo & quidem domeſtico oſtendit quàm neceſſarium ſit & vtile, hanc doctrinam ſubinde inculcare. Eſt enim natura hominum admodum procliuis & prona ad peccandum & rebellandum Deo: id quod non ethnicorum tantùm, ſed maiorum quoque noſtrorum exempla oſtendunt, qui ſubinde quanquam ingentibus beneficiis affecti ac ornati, relapſi ſunt in horribilia ſcelera & delicta. Eſt igitur aliud argumentum quo auditores ſuos ad maiorem attentionem & diſcendi curam excitare conatur, ſumptum ſcilicet à cauſa contraria, idque exemplo maiorum confirmatur. Solēt pleríque homines, errores in doctrina aut delicta ſua excuſare & defendere maiorum exemplo: ſicut hodie pontificij vetuſtatem & conſuetudinem longi temporis, quam illi perperā conſenſum eccleſiæ vocant, allegare ſolēt, quoties tetros & craſſos errores ſuos palliare conantur: & quod exēplo fit, id iure pleríque fieri putant. Propheta verò affirmat ſe hanc ipſam ob cauſam inſtituiſſe hanc concionem, vt cogitantes de lapſibus maiorū ſuorum ſint deinceps in ſtudio doctrinæ & pietatis atque in regendis moribus ardentiores ac diligentiores. Et quia difficulter illa praua maiorū æmulatio, ex animis hominum euellitur, propter reuerentiam erga progenitores nobis ingenitā, ideo tam multis verbis propheta ſcelera patrum exaggerat. Primùm dicit fuiſſe דור מורדה hoc eſt generationem detrectantem imperium Dei, & ſubinde rumpentem vincula legum & petulanter excutientem iugum, ſicut equus ferox & refractarius aut iuuencus indomitus, non admittens frænum aut nolens ſubdere collum iugo, ſed ſubinde retrocedens & repellens frænum. Hoc. n. propriè ſignificat vocabulū, vt Hoſ. 4. Iſrael eſt ſicut vacca rebellis ſeu refractaria.

מרה ſignificat eū cuius omnes actiones ſunt prauæ, ingratæ, odioſæ, quæque Dei iram & odium prouocant: ſignificat enim מרת amarū eſſe, & ſua amaritudine alicui moleſtiam exhibere. Cor humanum, ſi non regatur verbo Dei & Spiritu ſancto, plenum eſt odij & fremitus aduerſus Deum. Actiones igitur omnes ex tali corde profectæ, ſunt amaræ, tāquam acer-

acerbiſſimo felle odij & indignationis aduerſus Deum tinctæ,etiamſi foris interdum aliquam ſpeciem probitatis præ ſe ferant.Et talia ſunt opera omnium non renatorum, quæ non referuntur ad gloriam Dei.

Et non firmauit cor ſuum]Hoc eſt,nullum fuit ſincerū ſeu ardēs ſtudiū pietatis,ſed fuerunt omnia ſimulata atque in ſpeciem pietatis efficta.Etiamſi enim magnitudo beneficiorum interdum ipſis hanc confeſſionem exprimebat,vt dicerent & faterentur,ſe verum Deum horum autorem agnoſcere & colere:tamen ſubinde claudicabant & reſpectabant ad fictitia ſua numina : volebāt enim habere viſibile aliquod numē cuius præſentia & ope niterentur:voluerunt etiam me non niſi accepto pignore(quod dici ſolet)colere.Itaque cultus,inquit quem mihi præſtiterunt,nunquam fuit ſincerus aut firmus, nec firmauit populus cor ſuum,vt ſcilicet mihi ſoli vera fide adhæreret.

Non fuit fidelis erga Deum Spiritus eius]Id eſt, non conſtanter adhæſit Deo.Quanquam enim interdum redibat ad Deū illa gens:tamen ſubinde vel leui aliqua calamitate impulſa, vt in deſerto,cùm fame aut ſiti premeretur,aut de deliciis Ægyptiis cogitaret,vel occaſionibus peccandi,vt exemplis vicinarum gentium aut ſimilibus illecebris inuitata, rediit ad ingenium,tanquam ſus ad volutabrum. Sicut igitur præcedente membro damnat hypocriſin & leuitatem humanorum animorum in confingendis & ſtatuendis idolis:ita hic inconſtantiam eorundem taxat:quòd vel honoribus,opibus,dignitate,& ſplendore eorum qui ſunt extra eccleſiam,inuitati,vel calamitatum ſuarum magnitudine fracti, non perſeuerarint in agnita veritate,ſed ad quoſlibet ventos ſeu peccandi occaſiones à Deo diſceſſerint.

9 Filij Ephraim armati eleuantes arcum[*eiacu-
lantes arcu*]verſi ſunt in die prælij.
10 Non cuſtodiuerunt fœdus Dei: & in lege e-
ius recuſauerunt ambulare.
11 Et obliti ſunt operum eius:& mirabilium eius
quæ oſtendit illis.

Confirmat priorem ſententiam ab exemplo tribus Ephraim,quæ quòd extra vocationem & ſine mandato diuino pugnaret contra hoſtes,pœnas dedit ſuæ temeritatis & ſuperbiæ, occiſis ex ea tribu non paucis.Scribitur autem 1.Paralip. 7.filios & nepotes Ephraim etiam ante Moſis tempora ſumptis armis inuaſiſſe terram promiſſam,vt eam occuparent:ſed occiſos fuiſſe ab indigenis Githeis, quorum poſſeſſiones inuaſerant,& patrem Ephraim in magnum luctum amiſſis liberis coniectum eſſe.Quod exemplum monet non erumpendum aut tentandum aliquid eſſe extra vocationem ſeu mandatum diuinum.Habebant quidem Iſraelitæ promiſſionem certam de terra Canaan poſſidenda:ſed nondum acceſſerat expreſſū mandatum de ea occupanda,& de incolis vi & armis eiiciendis. Nec ſunt interpretandæ promiſſiones corporales iuxta noſtras cupiditates,vt fecerunt Ephraimitæ:quia ſemper his annexæ ſunt conditiones de cruce, caſtigatione & exercitiis eccleſiæ.Promiſerat quidem Deus Abrahamo & poſteris eius terram Canaan , ſed volebat idem aliquandiu adhuc exerceri populum Iſraeliticum,& quaſi ſubigi prius duriſſima ſeruitute in Ægypto , vt eum magis ſibi obſequentem redderet.Ideo nō mox cum promiſſione promulgauit mandatum de terra Canaan occupanda.Idque Abraham , cui facta erat promiſſio,& filius Iſaac,& nepos Iacob intellexerūt. Itaque nunquam arma ſumpſerunt ad occupandā terram promiſſam,ſed vt epiſt. ad Hebr.inquit,mortui ſunt non accepta promiſſione,expectantes æternam promiſſionem.Ephraimitæ verò fiducia ſuarum viriū & peritia rei militaris elati exiſtimarunt occupandam eſſe terram promiſſam,& ſine dubio multa ſpecioſa argumenta collegerunt, quæ ſuis cupiditatibus patrocinari iudicabant. Extabat enim certa promiſſio, quæ non erat reuocanda in dubiū,ne Deū viderentur arguere mendacij:& iudicabant timiditatem in cæteris culpandam eſſe,qui otioſi aut diffidentes promiſſionibus diuinis arma ſumere non auderent.Itaque ipſi primi ad arma capienda proſiliunt,& Githeos inuadūt.Sed quàm infeliciter hoc ipſis ceſſerit oſtendit hiſtoria,cuius iam mentionem feci.

Ad hanc reſpicere prophetam hoc loco arbitror, & video ex Iudæis nonnullos ſequutos autoritatem Rabi Kimhi,&ex noſtris non paucos in eadem eſſe ſententia:eſtque ratio huius ſententiæ non obſcura.Nā in exordio dixit,ſe veteres hiſtorias huius populi cōmemoraturum,atque ex his cōmonefactiones neceſſarias & vtiles extructurum eſſe.Monet igitur hoc exemplum ne promiſſiones corporales temere ſecundùm noſtras cupiditates interpretemur,néve noſtris conſiliis aut cōmodis ſine vocatione diuina eas accommodemus. Simile autem exemplum eſt apud Ieremiam,qui cū prædiceret templi excidium & ſuaderet deditionem,clamant ſacerdotes eum eſſe ſeductorem , qui non ſit audiendus,quia ſcriptum ſit, Non auferetur ſceptrū de Iuda. Huius igitur promiſſionis mala interpretatione, & falſa fiducia,cū ſeſe armis tueri conarentur,plerique ab hoſte ſunt interfecti,alij verò in triſtiſſimam ſeruitutem abducti.Sed hæc poſtea acciderunt.

Alij interpretes filios Ephraim συνεκδοχικῶς accipiunt pro toto populo,& ad tempus euerſarum decē tribuū hanc hiſtoriam referendā cenſent.Volunt enim pſalmum non à Dauide aut ab huius cātore Aſapho,ſed ab alio quodam, qui diu poſtea vixerit,compoſitum eſſe.Filiorū verò Ephraim nominatim fieri mentionem dicunt,quòd autores fuerint aliis defectionis à regno Iuda, cùm Iarobeam vitulos erigeret & regnum ſcinderet. Fuit enim Iarobeā ex tribu Ephraim oriundus. Nonnulli etiam de capta fœderis arca hanc narrationem interpretantur.Sed cùm de hac poſtea loquatur,& prior ſententia cum exordio congruat, totáque pſalmi narratio veteres hiſtorias repetat,malo eam retinere.

Dicit autē filios Ephraim inſtructos fuiſſe arcu, quo nomine συνεκδοχικῶς omne genus teli & armorum comprehendit, vt ſignificet eos peritos fuiſſe rei militaris & cupidos belli gerendi:eáque re inflatos extra vocationem arma rapuiſſe, ac ſtultis cupiditatibus ſuis promiſſionē diuinam prætexuiſſe.Sed qualis euentus fuerit eius temerarij incepti oſtendit, cùm inquit eos verſos eſſe in fugam in die prælij. Hoc igitur exemplo monere vult ſuos auditores, vt cauti ſint, nec fiducia promiſſionis ſibi factæ aliquid tentent extra vocationem, aut cupiditatibus ſuis petulanter indulgeant , tanquam qui in gremio Dei quieſcant. Fore enim affirmat vt ſimilibus calamitatibus & pœnis afficiantur.

Addit autem,eos non cuſtodiuiſſe teſtamentum Dei, & in lege eius noluiſſe ambulare. Quo ſermone oſtendit fuiſſe homines arrogantes & ſuperbos , qui fiducia ſuarum virium aut opum inflati,Dei verbum riſerunt & contempſerunt:neque hoc vſurparunt,niſi quantùm ſuis cupiditatibus patrocinari videbatur. Quales ferè hoc tempore ſunt viri magni & potentes qui ſe Chriſtianos profitentur. Auget autem crimē eorum verbo renuendi. Quo ſignificat eos non fuiſſe ſolùm impetu quodā temerè abreptos,vt leuitate,imperitia,imbecillitate vel errore peccarent , ſed ex profeſſo & deliberata peruicacia violaſſe ſacrum Dei pactum : Non enim defuerunt in populo Dei qui eos hortati ſunt, vt deſiſterent ab hoc impio & temerario propoſito, & certū Dei mandatū expectarent,quique monuerunt infelicē fore euentū, ſi quid temerè tentarēt. Sciebant enim illi nō datā eſſe promiſſionē vt quiſquam ſibi quantū vellet & quando luberet de terra promiſſa raperet,ſed vt patienter tēpus introductionis diuinitus deſtinatū expectarent.Illi verò his neglectis ſuperbè & audacter in ſuo propoſito perrexerunt,atque ita pactum & legem Dei violarunt. Quòd poſtea dicit eos oblitos fuiſſe operum Dei : fontem huius impietatis atque ingratitudinis oſtendit. Inde enim extitit illa audacia, temeritas & rebellio aduerſus Deum, quòd non cogitarent qualia Dei eſſent opera in eccleſia, & quàm mirabiliter ille eam in hac vita gubernaret. Sciebant Abrahamo eiúſque filio & nepoti factam eſſe promiſſionem:& tamen nullus ex his terram Canaan inuaſerat. Interea tamen mirabiliter illi erant ſeruati & defenſi diuinitus , & immiſſio in poſſeſſionem conſilio & voluntati diuinæ erat reſeruata.Id cogitare debuiſſent : ſed quia his ſpretis extra vocationem erumpunt, dicit eos oblitos fuiſſe operum Dei. Quanquam exiſtimo hac ratione ſimul ad ea quæ poſtea in deſerto acciderunt prophetam reſpicere. Non enim tunc tantùm cùm terram promiſſam temerè & ſine mandato inuaderent, Dei fœdus violarunt:ſed poſtea ſæpe in deſerto cum cæteris idem fecerunt , quanquam antea propter temeritatem atque impietatem ſuam grauiter caſtigati, & quidem cùm recens adhuc eſſet memoria illius admirandæ liberationis,quæ populo Iſraelitico non ſine ingentibus miraculis contigerat. Quòd igitur horum omnium obliti pergerent in ſua impietate & ſceleribus,dicit fuiſſe perfidos, & fœdifragos, & nimis citò oblitos operum & miraculorum Dei. Quòd autem de miraculis in eductione populi Iſraelitici in hoc verſu præcipuè loquatur, oſtendit tota ſequens narratio, in qua occaſione ſumpta ab hoc verſu incipit cōmemorare illa opera, quibus Deus amorem ſuum erga hunc populum variis modis teſtatus ſit.

12 Coram patribus eorum fecit mirabilia[*po-
nitur ſingulare collectiuum pro plurali*] in terra Ægy-
pti,in campo Soan.
13 Scidit mare & traduxit eos: & ſtatuit aquas
velut cumulum.
14 Et deduxit eos in nube interdiu:& omni no-

& in ſplendore ignis.

15 Scidit rupes in deſerto:& potauit (*eos*) tanquã abyſſis multis(*ſeu multùm, aduerbialiter, quaſi diceret, ad ſatietatem vſque.*)

16 Et eduxit fluenta è petra: & fecit deſcendere aquas velut fluuios.

Hactenus contexuit exordium, in quo hortatus eſt auditores ad attentionem, & propoſuit argumentum concionis ſequentis,& vſum ſeu finem huius oſtendit. Nunc ſequitur narratio prolixa & luculenta, in qua per vices nunc beneficia diuinitus huic populo exhibita, nunc peccata populi, & pœnas ſecutas commemorat: vt auditores intuentes hæc exempla gratiæ & iræ diuinæ,& his admoniti ad timorem Dei, fidem & reliqua pietatis officia flectantur. Qui enim erga maiores ita beneficus fuit, cùm eos multis inſignibus miraculis educeret ex Ægypto, is eundem ſe deinceps ſuis cultoribus eſt exhibiturus: ac viciſſim, ſicut peccata Ægyptiorum & dein de populi Iſraelitici grauiſſimè puniuit: ita deinceps non deſinet pœnis afficere rebelles & ingratos. Hæc ſumma eſt huius concionis.

Primùm *coram patribus* dicit facta eſſe mirabilia in Ægypto, vt oſtendat, non clam aut ipſis ignorãtibus hæc facta eſſe, nec poſſe ab ipſis ignorantiam prætexi. Mirabilia autem quæ fecerit in Ægypto, deſcribuntur Exod.7.8.9.10.11.12. Intelligit autem illas decem plagas, quibus Pharaonem & Ægyptios vel inuitos coegit vt populum dimitterent. Harum infra aliquas in ſpecie commemorabit. Atque illas decẽ plagas Nazianzenus elegãtiſſimo carmine complexus eſt, cuius lectionem cum hac narratione coniũgere debent auditores. *Zoan* à Chaldæis, Græcis & Latinis nominatur Tanis, quę fuit vrbs regia ad oſtium Tanicum. Fit eius mentio Num.13. Ieſa. 19. Ezech.30.& in hoc loco vbi Chaldæus reddidit vocabulo טאנס. Fuerunt igitur miracula eo illuſtriora & celebriora, quo locus, in quo edita ſunt, fuit celebrior.

Scidit mare] De hoc miraculo vide hiſtoriam Exod.14. Duplex autem in hoc verſu miraculum recitatur. Primùm, quòd aquas ſua natura coniunctas & cohærentes ita diremit vt trãſitum prẹberent Iſraelitis: deinde quòd vtrinque in firmos tumulos veluti montes eleuarentur,& contra naturam ſuam ſtarent immotæ. Sunt enim aquæ natura fluidæ & perpetuò decliuia petunt.

Et deduxit eos] Hoc miraculo teſtatus eſt ſuam præſentiam, cùm nondum tranſiiſſent mare: ſicut apparet ex hiſtoria Exod.13. Sed ne momentanea eſſet redemptio,& vt populus aſſiduè haberet certum ſymbolum præſentiæ & amoris diuini erga ſe, Deus aſſiduè itineris dux fuit,& interdiu nube eos texit aduerſus ſolis æſtum, noctu verò columna ignis iter oſtẽdit,& tenebras noctis quæ peregrinãtibus moleſtæ ſũt & terrores incutiũt, diſpulit. Ita verò ſemper eccleſiã regit Deus vt nocte in tenebris, periculis & mortis dolorib. præbeat lucẽ, conſolationem & vitam: in æſtu verò vmbrã, hoc eſt, in pœnis mitigationem, conſolationem & robur, vt perferre poſſimus, quæ nobis diuinitus imponitur, crucem.

Scidit rupes] Vtitur plurali numero, quia miraculũ hoc bis factum legitur Exod.17. In Raphidim,& rurſus in deſerto Sin Num.20. Eſt autem hoc ingens miraculum, quòd ex ſaxo duriſſimo vnde ignis potiùs quàm aqua elici poterat, vnda educitur,& quidem copioſa inſtar fluuij:& exaggerat miraculum cùm addit, in abyſſis magnis eum potaſſe Iſraelitas. Significat enim non ex ſcaturigine aliqua aquam fuiſſe elicitam, ſed ex profundiſſimis abyſſis, tanquam ex ipſo terræ centro eductam. Allegoriam huius hiſtoriæ eleganter exponit Paulus 1.Cor.10. Bibebant omnes de ſpirituali comitãte eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Sed non eſt inſtituti noſtri hanc doctrinam prolixe explicare, quæ ex libris methodicis requiri poteſt.

17 Et adiecerunt adhuc ad peccandum contra eum: ad exaſperandum excelſum in deſerto [*ad mouendam bilem excelſo.*]

18 Et tentauerunt Deum in corde ſuo: ad petendum cibum animæ ſuæ[*vel cupiditati ſuæ.*]

19 Et locuti ſunt contra Deum, dixerunt: num poterit Deus parare [*inſtruere*] menſam in deſerto?

20 Ecce [*en*] percuſſit rupem & fluxerunt aquę, & flumina inundarunt: an etiam poterit panem dare? an parabit carnem populo ſuo?

Poſtquam de amore Dei erga hunc populum & ingentibus miraculis ac beneficiis huic exhibitis dixit, nunc è regione oſtendit quo animo illi hæc beneficia acceperint, nempe vt ſolet mundus, hoc eſt, vt ſubinde fierent deteriores,& horrenda ingratitudine, diffidentia, impatientia ſeu fremitu aduerſus Deum iram eius concitarent.

Adiecerunt, inquit, *ad peccandum*, quaſi dicat, his tantis miraculis & beneficiis non ſunt moti, vt Dei erga ſe amorem agnoſcentes ipſum colerent, ipſique ſe ſubiicerent: ſed perrexerunt in ſua peruicacia & in peccandi libidine perſeuerauerunt.

Ad exaſperandum] Hoc verbo amplificat ipſorum delicta. Non enim fuerunt leuia peccata, quæ ex communi infirmitate hominum orta erant. Sed erat malitia intolerabilis, quæ iram Dei vehementer prouocabat, vt faceret eum amarum, ſicuti nos Germani dicimus, *Das ſie in verbitterten.* Poſtea à loci circunſtantia etiam delictum exaggerat, cùm inquit in deſerto eos peccaſſe, vbi ſcilicet recens adhuc erat memoria illorum ingentium miraculorum, quæ in eductione ediderat: & vbi quotidie adhuc viſibilia teſtimonia gratiæ & amoris diuini ob oculos verſabantur: item vbi neceſſitas cogere eos ab obſequium debebat. Erãt enim in deſerto, vbi niſi diuinitus paſcerentur & ſuſtentarentur, videbant ſe inde exire nõ poſſe:& tamẽ tãta erat contumacia & peccãdi libido vt his rebus omnibus non mouerentur ad pietatem & modeſtiam.

Tentauerunt Deum] Tentare Deũ hoc loco eſt ex animo incredulo & temeritate experimentum potẽtiæ ſeu voluntatis eius in eo requirere, quod Deus non ita ordinauit,& Deum quaſi circumſcribere ſeu legem ei imponere ac corrigere ordinationem ſuo conſilio. Hoc peccatum multò grauius eſt quàm murmuratio, de qua poſtea dicit. Murmuratio enim eſt impatientia iraſcens Deo in ærumnis: quales fremitus & indignationes ſæpe exiſtunt etiam in ſanctis, vt in Iob, Ieremia & aliis. Sed tentare Deum addit aliud maius peccatum. Non enim eſt tantùm iraſci Deo, ſed etiam inſuper addere vel negationem, vel correctionem ordinationis diuinæ. Qua de re conſulatur commentarius Philippi Melanth.in 1. epiſtolam ad Corinth.cap.10.

Ad petẽdum cibum animæ] Petere cibum, cùm cogit inedia, per ſe quidem non reprehenditur. Nam Chriſtus ipſe iubet nos petere panem quotidianum: nec eſus carnium hic taxatur: ſed quòd faſtidientes præſens donum, cùm quotidie manna cibarẽtur, nouos & delicatiores cibos appeterẽt. Ideo enim dicit eos tentaſſe Deum, quòd cibo, ſcilicet diuinitus ordinato non contenti alios appeterent, ídque nomine animæ hîc ſignificatur, quæ pro concupiſcentia accipitur.

Et locuti ſunt] Non veriti ſunt etiam ore prodere cordis impietatem. Itaque in voces impias & blaſphemas eruperunt.

Menſam parare] Id eſt, inſtruere lautis & variis cibis: & additur argumentum impoſſibilitatis, vt ipſi iudicabant. *In deſerto*, vbi ſcilicet talium rerum, quæ ad ſtruendam menſam requiruntur, perpetua quædam eſt penuria.

Ecce percuſſit rupem,&c.] Hoc Baſilius ita explicat, ὥσπερ τίς γὰρ τὸ τῶν ὑδάτων καὶ ῥᾴδιον· τὸ γὰρ ἐν τῷ λαγόσι τῆς γῆς κεκρυμμένον εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἀνεδόθη. τὴν δὲ τοῦ ἄρτου τροφὴν τὴν χρόνῳ φυομένην, πῶς ἂν ἡμῖν ἀθρόως παράσχοι; Quanquam alij velint non potentiæ, ſed voluntatis diuinæ experimentum eos capere hîc voluiſſe. Quaſi hoc velint, Qui aquam ex petra eduxit, is etiam menſam parare & inſtruere poterit, modò velit, ídque ſi non faciat, colligere inde licet eum nulla noſtri cura tangi. Vtrouis modo intelligas, grauiſſima eſt tentatio & horribile peccatum. Neque enim potentiam Dei ex noſtris cupiditatibus metiri debemus, neque de voluntate eius aliter ſtatuere aut polliceri nobis, quàm ſicut ille in verbo ſuo ſe patefecit. Ipſe enim promiſſionibus ſuis addidit certa ſigna quibus vult nos eſſe contentos, nec noſtra curioſitate aut diffidentia eò abripi debemus, vt ipſi noſtro arbitrio poſtulemus ſigna, quæ ſint teſtimonia voluntatis ipſius erga nos. Ideo Chriſtus Iudæos reprehendit poſtulantes ſigna: Generatio peruerſa & adultera quærit ſignum, Matth.12.

21 Ideo audiuit Iehoua & iratus eſt: & ignis ſuccenſus eſt contra Iacob: atque etiam ira aſcendit contra Iſrael.

Delictum mox ſequitur pœna. *Ignis* enim poſtremam partem caſtrorum abſumpſit, vt ſcribitur Num. 11. Dicit autem audiuiſſe Deum ſcilicet murmur & clamores ipſorum, quum iam punire conſtituiſſet. Quamdiu enim Deus nõ punit ſcelera, iudicat mundus eum nec videre, nec audire, nec intelligere eorum quicquam quę inter homines geruntur. Sed tandem in pœnis experiuntur, quòd non occluſerit Deus aures aut oculos ad delicta hominum: ſed quòd diligenter attenderit & ſingula probè examinarit.

Iratus eſt, vel efferbuit] loquitur ἀνθρωποπαθῶς de Deo. Iraſci enim dicitur Deus, dum, quod irati ſolent, facit, hoc eſt, animad-

animaduertit in delinquentes. Eſtque illa ira Dei, aliena ab omni perturbatione mentis. Non enim facit hoc iratus more noſtro, ſed nobis pœnam peccatorum dantibus videtur iraſci. Ideo ad noſtrum ſenſum tales ſermones referũtur. Græcus interpres reddidit ἀνεβάλετο, diſtulit.

22 Quia non crediderunt in Deo: & non [*confiſi ſunt*] ſperauerunt in ſalute eius.

Addit cauſam pœnæ, quæ fuit incredulitas. Hac enim impulſi ſunt vt tentarent Deum, & ſigna pro ſuo arbitrio & curioſitate ab eo poſcerent. Ita igitur fontem ſeu radicem eius peccati, de quo ſuprà dixit, demonſtrat: & oſtendit hoc delictum multò maius & grauius eſſe externis ſceleribus, vt furtis, cædibus, & ſimilibus. Habebant Iudæi verbum, & expreſſa ſigna fauoris diuini, his fidem adhibere debebant, vt crederent ſe eſſe in gratia Dei, ſeque curæ eſſe Deo, ſed tanta eſt incredulitas, vt niſi ſecundùm ipſorum cupiditates ſigna edat, ipſi & verbum & ſigna hactenus exhibita reuocare in dubium non vereantur. Ideo ſubijcit, non ſperaſſe eos in ſalute eius, id eſt, non firma fide ſtatuiſſe quòd ipſi curæ eſſent, quódque ipſe liberare & ſeruare ſuos ex omnibus difficultatibus poſſet & vellet. Hæc enim veræ fidei natura eſt, ab vno Deo pendere, ab eo ſolo ſperare & expetere ſalutem: ſéque vnius Dei arbitrio committere. Eſt autem diligenter obſeruandum, quòd cum fide iungit fiduciam: ne quis exiſtimet fidem in doctrina eccleſiæ capi tantùm pro notitia hiſtorica, ſicut pontificij eam doctrinam intelligunt, & noſtram, hoc eſt, Catholicæ eccleſiæ Dei doctrinam de iuſtificatione arrodunt, quaſi ſola notitia dicamus hominem iuſtum fieri. His opponatur hoc dictum & ſimilia, in quibus fides & fiducia iunguntur, aut potius promiſcuè vſurpantur. Poſterius enim membrum eſt declaratio prioris.

23 Et mandauerat nubibus deſuper: & ianuas cæli aperuerat.

24 Et pluerat ſuper eos Man, ad manducandum: frumentum cælorum dederat illis.

25 Panem fortium comederat homo: cibum miſerat ipſis ad ſaturitatem.

Amplificat ſcelus à collatione, in qua recenſet & commendat beneficia antehac exhibita, quòd videlicet quotidie pane cœlitus demiſſo eos pauerit: vt ita impietatem ipſorum & concupiſcentiam prauam magis deteſtabilem reddat. Debuiſſent illi ſummi beneficij loco accipere, ſi vel radicibus, vel fructibus, vel aliis rebus terra naſcẽtibus, in deſerto vitam ſuſtentare per tempus potuiſſent. Sed ea fuit Dei erga ipſos benignitas, vt panem cœleſtem in alimentum quotidie ipſis demitteret, idque non parcè aut tenuiter, ſed tanta copia, vt omnes ſaturarentur: vnde certò diſcere poterant & debebant Iudæi, ſe curæ eſſe Deo. Quòd igitur ſpreto & faſtidito hoc cibo alios expetiuerunt, id ſummæ ingratitudinis atque impietatis eſt argumentum. Hæc ſumma eſt horum verſuum: in quibus non tãtùm eſt commemoratio beneficij ſeu miraculi, ſed collatio, qua impietatem populi exaggerat.

Hiſtoriam verò de *Manna*, & quæ ad huius explicationem pertinent, legant ſtudioſi Exod. 16. Num. 11. & de fine exhibiti huius beneficij loquitur Moſes Deut. 8. & Sap. 16. Allegoriam verò Mannæ explicat Chriſtus Iohann. 6. Ego ſum panis vitæ, &c. & Paulus in 1. ad Cor. cap. 10.

Celebrat autem propheta miraculum hoc, *primùm* à loci inſolentia, vnde mittebatur. Non enim ex terra produxit fructus, quibus eos paſceret, ſed ex nubibus & cæli penetralibus, depluit hunc cibum. *Deinde*, ab adminiſtrandi facilitate. Solo enim Dei iuſſu, ſine vllo hominum labore, imò ipſis dormientibus, hic cibus fuit paratus. Ideo inquit: & mandauerat, &c. *Tertiò*, celebrat à copia & abundantia, quæ tantæ multitudini paſcendæ ſuffecerit. *Quartò*, à cibi præſtantia. Nominat enim cibum præſtantium ſeu fortium, id eſt, talem, qui non modò promiſcuæ plebi, ſed principibus etiam atque heroibus potuerit eſſe gratiſſimus. *Es vvaren herren brodt*, vt ſignificet eum cibum ſaporis fuiſſe delicatiſſimi. Nam Scriptura dicit, Saporem fuiſſe quaſi ſimilæ cum melle, & deinde ſingularem habuiſſe vim ad conſeruandum & augendum robur in veſcentium corporibus. אבירים Græci reddiderunt ἀγγέλων, & ſimiliter Chaldæus, qui tamen paraphraſi vtens ſententiam ita exponit, cibum deſcendentem de habitaculo angelorum comederunt filij hominum. Kimhi voce אבורים iudicat notari nubes vel æthera.

26 Pergere faciebat ventum orientalem in cælo: & adduxit in virtute ſua auſtrum.

27 Et pluit ſuper eos quaſi puluerem, carnem: & ſicut arenam maris volucrem alæ [*id eſt, alatam ſeu volatile alatum:* עוף *enim collectiuum eſt.*

28 Et cadere fecit in medio caſtrorum eius: per circuitum ad tabernacula eius.

29 Et comederunt & ſaturati ſunt valde: & deſiderium ipſorum attulit ipſis.

Iam pergit in commemoratione hiſtorica, quam ſuprà inſtituerat. Nam quæ de manna inſerta ſunt, ad amplificandam ſceleris magnitudinem faciunt. Cùm igitur carnes ita auidè expeterent Iudæi, vt murmurare aduerſus ipſum non ceſſarẽt: Deus vt morem ipſorum cupiditati gereret, tandem carnes in maxima copia ipſis dedit, adductis coturnicibus & circum caſtra proſtratis, vt hoc facto ſuam potentiam etiam maledicis & blaſphemis hominibus oſtenderet. Hiſtoria verò de coturnicibus diuinitus adductis per ventum meridionalem deſcribitur primùm Exod. 16. & deinde Num. 11. Apparet autem hoc miraculũ bis eſſe factum: ſemel in deſerto Sin: deinde poſt annum in deſerto Pharan, ad ſepulchra concupiſcentiæ. In qua ſententia video & Ioſephum eſſe lib. 3. antiq. c. 1. & 16. & Hieronymum tractatu de 10. manſionibus, & de 42. manſionibus, manſione 10. & 13. Propheta verò ex his quæ ſequuntur, videtur loqui de poſteriore miraculo, de quo ſcribitur Numer. 11. eſtque incredulitas & impatientia Iudæorum eò magis culpanda, quòd, qui ſemel in illo coturnicum miraculo potentiã Dei viderant, & quotidie mirabiliter cœleſti pane paſcebantur, non deſinunt ſua diffidentia atque impatientia Deo obſtrepere, eúmque ad iram prouocare.

Fecit pergere ventum] Commendat propheta miraculum à multis circunſtantiis, vt id faciat illuſtrius. dicit autem Deum adduxiſſe coturnices, vt oſtenderet Dei imperio parere totam rerum naturam. Non difficile erat Deo, eo ipſo in loco vbi caſtra habebãt, producere coturnices, ſed vento voluit eas adducere, vt oſtenderet etiam ventos ſuo imperio parere, & qui ſecundùm vſitatum naturæ ordinem nubes & pluuias ferè adducant, eos ſi Deus iubeat, etiam coturnices aut alias res in vſum hominum adducere. Itaque dicit Deum feciſſe pergere ventum orientalem, hoc eſt, mutato vel ſopito, aut etiam depulſo, qui aliquandiu ſpirauerat, vento orientali, adduxiſſe meridionalem ventum. Scribit autem Plinius lib. 10. cap. 23. Coturnices auſtro non volare, humido ſcilicet & grauiore vento: aura tamen vehi velle propter pondus corporum viréſque paruas: aquilone ergo maximè volare ortygometra duce. Id ſi verum eſt, hac quoque in re miraculum conſpicitur, quod vento, quo ſpirante ferè quieſcunt ſéque abdunt, ſunt adductæ. Deinde à copia miraculum amplificat, cùm inquit, inſtar pulueris, aut arenæ maris coturnices fuiſſe ſparſas. Poſtremò à loco: quòd non vbique per deſertum deciderint: ſed tantùm inter caſtra & per circuitum, itinere quantum vno die confici poteſt. Quæ omnia teſtimonia fuerunt ſingularis amoris & beneuolentiæ Dei erga hunc populum, & curæ planè paternæ.

Vigeſimus nonus verſus referendus eſt ad 27. quem declarat: oſtendit enim tantam fuiſſe coturnicum copiam, vt tanta hominum multitudo ſit ſaturata. Attulit deſiderium ipſis, id eſt, ſatisfecit ipſorum deſiderio, *hat ihnen ire luſt gebüſſet.*

30 Nõ alienati ſunt à deſiderio ſuo: adhuc cibus eorum [*erat*] in ore ipſorum.

31 Et ira Dei aſcẽdit in eos: & occidit inter pingues eorum: & electos Iſrael proſtrauit.

Redit ad commemorationem pœnæ, de qua ſcribitur Num. 11. Cum primùm inciperent murmurare, & vulgus illud promiſcuum, quod vnà egreſſum erat cum Iſraelitis, vel libertatis amore, vel prædæ ſpe, inciperet cæteros concitare, Deus iratus immiſit in eos ignem, vt abſumeret extremum agmen, in quod illi erant coniecti. de hac pœna ſuprà locutus eſt. Sed cùm non moueerentur hoc exemplo cæteri, quin ipſi quoque carnes expeterent, & concitato tumultu Moſen grauiter moleſtarent & premerẽt, dedit Deus carnes, obſecutus voluntati ipſorum, ſed ſtatim pœna ſecuta eſt, de qua nunc loquitur. Qui igitur alieno exemplo non ſunt facti cautiores, tandem ſuo malo didicerunt quid ſit aduerſus Deum murmurare, aut eundem tentare.

Non ſunt alienati] Id eſt, adhuc flagrabant cupiditate, qua erãt incenſi. Etſi enim ad ſaturitatem vſque comederant carnes: tamen illa ſaturitate adeo non reſtinguebatur cupiditas, vt magis ea inflammaretur. Quod enim hydropicis accidere ſolet, vt quo plus ſunt potæ, plus ſitiãtur aquæ, idem Iſraelitis accidit guſtantibus, & ad ſaturitatem ingerentibus carnes. In hac ſententia videtur nihil eſſe coactum: poteſt tamen ſimplex ſumi interpretatio ex ipſa Moſis hiſtoria, vbi inquit: Adhuc erant carnes in dentibus eorũ, nec defecerat huiuſmodi cibus. Eadem videtur eſſe huius verſus ſententia, niſi quòd

membra ſunt tranſpoſita. Itaque, Non alienati ſunt à deſiderio ſuo, idem eſt ac ſi dicas, Nondum defecerat eos cibus, ſed adhuc laſciuiebant in ſua crapula, vt deſiderium hoc loco ponatur pro obiecto deſiderij, ſicut & verſu præcedente: éſtque id vſitatiſſimum in nominibus affectuum, non tantùm apud Hebræos, ſed etiam in omnibus linguis.

Alij vertunt: non ſunt fruſtrati. Nonnulli: nondum faſtidiuerunt cibum. Sed ſimpliciſſima interpretatio eſt, quæ ex Moſis verbis ſumitur, qui dicit nondum exciſum aut ſublatum fuiſſe cibum, cùm inciperet pœna graſſari.

Ira aſcendit] Aſcendere dicitur ira Dei, quando ingraueſcit, & paſſim incipit graſſari, ita vt cohiberi ampliùs non poſſit, ſumpta metaphora à flamma, quæ quo fit copioſior, eo altius aſcendit. Atque ita Deus apud Ezechielem loquitur cap. 38. Aſcendet ira mea in furore meo, id eſt, ego grauiſſimè iraſcar. Alij tamen aſcendere exponunt, pro, in iudicium conſurgere poſt longam patientiam & diſſimulationem.

Interfecit inter pingues eorum] Pingues nominat optimates, quorum erat præcipua authoritas, & eminentia in hoc populo, quemadmodum & Pſal. 22. nominat pingues terræ, Reges & principes.

Electos vocat eos qui præ aliis præſtabant forma & robore corporis, & qui ad arma gerenda videbantur præ cæteris idonei. In hos maximè ſæuiit ira Dei: non quòd ſoli hi peccaſſent, ſed quòd præ cæteris illas delicias appetiuiſſent, & maiore importunitate poſtulaſſent. Solet enim illud genus hominum, quod aliis dignitate antecellit, plus ſibi indulgere, omniáque faciunt licenter & audacter. Ideo illi inprimis dederunt pœnas, vt extaret teſtimonium diuini iudicij aduerſus eos.

32 In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt mirabilibus eius.

33 Et [*ideo*] conſumpſit in vanitate dies eorum, & annos eorum in terrore.

Pergit deſcribere incurabilem contumaciam huius populi, eíque commemorationi rurſus ſubiicit pœnas. Non ſolùm enim tot & tam illuſtribus miraculis & beneficiis, ſed ne plagis quidem & pœnarum exemplis moti ſunt, vt deinceps Deo crederent. Quanquam enim interdum ad præſentia miracula obſtupeſcebant, tamen illis ex eorum oculis remotis mox redibant ad ingenium. Id quod ſequentes hiſtoriæ in Numerorum libro oſtendunt. Vt cùm cap. 14. audito ab exploratoribus robore inhabitantium terram Canaan, mox cœperunt frangi animo, & murmurare aduerſus Moſen, dicentes: Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, &c. Ita in exemplo Iſraelitarum deſcribitur contumacia totius humanæ naturæ, quæ ſubinde Deo aduerſatur, nec poteſt Legi eius, niſi ſancto Spiritu regatur, ſubiici: ídque cogitantes clamare ad Deum & orare debemus, vt ipſe nos regat Spiritu ſuo, & flectat corda noſtra ad agnitionem ſui & veram fidem.

Mirabilia] Intelligit beneficia antehac exhibita variis modis: & deinde pœnas, de quibus iam loquutus eſt. In beneficiis cernere Dei erga ſe amorem: in pœnis verò conſiderare eius iudicium aduerſus peccata, atque ita vtriuſque conſideratione flecti ad timorem Dei & fidem debebant. Ipſi verò pertinaciter perſeuerabant in ſua crudelitate, & petulanter contemnebant omnia ſigna & miracula: ideo ſequitur pœna triſtiſſima.

Et conſumpſit in vanitate dies eorum] Hæc pœna fuit multiplicis illius & perpetuæ contumaciæ, vt quanquam educti eſſent ex Ægypto ad certam ſpem poſſidendæ terræ Canaan, & iam fines eius propè attigiſſent, tamen ingredi eam non potuerint, ſed retroacti annos quadraginta in deſerto oberrarũt, donec ibi in triſtitia & mœrore conficerentur. Significanter autem dicit, In vanitate dies ipſorum fuiſſe conſumptos, quia planè exciderunt ſpe ſua, & omnes moleſtias illas fruſtra ſuſceperunt. Non enim conſecuti ſunt quod ſperauerant: ſed liberi eorum ingreſſi ſunt terram.

Poſtea dicit eos conſumptos eſſe in terrore. Quia toto illo tempore verſabantur in perpetuo metu & terrore, íſque non ab vna re, ſed variis ipſis afferebatur. Primùm enim ex multis pœnarum exemplis videbant Deum grauiter iraſci huic populo: íſque ſenſus iræ Dei nihil afferebat niſi terrores & trepidationem. Deinde, quod aliis acciderat, id, qui ſupererãt, ſubinde metuere cogebantur. Viuebant igitur in perpetuo metu, & erat alioqui illa longa oberratio in locis horridis & incultis non tantùm plena moleſtiæ, ſed periculi etiam, cùm propter feras & venenatos ſerpentes, tum etiam propter vicinos hoſtes Amalekitas, Idumæos, Moabitas, & alios quos habebant infeſtiſſimos.

Alij nomen בחלה cum R. D. Kimhi & Græco interprete exponunt cum feſtinatione. Sed prior ſignificatio eſt verior. Significat enim verbum Hebræũ terrore concuti aut cõturbari.

34 Cùm occideret eos, mox quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo quærebant Deum.

35 Et recordati ſunt quòd Deus eſſet petra eorum: & Deus excelſus redemptor eorum.

36 Et blanditi ſunt ei ore ſuo: & lingua ſua mentiti ſunt ei.

37 Cor autem eorum non fuit rectum cum ipſo: & non fuerunt veraces in pacto eius.

Occupatio eſt qua occurrit tacitæ obiectioni. Poterat enim quis dicere, Iſraelitas non fuiſſe adeo impios aut ſceleratos, vt tantis Dei miraculis non mouerentur, & videtur contrarium poſſe ex ſcripturis probari. Affirmat enim hiſtoria Exodi decimo quarto, Iſraelitas, cùm vidiſſent cadauera Ægyptiorum eiecta ad littus maris rubri, & conſideraſſent quantum eſſet beneficium, quòd in illo periculo ipſi eſſent ſeruati, timuiſſe Dominum, eíque credidiſſe: nec dubium eſt etiam in cæteris miraculis Iſraelitas potentiam Dei agnouiſſe & celebraſſe. Cur igitur dicit propheta eos non credidiſſe in Deum? Reſpondet, in neceſſitatibus & præſenti periculo Iſraelitas cogitaſſe nonnunquam de præteritis miraculis, atque horum cogitatione fuiſſe excitatos, vt rurſus ad opem diuinam confugerent, ſed depulſo periculo aut amoto metu ſtatim rediiſſe ad ingenium, & perrexiſſe in ſuis ſceleribus. Talis autem pœnitentia mera eſt ſimulatio & hypocriſis, quæ non modo non placat Deum, ſed grauiùs etiam irritat. Non enim ſeriò dolebant Iſraelitæ ſe offendiſſe Deum ſua multiplici contumacia, nec ſua delicta, ita vt debebant, expiabant: ſed præſentium pœnarum ſenſu tantùm vrgebantur, vt quærerent liberationem aut mitigationem. Ille igitur pœnarum ſenſus, non dolor ob delicta admiſſa, aut vera fides, expreſſit ipſis hanc conuerſionem & precationem, de qua hic loquitur, eáque cum ipſo malorum ſenſu ſtatim euanuit: ſublatis enim pœnis mox deſierunt illi ad Deum clamare. Hæc eſt ſententia horum verſuum.

Cùm occideret] Non eſt peccatum quærere Deum in calamitatibus, & ab eo opem & auxilium petere: imò mandatum diuinum eſt, vt in ærumnis & periculis ad Deum confugiamus: ſicut dicitur, Inuoca me in die tribulationis, Pſal. 50. Sed tantùm petere, vt ſenſus mali tollatur, & vt nos moleſtiis ac periculis eximamur, atque interea perſeuerare in peccandi propoſito, id verè eſt irridere Deum, atque iram ipſius prouocare. Si enim cor noſtrum non cõdemnat nos, habemus fiduciam erga Deum, quòd quicquid petiuerimus, accipimus ab eo, inquit Ioan. 1. Epiſt. cap. 3.

Rupes] Id eſt, protector, μετωνυμικῶς: nam in rupe conſiſtens tutus eſt aduerſus impetum hoſtilem.

Lingua mentiti ſunt] Dum ſcilicet vocarent eum rupẽ ſuam. Nam interea corde ſuo aliò reſpectabant.

Veraces in fœdere] In fœdere enim erat mutua obligatio. Nõ ſatis eſt Deum eſſe veracem in fœdere: ſed oportebat etiam illos id præſtare, ad quod ex pacto erant obligati.

38 Ipſe autem miſericors expiabat iniquitatem, & non perdidit [*perdebat*] & multiplicauit ad auertẽdum iram ſuam, & non excitauit omnem indignationem ſuam.

Dixit quales ſe exhibuerint Iſraelitæ erga Deum, cùm tanta beneficia ab ipſo accepiſſent. Nunc à contrario oſtẽdit qualem ſe Deus erga populum oſtenderit, etiam toties irritatus & prouocatus, & cùm iuſtiſſimam haberet cauſam in vniuerſum eos delendi. Eſt autem hęc doctrina plena conſolationis. Dicit enim Deum, quoties punit populum ſuum, iuſtam iram ſuam temperare miſericordiâ, & mitigare pœnas, ne æſtu iræ diuinæ prorſus abſumamur. Nam ſi ſecundùm rigorem iuſtitiæ agere nobiſcum, & ad calculos vocare vellet noſtra delicta, non viueremus vnum momentum temporis. Sicut dicitur Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et Pſal. 130. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Hæc igitur miſericordia & ἐπιείκεια, qua parcit nobis delinquentibus, grato animo agnoſcenda & prædicanda eſt.

Primùm autem inquit, eum fuiſſe *miſericordem*, quod inprimis notandum eſt. Nam ex hoc fonte oritur ſalus noſtra: ſicut dicitur in Threnis cap. 3. Miſericordiæ Domini quòd non conſumpti ſumus. Poſtea addit, eum *expiaſſe* ſeu ignouiſſe *peccata*, vt oſtendat, ipſos quidem dignos fuiſſe qui omnes vno tempore funditus delerentur propter delicta: ſed bonitate diuina maximam multitudinem fuiſſe ſeruatam. Deinde, quia nõ ſemel, ſed ſæpius fuit prouocatus, addit eum multiplicaſſe ad auertendum iram ſuam, id eſt, non feciſſe finem auerten-

dæ iræ

dæ iræ ſuæ,& nunquam eam omnem effudiſſe,ſed magna clementia cohibuiſſe.

39 Et recordatus eſt quod caro ſunt, Spiritus tranſiens & non reuertens[*qui non reuertatur.*]

Cauſa principalis & προηγουμένη,cur Deus parcat delinquētibus,eſt miſericordia,de qua iam dictum eſt. Nunc alteram addit ab humanæ naturæ fragilitate, & caduca ac fluxa conditione. Erant quidē illi digni qui perirent,ſed Deus pepercit illis propter magnam naturæ humanæ imbecillitatē. Nihil enim eſt in homine quod ad miſericordiam prouocet Deum,quàm miſeria noſtra. Nomine *carnis* imbecillitas ingens hominum notatur, & quòd obnoxia eſt natura noſtra corruptioni & interitui,ſicut & Gen. 6.cùm Deus inquit,Non diſceptabit Spiritus meus cum homine in ſeculum, eo quòd ſit caro.Caro igitur cùm ſuſtinere iram Dei non poſſit,ac neceſſe ſit mox eam in nihilum redigi ſi Deus omnem irā ſuam effundat, ideo dicit iram Dei miſericordia eſſe temperatam. Nomine *Spiritus* intelligit flatum ſeu ventum,in quo nihil eſt ſolidum,& qui non tantùm eſt inſtabilis, ſed qui etiam velociter tranſit.Tales enim ſunt homines,ſicut nos Germani dicimus, *Es iſt nichts denn ein hand voll vvindes.* Quòd autem addit *non reuertens*,oſtendit ſemel peracto ſpatio aut vitę curſu homines non ordiri denuò vitam in terra, nec repullulare,vt nouæ arbores aut herbæ reſectæ. Sicut & Iob dicit cap. 14. Arbores quotannis renaſci, & herbas vbi hyeme fuerint emortuæ iterum vireſcere:hominem verò,poſtquam interierit,non recuperare vires. Non vult homines interire ſine ſpe futuræ vitæ,vt quidam ex hoc loco colligere voluerunt, ſed loquitur de vita quā in hac terra agimus. Solet ſcriptura Spiritum opponere carni dupliciter. Primùm, cùm de motibus Spiritus ſancti in renatis loquitur.Deinde vbi caro ita abiicitur,vt Spiritui,qui eſt in homine, omnis dignitas relinquatur,vt Eſa.3.Ægyptus caro eſt,& non Spiritus.Hoc ſenſu accipiendus eſt etiam hic locus.

40 Quoties exacerbauerūt eum in deſerto:mœrore affecerunt eum in ſolitudine?

41 Et reuerſi ſunt,& tentauerunt Deum, & ſanctum Iſraelis circunſcripſerunt.

Exclamatio aut querela, in quam erumpit ex rei indignitate, quòd totiès ſeruati & tantis beneficiis affecti, tot etiam pœnarum exemplis admoniti, non deſierunt Deum prouocare ſuis ſceleribus,vt mirum ſit eos vno momento non fuiſſe deletos.

Quoties] Num.14.Decies tentauerunt me: vbi numerus certus ponitur pro incerto. Hoc verò loco interrogatio oſtendit eos ſubinde ex vno delicto in aliud prolapſos eſſe, & nullum feciſſe peccandi finem.

Contriſtauerunt] Loquitur de Deo ἀνθρωποπαθῶς, quaſi tribuens ei perſonam patris videntis turpitudinem filij ſui.

Deſerti] nomen tam loci quàm temporis circunſtantiā continet, qua ſcelus ipſorum exaggerat. In deſerto enim recens erat memoria beneficiorum diuinorum, imò quotidie quàm plurima exhibebantur. Deinde non longum fuit eius temporis ſpatium,quo in deſerto vixerunt: & tamen intra tam breue tempus tot peccata cumulauerunt.

Et reuerſi ſunt & tentauerunt] Id eſt,ſæpe iterarunt illud delictum,vt Deum tentarent,præſcribendo ſcilicet ei modum & rationes iuuandi, vel ſuppeditandi aliquid. Non enim vult eos eſſe conuerſos aut mutatos,ſed ea eſt natura verbi שוב vt cum alio conſtructum induat naturam aduerbij, & ſignificet idem quod rurſus,denuò,&c. vt cùm dicitur pſal.85. Nónne reuerteris viuificabis me.Malach.3. & conuertemini & videbitis,id eſt,facta mutatione videbitis.

Et ſanctum Iſraelis circunſcripſerunt] Græcus interpres verbū התוו interpretatur παρώξυναν: Sed propriè ſignificat ſignare, notare,deſcribere.Inde enim eſt תו ſignum.

Eſt igitur metaphora hoc loco, qua atrocitatē delicti magis exaggerat. Significat enim, Iſraelitas pro ſua libidine Deo præſcribere auſos fuiſſe,eiúſque potentiam certis finibus concluſiſſe,vt ſi hæc vel illa pro ipſorum libidine non præſtaret,ipſi habituri eum eſſent pro imbelli & impotente.

Sanctum Iſraelis nominat,quòd ſe huic populo peculiariter patefecerat,eúmque ab omnibus aliis gentibus ſelegerat & ſanctificarat,atque ita hac quoque appellatione ſcelus ipſorum exaggerat.

42 Non ſunt recordati manus eius, diei, quo redemit eos ab affligente.

43 Quando poſuit in Ægypto ſigna ſua: & prodigia ſua in campo Soan.

Pergit in exprobratione impietatis: & fontē omniū ſcelerū oſtendit fuiſſe obliuionē beneficiorum diuinorū. παλαιὰ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί,inquit Pindarus:& Seneca dicit, Nihil citiùs ſeneſcit quàm gratia. Id in exemplo Iſraelitarum videre licet. Nulla enim beneficia tanta ſunt quæ illi non ſubitò obliuiſcantur & contemnant. Atque ex hac obliuione naſcitur poſtea illa proteruia,vt quiduis audeant contra Deum.

Manum per metonymiam nominat potentiam Dei, ſeu ſigna quibus ſuam potentiam declarauit.

Diei quo redemit] Solet præteriti temporis obliuio facilè obrepere hominibus: ſed ſi qua inſignis clades ſeu calamitas acciderit vel ſalus publica contigerit, illud tempus atque illum diem notare diligenter & recolere ſolemus.

Fuit autem illa liberatio Iſraelitarum ita miraculoſa vt nihil ſimile vnquam acciderit. Quòd igitur ſepelire horum beneficiorum memoriam perpetua obliuione potuerunt, id ſummæ impietatis & ingratitudinis eſt argumentum. Et nos moniti hoc exemplo cauere debemus ne per incuriam aut ignauiam noſtram committamus, vt ſumma illa beneficia, quæ Deus nobis miſſo filio præſtitit, contempſiſſe videamur: quod tamen,proh dolor,faciunt plerique.

Tribulantem] Nominat regem Pharaonem & ipſius miniſtros,qui iuſſu regis duriter ſæuiebant in Iſraelitas.

Prodigia] Quæ ſcilicet homines ſtupidiſſimos mouere poterant, vt cogitarent hoc diuinitus fieri in gratiam huius populi.

44 Et conuertit in ſanguinem fluuios eorum, & fluenta eorum ne biberent.

Sequitur ἐξήγησις ſuperioris verſus, in qua ordine recenſet quædam miracula, quibus Deus potentiam ſuam oſtendit antequam populum educeret ex Ægypto. Nō autem omnia illa prodigia enumerat, de quibus in Exodo dicitur, neque eo ordine quo à Moſe ſunt expoſita: ſed ea tantùm commemorat, quæ videbantur ſatisfacere præſenti propoſito. Vult enim tantùm hoc oſtendere, nimis craſſam & intolerabilem fuiſſe huius populi contumaciam, qui tam illuſtribus miraculis moueri non potuerint, vt Deo crederent, eíque ſe gubernandos committerent.

Conuertit in ſanguinem] Prima plaga Ægyptiorum hæc fuit, quam iuſſu Dei immiſſam eſſe ſcribit Auguſtin. lib. 1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, quia rex Ægyptius infantes Hebræorum in flumen coniici præceperat: fuit igitur pœna talionis, & congruit modus pœnæ cum modo delicti, iuxta illud Sap. 11. Per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Ne biberent] Scribit Spartianus aquarum Nili tantam eſſe dulcedinem vt accolæ vina non quærant. Et in hiſtoria Peſcennini legitur,milites in Ægypto requiſiuiſſe vina,Peſcennium verò dixiſſe, Nilum habetis & vinum quæritis? Quòd igitur aqua in ſanguinem conuerſa eſt,vt vel bibentibus exitium inferret,vel non bibentibus pœnam præſtaret,vt loquitur Auguſtinus, ex eo apparet plagam fuiſſe maximam. Caruerunt enim vſu aquæ, non tantùm ad cæteras res neceſſariæ, ſed etiam quæ ipſis erat potus, vt aut ſine periculo vitæ non biberent,aut ſiti perpetua affligerentur.

45 Mittebat in eos mixtionem & vorabat eos: & ranam,quæ perdidit eos.

Recenſet duas plagas,quarum prior quarto loco,poſterior ſecundo à Moſe recenſetur, Exod. 8.

ערוב ſignificat mixturam ſeu examina inſectorum diuerſi generis,vt muſcarum,culicum, veſparum,crabronum aut ſimilium, quæ pungendo faciem & corpora vehementer affligunt & infeſtant. Ioſeph intelligit de beſtiis ſeu feris noxiis, quibus Ægyptios punitos eſſe dicit liber ſapientiæ, quòd eſſent idololatræ, & quòd colerent ſerpentes & alias beſtias. Græcus reddidit κυνόμυιαν.

46 Et dedit brucho prouentum eorum: & laborem eorum locuſtis.

Hæc octaua eſt plaga Exod. 10. Locuſtæ quicquid poſt grandinem reliquum manſerat in agris,conſumpſerunt.

47 Et occidit in grandine vitem ipſorum: & ſycomoros ipſorum fulmine [*igni intermixto grandini.*]

48 Et tradidit grandini iumenta ipſorum: & pecora ipſorum lapidibus ignitis.

Hæc ſeptima eſt plaga, de qua legatur hiſtoria Exod.7. Verbo occidendi oſtendit grandinem non tantùm folia & fructus decuſſiſſe,aut vtrunque læſiſſe, vt eo anno fructibus vitis & arborum carendum fuerit: ſed ipſas quoque radices hac grandine & frigoris vi eſſe enectas. Ideo Baſil. rectè inquit, τῇ χαλάζῃ καὶ τῇ πάχνῃ καὶ αὐτὰς τὰς ῥίζας τῶν δένδρων ἀνέκρωσεν. Sycomori deſcriptionem vide apud Dioſcoridē lib.1.cap.144.apud

Galenum libro 11. de alimentorum facultatibus. Apud Theophraſtum lib. 4. cap. 2. de plantarum hiſtoria. Sub vna verò ſpecie comprehendit hoc loco per ſynecdochen reliquas arbores frugiferas omnes: huius verò præ cæteris mentionem facit tanquam maximè vulgaris. Scribit enim Vlpianus hanc arborem in Niloticis aggeribus eſſe frequentem, grauitérque in eos animaduerti qui Sycomorum exciderint.

חנמל Græci reddiderunt πάχνην pruinam. Alij tamen malunt ſignificare ignem intermixtum grandini. Nam Moſes vbi hanc hiſtoriam recitat, dicit grandini ignem fuiſſe intermixtum, nec legitur niſi in hoc loco.

Tradidit grandini] Verbum Hebræum ſignificationem habet concludendi. Vult igitur hanc tempeſtatem fuiſſe ſubitam, quæ vno ferè momento ſeſe diffuderit, & quicquid in agris eſſet corripuerit, vt nullum eſſet effugium. Hiſtoria Moſis etiam hominum mentionem facit.

49 Mittebat in eos furorem iræ ſuæ, ardorem & indignationem, & anguſtiam: immiſſionem angelorum malorum.

Hic verſus in genere ad omnes plagas quas Ægyptiis Deus immiſerat, referendus eſt. Oſtendit enim illas non caſu accidiſſe (ita enim ἄθεοι tales clades ferè intuentur) nec ſecundum communem naturæ curſum eueniſſe: ſed diuinitus immiſſas fuiſſe has plagas contra naturæ ordinem, vt eſſent ſigna & teſtimonia iræ diuinæ aduerſus idololatriam, libidines, tyrannidem & alia ſcelera Ægyptiorum. Quidam de plaga peſtis hunc verſum intelligunt, quæ quinta erat: ſed huius poſtea fit mentio.

Immiſſionem angelorum malorum] Exequitur Deus iudicia ſua interdum immediatè, vt in cōflagratione Sodomæ, interdum mediatè miniſterio angelorum, tam bonorū quam malorum, omiſſis aliis naturalibus aut ordinariis mediis. Habet enim in ſua poteſtate vt totam rerum creaturam, ita etiam angelos malos, quorum opera quoties vult vtitur. Nec verò tantùm per angelos malos, tanquam carnifices ſuos, quod quidam exiſtimant, exequitur pœnas ſcelerum humanorum, ſed etiam per bonos nōnunquam exercet iudicia ſua. Nam qui exercitum Sennacherib deleuit, angelus fuit bonus, præſes eccleſiæ & vrbis Hieroſ. 2. Reg. 19. Ieſa 37. Et angelus qui percuſſit primogenita Ægypti, videtur fuiſſe bonus: ſimul enim ſalutis Iſraelitarum rationem habuit. Et Danielis 10. apud reges impios Perſarum & tyrannos ſunt boni angeli tanquam præfecti. Funguntur enim angeli officio boni œconomi, qui cùm magnæ familiæ præficitur, non tantùm operam dat vt familiam alat, hoc eſt, vt victum & veſtitum ſuppeditet: ſed etiam vt caſtiget & coerceat eos, qui nequiter ſe gerunt & improbè.

Potuiſſet igitur Deus & hæc iudicia exequi per bonos angelos: ſed maluit malorum miniſterio vti, vt hac quoque in re ſuam potētiam oſtenderet, qui inimiciſſimis etiam ſpiritibus imperare poſſit. Malos igitur angelos intelligit reprobos & damnatos, quanquam ab effectu etiam boni angeli ſic dici poſſint, quòd aduerſis cladibus hoſtes populi Dei affecerint, vt eorum tyrannidem & ſæuitiam caſtigarent.

50 Librabat [*dirigebat*] ſemitam iræ ſuæ: non prohibuit à morte animam ipſorum & iumentum ipſorum in peſte concluſit.

Hic verſus plagam quintam deſcribit, de qua Exod. 9. ſcribitur. Dicit autem Deum liberaſſe ſemitam iræ ſuæ, quo ſignificat iram diuinam ſubinde magis ac magis inualuiſſe, vt longiùs ſe extenderet, atque in omnes partes ſe diffunderet. Nam ſemita ſubinde procurrit, & vt in bilance nunc in hanc, nunc in alteram partem fit inclinatio.

Non pepercit animæ ipſorum] Anima hîc pro vita accipitur. Et referendum eſt hoc membrum ad plagam, cuius fit mētio verſu 48. Nam grandine multi homines in agris oppreſſi fuerunt, ſicut Exod. 9. legitur: Et percuſſit grando cuncta quæ erant in agris: ab homine vſque ad iumentum. Pecora verò tantùm peſte ſunt abſumpta.

51 Et percuſſit omne primogenitum in Ægypto: principium virtutum in tabernaculis Cham.

Hæc vltima plaga eſt, de qua ſcribitur Exodi 11. & 12. quæ omnium fuit triſtiſſima. Vna enim nocte omnia primogenita Ægyptiorum tam ex hominibus quàm ex brutis animātibus interfecit, Iſraelitis ſaluis & illæſis. Nec fuit domus in Ægypto, vt Moſes ſcribit, in qua nō iaceret mortuus. Eſtque plaga eo triſtior, quòd primogeniti ſunt interfecti. Nam primogenitos inprimis charos habemus & diligimus. Sunt enim principium roboris noſtri, ſicut hic inquit: quibus in lucem editis noſtrum vigorem & robur recuperare videmur, qui alioqui videbamur conſeneſcere & interire. In liberis enim quodammodo homines reuigeſcunt. Sumpta eſt autem hæc deſcriptio primogenitorum ex cap. 49. Gen. vbi Iacob filium ſuum primogenitum, Ruben, vocat principium roboris ſui.

Alij nomen און exponunt dolorem, alij cupiditatem ſeu deſiderium obtinendæ ſobolis, alij ſemen exponunt. Propriè verbum Hebræum ſignificat dolere, ægre ferre aut moleſtia affici, vt ἀνιᾶν apud Græcos quod ex Hebræo videtur factum. Eſtque animi potius quàm corporis. Sed quando corpori tribuitur, vires ſeu robur ſignificat, quod ſi nimium exeratur, dolorem quendā & languorem ſeu moleſtiam mēbris affert. Ita apud Oſe. 12. Iacob dicitur in virtute ſua præualuiſſe angelo. Et apud Ieſa. cap. 40. de Deo dicitur. Qui dat laſſo potentiam, & cui non ſunt vires, robur multiplicat.

Tabernacula Cham] nominat domus Ægypti: quia Mizraim qui κτίστης fuit gentis Ægyptiæ, fuit filius Cham, vt ſcribitur Gen. 10. & cum Chamum nominat, ſimul illis in memoriam reuocat maledictionem, qua Noe impium & proteruum filiū Cham deuouerat, benedictione tranſlata in Semum, cuius poſteri erant Iſraelitæ.

52 Et tranſire fecit quaſi oues populum ſuum: & deduxit eos, quaſi gregem in deſerto.

53 Et deduxit eos in tuto [*ſecurè*] vt non timerent: & inimicos eorum operuit mare.

Hactenus de pœnis hoſtium dixit: quas vult eſſe commonefactiones de ira Dei aduerſus peccata, vt hæc exempla intuentes diſcamus timere Deum, ipſiúſque voluntati nos ſubiicere: Sicut Nazianzenus in ſuo carmine, quod de his plagis conſcripſit, lectores monet:

Μάστιγας Αἰγύπτοιο κακόφρονος αἰὲν ἀρίθμει
Ὅσσι κεν ὑποδδομένης κέντρῳ τῷ μεγάλῳ: &c.

Nunc redit ad commemorationem beneficiorum, de quibus ſuprà cœperat dicere verſu 13. & 14. Et iam copioſiùs explicat hiſtoriam eductionis populi per mare rubrum. Rurſus autem, vt pſalmo præcedente, Iſraelitas comparat gregi ouium, vt ſignificet, nihil in ipſis fuiſſe conſilij aut virium ad ſeſe tutandos, aut hoſtes depellendos: ſed obnoxios fuiſſe mactationi & lanienæ luporum, niſi diuinitus fuiſſent ſeruati. Deinde addit, duxiſſe Deum Iſraelitas tanquam gregem ouium in deſerto. Quia non ſatis erat eduxiſſe populum ex Ægypto, & ex luporum faucibus eripuiſſe: ſed neceſſe erat etiam deinceps eum fungi boni paſtoris officiò in paſcendo & curando grege. Hoc igitur eum præſtitiſſe his verbis affirmat. Quòd poſtea dicit eos deductos fuiſſe ſecurè & ſine metu, non ita intelligatur quaſi ipſi omni ſolicitudine & metu caruerint. Nam ſæpe ſuam trepidationem quæ ex diffidentia oriebatur, oſtendunt: vt cùm Exodi 14. dicunt, Cur nos conieciſti in has anguſtias? an non erant ſepulchra in Ægypto? Sed ita loquitur, quia tutum ipſis præſidium præſtabat Deus, vt nullam cauſam timendi & trepidandi haberent. Itaque non ad ſenſum populi hoc referatur, ſed ad Dei præſidium, quòd ipſis præſto fuit ſatis magnum & firmum: vel certè ad euentum rei reſpicit Nam hoſtibus ſubmerſis in mari rubro ceſſauit Iſraelitarum metus & trepidatio, & perrexerunt deinceps ſecurè quò ducebantur.

54 Et adduxit eos ad terminum ſanctitatis ſuæ: montem hunc [*quem*] acquiſiuit dextera eius.

55 Et expulit à facie eorum gentes, & proiecit eas in funem [*ſortem*] hæreditatis: & habitare fecit in tabernaculis ipſorum tribus Iſrael.

Continuat narrationem beneficiorum diuinorum, vt poſtea è regione ſcelera Iſraelitarum exaggeret. Cùm enim educti eſſent ex Ægypto Iſraelitæ, & in deſerto annos quadraginta ſeruati prorſus miraculosè & nutriti, tandem introducti ſunt in terram Canaan, quā eiectis & deletis gentibus, quæ eam hactenus poſſederant, Deus Iſraelitis habitandam tradidit. Harum verò victoriarum & ſucceſſuum initia deſcribuntur Numer. 21. 31. 32. & tota deinde hiſtoria in libro Ioſuæ pertexitur: vnde ſtudioſi eam petent. Quòd terram Canaan nominat *terminum ſanctitatis* ſeu *ſanctuarij Dei*, id explicandum eſt. Multa enim hîc monemur. Primùm in voce *terminus*, ſynecdoche eſt. Cùm enim terra quælibet certis limitibus ſit deſcripta & incluſa, fines ſeu termini ſumuntur pro ipſa terra certis limitibus diſtincta & dirempta ab aliis. Deinde terra ſanctuarij dicitur hæc regio, quia in ea ſanctuarium Dei erat conſtitutum, erátque tota cultui diuino conſecrata. In ea enim ſola rectè agnoſcebatur & colebatur. Poſtremò hac appellatione ſcelera Iſraelitarum exaggerat, qui terram ſanctam & à Deo conſecratam non veriti ſunt iiſdem ſceleribus polluere, quibus gentes eam antehac contaminarant: cùm quidem ſcriptura teſtetur gētes ob hæc ipſa ſcelera diui-

diuinitus eiectas eſſe ex hac terra,ſicut dicitur Leuit. 18. Loci enim conditio ipſum delictum aggrauat. Nam ſicuti ſacrilegium aut adulterium in ipſis templi adytis commiſſum magis deteſtamur quàm ſimplex aliquod furtum aut adulteriũ, propterea quòd in loco ſacro committuntur:ita Iſraelitarum flagitia magis erant deteſtanda, quod in terra ſancta & cultui diuino deſtinata committerentur.

Montem hunc] Nonnulli interpretes exiſtimant terram Canaan ſic nominari συνεκδοχικῶς, quod tota eſſet montoſa: ſed ſequor illorum ſententiam, qui montem intelligunt montem Sion,in quo erat domicilium & ſanctuarium Dei, tranſlata illuc arca à Dauide: vnde poſtea tanquam ex fonte manabat totius terræ ſanctitas. Eſt autem emphaſis in pronomine demonſtratiuo זה qua beneficium amplificat. Cùm enim dicit, *montem hunc*, tanquam digito ipſum monſtrans, loquitur non tanquam de abſente, quem olim inhabitarint, aut ad quem conuenerint patres: ſed ad quem quotidie adhuc cultus diuini cauſa conueniant, & in quo adhuc conſiſtant. Quòd igitur tanto tempore hunc montem poſſederant, magnum erat Dei beneficium, aſſiduàque voce celebrandum: & montem monſtrans innuit, hunc ipſum perpetuum & luculentum eſſe teſtem illius amoris & beneficij diuini.

Quem acquiſiuit dextera eius] Hoc addit vt omnem gloriam acquiſitæ huius terræ maioribus adimat, & ſoli Deo adſcribat.Non enim proprio Marte maiores ipſorum hanc terram occuparunt(ne hoc quis importunè ex Iſraelitis obiiciat)ſed ſola Dei virtute,vt dicitur pſal.44. Non in gladio ſuo poſſederunt terram, neque brachium eorum ſaluauit eos,ſed dextera tua & brachium tuum,& lumen vultus tui, quoniam dilexiſti eos.Sequens verſus ἐξήγησις eſt præcedentis. Exprimit enim modum acquiſitæ & in poſſeſſionem Iſraelitis traditæ huius terræ:nec habet aliquid obſcuritatis, niſi quòd in verbo יפילם aliqua eſt ambiguitas. Relatiuum enim alij referunt ad Iſraelitas, & exponunt in datiuo: fecit ipſis ſcilicet Iſraelitis cadere ſorte hæreditatem, id eſt, diſtribuit eis ſorte terram. Alij ad proximè antecedens ſubſtantiuum גוים referunt, quò & poſterius illud in voce באהליהם pertinet: proiecit eas, ſcilicet, gentes, in ſortem hæreditatis, id eſt, fecit vt gentes atque ipſarum poſſeſſiones ſorte cederent aliis. Eodem redit vtraque ſententia, ſed ſignificantior & plenior eſt poſterior. Cùm enim dicit Deum expuliſſe & proieciſſe in ſortem gentes, ſignificat nec populi Iſraelitici virtute partam eſſe victoriam, nec hoſtes ſua ignauia aut timiditate terram amiſiſſe: ſed Dei potentia & virtute iſtas res geſtas eſſe.

56 Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodiuerunt.

57 Et auerſi ſunt & perfidè egerunt, ſicut patres ſui: conuerſi ſunt [*reflexi ſunt*] ſicut arcus doloſus.

58 Et ad iracundiam prouocarunt eum in excelſis ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem [*iram*] concitauerunt eum.

Commemorationi beneficiorum iterum è regione ſubiicit narrationem de ingratitudine atque impietate Iſraelitarum, vt ex antitheſi magnitudo ſceleris magis conſpiciatur. Qui in deſerto erant,ſæpe itinerum moleſtia & aliis difficultatibus mouebantur,vt aduerſus Deum murmurarent.(Quanquam ne horum quidem ſcelus excuſari poterat, quòd quotidie expreſſa amoris & præſentiæ Dei ſigna ante oculos cernerent,& innumeris eſſent beneficiis affecti.) Sed cùm introducti iam in terram Canaan, adepti eſſent certas ſedes, & regionem amœniſſimam atque omnibus rebus abundantem, multò grauius peccarunt, qui ſceleribus ſuis non deſierunt iram Dei aduerſus ſe prouocare. Hæc amplificatio ſceleris notatur hac antitheſi.Si enim illi qui in deſerto aliqua interdum moleſtia aut penuria irritati tumultuosè & petulanter quid egerunt, excuſari non poſſunt,quanto minùs hi qui tot bonis diuinitus cumulati ſcelera ipſa cumularunt?

Tentare Deum hoc loco ſignificat,non,vt ſuprà,experimentum aliquod diuinæ potentiæ vel voluntatis capere, vt fecerunt Iſraelitæ in deſerto (neque enim hoc leguntur Iſraelitæ in ſpecie feciſſe poſt occupatam terram Canaan) ſed ſignificat fiducia ſuæ ſapientiæ, iuſtitiæ aut virium diſcedere à mandato Dei, tanquam certantes cum Deo ſapientia, aut viribus propriis,negando videlicet vel opera Dei, vel ipſum Deum, cùm aliter eſſent conuicti. Iſraelitæ enim cùm iam occupaſſent terram Canaan, & iam ſine metu in ea ita viuerent, vt omnium bonorum abundantia affluerent, mox obliti autoris tanti beneficij, cogitabant ſe ſua induſtria & viribus hæc bona ſibi paraſſe & regnum hoc conſtituiſſe: nec ſtatuebant ſe Deo obligatos eſſe ad debitam gratitudinem & obedientiam. Itaque ſine metu proiiciebant ſe in quæuis ſcelera,& tantum ea capiebant conſilia, quæ partæ tranquillitati & proſperitati profutura videbantur: muniebant enim ſe fœderibus vicinorum, & paulatim coniugia cum gentibus contrahebant: quia exiſtimabant ſe niſi vicinis cõciliatis ſaluos eſſe nõ poſſe. Hoc igitur nominat hoc loco tentare Deũ. Legem vocat teſtimonia Dei, quòd de Dei voluntate teſtetur. Eſt enim Lex norma iuſtitiæ & voluntatis in Deo,oſtendens quid Deus à nobis requirat.

Retroacti ſunt & perfidè egerunt]Id eſt, facti ſunt fœdifragi, & ſceleratè violarunt fœdus, quo erant obſtricti ad obedientiã, atque ea in re patrum exempla ſunt imitati. Exiſtimant plerique,vt ſuprà dixi,quod exemplo fit,id iuſtè fieri. Itaque ſolent homines in ſceleribus, & præſertim in idololatria tegenda maiorum ſuorum exempla allegare: idque hodie eſt vſitatiſſimum. Nam etiam magni viri maiorum ſuorum exempla, tanquam clypeos, excuſandis ſuis erroribus obtendunt.Monet igitur propheta ne praua & peruerſa imitatione abripiamur:néve quid quis fecerit ante nos, ſed quid faciendum ſit cogitemus. Eſt autem contumacia Iſraelitarum eò magis damnanda, quòd patrum exempla etiam poſt tot plagas ſeu commonefactiones diuinas imitari non ſunt veriti.

Addit deinde ſimilitudinem, qua rem illuſtrat. Comparat enim Iſraelitas arcui obliquo & flexibili, qui quoquo modo intendatur, ſcopum præfixum ad quem dirigitur, non ferit ſagitta, ſed fruſtra iaculum emittit, nunc in hanc nunc in illam partem oberrans, non aliter ac ſi temere eſſet emiſſum. Tale, inquit, ingenium eſt Iſraelitarum, auerſum & tortuoſum. Debebant enim omnes actiones ſuas referre ad vnicum ſcopum legis diuinæ, eúmque vt attingerent ſummo conatu laborare, ſed illi dum ſe id agere ſimulant, quauis peccandi occaſione aliò abripiuntur, vt obliti Legis diuinæ ſuo impetu & cupiditatibus temerè ferantur.

Græcus interpres,quem Latinus ſequutus eſt, pro כ legit ב reddidit enim εἰς τόξον στρεβλόν.

Et prouocauerunt ad iram]Tranſit à theſi ad hypotheſin. Nã in ſpecie delictum Iſraelitarum profert,quo manifeſtè teſtati ſunt ſe fidem & obſequium negare Deo. Relicto enim Deo & eius verbo confinxerunt ſibi falſa numina,& cultus inſtituerunt ſine verbo pro ſuo arbitrio. Primùm inquit eos ſacrificaſſe in excelſis. Quo ſignificat eos excogitaſſe & inſtituiſſe cultus Lege Dei prohibitos. Non vult Deus aliter agnoſci aut coli quam ſicut in verbo ſuo à ſe patefecit.Itaque Lex iubet, vt non alio in loco quàm quem Deus elegerit, & vbi ipſe memoriam nominis ſui fecerit, offerant ſacrificia, Deut.14.16.Exod.20. Illi verò more gentium in collibus,nemoribus & lucis ſacrificabant, bona tamen, vt dicebant, intẽtione:quia vbique colendum eſſe Deum prædicabant. Deinde dicit eos imagines ſeu ſtatuas ſculpſiſſe, quibus exhiberẽt honorem diuinum.Id verò expreſſè prohibetur Exo.20. Nec alligandus eſt Deus ad vllam creaturam, ad quam ſe certo verbo non alligauit.

59 Audiuit Deus & iratus eſt: & auerſatus eſt valdè[*reprobauit*]Iſraelem.

Iterum pœnas commemorat, quibus impietatem & ſcelera populi Iſraelitici Deus caſtigarit. Sunt enim hæc tria mẽbra perpetua in hoc Pſalmo. Commemoratio beneficiorum diuinorũ.deinde ingratitudinis huius populi: poſtremò pœnarum, vt quem beneficia diuina nõ excitent ad pietatis ſtudium,nec exempla corrigant, ſaltem pœnarum imminentiũ metu ab impietate is retrahatur.

Primùm dicitur *audiuiſſe Deus*: cùm tamen nullus clamor præceſſerit,nec Deo accuratiore inquiſitione ſit opus,vtpote qui præſens omnia cernat & audiat. Audire igitur dicitur Deus, quando ferre impietatem aut cõniuere diutiùs ad ſcelera hominum non vult, ſed punire conſtituit. Homines ſenſu malorum, quæ foris aut procul à nobis accidunt, nõ priùs afficiuntur quàm auditu percipiantur: vt enim ignoti nulla cupido, ſic neque dolor aut auerſatio: eſtque ἡ ἀκουστικὴ αἴσθησις παθητικωτάτη πασῶν,vt inquit Theophraſtus.Sumitur igitur forma ſermonis ab hominibus: & dicitur audire Deus, cùm ita afficitur vt commoueatur vehementer & ferre ampliùs nolit. Et ſimul ſignificatur, ſcelera hominum quamuis voce prædita non ſint,& diligenter atque arte ſæpe ab hominibus occultentur, tamen magnis clamoribus implere cælum,nec quieſcere donec Deum ad vindictam prouocet. Ita in Geneſi ſanguis Abel à fratre fuſus dicitur clamaſſe in cælum ad Deũ,Gen.4.& c.18.dicit Dominus ad Abrahã,Clamor Sodomorũ & Gomorrheorum multiplicatus eſt, & peccatũ eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam & videbo vtrum clamo-

rem, qui venit ad me, opere compleuerint.

Et exarſit] Septuaginta interpretes verterũt, & ſpreuit: Hieronymus, non diſtulit. Sed verbum עבר propriè ſignificat tranſire. In quarta coiugatione ferè ad animum transfertur. Significat enim ita iraſci vt videaris extra te eſſe, atque aliò tranſiſſe. Sicut nos Germani dicimus, *im ſelbs entgehen oder entrinnen.*

Auerſatus eſt] Id eſt, variis pœnis oſtendit ſe odiſſe & execrari ſcelera Iſraelitarum. Nam auerſatio illa & ira diuina à nobis non niſi in pœnis deprehenditur: pœnæ autem, quibus Iſraelitas affecit, deſcribuntur in libro Iudicum. Nam primùm traditi ſunt in manum Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, cui ſeruierunt annos 8. deinde venerunt in poteſtatem Moabitarum, quibus ſeruierunt annos 18. Iud. 3. poſt annos 80. armis infeſtauit eos Iabin, Rex Chanaan, & grauiter afflixit eos, annos 20. Iud. 4. poſt hunc Medianitæ annos ſeptem, Iud. 6. Non multò pòſt Palæſtini & Ammonitæ bellis vaſtarunt Iudæos, annos 18. Iud. 10. cúmque aliquandiu quieuiſſent, non multò pòſt à Palæſtinis iterum ſunt vexati & oppreſſi annos 40. Iud. 13. In his pœnis omnibus oſtendit Deus quantopere impietatem & ſcelera Iſraelitarum deteſtaretur.

60 Et deſeruit tabernaculum Silo: tabernaculũ [quo] cohabitat inter homines.

61 Et dedit in captiuitatem robur ſuum: & pulchritudinem ſuam [*decus ſuum*] in manum hoſtium.

Progreditur ad alias pœnas, quæ deſcribuntur 1. Sam. 4. Cùm enim non ceſſarent Iſraelitæ idololatria & aliis ſceleribus iram Dei aduerſus ſe prouocare, Deus tandem deſerto ſuo tabernaculo, paſſus eſt arcam fœderis, quam voluit eſſe ſymbolum & teſtimonium præſentiæ ſuæ in hoc populo, venire in manus hoſtium, atque ita omne illis ſolatium ad tempus eripuit. Sublato enim illo viſibili ſigno, quid aliud cogitare & ſperare poterant, quàm quòd deinceps abiecti & abdicati eſſent à Deo?

Tabernaculum Silo appellat, quòd ibi longo tempore, ex quo ex Gilgal in eum locum erat arca traducta, quieuiſſet, Ioſue 18. & 22. & Iud. 20. 1. Sam. 1. Ier. 7. Addit deinde tentorium fuiſſe habitaculum Dei, quia, vt dixi, ſymbolum erat præſentiæ & cohabitationis Dei in hoc populo, iuxta promiſſionem huic additam: ex qua re plurimum conſolationis capiebant pij in hoc populo, & fides confirmabatur. Impij verò, qui Deũ ita affigebant huic ſymbolo, vt ſatis ſe ex eo præſidij habere iudicarent, etiamſi omnibus ſceleribus indulgerent, idolum ex arca faciebant: ſicut hodie pontificij circũgeſtantes & adorantes panem cœnæ dominicæ, aut qui extra vſum inſtitutum hunc panem eſſe corpus Chriſti ſtatuũt, cùm inſtitutio dicat manifeſtè, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, &c.

Inter homines] Non dicit ſimpliciter inter Iſraelitas: ſed inter homines, vt φιλανθρωπίαν Dei magis commendet, qui ſe euſque demittat, vt inter miſeros homines habitare nõ dignetur. Quid enim eſt homo, quòd recordetur eius, aut filius hominis, quòd viſitat eum? pſal. 8.

Arcam deinde appellat *robur Dei*, non quòd virtus Dei huic incluſa, aut ita fuerit alligata, vt non niſi per hanc eſſe potuerit fortis & potens: ſed quòd præſentia ſua, cuius ſymbolum arca erat, virtutem & potentiam ſuam hactenus Iſraeli declaraſſet in aſſidua defenſione & variis liberationibus huius populi. Eadem deinde ratione nominat eam pulchritudinem ſeu decus Dei, quia ſua præſentia Deus gloriam in hoc populo declarabat, eámque conſpicuam eſſe hoc quaſi externo ſymbolo volebat. Quòd itaque dicit robur Dei eſſe captum, & decus eius in manus hoſtium traditum, non ita intelligatur quaſi Deo ipſo potiti fuerint Palæſtini, ſed ſymbolum illud externum venit in hoſtium poteſtatem, eóque amiſſo Iſraelitæ intellexerunt ſe orbatos eſſe deinceps præſidio Dei. Alij exponunt robur eorum, ſcilicet Iſraelitarum: ſed affixum eſt ſingulare. Itaque commodiùs refertur ad Deum.

62 Et concludit in gladium populum ſuum: & contra hæreditatem ſuam exarſit.

Loquitur propheta de ingenti illa & triſti clade, quam acceperunt Iſraelitæ eo tempore cùm caperetur arca à Palæſtinis, amiſſis ex ſuo exercitu triginta millibus, vt ſcribitur 1. Sam. 4. Addit autem cauſam. Ait enim hanc cladem non accidiſſe temere, aut fortuitò, ſed vt pœna eſſet ſcelerum: quia Deus exarſerat contra hæreditatem ſuam, hoc eſt, populum Iſraeliticum, quem ſibi in hæreditatem adoptarat. 1 enim hoc loco eſt rationale. Septuaginta iterum verbũ עבר reddiderunt verbo ὑπερεῖδεν quaſi verbum ſit geſtus. Nam qui tranſeunt nec aſpicere aliquid dignantur, videntur contemnere.

63 Iuuenes eius deuorauit ignis: & virgines eius non ſunt laudatæ.

64 Sacerdotes eius in gladio ceciderunt: & viduæ eius non luxerunt.

Amplificat narrationem à diſtributione, vt oſtẽdat calamitatem peruagatam eſſe totam gentem, & nullum ordinem, nullum ſexum aut ætatem expertem fuiſſe horum malorum. בחוריו Electos nominat florem iuuentutis, cuius præcipua eſt virtus & præcipuum robur. *Ignem* metaphoricῶs iram diuinam nominat, quæ tanquã flamma paruo temporis ſpatio tantam hominum multitudinem abſumpſit: ſicut flammæ ſtipulas.

Virgines non ſunt laudatæ] Id eſt, tãta poſt illam cladem fuit penuria virorum, vt virgines manerent innuptæ, nec carmina nuptialia aut epithalamia in laudem ſponſarum ampliùs cõſcriberentur.

Quod de *ſacerdotibus* additur, videtur de filiis Eli, Ophni & Phinees, eſſe intelligendum, qui in prælio ceciderunt: & pater, audita morte liberorum, ſubitò concidit & expirauit. Hę pœnæ fuerunt primùm indulgentiæ paternæ, qua Eli corrupit liberos: deinde petulantiæ & impietatis liberorum, qui cultum diuinum ſceleratè profanabant, & nihil non audebant. Eſt autem hoc ſpectaculum longè triſtiſſimum, quod ſacerdotes, cum quibus peculiare pactum Deus inierat (vt dicitur apud Malach. Fœdus vitæ & pacis fuit mihi cum eo) & qui aliorum doctores erant & miniſtri ſacrorum, ita promiſcuè cum aliis pereunt: eáque res nos excitare ad timorem Dei debet. Si enim illis non pepercit, quos peculiariter in patrocinium receperat, quid fiet de reliqua multitudine?

Viduæ non luxerunt] Quia vel accepto de morte maritorum nuntio, ſubito dolore ſunt extinctæ, vt vxor Phinees, quæ cùm grauida eſſet, facto abortu inter dolores partus extincta eſt: vel etiam captæ abductæ ſunt ab hoſtibus, & à luctu prohibitæ.

65 Et euigilauit tanquam dormiens Dominus: tanquam fortis clamans à vino.

66 Et percuſſit inimicos ſuos retro: opprobriũ æternum dedit eis.

Quidam interpretes etiam hos duos verſus ad pœnas Iſraelitarum accommodant: & hoſtes iudicant dici Iſraelitas, ſicut & apud Ieſ. cap. 1. cùm dicit, Vlciſcar me de hoſtibus meis, vt hæc ſit ſententia: Non impunè abuſos eſſe Dei longanimitate & patientia Iſraelitas, quia expergefactus tãdem duriùs eos caſtigarit, & vt dicitur, tarditatem ſupplicij grauitate compenſarit. Sed cùm totam illam veterem hiſtoriam primùm ex Moſe, deinde ex libris Ioſue & Iudicum repetat, & interdum etiam de pœnis hoſtium concionetur, vt ſuprà diximus, veriſimile eſt eum loqui de pœna, qua hoſtes Palæſtinos paulò pòſt affecit, & populum Iſraeliticum nouo fauoris ſui ſigno confirmauit. Si enim hoſtes illam iniuriam factam non tantùm Iſraelitis, ſed etiam nomini diuino inultam tuliſſent, multi etiam pij ex populo Iudaico incidiſſent in triſtes dubitationes & deſperationem, & tandem prorſus à Deo defeciſſent. Id verò ne fieret, mox à victoria Palæſtinis conceſſa, cœpit iuſtum iudicium ſuũm etiam in ipſos exercere, & ignominioſis plagis ipſos affecit, de quibus legatur hiſtoria 1. Sam. 5. & 6. cap. Dicit autem, expergefactum eſſe Dominum, tanquam dormientem. Quia hactenus viſus fuerat Iſraelitis dormire, cùm nullam ſuorum curam ageret, ſed hoſtium libidini eos permitteret.

Tanquam fortis vociferans à vino] Id eſt, tanquam fortis bellator vino ad furendum & ſæuiendum accenſus ferebatur in hoſtes, & magnam inter eos ſtragem edebat. Sumitur ſimilitudo à re, vt videtur, damnabili: ſicut & in euangelio, vbi œconomus iniuſtus laudatur, Lucæ 16. Sed vt apud Lucã Chriſtus genus laudat, hoc eſt, prouidentiam ſeu diligentiam, non ſpeciem, hoc eſt, furtum ipſum: ita hîc quoque genus notat, hoc eſt, animi magnitudinem & alacritatem in aggrediendo hoſtem, & contemnendis periculis, qualis eſſe ſolet in his qui vino calent: non crapulã ipſam, aut helluandi & furandi conſuetudinem, ad quam reſpexerunt 70. cùm reddiderunt, ὡς κεκραιπαλημένος ἐξ οἴνου. Forte etiam hoc ſignificat, Deum populi peccatis quaſi inebriatum fuiſſe, ne ad illum tuendũ ſuo more excubias ageret.

Et percuſſit hoſtes retro] Quo ſcilicet facto oſtendit, non niſi Deo volẽte Iſraelitas hactenus ab illis fuiſſe deuictos. Plerique ad plagam Palæſtinis inflictam accommodant, de qua ſcribitur 1. Sam. 5. produxit enim in natibus ipſorum vlcera lethalia, quod toti genti fuit probroſum. Ideo iudicant poſterius membrum ſubiici, vt ſit ἐξήγησις prioris. Hanc ſententiam, quòd congruat cũ hiſtoria ſacra, non reiicio. Eſtq; illuſtre in

ſtre in hac victoria exemplum, quod oſtendit diſcrimen inter veros Dei cultores & gentes idololatras. Puniuntur Iſraelitæ propter ſua peccata: ſed Deus tandem declarat aliter ſe agere cum ſuis quàm cum hoſtibus. Hoſtes puniuntur fœdis & probroſis vlceribus, vt fateri cogantur ſe puniri diuinitus propter ſuam impietatem & blaſphemias: & vltro remittant arcam fœderis ad Iſraelitas. Iſraelitæ verò rurſus exhilarantur conſpectu arcæ, & nouam ſpem de præſentia & præſidio diuino concipiunt. Alij exponunt, à tergo, id eſt, quemadmodum fugientes ſolent cædi.

67 Et reprobauit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit.

Redit ad continuationem hiſtoriæ Iſraelitarum. Poſtquam enim hoſtes pœnas dederunt ſatis graues ſuæ impietatis, quòd arcam Domini indignè tractaſſent: & ipſi Iſraelitæ quoque duriter ſunt caſtigati, non ſolùm flore iuuentutis & robore exercitus: ſed etiam arca fœderis, quod vnicum erat ipſorum præſidium, amiſſa, vt dixi, miſertus Dominus populi ſui, non voluit arcam fœderis, quæ certum pignus & σφραγὶς etiam deinceps eſſe debebat amoris erga hunc populum diuini, diutiùs ab illo deſiderari. Itaque effecit, vt Palæſtini vltro arcam ad Iſraelitas remitterent, cùm eam habuiſſent apud ſe menſes ſeptem, vt ſcribitur primo Samuelis ſexto. Erat hoc ſignum placatæ iam iræ diuinæ. Nam cum arca videbatur ipſe Deus quoque reuerti ad Iſraelitas, & fœdus cum hoc populo initum, atque aliquandiu interruptum, velut reſtaurare. Sed tamen hanc miſericordiam ſuam iuſtitiæ ſuæ zelo ita temperauit, vt populo quidem vniuerſo ſe eſſe placatum oſtenderet: ſed tamen ſignum quoddam & monumentum perpetuum ſuæ iræ aduerſus idololatriam huius populi extare vellet. Itaque arcam fœderis non voluit reduci in oppidum Silo, quod hîc nominat tabernaculum Ioſeph, eo quòd eſſet in tribu Ephraim, ne illi denuo illo cultu, qui ad tabernaculum erat inſtitutus, ad ſuam idololatriam ſeu turpem quæſtum abuterentur, néve ad prærogatiuam aliquam carnalem electionem diuinam alligatam eſſe ſomniarent, éaque ſeſe ſtolide efferrent: quemadmodum hodie faciunt pontificij, cùm fingunt eccleſiam eſſe penes illam ordinariam ſucceſſionem pontificum & epiſcoporum, quam ipſi fabricant. Arca igitur cùm reduceretur, non deportata eſt in vrbem Silo, ſed ad Bethſemes quod eſt oppidum tribus Iuda, filiis Aaron deſignatum, Ioſ. 21. Atque inde in Kiriathearim, inde Gibeam in ædes Abinadab tranſlata eſt. Ex cuius domo deinde Dauid arcam tranſtulit in arcem Sion, ita tamen vt illa prius, propter interfectum Ozam, qui temere arcam attigerat, aliquandiu quieſceret in ædibus Obededom Githæi, 2. Sam. 6. cap. Hæc crebra tranſlatio oſtendit, non velle Deum humano conſilio & arbitrio eccleſiam alligari ad certum locum; & ſtultum eſſe quòd aliqui electionem ad prærogatiuam carnalem adſtringere conantur. Ex his quæ dicta ſunt, iudico intelligi poſſe hunc verſum. Neque enim ita reprobauit Deus tribum Ephraim, vt prorſus eam abdicaret, aut à ſocietate eccleſiæ & hæreditate vitæ cæleſtis excluderet: ſed hoc honore & priuilegio eam ſpoliauit, ne quod antè factum erat, deinceps domicilium præberet arcæ fœderis, aut publico miniſterio, quod ad tabernaculum erat inſtitutum. Quòd igitur dicit Deum non elegiſſe tribum Ephraim, intelligatur de ſede ordinarij miniſterij, quam Deus poſthac non voluit eſſe in tribu Ephraim, quia tanta fuerunt iſtorum hominum ſcelera, vt aſpectum iſtius domicilij amplius non ferrent. Atque hanc veram eſſe ſententiam oſtendit antitheſis in ſequenti verſu.

68 Sed elegit tribum Iuda: montem Sion, quem dilexit.

Id eſt, voluit arcam deinceps habere ſuam ſedem & domicilium in tribu Iuda, & quidem in arce Sion ei locum aſſignauit, atque ita gratiam ſuam, quam antea ſubtraxiſſe videbatur, nouo teſtimonio & ſymbolo Iſraelitis confirmauit. Ita ſimul & iræ diuinæ aduerſus peccata, & miſericordiæ teſtimonium in his duobus verſibus proponitur. Ira cernitur in pœna Silonitarum: Miſericordia, quòd ſymbolum gratiæ & fauoris diuini Iſraelitis redditur; & deinceps locus certus ordinario miniſterio deſignatur. Vtrunque igitur inuitare populum ad timorem Dei & celebrationem beneficiorum diuinorum debebat. Hic enim finis & ſcopus eſt harum narrationum, vt antea monui in argumento.

Quem dilexit] Hæc verba monent cauſam huius beneficij non alibi quærendam eſſe, quàm in gratuito Dei amore. Neque enim loci dignitas aut ciuium merita fuerunt, quæ gratiam huic loco præ cæteris conciliarent. Sicut autem mōtem Sion Deus gratuito amore diligit, vt in eo habitet: ita eccleſiam omnibus temporibus colligit in genere humano, non adductus aliqua carnis aut ſanguinis prærogatiua, aut meritis hominum: ſed ſola dilectione & miſericordia. Hæc enim cauſa eſt προηγουμένη, cur genus humanum in gratiam recipiat, ad quam deinde accedit impulſiua: interceſſio ſcilicet, & obedientia ſeu meritum filij Dei. Qua de re alibi dicitur copioſius.

69 Et ædificauit quaſi excelſa ſanctuarium eius: quaſi terram [*quam*] fundauit in ſeculum [*ponitur relatiuum pro antecedente, fundauit eam, id eſt, quam fundauit.*]

Amplificat narrationē primùm à ſplendore ædificij montis Siō ſeu ſanctuarij: deinde à durabilitate & ſtabilitate. Ædificauit ſanctuariū, vt excelſa, id eſt, tanquam arces, quæ ædificantur in ſublimi: vt non tantùm ſint ſplendidæ & ornatæ, ſed emineant ſupra reliqua ædificia, & ſint munitæ aduerſus externam vim & incurſiones hoſtium. Hoc verò ad totam eccleſiam pertinet. Erit, inquit Ieſ. 2. & Mich. 4. mons Sion in verticem ſeu caput montium, & eminebit ſupra colles, id eſt, hoc regnum Chriſti maius erit & potentius ac firmius omnibus regnis huius mundi. Nam per montes regna ſignificantur. Eadem eſt ſententia huius verſus, *Ædificauit vt excelſa ſanctuariū ſuum*: id eſt, fecit vt ſanctuarium in hoc monte conſtitutum emineat ſupra omnes montes, & ſuo ſplendore omnes in admirationem trahat, vtque nulla vi expugnari poſſit.

Interpretes 70. vocem רמים interpretati ſunt μονοκέρωτα, quos imitatus eſt Latinus & Hieronymus, qui reddidit, in ſimilitudine monocerotis: decepti ſine dubio ſimilitudine vocis ראמים, quod interdum excluſo א per ſynæreſin ſcribitur רמים, vt ſuprà pſalmo 22. verſu 22. In altero membro de durabilitate concionatur. Affirmat enim ſedem ſanctuarij in hoc monte fore deinceps fixam & ſtabilem, nec fore vt ſæpius deinceps migret de loco in locum, vt hactenus factum erat. Erat autem hoc magnum Dei beneficium, quòd ſciebant Iſraelitæ, non tantùm in hoc populo manſuram eſſe eccleſiam, ſed etiā quòd illa viſibilia ſymbola & cultus externus ad ſanctuarium inſtitutus manſurus eſſet in hac tribu Iuda, & in monte Sion vſque ad Meſſiā, quem ſciebant regnum hoc eſſe renouaturum & amplificaturum. Hæc promiſſio de certa ſede, ſicut fuit ingēs Dei donum: ita & huic genti fuit peculiare. Quòd igitur dicit, montem hunc & ſanctuarium in eo eſſe fundatum, vt ſit ſtabile & perpetuò duret, ſicut terra ſtat firma & immota, id intelligatur iuxta promiſſiones, quæ affirmant hunc cultum externum duraturum vſque ad Meſſiam. Deinde quia hic mons cum ſuo ſanctuario typus eſt eccleſiæ omnium temporum, & quaſi fons & ſcaturigo: ſicut dicitur pſal. 110. Sceptrum regni tui emittes ex Sion: de toto corpore eccleſiæ hoc imprimis dictum eſſe intelligamus: illa enim ita fundata eſt, vt quanquam cætera regna omnia in hoc mundo corruant & euertantur, ipſa tamen maneat ſalua & incolumis vſque ad finem mundi. Quia igitur typus & pignus fuit hic mons regni Chriſti, ex hoc loco in totum orbem terrarū propagandi, ideo tribuitur ei perpetuitas, ſicut & alibi paſſim in ſcriptura. Autor tranſlationis Græcæ legit בארץ pro כארץ cùm reddidit ἐν τῇ γῇ.

70 Et elegit Dauid ſeruum ſuum: & aſſumpſit eū à caulis ouium.

71 A tergo lactantium aſſumpſit eum: vt paſceret in Iacob populo ſuo, & in Iſraele hæreditate ſua.

72 Et pauit eos in integritate cordis ſui: & in prudentia manuum ſuarum deduxit eos [*deducit eos.*]

Non ſatis fuit locum ordinarium miniſterij doctrinæ & cultus aſſignaſſe tribui Iuda: ſed inſuper dignitatem regiam huic adiecit, electo Dauide, cuius poſteritas deinde ἀξίωμα illud retinuit vſque ad Chriſtum. Ita qui videbatur paulò antè deſeruiſſe & abieciſſe Iſraelitas, nunc nouo teſtimonio & pignore ſuum erga hos amorem teſtatur & renouat, collato vtroque beneficio, templi videlicet ſede ſeu loco, & regia dignitate, in vnicam tribum Iuda. Amplificat autem beneficiū diuinum à deſcriptione ſeu extenuatione perſonæ Dauidis, cùm dicit eum eſſe aſſumptum à caulis ouium. Vult enim oſtendere totum illud beneficium fuiſſe gratuitum, nec dignitate perſonæ, aut meritorum præſtantia Deum fuiſſe motum vt hunc præ aliis eligeret & ad illud faſtigium eueheret. Imò ſi rem propius conſideres, minus in hoc fuiſſe dignitatis aut meriti affirmat, quàm in vllis aliis. Fuit enim homo non tantùm plebeius & ignobilis, ſed infimæ quoque ſortis, vtpote qui oues paſceret.

Opilionibus autem nihil ferè eſt humilius & abiectius. In hoc verò Chriſti regnum adumbratur, quod fuit initio humile & contēptibile: quia oſtendere voluit Chriſtus ſe nullis

externis adminiculis egere in collectione ſuæ eccleſiæ. Deinde in Dauidis perſona officia pij regis & gubernatoris hic deſcribuntur. Primùm inquit eum fuiſſe ſeruum Dei, qui ſcilicet rectè Deum agnouerit & corde ſincero coluerit.

Hoc itaque exemplum imitentur cæteri reges & principes:& prima ſit cura vt rectè agnoſcant Deum & debitos cultus illi præſtent, ſicut & alibi hac de re monentur: Seruite Domino in timore,& exultate ei cum tremore. pſal.2. Paſcãt igitur reges & principes ſuos ſubditos primùm cœleſti doctrina:hoc eſt, curent rectè doceri eccleſiam, prohibeant idololatriam, ſuperſtitioſos cultus, extirpent errores ex eccleſia & compeſcant blaſphemos, conferant opes ad conſeruationem miniſterij & ſtudiorum neceſſariorum. Deinde curent etiam corpora ſubditorum, proſpiciant ipſis de victu, dent operam vt in pace exercere operas & parare victum poſſint, non deglubant oues, hoc eſt, nõ exhauriant eorum facultates iniuſtis exactionibus, non moueant bella non neceſſaria, quibus & reſpub. turbentur, & ciuiũ corpora ac facultates adducantur in diſcrimen: ipſi verò ſuum corpus & vitam pro ſalute populi in diſcrimen adducant: pellant lupos, hoc eſt, tyrannos, graſſatores, latrones, iniuſtos quæſtores, tanquam lamias à ſuo grege: denique omnia agãt quæ ad incolumitatem ſubditorum pertinent. Hæc enim ſunt boni paſtoris officia.

Quòd poſt fœtas Dauidem aſſumptum dicit, in eo quoque ταπείνωσις eſt non prætereunda. Eam Baſilius explicat, cùm inquit, οὐ γὰρ ποιμὴν τέλειος ἦν, ἀλλὰ ὑπουργὸς ποιμένος τοῖς τίκτουσι τῶν προβάτων ἑπόμενος. Non erat perfectus paſtor, ſed miniſter paſtoris ſequens oues parientes. Alioqui paſtoris eſt gregem magis præcedere quàm ſequi. Integritas cordis tam ad Deum quam ad homines referatur. Affirmat enim ſe ſine hypocriſi ambulaſſe coram Deo, & ſine captatione vlla conſuluiſſe cõmodis ſuorum ſubditorum. Alij regna appetunt & ita adminiſtrant, vt ſuæ quieti, ſplendori & proſperitati conſulant & voluptatibus diffluant: ideo non paſcunt in integritate cordis.

Prudentiam manuum] Intelligit eam quam in rebus agendis adhibuit. Neque enim prudentia propriè eſt manuum: ſed in gubernatione & in rebus agendis illa ſe maximè oſtendit: ſicut dicitur, ἀρχὴ δείκνυσι ἄνδρα, Magiſtratus oſtendit virum. Quid autem ſit prudentia, alibi dicitur. Et cùm prudentiam nominat, intelligit eam quæ eſt cum iuſtitia coniuncta: alioqui enim non prudentiæ nomen, ſed calliditatis meretur. Eſt enim prudentia, quæ iuxta rationem regit deliberationem in electione actionum honeſtarum & vtilium. Et gradus prudẽtiæ ſunt. I. Metiri ſuas vires, nec ſuſcipere maiora viribus. II. Habere delectum inter neceſſaria & curioſa ſeu aliena negotia. III. Diſcernere honeſta & turpia, & nullam rem tanti facere vt turpia facias. IIII. Anteferre honeſtatem vtilitati. V. Explorare hoſtium conſilia. VI. Seruire tempori, ſalua tamẽ religione & ſalua diſciplina. VII. Tenere illud Epicharmi, ἄρθρα τῶν φρενῶν μέμνησο ἀπιστεῖν. VIII. Cùm medium attingere ſit difficile, ſatius eſt in eam partem delinquere vt minus faciamus. De ſingulis membris dici poteſt ſuo loco copioſè. Differt autem prudentia à ſapientia, quia non eſt tantum rerum cognitio, ſed ipſius ſapientiæ vias rerúmque vtilis & commoda adminiſtratio. Ioſeph eſt ſapiens, intelligens conſilium Pharaonis, & de euentu rectè coniectans. Sed prudens dicitur cùm ſimul dat conſilium toti regno vtile.

Hæc vero omnia quomodo ad Chriſtum accõmodanda ſint, cuius typum geſſit Dauid, nemo eſt qui non videat: ideoque longiorem explicationem omitto.

Concluditur autem pſalmus commemoratione beneficiorum recentium, vt auditores horum conſideratione inuitentur ad pietatem & curam conſeruandorum bonorum: ne ſua ingratitudine aut ſcelere illa beneficia recens adepta rurſus amittant, & pœnas ſibi triſtes accerſant.

PSALMI LXXVIII.

PARTES.

I. Exordium, audientiam faciens, 1. ab officio perſonarum, verſ. primo. 2. à genere documentorum quæ propoſiturus eſt Pſaltes, quòd poſita ſint in myſteriis, v. 2. 3. quòd ſint vetera. v. 3. 4. & quòd ad gloriam Dei pertineant, v. 4.

II. Propoſitio documentorum Dei, v. 5. 6. 7. Hæc documenta ſunt, circuncisio & ceremoniæ, quibus doctrinam de ſuo fœdere & populi officio, id eſt, Legem & Euangelium ſuis teſtificabatur & obſignabat Deus. 2. Propoſitio exemplorum ad confirmanda documenta pertinentium, v. 8. 9. 10. 11. Exempla repetuntur à temporibus filiorum Heli ſacerdotis: vel ab hiſtoria quæ Moſis ſeculum præceſſit, 1. Chron. 7. deſcripta.

III. Narratio elegantiſſima operum mirabilium Dei & beneficiorum eius, quæ per antitheſin cum ingratis Iſraelitarum factis comparata horum impietatem & iudiciorum Dei æquitatem amplificant. Sunt autem iſta opera quibus amplificatur populi improbitas, duobus temporibus diſtincta. 1. Quum in Ægypto verſati ſunt, v. 12. in tranſitu maris, v. 13. profectione & commoratione in deſerto, v. 14. 15. & ſequentibus. Prioris vero huius temporis duplicia ſunt opera. Vnum, ſingularis beneficentiæ Dei erga ſuos, multiplicis ingratitudinis reos, à v. 2. ad 42. Alterum mirabilium iudiciorum in aduerſarios, à v. 42. ad 54. vſque. 2. Secundum tempus eſt, quum miſſi ſunt in poſſeſſionem terræ, & eam obtinuerunt, à v. 54. ad 68. Porro, vt opera Dei, ita ſcelera populi tum in deſerto, tum in terra Chanaan luculenter enumerat, quæ omnia in commentario prolixè explicantur.

IIII. Concluſio, à beneficio Dei erga Iudæos, in quorum regione tum ſacerdotium & cultum ſuum, v. 68. & 69. tum etiam regnum ſtabiliuit & ſeruauit Deus, v. 70. 71. 72.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Duplex fructus nobis hoc pſalmo proponitur: Dei videlicet perpetuæ in præſtandis promiſſis conſtantiæ, & eiuſdem rurſus iræ aduerſus fœdifragos & pertinaciter contumaces diligens & attenta conſideratio.

verſ. 1. Si reputamus quàm ſegniter Deum audiant, qui etiã maximè profitẽtur ſe eius eſſe diſcipulos, fatebimur nõ fruſtra proœmijs vti prophetas: nec apud pigros & oſcitantes, vt plerique omnes ſumus, ſuperuacua ſunt exhortationes & præfationes, quibus audientiam ſanctus ſpiritus in commodum noſtrum ſibi conciliat.

2 Si in hoc pſalmo relucet maieſtas quæ iure ſuo ad diſcẽdi ſtudium excitet lectores & accendat, hinc colligimus quàm ſeria attentione euangelium excipere nos conueniat, vbi cæleſtis ſapientiæ theſauros nobis aperit Chriſtus.

3 Quantumuis excelſa ſit verbi Dei maieſtas, nihil tamen obſtat quin perueniat eius vtilitas ad rudes quoque & paruulos: ſicuti eos non fruſtra Spiritus S. ad diſcendum inuitat.

Veri patres ſunt qui acceptam veritatis doctrinam fideli manu poſteris tradunt.

4 Quod nobis traditum eſt de vera Dei notitia à maioribus, ſtudeamus tranſmittere ad poſteros, vt nomen, id eſt, potentia, ſapientia & bonitas Dei, celebretur.

5 Conſenſus hominum ad plenam doctrinæ fidem non ſufficit: ideo Dei mandato imbuendi ſunt à patribus filij ſincera de redemptione eccleſiæ doctrina.

6 Mandatum hîc datur patribus, vt ſinguli ſuas familias ſedulò erudiant: & promiſcuè monentur omnes, operam hanc gratiſſimã eſſe Deo, ſi nomen eius tranſmittere ſtudeant ad ætates futuras.

7 Legitimus Dei cultus à fide incipit: quia præcipua honoris ſui parte fraudatur ſi aliò transferimus ſpes noſtras.

Cæleſtis ſapientiæ ſumma hæc eſt, vt pij Deo affixi ſincera fide cũ inuocent, atque alendæ fiduciæ ſuæ cauſa, meditandis eius beneficiis ſe exerceant: deinde vt ſe purè addicant in eius obſequium.

8 Quum ex patrum malitia & prauitate doceat propheta ſeueram diſciplinam Iudæis eſſe neceſſariam, quæ à malis exẽplis eos reuocet, hinc colligimus quàm ſtultè ſibi mundus perſuadeat patrum imitationem inſtar eſſe legis.

Ex vitiis à propheta notatis diſcimus qualiter à nobis Deus coli velit. Primò enim depoſita peruicacia iugum eius ſubeundum eſt: deinde induendus manſuetudinis ſpiritus, cordis affectus in Dei obſequium ordinandi, ac ſectanda rectitudo, & quidem non euanido feruore, ſed ſincera conſtantia.

9 *Qui nomine Dei gloriantur, ni vanã confidẽtiã abijciant, quũ vi & animo opus erit, ſe imbelles atque inualidos oſtendent.*

10 *Mandatorum & fœderis Dei obſeruatio, inuicta & impenetrabilis in omni periculo* πανοπλία.

11 *Summa ingratitudo, obliuiſci operum & mirabilium eius à quo vitam & omnia bona poſſideas.*

12.13.14.15.16. *Variis & repetitis beneficijs ſuos omnibus ſeculis Deus affecit, vt patres & liberi eò ardentiùs ſe ad eius obſequium & cultum componerent: & grata eſt tot diuinorum miraculorum recordatio, ſi in vera eius reuerentia tot vinculis retinemur.*

17 *Niſi continuo Dei fauore in officio retineamur, etiamſi modis innumeris nos ſibi obligauerit, tamen pro more & ingenio noſtro ſceleratè in eum inſurgemus.*

18.19.20 *Quiſquis poſthabito & neglecto Dei permiſſu, ſuæ intemperantiæ indulgens, plus quàm fas eſt appetit, dicitur Deum tẽtare: ac ſi eum ſubijcere vellet ſuo arbitrio, vel inquireret an plus poſſit quàm velit.*

Qui cõcupiſcẽtiis impiis indulgẽt, facilè in blaſphemas voces erũpũt, ac Dei potẽtiã pro nihilo ducũt, niſi eorũ libidini morẽ gerit.

21 *Sicuti ſuos audire dicitur Deus quorum votis propitius occurrit: ſic rurſus audire dicitur impiorum blaſphemias quæ iudiciũ eius non effugiunt.*

22 *Fides veræ pietatis radix eſt, quæ bona omnia ab vno Deo ſperare & expetere docet: ac nos format in eius obſequium: ſicuti ſẽper Deo obſtrepere & rebelles eſſe neceſſe eſt quicunque diffidunt.*

23.24.25 *Quemadmodum duplex ingratitudo veteris populi in eo apparuit, quod non modò vulgares cibos, qui ex terra prouenirũt, ſed panem ad alimoniam corporis aptiſſimũ & extraordinario prorſus modo largitum, contempſerit: ita inexcuſabilis eſt eorum intemperies qui variis alimentis ſaturi non deſinunt concupiſcere quas ſibi à Deo negari ſciunt lautitias.*

26.27.28.29.30.31. *Singularis priuilegij loco Deus promittit fidelib. ſe facturũ ꝙ optauerint: alio tamẽ modo hic obſequutus dicitur peruerſis impij populi votis: quia quod propitius negaſſet, iratus conceſſit. Quod exẽplũ notatu dignũ eſt, ne queramur vota noſtra arcano Dei cõſilio corrigi dũ intẽperãtiùs effluũt. Tũc enim verè exaudit vbi non indulget ſtultis cupiditatibus, ſed beneficentiam ſuã ſalutis noſtræ modo attemperat: ſicuti plus impijs largiendo quàm ipſis vtile ſit, non eos propriè exaudit, ſed exitiali mole onerat, quæ ipſos in exitium agat præcipites.*

Niſi intra fines rationis & temperantiæ ſe contineant hominum animi, ſunt inexplebiles, ideóque ſaturitate non reſtinguitur praui appetitus ardor.

Vindictam de intemperantibus ſumit Deus, dum adhuc in ſua crapula laſciuiunt.

Ira Dei aſcendere dicitur dum repentè in iudicium conſurgit: quia diſſimulans ad peccata videtur quodammodo ſopitus eſſe.

Quòd robuſtos & pingues tabe confectos eſſe ait propheta, oſtẽdit vt plurimùm homines ſua virtute falli, vt audaciùs proteruiãt cõtra Deũ: quia infirmitatis ſuæ immemores quiduis ſibi licere putãt.

32.33. *Quum ſtulti etiam plagis ſapiant, ſequitur prorſus eſſe deſperatos qui ſæpius à Deo caſtigati non reſipiſcunt.*

Iuſta hæc pertinaciæ merces eſt, vires quibus impij ſuperbiunt emarcidas reddere, vt celeriter inſtar vmbræ diffluant.

34.35.36.37. *Vbi homines ſcelerũ cõuicti ſe iuſtas fatentur pœnas dare, non ſincero autem animo ſupplices fiunt, imò praua æmulatione Deum eludunt: minùs excuſabilis eſt eorum impietas.*

Non modò craſſa hypocriſis cauenda eſt, vbi aliud apud homines profitetur lingua quàm animus ſẽtiat: ſed ſimulatio quoq; magis occulta, vbi metu coactꝰ peccator ſeruiliter Deo blãditur, cuiꝰ tamẽ iudiciũ libenter effugeret. Igitur nõ ſatis ſit nobis annuere Dei verbo, ſed accedat etiã ſerius affectus, nec cor noſtrũ duplex ſit vel diuiſũ.

Mutua relatio inter fidem noſtram & Dei fœdus tenenda eſt, vt huius veritati viciſſim non fallax illius conſenſus reſpondeat.

38 *Deus non eſt mutabilis, dum aliquoties aſperiùs nos caſtigat, nunc comiter ad ſe allicit: quia pro incomparabili ſua ſapientia diuerſis modis experitur num quæ ſit ſpes ſanandi: ſed hinc creſcit reatus, ſi neque ſeueritas eius nos corrigit, neque emollit clementia.*

Quòd Deus nobis parcit, eius miſericordiæ eſt adſcribendum, quæ naturaliter in ipſo reſidet: vt ſciamus non aliunde adduci vt tam propenſus ſit ac facilis ad dandam veniam.

39 *Quũ nihil in nobis præter miſeriã (caduca enim, fluxa, & quouis vẽto leuior vita eſt noſtra) reperiat Deus, quo flectatur ad miſericordiam, ſequitur non niſi mera & gratuita bonitate induci vt nos ſuſtineat.*

Quod ſcriptura dicit homines in morte euaneſcere, nec poſtea reuerti, minimè excludit ſpẽ futuræ reſurrectionis, tãtùm enim in ſeipſis conſiderat homines, ac de terreno eorũ ſtatu loquitur. Renouatio autem in cæleſtem vitam miraculum eſt longè altius natura.

40 *Peccata diffidentiæ, profanæ ſolicitudinis, concupiſcentiæ impiæ Deum exacerbant, & mœrore afficiunt.*

41 *Quoties in ſuo ſenſu homines ſubſiſtunt, perinde eſt ac ſi Deũ metiri vellent ſuo modulo: quod nihil aliud eſt quàm eum è ſolio ſuo detrahere. Nobis enim ſubijcietur eius maieſtas, ſi ita noſtro arbitrio in ordinem cogatur.*

42.43.44.45.46.47.48.49.50.51 *Ex beneficiorum Dei impia obliuione naſcitur proteruia & omnis rebellio: quã vt à nobis in dies excutiamus, neceſſe eſt animis noſtris recurrat eorundem beneficiorũ grata recordatio & generalis quædam enumeratio.*

Quanuis ſæpius grãdine aliiſq; corruptelis Deus vltus fuerit peccata gentiũ: tamen quæcunq; in Ægypto acciderunt ſub Moſe & Aarone prorſus fuerunt extraordinaria, & nunquam antè audita: quæ nihilominus repetenda ſunt, vt Dei cura pro ſalute eccleſiæ afflictis fidelibus occurrat, & ſolatium in malis abundè præſtet, ſopitasq; mentes excitet ac erudiat.

Etſi cælo & terræ certas impoſuit leges Deus ſuo arbitrio, & totũ ordinem naturæ ſic gubernat, vt ſingulis creaturis propriũ ſit munus ſuum, Angelos tamẽ, quoties viſum eſt, miniſtros adhibet ad exequenda ſua imperia, nõ cõſuetis vel naturalibus mediis, ſed arcana & nobis incomprehenſibili virtute. Angeli autem electi & cæleſtes, vt & reprobi Angeli, miniſtri noxarum verè cenſentur, ſed diuerſis modis: quia priores voluntarium Deo obſequium præſtant, alij verò quum ſemper inhient ad nocendum, & totum orbem euerſum cupiant, idonea ſunt organa impijs affligendis.

Quum in gratiam eccleſiæ ſuæ toties & tot modis virtutem ſuam in impiorum excidium ſtringat Deus omnipotens, vt ex hiſtoriis cõſtat, neceſſe eſt tam præclaris gratiæ nobis præſtitæ documentis corda noſtra ad Dei obſequium perpetuò dirigi, niſi fœdo ſummæ ingratitudinis crimine pollui velimus.

52.53.54.55 *Gregi ouium ſæpius comparatur eccleſia, eo quòd nihil conſilij vel opis ad ſe tutandum habeat, niſi Deus paſtoris munus ac partes ſuſcipiat.*

Duce ac cuſtode ſalutis noſtræ Deo non habemus iuſtam timendi cauſam, niſi nos infidelitas noſtra ad trepidandum compellat.

Deus mundi Dominus mutationes varias in ampliſſima illa ſua domo prout libet efficit: peculiari autem ratione Iſraëlitis terram promiſſam expulſis Cananæis conceſſit, vnde ſequutæ ſunt mirabiles illæ clades & victoriæ quarum hiſtoria ſacra meminit. Nec etiã Iſraëlitarum poſſeſſio legitima fuiſſet (diſcernenda enim ea prorſus eſt à latrociniis & cædibus Gentium, quæ alia alias deiecerunt ac ſedes mutare coegerunt) niſi Deus ſpoliatis prioribus incolis in ius & locum eorum ſuccedere alienos voluiſſet.

56.57.58 *Verbo Dei deteguntur patrum ſcelera, vt poſteri meliorem mentem fide & pœnitentia obtineant.*

Nullum damnatur atrocius crimen in poſteris, niſi quòd patribus fuerint ſimiles, ne quem decipiat peruerſa imitatio, ac ſi iuſtæ excuſationis eſſet clypeus.

Hos fructus ſemper producit verbi Dei contemptus, vt craſſis ſuperſtitionibus ſe addicant, qui ſequi proprium ſenſum quàm Deo ſe ſubijcere malunt.

Duobus modis vitiatur Dei cultus: idolorum erectione, & extraneorum ac vetitorum rituum ad Deum placandum excogitatione.

59.60.61.62.63.64. *Audire dicitur Deus, non quòd ei inquiſitione opus ſit, ſed quia non temere proſilit ad ſua iudicia, ne quis putet eſſe præcipitem.*

Præſentia Dei vnica eſt noſtra felicitas, atque etiam in malis ſolatium, qua ſi priuamur, neceſſe eſt nos antè factos eſſe prorſus abominabiles.

Quanuis Deus impleat cælum & terram, quia tamen ad immenſam eius altitudinem non pertingimus, ſua virtute & gratia ad nos deſcendens, quoad expedit & modulus noſter ferre poteſt, ſe facit nobis propinquum.

Sicut olim Iſraëlitæ, ita ante aliquot ſecula Chriſtiani propter idololatriam ſpoliati Dei præſidio, in Antichriſti venẽre poteſtatem, non ſecus ac duce capto captiuus fit exercitus.

Niſi ſincerè & qua decet reuerẽtia Deũ excipimus, dum familiariter ad nos accedit, timendũ eſt ne nobis idẽ quod Iſraëlitis accidat, vt videlicet verbi prædicatione, ſacramẽtorũ adminiſtratione, aliiſque pietatis exercitijs priuati, in horrendas idololatriæ, atheiſmi & apoſtaſiæ tenebras, cum aliis pſeudochriſtianis ruamus præcipites.

Quum vrbes terræ Canaan nunc ſint iræ Dei horribile theatrũ, vana eſt eorum iactãtia qui, quòd patres habuerint Dei ſeruos, nomen eccleſiæ ſibi vendicant, etiam ſi multiplici idolomania & impietate ac in Chriſtum blaſphema contumacia polluti ſint.

Varijs flagellis & cladibus nouit Deus omnium qui clementia & verbo eius abutũtur contumaciam confundere, vt iam olim & etiamnum Chriſtianus orbis magno ſuo malo experitur.

65.66. *Deus non ita pœnas exigit de populo ſuo quin rurſus tempore opportuno ſuos hoſtes compeſcat.*

Perſecutores eccleſiæ dum duriore pœna Deus coercet, fœdus ſuum cuius videri oblitus poterat, præclarè aſſerit.

Videtur Deus ſopitus eſſe, niſi maturè remediũ adhibeat noſtris malis. Vnde autẽ ille ſopor, quum fortitudine gigantes omnes ſuperet?

peccata equidẽ noſtra eum ceſſare cogũt: & tamen ſuæ gloriæ recordatus opportuno auxilio nos ſanè ſopitos & afflictionis vino velut ebrios excitat ac liberat, ignominia æterna percuſſis eccleſiæ ſuæ hoſtibus.

67.68.69. Quod Deus locis & populis ferè innumeris in errorum carcere relictis alios eligit, apud quos fœderis ſui pignora deponat, docet mera eius gratia & liberalitate ſemper ab initio collectam fuiſſe eccleſiam: quia neque in hominibus reperiri vnquam potuit intrinſeca dignitas, & res eſt pretioſior quàm vt pendeat à virtute hominum.

Sionis & ſanctuarij pulchritudo ad cœleſte exemplar referri debet, neque enim vel in ſplendore ædificij vel in cæremoniarum pompa occupari voluit Deus ſuorum mentes, ſed attollere ad Chriſtum, in quo exhibita fuit vmbrarum veritas, & cuius regni non erit finis.

70.71.72. Tota veteris populi gloria & felicitas continebatur in regno & ſacerdotio: quorum vtrunque ſcriptura mero Dei beneplacito adſcribit. Atque ideo exordium regni Chriſti humile & contẽptibile eſſe oportuit, vt figuræ ſuæ conforme eſſet, ac palam faceret Deus nullis externis adminiculis ſe vſum fuiſſe ad peragendam ſalutem noſtram.

Dauidis elogio docet ſpiritus ſanctus quantum à tyrannis, prædonibus & auaris exactoribus differãt legitimi reges, quos populorum paſtores eſſe conuenit: eiuſdemq́ue functio piis regibus & magiſtratibus proponitur, ad cuius normam actiones ſuas conformare debeãt. Eſt præterea Dauidis adminiſtratio ſincera, typus felicis illius adminiſtrationis quæ ſub Chriſti regno per miniſterium euangelij eccleſiam ſuam gubernante fidelibus fit conſpicua.

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. Meditatio operum Dei in Eccleſia & extra Eccleſiam neceſſaria.
2. De piorum parentum & liberorum officio.
3. De Dei in ſeruandis promiſſis conſtantia.
4. Miracula in Ægypto, extra Ægyptum, in deſerto, in terra Canaan.
5. De iuſta ſeueritate Dei in populum, & ira in hoſtes ſuos.
6. Incredulitatis, ingratitudinis, obloquutionis in Deum, ſuperbiæ, hypocriſeos, impietatis, idololatriæ mala pœnas grauiſſimas attrahunt.
7. De Dei clementia & beneficentia.
8. Tentare Deum, quid ſit.
9. Plagarum Ægypti deſcriptio.
10. De cladibus & perſecutionibus Eccleſiæ.
11. Dauidis virtutes in adminiſtratione publica, pio principi neceſſariæ: & regni Chriſti typus.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIX.

IDEM eſt huius Pſalmi argumentum cum ſeptuageſimo quarto: itaque quæ de illo dicta ſunt, hîc repetantur. Eandem enim populi Iudaici calamitatem hîc deplorat: quam quia prophetico ſpiritu præuidit Aſaph fore omnino triſtem & horrendam, orat Deum vt quanquam iuſtas ſuæ indignationis cauſas habeat toties à populi ſceleribus irritatus: non ſinat tamen hunc populum in vniuerſum deleri, ſed iram ſuam temperet miſericordia: atque in hoſtes potius quam in ſuos cultores iuſtum iudicium ſuum aduerſus peccata oſtendat. Hæc petitio auxilij & liberationis populi Iſraelitici, & diſſipationis atque interitus hoſtium, principalis eſt propoſitio huius Pſalmi. Argumenta verò adduntur penè eadem, quæ ſuprà Pſalmo ſeptuageſimo quarto recitata ſunt. Primum, *crudelitatem hoſtium multiplicibus verbis exaggerat & amplificat: eique commemorationi obiter argumentum ſumptum à fœdere, quod cum hoc populo initum erat, aſpergit, cùm eum nominat hæreditatem Dei.* Secundum *argumentum eſt à magnitudine calamitatum & miſeriarum: in qua commemoratione ita immoratur vt indignitatem rei grauiſſimis verbis & multis verborum luminibus ac figuris exponat.* Tertium *argumentum ſumptum eſt à cauſa finali. Petit enim hunc populum ſeruari & liberari, non vt ille deinceps in otio aut voluptatibus viuere aut ſceleribus ſecurè indulgere poſſit: ſed ne doctrina de Deo, quæ in hoc vnico populo pura & incorrupta ſonabat, deleatur in genere humano: néve deleto hoc populo & cultu diuino prorſus euerſo, gentes deinceps nomen diuinum blaſphement, & totam illam religionem diuinitus inſtitutam contemnant, & pro ludibrio habeant.* Poſtremò, *gratitudinem pollicetur nomine omnium, & affirmat futurum vt non tantum ipſi hoc beneficium grato animo celebrẽt: ſed tota poſteritas amorem Dei erga ſuos ex eo facto agnoſcat & perpetuis laudibus decantet. Debet autem hic Pſalmus aſſiduus eſſe in ore piorum. Nam hodie ſimilia patitur eccleſia à Turcica & Pontificia tyrannide. Nam crudeliter paſſim interficiuntur homines pij ac Deum timentes, & magno conatu priores tenebræ ac ſuperſtitiones in eccleſiam reducuntur.*

Pſalmus Aſaph.

1 DEus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum ſanctitatis tuæ: poſuerunt Ieruſalem in aceruos.

2 Dederunt cadauer [*pro cadauera: eſt enim collectiuum*] ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cæli [*volucri cæli*] carnem beneficorum tuorum beſtiæ [*id eſt beſtiis,*] terræ.

3 Fuderunt ſanguinem eorum velut aquas in circuitu Ieruſalem: & non erat ſepeliens [*qui ſepeliret.*]

4 Fuimus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio & contumelia iis qui in circuitu noſtro ſunt.

Orditur pſalmum à querela, in qua primùm crudelitatem hoſtium, deinde populi Iſraelitici calamitates & miſerias commemorat. Súntque hæc duo priora argumenta, quæ adduntur petitioni, ſumpta à neceſſitate. Ideo inquit, ſuccurre, quia & hoſtis nimis crudeliter ſæuit in ſanctos tuos, & iam magna pars populi cladibus belli eſt abſumpta: ita vt, niſi tu opem feras, actum ſit de ſalute omnium.

In primo verſu opponit *gentes* hæreditati Dei, vt & crudelitatem hoſtium & indignitatem rei magis exaggeret. Erant gentes quæ delerum venerant populum Iudaicum, alienæ à Deo, imò hoſtes Dei ex profeſſo: erant idololatræ & omnis generis ſceleribus pollutæ. Hæ tamen veniunt in terram ſanctam, quam Deus, ſpretis & poſthabitis aliis regnis omnibus ſibi in peculium & hæreditatem delegerat. Qui igitur digni non erant vt ſolum iſtius terræ pedibus ſuis attingerent & calcarent, illi magno furore cum armis in hanc terram irruunt & ſuis ſordibus eam opplent. Hæc prima eſt amplificatio in hac antitheſi, ſed creſcit deinde oratio & ſingulæ voces indignitatem exaggerant, vt faciliùs Deum ad vindictam prouocent. Poſtquam venerunt gentes in hanc terram (à qua ſi vlla fuiſſet in his religio aut metus numinis diuini, abſtinere eas omnino oportuit) eò impietatis & crudelitatis progreſſi ſunt, vt à templo (quod vnicum tum erat in toto genere humano, in quo Deus rectè agnoſcebatur & colebatur, ideóque ſanctum hîc nominatur) non abſtinerent: ſed manibus ſuis pollutis immiſſis id fœdarent & deſtruerent. Hæc verò ſũma fuit non tantùm hoſtiũ immanitas & barbaries (cùm alioqui illo primo ſeculo ea eſſent religione homines etiã barbari, vt à tẽplis & ædificiis cultui diuino cõſecratis abſtinerent) verum etiã calamitas populi Dei nũquam ſatis deploranda. Nam tẽplo euerſo videbatur verus Dei cultus, qui ad vnicum illud templum inſtitutus erat, extingui, & notitia Dei in genere humano euaneſcere. De qua re nemo pius cogitare ſine maximo dolore poteſt. Sicut autẽ tunc Chaldæi, & poſtea Antiochus, templum Dei polluebant: ita hodie Turcæ & Pontificij nihil aliud agunt quam vt tẽpla Dei omnia in genere humano polluant & euertãt. Turcæ Chaldæorũ crudelitatem imitantur aut etiã ſuperant. Põtifex in euertẽdis templis & ſcholis, quæ doctrinæ de Deo ſunt ἐργαστήρια, Antiochũ refert, qui idolum in tẽplo Dei collocat, quod adorari iubet: idq́ue facere recuſantes, igne, ferro, & omnis generis crudeliſſimis ſuppliciis excindit.

Poſue-

Poſuerunt Ieruſalem in aceruos] Id eſt, vrbem ſa͏̃ctam, quæ domicilium erat Dei, ita euerterunt vt quacunque incedas, nihil videas niſi rudera & aceruos lapidum ex ruinis ædium euerſarum. Eſtque in hoc membro & ſequentibus verſibus hypotyposis, qua rem ipſam quaſi oculis ſubiicit: non enim ſimpliciter dicit, Deſtruxerunt Hieroſolymam.

Græcus interpres עיי reddit ὀπωροφυλάκιον pomorum cuſtodiam, id eſt, tuguriolum in horto, quod vel deſtruitur, vel ſua ſponte corruit, vbi ampliùs eius non eſt vſus: reſpiciens credo ad illud Ieſ. 1. vbi propheta prædicens excidium vrbis inquit, Relinquetur filia Sion ſicut tuguriolum in vinea, aut pergula in cucumerario: ſed Hebræa vox propriè aceruos ſignificat, vbi omnia iacent temere ſine ordine diſiecta.

In ſecundo verſu rurſus alia oratione crudelitatem hoſtiũ commemorat: ſuntque triſtia πάθει aſperſa, quæ indignitatem rei oſtendunt. Primùm inquit, hoſtes non tantùm crudeliter interfeciſſe homines pios & innocentes: ſed tantam fuiſſe in his immanitatem, vt cum humani cadauera non permitterent, beſtiis atque auibus lanianda ac voranda abiicerent: ita ab hoſtium crudelitate calamitatem exaggerat. Altera amplificatio ſumitur ab occiſorum conditione. Sunt ij qui occidũtur non ex vulgari hominum ordine, aut qui hoſtem iniuriis ad tantam crudelitatem exercendam prouocarint: ſed ſunt ſerui & cultores Dei, & ſunt ſancti eius, hoc eſt, quos ille ſingulari amore complectitur, & ſua gratia ac beneficentia ornat. Id enim ſignificat vox חסידים cùm paſſiuè accipitur: vt ſæpe fit, quoties cum Deo homines pij collocantur. Notãdum autem, quòd in tantis calamitatibus nominat eos חסידים nam ratio naturaliter in calamitatibus ſtatuit nos non eſſe curæ Deo.

In tertio verſu alia eſt amplificatio crudelitatis hoſtium à modo. Affirmat enim non fuiſſe eos graſſatos vulgari hoſtiũ more, qui quicquid in acie primum occurrit interficiunt: poſt pugnam verò ſi fiat deditio à cædibus ferè abſtinent. Nã qui habent aliquid humanitatis, ſanguinem humanum pretioſũ habent propter humanæ vitæ præſtantiam. Sed horum hoſtiũ tanta fuit crudelitas & cædendi auiditas, vt ſanguini humano nihilo magis parcerent quam aquæ.

Non erat qui ſepeliret] In hac ſententia duplex calamitas & querela proponitur. Primùm, quòd ſa͏̃cti homines honore funeris ac ſepulturæ ſint ſpoliati: quum tamen Deus ſepulturã teſtimonium aliquod futuræ reſurrectionis in eccleſia eſſe voluerit. Nota enim eſt Pauli ſententia in 1. ad Corinth. 15. qui à ſemine in terrã coniecto argumentum ducit, quo adumbrari mortuorum reſurrectionem affirmat. Nec tamen ex ſepulcri iactura iudicandum eſt, tales ſine ſpe reſurrectionis aut futuræ vitæ abiici. Nam quòd ad corporales pœnas attinet, ſæpe ſancti eadem patiuntur cum impiis. Interea per mortem ignominioſam tranſeunt & perrumpunt in vitam æternam: diſcrimen igitur in exitu poſitum eſt: Impiis interitus ille corporalis initium eſt æternæ mortis: Piis verò finis eſt omnium miſeriarum ac dolorum, & initium vitæ cæleſtis. Non igitur miremur ſi videamus etiam ſanctorum corpora ſæpe abiici inhumata, aut cremata in cineres redigi aut contumelioſè tractari: & ſtatuamus hanc mortem pretioſam eſſe in conſpectu Domini. Altera calamitas eſt, quod tantus terror cæteris, qui à clade & furore hoſtium reliqui erant, atque adeo ipſis cognatis iniectus fuerit, vt nemo progredi domo ad vltimum hoc officium ſuis præſtandum auſus fuerit. Recitatur hic verſus 1. Macchab. 7. Vnde apparet & antea ſcriptum eſſe hunc pſalmum, & ſimul ad tempora Antiochi congruere.

4 Fuimus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio & contumelia his, qui in circuitu noſtro ſunt.

Alia amplificatio eſt calamitatum à ſarcaſmis amarulentis, irriſionibus & contumeliis vicinarum gentium. Debebãt vicinæ gentes, ſi quis in his ſenſus fuiſſet humanitatis, affici magnitudine harum calamitatum, vt nonnihil condolerẽt, & ſi quo poſſent officio aut ſtudio miſerias lenirent. Sicut Thebani exules Athenienſes, cum vrbs oppreſſa eſſet à Tyrannis, receperunt & fouerunt. Sed tantùm abfuit vt id facerent, vt crudeliter etiam & ſuperbè in calamitate Iſraelitis inſultarent, eóſque riderent tanquam dignos talibus pœnis, & qui fruſtra hactenus iactitaſſent ſuam religionem & doctrinam, & vanas de Dei ope ac præſidio ſpes habuiſſent. Tales verò ſarcaſmi & contumeliæ acerbiſſimum dolorem afferunt animis hominum. Nam, vt Plutarchus inquit, in vita Timoleontis, Homines contumeliis magis mouentur quam verberibus & vllis aliis iniuriis. Cuius rei Chryſoſtomus hãc affert rationẽ, quòd pulſatio quæ affertur corpori, diſtribuitur quodãmodo inter corpus & animam: Conuitium autem animum ſolum vulnerat. Et notum eſt Ciceronis dictũ in 5. Verrina: Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes, vt viri boni, difficillimè poſſunt.

Sed hîc quærat aliquis, Cur ita impatienter ferant Iſraelitæ has contumelias: cùm Chriſtus Matt. 5. iubeat ſuos patiẽter ferre non tantùm reliquas iniurias, ſed etiam contumelias? Beati, inquit, cùm probra iecerint in vos, & dixerint omne verbum malum in vos. Idque Auguſtino quoque obiectum eſt à nonnullis, qui dicebant Romanam Rempublicam iſtis rationibus imminui. Sed reſpondet Auguſtinus, pios homines, quod ad animi præparationem attinet, ſic debere eſſe affectos, vt velint perferre omne genus iniuriarũ pro Chriſti nomine: modò videant id expedire ad honorem Dei & ſalutem proximorum. Sed ſi non cedat res ad gloriam Dei, & illi noxium ſit qui facit iniuriam, non neceſſe eſt vt actu perferatur: ideo pij, cùm aliter non poſſint, iuſta querela in ſinũ Dei hanc iniuriam, quæ cum contumelia nominis diuini cõiuncta erat, exonerant, & Dei vindictam expetunt, aliter etiã vindicaturi ſi poſſent. Debet enim ardere pium pectus iuſto zelo contra blaſphemos. Sed tamen nihil tentare debent pij extra vocationem, nec zelum prætexere ſuis cupiditatibus: qua in re à plurimis peccatur.

5 Quouſque, Iehoua, iraſceris in perpetuum? ardebit velut ignis zelus tuus?

6 Effunde iram tuam ſuper [*in*] gentes, quæ te non nouerunt: & ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocant.

Querelæ ſubiicit propoſitionem, quæ eſt bimembris: petit enim non tantum populum Iſraeliticum ſeruari & liberari ex præſentibus periculis: ſed hoſtes etiam impios & blaſphemos deleri. Prius membrũ exponitur per interrogationem, cùm enim dicere vellet, Noli ampliùs iraſci, ſed parce nobis & libera nos, vtitur oratione figurata, vt fortiùs vrgeat Deum, qui tam diu differat auxilium. Nam interrogatio habet πάθος aliquod admixtum, & ab abſurdo petitum. Videtur enim mirum, cur Deus tam duriter affligat ſuos: impiis verò gentibus & idololatris parcat, & ad ſcelera eorum quæ plura & maiora ſunt, conniueat.

Obſeruandum autem quòd ex ira Dei calamitatem hanc proficiſci affirmet, in qua ſententia multiplex doctrina latet. Primùm enim affirmat non caſu aut temere volui res humanas, vt ſomniant Epicurei, nec fatales tantùm eſſe cauſas, quæ vel augeant vel euertant regna & imperia, vt philoſophi diſputant. Secundò, propter peccata verò, quæ iram Dei accendunt, affligi non tantùm cæteros homines, ſed ipſam eccleſiam quoque: & cauſam omnium malorum & calamitatum eſſe noſtra peccata. Ita confeſſio eſt peccati in hoc ipſo membro. Tertiò, hoſtes eccleſiæ, qui quaſi flagella ſunt iræ diuinæ, non poſſe vltra progredi aut nocere eccleſiæ, niſi quantum ipſis à Deo permittitur. Itaque non refert propheta cauſam harum calamitatum principaliter in furorem hoſtium, ſed in iram Dei, quæ peccatis & ſceleribus Iſraelitarũ accenſa erat, & ſtatuit Deo remittente iram, mox ceſſaturas eſſe publicas calamitates. Ideo inquit, *quouſque?* quaſi diceret ceſſa iraſci & affligere nos, & qui hactenus te patrem exhibuiſti, nunc quoque placabilem te oſtende, id ſi feceris, mox ceſſabit furor hoſtium.

In altero membro amplificatio eſt à ſimili. Comparat enim zelum iræ diuinæ igni ardenti & obuia quæque penitus abſumenti. Illam igitur flammam petit reſtingui, ne ſi progrediatur omnes abſumat. Qua deprecatione manifeſtè teſtatur populum ſuis peccatis meritum eſſe, vt totus deleatur: ſed miſericordiæ diuinæ eſſe, modum adhibere pœnis, nec omnia peccata noſtra ad calculum vocare. Cùm autem zelum nominat, videtur imprimis notare idololatriam huius populi, quæ Dei zelum accenderit. Eſt enim Deus zelotes, vt dicitur Exod. 20. Qui non patitur honorem ſibi debitum, tribui vllis creaturis aut commentitiis numinibus: ideo toties in ſcriptura idololatriam vocat fornicationem.

Effunde in gentes] Hic verſus continet alteram partem propoſitionis ex contrario. Cùm enim dixiſſet, deſine nos punire, addit alterum membrum: ſed in gentes potiùs animaduerte, quæ te non agnoſcunt aut colunt, & quæ ſua idolomania atque aliis ſceleribus te multipliciter offendunt. Videtur autem contra legem charitatis facere propheta, quòd aliis exitium imprecatur, quos ſeruari ſecũ & participes fieri bonitatis diuinæ optare debebat. Charitas enim non eſt cupida vindictæ, nec eſt ἐπιχαιρέκακος, ſed χρηστεύεται, id eſt, eſt benigna & benefica, ſtudens benefacere omnibus, & optat omnibus bene eſſe, vt Paulus inquit 1. Cor. 13. Cur igitur hoſtes petit deleri? Reſpondeo, non ex carnis aliquo affectu aut vindictæ cupiditate hæc vota ſuſcipiuntur: ſed ex iuſto atque à Spiritu ſancto accenſo zelo, quo ardet pro gloria & domo Dei.

Videbat propheta vaſtari ab hoſtibus terram Iudaicam,quæ hæreditas erat Dei:euerti templum,quod vnicum erat in toto genere humano,in quo rectè agnoſcebatur & colebatur Deus:trucidari magnam multitudinem ſanctorum & piorum hominum:blaſphemari nomen Dei à gentibus:quòd crudeliter cultores ſuos deſereret Deus,atque eo ipſo oſtenderet ſe non eſſe eum quē toties ſe eſſe profeſſus erat,aut qualē Iſraelitæ eum iactitabant.Hæ verò & ſimiles blaſphemiæ & ſacrilegia iuſtum zelum prophetæ & cæterorum prouocant, vt in tales voces prorumpant,& petant vt hoſtes blaſphemos & inſanabiles Deus tādem puniat,& iuſtam ſuam iram in ipſos oſtendat.Ac de huiuſmodi imprecationibus quid ſentiēdum ſit,alibi dictum eſt.

7 Quia comederunt Iacob:& habitationem eius vaſtauerunt.

Addit rationem,qua ſatis oſtendit ſe in hoc voto non reſpicere ad ſuam perſonam,aut paucorum ſalutem: ſed de eccleſia maximè eſſe ſolicitum.Ea enim tunc erat in illo populo.Et quia populum paſſim trucidari videbat ab hoſtibus,petit hoſtes potiùs deleri,vt maneat aliqua eccleſia, & aliquod ſemen ſanctum.Hæc igitur cura & ſolicitudo de eccleſia exprimit ei has voces.

Comederunt] Inſtar ſcilicet luporum , qui gregem ouium crudeliter laniant & deuorant.Nomen enim quod ſequitur, non tantùm in genere habitationem,ſed etiam caulas ouiū ſignificat.

8 Ne recorderis nobis (*erga nos*) iniquitatum priorum:feſtina (*id eſt, citò*)præueniant nos miſerationes tuæ:quia exhauſti ſumus valde.

9 Adiuua nos[*auxilium fer,ſuccurre*]Deus ſalutis noſtrę,propter gloriā nominis tui:& libera nos & propitius eſto peccatis noſtris [*expia peccata*]propter nomen tuum.

Redit ad propoſitionem: & quia verſu quinto dixerat has calamitates ex iuſta ira Dei aduerſus peccata huius populi proficiſci,primùm & peccata fatetur & culpam deprecatur. Deinde petitionem auxilij & liberationis ſubiicit.Sicut enim morbus non tollitur,niſi cauſa morbi ſublata : ita nec pœnæ ceſſant,niſi priùs peccata fuerint remiſſa & expiata.Itaque pij tam in publicis quàm priuatis calamitatibus ante omnia hoc agunt,vt vera peccatorum confeſſione ante Dei tribunal ſe humilient,& peccata ſibi remitti petant : vt hac quaſi remora ſublata Deum promptiorem ad opem ferendam habeant.

Recordari Deus dicitur iniquitatum,cùm peccata quaſi ad calculum vocans & tam magnitudinem quàm multitudinem horum æſtimans,punire conſtituit. Loquitur enim de Deo more humano.Homines enim grauiùs offenſi,& pœnas ſumpturi de ſuis liberis aut ſeruis , in memoriam ſibi reuocant priora delicta omnia,quæ liberi commiſerunt, eáque ſupputando atque æſtimando iram iuſtam aduerſus illa ſcelera cōcipiunt:quæ tandem in pœnis ſe oſtendit.

Priora vel antiqua delicta quidam exponunt ea quæ admiſſa ſint à maioribus, alij,quæ ipſi pueri vel adoleſcentes commiſerint : ſed complectitur omnia peccata non tantùm recens commiſſa,ſed longo tempore à maioribus vſque cumulata ac ſæpius iterata,atque adeo iam longa conſuetudine inueterata.Vult enim oſtendere,populum hunc non vno atque altero peccato has pœnas promeruiſſe, ſed multiplici reatu obſtrictum eſſe,vt qui longa pertinacia quodammodo obdurauerint in ſceleribus.Solet enim Deus differre pœnas, donec homines impleant menſuram ſcelerum ſuorum,& ita obdureſcant vt iam incurabilis ſit malitia: & affirmat Deus in lege ſe patrum iniquitatem viſitaturum in liberis in tertiam & quartam generationem.Ideo non ſine cauſa tam patrum quàm ſuam culpam autor pſalmi ſub perſona populi deprecatur.

Feſtina,præueniant nos] Verba immediatè conſtructa cum aliis verbis induunt naturam aduerbiorum. Itaque per aduerbia cognatæ ſignificationis ſunt exponenda:vt cùm dicitur,nonne reuerteris viuificabis me ? id eſt,iterum viuificabis me?ita verbum feſtinandi per aduerbium citò exponi poteſt. Eſt autem antitheſis conſideranda inter verbum feſtinandi,& antecedens membrum, in quo nominat priora delicta, multis ſcilicet non tantùm annis ſed ſeculis accumulata.Si enim pœnæ delictis reſpondere deberent, in longum fuiſſet ſuſpenſa liberatio.Ideo petit vt acceleret miſericordia ſua præuenire,& abolitis prioribus offenſis pœnam abrumpere,ne ſi annos annis compenſet,nūquam ſperari liberatio poſſit.

Obſeruandum autem quòd obliuionem peccatorum & expiationem in ſola Dei miſericordia ponit,quo excludit omnia merita operum humanorum aut ſatisfactiones , quas Phariſæi & Pontificij con fingunt. Nullis enim noſtris meritis promereri poſſumus gratiam diuinam , ſed in ſola Dei miſericordia,quam filius Dei ſua interceſſione & obedientia nobis promeruit , totius fiduciæ noſtræ certitudo conſiſtit. Additur deinde ratio cur pœnas tolli aut mitigari petat:ideo ſcilicet vt maneat aliqua Dei eccleſia , nec ſemen ſanctum in genere humano prorſus deleatur.Sumus,inquit,ita exhauſti & attenuati, vt niſi ceſſaueris nos affligere, perire omnes neceſſe ſit. Ideo mitiga pœnas & cohibe manum , ne omnes ſimul deleas.

Adiuua nos] Hæc principalis propoſitio eſt pſalmi , quam hoc loco clarioribus verbis repetit. Aſpergit autem propoſitioni argumentum , quo fidem ſuam fulcit & confirmat, cùm inquit, *Deus ſalutis noſtræ:* idque ſumptum eſt à promiſſione diuina, qua fides piorum accedens ad Deum nititur.Tu es, inquit,Deus ſalutis noſtræ:hoc eſt,qui promiſiſti ſalutem nobis,& à quo ſolo pendet omnis ſalus & fiducia noſtra:tanquam ab eo qui ſolus ſaluare poſſit & velit.

Propter gloriam nominis tui] Addit nunc propoſitioni alia argumenta ſumpta à cauſis finalibus. Ideo enim petit ſeruari hunc populum , ne notitia Dei penitus in genere humano extinguatur , néue laudes Dei conticeſcant : ſed vt maneat aliquis cœtus & populus , qui Deum verè agnoſcat, colat & celebret. Huic argumento iterum inſeritur propoſitio. Eſt enim vſitatum in petitionibus , præſertim ſi neceſſitas vehementer vrgeat,ſubinde eas ingeminare.

Expia] Metaphora eſt in verbo כפר . ſignificat enim propriè oblinere calce vel bitumine , & ſimili materia glutinoſa.Significat igitur, peccata noſtra,quaſi in tabulis rationum, & vt Paulus inquit , in chirographo eſſe conſignata , & conſpectui Dei propoſita. Ea verò, cùm placatus remittit & condonat, oblinire dicitur, ne ampliùs appareant & conſpiciantur, ſicut alibi dicitur poſt tergum aut in profundum maris proiicere peccata noſtra, Ieſa. 38. Mich. 7. Accommodatur autem verbum hoc etiam ad ſacrificia , quæ expiare dicuntur peccata dupliciter. Primùm, ſi de vero illo ἱλαστικῷ ſacrificio intelligatur quod vnicum eſt in genere humano, ſumitur μεταληπτικῶς cauſa pro effectu , vel impulſiua pro efficiente. Mors enim & tota obedientia filij Dei cauſa eſt impulſiua, cur Deus peccata remittat.Deinde ſi de legalibus vel Moſaicis ſacrificiis intelligas,ſignificatio eſt metonymica, vbi ſignum pro ſignato ſumitur. Sacrificia enim Moſaica non reuera expiabant peccata:ſed typi erant illius venturæ victimę quæ ſola placatura erat iram Dei. Ideo quoties expiatio his tribuitur, ea ratione fit qua appellationes rerum ſignatarum tribuuntur ipſis ſignis.

10 Quare dicent gentes , vbi eſt Deus eorum? nota fiat in gentibus coram oculis noſtris vindicta ſanguinis ſeruorum tuorum,qui effuſus eſt.

Addit alteram cauſam finalem ex contrario. Sicut enim antea petebat liberari hunc populum , vt nomen Dei ab ipſis celebraretur: ita nunc petit puniri hoſtes vt cohibeatur blaſphemiæ hoſtium qui calamitate huius populi,& ſuis ſucceſſibus elati confirmabantur in ſua idololatria , & iudicabant, doctrinam quæ in hoc populo ſonabat , vanam & commentitiam eſſe. Solent enim homines ex euentu iudicare non tantùm de conſiliis & cauſæ quam tuemur bonitate : ſed etiam de doctrinæ quam profitemur veritate. Ita Cicero pro Flacco inquit , Miſerias Iudæorum quibus oppreſſi ſint, teſtari quàm ſint chari Deo . & hodie Turcæ ſuis ſucceſſibus elati audacter gloriantur ſe ſolos verum Deum colere, & nobis in noſtris calamitatibus ſuperbè inſultant,quaſi fruſtra & falsò iactemus nos habere veram de Deo doctrinam, & nuſquam niſi in hoc cœtu, vbi hæc doctrina ſonat, colligi eccleſiam. Itaque ſicut tunc Chaldæi ridentes Iudæorum calamitatem dicebant, vbi eſt Deus eorum , de cuius præſidio tantopere gloriabantur? Ita nunc ſimiles voces à Turcis audiuntur. Has igitur blaſphemias vt retundat & puniat Deus & gloriam nominis ſui vindicet,petit propheta.Poſtea hoſtibus vindictam imprecatur, de quo voto quid ſentiendum ſit, dictum eſt paulò antè, verſu 6. & in aliis pſalmis multis: proficiſcitur enim illud votum tantùm ex deſiderio vindicandæ gloriæ Dei & amore ſeruorum Dei. Ideo caret omni vitio.

Innoteſcat] Tertia cauſa finalis , vt appareat tibi curæ eſſe tuam eccleſiam, & te vindicem eſſe iniuriarum , quas tuis cultoribus faciunt homines impij : atque ita fides confirmetur. Ideo enim dicit, *In oculis noſtris.* Non quòd cupidi vindictæ ſatiari optent tali ſpectaculo , aut voluptatem capiant ex cæde & interitu hoſtium.Sed ideo videntibus oculis ſuis vindictā ſumi ab hoſtibus petunt, vt hoc teſtimonio cōfirmētur

quòd

quòd Deo non ipſi tantùm, ſed & qui interfecti erant, ſint curæ, atque ita fides recumbens in Deum creſcat & augeatur. Si enim hoſtes nullas darent pœnas ſcelerum, futurum erat vt in multis fides langueſieret aut prorſus extingueretur. Notãdum autem quòd vt ſuprà, ita nunc quoq; interfectos nominat Dei ſeruos. Etſi enim fatetur, propter peccata multiplicia puniri hunc populum: tamen illas pœnas oſtendit non eſſe ſigna abiectionis diuinæ, vt ratio iudicat, ſed tantùm caſtigationis paternæ. Erat magna multitudo etiam piorum interfecta, & tamen de his affirmat quòd ſint ſerui Dei: non igitur illi perierunt, etiamſi ſimul cum malis ſint abrepti.

11 Veniat coram facie tua gemitus vincti: ſecundùm magnitudinem brachij tui fac reſiduos filios mortis.

Admiſcet παῖδος, cùm & cõpedes & gemitus vinctorum nominat. Erat indignum prorſus & miſerabile viſu atque auditu, populum Dei ita crudeliter tractari, vt magna eius pars occideretur ab impuriſſimis & ſceleratiſſimis hominibus: reliqui vel in vincula conicerentur, vel captiui abducti intra certos fines includerentur, vnde capitale eſſet pedem mouere. Has igitur calamitates prorſus indignas petit vt Deus reſpiciat.

Per *gemitus* autem non tantùm crebra illa ſuſpiria & querelas, quas præſentium calamitatum ſenſus ipſis exprimebat, intelligit (his enim ſolis Deus non mouetur vt ſuccurrat) ſed preces ſimul & pia deſideria, quæ ex fiducia promiſſionis & miſericordiæ diuinæ oriebantur. Vides, inquit, quot gemitus & ſuſpiria emittant, dum in tuam promiſſionem & miſericordiam fide intuentes opem tuam implorant. Noli igitur eos deſerere: ſed oſtende virtutem & potentiam tuam in liberandis his qui iam morti ſunt deſtinati. *Filios* enim mortis nominat, morti adiudicatos & deſtinatos. Filius enim dicitur qui alicuius eſt proprius, vt ſuprà monuimus. *Brachiũ* pro potẽtia accipi μεταληπτικῶς diximus aliâs: & cùm magnitudinem brachij dicit, inſigni oſtendit opus eſſe miraculo, vt plena fiat liberatio. Iam enim in eas calamitates erant demerſi, vt non niſi potenti Dei manu extrahi inde poſſent.

Verbum הותר Latinus reddidit, poſſide: volens exprimere ſignificationem verbi Greci περιποιεῖσθαι, quo interpres ille vſus eſt. Id enim ſignificat, ſibi acquirere & aſſerere aut comparare, vt apud Demoſth. τὰς ἀγαθὰς ἐλπίδας περὶ θεῶν περιποιήσασθαι ἑαυτῷ καὶ τοῖς παισί. Sed cùm verbum actiuum περιποιῶ ſignificet tueri & ſeruare, eodem ſignificãdi modo, quo הותיר apud Hebræos: iudico interpretẽ Græcum huc reſpexiſſe, & περιποίησαι ſcriptum eſſe pro περιποίησον. Significatio autem περιποιῶ ex hoc Lyſiæ dicto manifeſta eſt, καὶ θάνατος αὐτοῦ κατεγνώσθη, ἡ δὲ τύχη καὶ ὁ δαίμων περιεποίησε. Quod quia hanc ſententiam quaſi interpretari videtur, hîc ſubiicere volui.

12 Et repende vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum: opprobrium eorum, quod exprobrauerunt tibi [*quo affecerunt te*] Domine.

Sicut antea hoſtibus Chaldæis interitum imprecatus eſt: ita nunc eadem mala imprecatur vicinis: qui quidem tunc non intulerãt arma Iudæis: ſed eorum exitio lætabantur, atque ita ipſis in calamitatibus inſultabant, vt ſimul doctrinam & religionem ipſorum tanquam vanam & commenticiam riderent. Gloriati erant hactenus Iudæi, ſe ſolos verum Deum agnoſcere & colere, & vicinarum gentium idololatriam, tanquam vanam & falſam damnauerant: quæ res odia vicinorum in ipſos accendit. Itaque ex euentu nunc iudicant, inanem illam fuiſſe Iudæorum iactantiam: & totam illam religionem ludibrio habent. Ea verò contumelia quia non tam ad Iudæos quàm ad Deum ipſum pertinebat, petit propheta, has ipſorum blaſphemias puniri: vt appareat Deum ſuæ cauſæ patrocinium ſuſcipere.

Repende ſeptuplum] Id eſt, iniurias quas nobis finitimæ gentes intulerunt, ita perſequere, vt calamitas earum exiſtat noſtrâ multis partibus maior, & cumulatiſſimam illi mercedem ſuæ impietatis recipiãt. Ponitur certus numerus pro incerto, eſtque ſeptenarius numerus apud Hebræos perfectus: vt hoc loco non incommodè ſic poſſit exponi: quantum ſatis eſt, vel, quantum merentur ipſorum blaſphemiæ.

In ſinum dare] Eſt copioſè & largiter dare, ſicut ea, quæ non ad numerum præciſè & ad menſuram, ſed pro ſinus capacitate largiter dantur. Huc congruit illud Lucæ 6. Menſuram bonam, perfectam, concuſſam atque exundantem dabunt in ſinum veſtrum.

13 Et nos populus tuus, & oues paſcuæ tuę celebrabimus te in ſeculum: in generationem & generationem narrabimus laudem tuam.

Poſtremum argumẽtum ſumptum eſt à pollicitatione gratitudinis, qua & hunc pſalmum & multos alios eius argumẽti concludit. Hunc enim fructum capere vult Deus ex ſuis beneficiis, vt nomẽ ipſius agnoſcatur & celebretur: nec aliud à nobis munus requirit. Ideo pij in precibus pollicentur ſe gratos fore: & vbi adepti fuerint beneficium, præſtant quod promiſerunt: ſicut dicitur apud Hoſe. cap. 14. Omnem aufer iniquitatem, & da bonum, & reddemus tibi vitulos labiorum.

Diximus autem in argumento, prophetam promittere non exigui temporis gratitudinem, ſed fore ait vt huius beneficij memoria etiam ad poſteros propagetur, & per continuas ętates tranſeat de manu in manum.

Quod autem inquit, *nos populus tuus*: oſtendit à nemine niſi à ſuo populo, quem elegit, Deum rectè agnoſci & coli: & ſimul innuit fore vt extincto illo populo nomen Dei in genere humano intercidat, & laudes diuinæ conticeſcant: ideóque neceſſe eſſe vt ſi nominis ſui gloriam vindicare velit, quàm primùm ſuccurrat.

PSALMI LXXIX.

PARTES.

I. Narrratio pathetica grauiſſimorum malorum, quæ populus Dei perpeſſus eſt. 1. Incircuncisi poſſeſſionem Dei inuaſerunt. 2. Templum ſanctum polluerunt. 3. Vrbem ſanctam euerterunt. 4. Pios mactatos, ſepultura priuatos, beſtiis laniandos expoſuerunt. 5. Sarcaſmis ſuperſtites exceperunt, & aliis deridendos propinarunt. Hæc à 1. v. ad 5. graphicè depinguntur.

II. Petitio, cuius prima pars continet expoſtulationem cum Deo, verſ. 5. Capita petitionum ſubiiciuntur cauſis ſuis coniuncta, à 6. v. ad 12. vſque. Petitionis loci ſunt duo: vnus contra aduerſarios. Imprecationis huius cauſa duplex: pertinax ignoratio Dei, v. 6. & maleficia in Eccleſiam, v. 7. & ſequentibus. Alter petitionis locus, precatio pro Eccleſia: cuius partes ſunt. 1. Vt Deus peccata condonet per miſericordiam, velut calamitatum cauſas, v. 8. 2. Vt opem & ſalutem adferat, tribus de cauſis. *Prima*, Diuini nominis gloria, v. 9. *Secunda*, blaſphemiarum in Deum, & maleficiorum in Eccleſiam coercitio, v. 10. *Tertia*, afflictorum inclamantium Deum, commiſeratio, v. 11.

III. Concluſio, partem vnam petitionis complectens, nimirum imprecationem contra perſequutores, v. 12. vt ea commodè tranſeatur ad ἐπαγγελίαν ſiue ſponſionem, v. 13.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3 Temporales pœnæ, quæ ad ſolã carnem pertinent, tam electis quã reprobis ſunt cõmunes, tantùm in exitu eſt diſcrimẽ, quia Deus in ſalutem fidelibus conuertit quod naturaliter iræ ſignũ erat.

Continget optimos quoſque Dei ſeruos violẽter occidi: quam pœnam ſanguinariis & aliis Dei contemptoribus ſcimus ſæpe infligi. Neque tamen ideo mors ſanctorum pretioſa in conſpectu Dei eſſe deſinit: ſed vbi iniuſtè in carne opprimi paſſus eſt, vindicta oſtendit quàm ſibi chari fuerint.

Quum fideles ſepultura priuantur, licèt ad tẽpus Deus credatur eos deſerere, probrum illud poſtea in adiumentum ſalutis conuertit: quia fides eorum hac tentatione probata nouam palmam ſibi acquirit. Sine iactura igitur ſepulchro priuantur fideles, dum fide hæc media adminicula tranſcendunt, vt ad beatam immortalitatem properent.

Per multas & varias afflictiones oportet Chriſti mẽbra capiti ſuo fieri cõformia, & ita in eius gloriam cæleſtem ingredi, omnibuſq; ſe

culis ea fuit eccleſiæ Dei conditio, quam perfert alacriter, quum ad hoc electa ſit, vt crucem ferat & flagellis erudiatur, vnde tandem ſequitur lætitia & felicitas æterna.

4 Quo ſuperbiùs nobis inſultant impij, eo propior redemptionis ſpes affulget: quia minimè Deo tolerabilis eſt eorum petulantia, dum tam licentioſè effertur, præcipuè quum eorum contumeliæ in ſacrum Dei nomen redundent.

5 Fideles quum perſuaſi ſint nihil poſſe impios, quicquid machinentur, niſi quantum Deus permiſerit: ex hoc principio facilè ratiócinantur, vbi tãtum licentiæ concedit profanis hoſtibus, iratum eſſe & infenſum. Nec deſinunt tamen ad manum eius attendere, à qua auxilium & liberationem expectãt: ſciunt enim eum qui fræna impijs laxat, eoſdem poſſe & velle compeſcere.

6 Non poſſunt preces hoc verſu expreſſas cõcipere, niſi qui publicã perſonam induerint, & omiſſo ſui reſpectu, curam ſuſceperint totius eccleſiæ: imò eiuſdẽ caput, nempe Chriſtũ, ſtatuerint ſibi ante oculos: poſtremò, niſi qui præeũte ſancto Spiritu animos ſuos extulerint ad Dei iudicium, vt parati ad ignoſcendum, non hoſtes quoſlibet à quibus offenſi ſunt, ſed ſolos reprobos morti addicant.

Etſi noſtrum non eſt præſcribere Deo legem, imò lex illa nobis patienter ferenda eſt, vt caſtigationes incipiant à domo eius: hæc tamẽ libertas ignoſcitur fidelibus, vt poſtulent non deteriore ſaltem loco eſſe quàm increduli & Dei contemptores.

7 Quocunq; prætextu violentiam ſuã tegãt impij, in fœderatum Dei populum crudeliter inſurgunt: leueſq; ſunt omnium prædonũ & ſicariorum impreſſiones, ſi cum eccleſiæ perſecutionibus conferantur.

8 Hoc primum malis omnibus remediũ eſt, vt nos Deus recipiat in gratiam: quia ipſo irato proſperitas ipſa malè & infeliciter nobis cedit.

Patrũ culpam filij deprecari debent, quum Lex pronuntiet Deum reijcere patrum delicta in ſinum filiorum, & vlciſci peccata in tertiam & quartam generationem.

Quia in ipſis peccatis remora eſt & obſtaculum, non fruſtra petũt fideles vt Dei miſericordia celeriter accurrant.

6 Non ſatisfactionibus vel vllis operum meritis, ſed gratuita venia Deo reconciliantur quicunque peccarunt.

. Vbi nos Deus caſtigat, non modò ab externis pœnis leuamen eſt optandum: ſed in primis de placando Deo cogitãdum eſt. Quoties autem Deum nobis reconciliare cupimus, in mentem nobis veniat Chriſti paſſio, quia non fit remiſſio abſque ſanguine.

10 Perperam precamur, niſi ſalutis noſtræ curam cum zelo gloriæ Dei indiuiduo nexu iungamus.

Modò ſit purus & ſedatus noſter affectus, petere licebit vt Deus claris exemplis oſtendat ante oculos noſtros, ſibi pretioſam eſſe ſeruorum ſuorum vitam, quorum ſanguinem vlciſcitur.

Vocantur ſerui Dei, qui tamen ob peccata ſua iuſtè puniũtur: quia vtcunque nos caſtiget Deus, non ideo protinus abijcit: quin potiùs de noſtra ſalute teſtatur ſe eſſe ſolicitum. Deinde vbi graſſatur ira Dei in totum eccleſiæ corpus, quia boni malis permiſti ſunt, communiter etiam affliguntur.

11 Vtilis eſt Dei electis afflictio, quia frangit & verè humiliat feroces illos ſpiritus, qui priùs contra Deum exultauerant.

Qui magnitudinem brachij Dei implorant, oſtendunt eccleſiæ reſtitutionem ſine inſigni miraculo non poſſe ſperari.

12 Pio zelo excandeſcunt fideles ad vindictam expetendam, vbi proſcindi vident ſacrum Dei nomen.

In hunc finem nobis optanda eſt ſalus, vt Dei nomen à nobis & poſteris noſtris celebretur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De perſecutionibus Eccleſiæ Dei.
2. De ſepultura piorum.
3. De opprobriis, ſarcaſmis & ludificationibus impiorum.
4. De imprecationibus in Eccleſiæ hoſtes.
5. Perſequutorum varia agmina. Alij enim ſunt ethnici, alij ſuperſtitioſi & idololatræ ignorantia peccantes, alij planè profani, etſi religionem prætexãt, alij crudeles carnifices, alij apoſtatæ ex deſtinata malitia inſurgentes in agnitam veritatem.
6. Quo ſenſu Deus obliuiſci & reminiſci dicatur.
7. De auxilio Dei.
8. Impiorum faſtus ſola Dei manu retunditur.

ARGVMENTVM PSALMI LXXX.

EADEM eſt petitio huius Pſalmi quæ ſuperioris, eadémque occaſio. Loquitur enim de illa vaſtatione quam vel Chaldæi effecerunt, non tantùm vaſtatis agris & oppidis, ſed & vrbe Hieroſolyma & templo deſtructo, & maxima hominum multitudine trucidata, ac reliquiis gentis Iudaicæ abductis: vel quæ paulò antè ab Aſſyriis extitit, cùm duce Salmanaſſare capta eſt Samaria, & decem tribus in Aſſyriam & vicinas regiones diſperſæ. Vt igitur ſuprà petitioni ſubijcit argumenta à calamitatum magnitudine: ab immani & barbarica hoſtium ſæuitia: à pollicitatione gratitudinis ducta: ita hîc eadem repetuntur, ſed aliis verbis & figuris: & additur aliud argumentum, in quo beneficia, quæ ſub exordium huic populo præſtita ſunt, recenſet, vt horum commemoratione Deum excitet: vt qui antehac illuſtribus teſtimoniis ſuum amorem erga hunc populum teſtatus ſit, deinceps quoque eum amare & tueri pergat, nec opus cœptum deſerat. Eſt autem oratio Pſalmi figurata: dum hanc politiam comparat vineæ cultiſſimæ, & populum viti feraciſſimæ: hoſtes verò apris & feris, qui perrupta & diſiecta macerie paſſim in eam irruant & crudeliter omnia vaſtent. De quibus figuris in interpretatione dicetur. Accommodatur autem Pſalmus ad præſentia tempora. Nam ſimiles nunc calamitates experitur eccleſia, quas vt mitiget Deus, toto pectore à nobis orandus eſt.

1 AD triumphandum ſuper liliis teſtimonium, Aſaph Pſalmus.

Titulus Pſalmi partim ſimilis eſt titulo pſalmi 45. partim titulo Pſalmi 60. Itaque, quæ dicenda ſunt inde petantur. Doctiores ferè in ea ſunt ſententia, vt initium vulgaris alicuius cantilenæ exiſtiment, ad cuius modos & numeros hic pſalmus fuerit decantandus. Alij tamen argumentum pſalmi hoc titulo quodammodo illuſtrari exiſtimant. Affirmant enim decem tribus regni Iſraelitici notari per lilia, quæ erant tanquam peculiare aliquod ornamentum regium, quod ille in pectore gerebat, ſeu quo ornatus incedebat. Nomen verò עדות, quod teſtimonium ſignificat, variè exponunt. Nonnulli enim pro peculiari quodam ornamento regio, quo tanquam confirmationis teſtimonio dignoſceretur Rex à ſubditis, accipi volunt, atque huc illud 2. Reg. 11. & 2. Paralip. 23. accommodant, vbi Ioiada producens Ioas regem, quem clam annos ſex ad templum aluerat, poſuit ſuper eum diadema & teſtimonium, hoc eſt, vt illi interpretantur, ornatum regium vel pallium Imperiale, vt nomen factum ſit ab עדה, non ab עוד. Alij teſtimonium interpretantur, librum legis, quem aſſiduè iubebatur Rex habere in manibus: alij in ſpecie promiſſionem de Meſſia, & de terræ Iudaicæ poſſeſſione, qua inprimis Deus ſuam voluntatem erga hunc populum teſtabatur. Roſam igitur teſtimonij interpretantur politiam pulcherrimam atque omnibus rebus ornatiſſimam: in qua videlicet ſonabat vera doctrina de Deo, de Meſſia, de reparatione generis humani, & quæ manifeſta voce diuina & illuſtribus miraculis conſtituta & hactenus ſeruata erat: vt propter hanc doctrinam & promiſſionem, cuius erat conſeruatrix, meritò dicatur roſa vel lilium, quòd ſuauitate odoris ſuperet reliquos flores. Nulla enim politia vel regnum in toto genere humano habuit vnquam tam inſignes promiſſiones de certa ſede: nec vllum regnum tot illuſtribus teſtimoniis & miraculis diuinis eſt conſtitutum & conſeruatum. Hæc allegoria etſi concinna eſt, & commonefactionem habet vtilem: tamen an hoc propriè velit autor, affirmare non auſim. Video enim eundem titulum etiam aliis pſalmis præfigi, quorum argumenta tamen ſunt diuerſa. Ideo, vt antea quoque dixi, de re obſcura & ambigua nihil affirmo. Neque enim de ſententia pſalmorum aliquid nobis perit, etiamſi plerique tituli nobis ſint obſcuri, aut etiam ignoti.

2 Qui paſcis Iſrael auſculta: qui ducis tanquam oues Ioſeph: ſedens inter Cherubim inclareſce.

3 Coram Ephraim & Beniamin & Manaſſe, excita potentiam tuam: & veni in ſalutem nobis.

4 Deus

4 Deus reduc nos, & illumina [*fac lucere*] faciem tuam, & ſalui erimus.

Orditur pſalmum à propoſitione, quæ eſt petitio auxilij & liberationis. Eſtque *propoſitio* his tribus verſibus comprehenſa, & ſubinde alijs atque alijs verbis iterata. Vtitur enim Rhetorica expolitione: & obiter ſimul argumenta aſpergit, partim à prioribus beneficiis, partim à promiſſionibus atque harum ſymbolis ſumpta: quæ & mouere Deum poterant, & fidem piorum in inuocatione confirmant. Eò ſpectat quòd Deum nominat paſtorem, qui ſcilicet curam & defenſionem huius ſui populi ſuſceperit: & in quo ſolo Iſraelitæ omnem ſpem ſalutis repoſitam habeant. Et non dubium eſt quin filium Dei compellet. Is enim verus eſt eccleſiæ ſuæ paſtor, qualem ſe deſcribit, Iohan. 10. Quod enim paſtor fidelis gregi ſuo præſtat, id Chriſtus ſuæ eccleſiæ fideliter & cumulatè in multo maioribus, & nunquam perituris bonis procurandis præſtat, vt dictum eſt pſalmo vigeſimo tertio. Primùm enim animas ſuorum paſcit verbo promiſſionis, quod eſt verbum vitæ, vt alibi dicitur. Deinde defendit eos aduerſus lupos & alias feras, hoc eſt, diabolos, mortem & inferorum poteſtatem: ac vt ex horum manibus nos eripiat, animam ſuam pro nobis ponit: tandem ex hac vita, tanquam ex ſtabulo, in aliam vitam, vbi lætiora ſunt paſcua, educit. Iſraelitis verò ideo quoque paſtor erat, quia præter ſpirituales promiſſiones & bona ſpiritualia, attribuerat illis certas ſedes & certam regionem, in qua illum populum paſcebat liberaliſſimè: & hactenus mirabiliter illum aduerſus externam vim defenderat. Ideo huc quoque reſpicit Aſaph, cùm eum nominat paſtorem Iſraelis.

Auſculta] id eſt, fer opem. Etſi enim ſemper piorum preces exaudit Deus: tamen tunc primùm videtur nobis auſcultaſſe, cùm nos ex calamitatibus eripit: Ideo ad ſenſum piorum hoc referendum eſt, *Auſculta*, id eſt, fac vt videamus te non negle xiſſe noſtras preces, ſed certò eſſe abs te exauditas. Quod *Ioſephum* potiùs nominat quàm *Iuda*, ex eo quidam colligunt, quod in argumento dixi, hunc pſalmum reſpicere ad tempora vaſtationis decem tribuum, quæ extitit à Salmanaſſare. Regni enim decem tribuum poteſtas erat penes poſteros Ioſeph: & ſolet Scriptura, quando de decem tribubus ſeorſim loquitur, nomine Ioſeph omnes complecti: vt cùm Amos 6. reprehenduntur Iudæi, quòd non ingemuerint ſuper contritione Ioſeph. Ea coniectura quanquam videtur eſſe non abſimilis vero, & totus pſalmus ad illam vaſtationem commodè poteſt referri: tamen quia mox mentionem facit Cherubim ſeu propitiatorij, quod decem tribus iamdudum repudiauerant facta ſeceſſione à regno Iuda, & inſtituto peculiari cultu in Dan & Bethel, exiſtimo nomine *Ioſeph* ſynecdochicè comprehendi poſſe totum populum, ſicut & ſequente pſalmo, vbi dicit teſtimonium in Ioſepho poſuiſſe Deum, cùm exiret ex terra Ægypti: ſic nominans vniuerſum populum. Et cur huius mentio præ cæteris fiat, ratio non eſt obſcura. Initio enim cùm nondum perueniſſet ad regnum tribus Iuda, & Ruben ſuo ſcelere ius primogenituræ amiſiſſet, præcipua dignitas erat penes poſteros Ioſeph: eáque illis à cæteris vltro deferebatur propter memoriam beneficiorum quæ à Ioſepho acceperant. Dicitur igitur Deus duxiſſe Ioſephum, cuius ſcilicet nomen inter Iſraelitas erat maximè celebre: atque ita eo nomine cæteros comprehendit.

Qui ſedes ſuper Cherubim] Cherubim συνεκδοχικῶς nominat arcæ propitiatorium, quod duo Cherubim ſuis alis tegebant & obumbrabant, Exod. 25. Erat autem propitiatorium ſymbolum & pignus præſentiæ Dei in hoc populo: ideóque oracula inde edebat, vt dicitur Exodi 25. & preces hominum inde exaudiebat. Sedere igitur dicitur Deus inter Cherubim, quia hoc viſibili ſymbolo teſtabatur ſe aſſiduò præſentem eſſe & habitare in hoc populo. Ideo cùm addit *inclareſce*, ſeu *affulge*, idem eſt ac ſi diceret: Sicut hactenus nobis adfuiſti, dum te inter Cherubim ſedere multis teſtimoniis oſtendiſti: ita nunc quoque illuſtri teſtimonio declara tuam potentiam in hoc populo, & oſtende te habitaculum tuum nondum deſeruiſſe. Aliquandiu enim nullum præſentiæ ſuæ teſtimonium ediderat Deus: ideo vel diſceſſiſſe à ſuo propitiatorio, vel ira ſua obſcuraſſe atque obumbraſſe gratiam ſuam iudicabatur. Ideo dicit, refulge vel affulge, hoc eſt, gratiam tuam & fauorem, qui hactenus quaſi obſcurus & tenebris obrutus delituit, rurſus exere, vt ab omnibus conſpiciatur, & omnes videant te præſentem eſſe in hoc populo. Theodoretus in Geneſin phraſin hanc, *ſedere ſuper Cherubim*, idem ſignificare dicit quod δυνατῶς βασιλεύειν. χερουβὶμ γὰρ καλεῖ ἡ γραφὴ πᾶν τὸ δυνατόν, vt ille loquitur. *Cherub* autem nomen generale eſt, ad omnem figuram. propriè tamen videtur ſignificare imaginem cuiuſcunque faciei, quæ alis expanſis tanquam auis volare pingitur vel apparet. Nonnulli volunt eſſe effigiem, quæ referat faciem infantuli. Nam רביא Babyloniis puerulum ſeu infantem ſignificat, vt Cherub ſit compoſita dictio כרביא, ſicut vel quaſi puer. Hieronymus à multitudine ſcientiæ Cherubim dictos exiſtimat, vt ab eadem origine deſcendat, qua vox Rabbi, quæ doctorem & magiſtrum ſignificat. Alij celeres exponunt.

Aben eſra, quod paulò antè monuimus, ſcribit nonnullos eam vocem omnibus ſculpturis & imaginibus communem facere: ita tamen, vt quæ in lege ſcribuntur, humanam figuram habuiſſe dicantur. Sed apud Ezech. cap. 1. formæ illarum deſcribuntur, vt leonis, bouis & aquilæ, non tantùm humanæ. Quin apud eundem Prophetam capite 28. Rex appellatur כרוב, quòd magna fuerit dignitate, ſplendore atque opibus ornatus. Atque huc fortè Theodoretus reſpexit, vt ſedere ſuper Cherubim exponeret, potenter regnare. Significabatur autē peculiariter illis imaginibus, quæ propitiatoriū ſuis alis tegebant, & humanam faciem referebant, Deum nuſquā habitare veriùs & libentiùs quàm inter homines, atque in hominum mentibus. Sicut apud Salomonem Sapientia dicit: Deliciæ meæ cum filiis hominum: ita tamen, ſi illi ingrediantur in ſanctum ſanctorum, & innitātur propitiatorio Chriſto, atque ita depoſitis ſordibus & mole peccati, & ſumptis alis ſpiritus in cælos ſubuehantur. Quæ allegoria mihi maximè placet. Cæteras quæ ab aliis copioſè exponuntur, lubens hoc loco omitto.

Coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe excita potentiam tuā] Continuat precationem: & quid per auditionem precum intelligi velit, oſtendit, videlicet vt Deus ſuam virtutem tandem excitet, hoc eſt, declaret & oſtendat, quam hactenus ſiuerat quaſi conſopitam deliteſcere, vt nuſquam conſpiceretur: cùm interea potentia & rabies hoſtium multipliciter creſceret. Impunitas enim & felices ſucceſſus hoſtibus animum addunt, & libidinem eorum ac tyrannidē augent. Quamdiu igitur Deus non opem fert ſuis, videtur hoſtium potiùs quàm ſuam potentiam excitare.

Quod petit coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe hanc potentiam declarari, ea oratione iudicant plerique Aſaphum reſpicere ad hiſtoriam Numer. 2. in qua ſeries & ordo caſtrorum populi Iſraelitici deſcribitur, vt commemoratione huius exempli priora beneficia Deo in memoriam reuocet, eúmque deinceps ad ſuſcipiendam ſuorum defenſionem promptiorem reddat. Caſtra enim Iſraelitarum ita diſpoſita erant, vt ad quælibet latera tres eſſent tribus, à quibus cingeretur tabernaculū. Vt igitur tribus Iuda, Iſaſchar & Zabulon ad orientem caſtra metabantur, & quoties illa mouerentur, arcam antecedebant: ita hæ tres tribus, quarum hîc mentio fit, à tergo erant, & præcedentem arcam ſequebantur. Sicut igitur tūc cùm populum per deſertum duceret, promota arca virtutē ſuam ante has tribus excitare dicebatur: ita nunc quoque eandem virtutem in defenſione ac liberatione huius populi petit oſtendi. Malunt tamen alij his nominibus comprehendi συνεκδοχικῶς totum populum, id eſt, decem tribus: ſicut antea nomine Ioſeph, quòd hæ præcipuæ inter illas fuerint. Atque ita Baſilius hunc locum interpretatur, διὰ γὰρ τῶν εἰρημένων φυλῶν πάντα δεδήλωκε τὸν λαόν· τούτων δὲ ἐμνημόνευσεν ἐπειδὴ καὶ τοῦ ἰωσὴφ ἐποιήσατο μνῆμα, καὶ οἱ μὲν δύο παῖδες τοῦ ἰωσήφ. ὁ δὲ βενιαμὶν ἀδελφὸς ὁμομήτριος.

Deus reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalui erimus.] Tertium membrum propoſitionis eſt petitio remiſſionis peccatorum, quæ in omni petitione bonorum corporalium præcipua eſſe debet. Semper enim nobis obſtrepunt peccata noſtra, nóſque terrent, ne in conſpectum Dei venire, aut petere aliquid ab eo audeamus, cùm ratio ex lege obiicit hoc argumentum, Peccatores Deus non exaudit. Tu es peccator, ergo non exaudieris. Creſcunt igitur dolores, & in magnis calamitatibus illi intenduntur: quia quocunque nos conuertamus, nihil niſi iratum Deum & vindicem ſcelerum cernimus. Petunt igitur Iſraelitæ, vt Deus deſinat iraſci peccatis ipſorum, & placatus rurſus faciem ſuam blandam oſtendat, eáque cultores ſuos recreet & viuificet. Reducere enim hoc loco ſignificat animam exhauſtam dolore ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata conſolari & recreare, vt quæ deficere videbatur rurſus ſeſe colligat & reſpiret. Sed de hac phraſi dictum eſt pſal. 18. & pſal. 23.

Illuminare faciem ſignificat rurſus blando, placido & ſereno vultu aſpicere atque exhilarare eum, quem paulò antè triſti ſeu minaci vultu in dolorem & metum conieceras, vide pſal. 4. & 67.

5 Iehoua Deus exercituum, quouſque fumabis in orationem populi tui?

Antequam argumenta ſubiiciat petitioni, addit ex antitheſi querimoniam, quòd tandiu Deus ſe inexorabilem præbeat, nec tantùm ſignum nullum fauoris aut beneuolentiæ toties

rogatus,ſed iræ potiùs & indignationis edat. Tales expoſtulationes crebræ & familiares ſunt piis hominibus in magnis calamitatibus, & in mora auxilij. Illæ verò cùm non ex impatientia aut diffidentia, ſed ex fide luctante & vincente dubitationem,oriuntur,non ſolum non offendunt Deum,ſed vt Tertullianus inquit, Vis hæc Deo grata eſt. Oſtendunt enim quòd de Dei erga ſe beneuolentia optimè ſperent: alioqui enim nō vſuri erant illis familiaribus expoſtulationibus, ſed cum fremitu & indignatione, quemadmodum impij ſolent, crudelitatis & iniuſtitiæ Deum accuſaturi. Suntque inter homines, qui vera beneuolentia coniuncti ſunt, tales expoſtulationes aut querimoniæ vſitatæ: vt cùm quis dicit ad amicum, à quo ſe ſcit amari, *vvie kanſtu das vbers hertz bringen, das du mich in dieſen nœten ſo ſtecken leſſeſt.* Talis eſt & hæc querela: quæ quanquam carnis ſenſum & impatientiam quodammodo redolet, tamen plena eſt fidei, quæ promiſſionem atque adeo ipſum Dei cor intuens,facilè ſibi perſuadet Deum non perpetuò talem ſe erga ſuos exhibiturum eſſe. Eſt enim hæc querela cum ſuperiori petitione coniungenda.

Initio autem nominat eum Deum exercituū, vt hac compellatione ſuam fidem excitet & confirmet,& hoſtium voces ſuperbas & arrogantes refutet. Cùm enim hoſtibus omnia feliciter ſuccederent, ridebant illi Deum Iſraelitarum, tanquam iners, ignauum & impotens numen, quod ſuis cultoribus opem ferre non valeret: & voces blaſphemas ſpargebant, quæ nonnullorum fidem languefaciebant,vt ex hiſtoria Rabſacæ, ſecundo Regum 18. apparet. Talibus vocibus opponit hoc quod dicit: Iehoua Deus exercituum,id eſt,qui es inſtructus infinita potentia: & quidem quòd Deum nominat Iehouam, affirmat eum non eſſe ſimilem aliarum gentium diis, vt Rabſaces & alij iudicabant: ſed eſſe illum verum Deum, à quo cuncta ſuum eſſe habeant, & in cuius manu ſint omnes creaturæ.

Quouſque fumas]Metonymia eſt in verbo עשן. Solent enim irati aut concitati fortiùs ſpirare,& fumum denſum efflare ex naribus: eſtque fumus ille ſignum animi cōcitati non tantùm in hominibus,ſed etiam in animantibus & feris. Fumare igitur hoc loco ſignificat iraſci,aut ſigna iræ & indignationis edere. Eſtque hoc de Deo dictum ἀνθρωποπαθῶς.

In orationem populi tui] Hæc vox exaggerat querelam. Erat enim Deus huic populo ſuo peculiari fœdere obſtrictus, in quo promiſerat ſe exauditurum eius preces, & præſto futurū in omnibus periculis. Itaque videtur nunc oblitus ſuarū promiſſionum,aut à fœdere receſſiſſe,qui tamdiu auxilium differat. Græcus legit τῶν δούλων σου, quem imitatus Latinus vertit, ſerui tui: vterque enim legit עבדך pro עמך.

6 Cibaſti eos pane lacrymarum: & potaſti eos lacrymis menſura magna,[*id eſt,copioſè.*]

7 Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannant apud[*inter*]ſe.

Primum argumentum,quod petitioni ſubiicitur,ſumptum eſt à magnitudine dolorum & calamitatum,quibus hic populus erat oppreſſus. Quod enim dicit ſe cibari pane lacrymarum, ſignificat tantum eſſe dolorem, vt lacrymæ aſſiduæ illis pro cibo & potu ſint,hoc eſt, ſe confectos eſſe dolore & luctu vſque ad ſummam ſatietatem,nec permittere calamitates vt alio ſe cibo aut potu reficiant, quàm lacrymis per genas ad os defluentibus.

שליש nomen menſuræ eſt, à numero ternario, vel à parte tertia nomen habens. Eſtque tam aridorum quàm liquidorum. Apud Ieſaiam cap.40. pro mēſura aridorum ponitur: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælum ſpitama, & totum puluerem terræ menſura Schaliſch? Hoc verò in loco pro menſura liquidorum accipitur. Septuaginta interpretes hoc loco generaliter reddiderunt ἐν μέτρῳ,in menſura: quanquam fieri poteſt,vt ad appellationem Sati reſpexerint, quod ita ferè interpretari ſolent: Apud Ieſaiam nomine δρακὶ expoſuerunt: ſignificat autem δράξ manipulum ſeu pugillum,hoc eſt, quantum quis capere manu poteſt. Sed Iudæi menſurā Schaliſch dictam affirmant, quòd ſit tertia pars menſuræ magnæ, quaſi dicas, tertianam ſeu trientē: ſignificat enim שלש tertiò reiterare. Sicut autē in aridis Corus apud Hebræos accipitur pro menſura magna: ita in liquidis Batus. Capit autem Corus 10. medimnos Atticos. Ergo ſecundùm Iudæorum deſcriptionem in aridis ſchaliſch capiet 3. medimnos cum triente. Batus autem capit 72. ſextarios Atticos, vt annotauit Ioſephus lib. 8. cap. 2. antiqu. Iud. Tertia igitur pars erit 24. ſextariorum,ſeu duorum חינים. Nam הין duodecim ſextarios Atticos capit. Sed ſi æqualis eſſe menſura, & eiuſdem capacitatis tam in liquidis quàm in aridis debet, vt cōſentaneum eſt, cùm promiſcuè vſurpetur, neceſſe eſt in aridis poni Epham, cuius ſit tertia pars: non corum. Eſt autem Epha decima pars cori, vt conſtat ex 45. cap. Ezech. & reſpondet medimno Attico, qui capit 48. chœnicas, hoc eſt, 72. ſextarios. Erit igitur ſecundùm Iudæos Schaliſch menſura 24. ſextariorum, quæ in liquidis duos Hin capit, in aridis Sato reſpondet. Nam Satum tertia pars eſt Ephæ capiens ſextarios Atticos georgicos 24. Hæc de appellatione monuiſſe ſatis ſit. In Commētariis Hebræorum ſcribitur, formam loquendi, qua vtitur hoc loco propheta, fuiſſe prouerbialem de copia ſeu abundantia: ideo malui reddere aduerbio copioſè,vt ſenſum exprimerem,& fortaſſis nomen שליש non tam ſignificat tertiam partem menſuræ magnæ,quàm menſuram eandem ter accumulatam.

Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris] Id eſt, tot ſunt nobis hoſtes quot vicini. Eò enim nos deduxiſti,vt vicini noſtri, quibus nos iuxta promiſſionem dominari debebamus, inter ſe iam contendant de imperio in nos habendo, & ſinguli tyrannidem in nos affectent,vel ſaltem occaſionem carpendi & premendi nos quærant. A quibus ſi nihil aliud, ſaltem defenſionem & alia humanitatis officia expectare debebamus. Nam vicinitas vinculum eſſe mutuæ beneuolentiæ debet. Alij paulo aliter interpretantur. Poſuiſti nos contentionem, dum ſcilicet poſt victoriam de adepta præda inter ſe rixantur & contendunt.

Subſannant inter ſe] Id eſt, de calamitatibus & miſeriis noſtris per iocum & ludibrium inter ſe fabulantur,ſéque his ſermonibus oblectant. Obiicit enim illis ἐπιχαιρεκακίαν,quæ lætatur in calamitate bonorum.

8 Deus exercituum conuerte nos: & fac lucere faciem tuam,& ſalui erimus.

Repetit principalem propoſitionem, de qua verſu quarto dictum eſt. Vſitatum eſt in magnis calamitatibus & doloribus ſubinde eaſdem preces ingeminare: idque non tantùm in hoc pſalmo, ſed aliis compluribus fieri videmus. Eſt autem illa ingeminatio ſignum ardentis fidei, quæ quanquam mora & dilatione auxilij grauiter oppugnatur & concutitur: tamen fortiter contrà aſſurgit, & ſe fiducia auxilij diuini ſuſtentat.

9 Vitem ex Ægypto tranſtuliſti: expuliſti gentes,& plantaſti eam.

Alterum argumentum, quod propoſitioni ſubiicitur, ſumitur à beneficiis antehac huic populo præſtitis in prima eductione ex Ægypto, cùm attributa certa ſede hanc terram Canaan velut propriam huic populo dicauit, eúmque aſſiduè hactenus defendit, ne à vicinis hoſtibus excuteretur: vt hac commemoratione fœderis ſeu promiſſionis eum admoneat,& ad opem deinceps ferendam excitet. Non enim conueniebat conſtantiæ & veritati diuinæ,populum in fœdus ſemel aſcitum,& hactenus defenſum, prorſus negligere & abiicere. Vtitur autem elegantiſſimis figuris in commemoratione huius beneficij, vt hoſtium furorem & rei indignitatem, quæ in vaſtatione huius terræ conſpiciebatur, è regione magis exaggeret. Vitem nominat populum Iſraeliticum,vt ſignificet, ſingulari honore & cura Deum hunc populum dignatum fuiſſe. Nihil enim eſt ex omnibus rebus naſcētibus, quod maiore cura colamus quàm vitem: eſtque affectio hominum erga vitem peculiaris. Ideo Chriſtus ipſe Iohan. 15. eccleſiam ſuam vineæ comparat, cuius ipſe vitis ſit,& pater agricola. Et vtitur hac ſimilitudine Ieſaias capite 5. cùm beneficia varia huic populo præſtita commemorat. Hanc vitem dicit tranſlatam eſſe ex Ægypto, quia poſtquam Iacob cum ſuis liberis venit in Ægyptum, aliquandiu creuit hæc vitis in Ægypto,& extendit ramos ſuos aucta & feliciter multiplicata familia Iacob. Sed quia inter impios Ægyptios manebat hæc vitis ferè inculta & neglecta, ideo paulò pòſt Deus hanc vitem tranſtulit in aliam terram vbi plus haberet ad fructificandum incrementi, & minùs noxij humoris, ab impuritate Ægyptiaci ſoli remota. Eccleſia enim, ſicut ille de ſe apud Euripidem inquit, ſi diu verſetur inter barbaros, etiam ipſa barbaricos mores induit.

Expuliſti gentes] Tanquam herbas, ſcilicet noxias & obfuturas ſuo commercio huic viti, ne gratos aut maturos fructus proferret.

Plantaſti eam] Attributa ſcilicet ei terra Canaan, tanquam vinea ſeu propria ſede, in qua feliciter creſceret & propagaretur, ac dulciſſimos fructus ferret.

10 Expurgaſti coram ea: radicaſti [*id eſt, feciſti radicare*] radices eius: & impleuit terram.

Repetit eandem ſententiam aliis verbis. Antequam plantaret Deus hanc vineam, priùs eiectis gentibus, tanquam noxiis & ſterilibus herbis, eam repurgauit, vt eo felicius hæc vitis creſceret, & copioſiorem fructum ferret: & poſtea ſubinde functus eſt diligentis agricolæ officio in fodienda, purganda, munienda & colenda hac vinea, ne vel vites degenerarent, vel à feris læderentur.

Verbum

Verbum פנית Græcus interpres reddidit ὁδοποίησας, quod ſignificat viam complanare ſeu ſternere & præparare, remouendo omnia impedimenta & obſtacula, quæ iter facientem remorari, aut moleſtiam aliquam ei exhibere poſſint. Idque congruit cum ſignificatione verbi Hebræi. Idem enim ſignificat פנה vt apud Ieſa. 40. Ego vox clamantis in deſerto. פנו דרך יהוה Latinus interpres à proprietate vocis diſceſſit, cùm reddidit, dux itineris fuiſti.

Radicaſti radices] Vel feciſti vt haberent firmas & tutas ſedes, ne rurſus à vicinis hoſtibus euulſi marceſcerent ac perirent, vtque firmis radicibus actis feliciter propagines ſuas emitterent, & ſubinde maiores vires & maius robur acquirerent. Inde enim factum eſt vt ſubitò terram illam implerent & totam occuparent. Poteſt etiam verbum ad nomen גפן referri, vt ſit tertia fœminina, & radicauit radices ſuas.

In poſtremo membro huius verſus amplificatio eſt beneficij diuini à multitudine & potentia ſubitò creſcentis populi.

11 Operti ſunt montes vmbra eius: & palmites eius [*vel & frondibus eius,*] Cedri Dei.

Eadem eſt amplificatio, qua ſuprà verſu præcedente vſus eſt, ſed eam hîc exornat ſimilitudine.

Vmbra eius] Id eſt, in tantam magnitudinem excreuit vt totam terram oppleret & tegeret.

Palmites eius ſunt Cedri] Id eſt, ſicut proceræ & excelſæ arbores, quæ altitudine ſuperant alias arbores, non ſerpebant humi, ſed longè latéque ſe diffundebant: hoc eſt, Erat magna dignitas & magnus ſplendor huius populi eo quòd feliciter creſceret opibus, potentia & multitudine hominum. Id enim intelligit per palmites & cedros Dei.

12 Emiſit malleolos [*palmites, vel, extendiſti palmites eius*] ſuos vſque ad mare: & vſque ad fluuiũ propagines ſuas.

Alia eſt amplificatio ab amplitudine regni, quod vſque ad Euphratem & mare mediterraneum fuit extenſum. De hac amplitudine etiam ſupra dictum eſt pſalm. 72. Tanta, inquit, fuit multitudo & robur huius populi, vt ampliùs contineri ſuis finibus non potuerit, ſed progreſſus fines regni extenderit & amplificarit propagatis terminis vſque ad fluuium Euphraten & mare ipſum, id quod ſub Dauide factum eſſe hiſtoria teſtatur. Euphraten nominat fluuium κατ' ἐξοχήν. Mare nominat, quod erat ipſis ad occidentem, quod nos Mediterraneum dicimus.

13 Cur diruiſti ſepem eius? & diſcerpunt eam omnes tranſeuntes per viam.

14 Vaſtat eam aper de ſylua, & fera agri depaſcit eam.

Rurſus miſcet querelam, in qua magnitudinem calamitatum præſentium exponit, atque ita ſimilitudinem ad præſens negotium accommodat, vt indignitatem rei ſimul exponat. Eſtque oratio valde pathetica. Erat hæc vitis omnium pulcherrima, quia manu ipſius Dei erat plantata & longè latéque ſe diffuderat. Eſt igitur non tantùm triſte, ſed indignum prorſus, talem vitem feris beſtiis euellendam obiici.

Maceriam ſeu ſepem nominat diuinam protectionem qua hactenus hæc vitis ſteterat illæſa. Ea verò ſublata, expoſita erat hæc vitis omnium hominum & ferarum libidini: idque vox diuina multò ante denunciauit per Ieſa. cap. 5. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, &c. Non igitur temerè hæc acciderunt, aut ſine voluntate diuina. Sed vnde eſt hæc voluntatis commutatio in Deo? vt qui vineam hanc tam diligenter plantarit & communierit, nunc eandem deſtruat? An inconſtantia & mutabilitas cadit in Deum, & nũ dona eius ſunt ἀμεταμέλητα? Reſpondeo, nequaquam eſt inconſtantia in Deo, nec pœnitet eum ſuorum donorum: ſed culpa fuit Iudæorum. Erat enim hæc vinea plantata vt ferret vuas, hoc eſt, præſtaret opera & cultus gratos Deo: ſed quia labruſcas protulit, vt loquitur Ieſa. 5. & degenerauit in vitem alienam, vt inquit Ierem. capite 2. ideo Deus permiſit vt hæc vitis excinderetur & vinea vaſtaretur. Non igitur fuit inconſtantia in Deo, quia non receſſit ipſe à pacto: ſed Iudæi primi pactum violarunt. Erant enim cum conditione ſeruandæ legis in hanc terram collocati, Leuit. 26. Eam igitur cùm violarent, non tenebatur Deus præſtare quod promiſerat. Et tamen quia reliqui erant nonnulli in hoc populo, qui culpam agnoſcentes deprecabantur, & vera pœnitentia ad Deum cõuertebantur, Deus reliquias aliquas huius populi etiam in iſtis horrendis vaſtationibus ſeruauit, ex quibus in patriam reductis & reſtitutis, noua deinde vitis excreuit. Per aprum & feras intelligit crudeles tyrannos, qui populum Dei affligebant & delere conabantur. Sicut hoc tempore Turca, pontifex Romanus & huius ſatellites ac iurati milites, tanquam immanes beluæ in vinea Domini graſſantur, & pios quoſque perfidè & crudeliter mactant.

15 Deus exercituum reuertere obſecro: aſpice è cœlis & vide: & viſita vitem hanc.

16 Et ſedem quam plantauit dextera tua, & ſuper filium [*quem*] confirmaſti tibi.

Repetit precationem, quæ eſt principalis propoſitio pſalmi. Quòd Deum nominat Deum exercituum, argumentum eſt à felicitate aſperſum. Cùm enim tanta potentia ſit inſtructus vt tota rerum creatura ei militet, non erit ei difficile illam exiguam hoſtium manum diſiicere, & potentiam eorum vnico nutu aut flatu euertere.

Reuertere] Id eſt, oſtende te nobiſcum rediiſſe in gratiam, téque iam eſſe nobis placatum ac depoſuiſſe offenſam. Hactenus enim tanquam iratus auertiſti te à nobis, nec dignatus es nos aſpicere: nunc conuerte te ad nos, vt ſentiamus nos à te reſpici & curari.

Aſpice è cœlis] Id eſt, cæleſti protectione nos muni & adfer liberationem, quæ ab omnibus cõſpiciatur eſſe diuina & cæleſtis. Terrena enim omnia deficiunt nos, nec nos poſſumus eſſe ſalui, niſi cælitus mittatur auxilium. Dicitur enim Deus de cælo reſpicere & videre, quando vel impiorum effrænem rabiem & malitiam iuſto iudicio ſuo vlciſcitur, vel piorum extremè afflictorum atque oppreſſorum calamitatem miſeratus auxilium ita conſpicuum & luculentum demittit, vt nõ niſi cælitus eos liberatos eſſe omnes fateri cogantur.

Viſita vitem] Id eſt, curam eius áge, defende & protege eam ab iniuria hoſtium.

Et ſedem] Id eſt, hanc regionem, quam attribuiſti huic populo, tanquam firmam ſedem, in qua habitaret, & in qua tanquam in horto pulcherrimo hæc vitis plantata feliciter creſceret & propagaretur. Nonnulli literam כ putant ſcriptam eſſe pro cognata ג & interpretantur hortum. Sed eodem redit ſententia. Qui verbaliter dictionem interpretantur (confirma eam) ſecuti ſunt autoritatem Græci interpretis, qui reddidit κατάρτισαι αὐτήν, perfice. Sed cùm Grammatica hanc interpretationem non admittat, eam repudio. Muſculus plantulam vertit. Solent homines quod ſua manu plantauerunt teneriter diligere, nec permittere vt intercidat. Eò igitur reſpexit cùm ſic interpretaretur.

Dextera tua] Potentia & virtus tua. Non enim armis aut viribus humanis conſtituitur eccleſia.

Filium dexteræ nominat palmitem manu ſeu dextra Dei conſitum. Nam palmes alicuius manu conſitus, eſt eius quaſi filius. Eſtque vſitatum in lingua Hebræa, vt filius dicatur nõ tantùm qui natus eſt ex aliquo: ſed qui quoquo modo ad aliquem pertinet, & alicui rei eſt deſtinatus. Ita filius mortis dicitur, qui eſt ſubiectus ſeu deſtinatus morti, 1. Sam. 20. pſalm. 79. Filius iræ, Epheſ. 2. Et de rebus inanimatis Ieſa. 21. Filius areæ dicitur frumentum quod eſt in area. Iob 41. Filius arcus, id eſt ſagitta. Thre. 5. Filij pharetræ. Ita hîc filius dextræ dicitur palmes manu Dei conſitus.

Quem confirmaſti tibi] Quem fœdere ſancito elegiſti & coniunxiſti tibi, atque ita robuſtum feciſti, vt in tantam potentiã & amplitudinem excreſceret.

Tibi] Id eſt, in tuam gloriam, ſeu in tuum peculium.

17 Combuſta eſt igne, exciſa [*ſcilicet vitis:*] ab increpatione vultus tui pereunt.

Nonnulli interpretes hunc verſum iudicant eſſe imprecationem contra hoſtes directam, quos petat diuinitus deleri. Sed rectiùs meo iudicio alij exponunt, qui ſuperiores querelas in hoc verſu repeti, & figuratam orationem, quæ erat in verſu 13 & 15. nunc ſine figura exponi affirmant. Ita enim rectiùs fluit ordo ſententiarum, & minùs coacta eſt interpretatio. Dixerat enim ſuprà, vitem hanc expoſitam eſſe beſtiis ad direptionem. Nunc amplificaturus calamitates, igne & ferro hanc vitem excindi queritur, vt funditus peritura ſit niſi diuinitus ſeruetur. Verſabantur igitur in ſummo periculo & quidem multi etiam ex piis (quod fieri ſolet publicis pœnis graſſantibus) æſtu iræ diuinæ abſumebatur. De hac re igitur querela hoc loco inſtituta eſt. Exuſta eſt igne, ſcilicet vitis, vel potiùs repetatur verbum פקוד ex verſu decimoquinto: Viſita vitem exuſtam igne & exciſam.

Ab increpatione vultus tui] Non tribuit vi & armis hoſtium hanc vaſtitatem, ſed peccatis huius populi, quibus ita Dei ſit accenſa. Increpatio ſignificat caſtigationem. Pereunt ſcilicet palmites, & propagines, de quibus ſuprà verſu 11. & 12.

18 Sit manus tua ſuper virum dextræ tuæ: & ſuper filium hominis [*quem*] confirmaſti tibi.

Repetit precationem penè iiſdem verbis, quibus antea

vſus erat verſibus 15.& 16. Illa verò ingeminatio ſignificat nō tantùm periculi magnitudinem,ſed animi quoque & fidei ardorem. Quo enim quiſque magis afficitur ſenſu publicarum calamitatum,& quo fides eſt firmior & ardentior,eo crebriores funduntur preces ad Deum & ſæpius iterantur. Repetitio igitur non eſt nota diffidentiæ, ſed potiùs ſignum ardentis fidei ac deſiderij.

Sit manus tua ſuper virum dextræ]Id eſt,tu manu tua protegas virum dexteræ tuæ, ne ab æſtu iræ tuæ vndique graſſantis abſorbeatur aut conſumatur Manus enim hîc ſignificat protectionem,auxilium,μεταληπτικῶς, vt Eſd.8. Manus Dei noſtri ſuper omnes requirentes eum in bonitate. Apud Ieſa.49. & 51.integrè exponitur hæc phraſis:Vmbra manus ſuæ protexit me:& vmbra manus meæ protegam te.

Virum dextræ & filium hominis] nonnulli dubitant an filium regis,vel populum ipſum nominet: & afferunt nonnulla quæ videntur eſſe aliena ab hoc loco. Sed ſicut filium dextræ Dei nominabat palmitem manu Dei conſitum: ita hîc eundem nominat virum dexteræ Dei,qui plantatus aut conſitus à Deo in tantam amplitudinem & ad tantum robur ſit productus aut excreuerit: vt nomen איש nō ſit perſonale ſed reale, ſicut & בן.Ita enim ſæpiſſime in lingua Hebræa vſurpatur,vt cùm dicitur:Vir famis, id eſt,famelicus, Ieſa 5. Vir increpationum,id eſt, qui frequenter increpatur, Prouerb.29. Vir belli,id eſt miles, 1.Sam.17. Appellatione verò filij hominis complectitur totum corpus populi, & quidem in primis homines obſcuros ſeu infimæ conditionis & ſortis, qui nulla dignitate præſtant, nec opes vllas habent: ſicut nomine viri nobiliores inprimis & potentiores notat.

19 Et non recedemus à te: viuificabis nos & nomen tuum inuocabimus.

Poſtrema pars pſalmi continet pollicitationem gratitudinis, quæ plerunque petitionibus auxilij & liberationis ſolet adiungi.

Non recedemus abs te] Id eſt,non tantùm ſacrificiis teſtabimur animi gratitudinem , neque ad vnum atque alterum diē hoc beneficium celebrabimus: ſed per totam vitam erimus memores huius beneficij, & confirmabitur hac liberatione fides noſtra,vt nihil deinceps tam triſte aut acerbum accidere queat,quod nos abs te auellere debeat.

20 Iehoua Deus Zebaoth conuerte nos:& oſtende faciem tuam & ſalui erimus.

Hunc verſum tertiò repetit,eóque pſalmum cōcludit,quia principalem continet propoſitionem, de qua cùm antea dictum ſit,non ſum nunc prolixior.

PSALMI LXXX.

PARTES.

I. Prima hæc pars,vt reliquæ amœbæo verſu terminatur,& Exordium continet, ſiue petitionem ſummam audientiæ,gratiæ,beneficentiæ & ſalutis,à perſona Dei,& præterita adminiſtratione eius,quæ paſtoris allegoria deſignatur à v.2.ad 5.

II. Expoſtulatio grauiſſima, iram Dei humanitus diuerſis allegoriis exprimens: nempe principis in populum ſupplicem irati & preces reiicientis, v. 5. Patrisfamilias domeſticos duriter reprimentis, verſ.6. Iudicis ſontes publicè traducentis. verſ. 7. Expoſtulatio terminatur amœbæo verſu , nempe 8.

III. Tertia pars continet 1.Commiſerationis locos duos. *Vnum* à præteritis iam olim Dei beneficiis,v.9.10.11.12. *Alterum*,à præſentibus calamitatibus, v.13. & 14. Eſt autem tota commiſeratio allegorica à ſimilitudine vitis , quam ſimilitudinem Scriptura frequentat plurimùm. 2. Petitio, commiſerationis locis ſubiicitur , qua Eccleſia Dei opem implorat humanitus. Eſt autem propoſitio petitionis huius, v.15.& 16. Deinde enarratio illius , v. 17. Tertiò, allegoriæ ſuperioris de vite exegeſis, verſ.18.

IIII. Sponſio petitioni iungitur,v.19.& amœbęo verſu,nempe 20.Pſalmus concluditur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.& 2. Ex quo decem tribus à domo Dauidis alienatæ fuerunt, & Iſraelitæ ferè omnes eſſent apoſtatæ,reſiduum ſemen nō neglexit Deus,ſed Iſraelem,id eſt electos, in hac diſſipatione paſcebat, Ioſephumq; ducebat miſſis prophetis qui ſpem redeptionis facerent. Vnde colligimus in medijs tenebris lucem Dei electis oriri, precéſque dictari quibus foueantur in ſpe , donec re ipſa experiantur ſe non fuiſſe vanis promiſſionibus lactatos.

Hoc epitheto (ſedentis inter Cherubim) mirus erga homines Dei amor exprimitur,quòd ſe quodammodo extenuat vt ad eos deſcendat,ſedemq; & domiciliū ſibi deligat in terra, vt habitet in medio ipſorum.Iſraelitæ item eodem epitheto iuſſi ſunt redire ad primam originem,vt Deum propitium inuenirent. Hodie vbicunq; duo aut tres in nomine Chriſti congregantur,ille ſtat in medio eorum.

3.4 Fideles malis afflicti ad Deum confugiunt,cuius proprium eſt vitam reddere mortuis.

Vt malorum omnium hæc cauſa eſt quòd Deus offenſus faciē abſcondit:ita plena ſalus ab vnico fauore eiuſdem eſt expectanda.

5 Quia Deus auxilium ſuum differens,ſuorum patientiā exercet,ex ſenſu carnis dicitur ſurdus eſſe ad preces:non quòd in hac opinione precantes ſubſiſtere conueniat, viam enim ſibi præcluderent: ſed quanuis eos contrario fidei ſenſu eniti & penetrare in cælum oporteat, vbi occultam ſalutem cernant, Deus tamen permittit,quò exonerent animos ſuos, curas,dolores , & metus quibus anguntur, in medium proferre.

6 Magnitudine doloris & longo malorū tractu conficiuntur fideles ſub cruce, ac ſi lacrymis cibarentur & potarentur : vt ardentiùs Deū inuocent,qui ſuos nouit in tēpore gratia & auxilio ſuo ſatiare.

7 Quod de rebus aduerſis eccleſiæ vltro & citro per lubibrium impij inter ſe fabulantur , Dei iudicio eſt adſcribendum , in cuius manu eſt flectere hominum animos, & qui hac ratione fideles hortatur ad pœnitentiam.

8 Quum hanc formam precandi ferè deſperatis Spiritus ſanctus dictauerit, ſpes nobis & libertas ſuggeritur , ne ab inuocatione peccata noſtra nos prohibeant.

9.10.11.12 Hoc conſilio fideles Deo obijciunt ſuam liberalitatem, ne inchoatum deſerat opus manuum ſuarum.

Vbi ad diuini verbi teſtimonium accedit experientia,duplici velut fulcro ſpes exauditionis nititur.

Sicut vitis ſupra reliquas poſſeſſiones excellit : ita eccleſiam ſuam Deus peculiari honore dignatus eſt.

Eccleſia quæ olim per totam Iudæā non ſine miraculo propagata eſt, poſt Chriſtū exhibitum per totum orbem terrarum extenditur.

13.14 In eccleſiarum euulſione fideles ſperare non deſinunt ſe futuros curæ Deo, qui opus manuum ſuarum nunquam deſerit.

Etſi ad vaſtitatem redigātur multæ eccleſiæ, inſanabilis ſuæ peruicaciæ culpa, paucis tamen palmitibus ſeruatis, eccleſiæ catholicæ corpus à Deo mirabiliter tuetur.

15.16 Quamuis ad tempus faciem ſuam occultet Deus, imò ſpeciem alienationis præbeat, tentationi minimè cedendum eſt : quia modò cum certa ſpe venia quæratur, quos abijcere viſus eſt, placatus in gratiam recipiet.

Hæc ſumma eſt fideliū dignitas cenſeri Dei vineam: dum tamen hoc reſpectu Deum ſibi conciliant, nihil afferunt proprium, ſed tātùm poſtulant ne deficiat in medio liberalitatis ſuæ curſu.

E cælis quum vt reſpiciat Deus precamur , fidem noſtram procul extendimus , quanuis à nobis longè diſtet Deus à quo receſſimus, deinde docemur in cœlum ſuſpicere,quando nullus liberationis modus apparet in terra.

17 Triſti Iſraelitarū exemplo monemur quàm ſeueris pœnis digna ſit ingratitudo noſtra,præſertim vbi accedit cōtumacia, vt minis & obiurgationibus nihil Deus apud nos proficiat.

Vbi paſſim ardet ira Dei, inter medias tamen incendij flammas, veterum fidelium exemplo , diſcamus dolores noſtros in ſinum Dei reijcere,qui mirabiliter eccleſiam ſuam ab interitu ſuſcitat.

Nunquam ſperanda eſt pœnarum mitigatio , niſi perſuaſi ſimus Dei manu iuſtè nobis infligi : hoc enim reſipiſcentiæ ſignum eſt (vt prophetæ teſtantur) ad manum percutientis reſpicere.

18 Dei prioribus beneficijs fideles inniti decet,vt in poſterum fauorem eius ſibi ſuiſque concilient.

19 Vt in rebus deploratis manere nos oportet ſub Dei obſequio,neque ma-

que malorũ acerbitate ad defectionem impelli: ita inter precandum fiducia exauditionis elicere debet à nobis pium votum, nos fore gratos ſi exauditi fuerimus, neque id tantùm laudis ſacrificio., ſed tota vita: quũ gratia & virtute diuina reſtitutos deceat redemptoris nomen perpetuò celebrare.

20 *Non inanem battologiam dictat nobis Dei ſpiritus, eaſdem preces ter inculcando: ſed vt malis grauati audacter nihilominus aſſurgamus, hæc fultura ſæpius nobis offertur.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſia gregi, Chriſtus paſtori aſſimilatur.
2. Arca fœderis præſentiæ diuinæ ſymbolum.
3. De facie lucida, obſcura, rigida, ſerena Dei.
4. Perſecutiones grauiſſimæ, ſeueritatis diuinæ ſenſus.
5. Eccleſia vitis, Deus agricola, vaſtatores eius.
6. Deus quo ſenſu recedere, reuerti, intueri è cælis, reſpicere & ſuos viſitare dicatur.
7. Vita præſens quatenus expeti debeat.
8. Salus à gratioſa Dei præſentia, quæ lucida facies eius appellatur.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXI.

DVAE ſunt huius pſalmi partes: in quarum priore populum hortatur, vt beneficia diuinitus accepta, grato animo, voce, inſtrumentis muſicis, & tota vita ad normam verbi diuini compoſita celebret. Vtque exhortatio plus ponderis habeat, additur commemoratio præcipuorum beneficiorum, quæ in prima adoptione atque eductione populi ex AEgypto, & poſtea in aſſidua defenſione huic populo Deus præſtitit. Altera pars obiurgationẽ ſeu exprobrationem ingratitudinis Iſraelitarum habet, qui tot & tantis à Deo affecti beneficiis ab eo defecerint, inſtitutis & receptis cultibus idololatricis, & lege diuina horribiliter profanata & reiecta. Ea obiurgatio eo grauior & iuſtior eſt, quo maiora erant beneficia quæ diuinitus antehac huic populo contigerant. Eſtque vſitatum prophetis omnibus, reprehenſionibus ſeu caſtigationibus ſuis præmittere beneficiorum commemorationem, vt magnitudo ſceleris in ingratitudine fiat conſpectior. Cuius rei exempla multa in interpretatione prophetarum vidimus.

Apparet autem ex 4. & 5. verſu hunc pſalmum conſcriptum eſſe, vt in feſto tabernaculorum, quando populus ex omnibus oppidis ad templum conueniebat, & ſub tuguriolis à 15. die vſque ad 22. degebat, publicè decantaretur. Erat enim illud feſtum diuinitus inſtitutum, Leuit. 23. vt de his ſummis beneficiis, quorum hîc mentio fit, admoneretur, quòd videlicet, cùm peregrini fuiſſent in terra aliena & hoſtili, vbi graui ſeruitute fuerant oppreſſi, Deus tamen inde eductis attribuiſſet certas ſedes & regionem vberrimam, atque omniũ rerum copia affluentem dediſſet. Ita tamen, vt priùs quàm in hanc terram ingrederentur, annos quadraginta in deſerto cõmorarentur, vbi ſub tentoriis & tuguriolis ita viuebant, vt præſentia Dei in aſſidua defenſione ac protectione manifeſtè conſpiceretur. Eaque res de futura vita & de eccleſiæ conditione in hac vita illos commonefaciebat. Non enim introducitur mox eccleſia ab adoptione in cœleſtem patriam, vbi in æternum in conſpectu Dei viuat & æterna luce, ſapientia, iuſtitia, lætitia à filio Dei perfundatur: ſed aliquando in hac vita ita degit vt nullas habeat certas ſedes, nulla oppida, aut mœnia, nullis ſit inſtructa viribus ſeu armis, quibus ſe aduerſus iniuſtam vim defendat, nullam habeat defenſionem politicam: ſed habitat ſub tuguriolis, expoſita variis ferarum & tyrannorũ iniuriis, & vagatur hinc inde, ſubinde mutans ſedem ſeu manſiones, tanquam exulans à patria, ad quam animo & votis ſubinde reſpicit & contendit. Interea tamen, quanquam nudata omnibus præſidiis & vaga, adeòque rebus omnibus ad victum neceſſariis deſtituta, mirabiliter alitur, ſeruatur & defenditur diuinitus, donec peracto huius vitæ curriculo in æternam illam & cœleſtem patriam introducatur. De his tantis beneficiis commonefiebant Iſraelitæ in feſto tabernaculorum, atque ideo conſcriptus eſt hic pſalmus, vt ad harum rerum cogitationem, quoties ad feſtum illud celebrandum conuenirent, excitarentur.

1 AD triumphandum ſuper Githith, Aſaphi.

De titulo dictum eſt pſalmo 8. Qui גתית interpretantur appellatiuè torcular, videntur argumento & occaſione huius pſalmi præcipuè moti, vt ſic redderent. Nam Deut. 16. dicitur, ſolennitatem tabernaculorum celebrandam eſſe, vbi collegerint de arca & torculari fruges ſuas. Sed an de 8. & 84. pſalmis idem dici poſſit, dubito.

2 Exultate Deo fortitudini noſtræ: iubilate Deo Iacob.

3 Aſſumite pſalterium & date tympanum: citharam iucundam cum nablo.

4 Clangite in nouilunio tuba: in operimento, in die [*in honorem diei*] feſtiuitatis noſtræ.

Exordium habet adhortationem, ſumptam à fine iſtius celebris conuentus & feſtiuitatis in ſcenopegiis. Non enim cõueniebant Iudæi ſtatis & anniuerſariis illis feſtis, vt externis tantùm ritibus & ceremoniis peragẽdis eſſent occupati more pontificiorum, aut vt conuiuia agitarent, vbi cibo & potu ſeſe replerent: ſed vt memoria diuinorum beneficiorum recoleretur, atque horum recordatione fides & pietatis ſtudiũ in ſingulis accenderetur, vtque publicè pro his gratiæ Deo ab omnibus agerentur. Ab hac igitur cauſa finali ſumit hanc exhortationem.

Exultate] Id eſt, læta voce canite & celebrate laudes Dei noſtri. רנן enim ſignificat læta voce acclamare, congratulari, *Frœlich auffſchreyen vnd iauchtzen.*

Fortitudini noſtræ] Aſpergit argumentum ſumptum ab honeſto. Ipſe eſt cuius robore & virtute hactenus ſeruati & defenſi ſumus inter varia pericula & inſidias inimicorum noſtrorum, & cuius vnius potentia deinceps tuti eſſe poſſumus. Ergo decet nos hunc celebrare. Fortitudinem nominat Deũ, pro forti defenſore: quæ ratio loquendi Hebræis vſitata eſt, vt ſæpe iam monuimus.

Iubilate Deo Iacob] Hoc membrum aliud habet argumentũ ſumptum ab amore Dei erga hunc populum. Nam cùm nominat eum Deum Iacob, reſpicit ad fœdus initum cũ Iacob, quo amorem ſuum ergà illum teſtatus eſt, dum poſteros eius adoptaret ſibi in populum & peculium. Erat quidem Deus non tantùm Iudæorum, ſed & gẽtium, vt dicitur Rom. 3. Sed Iudæos peculiari fœdere adſciuerat, in quo omnia paterni amoris officia ſe huic populo præſtiturum receperat. Eò igitur reſpicit cùm nominat eum Deum Iacob.

De pſalterio & cithara dictum eſt in aliis pſalmis, & differentia ab Auguſtino oſtenditur in pſal. 32. 42. 70. & in 81. vnde quæ ad huius verſus explicationem pertinent, ſtudioſi petere poſſunt.

Tympanum inſtrumentum erat profanum, cuius vſus tãtùm fuit in choreis & publicis feſtiuitatibus, non in templo aut cultu diuino.

Nablum Suidas dicit eſſe organum, & in voce ψαλτήριον dicit nablum non differre à pſalterio, ψαλτήριον ὄργανόν ἐστι μουσικὸν, ὅπερ καὶ ναῦλα καλεῖται. Ioſeph. 7. antiqu. c. 12. Cithara, inquit, decem chordas habet & plectro percutitur, nablum duodecim, & digitis tangitur. Videtur nablum fuiſſe inſtrumentum non abſimile noſtræ teſtudini aut chelydi. Habet enim nomen à concauitate. Vnde & pro vaſe fictili ſeu lagena, quæ aquam vel vinum recipit, vſurpatur.

Clangite tuba in nouilunio] Hic verſus oſtendit pſalmũ hunc

decantatum fuiſſe in ſcenopegiis, quorum mentio fit etiam apud Iohan.cap.7.Nam Leuit.23.& Num.29. præcipit Deus primum diem ſeptimi menſis venerabilem & ſanctum haberi,& tubarum clangore publicam feſtiuitatem ſignificari. Eò igitur reſpicere videtur hoc verſu.

In nouilunio] Iudæi,vt & cæteræ ferè gentes eo tẽpore mẽſibus vtebantur lunaribus,& à coniunctione ſolis & lunæ eos inchoabant. Dies igitur cõiunctionis Hebræis dicitur חודש quòd tunc luna quaſi renouetur & nouum lumen hauriat à ſole, ſicut eandem ob cauſam dies ille à Græcis dicitur νουμηνία.

In operimento]Hoc quoque de eo tempore intelligo, quo luna tegitur à ſole ne cõſpiciatur, quod fit in coniunctione. Eſt enim mos pſalmographis eandem rem repetere aliis verbis,& in hac ſignificatione vſurpatur Prouerb.7. Ad diem operimenti,id eſt,nouilunij veniet domum. Quanquam alij de tabernaculis & tuguriolis, quæ frondibus tegebantur,intelligendum affirmant, idque non incommodè,ſed qui tempus ſtatutum aut diem inſignem reddiderũt, longiùs à ſignificatione vocis Hebrææ diſceſſerunt. Hieronymus habet, in medio menſe, iudicans decimum quintum diem, qui medius eſt inter reliquos,& à quo feſtiuitatem tabernaculorum inchoabant,ſic dici.

5 Quia ſtatutum eſt Iſraeli hoc: iudicium Dei Iacob.

6 Teſtimonium in Ioſeph poſuit hoc cùm egrederetur ſuper terram Ægypti: labium quod non ſciebam, audiebam.

Addit rationem ſumptam à neceſſitate:quia mandatum eſt diuinum vt quotannis hoc modo conueniamus ad recolendam memoriam beneficiorum diuinorum. Incumbit igitur nobis neceſſitas,vt qui lege teneamur conſtricti. Ergò,ne legem diuinam violemus, conueniamus animis lætis & pompis ad hoc feſtum celebrandum.

Iudicium] Significat hoc loco morem ſeu ritum ſolennem & conſtanter hactenus ſeruatum,& qui ſine impietate omitti non poſſit. Sæpe enim iudicium in ſcriptura ſignificat ſtatuta,mores,ſeu conſuetudinem longo tempore obſeruatam, vt cùm dicitur Ezech.11. Quoniam in ſtatutis meis nõ ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis,ſed iuxta iudicia gentiũ feciſtis. Et 5. Iuxta iudicia gentium,quę in circuitu veſtro ſunt, non feciſtis. Ieremiæ 30. Palatium iuxta iudicium ſuum habitabitur,id eſt,more priſtino. 2.Par. 35. Aſſauerunt Phaſe igni ſecundùm iudicium,id eſt,more ſolito. Gen.34.Porriges calicem ſecundùm priſtinum iudicium.

Deo Iacob]Id eſt,ad declarandam obedientiam & gratitudinem debitam Deo Iacob huius ritus obſeruatione.

Teſtimonium poſuit illud Ioſeph]Id eſt,lege ſanxit & mãdauit illum ritum obſeruari à poſteritate Ioſeph,hoc eſt,ab Iſraelitis,atque ita pactus eſt cum eis. *Teſtimonium*, id eſt, legem quæ eſſet teſtificatio de ſua volũtate. Significat enim hoc loco teſtari, pacto interueniente aliquid obſeruandum vel agendum alicui imponere. Nonnulli ornamentũ expoſuerũt עדות deducentes ab עדה non ab עוד. Sed contextus orationis oſtendit vocem ſignificare teſtimonium, obteſtationem ſeu pactionem certa teſtificatione ſancitam. Nomen Ioſeph ponitur συνεκδοχικῶς pro Iſraelitis. Sumitur enim appellatio tanquam à digniore. Nam eo tempore,cùm regnũ nondum perueniſſet ad tribum Iuda,& Ruben à iure primogenituræ, atque ita à gradu dignitatis pręcipuo, ſcelere ſuo excidiſſet, maxima fuit dignitas Ioſephi propter inſignia merita in hãc gentem,eáque deinceps in poſteritatem tranſlata eſt.

Cùm egrederetur) Dicit Deũ egreſſum eſſe ex Ægypto,quia ſicut hactenus populo Iſraelitico aſſiduè pręſens fuerat in Ægypto: ita ſimul eo tempore cum populo egreſſus eſt, & tanquam dux exercitum præceſſit.

Super Ægyptum)Præpoſitio על totam regionem ſeu ſuperficiem regni Ægyptiaci notat, quam liberè nemine impediente tranſierunt Iſraelitæ. Alij ad ſitum terrę Canaan accõmodant, ad quam tanquam altiorem ex Ægypto aſcenditur.

Vbi labium,quod non noram, audiebam)Addit amplificatiunculã quæ commendat illud beneficium liberationis, de quo mox dicturus eſt. Eſt enim moleſtum & miſerum verſari aut peregrinari apud gẽtem, cuius linguam ignores, & cum quo nulla ſit linguę communicatio, quæ præcipuum eſt ſocietatis vinculum. Nulla enim poteſt eſſe communicatio, vel doctrinæ,vel officiorum communium, ſi inuicem, qui vnà viuunt,non intelligant. Itaque magnum fuit beneficium,quòd ab Ægyptiis ſit ereptus hic populus, cuius linguam ignorabat. Loquitur autem Deus ſub perſona populi, vt inquit Aben Eſra,quaſi ipſe quoque ſimili moleſtia cum populo affectus ſit, qui inter gentes tam barbaras, ſimul cum Iudæis ſit verſatus, transferens in ſe quod populo tribuendum erat. Quanquam membrum hoc etiam prophetæ tribui poteſt,loquenti in perſona totius populi. Nonnulli paulò aliter interpretantur: Audiebam linguam, ſcilicet Dei, quam antea homines non audiuerant. Græcus interpres verba primæ perſonæ commutauit in tertiam perſonam: γλῶσσαν οὐκ ἔγνω, ἤκουσεν.

Labium pro ſermone μετωνυμικῶς accipitur. Labia enim ſũt inſtrumenta ſermonis formandi. Geneſ.11. Omnis terra erat labium vnum,id eſt,vtebatur vno & eodem ſermone.

7 Amoui[*id eſt,quando remoui*] ab onere humerum eius: manus eius ab olla(*id eſt,ollis. Eſt enim collectiuum*)receſſerunt.

8 In anguſtia clamaſti,& extraxi te in abſcondito tonitrui: probaui te ad aquas contentionis, Selah.

Proſequitur commemorationem beneficiorũ diuinorum quam verſu præcedente inchoauerat, eámque variis modis amplificat, vt deinceps obiurgatio ſit grauior, & altiùs in animos penetret: atque eandem ob cauſam ſermo ipſi Deo tribuitur.

Amoui] Subtraxi & liberaui populum Iſraeliticum ex triſti & dura ſeruitute, qua in Ægypto premebatur,cùm aſſiduè incederent curui & gemẽtes ſub onere, & nunquã illis quies aut relaxatio cõcederetur à labore. Quàm dura fuerit ſeruitus oſtendit hiſtoria Exodi,quæ huc referenda eſt vt magnitudo beneficij magis cõſpiciatur. Quò enim aſperior fuerat ſeruitus, eo optabilior & magis pretioſa deinceps fuit liberatio.

Manus ab ollis tranſibant] Id eſt,non ampliùs occupabantur fingendis ollis aut lateribus.

דוד ahenum ſeu caniſtrum, ad formam aheni cõfectum ſignificat. hic nomen generale eſt & ſumitur pro omnibus vtenſilibus domeſticis, *Schüſſel, Keſſel, tœpff vnd dergleichen.*

Hæc ſententia quomodo ad totam eccleſiam accommodanda ſit,non eſt obſcurum. Erat humana natura oppreſſa miſerrima tyrãnide Satanæ, & horribilibus tenebris errorũ & ignorationis Dei: tenebatur captiua à morte & diabolo, erátque deſtinata æternæ dãnationi. Inde eripuit nos Deus miſſo filio. Eſt igitur hoc beneficium multò maius quàm illa corporalis liberatio, eóque nomine & multo magis obligati ſumus Deo ad gratitudinem præſtandam. Sed quam illi gratitudinem præſtant, eandem nos quoque præſtamus. Ideo exiſtimemus hanc totam concionem ad nos quoque pertinere.

In anguſtia clamaſtis]Exiſtimãt nõnulli Iſraelitas calamitatibus oppreſſos ſimpliciter clamaſſe, vt ſolent qui ſpem aut promiſſionem exauditionis nullam habent, & tantùm magnitudine calamitatum vrgentur, vt querelas ſuorum malorum in aërem ſpargãt,atque ab his liberari optent. Sed quia Iſraelitæ certam promiſſionem habebant,fore vt tandem liberarentur,non dubiũ eſt,pleroſque, in quibus ſcintilla aliqua pietatis reliqua fuit,fiducia huius promiſſionis ad Deũ clamaſſe & petiiſſe liberationem. Clamorem igitur hîc non intelligo tales querelas aut eiulationes, quas magnitudo calamitatum ſine ſpe liberationis hominibus etiam impiis ſæpe exprimit,ſed inuocationem, quæ promiſſionem patribus factam intuebatur,& fiducia liberationis ad Deum accedebat. Vult enim propheta vrere præſentes auditores, & oſtendere quàm diſſimiles ſint maioribus ſuis, cùm in maximis neceſſitatibus nõ cõfugiant ad Deũ,ſed vel ad idola,vel ad humana præſidia reſpiciant. Sicut infra hoc illis obiicit,cùm inquit,eos ambulaſſe in peruerſitate cordis ſui & in cõſiliis ſuis.

In abſcondito tonitrui]Hoc membrum variè expoſuerunt interpretes. Hieronymus idem ſignificari hac forma ſermonis exiſtimat,quod tribulationem. Itaque abſconditum tonitrui interpretatur, afflictionem,quam paſſi ſint Iſraelitæ in Ægypto, & qua fuerint tanquam tempeſtate tecti & obruti: & hanc ſententiã ſequitur D.Lutherus in Germanica verſione. *Da dich das vvetter vberfiel.* Rabbi Dauid Kimhi aliter exponit: Tu inuocaſti me clam & in abſcondito: ego verò tibi tonitru reſpondi, hoc eſt, palam, vt omnes viderẽt & audirẽt me tui curam agere. Alij ex Iudæis ſic expoſuerunt. Reſpondi tibi tonitru abs te abſconſo,id eſt, afflixi Ægyptios horrẽdis tempeſtatibus & tonitruis,cùm tibi interea parcerem & calamitates ad te nõ pertingerẽt. Sed ſimpliciſſima meo iudicio ſententia hæc eſt, quam & Baſilius aliquo modo expreſſit,& à Kimhi expoſita eſt. Ego, quanquã videbar abſcõdiſſe faciem meam, & nullam populi mei curam ampliùs agere, tamen exaudiui in tonitru, id eſt, edidi palam ſigna,quibus oſtendi præſentiam meam in hoc populo, & animos omnium confirmaui, vt ſtatuerent ſe mihi curæ eſſe. Tonitru

igitur

igitur fuit Iudæis latentis & occultatę hactenus præſentiæ Dei notabile atque in omnes ſenſus occurrens ſignum. Baſilij verba hæc ſunt, ὅτι καὶ ἀόρατον ἔχων τὴν φύσιν, κατάδηλον πᾶσι τὴν σωτηρίαν πεποίηκα, ἰδὼν τὴν βροντὴν τῆς χειρὸς τῶν αἰγυπτίων πληγὰς σημαίνας ἅπασιν ὅσην ποιοῦμαι συντρέχουσαν. D. Forſterus ſic exponit; Ego audiui gemitus in anguſtia, quaſi tonitru aures mihi expugnante.

Probaui te ad aquas cōtradictionis]Ex antitheſi addit exprobrationem, qua oſtendit illos indignos fuiſſe qui tātis à Deo beneficiis afficerentur. Nam quāta fuerit in ipſis ingenij peruerſitas & naturæ prauitas, id oſtenderunt ſtatim educti ex Ægypto, cùm perueniſſent ad Raphidim. Ibi enim, vt ſcribitur Exod. 17. cū non inueniſſent aquā quā biberent, cœperūt murmurare aduerſus Moſen, & expoſtulare cum eo, quòd multitudinem tantam eduxiſſet ad loca ſicca & arentia, vbi aquæ copia nulla eſſet. Idque iterum accidit, cùm veniſſent in Cades, anno penè 40. pòſt, vt ſcribitur Num. 20. cuius hiſtoriæ hîc meminit. Illa igitur diffidētia huius populi tā crebro murmurantis contra Deum, cuius tamē tam illuſtria teſtimonia præſentiæ haberent in cōſpectu, hîc reprehenditur.

9 Audi popule mi, & conteſtabor te: Iſrael, ſi audires me,

10 Non eſſet in te Deus alienus[*extraneus:*]& non incuruares te in Deo notho.

Addit obiurgationem grauem & triſtem, qua Iſraelitarum perpetuam perfidiam, ingratitudinem & apoſtaſian taxat & reprehendit. Non enim illi tantùm, qui vixerant in deſerto, fuerunt immorigeri & rebelles Deo: ſed tota poſteritas imitata prauitatem ſuorum maiorum, turpiter relicto Deo, excogitauit idola, quibus honorem diuinum deferret, & ſuam ſalutem ſtultè committeret. Huius igitur perfidiæ, in qua nihil non eſt ſceleris, eos accuſat, & docet calamitates quæcunque euenerint, nullā aliam ob cauſam immiſſas fuiſſe à Deo quàm vt verum pietatis cultum reuocaret.

Vtitur initio præfatione, qua populum compellat, vt cùm ad ſacra peragenda conueniſſent, primùm attentis auribus & animis vocem Dei percipiant & admittant. Neque enim ſacer eſſe conuentus, niſi vbi Dei vox auditur, poteſt: vtque oratio faciliùs permoueat auditorum animos, Deo ipſi ſermo attribuitur.

Conteſtabor in te]Id eſt, cōpellabo tuam ipſius conſcientiā, eámque verbo tibi patefacto redarguam & conuincam, vt intelligas quàm impiè & ſceleratè mecum agas. Id enim ſignificat hic conteſtari, ſolenniter ſcilicet docere, & verbo, quod irrefragabile eſt teſtimonium, certum reddere, vt & quæ vitanda fuerint videat, & quæ deinceps facienda ſint intelligat. vide ſupra pſal. 50.

Si audires me, non eſſet in te]Id eſt, ſi ea eſſet animi tui pietas, atque is amor erga me, vt exiſtimares tibi non eſſe recedendum à verbo patefacto, non toties comminiſcereris Deos alienos, nec idololatricos inſtitueres cultus, ſicut hactenus feciſti. Ita oſtēdit omnem idololatriam oriri ab illa leuitate & audacia humanorū ingeniorum, quæ abiecto verbo manifeſto ludunt fingēdis opinionibus de Deo aut cultibus diuinis, atque inde ait exiſtere cauſam omnium malorum in genere humano. Nā excuſſo Deo gubernatore, homines ſeſe in omnis generis ſcelera deinceps proiiciunt, quibus calamitates varias triſtes, & æternam tandē damnationem ſibi attrahūt.

Quod bis dicit Deum alienum & Deum nothum, illa ingeminatio oſtendit Iſraelitas non vno idolo fuiſſe cōtentos: ſed ſubinde alia atque alia confinxiſſe numina ſine verbo, ſicut ab aliis prophetis hoc illis ſæpe obiicitur, quòd nulla gens toties ſuos Deos mutarit quàm Iudaica, & quòd ſubinde nouos cultus excogitarit ſpecioſos quidem & plauſibiles, ſed alienos à verbo Dei. Nōnulli interpretes hoc membrum *ſi audires me,* optatiua oratione exprimendum cenſent, vt ſit ſermo optantis ſeu deſiderantis, Vtinam audires me.

11 Ego Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

Addit rationes, quarum duas etiam promulgationi legis in monte Sina præmittit, tertiam ad finem decalogi adiicit. Prima ratio ſumpta eſt à natura ſeu eſſentia ipſius Dei. Secūda à beneficio redēptionis & teſtimonio patefactionis. Tertia ab vtili, quia promittit petentibus ſe omnia daturum,

Ego Iehoua]Id eſt, ego vnicus & ſolus ſum Deus natura, cætera omnia quæ finguntur numina aut idola, nihil ſunt niſi figmēta cerebri humani. Non enim exiſtunt, nec habent eſſe vllū vt poſſint dici Iehoua. Emphaſis eſt in pronomine *ego*, qua excludit omnia cōmentitia numina. & negat in arbitrio hominū eſſe fingere nouos Deos, Ego, inquit, Iehoua, quaſi diceret, Nemo alius præter me. Affirmabant Ægyptij ſe colere Deum creatorem cœli & terræ, vt hodie Turcæ, ſed quia abiiciebant verbum patefactum, nec Deum iuxta id agnoſcebant aut colebant, ſuum illi figmentum, non verum Deum colebant. Non enim vult aliter agnoſci aut coli Deus quàm ſicut ſe patefecit. Id quod hic monet cùm inquit: Si audires me. &c. Quamprimum igitur diſceditur à verbo, ſtabiliuntur idola: quicquid de creatore cœli garrias.

Deus tuus]Qui me tibi patefeci dato verbo & additis illuſtribus teſtimoniis, & certo fœdere vobiſcum inito.

Qui eduxi] Secunda ratio ſumpta eſt ab effectu ſeu teſtimonio patefactionis. Ego, inquit, deitatis meæ argumentum oſtendi in eductione & liberatione, quam tot annis antè patribus veſtris promiſeram. Semper enim in illa eductione animus referendus eſt ad promiſſionem datam, ne res videatur fortuita. Promiſerat Deus ſe liberaturum populum, id vbi præſtitit, diuinam potentiam ſuam aſſerit, & oſtendit ſe verum illum Deum eſſe qui ab hoc populo hactenus agnitus & cultus ſit.

Dilata os tuū, & implebo illud]Tertia ratio eſt à promiſſione bonorū. Nō voluit Deus ſuam erga populum Iſraeliticū beneficentiam claudi in eductione ex Ægypto. Sed quia paterno prorſus amore hunc populum proſequebatur, edidit dulciſſimas promiſſiones, quibus oſtendit ſe ipſis deinceps quoque perpetuò adfuturum, & omnia generis bona daturum eſſe, modò ipſi hanc beneficentiam diuinam non reſpuerēt. Ideo inquit, dilata os tuum, & implebo illud: quaſi diceret, Ita ſum erga vos affectus, vt quam beneficentiam ſemel oſtendi, cùm educerem populum per deſertum, eam ſemper ſim declaraturus, vt inde cognoſcere poſſitis me eſſe verum Deum. Itaque nunquam tam auidi eſſe poteritis ad accipiendum, quin ego ad dandum longè ſim futurus liberalior. Eſtque obſeruandum quòd non ſimpliciter dicit, Si dilataueris, vt fieri alioqui in promiſſionib. ſolet, ſed mādat vt dilatemus, nec ſcilicet cōſpectus peccatorū & ſordium aut indignitas noſtra nos arceat à conſpectu Dei, aut deterreat, quominus aliquid à Deo petamus, & ſimul ὀλιγοπιστίαν perſtringit, quæ beneficentiæ diuinæ viam quaſi præcludit & obſtruit. Quod enim non ita largè & copioſè affluūt bona cœleſtia, vt indigentia noſtra requirebat, id fit, non quia Deus manū habet cōtractā, aut quia ipſe parcè dat: ſed quia magna pars ſua incredulitate ſibi obturat os, nè capax ſit illorum bonorum, quæ ille magna copia effundit: nonnulli faſtidio, alij ſuperbia, alij admiratione bonorū pręſentiū aut cæco furore reſpuunt illa bona. Inter pios plerique etſi ſentiunt ſe indigere illis bonis, eáque appetūt auide: tamen quæ eſt anguſtia humanorum animorum & fidei noſtrę imbecillitas, vix leuiter os aperiūt, vt qui flumen gratiæ diuinæ haurire debebant, vix guttas raras admittant. His igitur hoc dictū eſſe exiſtimemus *dilata os*, &c. vt ſciant illam ὀλιγοπιστίαν taxari & reprehēdi, nóſque moneri ne modicè aut parcè, ſed plena cum fiducia multa & magna à Deo petamus, ſicut Syracides monet, cùm inquit, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῇ προσευχῇ σου. Fons enim diuinæ beneficentiæ eſt inexhauſtus, vt quò magis creſcunt aut extendūtſe deſideria noſtra, eò maior copia affluat.

Eſt autem antitheſis hoc loco conſideranda. Cùm enim liberalitatem ſuam in dandis beneficiis commendat Deus, ſimul monere vult, nihil tale ab idolis præſtari poſſe, vt vana eſſe eorum ſuperſtitio iudicanda ſit, qui à commentitiis numinibus talia expectant.

Alij de δοξολογία & celebratione nominis diuini hanc ſententiam exponunt: & quod de apertione otis hîc dicitur, intelligunt ſicut illud pſalmi 71. Repleatur os meum laude, & pſal. 126. Repletum eſt gaudio os noſtrum. Itaque hanc afferunt interpretationem, dilata os & ego replebo: hoc eſt, ſi vis agnoſcere beneficia tibi præſtita, eáque animo grato prædicare, non eſt opus adſciſcere peregrina numina, quibus laudem tribuas. Tot enim beneficia à me ſunt profecta, vt abundè habeas quod prædices, *du darffſt keinen frembden Gott anruffen oder ehren, ſondern hetteſt von mir gnug zu predigen vnd zu ſagen.* Ego ſum qui repleo os, & materiā laudis abundè præbeo, non idola.

12 Et non audiuit populus meus vocem meam: & Iſrael non voluit me[*non acquieuit mihi.*]

Addit antitheſin, quæ habet obiurgationē, de qua dictum eſt. Tot enim argumenta maieſtatis, potētiæ & amoris diuini erga hunc populum efficere non potuerunt, quin illi ſpreto verbo diuinitus patefacto, & rupto fœdere turpiter ad idola deficerent, & vana numina ſibi confingerent.

Audire non ſimpliciter attribuitur externo ſenſui, ſed ad animum transfertur, & ſignificat **non audire Deum**, ſpreto eius verbo, aliam confingere doctrinam & cultus, & petulanter violare legem Dei: vt obedientia verbo audiendi ſignificetur, ſicut verbo videndi fides, vt apud Ioh. Qui videt filium, habet vitam.

Iſrael non voluit] Hoc membrum additur, vt delictum Iſraelitarum exaggeret. Significat enim eos non ignorantia aliqua, aut communi hominum imbecillitate eò prolapſos eſſe vt à verbo legitimo & cultu diuino diſcederent, ſed ex profeſſo & deliberato cōtemptu ſe ſperni & reiici. Eo igitur maior eſt culpa in hoc ſcelere.

13 Et dimiſi eum in prauitate cordis eorum: ambulabunt in conſiliis ſuis.

Commemorationi delictorum ſubiicit pœnas, quibus hūc contemptum nominis ſui & perfidiam Iſraelitarum ſit vltus. De hac pœna loquitur Paulus 2. Theſſ. 2. tanquam enarrans hunc verſum: Quia veritatem non ſunt amplexi, vt ſalui fierent, ideo miſit illis Deus efficacem errorem vt credant mēdacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Neglectus enim & contemptus verbi diuini punitur cæcitate, vt homines deſerti à Deo omni deinceps doctrinæ vento circumferantur, &, vt hic dicitur, in intentionibus & conſiliis ſuis ambulent, inque his ſibi vehementer placeant: cùm tamen illa non aliò quam ad interitū nos ducant. Eſt igitur hæc triſtis ſententia, quæ commonefacere nos debet, ne oblatam gratiam diuinam reſpuamus, neve poſthabito verbo curioſitati noſtræ aut aliis affectibus indulgeamus: ſed cum timore verbum amplectamur, eíque conſtanter adhæreamus.

14 Si populus meus audiuiſſet me: Iſrael in viis meis ambulaſſet.

15 Breui inimicos eorum humiliaſſem: & ſuper anguſtiatores eorum vertiſſem manum meam.

16 Oſores Iehouæ mentiti fuiſſent illi: & fuiſſet tempus eorum tanquam in ſeculum.

17 Et cibaſſem eos adipe frumenti: & de petra melle ſatiaſſem te.

Amplificat obiurgationem à commemoratione commodorum, & præmiorum, quæ obedientem populum conſecuta fuiſſent: vt è regione malitiam & probrum Iudæorum detegat. Cùm enim his commodis omnibus, quæ hic commemorat, deſtituantur, & his ſublatis mala contraria, vt bella, morbos, egeſtatem & ſimilia experiantur, inde colligit & oſtendit, impietatem & peruicaciā huius populi in cauſa eſſe quominus ſicut promiſerat benefaciat, atque ita tandem ad obedientiam eos inuitat. Quia non priùs ceſſatura eſſe hæc mala demonſtrat, niſi illi abiectis idolis & falſa doctrina ad verum Deum redeant, eúmque iuxta verbum diuinitus patefactum inuocent & colant.

Eſt autem oratio optantis, quæ oſtendit quā ardenter Deus deſideret ſalutem hominum, & quantopere cupiat huic conſulere. Sed hominum ea eſt prauitas, vt ſibi ſua culpa & ſcelere exitium attrahāt. Sicut dicitur Hoſe. Perditio tua ex te eſt, Iſrael: tantùm in me auxilium tuum.

O ſi inquit] Quaſi dicat, nōn per me ſtat quominus viuant in otio & pace, & abundent omnibus rebus. Nam quantum in me eſt, cuperem illis optimè eſſe, ſúmque animo ad benefaciendum promptiſſimo: ſed illorum ſcelera & impietas impediunt quominus benefacere illis poſſim. Itaque ſi me deinceps benignum & beneficum experiri volunt, abiiciāt idola, corrigant vitam ſuam, & ad me reuertantur. Id ſi fecerint, experientur promiſſiones datas non fuiſſe inanes. Hæc eſt ſumma horum verſuum.

Quod autem Deus pingitur quaſi cum gemitu & ſuſpirio hoc votum proferre, non ita intelligendum eſt, quaſi Deus obnoxius ſit humanis paſſionibus: ſed loquitur ita ſcriptura de Deo ἀνθρωποπαθῶς, volens ardentem ipſius erga nos amorem aliquo modo exprimere & commendare. Homines enim cùm benefacere alicui cupiunt & impediuntur, cùm re non poſſint, voto ſaltem ſuum erga ipſum amorem & deſiderium declarant. Ita Deus hac oratione oſtendit, ſe quidem cupere vehementer huic populo benefacere, niſi eorum malitia obſtaret.

Vertiſſem manū meam] Vt ſcilicet eos affligerem, & vires eorum proſternerem.

Oſores Iehouæ] Hoſtes populi nominat Deus hoſtes ſuos, vt oſtendat, ſe quidem cauſam habuiſſe cur in eos animaduerteret: ſed grauius & magis neceſſarium ſibi fuiſſe bellum cum ſuo populo, cuius ſcelera caſtiganda & corrigēda prius erant: ideóque cū hoſtibus ad tēpus quaſi inducias pepigiſſe, & liberum illis permiſiſſe vt populum Dei armis affligerent, quanquam interea ipſorum ſcelera & tyrannidem non probaret.

Mentiti fuiſſent illi] De hac phraſi dictum eſt pſalmo 18. & 66. Significat *mentiri*, ſe victori ſubiicere ficta & coacta humilitate, nō alacri obſequio, neque libere, ſed ſeruiliter, vt fieri in nouis dominationibus ſolet. Oſtendit igitur, impios eo ſemper eſſe animo vt cupiant delere eccleſiam, & interficere homines pios, ſed impediri diuinitus, vt velint nolint cogātur ſe ſubmittere potentiæ diuinæ, atq; huius metu ſeſe continere. Hoc eſt igitur mentiri Deo. Alij ita reddiderunt, euētus fefelliſſet ipſorum expectationem, aut fruſtra conarentur aliquid aduerſus Dominum, *Es hette inen feilen ſollen.*

Eſſet tempus eorum in ſeculum] Nomine temporis, quod in bonam partem accipitur hoc loco, intelligit felicem ſtatum reipublicæ, tranquillitatem, pacem, quietam habitationem, commodam valetudinem, & alia his ſimilia, quæ ab omnibus expetuntur. Illa omnia, inquit, fuiſſent illis perpetua, non fuiſſent interrupta bellis, ſeditionibus, tumultibus, aut aliis incommodis, ſi legem meā conſtanter ſeruaſſent. Quòd igitur mutationes acciderunt in republica, quòd ſæpe vexātur bellis, aut inteſtinis diſſenſionibus, quòd affliguntur morbis aut aliis incommodis, id ſuæ malitiæ & perfidiæ adſcribant, qui petulanter à me defecerunt & contra legem deliquerunt.

Alij, inter quos etiam Theodoretus eſt, hoc ad inimicos referunt, & volunt hanc eſſe ſententiam horum verborum: Impiarum gētium & hoſtium huius populi calamitates perpetuas futuras fuiſſe. Affirmant enim vocabulum temporis apud Syros in eam ſententiam accipi: ſed exiſtimo priorem ſententiam eſſe veriorem. Ea enim rectè cohæret cum ſequentibus.

Et cibaſſet] pro cibaſſē. Enallage eſt perſonæ, ſcribitur enim ' pro א *de pinguedine tritici*] Id eſt, maxima ſēper fuiſſet frumenti & aliarum rerum naſcentium copia & abūdantia. Pinguedinem tritici nominat ſimilaginem vel ſelectiſſimū triticū. In magna annonæ caritate homines etiā furfures miſcent farinæ. Idque Iudæi facere cogebantur, quoties fames ingruebat. Quando verò magna erat fertilitas agrorum, veſcebantur tantū ſimilagine, vel interiore medulla & pinguedine tritici. Significat igitur Iudæorum culpa factum eſſe vt manum ſuam Deus clauſerit, & ſterilitatē hactenus induxerit.

Et de petra melle ſaturaſſem te.] In terra Canaan petræ mel protulerūt. Affirmāt enim illic apes in petris & rupibus mōtium mellificare. Idque vel ex Deut. cap. 32. colligi poteſt: vbi Moſes beneficia huic populo exhibita commemorans inquit, Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo, butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinē vuę biberent meraciſſimū. Illa igitur benedictio diuina, de qua Moſes loquitur, fuiſſet perpetua, niſi Iſraelitæ ſuis ſceleribus illū curſum interrupiſſent. Erant enim illę promiſſiones conditionales, vt ſæpe alias dicitur. Alij volūt eſſe hyperbolen in oratione, quaſi hoc velit, potius mel fluxiſſet ex rupibus ipſis, quā nō ſaturaſſem te: ſed prior ſententia vt ſimplicior eſt: ita ſine dubio mentem Prophetæ meliùs aſſequitur.

Eſt autem dulcis imago in hac ſententia, quæ nō eſt prætereunda. Sicut enim petrę in terra Canaan mel protulerunt Iudæis, quod veſcentes mirabiliter reficiebat, vt ex hiſtoria Ionathan apparet 1. Samuel. 14. Ita ex Chriſto qui eſt petra, vt Paulus inquit, mel fluit, quo ſatiantur & ſuauiter reficiuntur corda noſtra exhauſta dolore ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata. Hoc mel, ne à nobis auferatur propter ingratitudinem & ſcelera noſtra, ſedulò operam demus & oremus.

PSALMI LXXXI.

PARTES.

I. Exordium, ſiue hortatio ad populum, vt voce & muſicis inſtrumentis beneficia diuinitus accepta, præcipuè in diebus feſtis celebret, v. 2. 3. 4.

II. Narratio, cauſam exponens præcedentis exhortationis, à Dei præcepto & erga populum beneficentia, v. 5. & 6. Cauſæ autem duæ ſunt, ex quibus per ſabbata, neomenias & ſolennitates his modis colendus eſt Deus. 1. Opera Dei ad confuſionem hoſtium, & populi liberationem, v. 7. & 8. 2. Doctrina

ctrina continens mandata legis,& promiſſiones gratiæ, v.9.10.11.

III. Exprobratio ingratitudinis Iſraelitarum, v.12. quæ iuſtas pœnas attraxit, v.13. eáſque tum ſpirituales, tum temporales.

IIII. Concluſio, qua Deus ἀνθρωποπαθῶς populum reuocat ad reſipiſcentiam, verſ. 14. & ad bonorum ſuorum perceptionem, quæ in hoſtium oppreſſione conſtituitur, verſi. 15. in certa victoria & altiſſima pace, verſic. 16. in abundantia rerum ad vitam placidè iucundéque degendam pertinentium, verſi.17.

Observationes locorvm doctrinae.

Verſ.1.2.3.4. Quum dierum feſtorum ſub Lege vſus fuerit, vt pij talibus exercitiis fidei vnitatem inter ſe fouerēt, profiterentur ſuam pietatem, & ſe animarent ad continuos eius progreſſus, ſuaq; ſtudia coniungerent ad laudandum Deum, deniq; vt in ſacro fœdere retinerentur, quo ſibi Deus eos adoptauerat: hinc colligere licet, quoties hodie conueniunt fideles, debere finem hunc eſſe propoſitū, vt ſe exerceant in vera pietate, Dei beneficia in memoriam reuocent, proficiāt in eius verbo, fideiq; ſuæ conſenſum teſtentur.

Inſtrumentis muſicis vſi ſunt fideles ſub Lege, quia tenerū adhuc & pueris ſimilem populum Deus talibus rudimentis docere voluit vſq; ad Chriſti aduentū. Nūc vbi euangelij claritas diſcuſſis vmbris legalibus cultum Dei magis ſimplicem nobis commendat, ſtultè ac perperam imitaremur quod propheta nonniſi ætati ſuæ præcepit.

5.6. Redemptus eſt Dei populus hac lege, vt ſtatis diebus ad renouandam tantæ gratiæ memoriam conueniat.

Eccleſiæ afflictiones & moleſtias ſibi tribuit Deus, partim vt ſuos conſoletur, partim vt perſecutores terreat.

Quia lingua eſt velut character mentis ac ſpeculum, non ſecus ac ſylueſtres feræ, inuicem alieni ſunt qui carent linguæ vſu: duplexq; eſt illa liberatio, è manu impiorum barbarorum fideles eripi.

7 Vbi non tantùm ab onere lateritio ſubduxit Deus humeros noſtros, nec tantùm manus noſtras à fornacibus remouit, ſed ex miſerrima ſatanæ tyrannide redemptos, ab inferis eduxit, multò ſanctior eſt noſtra obligatio quàm veteris populi.

8 Non ſolū quū afflicti eſſemus ſub ſatanæ tyrannide, Deus noſtros gemitus audiuit, ſed antequā nati eſſemus, redemptionis pretiū nobis ſtatuit in filio vnigenito. Deinde quū inimici eſſemus, per euāgeliū nobis & S. ſpiritū illucēs, ad gratiæ ſuæ participationem nos vocauit: & tamen nō deſinimus ei ſubinde obſtrepere, imò ferociter contra eum tumultuari.

9.10 Inutiles ac luſorij ſunt conuentus omnes, vbi vox Dei ad fidem & pietatem incitans non reſonat.

Non rite, nec purè coluntur feſti dies, niſi attenti ſint fideles ad Dei vocē, qui nullos agnoſcit numinis ſui cultores, niſi qui ſint diſcipuli.

Principium veri cultus diuini incipit ab obedientia: nec Dei maieſtas patiens conſortij eſſe poteſt.

Quum abunde ſufficere debeat Deus ille qui nos ſibi populum acquiſiuit, execrādi ſūt quicūq; nouos deos, id eſt, alias ſalutis vias & rationes ſibi fabricant.

11 Deus noſter quum ſit Deus natura, non eſt in hominum arbitrio fingere nouos deos.

Simulac homines à Deo diſcedunt, eius ſpoliis ornant ſua figmenta, quoſcunq; obtendant colores.

Modò poſteri pergant in fide & pietate, eandem Dei clementiam erga ſe ſentiunt, qualem patres experti ſunt: quia non exhauſta eſt eius liberalitas.

Parcè & tenuiter ſtillant in nos cæleſtes gratiæ, quia os fidei noſtræ nimis anguſtum eſt. Alij ieiuni ſunt & inanes, quoniam os claudunt, faſtidio, vel ſuperbia, vel furore reſpuentes quicquid bonorum è cælis offertur.

Deus hoc nomine deitatem ſibi vendicat, quòd ſibi plena bonorū ſuppetat vbertas ad nos ſatiandos & explendos.

12 Hæc prodigioſa malitia eſt, Deo, vbi paratus eſt cum hominibus ferè æquabili lege paciſci, claudere acceſſum & audientiā negare. Ideo ſemper orandus eſt vt cor noſtrum flectat ad obedientiam.

13 Hoc grauiſſimum eſt vindictæ genus, & ſignum horrendæ deſperationis, quum ad hominum proteruiam diſſimulans ac ſilens Deus, correctionis medicinam non adhibet. Quod quidem arcano ſed iuſtiſſimo fit eius conſilio ac iudicio.

14 Deus ad nos deſcendens per verbum ſuum, & ſine exceptione inuitans omnes, neminem fruſtratur. Quicunq; enim veniunt admiſſi, ſentiunt non abs re ſe fuiſſe vocatos. Interim ex fonte arcanæ electionis manat hoc diſcrimen, vt in paucorum corda verbum penetret, aliorū aures verberet duntaxat. Neq; tamen abſurdum eſt eum flebiliter conqueri de noſtra amentia vbi non paremus. Sicuti enim verbo externo nos inuitans, patrem ſe exhibet: patris etiam imaginem refert in hac querimoniæ forma.

Deum loquētem audiunt homines, dum eius imperio ſe ſubiiciūt.

15.16.17. Culpa noſtra fit vt præualeant contra nos hoſtes, & petulanter inſultent, qui nobis Deum audientibus & ſequētibus ſupplices erant futuri.

Non alia cum impiis & reprobis pax eſt ſperanda, niſi quatenus eorum rabiem Deus conſtringit occultis catenis, & ad manſuetudinem ſimulandam cogit, repreſſa (quandiu vult) eorum ferocia.

Tenor gratiæ Dei continuus & æquabilis erit, niſi malitia & ſceleribus noſtris abrumpatur.

Articvli praecipvi.

1. De diebus feſtis in Eccleſia.
2. De muſices vſu, & abuſu.
3. Liberationum Eccleſiæ conſideratio neceſſaria.
4. De æternitate, fœdere, & operibus Dei.
5. Iudicium Dei grauiſſimum, tradi affectibus prauis.
6. Impiorum clades, victoria & proſperus ſtatus piorum.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXII.

TRISTIS & ſeuera eſt in hoc pſalmo obiurgatio, qua in tyrannidem, iniuſtitiam, δωροφαγίαν, & alias iniuſtas cupiditates eorum qui verſantur in magiſtratu & iudiciis præſunt, inuehitur, & triſtiſsimarum pœnarum cōmemoratione eos terret, ne in iure dicendo atque adminiſtrāda republica propter muneris, quod gerunt, dignitatem atque excellentiam, infinitam ſibi licētiam conceſſam eſſe exiſtiment: ſed vt officij ſui memores æquabiliter ius adminiſtrent, ídque ad nullius gratiam inflectant. Vt autem oratio plus ponderis habeat, & grauiùs feriat animos regum & principū, propheta Deum ipſum adducit loquentem, ac denuntiantem omnibus, non tantùm quid facere debeāt, ſed etiam quàm graues pœnæ eos maneant, qui potentia ſibi conceſſa abutuntur ad licentiam ſuarum cupiditatum obtinendam, cum oppreſsione honeſtorum virorum, aut etiam cum euerſione atque interitu reipublicæ. Continet igitur hic pſalmus grauiſsimam doctrinam de ordine politico, de imperiis & magiſtratibus, de regum & principum dignitate atque horum officiis. Eſtque inſignis in hoc pſalmo ſententia, quæ oſtendit totum ordinem politicum eſſe opus Dei, cui ille perpetuò adſit, quem tueatur & conſeruet in genere humano, etiamſi à diabolis & tyrannis ſæpe hic ordo turbetur & conuellatur. Qua de re iterum dicendū erit in interpretatione. Concluditur autem pſalmus precatione, qua gubernationem & conſeruationem politiarum Deo commendat, eúmque orat vt ordinē à ſe conſtitutum conſeruet, ne diaboli aut malorum hominum rabie eo conuulſo pereat ſocietas generis humani, aut cultus iuſtitiæ. Euerſis enim iudiciis & legibus nulla eſſe ſocietas in genere humano, nec vllus iuſtitiæ cultus poteſt: nec eſt humanarum viriū, aut prudentiæ noſtræ tranquillitatem publicam & legum ſeu iudiciorum autoritatem tueri, niſi Deus ipſe ad guberna-

cula ſedeat, & ſua ſapientia, bonitate & iuſtitia omnia moderetur. Accommodetur etiam pſalmus ad doctores eccleſiarum, quod quomodo fieri debeat, auditores etiam me non monente intelligunt.

Pſalmus Aſaph.

1 DEus ſtat in cœtu [*congregatione*] Dei: in medio Deorum iudicat.

Orditur pſalmum ab hypotypoſi. Pingit enim & tanquam præco denuntiat Deum veluti ſupremum iudicem ſedere in ſolio excelſo inter reges & principes, atque ex eo iudicare totum orbem terrarum. Hæc imago multa monet, quæ diligenter ſunt obſeruanda. 1. Monet regna & imperia in hoc mundo non parari nec conſtitui aut retineri armis, prudentia aut calliditate humana, ſicut vulgus regum & principum exiſtimat: ſed totum ordinem politicum eſſe opus Dei, eúmque mirabiliter ab eo cõſeruari & iuuari, & ſi quando à diabolis & malis hominibus turbetur, reſtitui. Politiæ igitur honeſtę, in quibus vigent iudicia Dei & leges, ſunt teſtimonia de præſentia Dei in genere humano. Etſi igitur ſæpe tyranni & homines flagitioſi rapiunt & adminiſtrant imperia, & multa in his ſcelerate committunt, turbant leges, & iudicia ſuo arbitrio adminiſtrant, bonos & innocentes opprimunt, ſceleratos fouent & euehunt: tamen Deus interea ſtat inter Deos, & iudicat, id eſt, conſeruat ordinem à ſe inſtitutum, & leges honeſtas, vt maneat aliqua ſocietas. Eſtque hic ordo diſcernendus ab illis confuſionibus quæ aliunde accedunt.

II. Cùm dicit Deum iudicare inter Deos, ſignificat ita eũ preeſſe iudiciis & gubernationi publicæ, vt ceſſantibus magiſtratibus, idque vel propter ignauiã, vel malitiam, vel imbecillitatẽ virium, vel alias ob cauſas, ipſe ſit executor ſuarum legum & iudiciorum, & homines ſceleratos ac contumaces rapiat ad pœnas, & bonorum innocentiã defendat. Ac ne quidem ipſi magiſtratus ab hoc iudicio exempti ſunt. Id quod exempla & hiſtoriæ omnium ætatum oſtendunt.

III. Obiicit hac imagine terrorem regibus & principibus: qui plerunque ſua potentia abutuntur ad tyrannidem, ad luxum & libidines ſuas explendas, quaſi nullam aliam ob cauſam in illa dignitate ſint conſtituti, quàm vt voluptatibus & libidini ſuæ indulgeant. Hos igitur monet vt cogitent quale munus gerant, nempe non ἀνθρώπων, ſicut Ioſaphat inquit 2. Paral. 19. quòd non hominis, ſed Domini exerceant iudicium: ita quidem, vt Dominus ipſe ſit ſummus preſes, gubernator & inſpector iudiciorum, in cuius conſpectu ea adminiſtrent tanquam miniſtri ſeu legati, vt quicquid iudicauerint, in ipſos ſit redundaturum: atque huius rei cogitatione ſint in adminiſtrando ſuo officio diligentiores & cautiores. Idem deinde terror hac ſententia obiicitur etiam priuatis, vt quanquam videant multa fieri inordinatè aut iniuſtè in rebuſpublicis: peruerti iudicia & leges: malis hominibus concedi licentiam delinquendi aut agendi contra leges: iudicia conuerti ad quæſtũ, & iura eſſe venalia: ipſi tamen ſeſe intra ſuas metas contineant, nec armis ſumptis turbent aut inuadant rempublicam. Cùm enim gubernatio ſit ordo diuinitus inſtitutus, atque adeo Deus ipſe præſit gubernationi politicæ, non eſt cuiuſuis ſibi arrogare illud imperium diuinum, aut ſe iudicem loco Dei conſtituere.

IV. Poſtremò, præcipit hoc dictum obedientiam eſſe magiſtratui præſtandam, tanquam Deo ipſi. De his omnibus monet nos hæc ſententia: ſed quod tertio loco dictum eſt, maximè ad ſententiam pſalmi explicandam pertinet.

Verbum נצב significat ſtare diſpoſitum ſuo ordine & loco, tanquam in militia ſeu in præſidio: habet enim cogitationem cum צבא, & מצב ſignificat ſtationem ſeu præſidium militum qui in limitibus prouinciarum diſponuntur & conſtituũtur, vt ſint cuſtodes publicæ pacis. Significatur igitur hoc verbo, Deum eſſe præſidem iudiciorum, & ſingulari diligentia ac cura aſſiduas agere excubias pro incolumitate & conſeruatione legum ac iudiciorum. *Cœtum Dei* nominat principaliter ipſum populum certis legibus, & aliis vinculis, vt generationis, educationis, contractuũ, gubernationis, defenſionis, & aliorum officiorum à Deo cõiunctum: deinde eos qui præſunt iudiciis. Hi enim diuinitus conſtituti & ordinati ſunt, vt externa miniſteria obeant in adminiſtrandis iudiciis. Ideóque ſingularis maieſtas Dei in illo ordine reſplendet. Hinc Plutarchus dicit, magiſtratum eſſe ὑπηρέτην θεοῦ, & Paulus, ordinationem Dei & διάκονον θεοῦ Rom. 13. Complectitur igitur hæc vox totum ordinem politicum. Nam vocabulum עדה nõ ſignificat turbam tumultuariam, aut per ſeditionem concurrentem ſine ordine, ſine legibus & ſine iuſta cauſa: ſed ſignificat ordinatam congregationem, qualis eſt populi qui regitur iuſtis legibus.

Et iudex eſt inter deos] Id eſt, ipſe eſt qui exercet iudicia, qui cauſas cognoſcit, qui ſententias dicit & exequitur, adeóque præeſt toti gubernationi. Homines enim, qui iudicum ſeu gubernatorum munere funguntur, vicarias tantùm partes agunt in obeundo externo munere: ſed opus iudiciorum ſeu adminiſtratio reipublicæ principaliter eſt ipſius Dei. Eo igitur maiore reuerentia, cura & diligentia adminiſtrari iudicia debebant.

Deos nominat iudices, non angelos, vt Iudæi interpretantur, qui filios Dei exercitum cælorũ eſſe volunt, quod per manus angelorũ omne iudicium exerceat. Eſtque vſitatum iudices ſic appellari, vt Exo. 21. Adducet eum ad deos, id eſt, ad iudices. Et cap. 22. Ad deos dominus domus applicet furem, & quem condemnauerint dij, reddet duplum. Et iterum ibidem, Ne maledixeris diis. Et Exod. 7. Moſes Deus Pharaonis conſtituitur. De ratione verò appellationis dicam infrà verſu 6.

2 Vſque quò iudicatis iniquitatem; & facies impiorum aſſumitis? [*ſuſcipitis? eleuatis?*] Selah.

Poſtquam terrorem incuſſit regibus & principibus mentione præſentiæ Dei in iudiciorum adminiſtratione, addit obiurgationem, qua in iniuſtitiã & tyrannidem eorũ inuehitur. Ea verò obiurgatio tribuitur ipſi Deo, vt plus autoritatis & põderis habeat. Nã reges & principes ita ferè ſunt affecti, vt propter dignitatem & potẽtiam, ad quam ſunt euecti, non ferãt vllius hominis admonitiones: imò ſibi iniuriã fieri putent, ſi à quoquã admoneãtur & reprehendantur. Sunt enim nota illa dicta aulica, ὁ ὢς ἰατρὸς ὁ ὢς ἱερεύς. Non mihi ſit ſeruus medicus, propheta, ſacerdos, &c. Id quã verum ſit res oſtendit. Non enim ferunt ferè quenquã, niſi qui ipſorũ vitiis applaudat, eáque tanquã virtutes extollat: nec quiſquam ferè eſt in hoc ordine, qui non velit communi lege eſſe exẽptus. Propheta igitur Deum loquẽtem adducit, cuius admonitionem & caſtigationem reiicere non poſſint.

Vſq. quò iudicatis iniquitatem] Generalis eſt reprehẽſio, quæ multa complectitur. Nam iudicare iniquitatem, eſt iudicia ſeu rempublicam malè adminiſtrare, & in dicendo iure non ſeruare æqualitatem ſeu normam à legibus præſcriptam: ſed vel pro ſuo arbitrio & libidine ferre ſententiam, quam ratam eſſe deinde velis, non aliam ob cauſam quàm quòd ita placuerit. Vnde illa vox tyrannica nata eſt, *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*: vel donis captum & corruptum, aut fauore aliquorum expugnatum recedere à legibus, & in eorum gratiam, à quibus corruptus ſis pronuntiare: vel mora & ſumptu frangere partem alteram, vt ab actione deſiſtat: vel calumniis leges peruertere: vel etiam, quod nunc paſſim obtinuit, poteſtatem & munus iudicandi pecunia vendere hominibus impiis & ſceleratis. Vnde quid aliud cõſequi poteſt quàm vt boni & innocentes damnentur, & opprimantur in iudiciis: mali verò & ſontes iuſtificentur?

Perſonas impiorum ſuſcipitis] Poſt generalem reprehenſionẽ exprimit in ſpecie ipſorum iniuſtitiam, quòd videlicet improbis & ſceleratis hominibus plus faueant quã bonis & innoxiis. Idque fit, tum quòd ipſi mali ſint, tum verò quòd auro & muneribus, vel obſequiis & adulationibus eorum expugnentur, vel quòd metu fracti cedant aliorum voluntati.

Accipere faciem ſeu perſonam, ſignificat aliquid extra cauſam conſiderare & reſpicere, atque eius cogitatione aliam ferre ſententiam, quàm lex iubet: vt cùm actor vel reus eſt nobilis, diues, potens, & habet ſtudia multorum: aut cùm iudici iunctus eſt ſanguine, affinitate aut aliis officiis obſtrictus, aut quoquo modo familiaritate iunctus. Hæc, quæ ad cauſam, quę agitur in iudicio, non pertinent, ſi reſpiciat iudex, dicitur faciẽ ſeu perſonam accipere, hoc eſt, externã ſpeciem anteferre cauſæ. Qui igitur iuſtè iudicat, nõ accipit perſonã, hoc eſt, facit iudicium de re, ſine reſpectu aliorum accidentium extra cauſã: vt Torquatus de ſola re iudicat, nec obruit rem propter cognationẽ, cùm filium, quòd iniuſſu patris pugnaſſet, interficit. Ita Deus Deut. 10. dicitur non accipere perſonam, id eſt, æqualis eſſe æqualibus. Leuit. 19. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Hinc illa phraſis toties repetita eſt in Scriptura Rom. 2. Acto. 10. 1. Sam. 15. Prouerb. 18. & 24. Apud Plut. Cato inquit: τὸν ἄρχοντα ἢ κριτὴν δεῖ μηδὲ ὑπὲρ δικαίων λιπαρεῖσθαι, μηδὲ ὑπὲρ τῶν ἀδίκων ἐκλιπαρεῖσθαι. Quod etiam huc pertinet, Ne iudex accipiat perſonam.

3 Iudicate exhauſtum & pupillum: oppreſſum & pauperem iuſtificate.

4 Eripite exhauſtũ & egenum: è manu impiorum liberate.

Poſtquam ſcelera iudicum reprehendit, nunc è regione de

de officio horum concionatur, & in quorum gratiam iudicia inſtituta ſint oſtendit, eorum ſcilicet qui per vim iniuſtam aut calumniam opprimuntur aut ſpoliantur. Horum innocentiam, corpora & facultates defendere iudicia, & malorũ hominum iniuriam & ſcelera punire debent. Hic finis & vſus eſt iudiciorum. Ergo inquit, iudicate exhauſtum & pupillum &c. id eſt cognoſcite eius cauſam in iudicio, non repellite eum per tyrannidem, ſuperbiam, aut auaritiam: vt cùm videatis eum eſſe exhauſtum & nudatum præſidiis amicorũ, aut nullum munus afferre, indignum iudicetis cuius cauſã laboretis, aut moleſtiam aliquã ſuſcipiatis. Nã hoc veſtri muneris imprimis eſt, cauſas pupillorum & egenorum, qui magis obnoxij ſunt iniuriis quam potẽtes, cognoſcere, & ſi cauſam bonam habeant pro eis pronũtiare, atque in defẽdenda eorũ innocentia omnia quæ veſtri officij ſunt, facere. Iuſtificare vſitata phraſi ſcripturæ ſignificat abſoluere aliquem in iudicio & iuſtum pronuntiare. Eſt enim verbum forenſe. Vnde poſtea ad doctrinã eccleſię de iuſtificatione hominis corã Deo trãſfertur. Non enim ſignificat iuſtificare in doctrina eccleſię infũdere nouas qualitates, vt põtificij ſõniãt: ſed eũ qui accuſabatur, abſoluere & iuſtũ pronũtiare. Ideo Paulus inquit Rõ. 8. Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui cõdemnet? opponens damnationẽ iuſtificationi. Alia teſtimonia quamplurima quæ ab aliis collecta ſunt, libens omitto.

Eripite pauperem] Id eſt, defendite infirmos contra vim iniuſtam: non ſinite vim fieri vel facultatibus, vel corporibus ipſorum coercete impios, & ſi vim facere velint, capite arma vobis attributa, & eripite bonos ex eorum manibus.

5 Non cognoſcunt, neque intelligunt: in tenebris ambulant: mouentur omnia fundamenta terræ.

Amplificat reprehenſionem à querela de ſtupore & negligentia iudicum in faciendo ſuo officio atque huic deinde aliam de interitu diſciplinę, pacis & tranquillitatis publicę attexit. Fruſtra, inquit, moneo iudices de ſuo officio. Tantus enim eſt ſtupor, tantã ignorantia & cęcitas, tantus neglectus & contemptus iuris & honeſtatis, vt nullam ſanam doctrinã admittant, neque admonitiones vllas ferant. Pergunt enim ſecuri in ſua cęcitate & amentia: atque hinc fit vt omnis vitę ratio & ordo peruertatur, & omnia ſint plena tumultu & confuſione in rebus publicis.

Non cognoſcunt neque intelligunt] Id eſt, non cogitant nec curãt quid ſui ſit muneris aut officij. Sũt enim aut ebrij voluptatibus, aut excęcati ſplendore potentię, qua prędití ſunt: aut verò auaritia & aliis affectibus ita abripiuntur vt non cogitent quo in munere verſentur, & quàm exacta adminiſtrati muneris ipſis reddenda ſit ratio coram tribunali Dei. Pergunt itaque in illis tenebris tanquam nullo ſenſu aut ratione prędití: atque interim mouentur fundamenta terrę, turbantur omnia iura, labefactatur diſciplina, euertuntur iudicia, tollitur pax & tranquillitas publica, conceditur malis infinita licentia, & boni multiplicibus calamitatibus inuoluuntur, & ruunt tandem ipſa imperia. Fundamenta enim terrę videtur nominare ea quibus ſalus publica nititur. Ea verò ſunt recta adminiſtratio iuris & iudiciorum, conſeruatio diſciplinę & pacis, defenſio innocentum, & pœnę ſcelerum. His enim ſocietas hominum retinetur, ſicut ecõtra his collapſis, neceſſe eſt ſtatum publicum euerti.

Alij *fundamenta terræ* intelligunt ipſos principes, quos alibi Scriptura nominat ſcuta terrę: vt hoc poſterius membrum ſit comminatio pœnarum, de quibus verſu ſeptimo dicitur. Atque huc accommodant illos verſus:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Alii ita interpretantur, vt magnitudinem ſtuporis & ſocordiæ principum hoc membro depingi, atque ob oculos poni exiſtiment. Ita enim exponunt: Ambulant in tenebris, & manent ſecuri in ſua ſocordia reges & principes, etiamſi totus orbis concutiatur & cęlum ipſum terræ miſceatur: adeo enim non afficiuntur cura ſalutis publicę, vt malint omnia peſſum ire, quam aliquid de ſuo inſtituto remittere, aut deliciis ſuis renuntiare.

6 Ego dixi, dij eſtis: & filij excelſi vos omnes.
7 Certè ſicut homo moriemini: & ſicut quilibet principes cadetis.

Conceſſio eſt, qua occurrit tacitæ illorum obiectioni, facta mentione pœnarũ, quæ iniuſtos iudices manent. Solent illi prætendere dignitatẽ muneris quod gerũt, & autoritatẽ quã diuinitus ſunt armati. Ideo putant ſibi omnia licere, & volũt ſua dicta & decreta, qualiacunque ſint, tanquam Dei oracula excipi & adorari. Sumus, inquiunt, Dij & filij excelſi, hoc eſt, gerimus munus prorſus diuinum, & ſumus vicarij Dei in adminiſtratione huius muneris. Nemo igitur debet obſtrepere noſtris edictis aut decretis, nec poteſt quiſquam derogare aliquid noſtræ autoritati ſine ſummo ſcelere, cũ loco Dei ſedeamus pro tribunali. Hanc ſtultam iudicum & principum confidentiam, qua inflati nihil non audent in republica, vt refutet, vtitur primùm conceſſione: deinde reſponſionem ſubiicit ſumptam à communi cum aliis hominibus conditione.

Verum eſt, inquit Deus, *ego dixi, Dij eſtis*, id eſt, ego conſtitui vos vicarios ſeu officiarios, vt meo nomine iudicia adminiſtraretis inter homines: vocaui vos ad ſocietatem huius ſummi mei muneris, vt eſſetis cuſtodes doctrinæ diuinitus patefactæ: deinde gubernatores & conſeruatores diſciplinæ & pacis: ideóque attribui vobis autoritatem ſummam & ſocietatem nominis mei: vt & boni eo magis vos amarent & colerẽt: & mali vos metuerẽt. Sed non tantùm propter ſubditos dignitas vobis eſt conceſſa: ſed etiam vt vos cogitaretis, vt quãto potẽſtate & excellentia eſtis ſublimiores ac Deo propinquiores, tanto magis diuinarum eius virtutum ſtuderetis eſſe participes, & dona diuina, vt doctrinam cæleſtẽ & leges maiore cura tueremini, efficeretiſque vt nomen hoc diuinum verè in vos competeret. Id verò quia non facitis, & tantùm ad cupiditates veſtras poteſtate vobis cõceſſa abutimini, nec aliter vos in munere veſtro geritis, quàm ſi vobis tantùm viueretis aut nati eſſetis, & pactum vobis intercederet cum morte: non exiſtimate hanc eminentiam vobis aliquid profuturam, aut vindicaturam vos à morte & interitu, vt fruſtra ſomniatis. Nihil enim differt conditio veſtra ab aliorum hominum, etiam plebeiorum conditione, ſi dignitatem ad tempus vobis conceſſam adimas. Vt enim cæteri omnes natura ſunt obnoxij morti, & quidem æternæ damnationi, ſi in delictis aduerſus conſcientiam ad extremum vſque perſeuerent: ita ſcitote vos quoque iiſdem legibus ſubiectos eſſe. Eaque cogitatio de fragilitate veſtra & de pœnis ſecuturis commonefacere & excitare vos debebat, vt in procuratione muneris veſtri maiore diligentia & ſtudio verſaremini. Hæc eſt ſumma horum verſuum.

Ego dixi, Dij eſtis] Id eſt, ego attribui vobis hunc glorioſum titulum, vt commune mecum nomen gereretis propter muneris ſocietatem in tuenda diſciplina & pace, quæ ſunt opera & beneficia prorſus diuina. Ita & Iuſtinus interpretatur, δέδωκα ὑμῖν τὴν τιμὴν τὴν ἐμὴν, καὶ τὴν τάξιν, καὶ τὴν κλῆσιν. ὡς οὖν ἐμοῦ κρίναντος κρίνατε τὸν λαόν.

Filij excelſi] Id eſt, ita chari & accepti, vt vos filiorum loco habeam, atque ab aliis ita amari vos velim tanquã filios. Non loquitur de filiis quos per gratiam adoptat ad hæreditatem vitæ cæleſtis. Sed in genere notat amorẽ erga eos: vnde poſtea ſequitur, quod eorum curam agat, defendat ipſorum autoritatem, ſeruet eos in variis periculis, adiuuet eos in executione ſui muneris, &c. Eſtque teſtimonium hoc perſpicuum contra Anabaptiſtas. Niceph. lib. 8. ſcribit ſummum principem gentis Turcicæ dictum fuiſſe Taiſan, quod in Latina lingua ſonat filium Dei. Ea appellatio vndecunque accepta ſit, hinc primam originem traxiſſe videtur. Et alibi magiſtratus dicitur ἔμψυχος εἰκὼν θεοῦ, quod etiam huc quadrat.

Sicut vnus vos principes cadetis] Vnus ſignificat quemlibet ex vulgo. Alij reddiderunt, ſicut vnum ex principibus, quod minus eſt perſpicuum.

8 Exurge Deus, iudica terram: quia hæreditabis in cunctis gentibus.

Concludit pſalmum precatione. Propheta enim cùm videat tantũ eſſe faſtum & inſolentiã, tãtam pertinaciam & furorem regum & principum in obtinendis ſuis cupiditatibus, vt nullas admonitiones ferant, vel admittant, nec vitia, de quibus monentur, corrigant: & diabolũ, qui autor eſt ἀκαταστασίας, ſubinde magno conatu hoc agere intelligat, vt reſpublicas bene cõſtitutas turbet, & bellis ac ſeditionib. inuoluat, in quibus leges & iudicia non tantùm ſileant, ſed funditus deleantur, & honeſta diſciplina tollatur ex genere humano: ſæpe etiam tantam eſſe gubernatorum alioqui nõ malorum infirmitatem agnoſcat, vt molem gubernationis, quæ & labores ingentes & pericula maxima ſecum trahit, ſuſtinere ſoli non poſſint, ad Deum ſe conuertit, & hũc orat vt tanquã ſummus gubernator rebuſpub. in toto orbe terrarũ pręſideat, atque has ita regat, vt & malorum furores ac ſcelera puniãtur, & bonorũ innocẽtia defẽdatur: vtque honeſta diſciplina, leges & pax publica in genere humano cõſeruetur. Hæc enim omnia complectitur verbo iudicandi. Atque ita hac precatione docet nullius reipublicæ ſtatum eſſe felicem, tranquillum aut diuturnum, ſi Deum à gubernatione remoueas: econtra felicem & beatam eſſe rempub. cui Deus ipſe præſit, & gubernatores tanquam vicarios ſuos inſtruat ſalutaribus & rectis conſiliis, prudentia, moderatione & reliquis

virtutibus neceſſariis,armet eos autoritate, conciliet eis beneuolentiam ſubditorum, & felices tribuat ſucceſſus rebus gerendis. Secundo monet ſuo exemplo, ſi reſpublicæ non benè adminiſtrentur, vindictam eſſe à Deo petendam: nec licere hominibus priuatis ſumptis armis inuadere rempublicam.

Quoniam tu hæreditas in gentibus] Addit rationẽ à proprio Dei iure. Tu es, inquit, cui hæreditario iure ſubiectæ ſunt omnes gentes, & qui ius habes dominandi in omnes gentes, nec eſt quiſquam qui ſe tuo imperio & poteſtate eximere poſſit. Ergo aſſere tuum ius,& capeſſe imperium, quod tibi debetur,remotis impiis & ſceleratis tyrannis,qui iura, leges, iudicia,honeſtam diſciplinã,artes & alia bona in genere humano cõfundunt & euertunt,vt ſuæ libidini ſatisfaciant. Plerique interpretes hoc membrum de Chriſti regno interpretantur,qui in extremo iudicio cunctas gentes ſibi in hæreditatem datas,vt pſal.2.dicitur,iudicaturus ſit, aut etiã qui voce euangelij cunctas gentes in poteſtatem ſuam redacturus ſit. Sed iudico ſententiam hanc ad generalem Dei prouidentiã, qua hunc mundum & imperia gubernat,referendam eſſe. Ea enim cùm ſe extendat ad omnes gentes, petit vt huius ſuæ prouidentiæ teſtimonium edat in conſeruatione legum, iudiciorum,pacis,tranquillitatis publicæ, honeſtarum artium, & aliarum rerum neceſſariarũ huic vitæ,atque ita oſtendat ſe quanquam vicarias partes aliis committat, tamen ſummi iudicis munus nunquam deponere.

PSALMI LXXXII.

PARTES.

I. Doctrina,iudices,quos conſtituit alloqui,ad audientiam preparans,v.1. à conſideratione Maieſtatis ſummi illius iudicis, qui in inferiorum iudicum cœtu adſtat & teſtis,& iudex,& vindex. A tacita item admonitione ad inferiores illos iudices,quæ fundamentum eſt precationis vltimo verſu conceptæ.

II. Reprehenſio ad iudices, tres locos continens. 1. Increpatio corruptionis in iudicando, v.2. 2. Contraria hortatio ad bene iudicandum, v.3.& 4. 3. Propoſitio euentuum qui ex corruptis iudiciis conſequuntur,tum in republica,v.5. tum in priuatis iudicum perſonis,v.6.& 7.

III. Propoſitionis euentuum illorum membra ſunt hæc. *Prioris euentus* membrum 1. ignorantia iudicum in iure. 2. incuria & oſcitantia in cognoſcendis cauſis. 3. quod generale eſt, ſtudioſus tenebrarum amor cæco iudicio, nulla prælucente aut verbi Dei, aut rationis ad pietatem & humanitatem face. *Poſterioris euentus* membrum 1. mors communis. 2. præceps caſus corruptorum iudicum in ruinam æternam: quam tamen præmollit pſaltes humili præfatione, & conceſſione honorifica gradus in quem euecti ſunt à Deo.

IIII. Concluſio petitoria, v. 8. vt Dominus,ſummus & incorruptus iudex, ſolium conſcendens ius dicat in terra: quæ alioqui præ iudiciorum conſtupratione, vt dictum eſt v.5. tota videtur collapſura.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Non ita occupantur ſolia & tribunalia ab hominibus, quin Deus ſummum gradum retineat. Ergo ne plus æquo ſibi arrogent mundi proceres, Scriptura thronum Deo erigit, vnde omnes iudicet ac cogat in ordinem.

Ordo politicus Dei cœtus appellatur:quia vtcunque refulgeat eius gloria in ſingulis mundi partibus,præcipuum tamen lumen hac in parte emittit dum legitima gubernatio inter mortales viget.

Principes,magiſtratus& iudices,dij appellantur,quoniam in eorũ ordine & recta adminiſtratione ſpeciales gloriæ notas Deus inſculpſit.

2 Quamuis capita magnates attollant, viuunt tamen hac lege vt ſub Dei manu lateant,ideo ſua ferocia temerè luctantur,ſi rationi non cedunt.

Furor quidem mundi proceres adeo dementat, vt plus improbis vltro deferant quàm innoxijs & ſimplicibus.

3.4. Ideo gladium geſtant iudices ad improbos cohibendos, ne in furioſa hominum intemperie vis præualeat, & quò quiſque potẽtior eſt, eò audacior ſit ad premendos infirmos.

Pauperes & egenos propriè commendat ſcriptura iudicibus:quia, non ſecus ac medicis ægroti, magiſtratuum præſidio indigẽt qui diuitum ſæuitiæ & iniuriis ſunt obnoxij.

Etiamſi nemo flagitet opem magiſtratuum & principum: ignauiæ tamen coram Deo damnantur, niſi ſponte ſuccurrant.

5 Stupidi ſunt proceres mundi plerique omnes,nec admittunt ſanam doctrinam:imò,vt impietate,latrociniis,turpiſſimis & horrẽdis omnium generum ſceleribus totus orbis concutiatur, ſecuri manent in ſua ſocordia.

Hoc ſanæ mentis & prouidentiæ initium eſt, tribuere Deo ſuum honorem,vt nos verbi ſui fræno contineat.

6 Non excuſantur honoris maximi prætextu Iudices & principes, vt ſcelerum pœnas effugiant:quia hac lege mundo præfecti ſunt vt olim ipſi quoque rationis reddendæ cauſa ad tribunal cæleſte compareant: ideòque non niſi temporali dignitate ſunt præditi,quæ vnà cum mundi figura effluet.

7 Quamuis iudices & principes inſtructi ſint poteſtate ad regendum mundum,non exuerunt tamen naturam mortalem: & licet homines ſe eſſe obliti,fallaci perpetuitatis confidentia ſe inebriẽt,ad promiſcuam mortem trahentur.

Si transfertur Dei nomen ad eius officiarios (vt vocant) & vicarios,longè magis competit in filium vnigenitum, qui patris perſonam ſuſtinet,in quo relucet eius maieſtas,totáque deitatis plenitudo habitat.Vide Ioann.10.35.

8 Quando nullum in terris frænum occurrit quod tyrannorum licentiam cohibeat,ſuſpicere conuenit in cælum,atque inde remediũ petere: quia non fruſtra Deus ſibi vendicat partes iudicandi orbis. Ideòque rogãdus eſt vt res confuſas ad rationem legitimã cõponat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De iudiciorum ſummo præſide.
2. De politico ſtatu & iure magiſtratuum.
3. Iudicum piorum & impiorum tabella.
4. Mundi labes,iniuſtitia & iudiciorum corruptio.
5. Regum, principum, magiſtratuum præſtantia & cenſura.
6. De Dei iuſtitiæ patroni ſeueris iuſtíſque in principes iudiciis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIII.

NON obſcurum eſt huius pſalmi argumentum, & iam complures huius generis pſalmos interpretati ſumus,vt non opus ſit longa præfatione,quæ occaſionem aut ſententiam pſalmi explicet. Quæ enim res & quod periculum impulerit prophetam,vt hanc precationem componeret,& publicè in cœtu piorum recitaret, ipſe indicat, cùm conſilia, conatus & conſpirationes variorum hoſtium contra populum Dei exponit,& quanto in periculo reſpublica verſetur,oſtendit. Cùm autem ſimilibus periculis omni tempore obiecta ſit eccleſia,& nunc videamus pontificem Romanum *inito nouo fœdere conſpiraſſe cum regibus compluribus,atque arma expediuiſſe ad opprimendas eccleſias harum terrarum:& paſſim in Hiſpania*

Hiſpania, Italia, Gallia & Belgio, magna crudelitate ſæuire in homines pios & innocentes: nos qui periculo proximi ſumus, exemplo prophetæ diſcamus confugere ad Deum, atque ab ipſo defenſionem ac liberationem petere, certa fiducia concepta, quòd ſicut olim illuſtribus victoriis, quas hic pſalmus commemorat, præſentiam ſuam in populo Iſraelitico Deus oſtendit: ita nunc quoque eccleſiam ſuam aduerſus rabiem & tyrannidem impiorum ſit defenſurus, ſuámque gloriam tandem inſigni liberationis exemplo illuſtraturus.

Canticum pſalmi Aſaph.

2 Deus ne [*ſit*] ſilentium tibi: ne ſileas & non quieſcas, ô Deus.

Orditur pſalmum à precatione, quæ eſt propoſitio pſalmi. Petit enim vt populum circumſeſſum à variis hoſtibus, & in extremis periculis poſitum tueatur & defendat. Quòd autem eandem rem iteratis verbis repetit, vehementiam ſolicitudinis & metus, quem piis afferebat præſentis periculi conſpectus, & mora auxilij, exprimit. Quo enim magis creſcebat periculum, eò magis accendebatur ſolicitudo & anxietas, præſertim cùm Deus nullum præſentiæ ſuæ teſtimonium ederet, & hoſtes pro ſua libidine omnia raperent & vaſtarent. Petit igitur hoc verſu, ne perpetuo negligat ſalutem populi ſui, néue diutiùs differat auxilium: actum enim eſſe de ſalute omniũ, niſi feſtinanter opem ferat. Talia vota, quæ aliquã diffidentiam atq; impatientiam præ ſe ferunt, extorquet piis hominibus infirmitas humana, quæ ad præſentia pericula oculos ſæpe nimium conuertit. Sed quia fides ſemper coniuncta eſt cum his votis, eáq; cum diffidentia luctatur, & tandem vincit & ſuperat: ideo Deus hæc vota ex aliqua infirmitate profecta non reiicit, ſed grata habet. Impij homines, qui fide carent, ſi quando in mala & pericula incidunt, ex quibus exitũ nullũ cernunt, non tantùm mora illa anguntur, vt pij: ſed inſuper Deum crudelitatis atque iniuſtitiæ accuſant, qui hanc præſtantiſſimam naturam tot calamitatibus onerarit. In hac igitur antitheſi differẽtia piorum & impiorum cernitur.

Ne ſilentium tibi] Id eſt, ne negligas preces tuorum, quas pro ſalute huius populi fundunt, oſtende noſtras preces eſſe exauditas: ſine nos impetrare auxilium, pro quo toties tibi ſupplicamus. *Silere* Deus dicitur, cùm non mox annuit votis piorũ, ſed certo conſilio differt auxiliũ, atque ita quaſi ſurdis auribꝰ præterit piorũ preces. Græcus interpres reddidit ὦ θεὸς τίς ὁμοιωθήσεταί σοι? O Deus, quis ſimilis erit tibi? reſpiciens ad alteram ſignificationem verbi דמה, quod interdum, ſi cum datiuo aut præpoſitione אל conſtruatur, ſignificat ſimilem eſſe, aut animo concipere imaginem, quæ archetypo reſpondeat. Sed tota oratio oſtendit eum de ſilentio nunc loqui, & quidem non de verbali, ſed reali. Addit enim mox, *Ne taceas*: id eſt, non oſtendas nimia patientia tua & μακροθυμίᾳ, te furores & conatus hoſtium tuorum probare, aut exitio noſtro delectari: rumpe potiùs ſilentium hactenus vſurpatum, & increpa hoſtes, reque ipſa declara quàm tibi hoſtium tyrannis & crudelitas diſpliceat.

Ne quieſcas] Tanquam otioſus ſcilicet ſpectator noſtratum calamitatum & ærumnarũ, vt qui nulla noſtri cura ampliùs afficiaris: ſed ſurge & arripe arma, quibus hoſtes à nobis depellas, & noſtram ſalutem defendas.

3 Quia ecce inimici tui tumultuantur: & qui te oderunt, attollunt caput.

4 Super [*contra*] populum tuum callidè excogitarunt conſilium: & conſultant aduerſus abſconditos tuos.

5 Dixerunt, venite & excidamus eos à gente: ne ſit in memoria nomen Iſrael ampliùs.

Propoſitioni ſubiicit rationem, ſumptam, vt fieri ſolet in materiis ſuaſoriis, à neceſſitate, in qua exponit conſilia, conatus & minas hoſtium, & quanto in periculo verſetur populus Iſraeliticus demonſtrat. Eſt autem in his & ſequentibus verſibus imago præſentium temporum depicta. Ideo, ſi animum & oculos ad præſentium temporũ conſiderationẽ conuertamus, non opus erit longa interpretatione. Eadem enim nunc fieri videmus de quibus hic quæritur propheta. Primùm, inquit, concurrunt magno impetu, conatu & ardore, tanquam mox oppreſſuri populũ Dei. Eſtque πάθος in pronomine *tui*, quod ſignificat, illã iniuriã quæ eccleſiæ fit, ipſi Deo fieri, ídque ad alendã & confirmandam fiduciam noſtrã plurimùm valet. Si enim hoſtes Dei ſunt, qui nos oppugnant, quomodo non bene ſperare de euentu poſſumus & debemus? Certè Deus ſuo ſolio deiici non poterit, itaque nec eccleſia euerti. Quod autem hoſtes Dei nominantur, qui eccleſiæ arma inferunt, id ex pacto nobiſcum inito proficiſcitur. Quia promiſit ſe fore aduerſarium hoſtibus noſtris: & fieri non poteſt quin laborante populo Dei, gloria Dei ſimul obſcuretur, aut nomen eius contumelia afficiatur.

II. *Oſores tui attollunt caput*] Id eſt, fiducia ſuarum virium, potentiæ & fœderum ſuperbiunt & inſolenter ſe gerunt: & quaſi iam parta victoria de ſua prudentia, aut rebus fortiter geſtis, gloriantur.

III. *Aduerſus populum tuum callidè excogitarunt conſiliũ*] Id eſt, conferunt & captant conſilia de nobis opprimendis, ídq; non tantùm externa vi, ſed etiam fraude & dolo, ſi poſſint. Eſtque rurſus emphaſis in pronomine *tuum*. Non enim alia cauſa eſt eius odij tam acerbi, quàm quòd hic populus glorïatur ſe ſolũ eſſe qui verum Deũ agnoſcat & colat, & quòd reliquorum idololatriam damnat. Idẽ membrum repetitur, cùm inquit: *Cõſultant aduerſus abſconditos tuos*: populum autẽ Dei nominat abſconditos eius, vt hac appellatione ſuam & aliorum fiduciam excitet, ne de auxilio & defenſione diuina deſperent. Nominantur enim pij *abſconditi* Dei, quod vt Ieſaias cap. 51. inquit, ſub vmbra alarum Dei abſcondantur & protegantur: vt quæcunque facies foris ſeſe offerat, ipſi tamen ſub hoc latibulo tuti quieſcant. In hanc ſententiam ſuprà pſal. 27. dixit, abſcõde me in abſcondito tabernaculi tui. Alij abſconditos ideo dici volunt, vel quia non appareat Dei auxilium, vel quia vt Paulus inquit Coloſſ. 3. vita piorum abſcondita ſit in Chriſto, & nondum apparuerit quod erimus, vt Iohannes inquit 1. Epiſt. cap. 3. Græcus ſimpliciter interpretatur Sanctos tuos, reſpiciens magis ad ſententiam quàm ad vocem.

In quinto verſu per mimeſin refert minaces hoſtium voces, quibus ſummam odij aduerſus hunc populum concepti crudelitatem oſtendunt. Non enim contenti ſunt bello eas vexaſſe & afflixiſſe, aut etiam ſibi tributarios feciſſe Iudæos: ſed priùs ſe non quieturos affirmant, quàm vniuerſum populum radicitus excindant, & nomen eius de terra deleant. Talia ſemper fuerunt diaboli conſilia aduerſus eccleſiam Dei, inde vſque ab initio generis humani. Ideo non miremur, nũc quoque ſimiles voces hoſtium noſtrorum audiri, qui in perniciem & excidium eccleſiæ conſpirarunt.

Excidere à gẽte eſt, funditus delere & eradicare ne ſit ampliùs gens aut populus: quia præpoſitio מן apud Hebræos ſæpe priuatiua eſt, habens vim negandi, ídque vſitatiſſimum eſt ſi infinitiuus iungatur. Vt Iob 33. Redemit animam meam à tranſeundo in foueam, id eſt, ne tranſiret, &c. Et cum nomine hoc loco & alibi, vt Ieſa. 43. Etiã à die ego ſum, id eſt, cùm nõdum eſſet dies ego ſum. Hanc eſſe veram ſententiam, conſuetudo loquendi & ſequens membrum, quod tanquam declaratio ſubiicitur, oſtendunt.

6 Quoniam conſultarunt corde ſimul: aduerſus te fœdus pepigerunt.

7 Tabernacula Edom & Iſmaelitæ: Moab & Hagareni.

8 Gebal & Ammon & Amalec: Palæſtina cum habitatoribus Tyri.

9 Etiam Aſſur aſſociatus eſt illis: fuerunt brachium filiis Loth, Selah.

Exegeſis eſt ſuperioris ſententiæ per diſtributionẽ, in qua omnes hoſtes enumerat: vt periculi magnitudinẽ oſtendens, Deum ad opem promptiùs ferendam extimulet. Conſpirauerant in necem & interitum huius populi omnes gentes finitimæ, etiam moribus, ſtudiis atque animis diſiunctiſſimæ, & alioqui propter vicinitatem odia inter ſe exercentes acerbiſſima. Ita tandem fieri ſolet, vt in oppugnando Chriſti regno facilè vires ſuas coniungant gentes, natura, ſtudiis, moribus, & voluntatibus diſſimillimæ, vt hodie Itali, Hiſpani, Galli, & ex noſtra etiam gente quamplurimi, & in hiſtoria Chriſti Herodes cum Pilato in amicitiam redire ſcribitur, quòd in Chriſto ad ſe mittendo tam facilem & promptum expertus fuerat.

Exiſtimant autem plerique interpretes, non tantùm ex noſtratibus, ſed Iudæis quoque, hanc comparationẽ, cuius in his verſibus mentio fit, referendã eſſe ad tempora Ioſaphat, quando Ammonitæ & Moabitæ cõtractis vndique auxiliaribus copiis à vicinis gentibus Syris, Idumæis & aliis, regnum Iuda magnis viribus inuaſerunt, vt ſcribitur 2. Paral. Quam ſententiã ego non improbo. Vix enim alia tot gentium conſpiratio, & confœderatio legitur, quæ huc rectiùs quadret. Et certè ad Dauidis tempora non quadrat, quòd Tyriorum inter hoſtes fit mentio. Fuit enim Hiram rex Tyri amicus

Dauidis & Salomonis. Itaque hiſtoriam illam auditores legant, atque inter legendum de communibus eccleſiæ omnium temporum & præſertim noſtræ ætatis periculis cogitantes, illud Ioſaphat & populi Iſraelitici exemplum imitentur: qui, cum tanta hoſtium multitudine terram ſuam obrui viderent, ſe totos, vt inquit hiſtoria, ad preces conuerterunt, & indicto publico ieiunio in deprecando Deo atque exorando auxilio fuerunt aſſidui. Hæc enim ſola ſunt arma eccleſiæ, quibus hoſtes ſuos ferit & vincit. Quod illa hiſtoria luculenter docet. Baſilius ad reditum populi ex captiuitate Babylonica pſalmum referendum cenſet, & conſpirationem factam de eo concurſu hoſtium intelligit, quando reſtaurationem vrbis & templi impedire conati ſunt. Alij ad Oſiam referunt, cui Deus varias & inſignes victorias conceſſit contra Palæſtinos, Arabes, Ammonitas & alios, de quibus ſcribitur 2. Paralip. 26. Nõnulli ſimpliciter de tempore Dauidis pſalmum interpretantur, & referunt huc hiſtoriam quæ ſcribitur 2. Sam. 10. Vbi Ammonitæ conductis Syriis bellum intulerunt Dauidi.

Conſultare corde nonnulli interpretantur ſtrenuè inire conſilia, & magno ſtudio deliberare, ita vt nihil agas cunctanter aut ſimulanter: ſicut Latini dicunt, ex animo fieri, quod ſerio & ardenti ſtudio ſuſcipitur. Sed exiſtimo cum aliis notari aſtuta conſilia, de quibus ſupra conqueſtus eſt. Ea enim in intimis cordis receſſibus latent atque inde educuntur.

Aduerbium יחד, quod adiicitur, oſtendit non ſeorſim ſingulas gentes pro ſe inire bellum: ſed communicare inter ſe conſilia, & habita deliberatione communibus viribus hoc bellum ſuſcipere. Atque vt maiore fiducia id faciant, fœdus ineunt interueniente iuramento & adhibitis ceremoniis vſitatis, ad quas alludit verbo כרת quod ſcindere ſeu cædere ſignificat. Nam in fœderibus cædebantur victimæ, & inter partes cæſas tranſibant qui fœdera iungebant. Ita hic mos apud Virgilium, Liuium, Varronem & alios deſcribitur.

Armati Iouis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca, Æneid. 8.

Dicit autem *aduerſus te*, vt & Deum ad defenſionem ſuſcipiendam excitet, & ſuum populum ad fiduciam animet. Non ſuſcipitur bellum aduerſus eccleſiam quin ſimul Deo iniuria fiat. Eo igitur maiore animo ferre iniurias, & certiore ſpe expectare defenſionem & liberationem debemus. Non enim patietur Deus ſolio ſuo ſe deiici.

Tabernacula Edom] Alludit ad morem eius gentis, quæ tãquam Νόμαδες agebat ſub tabernaculis, & σκηνικοδοχέως intelligit ipſos Idumæos poſteros Eſau, qui patris exemplo Iudæos poſteros ex fratre Eſaui natos, implacabili odio perſequebantur. Huius poſteritas deſcribitur Gen. 36. Iſmaelitæ qui fuerint notum eſt ex hiſtoria Gen. 21. & 37. vbi iidem cum Midianitis cenſentur.

Moabitæ & *Ammonitæ* ſunt poſteri filiarum Loth, Moab & Ammon, quos ſuſtulit ex duabus filiabus poſt incendium Sodomæ & Gomorrhæ. Fuerunt igitur hæ quoque gentes cognatæ Iſraelitis. Nam Loth fratris Abrahæ filius fuit. Ideo Deus iuſſit, vt in tranſitu his gentibus parcerent Iudæi.

Agarenorum mentio fit 1. Paral. 5. vbi poſteri Ruben Agarenos eiiciunt ex planitie, quæ reſpicit orientem Galaad. Agareni igitur habitarunt in Arabia, in qua nomen vrbis Agræ eſt ab Agar matre Iſmaelis. Ideo doctiores exiſtimant hos quoque eſſe poſteros Agar, ancillæ Abrahæ, ſicut Iſmaelitas. Quia verò non tantùm de regno, ſed multo magis de titulo eccleſiæ & poſſeſſione veræ doctrinæ cum Iſraelitis dimicabant Agareni: ſicut & Idumæi & Moabitę atque Ammonitæ, ideo mutato nomine deinceps ſe dixerunt Saracenos, vt promiſſiones Abrahæ & Saræ factas ad ſe pertinere oſtenderent. Hoc verò nomen multò poſt innotuit, fitque Saracenorum mentio in hiſtoria Zenobiæ, & à Ptolemæo Saraceni collocantur in ea ſede quæ fuit Agarenorum.

Gebal nomen dicunt eſſe ciuitatis Syriæ, cuius tunc fuerit magna potentia. Baſilius dicit, Gebalitas fuiſſe ex poſteris Eſau, & Iudææ περιοίκους. Idem affirmat de Amalekitis. Stephanus inquit, in libro de vrbibus, γίβαλα τρίτη μοῖρα τῆς παλαιστίνης, γιβαλλὼν καὶ αἰμαντῖτις ἡ τῶν ἰδουμαίων χώρα μετονομάσθη. Thargum montem Seir nominat פלשת גבלה. Græcus reddidit ἀλλοφύλους alienigenas, generali vocabulo omnes vicinas gentes complectens. Sed vox propriè eam gentem quam Palæſtinam nominamus, ſignificat. *Tyri* vrbis mentio fit, quòd ea eſſet præcipua & potentiſſima inter vrbes Palæſtinorum. Hebraicè dicitur צור quod rebellem ſonat. Nam ciues Sidoniorum facta ſeceſſione hanc vrbem condidiſſe dicuntur: & Gell. lib. 14. cap. 6. Tyrum dicit antea dictam eſſe Sarram, quod congruit cum Hebræa appellatione צור *Sor*.

Filios Loth intelligit Ammonitas & Moabitas, quibus auxilio venerunt Aſſyrij: ideo in eam ſententiam inclino vt exiſtimem eius belli mentionem fieri, quod deſcribitur 2. Paral. 20. Fuerunt etiam Ammonitæ & Moabitę huius conſpirationis autores.

10 Fac illis ſicut Midian [*id eſt, Midianitis*] ſicut Siſaræ, ſicut Iabin in torrente Kiſon.

11 Extirpati ſunt in Endor: facti ſunt ſtercus terræ.

12 Pone eos principes eorum ſicut Oreb, & ſicut Zeeb: & ſicut Zebah, & ſicut Salmunna, omnes principes eorum.

13 Qui dixerunt, hæreditate poſſideamus nobis habitacula Dei.

Querelæ de multitudine & crudelibus hoſtium conatibus, & de populi Dei periculis ſubiicit precationem, qua hoſtibus exitium imprecatur. Allegat autem exempla victoriarũ, in quibus Deus antehac ſæpe ſuam potentiam ac præſentiam in hoc populo oſtenderat, vt horum mentione & ſuam & aliorum fidem accendat, & Deum ad opem ferendam promptiorem reddat.

Hiſtoria de cæſis Midianitis & horum regibus *Zeba & Salmunna* legatur Iud. 7. & 8. altera de interitu *Siſaræ* quem *Iabin* rex Cananæus, qui tenebat Hazor, miſerat ad opprimendum populum Iſraeliticum, deſcribitur Iud. 4. In vtroque exemplo apparet Deum in defendenda & ſeruanda ſua eccleſia, non indigere viribus humanis, & longè aliter gubernare & ſeruare ſuam eccleſiam quàm cogitat ratio humana. *Kiſon* nomen eſt torrentis, qui fluit ex monte Gilboe, atq; inde vno brachio in mare ad Carmelum promontorium, altero in lacum Genezareth procurrit, ad quem exercitus Siſaræ eſt profligatus.

Endor nomen eſt ciuitatis in tribu Manaſſe prope torrentem Kiſon, cuius mentio fit, Ioſ. 17. & 1. Samuel. 28. nomen videtur inde habere quòd haberet fontem perpetuum, qui in ęſtate non exareſceret. Alioqui appellatiuè exponũt palam, vel, oculari ſtrage.

Facti ſunt ſtercus terræ] Vel quia cadauera cęſorum computruerunt in agris, vel quia proculcati ſunt à victore exercitu inſtar ſtercoris. Oreb & Zeeb principes fuerunt Midianitarum, & duces in exercitu, qui capti ab Iſraelitis & interfecti ſunt, Iud. 7. Oreb coruum ſonat, vt à rapacitate appareat ſic dictum eſſe: Zeeb lupum: Salmunna prohibens vmbram, hoc eſt, non concedens quietem aliis, ſed perpetuis oneribus aggrauans ſubditos. Zeba iugulatorem ſeu mactatorem. Ita nomina conueniunt hoſtibus populi Dei.

Iabin ſignificat prudentem. Siſara, curatorem equorum. Midian iudicem aut litigantem in iudicio ſignificat. Fuit autem filius Abrahæ ex Ketura, Gen. 25. Vnde nomen ciuitati iuxta mare rubrum ſeu ſinum Elaniticum inditum eſt.

Habitacula Dei] Sic nominat ciuitates & oppida terræ Iudaicæ, quas Deus habitãdas tradiderat Iſraelitis. Græcus reddidit ſanctuarium Dei. Eúmque ſecutus eſt Latinus & Arabs. Sed nota eſt ſignificatio vocabuli נאות quod non eſt idem cum מקדש.

14 Mi Deus, pone eos ſicut rotam [*globum*,] tanquam ſtipulam coram vento.

15 Sicut ignis inflammat ſyluam, & ſicut flamma accendit montes.

16 Sic perſequaris eos in tempeſtate tua: & in turbine tuo terreas eos.

Antea exemplis, nunc ſimilitudinibus modũ pœnarum declarat: cúmque interpretationes Spiritus ſancti vim habeant vaticiniorũ, oſtẽdunt hæc exẽpla & hæ figurę, hoſtes non vno genere calamitatum, ſed variis modis perituros eſſe: vt ſi qui effugiant à gladio, illi deinceps in alias calamitates maiores incidant, quibus tandem abſumantur.

Pone eos ſicut rotam] Id eſt, fac vt in tantas calamitates incidant, vt nullum conſilium nec remedium ſuis malis inuenire queant, vtque hinc inde diſcurrant, inſtar rotæ aut globi: nec tamen videant vbi conſiſtere aut quò euadere debeant. Tales ſunt animi impiorum in calamitatibus: quocunque ſe conuertant, non inueniunt portum in quo tutò acquieſcant, nec certam conſolationem reperiunt. Sed perpetua inquietudine agitantur, ſéque huc illuc diſcurrendo & varia remedia quærendo magis fatigant, & altiùs in calamitates immergunt. Id enim neceſſe eſt accidere iis qui malum malo ſanare ſtudent. Ideo & Eſaias inquit, impios eſſe ſicut mare æſtuans.

Tan-

Tanquã ſtipulam] Hæc ſimilitudo nihil habet obſcuritatis: ſicut & altera, quæ eſt in ſequente verſu. Petit enim hoſtes à Deo diſiici & diſſipari, non aliter, vt ſtipula à vento abripitur, atque ita ſimul vires hoſtium extenuat. Si qui tamen ex illa diſſipatione reliqui maneant, eos petit igne iræ & vltionis diuinæ abſumi, ſicut magnæ interdum ſyluæ & præſertim in montibus, vbi humano conſilio aut induſtriæ in reſtinguenda flamma non eſt locus, penitus exuruntur & flammis conflagrant.

Sic perſequaris eos tempeſtate tua] Hoc ad prius membrum verſus decimiquarti pertinet: pone eos, vt rotam. Vult enim hoc dicere: tu eos impelle, & huc atque illuc agita, vt nuſquam conſiſtant.

In turbine terrebis eos] Hoc ad poſterius membrum pertinet. Eſtque ſententia iam explicata.

17 Imple facies eorum ignominia: vt quærant nomen tuum, Iehoua.

Concludit imprecationem, addita cauſa finali, quam deinceps in fine explicat, vt videbimus.

Imple facies eorum ignominia] Id eſt, fac vt non tantùm excidant ſpe ſua, & pudeat eos ſui conſilij & ſuſcepti huius belli contra populum tuum: ſed etiam, vt qui antea ingenti faſtu & arrogantia ſe efferebant contra populum tuum, & ſuperbè iactabant ſuas vires tanquam inuictas, aut qui hactenus clari fuerunt fama rerum geſtarum, deinceps reddãtur contempti & deteſtabiles, vt nec ipſi attollere oculos aut aſpicere alios auſint, nec alij ferre eorum aſpectum poſſint. Valde enim emphatica eſt locutio, cùm inquit, Imple facies eorum ignominia: quaſi dicat, Hactenus quidem cum admiratione & reuerentia facies illorum intuebantur homines, vel propter ſapientiæ, virtutis & potentiæ opinionem, vel propter fortunæ in variis ſucceſſibus fauorem: vel etiam propter muneris & ordinis dignitatem, in qua erant collocati: ita vt nihil in ipſis conſpiceretur, quod non eſſet admiratione, veneratione vel amore dignum: Nunc dempta hac gloria, autoritate & ſucceſſu, fac vt vndique appareant ſordidi & fœtidi, ac digni qui ab omnibus conculcentur & odio habeantur. מלא omnem abundantiam ſignificat.

Vt quærant nomen tuum, Iehoua] Cauſa finalis, quam ſubiicit, non ita intelligenda eſt, quaſi futurum exiſtimet vt hoſtes edocti aut fracti calamitatibus ad Deum vera pœnitentia redeant: quanquam etiam hoc interdum fit, vt in exemplo Nabuchodonoſoris & nonnullorum aliorum apparet: ſed loquitur propheta hoc loco de hoſtibus pertinaciter perſeuerantibus in ſuſcepto odio aduerſus Deum & eccleſiam eius, idque ex ſequente verſu facilè colligitur vbi æternum hoſtibus exitium imprecatur: quod facturus non eſſet ſi ſpes fuiſſet emendationis. Quærere igitur nomen Iehouæ, hoc loco non ſignificat, vt alibi in prophetis, vera pœnitentia ad Deum conuerti: ſed euentu horum bellorum, qui longè alius fuerit quàm quiſquam ſperarat, edoctum, cum magna trepidatione & animorum conſternatione quærere quiſnam ille ſit Deus, cuius tanta ſit potentia, vt tantas hoſtium copias, non tantùm diſſipare ſubitò, ſed delere omnino potuerit; atque ita admiratione & metu huius potentiæ ſe deinceps continere, ne quid temere aduerſus populum Dei tentet. Hæc verò admiratio & hic metus non parit in hoſtibus Dei veram pœnitentiam, ſed ſeruilem quandam ſubiectionem, vt metu grauiorum pœnarum poſthac ſeſe contineant, ne quò cæca cupiditas & furor impellit, temere prorumpant Ita Pharao quærit nomen Dei, cùm eius potentiam in miraculis agnoſcit. Ita Iulianus, vulneratus in acie, inquit: Viciſti Galilæe.

18 Pudefiant & terreantur vſque & vſque, & confundantur & pereant.

19 Et ſciant quod tu, nomen tuum Iehoua, [*id eſt, cuius nomen eſt Iehoua*] ſolus tu: excelſus ſuper omnem terram.

Hi duo verſus exegeſis ſunt præcedentis. Prior enim anterius membrum verſus decimiſeptimi, alter poſterius membrum declarat.

Quid *pudefieri* in lingua Hebræa ſignificet, iã ſæpe dictũ eſt.

Terreri ſignificat coniici in perpetuam formidinem & pauorem ex metu potentiæ & numinis diuini: ita vt deinceps nihil auſint tentare aut ſuſcipere contra populũ Dei, quem videant tali præſidio ſeptum & munitum eſſe.

Pereant] Hoc poſtremum eſt malorum, quod hoſtes Dei nõ tantùm in hac vita perpetua formidine & metu numinis diuini exagitantur: ſed etiam quòd in illo fremitu & odio aduerſus Deum ex hac vita diſcedentes, in æternam deinceps mortem præcipitantur. Hanc pœnam imprecatur hoſtibus eccleſiæ propheta: non quòd eorum interitu delectetur, aut priuato dolori vel vindictæ cupiditati indulgeat: ſed reſpicit ad gloriam nominis diuini, cuius intereſt hoſtes hoc modo interire, vt extet teſtimonium iræ & iudicij diuini aduerſus peccata. Et cum Spiritus ſanctus has voces dictet, vaticinia ſunt quæ certum interitum hoſtibus in odio aduerſus Deum pertinaciter perſeuerantibus prædicunt, ſicut alibi de hac re dictum eſt copioſius.

Et ſciant] Repetit quod dixerat verſu 17. vt quærant nomẽ tuum, idque quid ſit explicat. Ideo enim petit puniri hoſtes eccleſiæ, vt gloria Dei in toto mundo innoteſcat, & omnes agnoſcant hunc Deum, qui ſe patefecit in hoc populo Iudaico (id enim innuit nomine Iehoua) eſſe verum & vnicum Deum, & non eſſe aliud numen extra hunc Deum, nec eſſe potentiam vllam quæ comparari aut opponi huic Deo poſſit. Idque ſi fiat, non dubitat hoſtes populi Dei deinceps ſeſe humiliaturos, nec ſimili furore arma deinceps in populum Dei ſumpturos eſſe.

Tu] Emphaticum eſt, ideo iteratur: ſubeſt enim comparatio inter Deum Iſraelis & alia numina fictitia.

Excelſus ſuper omnem terram] Id eſt, quòd non tantùm domineris Iudæis, ſed toti orbi terrarum: & quòd omnis poteſtas quantumuis magna, tibi ſubiecta ſit.

PSALMI LXXXIII.

PARTES.

I. Exordium, ad faciendam audientiam, v.2. ne Deus ſileat, obſurdeſcat, quieſcat: quum ſit fortis. Humanitus dictum.

II. Propoſitio continens duo expoſtulationis capita. 1. De animo infenſo & peſſimis conſiliis contra populum Dei, v. 3.&c. ad 6. vſque. 2. De impietate blaſphema & contumelioſa in Deum ipſum, v. 6. His expoſtulationis partibus ſubiicitur recenſio gentium, quæ criminibus iſtis tenebantur, v.7.8.& 9.

III. Imprecatio, ſeu petitio, Eccleſiam, Eccleſiæ hoſtes, Deum ipſum reſpiciens, à v. 10. ad finem pſalmi. 1. Eccleſiam petit nunc liberari, quemadmodum olim à violentia Madianitarum v.10. Chananæorum ſub Siſara & Iabino exciſis, v.10.& 11.& Madianitarum ſub Horebo, &c. v.12. Ratio, v.13. hæreditatem Dei, quæ ad eos nullatenus pertinet, iniuſtiſſimè ambiunt. 2. Eccleſiæ hoſtes excindendi ſunt. Ponantur igitur vt rota & ſtipula, v.14. procella & turbo iudiciorum Dei, ſint ignes & flammæ quibus conſumantur. v.15.& 16. 3. Sũmus finis, gloria Dei. 1. Hoſtes ignominia operiantur, vt tandem Deũ agnoſcant & inuocent, v.17. deſperati autem (v. 18.) perfundantur pudore. 2. conturbentur perpetuò. 3. erubeſcant votis omnibus fruſtrati. 4. pereant. Atque in his omnibus appareat, Deum verum excelſum eſſe ſupra omnes homines, tum in Eccleſia, tum extra eccleſiam, v. 19.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2 Quanquam noſtrum eſt patienter quieſcere, ſi quando Deus auxilium differat, infirmitati tamen noſtra cõcedit vt de auxilio celeriter nobis ferendo eum interpellemus.

Qui Dei opẽ exoptant, clamare & continuis votis manũ eius implorare debẽt: tunc enim tacet & intus ſe continet Deus, quũ in malis conſtituti ſtupore velut attoniti terrã potiùs quã celũ intuemur.

3 Sicuti impiorum ferocia, pios animos valde labefactat, ita vnica leuatio eſt, de ipſa apud Deum conqueri, cuius perpetuũ munus eſt ſuperbos compeſcere.

Vocantur Dei hoſt[illegible] quicunque eccleſiam infeſtant, vnde non vulgaris fiduciæ materia oritur, communes videlicet nobis cum Deo eſſe aduerſarios.

4 Vtcunque ad ſuperbiam & violentos impetus accedat etiam hoſtium calliditas, danda eſt tamen Deo ſua gloria, vt eius ſubſidio contenti ſimus: ſicut enim frangere ſolet ſuperbos qui rabiem ſuam deſpumant, ita etiã aſtutos in ſuis conſiliis deprehendit & inuoluit.

Fideles quum ſub vmbra alarum Dei lateant, & ſi impiorum libidini patere & obnoxij eſſe videantur, tamen occulta eiuſdem potentia ſeruantur incolumes. Occultantur autem ſub Dei cuſtodia, qui ſuis viribus diffiſi ad Deum confugiunt. Audaces enim tandem dabunt nuditatis ſuæ pœnas. Ideóque nihil tutius quàm ſub Dei manu quieſcere, dum propriæ imbecillitatis conſcij ſalutem noſtram in eius ſinum coniicimus.

5 Cauſa conſpirationis & crudelis odij impiorum ea eſt quod ſatan Dei eccleſiam extinguere ſemper conatur: ideóque ſuos omnes ad bella aduerſus pios gerenda impellere non deſinit: at impiorum vani ſunt furores, nam volunt euertere Dei conſilium, in quo fundata eſt eccleſiæ perpetuitas.

6.7.8.9. Ardentiſſimo affectu & conciliatis multiplicique vinculo coniunctis animis impij ex variis principibus & populis collecti irruũt in eccleſiæ perniciem: ſed non eſt difficile Deo ſuccurrere aduerſus ingentes exercitus: nec impediet noſtra paucitas quominus ab innumera hoſtium crudelium colluuie nos eripiat.

Quanquam eccleſiæ hoſtes, Deo bellum ex profeſſo non videantur inferre: quia tamen vbi Deus ſuos iniuſtè videt impeti, medium ſe conſtituit ad ſuſtinendos inſultus, meritò dicit ſcriptura, illos fœdus pepigiſſe contra Deum.

Hoc Dei eccleſiæ quaſi fatale eſt, non modò ab externis hoſtibus impeti, ſed plus moleſtiarum ab adulterinis fratribus ſufferre. Sicuti hodie nulli importunius in Chriſtianam eccleſiam inſaniunt, quàm degeneres Chriſtiani.

10.11.12.13 Deus conſultò auxilium ſuum differt, dum premuntur eius ſerui, vt mirabiliter in vltima neceſſitate perditis ſuccurrat. Noſtrum autem eſt veterum & recentium liberationum meminiſſe, vt de futuro auxilio ſimus certiores.

Quicquid prætexant impij, quum pietati & iuſtitiæ bellum indixerint, eum hæreditate ſua ſpoliare conantur, eiúſque ſacrum numẽ (quod blaſphemiis & horrendis dicteriis exagitant) pro nihilo ducunt: denique, quicquid moleſtiæ piis inferunt, redundat in Dei contumeliam, qui in ſuam clientelam eos recepit.

Eccleſia vocatur habitacula Dei: quia hac lege ſe nobis coniunxit Deus vt perpetuam quietem & domicilium inter nos habeat, imò vt eccleſia nõ ſecus ei chara ſit quàm patrifamilias opima poſſeſſio.

14.15.16.17.18 Quia intolerabilis eſt impiorum ſuperbia dum ad perdendam eccleſiam ſe accingunt, veterum fidelium exemplo rogandus eſt Deus, vt eos pudefaciat, quando aliter corrigi eorum inſolentia nequit, donec confuſi & turpiter proſtrati iaceant.

Plagis impij trahuntur ad Dei obſcuram quandam notitiam vt ſaltem eorum furor, qui ex impunitate prorumpit, conſtrictus ac incluſus teneatur.

Nõ abs re Dei Spiritus tot voces his verſiculis accumulat: partim quia vt ſunt indomabiles reprobi, quamuis ſæpius caſtigati ſint, colligunt tamen ſubinde nouas vires ac nouos ſpiritus: partim quia nihil apud nos perſuaſu magis eſt difficile, quàm breui perituros qui læti in ſumma proſperitate exultant. Id autem fit, quia non ſatis apprehendimus quàm formidabile ſupplicium eccleſiæ Dei oppreſſoribus immineat.

19 Quantũuis refugiãt lucem Dei contemptores, & nunc ſibi obducant nebulas, nunc ſe profundis tenebris immergãt, Deus tamẽ eos perſequitur & trahit ad ſui notitiã quã ignorantia ſepelire cuperẽt.

Non aliter Deus excellit inter homines, niſi dum imperio ſuo potitur, nec quicquam opponitur ad obſcurandum eius gloriam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Deus quo ſenſu ſilere, ſurdum agere, quieſcere dicatur.
2. Hoſtium Eccleſiæ ſuperbia, tumultus, variæ artes, conſilia praua, coitiones, conatus.
3. Eccleſiæ fortitudo in protectione Dei.
4. Multitudo impiorum Dei Eccleſiam oppugnantium: Varia hydræ capita: ſcopus idem: vna cauda.
5. Gloriatio de multitudine aduerſus veritatem & Dei populum conſpirante, vaniſſima.
6. Iudiciorum, quæ olim Deus in hoſtes ſuos exequutus eſt, conſideratio & vſus.
7. Impiorum profana iactantia ſuperbáque ſecuritas.
8. Arma & conſilia in Eccleſiã ſuſcepta tandẽ irrita fient.
9. De impiorum multiplici ruina, tum animarum, tum corporum, & variæ conditionis in præſenti vita reſpectu.
10. Gloria Dei ſummus finis liberationum Eccleſiæ & euerſionis regni ſatanæ per aſſeclas ſuos veritatem & pacem oppugnantis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIIII.

ARGVMENTVM huius pſalmi, idem fere eſt quod 42. & 63. & eadem ſcribendi occaſio. Apparet enim etiam hunc pſalmum ſcriptum eſſe à Dauide eo tempore, cùm eiectus à rege Saule vagaretur hinc inde ſine certis ſedibus, & nihil non calamitatum experiretur: vel etiam cùm propter bella aſſidua diutiùs abeſſe à tabernaculo cogeretur. Etſi autem & amiſſio dignitatis & inteſtina bella, quibus patriam tempore exilij ſui videbat concuti, & conſpectus grauiſſimorum periculorum in quibus verſabatur, grauiter eum tunc affligebant: tamen de his querelas nullas inſtituit hoc loco: ſed tãtùm id recenſet quod iudicabat omnium malorum eſſe ſummum, & cum quo ſi cætera conferantur, omnia leuiora exiſtimanda & penè contemnenda ſint, videlicet, quòd aberat à tabernaculo & ſacro cœtu, in quo Deus inuocabatur, & rectè colebatur. Hanc calamitatem ſuã hoc loco deplorat: eámque vt exaggeret, vtitur non tantùm collatione, qua ſuam conditionem abijcit infra viliſſimas auiculas, quæ cùm diu circumuolitarunt, tandem nidulũ aliquem reperiunt, vbi pullos ſuos excludant: ſed etiam felicitatem eorum quibus aſſiduè viuere & verſari in domo Dei conceditur, multis verbis commendat, vt è regione exulantis à domo Dei miſeria fiat conſpectior. Tandem verò reſtitui ſe & reduci in regnum petit, vt deinceps viuere in ſacro cœtu & colere Deum cum cæteris poſſit. Atque hic rurſus felicitatem eorum prædicat, quibus viuere & verſari in eo loco vbi publicum ſit doctrinæ miniſterium conceditur, facta collatione, qua vnum diem, qui in atriis Domini audiendo verbo & peragendis cultibus diuinis inſumitur, præfert omnibus regnis & diuitiis huius mũdi. Idque vt verum eſſe oſtendat, bona ſeu cõmoda commemorat, quæ verſantibus in domo Dei diuinitus obueniant: eáque ita magna eſſe affirmat, vt nihil in rebus humanis cum his cõferri queat. De his verò in interpretatione dicemus. In fine epiphonema addit, quo hãc beatitudinem piorum admirabundus extollit & prædicat.

Eſt igitur totus pſalmus commendatio miniſterij doctrinæ diuinitus traditæ: quẽ ita legere debemus vt in nobis ſimul deſiderium accendatur, & ſinguli quæramus vbinam ſit ille cœtus, qui dicitur eccleſia, ad quam nos adiungamus confeſſione veræ doctrinæ, & inuocatione Dei. Cúmque immenſa Dei bonitate nobis contigerit, vt in his locis in quibus publicum eſt miniſterium, & ſonat vox doctrinæ cœleſtis incorrupta, viuamus, grati illud beneficium diuinum agnoſcamus & prædicemus, eoque ad pietatem alendam & confirmandam, & ad beneficia de quibus hic pſalmus concionatur, acquirenda vtamur. Cætera, quæ ad explicandum argumentum huius pſalmi pertinent, petantur ex pſalmo 63.

1 AD triumphandum ſuper Githith filiorum Corah pſalmus.

De titulo dictum eſt pſalmo 42. & 45. *Korah* pronepos fuit Leui, Exod. 6. 1. Paral. 6. Huius poſteritati peculiare munus ianitorum ad templum Dei demandatum erat, 1. Paral. 26.

Erant

Erant enim præfecti excubiarum: eóque alludere Dauidem exiſtimo, cùm verſu 11. inquit, Malo limen cuſtodire in atriis tuis mi Deus &c. De autore, quod diſputant, non iudico inquirendum eſſe curioſius. Ipſum argumentum, quod planè cum 63. congruit, & hiſtoria Dauidis oſtendunt ipſum autorem fuiſſe huius pſalmi, qui filiis Core deinde tanquã fidelibus depoſitariis traditus ſit aſſeruãdus, & cæteris quicunque eius copiam ſibi fieri cuperẽt, communicandus. Nomẽ Korah ſignificat caluiciẽ ſeu glaciem, à glabritie. Vnde fortè Græcum κρύος factum eſt.

2 Quàm dilecta [*amabilia*] tabernacula tua Ielioua exercituum.

Orditur pſalmum ab exclamatione quæ ardentis deſiderij ſignum eſt. Affirmat enim nihil eſſe dulcius, nihil ſuauius, nihil iucũdius, nihil amabilius aut præſtãtius, quàm perpetuò verſari in habitaculis Dei, hoc eſt, quàm ciuem & membrum eſſe eccleſiæ Dei, atque in cœtu piorum aſſiduè audire & diſcere doctrinam de Deo, & pietatem exercere. Non enim habitacula Dei intelligit illam ſtructurã tabernaculi aut vaſa ſeu ornamenta templi, quaſi harum rerum externarum, atque in oculos cum aliquo ſplẽdore ſe ingerentium admiratione capiatur. Sed loquitur principaliter de voce doctrinę, quæ in tẽplo ſonabat, & de cultibus, qui ibi peragebantur. His ſe ita delectari affirmat, vt nihil ſit in rebus humanis, quod vſui miniſterij publici in eccleſia præferendũ cenſeat. Ideoque ſe angi deinde affirmat, quòd à loco miniſterij publici tam diu abeſſe cogatur. *Tabernacula* Dei quidam interpretantur regnum cęleſte: ſed hoc eſt alienum ab hoc loco: quanquam ſi finem miniſterij conſideres, tandem nos ad illa æterna tabernacula deducit.

3 Concupiſcit & deficit (*ſeu conſumpta eſt, ſcilicet præ deſiderio*) anima mea in atria Iehouæ: cor meum & caro mea exultant ad Deum viuum.

Iam exponit magnitudinem deſiderij ſui, quam ſuprà exclamatione notabat, eſtque hic verſus ἐξήγησις ſuperioris. Suprà autem pſalmo 63. eadem ſententia, ſed aliis verbis vtitur, ideo in explicando hoc verſu nõ ſum prolixior. Cum magno deſiderio dicit ſe ſemper reſpicere ad tabernaculum ſeu ad locum publici miniſterij: non quod in illis externis ritibus, qui ad templum inſtituti erant, obeundis, omnem pietatem collocaret, vel etiam, quod veris exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, aut Deo ipſo interea dum exulabat, careret (multi enim abeſſe à loco publici miniſterij coguntur, qui tamen interea veram pietatem colũt) ſed quod ſciret publicum miniſterium diuinitus ideo inſtitutum eſſe vt homines hoc tãquam medio (per quod Deus efficax eſt in colligenda & ſaluanda ſua eccleſia) ad Deum ducantur, & in pietate ſubinde magis & magis confirmentur: & præterea quòd humanam imbecillitatem magis quàm alij agnoſceret. Ideo tantoperè dicit ſe deſiderare tabernacula Dei: & ſuam calamitatem deplorat, qui his mediis diuinitus ordinatis ad colendã & confirmandam fidem, & ad excitandum pietatis ſtudium nunc deſtituatur.

Verbum כלה ſignificat conſumi præ deſiderio, id quod Latini dicunt deperire aliquem amore, vel etiam alicuius amore deperire, hoc eſt, ita vehemẽter amare, tantóque alicuius potiundi deſiderio accendi, vt cõtabeſcas & conſumaris niſi voti compos euadas. Significatur igitur ardens deſiderium, quod ita angat & vrat animũ vt carnem & medullas conſumat, quandiu re optata frui non liceat.

Atria nominat locum vbi populus conueniebat ad audiendam doctrinam de Deo, & vbi victimæ mactabãtur. Significant igitur atria locum miniſterij publici.

Cor meum & caro mea] Ab anima tranſit ad corpus, & affirmat deſiderium hoc tãtum eſſe vt ab anima in totum corpus diffundatur, ſéque in omnibus corporis partibus, ore, oculis, manibus pedibus, proferat & oſtẽdat. Id enim ſignificare vult verbo רנן quod in genere cũ voci tribuitur, ſignificat exclamare, & plerũque de læta voce ouantiũ aut tripudiantiũ intelligitur. Sed cùm reliquis membris aut partibus corporis tribuitur, vt in hoc loco, ſignificat geſtus cuilibet membro conuenientes, qui indices ſint interioris animi affectus ſeu deſiderij, edere. Rectè igitur cùm carni aut toti corpori tribuitur, verbo geſtiendi reddi poteſt.

Deum viuum ita nominat vt ſignificet ſe hunc Deũ diſcernere à commentitijs numinibus ac mortuis idolis, & arcam, quæ ſymbolũ erat præſẽtiæ diuinæ, ita intueri in ſanctuario non vt Ethnici mortua ſua idola, ſed vt animo ad Deum viuum & verum conſcẽdat. Is enim debet externorum rituum & ſymbolorum eſſe vſus.

4 Etiam paſſer inuenit domum, & hirundo nidum ſibi, in quo [*vbi*] reponat pullos ſuos, altaria tua Iehoua exercituum, rex meus & Deus meus.

Amplificat deſiderium ſeu querelam à collatione. Confert enim ſuam cõditionem cum auiculis, quibus liberior ſit acceſſus ad templum & ad altaria Domini, quam ſibi: imò quibus pullos ſuos excludere iuxta altaria Domini concedatur, nemine id prohibente vel eas arcente. Videntur aues aſſiduo ſuo volatu, tanquam ad perpetua exilia eſſe natæ (nuſquam enim in vno loco diu hærent) & tamẽ tanta eſt harum felicitas, vt nidificare liberè & pullos ſuos excludere ad altaria Domini poſſint. Ego verò, inquit, qui ad templum Domini à pueritia educatus ſum, & qui nunc hoc agere debebam, vt non tantùm ipſe aſſiduè templum adirem, ſed etiam liberos meos ad ſanctuarium Domini adducerem, eóſque de vera religione edocerem, atque ita ad altaria Domini quaſi educarem, cogor hinc inde oberrare & vagari ac conficí perpetuis oberrationis vel exilij ærumnis procul à templo Domini. Quanto igitur melior eſt conditio auicularum quàm mea? צפור quanquam nomen eſt generis de omnibus auiculis minoribus: tamen in ſpecie pro paſſere accipitur, quòd illud genus auium paſſim ſit obuium: & hoc loco pro paſſere accipi iudico, quia illud genus auium, vt plurimum in tectis & ædificiis nidulatur. דרור Grçcus exponit turturem, ſed illa auis Hebræis dicitur תור.

Altaria tua] Appoſitio eſt in conſtructione: coniungendũ enim eſt hoc nomen cum dictionibus בית & קן. Deinde in ſignificatione vocis ſynecdoche eſt. Altare enim pro templo ponitur, quòd præcipua eius pars ſit, ad quam ille ſubinde reſpiciat. Non enim veriſimile eſt aues in ipſo altari nidificaſſe, vbi propter frequentiam ſacrificiorum, & in tanto hominum ſubinde accurrentium ſtrepitu non facilè excludere ſuos pullos potuiſſent, ſed ad vicinas feneſtras & tecta (vt mos eſt illis auiculis) nidos ſuos poſuerunt. Eas verò templi partes tanquam ignobiliores non nominat, ſed altare, quod his erat vicinum, vt & illarum felicitatem prædicet, & ſuam miſeriam exaggeret, qui quamdiu ab altari illo abſit, tamdiu ſe exulare exiſtimet. Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſentẽtiam huius verſus: niſi fortè quis particulam את per præpoſitionem *ad* vel *iuxta* interpretari velit, vt quod interdum fieri videmus, ſcribatur pro אצל, quæ ſententia eodem cum priore redit. Alij iudicant particulam את eſſe exclamantis, & magnitudini deſiderij Dauidis declarandæ ſeruire, vt qui, quanquam alibi quoque non incommodè viuat, tamen nullũ ſibi domicilium iucundum putet, quod à templo Domini ſit remotius. Sed neſcio an natura huius particulę id patiatur. Itaque priorem ſententiam, quæ ad Grammaticas regulas congruit, & ſenſum idoneum gignit, retineo.

Rex meus, & Deus meus] Hæ compellationes plenæ ſunt affectuum ſeu deſiderij. Affirmat enim ſe alibi ita agere, vt ſubinde ad illum Deum reſpiciat, quem perpetuò colẽdum ſuſceperit, itaque quieſcere aut animo compoſito ſe eſſe non poſſe oſtendit, antequam in illam terram reuertatur, vbi Dei regnum vigeat, & vbi cultus eius peragantur. Tu es, inquit, meus Rex, ergo cupio viuere & verſari in eo loco vbi regnum tuum glorioſè conſtitutum adminiſtras, & vbi ſubditi tui te colunt. Túque idem es Deus meus, à quo vitam hanc & cætera omnia habeo. Itaque ad neminem alium quàm ad te reſpicere aut aſpirare poſſum aut debeo.

5 Beati qui habitant in domo tua: in ſecula [*ſemper, perpetuò*] laudabunt te, Selah.

Alia amplificatio eſt à felicitate & beatitudine hominum, quibus contingat perpetuò viuere in eo cœtu qui dicitur eccleſia, & in quo publicum ſit doctrinæ miniſterium: vt iterũ è regione ſuam miſeriam conſiderandam & deplorandam proponat. Magna quidem felicitas eſt auicularum quę liberrime ad templum Domini aduolitãt, & ibi pullos ſuos excludunt: qua tamen felicitate ego iam deſtituor, atque ita infra ipſas auiculas videor abiectus: ſed multò maior eſt felicitas & beatitudo hominum, quibus habitare in domo tua conceditur. His enim tu tanquam bonus paterfamilias diſpenſas & diſtribuis omnia tua bona, iuſtitiam ſcilicet, quæ eſt acceptatio gratuita & ius adoptionis filiorum, varia dona Spiritus ſancti, & hæreditatem vitę cæleſtis. Hæc ſignificantur hoc mẽbro, cum inquit, *Beati qui habitant in domo tua*. Non enim otioſa eſt hæc habitatio, aut infrugifera: & domus hæc non eſt vacua aut egens. Sed cùm talem habeat patremfamilias, qui Dominus ſit vitæ & æternorũ bonorũ, talia ab ipſo diſpenſari affirmat. Ideo beatos pronũtiat qui in hac domo habitant. Hoc primum eſt in hoc verſu quod obſeruatu dignum eſt: videlicet quòd affirmat, eos qui ſunt membra eccleſiæ, eſſe beatos. Beatitudo verò intelligatur ſecũdũ totã doctrinam diuinitus patefactam. Eſt beata eccleſia, non vt in

hac vita ſit exempta omnibus ærumnis & miſeriis, ſed ita vt in hac vita habeat veram notitiam de Deo & beneficiis eius, veras & firmas conſolationes, quæ ſunt initia vitæ æternæ accenſa à Spiritu ſancto in pectoribus noſtris, in quibus tutò acquieſcat in vtraque fortuna, & tandem ex hac ærumnoſa vita migret in illam vitam, in quo coràm Deum videbit, & perfundetur æterna iuſtitia & lætitia.

Secundò antitheſis conſideretur: ſi tantùm illi beati ſunt, qui in domo Dei habitant, neceſſe eſt qui ſunt extra eccleſiam æterna morte perire. Nam extra eccleſiam, vt rectè vetuſtas dixit, non eſt ſalus. Vt igitur Nazianzenus de ſe inquit, ζητῶ τὸν κίβωτον ὅπως μόνην αὐτὸν ἀλύξω, ita ſinguli cogitemus hoc vnicum ſtudium noſtrũ eſſe debere, vt nos illi cœtui adiungamus, qui dicitur eccleſia: idque non tantùm externa profeſſione doctrinæ, ſed vera fide & pietatis cultu.

Tertiò verbum *habitandi* diligẽter notandũ eſt. Significat enim, eos qui vera membra ſunt eccleſię, non eſſe tanquam hoſpites, qui mox viſo aut ſalutato hoſpite ac leuiter guſtata ipſius φιλανθρωπίᾳ inde diſcedant, & ad alia hoſpitia quærenda ſe conuertant: vt reuera faciunt qui tantùm externa profeſſione doctrinæ ſe eccleſiæ adiungunt: aut qui ad tempus doctrinã ſuſcipiũt, & rurſus aliis atq. aliis de cauſis ſeu occaſionibus deficiunt: ſed tanquã ciues, imò tanquã filiosfamilias perpetuò manere in hac domo, & expectare hæreditatem ab hoc patre ſibi paratã & repoſitã: nõ deficere captos vel honoribus vel opibus & deliciis huius mundi: vel fractos metu, calamitatibus aut duritie patris, quæ ſe in cruce & ęrumnis offert.

Domum Dei, quanquam Dauid qui ſub lege erat, primùm intelligit illud tabernaculum ſeu templum, in quo arca Domini repoſita erat, & vbi cultus diuini peragebantur: tamen ſimul συνεκδοχικῶς intelligi vult eccleſiam, vbicunque locorum illa ſit aut conſpiciatur. Erat enim tẽpore Dauidis vnica tãtùm domus cultui diuino & externo doctrinę miniſterio deſtinata: ſed ſparſa euãgelij voce per totum orbem terrarum, domus Dei eſt, vbicunque ſonat verbum Dei purum & incorruptum, & ſacramenta iuxta inſtitutionẽ Chriſti rectè adminiſtrantur. Ideo domus ſeu templum illud in populo Iudaico, ad quod conueniebat populus auditurus doctrinam & peracturus cultus, typus erat eccleſiæ per totũ orbem terrarũ propagãdæ. Itaque quæ de hac domo prædicatur, ad eccleſiam omniũ temporum & locorum ſunt accommodãda.

Perpetuò laudabunt te] Alia eſt felicitas eorũ qui aſſiduè sũt in eccleſia. Non tantùm per ſe ſunt beati, hoc eſt, participes omnium bonorũ cæleſtium, ſed ſubinde gratos & Deo placentes cultus præſtant, inuocationem, gratiarum actionem, confeſſionem, propagationem veræ doctrinæ & alia pietatis ac dilectionis mutuæ officia. Qui extra eccleſiã ſunt, prorſus nullos cultus præſtare Deo gratos poſſunt. Qui verò à loco miniſterij publici exulant aut abſunt longiùs, vt Dauid eo tempore, multis & variis rebus abducũtur, vel impediuntur, ne aſſidui eſſe in cultu diuino poſſint. Multa enim his obiiciuntur, quæ remoræ atque impedimenta ſunt pietatis, & non eſt illa occaſio quæ eos inuitet ad illa pietatis exercitia, quibus cæteri occupantur.

6 Beatus homo, cui fortitudo in te: ſemitę in corde eorum.

Rurſus beatitudinem illorum qui in eccleſia ſunt prædicat, vt ſuum deſiderium magis oſtendat: ac ne quis externis illis pompis ſacrificiorum atque aliorum rituum illum tantùm delectari, aut in horum exercitiis beatitudinem omnem reponere exiſtimet, ipſos pios à veris ſuis notis, vnde illa beatitudo æſtimanda ſit, deſcribit. Non eſt, inquit, æſtimanda pietas aut beatitudo hominis ab externorũ illorũ rituum obſeruatione, quos illis ſine impedimento aſſiduè exercere licet: nec ego propterea tantùm ita auidè ad templum ſeu ſanctuariũ Domini aſpiro: ſed aliud eſt bonũ, quod ex illo aſſiduo cultu & pietatis ſtudio ad Dei cultores redũdat, quódque ego tãto deſiderio expeto, videlicet, quòd aſſidua doctrina & cultu diuino homines aſſueſiunt, vt omnẽ ſuã fiduciam in Deũ collocẽt, & toto animo in ipſum recumbãt. Hæc ſumma & vera eſt hominis beatitudo, quę cũ illo externo miniſterio tanquam medio ſeu organo diuinitus ad hoc inſtituto comparetur & alatur, nemo mirari debet me tãto ſanctuarij aſſiduè viſendi deſiderio teneri.

Deinde inquit, *Semitæ in corde eorum*] Hac phraſi ſpectaculũ illud externũ ſeu morem in populo Iudaico vſitatum notari exiſtimo. Quotidie enim magno numero aſcendebant Iſraelitæ ad templum oraturi & oblaturi victimas, atque huic cœtui ipſe Dauid intereſſe optat. Semitas igitur aſcendentiũ ſubinde ad templum vocabulo מסלות notat. Sed ne in illis externis rebus, quæ per ſe nõ magnã pietatẽ prę ſe ferunt, & ſępe cum maxima hypocriſi ſunt cõiunctæ, fixus hærere videatur, affirmat illos beatos eſſe qui ita per illas ſemitas pedibus aſcendunt ad templum, vt ſimul interea animis & corde ad Deum ipſum, qui in iſto templo colebatur, aſcẽdãt. Ideo inquit beatos eſſe quibus ſemitæ ſunt in corde, hoc eſt, qui nihil aliud cogitant quàm quomodo ad Deum conſcendant, quíque his externis cæremoniis non aliter quàm ſcalis ſeu ſemitis quibus ad Deum perueniant, vtantur. Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam. Alij paulò aliter exponunt, Semitæ in corde eorum, id eſt, qui viam à Domino præſcriptam ſequuntur, non ſequuntur ſua ſomnia, aut opiniones quantumuis illæ arrideant. Ea ſententia quanquam vera eſt & minimè reiicienda: tamen an cum toto orationis contextu cohæreat, aut ex his verbis extorqueri poſſit, non ſatis intelligo.

7 Tranſeuntes per vallem mori, fontem ponent eam: etiam ciſternas [*quas*] operiet [*teget*] pluuia.

Dixerat nihil eſſe optabilius, nihil iucundius, nihil ſuauius aut vtilius homini pio, quã aſſiduè verſari in domo Dei, vel ſaltem liberum ſubinde ad eam habere acceſſum: eóque nomine felices prædicabat auiculas, quibus ad altare Domini extruere nidos liceret, etiamſi vtilitas illa ingens & fructus, qui ex domo Dei redundat, non ad auiculas, ſed ad homines ſpectet. Illo enim exercitio confirmatur fides & pietatis ſtudium in ſanctis, & crebra itione ad templum tandem corda & animi aſſueſiunt, vt ad Deum accedant. Nã Deus per miniſterium illud externum eſt efficax in cordibus hominum, vt alibi dicitur copioſiùs. Hanc ſententiam nunc confirmat, & rurſus, vt verſu præcedente dixi, reſpicit ad illam conſuetudinem piorum concurrentium quotidie magno numero ad templum, quorum flagrans & ardens animi ſtudium in viſendo templo & obeundis ſacris notat, vt ſignificet ſe nõ minore quàm illos ſtudio vel deſiderio aſpirare ad templum: ſed prohiberi vel exilio, vel, quod mihi magis veriſimile ſit, bellis diuturnis, propter quæ abeſſe diutiùs à templo cogatur, non ſine ſummo ſuo dolore.

Dicit igitur, pios quibus ſemitæ ſunt in corde, tranſire *per vallem* moris abundantem, hoc eſt, per ſteriles, aridas & inanes ſolitudines, per quas moleſtum ſit iter facere, eo quòd aquis careãt (nam morus in locis ſiccioribus naſcitur) nec impediri vlla itineris difficultate, aut moleſtia: non ſiti, nec ardore ſolis prohiberi, quin alacri animo per illas moleſtias ad Deum contendant. Ita ab externo ſigno interiorem animi ardorem atque ſtudium in piis deſcribit. Et è regione ſocordiã & ignauiam aliorum reprehendit, qui nullas difficultates, aut moleſtias propter cultum diuinum ſubire volunt: ſicut hoc tempore multi malunt ſub tyrannide Papę viuere & perpetuam conſcientiarum carnificinam pati, quàm cum opum ſeu deliciarum ſuarum diſpendio migrare ad ea loca, in quibus liberum habeant doctrinæ & ſacramentorum vſum. Tales igitur malunt domi reſidere, quam per vallem mori cum tot difficultatibus, diſpendiis & periculis ad templum Domini tranſire. Sed quibus cordi eſt pietas, & qui ſeriò Deum colunt, iis non moleſtum eſt, relicta domo, facultatibus, hortis cultis & vmbroſis, ſpretis honoribus & dignitatibus tranſire per loca aſpera & valles ſiccas: quin potiùs magno dolore paſſim in valle ſibi *fodiunt fontes*, &, ſi ſcaturigines aquę viuæ non inueniant, ſaltem ciſternas effodiũt, in quibus aqua pluuia colligatur, vt ſitim inter ambulandũ reſtinguere poſſint. Tantus igitur eſt in iis ardor, vt nulla eos difficultas, nulla obſtacula aut impedimenta remorari poſſint. Et quæ Dei erga ipſos eſt beneuolentia, dat fodientibus aquas viuas, vel ſaltem aquas pluuias, quibus moleſtias itineris & ſitim releuare poſſint. Hanc iudico eſſe huius verſus ſimpliciſſimam ſententiã, quæ cum antecedẽtibus & ſequentibus verſibus rectè cohæret, & non minùs quàm aliorum interpretationes conditionẽ eccleſiæ ſeu cœtus piorum in hac vita depingit.

Tranſit eccleſia omnibus temporibus per vallem mori, eundo ad domum Domini, id eſt, quicunque piè viuere volunt in Chriſto, & ſe ad eccleſiam aggregant, hi experiuntur in hac vita varias difficultates & ærumnas, premuntur fame, ſiti, ardore ſolis, hoc eſt, perſecutionibus, grauiſſimis odiis, perfidia amicorum & aliis ærumnis. Interea tamen non deſiſtũt à labore itineris ſuſcepti, &, vt ſitim ex labore & moleſtia itineris contractam aliquo modo reſtinguant, fodiunt fontes & ciſternas, quæ aquas pluuias contineant, id eſt, quærunt conſolationes ex verbo Dei, quibus ſe aduerſus æſtum iræ diuinæ, aduerſus ærumnas & pericula ſuſtentent: quas ſi mox non inueniant plenas aut vberes, tamen aliquas ſubinde concipiunt ex ciſternis, quæ pluuias cæleſtes continent: donec tandem eò perueniant vbi Deus coram videatur, & æterna iuſtitia ac lætitia ſuos perfundat, vt ſequenti verſu di-

ſu dicitur. Ad hanc imaginem cõgruit illud Ierem.2.qui reprehendens ſuos auditores, inquit, Iſraelitas deſerto fonte aquæ viuæ, fodere ſibi ciſternas diſſipatas & confractas, quæ aquas non cõtineant. Vterque propheta reſpicit ad naturam illius regionis. Non paſſim inueniebantur ſcaturigines, ſed pleriſque in locis effodiebantur ciſternæ, quæ illum defectum nonnihil ſolabantur.

Nunc aliorum quoque verſiones conſideremus. Nomen בכא plerique exponunt fletum. Septuaginta, lacrymas. Exiſtimant enim א ſcriptum eſſe pro litera affini ה & nota eſt ſignificatio verbi בכה quod flere ſignificat., Vallé autem fletus eodem penè quo nos ſenſu iudicant dici μεταληπτικῶς à multitudine calamitatum ſeu ærumnarum quibus in hac vita obruitur eccleſia. Hæ enim lacrymas ſæpe piis excutiũt. Neque hanc interpretationẽ reiicio: quanquam quod ſciam nomen illud in hac forma in Scriptura nõ vſurpetur. Scribitur enim vel בה vel בכיה vel בכי תו vel בכית. Nonnulli הבכא proprium nomen cuiuſdam vallis eſſe volunt. Poſterius membrum ſic interpretantur, Etiam benedictionibus operietur vel ornabitur doctor; ſicut & hoc, quod de fontibus paſſim effoſſis dicitur, de doctoribus eccleſię intelligunt, qui paſſim non ſine labore, difficultate, & periculo, homines docent, & propagare doctrinam cæleſtem ſtudent: ita tamen vt ille labor ſuo fructu non careat. Nam & ipſi variis bonis à Deo ornantur, éſtque Deus efficax per illorum miniſterium in auditoribus, vt multi conuertantur & fiant hęredes vitæ cœleſtis. De hac benedictione prophetam loqui exiſtimant. Sed totus pſalmus loquitur non tantùm de doctoribus eccleſiarum, ſed de vniuerſo cœtu piorum. Ideo priorem ſentẽtiam malui retinere. Diuerſitas autem interpretationis orta eſt ex duarum vocum ambiguitate. I. vocis מורה quæ cùm eſt participium præſens tertiæ coniugationis, ſignificat docentem ſeu doctorem: quando verò pro nomine ſumitur, ſignificat pluuiam, vt vidimus in Ioele cap.2. Vtque nonnulli doctorem redderent, moti ſunt nomine ברכות quod in ea forma benedictiones ferè ſignificat, cùm alioqui, ſi piſcinas ſeu ciſternas reddere voles, ſcribendum ſit cum zere, non cum cametz: Beracha benedictionem, Berecha verò piſcinam ſeu ciſternam, quæ aquam copioſam continet, ſignificat. Sed vſitatũ eſt in lingua Hebræa vocales mutari in cognatas, & facilè zere trãſit in cametz, vt in his exẽplis videre eſt ▭אמיל Pſalmo 118. לחוצאני Exod.2 4. ▭ישיתם. Sicut rurſus cametz tranſit in zere vt pſalmo 68. ▭רודם &c. Ex ex Ioſ.c.15. apparet etiam ברכה ſignificare piſcinam. Cùm enim Caleb filiæ ſuæ Achſæ dediſſet agros in loco ſicco & arẽti ad meridiem, illa admonita à marito Othoniele petit à patre loca irrigua, & vtitur voce ברכה quam etſi plerique reddiderunt benedictionem, tamen ex his quæ ſequuntur apparet, pro ciſternis aut piſcinis, ex quibus irrigari loca ſubiecta poſſent accipiẽdã eſſe potiùs quàm pro benedictione. Cùm enim dixiſſet Achſa, Da mihi ברכה id eſt, ciſternam vel piſcinam, quia terram meridici dediſti mihi, hoc eſt, ſiccam & ſqualentem, & perpetuis ardoribus ſolis expoſitam & exuſtam: mox tanquam explicatura hoc, & oſtẽſura quales ciſternas petat, ſubiũgit: & dabis mihi irrigua, ſeu vt alij reddũt, ſcaturigines aquarum. Et dedit ei ſcaturigines ſuperiores & inferiores.i. piſcinas ſuperiores & inferiores, quæ aſſiduè aquas deuoluẽdo loca adiecta irrigabãt. Nam ▭גלות מים ſeu deuolutiones aquarum nominat loca ex quibus deuoluuntur aquæ.

Chaldæus interpres reddidit, Benedictionibus operiet illos, qui conuerſi fuerint ad doctrinam legis eius. Latina verſio quę ex Græca ſumpta eſt ſic habet, In valle lacrymarum in loco quem poſuit, etenim benedictionem dabit legiſlator. Sed hæc quàm aliena ſint à fontibus, facilè vident qui vel leuiter hanc linguam attigerunt.

8 Venient de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.

Pergit in deſcriptione ſtudij & ardoris piorum in viſendo & frequẽtando ſanctuario Domini. Nam quòd dicit tranſeuntes per vallem mori ire de virtute in virtutem, de turma in turmam, vel de ſucceſſu in ſucceſſum, idem eſt ac ſi diceret, eos turmatim, cateruatim, & quaſi certatim aſcendere quotidie ad templum, ídque facere magna alacritate, creſcente ſcilicet ſubinde animi robore & ſucceſſu, nec vlla laſſitudine, nullis itineris difficultatibus, vel lõgitudine vel aſperitate viæ retineri. Nam חיל ſignificat exercitum ſeu turmam militarem, quæ ſtrenuè adit pericula, & fortiter rem gerit, & nonniſi per ſtrenuitatem & virtutem parit victoriam & ſucceſſus. Inde poſtea & pro ſtrenuitate ſeu facultate & ſucceſſu vox accipitur per μετάληψιν. Atque inde eſt quod nõnulli qui de doctoribus eccleſiæ hos verſus exponũt, ita hoc mẽbrũ interpretati ſunt. Pergunt de victoria in victoriã, quia nunc alios lucrifaciunt, ſeu verbo diuino ſuperatos & victos Chriſto in obſequiũ redigũt. Sed retineo priorem ſentẽtiã, quæ rectiùs congruit ad ea quæ iam dicta ſunt.

Videbitur Deus Deorum in Sion] Id eſt, donec tandẽ ad ſanctuarium pertingant, vbi Deum Deorum videant, in verbo ſcilicet & miniſterio, hoc eſt, in illis externis ſignis quæ Deus voluit eſſe ſymbola & pignora ſuæ præſentiæ in hoc populo, atque ex hoc intuitu ſuum deſiderium expleant. Nam in hac vita Deus non videtur coram de facie ad faciem: ſed vt Paulus inquit 1.Cor.13. Per ſpeculũ in ænigmate. donec tandem ille dies lætus illuceſcat, quo non ex parte eũ cognoſcamus: ſed de facie ad faciẽ intueamur, & æterna vita & lętitia fruamur. Hoc igitur exemplum piorum ſibi proponit Dauid, vt collatione felicitatis eorum, ſuam miſeriã deprędicet, & Deum hoc argumento moueat, vt quàm primùm ipſum in patriam reducat & reſtituat, ne qui Rex ſit in populo, deteriore loco aut conditione cenſeatur quam alij, neue diutiùs cum maximo ſuo incommodo & periculo à publico miniſterio arceatur. Eáque vota nunc aſſiduè in corde & ore habere debent qui Pontificia aut Turcica tyrannide retinentur, quominus eſſe in iis locis vbi ſonat publicè vox doctrinæ cæleſtis, & ſacramenta ritè adminiſtrãtur, poſſint. Nos verò apud quos, Dei beneficio, miniſterium doctrinæ eſt inſtauratum, ita hoc piorum exemplum, quod hic proponitur, intueamur, vt in nobis quoque ſimile ſtudium & ardor religionis tuendæ accendatur, & de miniſterio publico non minùs reuerẽter ſentiamus quàm illi, qui poſthabitis omnibus domeſticis deliciis & commoditatibus, ſeſe in aſperas, longinquas & difficiles vias coniiciunt, & in itinere famé, ſitim, ſolis æſtum, & alia incommoda experiri & perpeti malunt, quàm diutiùs à miniſterio publico abeſſe, aut his adminiculis pietatis & ſalutis noſtræ carere. Quam verò frigida ſint noſtra pectora ad religionis cultum, & quanto cum faſtidio ſeu contemptu ad ſacra publica accedamus, res docet.

יראה quidam interpretãtur imperſonaliter, videbitur: quia exiſtimant אל eſſe præpoſitionem. Itaque ſic reddunt: Videbitur ad Deum. Sed iudico cum aliis nomen אל Deum hoc loco ſignificare, & ſcribi cũ ſęgol propter virgulam macaph, quæ accentum trahit in ſequentem dictionem. Eſt enim regula Grammaticorum, quòd ſyllaba cum accentu mutet quantitatem vocalis.

Quod autem dicitur *in Sion*, ex eo nonnulli colligunt, hũc pſalmum conſcriptum eſſe non ſub regno Saulis (nam tunc arca Domini & ſanctuarium nondum erat in Sion) ſed tempore ſeditionis à filio Abſalomo motæ: ſed quia illud tempus fugæ Dauidis non fuit diuturnum, vt huic ſententiæ minimè congruere videantur hæ querelæ, alij priorem ſententiam retinent: ita tamẽ vt tales quidem preces tempore exilij Dauidem concepiſſe, atque in ſinum Dei effudiſſe affirment. Sed quia multò pòſt pſalmum conſcripſerit & Koritis aſſeruandũ tradiderit, fieri potuiſſe vt montis Sion mentionem faceret, tanquam de pręſenti ſtatu, in quo res tunc erat, loquens.

Ego verò cum omnia diligentiùs conſidero, video prophetam nõ de alia calamitate ſua, quàm quòd diutiùs abſit à miniſterio, loqui, cum tamen pſalmo 42. & 63. cęteras calamitates & pericula, in quibus tempore exilij verſabatur, multis verbis ſimul exaggeret & amplificet. Itaque iudico Dauidem pſalmum hunc compoſuiſſe, cùm rex huius populi conſtitutus propter bella aſſidua, quę foris cum hoſtibus vicinis gerebat, cogeretur diutiùs abeſſe non tantùm à ſuis, ſed à domo Dei. Atque huc pertinere illam precationem, quæ ſequitur, exiſtimo, vt ſcilicet quàm primùm, feliciter confectis bellis, & rebus externis conſtitutis, redire domum poſſit, non vt ibi otio, deliciis ac voluptatib. diffluat, aut genio indulgere poſſit (quem plerique fructum & finem victoriarũ eſſe ſtatuunt) ſed vt frequentare templum, & ſacros cultos peragere cum cæteris poſſit: cum ſciat his exercitiis pietatis fidem & cæteras virtutes accẽdi & ali: in aliis verò qui diutiùs à miniſterio publico abſunt, illas plerunqúe languefieri: in multis etiam prorſus extingui.

9 Iehoua, Deus exercituum, audi precationem meam: auſculta Deus Iacob, Selah.

10 Clypeus noſter, aſpice Deus, & intuere [*reſpice*] faciem vncti tui.

Commemorationi deſiderij ſui addit precationem, quę eſt propoſitio pſalmi. Et quia verſu præcedẽte hæc expoſita eſt, non ſum nũc prolixior. Quod autem dixi, pſalmũ referẽdum eſſe ad illud tẽpus quando foris bella Dauid cũ finitimis hoſtibus gerebat, id multa in his duobus verſibus confirmant. *Primùm* enim nominat Iehouam Deum exercituũ, ſicut & ſuprà verſu ſecundo, vt oſtendat Deo facillimũ eſſe hoſtiũ vires ſubitò frangere & copias diſſipare, atque ita bello quod gerebatur, finem imponere: vt pote cui militet tota rerum creatura, & cuius ſumma ſit potentia ac robur. *Deinde* nominat eum clypeum non ſuum tantùm, ſed totius exercitus,

vt gratus illud beneficiũ prædicet, quòd hactenus exercitus ſeruatus eſſet incolumis, atque huius præſtiti beneficij commemoratione eum commonefaciat, vt qui hactenus ſe adeſſe in perpetua defenſione huic exercitui oſtẽderit, deinceps quoque amorem ſuum in largienda victoria, & reducendo in patriam exercitu oſtendat.

Tertium argumentum ſumitur à perſona ipſius regis: eſtque tacita ſimul in hoc membro collatio. Primùm enim inquit, Sum rex huius populi abs te conſtitutus & vnctus: ergo æquum eſt me quamprimùm feliciter confectis bellis redire in patriam, vt non tantùm foris bella gerã, ſed domi quoque rempubl. rectè conſtituam & adminiſtrem. Deinde cùm rex ſim, non debeo deteriore eſſe conditione quàm alij, quibus in patria aſſiduè licet ire ad templum & intereſſe cœtibus ſacris.

Crebra repetitio eiuſdem propoſitionis ardorem animi & magnitudinem deſiderij in Dauide oſtendit. Itaque non eſt inanis & otioſa. Etſi autem nõ exprimitur quid petat, tamen ea quę iam dicta ſunt, & quæ ſequuntur, oſtendunt eum non aliud petere quàm vt copia ſibi fiat adeundi templi. Itaque orationem nominat illa vota & crebra ſuſpiria ſua, quibus ad templum aſpirabat. Non enim ore tãtùm aut verbis conceptis pij cum Deo loquuntur, ſed votis quoque & deſideriis cordis, quæ quidem non minùs penetrant cælos, quàm magni clamores, vt ex Moſis exemplo apparet, Exo. 14.

Clypeus noſter, aſpice] Id eſt, ſicut hactenus nos protexiſti aduerſus hoſtium vim & ſeruaſti nos incolumes: ita deinceps oſtende nos tibi curæ eſſe. Aſpicere enim dicitur Deus, cùm curam alicuius ſuſcipit, aut potiùs ſuſcepiſſe reipſa declarat. Qui enim aliquem negligunt, faciem ab eo auertunt nec adſpiciunt. Forma ſermonis igitur ſumpta eſt à communi conſuetudine hominum. Clypeus μετωνυμικῶς pro defenſore accipitur. Eò reſpiciens Græcus reddidit, ὑπερασπιστά.

Reſpice in faciem Chriſti tui] Quod pro toto exercitu precatus erat, nunc in ſpecie pro ſe quoque petit. eſtque magis emphaticũ hoc quod dicit, reſpice vel intuere faciem, quàm quod antea generaliter dixerat, aſpice. Petit enim ſibi peculiariter euidentiora ſigna beneuolentiæ & amoris diuini oſtẽdi, vt qui rex ſit diuinitus in hoc populo cõſtitutus, quemque eminere præ cæteris, & pręire ſubditis ſuo exemplo in ordinandis & peragẽdis ſacris ritibus oporteat. Simul autem hac voce ad mediatoris munus reſpicit, cuius typum ſe gerere ſciebat. Huius igitur interceſſionem valere apud patrẽ & propter hunc reſpici & exaudiri ſe petit, cùm inquit, Reſpice in faciem Chriſti tui.

Reſpice] Scilicet vultu ſereno & placido, id eſt, oſtende hoc facto ſeu hac reductione, me abs te amari, vt ſatisfiat deſiderio meo.

11 Quia melior dies [*vnus*] in atriis tuis, quam mille: elegi limen tenere in domo Dei mei potiùs quàm habitare in tabernaculis impietatis.

Propoſitioni addit rationem ſumptam à iucundo & vtili, eámque illuſtrat collatione temporum, locorum & perſonarum, vt magnitudinem deſiderij ſui erga domum Domini magis exprimat. Suprà dixerat amabilia & iucunda eſſe habitacula Dei, & beatos eſſe qui in domo Domini habitant. Idem nũc dicit per collationem. In primò membro collatio eſt temporis: Vnus dies, qui in cultum diuinum impenditur, audiendo ſcilicet & diſcendo verbo diuino, atque exercendo ſe in cultu pietatis & religionis, melior eſt, & plus non tantùm iucunditatis ſed vtilitatis affert hominibus, quàm mille alij extra eccleſiam inter homines profanos & athéos trãſacti, etiamſi omnia ibi ad voluptatem & libidinem ſuppeditentur.

Malo ſedere] In hoc membro collatio eſt locorum & perſonarũ. Opponit enim ſplendida ædificia regum, principum & aliorum opulentorum hominum, in quibus omnia comparata ſunt non tantum ad oſtentationem, ſed etiam ad voluptates & luxum in veſtitu, cibo, potu, ludis, & ſimilibus, quibus animi humani natura ſua proni ad libidines & voluptates facilè capiuntur & in admirationem trahũtur: hæc, inquam, opponit extremo limini in templo Domini: & affirmat ſe malle ad limen domus Domini ſedere atque in foribus templi ſubſiſtere, hoc eſt, in locum obſcurum & ignobilem reiici, modo verſari ſibi liceat & manere in cœtu piorum & in populo Dei cenſeri, quàm ſummo loco aut dignitate eſſe apud impios.

Videtur autem hac ipſa oratione alludere ad officium Koritarum, quibus, vt ſuprà in titulo dictum eſt, ianitorum officium erat demandatum, 1. Paral. 26. vt aſſiduè aliqui ex his cogerentur ſedere ad limen ſeu fores domus Domini, à quatuor partibus cæli, atque ibi excubias agere. Horũ igitur cõditio etſi vtilis & abiecta videbatur hominibus profanis & religioſis fortaſſis etiam aliis non prorſus profanis, natura tamen ambitioſis: eam tamen ita extollit & commendat Dauid, vt omnium impiorum ſplendori, dignitati, luxui & voluptatibus anteferre non dubitet. Ac fortaſſis eam ob cauſam hic pſalmus Koritis traditus eſt aſſeruandus, vt de dignitate ſui muneris commonefacti alacriore animo & ſtudio id obirent, nec ſtultis clamoribus aut irriſionibus vulgi fracti miniſterium ſuum tanquam vile & contemptum abiicerent. Verbum הסתופף Græcus interpretatus eſt παραῤῥιπτεῖσθαι abiectum eſſe, ad ſententiam magis quam ad verbi ſignificationem reſpiciens.

Tertia *collatio* eſt in vocibus *Dei & impietatis*. Vt enim Deus autor & fons eſt omnis boni, vitæ & ſalutis noſtræ, ita miniſterium eius ad hunc vſum inſtitutum eſt, vt horum bonorum homines fiãt participes. Econtra impietas vt à Deo nos abducit, ita bonis illis nos ſpoliat & in æternam mortem & cruciatus perpetuos nos abiicit. Tabernacula igitur impietatis ſeu impiorum domui Dei opponens, oſtendit tantum eſſe inter hæc diſcriminis, quantum eſt inter lucem & tenebras: inter vitam & mortem, inter beatitudinem ſeu lętitiam æternam, & damnationem ſeu horrendos pauores ac cruciatus tam corporum quàm animorum nunquam finiendos.

Maluit autem dicere *tabernacula impietatis*, quàm tabernacula impiorũ, vt oſtẽderet, homines impios & profanos nullis aliis rebus occupari, quàm quæ nos à Deo alienant & abducunt, quæque horrendos animorum pauores & perturbationes gignunt. Id enim vox רשע propriè ſignificat.

Eſt & hoc notandum, quòd cùm de domo Dei loquitur, vtitur nomine בית quod ſignificat firmum & durabile ædificiũ: de impiorum vero ædificiis loquens vtitur nomine אהלים quod ſignificat tabernacula ſeu tentoria, quę tantùm ad breue tempus extruuntur, & ex loco in locum transferuntur, vt inſtabilitatem conditionis & fortunæ impiorum notet.

12 Quia ſol & clypeus Iehoua Deus: gratiam & gloriam dabit Iehoua: non prohibebit [*minuet, recuſabit, ſubtrahet*] bonum ambulantibus in integritate.

Αἰτιολογία eſt ſuperioris collationis, qua rurſus amplificat beatitudinem eorum qui in eccleſia ſunt, congerie variorum bonorum & commodorum quæ pios manent. Hæc verò illuſtriora fient conſiderata antitheſi. Primùm, inquit, Deum eſſe ſolem hominibus piis: id quid ſit, diximus in Mala. cap. 4. vbi Chriſtus dicitur ſol iuſtitiæ. Sol oriens ſua luce pellit tenebras, & creaturas omnes exhilarat: deinde calorem & ſpiritum vitalem impertit. Ideo Orpheus ſolem appellat ζωῆς φῶς. Ita Deus per miniſterium verbi in eccleſia ſpargit lucẽ veræ doctrinæ, qua tenebras mentis & cordis diſcutit, & nos illuminat, vt Deum rectè agnoſcamus, & ex eius præſentia (quòd depulſis nebulis iræ & indignationis, ſereno deinceps vultu nos intuetur) vitam & lætitiam concipiamus. Hunc verò ſolem non aſpiciunt impij: Ideo manent in perpetuis tenebris & opprimuntur æternis horroribus & morte. Clypeũ nominat, ſicut ſuprà, per metaphoram ſeu metonymiã, quia eſt defenſor & protector eccleſiæ ſuæ. Et quidem innuit hoc vocabulo, vitam & ſalutem piorum innumeris hoſtium telis & ictibus expoſitam eſſe, nec poſſe nos illa noſtra induſtria aut viribus declinare aut vitare, niſi Deus aſſiduè ſuum clypeum obiicens tela excipiat, nóſque tutos ab ictibus pręſtet. Impij vero nullam habent defenſionem. Tandem enim deſerti ab omnibus creaturis cum fremitu & gemitu in æternos cruciatus abiiciuntur. Ideo ſuprà Græcus interpres nomen מגן rectè reddidit ὑπερασπιστήν. Quæ autem huius mẽbri apud Græcum & Latinum eſt interpretatio, ea longe à fontibus diſcedit, ὅτι ἔλεος καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος. Veriſimile tamen eſt incuria librariorum pro ἥλιος irrepſiſſe ἔλεος.

Gratiam] Intelligit gratuitam acceptationem, cùm nos gratuito fauore complectens adoptat in filios & adſciſcit in ſocietatem vitę æternæ.

Gloriam] Intelligit primùm illam dignitatem, qua in hac vita ornantur, dum filij Dei dicuntur, atque ita in familiam eius adſciſcuntur, qua nulla gloria poteſt cogitari maior: deinde varia dona & beneficia, quibus eccleſiam ſuam ornat etiam in hac vita. Poſtremò illam ęternam gloriam, qua reſuſcitatos ex morte & collocatos in poſſeſſionem regni cæleſtis donabit poſt hanc vitam: de qua Paulus loquitur Rom. 5. Gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. & Rom. 8. Quos iuſtificauit, hos & glorificauit. Impij verò ſicut perpetuò manent vaſa iræ & indignationis diuinæ, ita abiiciuntur tãdem à Deo in ęternam damnationem, & obruuntur perpetua ignominia.

Nunc priuabit bonis] Confirmat antecedens membrum, & oſtendit ſe nomine gloriæ comprehendere vtraque dona, terrena & cæleſtia. Nõ poterit, inquit, obſtrui fons bonitatis diuinę, quin aſſiduè fluat & promat aliquid in vſum piorum.

eſt enim

eſt enim inexhauſtus. Addit autem deſcriptionem piorum, oſtendens quales illi ſint: ne quis exiſtimet ſatis eſſe ad hæc bona capienda, ſi quis externa profeſſione aut obſeruatione rituum ſe piorum cœtui adiungat. Ideo dicit: Qui ambulant in integritate, id eſt, qui ſine hypocriſi & dolo amplectuntur verbum Dei, retinentes fidem & bonam conſcientiam, ſicut Paulus hoc interpretatur 1. Tim. 1. & mox ſe ipſum explicãs dicit, Qui confidit in te.

13 Iehoua exercituum, beatus homo qui confidit in te.

Epiphonemate concludit pſalmum, & ſimul occurrit tacitæ obiectioni. Quia enim dixerat, eos beatos eſſe qui in domo Domini habitant: & ſæpe accidit vt multi tyrannide ſuorum dominorum aut aliis de cauſis arceantur à loco publici miniſterij, ne res illa occaſionem alicui dubitandi aut deſperandi de gratia diuina præbeat, affirmat veram & ſolidam beatitudinem in eo conſiſtere, ſi firma fide in Deum recumbamus. Non enim priuantur beneficiis eccleſiæ, qui capti vel à Turcis, vel ab aliis tyrannis retenti, vera fide & profeſſione ſe cum eccleſia coniungunt: tametſi ipſi optarent viuere in cœtu piorum. Ita Dauid quanquam aberat ad tempus à miniſterio publico: tamen interea ſtatuit ſe placere Deo, exaudiri ſuas preces, ſéque verum & viuum eſſe membrum eccleſiæ Dei, cum qua ſe profeſſione doctrinę, fide & religionis cultu coniungat.

PSALMI LXXXVIII.

PARTES.

I. Propoſitio ſeu exclamatio pathetica, de laudibus Eccleſiæ aſpectabilis, verſ. 2. quam in ſequentibus propoſitionis verſibus explicat. 1. A ſingulari conſcientia ſua, v. 3. & 4. 2. A publico piorum in ea verſantium exemplo, v. 5. vſque ad 9. Horum felicitas in domo; extra domum, in itinere, etiam quum res aduerſæ obueniunt, prędicatur.

II. Precatio, v. 9. & 10. cui ſubiungitur ſua explicatio cauſarum, v. 11. & 12. Cauſæ precationis ſunt fructus & lętitia ad pios qui in Eccleſia commorantur pertinens: cuius fons eſt Deus pro miſericordia ſua erga eos beneficus, nempe ſol, ſcutum, gratiæ & gloriæ dator, bonum larga manu ſuis diſtribuens.

III. Concluſio epiphonematica, v. 13. qua duo ſtatuit. 1. vtcunque miſerè eiectus ſit, aut in poſterum per Dei voluntatem agitandus: 2. ſe tamen, etſi corpore abſentem, animo tamen & fide pręſentem, cum Deo & cum Eccleſia communicaturum: vt aliis pſalmis teſtatus eſt, præſertim 42. & 43.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2 Non fruſtra ſacri conuentus à Deo ſunt præſcripti: quia talibus adiumentis opus habent fideles, quandiu peregrinantur in mundo. Luctuoſa igitur noſtra eſt conditio, quoties mediis adeo neceſſariis deſtituimur.

Sacri cœtus à nobis diligendi atq; quærendi ſunt, vt ſincerè & ſpirituali modo Deum illic colamus: nec enim cæli ciues, & veri Dei adoratores conuenit circa ligna & lapides hærere, & ibi inuiſibile ac incomprehenſibile numen quærere.

Dauidis exclamatio, quæ ardentis affectus ſignum eſt, oſtendit nimiũ eſſe ſtupidos qui ordinem à Deo mandatum, quaſi poſſent proprio Marte in cœlum conſcendere, ſecurè negligunt.

3 Nihil piis iucundius eſt in hac vita quàm in ſacris cœtibus viſibilibus teſtimoniis diuinæ gratiæ frui, quibus ad cæleſtem gloriam euehuntur.

Externis geſtibus, quum opus eſt, fideles pietatem ſuam in Deum profitentur.

Viſibiles ceremoniæ, auditus nempe verbi Dei & ſacrorum ſignorum perceptio, ſunt veluti ſcalæ quibus ad cæleſte ſanctuarium peruenimus. Et certè quando ad Dei altitudinẽ nos carnis tarditas aſſurgere non patitur, fruſtra nos ad ſe vocaret, niſi etiam deſcenderet ad nos viciſſim: vel ſaltem interpoſitis mediis manus quodammodo ad nos ſurſum attollendos extenderet.

4 Quanuis commoda hoſpitia nanciſcãtur fideles, eiſq; liceat apud incredulos cũ aliqua dignitate manere, ſibi tamẽ quodãmodo exules à toto orbe & auiculis ipſis miſeriores videntur, quantiſper ad ea loca vbi reſonat Dei verbum non patet eis acceſſus. Hic enim piis omnibus viuendi finis eſt, vt in cultu Dei exerceantur.

Deus etſi non rite colatur niſi ſpirituali modo, ſubſidiis tamen, quæ non abs re deſtinauit, nos vti opus eſt.

Vbicunq; vox Dei auditur, ibi ſolium eius erectum eſt, ex quo ſuos exaudit ac tuetur: piis igitur acerba eſt vita quum ab eccleſiis viſibilibus exulant.

5 Veri cultores Deo offerunt laudis ſacrificium, quod à fide ſeparari non poteſt: neq; enim ex animo Deum laudabit, niſi qui acquieſcens in eius gratia ſpirituali pace & gaudio fruitur.

6 Viſibiles cœtus non ſunt expetendi vt paſcamus oculos, ſed vt in fide proficiamus. Porrò ille profectus eſt, recumbere toto animo in Deum, quod fieri non poteſt niſi deiecti omni faſtu, & animis verè humiliatis.

Hæc Dei quærendi tuta eſt ratio, vt ab eo virtutem precariò mutuemur qua nos deſtitui ſentimus.

Felices ſunt qui Deum ſibi cupiunt eſſe vitæ moderatorem, ideoq; ad eum via quam inſtituit accedere cupiunt.

7.8 Nihil poteſt cordatis ſtrenuiſq; Dei cultoribus obſtare quin ad celebrãdos ſacros conuentus concurrant: imò turmatim & collectis ſubinde viribus difficultates omnes ſuperant; nec laſſitudine vlla tardantur, donec conſpiciant Dei faciem, id eſt, fœderis æterni teſtimoniis externis perfruantur.

9.10 Dũ ſine profectu profani homines ſe torquent in ſuis deſideriis, fideles ſua vota ad Deũ cõuertũt, quem ſuæ eccleſiæ protectorem eſſe certo ſciunt.

Non aliter nobis propitius eſt Deus, quàm vbi Chriſtus in medium prodit, cuius aſpectu diſcutiuntur omnes vitiorum noſtrorum nebulæ.

11 Impij ſine ratione viuere appetunt, & nihil habent prius in votis quàm ſibi vitam prorogari: fideles autẽ profitentur non modò ſibi propoſitum eſſe viuendi finem vt Deum colant, ſed etiam ſibi pluris eſſe diem vnũ quem impendere licebit in cultũ Dei, quàm longum tempus trãſigere, & primarium gradum tenere inter homines profanos à quibus exulat vera religio.

12 Quemadmodum ſol luce ſua mundum viuificat, fouet atque exhilarat, ita ſereno Dei aſpectu recreantur fideles: imò non aliter viuunt & ſpirant, niſi quatenus illis Deus affulget.

Salus noſtra, innumeris alioqui periculis expoſita, Dei defenſione protegitur: quia non ſufficeret viuificus Dei fauor, niſi inter tot diſcrimina virtutem quoque ſuam ceu tutiſſimum clypeum ad nos tuendos opponeret.

Poſtquam fauore ſuo fideles Deus complexus eſt, extollit eos in ſũmam dignitatem, nec deſinit eos ſuis donis locupletare.

Nunquam exhauritur Dei beneficentia, quin aſſiduè fluat, mera equidem eius gratia, in eos omnes quorum virtute ſancti ſpiritus vita eſt ad integritatem compoſita.

13 Quandiu priuamur viſibilibus diuinæ gratiæ teſtimoniis, angi quidem triſtitia & gemere neceſſe eſt: ſed ne doloris ſenſus nos abſorbeat, ſtatuere conuenit inter ipſas miſerias nos fide & patientia beatos eſſe.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Eccleſia aſpectabili.
2. De aſpectabilis Eccleſiæ notis.
3. De ſacrorum cœtuum & miniſterij externi neceſſitate ac vtilitate.
4. Piorum deſideria qualia.
5. Beatitudo piorum dum in terris verſantur, qualis ſit.
6. Zelus ſeruorum Dei ſacris exercitiis externis vtentium.
7. Nobilitas & dignitas vera in quo conſiſtit.
8. Deus Sol, ſcutum, gratiæ & gloriæ dator ſuis electis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXV.

PSALMVM hunc exiſtimant interpretes ſcriptum eſſe poſt reditũ populi ex captiuitate Babylonica, cùm reſtaurato templo & reſtitutis vrbibus ac politiis populus iam coaleſcere cœpiſſet in vnũ corpus, & in ſpem prioris dignitatis & gloriæ rurſus erigeretur. Sed quia vicinarũ gentiũ odio & aſſiduis incurſionibus illa felicitas Iudæorum ſæpe turbabatur, & nouæ ſubinde calamitates eos excipiebant, quæ non tantùm cultum diuinum, ſed & reſtaurationem iudiciorum, legum, ac totius ordinis politici, & culturam agrorum impediebãt, orat propheta ſub perſona totius populi, vt Deus depoſita ira & ſopitis bellis, veram & ſolidam pacem reſtituat: vt vigere deinceps cultus diuinus, rectè adminiſtrari reſpublica atque exerceri omnium virtutum officia, & terra in otio coli poſſit. Vt autẽ & ſe & cæteros in certam ſpem reſtituendorum horum bonorum adducat, promiſſiones diuinas ita intuetur vt ſimul vaticinium edat de euentu, ac certò futurum promittat vt reſtituta pace, terra in priſtinum ſtatum redeat, & iuſtitia, veritas & cæteræ virtutes vbique vigeant & colantur. Id verò quia ante Chriſti aduentum in carnem plenè factum nõ eſt (variis enim & triſtiſſimis calamitatibus ac bellis vſque ad id tempus Iudæa fuit iactata) totum hoc vaticinium ad Chriſti regnum accommodant interpretes, in quo tandem vera & ſolida pax, miſericordia, iuſtitia, veritas & bonorum omnium affluentia piis reſtituta eſt, vt in interpretatione iterum dicetur.

1 AD triumphandum, filiorum Korah Pſalmus.

De hoc titulo antea dictum eſt, vt non opus ſit eadem ſubinde inculcare.

2 Beneuolus fuiſti (*acceptaſti*) Iehoua terræ tuæ: reduxiſti captiuitatem Iacob.

3 Eleuaſti (*ſuſtuliſti*) iniquitatem populi tui: operuiſti omnia peccata eorum, Selah.

4 Abſtuliſti omnem iram tuam: auertiſti (*reuocaſti*) à furore iram tuam (*ad verbum: reduxiſti, ne iraſceretur, furorem tuum. Nam* חרון *ſecundùm Rabbi Dauid & Rabbi Abraham hoc loco eſt infinitiuum. Rabbi Salomon ſic reddidit: Retraxiſti te ipſum ab ira furoris tui.*)

Orditur pſalmum à commemoratione beneficiorum, quibus paulò antè affecti erant Iudæi, cum remiſſis & abolitis peccatis, propter quę eiecti erant in exilium, rurſus immenſa miſericordia eos ex omnibus mundi angulis Deus collegit, & in patriam reſtituit, eóque facto amorem ſuum & beneuolentiam ſingularem erga hunc populũ teſtatus eſt. Eſtque hæc ſumma horum trium verſuum: Domine Deus, tu antehac in reductione populi tui oſtendiſti manifeſtè te remiſiſſe nobis omnia peccata noſtra priora, recepiſſe nos in gratiam, & nos ſummo amore complecti. Ad hoc antecedens enthymematis, ſequitur deinceps conſequens, de quo dicetur in ſequentibus verſibus. Priùs enim quædam vocabula & phraſes explicandæ ſunt.

Verbum רצה propriè ſignificat gratum habere, acceptare, beneuolẽtia proſequi, ex mero beneplacito velle, capere voluptatem in re aliqua. Ideo Græcus interpres plerũque reddidit verbo εὐδοκέω, bene volo, bene affectus ſum erga aliquẽ. Quòd igitur Latinus interpres hoc loco reddidit, benedixiſti, alienum eſt à ſignificatione huius verbi, niſi fortè per μετάληψιν hæc ſignificatio ei tribuatur: & exiſtimo Latinum interpretem pro εὐδόκησας legiſſe εὐλόγησας. *Terram* συνεκδοχικῶς intelligit habitatores terræ, Iudæos. Videbatur Deus eiectis Iudæis terram ipſam quam inhabitarant, abominari, ſed reſtitutis ſuis colonis oſtendit ſe ei bene velle.

Nomen *Iacob* pro eius poſteritate quæ propter peccata abducta erat in exilium, accipitur. Qui ad tẽpora Dauidis pſalmum reſtringunt, captiuitatem hoc loco intelligunt ſeruitutem Ægyptiacam. Sed ſolet ſcriptura, cùm captiuitatẽ huius populi nominat, ferè ad Babylonicam reſpicere.

Remiſiſti] Verbum נשא propriè ſignificat eleuare. Quando cõſtruitur cum עון aut alio nomine eiuſdem ſignificationis vt פשע tum peculiari phraſi ſignificat eleuare, atque auferre ab aliquo onus iniquitatis ſeu peccati, quod fit remittendo ſeu condonando. Facilè autem intelligitur phraſis ex illa contraria, quæ eſt Ieſa. 1. populus grauis iniquitate: & Geneſ. 4. cap. dicit Cain: Maius eſt peccatum meum quàm vt eleuetur, *Das es von mir genommen vverde*, quaſi diceret, *ich mus darunter zu boden gehen, als vnter einer ſchvveren laſt, die ich nicht ertragen kan.*

Iniquitatem & peccata intelligit quibus meruerant vt in exilium pellerentur. Hæc oſtendit ſe Deus remiſiſſe, cùm populum reduceret in patriã, fuitque illa reductio euidens gratuiti amoris erga populum argumentum. Idque in exordio huius pſalmi celebrat.

Texiſti peccata] De hac phraſi ſicut & de altera dictum eſt ſuprà pſalmo 32.

Auertiſti iram] Id eſt, poſtquã culpam condonaſti, remiſiſti & relaxaſti etiã pœnas. Nam cum remiſſione culpæ ſemper etiam coniuncta eſt remiſſio pœnarum, ídque manifeſtè oſtendit hic verſus.

Per iram intelligit pœnas μεταληπτικῶς. Auertiſti iram, id eſt, deſiiſti punire. Tribuitur Deo ira & furor, non quòd reuera illæ perturbationes in Deo ſint, ſed per ἀνθρωποπάθειαν iraſci & furere dicitur, cùm punit ſcelera hominum, & cum ea agit quæ homines irati ſolent. Homines enim non niſi offenſi & irati puniunt aliquem.

Transferatur autẽ hæc concio ad totam eccleſiam, cuius conditio pulchrè in his verſibus deſcribitur. Eſt illa onerata multis & grauibus peccatis, quibus iram eius & pœnas meretur: ſed, quæ eſt Dei εὐδοκία & beneuolentia erga ſuos, vltro & gratuitò acceptat nos, remittit peccata, & ſimul cum culpa remittit etiam pœnam. Et quanquam in ſanctis manent adhuc reliquiæ peccati & multæ ſordes: tamen illas tegit, ne in iudicium aut rationem veniant. Eſtque vmbraculum illud, quod interponitur, filius Dei, vt inquit Ieſaias, qui in ſe transferens pœnas peccatorum, prohibet ne ira Dei in nos effundatur. De his maximis rebus monent nos hi verſus.

5 Conuerte nos Deus ſalutis noſtrę: labefacta [*fac cadere*] iram tuam erga nos.

Iam addit conſequens. Quia antea, inquit, tam inſigni teſtimonio declaraſti beneuolentiam & amorem tuũ erga nos, nóſque in hanc terram reduxiſti, vt eſſemus populus tuus, continua hanc bonitatem tuam, vt deinceps quoque talem te experiamur, qualẽ te in illa reſtitutione oſtẽdiſti: nec ſinas ſemel reſtitutos opprimi deinceps mole calamitatum.

Conuerte nos] Id eſt, conſolare nos & recrea nos magna calamitatũ mole oppreſſos, & dolore penè abſorptos, ne ſuccumbamus aut deficiamus. De phraſi dictũ eſt antea pſalmo 80. verſu 14. & 19. & 23. *Deũm ſalutis* nominat, à quo ſolo hactenus ſeruati ſint, & qui deinceps ſuâ virtute eos ſeruare poſſit. Et ſimul indicat, populum non in alio ſpem ſalutis collocare quàm in Deo.

Fac cadere iram tuam] Id eſt, fac vt ceſſent pœnæ, quas nobis iratus immittis. Nos Germani phraſin Hebræam iiſdem verbis exprimimus, *laſs deinen zorn gegen vns fallen.*

Nobiſcum] Id eſt, quam habes nobiſcum vel erga nos.

6 Nunquid perpetuò iraſceris erga nos? protrahes [*extendes*] iram tuam in ſeculum & ſeculum?

7 An non tu conuerſus viuificabis nos, vt populus lætetur in te?

Inſerit petitioni πάθος à querela de magnitudine & mora calamitatum ſumptum. Eſtque quaſi familiaris quædam expoſtulatio, de qua quid ſentiendum ſit, ſuprà diximus aliquoties. Non inuſitatæ ſunt in querelis ſanctorum tales expoſtulationes, quaſi duriùs nos tractet Deus, aut diutius ærumnis exerceat quàm eius amori ergà nos aut promiſſionibus datis conuenire videbatur. Et quanquam aliquam carnis impatientiã præ ſe ferũt huiuſmodi querelæ: tamen quia cum fide ſunt coniunctæ, non offenditur his Deus, ſed potiùs vis hæc eſt, vt Tertullianus inquit, Deo grata.

Nunquid perpetuò] Reſpicit, vt dixi, ad naturam Dei, qualis in verbo deſcribitur: quaſi dicat, Nũquid aliã iam naturã induiſti, vt qui toties in verbo tuo teſtatus es te eſſe longanimẽ & tardum ad iram, & etiamſi interdum ſuccenſeas: tamen momentaneam eſſe iram tuam, vt dicitur pſalmo 30. nunc

tam

tam grauem iram conceperis, quæ placari aut deflagrare nequeat?

Conuerſus viuificabis] Id eſt, iterum viuificabis: de hac phraſi ſupra diximus aliquoties. שוב immediate cum verbo conſtructum induit naturam aduerbij. Alij exponunt, conuerſus, id eſt, mutata ſententia, tanquam pœnitentia ductus.

Viuificabis] Id eſt, reſtitues nobis vitam & lætitiam, qui in tantas calamitates & animi dolores incidimus, vt videamur iam morti addicti.

8 Oſtende nobis, Iehoua, miſericordiam tuam: & ſalutem tuam da nobis.

Repetit propoſitionem, quæ eſt petitio auxilij & liberationis. Sed quia ſperare liberationem non poſſunt pij, niſi prius depoſita ira cum populo ſuo Deus in gratiam redeat, præmittit hanc petitionem. Oſtende miſericordiam, qua ſimul duo fatentur homines pij. Primùm, ſe in tanta mala & dolores eſſe coniectos, vt nullum prorſus guſtum miſericordiæ diuinæ percipiant. Ideo enim dicunt, oſtende nobis miſericordiam, vt ſignificent eam ex oculis ſuis eſſe ſublatam. Deinde, non poſſe ſe aliquid meritorum afferre in Dei conſpectum, quo gratiam ipſius demereantur: ſed in ſola miſericordia diuina ſpem omnem repoſitam habere. Talis eſſe debet oratio omnium ſanctorum: atque huc congruit illud exemplum Danielis 9. Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces: & ſimilia in aliis pſalmis vidimus.

Oſtende miſericordiam] Id eſt, oſtende te depoſita ira rediiſſe nobiſcum in gratiam, te nos amare & complecti, vt pater filium. חסד enim propriè illam στοργὴν ſignificat, qua ſanguine nobis iunctos, vt parentes aut liberos, amplectimur.

Salutem tuam da] Id eſt, ſerua & libera nos ab afflictionibus, quæ nos premunt. Acceptationē gratuitam comitatur multa beneficia, non tantùm ſpiritualia, ſed etiam corporalia: inter quæ præcipuum ferè locum obtinet defenſio & liberatio eccleſiæ in periculis & perſecutionibus. Ideo miſericordiam his beneficiis præmittit, quia ex illa hæc dependent & proficiſcuntur. Neceſſe eſt enim nos prius redire in gratiam cum Deo, quàm ſperare aut petere ab eo defenſionem aut liberationem poſſimus.

9 Audiam quid loquatur Deus Iehoua, certè loquetur pacem ad populum ſuum & ad beneficos ſuos [*pios ſuos*:] vt non redeant ad ſtultitiam.

Querelis & petitioni ſubiicit conſolationem, in qua futurum promittit vt pij votorum ſuorum fiant compotes, hoc eſt, vt diuinitus liberati videant rurſus patriam florentem & abundantem omnibus bonis. Fides enim in precatione vera & ardenti certò exauditur, & aut hoc impetrat quod petit, aut aliquid melius, vt inquit Bernhardus. Hanc verò conſolationem haurit propheta ex verbo quod fide intuetur. Inquit enim, *Audiam quid loquatur Dominus*, ſcilicet, in verbo. Suo igitur exemplo nos docet vt in magnis doloribus & calamitatibus confugiamus non ad præſidia humana, non ad falſa numina, ſed ad verbum diuinitus traditum: atque inde vera remedia petamus: nā extra illud verbum nulla eſt vera aut firma conſolatio. Hæc commonefactio in genere ad omnes pertinet. Eſt enim applicatio exempli ad ſingulos. Sed præterea legenda etiam hæc concio eſt tanquam vaticiniū ſeu oraculū pertinēs ad doctrinam de regno Chriſti & beneficiis eiꝰ. Etſi enim futurū affirmat vt pax & tranquillitas in regno Iudaico paulò pòſt reſtituatur, & florente politia, iuſtitia, veritas, bonitas & cæteræ virtutes vbique vigeāt: tamen ſciebat nullā tam ſolidā aut firmam pacem in rebus humanis ſperari poſſe, quæ non multipliciter interrumpatur aut turbetur à diabolo & ipſius organis: & virtutes, quas hic tātopere cōmendat, niſi à ſpiritu ſancto in cordibus piorū accedantur & confirmentur, ſciebat admodum lāguidas eſſe, & leuiſſimis. quibuſq; occaſionibus euaneſcere. Ideo cùm de his dicturus eſſet animum refert ad Chriſti regnum, in quo prædicit reſtitutum iri paulò pòſt ſolidam pacem cōſcientiarū, & non virtutum vmbras, quales ferè ſunt illæ politicæ, de quibus philoſophi diſputant: ſed veras & ardentes flammas à Spiritu ſancto in animis & cordibus piorum accenſas, quæ Deum intueantur, & omnia ad Dei gloriam referant. De his igitur principaliter concionatur in hoc & ſequentibus verſibus.

Audiam quid loquatur Dominus] Id eſt, in his tantis animi doloribus & ærūnis non habeo quò confugiam, aut vnde remedia petam, niſi ad verbum diuinitus patefactum. Ex hoc igitur quæram conſolationes, quæ in promiſſionibus diuinis proponuntur, omiſſis iis quibus alij occupari ſolent.

Sequitur conſolatio: *Certè loquetur pacē ad populum ſuū*, id eſt, ipſe certò reſtituet pacē in hoc populo, diſſipatis & disiectis hoſtium copiis, & viribus eorū euerſis. Id enim ſe facturū promiſerat, cum populum in patriā reduceret: vt cùm apud Zach. 2. dicit, Ego ero murus igneus in circuitu tuo, &c. Item, poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos: qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his quos ſeruituti addixerant, & cognoſcetis, quia Dominus exercituum ego. Et c. 4. Non in exercitu, non in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum. Has & ſimiles promiſſiones intuens, futurum inquit, vt reſtituatur pax Iſraelitis. Sed, vt dixi, pacē hanc deinde extendit ad Chriſti regnum, in quo demum vera & ſolida pax redditur piis, vt alibi dicitur copioſius. Ideo ſignificanter dicit, *loquetur ad pios*: dans ſcilicet conſolationem in cordibus piorum, & erigens mentes perterrefactas: quod facit filius qui ideo dicitur λόγος à Iohanne.

Loqui pacem] in genere ſignificat largiri pacem & tranquillitatem, vel efficere vt omnia deinceps ſint tranquilla. Nam Deus vnico verbo aut nutu pacem reſtituit. Ideo alibi dicitur mandare benedictiones. pſal. 133. Nam ſermo ſeu mandata Dei cum effectu ſunt coniuncta, iuxta illud, Ipſe dixit & facta ſunt. Nomen autem pacis συνεκδοχικῶς complectitur omnis generis bona & felicem omnium rerū ſucceſſum. Ideo cùm pacem promittit, ſimul reliqua bona omnia comprehendit, quæ ad felicem ſtatum reipublicæ requiruntur.

Ad populum ſuum] Id eſt, ad eos quos ſibi adoptauit, & quaſi peculium ſuum elegit. Atque hoc propriè ad eccleſiam pertinet.

Ad pios ſuos] Id eſt, ad eos quos fauore ſuo complectitur, & quos omnis generis bonis ornat, cùm ſpiritualibus, tum corporalibus. Nota enim eſt ſignificatio vocis חסד Itaque hæc quoque vox reſtringit hanc promiſſionem ad vera eccleſiæ membra, excluſis hypocritis aut omnibus iis qui externa tantùm profeſſione ſe cœtui piorum admiſcent.

Vt non redeant ad ſtultitiam] Id eſt, vt deinceps eruditi pœnis, meliùs ſibi caueant in poſterum, nec, quod ante fecerunt, Deum ſuis ſceleribus prouocent ad iram. Hæc enim cauſa eſt cur Deus hactenus diſtulerit plenam liberationem, vt ſcilicet peccata ſua populus agnoſceret & emendaret, & edoctus calamitate, non mox in eaſdem ſordes relaberetur. Græcus reddidit, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ' αὐτόν. Latinus, in eos qui conuertuntur ad cor. Vterque pro *al* legit *el*.

10 Vtique [*certè*] propinqua eſt timentibus eū ſalus eius: vt inhabitet gloria in terra noſtra.

Continuat & confirmat eandem promiſſionē addita alia cauſa finali. Salutem intelligit liberationem ex omnibus periculis. Eam, quanquam nondum cernitur oculis, quandiu in ærumnis ſumus, & carni noſtræ videtur interdum diutiùs differri: tamen certum eſt eſſe propinquam timentibus Deum. Non enim deſerit eccleſiam ſuam Deus, ſed vt pſalmus 91. inquit, eſt cùm ipſa in tribulatione, & tandem glorioſe liberat eam.

Vt inhabitet gloria] Id eſt, vt reſtituatur felix & ſalutaris ſtatus reipublicæ, in quo terra ſuum decus & gloriam recuperet aſſidua cultura & fertilitate, & homines omnibus bonis affluant & floreant, ita vt ab aliis quoque beati prædicentur. Gloriam opponit priori vaſtitati quam effecerāt aſſidua bella, cùm terra iaceret inculta, oppida ac pagi paſſim eſſent diruti aut exuſti, leges & iudicia eſſent euerſa, & homines redacti ad extremam paupertatem iacerent oppreſſi ingentibus ærumnis & doloribus, & iudicarentur deſerti atque exoſi Deo. Hæc igitur vaſtitas, quæ fuit probroſa atque ignominioſa genti noſtræ, auferetur à nobis, & reſtituetur nobis prior gloria qua hactenus fuimus ſpoliati. Florebit enim deinceps reſpublica reſtitutis legib. & iudiciis, coletúrque terra more priſtino: vt qui eā aſpiciat, fertilitatē eius & amœnitatē deinceps celebret. Quod autem verbo habitādi vtitur, ſignificat eam felicitatem non fore momentaneā, aut nouis bellis turbatum iri, ſed fore firmam & durabilem. Ita rurſus ad totam eccleſiam & ad regnum Chriſti hæc promiſſio refertur. Eius ſumma gloria eſt quòd aſſiduè Deum habet præſentem, à quo ſeruatur & defenditur mirabiliter, non ad exiguū tempus, ſed vt gloria eccleſiæ ſit firma & perpetua.

11 Miſericordia & veritas occurrent [*obuiam factæ ſunt ſibi*] iuſtitia & pax oſculabuntur.

12 Veritas è terra germinabit: & iuſtitia è cælo proſpiciet [*futura pro præteritis ponuntur: vt ex ſequentibus & præcedentibus apparet.*]

Amplificat promiſſionem ab effectibus pacis, vt magnitudo beneficij diuini magis cōſpiciatur. Vbi liberati fuerint à bellis & reſtituta fuerit pax huic populo, ibi demū ſtudioſè colentur hæ virtutes: miſericordia, veritas, iuſtitia, ſtudium pacis & concordiæ. Sicut enim inter arma ſilent leges: ita etiā virtutū ſtudia negliguntur & abiiciuntur. Nullus eſt in bello locus miſericordiæ, ſeu bonitati, ſed potiùs crudeli-

tas dominatur, quæ paſſim in corpora & facultates hominum ſæuit. Nullus eſt locus τῇ ἐπιεικείᾳ, aut beneficentiæ, qua maximè ad concordiam tuendam opus eſt. Nulla eſt veritas aut fides in pactis: ſed perfidia, dolis & fraudibus certatur. Nulla colitur iuſtitia: quia labefactata iudiciorum autoritate, aut turbato ordine in republica, & neruis iudiciorum inciſis, pœnis coerceri petulantes & rapi ad pœnas non poſſunt. Pax igitur cùm exulat, homines variis afficiuntur iniuriis, vaſtantur oppida, agri, complentur omnia cædibus, latrociniis, & triſtiſſima vbique mortis imago occurrit. Vbi verò reſtituta fuerit pax, paſſim florebit regnum harum virtutum cultu, eritque ſumma inter has virtutes cognatio & coniunctio, vt qui vnam colere ſtudent, etiam reliquas amplectantur. Vera enim eſt Pindari ſententia in Olymp. Od. 11. πιςὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς, firmum fœdus eſt virtutis inter ſeſe, nec poteſt vna ſine altera rectè coli. Hæc ſumma eſt horum duorum verſuum.

Sed quia prophetam dixi principaliter ad Chriſti regnum reſpicere, videndum eſt, quomodo hæc ad eccleſiam congruãt. In honeſtis & rectè cõſtitutis politiis ſatis eſt, ſi in nobis quædam ſint ſimulacra virtutum, vt Cicero inquit in oratione pro Cœlio, & ſi rem diligentiùs conſideres, virtutes, quæ hominibus multis & præclaris encomiis tribuuntur, vmbræ earum rectiùs dici poſſunt, quàm veræ virtutes, tegentes externam deformitatem. At virtutes in piis, non ſunt vmbræ aut ſimulacra, ſed ſunt flammæ accenſæ à Spiritu ſancto: ita vt in corde ſentiantur veri & ardentes motus congruentes cum lege Dei, & homo actiones illas omnes referat ad gloriam Dei. Hic enim finis harum virtutum eſſe debet, ſicut Chriſtus inquit, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt, Matth. 5. Tale diſcrimen eſt inter caſtitatem Ioſeph & Scipionis, inter fortitudinem Dauidis & Alexandri magni, aut ſimilium. De hac re igitur in his verſibus concionatur. Auguſtinus & alij vlterius progreſſi, nonnullas, quæ hic recenſentur, virtutes ab hominibus ad Deum transferũt, atque ita de his concionantur, vt in regno Chriſti, in quo deuicta morte & Satana credẽtibus pax reſtituitur, primum miſericordia Dei ſeſe nobis oſtẽdat, qua gratis propter filium omnes ad ſe confugientes recipit. Ea enim principium, fons & cauſa eſt noſtræ ſalutis. Huic verò occurrit veritas, id eſt, fides nitẽs promiſſionibus amplectitur miſericordiam & in ea acquieſcit. quanquã veritatẽ nonnulli etiam de Deo interpretantur, vt ſit fides ſeruans promiſſa. Hinc ſequitur iuſtitia, hoc eſt, gratuita acceptatio coram Deo qua iuſti, hoc eſt, accepti reputamur coram Deo. Ea deinceps gignit pacem conſcientiæ ac lætitiam acquieſcentem in Deo, ſicut Paulus inquit Rom. 5. Iuſtificati fide pacem habemus. Ad hanc ſententiam pulchrè congruit hoc quod verſu 12. dicitur veritas è terra germinare, & iuſtitia è cælo proſpicere: vt veritas ſit fides ſanctorum, quæ firmiter nititur promiſſione: iuſtitia verò ſit illa gratuita acceptatio. Hæc vt piè & rectè ab Auguſtino & cæteris dicta eſſe exiſtimo: ita priorem ſententiam nequaquam eſſe repudiandam ſtatuo, quam ipſe contextus orationis, & vocabulorum perſpicuitas gignit.

Illos ex recentioribus miror vehementer, qui cum Auguſtini ſententiam vehementer in ſuis ſcriptis vrgeant & defendant, auſint tamen hominem in conuerſione facere non tantùm truncum, ſed etiam qui hoſtiliter Deo repugnet. Id verò quomodo cõgruat cum ſentẽtia horum verborum: miſericordia & veritas occurrunt ſibi mutuò, iudicent lectores. Neque enim de fide loquendum eſt in abſtracto, ſed qualis eſt in homine qui conuertitur. D. Bernardus in quadam concione habita in feſto annuntiationis, eleganter & concinnè hos verſus accommodat ad ſtatum hominis ante lapſum, deinde eum, qui lapſum ſecutus eſt, & ad reſtitutionem generis humani: quam lectoribus commendo. Iuſtitiam enim hoc loco interpretatur illam æternam & immotam iuſtitiam in Deo, requirentem perfectam obedientiam, & ordine immutabili punientem ſcelera, cuius norma patefacta eſt in lege. Hanc dicit mirabili temperamento iungi cum miſericordia. Sed hæc apud Bernhardum ipſum legantur. Habet enim tota concio cogitationes pias & res ſcitu digniſſimas.

Cæterum in oratione prophetæ hypotypoſis eſt ſeu proſopopœia ſumpta ex conſuetudine gentiũ orientalium. Solebant enim, qui occurrentem amanter excepturi erant, oſculari, eóque ſigno beneuolentiam ſuam erga illum teſtari. Ita Lucæ 15. pater occurrens filio prodigo ruit in eius amplexum & oſculatur eum: & Chriſtus Lucæ 7. reprehendens Phariſæum, inquit, Intraui domum tuam, & non dediſti mihi oſculum: hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit deoſculari pedes meos. Hinc eſt illud prouerb. 27. Meliores ſunt plagæ diligentis, quàm fraudulenta oſcula odio habentis. Atque inde mos ille manſit in prima eccleſia, vt ſub finem Liturgiæ Chriſtiani ſe mutuò oſcularentur, vt ſcribit Iuſtinus in Apolog. Eſtque hæc cõſuetudo etiã hodie vſitata apud Belgas. Ad hanc igitur reſpicit propheta cùm inquit, *Miſericordia & veritas occurrẽt inter ſe, iuſtitia & pax oſculabũtur*, id eſt, erit ſũma coniunctio harum virtutũ: nulla harum erit ſola, ſed omnes inter ſe cohærebũt, ſeque mutuo quaſi amplexu fouebũt.

Eſt autem obſeruandum quod dicit, Iuſtitiam & pacem ſe inuicem oſculari: ſignificat enim ita mutuum fœdus eſſe inter iuſtitiam & pacem, vt ſi illa nõ colatur, hæc diu conſiſtere non poſſit. Vbi enim nullus eſt iuſtitiæ locus, neceſſe eſt mox vinculum pacis rumpi.

Quod addit, *veritatẽ è terra germinaturã*, metaphora eſt ſumpta à rebus terra naſcentibus, quæ quo felicius proueniunt, eo magis exhilarant homines. Veritas igitur quia paſſim coletur ab hominibus in ſermone, pactis, promiſſionibus & cõtractibus, reddet ſtatum reipublicæ florentem & lætum. Sed ſicut res terra naſcentes non feliciter proueniunt nec matureſcunt, ſi deſtituantur pluuia cæleſti: ita nec veritas rectè colitur, niſi iuſtitia, quæ cuique ſuum tribuit, eam foueat, ſitque mutuus inter has virtutes reſpectus. Ideo addit, iuſtitiam è cœlo ſe viſendam præbere, atque ſuo aſpectu veritatem quaſi fœcundam reddere, vt paſſim hæc virtus vnà cum cæteris in omnes angulos ſurſum ac deorſum ſe diffundat & fructum ferat.

Si ad regnum Chriſti referas iuſtitiam, & intelligas gratuitam acceptationem, etiam ſic plana erit ſententia: Veritatem & cæteras virtutes (ſynecdochicè enim omnes comprehendendæ ſunt) non coli, hoc eſt non præſtari Deo opera grata, niſi priùs iuſtitia è cœlo proſpiciat, quæ perſonam placere propter filium mediatorem oſtendat.

13 Etiam Iehoua dabit bonum: & terra noſtra dabit prouentum ſuum.

Ab animi bonis tranſit ad corporis bona. Reſtituta pace & florẽte republ. propter illarum ſummarum virtutum ſtudiũ, quod in ſingulis conſpicietur, Deus etiam locupletabit nos variis corporis bonis. Terram enim reddet fœcundã, vt omnis generis fructus abũdè proferat, & ſuos cultores ditet. Hic igitur fructus eſt pacis. Cæterùm vbi ad regnum Chriſti hoc transfertur, intelligatur hæc ſententia ſecundum illud Pauli. 1. Timo. 4. Pietas ad omnia eſt vtilis, habens promiſſiones præſentis & futuræ vitæ: & referantur huc alia teſtimonia, quæ affirmant Deum eccleſiæ ſuæ in hac vita proſpicere etiã de victu & de rebus neceſſariis ad hanc vitam ſuſtentandam. Eſtque hæc ſententia manifeſtum teſtimonium, quod docet terram niſi Deo fœcundante non proferre fruges.

4 Iuſtitia coram eo ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

In poſtremo verſu, quaſi ſummatim concludens, complectitur fructum pacis. Vbi pax, inquit, fuerit reſtituta reipublicæ, & omnium virtutũ ſummus erit conſenſus, & vbi corporibus etiam victum neceſſarium tribuet Deus: ibi, hoc eſt, quẽadmodum Zacharias id in ſuo cantico Luc 1. interpretatur, ſancti de manu inimicorum ſuorum liberati ſeruient Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ ſuæ, rectè agnoſcent, colent & celebrabunt Deum, omnia referent ad gloriam Dei. In bellis id non præſtatur, præſertim ſi etiã nobis bellum ſit cum Deo. Iuſtitiã igitur hoc loco intellige non tantùm quæ hominibus ſuum tribuit: illa enim non ambulat coram Deo: ſed quæ omnes actiones componit ad normam legis diuinæ, & ad celebrationem nominis diuini refert.

Ponet in via greſſus ſuos] Id eſt, feliciter & conſtanter perget in ſuſcepto virtutum ſtudio, nec dimouebit greſſus à via pietatis. Manebit enim perpetuò in illo tramite & præſcripto verbi diuini, vnde quicunque deflectunt, non ambulant coram Deo, ſed coram mundo.

Alij iuſtitiam interpretantur eam qua Deus peccatores iuſtificat, hanc dicunt coram Chriſto incedere, quia ſuo aduentu eam in mundum inuexit. Sed hoc tanquam coactum relinquo.

PSALMI LXXXV.

PARTES.

I. Precatio à 2. v. ad 9. Huius membra duo ſunt. 1. Eſt argumentum ab exemplo anteactæ adminiſtrationis Dei, vt flectatur ad miſericordiam. Eſt autem hoc exemplum liberationis Iudæorum à captiuitate

uitate Babylonica,v.2.cuius cauſa conſtituitur in Deo ſolo condonante peccata,v.3.& iram dimittente,v.4.prout Eſras & Nehemias ſuis orationibus in Eccleſia profeſſi ſunt. 2. Altero membro implorat Eccleſia præſentiam,miſericordiam & ſalutem Dei,v.5.inſerto altero argumento,à natura Dei,tarda ad iram,& ad clementiam procliui,v.6.7.& 8.finis eſt duplex,ſed coniunctus,nempe Eccleſiæ bonum,& gloria Dei.

II. Doctrina,in qua 1.Propheta ſe ipſum ac populum Dei ad officium reuocat,omiſſis querimoniis,v.9.eſt autem officium duplex. *Vnum*, vt à ſenſu carnis expoſtulantis de miſeria ſua auocentur pij ad audiendas Dei promiſſiones & conſolationes. *Alterum*, ne immorigera ſua vita ipſi intercludant ſibi conſequendarum promiſſionum viam. 2. Promiſſiones Dei elegantiſſimis verbis & figuris explicat, à v.10. ad finem pſalmi.1.liberationis à tyrannide Antiochi & aliorum pollicitatio,quæ teſſera eſt,& particula futura eſt æternæ illius ac glorioſæ liberationis quam Chriſtus conferet. 2. Iſtius gloriæ ſubiicitur explicatio, *primum* quidem ſpiritualis,v.11.& 12.in qua binæ relationes occurrunt: vna, benignitatis Dei ad hominum fidem, benignitatem & gratiam diuinam obuiis vlnis excipientium: altera, iuſtitiæ Dei ad pacem hominum,ſiue tranquillitatem conſcientiæ per fidem.Rom.5.1. Deinde temporalis: v.13. vtraque autem gloria,maximè ſpiritualis,v.14.proponitur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 *Ex hoc pſalmo tria præcipuè colligimus.1.Sic eccleſiã premi(etiam quum optimo iure Dominus iratus eſt) vt tamen nõ opprimatur.2.Reſipiſcentia ac precibus profectis à fide,tanquã tutiſſimis armis,victores etiam hoſtes tandem debellari.3.Luculentam prophetiam de Meſſiæ exhibitione. Finis eſt vt diſcamus quæ ſint propria Eccleſiæ & ſpiritualis regni Chriſti bona, & quò referendum ſit tranquillitatis publicæ beneficium,quum à Deo nobis tribuitur.*

2 *Variis ſubinde liberationibus eccleſiæ ſuæ teſtatur Deus nullis peccatis extingui poſſe fœderis ſui memoriã,quin exorabilis ſit erga genuinos Abrahæ filios.Ergo nulla re nos meliùs animamur ad precandum quàm vbi recordamur ſuperiores Dei gratias: quia rebus aduerſis ſtatim ſuccumberet fides noſtra, & corda ſuffocaret anxietas,niſi prioris temporis experientia Deum nobis exorabilem eſſe, & ſemper vbi poſtulat neceſſitas,opitulari doceret: præſertim vbi eadẽ manet continuandæ gratiæ ratio.*

3.4 *Ex culpæ remiſſione pendet etiam pœnarum relaxatio, quo refellitur ſophiſtarum commentum,retineri à Deo pœnam,licet culpam ignoſcat:quum vbique prædicet in hunc finem ſe ignoſcere, vt placatus pœnas ſimul mitiget.*

5 *Etſi viſibilem bene ſperandi materiam oculis noſtris Deus nõ offerat,ſtatuere tamen conuenit ſalutem in eius manu eſſe abſconditam,& eius manifeſtandæ,quoties voluerit, promptum & expeditum ei eſſe modum.*

6 *Vtcunque non ſtatim palam nobiſcum Deus in gratiam redeat,non eſt tamen ceſſandum à continuo precandi ſtudio.Nec vanum eſt quod Deus iram ſuam breuem fore promiſit:etenim ſi peccata noſtra expendimus,breuis ſemper eſt: quod ſi nobis occurrat æternus miſericordiæ Dei tenor,momẽtaneam eius iram eſſe fatebimur. Porro quia ſubinde relabitur caro noſtra ad laſciuiam,variis correctionibus penitus ſubigi neceſſe eſt.*

7 *Quia viget in cordibus piorum hoc principium,pœnas quibus filios ſuos caſtigat Deus eſſe temporales, hinc fiduciã colligunt, Deũ quanuis nunc meritò ſit infenſus & auerſus, fore ſibi exorabilem, vt mortuos in vitam ſuſcitet,luctúmque conuertat in lætitiam.*

8 *Qui miſericordiam ſibi petunt oſtendi & ſalutem dari,fatentur omni vtriuſque guſtu ſe eſſe priuatos. Quum autem talis fuerit olim ſanctorum conditio,diſcamus,etiam extremis malis afflicti & perditi,ad Deum tamen confugere.*

Non aliunde inducitur Deus vt ſit ſeruator, niſi quia miſericors eſt.Vnde ſequitur,quicunque ſua merita obijciunt Deo ad impetrãdum eius fauorem,ſaluti viam claudere.

9 *Sicut contra Deum tumultuatur paſſionum noſtrarum intemperies,ita patientiæ ſpecies eſt ſilentij,quo ſe ſub eius imperio cõtinent piæ mentes.*

Quum Dei ſit præcipere in rebus humanis,fieri non poteſt quin eccleſiæ,quam diligit,bene conſulat.

Beneficia quibus eccleſiam Deus proſequitur,quum ex promiſſionibus fluant,veritas eius primo loco, deinde potentia ſpectanda eſt. Cæterùm patientia piorum ex tranquillo fidei auditu pendet.

Superbis nihil eſt commune cum Dei promiſſionibus,quæ ad ſolos manſuetos & humiles corde pertinent.

Poſtquam ſatis correxerit Deus eccleſiam ſuam,propitius tandem erit,vt ſancti pœnis eruditi,meliùs ſibi in poſterum caueant.

10 *Ne moleſta ſit piis ſub cruce gementibus auxilij diuini tarditas,Spiritus ſanctus hanc correctionem adhibet, etiam dum tardiùs apparet Dei ſalus,propinquam tamen eſſe.*

Quando hoſtium tyrannide non ſine contumelia opprimuntur fideles,ad pœnitentiam hortantur,ne ſalutem peccatis ſuis longè repulſam & denuo oblatam penitus abiiciant.

11.12 *Eccleſiæ reſtitutio in Chriſti manifeſtatione quærenda eſt, ſub cuius regno florent miſericordia,veritas,pax & iuſtitia,quibus vocibus comprehenditur vera felicitas. Contrà ſub Antichriſti tyrannide,crudelitas,mendacium,clades,iniuſtitia & oppreſſiones corporum atque animarum longè latéque graſſantur,vnde ſempiterna miſeria.*

Quum Eccleſia Dei inter mundi ſordes hæreat,& ſub ærumnarũ ac ſordium ſuarum mole ſatiſcat,plena reſtitutio eius in cælis, præcipuè verò poſt beatam corporum reſurrectionem,ſpectanda, necnon quærenda eſt.

13 *Etiamſi præcipua eccleſiæ felicitas donis antea expreſſis cõtinetur,non tamen negligenda eſt externi victus commoditas, modò in ſuo gradu ſubſidat:nihilque eſt abſurdi ſi Deus ſpiritualiter fideles benedicens paterni quoque amoris guſtum aliquem in externis beneficiis præbeat,quandoquidem(teſte Apoſtolo 1.Tim.4.8.)pietas non futuræ modò vitæ,ſed etiam præſentis habet promiſſionem.*

Non modò ſemel vis & gratia fœcunditatis eſt terræ indita, vt alimenta nobis ſuggerat:ſed quotannis arcana Dei virtute fœcundatur,prout ſuam bonitatem vult nobis eſſe teſtatam.

14 *Ordo ſub Chriſti regno tam bene eſt compoſitus, vt iuſtitia coram Deo ambulet ac occupet omnes vias:id eſt, omni ex parte felices ac beati ſunt qui Chriſto viua fide ſubiiciuntur: iuſti enim coram Deo imputatione iuſtitiæ Chriſti in viis iuſtitiæ toto vitæ curriculo pergunt alacres,donec ad perfectæ iuſtitiæ metam & gloriæ æternæ gratuitam poſſeſſionem perueniant.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Eccleſiæ liberatione externa, & interna ſeu ſpirituali.
2. Eccleſiæ arma & propugnacula ſenſui carnis ignota.
3. Bona Eccleſiæ,ſpiritualia.
4. Dei electio & benignitas erga ſuos immota manet.
5. De regno Chriſti.
6. Eccleſiæ Dei felicitas,gloria,in Chriſto incluſa.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVI.

HVIVS pſalmi argumentum quale ſit,titulus indicat. Eſt enim precatio quam ad Deum fudit Dauid conſtitutus in extremis periculis, vel cùm à Saule peteretur eius vita, vel cùm aliis calamitatibus & periculis eſſet oppreſſus, quæcunque tandem illæ fuerint. Nam cum occaſio ſcribendi in titulo non ſit annotata, difficile eſt de quibus hoſtibus loquatur, indicare. Duo autem ſunt petitionis membra. Non enim tantùm defendi ſe & ſeruari in iſtis periculis quibus erat circumuentus, petit, ſed multò magis orat vt Spiritu ſancto regatur & ſuſtentetur, ne fractus magnitudine periculorum aut calamitatum mole oppreſſus deficiat à Deo, eúmque ex conſpectu remouens alia ſuis malis remedia extra Deum, aliorum hominum exemplo quærat. Conſiderans enim ſuam atque adeo totius generis humani imbecillitatem, quàm infirmæ ſint res humanæ omnes, & quàm leui momento aut occaſione etiam præſtantiſſimi viri in

errores conſiliorum incidant, aut in peccata præcipitentur: ſicut ipſe viderat paulò ante Saulem (quo regnum illud nihil habuerat pulchrius aut præſtantius) deſerto Deo, atque excuſſo Spiritu ſancto confugere ad magos, ſéque Satanæ mancipare: & non ignoti erant ei aliorum præſtantiſſimorum hominum inter gentes lapſus & errores. Suum igitur periculum conſiderans, petit vt à Deo atque eius ſpiritu perpetuò gubernetur, & cor ſuum in agnitione ac timore nominis diuini perpetuò conſeruetur, ne impatientia lapſus aliquid faciat contra Deum, aut fractus clamitatibus planè deficiat à Deo.

Hæc eſt altera & quidem præcipua pars petitionis, cui varia aſpergit argumenta, plena ardentiſſimorum affectuum, de quibus in interpretatione dicetur. Tandem periculi ſui magnitudinem exponens, petit vt quæ bonitas eſt Dei erga ſuos, iuxta promiſſionem ſeruo ſuo ſuccurrat, eúmque robore inſtruat, vt perferre fortiter imminētia mala poſſit, tandem etiam liberatione præſentiam ſuam in eccleſia hoſtibus ſuis oſtendat, vt pudefacti ac ſpe ſua deiecti diſcant metuere iudicium Dei, ipſiuſque potentiam in ſeruanda eccleſia agnoſcant & celebrent.

Oratio Dauidis.

1 INclina Iehoua aurem tuam, exaudi me: quia oppreſſus & inops ego [*ſum.*]

Propoſitio pſalmi mox initio recitatur. Petit enim ſe exaudiri, ſeruari defendi & iuuari à Deo in præſentibus ærumnis ac periculis. Exaudit equidem Deus ſemper preces fideliū: ſed tunc iudicamus eum exaudire cùm opem fert. Huic autem propoſitioni quæ ſubinde repetitur & variatur, vt fieri ſolet in magnis doloribus & periculis, plurimæ ſubiiciuntur rationes, quarum prima in hoc verſu ſumpta eſt à neceſſitate ſeu ab obiecto, cuius intuitu ſperat Deum ad miſericordiam promoueri poſſe. Eſt enim pater qui calamitate ſuorum liberorum afficitur. Ideo inquit, ſuccurre & fer opem: quia ſum afflictus & egenus.

Inclinare aurem, geſtus eſt attentè audientis, ſicut animantia quædam videmus ad quemuis ſonitum, vt liquidiùs audiant, aures inclinare, & homines diligenter auſcultaturi aures propiùs admouent: vnde arrigere aures dicuntur apud Terentium. Inde igitur ſumpta eſt hæc phraſis, & per ἀνθρωποπάθειαν Deo exaudienti preces noſtras tribuitur, cuius ſumma erga nos beneuolentia & amor hoc geſtu pingitur. Baſil. paulò aliter hanc phraſin interpretatur, Inquit enim, τὸ δὲ κλῖνον τὸ οὖς σοῦ ἐκ μεταφορᾶς τέθηκεν ἀῤῥώστου τινὸς ὑπ' ἀσθενείας γεγονότος οὐ δυναμένου λαλεῖν καὶ τὸν ἰατρὸν προσκλίνειν τῷ στόματι τὴν ἀκοὴν ἀναγκάζοντος.

Quia afflictus ſum] Id eſt, ingenti mole calamitatum & periculorum ſum oppreſſus, ex quibus me expedire humano conſilio, induſtria aut viribus non poſſum. Sum enim inops, id eſt, deſtituor non tantùm conſilio & ratione, qua huic malo remedium inueniam: ſed etiam omnibus aliis externis præſidiis careo, ſúmque adeo ab omnibus creaturis deſertus. Hoc enim verè eſt egenum eſſe: atque in eas anguſtias Deus redigit ſuos, vt liberatio diuina deinceps ſit conſpectior, nec viribus humanis tribuatur.

2 Cuſtodi animam meam, quia pius ego: ſerua ſeruum tuum, tu Deus mi, ſperantem in te.

Propoſitioni iteratæ ſubiicit duas alias rationes ſumptas ab honeſto, hoc eſt, à Dei in ſe priùs collato amore & beneficiis, & à ſua in Deum fiducia & cultu. Cuſtodi animam, id eſt, ſerua vitam meam, & defende me ne ab hoſtibus interficiar. Animam enim hîc pro vita accipit, vt aliàs ſæpe.

Nomen חסיד quod ſanctum interpretantur, quando Deo tribuitur, ſignificat actiuè, benignum, bonum, promptum ad benefaciendum, idque ex amore prorſus paterno, quo ſuos proſequitur. Nam חסד ſignificat στοργήν naturalem. Sed de hominibus quando accipitur cū reſpectu ad Deum, duplicem habet ſignificationem. Primùm enim paſſiuè ſignificat talem, quem Deus vera στοργῇ & amore complectitur, & in quem amoris ſui viſcera effundit, adoptando eum in fœdus, & varia in eum beneficia conferendo, vt חסיד in hac ſignificatione idē ſit quod adamatus à Deo & beneficiarius Dei. Deinde actiuè ſignificat hominem pium, qui accepta beneficia grato animo agnoſcit, & autorem qua poteſt reuerentia & obſequio colit, ſicut pietas filiorum erga parentes & cognatos dicitur, quæ veris obſequiis & ſtudiis eos colit, & vt Cicero 2. de inuentione inquit per quam officium & diligēs eis attribuitur cultus. Quando verò nomen hoc hominibus tribuitur cum reſpectu ad homines æquales ſeu inferiores, accipitur tantùm actiuè, vt ſuprà diximus.

Seruum tuum] Id eſt, te colentem, tibi obtemperantem in hac vocatione, in qua tot mihi pericula obiiciuntur.

Sperantem in te] Id eſt, nitentem tua ope & auxilio, atque hac fiducia tot odiis & periculis ſe obiicientem: non confugientem ad idola & præſidia humana, ſed abs te ſolo expectantem liberationem.

3 Miſerere mei, Iehoua: quia ad te clamo quotidie.

Quartā rationem in hoc verſu ſumit à ſuo clamore, quem ſibi non tantùm magnitudo periculi, ſed etiam fiducia auxilij diuini extorqueat, atque hanc amplificat à temporis circumſtantia, cùm inquit, ſe quotidie, hoc eſt, ſine intermiſſione clamare.

Verbo *miſerendi* ſignificat ſe non afferre propria merita in conſpectum Dei, ſed à ſola gratia diuina pendere. Verbo *clamandi* doloris ſeu periculi magnitudinem & ardentes fidei mot⁹ declarat. Nec ſemper de vocis clamore, ſed multò magis de cordis vociferatione hoc intelligendum eſt. Nam & gemitus pectorum apud Deum inſtar ſunt clamoris longè latéque reſonantis, atque adeo cælum ſuo ſonitu complentis. Quod inquit ſe quotidie clamare, ſignificat ſe iam longo tempore exerceri ſub cruce, & quanquam nō mox auxilium affulgeat, ſe tamen non abiicere fiduciam erga Deum conceptam. Quod exēplum intueri debemus, ne orando deficiam⁹, etiam ſi non ſtatim exaudiamur: ſed fortiter inſtemus & pulſemus, vt Chriſtus monet Matth. 7. Luc 11. donec nobis ianua gratiæ diuinæ aperiatur.

4 Lætifica animam ſerui tui: quia ad te Domine animam meam leuo.

Repetit eandem propoſitionem, & rationem rurſus annectit à ſua in Deum fiducia. Ea vero quantum valeat in precibus piorum, dictum eſt aliàs ſæpe.

Lætifica animam] Lætitiam nominat illam conſolationem, quæ accipitur ex ſenſu præſentię Dei in ęrumnis, & ex liberatione. Hactenus fuerat ingenti dolore oppreſſus, non tantùm quia periculum foris creſcebat: ſed etiam quia nonnunquam Deus quaſi iratum ſe exhibebat: cùm vel auxilium differret, vel peccatorum conſcientiam aggrauaret. Petit igitur ſe ſenſu fauoris & præſentię Dei & maturo auxilio rurſus exhilarari.

Leuare manum ad aliquid, quid ſignificet, diximus in Hoſea 4. cap. Eſt autem cupidè, ſummo voto ac deſiderio expetere aliquam rem, ſeu erigi in ſpem alicuius rei potiundæ, inhiare item ad aliquid. Ita ſuprà pſal. 24. inter notas piorū etiam hæc recenſetur, quòd non leuent animam ſuam ad vanitatem, id eſt, quòd cor habeant vacuum à prauis deſideriis nec concupiſcant res inanes quibus tutò fides niti non poteſt: vt ſunt res omnes extra Deum. Leuare igitur animam ad Deum, & in hoc pſalmo & alibi ſæpe, ſignificat ad vnum Deum reſpicere, ab illo vno opem & auxilium quærere & auidè expectare, ſpretis rebus aliis omnibus, quæ foris ſeſe cum aliqua ſpe offerunt.

5 Quoniam tu, Iehoua, bonus & propitius: & multus clementia erga omnes qui te inuocant.

Subiicit petitioni aliam rationem ſumptam à natura Dei & amore. Affirmat enim Deum eſſe natura bonum, propitium & benignum, & quidem non vni atque alteri, aut dignis tantùm ſe talem exhibere, ſed indignis quoque, atque adeo omnibus eum inuocantibus. Itaque ſe quoque confidit exauditum iri. Suo verò exemplo nos admonet, vt nos quoque inter precandum cùm peccata aut indignitas noſtra nobis obſtrepit, cogitatione vniuerſalis promiſſionis nos erigamus ac ſuſtentemus, nóſque in eam includamus. Atque huc ſimiles promiſſiones referantur. Bonum dicit eſſe, quòd facilè iram remittat erga agentes pœnitentiam & inuocantes, quòd non aduerſetur aut repellat confugientes ad ſe. Etiamſi, inquit, ego pœnas meritus ſum, tamen tu es bonus.

Propitium nominat, quòd peccata gratis cōdonet & noxam remittat.

Multus benignitate ſeu clementia dicitur, qui ardenti amore proſequitur ſuos, eóſque in patrocinium ſuum ſuſceptos omni genere bonorum ditat. Dicit autem Deum multa benignitate eſſe præditum, ſicut Paulus inquit, Gratiam exuberare

berare ſupra peccatum, opponit enim multitudinem benignitatis ſeu clementiæ ſenſui ſuorum peccatorum, quæ quanquam videt eſſe multa & magna, tamen ſtatuit ea abſorberi à magnitudine benignitatis diuinæ, & regnum gratiæ diuinæ potentius eſſe regno peccati.

6 Attende, Iehoua, precationi meę: & attende ad vocem deprecationum mearum.

Repetit primam propoſitionem. Eáque iteratio, vt antea monui, oſtendit magnitudinem doloris & periculi, quo Dauid fuit oppreſſus. Creſcete enim periculo, creſcit dolor, qui fideles inſtigat ad orandum.

7 In die tribulationis [*anguſtiæ*] meæ inuocabo te: quia exaudies me.

Inter medias preces, vt fides fiat ardentior & creſcat, propheta ſeipſum confirmat & animat ad precandum: atque hac oratione cogitationes omnes obſtrepentes, quę fidem languefaciunt, repellit. Semper enim ratio obſtrepit accedenti ad Deum: cur inuocas cùm ſis pollutus peccatis? & Deus peccatores non exaudiat? Contrà inquit propheta, Deus omnes inuocantes exaudit. Ego inuocabo, itaque exaudiar. Ita hic verſus, quaſi conſequens eſt verſus quinti, in quo antecedens recitatur: ſeu potius habet hic verſus minorem & cõcluſionem. Tu, inquit verſu 5. Iehoua es bonus, propitius omnibus inuocantibus te. Ego verò, ait hoc loco, inuoco te in ſummis meis anguſtiis, ergo exaudies. Nam כי particula hoc loco non eſt cauſalis, ſed rationalis ſeu illatiua, vt infrà pſalmo 116. Credidi, quia locutus ſum. Et Luc. 7. Remittuntur peccata eius multa, quia dilexit multum.

8 Non eſt ſicut tu inter Deos Domine: & nullus ſecundùm opera tua.

Petitioni addit aliam rationem à facili. Nemo tibi comparandus eſt ſapientia, bonitate, potentia & operibus. Ergo non eſt tibi difficile ſeruare me in his periculis: atque eam ob cauſam ad te confugio, quia nullus eſt à quo certiorem opem expectare poſſim quàm abs te. Quicquid enim alij nugentur de ſuis commentitiis diis, nullus eſt tamen inter hos qui tecum comparari queat, aut qui ea quæ tu præſtare poſſit. Sunt enim tua opera ita admiranda, vt nihil cum his comparari queat.

Inter Deos] Hoc aliqui de angelis exponendum iudicant. Sed non dubium eſt prophetam loqui de fictitiis diis, quos gentes colebant magno ſtudio & religione, iiſque omnia accepta referebant: ſed falſò. Neque enim operibus ſeu factis probant ſe Deos eſſe, ſicut Deus noſter. Ideo inquit, nullum edere talia opera, qualia Deus in Iſrael patefactus edit. Nec gradus conſtituit cùm ſic loquitur, quaſi aliquid fictitiis numinibus, Deo verò plus tribuat: ſed hoc vult, gentium idola, quanquam habeantur pro Diis, qui multa præſtare ſuis cultoribus poſſint: re ipſa tamen aut in effectu nihil in his eſſe diuinum, quia nullam vim ſeu virtutem exerant, nihílque faciant quo ſe probent eſſe Deos. Ideo poſtea ſubiicit: Tu facis mirabilia ſolus.

9 Omnes gentes, quas feciſti, venient & adorabunt coram facie tua, Domine: & gloriam dabunt nomini tuo.

10 Quia magnus tu: & faciens mirabilia tu Deus ſolus.

Amplificat & confirmat ſuperiorem ſententiam ab euentu. Verum me dicere ipſe euentus oſtendet. Adeo enim verum eſt quod de potentia tua dixi, vt gentes quæ nunc idola tanta ſuperſtitione colunt, non multò pòſt cognita vanitate ſuæ religionis, abiecturæ ac deteſtaturæ ſint ſuos fictitios Deos, & te ſolum, vt verum Deum, adoraturæ. Ita vaticinium de gentium vocatione & conuerſione ſuis precibus miſcet, ſéque hoc ipſo exemplo confirmat, vt de Dei erga ſe beneuolentia maiorem fiduciam concipiat. Erat enim membrum eius populi, cui peculiaris promiſſio erat facta: ergo ſtatuit ſe non minus exaudiri quàm gentes.

Quas feciſti] Hoc addit vt obiter oſtendat quare etiam gentes ad agnitionem & cultum nominis diuini ſint vocandæ: ne nuda promiſſio Iudęos offendat, qui ſe anteferri gentibus volebant. Sunt gentes creatura Dei non minùs quàm Iudæi. Ergo ęquum eſt etiam has vocari ad ſocietatem huius regni, quod Deus per miniſterium doctrinæ cæleſtis conſtituit. Iuſtum eſt enim omnes homines ſuum factorem & opificem agnoſcere & celebrare.

Venient] Vocatæ ſcilicet per verbum. Verbo enim veniendi totam conuerſionem hominum notat: Qui extra eccleſiam ſunt, non veniunt ad Deum, ſed fugiunt eum & ſubinde longius ab eo diſcedunt: ſed qui per verbum vocantur & conuertuntur, rurſus ad Deum accedunt, eũ quærunt, & omnem fiduciam ſuam in eum collocant: verbum itaque veniendi non pedibus, ſed cordi tribuendum eſt.

Adorabunt] Id eſt, ſupplices opem abs te petent, non ab idolis.

Glorificabunt nomen tuum] Id eſt prædicabunt & laudibus extollent tuam potentiam & bonitatem, tanquam veri & vnici Dei: & è regione damnabunt & execrabuntur omnia commentitia numina, quibus hactenus fuerant addictæ.

Quia tu, inquit, es magnus, & facis mirabilia] Repetit priorem cauſam, quam ſuprà verſu 8. attigerat. Gentes ideo agnoſcent & celebrabunt te, quia intelligent & experientur, quòd tua potentia ſuperet omnium creaturarum potentiam: & quòd ſolus ſis qui mirabilia opera edere poſſis. Nemo eſt qui opera tua vel cogitando aſſequi, nedum factis exprimere poſſit.

11 Oſtende mihi, [*doce me*] Iehoua, viam tuam: ambulabo in veritate tua: vnias cor meum ad timendum nomen tuum.

Hæc altera & principalis pars eſt precationis, in qua petit ſe in his calamitatibus regi verbo Dei, & à Spiritu ancto accendi in corde ſuo fidem, timorem & obedientiam erga Deũ, ne ſcilicet fractus magnitudine doloris, aut calamitatum, incipiat fremere aduerſus Deum, tanquam tyrannum, à quo iniuſtè plectatur, neue ſe ad quærenda illicita remedia conuertat: vt ſolet ratio humana in magnis calamitatibus, cùm ſe à Deo deſertam iudicat, vel ad creaturas & externa remedia, quæ in oculos incurrunt, ſe conuertere, vel etiam ab hoſte Dei diabolo opem & auxilium petere: ſicut Saul in ſua calamitate & alij multi. Nec quiſquam noſtrum eſt qui ſuis calamitatibus & ęrumnis non ſentiat ſe his cogitationibus vexari, vt qui à Deo præſens auxilium non mox videt, ea potiùs amplectatur quę foris ſeſe offerunt, atque his nitatur: & maxima pars hominum etiam noſtro tempore his cogitationib⁹ ſuperatur, vt deſerto Deo ad creaturas ſe conuertat. Dauid igitur ne ſimile aliquid patiatur, ita in ſuis calamitatib⁹ petit auxilium & liberationem diuinam, vt ſimul regi ſe & confirmari diuinitus petat, vt & perferre ærumnas poſſit, & ſi qua mora liberationis intercedat, conſtanter Deo adhæreat, atq; ab hoc vno liberationem expectet. Quo exemplo moneri nos docet, vt in noſtris periculis & ęrumnis eadem petamus.

Viam Domini] Via apud Hebræos plerumque ſignificat rationem & inſtitutum vitæ, mores, negotia, denique quicquid agimus, *Das einer fur hat oder thut, vnd damit er vmbgehet*, à quo non diſcedit: vt viator vrget viam quam ingreſſus eſt, nec ab ea diſcedit. Ita via Dei dicitur quod Deus agit, Deut. 32. Viæ Dei iudicium, id eſt, quicquid Deus agit, eſt iuſtum & æquum. Item, Dei perfecta eſt via, pſalmo 18. id eſt, omnia opera Dei ſunt perfecta, pſalmo 67. Vt cognoſcant in terra viam tuam, id eſt, rationem agendi quà vteris erga tuos, vel ſimpliciter, vt cognoſcant quomodo cum piis agas: & ſuprà in pſalmis aliquoties hoc modo vſurpatur vocabulum viæ. Nec incommodè hoc in loco ita exponi poteſt, vt vias Domini intelligamus rationem agendi cum piis in hac vita, quæ profectò talis eſt, vt ſi intelligatur, plurimum conſolationis piis mentibus afferat. Non ita agit cum piis, ſicut nos volebamus aut carni noſtræ gratum eſt: ſed mortificat primùm Deus ſuos, & ad inferos vſque detrudit, idque non eo conſilio vt his calamitatibus oppreſſi pereamus, ſed potiùs vt creſcat in nobis pœnitentia, fides, ardor inuocandi, & aliæ virtutes: poſtea verò viuificat & glorioſè liberat. Id quod teſtimonia ſcripturæ & exempla liberationum eccleſiæ oſtendunt. Hæc igitur via eſt Dei. Diaboli verò viæ ſunt contrariæ. Dauid igitur petit ſibi oſtendi has vias Domini: vt ſtatuat non ideo ſe affligi, vt in mortem æternam mergatur: ſed vt his calamitatibus edoctus diſcat à Deo petere & expectare auxilium & liberationem. Hoc igitur primum eſt quod petit. Deinde viæ Domini in Scriptura ſignificant etiam pręcepta & mandata Domini, vel verbum diuinitus patefactum, quod nobis præſcribit normam & rationem viuendi ſeu agendi, vt cum pſalmo 18. dicitur, Cuſtodiui vias Domini. Et pſalmo 119. Viam mandatorum tuorum curram. Item, Viam præceptorum tuorum fac me intelligere, id eſt, quanam ratione mihi viuendum ſit, iuxta eã quę mandaſti. Item, In via teſtimoniorum tuorum gauiſus ſum, vt in omnibus diuitiis. De his igitur viis loquitur etiam hoc in pſalmo. Oſtende mihi vias tuas, id eſt, doce me verbum tuum, rege me verbo tuo, vt in his calamitatibus tibi obtemperem, nihil faciam aut committam, quod pugnet cum verbo & voluntate tua, non fremam aduerſus te, non deficiam à te fractus calamitatibus, non obtemperem humanis conſiliis aut rationibus, quæ me à vera pietate abducãt: ſed vt ſemper verbum tuum intuear, idque vnica ſit norma vitæ & actionum mearum. Vias enim Domini ta-

citè hic opponit viis humanis, hoc eſt rationibus & conſiliis, quę humana ratio inſtituere ſolet. Ea vt remedium malis non inueniūt, ita abduci ab his animum & cogitationes ſuas, & verbo diuino inſtrui & muniri ſe petit.

Vt ambulem in veritate tua] Id eſt, vt totum me componam ad normam verbi tui, omiſſis omnibus cōſiliis humanæ rationis, quæ me in errores abducūt & in exitium præcipitant. Talia enim ſunt omnia conſilia humana in ærumnis & periculis, plena ſcilicet errorum, hallucinationum & periculorum, & tandem exitium afferunt: ſed viæ Domini ſunt veritas. In his qui ambulat, errare aut falli non poteſt, & certus eſt de ſua ſalute: tutò itaque his nititur fides. Ideo verbum Dei nominat veritatem, tacitè interea damnans dubitationes & errores humanorum conſiliorum extra verbum Dei. His enim nihil eſt vanius aut fugacius.

Vnias cor meum ad timendum nomen tuum] Repetit eandem petitionem: & verbo vniendi, illam antitheſin, de qua dictum eſt, comprehendit. Petit enim ſe ita regi & confirmari à Spiritu ſancto, vt ſoli Deo conſtanter adhæreat, ne cor ęſtuans cupiditatibus huc atque illuc ſuis affectibus rapiatur, aut alia ineat conſilia quàm quæ Deo probentur. De malis & ſceleratis hominibus inquit Ariſtoteles in Ethicis, στασιάζει αὐτῶν ἡ ψυχή. Talis eſt animus omnium, qui non reguntur verbo & Spiritu Dei. Fluctuant enim inter ſuos affectus, & leui momento huc atque illuc impelluntur. Dauid igitur petit vniri cor ſuum & ita componi, ne diſtractus ad varia, hęreat dubius, quemadmodum impia multitudo: ſed vt ſoli Deo addictus huic vni obtemperet, in hoc ſolo acquieſcat, atque ab hoc vno opem & auxilium expectet. Græcus interpres ſententiam ita reddidit, εὐφρανθήτω ἡ καρδία μου, vnde in Latino legitur, lætetur cor meum. Iudicauit enim verbum יחד eſſe futurum tertiæ perſonæ verbi חדד quod exhilarari ſignificat.

ליראה infinitiuus eſt cùm ה paragogico, alioqui enim legendum erat ליראת vel לרא vt ſcribitur 1. Sam. 18. Occurrunt autem alibi ſimilia exempla huius formæ infinitiui, vt Deuter. 4. ליראה אתי. Et Deut. 6. ליראה את יהוה. Et circulus indicat deeſſe hoc loco articulum את.

12 Celebrabo te Domine Deus mi in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum perpetuò.

Subiicit petitioni aliud argumentum, quod ſumitur à pollicitatione gratitudinis, ſeu à remuneratione. Apparet Dauidem iam tum inter precandum ſenſiſſe in corde efficacem conſolationem & pręſentiam Dei, idque ſequens verſus manifeſtè oſtendit, & ſupra aliquoties vidimus Dauidem inter ardentiſſimas preces celebrare beneficium liberationis, tanquam iam adeptum. Fides enim vera certò ſtatuit ſe exaudiri: & habebat Dauid peculiares promiſſiones de regno, quas fide intuens de liberatione fit certior. Ideo promittit gratitudinem, & quidem non vulgarem: dicit enim ſe non tantùm ore aut lingua prædicaturum hæc beneficia diuina, ſed toto corde ſeu ſerio cordis affectu, idque non ſemel tātùm, ſed ſemper & aſſiduè quoad vixerit. Ita oratio amplificatur à circumſtantiis. Hypocritæ, vt Ieſai. inquit, labiis honorant Deum, cor autem eorū longè eſt ab eo. Præterea multi ſunt qui ſatis eſſe putant ſemel atque iterum commemoraſſe beneficia diuina, idque tum maximè quando ſenſus acceptorum beneficiorum animos noſtros afficit, & memoria eſt recens, paulò verò poſt memoria beneficiorum refrigeſcit: eſtque vſitatum in vita, quod Pindarus inquit: παλαιὰ δ' εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Tales verò odit Deus. Nam is huiuſmodi cultores requirit, qui toto corde, & perpetuò, ac per omnem vitam beneficia accepta celebrent. Talem igitur gratitudinem promittit hoc loco Dauid, ſicut & ſup rà pſal. 43. Benedicam Domino omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: ſic & alibi perſæpe.

13 Quia bonitas [*miſericordia*] tua magna [*fuit*] ſuper me: & liberaſti animam meam è ſepulchro inferiori.

Subiicit cauſam. Nam, quia Deus in ipſo liberando inſigne & memorabile miſericordiæ ſuæ ſpecimen ediderat, inde fides Dauidis in precatione confirmatur, vt futuram liberationem tāquam iam exhibitam intueatur & celebret. Amplificat autem beneficium acceptum cùm inquit, ſe liberatum eſſe ex ſepulchro inferiore: ita enim periculum iſtud ſuum nominat, vt ſignificet ſe non tantum corporis periculo, ſeu morti expoſitum fuiſſe: ſed illos animi dolores, quos propter ſenſum peccati & iræ Dei ſuſtinuerat, multò maiores & acriores fuiſſe quàm ſenſum ſeu metum externorum periculorum, quæ corpori mortem & interitum allatura videbantur. Ideo hos dolores nominat ſepulchrum inferius, ſeu infernum inferiorem, quia altiùs hominem immergunt è xitio, quàm externa pericula, ſeu ipſa corporis mors. Et alibi eoſdem nominat dolores inferorum, quia ſunt initium ſeu guſtus mortis æternæ. Hæc vera eſt horum verborum interpretatio, vt ſepulchrum inferius intelligatur de animæ morte ſeu interitu: alterum verò ſepulchrum de corporis extincti domicilio ſeu receptaculo. Atque hinc facilè deprehenditur vanitas papiſtici commenti, quando ſuum purgatorium hinc elicere aut ſtabilire contendunt.

14 Deus, ſuperbi ſurrexerunt contra me: & cœtus robuſtorum quęrunt animam meam: & non ſtatuerunt te in conſpectu ſuo.

Sicut ſuprà verſu primo petitioni ſubiicit rationem à neceſſitate: quia inops ſit conſilij, & deſtitutus omnibus præſidiis externis: ita nunc eandem rationem amplificat à periculi magnitudine, videlicet à potentia, multitudine & impietate hoſtium ſuorum. Ideo, inquit, ſuccurre & fer opem, quia qui me oppugnant, homines ſunt ſuperbi & arrogantes: nulla quidem à me iniuria laceſſiti, ſed odio ſine cauſa contra me ſuſcepto, & quia me extinctum cupiunt, eo quòd ſuis cupiditatibus me obſtare exiſtimant, adeo crudeliter me oppugnant.

Alij reddiderunt: alieni, hoc eſt, barbari, qui omni ſenſu humanitatis exuti ſunt, inſurrexerunt aduerſus me. Nam inter vicinos interdum locus eſt aliquis miſericordiæ & clementiæ: ſed hoſtes longinqui, cum quibus nihil vnquā fuit nobis commercij, plerumque crudeliùs ſæuiunt. Ideo Scriptura alienos ſæpe accipit pro crudeliſſimis. Sed videntur illi hoc loco pro זרים zedem, legiſſe זרים zarim. ר in literā penè ſimilem ד mutato. Qui lapſus eſt facilis & creber. Sicut autem nomine זרים arrogantiam & faſtum hoſtium notat, quo ſolo fere mouebantur, vt Dauidem extinctum cuperent: ita nomine עדת multitudinem eorundem, & nomine עריצים potentiam & fiduciam propriarum virium deſignat. Tales enim ſunt qui eccleſiam in hac vita oppugnant. Primùm, ſuperbi qui omnes præ ſe contemnunt & deſpiciunt. nolunt enim admoneri à quoquam: &, ſi reprehendantur ipſorum errores aut vitia, ſtatim ingens odium aduerſus bonos concipiunt. Ideo mox vires omnes cogūt & expediunt aduerſus pios. Deinde ſunt robuſti, hoc eſt, non tantum valent viribus, ſed etiam tument fiducia ſuæ potentiæ, & exiſtimant nihil poſſe conatibus ſuis obſtare. Itaque hac fiducia excæcati nihil non tentant aduerſus eccleſiam Dei, ſunt truculenti, crudeles & omnibus bonis formidabiles. Poſtremò, tribuit illis extremam ſecuritatem & contemptum Dei & iudicij ipſius, cùm inquit, hoſtes non ponere Deum in conſpectu ſuo, hoc eſt, non cogitare quòd ſit Deus, qui videat quid in terra homines agant, cui curæ ſint res humanæ, aut qui vindex ſit ſcelerum: ideóque non metuere irā & iudicium Dei aduerſus peccata ſeu ſcelera, ſed furenter pergere quò fert cæca libido.

15 Et tu Domine Deus miſericors & propenſus ad gratiam [*benignus*] tardus ad iram [*longanimis*] multus clementia & veritate.

Repetit verſum quintum, in quo diximus eſſe argumentum ſumptum à Dei natura. Hic verò plura epitheta accumulat, vt fidem ſuam magis excitet & confirmet. Nam, hoc argumento tanquam firmiſſimo, maximè nititur ipſius fides, & hunc clypeum vnicum obiicit tam internis ſuis doloribus, quàm omnibus hoſtium ſuorum furioſis conatibus, quòd ſcit Deum eſſe miſericordem, qui videlicet calamitate & miſeriis ſuorum moueatur & afficiatur, eorumque malis compatiatur: & ſimul benignum, hoc eſt, plenum gratia, vt Iohannes reddidit, qui ſcilicet promptus ſit ad recipiendum peccatores in gratiam, ad benefaciendum & ad ferendum auxilium, deinde, etiamſi interdum propter peccata ſuos caſtiget: tamen iram ſuam temperet miſericordia, eúmque euentum largiatur, vt maior bonitas in liberatione, quàm in caſtigatione ſeueritas aut ira conſpiciatur. Vtrunque ſignificatur his vocabulis רחום וחנון.

Additur deinde aliud epitheton ארך אפים longanimis, hoc eſt, qui non ſtatim iraſcitur, cū eſt offenſus aut læſus, aut etiā cùm iuſtiſſimas habet iræ cauſas, nec aliter poteſt quin iraſcatur, non tamen tantum iraſcitur quantum debebat, & iuſtitia eius ſeuera requirebat, ſed pro ſua indulgentia & bonitate multa infirmitati noſtrę ignoſcit & condonat.

Multus clementia] Hoc per antitheſin opponitur priori: vult enim hoc dicere, cuius bonitas maior eſt quàm vt iraſci perpetuò peccatis noſtris poſſit: & quanquam peccata noſtra multa & magna ſunt, tamen gratia eius exuberat ſupra peccatum. Nunquam enim deficit fons ille bonitatis & clementiæ diuinæ, vt nec vnquam Deus illam ſuam bonitatem & clemen-

clementiam omnino exuit aut deponit: cùm econtra ira non perpetuò ei adſit, & ſeueritate in caſtigando non niſi rarò aduerſus ſuos vtatur: imò, vt Ieſaias inquit, Opus alienum à ſua natura tunc faciat cùm punit, vt operi proprio, hoc eſt, clementiæ & beneficentiæ deinceps ſit locus. Hoc eſt igitur quod inquit, Deum eſſe tardum ad iram, & multum clementia, hoc eſt, rarò iraſci aut vindicem ſcelerum ſe exhibere, cùm econtra perpetuò ſit bonus, & quidem ita bonus vt miſericordia & bonitas multis ſuperet eius iudicium.

Multus veritate] Id eſt, qui verax eſt & ſeruans promiſſi, quémque nõ pœnitet ſi quid liberaliter promittat. Inter homines etiam qui maximè ſunt benigni, cuperent interdum retractare ſi quid pollicentur, quia ſuæ facilitatis nonnunquam eos pœnitet. Sed Deus vt verax eſt, ita dona eius ſunt ἀμεταμέλητα. Sumptus autem eſt hic verſus ex 2. lib. Moſis ca. 34. & quia tanquam inſignis quædam gemma inter cæteras promiſſiones elucet, crebro repetitur in Scriptura.

16 Reſpice ad me & miſerere mei: da robur tuum ſeruo tuo: & opem fer (*vel ſalutem adfer*) filio ancillæ tuæ.

17 Fac mecum ſignum ad bonum (*ad beneficentiam*) vt videant oſores mei & pudefiant, quòd tu Iehoua auxiliatus es mihi, & conſolatus es me.

Concludit pſalmum repetitione propoſitionis, à qua erat exorſus. *Reſpice ad me*, id eſt, ſuſpice mei curam & defenſionem: non negligas iniurias mihi factas, non auertas te tanquam iratus. Hactenus enim viſus es faciem tuam à me auertiſſe, cùm fineres me mergi in triſtes calamitates. Nunc conuerſa ad me facie exhibe te rurſus placidum & benignum.

Et miſerere mei] Hoc eſt, motus gratuita miſericordia fer opem. Nam חנן ex conſequenti ſignificat ſæpe gratificari, ſeu gratis dare aliquod beneficium. Itaque hic refertur ad gratuitum auxilium.

Da robur tuum ſeruo tuo] Vt ſcilicet nõ tãtùm ſuſtinere vim & impetũ hoſtium poſſim: ſed multò magis vt dolores quos gignit ſenſus iræ tuæ aduerſus mea peccata, vincere queam. Illo enim robore maximè nobis opus eſt in ærumnis & calamitatibus, & facilè contemnitur potentia & furor hoſtium, niſi intus nobis luctandum ſit cum ira Dei & ſenſu iudicij diuini. Et quia non aliunde quàm à Spiritu ſancto hoc robur oritur, ἐμφατικῶς nominat id robur Dei.

Seruum Dei ſe nominat vt antè, qui Deum rectè agnoſcat & colat: & qui ab ipſo ſolo tanquam vnico domino ſuo pendeat. Eodem pertinet quod ſe nominat *filiũ ancillæ* Dei, quaſi dicat: ſe eſſe vernam & domeſticum Dei ab vtero matris, qui cùm natus ſit quaſi in grege Domini, non poſſit non ei curæ eſſe.

Fac mecum ſignum ad bonum] Id eſt, oſtẽde & declara aliquo euidenti ſigno, quòd non amplius iraſcaris, ſed quod mihi faueas, quodque me receperis in gratiã. Hactenus enim omnia mihi viſa ſũt plena deſperationis, quia ſenſus fauoris tui mihi erat ſubtractus: videbaris enim mihi iraſci, & inde fuerunt iſti triſtes dolores & anguſtiæ. Nunc ergo ſigno aliquo manifeſto excute mihi hos dolores, & exhilara me tua ope & auxilio. Alij ſimpliciter interpretãtur: Ede ſignũ aliquod bonitatis tuæ ergà me. quæ ſententia eodem redit cum priore.

Sed hîc quærat aliquis, Cur Dauid petat ſignũ, cùm Chriſtus obiurget Phariſæos petentes ſignum, Matth. 12 & 16. & Regium illum Iohan. 4. Reſpondeo, Petebant Phariſæi ſigna quadam curioſitate, & quidem talia qualia ipſis ſuauia erant futura. Regius verò ille ex quadã diffidentia & impatientia in cruce. Dauid autem petit vt glorificetur Deus in liberatione ipſius, & vt confirmetur doctrina quam profitebatur. Ita & alij petiuerũt ſigna, vt Gedeõ Iud. 6. & Moſes Exod. 4. vt & ipſi & alij confirmarentur de ipſorũ vocatione, quod eſſet diuina. Et Achas Ieſa. 7. iubetur petere ſignum, vt certior redderetur de promiſſione: Differunt igitur hæ actiones cauſis impulſiuis & finalibus, vnde ſumi diſcrimina notum eſt ex communi doctrina.

Vt videant] Addit aliud argumentum à cauſa finali. Ideo ſuccurre, vt hoſtes videant tuam præſentiam in eccleſia, & intelligãt non deſeri abs te tuos cultores, etiamſi ad tempus eos affligi ſinas, atque ita pudefiant, hoc eſt, excidant ſua ſpe & expectatione, qui hactenus me riſerunt & contempſerunt tanquam deſertum à Deo, quem nullo negotio opprimere vellent.

Quòd auxiliatus es mihi] Id eſt, quòd opẽ periclitãti tuliſti, méque ex imminenti periculo liberaſti.

Quod conſolatus es me] Diximus initio Prophetã duo petere in hoc pſalmo Primùm liberationem ex præſenti periculo. Deinde gubernationem Spiritus ſancti & confirmationem, ne ſuccumberet fractus animi doloribus. Ad liberationem igitur pertinet prius verbum עזר ad gubernationem verò & confirmationem poſterius [illegible].

PSALMI LXXXVI.

PARTES.

I. Petitionis locus I. à perſona ſupplicis, vbi pſaltes imbecillitatem & miſeriam ſuam exponit Deo, verſ. 1. benignitatem Dei ſecum communicatam ex gratia & fœdere eius: cultum, fidémque, verſ. 2. conſtantem inuocationem, verſ. 3. ſpem firmam, verſ. 4. quorum omnium fundamentum eſt natura Dei, verſ. 5.

II. Petitionis locus II. à perſona Dei: vbi fiduciam ſuam confirmat Dauid, & Deum ſupplicat, 1. A natura eius, v. 6. 2. A ſingulari experientia ſua, v. 7. 3. Ab operibus quibus Deus extollit ſe ſupra omne id quod dicitur Deus, & ſupra omnes, à v. 8. ad 11. vſque. 4. A gloria ipſius, quæ cum piorum ductu & ſalute coniuncta eſt, à v. 11. ad 14.

III. Petitionis locus III. A perſona aduerſariorum, quos ſuperbos, violentos & atheos appellat, verſ. 14.

IIII. Concluſio petitionis tres locos coaceruans ad conſequendam miſericordiam. 1. A perſona Dei v. 15. 2. A perſona ſupplicis, v. 16. 3. A perſona inimicorum, v. 17.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Quum natura Dei nihil magis propriũ ſit quàm ſuccurrere miſeris: & quo quiſque durius premitur & deſtituitur humanis auxiliis, benignius eũ iuuare: nõ abs re fideles proponũt Deo ſuas miſerias vt eius fauorẽ impetrent. Ne igitur in ſummis afflictionibus animos noſtros obruat deſperatio, ſuccurrat hæc fultura, pauperibus & miſeris hoc pſalmo precationem à ſpiritu ſancto fuiſſe dictatam.

2 Quandoquidem Deus pronuntiat ſe tam bonis cauſis, quàm probis iuſtitia cultoribus fore patronũ, fideles fide in Deum & bona conſcientia freti non abs re beneficentiam ſe coluiſſe teſtantur, vnde appareat iniquam referre ab impiis mercedem, qui gratis erga manſuetos ſunt crudeles.

Non ſufficit iuſtè & humaniter inter homines verſari, niſi etiam adiungitur fiducia in Deum recumbens quæ mater eſt pietatis. Nam quamuis nobis ſimus bene conſcij, & Deus ſit noſtræ conſcientiæ teſtis optimus, ſi tamen cupimus eum nobis adeſſe, ſpes noſtras & curas in eum reiicere neceſſe eſt.

3 Fideles nihil afferunt proprij meriti, ſed ſuppliciter à mera Dei gratia petunt liberationem.

Spes & fiducia piorum vehementiam in precibus excitat, & quanquam non ſemper ſonora voce preces concipiunt, occulti tamen eorum gemitus altè reſonant, & ex eorum cordibus penetrant vſque ad cœlum. Perſeuerantia quoque opus eſt, vt infatigabili ſtudio preces continuentur.

4 In eum finem Dei miſericordiam optare debemus, vt mœrore exempti pacem in cordibus noſtris ſentiamus.

Præcipua ritè orandi ratio eſt, vt animas noſtras attollamus ad Deum.

5 Fruſtra ad Deum confugerent miſeri, votiſque in cœlum aſſurgerent, niſi eſſent perſuaſi fidum eſſe remuneratorem omnibus qui eum inuocant in fide: infideles enim meritò in ſuis malis pereũt, qui neglecto Deo frænum contumaciter arrodunt.

6. 7. Pij preces ardenter iterant, grauibus doloribus conſtricti,

Contrà ſtupore perculſi ſunt, qui precatione vna defuncti fatiſcũt, niſi mox Deus annuat. Repetita autem piorum oratio eſt corã Deo boni odoris ſacrificium: certaq; fiducia vnuſquiſq; in ſuum peculiarem vſum ſibi applicare debet beneficium illud gratiæ, quod omnibus inuocantibus offertur.

8 Quum ad Dei altitudinem non perueniant hominum ſenſus, fideles operum teſtimonio contenti, commentitios eſſe omnes Deos ſciunt qui nullam exerunt virtutem, ſuperſtitioſorumq; delirijs inſultant, quòd abſq; vllo teſtimonio ſibi numina fabricant quæ audacter ſupra cælos euehunt.

9 Quoties pietatis conſenſum in gentibus prophetæ prædicant, reſpiciunt ad regnum Chriſti, ante cuius aduentum primordia tantùm quædam fideles libarunt manifeſtationis gloriæ, quæ tandem euangelij voce ſparſa fuit per totum orbem.

10 Dei gloriam ex mirabilium eius operum magnitudine cognoſcere, vera eſt diſcendæ pietatis ratio. Quamuis enim ſemper carnis ſuperbia in cælum tranſuolare cupiat, quia tamen in tam longa inueſtigatione deficiunt ſenſus noſtri, nihil vtilius nobis eſt quàm pro infirmitatis noſtræ modulo in operum ſuorum teſtimoniis Deum quærere.

Nonniſi in vnum Deum competit deitatis gloria, quia non alibi reperietur vel ſapientia, vel potentia, vel iuſtitia, & quicquid diuinum in admirandis eius operibus refulget: vnde ſequitur ſuperſtitioſos atheiſmum inuehere, qui Deum fraudantes ſuis virtutibus, quas eius ſeruis tribuere velle vidẽtur, nudũ fere nomẽ ei relinquũt.

11 Qui Deo ſubiiciuntur, eumq; implorant ducem, non alium rectè viuendi modũ agnoſcunt quàm vbi præit, nos verò ſequimur: atq; ita in errorem abducuntur quicunque vel minimum deflectũt à Lege, vt ſapiant ex proprio cerebro.

Si Dauid, tantus propheta ſuam ignorantiam ex animo fatetur, quantæ amentiæ erit non ſentire quid nobis deſit, vt tenuitatis noſtræ cognitio ad vlteriorem progreſſum nos ſtimulet? Et certè, quo quiſq; magis profecit in doctrina pietatis, eò meliùs ſentit ſe procul à ſcopo diſtare.

Non ſufficit lectio vel auditus, niſi intus nos Deus illuminet Spiritu ſuo, cuius proprium eſt mentibus noſtris infundere verum lumen, & voluntates flectere ad ſincerum obſequium.

Poſtquam quid rectum eſt didicerunt fideles, accedat firmus conſenſus neceſſe eſt, ne in prauas cupiditates cor ebulliat.

12.13 Deo promittenda eſt gratitudo & laudum eius perpetua celebratio, poſtquam beneficum patrem modis omnibus eum fuerimus experti. Et quũ Chriſti redẽptione erepti ſimus ex altiore mortis abyſſo, prorſus inexcuſabiles & omnium ſumus ingratiſſimi, niſi ſe quiſq; pro virili in hac liberatione prædicanda exerceat.

14 Vbi regnat ſuperbia, nihil eſt moderationis: & niſi homines refrænet Dei timor & diuini iudicij ſenſus, prodigioſus eſt libidinis illorum furor ad quiduis audendum.

15 Contra audaciam & rabiẽ impiorum ſatis eſt nobis præſidij in Dei bonitate, clementia, & fide: hocq; verũ eſt ac vnicum ſolatium, quanuis nos Deus caſtiget, non tamen miſericordiæ ſuæ obliuiſci.

Deus ſic natura propitius eſt & facilis ad dandam veniam, vt diſſimulet, pœnaſq; differat, nec vnquam niſi malitia noſtra coactus ad vindictam ſe accingat. Præterea longè diſſimilis eſt hominibus, quia non minùs ſibi conſtat largè præſtando quicquid pollicitus eſt, quàm liberaliter promittit.

16 Quia Deus eſt miſericors, ei ſalutem noſtram curæ eſſe confidimus.

Quum intus nos deficere ſentimus, eo magis nos precaria Dei virtute ſeruari cupiamus ac petamus.

Fideles ſe filios ſeruorum & ancillarum Dei vocando, non iactant ſua obſequia, ſed ex longa origine & diuturno curſu gratiæ Dei plus ſibi fauoris conciliant: ac ſi profiterentur ſe ab matrum vteris eſſe Dei vernas ac domeſticos.

17 Signum aliquod gratiæ ſibi dari cupiant fideles, quando vndique ad deſperationem impelluntur, & ad probandam eorum patientiam abſconditur ad tempus Dei fauor.

Fides piorum ex afflictionum & opprobriorum tenebris emergit, auxilio Dei omnipotentis qui ſuos in tempore iuuat & ſolatur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Fiducia ſeruorum Dei in precibus.
2. De pace conſcientiæ, eiuſdémque fulcris.
3. De Oratione fideli.
4. Dei Maieſtas quomodo conſideranda.
5. Piorum charitas & ſincerus erga Deum animi affectus.
6. Hoſtium Eccleſię ſuperbia, violentia, impietas ſumma.
7. Quæ ſigna diuinæ beneuolentiæ pij expetant.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVII.

PSALMVS hic, etſi breuis eſt, tamen plenus eſt doctrinæ & conſolationis: præſertim ſi conſideretur quo tempore fuerit ſcriptus & editus. Exiſtimant enim plerique ex doctioribus pſalmũ hunc fuiſſe compoſitum paulò poſt reditum ex captiuitate Babylonica, cùm omnia in eo populo plena eſſent mœroris, luctus & ſqualoris, non tantùm propter recordationem præteritorum malorũ, & propter attenuatum ac prope ad nihilum exilij miſeriis redactum populi Iſraelitici numerum: verùm etiam propter metum imminẽtium periculorum, quem conſpectus præſentium miſeriarum atque egeſtatis grauiorem efficiebat. Conuenerant in Iudæa, cùm edicto Cyri Regis Perſarum populo poteſtas facta eſſet redeundi in patriam, pauci numero, vt teſtatur hiſtoria Eſdræ. Hi cùm occupati eſſent in reſtituendo templo & cultu diuino reparando, variis modis impediebantur. Nam vt de fame & egeſtate nihil dicam, qua ad extremum premebantur, vt in Haggæo vidimus: habebant hoſtes perpetuò ceruicibus ſuis imminẽtes, vicinos omnes, qui reſtitui populum Iudaicum & rurſus coaleſcere in vnum corpus vehementer dolebant: ideoque Iudæorum operas calũniis & aliis variis technis atque artibus impedire conabantur. Cúmque artibus & dolis parum proficerent, tandem armis etiam turbare operas & multitudinem inermem opprimere conati ſunt. Cùm igitur ædificatio templi crebra hoſtium irruptione, & bellis aßiduis, quæ cum vicinis gerenda erant, impediretur, & præterea egeſtas populi faceret ne ſtructura noua eum ſplendorem, quem fuiſſe prioris ædificij meminerant, aſſequeretur, erant pij in hoc populo in perpetuo mœrore & luctu: cúmque fruſtra ſe laborare in eo opere exiſtimarent, & de reſtitutione templi & cultus diuini iam penè deſperarent, excitati ſunt diuinitus Zacharias & Haggæus, qui dubitantes & languentes confirmarent, & ad operas inchoatas perficiendas impellerent, quod conciones vtriuſque oſtendunt. Eodem igitur tempore & ad eum vſum etiam hic pſalmus à Spiritu ſancto dictatus & conſcriptus videtur. Vaticinium enim continet de reſtauratione, amplitudine ac gloria, cùm templi iſtius, cuius ædificatio tunc inſtituta erat, tum vrbis Hieroſolymæ: & affirmat maiorẽ huius tẽpli atque vrbis fore gloriã quã fuerat prioris: vt cogitatione huius futuræ gloriæ & operi cœpto alacriùs inſtarent Iudæi, & de religionis ac politiæ reſtitutione ſpem deinceps meliorẽ & certiorem conciperent. Gloriam autẽ hanc cõmendat propheta, Primùm *à gratuito Dei amore erga hũc populũ, & peculiari electione eius loci, in quo templũ & vrbs reſtaurabatur.* Deinde *à gloria vrbis futuræ.* Tertiò, *à multitudine gentium, & quidem ipſorum hoſtium, qui ſe paulò poſt adiuncturi eſſent ad ſocietatem huius populi, & à perpetuis eccleſiæ Dei incrementis.* Quartò *à ſtabilitate & duratione eccleſiæ.* Poſtremò, *à publica lætitia & concordia omnium ciuium eccleſiæ, qui tam voce quàm inſtrumentis muſicis aßiduè celebraturi eſſent laudes & beneficia diuina. De quibus omnibus inter interpretandum dicetur copioſius.*

Eſt autem huius pſalmi doctrina etiam ad noſtra tempora accommodanda. Nam & noſtro tempore tanquam

quam ſoluta captiuitate Babylonica, quam diu eccleſia perpeſſa eſt ſub tyrannide Pontificis, vbi cœpit reſtaurari apud nos templum Domini, hoc eſt, eccleſia Dei, idque miniſterio Reuerendi viri D. D. Marth. Luth. piæ memoriæ, & aliorum, quos Deus ei adiunxit συνεργάτας, Id opus ſaluberrimum conatur & quærit hactenus impedire Satan omnibus viribus: ideóque non tantùm Pontificem Romanum, ſed reges & monarchas orbis terrarum, & totas gentes in perniciem eccleſiæ excitat, & bella inflammat, quibus paulò pòſt Germania, Gallia, Anglia & cætera regna videntur conflagratura. Alibi verò falſos fratres concitat, qui calumniis & mendaciis eccleſiam deformant, aut opinionum nouitate fidei ſimplicitatem conturbant. Hæc pericula & mala præſentia quoties intuemur, aut metuimus maiora, veniat in mentem hic pſalmus: qui affirmat à Deo fundatam eſſe eccleſiam, & firmatam, vt euerti viribus humanis aut diaboli aſtu nullo modo poſſit: & hoſtes adeo non perfecturos quod moliuntur, ſtatuamus, vt ex illis ipſis, qui nunc eccleſiam perſequuntur, non pauci aliquanto poſt adiuncturi ſe ſint ad ſocietatem eccleſiæ, & abiecta idololatria vna nobiſcum verum Deum ſint agnituri ac celebraturi. Hac igitur conſolatione animos noſtros confirmemus, ne abiecta omni ſpe ab ædificatione templi deſiſtamus, aut operas cœptas deſeramus: néve periculorũ magnitudine fracti de Dei præſentia aut ſucceſſu deſperemus. Quam enim futuram eccleſiæ gloriam hoc loco prædixit propheta, eam ita extendi vſque ad finem mundi, vt nunquam magis conſpicua illa ſit futura, quàm cùm humano iudicio omnia ſunt deſperata, certum eſt. Hæc paulò prolixiùs dicere de argumento volui, vt & pſalmus rectiùs intelligatur, & animi auditorum ad conſiderandam magnitudinem rerum, de quibus in pſalmo dicitur, excitentur.

Filiorum Korah pſalmus cantici.

DE filiis Korah, qui fuit pronepos Leui, dictum eſt ſuprà pſalmo 42. 45. & 84. Habebant illi functionem ordinariam in templo, vt Leuitę, 1. Paralip. 26. Et cùm eſſent inter cantores, datus eſt illis hic pſalmus decantandus.

Inſcriptio enim hæc notat, pſalmum hunc Coritis datum eſſe aſſeruandum & publicè decantandum. Non enim exiſtimo Coritas fuiſſe autores huius pſalmi: ſed à propheta aliquo eius temporis, ſiue is fuerit Zacharias, ſiue Haggęus, ſiue alius quiſpiam, pſalmum fuiſſe conſcriptum, & deinde Coritis tanquam præfectis muſicæ (erant enim inter cantores) traditum eſſe.

Pſalmus cantici] Id eſt, Pſalmus in eum vſum compoſitus, vt publicè in templo & ſacro cœtu decantaretur.

1 Fundamentum eius in montibus ſanctitatis (*id eſt, ſanctis.*)

Hoc eſt, Deus fundamenta huius templi & vrbis poſuit in montibus ſanctis, id eſt, à ſe electis, & ad vſus ſanctos conſecratis. Vult enim in his montibus ſonare ſuum verbum & peragi cultus diuinos. Etſi igitur fundamenta non talia videntur, ſuper quibus ſplendidum aliquod ædificiũ extrui queat, & magna eſt populi egeſtas, & ſumptus conferentium paucitas, vt vix aliquid inſigne expectari queat, & præterea hoſtes perpetuò operas turbant & armis ædificantes infeſtãt: ea res tamen non debet frangere animos veſtros, vt laborẽ cœptum deſeratis, aut ſpem omnem abiiciatis. Cùm enim montes hi in quibus templum & vrbs extruitur, ſancti ſint, & diuinitus ad hunc vſum ſelecti, vt doctrinæ cæleſtis veritas hic conſeruetur, & cultus diuini peragantur, nemo debet dubitare, & ſplendidum ſatis fore hoc ædificium, & nullos hoſtiles impetus tantos futuros eſſe qui impedire aut infringere Dei conſilium poſſint. Ita primum argumentum ſumitur à loci conditione. Locus, inquit, eſt ſanctus, & peculiariter à Deo ſelectus ac conſecratus: ſicut & alibi dicitur in pſal. 132. Hæc requies mea in ſeculum, hic habitabo, quia elegi eam. Ergo neceſſe eſt operas inſtitutas procedere, vtcunq. hoſtes contra ſæuiant, & omnia moliantur, vt impediãt. Deinde ſatis erit ſplendoris in ædificio, ſi conſtet à Deo hunc locũ eſſe ſanctificatum. Splendor enim templi non æſtimandus eſt ex lapidibus cæſis aut lignis ſculptis, auróque & argento obductis, ſed à conſecratione ſeu electione diuina. Hæc ad noſtra tempora accommodentur. Nam & hoc tempore Deus elegit hoc oppidum Vvitebergam, in quo rurſus accenderetur vox doctrinæ cæleſtis, multis antea erroribus fœdata. Id igitur oppidum, etſi à multis hoſtibus eſt oppugnatum, manet tamen hactenus ſaluum: quia diuinitus ad hoc eſt electum & cõſecratum, vt in hoc oppido renaſceretur purior doctrina, atque hinc ad alios propagaretur. Hoc igitur beneficium agnoſcamus & celebremus, & quamdiu veritatem doctrinæ retinemus, de defenſione diuina minimè dubitemus. Relatiuum *eius* ponitur abſque antecedẽte, quod vſitatum eſt Hebræis: ideo ſententia eſt paulò obſcurior. Incertum enim eſt quò illud ſit referendum. Iudęi nimis ineptè relatiuum referunt ad vocem præcedentem. מזמור fundamẽtum ſeu thema huius pſalmi iactum eſt in montibus ſanctis, hoc eſt, de Ieruſalem, quæ fundata eſt in montibus.

Alij ad vrbem ipſam referunt relatiuum, quod tamen grãmatica non patitur. Eſt enim relatiuũ maſculinum, niſi fortè dicere velis eſſe ἐπίκοινον, quæ huic linguæ non eſt inuſitata. Nonnulli ex doctioribus relatiuum ad Deum referunt, cuius mox fit mentio ſequente verſu. Fundamentum eius, ſcilicet Dei, hoc eſt, quod Deus poſuit, eſt in montibus ſanctis. Hinc igitur illi colles ſatis ſunt muniti aduerſus vim hoſtilẽ: quia & conſecrati ſunt diuinitus, & Deus ipſe tãquam architectus hæc fundamenta poſuit. Eſt quidem & aliarũ vrbium & politiarum conditor Deus: ſed illæ non ſunt Dei ſacrarium aut habitaculum, ſicut vrbs Hieroſolyma. Hãc ſententiã planiorem & cum grammatica congruentem libenter amplector. Quòd ſi ea non ſatisfacit omnibus, relatiuum cogentur referre ad nomen היכל quo alibi ſæpe templum appellatur.

Montes intelligũt Moriam & Sionem quæ duo erant cacumina montis bicipitis. In illo templum extructũ erat: in hoc arx Dauidis. Sed videtur plures vicinos montes & contiguos, qui Ieruſalem cingebant, complecti: ſicut & infrà inquit pſalmo 124. Ieruſalem montes in circuitu eius.

2 Diligit Iehoua portas Sion præ omnibus tabernaculis Iacob.

Explicatio eſt præcedentis verſus. Dixerat enim, montes, in quibus fundata erat vrbs, eſſe ſanctos. Nũc igitur oſtendit vnde ſit illa ſanctitas, quæ tantam præſtantiã & dignitatem vrbi conciliabat, eámque tutam & munitã aduerſus omnem vim externam præſtabat, nempe à gratuito Dei amore, qui hanc vrbem præ omnibus aliis orbis terrarũ vrbibus, & quidẽ præ cæteris tabernaculis Iacob delegerat, vt in ea regnũ ſuum conſtitueret & teneret. De cauſa verò finali, cur Deus hãc vrbẽ delegerit, alibi dicitur copioſius. Voluit enim Deus eſſe aliquem certum locum in genere humano, in quo vſque ad aduentũ Meſſię conſeruaretur promiſſio tradita patribus. Ideo vrbem hanc elegit, & templum in ea extrui voluit. Portas συνεκδοχικῶς appellat totam vrbẽ, ſicut & in voce Sion eadem ſynecdoche eſt.

Præ tabernaculis Iacob] De hac ſententia dictũ eſt ſuprà pſalmo 78. Vbi dicitur Deus repudiaſſe Silo, tribum Ephraim, tabernaculum Ioſeph, vt in Sione habitaret quam dilexit. Inde igitur petantur quæ ad explicationem huius verſus pertinent.

3 Glorioſa (*præclara*) dicta ſunt (*multum gloriæ dictum eſt, Enallage numeri*) in te (*hoc eſt, de te*) ciuitas Dei, Selah.

Hoc ſecundum argumentum eſt, quo vrbem hanc commendat, & ciues ſuos ad moderãdum dolorem atque ad labores inſtitutos perficiendos hortatur: éſtque ſumptum à futura huius vrbis gloria. Erat quidem ſpecies vrbis, qualis tũc conſpiciebatur, valde miſera, & populi conditio deſpectiſſima, vt iam audiuimus, nec dubium eſt pleroſque intuentes præſentem ſtatum, & cogitantes de ſuis periculis, penè de tota re, hoc eſt, tam de ſua ſalute, quàm de vrbis & politiæ reſtauratione deſperaſſe. Hos igitur confirmat propheta, & futurum inquit vt ciuitas, quæ iam per ſe gloriæ ſatis habeat quòd Deum habeat & architectũ & præſidẽ perpetuũ, deinceps magis etiam celebretur. Vtitur autem verbo præteriti temporis loquens de futura gloria, non tantùm propter certitudinem euentus, vt mos eſt prophetis, verum etiam quia promiſſiones antehac traditas intuetur. Eſtque hæc ſententia huius verſus prophetæ: Qui ante nos fuerunt, glorioſa prædixerunt de hac vrbe, vt Ieſa. cap. 40. vſque ad finem libri, & alij. ea igitur certò euenient: & hac ſpe confirmati vincere dolorem ex præſentibus miſeriis conceptum, & perſiſtere in labore ſuſcepto debetis. Ita reuocat piorum mẽtes ad promiſſiones antea traditas, & nos monet, de eccleſiæ fœ-

licitare nō poſſe nec debere fieri iudicium ab illis rebus quæ foris cernuntur(ea enim talia ſunt vt eo cœtu qui dicitur eccleſia nihil ſit aut habeatur miſerius atque ærumnoſius)ſed recurrendū eſſe ad verbū,atque ex eo gloriam& felicitatem piorū eſſe æſtimandā.Qualis autem ſit ea gloria,dicitur alibi prolixè.Hieroſolymam nominat *ciuitatem Dei*,vt hac ipſa appellatione animos auditorū magis confirmet , & alacriores reddat ad cœptas operas perficiēdas. Ita autem dicitur,vt ſā monui,quia Deus ipſe fundator &conditor erat huius vrbis, & hanc ſibi delegerat, tanquam ſedem regni ſui & domicilium perpetuum vſque ad Meſſiæ aduentum. Quòd maluit dicere,in te,quā de te,hoc fieri iudico,propter promiſſiones antea ibi editas à prophetis,qui in ipſa vrbe verſabantur.

4 Memorabo Rahab & Babel inter cognitores meos:Ecce Philiſtini & Tyrus cum Æthiopia: hic natus eſt ibi.

Tertium argumentum ſumptum eſt à multitudine hominum,& quidem ipſorum hoſtium, qui non tantùm amicitiam Iudęorum expetituri eſſent:ſed etiam ad ſocietatem huius populi ita ſe adiuncturi, vt pro ciuibus vrbis Hieroſolymæ cenſeri velint. Ita futurum prædicit vt gentes aliquanto pòſt ad eccleſiam Dei perueniant: idque euentus comprobauit.Atque in vocatione gētium gloria huius populi magis fuit conſpecta : qua de re copioſius dicitur cum locus de vocatione gentium explicatur.Ego prolixam eius materiæ tractationē omitto, quia ſatis nūc eſt res ipſas digito quaſi mōſtraſſe,& genuinam ſententiā indicaſſe. Nominat autē propheta præcipuè illas gentes, quæ non tantùm notiores cæteris erant propter vicinitatē:ſed etiam quæ inimicitias perpetuò cum Iudæis geſſerant, & adhuc hoſtes erant huius populi infeſtiſſimi.Quid enim ab Ægyptiis perpeſſi ſint, quídque à Babyloniis,Palęſtinis& Tyriis, hiſtoriæ teſtantur : & hoc ipſo tēpore cùm in reſtauratione vrbis & templi eſſent occupati, ſubinde armis eos infeſtabant Palæſtini , Tyrij, & cum iis ſine dubio Ægyptij. Has gentes igitur nominans, à quibus maximè ſibi metuebant Iudæi, reliquas omnes comprehendit & intelligit.

Nomē *Rahab* Ægypto tribuitur Ieſa.30. pſalmo 89.& hoc in loco : fortè à ciuitate eius regni ſic dicta. Nomen factum eſt à robore &ſuperbia ſeu inſolētia vrbis eius & totius gentis.Loquitur autē propheta ſub perſona multitudinis in hoc verſu, Ego memorabo Ægyptū & Babel inter notos meos, id eſt,illi ipſi qui nunc me adeo hoſtiliter oppugnant,&delere conantur,nō multo poſt numerabuntur inter domeſticos & familiares meos,vbi ſe ad ſocietatem huius populi adiunxerint.

Tyrus Hebræis dicta eſt Sor , & Gellius ſcribit lib 14.c.6. Tyrum antea dictam fuiſſe Sarram, quod congruit cum appellatione Hebræa.

Iſte]Singularis numerus ponitur pro plurali collectiuè:refert enim omnes ſuperiores gentes.Iſte,id eſt,quilibet iſtorū natus eſt ibi, id eſt, ſponte renuntiabit patriæ ſuæ & profitebitur ſe ciuem huius vrbis, hoc eſt,membrum veræ eccleſiæ. In hac enim per verbum & Spiritum ſanctum renaſcetur ad vitam æternam. Loquitur autem de rebus futuris tanquam præteritis propter certitudinem.

5 Et de Siō dicetur:Vir & vir natus eſt in ea: & excelſus ipſe ſtabiliet eam.

Primùm eandem ſententiam continuat, eámque amplificat à perpetuis incrementis huius populi, hoc eſt , cœtus fidelium. Deinde aliud argumētum ſubiicit à firmitate & duratione ſumptum.Magna,inquit, celebritas erit huius vrbis, vbi ex diuerſis gentibus omni tempore multi ad eam accurrent & cupient ſcribi in catalogo ciuium Hieroſolymitanorum.Hanc enim ducent veram patriam, cuius ciuē eſſe ſummam iudicabunt eſſe gloriam. Itaque paſſim exaudientur illę voces cōgratulantiū ſibi & aliis.Vir &vir,vel hic &hic natus eſt in Sion,hoc eſt, cuiuſcunque gentis homines, & quidem alienigenæ reputabuntur in ſacro Dei populo,non aliter ac ſi originem à patre Abraham ducerent. Non eſt igitur cauſa cur paucitas incolentium hoc tempore nos angat. Erit enim populus numeroſiſſimus, vbi ex diuerſis gentibus huc confluent, ſeque inter ciues referri ac cenſeri cupient. Huc pertinent illa dicta Ieſa.54.Lauda ſterilis,quæ non pariebas,quia plures filij erunt deſertæ,quàm quæ marito coniuncta eſt: dilata locum tentorij tui, extēde funiculos, & clauos tuos conſolida. Item:Filij tui à longinquo venient,leua per circuitum oculos tuos.Omnes iſti congregabuntur tibi, &c. Ad has & ſimiles promiſſiones quæ apud Ieſaiam extant, iudico prophetam reſpexiſſe.Atque hoc illud eſt quod antea dixerat,glorioſa dicta eſſe de hac vrbe.

Vir & vir] Forma loquendi vſitata eſt Hebræis cum diſtributionem ſignificant,pro hic & hic, vel homines diuerſiſſimarum gentium, conditionum & locorum.Natiuitas autem de qua hic loquitur, non eſt carnalis, ſed ſpiritualis, quæ fit per ſpiritū adoptionis,ſeu regenerationem,idque mediante eccleſiæ miniſterio. Hæc enim regeneratione inſerimur in ſacri populi corpus,vt qui antea filij huius mundi ſeu ſeculi dicebamur , deinceps numeremur inter ciues eccleſiæ & filios Dei.

Excelſus ipſe ſtabiliet[firmabit eam.]Hoc quartum argumentum eſt,vt dixi ſumptum à duratione ſeu perpetuitate eccleſiæ.Deus ipſe firmabit & ſtabiliet hanc vrbem,hoc eſt,eccleſiam. Nam poſt vocationem gentiū vrbs hæc dilatata eſt per totum orbem terrarum,& diuino præſidio munita, vt nullis hoſtium viribus poſſit expugnari aut euerti.Cùm enim Deus cuſtos ſit & præſes huius vrbis, non erit felicitas eius momētanea,vt aliarum vrbium,ſed durabit perpetuò. Eſt quidem euerſa Hieroſolyma poſt exhibitum Meſſiam (tamdiu enim ſtare debebat incolumis) ſed noua illa Hieroſolyma , quæ adumbrabatur per hāc vrbem, & cuius illa typus fuit,hoc eſt, eccleſia vera,ita fundata eſt & firmata à Deo,vt nunquam euerti aut deleri queat.

6 Iehoua recenſebit [*numerabit*] ſcribendo populos,Hic natus eſt ibi,Selah.

Ruſus amplificat priorem ſententiam à cenſu ciuium, in quo vrbis huius gloria conſpicietur Populoſæ & potētes vrbes cenſus agunt ſuorum ciuium.Ab illa igitur cōſuetudine, vt in poemate,pingit Deū ipſum tanquam regem huius numeroſi populi agere cenſum , & omnes quotquot præcipuo honore dignatur,vrbi Sioni adſcribere , atque ita ciuē vrbis cęleſtis efficere. Quæ dignitas ſumma æſtimanda eſt.Humano iudicio illo tempore nemo erat qui nō optaret eſſe ciuis vrbis Babylonis,quæ caput erat reliquarum vrbium, & ſedes imperij,quò opes totius orbis comportabantur:quæ dignitas aliquanto pòſt Romam tranſlata fuit. Sed Deus vrbem Sionem hoc honore dignatur, vt omnes ſub ſe militantes velit eius vrbis eſſe ciues, & in cenſu ſuo huic vrbi eos adſcribat. Quæ dignitas profectò multo maior eſt quàm ciuem eſſe vel Babylonium,vel Romanum. Id verò cùm ita ſit , neceſſe eſt, omnes qui Deo nomina ſua dare & militiæ cæleſti adſcribi volunt, egredi patria ſua,&,vt ſuprà pſalmus 45.loquitur, obliuiſci populum ſuum& domum patris ſui,& in vrbe Sione,hoc eſt,in eccleſia denuo naſci,vt dici poſſit,Hic natus eſt ibi.abolita ſcilicet memoria prioris natiuitatis, quæ in hoc regno nihil valet,iuxta illud Pauli:in Chriſto neque Iudęus eſt neque Græcus. Galat.3.

Deſcriptio autem illa,quam hic propheta Deo tribuit, intelligatur de vocatione cuiuſque , quocunque tempore illa fiat.Quandocunque enim per verbum vocamur ad agnitionem Dei & per Spiritum ſanctum regeneramur, adſcribuntur nomina noſtra huic catalogo, in quo ciues regni cæleſtis ſunt deſcripti.Et ſolus Deus eſt, qui& numerat , & nomina ſingulorum deſcribit quia ſolusDeus nos vocat per verbum, & honor ille, vt ciues efficiamur huius vrbis, non niſi beneficio diuino nobis contingit.

7 Et cantores vt tibicines, omnes ſcaturigines meæ[*fontes mei*]in te.

Poſtremum argumentum ſumitur à concordia & publica lætitia ciuium laudantium Deum & celebrantium beneficia diuina.

Et cantores vt tibicines]Id eſt,paſſim in hac vrbe erit publica lætitia,& cōuenièt homines ad celebrādas laudes diuinas, quæ nunc ferè in hoc publico mœrore & luctu conſileſcunt: nec vno tantùm modo celebrabuntur beneficia diuina, ſed &voce & cantilenis , & inſtrumentis muſicis , eritque ſummus inter omnes in prædicandis beneficiis acceptis conſenſus.Tunc igitur ceſſabit ille dolor & luctus,qui nunc animos veſtros occupat, & ciuitas tota reſoluetur in gaudium. Loquitur enim tanquam de publica feſtiuitate, cùm nominat cātores & tibicines. Simul autem hic ſignificatur qualis cultus noui teſtamenti ſit futurus.Non erit oblatio victimarum, qualis in veteri teſtamento,ſed erunt vituli labiorū: hoc eſt, ſacrificium laudis.Alij paulò aliter hanc ſententiam reddūt. Tam facile erit inuenire in Ieruſalem præcones laudum diuinarum,quàm in aliis regionibus tibicines vt hoc modo abundantia fidelium in vrbe Hieroſolyma deſcribatur. Alij חוללים interpretantur ducentes chorum , vel ſaltantes ad modulos, quod ferè eodem redit cum prima interpretatione.

Omnes fontes mei in te]Hanc ſententiam iudico vice epiphonematis ſubiici,in quo tanquam in faſciculū collectas omnes laudes huius vrbis proponit. Dicit enim omnium ſcientiarū fontes in hac vrbe inueniri, Ita enim fontes interpretandos

dos exiſtimāt doctiores ſicut& ſuprà pſal. 65. Benedicite Domino de fontibus Iſrael, id eſt, ex doctrina, & ſecundùm doctrinam Iſraelitis traditā. Sola enim illa doctrina in hoc populo patefacta monſtrat verum Deum, & de eius voluntate erga genus humanū nos docet. Ideo dicit, omnes fontes ſcientiarum eſſe in hac vrbe, & in hac ſola ſcaturire fontes aquę viuæ, quæ ſitientes recreant: quaſi dicat, alias vrbes omnes, quantumcunque de ſuis doctrinis aut ſtudiis glorientur, vmbras habere potiùs, & lacunas aqua turbida & fœtida plenas, quàm fontes aut ſcaturigines aquæ viuæ. Quid enim ſunt omnes aliæ doctrinæ, ſi hanc demas?

Alij fontes accipiunt pro ſpe, alij pro affectibus, alij pro cogitationibus, alij pro modulationibus, quę ex pectore velut è fonte aquæ ſcaturiunt & ebulliunt: itaque ſic interpretātur, omnes cogitationes vel modulationes meæ in te, id eſt, quicquid laudis & gratiarum actionis aut celebritatis & præconij excogitare potero, totum illud impendam in te celebrādo. Atque hi relatiuum ad Deum referunt, non ad vrbem.

Alij nomen Hebræum interpretantur oculos ſeu aſpectū, Nam עין abſque מ hæemantico oculum ſignificat: ac ſi propheta dixiſſet, Ego in te quaſi defixis oculis ſemper intentus ero. Sed cùm nomē hoc quod in pſalmo ſcribitur, nuſquam aliter quàm pro fonte accipiatur, retineo ſententiam quam ipſa Grammatica gignit. Eſtque dulciſſima ſententia quòd dicit, Omnes theſauros ſcientiæ in eccleſia eſſe reconditos, vel fontes ſcientiarum ibi perpetuò ſcaturire.

PSALMI LXXXVII.

PARTES.

I. Propoſitio laudis, duplex. 1. A perſona Dei, Eccleſiam præſentia ſua beneficiiſque honeſtantis, verſ. 1. 2. 3. 2. A perſona eorum, qui in Eccleſia conuerſaturi ſunt: quia Iudæi accenſuri ſunt Gentes eccleſiæ ſuæ, & Deus cooptaturus, vt fiat vnum ouile, ſub paſtore vno. Maxima igitur lætitia ſe affici canit, quoties cogitat Deum pro decreto ſuo immutabili effecturum, vt hæc Eccleſiæ Iudaicæ bona, anguſtis finibus terminata ad omnes Gentes perueniant, vt generentur in Chriſto, verſi. 4. Eccleſiæ accenſeantur, verſ. 5. ac proinde eorum nomina in cœlis vt in terra conſcripta habeantur, verſi. 6.

II. Concluſio, v. 7. Eccleſiæ laudes allegoricè prædicans, ſuperiorum bonorum nomine.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Admirabili ac verè diuina breuitate docet nos hic pſalmus. 1. ſub typo terreni illius ſiue tabernaculi ſiue tēpli, vel prioris vel poſterioris, opus ſpiritualis tēpli Dei ex viuis lapidibus extructi, id eſt, eccleſiæ, eſſe prorſus diuinum. 2. Eiuſdem fundamentum eſſe vnius Dei beneplacitum. 3. Non eſſe certo loco alligatam eccleſiam. 4. Nihil eſſe illa firmius. 5. Ibi demum verum perpetuumq́ue gaudium regnare, vtpote quæ habeat vtriuſq́ue vitæ promiſſiones. 6. Vnam Dei eccleſiā ſupra omnia mundi regna & politias excellere, quia Deum habet ſalutis ſuæ præſidem, eiuſq́ue imperio gubernatur.

Verſ. 1. 2 Eſt quidem Deus mūdi & omniū vrbium ac locorum quæ in mundo ſunt conditor: ſed de nulla alia vrbe vel regione quā de Hieroſolyma, eccleſiæ typo, dictum legitur, Hæc requies mea in ſeculū, hic habitabo, quia elegi eam. Eccleſia. n. eſt peculiare Dei ſacrariū, & Chriſti regis æterni ſedes. Ibi enim pura religio, legitimus Dei cultus, & pietatis doctrina vigent, idq́ue mera Dei miſericordia.

3 Rectum de eccleſiæ felicitate iudicium non poteſt fieri, niſi dum eam ex Dei verbo æſtimamus. Gloria autem eccleſiæ in ſpirituali regno Chriſti quærenda eſt.

4 Præclara eccleſiæ dignitas in eo cernitur, quòd vndiq́ue ad eam aggregati ſunt qui eam ſpernebāt, ſummiq́ue honoris loco duxerūt ciues eius eſſe & haberi. Qui gloriatur ergo, in eo exultet quod ciuis eccleſiæ, id eſt, Dei domeſticus & regni cæleſtis hæres in Chriſto factus ſit.

5 Quia noſter in eccleſiam ingreſſus, ſecunda eſt natiuitas, optimè conuenit iſta loquutio, de Sion dicetur, vir & vir natus eſt in ea. Nā & ea lege Chriſtus fideles ſibi deſpōdet, vt populum ſuum obliuiſcātur, ac domum patris ſui, pſal. 45. 11. vt formati ac regeniti ſemine incorruptibili in nouas creaturas tam Dei quàm eccleſiæ filij eſſe incipiant. Gal. 14. 19. Renaſcimur autem in cæleſtem vitam per eccleſiæ miniſterium.

Non mirum eſt ſi nutent aliæ vrbes, variiſq́ue inclinationibus ſubinde ſint obnoxiæ: quia vnà cum mūdo voluuntur, neq. æternos habent cuſtodes. At eccleſiæ diuerſa eſt ratio, cuius perpetuitas in Dei virtute fundata, etiam cælo & terra ruentibus, conſiſtet.

6 Tam celebre fuit eccleſiæ nomen poſt Chriſti aſcenſum in cælos, vt in ciuium eius numerum ac ordinem referri omnes gentes cupidiſſimè ambierint.

Qui ſatanæ & peccati erant mancipia, nunquam ſibi propria induſtria ius ſupernæ ciuitatis acquiſiuerunt: ſolus eſt Dominus qui populos, vt viſum eſt, in ſuas claſſes diſtribuens, quum par ſit hominū condicio, alios ab aliis diſcreuit.

Deſcriptio cuius meminit propheta, ad vocationem pertinet. Nā etſi filios ſuos ante conditum mundum ſcripſit in libro vitæ, in ſuorum tamen catalogo tunc demum eos recenſet, quum regenitos adoptionis ſpiritu nota ſua inſignit.

7 Fines donorum omnium quibus tam liberaliter eccleſiā ſuam proſequitur Deus, eſt, vt hymnis & canticis ſuam erga eum gratitudinem teſtentur fideles.

Tunc demū in eccleſia ſubſiſtunt omnes noſtri affectus, dū à vagis vaniſq́ue diſtractionib. collecti, & poſthabitis mundi honoribus, deliciis, opibus, pompis, vna ſpirituali regni Chriſti gloria cōtenti ſunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Eccleſia Dei ſub lege & Euangelio.
2. Eccleſiæ fundamentum, Dei εὐδοκία.
3. Non certo loco alligata eſt hodie Eccleſia.
4. De Gentium vocatione.
5. Eccleſia nihil firmius, nihil celſius in terris.
6. Gaudium verum in vnica Dei Eccleſia regnat.
7. Nobilitas & gloria nulla extra Dei Eccleſiam.
8. Deus iis pater eſt qui Eccleſiam, in cuius incrementis exultant, matrem agnoſcunt.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVIII.

NON obſcurum eſt argumentum huius pſalmi, & iam complures eius generis à nobis ſunt explicati. Congruit enim cum his qui vulgò pœnitentiales dicuntur, vt eſt, 6. 32. 38. 51. & qui poſtea ſequentur 102. 130. 143. & cum aliis ſimilibus 25. 42. 43. 69. &c. Nec ſententia eſt obſcura: ſed res non intelliguntur niſi ab iis qui in veris exercitiis pœnitentiæ guſtum aliquem horum dolorum, quorum mentionem facit, perceperunt. Annius commentator Philonis exiſtimat hunc pſalmum editum & decantatum fuiſſe ſex annis quibus Ioakim fuit in carceribus apud Babylonios: & ſequentem pſalmum Philo ſcribit editum eſſe ad gratiarum actionem de conſeruatione gentis Iudaicæ, cùm ab Euilmerodach Ioakim eſſet ex carcere eductus. Id an ſit, nec ne, in medio relinquo. Propoſitio pſalmi eſt precatio: petit enim ſe exaudiri & liberari à cruciatibus & doloribus maximis, cum quibus luctabatur, ſentiens æſtum iræ diuinæ aduerſus peccata; atque hanc precationem, vt fieri ſolet in vehementibus animi motibus & ardenti deſiderio, ſubinde repetit & ingeminat. Petitioni autē ſubiicit longam & triſtem querelam à magnitudine dolorum, & calamitatum, quas ordine, facta diſtributione exponit, & multis figuris ac ſimilitudinibus exaggerat. Huic querelæ in qua magna pars

pſalmi conſumitur, ſubiicit deinde aliud argumentũ ab inutili. Si enim his doloribus oppreſſus pereat, ait, ſe deinceps beneficia diuina celebrare non poſſe, cũ inter mortuos ſit nemo qui laudes diuinas canat aut prædicet ad alios. Rurſus autem ad querelam delabitur, in qua primùm quaſi familiariter cũ Deo expoſtulat, quod tanto deſiderio petens & expectans liberationem hactenus non exaudiatur: deinde narrationem ſuorum periculorum & certaminum pertexit, vt horum magnitudine ac multitudine Deum tandẽ moueat ad opem ferendam. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Solet autem à nonnullis interpretibus de Chriſto exponi. Is enim ante alios omnes ſenſit irã & iudicium Dei, cùm noſtra peccata in ſe transferret, & totam iram Dei in ſe effundi cerneret, vt inquit Ieſaias. Itaque ſummi in Chriſto fuerunt dolores, de quibus antea quoque in nonnullis pſalmis, vt 22. & aliis dictum eſt, vt rectè de eo quoque hic pſalmus intelligatur, & dolores, qui hîc deſcribuntur, ſiue fuerint Hemanis ſiue Dauidis, ſint quaſi typus illorum maximorum dolorum Chriſti in paſſione & cruce, vt alibi quoque dictum eſt.

1 CAnticum pſalmi filiorum Korah, ad triumphandum ſuper Machelat ad affligendum, Eruditiuum Heman Ezrahitæ.

Titulum variè expoſuerunt interpretes. Et fatetur in huius pſalmi explicatione Rabi Kimhi, non conſtare ipſis quoque Iudæis, quæ ſit epigrapharum, quæ pſalmis præfixæ ſunt ratio: cuius rei cauſam eſſe arbitror, quòd pleræque epigraphę magis ad muſicam & rationem modulationis, quàm ad argumentum pſalmi explicandum referantur. Cùm autem muſica iam dudum vnà cum politia Iudaica interciderit, nõ mirum eſt pleraſque voces in epigraphis eſſe obſcuras aut ignotas. Itaque non magnopere de his, quæ ſine periculo prætereriri à nobis poſſunt, laborandum nobis eſſe exiſtimo.

על מחלת Felix & alij exponunt ſuper infirmitate, & exiſtimant pſalmum conſcriptum eſſe ab Heman in graui aliquo morbo, vel ſuo vel alterius. Sed in multis aliis pſalmis, videmus præpoſitionem על cum variis nominibus conſtructam referri ad muſicam. Et forma conſtructionis requirebat hoc loco poſt ſe genitiuum, ſi nomen appellatiuè ſumptum de morbo eſſet intelligendũ. Quia igitur nomina huic præpoſitioni in titulis pſalmorum adiuncta vel de inſtrumẽto muſico, vel de certa modulatione, ſeu tono, vt nominant, vel de initio cantilenæ notę ac vulgatæ, ad cuius numeros pſalmus fuerit decantandus, plerique exponunt, etiam hoc nomen מחלת ita intelligi volunt, vt vel inſtrumentum muſicum ſignificet, vel certam melodiam notet, vel initium ſit cuiuſdam cantilenæ.

לענות Qui מחלת exponunt infirmitatem, vertunt לענות ad humiliandum. Alij verò ad canendum: vt ſignificetur in choro pręcinendi ac reſpondendi vicibus alternatim canendum eſſe: quæ diuerſitas interpretationis ex diuerſa ſignificatione verbi ענה oritur. Ex Hebræis nonnulli ſunt, qui לענות putant fuiſſe initium carminis ad cuius numeros & hic pſalmus ſit decantatus. Alij rurſus inſtrumentũ, alij certam modulationem hac voce ſignificari arbitrantur, vt in hac diuerſitate quid ſtatuendum ſit haberi non poſſit.

Heman quis fuerit notum eſt ex primo lib. Paralip. c. 6. vbi inter præfectos cantorum numeratur, & originem ducit à Caath filio Leui: & vt 1. Paral. 15. ſcribitur, fuit frater Aſaph. Et 1. Paral. 25. inter prophetantes citharis, pſalteriis & cymbalis numeratur, dicitúrque ibidem fuiſſe videns & conſiliis ſuis gubernaſſe regnum: vt dubium non ſit hunc Hemam eſſe, cuius mentio fit 1. Reg. 4. Vbi dum laudatur ſapientia Salomonis, confertur cum Ethan, Heman, Chalal & Darda. Ideóque non mi um eſt hominem ſapientiæ ſpiritu præſtantem, pſalmi huius autorem eſſe. Dicitur autem Eſraita à loco ſcilicet, idque ad differentiam alterius antiquioris, cuius mentio fit 1. Paral. 2. vbi nepotes Iudæ filij Zare numerantur hi tres, Zami, Ethan, & Heman. Vocabulum ipſum אזרח: ſignificat indigenam, item arborẽ, non aliũde tranſplantatam.

משכיל. Hæc vox optimè congruit cum argumento pſalmi. Et ſupra vidimus in ſimilium pſalmorum titulis poni hanc vocem. Sunt enim παθήματα μαθήματα, non tantùm his qui ærumnis ſunt oppreſſi: ſed etiam aliis qui exempla eorum intuentes ſeſe præparant ad ſimilia certamina, & remedia ex aliorum patientia, fide & conſtantia ſuis malis petunt. Significat igitur hæc vox Deum ita exercuiſſe hunc Hemam, vt in eo nobis omnibus proponeret exemplum. Primum, raræ afflictionis & crucis, deinde patientiæ, fidei & conſtãtiæ in afflictione: nóſque eius exẽplo moneret, vt in ſimilibus ærumnis & doloribus diſceremus confugere ad Deum ſalutis, atque ab hoc vno opem & auxilium petere & expectare.

2 Iehoua Deus ſalutis meæ, die clamo, nocte coram te.

3 Veniat in conſpectum tuum precatio mea: inclina aurem tuam ad clamorem meum.

Hi duo verſus propoſitionem pſalmi continent, quę vt dixi, eſt precatio, vt exaudiatur & liberetur: ſúntque ſtatim propoſitioni aſperſa duo argumẽta, primũ ab autoris erga Deum fide. Deinde ab eiuſdem clamore ſeu inuocatione: idque argumentum amplificatur, à circumſtantia temporis. Quòd enim nominat Deum ſalutis ſuæ, oſtendit ſe in his doloribus ſuis à ſolo Deo pendere, atque ab eo petere & expectare liberationem: & hunc ſolum eſſe, qui afflictum poſſit conſolari, erigere & reſtituere. Atque hæc vnica vox fidei, in hoc pſalmo, quæ omnibus iſtis querelis triſtiſſimis, quibus tota pſalmi oratio conſumitur, prælucet, & dolores acerbiſſimos, quibus penè iacebat oppreſſus, ſuperat. Abſque hac enim ſi fuiſſet, nunquam auſus fuiſſet prodire in cõſpectum Dei, aut ſuas querelas in eius ſinum effundere: ſed extinctus fuiſſet deſperatione, ſicut Cain, Saul, Iudas & ſimiles. Suo igitur exemplo nos monet Heman, vt acceſſuri ad Deum & querelas de calamitatibus aut doloribus noſtris allaturi, priùs fide pectora noſtra muniamus, & doloris intemperantiam cohibeamus, ne victi magnitudine doloris, in fremitum aut indignationem aduerſus Deum magis quam in querelas prorumpamus, aut clamore noſtro ex impatientia orto magis eum offendamus quàm placemus.

Quod dicit ſe die ac nocte clamare, oſtendit primùm magnitudinẽ doloris, qui nũquam eum quieſcere ſinat. Quando enim conſcientia angitur dolore de peccato, non concedit ſomnum oculis, nec ſinit hominem quieſcere. Deinde ingens deſideriũ & ſummam animi contentionẽ in implorando Dei auxilio notat, dum ſine intermiſſione dicit ſe ad Deum ſuſpiraſſe, ploraſſe & clamaſſe.

Coram te] Hæc particula nõ eſt otioſa: ſignificat enim ſe nõ temere effudiſſe querelas aut proieciſſe in aerem, vt ſolent plerique in ſuis calamitatibus, qui ſpem nullam habent: ſed querelis ſemper vota miſcuiſſe pro impetranda ſalute, & ea ad Deum direxiſſe, vbi iterum ſe fides conſpiciendam præbeat. quod diligenter notandum eſt, vt quales ſint querelæ ſanctorum intelligatur.

4 Quia ſaturata eſt malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.

Subiicit rationes propoſitioni ſumptas à neceſſitate, quibus oſtendit cur tantopere ac ſine intermiſſione clamet, & cùr ſe liberari quamprimum petat. Sequitur igitur nunc triſtiſſima querela qua magnitudinẽ ſui doloris exponit, & impelli ſe indicat, vt tanto ardore & deſiderio opem diuinam imploret.

Primùm inquit, animam ſuam ſaturatam eſſe malis, hoc eſt tanta mole calamitatum obrutam, vt ferre aut ſuſtinere ampliùs nequeat. Significat ſaturari, cùm in bonam partem accipitur, abundè perfrui bono, ita vt ampliùs nihil requiras. Corpus enim ſaturum non ampliùs appetit nec admittit cibum. Ita pſalmo 103. in bonam partem accipitur. Qui ſatiat bonis maxillas tuas, id eſt, facit vt abundè omnia ſuppetant & nullius indigeas. Saturari igitur malis econtra ſignificat ita obrui mole calamitatũ, vt amplius non ſis ferendo, ſed neceſſe habeas ſuccumbere, niſi aliunde aliquid opis affulgeat. Vt enim nauis nimium onerata mergitur: ita corpus & animus oppreſſus dolore extinguitur, niſi releuetur.

Animam maluit dicere quàm corpus, quia illi dolores de peccato maximè in animam ſæuiunt.

Vita inferno appropinquauit] Id eſt, non procul abeſt à morte & ſepulchro, nihilque verſatur ob oculos niſi mortis imago. Cùm enim ſpes nulla apparet & dolores de peccato ſubinde creſcunt, homo tandem mergitur in mortem, niſi diuinitus retrahatur atque erigatur.

5 Reputatus ſum cum deſcendentibus in ſepulchrum [*foueam, lacum*] fui tanquam vir [*cui*] nulla virtus.

Confirmat priorem ſententiã. Non ego tãtùm, inquit, ſed alij quoque iam deſperauerunt de mea vita, méque iis adnumerauerunt, quorum cadauera efferuntur ad ſepulturam. Iam enim vires meæ omnes cõciderant & ſpiritus vitales erant extincti. Vtitur autẽ nomine גבר quod à fortitudine dicitur potiùs quam אדם aut איש vt ſignificet tantam eſſe

horum

horum malorum atrocitatem & dolorum vehemētiam, quæ vel robuſtiſſimum quemque frangat.

6 Inter mortuos liber: tanquam occiſi iacentes in ſepulchro, quorum non es memor ampliùs, & qui à manu tua abſciſſi ſunt.

Amplificat eandem ſententiam à ſimili: dicit enim ſe ita habitum eſſe pro mortuo, vt qui in magna ſtrage inter cadauera occiſorum iacent, & cum mortuis ſimul abiiciuntur.

Liber] Scilicet vitæ, *frey vom leben*. vel, liber ab iis rebus quę ad hanc vitam pertinent, & quaſi alienatus à mundo & negotiis mundanis. Dicitur enim liber qui nulli eſt obſtrictus, vel qui derelictus aut ſeparatus eſt ab aliquo. Ita domus libera 2. Reg. 15. accipitur pro ea quæ ab aliis eſt ſeparata, cuiuſmodi ſunt leproſorum Ita Rom 6. Liber iuſtitiæ dicitur, qui non ſtatuit ſe obligatum eſſe ad iuſtitiam: ideòque non facit iuſta opera. Item Iob 3. Seruus dicitur liber à Domino, qui nullo iure ei eſt obſtrictus. Auguſtinus, qui de Chriſto pſalmum interpretatur, liberum inter mortuos eum dici affirmat, quod ſolus inter mortuos fuerit liber ſeu non vinctus morte, vt Petrus dicit Act. 2. ſed illas argutias omitto, quod enim huc non reſpexerit propheta, oſtendunt verba quæ ſequuntur.

Quorum non eſt memor] Hoc etiam ad amplificationem malorum pertinet. Nihil enim triſtius dici aut cogitari de homine poteſt, quam obliuioni traditum eſſe à Deo & abſciſſum eſſe ab eius manu, id eſt, cura & cuſtodia, idque reuera experiri ipſa eſt damnatio. Nec tamen exiſtimandum eſt prophetam ita loqui, quod ſtatuat mortuos iam prorſus eſſe obliuioni traditos, nec curæ eſſe ampliùs Deo. Scriptum eſt enim, beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apocalyp. 14. Et ſancti morientes animas ſuas Deo commendant, qui ſtatuunt ſe curæ eſſe Deo, & poſt corporis mortē quoq; cuſtodiri. Sed ita loquitur propheta vel ex vulgi ſenſu & communi hominum iudicio, vel etiam ex carnis ſuæ ſenſu, vbi ſcilicet magnitudo doloris ei talia exprimit. Sicut videmus multos ſanctos, vt Ieremiam, Iob & alios interdum ita abripi dolore & perturbatione, vt animo ſuo nimiùm indulgendo querelas iuſto grauiores effundant. Interea tamen retinent ſcintillā aliquam fidei qua mox ſeſe recolligunt, vt Iob poſt multas querelas dicit, etiamſi occiderit me, ſperabo in eo. Hæc exēpla ſanctorum intueri vtile eſt, vt nos quoque in noſtris tentationibus, ſi forte fides langueſcat, & dolor animi interdum lucem fidei quaſi obruat & ſepeliat, rurſus tamen erigamus, & fide illos dolores excutiamus & ſuperemus. Id quanquam difficile eſt, tamen ſciamus ad hanc militiam nos eſſe vocatos, & Spiritum ſanctum adeſſe luctantibus & conantibus retinere fidem & ſpem. Et Chriſtus inquit ad Petrum, Ego pro te oraui ne fides tua deficiat.

7 Poſuiſti me in fouea infima: in tenebroſis, in profunditatibus.

Amplificat eandem ſentētiam ab alia ſimilitudine. Comparat enim ſe captiuo, qui in profundum, tetrum, tenebricoſum ac lutoſum lacum ſit coniectus, vbi concluſus ac cœno & tenebris immerſus nihil ſpei de vita reliquum habeat, qualem Ierem. expertus eſt cap. 37. Significat autem hac ſimilitudine ſe in ſummis ſuis anguſtiis & animi doloribus deſtitui omni ſpe & ſenſu conſolationis, & terrores mortis ſubinde creſcere & augeri. Nam tenebræ & profunditates ſignificant in Scriptura terrores, pauores, metus, dolores, quos tenebræ naturaliter adferunt. Sicut econtra lux conſolationem, vitam & lætitiam deſignat.

Notandum tamen quod dicit ſe à Deo coniectum eſſe in hunc locum (quod enim Græcus in tertia plurali reddidit ἔθεντό με, error eſt grammaticus.) Nam hæc ipſa vox ſignificat eum adhuc retinere ſcintillam fidei, nec prorſus dolori ſuccumbere. Qui enim ſtatuere poteſt ſe à Deo affligi, aut manu eius percuti, is nondum abiecit omnem ſpē, nec omnino deſperauit de ſua ſalute, vel auxilio diuino. Sēper enim reſpicit ad cōſilium voluntatis Dei, qui non punit vt perdat.

8 Super me incubuit ira [*indignatio*] tua: & omnibus fluctibus tuis afflixiſti, Selah.

Pergit in commemoratione atque exaggeratione ſui doloris. Dicit enim ſe totam molem iræ Dei ſuſtinere, quia omnes fluctus indignationis diuinæ ſenſerit in ſe effundi. Illud verò propriè cōgruit ad Chriſtum. Sed & Heman, Dauid & alij multi, guſtum aliquem eius rei perceperunt, vt exiſtimarent ſe totam molem iræ diuinæ ſuſtinere. Itaque cùm de his ſermo eſt, referendus eſt intellectus ad horum ſenſum, non quod reuera illud ſenſerint (fuiſſent enim vno momento abſorpti) ſed quod tantus eſſet dolor, vt iudicarēt, nihil ad hunc poſſe addi.

Fluctus nominat illas vices dolorum & paſſionum crebrò recurrentium & incertū exitum minitantiū. Eſtque illa ſimilitudo à fluctibus ſumpta, aptiſſima ad deſcribendos hos dolores. Fluctus enim in mari concitato cùm ſe attollunt in ſtar montium & magno impetu ingruunt, ipſiſſimam mortem periclitantibus obiiciunt: & quanquam fit vt ſæpe elidantur, nec fluitātem mox obruant: tamen quia ſubinde alij poſt alios recurrunt, ſemper præſentis mortis terrores ſecum adferunt. Fluctus autem illos nominat Dei fluctus, quia diuinitus ſtatuit ſibi hos terrores immitti.

9 Remouiſti notos meos à me: poſuiſti me abominationes iſtis: concluſus ſum vt non egrediar.

Ad interiorem illum dolorem, quem ex cōſpectu ſeu ſenſu iræ Dei capiebat, accedit alius dolor ex perfidia amicorū, qui animum eius non leuiter vulnerauit. Ita enim fieri ſolet vt in calamitatibus etiam coniunctiſſimi nos deſerant, eáque res quantum dolorem bonis pariat, norunt qui aliquando illam perfidiam ſunt experti. Auxit enim dolorem Hemani, quòd vidit amicos non tantùm perfidè diſcedere ab amicitia, ſed etiā prætextū quærere ſuę perfidiæ. Cùm enim dicit ſe illis fuiſſe loco abominationis, ſignificat eos abhorruiſſe à ſe non tātùm vt calamitoſo: ſed etiā vt ab homine ſcelerato, quē Deus propter peccata multiplicia ita percuſſiſſet, vt hoc quaſi ſigno vnumquemq; ab amicitia & cōſuetudine eius abſtraheret. Iudicant enim homines ſe iuſtè eū odiſſe, aduerſus quē Deus iræ ſuæ ſigna edat. Ita amici Iob deſerunt eū tanquam ſceleratum: ſic Iudæi dicunt apud Ieſaiam de Chriſto, Nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum, c. 53. Hoc igitur fuit grauiſſimum Hemanis vulnus, quòd animaduertit ſe ab amicis haberi pro re abomināda & deteſtabili, cuius vmbra aliis obeſſet, & à cuius conſpectu iuſtè abhorrerent. Vnū tamen eſt, quo ſe confirmat, quòd ſtatuit à Deo id factum eſſe, vt amici alienarentur.

Concluſus] Id eſt, oppreſſus magnitudine doloris ſedeo domi concluſus, vbi me contineo, nec audeo prodire in conſpectum hominum, quos ſentio omnes meam conſuetudinem refugere. Alij ita exponunt: Circumuentus ſum ærumnis intolerabilibus, & velut æterno detineor carcere, vt non detur vlla euadendi facultas.

10 Oculus meus contabuit propter afflictionem: inuoco te quotidie Iehoua, expando ad te manus meas.

Rurſus amplificat querelam ab effectu nimij doloris. Tantus eſt dolor vt oculi emarceſcant, nec vllus ampliùs in iis ſit vigor. Deficientibus enim ſpiritibus, oculi incipiunt caligare, vt videre eſt in morituris, quibus omnia videntur tenebris inuolui: atque idem accidit iis qui dolore animi contabeſcunt & conſumuntur, vt dicitur Prou. 17. Spiritus triſtis exiccat oſſa. Eſtque ſimilis querela pſalm. 6. Iob. 17. Tantis autem doloribus oppreſſus Heman non abiicit fidem, nec deſperat omnino de ſalute: ſed perſtat orando quotidie: & quanquā auxiliū videt differri diutiùs quàm vellet, tamen inſtat & vrget etiam contra rationis ſenſum, petēs & expectās liberationem. Ita ſignificat ſe inter ſummos & dolores & pauores nunquam tamen exuiſſe omnem fidem. Quomodo enim inuocabunt, inquit Paulus, in quē non credunt? Rom 10.

Expando] In ſeria oratione etiam geſtus congruunt cum affectibus cordis. Itaque ſicut cor tunc eleuamus ad Deum: ita manus etiam expandendo ad Deum attollimus, corpus ipſū ſublaturi in cælum ſi poſſemus. Interea hic ipſe geſtus oſtendit, eorum qui ſeriò orant, mentem ab omnibus rebus humanis ſeiunctam & ſegregatam, & ſupra harum curas ac delectationes omnes in ipſum quaſi cælum ſubuectam eſſe.

11 Nunquid mortuis facies mirabile? nunquid mortui reſurgent, confitebuntur tibi? Selah.

12 An narrabitur in ſepulchro clementia tua, [*aut*] veritas tua in interitu?

13 Nunquid cognoſcetur in tenebris mirabile tuum? & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Miſcet querelæ aliam rationem, ſumptam partim ab inutili, partim à cauſa finali. Si me, inquit, interfeceris, non potero deinceps celebrare laudes tuas, aut prædicare beneficia accepta. Mortui. n. non laudant te. Quia igitur agnoſci & celebrari vis beneficia tua, ſerua me in his periculis, vt liberat tibi gratias agere, tua beneficia prædicare, & alios hac prædicatione ad agnitionem & celebrationem nominis tui inuitare poſſim. Hæc ſumma eſt horum verſuum: & ſimiles ſententias habuimus pſalm. 6. & 30. vt non opus ſit longiore explicatione. Interrogatio verò qua orationem exornat, q-

ſendit prophetam proximum eſſe morti,& iam quaſi in extremo articulo poſitum eſſe, quaſi pereat, ſi Deus ſuccurrere velit,vt faciat id quamprimum:ne,ſi differat auxiliũ, pereat iuuandi opportunitas. Talis oratio,vt ſæpe in aliis pſalmis monui,ſapit quodammodo carnem. Neque enim noſtrum eſt præſcribere Deo tempus & modum ferendi auxilij: ſed ſimpliciter in eius promiſſione acquieſcendum eſt fide. Tanta autem eſt imbecillitas, vt ſæpe affectus noſtros miſceamus precibus noſtris, Deóque quaſi præſcribamus quid fieri cupiamus aut velimus, præſertim in magna neceſſitate, idque ita vt ſæpe fides tunc non conſpiciatur, ſed planè ſepulta iaceat. Et tamen quę eſt bonitas diuina, imbecillitatem hanc nobis condonat,modò affectibus non nimium indulgeamus, ne fides prorſus ſuccumbat aut extinguatur. Hæc diſcenda ſunt ex his exercitiis ſanctorum. Nam ad noſtram doctrinam hęc ſcripta ſunt.

Nunquid mortuis facies mirabile?] Id eſt,nunquid edito miraculo reuocabis omnes ad vitam;vt tuas ſcilicet laudes celebrent? Id quanquam Deus non facit (neque enim id ſolet: nec futurum eſt niſi in extremo die) tamen fides eius ſtatuere debebat,etiã in morte ſua celebrari poſſe laudes diuinas, ſicut Chriſtus inquit:ſi hi tacebunt,lapides loquentur. Infirmitas ergo ex his querelis conſpicitur, quæ tamen fide vincenda & ſuperanda eſt.

Nunquid mortui reſurgent] Quaſi dicat,quis potentiã, bonitatem ac fidem tuam celebrabit,niſi viuus? Græcus reddidit ἢ ἰατροὶ ἀναστήσουσι, an medici ſuſcitabunt? Sed cum verbũ יקומו ſit neutrum, non poteſt reddi actiuè:& tota oratio ſatis oſtẽdit quid velit propheta. Etſi igitur verbum רפא ſignificat ſanare aut mederi, & nomen רפא inde deductum gigantem ſignificat, qui nomen habet, quòd potens ſit ad medendum vel ferendum auxilium afflicto: tamen ſæpe per antiphraſin accipitur pro eo cuius ſanitas eſt deplorata, atque inde vel mortuos vel morti vicinos interpretamur. Quemadmodum & Germani tales nominant *Bettriſen*. Et alioqui communicat hoc nomen cum alio vicino רפה ita vt promiſcuè ſcribatur vel א vel ה vt non incõmodè ab hoc verbo deduci poſſit nomen. Significat autem רפה remiſſum eſſe,languere, clangueſcere,torpere,deorſum vergere,*Hinfallen vnd nider ſincken*,vt corpora expirantia.

Duobus ſequentibus verſibus idem dicitur quod in præcedente.

Veritas] Id eſt,fides in ſeruandis promiſſis.

Iuſtitia] Quę tuetur ſuę fidei commiſſos.

In tenebris] Id eſt,inter mortuos,qui ſunt perpetuis tenebris oppreſſi.

Terra obliuionis] Id eſt,cuius nõ eſt memor ampliùs. Ita nominat ſepulchra mortuorum: & tamen non exiſtimat morte hominis omnia ita aboleri,vt Deo ampliùs nõ ſint curæ,aut vt in tenebris & perpetua obliuione ſint. Sed loquitur partim ſecundùm iudicium humanum (hominibus enim nullius rei tam citò obrepit obliuio quàm mortuorum) partim verò de ordinario modo,quo Deus in liberandis ſuis vtitur. Non enim ſolet Deus à morte excitare à quibus agnoſcatur & celebretur,ſed à viuentibꝰ vult agnoſci & celebrari. Ideo petit ſe eripi ex his periculis & doloribus, antequam opprimatur: ne, ſi moriatur, hæc facultas ſibi eripiatur. Alij interpretantur in terra remotionis, quò ſcilicet remouentur mortui. Significat enim verbum transferre,remouere vel auferre.

14 Et ego ad te Iehoua clamaui:& mane oratio mea præueniebat te.

Etiam hoc ad querelam exaggerandam pertinet, quòd hactenus ſcilicet fruſtra clamarit: & quanquam nullum diem prætermitteret, quin ardentiſſimas pro ſua ſalute ad Deum preces funderet,nihil tamẽ hactenus opis impetrare potuerit. Et quidem verbo præueniendi ſignificat ſe non fuiſſe ſegnem aut ſomnolentum in precando, nec cunctatum fuiſſe donec vltima vrgeret neceſſitas: ſed feſtinaſſe & tempeſtiuè adhibuiſſe preces Deo, nec mora fractum eſſe hactenus, vt vel deſperaret de ſalute,vel preces omitteret: nũc vero cum res in extremo periculo poſita ſit, nec viuere ampliùs in tantis doloribus poſſit,petit ſe tandem reſpici & iuuari.

15 Quare Iehoua repellis animam meam: abſcondis faciem tuam à me?

Pergit in inſtituta querela,& multis gemitibus deplorat quòd Deus adeo durum & inexorabilem ſe hactenꝰ præbeat: qui tamen ſe benignum & facilem ad preces piorum in verbo ſuo oſtendat.

Repellere animam alicuius,ſignificat negligere alicuius preces,& non facere eum compotem ſui voti. Anima enim hic pro deſiderio ponitur.

Abſcondere faciem ab aliquo, ſignificat non admittere alicuius preces,atque ita ſubducere ſe ab alicuius cõſpectu,vt non audias dicentem aut petentem aliquid. Ita ratio & ſenſus carnis de Deo iudicat,cùm non mox ad preces noſtras auxilium conſpicitur. Atque hîc opus eſt acri certamine, ne fidẽ amittamus. Ita videmus Hemanem, quanquam in hoc pſalmo queritur de ſuis doloribus & miſeriis,vt propemodum deſperabundo videatur ſimilis:tamen inſtare orando,& eum quem inuocat,nominare Deum ſalutis ſuæ.

Afflictus ego & expirans [*moribundus*] à pueritia tuli terrores tuos: hæſitabam [*planè fui attonitus.*]

Continuat ſuperiorem querelam, in qua magnitudinem ſui doloris exprimit. Hic verò querelam exaggerat primum ab effectu doloris:deinde à tempore:tertiò à cauſa: quartò à ſignis tam externis quam internis. Effectum oſtendit cùm dicit,tantum fuiſſe dolorem vt non tantùm ſenſerit ſe affligi & attenuari vires corporis & animi: (quod vocabulo עני notat:) verum etiam vt tandem moribundo atque animam agenti fuerit ſimilis,atque adeo ab omnibus pro mortuo ſit habitus. Tempus notatur, cum dicit ſe à pueritia vixiſſe in his miſeriis, & aſſiduè hos dolores tam ſæuos circumtuliſſe, quo profectò nihil poteſt cogitari triſtius. Et cum de Chriſto pſalmum intelligimus, minus mirum videbitur quod dicit propheta. Ille enim ſemper ob oculos habuit mortem crucis. Sed de aliis piis hominibus quanquam oportet eos ſimiles fieri imaginis filij Dei, mirari poſſumus quomodo inter huiuſmodi dolores vitam agere poſſint. Et certe niſi eſſent aliqua interualla, & interdum ſenſus aliquis conſolationis diuinitus oſtenſæ & adhibitæ cor erigeret, non poſſet homo inter tales dolores diu ſubſiſtere.

מנער nonnulli tranſtulerunt à præcipitatione mea. Et in Germanico legitur,*das ich ſo verſtoſſen bin*,ſed ſicut *naar* ſignificat iuuenem,qui præcipitanter omnia, nihil verò conſideratè agit: Ita *noar* iuuentutem ſignificat, quę eſt præceps in conſiliis & actionibus. Prou. 29. & Iob. 56.

Cauſam huius rei oſtendit,cum inquit,ſe terrores à Deo immiſſos tuliſſe. Non enim ab externa aliqua calamitate, quę tolerari ac vinci nonnunquam præſertim à piis poteſt, erant hi dolores,ſed à ſenſu iræ & iudicij diuini, qui ſenſus initium & quaſi guſtus eſt mortis æternæ. Græcus reddidit, ὑψωθεὶς δὲ ἐταπεινώθην. Pro נשאתי *naſathi* enim legit נשאתי *niſſethi*. Quartò,à ſigno magnitudinem ſui doloris oſtendit, quòd perpetuò fuerit non tantum facie, ſed animo conſternato, anxio & dubio,vt neſciret quid ageret, aut quò ſeſe verteret, atque vt fides huc illuc agitata ſemper in metu verſaretur, ne mox inter ſuos dolores extingueretur. Id enim propriè ſignificat verbum פון

17 Super me tranſierunt furores tui: [*&*] terrores tui conſtrinxerunt me.

Repetit cauſam vnde hic dolor exiſtat. Furorem ſeu iram Dei nominat illos terrores diuinitus ſibi immiſſos,hos dicit in ſe tranſiſſe,adeo vt corpus,medullas, atque adeo animam ipſam penetrarint & occuparint.

Conſtrinxerunt] In verbo Hebræo vltima ſyllaba geminatur ad vehementiam notandam. Significat autem verbum צמת in locum arctum & anguſtum aliquem concludere & conſtringere,vt reſpirare,aut euadere nequeat,vt Thren. 3. Conſtrinxerunt in ciſterna animam meam. Hoc ſenſu Gregorius Nazianzenus in 1. oratione de pace dolorem nominat δεσμὸν καρδίας.

18 Circundederunt me ſicut aqua tota die [*aut quotidie*] circundederunt me ſimul.

Triplex eſt amplificatio querelæ in hoc verſu:Prima eſt à ſimili,cùm dicit,ſe circumdatum doloribus,veluti aqua in ſe vndique effuſa,vt tãquã naufragus quoquo ſeſe vertat mortem ob oculos videat. *Aqua* in Scriptura pro ingentibus afflictionibus vſurpatur,vt antea vidimus pſal. 18. 32. 69. Iob 22. Secunda eſt à tempore,cùm dicit,non vnius diei aut horę aut anni fuiſſe periculum, ſed quotidie ſe huiuſmodi doloribus mortiferis circundatum & conſtrictum teneri. Tertia eſt in multitudine, ſicut ſuprà, verſu 8. cùm dicit, Omnibus fluctibus tuis afflixiſti me. Nullum genus doloris, inquit, prætermiſiſti,quo non animam meam ſauciares.

19 Elongaſti à me amicum & ſocium: & noti mei [*ſunt*] tenebræ.

Vltimus verſus cõgruit cum nono: queritur enim de perfidia ſuorum amicorum & familiarium, à quibus in calamitate ſua ſit deſertus,quando horum conſilio,conſuetudine & officiis maximè indigebat. Nã in calamitate amicus ſuo officio leuare & mitigare dolorẽ multùm poteſt,iuxta ſenariũ, ἐν τοῖς δεινοῖς

δύνοις χρημάτων κρείττων φίλος. Et illud quod Plutarchus citat ex Eurip. λυπουμένῳ γὰρ μῦθος εὐμενὴς φίλος. Sed vſitatum eſt hoc, quod eſt in alio ſenario, ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκ ποδῶν φίλον, atque hoc eſt quod hic inquit, Sunt tenebræ. Rurſus autem vt ſupra, non tam perfidiæ amicorum hoc adſcribit, quàm Dei conſilio, qui hoc modo exucre eum omni ope, & nudare omnibus præſidiis externis voluerit, vt fides eius melius exerceretur.

Noti mei ſunt tenebræ] Id eſt, occultant ſeſe tanquam in perpetuas tenebras abditi: nuſquam enim conſpiciuntur vel apparent: ſubducunt ſe à meo conſpectu: nuſquam inuenti ſunt à me, vt aliquid conſilij & opis afferant, vel ſtudij & officij quid præſtent. Græcus legit τοὺς γνωστούς μου ἀπὸ ταλαιπωρίας. Notos meos à miſeria vel propter miſeriam. Cùm enim tenebræ per metalepſin in Scriptura ſæpe ſignificent dolores, ærumnas, miſerias: in hac ſignificatione Græcus accepit vocabulum חשך & pro מחשך *Makſchake*, legit מחשך *Mekſcheke*.

PSALMI LXXXVIII.

PARTES.

I. Exordium, quo audientiam ſibi conciliat pſaltes, v.2.& 3.ad Deum ſalutis ſuæ clamans ſupplex interdiu & noctu, cum ſpe exauditionis.

II. Propoſitio pathetica calamitatum de quibus conqueritur per prolepſin, v.4. Harum *vna* eſt, quòd iam in morte verſatur, prout amplificat, v.5.6.7. *Altera*, quòd obruitur malis grauiſſimis, & præſentē mortem minitantibus. Huius loci ſunt tres, 1. A perſona Dei, v.8. 2. Amicorum, v.9. 3. Ipſius ſupplicis, v.10.

III. Expoſtulatio cum Deo ad liberationem conſequendam, duobus argumentis. 1. Ab euentu: fore ſi moriatur vt gloriam Dei minimè prædicet, cui omnino conſultum vult Deus, v.11.12.13. 2. A fide ſua præſente & prædicatione gloriæ Dei omnipotentis, etiam in grauiſſimis tentationibus, à v.14. vſque ad finem Pſalmi.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 Noſtra plurimùm intereſt eximium Dei ſeruum hîc ſpectare tanta afflictionum mole obrutum, vt flebiliter deploret, ſe nihil à mortuo diſtare: ne vel ærumnæ noſtræ, quantumuis graues, deſperatione nos opprimant: vel, ſi quando nos ægritudo, cura, dolor, anxietas, & metus debilitat, ideo tamen deſpondeamus animos, præſertim vbi videmus S. prophetam non ſine violento conatu ex profunda obſcuritate in lucem bonæ ſpei emergere.

2.3 Precandi forma afflictis animis dictata hoc & ſequentibus verſiculis docet nos Deum in mediis abyſſis ſalutis noſtræ protectorē agnoſcere, vt eo modo impatientiæ ianuā claudamus, & nos ad crucis tolerantiam comparemus. Deinde ſimus intenti ad orandum, idque ardentibus votis. Tertiò, vt perſeueremus. Poſtremò Deum nobis ſtatuamus ob oculos, ad quem vota iſta fide dirigamus.

4.5 His circumſtantiis & hæc adiungatur, vt non mollitie vel deliciis ſimus clamoſi. Sed Deus & animus noſter nobis ſit conſcius immenſa malorum congerie nos ad lamentationem iuſtè impelli.

6 Etſi Dei ſeruis in ſummis perturbationibus fides hæc infixa maneat, Deo curæ eſſe tam viuos quàm mortuos: ſæpe tamen eorum mentes obnubilat dolor, vt non occurrat in re præſenti Dei prouidentia: teſte Iobo & aliis. Quod nobis proponitur, tum vt humanam agnoſcamus imbecillitatem, tum ne ſi tentationes nos debilitent, animos tamen deſpondeamus.

7.8 Nemo petendi remedij cauſa ad Deum ſeriò confugiet, niſi qui iam perſuaſus erit manu eius ſe percuti: nihil autem fortuitò contingere.

Quo propiùs ad Deum accedunt afflicti fideles, eo magis dolor exacerbatur, quia ſanctis nihil magis horribile eſt Dei iudicio.

Quum tam horribile diluuium prophetā non impedierit quominus cor ſuum & vota ad Deum extolleret: diſcamus eius exemplo in omnibus naufragiis noſtris anchoram fidei & precū in cælos iacere.

9 Iure quidem conqueri licebit de hominum ingratitudine vel ſæuitia quoties iuſtis officiis nos fraudabūt: ſed hoc profectu carebit, niſi accedat hæc cognitio, quia Deus offenſus eſt, tollere quæ nobis deſtinauerat ſubſidia: ſicuti promptum eſt ei, quoties viſum fuerit, conciliare nobis omnium animos vt manum porrigant.

10 Fideles non ſunt ſtoici, ſed in afflictionibus animo deijciūtur, non ita tamen vt à Deo recedant ſicut increduli, qui ſecum tacitè frementes nihil minùs ſibi proponunt quàm ſuas curas in Deum exonerare vt ab eo petant ſolatium.

11.12.13 Sanctorum conſtantia carnis infirmitatem aliqua in parte reſipit, vt etiam in ipſis virtutibus quod vitij admixtum eſt, neceſſe ſit paterna Dei indulgentia tolerari.

Noſtrum non eſt Deo præſcribere tempus ferendi auxilij, quia iniuriam facimus eius potentiæ, niſi ſtatuimus tam facile ei eſſe reddere vitam mortuis, quàm maturè occurrere, & anteuertere vltimum diſcrimen.

Mortui ſenſu non carent, ſed viuunt quo ad animas, corpora autē ſub ſpe reſurrectionis in puluere quieſcunt. Quū igitur propheta dicit Dei bonitatem non narrari in ſepulchro, ratiocinatur ex communi more: quia non ſolet Deus mortuos è ſepulchris teſtes ac præcones ſuæ bonitatis producere. Falluntur ergo qui quod tam fidem quàm bonitatem, virtutem & iuſtitiam Dei in terra obliuionis cognoſci negat propheta, perperam trahunt ad craſſum errorem, quaſi morte abolerentur homines: quia hîc tātùm diſſeritur de modo ordinario. Deus enim mundum hunc inſtar theatri eſſe voluit, ad gratiam qua humanum genus proſequitur demonſtrandam.

14 Hoc raræ pietatis & fidei ſignum eſt, nunquā deſiſtere à ſtudio precandi: nec animos deſpondere conuenit, ſi quando preces noſtras, licet voluntarias & aſſiduas, contingat tamē profectu carere: ſed prophetæ exemplo ad Deum die noctéque clamare nos decet.

15.16.17.18.19 In grauiſſimis tentationibus non eſt ſuperbè cum Deo litigandum, ſed flebiliter malis noſtris exoptandum remedium.

Quando fideles ſe deſertos à Deo conqueruntur, hoc genus querimoniæ inter gemitus inenarrabiles cenſeri debet, quorum meminit Apoſtolus Rom.8.26.

Quoties nullus locus gratiæ relictus eſſe videtur, noſtrū tamen eſt in precibus & gemitibus coram Deo perſeuerare, & quam non videmus ſperare ſalutem: eum enim à quo caſtigamur & duriter exercemur, ac meritò quidem, fide etiam patrem noſtrum inuocamus.

Etſi Deus ſuos fideles clementer conſeruet, quoſdam tamen continet ſub ferulis continuis ab initio ferè vitæ vſque ad finem, vt alij fratrum exemplis in officio magis contineantur, & alieno periculo fiant cautiores.

Fides dum fluctuat in tentationibus, ſubinde tamen reſurgit ne mergatur, quòd ſi quando ſuffocatur, fouetur tamen abſcondita: quia, quantumuis inſurgant procellæ, clypeum tamen illum opponit, Deum manere fidelem, vt ſuos nunquam fruſtretur vel deſerat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De grauiſſimis piorum luctis atque exercitiis.
2. Piorum ad inferos deſcenſus & ex inferis regreſſus atque aſcenſus in cælum.
3. Carnis & Spiritus certamina.
4. Senſus iræ diuinę varij gradus.
5. Sanctorum fides quàm miris modis tentetur.
6. De vitæ præſentis deſiderio.
7. Preces quando fiunt ardentiores.
8. De Chriſti humiliatione pro nobis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIX.

A PPARET *hunc pſalmum ſcriptum & compoſitum eſſe in publica huius populi calamitate, vt eſſet communis forma precationis, qua populus in iſtis calamitatibus vteretur. Quantum enim ex querela triſtiſſima colligere licet, erat regnū Iudaicū tunc miſerè diſtractū, eiuſque vires cladibus publicis*

fracta & attenuata,vt vicinorum hoſtium libidini atque iniuriis paßim eſſent expoſiti Iudæi, & nihil non contumeliarum ab his ferre cogerentur. Hanc fuiſſe occaſionem ſcribendi pſalmi, precatio ardentißima, quæ mox querelæ ſubiicitur, & multis verbis iteratur, oſtendit.

Eſt igitur propoſitio huius pſalmi precatio, vt Deus *miſerum & afflictum populum in his publicis calamitatibus reſpiciat, eique opem & auxilium adferat. Antequam verò ad preces illas deſcendat, variis vtitur argumentis, vt fieri ſolet in materiis ſuaſoriis, quibus Deum mouere ad commiſerationem, eúmque ad opem ferendam extimulare conatur.* Primùm *enim celebrat bonitatem Dei & veritatem in ſeruandis promißis: eámque vt firmam, ratam & perpetuam eſſe ſtatuit, ita fidem ſuam hac præcipuè niti oſtendit. Poſtea verò quaſi à genere ad ſpeciem deſcendens promißionem ſeu fœdus allegat, quod iureiurando ſancitum Deus inierat cum ſeruo ſuo Dauide, cùm ei regnum æternum polliceretur.* Hoc primum argumentum *eſt & præcipuum in hoc pſalmo.* Secundum *argumentum ſumitur à facili: celebrat enim potentiam Dei cum veritate coniunctam, eámque non tantum à creatione & conſeruatione perpetua huius mundi & aßidua gubernatione, verumetiã à multis illuſtribus miraculis antehac editis confirmat. Et quia Deum mundi huius gubernatorem conſtituit, ſolium ei poetico more attribuit, cuius fulcra dicit eſſe iuſtitiam & iudicium, atque id, tanquam miniſtras perpetuas & ſatellites, miſericordiam & veritatem præcedere affirmat. Hoc verò* tertium *eſt argumentum, quo oſtendit Deũ ita iudicia ſua exercere inter homines, vt denique ex eius gubernatione non tantum iuſtitia, ſed & miſericordia & veritas eluceat: vt quãquam pœnas meriti ſint Iudæi, ipſum tamen pro bonitate ſua pœnas mitigaturum confidat. Huic argumento ſubiicit epiphonema, in quo beatos prædicat, qui hanc Dei gubernationem ita intuentur, vt agnita eius bonitate & iuſtitia, omnem ſpem & fiduciam in eum collocent, atque ab hoc vno opem & auxilium expectet. Redit deinde ad promißionem & fœdus cum Dauide initum. Nam hoc tanquam principali argumento, vt diximus, præcipuè nititur eius fides. Itaque & eius fœderis prolixam commemorationem inſtituit, addita interpretatione, quæ promißiones illas Dauidi factas luculenter explicat, & quale futurum ſit illud regnum promiſſum oſtendit.*

Eſtque hîc illuſtris doctrina propoſita de regno Meßiæ, quod ex Dauidis regno ſecundùm carnem propagatum erat, déque eius potentia, duratione & beneficiis: deinde de diſcrimine & intellectu promißionum ſpiritualium & corporalium: vt poſtea in interpretatione dicetur. Huic verò doctrinæ & narrationi ſubiicit deinde querelam triſtißimam, cuius paulò antè mentio facta eſt, in qua triſtißimum ſtatum huius populi & diſtractionem regni multis deplorat. Et quia illa triſtißima facies reipublicæ Iudaicæ parum cõuenire ampliſsimis promißionibus datis videbatur, petit vt Deus memor ſuæ miſericordiæ & promißionum populo ſuo ſuccurrat & malis his remedium adhibeat. Eſtque illa precatio planè pathetica: vbi iterum multa argumenta aſpergit, quæ prouocare Dei miſericordiam poſſunt. Nam & de fugacitate & miſeriis vitæ humanæ, & de ſuperbia & contumeliis hoſtium, quibus non tantùm hunc populum, ſed Deum ipſum afficerent, queritur: & Deo in memoriam reuocat priora beneficia huic populo iuxta promißionẽ exhibita, atque hoc modo exorabilem eum reddere conatur. Eſt autem hic pſalmus ita legendus, vt nos in noſtris afflictionibus ſimili fide diſcamus ad Deum confugere, eique ſalutem eccleſiæ commendare, freti promißionibus diuinis.

Eruditiuum Ethan Ezrahitæ.

ETHan, cui pſalmus adſcribitur, fuiſſe iudicatur ex poſteris Merari filij Leui. Nam 1. Paralip. 6. Ethan duodecimo loco in familia ſequitur Muſi filium Merari, & exiſtimant interpretes hunc ipſum eſſe cuius ſapientia prædicatur 1. Reg. 4. vt in præcedentis pſalmi argumento dictum eſt. Id ſi verũ eſt, neceſſe eſt hunc Ethan ſuperuixiſſe Salomoni, & ſpectatorem fuiſſe eius diſtractionis & cladis, quæ poſt mortem Salomonis incidit in populo Iudaico, cùm decem tribus per ſeditionem auulſę à regno Iuda ſuum ſibi regem conſtituerent, & bellis inteſtinis ac multis cædibus aſſiduè inter ſe graſſarentur. Is enim tunc erat ſtatus regni, vt propter diſſidia & bella inteſtina iam corruiſſe regnum & promiſſiones de perpetuitate fruſtra datas eſſe plerique exiſtimarent. Ad has igitur clades reſpicere Ethan veriſimile eſt, ſi tamen is eſt cuius iam meminimus. Neque enim de futura aliqua calamitate, vt de captiuitate Babylonica, vel tyrannide Antiochi aut alia, quod nonnulli volunt, loquitur propheta: ſed de præſenti ærumna cuius ipſe ſpectator fuit: ídque oratio tota, præſertim verò querela, in qua mutationem factam deplorat, ſatis oſtendit. Nec tamẽ auſim affirmare de hoc tempore cuius mentionem feci in ſpecie loqui prophetam. Nam querelę in fine videntur de maiori vaſtatione ac diſſipatione loqui quàm quæ ſub Roboam accidit: & in præcedentis pſalmi argumento dictum eſt, Philonem, hunc pſalmum referre ad tempora Ioakim, qui apud Babylonios coniectus erat in carcerem. In re igitur dubia ſtatuat quiſque quod volet, modò ſententiam pſalmi rectè aſſequatur.

2 Miſericordias [*clementias*, *bonitates*] Iehouæ in æternum cantabo: in ætatem & ætatem [*perpetuo*] celebrabo [*prædicabo*] veritatem tuam in ore meo.

3 Quia dixi, perpetuò clementia ædificabitur: cæli ſtabilies veritatem tuam in [*vel cum*] illis.

Exordium huius pſalmi videtur potiſſimùm ad confirmandam ſuam & aliorum fidem direxiſſe propheta. Cùm enim maximis calamitatibus premeretur hic populus, & omnia viderentur plena deſperationis, ita vt iam promiſſio diuinitus facta in dubium planè apud pleroſque veniret, & fides in nonnullis concideret: propheta maximis his dubitationum fluctibus occurſurus affirmat, ſe miſericordiam Dei & fidem non ex præſenti rerum aſpectu timoris & periculi pleno, ſed ex promiſſione Dei, quæ fallere non poſſit, æſtimare, atque hanc perpetuò prædicare velle, quicquid foris accidat. Et ſuo exemplo cæteros Iudæos monet & confirmat, vt quanquam triſtibus præſentis temporis calamitatibus moti, nonnunquam eò prolaberentur, vt iudicarent ſe deluſos, & promiſſiones diuinitus traditas vanas eſſe: ſeſe tamen recolligerent, & promiſſionum certitudine freti etiam contra carnis ſenſum Deum benignum & veracem eſſe iuxta promiſſiones ſtatuerent, atque hac fide patienter mitigationem calamitatum ac liberationẽ expectarent. Hoc fuiſſe prophetæ conſilium ex iis apparet, quæ mox de diſcrimine & intellectu promiſſionũ tradit: cùm docet promiſſiones corporales omnes intelligendas eſſe cum exceptione caſtigationis & crucis. Interea tamen etiam hęc oratio ad mouendum Deum plurimùm valet. Nam cùm ei miſericordia & veritas tribuitur, commonefit de ſuis promiſſionibus, quas non minus retractare poteſt quàm ſuam naturam exuere. Ita igitur vtrumque his verſibus præſtat propheta. Primùm ſe & ſuos confirmat, ne fracti præſentium calamitatum ſenſu aut dolore fidem abiiciant. Deinde Deum vrget, vt promiſſionis ſuæ memor populo ſuccurrat.

Vtitur autem plurali numero, cùm inquit, *bonitates*: vt facilius dubitationem excutiat. Benefecerat hactenus huic populo, & quanquam tunc in calamitatibus exhiberet ſe rigidum & ſeuerum: tamen nondum exhauſtus erat bonitatis diuinæ fons, nec paternum animum Deus exuerat, quantumuis caro aliud ſtatueret.

Veritatem nominat fidem in ſeruandis promiſſis: hanc dicit ſe non tantùm priuatim, ſed publicè apud alios etiam celebraturum eſſe.

Quia dixi] Addit rationem, Quia certò ſciat Deum non fallere quenquam in ſuis promiſſionibus, ſed eſſe veracem & conſtantem in ſeruandis iis quæ promiſit. Græcus legit in ſecunda perſona ὅτι εἶπας. Sed Hebrẹum verbum eſt primæ perſonę. *Quia dixi*] id eſt, quia certò ſtatui apud me, & prorſus

ſus hoc infixum eſt animo meo, quòd nunquam deficit miſericordia eius. Etſi enim metus ex præſenti periculo conceptus excutere mihi hanc fiduciam conatur, ego tamen perſiſto in hac ſententia, nec patior mihi hanc conſolationem eripi. Sic vtuntur Hebræi verbo dicendi: & lucta fidei & carnis hîc ſignificatur acerrima, in qua fides ſuperans tandem in hæc verba prorumpit.

Clementia ædificabitur perpetuò] Id eſt, nunquam interrumpetur aut ceſſabit clementia ſeu bonitas diuina: ſed erit continua, donec ad finem ſeu complementum perueniat. Non enim exuit aut deponit amorem erga nos ſuum, etiamſi caro interdum in calamitatibus aliter iudicet.

Ædificari dicit clementiam, non quòd illa imperfecta ſit, vt adijci ſubinde aliquid neceſſe ſit. ſed quod ſenſus eius non æquè vno tempore ab omnibus percipiatur. Deinde quia extenditur non in vnum atque alterum annum, ſed in multa ſecula, & in omnes, qui quouis tẽpore ad eccleſiam accedunt, eiuſque ædificij ſeu corporis membra fiunt. Non enim cum vno ſeculo aut ætate deficit Dei miſericordia. Vult igitur dicere, non cum Dauide aut Salomone finitam ſeu exhauſtam eſſe Dei bonitatem. Quidam cum Chaldæo reddunt, Mundus cum miſericordia ædificabitur.

Cæli ſtabilies veritatem tuã cum iis] Id eſt, cùm cælis ſtabilies veritatem tuam: abundat enim relatiuum iunctum præpoſitioni: Vt bonitas, inquit, eſt perpetua, ita & veritas. Quemadmodum enim cælum firmaſti ne cadat: ita etiam firmaſti veritatem tuam ne labefactetur aut irrita ſit. Certò igitur perſolues promiſſa, etiãſi aliud rationi appareat. Forma loquendi Hebræis vſitata eſt, vt nominatiuum nominis præponant, atque eum tamen ad caſum ſequentis relatiui in conſtructione referant, vt pſal. 10. Iehoua in cælo ſedes eius, id eſt, Iehouæ ſedes eſt in cælo. Græcus interpres ſententias temere diuellit. Nam vocem שמים iungit cum præcedentibus, Miſericordia ædificabitur in cælo. Cætera omitto, quæ ab aliis interpretibus afferuntur, ij enim conſuetudinem loquendi Hebræis vſitatam non ſatis diligenter conſiderarunt. Itaque peregrinas huc afferunt ſententias.

4 Pepigi fœdus cum electo meo: & iuraui Dauidi ſeruo meo.

5 Vſque in æternum ſtabiliam ſemen tuum: & ædificabo in ætatem & ætatem ſolium tuum, Selah.

Quod in genere de certitudine veritatis diuinæ dixerat, nũc reſtringit ad certam ſpeciem, hoc eſt, ad eam promiſſionem quæ Dauidi facta erat: in qua Deus æternum regnum ſemini eius promiſerat. Hanc promiſſionem ſtatuit certò complendam eſſe, etiamſi præſentium temporum calamitas & regni diſtractio aliud minentur. Sunt igitur hi duo verſus quaſi minor in ſyllogiſmo. Maior autem proximè præcedenti verſu recitata eſt. Bonitas & veritas Dei in ſeruandis promiſſis eſt ſtabilis, neque vllo tempore mutatur, imò cælũ priùs perire neceſſe eſt quàm verbum Dei fiat irritum. Hæc promiſſio diuinitùs facta eſt Dauidi de æternitate regni. Ergo neceſſe eſt euentum reſpondere promiſſioni. Hæc concluſio etſi videtur omiſſa, tamen incluſa eſt exordio pſalmi, vbi dicit ſe hanc veritatem perpetuò celebraturum: & repetitur eadem ſententia mox ſequente verſu.

Vt autem ſententia plus habeat ponderis & autoritatis, nõ loquitur iam propheta in ſua perſona, vt antè, ſed Deũ ipſum loquentem & formalia fœderis verba proferentem inducit. Cupit enim non ſibi tantùm, ſed omnibus Iudæis hoc eſſe perſuaſiſſimum, non temere conficta eſſe ab homine has promiſſiones (quod caro in rebus aduerſis, quando euentus promiſſionibus non per omnia reſpondere videtur, cogitat) ſed ex ore Dei profectas eſſe. Idque ad confirmandam ſingulorum fidem plurimùm valet. Non igitur ſimpliciter dicit: Pepigit autem Deus fœdus cum electo ſeruo. Ita enim connectendum erat hoc membrum cum ſuperiore. Sed vt ſermo altiùs penetret animos, Deum in medium producit, dicentem, *Ego pepigi fœdus*, &c. Quis igitur loquentem non audiret, & quis iuranti non adhiberet fidem? Quod autem dicit, ſe fœdus iniiſſe *cum Dauide*, in eo bonitatem ſuam erga Dauidem & eius poſteros oſtendit. Quod enim maius poteſt eſſe teſtimonium amoris Dei erga quenquam, quàm ſi ita ſe demittat diuina maieſtas, vt non tantùm prolixè ei promittat, ſed conceptis verbis fœdus cum eo ineat, quo ſe vltro ei obſtringat: atque id iureiurando interpoſito, quo plus fidei habeat, confirmet? O beatos nos, inquit Tertullianus, quorum cauſa Deus iurat! Atque, ô miſeros nos, qui ne iuranti quidem credimus! Verbum כרת ſignificat ſcindere, incidere, diſcindere, ſuccidere. Solebant autem victimas in fœderibus ferire veteres, idque vſitatum fuit non tantùm apud Iudæos vt ex Geneſ. 15. & Ier. 34. apparet, ſed etiam apud Ethnicos: quod Liuius, Varro & Virgilius teſtantur. Notus eſt enim verſus Virgilij Æn. 8.

Et cæſa iungebant fœdera porca.

Solebant etiam fœdera olim vel æri vel ſaxo, memoriæ poſteritatis ac diuturnitatis gratia incidi & ſculpi. Ab illo igitur more ſeu etiam ritu feriendi victimas ſumpta eſt hæc forma loquendi.

Cum electo meo, inquit, vt ſignificet totum hoc factum pendere non à iuſtitia aut merito hominis: ſed à libera & quidẽ gratuita electione diuina. Vt autem hoc pactum cum Dauide initum ſuam originem habet ab electione diuina: ita & fœderis, quo cum tota eccleſia Deus ſe conciliat, nulla alia cauſa aut origo cogitanda eſt, quàm electio diuina vt Paulus clare & ſæpe teſtatur: Elegit nos in Chriſto antequam iacerentur fundamenta mundi. Item, Quos elegit hos & vocauit. Rectè igitur Theodoretus in 1. dialogo explicans hunc verſum inquit: διὰ δὲ τούτων πάντων ὁ προφήτης διδάσκει καὶ τὴν φιλανθρωπίαν περὶ τοῦ θεοῦ γεγενημένην ἐπαγγελίαν καὶ τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀψευδές.

Quidam electum Abrahamum interpretantur, ſed vſitatum eſt in pſalmis eandem ſententiam bis repeti. Itaque electum & Dauidem eundem eſſe non dubium eſt. Græcus in plurali reddidit, τοῖς ἐκλεκτοῖς μου: legitur enim לבחירי *libkirai* pro לבחירי *libkiri*. Itaque interpretes Græci ad patriarchas Abraham, Iſaac & Iacob hoc referunt. Fœderis verò cuius hic meminit, formula extat 2. Sam. 7.

Seruum ſuum nominat Dauidem, non quòd ſuis obſequiis quicquam promereretur, ſed quòd in ſua vocatione, cum ei regnum offerretur, Dei autoritatem ſequutus ei deinceps adhæſit, nec ſe auelli ab eo paſſus eſt. Eſtque hic titulus ei honorificus, vt regibus omnibus.

Quintus verſus verba fœderis continet, & extant illa 2. Sam. 7. Quomodo autem illa promiſſio intelligenda ſit, alibi dicitur copioſiùs. Erat regnum æternum promiſſum Dauidi, non quidem corporale (non enim perpetuò manſura erat illa politia) ſed vſque ad Meſſiam, qui reſtauraturus erat regnum ſpirituale, quod eſt æternum. Itaque vſque ad Meſſiam poſteritas Dauidis in hoc populo erat regnatura. Et quia Chriſtus ex Dauidis ſemine ſecundùm carnem eſt natus: ideo in Chriſto non deficit regnum Dauidis: ſed in hoc regnum Dauidi promiſſũ eſt cõſummatum, vt iam nullo vnquam tempore finiatur, atque in omnem æternitatem duret. Hoc igitur vult promiſſio ſeu fœdus: ne more Iudaico hanc ſententiã intelligamus de perpetua ſucceſſione poſteritatis Dauidis in regno corporali, quod nũquam eſſet finiendum. Qua perſuaſione in errorem abducti Iudæi, ſæpe conati ſunt regnũ illud corporale collapſũ reſtituere, ſed fruſtra: & quidẽ cum interitu penè totius gentis. De Salomone itaque aut Zorobabele, vt nugantur Iudæi, hæc intelligi non poſſunt, qui non tantùm ipſi mortui ſunt, ſed tota ſimul familia Dauidis excepto Chriſto, qui in æternum regnat, extincta eſt.

In æternum ſtabiliam ſemen tuum] Id eſt, nunquã deficiet poſteritas tua, ſed ædificabo ſolium tuum, id eſt, regnum tuum ita firmabo vt nunquam id euertatur, & ſẽper ſint ex poſteris tuis qui illum teneant. Illa verò perpetuitas, vt dixi, nuſquam niſi in Chriſto repetitur. *Solium* μετωνυμικῶς accipitur pro regno, ſicut faſces in Latina lingua pro imperio.

6 Et celebrabunt cæli miraculum tuum Iehoua: etiam veritatem tuam in cœtu ſanctorum.

Quod initio de ſe dixerat, perpetuo ſe celebraturum bonitatem & veritatem diuinam, id nunc, poſtquam alios nonnihil confirmauit, de toto cœtu piorum, atque adeo de angelis quoque affirmat. Eſt igitur repetitio primi verſus, mutatis tantùm perſonis.

Nomine cælorum videtur συνεκδοχικῶς primùm intelligere angelos. Illi enim, vt de ſalute eccleſiæ lætantur, ita cũ vident Deum iuxta promiſſionem ſuccurrere afflictæ eccleſiæ, ita gaudio efferuntur, vt hoc beneficium vna cum piis celebrent. Deinde intelligit per cælos, ſanctos quoſlibet in hac vita: & quidem inter hos, illos maximè qui aliis præeunt doctrina cæleſti, & præ cæteris eminent pietate vitæ. Hi enim cæli dicuntur, quia etiamſi in terris agant, cælo tamen propiores ſunt quam terræ. Nam in quantum regenerati ſunt & renouati à Spiritu ſancto, nihil cogitant, nihil agunt, niſi quod ſit cæleſte. Hi igitur in cœtu ſanctorum prædicant, primùm *miraculum Dei*, hoc eſt, potentiam eius plenam miraculis, quam in conſeruatione eccleſiæ & defenſione piorum exerit, eaque re ſuam bonitatem maximè declarat: deinde *veritatem*, hoc eſt fidelitatem in ſeruandis promiſſis, vel præclaras & inſignes liberationes, quibus fidem ſeruis ſuis datam præſtat. Nonnulli cælum ipſam machinam cæleſtem interpretatur, quæ teſtis & præco aſſiduus eſt admirabilis potẽtiæ Dei. Sed cùm hoc generalius ſit & propriè ad eccleſiæ,

conſeruationem non pertineat, textus etiam affirmet manifeſtè in cœtu ſanctorum cælos celebrare potentiam diuinã, retineo priorem ſententiam.

7 Quis in nubibus [*ponitur ſingulare pro plurali, more collectiuorum*] comparabitur Iehouæ? ſimilis erit Iehouæ in filiis Deorum.

Fecerat mentionem potentiæ diuinæ proximo verſu. Eam vt magis illuſtret, incipit prolixè concionari de hac potẽtia, eámque multis argumentis oſtendere & declarare. Eſt autem hoc totum argumentum cum ad petitionem pſalmi reſpicimus, ductum ex loco facilitatis. Cùm enim ſit omnipotens quem inuocat, nullo negotio is poterit liberare ſuos. Hæc ſumma eſt huius & ſequentium aliquot verſuum. Argumẽta verò quæ potentiam eius oſtendunt, varia ſunt, quæ ordine conſiderabimus.

In hoc verſu ſeptimo oſtenditur eius potentia ex collatione. Nihil inquit eſt, non tantùm in terra, ſed etiam in cælis, quod poſſit comparari cum Deo. Ergo ſumma eſt eius & infinita potentia. Per nubes vel æthera intelligit cælum ſecundum, & quæ ſupra cælos ſunt. Nubium verò atque ita συνεκδοχικῶς cæli facit mentionem potiùs quàm terræ. Quia ſi in cælis nihil eſt quod adęquari Deo poſſit, cùm tamen ibi ſint cęleſtes Spiritus, quorum potentia longè ſuperat aliarũ creaturarum potentiam, nemo eſt qui non videat hac vna ſententia deiici omnium hominum vires & potentiam. Etſi enim homo prę aliis animantibus excellit, tamen nequaquã conferri cum cęleſtibus ſpiritibus poteſt. Ideo inquit, Quis in nubibus ſeu in cęlo cõparabitur Iehouę? quaſi dicat, nequidẽ angelorum potentia tanta eſt quanta eſt Dei noſtri. Alij per cęlos ſeu nubes intelligunt ſolem, lunam, & ſtellas: ſed hoc friuolum eſt.

Similis erit inter filios Deorũ] Hoc membrum exponit ſuperius. Nam filios Deorum nominat hos qui in nubibus ſeu in cælis verſantur. Tales autem ſunt angeli, qui originem ſuam non ex terra traxerunt, neque corruptibili corpore ſunt veſtiti, ſed ſunt ſpiritus cęleſtes diuina prediti gloria, ideóque filij Deorum dicuntur, non quod ſint diuinę eſſentię, ſed quia Deus in his ſuam potentiam inprimis oſtendit. Eſtque forma loquendi ſimilis huic, filij hominum pro homines. Cùm igitur hi non poſſint comparari cum Deo, neceſſe eſt eius potentiam longè ſuperare omnem potentiam.

8 Deus terribilis in cœtu ſanctorum valde: & metuendus ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.

Explicat & confirmat ſuperiorem ſententiam de potentia Dei, quę ſuperat cęleſtium ſpirituum potentiam: quaſi dicat, Adeo verum eſt quod dixi, neminem inter cæleſtes ſpiritus poſſe comparari cum Deo, vt illi ipſi Spiritus, quorum potentiam nos reformidamus, trepident & expaueſcant coram maieſtate Dei, ſéque eius imperio ita ſubmittant, vt pręſto illi ſemper ſint ad omnia obſequia, eiúſque voluntatem ſeu mandatum cupidè exequantur.

In circuitu eius] Tanquam ſcilicet miniſtri & ſatellites, qui ad omnes nutus ſui domini ſunt intenti.

9 Iehoua Deus exercituum, quis ſicut tu fortis Deus? & veritas tua per circuitus tuos.

Repetit verſum ſeptimum. Quia vtile eſt hoc infixum eſſe animo, ſummam eſſe huius Dei potentiam, à quo petimus & expectamus opem. Nominat autem eum Deum exercituũ quia & exercitibus angelicis perpetuò eſt ſtipatus, & tota rerum natura ei militat, & præſto eſt ad exequenda eius mandata. Ne autem potentia illa nimiùm terreret Iudæos, qui iam videbant graſſari pœnas & calamitates, & manum ſeu potentiam Dei aliquomodo ſentiebant, ideo mitigat hoc quod dixerat de potẽtia, eámque ita tribuit Deo, vt ſimul affirmet veritatem in ſeruandis promiſſis huic eſſe coniunctã. Sicut igitur armatus incedit potẽtia infinita: ita ſimul veritate ſtipatus eſt, vt nunquam exerat potentiã in exercendis ſuis iudiciis, quin ſimul eccleſiæ ſuæ ſeruet promiſſa fideliter.

10 Tu dominaris ſuperbiæ maris: dum attolluntur fluctus eius, [*vel dum attollit fluctus ſuos*] tu compeſcis eos.

Alio argumento oſtendit Dei potentiam, nempe à factis, in quibus ea conſpicitur. Poteſt autem in genere hic verſus intelligi, quod ſcilicet Deus mirabili potentia cohibeat maris impetum, ne terram obruat. Niſi enim diuinitus cohiberetur, & quaſi ſuis limitibus circunſcriptum mare teneretur, iamdudum orbis terrarum diluuio eſſet ſubmerſus. Terra enim infimum eſt elementum, quod in centro ſubſidit, & circunfunditur ac tegitur à mari, niſi quantum Deus ad vſum hominũ extare de ea ſupra aquas voluit. In hoc igitur potenti a eius conſpicitur, quòd altitudinem maris reprimit.

Deinde allegoricè quoque hic verſus exponi poteſt de tyrannis & regibus, quorum potentiam infringit & cohibet Deus, ne eccleſiam opprimant aut honeſtas politias euertãt. Nam per *mare* in Scriptura intelligitur multitudo populorũ & exercitus numeroſus, Ieſa. 17. Ezech. 26. Ierem. 51. Nonnulli tamen ſunt qui hunc verſum cum ſequente coniungũt: & ad hiſtoriam eductionis populi Iſraelitici ex Ægypto accommodant. De qua re non admodum contendo.

11 Tu conduxiſti [*contriuiſti*] ſicut vulneratum Rahab [*id eſt Ægyptum*] in brachio fortitudinis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.

Confirmat quæ dixit de potentia Dei, ab exemplo ſeu peculiari facto. Quanta, inquit, ſit potentia Dei, ſatis apparet ex Ægyptiorum pœnis, quando populus Iſrael inde eductus eſt: tunc enim tota Ægyptus proſtrata fuit inſtar hominis occiſi, nec difficilius fuit Deo totam Ægyptum, cuius tanta fuit potentia, vt præ cæteris regnis totius orbis terrarum tunc emineret, percutere atque euertere, quàm vnum hominem vulnerare aut interficere.

12 Tui ſunt cæli, etiam tua eſt terra: orbem & plenitudinem eius tu fundaſti.

Quartum argumentum, quo potentiam diuinam oſtendit, ſumptum eſt ab opere creationis & conſeruationis totius mundi. Nam ex hoc opere maximè eius potentia conſpicitur.

Tui ſunt cæli] Id eſt, ſicut cælum & terram condidiſti, mirabili arte, ſapientia & potentia: ita eadem in tua ſunt poteſtate, & abs te gubernantur.

13 Aquilonem & meridiem [*& dexteram*] tu creaſti ea [*relatiuum adiectum verbo abundat hoc loco, vt aliàs ſæpe*] Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.

Amplificat ſententiam à diſtributione. Tu, inquit, creaſti omnes mundi partes, Aquilonem, &c. Meridiem nominat *dexteram*, quia verſis ad orientem meridies eſt ad dexteram.

Thabor mons reſpectu montis Hermon eſt ad occidentem, atque ita Hermon ad orientem ſpectat. Itaque illas partes his vocibus explicat. *In nomine tuo exultant*, id eſt nomen tuũ exultando laudant, quia oſtendunt & celebrant tuam potentiam. Nam quocunque te vertas, occurrunt ibi veſtigia potentiæ diuinæ: éſtque verbum referendum non tantùm ad Hermon & Thabor: ſed etiam ad aquilonem, meridiem, cælum & terram.

In nomine tuo celebrabunt] Phraſis eſt Hebræa, vt illa Prouer. 9. Bibite in vino quod miſcui, pro bibite vinum ביין שתו.

14 Tibi brachium cum potentia: roborabis manum tuam (*vel robuſta eſt manus tua, vt verbum hoc loco ſit abſolutum*) attolles dextram tuam (*vel excelſa eſt dextera tua.*)

Concludit hanc ſententiam de potentia Dei. Ex his omnibus quæ commemoraui, inquit, ſatis apparet te magna potentia eſſe inſtructum, habereque brachium potens, robuſtas manus & dexteram excelſam, quæ latè omnibus dominatur.

Notandum autem quòd non ſimpliciter dicit Deum eſſe potentem, ſed tribuit ei brachia, manus, dextram: quia reſpicit ad varia opera Dei, in quibus eius potentia elucet. Nam brachiis & manibus homines oſtendunt & declarant ſuum robur. Robuſtas igitur habere manus & dextram excelſam, ſignificat fortia & ſublimia opera edere, vt qui ea videat, potentiam Dei facilè agnoſcat. Vt igitur facilè, cùm vult, poteſt eripere ex calamitatibus: ita non decet nos frangi aut exanimari metu potentiæ & tyrannidis hoſtium eccleſiæ. Nam hic protector, fortior & robuſtior eſt omnibus hoſtibus noſtris.

15 Iuſtitia & iudicium locus ſolij (*baſis*) tui: clementia & veritas præcedunt faciem tuam.

Attribuerat Deo imperium, eúmque conſtituerat regem, cuius poteſtate omnia continerentur. Nunc igitur quale regnum eius ſit, in hoc verſu oſtendit: vt hoc quoque argumento ſuam & aliorum fidem atque ſpem confirmet. Non enim ſatis eſt ſcire Deum eſſe potentem, à cuius nutu omnia pendeant, & qui opitulari in neceſſitatibus poſſit: ſed ſcire inſuper oportet, quomodo affectus ſit erga nos, & an iuuare calamitatibus oppreſſos velit. Id enim niſi ſciamus, fruſtra ab eo opem & defenſionẽ petimus. De hac re igitur nunc concionatur, & vt oratio ſit illuſtrior, pingit Deũ tãquam regem ſedentem in ſolio regio, cuius baſis ſit iuſtitia & iudicium, quód-

quódque clementia & veritas præcedant. Atque hac imagine longè eum eſſe alium ab huius mũdi regibus oſtendit. Terreni enim reges ita ferè potentiam ſuam exercent & oſtentant, vt ea terrori ſit ſubditis, nec veris virtutibus, iuſtitia nimirum, iudicio, clementia & veritate ornant regnum ſuum. Et quia his veris virtutibus carent, vt dignitatem ſibi ab his comparare nequeant, adſciſcunt aliena ornamenta, quæ foris ſplendorem imperij oſtentent, & animis hominum metum incutiant. Ornant igitur ſolium ſuum auro, gemmis, purpura, diademate, &c. & apparitores atque ſatellites ſibi adiungunt, non clementiam & veritatem, quæ fideliſſimi cuſtodes ſunt imperij: ſed faſtum, inſolẽtiam, ἀστοργίαν, contemptum aliorum, iniuriam, violentiam, tyrãnidem, quam armis & exercitibus, quibus circũſepti ſunt, oſtentant & minantur. Poſtremò ſimulationes & fraudes, dum fidem violant quoties lubet. Verum eſt enim quod Lyſader dicere ſolebat, Reges iuramẽtis ludere, ſicut pueri aſtragalis, &c. Dei vero imperium nititur iuſtitia & iudicio. Omnia enim ex iuſtitia & iudicio per ipſum adminiſtrãtur. *Iuſtitiam* autẽ intelligit, quę fidei ſuæ commiſſos & certa ſpe petentes & expectantes defenſionem in patrocinium recipit & tuetur. *Iudicium* autem, quo iniurias à regni ſui ſubditis depellit, & hoſtes inſurgentes aduerſus eccleſiam punit grauiſſimè. Hæ igitur virtutes in bello & publicis periculis maximè ſe oſtendunt: ſed quę ſequuntur virtutes ſunt quæ in aſſidua gubernatione etiam extra bellum, hoc eſt, in pace & toga, conſpiciuntur, *Clementia* ſcilicet ſeu bonitas, quę paterno amore ſuos ſubditos cõplectitur, & omnia ad horum ſalutem atque incolumitatem refert. *Veritas* quæ fideliter promiſſa ſeruat. Talis igitur cùm ſit: iuſtus videlicet: deinde iudex: tertiò bonus & clemens: quartò verax: nemo eſt qui non tutò ei poſſit committere ſuam ſalutem. Vt igitur præcedens argumentum ſumptum erat ex loco facultatis: ita hoc argumentum ducitur à voluntate diuina, qua perſpecta pij faciliùs in eo acquieſcunt.

16 Beatus populus qui nouit iubilationem: Iehoua, in lumine vultus tui ambulabunt.

Tanquam epiphonemate concludit ſuperiora argumenta omnia. Cùm Deus adeo ſit potens ad liberandum, & pręterea ſit bonus, clemẽs, verax, & iudex, certè beatus eſt populus qui quicquid calamitatum aut periculorum ingruat, nõ mox frangitur animo, vt deſperet (quod ſolent qui ſpem nullam habẽt,) ſed potiùs lætatur, quod ſciat Deũ ſe habere propitiũ & ſalutis ſuæ cuſtodem, ideóque ſecurus in ipſius præſidio, tutela & fide conquieſcit. Hæc ſimpliciſſima eſt ſententia. & huc congruit illud Pauli Rom. 5. Gloriamur ſuper afflictionibus, &c.

Cæterùm phraſis, qua vtitur propheta in deſcribẽda piorum lætitia, ſumpta eſt ex Lege, in qua ſępe mentio fit clangoris tubarum. Ita enim vox תרועה ferè vſurpatur. Nam & Exod. 19. Deus Legem daturus, præſentiam ſuam declarauit clangore tubarũ, & Num. 10. Populus iuſſu Dei clangore tubarũ conuocatur ad tabernaculũ fœderis, vbi præſentiæ Dei ſymbola erant. Ad tubarum ſonitum iubentur etiam Iſraelitæ mouere caſtra, tanquam Deo præcinente aut claſſicum canente. Deinde in bellis clangore tubarũ excitabãtur animi. Et in diebus feſtis ad oblationes ſolennes adhibebatur clangor tubarum. Num. verò 23. Bileam dicit de populo Dei, Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor regis cum illo. Vbi per clangorem ſignificatur præſentia Dei, vel maieſtas regia præſentis Dei. Propheta igitur cùm dicere vellet, Beatum eſſe populum qui intelligeret Deum apud ſe verſari & præſentem eſſe etiam in mediis ærumnis & periculis, vtitur hac figura, Beatus populus qui nouit iubilationem ſeu clangorem, qui ſcilicet nota ac ſignificatio eſt diuinæ maieſtatis ac præſentiæ in hoc populo. Nemo enim hunc clangorem nouit aut intelligit, niſi qui ſtatuit Deum ſibi præſentẽ adeſſe, déque eius præſentia lætatur. Alioqui enim ſicut ſacrificia incredulorum nihil aliud erant quam otioſa cæremonia: ita in impiorum & incredulorum auribus clangor iſte nihil aliud fuit quàm inanis ſonitus aerem feriens.

Domine, in lumine vultus] Probat ab effectu eos eſſe beatos qui, quanquam ærumnis premuntur, Dei tamen numen & præſentiam agnoſcunt. Hi enim, inquit, ambulant in lumine vultus Dei, hoc eſt, perpetuo fauore diuino ſunt circumſepti, & certò ſciunt ſe habere Deum propitium, à quo amẽtur, curentur, regantur, defendantur, & omnis generis bonis ornentur. Hac igitur cognitionis luce perfuſi facilè depellunt & eiiciunt ex animo omnes curas, ſolicitudines, metus, terrores, inque ſolum Deum ſeſe reiiciunt. Huc pertinet illud quod Iob dicit capite 29. ſe antequam illis ingentibus doloribus opprimeretur, ad lumen Dei ambulaſſe, in tenebris ſenſiſſe Deum propitium, atque huius fiducia contempſiſſe omnia pericula & ærumnas.

17 In nomine tuo exultabunt quotidie: in iuſtitia tua exaltabuntur.

Eadem eſt ſententia cum priore. Qui ſciunt ſe habere Deum propitium & præſentem in ſuis ærumnis, illi hac fiducia læti acquieſcunt in eo, gaudent, exultant & gloriantur in ærumnis: idque non ad tempus tantùm aut momentum, ſed quotidie & perpetuò, quia gaudium eorum eſt firmum & ſolidum, non quale eſt mundanum, quod leuiſſima nubecula turbat, & tandem deſinit in æternos dolores, quia non nititur Deo.

In nomine tuo] Id eſt, dum te agnoſcunt, quali erga ipſos ſis animo.

In iuſtitia tua] Id eſt, dum tu ipſos protegis & defendis contra vim & rabiem hoſtium, ipſi exaltabuntur, hoc eſt, conſequentur nomen, gloriam & robur: qui tamen coram mundo iam videntur deſpecti, imò oppreſſi & deleti.

18 Quia gloria [*decus*] roboris eorum tu [*es:*] & in beneuolentia tua exaltabitur cornu noſtrum.

19 Quia Iehouæ clypeus noſter, & ſancti Iſraelis Rex noſter.

Addit rationem, qua confirmat priorem ſententiam. Fieri aliter non poteſt, quin qui in lumine vultus Dei ambulant, perpetuò exultent & lætentur. Deus enim, inquit, eſt gloria roboris eorum: id eſt, Deus eſt qui ſemper fulcit & munit eos robore & auxilio, vt non tantùm ſuſtinere facilè ærũnas poſſint, ſed etiam vt glorientur de hoc robore, quod tanquam inuictum opponunt omnibus aduerſationibus & ærumnis. Alij ſic exponunt, Tu es gloria roboris eorum, id eſt, virtus tua in illis iuuandis & ſuſtinendis ſemper eſt glorioſa: quæ ſententia eodem redit cum priore.

In beneuolentia tua] Id eſt, dum tu nobis faues & beneuis, non tantùm non euertetur hoc regnum, id quod Satan & eius organa moliuntur: ſed multò magis exaltabitur, acquiret maiorem potentiam, vim, gloriam, dignitatem. *Cornua* enim ſignificant vires, metaphora ſumpta ab animantibus quorum robur eſt in cornibus, vt ſæpe iam dictum eſt.

Clypeus noſter eſt Iehoua] Id eſt, defenſio noſtra pendet à ſolo Deo. Clypeus enim μεταληπτικῶς ſignificat defenſionem quam præſtat clypeus. Quanquam regem ipſum ſic nominare videtur, quòd defenſionem præſtet ſubditis, idque ex ſequente membro facilè apparet, cùm abſque figura eandem ſententiam repetens inquit:

Et rex noſter eſt ſancti Iſraelis] Id eſt, ſicut rex noſter Dei iuſſu & voluntate eſt electus, eiuſque autoritate comprobatus: ita hic perpetuò eſt ei curæ, regitur & defenditur ab eo, vt hoc ſaluo non poſſit deeſſe populo præſidium neceſſarium.

Monẽdi autem ſunt hoc loco auditores, prophetam, dum regis meminit, principaliter reſpicere ad illum regem de quo promiſſio ſonabat, vt mox videbimus, & cuius cæteri reges in populo Iudaico tantùm erant typi ſeu vmbræ. Hunc enim vnicum ſtatuebat eccleſiæ & populi ſui verum eſſe regem & clypeũ, quo aduerſus omnes iniurias defenderentur. Ideo de hoc in primis loquitur cùm inquit, eũ autoritate diuina conſtitui & defendi. *Sanctum Iſraelis* nominat Deum, quòd ab Iſraele ſanctè & vnicè cognoſceretur & coleretur, ita vt nomen eius non contaminaretur cum idolorum cultu, vt apud cæteras gentes, & quod ipſum Iſraelem ſanctum redderet.

20 Tunc locutus es in viſione piis tuis, & dixiſti, poſui adiutorium ſupra fortem: exaltaui electum è populo.

Redit propheta ad promiſſiones Dauidi factas, quarum ſuprà mentionem fecerat verſu 4. & 5. & iam copioſiùs illud oraculum diuinum explicat. Eo enim, vt dixi, præcipuè nititur eius fides in hoc præſenti periculo, quando & regis ſalus periclitabatur, & regnum videbatur in extremum diſcrimen adductum eſſe, quod certò ſcilicet ſtatuebat fœdus hoc diuinitus ſancitum nunquam fore irritum. Dixerat autem, Iehouæ eſſe clypeum & regem Iſraelis, hoc eſt diuina autoritate electum, conſtitutum, inauguratum, eiúſque potentia hactenus defenſum eſſe regem Dauidem eiúſque ſucceſſores. Eam ſententiam vt confirmet, ad ipſam hiſtoriam deſcendit, & quomodo res geſta ſit, & quæ promiſſiones factę ſint regi, commemorat. Dicit igitur, *Tunc*, cùm ſcilicet primùm iuſſu & autoritate diuina eligeretur Dauid, & imponeretur ei diadema regium. Quanquam alij generaliter interpretantur particulam אז pro olim.

Loquutus es in viſione] Non vno modo patefaciebat voluntatem ſuam Deus in hoc populo Iudaico: ſed multifariam,

multíſque modis, vt loquitur epiſtola ad Hebræos. Num. autem 12, tres modi ſignificantur, quibus ſe Deus inde vſque ab initio eccleſiæ ſuæ patefecit. Aut enim perſpicuum verbum ſine inuolucris proponebatur, atq. ita dicitur Deus locutus ad Moſen ore ad os. Et conciones multæ de Chriſti perſona, paſſione, reſurrectione, officio & regno exſtant paſſim in Prophetis, Ieſaia, Daniele & aliis. Alter modus eſt viſio, cuius hic fit mentio, quando ſcilicet prophetæ vigilanti res vel futuræ vel in præſentia agendæ monſtrantur illuſtri aliqua imagine, quam vt intelligit ſibi diuinitus offerri, ita ſimul à Spiritu ſancto ad exequenda mandata diuina impellitur. Tales viſiones habuerunt Ieſaias, Ezechiel, Zacharias, Petrus, Acto. 10. Tertius eſt ſomnium diuinum, id eſt, imago quam propheta per quietem videt. Quale eſt illud Danielis ſomnium, de quatuor monarchiis. De his tribus modis loquitur textus Num. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſeruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei palam. His verò tribus modis additur & quartus, qui non ad vnum tantùm prophetam peculiariter, ſed ad totum populum pertinebat, eratque quaſi perpetua quędam pędagogia, vt cùm typis res futuræ monſtrabãtur, & doctrina neceſſaria tradebatur. Huc pertinet agnus mactatus in paſchate, ceremoniæ omnes & ſacrificia in hoc populo vſitata, de quibus ſuo loco dicitur. Cum igitur dicit, in viſione Deum eſſe locutum, ſignificat peculiari mandato & voce diuina electũ eſſe hunc regem, & electo regi factas eſſe promiſſiones, quæ fallere non poſſint.

Piis tuis] Arabs legit in ſingulari numero, prophetæ tuo: atque ita legit & Rabi Dauid Kimhi, qui prophetam interpretatur Samuelẽ. Sed nõ recedo ab vſitata & recepta lectione: ſcribitur enim pluralis numerus ſupreſſa litera י quod eſt vſitatum: niſi fortè propter accentum Reuia dicere velimus ſcheua mutatum eſſe in ſegol, vt Deut. 33. לאיש חסידך. Et quãquam hiſtoria teſtatur, Samueli primum diuinitus patefactum eſſe conſilium de electione, tamen non ſine cauſa omiſſo Samuele dicit ad omnes pios Deum loquutum eſſe. Samuel enim ita accepit mandatum de eligendo & vngendo Dauide, vt illud omnibus exponeret, quorum intererat ſcire hunc regem diuinitus eſſe creatum. Ita igitur piis loquitur Deus, quia in conſpectu multorũ piorum, iíſque quaſi teſtibus adhibitis, Dauid fuit electus. Samuel verò vaticinij de ſtabilitate huius regni fuit præco, & miniſter vnctionis.

Poſui auxilium ſuper fortem] Hebraiſmus eſt, *Ich habe meine hülff, die ich dieſem Volck erzeigen vvill, auff einen ſtarcken Heldt geleget*, hoc eſt, conſtitui fortem quendam heroem, qui futurus eſt auxilio huic populo, eúmque ego inſtruxi robore & potẽtia, quæ par eſſe tanto regno adminiſtrãdo poſſit. Dicitur enim Dauid fortis ſeu heros, non quòd propria fortitudine excelleret (erat enim & exiguæ ſtaturæ, & inter fratres contemptibilis, vt Samuel quoque eum neglectum præteriret.) Sed quia poſt electionem ornatus fuit noua virtute, & multis dotibus, quæ ad populi conſeruationem ſufficerent, hinc igitur nomen hoc ei conciliatur.

Eſt autem tota hæc concio ita de Dauide intelligenda, vt ſimul ad Chriſtum referatur. Fuit enim Dauid typus Meſſię, in quo promiſſiones illę omnes factæ Dauidi complentur: & Chriſtus à Dauide ſecundùm carnem erat oriundus. Ideo nomen Dauidis per antonomaſiã ſæpe ei tribuitur, vt vidimus in Hoſea cap. 3. Ezech. 34. & 37. & Auguſt. ſuper pſal. 54. ſcribens expreſſè inquit, Dauid pro Chriſto ponitur propter originem carnis eius. Hic igitur eſt ille heros, qui inſtructus & præditus diuina potentia auxilium fert populo ſuo oppreſſo peccatis & tyrannide diaboli. Eſtque hæc doctrina principalis huius pſalmi. Nam illæ liberationes corporales quæ fiebant per Dauidem & ſucceſſores, erant commonefactio de hac liberatione populi à ſeruitute peccati, à tyrannide diaboli ac mortis.

Exaltaui electum è populo] Dauid quanquam humilis & abiectus coram mundo, diuinitus eligitur & exaltatur, vt ſit rex in hoc populo: verbo enim exaltãdi ſignificatur abiecta eius conditio ante electionem. Neque enim meritis ſuis aut obſequiis hoc obtinuit, vt rex fieret: ſed tota res pendebat ab electione diuina. Quod autem addit, è populo, etiam hoc amplitudinem gratiæ diuinæ commendat. Significat enim Dauidẽ nõ fuiſſe de regio ſtemmate, ſed ignobilem, & ex media plebe, qui nihil eximium præ ſe ferret. Ita Chriſtus, ad quẽ dixi hoc oraculũ eſſe referendum, eligitur nõ ex angelis aut cœleſtibus principatibus, ſed ex genere humano, de populo Iudaico, caro ex carne eius, os ex oſſibus eius, vt frater inter fratres imperiũ obtineret. Et exaltatur in regno nõ priùs quàm in ipſam mortẽ eſſet demerſus, & ad inferos vſque deiectus. Itaque & Ambroſius lib. 3. de fide cap. 7. hoc quòd Dauidẽ ſeruũ ſuũ Deus appellat, ad humanitatẽ Chriſti refert.

21 Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum.

Ne qua ſit dubitatio de quo loquatur, exprimit nomen eius quem elegerit. Dicit autem ſe inueniſſe Dauidem, vt rurſus ſignificet, vocationem illam fuiſſe ex electione nõ ex merito. Fuit enim gratis aſſumptus & à Deo inuentus.

Seruum] Iterum nominat, vt ſuprà verſu 4. quòd autoritatem Dei, à quo ad regnum vocabatur, ſecutus ſponte & vltro ſe ei ſubmitteret, nec refragaretur Deo vocanti: etiamſi multis periculis ſe obiici videret.

Oleo ſanctitatis meæ vnxi eum] Id eſt, ritu ſolenni, adhibito oleo ſancto, quo reges & ſacerdotes iniungi ſolent, declaraui & confirmaui illam electionem à me factam.

Obſeruandum autem quòd oleum primùm nominat ſanctum, erat enim ad ſanctum vſum conſecratum & ſeruiebat ſancto operi. Deinde nominat Deus id oleum *ſuum*, vt ſignificet ſua manu ſe conſecraſſe & vnxiſſe Dauidem, quãdo miniſterio Samuelis ad eam rem vtebatur. Ita enim opera omnia quę fiunt per miniſtros in eccleſia ſunt Dei opera, quia Deus per horum miniſterium agit. Ita baptiſmus dicitur baptiſmus Dei, quia Deus ipſe baptizat, dum miniſter manum adhibet. Cæterùm de Chriſto quomodo hæc ſententia accipienda ſit, intelligi poteſt ex his quæ ſuprà dicta ſunt pſal. 45. verſ. 8. Inde ea quæ ad explicationẽ huius verſus pertinent, petantur. Vngitur Chriſtus oleo Dei ſancto, quia perfunditur & impletur Spiritu ſancto, quem non accipit ad menſuram, neque perceptione gratiæ, vt cæteri homines: ſed ipſius deitatis hypoſtatica vnione: & hoc ſpiritu perfuſus lætus obtemperat Deo, & perficit opera vocationis ſuæ.

22 Ideo manus mea ſtabilietur cum ipſo, vtique [*etiam*] brachium meum confortabit illum.

23 Non irruet inimicus ſuper eum: nec filius iniquitatis affliget eum.

24 Et conteram à facie eius oppreſſores eius: & qui oderunt eum, percutiam.

Hi tres verſus continent promiſſionem de victoriis huius regis, quas ab hoſtibus deuictis reportaturus ſit. Non enim ſalutaris eſt rex, nec feliciter adminiſtrat rempublicam, niſi victoriis crebris hoſtes reprimat, & regnum ſuum aduerſus iniuſtam vim defẽdat. Vt autem id facere poſſit, opus eſt robore & benedictione diuina. Non enim victoriæ parantur induſtria humana. Ideo vtrumque pollicetur. Primùm robur promittit, & quidem non ad tempus, ne fractus magnitudine laboris opus inchoatum cogatur deſerere: ſed perpetuò. Ideo inquit, *manus mea ſtabilietur* ſeu firma erit cum eo, hoc eſt, Ego ſemper adero ei præſto, perpetuus cuſtos, nunquam eum deſtituam. Nos Germani in eandem ſententiam dicimus, *Ich vvill die hand nicht von im abziehen, ſondern feſt vber im halten.*

Etiam brachium meum] Hoc addit amplificandi cauſa. Etſi enim manus quoque ſignificat Dei non tantùm præſentiam, ſed auxiliũ & robur, tamen plus roboris eſt in toto brachio, quàm in manu. Ideo ſignificat, nunquam defuturum ei neceſſarium & ſufficiẽs robur: facit autem mentionem brachij, quo totum robur diuinum notatur. Sequentes duo verſus nihil habent obſcuritatis. Promittunt enim victorias aduerſus hoſtes quoſcunque. Ita autem intelligatur hæc promiſſio, vt non tantùm ad Dauidem pertinere iudicetur (neque enim mox cum illo deſiit) ſed ad omnes ſucceſſores, & in primis ad Chriſtum. Sub hoc enim regnum illud demum fuit ſtabilitum & confirmatum, vt eſſet inuictum, & triumphauit Chriſtus deuicto diabolo & oppreſſa morte, captiuam ducens captiuitatem, vt dicitur pſal. 68. Interea vſque ad eius aduentum manſit illa ſtirps regia: & quanquam propter peccata ſæpe duriter quaſſata eſt illa familia vnà cum populo, tamen manſit continua ſeries ſucceſſorum ex poſteris Dauidis vſque ad Meſſiæ aduentum. Hoc igitur ſignificat cùm dicit, Firmam fore manum Dei cum hoc rege.

De verbo ישיא diſputant interpretes. Alij enim legunt cum puncto dextro, vt noſter habet codex: alij cum puncto ſiniſtro, vt Chaldæus, qui reddidit לאישׂי nõ proſperabitur, & Græcus οὐκ ὠφελήσει, non proficiet, quos ſecutus eſt Iuſtinianus. Sed ſequor vſitatam lectionem. Significat autem verbum נשא propriè decipere, ſeducere, imponere alicui. Sed quãdo cõſtruitur cum prępoſitione על, vt hoc in loco & pſal. 55. intenditur eius ſignificatio, & ſignificat ex inſidiis ac præter opinionem ac ſpem aliquem obruere & opprimere. Qui verbo exigendi reddiderunt, iudicarunt eſſe à נשה de quo pſalmo præcedente dictum eſt.

25 Et veritas mea & clementia mea cum eo: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Ne qua dubitatio fidem languefaceret, præſertim cùm promiſſiones traderentur tam largæ & magnificæ quas animus humanus vix capere poteſt: (fuit enim res magna, huic populo, & quidem in hoc, vni certæ familiæ promitti ſtabile regnum vſque ad Meſſiæ aduentum, qui illud completurus & in ſpirituale ac æternum commutaturus eſſet.) Ideo mox initio, cùm de victoriis aduerſus hoſtes dicere cœpiſſet, promittit Deus ſe & veracem fore in promiſſis ſeruandis, & omnia illa beneficia ex mera beneuolentia & amore in Dauidem & ſucceſſores eius collaturum eſſe. Atque id poſtea ſubinde repetit tanquam inprimis neceſſarium. Ita verò dupliciter munitur fides Dauidis & ſucceſſorū. Primùm *veritas* promiſſionum opponitur externis periculis, quæ foris occurrunt. *Bonitas* verò & *miſericordia* internis animi doloribus ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata ortis. Quando enim ingruunt bella & aliæ publicæ calamitates graſſantur, iudicant imbecilliores, promiſſiones eſſe vanas & irritas, quibus non videant reſpondere euentus. Rurſus verò, cùm ſuam immūditiem intuentur & cogitant de iudicio Dei aduerſus peccata, exiſtimant Deum habere cauſam iuſtam cur promiſsionē retractet. Ne itaque fides piorum his machinis oppugnata prorſus concidat, Deus in fœdere, primùm de veritate ſua, deinde de bonitate teſtatur, vt vtramque tētationem faciliùs vincant pij.

In nomine meo] Nomen Dei hic accipitur pro potentia, gloria & maieſtate, quæ iam paſſim nota erat & celebrata. Potentia enim Dei & virtus in gubernatione & conſeruatione eccleſię maximè conſpicitur. Atque ita nonnulli interpretantur hoc in pſalmo 20. Eleuet te nomen Dei Iacob. Monet igitur regnum Dauidis non humana potentia conſtitui aut conſeruari, ſed ſola virtute diuina. Alij exponunt, propter nomen meū, vel propter gloriam nominis mei efficiam vt regnum Dauidis, quod videtur eſſe humile & abiectum, fit ſublime & potens, fruſtra fremente & aduerſante diabolo & eius organis.

Cornu, vt ſępe, accipitur pro gloria, dignitate & potentia, metaphora ſumpta ab animantibus cornutis, quorum dignitas & robur conſiſtit in cornibus.

26 Et ſtatuam in mari manum eius: & in fluminibus dextram eius.

Amplificat promiſſionem ab amplitudine imperij. Ante Dauidem regnū Iudæorum anguſtis limitibus fuerat incluſum, quia peccata populi obſtabant quominus limites iuxta promiſſionem proferrentur. Sub Dauide verò auctum & dilatatum eſt regnum, ita vt vſque ad mare & ad Euphratem extenderetur, vt teſtatur hiſtoria 2. Sam. 8. vbi victoriæ Dauidis deſcribuntur. Eſtque tunc primùm impleta promiſſio de qua loquitur Moſes Exod. 23. & Deut 11. Atque hoc eſt quod dicit: Ego *ſtatuam in mari manum eius*, id eſt, ipſe extēdet imperium & potentiam ſuam vſque ad mare, vel ego faciam vt mare ipſius potentiæ ſubiiciatur. Deinde, ſtatuam dexterā eius in fluminibus. Cùm ad Dauidem reſpicimus, per *fluuios* vel ſolum Euphratem intelligere poſſumus, qui in multos alueos ſcinditur, vel vicina flumina Syriæ quæ exercitu ſuo traiecit Dauid. Huc enim reſpicit illa promiſſio Deut. 11. A deſerto, & à Libano, & à flumine Euphrate vſque ad mare occidentale erunt termini veſtri: & Exod. 23. Ponam terminos tuos à mari rubro vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium. Eſtque, vt dixi, promiſſio ſub Dauide impleta. Is enim regni fines eò vſq; protulit. Sed cùm ad Chriſtum referimus, qui regnum Dauidis ita ſtabiliuit, vt deinceps eſſet ęternum, vt poſtea dicetur, non iam de iſtis anguſtis limitibus cogitandum eſt, quibus Dauidis regnum fuit incluſum, ſed ſicut pſal. 72. & Zach. 9. dicitur, poteſtas eius erit à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ. Chriſtus enim regnum Dauidis ita ampliauit, vt iiſdem finibus quibus terrarum orbis includeretur, cùm antea fatalem quaſi terminum ſuum habuiſſet fluuium Euphratem, deſertum, mare occidentale & mare rubrum. Eius verò dilatationis ſpecimen quoddam ſeu prælудium exhibitum eſt in Dauide, cùm ille regni ſui fines feliciter proferret vſque ad dictos terminos. Erat enim Dauid typus Chriſti.

27 Ipſe clamabit ad me, Pater meus es: Deus meus: & rupes ſalutis meę.

Nouam dignitatem præter potentiam attribuit huic regi, ex qua rurſus amplitudo promiſſionum colligitur. Cæteri reges in hoc mundo omnem ſuam dignitatem æſtimant à ſua potentia. Quò enim maioribus præditi ſunt viribus, aut opibus inſtructi, eò plus dignitatis ſibi conciliari iudicant: tātóq; magis coli aut metui volunt. Hic verò rex, etſi præclara potētia fuit inſtructus, ita vt nomē eius formidabile eſſet omnibus aliis regibus: tamen non inde pēdebat præcipua eius dignitas aut præſtantia: ſed quòd filius Dei cenſetur, cuius ſalus Deo peculiariter eſſet curæ. Hæc verò dignitas nō fuit ei communis cum cæteris regibus. Etſi enim reges à Deo conſtituti dij dicuntur, & filij excelſi, pſalmo 82. tamen alio id fit reſpectu, vt ſuprà dictum eſt. Dicuntur enim dij quia ſunt vicarij Dei in adminiſtranda republica & filij Dei ſunt, quia ita curæ ſunt Deo, vt & amari eos ab omnibus & magnifieri tanquam ſuos legatos ſeu vicarios velit: & inter confuſiones regnorum mirabiliter eos tueatur & ſeruet, ne cum his reſpublica, leges & iudicia funditus euertantur, aut humana vita in beluinam degeneret. Sed longè alio modo *Dauid* dicitur *filius Dei*. Primùm quia per gratiam adoptatus eſt ad hæreditatē vitæ cæleſtis; & ſingulari electione rex in hoc populo conſtitutus: quæ electio peculiari fœdere confirmata eſt, in quo Deus ſe ei ita obſtrinxit, vt ſe patrem eius & totius poſteritatis fore polliceretur: neque id tantùm, ſed Meſſiæ quoque perſonam ad tempus ſuſtinere eum voluit. Hæc magna & inſignis fuit prærogatiua, quæ eum inter omnes alios reges ita extulit, vt quemadmodum ſequente verſu dicitur, excelſus eſſet præ cunctis regibus terræ. Cæterùm hæc ſententia peculiariter ad Chriſtum pertinet, cuius ille typum geſſit. Is filius eſt non adoptiuus, ſed de ſubſtantia patris genitus. Ideo epiſt. ad Hebr. cap 1. hac prærogatiua efferri eum dicit ſupra omnes angelos: quia Deus dixerit, Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.

28 Ego etiam primogenitum ponam eum excelſum præ regibus terræ.

Dauid quidē hac adoptionis prærogatiua ita ornatur & euehitur diuinitus, vt primogenitus ſit & excelſus inter omnes reges, hoc eſt, qui primum nomen & ſummam dignitatem ac gloriam obtineat inter omnes terræ reges: ſed Chriſtus, cuius typum geſſit, verè eſt primogenitus, natus de ſubſtantia patris ante omnes creaturas: eſtque non tantùm dominus omnium creaturarūm: ſed etiam, vt Athanaſius inquit, Serm. 4. contra Arianos, ius filiorum adoptationemque cæteris conciliauit. Deinde excelſus eſt ſupra omnes reges terrę, id eſt, regnum eius eſt auguſtum, éſtque potentia eius ſupra omnium hominum vires & potentiam elata, & omnia eius imperio ſunt ſubiecta.

Excelſum inter reges] Id eſt, excelſiorem regibus. Nam ל vim habet comparandi.

29 [*Et*] in ſeculum ſeruabo illi miſericordiam meam: & fœdus meum firmum erit ei.

Repetit ſententiam verſus 25. amplificatam à tempore. Non erit regnum vnius, duorum aut trium ſeculorum: ſed erit perpetuum & æternum. Ita enim pepigi cum eo fœdus, vt regnum æternum promiſerim, idque erit ratum & firmum. Ita igitur hoc regnum ab aliis diſcernitur. Alia enim regna ſuas habent periodos, quibus circumactis corruunt & euertuntur. Neque vllum fuit vnquam tam potens quod non ſit deletum. Solum hoc ita fixum & ſtabilitum eſt, vt nulla vi labefactari aut euerti queat.

Obſeruetur autem, quod ſæpius iam dixit, *miſericordiam* ſeu bonitatem *ſeruabo ei in perpetuum*. Significantur enim hoc membro præcipua beneficia huius regni. Cætera regna accumulandis opibus, & augenda potentia occupantur. Hoc verò regnum eſt gratiæ, in quo Deus bonitatem ſuam & amorem erga nos exercet & declarat, dum nos per filium adoptat, & hæredes facit regni cæleſtis. Præterea in hac vita immenſa bonitate ſeruat & defendit eccleſiam aduerſus tyrannidem diaboli & organorū ipſius: dat alicubi hoſpitiola & mediocria huius vitæ commoda, vt plantari Deo eccleſia & colligi inter huius vitæ ærumnas poſſit.

Hæc omnia beneficia, ſpiritualia ſcilicet & corporalia, complectitur vocabulo miſericordiæ, quam cùm dicit æternam fore, ſignificat eccleſiam in hac vita nunquam deleri poſſe, & in altera fruiturā conſpectu & conſuetudine Dei ſine fine. Itaque felicitatem eius non vult æſtimari à bonorū corporalium affluentia vel fruitione: ſed ab hac bonitate & amore Dei adoptantis nos in filios & hęredes regni cæleſtis. Qua re cogitari nihil maius vel auguſtius poteſt.

30 Et ſtatuam in perpetuum ſemen eius: & ſolium eius quaſi dies cœlorum.

Repetit quod verſu quinto promiſerat Deus. Ne enim in Dauide ſubſiſtere videatur, cui ad multos annos regnum amplum & florens promiſerat, extendit promiſſionem ad poſteros, ita vt nunquam ex eius poſteris defuturum in regno ſucceſſorem aſſeueret, atque ita promiſſionem hanc ad Chriſtum extendit. Æternitas enim illa non alibi quàm in Chriſto reperitur. Nam ſi corporalem ſucceſsionem in ſtirpe Dauidis quæras, defecit illa cū regno. Chriſtus verò, natus ex ſemine Dauidis ſecūdū carnē, regnū cōdidit quod in

æternũ durat. Veritas igitur huius promiſſionis in Chriſto conſiſtit. Et cùm regnum æternum promittitur, ſignificatur non fore id deinceps ſub Meſſia corporale. Corporalia enim & terrena omnia mutationibus obnoxia & caduca sũt.

Per *dies cælorum* notat æternam durationem. In terris nihil eſt quod conſtet aut duret perpetuò. Solum hoc regnum, quia eſt cæleſte, non prius deſinet quàm quæ in cælis ſunt pereant aut euaneſcant: id eſt, nunquam. Cæleſtia enim mutationis aut interitus ſunt expertia.

31 Si deſeruerint filij eius legem meam: & in
iudiciis meis non ambulabunt.

32 Si ſtatuta mea profanabunt: & præcepta mea
non cuſtodient.

33 Tunc (*vel mox*) viſitabo in virga tranſgreſſio-
nem eorum: & in plagis iniquitatem eorum.

34 Sed clementiam meam non auferam ab eo:
& non mentiar in veritate mea.

35 Non profanabo pactum meum: & egreſſio-
nem labiorum meorum [*quod egreſſum eſt è labiis
meis*] non mutabo.

Promiſſioni principali de miſericordia, hoc eſt, de gratuito amore & de beneficiis tam ſpiritualibus quàm corporalibus, quæ in æternum ſimul cum regno duratura ſit, addit Deus correctionem, quæ non tam minuit illam, quàm fidem piorum confirmat, vt ſi non omnia in hac vita fluere ad ſuam voluntatem videant, aut ſi multa triſtia accidãt, ne propterea promiſſionem principalẽ in dubium vocent, aut omnino de ſua ſalute deſperent. Sunt enim in hoc pacto ſeu fœdere promiſſiones duplices. Prima & principalis cõcionatur de rebus æternis & ſpiritualibus, de miſericordia, hoc eſt, de amore Dei erga ſuos gratuito, de remiſſione peccatorum, de donatione Spiritus ſancti, iuſtitiæ, & vitæ æternæ, de æternitate huius regni. Hęc omnia, vt gratis dantur fide cõfugiẽtibus ad Deũ, ita nulla his conditio eſt annexa. Eſt enim Deus verax & idem erga omnes ſe inuocantes & petentes hæc beneficia. Promiſſioni verò de rebus ſpiritualibus annexa eſt alia de rebus corporalibus, quæ primùm ad totum populũ, hoc eſt, ad totam eccleſiam in genere, deinde ad familiam Dauidis peculiariter pertinet. Nam in illo fœdere cum Dauide inito Deus peculiariter ſe Dauidi obſtrinxerat, ſe eius poſteris regnum in populo ſuo ſeruaturum eſſe vſque ad Meſſiæ aduentum, ita vt à poſteris Dauidis illud in aliam familiam non transferretur: & ornaturum hos victoriis aduerſus hoſtes, & aliis bonis quam plurimis receperat.

Hanc promiſſionem nunc docet intelligendam eſſe cum exceptione caſtigationis & crucis. Nam propter peccata Deus nonnunquam interrumpit illum curſum beneficiorum corporalium, caſtigat & flagellat ſuos, vt peccata agnoſcant & fugere atque odiſſe incipiant: & ſunt cauſæ aliæ multæ cur Deus eccleſiam ſuam velit ſubiectam eſſe cruci, de quibus alibi dicitur. Interea tamen non violatur eius pactum, nec veritas diuina mutatur. Etſi enim Deus iuſto ordine nos caſtigat propter peccata, & in pœnis ille quodammodo iraſci nobis videtur: tamen iram hanc ſuam ita temperat miſericordia, vt illa ſuperet iudicium, & veritas pacti diuini perpetuò conſtet, iuxta dictum huius pſalmi, Viſitabo in virga peccata eorum: ſed miſericordiam meam non auferam ab ipſis, & non mentiar in veritate mea.

Hęc doctrina vtilis & neceſſaria eſt, & de omnis rebus nos docet. Monet enim calamitates & ærumnas in hac vita non eſſe ſigna reiectionis ſeu damnationis noſtræ, quemadmodum pauidæ mentes interdum iudicant, & ratio nobis dictat, ſed paternas eſſe caſtigationes & exercitia, in quibus fides piorũ & inuocatio creſcit, & peccata paulatim domantur & ſubiguntur, ne regnent in corpore noſtro. Atque in his ipſis fide tamen accedentes ad Deum petere & accipere debemus remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, Spiritum ſanctũ, & vitam æternam, etiã cùm calamitatũ nullus finis cõſpicitur. Sicut Iob inquit, Etiãſi occidet me, ſperabo in eo.

Hæc ſumma eſt horum verſuum, & conſolatio neceſſaria. Alioqui enim cùm natura hominum ad peccandum propenſa & procliuis ſit, & ſubinde etiam pij labãtur in peccatum, niſi Deus ſubinde ignoſcat, nullum eius fœdus ratum & firmum erit. Interea verò doctrina de diſcrimine promiſſionum, de cauſis calamitatum & crucis in eccleſia, de veris conſolationibus opponendis ſcandalo crucis, alibi traditur in libris methodicis, ad quos auditores remitto.

Filij eius] Filios Dauidis poſteros eius nominat, quibus ſucceſſio in regno promiſſa erat. Et per hos ſynecdochicè comprehendit etiam ſubditos. Pactum enim hoc ita initum eſt cum Dauide, vt totum populum, hoc eſt, eccleſiam omnium ætatum complectatur.

Notandum autem in 31. & 32. verſu, primùm poni affirmatiuam, deinde negatiuam: ſi deſeruerint, & nõ ambulauerint, &c. Quia duplicia ſunt peccata, alia ſunt peccata commiſſionis, alia omiſſionis. Ita enim vſitatè diſtinguimus. Cõmiſſionis peccata notantur affirmatiua ſententia: omiſſionis verò negatiua ſententia.

Etiam Ethnici ita peccata diſtinguunt. Nota eſt enim Plutarchi ſententia περὶ ἀθυμίας, τῶν γὰρ καλῶν παράλειψις οὐχ ἧττον ἢ τῶν φαύλων ἡ πρᾶξις ἀνιαρόν ἐστι καὶ ταραχῶδες.

Deinde, quòd toties repetuntur vocabula penè idem ſignificantia, leges, iudicia, ſtatuta, præcepta, id nequaquam factum eſt temere: ſed voluit ſignificare Spiritus ſanctus, non tantùm leuibus delictis, ſed atrocibus etiam peccatis promitti veniam. Idque conſolatione plenum eſt.

Tertiò ſignificat, homines, dũ cooptantur à Deo, non mox exuere carnem cum vitiis, aut prorſus deificari, vt hoc tempore nonnulli contendunt.

Legem in genere intelligit totam doctrinam diuinitus traditam. Legem igitur violant non tantùm qui aliquam legem decalogi tranſgrediuntur: ſed etiam qui in fundamento errant, & ab articulis fidei diſcedunt. *Iudicia* dicuntur leges diuinitus traditæ, quæ & pœnas decernunt delinquentibus, & præmia conſtituunt obedientibus. Vnde & Iudices in ſcripturis dicuntur, quibus iudiciorum Dei curatio & executio mandata eſt, hoc eſt, quorum officium eſt bonos tueri, improbos verò ſuppliciis afficere, vel, vt Paulus loquitur, honori eſſe bono operi, & terrori malo. Et plerunque nomine משפטים intelliguntur leges iudiciales.

Statuta] Hebræi in ſpecie nominant ritus & ceremonias diuinitus præſcriptas, de ſacerdotio, cultu, oblatione, circumciſione, ſabbatis, neomeniis, diebus feſtis, & ſimilibus obſeruationibus. Hæc autem ſtatuta variis modis profanantur, vt quando non peraguntur debita religione & pietate, nec referuntur ad eum finem ad quem referri debent: vel quando eis affingitur opinio meriti & cultus ex opere operato, vt faciebant Phariſæi. Item, quando traditionibus humanis adulterantur & corrumpuntur, vel quando quæſtus in his conſtituitur. De quibus profanationibus concionantur paſſim prophetæ.

Præcepta] Propriè ad opera moralia ſeu ad decalogum pertinent.

Viſitabo] Verbum viſitandi non ſemper eodem modo accipitur, cùm Deo tribuitur. Interdũ enim ſignificat præſtare promiſſa vel benefacere, vt Gen 21. Iehoua viſitauit Saram, fecítque ei quemadmodum locutus fuerat. Interdum explorare, vt Pſal. 17. Viſitaſti me nocte. Interdum punire duriter & affligere, vt hoc in loco. Et ex conſequenti, perdere omnino & in nihilum redigere. Ier. 41. Viſitabo ſculptilia Babel.

פשע & עון ſignificant delicta non tantùm quæ ex ignorantia aut communi quadam imbecillitate fiunt: ſed multò magis quæ committuntur.

In virga] 2. Sam. 7. vnde hæc formula fœderis eſt ſumpta, non ſimpliciter nominat, virgas ſeu plagas: ſed addit deſcriptionem, quæ digna eſt conſideratione. Ita enim inquit, Et ſi aliquid iniquè egerit filius, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Hæc deſcriptio videtur quodammodo conuenire cum illa quæ eſt Hoſe. 11. Quomodo dabo te Ephraim? quomodo concludam te Iſrael? quomodo dabo te? Ponam te ſicut Zeboim? conuerſum eſt intra me cor meum, accenſæ ſunt commiſerationes meæ, non faciam furorem iræ meæ, non reuertar ad perdendum Ephraim, quia Deus ego, & non homo. vbi affirmat ſe mitigaturum pœnas, quas meriti erant Iſraelitę: quia cùm Deus ſit, qui, vt Deut. 4. dicitur, ignis eſt conſumens, homines ſuſtinere iram Dei nõ poſſent, ſed mox abſorpti illo æſtu iræ diuinæ conſumerẽtur & in nihilum redigerentur. Ita hic inquit, ſe virga hominum viſitaturũ iniquitates populi ſui, vt antitheſin faciat inter ſe & homines, & ſignificet ſe non ſecundùm rigorem iuſtitiæ ſuæ, ſed more humano pœnas ſumpturum de nobis: & quidem, cùm morem humanum nominat, reſpicit in primis ad illum morem, quo parentes in caſtigandis filiis vtuntur (pater enim hic de filio loquitur) non quo hoſtes truculenti aut crudeles tyranni in inferiores aut imbecilliores ſæuiunt Parentes enim etſi vehementer offenduntur petulantia & delictis liberorum, eóſque caſtigant: tamen illa iracundia cõiuncta eſt cum amore: Sicut dicitur, filium quem diligit, corripit pater. Itaque moderationem illam in pœnis adhibet, quam amor paternus requirit. Corrigere enim & emendare vult filium, non perdere: ideo virgas adhibet, atque interdũ etiam plagas duriores, non gladium aut ſecurim. Hoc igitur vult, cùm inquit, viſitabo in virga tranſgreſſionem eorum. Virgæ enim paternam caſtigationem ſignificant.

Non men-

Non mentiar in veritate mea] Id eſt, non fallam fidem datam, nec erit irrita promiſſio gratiæ, etiamſi peccata veſtra cogent me adhibere virgas, & aliquanto ſeueriorem eſſe in caſtigando.

Verſus 35. confirmat eandem ſententiam & quod de veritate antea dixerat, oſtendit veritatem intelligendam eſſe de verbo patefacto. Hoc igitur vult nos intueri, nec ab eo diſcedere, quicquid foris accidat. Ideo addit, quod egreſſum eſt ex ore meo.

Verbo profanandi vtitur, vt ſuam conſtantiam & fidelitatem opponat hominum tum leuitati tum malitiæ. Nam antea de hominibus dixerat, ſi profanauerint ſtatuta mea: quaſi diceret, etiamſi vos profanetis ſtatuta mea, ego tamen non profanabo pactum meum.

36 Semel iuraui in ſanctitate mea: ſi Dauidi mentiar.

Vt fides certiùs niti promiſſione poſſit, Deus iureiurando fœdus ſuum ſancit, atque imbecillitati noſtræ conſulit. Valde enim difficile eſt in hac carnis noſtræ imbecillitate, & in hac peccatorum atque ærumnarum mole, quibus oppreſſi ſumus, retinere hanc fidem, quòd ſimus in gratia apud Deum, & quòd ille animum ſuum erga nos non mutet, etiamſi ſe in pœnis iraſci nonnunquam oſtendat. Sed excitanda eſt fides in hac lucta, conſideratione iuriſiurandi, quo Deus promiſſionem confirmat. Maius enim à Deo præſtari non poteſt quàm quòd ſacrum ſuum nomen adhibet, illúdque tanquam pignoris vice promiſſioni adiicit. Beati igitur ſumus ſecundùm Tertullianum, quorũ cauſa Deus iurat, ſed miſeri & deteſtabiles ſi ne iuranti quidem credimus.

Emphaſin habet quòd non ſimpliciter dicit, iuraui, ſed, ſemel iuraui. Significat enim iuramentum eſſe irreuocabile, & nullum eſſe inconſtantiæ periculum. Inter homines iterari ſolent aliquando iuramenta propter inconſtantiam: Deo ſemel iuraſſe ſat eſt.

Per ſanctitatem meam] id eſt, per me ipſum qui ſum ſanctus. Qui iurant per aliquid quod maius ſit quàm ipſi, iurare ſolent. Hebr. 6. Deus verò non habet per quod iuret, niſi ſe ipſum cùm nuſquam maior inueniatur per quem iuret. Ideo per ſuã ipſius ſanctitatem iurat. Eſtque rurſus emphaticum hoc quod dicit, *per ſanctitatem meam*, cùm poſſet dicere, per me ipſum. Nam ſanctitatis nomẽ ità accipimus, vt prorſus pollui aut violari nulla re, nedum inconſtantia, poſſit.

Exiſtimant autem nonnulli interpretes, nomine ſanctitatis Deum reſpicere etiam ad ſanctuarium: vt ſignificet ſe iurare per ſuam ſanctitatem, quæ ſcilicet in terra viſibilis eſſet, aut cuius ſymbola viſibilia propoſita eſſent.

Si mentiar] In formis iurandi particula אם negat: ſicut econtra אם לוא ſi non, affirmat: & exempla varia occurrunt in pſalmis & alibi: vt pſal. 95. Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt. Marc. 8. Amen dico vobis, ſi dabitur generationi huic ſignum.

37 Semen eius in æternum ſtabit: & ſolium eius quaſi ſol coram me.

Amplificat promiſſionem à ſimili, & quaſi adhibitis teſtibus. Quomodo autem intelligenda ſit hæc ſententia, ex ſuperioribus patet. Æternitas enim regni, quam promittit ſemini Dauidis, in ſolo Chriſto quærenda eſt: alioqui enim poſteritas Dauidis ante multa ſecula defecit.

Thronus eius vt ſol] Id eſt, perpetuò durabit vt ſol.

38 Sicut luna ſtabilietur in ſeculum: & teſtis in cælo fidelis, Selah.

Æternitatem comparat durationi ſolis & lunæ. Primùm vt his ſimilitudinibus doceat, regnum hoc non fore mutationibus obnoxiũ, ſicut ea quæ in terra vel aere ſunt. Sol enim & luna non ſunt iis mutationibus obnoxia, quibus elementa, & quę ex his conſtant. Deinde animos noſtros quaſi in cælum attollit, & monet hoc regnum eſſe cœleſte & ſpirituale, non terrenum. Ideo addit, ſolem & lunam teſtes eſſe in cælo fideles huius perpetuitatis & durationis, vt cogitemus, in cælis quærendum eſſe potiùs hoc regnum, quàm in terris. Nam quod ad terrenum ſeu typicum illud Dauidis regnũ attinet: Primùm triſtis interruptio facta eſt per multos annos, cùm populus exularet in Chaldæa: tandem etiam funditus illud eſt deletum à Romanis. Et tamen, ſicut templum primum, quod in promiſſione fundatum erat, etiã inter ipſas ruinas ſtare intelligebat Daniel, cùm oraturus faciem ſuam verteret ad illam orbis partem in qua ſciebat templum fuiſſe extructum: ita cogitemus etiam hoc, Chriſti regnum eſſe perpetuũ, etiamſi typicum illud non apparet: & ſolem ac lunam teſtes eſſe huius perpetuitatis: quia promiſſio nunquam euaneſcit, & ſemper habet ſuum effectum.

Teſtem nonnulli interpretantur Iridem, quæ ſicut teſtis eſt Deum non deleturum ampliùs mundum diluuio, ita huius quoque perpetuitatis teſtis ſit futura. Sed ו ponitur hoc loco pro relatiuo, vt Ezech. 10. Et accepit, & egreſſus eſt, id eſt, qui accepit: referturque tam ad ſolem quàm ad lunam. *Teſtis in cælo fidelis*, id eſt, quamdiu ſol & luna in cælo fulgebunt, erunt mihi teſtes quòd ſolium hoc Dauidis erit firmum & æternum. Ita rurſus ſuccurrit hoſtræ imbecillitati. Non enim ſatis habet iuramento cõfirmaſſe promiſſionem: ſed teſtes adhibet quotidie nobis ob oculos verſantes, qui de veritate harum promiſſionum teſtētur. Nec alienum hoc à Dei natura videri debet, quòd ſolem & lunã teſtes citat, qui alibi, vt eſ. 1. Deu. 32. etiam cælum & terram teſtes aduocat. Accommodat enim Deus ſe captui noſtro, & imbecillitati noſtræ hac ratione conſulit. Nos enim Deum non videmus oculis corporeis, nec quotidie audimus eum repetentem promiſſionẽ. Solem igitur & lunam quoties intuemur, veniat nobis in mentem huius promiſſionis, vt hæc corpora videmus nunquam mutari: ita ſtatuamus, promiſſionem de hoc regno factam, eſſe firmam & ratam.

39 Tu autem repuliſti & reprobaſti: & iratus es Meſſiæ [*vncto*] tuo.

Prioribus argumentis à promiſſa miſericordia, veritate & pacto, ex antitheſi infert triſtem querelam, in qua miſerrimum regni ſtatum & publicas calamitates ita deplorat, vt cùm præſentem regni faciem non conuenire promiſſionibus antea datis oſtendat, Deum ad opem ferendam faciliùs impellat.

Tu repuliſti] Scilicet tam regem quàm populum, quem tamen inito fœdere tibi peculiariter delegiſti, cúmque tibi curæ eſſe affirmaſti. Atque hoc opponitur ei quod ſuprà dixerat Deus: Manus mea erit firma cum eo. Querelæ ſanctorum interdum ita exaggerantur, vt magis carnis ſenſus ſe in his quàm fides oſtendat, vt ſupra aliquoties monuimus Talis etiam hæc eſt. Is enim erat tunc ſtatus regni, vt ſi quis carnis tãtùm oculis illas calamitates intueretur, diceret promiſſiones omnes huic populo factas, eſſe irritas & vanas. Nam & rex venerat in ſummum amittendi regni periculum, & vaſtata regione atq; oppidis deletis, populus paſſim vel ab hoſtibus trucidabatur, vel in triſtẽ ſeruitutem abripiebatur. Hæc certè non videbantur conuenire fœderi, in quo firmum, florens & perpetuò duraturum regnum poſteritati Dauidis promittitur. Itaque ſancti carnis ſenſum ſequuti in tales nonnunquam querelas erumpunt, quæ imbecillitatem eorum arguunt. Et tamen, quæ eſt bonitas Dei, nõ offenditur his querelis, modò fides prorſus non extinguatur aut ſuccumbat, ſed cogitet ita Deum præſtare promiſſa, vt priùs omnia contra quàm pollicitus eſt euenire patiatur, & carnis noſtræ vota ſeu deſideria ſubinde fallat. Sicut hunc pſalmum videmus propheram ita concludere, vt ſuas querimonias corrigat, & Dei conſilium in gubernanda & defendenda ſua eccleſia agnoſcat & prędicet, cùm inquit, Benedictus Iehoua in æternum. Idem & Iob facit, cùm inquit, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

Quod igitur hîc dicit, *tu repuliſti*, &c. ſecundùm carnis ſenſum dici intelligatur, cùm fides interea promiſſionem intuens contrarium ſtatuat, & in æternum miſericordiam & veritatem Dei ſe celebraturam oſtendat. Atque vt antea fidei ſuæ robur oſtendit: ita nunc carnis dolores in medium proponit, vt lucta pij hominis in cruce magis conſpiciatur. Hæc ſi teneantur, facilè refutari poteſt ſtolidum illud atque impium ſapientis cuiuſdam Hiſpani commentum ſeu ſomnium, cuius Petrus Galatinus ex Aben Eſra mentionem facit, lib. 8. cap. 18. qui pſalmum hunc nec legere poterat, nec patienter audire: quòd Deum mendacij arguere videretur.

Chriſto tuo] Sic nominat vel ipſum Dauidem, cum quo fœdus initum erat, ideóque in eum redundare videbatur quicquid patiebantur poſteri eius: vel certè eum regem intelligit qui tunc præerat. Quia enim poſteris Dauidis promittitur diuinitus firmum & durabile regnum, non minùs dicuntur vncti Dei hi quoque quàm ipſe Dauid.

40 Irritum feciſti [*abrogaſti, vel negaſti*] fœdus ſerui tui: profanaſti ad terram diadema eius.

Ita quidẽ caro iudicabat, cui in calamitatibus nihil minus præſtare Deus videtur quàm quod verbo promiſit: & tamen fides ſtatuit ideo priùs omnia in diuerſa labi & occidere, vt certitudo promiſſionum & Dei potentia in ipſo euentu magis conſpiciatur. Supra autem promiſerat Deus, ſe no[illegible]fanaturum ſuum fœdus: huic promiſſioni quia euentus non reſpondere videtur, opponit caro hanc querelam: Irritum [illegible]ciſti pactum &c.

Profanaſti in terram] Id eſt, profanando deieciſti. Verba enim, quæ alioqui motum ad locum ſignificant, quando conſtruuntur cum ב præpoſitione, vel cum ל, vel cum

præpoſitione אל motum ad locum deſignant: itaque in vertendo duobus verbis reddenda ſunt, quæ ſenſum commodè exprimant. Ita hoc loco profanaſti, ſcilicet, deiiciendo. Profanari autem ſignificat exponi probro contumeliæ. Opponitur enim gloriæ & dignitati.

Per diadema intelligit gloriam regni, cuius inſigne eſt diadema. Græcus reddidit ἁγίασμα αὐτοῦ, ſanctuarium eius.

41 Dirupiſti [*diruiſti*] omnes muros eius: poſuiſti omnes munitiones eius ruinam: [*id eſt deſtruxiſti munitiones eius.*]

Hoc quoque pugnare cum promiſſione videbatur. Suprà enim dixerat, Non obruet eum inimicus, nec filius iniquitatis affliget eum. Et conteram à facie eius inimicos eius.

Obſeruandum autem quòd dicit Deum potiùs quàm hoſtes diruiſſe muros, quia ſtatuit non niſi irato Deo & indulgente hoſtium libidini, iſta fieri.

Græcus מחתה reddidit δειλίαν: & Buchananus.

Si qua manet gelida formidine concuſſis arcem:

Quaſi diceret, feciſti vt etiam in propugnaculis formidarent Dauidis milites. Sed nomen ſignificat primò ruinam: deinde ſæpe à corpore transfertur ad animum, & pro conſternatione ſumitur.

42 Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam: fuit opprobrium vicinis ſuis.

Deſtructis munitionibus patuerunt oppida & ædes cuiuſque iniquiſſimorum & ſceleratiſſimorum hominum libidini, vt quiſque in ædes quas vellet, irrueret, & obuia quæque raperet, non aliter ac ſi hortus dirutis maceriis ad ſpoliationem pateat.

Opprobrium vicinis] Id eſt, vicini inſultant calamitatibus noſtris, & rident noſtram fiduciam, quam ex fœdere cum rege noſtro inito concepimus. Itaque paſſim illæ voces exaudiuntur, Hiccine eſt diuinus ille rex, de quo tantopere gloriabantur, & quem ſomniabant fore inuictum?

43 Exaltaſti dextram aduerſariorum eius: exhilaraſti omnes inimicos eius.

Quia promiſerat ſe perpetuò affuturum huic regi, & opem laturum contra omnes hoſtes, eum nunc queritur ſtare à partibus hoſtium, iiſque animum & robur addere, vt perpetuò victorias reportent à populo Dei.

Exaltare dextram] eſt confirmare vires & robur alicuius, vt qui antea languebat, nunc exerat robur ſuum, aliiſque præualeat. *Exhilaraſti*, ſcilicet, noſtris cladibus & ærumnis.

44 Etiam reduxiſti [*retudiſti*] aciem gladij eius: & non feciſti ſtare [*non erexiſti*] eum in bello.

Id eſt, deſeruiſti eum in prœliis: vt fractus animo antequam vel vulnus vllum hoſti infligeret, aut ſe defendere conaretur, in fugam ſe coniiceret. צור Græcus reddidit βοήθειαν.

45 Deleuiſti [*ceſſare feciſti*] munditiem eius: & ſolium eius in terram detraxiſti.

Munditiem nominat ſplendorem & dignitatem regni, quæ in iſtis bellis & diſſipatione populi prorſus collapſa videbatur. Fuerat enim ſub Dauide regnum amplum, & ſplendidum, & multis rebus ornatum: nunc omnis ille ornatus conciderat.

Solium detraxiſti] Solium nominat potentiam, autoritatem, dignitatem, quæ in legitima & felici adminiſtratione reipublicæ, in defenſione diſciplinæ & pacis conſiſtebat.

46 Præcidiſti [*abbreuiaſti*] dies iuuentutis eius: operuiſti eum ignominia, Selah.

Amplificat calamitates regni à collatione: dicit enim regnum inter prima initia mox deficere & ruere, antequam ad maturam conditionem ſeu robur perueniat: non aliter ac ſi iuuenis in ipſo ætatis flore, antequam matureſcat, violenta morte abripiatur, cùm tamen æternitas huic regno ſit promiſſa. Græcus reddidit, τὰς ἡμέρας τοῦ χρόνου αὐτοῦ. legit enim עולם *holam* pro עלום *halum*: hoc eſt, עולמיו *holamau* pro עלומיו *halumau*.

Operuiſti eum confuſione] Id eſt, priuaſti eum omni ſpe ſua, vt qui regnum ſperauerat habiturum ſe florens, opulentum, tranquillum, ſtabile & diuturnum, nunc ſpe ſua deiectus videt illud citiùs omnium opinione ruere atque euerti. Has tamen querelas non effundit propheta, quaſi prorſus de ſalute regni deſperauerit, aut quod promiſſionem Dei in dubium vocet: ſed, vt dixi, ex ſenſu carnis querelas ſuas in Dei ſinum familiariter quaſi effundit, ſéque dum his exonerat, Deum ad opem ferendam magis inſtigat. Quòd enim de veritate promiſſionum nō dubitet, ipſe initio huius pſalmi affirmat, cùm inquit, ſe perpetuò celebraturum miſericordiā & veritatem Dei, atque ita planè ſecum conſtituiſſe, quòd talis veritas ſit ſtabilita. Ideóque & preces ſubmittit querelis. Sed quia fieri aliter non poteſt, quin caro præſentium calamitatum ſenſu afficiatur, & metu imminentium crucietur, neque ἀπαθεῖς ſunt homines pij, vt omnes affectus exuant: ideo querelas quidem de miſeriis ſuis inſtituit, quæ carnis affectus exprimunt. Sed his omnibus fidem opponit, quæ intuens fœdus, animum & cogitationes à præſentium calamitatum ſenſu, aut timore futurarum, ad Dei promiſſiones reuocat, inque his acquieſcere cor iubet. Ideóque pſalmum ita concludit, vt non deſperare de ſalute, ſed lætari de ea tanquam iam adepta videatur.

Lucta igitur carnis & ſpiritus hominis pij in calamitatibus & ærumnis hîc deſcribitur. Caro illa intuetur quæ foris accidunt corpori inſuauia & triſtia: & quia promiſſiones diuinas ſuo deſiderio reſpondere per omnia cupit, mox querulatur, & indignatur, ſi quid expectationi ſuæ non reſpondeat. Fides verò contrà promiſſioni inſiſtit, quam ſcit adeo fallere non poſſe, vt priùs cælum & terram tranſire neceſſe ſit, quàm veritas promiſſionum infringatur. Itaque in ipſis calamitatibus læta ſe erigit, & ſecura de ſua ſalute triūphat. Talis igitur imago in hoc pſalmo propoſita eſt digna conſideratione.

47 Vſquequo, Iehoua, abſconderis perpetuò? ardebit tanquam ignis indignatio tua?

Poſtrema pars pſalmi continet precationem, quæ eſt principalis propoſitio pſalmi, vt in argumēto diximus. Huc enim omnia illa ſpectāt, quæ de miſericordia, veritate & potentia Dei, déque fœdere cum Dauide inito, & de calamitatibus præſentibus dixit, vt his argumentis ad commiſerationem Deus flecteretur, & ad opem ferendam impelleretur.

Oſtendit autem hæc ipſa precatio prophetam inter illas querelas, quæ penè dubitantis de gratia diuina videri poterant, non caruiſſe fide intuente promiſſionem, nec eſſe illas querelas ſimiles impiorum querelis aut vlulatibus, quas illi cum indignatione, impatientia & fremitu aduerſus Deum in pœnis effundunt, dum eum vel mendacij vel crudelitatis atque iniuſtitiæ arguunt.

Petitioni varia πάθη miſcentur, quibus tanquam facibus admotis orationem inflammat. In hoc verò verſu πάθος eſt partim ad Dei, partim ad hominum naturam reſpiciēs. Deus enim, vt clemens & bonus, non poteſt, etiam cùm iraſcitur, perpetuò faciem ſuam abſcondere à ſuis, aut iraſci, ſed, vt alibi dicitur, momentum eſt in ira eius, pſalm. 30. Itaque mox depoſita ira faciem ſuam blandam piis oſtendit, iiſque opitulatur. Eò igitur reſpiciens, dicit, Vſquequo Iehoua abſcōderis perpetuò? quaſi dicat, cùm natura ita bonus ſis & amans tuorum, quomodo potes te tam diu ſubtrahere à noſtro conſpectu, & nullum ſignum fauoris oſtendere? aut quomodo ferre potes vt tam diu affligatur filij tui? *Latere* ſeu occultari à nobis dicitur Deus, quoties ſenſum gratiæ ſeu fauoris ſui ſubtrahit: ſicut econtra reſpicere dicitur, cùm rediiſſe ſe nobiſcum in gratiam oſtendit ope & auxilio. Deinde ad hominum naturam reſpiciens inquit, *Ardebit tanquam ignis indignatio tua?* Quæ enim eſt imbecillitas naturæ humanæ, non poteſt illa ſuſtinere æſtum iræ diuinæ, vt antea quoque monuimus. Ideóque pſalm. 78. Deus dicitur non accendere totam iram ſuam. Huc igitur reſpicit, cùm inquit, Vſquequo ardebit tanquàm ignis indignatio tua? Quaſi dicat, an non tandem modum ſtatues his calamitatibus, quibus vides populum tuum tanquam igne conſumi? Vidéſne quanta ſit noſtra imbecillitas, & quàm neceſſe ſit nos funditus perire, ſi ignis iræ tuæ in nos ſæuire non deſinat? Eſtque hîc tacitè incluſa confeſſio peccati, cùm iram nominat. Ira enim Dei non niſi propter peccata accenditur.

48 Recordare ergo cuius æui [*id eſt, cuius æui ſeu tempuſculi, vt ſic dicere liceat, ego ſim*] ſuper quo [*ad quid, vel cur*] fruſtra creaſti omnes filios hominum (*Græcus, τίς μου ἡ ὑπόστασις. Chaldæus, quòd ego de puluere creatus ſim.*)

Petitioni addit alias varias rationes ſeu argumenta, quibus mouere Deum conatur, vt quàm primùm opem ſuis ferat. Súntque omnia patheticè exaggerata.

Primum argumentum in hoc verſu ſumptum eſt à breuitate vitæ humanæ. Cùm vita noſtra ſit breuis & fugax, parce nobis, inquit, ne calamitatibus oppreſſi mortuis potiùs quàm viuis ſimiles eſſe videamur: ſine nos frui aliquantiſper vſura huius vitæ, quæ per ſe breuis eſt, & vita dici non meretur, ſi perpetuis ærumnis & doloribus homo contabeſcat: & cogita, vbi paulò pòſt expirauerimus, nō eſſe tempus opportunum iuuandi. Id enim monere voluit quando dicit: Memēto quantuli æui ſim, hoc eſt, quàm breue ſit huius vitæ ſpatiū.

Secun-

Secundum argumentum ſumitur à fine hominis conditi. Non fruſtra creaſti homines: ſed ad aliquem finem, nempe vt tuam ſapientiam & bonitatem ei communices. Fieri enim non poteſt vt creatura tam nobilis & excellens ſit fruſtra cõdita, cùm ne quidem de iumẽtis hoc dici queat. Atqui ſi perpetuis miſeriis iaceat oppreſſa natura humana, nec beneficentia tua fruatur, videbitur fruſtra condita: aut certè prҿſtaret eam nunquam conditam eſſe. Itaque niſi fruſtra vis homines abs te conditos eſſe, non ſubtrahas manum tuam à nobis, vt pater ἄστοργος, ſed ſuccurre afflictis, & benefac.

Hoc argumentum quanquam ipſum quoque ſapere carnem magna ex parte videtur (ſciunt enim pij, etiamſi in hac vita perpetuis ærumnis exerceantur, tamen non fruſtra ſe conditos eſſe: ſed aliam reſtare vitam, in qua beneficentia & amore Dei ad ſatietatem vſque perfruentur) tamen locum habet in precibus ſanctorum, vt cætera argumenta, de quibus antea dictum eſt: modò fides præluceat, quæ & promiſſionem firmiter teneat, & dolores moderetur, ne modum excedant.

49 Quis vir viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam è manu ſepulchri? Selah.

Expoſitio eſt ſuperioris argumenti à breuitate vitæ humanæ. Antea enim dixit, cùm hominum natura mortalis ſit & breuis æui, non erit locus beneficentiæ tuæ declarandæ, niſi maturè id facias. Nunc addit, confirmandæ ſentẽtiҿ cauſa, hominem ita mortalem eſſe, vt ſuis viribus, potentia aut induſtria prorogare ſibi vitam aut effugere mortem nequaquam poſſit.

Videre mortem, eſt experiri & perpeti mortem, Iohan. 8. Vbi tamen non loquitur Chriſtus dҿ illa morte quҿ eſt ſeparatio animæ à corpore vſque ad diem iudicij, ſed quam Apocalypſis cap. 2. & 20. nominat mortem ſecundam.

Manum ſepulchri] Nominat vim & potentiam mortis, qua ille omnes homines ad ſepulchrum trahit.

50 Vbi miſericordiæ [*gratiæ*] tuæ priores, Domine, [*quas*] iuraſti Dauidi in veritate tua?

Iterum reuocat Deo in memoriam fœdus cum Dauide initum, & ſimul beneficia antehac ſecundùm promiſſionem huic populo præſtita, atque inde nouum fidei robur ſibi colligit. Antehac, inquit, benefeciſti populo vt oſtenderes te veracẽ eſſe in promiſſionibus. ſed vbi nunc ſũt illæ gratiæ? hoc eſt, cur nunc quoque non benefacis? certè niſi velis eſſe tui diſſimilis, tandem nobis quoque benefacias neceſſe eſt.

In veritate tua] Id eſt, vt quemadmodum verax es, ita illæ perpetuò eſſent firmæ & ratæ futuræ.

51 Recordare Domine opprobrij ſeruorum tuorum: ſuſtinui in ſinu meo omnia multorum populorum [*Sic enim Chaldæus interpretatur, vt particulam* כל *referat ad opprobria.*]

Hoc argumentum ab opprobriis & ſarcaſmis inimicorum ſumptum, crebrò in pſalmis repetitur. Ideo non eſt opus lõgiore explicatione.

Ferre meum, vel, vt ſimpliciùs reddamus, quod patientiſſimè fero omnia opprobria. In hoc membro exaggerat priorem ſententiam. Dicit enim ſe non vnum probrorum aut illuſionis genus, neque ab vno homine, vel ab vna gente ferre, ſed omne probrorum genus, idque à multis & variis hominibus, qui patientiæ & fidei ſuæ inſultarent. Quod addit *in ſinu*, etiam hoc ad exaggerandam calamitatem facit. Significat autem ſe non eminus aut à longè, vtpote ex aliorum relatu audire illos ſarcaſmos & contumelias: ſed coram ab inimicis & hoſtibus Dei, quaſi in ſinum ſuum effundi & magna cum inſolentia euomi.

52 Quæ [*vel quod aut quia*] exprobrarunt inimici tui Iehoua: quæ exprobrarunt plantis Meſſiæ [*vncti*] tui.

Iterum exaggerat hoſtium crimen à circumſtantia perſonarum. Dicit enim has contumelias fieri non tantùm miſerҿ plebeculæ, ſed ipſi Deo, cuius ſint cultores & ſerui. Itaque æquum eſſe vt cauſam ſuam ipſe ſuſcipiat, & gloriam ſuam vindicet, ne perpetuò blaſphemetur.

Quod ſequitur de veſtigiis Chriſti, variè expoſuerunt interpretes. Græcus vocabulum עִקְּבוֹת tranſtulit ἀντάλλαγμα, idque Latinus reddidit commutationem: quaſi glorietur hoſtes ſe regnare erecto aut conſtituto mundano Chriſto pro ſpirituali, ſtabilitáque mũdana gloria & iuſtitia pro Dei gloria & iuſtitia, quæ eſt Chriſtus. Hanc enim interpretationem afferunt. Sed cùm vocabulum Hebræum propriè ſignificet plãtas, ſeu veſtigia quæ plantis pedum fiunt, videndum quæ ſit huius verſus ſentẽtia. Nonnulli veſtigia more Latinorum intelligunt imitationem. Latini enim veſtigiis alicuius inſiſtere dicunt, pro eo quod aliàs dicunt, mores diſcere aut ſtudia imitari. Itaque exprobrare veſtigiis Chriſti nihil aliud ſignificare volunt, quam ridere & opprobrio dignos iudicare hos qui Chriſtum imitantur, aut verbum eius amplectuntur.

Chaldҿus tamen paraphraſtes ad ſermonẽ Hebrҿis magis quàm Latinis vſitatum reſpiciens, paulò aliter interpretatur. Ita enim hanc ſententiam reddit, דיגלי משיחך יידי חסידו איחור רישמת id eſt, exprobrant tarditati veſtigiorum pedum Chriſti tui, hoc eſt, moræ quam facit Chriſtus tuus. Erat enim Iudæis promiſſus Meſſias, qui vbi adueniret liberaturus erat populum ſuum ab omnibus hoſtibus. Hic verò quia aduentum ſuum differebat diutiùs, & Iudæi interea variis calamitatibus affligebantur, inimici ſpem Iudæorum tanquam ſtultam & vanam ridentes, fabuloſum eſſe dicebant quicquid de aduentu Meſſiæ ſomniarent, hiſque ſomniis decepti ſtulte ſe tot periculis obiicerent. De his igitur irriſionibus iudicat Chaldeus loqui prophetam: atque hanc ſententiam plerique ex doctioribus ſequuntur. Nam per plantas ſeu veſtigia videntur Hebræi ſignificare aduentum, ſicut & per pedes apud Ieſa. cap. 52. Nonnulli ſententiam de vanitate ſeu falſitate præmiorum Meſſiæ interpretantur, quaſi ad nomen עקב fiat alluſio, quod mercedem interdũ ſignificat. Sed hoc nimis videtur eſſe argutum, atque adeo etiam peregrinum ab hoc loco. Mihi, vt quid ſentiam, dicam, videtur hҿc phraſis Hebræa non multum abludere ab illa Germanica, *Sie lachen vnd ſpottẽ deines Kœnigs in die Fuſtapffen, Das iſt, da er gehet vnd ſtehet*, rident eum, quacunque incedat, item, quicquid agat. Hæc videtur eſſe omnium ſimpliciſſima ſententia. Nec tamen interea reiicio eam quҿ ex Chaldæo interprete ſumpta eſt. Cæteræ videntur nimis coactæ.

53 Benedictus Iehoua in æternum: Amen & amen.

Hunc verſum putant nonnulli adiectum eſſe à librario: quia contextui reſpondere non videtur. Sed cùm ſententia conueniat cum exordio, & vſitatum ſit pſalmographis illuſtri aliquo epiphonemate claudere pſalmos, iudico prophetam idem feciſſe hoc loco, eoque ſuam fidem & patientiam in his publicis malis declarare voluiſſe. Etſi enim in querelis magnitudinem calamitatum vehementer exaggerat, & ſe propemodum vinci dolore oſtendit: tamen in fine ſeſe rurſus colligit: vtque ſe de Dei fauore, beneuolentia & ope bene ſperare oſtendat, in laudem eius erumpit. Benedictus (inquiens) Dominus in æternum, qui ſcilicet omnia agit & ordinat ad ſalutem ſuorum, etiam in mediis ærumnis & calamitatibus, cùm iam deſeruiſſe eos videtur. Idque ita verè ſe ſtatuere, atque hac conſolatione vincere dolorem ſuum, affirmat voce *Amen* bis repetita, quæ aſſeuerantis ſeu confirmantis vox eſt, ita vt votum habeat incluſum: quaſi dicat, Ita eſto, ſic ratum ſit.

Congruit autem hoc epiphonema cum illa ſententia Iob cap. 1. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum: & oſtendit pios in ærumnis adeo non deſpondere animum, vt de ſalute ſua tanquam iam adepta glorientur: quemadmodum & Paulus Rom. 5. ait, pios gloriari in afflictionibus.

PSALMI LXXXIX.

PARTES.

I. Laudatio Dei ab operibus & fœdere eius, à 2. v. ad 39.
II. Expoſtulatio, petitione coniuncta, vſque ad v. 53.
III. Concluſio epiphonematica à Dei laudibus, v. 54.

I.

Propoſitio ſumma primæ partis de celebrando Deo, quatuor verſ. continetur. Ea eſt benignitatem Dei (quam celebrare conſtituit, v. 2.) cùm in omnibus rebus creatis perſpici, v. 3. tum maximè in regno Dauidis, id eſt, in Chriſto & in eccleſia, v. 4. & 5.

Hæc ita prolepticè poſita ſigillatim deinde confirmantur vſque ad expoſtulationis locum. 1. Benignitas & fides Dei in rebus creatis, à v. 6. ad 16. vſque. 2. Benignitas & fides Dei in Eccleſiam, à 16. ad 39.

Vt priorem partem laudis quam Deus ſibi à rebus omnibus creatis comparauit, pſaltes exornauerat verſ.6.& ſequentibus: aggreditur verſ.16. ſecundæ partis exornationem, qua docet Primùm generatim, quæ ſit benignitas Dei erga Eccleſiam ſuam, verſ.16.17.18.19. Deinde nominatim erga regem.

Benignitas illa erga regem tribus membris explicatur. 1. Pſaltes exponit quæ futura ſit gloria regni tum temporarij, tum ſpiritualis, v.20. ad 27. vſque. 2. Quæ veritas & conſtantia regni in Chriſto, à mutuis & reſpondentibus inter ſe officiis Chriſti erga Deum Patrem, v. 27. & Patris erga Chriſtum filium, verſ.28.29.30. Nam hæc vniuerſè & plenè ad Chriſtum pertinent: tenuiter verò, tanquam ſuis typis, regibus aliis accommodari poſſunt. 3. De ratione, quæ erga temporarium regnum propter Chriſtum ſit ſeruanda à Deo, v.31. vſque ad 39.

II.

Altera Pſalmi pars duo continet. 1. Expoſtulationem à verſ.39. ad 47. vſque, qua regis & populi Iudaici lacerum ſtatum depingit. 2. Petitionem ad quam commodè tranſit per contentionem, v. 47.

Petitio autem eſt miſericordiæ & inſtaurationis. 1. A perſona ſupplicum (v. 48.& 49.) qui ita vanitatem ſuam agnoſcunt, vt ſe tamen Dei creaturas eſſe profiteantur. 2. A perſona Dei (v.50.) benignitatem ſuam opere, fœdere, iuramento, teſtificantis. 3. A perſona inimicorum, v.51.& 52.

Veſtigia autem ſeu plantæ Chriſti, de quibus meminit circa finem 52. verſ. documenta Meſſiæ habitantis & inambulantis in nobis ſignificant, 1. ſiue præterita, ad prophetiam, ſacerdotium, regnum & cultum Dei pertinentia. 2. ſiue præſentia, quibus nos Chriſtus conſolatur verbo. 3. ſiue futura de promiſſionibus aduentus eius.

III.

Concluſio epiphonematica verſ.53. à laudibus Dei, quas vtrobique ſecundis & aduerſis prædicare debet Eccleſia.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 In grauiſſima ac miſerrima deploratione ob eccleſiæ diſſipationem propheta animum minimè deſpondens, ſed ſeſe ſupra diffidentiam attollens, tandémque victor, erudit nos vt eadẽ conſtantia & magnanimitate hodie decertemus, armati fide & ſpe, vtraque certiſſimis ac prorſus fixis fundamentis, hoc Pſalmo patefactis, innixa: nempe 1. diuinorum decretorum de eccleſiæ conſeruatione immota firmitate, Abrahamo & Dauidi promiſſa, in Chriſto autẽ æternùm ſancita: cuius teſtimonia extant tum innumerabilia beneficia, tum ipſa cælorum moles, quæ fœdus Dei cũ Abrahamo percuſſum, Gen. 15.5. renouat. 2. Immenſa Dei potentia, quæ in mundi gubernatione & variis eccleſiæ liberationibus elucet. 3. Ipſius Dei miſericordis & iuſti natura. Hac panoplia victoriam fidelibus omnibus acquirit, qui etiam triumphum canunt: & quoniam inſurgit hoſtis, obijciens eccleſiæ lapſus & afflictiones quæ fœdus illud irritum feciſſe videntur, ita vt nemo pius quicquam de Dei beneuolentia ſibi auſit polliceri: exemplo ſuo nos docet propheta huic tentationi voluntatẽ de Dei clementia immutabili erga ſuos in verbo patefactam opponere: noſtrámque miſeriam ita agnoſcere ac deplorare, vt tamen pactum Dei cum eccleſia firmum fore confidamus, quum de ipſius Dei noſtri gloria aſſerẽda agatur, quæ in eccleſiæ ruina collaberetur: quod cùm fieri nequeat, oportet eccleſiam & pium vnumquemque victoria tandem potiri, & pulcherrimo triumpho tot humanæ vitæ pugnas & clades claudere.

2 Vbi nos ad precandum accingimus ſi in ipſo veſtibulo occurrat deſperatio, vi & impetu perrumpere neceſſe eſt, ne flacceſcant animi prorſúſque deficiant, ſed Dei promiſſione freti non dubitent de eccleſiæ inſtauratione ſperare quæ in Dei miſericordiis & veritate fundata eſt.

3 Nemo liberè aperiet os ad laudandum Deum, niſi qui certò perſuaſus erit, etiam dum ſuis iraſcitur, nunquam paternum affectum exuere.

Non minus erit ſtabilitatis in Dei ſide, quàm in ipſa cælorum cõſiſtentia, quæ ab omni mutatione eſt immunis.

4.5 Fœderis Dei cum eccleſia cauſa & origo in Dei beneplacito ac electione gratuita fundata eſt.

Dauid regiæ dignitatis intuitu vocatur Dei ſeruus: quia non temerè ſe ingeſſit, ſed vocatione legitima fretus, imperium ſibi diuinitus oblatum recepit.

Non priuatim cum Dauide Deus pepigit fœdus illud gratuitum, ſed totum eccleſiæ corpus in futuras ætates reſpexit. Solida enim throni Dauidici perpetuitas non poteſt niſi in Chriſto reperiri.

6 Sanctitas fœderis cum eccleſia initi eò firmior & conſolatione plenior eſt, quòd admirabili illa diuináque nititur potentia quæ à cæleſtibus creaturis agnoſcitur ac celebratur.

7.8.9 In cælis ipſis vnicus Deus eminet abſque ſocio. Et quanuis in angelis reſulgeat maior dignitas quàm in aliis creaturis, quæ etiã nos rapit in ſui admirationem, non tamen appropinquant Deo vt ſua eminentia eum obſcurent, vel imperium cum eo commune obtineant: imò trepidant & expaueſcunt coram Dei maieſtate, atque ſatellitum inſtar circundant ſolium eius, præſtóque ſemper adſunt ad eius iuſſa ſubeunda & exequenda.

Deus ſemper ſuis promiſſis conſtat, & quicquid accidat mutationum, manet vndique verax.

10.11 In liberatione eccleſiæ ex Ægypto gratiam Dei etiamnum ſcriptura nobis commendat, vt liberiùs ad eam cõfugiamus, colligamúſque ab hac experimentali notitia, idem ſemper facturum quoties ei viſum fuerit.

12.13.14 Nihil ſit fortuitò vel temere in terra, quia Dei proprium eſt tueri & gubernare quicquid condidit: neque vlla eſt mundi pars quæ opificem ſuum non reuereatur atque obſeruet. huius autem potentiæ deſcriptio celebris, ad nos erigendos & animandos plurimùm conducit.

15 Deus, qui ſe vno contentus nullis adminiculis indiget, ſplẽdorẽ imaginis ſuæ in bonitate, iuſtitia & veritate ſua nobis proponit, vt fidem noſtrã ædificet, ne fruſtra perſequamur argutas ſpeculationes, quibus dum ſe oblectant profana ingenia, non tenent quid ſit Deus.

16.17 Beati ſunt quibus datum eſt in Deo lætari: quia etſi Dei liberalitate communiter paſcantur cuncti mortales, non tamen ſenſus paternæ eius bonitatis ad omnes peruenit, vt ſibi propitium eſſe perſuaſi, de ſalute ſibi gratulentur. Singulari itaque priuilegio dignatur ſuos electos guſtandam illis bonitatem ſuam præbens, vt ad gaudium & iubilationem colligant animos.

In lumine diuini vultus ambulant fideles, dum perſuaſi peculiariter ſalutem ſuam à Deo curari, in eius prouidentia fide acquieſcũt.

Satis ſupérque in Deo reperiunt fideles quo exultent & glorietur.

Nulla eſt vera magnanimitas, nec vlla virtus ſtat, niſi quæ vnius Dei gratiæ innititur.

18 Virtus Dei in iuuandis fidelibus ac ſuſtinendis ſẽper extat glorioſa: idque in eum finem vt fideles ſui officij memores, quòd ſtant ſalui & integri, laudem Deo referant.

Dei beneuolentia pendet à mero eius beneplacito. vnde ſequitur, fideles in ſolidum deuictos & aſtrictos eſſe Deo, qui ſola & gratuita liberalitate ad proſequendum ſuum auxilium inducitur.

19 Quod de vmbratili regno & rege à propheta dicitur, meminerimus propriè quadrare in Chriſti perſonam, qui nobis datus eſt à patre ſalutis cuſtos, vt eius manu protegamur. Cæterũ pij magiſtratus & principes, quum vices Chriſti gerant in terris, populorum clypei eſſe debent.

20 Quum alij naſcantur reges, qui hæreditario iure ſuccedunt parentibus: alij creentur: alij vi & manu potentiam ſibi acquirant: Deus fuit author regni Iudaici, quia voce ſua Dauidem elegit.

21.22 Nihil fuit regium in Dauide, niſi quatenus anteuertit eũ Deus ſua gratia.

Serui nomen non meritum aliquod notat, ſed ad vocationem refertur, ac ſi ſanciret Deus ſua authoritate eius imperium: quod legitimum fuit procul dubio, quum Deo probatum ſit.

Cuſtos regni Dauidici, cuius author eſt, Deus apparuit: ſicuti non ſolet inchoata ſua opera deſerere, ſed continuo progreſſu perducere ad

ſuum

ſuum finem. Et certè Chriſti veri Dauidis regnum æternum erit, teſte iuſſu Dei Gabriele angelo, Luc.1.

23.24 *Quòd peſſundari regnum paſſus eſt Deus, vt Dauidis ſucceſſores exteris & profanis regibus graue tributum pendere coacti ſint, cum promiſſione hic expreſſa non pugnat: quia ſatis fuit, acciſis regni opibus, manere tamen radicem, vſquedum prodiret Chriſtus, in cuius demum manu ſtabile fuit regnum.*

Eccleſia (quæ eſt Chriſti regnum) grauiter premitur à tyrannis, hæreticis & profanis hominibus, ſed non opprimitur, imò tandem liberata exultat, dum Chriſtus virga ferrea exactores iniquos, & oppreſſores conterit.

25.26 *Non tantùm à principio Deus ſuæ beneuolentiæ ſpecimen in Dauide exhibuit, ſed eãdem clementiam eſt proſequutus: quod ad totam Chriſti eccleſiam ſpectat, vt non ſolùm in veſtibulo, ſed in toto ſalutis noſtræ curſu Dei bonitas appareat.*

Regnum Dei ſub Dauide à mari vſque ad Euphratem extenſum, ſub Chriſto omnes terræ fines pertingit.

27.28 *Hæc vnius tantùm regis in mundo, videlicet Dauidis & poſterorum, prærogatiua fuit, filium Dei vocari, quatenus videlicet eorum vnuſquiſque Chriſti perſonam ad tempus ſuſtinuit. Vide Hebr.1.4.*

29.30 *Hac lege erectum eſt à Deo regnum Dauidis, vt in æternum ſtabiliretur, fœdere gratuito & in mera Dei gratia fundato. Sed id conſtare non poteſt, donec ad Chriſtum ventum fuerit, in quo demum reperietur iſta æternitas.*

31.32.33 *Quia vtile eſt hominibus caſtigari Dei ferulis, non promittit Deus impunitatẽ qua alantur peccata, ſed paternam moderationem in pœnis, vt vindictã ſummo iure non exigat, neque tantùm leuibus delictis, ſed peccatis quoque atrocibus veniam promittit. Vnde colligimus dum cooptantur homines à Deo, non protinus exuere carnem ſuam cum vitiis: ſed oportere eos confugere ad commune veniæ aſylum in Dei miſericordia oblatum. Neque vniuerſalis defectio hìc notatur, vt nihil pietatis maneat reſiduũ: ſed quia interdum contingit fideles ita iugum excutere, vt videri poſſit ſuffocatus in illis Dei timor: ideo neceſſe eſt atrocibus peccatis veniã promitti, ne eos deſperatione obruãt tales quilibet lapſus. Interea obſeruandum eſt, vbi Deus ſe transgreſſoribus propitium fore denuntiat, qui legem ſuam violauerint, & mandata profanauerint, conſultò odioſas iſtas voces proferre, vt nos in vitiorum odium & deteſtationem adducat, non autem alliciat ad peccandum. In ſumma, quanuis non omni ex parte gratiæ Dei reſpondeant fideles, ideóque abdicatione digni ſint, Deus tamen illis erit placabilis: quoniam coniuncta eſt cum fœdere peccatorum remiſſio. Cæterùm, quia non adoptat nos Deus vt impunè peccemus, interponitur caſtigatio, qua oſtendit Deus ſibi odio eſſe peccata: & filios ſuos quid promeriti ſint admonens, ad reſipiſcentiam inuitat & hortatur.*

34.35 *Miſericordia Dei à fidelibus non aufertur, dum iraſcitur: quia non deſinit amare quos vult eſſe correctos in ſalutem.*

Quod dicit, miſericordiam non auferam ab eo, innuere videtur, nonniſi Chriſti reſpectu nos Deo reconciliari, & ex eo fonte petendam eſſe ſpem miſericordiæ.

In eo bonitas Dei cum eccleſia fœdus in Chriſto ferientis elucet, quòd non modò firmum fœdus illud fore pollicetur, ſed etiam quòd iurat ſe fœderatos ſuos conſeruaturum ne vanitate ſua diffluant, vt hodie, quum peccata noſtra vſque in cælos aſcendant, tamen Dei bonitas, cælos tranſcendens, illis eſt ſuperior.

36 *Raræ indulgentiæ ſignum eſt, quòd dum nos ad diffidentiam procliues videt Dominus, tam humaniter iureiurando occurrit. Quò minus excuſationis nobis reſtat, niſi promiſſionem adeo probè ſanctam indubia fide amplectimur, quum Deus ſalutis noſtræ ſtudio, dũ vult nos verbo ſuo addictos eſſe, nòmini ſuo non parcat.*

Iuſiurandum Dei eſt irreuocabile, nec vllum eſt in eo mutationis vel inconſtantiæ periculum.

Forma iurandi ecliptica nos etiam docet, ſobriè ſumendum eſſe Dei nomen, nè temere & audacter iudicium nobis accerſamus: quia abruptus ſermo & ſuſpenſus inſtar fræni eſſe debet ad nos cohibẽdos.

37.38 *Quum ſol & luna etiam nunc luceant, quanuis extincta ſit ſine ſpe reſtitutionis externa Dauidici regni dignitas: ideo ad Chriſtum veniẽdum eſt, alioqui Deus in ſuis promiſſis fallax videri poſſet. at hic ſurculus ex trunco Iſai reipſa oſtendit fidem optimam his verbis conſtitiſſe. Vide Ieſaiam 9. & 53. Ierem.23. Luc.1.*

39.40.41.42.43.44.45.46 *Expoſtulandi libertas qua vtuntur fideles, non aliò tendit quàm vt ſe coram Deo exonerantes, dubitationi & impatientiæ reſiſtant. Aliquoties autem proferunt in medium quas caro & ſanguis ſuggerunt tentationes, vt infirmitatem qua premuntur maturè Deus ſubleuet.*

Quotquot accidunt clades, totidẽ colligunt fideles in ſummis afflictionibus eſſe ſigna alienationis Dei: quo propitio totus mundus, quicquid machinatus eſſet, eccleſiæ ſtabilitatẽ conuellere non poterat.

Fideles quò liberiùs Deum appellant de ſuis promiſſis, eo fortiùs luctantur cum diffidentia, & ſe ad bene ſperandum animant.

47.48.49 *Quas in ſummis angoribus voces doloris profundunt pij, quanquam ex carnis ſenſu voces illæ promanant, ſunt tamen cũ fide coniunctæ.*

Omnia ſunt ſalua & tutiſſima, ſimul ac ſerena Dei facies apparet.

Mala omnia ex peccatis proficiſcuntur, quum ſint irati Dei flagella.

In hunc finem quũ fideles conditi ſint, vt in mundo fruantur Dei beneficentia, ſequitur fruſtra naſci, niſi ſe illis patrem Deus demonſtret. Et quia breuis eſt vitæ curſus, niſi benefacere feſtinet Deus, colligunt non fore ampliùs locum vbi vita effluxerit. Hanc autem Dei conceſſione licentiam ſibi ſumunt, vt Deum ſuis precibus ad feſtinationem incitent: ſimulque iniiciunt ſibi modeſtiæ frænum, vt ſe totos eius arbitrio permittant.

50 *Fideles colligunt animum ex recordatione beneficiorum Dei, quem ſciunt non poſſe ſui eſſe diſſimilem: ideóque non poſſe aboleri beneficentiam quam olim fidelibus exhibuit, & in Chriſto regni Dauidici æterno hærede ſanciuit.*

51 *Quò grauior eſt iſta tentatio, rideri patientiam noſtram ab impiis, vt damnata Dei fide nos in deſperationem præcipitent: eo paratior eſt Deus ad opem ferendam, ne tentationi ſuccumbant debiles animi.*

52 *Impij vocantur inimici Iehouæ, quia eccleſiam hoſtiliter perſequendo, Deum (in cuius protectione eſt) violant.*

Chriſti aduentum olim & hodie impij ſubſannant: quia eccleſiã ab eo pendentem afflictam & derelictam eſſe imaginantur.

53 *Fideles poſtquam ſuas querelas in Dei ſinum effuderunt, tanquam onere grauiſſimo leuati, vel vt doloris, qui ſupereſt acerbitatem leniant, conſultò erumpunt in Dei laudes, & hac ratione alacriùs ſperant ſalutem.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Benignitas, Veritas, & Conſtantia Dei paſſim conſpicuæ.
2. De fœdere Dei cum Eccleſia in Dauide, qui typus Chriſti fuit.
3. Opera Dei à quibus & quomodo celebrentur.
4. Omnipotentia, Iuſtitia, Iudicia Dei.
5. Eccleſiæ felicitas in quo conſiſtit.
6. De Dei reuelationibus variis.
7. De regno Chriſti, cuius regnum Dauidis typus fuit.
8. De Deo patre, & de Deo filio.
9. Dauidis regnum quomodo conſiderandum.
10. Iudicia Dei Eccleſiam ſuam viſitantis.
11. Impiorum proſperi ſucceſſus, vnde.
12. De ira Dei.
13. Deus quo ſenſu ſeſe abſcondere, & quomodo recordari dicatur.
14. De vitæ noſtræ fragilitate.
15. De Chriſti veſtigiis.

PSALMORVM DAVIDIS LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM PSALMI XC.

HIC Pſalmus coniunctus eſt cum præcedente, non aliam credo ob cauſam, quàm quòd de fragilitate & fugacitate vitæ humanæ aliquanto prolixiùs atque euidentiùs quàm prior concionatur. Et veriſimile eſt Moſen ſumpta occaſione à præſentibus ærumnis & miſeriis, quibus in deſerto multos iam annos affligebantur Iſraelitæ, Pſalmum hunc compoſuiſſe, vt eſſet communis doctrina in hoc populo, qua aſſiduè de ſua infirmitate, de communibus ærumnis & miſeriis generis humani, de breuitate vitæ humanæ, déque mortis tyrannide commonefacti, primùm cauſas horum malorum omnium conſiderarent, & de veris ac ſalutaribus remediis cogitarent diligentiùs. Nam hæc in parte doctrina diuinitus patefacta, quæ Eccleſiæ propria eſt, longè antecellit humanæ ſapientiæ: quæ cùm videt hanc præſtantem naturam obnoxiam eſſe morti, morbis & aliis infinitis calamitatibus, primùm ad ſtuporem vſque miratur, quî fieri poſſit vt tam præſtans natura, tot caſibus & ærumnis, ac morti denique ipſi ſit obnoxia: & cùm veras cauſas ignoret, alias procul quærit, vel in fato ineuitabili, vel in materiæ aſſiduo fluxu: nonnulli etiam aliquantò profaniores, vt cætera omnia quæ eueniunt, ita ærumnas quoque & calamitates ad caſum referunt. His enim perplexitatibus pleni ſunt philoſophorum libri. De remediis verò adeo nihil tradit philoſophia vt maximam ſapientiæ & eloquentiæ ſuæ partem in deploratione communium miſeriarum fruſtra conſumat. Sola autem doctrina cœleſtis & veras cauſas mortis, morborum atque aliarum ærumnarum oſtendit, & certa remedia monſtrat quæ & mortem ipſam tollunt, & ærumnas non tantùm in præſentia mitigant: ſed & in æternum deinceps gaudium conuertunt.

Hanc igitur doctrinam, quia familiariter notam eſſe & extare in eccleſia neceſſe eſt, Moſes hoc breui carmine complectitur. Primùm enim de miſeriis & fugacitate vitæ humanæ verba facturus, ita illuſtribus figuris & ſimilitudinibus in eius rei deſcriptione vtitur, vt nullus apud philoſophos orator hac in parte eum ſuperet. Poſtea verò extra philoſophiam egreſſus veras & principales cauſas horum malorum commemorat, quas dicit eſſe peccata generis humani, tam occulta quàm quæ palam fiunt, aut quæ conſcientiæ cuiuſque nota ſunt, quibus Deus offenſus genus humanum morti & aliis ærumnis ac calamitatibus ſubiecerit. Sed quia non ſatis eſt mala ſua & horum cauſas noſſe (ea enim cogitatio non ſolum non lenit dolores, ſed grauiores efficit, præſertim ſi externæ calamitates iſtas cogitationes exacuant: & niſi maturè remedium adhibeatur, hominem in æternam mortem & exitium demergit) ideo initio ſtatim antequam malorum mentionem vllam faciat, remedium oſtendit, in quo acquieſcere piorum mentes, quoties his cogitationibus cruciantur, debeant. Id verò ex promiſſionibus diuinitus patefactis petitur: in quibus Deus oſtendit ſe ex genere humano ſibi cœtum aliquem deligere, quem peculiari amore complectatur, quem liberare à peccato, à morte & cæteris calamitatibus, quem defendere & tueri, quemque æterna iuſtitia ac vita ornare velit. Hæc conſolatio quia efficaciſſima eſt ad ſedandos piorum dolores, mox initio pſalmi breuibus verbis recitatur, & adiicitur breuis Epicureorum refutatio, qui caſu naſci & interire genus humanum, omniáque volui & ferri temere in hoc mundo exiſtimant.

Sed quia aſſiduè in vita exerceri hanc doctrinam atque ita animis infigi, vt ad vſum transferri poſſit, neceſſe eſt: Ideo, poſtquam de fugacitate vitæ & reliquis miſeriis generis humani, ac de harum cauſſis concionatus eſt, mox petit ſuum & aliorum cor flecti ad diligentem & aſſiduam conſiderationem harum rerum: ne exemplo impiæ & profanæ multitudinis, iram & iudicium Dei ridendo & contemnendo, ſua ſibi ſtultitia interitum accerſat. Deinde, quia nuſquam niſi in Dei erga ſe beneuolentia & fauore, in anguſtiis & mortis metu poſitus animus acquieſcere poteſt, petit vt in præſentibus calamitatibus quibus populus erat oppreſſus, Deus amoris ſui ſenſu corda piorum exhilaret, quo dolores de peccato, morte & ærumnis ſuis faciliùs vincant & ſuperent, & reliquum vitæ ſuæ curſum deinceps feliciter peragant. Atque ita ſuo exemplo monet, fidei in his exercitiis adiungendam eſſe aſſiduam inuocationem, quæ ſibi remitti peccata, ſéque ſenſu fauoris diuini rurſus exhilarari petat. Hac enim vnica re, fide ſcilicet acquieſcente in verbo promiſſionis, & inuocatione (quæ vox eſt fidei aſſiduè clamantis) ſedantur in animis piorum, & extinguũtur illi tumultus & triſtes dolores, qui maximam partem generis humani in æternam deſperationem & mortem præcipitant.

Oratio Moſis viri Dei.

De titulo Pſalmi.

EXiſtimant nonnulli, inter quos & Auguſtinus eſt, pſalmum hunc non eſſe compoſitum à Moſe: quia non reperiatur in eius hiſtoria, nec inter cantica ab ipſo conſcripta reponatur. Ideóque per Moſen quidam intelligunt filios Moſe, hoc eſt, Leuitas, quorum munus erat decantare pſalmos in templo. Sed quantum tribuendum ſit huic coniecturæ, iudicent alij. Ego cur titulum immutem cauſſã non habeo. Video enim complures pſalmos in hunc librũ eſſe coniectos cùm à Dauide tum ab aliis compoſitos: quorum tamen in hiſtoriis ſacris, vbi res geſtæ recitantur, nulla fit mentio. Horũ autoritatem ſi eleuare hoc Auguſtini argumento velimus, vix vnus atque alter Dauidi erit relinquendus. Cúmque Moſen hoc loco nominet virum Dei, ſatis apparet, eum, quiſquis pſalmos collegit & in ordinem digeſſit, hac ipſa deſcriptione Moſen illum qui præcipuus in hoc populo propheta & doctor fuit, notare, eiúſque mentione conciliare autoritatem huic carmini ad poſteros voluiſſe. *Virum* enim *Dei* nominat: quia peculiaribus à Deo donis ornatus, & ad ſingulare munus vocatus fuit.

1 Domine

1 **Domine, habitaculum fuiſti nobis in generatione & generatione.**

Antequam de miſeriis generis humani concionetur, conſolationem præmittit, quia fidelium animos munit, ne cogitatione perpetuarum miſeriarũ ac mortis, cui obnoxium eſt genus humanũ, in dubitationes Epicureas maximę multitudinis exemplo, aut deſperationem incidant. Eaque commonefactione illo tempore inprimis erat opus, cum videret Moſes populum Iſraeliticum aliquot ſeculorũ triſti ſeruitute, quam perpeſſus erat in Ægypto, & præſentibus miſeriis, quibus in deſerto multos iam annos conficiebatur, propemodum eò delabi vt de promiſſionibus factis multi dubitare inciperent: nonnulli, tanquam deſperata ſua ſalute, omnem pietatem & religionem ex animo eiicerent: ſibi etiam creſcere quotidie difficultates, ærumnas & pericula ex multitudinis profanitate ac petulantia, & nonnullorum dolore cerneret. Non enim dubium eſt, quin quemadmodum multi ex populo, cùm ſe fruſtra oberrare in deſerto tot annos, & miſeriis infinitis obiici cernerent, ſæpe tumultuati ſunt, & aduerſus Moſen inſurrexerunt: ita alij modeſtiores, in quibus pietatis aliquid reliquum fuit, ſæpe de veritate promiſſionum diuinarum inter ſe diſputarint, ſeque & alios his diſputationibus fatigarint. Horum igitur dubitationibus vt occurrat, initio ſtatim conſolationem firmam & ſolidam tradit, quæ huiuſmodi dubitationibus opponi queat, & quomodo promiſſio facta intelligi debeat, oſtendit. Et quia pſalmum ad formam precationis ſcribere voluit, ideo ſententiam hanc ita exponit, vt ad ſequentes preces ſit accommodata. *Domine*, inquit, *tu fuiſti nobis habitaculum*; &c. quaſi diceret, Etiamſi oberramus in deſerto, & vagamur incertis ſedibus, perpetuis ærumnis & periculis expoſiti, multi etiam ex nobis quotidie communi hominum ſorte pereunt & moriuntur: tamen tu Domine es noſtrum habitaculum, ſicut fuiſti patribus noſtris: degimus enim ſub tuo præſidio muniti tua gratia & fauore, tanquam firmo propugnaculo: nec propterea fit irrita promiſſio, etiamſi ad tempus communes ærumnæ nobis ſint ferendæ. Nam, quemadmodum ſemper fuiſti noſtris maioribus, hoc eſt, Eccleſiæ inde vſque ab initio generis humani, tutum receptaculum & præſidium aduerſus omnia mala & calamitates: ita deinceps, iuxta promiſſionem, non deſeres nos, nec patieris nos vagari hic ſine tuo præſidio. Id verò ſi nobis paratum ſit, non ſumus ſoliciti quomodo ditiones & vrbes occupemus, in quibus habitare commodè, & cætera, quæ ad vitam ac valetudinem tuendam neceſſaria ſunt, comparare liceat. Nam etiam exulantibus, & nullam certam ſedem tenẽtibus, vt hactenus fuiſti, ita deinceps eris habitaculum: peregrinantibus tu eris diuerſorium: periclitantibus tu eris arx & munitio: eſurientibus tu proſpicies de cibo & potu, &c.

Hæc omnia complectitur cùm dicit, *Tu es habitaculum nobis*. Ea enim ad commodam habitationem requiruntur omnia. Et cùm addit *in generatione & generatione*, Deũ perpetuo ſui ſimilem eſſe, atque ita gubernare ſuam eccleſiam oſtendit, vt ſi aliis rebus externis, victu, habitatione, defenſione, illa ad tempus deſtituatur: ipſe tamen vnus piis ſufficiat, quo adepto nihil ampliùs requirere aut deſiderare debeant. Hæc conſolatio omnibus tentationibus opponenda eſt. Nam neque mors, neque cæteræ calamitates frangere animos poſſunt, ſi perſuaſum habeamus, quicquid foris accidat, tutum nos habere ad Deum receptum, eiuſque præſidio, aduerſus omnis generis mala nos ſatis probè munitos eſſe.

Nomine *habitaculi* videtur Moſes alludere ad tabernaculũ, quod tunc voce & mandato Dei in populo conſtitutum, teſtimonium & ſymbolum erat præſentiæ & fauoris diuini, vt quoties illud aſpicerent ſancti, toties de Dei erga ſe amore & præſentia fierent certiores. Etſi autem magnum beneficiũ erat, hoc externo ſymbolo confirmari promiſſionem de aſſidua Dei præſentia: tamen affirmat Moſes, etiam antequam viſibile illud ſymbolum oculis piorum proponeretur, Deũ fuiſſe patribus ipſorum habitaculum, ita vt illi reipſa non minùs quàm qui tunc in deſerto viuebant, ſentirent ſe latere ſub vmbris alarum Dei, eóque protegente ſe tutos & incolumes eſſe. Carebãt igitur ſymbolo illo patres ante eductionem populi ex Ægypto, re tamen ipſa non minus fruebantur quàm hi, quibus propoſitum erat ſymbolum. Atque ita Deus apud Ezechielem cap. 10. dicit, ſe his qui in exilium vltro conceſſerant, & quibus cæteri illudentes dicebant, Procul diſcedite à Iehoua, vel à ſanctuario: nobis data eſt terra in hæreditatem: ſe fore illis in ſanctuarium paruum, vt etiamſi ſplendidum & magnificum illud templum Hieroſolymitanum, quod viſibile ſignum & pignus erat præſentiæ Dei, non habeant in conſpectu, re tamen ipſa non deſtituantur.

Hæc doctrina vtilem habet commonefactionem & conſolationem neceſſariam iis qui retenti tyrannide hoſtium viuere iis in locis non poſſunt, vbi publicum eſt doctrinæ ſacræ miniſterium, & ſacramenta ſecundùm inſtitutionem diuinam adminiſtrantur.

Emphaſis autem eſt in pronomine *nobis*, non negligenda. Loquitur enim de populo Dei: non de his qui ſunt extra eccleſiam, aut qui eam oppugnant.

2 **Antequam montes naſcerentur & formares terram & orbem: & à ſeculo vſque in ſeculum tu es Deus.**

3 **Qui redigis hominem ad nihilum: & dixiſti, reuertimini filij hominum.**

Poſtquam de vera & neceſſaria conſolatione dixit, quæ opponẽda ſit illis animorum dubitationibus, quibus animi piorum, dum vident eccleſiam ſubiectam eſſe cruci, & variis ærumnis fracti incipiunt dubitare de veritate promiſſionum diuinarum: nunc etiam ad refutandos illos ſe conuertit, qui omnia fieri caſu in rebus humanis exiſtimant, eò quòd vident tot morbis, tot ęrumnis, & tandem morti genus humanum eſſe obnoxium: quales extant multæ ſententiæ apud Epicureos. Brutus victus ab Antonio exclamat, quęcunque de virtute diſputantur, meras eſſe nugas, quia fortuna dominetur in rebus humanis: & noti ſunt Gręci verſiculi:

Τύχης τὰ θνητῶν πράγματ᾽ οὐκ εὐβουλίας. *Item,*
Στρέφει δὲ πάντα τὸν βίον μικρὰ τύχη.

Et Lucanus exclamat:

Siue nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur,
Fértque refértque vices, & habent mortalia caſum.

His Epicureorum impiis vocibus opponit hos duos verſus, in quibus affirmat, non caſu volui res humanas, nec fortuitò id accidere, vt ſubinde alij moriantur, alij naſcantur: ſed Deum, qui ab æterno ſit, gubernare res humanas, eiúſque conſilio & voluntate homines & interire & naſci.

Hęc ſumma eſt horum duorum verſuum. In mundo quidem, inquit, videntur omnia ſubiecta variis mutationum vicibus, ſed vnus tamen Deus eſt, qui antequam mundus conderetur, erat: & hic eſt, qui in æternũ Deus eſt, hoc eſt, qui nõ ſolùm non mutatur, ſed qui omnia pro ſua ſapientia & iuſtitia gubernat in hoc mundo, nec quicquam permittit caſui & fortunæ. Id enim ſignificat Deum eſſe, videlicet non ſolùm exemptum eſſe ab illa lege mutabilitatis, cui creaturæ ſunt ſubiectæ, atque ideo perpetuò ſui ſimilem eſſe: ſed etiam ſuo conſilio moderari illas mutationes in rebus creatis, quæ caſu ab aliis fieri iudicantur. Quòd igitur nunc moriuntur homines, nunc naſcuntur, & quòd tanta eſt rerum omnium viciſſitudo, id fit Deo volente & mandante.

Primùm autem nominat *montes*, poſtea *terram* per epitaſin, quaſi dicat, non modò ante montes, ſed ante ipſam terram, ex qua montes ſunt. Dictione *orbis* omnia condita complectens intelligit.

Conuertis ſeu facis reuerti hominem ad contritionem ſeu rem minutiſſimam, id eſt, Tu es qui redigis hominem in puluerem: non enim moritur caſu.

Reſpicit autem hac forma loquendi ad illum ſermonem Gen. 3. vbi ad Adam poſt lapſum dicit Deus, Puluis es & in puluerem reuerteris. Quæ verba non Adę tantùm: ſed toti generi humano dicta eſſe, atque his quaſi legem certam moriendi nobis fixam eſſe ſignificat propheta. Non temere autem vtitur vocabulo אנוש. Factum eſt enim hoc nomen à variis miſeriis, morbis & morte, quibus ſubiectus eſt homo. Nam verbum vnde deducitur, ſignificat ægrotare lethaliter, ita vt de vita aut recuperanda ſanitate ſit deſperatum. Homo igitur obnoxius peccato & morti nihil aliud eſt quàm homo aliquis grauiſſimo & inſanabili morbo laborans. Itaque, cùm de miſeriis & fragilitate huius vitæ eſſet dicturus, commodè hoc vocabulo vtitur.

Et dicis, Reuertimini filij hominum] Id eſt, Quòd alij rurſus naſcũtur qui in demortuorum locum ſuccedant, hoc fit te iubente: vt nihil hîc tribuendum ſit caſui aut fortunæ. Quòd igitur breuis eſt vita hominum, & multis miſeriis obnoxia, quódque perpetuæ vices ſunt naſcendi & moriendi, hoc vni prouidentiæ diuinæ adſcribendum eſt.

Nonnulli ἀλληγορικῶς de ſpirituali mortificatione & iuſtificatione verſum interpretantur. Deus primùm mortificat: deinde viuificat, vt dicitur 1. Sam. 2. Græcus legit: μὴ ἀποστρέψῃς ἄνθρωπον. Nam nomen אל ex præcedente verſu huc traxit: & pro אל *el* legit אל *al.*

4 **Quia mille anni in oculis tuis tanquam dies heſternus, quando præteriit: & [*tanquam*] vigilia in nocte.**

Iam deſcendit ad commemorationem & querelam de fragilitate & fugacitate vitæ humanæ: & in hac deſcriptione

quæ admodum luculenta eſt, primùm taxat & reprehendit ſtultam hominum opinionem, qui in longæuitate vitæ felicitatem hominum poſitam eſſe exiſtimāt: hominémque beatiorem fore prædicant, ſi ad mille annos aut vltra extendere vitam ſuam poſſet. Inde enim illa crebra vota & gratulationes de longæuitate apud poetas, vt apud Iuuenalem Sat. 10.

Felix heu nimiùm qui per tot ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos cum dextra computat annos.

De Neſtore ſic loquens. Et notus eſt Græcus ſenarius:

ἢ ζῆν ἢ δεῖ τὸ ζῶν μὴ φθονουένης τύχης.

Huic ſtultæ perſuaſioni, quę dolorem de fugacitate vitæ in in hominibus auget, opponit Moſes hanc ſententiam: *Mille anni apud te ſunt ſicut dies vnus.* Itaque etiamſi quis ad milleſimum annum vitam protraheret, totum illud tempus apud te non longius eſſet quàm ſi vnum diem vixiſſet. Quare fruſtra longa vitæ ſpatia expetimus. Nam ſiue diu viuas, atque in longum tempus annos protrahas, ſiue breui hinc diſcedas, coram Deo illa res diſcrimen nullū parit: nec collocat Deus noſtram beatitudinem in longæuitate vitæ in hoc mundo. ſed in alia vita longè præſtantiore.

Et tanquam vigilia] Corrigit prius membrum mirabili extenuatione. Dicit enim totum vitæ humanæ ſpatium, etiamſi quàm longiſſimum ſit, & ad mille annos pertingat, apud Deum æſtimari non tantùm pro vno die, qui iam præteriit: ſed vix quartam noctis partem æquare. Noctes enim in quatuor vigilias diſtribuebantur, quarum ſingulæ ternis horis conſtabant. Et quidem vocabulo noctis ſignificat res humanas in hac vita inuolutas eſſe multis tenebris, erroribus, periculis, terroribus & doloribus.

Alij ſimpliciter ad æternitatem Dei hanc ſententiam accommodant, quam verſu ſecundo breuitati huius vitæ opponere videtur: vt intelligas, mille annos apud Deum reputari pro vna die, aut etiam tribus horis, ſi ſcilicet cum æternitate Dei conferantur. Quæ ſententia eodem redit cum priore. Si enim mille anni ad æternitatem collati, vix pro trium horatum ſpatio habendi ſunt: quid eſt quod tantopere longa vitæ ſpacia exigere in terris cupimus? & non potiùs ad illam vitam, quę finem habitura non eſt, reſpicimus? Et tamen tam ſtolida eſt ratio humana vt in centum annis, ſi hos attingere poſſit, ſummam felicitatem ponat.

5 Abripis eos [*dilabi eos facis tanquam nimbum, vel, facis eos cum impetu quodam ruere*] ſomnium ſunt: mane, tanquam herba [*quæ*] mutatur.

6 Mane efflorescit & mutatur: ad veſperum excinditur & areſcit.

Confirmat priorem ſententiam aliis tribus ſimilitudinibus. Primùm comparat vitam humanam aquarum moli, quę ex inundatione creſcens magno impetu rapitur & defluit, vt paulò poſt nullum eius veſtigium appareat. *Ein menſch (ſaget er) iſt vvie ein vvaſſerſtrō der geſchvvinde verſcheuſt.* Aqua inūdans longè latéque agros complet, & magnum terræ ſpatium occupat, ſed antequam reſpicias, vniuerſa illa aquarum moles defluxit: ita homines interdum creſcunt potentia, occupant agros & ditiones, quarum poſſeſſione tument & ſuperbiunt: ſed momento citiùs omnis illa ſuperbia cum extremo halitu in auras abit.

Secundò inquit, *ſomnium ſunt.* Qua ſimilitudine non ſolùm breuitatem, ſed & vanitatem vitæ humanæ ob oculos ponit. Nihil eſt enim fugacius & vanius ſomnio: offerunt ſe interdum dormientibus imagines de rebus magnis ac ſplendidis, & delectant dormientem, ſicut piſcator apud Theocritum ſomniat ſe capere aureum piſcem: ſed quia nihil ſolidi ſubeſt ſub hac imagine, mox excuſſo ſomno euaneſcit & ſomniū & res quæ per ſomnium dormienti erant oblatæ. Itaque & Pindarus accepta haud dubiè à patribus hac ſententia, dixit homines eſſe ἐφημέρους καὶ σκιᾶς ὄναρ. Et Theognis: ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὄναρ. Et Ariſton breuitatem vitæ humanę deplorans inquit: illius exigui temporis & vitę, quod nobis datur, τὸν ὕπνον οἷον τελώνην τὸ ἥμισυ ἀφαιρεῖν, ſomnum tanquam vectigalium collectorem dimidium auferre.

Mane quaſi herba mutatur] Tertia ſimilitudo ſumitur ab herbis ſubitò flacceſcētibus. Multæ enim herbę quę mane florebant, circa meridiem cùm ſolis æſtu vruntur, ſubitò extracto ſucco flacceſcunt: ita multi in ipſo ætatis flore, morte immatura extinguūtur: pleriq; etiam violenta morte pereunt. Id quod ſexto verſu ſignificat, cùm dicit herbas non tantùm marceſcere ſua ſponte: ſed etiam falce reſectas exareſcere. Gręcus quintum verſum ita reddidit: τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: quod prorſus non congruit cum Hebræo. Ex זרמתם enim nomen fecit cum affixo, fortaſſis exiſtimans eſſe à זור & pro שנה legit שנים.

Verbum חלף nonnulli verbo creſcendi reddiderunt: quaſi hoc velit, herbas mane exorientes ſuccreſcere ſubinde & vires acquirere, donec rurſus concidant & emoriantur. Sed quia verbum Hebræum mutationem propriè, vel ſtatus, vel conditionis, vel habitus, aut loci ſignificat, & propheta vtrumque genus interitus, naturalis ſcilicet & violenti, deſcribere voluit, malui reddere verbo mutandi, quod vel de marcore intelligi poteſt, vel certè ſi id non placeat, quod ad ortum ſolis in florem ſe induit. Nam hæc quoque mutatio eſt, de qua verbum Hebrēum non malè intelligitur, quanquam ſi exactè conſiderare velis, hæc mutatio iam verbo ציץ ſit expreſſa, quod Hebræis eſt florere. Vnde Zizanium eſt factum.

7 Quoniam deficimus [*conſumimur*] in ira tua: & in furore tuo conſternati ſumus.

Poſtquam de fugacitate & miſeriis vitæ humanæ nonnihil dixit: iam ad cauſas mortis & calamitatum explicandas accedit. Atque adeo hîc rurſus diſcrimen doctrinæ cæleſtis & philoſophiæ conſpicitur. Philoſophia enim ita ferè diſputat de morte hominis, vt non diſcernat eam à morte pecudum aut putrefactione plantarum, quæ naturaliter fit deficiente humido radicali, & extincto calore natiuo. Sed hominū natura ita condita eſt vt eſſet immortalis. Eſt enim homo creatus ad imaginem Dei. non igitur mors eſt homini naturalis, vt plantis & pecudibus: ſed aliunde acceſſit. Hic igitur diſputant philoſophi. Quærunt enim quę cauſa ſit mortis: cùm quidem non contemnenda immortalitatis argumenta in natura extent.

Reſpondet propheta, cauſſam principalem non eſſe quærendam in materia aut humorum vitio, aut in defectu naturalis caloris: ſed quod Deus offenſus hominum peccatis, ſubiecerit hanc naturā morti & aliis infinitis calamitatibus. Peccata igitur noſtra cauſſę ſunt, quæ hāc deſtructionem attulerunt. Ideo inquit, *In ira tua deficimus,* quam ſcilicet prouocauimus peccatis noſtris, vt verſu ſequente dicitur. Conſternati ſumus, id eſt, metu mortis cruciamur & conficimur. Hunc enim metum perpetuò circumferimus nobiſcum, & ad mentionē mortis cohorreſcimus, iuxta illud, O mors, quàm amara eſt memoria tui, Sirac. 41.

8 Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: occulta peccata noſtra ad lumen vultus tui.

Explicat priorem ſententiam. Nam ne quis exiſtimet irā hanc Dei temere aduerſus genus humanum eſſe conceptam, ideóque Deum tanquam iniuſtum iudicem aut tyrannum accuſēt, qui naturam humanam triſti morti ſubiectam ſine cauſa deſtruat: vel etiam hanc pœnam hominum peccatis impoſitā rideat & contemnat (quorum alterutrum ſemper faciunt homines non intelligentes doctrinam eccleſiæ, & non renati) affirmat Deum habere cauſam iuſtam & grauem, cur tantopere nobis ſuccenſeat, vt naturam humanam, quam ad immortalitatem condiderat, morti deinde ſubiecerit. Quia cū Deus ſit, atque adeo iuſtus iudex, non negligit illa peccata noſtra, quaſi nulla his contumelia aut iniuria afficiatur, vt ſomniant homines Epicurę: ſed ponit ea in cōſpectu ſuo, atque ad rationes ſeu ad calculum ea reuocat, iuſtóque iudicio ea examinans pœnis afficit. Hinc igitur omnes calamitates, ærumnę & mors ipſa in genere humano vagantur. Nec tantùm externa delicta, quæ cuiuſque conſcientiæ nota ſunt, & ab omnibus iudicari poſſunt, Deus punit: ſed etiā occulta, quæ vel non intelliguntur (delicta enim quis intelligit? vt alibi in pſal. dicitur) vel negliguntur à ſecuris & timore Dei vacuis: vel etiam iudicantur ſecreta eſſe, nec cerni ab aliis: vel etiam quæ mira hypocriſi palliantur & teguntur. Omnia enim hęc comprehendit vocabulo עלומים quod Chaldæus & alij, vt & ſuprà pſalmo pręcedente, adoleſcentias verterunt, & delicta iuuentutis eo notari exiſtimant. Sed ea interpretatio ſententiam hoc loco deprauat. Per antitheſin enim opponit peccata occulta lumini vultus Dei, quod omnia cernit & reuelat etiam abſtruſiſſima: vt nulla hîc hypocriſis, nulla ſecuritas, nullus contemptus nominis diuini effugere iudicium Dei poſſit. Græcus עלומים reddidit ὁ αἰὼν ἡμῶν: fortè quia legit עולם.

9 Ideo omnes dies noſtri tranſiuerunt [*abeunt*] in indignatione tua: conſumimus annos noſtros velut ſermonem.

Concludit hanc doctrinam de cauſis calamitatum & mortis in genere humano (nam כי hoc loco, vt in aliis multis, illatiua particula eſt) & rurſus alio ſimili ſententiam amplificat. Comparat enim breuitatem vitę humanę ſermoni hominum, qui ſcil. tantùm eſt quando fit & profertur: prolatus verò mox in aere ſua ſponte euaneſcit, & vt nihil in eo firmum eſt aut durabile: ita nunquam deinde reuocari poteſt.

Talis

Talis igitur eſt vita humana, quæ dicto citius euaneſcit, & volat irreuocabilis annus. Nec tantùm in genere ita concionatur Moſes: ſed ſimul ad ſui temporis & populi miſerias reſpicit. Cùm enim vagarentur Iſraelitæ in deſerto annos totos quadraginta, & multi quotidie ex populo perirent, mirabantur ſancti, qui fieret vt populus, cui terra Canaan in hæreditatem iamdudũ erat promiſſa, & qui tot inſignibus miraculis ex Ægypto eſſet eductus: nunc tamen ita miſerè in deſerto cõſumeretur fame, ſiti, peſte, & aliis calamitatibus. Horum cogitationibus aut vocibus obſtreperis nonnullorum occurrens, inquit, In indignatione tranſeunt dies noſtri, quaſi dicat: Peccata noſtra faciunt quòd tanta eſt fugacitas vitæ, & quòd ſubinde multi ex nobis moriuntur.

Dies] nominat tempus vitæ humanæ, quod diebus comprehenditur, vel pluribus vel paucioribus incluſum. הגה alij cogitationem verterunt, vt congruat cum illo Theognidis:

αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη.

10 In diebus annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, & ſi in fortitudinibus (*præualeſcentiis*) octoginta anni: & ſuperbia (*altitudo, præſtantia*) eorum (*id eſt, quod eſt præſtantiſſimum in his*) labor (*eſt*) & dolor: quia auellitur (*abripitur*) feſtinanter, & auolamus.

Locutio eſt ſimilis ei quæ eſt pſalmo præcedente, verſu tertio, vnde require.

Redit ad generalem doctrinam de breuitate vitæ humanæ: & ne quis ſpatium illud vitæ humanæ laudando nimiùm exaggeret, vt ſolent qui huic vitæ plus nimio ſunt addicti, dicit, etiamſi quis ad longam ætatem perueniat: tamen perpetuis miſeriis & laboribus is conficitur, vt morti ſimilior quàm vitæ videri poſſit: & congruit huc verſus Euripidis in Alceſtide,

Ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά.

Cùm autem inquit, ſpatium vitæ humanæ eſſe 70. vel 80. annorum, loquitur de communi ratione eius temporis. Nonnulli enim interdum vltra 100. annos vitam extendunt: ſed maximæ partis hominum vita non extẽditur vltra annos 80. Ideo ſic loquitur.

Præualeſcentiam ſeu fortitudines videtur appellare bonitatem complexionis, & vigorem corporis.

Superbia] Id eſt, præſtantia, qua ſe magnificè iactant homines. Ita verò videtur nominare iuuentutem ſeu ἀκμὴν ætatis. Ea enim ætas maximè florida eſt: valet robore, viribus corporis, conſilio in rebus agendis. Et tamen inquit, hanc ipſam ætatem implicari multis curis, moleſtiis, ægritudinibus, doloribus: nec poſſe effugere omnia incommoda & anxietates, quibus vita hominum obnoxia eſt.

Pueritia per ſe ipſa eſt miſera, quæ vt propter imbecillitatem in ignoratione omnium rerum verſatur: ita ſemper indiget alieno cõſilio, auxilio & præſidio. Senectus verò ipſa morbus eſt, vt dicitur in prouerbio. Ita nulla pars vitæ caret moleſtia & labore.

Alij reddunt, Vberius eorum, id eſt, quod eſt vltra 80. annos, quódque excedit hæc ſpatia aut terminos.

Ratio, quæ eſt in poſtremo membro, reſpicit ad iudicia hominum, qui felicitatem vitæ humanæ non omnino nullam eſſe exiſtimant, ſed valde hanc commendant, & de ea gloriantur ac ſuperbiunt. His reſpondet per conceſſionẽ, Etiamſi hoc dem, & concedam eſſe aliquam vitæ humanæ felicitatem: tamen illa ſubitò abripitur, & in dolorem conuertitur: imò nos ſimul cum ipſa auolamus, & præcipiti curſu & volatu ad mortem ferimur. Itaque agnoſcenda erat vitæ noſtræ fugacitas, miſeria & dolor, & animi harum rerum cogitatione ad mortem præparandi: non exaggeranda præſtantia vitæ ad ſuperbiam & ſecuritatem noſtram alendam.

11 Quis cognoſcit potentiam [*vim*] iræ tuæ: & [*aut*] ſecundùm timorem tui iram tuam?

Subiicit triſtem querelam de ſecuritate hominum, qui nec miſerias ſuas ſatis agnoſcunt, nec de cauſis harum cogitant, vt debent: multò minùs remedia commoda & ſalutaria quærunt, quibus hæc mala tollantur: ſed cæci & amentes rident & contemnunt omnes conciones de ira Dei aduerſus peccatum, de iudicio ſecuturo & de pœnis æternis, tanquam inania terriculamenta & aniles fabulas, atque interim ſecuri indulgent ſuis cupiditatibus. Miſeriæ quidem tantæ ſunt & tam graues ærumnæ, quæ nos de ira & iudicio diuino meritò commonefacere debebant: ſed tantus eſt ſtupor mentium humanarum, vt nec plagis excitentur ad conſiderationem ſuorum malorum, vel cauſarum vnde hæc mala proueniant. Itaque exclamat Moſes, Quis agnoſcit potentiam iræ tuæ? quaſi dicat, tanta eſt hominum cæcitas & ſtupor, vt ſua ipſi mala nõ agnoſcant, & volentes ipſi in ſuas clades ruant. Si enim de calamitatibus ſuis, & harum cauſis cogitarent, fieri non poſſet quin excitarentur ad curam vitandi lapſus & peccata, & animos ad quærenda remedia conuerterent, & (vt ipſe ſequente verſu loquitur) cor ad ſapientiam adducerent.

Secundùm timorem tuum iram tuam] Hoc membrum non eodem modo exponunt interpretes, nec libet omnes referre ſententias: plerique enim procul diſcedunt ab orationis contextu, & ſententias nimiùm diuellunt: paucas tamen recenſebo. Mihi ſententia ſimpliciſſima videtur hæc. Quis eſt qui ita agnoſcat iram tuam, vt tantum quantum debet te timeat? vel, vt timor nominis tui reſpondeat iræ tuæ? Nam timor Dei hoc loco nihil aliud ſignificat quàm eam reuerentiam quæ Deo debetur in agnoſcenda ipſius ira & iudicio aduerſus peccata, & in præſtanda humilitate debita, & patientia in qualibet caſtigatione. Si igitur verbum cum interrogatione ex precedente membro repetatur, erit meo iudicio plana ſententia. Quis cognoſcit iram tuam iuxta timorem tui? hoc eſt, ſecundùm illum timorem quo te colere & vereri quiſque debet? quaſi dicat, Nemo eſt qui magnitudinem iræ diuinæ ſatis agnoſcat. Alij ſic reddunt, ſecundùm timorem tui eſt ira tua, id eſt, quo quiſque eſt religioſior, eo magis agnoſcit iram tuam, quam mundus ſpernit & contemnit: ſed precatio, quæ ſequitur, oſtendit priorem ſententiam veriorem eſſe. Nõ enim corrigit nunc prius membrum, ſed idem quod antè affirmat, idque vſitatiſſimum eſt in pſalmis. Alij ſic interpretantur, ſecũdùm timorem tuum ira tua: hoc eſt, quo quiſque magis reueretur, eo magis in eum ſæuit ira tua. Quia iudicium à domo Dei incipit. Sed hoc alienius ab hoc loco.

12 Vt numeremus dies noſtros ſic ſcire fac: & adducemus [*vt adducamus*] cor ad ſapientiam.

Sequitur altera pars pſalmi, quæ eſt precatio. Atq; ex hac occaſio ſcribendi pſalmi intelligi poteſt. Nam cùm doctrina de cauſis calamitatum & mortis ignota ſit humanæ rationi, & multi eſſent in hoc populo, qui & ipſi oppreſſi morte & miſeriis non cogitarent de his rebus, vt debebant, ſed vel iudicia Dei accuſabant, tanquam iniuſta & crudelia, vel more Epicureorum ridebant & contemnebant, (eò vſque enim ratio humana audiens doctrinam de cauſis calamitatum & de veris remediis progreditur) petit primùm vt Spiritu ſancto ſuo Deus nos doceat & moueat corda ad agnoſcendas miſerias noſtras, quæ ſunt monitrices & concionatrices de ira Dei aduerſus peccata, vt ita tandem cor ad ſapientiam conuertamus, hoc eſt, vt conſiderata breuitate vitæ & miſeriis noſtris diſcamus metuere iudicium Dei, eiuſque metu à peccatis abſtineamus, & ſimul quæramus vera remedia, quibus calamitatibus huius vitæ & morti medeamur. Hæc enim vera ſapientia eſt, quam nulla tradit philoſophia, ſed ex verbo diuinitus patefacto percipitur: ita tamen ſi diuinitus doceamur. Alioqui enim hæc doctrina, quia hominum ingenio non cõprehenditur, nec congruit rationis iudicio, magis ridetur & exibilatur quàm nugæ illæ philoſophicæ, quæ non tantùm non conſolantur hominem, ſed altiùs etiam in dolores immergunt. Quod enim de neceſſitate vel exemplis quæ præcipua ferè ſunt apud philoſophos conſolationis capita in horum libris traditur, id profectò tale eſt vt dolorem nobis augeat potiùs, quàm ſedet. Nota enim eſt oratio Auguſti ad Liuiam hortantem ad patientiam & dicentem, leniter ferenda eſſe quæ neceſſariò eueniunt: reſpondit ille, hoc ipſum me malè habet. Simile de Anaxagora lugente filium mortuum legitur. De bona conſcientia verò quæ dicuntur, ea nonniſi in certo quodam facto locum habent, cùm qui extra eccleſiam ſunt, conſcientiam tranquillam nunquam habere in vniuerſum poſſint. Quod enim certi facti eſt, ad totam vitam extendi non poteſt.

Aduerbium כן ad principium verſus reuocandum eſt, vt ſententia ſit plana. Sic fac ſcire nos, vt numeremus. *Numerare* autem *dies* ſignificat, non tantùm more Arithmeticorum ſupputare dies: ſed ita meditari breuitatem vitæ & miſeriarũ humanarum, vt ſimul de cauſis cogites: & aliam reſtare vitam poſt hanc inde colligas: atque inter eas cogitationes ad ſtudium quærendi vera & ſalutaria remedia accendaris. Græcus legit ימינך pro ימינו vertit enim τὴν δεξιάν σου, atque ita Arabs.

Adducemus cor ad ſapientiam] Id eſt, intellectis cauſis mortis & calamitatum, & percepta ſpe futuræ & æternæ vitæ faciliùs compeſcemus illos tumultus animorum noſtrorum, qui in calamitatibus fremunt & indignantur: rectiùs feremus communes ærumnas, & maiore ſtudio ad quærendam illam vitam cæleſtem cõtendemus. Hæc vera ſapientia ſanctorum eſt, ita ſcilicet cogitare de humanis miſeriis, vt conſideratis cauſis diſcas vera humilitate & patiẽtia te Deo ſubiicere, eiq;

obedientiam in ferendis ærumnis præſtare:& ſimul ſpe præſentiæ & auxilij diuini ac futuræ vitæ & gloriæ in ærumnis præſentem dolorem vincere. Hoc qui præſtare poteſt, is non immeritò glorlabitur ſe in hac ſchola Spiritus ſâcti, & in hoc ſapientiæ ſtudio multùm profeciſſe.

Chal. vertit: Et ſolus propheta cuius cor abundat ſapientia. Græcus paſſiue, τοὺς πεπεδημένους τῇ καρδίᾳ.

13 Reuertere Iehoua: quouſque? & mouere ad commiſerationem erga ſeruos tuos, [*vel conſolare ſeruos tuos.*]

Altera pars precationis continet petitionem mitigationis calamitatum & reſtitutionis lætitiæ, ſublatis doloribus quos ex peccatis admiſſis & præſentibus calamitatibus atque ærumnis pij capiebant. Hos enim dolores vincere aut tollere non opus eſt humanum ſed diuinum. Atque hic rurſus, vt ante, reſpicit ad præſentis temporis calamitates.

Reuertere Iehoua] Id eſt, deſine iraſci, & redi nobiſcum in gratiam: hactenus enim iratus propter peccata noſtra auertiſti te à nobis, & variis calamitatibus tuam iram declaraſti: nunc placatus conuerte te ad nos, & aſpice nos blando & paterno vultu. Forma ſermonis à conſuetudine hominum ſumpta eſt, qui irati, ab homine, quem oderunt, ſe auertunt. Rurſus verò placati ſe ad eum conuertunt, & blãdè compellant. Ita Deus auerti à nobis dicitur, cùm iratus pœnas à nobis ſumit: conuerti, cum ſuccurrit afflictis.

Quouſque] ſcilicet iraſceris, & differs promiſſionem?

Conſolare nos] ſcilicet mitigando calamitates & ærumnas, & introducendo tandem poſt multorum annorum exilium in terram promiſſam.

Verbum נחם tria habet ſignificata, quæ omnia ad dolorem quendam reſpiciunt, ſed diſſimili modo. 1. ſignificat dolere de proprio facto. 2. dolere de alterius calamitate & ad commiſerationem moueri. 3. ex conſequenti lenire dolorem alicuius, vel verbo, vel facto: hoc in loco iudico prophetam poſteriora duo complecti. Quanquam nonnulli ad primam ſignificationem ſententiam accommodant: pœniteat te ſuper ſeruos tuos, hoc eſt, muta triſtitiam præſentis temporis & calamitates ſeruorum tuorum in gaudium & lætitiam. Nam pœnitere Deus dicitur cùm aliquid mutat, vt elegãter inquit Theodoretus in Geneſ. μεταμέλεια ἐπὶ Θεοῦ οἰκονομίας ἐστὶ μεταβολή, & Auguſt. lib. 38. quęſtionum, quæſt. 52. vbi hanc quæſtionem ex profeſſo tractat, ait: homines non ſolent inſtitutum ſuum commutare, niſi eos facti alicuius pœniteat: idcirco quoties Deus mutat factum, eum dicunt duci pœnitudine.

14 Satia nos mane bonitate [*gratia*] tua: & exultabimus & lætabimur cunctis diebus noſtris.

Continuat precationem: & ſicut antea liberationem vel mitigationem calamitatum petiuerat, ita nunc petit tolli à populo afflicto ſenſũ iræ Dei, qui magis eos cruciabat, quam vllæ aliæ calamitates: eóque ſublato reſtitui pacem conſcientiæ & lætitiam in Deo acquieſcentem ex ſenſu miſericordiæ & amoris diuini. Et quia in hac re ſumma eſt veræ & ſolidæ conſolationis, quam philoſophia & ratio humana ignorat, ideo dicit, ſi ſenſu amoris & bonitatis diuinæ erigantur & confirmentur, nullas ſibi deinceps ærumnas fore graues aut moleſtas: ſed futurum vt per omnem vitam lætentur & exultent. Tales igitur ſunt conſolationes euangelicæ, ſolidæ nimirum & efficaces atque durabiles, vt Chriſtus inquit: cùm illæ, quas philoſophia monſtrat, verè ſint curæ palliatiuæ & inania θελκτήρια quæ tantùm ad tempus durant, nec morbum tollunt. Vtitur autem verbo ſatiandi, metaphora ducta ab eſurientibus, vt ſignificet populum exhauſtũ longo dolore nihil aliud expetere, aut in votis habere, quàm vt animus triſtis iſtis doloribus excuſſis nouo gaudio exhilaretur, non aliter ac famelici cibos deſiderant, quibus ſatientur. In rebus afflictis eſuries bonitatis diuinæ omnia mœrore & anxietatibus, econtra ſatietas illius omnia exultatione & gaudio replet.

Mane] Id eſt citò, antequam dolores nimiùm creſcant & intendantur. Hactenus enim tanquam in nocte denſa & tenebroſa atque ærumnarum plena egimus, nunc poſtquam cœpit aff ulgere lux aliqua conſolationis, fac vt lux illa creſcat, & ad ſatietatem iſta conſolatione perfruamur, ne nobis hic dies rurſum in noctem conuertatur.

15 Exhilara nos ſecundùm dies (*quibus*) afflixiſti nos (*ſecundum*) annos (*quibus*) vidimus malum.

Rurſus petit liberationem à pœnis: ideo congruunt quæ ſequuntur cum verſu 13.

Exhilara] Id eſt, ſicut hactenus longo tempore nos afflixiſti exilio triſti & dura ſeruitute, quam perpeſſi ſumus in Ægypto, & variis deinde miſeriis in deſerto nos exercuiſti: ita deinceps redde nobis dies & tempora læta, vt abolita memoria priorum ærumnarum, læti deinceps celebrare tuam bonitatem poſſimus.

Videre malum] Eſt perpeti malum, ſeu affligi. Eſt enim ad omnes ſenſus atque item affectus verbum videndi referendum.

Græcus pro שמחנו *ſchamechenu* legit שמחנו *ſchàmachenu.* Reddit enim εὐφράνθημεν.

16 Appareat erga ſeruos tuos opus tuum: & gloria tua filiis eorum (*ſuper vel erga filios eorum.*)

Opus Dei nominat gratiam Dei & defenſionem in cruce ac calamitatibus, & liberationem. Hoc enim, proprium Dei eſt opus: ſicut calamitates & pœnæ alienum opus ab Eſaia dicuntur cap. 28. eo quòd tanquam alienam perſonam induẽs tandiu ſuos calamitatibus & ærumnis exercet, donec gratiæ & beneficentiæ tanquam proprio operi ſit locus. Hoc igitur vult cùm dicit, Appareat opus tuum.

Eadem etiam ratione bonitatem & beneficentiam Dei nominat *gloriam* eius, quia ab hac maximè celebratur, tanquam à proprio opere: & futurum erat ſi iuxta promiſſiones populus in terram Canaã introduceretur, vt gloria hæc paſſim innoteſceret & celebraretur: igitur gloria ſeu honor ſignificat hoc loco mitigationem calamitatum, & liberationẽ, quæ quò diutiùs differebatur, eo audaciùs nomini diuino inſultabant hoſtes, & Deum contemnebant.

Simul autem promiſſionem Iſraelitis factam interpretatur, quam ſcit ratam eſſe, vt, ſi ſe viuente non compleatur, poſteris tamen illa præſtaturum Deum, quæ promiſit, confidat.

Alij opus Dei exiſtimant opponi operibus diaboli, quæ ſunt peccatum & mors. Eo enim authore peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Opera verò Dei ſunt oppoſita, Iuſtificare, viuificare & ſaluare.

17 Et ſit pulchritudo Iehouę Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum confirma ſuper nos: & opus manuum noſtrarum confirma illud. [*Relatiuum abundat, more vſitato.*]

Pulchritudo Domini non aliter quàm in eius operibus à nobis conſpicitur. Itaque dum pulchritudinẽ vel ſuauitatem Dei conſpici petit, nihil aliud vult, quàm vt amorem & beneficẽtiam ſuam in defenſione ac liberatione & aſſidua gubernatione oſtendat. Ita enim futurum inquit, vt pulchritudo Dei, hoc eſt, præclara & amabilia ipſius opera omnibus pateſiant & paſſim celebrentur.

Alij ſic interpretantur: iucundus ſis ſuper nos, id eſt, oſtẽde te benignum in condonandis reliquiis peccati.

Opus manuum noſtrarum confirma ſuper nos] Id eſt, fac vt ita tibi obediamus in vocatione noſtra, vt quicquid aggredimur aut agimus, feliciter tuo beneficio ſuccedat. Petit enim hoc membro gubernationem Spiritus ſancti in vita priuata & vocatione: vt hoc adiutore curſus vitæ noſtræ ſit felix, fauſtus, tranquillus & ſalutaris. Nam vt eſt in verſu,

Nullius eſt felix conatus & vtilis vnquam,
Conſilium ſi non dẽtque iuuẽtque Deus.

Opus igitur manuum vocat opera vocationis mandata à Deo: quæ enim pugnant cum mandatis diuinis, non ſunt opera manuum noſtrarum. Ita Pſalmus hic ſummam breuem complectitur, in qua tota vita Chriſtianorum conſiſtit.

PSALMI XC.

PARTES.

I. Exordium, à perſona Dei: cuius *primùm* mirificam adminiſtrationem & gratiam erga ſuos adducit inde ab orbe condito. v. 1. *Deinde* æternum decretum, ſiue conſilium, ex beneplacito voluntatis ipſius, ad laudem gratię ipſius glorioſiſſimę, v. 2.

II. Narratio, in qua 1. exponit communem hominum mortalitatem v. 3. 4. Eandémque explicat, v. 5. 6. ſimilibus, quę tum potentem Dei manum, tum vanitatem noſtram graphicè pingunt.

2 Tranſit

2. Tranſit verſ.7.ad alteram partem orationis, quam verſ.8.9.& 10.perſequitur, expoſtulans cum Deo de ſingulari illo iudicio (vt docti interpretes exiſtimant) quod deſcribitur Numer.14. Alij ad varias populi clades in deſerto referunt. Nonnulli de fragilitate & miſeria humanæ vitæ generatim interpretantur. Huius autem expoſtulationis ἐργασία ſubiicitur verſ.9.à decreto Dei & exſequutione illius, quæ verſ.10. amplificatur.

3. Narrationis tertia pars, continens verſ.11. præparationem ad precationes ſequentes, & confeſſionem ignorantiæ atque ſtuporis Iſraelitarum, quodammodo ſtertentium, etiam tum quum vexarentur indignatione Dei.

III. Petitio, cuius partes ſunt duæ. 1. Vt Deus miſertus populi animum ipſius informet in notitia infirmitatis ſuæ, v.12.& 13. 2. Vt conuertatur ad ſuos, & parcat, v.14. bonis proſequatur, & lætitiam eis afferat, v.15. hoc pacto glorificet nomen ſuum, v.16. Summa autem totius petitionis v.17. exprimitur, ſuperiores fines continens, Dei gloriam, populi incolumitatem & ſalutem: petit enim vt Deus gloriam ſuam procuret in ſuis, & ſuos viciſſim ad gloriam ipſius promouendam comparet.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Homines vt ſint mortales, nihilominus in hac vita certus ſemper cœtus extitit, quē in omnib. miſeriis protexit Dominus: vnde cōſequitur in eccleſia certum extare aduerſus omnes calamitates remedium, vt pote quæ fuerit à mundi principio conſeruata.

2 Dei æternitas & immutabilis conſtantia eccleſiæ perpetuitatem & conſeruationem, piorúmque omnium firmam fore ſalutem ſignificat.

3 Fideles ſunt eadem atque cæteri mortales conditione, id eſt, plurimis ærumnis, ipſiq; adeo corporis per mortem diſſolutioni obnoxij: idque non caſu, neque ex illo phyſicorum principio, omnia compoſita neceſſariò reſolui, ſed ex diuino decreto, cuius cauſa hæret in ipſis hominibus.

4 Vt quàm euanida ſit vita noſtra ſentiamus, ad cæleſtem Dei æternitatem mentes noſtræ ſunt attollendæ.

5.6 Cōmunis hominum interitus propriè inundatio vocatur. Neque enim ſecus in ipſo vitali flatu nos Dominus inundat, quàm qui pereunt naufragio abſorpti: vt mors aptè dici queat inuiſibile diluuium. Et hinc palam fit ſomnium eſſe homines qui in ſuo curriculo mirum ſibi vigorem arrogant.

Etſi fatemur omnes vita noſtra nihil eſſe magis caducū, mox tamen quaſi furioſo impetu ſinguli ad fingendā terrenā immortalitatem rapimur. Nam quiſquis ſe mortalem eſſe meminit, ſibi moderatur, ne vltra modum ſatagat, ſed properet ad metam. Quādo autem nullum finē curis noſtris ponimus, aſſiduis ſtimulis pungi nos oportet, ne pro tenui vitæ (inſtar herbæ exciſæ marceſcentis) vmbra, mille vitas nobis ſomniemus.

7.8 Niſi homines iræ Dei ſenſu tangantur, nunquam probè expendent quod experientia fateri eos cogit, quàm citò peracta reuolutione diffluant.

Ira Dei, quātumuis terribilis, iuſta tamen eſt, quia eam culpa noſtra prouocauimus.

Hæc vera proficiendi, atque etiam ſuperbiæ domandæ ratio eſt, Deum ſentire iuſtum iudicem.

Deus vbi iræ ſuæ ſigna profert, ponit ante oculos hominū peccata: vnde ſequitur quicquid relaxationis nobis datur, Dei indulgentiæ meritò debere adſcribi, qui peccata ſepelit vt nobis parcat.

Quandiu non affulget cum luce iudicij ſui Deus, homines quærunt latebras, ſeque multis fallaciis inuoluunt. Vbi autem à ſubterfugiis eos retrahens, quibus conantur elabi, quæ per hypocriſin occultant peccata, oculis ſuis admouet, tūc metu & terrore ſubacti verè humiliantur.

9 Niſi Deus iram ſuam remittat aut mitiget, neceſſe eſt homines in continuis malis contabeſcere.

10 Ex breui vitæ duratione conſtat quàm fluxa ſit hominū conditio, etiamſi Deus ad eos terrēdos apertè iram ſuam non exerat. Fit autem dum dies annorum ad longiſſimos calculos reuocamus, & in minutas partes tempus diſtribuitur, vt numero decepti nobis prorogemus viuendi fiduciam, ſed hic magnus aceruus, etſi ad millia annorum extendatur, ſtatim redigitur in nihilum.

Laborioſa equidem eſt hominis vita, multiſque tormentis referta, idq; dum maximè ſuperbit, & iudicio deſtitutus eſt: nam velit nolit in futurum tempus reſpicere cogitur, & ſimul ac oculos aperit, præcipiti volatu ſe ad mortem ferri & rapi videt, ſuam verò præſtantiam ſingulis momentis euaneſcere.

11 Quandiu ſe occultat Deus, iramq; ſuam diſſimulat, contumacia turgent homines, & violento ruunt impetu: ſed vbi ſentire cogūtur quàm ſit ira eius formidabilis, ferociæ ſuæ obliti recidunt in nihilum.

Sola Dei reuerentia fit vt verè & seriò ſentiamus eius iram. Piæ enim mentes irâ Dei vulnerantur, neç fulmina expectant, quibus reprobi opponunt durā & ferream ceruicem: ſed Deo vel minimum digitum mouente ſtatim contremiſcunt, & cum vera humilitate totos ſe ei addicunt.

12 Vitæ humanæ momentum ingenio noſtro non comprehenditur, vt decet, donec affulgeat Deus ſuo ſpiritu, quem ideo propheta ſuo exemplo nos inuocare iubet.

Tunc demum cor ad ſapientiam adijcimus, dum capimus vitæ noſtræ breuitatem. Nulla enim maior amentia eſt, quàm nulla propoſita meta vagari. Nemo igitur compoſita mente vitam inſtituet, niſi qui cognito vitæ fine, hoc eſt, morte ipſa, ad conſiderandum viuendi ſcopum deductus fuerit, vt pergat ad palmam ſupernæ vocationis.

13 Sicuti tergum Deus obuertere, vel procul à nobis recedere dicitur, dum fauoris ſui ſigna ſubmouet: ita per eius reditū intelligitur gratiæ demonſtratio: & dū ſuauiter ſuos fouet, conſolari ſe ſuper ſeruos ſuos dicitur, necnon afflictionis eorum pœnitere, non ſecus ac pater benignus in filiis ſuis ſe oblectat.

14 Dum huius ſeculi homines optant opes & delicias, fideles expetunt diuina bonitate ſeu miſericordia ſatiari: quia norunt nihil defuturum, ſi Deum propitium ac beneuolum habuerint. Hæc autem ſatietas fide conſtat, qua Deus, qui vnus noſtrum animum ſatiare poteſt, percipitur. Inde gaudium, pax, laus & gratiarum actio.

15 Ea eſt eccleſiæ Dei conditio, vt primùm ſub cruce gemat, deinde lætificetur: ſicuti Chriſtus apoſtolis dicebat, mundus gaudebit, vos verò mœſtitia afficiemini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, Iohan.16.20.

16 Quia Deus, eccleſiam ſuam deſerens, quodammodo alienā perſonam induit: ſcitè propheta opus Dei nominat protectionis gratiam eccleſiæ promiſſam. Et quanuis mundum iudicando gloriam ſuam aſſerat: quia tamen nihil ei magis naturale eſt quàm beneficum ſe monſtrare, ideo gloria & decor eius in beneficijs excellere dicitur.

In precibus noſtris habenda eſt poſteritatis cura: præſertim quia nobis promiſſa eſt eccleſiæ perpetuitas vſq; ad finem mundi, in omnib. votis, quibus commendamus eius ſalutem, poſteros noſtros, etiam qui nondum nati ſunt, includere conuenit.

17 Ex pulchritudinis nomine colligimus, quàm incomparabilis ſit erga nos Dei amor. Quamuis enim ſuis donis nos ornans nihil ſibi acquirat, liberaliter tamen nobiſcum agendo ſplendere vult & decorem ſuum palam facere, acſi forma eius obſcura eſſet, vbi nos ſua beneficentia proſequi ceſſat.

Nihil poſſumus feliciter aggredi vel tentare, niſi dū ſe ducē & authorē præbet Deus, & auſpiciis ſuis nos regit. Vnde ſequitur ſuos profanis hominibus conatus & ſtudia retrorſum cadere: quia Deum non ſequendo, confusè & inordinatè omnia peruertunt.

Etſi in optimum finem dirigit Deus quicquid ſatan & omnes reprobi moliuntur, ſpecialis tamen eſt eccleſiæ ratio, in qua pacatum imperium Deus exercet, intus fideles ſuo ſpiritu gubernans, ideoq; propriè opus manuum ipſorum ordinat.

Continuus perſeuerantiæ tenor requiritur in Dei gratia: quia nō ſufficeret ad dimidium vſque iter nos eſſe perductos, niſi totum curſum compleat & in finem proſperum ordinare dignetur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De æternitate Dei.
2. De filiorum Dei electione æterna.
3. Vitæ humanæ breuitas & miſeria.
4. Iræ diuinæ ſenſus.
5. De vera hominum ſapientia.
6. Piorum vota & deſideria.
7. Precum piarum ſumma, Dei gloria, & noſtra ſalus.
8. De pulchritudine & amœnitate Dei.
9. Proſperi ſucceſſus omnes à Dei benedictione.

ARGVMENTVM PSALMI XCI.

PLENVS eſt hic pſalmus doctrinæ & conſolationis: ideóque inter cæteros, vt inſignis & pretioſa gemma eminet. Docet autem hos, qui in periculis & calamitatibus ad Deum confugiunt, eiúſque promiſſionibus ſeſe ſuſtentant, curæ eſſe Deo, eiúſque præſentiam & opem certò experiri, idque tunc maximè cùm proximum eſt periculum, & iam deſperata videntur omnia. Hæc promiſſio, quæ vnicum eccleſiæ eſt præſidium, atque (vt hic pſalmus inquit,) ſcutum & clypeus, tanto verborum ornatu & tot figurarum luminibus iterata proponitur, vt ad ſplendorem nihil addi à quoquam poſſit. Eſtque pulcherrimum eloquentiæ exemplum in hoc pſalmo propoſitum, cum quo an poema aliud vllum comparari poſſit neſcio. Itaque gratus eſſe piis lectoribus debet cum propter rerum bonitatem & grauitatem, tum propter orationis copiam & ſplendorem.

Eſt autem ſine dubio ſcriptus hic pſalmus & populo Iudaico propoſitus, cùm tempore Dauidis peſtis graſſaretur in Iudæa, & ſubitò interemiſſet 70. millia virorum: in qua clade Deus propter piorum preces pepercit vrbi Hieroſolymæ: vt ſcribitur 2. Reg. vlt. Ad hanc enim hiſtoriam verba & ſententiæ pſalmi omnes congruunt, vt poſtea videbimus. Itaque etſi in genere de occultis inſidiis, quæ venenata fraude quoquo modo ſtruuntur piis, déque ſæuitia & tyrannide manifeſta hoſtium eccleſiæ, & de aliis ſimilibus periculis cùm publicis tum priuatis, quibus perpetuò vita piorum in terris expoſita eſt, intelligi poteſt & debet hic Pſalmus (promiſſio enim eſt generalis, quæ non ad vnum certum periculum in ſpecie, ſed ad omnes piorum ærumnas & calamitates, quas in hac vita ferre coguntur, referenda eſt) tamen multum lucis accedit orationi prophetæ, ſi conſiderata ſcribendi occaſione illius tēporis hiſtoriam intueamur, & cogitemus quantum beneficium fuerit, quòd crudeliter graſſante ſæuitia peſtilētiæ & totam Iudæam à Dan vſque ad Berſeba vaſtante, Deus angelo accedenti ad vrbem Hieroſolymam mandauit vt gladium in vaginam reconderet, & ſanctæ vrbi parceret: vt hoc ſpectaculo in omnium oculos incurrente, tanquam ſymbolo promiſſiones traditas confirmaret, & piorum animos in certam ſpem & fiduciam auxilij diuini, in quibuſcunque aliis periculis erigeret. Ac nos quidem ante triennium ſimile beneficium experti ſumus, cùm graſſāte per Germaniā peſtilentia, & magnas regiones atque vrbes deuaſtante, huic tamen oppido ita pepercit Deus, vt paucis admodum, qui contagia ex vicinis locis huc attulerant extinctis, cœtus ſcholaſticorum & ciuium manſerit incolumis, & ſtudia doctrinarum non minùs tum quàm antè in hoc oppido floruerint. Hoc beneficium, vt agnoſcere & grato animo celebrare debemus: ita exemplum ad promiſſiones, quas hic pſalmus tradit referendum eſt, vt fides confirmata in ſimilibus periculis diſcat ſalutem ſuam ſoli Deo committere, ipſóque confiſa magno animo pericula imminentia contemnat. Vt autem ſententia pſalmi magis ſit perſpicua & faciliùs comprehendi poſſit, ſummam eius breuiter hîc recito.

Docet hic pſalmus in ſpecie, ſi peſtilentia depopuletur ac deuaſtet totas regiones ac prouincias, qui illæſi manſuri ſint, & quomodo, quóve præſidio & qua conditione. Tuti erunt, inquit, ij quos complectitur & fouet alis, tegit vmbraculo, abdit in latebras ſuas Deus. Præſtat autem hoc iis quibus ipſe eſt ſpes atque munitio, quibus veritas eius, id eſt, promiſſiones ſunt clypeus & ſcutum, hoc eſt, qui aſſentiuntur verbo Dei: qui animos totos certa fiducia præſentiæ diuinæ ſpéque immota auxilij cœleſtis in vno & ſolo Deo collocant atque defigunt: qui deſiderio cordis anxio requirunt & gemitu aſſiduo implorant eum. Hos circumuallat, protegit, ſeruat & eripit: his ponit cuſtodes & adiungit præſidia ſanctorum angelorum, qui facientibus opera vocationis fideliter & ſedulò vbique adſunt, & amoliuntur, arcent atque depellunt impetus atque inſultus ſagittarum peſtilenti veneno illitarum: vt cadente & pereunte magna multitudine impiorū hominum, in hos tamen emiſſi non inſiliant, nec adhæreſcant: ſed ipſo conatu ſuo elidātur & euaneſcant, pióſque curis vacuos & tutos ab inſidijs & periculis relinquant. Hæc ſumma eſt pſalmi: & profectò nihil dulcius eſt his conſolationibus, ex quibus tota oratio eſt contexta.

1 **HAbitans [*ſeu ſedens*] in abdito [*latibulo*] excelſi: in vmbra omnipotentis commorabitur.**

Orditur mox à propoſitione, quæ eſt conſolatio opponēda omnibus terroribus & periculis, tam in publicis quàm in priuatis calamitatibus & ærumnis, qualeſcunque illæ ſint. Etſi enim in ſpecie ad illam peſtilentiæ ſæuitiam reſpicit propheta, quæ tunc magnam populi partem abſumpſerat: & ſuos auditores munire vult, ne nimiùm trepidēt, aut animos deſpondeant & de ſalute ſua deſperent: tamen vt in argumēto monui, ad omnes calamitates in genere humano conſolationes ſunt referendæ. Quod enim tūc præſtitit Deus, cùm vrbi ſanctæ & piis parceret: idem perpetuò iuxta promiſſionem præſtat eccleſiæ cuius vrbs illa typus fuit.

Eſt autem initio generalis conſolatio, qua affirmat, eos qui Dei tutelæ & præſidio ſe committunt, tutos eſſe à publicis malis & calamitatibus: quia diuinitus tegantur & defendantur. Hæc ſumma eſt primi verſus: ſed figuræ conſiderandæ ſunt, quibus diuinam protectionem ſeu defenſionem pingit: hæ enim orationem illuſtrant.

Primùm nominat *latibulum*, quod Græcus reddidit *βοήθειαν*, vnde in Latino legitur Adiutorium, magis enim ad ſententiam quàm ad vocem reſpicit vterque. Sed plenior eſt ſignificatio vocis Hebrææ, quæ ſignificat latibulum quo quis ſe abdit atque occultat aduerſus vim & machinationes ſuorum hoſtium: vt cùm vulpes in venatione à canibus cinctæ recipiunt ſe ad ſuas foueas, vt ibi lateant & periculum declinent. Verbum enim סתר ſignificat latere & abſcondi: vnde arbitror factū eſſe vocabulum Saturnus. Nam lingua Tuſca initio eadem fuit cum Phœnicum lingua: & Saturni vocabulum Hebrææ originis eſſe, vel hinc apparet, quia in agro Latino quaſi interpretantes hanc vocem vocarunt eum Latium, & vxorem eius Opem Latiam, & Gell. lib. 13. cap. 21. ſcribit in libris ſacerdotum populi Romani, in quibus comprecationes Deorum exponuntur, vxorem Saturni dici Latiam, ideóque à Saturno ſine dubio factum eſt vocabulum Latium, quod & Ouid. teſtatur 1. Faſt. *Dicta quoque eſt Latiū terra latēte Deo.* Saturnus enim fugiens filium Iouem ex Creta inſula venit in eam partem Italię quæ poſtea Latium ab eius nomine dicta eſt, quòd ibi ſe occultaſſet fugiens filij inſidias & molitiones iniuſtas. Hæc de vocabulo, quāquā ſæpe de eo dictū eſt, monere hoc loco volui, vt perſpecta proprietate vocis ſentētia eſſet illuſtrior. Simul autē & ad antitheſin reſpiciēdū eſt. Cùm enim nominat *latibulum excelſi*, per cōtemptum abiicit & repudiat cæteras latebras omnes, quas homines ſibi in periculis varias quærūt & magnis laboribus ac ſumptibus comparant. Nam vt de vno gēnere periculi nunc dicamus, de quo pſalmus concionatur, videmus peſte graſſante, quàm varia ſibi homines latibula quærant, quibus ſæuitiam huius morbi effugiant: & tamen niſi diuinitus protegantur, nihil proficiunt. Ideo dicit, qui ſub latibulo excelſi ſedet, is cōmorabitur in vmbra omnipotentis: quaſi diceret, is habebit tutū receptum & quietum locum, vbi ſine vllo periculi metū verſari poſſit: cùm interea qui apud homines aut etiam in ſolitudinibus latebras quærunt, atque his confidunt, nō longiùs abſint à periculo, quam qui in mediis periculis verſantur.

Vmbram metaphoricè nominat illam recreationem quæ piis contingit, quando poſt multas curas & ſolicitudines, quibus in malis & periculis initio æſtuat cor humanum, tandem ſecurè ſe diuinæ tutelæ committunt. Tunc enim ſentiunt depoſito metu cor acquieſcere & ſuauiter recreari, vt dein-

cep[s]

ceps ſecurè pernoctare & ſomnum capere poſſit: cùm antea metu periculi æſtuans omnes noctes inſomnes duceret, & triſti metu deiectum nunc huc nunc illuc ſe conuertẽs fruſtra ſe fatigaret quærendo auxilia in rebus humanis. Qui igitur in latibulo Domini ſedet, hic tanquam in ſuaui vmbra ſecurus quieſcit, cùm alibi nuſquam requiem inueniat.

Hîc ſi quis quærat, an ſpernẽda ſint omnia auxilia & remedia diuinitus monſtrata & conceſſa. Reſpondeo, Non eſſe omnia ſpernenda: ſed ita quærenda & comparanda, ne cor in his acquieſcat aut fiduciam ponat. Id enim ſi fiat, nunquam erit de ſua ſalute ſecurum. Nuſquam enim niſi ſub latibulo & vmbra omnipotentis tutò & ſecurè pernoctat ſeu acquieſcit cor humanum. Inconceſſa verò remedia ſi quis quærat, adeo nihil proficiet, vt dolorem & pericula ſibi augeat, & tandem ſe in exitium mergat.

Iudæi hunc verſum cum ſequentibus ita coniungunt, vt interpoſita inter vtrumque membrum copula idem dici vtrobique velint. Qui habitat in refugio excelſi, & in vmbra Dei commoratur: ſed multò plenior & dulcior piis mentibus eſt ſententia quam expoſuimus: vt non opus ſit accerſere huc coniunctionem, quæ duas ſententias idem ſignificantes connectat.

2 Dicam Iehouæ, protectio mea & munitio mea: Deus meus: ſperabo in eum.

Mutatio perſonæ, quæ vſitata eſt huic linguæ, aliquid obſcuritatis videtur afferre ſententiæ. Ideóque interpretes nonnihil addunt, vt ſententiam expleant. Dicam de Iehoua, vel, dicit Domino: mutata prima in tertiam. Sed exiſtimo non ſine graui cauſa id factum eſſe, vt quæ in tertia perſona exponi debebant, propheta ad ſe transferens ſibi ipſi tribuat. Voluit enim animi ſui fiduciam ad exemplum aliis proponere, eóque ceteros confirmare: vt quemadmodum ipſe omnem ſpem ſuam in Deum proiiceret: ita alios, vt idem facerent, hortaretur. Hæc igitur cauſa eſt, cur non ſimpliciter dicat: ille, qui ſcilicet ſub latibulo Domini ſedet, dicit, aut dicere magnáque fiducia affirmare poteſt (id enim eſt dicere hoc loco) ſed ego dicam.

Verbum חסה propriè ſignificat protectionis cauſa aliquò ſe recipere. Vtcùm in magnis imbribus ac tempeſtatibus quis recipit ſe ſub tectum, vt ſupra pſalmo 61. Protectionem quæram ſub latibulo alarum tuarum, vel protectionis cauſa confugiam ſub latibulum alarum tuarum: quæ ſentẽtia etiam in hoc pſalmo repetitur, & 36. In vmbra alarum tuarum protectionem quærent. Hinc מחסה, quod ſpem plerumque vertit Hieronymus, propriè ſignificat protectorium, receptaculum, ſeu aſylum, quò quis tutò ſe recipit, vt ſe contra ingruentes tempeſtates, atque imbres tegat, vt cùm Iob cap 24. de his qui ſpoliati à potentioribus & tyrannis non habent domicilium, inquit, Ab imbribus montium madefiunt, & abſque protectione amplectuntur petram. & Ieſ. 25. Fuiſti protectio à nimbo & vmbra ab æſtu. Quòd igitur ſpem vertunt, figuratum eſt, vt obiectum ſpei ipſo ſpei vocabulo exprimant. Sicut vſitatum eſt nomina affectus poni pro horum obiectis.

Quarta metaphora, qua pingit protectionem ſeu defenſionem diuinam, eſt in vocabulo מצודה: quod propriè ſignificat arcem munitam, firmũ propugnaculum, quò nos tempore venationis, hoc eſt, belli, vel perſecutionis, ſecuritatis cauſa conferimus. Habet enim cognationem cum verbo צוד, quod venari eſt Hebræis. Significat igitur his crebris figuris, non in vno tantùm periculo, ſed variis atque adeo omnibus Deum præſtare ſuis tutum præſidium & defenſionem.

Deus meus] Iam ſine figura exponit, quod antea dixerat figuratè. Nam Deum alicuius eſſe, ſignificat eius curam & defenſionem ſuſcipere, eumque gratia & fauore ſuo complecti: ſicut Chriſtus ipſe interpretatur hanc phraſin, cùm ad Sadducæos dicit Matth. 22. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Deus eſt Deus Abraham, &c. Eſt quidem & gentium Deus, quæ Deum non norunt: ſed non alio reſpectu quàm quòd creator & ſuſtentator harum eſt: quatenus ſcilicet generalis Dei prouidentia ad has ſe extendit: ſed aliter eſt piorum Deus.

Sperabo in ipſo] Id eſt, omnem fiduciam meam in ipſo collocabo, non in cauſis ſecundis aut mediis externis, quibus animi hominum perpetuò ita hærent affixi, vt ſi ab his nulla ſpes affulgeat, actum de ſua ſalute exiſtiment. Ego verò, inquit, omiſſis illis in Deo confidam, qui vnicum meæ ſalutis eſt præſidium.

3 Certè ipſe liberabit te à laqueo aucupis: & peſte calamitatum [*ærumnarum, id eſt, ærumnoſa ſeu noxia.*]

Cõtinuat promiſſionem, & iam quaſi à genere ad ſpeciem deſcendit. Nam quæ hactenus de generali protectione piorum dixerat, ea nunc ad præſentem calamitatem accommodat, & eos qui fide certa in Deum recumberent, tutos fore à peſtis ſæuitia affirmat. Iterum autem perſonam mutat, vt non ſecum tantùm agere videatur: ſed tanquam doctor in hoc populo alios quoque compellet.

Aucupem] nominat angelum Domini, cuius mentio fit 2. Sam. 24. Hic enim tanquam venator ſeu auceps circuibat Iudæam, & homines peſte, quæ hîc *laqueus aucupis* dicitur, ſtrangulatos interficiebat. Ideo autem peſtis comparatur laqueo aucupis: quia ſubitò nihil tale opinantes obruit: ſicut aues laqueis irretitæ ſubitò capiuntur, etiam cùm ludunt & garriunt, tãquam extra periculum poſitæ: aut ſicut muſcæ telis aranearum implicantur.

Alterum membrum explicat prius abſque figura: cúmque peſtem nominat calamitoſam, ſignificat inter maximas mundi plagas hanc recenſeri.

Quòd autem in ſpecie hîc de peſte dicitur, in genere deinde ad alias ſimiles calamitates trahatur. Et quia peſtem nominat laqueum, rectè etiam de inſidiis & occultis machinationibus impiorum, quibus exitium ſtruunt piis, hic verſus intelligitur. Non enim externa tantùm vi & tyrannide manifeſta eccleſiam oppugnant diaboli & horum organa: ſed fraude & dolis multos irretitos à veritatis cognitione abducunt: ſicut Iulianus Apoſtata non vno genere fraudis conabatur doctrinam eccleſiæ reddere exoſam, atque ex animis hominum euellere: qua de re legatur ipſius hiſtoria.

Per *peſtem* deinde etiam intelligamus manifeſta pericula & exitia ſignificari: qualia ſunt quæ in bellis aut aliis publicis calamitatibus accidunt. Aduerſus vtrumque malorum genus paratum eſt piis præſidium & auxilium.

4 Pennis ſuis proteget te, & ſub alis eius habebis protectionem: ſcutum & clypeus veritas eius.

Rurſus aliis dulciſſimis figuris eandem promiſſionem, de qua in propoſitione dictum eſt, inculcat. Eſtque hæc crebra iteratio nequaquam otioſa. Nam animus in publicis calamitatibus, in quibus magnam hominum multitudinem videt perire, non poteſt non angi dolore de præſentibus malis, & metu imminentium cruciari.

Itaque cùm ſenſus malorum animos occupauit, & quaſi obſtupefecit, non facilè admittunt hanc conſolationem.

Spiritus igitur ſanctus toties ingeminat has conſolationes, & tot illuſtribus figuris exornatas proponit, vt tandem dulceſcant, & animos hominum ſubeant. Quid enim dulcius hac imagine, qua Deum ita ſuauiter blãdientem nobis, comparat gallinæ pandenti ſuas alas, & colligenti ſub his pullos ſuos, vt tuti ſint aduerſus frigora, imbres, tempeſtates, aut miluorum ſæuitiam?

Itaque & Chriſtus hac imagine ita delectatur, vt eam repetat Matt. 23. Obſeruandum eſt autem quod dicit, confugies ſub alas eius: quia promiſſionum nullus eſt vſus, niſi fide in his acquieſcamus.

Altera ſimilitudo ſumpta eſt à re militari, cùm promiſſionem Dei dicit eſſe *clypeum* & *ſcutum* piorum. Nam ſicut clypeus corpora militum tegit, ne à ſagittis ab hoſtibus emiſſis vulnerentur: ita promiſſio auxilij & liberationis fide apprehenſa animos munit in quibuſuis periculis & calamitatibus, ne magnitudine malorum & ærumnarum oppreſſi frangantur: ſed læti potiùs ac ſecuri ſub tutela Dei lateant. Atque huc cõgruit illud Salo. Pro. 30. Omnis ſermo Dei purgatus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe.

Imprimis autem obſeruandum eſt, quòd, cum antea dixiſſet, Deum eſſe tutum aſylum ad ipſum confugientibus, nunc veritati id tribuit, hoc eſt, promiſſioni diuinitus patefactæ, quæ, quòd fallere ſperantem nequit, vt potè à verace Deo tradita, veritas dicitur & hîc & alibi ſæpe, vt Ioan. 17. Sermo tuus eſt veritas.

Ratio autem iſtius permutationis, vt pro Deo *veritas* promiſſionum ſubſtituatur, non eſt obſcura doctrinam intelligẽtibus Deus enim non niſi in verbo promiſſo apprehenditur: nec fides alibi quàm in promiſſione Deum reperit: vt omnes ab illo aberrare neceſſe ſit, qui extra verbũ patefactum eum quærunt.

5 Non timebis à terrore noctis: à ſagitta [*quæ*] volabit per diem.

6 A peſte in tenebris graſſante: ab excidio quod vaſtat in meridie.

Peſtem, quam antea nominarat laqueum aucupis, nunc terrorem nocturnum & ſagittam volantem per diem appellat. Eſtque in hac poſteriore figura pulchra proſopopœia peſtilẽtiæ, in qua ad naturã eius alludit. Sicut enim *ſagitta* ex arcu fortiter intẽto emiſſa celeri volatu magnũ aeris tractum permeat, & quaſi momẽto metã ex longo interuallo oppo-

ſitam ferit:ita peſtilentiæ venenum non tantùm fomite & cõtactu propagatum, ſed & expiratu egeſtum à corporibus infectis & halitu impulſum, & micantiũ arteriarum vibratu excuſſum magna celeritate traiicitur in circunſtantes ex interuallo, vel in aerem impreſſum ad huius motum diſpergitur longè lateque, & obuios quoſque feriens ingentem & horribilem omni ex parte edit ſtragem: cuius rei triſtia hiſce annis per Germaniam vidimus exempla.

Et quia hęc veneni tranſmiſſio fortior eſt, & ſæpiùs accidit tempore nocturno & meridie, ideo addit, à peſte in tenebris graſſante, & exciſione, quæ vaſtat in meridie. Noctu enim ἀποσεισμοῖς nocturni frigoris denſato aere ſeminaria ſeu inquinamenta volitantia in aere, quæ σπέρματα καὶ μιάσματα λοιμώδη vocantur, veluti coguntur atque coarctantur, vt & vires ſuas validiùs contrahant, & velut ex anguſto maiore cum impetu ac vibratu elidantur: ſicut ex condenſata nube fulmina & venenati halitus exprimuntur: circa meridiem verò ſolis calore corpora fuſa atque laxata & hiantia, venenum prõptiùs hauriunt & abſorbent.

Ex his, quę ex phyſicorum diſputationibus ſumpta ſunt, ſententia horum duorum verſuum intelligetur. Cúmque affirmet in his tãtis periculis pios tutos fore & vacuos à metu, magnitudo conſolationis, quę hîc propoſita eſt, conſideretur, & intimis pectoribus infigatur. Non enim eſt aduerſus hoc malum præſentius aut efficacius remedium quam quod hic proponitur. Quid enim humana prę́ſidia aut medicamina poſſint, hiſce annis non ſine multorum gemitu & dolore experti ſumus.

A terrore noctis] Peſtem μεταληπτικῶς nominat terrorem: quia ingentem terrorem & metum adfert hominibus, noctu maximè: cùm fortiùs & celeriùs diffunditur venenũ, ideóque plures inficit, vt dictum eſt, & cum tenebræ atque inſomnia ex metu contracta per ſe terrorem augent.

Sextus verſus explicat præcedentem abſque figura, vt mos eſt pſalmographis. Græcus pro דֶּבֶר *dheber* legit דָּבָר *dhabar* ἀπὸ πράγματος ἐν σκότει διαπορευομένου.

Ab exterminio vaſtante] Græcus habet ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ, ab incurſu & dæmonio meridiano. Legit enim ושר pro ישוד atque hinc fortaſſis nonnulli ſumpſerunt, quod dicunt דבר & קטב eſſe nomina dæmoniorum, quæ halitu peſtifero aerem inficiunt.

Alij tamen qui allegorice pſalmum interpretantur, quatuor hic periculorum gradus faciunt. Quidam timorem nocturnum, quamlibet crucem interpretantur, quæ nocte terreat magis quam interdiu. Sagittam volantem repentina & inopinata pericula, quæ non prouideri nec propter celeritatem facilè præcaueri & auerti poſſunt. Peſtem graſſantem in tenebris, ſophiſtarum inſidias & occultas machinationes, conſultationes aut fœdera: peſtilentiam prædantem in meridie, tyrannorum crudelitatem & ſæuitiam, quam exercet in pios interpretãtur. Atque his diuerſis malorũ gradibus ſignificari aiũt, Deum aduerſus omnia pericula præſto adeſſe ſuis. Lutherus, duos priores gradus paulò aliter interpretatur. Nã timorẽ nocturnum intelligit de phariſaicis hypocritarum odiis aduerſus doctores & diſcipulos euangelij, qualia aduerſarij noſtri contra hanc ſcholam & eccleſiam exercent. Sagittam verò volantem interdiu de fulminibus excommunicationis, quæ aduerſus pios & rectè ſentientes edunt. Item execrationes & decreta tyrannica. Hæc piè & rectè dicuntur: interea tamen tenendum eſt, quod initio monui, vnam certam ſpeciem mali hic notari, quæ occaſionem præbuit pſalmo ſcribendo: ſub hac verò omnia malorum genera comprehendi. Promiſſiones enim quæ hic & alibi traduntur, non ad vnũ atque alterũ genus mali trahendæ ſunt: ſed ad omnis generis calamitates & ærumnas accommodandæ. Idque ſi teneatur, non difficile erit poſtea vocabula de quibus voles malis interpretari. Quædam obrepunt clam nobis nihil tale ſperantibus, quæ de exitio in tenebris graſſante intelliguntur: quædam ſubitò & palam ingruunt, inundationes, incendia, vaſtationes agrorum aut fundorum calamitas & ſimilia mala: perſecutiones item, quæ comparantur peſti graſſanti in meridie: quædam ita adhærent, vt ſubinde nos crucient: præſertim verò noctu, cum ſoli ſumus, ſub quibus multa comprehẽdi poſſunt.

7 Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te non appropinquabit.

Amplificat ſententiam per contentionem. Etiamſi inquit, tanta vis ſit mali & veneni, vt in omnibus locis & angulis homines magno numero concidant & moriantur, & quidem ij qui proximè adhærẽt lateri, ita vt paſſim inter cadauera proſtratorum incedas, tamen nõ eſt quod tibi metuas: quia Deus ſingulari fauore & gratia proſequitur te, teque periculo omnium ceruicibus imminenti ſingulari priuilegio eximit.

Non appropinquabit] Scilicet malum vel telum.

8 Vtique oculis tuis aſpicies: & retributionem impiorum videbis.

Amplificatiuncula eſt à cauſa finali. Vult Deus pios in illis publicis cladibus ſuperſtites eſſe, cùm alias ob cauſas, tum verò vt ſpectatores ſint pœnarum, quas Deus ab impia multitudine exigit: vtque his exemplis confirmati diſcant comminationes de iudicio Dei aduerſus peccata non eſſe inania terriculamenta, atque ita & ipſi in ſtudio pietatis cõfirmentur, & alios ad metum numinis diuini & pium religionis cultum hortentur. De hac cauſa finali concionatur in hoc verſu. Mundus ridet pœnarum comminationes in verbo Dei propoſitas, quòd pœnæ certo Dei conſilio nonnunquam differantur diutiùs: ſed tandem illam ſupplicij tarditatem Deus grauitate compenſat, vt eleganter inquit Valerius Maximus.

Huius igitur rei vult ſpectatores eſſe pios, vt teſtes ſint & ſeueritatis & iuſtitiæ diuinæ in vlciſcenda hominum impietate, & bonitatis ſeu amoris in defendendis & ſeruandis ſuis cultoribus.

9 Quia tu Iehoua, protectio mea: excelſum poſuiſti habitaculum meum.

Addit rationem tantæ ſecuritatis & fiduciæ piorum, éſtque repetitio ſuperioris conſolationis. Rurſus autem mutat ſecundam perſonam in primam, eandem ob cauſam, de qua dictum eſt ſuprà verſu ſecundo. Debebat enim dicere, Ideo tutus eris à periculis & malis vndique te cingentibus, quicunque te diuinæ tutelæ committis, quia Iehoua eſt protectio tua: ſed quia ſe quoque promiſſioni includit: ideo quod ad pios omnes dicturus erat, de eo ſibi primus concionatur, vt & ſuam fidem confirmet, & alios ſuo exemplo, vt idem faciant, hortetur.

Excelſum poſuiſti habitaculum] Iterum, quanquam mutata perſona, compellat ſeipſum, & ſub ſua perſona omnes pios comprehendit. Eſtque hæc variatio perſonarum vſitata quidem in hac lingua, ſed nuſquam ita frequens & crebra, vt in hoc pſalmo, quod obſeruandum eſt, ne illa mutatio ſententiam vitiet aut corrumpat. Ideo inquit vates, de ſe ipſo loquens, Tutus eris à periculo, quia cùm Deum poſueris protectionem tuam & aſylum quò in calamitatibus & periculis confugias, nactus es habitaculum procul ab omni iniuria remotum, & quò nulla vis veneni penetrare poſſit. Ita ſe ipſum alloquendo animum ſuum quaſi examinat, & fidem ſuam roborat: ſuntque illi dialogiſmi piis in veris pœninitentiæ & inuocationis exercitiis vſitati, & facile ab his qui horum exercitiorum non ſunt expertes, intelliguntur.

10 Non occurret tibi malum: & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.

Hic verſus conſequens eſt ad antecedens prioris verſus, Habitaculum poſuiſti excelſum. Ergo ad te non appropinquabit plaga. Sicut enim ad Deum nõ pertingit, ita neque te lædet, qui in eius habitaculo ſedes. Nec aliquid obſcuritatis habet hic verſus vt accuratiore opus ſit explicatione.

Malum] nominat luem graſſantem in populo: ſicut eandem & plagam nominat. Poſtea in genere dictione mali & plagæ intelligatur comprehendere omnis generis afflictiones, miſerias & ærumnas.

11 Quoniam angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

12 Super manibus portabunt te: [*in manus tollent te, ſublatum in manus geſtabunt te*] ne offendas ad lapidem pedem tuum.

Addit aliam rationem, cur ita ſecuri & tuti ſint à malis homines pij. Nam, vt ſuprà dixerat, ideo non occurrere piis mala, nec appropinquare plagas tabernaculis eorum, quia Iehoua ipſorum ſit protectio & habitaculum, quò tutò ſe recipiant: ita nunc amplificans & confirmans eandem promiſſionem, inquit, Deum piis adiungere præſidij cauſa angelos cuſtodes, qui ambulantes in viis ſuis, & in timore atque inuocatione Dei facientes opera vocationis, non tantùm cingant & muniant aduerſus externam vim malorum ingruentem, vt pſal. 34. dicitur, Caſtrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum: ſed etiam, qui manibus ipſos geſtent, ne ipſi impingant, hoc eſt, ne ſua imbecillitate labantur, & pericula ſibi accerſant.

Eſt autem dulcis hæc doctrina & conſolatio de cuſtodia Angelorum, quæ piis grata eſſe debet. Nihil enim ad conſolationem noſtri dici potuit efficacius, quàm id quod nunc affirmat vates in hac tanta imbecillitate noſtra, & malorum quibus obrutum eſt genus humanum, multitudine atque con-

concurſu, adiunctos nobis eſſe Angelos ſeu exercitus cæleſtes, qui noſtri ſint λειτουργοὶ, vt Epiſtola ad Hebræos nominat, ad hunc locum reſpiciens, & ſalutis noſtræ cuſtodes.

Cæterùm quæ de Angelis hoc loco dici poterant, petantur ex libris methodicis. Nos ſententiam conſideremus.

Primùm inquit, Deum Angelis ſuis mandaſſe de nobis, quo ſignificatur. Angelos eſſe λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν τῆς ἐκκλησίας ἀποστελλόμενα, vt loquitur Epiſtola ad Hebræos. Et quidem, cùm ſingulari numero vtens inquit *de te*, ſignificat ſingulorum ſalutem nominatim multis Angelis cuſtodiendam aut defendendam eſſe demandatam: ne quis ſe tanquam obſcurum, aut ignobilem, aut etiam indignum negligi in tanto numero exiſtimet: vel etiam ne deſperet, ſi multis ſe hoſtibus cinctum videat.

Diabolus Mat. 4. ad Chriſtum hanc promiſſionem accommodat, & rectè. Eſt enim caput eccleſiæ, cuius beneficio ad omnia membra hæc promiſſio pertinet: ſed callidè atque inſidioſe partem omittit, quæ ſequitur, *In omnibus viis tuis*: exiſtimat enim ita faciliùs dulcedine promiſſionis eum poſſe in naſſam pertrahi.

Vt cuſtodiant te] Id eſt, vt tui curam ſuſpiciant, vt te ſeruent, tueantur ac defendant: nec te tantùm, ſed facultates, opes, famam, dignitatem, locum diuinitus tibi attributum.

In omnibus viis tuis] Id eſt, in vocatione tua. Nam opera vocationis via cuiuſque in ſcriptura dicuntur, *Da einer mit vmbgehet*, vt Germani loquuntur. Eſtque diligenter hæc particula obſeruanda, vt, ſi auxilium diuinum & cuſtodiam angelicam nobis polliceri volumus, contineamus nos intra metas vocationis noſtræ, & propria agamus: non temere aut ſtulta πολυπραγμοσύνῃ extra vocationem erumpamus, aut illicita & non mandata tentemus. Id enim Deum eſt tentare: vt Chriſtus Matth. 4. diabolo reſpondet mutilatim citanti hoc dictum.

In manibus portabunt te] Incrementum eſt, quod amplificãdæ promiſſionis gratia adhibetur, ſeu hypotypoſis. Non tantum cuſtodiunt angeli corpora noſtra, ne foris malum aliquod ingruens ea lædat: ſed etiam cauent, ne errore, imprudentia aut infirmitate lapſi pericula nobis aut mala attrahamus: éſtque dulciſſima figura in hac ſententia, qua nos infantibus comparat: Angelos verò matribus aut nutricibus, quæ infantes vel manibus geſtant, vel incedere conantes gradus eorum fulciunt, vt ſine offenſa incedant.

Ne offendas ad lapidem] Perſiſtit in metaphora ab infantibus ſumpta. Infantes enim ſæpe impingunt & labuntur: niſi ſint qui manibus aſſiduè eos ducant aut fulciant. Idem igitur eſt ac ſi diceret: ne quid tibi mali accidat, & ne te in officio vocationis turpiter des. Hanc angelorum præſentiam & cuſtodiam experiri omnes pios certum eſt, qui communes ærumnas generis humani & varia pericula, quibus obiectum eſt genus humanum, conſiderant diligentiùs. Etſi enim ipſi ſæpe ſua temeritate & infirmitate impingunt, vt pueri ſuis viribus fidentes ac deſerta nutrice greſſum tentantes, vel ſuis conſiliis præpoſteris aut peccatis ſibi clades attrahunt: tamē, quòd non colliduntur, nec opprimuntur magnitudine malorum, id huic cuſtodiæ angelicæ, quæ nobis diuinitus appoſita eſt, adſcribatur. *Lapis* omnis generis obſtacula, remoras, difficultates & pericula ſignificat, quæ diabolus hominibus piis opera vocationis agentibus obiicit.

13 Super leonem [*ſeu leopardum*] & aſpidem ambulabis: conculcabis leunculum & draconem.

Hic verſus iterum conſequens eſt ad antecedens ſuperiorum verſuum. Cùm enim angeli adhibiti tibi ſint cuſtodes vitæ & ſalutis, non eſt inquit, quod metuas, etiamſi tibi inter ſæuiſſimos leones & aſpides venenatiſſimas ſit incedendum. Neque enim nocere tibi vllum animal, vtcunque ſæuum & venenatum, poteſt. Ita in genere quidem per *leones, aſpides* & *dracones*, ſæuiſſima quæque pericula & calamitates noxias notari exiſtimo. Eſt enim vita piorum perpetuò quaſi obiecta leonibus & aſpidibus, ſæuiſſimis ſcilicet feris & venenatiſſimis animalibus, hoc eſt, tyrannis & hypocritis, atque ſycophantis & hæreticis, qui verè ſunt aſpides ψυάδες, hoc eſt, veneno inficientes doctrinam & contumeliis piorum vitam deformantes, qualem beſtiam hiſce temporibus Illyrica tellus protulit: eáque conditio noſtra in hiſtoria Danielis & aliorum ſanctorum eſt depicta: ſed tamen in ſpecie his appellationibus etiam ad peſtem alludere voluiſſe vatem exiſtimo. Non enim dubium eſt quin ad naturam horum animalium reſpexerit, vt vim veneni ſignificantiùs exprimeret. Leoni igitur ſeu leopardo comparat peſtilentiæ venenum, primùm & principaliter propter ſæuitiam ſeu truculentiam. Sicut enim leo ſeu leopardus animal eſt ſæuum, & corpora quæque obuia ſternit & laniat, nec robur vllū tātum eſt quod opponi huic beſtiæ poſſit: ita peſtilentia cùm graſſatur, obuios quoſque interimit, & tanta vis mali eſt, vt nullis remediis arceri poſſit. Deinde cùm animal ſit calidiſſimum leo, forte ingentem ardorem huius morbi qui corpus humanum exiguo tempore abſumit, notare voluit. Græcus interpres quanquam hoc loco vocem Hebræam aſpidem interpretatur, alibi tamen, vt Hoſe. 5. πανθῆρα vertit: in aſpidis voce manifeſtiſſima eſt alluſio ad naturam morbi. Recenſet Galenus de Theriaca ad Piſonem, & Aetius ſer. 1. cap. 20. tetrabibli IIII. tria aſpidum genera. Sed ſymptomata & ſigna communia eſſe in his quos aſpides momorderunt, affirmat Aëtius. Vulnera enim in demorſo loco, inquit, veluti ab acu picta inueniuntur. Bina quidem ex maſculi morſu, ex fœmellæ verò quatuor citra magnum dolorem: à quibus nihil effluit, niſi violentum animal ſit, quod morſum inflixit. Conſequitur autem ſtupor, pallor frontis, refrigeratio ſeu horror, aſſidui hiatus, palpebrarum nutationes, colli inclinatio, capitis grauitas, ſegnities & collapſio in ſomnum profundum: ad finem verò conuulſio. Mors autem in tribus ad ſummum horis ex terreſtris morſu ſequitur. In Chelidoniæ verò ictu præſentiſſima adeſt. Porro his qui à Ptyade conſpuuntur caligo oculorum ſuccedit, & cordis dolor, faciei tumor ac auditus corruptio.

Ex his pleraque ad peſtem congruere manifeſtum eſt. Ideóque aſpis peſti comparatur, tum quia contactu inficit, tū verò quia συμπτώματα ad eius morſum ſequuntur non abſimilia his quæ peſtis efficit. Nota eſt autem Cleopatræ hiſtoria, quæ adhibitis aſpidibus mortem ſibi conciliauit: quæ hiſtoria fidem facit his, quæ ab Aetio ſcribuntur. Alij his neglectis ſimiliter ἀλληγορικῶς leones & aſpides diabolos & eius ſatellites interpretantur, quorum ſæuitia & crudelitas nocere eccleſiæ non poteſt. Et quidem manifeſtam ſæuitiam per leones & leunculos, occultas verò inſidias & machinationes per aſpides & dracones notari volunt, vt antea dixi. Sed cum à ſpecie, quæ notatur, diſceſſum eſt, intelligantur omnis generis pericula, quæ piis in hac vita obiiciuntur, & præſentē quaſi mortem ſingulis momentis minitantur, ſiue palam id fiat, ſiue aſtute & dolo.

פתן quod aſpidem cum cæteris vertimus, Græcus interpres reddidit βασιλίσκον, & veriſimile eſt vocabulo פתן plura genera venenatorum animalium comprehendi. Baſiliſci verò appellatio ad naturam morbi aptè congruit. Idem enim Aëtius cap. 33. eiuſdem libri quem antea citauimus, de baſiliſco ita ſcribit: Vim ſuper omnia reptilia maximā acquiſiuit, vt nulla ex eis queant vel ſibilum ſaltem ipſius ſuſtinere. Quin & ſi quod ex reliquis animalibus venenum iaculantibus ad cibum & potum capiendum properet, & baſiliſci iuxta locum præſentiam perſentiſcat, retrocedit, neceſſarij etiam ad vitam nutrimenti negligens. Cæterùm percuſſos ab eo totius corporis ardor comitatur, itémque liuor: defluunt capilli è corpore confeſtim & in inſtanti omnino tempore mors ſequitur. Neque verò corpus ipſius mortui vllū aliquod animal carniuorum attingit. Si verò fame coactum ipſum contingat, tum & ipſi ilico eodem loci mors inſtat. Aiunt autem quòd conſpectus modò & ſibilans auditus, eos qui ipſum audiuerunt tollat, ſimilitérque ab ipſo conſpectos. Hactenus Aetius, cum quo conſentiunt Plinius & alij. Ex his etiam pleraque ad huius morbi naturam congruunt, vt baſiliſco comparetur primùm propter veneni ſæuitiam & συμπτώματα, quæ correptos hoc veneno comitantur. Deinde quia non tantùm contactu, ſed etiam intuitu venenum transfundit, id quod experientia teſtatur. Ideoque medici prohibent ne laborantem peſte, ſi ille oculos ad nos conuertat, intueamur. ita enim facilius ſi ſe mutuò intueantur, venenum transfunditur, non aliter ac ſi radius ſolis in putridam vuam incidens ex aduerſo poſitam eadem putredine imbuat.

De draconibus ſcribit Aetius in eodem libro cap. 34. eos non iacere venenum, quod & Plinius affirmat, ſed attractione & vi ſua enecare. Sunt enim dentibus magnis ſimilitudine ſylueſtrium ſuum, cum quibus etiam fracturas & colliſiones corporum inferunt. Itaque curationes veluti ad mordentia animalia fiunt, non vt in his quæ venenum iaciunt. Comparatur igitur peſtilentiæ venenum draconibus præcipuè propter vim & violentiam, quia corpora etiam robuſtiſſima vno quaſi momento proſternit, ſicut eandem ob cauſam leonibus huius veneni vim comparat. Ab hac verò ſpecie ad varia deinde mala, quæ vel aperta vi, vel ex obſcuro tanquam ex inſidiis & latebris inferuntur, hoc membrum ſimiliter, vt alterum de quo diximus, accommodari poteſt.

14 Quia me complectitur amore, liberabo eum: exaltabo eum, quia cognouit nomen meum.

15 Inuocat me & reſpondebo ei, cum ipſo

ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16 Longitudine dierum ſatiabo eum: & oſtendam ei ſalutem meam.

In fine pſalmi ſummatim quaſi colligit promiſſiones. Et quia hactenus tanquam poeta multis figuris eas illuſtrauit, nunc ſimplici oratione (qui mos eſt pſalmographis fere perpetuus) eas exponit. Nihil autem dulcius, nihil ad pauidas ac conſternatas mentes atque in calamitates demerſas erigendas efficacius dici poteſt iis conſolationibus, quæ hîc proponuntur. Ideo animis noſtris perpetuò ſint infixæ, vt inter precandum & mente eas aſſiduè intueamur & voce repetamus. Non enim dubium eſt quin cogitatione harum promiſſionũ fides valde confirmetur & dolores vincantur. Simul autem & hoc conſideretur: non promiſcuè ad omnes pertinere has conſolationes. Maxima enim hominum pars petulanter eas reſpuit & furenter contemnit. Itaque ad hos tantùm reſtringuntur, qui ardenti deſiderio eas expetunt, aut qui agnoſcunt Deum, quíque vera fide ad eum cõfugiunt & inuocant. Poſtremò, neque hoc ſilentio prætereundum eſt, quòd Deo ipſi hic ſermo tribuitur, vt conſolatio altius penetret & firmius adhæreat. Sunt igitur hæ conſolationes verè oracula, non ex tripode Apollinis, ſed cælitus delata, quæ fallere non poſſunt.

Quia me amore complectitur] חשק ſignificat ingenti atque ardenti amore aliquem complecti & deſiderare, ardere aliquem: quemadmodum in verſu dicitur,

Pectus vt in ſponſo flammarum incendia ſentit,
Qui vero ſponſæ flagrat amore ſuæ.

De hoc enim amore qualis eſt ſponſi erga ſponſam, ſeu adoleſcentis erga virginem, quam deperit, vſurpatur in Scriptura, vt Gen. 34. Filij mei Sichem anima deperit ſeu ardẽter amat filiam veſtram: Deut. 21. Si videris inter captiuos mulierem egregia forma, & propenſus fueris in eam, & ardenter cœperis eam amare. Græcus non ſatis expreſſit vim verbi, cùm reddidit, ὅτι ἐπ' ἐμὲ ἤλπισεν.

Liberabo eum] Hoc verbo admonemur, vitam noſtram in his terris perpetuò expoſitam eſſe periculis & calamitatibus. Non enim opus eſt liberatione, vbi nullum eſt periculum.

Exaltabo eum] Verbum שגב ſæpe antea eſt explicatum. ſignificat autem in ſecunda coniugatione aliquem collocare in locum tutum & inacceſſum ſeu propugnaculum ſublime, quò nulla vis hoſtilis penetrare aut pertingere poſſit. Olim enim munitiones extruebantur in locis editioribus, in montibus præruptis & inacceſſis, vt exaltare, aut in locum talem collocare nihil aliud ſit quàm tutum & incolumẽ præſtare. Eſtque metaphora in voce ſumpta à re militari ſeu ab vſu militiæ.

Cognouit] Deſiderio & amori adiungitur cognitio. Non enim eſt verus amor neque conſtans, niſi qui ex agnitione nominis diuini oritur. Videmus enim multos quidem expetere præſentiam & auxilium numinis diuini, ſed quia nomen Dei ignorant, nunc huc nunc illuc ſuis deſideriis rapiuntur, & vana ac fictitia numina in rebus creatis ſibi fingunt, voti verò ſui compotes facti Dei nomen pro ludibrio habent. Amorem igitur diuinum, vt ſit ſincerus & conſtans, oportet regi vera Dei agnitione. Eſtque obſeruandum quòd non dicat ſimpliciter, Quia *cognouit* me, ſed *nomen meum*. Eſt enim nomen quo quis agnoſcitur. Deus verò non agnoſcitur niſi ex verbo patefacto & ex beneficiis eccleſiæ præſtitis. Cognoſcere igitur nomen Dei, eſt agnoſcere eum ſicut ſe patefecit in ſuo verbo, vt hoc ipſo ſermone ad verbum patefactum nos alliget. Qui igitur verbum hoc abiiciunt, ij quanquam affirmant ſe Deum quærere, eíque adhærere, & alios idem facere iubent: nunquam tamen ad eum perueniunt, nec conſolationis, quæ hîc traditur, fiunt participes.

Inuocat me] Agnitionem & amorem Dei ſequitur inuocatio. Non enim inuocat, niſi qui rectè agnoſcit Deum, quíque de eius amore omnia ſibi promittens, certa fiducia in ipſius promiſſionibus acquieſcit. Et inuocans impetrat id quod petit vel aliquid melius, vt alicubi Bernhardus inquit.

Cum ipſo ſum in tribulatione] Hoc ſingularẽ habet emphaſin. Multùm leuant dolorem in ærumnis exempla ſimilium calamitatum, & ſi plures nobiſcum in iiſdem verſentur periculis, ſicut dicitur, κοινὸν ναυάγιον ἰσχύοις παραμύθιον. Et tamen illa ſocietas doloris non iuuat quenquam: ideóque conſolatio illa ſi ex philoſophia petatur, admodum eſt languida: ſed Deum habere ſocium ærumnarum, id verò pleniſſimum eſt conſolatione: ſi enim ille ſe nobis iungit, atque ita noſtris calamitatibus afficitur, acſi ipſi illa iniuria, quæ nobis fit, eſſet illata, profectò non eſt quòd deſperemus de ſalute aut liberatione, etiamſi nos exerceri aliquandiu ærumnis patiatur. Vtrumque enim hac orationis forma ſignificatur, & ſubiectos eſſe cruci homines pios, & Deum adeſſe ipſis præſentem, vt & leniat ærumnas & tandem finem imponat.

Et glorificabo eum] Auxeſis eſt. Non ſatis habet liberaſſe pios, ſed inſuper in altum eos extollit & magna gloria ornat. Quod oſtendunt exempla Ioſephi, Dauidis, Danielis & ſimilium. Et quanquam non omnes in hac vita ſimili gloria ornantur: tamen quod ad corporis totius incolumitatem & gloriam attinet, videmus hanc promiſſionem quotidie compleri: ne quid dicam de illa gloria quæ pios manet in altera vita.

Longitudine dierum] Hoc in ſpecie iterum ad illud tempus pertinet, de quo in argumento dictum eſt. Cùm enim Angelus per totam Iudæam tranſiens magnam ſtragem in populo ederet, nemo fere erat qui ſuæ vitæ non timeret, aut qui longiorem vitam ſibi promittere auderet. Horum igitur dubitationi ac trepidationi occurrens Deus, promittit ſe piis prorogaturum eſſe vitam ad multos annos, imò ſatiaturum eos longitudine dierum, hoc eſt, prorogaturum vitam donec ſatietas vitæ eos capiat.

Hîc ſi quis quærat qui fiat vt ſæpe pij celeriùs ex hac vita migrent: aut cur Ieſaias dicat cap. 57. A facie malitiæ colligi iuſtos. Et notum eſt cap. 4. ſapientiæ, quod de hac re concionatur, pios ſcilicet tempeſtiuè tolli ne ab impiis ſeducantur. Eſtque hæc ſententia adeo recepta, vt etiam Ethnici felicitatem aliquam in breuitate vitæ poſuerint. Notus eſt enim Græcus verſiculus ὃν γὰρ φιλεῖ θεὸς ἀποθνήσκει νέος. Quod certè cum hac promiſſione parum congruere videtur. Reſponſio de promiſſionibus corporalibus vniuerſalis eſt, eas traditas & intelligendas eſſe cum aliqua exceptione, & ſicut Bernhardus de oratione piorum dixit, fieri id quod petitur, aut non expedire vt fiat. Ita hîc de longitudine vitæ dicamus. Aut concedi piis longa vitæ ſpatia, ſi ſcilicet & ipſis & publicæ eccleſiæ ſaluti id ſit profuturum. Citiùs verò migrare, ſi ipſis illud ſit vtilius. Interea tamen vel exiguo vitæ ſpatio meliùs ſaturantur pij, quàm increduli multis ſeculis. Et ſciunt poſt hanc vitam reſtare aliam, in qua ad ſatietatem fruentur vita & bonis æternis. Ad hanc igitur potiſſimùm reſpiciunt, atque in ea felicitatem ſuam ponunt. Quare & Deus ipſe interpretationem hanc adiicit cùm inquit, *oſtendam ei ſalutem meam*, hoc eſt, vbi per totam vitam paterno fauore eos proſequutus fuero, & variis documentis meam beneuolentiam oſtendero, tandem ex hac vita in aliam traductis oſtendam ſalutem meam, id eſt, faciam vt experiantur in altera vita, quæ ſit vera beatitudo & felicitas, quam ſcilicet nulla moleſtia, nullus labor, nullus dolor, nulla ærumna, nec denique mors ipſa vnquam interrumpat. Salus enim Dei terrenæ vitæ non eſt incluſa.

PSALMI XCI.

PARTES.

I. Hortatio, qua pſaltes fiduciam ſuam ſtatuens piis in exemplum, petit vt certa fide recumbant in Deo, v. 1. 2.

II. Ratio huius exhortationis duplex. 1. Liberatio à periculis grauiſſimis, quorum ſpecies complectuntur genus quodcunque. 2. Contemptus periculorum, imo triumphus fidei in media morte verſantis. Hæc explicantur à v. 3. ad 11. vſque.

III. Liberationis modus indicatur, íſque præſtantiſſimus, ab eorum perſona quos Deus piorum cuſtodes conſtituit, item ab eorumdem officio alacri & potenti, v. 11. & 12. Quam liberationem vt amplificet

plificet, horrenda quibus pij exponuntur pericula, & ex quibus euadunt incolumes, depingit, v. 13.

IIII. Doctrina, qua Deus loquens ſuperiorem prædicationem beneficiorum confirmat in eos qui ipſum colunt, v. 14. 15. & 16. duobus membris conſtat. 1. Piorum ingenium oſtendit. Deum amant, agnoſcunt, inuocant. 2. Dei naturam. Suos liberat, in tuto collocat, exaudit, præſentia ſua fulcit, liberat, honore afficit, ſatiat longitudine dierum, beat ſalute æterna. Hæc beneficia, promiſſionibus quæ cum effectis coniunctæ ſunt, declarantur.

Observationes locorum doctrinae.

Verſ. 1. Quum maior pars hominũ quærat ſibi varias latebras, atque vt ſe quique obnoxios vident pluribus malis, circunſpiciant huc & illuc: docemur, nuſquam alibi tutam & inexpugnabilẽ ſalutis arcem eſſe quàm in Dei præſidio.

2 Hæc vera demum eſt cognitio, quam per manus alijs tradere licet, dum proferimus non ex labijs tantùm, ſed ex intimo corde, quod nobis Deus patefecit.

Sancta hæc gloriatio maximus eſt fidei triumphus, dum intrepidè confugimus ad Deum quicquid accidat: certoque perſuaſi ſumus non tantùm vota noſtra ab eo exaudiri, ſed ſatis ſupérque auxilij nobis eſſe in eius manu.

3 Siue occultis artibus ſatan nobis inſidietur, ſiue aperto marte nos oppugnet, paratum eſt Dei auxilium.

4 Deus vt infirmitati noſtræ conſulat, à cæleſti ſua gloria quodammodo deſcendere non grauatur, vt ſub gallinæ imagine blandius nos inuitet. Nihil ergo eſt quod nos impediat à familiari eius acceſſu, quando ita comiter ſe demittit. Et nobis tutiſſimum eſt ſub Dei alis refugium.

Fidelitas Dei in promiſſionibus ſeruandis impenetrabilis eſt clypeus aduerſus omnia tentationum & afflictionum tela.

5.6 Quos Deus in tutelã ſuã ſuſcepit, probè vndiq; muniti ſunt, nec vllum eſt genus mali, quod non repellat Deus auxilij ſui clypeo.

Diuerſas malorum ſpecies enumerat propheta, ne vnam tantùm ſalutem à Deo nobis promittamus, ſed innumeris tẽtationibus fortiter reſiſtamus.

7 Quamuis totus mundus ruinis miſceatur, Deus tamen peculiari cura ſeruis ſuis conſulit, ne promiſcuè in turba pereant.

8 Sæpius res in terra admodum confuſæ iacent: attamen in tam obſcura caligine fideles agnoſcunt Dei iudicia, vnde colligunt ſe non fruſtra in eum ſperaſſe.

9 Hæc vera demum fidei probatio eſt: dum ſe quiſq; colligens, abſque teſtibus animum ſuum examinat: quia vbi vnico Deo non contenti ad homines reflectimus oculos, vix fieri poteſt quin ſe ambitio in fidei locum inſinuet.

Deus cenſetur pro refugio noſtro: quia ſurſum & deorſum nobis defenſor eſt ab omnibus noxis, atque in tuto locat, vt mundi furẽtis minas ſecurè deſpiciamus.

10 Fidelibus multa quidẽ accidunt incommoda: ſed contra violentos inſultus manũ ſuam Deus opponit, ne prorſus obruãtur fideles, qui Deum eligẽtes domicilij loco, in ſuis ædibus tutò habitabũt.

11 Hoc certè inſigne eſt indulgentiæ Dei teſtimoniũ, quòd ſe validis copiis armatũ eſſe pronuntians ad nos tuendos, diffidentiã noſtram ſubleuat, nec modò ſingulis aſſignat vnum angelũ, ſed cæleſtes ſuos exercitus de ſalute cuiuſq; fidelium iubet eſſe ſolicitos. Et quum fluctuoſus ac multiplex ſit vitæ noſtræ curſus, & multæ tempeſtates nos huc illuc ſubinde rapiant, oportuit ſingulis actionibus & conſiliis angelos attribui duces, quos ſciamus nobis præire ſiue ad dextrã ſiue ad ſiniſtram nos ferat neceſſitas.

Viarum nomine cõmendatur nobis modeſtia, ne præcipiti iactu Deum tentemus: ſed nos cõtineamus intra vocationis noſtræ fines.

12 Quiſquis hæc duo inter ſe conferet, fluidam noſtrã infirmitatem, deinde ſpinas, ſalebras, ſaltus, aſperitates viarum, anguſtias, præterea hebetudinem mentis noſtræ, & ſatanæ vafritiem inſtruendis inſidiis: fatebitur non poſſe nos tres paſſus progredi, niſi quodammodo præter naturam angeli nos in aere portent. Quòd autem ſæpe impingimus, culpæ noſtræ imputandum eſt, quoniam nos à capite noſtro diſiungimus: quia tamen collidi Deus non permittit, perinde eſt ac ſi manum ſuam ſupponeret.

13 Siue apertis & violentis malis, ſiue occultis noxis impetuntur à ſatana, qui molitur abrumpere ſalutis curſum, victoriam Deus pollicetur piis omnibus in viis fidei ac iuſtitiæ ambulantibus.

14 Vita noſtra ſemper circundatur variis mortibus, niſi ad nos iuuandos Deus manũ habeat intentã. Is autem è cælo pronuntiãs, ſub alarum ſuarum protectione nos fore ſaluos, tantùm fiduciam & ſpem, ab eius ſincera notitia ortam requirit.

15 Amor ille & deſiderium quæ ex fide naſcuntur, nos ad Deum inuocandum adducunt: & legitima ratio precandi in Dei verbo fundata eſt: quia hîc nihil proprio arbitrio audendum, ſed quærendus eſt Deus, quatenus nos inuitat.

Fides non eſt otioſa, ſed hoc examine probatur, dum rectà ad Deũ confugiunt qui ſalutem ab eo expectant.

Fideles nunquam ab ærumnis & moleſtiis erunt immunes, quia non mollem & delicatam vitam illis Deus promittit: ſed eorum tribulationibus ſe opem laturum.

Non temporale eſt Dei auxilium ſuorum electorum reſpectu, ſed quod ab initio vitæ noſtræ inchoauit, ſedulò ſemperq; perſequitur, vſquedum ſolidam felicitatem in cœlis ſimus adepti.

16 Vita ſatiantur fideles, quibus ſatis ſupérque ſufficit maturum vocationis ſuæ curſum complere.

Quum pluris longè ſit æternitas dierum quàm diuturnitas, ſalus autem Dei terrenæ vitæ anguſtiis minimè incluſa ſit: ad hanc præcipuè intentas eſſe decet pias mentes tam in morte quàm in vita.

Articuli praecipui.

1. De præſtantia fidei, ambulantis, confidentis, pernoctantis & conquieſcentis in Deo, pro fidelis hominis vocatione.
2. Deus latibulum, vmbra, receptus, propugnaculum, protectio, clypeus ſuorum.
3. De Vocatione fidelium.
4. Vita piorum grauiſſimis periculis expoſita, incertiſſima, tutiſſima.
5. Afflictionum quæ pios & impios circumobſident, diſcrimen.
6. Eccleſiæ Dei dignitas ſumma.
7. De angelis electis eorundémque miniſterio.
8. Eccleſia in morte præſentiſſima viuit.
9. Leones, aſpides & dracones, ſuo malo & horrendo exitio Eccleſiam inuadunt.
10. Electorum Dei characteres, fides, inuocatio, charitas, pax conſcientiæ, gloriatio, vita quieta.
11. Dei ſumma erga ſuos beneficia, exauditio, liberatio à malis, benedictio multiplex in terra, æterna glorificatio.
12. De Inuocatione.
13. De vitæ præſentis longitudine.
14. De ſalute & vita æterna, fidei per charitatem operantis gratuito dono.

Argvmentvm Psalmi XCII.

TITVLVS indicat pſalmum hunc compoſitum eſſe vt die Sabbathi publicè præcineretur. Cùm enim ſabbathũ inſtitutum ſit, vt ſancta in eo opera fiant, & homines omißis operibus domeſticis ac ſeruilibus, audiendo verbo diuino & conſiderandis Dei beneficiis, quæ eccleſiæ ſuæ præſtitit, vacent: pſalmus primum hortatur pios, vt quoties in ſabbatho conueniunt, memoriam beneficiorum Dei recolant, atque horum conſideratione ad agendas Deo gratias pro mirandis ipſius operibus & beneficijs excitentur. Vt autem occaſio aliqua ſit cogitandi de beneficiis diuinis, præter cætera Dei opera, quæ admiranda ſunt, & captum humanum fugiunt, in ſpecie proponit ante oculos & recenſet aßiduam Dei gubernationem & defenſionem eccleſiæ, in qua & amor ipſius erga eccleſiam perpetuus, & iudicium aduerſus improbos conſpicitur. Etſi enim eccleſia in hac vita ſubiecta eſt cruci & calamitatibus, & florent interdum impij, vt ſi quis ſecundùm illam externam ſpeciem iudicet, hos potiùs quàm illos curæ eſſe Deo exiſtimet: tamen Deus iuſtum

iudicium ſuum aduerſus impios exercet, dum euerſa ipſorum potentia impios in æternum exitium præcipitat,& pios non tantum ex calamitatibus eripit,ſed etiam ingenti gloria ornat, ita vt his qui membra ſunt veræ eccleſiæ, nihil poßit eſſe aut dici beatius. Hæc igitur beneficia agnoſci & celebrari vult cùm aliâs ſemper, tum verò maximè quando in ſabbatho homines pij publicè conueniunt: vt & Deo ſuus honos tribuatur, & ipſi hac beneficiorum commemoratione confirmati diſcant contemnere iudicia maximæ multitudinis hominum, quæ vana & ſtulta eſſe affirmat, vtque conſideratione ſuæ felicitatis eccleſiam & miniſterium doctrinæ publicæ magis ament, & maiore ſtudio ſe ad illum cœtum, qui dicitur eccleſia, adiungant.

PSalmus cantici in die ſabbathi.

2 Bonum eſt confiteri Iehouæ [*celebrare Iehouam*] & pſallere nomini tuo excelſo.

Orditur à propoſitione, quæ eſt exhortatio, vt beneficia diuina conſiderentur & celebrentur. Et quia id in ſabbatho præcipuè vult fieri ab omnibus, dicit id eſſe bonum, eo quòd ſabbathi hoc præcipuum ſit opus. Non enim colitur Deus otio hominum, ſed conſideratione operum ipſius & celebratione. Hortatur igitur nos ad gratiarum actionem, à fructu, & quidem dupliciter. Primùm ad nos reſpiciendo. Bonum eſt celebrare beneficia diuina, quia horum conſideratione ac celebratione excitamur ad ſtudium pietatis & amorem nominis diuini: proficimus in pietate & impetramus varia præmia. Gratiarum enim actio, vt inquit Chryſoſtomus, eſt ad amplius dandum inuitatio. Deinde reſpectu Dei. Quia Deo ſuus honos tribuitur, cùm ſit actio congruens cum Dei mandato: & placet illi hoc opus in piis. Eſt enim verus Dei cultus, ad quem præcipuè pij vocantur. Hebræi nomen טוב tãquam adiectiuum referunt ad præcedentis verſus ſubſtantiuum, Bonus eſt dies ſabbathi ad celebrandum, &c. Sed ſæpe etiam ſubſtãtiuè vſurpatur hoc nomen, vt alia multa.

Pſallere nomini tuo excelſo] Mutatio perſonæ ornat orationem: ſignificat enim ipſa meditatione pſalmi cor ipſius accendi deſiderio celebrandi Deum.

3 Ad annunciandum mane bonitatem tuam, & veritatem tuam noctibus.

Hic verſus quaſi ἐξήγησις eſt prioris. Oſtendit enim quid ſit gratiarum actio: & obiecta monſtrat, quæ animus pius intueri debeat, quoties celebrare beneficia diuina conſtituit. Tertiò, quando id fieri debeat, docet. Gratias igitur agere Deo, eſt annunciare & prædicare ipſius bonitatem & veritatem. *Bonitas* & *veritas* ſunt obiecta. Non facit mentionem potentiæ diuinæ, quia fides & bonitas propriè ad nos diriguntur. חסד, vt ſæpe dictum eſt, ſignificat στοργὴν quæ eſt in parentibus erga filios, & beneficia quæ inde oriuntur. Cùm igitur iubet nos celebrare bonitatem Dei, vult nos agnoſcere immenſum illum amorem Dei erga nos: quòd cùm filij eſſemus iræ & damnationis, propter mediatorem nos adoptauit in filios, & in gratiam receptos ſummo amore proſequitur, ac variis beneficiis tam ſpiritualibus quàm corporalibus nos ornat. Hic beneficia ordine poſſunt recenſeri, *Veritatem* nominat fidelitatem in ſeruandis promiſſis. Quòd mentionem facit temporis matutini & noctis, non ita accipiendum eſt quaſi per interualla iubeat celebrari beneficia diuina. Cùm enim beneficia Dei ſint aſſidua, decet & celebrationem eſſe aſſiduam. Et cùm Chriſtus inquit, Semper orate & non defatigemini: vt petitionem auxilij ac liberationis, ita gratiarum actionem vult perpetuam eſſe. Mentione igitur noctium & dierum non interualla ſtatuit, ſed tempora ipſe connectit & cõtinuat, vt ſicut diei nox ſuccedit & dies nocti: ita ſubinde in meditandis & celebrandis beneficiis diuinis ſimus occupati. Veriſimile tamen eſt ad externam huius populi diſciplinam ſimul reſpexiſſe vatem. Solebant enim qui non prorſus erant ἄθεοι in hoc populo, ſaltem *mane* & *veſperi* recitare ſuas preces, in quibus & gratias Deo agerent pro beneficiis hactenus acceptis, & ſe deinceps regi & defendi peterent: ſicut & apud nos præcipuè illa tempora precibus domeſticis ſunt deſtinata. Nec tamen ita defungi nos officio gratitudinis exiſtimamus, ſi ſemel atque iterum in die publicè conceptis precibus beneficia diuina commemoremus: ſed aſſiduè memoriam beneficiorum diuinorum circumferimus, atque horum recordatione ad ſtudium pietatis & gratitudinis Deo præſtandæ nos excitamus.

Nonnulli allegoricè *noctes* interpretantur tẽpus afflictionis. Diem verò ſeu *mane* tempus liberationis, quum res ſunt ſecundæ ac lætæ, vt omnia quæcunque ſecunda & læta nobis eueniunt, Deo accepta referamus: & cùm periculis aut ærũnis iactamur, fidem tamen Dei & veritatem ſemper celebremus: atque ita tempore tam ſecundo quàm aduerſo in Dei erga nos amore ac beneuolentia acquieſcamus.

4 Super decachordo & ſuper nablo: ſuper higaion cum cithara.

Non ſatis eſt voce celebraſſe beneficia diuina, ſed vult ex communi ritu huic populo vſitato etiam à Leuitis adhiberi omnis generis inſtrumenta muſica, vt toto ſabbathi tempore laudes diuinæ reſonent.

De differentia citharæ & pſalterij dictum aliâs ſæpe. *Nablum* Suidas dicit ſpeciem eſſe organi muſici, & in voce ψαλτήριον dicit nablum & pſalterium idem eſſe inſtrumentum. Verba eius ſunt, ψαλτήριον ὄργανον μουσικὸν, ὅπερ καὶ ναῦλον καλεῖται. Alij tamen exiſtimant nablum accedere ad illud inſtrumentum quod nos vtriculum vocamus. Nam נבל vtrem ſignificat. Alij Buccinam interpretantur. Italo-Iudæi cornomuſam aut cornetto reddunt. ψάλλειν Suidas interpretatur τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι. Higaion ex conſtructione apparet fuiſſe inſtrumentum muſicum. Additur enim præpoſitio עלי vt cæteris inſtrumentis muſicis. Alij tamen cantiones ſeu carmina ſacra verterunt, vt pſalmo 9.

5 Quia exhilaraſti me, Iehoua, in operibus tuis: in factis manuum tuarum exultabo.

Addit rationem cur bonum ſit celebrare beneficia diuina, ea ratio ſumpta eſt ab effectu. Quia animus cogitatione ſeu meditatione operum Dei exhilaratur, vt nouum fidei robur & lætitiam in Deo acquieſcentem inter laudes concipiat. Hæc vtilitas inuitare omnes ad ſtudium gratitudinis debebat.

Opera Dei nominat, quibus bonitatem ſuam erga eccleſiam & fidem declarat: vt quòd peccatum gratis remittit: quòd donat iuſtitiam, Spiritum ſanctum & vitam æternam: quódque in hac vita aſſiduè eccleſiam regit & defendit aduerſus furores diaboli & organorum eius: & ſubinde multis illuſtribus teſtimoniis ſuam præſentiam in ea oſtendit. Hæc opera conſiderata confirmant fidem & pariunt lætitiam in animis piorum. Impij verò conſideratione horum operum magis terrẽtur & cruciantur, nec habẽt aliquam oblectationem niſi in ſuis diuitiis & opibus, quæ cùm pereunt, omnis ipſorum lætitia euaneſcit.

Exultabo, ſeu, vt alij reddunt, *Ouabo*] Id eſt, ouatione ſeu cantico laudis erumpente ex corde in præconium Dei teſtabor interiorem animi lætitiam.

6 Quàm magnifica ſunt opera tua Iehoua! valde profundæ ſunt cogitationes tuæ.

Sequitur narratio de operibus Dei, in quibus bonitas eius & veritas maximè conſpicitur. Eam verò narrationem orditur ab exclamatione. Quia animus conſiderans horum beneficiorum magnitudinem, ita accenditur vt ſatiari illa conſideratione non poſſit, & verè huc trahi poſſit ille Virgilij verſus,

Expleri mentem nequit, ardeſcitq́ue tuendo.

Itaque in exclamationem erumpens propheta fatetur ſe ſatis pro dignitate illa opera conſiderare, admirari, aut prædicare non poſſe: & ſequenti verſu ſtuporem & ſocordiam maximæ multitudinis hominum damnat, qui ad tanta opera mentis oculos claudunt, nec operam dant vt diuina illa opera rectè agnoſcant & celebrent.

Opera Dei] Quæ ſint diximus antè: ſed propheta verſu 8. & ſequentibus in ſpecie opera Dei nominat illa iudicia quæ exercet inter homines, dum impios qui aliquandiu in hac vita floruerunt dignitate, potentia, & opibus, & harum fiducia elati Deum & eccleſiam eius contemnere, odiſſe & perſequi non deſtiterunt, ſubitò euertit: Iuſtos verò, quanquam variis ærumnis aliquandiu oppreſſos, tandem glorioſè liberat, & ad ſummam gloriam & dignitatem euehit. Hæc igitur opera dicit ita magna eſſe, vt capi aut intelligi rationes horum conſiliorum diuinorum ab humana ratione nequeant. Longè enim aliter res humanas adminiſtrat Deus, quàm noſtris rationibus aut conſiliis conuenire videatur. Ratio enim pronũtiat æquum eſſe vt Deus ſuis cultoribus omnibus modis benefaciat, nihilque durum aut triſte his accidere patiatur: econtra tyrannos & ſceleratos homines mox ad pœnam trahat, ne ſuis ſceleribus ſocietatem generis humani & pacem eccleſiæ conturbent. Itaque niſi id fiat iraſcuntur homines Deo, expoſtulant cum Deo, fremunt aduerſus eum tanquam iniuſtum iudicem: & planè inæqualitatem euentuum aut confuſionem in rebus humanis conſiderantes, ita turbantur vt Deum à mundi gubernatione amouere non dubitent,

tent, *Es iſt kein Gott im Himel, ſagen ſie, ſonſt muſte es viel anders zugehen.* Ideo ſubiicit amplificandæ ſententiæ cauſa:

7 Vir ſtultus non cognoſcit, neque inſipiens intelligit hoc.

Súntque verba tanquam indignantis & ſtomachantis aduerſus cæcitatem & ſtuporem huius mundi. Stultos & inſipientes nominat, non fatuos illos quos homines etiam tanquam ſenſu communi carentes ludibrio habent: ſed filios huius ſeculi carnali quidem ſapientia præditos, in rebus verò diuinis non tantùm cæcutientes, ſed ſtolidè iudicantes, iuxta illud 1. Cor. 3. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Nam hi maximè ſunt qui prouidentiam diuinam negant, & Dei iudicia rident & contemnunt.

8 Dum germinant impij quaſi herba: & florent omnes operarij iniquitatis: vt pereant [*exterminentur*] in perpetuum.

Hæc, inquit, iudicia Dei abſcondita ſunt ab hominibus, quòd Deus finit impios aliquandiu germinare & florere, hoc eſt, creſcere & affluere opibus, diuitiis, potentia, quòd largitur fœlices ſucceſſus ad extremum vſque, vt iuſtior ſit ipſorum damnatio.

Exiſtimant plerique niſi ſcelerati mox rapiantur ad pœnã, Deum eſſe iniuſtum: ſed in eo produnt ſuam ſtultitiam. Nam Deus finit eos germinare inſtar herbæ, ſed paulo poſt marceſcit ipſorum felicitas, vel exciſi abiiciuntur in æternos cruciatus. Non eſt igitur vera felicitas iudicanda, quæ nõ eſt firma aut ſtabilis, ſed quæ ſubitò non mutatur. Vtitur autem hac ſimilitudine de herbis germinantibus & florentibus etiã ſuprà pſalmo 37. & infrà 129. & pſalmo 90. Moſes diſputans de fragilitate & fugacitate vitę humanæ comparat eã herbę virenti. Cúmque antea de hac ſimilitudine dictum ſit ſatis, non ſum nunc prolixior. Verbum פרח Græci reddũt ἀνατεῖλαι oriri, metaphoricè, ſicut nos Germani dicimus *auffgehen* de herbis germinantibus. Atque ita ſæpe reddiderunt vocabulũ צמח apud Ieremiam & Zachariam. Atque inde eſt illud Lucæ, oriens ex alto, de quo ſuo loco dicetur.

In æternum] In hac antitheſi declarat ſeueritatem iudicij diuini. Florent impij, ſed ad tempus, éſtque felicitas ipſorum prorſus momentanea. Poſtea verò, ſi exitum ſpectes, damnatio & exitium eſt æternum. Quid eſt igitur, ſi momentum felicitatis conferas ad æternitatem ſuppliciorum? Reſpicit autem propheta hac antitheſi ſimul ad naturam herbarum, quę reſectæ aut emortuæ altero anno rurſus virent & pullulant, ſed impij exciduntur, vt in æternum pereant.

9 Et tu excelſus in ſeculum, Iehoua.

Per antitheſin opponit imperium Dei variis mutationibus & inſtabilitati rerum humanarum. Inter homines nihil eſt firmum aut ſtabile, ſed omnia perpetuis mutationibus ſunt obnoxia: Dei verò imperium non æſtimandum eſt ex conditione rerum humanarum, quaſi ille quoque mutabilis ſit in ſuis iudiciis, vt promiſcuè nunc in hunc, nunc in alium ſit propenſior, atque inde felicitas impiorum exiſtat. Sed ſicut ipſe eſt *excelſus*, hoc eſt, ſupra hunc mundum atque eius conditionem elatus: ita imperium ſuum longè aliter quam homines adminiſtrat, éſtque ſolium eius æternum & immutabile. Id verò ad confirmandos pios multùm valet. Etſi enim ſæpe in terris dominentur homines impij & tyranni, pij verò ſub cruce & calamitatibus gemant: tamen ſedet Deus in excelſo ſolio, éſtque imperium eius potentius & durabilius hominum tyrannide: nec dubium eſt imperium illud diuinum ad defenſionem piorum comparatum eſſe. Quare tanquam concludens infert:

10 Quia ecce inimici tui, Iehoua, quia ecce inimici tui peribunt: diſſipabũtur omnes operarij iniquitatis.

Quaſi dicat, cùm Deus ſit excelſus, & in æternum ita in ſolio ſuo reſideat, vt iuſtè iudicet, fieri non poteſt quin tandem eius opem & auxilium experiantur iuſti: impij verò puniantur & deleantur. כי magis eſt ratiocinatiua, quàm cauſalis. Infertur enim hæc propoſitio ad præcedentem ſententiam. Particula demonſtratiua certitudinis cauſa adiicitur, vt firmior ſit aſſeueratio. Nam, quaſi in rem præſentem pios ducat, & interitum piorum digito monſtret, inquit, Quia ecce inimici tui peribunt: eandémque ſententiam ob maiorẽ certitudinem repetit.

11 Et attolles quaſi vnicornis cornu meum: perfuſus ſum oleo viridi.

Poſtquam de impiorum interitu dixit, nunc ex antitheſi piorum felicitatem declarat. Quia vult animos piorum contra iudicia maximæ multitudinis hominum probè eſſe munitos, ne ſcandalo crucis eccleſiæ ac felicitatis impiorũ frangantur, vt deficiant à Deo. Atque hoc debet eſſe ſtudium noſtrum in Sabbato, vt præter cætera Dei beneficia etiam illam diſſimilem conditionem piorum atque impiorum conſideremus, eáque meditatione in vera pietate confirmemur. Accommodat autem ad ſe propheta, quæ in genere ad totam eccleſiam pertinent: quia & ſuam fidem hac conſideratione vult confirmare, & alios hortatur vt ſuo exemplo diſcant promiſſiones eccleſiæ factas in ſpecie ad ſe accommodare. Alioqui enim exiguus harum eſt vſus.

Attolles cornu meum vt vnicornis] Id eſt, tribues mihi potentiam & felicitatem inuictam & durabilem. Monocerota affirmat Plinius lib. 8. cap. 21. viuum non capi: tãta eſt eius pernicitas. Eò igitur videtur alludere. Apparet eccleſia miſera & oppreſſa, dum ab hoſtibus vndique vrgetur & oppugnatur: tandem verò erigitur eius potentia, quæ inuicta eſt. Non enim poteſt deleri eccleſia in hac vita.

Perfuſus ſum oleo &c.] Oleum recreat homines labore confectos, vt Plutarchus inquit, in vita Alexandri: Πόνων ἀφαγὸ ἔλαιον αἰθερίοις ἀπὸ θεοῦ δέδοται. Ideo vnctiones veteribus fuerunt vſitatæ. Inde verò *oleum* in Scripturis ſumitur pro benedictionibus ſeu donis diuinis, quibus propheta ait ſe frui, vt his exhilaretur. Viride nominat recens, quod non eſt rancidum, nec vetuſtate obſoleuit.

12 Et videbit oculus meus in oppreſſores [*obſeruatores*] meos: in eos qui inſurgunt contra me: in malignos meos [*vel de his qui mihi malefaciunt*] audient aures meæ.

De hac ſententia dictum eſt ſuprà aliquoties. Pij cùm liberantur ex calamitatibus & ærumnis, cum voluptate vident triſtem interitum impiorum. (Id enim propriè ſignificat hæc phraſis videre in inimicos, *ſeine luſt an inen ſehen*) non quòd ſint ἐπιχαιρέκακοι, qui calamitate aliorum delectentur, ſed quòd tandem impietas, blaſphemia & crudelitas impiorum coerceatur, & iuſtum Dei iudicium in defenſione piorum atque euerſione impiorum declaratur. Eſt autem incrementum in verbis, quibus hoſtes ſuos deſcribit, obſeruandum. *Primùm* nominat obſeruatores ſeu inſidiatores, qui clam agitant conſilia, ſtruunt dolos, technas & inſidias, quibus pios circumueniant: ipſi inter ſe etiam clam ineunt conſilia, iungunt fœdera ad opprimendam eccleſiam. Hæc comprehenduntur verbo שור quod ſignificat ſpeculari, cum obſeruatione diligenti & inquiſitione contemplari, *auff allen ſeiten vnd œrter ſich vmbſehen.* Ex inſidiis *deinde* proſiliunt & inſurgunt aduerſus eccleſiam, conantúrque ea perficere quæ diu ſecum agitarunt. Tũc igitur ſunt קמים. *Tertiò* dicuntur מרעים cùm ipſo facto odij ſui virulentiam & crudelitatem oſtendunt.

13 Iuſtus vt palma germinabit: tanquam cedrus in Libano ſuccreſcet cum augmento [*augebitur.*]

Quod in ſpecie de ſe dixerat, nunc ad omnes fideles pertinere oſtendit. Promiſſiones enim eccleſię factæ non ſunt priuatæ vnius atque alterius, ſed omnium. Fiunt autem priuatæ & propriæ, cùm ſua quiſque fide eas ſibi applicat. Propheta igitur conferens ſtatum impiorum & piorum, impiorum conditionem, quanquam aliquandiu admirationem & applauſum vulgi excitet, dicit tamen eſſe miſerrimam, quòd ad interitum perpetuum vergat, vt gramine etiam deterior eorum ſit conditio. Econtra piorum vitam, quantumuis videatur miſera & ærumnoſa, feliciſſimam & beatiſſimam eſſe affirmat, ídque duabus elegantibus ſimilitudinibus in hoc verſu exponit.

Palmas ſcribit Plinius libro 13. germinare ab radice ſucciſas. Et lib. 16. inquit, Palmam facilè ſuſtinere onera, quia in diuerſum curuatur, vel vt Vitruuius inquit, ſub ipſo pondere fornicatur. Hæc pulchrè ad imaginem eccleſiæ conueniunt. Primùm ad perſecutionum tempora hoc accommodetur, quibus interdum ita videtur attenuari eccleſia, vt nulli prorſus ſuperſint pij: vt in hiſtoria Eliæ, 1. Reg. 19. Et tamen rurſus quanquam ſucciſa, quaſi collecto nouo vigore germinat & fructum producit, dum interea impij in æternum pereunt. Rurſus ſicut palma inſurgit contra onus: Ita eccleſia non opprimitur cruce & calamitatibus, nec ſuccumbit: ſed lucet inter ipſas ærumnas fidei decus, ita vt conſtantia & virtus tunc maximè conſpiciatur. De hac re extat pulcrum Epigramma Alciati, quod adſcribo:

Nititur in pondus palma & conſurgit in altum,
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.
Fert & odoratas bellaria dulcia glandes,
Quîs menſas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis
Qui conſtantis erit, præmia digna feret.

Significat igitur hac ſimilitudine propheta non ſolùm nõ opprimi cruce & perſecutionibus eccleſiam, ſed, vt Baſilius

inquit, magis etiam florere.

Altera ſimilitudo ſumpta eſt à *cedro*. De hac Plinius lib. 13. ſcribit, Materiæ ipſi eſſe æternitatem, hoc eſt, non conſumi carie aut vetuſtate: vnde eſt illud prouerbium factum, *Digna cedro canere*: de his quæ immortalitatem promerentur. Atque hæc pulchrè ad eccleſiam quadrant. Eſt enim eccleſia firma & ſtabilis: non conſumitur vetuſtate: ſicut nec perſecutionibus deletur. Meminit autem cedrorum *Libani*: quia ibi complures & proceriores naſcuntur.

14 Plantati in domo Iehouæ: in atriis Dei noſtri florebunt.

15 Adhuc germinabunt in ſenectute: pingues & virides erunt.

Perſequitur eandem ſententiam: & quia arboribus pios comparat, perſiſtit in metaphora: loquitur enim tanquam de plantatione & fructu arborum. Simul autem oſtendit vnde piis ille vigor creſcendi ſuppetat. Mundus quidem iudicat pios vno impetu poſſe obteri & deleri, quia eccleſia, ſi externam ſpeciem conſideres, cœtus eſt vagus, inermis, deſpectus, miſer, omnibus præſidiis nudatus, atque adeo omnium iniuriæ & libidini expoſitus: ſed tantùm abeſt vt opprimi eccleſia aut excindi queat, vt ſubinde inter perſequutiones magis effloreſcat, atque in ipſa ſenecta, cùm alios homines vires deficiunt, ipſa nouum vigorem concipiat, & non tantùm floreat, ſed & fructum producat vberrimum. Vnde igitur vigor ille piis hominibus exiſtit? Reſpondet propheta: Quòd *plantati ſint in domo Iehouæ*. Domus autem Dei ſeu templum Hieroſolymis extructum typus erat Chriſti propter arcam fœderis ſeu propitiatorium, quod in eo erat repoſitum. Ideóque promiſſiones luculentæ de tēplo editæ ſunt 1. Reg. 8. quæ omnes ad Chriſtum congruunt. *Plantari* igitur *in domo Iehouæ*, eſt vera fide inſeri Chriſto, atque ita ciuem eſſe eccleſiæ. Chriſtus enim vitis eſt, cui pij tanquam palmites inſiti ſunt & fructus edunt, Iohan. 15. Sicut igitur vitis illa nunquā areſcit: ita nec palmites inſiti. Hoc igitur vult cum inquit, *Plantati in domo Domini florebunt*, hoc eſt, qui inſiti ſunt corpori Chriſti nunquam marceſcent, nunquam amittent ſuam felicitatem. Obſeruandū autem quod dicit, *Plantati in domo Iehouæ*. Facit enim diſcrimen inter viua membra eccleſiæ & inter hypocritas. Verſantur in cœtu eccleſiæ & calcant atrium ſeu templū Domini etiam hypocritæ, ſed quia viuas non egerunt radices, nec penitus ita implantati ſunt Chriſto, vt auelli ab eius corpore non poſſint, ſubitò exorta tempeſtate concidunt, vel æſtu ſolis toſti, hoc eſt, fracti perſecutionibus & calamitatibus amittunt omnem vigorem, marceſcunt & moriuntur, vt arbores quæ non altè radices egerunt. Quòd *atria* nominat, oſtendit manifeſtè ſe loqui de eo templo quod Hieroſolymis erat extructum, quódque vt vnicum tunc erat in genere humano: ita Chriſtum & eius eccleſiam referebat. Erat illud templum diſtinctum in tres partes. Erat enim ſanctum ſanctorum, quod ſemel in anno ingrediebatur ſummus ſacerdos. Erat deinde ſanctuarium, quod ſolis ſacerdotibus licebat ingredi. Tertia pars dicebatur atrium, vbi plebs conueniebat & adorabat. Pars igitur ſumitur pro toto, quia maxima multitudo ibi conſpiciebatur. Et plantari in atriis Dei idem ſignificat quod plantari in domo Dei. Plantatos igitur in domo Domini dicit ſubinde germinare & virere, hoc eſt, nunquam amittere ſuum vigorem, ſuam vitam, ſuam felicitatem quia inſiti ſunt Chriſto, qui eſt vita, à quo tanquam capite illa defluit in membra. Sed quia illa felicitas & vita foris non apparet (ſunt enim pij in hoc mundo plerumque miſerrimi, & crudeliſſimè à tyrannis interficiuntur) ideo neceſſe eſt hæc de ſpirituali & æterna vita intelligi.

Adhuc vigebunt ſeu propagabunt in canitie] Inter homines qui extremam ætatem attigerunt, vt cætera animantia, & terra naſcentia omnia, paulatim conſumpto calore natiuo deficiunt & moriuntur: vt nulla in rebus humanis ſit felicitas aut vita durabilis vel perpetua: ſola eccleſia perpetuò viget & viret, ſuppeditante vigorem & vitam filio Dei, cui inſita eſt. Itaque neque in ſenecta deficit eius virtus. Hæc dulcis eſt cōſolatio. Eſtque hæc promiſſio non de ſingulis tātùm hominibus intelligenda, ſed ad totum corpus accommodanda, atque ita ad noſtra tempora referenda. Nos enim attigimus poſtremam mundi ætatem, in qua vt in corpore ſenili & morbido omnia ſunt languidiora & ſqualidiora. Et tamen eccleſia in hac mundi ſenecta viget & floret magis quàm multis ſeculis antè. Fuit enim ſub Papatu multis antehac ſeculis duriter oppreſſa, nunc reſtituta luce doctrinæ rurſus cœpit effloreſcere.

Pingues & virides erunt] Id eſt, erunt ſucculenti & viuidi, vel pleni vigore: ſcil. contra communis naturæ curſum. Senectus enim ſuccum & humorem natiuum deſiccat, & naturaliter interitum rebus omnibus affert, ſola eccleſia mori neſcit.

16 Vt annuntient quòd rectus ſit Iehoua, rupes mea: & non ſit iniquitas in eo.

Addit cōcluſionem ſumptam à cauſa finali ſeu fructu huius doctrinæ. Ideo Deus vult notam eſſe hanc doctrinam in eccleſia, eámque aſſidua meditatione piis fieri familiarē, vt hinc diſcant & intelligant, atque etiam apud alios teſtentur, Deum non eſſe iniuſtum iudicem aut tyrannum, etiamſi non mox ad pœnas trahat homines impios & ſceleratos, vel etiamſi pios ſinat aliquanto diutiùs cruce & variis ærumnis exerceri. Quanquā enim hæc Dei iudicia non congruunt ad rationis dictamē: tamen iuſta ſunt & omni vitio atque iniquitate carent. Idque ſoli hi qui mēbra ſunt veræ eccleſiæ, intelligunt. Ideo hos vult annunciare & prædicare paſſim apud alios, quòd Deus ſit rectus in ſuis iudiciis, & quòd nunquā ab officio iuſti iudicis diſcedat. Semper enim odit & punit ſcelera grauiſſimè: econtra verò pietatē ornat præmiis tam ſpiritualibus quàm corporalibus, etiamſi id non fiat ea ratione ac modo quo nos volebamus, aut carni noſtræ gratum erat.

Rupes mea] Hanc particulam inſerit, vt ſuam fidem oſtendat, & alios ſuo exemplo hortetur, vt ſimili fiducia ſuam ſalutem Deo defendendam committant. Eſt enim hic pſalmus in hunc finem maximè ſcriptus & compoſitus, vt piorum animi contra ſcandalum crucis probè muniantur, ne, ſi videant impios in hoc mundo florere & affluere opibus ac diuitiis, pios verò duriter premi & affligi, fidem abiiciāt atque à Deo deficiant, ſed patienter opem, auxilium & defenſionem diuinam expectent, ſéque ſecurè in Dei tutelam & patrocinium coniiciant. Atque hanc doctrinam cum aliàs ſæpe, tum verò in ſabbathis, vult populo diligenter inculcari. Ideo in titulo dicit, hunc pſalmum compoſitum eſſe vt in ſabbathis decantetur.

PSALMI XCII.

PARTES.

I. Propoſitio: laudandum eſſe Iehouam de benignitate ipſius erga bonos, & fide tum in promiſſis, tum in iudiciis exequendis; & propterea modis omnibus efferendum. Id fit die feſto præſertim, v. 1. muſica vocali & inſtrumentali, interdiu & noctu, v. 2. 3. 4.

II. Narratio explicans cauſas, quarum nomine celebrandus eſt Deus. v. 5. totius narrationis argumentum ſummatim ponitur. Deinde ſequitur amplificatio duplex. 1. Per exclamationem, opera & conſilia Dei eſſe altiſſima, profundiſſima, atque adeo infinita. verſ. 6. 2. Adminiſtrationem Dei adeo mirificam eſſe, vt eam vir ψυχικὸς non comprehendat. v. 7.

Narrationis partes duæ ſunt. 1. De inſtabilitate impiorum, qui, vtcunque floreant, iuſto Dei iudicio & ſua ipſorum nequitia deturbantur, atque in æternum exitium ruunt præcipites, v. 8. 2. Deum naturā, conſiliis, operibúſque ſemper ſibi conſtare, tam ad perdendum improbos, quàm ad ſeruandum bonos, v. 9. 10. 11. 12.

III. Concluſio, ſeu doctrina prophetica de proſperitate piorum, argumento ſumpto à conſtantia Dei, & adminiſtrationis eius experientia, ſupra expoſita. Eſt autem, verſ. 13. & 14. elegans allegoria, qua pij cum arboribus præſtantiſſimis, Eccleſia ſiue templum Dei cum Libano & plantario amœniſſimo feraciſſimóque comparatur. Fructus autem duplices proponuntur. 1. Vegeti & virentes erunt fideles per Dei ſpiritum, perſeuerantiæque in profeſſione diuini cultus dono ornati, v. 15.

2. Gloriam Dei conſtantiſſimè prædicabunt, propter eius veritatem, potentiam, bonitatem & iuſtitiam, verſ.16.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Non fuit ſabbatum dies ſacer, quaſi Deus otio hominum colatur, ſed vt populus negotiis omnibus ſolutus totum ſe conferret ad meditanda Dei opera.

2 Nihil nos acriùs ad officium ſtimulat, quàm vbi ſcimus nos operam non ludere, ſed probari Deo quod agimus.

3 Nō modò dignus eſt Deus qui laudetur, ſed nos maligni ſumus & ingrati, ſi ceſſamus in hac parte. Nam quum Dei fides & bonitas ad nos propriè dirigantur, niſi animos noſtros alliciant & rapiant in eius laudes, ſegnities noſtra prorſus eſt inexcuſabilis.

Niſi nos ſocordia noſtra impediat, nunquā deeſt argumētum laudandi Dei: nec verè defungimur officio gratitudinis, niſi in eo ſumus aſſidui, ſicuti ipſe bonitatem ſuam & fidem erga nos perpetuat.

4 Cultus Dei nunquam in illis rebus externis fuit ſitus, ſed rudes & infirmi adminiculis iſtis inſtrumentalis & vocalis muſices ad eū ſpiritualiter colendum opus habuerunt. Quum autē exhibito Chriſto eccleſia iam adoleuerit, euangelij lucem ſuffocant, qui adhuc eccleſiam veteribus vmbris inuoluunt.

5 Dies Dominicus, ſabbato ſuccedens, nō præſcriptus eſt vt ignaui ſedeant homines, ſed vt colligant omnes ſuos ſenſus ad meditanda Dei opera. Iiq; demum ſunt legitimi & idonei laudum Dei præcones, qui paternam erga ſe eius beneficentiam reputant ac ſentiunt, vt liberaliter & lætis animis illud officium ſuſcipiant.

6 Deus dum iudicia inter homines exercet, ſuos affligens, impios patienter ferens, ſupra captum ingenij noſtri humanum genus adminiſtrat. Libenter enim inuerteremus quem ille tenet ordinem. Neceſſe eſt igitur nos intenta illa exclamatione cohiberi, ne Deo obſtrepamus, dum aliter quàm pro animi noſtri voto vitæ humanæ curſum moderatur.

7 Culpa reſidet in hominibus, quòd Dei iudiciis laudem ſuā non tribuunt. Interim à contemptu vindicatur incomprehenſibilis ſapientia Dei, quum ſtultitiæ & amentiæ damnantur ij omnes qui faſtuosè eam reijciunt: & à vulgi torpore fideles reuocantur, vt attentiùs conſiderandis operum Dei myſteriis incumbant.

8 Florida impiorū proſperitas maturiùs exitium ſibi accerſit, non ſecus ac falcem herbarū maturitas: nec reſecantur vt iterū pullulet eorum radix, ſed æterno deuouentur exitio.

9 Deus non agit noſtro arbitrio, ſed prout fert immenſa eius ſapientia & ſublimis maieſtas: quod elogium ad fidei noſtræ fulturam refertur. quāuis enim in terra anxiè gemāt fideles ac trepident, Deus tamen, qui cuſtos eſt vitæ ipſorum, in ſublimi manet, & eos æterna ſua virtute protegit.

10 Quoties fidem noſtrā concutit impiorum proſperitas, diſcamus in cælum conſcendere: quia mox fluet hæc doctrina, fieri non poſſe vt diu in proſpero ſtatu maneant Dei hoſtes.

Quum nihil magis aduerſum ſit Dei naturæ quàm iniuſtitia: ſceleratis omnibus, vt pote maieſtatis ſuæ profeſſis inimicis, irreconciliabile bellum denuntiat.

11 Mala omnia ſpes Dei auxilium intuens facilè mitigat, & lætis benedictionibus ſe fruitruam confidit.

12 Vtcunque moleſti ſint hoſtes, & nunc inſidiis, nunc vi & impetu eccleſiam infeſtent, Deum ſibi auxiliatorē promittit, vt in hac mundi militia infatigabili ſtadio perſeueret.

13 Quanuis ad tempus vel exaruerit, vel ſucciſus videatur Dei populus, collecto vigore ex integro ſurget, vt nō minori dignitate præſtantiaq; coram Deo & hominibus floreat, quàm in ſyluis & montibus arbores pulcherrimæ.

14. 15 Quum vero & interiore cordis affectu Deo adhæreant qui in eius domo radices egerunt: fluxa non poteſt eſſe eorum felicitas, vt pote quæ à mūdo minimè pendeat: à cōmuni enim aliorū hominum ſorte exempti, æternam vitam iugiter intuentur, & dum mors eos aboleuiſſe videtur, tunc ſunt in cælo ſuperſtites. Vide Iſa.65.20.

16 In rebus turbulentis compoſitum animi ſtatum retinent fideles: & quamuis ſe duriter tractari videant, reprobos verò potiri opibus ac imperijs, patiēter expectant, dum opportunè diſcuſſis tenebris lucidum & diſtinctum ordinem Deus reſtituat.

Si iuſtitiam ſuam illuſtrat Deus, & ſe ab omni iniquitatis labe purum oſtendit, reprobos vlciſcēdo, electos autem ſuos liberando, certò ſtatuere licet, quicquid felicitatis impij obtinent, peſſimi exitij eſſe præludium: piorum verò conditionem iam eſſe, & apertiùs tandem fore feliciſſimam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudibus Dei, earúmque argumento.
2. Muſices ſacræ ſub Legis pædagogia vſus.
3. Precum priuatarum & publicarum exercitia.
4. Prouidentiæ Dei in tolerandis & delendis impiis, conſideratio.
5. Eccleſiæ Dei conſeruatio, proſperitas, exaltatio & glorificatio.
6. Impiorum euanida felicitas.
7. De æternitate & immutabilitate Dei.
8. Perſeuerantiæ donum Dei electis proprium.
9. Deus qualis agnoſcatur à ſuis.

ARGVMENTVM PSALMI XCIII.

ETIAM hic Pſalmus conſolatur miſeram & afflictam eccleſiam, ne, cùm videt reges & tyrannos aut inter ſe tumultuari, atque orbem terrarum bellis & cædibus complere, aut etiam viribus coniunctis oppugnare eccleſiam, & paßim homines pios crudeliter interficere, ne (inquam) inter has calamitates publicas, & perſecutiones piorum, animum deſpondeant, aut fidem abijciant, quaſi euerſis mundi imperiis, vel aliquot piis interfectis, ipſam eccleſiam quoque interire neceſſe ſit. Docet enim, Chriſti regnum, quod in his terris verbo ſuo condidit, eſſe firmum, ſtabile & durabile: quod regem habeat præſidem, cuius potentia & robur ſit inuictum & æternum. Itaque quicquid moliantur hoſtes Dei aduerſus eccleſiam, aut quoquo modo inter ſe colliſi turbent reſpub. & imperia homines impij, manſuram tamen iuxta promißionem eccleſiam ſeu regnum filij Dei, cuius ſolium ſtabile ſit & immotum. Hac igitur conſolatione vult erigere animos piorum: vt ſi videant armis concuti orbem terrarum, atque interea eccleſiam duriter premi, ipſi tamen interea promißionum diuinarum veritatem intueantur, atque hac confiſi ſecurè in ipſo acquieſcant. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi, cumque alibi ſæpe idem argumentum repetatur, non opus eſt longa explicatione. Eloquentia tamen Spiritus ſancti diligenter in hoc & ſimilibus argumentis eſt conſideranda, qui vnum atque idē argumentum ſubinde noua orationis forma tam luculenter exponit.

1 IEhoua regnat, decorem (*magnificentiam*) induit: induit Iehoua fortitudinem: accinxit ſe: etiam firmabitur terra, ne moueatur.

Orditur propheta pſalmum à deſcriptione regis & regni Chriſti, quam opponit cogitationibus animorum humanorum, qui intuentes illas horribiles confuſiones, bella, cædes, vaſtationes, quæ ſubinde fiunt in genere humano, exiſtimant non tantùm imperia & reſpub. ſed ipſam ſimul eccleſiam mox interituram eſſe, multi etiam eò delabuntur vt omnia caſu ferri exiſtiment, & Deum à gubernatione mundi remoueant. Hos igitur vt refutet, vtitur hac deſcriptione: *Iehoua*, inquit, *regnat*, quaſi dicat, ipſe preeſt tanquam ſummus monarcha, nec eſt otioſus ſpectator eorum quæ fiunt in genere humano, neque ita imbellis aut inermis eſt, vt regnum ſuum adminiſtrare aut potentiam ſuam exerere non poſſit, quemadmodum profani homines imaginantur: ſed regnat, hoc eſt, ſapienter, iuſtè & potenter cuncta adminiſtrat in genere humano. Hoc enim eſt regem eſſe & regnare. Et quidem extenditur eius regnum ac potentia non ad vnam orbis particulam, ſed totum mundum complectitur: vt nihil ſit quod imperio ipſius non ſit ſubiectū. Itaque non eſt quòd ſimus ſoliciti de imperiis, rebuſpu. aut eccleſia, quaſi inter illos motus & turbas, quas excitāt diaboli per homines inquietos & ambitioſos aut hypocritas, regna omnia cum eccleſia ſint interitura. Quicquid enim fiat in imperiis, & quantum-

cunque ſuis viribus confidant tyranni,Dominus tamen obtinet ſummum regnum:idque ita adminiſtrat, vt inter furores hominum,& politias & eccleſiã ſeruet mirabiliter. Hæc omnia comprehenduntur verbo regnandi.

Addit autem propheta hypotypoſin, qua hoc membrum declarat.Imagines enim & picturæ,vt in oculos incurrunt, ita animos faciliùs ſubeunt, & firmiùs hærent. Deſcripturus igitur regnum Dei, atque adeo regem ipſum, introducit eum tanquam indutum regio & ſplendido veſtitu, & accinctum robore,atque hac pictura adminiſtrationem regni eius,qualis ſit deſcribit. *Decor* enim ſeu veſtitus ſplendidus, quo indutus in conſpectum ſuorum ſubditorum prodit, ſignificat illas virtutes,quæ maximè exercendæ ſunt in toga & pace: & in quibus magnificentiæ ſplendor & decor imperij conſiſtit.Illæ verò ſunt ſapientia & iuſtitia, quibus hic rex facit ſe conſpicuum, dum omnia ſapienter & iuſtè adminiſtrat.

Alij qui de eccleſia ſimpliciter pſalmum interpretantur, ornatum dicunt eſſe vocem euangelij, quæ eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti,Rom.1.

Deinde heroicam ei fortitudinem tribuit cùm ait,eum eſſe indutum robore:quia nontantùm in pace regnum ſapienter, iuſtè & fortiter adminiſtrat:ſed belli tempore, cùm omnia miſcentur tumultibus,& ipſa eccleſia periclitatur, maximè ſuum robur & potentiam oſtendit.

Verbo *induendi* quanquam hypotypoſis ineſt,vt iam diximus, ſimul tamen ſignificatur, has virtutes ita Dei proprias eſſe,vt nunquam eas deponat,ſed aſſiduè in gubernatione & defenſione ſuorum exerceat,ſéque his conſpicuum reddat.Induere enim phraſi Hebræa ſignificat non tantùm ornare ſe re aliqua,ſed ſæpe etiam ſibi penitùs eam adiungere,vt propriã: vt quacunque quis incedat,hanc circunferat,ſéque ea nõ aliter vt veſtimento conſpiciendum præbeat.Hanc eſſe vim huius locutionis oſtendit ſententia pſalmi 109.cùm inquit. Induat maledictionem tanquam veſtimentum,& veniat ſicut aqua in medium eius,& ſicut oleum in oſſa eius,id eſt,operiatur perpetua ignominia,vt paſſim apud omnes ſit maledictꝰ & execrabilis,vt quicunque eum videat,tanquam veſte execrabili indutum auerſetur.

Accinxit ſe] Aliâ metaphorâ ſumta ab vſu rei militaris idem dicit quod antè. Qui enim prælia inire & pugnare cum hoſte volunt,poſtquam arma induerunt,gladio ſe accingunt & telis inſtruunt,quibus hoſtem feriant. Deus igitur ita adminiſtrat regnum ſuum, vt perpetuò ſit accinctus, & nunquam deponat arma,quibus & ſuos tueatur & hoſtium vim reprimat.

Etiam firmabitur vel firmatus eſt (ponitur enim futurum pro præterito,quod ex ſequenti verbo נכון apparet) *orbis ne moueatur*. Aliud eſt argumentum,quo oſtendit Deum nõ abieciſſe curam rerũ humanarum,quemadmodum impij & profani homines cogitant. Eſtque illud argumentum ſumptum ab ipſa creatione.Deus ita cõdidit & firmauit orbem,vt quãquam cælum perpetuo ac perniciſſimo rotatu circumuoluatur,planetæ ſuo curſu contra primum motum ferantur, terra in medio aere inſtar pilæ ſuſpenſa nullo fulcimine nitatur: nulla tamen fiat concuſſio,quæ ordinem in prima creatione inſtitutum perturbet. Hæc igitur res oſtendit Deum non tantùm potentem eſſe:ſed mundum perpetuò adminiſtrare,vt ſicut terra ipſius virtute conſiſtit immota,&leges motuum cœleſtium ſunt perpetuæ & immutabiles:ita & regna ſeu imperia & politiæ maneant:& eccleſia in primis,quæ nulla habet fulcra aut præſidia humana,conſiſtat immota, nec deleatur hominum tyrannide aut flagitiis.

2 Stabile eſt ſolium tuum ex tunc: à ſeculo tu es.

Confirmat priorem ſententiam à ſtabilitate atque æternitate huius regni. In mundo quidem mutantur imperia, & transferuntur à gente ad gentem propter peccata hominum, vt inquit Syracides cap.10.Sed Dei imperium eſt firmum & ſtabile,imò eſt æternum.Itaque non ſinit corruere omnia in genere humano,etiam ſi homines impij & ſcelerati interdũ tumultuentur ac cupiant cælum terræ miſcere:multò minùs patitur eccleſiam ſuam cuius rex peculiariter eſt, opprimi aut deleri.Ea enim ſi deleri poſſet, non eſſet ſtabile aut perpetuum eius ſolium.

Ordo ſententiarum eſt inuerſus. Ita enim ordinanda eſt ſententia, Domine tu es à ſeculo, & ſolium tuum eſt ſtabile ex tunc,hoc eſt,à ſeculo. Sicut enim Dominus eſt à ſeculo,ita & ſolium eius eſt æternum:nec vnquam euertitur aut finitur hoc regnum.In voce autem ſolij non tantùm metonymia vſitata eſt,qua ſignum ſumitur pro ſignato, ſed per ſynecdochen ſimul omnes virtutes quæ in bono rege requiruntur, comprehendit,eáſque dicit eum perpetuò exercere. Nam ſcriptura tribuens regi ſolium, non ſignificat ita eum reſidere in ſolio, vt otioſus ſit ſpectator eorum quæ in regno fiunt: ſed vt cogitet, ſuſcipiat atque agat omnia quæ ad ſalutem & incolumitatem regni pertinent, atque ita omnia iuſti & boni regis officia exerceat.

3 Extulerunt flumina, Iehoua: extulerunt flumina vocem ſuam:extollunt flumina fluctus ſuos.

Narratiuncula eſt,qua deſcribit tyrannorum & ſceleratorum impios conatus & violentos impetus, dũ armis ſumptis inuadunt regna, euertunt vrbes, interficiunt paſſim homines innocentes,& efficiunt vaſtitates in genere humano. In primis verò in eccleſiam Dei crudeliter ſæuiunt, quam omnibus viribus opprimere & delere conantur. Eſtque hoc perpetuum in rebus humanis: ſicut mare perpetuò æſtuat & fluctus ſuos attollit. Nam etiamſi interdum aliqua ſit tranquillitas ſeu γαλήνη,& quædam quaſi halcyonia Deus concedit:tamen ea non ſunt diuturna. Subinde enim recurrunt tempeſtates, quæ mare turbant & inquietum reddunt. His igitur comparat bella, & præſertim ea quæ eccleſiæ inferuntur,quæ penè aſſidua ſunt.

Per *flumina* ſignificat potentes exercitus regum & principum,quibus vel Reſpub. vel eccleſiam inuadunt. Nam aquæ ſæpe in ſcripturis ſignificant populos, vt Apocalyp.17. Aquæ multæ, quas vidiſti, populi multi ſunt. Iere.47. Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt in torrentem & inundabunt terram: Sed conſultò fluminum hoc loco facit mentionem,vt effectus belli meliùs deſcribat.Flumina enim cùm attolluntur & intumeſcunt inundationibus, perrumpunt aggeres oppoſitos,& delata in campos ſubiectos longè latéque omnia vaſtant,& obuia quæque ſecum rapiunt. Talis eſt & belli forma, quando exercitus immiſſi in regiones omnia loca vaſtant & cædibus complent. Vnde & Virgilius hac ſimilitudine vſus eſt Æneid. 2. deſcribens vim exercitus Græci irrumpentis in arcem Priami:

Fit via vi,rumpunt aditus primóſque trucidant
Immiſſi Danai, & latè loca milite complent.
Non ſic aggeribus ruptis cùm ſpumeus amnis
Exiit,oppoſitáſque euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo,campóſque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit. &c.

Quod autem inquit, Flumina attollere vocem ſuam & fluctus ſuos,ſignificat tyrannos non tantùm magno impetu & conatu, ſed fremitu ingenti inuadere regna & eccleſiam Dei, & furenter ſuæ ambitioni, libidini aut odio aduerſus Deum & bonos concepto in vaſtandis regnis & Dei eccleſia indulgere.

דכי Fluctum ſignificat, quòd alliſus ad ſcopulum, vel littus,vel etiam ad alium fluctum conteratur. Nam à conterendo nomen factum eſt. Idque aptè congruit ad pingendum euentum illorum motuum & bellorum, quæ ad euerſiones imperiorũ & eccleſiæ ſuſcipiuntur. Sicut enim fluctus ingentes non ſine horrore aſpicientium ingruunt:ita magni & potentes exercitus cuncta complent terrore & metu. Sed ſicut fluctus alliſi momento quaſi conteruntur & euaneſcunt: ita magna potentia regum & principum vnico Dei nutu ſæpe diſſoluitur. Habitat eccleſia in hac vita ad mare tanquam ſcopulus excipiens omnium tempeſtatum fluctus, & manet immota filio Dei eam confirmante & ſuſtentante. Hæc imago pulchrè pingit conditionem eccleſiæ in hac vita.

4 A vocibus [*ſupra voces*] aquarum multarum: fortium fluctuum maris, fortis [*præualidus*] in excelſis Iehoua.

Id eſt, fortior eſt Deus quam omnes fluctus & fremitus aquarum multarum, hoc eſt, potentiſſimorum exercituum. Eſt enim comparatio in hoc verſu, qua Dei potentiam opponit omnium tyrannorum & regum potentiæ ſeu viribus: eúmque ita effert, vt affirmet nullam potentiam tantam eſſe in hoc mundo, quæ non potentiæ Dei facilè cedat. Hæc igitur conſolatio eſt piorum, qua ſe in publicis calamitatibus, cùm vident omnia ferro & igne vaſtari, & multa eccleſiæ membra horribiliter trucidari, confirmare & ſuſtentare debent.Eſtque hîc obſeruandus verſiculus notus:

Aura tonet,ſonet vnda maris,fremat orbis & orcus,
Tu tamen inſertos nos tibi Chriſte tegis.

5 Teſtimonia tua vera [*firma*] ſunt valde: domui tuæ deſiderabilis [*decora*] eſt ſanctitas,Iehoua, in longitudinem dierum.

Vt pij magis ſint certi manſuram eſſe eccleſiam & politias aliquas inter horribiles confuſiones generis humani, & vaſtitates quas efficiunt bella & perſequutiones,reuocat animos noſtros ad conſideratiõe promiſſionum diuinarũ, quæ cùm veræ & immutabiles ſint, & affirment eccleſiam coram

Deo

Deo ſanctam eſſe, hoc eſt, in æternum fœdus à Deo adſcitam, & Spiritu ſancto in æternum obſignatam, manifeſtum eſt. eccleſiam non poſſe violari aut profanari pro arbitrio aut libidine hominum: multò minus euerti aut deleri.

Teſtimonia Dei vocat doctrinam à Deo patefactam, quæ de ipſius voluntate ergà nos teſtatur: in qua promiſſiones de ſanctitate & perpetuitate eccleſiæ præcipuum locum obtinent. Has igitur dicit eſſe veras, firmas & ratas, & quidem valde: vt ſignificet, nullo hominum conſilio, nullis viribus aut conatibus euerti Dei conſilium in gubernanda & defendenda eccleſia poſſe. Quod domui Dei dicit *decoram eſſe ſanctitatem*, reſpicit quidem ad templum ſeu tabernaculum, quod Deus ſua præſentia & gloria perpetuò cohoneſtabat & ſanctificabat, idque inuiolabile eſſe volebat vſque ad tempus Meſſiæ: ſed tamen ſub nomine templi principaliter intelligit eccleſiam omnium ætatum, quæ hoc ornatu præcipuè commendatur, & deſiderabilis redditur, quòd à Domino ſanctificata eſt: & quidem non ad tempus, ſed in longitudinem dierum, hoc eſt, perpetuò. Eſt igitur ſententia huius verſus: eccleſia habet verbum ſeu promiſſiones, quæ fallere non poſſunt, & eſt ornata ſanctitate. Itaque deleri eccleſia in hac vita non poteſt, vtut fremant & ſæuiant diaboli, & horum organa. Quæ enim ſanctificata ſunt diuinitus, non poſſunt hominum arbitrio profanari. Sanctum enim ſicut integritatem & perfectionem ſummam omnium virtutum in Deo, quæ labem non admittit, ſignificat: ita & pro eo accipitur, quod ab omni iniuria & vi eſt inuiolabile & intactum.

PSALMI XCIII.

PARTES.

I. Celebratio regni Chriſti (qui idem eſt Iehoua, Rex inſtitutus à Patre) à celſitate & robore eius, verſ. 1.

II. Confirmatio. nam quæ vniuerſè dicuntur parte prima v. 1. confirmantur tribus documentis. *Primum* eſt, à creatione & conſeruatione mundi, altera parte huius 1. verſ. *Secundum*, ab adminiſtratione potentiſſima & magnificentiſſima, v. 2. 3. 4. Eſt autem tota hæc explicatio de regno Chriſti allegorica, ſumptis ab ordine humano loquutionibus, exornatione ſubiuncta per comparationem aquarum: q. d. nullam potentiam, quantumuis formidabilem, tam magnificam eſſe, quàm Chriſtus magnificus & reuerendus eſt in adminiſtratione ſua.

III. Concluſio v. 5. ſingularem illam rationem explicans, qua Chriſtus ſuam præſentiam & beneuolentiam Eccleſię teſtatam facit: ſiue ſalutari verbo, quod regis noſtri ſceptrum appellatur: ſiue opere ſanctificationis æternæ, quam Deus cum Eccleſia communicat in Chriſto.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Deus non nomine tenus, ſed re ipſa rex eſt potentiſſimus, ſuorum defenſor, & hoſtium vltor. Quum autē omne iudicium pater filio, etiam quatenus homo eſt, dederit, & eccleſia idcirco vocetur regnum cælorum, liquet hunc pſalmum in Meſſiam reſpicere. cuius etiam vera deitas ex eo manifeſtè probatur, quòd Iehoua nomen ei tribuitur.

In Dei potentia fiduciæ materia nobis proponitur: quia hinc vt plurimùm metus & trepidatio, dum ſua virtute (vt par erat) non induimus Deum, malignéque eum ſuo imperio ſpoliamus.

Decorem & robur induere dicitur Deus, non quòd aliquid in eo aduentitium imaginari oporteat: ſed vt reipſa demonſtret, admirabili iuſtitia & ſapientia ſe fouere humanum genus.

Solus mundi aſpectus abundè ad teſtandam Dei prouidentiam nobis ſufficere debet.

2 *Sicuti æterna Dei eſſentia eſt, ita ſemper imperio & maieſtate fuit & erit præditus.*

3. 4 *Quanuis terribiles ſint fluminum & maris undæ mutuò ſeſe collidentes, nihil ſunt, ad immenſum Dei robur collata, qui etiam facilè admodum tyrannorum & impiorum omnium ferociam momento compeſcere poteſt.*

5 *Dei æterni potentiæ teſtimonium reddit ſacrum illud verbum quod perſonat in eccleſia, cuius (vtpote quæ ſit Dei domicilium) ſanctitas ſumma pulchritudine illuſtris, aduerſus inferorum portas & inſultus ſtabit in æternum.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Rege Eccleſiæ Chriſto, æterno Deo.
2. Regni Chriſti æternitas, perpetuitas, & ſtabilitas.
3. Potentiæ humanæ impotentia.
4. Omnipotentiæ & magnificentiæ Chriſti deſcriptio.
5. Verbi diuini firmitas.
6. Eccleſiæ Chriſti decora ſanctitas.

ARGVMENTVM PSALMI XCIIII.

ARGVMENTVM huius pſalmi ex multis ſimilibus eiuſdem generis, vt ſunt 9. 10. 11. 12. & alij complures, peti poteſt. Eſt enim precatio, qua implorat Dei auxilium contra hoſtes eccleſiæ, quos petit tandem reprimi diuinitus & deleri, vt deſinant inſultare Deo & eccleſiæ eius. Additur autem deſcriptio tyrannidis, crudelitatis atque impietatis hoſtium, vt oſtendat Deum iuſtam habere cauſam, cur grauius in eos animaduertat. Et cùm ipſe iuſto zelo atque odio impietatis ardeat, ſimul in hoſtium ſecuritatem, impietatem & voces blaſphemas inuehitur, grauiter & ſeuere obiurgās omnes impios, qui exiſtimant, Deum, quòd non mox ſcelera puniat, non curare res humanas, nec iudicis officio fungi. Hæc prima pars eſt pſalmi. Additur autem inſignis conſolatio, qua confirmat pios, ne cruce & calamitatibus fracti deficiant à Deo, ſed patienter liberationem expectent. Futurum enim inquit, vt non multò poſt experiantur Dei iudicia eſſe iuſta: quæ etiamſi aliquandiu differt, donec impiis fouea fodiatur, ea tamen ita exercet, vt intelligant pij ſe non negligi aut deſeri in calamitatibus & ærumnis. Hæc conſolatio, vt firmior & efficacior ſit, ſuum ipſe exemplum conſiderandum proponit, qui cùm toties deſertus ab omnibus creaturis ſolius Dei miſericordia & bonitate mirabiliter ſit ſeruatus & ſuſtentatus, iubet omnes de præſentia & auxilio Dei bene ſperare, eique ſuam ſalutem tuendam tutò committere. Rurſus autem quaſi per conceſſionem deſcribit hypocriſin, malitiā & crudelitatem ſuorum hoſtium: ſed è regione auxilium & liberationem ſuam conſiderandam proponit, atque ſuo tandem exemplo edoctus colligit & vaticinatur, hoſtes eccleſiæ omnes tandem iuſto Dei iudicio ſuorum ſcelerum pœnas daturos, atque in æternum perituros eſſe.

1. DEus vltionum, Iehoua: Deus vltionum affulge.

Propoſitio eſt, qua petit vt Deus ſuorum defenſionem ſuſcipiat, & tandem poſt longas ærumnas præſentia ſua & auxilio afflictam eccleſiam conſoletur, hoſtibus deletis & oppreſſis. Tribuit autem Deo epitheton cauſæ præſenti accommodatiſſimum, dum eum vocat Deum vltionum, hoc eſt,

qui etiamſi ad iniurias ſibi & eccleſiæ ſuæ factas interdum cō niueat:tandem tamen grauiter eas vlciſcatur. Idque ad confirmandam fidem noſtram valet plurimum. Atque hæc cauſa eſt cur eandem ſententiam repetat. Eſtque in hac voce argumentum non tantùm à facili,ſed à natura Dei ſumptū. Quale & illud eſt, Mea eſt vltio & ego rependo, Deu.32.

Affulge] Id eſt,fac te conſpicuum,appare:quaſi dicat, Illuſtri liberationis teſtimonio oſtende te præſentem eſſe in populo tuo,eiúſque curam te agere. Hactenus enim quaſi oblitus noſtri delituiſti:ſubtraxiſti te à noſtro conſpectu,permiſiſti nos hoſtium libidini : nec vſquam auxilium vllum apparuit. Nunc igitur rurſus affulge,vt appareat te vindicem eſſe ſcelerum,vtque præſentia tua conſpiciatur,&piorum animos exhilaret.

Græcus interpr.verbum הופיע reddidit ἐπαῤῥησιάσατο. Liberè egit. Fortè quia legit הפיח quod in hac ſignificatione ferè vſurpatur pſal.12.vbi in Græco idem verbum παῤῥησιάζομαι legitur.

2 Eleuare, iudex terræ: redde retributionem ſuperbis.

Reperit eandem propoſitionem, ſed in verbo הנשא eleuare,hypotypoſis eſt,qua alludit ad morem iudicum, qui cogniturí cauſas & laturi ſententias,tribunal conſcendūt,quod ſublimiore ſemper loco poſitum erat,vt aſcendendo quaſi eleuari ſupra alios viderentur. Itaque cùm inquit, *eleuare iudex*,quaſi officij ſui Deum admonet,& ad cognoſcendā cauſam inſtigat,ne ſi diutiùs ad iniurias conniueat, parum rectè functus officio iuſti iudicis videatur. Deus quidem ſemper iuſtè iudicat,defendit bonos,& ſceleratos punit, ideóque perpetuò reſidet in ſuo ſolio,vt non opus ſit eum commonefieri: ſed quia interdum ad tempus impunè graſſatur iniquitas hominum,& pij affliguntur crudeliter, nos quidem ſecundùm carnis noſtræ ſenſum iudicamus, Deum quaſi oblitum ſui muneris,deſcendiſſe de ſolio ſuo. Itaque carnem quodammodo ſapiunt eiuſmodi petitiones, quibus tamen,quia fides prælucet, adeo non offenditur Deus, vt ſibi gratas eſſe huiuſmodi piorum voces oſtendat : cùm econtra, ſi ex impatientia & fremitu aduerſus Deum aut ſecuritate contemnente & ridente Dei iudicium effundantur,grauiſſimè irritetur.

Redde mercedem ſuperbis] Hoc quaſi conſequens eſt illius epitheti,cùm iudicem eum nominat,& Deum vltionum. Es iudex & es Deus vltionum:ergo redde impiis & hoſtibus eccleſiæ debitam mercedem.

3 Vſque quo impij, Iehoua: vſque quo impij exultabunt?

Addit argumentum à perſona hoſtium ſumptum, & à circumſtantia temporis amplificatum. Hoſtes,inquit,quòd diutiùs differs pœnas,non ſolùm non manſueſcunt,nec remittūt iram,ſed fiunt peruicaciores & inſolentiores felici ſuarum rerum ſucceſſu:ita vt non iam nobis tantum,ſed tibi quoque multo tempore inſultent in noſtris calamitatibus. *Vſque quo* inquit,*exultabunt*? quaſi dicat,quamdiu feres vt hoſtes in ſuis ſceleribus obdureſcant,& ſucceſſu rerum elati nobis petulāter inſultent? quaſi fruſtrà nos ſpe auxilij diuini conſolemur ac ſuſtentemus. Repetitio aduerbij amplificat circumſtantiā temporis,quia ſignificat impunitatem nimis diuturnam eſſe, quæ proteruiam & libidinem hoſtium confirmet, vt in ſceleribus iam ſeſe iactitent &glorientur,& licentiam quiduis perpetrandi ſibi ſumant.

Cæterum de quæſtione,an piis liceat petere vindictam,cū Chriſtus velit eos eſſe manſuetos & patientes, & iubeat etiā inimicos ſuos diligere,dictum eſt ſuprà 59. pſal. & alibi aliquoties. Præterquàm enim quod cauſa diſtinguenda eſt à perſonis,etiam ipſi hoſtes ſunt diſcernendi. Alij ſunt ſanabiles:alij inſanabiles. Sanabiles petimus vt Deus conuertat. Inſanabiles verò & blaſphemos,tanquam hoſtes Dei & organa diaboli petimus vt deſtruat & euertat: idque propter gloriā ſuam, ne nomen diuinum aſſiduè blaſphemetur, ſi diutius ferat impunè graſſari libidinem impiorum : deinde, vt deſinant peccare:ſicut enim peccata oderunt pij;ita optare debēt & petere vt ſcelera cohibeat Deus, ne terra polluatur amplius. Tertiò,vt euerſis hoſtibus eccleſia ſit magis tranquilla. Non ſeruiunt hic pij ſuis cupiditatibus aut affectibus : ſed quemadmodum Auguſtinus hanc quæſtionem explicat,pio & iuſto zelo precando interitum prædicunt & vaticinantur. Sunt enim vota huiuſmodi, prædictiones & vaticinia, quæ certum interitum impiis denuntiant. Eſtque digna obſeruatione ſententia Auguſtini in hunc ipſum pſalmū, qui quanquam de reſurrectione Chriſti hos verſus intelligit, tamen quid de huiuſmodi votis ſentiat,oſtēdit. Prophetia eſt,inquit, prædicentis,non audacia iubentis. Non enim quia dixit propheta, Exaltare qui iudicas,obtēperauit prophetæ Chriſtu vt reſurgeret & iret in cælū, ſed quia hoc facturus erat Chriſtus,hoc prædixit Propheta.

4 Effutiunt, loquuntur duriter : iactant ſe [*gloriantur*] omnes operarij iniquitatis.

Subiicit deſcriptionem tyrannorum, vt propoſita ipſorum impietate, tyrannide & aliis ſceleribus, Deum faciliùs ad opem ferendam impellat.

Verbo נבע ſignificat oris temeritatem & petulantiam, qua quicquid in buccam venit,tam contra Deum quam homines ſine pudore effundunt. Eſtque illa linguæ petulantia imprimis vſitata illi hominum generi quod caſtra ſequitur, vt verè de his illud Euripidis dici poſſit,

ἀκόλαστον ἔχουσι γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον.

Verbum autem hoc abſque coniunctione iungitur ſequēti verbo. Itaque aduerbialiter exponi debebat,vt vſitatum eſt, eructanter, affatim & aſſiduè, vel quod commodius eſt, eructando atque effutiendo loquuntur : hoc eſt,magna audacia, magno faſtu & temeritate loquuntur.

Loquuntur duriter] hoc eſt, minantur vim & cædes hominibus piis & eccleſiæ Dei:nihil ſpirant niſi ſanguinem,cædes, incendia, euerſiones oppidorum & regnorum,&c. Hæc enim eſt illa durities ſermonis,quam neque ratio,neque metus diuini iudicij, neque honeſti reſpectus cōhibet quin perrumpat,quocunque tulerit effrænis licentia. Alij in ſpecie ad falſos doctores hunc verſum accommodant, qui magna authoritate ſua dogmata ſpargunt, & ex alto reliquum genus humanum deſpiciunt : atque à ſe diſſentientes calumniando & aliis iniuſtis modis opprimunt. Quales multos hoc ſeculum profert.

Iactitant] Hoc eſt, fidunt ſua potentia & viribus, & ſtolidè ſe efferunt & iactitant, quaſi nihil obſtare ipſorum conatibus & prudentiæ poſſit. De hac re plura diximus pſal.10.

5 Populum tuum Iehoua conterunt : & hæreditatem tuam affligunt.

Animi elationem, ſuperbiam & faſtum, quem ebria & petulanti verborum iactantia oſtendunt, ſequitur vis iniuſta, quam populo Dei crudeliter inferunt. Eſt autem triſte πάθος in pronominibus,cùm inquit:*populum tuum Iehoua,& hæreditatem tuam*,notans indignitatem rei. Indignum eſt,etiam viliſſimum quemque à tyrannis iniuſtè premi. Sed multò indignius & triſtius eſt,ſacrum Dei populum, qui peculiaris eſt eius hæreditas,ita crudeliter à tyrannis mactari.

6 Viduam & peregrinum interficiunt : & pupillos occidunt.

Amplificat priorem ſententiam à diſtributione. Eſtque πάθος in perſonis. Non tantùm ſæuiunt in virilem ſexum,ſed bellum gerunt cum miſeris viduis, pupillis, peregrinis & exulibus,quibus quo magis obnoxij ſunt iniuriis, eo plus debebatur humanitatis & miſericordiæ. Rabiem igitur & immane odium ſuum erga eccleſiam hac in re oſtendunt hoſtes. Solebant qui nō omnino efferi erant, parcere in bellis ſexui muliebri & infantibus. Deinde & peregrinis vis fieri non debet,quia ad hos negotia vel cauſæ bellorum non pertinent. Si igitur tanta crudelitas ſit hoſtis, vt neque ſexui, neque ætati, neque cōditioni perſonarum parcat, ea etiam hominum iudicio eſt execranda. Sed multò magis Deus his iniuriis irritatur,qui peculiari promiſſione ſeu priuilegio viduas, peregrinos & pupillos in ſuam tutelam recepit. Exodi 22. Deut. 24. Eò igitur præcipuè ſpectat, vt quia hoſtes non vereantur in hos ſæuire, quibus non tantùm natura & ratio,ſed Dei mādatum parci vult,eo citiùs pœnas dent ſuorum ſcelerum.

7 Et dicunt, Non videbit Deus:& non cognoſcet Deus Iacob.

Tyrannidi & crudelitati addunt aliud maius ſcelus, quòd dicunt aut ſtatuunt ſecum, Deum talia non videre nec curare: atque ideo ſibi impune quiduis licere exiſtimant. Hæc ſumma eſt impietas, ex qua omnis generis ſcelera,tanquam ex vberrimo fonte promanant. Qui enim ita metum diuini numinis ex animo eiecit, vt ampliùs aſpicere Deum hominum facta & iudicare neget, is nihil non audet. Sæpe autem in pſalmis hoc argumento vtitur Dauid, quia ad permouendum Deum plurimum valere videtur. Impietatem enim, quæ ipſi omne imperium adimit,ferre nequaquam poteſt.

8 Intelligite, inſipientes in populo : & , ſtulti, quando ſapietis?

Addit rationem, qua per apoſtrophen in hanc impietatem & blaſphemiam hoſtium inuehitur,quòd exiſtimāt aut palam etiam affirmare audent, Deum non aſpicere hominum facta, nec curare quid in terris inter homines fiat. Ab hac impietate, cùm iuſto gloriæ Dei zelo arderet, reuocare eos hac obiurgatione conatur. Ideo inquit,intelligite inſipientes,&c.

Vocat

Vocat autem ſtupidos & *inſipientes*, non quòd iis ſimiles ſint quos mundus pro fatuis habet: ſed quòd ex impietate in eam profanitatem ſint prolapſi, vt prouidentiam diuinam non agnoſcant: ideoque omnem metum numinis diuini exuerint.

Quod addit *in populo*, videtur ironicὼs perſtringere ſummos principes inter hoſtes, qui ſibi laudem prudentiæ tribui volebant, & opinione ſapientiæ inflati alios contemnebant. Hos dicit adeo nihil ſapere, vt etiam reliquum vulgus ſtultitia ſuperent. Quicquid enim magnum & ſublime eſt coram mundo, ſtultitia eſt apud Deum.

Et ſtulti quando] Exaggerat hac interrogatione eorum ſtultitiã, quod in ea obduruerint ac pertinaciter maneant. Quẽadmodum hodie pontificios videmus obduruiſſe in ſua impietate.

9 Qui plantauit aurem an non audiet? an qui finxit oculum, non aſpiciet?

Opponit ipſorum impietati & blaſphemis vocibus refutationem ſumptam à naturæ ordine, & ex hac communi regula: impoſſibile eſt cauſam toto genere deteriorẽ eſſe ſuo effectu. In homine eſt mens intelligens, & oculi qui longè poſita vidẽt. Ergo neceſſe eſt Deum qui hominem creauit, multò magis videre quæ aguntur in rebus humanis. Ita & Xenophon argumentatur, exiſtimandum non eſt humanos oculos longinquas res videre poſſe, Dei verò oculos non poſſe procul proſpicere. Eſtne, inquit, veriſimile, vt qui facultatem audiendi & videndi animantibus tribuit, ipſe nihil videat vel audiat? quaſi dicat, nequaquam. Deus enim cùm mira arte plantarit aurem & finxerit oculum, hoc eſt, vim audiendi & videndi, non dubium eſt eum qualis quiſque ſit, quid agat quidve loquatur, videre & audire exactiſſime. Itaque amentia & cæcitas eſt, Deum ita remouere à mũdo, vt nihil eorum quæ in terris agantur, aſpicere iudicetur. De aurium & oculorum miranda fabricatione, quæ huc afferri poſſent, petantur à phyſicis, & ex Cicerone 2. de natura deorum.

10 Qui arguit gentes, an non corripiet? qui docet homines ſcientiam.

Aliud argumentum, quo eandem propoſitionem confirmat, ſumptum eſt à minore ad maius. Deus totis populis non parcit, ſed ſeueriſſimè in qualibet gente damnat & punit ſcelera. Nequaquam igitur paucos homines, & quidem eccleſiæ ſuæ hoſtes impunitos dimittet. Quanquam alij velint comparationem eſſe gentium cum Iudæis ſeu domeſticis hoſtib. à quibus populus premebatur. Deus gentibus non parcit à nomine ſuo alienis: quanto grauiùs puniet homines impios in hoc populo.

Qui docet homines ſcientiam] Hoc eſt, qui dedit ingenium ſeu facultatem intelligendi. Antitheton ex priore verſu adſciſcendum eſt, an ſcilicet non ipſe prædictus erit ſcientia, hoc eſt, an non intelligeret hominum cogitationes? aut rationes inire poſſet, quibus hominum cogitationes infringeret? Hæc interpretatio ſequenti verſu aliquo modo ſimplici oratione atque aſſeueratione tanquam in epiphonemate exponitur, & ſimul additur explicatio. Deus non tantùm videt & nouit cogitationes hominum: ſed etiam ſcit quòd vanæ ſint & fallaces, & quòd fruſtra ſibi homines impij ſuis conſiliis atque inuentis blandiantur. Nam vno momento infringere atque euertere poteſt Deus quicquid humana malitia animo concepit. In hanc ſententiam intelligendus eſt verſus vndecimus.

11 Iehoua nouit cogitationes hominum, quòd ſint vanitas.

Conatur enim impiis excutere illum ſtuporem & ſecuritatem qua ſibi in ſuis ſceleribus nimium indulgẽt & applaudunt.

12 Beatus vir quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.

Subiicit conſolationem, quæ eſt altera pars huius pſalmi. Non enim ſatis eſt impios dare pœnas ſuorum ſcelerum & tyrannidis quam exercuerunt in homines pios (ea enim res parum iuuat credentes ad rectè ferendam crucem) ſed neceſſe eſt piorum mentes erudiri, vt ſciant calamitates & ærumnas ſuas non eſſe ſigna iræ & abiectionis diuinæ quemadmodum ratio iudicat: ſed cauſas eſſe graues cur Deus eccleſiam velit ſubiectam eſſe cruci. De hac re igitur nunc concionatur. Mundus quidem iudicat, pios, dum affliguntur, eſſe exoſos Deo & maledictos: exiſtimant enim ſapientes, fieri non poſſe vt Deus tantam licentiam hominibus ſceleratis aduerſus alios concedat, niſi illi quos premunt & affligunt ſint deteriores. Atque ita amici Iob ratiocinantur, dum ei perſuadere conantur, propter peccata admiſſa eum ita duriter à Domino affligi. Sed longè aliter de piorum cruce & calamitatibus pronuntiat hoc loco & alibi Spiritus ſanctus. Adeo enim calamitates non eſſe ſigna iræ & damnationis oſtendit, vt hæc ipſa res ipſis in ſalutem cedat. Hæc ſumma eſt huius verſus, eſtque argumentum conſolationis ſumptum ab vtilitate ſeu fine afflictionum. Deus affligit & exercet ſuos, non vt perdat, ſed vt ſaluet. Eo igitur maiore conſtantia ferendæ ſunt ærumnæ.

Beatus quem tu erudis] Hoc eſt, quem cruce exerces & doces, vt inter ærumnas diſcat cauſas cur eccleſiam velis ſubiectam eſſe cruci, & cognoſcat quæ voluntas ſit Dei erga ſuos, vtque excitetur hac cogitatione ad fidem, inuocationem, patientiam & cæteras virtutes. Hæc nõ diſcuntur nec exercentur, cùm res ad voluntatem noſtram fluunt. Tum enim maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficiis eius fruentes honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent, vt ait Lactantius. Ideo Deus onerat eccleſiam cruce, & in hac ſchola ſua eam erudit & exercet, vt in pietatis ſtudio proficiat: ſúntque beati qui in hac ſchola ſub ferula Dei agunt. Verbum enim יסר de reali, vt ſic dicam, inſtitutione ſeu diſciplina intelligitur, in qua non verbis tantùm, ſed verberibus, plagis, vinculis, carceribus homines continentur in officio. Ideo Prouerb. 29. dicitur: עבד בדברים לא יוסר Verbis non caſtigatur ſeruus.

Quem de lege tua docueris] Vt ſcilicet ſciat ex verbo patefacto, quomodo in hac vita gubernes eccleſiam, & quæ tua ſit erga eam voluntas in calamitatibus, atque adeo in ipſa morte, atque ita ad crucis tolerãtiam aſſuefiat. Nemo placidè id fert cui nullam boni rationem ſubeſſe videt. Ideo neceſſe eſt, nos ex verbo Dei doceri, vt ſciamus ærumnas tale eſſe παιδευτήριον, in quo multa diſcuntur quæ ad ſalutem noſtram pertinent: & ſimul in hoc exercitio Spiritus ſanctus adeſt, qui mentes piorum confirmat, ne fracti cruce aut calamitatibus ſuccumbant aut deficiant à Deo. Nam abſque doctrina cæleſti & robore Spiritus ſancti nemo perferre ærumnas rectè poteſt. Ideo beatum dicit, quem de lege ſua Deus erudierit. Et ſimul ſignificat non niſi ex verbo diuinitus patefacto rectè iudicari de cruce & ærumnis piorum, nec aliunde peti remedia. Atque hoc lignum illud eſt à Domino monſtratum, quod iniectum in amaras aquas, eas dulces reddit, ſapientia ſcilicet crucis ex verbo Dei petita. Deinde & externæ doctrinæ vſum hîc rurſus cõmendat. Si enim per verbum patefactum, quod publicè in miniſterio ſonat, Deus nos de his rebus rectè erudit, iſque beatus eſt qui in hac ſchola diuina inſtituitur, inde conficitur, miniſterium doctrinæ non eſſe inanem verborum ſonum vel externum aliquod exercitium: ſed eſſe potentiã Dei, vt Paulus ad Romanos loquitur.

13 Vt præſtes ei quietem à diebus mali: dum fodiatur impio fouea.

Cohæret hic verſus cum ſuperiore. Oſtendit enim quis vſus ſit eius doctrinæ & conſolationis quæ ex Lege, hoc eſt, ex verbo Dei patefacto petitur. Is, inquit, beatus eſt, quem Deus ita de lege ſua docet, vt animum ipſius reddat pacatum & tranquillum: ne cor in calamitatibus tumultuetur, indignetur, aut fremat aduerſus Deum, ſed placidè & ſapienter ſe ſubiiciat ferulæ diuinæ, & tranquillo ac pacato animo ſperet & expectet liberationem. Hæc enim vera eſt ratio patiẽtiæ: & qui ita inſtitutus eſt à Domino, is verè beatus dici poteſt, etiamſi nihil niſi miſerias, ærumnas, dolores, calamitates & mille mortes eum circumſtare videas. Alij *dies mali* intelligunt æternum interitum impiorum, & *quietem* vitam æternam, quæ erit quies perpetua beatorum: quaſi hoc velit propheta, pios aliquandiu exerceri calamitatibus in hac vita, vt deinde æternam requiem inueniant, quando impij in perpetuum interitum abiicientur. Hæc quidem ſententia, vt vera eſt, nam liberationem corporalem ſequitur æterna, & impij poſt mortẽ coniiciuntur in æternos gehẽnę cruciatus, ita eam non repudio: ſed tamen quia dicit propheta, impiis, interea dum furunt aduerſus Deum & eccleſiam, ſibique ita in ſceleribus ſuis blandiuntur, vt exiſtiment ſe extra omnẽ periculum poſitos eſſe, fodi foueam, hoc eſt, parari interitũ in quem paulò pòſt detracti ex ſummo faſtigio præcipitentur: iudico quietem hoc loco intelligendam eſſe de illa interiore animi tranquillitate, qua in hac vita pij fiducia præſentiæ & auxilij diuini perferunt & ſuperant omnes difficultates & ærumnas: atque in hac ſignificatione vſurpatur Ieſai. 7. Eſto ſecurus & ne timeas השקט. & Ieremiæ 30.

Eſt autem pulchra hypotypoſis in hac oratione, cum inquit, *Dum fodiatur impio fouea*. Significat enim impios, vtcunque ſeſe efferãt aliquãdiu fiducia ſuarũ virium & ſucceſſuum, & perpetuũ regnũ in his terris ſibi ſomnient, exitio tamen eſſe deſtinatos: atque adeo iam propinquum ipſis imminere interitum, non aliter ac ſi mortuo cadaueri effodiatur ſe-

pulchrum,in quod paulò pòſt inferatur. Ad hanc ſententiam pulchrè congruit hiſtoria , quæ extat apud Theodoretum lib.3.cap.23 de Libanio Sophiſta & pædagogo Antiocheno. Cùm enim Iulianus Imperatór non ceſſaret perſequi eccleſiam,& iam magnum exercitum comparaſſet,vt deuictis Perſis,deinde omne robur ſuum ad delendas eccleſias conuerteret , Libanius ſophiſta quaſi bene ſperans de ſucceſſu Iuliani,& gratulabundus quærit ex pædagogo, quem propter eruditionem ſibi familiarem fecerat, Quid faceret nunc fabri filius? ita per riſum ſeu ludibrium nominans Chriſtum. Reſpondit pædagogus:Sandapilum concinnat fabricator huius mundi.Nec multò pòſt cadauer Iuliani Antiochiam eſt delatum.

14 Certè non abiiciet Iehoua populum ſuum: & hæreditatem ſuam non derelinquet.
15 Quia ad iuſtitiam reuertetur iudicium:& poſt ipſum omnes recti corde.

Addit aliam conſolationem ab exitu ærumnarum. Quanquam enim affligit eccleſiam,tamen manet fœdus,quod cum ea iniuit,ſaluum & integrum.Itaque fieri nō poteſt vt eccleſiam ſuam deſerat & abiiciat,aut vt cuſtos non ſit pioru : ſed neceſſe eſt vt tandem iuſtitia reuertatur ad iudicium,hoc eſt, vt ex æquo reſtituatur in ſuum locu,&res omnes in legitimu ordinem componantur,vtque iuſtitia Dei defendat & tueatur pios,iudicium verò puniat & damnet impios.

Non abiiciet]Quemadmodum ſcilicet caro in ęrumnis iudicat.

Hæreditatem ſuam] Repetit eandem ſententiam maioris certitudinis cauſa,vt conſolatio ſit efficacior.eſtque ſingularis emphaſis in voce hæreditas, quæ ſignificat eccleſiam ita charam eſſe Deo,vt eam in ſuam hæreditatem ſelegerit.Homines hæreditatem à parentibus relictam non ſinunt à ſe alienari, ſed quanto poſſunt ſtudio tueri conātur. Quantò minùs patietur Deus ſibi eripi hæreditatem ſuam?

In decimo quinto verſu particula כי magis eſt ratiocinatiua quàm cauſalis.Ideo enim,quia Deus deſerere hæreditatē ſuam non poteſt,neceſſe eſt tandem ad iuſtitiam reuerti iudicium.Dum affligitur eccleſia, videntur iuſtitia & iudicium quaſi exulare,vel loco ſuo ac ſedibus pulſa eſſe. Neque enim pij ita defendūtur, vt nos ſperabamus:nec impij mox puniūtur pro ſuo merito. Quæ igitur virtutes maximè coniunctæ eſſe debebant in Dei iudicio,iuſtitia ſcilicet & iudicium , videntur nobis in calamitatibus piorum,quaſi diuortio facto,à ſe mutuo diſceſſiſſe &neutram rectè exerceri.Sed fiet,inquit, paulo pòſt, vt rurſus coniungantur , & vtraque ita exerceatur,vt & iuſtitia diuina in defenſione ac liberatione eccleſiæ, iudicium verò in pœnis & interitu impiorum conſpiciatur.

Poſt ipſum omnes recti corde]Relatiuum alij ad iuſtitiam,alij ad iudicium referunt:ſed vſitatum eſt Hebræis relatiuum poni ſine antecedente , cùm alibi ſæpe tum verò in primis vbi de Deo eſt ſermo.Itaque non dubito relatiuum hoc loco ad Deum referri,& fructum ſeu finem afflictionum prophetam vberius hac ſententia declarare voluiſſe.Affirmat enim homines pios poſt liberationem confirmari in fide, vt deinceps maiore ſtudio & animi ardore Deum ſequantur, maioréque conſtantia deinceps ei adhæreant,quem videant ita veracem eſſe in ſuis promiſſionibus,& tam inſignibus teſtimoniis oſtendere ſuam præſentiam in eccleſia. In ærumnis quidem fieri aliter non poteſt quin fluctuet interdum animus , & nunc huc nunc illuc impellatur , nec quiſquam eſt ita fortis, qui non variis dubitationum procellis ita percellatur, vt fides nonnunquam langueſcat,atque adeo penè extinguatur : id quod Dauidi & aliis ſummis viris in eccleſia contigiſſe videmus. Sed in liberationibus excutitur omnis dubitatio & fides confirmatur , vt iam pleniore fiducia Deo adhæreamus,& ipſum ſequamur quocunque nos ducat. Hoc eſt igitur ire poſt Deum : nec faciunt id niſi recti corde, hoc eſt,qui vera animi pietate & veris motibus cordis Deum colunt. Nam hypocritæ mox initio deficiunt à Deo,vel ſpe præmiorum victi , vel fracti calamitatibus : imò expoſtulant ſæpe cum Deo tanquam iniuſto iudice , fremunt & murmurant aduerſus eum, quaſi iniuſtè plectantur,& Deus mendax ſit in ſuis promiſſionibus. Quemadmodum Iſraelitæ in deſerto & alij omnibus ætatibus Dei iudicia reprehendunt & accuſant. Hi itaque non ſequuntur Deum, ſed deſerto eo inflectunt ſe ad latus nauis felicius, vt dici ſolet: aucupantur gratiam & fauorem eorum penes quos vident eſſe ſummam potentiam, obtemperant ſuis cupiditatibus,& ea agunt quæ carni grata ſunt, fugiunt & declinant pericula & odia hominum.Tales igitur,tanquam alienos à Deo,nec in ſchola pietatis rectè inſtitutos,ex antitheſi dānat hic verſus.

16 Quis ſurget mihi [*pro me*] aduerſus malignantes ? quis ſtatuet ſe mihi aduerſus operarios iniquitatis?
17 Niſi Dominus auxilium [*fuiſſet*] mihi: propemodum habitaſſet in ſilentio anima mea.

Amplificat & illuſtrat inſtitutam conſolationem, à ſuo exemplo. Multum enim ad confirmandos animos piorum valent exempla liberationum:quia oſtendunt Deum eſſe veracem in ſuis promiſſionibus,& æqualem erga omnes ad ſe cōfugientes. Affirmat igitur ſe quidem hactenus habuiſſe plurimos hoſtes, à quibus iniuſtè & variis artibus ſit oppugnatus : cùm interea neminem inter homines haberet, qui calamitate & iniuriis ipſius moueretur, aut patrocinium hominis innocentis ſuſciperet. Ita verò deſertum ab omnibus,& iam exitio proximum,diuinitus ſeruatum & liberatum eſſe affirmat. Hoc igitur exemplum vult cæteros intueri, atque inde certam liberationis ſpem concipere.

Quis ſurgit,vel ſurgebat, *mihi aduerſus malignantes?*] Id eſt, quiſvnquā in tot meis periculis,cùm à potentiſſimis hoſtibꝰ oppugnarer, præſto mihi fuit, vt opem ferret & me tueretur aduerſus iniuſtam vim & violentiam? quaſi dicat, Nemo certè fuit qui meis calamitatibus ita afficeretur , vt ſocius eſſe periculorum vellet. Itaque vt ego deſtitutus omni ope, diuinitus ſum ſeruatus, ita & vos bene ſperare iubeo, etiamſi videatis hoſtes eſſe potentiores.

Aduerſus malignantes] In Hebræo eſt,cum malignantibus, quæ phraſis propemodum reſpondet Germanico ſermoni, cùm dicimus, *Vver vvil mir helffen mit denē Leuten,das iſt,Das ich von denen Leuten kōme,oder mich los vvircke.Item, vvervvil mir helffen mit der ſachen.*

Cum operariis iniquitatis] Ita nominat hoſtes ſuos, vt ſignificet ſe iniuſtè ab his oppugnatum eſſe , vt ſi non alia cauſa, ſaltem iniuria & tyrannis hoſtium mouere nonnullos debuerit,vt defenſionem hominis innocentis ſuſciperent.

Niſi Dominus] Hæc eſt reſponſio quæ ſubiicitur interrogationi. Niſi Dominus opem tuliſſet, iamdudum actum fuiſſet de ſalute mea. Eram enim deſertus ab omnibus non tantùm hominibus ſed creaturis : tanta erat hoſtium rabies & violentia, tantóque impetu illi aduerſus me inſurgebant, vt impoſſibile mihi fuiſſet cruentas eorum manus euadere, niſi Dominus me rexiſſet, méque inſigni miraculo, quaſi ex faucibus mortis,retraxiſſet.

Anima habitaſſet in ſilentio] Id eſt , eſſem mortuus ſeu extinctus, nec viuerem ampliùs. Anima dicitur habitare in ſilentio, quando diſcedens à corpore nullas ampliùs edit actiones, ſed in eum locum transfertur vbi quieſcens expectat extremum illum diem quo corpori ſuo reſtituatur. Quāquam ſimpliciter dicere hîc poſſumus , animam pro vita poni : vt habitare animam in ſilentio nihil aliud ſit quàm commutare vitam cum morte, in qua omnia ſilent. Græcus ſilentium interpretatur infernum, & hunc imitatur Hieronymus,& alij nonnulli:ſed Hebræis vſitata phraſis eſt, vt habitare in ſilentio, aut redigi in ſilentium , idem ipſis ſit quod defungi vita. Et Latini nonnunquam verbum ſilere de iis rebus vſurpant quæ ampliùs non apparent, vt cùm inter arma leges ſilere dicuntur.Quo ſenſu & Plinius ſilentia lunæ vocat tempus illud quo propter coniunctionē cū ſole non apparet.

18 Si dixi, motus [*lapſus*] eſt pes meus : bonitas tua Iehoua ſuſtinuit [*fulciebat*] me.

Confirmat priorem ſententiam de auxilio & liberatione diuina. Dicit enim ſe aliquoties in tantum veniſſe periculum,vt omnia fuerint deſperata : & mortem ita verſatam ſibi fuiſſe ob oculos, vt ſuo ſe iudicio iam morti addixerit.

Si dixi] Id eſt quoties magnitudine circunſtantis periculi fractus ac deſperans dixi in corde meo aut ſtatui.

Motus eſt pes meus] Id eſt,iam labitur pes meus, & fieri non poteſt quin in exitium ruam. Hypotypoſis eſt, qua pingit ſe tanquam in aliquo loco prærupto ſtetiſſe. Inde ſi pes nutaret aut euerteretur, mox per præcipitia delatus rueret in ſubiectam voraginem. Itaque ſæpe in illa anxietate & periculo veniſſe ſe in eam cogitationem affirmat, vt diceret ſecum, iam motus eſt pes, vt labi neceſſe ſit: nec ſupereſt ſpes vlla ſalutis.

In tanto verò & tam certo periculo Dominus,inquit, fulciuit & ſuſtinuit me ne ruerem : atque ita mirabiliter præter omnium hominum ſpem me liberauit. Et talis eſt omniū piorum in hac vita ſtatus ſeu cōditio. Stant in præcipitio , & quocunque oculos conuertunt, vident voragines ſubiectas, foris verò impellunt venti & tempeſtates, vt niſi diuinitus ſuſtententur, facilè euertantur. Hæc itaque imago de beneficio Dei nos admonet , quod agnoſcendum & celebrandum eſt.

19 In multitudine cogitationum mearum in medio mei: conſolationes tuæ exhilararunt animam meam.

Perſequitur eandem rem. Non tantùm foris, inquit, depulit pericula, & me in ſummis periculis texit & defendit: ſed etiam cùm animus conſternatus eſſet dolore, & metu circunſtantium malorum perculſus, tum verò multò magis ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, planè deiectus atque ad inferos vſque detruſus, ipſe animam meam erexit & confirmauit dulciſſimis conſolationibus, ne his doloribus abſorptus ruerem in æternã deſperationem. Hoc caput eſt omnis conſolationis. Nam ſi dolor, quem gignit ſenſus iræ Dei aduerſus peccata, tollatur, & cor Deum ſibi propitium & placatum eſſe cernat, nulla eſt calamitas tanta, quam non facilimè ferat. Id quod martyrum exempla oſtendunt.

Cogitationes igitur in hoc verſu intelligantur non tantùm illæ curæ de externis periculis: ſed multò magis ſẽſus iræ Dei, cum quo in calamitatibus ei fuit luctandum, donec conſolationem ſentiret in corde, quæ dolorem hunc vinceret. Græcus vertit κατὰ τὸ πλῆθος, fortè quia legit כרוב pro ברוב.

In medio mei] Hæc verba ſignificant dolores fuiſſe triſtes, qui diu prophetam vſſerint & grauiter exercuerint.

20 An ſociabitur tibi ſolium iniquitatum? fingens moleſtiam pro ſtatuto.

Subiicit argumentum aliud conſolationis, à natura Dei ſumptum, quo & ſe in ſuis periculis feliciter vſum eſſe oſtendit, & alios vt idem faciant hortatur. Deus, inquit, iuſtus eſt, vt nulla ei ſocietas eſſe poſſit cum hominibus improbis. Itaque nequaquam cogitabis eum impiæ tyrannidi hoſtium fauere. Quod ſi ita eſt, certè & innocẽtes defendet aduerſus iniuſtam vim, & homines ſceleratos perdet. Tale eſt argumentum in hoc verſu.

Solium iniquitatum] Nominat tyrannidem iniuſtam, quam exercent homines impij & ſcelerati in pios: ſiue ſint falſi doctores, qui ſe titulo eccleſiæ venditant, & cathedras, hoc eſt, publicum miniſterium occupant: ſiue manifeſti tyranni, qui regna & opes ſuas ad euertendam eccleſiam impendunt, eóque ſcelere ſolium ſuum, quod ſacrum eſſe debebat, polluunt. Hoc igitur odit Deus & execratur, atque ideo dubium nõ eſt quin daturi ſint pœnas ſuorum ſcelerum.

Fingens moleſtiam loco iuris] Exponit quid velit intelligi per ſolium iniquitatis, videlicet non eos tantùm qui manifeſta vi inuadunt eccleſiam, ea enim vulgaris iniuria eſt: ſed qui fraudes ſuas & iniurias, quibus homines innocentes premunt, iuris prætextu palliant. Hoc tam ad prauos doctores quàm ad tyrannos congruit. Vtrique enim tegunt ſua ſcelera & tyrannidem honeſto titulo. Sicut hodie pontificij & reges, qui eccleſiam perſequuntur, ſua impia dogmata & immanitatem, quam exercent in pios, variis coloribus pingunt & ornant, quibus dum imperito vulgo fucum faciunt, quiduis ſibi licere in pios arbitrantur. Tales igitur tunc quoque fuerunt hoſtes, qui populum Dei affligebant, quorum etſi nonnulli iactabant titulum eccleſiæ: tamen non erant membra eccleſiæ, ſed organa diaboli. חוק ius, decretum, ſtatutum ſeu ordinem ſignificat. Alij alias interpretationes afferunt, non quidem malas, ſed quæ ſententiam prophetæ non ſatis exprimunt. Auguſtinus ad Deum id refert, quem dicit dolorem finxiſſe in præcepto: quia doctrina eccleſiæ eſt doctrina crucis, & qui piè viuere volunt, perſecutionem pati neceſſe eſt. Alij eos notari putant, qui legem Dei ſtatutis ſuis aggrauant: & onera grauia hominum humeris imponunt, quemadmodum Põtifices ſuis traditionibus.

21. Turmatim coeunt ſuper animam iuſti: & ſanguinem innocentis damnant.

Antequam concluſionem præcedenti verſui attexat, de qua iam dictum eſt, vtitur quaſi conceſſione quadam. Fieri quidem, inquit, aliter non poteſt quin variis modis oppugnetur eccleſia. Et quidem eò iam res rediit, vt qui pios affligere volunt, prætextum iuris quærant: ideóque turmatim coeant, & conſilia conferant, vt aliqua ſpecie iuris damnari & opprimi innocentes poſſint. Sed Deus, inquit mox, qui conſentire his iniuſtis machinationibus nequaquam poteſt, tandem perdet hoſtes. Ita hic verſus conceſſio quædam eſt, quam deinde in concluſione corrigit: & ſimul poſterius membrum præcedentis verſus exponit. Quod enim prætextu iuris pinguntur decreta ſanguine ſcripta, id non fit priuatim, vnius atque alterius hominis arbitrio: ſed in publicis congreſſibus, in quibus magna orationis grauitate & planè tragice illa exaggerantur, quæ contra innocentes dici poſſunt. Sicut hoc tempore in publicis Synodis eccleſiæ harum terrarum damnantur. Et quid paſſim in multis regnis agatur, non eſt obſcurum. Verbo autem יגודו, quales ipſorum ſynodi & congreſſus ſint, exponit. Non ſunt ſynodi legitimæ, in quibus iuſta diiudicatio cauſarum inſtituatur, ſed verè λῃστρικαί, ſeptæ & armatæ gladiis tyrannorum: vt nihil differant huiuſmodi conuẽtus à latronum turba. Significat enim verbum גדד turmatim more latrunculorum ad excurſionem faciendam coire.

22 Et fuit mihi Iehoua in arcem: & Deus meus in rupem perfugij mei [*aſyli mei.*]

23 Et rependet ſuper eos iniquitatem ipſorum: & in malitia eorum perdet eos: perdet eos Iehoua Deus noſter.

Hi duo verſus quaſi cõſequens ſunt eius antecedẽtis quod in vigeſimo verſu ponitur. Nam cætera tanquam declarandi cauſa, & velut per conceſſionem ſunt inſerta. Dixerat igitur, Deum, qui natura ſua iuſtus iudex eſt, nullum habere commercium aut ſocietatẽ cum hominibus prauis: nec ferre poſſe iuxta ſe malignum, vt pſal. 5. dicitur. Quod cùm ita ſit, ſæuiant ſanè hoſtes aliquandiu, vt volent, & omnis generis iniurias aut lanienas immanes prętextu pietatis, zeli, aut cuiuſcunque iuris exerceant: Deus tamen defendet ſuos mirabiliter, & tyrannos tandem puniet & euertet. Hæc ſumma eſt horum verſuum. Cæterùm vocabula cùm antea ſæpe ſint explicata, non ſum prolixior, tantùm auditores moneo, vt pſalmum hunc ita legant, vt præſentibus ærumnis & calamitatibus, quibus premimur, admoniti, transferre eum ad vſum, & conſolationem hinc petere diſcant.

PSALMI XCIIII.

PARTES.

I. Petitio: cuius ſumma eſt, vt Deus ſe glorificet conſeruando ſuos, & improbos vlciſcendo, verſ. 1. & 2. Argumenta autem duc untur à Dei natura potentiſſima & iuſtiſſima, officióque & operibus ipſius.

Petitionis cauſæ, ſeu querimonia de inſolentia improborum thraſonica inter ſe, v. 3. & 4. De maleficiis contra innocentes, v. 5. & 6. De blaſphemis in Deum vocibus, v. 7.

II. Doctrina bimembris. 1. reprehenſionem ſeueriſſimam continens impiorum à verſ. 8. ad 12. vſque. 2. conſolationem & confirmationem piorum reliquis verſ.

Reprehenſio continet obiurgationem, v. 8. & redargutionem, v. 9. 10. 11. Compellat autem impios grauiſſimis nominibus, propter miſeram & dementem illorum conditionem, iudiciúmque peruerſiſſimum.

Redargutio, ex abſurdo. brutiſſimi & ſtultiſſimi qui Deum ſurdum & cæcum eſſe ſomniant. v. 9. Atqui audit, & videt, quoniam caſtigat, reprehendit, docet ſcientiam, cognoſcit hominum cogitationes, v. 10. & 11. Inde ſequitur impios eſſe brutiſſimos.

Conſolatio, ad quam tranſit per epiphonema. Continet autem hic conſolationis locus, 1. Deſcriptionem euentus qui bonos & malos conſequuturus eſt, 12. & 13. verſ. 2. Confirmationem tum à fide promiſſionum & veritate Dei, verſ. 14. & 15. tum ab exemplo ſuo, quo oſtendit actum fuiſſe de ſe, niſi ſuccurriſſet Deus: ita deſperatus erat & abiectus ab omnibus. verſ. 16. & ſequentibus, ex quibus colligitur Dei iuſtitiam, omnipotentiam, benignitatem, & conſolationes Dei piæ animæ tutiſſima eſſe firmamenta. Deinde iniuſtitiam, tyrannidem, immanitatem, & innocentum oppreſſionem ita illi exoſam, vt quoties apparet, ſolium Dei erectum eſſe, in quo ſedeat ad impios conterendos, & pios conſeruandos, certò certius ſtatui debeat. In ſumma, 1. A perſona ſupplicis, 2. A natura Dei, 3. A perſona impiorum, conſolationum riuuli deducuntur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Deus apparet conſpicuus & in ſublime effertur, dum manifeſto effectu ſe vindicem demonſtrat: quia tunc videtur tribunal conſcēdere, vt pœnas exigat de ſceleribus, & virtutem ſuam exerere, mundo in ordinem cogendo. Itaq; quo petulantiùs laſciuiunt impij, ſemper occurrat nobis hæc doctrina, nō poſſe tamen hoc auferri Deo, quin mundi ſit iudex ad exigendā de ſceleribus vindictā. Et quanuis pro carnis noſtræ ſenſu tenebris incluſus lateat, hanc precandi formam non dubitemus arripere, vt ſcilicet tandem affulgeat.

2 Deus quum ſit mundi iudex, non poteſt impunitam relinquere ſuperborum licentiam, ſed ſuo tempore debitam eis mercedem repēdit: humilibus autem dat gratiam.

3 Quum olim tantam in eccleſia tyrannidem exercuerint reprobi, nec ſtatim adhibitum fuerit à Deo remedium: ne miremur ſi hodie quoque lōgis oppreſſionibus ſubiaceat eccleſia: nec putemus prorſus à Deo deſertam, quanuis non protinus ſeruandis malis manum admoueat.

4 Ambitio & ſuperbia impios eò adigit, vt probroſè & futiliter potentiā ſuā efferant, teſte Pharaone, Sancheribo, Nebucadnezare, Hamane, & alijs: neque ratio, neque timor, neque honeſti reſpectus eos cohibet, quin perrumpat quocunque tulerit effrænis licentia.

5 Quia non tantùm Deo curæ eſt noſtra ſalus, quoniam homines ſumus ab ipſo conditi: ſed etiā pretioſa, propterea quòd nos in peculio ſuo cēſet: ſi quid patimur iniuriæ, familiariùs ad eum cōfugere licet.

6 Si quando contingat, in manifeſtum diuinæ legis cōtemptum, peregrinos iniuſtè vexari, raptari viduas in prædā, ſpoliari pupillos, rogandus eſt Deus vt eorum patrocinium ſuſcipiat, ſicuti exemplo ſuo propheta nos ad leuandas eorum miſerias hortatur.

7 Impij non diſtinctè hoc concipiunt in animis ſuis, Deum videlicet non videre neque cognoſcere: ſed perinde contemnunt eius iudicium, ac ſi nulla eum tāgeret cura humani generis. Tunc autem extremam & perditam nequitiam exprimunt, dum abiecto Dei timore quiduis ſibi indulgent.

8 Hac maximè nota impij & prophani homines ſunt conſpicui, quòd reliquos omnes ſtultos ſtultitia longè ſuperant, in qua dum pertinaciter hærent, miſerè pereunt.

9 Craſſa illa audacia, in qua ſibi indulget maior mundi pars, teſtis eſt, eos qui tam ſecurè contra Deum irruunt, eius loco imaginari mortuum idolum. Ipſimet autem cæcis & ſurdis hebetiores minimè cogitant fieri haud poſſe, vt quicquam eum lateat qui tam aures quàm oculos creauit.

10 Stultè impunitatem ſibi promittūt pauci homines, qui Deum vident publicas de cunctis gentibus pœnas exigere.

Naſuti homines ingeniis ſuis confiſi Deum eludere putant: quaſi eorum ſit priuare ſcientia eum qui ex ſua plenitudine exiguas tantùm particulas in mundum inſtillat.

11 Impij, dum ſibi latebras fabricant, decipiunt ſeipſos, & vanitate horrenda inebriātur: quia Deum, quem humano pede metiuntur, ſua vaſritie fallere nequeunt.

12 Deus ſuorum ſaluti conſulit, dum ad tēpus ſinit affligi: & verè beati ſunt, quum ſalutari doctrina erudiuntur ad crucis tolerantiam, & quos ſpiritus S. cōſolatione fulcit, ne rebus aduerſis ſuccumbant. Patientia autem haurienda eſt ex ſcripturis ſacris, quæ dolores noſtros mitigando, materiam fouendæ ſpei ſuppeditant.

13 Fideles ideo affliguntur ad momentum, vt perfuncti ſua militia beatam quietem obtineāt: tātiſper dum impij ſuper terram relinquuntur, eo prorſus modo quo cadauer in cubiculo manet repoſitum, donec ſepulchrum effoſſum ſit. Viuētes enim impij mortui ſunt in peccatis, nec aliud morantur quàm diem interitus, quo veluti cadauera in locum ſilentij deijcientur.

14 Hoc nobis ſacrum aſylum eſſe debet, quoties malis tentamur, nos tamen eſſe Dei populum, quia nos ſibi gratis adoptauit: itaque charam ei eſſe & pretioſam ſalutem noſtram, quoniam non fruſtra pollicitus eſt, ſe non ſecus eccleſiæ ſuæ ac propriæ hæreditatis ſedulum fore cuſtodem.

15 Ea ſpe pij nituntur, quòd poſt cōfuſam perturbationem Deus tandem res in legitimum ordinem componet: tunc autem ſument animum, vt diuinæ veritati alacriùs adhæreant.

16.17 Eò redigit ſuos Dominus, vt auxilio deſtituti videātur, quò ardentiùs Dei beneuolentiam in precibus & liberationibus expetant ac perſentiant.

18.19 Deus pro magnitudine triſtitiæ & mœroris, ſeruis ſuis in ipſo articulo ſuccurrit, vt dilatet eorum anguſtias. Itaque quo magis ingraueſcent mala noſtra, ſperemus leniendis doloribus potentiorem fore eius gratiam. Quod ſi pro carnis infirmitate curæ nos excruciant, ſufficiat nobis hoc remedium, variis conſolationibus Deum animas noſtras exhilarare poſſe ac velle.

20 Quanuis honorificum ſit ſolij nomen, vbi tamen corrumpitur hominum prauitate, ſuo pretio & honore excidit apud Deum, qui iniquitati ſuffragari non poteſt.

21 Etſi tolerabile nō ſit primo intuitu inſontes ab ipſis iudicibus crudeliter vexari, atque etiam grauari ignominia: quia tamē vtraque tentatione ſeruos ſuos olim Deus exercuit, diſcamus non ſolùm iniuſtam violentiam æquo animo ferre, ſed indignas etiam calumnias, quibus præter meritum grauamur.

22 In extremas anguſtias etiamſi redigantur fideles, ſatis eſſe in Deo vno præſidij reipſa experiuntur.

23 Hoſtibus eccleſiæ certum exitium audacter denuntiare poſſumus: quia proprium Dei munus eſt retorquere in eorū capita quicquid moleſtiæ bonis intentant, vt mirabile eius iudicium magis ac magis appareat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Deus miſericors quo ſenſu Deus Vltionum dicatur.
2. Iudex terræ quis, à quibus, & quando implorandus.
3. Impiorum ingenium, artes, ſtudia, conatus.
4. Iudices impij deſcripti.
5. Tyrannorum, & Eccleſiæ potentium aduerſariorum tabella.
6. De ſtultitia & ſapientia.
7. Afflictionum vtilitas & neceſſitas.
8. Proſperitas impiorum, fouea.
9. Eccleſia an à Deo deſeratur.
10. De lapſibus & inſtauratione filiorum Dei.
11. De Dei conſolationibus.
12. Sapientia Dei in deprimendis reprobis, & liberandis electis elucens.

ARGVMENTVM PSALMI XCV.

D*VPLEX in hoc Pſalmo eſt exhortatio. Primùm enim pios hortatur, vt ſæpe & frequentes conueniant ad meditanda & celebranda beneficia diuina. Quæ qualia ſint, etſi non omnia in ſpecie recenſet, tamen duo ſumma beneficia commemorat, quibus cætera comprehenduntur. Primum eſt creatio & ſuſtentatio aſſidua vniuerſæ creaturæ: in qua potentiam, ſapientiam & bonitatem* Dei *conſiderandam proponit. Quòd enim mundum condidit ex nihilo, eúmque ſua virtute aſſiduè ſuſtentat & gubernat, eſt hoc ſummæ eius potentiæ, ſapientiæ & bonitatis argumentum. Atque hoc beneficium ad omnes pertinet etiam extra eccleſiam, quemadmodum Paulus dicit, Deum ita prope adeſſe omnibus, vt manibus palpari poſſit. Actor. 17. Alterum verò beneficium peculiare eſt populo Dei, & omnibus aliis beneficiis diuinis anteponendum, quòd videlicet populum ſuum excerptum ex toto genere humano gratis adoptat in hæreditatem regni cæleſtis, eúmque tanquam paſtor fidelis aſſiduè paſcit & viuificat verbo & Spiritu ſancto. Hoc beneficium tantum eſt, vt nunquam ſatis cogitari aut celebrari à nobis poſſit. Ideóque argumento ſubijcitur adhortatio, vt cùm tanta in nos extent beneficia diuina, viciſſim nos vera fide hæc beneficia nobis oblata amplectamur, & autorem vera animi pietate & obſequio colamus & celebremus. Hanc adhortationem amplificat ab exemplo patrum in deſerto, qui cùm amorem & beneficia diuina toties eſſent experti, adduci tamen his non potuerunt, vt vero pietatis ſtudio Deum colerent: ideóque pœnas dederunt grauiſſimas, excluſi ab ingreſſu & poſſeſſione terræ promiſſæ. Harum pœnarum mentione excitare ſuos conatur, vt maiore deinceps ſtudio in religionis cultum incumbant, & veræ pietati ſe dedant: ne ſi patrum incredulitatem, peruicaciam & ingratitudinem imitentur, ex terra promiſſionis iterum eijciantur, atque ita ſimul vera atque æterna hæreditate priuentur. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Cæterùm cùm autor Epiſtolæ ad Hebræos capite 3. & 4. & Paulus*

1. Corinth.

1.Corinth.10.hunc Pſalmum de Chriſto intelligendum doceant, illuſtria hinc peti teſtimonia de Chriſti perſona & beneficijs poſſunt. Nam præterquam quòd Iehoua dicitur, quæ appellatio propriè ſoli Deo competit, etiam omnipotentia Chriſto hîc tribuitur & inuocatio. Quæ duæ res nulli creaturæ competunt, vt manifeſtum hinc ſit Chriſtum Saluatorem noſtrum, non tantùm eſſe hominem ſed Deum. Deinde beneficia eius ſub imagine paſtoris & ouium deſcribuntur, de quibus dictum eſt ſuprà Pſalm. 23. Poſtremò vtilis & neceſſaria doctrina de applicatione horum beneficiorum traditur, cùm inquit, Hodie cùm vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda veſtra. Quam doctrinam cùm Epiſtola ad Hebræos luculenter exponat, non ero in hoc argumento prolixior.

1 VEnite, exultemus Iehouæ: iubilemus rupi ſalutis noſtræ.

2 Præueniamus faciem eius cum laude: in Pſalmis iubilemus ei.

Propoſitio pſalmi eſt, de qua in argumento diximus. Apparet autem ex verbo לכו *Venite*, Pſalmum hunc non in priuatum vſum ſcriptum, ſed ſacris conuentibus deſtinatum fuiſſe, quando populus frequens ad templũ conueniebat, vt in ſabbatho. Ita enim populum alloquitur, vt iubeat omnes concurrere ad hoc ſanctum opus peragendum.

Eſtque dignum obſeruatione, quòd cùm conuenire ad ſacrum cultum omnes iubeat, nullam tamen facit mentionem victimarum ſeu ſacrificiorum externorum, aut aliarum cæremoniarum, in quibus hypocritæ omnem pietatis cultum reponebant. Cæremoniæ enim non ſunt principalis cultus, nec illa λογικὴ λατρεία, qua Deum honore affici & coli rectè Paulus teſtatur: ſed ſunt tanquam pædagogia quædam ſeu manuductio ad principalem illum cultum qui poſitus eſt in agnitione, applicatione, & celebratione beneficiorum Dei.

Omiſſis igitur ritibus externis, de veris, principalibus & perpetuis populi Dei cultibus hic Pſalmus concionatur. Pro נרננה Chaldæus interpres habet נשבח, id eſt, laudes dicamus.

Petræ ſalutis noſtræ] Aſpergit propoſitioni argumentum à beneficiis diuinis. Petra enim ſalutis nihil aliud eſt quàm propugnaculum, in quo conſiſtentes tuti ſumus aduerſus omnem vim & tyrannidem quorumcunque hoſtium, vel in quo ſeruamur tuti ab ira Dei, à tyrannide diaboli, morte & inferorum poteſtate, vt propriè hæc deſcriptio competat Chriſto. Verba verò iubilandi & ouandi ingentem animi lætitiam ſignificant, quæ in cogitatione beneficiorum Dei ita exultat, vt foris etiam geſtu & voce ſeſe oſtendat. Et requirit Deus in celebrandis ſuis beneficiis animum lætum non triſtem. Vnde illud adagium Cabaliſtarum natum eſt, כי רוח חקדש אינה שורה אלה מתוך שמחה Spiritus ſanctus non canit, niſi pectus ſit perfuſum gaudio.

Præueniamus] Id eſt, feſtinemus aut properemus venire in conſpectum Dei: non ſimus ſegnes aut ignaui ad hunc cultũ præſtandum. Ita populi ignauiam in canendis Dei laudibus, quodammodo hoc verbo perſtringit.

Cùm *faciem* nominat, ſignificat Deum præſentem eſſe in illo ſacro cœtu, & omnia quæ fiant aſpicere: vt ſi quis hîc ſe torpere, aut parum affici beneficiis Dei oſtendat, non ſolùm gratum cultum non præſtet, ſed inſuper Deum offendat. Simul autem propitiatorium notat, quod ſicut erat ſymbolum præſentiæ Dei in hoc populo: ita facies Dei in Scriptura dicitur.

3 Quia Deus magnus Iehoua: & rex magnus ſuper omnes Deos.

Addit cauſas cur celebrari Deus debeat. Primùm quia eſt *magnus*, hoc eſt, quia cùm Deus ſit, ſua magnitudine, maieſtate, gloria, & potentia omnia complet: vt non indigeat mendacibus encomiis, ſicut regibus adulari ſolent κόλακες aulici. Eſt enim *rex magnus*, hoc eſt, potentia & imperium eius multò maius eſt quàm omnium regum in hoc mundo, aut etiam eorum quos Dei loco colunt homines. Nam nomine אלהים intelligit quicquid eminet & excellit autoritate, potentia & dignitate inter homines, ſiue reuera, vt reges, principes, magiſtratus vel etiam angeli: ſiue tantùm opinione hominum, vt ſunt idola, quæ quidem, vt Paulus inquit 1. Cor. 8. nihil ſunt, ſed tamen quia humanorum ingeniorum vanitas numen aliquod tribuit mortuis huius mundi elementis, alibi dicit idem, multos in terra nominari deos. Horum igitur omnium potentiam ita in hoc verſu abiicit, vt Chriſtum ſupra omnes collocet & extollat: atque ideo dignum eſſe laude & celebratione aſſeueret.

4 Quia in manu eius ima [*penetralia*] terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.

Αἰτιολογία eſt, quæ priorem ſententiam confirmat per diſtributionem. Quòd potentia huius regis ſuperet omnem creaturarum potentiam, hinc manifeſtum eſt, quia totum huius mundi opificium eſt opus manuum ipſius, atque ipſius virtute & imperio continetur. Ita potentiam Dei celebrat primò ab opere creationis, deinde à conſeruatione & gubernatione rerum creatarum. Vtrunque enim ſignificat in manu eius eſſe: quod ſequens quintus verſus oſtendit, qui eſt huius quaſi declaratio.

Ima] Græcus reddidit πέρατα fines: ſed vox Hebræa ima, penetralia, ſeu abyſſos ſignificat, quas opponit altitudini montium.

Altitudines montium] Id eſt, montes altiſſimi, quaſi dicat, habet hic Deus noſter in manu ſua ipſa terræ fundamenta & montium cacumina: vt omnia in terris ipſius potentia & numine conſiſtant, idque adeo vt ſi ille manũ ſubtrahat, omnia in nihilum redigantur. Quod certè de nullo rege, multò minus de idolo aliquo, quod hominum ſuperſtitio effinxit, dici poteſt.

5 Quia ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & aridam manus eius formauerunt.

Quod de terra dixerat, nunc etiam de mari dicit, vt ſignificet totum mundum ipſius imperio ſubiectum eſſe. Et ne quis ius illud dominandi ab alio conceſſum eſſe huic regi exiſtimet, addit, hunc regem feciſſe mare, & fortaſſe manu ſua aridam, hoc eſt, illam partẽ terræ, quæ extat ſupra aquas, quæque tanta rerum creatarum varietate ornata eſt, vt iure illi debeatur hæc poſſeſſio, tanquam proprij ædificij. Itaque ſi regi alicui terreno, qui tamen beneficiarius & quaſi vaſallus eſt huius ſummi regis, debetur in ſuo territorio reuerentia & honor à ſubditis: quanto magis hic rex, qui mundum vniuerſum condidit & potenter conſeruat, agnoſcendus & celebrandus eſt ab omnibus hominibus? Eſt enim argumentum ab ipſa lege naturæ ductum. Cuilibet regi debetur honor & reuerentia à ſuis ſubditis. Sed noſter rex eſt ſuper omnes reges, & eſt Dominus orbis terrarum. Ergo ab omnibus debetur ei reuerentia & cultus. Tale eſt argumentum apud Malac. cap. 1. Filius honorat patrem & ſeruus dominũ ſuum. Et, ſi pater ego, vbi honor meus? &, ſi dominus ego, vbi timor mei? dicit Dominus.

6 Venite, adoremus & procidamus: [*incuruemus nos*] genu flectamus corã facie Iehouæ factoris noſtri.

Repetit propoſitionem pſalmi. Iterum enim hortatur populum vt in congreſſibus publicis cogitantes de beneficiis diuinitus ſibi exhibitis, Deo pro his gratias agant, eíque reuerenter ſe ſubiiciant. Quòd eãdem rem tribus verbis exponit, ſignificat vnumquemque ſe totum debere addicere Deo, & ab eo ſolo petere & expectare bona tam corporalia quàm ſpiritualia. Vult enim vt omnes corporis geſtus & externa profeſſio cum cordis affectibus ſeu motibus congruant.

Faciem Iehouæ, dixi verſu ſecundo nominari arcam fœderis, quòd eſſet ſymbolum & teſtimonium præſentiæ Dei in hoc populo. Ideóque tanquam de legali cultu loquens, iubet vt ante arcam procidant. Erátque Iudæis hoc ſolenne: vt etiam abſentes faciem ad arcam fœderis cõuerterent. Quo ritu nos monemur, non niſi per Chriſtum mediatorem, qui arca ſeu propitiatorio adumbrabatur, patere nobis acceſſum ad Deũ patrem. Neque enim cogitandum eſt, Iudæos, præſertim rectè inſtitutos, ita in illo externo ritu ſubſtitiſſe, vt arcæ numen aliquod tribuerent: ſed corpore aut facie conuerſi ad arcam animum in cælum ad Deum attollebant: quẽ hoc viſibili ſigno admoniti ſciebant ſibi verè præſentem eſſe, & exaudire preces inuocantium propter mediatorem. Sicut Daniel inquit: Exaudi nos propter Dominum.

Factoris ſeu conditoris ac creatoris *noſtri*] Aſpergit cauſam cur adorari debeat, nempe quòd creauit nos. Hæc ratio congruit cum his quæ ſupra dicta ſunt: niſi quod ibi in genere Deum omnia condidiſſe, atque imperio ſeu virtute ſuâ continere affirmat: hîc verò ad ſolos homines hoc reſtringit, quos peculiariter ſibi hoc facto ad obedientiam & gratitudinem obſtrictos eſſe voluit. Ideo enim condidit genus humanum, vt ab eo agnoſceretur & celebraretur. Eſt autem hęc cauſa diligenter conſideranda. Si enim ideo adorandus

eſt Deus, quia eſt creator, certè peccant horribiliter, non tantùm qui de creatione hominum nunquam ita cogitant, vt ad colendum atque inuocandum Deum excitentur, atque ita à principali ſuæ creationis fine aberrant: ſed multò magis, qui ante mortua mundi elementa, imagines ſculptas aut creaturas procidunt, eáſque adorant. Quia nequaquam de his dici poteſt quòd crearint nos. Ergo ratione creationis Deus ſibi ſoli vendicat honorem hunc, vt nulli creaturæ eum velit ſecum eſſe communem. Itaque quid de inuocatione ſanctorum, quam Pontificij comminiſcuntur, & tanta tyrannide ſtabiliunt, ſtatuendum ſit, vel hoc vnicum argumentum euidēter oſtendit.

7 Quia ipſe [*eſt*] Deus noſter: & nos populus paſcui eius, & grex manus eius.

Addit aliam rationem ſumptam à beneficiis, quæ eccleſiæ Dei ſunt propria. Hactenus enim de iis tantùm, quæ nobis etiam cum aliis extra eccleſiam ſunt communia, concionatus eſt. Nam quod dicit, eſt Deus noſter, reſpicit ad fœdus quo populum hunc peculiariter Deus adoptarat in peculiū, ſéque ei obſtrinxerat, non tantùm ad præſtanda corporalia beneficia, qualia erant, poſſeſſio terræ Canaan, opulentia & affluentia omnium rerum, aſſidua defenſio & protectio aduerſus hoſtes, &c. ſed multò magis ad ſpiritualia & ęterna beneficia, quę aduentu Chriſti in carnem, morte & tota eius obedientia, nobis ſunt parta & acquiſita. Ideo enim dicitur Deus noſter, quia cùm natura eſſemus filij iræ & maledictionis, huius fœderis ratione, quod Chriſtus ſua morte ſtabiliuit, nobis eſt reconciliatus & placatus: vt iam noſter dicatur à quo antea eramus alieniſſimi. Eſt quidē & gentium Deus, vt Paulus inquit, ſed alia ratione & reſpectu. Ideo addit, Nos ſumus populus eius paſcui: quod de gentibus alienis ab hoc fœdere dici non poteſt. Sola enim eccleſia eſt populus Dei, quem peculiari fœdere in hæreditatem regni cœleſtis vocauit & adoptauit, quémque in hac vita paſcit & regenerat verbo & Spiritu ſuo ſancto. Non enim de paſtu corporis, ſed animi inprimis loquitur.

Et grex manus eius] In his verbis dulciſſima eſt imago, in qua Deus ſe paſtorem pingit, qui ſua manu ducat, regat, tueatur, protegat miſeras ouiculas, quas ſemel in ſuam curam ſuſcepit. Atque huc ſine dubio reſpexit Chriſtus, cùm Iohan. 10. pingeret ſe paſtorem: & poſt longam orationem de officio & beneficiis boni paſtoris, diceret: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Cæterum quia Chriſtus in ea concione luculenter hanc ſententiam explicat, & pſalm. 23. & 80. aliquid de hac imagine dictum eſt, pergo ad ſequentes verſus.

8 Hodie ſi vocem eius audieritis, ne obduretis cor veſtrum, ſicut in Meriba: ſecundùm diem Maſſa in deſerto.

Hæc altera pars eſt adhortationis. Cùm enim tanta beneficia eccleſiæ ſuæ Deus præſtet, quæ ſub imagine paſtoris celebrat, non ſunt illa negligenda aut contemnenda à nobis, vt facit maxima pars hominum: ſed vera fide amplectenda, & grato animo aſſiduè celebranda. Monet igitur vt beneficia Dei ita meditemur, ne exemplo maximæ multitudinis hominum, petulanter ea reſpuamus: néve Cyclopico contemptu ipſi exitium nobis accerſamus.

Hodie ſi vocem eius audieritis] Hæc verba quanquam cohęrent cum ſequentibus, quod quilibet facilè agnoſcere & iudicare poteſt, ſunt tamen in præcedentem verſum relata, metro, vt exiſtimo, ſic exigente. Alioqui enim cauſa non erat cur præcedentibus iungerentur. Sunt enim qui per enallagē ſecundam perſonam in primam mutandam eſſe atque ita ſuperiori ſententiæ hæc verba iungenda exiſtiment: Hodie ſi vocem eius audierimus, erimus grex eius. Vt hæc conditio promiſſioni adiiciatur, quæ oſtendit non aliter fieri nos horum bonorum participes, quàm ſi vocem diuinam audiamus, & vera fide amplectamur. Hæc ſententia nihil habet abſurdi. Súntque enallagæ illæ Hebræis vſitatiſſimæ. Sed tamen, quia meliùs fluit orationis contextus, ſi hoc mēbrum cum ſequentibus iungatur, & non inuſitatum ſit etiam intercedente Sophpaſuk ſuſpendi ſententiam, quod in prælectione Grammatices aliquot exemplis probauimus, ſequor Græci interpretis lectionem, quam & autor epiſtolæ ad Hebræos retinet.

Hodie ſi, vel cùm *audieritis vocem eius: nolite obdurare cor.*] Beneficia diuina nō aliter niſi fide nobis applicantur. Ideo de hac concionatur: quam vera deinde obedientia ſequitur. Fides autem, vt Paulus inquit, eſt ex auditu, auditus per verbum. Inquit igitur, cùm vocem diuinā audieritis, nolite obdurare cor, hoc eſt, nolite contemptim & faſtidioſè reſpuere, aut ſuperbè & petulanter reiicere. Voluntas non ſit ignaua, non contumaciter repugnet Deo trahenti per verbum: ſed ſequatur efficacitatem Spiritus ſancti, & velit aliquo modo obedientiam, & petat auxilium. Nam in vera fide concurrunt vox euangelij, Spiritus ſanctus mouens voluntatem & cor, & mens cogitans promiſſionem, & ipſa voluntas, ac cor non omnino repugnans, vel (vt hic inquit) non obdurans ſe contumaciter, ſed expetens conſolationem & beneficium diuinum, & aſſentiens promiſſioni, cùm quidem à Spiritu ſancto adiuuatur & inter triſtes gemitus erigitur conſpectu filij Dei. Eſt quidem fides Dei donum & opus, vt nihil hîc viribus humanis aut meritis ſit tribuendum, quemadmodum Pontificij & Pelagiani ſomniant: ſed donatur fides hoc ordine, cùm audimus verbum & cogitamus, & aſſenſu amplectimur, & expetentes conſolationem repugnamus dubitationi, & in hac lucta petimus auxilium Dei. Non enim hic otioſa eſt mens & voluntas: nec imprimuntur nobis illi motus, vt imago in ceram imprimitur, aut aqua in dolium infunditur. Sicut hoc tempore quidam inepte ſcribunt, plenitudinem gratiæ diuinæ infundi tanquam in vrceolos vacuos: & quo magis vas vacuum ſit, eo plus gratiæ infundi ſomniant: atque hac infuſione iuſtificationem hominis coram Deo definiunt. Sed Spiritus ſanctus mouet per verbum, & mens ac voluntas mota à Spiritu ſancto aſſentitur & acquieſcit in promiſſione: atque ita fit viuificatio. Nihil hîc adſcribitur viribus naturalibus, extra verbum & Spiritum ſanctum, quod nonnulli calumnioſè nobis obiiciunt: ſed ordinem diuinitus inſtitutum cum Dauide & ſcriptura oſtendimus: à quo cùm diſceditur, vel ad Pelagianam impietatem, quæ Phariſæorum eſt, vel ad Enthuſiaſtica deliria, quæ à pietate ſunt alieniſſima, nos relabi neceſſe eſt.

Sicut in Meriba] Subiicit adhortationi exemplum pœnæ, in qua Deus contemptum verbi ſui grauiſſimè vltus eſt: vt huius mentione populum ſecurum & præfractum nonnihil molliat & ad verum pietatis ſtudium traducat. Erat enim populus duræ ceruicis, apud quem quia cohortationibus parum ſe proficere intelligit, exemplis & metu pœnarum reuocare eos ad officium conatur. Cæterùm hiſtoria, cuius hîc mentio fit, legatur Exod. 17. *Meriba* & *Maſſa* nonnulli tanquam nomina appellatiua exponūt: alij locorum nomina eſſe affirmant, quæ ab euentu ſic dicta ſint: ſed & hi inter ſe diſcrepāt. Nam ex Hebræis nonnulli nomen Meriba eius loci eſſe volunt, cuius fit mentio Exod. 17. Alterum verò Maſſa ad hiſtoriam referunt, Num. 14. vbi dicitur, Et tentauerunt me iam decem vicibus. Sed locus Exod. 17. ita perſpicuus eſt vt hanc controuerſiam facilè dirimat. Ita enim ibi legitur: Cur iurgamini mecum? cur tentatis Dominum? Et paulò poſt: vocauitque nomen loci Maſſa & Meriba, propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum dicendo, num eſt Dominus in medio noſtri? Dictus igitur eſt ita locus ab euentu, cùm antea diceretur Raphidim.

9 Quando tentauerunt me patres veſtri: probauerunt me, etiamſi vidiſſent opus meum.

Hic verſus declarandi cauſa ſubiicitur. Exponit enim hiſtoriam, cuius mentionem fecerat, & rei indignitatem exaggerat à beneficiis huic populo præſtitis. Cùm inquit, etiamſi vidiſſent opus meum, id eſt, etiam cùm multis inſignibus miraculis non tantùm potentiam, ſed amorem meum & beneuolentiam ſingularem erga hunc populum declaraſſem, ipſi tamen non deſtiterunt ſuis obmurmurationibus me irritare. Hoc crimen patrum poſteris reuocat in memoriam, vt pœnis admoniti diſcant eſſe cautiores, ne ſimiles ſibi attrahant. Si enim illis non pepercit, quos illuſtri miraculo eduxerat ex Ægypto, cùm quidem ad gloriam eius aliquomodo pertineret, hos incolumes introducere in terram promiſſam, quanto minùs parcet cæteris?

Cæterum quid ſit tentare Deum, alibi dicitur copioſiùs. Differunt murmurare & tentare Deum. Murmurare eſt impatientia, quæ eſt inobedientia iraſcens Deo in ærumnis & pœnis. Tales fremitus & indignationes ſæpe exiſtunt etiam in ſanctis, vt in Iobo & Ieremia, qui tamen fide vincunt illos fremitus. Sed tentare Deum eſt peccatum multo maius. Eſt enim non tantùm inobedientia ſeu impatientia iraſcens Deo in ærumnis, ſed inſuper addere vel negationem & correctionem ordinationis diuinæ humano conſilio, vel temerario & illicito voto requirere experimentum potentiæ diuinæ in eo quod non ordinauit. Ita Exod. 17. dicunt Iudæi, Eſtne Dominus inter nos an non? vbi contradicunt manifeſtis miraculis, quaſi decepti ſint, & negant opus Dei, cùm aliter conuicti eſſent. Ita Num. 14. volunt nouum ducem eligere, à quo reducantur in Ægyptum: poſtea vtcunque repreſſi volunt pergere & præliari cum hoſtibus, cum quidem Deus tunc prohiberet, hoc eſt corrigere ordinationē Dei. Num. 11. dicunt, Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? ſuprà pſal. 78. Nūquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Hîc querūt experi-

experimentum virtutis & potentiæ diuinæ.

10 Quadraginta annos tædio afficiebar in generatione[*hac*] & dixi, populus ſunt errãs corde, & ipſi non cognouerunt vias meas.

Exaggerat crimen obſtinatæ malitiæ Iudæorum, primùm à tempore, quòd totis annis quadraginta reuocari tot beneficiis Dei à ſcelerato propoſito non potuerint. deinde à peccatorum fœditate. Dicit enim Deus, ſe non ſine maximo tædio, moleſtia & nauſea tuliſſe ipſorum peccata: quod oſtendit non tantùm multa, ſed grauia & fœda ea fuiſſe. Poſtremò cauſam ſeu fontem tantorum ſcelerum indicat, cùm inquit, *Populus errans corde: & non cognouerunt vias meas.* Verbum קוט nonnulli exponunt litigare ſeu rixari, & volunt hunc eſſe ſenſum, quòd Deus litigando continuum habuerit certamen per annos 40. cum populo duro & præfracto, ſine vllo profectu. Sed collatio teſtimoniorum oſtendit verbum Hebræum propriè non habere ſignificationem rixandi, ſed idem ferè cũ eo eſſe, quod Latini dicũt, moleſtia ſeu tædio affici, atque ita ferre grauiter & offendi. Ideo interpres epiſtolæ ad Hebræos ſecutus Græcam interpretationem reddidit, προσώχθισα. Lucas verò cap.13. Actorum reddidit, ἐτροποφορεῖν, ἐτροποφόρησεν tolerauit mores: quæ ſignificatio vicina eſt priori, ſed mollior aliquanto & mitior.

Quadraginta annos] Hac temporis circumſtantia magnitudo & multitudo ſcelerum notatur. Fieri non poteſt quin homines etiam pij grauiter interdum peccent: ſed vt Salom. inquit, reſurgunt & vitam emendant. Iudæorum verò tanta erat pertinacia, vt ſine vlla ſpe emendationis perſeuerarent in ſcelere, nec vel beneficiis vel minis, vel pœnarum exemplis per totos annos quadraginta reuocari à propoſito poſſent. Itaque mirum non eſt Deum affectum fuiſſe moleſtia & grauiter offenſum.

In generatione hac] Id eſt, in gente hac. דור propriè ſignificat ætatem, ſeculum vel ſpatium vitæ humanæ. Ideo ſynecdochicè ad vnius ætatis homines transfertur, & de hominibus accipitur paſſim in ſcriptura.

Et dixi] Nunc iudicium ſuum profert Deus, & ſimul cauſam tanti mali indicat. Et dixi, ſcilicet, poſtquam vidi tot beneficiis & miraculis tamdiu me nihil proficere apud hunc populum durum & rebellem.

Populus errans corde] Id eſt, populus peruerſus & pertinax, qui rapitur ſuis cupiditatibus & affectibus, iiſque pertinaciter obtemperat. Hoc enim eſt errare corde. Eſt enim error quidam intellectus, cùm per ignorantiam rerum erramus. Sicut Paulus 1. Tim. 1. dicit, ſe per ignorantiam perſecutum eſſe eccleſiam: & Iudæi habebant zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam, Rom. 10. Quales multi etiam hodie reperiuntur. Sed alterum genus errandi eſt cordis & affectuum, quo non per ignorantiam & contumaciam erratur. De hoc igitur errore hîc loquitur.

Et non cognouerunt] Addit rationẽ, quæ cauſam huius mali indicat: quia non ſtuduerunt cognoſcere doctrinam de Deo, nec opera eius conſiderabant vt debebant. *Vias Domini* intellige cùm doctrinam tum miracula, quæ ſubinde in ipſorum ſalutem edebat: deinde & conſilium gubernationis, quod quia non congruebat ad ipſorum cupiditates, ſpernebant & reprehendebant.

11 Quibus iuraui in ira mea: ſi introibunt in requiem meam.

Concludit hanc narrationem à commemoratione pœnarum, quibus vltus eſt Deus ſui nominis contemptum, & peccandi licentiam in hoc populo: vt harum mentione ſuos auditores à ſimili audacia deterrendo abducat. Vſitatè dicitur, *Felix quem faciunt aliena pericula cautum*, & ſatius multò eſt alieno exemplo, quàm proprio periculo aut malo ſapere. Itaque exempla in materiis ſuaſoriis adhibentur, & magnum vſum habent: vt, quemadmodum Diodorus inquit, aliorum erratis ad noſtræ vitæ correctionem ſeu emendationem vti poſſimus.

Pronomen אשר quidam volunt eſſe particulam illatiuam. Itaque exponunt, quare, vel, propterea.

Iuraui in ira mea] Hæc verba oſtendunt magnitudinem ſcelerum. Non enim leuis offenſa fuit, qua adeo commoueretur Deus, vt interpoſito iuramento hanc gentem excluderet à promiſſæ terræ poſſeſſione.

Si introibunt] In formis iurandi אם particula vim negandi habet. Sicut econtra אם לא ſi non, affirmandi. Vtriuſque generis plurima occurrunt in ſacris literis exempla, quæ huc adſcribere non eſt neceſſe. Nonnulli volunt eſſe eclipticam orationem: Si introiuerint, &c. quaſi dicat, non ſim iuſtus, ſi id fiat. Sed non eſt opus iſta ſubtilitate: ſatis eſt ſcire hanc eſſe proprietatem huius linguæ, quæ adeo vſitata eſt, vt in quibuſdã formis nulla adiici talis explicatio, qua oratio expleatur, poſſit: vt cùm Chriſtus dicit, Marci 8. Amen dico vobis: ſi dabitur generationi huic ſignum.

In requiem meam] Ita nominat terram Canaan, quam Deus populo Iſraelis promiſerat. Eſtque hęc appellatio ſumpta ex Moſe. Nam Deut. 25. & Ioſuæ 1. ita dicitur. Ratio autem appellationis ex promiſſione petenda eſt. Abraham & poſteri eius tanquam peregrini in ea habitabant, & poſteritas deinde in Ægypto longo tempore quaſi exulauit, vbi duram ſeruitutem ſeruiuit. Quia igitur poſt multorum annorum peregrinationes, exilia & calamitates, Iudæi introducendi & collocandi erant in terram promiſſam, in qua firmam deinceps & tranquillam haberent ſtationem ſeu ſedem, meritò vocat eã Deus requiem ſuam. Et quidem pronomen relatiuum nõ intelligatur paſſiuè, quaſi ea requies Deo ſit parata, ſed actiuè, quia hanc ipſe ſuo populo parauerit & dederit. Cæterùm terra quietis tacitè ſignificatur vita æterna, quę populo Dei ſeu eccleſiæ parata eſt, vt in ea ab omnibus ærumnis, laboribus & peccatis quieſcant, & æternum ſabbatum agant. Ideo epiſtola ad Hebræos de hac quiete locũ rectè interpretatur.

PSALMI XCV.

PARTES.

I. Hortatio ad laudem Dei promouendam: ídque ſincero cultu, v. 1. 2. & 6. Cauſa, cur Deus ſit pura mente colendus interſeritur, à natura, officio, operibúſque Dei & Chriſti aduenientis in hunc mundum, v. 3. 4. & 5. Vide cap. 4. v. 7. epiſtolæ ad Hebræos.

II. Hortatio ad laudem Dei promouendam: ídque obſequio. Cauſa huius obſequij petitur, 1. A fœdere officióque mutuo, v. 7. Eſt Deus, nos populus; Paſtor, nos grex eius. 2. A maiorum exemplo, quos imitari non conuenit, v. 9. 10. 11. Illi enim 1. obdurarunt animum. 2. aduerſus Deum contenderunt. 3. tentarunt & probauerunt eum. 4. nequicquam viderunt opera Dei. 5. errarunt animo, viarúmque Domini ignorantes fuerunt. Vnde ſupplicium iuſtum ſequutum eſt, quod non ingreſſi ſint in requiem Iehouæ.

Ex Antitheſi requirit. 1. Vt Eccleſia vocem Dei reuerenter audiat. 2. Acquieſcat ei ſine contentione. 3. Fiduciam ſuam omnem in eum collocet, ab eius benignitate & omnipotentia pendens continuo. 4. Opera Dei diligenter obſeruet. 5. Mente pura vias Iehouæ ſequatur. Vnde benedictio illa fluit, nẽpe ingreſſus in veram Dei requiem, i. vitam æternam.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Non in mortuis cæremonijs ſitus eſt externus Dei cultus, ſed præcipuè in laudis ſacrificio.

2 Celeritate opus eſt, vbi Deus ad gratias ſibi agendas nos vocat. Eodem autem ſtimulo hodie indigemus, quia non minor eſt Chriſtianorum ingratitudo, quàm olim fuit Iudæorum.

3 Dei nomina hîc expreſſa nobis ſufficiunt vberẽ laudũ materiã. huius autẽ maieſtas quum cæleſtes Angelos cogat in ordinem, idola & eiuſmodi hominum figmenta nihili, eius gloriæ obſtare nequeũt.

4. 5 Magnitudinis Dei ſpecimen in mundi opificio elucet. Mundus etiam eſt opus manuum Dei, eiúſque ſubeſt imperio.

6 Pleniorem laudis materiam nobis Deus ſuppeditat dum ſpirituali honore nos dignatur, & præter meritum anteponit cunctis mortalibus.

Non tãtùm cordis gratitudo à piis requiritur, ſed etiam externa

pietatis profeſſio: nec enim animis noſtris tantum, ſed etiam corporis genuflexione & alijs ſignis nos Deo in ſacrificium offerre debemus. Porro, quid ſit Dei facies, pſalmo 27. & alibi dictum eſt.

7 Quoties de ineſtimabili adoptionis gratia electi monẽtur, finis eſt vt ſub Dei tutela degere, eiuſdémque beneficijs fide frui diſcant.

Deus propinquo quodam & familiari gubernationis modo per ſpiritus & verbi ſui virtutem electos ſuos paſcit: dum generali prouidentia reliquum mundum tuetur.

In eo Deus à nobis paſtor agnoſcitur, quando vocem eius audimus: quia ſingulari gratia factum eſt vt nos familiariter alloqui dignatus ſit.

8 Quum Dei gratia in paſtoris officio fiat conſpicua, meritò monemur vt docilitate & placida manſuetudine nos gregem ouium eius eſſe probemus.

Quiſquis neglectim præterit verbum Dei, neq; attentus eſt ad parendum, quanuis non ſit apertè contumax, dicitur tamen eſſe obdurato & lapideo corde.

9 Deteſtabilis patrũ ingratitudo & fœda rebellio filijs obijcitur & in memoriã reuocatur: ſcimus enim quàm procliuis in eorũ imitatione ſit lapſus: quandoquidẽ licitũ videtur quicquid inualuit, & vetuſtas ſemper aliquã reuerentiã ſibi vendicat: & domeſtica exẽpla nos excæcant, vt ſine delectu loco virtutis arripiant poſteri quicquid à maioribus profectum eſt. Diſtinguendi igitur veri patres à falſis. Veri autẽ & imitandi ſunt qui ſincero Dei verbo adhærentes, eius opera & miſericordiam poſteris diligenter tradiderunt.

Tentare Deum nihil aliud eſt quàm prauo & illicito voto efferri ad quærendum virtutis eius experimentũ. Quum autem innumeris documentis teſtatã nobis fuerit Dei gratia & virtus, ſi adhuc expetimus nouas eius probationes, eo deterior eſt noſtra impietas: ſicut hodie videmus multos miracula flagitare, alios expoſtulare cum Deo, niſi eorum votis obtemperet.

10 Vſus patientiæ Dei is eſt, vt quo diutius miniſterio verbi ſui nos ad pœnitentiam & fidẽ ſollicitat, eo magis eius nomen glorificemus. Inexcuſabilis enim eſt prorſus amentia, quũ Dominus in medio noſtri familiariter habitet, ac tam verbo quàm operibus illuſtris ſit eius gloria, clauſis oculis tot miracula & diuinæ beneficentiæ teſtimonia præterire.

11 Quum non modò legis tempore, ſed poſt Chriſtum exhibitum, Deus loqui cœperit, & plenius quidẽ ſub euangelio, doctrinæ etiam perfectio plus attentionis iure poſtulet, quotidieq; ſonora voce ad ſalutis & quietis æternæ participationem inuitemur: videdum nobis eſt etiam atque etiam vt eius voci obtemperemus, ne ingratitudo noſtra iram eius accendat, extorqueátque iuſiurandum, citius vi à cæleſtis manſionis felicitate arceamur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De vero & falſo cultu Dei.
2. De ſacrificiis ſpiritualibus.
3. De Maieſtate Chriſti θεανθρώπου, & variis Dei attributis.
4. Ceremoniarum externarum in ſacris cœtibus vſus & conſideratio.
5. De facie & fœdere Dei.
6. De cæleſti Paſtore, grege, paſtu, ductu, & ouili.
7. Patrum exempla quatenus imitanda & fugienda.
8. De Conſuetudine, præceptis & traditionibus humanis.
9. Tentationes Dei & hominum.
10. Patientiæ diuinæ conſideratio.
11. De Dei iuramento.
12. Multiplex Dei & hominum requies.

ARGVMENTVM PSALMI XCVI.

CONTINET hic Pſalmus illuſtre vaticinium de regno Chriſti propagando per totum orbẽ terrarum, & vocandis ad eius regni ſocietatem gentibus. Id beneficium cum tantum ſit vt nunquam ſatis celebrari ab hominibus poſſit, hortatur tam gentes quàm Iudæos, vt abiectis ſuperſtitionibus & damnata idololatria hunc vnicum & verum Deum colant & adorent, qui orbem terrarum condiderit & aſsiduè gubernet: eique pro beneficijs exhibitis perpetuò gratias agant. Adduntur autem, vt in poemate, figuræ quibus orationem illuſtrat. Poſtquam enim omnes homines hortatus eſt, vt hunc regem agnoſcant & colant, & grati eius beneficia celebrent, addit quandam proſopopœiam: in qua cælo, terræ & cunctis creaturis, quaſi vocem quandam attribuit: celebrantem beneficia quæ generi humano per Chriſtum contigerunt, vt & magnitudinem beneficij exhibiti hoc modo exprimat, quæ creaturas etiam irrationales, in ſui admirationem & celebrationem rapiat, & ſimul duritiem cordis humani redarguat, quod hæc beneficia, quæ non niſi ad hominum ſalutem ſunt deſtinata, petulanter contemnit & reſpuit, ſéque in agnoſcendis & celebrandis beneficijs diuinis à brutis animantibus & rebus terra naſcentibus vinci patitur.

Græcus titulum habet: Laus Dauidis quando domus ædificabitur poſt captiuitatem, qui titulus apud Hebræos non legitur.

1 CAntate Iehouæ canticum nouum: cantate Iehouæ omnis terra.

2 Cantate Iehouæ: benedicite nomini eius: prædicate de die in diem ſalutem eius.

3 Narrate in gentibus gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

His tres verſus continent propoſitionem, quæ eſt exhortatio ad agnoſcenda & celebrãda beneficia diuinitus nobis per Chriſtum exhibita. Atque hæc propoſitio deinde verſu 7. & ſequentibus repetitur. Iubet autem nouo cantico celebrari Deum, quia noua & inſolita beneficia requirunt nouos & inauditos hymnos. Non erat ignota Iudæis doctrina de remiſſione peccatorum & vita æterna donanda propter Chriſtum mediatorem: quod beneficium maximè vult celebrari. ſed quia hactenus vox doctrinæ cæleſtis non alibi quàm in Iudæa erat exaudita, paulò poſt verò in totum orbem terrarũ, etiam inter gentes erat ſpargenda, erat hoc nouum beneficium. Ideóque nouo carmine vult celebrari, idque non tantùm à Iudæis: ſed etiam à gentibus, quibus illa doctrina non multò pòſt erat reuelanda. Gentes enim intelligit, cùm dicit, *Cantate Iehouæ omnis terra*, ſynecdochicè, gentes per totũ orbem terrarum diffuſas & ſparſas. Gentibus igitur prædicat annuntiatum iri doctrinam euangelij. Nam abſque doctrina euangelij gentes celebrare verum Deum non poſſunt, Iuxta illud Rom. 11. Quomodo inuocabunt in quem non credunt? Sola enim illa agnitio Dei, quæ ex euangelio petitur, parit veram inuocationem.

Benedicite] Id eſt, gratias agite ei.

Prædicate] Id eſt, annuntiate & celebrate ſalutem, quam ille generi humano per filium contulit. Vtitur voce בשר quod propriè ſignificat rem lætam nuntiare, ſicut apud Græcos εὐαγγελίζειν, vt ſignificet canticum hoc eſſe debere de euangelio Meſſiæ.

Et vult *de die in diem* celebrari hoc beneficium, hoc eſt, ſine intermiſſione, vt ſignificet hanc ſalutem nõ eſſe beneficium aliquod corporale aut temporarium ſeu caducum: ſed æternum beneficium, quod perpetuò vigeat, & ad omnes homines omnium ætatum & ſeculorum pertineat, & quod in æternum beet. *Salutem* enim nominat liberationem à peccato, morte, damnatione, & reſtitutionem iuſtitiæ & vitæ æternæ: quibus rebus nihil maius cogitari à nobis poteſt. Simul autẽ dulcis promiſſio in his verbis traditur, quæ oſtendit non eſſe interituram eccleſiam Dei in hoc mundo: quæ conſolatio admodum dulcis & grata eſt piis mentibus.

Gloriam eius] Quam ſalutem antea dixerat, nunc nominat gloriam: & deinde mirabilia. Quia & glorioſa eſt hæc ſalus, qua genus humanum ab æterna morte & damnatione per filium redimitur, & plena miraculis: ideóque digna admiratione & celebratione. Erat quidem glorioſa & prorſus miraculoſa populi Iſraelitici liberatio ex Ægypto, & aſſidua eiuſdem gubernatio ac defenſio: ſed multò glorioſior & miraculoſior eſt illa altera, qua totum genus humanum à morte æterna ereptum per filium Dei aſſumentem naturam humanã & patientem, reſtituitur in poſſeſſionem regni cœleſtis, à qua per peccatum exciderat. Hanc glorioſam liberationem vult celebrari inter gentes & populos in toto orbe terrarum: atque ita rurſus ſignificat, etiam gentes horum bonorum fore participes. Nam quid attinebat hæc inter gentes annuntiare, ſi horum beneficiorum perpetuò futuri eſſent expertes?

4 Quia magnus Iehoua & laudabilis valde: terribilis [*timendus*] ipſe ſuper omnes Deos.

Addit

Addit rationes cur velit eum celebrari ab omnibus non tantùm Iudæis, ſed etiam gentibus. Eſtque prima ratio, vt & in præcedente pſalmo, ſumpta ab honeſto ſeu debito, nimirum à magnitudine imperij & potentiæ ipſius, quam ex antitheſi opponit fictitiis gentium diis: cum ſciret gentes ita cultui idolorum eſſe addictas, vt niſi euidentiſſimis argumẽtis conuincerẽtur, hunc Deũ, qui ſe in Iſrael patefecerat, eſſe vnicum & verum Deum, non facilè admiſſuræ eſſent doctrinam, quæ hactenus in populo Iſraelitico ſonabat: multò minùs abiecturę ſua idola. Inquit igitur, *quia magnus Iehoua*, nẽpe hic Deus, qui ſe populo Iudaico patefecit. *Magnum* vocat à magnitudine imperij, ſapientiæ & potentiæ ipſius, quã in creatione mundi & ſuſtentatione rerum creatarum aſſidua oſtendit, vt ſuprà pſalmo pręcedente & infrà pſalmo 135. dicitur: Quoniam ſcio quòd magnus Iehoua Deus noſter prę omnibus diis: cui ſententiæ mox tanquam probationis loco ſubiicit, Omnia, quæ voluit Iehoua, fecit in cælo & in terra, in mari & omnibus abyſſis. Cùm talis igitur ſit, debetur ei cultus & adoratio.

Laudabilis ſeu laudandus valde] Alia ratio eſt itidem ab honeſto ſumpta. Dignus eſt, inquit, plurima laude propter bonitatem ſeu beneficia quę exhibet generi humano, miſſo filio, vt ſi ratione creationis & imperij ſui, quo ſibi ſubiectos & obſtrictos habet omnes homines, non obtineat vt adoretur & colatur, ſaltem magnitudo horum beneficiorum mouere vnumquenque debeat, vt hunc Deum celebret.

Terribilis (metuẽdus) *ſupra omnes Deos*] Id eſt, terribilior eſt omnibus diis. Eſtque hæc tertia ratio ſumpta à potentia Dei, quam in ſuis iudiciis, hoc eſt, pœnis hominum ſceleratorum, in mutationibus imperiorum, in defenſione bonorum, in cõſeruatione rerum creatarum oſtendit. Tribuebãt gentes ſuis idolis magnam potentiam, ideóque erant illis terribiles & formidandi. Sed quia falſo id fiebat, dicit hunc verum Deum potiùs eſſe metuendũ, qui & benefacere & malefacere, quique ſaluare & perdere poſſit, quorũ neutrum idola poſſint. Quemadmodum & Ieremias argumentatur capite 10. Ita ex collatione diuinę maieſtatis metum & obſeruantiam diis gentium, qui nihil ſunt, niſi inania ſimulacra, adimit, ac Domino tanquam ſoli vero Deo tribuit. Hæc collatio ſi intelligatur, non erit hæc abſurda ratio, qua moueri omnes homines vult, vt Deum verum colant & adorent. Cùm alioqui ſi extra collationem intelligatur hæc ratio potiùs alienare homines à Deo quàm allicere ad eum poſſit. Non enim colimus filiali amore eum qui terribilis eſt, ſed qui amabilis & beneficus, & de cuius erga nos amore ſumus certi.

5 Quia omnes dij populorum idola [*vanitates*:] Iehoua autem cælos fecit.

Ætiologia eſt, qua oſtendit cur numen Iehouæ maius ſit quàm idolorum: vt abiectis idolis meritò coli debeat. Quia idola, inquit, nihil ſunt niſi vanitates ſeu figmenta mentium humanarum. Iehoua autem eſt qui cælos fecit: eáque re ſuã potentiam & maieſtatem oſtendit. Nam creatio eſt opus omnipotẽtis naturæ. Hæc antitheſis cùm alibi paſſim in ſcripturis, tum maximè pſalmo 135. explicatur, qui ad hunc locũ conferri debet. Scriptura nominat idola אלילים quaſi dicas אל אלים non dij, eo quod ſint res nihili ſeu vanæ, quibus nullum numen, nulla vis, nulla poteſtas ſubſit, & quibus fruſtra nitatur fides.

Quòd dicit Deos populorum, notat variam multitudinem Deorum, quam gentes ſibi temerè fingebant & fabricabant, vt aliæ alios colerent: vt hæc ipſa varietas & multitudo vanitatem iſtarum ſuperſtitionum refelleret. Quod prophetæ conſilium imitati nonnulli, variorum idolorum nomina collegerunt, & ad triginta millia Deorũ in orbe culta fuiſſe annotarũt. Et Tertullianus ex Varrone trecentos Ioues fuiſſe tradit.

Cælos per ſynecdochẽ ponit pro tota mundi machina: quia in cælo magis conſpicua eſt Dei potentia, cum propter inſignem ornatum, & aſſiduum & conſtantem motum, atque efficaciam corporum cæleſtium, tum etiam propter varia meteora quæ in aere fiunt.

6 Magnificentia (*maieſtas ſeu celebritas digna veneratione*) & decor coram eo: robur & decus in ſanctuario eius.

Subiicit aliam probationẽ, qua oſtendit hunc ſolũ Deum, quem Iudæi agnoſcebant, eſſe verum Deum. Eſtque illa ratio ſumpta ab operibus conſeruationis & gubernationis diuinæ, in quibus ſuam potentiam & maieſtatem quotidie oſtendit. Quod enim dicit, magnificẽtiam & decorem, robur & gloriam eſſe coram eo, ſignificat, Deum quidem inuiſibilem eſſe, ita vt oculis hominum comprehendi nequeat: ſed opera eius, quibus ſe aſſiduè conſpiciendum præbet, eſſe plena maieſtatis, gloriæ, potentiæ & fortitudinis: vt quicunque ea opera aſpiciat, hunc fateri neceſſe ſit, non niſi à vero & omnipotente Deo hæc edi. Hoc igitur eſt quod dicit magnificentiam & decorem eſſe ante Deum, quia cùm ipſe non videatur, opera ſua quaſi præmittit ante faciem ſuam, vt ex his tanquam ex veſtitu, vt infrà pſal. 104. loquitur, ipſius virtus & maieſtas intelligatur & deprehendatur.

In ſanctuario eius] Diximus antea ſæpe, ſanctuarium fuiſſe ſymbolũ præſentiæ Dei in hoc populo. Itaque quia de Deo, tanquam de rege aliquo potente loquitur, dicit in aula eius & palatio, hoc eſt, in ſanctuario vbi reſidebat, occurrere imaginem ſplendoris, maieſtatis & potẽtiæ diuinæ, magis quàm alibi extra hãc aulam: ita vt ſi quis ad ſanctuarium reſpiciat, multò ibi plura teſtimonia præſentiæ & maieſtatis diuinæ reperiat quàm alibi. Atque ita hoc ipſo gentes ad agnoſcendum & celebrandum verum Deum, qui ſe huic populo patefecerat, inuitat. Quod autem de ſanctuario dicitur in genere, deinde de eccleſia intelligi debet: in qua Dei maieſtas & gloria magis elucet quam in cæteris orbis partibus. Eſtque illa gloria & maieſtas ab operibus & beneficiis eccleſiæ exhibitis æſtimãda. Ea verò qualia ſint, alibi explicatur copioſiùs. Lucet quidẽ in toto mũdo ſapientia, potẽtia, fortitudo, iuſtitia, bonitas diuina, quæ paſſim eius faciẽ præcedũt: ſed peculiaris eſt ſapiẽtia, peculiaris bonitas, peculiaris iuſtitia & fortitudo, quam erga eccleſiam exercet, dum per filium eam reſtituit liberatam à poteſtate & tyrãnide diaboli & mortis, & Spiritu ſancto ſuo ſanctificatam donat iuſtitia & vita æterna: & in hac vita mirabiliter eam defendit & conſeruat. Hæc igitur gloria & fortitudo conſpicitur in ſanctuario Dei. Græcus interpres vocabulũ הוד interpretatur ἐξομολόγησιν, quaſi eſſet nomen תודה. Nomẽ עז reddidit ἁγιωσύνην quę ſignificatio tamen aliena eſt ab hac voce.

7 Afferte [*deferte*] Iehouæ congregationes populorum: afferte Iehouæ gloriam & robur.

8 Afferte Iehouæ gloriam nominis eius: tollite oblationem & intrate in atria eius.

Redit ad propoſitionem, quæ eſt exhortatio vt dixi. Hanc ſubinde repetit aliis atque aliis verbis, quia prophetico ſpiritu videt quàm difficile futurum ſit vt gentes abiecta & damnata idololatria, quæ iam per tot ſecula apud omnes populos, vbique terrarũ inueterauerat, verum aliquando Deum adorent, idque euentus poſtea cõprobauit. Quales enim fremitus & tumultus extiterint inter gentes, oſtendũt hiſtoriæ illorum tẽporum, & præſentium carnificinæ ac lanienæ triſtiſſimæ. Itaque cũ toties dicit, *afferte Iehouæ* ſemper antitheſis eſt cogitanda, quæ hunc cultum & honorem idolis haberi prohibet. *Afferte Iehouæ*, vero ſcilicet Deo, nõ idolis, *gloriam & robur*, id eſt, tribuite ei hanc laudem, quòd ſolus ſit fortis, & qui glorioſa edat opera: quæ qualia ſint iam diximus. Hũc cultum exigit à cunctis populis. Itaque futurum ſignificat, vt ex gentibus multi aliquanto poſt ad Deum conuertantur, eúmque agnoſcant & celebrent, vt antea monui.

Afferte gloriam nominis eius] Id eſt, gloriam quæ ei meritò debetur, & quæ eius propria eſt: quaſi diceret, tribuite ei iuſtã laudem: nolite eum defraudare debita laude & celebratione. Cùm autem *nominis gloriam* dicit, ſimul monet laudes iuſtas dici non poſſe Deo, niſi rectè & verè agnoſcatur. Nam vt nomine quis agnoſcitur, ita rectè Deus celebratur, cum nomen eius notum ſit hominibus, hoc eſt, cum qualis ſit agnoſcitur. Illa verò agnitio oſtendit gloriam eius, quæ digna eſt magna celebratione.

Tollite oblationem & intrate in atria eius] Videtur propheta inuitare gentes, vt ritus Moſaicos ſimul cũ Iudæis obſeruẽt: facit enim mẽtionem Minha, quæ eſt vna ſpecies ſacrificiorum. Deinde meminit atrij in quo populus Iudaicus conueniebat ad peragenda ſacra. Cur igitur Apoſtoli in Actis 15. prohibent obſeruari à gentibus ritus Moſaicos? Reſpondeo, Propheta cum vaticinium proferret de gentium vocatione, hac forma orationis ſignificare voluit, cultum diuinum gentibus poſt promulgatum euangelium fore cum Iudæis eundem & communem: nec tamen inde conficitur, externo ritu qui olim in lege præſcriptus, & ad templum Hieroſolymitanum inſtitutus fuit, nũc Deũ à nobis eſſe colendum. Nam ille ipſe cultus, qui in externis ritibus conſiſtebat, ſub id tempus quo euangelij vox per totũ orbẽ terrarũ ſparſa eſt, ſimul cùm politia Iudaica eſt deletus, vt eſſet ea res euidẽtiſſimum teſtimonium, quòd deinceps coli Deus hoc ritu externo nollet: & prophetæ prædixerant, noui teſtamenti cultũ fore ſpiritualem. Quod igitur facit mentionem oblationum & atrij, ſciendum eſt eum ab externo cultu, qui tunc in illo populo vſitatus erat, deſcribere verum & internum & ſpiritualem cultum qui perpetuus & noui teſtamenti proprius eſt, Sicut Chriſtus inquit, Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt

patrem in Spiritu & veritate. Et Paulus ad Romanos 12. nominat λογικὴν λατρείαν. Et 1. Pet. 2. dicitur, Offerte hoſtias ſpirituales acceptas per Ieſum Chriſtum.

Eſtque hæc ratio loquendi vſitata prophetis, vt vidimus in Malachia capite 1. & aliis. Cùm igitur iubet gentes ingredi atrium Domini & offerre Minha, iubet eos eundem Deum colere & adorare, quem Iudæi celebrant. Atque ita futurum prædicit paulò poſt, vt apertis templi foribus, quæ olim gentibus clauſæ fuerunt, hoc eſt, ſparſa euangelij voce per totum terrarum orbem, & vocatis gẽtibus ad ſocietatem eccleſiæ, vnus & idem cultus ſit Iudæis & gentibus.

Nomine verò Minha *oblationis* ſynecdochicè omnia ſacrificia, hoc eſt, omnia opera & cultus diuinitus mandatos intelligit: atque in primis inuocationẽ & gratiarum actionem. Itaque inepti ſunt pontificij, qui hoc dictum, ſicut & illud Malachiæ primo, ad idololatricum Miſſæ ſacrificium accommodant. Quòd hic dicitur, *intrate in atria eius*, textus 1. Paralip. 16. vbi hic pſalmus recitatur, habet באול פניו Venite in conſpectum eius. Qua ſententia reſpexit ſine dubio ad illud mandatum quo iubebantur Iſraelitæ ter in anno proficiſci Hieroſolymam, & apparere coram Domino cum muneribus ſeu oblationibus. Eóque ritu ſignificatum eſt, pios iugiter Spiritu apparere coram Domino in eccleſia, hoc eſt, in cœtu ſanctorũ, eíque offerre munera ſeu hoſtias ſpirituales acceptas per Ieſum Chriſtũ, vt Petr. loquitur 1. epi. 2. Quomodo autem in atrium Domini & in conſpectum Domini venire idem ſit, ex his quę paulò antea dicta ſunt, manifeſtum eſt.

9 Adorate Iehouam [*incuruate vos Iehouæ:*] in decore ſanctitatis [*ſeu ſanctuarij*] tremiſcite à facie eius tota terra.

Ἐξήγησις eſt ſuperiorũ verſuum. Iam enim abſque figura exponit priorem ſententiam vt ingredi in atria Domini, & offerre oblationes, nihil aliud ſit, quàm adiungere ſe ad cœtum piorum, & ſimul cum aliis fidelibus Deũ adorare, eíque ſe vera reuerentia atque obedientia ſubiicere. Atque in hũc finem in populo legis inſtituta erant illa externa ſacrificia oblationum & victimarum, vt de his cultibus qui perpetui ſunt, tanquam aliqua externa pędagogia, offerentes commonefierent: vt ſuprà vidimus pſal. 50.

In ornatu ſanctuarij] Hoc membrũ eodem modo intelligẽdum eſt, ſicut illud quod de atrio paulò ante diximus. Itaque & Græcus ad ſenſum potiùs quàm ad verba reſpiciens reddidit: ἐν τῇ αὐλῇ ἁγίᾳ. Ornatum enim ſeu ſplendorem ſanctuarij nominat templum magnificè & ſplendidè exornatum, in quo iubet tam gentes quàm Iudęos adorare Deum: vt ſignificet gentes non multò poſt vnum fore cum Iudæis corpus, & cultum vtriſque fore communem. Pulchritudinis nomine reuerentiam conciliat templo, & monet nos ne temere proſiliamus in conſpectum Dei: ſed metum & humilitatẽ afferamus. Ideóque ſubiicit, tremiſcite &c. Pulchritudo autem non eſt poſita in auro, argẽto, cæſis lapidibus, magnifica ſtructura, ſed in imagine cœleſtis prototypi, quod Moſi oſtenſum fuerat in monte, Exo. 25. hoc eſt, quod imago eſſet illius domus in qua Deus perpetuò eſſet habitaturus. Illa autẽ domus ſunt corda fideliũ, ſeu eccleſia, vt dicitur ad Hebræos 3. In hac igitur domo, hoc eſt, in cœtu piorũ, in quorũ cordibus Deus habitat per Spiritum ſanctum, vult nos adorare Deum, hoc eſt, rectè eũ agnoſcere, rectè inuocare, gratias agere, vera fide, patientia atque obedientia nos ei ſubiicere. Alij interpretãtur, in ornatu ſancto, id eſt, in vera fide & alijs pijs moribus.

Tremiſcite] Id eſt reuerenter vos ei ſubiicite, vt verè & ſeriò eum colatis, & metu numinis eius abſtineatis ab his quibus ille offenditur. Sicut ſuprà inquit pſal. 2. Seruite Domino cũ timore, & exultate ei cum tremore. Vult enim nos cum magna animi lætitia ingredi ſanctuarium Domini, in quo Deus ſeſe nobis offert benignum & placatum propter filium: ita tamen, ne illa lætitia in ſecuritatem carnalem degeneret.

10 Dicite in gentibus, Iehoua regnat, vtique ſtabilietur orbis, non commouebitur: iudicabit populos in rectitudinibus.

Subiicit aliam adhortationem, vt vocem doctrinę cæleſtis hi qui præcones erant futuri regni Chriſti, audacter ſpargãt inter omnes gentes, vt paſſim in toto orbe terrarũ Deo colligatur eccleſia, atque ita ei regnum condatur & amplificetur. Regnauit Deus vſque ad aduentũ Chriſti in Iudæa: quia ibi ſolum agnoſcebatur & colebatur, & edebat ſuæ præſentiæ & potentię teſtimonia: & pij in populo Iudaico imperium eius agnoſcẽtes ei parebant. Sed exhibito Chriſto vult regnũ eius ad vltimas mundi plagas extendi, omnéſque gentes in vnum corpus cum Iudæis coaleſcere, ac ſub vnum caput redigi. Ideo iubet annũtiari inter gentes, Dominum iam velle obtinere regnũ in toto orbe terrarum: quod antea quaſi in vno terræ angulo incluſum & circumſcriptum fuerat: idcirco iubere vt abiectis ſuis idolis homines hunc vnicũ regem agnoſcant, eique ſe ſubiiciant. Idem enim eſt ac ſi diceret, Nullius eſſe regnum niſi huius Dei & Meſſiæ, qui euerſa Diaboli tyrannide, deuicta morte & ſublato peccato, regnũ ſibi in omnes homines vendicat: ideóque imperium eius agnoſcendum, nec alios quærendos eſſe dominos ſeu reges, à quibus ſalutem & opem quiſque expectet.

Iuſtinus in Dialogo ad Tryphonem affirmat in Græca verſione, quæ tunc habebatur, legi εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου. & dicit Iudæos ſceleratè expunxiſſe in Hebræo codice has dictiones ἀπὸ τοῦ ξύλου: ne concedere cogerentur regnum hoc paſſione & morte, quam in cruce perpeſſus eſt Chriſtus ſtabiliri.

Vtique ſtabilietur orbis] Amplificatio eſt ab effectu. Regno Chriſti conſtituto & ſtabilito tum demum ſtabilietur & cõfirmabitur orbis terrarum, conſenſu ſcilicet & coniunctione voluntatũ & animorum, quando vnum Deum & regẽ agnoſcent & colent, qui hactenus in varias partes fuerant diſtracti, cùm alij alia ſibi numina confingerẽt, & ſubinde nouos Deos nouáſque religiones fabricarent. Non loquitur hîc de naturæ ordine, quaſi is antea nunquam fuerit ſtabilis ſeu firmus: ſed de voluntatum coniunctione & conſenſu animorum, & conſtantia in confeſſione, qua regnum Chriſti in orbe ſtabilitur, dum vnicus & verus Deus agnoſcitur & ritè colitur: ita vt regnum hoc deinceps ſit inuictum, nullis aduerſitatibus, nulla vi concutiatur. Atque ita tacitè damnat illam horribilẽ ἀταξίαν & cõfuſionẽ opinionũ, qua orbis terrarũ hactenus fuerat diſtractus, & perpetuis quaſi ſeditionib. cõcuſſus atque exagitatus, vt ſubinde nutaret & ruinã minaretur.

Iudicabit populos in rectitudinibus] De hac ſententia dictũ eſt ſuprà pſalmo 45. vbi ſceptrum regni Chriſti vocat ſceptrum rectitudinis. Regnum Chriſti plenum eſt æquitatis, rectè & iuſtè adminiſtratur, nõ pro affectu aut libidine, ſed æquabiliter in eo adminiſtratur ius, defenduntur boni, recipiuntur omnes confugientes ad miſericordiã ſine vlla προσωποληψία. Improbi verò & hoſtes puniuntur. deinde Spiritu ſancto renouantur corda piorum, & paulatim in iis reſtituitur imago Dei, & ad illam rectitudinem, ad quam conditum eſt genus humanum, transformatur. Hæc æquitas & rectitudo parit ſtabilitatem huic regno, cùm idolorum regna contaminata ſint variis & horridis ſceleribus, quibus ipſa ſe tandem euertunt.

Verbo iudicandi apud Hebræos adminiſtratio cuiuſcũque regni ſignificatur, tanquam à præcipua parte gubernationis, quæ conſiſtit in iudiciis, & in executione legum. Ideo iudices in populo Iudaico dicebantur, qui remp. adminiſtrabant ante reges: habebántque eam poteſtatem quam habet legitimus magiſtratus.

11 Lætentur cęli & exultet terra, tonet mare & plenitudo eius.

12 Exultabit ager & quicquid in eo eſt, tunc exultabunt omnes arbores ſyluæ.

13 Coram Iehoua quia venit: quia venit ad iudicandum terram: iudicabit orbem in iuſtitia, & populos in veritate ſua.

Amplificat & confirmat propoſitionem pſalmi ab exẽplo: in quo eſt quaſi quædam proſopopœia. Affirmat enim tantã eſſe beneficiorũ Chriſti erga genus humanum magnitudinem, vt omnes creaturæ quodammodo exultent & lętentur, & Deo gratias agant, cùm tamen illa beneficia non ad alios quàm ad homines pertineant: vt ſi nulla alia re, ſaltem hoc exemplo moueri nos deceat, vt beneficia nobis in Chriſto exhibita agnoſcamus & grati celebremus. Turpe enim eſt homines in celebrãdis beneficiis eſſe ſegniores brutis animantibus. Vtitur autem diſtributione, in qua partes mundi recenſet: eáque res ad amplificandam atque exornandam ſententiam facit.

Lætabuntur cæli] Rectè legitur vel in futuro vel in imperatiuo. Quia etiam cùm iubet creaturas omnes lætari propter reſtitutionem generis humani, & felicitatem ac gloriam regni Chriſti, atque ita ad ſocietatem lætitiæ eas inuitat, ſimul futurum prædicit, vt id fiat. Nam ſicut creaturæ laborante genere humano ſemper congemiſcũt, eo quòd ipſę quoque corruptioni & vanitati ſimul ſunt ſubiectæ, Rom. 8. ita reſtituto genere humano lætantur: quaſi ipſæ quoque reſtituantur, & ab abuſu vindicentur. Eſt igitur communis ipſis nobiſcum de regno Chriſti lætitia.

Tonet] Perſtrepat atque reboet: atque ita ſuam lætitiam oſtendat.

Quia venit] Hac ratione oſtendit omnes creaturas vſque ad

ad aduentum Meſſiæ,quaſi perpetua mœſtitia fuiſſe oppreſſas:quo magis id de hominibus dici poteſt , qui antequam Chriſti aduẽtus appareat,ſub ęterna maledictione ſũt poſiti.

Verbum *venit* geminatur propter certitudinẽ. Hunc enim vſum ſæpe habet illa ingeminatio. *Iudicare* iterum pro regere accipitur,vt ſuprà dictum eſt,& complectitur omnes partes legitimæ gubernationis,qua ille erga ſuos vtitur.

In iuſtitia] Iterum modum gubernandi deſignat , vt ſuprà verſu 10. *Regnat in iuſtitia*] quia reparat hominem ad imaginem Dei,& reſtituit in nobis iuſtitiam amiſſam:quod fit primum imputatione, cùm acceptamur & adoptamur in filios gratis abſque operibus. Deinde inchoatione:cùm iuſtitia vera in nobis reſtituitur , & praui affectus paulatim domantur & extirpantur,vt nulla dominetur iniquitas & iniuſtitia qua regnum diaboli ſcatet.Poſtea iudicat in iuſtitia,quia eccleſiã eripit à tyrannide diaboli,mortis,inferorum,& defendit aduerſus hoſtiles conatus tyrannorum. Veritatem accipit pro fidelitate qua præſtat ea quę promiſit.

PSALMI XCVI.

PARTES.

I. Exhortatio ad laudes Dei in Eccleſia ex Iudæis & gentibus collecta,canendas,v.1.2.3.ideo canticum illud nouum appellatur.Fit autem mentio nominis,ſalutis,honoris,operum,& magnificentiæ Dei:vt fideles ad illud obſequium præſtandum alacrius ſe accingant.

II. Argumenta laudis, tum à præſentibus beneficiis à v. 4. ad 10. tum à futuris quæ propheticè de regno Chriſti à Dauide prædicta ſunt,reliquis verſ. Beneficia autem præſentia ſunt. 1.Religionis veræ verum Deum colentis præſtantia. 2. Falſæ vanitas & abominatio. 3. Maieſtatis & præſentiæ Dei inter ſuos teſtimonia, verſic. 4.5. vnde exſurgunt piæ illæ exhortationes ad Eccleſiam Catholicam , verſ. 7.8. 9. de Iudæorum & gentium officio : ſimúlque deſcribitur cultus ille legitimus quem Deo debent cuncti fideles.

Beneficia futura, felicitatem Eccleſiæ ſub regno Chriſti depingunt , verſic. 10.11. 12.13. Iudæis datur mandatum ad gentes excitandas : præconium enim gratiæ Dei proponit Chriſtum regentem orbem, id eſt, Eccleſiam in orbe ſtabilientem, iudicium per miniſterium verbi & efficaciam Spiritus exercentem,verſ.10. Inde per proſopopœiam lætitia vniuerſi tanto regi veluti obuiam euntis & de proſpera adminiſtratione gratulantis poetico ſtilo deſcribitur, verſicul. 11. & 12. Cauſa huius lætitiæ adſcripta,verſi.13.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.& 2 Non modò Iſraelitæ,ſed promiſcuè totus orbis ad teſtandam pietatem & ſtudium ad Dei laudes celebrandas hortatur:quod fieri non potuit donec per euangelium innotuit Deus. Eſt illuſtris concio igitur hoc pſalmo de gentium vocatione,& ſermo habetur de inſolita & extraordinaria eius gratia:noui enim cantici & ſalutis Dei ſit mentio,quæ non eſt caduca vel euanida,ſed perpetuò viget,quum de die in diem celebranda ſit.

3 Salus Dei poſt Chriſtum exhibitum glorioſa eſt & admirabilis: nobilius enim tunc & præſtantius quàm antea immenſæ tum bonitatis tum potentiæ ſuæ ſpecimen Deus edidit,quum apparuit toti mũdo redemptor:quod beneficium non ſatis agnoſcitur,niſi ad incõparabile miraculum in eo reſplendens ſenſus noſtros attollimus.

4 Scriptura nobis ſedulò & perſpicuè deſignat Deum illum quẽ vult à nobis coli & laudari,ne in erroribus vagemur,& temere Dei nomen profanemus.

Falluntur ſuperſtitioſi qui angelis(per quos Deus totum mundum irradiat,& in quibus refulgent deitatis ſcintillæ)affingunt immodicam gloriam,& idololatræ,qui digitorum ſuorũ opus adorant,& ita à vero & vnico Deo abducuntur.

5 Quia nonniſi in vno mundi opifice vera eſt ac ſolida deitas,friuolæ ſunt & ſtultæ religiones quæ purum eius cultum corrumpunt. Ergo vtcunq; innumeri homines in errorẽ cõſentiãt, liberè clamemus poſt Spiritum ſanctum,non poſſe eos minuere Dei gloriã: quia vt ipſi ſunt vanitas,ita vanũ eſt atq.fallax quicquid ab ipſis prodit: contra,quũ proprium Dei ſit à ſeipſo eſſe & ſua virtute ſtare,ſequitur commentitios eſſe omnes deos qui non ſunt mundi opifices.

6 Non poteſt Deus ritè cognoſci quin reſplendeat in ipſo incomparabilis virtus & maieſtas.Sed quia Deus per ſe inuiſibilis eſt,reuocamur ad eius verbũ,quod hodie ſymbolum eſt eius præſentiæ,vt olim ſanctuarium:Porrò gloriam hanc quæ in eius facie refulget, animis noſtris concipere diſcamus,quia mortuã potiùs eſſentiam imaginãtur quàm viuam deitatem,qui eius potentiam ab ea ſeparant.

7.8. Vbi de regno Chriſti agunt prophetæ,ſub ætatis ſuæ ſymbolis notant internum Dei cultũ.Quibus autẽ ſacrificiis nunc coli Deus velit,Apoſtolus breuiter docet in epiſtola ad Hebræos.Cæterùm veri cultores ad Deum vacui non accedunt:iubentur enim ſe ſuaq; omnia offerendo in ſacrificium,rationalem ei cultum præſtare.

9 Quando cultum externum à populo ſuo Deus exigit,non id facit quòd eorum officiis indigeat,ſed vt fidem ſuam profiteantur.

Pulchritudo eccleſiæ,quæ non in externo ſplendore conſiſtit ,ſed in fide & pietate,nos iubet metum & humilitatem afferre quoties prodimus in Dei conſpectum,non vt ab eius acceſſu arceamur,ſed quia nos humiliari neceſſe eſt,vt verè & ſerio Deum colamus.

10 Deus verbo ſuo & doctrina propagari vult regni ſui fines ad vltimas mundi plagas,vt ſub eius auſpiciis in vnum coaleſcant qui priùs fuerunt diſperſi.

Omnia in mundo ſunt confuſa,quandiu impietas hominũ animos occupat:quia extra Deum nihil ſtabile eſſe poteſt.Non immeritò igitur docet hic locus ſtabiliri orbem,vt ampliùs non nutet, vbi rediguntur homines ſub Dei manum.

Iudicandi verbum docet,vtcunque ſibi placeant homines, omnes tamẽ à recto aberrare,donec eos Chriſtus ſibi ſubiiciat. Hæc autẽ rectitudo non ad externas modo vitæ actiones refertur,ſed eſt interior cordis nouitas:quia pendet à ſpiritus regeneratione, qua reſingimur ad imaginem Dei.

11.12.13. Tot hyperbolicæ loquutiones exprimunt nihil eſſe magis optabile vel beatum quàm ſub Dei fide viuere,qui non regnat more tyrannico vel formidabili,ſed plenam obtinet ac exhibet ſuauitatis & lætitiæ poteſtatem:quòd enim expaueſcunt & furore percelluntur impij ſimul ac erigitur Dei ſolium,hoc illis accidentale eſt: & inſana eſt eorum lætitia,vbi ſine Deo laſciuiunt.

Regnum Chriſti mundum exhilarat,ſpeciménque in eo nũc habemus reſtaurationis ad quam creaturæ omnes anxiè aſpirant.

Quandiu abſcondita eſt nobis Dei facies,nulla veri gaudij ſcintilla nobis emicat.Nonniſi autem luce veritatis ac iuſtitiæ Dei,prauitas & hypocriſis hominibus ingenitæ diſcutiuntur ac purgantur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De regno Chriſti Iehouæ.
2. De vocatione Gentium.
3. De Idololatria extra Chriſti Eccleſiam.
4. Veri Dei à falſis diſtinctio & deſignatio.
5. De cultu interno & externo.
6. Miniſterij Euangelici dignitas & efficacia.
7. De aduentu Chriſti regis.
8. Verbi, in Eccleſia perſonantis, effectus, piorum & impiorum reſpectu.
9. Quale iudicium Chriſto tributum.
10. De veritate,ſeu fide & iuſtitia Chriſti.

ARGVMENTVM PSALMI XCVII.

ETIAM hic pſalmus regnum Chriſti per totum orbem terrarum propagandum celebrat : & omnes homines hortatur,vt hunc regem læto animo amplectantur, agnoſcant,adorent & celebrent , ſéque ei

vera reuerentia atque obedientia ſubiiciant, abiectis idolis, quibus hactenus fruſtra ſuam ſalutem commiſerant. Addit autem huic exhortationi argumenta ad perſuadendum idonea. Primum enim gloriam & potentiam huius regis deſcribit, quam in diſſipandis atque extirpandis ſuis hoſtibus, in ſtabiliendo ſuo imperio & defendendis ſuis cultoribus oſtendit, vt metu huius potentiæ & pœnarum imminentium homines ad agnoſcendum & colendum hunc regem alliciat. Atque huic argumento ex antitheſi vanitatem eius fiduciæ, quæ ab idolis pendet, opponit. Alterum argumentum ſumptum eſt à beneficiis, quæ ab hoc rege conferuntur piis. Affirmat enim perpetuum piis paratum eſſe in hoc rege præſidium: totúmque hoc regnum non niſi ad hominum ſalutem comparatum atque inſtitutum eſſe. His igitur beneficiis, ſi metu potentiæ diuinæ non moueantur, inuitare homines ad agnitionem & cultum veri Dei conatur. Apud Hebræos pſalmus hic eſt ἀνεπίγραφος, ſicut & præcedens, ſed Græcus interpres titulum addidit, quem quanquam vnde habeat certò ſciri non poteſt: tamen cùm occaſionem pſalmi ſcribendi indicet, & ſententiæ nonnihil ex eo lucis accedat, addendum cenſui. Habet autem titulus hoc modo, ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσαται: vt appareat pſalmum hūc ſcriptum eſſe poſt victorias inſignes, quibus terras vicinas populo Iudaico promiſſas regno ſuo adiecit: & ſit quaſi ἐπινίκιον, in quo victoriam & belli ſucceſſum Deo adſcribit: ideóque potentiam eius celebrat. Quia verò regno ſuo adumbrari Chriſti regnum ſciebat, haſque victorias, quaſi prælu dia quædam earum victoriarum, quas ſub regno Chriſti verbi ipſius præcones reportaturi erant, eſſe ſtatuebat: Ideo animum & orationem ad illud regnum prædicandum atque exornandum, potiùs quàm ad ſuas victorias celebrandas, conuertit.

1 IEhoua regnat: exultet terra: lætentur inſulæ multæ.

Propoſitio pſalmi eſt, qua hortatur omnes homines, vt de ſalute per Chriſtum parta lætentur, eique ob beneficia in ſe collata gratias agant. Iehoua, inquit, regnat, id eſt, potenter iam regnum obtinet deuictis ſuis hoſtibus, deleto peccato, morte, oppreſſa tyrannide diaboli, &c. Has victorias Meſſiæ ſciebat Dauid ſuis illis victoriis adumbrari. Ideo ſicut ille vicinos populos, iamdudū regno Iſraelitico deſtinatos, armatus diuina virtute ſibi ſubiiciebat: ita futurū ſciebat, vt Chriſtus veniens in carnem ſuos & eccleſiæ ſuæ hoſtes opprimeret & deleret: & paſſim in toto orbe terrarum regnum obtineret. Ideo dicit, Iehoua regnat, quaſi dicat, iam euerſum eſt Chriſti aduentu mortis imperiū, & diaboli potentia, ac multò magis numen illud quod idolis falsò tribuebatur. Nam Chriſtus omnem potentiam, quæ ſuo regno aduerſabatur, diſiecit & euertit, & ſolus iam regnum obtinet, colligens ſibi eccleſiam ex toto genere humano, quam regit, tuetur & defendit. Hæc eſt ſententia horum verborum. Iehoua regnat, Cúmque Chriſtum nominat Iehouam, oſtendit in eo naturam diuinam eſſe: atque huc etiam cætera argumenta referenda ſunt de omnipotentia & inuocatione, quam vult huic regi tribui, vt ſuprà pſalmo 95. monuimus.

Exultet terra] Regnum Chriſti eſt regnū lætitiæ, & vt Paulus inquit Rom. 4. Iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Affert enim pacem conſcientiæ ſublatis terroribus mortis, peccati & damnationis. Eſtque hæc pax initium & guſtus vitæ æternæ. Ideo iubet omnes hunc regem, à quo hæc bona nobis parta ſunt, cum lætitia excipere, omnemque triſtitiam & mœrorem ex animo depellere. Econtra verò ſignificat, omnes, apud quos hic Meſſias regnum non obtinet, perpetuo dolore ob ſua peccata & tyrannidem diaboli ac mortis, qua ſunt oppreſſi, neceſſariò contabeſcere Nam regnum diaboli atque idolorum regnum eſt mortis, damnationis & æternorum cruciatuum. Itaque qui ſub hoc regno non ſunt, etiamſi interdum in hoc mundo lætantur, habent tamen, vt dici ſolet, ὠνητὸν γέλωτα, hoc eſt, riſum pretio emptum, qui non niſi ad momentum durat, & paulò poſt in triſtiſſimum dolorem & luctum conuertitur. *Terra* ſynecdochicè pro habitatoribus terræ accipitur.

Lætentur inſulæ] Hæc ſententia manifeſtè oſtendit Dauidem principaliter de regno Chriſti loqui. Non enim extendit ſuū imperium Dauid in tranſmarinas regiones, vt inſulæ participes eſſe potuerint eius lætitiæ quam ex victoriis crebris ſub Dauide capiebant Iudæi Sed ſicut ille feliciter gerebat bellum aduerſus ſuos hoſtes, & regni ſui fines proferebat: ita futurum ſciebat, vt Chriſtus verus populi Dei rex regnum ſuum in omnes orbis partes extenderet, & longè latéque per miniſterium doctrinæ euangelij dominaretur. Ideo iubet terram & inſulas multas, id eſt, paſſim omnes in toto orbe terrarum, lætari.

2 Nubes & caligo in circuitu eius: Iuſtitia & iudicium baſis [*firmamentum*] ſolij eius.

Adhortationi ſubiiciuntur rationes, quarum prior ſumpta eſt à potentia huius regis, quam à ſignis deſcribit. Nam cùm potentia præcipuā autoritatem regibus apud ſubditos conciliet, meritò huic regi reuerentiam, atque obedientiam deberi oſtendit, cuius ſit ſumma potentia ac robur infinitum. Atque hoc ipſo ſignificat, quales hic rex velit habere ſubditos, tales ſcilicet qui non opinione aut fiducia propriæ ſapientiæ, potentiæ aut virium ſeſe efferant, ſed qui depoſita carnis confidentia & faſtu, vera animi humilitate ei ſe ſubiiciant.

Nubes denſæ & caliginoſæ formidabiles ſunt hominibus, quia magnas tēpeſtates, tonitrua & fulgura minitātur, quibus ſæpe pagi & oppida euertuntur. Cū igitur inquit, Nubē & caliginē, hoc eſt, nubē denſam & caliginosā eſſe in circuitu huius regis, hoc ſymbolo ſignificat eū incutere terrorē hominibus: vt abiecta fiducia ſui diſcāt ſe nihil habere quod opponere poſſint iudicio Dei, in quo arguit peccata, atq; ita ſub manu eius ſe humilient & reuerenter eum excipiant: idque niſi faciant, interitū ſibi paratū eſſe ſciant. Ita rectè hac oratione miniſterium legis ſignificatur, quod arguens peccata & oſtēdens iram Dei & maledictionem hominibus incutit terrorem, vt deſperare de ſe & virtutibus ſuis, atque ita confugere ad gratiam diuinam diſcant.

Iuſtitia & iudicium] Altera ratio ſumpta eſt à beneficiis huius regni: Dicit enim ſolium huius regni locatum eſſe in iuſtitia & iudicio, vt ſignificet duas res ſummas vigere in hoc regno, iiſque frui omnes huius regni ſubditos. *Iuſtitiam* intelligamus, ſicut ſuprà pſalmo præcedente, qua imaginem Dei & iuſtitiam amiſſam in nobis reſtituit: deinde qua in ſuam fidem & tutelam receptos potenter defendit aduerſus omnē vim & potentiam quæ huic regno aduerſatur: quæcunque ea ſit. Reſtituit autem imaginem Dei & iuſtitiam amiſſam in nobis primùm imputatione, qua nos adoptat in filios & hæredes regni cæleſtis, & pronuntiat iuſtos, hoc eſt, acceptos coram Deo & reconciliatos, non aliter ac ſi legi ſatisfactum eſſet à nobis: & cōdonat defectus, qui ex infirmitate etiā poſt reconciliationem nobis adhærent. deinde inchoatione: quia paulatim per Spiritum Dei ad imaginem ipſius transformamur: donec in altera vita plena imago conſentiens cū norma iuſtitiæ diuinę in nobis reſtituatur. Cum hac verò iuſtitia etiam altera illa coniuncta eſt, quæ ſuæ fidei & tutelæ commiſſos potenter defendit aduerſus hoſtes: id enim propriū eſt iuſtitiæ. Vbi igitur Chriſtus regnum non obtinet, inde exulat illa iuſtitia, & neceſſe eſt homines oppreſſos peccatis & tyrannide diaboli in æternum perire.

Iudicium ad pœnas hoſtium referendum eſt. Sicut enim ſuos receptos in gratiam & iuſtificatos aſſiduè regit & defendit aduerſus omnem potentiā quæ ſe contra hoc regnum effert: ita hoſtes, diabolos & horū organa, qui regnū hoc delere atque euertere conātur, punit & coercet, ne ſæuire pro ſua libidine in eccleſiā poſſint. Cæterū forma ſermonis ab hominū imperiis ſumpta eſt, quæ rectè adminiſtari & maximè florere iudicamus, ſi in iis vigeant iuſtitia & iudicium, hoc eſt, vt Paulus inquit, ſi ſint honori bono operi, & terrori malo: ſi bonos tueantur, eóſque præmiis ornent & beent: malos verò & ſceleratos è medio tollant, ne ſocietatem generis humani & publicam tranquillitatem turbēt. Tale igitur eſt Chriſti regnum, niſi quòd iuſtitia, de qua hic concionatur, multo maiora & auguſtoria bona cōplectitur: & priùs homines iuſtos facit, quam patrocinium horum ſuſcipiat: quod de aliis regibus dici non poteſt.

3 Ignis coram facie eius ambulabit: & inflammabit [*exuret*] in circuitu inimicos ſuos.

4 Illuxerūt fulgura eius orbi: videbit & tremiſcet terra [*Futura & præterita vtriuſque verſus vertantur*

tantur in præſentis temporis verba, ita planior erit ſententia.]

5 Montes tanquam cera liqueſcunt, à facie Iehouæ: à facie Domini totius terræ.

Additur ἐξήγησις ſeu declaratio prioris argumenti, in quo potentiam Dei à ſignis in oculos incurrentibus & ab effectu deſcribit. Dixerat ſuprà, Deum incedere amictum denſa, atra & caliginoſa nube, vt hominibus præfractis & ferocibus terrorem incuteret. Nũc ignis meminit, vt iis qui Dei potentiam agnoſcunt, fiduciam ſuę ſapientię, iuſtitiæ ac virium adimat: aliis verò qui eius vim & potentiã rident & contemnunt, & qui perpetuò ipſius regno aduerſantur, exitium afferat. Huc enim tẽdunt quæ de nube caliginoſa primo verſui ſubiicit. Hoc igitur membrum nunc explicat copioſiùs. Nam denſæ illæ nubes non ſunt inania terriculamenta, vt Cyclopes & homines ſecuri exiſtimant: ſed ſuo tẽpore emittunt flammas ignis, tonitrua & fulgura, quę interitum afferunt hominibus impiis, & terrorem incutiunt etiam piis hominibus: vt diſcãt ſe ſub manu Dei humiliare, atque iram eius & iudicium aduerſus peccata metuere. Ita rurſus quanquam de aliqua tempeſtate loqui videtur, quæ eo tempore, quãdo Dauid bella geſſit aduerſus vicinos, exercitum hoſtilem diſſipauit & deleuit: qualem ſuprà pſalmo 18. multis verbis deſcribit: aut cuius mentio fit 1. Sam. 7. ſimul tamẽ ad miniſteriũ Legis reſpicit, quod impiis, præfractis, ſuperbis & fiducia ſuæ ſapiẽtiæ, potentiæ aut iuſtitiæ tumentibus horribiles terrores incutit, qui ſunt initia mortis æternæ; & multi his doloribus oppreſſi pereunt: aliis verò timorem affert, vt abiecta ſui aut ſuorum operum fiducia, Deo ſe reuereter ſubiiciant, eiúſque gratiam expetentes vera deinceps animi pietate ipſum colãt, ac metu numinis ipſius à peccatis abſtineãt. Vox igitur & effectus legis diuinæ hoc loco per tonitrua, flãmas & coruſcationes ſignificari intelligantur. Per terrã verò & montes corda hominum perterrefacta voce legis, qui antea montiũ inſtar ſe efferebãt ſupra omnes alios, & fiducia ſui tumebant. Et quia vox doctrinæ cęleſtis aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis ad mortem, vt dicitur 2. Corinth. 2. ideo hic dicit hoſtes Dei his flammis exuri: pios verò conſpecta ipſius potentia & gloria annuntiare iuſtitiam eius.

Si ad hiſtoriam pſalmus applicetur, per montes indicabimus ſignificari magnos principes & duces in exercitu hoſtili, quia vſitatum eſt in Scriptura appellatione montium notari regna & reges. Sicut ſuprà pſalmo 76. Mõtes prædæ nominat regna violenta, quæ nõ tantùm per vim & cædes ſunt acquiſita: ſed quæ aſſiduis deprædationibus vaſtant genus humanum. Et Habacuc 3. Montes & colles ſeculi dicuntur reges & principes qui multo tempore imperauerunt. Ita Ieremiæ 51. Regnum Babylonicum comparatur monti. Eſt igitur hæc ſententia verſus quinti: *Montes vt cera liqueſiunt:* hoc eſt, etiam ſumma potentia quæ hominum iudicio, videbatur inuicta, à facie Dei irati, velut cera liqueſcens ad ignem diſſoluitur & in nihilum redigitur. In qua ſimilitudine mirabilis eſt extenuatio potẽtiæ & virium humanarum, quæ ſe contra Deum efferunt, plena cõſolationis. De hac verò dictum eſt ſuprà pſalmo 68.

A facie] Non inquit ab igne, ſed à facie: fingit enim horribilem illum tempeſtatis caliginoſæ nubis, fulgurum micantium, fulminúmque penetrantium aſpectum, eſſe faciem Dei irati & ſæuientis, vſque adeo terribilem, vt ſolo aſpectu terreat, & quos voluerit in fugam coniiciat.

A facie Domini totius terræ] Latina tranſlatio habet, à facie Domini omnis terra. Sed rectius legitur in genitiuo, quia nomen ארון in conſtructione ponitur. Et voluit propterea hoc membrum ſubiicere, vt oſtenderet quis ſit ille Iehoua cuius toties mentionem facit, & cuius potentiam celebrat: nimirum dominator totius terræ.

6 Annuntiauerunt cæli iuſtitiam eius: & viderũt omnes populi gloriam eius.

Amplificat ſententiam à multitudine & cęlebritate præconũ potentię & iuſtitiæ diuinæ. Eſtque proſopopœia in hac ſententia, qua ſenſum & vocem tribuit cælo: vt ſignificet, hanc iuſtitiam, quæ in Chriſto manifeſtabitur, tantam fore, vt cælos & terram impleat, ipſáque in ſui admirationem & celebrationẽ rapiat: quaſi dum hominum ſaluti conſulitur, ipſa quoque horum beneficiorum ſenſu quodammodo afficiantur, iiſque communicent. Alij cælos interpretantur Angelos in cælis agentes: alij Apoſtolos & verbi diuini præcones, qui cæleſtem in his terris vitam agunt. Sed plenior multò eſt ſententia, quando per proſopopœiam cælo ſenſus & vox tribuitur.

Gloriam] Quam ſcilicet oſtendit, dũ ſuorum ſaluti conſulens, veram iuſtitiam reſtituit & patrocinium ſuorum ſuſcipit: & quam ante hac intueri non poterant excæcati ſuperſtitionibus.

Omnes populi] Significat omnes nationes huius beneficii fore participes. Atque ita de gentium vocatione vaticinatur.

7 Pudefiant omnes ſerui ſculptilis, qui gloriantur in idolis: adorent coram eo omnes dij.

Illatio eſt ad illam ſententiam à qua pſalmũ orditur. Eſtque hæc concluſio principalis propoſitio pſalmi: argumentum enim pſalmi tale eſt, Deus qui ſe in populo Iudaico patefecit, & qui verè nomen illud יהוה proprium diuinæ naturæ vſurpat, regnum obtinet in omnes gentes: ergo omnes gentes hunc vnicũ Deum colant & adorent, & qui hactenus numen aliquod idolis tribuerunt, hi damnata ſua idololatria & abiectis ſuperſtitionibus ad verum Deum ſe conuertant, & vnà nobiſcum eum celebrent. Antecedens huius argumenti probatur partim à potentia, quam in delẽdis ſuis hoſtibus & defendendis ſuis cultoribus multis & inſignibus miraculis oſtendit, partim à beneficiis populo ſuo exhibitis.

Pudefiant qui colunt ſculptilia] Id eſt, cum pudore agnoſcant, ſe hactenus fruſtra ſpem aliquam collocaſſe in ſuis idolis aut ſculptilibus: fruſtráque ſe fatigaſſe & ſumptus feciſſe in illo ſuperſtitioſo cultu, quem tantopere prædicabant & laudibus ornabant, quémque tanta pertinacia & ſtudio tuebantur: atque ita deprehenſa ſuæ ſuperſtitionis vanitate verum Deum colant & adorent.

Quod autem fieri iubet, id ſimul futurũ in Chriſti regno prædicit. Sparſa enim euangelij voce per totum orbem terrarum conciderunt omnia idola, conticuerunt omnia oracula, & cultores idolorum cum pudore & ignominia ſua coacti ſunt agnoſcere vanitatem ſuperſtitionum, quæ hactenus mentes hominum faſcinatas tenuerant. Itaque verba futura apud Hebræos rectè tam per futurum quàm per imperatiuũ modum redduntur.

Adorent cum omnes dij] Hoc Gręcus interpres & Arabs reddiderunt, Angeli eius: atque hos ſecutus eſt autor Epiſtolæ ad Hebræos, qui capite 1. hoc teſtimonium allegat, atque ex eo oſtendit Chriſtum ſuperiorem eſſe angelis, à quibus colatur & adoretur. Eſt autẽ vſitatum in Scriptura angelos vocari Deos, quia cùm propiores ſint Deo, & copiam felicitatis habeant maiorem quã cæterę creaturæ, relucet aliqua in his deitatis particula. Ita Pythoniſſa dicit ad Saulẽ ſe videre Deos aſcendentes 1. Sam. 28. Et pſalmo 138. Cum diis pſallam tibi, id eſt, Angelis & piis. Ideo rectè reddidit Græcus interpres. Sed tamẽ ſimul vocabulo אלהים notari exiſtimo quicquid eminet in mundo, & pollet potentia & viribus, hoc eſt, reges & principes, & qui in magiſtratu verſantur. Nam & hi dicuntur Dij in ſcriptura: vt ſuprà vidimus pſalmo 82. Et cùm hi, qui prediti ſunt aliqua potentia, plerunque maiores ſibi ſpiritus quàm pro ſua conditione ſumant, ſéque coli & adorari penè ab omnib. velint, rectè ad hos inſtituitur adhortatio: vt depoſito faſtu & ſuperbia diſcant ſe regem habere quem colere ipſi & adorare debeant. Alij etiam ad fictitios deos hoc extendi putant, vt quicquid pro Deo habetur, iubeatur cedere & ſubmittere ſe huic vni & vero Deo, ita vt ille ſolus emineat. In hac ſententia verbum adorandi nõniſi metaphoricè accipitur. Chaldæus interpres reddidit, ויסג דון קדמוי כל עמית אלחי טעוותא Id eſt, adorabunt coram eo omnes populi qui ſeruierant idolis.

Cęterum adorandi verbo comprehendit propheta totum cultũ qui conſiſtit in fide, ſpe, inuocatione, gratiarum actione & aliis vicinis motibus, qui in ipſa inuocatione accenduntur & magis confirmantur.

8 Audiuit & lætata eſt Sion: & exultauerunt filiæ Iuda: propter iudicia tua Iehoua.

Addit aliam amplificationem ab effectu. Ac primùm quidem illę victoriæ Dauidis ingentem peperere lętitiã populo Iudaico, qui hic vocabulo Sionis & filiarum Iuda ſignificatur. Erant enim hę victorię illuſtre teſtimoniumquo Deus oſtendat, ſibi huius populi, quem adoptarat, ſalutem curę eſſe, ſeque eum aduerſus hoſtes fortiter defendere & tueri. Sed quia illę victorię & amplificatio regni Dauidis, typus erant regni & victoriarum Chriſti: ideo quod de Sione & filiis Iuda hic dicitur, ad totam eccleſiam eſt accommodandum. Illa igitur quia audit in miniſterio doctrinę, per Chriſtum deuictam & euerſam eſſe potentiam diaboli, deſtructos inferos, peccatum & mortem eſſe ſublata: & iam nouum regnum ab eo condi, in quo ita ipſe regnet, vt ſuo populo iuſtitiã & vitã ęternã donet, hoc nũtio illa erigitur & exhilaratur: vt iã ſuperatis terrorib. mortis, inferorũ & ęternę dãnationis quibus antea erat oppreſſa, nouam lętitiã cõcipiat, & in hac aſſiduè geſtiat & exultet. Quòd tamen *Sionem & filias Iuda*

dicere maluit, quàm eccleſiam ſeu cœtum fidelium, eo ſignificat primitias huius gaudij populo Iudaico eſſe oblatas, ſicut Chriſtus inquit Iohan. 4. Salus eſt ex Iudæis. quo gaudio tamen illa non ita elata eſt, vt gentibus hãc ſalutem inuideret: ſed potiùs, vt hoc quoque ipſius gaudium redderet cumulatius & perfectius, quòd videret etiam alias gẽtes ad ſocietatem horum bonorum vocari, atque ita gloriam Dei diffundi.

Propter iudicia tua] Hoc eſt, quod regnum tuum ita amplificas, vt in remotiſſimas orbis partes extẽdas. Nam ſicut iudicare ſignificat regere: ita iudicia hoc loco de adminiſtratione regni intelligenda ſunt, nec tãtùm ad pœnas hoſtium, ſed ad omnes partes bonæ ac felicis gubernationis trahenda.

9 Quia tu Iehoua excelſus ſuper totam terram, valde exaltatus es ſuper omnes deos.

Addit rationem cur lætetur Sion. Eſtque repetitio antecedentis in ſyllogiſmo, de quo ſuprà dictum eſt. Nam vt antea in exordio dixerat, Iehoua regnat: ita nunc eodem ſenſu dicit, eum eſſe excelſum ſuper omnem terram, id eſt, iam hoc facto oſtendiſſe quòd ſit verus Deus, qui excelſior ſit omnibus quæ in terra ſunt: quòd potẽter dominetur in toto orbe, omniáque ſuo imperio habeat ſubiecta. Hoc enim eſt eſſe excelſum ſupra terram. Addit autem hoc loco antitheſin de diis: vt ſignificet fruſtra homines vel creaturis vel fictitiis diis tribuere aliquod numen & potentiam: & futurum vt ſub Chriſti regno vanitas mẽtium humanarum in confingendis diis aut ſtatuendis idolis oſtendatur & redarguatur: id quod factum eſt. Nam Chriſtus ſua potentia deuicta morte & peccato, deſtructis inferis & euerſa diaboli potentia, oſtendit ſe eſſe regem & dominũ totius orbis terrarum: & ſibi tanquam vero Deo deberi cultum & adorationẽ: vanaque eſſe omnia illa hominum figmenta, quæ idolis potiùs aut rebus creatis, quàm huic regi ſalutem ſuam adſcribũt. Hæc principalis eſt ſententia, quæ congruit cum illa Pauli ad Romanos 1. Chriſtus declaratus eſt filius Dei cum potentia ſecundùm Spiritum ſanctificationis, ex eo quòd reſurrexit à mortuis. Poſtea etiam ad hiſtorias Dauidis hæc referri poſſunt. Nam crebræ illæ & miraculoſæ victoriæ Dauidis oſtenderunt, hunc Deum, quem ille colebat, eſſe verum Deum, & idola gentium vana eſſe numina. Ideóque his victoriis tanquam illuſtribus teſtimoniis confirmabatur in Dauide & cæteris in hoc populo aſſenſio de Deo & fiducia in ipſum: & vanitas idolorum in quorum cultum tanto ſtudio gentes incumbebant, magis fiebat conſpicua.

Deos vt ante verſu 7. intelligo primùm Angelos: deinde omnes homines qui in dignitate aliqua ſunt conſtituti & potentia prȩditi, vt aliis dominentur: poſtremò etiam idola, quæ falsò dij ab hominibus nominantur.

10 Qui diligitis Iehouam, odio habete malum: cuſtodit animas beneficiariorum [*piorum*] ſuorum: à manu impiorum eripiet eos.

Poſtquam de adoratione dixit, quæ eſt præcipuus cultus, & vicinos motus cordis complectitur, vt fidem, ſpem, gratiarum actionem: nunc longiùs progreditur, & affirmat hũc Deum non coli, niſi integritate vitæ & bona conſcientia: nec gratum eſſe cultum, qui ab impio & polluto homine proficiſcitur. Ideo hortatur, vt quicunque Deum rectè colere velint, abiiciãt propoſitum peccandi, & deteſtentur omnia ſcelera, vtque rectitudini & integritati ſtudeant. Traditur igitur in hoc verſu regula, quȩ eſt apud Paul. 1. Ti. 1. Milita bonã militiam, retinens fidẽ & bonam conſcientiam. Fides enim cõprehẽditur in dilectione & in cultu adorationis, cuius antea meminit: bona conſcientia præcipitur, cùm inquit: odio habete malum. Nec ſatis eſſe inquit manus continere à furto, cæde aut alio ſcelere externo: ſed vult cor ipſum ita renouari, vt ſcelera deteſtetur, ne ardeat odio, ira, cupiditate vindictæ, illicitis amoribus, aut aliis prauis motibus incenſum ad iniurias & ſcelera prorumpat. Cùm enim Deus ſit fons iuſtitiæ, & nos ſibi velit eſſe conformes, neceſſe habent qui rectè eum colere volunt, abiicere propoſitum peccandi, ne perſeuerent in ſceleribus contra conſcientiam, & paulatim renouari ad eam imaginem ad quam conditi ſumus. Quod quomodo fiat, alibi copioſiùs dicitur. Prȩcepto autem addit promiſſionem, qua ad obedientiam præſtandam omnes inuitat. Pietas enim habet promiſſiones præſentis & futuræ vitæ: vt Paulus inquit 1. Timoth. 4. Itaque quanquam aliæ cauſæ multæ ſunt, quæ inuitare nos ad ſtudium bene operandi debent, atque hæ in libris methodicis explicantur copioſiùs: tamen inter cæteras etiam præmia numerantur, quæ piè viuentibus promittuntur.

Proponit autem pſalmus in ſpecie illa præmia, quæ maximè expetit animus humanus: præſertim in tanto calamitatum concurſu & hoſtiũ odio ac ſæuitia, à quibus pij perpetuò in hac vita premũtur & oppugnantur. Cùm enim nudata & deſtituta ſit præſidijs humanis eccleſia, & hoſtes habeat potentiſſimos ac crudeliſſimos, à quibus aſſiduè petitur & quaſſatur, anxiæ mentes hominum quærunt defenſionem & præſidia in rebus humanis: & quia multi de Dei auxilio dubitant aut deſperãt, ſæpe ad malas artes ſe conuertũt. Propheta igitur, vt ſolicitudinem & metum pijs eximat, affirmat etiãſi odia & pericula propter pietatis ſtudium ſint ſubeũda: ſatis tamen præſidij paratum eſſe pijs in Deo, ſi modò vera pietate ipſum colant, ipſique ſuam ſalutem tuendam cõmittant: Ideóque non tantùm verbo cuſtodiendi, ſed & eripiendi vtitur: vt ſignificet futurum, vt præſentiã Dei in periculis manifeſtè agnoſcant & experiantur. Aſſiduè quidem cuſtodimur à Deo, ne in mala incidamus, ſed cor humanum illa beneficia (quæ gratias priuatiuas ſcholaſtici vocant) non ita agnoſcit, vt liberationes ex præſentibus periculis: Ideo nõ tãtùm de defenſione, ſed liberatione loquitur, quæ eſt beneficium poſitiuum.

11 Lux ſeminata (*ſata*) eſt iuſto: & rectis corde lætitia.

Confirmat priorem ſententiam: ac ſimul tacitæ obiectioni occurrit, quæ contra afferri poterat. Videmus enim nullũ cœtum magis eſſe ærumnoſum in hac vita, quàm qui dicitur eccleſia. Quare ne illȩ promiſſiones ſplendidæ de defenſione & liberatione piorum rideantur, aut contemnantur, ſi auxilium Deus differat, & nos exerceri ſub cruce aliquandiu ſinat, affirmat Deum interea tamen cõfirmare corda piorum & perfundere lætitia: vt non ſolum perferre fortiter pericula imminentia, ſed (quemadmodum Paulus inquit) etiam gloriari in ſuis afflictionibus poſſint. Ita igitur Deus cuſtodit animas ſuorum in mediis periculis, atq. adeo in ipſa morte, vt Spiritu ſancto ſuo eas cõfirmet & cõſoletur: ne fracti mole calamitatum ſuccumbant, ſed contra potiùs audentiores eant, ſeque plena fiducia aperta in pericula mittant. Hoc eſt, quod dicit, lucem ſeminari iuſto. *Lux* enim in ſacra ſcriptura metalepticῶs ſignificat conſolationem, recreationem animorum ſeu lætitiam, quæ capitur ex rebus proſperis, & inſigni aliqua felicitate, quia lux naturaliter recreat & lætificat homines: ſicut econtra tenebrȩ terrores & metus incutiunt, & in triſtitiam conniciunt. Lucem igitur inquit, ſeminari iuſtis: in quo verbo metaphora videtur eſſe aliquanto durior, quam quidam ita interpretantur, vt dicant piis ſeminari lucem, ita vt illa quidem aliquandiu occulta lateat, tandem tamen ſeſe prodat: quemadmodum ſemen in terram coniectũ emoritur, vel latet aliquãdiu occultum antequam germinet. Alij paulò ſubtiliùs exponunt. Nam verbo ſeminandi ſignificari volunt, pios initio quaſi concludi atque in arctum cogi, vt prodire in publicum, aut hominum conſpectui ſe offerre non audeant, quemadmodum ſemen in terram demerſum latet: ſed tamen Deum felicitatem ipſorum inſtar ſeminis longè lateque diſpergere. Ego ad naturam vtriuſque & lucis & ſeminis creſcentis alludere prophetã exiſtimo. *Lux* enim primùm obſcurior eſt, & paulatim creſcit & intenditur. Vnde צהרים apud Hebræos tẽpus meridiei ſignificat, quãdo lux duplicata eſt. Id enim ſignificat numerus dualis. Et ſemen excreſcẽs paulatim ſe magis diffundit & ſuccreſcit. Ita initia cõſolationis tenuia ſunt & obſcura: imo ſedet aliquandiu eccleſia in tenebris atque in vmbra mortis, vt dicitur in cantico Zachariæ, Lucæ 1. ſed vt lux fidei paulatim in exercitiis creſcit: ita conſolatio ſubinde fit firmior, & tandem plena liberatio contingit. Huc congruit illud Salomonis Prouerb. 4. Vita iuſtorum quaſi lux ſplendet, quæ progreditur & lucet vſque quò perfectus ſeu ſtabilis eſt dies: vita vero impiorum eſt caligo & mortis tenebræ. Quod ad rem attinet, parũ eſt diſcriminis. Ideo quam volet quiſque ſententiam ſequatur. Græcus interpres reddidit φῶς ἀνέτειλε, quem ſecutus eſt Hieronymus, & autor vulgatȩ editionis, & alij. Exiſtimo autem interpretem Græcum pro זרע legiſſe זרח orta eſt, quod magis iudicauit congruere ad lucem, quam ſeminari: atque ita legitur pſalmo 112.

Rectis corde lætitia] Idem dicit quod ante, vt membrum hoc ſit prioris ἐξήγησις. Vſitatum enim eſt pſalmographis, ea quæ figuratè dixerant, ſimplici oratione mox exponere. Lucem igitur interpretatur lætitiam acquieſcentem in Deo. Et quos iuſtos dixerat, nunc nominat rectos corde: vt ſignificet iuſtitiam non conſiſtere in externa diſciplina, quam etiam non renati & hypocritæ vtcunque præſtare poſſunt: ſed eſſe integritatem & rectitudinẽ cordis, cùm ſcilicet Deus ſerio cordis affectu & ſtudio colitur.

12 Gaudete iuſti in Iehoua: & celebrate memoriam ſanctitatis eius.

Cõcludit pſalmum repetitione poſterioris membri prim verſus: in quo iubet pios lætari in hoc rege, qui regnũ ſuum ita glorioſè, & non niſi in ſalutem hominum adminiſtre

atque

atque amplificet: eique vult omnes pro hoc beneficio gratias agere. Nam lætitia illa debet eſſe coniuncta cum gratiarum actione. Ideo addit, *celebrate*, id eſt, memores Dei & beneficiorum acceptorũ, gratis animis prædicate eũ aut nomen eius, quod ſanctum eſt, & cũ veneratione adorandum.

Memoriam nominat, vel opera & beneficia, quæ memoriter mente recolenda ſunt: vel nomen, quod ſuis beneficiis & operibus ſibi parauit. Nam nomen alicuius memoriam nobis ſuggerit, *vven man einen nennet, ſo gedencket man ſeyn.*

PSALMI XCVII.

PARTES.

I. Prophetia de regno Chriſti, per deſcriptionem amplitudinis & magnificentiæ iſtius regni, v.1. &c. Eſt autem deſcriptio tota figurata, v.2.3.4.5.6. qua oſtenditur nihil eſſe in terra, aut in cælo, quod non obſequatur & teſtimonium exhibeat regnanti Chriſto Iehouæ (ad cuius exſpectationem vetus Eccleſia his pſalmis excitata eſt) idque longe glorioſius ſub Euangelio, quam olim factum ſit, quũ lex traderetur. Exod. 19. & Deut. 4.5. Vt enim in monte coram Iſraelitico populo multiplex eius maieſtas apparuit: ita ſub Euangelio inacceſſus & incomprehenſibilis coram Eccleſia vniuerſali videbitur, v.2. iuſtiſſimus etiam, vt ſuos tueatur, & in aduerſarios. v.3. potentiſſimus item, adeo vt nihil quantumuis firmum, corã eo conſiſtere poſſit, v.4. & 5. Denique glorioſiſſimus, v.6. Cuius gloriæ & iuſtitiæ ſpecula euidentiſſima relucent in cælis, & omnium populorum oculis ſunt expoſita, vt fiant inexcuſabiles. Pſal. 19. Rom. 1. Hæc autem omnia ad Euãgelij prædicationem & Eccleſiæ conſeruationem donec Chriſtus in gloria appareat, ſunt referenda.

II. Doctrina de vſu magnificentiſſimi illius regni, *primum* quidem contra regnum Satanæ, nempe in idololatras, & idola ipſa, aduerſus quæ glorioſa apoſtrophe pſaltes inuehitur, v.7. *deinde* ergaEccleſiam Dei, quæ conſtat beatis ſpiritibus cæleſtibus, id eſt Angelis electis, reliqua parte v.7. Hominibus ſanctis, quorum reſpectu vſus ille duplex eſt. 1. Pax & gaudium in ſpiritu per auditionem verbi. 2. Agnitio iudiciorum & iuſtiſſimæ adminiſtrationis eius, verſ. 8. & 9.

III. Concluſio hortatoria ad ſectandum bonum, fugiendum malum, & Deum auctorem boni celebrandum, v.10. Cuius ætiologia ſubiicitur, v. 11. & 12. à vitæ præſentis & futuræ promiſſionibus.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Iehoua ille, cuius ſexies meminit hoc pſalmo propheta, eſt Chriſtus æternus æterni patris filius, quem angeli adorant, interprete apoſtolo ad Hebræos, cap.1.6.

Eiuſdem Chriſti humanitas hoc primo verſiculo confirmatur, teſte eodem apoſtolo: quod etiam ex eo probatur quod de regno viſibili diſſeritur, cuius rex viſibilis eſſe debet, nec ad nudam deitatem id referri poteſt: ſed ad regem ex Dauidis ſtirpe naſciturum neceſſariò pertinet, ſic Deum vt etiam homo ſit, & ſic viciſſim hominem, vt ſit etiam Deus.

Prædictio luculenta de ſpiritualis huius regni per vniuerſum orbem propagatione: quo reſpexit Chriſtus ipſe, Iohan. 5.22. & Matth. 28.18.

Propheta homines ad lætitiam inuitans, ſatis declarat nunquam Deum regnare quin ſimul affulgeat ſalus & plena felicitas.

2.3.4.5 Deſcriptio terribilis iudicij in rebelles, quibus euangeliũ futurum erat & nunc eſt odor mortis in mortem. quo reſpexit Chriſtus Luc.12.49.

Quũ nihil miſerius ſit quã ſine iuſtitia & iudicio viuere, laus hæc ſpecialiter Chriſto tribuitur, quod regnando æquitatem ſolus in mũdo reſtituet, quæ certè à nobis omnibus exulat, donec ſpiritu manſuetudinis nos ad ſubeundum verbi ſui iugũ Chriſtus flectat ac domet.

6 Deſcriptio incredibilis illius vis diuini ſpiritus ſeſe in apoſtolico miniſterio demonſtrantis, quod prædixit etiam Chriſtus, Iohan.12.32.

7 Euaneſcunt praua hominum figmenta, quando ſedem obtinet vera religio: nam ſimul ac innotuit Dei veritas, fugandis & procul abigendis ſuperſtitionibus ſatis eſt efficax. Qui verò peruicaciter reſiſtunt perſpicuæ veritati, non dubium eſt intus proſterni vt cum ſua contumacia confuſi iaceant.

Vera pietas in eo conſiſtit, vt verus Deus in ſolidum colatur, & ita emineat vt nulla creatura eius numen obſcuret. Quum autem pater in filio ſeſe nobis patefecerit, vt ſancti angeli eum adorant, ita decet omnes homines ei fieri ſupplices, alioqui ſine capite languentes & ſpe felicitatis ſpoliati æterna miſeria illis imminet.

8 Iuſtificati gratia Dei in Chriſto per miniſterium euangelij oblato, ſolida pace & lætitia fruimur, quum ſcimus hoſtes omnes ſalutis noſtræ debellatos eſſe, vt iuxta Dei veracem promiſſionem vitam æternam poſſideamus.

9 Chriſti perſonæ exaltatio depingitur hoc verſiculo, ad quem manifeſtè alluſit apoſtolus, Epheſ.4.10. & Philip.2.9.

10 De iuſtificatorum & ſanctificatorum officio, doctrina: cui ſubiungitur promiſſio omnium temporum experientia illuſtris, Chriſtum fidelium omnium fore fidum protectorem.

11.12 Crux eſt euangelicarum promiſſionum velut apparitor quidam: ſed ærumnarum omnium pro Chriſti regis noſtri nomine & gloria lætiſſimus ſemper fuit & erit exitus. Vide Phil.4.4.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Chriſti æterni patris filij æterna deitate.
2. De veritate naturæ humanæ eiuſdem.
3. De ſpirituali regno Chriſti, eiuſdemque per vniuerſum orbem propagatione.
4. Electorum Dei plena felicitas.
5. Iudicium Dei in rebelles.
6. Miniſterij Euangelici dignitas & præſtantia.
7. Idolorum & idololatrarum vanitas & miſeria ſumma.
8. De maieſtate filij Dei, quam Electi Angeli & homines, omneſque creaturæ reuerentur.
9. Sanctorum characteres, ſpes certa vitæ beatæ, gaudiũ perenne, liberatio & gratum officium.

ARGVMENTVM PSALMI XCVIII.

SVNT in principium libri quarti complures pſalmi congeſti eiuſdem argumenti. Nam & hic pſalmus concionatur de regno Chriſti propagando per totum orbem terrarum, & de beneficiis Meſſiæ, quæ ipſe in hoc regno ſuis diſtribuit. Ea igitur vult propheta agnoſci & celebrari ab omnibus, non hominibus tantùm, ſed etiam cæteris creaturis, quibus, vt in ſuperioribus aliquot, per proſopopœiam ſenſum attribuit: vt ſi qui inter homines magnitudine horum beneficiorum non afficiantur, ſed contemnere & repudiare pergant ſalutem à Chriſto ſibi oblatam, pudore ſaltem ſuffundantur, qui ſuam ſalutem adeo turpiter & ſceleratè negligant, de qua etiam bruta animantia, & res inanimatæ lætentur. Conuenit autem hic pſalmus non tantùm argumento, ſed verbis etiam cum pſalmo 96. vt non ſit opus longiore explicatione. Verùm quod ſuprà pſalmo præcedente de occaſione ſcribendi monui, apparet etiam hunc pſalmum

poſt inſignem aliquam libe rationem & victoriā Dauidis compoſitum eſſe, quam agnoſci & celebrari vult à toto populo, cui pax & tranquillitas illa Dauidis victoria erat parta. Quòd autem ſciret Dauid ſuas victorias tantum præludia quædam ſeu typos eſſe illius redemptionis & ſalutis, quæ per Chriſtum toti orbi terrarum paranda erat, eas ita celebrat, vt ad Chriſtum maximè reſpiciat, atque in hoc compleri ſalutem populo Dei promiſſam affirmet. Non enim intuebatur Dauid illas victorias tantùm vt beneficia corporalia, ſed ſciebat eas eſſe σφραγῖδας & ſigilla promiſſionum ſpiritualium. Sicut pios in deſerto Paulus affirmat, non tantùm mannam illam quæ corpus alebat, comediſſe, aut aquam manantem ex petra bibiſſe: ſed ſpiritualem cibum ac potum, cuius illa externa erant σφραγῖδες & ſigilla, ſimul cum illis ſymbolis ediſſe ac bibiſſe. Principaliter ergo de æterna ſalute per Chriſtum parta, cuius altera temporalis typus fuit, oratio pſalmi eſt intelligenda. Græcus interpres iterū Dauidi hunc pſalmum adſcribit: ſed de occaſione ſcribendi nunc nihil monet.

PSALMVS.

1 CAntate Iehouæ canticum nouum, quia mirabilia fecit: ſalutem peperit ſibi dextera ſua & brachio ſanctitatis ſuæ [*vel dextera peperit ipſi ſalutem.*]

Propoſitio pſalmi eſt, cui mox ſubiunguntur rationes. Cātico nouo, hoc eſt, non vulgari ſed exquiſito, iubet celebrari beneficia populo Dei præſtita: quia ſuperant cætera omnia quæ Deus generi humano præſtitit. Simul autem hac oratione ſignificat in regno Chriſti renouari homines, vt noua carmina & nouas laudes Deo gratas canant: nec placere Deo opera niſi in renatis.

Quia mirabilia] Rationes quas ſubiungit ſumptæ ſunt à beneficiis populo Dei exhibitis, quæ ordine recenſet. Primùm inquit, *fecit mirabilia*, hoc eſt, mirabiliter & incredibili modo ſalutem peperit toti orbi terrarum. Erant quidem victoriæ Dauidis prorſus miraculoſæ: neque enim parantur induſtria aut ſapientia humana, ſed diuina virtute: quando Deus igne cœlitus demiſſo, aut tempeſtatibus, aut aliis miraculis exercitus hoſtiles diſſipauit & deleuit: idque Dauid & pij in hoc populo agnoſcebant. Sed aduentus Chriſti in carnem, mors & paſſio eius, qua ille iram æterni patris placauit, & oppreſſa morte & tyrannide diaboli ſalutem æternam generi humano reſtituit, verè mirabilis eſt, & captum omnem animorum humanorum ſuperat.

Salutem peperit ſibi dextera ſua] Hęc ſecunda ratio ſumpta eſt à modo partorum beneficiorū: *dextera ſua*, id eſt, propria virtute & viribus hanc ſalutem pro genere humano acquiſiuit: nō vſus eſt alterius in ea re opera. Opponitur .n. dextera Dei ordinariis mediis per quæ Deus communiter agit. Et quāquā externa media nihil derogāt potētię diuinę, tamen quodam modo eius aſpectum veluti vela quædam obſcurāt: vt quoties per media Deus agit, virtus eius à nobis, qui in res externas atque in oculos hominum incurrentes magis ſumus intenti, non ita agnoſcatur. Hæc igitur ſalus ſine vllis ordinariis mediis parta eſt. Eſtque opus dextrę & brachij diuini, hoc eſt, filij Dei mediatoris, qui in Scriptura dicitur brachiū Dei, quia per eum parta hæc beneficia eccleſię diſtribuuntur: eóque commendabilior eſt hęc ſalus & magis digna celebratione. Atque hęc quidē etiam ad victorias Dauidis referri poſſunt, in quibus Deus potentiam ſuā in profligandis hoſtibus ſine vllis ordinariis mediis oſtendit. Sed, vt dixi, fuerūt illę victoriæ tantum pręludia harum victoriarum, quas Chriſtus profligatis ſuis hoſtibus & parta ęterna ſalute reportauit. Ad hāc ſalutem parandam nulla creatura cōferre aliquid potuit: ſed ſola dextera & brachio diuino erat comparāda. Ideo Ieſa. c. 59. quaſi explicans hanc ſententiam, ait, Et reſpexit Deus an eſſet auxiliator, miratus eſt neminem eſſe qui intercederet. Itaque ſalutē ſibi fecit brachio ſuo, & iuſtitia ſua ſe firmauit. Atque eadem repetuntur cap. 63.

2 Notam fecit Iehoua ſalutem ſuam: in oculis gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.

Tertia ratio eſt, Quia ſalutem partam omnibus hominibus vult annuntiari, atque ita omnes eius fieri participes. Bonum enim eſt communicatiuum ſui. Et filius non ſibi, ſed toti generi humano hæc bona acquirit.

Hæc ingens bonitas Dei eſt meritò ab omnibus celebranda. Hactenus enim peculiari fœdere Deus ſe obſtrinxerat vni populo Iudaico, in quo præſentię ſuę & amoris multiplicia teſtimonia edebat: ſed Chriſtus ſalutem ſuam & iuſtitiam reuelat omnibus gentibus, vt iam non minùs gentes quàm Iudæi ad regnum Dei pertineant. Hoc igitur beneficium vult celebrari à nobis: & profectò plusquàm ferrei ſunt, qui magnitudine huius amoris & beneficij non excitantur ad gratitudinem: pręſertim ſi cogitent qualis fuerit gentiū conditio ante Chriſti aduentum. Erant gentes alienæ à Deo, oppreſſę horribilibus tenebris & horrendis ſceleribus contaminatę, in quibus neceſſe eſt omnes in æternum perire, qui non liberantur à filio. Inde igitur beneficij magnitudo æſtimetur.

Salutem] Dauid quidem victorias adeptus erat, quæ teſtimonia erant præſentiæ Dei in hoc populo: & gentes admonitæ illis miraculoſis victoriis fateri cogebantur Deum pugnare pro hoc populo, eúmque defendendum ſuſcepiſſe, vt non malè verſus hic etiam ad illas victorias accommodari poſſit. Sed vt dixi, erant illæ tantùm quædam prælud ia illius ſalutis quæ per Chriſtū parta eſt. Itaque de hac ſalute principaliter loquitur. Ea verò qualis ſit, explicat Angelus apud Matt. cap. 1. Vocabis nomen eius Ieſum: quia ſaluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis. Salus igitur hæc non eſt corporalis aliqua liberatio, quę libertatem corporum pariat, aut regna mundi fidelibus diſtribuat, quemadmodum Iudæi imaginantur, ſed qua abolito peccato & morte, vita æterna nobis reſtituitur.

Iuſtitia cùm de regno Chriſti loquimur, non intelligenda eſt tantùm ea quam in defenſione ſuorum oſtendit, de qua ſuprà aliquoties vocabulum iuſtitiæ interpretati ſumus: ſed vt duobus præcedentbus pſalmis diximus, de ea, de qua Paulus inquit Rom. 3. Reuelata eſt iuſtitia Dei in euangelio, qua ille nos primū facit iuſtos, hoc eſt, acceptos: quod fit remittendo peccata, & imputando nobis ſuam iuſtitiam, qua nos veſtitos adducit in conſpectum Dei, vt coram eo iuſti appareamus, atque ita cooptemur in hæredes regni cæleſtis, deinde in iuſtificatis hoc modo, reſtituendo ſimul imaginem Dei, ad quā in hac vita rurſus incipimus transformari, donec in altera vita illa perficiatur. Et quanquam hæc reſtitutio imaginis Dei in nobis iuſtitia dicitur, tamen non eſt illa, qua in iudicio Dei cenſeamur iuſti ſeu accepti, ne quis cōfundere nos illa dicat, aut calumnietur. Non enim eſt illa perfecta in hac vita: & adhærent in nobis multiplices ſordes, quæ aſſiduè expurgandæ ſūt, & clamandū eſt quotidie, remitte nobis debita noſtra. Itē, delicta quis intelligit? ab occultis meis mūda me. Sed tribuit Deus huic inchoatæ obedientiæ, pro ſua bonitate laudem iuſtitiæ quia filij Dei iuſtitia obumbratur, & propter hunc accepta eſt, & placet Deo in reconciliatis, non aliter ac ſi legi à nobis ſatiſfactum eſſet. Sumus igitur iuſti in hac vita, primum imputatione, qua ius filiorum Dei nobis redditur: & hæc eſt illa quam Paulus dicit reuelari in euāgelio: quam altera illa tanquam effectus ſequitur. Ita verò iuſtos ſeu reconciliatos Deus potenter tuetur & defendit aduerſus malitiam & tyrannidem diaboli & totius mundi: atq; ita etiam in defenſione ſuæ eccleſiæ iuſtitiam reuelat.

3 Recordatus eſt bonitatis ſuæ & veritatis ſuę erga domum Iſraelis: viderunt omnes fines terrę ſalutem Dei noſtri.

Quarta ratio ſumpta eſt à cauſa impulſiua & à præſtitis promiſſis. Homines, ſi fidem ſeruęnt, præſertim in gratuitis beneficiis præſtandis, digni ſunt laude. Quantò magis Deus celebrandus eſt, qui cùm tam ampla bona, nullo prouocatus merito, ſed gratis, atque ex ſola miſericordia & bonitate generi humano promiſiſſet, memor illarum promiſſionum præſtitit quod promiſit: ídque ita vt non tantùm vnus populus Iudaicus, ad quem illæ promiſſiones initio editæ erant, ſed omnes fines terrarum hanc ſalutem viderent, eiuſque participes fierent?

Verbum *recordandi* ad ſenſum hominum refertur. Non enim propriè dicitur Deus recordari aliquid, qui nunquam aliquid eorum quæ promiſit, ex mente aut memoria ſua effluere ſinit: ſed quia dum diutiùs differt res promiſſas, & eccleſia interea duriter quaſſatur & affligitur, videtur nobis quodammodo non cogitare de ſuis promiſſionibus. Ideo ſecundùm ſenſum noſtrum recordari Deus dicitur ſuæ bonitatis & miſericordiæ, quoties prę̨ſtat quod antea ex mera bonitate & gratia promiſerat.

Veritatis nomine promiſſionem factā intelligit, quę quia à Deo verace edita eſt, fallere non poteſt. Eſtque hoc encomiū promiſſionum diuinarum valde ſuaue & efficax ad conſolationem. Hominum promiſſionibus nequaquam tribui hoc elogium poteſt, vt dicantur ipſa veritas: quia cum mētes hominum

num mutabiles ſint, ſæpe fallunt horum promiſſiones. Verbum videndi non ad oculos corporis, quibus multi illas Dauidis victorias cum quodam ſtupore intuebantur: ſed ad animi oculos potiſſimum refertur: Eſtque vnicus animi oculus in videnda Dei ſalute fides, quę promiſſionē in verbo patefactam amplectitur, eámq; ſibi applicat & vera fiducia in ea acquieſcit. Nō igitur vidēt ſalutē Dei qui aut obiter audiūt aut legunt promiſſiones diuinas, ſeu beneficia eccleſiæ exhibita, nec cordibus infigunt: vel etiam, qui cùm manifeſtis teſtimoniis conuincuntur, vt cōtradicere veritati promiſſionū diuinarū non poſſint, ſuū tamen cor obdurant, & pertinaciter in ſua idololatria & ſcelerib⁹ perſeuerāt, & beneficia diuina reſpuūt: (quales multi hodie reperiuntur, qui ſecundùm prophetā videntes nō vident, & audiētes non intelligūt. Ieſa. 6.) ſed qui vera fide promiſſiones amplectūtur, & in his acquieſcunt. Hanc eſſe vim verbi videre, phraſis Hebræa nos admonet: ſenſuum enim verba comprehendunt affectus comitātes.

Cùm autem dicit *ſalutem Dei noſtri*, ex antitheſi futurum dicit, vt gentes viſa hac ſalute deinceps idolis nequaquam ſalutem ſuam adſcribant, ſed omnem illam fiduciam, quam fruſtra in idolis poſuerant, damnent & abiiciant.

Sequentes verſus habent repetitionē propoſitionis, in qua nihil eſt obſcuritatis: & iam pleraque ſunt in ſuperioribus expoſita.

Repetitio autem crebra eiuſdem ſententiæ oſtendit eum requirere non ſegnes æſtimatores beneficiorum diuinorum, ſed acres & diligentes, & afferentes ardorem animorum ſeu ſerium ſtudium: quíque non voce tantum, ſed omnibus corporis geſtibus atque adeo tota vita oſtendant ſe ob hæc beneficia lætari, atque in his acquieſcere. Simul etiam cùm tāta lætitia iubet celebrari beneficia diuina, oſtendit quis ſit proprius euangelij effectus, in quo hæc ſalus nobis offertur. Non enim parit triſtitiā, dolores, horrores, metum, fugam, aut fremitum aduerſus Deū, ſicut lex de qua Paulus inquit, Lex iram operatur: ſed pacem affert conſcientiis, ex qua lætitia exiſtit acquieſcens in Deo, & aſſiduè eius beneficia celebrans. Quemadmodum igitur ad vocem legis non aliæ exhortationes quàm plenæ terroris & deſperationis audiuntur: ita ad vocem euangelij ſequuntur hæ dulces exhortationes.

4 Iubilate Deo omnis terra: reſonate, & ouate & pſallite.

5 Pſallite Iehouæ in cithara: in cithara & voce pſalmi.

6 In buccinis & voce tubæ: iubilate coram rege iſto [*qui eſt*] Iehoua.

7 Perſtrepat mare & plenitudo eius: orbis & qui habitat in eo.

8 Flumina plaudant manu: ſimul montes ouent.

9 Coram Iehoua, quoniam venit ad iudicandum terram: iudicabit orbem in iuſtitia, & populos in rectitudinibus.

Quarto verſu iubet, omnem terram, hoc eſt, habitatores totius orbis lætari propter hæc beneficia, & Deo gratias pro his agere. Iterum igitur ſignificat communem hanc fore gētium & Iudæorum ſalutem, & gentes horum beneficiorum fore participes: & vnā deinceps fore Dei eccleſiam in toto mundo, eámque in vnum fidei conſenſum collectum iri.

In cithara & pſalmis] Id eſt, non tantum voce, ſed omnibus inſtrumentis muſicis perſonate Dei laudes, atque ita animi lætitiam ob partam & reſtitutam ſalutem oſtendite. Cæterum quod tot inſtrumentorum muſicorum meminit, quæ nunc in vſu non ſunt, nec neceſſe eſt ea ſacris noſtris adhiberi, ſciendum eſt prophetam loqui, vt vnum ex populo legis, apud quem illi externi ritus erant vſitati: nec obſcurum eſt eum in genere hoc velle, vt quibuſcunque modis poſſimus, animorum lætitiam & gratitudinem propter adeptam ſalutem declaremus: idque non vno tempore: ne exiſtimemus nos vnius atque alterius horæ cantu defungi poſſe officio: ſed aſſiduè per omnem vitam id præſtandum eſſe.

Flumina plaudāt manu] Figura eſt, de qua ſupra in argumēto diximus. Tribuit enim inanimatis, non tantum ſenſum, ſed membra etiam corporis humani. Et quia homines comploſione manuum vel affricatione animi lætitiam oſtendere ſolent, iubet flumina etiam manus complodere vel affricare, hoc eſt, more gaudentium ſigna lætitiæ edere. Significat autem מחה abſtergendo aliquid delere, vt cum ollam ſeu patinam extergimus, vt ſordes remoueamus, vel characteres in tabula ſcriptos extergimus, ne ampliùs cōſpiciātur. Ita 2. Reg. 21. vſurpatur: Abſtergam Hieruſalem, quēadmodū quis abſtergit abſterſione, & vertit ſuper faciem ſuam, hoc eſt, ita inuertit, vt nihil in eo remaneat. Et Exodi 32. Dele me ex libro tuo quem ſcripſiſti. Hinc metaphorice ad peccata transfertur in ſcriptura, quæ Deus dicitur delere, cùm ea gratis remittit. Vt ſignificetur, peccata noſtra, quaſi in tabula ſcripta, atq; in cōſpectu Dei aſſiduè poſita eſſe. Deū verò pro immenſa ſua miſericordia propter meritum filij, tabulas illas rationum & chirographa noſtra extergendo delere, ne ampliùs conſpiciantur, aut in rationē veniant. Ita dicitur Eſa. 43. Ego ſum qui deleo tranſgreſſiones tuas propter me. vbi vtitur verbo מוחה. Huic verbo vicinum eſt alterum מחא quod etiā ſuo quodā modo ſignificat tergere vel abſtergere, affricando ſcilicet, vt cum quis manum manu affricat. Græci nominant [illegible], *An einander reiben*. Sicut autem nonnulli comploſione manuum, ita alij & præſertim mulieres & pueri, affricatione manuum animi lætitiam produnt.

9 *Coram Iehoua*] Et ſupra verſu 6. & hoc loco alludit ad arcam fœderis, quę quia ſymbolum erat præſentiæ Dei, dicebatur populus apparere coram Iehoua, vel facere aliquid coram eo quoties ad templum conueniebat, vel ſacra ibi peragebat. Et quia illa res typus erat perpetuæ præſentiæ Dei in eccleſia: ideò quoties corā Iehoua orare aut gratias agere iubemur, intelligamus nos de fide in Chriſtum admoneri: quę Deum aſſiduè in verbo pręſentem, & velut patrem benignū & placatum intuetur, atq; in eius erga ſe beneuolētia acquieſcit. Cętera, quæ huc pertinere vidētur, petantur ex pſal. 96.

PSALMI XCVIII.

PARTES.

I. Narratio magnificentiæ Chriſti regis, qui deuictis hoſtibus noſtris, carne, mundo, peccato, morte & Satana, triumphauit, v. 1. & 2. Hæc autem ſunt Meſſiæ opera mirabilia, gentium oculis per Euangelium abundè patefacta, ſub lege variis modis adumbrata. Subiicit 3. v. ætiologiam. Demonſtrauit enim Deus tot mirabilibus operibus ſe recordari promiſſionis Abrahamo factæ, Geneſ. 22. 18.

II. Hortatio ad laudem, v. 4. 5. 6. per auxeſin ad pædagogiam legis accommodatam: hyperbolis item & allegoriis, v. 7. & 8. ſcatentem, vt gaudij plenitudinē adumbret. q. d. Quid oportet Dei electos, operum mirabilium Meſſiæ cognitionem & viuificæ virtutis ſenſum adeptos, præſtare in tanta luce & gloria, cùm etiā bruta, tellus, mare, flumina, mōtes ad ſummi regis aduentum cum gaudio excipiendum inuitentur.

III. Doctrina, v. 9. ſummam aduentus Meſſiæ deſcribens, qui eccleſiam ſeruabit, reprobis iuſto ſupplicio adiudicatis.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Propagata Chriſti cognitio per totū orbē magis quàm antea conſpicuam reddidit Dei gloriam, Iudææ limitibus incluſā: ideo propheta iubet magnificè nomen Dei celebrari.

In humanæ redemptionis opere Chriſtus mediator nullum prorſus ſocium habet: ſeductores igitur non doctores Chriſtiani nominandi ſunt, qui ſanctorum merita obtruſerunt, vt Chriſtum è maieſtatis ſuæ throno detruderent.

2 Omnis noſtra redemptio ſita eſt in Chriſti iuſtitia, quæ noſtrā, niſi imputatione, fieri nequit.

3 Hoc omne beneficium ab vna gratuita ipſius Dei pollicitatione ac veritate promanat: eiuſq; facti ſūt per euangeliū participes omnes populi qui prius ſuis deliriis faſcinati erant.

4 Vnam prædicit fore eccleſiam in toto mundo, quæ Iehouā Chriſtum celebrabit cū inenarrabili lætitia, vbi Deus diruta maceria in eundem fidei conſenſum omnes colliget.

5. 6. In muſicis inſtrumentis alluſio eſt ad morē ſub lege obſeruatum, nec voluit S. S. gentes ceremoniis legalibus obſtringere.

Verborum repetitio pathetica docet, quālibet ardenter conētur homines celebrare mundi redemptionem, nullas tamen laudes gratiæ magnitudini pares fore.

7. 8. 9. Horum verſuum doctrina quum paulò antè, pſal. 96. ſit iiſdem verbis tradita & applicata, inde repetatur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Humiliationis, ſanctitatis, obedientiæ, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis, glorificationis Chriſti efficacia.
2. De gentium vocatione.
3. Euangelij dignitas, præſtantia, finis.
4. De fœdere Dei, & fide promiſſionum eius.
5. Muſices ſacræ vſus ſub legis pædagogia: & qualis debeat eſſe ſub Euangelio.
6. Creaturæ cur ad lætitiam & applauſum ad Meſſiæ aduentum inuitentur.
7. De Meſſiæ regno, ſceptro, & potenti adminiſtratione.

ARGVMENTVM PSALMI XCIX.

HIC Pſalmus partim conſolationem habet opponendam ſcandalo crucis & calamitatum Eccleſiæ, partim exhortationem ad celebranda beneficia, quæ Deus populo ſuo in aſsidua gubernatione & defenſione præſtat. Erat autem populus Iudaicus illo tempore typus Eccleſiæ omnium ætatum. Itaque ſicut Iudæi à vicinis hoſtibus tunc crudeliter vexabantur: ita omni tempore populus Dei hoſtes habet ſæuiſsimos Diabolos & horum organa, quæ in eius perniciem coniurarunt & bellum ἄσπονδον cum eo gerunt. Eſt igitur eccleſia perpetuò obiecta libidini & tyrannidi malorum hominum, quibus premitur & affligitur grauiſsimè. Sed ſicut populus Iudaicus hoc loco iubetur ſe hac conſolatione ſuſtentare, quòd Iehoua qui inter Cherubim ſedet, aſsiduè in hoc populo regnet, & omnia boni regis munia in aſsidua gubernatione & defenſione ſuorum obeat: ita nos quoque cogitemus habere nos regem potentem, à quo defendamur aduerſus tyrannidem diaboli & organorum eius: atque hac fiducia ſalutem noſtram ipſi tuendam ſecurè committamus, adeóque de ea certi ſimus, vt in afflictionibus & ærūnis non tantùm nō doleamus aut animo deficiamus: ſed iuxta Paulum inſuper gloriemur, & Deo gratias agamus, qui aſsiduis & illuſtribus teſtimoniis præſentiam ſuam in eccleſia, & potentiam in delendis hoſtibus oſtendit: & quod inter cætera eccleſiæ bona non poſtremum eſt, preces piorum exaudit: vt non minùs nunc illæ ſint efficaces, quàm fuerunt olim, quæ à Moſe, Aarone & Samuele ſummis in eccleſia Dei viris adhibebantur. Continet igitur & hic pſalmus illuſtre vaticinium de regno Chriſti, quod affirmat, Deo defendente & conſeruante perpetuò duraturum eſſe inuitis & repugnantibus diabolis, & nequicquam fremente vniuerſa mundi potentia: atque hac doctrina vult animos noſtros confirmare, vt & de ſalute noſtra certi ſimus: & Deo pro his beneficiis gratias agamus.

1 IEhoua regnat, & commoueantur [*iraſcantur, fremant*] populi: ſedens inter Cherubim, commoueatur terra.

2 Iehoua in Sion magnus: & excelſus ſuper omnes populos.

Hi duo verſus primam partem pſalmi continent, quæ eſt conſolatio aduerſus illum metum & terrorem, quem piis incutiunt arma & crudeles conatus hoſtium, cædes & horrenda ſupplicia multorum ſanctorum & vaſtationes horrędę, quas diaboli & horum organa efficiunt in illa parte generis humani quæ dicitur eccleſia. Nam ſi externam faciem eccleſiæ ſpectemus, nullus eſt populus miſerior & calamitoſior illo cœtu qui glorioſum illum titulum vſurpat, quòd ſit populus Dei. Quemadmodum enim ardet implacabili odio aduerſus filium Dei diabolus: ita hunc cœtum, qui eius eccleſia dicitur, delere conatur: ideóque omnes ſuas artes, omnem vim & conatus ſuos aduerſus eam expedit. Quod aſſidua bella & perſecutiones immanes omnium temporum oſtendunt. Fieri igitur non poteſt quin ſancti in illis eccleſiæ calamitatibus & periculis, triſtiſſimis dubitationibus agitentur, vt quærere incipiant an ſit aliquis cœtus in genere humano qui peculiariter Deo ſit curæ: an manſura ſit aliqua eccleſia inter illas horribiles cædes & ſupplicia piorum hominum, & vaſtationes quæ fiunt in genere humano. Talibus cogitationibus animus Eliæ percellebatur, qui exiſtimabat ſe ſolum eſſe relictū ex illo cœtu qui erat eccleſia, & futurum metuebat, vt ſe mortuo eccleſia in genere humano interiret. Ideóque triſtiſſimis querelis hunc dolorem ſuum exponit. Et oppugnantur ſancti omnibus ætatibus ſimilibus dubitationibus & doloribus. Propheta igitur cùm videret ſuū populum ob perſecutiones & bella aſſidua venire in eas cogitationes, vt exiſtimarent aut nullam eſſe eccleſiam, aut ſi qua eſſet eā tamen paulò poſt interituram, & ceſſuram eſſe tyrannidi & potentiæ hoſtium, opponit hanc cōſolationem, in qua affirmat, Deum, qui ſibi eccleſiam in hoc populo colligat, potentiorem eſſe vniuerſa mundi potentia: atque hunc aſſiduè adeſſe huic populo, eum regere, defendere & tueri aduerſus omnem vim & tyrannidem hoſtium. Itaque non eſſe deſperandum de defenſione, vtcunque fremant & tumultuentur hoſtes, omniáque in exitium huius populi moliantur. Hæc ſumma eſt horum duorum verſuum.

Verbo *regnandi* multa complectitur. Significat enim Deum ſibi hunc populum peculiariter ex omnibus gentibus delegiſſe, eique certam ſedē attribuiſſe, ita vt ipſe rex eſſet in hoc populo, omniáque præſtaret, quæ à bono & ſalutari rege expectari poſſunt, gubernationem ſcilicet aſſiduam & defenſionem. In his enim cętera beneficia omnia comprehenduntur. Deinde præditus & inſtructus eſt potentia ac robore inuicto. Si igitur *Iehoua* verus ſcilicet Deus & conditor orbis terrarū præeſt huic populo, & regnum in eo obtinet, quid eſt, inquit, quòd tantopere metuitis minas aut truculentiam hoſtiū? cur non potiùs omnes ipſorū conatus ridetis & contēnitis? Neque enim regnū eripiēt huic regi, cuius potētia eſt infinita, neq; ille, quæ eſt eius fides, deſeret ſuos ſubditos & cultores.

Sedens ſuper Cherubim] Id eſt, qui peculiariter ſe nobis obſtrinxit & perpetuò præſens adeſt, quod oſtendunt Cherubim, qui ſunt ſupra arcam fœderis: de quibus ſcribitur Exod. 25. Inde pręcipiam & loquar ad te de medio Cherubim. Is igitur obtinet regnum. Repetendum enim eſt verbum regnandi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. De Cherubim dictum eſt ſupra pſal. 80. vbi eadem ſententia extat. Inde igitur auditores repetant quæ ad declarationem vocis pertinent.

Moueatur terra] Id eſt, concutiatur orbis terrarum, & collidatur armorum ſtrepitu, bellis & tumultibus, vt videantur omnia regna ruitura atque interitura: quaſi dicat: Vani erunt omnes conatus & molitiones omnium hominum.

Iehoua in Sion magnus] Hic verſus ἐξήγησις eſt verbi *Regnat*. Significat enim hunc regem, qui in Sion, hoc eſt, in populo Iudaico, peculiare regnum ſibi conſtituerit, & populum hunc peculiari fœdere regendum, fouendum & tuendum ſuſceperit, eſſe non imbellem aliquem hominem, cuius potentia, quantumuis magna, vno momento euertitur: multò minus eſſe mutum aut mortuum aliquod idolum, in quo nulla ſit vita, nulla vis aut potentia, ſed eſſe magnum & excelſum, primùm in Sion, hoc eſt populo Iudaico, in quo multa ſuæ potentię & pręſentię teſtimonia hactenus edidit: deinde ſuper omnes populos, hoc eſt, imperium & potentiam huius Dei ſe extendere per totum orbem terrarum, & omnes creaturas huic ſubiectas eſſe. Itaque ſatis illi virium eſſe ad diſturbandos hoſtium conatus, & euertendas vires, & fruſtra angi mentes humanas illo metu, quaſi in colliſionibus regnorū atque imperiorum, aut in horrendis perſecutionibus interitura ſit eccleſia.

3 Confiteantur nomini tuo magno [*celebrent nomen*] & terribili: ſanctum eſt.

Hęc altera pars pſalmi eſt, nempe adhortatio, vt in periculis & calamitatibus publicis pij non ſolùm non frangantur animo aut deſperent de defenſione & liberatione, ſed potiùs gratias agant Deo pro ingenti amore quo eccleſiam ſuam complectitur, & pro beneficiis diuinis: atque ita certò ſtatuant, Deum, qui hactenus adfuit ſuę eccleſię, & ſibi peculiarem ſedem inter Cherubim delegit, nunquam eam deinceps deſerturum eſſe.

Eſt autem hic verſus & ſequentes quintus & nonus, quaſi conſequens eius antecedentis quod in exordio ponitur, & deinceps aliquot verſibus confirmatur & illuſtratur. Eſtque argumenti ſumma hæc: Deus regnum obtinet in hoc populo, & aſſiduè ei pręeſt gubernans & potenter defendens eū aduerſus omnia pericula, quę foris obiici ab hoſtibus poſſunt. Ergo licet tumultuentur hoſtes eccleſiæ Dei, & commoueatur totus orbis terrarum, vos tamen lęto animo ſalutem veſtram

ſtram ei committite, & potentiam eius, quam in defenſione ſuorum & euerſione hoſtium oſtendit, agnoſcentes, aſſiduè celebrate. Antecedens confirmatur multis rationibus.

I. Ab externo & viſibili ſigno ac ſymbolo præſentiæ Dei. Nam Cherubim, qui ſuis alis tegunt arcam fœderis, teſtantur Deum nobis adeſſe præſentem, & regnum in hoc populo ſibi vendicare.

II. Ratio ſumpta eſt à teſtimoniis & miraculis, quibus inde à prima eductione ſuam potentiam & præſentiā in hoc populo declarauit: cùm inquit, Iehoua in Sion magnus.

III. Ratio ſumpta eſt ab ipſius potentia, qua omnes populos in toto orbe terrarum ſuo imperio ſubiectos tenet. Regem enim bonum & ſalutarem, cui committere vitam & fortunas ſuas alij debeant, non oportet tantùm ad gubernationem atque adminiſtrationem reipublicæ afferre voluntatem & ſtudium rectè gubernandi: ſed oportet etiam potentia eſſe inſtructum, vt vim & iniuriam depellere à ſuis ſubditis poſſit. Huc igitur ſpectat tertia ratio: Prima enim ad voluntatem Dei erga hunc populum declarandam pertinet. Secunda verò ad vtrumque refertur, hoc eſt, ad voluntatem & facultatem.

Ad has igitur rationes, ad quas poſtea plures adiicit, nunc ſequitur concluſio. Ergo omnes qui hunc regem agnoſcunt, celebrent hanc eius potentiam: cùque ſciāt ad ſalutē eccleſiæ hanc deſtinatam eſſe, gratis animis prædicent. Eſt autem apoſtrophe in verſu, qua ſermonem ad ipſum Deum conuertit, quaſi taxans quorundam ſocordiam & puſillanimitatem in æſtimandis Dei beneficiis, & ſperanda defenſione, cùm tot teſtimoniis de præſentia & potentia Dei ſint conuicti: quaſi dicat turpiſſimum fore ſi quis adhuc de defenſione dubitare aut deſperare, atque ita Deum potentia omni exuere velit, cū tot extent illuſtria teſtimonia, quib⁹ ille ſuā potentiā hactenus declarauit. Ideo addit, *confiteātur nomini tuo magno*, quod ſcilicet tale eſſe multis antehac teſtimoniis & miraculis declarauit. Atque huc quoque pertinet quod adiicit:

Terribili] Quod tamen peculiariter ad hoſtes referendum eſt, quorum potentiam ſæpe ita intregerat, vt omnibus iam eſſet formidabile eius nomen. Eſtque in hac voce quarta ratio, qua potentiam eius declarat, & antecedens confirmat ab hoſtium pauore. Hoſtes ipſi metuunt eius potentiam, eāque multis ſuis cladibus experti ſunt. Cur igitur nos de eius potentia dubitemus?

Sanctum eſt] Deeſt relatiuum אשר, quod eſt ſanctum. Eſtque hæc quinta ratio ſeu probatio antecedentis. Atque hæc rurſus non tam ad oſtendendam eius potentiam, quàm ad voluntatem erga pios declarādam pertinet. Eſt ſanctus inquit Deus noſter, & vult coli ſanctè, & honore affici. Ergo non patietur nomen ſuum pollui aut perpetuò ludibrio haberi ab hoſtibus. Quod fieret ſi ſemper ad iniurias eccleſiæ factas conniueret, ſi non vindicaret nomen ſuum à contemptu, cōtumeliis & blaſphemiis hoſtium.

4 Et robur [*id eſt, regnum*] regis iudicium diligit: tu firmaſti rectitudines: iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti.

IV. Probatio antecedentis ſumpta eſt à propriis ornamentis huius regni, & à natura regis. Hoc Chriſti regnum ita inſtitutum eſt, vt ſemper in eo vigeat iudicium & iuſtitia. Eſtque ea huius regis natura, vt iudicium diligat.

Ergo non tantùm odit tyrannos & hoſtes eccleſiæ ſuæ, ſed etiam grauiſſimè puniet: atque vt in hoſtium pœnis iudicium ſuum aduerſus impietatem & ſcelera tyrannorum oſtendet, ita etiam in defenſione ſuorum iuſtitiam ſuam declarabit.

Nomen עוז *μεταληπτικῶς* ſæpe ſignificat regnū, vt infrà Pſalmo 110. Sceptrum roboris tui, id eſt, regni tui. Et ſuprà Pſalmo 8. Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur, id eſt, regnum, &c. Eſtque hæc appellatio accommodatiſſima huic materiæ. Vult enim piis hoc eſſe perſuaſum, regem hunc eſſe inſtructum tali potentia & robore, vt facilè defendere ſuos aduerſus vim & iniuriam poſſit, & fruſtra angi mentes humanas dum de defenſione ſolicitæ alia præſidia extra Deum quærunt. Alij nomen regni non ad formam ſeu modum gubernationis, quæ plena ſit æquitate & iuſtitia, ſed ad ſubditos regni, hoc eſt, ad eccleſiam transferunt, quæ ea lege ſubiecta ſit Dei imperio, vt iuſtitiam & integritatem colat. Ea ſententia quanquam vera eſt, & ex priori dependet, tamen prior magis congruit argumento propoſito.

Tu ſtatuiſti rectitudines] Id eſt, tu omnia rectè & iuſtè adminiſtras in tuo regno, idque aſſiduè & conſtanter: non patrocinaris ſceleribus, impietati aut tyrannidi malorum hominum, nec ſinis bonos & pios tuo præſidio nudatos perpetuis iniuriis & libidini hoſtium eſſe expoſitos.

Iudicium & iuſtitiam tu feciſti] Hoc membrū explicat antecedens. Quod autem dicit in Iacob, reſpicit ad populum Iudaicum, in quo illo tempore regnum hoc Chriſt⁹ conſtituerat, donec in totum terrarum orbem propagaretur. Nomine igitur Iacob intelligantur deſignari primo Iudæi, qui erant primitiæ huius regni, ad quos adoptionis ius primùm pertinebat: deinde eccleſia omnium ætatum.

5 Exaltate Iehouam Deum noſtrum: & adorate ad ſcabellum pedum eius: ſanctum eſt.

Repetit concluſionem, quæ eſt principalis propoſitio huius pſalmi, vt antea monui.

Primùm iubet *exaltari Deū*, quod non fit alia ratione quàm cùm in cordibus noſtris ſtatuimus hunc regē ita præeſſe ſuę eccleſiæ, vt aſſiduè & potenter eam regat, protegat, tueatur, liberet ex calamitatibus & ærumnis: non vt reges ignaui aut impotentes, eam deſerat aut prodat hoſtibus: atque hac fiducia læti noſtram ei ſalutem tuendam committimus. Deinde cùm ad alios etiam homines hanc potentiam & fidem eius in aſſidua conſeruatione & defenſione Eccleſiæ prædicamus & extollimus.

Quod addit *Deum noſtrum*, in eo rurſus de promiſſione & fœdere ſuos commonefacit, in quo Deus peculiariter huic populo ſe obſtrinxerat, vt certiore fiducia in ipſo acquieſcāt & de voluntate ipſius certi ſint. Itaque ſicut ſupra dixit eum ſedere inter Cherubim, ita hic eodem ſenſu dicit, Deus noſter. Fiduciam autem ſequitur adoratio, quæ Deo hunc honorem tribuit, quòd & poſſit & velit ſuos tueri: ideóque vitam, defenſionem ac cætera corporis bona ab eo petit.

Verbum השתחוה, quòd adorare vertunt, eſt verbum geſtus, & propriè ſignificat ſe incuruare aut procumbere ad genua alicuius, vt ſolét adoraturi. Ideo ſequitur datiuus. Quod autem addit *ad ſcabellum pedum eius*, iterum reſpicit ad arcam fœderis, quæ quia ſymbolum erat præſentiæ Dei in hoc populo, dicitur hic & 1. Para. 28. ſcabellum pedum Dei, quòd quaſi in regia ſella hic reſideret, atque inde ſuam præſētiam & potentiam in aſſidua gubernatione & defenſione populi oſtenderet. Ideóque Iudæi adoraturi Deum faciem ad arcam conuertebant, ſéque coram ea inclinabant, quaſi cogitantes ibi regem ſuum reſidere tanquam in ſolio: ita tamen, vt interea animis ad cælum aſcenderent: quod ſcirent ita pedibus eum tangere arcam gloria ſua, vt maieſtate vniuerſum orbem & cælum repleret. Quia verò propitiatorium arcæ impoſitum typus erat Chriſti, qui eſt vmbraculum noſtrum aduerſus iram & iudicium Dei: ideo hoc ritu admonemur, vt Deum adoraturi Chriſtum intueamur, in quo habitat plenitudo diuinitatis, quíque eſt ſymbolum & *σφραγὶς* perpetuæ præſentiæ Dei in eccleſia propter aſſumptam carnem: atque huius fiducia ad Deum accedamus. Auguſtinus ſcabellum pedum de humanitate Chriſti interpretatur, ſeu de corpore aſſumpto in quo velit adorari. Synodus verò Nicena II. quę ſeptima dicitur, habita imperantibus Conſtantino & Irene, hoc teſtimonio impiè abutitur ad probandam adorationem ſtatuarum & picturarum. Qua de re ſuo loco dicitur.

Sanctus eſt] Addit rationem, cuius ſuprà quoque memini. Eſt ſanctus, hoc eſt, purus, mundus ab omni contaminatione, nihil habens commune cum profanis idolis, quibus homines perperam ſanctitatem tribuunt, dum ea colunt. Deinde cùm ſanctus ipſe ſit & inuiolabilis, non patitur ſuos quoque cultores violari aut profanari.

6 Moſes & Aaron inter ſacerdotes eius: & Samuel inter inuocantes nomen eius: clamabāt ad Iehouam, & ipſe exaudiebat eos.

Amplificat inſtitutam conſolationem ab exemplis priorum liberationum. Exempla enim plurimùm valent in materiis ſuaſoriis, & præſertim in doctrina conſolationis, quæ piis adhibenda eſt, quoties premuntur ærumnis & calamitatibus. Quia promiſſiones confirmantur exemplis, ne exiſtimemus eas eſſe inanes ſonitus. Deinde de applicatione nos monent: vt quemadmodum aliis videmus adfuiſſe Deum, iuxta promiſſiones: ita nobis quoque eum adfuturum eſſe certò ſtatuamus.

Adducit autē exēpla Moſis, Aaronis & Samuelis, quorum pietas in hoc populo fuit ſpectata. Erant enim Iudęorū coryphæi, & præcipui duces tā in politica gubernatione, quam in ſacro cultu ante Dauidem. Nec tamē dubium eſt horū nomine cæteros omnes fideles cōprehendi. Id quod innuit apertè, cùm dicit fuiſſe eos inter hos qui nomen Dei inuocabant.

Nec verò tantùm ad conſolationem hæc exempla faciunt: ſed etiam ad alteram materiam, nempe ad exhortationem ſunt accommodanda.

Si enim ſummi illi viri quotidie Deum celebrarunt inuo-

cationis cultu & ſacrificiis, & ſumma propter hanc pietatem adepti ſunt prẹmia, nos quoque eorum veſtigiis inſiſtere & exempla eorum imitari decet, vt ſimili pietate Deũ colamus. Sed hîc quæſtio occurrit explicanda. *Moſes* enim ſimul cùm Aarone inter ſacerdotes numeratur, cùm tamen de eo non legamus quod ſacerdos fuerit, aut quod ſummi ſacerdotis honorem vſurpauerit. Et filij Moſis inter vulgares Leuitas locum tenebant. Reſpondent nonnulli, numerari eum inter ſacerdotes, ſicut Samuelem inter inuocantes: hoc eſt, principaliter ad cultum reſpicere vatem, quem Moſes exhibebat Deo, dum aſſiduè inter Sacerdotes ſacrificantes verſaretur, & vera atque aſſidua inuocatione & obſeruatione rituum externorum Deum coleret. Ita enim ille aſſiduè fuit ad tabernaculum & inter ſacerdotes, non quidẽ vt munere ſacerdotis fungeretur, ſed vt nunquã à cultu diuino diſcederet, ſicut Samuel inter inuocantes numeratur, quitamen ipſe vt ſacerdos etiam ſacrificia offerebat. Hæc ſimpliciſſima eſt reſponſio, quæ in prẹſentia ſufficere poteſt. Alioqui ſi ad primam originem ſpectes, cùm Moſes fuerit ex tribu Leuitica & excelleret autoritate inter Iudæos, non dubium eſt antequam ius ſacerdotij Aaroni & filiis eius voce diuina confirmaretur, fuiſſe prẹditum ſummo ſacerdotio: ſed eò nunc non reſpicere prophetam exiſtimo.

Affertur autẽ & alia à nonnullis ratio digna cõſideratione. Vocabulum enim כוהן non ſemper ſignificat ſacerdotem, qui offerendis ſacrificiis & cæteris ritibus peragendis ſit deſtinatus: ſed miniſtrum in genere, & quidem non vulgarem, ſed intimum & charum præ cæteris, atque ita hominem primarium & in præcipua dignitate conſtitutum: vt ſicut ſacerdos inter Leuitas autoritate & dignitate miniſterij excellit, ita ille inter gubernatores politicos principem teneret locum. Ita 1. Reg. 4. Zabud filius Nathan dicitur ſacerdos, qui tamen non erat ex tribu Leuitica, & iam paulò antè ſacerdotes erant nominati Abiathar & Zadochus: ſed ita nominatur quòd eſſet princeps aulæ, quemadmodum & Chaldæus paraphraſtes, & textus in Paralip. vocabulum illud interpretantur. Et 2. Sam. 8. filij Dauidis nominantur ſacerdotes, qui tamen quòd eſſent ex tribu Iuda, fungi officio ſacerdotis aut miniſtri eſſe ſacrorum non poterant. Ita igitur dicebantur, vel quòd ſub miniſterio & diſciplina ſacerdotum viuentes bonas artes & doctrinam de Deo diſcerent, vt quibuſdam placuit, vel potiùs quod eſſent αὐλάρχαι ſeu principes aulæ & proximi à rege: quemadmodum textus in Paralip. vocabulum illud diſertè interpretatur. Nam pro eo quòd 2. Sam. 8. ſcribitur ובני דוד כוהנים היו 2. Paral. 11. ita legitur ובני דוד הראשנים ליד המלך Moſes igitur ſecundum hanc ſententiam ſacerdos dicitur, quod eſſet præcipua eius in gubernatione tam politica quam eccleſiaſtica, dignitas & autoritas. Et tamen etiam hoc verum eſt, partem muneris Sacerdotalis prẹcipuam, Moſen etiam in gubernatione politica conſtitutum obtinuiſſe atque obiuiſſe: cum videlicet & de voluntate Dei doceret populum, & aſſiduè pro eo intercederet, & preces ad Deum funderet: vt quantum ad hoc attinet, iure dici Sacerdos poſſit, anguſtiore tamen ſignificatione, quàm cùm Aaroni tribuitur. Ex tribus enim officiis Sacerdotis duo adminiſtrauit. Sunt enim tria Sacerdotum legalium officia his verſibus comprehenſa.

Τρεῖς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίοιο διδάσκειν, Πλάσκει θυσίας τῆς δ' ἄρας τε θεοῦ. Dici igitur Sacerdotem exiſtimo, & quòd doctor eſſet in populo, & (quò præcipuè nunc reſpicit Propheta) quòd populi nomine aſſiduè in conſpectum Dei prodiret, & preces pro eo ad Deum funderet. Sicut hoc poſtremum Samueli in primis tribuitur: nulla facta ſacrificiorum mentione, cùm tamen is eſſet Sacerdos ex tribu Leui natus, & munere Sacerdotali etiam in ſacrificando fungeretur. Atque hæc ſententia etiam ex his quæ ſequuntur comprobatur. Additur enim eos clamaſſe ad Dominum, hoc eſt, fuiſſe interceſſores apud Deum pro populi ſalute, & mediatores inter Deum & homines, qua in parte præcipuum munus Sacerdotale conſiſtebat. Atque ad hanc ſententiam reſpicit Iere. c. 15. cùm ex Dei mandato populum ita affatur: Si ſteterint coram me Moſes & Samuel, non eſt mihi animus ad populum iſtum.

Exaudiebat eos] Quod ſcilicet oſtendit in aſſidua gubernatione & defenſione huius populi, & in variis ac mirandis liberationibus. Quanquam enim Deus ſemper exaudit preces piorum, tamen tunc videtur exaudiſſe, cùm ea quæ petimus impetramus.

7 In columna nubis locutus eſt ad eos Deus: cuſtodiuerunt teſtimonia eius, & ſtatutum [*quod*] dedit illis.

Oſtendit ab alio teſtimonio & exemplo, Deum antehac fuiſſe præſentem in hoc populo, & de ſuo erga hũc populum amore teſtatum eſſe: vt ſuos doceat, nunc quoque de ipſius beneuolentia & amore bene ſperandum eſſe. Quia ſigna illa & ſymbola præſentię Dei, de quibus hîc loquitur, non tantùm ſeruiebant illi vni tempori, quando exhibebantur. Sed voluit Deus illa ſigna eſſe σφραγῖδας promiſſionum traditarum ad omnem poſteritatem, vt quicunque ex poſteris hoc audirent & legerent, ſcirent ſibi Deum non minùs eſſe præſentem, quàm illis quibus illa ſigna exhibita ſunt. Cæterùm de columna nubis, cuius hîc mentionem facit, legatur hiſtoria Exo cap. 33.

Cuſtodiuerunt] Hoc membrum ad alteram partem pſalmi, nempe ad exhortationẽ pertinet. Ideo enim pietatẽ & religionem ſanctorum patrum commendat, vt ſuos ad idem pietatis ſtudium excitet, & moneat, vt ſi Deum benignum & beneficum habere velint, ipſi quoque exemplo Sanctorum patrum vera animi pietate Deum colant, & in præceptis eius ambulent. Non enim proſunt nobis promiſſiones amplæ & exempla cum his congruentia, ſi impietate & delictis contra conſcientiam Deum à nobis alienemus & abigamus: & fruſtra homines ſcelerati accuſant Deum mendacij, ſi non omnia iuxta promiſſiones obtineant. Nec tamen de integra impletione legis ſententia intelligatur, ſed quòd doctrinam amplexi ſint, eámque retinuerint fide & bona conſciẽtia, & ad alios propagare ſtuduerint.

8 Iehoua, Deus noſter, tu exaudiuiſti eos: Deus propitius [*remittens*] fuiſti illis: & vltor ſuper opera eorum.

Repetit verſum ſextum. Quia prodeſt hæc exempla ſemper habere in conſpectu & probè animo infigere. Nam & ad conſolationem plurimùm faciunt, & animos bonorum ad ſimile pietatis ſtudium accendunt.

Propitius fuiſti illis] Scilicet pro quibus Moſes, Aaron, & Samuel intercedebant. Referendum enim hoc eſt ad totum populum. Eſtque vſitatum in lingua Hebræa relatiua poni abſque antecedente.

Et vltor] Corrigit priorem ſententiã, affirmans Deum ita propitium fuiſſe populo, & placatum redditum interceſſione Moſis & cæterorum, vt ſimul tamen ſeuerè animaduerteret in peccata, & iudicium ſuum aduerſus ſcelera declararet. Etſi enim corpus ſeruauit integrum: tamen ſubinde multis pœnarum exemplis vltus eſt ipſorum ingratitudinem & peruicaciam. Id quod hiſtoria populi commorantis in deſerto, & alia complura oſtendunt. Itaque & hoc membrum ad exhortationem eſt referendum. Vult enim horum exemplorum commemoratione incutere metum hominibus ſecuris, ne audita voce promiſſionum & exemplis cum ea congruentibus putent ſe iam quaſi in ſinu Dei quieſcere, & extra omnem iactum telorum, hoc eſt, extra omne periculum eſſe poſitos, etiamſi ſuo more pergant indulgere voluptatibus & delictis contra conſcientiam.

9 Exaltate Iehouam Deum noſtrum: & adorate ad montem ſanctitatis eius: quia ſanctus Iehoua Deus noſter.

Concludit pſalmum à repetitione exhortationis, quæ altera pars eſt pſalmi: & quod de Sion dicitur hoc loco, id de eccleſia omnium ætatum eſt intelligendum. Eſt autem hic verſus idem cum quinto, ideo non indiget longiore explicatione. Nam quod de monte ſanctitatis hîc dicitur, eodem modo intelligatur, ſicut id quod de ſcabello pedũ diximus. Mons Sion dicebatur mons ſanctus, vt ſuprà pſal. 2. & 78. diximus, & infrà iterum pſal. 132. dicendum erit, quia hunc cultui diuino Deus conſecrauerat. Epitheton autem & ad conſolationem & ad exhortationem referendum eſt, ſi enim ſanctus & ſacer eſt, ergo eſt ἄσυλος & non poteſt violari. Deinde requirit ſanctos cultores.

PSALMI XCIX.

PARTES.

I. Hortatio ad laudes Dei, amœbæis tribus clauſulis repetita, à tribus argumentis.

1. Ab amplitudine & potentia regíſque Chriſti, v. 1. 2. 3.

2. A be-

2. A beneficentia, iuſtitia & gratia in populum Dei collata per Chriſtum, duobus v. 4. & 5.

3. Ab exemplo Maiorum. v. 6. 7. 8. quo oſtendit Pſaltes meritò ab Eccleſia Catholica Chriſtum regem eſſe prædicandum per comparationem minoris, hoc modo: Si intercedente Moſe & Sacerdotio Leuitico Deus populum Iſraelis proſequutus eſt ſummis beneficiis, exaudiens eos, alloquens, condonans, & parcens in grauiſſimis offenſionibus: quanto magis prędicandum eſt regnum Chriſti filij & hæredis in domo Dei, qui Sacerdotio æterno nos Patri conciliauit. Vide Epiſtolam ad Hebræos.

II. Apoſtrophe emphatica ad Deum, qua pſaltes oſtendit eum populi miſertum eſſe pro veritate fœderis ſui, mera ſua gratia: ac proinde porrò in Chriſto miſerturum eſſe ex Euangelio.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 Deus regnat hominum reſpectu, dum ſe magnificis potentiæ documentis in ſublime attollit: quia dum opem ſuam occultat, audaciùs proteruiunt increduli, ac ſi nullus eſſet.

Chriſti regnum, id eſt Euangelium miniſterij voce promulgatum, impijs eſt formidabile, & mortis odor: electis contrà pacem & lætitiam adfert.

Qui olim in Iudæa & Sanctuario gloriæ ſuæ notas inſculptas demonſtrauit, vnde pauor in vicinos populos effuſus eſt: poſt Chriſtum exhibitum orbem terræ variis modis, tum in iudicium, tum in miſericordiam, agitauit.

2 Chriſtus eſt magnus in eccleſia, vt inde veluti ſummus imperator ad perdendos & in nihilū redigendos Eccleſiæ ſuæ hoſtes prodeat: ſuper hos enim excelſus eſt.

3 Fideles, quos ad Dei nomen ſponte celebrandum cognitio ſanctitatis eius incitat, decet Chriſti nomẽ corde, ore & factis ſincere profiteri, ne potentia illa, qua armatus eſt, in eorũ perniciem vertatur.

4 Ea lege Dei imperio ſubeſt eccleſia, vt iuſtitiam colat & integritatem: vt etiam Deus iuſtitiæ vindex, imperij formam inter ſuos inſtituit, quæ optima ſit pie iuſtéque viuendi regula.

5 Dei gratiam experti fideles eò ſe alacrius ad cultum pietatis addicere debent.

Templum vocabatur ſcabellum pedum Dei. 1. vt præſentiã ſuã in Eccleſia Deus teſtaretur. 2. vt nihil de Deo carnale vel terrenum fideles conciperent, neque ſubſiſterent in externis ſignis 3. Vt non alibi quàm in monte Sionis, eccleſiæ Chriſtianæ typo, fideles admonerẽtur legitimum Deo cultum præſtari.

6 Inuocatio ſacerdotalis ſub lege, typus interceſſionis Chriſti, & in eo ſolo fũdata fuit. Quòd enim fideles hodie exaudiũtur alij pro aliis in terra Deum inuocantes, fit virtute & merito vnius mediatoris Chriſti.

Eccleſia eſt cœtus clamantium ad Iehouã, à quo exauditur & liberatur. Re ipſa enim ſuis reſpondet Dominus, eos videlicet è malis eripiens & viuificans ſua gratia.

7 Temporalia ſigna quibus Iſraëlitas Deus olim confirmauit, fidem noſtram etiamnum roborant, teſte Apoſtolo Rom. 15.4. & 1. Corinth. 10. 6.

8 Pij exaudiuntur, quia mutuus eſt inter Dei gratiam & eorum pietatem conſenſus. Vnde ſequitur ſincero affectu cuſtodiendum à nobis eſſe Dei fœdus. Quum autẽ refrigeſcit pietas in mũdo, nihil mirum ſi Deus manum ſuam quoque ſubducit, vel ſaltem non exerit tam illuſtri modo. Et quò liberaliùs nobiſcum agit, eo minùs fert, vt ludibrio ſit eius liberalitas.

Deus non eſt temerè à nobis colendus, ſed quum in fidei certitudine fundatus ſit cultus eius, ſãctoſque nos eſſe iubeat, quia ipſe ſãctus eſt, ciues ſanctæ Ieruſalem, id eſt eccleſia, ij cenſendi ſunt qui viua fide patrem per filium inuocant, colunt, & perpetua animi ſubmiſſione venerantur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De regno & Sacerdotio Chriſti Dei-Hominis.
2. Eccleſia ſolium Chriſti, Sermo veritatis, Sceptrum regni, quo rebelles conteruntur, fideles conſeruantur.
3. Regni Chriſti notæ.
4. De ſcabello pedum Dei.
5. De ſacerdotio Leuitico & Euangelico.
6. De gratia Dei, populo ſuo peccata benigne condonantis.
7. De Eccleſiæ notis & officiis.

ARGVMENTVM PSALMI C.

ARGVMENTVM huius Pſalmi titulus indicat: ſignificat enim ſcriptum eſſe vt ſit forma publicæ gratiarum actionis in ſacro Dei populo. Cùm enim tardi & ſegnes plerique ſimus in æſtimandis, meditandis & prædicandis Dei beneficiis, Spiritus ſanctus hac quoque in parte ſuccurrere noſtræ ignauiæ & ſocordiæ voluit. Itaque conceptis publicis precum formulis, & magnitudinem beneficiorum Dei nobis ob oculos ponit, & quid facere nos deceat, oſtendit. Eſt igitur hic Pſalmus, vt multi alij, exhortatio ad celebranda Dei beneficia, quæ ille generi humano exhibuit: eaque adhortatio multis verbis, vt mos eſt Spiritui ſancto, repetitur & illuſtratur. Beneficia autem non omnia recenſentur: ſed in genere ea quæ ſumma ſunt, & ſub quibus cætera comprehendi poſſunt & debent. Eſt autem primum beneficium creationis, cum quo coniungit aſsiduam ſuſtentationem & gubernationem, eámque illuſtri ſimilitudine explicat, dum Deum paſtori, genus verò humanum ouium gregi comparat. Idque beneficium tantum eſt, vt iure ſibi nos obſtrictos ad cultum habeat. Neque enim ſatis fuit tam nobilem creaturam ex nihilo creaſſe, niſi eandem aleret & curam eius ageret perpetuò. Itaque ſicut iuſtum eſt, vt creatura ſuum creatorem colat: ita multò magis hoc præſtare eos conuenit, qui tot beneficiis ab eo ſunt affecti. Alterum verò beneficium eſt; quod nobis in Chriſto exhibuit, per quem nos ſibi adoptauit, & ſublato peccato, morte & maledictione legis, vera & æterna bona reſtituit, iuxta illud dictum Iohannis Baptiſtæ, Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: quæ verba apparet à præcone Chriſti ex hoc Pſalmo eſſe deſumpta. Hæc autem beneficia ita magna ſunt, vt nullus animus humanus cogitare ea ſatis, nulláque lingua celebrare, ita vt par erat, in hac vita poſsit. Neceſſe eſt tamen initia aliqua huius lucis & agnitionis, dum in terris agimus, in nobis accendi; atque ita ad aliquam gratitudinem nos excitari. Ideo toties illa exhortatio repetitur: & adduntur lumina verborum, quibus & adhortatio quaſi acuitur, & beneficia exaggerantur: vt tam orationis ſuauitate, quàm rerum grauitate animi hominum ad meditanda aſsiduè & celebranda hæc beneficia inuitentur.

Hæc ſumma eſt Pſalmi. Iterum autem monendi ſunt hoc loco auditores, vt quoties in Pſalmis has adhortationes de celebrandis Dei beneficiis legunt, ſimul cogitent, Spiritum ſanctum innuere, verum piorum cultum non conſiſtere in obſeruatione rituum externorum, ſed eſſe λογικὴν λατρείαν, quæ Deo offert non victimas Leuiticas, ſed, vt Hoſeas inquit, vitulos labiorum ſeu hoſtias laudis, quemadmodum epiſtola ad Hæbreos cap. 13. illud interpretatur. Cúmque principalis cultus ſit internus & ſpiritualis, eo ipſo docemur cultus illos legales Iudæis præſcriptos non fore perpetuos, ſed ſuo tempore abrogandos. Quemadmodum & Stephanus in Actis capite 7. eruditè argumentatur.

Pſalmus pro laude, *ſeu celebratione, id eſt, pro gratiarum actione propter beneficia diuinitus nobis exhibita.*

1 EXultate [*iubilate*] Iehouæ omnis terra.

2 Seruite Iehouæ in lætitia: venite in conſpectum eius in oratione.

Propoſitio Pſalmi eſt: Exhortatio ſcilicet, vt cum gaudio, exultatione, gratiarum actione & laude in conſpectu Dei appareant omnes, eíque gratias pro acceptis beneficiis agant. Cúmque omnem terram nominat, videtur quidem omnes Iudæos qui per terram promiſſam ſparſi erant, & ad quos primùm hæc adhortatio inſtituitur, intelligere, ſed quia futurum videbat propheta, vt gentes etiam ad huius regni ſocietatem venirent, ad has quoque hanc adhortationem pertinere iudicemus. Itaque omnem terram rectè interpretamur habitatores totius orbis terrarum.

Seruite] Apud Hæbræos duo ſunt verba, quæ cultum diuinum deſcribunt ירא & עבד quorum prius religionem illam quæ in animo ſita eſt, ſeu interiorem & ſpiritualem cultum comprehendit. Alterum verò præter cultum interiorem, etiam externam ſeruitutem, quæ rituum & cæremoniarum obſeruatione continetur, deſignat.

Loquitur autem propheta tanquam vnus ex populo legis, & erat ei tunc negotium cum populo qui obſtrictus erat legibus cæremonialibus. Itaque rectè vtitur verbo עבד, quo primùm quidem & principaliter interiorem cultum notat, ſed ſimul Iudæos hortatur, vt ſacrificiorum oblatione interiorem animi gratitudinem ipſi teſtentur. Solebant autem hoſtiæ pacificæ, θυσίαι σωτηρίου, vt Græcus vertit, Deo offerri poſt adeptam ſalutem, vel acceptum aliquod beneficium: ad quæ ſacrificia hoc verbo reſpicit. Sed quia illi ritus exhibito Chriſto aboliti ſunt, nos verbo עבד cultum noui teſtamenti proprium & ſpiritualem vocari ſciamus: iuxta illud 1. Petri 2. Offerte hoſtias ſpirituales acceptas per Ieſum Chriſtum.

Lætitia] Hoc vocabulo ſignificat beneficia Dei eſſe ingentia, quæ ſicut hilari animo accipiuntur à piis: ita ſimili animo celebranda ſunt. Quò enim maiora ſunt beneficia quæ accipimus, eò maiorem lætitiam illa in animis noſtris pariūt. Cùm igitur beneficia Dei nobis per Chriſtum exhibita ſint immenſa, vult ea Spiritus ſanctus etiam hilari animo celebrari, vt appareat nos affici his beneficiis. Hypocritæ enim & iuſtitiarij atque Epicuræi, quia non afficiuntur his beneficiis, & cogitant vel caſu hæc obiici, vel ſua induſtria & merito comparari, nec eſſe gratuita, non ita lætantur vt debebant. Itaque tales abigit hac voce Spiritus ſanctus à cœtu piorum: & huc congruit illud adagium Cabaliſtarum, quod paſſim celebratur, Spiritus ſanctus non canit niſi ex corde læto.

Venite in conſpectum eius] De hac phraſi dictum eſt ſupra aliquoties. Iubet conuenire omnes ad templum, vbi erat arca fœderis, quæ erat ſymbolum præſentiæ Dei. Ideo nominatur per prophetam conſpectus ſeu facies Dei.

3 Cognoſcite quòd Iehoua ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos & non ipſi nos: populus eius & grex paſcuorum eius.

Prima ratio ſumpta eſt à creatione & conſeruatione rerum creatarum: quo beneficio cunctos mortales ſibi Deus ita obſtrictos habet, vt ſcelerati & impij æternis ſuppliciis digni ſint, qui ſe à ſuo creatore temerè auellunt, & vel idolis vitam & ſalutem ſuam, vel propriæ induſtriæ, vel ſapientię aut viribus adſcribunt. Súntque beneficia illa, in creatione collata, ita magna & multa, vt animus humanus magnitudinem horum & varietatem nequaquam capere, nedum celebrare pro merito queat. Neque huius loci aut inſtituti noſtri eſt, omnia illa beneficia hîc recenſere: quæ ab aliis explicantur in ſcriptis φυσικοῖς. Eſt & teſtimonium de diuinitate filij in hoc verſu obſeruandum, quod Paulus ad Coloſſ. capite 1. explicat, cùm inquit, Omnia per ipſum & in ipſo condita ſunt. Eſt enim creatio opus naturæ omnipotentis & diuinæ: & nequaquam conditæ ſunt creaturæ per naturam humanam. Cùm igitur in Chriſto ſit natura conditrix & creatrix, neceſſe eſt quoque in ipſo Chriſto eſſe naturam diuinam.

Quod ipſe ſit Deus] Quid hoc ſit mox explicat, cùm inquit, *Ipſe fecit nos*: quaſi dicat, ipſe eſt qui iure creationis, vt cæteras creaturas omnes, ita in primis nos homines, tanquam rationales creaturas, ſuo imperio ſubiectos habet, & ab omnibus hunc cultum iure poſcit & requirit, vt autorem vitæ agnoſcant & celebrent. Ex antitheſi autem damnat omnia idola, quibus falſo numen aliquod aut potentia in creatione aut ſuſtentatione rerum creatarum tribuitur ab hominibus.

Non ipſi nos] Exiſtimant homines profani hominem naſci ex homine communi naturæ ordine, & natos ſuis parentibus vitam debere contendunt, quia ſapientiam & potentiam Dei in hac re non agnoſcunt. Sed affirmat propheta homines ita naſci ex hominibus, vt vita noſtra non ab homine ſed à Deo pendeat. Is enim eſt qui hominem primum creauit ex limo terræ, eíque vitam inſpirauit: quique deinceps opus illud propagationis potenter conſeruat, & hominem in vtero matris format, vt infrà oſtēdemus pſalmo 139. Atque hoc iure ſibi nos ſubiectos habet. Hæc ratio in genere omnes homines ad gratitudinem præſtandam hortatur. Iure enim creationis Deo ad obſequium & obedientiam mancipati ſumus. Sed quæ ſequuntur oſtendunt prophetam non tantùm de communi creatione loqui, ſed maximè de ſpirituali regeneratione piorum, qua ad imaginem Dei refingimur. Sunt enim pij opus Dei non tantùm quatenus in vtero matris formati ſunt (id enim cum cæteris habent commune) ſed etiam quia ad cæleſtem vitam per verbum & Spiritum ſanctum regenerantur. Quo ſenſu Paulus ad Epheſ. 2. dicit nos eſſe ποίημα θεοῦ. Itaque quæ de paſtore & ouium grege ſequuntur, quanquam ad ſuſtentationem & gubernationem rerum creatarum referri quodammodo poſſunt & debent: tamen principaliter ad ſpecialem eccleſiæ gubernationem & protectionem pertinent. De qua cùm ſuprà pſalmo 23. & 95. nonnihil monuerim, non ſum nunc prolixior. Hieronymus hoc loco legit, Et nos ipſius ſumus, ſequutus ea in re Chaldæum paraphraſtem, qui pro לא legit לו.

4 Ingredimini portas eius cum celebratione: atria eius cum laude: celebrate eum & benedicite nomini eius.

Repetitio eſt propoſitionis. Meminit autem atriorum, quia, vt ante dictum eſt, loquitur tanquam vnus ex populo legis, qui ad atrium domus Domini frequens conuenire, & ſacros ibi cultus peragere ſolebat. Eóque dicto monet, vt non niſi ex legis præſcripto homines Deum colant. Non enim alij ibi cultus peragebantur, niſi qui diuinitus mandati erant. Quod autem de portis, atriis & populo Iudaico dicitur, nos de cœtibus ſacris fidelium intelligamus, ad quos, dum nos colligimus & adiungimus, Deum iuxta verbum patefactum colamus, nec proprios cultus comminiſcamur: ſúntque congreſſus publici inſtituti, nō vt otia ſectemur, aut voluptatibus indulgeamus, ſed vt beneficia Dei meditemur & celebremus. Ideo addit, celebrate eum, &c.

5 Quoniam bonus eſt Iehoua: in ſeculum miſericordia eius: & vſque in generationem & generationem veritas eius.

Perſequitur alteram rationem à beneficiis ſpiritualibus ſumptam, quorum iam quodammodo mentio facta eſt: ſed nunc in ſpecie qualia ſint deſcribit, eáque à perpetuitate cōmendat. Complectitur autem omnia beneficia eccleſiæ propria duobus vocabulis, miſericordiæ ſeu gratiæ, & veritatis. *Gratia* ſeu bonitas ſignificat reconciliationem, remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, qua nos iuſtos, hoc eſt, acceptos reddit, & nos in filios adoptat, idque gratis abſque vllo noſtro merito. Ideóque nominat eum bonum, quòd gratis nullo prouocatus merito aut officio hæc omnia donet. *Veritas* etſi in genere fidem, veritatem & conſtantiam in promiſſis ſeruandis ſignificat: tamē cùm de beneficiis eccleſiæ propriis loquimur, etiam rem ipſam, de qua promiſſio ſonat, cōplectitur. ſignificat igitur veritas hoc loco præter illam fidem & conſtantiam in ſeruandis promiſſis, primùm veram lucem in mente, rectè agnoſcentem Deum & rectè inuocantem, accenſam à Spiritu ſancto per vocem euangelij: deinde in corde veros & ardentes motus congruentes cum lege Dei: poſtremò vera & æterna bona, vitam & lætitiam acquieſcētem in Deo, & conſuetudinem æternam cum Deo. Eáque bona omnia opponuntur fugacibus huius vitæ bonis: quæ quòd fallacia & fugacia ſint, nequaquam dici veritas merentur. Durant autem illa bona eccleſiæ propria in æternum, nec vllo vnquam tempore interrumpuntur. Itaque & hoc ad amplificandam beneficiorum magnitudinem pertinet.

Etſi enim per ſe hæc beneficia maxima ſunt, vt nihil addi ad horum cumulum poſſit: tamen eò ſunt commendabiliora & præſtantiora, quòd non cum hac vita corporali ceſſant vel extinguuntur: ſed durant in omnem æternitatem, & pios in æternum beatos reddunt. Hæc igitur quiſquis agnoſcit, is

non

non poteſt non erumpere in laudes diuinas,& animi gratitudinẽ lingua ,voce & vita ſua tota declarare. Aliud enim quod Deo pro his beneficiis rependamus non habemus. Quemadmodum infrà dicitur, Quid retribuam Domino pro omnibus,quæ retribuit mihi? Calicem ſalutarem accipiam,& nomen Domini inuocabo.

PSALMI C.

PARTES.

I. Hortatio ad colendum & prædicandum Deum verum in Eccleſia ex Iudæis & Gentibus collecta cognitum & cultum,v.1.idque cum lætitia & cantu,v.2.

II. Ratio hortationis à conſideratione primæ & ſecundæ creationis noſtræ petita, v.3.

III. Doctrina de agnitione fideli tot beneficiorum,quæ in creatione & in patefactione electionis noſtræ per vocationem,iuſtificationem & ſanctificationem noſtri,conſpiciuntur,v.4.

IV. Concluſio,Deum modis omnibus celebrandum eſſe, vt qui bonus, benignus & fidelis ſit in æternum,verſ.5.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.& 2. De vocatione gentium ad Chriſti notitiam, & de piorum lætitia ſub tam felici regno,locus illuſtris.

Superſtitionis & idololatriæ homines imaginario gaudio inebriantis,& ſolida lætitia priuantis,oppoſita deſcriptio.

3 Dei notitia in eo conſiſtit,vt Deo relinquatur ius ſuum, nec vlla deitas opponatur quæ tantum nomen obſcuret.

Fideles ſunt propriè opus Dei,non quatenus in vtero formati ſunt homines,ſed quo ſenſu Apoſtolus Epheſ. 2. 10. vocat eos τὸ ποίημα τοῦ θεοῦ, *quia conditi ſunt ad bona opera,quæ præparauit,vt in illis ambulent.*

Gratuita Dei bonitate ſpiritualiter ſumus regeniti, & eadem gratia nobis ſaluum manet vſque ad finem quod ſemel datum eſt: vnde ſequitur in tot tantiſque beneficiis reputandis præcipuè noſtram operam eſſe conſumendam.

4 Non aliter ritè defunguntur fideles in gratiis Deo agendis,niſi etiam in ſolenni pietatis profeſſione ſe exerceant.Hæc autem profeſſio ad verbi Dei præſcriptum formanda & referenda eſt.

5 Quum miſericordia & veritas Dei ſit perpetua, pluſquam turpe nobis eſſet in ſoluendo laudis ſacrificio defatigari. Porrò veritas miſericordiæ iungitur, vt ſciamus de paterno Dei fauore eos nihil concipere poſſe,donec ſacrum os ad charitatem ſuam teſtandam aperire dignetur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Vocatio gentium ad Chriſtum.
2. Electorum Dei lætitia ſub regno Chriſti.
3. Vocatorum ad Chriſti gratiam officium.
4. De opere potentiæ & gratiæ ~~Dei,ſeu de~~ generatione & regeneratione.
5. De vero grege & paſtore
6. De bonitate,benignitate & veritate Dei.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

SECVNDA PARS
ENARRATIONIS PSALMORVM DAVIDIS,
EXCEPTA EX PRÆLECTIONIbus Henrici Molleri Hamburgenſis.

CLARISSIMIS VIRIS, NOBILITATE GENERIS, DIGNITATE, PRVDENTIA, ERVDItione & pietate præſtantibus Conſulibus atque Senatoribus reipubl. Stadenſis, Dominis & amicis ſuis plurimùm obſeruandis, S. D.

MISERIAS Vitæ humanæ deſcripturus Iacob Patriarcha, & poſt eum regius Propheta Dauid, totius vitæ ſuæ curſum, quaſi in faſciculum colligentes, peregrinationem eſſe dicunt: qua voce neſcio an aliquid magis appoſitè ad ærumnas vitæ humanæ depingendas, atque oculis omnium quaſi in illuſtri imagine ſubiiciendas, dici poſſit. Nam primùm, ſecundùm Poetam, πλαγχθοσύνης ὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσι: & nihil eſt tam triſte támque acerbum, quod peregrinantes interdum non exerceat. Deinde verò, ſi ad cauſas exilij & peregrinationis noſtræ reſpiciamus, dictum vtriuſque multò fit illuſtrius, & de rebus grauiſſimis atque ad pietatem alendam vtiliſſimis nos monet. Nam (quod mirari quis poſſit) peregrinos ſe eſſe & hoſpitari in hac terra dicunt illi, quorum alter promiſſiones habet ampliſſimas de terra, quam annos complures iam inhabitauerat & coluerat, & de regno, quod poſteri in eodem loco habituri eſſent, vſque ad Meſſiam, omnibus rebus ornatiſſimum ac florentiſſimum: alter verò rex in illo populo diuinitus electus, atque in eius regni poſſeſſionem immiſſus, nulla prorſus re, quæ ad hanc vitam pertinet, egere videbatur. Hi igitur, quanquam ipſi quoque exulare aliquandiu à patria neceſſe habuerunt: tamen non tam exilia illa, quæ mox cum felicitate ſumma commutârunt, quàm miſerias illas perpetuas, quæ vnumquenque in hac vita premunt, peregrinationis vocabulo notare, atque de horum origine & cauſis, quæ illas reddunt triſtiores, docere nos voluerunt, vt miſeriæ ſenſu ad ſtudium recuperandæ poſſeſſionis amiſſæ quodammodo exuſcitaremur. Nam, quod dici ſolet, tum demum homines ſua intelligere bona, cùm quæ in poteſtate ſua habuerunt, ea amiſerunt, id piis inprimis vſu venit, vt cùm peregrinos ſe eſſe in hac terra audiant, ſimul intelligant, ſe ex paradiſo, quæ primò hominem creatum tanquam patria excepit & fouit, propter peccata eiectos, nunc quamdiu vitam in terris agunt, tanquam exules incertis ſedibus vagari, & peregrinando, nunc hoc nunc illud hoſpitium quærere, donec confecto curſu ad alteram illam cæleſtem patriam, ad quam initio conditi eramus, redeant. Ea verò res quemadmodum doloris plena eſt ex recordatione illius felicitatis, ad quam conditi initio fuimus: ita moleſtias, ærumnas & pericula ſecum trahit innumera, de quibus animus noſter ſine dolore ne cogitare quidem poteſt. Triſte enim admodum & miſerum eſt, ſecundum poetam,

——patria amiſſa laribúſque vagari
Mendicum, & timida voce rogare cibos,
Cum natiſque errare ſuis, & coniuge mœſta,
Et cum matre pia cúmque parente ſene.

Sed triſtius multò, quòd peccatis ſuis ſancti intelligunt primum hominem ſibi & poſteritati attraxiſſe has miſerias, in quibus conſpectus iræ & iudicij diuini aduerſus hominum ſcelera nos ſubinde terret, & dolores incutit grauiſſimos. Nam ſecundùm eundem Tyrtæum,

Non exul curæ dicitur eſſe Deo.

Exilium igitur & peregrinatio aſſidua, ad quam eiecti ex paradiſo homines mox à lapſu Adæ condemnati ſunt, duplici nomine triſtis nobis eſt atque ærumnoſa. Primùm quidem quòd de peccatis noſtris nos admonet, quæ nos à conſuetudine Dei auulſos in erraticam hanc vitam, in qua velut aues deturbatæ ex

batæ ex nidis ſuis, quemadmodum Ieſaias loquitur; hinc inde cum dolore & gemitu vagamur & oberramus, coniecerunt. Deinde quòd ſenſus miſeriarum variè nos exercet, adeóque grauiter premit, vt vita, quæ alioqui, etiam ſi breuis ſit, ſuauis eſſe, ſecundum Euripidem, ſolet, pleriſque fiat amara atque acerba: multi etiam pertæſi illarum miſeriarum mortem vltro ſibi conſciſcant. Vt autem miſeriæ illæ, quibus obnoxium eſt genus hominum, rectiùs intelligantur, atque in hac cognitione ad ſtudium quærendi mal[i]s noſtris remedia conuenientia mentes accendantur (primus enim, quod medici dicunt, ad ſanitatem gradus eſt, noſſe morbum) vita peregrinatoris ſeu viatoris ſæpe aſpicienda eſt, in qua illæ miſeriæ noſtræ, quibus obiecti in hac vita perpetuò ſumus, quodammodo adumbrantur, & à quanta felicitate exciderit genus humanum demonſtratur. Hunc enim à domo ſua egreſſum, mox innumeræ excipiunt calamitates, neque id ab vna tantùm parte, atque vno in loco, ſed quacunque ſe conuertat aut pergat, periculum ſibi paratum eſſe intelligit, totáque rerum creatura, quemadmodum in fabulis eſt, conſpiraſſe in eum, vtque pallium ei excutiant, hoc eſt, ſuis eum commodis ſpolient, quodammodo inter ſe contendere omnes mundi partes videntur. Primùm enim à cælo ipſo & aëre, qui nos circumfundit, quot iniuriæ, quantę & quàm crebrę tempeſtates, quàm ſæui & aduerſi flatus, quæ fulmina, grandines, pluuiæ aut aquarum ex his inundationes ſunt expectandæ? quibus corporis vires ſi non planè franguntur atque eneruantur, ſaltem ita attenuantur, vt progredi deinceps, qua cœperat alacritate, viator haud poſſit. Atq; hîc mihi in mentem venit triſte quoddam trium agricolarum exemplum, quorum duos, cùm in Italia eſſem, vidi in agro iter faciens non procul ab Eugubio vnà cum aſinis quibus vehebantur, à fulmine ictos ſubitò expirare, tertio qui in eodem erat comitatu, oſſa brachij ita à fulmine comminui, vt, cùm foris eius mali veſtigium nullum appareret, illa tamen carnis mortuæ inſtar à corpore dependerent, nec animaduerti oſſis alicuius veſtigium in his poſſet: vnde poſtea dolor ſæuiſſimus concitatus miſerum hominem ita excruciauit, vt ſingulis momentis mortem ſibi optaret. Quàm multis idem accidit, qui vel ventorum vi abrepti in præcipitia deferuntur, vel niuibus aut aquis oppreſſi ſuffocantur?

Quanquam verò ſol ſereno cælo interdum peregrinantibus affulget: tamen præterquàm quòd nulla tempeſtas eſt ſtabilis, hic ipſe facientibus iter ſæpe eſt moleſtiſſimus; dum corpora horum vrendo exhaurit & fatigat: vt Iſraelitis per deſertum iter facientibus opus fuerit nube interpoſita tanquam vmbraculo, quò ab æſtu ſolis defenderentur. Nec minùs luna per noctem ſuis radiis caput feriens, noxiis humoribus illud replet, & valetudinem affligit, quod Pſalmus centeſimus vigeſimus primus non obſcurè innuit, dum eos qui ſub vmbraculo Domini degunt, tam à lunæ iniuriis, quàm à ſolis æſtu tutos fore affirmat. Terra verò & fluuij quàm multa proferunt vel obiiciunt, quæ iter facientem vel remorentur, vel à progrediendi ſtudio prorſus abſterreant, vel in ipſo denique itinere certum interitum adferant? Quot enim & quàm varia profert terra venena, quæ incautos ſæpe viatores, dum fame extimulante noxias herbas deguſtant, ſubitò interficiunt aut morbos creant inſanabiles? Quot eadem aquas fundit hominum valetudini infeſtas? Quot denique feras alit ac venenatas beſtias, ad quarum vel conſpectum homo cohorreſcit? Atque vt ex his viatori nihil ſit periculi, ipſe tamen periculi metus ſubinde pergentem vehementer excruciat. Periculorum magnitudinem augent noctis tenebræ, quæ & per ſe formidabiles ſunt hominibus ad lucem conditis, &, quod Pſalmus inquit, feras ex luſtris ſuis euocant atque ad venationes educunt, vt non rarò viatores ab his diſcerpti, triſte prætereuntibus ſpectaculum præbeant. Poſtremò, ne quid ad cumulum malorum deſit, obſidentur viæ paſſim à prædonibus & latrunculis, à quibus dum itinera infeſta reddi intelligunt qui ſe his commiſerunt, ſæpe dubij ſubſiſtunt, aut regredi nonnunquam cogitant, præſertim cùm caro per ſe iners, ignaua ac mole ſua grauata, etiamſi periculum nullum eſſet, labores & moleſtias longi itineris auerſetur ac detrectet. Pergendum tamen ipſis eſt, vt ad metam optatam aliquando perueniant. Nam ſi Iſraelitarum exemplo ad Ægyptum retroſpiciant, ac relegere prius iter velint, creſcet periculum cum labore. Quæ enim ſuperata prius erant incommoda, aut euitatæ hoſtium inſidiæ, aut confecta itinerum ſpatia, denuo erunt tentanda atque adeunda cùm redeundo tum regrediendo (exitus enim ab ea parte ad quam reſpiciunt, viatoribus illis non magis datur, quàm Iſraelitis in Ægyptum redire volentibus, qui mare ſibi obiectum, & Ægyptiorum animos implacabili odio exacerbatos eſſe videbant, vt niſi cum certa pernicie eò reuerſuri non eſſent) & quæ ante reſtabant moleſtiæ, dum iter flecterent, poſt emenſos atque iteratos labores non minùs erunt ſubeundæ, quàm tunc cùm reflectere curſum, quàm pergere maluerunt. Sin ſubſiſtere ante tempus in loco, cuius voluptate aliquantiſper capiuntur, libeat, accidet eis quod de Vlyſſis ſociis ſcribitur, quos Circen propinato veneno in ſues, aliáque ferarum monſtra conuertiſſe legimus: vel etiam, quod de Lothi coniuge ſacra Scriptura tradit, quæ cùm affixa rebus præſentibus hæreret attonita, nec progredi cum marito poſſet aut vellet, in lapidem obriguit facta inutilis: aut denique, quod Iſraelitis in deſerto vagantibus accidit, vt ſi pertæſi laboris fremere aduerſus Deum incipiant, in ipſo huius mundi deſerto expirent, & ad patriam promiſſam nunquam perueniant. Taceo hoc loco comitum perfidiam, hoſpitum moroſitatem, & in expilandis aduenis iniuſtitiam, ipſorúmque hoſpitiorum immunditiem atque illuuiem, aliáque incommoda, quæ in terra peregrina verſantibus offerre ſe conſueuerunt innumera. Neque enim Spartani tantùm hoſpites ægrè admittebant, aut Scythæ eoſdem crudeliter mactabant ſuſpenſis ad portas templi capitibus: ſed vbique ferè hoc inſuaue carmen audiunt peregrinantes, vt aut domo exire, aut ad hoſpitis mores ſe attemperare iubeantur. Omitto & nauigationum varia incommoda & pericula, de quibus Pſalmus 107. concionatur. Nam mihi de peregrinatoribus ſermo inſtitutus eſt, quos vel neceſſitas ſolum vertere, vel honeſta ratio alicubi extra natale ſolum ſedes quærere cogit. Hos cùm tot pericula ſubinde exerceant, nemo eſt qui horum miſerias ex his quæ dicta ſunt, non aliquo modo agnoſcat, & quàm vera ſit illa ſapientum querela, κακὰ σὺν αὐτῇ πόλλ' ἐφέλκεται φυγή, intelligat.

Ad hanc verò imaginem conferatur mihi vita piorum, quos Paulus ἀστατοῦντας vocat, & imprimis Iacobi illius, aut Dauidis, quorum ſuprà mentio facta eſt. Dauid enim exemplo progenitoris ſui peregri-

num ſe eſſe in terra affirmat, non quòd locum habitationis, vbi conſiſteret, non haberet, aut certè habiturum ſe paulò poſt non ſperaret (ſciebat enim ſe diuinitus populo Dei regem eſſe deſtinatum) ſed ad primorum parentum exilium cum Iacobo reſpiciens, cogitabat ſe quandiu domi eſſet in corpore, tandiu cum cæteris ſanctis à Domino peregrinari: & (quod autor epiſtolæ ad Hebræos inquit) ſe ciuitatem manentem non habere, ſed futuram inquirere. Ideóque quas viator à cœlo tempeſtates, à latronibus inſidias, à terra voragines aut venena, à feris & aquis pericula metuit, ea ſibi & quidem grauiora multo ad cœleſtem patriam tendenti à Diaboli hoſtis generis humani crudeliſſimi inſidiis, à mundi machinationibus & carnis ſuæ malitia quotidie offerri intelligebat: vt non immeritò verſum illum vſurpare de ſe & ſociis itineris poſſet,

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in patriam veram vitámque perennem.

Atque in ea ærumnarum ſuarum cogitatione dum verſabatur, ſéque deſtitutum non tantùm amicis, ſed in vniuerſum præſidiis humanis & rebus externis omnibus cernebat, ad curam vitandi cùm pericula tum remoras hinc inde obiectas, & ad ſtudium conficiendi iter ſuſceptum accendi ſe animaduertebat. Nam quod Paulus optat peregrè abeſſe à corpore & apud Dominum habitare, idem feciſſe Dauidem de miſeriis huius vitæ cogitantem oſtendunt cùm cætera vota paſſim per omnes Pſalmos ſparſa, tum illa imprimis quæ huic ipſi querelæ de ſuo exilio annectit Pſalmo centeſimo decimo nono. Ita igitur in ſolio ſuo ſedebat Dauid, non vt deliciis huius mundi affixus, tanquam vinum ſuper fecibus ſuis quieſceret, (quod de Moabitis hominibus voluptuariis ac ſecuris alicubi affirmat Ieremias:) aut quaſi voti ſui compos factus vltra nihil quærendum cenſeret: ſed per fidem, vt Paulus inquit, ambulans, atque ad cæleſtem patriam perpetuò aſpirans, animo, quamdiu in terris erat, peregrinabatur, ídque vnum maximè in votis habebat, vt confecto huius vitæ curriculo, æterna Dei conſuetudine in cæleſti patria frueretur. Hæc Dauidis & reliquorum ſanctorum exempla proponi nobis ſciamus, vt ea intuentes, atque interea de miſeriis exilij noſtri cogitantes, nos quoque quamprimum in hanc viam demus, quæ ad cæleſtem patriam nos reducit, omiſſáque rerum terrenarum cura, & abdicatis huius mundi deliciis ac voluptatibus, ita ambulemus vt dignum eſt vocatione noſtra, hoc eſt, ne pericula vlla aut moleſtiæ à ſuſcepto itinere nos retrahant, neve remoræ aut impedimenta vlla, quæ varia à diabolo, à mundo & carne noſtra nobis obiiciuntur, curſum inhibeant: ſed tanquam acres & exercitati σταδιοδρόμοι, βραβεῖον illud æternæ gloriæ ac lætitiæ à filio Dei, qui in hoc ſtadio currentibus aſſidet βραβευτὴς confecto feliciter ſpatio, conſequamur.

Cùm autem non longa tantùm ac difficilis, ſed periculi, vt diximus, plena ſit hæc, quam pij ingrediuntur, via, cùmque, vt Ieremias dicit, non ſit hominis via eius, neque viri dirigere hos greſſus ſuos, pluribus certè rebus, quibus ſe viator muniat, atque ad iter hoc inſtruat, opus eſſe, nemo eſt qui non intelligat. Quis enim ita inſanit, qui ſe longum aliquod & aſperum iter per ignotas regiones & gentes ἀπροσλαλήτους aut Cyclopum more hoſpites ſuos iugulantes ſine duce atque interprete, ſine armis, ac ſine viatico conficere poſſe ſperet? Inprimis verò, ſi noctu iter faciat, quò progredietur, niſi ſit qui facem præferat, atque iter monſtret? aut quamdiu labores itineris ſuſtinebit, ſi in itinere hoſpitium nullum inueniens ipſe viatico deſtituatur? Nos verò qui ad patriam cæleſtem tendimus, per denſiſſimas huius mundi tenebras, per calles anguſtos & itinera ſentibus obſita, ac latrociniis infeſta, denique per regna inhoſpita, ac pluſquam Scythica barbarie ac crudelitate infamia paulatim progredimur, nudi planè, ac, quod ad externa illa attinet, rerum omnium indigi, vt cum Moſe clamare ad Deum neceſſe habeamus: Niſi tu præcedas, non educas nos de loco iſto. Deus verò, quòd viſibiliter nobiſcum nunc non verſetur, ideóque non per ſpeciem in qua coràm eum in hac vita de facie ad faciem intueamur, ſed per fidem ambulare nos velit, ſponte hîc nobis ſuccurrit, eáque omnia, quæ ad nos inſtruendos pertinent, abundè ſuppeditat. Primùm enim, ſicut Iſraelitis in deſerto vagantibus noctu ignis columnam præmiſit, quæ, vt Nehem. 9. dicitur, viam eis patefaceret & oſtenderet, per quam ambularent: ita nobis facem præfert verbo ſuo, quod Pſalmus 119. dicit lucernam eſſe pedibus noſtris, dum in huius mundi tenebris ambulamus: & Chriſtus ipſe viam ſe eſſe profitetur, quæ ad cælum ducat: non tantùm, quia viam hanc, veluti ſtatua quædam Mercurialis, monſtrat in verbo, ſed etiam ducis munere fungens, ac manu ſua nos apprehendens ex labyrinthis ac ſalebroſis huius mundi viis, ex quibus humano conſilio aut viribus nos expedire non poſſumus, addo & latronum receptaculis, tanquam adiuncto ſaluo conductu nos educit. Mox etiam vt verbo ſuo, qui eſt gladius ſpiritus, nos inſtruit: ita Spiritu ſanctò & paracleto ſimul nos munit & armat, vt & hoſtes feliciter repellere, & quæcunque in hoc itinere noſtro ingruant pericula ac moleſtiæ, fortiter hæc ſuperare & ad metam peruenire poſſimus.

Quòd verò longior nobis via apparet, quàm carni gratum erat, corpúſque viribus defectum cibo nonnunquam eſt reficiendum, idem Deus qui lucem verbi ſui ambulantibus in tenebris accendit, etiam gratiſſimum ἐφόδιον adiicit, quo inſtructi, ac, quoties vſus poſtulat, recreati, pergere deinceps alacriter poſſimus. Id verò quale ſit, Moſes oſtendit cùm inquit: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod progreditur ex ore Dei. Idem igitur verbum in eccleſia patefactum non tantùm face ad depellendos tenebrarum errores & horrores, & ſagittis iugulandis hoſtibus idoneis nos armat: ſed cibum ſimul ſuggerit animis eſurientibus ac ſitientibus, nóſque ita reficit, vt, etiamſi per vallem vmbræ mortis, aut per inhoſpita loca ambulandum nobis ſit, nullum periculum inde metuamus, nullámque famem aut ſitim exhorreſcamus. Rectè igitur Chryſoſtomus exclamans in quadam Homilia in epiſtolam ad Coloſſenſes ſcripta, ſuos auditores his verbis hortatur: Audite obſecro ſeculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si acciderit mœſtitia, huc velut apothecam pharmacorum introſpice: hinc tibi ſume ſolamen mali, ſiue damnum euenerit, ſiue mors, ſiue amiſſio domeſticorum: imò non introſpice ſolùm, ſed omnia iterum atque iterum verſa, mentéque illa contine. Hæc demum omnium malorum cauſa eſt, quòd ſcripturæ ignorantur:

rantur: ſine armis bellum ingredimur, & quomodo ſeruari poſſumus? Armati vincere ſeruariq; ſolent, inermes nequaquam, &c.

Atque hæc quidem omnia quæ de Scriptura ſacra dicta ſunt hactenus, inprimis de Dauidis noſtri pſalmis intelligi volo. Pſalmi enim, quod Chryſoſtomus in eodem loco dicit, complectuntur omnia: & Baſilius rectè monet, in pſalmos vniuerſam doctrinam ſacram tanquam in faſciculum ſeu compendium quoddam eruditiſſimum à Spiritu ſancto eſſe congeſtam. Hoc igitur viatico, hoc telo, atque hac face ſe inſtruat oportet, quicunque in ſemitis Dei ambulare, atque per has ad cæleſtem patriam, in qua æterna quiete & vita fruatur, peruenire cupit. Qua in re memorabile eſt optimi & piiſſimi Conſtantinopolitanorum epiſcopi Coſmæ exemplum, qui, vt Zonaras refert, cùm multa perperam fieri publicè gerique cerneret, diſpliceretque gubernationis præſens ſtatus, neque ſpes emendationis oſtenderetur, ſponte abdicato Epiſcopatu atque vrbe regia cedens, miniſtrum ſuum quem vnicum ſibi adiunxerat compellans, non aliud ex tantis opibus eccleſiæ, cui hactenus præfuerat, auferre ſecum, quàm Pſalterij librum iuſſit. Iudicauit enim vir ſanctus, nullum viaticum homini Chriſtiano peregrinanti magis eſſe idoneum aut neceſſarium hoc libello: & ſuo exemplo oſtendit, non rectiùs quàm in meditatione pſalmorum ſtudium piorum hominum occupari: eúmque, qui hoc viatico inſtructus iter illud ſuum ingrediatur, abundè ſatis & ad itineris longinquitatem & aduerſus moleſtias atque pericula inſtructum eſſe. Sit igitur hoc nominis Chriſtiani ἐφόδιον, quod nocturna diurnáque verſet manu, atque is profeciſſe ſe non parum in pietatis ſtudio ſciat, cui pſalmi Dauidis plurimùm placuerint.

Vt autem cum fructu verſari in pſalmorum lectione & rectè vti hoc viatico poſſimus, opera à nobis danda eſt non tantùm vt verba ipſa memoria teneamus, quibus decantandis itineris tædium leuemus, ſed multò magis vt verum ac genuinum verborum ſenſum aſſequamur. Nam vt ignoti (quod dicitur) nulla eſt cupido: ita ſcientiæ abſconditæ aut doctrinæ non intellectæ, nullus eſt vſus. In primis verò, ſi cum humana ſapientia hæc ſalutis doctrina miſceatur, aut erroribus profanorum hominum contaminetur, non tantùm lucem nullam illa præbet, nec hominem ad vitam æternam paſcit: ſed quemadmodum ſæpe ſub melle venena latent, & fatui ignes aut noctiuagæ cœli faces viatorem in auia aut præcipitia abducunt, aut naues etiam, quod noſtro ſeculo ad promontorium Iutiæ factum meminimus, vt ſcopulis alliſæ frangantur, alliciunt: ita doctrina ſacra, ſi cum humanarum opinionum fermento miſceatur, venenum eſt peregrinantibus lethale, & pro luce cæleſti erraticam quandam oculis offundit, quæ à ſemitis Dei hominem abducens, in exitium pellicit atq; præcipitat. Nec opus eſt procul quærere huius rei exempla, cùm quid in Papatu fiat ante oculos ſit poſitum. Monachi cùm in Pſalmo 19. legerent, Obſeruationi mandatorum diuinorum varia præmia diuinitus propoſita eſſe, illi ſpreta doctrina Euangelij de gratuita remiſſione peccatorum, quæ alibi in Pſalmis expreſsè traditur, operibus ſe mereri vitam æternam contendebant, & Dauidis autoritatem allegantes operum meritum ſtabiliri ſomniabant. Sectantes igitur cum Iſraelitis legem Iuſtitiæ, vt Paulus loquitur, ad legem iuſtitiæ nõ peruenerunt. Iudæi cùm nullum aliud quàm corporale Chriſti regnum ſomnient, in quo ipſi præ cæteris autoritate, dignitate & potentia emineant, quàm multos Pſalmos ſceleratè corrumpunt, & præcipuam doctrinam de officio ac beneficiis Chriſti contaminant? vt nihil interea dicam de ineptis & procul exorbitantibus tam Græcorum quàm Latinorum verſionibus, ex quibus nullus ſenſus commodus, nedum verus aut genuinus, elici interdum poteſt.

Vt igitur de vera & natiua pſalmorum ſententia conſtaret, multi docti & pij viri hoc tempore id operam dederunt, vt ex fontibus Hebræis, & perpetua teſtimoniorum diuinorum collatione, veram horum vtiliſſimorum ſcriptorum ſententiam eruerent, & pſalmos, quales olim tempore Dauidis & Eſræ in populo Dei audiebantur, in eccleſias noſtras reducerent, ídque donum noſtris temporibus diuinitus conceſſum grato animo agnoſcendum ac prædicandum eſt. Quò enim tenebræ ſub Papatu fuerunt maiores, cùm pſalmos non intellectos quotidie in templis magno boatu Monachi, aut à Canonicis conducti miniſtri, ventris cauſa decantarent: eò magis gratulari nobis debemus, dum pueros quotidie decantare aut recitare ad menſam pſalmos ita audimus, vt & ipſi quid dicant, intelligant, & alios, ſi opus ſit, erudire queant. Ego verò cùm de autoritate & conſilio eorum, qui ſtudia publica in hac Academia gubernant, eoſdem Dauidis pſalmos enarrandos ſuſciperem, diligenter id operam dedi, vt veſtigiis ſummorum virorum inſiſtens, non ignauus eſſem horum ſcriptorum interpres, nec alienas à phraſi aut diſcrepantes à fidei analogia ſententias in pſalmos ingererem: Sed quod Hilarius monet, vt verum intellectum ex ipſis dictis, atque ex perpetua orationis ſerie ac verborum proprietate elicerem potiùs quàm aliunde aſſumptum importarem. Idque vt ſpero animaduertent, quibus fontes aliquo modo noti ſunt, aut qui alioqui ſerium ſtudium ad cognoſcendum hoc ſcriptum attulerint, atque his laborem hunc noſtrum non ingratum fore confido.

Cæterùm vobis viri clariſſimi nobilitate, ſapientia, dignitate ac virtute præſtantes, dicare hanc poſtremam enarrationum mearum partem volui, cùm vt viro reuerendo, pietate & omni genere virtutis ornatiſſimo D. Oſiæ Cordo, eccleſiæ veſtræ paſtori fideliſſimo, amicitiáque mihi planè fraterna coniuncto, qui toties hanc à me meditationem efflagitauit, nec vllam hactenus valetudinis excuſationem admiſit, tandem ſatisfacerem, déque meo in ipſum & cæteros eius ſymmyſtas, fratres in Chriſto venerandos, amore & fide hoc officij genere publicè teſtarer: tum verò, vt me illorum beneficiorum quibus à pleriſque veſtrum affectus ſum, memoriam grato animo circumferre & religioſè conſeruare intelligeretis. Equidem verè affirmo, vbi à domeſtico amore ac fratrum coniunctione diſceſſero, nullos me vnquam reperiſſe, qui tanto ſtudio, tótque officiis me proſequuti ſint, & certatim quaſi ſua in me beneficia contulerint, quàm veſtrum plerique. Quid enim vnquam prætermiſſum à vobis eſt, quoties ad amicos ſalutandos, & coniunctionem cum eccleſia veſtra oſtendendam atque alendam, ex patria ad vos me contuli, quod ad amorem in me veſtrum declarandum pertinere iudicaſtis? Nam & priuatim ſinguli in me humaniter complectendo atque ornando fuiſtis aſſidui, & publicè nunquam niſi beneficio aliquo affectum me dimiſiſtis. Atque hęc omnia eò mihi acciderunt à vobis gratiora, quòd nullis à me officiis prouocati, de vnius viri integerrimi, atque de re-

publica veſtra præclarè meriti D. Iohannis Kamperi fratris mihi dilectiſſimi commendatione tam honorificè de me ſentire, déque iudicio veſtro toties & tam benignè teſtari non dedignati eſtis. Vtinam verò hoc officium meum, quod referendæ aliquo modo gratiæ cauſa à me ſuſceptum eſt, tam gratum ſit veſtris dignitatibus atque excellentiis, quàm ab animo grato atque acceptorum beneficiorum memore proficiſcitur. Nihil enim eſt, ex quo ego hoc tempore maiorem capere voluptatem queam. Quòd tamen antehac ſummis in republ. viris, principibus & gubernatoribus non diſplicuiſſe ſimile meum ſtudium atque officium intelligo, ea res facit, vt vobis quoque, quorum ſemper tanta in me fuit beneuolentia, probatum iri hoc qualecunque declarandi animi mei ſtudium confidam. Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, vt Remp. veſtram & eccleſiam, in qua doctrinæ cœleſtis vox incorrupta ſonat, ſeruet & tueatur, vobíſque omnibus & ſingulis Spiritu ſuo adſit, vt in veritate, quam eccleſia veſtra profitetur, perſiſtatis, & Rempubl. poſteris relinquatis, non tantùm opibus inſtructam, ſed multò magis verò pietatis cultu, optimis legibus & ciuium obedientia ac conſenſu munitiſſimam atque ornatiſſimam. Bene ac feliciter valete. Vvitebergæ, die Innocentum puerorum, qui nos de exilio Chriſti & eccleſiæ eius admonet. Ioſephus enim vt crudeles Herodis manus effugeret, in Ægyptum fugere ſub id tempus cum matre & infante iubebatur, vt mox naſcente Chriſto, atque eius regno emergente, parata eſſe piis exilia intelligeremus, & de horum miſeriis cogitantes cum ſancto viro Philippo Melanthone diceremus,

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis huius
Eſſe decet, cuius nos quoque membra ſumus.

Veſtrarum Dignitatum
Studioſiſſimus,
HENRICVS MOLLERVS.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI CI.

HABET hic Pſalmus luculentum pij ac boni principis exemplum. Nam Dauid regno iam inauguratus, cùm ſe prępararet ad munus omnium grauiſſimum & difficillimum, hoc eſt, ad piam, iuſtam & legitimam gubernationem populi Dei, tanquam in faſciculum colligit pręcepta omnia de virtutibus quæ in bono & ſalutari principe prȩcipuè eminere debent, eáſque ita ſibi ſectandas atque exprimendas proponit, vt ſe ſolenni quaſi voto ad harum cultum coram Deo obſtringat, ſeque fidelem Dei in hoc munere vicarium fore oſtendat. Nec dubium eſt, Dauidem, cùm hoc votum Deo nuncuparet, non tantùm perfectam bonæ & piæ aulæ imaginem ſibi propoſitam habuiſſe: ſed econtrario ſimul Saulis aulam impiam & variis vitiis contaminatam conſideraſſe. Et quia ab illis vitiis & ſceleribus, quibus aula illa tunc ſcatebat, alienum ſe fore profitetur, tacitè ſimul petit, vt quamprimum in regni poſſeſſionem à Deo immiſſus, aulam impiam corrigere, eámque pietate & cæteris virtutibus exornare queat. Hæc de argumento breuiter dicta ſufficiant. Cæterùm virtutes ipſæ quarum hîc mentio fit, multorum ſcriptis ſunt illuſtratæ, ad quæ auditores remitto: nobis breuiter eas indicaſſe & quaſi digito monſtraſſe ſuffecerit. Quia verò boni & ſalutaris Principis exemplum in Dauide proponitur, Pſalmus hic aſſiduè iis, qui ad gubernationem Reipublicæ educantur, erat proponendus. Quanquam enim ſcripta huius argumenti extant complura: tamen nullum eſt, quod in neruoſa breuitate tam multa complectatur: vt de autore interim taceam, cuius teſtimonij autoritas quanta apud pios eſſe debeat, ſuprà monuimus.

Pſalmus Dauidis.

1 CLementiam & iudicium cantabo: tibi Iehoua pſallam.

Orditur promiſſionem à commemoratione illarũ virtutũ, quæ in bona & ſalutari gubernatione ſunt pręcipuæ, & quæ cæteras omnes ſub ſe comprehendunt. Nam ſicut Paulus ad Rom. 13. inquit, Magiſtratum diuinitus conſtitutum eſſe, vt ſit honori bono operi & terrori malo: Ita eodem ſenſu quaſi ſummatim complectens omnia officia boni Principis, affirmat, bonam, legitimam, & ſalutarem gubernationem conſtare & comprehendi præcipuè his duabus virtutibus, bonitate ſiue clementia, & iudicio.

חסד primùm ſignificat amorem erga ſubditos, & ſtudium in procuranda populi ſalute. Sunt enim Principes (quemadmodum rectè Plutarchus eos definit in lib. quem ſcripſit πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον) ὑπηρέται θεοῦ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν, ὅπως ὧν μὲν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις καλῶν καὶ ἀγαθῶν τὰ μὲν νέμωσι, τὰ δὲ φυλάττωσιν. Itaque ſicut Deus eſt ſummè φιλάνθρωπος, ita hæc virtus eminere in vicario Dei debet, vt ſit amans ſuorum ſubditorum, & cogitationes, atque actiones omnes ad ipſorum ſalutem & incolumitatem dirigat. Atque huc pertinet dictum illud apud Xenophontem 8. παιδ. οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός. Ad hunc verò amorem multa pertinent.

I Primus & præcipuus gradus eius amoris & ſtudij eſt, vt curet rectè doceri ſubditos de Deo. Nam in vera agnitione & cultu Dei præcipua hominum ſalus poſita eſt.

II Deinde vt de victu & annona ſubditis proſpiciatur. Qua in re imitari exemplum boni patrisfamiliâ debet.

III Bonitas complectitur benignitatem & liberalitatem in dando. Nam חסד ſignificat non tantùm bonitatem ſeu στοργὴν, ſed etiam beneficium gratuitum, quod ex huiuſmodi amore proficiſcitur. Eſt autem beneficentia virtus quæ maximè decet & ornat principem. Ideo apud Hebræos apto vocabulo nominantur נדיבים hoc eſt, εὐεργέται, quemadmodum euangeliſta Lucas cap. 22. id interpretatur. Et Titus Imperator intelligens beneficentiam præcipuè pertinere ad principem, ſi quando non affeciſſet aliquem beneficio, dicere ſolebat, *Hodie non imperaui: quia nemini benefeci.* Huc pertinet & illud Leonis magni Imp. R. qui dicere ſolebat, *Quemadmodum ſol, quibus affulſerit, iis calorẽ ſuum impertiri ſolet; ita etiam clementia ab Imperatore iis tribuenda eſt, quos aſpexerit.* Et Theſeus apud Euripidem de magiſtratu loquens, inquit.

εὐεργέτης δὲ βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος.

IIII Ad bonitatem pertinet facilitas in audiendis cauſis & querelis ſubditorum. Debent enim principes habere εὐπροσήγορον γνώμην, non moroſè aut ſuperbè à ſuo conſpectu repellere ſubditos, aut negligere eorum querelas: ſed faciles ſe in cognoſcendis cauſis præbere. Ideo Dion laudat Adrianum, qui in cauſis cognoſcendis fuerit & facillimus & diligentiſſimus, adeo vt vni cauſæ cognoſcendæ & diiudicandæ ſæpe dies vndecim aut duodecim tribueret: nonnunquam etiam noctes ſimul inſumeret. Et Suetonius dicit, Auguſtum ius dixiſſe non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate. Itaque rectè illa mulier reſpondet imperatori Adriano, qui cùm in publica via interpellaretur à muliere, & dixiſſet, iam non vacare ſe poſſe cognoſcendæ cauſſæ: Ergo ne impera, inquit illa: qua voce ille motus mox cauſſam cognouit.

V Miſericordia hac voce commendatur, quæ vt ſubditorum calamitatibus afficitur: ita mitigare & tollere eas ſtudet. Atque huc pertinet defenſio bonorum contra vim iniuſtam, tam pacis quam belli tempore.

VI Clementia, manſuetudo & ἐπιείκεια requiritur primùm in ignoſcendis delictis non enormibus, quæ non ex ſcelerato propoſito, ſed ex imbecillitate quadam naturæ cõmittuntur. Deinde in mitigando rigore iuris & lenienda aſperitate pœnarum. Tertiò, quæ in dubiis caſibus in mitiorem ſententiam inclinet. Miſericordia enim ſuperare debet iudicium. Et vt iuris conſulti dicunt, fauores ampliandi ſunt, odia verò reſtringenda.

Hæc ſunt præcipua, quę vocabulo חסד ſignificantur, atque his multa alia vicina poſſunt coniungi. Ex antitheſi autem & contraria ſunt cogitanda. Opponitur igitur huic virtuti primùm ἀστοργία multorum Regum & Principum, qui nulla cura ſuorum ſubditorum afficiuntur, & regna putant ſibi data eſſe, οὐ πρὸς εὐεργεσίαν, ἀλλὰ πρὸς ἡδονὴν καὶ ὕβριν. Talis erat Sardanapalus, de quo dicitur apud Athenæum, ἔσθιε, πῖνε, τὰ δ' ἄλλα κ... πέπαι ὦδε. Tales ſunt multi, qui ſalutem publicam negligunt, & omnia ad ſuas voluptates trahunt.

II Pugnant cum bonitate ſeu beneficentia ſordes, tenacitas, auaritia, quæ non ſolùm non dat beneficium: ſed etiam omnes artes expilandi populum excogitat: vt adminiſtratio reip. quæſturæ, quàm legitimo imperio ſit ſimilior. Tales igitur qui ſunt, illi non ſuam beneficentiam, ſed βουλιμίας canunt & prædicant.

III Superbia & faſtus in repellendis ſubditis, quoties cauſas ſuas cognoſcendas ad aulam deferunt, & neglectio iudiciorum.

IIII Ἀπάθεια ſeu ἀστοργία, quę ſubditorum calamitatibus non afficitur: & immiſericordia, quæ etiam cùm probabilis ratio eſt, nõ mitigat iuſtam aſperitatẽ: deinde crudelitas, vel manifeſta ſæuitia, quæ vel leuiter irritata atrociter graſſatur in innocentes, & ſæuit in ſuppliciis. Habent autem principes plerumque miniſtros, qui eos extimulant ad crudelitatem, quibus ſi aures præbeant, modum in pœnis excedunt, & ſine cauſa premunt & affligunt bonos, vt videre eſt in hiſtoriis. Laudatur autem clementia Theodoſij II. Imperatoris, cui cùm diceretur, neminem illorum morte multatum eſſe, qui ei iniurij fuiſſent, reſpondens, *Vtinam*, inquit, *eos etiam in*

vitam reuocare poſſem qui iamdudum mortui ſunt. Adeo ille abhorruit à ſæuitia.

Iudicium ad executionem & pœnas ſceleratorum pertinet. Sicut enim rex honori debet eſſe bono operi, ita terrori ſit malo, hoc eſt, prohibeat iniurias & puniat delinquentes, tollat omnes qui publicam ſocietatem turbant aut ſceleribus ſuis contaminant. Debent igitur iuſto zelo & odio ardere contra delinquentes: & animo forti præditi eſſe in exequendis pœnis. Sicut Phinees, Num. 25. & Moſes, Exod. 33. Ideo lex inquit: Tollas malum de medio tui, & non parcas. Et notum eſt dictum Demoſthenis: Οὐδὲν ὄφελος πόλεως εἴ τις μὴ νόμους ἔχει ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας.

Pugnat autem iudicium cum ſegnitie, ignauia & indulgentia, quæ ad omnia ſcelera conniuer, & alienis peccatis concedit vel imbecillitate quadam, vel metu odiorum aut periculorum, vel ſpe lucri, vel ratione amicitiæ & cognationis, vel etiam, vt Cicero inquit, quò faciliùs ipſis iudicibus peccare liceat. Qui igitur tales ſunt, nequaquam ſunt idonei ad gubernationẽ. Qualis in hiſtoriis deſcribitur Honorius & alij multi.

Cantabo] Id eſt, publicè in tuo conſpectu profitebor me his virtutibus deditum fore, & iuxta has regnum, quod mihi commiſſum abs te eſt, vbi adeptus fuero, adminiſtraturum: vt cantare clementiam & iudicium tantundem ſit, ac profiteri & ſolenni verborum nuncupatione teſtari, ſe fore iuſtum & æquum regem, qui omnia rectè & legitimè ſit adminiſtraturus.

Nonnulli Auguſtinum ſequuti, clementiam & iudſcium de Deo accipiunt, qui bonos defendat & malos puniat, atque idem dignus ſit laudibus: quaſi hac conſolatione antequam ad regnum perueniret & multis inſidiis interea à Saule peteretur, Dauid ſe ſuſtentarit, quòd ſciret Deum præſidio eſſe bonis, & malos iuſtis pœnis ſuo tempore afficere. Itaque futurum certò, vt aliquando ab exilij calamitatibus ereptus in regnum promiſſum collocaretur, quo tempore ipſe hæc beneficia grato animo ſit celebraturus. Sed non loquitur propheta de Dei iudiciis: Sed de legitima regni adminiſtratione, quam, collocatus in ſolium regium, inſtituturus ſit, concionatur, ſéque ad hanc ſingulari quodam voto obſtringit.

Tibi Iehoua pſallam] Intelligit Dauid ſe in hoc munere eſſe Dei miniſtrum, & iam diuina autoritate ad hoc deſtinatum. Itaque ſicut Deo vni illam dignitatem ſibi per Samuelem collatam acceptam referebat: ita intelligebat & illas ipſas virtutes, quæ in bono gubernatore requiruntur, Dei dona eſſe: & ſe totã ſuam gubernationem ad ipſius voluntatem & mandatum componere debere. Ideo inquit, ego tibi pſallam: à quo ſcilicet ſolo illæ virtutes proficiſcuntur, & cuius gloriæ præcipuè illæ debent inſeruire. Ita has virtutes, quæ præcipuè ſunt in gubernatione, commendat partim ab autore, vt & ſe & alios ad illa petenda exuſcitet, partim à cauſa finali. Quia ideo tribuuntur illæ virtutes regibus, vt tota ipſorum gubernatio ſeruiat gloriæ diuinæ amplificandæ & celebrandæ in genere humano. Atque ita hæc præcepta differunt à philoſophicis ſcriptis, quæ de inſtitutione principum à multis edita ſunt, Non enim intelligũt principalem finem gubernationis, nec iubent vt Deo pſallatur, ſed id vnum agunt, vt nomen & honores conſequantur, & dignitate ac potentia creſcant.

2 Prudenter agam in via perfecta, quando venies ad me: ambulabo in integritate cordis mei: in medio domus meæ.

Hactenus de iis virtutibus dixit, quæ ſe publicè in gubernatione oſtendunt: nunc de iis concionatur, quæ priuatim regem decent & ornant. Ac primùm inquit ſe prudenter acturum. Quod quanquam ad omnes partes gubernationis ſe extendit, in qua oportet Principem eſſe vigilantem, qui diligenter cogitet & meditetur ea quæ ad publicam pacem & ſalutem regni tuendam pertinẽt, ſitque prouidus & cautus in rebus agendis, ne ſua ſtultitia & temeritate attrahat ſubditis pericula, aut euertat rempublicam (quod faciunt ferè ij qui ebrij voluptatibus omnia ad ſuas cupiditates & voluptates trahunt, de quibus Plato inquit, μέθυσος ἄρχων πάντα ἀναστρέφει. Item, qui ambitione elati turbant omnia) tamen ſimul de cura priuatim regendi ſuam vitam & mores iuxta præſcriptum verbi diuini loquitur. Rex enim non tantùm operam dare debet, vt publicè diſciplina conſtituatur & in iudiciis rectè omnia adminiſtrentur, & pax vbique cõſeruetur: ſed cùm cuſtos ſit legis, eámque exequi debeat, ipſe ſibi ante omnia ponere legem innocentiæ, atque ita vitam ſuam inſtituere debet, vt exemplo præeat ſubditis, eóſque ſua vita & moribus ad pietatem & virtutis ſtudium extimulet. Veriſſimè enim dictum eſt à Claudiano:

—non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis. Item,
Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Vtque ducum lituos ſic mores caſtra ſequuntur.

Et Cicero grauiſſimè inquit 3. de legibus: *Quo pernicioſiùs de Republica merentur vitioſi Principes, quòd nõ ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neq; ſolùm obſunt, quòd ipſi corrũpũtur, ſed etiã quòd corrũpũt: plúſq. exẽplo, quàm peccato nocẽt.* Et Plinius Iunior inquit: *Vita principis cẽſura eſt, eáq. perpetua: ad hãc dirigimur, ad hãc conuertimur.* Prudenter igitur agere in via perfecta, ſignificat omnẽ vitam & actiones ad normam verbi diuini inſtituere, atque ita vitam degere, ne in moribus aut vita quicquam culpari poſſit. Hoc igitur ſignificat fore ſuum ſtudium, vt vitam ſuam rectè & prudenter inſtituat iuxta normam in verbo præſcriptam, & vt in integritate cordis ſui ambulet. Alij reges & principes excæcati dignitate & potentia, quam illis reſpublica tribuit, aut ebrij voluptatibus, abiiciunt omnem curam regendi vitam & mores: & licentiam quiduis agendi ſibi ſumunt, ſicut ille inquit apud Senecam: *Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt: Reges quà iuuat, eant.* Atque inde exiſtũt nõ tãtùm multa ſcelera priuata, quæ in ciuitatem & ſubditos effuſa, plurimùm, vt Cicero inquit, exemplo nocent: ſed etiam onera publica & iniuriæ, quibus populus duriter premitur & affligitur. Hinc enim illæ iniuſtæ exactiones & alia onera, quibus, vt ambitioni & cupiditatibus principum ſeruiatur, opes & facultates ſubditorum attenuantur & exhauriuntur, & victus neceſſarius plurimis ſubtrahitur: hinc proſcriptiones, cædes, ſpoliationes, adulteria & alia peccata, quæ omnia cum lege diuina pugnant.

Quod autem dicit ſe prudenter vitam inſtituturum, ita vt *in via perfecta* ambulet, intelligatur non de perfectione, quæ eſt integritas omnium virium & congruentia cum norma legis diuinæ. Ea enim in naturam humanam, poſtquã contaminata eſt peccato, & dum vitam in terris agimus, cadere non poteſt. Et Salomon inquit, 1. Reg. 8. Non eſt homo, qui non peccet. Item, Septies in die cadit iuſtus. Sed perfectio intelligatur de ſerio ſtudio & conatu, in quo cor conſentit cum externis actionibus, & abeſt omnis hypocriſis & ſimulatio. Atque eodem modo intelligendum quod ſubiicit de integritate cordis. Non enim eſt via perfecta, nec integritas cordis, ſi foris externæ actiones aliud ſimulent, aut præ ſe ferant: cor verò cupiditatibus æſtuans aliò rapiatur.

Donec venias ad me] Vel interea, ſeu, vſque dum venias ad me. Hæc verba oſtendunt Pſalmum compoſitum eſſe, antequam ad gubernationẽ perueniſſet. Sunt enim verba hominis priuatim adhuc degentis, atque expectantis, donec illa regia dignitas promiſſa ſibi conferatur, & in ſolium regium collocetur. Hoc enim ſignificat hoc loco, *donec venias ad me*, id eſt, donec conferas mihi promiſſam dignitatem & me regno præficias. Eſtque idem ſenſus in membro ſequenti. *In medio domus meæ*, id eſt, dum adhuc ago domi meæ. Nã mediũ domus ſuæ, hoc eſt priuatos parietes, opponit palatio & ædibus regiis, vbi poſtea erat ei viuendum in luce & oculis omnium hominum. Affirmat igitur ſe iam tum cùm priuatus ageret & ſpem de regno factam amplexus eſſet, diligenter & aſſiduè cogitaſſe de magnitudine muneris ſui, atque ad id rectè obeundum multò antè & præparaſſe ſe magno ſtudio, &, vt ſtudium eſſet ardentius, & magis ſerium, ſolenni inſuper voto ad hæc officia ſe obſtrinxiſſe. Alij hoc membrum, *quando venies ad me*, interrogatiuè exponunt, vt ſit quaſi querela de mora ne promiſſio facta diutiùs differatur: quia videbat ſibi varias interea à Saule & ſatellitibus eius ſtrui inſidias, & iactari ſe ex vno genere periculi & calamitatum in aliud: ſed ſequens membrum oſtendit, illam interpretationem quam primo loco attuli, eſſe veriorem. Eſt enim poſterius membrum huius verſus, quod in pſalmis eſt vſitatiſſimum, explicatio prioris. Itaque ſicut illud quod primo loco dixerat, *prudenter agam in via perfecta*, in altero membro his verbis effert, *ambulabo in integritate cordis mei*: Ita hæc verba *donec venias ad me*, per illa explicãtur *In medio domus meæ*. Venerat quidẽ Deus cum promiſſione ad Dauidem, cùm eum per Samuelem conſtitueret regem in populo Iſraelitico: ſed quia promiſſio nondum erat completa, ideo abeſſe à Dauide videbatur. Non quidem in vniuerſum (aderat enim ei ſua gratia, fauore, auxilio, defenſione) ſed quodam modo, quod ſcilicet ad euentum promiſſionis factæ pertinebat, cùm interea ſineret eum exerceri & iactari variis ærumnis & calamitatibus.

3 Non ſtatuam [*ponam*] coram oculis meis rem peruerſam [*impiam:*] facere declinantium [*id eſt opus præuaricatorum*] odio habeo: nõ adherebit mihi.

Exan-

Ex antitheſi declarat priorem ſententiam. Sicut enim ſuprà affirmabat ſe prudenter & in integritate cordis ambulaturum, hoc eſt, probitatis & iuſtitiæ aſſiduum fore cultorem: ita nunc ex antitheſi affirmat ſe in gerendo principis officio hoſtem fore iniuſtitiæ & ſceleris. Neque ſane poteſt eſſe ſerium virtutis & iuſtitiæ ſtudium, niſi ſcelera ex animo deteſtemur & odio habeamus. Et in principe imprimis requiritur iuſta Nemeſis aduerſus impietatem & ſcelera. Quia vltor eſſe ſcelerum, & in ſe & in aliis debet.

Rem prauam ponere ſibi ob oculos, nihil aliud eſt quàm proponere ſibi, aliquid impiè agendum, vel animum inducere vt impiè agas. Nam ponere rem ob oculos, ſignificat oculos, vel corporis vel animi perpetuò in aliquid intentos habere, idque vnum agere aut cogitare. vt pſalmo 17. Oculos ſuos ponunt ad expandendum rete in terram. De nomine Belial diximus ſuprà pſalmo 18.

עשות Hoc verbum quidam coniungunt cum præcedente membro, adiecta litera ל. Non proponam mihi rem prauam ad faciendum: quaſi dicat, nulla prauitas ita mihi allubeſcet, vt eam exequar. Sed quia verbum per Macaph iungitur ſequenti dictioni, rectè etiam toti ſequenti membro à pleriſque iungi exiſtimo.

Infinitiuus igitur עשות loco nominis ponitur, facere declinantium, id eſt, opus declinantium. Et declinantes nominat eos qui diſcedunt à norma legis diuinæ, hoc eſt, homines impios & ſceleratos, qui non patiuntur ſe regi verbo diuino, aut qui amota illa norma ex ſuo conſpectu, cupiditatibus ſuis prauis ſecurè & petulanter indulgent. Græcus & alij nonnulli in abſtracto de ipſo opere exponunt, facere deflexiones, id eſt, committere ſcelus, vel opus pugnans cum lege diuina, odio habui. Et deflexio non tantùm de actionibus, quæ pugnant cum decalogo intelligatur, ſed etiam de erroribus in doctrina.

Non adhærebit mihi] Id eſt, ego totus abſtinebo ab impietate & ſcelere, & ero inimicus ſceleribus.

4 Cor prauum recedet à me: [*&*] malum non cognoſcam.

Confirmat eandem ſententiam. Affirmat enim ſe non daturum locum prauis cogitationibus, & ſi qua impietate & affectu prauo tentetur, ſe tamen non obtemperaturum his affectibus, ſed adiutum à Deo repugnaturum & excuſſurum illas cupiditates.

Atque hæc eſt militia ſanctorum in hac vita, qua cor prauum aſſiduè domant & in ſeruitutem redigunt, ne laſciuientes ruant contra legem Dei. Fieri quidem non poteſt, quin prauorum affectuum motus cor percellant: ſed ſancti his motibus repugnant, & à Deo ſe regi petunt. Hoc igitur nominat propheta, cor prauum recedere ab aliquo.

Malum non cognoſcam] Id eſt, non probabo, non ſectabor, ſed ex animo abhorrebo ab omni maleficio & iniuria. Verba enim cognitionis & ſenſuum apud Hebræos complectuntur affectus, ſæpe etiam actiones comitantes, vt Pſal. 1. Nouit Dominus viam iuſtorum. &c. Sicuti igitur ea quæ appetimus & quò nos animi cupiditates rapiunt, dicimur cognoſcere, ita cùm aliquid refugimus, dicimur non cognoſcere.

5 Detrahentem clam proximo ſuo, hunc diſperdam: elatum oculis & latum corde hunc ferre non potero.

Hactenus de ſummis & præcipuis virtutibus, quæ in gubernatione conſpici debent, dixit, & de ſuo ſtudio in regenda vita & componendis actionibus ſuis omnibus ad normã in verbo Dei præſcriptam eſt concionatus. Nam hæc prima & ſumma cura eſſe debet, vt virtutes illæ, de quibus dictum eſt, in gubernatione vigeant, & Princeps honeſto exemplo cæteris præeat. Quia veriſſimum eſt quod Iſocrates ad Nicoclem ſcribit: ὅτι τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. Nunc de miniſtris loquitur, & quales adhibiturus ſit gubernationi & publicis muneribus oſtendit. Princeps non tantùm debet operam dare, vt ipſe ſe præbeat bonum & iuſtum: ſed etiam debet præſtare omnes miniſtros bonos. Nam miniſtrorum vita & ſcelera ipſis principibus imputantur. Cùm enim per miniſtros, tanquam per manus, pleraque ſint expedienda, niſi boni ſint, æquitas & iuſtitia, quam pollicitus fuerat, non poteſt eſſe perpetua. Eſt autem communis & pernicioſiſſimus morbus aularum, calumnia & obtrectatio: quod oſtendunt hiſtoriæ omnium ætatum. Nam iuxta Menandr. ὁ βίος μάλιστα πονηρὸς ἥδεται, περὶ τῆς ἢ ἄριστα ὁ κόλαξ, δεύτερος συκοφάντης. Ideo primo loco profitetur ſe calumniatores & obtrectatores non paſſurum in ſua aula, ſed extirpaturum tanquam peſtes aularum: διαβολὰς ἢ ἀπὸ λόγων ἢ ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι οὐ σῶφρον, vt inquit Thucyd. lib. 6. Exẽpla adulatorum & ſycophantarum paſſim occurrunt in hiſtoriis. Apud Alexandrum eſt Medius: apud Tiberium Seianus: apud Seuerum Plautianus: apud Theodoſium Iuniorem Eutropius: apud Iuſtinianum ſecundum Theodorus monachus. Et multos præſtantes viros calumniis oppreſſos fuiſſe legimus, Palamedem, Miltiadem, Ciceronem, Themiſtoclem, Socratẽ, Theramenem & alios innumeros. De exemplis noſtræ ætatis non opus eſt commonefieri auditores.

מְלָשְׁנִי eſt ex forma שׁוֹפֵט. Additur autem iod paragogicè, ideoq; cholem mutatur in camerzcatuph. *Clam* vel in ſecreto, hoc eſt, non audientibus iis de quibus ſermo eſt, & vbi non ſit locus defenſioni. Qua in re ingenium & malitia calumniatorum proditur.

Diſperdam] Id eſt, non tantùm abigam ex aula, ſed etiam grauiſſimis pœnis afficiam. Speciem tamen pœnarum non exprimit. Charondas legiſlator Thurius exilium ſtatuit calumniatoribus. Dauid verò etiam grauius aliquid videtur ſtatuiſſe in calumniatores. Significat enim verbum צמת exterminare, ſeu, conſtringendo & coarctando diſperdere. Et videtur reſpicere ad legem Deuter. 19. quæ falſos teſtes morti adiudicat. Quia mox vtitur verbo הכרית, quod eſt, excindere.

Oſtendit igitur boni & pij principis eſſe non tam contra eos concipere odia, qui calumnioſè accuſantur, quàm contra ipſos calumniatores.

Altera peſtis aularum eſt faſtus & ſuperbia. Nam ea dignitatem, ſplendorem, potentiam, opes, fauorem principum & ſucceſſum in rebus agendis ferè perpetuò comitatur. ideo vſitatè dicitur, *Maxima quæq; domus ſeruis eſt plena ſuperbis*. Et Plato 5. de legibus inquit, φιλαυτίαν eſſe cauſam omnium ſcelerum. Vbi igitur ſuperbi dominantur in aulis, ibi neceſſe eſt pietatem & virtutem etiam exulare, & econtra omnis generis vitia ſuccreſcere. Significat igitur Dauid primùm ipſum principem debere eſſe humilem: ne admiratione ſuæ ſapientiæ aut potentiæ maiora viribus aut illicita tentet, aut iuſto ſit aſperior, ſed in agnitione infirmitatis ſuæ & in timore Dei aſſiduè faciat officia vocationis, & contineat ſe intra metas. Deinde tales etiã ſibi adhibere miniſtros, qui ſint humiles & moderati in rebus agendis, & manſueti: qui non contemnãt ſubditos, non ferociant, non crudeliter tractent ſubditos, nõ ſint iniurij cuiquam: quod faciunt homines ſuperbi. Peccata enim horum in ipſum principem redundant. Eſt autem obſeruanda elegans deſcriptio ſuperborum partim ab externis geſtibus ipſorum, partim ab internis cauſis ſumpta.

1. Vocat eos *elatos oculis*: quia vt plurimùm elato vultu incedentes animi ſuperbi altitudinem produnt. Oculus enim ſynecdochicè pro vultu accipitur: quanquam in ipſis etiam oculis ſedes eſt ſuperbiæ. Deinde vocat *latos corde*, hoc eſt, inflatos & turgidos, qui non poſſunt ſe continere intra metas ſuæ vocationis, ſed ſubinde maiora appetũt: atque vt cupiditates ipſorum ſunt inſatiabiles, ita ſubinde extra vocationem erumpunt, & nihil non tentant, vt deſideriis ſuis ſatisfaciant & rebus optatis potiantur. Non tantùm igitur ſuperbos, ſed etiam auaros & rapaces hac orationis forma notat. Súntque in aulicis hæc vitia plerunque coniuncta. Conſtantinum imperatorem ſcribunt ſpadonum & aulicorum, quos tineas & ſorices palatij appellare ſolitus erat, vehementem fuiſſe domitorem. Qua in re ad Dauidis exemplum reſpexiſſe non dubium eſt.

Hunc non feram] vel ferre potero. Græcus legit, τούτῳ οὐ συνήσθιον cum hoc non edebam, id eſt, non habebam conſuetudinem. legit enim אכל *ocal*, pro אוכל *vcal*.

6 Oculi mei ad veraces terræ vt habitent mecum: ambulans in via perfecta hic miniſtrabit mihi.

Ex antitheſi oſtendit quales habiturus ſit miniſtros quos gubernationi præficiat, *iuſtos* ſcilicet, & *veraces*, ſeu fideles: quibus vocabulis omnes virtutes in miniſtris neceſſarias complectitur. Eſtque hæc diligentia in deligendis miniſtris admodum neceſſaria. Ideo Zonaras laudat Leonem Armeniũ, qui magiſtratus tam ciuiles quàm militares delectu ex optimis habito conferebat, Romanarumque prouinciarum præfecturas, neque pecunia venum exponebat, neque ex gratia viris ineptis ad magiſtratus, aut auaris & ius pecunia vendentibus largiebatur. Idem Valentinianum primum laudat, qui non tantùm hoc egit diligenter, vt hominibus idoneis magiſtratus demandarentur: ſed multos qui in magiſtratu erant, puniuit, dicens, *A principe in primis iuſtitia flagitari curã*. Econtra Macrinum reprehendit, qui magiſtratus hominibus indignis largiebatur: & addit hanc maximam eſſe partem imperatorij muneris, idoneos homines & virtute præditos gubernationi præficere. Atque hæc cura præcipuè decet Chriſtianos principes, quibus cura conſeruandæ religionis & puritatis doctrinæ præter cætera incumbit.

Oculi mei ad veraces] Id eſt, ego diligenter circumſpiciam, & curæ mihi erit, vt tales mihi deligam miniſtros, qui ſint veraces & fideles, atque hos non ex aliorum ſermone & iudicio deligam, ſed ipſe circumſpiciam diligenter, vt non alios, quàm quorum fides perſpecta & probata ſit, muneribus publicis præficiam.

Hæc virtus multa complectitur. I. Mediocrem ſcientiam eius rei quam profiteris. Nam homines ignari omnium rerum & rudes, non ſunt apti ad gubernationem, nec poſſunt dici fideles. Ideo dicitur vſitatè *Quam quiſque norit artem in ea ſe exerceat*. Et Phocylides præcipit,

Μήποτε γὰρ χρήσῃ ἀδαημόνας ἄνδρας ἰάοσγε.

Et Ariſtophanes in Pluto exclamat, ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. II. Deinde ſedulitatem & diligentiam in adminiſtratione. Neque enim fidelis dici poteſt, qui volens multa negligit. III. Requirit veritatem & conſtantiam in dictis & factis: ſicut enim principem non decent labia mendacia: ita decet eum habere miniſtros veraces, qui veras ſententias ament, & vera, recta, atque explicata conſtanter dicant & faciant: quique in moribus fugiant inſidioſas occultationes & ſimulationes. IIII. Taciturnitatem commendat in miniſtris: quæ virtus aulicis neceſſaria eſt, ne conſilia, quæ celari & occultari prodeſt, pateſiant. Ideo prodere arcana præſertim in re militari apud Romanos erat capitale. ff. de re milita. L. omni. Et Auguſtus Mecœnatem propter taciturnitatem reuerebatur. Plutarchus aliquot exempla recitat eorum, qui propter incontinentiam linguæ inciderunt in pericula. Eurip. in Oreſte turpiſſimum morbum dicit eſſe garrulitatem, ἀκόλαστον ἔχει γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον. Et in Bacch. ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία.

Vt habitent mecum] Hoc quidam generaliter exponunt, & ad omnes ſubditos fideles accommodant, quibus fauorem ſuum Dauid polliceatur: quaſi hoc dicere velit, Ego operam dabo, vt homines veraces & fideles tutò & tranquillè habitent in meo regno, & habeant præſidia neceſſaria, ne exagitentur iniuriis, neue libidini malorum hominum ſint expoſiti. Sed loquitur principaliter de miniſtris, qui cum Dauide habitare dicuntur, quia aſſiduè in aula & in conſpectu regis verſabantur, ipſique regi adeo erant familiares & domeſtici.

Ambulans in via perfecta] De hac phraſi dictum eſt ſuprà verſu 2. In via perfecta, id eſt, innocenti & ſincera, hoc eſt, qui non eſt contaminatus ſceleribus, aut qui non indulget prauis cupiditatibus, ſed ſtudet pietati & virtuti.

Hic miniſtrabit mihi] Id eſt, huius opera vtar in adminiſtratione Reip. & hunc præficiam publicis muneribus, &c. Differunt עבד & שרת. Nam עבד ſignificat quiddam magis ſeruile quàm alterum: quod plerunque ſignificat in publico munere cum aliqua dignitate miniſtrare. Sunt enim quædam munera, quæ dignitatem conciliant iis qui præficiuntur. Hic vſus eſt verbi שרת atque ita ſacerdotibus hoc verbum tribuitur. Alia munera non conciliant dignitatem, quæ ſcilicet operis ſeruilibus occupantur. hic vſus eſt verbi עבד.

7 Non habitabit in medio domus meæ faciens fraudem: loquens fallacias non ſtabilietur coram oculis meis.

Redit ad priorem antitheſis partem, in qua negatiuam explicat. Dixerat ſuprà ſe calumniatores & ſuperbos non paſſurum in ſua aula, nec commiſſurum illis aliquam partē gubernationis. Nunc alios his adiungit, homines ſcilicet fraudulentos, mendaces & perfidos, quos opponit veracibus & integris. Et videtur iam complecti non tantùm eos qui ſunt in gubernatione aut dignitate aliqua conſtituti, ſed in genere omnes miniſtros domeſticos & cohortem regiam. Quotquot enim in aulis miniſtrant, freti vel fauore, vel dignitate, vel ſplendore externo, vel etiã luxuriantes otio, multa ſibi ſumunt in alios, ſúntque ad fraudes ſtruendas ex quodam vſu magis induſtrii ferè quàm cæteri homines. Ideo & inter ſe certant fraudibus & dolis, & ſi alios circumuenire dolo poſſint, id laudi ſibi ducunt. Plurimùm autem officit dignitati & autoritati principis, ſi illa licentia miniſtrorum non coerceatur. Qui enim domui ſuæ non bene præeſt, eius authoritas in publico vileſcit: & quia miniſtrorum ſcelera in principem redundant, ideo veniunt ob miniſtros in odium & contemptum. Deinde ſi fraudibus & dolis, ſublata veritate & fidelitate, concedatur locus, tolluntur omnes contractus, eneruatur iudiciorum autoritas, impediuntur artes, quæ ſunt præſidia huius vitæ præcipua. Ideo Dauid promittit ſe vindicem fore fraudulentarum machinationum & deceptionum: nec permiſſurum vt homines fraudulenti ſtabiliantur in oculis ſuis, hoc eſt, permanentem ſedem ſeu ſtabilem locum apud ſe habeant.

Dolum Baſilius in Pſal. 33. ita definit, ἔστι δὲ ὁ δόλος κακοποιΐα λαθραία ἐν σχηματισμῷ τῷ βελτίονι τοῦ πλησίον συσκευαζομένη. Ad quã congruit illa vſitata in iure definitio, quæ Seruio Iuriſconſulto adſcribitur. ff. de dolo malo l. i. Dolus eſt machinatio quædam alterius decipiendi cauſa, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. Quanquam Iuriſconſulti definitio generalior ſit, nec tantùm de malo, ſed de quouis dolo intelligi poſſit. Dicit enim eſſe machinationem quæ fiat decipiendi cauſa, quod etiam in occultatione non inſidioſa, ſed propter honeſtum ſeu vtilem finem ſuſcepta locum habet. Baſilius verò dolum malum definire voluit. Ideo dicit eſſe κακοποιΐαν λαθραίαν. Reprehenditur autem Iuriſconſulti definitio à Labeone, quam diſputationem videant ſtudioſi in libris Iuriſconſultorum. Et cùm in enarratione 8. præcepti atque in Ethicis diſputationibus dicatur de dolo copioſiùs, ad illos libros auditores remitto.

Damnat autem propheta fallacias & fraudes, non tantùm quæ verbis fiunt, ſed quæ factis ſtruuntur. Ideo coniungit facientes fraudem & loquentes fallacias.

8 In matutinis perdam omnes impios terræ: ad excindendum ex vrbe Iehouę omnes operarios iniquitatis.

In concluſione comprehendit in genere omnes impios & ſceleratos, quos promittit ſe non tantùm exacturum ex aula ſua, ſed grauiſſimis pœnis affecturum eſſe: & addit cauſam finalem præcipuam: vt ciuitas Domini repurgetur à ſordibus & inquinamentis, & ſanctitas, pietas & iuſtitia vbique vigeat. Hæc cauſa principalis eſt, cur pœnæ à magiſtratibus ſint exercendæ. Vult enim Deus ſuum cœtum, quem condidit ad bona opera, eſſe ſanctum & mundum: & ſicut iraſcitur peccatis, ita vult iram ſuam & iuſtitiam conſpici in pœnis. Huic cauſæ aliæ deinde adiungi poſſunt. II. Neceſſe eſt conſeruari pacem & tranquillitatem publicam: quod fieri non poteſt, ſi magiſtratus in puniendo ſit remiſſior & alienis peccatis concedat. Nam, vt Seneca inquit, probis nocet qui improbis parcit. Et Pythagoras dicere ſolebat: οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς.

III. Exempli cauſſa eſt ſeueritate vtendum, vt alij à ſcelere deterreantur.

Namque immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Græci diuerſas habent pœnarũ appellationes, ſumptas à diuerſis cauſis finalibus: κόλασιν, & δίκην, παιδείαν, παραίνεσιν, eas pœnas nominant, quibus emendatio eius qui peccauit quæritur. Non enim omnes pœnæ debent eſſe capitales. Hinc eſt illud Platonis in legibus, τὸν κακὸν δεῖ κολάζειν, ἵν' ἀμείνων ᾖ. τιμωρίαν vocant pœnam, quæ ob conſeruandam dignitatem & autoritatem perſonæ quæ læditur, aut legum violatarum, infligitur. Dicitur enim ἀπὸ τιμῆς à pretio. παράδειγμα dicunt, cùm exempli cauſa animaduertitur in aliquem, ne impunitate ad ſimilia perpetranda inuitentur.

In matutinis] Significat ſe non dilaturum pœnas in longum tempus, ſed maturè & tempeſtiuè eas adhibiturum, ne ſi vitia mores fiant, remedio deinceps non ſit locus, iuxta dictum:

Principijs obſta: ſerò medicina paratur,
Quum mala per longas inualuêre moras.

Et Plato inquit, pœnas eſſe inſtar pharmacorum, nec eſſe exhibendas cùm res ſunt ita deſperatæ vt curari non poſſint. Principem autem eſſe tanquam medicum quendam Reipublicæ.

Omnes cùm dicit, ſignificat ſe id facturum ſine acceptione perſonarum. Alioqui vſitatè fit, quod dici ſolet,

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

PLSAMI CI.

PARTES.

I. Exordium, quo profitetur Dauid ſe hoc ſolenni cantico obſtrictum iri ad præſtandum officium ſuum. 1. Vt benignitate ſua Iſraelitis omnibus proſit. 2. Vt ius aduerſus improbos exerceat. v. 1. Et hæ duæ ſunt verorum principum laudes.

II. Narratio, ſiue expoſitio officij quod vouebat Domino, conſtans ex tribus partibus. 1. De inſtituto

ſtituto & vita ipſius regis, à verſ.2.ad 5. Bona opera amplectitur, v.2. Mala auerſatur, 3. fontem autem, v. 4. indicat. 2. De inſtituto regalis conſilij, v.5. comitatus, v.6. miniſterij priuati, ver.7. 3. De caſtigatione improborum, & purgatione totius regni, per ſeueram obſeruationem diſciplinæ ciuilis & Eccleſiaſticæ, verſ. 8. Summa eſt, Meipſum, Regiam, Regnum, Eccleſiam, indeſinenter curabo, vt ſordibus quibuſcunque ſublatis, Deus ſincerè colatur ab omnibus, iuſtitia, pax, temperantia, pietas denique floreat ac vigeat.

Observationes locorvm doctrinae.

Verſ. 1. *Poteſtates, tum in monarchia, tum in ariſtocratia & democratia, ſunt à Deo ordinatæ, & reges, principes ac magiſtratus ſunt miniſtri Dei, aliorum hominum bono.*

Omne verorũ Dei miniſtrorum munus ad duas præcipuas virtutes reuocatur, nempe clementiam & iudiciũ: quarum illa facit vt amentur potiùs reges quàm metuantur: iſtud verò ex vſu ſcripturæ declarat ſeueritatem qua contumaces coercentur, & illi mollitiei opponitur, quæ legum vincula non modò relaxat, ſed etiam diſſoluit. Cæteræ virtutes ſub his comprehenſæ, & vitia oppoſita, in textus enarratione copioſè explicantur.

Clementiam & iuſtitiam magiſtratuum oportet eſſe Deo conſecratam, ac proinde ad leges à Deo ipſo præſcriptas accommodatam. Qui enim auaritiæ, libidinibus, ambitioni, has virtutes applicare ſtudent, ſibi, non Iehouæ pſallunt, & pro dulciſſimo concentu horrendam in terris inuehunt ἀταξίαν.

2 *Prudentia regum & magiſtratuum in eo conſiſtit vt adminiſtrationis publicæ habenas à Dei manu & legitima vocatione accipiãt: deinde ſollicitè verſentur in ſua functione, eamq́ ad verbi diuini amuſſim ſedulò exigant: ſintq́ in omnem euentum parati à Dei prouidentia ſubmiſſo animo pendentes: necnõ ex priuatæ familiæ ſuæ rectâ gubernatione diſcant ſuo munere ſicuti par eſt defũgi.*

3 *In publica vocatione non debent ex ſeipſis praua capere cõſilia, neq. mala ſequi exempla, ſed ſummo ſtudio ſapientes conſiliarios & pios viros ſibi vitæ comites adiungere.*

4.5 *Quum principes & magiſtratus ſuo veluti arbitrio relicti ſoleãt vt plurimùm exempla & placita quædam comminiſci quæ poſtea imitentur, vel ab iis accepta qui latus ipſorum cingunt, cupidiſſimè arripere: nihil eſt quod maiore ſtudio vitare debeãt quàm homines corruptis moribus præditos.*

Aliorum miniſterio, veluti oculis & auribus, quum magiſtratus vti cogantur; viderint etiam atq. etiam 1. *Ne profanos & malâ conſcientia præditos homines, conſiliarios, domeſticos & miniſtros ſibi adſciſcant.* 2. *Ne delatoribus & ſycophantis aures aperiant, imò eiuſmodi ſocietatis humanæ peſtes diligenter extinguant.* 3. *Ne ſuperbos & ambitioſos vllo modo tolerent.*

6 *Fidei & integritatis ſpectatæ hominum conſilio & opera vtantur.*

7 *Nunquam admittant, imò procul abigant verſutos & callidos, qui variis artibus & compoſitis verbis pietatem ac iuſtitiam conuellunt.*

8 *Poſtremò, impiorum, perduellium, ſtatuſq́ publici hoſtium iudices, piorum autem ſubditorum & æquitatis amantium virorũ defenſores & alũni nõ modò verbis ſed reipſa & tempeſtiuè appareãt: finẽ vltimum ac præcipuum omnis ciuilis adminiſtrationis à philoſophis ignoratũ ſemper reſpiciant: nẽpe vt ex præſcripto verbi ſui Iehoua in ciuitate ſua, id eſt, in eccleſia, colatur.*

Articvli praecipvi.

1. Poteſtates ciuiles à Deo.
2. Magiſtratuum, Regum, Principum, officium.
3. Clementia & Iuſtitia humana qualis eſſe debeat.
4. Prudentiam Magiſtratuum qualem eſſe deceat.
5. De publicis & priuatis vocationibus.
6. Magiſtratuum inferiorum characteres.
7. Aulicorum piorum & impiorum mores.
8. In imperiis, regnis, rebuſpub. labes & ſplendores.
9. Eccleſiæ nutritij pij principes & magiſtratus.
10. Reformatio abuſuum in Eccleſia, pars maxima officij piorum principum & magiſtratuum.

ARGVMENTVM PSALMI CII.

PSALMVM hunc apparet populo Iudaico præſcriptum eſſe, cùm iam longa exilij calamitate in regno Babylonico eſſet fractus, & anni 70. diuinitus per Ieremiam præfixi iam penè eſſent elapſi. Voluit enim, quicunque autor fuit pſalmi, populo reuocare in memoriam promiſſiones diuinitus factas de reductione & reſtitutione populi, atque harum conſideratione Iudæos excitare & erigere in ſpem recuperandæ patriæ, & ad petendam liberationem animoſiores reddere. Suo igitur exemplo & voce cæteris præit, petens à Deo & certa fide expectans liberationem promiſſam. Sed quia difficile erat in tanta mole & concurſu calamitatum, quibus iam per annos 70. duriter premebantur, ſpem aliquam recuperandæ patriæ concipere: ideo poſtquam de magnitudine ſuorum dolorum & calamitatum grauiter & multis verbis eſt queſtus, conſolationem proponit ſumptam ab æterna Dei & promiſſionum eius veritate, in quam intuẽs & ſe contra illos fluctus tentationum erigit, certáque fide petit & expectat liberationem, & cæteris exemplo ſuo præit, vt ſimiliter in his ſuis ærumnis à Deo pendere, atque ab hoc petere & expectare reſtitutionem diſcant. Cõſolationi verò & petitioni ſubiicit cùm alia argumenta partim à promiſſione Dei, partim à deſiderio piorũ ſumpta: tum verò illud à cauſa finali ſumptum, in quo explicando diutiùs commoratur. Futurum enim inquit, vt gẽtes hactenus alienæ à Deo, vbi viderint illã miraculoſam populi & politiæ reſtitutionẽ & manifeſtam Dei in hoc populo præſentiam, ſimul cum Iudæis gloriam & potentiam eius agnoſcant & celebrent, & tota poſteritas grato animo id beneficium prædicet. Hæc ſumma eſt huius pſalmi.

Repetitur autem in fine querela & precatio, vt fieri ſolet in magnis animi motibus & deſideriis. Eſtque in querela πάθος admodum triſte & ad flectendum Deum maximè idoneum, quod conſideratione dignum eſt. Sciebant pij in hoc populo ædificationem templi Salomonis atque eius reſtaurationem, quam aſſiduis votis optabant, typum eſſe eius templi quod per Meſſiam cõdendum erat, non ex lignis aut lapibibus cæſis, ſed viuis hominibus, in quibus Deus Spiritu ſuo in æternum habitaret: ſicut expreſſè 1. Par. 17. dicitur. Atque inde autor Epiſtolæ ad Hebræos ſumpta occaſione cap. 3. dicit, domus Dei nos ſumus, à Chriſto ſcilicet ædificati. Et Paulus 2. Cor. 6. vos templum eſtis Dei viuentis. Item 1. Cor. 6. corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis Spiritus ſancti. Hanc domum credebant tunc demum perficiendam atque abſoluendam eſſe, vbi Chriſtus fuiſſet exhibitus: ideóque initia tantùm eius ædificij & quidem tenuia in populo Iudaico hactenus viſa fuiſſe ſciebant. In hanc igitur imaginem intuentes non tantùm petunt, templum illud, quod typum eſſe ſciebant futuri ædificij, reſtitui, atque ita ſimul inchoatam illam antehac ſpiritualem ædificationem, ſed quodammodo exilij ærumnis interruptam, continuari: ſed ſimul queruntur, ſe interea dum Meſſiam, qui hanc ædificationem perficiat, ſummo deſiderio ex-

pectat, ex medio quaſi curſu ante tempus abripi: atque ita fieri, vt eccleſia (cuius reſtauratio exp ectabatur) magnitudine calamitatum oppreſſa penè intereat. Hæc enim eſt cogitatio omnium piorum in magnis calamitatibus & perſecutionibus.

Sed huic triſti querelæ opponit conſolationem, qua animos magnitudine calamitatum oppreſſos rurſus erigit & confirmat, ne interire prorſus Dei eccleſiam inter ærumnas & calamitates exiſtiment. Eam conſolationem ſumit ab æternitate Dei, cum qua veritas eius eſt coniuncta. Loquitur enim de Deo, cùm æternitatis mentionem facit, non abſolute, ſed qualem ſe in verbo & promiſſione patefecit: vt quemadmodum ille ab æterno eſt & nunquam eſſe deſinit: ita verbum eius ſeu promiſſio ſit firma & perpetua. Quam ſententiam ex collatione, vt poſtea dicetur, exornat & amplificat. Atque inde hanc neceſſariam conſolationem elicit, qua pſalmum concludit: Manſuram ſcilicet eſſe Dei eccleſiam in omnem æternitatem, nec vllas eſſe calamitates, quæ euertere eam, aut irritam facere Dei veritatem poſſint. Hac conſolatione, ſicut tunc in illis calamitatibus & ærumnis exilij fuit opus, ne pij dolore abſorberentur: ita nobis quoque eam proponi ſciamus hoc tempore, qui videmus totum mundum in perniciem piorum conſpiraſſe: & certò ſtatuamus manſuram Dei eccleſiam vſque ad finem mundi, vtut fremant diaboli & horum organa.

ORatio oppreſſi, quando operiebatur, & coram Iehoua effundebat meditationem ſuam.

Titulus argumentum pſalmi indicat, & oſtendit in quem vſum & finem ſit compoſitus, nempe vt in magnis animi anguſtiis & doloribus, qui partim ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, partim ex ærumnis & calamitatibus oriũtur, hæ preces pro liberatione & mitigatione dolorum fundantur.

Nonnulli ad tempus iam reſtituti populi, cùm grauiter affligerentur Iudæi, vel à vicinis hoſtibus Palæſtinis, & aliis, qui reparationem templi & vrbis ac politiæ inſtaurationem impedire conabantur, vel ab Antiocho tyranno, qui templum & cultum profanauerat & multos crudeliter interficiebat, pſalmum accommodãt. Sed non dubium eſt eam fuiſſe ſcribendi occaſionem, de qua in argumẽto dictum eſt, quod verba & ſententiæ pſalmi oſtendunt. Interea in genere ad quælibet tempora ærumnoſa, quibus ædificatio templi Dei, hoc eſt, eccleſiæ propagatio, ſæuitiã tyrannorum & variis diaboli artibus impeditur, & piorum animi ſenſu peccatorũ ſuorum perculſi & mole calamitatum oppreſſi, conſolationem quærunt, pſalmum accommodandum eſſe ſciamus.

Operiebatur] Verbum עטף ſignificat operiri, obtegi, obrui, & cùm de anima, ſeu ſpiritu, vel vita hominis dicitur, ſignificat, animum vel ſpiritum, vel vitam illius ita cõſtringi atque occultari, ne ampliùs conſpiciatur aut munere ſuo fungatur, vt fit in ingentibus animi perturbationibus, lipothymiis & deliquiis animorũ. Eſtque pulchra collatio in verbis עטף & שפך, quæ naturam fidei depingunt. Initio in doloribus & calamitatibus animus quaſi ſtupore contrahitur, obnubilatur & operitur magnitudine dolorum, ne ſeſe exerat aut conſpiciendum præbeat. Sed mox fides diſcuſſa nebula illa animum recreat, vt auſit coram Deo ſe effundere, clamare atque ab eo opem quærere. Et congruit huc illud dictum, *Ingentes curæ ſtupent, paruæ loquuntur.* Alij ad geſtum mœrentiũ verbum accommodant. Solent enim qui magnis doloribus oppreſſi ſunt, faciem occultare, & ſe abſcondere, nec audent oculos erigere, aut faciem oſtendere &c. Sed pſal. 16. & alibi ad cor & animum accommodatur, ideo hoc quoque in loco rectè de anima intelligi exiſtimo. שיח propriè muſſitationem ſignificat. Deinde pro querela ſumitur & oratione, qua cum Deo colloquimur & querelas noſtras exponimus ei familiariter.

2 Iehoua audi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

3 Non abſcondas faciem tuam à me, in die afflictionis meæ [*qua anguſtia mihi*] inclina ad me aurem tuam: in die [*quo*] clamo, feſtina [*id eſt, citò*] reſponde mihi.

Propoſitio pſalmi eſt precatio, vt populus multorũ annorum exilio & variis ærumnis attenuatus liberetur. Repetitio autem eiuſdem ſententiæ & variatio ardens animi obtinendæ leuationis deſiderium oſtendit, & ſimul magnitudinem dolorum exprimit. Dicitur autẽ exaudire Deus orationẽ cũ orantes liberat. Quamdiu enim differt auxilium & liberationem, etiamſi nunquam aſpernatur preces inuocantium ſe, ſemper tamen nobis videtur nondum exaudiuiſſe orationem noſtram, quia nullum eius rei teſtimonium apparet.

Nomen clamoris ſubiungit orationi, vt ſignificet ſe ingenti dolore impelli, vt ad Deum confugiat. Quò enim dolor maior eſt, eò vox & clamor magis intenditur.

Ne abſcondas faciem] De hac phraſi dictum eſt ſæpe: ſicut & de altera, inclina ad me aurem. Loquitur ſcriptura de Deo ἀνθρωποπαθῶς, tribuens ei faciem, aures, oculos, vt ſe ad noſtrum captum accommodet. Itaque ſicut homo offenſus auertit & abſcondit faciem ab eo quem odio proſequitur, nec aſpicere eum ſuſtinet: ita Deus dicitur abſcondere faciem, cùm preces noſtras videtur negligere & ad vota noſtra non ſuccurrere nobis. Afflictio vel anguſtia non tãtùm intelligatur de ærumnis, quæ foris hunc populum premebant, quæ tamen multæ & variæ fuerunt, iuxta illud Græcum dictum, κακὰ σὺν αὐτῇ πολλ' ἐφέλκεται φυγή. Et notum eſt dictum, *Exules nemo curat & lædere nemo veretur. Non exul curæ dicitur eſſe Deo.* Sed multò magis de interioribus animi doloribus, qui ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata oriebantur.

Feſtina reſponde] Duobus verbis immediatè iunctis, prius aduerbiaſcit. Itaque prius reddendum eſt aduerbio citò aut ſimili.

4 Quia conſumpti ſunt vt fumo dies mei: & oſſa mea quaſi focus exuſta ſunt.

Propoſitioni ſubiicit rationem ſumptam à magnitudine ſuorum dolorum, quos ex deſolatione eccleſię & diſſipatione populi Dei capiat. Illa enim ratio quantum valeat in Dei conſpectu, ſuprà dictum eſt aliquoties. Nam viuificationem ſeu conſolationem neceſſe eſt præcedere mortificationem, in qua cor cernat & ſentiat iram Dei aduerſus peccata, & ſeriò doleat Deum eſſe offenſum. Eſtque hic dolor ſacrificiũ Deo gratum, ſi fides apprehẽdens promiſſionẽ accedat ad Deum, vt dicitur pſal. 51. & Ieſa. 57. & 66. Sed dolores illi nõ in omnibus ſimiles ſunt, nec in omnibus idem robur eſt, vt poſſint perferre illos dolores. Ideo cùm has & ſimiles deſcriptiones dolorum in pſalmis legimus, in quibus magna verborum & orationum vehementia, & variis imaginibus illi exaggerantur, etſi non omnes experimur ſimiles dolores, magnitudo tamen iræ diuinę aduerſus peccata cogitetur, quę cùm verè ſentitur, tanquam ignis conſumens, carnem, oſſa & medullas depaſcitur & conſumit. Et ſi in nobis nõ ſint tanti dolores, quales fuerunt in Dauide, vel in autore huius pſalmĩ & aliis nõnullis, ex eo bonitatem Dei agnoſcamus, qui non ſinit nos tentari ſuprà quam ferre poſſumus: neque enim omnes ſimiles dolores ferre poſſemus. Ita tamen hos dolores ſanctorum intueamur, vt ſecuritatem carnalẽ, quę iram & iudicium Dei ridet & contemnit, excutiamus, & ad agnitionem noſtrarum ſordium ac peccatorum excitemur, ne ille ſenſus incautos aliquando & ſecuros opprimat & in ęternum exitium pręcipitet. De his cogitandum eſt, quoties triſtes illas querelas de doloribus ſanctorum legimus.

Conſumpti ſunt vt fumus dies mei] Variis vtitur ſimilitudinibus in deſcriptione ſuorum dolorum, vt magnitudinem faciliùs exprimat. Eſtque ſumma huius & ſequentium verſuum, Tantam eſſe dolorum ſuorum magnitudinem, vt omnem vitæ vigorem, omnem corporis ſuccum, omne robur conſumat. I. Primùm enim quod de fumo dicit, non obſcura eſt ſententia. Nam ſicut fumus in aerem ſpargitur & euaneſcit, ita ſignificat ætatem populi conſumi ſubitò, & contabeſcere pios in aſſiduis exilij miſeriis. Pleraque exemplaria habent בעשן pro כעשן quæ lectio ſignificat corporis ſuccum dolore prorſus eſſe exhauſtum, ſicut ea quæ fumo macerantur, areſcunt & amittunt omnem ſuccum.

Oſſa mea tanquã focus exuſta ſunt] II. Altera ſimilitudo ſũpta eſt à foci lapidibus, quos vt paulatim ignis conſumit, ita dolor vehemens ortus à ſenſu iræ Dei aduerſus peccata & ex publica eccleſiæ calamitate cõceptus omnes vires exhaurit, & cõſumpto ſpiritu corpus aridũ reddit, iuxta illud Prouerb. 17. Spiritus triſtis areſacit oſſa. Per oſſa autem intelligit συνεκδοχικῶς quicquid eſt roboris & vigoris in homine. In oſſibus enim præcipuum robur corporis conſiſtit.

5 Percuſſum eſt tanquam herba & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

III. Tertia ſimilitudo ſumitur à gramine, quod vel reſectum, vel ardore ſolis peruſtū ſubitò amittit omnem ſuccū, & marceſcit. Eſtque hoc valdè triſte. quod dicit, cor ſuum eſſe inſtar herbæ à ſua radice reſectæ, quæ attrahere ſuccum nequit, ſignificans cor quaſi auulſum à corpore deſtitui ſuo nutrimento, & ſpiritibus extinctis exareſcere. Id quid ſit non intelligunt homines ſecuri & ebrij voluptatibus, quos Paulus nominat ἀπηλγηκότας: ſed quicunque ſancti ſunt, huius rei guſtum aliquē in veris pœnitētiæ exercitiis percipiunt, alij magis, alij minus. IV. Quarta deſcriptio eſt ab inedia, quæ naturaliter comitatur magnos dolores. Cor enim languidum & dolore maceratum reſpuit & faſtidit cibos, vnde poſtea ſequitur tabes, de qua ſequenti verſu loquitur.

6 A voce gemitus mei adhęſerunt oſſa mea carni meę (*id eſt, corpus factum eſt tabidum, vt conſumpta carne oſſa cuti adhæreſcerent. Nam carnē hoc loco pro cute accipit. Idque à voce gemitus, id eſt, præ lamentatione continua.*)

7 Similis factus ſum onocrotalo deſerti: fui quaſi bubo ſolitudinum.

V. Quinta ſimilitudo ſumpta eſt ab auibus ſolitudines incolentibus. In qua queritur non tantùm ſe deſeri à ſociis & amicis (Ita enim fieri ſolet, vt in rebus aduerſis etiam à familiariſſimis deſeramur, iuxta illud Luca. lib. 8. *Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos.* Item li. 7. *Clauda fides miſeris.* Atq; ea res plurimùm auget dolorem bonorum hominum, ſicut Sophocles inquit, τί μεῖζον ἕλκος ἢ φίλος ἀδικῶν?) ſed etiam ſe propter mœrorem fugere conſuetudinem hominum.

קאת Septuaginta Pelecanum vertunt. Hieronymus Onocrotalum. Quæcunque ſit auis, ex eo genere eam eſſe, quæ ſolitudines incolunt, ex hoc loco cōſtat. Deſcriptio Onocrotali eſt apud Plin. lib. 10. cap. 47. Olorum, inquit, ſimilitudinē Onocrotali habent, nec diſtare exiſtimarētur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt ſit capacitas. Mox perfecta rapina ſenſim inde in os reddita in veram aluum ruminantis modo refert. Fortaſſis nomen inde factum, quòd piſces in alterum ventriculum collectos rurſus euomat, vt deinde his veſcatur. Nam nomen videtur cognationem habere cū קוא, quod euomere ſignificat. כוס Græcus nycticoracem reddidit: alibi bubonem vertūt: & deſcriptio bubonis, quæ eſt apud Plinium, non malè huc congruit. Ita enim ſcribit lib. 10. c. 12. Bubo funebris & maximè abominatus publicis præcipuè auſpiciis, deſerta incolit, nec tantùm deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa, noctis monſtrum: nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, itaque in vrbibus aut omnino in luce viſus dirum oſtentum eſt.

8 Vigilaui, & fui quaſi paſſer ſolitarius ſuper tectum.

VI. Deſcriptio doloris ſumitur à vigiliis, ſeu ἀγρυπνία, quæ vt magnos dolores & curas comitatur, iuxta illud Virgilij,

Neque enim membris dat cura ſoporem:

Ita corpora vehementer affligit & attenuat, iuxta dictum,

Attenuant hominum vigilatæ corpora noctes.

Similitudo autem de paſſere congruit cum ſuperioribus de onocrotalo & bubone, &c. & notat luctū inquietudinis plenum. Etſi enim צפור quamlibet auem ſignificat, eo quòd ad auroram canant (ea enim nominis etymologia eſt) hic tamē & alibi ſæpe in ſpecie pro paſſere accipitur, quòd illud auiū genus vbique ſit obuium. *Solitarium* vocat, qui viduatus ſit cō pare. Eſt autem illarum auicularum natura, vt impatientiſſimè viduitatem ferant.

9 Quotidie exprobrauerunt mihi (*probris afficiunt me*) inimici mei: & glorioſi mei (*qui ſe iactitant aduerſus me*) per me iurant.

Amplificat deſcriptionem doloris ſui ab opprobriis & cōuitiis hoſtium. Augent enim dolorem piorum ſuperbæ inſectationes atque illuſiones hoſtium, quas ferre cogūtur pij: Et verum eſt quod Plutarchus ſcribit, Homines contumeliis magis moueri quàm aliis iniuriis: idque multo magis ſi ſint calamitoſi. Tunc enim miſeratione digni erant potiùs quàm illuſione: ſed eſt hæc ἐπιχαιρεκακία prauis hominibus vſitata.

Inſanientis in me] Id quidam ſic exponūt. Qui crebris conuitiis & probris ſuam amentiam produnt, ſeque oſtendunt homines eſſe futiles & vanos. Nam הול propriè ſignificat inſanire. Sed ſimplicius & concinnius eſt, ſi vertamus maledicos & odioſè ſeſe iactitantes aduerſus pios: vt ſæuitiæ & odij furioſi accuſet hoſtes maledicos. Itaque ſi vertere inſaniendi verbo libebit, erunt hoc loco inſanientes, qui frequēter mihi iraſcuntur & rabioſè me inſectātur. Verbi forma reſpondet huic קוממי quæ crebro occurrit. Pſal. 5. יגורך pro יגור עמך. Alij ab הלל deducunt, quod ſignificat laudare, atque ita Græcus reddidit: idque nonnulli per antiphraſin exponēdum iudicant, pro, qui me vituperant.

Iurant per me] Id eſt, ſumunt me tanquam inſigne exemplar maledictionis & execrationis, vt ſi cui velint mala imprecari à noſtra calamitate mutuentur iurandi formulam, dicentes: Deus tibi maledicat ſicut Iudæis. Eſt enim iurare, aduocare Deum vel teſtem vel vltorem. Hanc pœnam ſæpe Deus in lege minatur Iudæis, ſi abiecta lege cultus idololatricos recepturi eſſent. Sed rurſus apud Ieſai. c. 37. pios conſolatur, vt ſi probris & conuitiis ab hoſtibus afficiantur, ſtatuant non tam ſibi quàm nomini diuino hanc contumeliam fieri, atque ideo vltionem à Deo expectent. Atque ad hanc promiſſionem ſine dubio hoc loco reſpicit propheta.

10 Quia [*certè*] puluerem tanquam panem comedi: & potum meum cum fletu miſcui.

VII. Deſcriptio doloris ſumitur à geſtu & ritu lugentium. Solebant lugentes proni in terra iacere, induti ſacco & conſperſi cinere: & abſtinentes ab omni mundiore victu, pane vili & ſordido, atque in terram proiecto veſcebantur. Ad hunc morem alludens, affirmat ſe quaſi terræ affixum propter aſſiduum luctum iacuiſſe, & ne cibi quidem ſumendi gratia inde ſurrexiſſe, vt fieri nō potuerit, quin puluerē cum cibo nonnūquā ingereret. Eodē pertinet quod de potu dicit: ſignificat enim ſe ne quidem inter cibum capiendum & bibendum temperaſſe ſibi à lacrymis, cùm alioqui ferè interualla quędam ſint dolorum: & homines dum ſe cibo reficiunt, paulisper ſoleant mœrorem cohibere. In כלחם pro כ alij ſcribunt ב.

11 A facie irę tuę [*propter iram tuam*] & indignationis tuę: quia extuliſti me & proieciſti me.

Primùm amplificat querelam à cauſis calamitatū & ſenſu pœnæ diuinitus inflictæ. Atque hîc diſcrimen inter dolores & querelas piorum atque impiorum conſpicitur. Etiam impij querulantur in morbis & aliis calamitatibus, quibus vident hanc naturam humanam, quæ videtur ad immortalitatem condita, deſtrui. Sed longè aliter dolent quam pij: plerique enim, qui caſu omnia ferri & fieri exiſtimant, ex impatientia fundunt querelas in aerem, quia dolore præſenti excruciantur: nec moderatè ferre poſſunt, quæ vel à materię vitio, vel caſu offerri ſibi credunt. Alij qui numen aliquod diuinum in pœnis agnoſcūt, vt hypocritæ, non tantùm impatienter ferunt dolorem, ſed inſuper indignantur & fremunt aduerſus Deum, cúmque tanquam iniuſtum iudicem & crudelem tyrannum accuſant, qui hanc præſtantem naturam tot calamitatibus & ærumnis onerarit. Pij verò in calamitatibus cùm priuatis, tum publicis, iram Dei ita intuentur, vt cogitent Deum non temere aut fruſtra iraſci generi humano, ſed peccata noſtra eſſe, quæ iram Dei accendant & pœnas attrahant. Non igitur tam ex incommodis & ærumnis oritur horum dolor, quam ex ſenſu peccatorum, propter quæ intelligunt Deum ſibi eſſe iratum & infenſum. Itaque multò grauior eſt hic dolor, qui eſt in ſanctis, quā qui in profanis aut hypocritis cernitur. Sed eſt ille dolor ſalutaris. Operatur enim pœnitentiam ad ſalutem haud pœnitendam, cùm econtra mundi dolor mortem afferat, vt Paulus inquit 2. Cor. 7. Hæc ſi cogitentur, non erit obſcurum qualis ſit amplificatio doloris in hoc verſu, cùm inquit: *A facie indignationis tuæ*, &c. Vult enim dicere, dolorem quem habent & circumferunt ſancti in exilio, non tam exiſtere ex amiſſione patriæ & aliorum bonorū: nec tam ex ærumnis præſentibus, in quas ſunt coniecti, quàm ex ſenſu iræ Dei aduerſus ſua peccata, & quia manum Dei in his pœnis agnoſcunt.

Hoc igitur primo membro ſignificatur. Sequitur alia amplificatio doloris à collatione prioris ſtatus, dignitatis, opulētiæ & potentiæ, cum præſentibus ærumnis & miſeriis, cùm inquit: *quia extuliſti & proieciſti me.* Erant antea euecti ad ſummam dignitatem, erant ſelecti ex toto genere humano, vt dicerentur & eſſent populus Dei, cui Deus ſuam promiſſionē de venturo ſemine & oracula ſua cōmiſerat, cui terram Canaan tanquam pignus promiſſionis dederat, quem variis & illuſtribus teſtimoniis præſentiæ ſuæ, miraculis inſignibus & benedictione ſua ornauerat, &c. Ex hac igitur dignitate, potentia, opulentia, tanquam ex ſummo dignitatis & gloriæ faſtigio detrahi, & patria ſpoliatos in ſummas miſerias apud hoſtes & barbaras gentes coniici, fuit triſtiſſimū & acerbiſſimum. Nam quo maiora ſunt bona, eo maior ex horum amiſſione dolor exiſtit. Eſtque vſitatum, vt tum demum bona noſtra intelligamus, cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Hoc igitur eſt quod in perſona totius populi queritur,

Extuliſti me,& proieciſti:quaſi dicat, Memoria ſummorum beneficiorum,quibus antehac gentem noſtram affeceras,magis dolorem nobis auget & exaſperat. Vident enim quanta dignitate deiecti & in quantas miſerias demerſi ſint. Alij ad geſtum eleuantium aliquid, quod mox ad terram collidant, puta, vas teſtaceum aut ſimile aliquid,prophetam reſpicere exiſtimant,& ſimpliciter de violenta deiectione ſententiam interpretantur,de qua Ieſa.cap.30. loquitur.Atque huc illud Ieremiæ Thren.3.affertur:Eleuatio nobis & fractura,&c.Sed plenior eſt ſententia, ſi comparatio illa intelligatur ſumpta à diuerſis temporibus & conditionibus huius populi.Et nota eſt ſignificatio verbi נשא,quæ hoc requirere videtur. Nā נשיא, nomen inde factum ſignificat principem in dignitate conſtitutum, atque ad ſummos honores euectum.

12 Dies mei tanquam vmbra inclinata: & ego tanquam herba arui [*exareſco.*]

Rurſus ab alio ſimili deſcribit ſuas miſerias, comparans vitam ſuam vmbræ inclinatæ,hoc eſt,iam ad occaſum vergē ti atque in tenebras euaneſcenti. Sol enim dum in ipſo meridie capitibus noſtris imminet,non facit ſubitas mutationes vmbrarum, ſed vbi ad occaſum vergere incipit, ſingulis ferè momētis variant vmbræ,donec in tenebras euaneſcant. Hinc igitur dicit vitam ſuam (nam dies pro vitæ curriculo ſumit) quaſi vmbram inclinatam ſeu ſerotinam & ſole cadente iam ad noctem vergentem,eſſe fugacem,& non procul abeſſe ab interitu.Etſi enim vmbra creſcit & grādior apparet ſole occidente,tamen magnitudo illa eo propior fit nocti, quo maior videtur. Talis igitur eſt vita humana, quę in ſenectute exacto tempore collabitur.Conqueritur autem propheta,id ipſum in media & florente ætate ſibi & populo ſuo accidere, eóque dolor eſt maior.

Tanquam herba areſco] Repetit ſimilitudinem herbæ areſactæ,hoc eſt,quæ vel æſtu ſolis aduritur, vel à radice reſecatur:de qua dictum eſt ſuprà verſu 5.

13 Et tu, Iehoua,in perpetuum habitas:& memoria tui in generationem & generationem.

Querelæ ſubiicit conſolationem, qua & ſuum & cæterorum animum erigit, ne dolore abſorbeantur. Atque hinc rurſus apparet,longè aliter ſuas miſerias deplorare ſanctos, quàm faciunt homines profani & hypocritæ. De Turno inquit Virgilius,

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Ita omnes impij opppreſſi ærumnis & morte, cum triſti fremitu & indignatione vadunt ad Tartara,vitámque ipſam & vocem in triſtiſſimis gemitibus & vlulatibus relinquunt.Sed piis mortificatio illa & dolor primus gradus eſt ad conſolationem & viuificationem Ita enim intuentur iram Dei aduerſus peccata, vt è regione immenſam Dei bonitatem & miſericordiam ac veritatem promiſſionis conſiderent Hanc igitur fide apprehendentes, ſtatuunt ſe eſſe in gratia apud Deum,etiamſi foris mille mortibus ſint circūdati: atque hac fiducia accedunt ad Deum, & vincunt illos triſtiſſimos dolores,quos pariunt agnitio & ſenſus iræ Dei aduerſus peccata. Id facit hoc loco propheta,cùm inquit,*Tu in æternū permanes.* Quod non eſt intelligendum ſimpliciter de Deo ſecundum ſuam eſſentiam abſolutè conſiderato.Id enim parum faceret ad conſolationem. Neque enim fragilitas vitæ humanæ aut conditio inde redditur melior,quòd Deus eſt immutabilis & perpetuò ſui ſimilis. Imo verò miſeria noſtra ex illa Dei æternitate magis fit conſpicua & digna lacrymis: ſed loquitur propheta de Deo relatiuè,qualem ſcilicet in verbo promiſſionis ſe patefecit: in quo cùm de ſua voluntate erga populum ſuum teſtetur, & oſtendat eccleſiam ſuam ſibi curæ eſſe, etiam inter maximas ærumnas & calamitates, capiunt hinc pij firmam conſolationem:quia ſciūt tam fallere illam promiſſionem non poſſe,quàm mutari Dei natura non poteſt. Atque ita intelligendum eſſe hoc quod dicit *Tu in æternum permanes*,oſtendit membrum ſequens, cùm inquit, *Memoria tui durat in generationem.* Nam memoria Dei nihil aliud eſt quàm notitia ex verbo & promiſſionibus eius concepta. Niſi enim Deus ſe patefeciſſet, nulla eſſet eius certa notitia aut memoria. Sicut igitur promiſſio & fœdus initum cum populo Dei manet verum,ratum & firmum: ita piis manet illa cōſolatio certa,quòd curæ ſint Deo,nec poteſt vllis calamitatibus & ærumnis illa nobis excuti.

14 Tu exurges,misereberis Sion: quia tempus miſerendi eius:quia venit ſtatutum tempus.

Prius membrum concluſio ſiue conſequens eſt eius conſolationis cuius iam meminimus.Tu Deus es æternus, & fœdus tuum initum cum populo tuo eſt perpetuum, vt nulla temporum iniuria interrumpi poſſit. Ergo tādem miſereberis populi tui,nec patieris eum perpetuis exilij miſeriis conficI.Hæc conſolatio ſimul habet votum admixtum,quod referendum eſt ad principalem propoſitionem pſalmi, quę eſt petitio liberationis & reſtitutionis politiæ, vt antea dictum eſt.

Exurgere Deus dicitur, quando qui aliquandiu nobis quieuiſſe & nullum præſentiæ aut fauoris ſignum edidiſſe viſus fuit, tandem illuſtri teſtimonio ſuam præſentiam & potentiam in liberanda eccleſia oſtendit.Eſt igitur verbum hoc ad ſenſum & experientiam noſtram referendum. Non ſedet Deus tanquam otioſus ſpectator eorum quæ fiunt in genere humano,nec dormitat qui cuſtodit Iſrael,vt alibi dicitur:ſed perpetuò vigilat, & eſt intentus in ſalutem ſuorum: quoties tamen verſamur in ærumnis, id nobis non apparet. Itaque tunc primùm exurgere Deum ad vindicandas iniurias eccleſiæ ſuæ factas iudicamus,cùm & pœnas ab hoſtibus ſumit, & eccleſiæ optatam pacem & tranquillitatem reſtituit.

Miſereberis Sionis] Hoc multa complectitur. Primùm enim petit populum ipſum, qui alibi dicitur filia Sion, in gratiam à Deo recipi, eíque peccata, propter quæ exilio grauiſſimo hactenus mulctatus erat, remitti. Deinde petit eundem reduci in patriam. & inſtaurari non tantùm politiam: ſed imprimis cultum diuinum Nam vocabulo Sionis vtrumque συνεκδοχικῶς comprehenditur.Vt cum Ieſai.2.dicitur,Ex Sion exibit lex.Iacebat non tantùm arx Sion,quæ ſedes erat regia,ſed templum horribiliter deſtructum.Vtrumque igitur petit reſtitui,atque ita integram politiā reſtaurari.Poſtremò quia ſciebat populi Dei conſummationē & ſolidam felicitatem cōſiſtere in promiſſi Meſſiæ aduentu:ideo Sionem reſtaurari petens,ipſum ſimul Meſſiam mitti in carnem ardentiſſimis votis & toto pectore petit.

Cum autē ſimiles calamitates omnibus ætatibus experiatur eccleſia, nos nomine Sionis eccleſiam omnium temporum comprehendi intelligamus: & Deum oremus, vt hoc quoque tempore exurgat, & eccleſiæ ſuæ,quæ & domeſticis diſſidiis laceratur,&foris externa vi & horribilibus perſecutionibus premitur,miſereatur,eíque piam pacem & concordiam docentium largiatur.

Quia tempus miſerendi eius] Iam addit alias rationes. Totum quidem redemptionis & reſtitutionis beneficium pendet à gratuita miſericordia & amore Dei erga genus humanum. ſed quia hanc miſericordiam ita in verbo ſuo patefecit, vt ſponte nullis noſtris meritis prouocatus nobis ad præſtandum hoc beneficium gratuitū ſe obſtringat: ideo non tantū dicit,miſereberis Sion: ſed addit,*quia tempus miſerendi eius, & venit ſtatutus dies*,reſpiciēs ad vaticinia prophetarū, Ieremiæ imprimis,qui cap. 29. promittit fore,vt poſt annos 70. populus reducatur in patriam. Affirmat igitur iam exactum eſſe illud tempus ærumnarū & exilij,quod diuinitus præfixū erat:ideoque petit vt Deus memor ſuæ promiſſionis, finem tandem imponat his miſeriis, & populum in patriam reducat. Nos verò exemplo prophetæ diſcamus in precationibus noſtris intueri Dei promiſſiones, atque harum fiducia ad Deum accedere. Id enim niſi faciamus,ſemper vagabuntur animi noſtri, nec habebunt vbi acquieſcant. Deinde hoc quoque obſeruetur, promiſſionibus Deum obſtringere quidem nobis ſuam fidē,atque ex pacto pręſtare quod promiſit: interea tamen beneficium manere gratuitum, ideoque ardentibus votis à Deo petendū eſſe:id quod videmus hoc loco facere prophetam,qui etſi ſciebat iam inſtare tempus reſtitutionis, & eam ex pacto deberi:tamen ardentibus votis hoc petit:& miſericordiæ Dei totum adſcribit.

לחננה R. Dauid dicit eſſe ex Piel, & ſecundùm normam ſcribi debuiſſe לחננה. Alij tamen ad primam coniugationem referunt,in qua Ieſai. 30. occurrit hæc forma לחננכם vt miſereatur veſtri.

15 Quia beneplacitum habent [*delectantur*] ſerui tui lapidibus eius: & pulueri eius fauebunt [*fauent.*)

Addit aliud argumentū à piorū coniunctis votis & deſideriis. Omnes,inquit,pij ſummis & ardentibus votis expetunt tandem reſtaurari templum & vrbem. Et quanquā dolent, illa pulcherrima ędificia, quæ Deus ſibi habitacula delegerat,à crudeliſſimis tyrannis eſſe ſubuerſa, diſiecta atque in puluerem redacta: tamen cogitantes de ſingulari gloria huius populi & peculiaribus beneficiis diuinitus in eo loco exhibitis, ipſis ruderibus & lapidibus fauent & delectantur: quia amor erga patriam, erga religionem & cultum manet fixus:& certò ſperant futurum,vt ex illis ipſis ruderibus rurſus paulò poſt nouum templum & arx noua cōſurgat,& populus in priſtinum ſtatum ac dignitatem reſtituatur: idque maximè ob hanc cauſam,quia non multò poſt venturum eſſe Meſſiam,qui omnia inſtauraret & regnum amplificaret, à Daniele edocti erant.

Mone-

Monemur autem hoc exemplo, vt quanquam videamus ſtatum eccleſiæ eſſe triſtiſſimum, & omnia vndique diſſipata & diſiecta tyrannide & furore diaboli: tamen animum non deſpondeamus, nec de ſalute eccleſiæ deſperemus. Poteſt enim Deus, vt tunc ex ruderibus & pulueribus nouam arcem & templum: ita ex calamitatibus & morte piorum nouam condere eccleſiam. Itaque ſicut Iudæi ruderibus ſe delectari affirmant: ita nos quoque non nimiũ doleamus, ſi videamus eccleſiam noſtri temporis eſſe ſqualidam, & partim diſſidiis docentium deformari ac diſtrahi, partim perſecutionibus, cædibus iniuſtis, & aliis crudelibus ſuppliciis & ruinis vaſtari: ſed ſperemus ex his ruinis nouam deinceps eccleſiam diuinitus exædificatum iri, cuius gloria maior ſit quàm fuerat prioris: ſicut de poſteriore tẽplo Haggæus vaticinatur, multò id anguſtius fore, quàm fuerat illud quod à Salomone erat ædificatum.

Per *ſeruos* nonnulli intelligunt, ſignificari non ipſos exules Iudæos, ſed Cyrum & Darium, quorum conceſſione politia reſtituta eſt.

16 Et timebunt gentes nomen Iehouæ: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Additur aliud argumentum ſumptum ab effectu ſeu vtili. Reſtitutio illa non tantùm proderit ad inuitãdum populum Iudaicum ad gratiarum actionem & verum pietatis cultum: Sed etiam gentes, quæ nunc à Deo ſunt alienę, hoc inſigni miraculo & beneficio mouebuntur, vt potentiam & gloriam Dei agnoſcant & celebrent, & abiectis idolis ac ſuperſtitionibus hunc verum Deum, qui ſe in Iſrael patefecit, colant. Neque id plebeij tantùm, ſed reges quoque & ſummi monarchæ.

Quod fieri cœpit cùm Darius Medus & Cyrus ad agnitionem veri Dei conuerterentur. Nec dubium eſt multos ex Chaldęa gente & aliis ſecutos exemplum ſanctorũ regum, vel alioqui motos his inſignibus miraculis potentiam Dei agnouiſſe. Sed quia hæc reſtitutio populi & ædificatio Sionis tum demum perfecta eſt, quando Chriſtus miſſus eſt in carnem, qui eſt verus illius templi ſpiritualis architectus & lapis angularis: ideo & hoc vaticinium tunc demum impletum eſt, quando exhibito Chriſto ſparſa eſt euangelij vox in totũ orbem terrarum, & ex gentibus paſſim eccleſia miniſterio Apoſtolorum & ſucceſſorum eſt collecta. De populi igitur Iudaici reſtitutione ita loquitur, vt illam alteram reſtauratione & regni amplificationem, quæ ſub Chriſto futura erat, ſimul complectatur.

Gloriam tuam] Id eſt, maieſtatem, potentiam, virtutem tuã, quam oſtendiſti in populi tui reſtitutione.

17 Eo quòd ædificauit Iehoua Sion, viſus eſt in gloria ſua.

18 Reſpexit ad orationem humilis [*diruti, ſeu miſeri & afflicti*] & non contempſit orationem eorum.

Addit cauſam, cur agnituri & celebraturi ſint Dominum reges & gentes. Quia, inquit, agnoſcẽt, illam reſtaurationem Sionis, & reſtitutionem politiæ, eſſe opus planè diuinum. Nemo enim humano iudicio fieri poſſe ſperabat, vt populus per totum regnum Babylonicum per annos 70. diſiectus & diſperſus, rurſus ita colligeretur, vt politiam & regnum ſuum reſtauraret, & in vnũ corpus rurſus coaleſceret. Cum itaque id factum eſt, gentes potentiam & gloriam huius Dei, quem Iſraelitæ colebãt, agnouerũt. De hac re vaticinatur. Sed quia illa ædificatio Sionis imago & præludium fuit collectionis eccleſiæ, quę per Chriſtum fieri debebat, ſimul hinc colligitur, collectionem illam atque ædificationem eſſe opus non humanarum virium, ſed Dei: qui quanquam miniſtris ſuis ad hanc ſtructuram perficiendam vtitur, ipſe tamen eſt architectus. vt dicitur 1. Cor. 3. Dei ædificatio eſtis, nos ſumus *συνεργοί*. Deinde hæc ingẽs eſt gloria Dei, quæ paſſim omnes gentes ad agnoſcendum & celebrandum ipſum inuitat, quòd eccleſiam quaſi ſepultã atque è mortis tenebris erutam, cum nulla ſpes eius eſt, ſuſcitat & glorioſè ædificat: ſicut tunc populum Iudaicum hominũ opinione iam internecioni deſtinatum, glorioſè in patriam reduxit & reſtituit. Atque hac ratione vtitur Deus in collectione ſuæ eccleſiæ. Priùs enim quaſi in mortem eam conijcit, vt nulla ſpes vitæ aut reſtitutionis appareat. Deinde cùm omnia ſunt deſperata, ex ipſis faucibus mortis ereptam reſtituit, atque ita gloriã ſuam magis conſpicuam reddit. Ideo hîc dicit Deum viſum eſſe in gloria ſua, quando Sionem ędificauit: cùm antea illa inter afflictiones piorum quaſi abſcondita & ſepulta latuiſſet: imò à pleriſque non tantum gentibus, ſed Iudæis quoque ludibrio habita fuiſſet.

Reſpexit ad precem deſtructi [humilis.] Addit aliam cauſam, cur gentes celebraturæ ſint Deum. Quia hoc exemplo commonefactæ diſcẽt, Deum non mox abiicere populum ſuum, etiamſi ſinat eum aliquandiu exerceri cruce & calamitatibus, nec reſpuere preces eorum vt profani imaginantur, qui exiſtimãt ærumnas eſſe ſigna iræ & abiectionis diuinæ: ſed tunc maximè, cùm calamitatibus oppreſſi clamant, exaudire ipſorum vota & preces, & præſentiam ſuam oſtendere in liberatione ſuorum. Eſt autem obſeruatu dignum, quòd redemptionem & reſtitutionem populi precibus fidelium adſcribit. Eſt quidem illud beneficium gratuitum, & pendet ex ſola miſericordia diuina, vt antea diximus, & tamen precibus noſtris Deus ſæpe ſe id tribuere teſtatur, quod alioqui ſponte & ex promiſſione facturus eſt: vt nos ad ſtudium precandi extimulet & alacriores reddat. Et cũ pij inter precandũ intueantur promiſſionem gratuitã, & iuxta eam dari ſibi bona cũ ſpiritualia tum corporalia petant, non eſt abſurdum precibus tribui, quod ex promiſſione pẽdet: quia promiſſionũ nullus eſt vſus, niſi fides eas apprehendat, & in vera inuocatione dari ſibi illa bona petat.

Nomen ערער ponitur hoc loco collectiuè. Neque enim de vno tantùm loquitur, ſed de omnibus piis. Significat autẽ hominem abiectum, afflictum & calamitoſum, deſtitutúmque omni præſidio & auxilio. Nam ערער vox geminata eſt ex radice ערר quod verbum ſignificat vaſtare, deſtruere, depopulari, diruere, vt Ier. 51. Murus Babylonis diruendo deſtruetur. Metaphoricè ſignificat viduare ſeu orbare. Inde eſt ערירי orbus, qui eſt ſine liberis ſeu ſterilis. ערער vero etiam myricam ſignificat, quæ eſt herba humilis, ſpreta & abiecta: vnde pro humili à pleriſque redditur. Alij ab עיר deducunt, quod ſignificat excitare. Vnde ערער exponunt hominem excitantem ſe, hoc eſt, ſedulum & diligentem ad orationem.

19 Scribetur hoc ad generationem poſteram: & populus creatus laudabit Deum.

Argumentum ab effectu ſeu vtili ductum amplificat & extendit Propheta à circumſtanta temporum & perſonarum. Non modò qui ſpectatores erunt huius mirãdæ liberationis & reſtitutionis populi in pręſentia potentiã tuam agnoſcent & bonitatem tuam celebrabũt: ſed factum hoc publicis monumentis commendabitur toti poſteritati, vt quicũque deinceps iſta legant, magnitudine miraculi & beneficij nobis exhibiti excitentur ad agnoſcendum & celebrandum nomen tuum. Fructus igitur huius beneficij nõ deſinet cum his qui id accipient, ſed in multas ætates atque adeo ad omnem poſteritatem ſe extendet. Hæc ſumma eſt huius verſus. Simul autem ſtudium cõſeruandi hiſtoriam eccleſiæ hoc verſu cõmendatur, & qui ſit verus vſus ſacrarum hiſtoriarum oſtenditur, videlicet, vt multi harum rerum, quæ in eccleſia geſtę ſunt, commemoratione ad agnitionem & celebrationem Dei inuitentur.

Populus creatus] Id eſt, qui deinceps creabitur. Neque principaliter hoc ad carnalẽ natiuitatẽ referendũ eſt. (Nã ex carnali propagatione nõ naſcuntur filij Dei, vt dicitur Ioha. 1.) ſed potiùs ad ſpiritualem regeneratiõnẽ, per quam redditur noua creatura in Chriſto. Non enim niſi regenerati per Spiritum ſanctum verè agnoſcunt & laudãt Deum. Et quidem tacitè his verbis videtur perſtringere Iſraelitas, apud quos cũ laudes Dei conticuerint, opus eſſe affirmat nouo populo, ſeu noua eccleſia, quæ per Spiritum ſanctum regenerata laudes Dei celebret.

20 Quia proſpexit de excelſo ſanctitatis ſuæ: Iehoua è cœlis in terram reſpexit.

21 Vt audiret gemitum vincti: vt ſolueret filios mortis.

Repetit cauſam, de qua verſu 18. dictum eſt. Poſteritas ex hoc miraculo intelligit Deum ita curam gerere ſuorum, non vt tanquam otioſus ſpectator reſideat in cœlo, & ad omnes iniurias ſuis factas conniueat: ſed vt perpetuò è cœlis proſpiciat & intentus ſit in ſalutem ſuorum, exaudiat preces & gemitus eorum, & tandem ex periculis & tribulationibus eos eripiat. Hoc igitur exẽplo mouebuntur, vt ſe ad Iudæos adiungant, & vnà cum ipſis Deum verum celebrent, vt iam ſequitur.

Iterum verò notandum eſt, quòd non regum gratiæ & fauori liberationem illam adſcribit, ſed Dei bonitati. Ait enim Deum è cœlis propexiſſe & vinctorum gemitus exaudiuiſſe, & filios mortis ſoluiſſe.

Excelſum ſanctitatis Dei vocat cœlum, quod ſcriptura alibi nominat ſedem Dei, non quòd cœlo ſit incluſus, ſed quòd in cœlo maieſtatem & gloriam ſuam magis conſpiciendam præbeat: & nos appellatione hac monere vult, vt animos noſtros à rebus terrenis abſtractos ſurſum ad Deum leuemus,

& ſupra mundum eum quæramus.

In terra] Id eſt, ad pios degentes in terra, ad humiles, ſpretos & abiectos.

Vincti] Id eſt, vinctorum. Singulare enim pro plurali ſcribitur. Vinctos autē nominat Iudæos, quia captiuitas erat illis inſtar duriſſimi carceris, in quo vincti tenebantur. Filius alicuius dicitur, qui quoquomodo eò pertinet ac facit, aut qui ab altero ſeruatur, iuuatur aut poſſidetur. Ideo filius mortis Hebræis dicitur, qui iam deſtinatus eſt morti, & de cuius ſalute eſt deſperatum. Ita filius ſeculi dicitur, qui planè addictus eſt mundo.

22 Vt annuntient in Sion nomen Iehouæ: & laudem eius in Ieruſalem.

Continuat ſuperiorem ſententiam de fructu & vtilitate huius reſtitutionis, in qua argumentum eſt, quod ad perſuaſionem facit. Non tantùm Iudæi, ſed gentes quoque motæ hoc beneficio inuitabūtur ad agnitionē & celebrationē nominis tui. Et hæc quidē erit gloria inſignis populi Iſraelitici, quòd peregrinæ gentes, quæ non tantùm alienæ hactenus fuerunt à Iudæis, ſed acerrimi hoſtes huius populi, Ieroſolymam conuenient, atque ibi vna voce, atque vno conſenſu Deum nobiſcum celebrabunt. Eſt autem Sion & vrbs Ieroſolyma typus & imago eccleſiæ omnium ętatum (erat enim illa arx cum vrbe ſubiecta peculiariter nomini diuino conſecrata) ideo ille concurſus gentium ad vrbē Ieroſolymam nihil aliud ſignificat quàm adiunctionem ad veram eccleſiam & conſenſum in doctrina & fide. Quod antea verſu 9. dixerat populum creatum laudaturum Deum, id nunc verbo ספר exponit: vt laudare ſeu celebrare nihil aliud ſit quàm beneficia eius, quibus amorem, bonitatē & potentiam ſuam Deus declarauit, narrare, recenſere, deprædicare, atque hac celebratione tum ſuam fidem erga promiſſionem cōfirmare, tum alios ad hanc doctrinam amplectendam inuitare.

Nomen Iehouæ dicit pro ipſo Iehoua, quia non niſi agnitus rectè celebratur.

23 Cùm colligentur populi ſimul, & regna, vt ſeruiant Iehouæ.

Hic verſus oſtendit manifeſtè eum loqui non tantùm de Iudæorum gratitudine, ſed omnes gentes ſimul complecti: & affirmare quòd huius reſtitutionis fructus ad illas quoque ſit redundaturus. Ita in hoc argumento, quòd à fructu ſeu vtilitate ſumptum eſt, vaticinium cōtinetur illuſtre de vocatione gentium & adiunctione harū ad verum Dei populum. Quod argumentum, vt plenum erat conſolationis, non tantùm ad gentes, ſed ad Iudæos quoque: ita res videbatur penè incredibilis. Erat templum Ieroſolymitanum multò antè deſtructum & exciſum, & populo in peregrinas ac longinquas terras abducto, atque hinc inde diſperſo, vox doctrinæ cæleſtis cōticuerat annos iam 70. vt nulla penè iam memoria eſſet cultuum diuinorum. Tali igitur tempore & hoc rerum ſtatu ſperare non tantùm reſtitutionem tēpli & cultus, ſed amplificationem talem, in qua deinceps gentes ſe Iudęis adiungerent, atque eundem cum ipſis Deum agnoſcerent & colerent: id profectò omniū hominū captū & fidem ſuperabat. Sed quo magis incredibilis hæc res nonnullis videbatur, eo maiorem cōſolationē afferebat piis in hoc populo. Et quidem initia quædam huius rei ſtatim in reſtitutione populi ſunt conſpecta, quando Darius Medus, Cyrus & ſine dubio multi ex horum ſubditis ad agnitionem veri Dei ſunt cōuerſi: ſed quia hęc res non niſi à Chriſto perficienda erat, vt dicitur Geneſ. 49. Ad ipſum erit collectio gentium: ideo verſus hic & ſimiles ita intelligendi ſunt, vt tempus vtrumque, liberationis ſcilicet ex captiuitate, & aduentus Chriſti in carnem, connectere videantur. Idque vſitatum eſt prophetis, vt de initiis illis non minùs glorioſè quàm de perfectione ſeu conſummatione loquantur. Eſt autem dignum conſideratione, quod inquit, non tantum populum, ſed regna quoque, atque ita reges & principes, & qui ſunt pręcipua pars regnorum, conuenturos eſſe ad cultum diuinum. ſignificat enim reges & principes duces fore & autores ſuis ſubditis, vt hunc verum Deum agnoſcant & colant, quod oſtendunt exempla Conſtantini, Theodoſij, Caroli magni & aliorum: hoſque ſuo exemplo alios inuitaturos eſſe, vt & miniſterium doctrinæ magnifaciant atque ornent, & in ſacro cœtu ad agnoſcēdam doctrinam & præſtandos cultus Deo gratos frequentes conueniant: Idque meminiſſe debebant, qui in aliqua parte gubernationis diuinitus ſunt collocati. Nullum eſt ſpectaculum iucundius, nec cultus vllus Deo gratior, quàm cùm reges & ſubditi iuxta hoc dictum pſalmi conueniunt: ſicut econtra nullum eſt triſtius ſpectaculum, quam quando ad cultus idololatricos vndique magno feruore concurritur.

Quod de collectione ad vrbem Ieroſolymam dicit, non ita intelligatur, quaſi neceſſe ſit omnes reges & populos, qui ad Chriſtum conuertuntur, aſcendere Ieroſolymam, atque ibi vnà cum Iudæis peragendis Moſaicis cultibus occupari: ſed quia vſitatum eſt prophetis cultum noui teſtamenti formis loquendi huic populo vſitatis tanquam ſymbolis deſcribere: ideo etiam hic conuentus ſeu collectio ad vrbem Ieroſolymam, nihil aliud ſignificat quàm adiunctionem ſeu aggregationem ad eccleſiam & ſacrum Dei populum: quæ fit, quando abiecta idololatria & damnatis ſceleribus, veram de Deo doctrinam in populo Iudaico tunc patefactam amplectimur, & Deum vera fide, & vitæ ac morum ſanctitate colimus. Ita Ieſaias cap. 2. conuerſionem & collectionem gentiū ad eccleſiam huiuſmodi orationis forma deſcribit. In nouiſſimis diebus erit mons Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibūt populi multi & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.

24 Afflixit in via robur meum: præcidit dies meos.

Latinus ex Græco reddidit, Reſpōdit ei in via virtutis ſuę, paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Nam vt voces malè intellectas aliquo modo connecteret, ex ſequente verſu duas dictiones aſſumpſit אמר אלי *omar eli* quas tamen perperam legendo commutauit in אמר אלי *emor elai*. Repetit breuiter querelam de aſſiduis calamitatibus huius populi, quæ eo magis nunc fiunt conſpicuæ, poſtquam de reſtauratione huius regni, de amplificatione & gloria per Chriſtū paranda eſt concionatus & vaticinatus. Habebant Iudæi aditum ad illud regnum præ cæteris tanquam primogeniti, qui ante alias gentes eſſent adoptati & peculiari fœdere ad ſocietatem huius regni adſciti. Ideóque magno animi deſiderio expetebant Meſſiam promiſſum: quem nō tantùm reſtauraturum, ſed amplificaturum & firmaturum hoc regnum ſciebant, eiúſque rei quaſi vmbra ſeu pręludia quędam hactenus in populo Iudaico erant conſpecta. Interea autem dum ad hanc metam cōtendunt, hoc eſt, dum Chriſtum redemptorē anxiè expectant, atque in eo ſpei curſu perſeuerant, affliguntur variis modis, & exacti ex patria, quaſi ex medio curſu abripiuntur, ne tempus illud exoptatum attingāt, nec gloriæ promiſſæ fiant participes. Atque ita in metū cōiiciuntur, fore vt deleto hoc populo eccleſia ſeu regnum Dei in genere humano deleatur, & vox doctrinæ cæleſtis cōticeſcat. Hæc ſumma eſt huius querelæ, de qua etiam in argumento dictum eſt. Nonnulli interpretes hanc querimoniam ad illud tēpus reſtringunt, quo exhibitæ fuerunt Iudæis moleſtiæ, poſtquam data fuerat illis redeundi libertas. Et viam interpretantur illud iter, quod in reditu confecerunt. R. Dauid Kimhi verò perviā intelligit oberrationem in exilio, cùm de loco in locum migrare cogerentur, nec certam ſedem inuenirent: & verbum affligendi hoſtibus tribuit. Sed ſequens ſententia oſtendit prophetā de Deo loqui, qui variis calamitatibus Iudæos exerceat, atque interea promiſſionem de exhibendo Meſſia, ad quam vnicam animo & ſpe ſua ferebātur, differat. Itaque via nihil aliud ſignificat, quam curſum vitæ & dierum, quo ad metam præfixam, hoc eſt, ad Chriſtum promiſſum ferebantur. Hunc curſum queruntur interrumpi calamitatibus exilij & morte, ne ad optatā metā pertingant, hoc eſt, ne Chriſtum in carne videāt, & gloriæ eius regni fiant participes. Sunt autē ſimiles ſemper piorū omnium querelę, qui quanquā initia aliqua conſolationis habent, ſuam tamen imbecillitatem ſentiunt & deplorant, quòd non ad plenam illam lucem, vt optabant, peruenire poſſint: ideóque queruntur ſe abripi ex hac vita citiùs, quàm vt proficere ſatis in agnitione Dei & bonitatis ipſius, & firma fide in eo acquieſcere poſſint. Vident itē eccleſiam horrendis perſecutionibus in hac vita vaſtari, ideo metuunt ne calamitatibus tanquam ex medio curſu abrepta in nihilum redigatur. Inde igitur eſt hæc triſtis querela: *Afflixit in via robur meum.*

Additur autem precatio & conſolatio dulciſſima de veritate promiſſionum Dei, quam opponit illis dubitationum fluctibus. Primùm inquit:

25 Dixi, Deus mi, ne tollas me [*facias me aſcendere, Germaniſmus eſt, Es gehet alles mit im auff, quale & illud, Ieſ. 5. flos eius vt puluis aſcendet, id eſt, euaneſcet in auras*] in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Id eſt, in hac tanta conſternatione & animi dolore ego cōfugi ad preces, tanquā ad ſacram anchoram: Et dixi: Deus ne tollas, id eſt, non abripias me ex medio curſu ante tempus, ſinas

ſinas me pertingere ad illud tempus, ad quod omnes tanto deſiderio aſpiramus: ſinas me videre Chriſtum promiſſum & gloriæ regni eius fieri participem. Hoc enim fuit omnium piorum deſiderium in populo Iudaico, ſicut Chriſtus de Abrahamo inquit: Abraham optauit videre diem meum, Ioh. 8. Et creuit illud deſiderium in piis poſt reditum populi ex captiuitate cum iam prope inſtare ſcirent illud tempus, quo Meſſias exhiberetur: ideo non dubium eſt, pios omnes hoc vnicum in votis habuiſſe, vt vitã Deus ſibi prorogaret, donec Chriſtum oculis aſpicerent. Id quod ex hoc loco & Simeonis exemplo Luc. 2. apparet. Quanquam ſi vniuerſum populum reſpicias, fœdus ſeu promiſſio facta Iſraeli in exilio videbatur quodammodo interrupta: & metus erat ne, ſi illa calamitas eſſet perpetua, promiſſio redderetur irrita: vt quod de dimidio dierum dicit, huc maximè referri debeat, ac ſi in perſona totius populi loquatur. Nã matura eccleſiæ ætas Chriſti demum aduentu fuit completa. Ideo quicunque ante illud tempus moriebantur, videbantur quaſi in medio ſpatio abripi. Hoc ſenſu dies Iſraelis totum tempus à ſancito fœdere vſque ad Chriſtum comprehendit. Quocunque modo accipias, dulcis eſt imago & commonefactio in hac precatione. Sicut enim tunc Iudæi optabant ſibi vitam prorogari, donec Chriſtum coram aſpicerent: ita pij omnibus ætatibus poſt Chriſtum exhibitum petunt longius vitæ ſpatium, vt in agnitione Dei proficiant, & conſolatio in corde creſcat & fiat firmior. Item, vt alios ipſi docere & confirmare, atque ita doctrinam ad poſteros propagare poſſint, ne eccleſia in genere humano deleatur.

In generationem & generationem anni tui] Cõſolatio eſt ſumpta à Dei æternitate: ſed vt antea monui, intelligenda eſt hæc æternitas non tantùm abſolutè: ſed multò magis ad promiſſiones, in quibus ſe Deus nobis patefecit, & ad opera in quibus ſe peculiariter eccleſiæ oſtendit, eſt referenda: alioqui nulla ſubeſſet conſolatio. Sicut igitur Deus natura ſua eſt æternus, carens principio & fine: ita ſtatuendum eſt, verbum promiſſionis quod protulit ex ore ſuo, eſſe firmum, ratum & perpetuum, & cùm iuxta hoc verbum eccleſiam ſibi delegerit, cui bona cæleſtia in omni æternitate communicet, neceſſe eſt eam manere perpetuò. Neque enim minus fallere verbum ipſius, quam natura eius redigi in nihilum poteſt. Itaque non eſt, quod metuat quiſquam de euentu promiſſionis, etiãſi calamitates & ærumnæ præſentes certum interitum nobis minentur. Quòd annos Deo tribuit, qui conſtant certis temporum menſuris, id fit per ἀνθρωποπάθειαν: ſignificat autem Deum eſſe æternum, nec more hominum obnoxium eſſe mutationi aut interitui, ſed perpetuò eſſe vnum & eundem ſine vlla mutatione & ſine fine, tam quod ad naturam ſeu eſſentiam, quam quòd ad promiſſionem editam attinet. Hæc igitur ſumma conſolatio eſt in eccleſiæ ærumnis: quòd ſcimus non mutari nec aboleri veritatem promiſſionis, etiamſi calamitatum ſenſus aliud interdum nobis ſuggerat. Atque ea conſolatione tunc in exilio maximè fuit opus, quando omnia videbantur vergere ad interitum, & actum eſſe de eccleſia multi iudicabant.

26 Priùs terram fundaſti: & opus manuum tuarum cæli.

Amplificat inſtitutam conſolationem à collatione: comparat enim cælum & terram & res creatas omnes cum Deo, affirmans totum mundum obnoxium eſſe mutationi & corruptioni, ſolum Deum expertem eſſe omnis mutationis. Atque hinc colligit & concludit, eccleſiam quæ verbo & promiſſione Dei fulta & firmata eſt, nunquam interituram, ſed perpetuò duraturam eſſe. Quæ conſolatio dulcis eſt piis mentibus, præſertim cùm aſpicimus noſtram imbecillitatem, & conſideramus diaboli & totius mundi potentiam & furorẽ aduerſus eccleſiã. Eſt in hac vita eccleſia ſqualida & ærũnoſa, cùm propter ſua peccata & propter cõmunem naturæ humanæ fragilitatẽ & fugacitatẽ, tum propter crucẽ & calamitates quib⁹ eam Deus ſubiecit: ita vt ſi externã ei⁹ ſpeciẽ cõſideres, nihil videatur ea miſerius aut inſtabilius. Econtra terrã Deus ita fundauit vt per tot millia annorũ conſiſtat immota. Et cœlum quanquam aſſiduè mouetur, ſemper tamen manet in ſuo ſtatu ſine vlla mutatione. Et tamẽ quãtacunque ſit vetuſtas cæli, aut terræ firmitas: tandem illa veteraſcent & mutationem patientur. Sola eccleſia quantumuis fragilis, infirma & caduca, conſiſtit & durat perpetuò. Hęc ſumma eſt huius poſtremæ partis, quæ cùm vtilem doctrinam & inſignem conſolationem habeat, digna eſt quæ animis noſtris infigatur.

Priùs] Id eſt, antè, olim, pridem, iampridem, multò ante: cùm enim פני ſignificet faciem, quæ eſt anterior pars hominis, dictio לפני quæ naturam aduerbij induit & ad tẽpus refertur, ſignificat tempus quod ante nos fuit, indefinitè.

Fundaſti] Id eſt, ita firmaſti, vt eſſet ſtabilis, & immota. Quod teſtimonium conſiderandum eſt contra eos qui diſputant terram moueri.

Cæli ſunt opera manuum tuarum] Id eſt, tu formaſti & exornaſti cælũ, & addidiſti corporib⁹ cæleſtib⁹ motum perennem & regularem, ſine ipſorum corporum cæleſtium mutatione.

27 Ipſa [*ſcilicet cælum & terra*] peribunt, & tu permanebis: & omnia quaſi veſtimentum veteraſcent: quaſi veſtem mutabis ea & mutabuntur.

Nobis quidem, ſi terræ ſtabilitatem & cæleſtem corporum immutabilitatem conſideremus, non videntur veteraſcere aut corruptioni obnoxia eſſe, ideóque nonnulli ex philoſophis mundum ab æterno fuiſſe contendunt: ſed affirmat ſcriptura totam hanc mundi machinam paulatim veteraſcere & tendere ad finem & interitum. Idque vt meliùs intelligatur, addit propheta ſimilitudinem à veſtimento, quod paulatim vſu atteritur & vileſcit, ſeu vt Ieſaias loquitur, ſicut liber putreſcit, aut ſicut fumus liqueſcit. Eſt enim creatura propter hominum peccata obnoxia corruptioni, ideóque aſſiduè gemit & parturit, vt Paulus inquit Rom. 8. Non eſt nunc illa claritas luminis, nec ſunt illæ ſtellarum vires, quæ fuerunt: terrę etiam vires quomodò deficiunt quotannis, manifeſtum eſt, vt hæc mundi machina ſenili corpori & veſtimento attrito rectè comparari queat: ſed in reſtitutione hominum, ipſa quoque mundi machina renouabitur, & nouam formam, tanquam veſtẽ nouam, depoſitis prioribus ſordibus, & ſitu quem ex vetuſtate contraxerat, vt hic dicitur, induet. Et ſicut Ieſa. inquit c. 65. Non erunt in memoria priora. Rectè igitur dicit perituram hanc mundi machinam: quia prorſus nouam formam induet, tanquam noua veſte circumdata.

28 At tu idem es: & anni tui non deficient.

Addit alterum membrum collationis ex antitheſi. *At tu idem es*. Id eſt, nihil eſt firmum & perpetuum niſi tu. Nullis enim alterationibus & mutationibus es obnoxius.

Anni tui non deficient] Non conſumuntur aut finiuntur. Hũc locum Apoſtolus citat, in epiſtola ad Hebr. c. 1. ad probãdam Chriſti diuinitatem. Eſtq; teſtimonium hoc inter cætera luculentum contra ſomnium fanaticum Valentini Gentilis, qui contendit ſolum patrem eſſe verum & vnum Deum, atque ita filium excludit ἀπὸ ταυτότητος τῆς οὐσίας & vera Deitate. Cùm tamen Apoſtolus hoc in loco & alibi nomen Iehoua, quod vnum & verum Deum ſignificat, tribuat Chriſto, & hunc Pſalmus affirmet eſſe conditorem cęli & terræ. Qua de re ſuo loco dicitur copioſiùs.

29 Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum coram te ſtabilietur.

Hæc eſt illatio, quam ex ſuperiori comparatione colligit: ſi Deus eſt æternus, neceſſe eſt eccleſiam quoque, quæ ipſius verbo fundata & firmata eſt, & quæ à communi ſorte & conditione mundi exempta, ipſi perpetuo vinculo coniuncta eſt, eſſe perpetuam. Nullæ igitur calamitates, nullæ ærumnæ, nulla pericula, nulla ſupplicia tanta ſunt, quæ delere eccleſiam in hac vita poſſint.

Verbo *habitandi* firmam & æternam habitationem, tanquã in domo hæreditate acquiſita, ſignificat, atque eodẽ reſpicit verbum ſtabiliendi. Eſt autem obſeruandum quod inquit, *coram te*. Nam ſi externam ſpeciem eccleſiæ conſideres, non eſt piorum ſalus firma: ſed quia perpetuò Deo cohęret & coniuncta eſt, ideo felicitas eius eſt ſempiterna.

Filios ſeruorum Dei & ſemen piorum non intelligit quoſlibet carnali propagatione deſcendẽtes à primis patribus quibus promiſſio tradita eſt: ſed qui fidem patrum retinent, atq; horum pietatem imitantur. Alij degeneres nequaquam horum ſemen dici poſſunt.

PSALMI CII.

PARTES.

I. Exordium, audientiam faciens, à perſona ſupplicis, nempe pij cuiuſcunque, nomine Iſraelis, ſolitarij & captiuitate oppreſſi, v. 1. & Dei, cuius proprium eſt voces afflictorum exaudire, v. 2. & 3.

II. Expoſtulatio, ſeu narratio mali quo obruebatur Eccleſia. Sunt autem illius tres loci,

1. A vanitate & imbecillitate ipſius, 4.5.6. verſ. 2. Ab improbitate aliorum, miſeros perfidè deſtituentium, 7.8.9. verſ. 3. Ab ira & plagis inflictis à Deo, 10.11. & 12. verſ. quæ omnia ſimilitudinibus appoſitiſſimis illuſtrantur.

III. Propoſitio argumentorum quibus fideles confirmantur & adducuntur ad inuocandum Deum. Sunt autem argumenta duo. 1. à conſtante natura Dei. 2. alterum à gloria eius. Quæ prolepticè, v.13. poſita, in ſequentibus ordine explicantur.

Primum argumentum à conſtante natura Dei, tum qua eſt miſericors, verſ. 14. tum promiſſionibus quas ante fecerat populo de reſtitutione poſt annos ſeptuaginta, v.15. poſtremò à fine, vt innoteſcat Deus, v.16.17.18.

Poſterius argumentum, à gloria Dei, quæ tenuibus illis principiis fuit in Eccleſiam Chriſti diffundenda: prout reſtitutio populi ex deportatione Babylonica figura fuit & documentum reſtitutionis per Chriſtum, v.19. &c. vſque ad 24. In quo argumento officium Eccleſiæ veteris & noui Teſtamēti Deum laudantis, ſancta vocatione ad Chriſtum inuitatæ & congregatæ ſalutem oblatam amplectentis & ſeruatorem ſuum rite colentis, gloria Dei vero ſuos recreantis, exaudientis, liberantis, coniunctim proponitur.

IIII. Tranſitio (v.24.) ad concluſionem, afflictionum vtilitate propoſita, quæ dat intellectum & fidem languidam excitat. Concluſio autem continet præſentis mali deprecationem, v. 25. argumento ducto à conſtante & æterna Dei natura, v.26.27.28. 2. petitionem ſempiterni boni, v.29.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 Anguſtiæ animi & precationum effuſio non repugnant: nec enim clauditur ianua precibus noſtris, dum contracti dolore lucem & conſpectum hominum fugimus, vt tunc verè opportunum ſit tempus orandi: quia hæc vnica curis noſtris leuatio eſt, dum liberè corda noſtra effundere licet coram Deo.

Iis præſcribuntur à Dei Spiritu precandi formulæ quos angit eccleſiæ clades.

2 Verè ad vnicum illum Deum in verbo & eccleſia patefactum tunc confugiunt ore & corde fideles, quum diris cruciatibus afflicti, ardent ingenti deſiderio obtinendæ leuationis, quæ clamoris vehementiam exprimit.

3 Eccleſia per tot annos ſub cruce fatiſcens, Dei fauore meritò petit ſubleuari. In die afflictionis enim facies eius veluti nube tecta videtur. Quod autem adeo familiariter in ſinum optimi patris querelas effundit, tum promiſſionum diuinarum certitudinem, tum fidei naturam nobis proponit.

4.5.6.7.8 Piorum ſub cruce conditio variis ſimilitudinibus depicta: Hæ autem nos docent 1. De eccleſiæ ſalute nos debere eſſe inprimis ſolicitos. 2. Homines eſſe admodum infirmos, & Dei caſtigationibus ferendis prorſus impares. 3. Dei iudicia eſſe formidanda. 4. Sub cruce omnem carnis fiduciam euaneſcere. 5. Omnes regiones à quibus exulat Dei veritas, eſſe piis veluti deſerta & horrendas ſolitudines, vbi in luctu & ſqualore perpetuo verſantur. 6. Tūc nos ad quærendum Deum eſſe paratos, quum vndique imminēt ærumnæ, labores & pericula.

9 Eximia hæc eſt conſolatio, proteruia hoſtium noſtrorum magis accendi Deum, vt ſe ad opem nobis ferendam accingat.

10 Triſtitiæ effectus deſcriptus, nec in cibo potuve quidquam ſaporis aut gaudium percipere fideles ſub cruce. Contrà profani homines verbo Dei petulanter illudentes, Edamus, inquiunt, & bibamus, cras enim moriemur. Sub cruce (veterum fidelium exemplo) etiam licitæ voluptates coercendæ ſunt.

11 Locus de iræ Dei ſenſu. Quum nos manu ſua Deus percutit, non tantùm ad ictus ingemiſcere, vt ſolent ſtupidi homines, ſed præcipuè cauſam expendere conuenit, vt ſeriò humiliemur.

De donorum Dei priuatione. Quoties Deus ornamentis quæ cōtulerat nudatos quaſi proſtituit ad opprobrium, diſcamus ideo maiorem nobis eſſe lugendi cauſam, quia lucem culpa noſtra conuertimus in tenebras.

12 Status eccleſiæ Dei ſub graui afflictionum mole, eſt veluti ſolis occaſus & virtutis extinctio: nā in tenebris veluti iacētes fideles & languore ac tædio cōfecti, nihil niſi perniciem & interitū intuentur.

13 Quoties innumeræ mortes nos obſident, hæc inuicta eſt conſolatio, Deū eſſe & manere ſemper ſui ſimilem: ac quum nulla mutationis vmbra in eū cadat, præſto ſemper ſuis aderit: idque facturus eſt, quia verbum habemus quo ſe nobis deuinxit, nec nō memoriam ſui apud nos depoſuit, quæ ſanctam & inſeparabilē ſocietatē continet.

14 Deus eſt omnipotens & immutabilis: ſuo tempore igitur implebit quod pollicitus eſt, ſuos nempe liberabit.

Surgit Deus quando reipſa & externo actu vt loquuntur, altitudinem ſuam demonſtrat, vt pios conſeruet ac è manibus impiorum erutos miſericordia ſua foueat.

Inſtaurationis eccleſiæ cauſam ſumit Deus à gratuita ſua bonitate: miſericordiámque ſuam promiſſionibus vltro patefactis annectit, vt nos per verbum reuelatum, id eſt, per modum ad infirmitatē noſtram accommodatum faciliùs ad ſe pertrahat.

Tempus liberationum eccleſiæ eſt quidem nobis opertum, ſed adeo firmiter à Deo præfixum, vt momento conſtituto liberandi ſimus. Huic autem certiſſimæ perſuaſioni coniungendæ ſunt preces aſſiduæ ad quas nos Dei verbum ſeriò ſollicitat.

15 Quo triſtior eſt eccleſiæ deſolatio, eo minus nos alienari oportet ab eius amore: in eius enim ruderibus & puluere elucet cæleſtis ſplēdor, quem beati Angeli ſumma cum reuerentia contemplantur. Idololatrarum porro in ſuis pompis ſuperbientium profana magnificentia nihil aliud eſt quàm abominatio coram Deo & Dei electis.

16 Eccleſiæ inſtauratio ac redemptio tam illuſtre eſt diuinæ potentiæ ſpecimen, vt incredulos cogat Deum revereri quem priùs ſubſannauerant: magnatéſque ad Chriſti in Euangelio patefacti obſequium adducat.

17 Gloria Dei in eccleſiæ inſtauratione fulget: & quamuis inter medias afflictiones Dei virtus abſcondita videatur, eam tamē ſemper pij contemplantur fidei oculis & in promiſſionum ſpeculo.

18 Etſi Deus gratuita miſericordia ſeruat eccleſiam: tamen in ea ſeruanda ſuorum votis apparet propitius: quia quum gratuitis promiſſionibus annexæ ſint preces, harum effectus ex illis fluit. Maximi momenti ſunt igitur fidelium preces, vtpote quibus eccleſiæ redemptio adſcribatur.

Quamuis diſperſi ſint fideles, ne legitimos habeant conuentus, tamen in hac vaſta diſſipatione Dominus exaudit gemitus eorū, modò ſincero fidei conſenſu ad reſtitutionem eccleſiæ ſimul aſpirent.

19 Memorabilium Dei operum laus in ſequentes ætates eſt propaganda.

Non ſemper ita ſeruatur eccleſia vt ſuperſtes appareat: ſed vbi mortua videtur, repente creatur noua, quoties ita Deo viſum eſt. Nulla igitur deſolatio hanc nobis ſpem adimat: ſicuti ſemel Deus ex nihilo mundum condidit, ita proprium eſſe eius opus, eccleſiam ex mortis tenebris eruere.

20.21 Dei miſericordiæ in Chriſto mediatore firmatæ, liberatio & inſtauratio eccleſiæ, non hominum conſiliis & viribus eſt tribuēda.

Ne quid terrenum de Deo imaginemur, domicilium ſibi in cælo aſſignat, non quòd cælo ſit incluſus, ſed vt ſupra mundum à nobis quæratur.

Quòd piorum gemitus audire Deus dicitur, nos excitare debet ad orandum & poſt liberationes ad gratiarum actionem.

Multæ maximæque ſunt afflictiones piorum, ex quibus tamen in tempore extraordinaria Dei virtute liberantur.

22.23 Locus de vocatione gentium ad Dei notitiam. Etſi autem neceſſe non fuerit, Ieroſolymam aſcendere quicunque ad Chriſtum conuerſi ſunt: more tamen in pſalmis & propheticis libris vſitato, legalis cultus tanquam ſymbolum veræ pietatis hic ponitur.

Nunquam meliùs celebratur Dei nomen quàm dum propagatur religio & creſcit eccleſia.

24 Fideles de miſeriarum ſuarum grauitate querelas fundentes non expoſtulant cum Deo, acſi ſpem eorum fruſtratus eſſet: ſed quia perſuaſi ſunt eum non agere fallaciter cum ſuis cultoribus, hac querimonia ſe ad bene ſperandum confirmant.

25.26.27.28 Eccleſia aduentum Chriſti expectans meritò precata eſt ne in medio curſu & ante illam exhibitionem deficeret. Hodie autem quum ſolenni promiſſione fulciatur, Chriſtum illi adfuturū vſque ad mundi conſummationem, confidit, & optat in pietatis ſtudio confirmari.

Æternitas Dei æternam fore eccleſiam prædicat ac pollicetur, quia in verbo & promiſſione Iehouæ veracis & omnipotētis fundata eſt.

Cœli corruptioni ſunt obnoxij propter hominis lapſum: ita autem renouabuntur, vt meritò perituri dicātur: quia non iidem erunt, ſed alij. Eccleſia autem, vt Dei veritas, manet in æternum: hæc autem perpetuitas in vno illo Iehoua fundata eſt, apud quem nulla eſt mutationis vmbra.

29 Promiſſio eximia de eccleſiæ perpetua duratione & vita æterna. Ergo ſi conſtanter ſeruamus vitæ theſaurum apud nos depoſitū ne dubitemus, etiamſi innumeræ mortes nos circunſtent, anchoram fidei noſtræ in cælos iacere, vt in Deo reſideat ſalutis noſtræ ſtabilitas.

Articuli

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De efficacia precũ Eccleſiæ afflictionibus grauiſſimis oppreſſæ.
2. Quis,per quem,quomodo,à quibus orandus.
3. Crucis ſchola,lucis ſchola:ſeu de multiplici afflictionum Eccleſiæ vtilitate & vſu.
4. De piorum triſtitia & luctu.
5. De ſenſu iræ Dei.
6. De donorum Dei priuatione & reſtitutione.
7. De conſtante natura,ſeu de immutabilitate Dei.
8. Surgere quo ſenſu Deus dicatur.
9. De tempore liberationum, ſeu de Eccleſiæ periodis & iubilæis.
10. Eccleſiæ ſplendor non eſt externus.
11. De inſtauratione & redemptione Eccleſiæ.
12. Gloria Dei in Eccleſiæ inſtauratione maxime fulget.
13. Eccleſiam ſub cruce latentem Deus videt, audit & exaudit.
14. Deus quo ſenſu è cælis in terram intueri dicatur.
15. De vocatione gentium.
16. De aduentu Chriſti.
17. De æternitate Dei.
18. De creaturarum corruptione & immutatione.
19. De perpetua eccleſiæ duratione,& vita æterna.

ARGVMENTVM PSALMI CIII.

INSIGNIS hic eſt pſalmus propter conſolationes in eo dulciſsimas & ampliſsimas,quæ in doloribus conſcientiæ, in quibus animus luctatur cum ira Dei & deſperatione,ſingularem vſum & efficaciam habent,ideoque commendatiſsimus eſſe piis hominibus debet. Eſt autem pſalmus Euchariſticus. Nam & ſeipſum Dauid in exordio hortatur atque exuſcitat ad conſideranda innumera Dei beneficia,& ad animi grati ſignificationem edendam, & in fine omnes non tantùm homines,ſed Angelos quoque,atque adeo totam rerum creaturam hortatur ad laudandum Deum & celebranda ipſius beneficia. Atque hæc propoſitio eſt pſalmi,adhortatio ſcilicet, vt aſsiduis laudibus Deum celebremus & prædicemus. Argumenta autem & rationes huius adhortationis ſumpſit Propheta maxima ex parte à beneficiis tam ſpiritualibus quàm corporalibus, cùm ſibi priuatim, tum populo vniuerſo exhibitis. Eaque vt magis conſpiciantur ab omnibus,& in cogitatione horum auditores diutiùs retineātur,facta diſtributione non tantùm commemorat prolixè, ſed multis elegantiſsimis ſimilitudinibus & collationibus, magnaque orationis copia & ſplendore exornat & amplificat. Atque in hac commemoratione præcipua pars pſalmi conſumitur. Additur autem in fine & aliud argumentum ſumptum à potentia & imperio Dei quo omnes creaturas ſibi ſubiecit, & ad hunc cultum ſibi obnoxias reddidit, vt ſi quem illa beneficia innumera non moneant, nec ad gratitudinem aliquam exuſcitent, is tamen ſciat huius Dei *imperio & potentia ita ſe conſtrictum teneri,vt vel hoc ſolum nomine ei hunc cultum debeat. Qui enim Dominus eſt totius orbis,& omnia imperio ſuo continet,huic meritò non homines tantùm,ſed omnes creaturæ laudes dicunt. itaque vt in exordio ſeipſum ad gratitudinem præſtādā extimulat: ita in fine Angelos quoque & omnes creaturas,quibus tamen beneficia illa propriè exhibita non ſunt, ad hunc cultum Deo præſtandum inuitat.*

DAVIDIS.

1 BEnedic anima mea Iehouæ: & omnia interiora mea nomini ſancto eius.

2 Benedic anima mea Iehouę: & ne obliuiſcaris omnium munerum [*beneficiorum*] eius.

Propheta celebraturus miſericordiam & bonitatem Dei erga genus humanum, quam ille innumeris beneficiis cùm ſpiritualibus tum corporalibus oſtendit,ſeipſum ter repetita adhortatione ad conſiderationem & prædicationem beneficiorum Dei excitat,atque hoc ipſo ſegnitiem & tarditatem cùm ſuam tum aliorum in æſtimandis Dei beneficiis arguit & caſtigat.Eſtque hæc adhortatio ipſa propoſitio pſalmi. Cùm enim dicere ſimpliciter potuiſſet, Ego ago Deo gratias pro omnibus beneficiis illius: ne ſomnolenter quid agere videretur,animam ſuam quodammodo obiurgans cōpellat,eíque ſomnolentiam & ſoporem in meditandis Dei beneficiis excutere volens, inquit, *Benedic anima mea Iehoua* &c. Atque hoc ſuo exemplo nos monet, vt in celebrandis Dei beneficiis nos quoque torporem noſtrũ corrigamus,idque tantò magis, quanto ab illo zelo & pietatis ſtudio,quo Dauid feruebat,abſumus longiùs. Si enim tantus propheta, qui ſingulari ante alios zelo feruebat,non ſine indignatione & dolore morbum hunc ſuum agnoſcit, & magno ſtudio corrigit:quanto magis nos ad hanc diligentiam excitari oportet, qui nimium (proh dolor,) torpemus,& rarò atque etiam leuiter has cogitationes in animum admittimus?

Verbum *benedicendi* varie vſurpatur in ſcriptura. Nam vel de ſuperioribus ad inferiores eſt ſermo,vt cum Deus dicitur benedicere alicui,Num.6.Benedicat tibi Dominus,&c.In tali ſermone benedicere ſignificat benefacere,& omnis generis bona tam ſpiritualia quam corporalia largiri. Nam Deus benedicēdo benefacit.Et huc reſpicit autor epiſtolæ ad Hebręos cap.7. Minor accipit benedictionem à maiore. Vel ſermo eſt de æqualibus ad æquales, vel de paribus ad pares. Vt cum de hominibus qui pares ſunt dignitate,aut conditione, aut ætate loquimur. Et tunc ſignificat bene precari ſeu beatũ prædicare,item ſalutare & valedicere: diſceſſuri enim ab amico,huic bene precari ſolemus.Ita Ioſu.22.vſurpatur:& benedixit eis Ioſua & dimiſit eos,& abierunt ad tabernacula,&c. Vel ſermo eſt de inferioribus ad ſuperiores,vt cùm à creatura ad creatorem ſermo dirigitur.Ita verò homines dicuntur benedicere Deo,non quod bene ei precētur,cui melius eſſe non poteſt:eſt enim (αὐτάρκης) ſed quod grata voce celebrent & laudibus Deũ extollant propter immenſa beneficia,quę pręſtitit generi humano.Itaque ſuprà pſa.34.in hac ſignificatione dicitur: Benedicam Domino omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.Eodem modo accipiatur & hoc in loco.

Anima] Nomine animę non tantùm ſignificat omnes cogitationes huc referri debere, vt beneficia Dei meditentur, & magnitudinem horum æſtiment, ſed omnes ſenſus & affectus ſimul comprehendit, quos huc omnes ferri vult,vt cũ mente conſentiant,atque hæc beneficia ita amplectantur, vt ſequatur lætitia acquieſcens in Deo,eáque rurſus animum & linguam excitet ad celebrandum Deum.

Omnia interiora] Id eſt, (vt aliàs ſcriptura loquitur) omnia viſcera mea,ſeu omnes facultates. Quà locutione ardentiſſimum animi affectum ſignificat. Nullam enim partē hominis vult hic torpere:ſed quicquid eſt in homine,excitari ad agnitionem & celebrationem beneficiorum Dei, atque ita damnat hypocriſin, quæ labiis honorat Deum,cùm cor interea longe abſit,vt inquit Ieſaias c.29. Et Chriſtus Matth.15. id repetit.

Nomini ſancto] Nomen Dei, vt aliàs monuimus, ſignificat Deum ipſum rectè agnitum iuxta verbum patefactum. Nam de nomine quis agnoſcitur. In verbo autē ita patefecit Deus quod ſit iuſtus,omnipotens,ſapiens,bonus, miſericors, clemens,verax &c.Pater qui genuit filium,& qui eundem miſit, vt morte ſua redimeret genus humanum, & Spiritus ſanctus procedens à Patre & filio, qui mittitur in corda credentium, vt ea ſanctificet. Talem igitur prædicare,eſt nomini eius benedicere. Et monet phraſis hæc, Deum eſſe non aliter inuocandum aut celebrandum,quàm qualem ſe patefecit. Neque enim debēt animi noſtri vagari in inuocatione vt Ethnicorũ,de quibus Chriſtus inquit,neſciũt quid adorent, quemadmodum Hecuba apud Euripid. clamat: Inuoco te Deus,ſi

ue es hoc cælum,ſiue mens quę vehitur in cælo.

Dicitur autem nomen Dei ſanctum,non tantùm quòd per ſe eſt diuinum , magnificum , auguſtum , religioſum,purum & ab omni contaminatione alienum , ſed etiam quòd ſanctè à ſuis vult coli. Qui igitur polluta conſcientia ad Deum accurrunt , neque inuocare , neque gratias Deo agere poſſunt. Cùm enim nomen eius ſanctum ſit , non recipit nec admittit pollutorum benedictiones, &c. Repetitio in ſecundo verſu vehementiam affectuum & ardorem animi ſingularem in caſtiganda ſua tarditate oſtendit. Quo enim magis meditantur beneficia Dei homines pij , eo magis dolet ſe magnitudinem illorum ſatis aſſequi non poſſe, & ſuam ſegnitiem deplorant, & quantum poſſunt caſtigant & emendant.

Ne obliuiſcaris] Hæc propoſitio cauſam quodammodo oſtendit , cur ſe tanto ſtudio ad gratias agendas excitare debeat? Quia cùm tanta ſint Dei erga nos beneficia, ſceleratus omnino habendus eſt qui horum obliuiſcitur. Ita vanitatem humanorum animorum perſtringit, apud quos nihil citiùs ſeneſcit quàm gratia , παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις , ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ , inquit Pindarus , *Antiqua gratia dormit, & homines ſunt immemores.* Id verò non tantùm in rebus humanis eſt vſitatum : ſed multo magis vbi cum Deo agendum erat. Quo autem maius ſcelus eſt illa ingratitudo erga Deum , eo magis laborandum eſt,vt illam carnis ſegnitiem excutiant & emendent. Huc igitur reſpicit illa adhortatio, *Ne obliuiſcaris*: quaſi dicat , Noli imitari commune exemplum maximæ multitudinis hominum.

3 Qui propitius eſt omni iniquitati tuæ:qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Sequitur confirmatio propoſitionis ſumpta à cauſa impulſiua,hoc eſt à magnitudine & multitudine beneficiorum diuinorum , quæ ordine tanquam in tabella depicta commemorat. Sicut autem in inuocatione prælucere debet fides accipiens remiſſionem peccatorum,qua non impetrata nullorum Dei beneficiorum ſumus capaces:ita in gratiarum actione præcipua laude dignum eſt hoc ipſum beneficium , quòd æternus pater propter filium recipit & adoptat genus humanum , & peccata nobis confugientibus ad miſericordiam gratis remittit. Hæc gratuita reconciliatio,in qua conſiſtit iuſtificatio hominis coram Deo,vt Paulus ad Rom 4. oſtendit ex perpetuo ſcripturæ conſenſu,fons eſt , vnde cætera omnia promanant.

I. Ideo rectè primo loco hoc beneficium commemorat. Quod quantum ſit,etſi ſatis pro magnitudine & dignitate æſtimare non poſſumus : tamen ſi triſtiſſimas illas damnationis æternæ ſententias , quæ contra impiam multitudinem diuinitus prolatæ ſunt,cogitemus, & dolores primorum parentum conſideremus , quando poſt peccatum admiſſum, ſenſerunt ſe excidiſſe ex gratia Dei, & factos eſſe reos æternæ irę & damnationis , nonnihil excitari animos ad harum rerum cogitationem neceſſe eſt: ſicut enim nihil eſt triſtius atque miſerius quàm perpetuò auulſum à Deo abijci hominem in æternos gehennæ cruciatus,vbi ignis impiorum iuxta Ieſaiam non extinguitur , & vermis eorum non moritur: ita econtra nullum maius beneficium generi humano , iam ad æterna ſupplicia propter peccatum addicto , pręſtari potuit , quàm quod promiſſio ex ſinu æterni patris per filium prolata eſt,quæ agnoſcentibus peccata & ad thronum gratiæ confugientibus annuntiat remiſſionem peccatorum & gratuitam adoptionem ac reconciliationem. Quis igitur hoc beneficium grato animo non agnoſcat & prædicet ? profectò & in Deum impius ac contumelioſus eſt , & in ſeipſum crudelis , qui vel contemnit hęc beneficia , vel nimis leuiter curat.

Excitandus eſt igitur crebrò animus exemplo huius prophetæ ad horum beneficiorum conſiderationem : quod fieri rectiùs non poteſt , quàm ſi hæc beneficia ſemper habeamus in conſpectu: econtra verò miſerrimam hominis conditionē extra beneuolentiam & fauorem Dei conſideremus.

II. Eſt autem cum remiſſione peccatorum coniunctum aliud beneficium , quod ſecundo loco prædicat. Non enim tantùm Deus remittit peccata & gratis nos in filios adoptat, imputata nobis filij ſui iuſtitia : ſed ſimul Spiritum ſanctum in nos effundit,qui corda renouat & paulatim ſordes noſtras abſtergens, imaginem Dei in nobis reſtituit. Simul etiam, quia expurgari in hac vita omnes ſordes propter ingentem infirmitatem naturæ noſtræ non poſſunt , ita ſanationem inchoat , vt peccatorum reliquias ſua gratia tegat & condonet.

De hoc igitur beneficio loquitur , cùm inquit: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Quod quidam de corporalib⁹ morbis intelligunt : ſed ieiunè nimium. Eſt autem dulciſſima ſimilitudo,qua Deum comparat medico , qui & vulnerum ſordes abſtergit diligenter, & ſanitatem, quanto poteſt ſtudio, reſtituit. Spiritus enim ſanctus ita peccatorum noſtrorum ſordes tollit, vt ſimul voluntatē & corda ad obedientiā Deo placentem flectat. Quæ doctrina alibi explicatur copioſiùs.

Poteſt etiam infirmitas hoc loco de pœnis quibuſcunque intelligi: Nam cum remiſſione peccatorum coniuncta eſt remiſſio pœnę.

4 Qui redimit è ſepulchro [*fouea*] vitam tuam:qui te coronat clementia & miſerationibus.

III. Tertium beneficium ex primo tanquam effectus à cauſa dependet. Sicut enim ira Dei aduerſus peccatum certiſſima mors eſt: ita hac placata redditur nobis vita,& vindicantur corpora & animæ noſtræ ab interitu & damnatione. Hic fructus conſequitur remiſſionem peccatorum. Cúmque ſepulchri mentionem facit , oſtendit qualis ſit generis humani conditio , antequam in gratiam recipiatur. Eſt enim morti & ſepulchro addictum, in quo in æternum careat luce cæleſti, quæ eſt vita hominum , atque ita auulſum à Deo, extra quem vita non eſt, æterna morte pereat : ſtipendium enim peccati mors eſt, Rom. 6. שחת igitur hoc loco μετωνυμικῶς mortem ſignificat.

Filius autem Dei morte ſua nos à morte redemit, atque ita vitam noſtram è ſepulchro redimit. Hic enim eſt ille גאל Goel , qui ſanguine nos attingens cauſam noſtram ſuſcepit & nos vindicauit, transferendo ad ſe iure hæreditatis. Id enim propriè ſignificat verbum גאל, redimere ſcilicet rem alienatam , & vindicare, vt redeat ad ſuum hæredem. Inde גאל propinquus , ad quem pertinet ius redemptionis.

Alij ſimpliciter de conſeruatione vitæ & valetudinis noſtrę intelligunt : iuxta illud Deut. 30. Ipſe eſt vita tua & longitudo dierum tuorum. Sed loquitur magis de ſpirituali vita, qua coram Deo viuimus.

Qui te coronat] IIII. beneficium , quod amor ille & fauor erga nos non eſt momentaneus , nec mutatione aliqua temporis aut voluntatis interrumpitur: ſed aſſiduè ſuam bonitatem & paternum animum erga nos ſeruat, tam in aduerſis quam in ſecundis rebus. חסד enim propriè ad res ſecundas ſpectat , quando amor eius paternus in variis beneficiis conſpicitur, dum nos ornat & inſtruit variis donis , conuenientibus cuiuſque vocationi, dat ſucceſſus vt perferre labores poſſimus, &c. *Miſerationes* ad tempus crucis ſeu calamitates referendæ ſunt, quando afficitur noſtris miſeriis, & nobis clementer ſuccurrit. Non enim habemus Pontificem , qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum. Atque hi duo affectus in parentibus bonis eminent præ cęteris.

Obſeruandum autem, quod dicit *coronari nos clementia*. Significat enim non tantùm conſtanter ſeruare Deum ſuum amorem erga nos , ſed ita vndique nos beneuolentia ſua & miſerationibus cingere ac munire , vt quæcunque difficultates aut ærumnæ in curſu vocationis noſtræ incidant , ea deiicere nos de ſtatu aut euertere non poſſint , ſi intra hoc ſeptum nos vera fide includamus & contineamus. Nam ſi magnitudo laborum & moleſtiarum, aut ſenſus infirmitatis in vocatione noſtra nos terret, adeſt Deus qui cingit nos bonitate ſua. Si pericula ſint ſubeunda & calamitates perferendæ, miſerationes eius præſtò ſunt, quæ ita nos muniunt, vt aduerſa vis nulla frangere nos aut euertere poſſit. Hæc copioſè extendi & exemplis illuſtrari poſſent, ſi inſtituta interpretandi ratio id pateretur. Sed ſumus contenti grammatica interpretatione.

5 Qui ſaturat bono maxillam tuam: renouatur ſicut aquilæ iuuentus tua.

V. Beneficium ſicut & ſextum ac ſeptimum pertinet ad corporalia beneficia. Deus pro ſua clementia non tantū dat illa ſpiritualia: ſed in hac vita paſcit & nutrit corpora noſtra , & ſuppeditat omnia quæ ad victum & corporis cultum pertinent. Et quia non parcè nec ex demenſo bona corporalia diſtribuit : ſed , vt Paulus inquit 1. Tim. 6. abundè nobis dat omnia ad fruendum, ideo vtitur hac orationis forma: *Qui ſatiat bono maxillas tuas*: alludens ad conuiuia opiparè inſtructa & apparata, in quibus tanta varietas & copia eſt ciborum , vt non ventrem tantùm ſatiare , ſed maxillas quoque maſticando fatigare queas. Nam ſi res ad victum hominum diuinitus creatas ſpectes, tanta eſt harum varietas & copia, vt ad ſatietatem quotidie his fruamur , & ſemper ſuperſit : adeo vt citiùs maxillæ maſticando deficiant , quàm res ad victum neceſſariæ. Hoc ſignificare vult, cùm inquit, *Qui ſatiat maxillas tuas bono*. Aliquanto enim plus eſt quàm ſi ſimpliciter dixiſſet,

xiſſet qui ſatiat ventrem. Nec tamen hæc oratio ita accipienda eſt, quaſi ingluuiem & turpem atque immanem helluandi conſuetudinem probet Deus(ad quam proni nimium ſumus, quoties vberior ſuppetit copia) ſed loqutionem ex cõmuni more ſumpſit, qua copiam & varietatem rerum ad victum noſtrum diuinitus creatarum notare voluit. Quæ omnia magis in oculos incurrent, ſi res in vſum hominum creatas omnes ſingulatim colligamus & expendamus: id quod ab his factum eſt diligenter, qui de prouidentia Dei prolixas ediderunt commentationes, vt Theodoretus, Baſilius & alij complures, quorum ſcripta hunc verſum interpretantur.

Nonnulli non de cibo corporali, ſed de omnium beneficiorum Dei copia quam in omnes pios effundit, ita vt nihil illis deſit, quod vtile ſit ad ſalutem, hūc verſum interpretantur: ſed quæ ſequuntur, oſtendunt eum de corporali potiùs quàm de ſpirituali victu nunc loqui.

Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua] VI. Beneficium eſt conſeruatio vitæ & valetudinis: quod beneficium illuſtrat à ſimilitudine ſumpta ab aquila: quæ eſt auis omnium viuaciſſima, & ad vltimum vſque ſenium ſemper vegeta: nec annis debilitatur, nec morbis obnoxia eſt. Nam Plinius lib. 10. cap. 3. ſcribit aquilas oppetere non ſenio, nec ægritudine, ſed fame, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, vt aduncitas aperiri nequeat. Viuit autem aliquandiu potu, quo ſeſe reficit, hoc eſt, ſanguine, ex interfectis feris, ſed quia ſolus potus ad tolerandam vitam non ſufficit, fame & inedia magis tabeſcit, quàm concidat defectu virium. Vigorem igitur & valetudinem integram in piis hac ſimilitudine deſcribit. Deus enim ſeruat pios, vt in extrema ætate adhuc vigeant. Et vt Ieſa. 65. de eccleſiæ inſtauratione loquitur, Senex centenarius ſit ſimilis puero. Huc pertinet illud Ieſa. 40. Qui ſperant in Domino nouis viribus aucti volabunt vt aquilæ, current & non fatigabuntur, ambulabunt & non erunt languidi. Quod etſi non ſemper in corporibus, in animis tamen experiuntur ſuis, in quibus fulget lux fidei intuens Deum, & lætitia acquieſcens in Deo, quæ animum languere aut concidere non ſinit, etiamſi corpus vel morbis fatigetur, vel variis periculis in perſecutione infeſtetur, &c. Iudæi, vt ſunt audaces in confingendis fabulis, hoc loco ſcribunt aquilas ſingulis quibuſque decennijs cõſcendere vſque ad extremum orbē elementarem, & ex ſublimi ſe conijcere in mare, ſtatimque ſuccreſcere nouas pennas, atque ita iuuentutem harum renouari. Ambroſius autem ſerm. 54. Tom. 3. de innouatione fidelium hanc renouationem aquilarum de aſſidua commutatione habitus, qua longam ætatem illa ducat, dum vetuſtis plumis fatiſcentibus noua pennarum ſucceſſione iuueneſcit, ita vt depoſitis antiquitatis exuuiis rediuiua indumentorum natiuitate ſe veſtiat, interpretatur. Sed quia mox addit, ſenectutem aquilæ non ſentire membra, ſed plumas, oſtendit ſe ad illam viuacitatem, quam natura huic aui attribuit, potius reſpexiſſe, quā ad illas Iudæorū fabellas.

6 Faciens iuſtitias Iehoua: & iudicia omnibus fraude oppreſſis.

Hactenus de beneficiis ſibi priuatim exhibitis eſt concionatus: nunc ad publica commemoranda digreditur. Et primo loco recenſet iudicia, quæ Deus in ſua eccleſia exercet, dum pios in ſuam fidem & tutelam recipit, impios verò & hoſtes piorum horribilibus pœnis afficit & delet. VII. Septimū igitur beneficium eſt aſſidua conſeruatio & defenſio eccleſiæ & piorum hominum inter odia & grauiſſimas perſecutiones diaboli & organorum ipſius, & repreſſio conatuum iniuſtorum, quibus delere eccleſiam moliuntur homines impij. Hoc beneficium quanquam priuatim ad ſingulos quoque ſpectat, & Dauid ſine dubio ſe quoque in eorum numero ſtatuit, qui diuinitus aduerſus iniuſtam vim & tyrannidem malorum hominum muniantur (erat enim auxilium eius in multis perſecutionibus expertus) tamē nunc tanquā publicū & commune omnibus id prædicat, vt & ſe & alios ad agnitionem & celebrationem huius beneficij eo magis inſtiget, atque hoc ipſo ſuam & aliorum in Deum fidem confirmet, ne ſi noua ſibi parari ſubinde pericula videant, de ſua ſalute deſperent. Fieri enim ſolet, vt qui ſemel atque iterum liberatus eſt, tamen ſi pericula recurrant ſæpius, nonnihil languescat, & tandem etiam magnitudine malorum fractus deficiat. Hic igitur vtile eſt hanc vniuerſalem experientiam habere in conſpectu, & hac vniuerſali promiſſione ſe erigere & confirmare, eóque ardentiùs petere & expectare liberationem. Cæterum de phraſi *facere iuſtitiam & iudicium*, diximus ſæpe. Iuſtitiæ eſt ſupplices & confugientes ad ſuam fidem defendere. Itaque facere iuſtitiam iniuſtè oppreſſis, ſignificat hos in ſuā fidē & tutelā recipere, eos munire & tegere cõtra vim iniuſtam. Facere iudiciū ſignificat etiam arma expedire, quoties opus eſt, ad depellendam iniuſtam vim, & hoſtes iniuſta molientes perſequi & punire. Vocabulum enim משפט ſæpe pro altera parte iudiciorum, nempe pro executione ſumitur.

7 Notas fecit Moſi vias ſuas: filiis Iſrael facta ſua.

VIII. Beneficium eſt, quòd ſe Moſi & filiis Iſrael edito certo verbo patefecit. Quod beneficium inter præcipua eſt numerandum. Etſi enim illuſtria Dei veſtigia naturæ impreſſa ſunt, ex quibus ille quodammodo agnoſci, atque adeo manibus, vt Paulus inquit, Actorum 17. palpari penè poteſt: tamen niſi ſe ſingulari modo prodiēs ex arcana ſua ſede patefeciſſet, tradito certo & expreſſo verbo, nec de eſſentia, nec de voluntate Dei erga genus humanum quid ſtatuendum eſſet certò ſciri poſſet, ac neceſſe eſſet animos noſtros triſtiſſimis tenebris oppreſſos vagari ſine vita, ſine luce, ſine conſolatione: ſicut olim ethnici, & nunc Mahometiſtæ & Iudæi, qui ſpreto & abiecto verbo diuinitus tradito, propria audacia ſibi numen confingunt, triſti ſuo cum interitu & damnatione. Quòd igitur Deus peculiariter olim populo Iſraelitico, & hac ætate nobis ſe patefecit & de ſua erga nos voluntate verbo ſuo teſtatus eſt, eóque ſibi in terris eccleſiam colligit, id beneficium grati agnoſcamus & celebremus. Dicit autem Moſi Deum patefeciſſe ſuas vias, quia ille miniſter & internuntius fuit eius patefactionis.

Viam hoc loco nominat doctrinam, quæ docet quomodo Deus affectus ſit erga ſuos, quomodo eos in hac vita regat & gubernet verbo & Spiritu ſancto, & quomodo tandem eductos ex hac vita collocet in regnum cæleſte, vbi perpetuò in conſpectu Dei viuant & lætentur. Hæ enim ſunt viæ, quibus ille cum ſuis agit. Facta nominat miracula, quæ ille addidit doctrinę vt eſſent teſtimonia confirmantia mentes, vt certò ſtatuerent hanc doctrinam eſſe diuinitus traditam. Tale teſtimonium fuit eductio ex Ægypto, & alia miracula, quibus ſuam virtutem & præſentiam in hoc populo teſtatus eſt.

8 Miſericors & clemens Iehoua: longus ira & multus bonitate.

De hoc verſu dictum eſt ſuprà pſalmo 86. vbi iiſdem verbis recitatur. Sumptus autem eſt verſus ex oratione Moſis, Exod. 34. cui cùm Deus ſe patefeciſſet in monte Sinai, ipſe tanquam in faſciculum hęc Dei attributa colligit, quibus natura & gloria Dei adumbratur, & ingens traditur conſolatio. Ideo ſanctis hæc ſentētia ſemper fuit familiaris. Quatuor autem beneficia hic commemorat. 1. Quod calamitate, & miſeriis ſuorum moueatur, & gratis remittat peccata. 2. Quod ſit benignus & promptus ad auxilium ferendum, & quod iram ſuam in pœnis temperet miſericordia. 3. Quod ſit longanimis, qui non ſtatim iraſcatur, & etiam cùm iraſcitur iuſtè, temperet iram bonitate & multa ignoſcat. 4. Quòd ſit beneficus & clemens, qui ſpōte nullo prouocatus officio aut merito benefaciat, & cuius clementia ac bonitas maior ſit ira & iudicio. Paternus enim affectus vocabulo חסד deſignatur, vt antea monuimus.

9 Non in perpetuum rixabitur: & non in ſeculum cuſtodiet [*obſeruabit.*]

Expoſitione eandem ſententiam repetit. Nam quod antea dixerat Deum eſſe clementem & tardum ad iram, item multæ bonitatis: id nunc negatiua oratione per antitheſin exponit, Non rixabitur in perpetuum, id eſt, etiamſi offenſus fuerit, vt iuſtiſſimam habeat cauſam rixandi & obiurgādi, id eſt, pœnis ſuam iram oſtendendi (rixæ enim Dei non ſunt verbales ſed reales) tamen eſt placabilis, citò remittit irā, nec perſequitur ſummum ius, quia natura ad ignoſcendum propenſus eſt. Nam in ſeculum obſeruat, id eſt, non eſt tenax iniuriarum & offenſionum: vt ſunt homines, qui offenſi mox ſimultates exercent, & de vltione cogitantes nocendi occaſionem expectant & obſeruant: ſed vt natura eſt bonus, ita offēſam facilè remittit & condonat, & ad reconciliationem ſe promptum exhibet. Et cùm remittit, omnem memoriam peccati delet & ſepelit, cùm inter homines rarò conciliatio inſtituatur, quæ non ſit ὕπουλος.

Id verò non promiſcuè in totum genus humanum competit: ſed eſt peculiaris promiſſio & conſolatio eccleſiæ propria. Nam de impiis & perſeuerantibus in ſceleribus contra conſcientiam, non eſt cogitandum quòd ſe placabilem his exhibeat, ſed (vt in Exodo & Deuteronomio dicitur) eſt zelotes qui viſitat iniquitatem patrum in filios, &c.

10 Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundùm iniquitates noſtras rependit ſuper nos.

Confirmat hanc ſententiam ab experientia vniuerſali

Omnes ſancti experiuntur, Deum eſſe benignum & placabilem erga ſuos, & multipliciter parcere iis, quos iuſtiſſimè perdere & delere poterat. Nam ſi peccata noſtra obſeruaret & nos puniret pro meritis, iam actum eſſet de nobis. Nemo enim eſſet qui ſuſtineret, vt dicitur pſalmo 130. Quòd igitur hucuſque ſalui ſumus, hoc eſt bonitatis & clementiæ eius argumentum certiſſimum. Hæc eſt ſumma huius verſus.

11 Quia, ſecundùm altitudinem cælorum ſuper terram, præualet bonitas eius ſuper timentes eum.

Amplificat ſententiam, in qua principalis eſt conſolatio à comparatione, vt bonitatis & clementiæ diuinæ gratiam magis nobis commendet. Nam in terroribus peccati & iræ Dei nulla eſt efficacior conſolatio, quàm quæ à bonitate & clementia Dei ſumitur: & nulla in doloribus conſcientiæ faciliùs euaneſcit. Hanc igitur vt diligenter inculcet piis mentibus, non ſolùm ad experientiam piorum prouocat: ſed tres dulciſſimas ſimilitudines ex natura rerum ſumptas adducit, quibus miſericordiam Dei & bonitatem immenſam pingit. *Prima* ſumpta eſt à cæli mundum ambientis ſimilitudine. ſicut enim cælum reſpectu terræ planè eſt immenſum (etſi enim ipſum eſt finitum: tamen vt Plinius inquit, propter magnitudinem infinito ſimile eſt) ita miſericordia & bonitas eius infinitis modis maior eſt, &, vt Paulus inquit, exuberat ſupra peccatum. Sint igitur peccata noſtra multa, magna & grauia, vt verè ſunt: tamen illa magnitudo & multitudo nequaquam nos arcere à conſpectu & gratia Dei poteſt. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Rom. 5. Et ſicut terra, reſpectu cæli, quaſi punctum æſtimatur, cuius non eſt magnitudo ſenſibilis: ita peccata noſtra, quantumuis multa & magna, à gratia Dei ita abſorbentur, vt inſtar puncti nullam magnitudinis rationem habeant. Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi conſcenſuri in cælum & acceſſuri ad gratiæ thronum peccata noſtra in terris retro poſt nos relinquamus, hoc eſt, propoſitum peccandi abiiciamus. Nam mala conſcientia, quæ retinet propoſitum ruendi in delicta, non ſolùm non conſcendit ad cælum, nec impetrat gratiam: ſed iram Dei magis prouocat & auget. Ideo addit *ſuper timentes eum.* Quod intelligendum eſt de toto cultu ſpirituali, in quo fides accedens ad Deum, & petens remiſſionem peccatorum, cæteris omnibus prælucet.

12 Secundùm diſtantiam orientis ab occaſu procul remouit à nobis peccata noſtra.

Altera ſimilitudo à diſtantia orientis ab occaſu ſumpta, magis etiam rem illuſtrat. Etſi enim hoc perſuaderi hominibus vtcunque poteſt, Deum eſſe bonum & clementem, tamen quia peccata noſtra ſubinde nobis obſtrepunt, exiſtimamus nos indignos eſſe illa gratia, atque adeo peccata noſtra eſſe iudicamus, quæ viam gratiæ Dei præcludant. Hunc igitur metum vt nobis eximat, ait Deum cùm peccatorem ad ſe confugientem recipit, tam procul abigere ab eo peccata, quam longè diſtat oriens ab occaſu, atque ita gratiæ Dei vbique locum eſſe: peccata verò non obſtare aut ſe interponere poſſe quominus gratia ad nos pertingat.

13 Sicut miſericors eſt pater erga filios, miſericors eſt Iehoua erga timentes ſe.

Tertia ſimilitudo, ab amore & commiſeratione parentum erga filios ſumpta, non tantùm illuſtrat priorem ſententiam, ſed ſimul primam huius bonitatis & clementiæ Dei cauſam exponit. Sicut pater φιλόστοργος ardenti amore complectitur filium, quem ſi videt calamitatibus & ærumnis oppreſſum, non tantùm commiſeratione erga eum mouetur, ſed quantum poteſt, eum eripere ex calamitatibus & iuuare omni ſtudio conatur, adeo vt non tantùm facultates omnes in ſalutem filij procurandam impendat, ſed ne vitæ quidem ſuæ parcat: ita Deus ardentiſſimo amore proſequitur genus humanum, ideóque cœtum ſibi aliquem ex eo colligit, quem adoptat: & quia peccatis & morte oppreſſum eſt genus humanum, ipſe intuens mala noſtra & commiſeratione motus mittit filium ſuum, qui nos à peccatis & æterna morte redimeret. Beneficia igitur, quæ nobis confert per filium & quæ alibi explicantur copioſiùs, dicit proficiſci ex gratuito Dei amore & cómmiſeratione erga genus humanum, quæ vt euidentior ſit & faciliùs in corda noſtra penetret, amori parentum erga liberos eam comparat. Hac enim ſimilitudine & appellatione amoris paterni nihil poteſt eſſe dulcius, & ad conſolationem efficacius, illis præſertim qui illa κέντρα & καυτῆρας naturæ noſtræ ſentiunt. Si enim parentis animum & affectum erga nos Deus gerit, profectò nullum peccatum, nec calamitas vlla tanta eſt, quæ intercludere iter miſericordiæ ipſius ad nos poſſit, modò inter hos repe-riamur qui Deum timent, hoc eſt, qui vera fide in eo acquieſcunt & petunt remiſſionem peccatorum & pœnarum mitigationẽ: deinde ſe eius verbo reuerenter ſubiiciunt, & Deũ iuxta hoc colunt.

14 Quia ipſe cognoſcit figmentum noſtrum: recordatur quod puluis ſumus.

Addit aliam cauſam, quæ Deum moueat, vt noſtris ærumnis & malis afficiatur, ſumptam ab obiecto. Principalis cauſa & προηγουμένη redemptionis & reſtitutionis generis humani eſt amor ſummus & φιλανθρωπία in Deo, quæ nullis noſtris meritis prouocatur. Obiectum autem mouens Deum ad commiſerationem eſt noſtra infirmitas & miſeriæ noſtræ. Hanc infirmitatem duabus ſimilitudinibus notat. *Primùm*: inquit, ipſe nouit figmentum noſtrum. Nomen יצר ſignificat opus figulinum ſeu vas teſtaceum, quo nihil eſt fragilius. Et certè Deus ex limo terræ hominem finxit, vt aptiſſima ſit ſimilitudo. Deus igitur ſcit figmentum noſtrum, id eſt, conſcius eſt noſtræ infirmitatis, & ſcit quam fragiles nos crearit. ideo magna lenitate infirmitatis noſtræ rationem habet, ne dignas à nobis pœnas ſumat: ſed tolerat clementer & condonat nobis infirmitates noſtras, & minùs ſeuerè in nos animaduertit.

Altera ſimilitudo non tantùm fragilitatem, ſed miſerias etiam generis humani explicat. Comparat enim nos pulueri, quo cùm nihil ſit abiectius, paſſim is proteritur & conculcatur. Homo enim etſi conditus eſt ad imaginem Dei, & fulſit in eo ante lapſum eximia lux rectè intuens & agnoſcens Deum, præditus fuit eximia ſapientia, iuſtitia & gloria: tamen poſtquam contaminatus eſt peccato, ſpoliatus eſt illa gloria: quemadmodum Paulus ad Rom. 3. inquit, Omnes peccauerunt & carent gloria Dei: vt, niſi fiat reſtitutio, ſimus creatura omnium abiectiſſima & deſpectiſſima. Hæc cogitatio primùm ſuperbiam noſtram & arrogantiam retundere debet, ne propter dona, ſi qua ſunt, nos ſtolidè efferamus: ſed in agnitione infirmitatis & miſeriarum nos humiliemus & Deo ſubiiciamus. Deinde ad fiduciam de bonitate Dei concipiendam hic ipſe miſeriarum noſtrarum ſenſus excitare & animare nos debet. Nam quo miſerior & magis deſpecta eſt noſtra conditio, eo propẽſior eſt Deus ad miſericordiam: & ſicut ſuperbis reſiſtit, ita humilibus dat gratiam. Iacob. 4. Ita igitur hic loquitur de miſeriis generis humani, vt has ipſas dicat eſſe cauſas προκαταρκτικὰς, quæ Deum moueant ad amorem & beneuolentiam ſuam in reſtitutione generis humani declarandam, cùm aliàs mens humana iudicet miſerias eſſe ſigna iræ Dei.

15 Homo quaſi herba dies eius [*id eſt, hominis dies ſunt quaſi herba*] quaſi flos agri ſic floret.

16 Quoniam ventus tranſit ſuper eum, & non erit: & non cognoſcet eum ampliùs locus eius [*vbi ſcilicet paulò antè floruerat.*]

Infirmitatem generis humani & fragilitatem naturæ noſtræ alia ſimilitudine declarat, de qua cùm ſupra pſalmo 90. aliquid dictum ſit, non ſum nunc prolixior. Concedit Dauid, hominem in terris, cum pollet ſapientia, & præſtat viribus, opibus, dignitate, autoritate aut aliis donis, habere aliquam gloriam, quæ incurrat in oculos, & hominem aliquantiſper oblectet: ſed hanc comparat flori herbarum, quo nihil eſt fugacius: vnico enim flatu deiicitur aut marceſcit. Eſt igitur ſimilitudo in eo ſita, vt intelligatur ſubita & inſperata euerſio florentis hominis: non quòd inſtar herbarum ſemper repullulet. Eſtque ſimilis ſententia apud Ieſaiam cap. 40. quæ hanc confirmat.

17 At bonitas Iehouæ à ſeculo & vſque in ſeculum ſuper timentes eum: iuſtitia eius ſuper filios filiorum.

Præcipua pars pſalmi conſumitur in amplificatione miſericordiæ Dei. Quia igitur de miſeriis, fragilitate & fugacitate vitæ humanæ, quæ cauſa προκαταρκτικὴ ſeu obiectum eſt mouens Deum ad miſericordiam, paulò ante dixerat, nunc ex antitheſi rurſus miſericordiam diuinam commendat ab æternitate. Hominis quidem vita eſt breuis & fugax, & eſt obiecta variis miſeriis: ſed Dei miſericordiam nulla temporis circumſcriptio metitur, nec morte vlla extinguitur. Eſt enim æterna & extendit ſe in omnes ætates. Non igitur exiſtimandum eſt eius miſericordiam & bonitatem, vna cum hominum ætate deficere, vt ſi quibus ante nos benefeciſſe videatur, beneuolentiam eius hic finiri & terminari neceſſe ſit. Nam hæ cogitationes interdum obſtrepere ſolent piis hominibus. Deinde ſi eſt æterna, eſt igitur infinita & immutabilis. De hominibus dicitur,

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.

Et Plato

Et Plato inquit, φύσει δ' ἀμετάβολον ζῶον ὁ φίλος. ſed Dei voluntas eſt immutabilis. Num. 23. Mal. 3. Non igitur poteſt magnitudo peccatorum noſtrorum obſtare, quin gratiæ apud nos ſit locus, modò; quod pſalmus ſæpe repetit, Deum timeamus, hoc eſt, vera fide ad eum confugiamus, & ei obtemperemus.

Iuſtitia] Iuſtitia hoc loco, vt ſæpe aliâs, accipitur non de iure, quod Deus hominibus reddit, nec de remuneratione quæ meritis ſeu operibus hominum tribuitur: ſed, vt ſuprà dictum eſt aliquoties, de fide ſeu de fidelitate Dei recipientis in tutelam ad ſe confugientes. Hanc igitur ſubiungit bonitati, quia ad illam tanquam effectus ſeu fructus conſequitur. Quos enim adoptauit gratis, hos & in tutelam recipit. Et quod addit, eam propagari ad filios filiorum, reſpicit ad promiſſionem, quæ eſt addita primo præcepto, Exod. 20. & repetitur Deut. 7. vbi inquit ſe fidelem eſſe, & cuſtodire pactum ſuum, & miſericordiam diligentibus ſe, in mille generationes. Itaque quod de filiis filiorum dicit, non ita accipiendum eſt, quaſi in nepotibus mox eius miſericordia deficiat: ſed loquitur de tota poſteritate, quæ niſi à Deo deficiat, hoc eſt, ſi ſit cuſtos doctrinæ in fide & bona conſcientia, ſit particeps huius amoris diuini. Hanc doctrinam confirmant multa exempla piorum hominum, quorum poſteritas diu floruit, vt Dauidis, Ionathæ & ſimilium. Etiam ethnici experientia didicerunt hanc ſententiam veram eſſe, quando ethicis virtutibus ſtudetur: vnde eſt illud apud Theocritum,

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.

18 Addit correctionem ſeu declarationẽ, ne quis ſe efferat propter carnalem prærogatiuam, quod ſoleat facere hypocritæ, qui quemadmodum degeneres filij armis ſuorum maiorum induti ineptè ſe his oſtentant: ita illi promiſſiones patribus factas arripiunt, & vanam ſibi felicitatem ſomniant. Ita Iudæi apud Ieremiam capite ſeptimo clamant: Templum Domini. Item: Non peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à propheta. Ierem. 18. &c. ſed promiſſiones Dei non pertinent niſi ad eos qui patrum pietatem imitantur, & euangelium fide & bona conſcientia amplectuntur, idque profitentur & propagare ſtudent. Nam ſeruare ſermonem ſeu fœdus, vt hîc loquitur, eſt amplecti veram doctrinam fide & bona conſcientia, & eam profiteri & propagare. Nec eſt intelligenda hæc ſententia, ſicut lex loquitur de impletione perfecta, quæ in hac vita in hominem non cadit: ſed, vt euangelium loquitur, de profeſſione veræ doctrinæ in habente fidem & bonam conſcientiam. Et congruit hoc dictum cum illo Iohannis 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.

Fœdus intelligatur de toto verbo patefacto, cui certi ritus, tanquam ſigilla ſeu σφραγῖδες, erant additi. Et qui illos ritus ſeruabant, profitebantur ſe amplecti illam doctrinam diuinitus patefactam, ſicut nos in vſu Sacramentorum profitemur hanc doctrinam, cui illa ſigilla addita ſunt, eſſe veram, & nos ad eum cœtum, in quo hæc doctrina ſonat, adiungere. Fœdus autem præmittit ſtatutis, quæ præcepta de cultibus continẽt, quia non rectè colitur externis ritibus, niſi iuxta verbum præſcriptum, & niſi fides promiſſionis prælucear.

Vt faciant ea] Non ſatis eſt noſſe præcepta Dei, aut de his copioſè diſſerere poſſe: ſed accedere oportet ſtudium obtemperandi Deo, iuxta illud 1. Cor. 4. Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute.

19 Iehoua in cælis ſtabiliuit thronum ſuum: & regnum eius in omni dominatione.

Hactenus de beneficiis tam priuatim quàm publicè in nos collatis dixit: quæ ita multa & magna ſunt, vt ſceleratiſſimus ſit qui hiſce non mouetur, vt grati erga Deum pectoris aliquam ſignificationem edat. Nunc addit aliam cauſam, quæ nos inuitare ad cultum Deo gratum debet. Hæc ratio ſumitur à Dei potentia & gloria immenſa. Affirmat enim Dei imperium per totum mundum ſe extendere, & maieſtatem eius imperij ſuperare omnes cælos. Itaque etiamſi nulla eſſent beneficia, quæ nos inuitare ad eius amorem & obedientiam poterant, ſaltem hæc imperij diuini maieſtas, gloria & potentia flectere & mouere nos debebat, vt nos cum reuerentia ipſi ſubiiceremus, eúmque vt regem & Dominum vero timore coleremus.

Hæc ſumma eſt huius verſus. Interea monendi ſunt auditores, ita loqui prophetam de potentia & maieſtate Dei, vt regnum gratiæ Chriſti ſimul comprehẽdat. Illud enim regnum ſicut diffunditur per totum orbem terrarum voce miniſterij, nec vni angulo eſt incluſum: ita æquum eſt omnes hanc gratiam agnoſcere & prædicare.

Deus in cælo] Id eſt, potentia eius non eſt circunſcripta certis limitibus: ſed ſuperat ipſos cælos, & eſt immenſa, vt nemo ſe ſubtrahere ipſius imperio poſſit. Sedis nomine poteſtatem iudicandi & regnandi intelligit. Nam dicturi ius ſedent pro tribunali. Ideo Auguſtinus inquit, Sedet Deus ad iudicandum, & ſurgit ad puniendum. Si ad regnum gratiæ reſpicias, ſedere ſignificat gubernationem eccleſiæ aſſiduam.

In omnes dominationes] Quaſi dicat, non in vna parte terræ aut mundi, ſicut reges & principes habent diſtincta imperia: ſed complectitur ſuo imperio omnia regna, & omnes dominationes ipſi ſunt ſubiectæ.

20 Benedicite Iehouæ angeli eius: potentes virtute: qui facitis verbum eius obtemperando voci verbi eius.

21 Benedicite Iehouæ omnes exercitus eius: miniſtri eius, qui facitis beneplacitum eius.

22 Benedicite Iehouæ omnia opera eius: in omnibus locis dominationis eius: Benedic anima mea Iehouæ.

Concludit pſalmum repetita propoſitione, à qua eum erat exorſus, atque eam ipſam nunc extendit & amplificat. Non enim ſe tantùm ad gratias agendas hortatur, ſed Angelos quoque & totam rerum creaturam in ſocietatem vocat. Sunt enim beneficia ita magna & multa, quæ Deus generi humano per filium exhibuit, vt angelos & totam rerum creaturam lætari, & ad communem gratitudinem excitari neceſſe ſit. Et de Angelis quidem non eſt dubium, cùm vna & eadem ſit eccleſia electa Angelorum & hominum (ſunt enim vtrique ad imaginem Dei, ad vitam æternam & ſocietatem omnium bonorum cum Deo conditi) eos nobiſcum lætari de parta & reſtituta generis humani ſalute per Chriſtum, & pro hoc beneficio aſſiduè Deo gratias agere. Cuius rei exemplum etiam coram hominibus in natiuitate Chriſti ediderunt. Cæteris verò creaturis per proſopopœiam vocem celebrantem Deum tribuit. Etſi enim voce & ſenſu carent plurimæ creaturæ, ſuo tamen modo Dei laudes canunt. Lucet enim in creaturis omnibus, tanquam in ſpeculo, imago potentiæ, ſapientiæ & bonitatis diuinæ. Itaque nulla creatura tam exigua eſt, quæ non tacitum de Deo & de prouidentia eius teſtimonium dicat, vt non immeritò, quod Nazianzenus de mente & ſenſuum fabrica dixit in oratione quam habuit in Chriſti natiuitatem σιγῶντας μὲν ἐπαινέτας τῆς μεγαλουργίας θεοῦ καὶ διαπρυσίους κήρυκας, id eſt, tacitos eſſe laudatores & canoros præcones inſignis opificij diuini, de omnibus rebus creatis dici id queat. Ac turpe eſt, hominem, qui ad imaginem Dei conditus eſt, vinci à brutis animantibus & reliquis creaturis. Sed cur angelos hortatur ad celebrandum Deum, quos non dubium eſt ſponte id facere, & multò alacriores ad hoc officium eſſe, quam vt ſtimulis noſtris indigeant? Reſpondeo. Non tam angelorum cauſa id facit, vt ſtudium eorum hortando laudet & comprobet: ſed multo magis, vt nos ipſorum exemplo expergefiamus & ſomnolentiam noſtram excutiamus. Si enim Angeli lætantur & gratias agunt Deo pro beneficiis generi humano exhibitis, turpe eſt nos his beneficiis non affici, &c. Atque huc tendit tota deſcriptio Angelorum & prædicatio obedientiæ ipſorum, vt oſtendat non minùs nos obligari ad obedientiam Deo præſtandam & laudes eius canendas quàm angeli, qui ad ipſius imaginem conditi ſumus. Et quidem collatione ipſorum obedientiam magis illuſtrat & commendat, cùm inquit angelos excellere potentia & virtute: & tamen ita ſe humiliare, vt ad omnia miniſteria præſto ſint.

Eòdem pertinet, quòd nominat angelos *exercitus Dei*, quia perpetuò adſtant ad tribunal Dei, & exequuntur eius mandata. Quæ non tantùm gloria ſumma eſt: ſed eſt cum magna potentia coniuncta. Et tamen hi ſpiritus ſponte miniſtrant, & ad omnes nutus Dei ſunt intenti.

Alij *exercitus* interpretantur Solem, lunam, ſtellas. Nã Gene. 2. & Deut. 4. צבא pro aſtris accipitur, & eodẽ ſenſu Matth. 24. & Lucæ 21. dicitur, Virtutes ſeu exercitus cælorum mouebuntur: ſed continuat priorem ſententiam, & quod vſitatum eſt Pſalmographis, aliis verbis eandem rem deſcribit. Idque ex poſtremo membro huius verſus colligi poteſt: vbi inquit, qui facitis beneplacitum eius, quod propriè competit naturæ rationali, & ſignificat voluntarium obſequium, cùm cæteræ creaturæ arcano quodam naturæ inſtinctu Deo obtemperent.

Benedic anima] Repetit initium pſalmi, quod vt vſitatum eſt Dauidi in his carminibus, ita oſtendit, cur non tantùm beneficia illa commemorarit: ſed etiam cur illa exempla ab angelis & creaturis ducta allegarit: nimirum vt ſe & alios hoc modo ad agnoſcenda & celebranda beneficia diuina excitaret.

PSALMI CIII.

PARTES.

I. Propoſitio laudis,ſeu exordium,quo ſeipſum excitat,hortatúrque Propheta,ad benedicendum Deo ex toto corde,toto animo,totiſque viribus,v.1.& 2.

II. Narratio,ſeu recenſio beneficiorum Dei, 1. Singularium erga Prophetam ipſum, & vnumquemque fidelem,v.3.4.& 5.Hæc ſunt, peccatorum remiſſio , renouatio,redemptio,ſanctificatio,dona corporalia.Summa,complectitur omnia Dei beneficia quæ temporalem & ſpiritualem vitam ſpectant. 2. Communium erga totam Eccleſiam,à v.6.ad 19.Huius partes ſunt benefacta & documenta. Benefacta gratiam Dei erga eccleſiam prolixè continent,& dulciſſimis ſimilitudinibus Eccleſiæ miſeriam , Deíque fauorem explicantibus illuſtrantur.Documenta paucis indicantur, v. 7. & 18. In hac narrationis parte Dei Natura luculenter depingitur. 3. Tertium argumentorum genus ad laudem Dei pertinentium,nimirum dominatus eius vniuerſalis in cælo & in terra,v.19.

III. Concluſio,qua prouocat ad laudes Dei primùm res omnes creatas,v.20.21. Deinde, omnia facta eius,& poſtremo ſuum ipſius animum,v. 22.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Dei eximia erga ſingulos fideles beneficia,eos ad gratitudinem ſatis ſuperq́; ſtimulant,modò non ſint prorſus ſtupidi.hic ſtupor autem ita corrigendus eſt,vt prophetæ exemplo intelligentiam, affectus & intimas animæ partes ad Deum ſincerè & ſeriò laudandum indeſinenter excitent.

2 Porrò vt ingratitudini fiat medicina,& Dei laus in nobis vigeat: 1. Sciamus Deum nobis nominis ſui benedicendi materiam ſemper abundè ſuppeditare. 2. Innumera eſſe erga nos eius munera. 3. Eorum memoriam non ſepeliendã,ſed diligenter & ſingulis momentis renouandam.

3.4.5. Specialis autem horũ beneficiorum recordatio ad certa capita reuocatur hoc tertio & ſequentib.verſiculis.1. Peccatorũ remiſſio,& gratuita reconciliatio,primo loco poſita,& meritò quidem,vt quæ ſit fons vnde reliqua omnia beneficia ſcaturiũt. 2. Remiſſionis peccatorum effectus:quòd Deus ſanat infirmitates noſtras:id eſt,Spiritu ſuo nos gubernans,concupiſcentias carnis mortificat,nos purgat à vitiis , veramq́; piæ & rectæ vitæ ſanitatem reſtituit. 3. Reatu ſublato,pœnarũ cõdonatio.4. Ex innumeris tẽtationib.& periculis liberatio. 5. Benedictio multiplex in toto vitæ curriculo,quæ ſummã Dei charitatem erga nos teſtatur. 6. Rerum neceſſariarum copia. 7.Nouus vigor per ſingulas ætates nobis inſtillatus,vt alijs beneficijs alacres fruamur ac ſi vires aſſiduè refloreſcerent.Quum autem corrumpitur exterior homo noſter,in meliorem vitam renouamur:ideo non eſt cur moleſte feramus vires noſtras collabi : præſertim quum debiles ac languidos Deus Spiritu ſuo ſuſtineat.

6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17:18. A priuata conſideratione altius euehẽdi ſumus,videlicet ad beneficia illa quæ Dei eccleſiæ(cuius membra ſumus)ſiunt cõmunia:eáque ad nos ſpeciatim vt & præcedentia accommodare diſcamus.Ea ſunt autem 1. Variæ & eximiæ liberationes,tyrãnis, falſis doctoribus,hypocritis & impiis oppreſſis. 2. Viarum Dei,id eſt, voluntatis ſuæ in libris Propheticis & Apoſtolicis,& quidẽ per miniſteriũ verbi patefactio. 3. Operũ ſeu mirabilium ſuorũ,in quib. iuſtitia,miſericordia & veritas eius elucent, exhibitio.In eccleſia enim Dei iudicia & miſericordiæ conſpiciũtur: dum ſuperſtitioſi & profani videntes nõ vidẽt,& ſtulti non intelligũt vias & opera Domini. 4. Benignitatis,clementiæ,lõganimitatis,bonitatis diuinæ ſenſus:vnde fides,ſpes,charitas,patientia,cõſtãtia,inuocatio,perſeuerantia naſcũtur,alũtur & fouentur. 5. Eximiũ autẽ Dei erga eccleſiã beneficiũ illud eſt,quòd vbi offenſus fuerit,placabilis tamen apparet,& quidẽ reipſa modiſq́; innumeris: quia natura ſemper ad ignoſcendũ propenſus eſt.quod perpetua experiẽtia & multiplici argumẽto probatur.Primum,non perpetuò rixatur,nec ſemper iratum vultum oſtendit,ſed occurrit propitius, & dum iudicat miſericordiæ meminit.Secundum,minimam peccatorũ noſtrorũ partẽ attingit,leuiter caſtigat,nec repẽdit ſuper nos ſecundũ iniquitates noſtras.Tertiũ,infinita & incõprehenſibilis eſt ſuper nos bonitas eius in cõdonãdis,tollẽdis & procul remouendis peccatis noſtris:vt tribus ſimilitudinibus dulciſſimis conſtat, verſ. 11.12.13, expreſſis.Quartũ,nouit optimè qui ſimus,& miſeriæ noſtræ reſpectus eũ puocat ad nos humaniter toleran dos.Quintum, ſolet ſeruos ſuos omnibus ſeculis iuxta fœderis gratuiti cõditiones paterno quodam affectu amplecti.Hæc autem argumenta reſipiſcentiã,ſidem,dilectionem,humilitatem & obedientiæ ſtudium in omnibus pijs augẽt & alunt. Et diuinæ miſericordiæ prædicatio eſt in Dei electis ſanctæ vitæ pabulum ac fulcrum.

19.20.21.22. Dei beneficia iubent nos mundum tranſcendere,vt ad maieſtatẽ illã omnes cælos infinitis modis ſuperantẽ euehamur, potẽtiámque omnia imperia ſub ſe continentem non metiri humano modò diſcamus : nihilque magis honorificum nobis eſſe putemus quàm in Dei laudes prorumpere:quum angeli ipſi , & omnes creaturæ , præclaris iſtis officiis fungentes , nos ad perpetuam & ſeriam gratitudinem ſonora voce prouocent.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De vera animi gratitudine.
2. Beneficia Dei ſingularia & communia erga quoſq; electos,& Eccleſiam.
3. De Natura Dei.
4. Eccleſiæ felicitas inenarrabilis.
5. De patefactione voluntatis diuinæ in Lege & Euangelio:ſeu de fœdere Dei.
6. Piorum,Deo verè addictorum,officium.
7. Laudum Dei argumenta innumera nobis occurrunt.
8. De Angelis & operibus illuſtribus Dei.

ARGVMENTVM PSALMI CIIII.

SVPERIOR pſalmus ea maximè beneficia celebrat,quæ eccleſiæ propria ſunt. Concionatur enim de remiſsione peccatorum, de redemptione ac reſtitutione generis humani , de lætitia cordis acquieſcentis in Deo, de ſingulari patefactione promiſsionis euangelij, de aſsidua defenſione ac gubernatione eccleſiæ, de mitigatione calamitatum & pœnarum in hac vita , & quæ his coniuncta ſunt. Hæc enim beneficia cum propriè ad eccleſiam pertineant, nec ab alijs quàm à pijs agnoſcantur , ab his potiſsimùm requirit autor veram animi gratitudinem & aſsiduam Dei celebrationem. Hic verò pſalmus ea beneficia colligit, quæ in omnium hominum oculos incurrunt , & quibus non tantùm pij in eccleſia , ſed profani quoque & impij fruuntur.Ordine enim præcipuas mundi partes,atque harum præcipuum vſum recenſet,vt & opificis ſapientiam & potentiam in tanto opere celebret , & prouidentiam eius ac bonitatem planè paternam erga genus humanum commendet. Et quanquam hæc beneficia , quæ ex creatione & aſsidua conſeruatione rerum creatarum in nos redundant , ita magna & varia ſunt , vt nunquam ſatis agnoſci aut celebrari à nobis queant : tamen,quia maxima hominum multitudo ſecura & excæcata voluptatibus nunquam ita aſpicit hæc opera pulcherrima , vt ad agnitionem & celebrationem opificis aliquomodo excitetur,propheta hanc profanitatem,& contemptum operum Dei triſti, non tantùm obiurgatione , ſed imprecatione pœnarum in fine pſalmi deteſtatur & damnat : & ſe tanto diligentiùs ad celebranda Dei opera exuſcitat. Eſt igitur pſalmus eucharisticus,in quo primùm ſapientiam & po-

& potentiã Dei, quæ ex opificio mũdi & naturæ ordine elucet, deinde bonitatẽ & prouidentiã eius in aſſidua rerũ creatarũ conſeruatione, & certis ac deſtinatis ſingularũ partiũ vſibus celebrat & cõmendat. Idq; autor Græcæ verſionis indicare voluit, qui, quanquã apud Hebr. pſalmus ſit ἀνεπίγραφος, *certo tamẽ cõſilio hunc titulũ ei præfixit,* ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ ὑπὲρ τῆς κόσμου συστάσεως. *Voluit.n. lectorẽ cõmonefieri de argumẽto pſalmi. Idque in alijs nõnullis pſalmis à Græco interprete nõ malo cõſilio factũ videmus. Nec prætereundũ hoc loco eſt, quod Iuſtinus martyr in lib. de expoſitione fidei, huius pſal. mentionem faciẽs ex catalogo rerũ creatarũ, qui in hoc pſal. inſtituitur, piè obſeruat & colligit, filiũ Dei & Spiritũ S. rectè excludi à creaturis, quòd nulla in pſalmo fiat horũ mentio: qua de re locus ipſe inſpiciatur, & diligẽter conſideretur. Eſt.n. cõmonefactio vtilis, cui ſuus eſſe locus aliquãdo poteſt.*

1 BEnedic anima mea Iehouæ: Iehoua, Deus mi, magnificatus [*glorioſus*] es valde: gloriam & decorem induiſti.

Eadem eſt propoſitio, quæ præcedẽtis pſalmi. Excitat enim ſe ipſum ad laudes Dei canendas, & tacitè profanitatem maximæ multitudinis hominum damnat, quæ opera Dei plena ſapientiæ, potentiæ & bonitatis, nec conſiderat vt debebat, nec in vſu rerum ad vitam hominum conditarum grati animi ſignificationem edit. Cumque animæ mẽtionem facit, vult gratiarum actionem eſſe ſeriam, non ſimulatam, qualis eſt hypocritarum. Nam etiam hypocritæ interdum voces quaſdam in ore habent, quibus beneficia Dei celebrant: ſed quia in labiis potiùs quàm in pectore hæ naſcuntur, non ſolùm non his afficitur Deus honore, ſed cum contumelia ridetur.

Iehoua Deus mi, &c.] Addit rationẽ generalem, quã poſtea in ſequentibus verſibus per diſtributionẽ explicat & exponit. Vtitur autem apoſtrophe, ad Deũ ipſum hanc orationem cõuertens, vt ſit oratio magis emphatica, dum oſtendit omnes ſenſus & cogitationes ſuas in huius rei meditatione eſſe occupatas. Plus enim eſt quàm ſi diceret: Quia Deus eſt magnus.

Magnificatus es.] Quidam interpretes malunt legere verbum Hebræum in ſecunda coniugatione, גדלה magnificè egiſti. Ordine enim prius eſt, vt quis magnifice agat, poſterius eſt, vt magnificetur. Gloria enim ſequitur res præclarè geſtas. Sed loquitur nunc Propheta de Deo, qualis appareat ex operibus creatis, ſapiens ſcilicet, potens & bonus. Quanquã enim in ſe talis eſt perpetuò: tamen nobis non niſi ex operibus talis conſpicitur. Ideo verbo neutro ſeu abſoluto vtitur, & ſignificat Deum magnificari, quando per opera magnus & admirandus innoteſcit.

Gloriam & decorem induiſti] Id eſt, creaturas tanquam ſplẽdidum & pretioſum ornatum ac veſtitum tibi circumdediſti, vt quicunque eas aſpicit, mox tuam magnificentiam, potentiam & gloriam agnoſcat. Sicut enim homo ex veſtitu agnoſcitur, cuius ſit ordinis & dignitatis: ita affirmat, Deum ex operibus creationis tanquam veſtitu agnoſci ac intelligi, qualis ſit eius ſapientia, potentia & gloria. Hæc eſt ſimpliciſſima huius verſus ſententia. Sæpe autem hæc vocabula הוד והדר in Scriptura coniunguntur, quãdo de maieſtate, potentia & gloria ſermo inſtituitur, vt ſuprà pſal. 21. 45. 96. & infrà pſal. 111. & 145. 1. Paralip. 16. Iob 40. Et pſalmo 96. aliquid hac de re dictũ eſt. Videntur autem vocabula cùm coniunguntur ita poſſe diſcerni, vt הוד ſignificet ſplendorem, ἀξίωμα ſeu dignitatem, quæ ſe oſtendit foris in veſtitu, geſtu aut inceſſu, vel etiam in vſu bonorum, in actionibus & operibus. Nam alioqui quando ſola hæc vox vſurpatur, ſignificat in genere potentiam, facultates, vires, robur, hoc eſt, quicquid in vnoquoque præſtat & excellit, & quo quiſque inſtructus eſt ad excellenter aliquid perficiendum, vt eſt in diuite opulentia, in ampliſſimo rege potentia, in corpore vires, vt Prouerb. 5. Ne des alienis facultates tuas. Ieſa. 30. Et audire faciet Dominus potentiam vocis ſuæ, & brachium ſuum oſtendet in ira furoris ſui. Daniel. 10. Verſum eſt robur meum ſuper me. Sed quando coniunguntur illa duo vocabula, non ſignificat hæc vox internum aliquod robur, aut opes ſeu vires latentes: ſed relatiuè accipitur de illa potentia, & viribus, quæ ſe foris in conſuetudine, in conuerſatione, in ſermone, in geſtu, in veſtitu, in actionibus produnt, vt non malè vocabulo decoris ſeu dignitatis, quæ potentia & viribus fulta eſt, reddi in his locis queat. הדר verò ſignificat reuerentiam, venerationem & gloriam, quæ illam dignitatem comitatur, aut quam talis magnificentia, gloria aut ſplendor in aliis excitat. Nam הדר ſignificationem habet ornandi, venerandi, reuerentiam exhibendi, vt Leuit. 19. Non honorabis faciem magni. Exodi 23. Pauperem non honorabis in cauſa ſua. Et congruit ſignificatione cum vicino אדר, quod eſt illuſtrare, aut illuſtrem prædicare: vt ſignificatio vocis הוד ſit paſſiua, & intelligatur de ſplendore ſeu dignitate, qua ſe propter res præclarè geſtas, propter virtutes ſeu opes aliquis conſpicuum reddit. Poſterius verò vocabulum ſit actiuæ ſignificationis de honore ſeu gloria, quæ ſit in honorante, atque ita ſit mutuus inter hæc duo vocabula reſpectus.

Eſt autem proſopographia in hoc & ſequentibus verſibus. Pingit autem hac imagine prępotentem aliquem regem cum magna pompa & ſplendore incedentem, & vrbem aliquam ſuæ ditionis ingredientem, cui ſicut homines propter potentiam & virtutes tribuunt laudem, & ſe ei ſubiiciunt: ita iubet, Deum, qui ſe multò ſplendidiore apparatu, pompa atque ornatu in rebus creatis cõſpiciendum præbeat, & vberiorem celebrandi ſui materiã in hoc pulcherrimo mundi opificio nobis offerat, ab omnibus hominibus cum reuerentia excipi, adorari & celebrari. Idque cùm plerique facere negligant, ſe ipſum inprimis ad hoc pietatis ſtudium hortatur & excitat.

2 Amictus luce ſicut veſtimento: extendens cælos quaſi velum.

Rationem generalem, qua vſus erat, facta diſtributione exponit copioſiùs: atque ita ad commemorationem rerum creatarum, in quibus gloria & maieſtas Dei conſpicitur, deſcendit. Sicut autem antea dixi eſſe quandam proſopographiam in his verbis, gloriam & decorem induiſti: ita eandem nunc proſequitur. Ideóque de luce tanquam de veſtimento, & de cælo, tanquam de tentorio regio loquitur. *Lucem* primo loco commemorat, non tam eò reſpiciens, quod 1. Tim. 6. dicitur, Deum habitare lucem inacceſſam (Nam hoc ad eſſentiam eius refertur, quæ humanis oculis cerni, aut comprehendi acie mentis humanæ non poteſt, ideóque lux illa inacceſſibilis dicitur) quàm ad lucem primo die conditam & creatam, qua, quanquam ipſe eſt inuiſibilis, ſuam tamen gloriam conſpicuam reddidit. *Lux* itaque illa creata eſt quaſi veſtimentum, quo ſuam dignitatem, maieſtatem, & gloriam Deus nobis oſtendit: vt cùm penetrare ad ipſius eſſentiam pernoſcendam non poſſimus, ex hoc tamen operè quaſi veſtitũ ipſi circumfuſo, gloria eius & maieſtas quodammodo à nobis æſtimari queat. Inter res omnes creatas luce nihil eſt admirabilius: & quanquam huius quoque natura eſt imperſcrutabilis, tamen ab effectu tanquam à poſteriore & à contrario præſtantiam eius quodammodo cognoſcimus. *Tenebræ* adimunt omnem rerum cognitionem & diiudicationem, vnde ſimul & animi appetitio eripitur. Quia ſicut rei ignotæ nullus eſt amor, nulláque cupido: ita rei noxię timor eſt ſeu fuga. Deinde tenebræ afferũt terrores, formidines, mœſtitiã, &c. Nam vt Alceus inquit, τῷ δ᾽ ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος. Sumus aũt cõditi ad res creatas agnoſcẽdas, & ſumus natura φιλομαθεῖς. Huic rei ſeruit primùm lux mentis humanæ. Deinde illa altera creata, quæ foris corpora opaca circunfundit & illuſtrat, vt cerni & diiudicari poſſint. Lux igitur notitiam affert & diiudicationem, quam ſequitur appetitio & proſequutio rerum bonarum & fuga malarum. Atque hæc ad incolumitatem generis humani tuendam faciunt. Ideo lucem tantopere expetimus: econtra tenebras tanquam ignorantiæ, terroris & periculi plenas exhorreſcimus & auerſamur. Et alioqui lux videtur habere conuenientiam cum ſpiritibus animalibus, ideóque naturaliter nos recreat, quia omne cognatum gaudet ſimili.

Ab effectu igitur & tenebris cõtrariis cernimus quanta ſit lucis præſtantia. Quanta enim miſeria eſſet, ſi in perpetua ignoratione omnium rerum verſaremur, ſique noſſe & videre noxia non poſſemus. Deinde à corporibus cognatis etiam id colligere licet. Quo enim quæque natura præſtantior eſt, eo plus habet lucis, vt angeli, animæ rationales, Spiritus vitales, cælum, ſtellæ, ignis, gemmæ, &c. Deus igitur primo die condidit lucem tanquam rem præſtantiſſimam inter omnes creaturas, atque hanc, vt pſalmus inquit, tanquam veſtimentum ſibi circumdedit, vt ipſo effectu oſtenderet, ſe eſſe eſſentiam lucidam & expertem tenebrarum. Sicut Iohan. inquit, ep. 1. c. 1. Deus eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Sicut autem ipſam lucẽ eſſentiæ Dei nec cõprehendere animo poſſumus, nec curioſè inueſtigare debemus: ita ex hac creata luce, quæ ei tanquam veſtitus circunfunditur, eius præſtantiam quodãmodo cogitare & admirari poſſumus. Exiſtimant autem doctiores, etiam angelos eo tempore creatos eſſe, quando lucẽ condidit, de quo in præſentia non diſputamus.

Extendens cœlos quaſi velum] Secũdo loco cæli meminit. Nã cælum opus eſt ſecundi diei, vt dicitur Geneſ. 1. Cælum igitur, inquit, ab hoc quoque rege & dominatore orbis terrarum extenſum eſſe, tanquam tentorium quod tantum regem ornet & decoret. Eſt enim illa machina ita fabricata, vt & propter figuram nihil ſit ea perfectius, & propter magnitudinem, motum celerrimum & ornatum pulcherrimum, qui ei additus eſt, nihil ſit eo aſpectabilius.

Nomen יריעה apud Moſen Exod.26.eſt nomen materiæ,& ſignificat pellem,cuius vſus erat in tabernaculo aut tentoriis tegendis.Ideo Græcus reddidit ὡσεὶ δέῤῥιν. Connectebantur enim pelles atque his tegebatur tabernaculum,& vela inde fiebant,quæ appendebantur ianuis aulæ.Atque inde μεταληπτικῶς nomen יריעה transfertur à materia ad formam.Significat enim vel velum tale vel tentorium huiuſmodi pellibus contectum.Hinc pſaltes cælum comparat tentorio,neque ad materiam,qua tegitur hæc mundi machina, neque ad figuram, ſed ad vſum reſpiciens. Adhuc enim in illa proſopographia verſatur. Sicut igitur tentorium magnificè ornatum maieſtatem regis quodammodo ornat & commendat:ita cælum hoc immenſum, & orbiculariter extenſum ac magnificentiſſimè exornatum,eſt Deo inſtar tentorij,in quo ſuam maieſtatem & gloriam repræſentat.Idque eo magis,quanto hoc tentoriũ forma,ſplendore & maieſtate omnibus ornamentis eſt præſtantius.Quid enim eſt regis alicuius tentorium etiam ſplendidiſſimè exornatum,ſi ad cælum conferatur? Et ad ſententiam hanc reſpexit ſine dubio Ieſa.40.cap. qui vocem יריעה interpretaturus pro ea reſtituit אהל quod tabernaculum ſeu tentorium ſignificat. Nonnulli temerè arrepta Græca verſione imaginati ſunt cælum eſſe hemiſphærium ſeu dimidiũ globum:quod figmentum nullo negotio à doctioribus refutatur.

3 Contignans in aquis cœnacula ſua, ponens nubes vehiculum ſuum: ambulans ſuper alas venti.

Præcedente verſu veſtitum & tentorium eius deſcripſit,nũc cœnacula,currus,equos & miniſtros ei attribuit,in quibus maieſtas eius & gloria conſpicitur.Tota enim oratio huc tendit vt oſtendat Dei gloriam,potentiam & maieſtatem, quæ per ſe inueſtigationem mentis humanæ excedit,ex eius operibus & creaturis tanquam à veſtitu deprehendi, atque ita à nobis eum agnoſci oportere.Nam ad eſſentiam eius cùm penetrare acies mentis humanæ non poſſit, neceſſe eſt nos oculos ad externa eius opera conuertere.

Eſt autem oratio planè mirabilis & aliena à ſenſu hominũ, quod dicit Deum *cœnacula ſua* cõtignare in aquis. Sicut enim trabes quibus moles ædificij incumbit,neceſſe eſt eſſe ſolidas & robuſtas:ita has ipſas inniti fundamento & baſi firmæ oportere nemo eſt qui non intelligat.Nam trabibus ſuo loco motis neceſſe eſt ruere totam ædificij molem. Sed Deus ſicut tẽtorium ſuum non ſuſpendit ab huiuſmodi fulcris,nec paxillis in terram defixis firmat,vt homines ſua ſolent:ita cœleſte ſuũ palatium non ſtruit ſuper lapides & muros denſos:ſed trabes ponit in aquis in materia fluidiſſima, cui hoc pulcherrimum mundi ædificium ſuperſtruit. Qua oratione excitare nos vult ne de Deo cogitemus,vt de homine aliquo,cui talibus fulcris & ædificiis ſit opus.

Ponit nubes vehiculum ſuum] Non mouetur de loco in locũ Deus, qui omnia replet eſſentia, præſentia & potentia: ſed quia hypotypoſin inſtituit,qua maieſtatem huius regis quodammodo adumbrare conatur, nubes loco curruum Deo attribuit ἀνθρωποπαθῶς,ſignificans Deum in omnes mundi partes ſeſe inſinuare,& tanquã ventũ celerrimè omnia permeare & penetrare.In primis autem nubibus tanquam curru ad nos aduehi dicitur,quandò vel pluuiis terram irrigat,atque ita amorem & præſentiam ſuam denuntiat. Vt Pſal.18.dicit Deũ cùm profligaturus eſſet hoſtes populi Dei vectum fuiſſe ſuper Cherub & volaſſe,& agitatum fuiſſe ſuper alis venti. Poſuiſſe item tenebras latibulum ſuum circa ſe,& tabernaculo ſuo tenebras aquarum,nempe nubes ætheris.

Ambulans ſuper alis venti] Hæc ſententia ex priore dependet.Nubes enim agitantur à ventis,& quidem motu velociſſimo:ideo dicit Deum ſuper alas venti ambulare, idque quid ſit ex Pſal.18. intelligi poteſt. *Alæ* enim vẽtis attribuũtur propter perniciſſimum motum. Et quia venti & nubes non niſi arbitrio Dei excitantur ac circumaguntur; ideo dicit ventos eſſe tanquam alas additas huic currui,quo Deus vehitur,& in omnes partes tranſmittens ſeſe præſentem oſtendit.

4 Faciens angelos ſuos Spiritus: miniſtros ſuos ignem flammantem.

Hunc verſum Iudæi volunt eſſe ἐξήγησιν prioris, vt ſententia ſit,Deum ventis & igne vti tanquam miniſtris ſuis & nuntiis, quia ventorum & ignis miniſterio ſuam voluntatem & pœnas ſæpe exequitur. Ventorum enim miniſterio Deus viam ſtrauit Hebræis in mari rubro: ventis nubes adducit & aquas pluuias, quibus terram humectet & fœcundam reddat: iiſdem ſæpe aerem inficit,ſegetes exurit,& fruges terræ corrumpit: nonnunquam arbores & ædificia proſternit,vt venti tam iræ quàm bonitatis Dei ſint nuntij & miniſtri. Ignis fulminum ſimiliter,ſicut noxios humores in aere conſumens ipſum reddit puriorem & ſalubriorem: ita ſæpe etiam pœnas ſuas Deus igne cœlitus demiſſo exequitur, vt in conflagratione Sodomæ & in ſimilibus exemplis. Hoc igitur volunt ſignificari his verbis: fecit nuntios ſuos ſpiritus ſeu ventos. Atque huc referunt illud Pſalm.148. Ignis,grando,nix,vapor, ſpiritus,procellæ facientes mandatum eius. Hæc ſententia concinna eſt, & cum præcedente verſu rectè cohæret. Atque ita ſi verſum intelligas, nomina משרתיו & מלאכיו non pro ſubiectis, ſed prædicatis accipienda ſunt, & vocabulum רוח ſimpliciter de ventis intelligendum eſt. Sed autor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 1. de Angelis hunc verſum interpretatur, de quibus etiam præcedens Pſalmus concionatur. Hos ait in numerum creaturarum referri, cùm filius Dei ſit ab æterno, atque ita longè eum ab Angelis diſtare & diſcernendum eſſe: vnde ſine dubio Iuſtinus illud ſumpſit, cuius in argumento memini. Hanc ſententiam plerique ex patribus ſequuntur, & Dionyſius in ſua cæleſti hierarchia prolixè hunc verſum exponit.

Et ſecundùm hanc interpretationem ea quæ in priori interpretatione prædicati locum obtinebant, hic pro ſubiectis accipienda ſunt. Deus creauit angelos ſuos,vt eſſent Spiritus, id eſt, ſpirituales eſſentiæ, puræ ab omni admiſtione corporum, non moles ex cæli aut elementorum natura conflatæ, ideóque incorruptibiles,& quidem plenæ lucis,id eſt,ſapientiæ diuinæ: deinde flammæ ignis, id eſt, igneæ naturæ (quod in raptu Eliæ, & aliis exemplis oſtenditur)& ardentes amore Dei & Eccleſiæ eius. Eſt enim in angelis ſummus amor, ardentiſſimum ſtudium & voluptas promptiſſima obediendi Deo & ſeruiendi eccleſiæ eius. Ita ſecundùm hos, & quid ſint angeli, & ad quem finem conditi ſint, quæque ſint horum officia, in hoc verſu exponitur: quæ doctrina ſcitu digniſſima eſt, atque inde definitio vſitata extructa eſt à Domino Philippo. Græca ſcholia appellationes, quæ angelis tribuuntur, ita interpretantur: τὸ δυνατὸν καὶ ταχὺ διὰ ἑκατέρων διδάσκει. ὀξεῖα μὲν γὰρ ἡ τοῦ πνεύματος ἡ φύσις, ἰσχυρὰ δὲ ἡ τοῦ πυρὸς ἡ ἐνέργεια. ἀγγέλων δὲ χρώμενος ὑπουργῶν ὁ θεὸς καὶ εὐεργετεῖ τοὺς ἀξίους καὶ κολάζει τοὺς ἐναντίους, διὰ τοῦτο καὶ πυρὸς ἐμνημόνευσε, τὴν κολαστικὴν σημᾶναι ἐνέργειαν.

Cum ſcholiaſte Græco congruit & illud Eliæ Cretenſis epiſcopi, qui pſalmi dictum citans,ita ſcribit. Quanquam enim Dauid dicat, Qui angelos ſuos Spiritus facit,& miniſtros ſuos ignis flammam: intelligi tamen debet hoc ab eo prolatum volente cùm leuitatem, tum igneam ipſorum & ab omni ſecretam cogitatione craſſa in obeundis promptiſſimo ſtudio diuinis miniſteriis celeritatem depingere.

Hæc diuerſitas ſententiarum facilè conciliari poteſt, ſi ea conſiderentur, quæ Pſalm.18. dicta ſunt, vbi cùm diceret propheta Deum agitari ſuper alis venti, ſimul dicit eum vehi ſuper Cherub & volare. Vbi miniſteria angelorum & ventorum coniungit propheta: vt ſignificet & ventos & angelos creatos eſſe, vt iuſſa Dei exequantur, & quidem in ventis tãquam in viſibili aliquo ſpeculo miniſteria angelorum quodammodo adumbrari. Itaque ſi hic verſus ita intelligatur, vtraque expoſitio recipi poteſt.

Ignem flammantem] Alludit ad nomen שרף quo vocantur angeli ab Eſa.cap.6.quaſi ignitos dicas.

5 Fundauit terram ſuper baſes ſuas: non mouebitur in ſeculum & vſque.

Sicut in cæli fabrica Deus ſuam potentiam & maieſtatem oſtendit, cùm tantam machinam, quæ etſi finita eſt, infinito tamen, vt Plinius inquit, ſimillima eſt, in orbem ſeu globum ita extendit & exornauit, addito velociſſimo & penè incomprehenſibili motu: ita & in terræ fundatione ſuam gloriam conſpiciendam præbet. Quòd enim tantam molem, cuius magnitudo ex circumferentia ſeu ambitu facilè æſtimari poteſt, in medio aere,ita ſtabili firmitate ſuſpendit, vt conſiſtat immota, id profectò eſt ſummæ eius potentiæ argumentum: & miraculum auget, quòd tantæ moli non aliam baſin, quàm aquam ſeu maria, elementum liquidiſſimum, ſubiecit. Nam baſes quarum hic mentionem facit, ſuprà pſal. 24. dicit eſſe maria & flumina.

Ne moueantur in ſeculum] Hoc membrum quanquam additur ἐξηγητικῶς præcedenti, tamen ſimul dulcem conſolationẽ continet dignam obſeruatione. Vult enim nos tranquillis animis habitare in terra, ne ſi terræ motibus aut hiatu terræ partem abſorptam audiamus, mox trepidi de ſalute deſperemus. Ideo dicit eam eſſe fundatam & firmatam diuinitus, ne vnquam moueatur. Deinde teſtimonium hic traditur illuſtre contra Ariſtarchum Samium & alios noſtri ſeculi homines, qui contendunt terram aſſiduè moueri, &c. De qua re nihil hic addo, cùm de his rebus diſputare noſtri non ſit propoſiti.

6 Abyſſo ſicut veſtimento operueras eam: ſuper

ſuper montes ſtabant aquæ.

Antequam aquas Deus colligeret & in vnum locum congregaret, terra in imo loco tanquam in centro mundi iacebat recta aquis. Eſt enim *aqua* leuius elemẽtum, quod etiam philoſophorum ſententia extare ſupra terram, eámque circumfundere debebat. Ideo dicit in prima creatione terram fuiſſe opertam & tectam abyſſo, hoc eſt, profunditate & multitudine aquarum, tanquam pallio ſeu veſtimento, & aquas ſtetiſſe ſuper montes, hoc eſt, totam terræ molem obrutam fuiſſe aquis. Sed poſtea ſingulari Dei potentia & virtute factum eſſe, vt omnis aquæ vis in vnum locum cogeretur, & terræ aliqua pars in vſum hominum & cæterarum creaturarum emineret. De hoc igitur opere, in quo inſignis Dei ſapientia & potentia elucet, concionantur tres verſus ſequentes: & Moſes Gen. 1. id factum eſſe tertio die docet.

Nonnulli interpretes non de præterito illo miraculo, ſed de præſenti terræ forma hunc verſum interpretantur. Ita enim *terra* eſt diſtincta ab aquis, vt tanquam abyſſus forma careat: ſit tamen terræ ornatus. Nam ſimilitudinem veſtitus ornatus cauſſa apponi exiſtimant. Atque hanc interpretationẽ vt defendant, coguntur ſequens membrum in modum potẽtialem reſoluere. Super montes ſtarent nunc aquæ, niſi ſcilicet ab increpatione tua fugerent. Ego exiſtimo ſimilitudine veſtitus hoc loco non ſignificari ornatum aliquem, ſed ſimpliciter operimentum. Hic enim principalis vſus veſtimentorũ, vt corpus tegant. Itaque ad præteritum tempus cum aliis refero, & verba futuri temporis ינוסון יעמדו &c. cùm præcedat præteritum כסיתו & ſequatur alia eiuſdem temporis, rectè reſolui exiſtimo in præteritum imperfectum. Id enim vſitatiſſimum eſt in pſalmis.

7 Ab increpatione tua fugiebant: à voce tonitrui tui celeriter tranſibant.

Non temere factum eſſe inquit, vt aquis ſubſidentibus terræ ſuperficies aperta extaret: ſed mandato diuino. Niſi enim decreto diuino impetus aquarum fuiſſet repreſſus, terra perpetuò manſiſſet obruta & oppreſſa aquarum mole. Dicit autem non ſimpliciter mandato Dei factum eſſe, vt aquæ ſuo loco cederent, ſed increpatione Dei, & tonitru horrendo: qua figura ſine dubio reſpicere voluit ad furentes impetus & motus aquarum vehementiores, qui coerceri aut reprimi non poſſint, niſi Dei increpatione & voce horrifica, qualis eſt tonitrui. Sicut & in Euangelio Chriſtus increpat ventos ac mare. Ita igitur aquæ increpatæ & perterrefactæ ſe in fugam dederunt.

חפז ſignificat anxiè, trepidè & præcipitanter fugere, vt faciunt quibus præſens imminet mortis periculum. 2. Sam. 4. per metaphoram igitur hoc loco ab homine transfertur ad aquas.

8 Aſcendebant montes & deſcendebant valles: ad locum quem fundaueras ipſis.

Aquis deſcendentibus & in Oceanum collectis apparuerunt montes & valles, atque ita condita & diſtincta eſt terra montibus & conuallibus, non tantùm, vt varietas & diuerſitas nos delectaret, & oculos hominum paſceret: ſed etiam quia varietati rerum terra naſcentium hoc conueniebat. Alia enim feliciùs proueniunt in montibus, & locis editioribus, alia in vallibus. Quod autem dicit montes aſcendiſſe, & valles deſcendiſſe: figura poetica eſt, ab hominum ſenſu ſumpta. Nam cùm terra obruta eſſet aquis, nullum apparebat diſcrimẽ, ſed aquis fugatis, montes videbantur aſcendere à planitie, & cõtra valles deprimi & deſcendere.

9 Terminum poſuiſti [*quem*] non tranſibunt: non reuertentur ad operiendam terram.

Hoc quoque ſingularis non tantùm potentiæ, ſed prouidẽtiæ Dei eſt argumentum, quod aquas certis & præſcriptis limitibus incluſas coercet, ne intumeſcẽtes pro ſua natura terram iterum obruant & tegant. Nam alioqui ratio ipſa fateri cogitur, cùm aqua globoſa ſit, & medium locum inter terram & aerem occupet, fieri non potuiſſe quin aliquando ad ſuum locum reuerteretur, niſi, quemadmodum Iob. 38. dicitur, Deus mare circumdediſſet terminis ſuis, & poſuiſſet vectes & oſtia, & dixiſſet, Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Ita igitur, quod de collectione aquarum dixerat, amplificat Propheta à perpetuo ordine, quem Deus in illa prima diſtinctione verbo ſuo ſanxit.

10 Emittens fontes in torrentes [*qui*] inter montes decurrunt.

Poſtquam aquas ſegregauit Deus, & ſedem ſeu hoſpitium homini in terra parauit, non voluit tamen omnis aquæ terram eſſe expertem, ne ſiti deficerent animantia. Ideo ex variis & fontibus & ſcaturiginibus *torrentes* & fluuios eduxit, qui per conualles decurrentes & terram ipſam irrigant, & vt hominibus varium vſum præbent, ita omnibus animantibus potum ſufficiunt. Eſtque res plena miraculi, illa fontium & fluuiorum, ſempiterno lapſu fluentium perennitas, quam admirari homines ſapientes poſſunt, rationem eius ſufficientem in natura inuenire & oſtendere nequeunt. Nota enim ſunt quæ à philoſophis hac de re diſputatur, quibus niſi addas, quòd hic dicit, diuina ſcilicet potentia & mandato emitti fontes, & ſcaturigines ex terra, non habebit mens vbi acquieſcat. Quicquid enim Phyſici dicant de cauſis eius perennitatis, ſubinde nobis multa occurrunt, quæ cauſas illas non tantùm dubias reddunt, ſed planè euertunt. Teneamus ergo quod hoc loco inter ſumma miracula Dei celebrat Propheta: & agnoſcamus Dei hac in re potentiam & bonitatem, qui hoc etiam modo cõſulere ſuis creaturis voluit, quãdo venas terræ aperiens in variis locis torrentes ac fluuios inde eduxit, quorum quantus & quàm varius ſit vſus, non eſt noſtri inſtituti nunc explicare copioſiùs. Pindarus certè ob multiplicem & varium huius elementi vſum non malè dixiſſe videtur ὕδωρ ἄριστον.

Vox נחל torrentem ſignificat, & interdum pro eius alueo accipitur. Ideo nonnulli interpretes conualles interpretantur, per quas torrens labitur. Et quia vſitatæ ſunt in hac lingua illæ ſynecdochæ, non refert vtrum torrentes ſeu valles per quas illi decurrunt interpreteris. Eodem enim redibit ſententia.

11 Bibent omnes beſtiæ agri [*vel potum dabunt omnibus beſtiis agri:*] frangent onagri ſitim ſuam.

Addit amplificatiunculam ab vſu torrentium & fluminum, quò meliùs prouidentia Dei in his operibus conſpiciatur. Torrentes, inquit, potum præbent beſtiis agreſtibus: alioqui enim ſiti peritura erant omnia animantia.

Frangunt] Id eſt, extinguũt, ſedant. Græcus legit, προσδέξονται ὄναγροι εἰς δίψαν αὐτῶν. Legit enim quiſquis autor eſt eius verſionis, ſin ſiniſtrum pro ſin dextro *iisbberu*, pro *iiſchbberu*. פרא videtur eſſe nomen generis, ad omnes feras accommodatum: nec multùm abludit vocabulum Latinum fera à voce Hebræa: ſed à pleriſque interpretibus pro ſpecie accipitur, hoc eſt, pro animali, quod onagrum appellamus.

12 Iuxta eos volucris cæli habitat: è medio ramorum dant vocem.

Fluuij & torrentes præterquam quòd vſum maximum præbent hominibus & cæteris animantibus, etiam voluptates afferunt mirificas. Nam vt taceam, quod homo veſpertino tempore iuxta riuos & fontes deambulans non tantùm ſuſurro aquarum & aura frigidiuſcula, ſed ipſo quoque aſpectu delectatur, & ex laboribus diurnis quodammodo recreatur, (Vnde inter præcepta ſanitatis hic verſus recenſetur, *Mane petes montes vegetus, ſed veſpere fontes:*) etiã ex auiũ cantibus qui iuxta riuos ſunt crebriores, magnam voluptatem capit. Aues enim iuxta riuos & fluuios ſedent frequentiores, potãdi videlicet gratia. Vnde exhilaratæ è mediis arborum frondibus creatorem ſuum laudant, & varietate cantus noſtras aures mirabiliter demulcent & afficiunt. Argumentum de auibus, quod Chriſtus tractat Matth. 6. hic volens omitto.

13 Irrigans montes è cœnaculis ſuis: è fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

Inter cætera opera creationis, quæ non tantùm ſapientiam & potentiam, ſed prouidentiam & bonitatem diuinam oſtẽdunt, illud vel præcipuum eſt, quod quotannis aquis pluuiis irrigat Deus terram & fœcundam reddit, vt omnis generis res in vſum hominis & cæterorum animantium proferat. Terra enim cùm per ſe ſit elementum ſiccum & frigidum, nihil ex ſe gigneret aut produceret, niſi calore cæleſti tepefacta, & aquis nubium diuinitus irrigata, ad edendos varios fructus idonea redderetur. De hoc igitur beneficio, in quo ſingularis Dei prouidentia & φιλανθρωπία ſimul elucet, nunc concionatur. Primùm dicit eum irrigare *mõtes è cœnaculis ſuis.* Montes enim natura ſua & loci poſitu ſunt ſicciores quàm valles, quę torrentibus & fluuiis humectantur. Itaque, niſi cęleſtibus pluuiis & rore irrigentur, manent ſteriles. Deus igitur prouidens victui animantium, montes irrigat, vt gramina effundant & abundent paſcuis. Cœnacula Dei nominat vt ſuprà verſ. 3. cœlum ſeu nubes, ex quibus res & pluuia deſcendunt.

E fructu operum tuorum] In pronomine enallage eſt perſonę vſitata Hebræis. Fructum autem operum Dei vocat imbrem opera diuinâ in nubibus factum. Quæ deſcriptio obſeruanda eſt. Etſi enim propriè Deus laborare non dicitur: tamen oſtendit hæc ſententia non phyſicis tantùm cauſis

gigni aut produci pluuias: ſed has opus eſſe prouidentiæ Dei, quo plus in fœcundanda terra proficiat, quam omnes homines ſua cultura & labore. Phyſici ſatis habent cauſas meteororum in natura quæſiuiſſe & vtcumque monſtraſſe: ſed pij altiùs conſcendunt, & ad Deum omnia referunt, qui ſuo arbitrio illas cauſas phyſicas moderatur & regit.

14 Germinare facit gramen iumento, & herbam in miniſterium hominis. ad educendum panem è terra.

Amplificat priorem ſententiam de fertilitate, à diſtributione rerum præcipuarum, quas terra in vſum hominum & reliquorum animantium producit. *Primùm*, inquit, Deum ita irrigando & fœcundando terram producere ex ea gramé pro animalibus tam feris quàm domeſticis. vtrumque enim animalium genus hoc loco vocabulo בהמה comprehendit. *Deinde* alias varias herbas in vſum hominis. Nam עשב collectiuū hoc loco eſt, complectens omnis generis herbas, quarum aliquas ad nutricationem hominis, aliquas ad medicationem condidit, ſed quia illarum maximus & quotidianus eſt vſus, quæ ad nutritionem proſunt, ideo mox ſubiicit, ad educendum panem è terra. Et nomine *panis* intelligit hoc loco omnis generis eſcam ſeu cibum, qui ex rebus terra naſcentibus conficitur, & quo corpus hominis alitur. Illud autem quod dicit *in miniſterium hominis*, non eodem modo exponunt interpretes. Aliqui enim interpretati ſunt actiuè, ad culturam hominis, ſeu culturam adhibente homine, vt ad laborem agriculturæ reſpicere videatur: iuxta illud Gene 3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Etſi enim ſponte & ſine cultura multæ herbæ è terra naſcuntur, ſegetes tamen & herbæ ſatiuæ operam hominum & ſudorem requirunt. Itaque ſi hoc modo interpreteris, ſententia huius membri erit hæc: Deum benedicere quidem & fœcundare terram, & varias res inde educere ad vſum & cultum corporum noſtrorum: ita tamē ſi labor & induſtria hominum accedat. Sed exiſtimo ל vt aliàs cauſam finalem potiùs, quàm inſtrumentalem notare, & exponēdum eſſe, ad miniſterium, hoc eſt, vt miniſtret & vſum præbeat homini.

15 Et vinum [*quod*] exhilarat cor hominis: ad illuſtrandam faciem præ oleo: & panem [*qui*] cor hominis ſuſtentet [*fulciat.*]

Tertium quod ex terra in vſum hominum Deus producit, eſt vinum, idque tanta copia, vt non tantùm ad neceſſitatem & ordinarios vitæ vſus ſufficiat, ſed etiam vt largiùs ſumptum corda exhilaret. Non enim alit nos tantum ex demenſo, vt olim diligentes patresfamilias ſuos domeſticos: ſed pro ſua indulgentia paterna liberaliùs nos tractat: ideóque non aqua tantum, quæ ſufficere poſſet ad ſedandam ſitim, & ad refrigerandas & humectandas partes in corpore hominis calore aſſiduo exhauſtas & arefactas, vti nos voluit, ſed vini vſum poſt diluuium addidit. Primùm vt ſeneſcentis & deficientis naturę humanæ vires conſeruaret. Deinde vt animum à laboribus & moleſtiis quibus hæc vita plena eſt auocatum interdum recrearet & exhilararet. Vnde colligitur, Deum non delectari triſtitia, miſeria & ſqualore hominum, quos ad nominis ſui gloriam condidit: & in agnoſcendo ac celebrando ſuo conditore vult nos eſſe animo placido, læto, tranquillo & compoſito. Non enim canit Spiritus ſanctus, vt eſt in quodam adagio Hebræorum, niſi de medio gaudio.

Ad illuſtrandam faciem eius præ oleo] Hanc particulam iudico adiici, vt amplificet prius membrum ab effectu, addita comparatione, qua rem magis illuſtrat. Vinum enim non immodicè ſumptum, ita exhilarat cor hominis vt facies etiā fiat nitidior & ſplendeſcat magis, quàm ſi oleo eſſet perunctа. Nam oleum nitidam reddit cutem: cordis verò lætitia ſtatim in vultu ſe prodit. Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam. Nam præpoſitio מן comparatiuè vſurpatur apud Hebræos, vt ſæpe iam vidimus: eſtque illuſtre exemplum pſal. 4. verſ. 7.

Alij ſimpliciter olei beneficium ſeu vſum commendari dicunt, quod Deus crearit ad nitorem & alacritatem atque agilitatem corporis: ideóque magnus eius in calidioribus regionibus fuit vſus. Atque huc referri poteſt illa Euſebij libro 4. demonſtrationum euangel. ſententia, in qua vſum & effectum olei deſcribit: τὸ πάσης ἀμιγὲς ὑγρᾶς ὕλης φωτὸς αὐξητικὸν, πόνων θεραπευτικὸν, χρωμάτων ἀπαλλακτικὸν, τὸ τῶν ἐπαλειφομένων, φαιδρυντικὸν, φωτὸς δίκην ἀπόστιλβον ταῖς μαρμαρυγαῖς, διαυγῆ τε καὶ λαμπρὰν τῶν αὐτῷ χρωμένων ἀποτελοῦν τὴν ὄψιν. Alij etiam ad lucernas referunt, quæ oleo fouentur. Alij συνεκδοχικῶς oleum de vnguentis omnibus quibus delicatiores in orientalibus regionibus plurimùm indulgebant, præſertim quando erant acceſſuri ad conuiuia, ſententiam interpretantur. Auguſtinus hoc loco oleum exponit gratiam ſeu dona Spiritus ſancti. Exponens autem illa verba pſal. 141. Oleum peccatoris non impinguet caput meum, ſcribit oleum ſplendere & nitere ſupra cæteros liquores, & ſemper ad ſuperficiem emergere. Ideo exiſtimat vocabulo olei notari gloriam. Et pſal. 148. Oleum, inquit, eſt ipſa gloriatio propter nitorem & ſplendorem. Sed iudico, id quod dixi, eſſe ſimplicius. Nam ablatiuum inſtrumenti efferunt Hebræi per præpoſitionem ב non per præpoſitionem מן.

Et panem qui cor hominis ſuſtentat] *Quartum*, quod terra in vſum hominum producit, ſunt fruges, ex quibus panis conficitur, pro alendo corpore. Ita enim conditus eſt homo vt nutrimēto conuenienti vires corporis alat & cōfirmet. Nulla autē res eſt, quæ citius vertatur in ſanguinem & plus gignat nutrimenti, quàm panis & vinum. Quia igitur in alimentis hæc præcipuum locum obtinent, ideo præ cæteris à propheta commendantur.

Alij tamen ita reddere malunt, Quanquam panis cor fulciat: ac ſi diceret, ſufficeret quidem homini panis ad vitā tolerandam, ſed Deus vinum tanquam ἐπίσταγμα ex abundanti adiecit, vt non tantùm ad vſum, ſed ne ad honeſtam quidem voluptatem quidquam deeſſet: vt ita repetitione huius membri φιλανθρωπία Dei magis commendetur.

16 Satiabuntur arbores Iehouæ: cedri Libani quas plantauit.

Quintum beneficium pluuiarum eſt, quòd arbores etiam irrigant, vt feliciter ſuccreſcant. Arbores autem Domini vocat, partim quòd ſua ſponte naſcuntur ſine hominum cultura. Ideoque quaſi explicans hoc mox addit, *quas Deus plantauit:* partim etiam, quòd ſua magnitudine ſeu proceritate ſint conſpicuæ: vt ſuprà diximus pſalm. 39. verſu 7. de montibus Dei, Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Quicquid enim excellit dignitate, potentia, magnitudine, id Dei nomine vocant Hebræi: vt Gene. 23. Princeps Dei es in medio noſtri, id eſt, habemus te plane pro principe diuino & excellenti. Et cap. 30. Geneſ. Luctationibus Dei luctata ſum, id eſt, magnis & arduis.

17 Quia illic aues nidificant: ciconia cuius abietes ſunt domus.

Alia amplificatio eſt ab vſu rerum creatarum. Non enim tantùm varietas earum: ſed vſus maximè ſapientiam & prouidentiam diuinam commēdat. Sicut enim mirabili arte omnia ſunt condita: ita ad peculiares vſus ſingula ſunt deſtinata. Itaque ſicut ante de vſu panis & vini eſt concionatus: ita nunc arborum, montium, lunæ, ſolis, viciſſitudinis dierum & noctium vſum quodammodo declarat. Et de arboribus quidem, præterquam quòd varios proferunt fructus, & cæſæ ad varios hominum vſus adhibentur, gratum & commodum has præbere domicilium auibus affirmat, vbi nidulentur & pullos ſuos excludant. Et exempli cauſa ciconiam adducit, quę in altioribus arboribus ſoleat nidificare: præſertim in cacumine, vbi volatus nō impeditur ramis. צפרים puto hoc in loco nomen eſſe generis potiùs quàm ſpeciei.

חסידה ciconiam plerique verterunt. Eſtque nomen factū à pio affectu. Nam חסידה piam ſeu φιλόστοργον ſignificat: quo nomine videtur dicta ciconia, quòd parentes ſenio confectos cura ſua nutrit & fouet. Nam de ciconiis ſcribit Plinius lib. 10. cap. 23. Genetricum ſenectam inuicem educant. Et nota eſt lex ciconiarum apud Ariſtophanem. In Græca tranſlatione ita hoc membrum redditur: τοῦ ἐρωδιοῦ ἡ κατοικία ἡγεῖται αὐτῶν. Herodij domus dux eorum eſt: quæ lectio cum Hebrea non conſentit, ſed erroris occaſionem facilè deprehendunt Hebrææ linguæ periti. Legit enim autor eius verſionis *beroſchim* pro *beraſchim*, in capite earum, ſcilicet auium, pro abietibus. Et caput iudicauit metaphoricè poni pro principe ſeu duce. Eſt autem Herodius auis ex iis quas Romani Diomedeas vocant. Theodorus ardeolum vertit, Auguſtinus fulicā. Sed Suidas Herodium ita deſcribit: ἐρῳδιός εἶδος ὀρνέου ὁ πελαργὸς λεγόμενος ἢ ὅμοιος αὐτῷ, ἑλώδιός τις ὢν παρὰ τὸ ἐν ἕλεσι διατρίβειν, τουτέστι καὶ θύγεσι τόποις.

ברושים *beroſchim* nonnulli fraxinos interpretantur: voce Latina non multùm abludente à voce Hebræa. Hieronymus abietem vertit. Sed quia huius arboris magnus erat vſus in ſplendidioribus ædificiis, vt apparet ex 2. Par. 2. vbi Salomon ab Hiramo petit cedros, beroſchim & algumim pro templo Domini extruendo. Et quantum experientia teſtatur, & Vitruuius affirmat, fraxini materies non eſt multùm vtilis ædificiis. Abies verò quanquam rigiditatem habet & leuis eſt, neque curuatur, vt hanc ob cauſam ædificiis apta ſit: tamen quia arbor reſinoſa & pinguis, teredines & tineas ex ſe gignit, nec diu poteſt durare, præterea facilè ignes concipit & magnas euomit flammas cùm incenditur: ideo non eſt veriſimile hanc arborem ſic dici ab Hebræis: neque enim probabile eſt, huius arboris materia, quæ viliſſima ſanè eſt, Salomonem vti

nem vti voluiſſe in templo Domini extruendo vel tegendo. Nonnulli pinum, alij etiam cupreſſum vertunt: verùm ligna iſta quamuis durant, curuantur tamen & pondus non ferunt, vt hanc ob cauſam ædificiis parum apta videantur. Placet igitur mihi ſententia eorum, qui genus cedri minoris eſſe volūt, quæ arbor ſimilis eſt iunipero. Et Theophraſtus huius mentionem facit: atque id ita eſſe oſtendit textus 1.Reg.5. vbi cedros tantùm petit Salomon ab Hiramo: ſed in Paralipomenis ברושים iungit cum cedris.

18 Montes excelſi ibicibus [*rupicapris ſeu damis*] rupes latibulum cuniculis.

Sicut arbores domicilia præbent auibus: ita *montes* feris ſylueſtribus, quarum duas ſpecies recenſet, *Ibices* & *cuniculos*, ſub quibus cæteras comprehendit. Atque ita oſtendit, non hominem tantùm, ſed beſtias quoque feras & aues curæ eſſe Deo, cùm faciat, vt aliæ in publico loco ſint tutæ, aliæ in cauernis terræ. Plinius libro 11.cap.53. Rupicapris in dorſum adunca cornua, damis in aduerſum eſſe ſcribit. De cuniculis Prouerbiorum 30. dicitur, *Cuniculi* populus non validus, & ponunt in petra domum ſuam: vnde apparet eſſe ex minoribus animantibus, & etymologia oſtendit à fodiendo nomen habere id animal.

19 Fecit Lunam in ſtata tempora: ſol nouit occaſum ſuum.

Redit ad creationem mundi ſuperioris. Et quia antea dixerat de luce, cœlo, nubibus & ventis, aquis item & arboribus, quæ ſunt opera trium dierum, nunc de duobus clariſſimis luminibus *ſole* & *luna* loquitur, quæ Deus ſimul cum cæteris ſtellis condidit quarto die, & in æthere locauit, vt motuum varietate non modò lucis ac tenebrarum mutuas viciſſitudines efficerent, quibus laboris & quietis alterna ſpatia cōſtarent: ſed etiam frigoris & caloris, vt diuerſorum temporum vis ac poteſtas, vel generandis vel maturandis frugibus conueniret, vt Lactantius loquitur. Atque hinc varia diuinæ prouidentiæ argumenta ſumuntur: ſcimus enim quàm grata ſit lux, & quantum vſum præbeat hominibus, dum ad lucem omnia ſua opera expediunt: qui tamen vſus ne continuitate vileſceret, vt fieri ſolet in rebus humanis, Deus viceſ eſſe voluit tenebrarum & lucis, vt quantum boni eſſet in vſura lucis diurnæ, ex noctis ac tenebrarum horrore & ſqualore homines cognoſcerent. Seruit & illa viciſſitudo quieti corporum, vt iam diximus. Nam homines noctu quieſcunt, feræ interdiu, &c. Sed non minima vtilitas eſt quòd hæc luminaria ſuo motu diſtinguunt tempora, ordinant annos, menſes, dies, horas: vt ſpatia temporum numerare rectè & diſtribuere, atque ita omnia ordine agere poſſimus. Hoc ſignificat vocabulum מועדים, *tempora ordinata* ſcilicet & diſtincta: quæ ideo ad lunam potiſſimum refert, quia, vt cæteræ gentes pleræque, annis vtebantur Iudæi lunaribus, & ad lunæ motum ſua calendaria accommodabant, deſcribendo menſes, dies feſtos, & tempora publicis deliberationibus ac conuentibus deſtinata: nec dubium eſt vocabulo מועדים omnes temporum diſtinctiones notari.

Nouit occaſum] Id eſt, retinet conſtanter oriendi & occidendi vices, quibus temporum, dierum & noctium viciſſitudo efficitur, nec tantùm de quotidiano illo curſu id intelligendum eſt, quem quotidie ad motum primi mobilis *ſol* conficit, ſed inprimis de eo, qui ſoli proprius eſt, nimirum, quo contra motum primi mobilis fertur. Hic enim motus, quo ſol nunc propiùs ad verticem noſtrum accedit, nunc iterum recedit, anni tempora in æſtatem, hyemem, ver & autumnum diſtinguit, & gratas ac corporibus hominum vtiles temporum vices efficit: quæ doctrina in aſtronomicis libellis explicatur copioſiùs.

20 Ponis tenebras, & fit nox: in ea proreptat omnis beſtia ſyluæ.

Sicut ortus ſolis lucem, ita occaſus eius tenebras affert, quas poni dicit ſeu ordinari à Deo, quia diuinitus hic motus ſoli attributus eſt, vt motu primi mobilis circa terram raptus ſuo ortu & occaſu vices dierum ac noctium efficiat. Et quia homines tenebras ferè auerſantur, tanquam priuationem gratiſſimæ lucis, commoditatem tamen earum & vſum aliquē oſtendit. Omiſſa enim quiete, quæ corporibus hominum diurno labore exhauſtis noctu gratiſſima & conuenientiſſima eſt, & vires reſtaurat, dicit feras noctu proreptare ex ſuis latebris, in quibus metu inſidiarum interdiu deliteſcebāt, & tenebrarum commoditate ad quærendam eſcam vti, idque leonis exemplo oſtendit, de quo inquit:

21 Catuli leonum rugientes ad prædam, & ad quærendum à Deo cibum ſuum.

Leones etſi fames interdum ſtimulat, vt interdiu ex luſtris ſuis progrediantur, & feras capiant, tamen quia tenebræ commodiores ſunt inſidiis ſtruendis, & obruendis aliis feris: & alioqui quia vel ſtrepitum diurnum non ferūt, vel ſibi ab hominibus metuunt, nocte ferè ad prædam proſiliunt: idque experientia didicit David, quando exul in deſerto vagabatur. Qua in re prouidentia diuina conſpicitur, quòd tam formidoloſum animal cauernis terræ interdiu Deus includit, vt hominibus culturam agrorum & itinera tuta præſtet. Eſt autem obſeruandum quòd dicit leones quærere eſcam ſuam à Deo, non quòd agnoſcant ſibi à Deo dari alimenta, ſed rem ipſam deſignat, ſignificans, leones, niſi Dominus curam haberet ipſorum, & daret illis prædam aliquam, ſtatim fame perituros eſſe. Cùm ergo Deus ſit, qui vt cætera animantia, ita leones quoque alat, dicit leones rugitu ſuo, quem fame extimulati ex ſenſu indigentiæ edunt, à creatore & conſeruatore rerum omnium cibum neceſſarium petere: perinde ac ſi infantē vagitu ſuo eſcam & potum à matre quærere dicas, qui tamen nulla matris aut maternæ curæ cognitione præditus eſt, ſed quòd infantis neceſſitas propriè pertineat ad materni pectoris curam. Atque ita corui clamare dicuntur ad Deum pro cibo ſuo pſal.147.

22 Oritur ſol, colliguntur: & ad domicilia ſua accubant.

Proſequitur eandem ſententiam: & quia de commoditate tenebrarum dixerat, nunc ex antitheſi commoditates dierum ſeu lucis explicat, vt hac quoque in re prouidentiam diuinam oſtendat. Oriente ſole, inquit, quia diurnum tempus commodiſſimum eſt homini ad labores, ſingulari prouidentia diuina fit, vt feræ colligantur in ſua luſtra, atque ibi interdiu concluſæ quieſcant, ne homines in agris laborantes aut itinera facientes infeſtent. Quod ergo luce protegitur homo contra vim & iniuriam beluarum, in eo perſpicitur incomparabilis Dei bonitas, qui humanis commodis tam paternè proſpexit.

Colliguntur] Partim ſcilicet, quia lucem non ferunt, partim quia ſtrepitum dici, vel vim tam hominum, quàm cæterarum beſtiarum horrent.

23 Egreditur homo ad opus ſuum: & ad laborem ſuum vſque in veſperam.

Opus hominis nominat laborem quemcunque honeſtum, quo victum ſibi parat, & qui Geneſeos 3. homini poſt lapſum iniunctus eſt. Sunt autem labores varij pro variis conditionibus & gradibus hominum. Alij regum, alij priuatorum, &c. ideo vocabulum פועל eſt generalius. Sed nomen עבודה propriè ad terræ culturam, & ad opera ſeruilia eſt referendum. Et vtrumque opponitur operibus prohibitis à Deo, vt ſunt latrocinia, furta, rapinæ, adulteria, quæ non ſunt opera hominis, ſed opera peccati ſeu concupiſcentiæ: & nominantur opera diaboli, 1. Ioh. 3.

Vſque ad veſperam] Conſtituit terminum laboribus hominum veſpertinum tempus, quia non vult hominum vires nimio labore atteri. Ideo quem modum ipſe Deus laboribus noſtris præſcribit: hunc nobis modum ſeruandum eſſe ſciamus. Nam,

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

&, vt Ariſtoteles in Ethicis inquit, τὰ ὑπερβάλλοντα γυμνάσια καὶ τὰ ἐλλείποντα φθείρει τὴν ἰσχύν. Ideo Paulus in epiſtola ad Coloſſ. iubet honorem haberi corpori. Et huc pertinet præceptum medicorum, πόνοι, σιτία, ὕπνοι, πάντα μέτρια.

24 Quàm magnifica [*multa*] ſunt opera tua Iehoua! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra opibus tuis.

Tanta eſt operum diuinorum varietas, & tanta in his omnibus lucet eius ſapientia, potentia, bonitas & φιλανθρωπία, vt videat ſe enumerando omnia aſſequi non poſſe. Itaque quaſi abrumpens narrationem, intexit epiphonema, quod ex admiratione ſapientiæ & bonitatis Dei, & tot tantorúmque bonorum conſideratione naſcitur. Animus enim humanus quoties ingreditur in haſce cogitationes de mundo, de omnibus eius partibus, & ſingularum partium vſu & fine, quodammodo obſtupeſcit, & magnitudine rerum, quæ ſe ſubinde offerunt, ita obruitur, vt progredi cogitando nequeat. Idem Dauidi accidit. Ideo cum admiratione exclamans, inquit, *Quàm magnifica*, vel quàm multa & varia *ſunt opera tua*. Nam ad magnitudinem & multitudinem verbum רב refertur: quaſi dicat, Nequeo operum tuorum magnitudinem & multitudinem cogitando aſſequi, nedum pro dignitate ſatis laudare & extollere: ſuperant enim meas vires & cogitationes. Itaque dicere aliud non poſſum, quàm quòd ſint magna & mirifica: omnia enim feciſti & diſpoſuiſti ſapientiſſimè, vt quocunque oculos vertam, tua ſe mihi ſapientia in creaturis offerat. Ita hæc ſententia nos docet quomodo creaturæ à nobis ſint conſiderandæ: nimirum, non vt Democritus aut Epi-

curei faciunt, qui ex atomis temere concurrentibus mundum confluxiſſe exiſtimant: ſed, quemadmodum Auguſtinus ait, vt ex perpetuitate creaturarum creatoris æternitatem, ex magnitudine omnipotentiam, ex ordine & diſpoſitione ſapientiam, ex gubernatione bonitatem eius cognoſcamus & celebremus. Impoſſibile enim eſt tam concinnam & inæſtimabili ornatu diſtinctam mundi machinam, & hunc ordinem in natura, qui cernitur in perpetuis & conſtantibus motibus corporum cæleſtium, in diuerſitate formarum, ad certas vtilitates deſtinatarum, in conſenſu ſuperiorum & inferiorum corporum, in conſeruatione ſpecierum, in diſtributione finium, in elementis, plantis, animantibus, partibus humani corporis, quarum ſingulæ ad ſingula officia deſtinatæ ſunt, denique lumen illud rationis humanæ, quod cogitando tam multa complectitur & meminit, quódque diſcernit honeſta à turpibus, extitiſſe caſu, aut caſu conſiſtere: ſed vt fabrica ipſa ſecundùm Euripidem, σοφοῦ δὲ ποίκιλμα τέκτονος σοφόν: ita à mente ſapiente & potente aſſiduè regitur & conſeruatur. Diſcamus igitur cum propheta hoc opificium ita aſpicere, vt in admirationem ſapientiæ, potentiæ & bonitatis eius, qui hanc machinam cõdidit, rapiamur, atque ita in aliquam eius agnitionem deducamur. Eſt enim ſumma ingratitudo & ſummum ſcelus, hæc opera pulcherrima, quæ noſtra cauſa condita ſunt, nolle aſpicere aut celebrare.

Impleta eſt terra opibus vel poſſeſſionibus tuis] Id eſt, nullus eſt mundi angulus, in quem non multiplices opes congeſſeris, aut qui non ſit refertus tuis facultatibus: omnia enim ſcatent & plena ſunt tuis opibus. Nam verbo implendi, ſignificatur abundantia: & cùm opes nominat, bonitatem & beneficentiam Dei commendat. Nam opes Dei intelligit, non quibus Deus ipſe fruitur, ſed quas in vſum hominum & animantium liberaliter effundit, ita tamen vt omnia in ipſius ſint poteſtate, & maneant eius propria. Ideo maluit vti vocabulo קנין, quod eſt à קנה, quod ſignificat poſſidere, acquirere, quam vocabulo עשר ſeu alio.

25 Hoc mare magnum & ſpatioſum [*ad verbum, latum manibus*] illic reptile & non numerus [*id eſt, reptilia quorum non eſt numerus*] animalia puſilla cũ magnis.

Hactenus de cœlo & terra dixit, in quibus omnia mirabili arte & ſapientia condita & diſtributa ſunt, nunc ad mare deſcendit, in quo non minùs ſapientia Dei lucet. *Primùm* autem à magnitudine illud commendat. Etiamſi enim piſcibus vacuum eſſet, & nullos præberet hominibus vſus, ſolo tamen amplitudinis conſpectu eſt admirabile: præſertim ſi cogitemus quanta aquarum moles ſubinde ex omnibus mundi partibus in Oceanum influat, quas omnes ita recipit & abſorbet, vt non augeatur, nec intumeſcat tot annorum ſpatiis, ſed intra ſuos limites & terminos præfixos ſe contineat. Et quanquam ventis interdum & tempeſtatibus agitatum alicubi intumeſcit, & fluctus ſuos altiſſimorum montium inſtar attollit, mox tamen ſedatum reſidet, ſéque in ſinum ſuum recipit. Hæc profectò digna ſunt admiratione, & potentiam creatoris manifeſtè oſtendunt.

Latum manibus] Id eſt, ſpatioſum, ſeu εὐρύχωρος θάλασσα, vt eſt in Græco. Latinus interpres non conſiderata phraſi, verbum verbo reddere conatus eſt, cùm vertit, ſpatioſum manibus. Quod enim nos dicimus ſinus, propheta ידים, hoc eſt, manus, metaphoricè hoc loco nominat. Sicut Salomon Prouerb. 8. manus portarum nominat plateam proximam portæ: ſunt enim ſinus ceu brachia quædã maris. Et alioqui vſitatum eſt in lingua Hebræa manus pro ſpatio ſeu loco ſeu termino poni, vt pſalm. 140. Ad manum tramitis laqueos poſuerunt mihi, id eſt, ad locum. Ita Ieſai. 22. terram latam manibus appellat, quòd ampla ſit & ſpatioſa.

Illic reptilia] *Alterum* elogium eſt, quòd abundet innumeris piſcium generibus. Quod enim dicit, beſtias maris numerari non poſſe, intelligi debet non tantùm de multitudine, ſed etiam de generum, formarum ac naturarum varietate, in qua profectò admirabilis Dei ſapientia conſpicitur. Et qui de variis generibus & naturis piſcium ſcripſerunt, hunc verſiculum quodammodo interpretantur: vnde quæ ad explicationem huius pertinent, peti poſſunt: ſicut cætera à phyſicis.

26 Illic naues ambulant: Leuiathan quem formaſti, vt ludat in eo.

Tertium quod in mari admiratione dignum venit, eſt quòd nauium beneficio hominibus tranſitum per aquas conceſſit, atque inde multiplex ad homines redit vſus propter merces varias, quæ nauigiis importantur & exportantur. Et quanquam auaritia humana hac in re, vt in cæteris, peccat multipliciter, & dono diuinitus conceſſo turpiter & ſcelerate ſæpe abutitur: tamen ipſæ commutationes rerum & aduectio mercium, aromatum, vini & aliarum rerum, quæ Deus ad hominum vſum condidit, nequaquam reprehendenda, ſed laudanda potiùs res eſt. Et veriſimile eſt vſum nauium diuinitus primùm Noæ monſtratum eſſe: ſicut & his temporibus vſus magnetis diuinitus oſtenſus eſt, ſine cuius beneficio Oceanus, quemadmodum nunc fit, nauigabilis nõ eſſet. Vt hoc quoque rem de qua loquitur magis commendabilem faciat. Profani ſcriptores inuentum & vſum nauium Atlanti Mauro adſcribunt: ſed nos ſacris ſcripturis magis credimus, quàm profanis. Eſtq; res digna admiratione nauigatio, de qua dicere poſſunt, qui mare aliquando ingreſſi ſunt: nam ad alios ſermo penè videtur incredibilis.

Leuiathan iſte] Maris *quartum* miraculum eſt magnitudo vaſtiſſimarum belluarũ, quas balænas ſeu cetos appellamus. Etſi enim piſcium abundantia, varietas & multiplex vſus gloriam Dei non parum amplificat, Balænam tamen ſeu cetum præcipuè celebrat, quia ſolum hoc animal ſatis ſupérque formidabilem Dei virtutem ante oculos ponit. Quare & de eo tam longus ſermo in libro Iob cap. 40. texitur. Scribit autem Plinius libro 32. 1. Cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & 360. latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe: vnde magnitudo immanium illarum beluarum æſtimari poteſt. Veriſimile enim eſt, in maioré adhuc magnitudinem eas excreſcere. Qua de re audiuimus ſermones nautarum penè incredibiles. Dicit autem cetum conditum eſſe, vt ludat in mari, hoc eſt, vt quãquam vaſtiſſima ſit belua, motum tamen habeat celerem, & mare ei datum eſſe videatur, vt in hoc ſe exerceat venando alios piſces & ludẽdo, ſicut phyſeteres vaſa interdum à nautis in mare conjecta flatu in aërem proiiciunt, & mirabiles ludos edunt.

27 Omnia ad te expectant [*vvarten auff dich, reſpiciunt*] vt des eſcam eorum in tempore ſuo.

28 Dabis illis, colligent: aperies manum tuam, ſatiabuntur bono.

Poſtquam præcipuas mundi partes, quæ maximè dignæ ſunt conſideratione & admiratione, commemorauit, & vſum ſingularem quodammodo oſtendit: nunc ſubiicit generalem doctrinam de prouidentia Dei, in qua præcipuè eius bonitas conſpicitur. Non enim ita condidit creaturas, vt ab opere ſuo poſtea diſcederet, & caſui ſeu fortunæ eas relinqueret: ſicut architectus diſcedit à naui quam fabricauit, eámque ventis & tempeſtatibus iactandam committit: ſed res conditas conſeruat, & animantibus omnibus de victu & cæteris, quæ ad vitam tuendam pertinent, proſpicit. Quod vt ſuprà in ſpecie de leonibus & aliis quibuſdam animantibus dixerat, pro quibus gramen in mõtibus producitur quotannis: ita nunc in genere de omnibus animantibus & piſcibus idem affirmat. Niſi enim diuinitus alerentur cuncta animantia, neceſſe eſſet ea fame perire: ideo inquit, omnia animantia ad Deum reſpicere, non quòd iudicio & ratione polleant bruta animalia, vt nutritorem agnoſcant, & ad eum in neceſſitate confugere ſciant: ſed, vt ſuprà de leonibus diximus, quia indigentiæ & inediæ ſenſus, quo ad pabulum quærendum trahuntur, ad Deum creatorem, atque ipſius curam pertinet, eúmque mouet & exſtimulat, vt ipſorum neceſſitati ſua liberalitate ſuccurrat. Ideóque nihil dicit de induſtria animantium in comparando & quærendo victu, quam tamen mirificã omnibus natura attribuit: ſed ſimpliciter dicit Deum dare eſcam, abſque cuius liberalitate nullius creaturæ induſtria aut labor parare ſibi victum poſſit. Quòd maluit dicere, *Das eſcam ipſorum*, quàm das ipſis eſcam, voluit oſtendere pro varietate animantium, varias etiam ipſis eſcas conuenire, atque in hac varietate conficienda Dei virtutem & potentiam conſpici.

Tempore ſuo] Nomen Hebræum ſignificat tempus opportunum, quod cuique animanti conueniens & commodum eſt, & quantum neceſſitas cuiuſlibet poſtulat. Alij tamen tempus hoc ita interpretantur, quòd Deus, qui quotannis terram fœcundat, ex illa fertilitate ſingulis eſcam reſeruet & reponat, vt etiam tunc, cùm terra frigore conſtricta eſt, animantibus de victu proſpiciatur. *Tempore ſuo*, hoc eſt, æſtate, cùm omnia in agris matureſcunt. Sed cùm in genere loquatur de omnibus animantibus & piſcibus, quibus non eſt opus rebus terra naſcentibus, retineo priorem ſententiam, quam vocis proprietas ſuppeditat. Sinit Deus interdum ad tempus egere & homines & animantia & piſces: & tamen quæ eſt eius bonitas, cùm ipſi opportunum videtur, fontes ſuæ beneficentiæ aperit, & omnia liberaliter paſcit. Ideo dare dicitur animantibus eſcam in tempore ſuo.

Dabis illis, colligent] Hic verſus ἐξήγησις eſt ſuperioris mẽbri, *vt des*

vt des eſcam. Sunt tempora anni certa, quibus res ad victũ neceſſariæ naſcuntur & proueniunt: ſicut rurſus alio tempore terra clauditur & cõſtringitur, ne quid proferat. Quoties igitur terram aperit Deus, & varias rerũ ſpecies ex ea producit in vſum animantium, aut quoties aquæ piſcibus eſcã adoluunt & offerunt, toties aperire manũ ſuam & dare victũ animantibus dicitur. Animantia verò victum liberaliter à Deo datũ colligunt, eóque ad ſatietatẽ fruuntur. Hoc igitur prouidentiæ diuinæ eſt certiſſimum argumentũ. Oſtendit enim Deus ſe omnes res à ſe conditas gubernare, fouere & ſuſtentare: idque tenendum eſt contra furores Epicureorum.

29 Abſcondis faciem tuam, terrebuntur: colligis [*auſers*] ſpiritum eorum, deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Declarat priorem ſententiam ab antitheſi. Quemadmodum enim Deo alente, fouente, & ſuſtentante res creatæ cõſeruantur, ita vt ſingulis ſuæ vires, ſuæ agitationes & motus, quales aut olim fuerunt aut nunc ſunt, maneant ſaluæ: Ita rurſus Deo auertente faciem ſuam, hoc eſt, ſubtrahente curam ſuam, nec ampliùs impertiente vitam & motum, omnia turbantur & concidunt. In illo enim viuimus, mouemur & ſumus, vt inquit Apoſtolus Act.17. citans verſum Arati τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Non igitur caſu oriuntur aut occidunt res, vt ſomniat Epicurus, atque eius diſcipulus: qui ridens prouidentiam diuinam ironicè exclamat, *Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat:* ſed vt rectè inquit Theologus, σοφῶς καὶ βαθέας τὰ περὶ ἑκάστου ἡμῶν Θεὸς προβλέπεται.

Quod dicit, *Terreri* omnia, ſi facies diuina abſcondatur, ſignificat mox in corporibus animantium turbari omnes humores, & langueſcere vires omnes, ſi Deus ceſſet vim caloris natiui fouere, donec tandem Deo auferente ſpiritum viuificum ſeu vigorem, quem corporibus indiderat, corpus animatum concidat.

Deinde ſi ad res humanas reſpiciamus, videmus omnia inter homines perturbari, & ſumma imis miſceri, ſi Deus ſe à cura & gubernatione pauliſper ſubtrahat. Nulla enim ſapiẽtia humana tanta eſt, quæ conſeruare res hominum poſſit, ſi Deus faciem ſuam ſubtrahat. De vtroque iudicemus concionari prophetam: primùm de ſingulorum vita, quæ ne momẽtum quidem durat, niſi Deo ſuppeditante & vires conſeruante: deinde de communi gubernatione rerum humanarũ. Verbum אסף ſignificat non tantùm colligere: ſed ex conſequenti, res collectas, vt ædium ſordes, auferre & foras proiicere, *vvegraffen, vvegreiſſen.* Ita vſurpatur ſuprà pſal. 29. Ne colligas cum peccatoribus animam meam.

Et in puluerem] Reſpicit ad illa verba Gen.3. Puluis es, & in puluerem reuerteris.

30 Emittis ſpiritum tuum, creantur: & renouas faciem terræ.

Amplificat doctrinam de prouidẽtia diuina à perpetuitate ſpecierum, à propagatione item, & generationis modo. Etſi enim Deus ſinit interire quotannis & quodammodo intermori herbas & arbores: animantia item & homines magno numero ſubinde vel violenta vel naturali morte tollit, atque in puluerem redigi ſinit: tamen propterea eius prouidentia non eſt neganda. Imò verò illa ſpecierum perpetuitas & propagatio, quæ fit quotannis renaſcentibus nouis herbis, & noua animalium ſobole procreata, illuſtre teſtimoniũ eſt prouidentiæ diuinæ. Videmus enim quotannis nouis herbis, frondibus, ſobole animantium & hominum terram renouari & denuo quaſi creari, atque ita ſingulas ſpecies mirabili Dei ſapientia conſeruari: quod certe non fieret, niſi hic mundus à mente ſapiente & potente regeretur. De hac igitur re nunc concionatur: & generationis ſeu procreationis modum exprimit, cùm inquit: *Emittis Spiritum tuum.* Significat enim, ita reuiuiſcere herbas & arbores, & gigni alia animantia, ſi Deus Spiritum ſuum, hoc eſt, vigorem nouum & vitam rebus naſcentibus, atque animantium ſoboli inſpiret atque impertiat. Neque enim fortuitò aut caſu renaſcuntur herbæ, nec animantia ſpecie ſibi ſimilia producunt caſu: ſed omnia pendent ab illo ſpiritu & vigore, quem Deus cunctis impertit. Deus enim eſt, qui vitam & motum, hoc eſt, ſpiritum viuificum creat in animantibus. Spiritum enim Dei vocat, qui à Deo proficiſcitur, non qui ſit particula ipſius eſſentiæ: quemadmodum in dicto Ioelis Spiritus ſanctus intelligitur eſſe eiuſdem eſſentiæ cum patre: quando dicitur, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Item Pſal.51. De qua diuerſitate monendi ſunt hoc loco auditores, non tãtùm propter Manichæos, qui ex hoc & ſimilibus teſtimoniis colligere voluerunt animam hominis eſſe particulam diuini Spiritus, & naſci ex eius traduce: ſed etiam propter recentiores, Seruetum, Flacium & alios, qui erroribus Manichæorum plura magis monſtroſa & abſurda affingunt. Nam, vt Manichæos omittamus, quorum impietas manifeſta & à pluribus refutata eſt, Flacius in illo ſuo opere, quod clauem ſcripturæ, arroganti titulo inſcripſit, fingit diabolum formare maſſam hominis in vtero matris, eámque tranſelementare, recoquere aut refundere, vt loquitur impiè & barbarè, atque ita eſſentialem ſuam imaginem imprimere homini, vnde dogma ſuum tetrum euincere conatur: Quòd peccatũ aut pars peccati ſit ſubſtantia, imò anima ipſa: ſic enim loquitur. Id verò manifeſtè pugnat cũ hoc teſtimonio. Dauid enim illam creationem & formationem tribuit ſpiritui Dei, non diabolo, vt vult Flacius. Ait enim, Emittis ſpiritum tuum, & creantur: & Act.17. dicitur eodem ſenſu, In ipſo ſumus, viuimus & mouemur. Et congruit cũ his teſtimoniis totus pſalmus 139. de quo ſuo loco dicemus. ſuprà etiam pſalmo 100. dicit propheta, Ipſe fecit nos, & non ipſi nos: vt mirum ſit, in tanta teſtimoniorum euidentia audere hominem ad turbandam eccleſiæ pacem & ſcindendum concordiæ vinculum natum, tam abſurda & auditu horrenda in medium proferre, & inueniri qui talia approbent. Seruetus non contentus Manichæorum delirio, finxit etiam aſinos, canes, boues, eſſe partes eſſentiæ diuinæ. Quia hîc dicatur, Deum emittere Spiritum ſuum, vt res creentur. Nec conſiderat homo impurus, eundem ſpiritũ dici ſpiritum creaturarum præcedente verſu, vt ſpiritus Dei non alia de cauſa dicatur, quàm quòd autor ſit vitæ & motus in ſingulis animantibus, quódque vitam & motum inſpiret, non quidem de ſua ſubſtãtia, ſed quòd ſpiritus ſit motus creatus à Deo.

Vtitur autem verbo creandi, quia illa perpetuitas ſpecierũ & propagatio, eſt quaſi aſſidua quædam creatio, dum mundus veluti interit & renaſcitur in ſuis partibus.

Renouas faciem] Sicut enim tempore verno terra vireſcens nouam formam & faciem induit: ita quotidie cùm homines & animalia naſcuntur, quæ in locum eorum quæ ſublata ſunt ſuccedant, ipſa renouari & denuó veſtiri dicitur. Id enim niſi fieret, mundus vno ſeculo conſeneſceret, atque ita interiret.

31 Sit gloria Iehouæ in ſeculum: lætetur Iehoua in operibus ſuis.

Concludit pſalmum repetitione propoſitionis, quæ vt dixi eſt gratiarum actio. Cùm igitur, inquit, tanta Dei ſapientia, potentia & bonitas conſpiciatur in creatione mundi & vſu ad quem ſingulæ res conditæ ſunt: atque idem Deus res creatas tanta benignitate tueatur & conſeruet, dignus eſt qui perpetuò celebretur ab hominibus, in quorum gratiam hæc omnia condita ſunt. Nos enim pro tantis beneficiis quod rependamus non habemus, niſi laudes & gratiarum actiones. Itaque non tantùm hortatur omnes homines ad animi gratitudinem declarandam, ſed etiam fieri id optat: vt ſit oratio non tantùm agentis gratias & hortantis alios: ſed etiam optãtis, & ſimul ſegnitiem noſtram in conſiderandis Dei operibus redarguentis.

Eodem pertinet quod dicit, *Lætetur in operibus ſuis.* Eſt enim quaſi ratio prioris adhortationis à cauſa finali. Nam ſi aſſiduè à nobis propter beneficia in creatione mundi exhibita celebretur, & res conditæ cum gratiarum actione à nobis vſurpentur, ipſæ creaturæ quodammodo magis ei placebunt, & maiorem lætitiam ei afferent: quia non fruſtrà videbitur condidiſſe mundum & creaturas. Quando enim opus alicuius laudatur, ipſum magis placet artifici, & ad maiorem curam & laborem is excitatur, ſicut dicitur, *Laudatáque virtus creſcit.* Atque ita oſtendit hoc dicto, Deum condidiſſe mundum, & in hunc collocaſſe hominem, vt in hoc opere ſuo acquieſcat & lætetur, & viciſſim à nobis agnoſcatur & colatur. Deinde ſubeſt votum, quo optat conſeruari creaturas omnes, & ordinem quem à principio Deus inſtituit in legitimo donorũ eius vſu, vt ita aſſiduè lætari de ſuo opere poſſit: & tacitè ſimul innuit, Deum dolore quodammodo affici, ſi vel non agnoſci videat autorem tantorum bonorum, vel vario abuſu dona ſua pollui & corrumpi intelligat.

32 Qui aſpicit terram & contremiſcit: qui tangit montes & fumigant.

Obiter inſerit rationem ſeu argumentum ſumptum à potentia Dei, vt adhortatio magis ſit efficax, quaſi dicat, ſi qui adeo ſunt duri & præfracti, quos beneficia illa innumera & immenſa illa ſapientia, quam in creatione oſtendit, non mouent, vt autorem & architectum agnoſcant, hos ſaltem moueat eius potentia, vt cum aliqua reuerentia de his rebus cogitẽt: videmus enim creaturas omnes expaueſcere ſuum creatorem, & terram & montes fulmine incenſos ad ipſius præſentiam & nutum contremiſcere & fumare: quanto magis homines decebat hanc potentiam eius agnoſcere, vereri & celebrare? Sed tanta eſt (proh dolor) cordis humani

durities, vt duriſſimas cautes ſuperet.

Videtur autem propheta reſpicere ad hiſtoriam Exod. 19. vbi mons Sina incenſus fumat, & tota terra ſubtus tremit.

33 Cantabo Iehouæ in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.

Quod alios facere iuſſit propheta, nec tamen impetrare ſe à maxima multitudine intelligit, ſuo ipſe exemplo confirmat, ſeque tanquam ἐξαρχον laudum diuinarum conſtituit, vt aliis ceſſantibus & tacentibus, Dei tamen memoria & laudes non prorſus conticeſcant in genere humano. Ideo dicit, *ego cantabo*: ac ſi diceret, video quanta ſit ingratitudo hominum, quantúſque ſtupor & negligentia in aſpiciendis Dei operibus & æſtimandis eius beneficiis. Ego tamen cùm videam & intelligam aliquomodo quanta ſit Dei potentia, quanta ſapientia & bonitas, quam in creatione huius mundi & in conſeruatione ac gubernatione aſſidua oſtendit, non deſinā meo loco prędicare has Dei laudes & virtutes eius celebrare, quādiu vixero: & meo exemplo alios, vt idem faciant, moneo. Nam huc referendum eſſe hoc exemplum monet vox in fine adiecta הללויה Laudate Deum.

Pſallere Deo] Eſt decantare ipſius laudes adhibitis organis muſicis, quod ſolebat fieri publicè in cœtu ſacro.

34 Gratus ſit ei ſermo meus: ego lætabor in Iehoua.

Πάθος eſt. Nam cùm videat ſe nec cogitando aſſequi poſſe magnitudinem illorum operum & beneficiorum diuinorum, nec commemorando aut celebrando dignas referre gratias, petit & optat, vt cùm aliud non habeat quod referat, Deus hoc qualecunque officium & ſacrificium labiorū gratum habeat, & hac balbutiente voce atque oratione delectetur. Talia ſunt vota piorum omnium in precatione: quò magis enim intelligunt magnitudinem beneficiorum, eò magis ſe his vel percipiendis, vel prædicandis agnoſcunt eſſe indignos. Et quidem quomodo placeant Deo ſacrificia gratiarum actionis oſtendit Petrus 1. Epiſt. cap. 2. Item Heb. 13. Per ipſum offerimus hoſtiam laudis. על præpoſitionem nonnulli interpretantur *de*: ſed commodè reddideris præpoſitione *apud*.

Ego lætabor in Iehoua] Id eſt, vtinam ita aſpiciam Dei opera, vt autorem ſemper in conſpectu habeam, inque ipſo læter & acquieſcam: non quemadmodum maxima hominum multitudo, quæ ad præſentes voluptates, quæ ex vſu rerum creatarum percipiuntur, ſeſe abiicit, atque his ita ſe immergit vt nunquam ad autorem agnoſcendum & celebrandum ſe attollat, idque magno ſuo non tantùm cum dedecore, ſed exitio. Nam quia in rebus creatis tantùm lætantur, atque in harum fruitione ſummum bonum ponunt, euaneſcit ipſorum voluptas & lætitia ſimul cum vſu. Piorum verò lætitia, quæ ad Deum autorem horum bonorum refertur, eſt ſolida & perpetua: ideo mauult lætari in Iehoua, quàm in creaturis. Et ex hac lætitia oritur vera illa gratitudo, quam Deus à nobis requirit.

35 Deficiant ſcelerati à terra: & impij donec nō ipſi [*id eſt, vſque dum deſinant, aut donec conſumantur*] Benedic anima mea Iehouæ, Haleluiah.

Ex antitheſi imprecatur interitum hominibus impiis & profanis, qui non tantùm oculos ſuos claudunt ad tam magnifica & præclara Dei opera, nec potentiam, ſapientiam aut bonitatem eius in aſſidua conſeruatione & gubernatione huius mundi, vt debent, agnoſcunt & prædicant, ſed inſuper variis ſceleribus & multiplici abuſu rerum creatarum hæc nobiliſſima Dei opera polluunt & contaminant. Sunt enim indigni beneficiis, qui non tantùm illa non agnoſcunt: ſed ſcelerate etiam his abutuntur. Ideo inquit, deficiant ſcelerati: vt ita creaturarum vindicetur horribilis abuſus, & tibi iuſtæ laudes deinceps tribuantur. Habet autem hæc imprecatio vim vaticinij. Docet enim certò perituros eſſe omnes, qui Dei beneficia vel contemnunt vel turpiter his abutuntur. Eáque comminatione excitari nos decebat, vt in meditandis & prædicandis beneficiis diuinis eſſemus magis aſſidui, & caueremus ne abuſu bonorum diuinorum iram Dei in nos prouocaremus.

Nomine חטאים videtur vocare eos qui donis Dei abutentes ſe ſcelere obſtringūt. רשעים ſignificat homines profanos, ſecuros, contemnentes Deum & opera ipſius.

Benedic anima mea Iehouæ] Repetitio principalis propoſitionis, qua pſalmum pro more concludit, ſingulare hoc loco πάθος habet. Propheta enim conſiderans non tantùm, quid Deo debeatur pro innumeris illis, & immenſis beneficiis, quæ generi humano quotidie exhibet, ſed etiam quanta & quàm profligata ſit hominum hac in re negligentia, & quàm iuſtus interitus & damnatio maneat omnes, qui hæc beneficia non agnoſcunt & celebrant, magno animi motu partim ſeipſum obiurgat, qui nimium lentus & negligens ſit in conſiderandis & meditandis Dei beneficiis, partim animum his cogitationibus occupatum magis inſtigat & hortatur, vt aſſiduè diuinorum beneficiorum memoriam circumferat, & grata voce per totam vitam ea celebret. Hoc enim eſt benedicere Domino, vt alibi dictum eſt.

Vox *Haleluiah* in fine additur, vt alij exemplo ad ſimilem gratitudinem excitentur. Idem enim eſt ac ſi diceret, Laudate & cæteri Dominum, ſi gratum ei cultum & honorem pro innumeris beneficiis præſtare, vel pœnas triſtiſſimas effugere cupitis.

PSALMI CIIII.

PARTES.

I. Exordium ſiue propoſitio totius argumenti, ſeu exhortatio ad animam ſuam vt Deum grata celebret, ſummam harum laudum v. 1. exprimens, nempe Deum magnum eſſe in ſeipſo, decorem & maieſtatem induiſſe in rerum mirabili creatione, conſeruatione, adminiſtratione & ſapientiſſima cura.

II. Narratio naturalium argumentorum ad Dei laudes pertinentium non ſigillatim quidem omnia explicans, ſed generatim & certis exemplis complectens documenta gloriæ Dei.

Sunt autem ea aut *Creationis*, cuius exponuntur opera tribus primis diebus effecta à Deo, v. 2. vſque ad 10. nempe lux, expanſum, aëris regiones, ignis, terra, mare, aquæ. Aut ordinariæ *adminiſtrationis* Dei, vbi 1. agitur de vſu aquarum inferiorum & ſuperiorum, v. 10. vſque ad 19. nempe de aquis fontanis & pluuiis, vnde herbæ, vinum, oleum, cibus, arbores. 2. De vſu diei & noctis, quarum inſtrumenta Sol & Luna, 19. v. ad 25. ibi de tenebris & luce, de animantium noctu graſſantium cura, de homine ad laborem nato agitur, addito epiphonemate v. 24. de ſapientia & gloria Dei in tam amplis operibus elucente. 2. De vſu maris, v. 25. & 26. cuius vaſtitas, incolæ, ad mercaturam exercendam commoditates celebrantur. Tertium gloriæ Dei documentum in narratione, eſt *conſeruationis* rerum terreſtrium, aërearum, aquatilium, v. 27. 28. 29. 30.

III. Concluſio à laudatione Dei, v. 31. &c. Huius tria ſunt membra. 1. Generalis prouocatio rerum creatarum ad laudem tribuendam Deo, v. 31. & 32. 2. Singularis profeſſio laudis, quam ſuo nomine Pſaltes Deo attribuit, v. 33. & 34. 3. Improborum excidium, eorúmque omnium qui Dei laudibus aduerſantur, v. 35. Quæ tria clauduntur hortatione eadem quæ habetur in principio Pſalmi.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Quum in mundi opificio & naturæ ordine viua ſapiētiæ, potentiæ, & bonitatis Dei imago eluceat, ad Deum laudandū meritò nos impellere debemus, quatenus in hac caduca vita ſe nobis patrem exhibet.

Ingratitudinis damnandi ſunt omnes qui Dei laudes, quibus nil debet eſſe notius vel magis celebre, ſepeliunt ſilentio.

Quanuis Deus ſit inuiſibilis, cōſpicua tamen eſt eius gloria: nā dū ſuo fulgore totū mundū irradiat, hæc veſtis eſt, in qua viſibilis quodammodo

dammodo nobis apparet, qui in ſeipſo erat abſconditus.

2 Deus quũ ſe luce veſtitum nobis offerat, nõ eſt cur ignauiæ ſuæ prætextũ captent qui eius notitiam ſubterfugiunt, ac ſi in profundis tenebris lateret. Nec cælum velum eſt quo ſe Deus occultet, ſed quo decoretur eius maieſtas: ac ſi propheta diceret regium eſſe tentoriũ.

Non ſua ſed noſtra cauſa luce creata Deus indutus eſt, & mundi machinam creauit.

3 Nubes, aquæ aeriæ, venti, luculenti teſtes huius potentiæ, ſapiẽtiæ, bonitatis & iuſtitiæ Dei.

4 Sicuti Deus ventis vtitur tanquam nuntijs celerrimis, vt eorum miniſterio potentiam ſuam declaret: ſic angeli creati ſunt, vt creatoris iuſſa exequãtur. Et certè in ſpectaculo totius naturæ malè profecimus, niſi fidei oculis ſpeculamur ſpiritualem illam gloriã, cuius effigies in mundo nobis apparet.

5 Quẽadmodum lux, cælum, nubes & venti prouidentiam & benignitatẽ Dei erga genus humanum teſtantur: idẽ de reliquis creaturis & beneficijs vſq; ad 31. verſiculum deſcriptis, ſentiendũ eſt. Ea beneficia verò ſunt terræ ſtabilitas, aquarum hoſpitiũ mirandum, montes, conualles, fontes, pluuiæ, animantium pabula, herbæ, panis, vinum, oleum, arbores, ſol, luna, nox, dies, animantium & hominũ viciſſitudines & labores, mare, piſces, rerum creatarum conſeruatio, interitus & renouatio. Finis autem ſubalternus vtilitas hominis: primarius, Dei gloriæ celebratio.

Nihil in mundo eſt firmum niſi quatenus manibus Dei fulcitur: nec aliunde pẽdet totus naturæ ordo, quàm ex decreto Dei, quo indita eſt terræ & mari mirabilis illa proprietas, in qua philoſophi ipſi ſpecialem Dei prouidentiam agnoſcere coguntur. Tranquillis animis etiã vult nos in terra habitare: quia noſtro cõmodo perpetuis eam fulturis ſtabiliuit, quæ alioqui ſingulis momentis poſſet abſorberi, niſi arcana Dei virtute ſtaret.

6.7.8.9 Mare eſt terræ veſtis, ſeu ſitum, ſeu ornatum, ſeu effecta eius ſpectemus.

Quod montes aquis labilibus non operiuntur, id fit clemẽti virtute creatoris, cuius vox (apud Moſen expreſſa, Gen.1.) aquas in limitibus & alueis ſuis continet. Vide Ierem.5.22. Iob 28.25.

Quãuis naturaliter poſſint aquæ terrã tegere, hoc tamẽ nõ accidet: quia ſicut æterna eſt veritas, ita ſtabilis manet hic ordo quem Deus verbo ſuo ſanciuit, videlicet vt vniuerſali maris & aquarũ diluuio terra ampliùs nõ deſoletur, ſed aliqua maneat eius incolis habitatio.

10.11.12.13 Aliud virtutis & gratiæ Dei argumentum, in fontibus qui ex montibus per medias valles decurrunt, vt omne genus animantium inde ſitim iucundè leuare poſſit.

Amplificatio etiam huius gratiæ, quod ſuam curam ad bruta pecora, imo vſque ad feras ſylueſtres extendere dignatur.

Quũ tot amnes per deſerta & amœna loca decurrant, paſcendis feris herba creſcat, ex innumeris arboribus reſonent auium voces, multiplexq; bonorum copia & varietas oculis noſtris vbique ſe ingerat, pluſquam brutus eſt ſtupor noſter, niſi ad piam gloriæ Dei meditationem eo magis ſumus intenti.

Miraculũ eſt non vulgare, quòd montes qui vidẽtur perpetua ſiccitate damnati, & quodamodo pendent in aere, tamen abundãt paſcuis. Id accidit autẽ, quia Deus terrã ex ſua quiete benedicens efficacius agit quàm ſi cuncti mortales aſſiduo labore ſe conficerent.

14 Locus hic verſu & ſequentibus de ſpeciali prouidentia & cura Dei erga homines, quos neceſſarijs & iucundis bonis clementer locupletat.

Deus producit herbam hominibus, qua alantur, non modò quia victum in tritico terra ſuppeditat, ſed etiam in herbis & alijs fructibus: quia non vno tantum genere alimenti paſcimur.

15 Nõ modò nobis erogat quod ſatis ſit ad frugalẽ vſum, ſed etiã noſtris delicijs indulget: & quũ ſatis benignum ſe nutritium in pane præſtet, bis & ter tamen in ipſis lautitijs (nomine vini & olei cõprehenſis) liberalis apparet. Hæc autem legitima vtendi ratio eſt, vt nos ſuſtentet victus, non opprimat. Deinde mutua cõmunicatio quã Deus præcipit, optimum eſt intẽperantiæ frænum. Tertiò, non tãtum ad neceſſitatem, ſed & ad lætitiam vino & aliis lautitiis decet vti, modò Dei & noſtri ſimus ſemper memores, agilioreſq; reddamur ad Dei obſequium. Quartò, vt diſcamus abundare & penuriam pati. Quintò, bona conſcientia nos poſſe vti moderatis deliciis vbi iuſta facultas ſuppetit. Poſtremò, vt ſciamus paternam Dei indulgẽtiam nobis optimam frugalitatis magiſtram eſſe debere.

16.17.18 Ab hominibus ad arbores, montes, aues & vilia quædam animantia tranſiens, docet non eſſe mirum ſi Deus homines ad imaginem ſuam creatos tam liberaliter nutriat, quum ne ad arbores & mõtes excelſos, animalculáque in eis latitantia curã ſuam extendere grauetur.

19.20 Deus ita diſpoſuit ſolis & lunæ curſũ, vt aptiſſimè cohæreat alterna diei & noctis ſeries. Adeo enim nõ perturbat varietas in mutuis vicibus, vt facilè appareat tempus nõ potuiſſe melius diſtingui.

Luna non modò lucem à tenebris diſtinguit, ſed etiam deſcribit annos & menſes, denique accommodata eſt ad multiplices vſus, quia ex eius curſu petitur temporum diſtinctio.

Sol nõ tãtum quotidiano circuitu mundũ luſtrat, ſed etiã gradatim nunc accedẽs propiùs ad nos, nunc recedens, ſuas ſtationes metiri nouit, ex quibus æſtatem, hyemem, autumnum & ver conficiat.

Gratæ vices diei & noctis peculiarem Dei bonitatem erga cuncta animantia prædicant.

Feræ ipſæ ſunt curæ Deo, qui eis pabulum liberaliter ſuppeditans iubet vt ſecurè Optimi Patris prouidentiæ acquieſcamus.

21 Eadem prouidentia fit, quòd tam formidoloſa animalia in antris ſe cõtinent, vt liberior ſit hominibus ambulatio. Animalium autem in nos effera licentia defectioni Adæ imputanda eſt, quæ illi dominium in feras beſtias abſtulit. Ita tamen vt reliquiæ quædam benedictionis in eo appareant, quòd diurna luce quaſi repagulis vel catenis Deus tot truculentas beſtias cõtinet, quibus commodis momentis alimentum ſuppeditat.

22.23 Sic diſtribuuntur à Deo temporum vices, vt dies ſit proprius hominis, in cuius gratiam feris pro terrore lucẽ ſolis oppoſuit, vt maior ſit nobis libertas verſandi in labore vel negotijs.

24 Tunc demum iuſtus honor tribuitur Deo, vbi ſtupore correpti fatemur linguas noſtras & ſenſus omnes deficere.

Nihil in mundo eſt confuſum, quin potiùs ſumma ratione ordinata eſt tot rerum miſtura, vt nihil vel addi, vel detrahi, vel corrigi queat. Hinc ſequitur Epicureos turpiter falli, eos item qui in reputandis Dei operibus cæcutiunt.

Deus non ſibi diues eſt, ſed in bonum noſtrũ exuberat, ne quid in vſus noſtros deſit. Terra verò non eſt tam fœcunda vel locuples à ſeipſa, ſed liberalitatis Dei erga nos miniſtra.

25.26 Mare, pellucidum ac ingens eſt potentiæ & ſapientiæ Dei ſpeculum, ſeu vaſtitatem eius, ſeu piſcium varietatem & abundãtiam, ſeu agitationes, fluxus & refluxus eius conſideres.

Balæna ſatis ſuperq; formidabilem Dei virtutem ante oculos exhibet: huic etiam vaſtiſſimus campus datus eſt in quo ſe exerceat.

27.28 Etſi ratione & iudicio nõ pollent bruta animalia, vt neceſſitati ſuæ remediũ in Deo quærant: propriè tamẽ dicuntur reſpicere ad Deum, cuius liberalitas eorũ inediæ ſuccurrit, ne mox deficiant.

Miraculum eſt illud inſigne, quòd Deus ſtatis temporibus terram fœcundam reddens, benedictionem in reliquum annum extendit: quanuis eſuriem & famem minetur.

Si Deus feris & brutis animalibus victũ opportunè ſuppeditat quo ad ſatietatem paſcantur, nobis eius benedictio inexhauſtũ erit copiæ cornu, modò eam non prohibeamus infidelitatis noſtræ obſtaculo.

29 Cuncta animantia ſtãt & cadunt pro Dei nutu. Stant quatenus ſua virtute ea ſuſtinet: cadunt autẽ ſimulac viuificũ ſubducit ſpiritũ. Bis ergo inexcuſabilis eſt noſtra cæcitas, niſi in illam bonitatem quæ totum mundum viuificat, viciſſim conijcimus oculos.

30 In noua animalium ſobole aſſiduè cernimus nouam mundi creationem: idq; à ſpiritu quem Deus emittit, id eſt, qui ab eo proficiſcitur, & cuius arcana virtute mundus ſubſiſtit.

31.32 Hæc piorum gratitudo vnica compenſationis loco eſt apud Deum, vbi debita eum laude proſequuntur.

Sicut Deum pœnituit feciſſe hominẽ, ita dum ſuam benedictionẽ inquinari videt noſtris corruptelis, oblectationẽ ex ea capere deſinit.

Status mundi in Dei lætitia fundatus eſt: quia niſi terrã vegetet ſereno paternóque affectu, ſimulac eam ſeuero oculo aſpexerit, tremefaciet, montéſque ipſos exuret.

33 Meta laudandi Dei in morte locatur, non quòd ſancti in alia vita ſuperſedeant ab hoc pietatis officio: ſed quia in hunc finem ſumus conditi, vt Dei nomen per nos in terra celebretur.

34 Nihil Deo magis placet vel probatur quàm laudum ſuarum prædicatio, ſicuti nihil à nobis tantopere exigit: ſed quia pollutio noſtra contaminat quod erat natura ſua ſanctiſſimum, ad Dei indulgentiam nos decet confugere, ne noſtris canticis in Chriſto ſanctificatis locum deneget.

Lætari in Domino, rara virtus: quia nihil difficiliùs quàm erraticis gaudiis, quæ per cælum & terram euaneſcunt, mentem colligere vt ſe in Deo contineat.

35 Imprecatio à præcedente verſiculo pendens. Quia enim impij mundum ſuis ſordibus inficiunt, hinc fit vt Deo minùs iucunda ſit ac ferè diſpliceat eius fabrica. Ita ergo Dei beneficiis cum ſincera gratiarum actione vtamur, vt tam pretioſos theſauros à ſceleratis pollui & diſſipari nobis doleat.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Laudum Dei argumentum multiplex & infinitum.
2. De mundi mira creatione.
3. De operibus diſtinctis dierum creationis.
4. De luce, cælis, æthere, aëris regionibus, ventis, terra, mari, aquis, montibus, conuallibus, aqua fontana & pluuia, cibo & potu vario, arboribus, auibus, quadrupedibus, Sole, Luna, die, nocte, piſcibus.
5. De mundi adminiſtratione & creaturarum conſeruatione: ſeu de Prouidentia diuina generali & ſpeciali.
6. De Angelis.
7. De homine.
8. De potentia, ſapientia, maieſtate Dei.

9. Iuſta rerum creatarum conſideratio, ſeu phyſica Chriſtiana.
10. De immenſa Dei benignitate.
11. Piorum in mundi contemplatione officium.
12. Impiorum cæcitas, ſors miſerrima, exitus horrendus.

ARGVMENTVM PSALMI CV.

ALIAM in hoc Pſalmo, quàm in prioribus materiam gratiarum actionis ſibi & populo proponit propheta. Non enim poſſunt omnia Dei beneficia vna cogitatione aut oratione comprehendi. Ideo argumenta gratiarum actionis in Pſalmis ita diſtribuuntur, vt aliàs aliud celebretur beneficium. Interdum enim corporalia beneficia recenſent, vt in præcedenti Pſalmo: quæ etſi ad omnes homines etiam extra eccleſiam pertinent, tamen quia à maxima hominum multitudine contemnuntur, pijs ea meditanda & celebranda proponuntur. Interdum verò ſpiritualia beneficia, quæ eccleſiæ propria ſunt, exponunt. Atque hæc omnia ita diſtribuuntur, vt ſinguli ferè Pſalmi εὐχαριστικοὶ peculiare aliquod beneficium commemorent. Hic autem Pſalmus beneficium adoptionis populi Iudaici & introductionis in terram Canaan, à primis exordijs repetita tota hiſtoria, celebrat, idque à cauſis exaggerando amplificat & commendat: fuit enim maximum & inenarrabile beneficium, quòd Deus Abrahamum & poſteros eius ex toto genere humano horribili idololatria & ſceleribus contaminato, atque æternis pœnis addicto, elegit, atque his ſeſe peculiariter patefecit, edita promiſſione de venturo ſemine, cuius vt cuſtos eſſet vſque ad aduentum Meſſiæ perpetuus, alteram promiſſionem corporalem de poſſeſſione terræ Canaan adiecit. Voluit enim Deus promiſſionem de ſalute generis humani in paradiſo poſt lapſum primorum parentum editam, in certo deinceps loco, & certa gente conſeruari, & eccleſiam diſtinctam ab impia multitudine in illuſtri loco conſpici. Ideo promiſſioni ſpirituali alteram tanquam σφραγῖδα adiecit. Et quanquam non mox poſt initum fœdus, Abrahamum & poſteros eius in poſſeſſionem terræ immiſit, tamen ſuo tempore poſt edita varia & illuſtria ſuæ præſentiæ in hoc populo teſtimonia fidē præſtitit, & vt promiſſa apparerent, fecit. Vtrumque igitur beneficium, adoptionis ſcilicet, & introductionis in terram Canaan, in hoc Pſalmo prædicat propheta. Magnitudinem autem beneficij diuini exaggerat & conſpicuam reddit à cauſa impulſiua. Aliquoties enim affirmat, nullis meritis, nulla dignitate aut prærogatiua Abrahamum aut poſteros eius id beneficium à Deo obtinuiſſe: ſed ſicut ſola miſericordia gratuita motus Deus initio in Paradiſo edidit promiſſionem, qua Adamum & Euam terroribus mortis oppreſſos rurſus in ſpem vitæ erexit: ita eandem deinceps, vt veracem ſe oſtenderet in promiſſionibus, huic populo repetiuit & obſignauit, addito certo fœdere, in quo terram Canaan, tanquam domicilium veræ eccleſiæ & ſcholam, in qua vſque ad Meſſiæ aduentum promiſſio illa aſſiduè ſonaret & conſeruaretur, populo Iudaico poſſidendam tradidit. Hæc ſumma eſt Pſalmi: quem quoties legimus, cogitare debemus nos quoque hoc tempore immenſa Dei miſericordia cum Abrahamo ex tenebris & idololatria Papatus ad lucem Euangelij vocatos, & hactenus mirabiliter ſeruatos & defenſos eſſe inter horribiles furores Diaboli & tyrannorum. Id beneficium grati celebremus. Et quod Pſalmus in fine monet, hæc beneficia præſtita fuiſſe Iudæis, vt doctrinam à Deo traditam & ritus externos, quos adiunxerat, ſeruarent, idem nobis quoque præcipi ſciamus. Vult enim Deus iuxta doctrinam à ſe patefactam à nobis agnoſci & coli, & nos qui vocati ſumus ad ſocietatem eccleſiæ vult eſſe cuſtodes veræ doctrinæ, ita vt non tantùm externa profeſſio cum ea conſentiat: ſed vt totam vitam noſtram ad hanc doctrinam tanquam normam omnium actionum noſtrarum referamus, & vt Paulus ad Epheſ. 4. inquit, ita ambulemus vt dignum eſt vocatione noſtra, qua vocati ſumus.

Pſalmus eſt ἀνεπίγραφος, nec autorem indicat. Hiſtoria tamen 1. Paral. 16. oſtendit Dauidem eſſe huius autorem. Quando enim arca fœderis Hieroſolymam tranſlata eſt, cum maxima pompa & feſtiuitate, & miniſteria ad tabernaculum diſtributa ſunt, Dauid Aſaphum principem cantorum conſtituit, eique hunc Pſalmum decantandum exhibuit, vt eſſet publica gratiarum actionis forma, quæ populum ad conſideranda & prædicanda Dei beneficia excitaret. Ex hac igitur ſcribendi occaſione intelligi rectius exordium, & quò tota narratio tendat, animaduerti poteſt. Voluit enim populo reuocare in memoriā ſumma illa beneficia, quæ Deus à prima adoptione vſque ad illa tempora poſteritati Abrahæ exhibuerat, & pro his in hoc ſolenni feſto Deo gratias agere.

1 CElebrate Iehouam, inuocate nomen eius:
annuntiate in populis opera eius.
2 Canite ei, & pſallite ei: loquimini de omnibus
mirabilibus eius.

Propoſitio pſalmi eſt exhortatoria, ſicut enim ipſe Dauid agnoſcit & celebrat beneficia huic populo diuinitus exhibita, ita vult omnes ſubditos in hoc ſacro conuentu & publica pompa ad conſiderationem diuinorum beneficiorum & gratiarum actionem excitare. Qua in re primùm imago boni & pij principis proponitur, cuius ſtudium in hoc præcipuè occupatum eſt, vt Deus rectè agnoſcatur & celebretur: idque vt faciliùs à ſubditis impetret, ipſe ſua voce & exemplo cæteris præit. Eſt enim verum quod dicitur à Claudiano:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Deinde præcipuus finis ſacrorum conuentuum in his verſibus oſtenditur. Non enim iuſſi erant conuenire Iudæi, vt otioſi eſſent ſpectatores illius pompæ, quæ inſtituta erat à Dauide, aut vt inani ſpectaculo illo animum & oculos paſcerent & oblectarēt, multo minùs vt ſe ad delicias & helluationes, quod ferè noſtræ genti in publicis feriis eſt vſitatum, porcorum inſtar proijcerent: ſed vt animum intenderent ad ea quæ agebantur, & commemoratione beneficiorum diuinorum excitati ad veram gratitudinem & pietatem flecterētur. Ideo inquit, *Celebrate Iehouam,* ſcilicet in hoc conuentu: atque in eo ſeſe opera veſtra & ſtudium huius diei occupet. Et quia ad veram animi gratitudinem multa requiruntur, ideo quaſi facta diſtributione præcipua officia ſeu opera ad quæ peragenda, publica & ſolennia feſta in populo Dei ſunt inſtituta, recenſet.

I. Inquit, *Celebrate Iehouam.* Vult enim in ſacro cœtu primùm omnium Dei bonitatem & miſericordiam laudari, agnoſci & celebrari, quòd ex genere humano ſibi eccleſiam colligit & excerpit, cui ſeſe in omni æternitate communicet. Huius enim beneficij memoria, ſicut perpetuò eam vult Deus extare, ita nunquam prædicari ſatis à nobis, neque vt par erat, celebrari poteſt. Excitandi tamen animi ſunt ad aliquam meditationem & gratitudinem, idque tunc maximè, cùm ſacri conuentus aguntur. Ideo ante omnia vult celebrari Iehouam.

II. Gratiarum autem actioni mox coniungit inuocationem. Nam hi ſunt duo principales cultus, quibus Deus honore afficitur. Et cùm gratias ei pro acceptis beneficiis agimus, deſideriū bonorum diuinorū magis in nobis accenditur, & fides petens cùm ſpiritualia tū corporalia bona confirmatur. Ideo gratiarū actioni adiungenda ſemper eſt inuocatio.

III. *Annuntiate opera*] Non ſatis eſt corā Deo fateri, ab ipſo nos accepiſſe beneficia cùm ſpiritualia, tū corporalia: ſed ad veram gratitudinem pertinet etiam ſtudium propagandi doctri-

doctrina de Deo, & gloriam eius paſſim apud omnes celebrandi & amplificandi, vt plures ad veram agnitionem & verum Dei cultum inuitentur. Ideo ſubiicit, *Annuntiate in populis opera eius.* Non erat populus Dei in illum terræ angulum incluſus, vt ſimul vera Dei agnitio & celebratio iſtis anguſtis finibus circumſcriberetur: ſed voluit Deus certam eſſe ſedem eccleſiæ, vnde vox doctrinæ cæleſtis in omnes gentes ſpargeretur. Ideo terram Canaan, quæ regnis mundi potentiſſimis interiecta erat, elegit, vt ex hoc tãquam fonte doctrina de Deo ad cæteras gentes faciliùs emanaret. Sicut Ieſaias inquit capite 2. Ex Sion exibit lex. Ad hunc igitur finem electæ & conditæ eccleſiæ Iudaicæ reſpiciens Dauid, ita Deum rectè celebrari affirmat, ſi opera eius, hoc eſt, beneficia eccleſiæ præſtita, & teſtimonia præſentiæ eius in eccleſia, & potentiæ, paſſim apud gentes celebrentur. Atque ita ſimul monet, non excludi à ſocietate eccleſiæ & communione bonorum cæleſtium cæteras gentes, etiamſi nullo peculiari fœdere ſe Deus tunc ipſis obſtrinxerat. Id exempla eorum, qui ex gentibus ad Deum tunc conuerſi ſunt, confirmant.

Cantate ei: pſallite ei] Repetit eandem propoſitionem. Et quia inſtituerat Dauid vt voci humanæ in ſacro cœtu organa muſica adiungerētur, quibus præfecit complures, quos hiſtoria 1.Paral.16. commemorat: ideo, poſtquam dixit, cantate: addit, pſallite. Totius autem muſices finis erat, vt animi excitarentur ad meditanda diligētiùs & expendenda & commemoranda Dei beneficia. Huic enim rei ſeruire muſica, non deliciis vel oblectationi aurium debet. Ideo mox addit, Meditamini ſeu loquimini de omnibus mirabilibus eius. Et *mirabilia* nominat, vt ſuprà עלילות opera, omnia ſcilicet beneficia eccleſiæ exhibita, & miraculorum teſtimonia, quæ confirmabāt & doctrinæ certitudinem, & Dei in hoc populo præſentiam aſſiduam. Ea verò omnia talia ſunt, vt & captum & vires humanas ſuperent. Ideo nominat ea נפלאות mirabilia.

3 Laudate in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Iehouam.

Non ſatis eſt Prophetæ hortari populum ſuum ad agendas Deo gratias: ſed ſimul inſtruit & docet eos qualis eſſe gratiarum actio, & quales animos afferre ad hunc cultum debeant. Inquit enim, *Laudate in nomine ſancto eius.* Quod nihil aliud eſt quàm Deum, qualem ſe in verbo patefecit, celebrare & laudare. Deus autem edens promiſſionem de redemptione & reſtitutione generis humani, & Abrahamum cum poſteris ex media idololatria vocans ad ſocietatem eccleſiæ & bonorum cœleſtium, eiúſque ſemini terram Canaan poſſidendam tradens, ac multis inſignibus miraculis & teſtimoniis hunc populum ornans, ſe oſtendit eſſe miſericordem, φιλάνθρωπον, clementem, bonum, potentem & ſapientem. Has igitur virtutes, ex quibus Dei natura, atque ita nomen eius innoteſcit, ex quo agnoſcatur (nomen enim eſt quo quis agnoſcitur) vult à nobis intelligi & celebrari. Ideo dicit, *laudate in nomine eius*, hoc eſt, quemadmodum & Chaldæus interpretatur, annuntiate has laudes & virtutes Dei, & vos beatos prædicate, qui ad veram agnitionem huius Dei vocati eſtis, & qui tam miſericordem, benignum & liberalem erga vos hactenus experti eſtis. Vtrumque enim comprehendit verbo quartæ coniugationis התהללו, & celebrationem illarum virtutum, & gloriationem fidei. Addit autem epitheton, vt nomen hoc diſcernat non tãtùm ab omnibus idolis, ſed creaturis etiam. Nihil enim eſt ſanctum, purum & mundum, niſi Deus, & cui ille ſe communicarit. Deinde *ſanctum* etiam relatiue intelligatur. Debet enim nobis quoque illud nomen eſſe ſanctum, hoc eſt, debet haberi dignum veneratione & cultu, ita vt nullius creaturæ cultus cum hoc commiſceatur: cùm enim ſanctus ſit, non patitur nomen ſuum pollui alieno cultu.

Lætetur cor] Secundum quod in cultu gratiarum actionis & inuocationis requirit, eſt cor lætum, hoc eſt, fide mundatum & Deo reconciliatum. Nam cor intuens iram Dei, & oppreſſum dolore ob peccata, non accedit ad Deum, hoc eſt, non agit gratias pro acceptis beneficiis, nec petit bona à Deo: ſed fugit Deum, & fremit aduerſus eum, ſicut Cain, Iudas, Saul, & ſimiles. Ideo acceſſuri ad Deum ante omnia ſtatuere debent, ſe eſſe in gratia apud Deum, ſéque eſſe iuſtos, hoc eſt, acceptos Deo & reconciliatos, & quidem gratis propter mediatorem.

Hæc enim fiducia parit pacem conſcientiæ, vt Paulus inquit Rom. 5. & læta accedit ad Deum, clamans, Abba pater: cùm alioqui indignitas & immunditia noſtra nos ſemper retrahat à conſpectu Dei, & mentes mergat in triſtes dubitationes & dolores. Atque huc credo reſpexerunt Cabaliſtæ, apud quos prouerbij vice illud dictum iactatur: *Spiritus ſanctus non canit niſi de læto corde.* Bonitas igitur & miſericordia Dei gratis nos recipiens, deinde magnitudo beneficiorum acceptorum gignit in nobis lætitiam acquieſcentem in Deo, atque hæc conſpici in gratiarum actione & toto cultu debet. Nam qui triſtis ad ſacrum cultum accedit, is oſtendit ſe nullum harum rerum guſtum percepiſſe, ſéque adhuc alienum eſſe à Deo.

4 Quærite Iehouam & fortitudinem eius: inquirite faciem eius iugiter.

Suprà gratiarum actioni iungebat inuocationem. Itaque ſicut hactenus expoſuit quæ ſit vera gratiarum actio, videlicet, quæ loquitur de mirabilibus Dei operibus, eáque annuntiat inter populos, & ſanctum Dei nomen celebrans vera animi lætitia in Deo acquieſcit: Ita nunc veram inuocationem, quæ eſt altera pars cultus diuini, hac oratione deſcribit, inquiens:

Quærite Iehouam] Eſt autem quærere Iehouam vnicum & verum Deum, qui ſe tradito certo verbo patefecit, ita agnoſcere, vt abiectis idolis & ſpretis rebus terrenis omnibus, ad hunc vnum prompto animo tam in ſecundis quàm in aduerſis rebus cõfugiamus: eius curæ & patrocinio nos committamus: eum ſolum vt ἀρχηγὸν & ducē vitæ & ſalutis noſtræ ſequamur, eíque nos vera obedientia ſubiicientes, omnia neceſſaria, tam ſpiritualia quàm corporalia, ab eo petamus. Hęc igitur omnia concurrere in vera inuocatione debent.

Deinde addit, Quærite fortitudinē aut robur eius, vbi Græcus perperam legit *huzzu* pro *huzzo*. vertit enim κραταιώθητε, id eſt, confirmamini. Nomen עז etſi metalepticῶs ſimpliciter pro regno ſumi poteſt, vt in aliis dictis multis, Pſalm. 8. & Pſal. 110. &c. vt congruat cum illo dicto Chriſti Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei: tamen hoc loco & alibi, vt ſuprà Pſal. 63. Pſal. 78. verſ. 61. peculiariter arca fœderis dicitur fortitudo ſeu robur Dei per metonymiam: quia ſymbolum erat roboris ſeu regni diuinitus in hoc populo conſtituti. Hoc igitur ſymbolum quærere iubentur Iudęi, quo commonefacti ſciant & credant ſe habere regem potentem, cuius virtute eripiātur à poteſtate diaboli, mortis & peccati, & defendantur aduerſus tyrannidem impiorum & ſceleratorum hominum, atque hac ſpe vincant tentationes, de ſua imbecillitate aut inanitate virium ſuarum.

Eadem ſententia eſt membri ſequentis. Arca enim fœderis eadem ratione dicitur *facies Dei*, qua robur eius. Erat enim ſymbolum perpetuæ præſentiæ Dei in hoc populo, vt dictum eſt ſuprà aliquoties pſal. 95. & alibi. Deus enim etſi faciem nō habeat, vt homo, vnde agnoſcatur, tamen quia vſu humano aliquid eſſe in facie aut comparere, præſentiæ argumētum eſt, Deo tribuitur facies, vt præſentia illius ſignificetur, ideóque res quæcunque, quibus Deus oſtendit ſe nobis adeſſe, rectè dicuntur facies Dei: quemadmodum in veteri teſtamento, columna ignis, nubes, deinde arca fœderis ſeu propitiatorium. In nouo teſtamento Baptiſmus, Cœna Domini & miniſteriū euangelij. *Quærere* igitur *faciem Dei*, eſt ad Deum, qui ſe patefecit & præſentem adeſſe certis ſignis oſtendit, confugere, atque in eum certa fide & ſpe recumbere. Et quia populus Iudaicus certa lege ſeu diſciplina cogebatur quotannis conuenire ad tabernaculum, in quo illa arca erat repoſita: ideo illis ratione iſtius pædagogiæ inquirere faciem Dei ſimul ſignificat conuenire ad iſtum locum, quem Deus elegerat, & quem tanquam ſedem ordinariam externi miniſterij eſſe volebat. Addit autem, *Iugiter* id eſſe faciendum, ne exiſtiment ſe defungi ſuo officio, ſi bis aut ter in anno cōueniant ad tabernaculum, & externos ritus iuxta legem peragant: ſed hoc ritu ſciant ſe admoneri de interiore animi pietate ac cultu, qui debet eſſe perpetuus. Hæc doctrina, quomodo ad nos accommodanda ſit, non eſt obſcurum. Etſi non habemus arcam fœderis aut alios ritus ſimiles Iudaicis, habemus tamen miniſterium verbi, & ſacramenta, addita verbo. Hæc igitur ſunt facies Dei, quam quærere dicimur, quando nos adiungimus ad miniſterium, audimus ſacras conciones, coniungimus vota & preces noſtras cum eccleſia, vtimur ſacramentis diuinitus inſtitutis: atque hæc omnia eò referimus, vt Deum rectè agnoſcamus & colamus: idque non tunc tantùm quando in publico cœtu verſamur, ſed per omnem vitam & in quolibet loco.

5 Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigiorum eius, & iudiciorum oris eius.

Repetitio eſt verſus ſecundi. Iterum enim iubet nos recordari in hoc publico congreſſu mirabilium & prodigiorum, quæ edidit Deus in populi ſui liberatione: atque horum cõſideratione ad gratitudinem excitari. Mirabilia enim nominat illam glorioſam liberationem populi ex Ægypto, in qua virtutem ſuam nouis & admirandis operibus edidit, & præſentiam ſuam in hoc populo oſtendit.

Prodigia nominat illa portenta & miracula, quæ per manū Moſis facta leguntur, & infrà recēſentur, quæ ſic appellan-

tur, quòd iram Dei & futurum impiorum exitium portenderent. Vt nomē מופת hoc loco anguſtius ſit quàm נפלאות. Propriè enim refertur ad illas plagas Ægypti: cùm alterum complectatur totum opus liberationis, in quo multa miracula & teſtimonia præſentiæ & potentiæ diuinæ conſpecta ſunt: ſitq; generale ad מופת & ad משפטים.

Iudicia videtur nominare illam vltimam pœnam Ægyptiorum, quando traductis Iſraelitis per mare rubrum exercitum hoſtilem mole aquarum obruit & deleuit. Nam vocabulum משפט ſæpiſſime pro illa parte iudiciorum, quæ ſeueritatem in pœnis exequendis oſtendit, vſurpatur. Quod autem *oris iudicia* appellat, id ideo fieri exiſtimo, quia ſententia illa de pœnis & interitu Ægyptiorum multò ante à Deo lata erat & pronuntiata, primùm cùm ad Abrahamum dicit Gen. 15. Gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſtea eadem ad Moſen repetita eſt Exod. 3. & in ſequentibus. Alij iudicia oris legem interpretantur, quæ poſtea in deſerto lata eſt.

6 Semen Abrahæ ſerui eius: filij Iacob electi eius.

Hic verſus ſubiectum eſt ſuperiorum omnium, à quo inchoanda erat conſtructio: compellat autem vniuerſum populum Iudaicum, quem appellationibus ſeminis Abrahæ & filiorum Iacob deſcribit, & ſimul ſemina argumentorum adſpergit, cùm dicit eos eſſe ſeruos Dei, & ab eo peculiariter atque immenſa miſericordia electos, vt non ſine ſumma impietate & ſcelere omittere hunc cultum poſſint. *Filios Iacob* nominat, vt oſtendat ſe Iſmaelitas & Eſauitas excludere. Hi enim quanquam originem ab Abrahamo ducebant: tamen alieni erant à Deo.

7 Ipſe Iehoua Deus noſter, in tota terra iudicia eius.

Propoſitioni ſubiicit rationes, quarum prima, quæ in hoc verſu recitatur, ſumpta eſt à debito, atque ab ipſa lege naturæ: idque dupliciter. I. Quod etiam verſu præcedente nonnihil attigi, quia peculiari patefactione & fœdere nos ſibi in populum delegit, atque ita ſibi ad hunc cultum obſtrinxit. Deinde, quia omnes homines ſuo imperio ſubiecit, & vbique ſua iudicia exercet. Itaque vtroq. nomine hic cultus & honos ei debetur, quia & pater eſt, qui dedit nobis ius adoptionis, vt dicamur filij Dei: & eſt Dominus. Quod etiam apud Malachiam cap. 1. eo modo exponitur. Atque huc alludebat verſu præcedente, cùm Iſraelitas nominaret, primùm ſeruos, deinde & electos Dei. Nam & filij honorem debent parentibus, & ſerui Dominis cultum & reuerentiam, ad quam præſtandam etiam metus pœnarum eos inſtigat. Huc enim referendum eſt quod de iudiciis diuinis dicit, nempe quòd Deus in omni terra puniat non agnoſcentes aut detrectantes hoc imperium. Alij tamen ita hūc verſum reddunt: quanquam iudicia in tota terra exercet, & omnes homines ſuo imperio ſubiectos habet, tamen peculiariter eſt nobis Deus: quia poſthabitis cæteris gentibus, peculiaribus teſtimoniis ſuum amorem erga nos declarauit. Ita ſecundùm hos ratio hic ſumitur à beneficiis diuinitus exhibitis: & ſequens tota narratio quaſi expolitio eſt huius verſus. Nec mihi diſplicet hæc ſententia, niſi quòd alteram iudico eſſe pleniorem, & congruere cum illa ſententia Malachiæ, de qua antea dictum eſt. Iuriſdictio ſignū eſt imperij: ideo iudicia metonymicῶs ſignificant imperium ſeu poteſtatem.

8 Recordatus eſt in ſeculum fœderis ſui: verbi quod mandauit in mille generationes.

Hanc iudico alteram rationem eſſe, quæ ſumpta eſt à multitudine beneficiorum, quæ Deus huic populo inde vſque à prima electione ſeu adoptione vſque ad illa tempora præſtitit: vt propter initum fœdus, in quo mutua vtrinque fuit obligatio, non intelligant ſe obſtringi ad illos cultus, ſaltem his beneficiis innumeris, quæ poſtea acceperint, flectantur ad cognoſcendum & celebrandum autorem. Illa autem beneficia ordine prolixa oratione commemorat, atque in hac narratione totus penè pſalmus conſumitur.

Primùm inquit Deum perpetuò fuiſſe memorem ſui fœderis: ne quis exiſtimet illud interruptum aut violatum fuiſſe ex parte Dei: quia non mox promiſſa apparuerint, nec ſtatim poſteris Abrahami terram Canaan poſſidendam dederit. Nunquam enim depoſuit memoriam fœderis aut promiſſionis ſuæ, ſed certo conſilio effectum ſeu rem ipſam diſtulit. Quia & exercere fidem Abrahami ac poſterorum, & ſuam gloriam in aſſidua gubernatione & admiranda liberatione huius populi illuſtriorem reddere voluit. Dilatio igitur & mora illa, quæ interceſſit inter promiſſionem & effectum, non ſolùm non infringit fœdus, aut irritum reddit, vt hypocritæ hic aliquod effugium habere queant, ſed conſtantiam amoris Dei erga hunc populum & veritatem promiſſionum magis commendat & confirmat: Quia nulla temporum intercapedine aut iniuria mutatur aut labefactatur. Ideo inquit Deum perpetuò memorem fuiſſe ſui fœderis. Deinde monet hac oratione propheta, totum illud beneficium liberationis ex ſeruitute Ægyptiaca, & introductionis in terram Canaan, non pendere ab aliquo merito aut dignitate Iſraelitarum, ſed à promiſſione gratuita qua ſe Deus vltro obſtrinxerat Abrahamo & eius poſteris. Eóque maiorem eſſe cauſam, cur in laudes Dei Iſraelitæ erumpant: quia nec virtute ſua hæc bona ſibi pepererint, nec propter ſanguinis prærogatiuam ad hanc gloriam & potentiam ſint euecti: ſed quia ex promiſſione gratuitum ſit beneficium.

Verbi quod mandauit] Pactum illud, inquit, ſeu fœdus initū erat, non vt eſſet vnius atque alterius ſeculi, neque vt vnus aut alter homo in eo comprehenderetur: ſed vt in mille generationes duraret, & omnes poſteri illius gratiæ ac beneficij fierent participes. Ideo nunquam illa gratia quæ in fœdere promittitur fuit abrupta. Et cùm nos vberrimè illis rebus omnibus, de quibus promiſſio facta eſt, fruamur, decet nos eo maiore ſtudio illa beneficia amplecti, agnoſcere & prædicare. Eſt autem numerus certus poſitus pro incerto, & reſpicit ad promiſſionem additam primo præcepto decalogi, Exodi 20. דור hominum ætatem ſignificat, ſicut Græcis γενεὰ quæ complectitur annos 30. ſed apud Hebræos ſignificat ſpatium centum annorum, Gen. 15. Hebræi enim ad hominis ætatem reſpiciunt, quæ in illo mundi vigore centum, vt plurimùm erat annorum. Græci id tempus numerant, quod quis in adminiſtratione reipub. conficit. Quod triginta annos vt plurimùm, non excedit.

Vtitur autem verbo mādandi. 1. Quia Deus pacta ſua vult eſſe rata & firma: quemadmodum rex aliquis ſeu imperator ad ſuam dignitatem & exiſtimationem pertinere iudicat, ne edicta mutentur, aut retractentur. Quod igitur vult eſſe ratum, hoc mandat. 2. Quia in fœdere mutua eſt obligatio, in qua Deus non aliter nobiſcum paciſcitur, niſi quatenus legibus latis obtemperemus: ideo fœdus ſeu promiſſio nomine mandati exprimitur. Sicut enim Deus à ſe promittit omnem amorem, beneuolentiam, defenſionem, auxilium, &c. ita à nobis, quos in fœdus adſciſcit, viciſſim requirit fidem, timorem, dilectionem, &c. Ideo ad Abraham inquit, Gē. 17. Ambula coram me & eſto perfectus, & ponam fœdus meū inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Et poſteros eius ſimiliter compellans, Leuit. 19. inquit: ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus tuus. Vide infrà pſal. 111.

9 Quod pepigit cum Abraham: & Iuramenti ſui ad Iſaac.

Pertinet hic verſus ad præcedentem, cúmque in genere nominaſſet fœdus: nunc illius nomen exprimit, cum quo fœdus illud primum initum ſit. Erat Abraham, cùm vocaretur, permiſtus idololatris, vt nullā hic prærogatiuam, nullam dignitatem aut meritum eius obtrudere quiſquam poſſit: ſed totum beneficium vocationis & adoptionis fuit gratuitum, eóque maiorem laudem ex hac adoptione meretur Deus. Vtitur autem verbo כרת in fœderis deſcriptione, quia acceſſit certus ritus, quo fœdus illud confirmatum eſt: de quo legatur cap. 15. Gene. vbi ritus ille prolixè deſcribitur. Verbum enim Hebræum refertur ad illam cæremoniam cædendi & diuidendi victimas & tranſeundi inter partes, qui ritus poſtea etiam gentibus fuit vſitatus. Quod ex hiſtoriis Dictys, Daretis & aliorum colligi poteſt. Et notum eſt illud Virgilij 8. Æneid.

Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Repetita autem eſt promiſsio ad Iſaac & Iacob, vt maior eſſet certitudo, præſertim cùm res ipſa non tantùm non appareret, ſed potiùs contrarium in multiplicibus & aſsiduis huius populi miſeriis eſſet in conſpectu. Atque hîc quoque bonitas & φιλανθρωπία Dei conſpicitur. Prædixerat Abrahamo, fore vt poſteritas eius annos 400. in Ægypto affligeretur. Ea res ne certitudinem promiſsionis infringeret, ſæpius illa repetitur & confirmatur, ipſi primum Abrahamo, deinde eius filio nepoti: & vt prorſus omnis dubitatio tolleretur, additur *Iuramentum*, vt ſcribitur Gene. 22. præſente & audiente Iſaac: atque idem repetitur ad Iſaac Gene. 25. Idque luculenter explicat epiſtola ad Hebræos cap. 6. &c.

10 Et ſtabiliuit illud Iacobo in decretum: Iſraeli in fœdus perpetuum:

11 Dicendo, tibi dabo terram Canaan: funiculum hæreditatis veſtræ.

Sicut filio Abrahæ, ita & nepoti fœdus illud confirmatur, & noua promiſſione ſtabilitur, vt omnis dubitatio abeſſet, & poſteritas ſciret non vni Abrahamo, ſed toti poſteritati factas

factas eſſe has promiſſiones: eóque maiore ſcelere ſe obſtringi intelligerent, qui tanta beneficia non agnoſcerent, nec vt par erat, celebrarent.

Dicit autem fœdus illud initum eſſe, vt eſſet *ſtatutum*, vt hac etiam voce certitudinem promiſſionis exprimat: ſtatuta enim ſeu leges non feruntur, à Deo præſertim, vt in horas aut dies mutentur, aut cum vna ætate hominum euaneſcant, ſed vt ſint firmæ & perpetuæ. Sicut igitur ſuprà dixit, Deum mandaſſe hoc verbum ſeu promiſſionem: ita hîc eodem ſenſu ait Deum ſtabiliuiſſe ſuum fœdus in decretum, vt ſcilicet eſſet ratum & immotum: atque eodem pertinet, quod mox ſubiicit, *in fœdus perpetuum*: quod nullo ſcilicet tempore interrumperetur aut aboleretur. Hîc tamen monendi ſunt auditores de voce עולם, quæ non eodem modo ſemper accipienda, ſed pro diuerſitate rerum, de quibus ſermo eſt, nunc de tempore infinito, nunc de ſatis quidem bene longo, ſed tamen finito ac determinato intelligenda eſt. Erant autem duæ res promiſſæ in fœdere, primùm ſpiritualia & æterna bona, de quibus dicitur in hac promiſſione: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Geneſ. 12. & 22. Item: Noli timere Abraham: ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, Geneſ. 15. Deinde corporalia, quæ Deus adiecit promiſſioni ſpirituali tanquam ἐπίσταγμα & σφραγῖδα rerum ſpiritualium, vt cùm dicitur Gene. 15. & alibi, Semini tuo dabo terram hanc. Cùm igitur de bonis æternis & ſpiritualibus ſermo eſt, vox עולם addita promiſſioni ſignificat tempus æternum & nunquam finiendum. Nam Daniel capite nono, & tota ſcriptura clamat, iuſtitiam & cætera bona, quæ in hoc fœdere promittuntur, fore ſempiterna: ſed quando corporalium bonorum, vt poſſeſſionis terræ Canaan, opulentiæ, tranquillitatis regni, &c. fit mentio, dictio עולם ſecundùm ſubiectam materiam eſt interpretanda. Erat autem certa politia promiſſa Iudæis vſque ad Meſſiæ aduentum, vt expreſsè inquit Daniel cap. 9. Matth. 11. Luc. 16. Ideo vox עולם tunc ad illud tempus reſtringenda eſt.

Verſus vndecimus formulam habet fœderis, quam ideo ſubiicit, vt mentione ſummi & quidem gratuiti beneficij animos Iudæorum ad gratitudinem excitet. Oſtendit enim hæc fœderis formula, promiſſionem rerum ſpiritualium, quam illa altera de corporali regno obſignabat, prorſus eſſe gratuitam, nec pendere ab hominum meritis ſeu iuſtitia, ſicut dicitur Deuter. 9. Ideo inquit Deus ad Abraham, ego dabo tibi: vt ſignificet eſſe donum ſeu beneficium gratuitum. Et addit, *funiculum hæreditatis veſtræ*: vt ſcirent Iudæi ſe terram Canaan non alio iure poſſidere, niſi quòd ex Dei pacto legitima erat Abrahæ hæreditas. Solebant autem agri & fundi, in quibus præcipuè opes tunc conſiſtebant, funiculis diſtribui. Ideo terram Canaan metonymicωs nominat funiculum hæreditatis Iudæorum, id eſt, bona ad ipſos hæreditario iure deuoluta, & funiculis ſeu ſorte diſtributa. Ratio loquẽdi ſumpta eſt à Geodetis, vt ſuprà pſal. 16. dictum eſt. Mutatio numeri in pronomine *veſtræ*, ſignificat, promiſſionem Abrahæ factam pertinere ad totam poſteritatem, & omnes communi fœdere obſtringi ad gratitudinem præſtandam.

12 Quum ipſi eſſent pauci numero: quaſi modicum & peregrini in ea.

13 Et pertranſierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alium.

14 Non permiſit hominem nocere eis: & corripuit propter eos reges.

15 Nolite tangere Chriſtos [*vnctos*] meos: & prophetis meis nolite malefacere.

Subiicit confirmationẽ, quam ſumit ab ipſo euentu. Atque hac occaſione iam à primis exordiis repetit hiſtoriam populi Iſraelitici, vt ex continuo curſu beneficiorum, magnitudo amoris diuini faciliùs conſpiciatur, & animi horum conſideratione ad gratitudinem flectantur. Deus, inquit, non tantùm promiſit Abrahamo atque eius poſteris multa & magna bona: ſed etiam optima fide præſtitit: eámque fidem mox ab edita promiſſione declarauit. Etſi enim non mox terram Canaan tradidit poſſidendam Abrahamo, atque eius liberis, tamen tunc quoque, cùm pauci eſſent numero, & terræ ampliſſimæ atque opulentiſſimæ poſſidendæ nondum ſufficerent, ideóque quaſi peregrini & inopes vagari aliquandiu incertis ſedibus cogerentur, oſtendit ſe horum curam gerere ſingularem. Nam & vitam eorum tutatus eſt mirabiliter inter mille pericula, & multos reges propter ipſos corripuit. Eſt autem in his verſibus pulchra eccleſiæ imago, quæ diligenter conſideranda eſt, ne paucitas credentium aut ærumnæ piorum animos noſtros frangant, aut in triſtes dubitationes ſeu deſperationem coniiciant. Quanquam enim promiſſiones factæ illi cœtui, qui dicitur eccleſia, ſunt ſplendidæ, ideóque nomen eccleſiæ eſt amabile apud omnes bonos: ea tamẽ eius eſt in hac vita conditio, vt ſemper ferè ſit cœtus, qualis hîc deſcribitur: primùm eſt exiguus, & credẽtes pauci ſunt numero. Nam ærumnæ perpetuæ & ſcandala, quibus multipliciter deformatur eccleſia, complures abſterret, vt ab ea deficiant. Ipſa etiam paucitas credentium multos retinet, vt communem multitudinis errorem ſequantur. Deinde à conditione ſeu fortuna ſumit deſcriptionem, cùm inquit, cœtum eccleſiæ eſſe quaſi modicum, hoc eſt, nullis eſſe inſtructum viribus aut præſidiis, eſſe infirmũ & inermem, ideóque telis omnibus & iniuriis expoſitum. III. Sunt pij peregrini in terra, & viuunt tanquam aduenæ in alieno ſolo, hoc eſt, nulla ſunt cognatione aut affinitate muniti, nulláque habent ſtudia aut officia amicorum: deſeruntur enim etiam à familiariſſimis & coniunctiſſimis, & viuunt tanquam ignoti & alienigenæ: & quanquam habent promiſſiones etiam de rebus corporalibus, inſignes ſanè & luculentas: tamen ita ferè fit, quemadmodum in verſu 13. dicitur, vt cogantur ambulare à gente ad gentem, è regno ad populum alium, hoc eſt, vt nullum habeant fixum domicilium in mundo: ſed vagentur tanquam exules & ἀστατοῦντες, vt Paulus inquit 1. Corinth. 4. Quia vult Deus eccleſiam commonefacere de primo exilio, & vult nos ſimiles fieri imaginis filij Dei. Sed hîc maxima Dei potentia & virtus conſpicitur. Hic enim cœtum illum quantumuis exiguum, infirmum, omnibus præſidiis nudatum, & ſine certa ſede vagantem in mundo ſeruat, protegit & defendit aduerſus omnem vim & potentiam Diaboli & organorum eius: fitque illud beneficium protectionis & liberationis inter aſſidua eccleſiæ pericula magis illuſtre. Si enim pericula non eſſent, nulla in defenſione Dei virtus cõſpiceretur. De hac defenſione loquuntur verſus 14. & 15. Sicut enim Abraham cum ſua familia & filio ſeruatus eſt mirabiliter à Deo inter varias inſidias & ærumnas: ita omni tempore protegit Deus ſuã eccleſiam, eſtque, quemadmodum Zacharias inquit, murus igneus in circuitu ſuorum.

Cúmque in genere dixiſſet, Deum non permiſiſſe vt quiſquam eos iniuria afficeret, addit tãquam exempli loco, hiſtoriam regum Ægypti & Gerar, quos caſtigauit Dominus propter Abrahamum & eius coniugem, vt ſcribitur Gen. 12. & 20. eóque exemplo oſtendit ſuorum ſalutem ſibi curæ eſſe, quantumuis mundo ſint execrabiles.

Ne tangatis Chriſtos meos, & Prophetas meos ne lædatis.]

Hæc verba ſcribuntur μιμητικῶς. Nam vt euidentiùs appareat amor Dei erga Abrahamum atque eius poſteros, & manifeſtũ fiat nulla humana induſtria, nec caſu aliquo ex tot periculis, in quibus aſſiduè verſabantur, euaſiſſe, recitat edictum, quo Deus inhibuerit ferociam gentium & regum, ſub quorum videbantur eſſe poteſtate: eóque tanquam muro firmiſſimo aduerſus omnem iniuriam ſuos munierit. *Nolite* inquit *tangere Chriſtos meos*, id eſt, abſtinete vos ab omni iniuria. Aſpergit autem argumẽta ſeu rationes, cur velit ſuos in tuto eſſe. Primùm, quia ſunt vncti Dei, hoc eſt, ſanctificati Deo in peculium, & excerpti peculiariter in genere humano vt ipſum agnoſcant & colant. Nam vnctus hoc loco ſignificat peculiari vocatione delectum & deſtinatum ad cultum diuinum. Forma ſermonis ſumpta à more qui poſt ætatem Abrahami vſitatus fuit: quando Reges & ſacerdotes peculiari vnctionis ritu ad munus omnium ſummum & grauiſſimum in genere humano ordinabantur, hoc eſt, ad curam conſeruandæ & propagandæ doctrinæ de Deo, & diſciplinæ externæ. Alioqui enim Abraham, Iſaac & Iacob non habuerunt externam vnctionem. Sed dicuntur vncti, quia cùm ſegregati eſſent à Deo ab impia multitudine, ſimul Spiritu & donis diuinis inſtructi ſunt, quæ oleo ſignificabantur. Eſtque mos ille loquendi vſitatus in ſacramentis. Deinde quia ſunt Prophetæ Dei. Ideo autem nominantur *Prophetæ*, quia & peculiari reuelatione ſuam voluntatẽ ipſis patefecerat Deus, & voluit eos eſſe non tantum cuſtodes promiſſionis traditæ, ſed doctores & propagatores. His igitur elogiis ornantur Patriarchæ, Abraham, Iſaac & Iacob, vt manifeſtum fiat cur patrocinium horum ſuſceperit: & ne quis exiſtimet temere ita factum eſſe, vt reges potentiſſimi ſe ita demitterent, vt Abrahamum & filium eius vererentur, eorúmque amicitiam vltro expeterent. Súntque hæc elogia diligenter à nobis obſeruanda, primum quia nos de vocatione noſtra admonent: & ad ſtudium doctrinæ ac pietatis nos exuſcitant. Sumus vncti & Prophetæ Dei. Ergo cura conſeruandæ & propagandæ doctrinæ diuinitus traditæ nobis incumbit, & cultus pietatis diligenter & aſſiduè à nobis eſt exercendus. Nec prodeſt hic externus ritus vnctionis quicquam, ſi animus ſit impius & profanus: quemadmodum Monachi & ſacerdotes ſomniant, & perperam hoc teſtimonium allegant pro ſuis ſceleribus tegendis. Deinde hæc verba conſolationem proponunt dulciſſimã. Affirmãt enim nos ſub tutela Dei viuẽtes

hoc edicto atque elogio probè munitos eſſe aduerſus omnē tyrannidem & iniuriam malorum hominum. Neque enim ad Abrahamum tantùm & eius filium ac nepotem hoc pertinet: ſed ad omnes, qui per fidem eius filij facti in idem fœdus adoptantur. Tertiò etiam reges & principes hoc loco ſui officij admonentur, iíſque quaſi compedes iniiciuntur, ne ad oppugnandam eccleſiam pro ſua libidine proſiliant aut armis eam euertere tentent. Grauis enim & horribilis damnationis ſententia manet omnes, qui ſpreto hoc ſeueriſſimo mandato arma aduerſus eccleſiam ſumunt.

16 Et vocauit famem ſuper terram: Omnem baculum panis contriuit.

Subiicit aliam narrationem, in qua alia beneficia huic populo pręſtita commemorat. Propheta enim ordine præcipuas huius populi hiſtorias à prima vocatione Abrahæ vſque ad traditam poſſeſſionem terræ Canaan commemorat, vt & magnitudine & multitudine beneficiorum diuinorum animi ad gratitudinem aliquo modo excitentur. Eſt autem hæc hiſtoria ſumpta ex Geneſ. ca. 39. 40. & 41. vbi integrè illa recitatur. Hic enim tantùm ea attingit, quæ amorem Dei erga hunc populum & fidem in præſtandis promiſſis maximè declarant. Hic autem verſus primam occaſionem narrat, quæ Iacobum impulit, vt cum tota familia ſua ex terra Canaan migraret in Ægyptum: quod tamen humano iudicio videbatur abſurdum, & cum ipſa promiſſione pugnare. Erat enim Abrahamo & eius poſteris promiſſa terra Canaã. Et tamen Iacob relicta illa terra, in qua iam ſedem fixerat, deſcendit in Ægyptum. An igitur promiſſionem tanquam vanam & irritam abiecit, ſeq; hoc facto hæreditate promiſſa ſpoliauit? Nequaquam: ſed intellexit diuinitus famem illam immitti, vt ſibi occaſio eſſet mutandi ſedes ad tempus, & apud peregrinas gentes habitandi. Itaque ſequutus eſt Dei conſilium, atque interea tamen promiſſionem certa fide retinuit.

Ideo dicit propheta, *Deum vocaſſe famem ſuper terram.* Quia non temere nec caſu ita accidit, vt ſterilitatem agrorum ſequeretur omnium rerum penuria: ſed Deo claudente manum ſuam & ſubtrahente alimenta. Et quod de illius temporis fame affirmat propheta, id in genere ad famem quamlibet & ſimiles calamitates, vt bella & peſtes, accommodemus. Vocātur enim à Deo ſuper terram calamitates publicæ, vt impiæ multitudini ſint pœnæ peccatorum, piis verò exercitia pœnitentiæ & inuocationis ſeu δοκιμασίαι, &c.

Dicitur autem Deus vocare famē, quia Deus ſuo nutu ſeu mandato efficit, vt res quæ nondum extabant, ſint: ſicut qui vocatur, venit in conſpectum, cùm antea non apparuerit.

Baculum panis] Metaphoricōs vigorem ſeu fulturam illam ciborum, quæ nos alit & ſuſtinet, nominat baculum ſeu virgam, vt non male reddiderit Græcus στήριγμα. Nam panis cōfirmat ſeu fulcit cor hominis, vt dicitur pſalmo præcedente: hoc eſt, quemadmodum baculus ſeu ſcipio hominem innitētem fulcit, ne corruat, ita panis corpus ſuſtentat ne vires deficiant. Hæc ratio eſt metaphoræ. Eſt autem hic peculiaris modus famis ſignificatus. Alia fames oritur ex ſterilitate agrorum & inopia rerum: ſed alia eſt etiam in ipſa copia: cùm, ſcilicet Deus virtutem alendi & fulciendi corpus ſubtrahit rebus naſcentibus.

17 Miſit ante eos virum: in ſeruum venditus eſt Ioſeph.

Hanc hiſtoriam integram legant ſtudioſi, Geneſ. 37. Hic verò conſilium Dei conſideretur, qui ſcelus & crudelitatem fratrum Ioſeph ita dirigit, vt non tantùm poſteritati Abrahami, ſed multis aliis gentibus in ſalutem cedat. Erat ſecutura fames, quæ afflictura erat multas regiones. Præmittitur igitur Ioſeph in Ægyptum, qui & venturam denunciet, & maturo conſilio publicæ calamitati occurrat: atque ita cum cæteris etiam parentem & familiam eius vniuerſam alat. Hæc prima cauſa fuit, cur præmiſſus ſit Ioſeph in Ægyptum. Sed erat alia cauſa maior, de qua poſtea loquitur verſu 21. & 22. Nūc huius mentionem facit, vt oſtendat, Deum non obliuiſci ſui fœderis aut promiſſionum, etiamſi interdum quædam accidant, quæ aduerſa fronte videntur pugnare cum promiſſione. Nam ſi quis hiſtoriam Iacob iuxta rationis iudicium examinet, exiſtimabit omnes illas promiſſiones de poſſeſſione terræ eſſe vanas & irritas. Non tantùm enim non occupat terram promiſſam, ſed cùm in ea habitare tanquam aduena ſeu hoſpes cœpiſſet, rurſus inde cum liberis expellitur, coactus fame apud alias gentes quærere panem. Hîc verò ne promiſſio fieret irrita, néve curam ſuorum abieciſſe Deus videretur, præmittitur in Ægyptum Ioſeph tanquam Oeconomus qui patri venienti paret hoſpitium & familiam eius alat. Et tamen hoc ipſum Dei conſilium initio non intelligitur. Primùm enim cùm iam à fratribus deſtinatus eſſet morti, ideóque in ciſternam miſſus, oblata alia occaſione de conſilio Iudæ venditur Iſmaelitis, ſitque per hos mancipium Potipharis Eunuchi in Ægypto. Atque ibi rurſus in alias calamitates & pericula incidit, quæ conſilium Dei de conſeruanda per eum familia paterna & tota gente multiplicanda obnubilant, atque ex oculis tollunt. Non enim multò poſt falsò accuſatus à cōiuge Potipharis muliere impudica coniicitur in carcerem, in quo aliquot annos retinetur & duriter affligitur, vt ſcribitur Geneſ. 39. Hæc certè talia ſunt, quæ cum promiſſione congruere non videntur. Sed ita Deus agit cum ſuis contra rationis iudicium, vt & veritas promiſſionum certius appareat, & conſilium ipſius & virtus in defenſione ac liberatione ſuorum melius conſpiciatur. Ideo quanquam venditus fuit Ioſeph, & poſtea in carcerem coniectus, vt proximo verſu dicitur: tamen hæc omnia ſeruiebant conſilio & prouidentiæ Dei, vt ſcilicet Iacobum cum familia in fame ſuſtentaret, & hac occaſione in loco fertili eos collocaret, vbi creſcerent & multiplicarentur. Nec tantùm irritam non fecit hæc afflictio promiſſionem, ſed magis etiam promouit: & euentus docuit virum hunc diuinitus præmiſſum fuiſſe, vt curam ſuam & amorem in ſeruanda eccleſia Deus oſtenderet. Idque exemplum vtilem habet doctrinam, ad omnes calamitates & pericula eccleſiæ accommodandam.

18 Afflixerunt in compede pedes eius: ferrum venit in animam eius.

Carceris Ioſeph, quæ cauſa & occaſio fuerit, oſtēdit hiſtoria Geneſ. 39. & habet illa hiſtoria pulcrum exemplum caſtitatis, de quo ſtudioſi legant orationem 8. Theodoreti de prouidentia. Amplificat autem propheta miſerias carceris, cùm inquit, *ferrum veniſſe in animam eius.* Loquitur enim de interioribus animi doloribus, quibus fuit afflictus interea dū in carcere detineretur. Non enim foris tantùm ſenſit cruciatus & dolores corporis, ſed alia multa erant, quæ animum vulnerabant. Videbat ſe quaſi abdicatum eſſe à familia Dei, in qua ſonabat promiſſio & doctrina de Deo, & diabolus ex hac calamitate funiculos deſperationis ei nectebat; videbat ſe turpiſſimo ſcelere meretricis veniſſe in periculum vitæ, & totam ignominiam in ſe redundare, qui erat innocens: dolebat fratres tanto ſcelere ſe contaminaſſe, atque iram Dei in ſe prouocaſſe: ſciebat patrem nuntiata morte filij domi dolore confici: metuebat ne fratres extincto patre in ſe mutuò inſurgerent & digladiarentur. Hæc & ſimilia torquebant Ioſephum magis quàm illa ferrea vincula: ideo dicit ferrum ingreſſum eſſe in animam eius: aut vt Græcus interpres & alij exponunt, in ferrum veniſſe animam eius. Eſt autem באה fœmininum, quod ad nomen נפש rectè refertur. Atque ad hanc phraſin, ſine dubio reſpicit Simeon, Lucæ 2. quando ad Mariam inquit, Tuam ipſius animam penetrabit gladius.

Iterum autem hîc Dei conſilium in gubernanda ſua eccleſia conſiderandum eſt. Non enim mox apparent ea, quæ promittit Deus: ſed vtitur longo circuitu, obiiciens in medio curſu varia obſtacula & remoras, & quaſi nubeculas interponens, quæ conſpectum rerum promiſſarum quodammodo adimunt: vt & fides noſtra interea exerceatur, & præſentia eius & auxilium in liberatione fiat illuſtrius. Ita enim cùm Ioſephum euehere vellet, atque hac occaſione familiam Iacob ſeu eccleſiam ſeruare, non mox adducit eum ad regem, aut huius fauorem ei conciliat: ſed priùs ſeruum eum facit, & falſa accuſatione deformatum in carcerem detrudit: vnde tandem poſt annos aliquot ad regni gubernacula euehitur. Ita & pater eius per multas & varias calamitates, quibus iactatus eſt, tandem in hunc portum defertur, vt videat & ſtatuat Deum promiſſionis memorem eſſe, & eccleſiæ ſuæ curam agere. Hæc exempla colligenda ſunt, vt fides noſtra in ærumnis & calamitatibus eccleſiæ confirmetur.

19 Vſque ad tempus [*quo*] venit verbum eius: ſermo Iehouæ examinauit eum.

Hic verſus cauſas indicat, cur Deus aliquando differat liberationes ſuorum. Prima eſt: Quia Deus ſuo conſilio gubernat eccleſiam, non humano: ideóque tempora certa deſtinauit, quibus eam liberet. Tandiu igitur neceſſe eſt eccleſiam ſub cruce manere & gemere, donec tempora illa diuinitus decreta veniant. Altera eſt, quia Deus cruce & calamitatibus explorat conſtantiam piorum: & inter ærumnas creſcit lux fidei, & inuocatio fit ardentior. Ideo inquit Ioſephum tamdiu fuiſſe retentum in carcere, *donec veniret verbum*, quod Deus de Ioſepho decreuerat, hoc eſt, donec tēpus euectionis & glorificationis à Deo decretæ veniret (Nam relatiuum in דברו quod hoc loco ſine antecedente ponitur, ad Deum referendum eſt) quanquam alij verbum ſimpliciter interpretātur euentum ſeu exitum, qui hactenus latebat, & relatiuum referunt ad Ioſephum: donec veniret verbum eius, id eſt, donec pateſieret exitus Ioſephi, qui diuinitus ei erat deſtinatus.

Neque

Neque enim caſu id factũ eſt, vt tamdiu iaceret incluſus carceri. Eſt autem in hac cauſa ſimul dulciſſima conſolatio comprehenſa. Cùm enim inquit, eccleſiam exerceri cruce & calamitatibus, donec verbum ſeu decretum Dei veniat; ſignificat afflictiones ſanctorum in hac vita non fore perpetuas, ſed tẽporarias, & quidem momentaneas, vt Paulus inquit, eóque maiore conſtantia eſſe ferendas.

Addit deinde ſermonem Iehouæ examinaſſe Ioſephum, hoc eſt, decretum illud de eo liberando diuinitus factum tãdiu tenuiſſe eum ſub cruce, vt patientiam eius probaret, & fidem atque inuocationem redderet ardẽtiores. Verbum enim צרף proprie ſignificat metalla igni excoquere & puriora reddere.

20 Miſit rex, & ſoluit eum dominator populorum & liberauit eum.

Huius liberationis, quæ occaſio fuerit, oſtendit hiſtoria Gene. 41. quam integram legant ſtudioſi: atque in hac hiſtoria, ſicut in vniuerſum in omnibus liberationibus eccleſiæ, cogitẽt verum eſſe illud dictum Salomo. Prou. 15. Gloriam antecedit humiliatio. Ita enim Deus gubernat ſuam eccleſiam, vt priùs eam mortificet, deinde viuificet, &c.

21 Conſtituit eum dominum ſuper domum ſuã: & dominatorem in cunctis opibus ſuis.

22 Ad vinciendum principes ſuos in anima ſua: & vt ſenes ſuos doceret ſapientiam.

Ioſeph liberatus ex carcere non tantùm manumittitur, cũ antea ſeruus fuiſſet, ſed euehitur ad ſummos honores, ad ſummam dignitatem & potentiam. Conſtituitur enim proximus à rege, & committitur ei adminiſtratio totius regni, vt ſcribitur Geneſ. 41. Hanc verò dignitatem & potentiam conferebat Ioſeph, non tantùm ad conſtituendam rempublicam, ad ordinanda iudicia, ad promulgandas leges honeſtas, quæ nerui eſſent bonæ & felicis gubernationis, & (vt Demoſthenes inquit) ψυχὴ τῆς βασιλείας: ſed multò magis ad propagandam doctrinam de Deo, & ad tradendas alias artes generi humano neceſſarias. Ideo dicitur non tantum conſtitutus ſuper domum & poſſeſſiones Pharaonis, vt eius autoritate & conſilio omnia in regno adminiſtrarentur: ſed etiam erudiiſſe principes, & ſenes docuiſſe ſapientiam. Sapientiam enim hãc intelligo primum veram de Deo doctrinam, quam didicerat à patre & auo, doctrinam de creatione, de lapſu generis humani, de peccato & ira Dei, de gratia, de reparatione & reſtitutione generis humani per ſemen promiſſum, doctrinam item de vero cultu Dei, de extremo iudicio, & vita æterna. Hæc enim prima & vera ſapientia eſt, noſſe Dei voluntatem erga ſe, & ſcire quomodo placeas Deo, & qui cultus ei ſit pręſtandus. Quam tamen ſapientiam Ægyptij, à Ioſepho acceptam, nõ diu retinuerunt: mox enim relapſi ſunt ad ſuos idololatricos cultus.

Deinde nomine ſapientiæ intelligantur etiam aliæ artes & doctrinæ: vt doctrina de motibus & effectibus corporum cæleſtium, de natura rerum, de honeſtis legibus, quibus respublicæ feliciter gubernantur, de remediis morborum &c. Quibus artibus illud regnum ex inſtitutione Ioſephi poſtea floruit & excelluit præ omnibus aliis regnis & monarchiis: vt cæteras gentes, quæ doctrinæ & eruditionis fama poſtea celebres fuerunt, hanc ſapientiam petere ab Ægyptiis neceſſe fuerit. Atque hæc præcipua cauſa fuit, cur Ioſeph in Ægyptum ſit miſſus. Voluit enim Deus, promiſſionem ſuam de ſalute generis humani, etiam in illo regno, omnium tunc temporis florẽtiſſimo, ſonare, atque eius voce ex gentibus quoque eccleſiam ſibi colligere: & voluit ſcire Iudæos, promiſſionẽ gratię, quæ erat principalis in fœdere, non pertinere ad ſolos Iudæos. Ideo mox initio eius rei documentum præbuit. De his igitur rebus concionantur hi duo verſus.

Primùm dicit, Pharaonem conſtituiſſe Ioſephum *ſuper domum ſuam*: quæ oratio ſignificat ei commendatam eſſe gubernationem aulæ: & cæteros conſiliarios ipſius imperio atque autoritati fuiſſe ſubiectos. Nam Gene. 41. dicit Pharao ad Ioſephum, Præeris domui meæ, & ad imperium oris tui parebit omnis populus meus: vno ſolio te anteibo. Deinde amplificans hanc ſententiam, addit eum conſtitutum fuiſſe *dominatorem* ſuper omnes poſſeſſiones Pharaonis. Non enim tãtùm gubernatio aulæ ei fuit commendata, ſed totum regnum & omnes præfecturæ ab eius autoritate pendebant.

Ad vinciendum principes in anima ſua] Hoc plerique ſic exponunt, vt verbum vinciendi intelligant de imperio ſeu poteſtate coniiciendi in vincula etiam proceres regni. Alij quia hoc aſperius eſſe vident, deducunt verbum לאסור à verbo יסר quod eſt erudire. Nam א & י cùm literæ ſint cognatæ, ſæpe inter ſe commutantur. Atq. in hac ſententia fuit Grecus interpres, qui verbo παιδεῦσαι Hebræum tranſtulit. Sed non opus eſt comminiſci hîc aliquam literarum commutationem, cùm ſententia ſit ſimpliciſſima, ſi metaphorâ aſperitas verbi Hebræi molliatur. Non enim exiſtimandum eſt, imperium Ioſephi fuiſſe tyrannicum aut crudele, vt quoties libuerit principes in carcerem coniecerit, aut duriùs tractarit: ſed cùm ſumma eius eſſet in regno autoritas, & neceſſe eſſet cæteros omnes ab ipſius nutu pendere, eiúſque mandatis obſequi, dicit eum vinciuiſſe principes, hoc eſt, tenuiſſe ſibi ita deuinctos & obſtrictos, vt impunè detrectare eius autoritatem aut mandata non poſſent. Vincula igitur non intelligantur de catenà aut carcere, ſed de obligatione, ſeu nexu, quo mediante vel iuramento vel ſimplici mandato regis, obſtringebantur ad obſequium.

In anima ſuã] Hoc eſt pro volũtate ſeu arbitrio ſuo deuinctos & ſubiectos ſuæ poteſtati tenuit, ita vt nec refragari eius imperio, nec prouocare ad regem ab ipſius ſententia liceret. Apud Hebræos vocabulum נפש metaleptic⁹ pro voluntate ſeu deſiderio accipitur: quia anima voluntatis & deſiderij ſedes eſt. Sicut & apud Græcos vocabulum ψυχὴ, vt apud Xenophontem 1. παιδ. de patre Cyri, μέτρον δ' αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, ἀλλ' ὁ νόμος ἐστιν. Græcus interpres perperam reddidit dictionem Hebræam כנפשו ὡς ἑαυτὸν, vnde in Latina verſione legitur, ſeipſum. Veriſimile enim eſt eum legiſſe כנפשו mutata litera ב in כ ſimilitudinis.

Vt doceret ſapientiam ſenes] Hoc membrum oſtendit, qua re maximè ſibi obſtrictos reddiderit ſenes, qui antea ſummi in aula regis fuerant, nempe, quia ad autoritatem ſeu mandatum regis acceſſit etiam ſumma ſapiẽtia, & ſcientia rerum tam diuinarum quàm humanarum. Hanc verò ſapientiam quia iuſſu regis communicabat cæteris liberaliter, creuit eius autoritas, vt ſi qui antehac metu coacti imperium agnouiſſent, nunc ſponte etiam & vltro ei ſe ſubiicerent. Deinde oſtendit quale fuerit Ioſephi imperium: non tyrannicum, in quo omnia pro libidine ſua ageret: ſed quod totum penè eſſet occupatum in propaganda doctrina de Deo, & in tradendis aliis bonis artibus. Atque hîc imago boni & ſalutaris gubernatoris proponitur, quam intueri aſſiduè atque imitari, qui ad Reipubl. gubernacula collocati ſunt, debebant.

23 Et venit Iſrael in Ægyptum: & Iacob peregrinatus eſt in terra Cham.

Additur tertia narratio profectionis Iſraelitici populi in Ægyptum, quæ prolixè deſcribitur Gen. 46. Eius autem occaſio fuit fames, cuius antea mentionem fecit. Nec opus eſt in re manifeſta longiore enarratione. Ægyptum nominat terram Cham, eo quòd Mizraim κτιστὴς gentis Ægyptiæ, vnde nomen regno ipſo inditum eſt, filius fuerit Cham. Gen. 10.

24. Et auxit populum ſuum valde: & robuſtiorem eum fecit præ inimicis ſuis.

Hic iam incipit aliquo modò apparere conſilium Dei, cur Iſraelitas voluerit migrare in Ægyptum, nimirum vt faciliùs in regno opulento & fertili ſolo creſcerent & amplificarentur. Erat familia Iacobi, cùm in Ægyptum deſcenderet, non admodum magna. Deſcendit enim cum ſexaginta ſex animabus: quibus ſi Ioſeph & filij eius annumerentur, animæ ſunt in vniuerſum ſeptuaginta, Gen. 46. Ex his igitur breui temporis ſpatio tam numeroſus populus procreatus eſt, vt poſt annos ducentos viginti duos (tot enim anni ſunt à deſcẽſu Iacob vſque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto) egrederentur ſexcẽta fere millia peditum virorum, exceptis paruulis & mulieribus, Exo. 12. Nam quod in eodem capite dicitur, habitationem filiorũ Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuiſſe quadringentorum & triginta annorum: id intelligendum eſt de prima vocatione Abrahæ ex terra Chaldæorum, data promiſſione, vt apparet ex Numeris. Nam & ille mox anno tertio fame coactus deſcẽdit in Ægyptum. Ita & Paulus hoc interpretatur Gal. 3. Hic igitur rurſus Dei amor erga hunc populum conſpicitur, qui quanquam vult eum aliquandiu exulare, & tandem etiam laboribus & miſeriis in Ægypto cõfici: tamen inter ipſas ærumnas, ſupra modum, & præter cõmunem conſuetudinem, populum iuxta promiſſionem auget, vt tandem fortior & numeroſior ipſis Ægypti habitatoribus euadat. Verbum עצם quod roborari ſignificat, nonnulli per prolepſin de re futura accipiunt, quia poſtea in interitu Ægyptiorum facti ſunt robuſtiores ſuis hoſtibus. Sed exiſtimo prophetam ad opinionem ſeu metum Ægyptiorum reſpicere. Iſraelitæ enim cùm creſcerent quotidie, & numero ac viribus inualeſcerent, fiebant iam formidabiles Ægyptiis: ideóque multò ante futurum metuebant, vt aucto Iſraelitarum numero ipſi ab aduenis aliquando excuterentur, quod teſtatur hiſtoria Exo. 1. Eò igitur reſpiciens dicit Iſraelitas robuſtiores eſſe factos ſuis hoſtibus. Iam enim re ipſa erant inferiores, qui aliquando futurum metuebant vt ſuperarentur numero & viribus. Ideo ſequitur:

25 Conuertit cor eorum, vt odio haberent populum ſuum: & fraudulenter agerent cum ſeruis ſuis.

Hîc rurſus fit rerum commutatio. Videbat populus promiſſionem Abrahæ factam quotidie compleri in numeroſa ſobole omnium familiarum: ideo in ſpem bonam erigebantur, fore vt paulo poſt immitterentur in poſſeſſionem terræ Canaan: ſed hæc ſpes mox ipſis eripitur nouo incommodo & calamitate. Rex enim Ægyptius non tantùm imponit illis operas & onera duriſſima, quibus populum atteruet & affligat: ſed etiam cum hoc modo ſe nihil proficere videret, obſtetricibus mandat, vt pueros maſculos omnes in partu interficerent: & tandem cùm hæ impio edicto non obtemperarent, populo vniuerſo præcipit: vt quicquid maſculini ſexus naſceretur, in flumen proiicerent. Atque hoc callido conſilio exiſtimauit ſe breui tẽporis ſpatio Gentem Hebræam extirpaturũ eſſe. Hanc hiſtoriam, quæ deſcribitur Exod.1. hoc loco attingit propheta, vt oſtendat Dei conſilia, in gubernatione & conſeruatione eccleſiæ longè alia eſſe quàm ſunt humana iudicia: & doceat, nõ eſſe deſperandum de Dei fide & bonitate iuxta promiſſa, etiamſi illa non ſtatim votis noſtris per omnia reſpondeat.

Quòd autem dicit, Deum *peruertiſſe cor illorum*: vt odio haberent &c. non ita intelligendum eſt, quòd Deus autor fuerit Pharaoni & Ægyptiis horum prauorum conſiliorum, aut quòd hæc callida & ſcelerata conſilia ipſis immiſerit. Nam Pſal.5. inquit: Deus nolens iniquitatem tu es, Non habitabit apud te malignus &c. Item, Odiſti omnes operantes iniquitatem, &c. Atque hæc ſententia paſſim in Scriptura repetitur, Deut.32. Oſe.11. Pſal. 92. Ezech.33. quæ vtraque manu aut potiùs toto pectore tenenda eſt, vt ſciamus Deũ non eſſe cauſam vllius peccati, nec velle, nec efficere, nec approbare ſcelera & cõtumaciam impiorum: ſed peccati cauſam eſſe prauam voluntatem hominis, & afflatum ſeu impulſum diaboli. Peruertiſſe igitur dicitur Deus cor Pharaonis & Ægyptiorum, quando corda natura ſua peruerſa relinquit talia deſerendo, vt conceptum aduerſus Iſraelitas odium effunderent. Odium enim illud peruerſum in Pharaone & Ægyptiis non erat ex Deo: ſed ex malitia, ex faſtu, & auaritia ipſis innata: quam quia Deus per gratiam ſuam non correxit ſeu abſtulit, dicitur peruertiſſe corda illorum, vt pij intelligerent, nõ ſine voluntate Dei iſta ſibi accidiſſe: quæ cogitatio plurimũ affert cõſolationis in cruce. Hæc ſimpliciſſima eſt, & conſona teſtimoniis ſcripturæ ſententia. Et ita Auguſtinus loquitur Tom. 2. contra Pelagianos pag.300. Deus non obdurat impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Idem lib.1. cõtra duas Pelag. Epiſtolas, cap. 18. ait: Nec ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum inuitum aliquem cogi: ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante ſine meritis conuerti ad bonum. Verbum igitur peruertendi, &, quod in Exodo ſedecies occurrit, indurandi, non intelligatur de efficaci actione, ſed de permiſſione ſeu deſertione, vt Auguſt. inquit lib. 5. cõtra Iulianum. Eſt enim vſitatum in lingua Hebræa, vt verba actiones ſignificantia ponantur pro actionum cauſis, ſiue veris, ſiue [illegible]: quæ cùm ſint voluntas, facultas, permiſſio, ſæpe fit, vt ſint exponenda per, volo, poſſum, permitto, & per propriũ infinitiuum. Gal.5. Qui ex lege iuſtificamini, id eſt, vultis iuſtificari. 1. Cor.10. Per omnia omnibus placeo, id eſt, cupio aut ſtudeo placere. Luc. 8. Audientes non audiunt, id eſt, nolunt audire. Matth. 16. Qui perdiderit animam ſuam, hoc eſt, volet vel paratus erit perdere. Ita Ieſai.63. Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te: hoc modo exponendum eſt, Quare deſeris nos, & ſinis nos errare, &c. & non potius retrahis nos, & gubernas Spiritu tuo, ne noſtra negligentia & malitia in hæc mala ruamus? &c.

Vt dolum ſtruerent, vel doloſè agerent cum ſeruis ſuis] Ægyptios ait vſos fuiſſe dolo in exterminanda gente Hebręa, quia nõ mox manifeſtis cædibus ſæuiebant in eorum corpora, ſed primùm laboribus aſſiduis & duriſſimis eos exhaurire & attenuare ſtudebant: mox cùm hac non ſuccedere viderent, alia via aggreſſi, opera obſtetricum maſculam ſobolem tollere conabantur: atque vbi ſic quoque ſua ſpe fallerentur, tandem vniuerſo populo mandabant, vt maſculos natos in flumen ſubmergerent. Ita priùs vſi ſunt inſidioſis conſiliis & fraude, antequam ad manifeſtas cædes progrederentur. Et hæ ſunt artes quibus diabolus eccleſiam, omnibus ætatibus oppugnat, dolus & vis aperta: quò enim Vulpina non pertingit, Leoninam aſſuit.

26 Miſit Moſen ſeruum ſuum: Aaron quem elegit.

Hæc quarta eſt narratio de Moſe & Aarone miſſis ad educendum populum ex Ægypto: quæ hiſtoria deſcribitur à Moſe Exod.3. & ſequentibus capitibus. Atque hîc rurſus Dei præſentiam & virtutem in ſeruandis ſuis conſiderandam proponit. Premebatur populus duriſſima ſeruitute, & multi infantes ſtatim à partu interficiebantur: & durabat ea crudelitas ſupra annos octoginta (tot enim anni ſunt à Moſis natiuitate vſque ad miſſionem), vt nulla penè ſpes populo reliqua eſſet. Sed hîc iterum Deus ſe oſtendit Moſi in rubo, & liberationem promittit. Eſt igitur vocatio Moſis, cuius hîc meminit, peculiare Dei opus, & teſtimonium, quo ſuam præſentiam in eccleſia, & fidem in ſeruandis promiſſis oſtendit. Et ſicut tunc Moſen vocauit ad hoc opus, vt Iſraelem oppreſſum tyrannide liberaret: ita quocunque tempore, quando eccleſiam ſuam liberat à tyrannide, excitat aliquos heroas qui diuina virtute inſtructi patrocinium piorum ſuſcipiant, & eccleſiæ aliqua halcyonia pariant. Idque beneficium à nobis qui iam annos quinquaginta eo fruimur, agnoſcendum & prædicandum eſt: ſicut Iudæos propheta monet, vt propter miſſum Moſen Deo gratias agant.

Vocat autem Moſen *ſeruum* Dei, & cum ait eſſe miſſum, quia non rapit ipſe ſibi illud imperium, nec à ſeipſo quicquam tẽtauit: ſed Deus eum elegit cum fratre ad illud opus liberationis perficiendum. De Aaronis vocatione legatur hiſtoria Exod. 4. Aaronem autem eodem ſenſu vocat electum Dei, quo Moſen ſeruum. Vterque enim eligebatur, vt horum opera Deus vteretur in ſeruanda ſua eccleſia: ideo vtriſque rectè tribuitur electio.

27 Poſuerunt in illis verba ſignorum eius: & prodigia in terra Cham.

Amplificat hanc narrationem à miraculis, quibus Deus & vocationem Moſis atque Aaronis confirmauit, & iuſtum ſuum iudicium atque iram aduerſus ſcelera & tyrannidem Ægyptiorum declarauit. Nam hæ fuerunt principales & ſpeciales cauſę illorum prodigiorum, & plagarum horrendarum, quæ 7.8. 9.10.11. cap. Exodi deſcribuntur. His verò & aliæ addi poſſunt ex communi doctrina de pœnis & calamitatibus generis humani, quas breuitatis cauſa omitto. Obſeruandum autem quod dicit, Moſen & Aaronem, *poſuiſſe* inter Ægyptios *verba*, hoc eſt, res ſeu facta ſignorum Dei, id eſt, miracula diuina: quia non propria virtute ediderunt illa miracula, ſed horum miniſterio vſus eſt Deus in oſtendenda ſua virtute & potentia.

28 Miſit tenebras & obtenebrauit: & non fuerunt rebelles verbis eius.

Diſtributio eſt, qua miracula in Ægypto edita in ſpecie recenſet: nec tamen omnia, neque eo ordine quo in ſacris hiſtoriis geſta leguntur. Nam ad propoſitum ſatis erat prophetæ, quædam maximè illuſtria commemoraſſe. Ideóque à tenebris inductis orditur, quæ tamen plaga non fuit ordine prima, ſed nona, vt ſcribitur Exod.10. Fuit enim illud opus maximè ſtupendum, cùm mutata totius naturæ ratione lux conuerteretur in tenebras: ita quidem vt tenebræ reliquam Ægyptum opprimerent per totum triduum: illam verò terram, vbi Iſraelitæ habitabant, non attingerent. Voluit autem hoc miraculo oſtendere Deus, illuſtre diſcrimen inter vtraſque gentes, & conditionem vtriuſque depingere. Erant oppreſſi Ægyptij horrendis tenebris, hoc eſt, Ignoratione Dei, carebant luce conſolationis, trepidabant, & de ſalute deſperabant. Econtra Iſraelitis fulgebat lux gratiſſima, & conſolatio ex promiſſionibus & teſtimoniis præſentiæ Dei, qua ſe in illis ærumnis ſuſtentabant & confirmabant, ne cum Ægyptiis ruerent in æternam deſperationem & mortem. Ita eccleſia omnium temporum diſtinguitur ab Ethnicis, Iudæis, Mahometiſtis, &c.

Et non fuerunt rebelles verbis eius] Hoc non intelligẽdum eſt de Ægyptiis, quaſi moti illis tenebris reſipuerint: ſed de Moſe, & Aarone, qui vocationi diuinæ obtemperantes iuſſa eius fideliter ſunt executi. Idque exemplum conſiderandum eſt, vt Deum vocantem nos ſequamur, eíque obediamus. Quidam tamen hæc ad ſigna & portenta referunt, quòd ad verbum Dei præſto fuerint, nec repugnarint Dei imperio. Sed hoc videtur eſſe alienum & coactum. Græcus interpres negatiuam particulam omittit, quia exiſtimauit de Ægyptiis eſſe ſermonem.

29 Conuertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.

Verſio aquarum in ſanguinem, quæ durauit in ſeptimum diem, prima plaga ſeu vltio fuit, vt ſcribitur Exod.7. Et de hac ſcribitur Sapientiæ 11.ca. Aquas fluminis in ſanguinẽ verſas eſſe, vt punirentur Ægyptij propter infantum cędes quos Pharao in flumine ſubmergi iuſſerat, atq; ita ſãguinis effuſi

pœnas

pœnas in ſanguine ſoluerent. Nam per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Occidit piſces eorum] Piſces enim in ſanguine viuere non poſſunt.

30 Produxit terra eorum ranas: in cubiculis Regum ipſorum.

Hæc plaga ſecundo loco recenſetur, Exod. 8. & miraculum in eo oſtenditur, quòd in cubilia regum, in furnos, & reliquias ciborum, vt loquitur Moſes, penetrarint. Alioqui enim tota quidem Ægyptus ſcatebat ranis: ſed tamen ædificia præſertim regum & principum ab his erant immunia. Reges dicit, non quòd plures fuerint reges in Ægypto, ſed vel filios regis, qui in ſpem regni educabantur, vel proceres regni ſic vocat: vel etiam ad arces, à diuerſis regibus, & diuerſis temporibus conſtructas, reſpicit. Allegoriam de ranis, itē aquis in ſanguinem verſis, & pediculis, quam Origenes excogitauit, lubens omitto, quia aliena videtur ab hoc propoſito. Illud potiùs conſideremus, non ſine cauſa Deum initio hunc ranarum exercitum immittere Ægyptiis, vt ſuperbiam & faſtum huius gentis frangeret, (Turpe enim erat illos à ranis in tantum metum & trepidationem coniici, qui antea toti terrarum orbi volebant eſſe formidabiles) & ſimul ſuam potentiam oſtenderet, qui facilè ſine inſtructo exercitu debellare & proſternere ſuos hoſtes poſſet.

31 Dixit, & venit examen muſcarum [*inſectum:*] pediculi in omni termino eorum [*id eſt, in tota regione.*]

In hoc verſu coniungit tertiam & quartam plagam. Nam pediculorum immiſſio tertio loco recitatur à Moſe: inſectorum verò quarto, Exod. 8. Cæterùm dictio Hebræa ערוב ſignificat mixturam diuerſi generis inſectorum, vt ſunt veſpæ, crabrones, aſili. Græcus κυνόμυιαν, id eſt, muſcam caninam, vertit: nonnulli etiam ſerpentes, & ſcorpiones, & alia animalia noxia, hoc vocabulo comprehendi exiſtimant. Cauſam huius plagæ explicare volens liber Sapientiæ cap. 11. inquit; Quia Ægyptij colebant mutos ſerpentes, & beſtias viles, immiſiſti illis multitudinem animalium mutorum in vindictam, vt ſcirent, quòd per quæ quis peccat, per eadem puniatur. כנים vocem Hebræam Septuaginta verterunt κνῖπες, ſeu σκνῖπες, qui ſunt vermiculi erodentes ligna: inde irrepſit in Latinam verſionem vox Cniphes. Sunt autem כנים beſtiolæ exiguæ, infenſiſſimæ, quæ non ſolùm lædunt cutem, ſed etiam penetrant ad interna. Habent enim inde nomen, quòd firmiter infigantur & incumbant corpori, ita vt poſtquam cutem perforarint, non facilè auelli queant. Nam כנן ſignificat firmam baſin collocare, vnde כן baſin ſignificat, cui res innititur. Origenes dicit eſſe animalia minuta volucria, adeo exigua, vt oculi viſum, niſi acutè cernentis, effugiant: corpus tamen cùm inſederint, acerbiſſimo terebrent ſtimulo, ita vt, cùm volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem. Quæ deſcriptio culicem potiùs quàm pediculum refert. Alij tamen pediculos verterunt. Nam hodie quoque Iudæi pediculum nominant כנה. Quòd initio vtitur verbo *Dicendi*, oſtendit malum id non fuiſſe fortuitum, ſed Deo volente & iubente immiſſum.

In omni termino] Id eſt, in tota regione Ægyptiorum, quæ ſuos habebat limites ſeu terminos. Eſt autem συνεκδοχή, ne quis exiſtimet, in limitibus ſolùm conſpecta fuiſſe hæc animalcula.

32 Poſuit pluuias eorum grandinem: ignē flammantem in terra ipſorum.

Hæc tempeſtas & plaga ſeptimo loco recenſetur à Moſe Exod. 9. Et additur, grandinem, præterquàm quod cum igne permixta ferebatur, tantæ fuiſſe magnitudinis, quanta nunquam antea apparuiſſet in terra Ægypti. Fuit igitur impetus ille grandinis horribilis & miraculoſus, cùm propter magnitudinem, tum propter ignem intermixtum, quem naturaliter aquæ reſtinguunt. Voluit enim Deus incutere tandem terrorem hominibus ſuperbis & præfractis, vt ſentirent ſibi cum Deo negotium eſſe. Ita Sapientiæ 16. hæc hiſtoria exponitur, quæ huc referatur.

33 Et percuſſit vineas ipſorum, & ficulneas eorum: & contriuit arborem termini eorum.

Moſes addit etiam homines & animantia fuiſſe percuſſa grandine.

34 Dixit, & venit locuſta: & bruchus abſque numero.

35 Et vorauit omnem herbam in terra ipſorum: & conſumpſit fructum telluris ipſorum [*quem ſcilicet grando reliquum fecerat.*]

Hæc octaua plaga eſt, quæ deſcribitur Exodi decimo. Bruchi non meminit Moſes, ſed comprehendit vocabulo ארבה omnis generis animantia, quæ folia arborum, ſegetes & herbas depaſcuntur.

36 Et percuſſit omne primogenitum in terra ipſorum: principium omnis virtutis ipſorum.

Hæc vltima eſt plaga, quæ deſcribitur Exo. 12. Sicut autem in cæteris omnibus, ita in hac quoque plaga, Deus non tantùm potentiam ſuam aduerſus Ægyptios, ſed amorem etiam ſuum erga Iſraelitas oſtendit. Sicut enim in cæteris plagis terram Goſen, in qua Iſraelitæ habitabant, ſeruabat intactam & illæſam: ita etiam in hoc tranſitu, cùm proxima nocte ante populi egreſſum percuteret omnia primogenita Ægypti, pepercit familiis Iſraelitarum, quorum limina conſperſa erant ſanguine agni. In qua hiſtoria dulcis conſolatio eccleſiæ proponitur. Omnibus enim temporibus tranſit Deus per mundum, puniens horribiliter contemptum miniſterij euangelici, & contumaciam in atrocibus delictis: & tamen inter colliſiones & ruinas regnorum parcit eccleſię, conſperſæ ſanguine Filij ſui. Huius ſummi beneficij commonefacit nos hic verſus, eóque nos ad gratitudinem extimulari decet.

Principium virtutis] Amplificat virtutem Dei repetitione eiuſdem ſententiæ. Primogenita autem nominat initium virtutis, quia virile robur in generatione ſe oſtendit. Alij dolorem, alij cupiditatem interpretantur.

Sed dictio און quando ad corpus refertur, μεταληπτικῶς pro viribus ſumitur, quę nimiùm intenſæ non tantùm languorem, ſed dolorem membrorum afferunt. Et notum eſt illud Pindari, δ' ἐρδόντα τι καὶ παθεῖν τι χρή Ita Iacob Oſe. 12. dicitur præualuiſſe angelo in virtute ſua. Et Ieſai. 40. Qui dat feſſo potentiam, & ei cui non ſunt vires, robur. Vbi ex antitheſi apparet dictionem Hebræam ſæpe pro robore aut viribus ſumi. vide ſuprà pſalm 78. verſ. 51.

37 Et eduxit eos cum argento & auro: & nullus in familiis eius fuit debilis.

Ex antitheſi ſubiicit narrationem de eductione Iſraelitarum ex Ægypto. Quemadmodum enim Ægyptios decem illis plagis, quas Moſes commemorat, duriter afflixit: ita è regione populum Iſraeliticum non tantùm intactum & incolumem ſeruauit, ita vt nullus in omnibus familiis eſſet, qui aliquo incommodo valetudinis afficeretur, cùm quidem per totam Ægyptum horrendæ ſtrages eſſent editæ: verùm etiam auctum opibus & ditatum ex illo duriſſimo carcere tandem eduxit, Exod. 13. 14. Vt igitur cætera miracula omnia, ita hoc inprimis teſtimoniū erat amoris & præſentiæ Dei in hoc populo. Eſtque hæc liberatio typus futuræ & æternæ liberationis eccleſiæ, quæ per Chriſtum à diaboli tyrannide liberata, per mare peccati & mortis in promiſſam requiem vitæ cæleſtis introducetur. Itaque ſicut Iſraelitæ hoc corporale beneficium iubētur celebrare: ita eccleſia omnium temporum illud ſummum beneficium prædicando extollere & commendare poſteritati debet.

Quòd dicit *cum auro & argento* eos exiuiſſe, oſtendit Deum liberaliter compenſaſſe tandem illam duram ſeruitutem, & miſerias quas tulerant Iſraelitæ in Ægypto. Cùm enim Ægyptij tyrannicè annos ampliùs octoginta imperaſſent Iudæis, & grauiſſima onera impoſuiſſent, pro quibus nullam mercedem rependerant, Deus antequam egrederentur Iſraelitæ, iuſſit eos accipere commodatò ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea, & veſtes, Exod. 11. eáque mercedis loco ipſis voluit eſſe. Quod ita que de furto Iſraelitarum diſputatur, ſciendum eſt, autoritate Dei, quæ nititur iuſtiſſima ratione, id factum eſſe ab Iſraelitis, nec opus eſt alias huius facti quærere excuſationes. Debebatur Iſraelitis merces pro operis ſeruilibus, quam quia non dabant Ægyptij, Deus punire hoc modo ingratos & crudeles Ægyptios voluit. Sunt & aliæ cauſæ, cur auro, argento, & veſtibus ditatos voluerit exire ex Ægypto. Voluit enim ſuos inſtruere viatico, & voluit eos habere aliquid, quod poſtea conferrent ad conſtructionem & ornatum tabernaculi fœderis. Atque huc pertinet allegoria venuſtiſſima Auguſtini libr. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 40. quæ vtilem habet commonefactionē. Sicut enim Iſraelitæ idola, & vaſa aurea atque argentea Ægyptiorum auferunt, & ad iuſtos & Deo placentes vſus conferunt: ita Chriſtiani Philoſophiam & diſciplinas liberales, quæ in ethnicorum libris extant, non eò prorſus relinquere debent, quòd ethnici eis impiè abuſi ſunt, ſed ad iuſtum prædicandi euangelij vſum transferre debent. Hoc multò rectiùs & veriùs dicitur, quàm illa quæ ſunt apud Origenem, qui ex aquis in ſanguinem verſis facit dogmata Philoſophorum, ex ranis carmina Poëtarum, ex pediculis artem Dialecticam, &c.

In familiis eius] Nonnulli relatiuum referunt ad Deum,

quia Deus populum illum adoptauerat, vt eſſet ipſius tribus. Sed ſunt enallagæ numerorum vſitatæ in lingua Hebræa, vt ſingulare ſcriptum ſit pro plurali בשבטיהם.

38 Lætata eſt Ægyptus in egreſſu eorum: quia ceciderat timor illorum ſuper illos.

Quanquam obſtinatè Ægyptij aliquandiu manebāt in ſuo propoſito, vt Iſraelitas retinendos, & miſeriis ac laborib. conficiendos cenſerent: tandem tamen tantus illis terror incuſſus eſt ex interitu primogenitorum omnium, vt & egreſſum vrgerent, & lætarentur quòd abiiſſent. Ea mutatio affectuum non ſine ſingulari prouidentia diuina accidit.

Pauor illorum] Iſraelitis pauor tribuitur non paſſiuè, ſed actiuè: quia iam ex multis plagis & prodigiis facti erant formidabiles Ægyptiis. Pauor itaque Iſraelitarum cecidit ſuper Ægyptios, quando Ægyptiis terrorem incuſſerunt, ſeu terribiles fuerunt. Eſtque hic terror planè Panicus, vt Græci nominãt, & Pindarus δαιμόνιον φόβον. Quanquam, ſi paſſiuè interpretari nomen פחד velis, non incommoda erit ſententia, ſi dicas, pauorem, quo anteà Iſraelitæ fuerant oppreſſi, cùm in perpetuo metu & periculo verſarentur, nunc facta rerum commutatione cecidiſſe ſuper Ægyptios.

39 Extendit nubem ad tegumentum: & ignem vt lucem præberet noctu.

Poſt eductum populum per mare rubrum, etſi non ſtatim eos introduxit Deus in terram promiſſam, tamē multis ſignis & miraculis toto illo tempore quo vagabantur Iſraelitæ in deſerto, ſuum amorem & curam erga hunc populum & præſentiam aſſiduam oſtendit, ſéque verum eſſe Deum, qui ſolus colendus & adorandus eſſet, confirmauit. Voluit enim Deus aliquot annorum oberratione in deſerto fidem Iſraelitarum probare, eóſque in ſtudio pietatis atque inuocationis exercere: ideo moram interpoſuit. Interea tamen aſſiduis miraculis & teſtimoniis viſibilibus ſuam præſentiam oſtendit, ne fides fracta langueſceret aut extingueretur. Ex his igitur aliquot maximè illuſtria & inſignia recitat, eorúmque commemoratione de aſſidua Dei in ſuo populo præſentia & bonitate auditores ſuos commonefaciens, omnes ad veram animi gratitudinem, & laudum diuinarum celebrationem excitare conatur.

Eſt autem primum beneficium, quòd vagantes Iſraelitas in locis vaſtis & ſolitudinibus interdiu texit nube, noctu verò lucem illis columna ignis præbuit, Exod. 13. Atque ita non tantùm contra æſtum ſolis interdiu eos protexit, & noctu lucem gratam ambulantibus præbuit: ſed multò magis hoc externo ſymbolo ſe ducem fore ſuſcepti itineris, & defenſorem in omnibus periculis, quæcunque vel interdiu, vel noctu obiici poſſent, teſtatus eſt. Hic principalis finis fuit iſtius miraculi. Nam miracula illa, & beneficia omnia in deſerto præſtita, fuerunt illis Sacramenta ſeu σφραγίδες promiſſionum diuinarum. Hæc verò pictura eccleſiam omnium temporum commonefacit de vera præſentia, conſolatione & defenſione Dei in omnibus ærumnis & periculis. Nam ſicut tunc texit populum nube, eáque noctu lucem præbuit: ita omni tempore Filius Dei tanquam vmbraculum tegit eccleſiam aduerſus æſtū iræ diuinæ, ne hoc igne conſumatur. Eſtque lux, vt Iohannes inquit, lucens in tenebris, & illuminans omnem hominem, oſtendens Patrem, & dicens conſolationem in cordibus noſtris. Ideo Ieſaias cap. 4. enarrans hanc hiſtoriam, atque ad totam eccleſiam accommodans, inquit, Creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, hoc eſt, ſuper totam eccleſiam, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplendorem ignis flammantis in nocte: ſuper omnem enim gloriam erit protectio. Aduerſus fulgorem erit tegumentum, & aduerſus æſtum erit tentorium in vmbraculum, & ſecuritatem, & abſconſionem à turbine & à pluuia. Hoc igitur beneficium grati agnoſcamus & celebremus, & ſimul Filium Dei oremus, vt nobis quoque ſit vmbraculum ab æſtu: & lucem, hoc eſt, veram agnitionem Dei, & conſolationem efficacem in tenebris cordium noſtrorum, & conſternatione animorum, & veram dilectionem in nobis Spiritu ſuo accendat, & in omnibus periculis atque ærumnis opem & auxilium inuocantibus ferat, vt dicere cum Michea poſſimus: Cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea.

40 Petiuit, & venit coturnix: & pane cæli ſaturauit eos.

Secundum beneficium eſt, quòd petentibus dedit carnes, Exod. 16. & Numer. 11. cui adiungit tertium de manna, Exod. 16. Alio autem fine huius hiſtoriæ mentionem facit, quàm ſupra pſalmo 78. & ſequentibus. Nam ibi Deum iratum copiam coturnicum miſiſſe affirmat: & hiſtoria Exod. 16. & Numer. 11. idem affirmat: quò etiam ſequens pſalmus alludit. Sua enim impatientia & murmurationibus hoc Deo extorſerunt Iſraelitæ, vt vento excitato collectas coturnices per caſtra diſiiceret, & cupiditati ipſorum morem gereret. Hîc verò eam hiſtoriam ita adducit, vt affirmet, Deum etiam hoc facto ſuum amorem & indulgentiam continuam erga hunc populum confirmaſſe: idque propoſito argumento conueniebat.

Panem calorum] nominat Mānam, quia cælitus ros depluebat, qui concreſcens in grana & grumos dulciſſimum cibum præbebat Iſraelitis. Quia igitur cibus ille non ex terra, nec interueniente hominum cultura, ſed cœlitus abſque omni mortalium opera ad paſcendum Dei populum deſcendit, nominat hunc panem cœlorum ſeu cœleſtem. Cæterùm dulciſſima eſt in hac quoque hiſtoria commonefactio, quæ ad eccleſiam omnium temporum pertinet. Sicut enim tunc in deſerto populus alebatur pane cœleſti: ita eccleſia Chriſti, quæ verè in hoc mundo viuit, tanquam in deſerto, alitur & ſuſtentatur voce euangelij: qua animi credentium ſuſtentantur, & vita æterna in eis inchoatur ac fouetur. Nec tantùm vox euangelij, ſed Chriſtus ipſe, qui per vocem euangelij eſt efficax, & per fidem habitat in cordibus noſtris, alit & paſcit nos ad vitam æternam. Ideo Iohannis 6. inquit, Ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendit, de quo ſi quis comederit, viuet in æternum. Panis quem dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.

41 Aperuit rupem, & fluxerunt aquæ: ambulauerunt [*abierunt, defluxerunt*] in aridis [*ſcilicet locis*] vt fluuius.

Quartum beneficium eſt eductio aquæ ex petra. Poſtquam enim carnibus & pane cæleſti eos ſatiauit, addidit etiam potum prorſus miraculoſè, vt cætera omnia. Erant enim Iſraelitæ in deſerto, in locis ſiccis & aridis, vbi nulli fontes aut riuuli reperiebantur, & parum aberat quin ſiti extingueretur populus. Hîc Deus per Moſen aperuit duriſſimam petram, vnde planè nihil aquæ ſperari poterat: atque inde tantam aquarum copiam eduxit, vt non tantùm homines & iumenta biberent: ſed, vt hîc inquit, etiam inſtar fluuij per deſertum aquæ decurrerent. Hæc hiſtoria deſcribitur Exod. 17. & Num. 20. Cæterùm allegoriam petræ à Moſe percuſſæ, & principalem doctrinam huius hiſtoriæ explicat Paulus 1. Cor. 10. cùm inquit: Bibebant Iſraelitæ de ſpirituali, comitante eos, petra. Petra autem erat Chriſtus. Aderat enim Filius Dei populo Iſraelitico perpetuus comes, cuſtos, & defenſor, & ſuam præſentiam cùm aliis multis teſtimoniis viſibilibus, tum imprimis hoc inſigni miraculo oſtendit. Hoc igitur pij in populo Iſraelitico agnoſcebant, ideóque aquam illam ex petra fluentem non ita tantùm bibebant, vt corporis ſitim ea reſtinguerent: ſed multò magis, vt hoc teſtimonio commonefacti ſtatuerent, Chriſtum, quem petra illa viſibili ſignificari intelligebant, ſibi perpetuò adeſſe, & animos ſitientes, hoc eſt, æſtu iræ Dei, & metu pœnarum exhauſtos, ideóque remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, & vitam æternam expetentes, fonte aquarum Euangelij ſeu promiſſionis reficere & recreare. Hoc Paulo ſignificat bibere de ſpirituali comitante Iſraelitas petra, quæ ſit Chriſtus, illa rupe, quam Moſes virga percuſſerat, figuratus.

Conſideranda autem eſt & appellatio petræ, quæ Chriſto non in hac hiſtoria tantùm, ſed paſſim in ſcriptura tribuitur. Matth. 16. & 21. Actor. 4. 1. Petr. 2. Ieſa. 28. Epheſ. 2. Ita enim dicitur, quia eſt firmum & ſolidum fundamentum eccleſiæ: & vt Pſalmi crebrò eum nominant, rupes ſalutis noſtræ, in qua conſiſtentes tuti ſumus aduerſus omnes tempeſtates & fluctus peccati, mortis, & potentiæ diaboli. Hanc verò petram ferit Moſes, id eſt, lex Dei, quæ totum genus humanum obligabat vel ad obedientiam, vel ad pœnam: illo verò ſuccumbente ſub onere & maledictione legis, ferit Filium Dei, qui ſe Mediatorem interpoſuit inter Deum & homines, tranſlata in ſe culpa noſtra & pœna, Ieſa. 53. Hic igitur percuſſus à lege, hoc eſt, factus pro nobis maledictum, vt Paulus inquit, fundit largiſſimos fontes aquarum Euangelij, ſalientes ad vitam æternam, vt Iohannis quarto dicitur. Quemadmodum igitur Iſraelitas Paulus dicit in deſerto bibiſſe de ſpirituali, comitante eos, petra: ita nos in omnibus noſtris doloribus & periculis certa fide confugiamus ad hanc petram Filium Dei, eúmque oremus, vt viuis fontibus Euangelij ſui corda noſtra, ſiti & æſtu arefacta, reficiat & recreet: atque hunc perpetuò nobis adeſſe ſua gratia & auxilio in omnibus ærumnis ſtatuamus. Hæc doctrina copioſè explicatur in oratione D. Philippi de Moſe feriente petram: inde cætera, quæ ad hunc locum pertinent, petantur.

42 Quia recordatus eſt verbi ſanctitatis ſuæ: ad Abraham ſeruum ſuum.

Amplificat narrationē à cauſa impulſiua, vt beneficiorum magni-

magnitudo ſit conſpectior. Nullis, inquit, hominum meritis adductus eſt Deus, vt tanta beneficia præſtaret noſtris maioribus: ſed ſicut gratuito amore & beneuolentia primùm Abrahamum, אבינו gentis Iudaicæ, in fœdus recepit: ita non aliam ob cauſam, quàm vt veritatem & fidem ſuam in ſeruandis promiſſis comprobaret, tot & tantis beneficiis poſteros eius cumulauit: eóque maiore dignus eſt gloria & laude. Verbum ſeu promiſſionem nominat ſanctam, quia tradita erat, vt eſſet rata & inuiolabilis. Ideóque mortuo etiam Abrahamo valuit.

43 Et eduxit populum ſuum in lætitia: in exultatione electos ſuos.

Repetit ſummatim beneficium eductionis, quod erat ſummum, & in quo præcipuè amor Dei erga hunc populum, & potentia eius conſpiciebatur. Nam poſt incarnationem & reſurrectionem Filij Dei, nullum eſt magis admirandum opus Dei, quàm eductio populi Iſraelitici per mare rubrum, & deductio in promiſſam terram. Ideo præciſis cæteris miraculis, quorum aliqua recitauit, cum eductione mox connectit introductionem in terram Canaan, & diſtributionem hæreditatis promiſſæ. Qui euentus, promiſſionem Abrahæ factã, ex omni parte confirmauit. Ideo dicit egreſſos eſſe Iſraelitas in lætitia & exultatione: quia ſcilicet iam videbant compleri hoc, quod olim promiſerat Deus Abrahamo: atque ita fides in ſingulis piis hoc facto obſignabatur, vt certò ſtatuerent, ſe eſſe electos à Deo ad æternæ vitæ hæreditatem. Corporalis enim promiſſio obſignabat ſpiritualem. Atque ita intelligendus eſt verſus qui ſequitur.

44 Et dedit illis terras gentium: & laborem populorum in hæreditatem adepti ſunt.

Etſi maxima multitudo Iſraelitarum, ad terrena bona inhiãs, ſatis habebat cùm poſſideret amplas ditiones, fundos, & agros, nec ampliùs quicquam requirebat, quia ſummam felicitatem in copia rerum corporalium ponebat: pij tamen, cùm in poſſeſſionem terræ Chanaan mitterentur, animum à rebus corporalibus ad cæleſtiã abducebant. Sciebant enim regnum illud corporale datum eſſe, non vt in hoc affluẽtes omnibus rebus tanquam porci ſaginarentur & luxu diffluerent: ſed vt eſſet ſchola in qua doctrina de Deo aſſiduè ſonaret, atque ad poſteritatem conſeruaretur: & officina veræ pietatis, in qua filio Dei æterna eccleſia ſeu hæreditas voce Euangelij colligeretur, quæ æterna vita, iuſtitia, & lætitia cum ipſo frueretur. Ideo fundi illi & agri, quos in terra Chanaan poſſidebant Iſraelitæ, erant illis commonefactiones perpetuæ de altera illa patria & regno cæleſti, ad quod vera fide aſſiduè aſpirabant.

Labor populorum nominantur ciuitates, vici, pagi, agri, & vineta, id eſt, omnia illa quæ laboribus humanis ædificantur, plantantur, & coluntur. Et quia iam tota illa regio erat culta, vrbibus & ædificiis ornata, vt nullo nouo eſſet opus labore, ideo rectè dicit eos labores populorum accepiſſe in hæreditatem.

45 Vt cuſtodirent ſtatuta eius: & leges eius ſeruarent. Haleluiah.

Concludit pſalmum à cauſa finali, cuius verſu præcedente & in argumento meminimus: ideo in ea explicanda non ſum nunc prolixior. Totum conſilium electionis, & omnia beneficia, quæ populo inde vſque à prima vocatione Abrahæ præſtita erant, eò ſpectabant, vt Deus in hoc populo rectè agnoſceretur & coleretur. Hoc igitur conſilium vult omnes intueri, & operam dare, vt vita & actiones omnes vocationi diuinæ reſpondeant. Ideóque ſubiicit vocem *Haleluiah*, quæ totum cultum diuinum comprehendere, & de fine omnium noſtrorum operum nos commonefacere intelligatur. Iuxta illud 1. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Item Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificetur pater veſter qui in cælis eſt.

PSALMI CV.

PARTES.

I. Exordium, ſiue propoſitio hortatoria ad celebrandum & colendum Deum. Argumentis ductis 1. A natura Dei, Omnipotentis, Sapientiſſimi, Sancti, Opt. Max. 2. Ab officio filiorum Abrahæ & Iacobi, qui fœdere cum Deo iuncti ſunt: v. 1. vſque ad 7.

II. Narratio cauſarum, ex quibus Eccleſia prouocatur ad laudandum & colendum Deum. Sunt autem in vniuerſum duæ. 1. Fœdus Dei gratuitum cum Eccleſia. 2. Mirabilis adminiſtratio ex fœdere. Quæ duo ſummatim, v. 7. poſita, poſtea ordine tractantur. Fœdus quidem, v. 8. 9. 10. cuius ſumma v. 11. diſertis verbis concipitur & repetitur.

Ad mirabilem vero Dei adminiſtrationem tranſit Propheta, per occupationem, v. 12. & 13. Sunt autem tres narrationis de illa adminiſtratione partes. *Prima* de rebus mirificè à Deo geſtis ante profectionẽ in Ægyptum, vſque ad v. 16. *Secunda*, de rebus in Ægypto geſtis, ante & poſt Iacobi profectionem vſque ad liberationem per manum Moſis, à v. 16. ad 37. *Poſtrema* de rebus geſtis poſt exitum ex Ægypto, à 37. v. ad finem Pſalmi.

Partium harum membra ſunt. 1. Peregrinationes Abrahæ, Iſaaci, Iacobi in terra Chanaan & circumuicinis. 2. Protectiones eorundem. 3. Prouidentiæ Dei eos protegentis arcana efficacia & externa vis. Et hæc de prima parte.

Altera, de rebus in Ægypto geſtis. 1. Occaſionem deductionis Ioſephi in Ægyptum continet, nempe famem. 2. Sequitur Ioſephi venditio, ſeruitus, captiuitas dura, probatio, liberatio, exaltatio. 3. Iacobi deſcenſus in Ægyptum, & Iſraelitarum commoratio inter Ægyptios. 4. Iſraelitarum dura ſeruitus. 5. Moſis & Aaronis vocatio & miracula. 6. Plagæ Ægypti.

Tertia, de rebus geſtis poſt exitum ex Ægypto, diſſerit. 1. Occurrit glorioſa liberatio in qua populus auro & argento onuſtus, validus, Ægyptiæ genti grauis, manu excelſa exit. 2. Nubes & colũna ignis. 3. Coturnicum innumerus numerus, panis de cælo, aquæ in deſerto. 4. Beneuolentia Dei in populum. 5. Iſraelitarum beatitas, in pace conſcientiæ, & Chananææ regionis (æternæ vitæ typi) poſſeſſione conſiſtens. 6. Finis horum beneficiorum, vitæ præſentis reſpectu.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3 Tota beatitudo Eccleſiæ, quæ Abrahæ genus eſt, in gratuita Dei adoptione conſiſtit: & hîc celebrari iubetur paternus ille fauor quo electos ſuos Deus complexus eſt.

Opera & mirabilia Dei ſunt electio & vocatio filiorum Dei: & ob hæc beneficia eos lætari decet, & Deum inuocare: quo priuilegio ſoli excellunt electi.

Vt nulla eſt pax impijs, contrà Dei electi per Chriſtum iuſtificati pace fruuntur quæ ſolidam parit lætitiam.

4 Nota electorum eſt Dei timor & reuerentia, quæ nomine quærendi exprimitur.

Quamlibet voluntarij virtute Spiritus ſancti reddamur ad Deũ quærendum, tamen neceſſaria nobis eſt perpetua illa incitatio quæ pigritiam noſtram caſtiget.

Robur & facies Dei in Chriſto nobis per euangelium exhibito elucet, & quærenda eſt. Quò autem in verbo & Sacramentis ſe magis familiarem exhibet Deus, ad eum quærendũ alacriores animos eſſe iubet: vt certè adminicula hæc quibus infirmitatem noſtram ſubleuat, ſtudium noſtrum magis accendere debent. Præterea in eo quærendo viam tenere debemus ab eo præſcriptã, nec ſunt rudimẽta reijcienda, quibus nos paulatim ad ſe deducit. Poſtremò, perſeuerandum eſt in curſu pietatis, donec metam in cælo attigerimus.

5 Obliuio & ingratitudo noſtra poſtulant vt ſæpiùs mirabilia prodigia & iudicia Dei nobis proponãtur, vt horum recordatio nos ad fiduciam, ſpem & gratitudinem excitet.

6. 7 Sanctitas patrum & filiorum à ſola Dei electione manat, non à natura.

Quanuis Dei imperiũ pateat per totum orbem, & vbiq; iudicia ſua exerceat, eſt tamen peculiaris Deus ſuæ eccleſiæ, cuius mẽbra non excellunt, quod meliora ſint aliis, ſed propter Dei beneplacitum.

8.9.10.11 Non obſoleſcunt longo tẽporis tractu Dei promiſſiones: ſed dum mundus credit eas eſſe extinctas, vel obliuione deletas, viget earum memoria coram Deo, vt eas opportunè impleat, & reipſa oſtendat vetuſtate non collabi vel effluere fidem ſuam.

Fœderis Dei propagatio à maioribus ad poſteros facit vt altiùs hominum cordibus inſideat Dei veritas: deinde vt notior ſit ac magis celebris Dei gratia, repetitis vicibus ſæpiùs teſtata.

Deus pluſquã indulgenter noſtræ infirmitati conſulit, dum & iureiurando & repetito ſermone nobis confirmat quod ſemel pollicitus eſt. Quo fœdior eſt noſtra ingratitudo dum fidem abrogamus nõ loquenti modò ſed etiam iuranti.

Dum aliqua in parte ſua promiſſa erga nos cõplet Deus, maligni ſumus & ingrati, niſi in fidei noſtræ confirmationẽ hæc experientia valeat: neq; enim dubium eſt, quoties ſe patrẽ nobis exhibet Deus, quin verbi ſui vim & efficaciã realiter (vt loquuntur) cordibus noſtris obſignet. Quòd ſi terra Canaan in cœlum deducere Iſraelitas debuit, quia ſciebant reſpectu fœderis in eam ſe fuiſſe adductos: longè plus momenti apud nos habere debet, quòd Deus Chriſtum ſuum exhibuit in quo omnes promiſſiones ſunt Etiam & Amen.

12.13.14.15 Eccleſia eſt puſillus grex: pij (eius membra) ſunt peregrini in mundo, exulant etiã ſæpiſſimè, impiorum audacia ſedibus ſuis eiecti: attamen mira quadã prouidentia Deus eos tuetur, mũdi principes coercet ne eccleſiam turbent, tyrannos reprimit & caſtigat: arcana item voce iubet vt electum populum cuſtodiant, aut lædere timeant: vt perpetua eccleſiæ hiſtoria abundè teſtatur.

Fideles in ſpẽ æternæ vitæ vocati, à Dei ſpiritu vncti, & pro ſuæ vocationis ratione verbi Dei præcones & conſeruatores dicuntur & ſunt re ipſa: quod Dei beneficia & piorum officia meminiſſe iubet.

Dei erga Iſraeliticam eccleſiam beneficia nobis occurrere debent, vt quid in gratiam eccleſiæ Chriſtianæ præſtiterit, expendamus.

16 Famis & penuriæ cauſa ea eſt, quòd Deus manum ſuam retrahens alimenta ſubducit: & huiuſmodi flagellum non temere circunſonat, ſed Dei brachio dirigitur (vt & alia flagella) eiuſq; paret arbitrio. Fames autem accedit, vel tritici copia oblata, vel quum ſufflat Deus in panem ipſum vt eſuriem non tollat, ſed maneant famelici qui vorando ſatietatem quærunt.

17.18.19 Prouidet Deus rebus humanis: ſed peculiarem ſemper regendæ & alendæ eccleſiæ ſuæ curam gerit, idq; modis humanæ rationi prorſus occultis & repugnantibus, vt per homines inſcios vel nolentes ſæpiùs exequatur quod ſtatuit: quemadmodum ex multis hiſtoriæ Ioſephi circunſtantijs colligere licet.

Agnoſcendæ & reuerenter obſeruandæ ſunt illæ viæ Domini in ſuorum conſeruatione: & quoties per inſtrumenta quadam viſibilia ſuam potentiam ac beneuolentiã erga multos homines teſtatur, noſtrum eſt attentis animis initia, progreſſus & fines tantorum operũ intueri, vt Dei virtutem & bonitatem ardentiùs celebremus.

Finis piorum afflictionibus ſapientiſſimo Dei cõſilio præfixus eſt, donec videlicet probè examinati fuerint.

20.21.22.23.24 Liberatio, & exaltatio Ioſephi, ac populi incrementum, illuſtre teſtimonium dicunt ſpeciali Dei prouidentiæ: charitatem ſuam erga eccleſiam teſtantur, idq; ex gratuita miſericordia: docent Deum nobis adeſſe & adfuturum quum opus erit, etiam ſi cœlum & terra in perniciem noſtram coniuraſſe videantur: iubent nos in medijs afflictionibus de Dei auxilio & clementia bene ſperare: ac Deo non deeſſe media, eaq; prorſus nobis incognita, quibus viam ſuis decretis de liberatione & exaltatione noſtra aperiat.

25 Quod impij ex beneuolis & humanis hoſpitibus ſæui hoſtes eccleſiæ poſtea apparent, id fit arcano quidẽ ſed iuſtiſſimo Dei cõſilio, eorum corda vertente, ne cum bonis bene ſed fraudulenter agant.

26 Eccleſiæ vindices, protectores & liberatores diuinitus excitãtur, idq; ſingulari quadam miſericordia ac virtute, quæ in eorum miniſterio elucet.

27.28.29.30.31.32.33.34.35.36.37 Varijs flagellis impietatem & iniuſtitiam hoſtium ſuæ eccleſiæ Deus in tempore coercet.

Omnes creaturæ Dei iudicijs exequendis (quoties ille iubet) inſeruiunt, ita vt vana & irrita ſit impiorum defenſio.

Multis plagis regna, & principatus, ciuitates & familiæ quæ Dei verbo reluctantur, videmus affligi, vt pietatem & iuſtitiam colere diſcamus.

Pro ratione ſcelerum ab impiis commiſſorum iudicia ſua in eos Deus exequitur: & per quæ quis peccat, per hæc & punitur. Crudelitate & ſuperbia in Iſraelitas eorumq; ſobolem Ægyptij ſæuierat: illorum autem primogeniti extinguuntur, aqua in ſanguinem vertuntur, & totius regionis in Deum ferocientis ſuperbia, ranarum, muſcarum, locuſtarum malleo contunditur.

Nouit Deus ſuos ex periculis incolumes eripere, & bonis cumulare, impiorumq; corda ita flectere, vt Dei populum timeant, & tẽporanea quadam beneuolentia complectantur.

38.39.40.41 Miraculorũ iſtorũ deſcriptio depingit miſericordiã Dei erga populum ingratum, noſtramq; conditionem nobis in memoriam reducit, vt tot beneficijs & liberationibus noſtro hoc ſeculo cumulati, gratis animis eius clementiam celebrare diſcamus.

42.43.44.45 Gratuitum Dei fœdus in Chriſto omnium liberationum noſtrarum cauſa & fundamentum.

Finis autem eſt vt nos totos in eius cultum, obſequium & laudẽ dicamus & addicamus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſiæ felicitas in adoptionis diuinæ conſideratione, & laudum eiuſdem celebratione conſiſtit.
2. De mirabilibus & ſalutaribus Dei operibus.
3. De fœdere Dei, eiuſdémque priuilegiis & commodis eximiis.
4. Patriarcharum vitæ.
5. Eccleſiæ Iſraeliticæ, ante & poſt exitum ex Ægypto, facies.
6. De vnctis & prophetis Dei.
7. De impiorum induratione.
8. Plagarum Ægypti conſideratio.
9. De mirabili & ſpeciali prouidentia Dei.
10. Eccleſiæ pericula & liberationes.
11. De creaturarum Deo militantium potentia.
12. De miraculis.
13. Impiorum ferocia quibus malleis contundatur.
14. Piorum ſub cruce eximia gloria.
15. De liberationum Eccleſiæ fine.
16. Hiſtoriæ ſacræ conſideratio & vſus.

ARGVMENTVM PSALMI CVI.

SCRIPTVS eſt hic Pſalmus, & populo tanquam communis formula precationis traditus, eo tempore quando exulabant Iudæi in regno Babylonico, & in varias gentes erant diſperſi. Id quod non obſcurè indicat verſus penultimus, in quo petunt ſe colligi ex diuerſis nationibus, & in patriam ad reſtaurandum cultum diuinum reduci. Erat autem calamitas illa tanta vt verbis exprimi ſatis nequeat. Ideo cùm petunt mitigationem pœnarum, & liberationem, non faciunt mentionem vllam ſuarum miſeriarum, vt alias ferè in his Pſalmis, qui habent petitionem auxilij & liberationis, fieri ſolet: ſed alia adducunt argumenta, quæ faciliùs mouere Deum ad miſericordiam, & priſtinum amorem conciliare poſſe videbantur. Omiſſis igitur querelis de magnitudine ſuarum miſeriarum & periculorum, orditur propheta Pſalmum à celebratione bonitatis & miſericordiæ Dei, quam ille etiam cùm grauiter offenſus eſt, ideóque iuſtam iraſcendi & puniendi cauſam habet, nunquam omnem exuat aut deponat. Atque hac commemoratione, quam conſpectui ſuorum peccatorum atque ærumnarum opponit, fiduciam ſuam in Deum confirmat, & orationem reddit ardentiorem. Sequitur igitur propoſitio, quæ eſt petitio liberationis: & additur cauſa finalis, lætitia ſcilicet & gloriatio ſanctorum in beneficiis ſibi diuinitus promiſſis atque exhibitis. Petitioni ſubijcit, vt dixi, non commemorationem calamitatum atque ærumnarum exilij, ſed confeſſionem peccatorum, in qua fatetur populus ſe peccatis ſuis varijs & grauiſſimis prouocaſſe iram Dei & has pœnas ſibi attraxiſſe: &, vt confeſſio magis ſit ingenua, à primis exordiis huius populi recenſet hiſtorias, in quibus multiplex eius contumacia aduerſus Deum & peccandi libido conſpicitur. Vt autem peccata fiant conſpectiora, è regione nonnunquam exempla bonitatis Dei, quæ ille in toleranda huius populi peruicacia, atque ignoſcendis delictis, vſus erat, admiſcet: vt & iuſtiſſimam habere

Deum huius ſeueræ animaduerſionis cauſam oſtendat, & de patientia in perferendis ærumnis ac pœnis, quas peccatis ſuis ſibi Iudæi attraxerant, pios commonefaciat. Neque verò in hac commemoratione ſubſiſtit Propheta, ſed ex hac ipſa narratione, quæ ſcelera Iſraelitarum à prima vſque gentis origine exaggerat, & grauiora reddit, nouam ipſe fiduciam de Dei bonitate & miſericordia in præſentibus ærumnis exhibenda cōcipit. Quæ enim fuerat hactenus bonitas Dei erga hunc populum perpetua, quæ non paſſa eſt ſuo eum errore & ſtultitia perire, ſed toties, & tot ſceleribus prouocatus, cùm iuſtiſſimam excindendi penitus populi cauſam haberet, memor tamē ſuæ promiſſionis ſeu fœderis, & piorum precibus cedens, ſubinde noua præſentiæ & miſericordiæ ſuæ in mitigatione pœnarum & in liberationibus teſtimonia oſtendit: idem vt nunc quoque in hac triſtiſſima calamitate & ſummis miſeriis faciat, populúmque in diuerſas nationes diſſipatum colligat, & in patriam reducat, petit: & cauſam finalem adijcit, ſumptā à gloria Dei, quæ cùm inter ærumnas populi Dei quodammodo obſcurata fuerit, eius liberatione ac reſtitutione hanc illuſtrari rurſus & amplificari petit. Hæc ſumma eſt petitionis. Sicut autē à celebratione laudum diuinarum Pſalmum exorſus erat Propheta: ita poſtquam ſenſit fidem creſcere inter precādum, & de liberatione animum iam certam ſpem cōcipere, rurſus in fine erumpit in gratiarum actionem, & omnes ſuo exemplo ad agnoſcendam & celebrandam bonitatem Dei hortatur.

1 HAleluiah. Celebrate Iehouam, quia bonus: quia in ſeculum bonitas eius.

Orditur pſalmum à celebratione Dei & gratiarum actione. Ac ne peregrinum videatur hoc exordium, cū totus pſalmus habeat confeſſionem peccati & petitionem liberationis, conſideranda eſt vis & vſus huius argumenti in hoc exordio. Primùm enim captare vult beneuolentiam eius, cuius auxilium & opem implorat. Vtitur igitur gratiarum actione, vt oſtendat ſe & cæteros pios, in hoc triſti exilio adeo non frangi calamitatibus & cruce, vt etiam bonitatem Dei & miſericordiam in his ærumnis magis agnoſcant, & celebrādam iudicent. Nam ſi ad peccata ſua reſpiciant, vident ſe nihil, niſi triſtem abiectionem & æternam damnationem, promeritos eſſe. Quòd igitur mirabiliter ſeruantur & defenduntur inter iſtas exilij ſui multiplices ærumnas, id agnoſcunt bonitatis Dei eſſe, qui in ira miſericordiæ ſuæ recordetur: ideóque dignus ſit, qui ab omnibus celebretur.

Deinde conſolationem habet hoc exordium admixtam. Si enim nunquam ita iraſcitur Deus, quin iram temperet miſericordia: imò ſi bonitas eius & clementia durat perpetuò, etiam cùm in pœnis maximè iraſci videtur: non decet pios animum abiicere in ærumnis, aut deſperare, multò minus indignari, aut fremere aduerſus Deum, ſed certa fiducia petere & expectare mitigationem & liberationem. Hæ cauſæ ſunt cur à gratiarum actione pſalmum ordiatur: quas ſi quis diligentiùs conſideret, videbit non alienum eſſe hoc exordiū à ſequenti narratione & petitione.

Celebrate inquit *Iehouam*, quaſi dicat, quanquam grauiſſimis malis & ærumnis eſtis oppreſſi, tamen non deſperate de bonitate & auxilio Dei: quin potiùs miſericordiam eius & bonitatem, quam aſſiduè in noſtri defenſione oſtendit, celebrate, atque hinc nouam fiduciam de futura liberatione cōcipite.

טובה differt à חסד. Nam ſicut חסד ſignificat στοργὴν naturalem, qua complectimur ex nobis natos, aut ſanguine iunctos: ita bonitas ſignificat promptum benefaciendi ſtudium, adeo quidem vt ne in ingratos quidem, aut hoſtes etiam, vereatur conferre beneficium. Nam vt apud Græcos dicitur ἀνὴρ εὐεργέτης καὶ ἀγαθὸς ἐν ἀχαρίστοις ὑπάρχον ὅμως οὐ διαστρέφεται. Talis inprimis eſt Dei bonitas, quem nulla hominum ingratitudo, aut malitia, facit reſtrictum, aut tardum ad benefaciendum. Sinit enim oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, Matth. 5. Idque exemplum iubet nos imitari Chriſtus, cùm inquit, Diligite inimicos, & benefacite iis, qui odio proſequuntur vos.

2 Quis loquetur potentias [*vires*] Iehouæ? annuntiabit omnem laudem eius?

Sicut antea bonitatem Dei à perpetua duratione & conſtātia commendabat: ita nunc potentiam coniunctam cum bonitate, à magnitudine celebrat per adynaton, eaſdem ob cauſas, quarum paulò ante mentio facta eſt. Quemadmodū perpetua eſt, inquit, Dei bonitas, ita eadem maior eſt quàm vt celebrari vnquam ſatis à nobis poſſit. Immenſitas enim eius omnes ſenſus noſtros ſuperat & obruit, vt ne cogitatione quidem aſſequi ſatis, nedum voce exprimere eam poſſimus.

Potentias Domini intelligit hoc loco præcipua beneficia eccleſiæ ſuæ exhibita, in aſſidua conſeruatione, defenſione, & propagatione eccleſiæ. In his enim potentia diuina, tanquam in illuſtri ſpeculo, conſpicitur: præſertim ſi cogitemus, quanta rabie, & quantis conatibus diaboli & horum organa delere eccleſiam in hac vita moliantur. Vocabulum enim גבורה ſignificat talem potentiam aut præualeſcentiam, quæ in victoriis aduerſus hoſtes maximè conſpicitur.

3 Beati qui cuſtodiunt iudicium: & qui facit iuſtitiam omni tempore.

Concludit exordium, accommodans exhortationem ad conſolationem. Eſtque hæc ſumma huius exordij. Dei bonitas & potentia eſt perpetua & immenſa: id quod hactenus in aſſidua & mirifica conſeruatione ſuæ eccleſiæ oſtendit. Ergo beati ſunt qui omni tempore, hoc eſt, non tantùm in rebus ſecundis, ſed etiam in aduerſis, in perſecutionibus, in exiliis & aliis calamitatibus, faciunt iudicium & iuſtitiam, hoc eſt, qui non abiiciunt profeſſionem doctrinæ de Deo, qui non deficiunt à Deo, qui non polluūt ſe cultu idolorum, qui non abnegant agnitam veritatem, qui non fracti metu malorum quærunt præſidia inconceſſa, aut ad alias malas artes ſe conuertunt: ſed qui conſtanter adhærent Deo, & in ipſis ærumnis retinent fidem & bonam conſcientiam. Hæc omnia complectitur hoc verſu. Atque ex eo intelligitur cur hoc exordio voluerit vti propheta, videlicet, vt ſuos hortaretur vt dolori repugnarent, ne fracti calamitatibus à Deo deficerent.

Facere iudicium & iuſtitiam, vſitata phraſis eſt Hebrææ linguæ, pro eo quod nos dicimus, recta, vera, & iuſta probare ac facere, mala econtra odiſſe, damnare & punire. Forma ſermonis ſumpta eſt à iudiciis, in quibus, ſi rectè conſtituta ſint, rei & nocentes damnantur & puniuntur, boni verò & innocentes abſoluuntur & defenduntur ab iniuria improborum: quorum illud eſt iudicij, hoc verò iuſtitiæ. Debet autem vniuerſa vita piorum talis eſſe, vt cum norma boni & iuſti congruat, hoc eſt, vt quilibet in ſeſe, quod iudex in aliis facit, ſtatuat. Dicit autem ſeruare, pro eo quod alibi ſcriptura dicit facere iudicium, quia vult eſſe ſerium & ardens ſtudium ac firmum propoſitum pietatis & fugæ malorum, ne vna actione nos perfungi exiſtimemus.

Omni tempore] Id eſt, conſtanter & perpetuò, & in omni fortuna.

4 Memento mihi Iehoua in beneplacito [*beneuolentia*] populi tui [*id eſt, erga populum tuum:*] viſita me in ſalute tua.

Hactenus & beneuolentiam captauit, & animos Iudæorum confirmauit, ac docuit ita ferendas eſſe communes ærumnas & calamitates, vt in his ipſis Dei bonitas & clementia agnoſcatur & celebretur, & profeſſio veræ doctrinæ ac ſtudiū pietatis retineatur: id enim qui facere poſſunt, rectè ferre crucē didicerunt. Nunc ſequitur principalis propoſitio pſalmi, quæ eſt petitio mitigationis calamitatum, & liberationis à captiuitate, & ærumnis exilij: item reductionis in patriam & reſtitutionis politiæ ac cultus. Huic propoſitioni in hoc verſu aſpergitur argumentum ab honeſto, hoc eſt, à promiſſione. Nā cùm beneuolentiam Dei nominat, reſpicit ad promiſſionem ſeu fœdus, in quo perpetuum amorem ac beneuolentiam huic populo Deus pollicetur. Quod igitur inquit, *Memento mei in beneuolētia erga populum tuum & viſita me in ſalute tua,* idem eſt ac ſi diceret, cùm hactenus in his tantis noſtris calamitatibus, quibus penè contabuimus, viſus ſis quaſi oblitus tui fœderis & promiſſionum traditarum, nunc tandem reuoca in memoriam, quæ ſemper fuerit tua erga hunc populum beneuolentia, & quæ beneficia inde vſque à prima electione ei præſtiteris: atque ita huius beneuolentiæ memor, fac vt ego quoque eius particeps fiam, vtque liberatus à triſtiſſimis exilij ærumnis ad ſacrum & electum tuum populum colligar, & vnus ex tuorum numero cenſear.

Beneuolentiam populi nominat non actiuè, qua populus alios proſequebatur, ſed paſſiuè pro amore, in quo Deus ſuos electos gratis complectitur, ſeu pro gratia, in qua apud Deum ſunt electi. Viſitare autem Deus dicitur in ſalute, quos iterū fauore & beneuolentia ſua dignatur, & quos in curam & patrocinium ſuum ſuſcipit, cùm quidem aliquandiu ſe ſubduxiſſe à conſpectu ſuorum aut ſalutem eorum neglexiſſe viſus

eſſet. Salutem nominat opem ſalutiferam ſeu liberationem ab illis triſtiſſimis ærumnis,quibus erant Iudæi oppreſſi. Itaque hoc tanquam ſigno petit oſtendi & probari populo beneuolentiam & amorem diuinum:vt qui hactenus in ęrumnis viſus erat iraſci populo ſuo,ideóque non in ſalute,ſed in virga & cruce iniquitates eorum viſitauerat,nunc in liberatione oſtendat ſe eſſe placatum.

Sciendum autem prophetam orare in perſona totius populi:eſt enim ἔξαρχος harum precum : ideo pronomine ſingularis numeri totum populum complectitur, quod ex ſequenti oratione apparet. Atque hæc cauſa eſt, cur Græcus interpres mutarit numerum ſingularem in pluralē:reddidit enim, μνήσθητι ἡμῶν. Item, ἐπίσκεψαι ἡμᾶς.

5 Vt videam in bonum [*bonitatem*] electorum tuorum;& læter in lætitia gentis tuæ:vt glorier cum hæreditate tua.

Addit cauſam finalem,cur optet reſtitui. Primùm,vt poſſit videre bonum electorum Dei,hoc eſt,vt ſocius &conſors fieri poſſit eius beneficentiæ diuinæ quam ſemper experti ſunt electi. Hoc enim ſignificat *videre in bonum*, participem ſcilicet fieri alicuius boni, eóque frui cum voluptate & lætitia. Sicut Iohan.3.dicuntur pij videre regnum Dei.& 1.Pet.3. videre bonum & vitam. Quanquam aliquanto plus eſt in hac phraſi,videre in bonum, quàm cùm ſimpliciter dicimus, videre bonum. Nam præpoſitio *in* peculiariter deſignat inſignem voluptatem aliquam & lætitiam, quæ fruitionem illā comitatur: ideo ſequens membrum eſt quaſi ἐξήγησις huius. Cæterùm bonitas illa,de qua hîc loquitur, non eſt intelligēda principaliter de corporalibus bonis,vt de vbere prouentu vini,olei,frumenti,& cæterorum fructuum, quibus terra Canaan præ aliis regionibus abundabat:non enim principaliter vocati erant Iudæi ad harum rerum fruitionem: ſed de beneficiis ſpiritualibus,quæ per Meſſiam, electis adferenda erant. Ab his quodammodo excludi ſe iudicabant,quamdiu in terra peregrina exulabant. Exilium enim videbatur eſſe quaſi abiectio huius populi,& abdicatio à familia Dei: ſicut econtra reductio in patriam erat reſtitutio in familiam Dei.

Vt læter]Hoc membrum exponit antecedens. Lætitia enim ingens comitatur fruitionem bonorum cæleſtium.Eſtque lætitia illa intelligenda de interna & ſpirituali,qua animus ſuperatis terroribus peccati & mortis ſecurus in Deo acquieſcit,& initia vitæ cæleſtis in ſe accendi ſentit. Et cum lætitia coniuncta eſt gloriatio,quę magnitudinem horum beneficiorum conſiderans & agnoſcens,non ſolùm ſibi de his gratulatur,ſéque beatam prædicat, ſed etiam apud alios eadem prædicat,& operam dat, vt quam plurimos ad agnitionem & ſocietatem horum bonorum inuitet: imò eò vſque procedit, vt quemadmodum Paulus ad Roman. inquit, in afflictionibus glorietur.

Obſeruanda autē eſt deſcriptio eccleſiæ in hoc verſu, quæ plena eſt conſolationis. Sunt enim in hoc verſu tres appellationes,quæ conditionem piorum deſcribunt. *Primum* nominat eccleſiam electos Dei,quia non ſuis meritis aut operibus quiſquam hoc conſequitur, vt in populo Dei cenſeatur: ſed totum beneficium pendet à gratuito amore & electione Dei:éſtque hæc Dei electio firma & rata,vt mutari aut retractari nequeat.Eſt autem glorioſiſſimus eccleſiæ titulus, quòd à Deo dicitur electa. *Deinde* nominat eccleſiam *gentem Dei*, quia eſt cœtus ex genere humano excerptus, & in familiam Dei adſcriptus,vt particeps ſit omnium bonorum regni cęleſtis,& vt viciſſim Deum recte agnoſcat & colat.

Tertiò nominat *hæreditatem Dei*, vt ſignificet Deum hunc cœtum,qui dicitur eccleſia, tanquam ſuum peculium & vnicum theſaurum,vehementer amare,fouere, tueri, & pro hac hæreditate aſſerenda nihil non facere. Ideo Chriſtus dicit, ita Deum dilexiſſe hanc hæreditatem, vt filium ſuum vnigenitum daret,&c.Quo nihil maius præſtari potuit. Et pſalmo 16.inquit Meſſias, Omnis voluptas mea in eis. Nec ſine cauſa hæ appellationes propoſitioni ſunt inſertæ. Sicut enim antea captabat beneuolentiam à commendatione bonitatis Dei,quæ ſit perpetua & immēſa: ita nunc his quoque appellationibus ſe beneuolentiæ Dei quaſi inſinuat,eúmque exorabilem reddit.Deinde,vt dixi,ad conſolationem piorum hæ appellationes erant efficaciſſimæ. Quæ enim calamitas,quæ tribulatio,aut tentatio frangere animos piorum poteſt,ſi ſtatuant ſe eſſe electos à Deo, ſéque cenſeri in gente & familia Dei,deinde ſe eſſe partem hæreditatis diuinæ?

De vocabulo גוי etiam hoc loco obſeruetur non eſſe illud nomen contumelioſum,quo gentes barbaræ & alienæ à Deo peculiariter ditantur,vt Iudæi ſomniant, cùm per contumeliam nos nominant גוי[illegible]. Nam hoc loco & alibi, Exod.19. tribuitur ipſis Iudæis. Vos eritis mihi regnum ſacerdotale & gens ſancta. Forma autem hoc loco ſingularis numeri eſt, non pluralis,vt quidam interpretes voluerunt. Nam à גוי fit גוין & in diſtinctione,גוין; In plurali verò numero habet duplex,גוי[illegible],vnde eſt forma cōſtructionis גויי & גויה[illegible]. Gen.10.

6 Peccauimus cum patribus noſtris: iniquè egimus,impiè fecimus[*ſcelerate nos geſſimus*.]

Sequitur confirmatio propoſitionis, in qua,vt diximus,argumenta ſumit non à magnitudine calamitatum aut mora, neque ab iniuſto odio,tyrannide,& crudelitate hoſtium, aut ſimilibus, quæ Deum ad aliquam commiſerationem mouere poterant:ſicut aliâs ferè vti his argumentis ſolent pſalmographi: & in omnibus piorum precibus illæ rationes ſunt crebræ & familiares vnicuique : ſed priùs vtitur confeſſione peccatorum,quam circumſtantiis variè exaggerat atque amplificat. Hæc ratio impetrandi liberationem aut mitigationē calamitatum prorſus aliena eſt ab hominum iudicio. Nos enim mentione aut commemoratione delictorum videmus iram hominum potiùs accendi quam placari : ideo in Græco verſu dicitur,

Καὐτὸν ἀδικεῖ ὁμολογῶν κακοῦργος ὤν.

Sed Dei iudicia alia ſunt ab hominum iudiciis. Sicut enim ſecuritas non agnoſcens ſua delicta, & contemptus iudicij diuini,ianuam claudit gratiæ Dei:ita ſciendum eſt non priùs nos impetrare veniam, quàm peccata noſtra deteſtemur & damnemus, & ingenua confeſſione delictorum ad thronum gratiæ Dei accedamus.Idem pſalmo 32.inquit, Dixi,confitebor aduerſus me iniquitatem meam Domino, &c. Et Prouerb.28. Qui abſcondit ſcelera ſua,non dirigetur:qui autem confeſſus fuerit,& reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Et 1. Iohan.1. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt vt remittat nobis peccata noſtra,&c.Hinc eſt illa apud Nazianzenum ſententia, οὐδὲν οὕτως ἵλεων ποιεῖ τὸν Θεὸν ὥσπερ ἐξομολόγησις. Hæc igitur prima & principalis cauſa eſt,cur petitioni ſubiiciat confeſſionem peccatorum. Deinde hac ipſa confeſſione vult animos populi præparare ad patientiam piis hominibus dignam, & ſimul docere promiſſiones diuinas non excidiſſe,nec irritas fieri, etiamſi duriùs aliquanto ſuos caſtiget Deus. Nam ſi peccatis noſtris pœnas nobis attraximus,ſimul in mentem venire nobis debet,Deum iuſtam habere cauſam iraſcendi & puniendi. Nec iniuſtitiæ aut mendacij accuſari poteſt Deus, quaſi minimè ſeruans ſit promiſſionum ſuarum, cùm punit eccleſiam. Traditæ enim ſunt promiſſiones corporales cum exceptione caſtigationis & crucis. Hæ cauſæ ſunt cur petitioni ſubiiciat confeſſionem delictorum.

Eſt autem exaggeratio delictorum in verborum congerie, quibus gradus delictorum notantur. Primum verbum חטאנו ea potiſſimùm peccata ſignificat,quæ vel errore,vel per ignorantiam,vel per infirmitatem carnis committūtur: item peccata omiſſionis. Eſt enim verbum illud leuius,quàm quæ ſequuntur:& ſignificat in genere aberrare à ſcopo.

Secundum העוינו ea peccata notat, quæ non ex errore aut infirmitate aliqua carnis oriuntur,ſed quæ fiunt ἐκ προαιρέσεως, & deſtinata malitia, ſeu propoſito : cùm ſcilicet mens videt quid rectum & æquum ſit,quídve Deo probetur, quid non,& tamen indulgens cupiditatibus, ſequitur deteriora. Atque huc referri poſſunt omnia peccata contra ſecūdam tabulam. Tertium verbum grauiora peccata deſcribit, atque ea maximè quibus in Deum ſeu contra primam tabulam peccatur:vt ſunt incredulitas cordis,contemptus Dei,rebellio & obmurmuratio aduerſus Deum, tentatio Dei, defectio à vero cultu Dei ad ſuperſtitionem & idololatriam,&c.

Notum enim eſt vocabulum רשע quo in ſcriptura impius in Deum ſignificatur. Vult igitur autor oſtendere, nullum eſſe peccati genus quod non commiſerit populus.

Altera exaggeratio delictorum eſt in his verbis: *cum patribus noſtris*. Affirmant enim peccata à pluribus ſeculis eſſe accumulata,& quanquam Deus pro ſua bonitate pepercerit maioribus, ſe tamen longanimitate Dei non fuiſſe motos, vt reſipiſcerent:ideo grauiùs prouocaſſe iram Dei,&c.Homines maiorum ſcelera ita ſuis obtendere ſolent,vt horum prætextu minuere culpam velint. Quicquid enim exemplo fit(inquit Cicero) id iure fieri homines putant : ſed hoc ipſum ad exaggeranda ſua delicta proferunt pij.

7 Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non recordati ſunt multitudinis bonitatum tuarum, & rebelles fuerunt ad mare, in mari iunci[*id eſt,in mari rubro*.]

Ἐξήγησις eſt poſterioris membri de delictis patrum. Vult enim oſtendere, hæc delicta non ab vno atque altero ſeculo primùm inualuiſſe, ſed à prima inde gentis origine, cùm adhuc habitarent in Ægypto, populum variis ſceleribus fuiſſe conta-

contaminatum. Ita confeſſio fit magis ingenua, quando ſcilicet nihil occultatur, & nullus prætextus palliandis delictis quæritur. Quod igitur dicit, Patres intellexiſſe mirabilia Dei & rebelles fuiſſe, ſignificat iam inde à prima origine populum fuiſſe prauũ & malitioſiſſimũ. Amplificatio autem impietatis & ſcelerum ſumitur à magnitudine & multitudine beneficiorum, quibus Deus populum in Ægypto afficiebat, dum tot inſignibus miraculis teſtimonia ſuæ præſentiæ & bonitatis ederet. Quo enim maiora ſũt beneficia, eo maior turpitudo in ingratitudine & rebellione cõſpicitur. Inquit igitur, patres nõ intellexiſſe miracula Dei in Ægypto, hoc eſt, quanquam quotidie in tantis & tot illuſtribus miraculis cernerent certiſſima teſtimonia præſentiæ Dei in hoc populo: tamẽ his nõ motos fuiſſe, vt ſtatuerent ſe Deo curæ eſſe, eique plena fide ſuam ſalutem tuendã committerent: ſed magis ad cauſas ſecundas reſpexiſſe, atque ab his pependiſſe. Idque ſtatim oſtenderunt, quando ad mare rubrum acceſſerunt. Nam cùm à tergo viderent ſe vrgeri ab hoſtibus, & vtrinque ad latera à montibus eſſe concluſos, & ante oculos eſſet mare rubrum, vt nullus humano iudicio eſſet exitus, mox deſperata ſalute cœperunt murmurare aduerſus Deũ & miniſtrum eius Moſen, à quo in hoc diſcrimen adducti eſſent. Imò non tantùm in littore maris, ſed etiam dum ipſum mare tranſmitterent pedibus, querebantur de Deo, & de eius fide ac prouidentia dubitabant, cum viderent Ægyptios magno impetu à tergo inſequi. Hoc igitur eſt non intelligere miracula, hoc eſt, non cogitare, quo fine à Deo illa fuiſſent exhibita. Atque ex hoc ſtupore oritur triſtis illa rebellio, in qua eſt altera amplificatio impietatis & ſcelerum. Longè enim grauior eſt rebellio, quam inobedientia, aut dubitatio. Nam præterquam quòd cõtumaciter detrectat imperium alicuius, etiam addit contumeliam aduerſus legitimum Dominum, aut eius miniſtros, obloquitur eis, nonnunquam etiam conuitiis hos lacerat, ſicut feciſſe Iſraelitas hiſtoria teſtatur.

Mare rubrum Hebræi vocant mare סוף id eſt, iunci, quia tractus ille iuncis fuit refertus. Dicitur autem ita iuncus à figura acuminata, quòd ima parte latiore deficiat in acumen. Nam סוף Hebræis eſt attenuari, donec tandem res deficiat. Qua ratione etiam סופה dicitur turbo, ventus ſcilicet, agitatus in gyrum, donec deſinat in mucronem paulatim attenuatus. Nam ima pars circumacta in terra, eſt acuminata, ſuperior rotunda: inde dicitur teres turbo apud Flaccum.

8 Et ſeruauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam.

9 Et increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto.

10 Et ſeruauit eos è manu hoſtis: & redemit eos è manu inimicorum.

11 Et operuerunt aquæ tribulatores eorum: vnus ex illis non fuit reſiduus.

Commemorationi peccatorum è regione ſubiungit narrationem, in qua Dei bonitatem prædicat & commendat, qui grauiter irritatus tamen non abiecerit curam populi ſui, nec fidem promiſſionum irritam fecerit: ſed qui promiſſionum ſuarum memor populum etiam rebellem & immorigerum ab hoſtibus liberauerit. Hanc antitheſin ſubiicit pſaltes, non tantùm vt admirandam Dei bonitatem in tolerandis & condonandis maiorum delictis dignis laudibus celebret: ſed etiam vt hoc exemplo, cùm ſuam, tum aliorum fidẽ exuſcitet, ne de ſua ſalute in præſentibus ærumnis deſperent, & vt Deum ad ſimilem beneficentiam, & iuuãdi ſtudium extimulet. Vult enim dicere, Patres noſtri peccauerũt, & quidem grauiter ac multipliciter: & tamen, quæ fuit Dei bonitas & veritas in promiſſis ſeruãdis, liberauit eos ex multis periculis: ergo nũc quoque iuxta promiſſionem adſit nobis, & nos ab his exilij ærumnis liberet: nos quoque patienter ipſius auxilium expectemus. Hæc ſumma eſt horum verſuum, & totius ſequentis narrationis. Redduntur autem duæ cauſæ finales cur Deus ſeruauerit maiores. Primùm propter nomen ſuũ. Non ſeruauit eos, quia illi digni erant: ſed quia hoc modo nomini & gloriæ ſuæ Deus conſulere voluit, vt ſcilicet, verax in promiſſionibus ſuis conſpiceretur, atque ita conſtantia ſua in promiſſis ſeruandis populum hunc ad perpetuum obſequium & cultum ſibi obſtringeret.

Deinde etiam, vt potentia eius conſpiceretur ab hoſtibus, quam illi hactenus, dum liberationem differret, riſerant & contempſerant. De hac cauſa finali dicitur Exod. 14. vt ſciant Ægyptij quod ego Iehoua, cũ glorificatus fuero in Pharaone, curribus & equitibus eius.

In nono, 10. & 11. verſibus per diſtributionem modum conſeruationis & liberationis deſcribit, cuius præcedente verſu nono, vnico tantùm verbo meminerat. & quia hiſtoria ex libris Moſis nota eſt, non immoror. Legatur autem Exod. 14.

Et increpuit mare] De verbo increpandi diximus ſuprà, pſal. 68.

Deduxit eos] Amplificat narrationem à ſimili, vt miraculum fiat illuſtrius.

Et redemit eos] Latinis redimere ſignificat dato pretio, quod venditum, vel captiuum in alterius poteſtatem venerat, vel à cui pœnæ obnoxium erat, aut ſuæ ipſius poteſtati vendicare, aut in libertatem aſſerere. Inde redimere captos, Cic. 2. Offic. *Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes*, Ouid. Ita dicitur, redimere culpam præteritam. Item redimere diem, qui pretio accepto aliquid faciendum ſuſcipit: vnde eſt apud Ciceronem in Verr. 5. Opus faciendum redimere. Sed Hebræum aliquanto largiùs & latiùs vſurpatur. Leuit. 25. & 27. vſurpatur pro liberatione, quæ fit dato pretio. Gene. 48. Exo. 16. Pſal. 72. Prou. 23. Ier. 50. & aliis multis locis, pro liberatione quæ fit quouis modo, etiam manu potenti, qua oppreſſus à violentia iniquorum eripitur. Peculiariter autem apud Hebræos גאל ſignificat iure propinquitatis redimere & vindicare. Vnde filio Dei rectiſſimè tribuitur.

12 Et crediderunt verbis eius: cantauerunt laudes eius.

Hanc narratiunculam de fide Iſraelitarum, & gratiarum actione, quæ ſecuta ſit liberationem, non ideo inſerit hoc loco propheta, vt pietatem maiorum ſuorum celebret & commendet, aut vt peccata eorum extenuet (nam hoc propoſito argumento prorſus repugnat) ſed potiùs vt ingratitudinem & impietatem ipſorum magis exaggeret: ſicut mox ex ſequenti narratione videbimus. Vult enim tantùm hoc dicere, Iſraelitas tandem tot inſignibus documentis, & tam illuſtri miraculo eductionis per mare rubrum, conuictos fuiſſe, vt fateri cogerentur, Deum veracem eſſe in ſuis promiſſionibus, eámque laudem publicis carminibus decantarent. Neque enim in tam illuſtri miraculo negare potuerunt Dei potentiam & veritatem in ſeruandis promiſſis. Et tamen tanta fuit huius populi non tantùm infirmitas, ſed impietas prorſus inexcuſabilis, vt tam manifeſtis teſtimoniis de veritate promiſſionum diuinarum, & de ſingulari beneuolentia atque amore Dei erga hunc populum conuicti, mox tamen redirent ad ingenium, & memoriam omnium beneficiorum vno quaſi momento ſepelirent. Ita hac narratione non pietatem Iſraelitarum commendat, ſed crimen defectionis auget: quaſi dicat, Non diutiùs illos credidiſſe Deo, quàm miraculi ſplendor ſenſibus illorum obuerſaretur. Monet autẽ nos hoc exẽplum de infirmitate noſtra: de qua cogitantes eò maiore ſtudio petere debemus, vt Spiritus ſanctus veram fidem in nobis accendat & confirmet, ne affectibus noſtris, tanquam ventis, abrepti in ſcopulos dubitationum & diffidentiæ, cum Iſraelitis impingamus.

13 Feſtinauerunt, obliti ſunt operum eius: non expectauerunt conſilium eius.

Continuat narrationem de peccatis Iſraelitarum, fitque iã confeſſio illuſtrior ex illa antitheſi, quòd manifeſtis miraculis conuicti, tamen relapſi ſint ad priora ſcelera.

Feſtinauerunt, obliti ſunt] Id eſt, feſtinanter obliti ſunt. Apud Hebræos cùm duo verba immediatè abſque coniunctione iunguntur, prius aduerbiaſcit. Vt pſal. 75. Reuerteris, iuſtificabis me, &c. pro iterum iuſtificabis me, &c. Teſtatur autem hiſtoria Exod. 15. Iſraelitas, cùm itinere tridui à mari rubro progreſſi eſſent ad Mara, nec inueniſſent aquas, niſi amaras, in Mara ſtatim murmuraſſe contra Moſen, à quo in iſtas difficultates eſſent coniecti. Ad hanc hiſtoriam videtur reſpicere hoc loco.

Non expectauerunt conſilium eius] Speciem tranſgreſſionis deſignat Propheta, quæ eſt impatientia ſeu inobedientia iraſcens Deo in ærumnis aut pœnis. Debebant Iſraelitæ, & ex doctrina cœleſti, quam didicerant, & ex hiſtoria eccleſiæ omnium temporum, atque adeo ex ſuo exemplo, ſcire, eccleſiam Dei non regi humanis conſiliis, nec omnia ſecundùm vota noſtra nobis euenire: ſed Deum certo conſilio conjicere interdum ſuos in ærumnas & difficultates, & aliquandiu differre auxilium & liberationem, vt hac mora fidem, inuocationem, & patientiam ſuorum exerceat: & poſtquam fidem ſuorum exercuit & probauit, longè tamen alio modo liberare & ſeruare eccleſiam, quàm nos in hac imbecillitate noſtra cogitamus vel optamus. Hanc doctrinam, quæ propria eſt eccleſiæ ſapientia, qui ex animo remouent Iſraelitæ, & tantùm ſuis cupiditatibus obſequuntur, inquit propheta, eos non expectaſſe conſilium Dei, hoc eſt, non conieciſſe curas ſuas in Deum, non placidè eum inuocaſſe, non totos ſe gubernandos Deo commiſiſſe, nec expectaſſe patienter donec precibus annueret: ſed fractos impatientia murmuraſſe ad-

uerſus Deum,eique modum & tempus liberationis & auxilij præſcripſiſſe.

Hoc igitur erat peccatum huius populi;quo commonefacti diſcamus pendere à conſilio Dei, eique, cùm ærumnæ nos premunt,in ſilentio & ſpe nos ſubiiciamus, & placidè defenſionem ab eo expectemus. Ipſe enim ſuo conſilio regit eccleſiã, & ſcit quid nobis expediat,& quando ſuccurrere debeat. Hæc neceſſaria eſt commonefactio: eſtque hæc doctrina in ærumnis horum temporum,& periculis,diligenter exercenda.Nam & nos illa intemperies cupiditatum nonnunquam ita abripit, vt velimus Deum mox ſuccurrere nobis in ærumnis,idq; niſi faciat,murmuremus,aut etiam deficiamus.

14 Et concupiuerunt concupiſcentiam in deſerto:& tentauerunt Deum in ſolitudine.

Pergit alia commemorare populi Iſraelitici peccata: & è regione pœnas recenſet, quibus Deus vltus ſit populi ſui ingratitudinem & impietatem. Pertinet autem hæc commemoratio ad confeſſionem de peccatis maiorum huius populi exaggerandam: altera verò,quæ ſequitur, de pœnis; non tantùm ad oſtendẽdam magnitudinem iræ diuinæ aduerſus peccata, ſed etiam ad erudiendos Iſraelitas qui erant in exilio, vt his exemplis commonefacti cogitarent ſe iuſtas dare pœnas ſuorum peccatorum, & Deum,etiam cùm punit peccata ſuorum grauiſſimè, non tamen irritam facere promiſſionem de perpetua eccleſiæ conſeruatione ac defenſione. Hac commonefactione tunc inprimis erat opus.Nam multi in exilio, fracti magnitudine calamitatum, incipiebant dubitare de veritate promiſſionum, & ærumnas illas ac calamitates iudicabant eſſe ſigna perpetuæ abiectionis populi Iſraelitici. Tales igitur confirmandi erant his exemplis, vt & iram & iudicium Dei inter illas pœnas metuerent, & tamen non omnino de promiſſionibus editis deſperarent. Hiſtoria autẽ,cuius in hoc verſu fit mentio, deſcribitur Numeror. 11. Nam populus non contentus cibo cæleſti,quo hactenus illos liberaliter pauerat Deus, cœpit flagrare deſiderio carnium, quas cum murmure & fletu à Moſe poſtularunt. Hæc hiſtoria integrè legatur in Moſe. Ex pœna autem, quæ ſequitur, cogitetur quàm triſte peccatum ſit faſtidium bonorum præſentium, quod vt in aliis rebus omnibus reprehenſione dignum eſt, vt pote quod ex mobilitate quadam animi,ſubinde alia atque alia appetẽtis,oritur: ita in rebus diuinis maximè eſt exitioſum. Arguit enim nos non tantum impatientiæ, ſed neglectus & contemptus diuinorum beneficiorum, & oſtendit tales animos nunquam vero guſtu bonorum cœleſtium fuiſſe imbutos.

Concupiuerunt concupiſcentiam] Id eſt, vehementi deſiderio carnium exarſerunt,eique indulſerunt, non neceſſitati: cùm quidem manna ad ſuſtentanda corpora ſufficeret.

Et tentauerunt Deum] Quid ſit tentare Deum,diximus ſuprà pſal.78.& 95. Eſt enim tentare Deum, corrigere Dei ordinationem,vel negare, vel addere correctionem, ſuo conſilio,& ex animo incredulo, & temeritate experimentum potentiæ ſeu voluntatis Dei requirere in eo, quod Deus ita nõ ordinauit:atque ita Deum quaſi circunſcribere,ſeu legem ei imponere. Hoc peccatum multò grauius eſt quã murmuratio.Ita enim Iſraelitæ volunt capere experimentũ potentiæ & voluntatis erga ſe,ſi ſcilicet carnibus ipſos paſcat: adeo vt ſi id non faciat,non habituri eum ſint pro Deo.Ita corrigunt ordinationem Dei humano conſilio, dum præſcribunt ei nouam rationem alendi & ſuſtentandi hunc populum in deſerto.

15 Et dedit illis petitionem eorum [*id quod petiuerunt*]& miſit maciem in animam ipſorum.

Obſequitur quidem cupiditatibus populi Deus,adducta ingenti multitudine coturnicum,ſed ita,vt in ipſorum perniciem id cedat. Teſtatur enim hiſtoria Num.11.plaga diuinitus immiſſa magnam partem populi fuiſſe extinctam, atque eo loco,vbi carnes comederant,ſepultam: vt locus ab euentu poſtea dictus ſit Sepulchra concupiſcentiæ.Plagam autem illam,ſeu luem,hoc loco nominat maciem, vt ſignificet, iuſtam fuiſſe pœnam pro ſcelere inflictam. Quærebant illi lautitias & cibos delicatiores, qui palato grati eſſent,& corpora bene ſaginarent,faſtiditis illis vſitatis quibus hactenus, Deo benedicente,vitam & valetudinem egregiè cõſeruarant: ſed tantum abfuit vt cibus ille corpora ſaginaret,vt quo plus illi ingererent,eo fierent macilentiores,& tandem tabe, introducta ſcilicet ἀτροφίᾳ,conſumerentur. Hæc vniuerſalis pœna eſt heluonum, & eorum qui delicias in cibo & potu præter modum appetunt atque ingerunt. Non tantũ enim non reddunt corpora robuſtiora, ſed attenuant vires, & corpora imbecilliora reddunt. Hæc verò fuit ſingularis pœna intempeſtiuę appetitionis, quæ cum murmuratione erat coniuncta.Eſt autem & paranomaſia obſeruanda in voce רזון quæ oſtendit rationem,cur pro voce מכה, quæ eſt apud Moſen,propheta ſubſtituerit vocem רזון. Sine dubio enim alluſit ad vocem cognatam רצון,quæ ſignificat beneplacitum,ſeu quod allubeſcit: quaſi dicat, Carnes,quæ erãt ipſorum beneplacitum ſeu רצון,quæque cœperant ipſis allubeſcere, tãquam res gratæ palato,& corporibus conuenientes, conuerſæ ſunt in ipſorum רזון,id eſt,maciem,& corporis perniciem. Benedictio enim Dei eſt,quę corpora alit & ſuſtentat,non ciborum copia, aut varietas ſeu delectus.

Græcus reddidit πλησμονὴν,fortè quia pro ז legit ו,& nomen deduxit à רוה.

16 Et æmulati ſunt Moſen in caſtris: Aaron ſanctum Iehouæ.

Aliud peccatum Iſraelitarum commemorat. Quia cùm à prima origine populi exorſus eſſet narrationem, ordine promit præcipuas hiſtorias,in quibus non tantùm ingratitudo inſignis erga Deum, ſed malitia huius populi conſpicitur. Non tantùm beneficiis, tam variis & illuſtribus,moueri nõ potuerunt, vt Deum autorem rectè agnoſcerent & celebrarent, ſed ne pœnis quidem grauiſſimis coerceri malitia ipſorum,& impetus furioſus aduerſus Deum & miniſtros eius potuit. Pericles apud Thucydidem inquit, magis ſe metuere domeſtica vitia & errata,quàm hoſtium vires & conſilia.Id Moſes multò veriùs de ſua gubernatione plena negotiorum & periculorum vſurpare potuit.Non enim Ægyptij aut Arabes plura impedimenta aut difficultates Moſi obiecerunt, quàm populi, cuius gubernator erat,contumacia. Narrat hiſtoria Numer.16.quò nunc autor reſpicit, ducentos quinquaginta viros, incitatos clamoribus Chore, Dathan & Abiram, mouiſſe ſeditionẽ aduerſus Moſen & Aaronem,quæ non tantùm ipſis autoribus,ſed magnæ inſuper multitudini exitio fuit. Quatuordecim enim millia hominum & ſeptingenti percuſſi ſunt, abſque his qui perierant in ſeditione Chore.Hoc exemplum accommodandum eſt ad regulam,quæ eſt apud Salomonem Prouer.24.Time Dominum fili mi, & regem,& cum ſeditioſis ne miſcearis: quia ſubitò veniet exitiũ eorum,& ruinam ſeditioſorum quis nouit? Verbum קנא hoc loco ſignificat inuidere alterius potentiæ & dignitati, atque ita odium iniuſtum aduerſus eum concipere,& iniuſta moliri.

Aaronem nominat *ſanctũ Iehouæ*, vt exaggeret ſcelus hominum ſeditioſorum. Non enim aduerſus hominem tantùm inſurrexerunt,ſed aduerſus ſanctum Iehouæ,id eſt,peculiariter à Deo electum & cõſecratum,vt eſſet ſacerdos in hoc populo,& præſes ſacrorum. Contumelia igitur & iniuria non tantum ad hominem pertinebat,ſed ad Deum, cuius erat miniſter ſeu legatus. Elogium autẽ hoc ſub vnius perſona vtrique tribuitur. Eſtque titulus hic obſeruãdus,quo ſingularis dignitas,autoritas & reuerentia miniſtris Eccleſiæ Dei cõciliatur, & homines monẽtur,ne temerè quid aduerſus hos, dum miniſterio ſuo funguntur,tentent. Nam qui hos inuadunt, non tantum hominibus,ſed Deo bellum inferunt.

17 Aperta eſt terra,& deglutiuit Dathan: & operuit ſuper tabernaculum [*congregationem*] Abiram.

18 Et accenſus eſt ignis in congregatione eorum: flamma inflammauit [*id eſt combuſſit*] impios.

Pœna ſeditioſorum copioſè deſcribitur Num.16. Ex pœnę autem magnitudine atrocitas delicti cognoſci poteſt. Sũt enim in deteſtationem ſceleris non ipſi tantùm viri abſorpti à terra,ſed & tabernacula ipſorum.

Quo exemplo moueri alios oportet, ne aduerſus Dei miniſtros temerè aut ſceleratè aliquid tentent. Cæterum quod pontificij nobis hoc exemplum obiiciunt, & nos huius criminis accuſant,quòd rebelles & ſeditioſi ſimus aduerſus eccleſiam & Dei miniſtros, Papam,& Epiſcopos: nihil habet ponderis. Non enim ſunt legitimi Epiſcopi, etiamſi titulum vſurpent: quia non ſunt vocati diuinitus, nec funguntur ſuo officio ea fide qua Moſes in domo Dei fidelis fuiſſe probatur. Hebræor.c.3.

Impios] Id eſt,non eos tantum, qui fuerunt eius ſeditionis & tumultus autores,ſed reliquam etiam multitudinem, quæ poſtea aduerſus Moſen & Aaronem tumultuata eſt. Sunt autem interfecti 14700.

19 [*Et*] fecerunt vitulum in Horeb:& adorauerunt conflatile.

20 Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bouis,comedentis fœnum.

21 Obliti ſunt Dei,qui ſeruauerat eos [*ſeruatoris ſui:*]qui fecerat magnifica in Ægypto.

Nunc

Nũc recitat præcipuum ſcelus, i dololatriam ſcilicet quam inſtituerũt in deſerto, erecto aureo vitulo, & exhibito ei cultu planè diuino. Etſi autem poſtea ſæpe relapſi ſunt ad ſimilem idololatriam, vt quando vitulos in Dan & Bethel erexerunt: quando cultus idololatricos exercuerunt in excelſis ſeu montanis: quando cultum Baal à gentibus acceperunt: aut quando idolum Moloch adorarunt, &c. tamen nunc his omiſſis recitat hiſtoriam erecti aurei vituli, quæ deſcribitur Exod. 32. Quia hæc ſicut prima fuit defectio vniuerſi populi, ita omnium fuit turpiſſima, & exemplo ſuo ad omnem poſteritatem nocuit plurimùm.

Quæ autem occaſio fuerit huius idololatriæ, colligi poteſt ex hiſtoriis. Cùm enim Iudæi viſibile aliquod numen exemplo reliquarum gentium expeterent, præſertim cùm viderent Moſen, ducem ſuum diutiùs abeſſe, quem iam mortuum eſſe arbitrabantur, & ſcirent in Ægypto coli Apin ſeu Serapin, ipſi quoque Aaronem impellunt, vt Ægyptios imitatus vitulũ cõflaret, cui cultum diuinũ præſtarent. Ita populus Iſrael. longa commoratione inter Ægyptios, non parum vitij ab illa gente contraxit. Fieri enim id ſolet, quod eſt apud Euripidem, vt longa conuerſatione inter barbaros aliquis barbarus reddatur, & apud claudum claudicare diſcat. Cæterùm de Api aut Serapi legatur Strabo lib. 17. & Plin. lib. 8. cap. 46. Marcellin. lib. 22. Alexander ab Alexandro lib. 6. c. 2.

Auguſtinus lib 18. de ciuit. Dei, & Clemens Alexandrinus, dicunt Apin regem fuiſſe Argiuorum, qui cùm nauibus trãſiectus in Ægyptum & mortuus eſſet, factus ſit Serapis omniũ maximus Ægyptiorum Deus. Cur autem nõ Apis poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, rationem reddere conantur Varro & Nimphodorus Amphipolites in 3. νομίμων. Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, σορὸς Græcè dicitur, & ibi vel regem, vel bouem ſepultum venerari cœperunt, priuſquàm templum eius eſſet extructum, Sorapis primo, deinde vna litera commutata Serapis, dictus eſt. Sed alterum vocabulum Oſiris, quo idolum illud notatur, oſtendit vocem eſſe Hebræam & Ægyptiam. Neque enim dubiũ eſt, Oſirin eſſe nomen שור præpoſito articulo, quod Ægyptiis & Iudæis bouem ſignificat. Vt Serapis compoſitum ſit à Sor & Ap, quod bouis faciem ſignificat. Euſebius de preparat. Euangel. exiſtimat Oſirim dictum quaſi multioculum, fortaſſis vt prouidentia diuina notetur (Nam verbum שור ſignificat intentis ac fixis oculis aliquid intueri) vt ſignificetur, primos Ægyptios ęternam Dei prouidentiã ſub hac imagine colere voluiſſe: quanquam Euſebius vult Oſirin ſolem fuiſſe, qui ſit oculus mundi, & Iſidem dictam fuiſſe lunam: quia fieri potuit, vt poſtea ad ſolem hoc accommodarent.

De *Horeb* dictum eſt alibi. Nomen eſt montis in regione Madianitarum, aliâs Sinai. Sunt enim duo cacumina montium vicina.

Adorauerunt] Non ita cultum præſtiterunt Iſraelitæ huic idolo, vt vitulum ipſum, tanquam Deum, videri vellent adorare: ſed, quia viſibilem aliquam imaginem requirebant, ad quam ſuo cultu Deum alligare ſe poſſe, ad efficacius edenda præſentiæ ſuæ teſtimonia iudicabant, ideo vitulum conflarũt & extruxerunt, vt Deum hoc modo colerent, & quaſi de cœlo detractum ſibi obſtringerent. Ideo dicebant, Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te ex Ægypto: non quòd auro conflato illã vim, ſeu numen per ſe tribuerent, ſed quòd verum Deũ iam adeſſe ſibi propius, & viſibili ſigno alligatum eſſe crederent. Ideo Aaron quoque clamari curauit per pręconẽ: Cras eſt ſolennitas ליהוה Iehouæ. Quibus verbis ſignificabatur, ſe in illo vitulo adoraturos & culturos non aliũ Deum quàm Iehouam, à quo liberati eſſent ex Ægypto. Et tamen Spiritus ſanctus hoc loco affirmat, eos non adoraſſe Iehouã, ſed vitulum tantùm. Quia Deus non alligandus eſt ad rem vllam ad quam ſe non alligauit ſuo verbo, nec agnoſcendus aut adorãdus eſt aliter quàm ipſe ſe patefecit. Atque hæc diligenter obſeruanda ſunt contra Pontificios & imaginũ cultores, qui quanquam dicunt, Imaginem non eſſe Deum, ſed ſub imagine ſe colere verum Deum: & noti ſunt verſus hac de re facti in ſecunda ſynodo Nicena.

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa:

Tamen Spiritus ſanctus hoc loco affirmat non Deũ, ſed cõflatilia & ſculptilia adorari ab illis, qui ante ſtatuas quarumcũque formarũ religionis gratia procumbunt, & totum illum cultum eſſe execrandam idololatriam oſtendit. Et Auguſtinus in pſal. 113. rectè dicit: Nemo orat, vel adorat, ſic intuens ſimulacrum, qui non ſic afficiatur, vt exaudiri ab eo ſe putet, vel ſibi præſtari, quod deſiderat, ſperet.

Et mutarunt gloriam ſuam] Primùm amplificat ſcelus Iſraelitarũ ex antitheſi. Iſraelitæ, inquit, relicto vero Deo, qui erat gloria & decus ipſorum, quique eos ornabat & decorabat ſua gloria, eò dementiæ delapſi ſunt, vt in eius locum ſubſtituerent, non bouem animal brutum, ſed mortuam bouis formam. Hoc profectò magna fuit cæcitas & deteſtabile ſcelus, tam craſſas de Deo concipere opiniones, vt boui eum aſſimilare non vererentur.

Obliti ſunt] Altera exaggeratio criminis ſumitur à cauſa, cũ indignatione. Cauſa enim idololatriæ fuit obliuio Dei & beneficiorũ eius. Neque enim ſola inſcitia populus delapſus eſt in hunc errorem, ſed ingratitudine, quæ oritur ex obliuione beneficiorum. Nam Deus verbo & miraculis ſatis ſupérque ſe patefecerat, vt nullus ignorantiæ prætextus quæri poſſet. Et quo maiora fuerant beneficia in hũc populum col lata, eo maior turpitudo in obliuione atque ingratitudine conſpicitur, cum abiecto Deo ad figuram animalis bruti ſe proſternunt.

22 Mirabilia in terra Cham: terribilia ad mare rubrum.

Amplificat miracula & beneficia diuinitus exhibita à diſtributione, vt fœditas in defectione fiat cõſpectior, & ſtupor craſſus Iſraelitarum magis in oculos incurrat. Deus, inquit, non ſemel atque iterum ipſis benefecit, neque vno atque altero miraculo potentiam ſuam & præſentiam in hoc populo oſtendit: ſed & ante eductionẽ ex Ægypto varia edidit miracula, quibus amorem ſuum teſtatus eſt: & in eductione, tam illuſtri facto & ſtupẽdo miraculo incredibilem ſuam potentiam ita declarauit, vt vel vnici huius miraculi recordatione, ſi non prorſus profani & impij fuiſſent, retineri in Dei timore & cultu debuerint.

Ita peruerſitas naturæ humanæ in his verſibus deſcribitur, quæ tantùm prona eſt ad malum omni tempore, nec vllis beneficiis Dei mouetur, vt autorem cognoſcat & celebret: ſed ſemper ſuis cupiditatib. obſequens, ad quiduis potius quàm ad Deum ſe conuertit.

23 Et dixit, vt perderet eos, niſi Moſes electus eius ſtetiſſet in ruptura coram facie eius: ad auertendam iram eius ne deleret.

Idololatriæ manifeſtæ ita iraſcitur Deus vt non partem populi, ſed vniuerſam multitudinem delere decreuerit. Ideo in Exodo inquit ad Moſen, Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit: ſine me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c. Idque exemplum iræ Dei aduerſus idololatriam obſeruandum eſt, vt ſecuritatem noſtram excutiamus, & feriò omnem idololatriæ ſpeciem vitemus ac deteſtemur. Nã etſi omnia peccata diſplicent Deo, & merẽtur pœnas pręſentes & æternas: tamen nullum eſt quod magis offendat Deum, quàm idololatria, quæ eſt aperta defectio à Deo, & crimen, vt ita dicam, læſę maieſtatis Dei, & immediatè pugnat cum gloria Dei. Non enim tantùm gloriam Dei obſcurat, ſed totam ad creaturas transfert. Hoc primũ eſt quod in hoc verſu eſt obſeruandum.

Quod dicit Deum *dixiſſe vt perderet*, hac phraſi voluit ſignificare graue Dei offenſam. Significat enim decretum factum eſſe de perdendis idololatris, Dixit Deus, id eſt, decreuerat, & certò ſtatuerat. Hic ſi quis quærat, cur decretum illud fuerit mutatum, aut ſi quis hinc colligat, Deum eſſe mutabilem & inconſtãtem, qui more hominum ſubitò excandeſcat, deinde placatus conſilium mutet: Reſpondendum eſt, Comminationes omnes de pœnis ſcelerum intelligendas eſſe cum exceptione pœnitentiæ, ſicut in hoc exemplo, & in Niniuitis videre eſt. Vult enim Deus his cõminationibus terrere populum peccantem, vt agnita culpa ad Deum cõuertantur, & vt audientes ſententiam mortis contra ſe latam, eo maiore ſe beneficio obſtringi ſciant, cùm poſtea parcit delinquentibus. Alterum, quod in hoc verſu obſeruandum venit, eſt admirabilis στοργή, qua Moſes populum complexus eſt. Non enim vitam duntaxat, quæ homini chariſſima eſt, in diſcrimẽ adducere, ſed etiam anathema, id eſt, res in æternum à Deo abiecta, & deſtinata æternis ſuppliciis, pro ſalute populi fieri voluit, cùm dicit: Dele me de libro vitæ. Quod exemplum intueri atque imitari omnes debemus, vt eccleſiæ cauſa omnia perferamus.

Quod dicit, *ſtetit in ruptura coram facie eius*, alluſio eſt ad vrbium oppugnationes: vbi ſi murus ariete, aut alia machina, concuſſus corruat, ſtrenui milites, obiectis ſuis corporibus rupturam claudunt, ne hoſtis ea parte, qua murus apertus eſt, irrũpat. Hoc igitur eſt ſtare in ruptura. Ita igitur Moſes ſtetit in ruptura, & quaſi obiecto ſuo corpore, precibus ſuis impediit, ne ira Dei ſæuiret in populum. Ita hac phraſi ſignificatur, ſi peccata hominum inſtar diluuij exundẽt, rupturam fieri, per quã vindicta Dei ſtatim penetrare queat, & graſſari ad omnia vaſtanda, donec in nihilum redigat. Extat autem ſimilis phraſis apud Ezechiel. cap. 13. & 22. vnde ſententia horum verborum colligi facilè poteſt. Nam 13. capite ac-

cuſat Deus falſos prophetas, quòd non aſcenderint ad rupturas, nec ſepiuerint ſepem ſeu murum ſuper domũ Iſrael, ad ſtandum in prælio in die Iehouæ: hoc eſt, quòd non ſtatuerint vera & ſana doctrina populum reuocare ab errorib. & peccatis, & iram Dei, aduerſus populi peccata conceptam, inhibere ſeu placare. Capite verò 22. queritur Deus, ſe quæſiuiſſe virũ, qui ſepiret ſepẽ, ne domus Iſrael pateret latronibus & furibus, & qui ſtaret in ruptura, hoc eſt, qui pœnas imminentes anteuerteret, ſed non inueniſſe: ideo effudiſſe ſe indignationẽ ſuam, & in ira furoris ſui conſumpſiſſe eos. Alij rupturam interpretantur diuulſionem, quam populus, abrupto Dei fœdere & ſancta vnitate, fecerat. Sed eodẽ redit hæc ſententia. Quamdiu enim in fide manebant Iſraelitæ, erat ipſis Deus loco muri & antemuralis: ſed iratus, quaſi rupta macerie, irruit in eos quaſi ad ſtragem. Hic igitur ſe opponit Moſes & medius intercedit. Græcus reddit ἐν τῇ θραύσει, in confractura. Alij in diuiſione. id eſt, ſi non præbuiſſet ſe interpretem & ſequeſtrem, diſiunctos & inter ſe alienatos reconcilians.

Tertiò, vis & efficacia precationis hoc loco in Moſis exemplo conſideretur. Ille enim, ſtans in ruptura, ſua precatione ſuſtinet, & quaſi infringit impetum iræ diuinæ, ne in populum graſſetur, hoc eſt, ſua interceſſione perficit, ne Deus totam iram ſuam in populum effundat. Id exemplum excitare omnes debet, vt ſciant nulla re meliùs, quàm precatione ardente auerti iram diuinam, & ſinguli in ſua oratione plurimum ad ſalutem eccleſiæ procurandam poſitum exiſtiment, eóque diligentiùs & ardentiùs orationi incumbant.

24 Et repudiauerunt terram deſiderabilem: non crediderunt verbis eius.

25 Et murmurauerunt in tentoriis ſuis: non audiuerunt vocem Iehouæ.

Recitat aliud peccatum Iſraelitarum, faſtidium ſcilicet terrę promiſſæ: ex quo, cùm exortus eſſet tumultus, Iſraelitę parabant reuerti in Ægyptum. Hiſtoria extat Num. 13. & 14. Concurrunt autẽ in hoc vno peccato multa alia. Primùm enim inſignis & indomitæ malitiæ ſignum fuit, quòd Iſraelitæ certiſſimo exitio addicti propter idololatriam, cùm vix è tanto & tam præſenti periculo ſe ereptos eſſe ſcirent, non deſinunt tamen tumultuari aduerſus Deum, nec metu pœnarum reprimuntur, quin pergant obſequi ſuis cupiditatibus. Secundo, ipſum faſtidium terrę promiſſæ & deſiderabilis oſtendit homines eſſe αἰθίοις, qui non niſi rebus præſentibus afficiantur, atque ex his, prout ſunt ſecũdæ, vel aduerſæ, lætitiam vel metum concipiant.

Tertiò, additur grauius peccatũ, quod hic notat propheta, cùm inquit, non crediderũt verbo Dei: quod nihil aliud eſt, quàm arguere Deum mendacij: iuxta illud 1. Iohan. 1. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Quod ſcelus profectò eſt horrendum. Iurauerat Deus patribus, ſe daturum terram Canaan poſteritati: & tamen tam profligati ſunt, vt ne iurati quidem Deo credant. Quartò, incredulitas illa in manifeſtã murmurationem & tumultum erumpit, quando exploratoribus reuerſis audiunt terram eſſe quidem cultiſſimam & optabilem, ſed propter inhabitantium robur inacceſſam. Quia enim vident pericula ſibi eſſe adeunda antequam terram occupent, malunt vel in ſolitudine mori, vel in Ægyptum reuerti, quàm terram à Deo promiſſam ingredi. Quintò additur & aliud ſcelus, quòd non tantùm ex impatientia aliqua aut periculi metu murmurant & tumultuãtur: ſed cõtumaciter iam detrectant Dei imperium, & mandata eius de occupanda terra Canaan pro nihilo ducunt. Horum triſtiſſimorum peccatorum, quæ in vno ſcelere cõcurrunt, conſideratio admonere nos debet, vt & de imbecillitate ac prauitate naturæ noſtræ cogitemus diligentiùs, & huius conſideratione nos exuſcitemus ad curam & ſolicitudinẽ vitandi lapſus contra conſcientiam, ad ſtudium item obedientię, & ad ſeriam inuocationem, in qua petendum eſt, vt Spiritu ſuo Deus fidem in nobis obſignet, ne hæreditatem vitæ cæleſtis noſtra incredulitate amittamus.

Voce חמדה amplificat ſcelus quod erat in faſtidio. Dicitur autem *terra deſiderij*, non tantùm quòd rebus omnibus ad victũ & cultum neceſſariis abundaret, ſed multò magis quod hæc terra diuinitus electa erat, vt eſſet ſedes & ſchola veræ doctrinæ de Deo, & cultuum diuinorum, in qua Iudęi ſegregati à gentibus, Deum rectè agnoſcerent & colerent, & promiſſionem de venturo ſemine cõſeruarent: deinde vt cæleſtis hæreditatis arrha & ſymbolum illis eſſet. Hoc igitur ſacrum Dei domicilium reſpuere, ſeque hoc contẽptu omnibus his beneficiis ſpoliare, extremę ingratitudinis & dementiæ fuit.

Non crediderunt] Cauſam contemptus notat, & ſimul delictum exaggerat: cum illo enim contemptu hoc ſcelus fuit coniunctum, quòd Deum mendacij arguerent.

Tumultuati ſunt] Id eſt, mota ſeditione opprimere conati ſunt Moſen, Aaronẽ, Ioſuam & Caleb, qui illis terrã promiſſam commendabant. Verbum רגן ſignificat cũ fremitu murmurare aduerſus aliquem, aut eũ accuſare, aut ſuſurrationib. mutuis ſe aduerſus aliquem incitare. Nec multùm, ſi fiat literarum metatheſis, abludit ab Hebræo Saxonicum *kürren*.

Non audiuerunt] Id eſt, detrectarunt eius imperium, nõ voluerunt regi ampliùs voce diuina, &c. Itaque & contra mandatum diuinum conantur ingredi terrã promiſſionis, pugnãtes contra Amalekitas & Cananæos, à quibus cæſi ſunt.

26 Et extulit manum ſuam ipſis [*id eſt, contra ipſos:*] ad proſternendum eos in deſerto.

Rebellionem ſequitur triſtis pœna. Deus enim iurat, ex his qui egreſſi erant ex Ægypto, & ſuperauerant annum ætatis viceſimum, neminem ingreſſurum eſſe in terram Canaan, exceptis Ioſua & Caleb, ſed omnes morituros paſſim in deſerto: idque euentus comprobauit. De hac igitur pœna loquitur hoc loco.

Extulit manum] Videtur reſpicere ad illa verba quæ ſunt Num. 14. Deus iurans, inquit: Viuo ego, ait Dominus, ſicut loquuti eſtis, audiẽte me, ſic faciam vobis: In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, id eſt, quam iureiurando vobis promiſeram me daturũ poſſidendam. Vbi leuare manum, ſignificat iurare, forma ſermonis ab hominum conſuetudine ſumpta, & ad Deum impropriè tranſlata. Nam iurantes, manum ad cælum attollunt tanquam monſtrantes eum quem in teſtem vocant, aut iudicem eum de cælo acceſſentes, ſi fallant. In hac ſignificatione apud Ezechielem cap. 20. Deus aliquoties hanc phraſin vſurpat: Leuaui manum meam pro ſemine Iacob, id eſt, iuramẽto interpoſito cõfirmaui promiſſiones meas. Item, Leuaui manum meam in deſerto, me diſperſurum eos in gentes. Item, Introduxi eos in terram ſuper quam leuaui manum meam. Eſt autem leuatio manus etiam geſtus comminãtis vel iam iam percuſſuri: Ideo nonnunquam leuare manus ſignificat in Scriptura, vel comminari, vel caſtigare, prę ſertim quando Deo tribuitur. Vt Ieſ. 19. Timet & ſtupebit à facie eleuationis aut agitationis manus Domini, quam leuaturus eſt ſuper eã. Pſal. 10. Surge, leua manum tuam. Secundùm hanc ſignificationem nonnulli hanc phraſin exponunt, Eleuauit manum ſuam, id eſt, extendit vt puniret populum: ſed prior expoſitiò optimè quadrat cum textu, qui eſt apud Moſen.

27 Et ad diſſipandum ſemen eorum inter gentes: & ad diſpergendum eos per terras.

Hoc quidem in illo iuramento diuino in Num. non dicitur expreſſè, ſed quadam conſequentia, & ab autore pſalmi, & ab Ezechiele inde deducitur, vt exemplum pœnæ præteritæ ad præſentes ærũnas populi, verſantis in exilio propter peccata, accommodetur. Sicut enim tunc in deſerto iurauit Deus ſe proſtraturum Iſraelitas, & cadauera diſſipaturũ per deſertum, vt pœnas darent ſuæ rebellionis, & idololatriæ, idque facto declarauit: ita non dubium eſt, ipſum eodem iuramento omnibus poſteris ſimiles pœnas minatũ fuiſſe, ſi pergerent maiorum ſuorum exemplo ſeſe polluere idololatria & aliis ſceleribus. De hoc igitur admonere vterque Iſraelitas in exilio voluit, vt ſcirent iamdudum factum eſſe illud decretum de pœnis, quas nunc paterentur: vt hac cogitatione ad pœnitentiam & ſeriam inuocationem eos exuſcitarent, ne, ſi pergerent indulgere incredulitati & aliis ſceleribus, maiorum ſuorum exemplo à ſpe recuperandæ patriæ prorſus excluderentur.

In terras] Id eſt, varias regiones.

28 Et copulati ſunt Baal Pegor: & comederunt ſacrificia mortuorum.

Iſraelitæ, toties ob ſuam ingratitudinem & alia ſcelera duriter caſtigati, non deſinunt tamen ſubinde relabi in peccata, & nouis ſceleribus priora accumulare. Ita in hoc exemplo iterum peruicacia humanæ naturæ pingitur, quæ nec beneficiis innumeris mouetur, vt Deo gratum obſequium præſtet, nec plagis reuocari à libidine peccandi poteſt. Hæc prauitas naturę noſtræ agnoſcenda & deploranda eſt, & vero pietatis ſtudio corrigenda, ne pœnas nobis triſtiſſimas exemplo Iſraelitarum acceſſamus. Hiſtoria autem cuius hic meminit, deſcribitur Num. 25. Populus enim Iſraeliticus cùm moraretur in Setim, fornicatus eſt cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. Illi verò comederunt, & adorauerũt Deos earũ, initiatúſque eſt Iſrael Baal Pegor. Ita ſcortatio cauſam præbuit huic nouæ defectioni, in qua ſe cultu turpiſſimi idoli cõtaminauerunt. Scortatio enim, vinũ & ebrietas, vt Hoſeas inquit, cap. 4. auferunt cor, id eſt, laxant humanos animos,

animos, & effrænatos in furorem agunt, vt qui veneri & vino indulgent, cæci & amentes ruant in ſcelera, ſeque in exitium præcipitent. Et exempla omnium ætatum id confirmãt. In primis autem cum idololatria coniunctæ ſunt tetræ libidinum confuſiones, ſuntque eius vel cauſa, vel pœnæ: quod & hæc hiſtoria, & exempla Ethnica, Pontificia, & Mahometica oſtendunt, in quibus ad cultum idolorum ſemper acceſſerũt horrendæ confuſiones libidinum. Quo maiore ſtudio fugiẽdum eſt hoc ſcelus, & cauendum ne corpora noſtra hoc polluantur.

Copulati ſunt] Verbum צמד ſignificat coniugari, combinari, ſicut par iumentorum ad iugum alligatur. Inde צמד ſignificat coniugationem duorum animalium ad vnum iugum. Ad hoc verbum, & quidem ad hunc ipſum locum reſpexiſſe videtur Paulus, cum inquit 2. Corinth. 6. Nolite trahere iugum cum infidelibus, quanquam ille ἑτεροζυγεῖν dixit pro ὁμοζυγεῖν: quia ſignificare voluit, non eſſe diuerſa iuga trahenda cum Chriſtianis ſimul & cum gentibus, nec committendum, vt in diuerſa iuga diſtraherentur, ſi ſerio vellent eſſe Chriſtiani. Eleganter autem & cõcinnè vtitur propheta hoc verbo, præſertim cùm ſequatur nomen בעל quod maritum ſignificat: quia notare voluit perfidiam Iſraelitarum, qui violato ſpirituali coniugio, quo Deo addicti & copulati erant, fornicati ſint cum Deo alieno, eique ſe turpiter proſtituerint, tanquã ipſi cõiugati. Deus enim eccleſiam ſuam habet loco vxoris, à qua vult rectè agnoſci & coli, & vult hunc coniugalem amorem eſſe purum & illibatum. Itaque ſi idolis ſe illa addicat, non minus turpiter fidem violat, quàm ſi mulier relicto marito ſe adultero proſtituat. De hoc igitur crimine accuſatur hoc loco Iudæi, cùm inquit, Coniugati ſunt Baal Pegor, &c. relicto ſcilicet ſuo marito.

Nomen בעל ſignificat maritum, dominum, herum, poſſeſſorem rei propriæ, ſeu qui habet dominiũ in rem propriam, & ſibi ſubiectam. Fuit autem hoc nomen commune multis idolis gentium: vnde eſt illud Baal Zebul: atque inde eſt factum nomen Belus, vt hac ipſa appellatione non ſolùm ſubiectionem ſuam & ſeruitutem qua addicti eſſent idolis, oſtẽderent, ſed turpitudinem ſuam inſuper proderent. Nec dubium eſt imitatione gẽtis Iudaicæ id factum eſſe, in qua ſciebant, verum Deum tanquam maritum, certo fœdere, in quo pactio fuit mutui coniugij, ſibi deſpõdiſſe populũ ſuum. Qua de re dictum eſt in Hoſea cap. 2.

פעור nomen fuit idoli Madianitarum. Nam Baal vocabulum tanquam commune præponitur, vt & aliis: vt Baal Zebul, Baal Berith, &c. Et exiſtimant plerique fuiſſe Priapum: ſicut & de Helleſpontis & Lampſacenis conſtat eos coluiſſe Priapum tanquam tutorem hortorum. Nomen autem factum eſt ab apertione, quemadmodum vocem. Priapus nonnulli factã eſſe volunt ἀπὸ τοῦ προΐεσθαι, hoc eſt, ab emiſſione, ſcilicet ſeminis. Itaque Baal Pegor vertũt quidã Deũ apertionis, & addũt cauſã, quòd pudẽda corã eo detegerẽt, aut quemadmodũ Hebræi ſcribunt שפירעין לפניו פי הטבעות ומוציאין רעי. Eſt autem & proprium nomen montis ac loci in regione Madianitarum, in quo templum huic idolo fuit conſtructum: è cuius loci regione mortuus ſcribitur Moſes.

Et comederunt ſacrificia mortuorum] Exaggerat turpitudinẽ his verbis. Solebant Iſraelitæ veſci ſacrificiis, quæ Deo verò offerebant: quæ res monebat pios, ita arctam & familiarem eſſe inter Deum & ipſos coniunctionem, vt tanquam coniuges vna quaſi menſa & conuictu vterentur: ideóque conuiuari tunc dicebantur in conſpectu Iehouæ. Nunc verò Iſraelitæ relicto vero & viuo Deo, comedunt ſacrificia mortuorũ, atque hoc ritu mortuis idolis ſeſe conſecrantes, ea ſibi quaſi in coniugium accerſunt.

29 Et ad iracundiam prouocauerunt [*eum*] operibus ſuis: & irruit in eos plaga.

Idololatriam & ſcortationem iterum ſequitur pœna. Quia vniuerſale eſt, libidines & ſcortationẽ, tam ſpiritualem quam corporalem, puniri atrocibus pœnis etiã in hac vita. Cur autem ſemper commemorationi delictorum narrationem de pœnis ſubiiciat, dictum eſt antea. Primò vt commonefierent exules, ſe quoque dare iuſtas pœnas ſuorum ſcelerum: deinde vt conſideratis his exemplis, ſcirent, Deum etiam inter horribiles pœnas memorem eſſe ſuarum promiſſionum, & ſeruare eccleſiam.

Irruit] Magno impetu inuaſit, irrupit tanquam aqua exundans, aut exercitus vi perrumpens oppoſitum agmen, & longè latéque edens ſtragem: id enim propriè ſignificat verbum פרץ. Scribit autem Moſes occiſa fuiſſe viginti quatuor millia hominum.

30 Et ſtetit Phinees & vindicauit [*iudicauit*] & cohibita eſt plaga.

Amplificat narratiunculã ab exemplo Phinees, in quo ſingularis nemeſis, hoc eſt, indignatio aduerſus atrocia ſcelera conſpicitur. Nam ingreſſus lupanar interfecit Zamri principem tribus Simeon vnà cum ſcorto Madianitide. Cumq; Deus approbet & præmiis ornet hoc factum, exemplum hoc omnibus gubernatoribus proponitur, vt ſciant hoc requiri à ſe, vt ardeant iuſto zelo aduerſus turpitudinem, eámque omnibus modis puniant.

Stetit] Id eſt, magno animo ſurrexit, vt pœnas de ſcortatore ſumeret: non ſedit tanquam otioſus ſpectator approbans delictum, vel ſaltem conniuens, vt faciunt plerunque in magiſtratu homines ignaui, molles & timidi: ſed fuit animo forti, & arſit iuſto zelo. In hac ſignificatione vſurpatur verbum עמד etiam ſequente Pſalmo.

Iudicauit] Id eſt, præbuit ſe vindicem: nõ enim expectata iudicum ſententia, ſumpſit pœnas de Zamri. Chaldæus vertit, & orauit: quæ ſignificatio huic verbo familiaris eſt in quarta cõiugatione: ſed in ſecunda coniugatione ad iudicia propriè refertur, & ſignificat vel arbitrum agere, ſeu arbitrari, ſeu interpellare tanquam aduocatum. Item appellare ad iudicem, ſeu ad iudicium prouocare, denique iudicare: vt ſolent iudices & arbitri. Vnde פלילים ſunt iudices & arbitri.

Et cohibita eſt plaga] Factum Phinees multis encomiis & præmiis ornatur. Primùm enim, ſicut Moſis precibus non multò ante placatus fuerat Deus, vt iram remitteret: ita nunc facto Phinees plagam fuiſſe repreſſam & ſedatam affirmat. Quo exemplo monemur, nullum eſſe melius extinguendo iræ diuinæ incendio remedium, quàm ſi quemadmodum Phinees ſibi iudicis partes ſumpſit in alieno peccato, quod publicè in oculis omnium patrabatur, vindicando: ita ſinguli in ſuis delictis puniendis & deteſtandis ſibi ipſi ſint iudices: iuxta illud Pauli 1. Corinth. 11. Si nos iudicaremus ipſi, non caſtigaremur à Domino.

31 Et imputatum eſt ei ad iuſtitiam: in generationem & generationem vſque in ſeculum.

Alterum præmium, quo ornatur factum Phinees, eſt priuatum, & peculiariter ad eius familiam pertinet. Primùm autem inquit, imputatum ei eſſe hoc factum ad iuſtitiam, id eſt, habitum eſſe pro iuſto opere & Deo accepto. Nam alioqui, ſi hominum iudicia ſpectes, multa occurrunt, quæ factum hoc infamare poſſunt. Primùm enim non erat ordinarius iudex aut magiſtratus in illo populo, nec erat armatus gladio. Et quanquam erat præfectus ſacris, tamen, quod ad iudicia publica attinet, non minus priuatus habẽdus erat, quàm alij ex plebe. Deinde, per ſe crudele videbatur, virũ ſimul & mulierem & quidem loco parum honeſto perfodere. Poſtremò erat perſona Zamri non priuata aliqua, ſed in dignitate conſtituta. Erat enim dux de cognatione & tribu Simeon. Denique & mulier erat filia nobiliſſimi principis Madianitarum, vt hoc reſpectu factum videatur temerarium & crudele. Sed Spiritus ſanctus affirmat opus fuiſſe iuſtum, tanquam ex pio zelo diuinitus accenſo profectum, & Deo factum ita placuiſſe, vt & ad omnem poſteritatem illud voluerit commendari, & multis magnis præmiis ornarit, cõfirmata non ipſi tantum, ſed & poſteris ſerie ſeu iure ſucceſſionis in ſacerdotio. Hæc igitur dignitas, parta eius familiæ in multas ætates, non fuit leue decus ſeu præmium. Atque hæc eſt ſimpliciſſima huius loci ſententia: quòd ſcilicet opus eius gratum fuerit Deo, & hoc nomine ipſe fuerit iuſtus. Alioqui enim nec opus ipſum ita erat perfectum, quin labe aliqua aut vitio eſſet infectum, nec ſufficit ad iuſtitiam hominis vnus actus ſpecialis: ſed quia Deus perſonam acceptat propter aliud, etiam accepta habet eius opera. Itaque nequaquam hinc colligẽdum eſt, Phinees hoc vno opere conſecutum eſſe iuſtitiam, qua corã Deo ſubſiſteret, aut gratiam ſeu reconciliationem mereretur. Aliud enim eſt loqui de iuſtitia perſonæ, de qua Paulus loquitur ad Rom. 4. quæ in gratuita reconciliatione conſiſtit: aliud de iuſtitia operis ſeu cauſæ. Et diuerſæ locutiones obſeruentur in Geneſi & hoc loco, Imputauit illud ei iuſtitiam, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam.

32 Et prouocauerunt ad iracundiam [*irritauerunt*] iuxta aquas contradictionis [*iurgij*] & malè ceſſit ipſi Moſi propter eos,

33 Quia exacerbauerunt ſpiritum eius: & inconſideratè locutus eſt labiis ſuis.

Inter peccata populi quæ commiſit in deſerto, recenſetur hoc loco tumultus & ſeditio, quam excitauerunt in deſerto Sin, cùm veniſſent ad Cades, nec repériſſent ibi aquas. Ea hiſtoria deſcribitur Num. 20. Non quidẽ ſeruatur ordo, qui eſt apud Moſen, vbi fornicatio cum filiabus Madianitarum ſequitur hanc tumultuationem: ſed tamen non ſine conſilio

factum eſt, vt, antequam introduceretur in terram Chanaan, poſtremo loco hoc peccatum commemoraretur. Quia hoc peccato ita irritauerunt Deum, vt populi iniquitas in ipſum duce redundaret, iſque ab ingreſſu terræ promiſſæ arceretur. Multa autem ſunt in hac hiſtoria digna conſideratione, quæ cùm alibi explicata ſint copioſiùs, nobis capita & ſummas notaſſe ſufficiat. Primùm, inquit, populum ad iram prouocaſſe, non addita perſona de qua ſermo ſit. Eſt autem vſitatum Hebræis, cùm oratio talis eſt, vt nonniſi de Deo intelligi queat, vel nomen eius omittere prorſus, vel loco eius ponere relatiuum abſque antecedente, cuius exemplum vidimus in Malachia. Itaque non dubium eſt, etiam hoc loco Deum ſubintelligendum eſſe, quem ad iram prouocauerint ſua incredulitate, impatientia & fremitu aduerſus ipſum, & manifeſta ſeditione aduerſus gubernatorem Dei miniſtrum excitata. Hæc enim omnia peccata in hoc vno ſcelere concurrunt, iiſque adeo grauiter offenſum fuiſſe Deum affirmat Pſaltes, vt iram eius poſtea in pœnis ſenſerint. Nam irritare Deum ſignificat ſcelere ſuo ſibi pœnas accerſere, in quibus ira & iudicium Dei aduerſus peccata conſpicitur. Erat quidem rixa contra Moſen, ſed contumelia atque contumacia aduerſus miniſtrum ad Deum ipſum pertinet.

Aquæ contradictionis nomen ſortitæ ſunt ab euentu, eo quòd populus ibi rixatus & tumultuatus ſit aduerſus Moſen propter aquarum penuriam.

Et malè ceſſit (ſeu malè fuit) *Moſi*] Exaggerat crimen Iſraelitarum à calamitate ducis, qui pœnas luit contumaciæ ſui populi, excluſus ab ingreſſu terræ promiſſæ. Hinc enim colligitur, Deum grauiter fuiſſe offenſum, qui ne electiſſimo quidem ſeruo ſuo pepercit, cùm multitudinis fremitu & contumacia abreptus, quædam timidiùs & cum ſignificatione dubitationis egiſſet ad petram, quam iuſſus erat percutere virga, eóque facto aquam inde educere. Si enim priuatus fuit terræ ingreſſu Moſes, qui alieno vitio præter animi ſui ſententiam abreptus fuit ad peccandum, quanto minùs tolerabilis eſt populi impietas, qui data opera cum Deo rixatus eſt, & Moſen ſua intemperie ad culpæ ſocietatem pertraxit? Talis amplificatio ſceleris eſt in hoc verſu. Cæterũ quod de Moſe hîc dicitur, etiam de Aarone intelligendum eſt. Nam fuit vterque priuatus ingreſſu terræ ſanctæ: & quidem Aaron mox poſt hunc populi tumultum, & triſtem ſuam dubitationem, iuſſu Domini conſcendit montem Hor, ibique mortuus ſcribitur, in finibus terræ Edom, non procul à Cades.

De peccato verò vtriuſque gubernatoris hoc monẽdi ſunt auditores. Etſi nõ leuia peccata ſunt dubitatio & diffidentia, quæ in Moſis oratione plena trepidationis conſpiciuntur, ideóque grauiter puniuntur: tamen hæc peccata prudenter diſcernẽda ſunt à lapſibus multitudinis, qui ſunt multò grauiores. Sunt enim peccata mortalia. Cum Moſes adiutus à Spiritu ſancto ſuum peccatum deteſtatus ſit, & repugnarit dubitationi fide, petens ſibi remitti hanc impietatem propter Filium Dei, quem ſciebat propoſitum eſſe Mediatorem: idque facto ipſo oſtendit, quando ſuperata dubitatione percuſſit petram. Ita in omnibus renatis ſunt reliquiæ peccati originalis, caligo, dubitationes, carnalis ſecuritas, errantes flammæ vitioſorum affectuum, & ignorantiæ non affectatæ, quibus ſancti repugnantes ſpiritu manent in gratia: & retinent fidem & bonam conſcientiam.

Eſt autẽ tota hæc hiſtoria illuſtris imago, in qua pingitur diſcrimen legis & euangelij ab effectibus. Nam Moſes gubernator huius populi cum Aarone fratre repræſentat legẽ, tam Moralem, quam Ceremonialem. Quòd igitur hi populi duces non ingrediuntur terram promiſſam, nec populum introducunt, hac imagine ſignificatur, lege non iuſtificari quenquam, nec operibus conſequi poſſe hæreditatem vitæ cœleſtis: ſed alio opus eſſe duce Ioſua, ſi velint in vitam cæleſtem ingredi.

Quia exacerbauerunt ſpiritum eius: & locutus eſt, &c.] Moſes furore concitatæ multitudinis abreptus, incipit ipſe quoque nonnihil dubitare de Dei potentia, ideo ſtans ad petram, quã iuſſus erat cædere virga, cum trepidatione inquit: Num de petra hac poterimus vobis aquam educere? Hanc nouam & inuſitatam conſternationem attulit Moſi contumacia & fremitus populi, qui cùm antea ſemper ſe oppoſuiſſet ſtrenuè, hic tamen, nonnihil fractus horum impetu, percellitur metu & dubitatione. Ita in hac hiſtoria ſignificatur, etiam optimos gubernatores nonnunquam vinci aſſiduo fremitu & cõtumacia populi, vt nonnihil diſcedant à mentis ſuæ ſtatu, & recto propoſito. Eáque in re difficultas, quæ eſt in gubernatione, conſideranda proponitur. Exiſtimo autẽ & aliam fuiſſe cauſam magis occultam, quæ ipſum ad hanc trepidationem impulerit, de qua cogitare pios eſt vtile. Erat enim Moſes non tantùm gubernator, ſed etiam doctor & propheta in hoc populo, cuius extãt expreſſa vaticinia de aduẽtu Meſſiæ, promiſſi ſeminis, deque eius regno perpetuo. Hic igitur ſtans ad petram, Prophetico ſpiritu videt, & intelligit hac petra ſignificari Chriſtum, qui aquas ſalientes in vitam æternam de ſuo corpore effuſurus erat: itaque iuſſus percutere hanc petram, ſubitò conſternatur, quaſi obſtupefactus magnitudine rei, quam ſignificari & quaſi adumbrari hac actione videbat. Norat enim ſe repræſentare legem & politiam iſtam: itaque cogitat futurum, vt lex aliquando feriat petram, hoc eſt, Chriſtum, quando futurus erat victima pro peccatis totius generis humani: futurum etiam, vt tota politia, hoc eſt, populus Iudaicus, in hanc petram cum fremitu & odio crudeliter aliquando ſæuiret. Id factum eſt, quando clamauerunt in paſſione: Tolle, crucifige eum, &c. Hæc cogitatio ſubiens animum eius, non mirum eſt, ſi eum conſternatiorem reddidit, quàm cùm mare rubrum percuteret. Hac enim percuſſione intelligebat ſignificari lætiſſimam victoriam eccleſiæ, quam reportatura eſſet de abolito peccato, & proſtrata tyrannide mortis, diaboli, & totius mundi. Itaque magno & læto tunc animo feriebat mare. Sed vbi intelligit legem & populum legis ita incurrere in Chriſtum, ſalutis noſtræ autorem, vt lex quidem poſtulando ſatisfactionem pro peccatis generis humani, ipſum victimam factum feriat, populus verò legis ſuam in eum ſæuitiam acerbè exerceat: ad hanc cogitationem quaſi reſilit nonnihil, & trepidat, ſuperatus quodammodo rei magnitudine, præſertim cùm de cauſis harum rerum cogitaret diligentiùs. Sed non dubium eſt, Moſen, cùm ex petra percuſſa videret largiſſimas aquas profluere, rurſus ſeſe erexiſſe hac conſolatione, quòd intelligeret ex Chriſto percuſſo profluere aquas ſalientes ad vitam æternam. Hac igitur hauſta ſeſe recollegit, & pios his cogitationibus erudiit & confirmauit.

Exacerbauerunt] Quidam tranſitiuè exponunt, rebellare fecerunt ſpiritum eius. Sed vſitata eſt ſignificatio hæc exacerbandi aliquem contumacia ſua & rebellione, in verbo המרה. Caſum etiam nominis & relatiui nonnulli ſic mutant, Rebellare fecerunt, ſcilicet Moſen, Spiritui eius, ſcilicet Dei: ſed hoc durius eſt, nec cum re cõgruit, nec cum grammatica. Neque enim ita aſperè loqui voluit propheta de inconſiderato lapſu & errore Moſis, cùm ſequente membro verbo molliſſimo peccatũ eius efferat. Exaggeratio potiùs eſt ſceleris Iſraelitarum in his verbis, qui cùm ſua contumacia, ſeu fremitu perpetuo & furore Moſen impulerint quaſi violenter ad peccandum, ipſi tanquam autores multò grauiùs peccaſſe intelligantur.

Et locutus eſt labiis inconſideratè] Quidam hoc ad Deũ referunt, cuius animum populus impio ſuo murmure exacerbarit, vt ſententiam duram & triſtem ferret in Moſen ſeruum ſuum, quã ſpem omnem ingreſſus in terram promiſſam ei præcideret: ſed rectiùs ad Moſen refertur: qui, cùm alioqui in tota gubernatione talem ſe præbuiſſet, vt conſtantia, fortitudo, patientia, moderatio, & aliæ eius virtutes eſſent conſpicuæ, nunc tamen populi fremitu ita mutatur, vt temere aliquid & turbulenter proferat. Hoc enim propriè eſt בטא. Atque huc congruit, quod Moſes Numer. 20. inquit, Num de petra hac poterimus vobis aquam educere? Indignatio igitur ex fremitu populi cõcepta, ita animum eius turbauit, vt (poſthabito Dei mandato) in has voces, plenas dubitationis & diffidentiæ, erumperet. Græcus interpres habet, διέστειλε diſtinxit.

34 Non perdiderunt populos: de quibus mandauerat illis Iehoua.

Hactenus illa peccata populi recenſuit, quæ in deſerto commiſſa ſunt. Nunc congerit alia plura peccata, quæ Iſraelitæ commiſerunt occupata iam terra Canaan, vt ita perpetua huius populi malitia redarguatur, & conſideranda his qui in exilio erant, proponatur: non tantùm vt de iudicio diuino aduerſus peccata cogitarent diligentiùs, ſed etiam vt ſpem certam liberationis ex illis ipſis exemplis peterent. Non minus grauiter peccarant maiores quàm ipſi: & tamẽ, qui erat Dei erga populum ſuum amor & miſericordia, non ſemel, ſed ſæpiſſimè eos liberauit ab hoſtibus & aliis afflictionibus, vt oſtenderet ſe etiam inter ærumnas & calamitates eccleſiæ, memorem eſſe ſuarum promiſſionum, eáſque ratas eſſe velle.

Hæc ſumma eſt huius narrationis, atque ad hũc vſum hęc tota cõmemoratio eſt inſtituta, vt antea quoque monuimus. Primum peccatum, quod in hoc verſu commemorat, eſt inobedientia, & negligentia in exequendis Dei mandatis. Nam Exod. 34. & Deut. 7. ita promittit Deus ſe deleturum gentes Cananæas, vt ſimul præcipiat Iudæis, vt Cananæos ad internecionem vſque deleant, & nunquam quicquam commercij cum his habeant: aras etiam eorum ſubuertant, & ſtatuas cõfringant. Et ratio præcepti additur in Deut. Quia cum populus Iſ-

lus Iſraeliticus eſſet electus, vt eſſet ſanctus & ab omnibus ſordibus purus, non voluit eum pollui conſuetudine & ſocietate turpiſſimarum gentium. Populus igitur parcens Cananæis, oſtendit ſe & mandata Dei non magnifacere, & ab inquinamentis peccatorum non ita abhorrere vt debebat: imò ſordes & inquinaméta in terra relinquit, quæ ipſi paulo poſtea adhæſerũt, vt toti genti attraxerint exitium. Quemadmodum hoc ipſum minatur Deus Num.33. Ecce, inquit, ego iuſſeram interfici gladio omnes iſtos populos: nunc quia non paruiſtis mihi, erunt vobis in ſpinas, configent vtrinque latera veſtra, & compungent oculos veſtros. Iudæi quidem clementes videri volebant, quòd non totas gentes delerent, ſed ſemen aliquod relinquerent, ſicut ſemper prætextus quæritur impietati: ſed eſt præpoſtera & noxia illa clementia, quæ cum Dei mãdato pugnat. Ideo & in hac hiſtoria, & poſtea in Saulis exemplo, reprehenditur & punitur, cùm contra præceptũ Dei Saul pepercisſet Amalecho, 1.Sam.15.

35 Et commiſti fuerunt gentibus: & didicerunt opera eorum.

Quod futurum prædixerat Deus, Deut.7. ſi parcerent gétibus, vt impiarum gentium conſuetudine pollucrentur, res ipſa mox docuit. Statim enim, vbi conuerſari cum impiis, & ſocietatem atque affinitatem cum his contrahere cœperunt, didicerunt opera eorum, id eſt, impietatem & ſcelera eorum ſunt imitati. Hæc hiſtoria deſcribitur 2.& 3.cap.Iud. In qua primùm fructus præpoſteræ clementiæ & humanitatis notandus eſt, quæ non tantù non profuit Iudæis, ſed obfuit plurimum. Si enim ſoli habitaſſent in terra, facilius erat retinere purum Dei cultum: nunc verò inuitati illecebris gétium degenerant, & ad idololatriam prolabuntur. Ex quo tanquam illuſtri exemplo diſcimus, familiaritates & ſodalitia impiorũ hominum plurimũ nocere pietati & moribus: quòd ſua contagione homines praui facillimè nos lædant & inficiant. Vitiorum enim, inquit Naziãzenus, ſicut membrorum, faciliùs adhæreſcit contagio quàm virtutum. Quod cùm ita ſit, omni ſtudio vitanda ſunt prauorum hominum conſorcia. Et notum eſt illud Æſchyli dictum: κακῆς ὁμιλίας κάκιον οὐδέν. Et Senarius Menandri, φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ᾽ ὁμιλίαι κακαί. Item, κακοῖς ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Commiſcuerunt ſe gentibus] Inita ſcilicet cum his ſocietate, & contracta affinitate ex coniugiis. Iudic.3. Elegerat Deus gẽtem Iudaicam, vt ſeiuncta & ſeparata ab omnibus profanis gẽtibus eſſet gens ſancta, ſicut dicitur Leuit.11. Sancti eſtote, ſicut ego ſum ſanctus. Quòd igitur ſe miſcent cum gentibus, eo facto hanc ſanctificationem polluunt, atque ideo in nihilum redigunt, vt factum hoc manifeſtæ defectionis crimen incurrat. Nam, vt Apoſtolus Iudas de diabolis inquit, eos nõ retinuiſſe originem ſuam: ita illi hoc facto à ſua vocatione deſciſcunt.

Opera eorum] Opera gentium non intelligit artificia, quibus victum & opes ſibi parabant Palæſtini, quique ob ſuam induſtriam hac in re laudantur. Sunt enim illa opera licita, quæ ad victus neceſſitatem pertinent: eſtque induſtria illa peculiare donum diuinum. Sed opera intelligit propriè ſuperſtitioſos & idololatricos cultus, quibus infecti fuerunt Iſraelitę, cum fierent gentium diſcipuli.

36 Et ſeruierunt ſimulacris eorum: & fuerunt illis in ruinam.

Ἐξήγησις eſt ſuperioris verſus. Oſtendit enim, quænam illa opera ſint, quæ didicerint à gẽtibus, nempe idololatria, vt antea diximus. Et ſimul docet, qui fuerit fructus huius impietatis. Nam illa ipſa res, per quam venabantur gratiam, captabant gloriam & opes, quærebant otium & pacem, ceſſit illis in ruinam, vel, vt hîc dicitur, fuit illis inſtar laquei, quo tanquam auiculæ captæ perirent. Nam ab illis ipſis poſtea duriter ſunt afflicti, & caſtigati, quibus pepercerant.

Obſeruandum autem, quod idololatriæ præcipuam ſpeciem eſſe dicit ſeruire ſimulacris: idque ad refutandos Pontificios valet plurimum, qui vt ſuos cultus idololatricos, & adorationes ſtatuarum excuſent, fingunt Deum eſſe colendum λατρείᾳ, imagines autem δουλείᾳ. Propheta verò omnem ſeruitutem & omnem cultum qui imaginibus quibuſcunque impenditur, damnat idololatriæ. Itaque vana eſt Papiſtarum diſtinctio, quæ repetitur apud Pet. Lombardum Diſtinct.9.lib.3. Idola autem nominat עצבים ab effectu, quia nihil niſi dolores, moleſtias, calamitates, afferunt hominibus, cùm ſtulti homines ſalutem ab eis ſperent.

37 Et ſacrificauerunt filios ſuos: & filias ſuas dæmonibus.

38 Et effuderunt ſanguinem innoxium: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus [*idolis*] Canaan: & polluta eſt terra ſanguinibus.

Amplificat & exaggerat crimen idololatriæ ab immanitate, quæ coniuncta fuit cum idololatria. Tantus enim fuit furor in obſeruatione ethnicarum ſuperſtitionum, vt parentes etiam liberos ſuos mactarent & offerrent Idolis in ſacrificiis. Sicut de Priamo legitur, quòd filiam ſuam immolauerit. Et Agamemnon filiam Iphigeniam immolaturus erat. Hanc crudelitatem à diabolo ortam, cùm peculiarem quendam cultum in eo reponi cernerent, imitati ſunt Iſraelitæ, vt videre eſt apud Ier. cap.7. vbi grauiſſima oratione inuehitur in iſtam crudelitatem, inquiens, Ædificauerunt excelſa Tophet, quæ ſunt in valle filij Ennom, vt incenderent filios & filias ſuas igni, quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo. Et eadem cõcio prolixè repetitur cap.19. Item Ezech.16. vbi ſingularis emphaſis eſt, cum dicit, Et tuliſti filios tuos & filias tuas, quas generaſti mihi, & immolaſti eos ad deuorandum. Exempla huius rei legantur in hiſtoria Achas & Manaſſe in Paralipomenis.

שדים dæmones interpretantur. Nomen eis inditum eſt à nocendo & vaſtando. Sunt enim noxij ſpiritus. Hos igitur vt placarent gentes, tales cultus idololatricos inſtituerunt. Hoc autem nomen odioſum data opera ponit propheta, quo magis deteſtabile reddat crimen populi.

Et effuderunt ſanguinem innoxium] Repetitione clariùs exponit, & ſimul exaggerat quod de oblatis in ſacrificio filiis & filiabus dixerat. Vult enim dicere, eos non ſimpliciter conſecraſſe filios ſuos & filias dæmonum ſeruituti, ſed etiam mactaſſe & occidiſſe, & quidem paruulos adhuc exiſtentes & innocentes, qui furor prorſus eſt diabolicus.

Et polluta eſt terra] Addit epiphonema ſumptum ab effectu. Ita, inquit, hoc immani ſcelere polluta eſt terra, vt quę ſacrarium Dei eſſe debebat, purum ab omni ſcelere & flagitio, fieret triſtis carnificina & crudele laniarium hominum innocentum.

Sanguinibus] Sanguines & ipſam cædem iniuſtam ſeu mactationem infantium ſignificat, & reatum qui comitatur. Et quod vtitur plurali numero, ſignificat non ſemel atque iterum id factum commiſſum eſſe, ſed ſæpiùs & variis in locis, vt tota terra cruore infantium pollueretur.

39 Et inquinati [*polluti*] ſunt operibus ſuis: & fornicati ſunt in ſtudiis ſuis.

Concluſio eſt generalis, qua totam narrationem quaſi cõplectens, inquit, his tot delictis ſuis pollutos fuiſſe Iſraelitas, inſtar turpis ſcorti, quod corpus ſuum cuiuſuis libidini polluendum & contaminandum proſtituit.

Obſeruandum autem quod dicit, *in operibus ſuis*. Opera enim hominum opponit operibus Dei. Sicut autem opera Dei ſunt, quæ ab ipſo ſunt præcepta, & quæ ab ipſo probantur & præmiis ornantur: ita opera hominum nominat omnes cultus quos ſine mandato Dei inſtituunt, & in quibus cultum aliquem religionis collocant, bona aliqua, vt loqui ſolent, intentione. Ea verò ita commendantur hoc loco, vt pollui his homines, atque ita fœtidos & abominabiles fieri in cõſpectu Dei affirmet Spiritus ſanctus. Suntq; hæc elogia ἐθελοθρησκείας, id eſt, cultuum humana autoritate inſtitutorum, hoc loco diligenter obſeruanda.

40 Et exarſit ira Iehouæ in populum ſuum: & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

Sicut in deſerto ſæpe oſtendit Deus iram ſuam aduerſus impietatem & ingratitudinem Iſraelitarum: ita poſtquam ingreſſi ſunt terram promiſſam, & non deſierunt irritare Deum ſuis ſceleribus, pœnas horum ſcelerum ſæpe dederunt graues. Subinde enim immiſit in eos bella & alias calamitates, quibus iuſtum iudicium ſuum aduerſus ſcelera declarauit: vt teſtatur hiſtoria Iudicum & Regum. Sed omnium maximè horrẽda pœna eſt, cuius in hoc verſu meminit propheta, cum inquit, Deum abominatum fuiſſe *ſuam hæreditatem*, id eſt, populum quem ſibi velut in peculium & hæreditatem, relictis omnibus aliis nationibus delegerat, propter idololatriam non aliter abominatum eſſe, atque ab eo abhorruiſſe, quã maritus auerſatur cõiugem, quam ſcit ſe polluiſſe adulterio. Hac abominatione vt nihil triſtius cogitari à nobis poteſt: ita ſimiles lapſus omni ſtudio cauendi ſunt. Admonendi tamen ſunt auditores, hanc abominationem non ita intelligendam eſſe, quaſi ad vnum omnes ita abiecerit Deus, vt hæreditate cœleſti eos ſpoliaret: ſed loquitur de maxima multitudine, quæ ſuo ſcelere & ingratitudine ſe exoſam Deo reddiderat: Cùm interea tamen multi eſſent pij in hoc populo, qui agnoſcentes irã Dei aduerſus peccata, ſeriò doluerunt de ſuis & aliorũ ſceleribus, & remitti ſibi ea petiuerunt. Hos non ita repudiauit, vt excluderet eos ab adoptione & hæreditatis iure: ſed tamen communes ærumnas & calamitates, quæ pœnæ

fuerunt peccatorum, ferre illos cum aliis in hac vita neceſſe fuit: quæ ſicut cæteris fuerunt τιμωρίαι: ita his fuerunt δοκιμασίαι, hoc eſt, exercitia pœnitentiæ & inuocationis. Talis fuit Daniel. Item autor huius pſalmi, & alij multi.

41 Et tradidit illos in manus gentium: & dominati ſunt ſuper eos inimici[*oſores*]eorum.

42 Et preſſerunt ipſos hoſtes ipſorum: & humiliati ſunt ſub manu ipſorum.[*Qui ſcilicet ſub manu Dei humiliari nolebant.*]

Horum verſuum ſententia non obſcura eſt iis quibus nota eſt Iudicum hiſtoria: ideo in his explicandis non immoror.

43 Sæpe liberauit eos, ipſi tamen exacerbauerunt eum[*in*]conſiliis ſuis: & marcuerunt [*contabuerunt, conſumpti ſunt*]in iniquitate ſua.

Sicut antea multis exemplis oſtendit, tam obſtinatam fuiſſe populi malitiam, vt nullis pœnis, nulliſve plagis, corrigi aut emendari potuerit: ita nunc è contrario eandem malitiã exaggerat, videlicet à beneficiis Dei, quibus toties affecti tamen reuocari in viam, aut flecti ad obedientiam non potuerint. Eſt autem extremæ & deſperatæ malitiæ exemplum, vbi ita illa inualuit, vt nec pœnis corrigi, nec beneficiis emolliri durities & peruicacia poſſit. Talis fuit Iſraelitarum ſtupor & durities. Ita in hoc exemplo conſpicitur verum eſſe, quod eſt apud Theognidem: ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται, *Flectere naturam gratia nulla poteſt.* Econtra bonitatis diuinæ argumentum ſummum eſt, quòd reuocare in viam homines errantes tot modis ſtudet, nec quicquam intentatum relinquit.

Legatur autem hiſtoria Iudicum, quæ hunc verſum luculenter enarrat: nec opus eſt in re manifeſta prolixiore declaratione.

Conſilijs] Id eſt, prauis ſuis figmentis, pugnantibus cum Dei voluntate. Nunquam enim animum ſuum accommodare voluerũt ad Dei verbum, atque ad huius normam actiones ſuas dirigere: ſed indulſerunt cupiditatibus ſuis, vt quocunque illæ eos raperent, magno impetu & conatu in id incumberent. Atque ita cùm locus remedio non eſſet, maxima multitudo contabuit & periit in ſuis delictis.

44 Et vidit cùm illis eſſet anguſtia: audiendo clamorem eorum.

45 Et recordatus eſt ipſis [*erga eos*] fœderis ſui: pœnituit eum ſecundum multitudinem [*vel magnitudinem*] clementiarum [*bonitatum*] ſuarum.

46 Et dedit eos in miſerationes in conſpectu omnium qui captiuos abduxerant eos.

Deus etſi neque puniendo neque benefaciendo quicquam profecit apud gentem malignam & obſtinatam: tamen tanta fuit eius bonitas, vt non prorſus voluerit eos abiicere, aut extirpare funditus. Itaque quoties vidit populum ſuum ſub triſti onere calamitatum gemere & clamare, quanquam illi tale nihil meriti eſſent, ipſe tamen non deſiit eos tueri & ſeruare. Atque huius rei duæ potiſſimùm fuerunt cauſæ, quas hic allegat: Prima eſt recordatio promiſſionis ſeu fœderis, quod infringi aut aboleri malitia hominum non potuit. Eſt enim Deus verax. Altera eſt immenſa eius miſericordia, quæ ſuperat iudicium: & gratia, quæ, vt Paulus inquit, exuberat ſupra peccatum. Videre Deus dicitur noſtras afflictiones, cũ ita eas aſpicit, vt ſimul ſuccurrat, & manum auxiliatricem nobis porrigat, ne ſub onere ſuccumbamus, & vt paulatim ex his extrahamur. Verba enim ſenſuum humanorum cum ad Deum transferuntur, accipienda ſunt cum effectu. Nõ enim eſt otioſus ſpectator calamitatum noſtrarum, vt homines in quibus vel animus non eſt iuuandi, vel vis aut facultas deeſt, quæ eripere oppreſſos poſſit. Eodem modo intelligatur & verbum audiendi. Et quod de clamore Iſraelitarum additur, monendi ſunt auditores, non in omnibus hunc clamorem ortum fuiſſe ex agnitione iræ & iudicij diuini, aut ex dolore de admiſſis peccatis, atque ex fide intuente miſericordiam Dei, & petente remiſſionem peccatorum & mitigationem calamitatum: talis enim clamor pius eſt & ſalutaris: ſed ortus fuit hic clamor in maxima parte tantùm ex impatientia & calamitatum magnitudine, quæ illis has querulas voces expreſſerunt: non aliter quàm cùm vulnera in corporibus attrectantur duriùs, homines clamant. Fuerunt autem ſemper maximæ multitudini aliqui admixti pij, qui in publicis calamitatibus cogitantes de cauſis horum malorum, vera pœnitentia ad Deum conuerſi ſunt. Sicut dicitur Ieſa. 26. In anguſtia requiſiuerunt te. Horum igitur preces penetrãt nubes, & impetrant mitigationem calamitatum publicarum, ſicut ſuprà de Moſe, intercedente pro populo, diximus.

Recordatus eſt fœderis] Quòd non mox populum, peccatis pollutum, vniuerſum deleuit, eius rei nõ fuit alia cauſa, quàm quòd ratum voluit eſſe fœdus quod ſemel iniuerat cùm maioribus ipſorum. Hominum enim delicta non abolent nec irritam faciunt Dei promiſſionem. Alteram autem notat cùm inquit: *Et pœnituit eum,* &c. Pœnitere dicitur Deus, non quòd affectibus ſeu perturbationibus hominum ſit obnoxius, aut quòd mutabilis ſit, aut quòd cum dolore ſeu errore pœnitentia Dei ſit coniuncta, ſed quòd ea facit, quæ homines pœnitentes agere conſueuerunt, hoc eſt, quòd mutat factum certas ob cauſas. Ita Auguſtinus lib. 83. quæſt. 52. hanc phraſin explicat. Et Theodoretus in quæſtionibus in Geneſin inquit: μεταμέλεια ἐστὶ θεοῦ οἰκονομίας ἐστὶ μεταβολή.

Dedit eos in miſericordias] Id eſt, fecit, vt hoſtes, qui antea implacabili aduerſus eos odio erant accenſi, poſtquam in captiuitatem abduxerunt eos, preter ſpem cum illis ſumma miſericordia agerent, eóſque humaniter & clementer tractarent. Ita mox Deo flectente corda tyrannorum, facta eſt cõuerſio, vt qui antea fuerant hoſtes ſæui & truculenti, nũc poſtquam in poteſtatem redegerunt, quos priùs oderant, incipiant amore complecti, & miſericordia proſequi, quaſi ex lupis agni facti. Quod eſt argumentum peculiaris prouidentiæ & amoris Dei erga ſuos, & potentiæ eius.

47 Serua nos, Iehoua Deus noſter: & collige nos ex gentibus, ad celebrandum nomen ſanctitatis tuæ: [*&*] ad celebrandum laudem tuam.

Concludit pſalmum precatione, accommodans priora exempla liberationis populi ad præſentem neceſſitatem. Peccauerunt ſæpe patres noſtri inde vſque ab initio vocationis ſuæ: & quanquã interdum caſtigaſti eos duriter, tamen miſertus eorum in calamitatibus, & memor tuæ promiſſionis, mitigaſti pœnas, & liberaſti eos. Itaque nũc quoque, etſi ſcimus & fatemur, nos noſtris peccatis te grauiter offendiſſe, & has pœnas nobis attraxiſſe, eámque ob rẽ dolemus plurimùm: tamen quã bonitatem toties exhibuiſti patribus noſtris, eãdem nobis quoque exhibe, nóſque ab hoc triſti exilio liberatos reduc in patriam: ídque facias non vt nos ex miſera & ærumnoſa vita in placidam, tranquillam & voluptuoſam vitã coniicias (quod vnum caro ſpectare in ſuis votis ſolet) ſed vt nomen ſanctum tuum per nos celebretur, hoc eſt, vt doctrinæ, quam nobis tradidiſti & cõmiſiſti, puritas conſeruetur & propagetur, & cultus nominis tui hactenus intermiſſus reſtituatur, atque ita beneficia tua nobis exhibita, & laudes, quæ aliquandiu conticuerunt in hoc triſti & ærumnoſo exilio, læta voce ab omnibus celebrentur. Hæc ſumma eſt huius verſus: Petitio ſcilicet liberationis, cui additur ratio à cauſa finali.

Collige nos ex gentibus] Scilicet, in quas diſperſi ſumus noſtris delictis. Nam iniquitates noſtræ, vt inquit Ieremias, vt venti diſſipauerũt nos. Tu verò, qui promiſiſti, ſi fuerimus ad quatuor mundi plagas diſperſi, inde te collecturum nos, Deuter. 30 præſta quod promiſiſti.

Celebrare laudes] Eſt paſſim annũtiare, & prædicare Dei miſericordiam, bonitatem, potentiam, veritatem, &c. quas liberatione declararit.

48 Benedictus Iehoua Deus Iſrael, à ſeculo, & in ſeculum: & dicat omnis populus, Amen, Haleluiah.

Addit in fine epiphonema, quod habet præconium diuinæ laudis. Vnde colligitur inter precandum fidem prophetæ magis fuiſſe accenſam, & ſpem de reſtitutione populi ita cõfirmatam vt iam quaſi voti ſui compos factus erumpat in illas laudes, quas Deo ſe dicturum promiſerat. Simul autem animus piorum, qualis ſit in ærumnis oſtenditur. Etſi enim grauiter premuntur & oppugnantur pij à diabolo & eius organis: tamen quia ſciunt, afflictionem parere patientiam, ex hac verò probationem, atque hinc rurſus ſpem exiſtere, & perſuaſum habent, præſentis temporis afflictiones, non eſſe pares ad gloriam, quæ reuelabitur, vt Paulus inquit ad Rom. ideo non ſolùm patienter ferunt ærumnas: ſed etiam cum gemunt, gloriantur in afflictionibus, & Deo gratias agunt, qui calamitates & crucem imponat ſuis, non vt ſint ſignum abiectionis diuinæ, ſed gratiæ & amoris. Pater enim quem diligit filium, caſtigat.

Benedictus] Id eſt, laudatus & celebris ſit.

Et dicat omnis] Hortatur vt ſuo exemplo fideles ad agnoſcendam & celebrandam Dei bonitatem excitentur, & vota hæc quaſi rata eſſe iubeant, atque ita hac acclamatione ſuam fidem declarent.

PSALMI CVI.

PARTES.

I. Exordium, ſeu exhortatio ad celebrandum Deum bonum & benignitate perpetua ſuos excipientem, verſ.1.

II. Propoſitio imbecillitatis Eccleſiæ, quæ neque verbis, neque operibus, Deum condignè celebrare poteſt, v.2.& 3. Supereſt igitur, vt miſericordiam eius imploret, v.4.& 5. deinde peccata ſua confiteatur, v.6.

III. Narratio, explicans alteram confeſſionis partem, de peccatis maiorum. Sunt autem huius narrationis exempla multa, à v.7. ad 40. vſque. Hæc ordine indicamus. 1. Rebellio in deſerto & tranſitu maris rubri, v.7.8.9.10.11. 2. Hypocriſis, ſeu fides temporaria, v.12. 3. Obliuio & inconſtantia, v.13. 4. Concupiſcentia praua & tentatio impia, v.14.15. 5. Inuidia in Moſen & Aaronem, v.16.17.18. 6. Idololatria, v.19.20. 7. Ingratitudo ſumma, v.21.22.23. 8. Impietas, incredulitas, murmurationes in Deum, v.24.25.26.27. 9. Communio & ſceleratum fœdus cum idololatris, v.28.29.30.31. 10. Spiritus Dei exacerbatio, v.32.33. 11. Rebellio in Deum, & ſcelerata clementia erga diuinæ maieſtatis reos, v.34. 12. Fœdus profanum & horrendum, ſumma cum impietate, idololatria & parricidio coniunctum, v.35.36.37.38.39. Admiſcentur his Iſraelitarum ſceleribus, ad auxeſin patientiæ Dei, illuſtria ſingulis hiſtoriis exempla & documenta.

IIII. Deſcriptio iuſtiſſimæ iræ Dei fœdifragos Iſraelitas punientis, v.40.41.42. Cui additur clementiæ eiuſdem erga afflictos & reſipiſcentes tabella graphicè depicta, 43.44.45.& 46.

V. Concluſio, duas partes continens. 1. Petitionem beneficentiæ Dei gratioſæ à maiorum exemplo, v.47. 2. Laudationem Dei ſolennem in Eccleſia, v.48.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1 Diuinarum laudum celebratio præſentia mala leuat, & animos à deſperatione erigit.

Quum Dei clementia immutabilis & perennis permaneat, exultandi & canendi perpetuum habemus argumentum: modò id ingratitudine noſtra minimè extinguamus.

2 Vtcunque ad canendas Dei laudes ſtudia omnia & conatus noſtros conferamus, tam ſplendido argumento tamen erimus impares. Non deſinendum propterea, ſed potiùs acuendi animi vt ſupra vires nitamur. Et optimum ad nos animandos ſolatium illud eſt, quòd ſcimus, vtcunque nos facultas deficiat, quas ex animo offerimus laudes, Deo placere.

3 Non placent Deo laudes quæ in ore tantùm reſonant, niſi conſentiant animi, imò in tota vita reſpondeat ſincerus & perpetuus concentus.

4.5 Singulorum piorum votum præcipuum illud eſſe debet, vt Deus amorem quo eccleſiam complexus eſt ad ipſos extendat, vt hoc modo benedictionum omniũ fiant participes quibus ab initio Deus dignatus eſt ſuos electos, & quas de die in diem continuat. Nihil enim melius ac felicius eſt quàm cenſeri in grege & populo Dei: quia ſemper optimus fuit pater ſuorum & ſalutis eorum fidelis cuſtos.

6 Veniæ impetrandæ non antè ſumus capaces, quàm peccata noſtra damnauerimus.

Quum nos Deus caſtigat, ne ſingamus promiſſiones eius excidiſſe, ſed cogitemus mercedem nos referre quam peccatis noſtris ſumus promeriti: ſeriò enim reſipiſcentibus occurrẽt promiſſiones quibus ſe propitium Deus offert.

Hæc vnica eſt ratio placandi Dei, vbi ſeueri in nos cẽſores ſumus, variiſque verbis & ex ſerio cordis ſenſu profectis peccatorum noſtrorum atrocitatem exaggerare diſcimus.

Quòd Prophetæ ſe maximis peccatoribus adiungunt, vt videre eſt multis locis, tum præcipuè hoc pſalmo & apud Danielem, docet, fieri non poſſe, dum regnant vitia & eorum colluuies exundat, quin etiã aliqua ad optimos ſerpat contagio, qui ad Dei tribunal prodeuntes, vident ſe non poſſe elabi. Deteſtanda igitur eſt eorum hypocriſis qui perfectionem neſcio quam in commentis & laruis ſuis ſomniantes, omnium hominum imperfectiſſimi apparent.

7 Nunquam malitiæ ſuæ renuntiant homines: imò patres filij ſequũtur, quãuis Deus incredibili bonitate & repetitis miraculis eorũ peruicaciã ſuperare conatur. Locus de corruptione poſterorũ Adami.

8.9.10.11 Deus eccleſiam ſuam è periculis ingentibus & humanæ ſapientiæ inextricabilibus eruendo, infirmitatẽ ſuorũ coarguens gloriæ ſuæ conſulit, cuius vim viaſq; à nobis vult agnoſci & celebrari.

Iudicia Dei in impios vt ſunt terribilia: ita eiuſdem miserationes erga eccleſiam, è ſummis miſeriis ereptam, immenſæ ſuo tempore apparent.

12.13.14.15 Fides temporaria à vera viuáque diſtinguenda eſt, aliquoties enim velint nolint homines potentiæ Dei ſenſu ad aliquã eius reuerentiam coguntur. Vera autem fides ſponte amplectitur Dei verbum, & in hac obedientia conſtanter perſtat.

Non alia de cauſa tam ingrati ſunt homines erga Deũ, niſi quia ſpernunt eius beneficia: quorum ſi memoria animis noſtris hæreret, fræni loco eſſet ad nos in eius timore retinendos.

Mira eſt cupiditatum noſtrarum intemperies, vt vix diem vnum Deo concedat: niſi enim protinus nobis obſequitur, ſtatim ſubit impatientia, & tandem deſperatio. Quibus malis medetur fides, propria ſapientia nos ſpolians, ac in ſpe & ſilentio nos continens, donec impleat Deus opus ſuum.

Tentare Deum eſt, non acquieſcere Dei arbitrio, ſed plus expetere quàm ipſe dare velit.

Inſanos & inſanabiles eſſe oportet, qui ne coacti quidẽ reſipiſcũt: ſed in lautitiis ſuis ita putreſcũt vt Dei atq; ſui prorſus obliuiſcãtur.

16.17.18.19.20.21.22 Homines diuerſos peccandi modos ſubinde fabricant, & ingenioſi ſunt ad prouocandum Deum: quod nobis plus horroris incutere debet. In eo autem illorum intemperies ſe prodit, quòd dum blandè & ſuauiter à Deo fouentur, ſua ſorte non contenti, aduerſus eum calcitrant.

Ex pœnarum magnitudine cognoſci poteſt criminum atrocitas: nouitque Dominus omnipotens ſacri miniſterij authoritatem tueri, & impios deriſores duriter percutere.

Etſi tumultuum tum in politia, tum in eccleſia pauci ſæpius ſunt authores, multi tamen interdum puniuntur, quoniam ex fremitu, conſenſu, calumniis & peruicacia conſtat populum contagione rebellionis & hæreſeos eſſe infectum.

Idololatria eſt ſcelus horrendum, & omnium ſcelerum maximũ. Dum autem homines in mediocri ſuperſtitione ſe non continent, ſed proiecto pudore ſaltant ad prodigioſos cultus, turpior & deteſtabilior eſt eorum cæcitas: & quo magis Dei potentia bonitáſque eis ſit conſpicua, eo minus eorum ſuperſtitio eſt excuſabilis.

23.24.25.26.27 Piorum precibus cohibetur Dei vltio.

Deus in arcano ſuo conſilio ignoſcere ſuis ſtatuens, non deſinit eos terrere, & pronuntiat ſe perdere eos velle, vt agnita culpæ ſuæ grauitate humilientur. Hæc eſt pœnitentia, cuius in ſcripturis ſit mentio. Non quòd Deus in ſeipſo ſit flexibilis: ſed quia vt iræ ſuæ ſenſu nos ſeriò tangat, induere cogitur hominis perſonam.

Incredulitas Dei beneficia ſuperbè repudiat: contrà fides cælum & vitam beatam certò amplectitur.

Hominum impietas & ingratitudo clades & diſſipationes horrẽdas inuehit, quas ſola Dei clementia in Chriſto piorum precibus excitata pacat.

28.29 Quum Deus vxoris loco eccleſiam ſuam habeat; dum ſe idolis addicit, non minùs turpiter fidem violat, quàm ſi mulier relicto marito ſe adulteris proſtituat.

Multiplex eſt idololatrarum ſcelus: vero enim Deo valedicentes, mortuos ſibi in coniugium accerſunt, coram ligno & lapide genu flectunt, eis mactant hoſtias, & poſt execranda ſacra in idolorum honorem epulantur: vt Dei iram tam turpibus factis accerſant.

30 Quandò Deus conſtituit malis publicis mederi, beneficentiæ ſuæ inſtrumenta idonea profert, quibus inſtitutum opus peragit.

Optimum hoc remedium eſt extinguendo vindictæ Dei incendio, vbi peccator ipſe vltrò iudicis partes ad ſe puniendum occupat.

Vnius hominis pœna publicam plagam ſedat, præſtátque vnum quàm vnitatem perire.

31 Egregia virorum illuſtrium geſta aliorum ſcelera magis aperiunt & damnant.

Quidam in ſanctis obſeruantur ſingulares & extraordinarij motus (vt de Moſe & Phinees legimus) qui ad communem regulam exigi non debent. Porro vſitatus vocandi modus & ordo quo Deus vtitur, non obſtat quominus electos ſuos, vbi viſum eſt, arcano Spiritus motu gubernet.

Imputatum eſt ipſi Phinees opus ſuum ad iuſtitiam, ſicuti Deus opera fidelibus non intrinſeco merito, ſed gratis in iuſtitiã imputat.

32.33.34.35.36.37.38.39 Patientia Dei peccatores expectãt

nec leuibus de cauſis excitatur ad iram.

Fideles ſerui impiorum exemplo & conuerſatione ad peccandum impelluntur.

Peccata peccatis puniũtur: ex murmurationibus, rebellio naſcitur, deinde cum impiis conſortiũ, morũ corruptio, idololatria horrenda.

Corrumpunt pietatem & iuſtitiam impiorum conſortia: & qui cum profanis verſantur, tandem profani euadunt.

Idololatria apoſtatis eſt in excidiũ: neceſſe enim eſt corpore & anima perire, qui à vero Deo recedunt, vt opus manuũ ſuarũ adorent.

Tandem ſuperſtitioſi & idololatræ in horrenda & nefanda ruũt ſcelera: nec mirum eſt ſi Deo neglecto naturam ipſam & tenerrimos omnes affectus exuunt.

Idololatrarum fœditas nobis ob oculos ponitur, vt Deum colere & ardentiore animi affectu reuereri diſcamus.

40.41.42.43 *Ex pœnarum atrocitate delictorum grauitas eſt expendenda. Et meritò vexandi & opprimendi tyrannis traduntur qui iugum Dei recuſant.*

Humani generis ingenium hîc nobis depingitur: quia quũ Deus omnes ferè vel flagellis contundere, vel beneficiis emollire conetur, & in viam reducere tentet, vnuſquiſque tamen ſui permanet ſimilis.

44.45.46 *Infatigabili clementia cum noſtra ingratitudine certat Deus.*

Mera Dei bonitate ſeruãtur homines qui turpi excidio digni erãt.

Nulla eſt mutatio in Deo: ſed in pœnis ipſis quas ſumus promeriti. Dicitur autem pœnitere: nam pœnas mitigando, vel manum retrahendo ab exequendis ſuis conſiliis, videtur quodammodo mutare conſilium.

Dei manu reguntur corda hominũ, vt vel ad ſæuitiam inflãmet, vel ad humanitatem flectat, quoties ita viſum eſt: & Dei prouidẽtia aliquoties accidit vt eccleſiæ perſecutores fiant eius paſtores.

47 *Promiſſio & fœdus Dei pios in mediis ærumnis ad bene ſperandum & liberationem petendam animat atque ſollicitat.*

Finis liberationum noſtrarum, celebratio nominis Dei.

48 *Inter varios gemitus non deſinamus tamen gratias agere Deo, cuius ferulis multiplici clementia temperatis manſueto ſpiritu pios omnes ſubiici & crucem impoſitam patienter ferre neceſſe eſt.*

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. Dei laudes à quibus præcinendæ.
2. Laudum diuinarum argumentum.
3. Piarum precum ſumma.
4. De varia peccatorum confeſſione.
5. Beneficiorum Dei & ingratitudinis noſtræ recordatio.
6. De miraculis in Ægypto, in deſerto, in terra Canaan.
7. Eccleſiæ militantis peccata.
8. De ſceleribus multiplicibus in Eccleſia viſibili graſſantibus.
9. Tentare & exacerbare Deum, quid ſit.
10. De peccatorum variis ſuppliciis.
11. De Idololatriæ ſpeciebus & effectis.
12. Piorum, iræ Dei obſiſtentium, zelus.
13. De horrendis Iſraelitarum & aliorum idololatrarum ſacrificiis.
14. De iræ diuinæ effectis.
15. De miranda Dei patientia & clementia.
16. Pœnitere, & recordari quomodo Deus dicatur.
17. De fine liberationum Eccleſiæ.

PSALMORVM DAVIDIS
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM PSALMI CVII.

SICVT præcedentes duo pſalmi amorem & beneficentiam Dei erga populum Iſraeliticum prædicant: ita hic pſalmus generalis eſt doctrina, & commendatio prouidentiæ Dei, qua ille non tantum populum Iſraeliticum, ſed totum genus humanum ſeruat, regit, alit, fouet, tuetur & defendit aduerſus omnis generis calamitates & miſerias, eáque amorem ſuum & curam quam gerit pro genere humano, aſſiduè declarat. Hanc doctrinam neceſſe eſt extare in eccleſia, & aſſiduè in conſpectu eſſe, ne in furores & amentiam Epicureorum delabamur, qui omnino nullam habere Deum cenſuerunt rerum procurationem: vnde verſus ille natus eſt, Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat. *Et dictum illud: Deus ambulat ſuper cardines cœli, & res humanas non conſiderat: ideóque Deum ita remouent nonnulli à gubernatione rerum humanarum, vt partim fortunæ eas adſcribant, partim noſtra diligentia regi exiſtiment. Contra hanc Epicureorum ſententiam confirmat nos Deus non ſolùm dictis ſcripturæ, quæ paſſim occurrunt, ſed etiam manifeſtis exemplis & teſtimoniis, quæ conuincunt mentes humanas, vt ſtatuere cogantur, non volui res humanas caſu, nec prudentia humana tantùm regi: ſed eſſe Deum, mentem ſapientem, qui omnia diſponat, & regat pro ſua ſapientia.*

Recenſet autem hic pſalmus illuſtria aliquot exempla, & ſpecies calamitatum, quibus cùm vniuerſum genus humanum tanquam fluctibus & procellis obruatur, & tamen interea mirabiliter ſeruetur, nequaquam id temeritati fortunæ, aut etiam fictitiis idolis, quod Ethnici tunc faciebant, ſed ſoli Deo conditori & gubernatori huius mundi tribuendum docet. Cùmque tam illuſtria in his exemplis extent prouidentiæ diuinæ teſtimonia, vt dubitari non poſſit, quin ad Deum autorem vitæ & ſalus hominum ſit referenda: hortatur omnes homines, vt abiectis & damnatis cùm profanis opinionibus omnibus, quas cum Epicuro plerique communes habent, tum ſuperſtitioſis cultibus, in quibus idolis & ſimulacris aliquod numen à nonnullis tribuitur, ſolum verum Deum agnoſcant ſuæ ſalutis autorem, eíque gratias agant, quòd inter tam varias ærumnas & calamitates generis humani, & tot pericula, quæ nos quotidie circumſtant & premunt, mirabiliter ſeruat genus humanum, & in liberationibus variis præſentiam & potentiam ſuam manifeſtè oſtendit. In primis verò monet, ne in eccleſia homines pij poſt accepta beneficia fiant ſecuri, ſed cogitent & ſe mirabiliter regi à Deo, & totum genus humanum maximè propter eccleſiam ſeruari.

Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Addit autem in fine obiurgationem qua in homines profanos inuehitur: quorum tantus eſt ſtupor, vt nullis, quantumuis perſpicuis & euidentibus teſtimoniis conuinci poſſint, vt prouidentiam diuinam agnoſcant, &, quemadmodum par eſt, celebrent. Huic obiurgationi annexa eſt querela, de impia & obſtinata ſecuritate maximæ partis hominum, & Epicureo Dei contemptu, quem corrigere & eximere mentibus hominum nulla Dei beneficia, nulla gratiæ teſtimonia poſſint.

1 CElebrate Iehouam, quia bonus: quia in ſeculum beneficentia eius.

Orditur pſalmum à propoſitione, quæ eſt exhortatio ad agnoſcenda & celebrāda beneficia Dei,quæ ille aſſiduè in gubernatione & conſeruatione generis humani nobis confert: & additur cauſa à conſtantia amoris Dei erga genus humanum,& perpetuis beneficiis.

Cùm autem Iehouam nominat, cogitandum eſt, nomen illud opponi primùm illi profanæ opinioni plurimorum,qui exiſtimant caſu volui res humanas, & omnia ferri temere, qualis profanitas pingitur in his verſibus Poetæ, *Anne nihil poſitum eſt,& ſors incerta vagatur: Fértque refertque vices,& habent mortalia caſum*, deinde redargui impios idololatras, qui omnia adſcribunt ſuis idolis. Nomen enim Iehouæ,veri Dei peculiare nomen eſt,quod ſibi ipſe indidit,vt hoc ipſo oſtenderet,ſe verè eum eſſe, à quo exiſterent, gubernarentur, & conſeruarentur omnia, (Id enim ſignificat nomen Iehoua) atque hac appellatione ſe ab omnibus commentitiis numinibus quæ vt Paulus inquit,nihil ſunt,diſcerneret. Cùm igitur dicit,*Celebrate Iehouam*:ex antitheſi omnem profanitatem mentium humanarum,& omnē cultum idololatricum dānat: quaſi dicat,Nō exiſtimate caſu res humanas volui,multò minus vitam & ſalutem veſtrā adſcribite idolis: ſed verum Deū celebrate,Is enim eſt,qui aſſiduè regit & conſeruat hunc mūdum,& vt eſt φιλάνθρωπος, ita innumerabilibus bonis perpetuò afficit genus humanum.

Bonitas ſignificat promptitudinem ad benefaciendū, quæ vt nullis officiis, nullíſve meritis prouocatur: ita nulla eam malitia,aut ingratitudo hominum retardat, vt ſuprà dictum eſt in proximo pſalmo.

חסד primùm amorem & φιλανθρωπίαν Dei ſignificat, quæ omnes στοργὰς parentum erga liberos ſuperat: deinde beneficia, quæ ex tali amore proficiſcuntur.

2 Dicant redempti Iehouæ:quos redemit è manu tribulantis.

Hic verſus à pleriſque coniungitur cum præcedente, ac ſi iuberet propheta, quos alloquitur, recitare hoc celebre carmen in honorem Dei, & laudem beneficiorum eius. Hæc ſententia non eſt inconcinna: ſed ſequens verſus, qui huic per copulam iungitur, oſtendit non minùs commodè hunc verſum referri ad totam ſequentem narrationem, in qua & exilium eiúſque moleſtias & calamitates deſcribit & exaggerat: & è regione beneficium liberationis diuinæ commendat. Redemptos igitur Iehouæ hoc loco non tantum in genere omnes qui ex quauis calamitate liberantur, intelligit, ſed in ſpecie eos, qui ex longinqua & difficili peregrinatione, atque adeo ex triſti ſeruitute & captiuitate aliqua incolumes domum reuertuntur. Hos iubet dicere, ſcilicet, laudes Deo, hoc eſt, prædicare eius bonitatem & gratiam quam in liberatione ſint experti. Tales autem nominat *redemptos Iehoua*: quia docere vult, non caſu eos eſſe ſeruatos,cùm per deſerta & inuias ſolitudines vagarentur,& ſæpe ab omni ſpe reditus excluderentur:ſed Deo ducente & defendente eos inter varia pericula ſeruatos, & domum reductos eſſe. Verba igitur hæc monere eos debent, vt adepta liberatione cogitent ſe non eſſe גאולי τῆς τύχης, ἢ σοφίας ἀνθρωπίνης, ἢ τῶν εἰδώλων, ſed τοῦ θεοῦ.

E manu tribulantis] צר & hoſtem ſignificat,ſeu tribulatorē, & ſubſtantiuè anguſtiam: ideo vtroque modo redditur. De manu anguſtiæ, hoc eſt, de vi anguſtiæ,ſeu de afflictionibus, & de manu ſeu potentia anguſtiatoris.

3 Et colligit eos è terris ab oriente, & ab occaſu:à ſeptentrione,& à mari.

Ἐξήγησις eſt præcedentis verſus à diſtributione, vt beneficiū appareat illuſtrius. Non enim in vno aliquo loco, aut terræ angulo hæc eius bonitas conſpicitur, ſed paſſim in toto orbe terrarum, dum ex omnibus terræ angulis & plagis mundi exules colligit,& vel in patriam deſideratam, vel in aliam vrbem commodiorem eos reducit, vbi neceſſitatibus ſuis conſulere poſſint.

A mari] Quidam intelligunt mare mediterraneum,quod Iudæis fuit ad Occidentem, atque ita bis fieri mentionem plagæ occidentalis exiſtimant. Et Iudæi,vt ſunt audaces,fingunt meridiei mentionem prætermiſſam, quòd ea regio propter æſtum ſolis rariùs adiri ſoleat, cùm in nulla orbis plaga plus negotiati fuerint Iudæi, quàm in Ægypto & Arabia felice quæ illis meridiem ſpectant. Veriſimile autē eſt in hac diſtributione plagarum mundi non omitti meridiem, itaque mare intelligo non de occidentali,quod mediterraneum vocant(id enim in voce מערב comprehenditur) ſed meridionali,quod Arabiam felicem, & Africam totam, quæ ipſis erat ad meridiem, ambit. Cæterùm exules & errantes, quorum hìc meminit, intelligantur non tantùm hi, qui ſponte negotiorum ſuorum cauſa in longinquas regiones abeunt, vt faciunt ferè mercatores,de quibus dicitur,

Impiger extremos currit mercator ad Indos:

ſed etiam illi qui vel hoſtili impetu, vel alia vi & neceſſitate patriis ſedibus pulſi ſunt, vel captiui in hoſtium poteſtatem venerunt, vel alioqui in piratas aut prædones inciderunt. Hos omnes, cùm clamant ad Deum, dicit exaudiri & liberari,&c. Eſtque hoc φιλανθρωπίας & prouidentiæ Dei argumentum.

In fabulis Iuno ſcribitur veniſſe ad Argonautas in montibus & ſcopulis Herciniis, vt viam errantibus monſtraret. Qua imagine ſignificare voluerunt docti, in locis deſertis & horridis magis opus eſſe peregrinis Dei familiaritate & ope.

4 Errauerunt in deſerto in ſolitudine à via: vrbem habitationis non inuenerunt.

5 Famelici,etiam ſitibundi: anima eorum in ipſis deficiebat.

Amplificat narrationem à miſeriis & calamitatibus exulū, vt magnitudo beneficij in liberatione è regione fiat conſpectior. De miſeriis autem auxilij Græcus eſt ſenarius κακὰ σὺν αὐτῇ πολλ' ἐφίλκεται φυγή. Hæc verò mala per diſtributionē hoc loco aliquo modo recenſentur: & extant verſus Tyrtæi poetæ,in quo eadem luculenter deſcribuntur.

Nam miſerum eſt patria amiſſa,laribúſque vagari,
Mendicum & timida voce rogare cibos.
Cum natiſque errare ſuis,& coniuge mœſta,
Et cum matre pia,cúmque parente ſene.
Omnibus inuiſus,quoſcunque acceſſerit,exul
Semper erit,ſemper ſpretus egénſque iacet.
Nullus honos generi eſt,& perdita gratia formæ eſt,
Cunctáque tabeſcunt membra dolore graui.
Curat nemo vagos,& lædere nemo veretur,
Non exul curæ dicitur eſſe Deo.

De his malis etiam hi verſus concionantur,ſed vltimus in ſequentibus corrigitur:quia pſalmus inſtitutus eſt,vt profanæ & Epicureæ opiniones hominibus eximantur, atque ita ad agnoſcenda & celebranda beneficia diuina excitentur. Itaque expreſſè negat paulò poſt, quod Poeta ait, exules non eſſe curæ Deo. Ita hac quoque in re diſcrimen philoſophiæ & doctrinæ cæleſtis conſpicitur. Ratio ex euentibus iudicat de amore vel odio Dei: ſed aliter pronuntiat hac de re Spiritus ſanctus.

Sententia autem horum verſuum eſt:exules ſæpe vagari in deſertis ſeu in locis horridis & incultis, vbi non tantum ſæpe à recto itinere aberrent, & in loca auia & periculoſa abducantur: ſed etiam vbi hoſpitium nullum inueniant,atque ita, quemadmodum ſequitur, propter famem & ſitim de vita periclitari cogantur. Id quàm miſerum ſit, experiuntur ij qui in locis vaſtis & incultis præſertim cum familia oberrant. Id enim multiplex periculum obiicitur: Primùm à feris & venenatis beſtiis: deinde à fame & ſiti: poſtremò ipſa ſolitudo & vaſtitas anxietatem & metum addit & auget hominibus.

Vrbem habitationis] Id eſt, vrbem ad habitandum commodam.

Operiri dicitur ſpiritus in homine apud Hebræos, cū ſyncopē ſeu deliquium homo patitur,vel ex virium defectu,vel ex metu & anguſtia,vel aliis de cauſis, quibus fit, vt ſpiritus refugiant ad cor,& deſtituant membra exteriora.

6 Et clamauerunt ad Iehouam in anguſtia ſua: ex tribulatione[*preſſuris*]eorum eripuit eos.

Hic verſus,qui tanquam intercalaris aliquoties repetitur, peculiarem habet doctrinam ſeu commonefactionem, quæ non eſt obiter prætereunda. Primùm enim oſtendit, cur Deus ſinat ſæpe homines adduci in calamitates,anguſtias,& pericula,eáque ita inualeſcere ſinat, vt nullo humano conſilio exitus pateat. Facit enim id,non quòd hominum miſeriis aut interitu delectetur, ſed vt periculis excitentur ad agnoſcendum Deum, & ad opem eius implorandam. In rebus enim ſecundis animus eſt ſecurus, non cogitat de Deo, neque inuocat,ſed in anguſtia,vt Ieſaias inquit,homines requirunt eum,etiam illi qui alioqui vera fide præditi non ſunt,& qui tantùm magnitudine dolorum ad effundendas querelas & petendam opem adiguntur. Nam his quoque hanc confeſſionem extorquere vult Deus, non aliunde quàm ab vno ipſo petendam & expectandam eſſe ſalutem. Hæc doctrina de cauſis ærumnarum diligenter cogitanda & obſeruanda hoc loco eſt: ne ſi in pericula ipſi quoque incidamus, cogitemus calamitates eſſe ſigna iræ & abiectionis Dei, atque ita cum impia multitudine in deſperationem & fremitum aduerſus

Deum ruamus: ſed potiùs eſſe δοκιμασίας quæ nos moneant de pœnitentia, & petitione auxilij diuini. Additur autem dulcis conſolatio, *ex anguſtiis eorum eripuit eos*: vt diſcamus, preces noſtras quas in calamitatibus noſtris fundimus, non fore irritas: idque ad confirmandam fidem noſtram prodeſt, ne vagentur animi noſtri in inuocatione vt Ethnicorum, qui ſemper dubitant an exaudiantur, vt cùm Hecuba inquit, O Iupiter, quicquid es, ſiue cælum hoc, ſiue mens quæ vehitur in cælo, &c.

Clamauerunt] Vtitur propheta promiſcuè verbis præteriti & futuri temporis, ideo rectè præſens tempus ſumitur, quod continuum actum ſignificat. Hoc loco autem reſpondendum eſt ad obiectionem, quam homines prophani, qui Deū & promiſſiones eius rident, ſemper in ore habere ſolent contra huiuſmodi promiſſiones. Etiamſi, inquiunt, interdum fit, vt nonnulli ex præſenti mortis periculo, vt ex aquis aut incendiis, præter ſpem euadant incolumes, tamen multò plures pereunt oppreſſi calamitatibus. Nam vt de vno genere calamitatum dicamus, quàm multi pereunt naufragiis, vbi vix vnus & alter ſeruatur? Quàm multi etiam oberrantes in locis deſertis, obruuntur arenis, niuibus, tempeſtatibus, pereunt fame, deuorantur à feris, &c? vt ſi ad hos comparentur, qui in periculis ſeruantur, vix centeſimus aut milleſimus quiſque gloriari de hoc beneficio poſſit. Et extat dicterium ſcurræ cuiuſdam veteris, quod prorſus refert ingenium & ſermonem hominis ridentis & contemnentis Deum, & pro nihilo ducentis, quæ de Dei præſentia & auxilio in promiſſionibus eius traduntur. Nam cùm ingreſſus templum tabulas à mercatoribus illic poſitas ſpectaret, quibus profitebantur deorum beneficio ex naufragio ſe ereptos eſſe, viſus eſt facetè & ſalsè excipere. Atqui non numerantur eorum mortes, qui ſubmerſi ſunt, quorum innumera eſt turba, &c. Ita ſalſo dicterio negauit prouidentiam diuinam. Sed fictitiis idolis potuit ille ſic illudere: hæc enim vitam hominum ſeruare non poſſunt. Sed cum de vero Deo, atque eius promiſſionibus, ſermo eſt, commonefactio hoc loco addenda eſt, quæ obiectionem hanc declarat & refutat. Etſi enim multi ſæpe oppreſſi calamitatibus pereunt: tamen ea res non obſcurat gloriam bonitatis diuinæ, nec propterea ille remouendus eſt à cura rerum humanarum. Sic enim miſericors eſt, vt ſimul iuſtitiam ſuam & ſeueritatem conſpici velit in pœnis ſcelerum. Itaque multos propter ſcelera perire ſinit in ſuis calamitatibus: & tamen in ipſis pœnis hoc quoque diſcrimen tenēdum eſt, vt ſi qui verè in pœnis conuertantur ad Deum, & ad gratiam eius confugiant, hos non iudicemus abiici cum impia multitudine in æternam damnationem: ſed peccata his remitti gratis, & cum culpa remitti etiam pœnam æternam: Pœnas autem corporales ideo non mox tolli, vt extet teſtimonium iræ & iudicij diuini aduerſus peccata, & vt exercitia pietatis eccleſia habeat.

7 Et deducit eos in viam rectam: vt veniant in vrbem habitationis.

Hic verſus ἐξήγησις eſt poſterioris membri in proximo verſu. Sic enim eripit Deus ex calamitatibus inuocantes ſe, vt eos voti ſui compotes reddat.

8 Celebrent coram Iehoua [*Iehouæ*] clemētiam eius: mirabilia eius inter filios hominum.

Repetit propoſitionem, quæ eſt adhortatio ad gratiarum actionem. Amplificat autem hoc loco propoſitionem à diſtributione. Primùm enim ipſi Deo vult gratias agi toto pectore pro impetrata liberatione: quas autem virtutes complectatur illa gratitudo, alibi dicitur. Deinde etiam coram hominibus vult prædicari illa beneficia, vt alij his exemplis inuitentur ad agnoſcendam Dei præſentiam & potentiam.

9 Quia ſatiat animam concupiſcentem [*ſitientem, anhelantem*:] & animam famelicam implet bono.

Addit cauſam, quæ coniungenda eſt cum verſu ſexto & ſeptimo: nam ad idem beneficium pertinet.

10 Habitantes in tenebris & vmbra mortis: deuincti anguſtia [*oppreſſione*] & ferro.

Sicut prima pars pſalmi celebrat miſericordiam Dei erga errantes in locis deſertis, & exules, quos Deus poſt lōgi temporis errores & multiplices miſerias reducit in viam & certas eis ſedes tribuit: ita in hac parte celebrat miſericordiam Dei erga eos, qui propter maleficia in carcerem & vincula ſunt coniecti, ipſoſque, qui præſentiam & auxilium eius experiuntur, hortatur, vt benignitatem Domini, qua ipſis præſto fuerit agnoſcant, confiteantur, & reliquis mortalibus prædicent. Sicut autem ſuprà miſerias exilij: ita in hoc verſu ærumnas & ſqualores carceris amplificat, vt è regione beneficium liberationis illuſtret. Primùm dicit, captiuos ſedere *in tenebris & vmbra mortis*, id eſt, demitti in voragines profundas & tenebroſas, vbi lucem aſpicere nequeant: atque ita luce orbatos penè mortuis eſſe ſimiles. Hæc ſumma eſt miſeria. Sumus enim conditi ad lucem aſpiciēdam, eáque fruendam: nam lux rerum cognitionem & diiudicationem, quam natura expetit, offert: ideo animus naturaliter ad ortum lucis exhilaratur: econtra verò tenebras, tanquam res cum natura pugnantes, & periculi plenas, exhorreſcit & auerſatur. Captiui igitur, cùm perpetuò in tenebris ſedeant, in perpetuis verſantur miſeriis, & aſſiduo metu trepidant: & alioqui aer ille concluſus & corruptus plurimùm nocet valetudini. Vt nihil dicam de cæteris rebus naturalibus, quibus conſeruari valetudinem dicunt medici, quæ omnes deſunt captiuis: vt eſt cōueniens ratio cibi & potus, vices exercitij & quietis, ſtata tempora ſomni & vigiliarum, affectus animi tranquilliores: denique euacuationes naturæ conuenientes. His omnibus cùm careant captiui, æſtimari inde horum miſeria poteſt: & ſub nomine tenebrarum hæc omnia comprehendere voluit propheta. Meminimus illuſtriſſimum quendam & pium principem, cùm de periculis, quæ ob religionis profeſſionem expectanda tunc erant, diſſereret, dicere nihil ſe magis metuere quàm diuturnos carceres. Exiſtimare enim ſe, diuturno ſqualore & miſeriis carceris magis frangi animos, quàm vlla ſuppliciorum atrocitate.

Vmbram mortis] Scriptura nominat illam caliginem, quæ iam iam morituris offunditur. Hic verò & alibi non tantùm metaphoricè accipitur pro denſiſſimis tenebris, ſed etiam μεταληπτικῶς terrores & pauores mortis ſignificat. Sicut ſuprà pſal. 44. operuiſti nos vmbra mortis. Et pſal. 88. de terroribus mortis dicitur: Poſuiſti me in fouea inferiore, in tenebroſis, & profunditatibus. Vbi propheta comparat ſe captiuo, qui in profundum, tetrum & tenebroſum lacum immiſſus, nihil ſpei de vita reliquum habeat, ſed tanquam captiuus quotidie expectet ſententiam mortis contra ſe ferendam.

Deuincti anguſtia [*afflictione*] *& ferro*] Altera miſeria captiuorum eſt, quòd noctes & dies compedibus vincti ſunt, nec poſſunt mouere corpus pro arbitrio: præterea duriter affligūtur membra & cruciantur nerui ferreis compedibus, vt ſemper dolore acerbiſſimo quaſi pungantur. Hos enim nominat vinctos afflictione.

11 Quia rebelles fuerunt verbis Dei: & conſilium excelſi ſpreuerunt.

Addit cauſam calamitatis, vt beneficium liberationis magis exaggeret. Deus enim non tantùm liberat eos, qui nullo ſcelere miſerias captiuitatis ſibi accerſunt, vt Ioſephum & ſimiles, quibus carcer non tam eſt pœna, quàm δοκιμασία: ſed etiam qui ſua impietate & ſceleribus ſe in has calamitates coniecerunt. Eo maior itaque bonitas Dei conſpicitur in horum liberatione. Deinde additur narrationi hæc cauſa, vt moueantur homines, ne exiſtiment caſu res aduerſas contingere, ſed iuſto Dei iudicio nobis quaſcunque calamitates immitti. Nam ſi vitam noſtram examinemus diligentiùs, nulla calamitas tam triſtis eſſe poteſt, quam noſtris peccatis, vt ingratitudine erga Deum, & aliis multiplicibus ſceleribus, non accerſamus: etiamſi foris in politico iudicio nemo nos accuſare aut conuincere manifeſtorum ſcelerū queat. Semper enim in nobis reperiemus cauſam malorum. Itaque Mauricius Imperator, cùm videret coniugem & liberos ſuos interfici, quanquam Phocam nulla iniuria affecerat, tamen agnoſcens ſua delicta exclamat, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Tertiò, habet hic verſus dulcem conſolationem, omnibus qui in calamitate aliqua ſunt, neceſſariam. Monet enim etiam tunc, cùm non benè conſcij ſumus nobis, & cùm cor noſtrum nos accuſat, non eſſe deſperandum de gratia & auxilio Dei: ſed intrepidè accedendum ad Deum & petendam gratiam ac liberationem. Ideóque non de leui aliquo delicto loquitur, cui ſpes veniæ offeratur, ſed de delicto omnium ſummo, nimirum de inobedientia, contumacia, & rebellione aduerſus Deum, & de contemptu verbi diuini, déque ingratitudine, imò de fremitu aduerſus Deum: quæ ſunt ſumma ſcelera.

Conſilium vocat verbum patefactum, quo tanquam bonus medicus Deus conſulit animæ & ſaluti noſtræ.

נאץ non tantùm ſignificat ſpernere, ſed ex contemptu alicui contumelioſè inſultare, eúmque conuitiis inceſſere: vt faciunt Epicurei, cùm non tantùm negant prouidentiam diuinam, ſed etiam fremunt aduerſus Deum in calamitatibus: & tyrannidis eum incuſant.

12 Et humiliauit [*in*] moleſtia cor ipſorum: corrue-

corrue-

corruerunt [*corruunt*] nec eſt qui adiuuet.

Amplificat ſententiam ab effectu ſeu cauſa finali. Deus quanquam pœnas carcerum plerumque vult eſſe τιμωρίας, vt conſpiciatur ira & iudicium ipſius aduerſus peccata: tamen aliæ cauſæ plures ſunt, cur has calamitates immittat. Non enim Deus eſt qui delectetur perditione noſtra, ſed quærit ſalutem noſtram: ideo pœnas & calamitates immittit, non tantùm quia vult in his conſpici iram ſuam, & vult extare exẽpla iudicij & iuſtitiæ ſuæ: ſed etiam quia his afflictionibus ſubigere vult præfracta corda hominum, vt humilientur, & deſinant confidere ſuæ prudentiæ, iuſtitiæ, præſidiis humanis, & aliis rebus externis: & vt in hac humiliatione agnoſcẽtes ſuam infirmitatem & prauitatem, incipiant ſe iuſto Dei iudicio ſubiicere, atque ab ipſius ope & ſalute pendere. Atque hãc ob cauſam Deus ſæpe ita exaggerat pericula, vt omnem ſpem à cauſis ſecundis nobis è conſpectu eripiat, vt diſcamus neminẽ eſſe, qui poſſit & qui velit iuuare, niſi ſit vnus Deus. Ideo addit, Afflicti ſunt, vel corruerunt, & non erat adiutor: vt ſcilicet ipſi in ſolidum adſcribatur totum beneficium liberationis.

13 Et clamauerunt [*clamant*] ad Iehouam in anguſtia ſua: ex tribulationibus [*preſſuris*] eorum liberat eos.

Hic verſus intercalaris vſum afflictionum oſtendit. Cùm enim premimur adeo vt nullum ab hominibus vel cauſis ſecundis auxilium ſe offerat, tum demum vis afflictionum cogit nos ad Deum clamare. Hoc igitur eſt quod Ieſaias inquit: In anguſtia requiſiuerunt te. Quandiu res fluunt ad voluntatem noſtram, nemo fere eſt qui Deum curet, & facilè obrepit obliuio eius. Ideo Deus immittit crucem, in qua ſubtrahit nobis omnia præſidia humana, vt ad ipſum redeamus. Hæc igitur eſt vtilitas crucis, quam tamen tantopere fugimus & exhorreſcimus. Atque hinc manifeſtum fit, verum eſſe quod dicitur: Homines rectiùs ferunt aduerſam quàm proſperam fortunam.

14 Educit eos ex tenebris & vmbra mortis: & vincula eorum rumpit.

15 Celebrate Iehouæ bonitatem eius: & mirabilia eius inter filios hominum.

16 Quia confringit portas æneas: & vectes ferreos conterit.

Verſus 14. & 15. nihil habent obſcuritatis.

Decimus ſextus repetit verſum 14. figuratè, vt vſitatum eſt pſalmographis eandem rem aliis atque aliis verbis exornatam exponere. Idque facit ad amplificationem. Sicut igitur antea carcerem deſcripſerat vocabulis tenebrarum, vmbræ mortis, & vinculorum: ita nũc eundem hac periphraſi deſcribit, nominans *portas æneas & vectes ferreos*, vt ſignificet ſe de tali carcere loqui, ex quo, ſi rationem in conſilium adhibeas, nulla ſpes ſit liberationis, ſed vbi in ſqualore & miſeriis perpetuis contabeſcendum ſit, niſi diuinitus liberemur. Ita hæc repetitio non eſt otioſa: ſed ad amplificandum beneficium diuinum pertinet. Si ſpes aliqua liberationis foris appareret, non magnum videretur diuinum beneficium. Ea eſt enim natura animorum humanorum, vt magis ad illa externa reſpiciant, quàm ad Deum. Sed vbi ab hominibus aut aliis cauſis externis ſpes nulla offertur, & vbi, vt hic inquit, carceres portis æneis & vectibus ferreis ſunt firmati, vt incluſos perpetuis miſeriis addictos retineant, ibi liberatio ſolius Dei beneficio adſcribi ſolet. Nã hic eſt qui ſua virtute portas æneas confringere, & veſtes ferreos conterere, hoc eſt, qui obſtacula omnia, quę ſalutem & liberationem impedire videbantur, tollere poteſt.

17 Stulti [*qui*] propter viam tranſgreſſionis ſuæ [*flagitiorum ſuorum*] & propter iniquitates ſuas affliguntur.

Tertia ſpecies calamitatum eſt morbus, in quo itidem, vt in cæteris, experiri homines Dei miſericordiam & bonitatem affirmat. Eſt autem hoc malum creberrimum & ad plures ſe extendit. Nemo enim ferè eſt qui non morbos interdum experiatur, eóque dulcior & gratior eſſe nobis hæc cõſolatio debet. Vt autem ſanitas inter pręcipua huius vitæ commoda recenſetur: λῷστον τὸ ὑγιαίνειν, ſecundùm illud Deliacum epigrãma. Et οὐκ ἔστιν ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ: ſic magna miſeria eſt conflictari morbis. De his verò miſeriis loquitur verſu ſequente. Hic autem de cauſis morborum nos docet, multò aliter quàm phyſici aut medici, qui cauſas morborum referunt ad materiam, nec vlteriùs progrediuntur inquirendo. Sed Spiritus ſanctus principalem & primam cauſam cùm mortis, tum morborum, hoc in loco & alibi monſtrat. Prima enim & præcipua cauſa, vt cæterarum calamitatum omnium, ita morborum & mortis, eſt peccatum, cui obnoxium eſt totum genus humanum. Sicut inquit pſalmus 39. Propter iniquitatem corripis filios hominum. Et Syrac. cap. 38. Qui delinquit in conſpectu creatoris, incidet in manus medici. De hac re neceſſe eſt nos in eccleſia diligenter commonefieri, vt conſideratis veris cauſis mortis & morborum, diſcamus etiam vera & ſalutaria remedia quærere, quibus hæc mala tollantur. Qui enim tantùm phyſicorum more de morbis diſputant, ij non aliunde quàm à cauſis ſecundis remedia petenda eſſent. Sed quemadmodum de rege Aſa ſcribitur 2. Paralip. 16. cùm in infirmitate ſua non quæreret Deum, ſed magis arte medicorum confideret, mortuum eſſe: ita hi quoque parum proficiunt ſuis remediis, niſi verum medicum adhibeant, de quo Syracides inquit: Fili, in tua infirmitate ora Dominum, & ipſe curabit te, & ab omni delicto munda cor tuum, & da locum medico.

אוילים nominat peccatores: quòd peccatores ſtultorum more ſuis cupiditatibus & affectibus rapiantur, iiſque temere indulgeant, nec patiantur ſe regi verbo aut timore Dei, qui in rebus agendis præcipua ſapientia eſt.

Græcus interpres ita reddidit: ἀντελάβετο αὐτῶν, opem tulit illis, vel, vt noſter interpres habet, ſuſcepit illos, forte quia legit הואירם, vel, quod veriſimilius eſt, הועילם.

פשע ſignificat defectionem, quæ fit per rebellionem. ea enim eſt caput omnium ſcelerum: nam vbi quis ſemel à Deo receſſit, nec ampliùs patitur ſe ab eo regi, is poſtea ex vno ſcelere in aliud impellitur à diabolo. Complectitur itaque nomen פשע contemptum Dei, faſtidium verbi, ſecuritatem carnalem, & quæ his coniuncta ſunt peccata, pugnantia contra primam tabulam. עון ſignificat omnia delicta pugnantia cum ſecunda tabula.

18 Omnem eſcam abominatur anima ipſorum: & appropinquant ad portas mortis.

Vt ſuprà in cæteris narrationibus, ita hîc quoque amplificat malum, vt bonitatem Dei, quæ in liberatione conſpicitur, magis commendet, & oſtendat non niſi à Deo ſanationem profectam eſſe. Significat enim ſe non loqui de vulgaribus, ſeu communibus morbis, in quibus interdum aliquid valet ars medicorum: ſed de his qui prorſus lethales eſſe cenſentur, & qui humana induſtria aut conſilio ſanari non poſſunt. Tales enim morbi ſunt, in quibus ægroti non tantùm, proſtratis omnibus viribus, omnem cibum faſtidiunt, ſed etiam ad ipſas portas mortis pertingunt, quaſi iam luctantes cum morte, & ſe morti vicinos eſſe ſentientes. Portas tribuit morti, ob poteſtatem & tyrannidem quam exercet in genus humanum. Olim enim iudicia exercebantur in portis, & agitabantur conſilia de Repub. Vnde portæ pro poteſtate regia & imperio accipiuntur.

19 Et clamant ad Iehouam in tribulatione ſua: ex anguſtiis eorum ſeruat eos.

Verſus intercalaris, vt antea monui, finem afflictionum oſtendit, & ſimul noſtram ſecuritatem arguit. Etſi enim hoc nobis in bonum cedit, quod morbis & aliis calamitatibus excitamur ad agnoſcenda noſtra delicta, & quærendam Dei opem, tamen ille ſtupor & ſecuritas mentium humanarum digna eſt reprehenſione, quòd non niſi in extremo diſcrimine poſiti, & cùm omnia ab hominibus ſunt deſperata, incipimus cogitare de Deo, & ad hunc confugere. Quòd tamen ille ne tunc quidem ad ſe confugientes repellit, eſt hoc ſummæ eius bonitatis & φιλανθρωπίας argumentum.

20 Mittit verbum ſuum, & ſanat eos: & eripit eos ex omnibus corruptionibus [*perditionibus, interitu*] eorum.

Modum liberationis indicat, in quo Dei potentia & virtus conſpicitur. Deus enim ſanat morbos emiſſo verbo vnico, id eſt, ſolo nutu & mandato abigit omnes morbos, adeóque ipſam mortem. Sicut in centurionis exemplo apparet, qui, fortè ad hunc locum reſpiciens, ad Chriſtum dicit: Tantùm dic verbum, & ſanabitur ſeruus meus, Matth. 8. Nam verbum mittere, & ſanare, nihil aliud eſt quàm velle & mandare vt ſanetur ægrotus. Hanc itaque opem diuinam opponit propheta omnibus humanis remediis, quæ tanta arte, tanto ſtudio, tãto ſumptu ab hominib. conquiruntur & adhibētur: ſed fruſtra, niſi verbum hoc accedat. Idololatræ ſanitatem adſcribunt Sebaſtiano, Rocho, Valentino, Iobo, Otiliæ, Apolloniæ. Gentes Æſculapio. Spiritus ſanctus verò bonitati diuinæ. Tenendum autem eſt, quod initio dixi, loqui prophetam in genere, non tantùm de populo Dei, ſed de omnibus etiã extra eccleſiã. Vult enim Deus ſuam clementiam & bonitatem etiam in reprobis & ingratis conſiderari, vt huius rei conſideratione fiducia noſtra in ipſum magis cõfirmetur. Si

enim tanta eſt eius bonitas etiam erga extraneos & alienos à fœdere, vt rogatus ſuccurrat in calamitatibus, quantò magis ſtatuendum eſt eum noſtras preces exaudire, & ferre nobis opem velle, quibus ſe peculiari verbo obſtrinxit? Hoc primum eſt.

Deinde à morbis corporalibus hæc ad ſpirituales & animæ morbos per ἀναγωγὴν transferenda ſunt. Nam corporum ſanatio leuis eſt momenti, ſi non animæ à ſuis ſordibus & morbis purgentur. Sicut igitur corporales morbi non niſi Dei verbo & imperio ſanantur: ita multò minus animæ reſtituuntur in vitam, niſi per verbum, & quidem fide apprehenſum. Neque tantùm ad verbum patefactum, quod ſonat in externo miniſterio, hoc referendum eſt, ſed multò magis ad λόγον illum æternum, qui à Patre in hunc mundum miſſus eſt, vt aſſumpta natura humana medicus eſſet animarum noſtrarum, & nos lethaliter ægrotantes, hoc eſt, morti ac regno Satanæ mancipatos ſanaret: cuius rei ſpecimina quædam edidit, quando in terris miniſterium ſuum peragens varios morbos ſanauit. Hæc anagogica hoc loco non ſunt omittẽda. Nam in his præcipua conſolatio eſt: ideo in libro Sapientiæ hæc accommodantur ad medicum Filium Dei, qui eſt ſapientia Patris: Per ſapientiam, inquit, ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.

שחיתות *corruptiones*] Intelligit morbos, quibus miſeri detinebantur, vt iam morti viderentur vicini, atque adeo alterum iam pedem haberent in ſepulchro. Nam שחת foueam ſignificat.

21 Celebrent coram Iehoua miſericordiam eius: & mirabilia eius apud filios hominum.

22 Et ſacrificent ſacrificia laudis: & prædicent opera eius cum exultatione.

Iterum requirit gratitudinem, quæ qualis eſſe debeat, ſuprà diximus. Hîc verò tanquam ἐξηγητικῶς addit offerenda eſſe ſacrificia laudis, reſpiciens ad morem populo Iudaico, atque adeo gentibus quoque, tunc vſitatum. Solebant enim Iudæi ex inſtituto diuino, & gentes æmulatione Iudæorum, ſeu more à primis parentibus ad ipſos tranſmiſſo, acceptis inſignibus beneficiis, offerre ſacrificia, atque his gratitudinem ſuam teſtari. Ea ſacrificia Græci nominabant σωτήρια. Hebræi שלמים pacifica. Sed quia plerique, non tantùm inter gentes, ſed Iudæos quoque præcipuum religionis cultum poſitum eſſe in ſacrificiis arbitrabantur, & iudicabant ſe abũdè ſatisfacere Deo pro perceptis beneficiis, ſi ſumptuoſa ſacrificia offerrent, & victimas cumularent, vnde ἑκατόμβαι apud Græcos introductæ ſunt: propheta hanc ſuperſtitionem & prauum cultum redarguens, inquit, ſacrificia laudis eſſe offerenda Deo. Neque enim externo illo ritu mactandi pecudes præſtari Deo gratum cultum oſtendit, ſed vera animorum gratitudine, quæ prædicatione & celebratione diuinorum beneficiorum, non externis pompis, aut ſacrificiorum multitudine ſit declaranda.

Prius igitur membrum verſus viceſimi ſecundi, ἐξήγησις eſt eius quod antè dixerat, *Celebrent coram Iehoua miſericordiã eius.* Alterum, *prædicent opera eius cum exultatione*, declarat poſterius membrum præcedentis verſus. quod autẽ addit, *cum exultatione*, ſignificat gratiarum actionem & prædicationem beneficiorum diuinorum proficiſci debere ex animo agnoſcente beneficia ſibi exhibita, & lætante ob teſtimonia præſentiæ diuinæ, quam expertus ſit in ſua calamitate. Non enim valetudinis reſtitutio tantam voluptatem afferre nobis, quantam lætitiam conciliare debet, quod hoc teſtimonio de amore ſuo erga nos, & præſentia in ærumnis noſtris teſtari Deus voluit.

23 Qui deſcendunt in mare nauibus: qui faciunt opus (*negotiantes*) in aquis magnis.

Quarta narratio complectitur pericula nauigationis, in quibus cùm præſentia Dei manifeſta conſpiciatur, dum naufragos, aut diu multúmque in mari iactatos, in portum reducit, non ſecus ac ſi ex morte in vitam eos reuocaret: hinc intelligi vult propheta, quantam humani generis curam gerat Deus, & vult hæc beneficia agnoſci & celebrari. Hæc sũma eſt huius narrationis.

Deſcendunt in mare] Hoc ratione littoris intelligatur, vbi terra extat ſupra aquas: alioqui enim vnda maris tellure eſt altior.

Faciunt opus] Hoc non temerè additur, vt ſciamus eum de his loqui qui cauſas habẽt cur ſe mari cõmittant. Nam ſi quis temere ſine cauſa ſe cõmittat aquis, aut in eas ſe cõiiciat, non mirum eſt ſi in periculo quod amat, pereat. *Facere* autem *opus* principaliter ad negotiationes ſpectat, quibus res quibus in vita opus eſt, exportantur & importantur. Huius autẽ ita magnus eſt vſus, vt Baldus in rubr. extra de cleri. peregr. dicat, Mundum non poſſe viuere ſine mercatoribus. Nam importatio rerum quæ apud nos non naſcuntur, & ſine quibus tamen bene viui nõ poteſt, neceſſaria eſt. Quò autem periculoſior eſt hæc negotiatio maritima, quæ vſitatè dicitur ναυκληρία (illa enim quæ in rebus importandis & exportandis conſiſtit per vecturam, φορτηγία dicitur, ſicut ſtataria illa & domeſtica, καπηλεία, quæ omnium eſt tutiſſima) eo magis prouidentia diuina in hac conſpicitur. Ideo Euripides in Supplicibus, ingreſſus in commemorationem de operibus prouidentiæ diuinæ, negotiationes maritimas inter præcipua ponit, inquiens: πόντου τε ναυστολήμαθ᾽ ὡς διαλλαγὰς ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν ὧν πένοιτο γῆ. Et Seneca lib. 5. naturalium quæſtionum inquit: *Inter cætera prouidentiæ diuinæ opera, hoc quoque dignum eſt admiratione, quod natura ventos dederit incitatores nauigationis, vt commoda cuiuſque regionis fierent communia.* Sicut hoc tẽpore Deus beneficio nauigationum patefecit nouum & antea incognitum orbem, ex quo non tantùm aurum & aliæ res pretioſæ aduehuntur, ſed aromata, & multæ res quæ magnũ in victu & medicina vſum habent. Ea in re certè agnoſcere Dei prouidentiam, præſertim in hac morbida mundi ſenecta, quę pluribus remediis, pro varietate morborum vndique ingruentium indiget, & prædicare beneficia accepta debemus. Deinde phraſis Hebræa etiam ad piſcationes referri poteſt, quæ vt ſunt quæſtuoſiores in mari quàm in fluuiis, ita maiore cum periculo ſunt coniunctæ: vt norunt ij, qui in iis locis habitant, vbi haleces capiuntur. Audiuimus enim, aliquoties in illa piſcatione aliquot hominum millia vna nocte periiſſe. Eſt autem & piſcari, facere opus in aquis.

24 Ipſi vident opera Iehouæ: mirabilia eius in profundo.

Opera Domini nominat multiplicia illa teſtimonia prouidentiæ diuinæ, quæ nauigantibus quotidie offeruntur. Ea autem ita varia ſunt, vt breui oratione comprehendi aut explicari non poſſint. Primùm enim ingentes illæ & innumeræ beluæ, quæ viſuntur in mari, & multiplicia miracula, quibus mare refertum eſt, & quæ plura offeruntur in mari, quàm in terra, teſtantur de Dei potentia & prouidentia. Deinde, quò principaliter hoc loco reſpicit propheta, in illis ſubitis mutationibus tempeſtatum, in concitatione & commotione maris, & ſubita ſedatione eiuſdem, tanta elucet Dei prouidentia, vt homines maximè profani, ſi mare aliquando ingrediantur, his manifeſtis teſtimoniis conuicti, agnoſcant aliquod numen cœleſte, à quo omnium hominum vita & ſalus pendeat, & deinceps profanitatem illam corrigant. Cuius rei vidimus exempla non pauca. Obſeruandum autem, quod illam commotionem maris, & quæ hanc ſequuntur, nominat opera & mirabilia Dei, ne quid hîc fortunæ aut Phyſicis tantùm cauſis tribuamus, ſed omnia ad prouidentiam & iudicia diuina referamus. Ideo ſequitur, mandato diuino excitari procellas & tempeſtates in mari.

25 Et dicit, & facit ſurgere ventum procellæ: & in ſublime attollit (*ſcilicet ventus*) fluctus eius (*maris.*)

Iam incipit de periculis concionari, quæ exaggerat primùm hypotypoſi, qua deſcribit magnam tempeſtatem ex vẽtis ſubitò ortis, & ex procellis ac fluctuum magnitudine hyperbolica. Verbum dicendi ad mandatum diuinum referendum eſt. Deus enim eſt, qui ventos ſuis viribus concluſos tenet, quos ſuo conſilio cùm vult emitti: nec ſufficiunt hîc vllæ naturales cauſæ quæ à Phyſicis afferũtur. Habent quidem nautæ varias coniecturas de tempeſtatibus ex cauſis naturalibus ſumptas, eáſque non omninò vanas: ſed ſubitas mutationes, vt prouidere non poſſunt, ita in his & aliis agnoſcere eos Deum autorem neceſſe eſt.

Facit ſtare] Standi verbum hoc loco, ſicut & ſuprà Pſal. 106. verſu 30. pro ſurgere, vel exſurgere vſurpatur: vt ſtare ventus dicatur, cùm exoritur: ſicut & Germani, qui in locis maritimis viuunt, eadem phraſi vtuntur, *Es ſtehet ein groſſer vvind auff*, id eſt, oritur magna tẽpeſtas. Deus igitur facit ſtare vẽtum cùm excitat ventos. Significatur autem verbo ſtandi & durabilitas tempeſtatis.

26 Aſcendunt in cælum, & deſcendunt in abyſſos: anima eorum in malo diſſoluitur (*liqueſcit.*)

Primùm eſt hypotypoſis, qua tempeſtatem deſcribit, vt periculi magnitudo magis conſpiciatur. Dicit enim nauigantes in mari concitato, nunc ad cælum attolli, nunc ad abyſſos deiici. Quod Virgilius imitatus eleganter expreſſit his verſibus, Æn. 3.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus vnda.

Anima eorũ] Altera amplificatio ſumpta eſt à magnitudine metus, & calamitatum in quibus verſantur nauigantes. Cùm enim

enim nihil niſi mortem ob oculos videant, & iactatio totidem mortes oſtentet, quot fluctus inſurgunt, neceſſe eſt eos coniici in ſummas anguſtias & dolores, quos vt ſignificanter exprimat propheta, dicit animam in ipſis colliqueſcere, & quaſi diffluere reſolutis omnibus viribus. Huc congruit illud Athenæi ex Poſidippo, ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑόρακεν κακόν, τῶν μονομαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι. Et vetus dictum eſt Anacharſidis, tantum abeſſe nauigãtes à morte, quanta eſt ſpiſſitudo tabularum nauticarum. Atque idem nauigantes dubitabat vtrum inter viuos an mortuos referret.

27 Agitantur in gyrum, & nutant tanquam ebrius: & omnis ſapientia eorum abſorbetur (*perit.*)

Amplificat iterum narrationem periculorum à ſimili. Sicut ebrij circumaguntur & nutãt, & carent ratione: ita nautæ iactati fluctibus nuſquam conſiſtere in naui poſſunt, ſed nutant, nec ſunt compotes ſui. Itaque non iuuat eos tunc quicquam in diſcrimine peritia τῆς ναυτιλίας, quæ alioqui mari ſedato nauem rectè gubernat & dirigit, & deſperatis rebus omnibus coguntur relinquere nauem tempeſtatibus raptandam quoquo verſus. Sapientiam enim hoc loco nominat propheta artem nauigandi, quæ peculiare Dei donum eſt, vt cætera omnia. Neque enim cuiuſuis eſt rectè gubernare nauim. Multa enim ad eam artem requiruntur, quæ nonniſi longo vſu & experientia, & peculiari quadam naturæ vi diſcuntur.

28 Et clamant ad Iehouam in anguſtia ſua: & ex preſſuris eorum liberauit eos [*liberat eos.*]

Hic verſus oſtendit verum eſſe, quod quidam dixit, *Qui neſcit orare, diſcat nauigare.* Nam profectò magnitudo periculorum excutit tandem hominibus, quantumuis profanis, veternum, vt de ſuis miſeriis & periculis cogitantes, ad Deum cõfugere diſcant, & experientia teſtatur, ferociſſimos quoſque crebris nauigationibus fieri moderatiores.

29 Facit conſiſtere [*ſtare*] procellam in ſilentio: & ſileſcunt fluctus ipſorum.

Addit modũ liberationis, in quo & potentia & bonitas Dei conſpicitur. Nam inuocatus & calamitate hominum afficitur, vt precibus ipſorum annuens ſuccurrat: & ſicut dicendo ſeu mandando excitauit tempeſtates, ita rurſus vnico nutu ventos compeſcit, & furorem atque impetum concitati maris cohibet, vt deinceps quieſcat.

Facit conſiſtere] Deus ſcilicet, qui eſt Iehoua. Non Caſtor & Pollux, non Neptunus, nõ ſanctus Nicolaus, &c. Fluctus dicit ſilere, alludens ad ſtrepitum maris concitati.

Fluctus eorum] Scilicet nautarum, quibus huc illuc iactabantur.

30 Et lætantur, quia ſedati ſunt [*ſteterunt placidè*] & [*quia, nam vau hoc loco habet vim rationalis particulæ*] deducit eos ad portum deſiderij ipſorum.

Amplificat beneficium ab effectu. Sicut enim antea in periculo oppreſſi erant ingentibus terroribus & pauoribus: ita ex ſerenitate oritur ingens lætitia, quòd quaſi ex mortis faucibus erepti in vitam reſtituti ſunt. Nam quo maius & certius fuit periculum, eo maior eſt lætitia in liberatione.

31 Celebrate Iehouæ beneficentiam eius: & mirabilia eius inter filios hominum.

Hic verſus antea eſt explicatus.

32 Et extollant eum in cœtu populi: & in conuentu [*conſeſſu*] ſenum laudent eum.

Hic verſus amplificat poſterius membrum præcedentis verſus à diſtributione: Vult enim paſſim non tantùm in promiſcuo vulgo, & publico cœtu, ſed etiam inter eos, qui ſunt in autoritate, & propter ſapientiam ac potentiam partem gubernationis tenent, hæc beneficia prædicari. Nam hos notat appellatione ſeniorum.

33 Ponit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſiccitatem [*in ſitim.*]

34 Terram fructiferam in ſalſuginem: propter malitiam habitantium in ea.

Quintum argumentum prouidentiæ diuinæ eſt, quòd nonnunquam propter peccata hominum, ſterilitatem & famem inducit, & rurſus terras, quæ diu ſteriles & incultæ iacuerant, facit fertiles & fœcundas: vt ita oſtendat à ſua prouidentia opes & inopiam, ſterilitatem & fœcunditatem manare, & doceat non ſuperbiendum eſſe donis à Deo datis: & econtra non abiiciendos eſſe animos, quando premimur inopia. Homines Epicurei exiſtimant caſu ſeu neceſſitate naturæ terram quotannis fieri fœcũdam. Quemadmodũ Cyclops apud Euripidem ait ad Vlyſſem: ἡ γῆ δ᾽ ἀνάγκῃ, κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ, τίκτουσα ποίαν, τἀμὰ πιαίνει βοτά. Alij Cereri, Baccho, S. Vrbano, &c. felicitatem agrorum & vinearum adſcribũt. Huic Cyclopicæ opinioni opponendus eſt hic Pſalmus, qui docet cauſam fœcunditatis agrorum eſſe benedictionem diuinam, & ecõtra propter peccata hominum, vt Malachias inquit, terram percuti anathemate.

Ponit flumina] Per flumina συνεκδοχικῶς intelligit terram irriguam, atque inde frugiferam. Maior enim ſemper eſt fertilitas agrorum in locis humilioribus & irriguis, quàm in altioribus. Ita Ægyptus maximè commendatur à fertilitate, quòd tota ſit irrigua. Ita tractus ille, in quo fuerunt Sodoma & Gomorrha, fuit & fertiliſſimus & amœniſſimus, quia per illam conuallem decurrebat Iordanis, qui terram irrigabat & fœcundam reddebat. Terras igitur irriguas & fœcundas ponit in ſolitudinem ſeu deſertum, id eſt, vt mox ſeſe explicat, exiccatis vel auerſis fluminibus efficit, vt terra exareſcat & fiat ſterilis. Sicut hodie multa loca Aſiæ & Græciæ, quorum magna olim fuit vbertas, nunc redacta ſunt in ſolitudinem, vt nulli ibi agri colantur, & nihil ad vſum hominum proueniat: hoc enim nominat deſertum locum, qui ſcilicet non colitur ab hominibus.

Exitus aquarum] Repetit idem membrum, & vt fluuios, ita exitus aquarum ſeu ſcaturigines pro regionibus irriguis ponit.

In ſitim] Id eſt, in terram aridam & ſterilem, vbi nulla ſit humoris copia.

Terram fructiferam in ſalſuginem] Hic verſus ἐξήγησις eſt prioris. Exiccationem enim fluuiorum & fontium ſequitur ſterilitas, quam hîc, item Ierem. 17. μεταφορικῶς nominat ſalſuginem: quia ſale nihil eſt ſterilius. Ideo cùm locum aliquem vaſtare & in ſolitudinem redigere volebant veteres, ſolebant eum ſale conſpergere, vt legitur Iud. 9. cap. de Abimelech; & Deuter. 29. commemoratur inter Dei execrationes, ſi terra, quæ fertilis fuerat, in ſalſuginem conuertatur. Vt veriſimile ſit, prophetam & ad hunc morem alludere, & de comminationibus diuinis lectorem commonefacere voluiſſe. Et fortaſſis illa ipſa hiſtoria præludium quoddam fuit eius vaſtitatis & ſterilitatis totius terræ Canaan, quæ ſecuta eſt diſperſionem gentis. Quanta enim fuerit ſterilitas eius regionis, oſtendit hiſtoria Iſaac, Gen. 26. Nunc verò quanta ſit ſterilitas, teſtantur hi qui illa loca adierunt.

Propter malitiam] Hic cauſam illius mutationis ſubiicit, ne, quod profani homines ſolent, exiſtimemus caſu aut temere iſta fieri. Terram igitur inquit, puniri propter ſcelera hominum, vt ipſa vigorem omnem amittat, nec amplius homines ſceleratos paſcat.

35 Ponit deſertum in ſtagnum aquarum: & terram ſolitudinis in exitus aquarum.

Sicut propter peccata hominum ſæpe inducit Deus ſterilitatem, non quidem vnius atque alterius anni, ſed durabilem, quæ totas terras inhabitabiles reddit, & gentes vaſtet: ita è regione, cùm benedicere vult genti alicui, eámque multiplicare & locupletare, terras ſqualidas & incultas reddit fœcundas, vt deinceps magna ibi copia frugum, & omnes res neceſſariæ ad victum proueniant. Hæc mutatio priori oppoſita melius illuſtrat Dei potentiam & prouidentiam. Nam vbi aliquid ex priſtina fœcunditate decedit agris, tanta eſt hominum malitia & profanitas, vt, quemadmodum eſt apud Columellam, dicant vbertatẽ nimia prioris æui defatigatum & effœtum ſolum nequire priſtina benignitate præbere mortalibus alimẽta, non aliter quàm mulier frequenti partu effœta redditur. Sed cùm loca, quæ antea arida & inculta iacuerunt, redduntur fœcunda, id non niſi bonitati & prouidentiæ diuinæ adſcribi poteſt. Naturam enim rerum mutare in melius, nemo niſi Deus poteſt. Hoc igitur vult cum dicit, loca deſerta & inculta conuerti in ſtagna aquarum, hoc eſt, terras aridas & ſitientes, atque ideo infrugiferas & ſteriles, reddi irriguas, deductis eò fluuiis, &c. vt deinceps iam incipiant coli & magna frequentia habitari.

36 Et facit illic habitare famelicos: qui conſtituunt [*firmant, parant*] vrbem habitationis.

Vbi fama increbuit locum ſeu terram eſſe repertam, quæ habitari commodè & coli poſſit, eò confluunt homines famelici & exhauſti, quos vel penuria cogit nouum hoſpitium quærere, vel qui patria extorres oberrant & vagantur in exilio, nec ſedem reperire hactenus potuerunt. Id autem totum conſilio & bonitati diuinæ tribuitur. Non enim tam ipſi eligunt illas ſedes, quàm diuinitus ibi collocantur, vt vndique prouidentiæ diuinæ teſtimonium in hac re conſpiciatur. Deus enim eſt qui condit & collocat populos, & conſtituit reſpubl. nec caſu aut temere confluere homines exiſtimandum eſt.

37 Et ſerunt agros,& plantant vineas:& faciunt fructum prouentus.

Fructum prouentus nominat, qui ex cultura agrorũ quotannis prouenit:neque enim de vnius anni fertilitate loquitur. Alij ſubaudiunt copulam, fructum & prouentum: quod eodem redit.

Hic verſus deſcribit ſtudia & operas eorum, qui ad locum inhabitandum conueniunt. Et hæ fuerunt operæ atque occupationes primæ ætatis mundi, ſerere agros, plantare vineas, facere fructus prouentus: à qua conſuetudine quantum hæc ætas magna ex parte degenerarit,eſt in cõſpectu. Nunc enim operæ illæ ruſticæ ad abiectiſſimos homines relegantur: cùm olim honeſtiſſimi quique operam darent agriculturæ, non tantùm vtilitatis cauſa,ſed honeſtatis quoque nomine.Nam, vt de ſanctis patribus nihil dicam, quos conſtat fuiſſe agricolas,vt de Iſaac legitur Gen.26. conſtat apud Romanos, Conſules,Dictatores,Senatores,ſæpe ex agris vocatos eſſe ad ſummos honores in repub.capiendos.

38 Et benedicit eis,& multiplicantur valde: & iumenta ipſorum non minuit.

Sobolis multiplicatio eſt ex benedictione Dei, &c. quæ, vt cætera corporalia bona,tam bonis quàm malis confertur.

39 Poſtea minuuntur & deiiciuntur [*humiliantur,curuantur*] præ anguſtia,malo & labore.

Multæ & crebræ vices ſunt rerum humanarum. Sæpe magnæ gentes, quarum virtus & potentia fuerat antea formidabilis omnibus, ſubitò euertuntur & diſſipantur bellis inteſtinis, ſeditionibus, peſte, aut aliis incommodis attritæ. Rurſus verò populi obſcuri & ignobiles incipiunt emergere, creſcunt viribus, potentia, occupant regna, & longè lateque conſtituunt imperia: cuius rei exemplis tota mundi hiſtoria eſt plena. Has vices rerum humanarum profani homines vel tribuunt fortunæ,vel adſcribunt ſapientiæ humanæ: ſed propheta docet, vt cætera omnia, de quibus hactenus concionatus eſt, ita hanc quoque mutationem Rerumpub. & gentium diminutionem pendere à ſingulari Dei prouidentia. Sicut enim terras ipſas ſæpe mutat, fœcundam reddens ſterilem, & ſterilem fœcundam:ita eaſdem mutationes in rebus humanis efficit, alias gentes deiicit, alias erigit, & roborat. Hæc doctrina nota eſſe piis debet, vt in tantis miſeriis & crebris mutationibus generis humani ſtatuamus, res humanas omnes regi prouidentia diuina, & eccleſiã inter has ipſas mutationes mirabiliter conſeruari & gubernari. Hæc ſumma eſt huius narrationis. Homines, inquit, quorum aliquandiu magna fuerat potentia,magna dignitas,magnum robur,cùm propter multitudinem, tum propter ſapiẽtiam, rurſus minui & deiici de ſuo gradu:quia redigũtur in anguſtias, calamitates & miſerias,hoc eſt,quia vel bellis vexantur & opprimũntur, vt obſeſſi redigantur in ſummas anguſtias, & belli cladibus pereant, vel peſte & aliis malis affliguntur,vt paulatim attritæ & conſumptæ deficiant & pereant. Tribus enim vocabulis יגון רעה עצר publicas calamitates omnes comprehendit, quæ totas gentes attenuant & conficiunt.

40 Effundit contemptum in principes:& errare facit eos in vaſtitate,vbi non eſt via [*ad verbum, in inanitate ſine via.*]

Quod antea in genere dixerat, nunc quaſi propoſito exẽplo in ſpecie oſtendit. Loquitur enim de tali caſu,qui maximè in oculos hominum incurrit, & præ cæteris eſt notabilis. Videmus enim non rarò ſummos principes, quorum maxima fuerat potentia, ex ſummo faſtigio honorum, dignitatis & potentiæ deiici, & in ſummas calamitates deuenire,vt tandem inſtar mendicorum in exiliis oberrent, vel animi dolore ipſi ſeſe abdant in ſolitudines, & hominum conſortia vitent, vt de Bellerophonte ſcribitur. Hæ calamitates cùm ſint magis inſignes in illuſtribus viris, & magis percellant animos hominũ, ideo hæc exempla conſideranda proponit, vt prouidentiam & iudicium Dei in his agnoſcere & admirari,& horum exemplorum conſideratione animos ad pietatem & virtutem flectere diſcamus. Modum autem deiectionis oſtendit,cùm inquit, Effundere Deum *contemptum ſuper principes*. Exiſtimant reges & principes,ſi habeant firmos exercitus, & inſtructi ſint opibus ſeu neruis rerum gerendarum, ſatis habere ſe præſidij ad tutanda ſua.Sicut Dionyſius ſenior, cùm congeſſiſſet magnos aceruos auri & argenti,dicebat, hæc eſſe adamantina vincula regni. Sed reuera,ſicut ex hoc loco & aliis ſcripturæ teſtimoniis apparet, dignitas illa & reuerentia, atque autoritas, quam Deus conciliat regibus & principibus, eſt præcipuum regum munimentum & præſidium. Hæc enim & ſubditos retinet in officio, & exteris quaſi frenum iniicit, ne quid temere tentent aut moliantur.De hac re concionatur Daniel.c.2. Terrorem tui, ô Rex, Deus poſuit in ipſis auibus cæli & beſtiis terræ.

Deus autem cùm punire & euertere vult reges, *effundit* in eos *contemptum*,hoc eſt,ſpoliat eos ſua dignitate,& reddit eos contemptibiles. Ita fit, vt facti ludibria hominum, tandem etiam exuãtur ſua potentia & viribus,& ſimul cum dignitate amittant regna & opes,quas poſſederant,& quibus tantopere ſuperbierant.

Errare facit eos in vaſtitate] Hoc dupliciter intelligi poteſt. Primùm enim ad animam referri poteſt, vt error in conſiliis ſignificetur.Sicut enim gubernatio felix eſt,vbi recta ſunt cõſilia,& euentus reſpondent conſiliis:ita econtra errores in cõſiliis attrahunt varia incommoda,quibus tandem ita ſe inuoluunt principes,vt cùm expedire ſe nequeant,vltrò in calamitates ſe præcipitent. Vt error in conſiliis præcipua peſtis regnorum dici poſſit.Ideo principibus perpetuò in ore & in votis debebat eſſe hic verſus: συμβουλὴν ἀγαθὴν καὶ ἀφορμὴν εὐτυχίαν τε συμβουλεύεται ἐμοὶ θεὸς πατρὸς ἀϊδίου.

Deinde & ad calamitates exilij accommodari poteſt, quæ multò acerbiores ſunt in illuſtribus viris, qui cum dignitate aliquando vixerunt, quàm in plebeiis hominibus.Ideo videmus nonnullos ita impatienter tuliſſe exilij ærumnas,vt mortem ſibi conſciuerint.

41 Et erigit egenum ex afflictione: & ponit inſtar gregis familias.

Antitheſis eſt ſuperioris verſus. Sicut enim principes deiicit ex ſummo faſtigio,ita econtra homines abiectos & ignobiles, aut bellis attritos, ſæpe extollit & euehit ad ſummos honores,dignitates,& potentiam,augétque ipſorum familias & opes. Neque illa adſcribenda ſunt S. Georgio, non Marti aut Palladi. Atque hoc eſt quod Maria celebrat in ſuo cantico,Luc.1. Depoſuit potentes de ſede,& exaltauit humiles. Et nos his exemplis commonefacti, agnoſcere & vereri Dei iudicium debemus,vt nos,ſecundùm Iacobi dictum, ſub manu Dei humiliemus,nec efferamus nos donis noſtris,aut viribus, ſi quas alicui Deus attribuit. Qui enim ſe exaltat,humiliabitur.Luc.14.

Statuit inſtar gregis familias] Id eſt,efficit vt familia fiat numeroſa,& ſubito creſcens exeat in plures familias.

42 Videant recti & lætentur:& omnis iniquitas obſtruat[*colligat, & contrahat*]os ſuum.

Epiphonema eſt, quo concludit pſalmum cum exhortatione. Cùm enim in his omnibus, quæ hactenus commemorata ſunt,illuſtria extent documenta prouidentiæ diuinæ, primùm iubet omnes bonos & rectos, his exemplis commonefactos, non deſperare in ærumnis:ſed lætari, quòd Deum habeant ſuæ vitæ & ſalutis autorem ac gubernatorem, hácque cogitatione & fide vincere omnes ærumnas & pericula, quibus genus humanum eſt obnoxium,& Deo gratias agere, cui ſciant ſe eſſe curæ. Non enim illæ ærumnæ immittuntur diuinitus, vt genus humanum his deſtruatur, atque in nihilum redigatur: ſed vt ſint παιδευτικά & δοκιμαστικά, quæ nos commonefaciant de pœnitentia, & ad fidem atque inuocationem vnumquenque exſuſcitent.

Deinde inuehitur in homines impios & profanos, qui quanquam quotidie variis & illuſtribus teſtimoniis conuincuntur, vt negare prouidentiam diuinam non poſſint: audent tamen in cruce & calamitatibus obſtrepere Deo, atque aduerſus eum, tanquam iniuſtum iudicem & tyrannum, fremere. Hos igitur in quotidiana vita intuentes tot exempla & teſtimonia prouidentiæ diuinæ,quæ ſe paſſim offerunt,iubet os claudere, & ſe continere, ne blaſphemo ore conſilia Dei in aſſidua conſeruatione & gubernatione rerum humanarum,vel rideant, vel reprehendant. Doctrina igitur huius membri hæc eſt,Omnis iniquitas cõtrahat os ſuum, id eſt,ita liberentur pij,Dei beneficio & potentia ac miſericordia,vt iniqui obmuteſcere cogantur.Alij ſimpliciter in futuro legũt fore ſcilicet, vt etiam impij, conuicti tandem multiplicibus teſtimoniis & exemplis,deſinant Deum blaſphemare, negãdo ipſius prouidentiam. Sed altera ſententia eſt plenior: & huic rectè ſubiicitur querela in ſequenti verſu.

43 Quis ſapiens vt obſeruet hæc: vt intelligant bonitates Iehouæ.

Sapientes ſoli ſunt, qui habent verbum Dei: atque hi agnoſcunt beneficia diuina. Alij cuiuis potiùs quàm Deo illa adſcribunt.

Non tãtùm exhortatio eſt in hoc verſu, vt omnia teſtimonia prouidentiæ diuinæ diligenter ab omnibus colligantur & obſeruentur,atque vt efficacior ſit adhortatio, ſapientiæ nomine hoc ſtudium commendatur:ſed etiam triſtis eſt querela, vt antea in argumento monui, de profanitate maximæ multitudinis hominũ, quæ ſecura, ſibíque indulgens, nunquã intue-

intuetur aut conſiderat illa pulcherrima teſtimonia, quę nos docent & erudiunt de Dei prouidentia, de ipſius amore & cura quam gerit pro genere humano: quaſi dicat, quotus quiſque eſt, qui ita ſpectet aut conſideret hæc opera Dei vt debebat? Itaque ſicut ſapientiæ peculiaris & prorſus diuinæ eſſe dicit, non aſpernari illa teſtimonia, atque his ad timorem Dei, ad pietatem, ad fidem, & inuocationem excitari: ita & ſtuporis, & ſtultitiæ extremæ eſt, ad hæc cæcutire, & nunquam animum ad harum rerum cognitionem exuſcitare.

Obſeruare] Significat non tantùm oculis intueri illa teſtimonia, ſed animum ad hanc conſiderationem ita exuſcitare, vt melior inde euadat, hoc eſt, vt pietas in eo alatur & confirmetur, & ad aſſiduam inuocationem aſſueſcat. Intuentur hæc teſtimonia etiam homines profani, & quidem conuicti rei euidentia fatentur nonnunquam, eſſe aliquod numen, à quo omnia gubernentur: ſed non ita obſeruant, vt conſideratione harum rerum in pietatis ſtudio proficiant, & in Dei erga ſe bonitate acquieſcant. Hoc igitur monemur verbo obſeruandi. Subiicit enim, ita obſeruanda eſſe hęc, vt intelligantur bonitates Dei, quæ ſcilicet in his teſtimoniis, erga egenos, inopes & exules elucent. Atque hic eſſe vſus hiſtoriarũ debet.

Intelligant] Verbum eſt pluralis numeri: quia particula *quis* eſt diſtributiua.

PSALMI CVII.

PARTES.

I. Exordium, v.1. ſeu propoſitio hortatoria ad celebrandum Deum bonum & perpetua benignitate ſuos excipientem: quemadmodum ex ſequentibus narrationibus abundè conſtat.

II. Deſcriptio argumentorum laudis diuinæ, quinque narrationibus conſtans: quas Amœbei verſus ferè terminant, à v.2. ad 42.

Prima Narratio eſt de vagis, & in regione cum ſummo vitæ diſcrimine peregrinantibus, atque clementer à Deo conſeruatis, v.1. &c. ad 10. vſque.

Altera, de captiuis, quos aliena vincula conſtringuunt, vt ſuorum peccatorum pœnæ inflictæ à Deo, à v.10. ad 17.

Tertia, de iis qui decumbunt grauiſſimè propter peccata ſua, à v.17. ad 23.

Quarta, de nautis, vectoribus, & omnibus per mare negotiantibus, à v.23. ad 33.

Quinta, de agrorum & perſonarum mutationibus effectis à Deo, ſubiectis ad ſingula, illuſtribus antithetibus, à v.33. ad 42.

Singulis autem narrationibus hortatio additur, vt redempti Iehouæ doctrinam vniuerſalem de beneficentia Dei profiteantur, ab hypotheſi vel ſingulari exemplo & experientia ſua.

III. Concluſio Pſalmi, cuius partes ſunt duæ. 1. De officio omnium, quibus cernenda proponuntur opera Dei magnifica: tum bonorum, vt iis recreentur: tum improborum, vt illis confundantur & obſtupeſcant, v. 42. 2. Breuis expoſtulatio, de ſtupore & oſcitantia omnium hominum vel ſapientiſſimorum, qui in tot, tantis, & tam frequentibus miraculis, documentíſque bonitatis & benignitatis Dei cæcutire dicuntur, v. 43.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Hic Pſalmus vniuerſalem & particularem Dei prouidentiam aſſerit aduerſus impios qui Deum vel tollunt penitus, vel à mundi gubernatione ſummouent: vt Epicurei: vel vniuerſaliter tantũ res à ſe conditas curare cenſent, vt Peripatetici: vel cauſis ſecundis alligant, vt Stoici: tum aduerſus ſuperſtitioſos, confitentes quidem quod res eſt, ſed quod vnius Dei Opt. Max. eſt, fictitiis ſuis numinibus attribuentes. His corruptelis autem opponitur operum Dei iuſta conſideratio: quæ pios ſummam in iis ſapientiam tum æquitatẽ agnoſcere ac prædicare docet.

1 *Prouidentia illa diuina quæ in mundi gubernatione fit conſpicua, bonitatem & clementiam immenſam Domini nos celebrare iubet, quippe quæ in ea adminiſtratione euidenter occurrant.*

2.3.4.5.6.7.8.9 *Narratio de peculiari prouidentia Dei erga peregrinantes varij generis, quorum errores non temerario fortunæ impetu pelluntur, ſed Dei ſapientia gubernantur.*

Innumeris caſib. obnoxij ſunt peregrinantes: ſed à Deo reſpiciũtur, qui dũ opus eſt, fert auxiliũ, & per tot diſcrimina rerũ vagos homines deducit, & laborãtibus opem fert, iis præcipuè qui ad eum vota ſua dirigunt.

Etſi multi viatores per deſerta inuia, nemora & agros miſerè intereunt, & totidem iudicij ſui ſpectacula tunc Deus proponat, tamẽ vt aliquam humani generis partem ſaluam conſeruet, ex immenſis periculis ereptis non paucis, miſericordiam ſuam abundè teſtatur.

Non vi aut induſtria ſua homines ex viarum periculis euadũt incolumes, ſed Dei manu reducuntur in viam, vt commodum hoſpitium inueniant. Dei enim ſolius eſt tum corporis tum animi noſtri greſſus dirigere.

Qui in anguſtiis conſtituti Deum inuocant, certum & mirãdum experientur eius auxilium.

Deus homines ex anguſtiis eripiens, nouis beneficiis exhilarat, vt nouam & cumulatiorem nominis ſui laudem eis ſuppeditet.

In huiuſmodi beneficiis magis conſpicua eſt Dei gratia quam vt latere debeat: & dum tacent qui liberati ſunt, perfido ſilentio Dei miracula ſuffocant.

10.11.12.13.14.15.16. *Altera narratio de peculiari prouidentia erga captiuos: quorum calamitas & miſeria depingitur, deinde eiuſdẽ cauſa, ſcilicet verbi Dei contemptus. Vnde conſtat libertate non poſſe diu frui homines, niſi conſilia excelſi reuerenter ſuſpiciant.*

Spiritus triſtis exſiccat oſſa: & afflictorum ea eſt miſeria vt ab omnibus deſerantur, nec ſolatium alibi præterquã in nominis diuini inuocatione reperiant.

Vexatio dat intellectum, & παθήματα ſunt μαθήματα. Sed prorſus inſaniunt qui vero Deo relicto confugiunt ad idola & numina quæ ſibiipſis finxerunt.

Dei liberationes non ſunt incertæ aut imperfectæ: ſed magnificæ, conſpicuæ, & quæ immenſam liberantis potentiam & clementiam teſtentur: vt ſonora voce laudes eius à liberatis celebrentur.

17.18.19.20.21.22 *Tertia narratio de peculiari prouidentia erga ægrotantes. Cauſæ morborum, peccata: & tranſgreſſores ac iniqui verè ſtulti cenſendi ſunt: quum ſapientiæ initium ſit timor Domini.*

Effectus morborũ, eſcæ abominatio, vt beneficiis Dei meritò priuentur in ærumnis, qui dum erant incolumes, ſanitate ſua abuſi ſunt, & benefactorem non vt par erat coluerunt.

Alter effectus, ad ſepulchrum iter & acceſſus, vnde induſtria humana neminem poteſt eripere.

Dei inuocatio morborũ eſt ſalutaris medicina. Nutu ſuo quos vult omnipotẽs Domin⁹ liberat & priſtinæ ſanitati reſtituit, ſeu vires mediis externis inſtillet, ſeu arcana quadã vi bonitatem ſuam exerat:

Sanitati reſtitutorũ munus eſt, Dei liberatoris miſericordiã ſincero corde celebrare, virtutẽ eius prædicare, laudis ſacrificia offerre, & læto corde tot accepta beneficia prædicare. Vt igitur deteſtãdi ſũt impij qui in morbis ad idola aut veneficos, ſagas, impoſtores, maleficos, atq; illicita remedia (Deo derelicto) cõfugiunt: ita meritò dãnantur hypocritæ ſuperſtitioſi & athei, qui morbis liberati, ſuis meritis, aut idolis, aut vanitati ſacrificant.

23.24.25.26.27.28.29.30.31.32. *Quarta narratio de peculiari prouidentia erga nautas & per mare negotiantes.*

Vbique apparent Dei opera & mirabilia, præcipuè verò in mari, ſiue immenſam eius voraginem, ſiue tumultus, viciſſitudines & ſumma nauigationum diſcrimina reſpicias.

Pericula nauigationum horrenda ſunt: ita vt à mortuis parũ differre videantur.

Nullum tam imminens & grande periculum, ex quo non facile ſit Deo quos vult eripere: præcipuè autem eos qui eius opem ſupplices implorant.

Deus eſt (vtpote omnium rerum conditor & dominus) qui maris fluctus, quantumuis tumentes, compeſcere nouit.

Quo grauius fuit periculũ, eo lætior eſt liberatio, & alacrior etiam diuinæ clementiæ celebratio eſſe debet. Sed non idolis votiuæ tabulæ ſunt affigendæ, vt ſuperſtitioſorũ mos eſt. Omnipotẽs & Optimus Ie-

boua laudandus, & coram populis & magnatibus extollendus eſt.

33.34.35.36.37.38.39.40.41 Quinta narratio de peculiari prouidentia Dei circa mutationes quas fortunæ cæcæ ignorantia adſcribit. Eæ autem partim regiones, partim perſonas ipſas reſpiciunt.

Regiones irriguas in ſolitudinem iuſtus mundi iudex redigit, idq; varijs rationibus, vt bella, peſtes, fames & aliæ clades ac populorum migrationes teſtantur. Contrà ſolitudines cultas & habitabiles reddit, vt omnium temporum ac multorum populorum hiſtoria luculenter teſtatur.

Propter peccata populorum maledictio Dei in terram ab initio effuſa renouatur, & ſpeciali quodam ſupplicio fit vt variæ mundi plagæ priùs admodum fertiles prorſus ſteriles reddãtur, teſte Iudæa, Græcia, & aliis orbis partibus.

Migrationes populorum, coloniæ, & priuatorum mutatæ ſedes nõ temerario fortunæ impetu, ſed Dei arcano motu reguntur.

Agrorum prouentus, pax publica, ſobolis multiplicatio, ſũt diuinæ benedictionis teſtimonia. Huius autem maledictioni referenda ſterilitas, bellum, hominum diminutio, luctus, dolor, ægritudo.

Vani ſunt principes qui cælũ ipsũ petunt ſtultitia, & ambitione ac fiducia ſuarũ viarum elati, cùm ipſa morte ſe fœdus pepigiſſe sõniant. Dominator. n. dominantiũ elatiores facilè de ſolio deijcit, & exponit ludibrio, vel eorũ cõſilia euertit & infatuat, vel conterit & diſiicit: ad sũmas dignitates euectis ijs qui paulò antè penitus oppreſſi videbantur. Vide Canticum Annæ & Mariæ virginis: 1. Sam. 2. & Luc. 1. Item omnium ſeculorum (noſtri præcipuè) hiſtoriam.

42.43 Pij homines oculis à Sancto Spiritu donantur vt magnifica Dei opera videant cum ingenti lætitia. Impij autem confundũtur & obſtupeſcunt. Vide Pſal. 92. Iſai. 26.

Vt ſapiẽtes cenſendi ſunt qui Dei prouidentiã diligenter obſeruant & reuerenter, atq; adeo bonum & clementem Dominum celebrãt: ita deteſtanda eſt profanorũ oſcitantia qui in tot, tantis, & tã frequentibus miraculis documentiſq; benignitatis diuinæ cæcutiunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Speciali prouidentia Dei erga humanum genus, præcipuè erga peregrinantes, captiuos, ægrotantes, per mare velificantes ſeu negotiantes, regionum & perſonarum mutationes.
2. De officio eorum quos Deus ex variis periculis redemit.
3. Piorum & impiorum ante ærumnas, in ærumnis, & poſt ærumnas diſcrimen.
4. De inuocationis diuinæ efficacia.
5. Malorum omnium antidotum, auxilij diuini imploratio ſupplex.
6. Omnipotentia, ſapientia, clementia Dei in calamitoſis liberandis variè elucet.
7. Rerum humanarum miræ viciſſitudines aliter à piis, aliter ab impiis conſiderantur.
8. Periculorum, quibus ſubiicimur, tota vita, hypotypoſes elegantiſſimæ.
9. Exaltatio & humiliatio à Deo iuſto, clemente, ſapiente.
10. Piorum Dei iudicia & miſericordias intuentium beata ſors: impiorum ad miraculorum lucem cæcitate percuſſorum miſeria.

ARGVMENTVM PSALMI CVIII.

PSALMVS eſt partim Euchariſticus, partim vota & preces habet ardentiſſimas, pro regno Chriſti, quod per totum orbem terrarum propagari, & hoc modo æternam Deo colligi eccleſiam petit. Occaſio autem ſcribendi huius Pſalmi, ex crebris victorijs Dauidis, & incrementis regni eius ſumpta eſt. Cùm enim poſt longi temporis anguſtias, pericula varia & calamitates, videret populum Iudaicum ſub ſui regni auſpicijs paulatim reſpirare, & regnum nõ tantùm priſtino ſuo ſplendori & potentiæ reſtitui, verùm etiam incrementa capere luculenta, debellatis & ſubiectis vicinis gentibus, quæ perpetuis bellis populum Iſraeliticum hactenus infeſtauerãt: his ſucceſſibus ita exhilaratur & exultat, vt animum, ab hoc corporali regno abductum, ad ſpirituale illud Chriſti conuertat, eiúſque incrementa & propagationem conſiderans, totum ſe in lætitiam & gratiarum actionem effundat: ſciebat enim ſe typũ gerere Chriſti, & regnum hoc politicum ſeu vmbratile diuinitus inſtitutum eſſe, vt in hoc gloria illius ſpiritualis & cœleſtis regni quodammodo præfiguraretur. Itaque ſicut tunc lætiſſima videbat auſpicia ſui regni, cùm hoſtibus vicinis deuictis, regnum ſuum amplificaret, & fines longè latéque extenderet: ita futurum videbat, vt Chriſtus non multò poſt victor mortis & diaboli de omnibus ſuis hoſtibus triumpharet, & regno ſuo per totum orbem terrarum propagato numeroſum Deo colligeret populum, à quo æternùm agnoſceretur & celebraretur. De hac igitur re magis lætatur, quàm de ſuis victoriis: ideóque tanto ſtudio & conatu ad teſtandam animi ſui gratitudinem initio Pſalmi ſe exuſcitat, & ſimul preces admiſcet, vt opus illud, toti terrarum orbi ſalutare, iuxta promiſſionem perficiatur. Interea tamen ſuas quoque victorias celebrat, quas agnoſcit diuinitus ſibi datas eſſe, & quidem hac ipſam ob cauſam, vt eſſent præludia quædam illius glorioſiſſimi triumphi, quem Chriſtus de hoſtibus ſuis ac totius generis humani deuictis reportaturus eſſet. Et quia curſum illarum ſuarum victoriarum facilè interrumpi poſſe videbat, niſi Deus aſſiduè tanquam dux pro ſuo populo pugnaret, eique prælianti opem ferret (nulla enim potentia humana tanta eſt, quæ non leui momento corruat & euertatur, ſi Deus manum ſuam ſubtrahat, & quemadmodum hîc dicitur, vana eſt ſalus hominum) ideo petit in fine, vt Deus aſſiduè adſit ſuo populo, eique in neceſſitatibus conſtituto, aut prælianti, opem ferat: ne victoriæ illæ illuſtres, in quibus præſentiam Dei conſpexerant, triſti aliquo euentu aut clade corrumpantur. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Cæterum verba partim ex Pſalmo quinquageſimo ſeptimo, partim ex ſexageſimo ſunt deſumpta. Vnde ea, quæ ad explicationem phraſium & ſententiarum pertinent, petantur.

Canticum Pſalmi Dauidis.

2 COnfirmatum eſt cor meum Deus: cantabo & pſallam etiam gloria mea.

3 Excitare nablum & cithara: excitabor diluculo.

4 Celebrabo te inter populos Iehoua: & pſallam tibi inter plebes.

5 Quia magna ſuper cælos bonitas tua: & vſque ad nubes veritas tua.

6 Exaltare ſupra cælos Deus: & ſupra omnem terram gloria tua.

7 Vt eripiantur dilecti tui: ſerua dextera ua & exaudi me.

8 Deus locutus eſt in ſanctuario ſuo, exultabo: diuidam Sichem: & vallem Succhot dimetiar.

9 Meus eſt Gilead, & meus eſt Manaſſe: & Ephraim robur capitis mei: Iuda legiſlator meus.

10 Moab olla lotionis meæ: ſuper Deum proiiciam calceamentum meum, ſuper Palæſtinam iubilabo.

11 Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me ad Edom?

12 Nonne Deus [*qui*] repuleras nos: & non egrediebaris Deus in exercitibus noſtris?

13 Adfer nobis auxilium à tribulatione [*anguſtia*:] quia vana eſt ſalus hominis.

14 In Deo faciemus virtutem [*ſtrenuè & feliciter*

citer præliabimur:] & ipſe conculcabit aduerſarios [hoſtes] noſtros.

Confirmatum eſt cor meum] Orditur ſtatim à gratiarũ actione. Vtque teſtificatio de animi gratitudine ſit illuſtrior, non cor tantùm, ſed linguam quoque, & inſtrumenta omnia muſica, quaſi exuſcitat ad ſonandas laudes diuinas. Agnoſcit enim beneficia diuina tanta eſſe, vt nulla lingua, nulla vox, ea ſatis celebrare queat: ideo totam rerum creaturam erumpere in laudes diuinas cupit.

Confirmatum] Id eſt, quanquam initio inter varia pericula & clades, ſub regno Saulis acceptas, cùm videreris nos repuliſſe, nec egredi cum exercitibus noſtris, vehementer trepidabam, & penè de ſalute huius populi deſperabam: tamen nunc iterum confirmor, cùm video Deum nobis adeſſe præſentem, & ſtatuo ſtolidam & firmam felicitatem in te nobis paratam eſſe.

4 Verſu quarto oſtendit, beneficium hoc non pertinere tantùm ad populum Iudaicum, ſed etiam ad gentes. Vnde colligitur eum ita prædicare has victorias, vt animo, Chriſti victorias, quæ paulò poſt inter gentes prædicandæ erant, intueatur.

5 In quinto verſu ratio eſt à cauſa impulſiua, ſeu obiecto, quo excitatur ad gratiarum actionem. Video enim in hoc beneficio tantam elucere tuam miſericordiam & veritatem, vt ipſi cæli eam capere nequeant. Atque hîc præcipua beneficia regni Chriſti commemorantur, de quibus eſt in dicto Iohannis: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Sicut enim illis corporalibus bonis Deus Dauidi oſtendit, ſe eſſe bonum & veracem in ſeruandis promiſſis: ita iiſdem teſtatus eſt, ſe poſthac in regno Chriſti, omnem ſuam bonitatem, omnémque gloriam ita effuſurum eſſe, vt cælos ipſos magnitudine ſua ſuperatura ſint.

Exaltare] Addit precationem, vt beneficium inchoatum, & tanquam in typo iam oſtenſum perficiatur, miſſo & exhibito Meſſia: hoc enim exhibito futurum erat vt exaltaretur.

Exaltare] Id eſt, redde gloriam tuam conſpicuam, in cælo, & in terra, deuictis omnibus hoſtibus.

8 *Deus locutus eſt in ſanctitate ſua*] In ſecunda parte pſalmi in ſpecie cõmemorat ſuas victorias, quas vicinis hoſtibus oppreſſis nuper erat adeptus. Illas verò victorias omnes ita intuetur, vt intelligat his præfigurari Chriſti victorias, quas ille de ſuperato & deuicto diabolo, deſtructa morte & peccato, reportaturus erat. Suas igitur victorias ita celebrat, vt has ſimul comprehendat. Nam ſicut ille terras vicinas regno Iudaico adiecerat: ita futurum videbat, vt exhibito Chriſto, totus orbis terrarum regno ipſius ſubiiceretur.

Quoniam hic Pſalmus CVIII. partim ex LVII. partim ex LX. compoſitus eſt, Partes, Obſeruationes locorum doctrinæ, & Articuli præcipui ex ijs repetantur. Summam paucis indicamus. Conſtat Pſalmus, 1. Exordio *votiuo, quo ſpondet Pſaltes ſe celebraturum Deum, à v.* 2. *ad* 6. *vſque.* 2. Petitione, *verſ.* 6. *&* 7. 3. Confirmatione *à promiſſionibus Dei, à verſ.* 8. *ad* 11. *vſque.* 4. *Concluſione petitoria, verſ.* 11. 12. 13. *&* 14.

ARGVMENTVM PSALMI CIX.

SCRIPTVS eſt hic Pſalmus à Dauide, cùm in aula regis Saulis degens, ab hypocritis & aſſentatoribus regijs, Doego Idumeo, & ſimilibus, crudeliſſimè oppugnaretur. Quanto enim in periculo tunc fuerit Dauid, quantam odiorum acerbitatem expertus ſit, quàm varijs item fraudibus & dolis vita eius expoſita fuerit, oſtendit hiſtoria ſacra, 1. *Samuel.* 18. *& ſeq. capitibus. Primùm igitur in exordio Pſalmi, poſt petitionem auxilij & liberationis, longam & acerbam querelam texit de odijs, crudelitate, fraudibus, dolis, & malitia ſuorum hoſtium, vt hac commemoratione Deum ad opem ferendam faciliùs impellat. Mox autem & conſcientiæ ſuæ integritate fultus, & hoſtium perfidia commotus, addit imprecationes grauiſſimas, quibus hoſtes ſuos perpetuo exitio & triſtiſſimis pœnis deuouet. Eſtque hæc imprecatio diuinæ vltionis, & execratio, ita terribili oratione expoſita, vt nullum penè in ſacra Scriptura extet ſimile exemplum: & ferreos eſſe oporteat, qui his verborum fulminibus non mouentur, vt odium aduerſus eccleſiam Dei & pios homines deponant. Imprecationi ſubijcit iterum petitionem auxilij & liberationis, cui rationes ſubiungit, ſumptas partim à perſona Dei, eiúſque natura, partim à ſuis miſeriis, ſeu à neceſſitate, partim etiam à cauſa finali, vt poſtea dicetur. Vtque, quod petit, faciliùs impetret, gratitudinem perpetuam in fine pollicetur.*

Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Non dubium eſt autem, Dauidem in cogitatione ſuorum periculorum & ærumnarum, reſpexiſſe ad Chriſtum, cuius perſonam ſe ſuſtinere & typum gerere ſciebat. Nam hæc cogitatio, quòd in ſua perſona quodammodo adumbrari futuras ærumnas & paſſiones Meſſiæ intelligebat, omnem illi dolorem leniebat, & ad pericula ſuſtinenda animoſiorem reddebat: vt ſuprà quoque in aliquot Pſalmis vidimus. Ideo de crudelitate & perfidia non tantùm ſuorum hoſtium, quos Saul ſecum habebat, ſed multò magis de hoſtibus & proditoribus Chriſti cogitans, & magnitudinem impietatis & ſcelerum gentis Iudaicæ, in interficiendo Chriſto, & perfidiam Iudæ proditoris perpendens, tanta orationis vehementia vtitur in imprecatione pœnarum, non iræ ſuæ aut cupiditati vindictæ indulgens, ſed Spiritus ſancti inſtinctu, ad tantam ſceleris magnitudinem totus cohorreſcens, & iuſto Dei *iudicio tolli è medio hoſtes Filij Dei optans. Cùm autem neceſſe ſit, nos, qui membra Chriſti ſumus, conformes fieri imaginis Filij Dei, ideo, quæ de odio, crudelitate, fraudibus & perfidia Iudæorum aduerſus Chriſtum hîc dicuntur, ita ad vſum transferamus, vt cogitemus, eccleſiam, atque adeo vnumquemque noſtrum, ſemper habere ſimiles hoſtes, à quibus prematur & oppugnetur. Sed vt Dauid & Chriſtus in ſuis ærumnis ad Deum confugiunt: ita nos in calamitatibus & perſecutionibus, non aliunde, quàm à Deo opem eſſe petendam & expectandam ſciamus, & has imprecationes, à Spiritu ſancto Dauidi dictatas, certiſſima eſſe vaticinia, ſeu oracula de interitu omnium hoſtium eccleſiæ, ſtatuamus.*

AD triumphandum, Dauidis pſalmus.

De titulo dictum eſt pſalmo quarto.

1 Deus laudis meæ, ne ſileas.

Orditur pſalmum à precatione, quæ eſt principalis propoſitio pſalmi, vt iam dictum eſt. Petit enim ſe liberari ab iniuſtis odiis, & crudelibus conatibus hoſtium ſuorum. Hîc verò vnico verbo propoſitio illa exponitur. Sed infrà in fine pſalmi pluribus repetitur. Quòd autem Deum compellans, nominat eum Deum laudum ſuarum; hoc epitheto ſuam in Deum fiduciam exuſcitat, ſéque contra iniqua hoſtium ſuorum iudicia & calumnias munit & confirmat. Videbat ſe à calumniatoribus & ſycophantis iniuſtè traduci & deformari in aula regis Saulis, & præcipuos gubernatores, atque adeo ipſum regem aurem præbere calumniatoribus, atque ita omnium iudicio, tanquam ſceleratum & ſeditioſum ſe condemnari. Etſi igitur hæ calumniæ & iniuſta potentum iudicia maximum dolorem, imò & periculum creabant Dauidi, tamen hac fiducia ſe ſuſtentat, quòd ſtatuit, ſe Deum ſuæ innocentiæ habere teſtem & approbatorẽ, hánque approbationem præfert & opponit omnium hominum iniuſtis odiis & iudiciis, inquiens: *Deus laudis meæ*, vel, qui es laus mea, id eſt, qui me laudas, quíque teſtis, & præco, atque adeo vindex es meæ innocentiæ & integritatis, dum iniuſtis iudiciis guber-

natorum & populi condemnor. Hæc ad eccleſiam omnium temporum transferenda ſunt. Semper illa condemnatur iudiciis potentum: ſed habet Deum teſtem, iudicem & vindicem ſuæ integritatis.

Alij actiuè exponunt: *Deus laudis meæ*, id eſt, quem ego aſſiduè laudo & celebro, nec vnquam ita frangor calamitatibus & ærumnis, quin memoriam beneficiorum eius recolam, atque horum recordatione in laudes eius prorumpam. Sed tota oratio pſalmi oſtendit priorem ſententiam eſſe veriorem. Sequitur enim mox querela de iniuſtis & peruerſis iudiciis, & crudelibus odiis hominum, quibus hîc ex antitheſi Dei iudicium opponit, ſéque eius cogitatione aduerſus iniuſtas criminationes & condemnationes confirmat: quaſi dicat, ego quidem video me omnium hominum iudicio damnari, & haberi pro homine ſceleratiſſimo: ſed interea ad tuum iudicium prouoco, quod vt ſtio iuſtum eſſe, ita ſpero te innocentiæ meæ teſtimonium perhibiturum eſſe. Atque huc congruit, quod mox adiicit: *Ne taceas*, id eſt, non ſinas me opprimi calumniis & iniuſtis iudiciis improborum hominum, neque conniueas ad ipſorum petulantiam & malitiam: ſed ede ac profer teſtimonium innocentiæ meæ, vt omnes intelligant, quàm iniuſtè tot periculis & odiis fuerim expoſitus, & eripe me ab his calumniis. Nam ego in tuo vnius patrocinio totus acquieſco. Eadem ſententia eſt in Græca lectione & Latina quæ huic reſpōdet, Deus laudem meam ne tacueris: niſi quòd verbum tacendi iungitur cum nomine: quod tamen conſtructio hoc loco non admittit. Nam forma conſtructionis in nomine אלהי oſtendit: ſequens nomen תהלתי eſſe cum hoc iungendum genitiuo caſu, vt ſolent ſubſtantiua.

2 Quia os impij, & os fraudis ſuper me aperta ſunt [*vel aperuerunt:*] locuti ſunt mihi lingua doloſa [*mendacij, fallaciæ.*]

Subiicit propoſitioni rationes, ſumptas à neceſſitate, atque ita mox initio delabitur ad querelas de fraude, dolis, inſidiis, odiis iniuſtis, & crudelibus machinationibus ſuorum hoſtiū: atque has amplificat à ſua innocentia, cum verſu ſequente inquit, ſe ſine cauſa & ſine merito ſuo, ita crudeliter oppugnari. Nam, vt in verſu dicitur:

Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Prima cauſa eſt, cur ſibi opem ferri petat, quia homines impij, fraudulenti, & mendaces, os ſuum contra hominem innocentem aperuerint: hoc eſt, iniuſtè eum accuſarint & traduxerint, vt odia regis, procerum regni & populi aduerſus eū accenderent. Dicebant enim, Dauidem eſſe hominem ſeditioſum, qui ſe muniret factionibus, vt regnum inuaderet, & excuſſo legitimo rege ipſe populo Dei imperaret. Has calumnias ita artificioſè inſtruebant, vt viderentur vera dicere, eóque faciliùs regi & conſiliariis perſuaderent, rem ita ſe habere. Ita Chriſtus accuſatur à Iudæis, tanquam blaſphemus & ſeditioſus, vt non tantùm præfectus Romanus cum ſuis ſatellitibus, ſed tota multitudo Iudæorum, aduerſus eum concitaretur.

Et nos hoc tempore à Pontificiis ſchiſmatici & ſeditioſi dicimur: à falſis etiam fratribus nunc accuſamur, quòd de Chriſto minus rectè ſentiamus quàm ipſi Turcæ, quódque Mahometiſtæ rectiùs ſentiant de Chriſto, quàm nos. Atque his virulentis calumniis odia regum & principum aduerſus nos accendere conantur. Exempla igitur Dauidis & Chriſti intueamur, hiſque nos confirmemus aduerſus illa iniqua iudicia & condemnationes noſtrorum aduerſariorum, & ſimul in mentem nobis veniant illa dicta conſolationis pleniſſima, Ieſa. 51. Non timete probra hominum, & propter blaſphemias eorum nolite frangi animo: Matth. 5. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines mentientes propter me. Eſt in conſpectu & extat publicè doctrina noſtra, quæ teſtatur nos retinere doctrinam traditam in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum. Et, ſi nunc tanta odiorum acerbitas eſt, quæ hoſtes cernere verum non ſinat, ad poſteritatem tamen omnem, ſi qua futura eſt, teſtabitur, nos vt veritatem doctrinæ nobis traditæ conſeruaremus, ſtudioſè iuxta Pauli admonitionem retinuiſſe ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων.

Lingua falſitatis] Id eſt, mēdaciis pingunt ſuas accuſationes, vt fucum faciant auditoribus.

3 Et verbis odij circumdederunt me: & oppugnauerunt me ſine cauſa.

Amplificat querelam à crudelitate odiorum & iniuſtis molitionibus ſuorum hoſtium. Non ſatis eſt ipſis, quòd turpiſſimis calumniis & mendaciis me deformauerunt, & in ſuſpicionem apud bonos quoſque adduxerunt: ſed calumniis addunt magnam odiorum acerbitatem, & omnibus viribus hoc agunt, vt me nihil tale meritum, ſuis artibus & dolis opprimant & euertāt. Eſt autem metaphora in verbo סבב, qua non tantùm aſſiduitas calumniandi, & indefeſſus conatus in Dauide ſeu Chriſto euertendo, ſed & multitudo hoſtium oſtenditur. Dicit enim, ſe illis calumniis, quibus odia hominum aduerſus ſe concitari ſentiat, non aliter quàm ab hoſtili exercitu obſideri & oppugnari, omniáque ab iis in ſuam perniciem parari. Atque hæc eſt vna belli ſpecies, qua Deus ſuos filios, vt plurimùm in hac vita exercet. Nunquam enim deſinit Satan filios Dei tanquam καθάρματα & excrementa mundi deformare.

Gratis] Iterum amplificat querelam à ſua innocentia, vt dixi paulò antè, & ſuprà pſal. 69. eadem ſententia extat. Quanquam eò etiam referri poteſt, quòd mali bonos oppugnent ſine ſpe vtilitatis, vt dicitur: ὕβρει κοὐδὲν κερδαίνουσιν, ὅμως ἀδικεῖ. Chriſtus ad ſe hanc ſententiam accommodat, Iohan. 15. Quia, vt in argumento dictum eſt, quod in Dauide adumbratum fuit, neceſſe fuit in Chriſto, tāquam capite, impleri: & nos, qui membra Chriſti ſumus, vniuerſi ad ſocietatem huius militiæ vocamur, vt fiamus conformes imaginis filij Dei, & ὑστερήματα paſſionum Chriſti in nobis impleantur, vt dicitur Coloſſ. 1. Ideo rectè & ad Chriſtum, tanquam caput, & ad omnia membra eius hæc accommodantur.

4 Pro dilectione mea aduerſantur mihi: & ego oratio.

5 Et poſuerunt ſuper me malum pro bono: & odium pro dilectione mea.

Confirmat & amplificat priorem ſententiam à deteſtanda ingratitudine ſuorum hoſtium. Non ſolùm nullis iniuriis à me ſunt laceſſiti, ſed, quod plus eſt, multis à me beneficiis ſunt affecti. Ego enim fui illis amicus, dilexi eos, præſtiti officia, quæcunque potui, ornaui & euexi eos, conciliaui illis honores, dignitates: nunc pro tot beneficiis hanc gratiam mihi reddunt, quòd vitam & ſanguinem meum expetunt. Hæc vſitata ſunt in vita. Nihil enim citiùs ſeneſcit quàm gratia, vt inquit Seneca.

Sed in eccleſia hāc ingratitudinem multò magis experiuntur homines pij. Nunquam enim ceſſat diabolus inflammare odia malorum hominum aduerſus pios, vt nuſquam tanta odiorum acerbitas conſpiciatur, quàm in his ipſis, à quibus amari debebamus.

Et ego oratio] De hac ſententia dictum eſt ſuprà pſalmo 69. Grammatici volunt pronomen אני interdum peculiari modo vſurpari pro לי, vt ſit nominatiuus loco datiui. Ego oratio, id eſt, meum erat orare, vel ego orabam. Ita Eccleſiaſt. 8. Ego os regis ſeruare, id eſt, meum eſt os regis obſeruare, & mihi hoc incumbit, vt regem obſeruem, & c. 1. Sam. 21. Nunquid defectus furioſorum ego, pro mihi. Ita & hoc loco, *ego oratio*, id eſt, ego in his periculis & aduerſationibus, quando totus mundus aduerſus me conſpiraſſe videtur, non habeo quò confugiam, aut cui cauſam meam aut ſalutem tuendam commendem, niſi te vnicum. Ita hoc dicto oſtendit fidei ſuæ conſtantiam, quòd in tantis periculis non frangatur metu, nec animum deſpondeat, ſed his ipſis excitetur, vt ad Deum confugiat, atque apud hunc ſuis malis remedium quærat. Sunt enim ærumnæ nobis δοκιμασίαι.

Deinde ſuo exemplo nos monet, vt cùm iniuſtis odiis & calumniis premimur, non aliò quàm ad Deum confugiamus, eúmque vindicem fore noſtræ innocentiæ ſperemus.

Hebraiſmum alij ſic reddunt: ego pro illis hoſtibus, ſcilicet orabam, quātumuis crudeliter in me ſæuirent. Sed ſimplicius eſt quod antea dixi. Affirmat enim, ſe quamuis atrociter vexatum, non applicuiſſe animum ad illicita media, neque hoc egiſſe vt paria referret, ſed vnius Dei tutelæ ſeu patrocinio ſalutem ſuam commiſiſſe.

Pro bono] Id eſt, pro beneficiis, quibus eos affeci. Pulchrè autem in hoc verſu ingenium malorum hominum deſcribitur, & congruit huc verſus Græcus Theognidis, ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται. Flectere naturam gratia nulla poteſt.

6 Præfice [*conſtitue*] ſuper eum impium: & aduerſarius ſtet ad dexteram eius.

Querelæ ſubiicit triſtes & horrendas diras ſeu imprecationes, quibus æterno exitio deuouet hoſtes ſuos. Sunt autem hæc fulmina anathematum crebris verbis & ſententiis repetita, vt ſciamus non temere, aut præcipiti aliquo animi impetu hæc verba excidiſſe Dauidi: ſed Spiritu ſancto dictante hāc formulam execrationis eſſe conceptam, vt perpetuum eſſet vaticinium ſeu oraculum de triſtibus pœnis & interitu hoſtium eccleſiæ Dei. Neque enim ſuis tantùm hoſtibus, aut Iudæ proditori Chriſti, has pœnas imprecatur Dauid, ſed omnes, quotquot regnum Chriſti oppugnant, ſimiles pœnas manere affirmat. Cæterùm quid de huiuſmodi imprecationibus ſanctorum ſentiendum ſit, ſuprà aliquoties dictum eſt, pſalmo 59. & alibi. Non pugnant hæ imprecationes cum

Spiritu

Spiritu manſuetudinis qui debet eſſe in piis, nec cum animi moderatione, quæ animos noſtros ad patientiam componit: multò minùs proficiſcuntur ex iniuſtis affectibus animi, odio, ira, maleuolentia ſeu ἐπιχαιρεκακία, aut amore ſui: ſed proficiſcuntur ex iuſtitiæ zelo, quo cupiunt tolli è medio hoſtes filij Dei, vt aliquando deſinant peccare, & contumeliis afficere Meſſiam, vtque pœnas blaſphemiarum & ſcelerum ſuorum pendant, & vt conſilia illorum & conatus diſſipentur, & eccleſiæ minùs noceant. Hoc deſiderium piorum nequaquam culpandum eſt. Deinde, vt Auguſtinus ait, ſunt illę imprecationes vox ſpiritus ſancti, ferentis vltimam ſententiam de blaſphemis, & conſolantis eccleſiam, vt ſciat veritatem victricem fore, & Deum repreſſurum & extirpaturum eſſe blaſphemos. Poſtremo ſciendum eſt, has imprecationes dirigi, non aduerſus ſanabiles, ſed aduerſus pertinaciter perſeuerantes in perſecutione agnitæ veritatis, & defendentes impios & falſos cultus, &c.

Conſtitue ſuper eum impium] Loquitur in ſingulari numero, tanquam de vno hoſte, cùm antea plurium, qui eſſent inſtar magni exercitus, mentionem fecerit. Veriſimile enim eſt eum inſignem aliquem ex magna illa hoſtium turba notare, qui reliquorum quaſi dux fuerit & anteſignanus, & quo antehac familiariter vſus ſit, vt perfidia in defectione ſit magis deteſtabilis & digna talibus pœnis. Notum eſt autem in Actis cap. 1. ad Iudam proditorem hæc accommodari: quia Dauid, vt dictum eſt, perſonam Chriſti repræſentabat. Ideo quę Dauidi in Doego aut ſimili aliquo acciderunt, rectè de Iuda & ſimilibus dicuntur.

הפקיד eſt executionem cauſæ, vel munus obeundum alicui imponere. Conſtitue, id eſt, cùm ille hactenus pro ſua libidine crudeliter & impiè ſæuierit in bonos & pios, tu viciſſim illum ſubiice homini impio, cuius libidini & violentiæ per omnia ſit obnoxius. Iuſtum enim eſt, vt quam ille violentiam & crudelitatem in alios exercuit, eandem ipſe experiatur. Hoc puto in genere ſignificari. Alij impium interpretantur doctores impios, qui falſa doctrina alios ſeducunt, iuxta illud 2. Theſſal. 2. Quia veritatem non ſunt amplexi, mittet eis Deus efficaciam erroris. Pontificij magicam vim his imprecationibus tribuunt. Conducunt enim Franciſcanos, qui hunc pſalmum quotidie pronuntient contra eos quos oderunt. In qua ſuperſtitione refutanda non opus eſt vt laboremus. Res enim per ſe impia eſt & contumelioſa aduerſus Deum.

Et aduerſarius ſtet à dextris eius.] Hoc eſt, adiunge illi inimicum, qui omnia eius conſilia & conatus impediat & euertat, aut qui non patiatur eum perficere quod inſtituit. Stare enim à dextris alicuius, eſt cum magno conatu aduerſari & impedire alicuius labores, inſtitutum, conatus. Dextra enim maxima ex parte res gerimus, & virtus ſeu robur corporis apparet maximè in dextra. Itaque qui inhibere alium vult, & impedire eius conatus, conſiſtit ad dexteram, atque ita facillimè ictus vel conatus eius elidit. Hanc puto eſſe ſimpliciſſimam ſententiam, quæ oſtendit Deum reprimere & cohibere furores hoſtium Eccleſiæ, oppoſitis aliis qui ipſorum conatibus, vel æmulatione quadã, vel aliis de cauſis, obſtent. Ita 2. Sam. 17. conſilia Achitophelis infringuntur per Chuſai: & noſtro tempore vidimus hoſtium noſtrorum conſilia & conatus ſæpe mirabiliter, obiectis aliis impedimentis, fuiſſe repreſſos. Qua in re beneficium Dei, mirabiliter ſeruantis & gubernãtis Eccleſiam ſuam agnoſcendum eſt. Poteſt autem & Satan non tantùm de hominibus, ſed malis quoque ſpiritibus intelligi, qui aduerſationibus, cædibus, bellis, turbant conſilia aduerſariorum. Sicut hoc tempore conatus Hiſpanorum, & Gallorum, obiectis aliis impedimentis euertuntur.

Similis phraſis eſt apud Zachar. cap. 3. vbi Dominus oſtendit ei Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini, & Satanam ſtantem à dextris eius. Quod dictũ dignum eſt conſideratione. Eſt autem & ſingularis emphaſis notanda in verbo ſtandi. Significat enim aſſiduum & indefeſſum ſtudium & conatum. Non inquit, iaceat, aut ſedeat, ſed ſtet, id eſt, nunquam ceſſet, nunquam remittat: ſed ſtet perpetuò peruigil, vrgens, & inſiſtens in eo peragendo quod ſemel inſtituit.

Alij ſimpliciter ſententiam hanc ad malos ſpiritus accõmodant, & iudicant Prophetã loqui de præſentia & efficacia diaboli in hoſtibus Euangelij, ac petere, vt diabolus impellat cæcas impiorum mẽtes, & pectora cæca, & deſerta à Deo, vt ex aliis ſceleribus in alia ruant, donec tandem præcipitẽtur in æternum exitium. Hanc interpretationem quanquam non reiicio, & in altera comprehendi exiſtimo, tamen prior magis congruit ad phraſin, & aliquanto plura complectitur.

7 Dum iudicatur ipſe exeat impius: & oratio eius vertatur in peccatum.

Vtitur Propheta longa diſtributione in imprecatione pœnarum. Primùm, vt de magnitudine ſceleris, quod committunt hoſtes Filij Dei, & eccleſiæ eius, nos commonefaciat: deinde vt mentione horribilium pœnarum homines reuocet ab impio furore, quo in Chriſtum, & membra eius ſæuiunt: tertiò, vt hæc pœnarum commemoratio confirmet nos contra ſcandalum crucis eccleſiæ, & felicitatis impiorum. Videmus enim eccleſiam in hac vita plerunque duriter exerceri cruce & calamitatibus, & econtra hoſtes eius eſſe felices & fortunatos, & habere ſucceſſus planè mirabiles, &c. Ea res multorum animos frangit, vt deficiãt à Deo, & ad impiorum caſtra tranſeant. Sed cogitatio horribilium pœnarũ retinere nos debet, quominus deficiamus, aut participes ſcelerum nos faciamus. Secunda igitur imprecatio eſt, vt ſcelera impiorum ita fiant manifeſta, vt non tantum in Dei iudicio, ſed ab hominibus quoque agnoſcantur & damnẽtur, ipſique ſcelerum ſuorum conuicti & damnati viuant deinceps inter homines notati perpetua ignominia & infamia. Hoc enim eſt, *ex iudicio exire impium*, hoc eſt, conuictum impietatis & flagitiorum, atque ideo iuſto iudicio damnatum, perpetua ignominia notari. Plerique interpretes tantùm ad iudicium Dei hoc referunt, in quo omnes impij tandem pœnas dabunt ſuorum ſcelerum. De eo quanquam intelligi poteſt & debet hæc ſententia (nam hoc poſtremum iudicium eſt, quod omnes impios manet) tamen ſimul humana iudicia in hac vita complectitur. Fit enim iuſto Dei iudicio, vt etiam in hac vita inter homines fiant infames, qui ſe hoſtes eccleſiæ Dei profitẽtur: vt Diocletianus, Iulianus, Pontifices Romani, & horum ſatellites, quorum turpitudo ita manifeſta eſt, vt ne quidem ab aſſentatoribus ampliùs celari queat.

Oratio eius ſit in peccatum] Hoc quoque ad humana iudicia aliquo modo referendum eſt. Nam cùm petiiſſet ſcelera impiorum palam fieri, atque hominum quoque, eorum præſertim qui in magiſtratu ſunt, iudicio damnari: nunc petit, ne deprecationi aut reconciliationi ſeu miſericordiæ vllus tribuatur locus, ſed vt infamia ipſorum ſit perpetua: imò vt ita fiant abominabiles, vt ſi deprecari aut excuſare delictum velint, hoc ipſo ſe magis deteſtabiles, & odio dignos reddant: eo quòd hypocriſis ipſorum & pertinacia in ſcelere iamdudum ſit cognita & perſpecta. Tales enim cùm ſcelus aliquod aut culpam deprecantur, illudere & Deo & hominibus videntur. Deinde ſi coram hominibus deprecationes ipſorum vult verti in peccatum, quanto magis id valebit in Dei iudicio, in quo corda ſingulorum exactiſſimè explorantur? Vtut enim foris ſimulent aliquam ſanctimoniam aut pietatem, & geſtus omnes componant ad aliquam honeſtatem: tamen quia corda gerunt polluta & contaminata variis ſceleribus, & ardent odio Filij Dei & eccleſiæ eius, non modò non accepta eſt ipſorum oratio coram Deo, ſed hoc ipſo facto cumulant priora ſcelera, irámque Dei magis exacerbant quàm placant, iuxta illud Prouerb. 28. Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis, id eſt, res abiecta, & execrata à Deo.

8 Sint dies eius pauci: præfecturam eius accipiat alter.

Tertia imprecatio eſt, vt impij & hoſtes eccleſiæ ſint ὀλιγοχρόνιοι ſeu breuis vitæ, vt cùm aliter furor ipſorũ inhiberi non poſſit, morte præmatura tandem crudelitas ipſorum finiatur. Eſt quidem hæc vita multis ærumnis & miſeriis referta, vt mors, quæ finem malorum adfert, mala ferè videri non poſſit: ſed tamen quia conditi ſumus ad vitam, non tantum hanc omnes expetimus, vt ille ſenex apud Euripidem inquit, τὸ ζῶν σμικρὸν, ἀλλ᾽ ὅμως γλυκύ. ſed etiam longæuitatem teſtimonium eſſe beneuolentiæ diuinæ ducimus. Et Deus ipſe in ſignum fauoris ſui ſæpe promittit, ſe vitam prorogaturũ hominibus. Econtra verò vitæ breuitas pro ſigno maledictionis habetur, non tantum inter pios, ſed Ethnicorum quoque iudicio. Nota enim eſt illa ſententia Homeri:

οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

Præfecturam] Functionem, miniſterium ſeu munus ſibi cõcreditum, id eſt, omnia quæ in eius cura ſunt, quæque ſub ſua poteſtate habet, ſeu quæ ei commiſſa ſunt: quaſi dicat, ſpolietur ſua dignitate, honoribus, potentia qua abutitur ita ſceleratè. Hæc ſententia oſtendit loqui Dauidem de aliquo hoſte ſuo non priuato aut obſcuro homine, ſed qui fuerit in gubernatione, ideóque præditus autoritate & potẽtia qua factus ſit elatior, audacior, improbior & inſolentior, vt fieri plerunque in aulis ſolet. Eſtque hæc ſors filiorum Dei in hoc mundo, vt capitaliores hoſtes non habeant, quàm eos qui omnis innocentiæ, pietatis, & iuſtitiæ amatores ac defenſores eſſe debebant. Præparandi igitur ſunt animi ad has iniurias ferẽdas, & intuenda exempla Chriſti, Dauidis, & aliorum ſan-

ctorum, quibus eadem acciderunt ab his qui in gubernatione conſtituti erant. In Actis, cap. 1. hæc ſententia ad Iudam accommodatur, cui cùm alius ſurrogandus eſſet in munere Apoſtolico, Petrus dicit oportuiſſe impleri in Iuda quod hîc ſcriptum eſt, epiſcopatum eius accipiat alter. Nam vt in argumento diximus, vidit Petrus Dauidem typum geſſiſſe Chriſti, ideo rectè ad Chriſtũ & eius proditorem hæc accommodauit. פקדה igitur quanquam generaliter præfecturã ſeu adminiſtrationem alicuius publici muneris ſignificat, tamen Petrus ex Græcorum translatione de epiſcopatu ſeu Apoſtolatu rectè interpretatur. Hebræi, vt ſunt audaces in peruertendis ſcripturæ dictis, & malitioſi, nomen פקודיו exponunt de vxore: alij de anima, quæ eſt pretioſum depoſitum in homine: alij etiam de ſubſtantia, non aliam ob cauſam quàm vt ſententiam, per ſe claram & perſpicuam, obſcurent, ne appoſitè locus à Petro citatus videatur. Sed relinquimus has nugas Iudæis, quibus verè hoc accidit, quod Paulus inquit 2. Theſſ. 2. Quia veritati non crediderunt, mittit illis Deus efficacem errorem, vt credant mendacio.

9 Sint filij eius pupilli: & vxor eius vidua.

Hæc imprecatio ex priore dependet. Si enim maturè intereat, relinquet orphanos, & coniugem viduam. Atque ita maledictio extenditur ad liberos & vxores. Eſt autem inter maximas miſerias & ærumnas, relinquere poſt ſe viduam, quæ variis iniuriis expoſita ſit, & pupillos qui nondum ad maturam ætatem peruenerunt, nec ſuo ſe conſilio regere aut quærere victum ſua induſtria poſſunt. Ideo videmus pleroſque ex hac vita diſcedentes, etiam cùm animo ad mortem ſunt paratiſſimo, tamen liberorum & vxoris cauſa maximè angi.

10 Et vagando vagentur filij eius, & mendicēt: & quærant è vaſtitatibus ſuis.

Hæc verò maior eſt calamitas, cùm futurum prædicit, vt liberi ſpoliati omnibus bonis, & hæreditate paterna exuti, eiiciantur ſuis ſedibus, & rebus neceſſariis omnibus deſtituti, mendicare victum hinc inde oberrando cogantur. Nam certè miſerum eſt, vt inquit Tyrtæus,

patria amiſſa laribúſque vagari
Mendicum, & timida voce rogare cibos.

Et notus eſt verſus:

Οὐδὲν πενίας βαρύτερόν ἐστι φορτίον. *Et,*
Πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ.

E locis vaſtitatis] Hoc variè redditur. Plerique enim ſic exponunt: Mendicitas cogat eos exire ex ædibus euerſis & exinanitis ad quærendum victum, vt domi nihil inuenientes quærant alibi. Alij, è ſiccitatibus, id eſt, vbi nihil eſt. Alij ſic exponunt, vxor & liberi relicti non ſolùm paſſim vagando mendicent, ſed ea etiam premantur neceſſitate, vt & cùm domi ſunt in vaſtatis iam caſulis ſuis, cogantur anxiè conquerere vnde viuant: vt ita tam domi quàm foris mendicare eos oporteat. Sed quia ante dixerat, vagando vagentur ſine certis ſedibus, & mendicando quærant victum, videtur hæc ſentẽtia eſſe alienior: ideo mihi placet, quòd quidam præpoſitionem מן exponunt præpoſitione propter, vt eſt vſitatum in hac lingua. Commodiſſima enim ſententia erit, ſi ſic exponas. Quærant ſcilicet victum propter vaſtitates, id eſt, eo quòd domus ipſorum ſint vacuæ & deſolatæ, vt cogantur vagari paſſim inter exteros & mendicando vitam ſuſtentare. Eſt autem hoc quoque vltionis diuinæ argumentum, quòd magnificas & ſplendidas ædes impiorum ſæpe cum ipſis opibus relictis ita euertit, vt ruinæ perpetuum ſint teſtimonium impietatis & ſcelerum ipſorum. qua de re vide Ieſa. cap. 5.

11 Illaqueet fœnerator [*exactor*] quæcunque [*ſunt*] illi: & diripiant extranei laborem eius.

Hæc imprecatio ad fortunas extenditur. Homines impij dies noctéſque cogitant, quomodo magnam opum vim corradant, & exiſtimant liberis ſuis ſatis bene proſpectum eſſe, ſi magnos theſauros poſt ſe relinquãt, vt Dionyſius tyrannus dicebat filio, ſe relinquere ei adamantina vincula imperij, magnos ſcilicet aceruos auri & argenti. Sed quàm inſtabiles & incertæ ſint opes omnes, oſtendit experientia: & monet hæc ſententia, maledictione diuina fieri, vt opes impiorũ ſubitò diffluant aut diripiantur.

Illaqueet] Id eſt, nexu obliget. Reſpexit enim ad illas obligationes quæ ſunt inter creditores & debitores, & has nominat laqueos, quibus nexi quaſi capiuntur, & tandem in ſeruitutem veniunt. Græcus interpres legit, ἐξερευνησάτω ſcrutetur, fortaſſis quia pro נ legit ב vt verbum ſit יבקש.

Extranei diripiant] Extraneos intelligit omnes, qui vel vi, vel fraude ac dolo, præter fas, aliorum bona ad ſe transferũt: nec opus eſt in re manifeſta longiore explicatione. Congruit autem dictum hoc cum regula,

De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.

Laboris vocabulo notat res magno labore & ſudore partas: μεταληπτικῶς enim ſumitur cauſa pro effectu.

12 Non ſit ei protrahens [*prorogans*] miſericordiam: & non ſit qui miſereatur pupillorum eius.

Hoc ad alienationem animorum referendum eſt. Petit enim vt impij odioſi fiant omnibus, vtque deſerti & execrabiles facti, tandem in extremas miſerias & ærumnas deueniant. Paupertas quidem res mala & grauis eſt: ſi tamen amicos fidos habeas, à quibus iuuari poſſis, tolerari vtcunque poteſt: & plurimi amicorum ope & ſtudiis rurſus emergunt: ſed ſi inſuper hominum ſtudia, beneuolentiam, & amorem ſimul cũ opibus quis amittat, & in odium apud omnes veniat, illo homine nihil eſt infelicius aut miſerius: vnde ille in tragœdia lamentando queritur, ἔρημος φίλων ἀπόλλυμαι. De hac igitur re nunc loquitur.

Ne ſit protrahens miſericordiam] Id eſt, nemo ſit, etiam ex his qui antea eum complexi ſunt, aut qui benefecerunt, qui eum dignum deinceps iudicet, in quem aliquid amoris & officij conferat: ſed omnes mutatis animis ab eius amicitia diſcedãt, nec ampliùs benefaciant, eóque modo in miſeriis ſuis eum contabeſcere ſinant.

Pupillorum] Tantum dicit futurum odium in impios, vt communis etiam legis naturæ nulla habenda ſit ratio. Nam orphanos & pupillos communis naturæ lex iubet recipi in patrocinium. Impios verò in tantum odium Deus adducit, vt tota eius poſteritas ſit exoſa & execrabilis. Eaque pœna eſt talionis. Ipſi enim ſunt inhumani & immites erga pios, nec vllo miſericordiæ affectu tanguntur erga veritatis amantes & fideles: imò nuſquam maiorem crudelitatem exercent, quàm in hos, quos amare & ornare debebant. Iuſto igitur Dei iudicio fit, vt qua menſura menſi fuerant, ipſis remetiantur alij.

13 Sit poſteritas eius in exitium: in generatione altera deleatur nomen eorum.

Longa poſteritas & conſeruatio familiarum magnum eſt Dei beneficium, non tantùm quia cupimus conſeruari nomen noſtrum in terris, ſenſu quodam immortalitatis ad quã conditi ſumus: ſed etiam quia alios Dei cultores relinquere poſt nos debere ſtatuimus. Ideo inter promiſſiones (pſal. 112.) hæc vna eſt, Potens erit in terra ſemen eius: Generationi rectorum benedicetur: quod Theocritus elegantiſſimo verſu expreſſit εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ. Subitus igitur interitus familiarum & extinctio nominis noſtri, maledictio eſt & pœna diuina, de qua hîc loquitur.

Sit poſteritas, &c.] Alij vertunt, poſtremum eius. Eſt autem nomen collectiuum, quo tota poſteritas ſignificatur: quaſi diceret, breui abſumantur liberi, quos poſt ſe relinquit, vt nomen impiorum in filiis aut nepotibus deleatur.

Nomen eorum] Pluralis numerus oſtendit, Dauidem ita de vno quodam peculiari hoſte ſuo loqui, vt totum gregem impiorum hominum complectatur, & vaticinium ad omnes ætates extendat. Non enim ſuis tantùm, ſed Filii Dei & eccleſiæ hoſtibus hæc imprecatur.

In generatione altera] Vel poſt finẽ ſeculi: vt in filiis aut nepotibus extinguatur nomen familiæ. Latinus interpres ex Græco reddidit, in generatione vna: legit enim אחד pro אחר.

14 In memoriam veniat iniquitas patrum eius, coram Iehoua: & ſcelus matris eius non deleatur.

Reſpicit Propheta ad maledictionem annexam legi, vbi Deus inquit, ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Non quòd filij portẽt iniquitatem patris (Ezech. 18.) ſed, quia ipſi quoque patrum exempla imitantur, & ſcelera à maioribus admiſſa accumulãt, iuſtè dant pœnas ſuæ impietatis & ſcelerum. Súntque pœnæ eò grauiores, quo pluribus peccatis ira Dei eſt irritata. Ideo maiorum peccata dicit Deus ſe viſitare.

15 Sint coram Iehoua ſemper: & deleat [*excindat*] è terra memoriam ipſorum.

Expolitio eſt præcedentium duorum verſuum.

Sint] Scilicet peccata tam ipſorum, quàm quæ à maioribus ſunt admiſſa, in conſpectu Domini, id eſt, Deus vlciſcatur & puniat ea: & quidem ita, vt perpetuis pœnis oppreſſi nunquam iterum emergant. Tunc enim venire in conſpectũ aut eſſe coram Iehoua dicuntur peccata noſtra, cùm Deus pœnas pro admiſſis ſceleribus à nobis exigit, cùm alioqui, quando non punit, quaſi ſe poſuiſſe aut remouiſſe è cõſpectu videatur. Loquitur enim ſcriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo. Homines

mines autem cùm examinare facta alicuius,ac de his iudicare volunt,tabulas de his conſignatas inſpiciunt, & quaſi ſub calculum & rationem reuocànt. Inde igitur hæc forma loquendi eſt ſumpta.

Deleat è terra] Vt ſcilicet etiam inter homines extet teſtimonium iræ & iudicij diuini aduerſus ipſorum ſcelera.

16 Quia [*eo quòd*] non eſt recordatus facere clementiam, & perſecutus eſt virum miſerum & egenum:& afflictum [*obſcurum, perturbatum*] corde,vt interficeret.

Addit cauſas,quæ eum impellant vt tam diris imprecationibus vtatur,& tam horrendis pœnis dignos iudicet,ac deuoueat hoſtes. Non ſtimulant eum iniuſtæ cupiditates,aut priuatus aliquis dolor ad expetendam hanc vindictam,ſed cauſa publica. Quia videbat non ſe tantùm peti,ſed totum cœtum fidelium in ſua perſona periclitari: & tantam eſſe odiorum crudelitatem, vt niſi diuinitus hoſtium furor reprimeretur,ſalua eſſe eccleſia non poſſet. Hæc prima cauſa eſt quæ in hoc verſu recitatur, immanitas ſcilicet odij erga pios. Nam quod de miſero & afflicto dicit, ita ad ſe trahit, vt totum cœtum fidelium comprehendat.Pingitur autem ſingularis crudelitas in hoſtibus,cùm ait eos ſatiari non poſſe, quòd in varias eum miſerias & ærumnas coniecerint: cùm tamen naturaliter calamitates aliorum quodammodo nos afficiant: ſed calamitoſo & iã oppreſſo inſuper inſtare, vt eum prorſus tollant è medio, hoc verò odium prorſus eſt diabolicum. Nõ enim niſi interitu noſtro ille ſatiari poteſt.Eſt & hoc emphaticum,quod dicit,*perturbatum vel afflictum corde.* Multi in ipſis ærumnis neſcio quos ſpiritus & quam ferociam retinent. Ideo non indigni iudicantur qui magis premantur.Sed ſi cor ærumnis planè ſit fractum & deiectum, videtur crudelis nimiùm qui tali inſultat.

17 Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & non placuit ei benedictio[*ideo*]elongetur ab eo.

Altera cauſa eſt, cur tantis pœnis dignos iudicet hoſtes, ſumpta à perpetuo contemptu euangelij & ſalutis in eo oblatæ. Iuſtiſſimum enim eſt, vt qui ſpreta & abiecta benedictione & ſalute, diuinitus oſtenſa & oblata, damnationem ſibi attraxit,ea pereat, & qui exitio alios addicere voluit,id ſibi ipſi ſe paraſſe intelligat. *Benedictionem* principaliter nominat doctrinam euangelij, quæ eſt verbum benedictionis: eam quia repudiant hoſtes eccleſiæ, & ex profeſſo oſtendunt ſe hoſtes Filij Dei(vt Iudæi cùm dicunt,ſanguis eius ſit ſuper nos) manet ira Dei & maledictio ſuper eos,vt inquit Iohannes. Deinde benedictio intelligatur de ſtudio benefaciendi aliis: quod quia in impiis non eſt,ſed potiùs crudelitas & maledictio,hoc eſt,ſtudium delendi eccleſiam,interficiendi pios, ideo elongetur ab eo benedictio diuina, id eſt, nunquam fiat particeps eius ſalutis & benedictionis, quæ piis per Filiũ Dei parta eſt.

Alij maledictionem interpretantur imprecationes ac diras,quibus deditus perpetuò fuerit impius: quaſi hoc velit, nihil ex ore eius prodiiſſe niſi diras imprecationes ſeu execrationes, quibus bonos perpetuo exitio deuouerit: & ſic, non voluit benedictionem, id eſt, totus nequitiæ & prauitati fuit deditus. Sed puto alteram ſententiam pleniorem & ſimpliciorem eſſe. Iam enim exaggerat pœnarum commemorationem, & oſtendit ſe non tantùm corporales pœnas imprecari hoſtibus Filij Dei, ſed æternas, quas comprehendit nomine maledictionis: & tanquam per triſtem querelam accuſat prauitatem naturæ humanæ, quæ vt ſuis cupiditatibus indulgeat, mauult ſalutem in euangelio oſtenſam & oblatam repudiare,quàm hoc agere, vt à maledictione, cui obnoxium eſt genus humanum, confugiendo ad Filium Dei, ſeſe eximat.

18 Et induatur maledictione quaſi veſtimento: & veniat tanquam aquæ, in penetralia [*interiora,id eſt,viſcera & venas*]eius: & ſicut oleum in oſſa eius [*per imas medullas.*]

19 Sit ei quaſi pallium[*quo*]operiatur: & cingulum[*quo*]ſe ſemper accingat.

Expoſitio eſt ſuperioris verſus à comparationibus.Imprecatus enim erat in genere hoſtibus maledictionem: ſed nunc vtitur his comparationibus,vt eam efficacem & perpetuò duraturã eſſe oſtendat. *Prima* ſumpta eſt à veſte interiore,quæ proximè corpus contingit, & commenſurata eſt corpori. Ea veſtis quia non ad tẽpus aſſumitur, & per interualla deponitur,vt aliæ quæ ad ornatum adhibentur,ſignificat nullam fore intermiſſionem aut relaxationem huius maledictionis, ſed ſenſum iræ diuinæ perpetuò in cordibus ipſorum excitaturum ingentes dolores, atque ita ipſos ſuos quaſi carnifices ex conſcientia ſcelerum circumgeſtaturos eſſe. *Hæ enim ſunt impijs*(vt Cicero inquit)*aſſiduæ domeſticaque furiæ,quæ dies noctéſque ſcelerum pœnas ab ipſis repetunt, dum ſua quemq; fraus, & ſuus terror maximè vexat, & ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent.* Et huc congruit quod de impiis dicitur apud Ieſaiam: Impius eſt vt mare æſtuans.Et Ariſtoteles homo Ethnicus, experiẽtia edoctus,inquit, στασιάζει αὐτῶν ἡ ψυχή.

Altera ſimilitudo ſumitur à potu, qui non modò intra corpus aſſumitur, ſed etiam in ſubſtantiam corporis animati conuertitur. Qua ſimilitudine ſignificatur hanc maledictionem ita fore efficacem, vt in mores & naturam crudelium. hypocritarum ſit abitura. Videmus enim tales homines ita efferari, vt, cùm maximè videri volunt boni aliquid facere, noceant plurimùm. Qualis enim arbor, tales etiam ſunt fructus. Arbor mala non poteſt bonos fructus facere. Vult igitur dicere,Ita maledictione diuina repleantur,vt ſint reprobi ad omne bonum, idque iuſto Dei iudicio. Quia ſuo ſcelere ſibi has pœnas attraxerunt.

Tertia ſimilitudo ſumitur ab oleo, quo corpora ſic vnguntur, vt eius vis penetret in oſſa & medullas. Vult igitur maledictionem ita in his eſſe efficacem, vt ipſi in furoribus & ſceleribus ſentiant iuſtum Dei iudicium, ſéque ſua voce & teſtimonio ipſi damnent: cuius rei vidimus exempla non pauca noſtra ætate in hoſtibus noſtrarum eccleſiarum. Significatur & hoc, maledictionem ita altè radices acturam eſſe in impiorum corporibus, vt nullo vnquam tempore extirpari poſſit.

In 19. verſu penè eadem ſententia repetitur. Sed *pallij* & *cinguli* nomine puto peculiariter ſignificari ſigna quædam externa huius maledictionis, quæ in aliorum hominum oculos incurrant. Quale eſt illud ſignum reatus, quod Deus poſuit in Cain, vt quicunque eum aſpiceret,agnoſceret eum eſſe pollutum & abiectum à Deo. *Pallium* enim & cingulum aſſumuntur,cùm in publicum prodimus,& ſunt externa quædam ſymbola quæ hominem conſpiciendum & agnoſcendum præbent. Cingulum tamen plerique ita interpretantur vt exiſtiment ſignificari, maledictionem impiis ita adhærere perpetuò, vt inſtar cinguli eos conſtringat & coarctet: quod mihi non diſplicet. Nam illa ipſa ſigna reatus,quæ Deus interdum hominibus ſceleratis circundat,tanquam vincula eos conſtrictos tenent, vt ſentiant ſe in ſuis ſceleribus deprehenſos eſſe,& non tantùm Dei,ſed hominum quoque iudicio,pro impiis & ſceleratis haberi.Eſt autem ſumma horum duorum verſuum, impios fore maledictos & abiectos coram Deo in hac & altera vita.

20 Hoc opus aduerſantium mihi à Iehoua: & loquentium malum ſuper animam meam.

Concludit ab exclamatione & aſſeueratione, qua oſtendit has imprecationes non fore vanas aut irritas,ſed certò hæc euentura eſſe, vtvt aliquandiu floreant impij opibus, potentia,dignitate,& ſucceſſibus arridentis fortunæ. Nõ effugient, inquit,has pœnas,etiam ſi illæ aliquandiu differantur.

Hoc opus aduerſantium] Opus accipitur hoc loco non actiuè,ſed paſſiuè,idque vſitatum eſt Hebræis.Vult enim dicere, hoc ipſis fiet,vel eueniet à Domino, *Das vvird inen geſchehen vnd vviderfahren.* Alij opus interpretantur pro mercede operis.Nam ita interdum vox פעלה vſurpatur, vt Leuit.19. Non morabitur (ſeu pernoctabit) opus mercenarij tecum. Nec inconcinna eſt hæc interpretatio. Ideo ſi quis ea vti mauult, non impedio. Eſt autem obſeruandum,quòd,cùm hactenus ferè de vno quodam peculiari hoſte ſuo locutus ſit, nunc in genere imprecationem ad omnes accommodat: vt ſignificet, non ſe priuatam hîc cauſam agere, nec ſuum hoſtem principaliter ſpectare, vt homo aliquis priuatus: ſed intueri totum corpus eccleſiæ,& omnes hoſtes, qui quocunque tempore futuri ſunt,ſimili exitio deuouere.Ideóque hæc omnia, non vt priuati hominis vota, ex iracundia aliqua aut alio turbido affectu profecta,legenda ſunt: multo minùs in exemplum à nobis trahenda: ſed tanquam oracula & vaticinia, à Spiritu ſancto contra hoſtes Filij Dei, & eccleſiæ eius,edita, intuenda ſunt.

Loquentibus]Verbum loquendi apud Hebræos,non ſemper ſignificat ſermonem ore prolatum: ſed conſultationes,deliberationes,machinationes,& vt Græci loquuntur, λέγειν ἐνδιάθετον,&c. atq; ita hîc accipitur *loqui malum*, pro machinari & ſtruere malum ſeu perniciem alicui.

21 Et tu, Iehoua Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia bona clementia tua, eripe me.

Propoſitionem pſalmi, quæ ſuprà vnico verbo expoſita erat, nunc repetit pluribus verbis. Eſtque precatio ex ſpe certa liberationis ſequuturæ iam multò ardẽtior, quàm initio. Nam huiuſmodi meditationes, de liberatione eccleſiæ, & pœnis, atque interitu hoſtium eius, confirmãt fidem noſtram, vt maiore fiducia accedere ad Deum, & petere ab eo liberationem poſſimus. Ideo vtile eſt ante preces intueri huiuſmodi promiſſiones. Propoſitioni ſubiiciuntur aliquot rationes, quarum prima in hoc verſu ſumitur à cauſa finali: altera à natura Dei atque eius perſona.

Propter nomen tuum] Hæc prima cauſa eſt. Tu, inquit, vis gratiam tuam & præſentiam in eccleſia agnoſci & celebrari: adſis igitur mihi, vt nomen tuum, tua bonitas, & fides in defendendis & ſeruandis tuis cultoribus, & in puniendis hoſtibus potentia & veritas agnoſcatur ac celebretur. Hoc enim eſt nomen Dei: bonitas ſcilicet, clementia, veritas, fides in ſeruandis promiſſis, & potentia in euertendis hoſtibus: his Deus agnoſcitur: idque tunc maximè, cùm ſe talem exhibet. Ideo petit, vt ipſe ſuum nomen tueatur.

Quia bona clementia tua] Altera cauſa ſumpta eſt à natura Dei. Tu, inquit, natura es bonus & amans noſtri: éſtque tanta & tam multa tua erga nos beneuolentia, vt ſuperet omnium creaturarum captum: ergo pro illo tuo erga nos amore ſuccurre mihi in his periculis, & eripe me. Non affero in conſpectum tuum merita & opera, quibus poſtulem hoc tribui: ſed nitor ſola tua miſericordia, in verbo oſtenſa & promiſſa. Hæc exempla intuenda à nobis, & imitanda ſunt in precatione. Antea quidem de integritate ſua dixit, quam hoſtibus ſuis oppoſuit, vt miſerias ſuas, & hoſtium furorem exaggeraret: ſed cùm ad Deum accedendum eſt, atque ab eo aliquid petendum, excludenda eſt omnis mentio meriti aut dignitatis, nec compenſatio vlla quærenda: ſed ſola bonitate & gratuito amore eius eſt nitendum.

Fac mecum] Tuere partes meas, age mecum, ſis mihi à latere adiutor contra hoſtes meos, *halte es mit mir, oder ſey mit mir*, non diſcedas à me, nec patrocineris hoſtibus.

22 Quia miſer [*afflictus*] & egenus ſum: & cor meum vulneratum eſt intra me.

Tertia ratio ſumitur à miſeriis & ærumnis, in quibus verſabatur, hoc eſt, à neceſſitate, quæ eum vrget, vt ad Deum confugiat, & qua moueri Deum ſcit ad commiſerationem, & ad opem ferendam extimulari. Eſt enim amor in eo ardentiſſimus, qui non fert vt liberi pereant in calamitatibus.

Afflictus] Id eſt, variis ærumnis & miſeriis fatigatus, & penè oppreſſus.

Egenus] Id eſt, omni ope & auxilio deſtitutus. Careo enim omnibus præſidiis humanis.

Et cor meum] Hoc verò ſummum eſt in miſeriis, cùm cor ipſum eſt ſaucium & deiectum. Quidam enim ita ſunt præfracti, cõtumaces & rigidi, vt in ipſis calamitatibus, quaſi obſtupefacti retineant ſuum faſtum & ſuperbiam, nec molleſcant aut miteſcant vllis plagis, imò magis obdurent corda ſua, & efferant ſe contra Deum, vt Pharao, & ſimiles. Sed pij cogitantes de cauſis pœnarum, & de ira atque iudicio Dei aduerſus peccata, ſeriò expaueſcunt in pœnis, & dolent, quòd Deum offenderint, & metuũt eius iudicium. Illo igitur ſenſu iræ Dei aduerſus peccata cor quaſi malleo cõtunditur & vulneratur: atque hinc exiſtit tantus dolor in ſanctis, vt ſi foris eos aſpicias, videantur ſæpe animo eſſe abiectiore, quàm fuerunt multi Ethnici in ſuis ærumnis. Inprimis autem Chriſtus pleniùs & efficaciùs ſenſit iram & iudicium Dei aduerſus peccata, quando Pater incurrere in eũ ſinit omnium noſtrûm peccata, vt Ieſaias loquitur. Ideo hæc querela maximè ad ipſum ſpectat. Nam ad alios ſanctos vix gutta, ſeu leuis tantùm guſtus huius doloris pertingit.

23 Sicut vmbra dum inclinat, tranſeo, excuſſus ſum quaſi locuſta.

Amplificat querelam ab imaginibus vmbræ & locuſtæ. De priore ſimilitudine dictum eſt ſuprà pſalmo 102. Comparat ſe & vitam ſuam vmbræ inclinatæ, hoc eſt, iam ad occaſum vergenti, atque in tenebras euaneſcenti. Sol enim dum in ipſo meridie capitibus noſtris imminet, non facit ſubitas mutationes vmbrarum, ſed vbi ad occaſum vergere incipit, ſingulis ferè momentis variant vmbræ. Inde igitur dicit ſe tranſire tanquam vmbram inclinatam ſeu ſerotinam, quæ ſole ad occaſum vergente eſt fugax, & non procul abeſt ab interitu. Etſi enim vmbra creſcit & grandior apparet ſole occidente, magnitudo tamen illa eò propior fit morti, quò maior videtur. Talis eſt vita humana, quæ cùm ad ſummum perueniſſe videtur, ſubitò collabitur, & tanquam vmbra euaneſcit. Inde Philoſophi dixerunt, vitam humanam eſſe vmbræ ſomnium.

Excutior vt locuſta] Hanc ſimilitudinem non eodem modo interpretantur. Alij ad maciem corporis referunt, quòd locuſtæ ſint tenues ac leues: idque de effectu mœroris interpretantur, quia mœror attenuat corpora & vires.

Alij ad iniurias accommodant, quibus illud animal eſt obnoxium. Sæpe enim vi ventorum magna agmina locuſtarum abripiuntur & præcipitantur vel in mare, vel in loca deſerta: ſæpe etiam ab hominum impreſſione euertuntur: vt hoc modo ſignificetur calumniæ vis & iniuriarum magnitudo, quibus opprimatur.

Sed rectius eſſe exiſtimo, quod alij afferunt de inſtabili cõditione eius, quæ ſimilitudine locuſtæ aptiſſimè notatur. Locuſtæ enim hinc inde ſaltant, nec habent certum aliquem locum, vbi quieſcant. Dauid igitur comparans ſe locuſtæ, queritur ſe nuſquam inuenire tutum locũ, aut receptum ſeu ſtationem: ſed inſtar locuſtæ agere vitam motoriam, & ex vno latibulo confugere ad aliud, vt ſæuitiam perſecutorum effugiat. Ita Paulus 1. Cor. 4. ſe & alios pios in hac vita dicit eſſe ἀστατοῦντας. Súntque exilia eccleſiæ vſitata, vt commonefacti noſtris ærumnis cogitemus & de primo exilio generis humani, in quo cæleſtem patriam amiſimus, & de Filio Dei, qui factus exul reducit nos in æternam patriam.

24 Genua mea collapſa ſunt præ ieiunio: & caro mea exaruit à pinguedine [*id eſt, defraudata, exhauſta, deſtituta eſt oleo ſeu pinguedine, amiſitque ſuccum & pinguedinem omnem.*]

Iterum amplificat ſuas ærumnas ab effectibus, & à ſignis triſtitiæ & doloris, in quibus eſt hypotypoſis hominis afflicti & miſeri. *Primum ſignum* eſt ingens debilitas corporis, quę ſequuta eſt aſſiduum ieiunium, ſeu faſtidium cibi & potus. In magno dolore faſtidimus omnem cibum & potum, ſicut ſuprà inquit pſalm. 102. Oblitus ſum comedere panem meum: imò vita ipſa nobis tædio eſt. Corpora igitur ex longo ieiunio debilitantur, & fit quod hîc dicitur, vt genua vacillent, & nerui atque oſſa non ſuſtineant corpus. Significat igitur ſe in maximo fuiſſe mœrore, qui vitam ſibi acerbam reddiderit.

Alij ad inopiam hoc referunt. Dauid enim fugiens hoſtiũ ſæuitiam, & in cauernas ferarum ſe abdens, non tantùm voluntario ieiunio ſeſe macerauit, ſed etiam cùm cibum appeteret, neceſſario victu deſtituebatur. Itaque duplex ea cauſa fuit huius debilitatis, inopia ſcilicet cibi, ſeu penuria, deinde faſtidium cibi ex dolore animi profectum.

Alterum ſignum doloris & ægritudinis animi eſt macies corporis. Spiritus enim triſtis (vt inquit Salomõ Prouerb. 17.) exiccat oſſa, vt pereat omnis ſuccus & vigor corporis. Huc congruit illud Hippocratis, φροντὶς χαλεπὴ νόσος, & Galenus de tuẽda valetudine inquit, curas accelerare tabem & alios morbos. כחש ſignificat hoc loco attenuari vel macilentum eſſe, vt contrarium ſit nomini שמן quod obeſum ſeu pinguem ſignificat: vnde apud doctores Hebræorum בהמה כחושה dicitur beſtia macilenta. Atque in hac ſignificatione vſurpatur nomen כחש pro macie, Iob. 16. ver. 8.

25 Ego autem factus ſum opprobrium illis: dum vident me, concutiunt caput ſuum.

Alia eſt amplificatio ærumnarum à ſarcaſmis & opprobriis hoſtium, quæ honeſtis viris in calamitatibus ingentem afferunt dolorem. Faciliùs enim reliquas iniurias omnes fert animus generoſus, quàm probra & contumelias. Sed peculiare illud genus eſt opprobrij, quòd piorum conſtantia in profeſſione doctrinæ cæleſtis, & fiducia auxilij diuini acerbiſſimè exagitatur & ridetur ab hoſtibus. Vt cùm Chriſto pendenti in cruce, dicunt Iudæi: Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce, & credemus in eum. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult. Eſt & aliud genus opprobrij, quod triſte vulnus facit piis omnibus, quòd ſcilicet iudicantur eſſe καθάρματα & περιψήματα, hoc eſt, piacula, quæ neceſſe ſit tolli & remoueri, ne Deus totis gentibus iraſcatur. De hoc opprobrio inquit Paulus 1. Corinth. 4. ſine dubio ad hunc pſalmum reſpiciens: Vſque ad hanc horam eſurimus & ſitimus, nudi ſumus, & colaphis cædimur, & ſine certa ſede vagamur: maledicimur, & benedicimus: perſequutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam καθάρματα facti ſumus, & omnium περίψημα. Similis querela eſt Chriſti pſalmo 22. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Diſcamus autem, admoniti his exemplis, Chriſti, Dauidis, Pauli, & ſimilium, qualis ſit eccleſiæ conditio in hac vita, & animos noſtros præparemus ad ferendas huiuſmodi contumelias. Si Chriſtus tulit patienter illas voces contumelioſas, feramus & nos, quos oportet conformes fieri imaginis Filij Dei.

Vident me, & mouent caput] Geſtus eſt illudentium & irridentium, de quo dictum eſt ſuprà pſalmo 22. & teſtatur hiſtoria paſſio-

paſſionis Chriſti, Iudæos ludibrij cauſa concuſſiſſe caput. Lex autem Deut. 28. inter pœnas, quæ manent contemptores Dei, recenſet opprobrium & concuſſionem capitis. Vt dubium non ſit Dauidem hac tentatione non leuiter tūc fuiſſe perculſum. Cùm enim videret ſe pro damnato ab omnibus haberi, cogitauit nonnunquam, pœnas has eſſe ſuorum peccatorum, & ſe meritò plecti & abiici à Deo. Sed hanc tentationem vicit fide & inuocatione. Itaque nos diſcamus hæc tentationum tela ſimili modo excutere. Fides enim eſt quæ extinguit illa tela diaboli.

26 Adiuua me, Iehoua, mi Deus: ſaluum me fac ſecundùm clementiam tuam.

Repetit propoſitionem. Eſtque illa crebra iteratio propoſitionis, argumentū ardentis fidei, nec otioſa eſt βαττολογία, quę aures Dei offendat, vt multi exiſtimāt. Vult Deus nos aſſidue orare, & nō defatigari, vt inquit Chriſtus: ideo ſubinde eædem preces à piis iterātur, & creſcit lux fidei inter aſſiduas preces, vt inuocatio ſit quaſi aſſidua nutricula fidei: id quod omnes experiuntur, & exempla in pſalmis oſtendunt.

Mi Deus] Vox fidei eſt ardentis, & intuentis promiſſionem. Nemo enim dicere poteſt Deum ſuum, niſi promiſſiones intueatur, & intus in cǫrde luceat vera fides. Alioqui enim fugimus Deum, & fremimus aduerſus eum in calamitatibus, eúmque accuſamus iniuſtitiæ & crudelitatis, qui nos ſupra vires oneret, aut præter meritum in tantas ærumnas coniiciat.

Secundùm clementiam] Clemētiæ iterum meminit, vt oſtendat ſe ſola miſericordia niti.

27 Et cognoſcant, quòd manus tua hæc, quòd tu Iehoua feceris.

Rurſus ſubiicit petitioni rationem, ſumptam ab vtili, ſeu à cauſa finali. Fac, inquit, tam illuſtre ſit auxilium tuum, vt omnes perſpiciant & intelligant, me non humanis viribus, aut induſtria euaſiſſe ex his periculis, ſed numinis tui præſentia & potentia, eóque magis ad celebrandam tuam potentiam, & præſentiam in eccleſia, inuitentur. Oſtendit autem hæc ratio, Deum ſuo quodam conſilio ſæpe coniicere homines pios in eas difficultates & ærumnas, quæ humanis conſiliis prorſus ſunt inextricabiles, vt ſcilicet deſtituti omnibus auxiliis & rebus externis, diſcamus quàm verum ſit quod ſuprà pſalm. 108. dicitur, Vana eſt ſalus hominum, hoc eſt, omnium rerum externarum extra Deum: & in hac cogitatione confugiamus ad ipſum, & liberati fateamur nos tantùm diuinitus ſeruatos eſſe. Hanc laudem vult ſibi tribui Deus. Ideo ſæpe ſubtrahit nobis omnia præſidia humana, à quibus ſpes aliqua affulgebat. Fit enim conſpectior præſentia Dei, cùm nobis opem fert ſine cauſis ſecundis, quàm per media ab ipſo ordinata. Hæc diſcenda ſunt, vt in noſtris periculis & ærumnis, quid faciendum ſit, ſciamus. Manus μεταληπτικῶς ſignificat potentiam & vim. Nam vis & robur corporis manu oſtenditur & exeritur.

28 Maledicant illi, at tu benedices: inſurgunt [*illi*] ſed pudefient, & ſeruus tuus lætabitur.

Dauid iam inter precandum ſentiens conſolationem in corde, & certior factus de exitu & liberatione, quaſi triumphum agit de hoſtibus ſuis, quorum minas, contumelias, potentiam & vires omnes extenuans, & quaſi inſultans omnibus, inquit: Ipſi maledicant, hoc eſt, ipſi quidem me extrema contumelia afficiunt, dum vociferantur me eſſe hominem impium & ſeditioſum, ideóque dignum quem boni omnes odio proſequantur, & execrentur: imò quem æterno exitio ſuis diris aſſiduè deuoueant. Sed fruſtra id faciunt. Nam Deus hanc iniuſtam odiorum crudelitatem, has iniurias atque execrationes, conuertit in benedictionem: ſicut alibi inquit Dauid 2. Sam. 16. Reddet mihi Deus bonum pro maledictione hac.

Benedicere] Eſt tollere maledictionem, & benefacere.

Inſurgunt] Id eſt, nihil non tentant & moliuntur aduerſus me, oppugnant me manifeſta vi & dolis, & planè eo ſunt animo, vt oſtendant ſe non quieturos, donec me oppreſſerint. Omnes enim hoſtium conatus & conſilia verbo ſurgendi deſcribuntur.

Sed pudefient] Hoc eſt, fruſtrabitur eos ſpes ſua, nec fient compotes ſui voti. Deus enim infringet & elidet omnes ipſorum conatus, & oſtendet, fruſtra ſumi arma aduerſus eccleſiam. Hac conſolatione nunc hiſce difficillimis temporibus maximè eſt opus. Nam & hoc tempore totus ferè mundus inſurrexit aduerſus eccleſiam, & in eius perniciem coniurauit: ſed ſicut hactenus mirabiliter Deus eluſit hoſtium conatus, ita non dubitemus eum deinceps nobis adfuturum, & ipſo facto oſtenſurum eſſe, non eſſe conſilium contra Dominum.

Seruus tuus lætabitur] Scilicet non tam de adepta ſalute, quam quod gloria Dei hoc modo illuſtratur. Hoc enim præcipuum eſſe debet piorum gaudium in liberatione eccleſiæ, quòd videlicet Deus oſtendit, ſe eſſe præſentem in ſua eccleſia, ſéque eſſe veracem in ſeruandis promiſſis, & hoc modo plures ad agnitionem ſui inuitat. Deinde affert etiam illa ſubita & inſperata mutatio gaudium, quo pij poſt longos dolores recreantur.

29 Induentur aduerſarij mei probro: & operientur quaſi veſte [*pallio*] pudore ſuo [*erubeſcentia ſua.*]

Continuat priorem ſententiam, in qua ἐπινίκιον canit de ſuis hoſtibus, & quis exitus futurus ſit huius ſuæ tragœdiæ oſtendit. Hoſtes, inquit, hactenus me acerbiſſimis conuitijs proſciderunt & deformarunt, vt omnium hominum odia aduerſus me concitarent: ſed nunc, vice verſa, illi deiecti à ſua ſpe, & repreſſi diuinitus, operientur perpetua ignominia, & iudicabūtur ab omnibus ἀλάστορες, qui ſocietati hominum plurimum noceant. Ideóque deinceps erunt exoſi & execrabiles.

מעיל togam, ſeu veſtem ad talos demiſſam ſignificat.

30 Laudabo Iehouam valde ore meo: & in medio multorum celebrabo ipſum.

In fine promittit gratitudinem, vt ſolet. Etſi autem omni tempore laudandus eſt Deus, vt ſupra dicit, pſalm. 34. tamen illuſtribus liberationibus & aliis inſignibus beneficijs excitari debemus, vt ſtudioſiùs & alacrius laudes diuinas canamus. Nec tantùm intra priuatos parietes, aut in obſcuro aliquo angulo id faciendum eſt: ſed etiam publicè in frequentia & cœtibus hominū, & inter proceres, vt alij quoque ad agnoſcendam & celebrandam Dei præſentiam in eccleſia inuitentur. Debet enim eſſe mutuæ ædificationis ſtudium inter pios. Inquit autem *valde* ſe laudaturum, id eſt, diligēter & impenſe, hoc eſt, non leuiter ſe æſtimaturum illa beneficia diuina, nec depoſiturum facilè memoriam eorum, vt fere ſolent homines, apud quos nihil citiùs ſeneſcit quàm gratia.

Ore meo] Id eſt, publicè id faciam, vt ab omnibus audiantur carmina mea εὐχαριστικά.

31 Et quòd ſtet ad dexteram pauperis: ad ſeruandum à iudicantibus [*condemnantibus*] animam eius.

Ratio pollicitationis ſumpta eſt à beneficio liberationis cuius antea meminerat. Id enim quia illuſtre erat, dignum iudicat, quod modis omnibus celebretur. Et quanquam de ſe loquitur principaliter: tamen ſententiam hanc in genere effert, quia beneficium futurū erat commune, & ſuo exemplo confirmatos vult alios in ſuis ærumnis eandem Dei præſentiā & liberationē expectare. Ideo nō dicit: ſtat ad dexterā meā ſed *ad dexteram* cuiuſlibet *pauperis*, hoc eſt, deſtituti & nudati omnibus pręſidijs humanis, & à ſolo Dei auxilio pendentis.

Aliter autem hic vſurpatur phraſis, Stare ad dexteram alicuius, quàm ſuprà verſu ſexto. Eſtque alia hoc loco cōſtructio. Ibi enim verbum עמד conſtructum cum præpoſitione על ſignificat ita conſiſtere ad alicuius dextram, vt eius impetus & conatus infringas & cohibeas: hic verò conſtructum cum litera ל ſignificat ita ad dexteram alicuius ſtare, vt hoſtis vel aduerſarij ictus omnes excipias, & ad cuius latus conſiſtis patrocinium huius ſuſcipiens, tutum ab hoſtis impetu & violentia reddas, hoc eſt, vt vice ſcuti & gladij ſis ei, quem defendendum ſuſcipis.

Eadem fere phraſis eſt pſalm. 16. niſi quod pro ל ibi ponitur prępoſitio מן, Quia à dextra mea eſt Deus, non nutabo.

Vt ſeruet à iudicantibus animam eius] Id eſt, vt eripiat eū ab illis iniquis iudicijs, quibus non tantùm deformatur, & iniuſtè apud omnes traducitur, tanquam blaſphemus, turbulentus, ſeditioſus, pacis & tranquillitatis hoſtis, aut reus læſæ maieſtatis: ſed etiam exitio & morti adiudicatur. Hæc plena ſunt conſolationis. Semper enim eccleſia in hac vita premitur illis iniquis iudicijs impiorum hominum: & nos hoc tempore nulla re magis, quàm iniquitate illa iudiciorum, & iniuſtis condemnationibus tam hoſtium manifeſtorum, vt pōtificiorum, quàm falſorum fratrum exagitamur, dum vel ſchiſmatum & hęreſeos, vel turbatę pacis, vel colluſionis cum hoſtibus, vel etiam manifeſtæ defectionis ad impietatē Mahometicam accuſamur. Hic verò teneamus hanc conſolationem, quòd Deus liberaturus nos ſit ab illis iniquis iudicijs, & toti mundo innocentiam noſtram ſit oſtenſurus. Veriſſimum enim eſt, quod Tertullianus in ſuo apologetico inquit: *Cùm à mundo damnamur, à Deo abſoluimur.* Hac ſpe patiēter feramus illas iniurias & ęrumnas, & ſalutem noſtram huic noſtro ὑπερασπιστῇ, qui à dextris noſtris ſtat, commendemus.

PSALMI CIX.

PARTES.

I. Exordium, audientiam faciens à natura Dei, in quo laudem ſuam totam conſiſtere exponit pſaltes, v.1. deinde à perſona aduerſariorum & ſua, v.2.3.4.5.

II. Imprecatio in aduerſarium ab omni pietate & humanitate alieniſſimum, à verſ.6. ad 21. vſque. Malè precatur autem Dauid tum ipſi aduerſario ſpeciatim, verſ.6.7.8. tum familiæ, verſ. 9. & 10. tum etiam bonis, honoribus, & nomini illorum omnium coram hominibus, verſ. 11. 12. & 13. tum ſaluti coram Deo, verſ. 14. & 15. ſequentibus autem imprecationis αἰτιολογία ſubiicitur, nempe verſ. 16. 17. 18. & eiuſdem ſumma, appoſita ſimilitudine, verſ. 19. & breui repetitione, ad maiorem emphaſin proponitur, verſ.20.

III. Precatio, qua Dauid Deum orat pro ſalute ſua. 1. A natura, fœdere & gloria Dei, v.21. 2. A perſona ſua, miſerrima, & omni ope deſtituta, v.22.23.24.25.

IIII. Concluſio, continens primùm anacephalæoſin totius orationis præcedentis: vbi inuerſo ordine Dauid Deum orat pro ſalute ſua ad gloriam ipſius, verſi. 26. 27. 28. & pro confuſione aduerſariorum, verſi.29. Deinde profeſſione vtitur ſui erga Deum officij & grati animi, verſi. 30. addita ratione, verſi.31. quòd Deus ſuorum ſit liberator, quemadmodum horum vnuſquiſque ſibi aliiſque teſtis eſt luculentiſſimus.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Fideles neque alium expetunt, neque etiam alibi vſquam poſſunt inuenire ſuæ integritatis vindicem quàm Deum.

Vbi improborum calumniis obruimur, Deus innocentiæ noſtræ teſtis non ſilebit.

Quum in ſua perſona Chriſtum & eccleſiæ corpus Dauid repræſentet, quoties nos omni probrorũ genere onerant homines, diſcamus acquieſcere in vnius Dei patrocinio.

2.3.4.5 Etſi Dei filios Satan vi aperta oppugnat, tamẽ vt pater eſt mendacij, miris calumniarum artificiis eos deformare tentat, ac ſi eſſent faces & excrementa mundi: & quotidie in fidelibus implẽtur τὰ ὑστερήματα paſſionum Chriſti, ſicut in Chriſto impletum eſt quod in Dauide fuerat adumbratum. Semel enim in ſe paſſus fideles ſibi conſortes ac ſocios accerſit.

Prodigioſi ſunt Satanæ impulſus, vbi mẽtes hominũ ſibi tenet mãcipatas, & naturam prorſus exuerunt qui amicos odio proſequũtur & crudeliter infeſtant.

Pij atrociter vexati non applicant animum ad illicita media, vt paria referant: ſed contenti vnius Dei tutela, ſe ad eum conferunt, & precibus pugnant: vide pſal.69.13.

6 Quoties pij maledictionis vota concipiunt aduerſus impios, nec immodico carnis affectu commouentur, nec agunt priuatam cauſã, nec inconſiderato zelo ſunt accenſi. Qui autem priuato ſui reſpectu intemperantia carnis, & ſtulto zeli feruore abreptus diras in quoſcunq; libet euomit, fruſtra Dauidis exemplo nititur, neſcitque quo ducatur ſpiritu. Vide Luc.9.55.

Qui crudeliter in bonos & ſimplices homines graſſatur, digniſſimus eſt hoc ſupplicio vt impius alius ſuper eum dominetur.

Inſidiatores & calumniatores qui per inſidias peſtem pijs machinantur, tandem attrahent ſibi iuſto Dei iudicio aduerſarium qui eos in deſinenter vexabit.

7 Palam fient impiorum ſcelera, nec reliquus erit abſolutioni locus: omniſq; eorum deprecatio repudiabitur. Quòd ſi tribunal humanum effugiunt, in Dei manus tandem incident.

8 Vitæ breuitas, impiorum reſpectu, eſt ſignũ maledictionis: nam Deus ſceleſtos è terra violenter rapiens, indignos eſſe communi ſpiritu demonſtrat.

Quum ſceleſtos honore abdicat Deus, & ex alto præcipitat, patefit horrendum eius in illos iudicium.

Dauid quum in Chriſti perſona locutus ſit, rectè huius verſiculi imprecationem diuus Petrus, Act.1.20. ad Iudam accommodat.

Non eſt cur ſuperbiant improbi dũ regnãt in mundo: quia tandem eos manent exitus quem hic Dei Spiritus pronuntiat. Et nobis etiã ſuggeritur optima patientiæ & conſolationis materia, dum audimus, vtcunq; in ſublime nunc euecti ſint, propinquam tamen abdicationem illis inſtare.

9.10 Atrocia crimina graues ac ſeueras pœnas attrahunt, & iniquitas patrum in tertiam & quartam generationem viſitatur.

11 Malè parta malè dilabuntur, & neceſſe eſt pauperum illaqueatores tandem ab aliis exactoribus, variis etiam artibus illaqueari.

12 Impiis aliquoties hæc pœna reponitur, vt Deus omnium hominum eos intuentium corda obduret, ne quid miſericordiæ inueniant qui ſine modo fuerunt crudeles, eademq; menſura qua alios metiti ſunt illis rependatur.

13.14.15 In eam ruinam deiiciuntur reprobi, vt nunquam vires colligant ad recuperandum priſtinum ſtatum quem Dei manſuetudine ad tempus obtinuerunt.

Quum Deus vlciſcitur peccata in tertiã & quartam generationem, nõ promiſcuè inuoluit inſontes cum ſceleratis: ſed reprobos priuando gratia & luce Spiritus ſui, nobis oſtendit ſe ad interitum appараſſe vaſa iræ antequam naſcerentur.

16 Quia Deus non fruſtra in tutelam ſuam recipit miſeros, modò ſe ſub manſuetudine contineant, & deiectio cordis eorum in Dei conſpectum aſcendat, exultatio impiorum tãdem in luctum & ſupplicium conuertetur.

Impiorum eſt crudeliter & ſuperbè agere in afflictos & contritos corde. Pij autem aliorum miſeriis compatiuntur.

Quia nobis nõdum datũ eſt diſcernere electos à reprobis, diſcamus bene precari omnib. qui nobis moleſti ſunt, optare totius humani generis ſalutẽ pro ſingulis etiam eſſe ſolliciti. Interea hoc non impediet, ſi modò puri ſint nobis & compoſiti animi, quin liberè prouocemus ad Dei iudicium, vt deſperatos omnes malè perdat.

17.18.19 Quicquid machinantur improbi, recidet tandem in ipſorũ capita: & quo maiore licentia graſſantur, ſibi accerſunt quicquid aliis intentant: fitq; conſilium iſtis conſultoribus peſſimum.

20 Etſi totus mundus nos deſtituat, mentes ſurſum erigere nos conuenit, & è cælis vindicem noſtrum expectare, qui pro ſua ſapientia & bonitate opportunum feret auxilium.

21 Pij vnicum aſylum ſibi ſtatuunt in Dei clementia. Quoties ergo ad eum accedunt, & bonæ conſcientiæ teſtimonio opus habeãt: tamen nullam fingunt dignitatem quæ Deum obſtringat, nec vllũ meritum cui debeat mercedem, ſed vnico Chriſti merito nituntur, per quem ſe gratos eſſe cæleſti Patri firmiter credunt.

22 Deus illis eſt medicus qui verè humiliati ad eum ſuſpirant, nec in malis ſuis obſtupeſcunt.

23 Suos miris modis Deus exagitat, & multa caſuum varietate eis torporem excutit, vt ſuæ infirmitatis conſcij eo ardentiùs liberationem expetant. Vide 1.Cor.4.11.

24 Grauiſſimæ ſunt piorum ærumnæ, ex quib. macies contrahitur, & vita paulatim deficit vt ad meliorem illam toto cordis affectu aſpirent.

25 Summis tentationum generibus impetuntur fideles, ac ſi prorſus à Deo eſſent derelicti: modò autem Deus paterno nutu illos animet, impiorum ſubſannationes contemnunt.

26.27 Quò pluribus machinis nos oppugnat Satan, eo maiore ſtudio precibus Deum excitare vt nobis ferat opem neceſſe eſt, ſicuti ſolet ſeruis ſuis in die afflictionis adeſſe.

Non vulgari modo, ſed inſigni Dei virtute fideles liberantur, vt impij confuſi obmuteſcant. Cæterùm Dei manus tam fortunæ, quã humanis omnibus mediis opponenda eſt, & vnus ille omnipotens author ſalutis Eccleſiæ agnoſcendus.

Dum optamus Dei manum obiici impiorum conatibus, neceſſe eſt vt eius cognitio animis noſtris inſideat.

28.29 Ne corda noſtra vnquam percellat hoſtium malitia, improbitas, audacia, robur & furor, diſcamus Deum à parte noſtra ſtatuere, qui inſtar fumi diſcutiet omnes eorum conatus.

Leniter & manſuetis animis ferendæ ſunt afflictiones, donec adueniat maturum gaudij tempus.

30.31 Cor ita linguam præire debet in celebrandis Dei laudibus, vt lingua etiam cordi comes accedat.

Etiamſi videtur Deus ſuos negligere, deinde procul recedere, ſemper tamen eis adeſt, vt præſto ſit ad opem eis tempeſtiuè ferendam aduerſus potentiſſimorum hoſtium ſuperbos furores.

ARTI-

Articvli praecipvi.

1. Inuocationis fructus & vſus.
2. Impiorum notæ.
3. De imprecationibus in Dei hoſtes.
4. Zeli pij & præpoſteri diſtinctio.
5. De iudiciis horrendis in reprobos, tum vitæ præſentis tum futuræ reſpectu.
6. Piorum variæ calamitates & liberationes.

ARGVMENTVM PSALMI CX.

HIC totus Pſalmus dulciſsima eſt ἐξήγησις ſeu enarratio promiſsionis de venturo Meſsia, tradita primis parentibus poſt lapſum in paradiſo, & poſtea repetita Abrahamo & eius poſteris. Quæ promiſsio vt fundamentum & baſis fuit eccleſiæ, inde vſque ab initio collectæ ex genere humano, ita ſubinde miniſterio Prophetarum in veteri teſtamento magis ac magis fuit illuſtrata: nec alia in re magis quam in hac declaranda labor illorum fuit occupatus. Nulla autem extat concio in libris veteris teſtamenti, quæ tanta breuitate, tam luculenter, & tanto orationis ſplendore eam promiſsionem euoluat, & maiores res complectatur. Ideóque grata eſſe piis auditoribus huius pſalmi lectio debet. Docet enim pſalmus, quod ſit illud ſemen promiſſũ, & quæ eius præcipua officia ſeu beneficia ſint futura. De perſona inquit, Quanquã promiſsio de ſemine mulieris, deinde de ſemine Abrahæ, tradita erat, & hoc ipſo tempore ad ſemen Dauidis promiſsio reſtricta erat, (quibus appellationibus haud dubiè verus homo ſignificatur) tamen futurũ Meſsiã ſimul Dominũ Dauidis qui ad Dei Patris dextram ſedeat, & diuina potentia regnet. Vnde colligitur, Meſsiam non tantùm hominem, ſed Deum futurum. Et Chriſtus ipſe (Matth. 22.) hoc argumento Phariſæorum errorem, de Chriſti perſona conuincens, oſtendit ſe non tantum hominem, ſed verum quoque Deum eſſe. Deinde officia huius Meſsiæ ad quæ mittatur, explicans, ait, eum fore regem & ſacerdotem, & quidem longè alium quàm qui ex hominibus conſtituitur. Eſſe enim hoc regnum & ſacerdotium æternum: cùm inter homines regna & ſacerdotia ſint caduca & temporaria, vt mox dicetur. Continentur autem appellationibus regni & ſacerdotij præcipua beneficia Meſsiæ, in quibus ſalus hominũ conſiſtit. Cũ enim ſacerdotis officium ſit docere doctrinam de Deo, orare pro eccleſia, & ſacrificare, iuxta verſum, ἱερεὺς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίοιο διδάσκων ἱλάσκει θυσίᾳ ταῖς δὲ ἀραῖς τε θεόν: monet appellatio ſacerdotis, quòd Chriſtus proferat doctrinam euangelij ex ſinu patris, & hoc verbo viuificet nos: quod factus ſit pro nobis victima: quod ſit mediator placãs Deum: quod tollat peccatum: quòd interpellet pro nobis: quòd ſit pontifex, propter quem exaudiamur, & qui noſtras preces ad patrem perferat. Ad regis verò officium pertinet, quòd deſtructo regno peccati, mortis, & Diaboli, liberat nos ab horum hoſtium tyrannide & poteſtate: quòd reſtituit bona erepta ab hoſte: quòd armat nos contra hoſtem in hac vita, vt nos quoque pugnare contra hoſtem poſsimus: quòd opitulatur infirmitati noſtræ, & cõfirmat nos aduerſus hoſtes, cum quibus nobis eſt ἄσπονδος πόλεμος, & ſimul ipſe pugnat: denique quòd eductos ex hac vita tandem liberat nos, & adducit in conſpectum Dei, donans æterna luce, iuſtitia & vita.

Harum rerum conſideratio & explicatio magnam lucem affert primæ promiſsioni, & ad conſolandas perterrefactas mentes eſt efficaciſsima. Quia igitur pſalmus has ampliſsimas res mira orationis breuitate luculẽter exponit, & ſimul qualis huius regni ſit populus, & quæ conditio tam regis, quàm ſubditorũ oſtendit: debet hic pſalmus familiariſsimè notus eſſe omnibus pijs. Et quia ſcire oportet, quomodo horum beneficiorum, de quibus pſalmus concionatur, participes fiamus, ſimul etiam doctrina de applicatione cogitanda eſt, quæ in aliis pſalmis, vt 2. 45. & ſimilibus, & paſsim in tota Scriptura traditur. Applicatio enim fit fide, iuxta dicta: Beati omnes qui confidunt in eo. Item, Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hæc & ſimilia dicta ſimul cogitanda ſunt, quoties de beneficiis Chriſti dicitur: Fruſtra enim de beneficiis Chriſti cõcionamur, niſi ſimul cogitetur, quomodo hæc beneficia ad nos perueniant, & qui his fruantur. Iudæi, vt omnia Scripturæ dicta, quæ de Chriſto & eius beneficiis concionantur, ſcelerate corrumpunt, ita etiam hunc pſalmum plerique inſulſiſsimè interpretantur de Abrahamo. Volunt enim eſſe gratiarum actionem pro victoria diuinitus conceſſa Abrahamo de regibus gentiũ: quæ hiſtoria legitur Gen. 14. & ſermonẽ attribuũt Eliezer ſeruo eius, qui ſe & pios confirmans promiſsione diuinitus tradita, Abrahamo dicat, Dixit Dominus Domino meo, &c. Alij etiam de Ezechia intelligunt: vt refert Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem, quòd is ſederit ad dextram templi, & hoſtes eius auerterit Deus & abſumpſerit.

Sed & titulus eos redarguit, qui pſalmum Dauidi, non Eleazari adſcribit: & Chriſtus ipſe teſtatur Mat. 22. hunc pſalmum de ſe compoſitum eſſe. Etiam res ipſa oſtendit pſalmum de Abrahamo, aut alio quopiam rege, intelligi non poſſe. Loquitur enim de rege, qui ſit regnaturus diuina potentia, & qui ſimul ſacerdos ſit futurus, non legalis, ſed ſecundùm ordinem Melchizedec, & quidem æternus. Conſtat autem cæteros reges, nec æquari Deo, nec perpetuum regnum tenere, nec ſacerdotio fungi, & quidem æterno. Ideo autor epiſtolæ ad Hebræos perſpicuè oſtendit, non de alio quàm de Chriſto hunc pſalmum accipiendum eſſe. Eſtque malitia Iudæorum in peruertendis Scripturæ teſtimoniis vel ex hoc vnico loco manifeſta.

Dauidis pſalmus.

1 DIxit Iehoua Domino meo, Sede à dex-
tris meis: donec ponam inimicos tuos
ſcabellum pedibus tuis.

Pſalmus, vt in argumento diximus, eſt didaſcalicus & propheticus. Continet enim deſcriptionem regni & ſacerdotij Chriſti. Aptiſſimè igitur orditur propheta narrationẽ ab autore huius regni, vt & regi conciliet inter homines autoritatem, & nos doceat, regnũ hoc Deo placere, & eſſe efficax ac perpetuum: Atque ita moneat, nos debere obedientiam huic regi, qui voce diuina ordinatus ſit rex, & conſtitutus ad dexteràm Dei. Nemo enim ſine ſcelere & impietate repudiare aut contemnere hunc regem poteſt, qui nõ ſibi rapuit regnũ, ſed voce diuina inauguratus & conſtitutus eſt rex omnium. Deinde non poteſt non eſſe efficax & ſalutare hoc regnum hominibus, quod Deus expreſſo mãdato, & ſolenni quaſi ritu, huic regi adminiſtrandum commendauit. Ideoque cùm ſibi, tum toti eccleſiæ de hoc rege Dauid gratulatur. Poſtremò, cum regnũ velit eſſe, non quale eſt inter homines, tẽporale ſcilicet & caducum: alioqui enim non opus erat hac ſolẽni electione & ordinatione, quã ſuo ipſe iuramẽto ſanciret

& confirmaret: ſed exemptum à communi ordine & curſu aliorum regnorum, neceſſe eſt & æternum eſſe hoc regnum, & æterna bona in eo adminiſtrari & diſtribui. De his rebus omnibus monet exordium, cùm inquit, *Dixit Iehoua*, &c. Eſt autē & phraſis conſideranda. Dicere enim ſignificat hoc loco, non tantùm voluntatem ſuam alteri, hoc eſt, regi conſtituto & ordinato patefacere, vt ille de ſua electione ſit certus: ſed immenſa ſapientia decretum facere, idque generi humano patefacere, promulgare & ſancire, vt ſit ratum & immotum: ſicut poſtea additur iuramentum huic decreto. hæc conſideranda ſunt diligenter. Neque enim ſatis eſſet Filio regi hæc dicta eſſe, ſed neceſſe eſt eccleſiam de hac re certam eſſe. Ideo decretum hoc patefit, atque hac patefactione colligitur Deo eccleſia in hac vita.

Domino meo] Iam regem nominat, & perſonam eius deſcribit. Eſtque hæc deſcriptio diligenter obſeruanda: quia neceſſariam doctrinam continet. Acceperat Dauid promiſſionem, fore vt ex ipſius poſteritate naſceretur Meſſias. Ita enim ſonat De fructu ventris tui ponam ſuper ſolium tuum, &c. Erat igitur Chriſtus iure naturæ filius Dauidis: ſicut & Paulus ad Rō. 1. eum nominat filium Dauidis ſecundùm carnem. Cur igitur Dauid appellat eum Dominum ſuum? Nam filius certè non eſt dominus patris, iure naturæ: ſi loquamur de reali dominio, non de inani titulo. Salomon enim non eſt dominus Dauidis, tametſi creatus eſt rex viuo patre. Et in eodē regno politico, atque eadem natura pater, ſeu rex qui antecedit, ſemper eſt dominus eius qui ſuccedit: vt Auguſtus hæres imperij Romani, non eſt dominus Iulij, etiamſi maius habet imperium. Itaque ex hoc loco ſic argumētatur Chriſtus, diſputans cum Phariſæis, Matth. 22. Filius non eſt dominus Patris. Meſſias eſt Dominus Dauidis. Ergo non eſt eius filius. Eſtque hoc argumentum inſolubile iis qui neſciunt quis ſit Meſſias, & quod ſit eius regnum: id quod Phariſæis accidiſſe videmus. Vt igitur rectè reſponderi poſſit ad argumentum Phariſæis obiectum, rectè tenenda eſt doctrina de perſona Filij Dei, & de eius officio. Verum eſt filium eiuſdem naturæ ſeu æqualem, non eſſe dominum patris. Itaque ſi Chriſtus tantùm eſſet homo, nequaquam dici poſſet Dominus Dauidis. Sed quia Dauid eum appellat Dominum ſuum, hinc colligitur, Chriſtum non eſſe tātùm hominem aut æqualem Dauidi, ſed Deum quoque.

Hæc prima eſt ſolutio, cui etiam altera addi debet, ſumpta ab officio, Chriſtum ſcilicet dici Dominum Dauidis: quia cùm nō tantùm homo ſit, ſed Deus, liberat eum à morte, à poteſtate ſatanæ, à peccato, à damnatione, & reſtituit ei iuſtitiam, & vitam æternam. Ideo quanquam filius Dauidis eſt ſecundum carnem: tamen, quia aliud habet regnum ſpirituale, in quo lōgè maiora bona diſpenſat & diſtribuit quàm reges terreni, rectè dicitur Dominus Dauidis: cùm alioquin in eodem regno filius dici Dominus patris non ſoleat. Hæc ſolutio refutat ſtultam Iudæorum perſuaſionem, qui exiſtimabant Meſſiam fore regem mundanum, qui armis occupaturus eſſet totum orbem terrarum, & inter ſuos populares diſtributurus regna & prouincias. Talis enim ſi rex eſſet, nō eſſet Dominus Dauidis. appellatio igitur hęc primùm docet nos, Quis ſit Meſſias: nimirum, quod non tantùm filius Dauidis ſit ſecundùm carnem, ſed etiam Dominus, quia natura eſt in eo diuina, & quia æterna bona affert. Deinde ſegregat regnum Meſſiæ à regno Dauidis, & docet illud nō eſſe politicum regnū, quod conſtituatur ad corporalem defenſionem, vel ad conſeruationem iuſtitiæ & pacis ciuilis: ſed ſpirituale & æternum.

Sicut autem Dauid rex hunc Meſſiam agnoſcit ſuum Dominum: ita cæteri reges & principes cogitent tunc ſe habituros regnum glorioſum, pulchrè conſtitutū, & ſalutare ſibi & ſubditis ſuis, ſi hunc Dominum exemplo Dauidis agnoſcant & ſuum eſſe fateantur, hoc eſt, ſi ſubiiciant ſe eius imperio, fide amplectantur eius doctrinam, petant & expectent ab eo bona æterna & cæleſtia, inuocent & adorent eū, foueant eius membra, ornent eccleſiam, & benefaciant piis in hac vita: nō excutiant eius iugum, non detrectent obedientiam, non perſequantur odio, aut oppugnent eius eccleſiam.

Sede à dextris meis] Hæc ſunt verba inaugurationis, quibus huic regi commendatur & committitur adminiſtratio huius regni, & commiſſum eſſe eccleſiæ demonſtratur. Sicut igitur de perſona dixerat, ita nunc officium eius explicatur. Eſtque forma ſermonis diligenter conſideranda & rectè intelligenda. Cum Deo attribuitur dextera, non eſt imaginanda diſtinctio ſitus aut loci, quaſi Deus habeat dexteram aut ſiniſtram locis & ſitu diſtinctas. Sed loquitur Scriptura de Deo ἀνθρωποπαθῶς, vt ſe ad noſtrum captum Spiritus ſanctus accōmodet, & vt res ſummæ atque imperueſtigabiles, aliquo modo à nobis intelligi poſſint. Significat autem dextra inter homines, robur, vires, potentiam alicuius, quam ille dextera ſua maximè conſpicuam facit: vt cùm infrà pſalmo 144. dicitur, dextera eorum, dextera mendax, id eſt, fallit eos fiducia roboris & potentię, nec poſſunt exequi quod cupiunt. Ab hominibus igitur vox dextera ad Deum tranſlata, ſignificat efficacem virtutem & præſentiā Dei, quam ille in conſeruatione & gubernatione generis humani, atque inprimis eccleſiæ ſuæ oſtendit: vt cùm dicitur pſalm. 118. Dextera Dei fecit virtutem. Deinde, ſicut reges ad dexteram ſuam collocant, quos in regni ſocietatem admittunt, ſignificātes hoc ritu, velle ſe dignitatem & potentiam ſuam cum his communem eſſe: ſicut Salomon matrem ſuam honoraturus collocat eam ad dexteram ſibi, 1. Reg. 2. & pſalmo 45. in epithalamio Salomonis ſpōſa ad dexteram regis collocatur, vt æqualitas honoris & dignitatis ſignificetur. Ita Deus Chriſtum hîc dicitur ad dexteram ſuam collocare, vt ſignificetur Chriſtum accepto à patre imperio, pari cum eo potentia in eccleſia regnare, eiuſdémque throni & ſedis eſſe participem. Ita Paulus hanc phraſin interpretatur Epheſ. 1. Collocauit eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et 1. Corinth. 15. ſine dubio hunc pſalmi verſum interpretari volens, inquit: oportet eum regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedibus eius. Huc congruit & illud Heb. 1. Qui exiſtens ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ eius, & purgatione peccatorum facta conſedit in dextra magnificentiæ in excelſis, tantò melior factus angelis, quantò excellentius præ illis hæreditauit nomen. Cui enim angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu, &c. Et iterum, Sede à dextris meis.

Atque in hanc ſententiam Baſilius inquit: τὸ δεξιὸν οὐ τὴν χώραν δηλοῖ, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ ἴσον σχέσιν. Sedere igitur ad dextram patris, etſi ad naturas in Chriſto hoc referri poteſt: vt ſi ad diuinam reſpicias, æqualitatem non potentiæ tantùm, ſed eſſentiæ declaret (Deus enim gloriam ſuam alteri non dat) humanam verò in ſocietatem huius regni & potentiæ aſſumptam atque euectam eſſe demonſtret, hac tamen lege, vt excipiatur is, qui omnia ei ſubiecit, 1. Cor. 15. & naturarum proprietates ſeruentur diſtinctæ: principaliter tamen ſignificat officium Chriſti, quod conſiſtit in aſſidua collectione, gubernatione, defenſione & ſaluatione eccleſiæ. Et hoc officio exaltatus eſt Chriſtus ſuper omnes creaturas. Nam dextera Dei nihil eſt ſublimius. Hac interpretatione phraſis ſimpliciſſima ſimus contenti, & relinquamus illa, quæ nonnulli ex mentione dexteræ Dei colligere conantur, vt dogma nouum & eccleſiæ Chriſti hactenus ignotum de infinitate humanæ naturæ ſtabiliant. Nam phraſes, quæ officium cum ſumma alioqui dignitate & potentia coniunctum ſignificant, nō ſunt confundendæ cum appellationibus, quæ proprietates naturarum in Chriſto declarant & diſtinguunt. Et ſicut miſſio atque obedientia filij nō tollunt æqualitatem eſſentiæ aut potētiæ diuinæ: ita rurſus gloria ac maieſtas officij, atque etiam cultus ipſi à nobis adhibiti, non tollunt diſcrimina naturarū in Chriſto: nec proprietates earundem abolent. Nam *ſicut Deus*, vt Leo rectè ſcribit, *non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate.*

Gubernatio autē illa, ſeu regnum, de quo hîc loquitur, pertinet ad officium Meſſiæ: & ſedere ad dexteram Dei ſignificat exaltatum eſſe in regno, & illud regnum potenter & feliciter adminiſtrare, in quo officio vtraque natura ſuas habet actiones, ſed competentes perſonæ. Ideo de perſona miſſa, non tantùm de natura humana intelligatur dictum: id quod vel appellatio Domini oſtendit, ex qua Chriſtus ipſe Matth. 22. colligit, ſe non tantùm hominem, ſed Deum quoque eſſe. In quam ſententiam & Cyrillus inquit in dialogis de Trinitate, Chriſtum eſſe exaltatum, vt cum carne dominetur. Nō enim abſque carne, ſed in carne & cum carne dominationis gloriam ſuſcepit. Et quanquam nonnulli ex patribus exaltationem ad naturam humanam rectè referendam cenſent: (Ea enim in hāc gloriæ ſocietatem aſſumpta & euecta eſt) id tamen faciendum eſt eo ſenſu, quo Gregorius Niſſenus Baſilij frater in oratione contra Eunomium inquit: ἀλλὰ μὴν ὁ θεὸς ὑψωθῆναι οὐ δεῖται ὕψιστος ὤν, τὸ ἀνθρώπινον ἄρα ὁ ἀπόστολος ὑψωθῆναι λέγει. ὑψωθῆναι δὲ διὰ τὸ κύριος καὶ χριστὸς γενέσθαι. Et adiungenda eſt Hieronymi ſententia, qui in ſymboli explicatione, inquit: *Reſurrexit Dominus tertia die, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexterā patris, manente ea natura carnis, in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit.*

Quod igitur nonnulli ex hoc loco argumentantur:

Dextera Dei eſt vbique,
Chriſtus ſedet ad dexteram Dei,
Ergo humana natura eſt vbique atque infinita.

Facilis eſt ſolutio. Eſt enim fallacia amphiboliæ, & ſunt quatuor termini in ſyllogiſmo. Loquitur enim maior de proprietate alterius naturæ: minor de officio perſonæ. Nequaquam autē confundendæ ſunt appellationes ſeu deſcriptiones

nes officiorum cum appellationibus naturæ. Officia enim competunt toti perſonę, in quibus vtraque natura habet ſuas actiones, non tamen ſeparatas: quia eſt vna perſona: vt cum diciturMediator, Rex, Sacerdos. Ac rectè de his Leo ſcribit ad Flauianum, *Agit vtraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, verbo ſcilicet operãte, quod verbi eſt, & carne exequẽte, quod carnis eſt.* Naturarũ verò appellationes ita ſunt intelligendæ, vt ſuis illæ proprietatibus diſtinguantur, ne fiat confuſio. Cùm igitur infinitas (vt de aliis nunc non dicã) proprietas ſit vni naturæ diuinę competens: nõ eſt cogitandum humanam naturam in ſe factam eſſe infinitã, etiamſi cum infinita natura ſit vnita & exaltata ſupra omnes creaturas. *Hæc enim eſt vera reſurrectionis cõfeſſio* (inquit Hieronymus ad Pammachium) *quæ ſic gloriam carni tribuit, vt non auferat veritatem.* Hęc perſpicua eſt ſolutio.

Deinde aliud eſt ſedere ad dexteram Dei: aliud, eſſe ipſam dexteram Dei: vt hinc colligi facilè poſſit, non rectè ſubſumi ſub maiori eùm dicitur, Dextera Dei eſt vbique: Chriſtus ſedet ad dexteram Dei. Si enim de humana natura loquaris, nõ rectè dixeris, eã eſſe ipſam dexterã Dei. Itaque non ſequitur cõcluſio: & eſt fallacia conſequentis in ſyllogiſmo. Atque ex hoc fõte multa poſſunt ſolui argumẽta, quæ plauſibiliter ad ſtabiliendam confuſionem Eutychianam à nonnullis afferuntur.

Hæc de phraſi primo loco monẽdi erant auditores. Deinde doctrina conſideranda eſt, quæ in hoc dicto cõtinetur. Nã deſcriptione regni beneficia notantur, quæ huius regni ſunt propria: neque enim otioſa eſt hæc dominatio. Diximus autẽ ſuprà, regnũ hoc aliud eſſe à regnis mũdanis. Eſt enim æternũ & ſpirituale. Quare & ſpiritualia beneficia & æterna in hoc regno diſtribuuntur, quæ non poſſunt comparari humana potentia aut viribus. Sunt autem illa beneficia, vt antea quoque monuimus, remiſsio peccatorũ, iuſtificatio, donatio Spiritus ſancti & vitæ æternæ, liberatio à tyrãnide diaboli, à peccato & à morte, defenſio & auxiliũ contra furores diaboli & organorũ eius, qui eccleſiã in hac vita oppugnant & delere conantur, in qua defenſione non ipſe tantum pugnat pro ſuo grege, ſed ſimul nos armat & inſtruit viribus, vt ſuſtinere & depellere impetum hoſtilem poſsimus. Hæc omnia appellatione regni comprehendit, de quibus cum cogitamus, ſimul cõſideremus quomodo hic rex agnoſcendus & celebrandus ſit, & quomodo horũ beneficiorum participes fiamus. Cùm enim rex ſit nõ terrenus, ſed ſpiritualis & cæleſtis, etiã ſpiritualem cultum & obſequium ſpirituale requirit. Ille autem cultus conſiſtit in fide qua hæc bona nobis applicamus, deinde in inuocatione & gratiarum actione.

Poſtremo & hoc conſiderandum eſt: cùm rex noſter ſit hic Meſsias, ſolus eſt qui leges ſuis ſubditis præſcribat. Itaque regio honore eum ſpoliant, qui nouas leges condunt & conſcientiis imponunt. Qualem tyrannidem iamdudum vſurpat in eccleſia pontifex Romanus, qui ſeipſum quaſi ad dexteram Dei collocans, poteſtatem ferendi ſuas leges & diuinas abolendi audaciſsimè ſibi ſumit, cõtra hoc decretum in quo ſolus Meſsias rex eccleſiæ conſtituitur.

Donec ponam inimicos tuos] Iam de victoriis huius regis concionatur. Cùm enim rex ſit non otioſus aut ignauus, cúmque hoſtes habeat ſæuiſsimos, aſtutiſſimos & potentiſſimos, neceſſe eſt cum aſſiduè bella gerere, & pugnare pro ſalute populi ſui. Hic igitur promittitur ei victoria ab hoſtibus deuictis. In qua promiſsione ſumma eſt conſolatio piis propoſita, quæ in ærumnis & perſecutionibus grata eſt afflictis mentibus. Etſi enim appellatione hoſtium monet Spiritus ſanctus, regnũ hoc aſsiduos & innumeros habere hoſtes, ideoque variis modis oppugnari in hac vita, vt quieſcere aut ſuaui otio frui qui in hoc regno ſunt non poſsint: tamen affirmat regem hũc fore ſuperiorem omnibus ſuis hoſtibus: & docet regnũ hoc ita firmum eſſe, vt nullis hoſtiũ viribus, nullis armis, nullis fraudibus aut dolis euerti poſsit. Vt vt igitur omnia ſua arma & vires expediãt hoſtes, & nihil nõ moliãtur aduerſus hunc regem & eius ſubditos, nihil tamen proficiẽt: ſed exuti tandem omnibus viribus & poſtrati abiicientur ad ſcabellum pedum huius regis, & potẽtiam eius in ſuis pœnis & miſeriis agnoſcent. Hoc enim ſignificat abiici, & poni ad ſcabellum pedum alicuius: ne quis Origenis ſomnia ſecutus hinc colligat (quod quidam facere tentarunt,) vniuerſos eſſe ſeruandos. Nam abiici ad ſcabellum pedum Chriſti, non ſignificat membrum fieri huius regni, aut participem fieri bonorum cœleſtium: ſed, vt dixi, ſumma miſeria & abiectio ſignificatur, in qua cum horribili dolore & conſternatione agnoſcent hoſtes huius regis potentiam, & ſuam impietatem atque audaciã deteſtabũtur, qui ſe auſi fuerint opponere huic regi. Sapi. 5. Alioqui enim ciues huius regni, quos Chriſtus ſeruat, non abiicit ad pedes ſuos, ſed ad menſam tanquã conuiuas collocat. Eſt autem forma ſermonis ſumpta à conſuetudine iſtarum gentium. Nam orientales hoſtibus deuictis vtebantur tanquam ſcabellis pedum. Iud. 1. Adoni Bezek, Tamerlanes. Et Alexander pontifex ſuperbè imitatus eſt hunc morem. Hæc prima & principalis doctrina eſt in hoc membro de victoriis huius regis, & de irritis hoſtium conatibus.

Deinde conſiderandum eſt qui ſint illi hoſtes, quorum hîc mentionem facit. Non enim loquitur de vulgaribus quibuſdam hoſtibus, quorum impetus, vt eſt temerarius, ita facilè euaneſcit, & ſine negotio eliditur. Sed loquitur de hoſtibus potentiſſimis, ſapientiſſimis, crudeliſſimis, & quidem non vnius ſeculi aut ætatis, ſed qui aſſiduè & magnis viribus regnum hoc oppugnant, & cum quibus perpetuò vſque ad finem mũdi bellum ἄσπονδον ſit Chriſto gerendum. Qui igitur ſunt illi hoſtes? Reſpondeo breuiter: Totum regnum diaboli: Id eſt, diabolus, qui eſt autor peccati & mortis, & per peccatum & mortem abſtraxit à Deo genus humanum, vt quos ſemel à Deo auulſit, à poſſeſſione regni cœleſtis perpetuò arceat & excludat, & ipſe omnia molitur, ne regnum Chriſti capiat aliquod incrementum, & homines impios armat aduerſus Chriſtum, vt perſequantur membra eius. Hinc igitur tot & tam ſæua bella in eccleſia: atque hinc tanta hominum multitudo, qui ſe omnibus viribus huic regi opponunt, alij aliis initio cauſis moti. Nonnulli enim abſurditate doctrinæ, quæ captum humanum ſuperat, & infirmitate docentium & diſcentium offenſi iudicant, Euangelium inanem fabulam eſſe: ideoque deridenc & deſpiciunt hunc cœtum, qui dicitur eccleſia. Alij oderunt Euãgelium tanquam facem diſſidiorum. Alij vt hypocritę, ægrè ferunt ſuam iuſtitiam extenuari & inter ſordes abiici. Ideoque clamant hanc doctrinam eſſe corruptelam morum & diſciplinæ laxationem. Has igitur cauſas ſuis odijs prætexunt, quæ diabolus poſtea magis inflammat, vt ingenti animi ardore & furore concurrant ad opprimendũ illum cœtum. Sed Chriſtus vincit hos hoſtes omnes. Primùm abolet peccatum & mortem, à quibus diabolus initium ſuæ potentię & tyrannidis, quam exercet in genus humanum, ſumpſit, deinde ipſius diaboli, & omnium, qui verbum Dei perſequuntur, potentiam deſtruit & euertit: & facit, vt his, qui huius regni ciues ſunt, nec peccatum, nec mors, nec diabolus, nec vlla hominum potentia nocere poſsit. Nam hoſtium nomine etiam mortem & peccatum comprehendi oſtendit Paulus 1. Cor. 15. Hæc de vocabulo אויב mònendi erant hoc loco auditores.

Diſputant autem interpretes de particula עד quam nonnulli non vt aduerbium temporis, ſed vt coniunctionem cauſalem intelligi volunt, & ita reddunt: Sede à dexteris mëis. i. habeto regnum diuina potentia, vt ego tibi ſubiiciam inimicos. Hæc ſententia concinna eſt, & quæſtiones nonnullas pręcidit. Et certè eſt natura harum particularum indeclinabilium talis, vt ad præſentem & ſubiectam materiam accommodentur. Cum autem regnum Chriſti ſit æternum, ſicut & hoc loco ſacerdotium ei promittitur æternum, non ita accipi poteſt particula עד quaſi aliquando finis huius regni ſit futurus, aut quaſi depoſito imperio aliquando amiſſurus ſit ſuam dignitatem & maieſtatem. Itaque non malè cauſaliter redditur: quanquam alioquin etiam vſitatum ſit hanc particulam ita referri ad tempus præcedens, vt de ſequenti non affirmetur contrarium, vt cùm Matthæi primo dicitur, Non cognouit eam donec peperiſſet. Et Gene. 8. Non reuerſus eſt coruus donec exiccatæ ſunt aquæ ſuper terram. Quæ interpretatio videtur omnium ſimpliciſſima. Et exempla ſimilia habes Geneſis 28. verſu 15. 2. Samuelis ſexto verſ. vltimo. Matthęi viceſimo octauo in fine. Poteſt autem intelligi ſentẽtia etiam ſecundum illud Pauli, 1. Cor. 15. Cùm tradiderit regnũ Deo & patri, cum aboleuerit omnem principatum & omnẽ poteſtatem ac virtutem. Vbi non vult Paulus finem fore regni Chriſti, in vltimo iudicio: cùm toties ſcriptura dicat, regni eius non fore finem, Lucæ 1. & 2. Petri 1. Sed modum regnandi deſignat, qui ceſſabit in illo die. Chriſtus enim adducet reſuſcitatam eccleſiam ad patrem, cui diuinitas ſe immediate oſtendet, & tradet Chriſtus regnum patri, id eſt oſtendet has actiones colligendi eccleſiam per miniſterium eſſe completas, & auferentur illi gradus, qui regno & adminiſtrationi eius ſeruierant, & abolitis hoſtibus ceſſabunt illa officia regis, vt propugnare, tueri, vincere, & quæ ſunt huius generis.

2 Sceptrum potentiæ [*regni*] tuæ emittet Iehoua è Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

In primo verſu regem conſtituit, & ei potentiam conuenientem tanto regno attribuit. Nunc de ſede regni ſeu de loco vaticinatur, in quo regnum hoc ſit inchoandum. Neceſſe enim

fuit, hunc regem in aliquo certo loco exhiberi & conſpici, vbi initium faceret ſui regni, vt conſcientiæ certò tenerent vbi quærendus eſſet ille rex, & vbi agnoſci poſſet. Alioqui enim futurum erat, vt animi noſtri vagarentur & aberrarent in quærendo Chriſto, & quemuis potiùs quàm verum regem amplecterentur, ſicuti nunc maxima hominum multitudo Mahometicum regem amplectitur. Dicit igitur initium huius regni fore in Sion, atque inde propagatum iri per totum orbem. Vnde colligitur Chriſtum exhibẽdum fore in populo Iudaico: & quidem eo adhuc florente & habente politiam: nam Sion arx erat regia. Et congruunt huc vaticinia cæterorum prophetarum. Ieſaiæ ſecundo dicitur, Ex Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem: & Micheæ quarto eadem ſentẽtia repetitur. Ideo enim cõſtituta eſt illa politia, vt eſſet certus locus in quo exhiberetur Meſſias, vbi doceret & ederet teſtimonia ſuæ doctrinæ, vbi fieret victima, atque hoc modo regnum ſuum inchoaret. Et poſtea exhibito Chriſto politia funditus eſt deleta, vt eſſet teſtimoniũ, quòd miſſus ſit Chriſtus, & quòd regnum eius non ſit politicum.

Dicit autem regnum hoc fore regnum potens. Id enim ſignificat vocabulũ עז quod certe in admirabili eius collectione, propagatione & conſeruatione conſpicitur. Nam vt ipſe Chriſtus inquit: Regnum Dei βιάζεται, id eſt, vi perrumpit, fremente & fruſtra repugnante diabolo & toto mundo. Deinde dicitur potẽs, quia ipſe eſt efficax per hoc regnum. Rurſus autẽ hic conſiderandum eſt, quale ſit hoc regnum. Dauid quidem μετωνυμικῶς vocabulo ſceptri ipſum regnum ſeu regni adminiſtrationem ſignificat. Qualis vero ea adminiſtratio ſit futura, nõ ſatis apertè declarat. Sed Ieſaias & Micheas quaſi interpretes huius vaticinij addũt illuſtrem declarationem, quæ digna eſt conſideratione. Quod enim Dauid nominat ſceptrum regni, Ieſaias & Micheas nominãt legem ſeu doctrinam & verbum Domini. Hoc igitur ſceptro, nimirum verbo Domini, conſtituitur & adminiſtratur hoc regnum, nõ armis, nõ gladio aut vi corporali: atque ita differt hoc regnũ à cæteris. Quale autem hoc verbum ſit alibi apud Ieſaiam 61. ipſe Chriſtus exponit. Ad annunciandum afflictis miſit me, vt medear contritis corde, & prædicem captiuis indulgentiam. Promiſſio igitur Euangelij in qua offertur remiſſio peccatorum gratis omnibus, eſt hoc ſceptrum de quo hîc loquitur Dauid, non lex. Lex enim non ex Sion, ſed ex monte Sina exiuit.

Dominare in medio inimicorũ tuorum] Rurſus promittit huic regi victoriam. Quia enim illa regni huius propagatio habitura erat ſũmas difficultates propter potẽtiſſimos hoſtes qui ſe oppoſituri erãt, neceſſe eſt his promiſſionibus regem & in primis eius miniſtros confirmari, vt ſciant nulla obſtacula tãta fore, quæ propagationem huius regni impedire poſſint. Semper enim hic rex dominatur in medio inimicorum ſuorum, ita vt inter hoſtiũ aduerſationes, odia, crudeles conatus, machinationes & tyrannidem, potentia eius fiat illuſtrior & conſpectior. Quo enim magis oppugnatur hoc regnum, eo magis creſcit & augetur: quod oſtendit experientia omnium ætatum. Et Baſilius rectè inquit: Ἐν ταῖς θλίψεσι μᾶλλον θάλλει ἡ ἐκκλησία.

Monet igitur hoc dictum, regnum Chriſti in hac vita eſſe regnum crucis, aduerſationum & periculorum, quæ ſuſtinenda ſunt his qui ſub huius regis vexillis militant. Et quemadmodum Ieſaias inquit, ſedere eccleſiam tanquam puerum in ſpecu aſpidum, & ludere cum baſiliſcis, vel vt oues, verſari in medio agmine luporum. Sed conſolatio ingens additur, quæ certam & lætam victoriam promittit. Pericula autem & certamina illa non ſunt intelligenda tantùm de externis periculis, quæ foris à tyrannis offerũtur: ſed multò magis de ſpiritualibus & internis, vbi pij luctantur cum peccato, cum morte, cum ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, & metu damnationis æternæ. In hoc grauiſſimo & difficillimo certamine erigendi ſunt animi hac conſolatione, quòd Chriſtus dominatur in medio inimicorum ſuorum, quòd victor eſt peccati & mortis, quòd ſua morte placauit iram Dei aduerſus peccata, & chirographum quod cõtra nos ſcriptum erat aboleuit. Hæc omnia cogitanda ſunt in hoc verſu. Simul autem vaticinium de defectione Iudæorum & vocatione gẽtium hic traditur. Chriſtus exhibitus in Sion dominabitur inter inimicos ſuos: ergo principes & præcipua pars populi Iudaici hoſtiliter oppugnabunt Chriſtum, & aduerſabuntur ei, ſicut alibi dicitur, Nos non reputauimus eum. Item, Chriſtus occidetur. Et tamen quia regnum potens & amplum eſt habiturus, quod longè lateque per totum orbem propagetur: neceſſe eſt gẽtes aſciſci in ſocietatem huius regni, & fieri participes horũ bonorum, quæ in hoc regno adminiſtrantur & diſtribuũtur. Hæc cõtra Iudæorũ ſtulta ſõnia tenẽda ſunt, qui exiſtimãt Chriſti regnum fore corporale, potẽs, & glorioſum in hoc mundo, in quo ipſi vt principes imperent alijs, & delicijs ac luxu diffluant. Hæc imaginatio prorſus aliena eſt à religione noſtra. Nam ſi foris eccleſiam conſideremus, nihil eſt ea miſerius, nihil ærumnoſius, aut deformius. Sed omnis ornatus eius, vt alibi dicitur, eſt intus. Nam iuſtitia, vita & lætitia, quæ lucent in cordibus piorum, & quæ propria ſunt huius regni dona, non incurrunt in oculos, nec conſpici à nobis poſſunt.

3 Populus tuus liberalitatum [*id eſt, ſpontaneus, vel voluntarius, vel ſpontanearum oblationum. Nam vox* נדבה *& liberalitatem, ſeu munificentiam, & rem, quæ liberaliter ac ſponte Deo offertur, & dicatur, ſignificat*] in die exercitus tui [*virtutis ſeu victoriæ tuæ*] in ornatibus ſanctis: ex vtero auroræ tibi ros generationis tuæ [*adoleſcentiæ, iuuentutis tuæ.*]

Dixerat Chriſtum dominaturum eſſe inter inimicos ſuos, quo oſtendimus præter alia ſignificari defectionem gentis Iudaicæ ab hoc rege ſuo, qui huic populo peculiariter promiſſus erat, & aduerſationẽ aſſiduam maximæ partis hominum: ergo ne quis exiſtimet Chriſtum fore regem ingloriũ & ſine populo (nam gloria regis eſt in populi multitudine, Prouer. 14.) aut beneficia huius regis ad neminem pertinere, eo quòd maxima multitudo hæc repudiet: affirmat propheta habiturũ hunc Meſſiam ſuum cœtum, qui eum regẽ agnoſcat, recipiat & colat vero obſequio: neque hunc fore exiguum, ſed inſtar roris qui totam terræ ſuperficiem irrigat. Hæc prima doctrina eſt in hoc verſu, quæ continet inſignem cõſolationẽ. Nam in tanta confuſione rerum humanarum, & ruinis regnorum, in tãtis diſſidiis opinionum, & diſtractionibus voluntatum, multi dubitant, an ſit aliqua eccleſia in genere humano, quæ ab hoc regẽ reſpiciatur, ametur, regatur, defendatur: imò exiſtimant plerique nomen illud eſſe inane. Sed ſicut Symboli articulus iubet nos credere quòd ſit aliqua eccleſia Chriſti: ita hîc affirmat eſſe aliquem Chriſti populum, ad quem pertineãt illæ amplæ promiſſiones & beneficia per hũc regem parta. Hoc primum eſt. Deinde traditur inſignis deſcriptio eccleſiæ in hoc verſu, quæ multa monet. Primùm inquit *populum* Chriſti fore *ſpõtaneum*. Hęc particula primùm opponitur ciuili regno. Regna in hoc mundo parantur & cõſtituuntur armis, & vi coguntur homines ad obedientiam vni homini præſtandam. Ita Alexãder, Iulius Cæſar, & alij armis ſubiiciunt ſibi orbem terrarum: ſed Chriſtus habet populum non coactum gladio, ſed collectum verbo: ſicut ſupra monuimus, vbi de ſceptro huius regni diximus. Itaq; audito verbo ſponte ſe & cum alacritate adiungunt huic regi & confluunt ad eum, vt Ieſaias inquit, ac cupidè ei obediunt ſine ſimulatione, ſine coactione, ſine πλεονεξίᾳ, ſine reſpectu præmij, denique ſine moroſitate & faſtidio. Nec tantùm in actionibus hanc obedientiam præſtant, duce & adiutore Spiritu ſpontaneo, de quo pſalmo 51. dicitur: ſed etiam in afflictionibus ita obtemperant, vt ſe humilient ſub potenti manu Dei, & iram Dei ita portent, ne fremant aduerſus eum aut imperium eius excutiant, imò ſe totos pro gloria Dei tradant. Talis eſt huius regni populus, ad quem ſi cæterorum regnorum ſubditi conferantur, omnia inuenies contraria. Ibi enim niſi armis & metu pœnarum ſubditi contineantur in officio, nõ eſt firma beneuolentia, fitque quod eſt apud Thucydidem, τὸ παρὸν ἀεὶ βαρύ. Noua igitur hic forma regni deſcribitur, quæ longè alia eſt à regnis ciuilibus.

Vnde autem ſit illa ſpontanea obedientia, alibi dicitur copioſiùs. Qui Spiritu Dei ducuntur, inquit Paulus, hi ſunt filij Dei. Et pſalmo 51. orat Dauid: Spiritu ſpontaneo cõfirma me. Spiritu igitur ſancto per verbum flectuntur corda, vt ſponte ſe ſubiiciant huic regi. Cætera regna non mutant corda, vt ſponte obediant: imò augent terrores & metus, vt ſi qua ſit obedientia, illa vel metu ſit extorta, vel tota hypocritica: ſed filius Dei ita colligit ſibi eccleſiam, vt verbo & Spiritu ſancto renouet cor, & accendat voluntariam obedientiam & ſpontaneum cultum. Atque in hoc cultu differt ab omnium aliorum ſubditorum erga ſuos reges cultu: deinde etiam ab ipſius legis obedientia ſeu carnis iuſtitia. Nam in hac quoque, quantacunque ea ſit, manet rebellio, indignatio & fremitus aduerſus Deum, præſertim cum calamitates aut mors ingruit. Et Paulus inquit, ſenſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Græca tranſlatio habet μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή, Tecum principatus: quod alienum eſt à grammatica. Error autem inde extitit, quòd interpres Græcus non bene conſideratis punctis vocalibus & literis cognatis pro עמך נדבות legit עמך נדבה. Nam vt נדיבים principes dicuntur à munificentia & liberalitate: ita exiſtimauit נדבה ſignificare principatum. Longiùs autem ab vtroque receſſit Latinus interpres, qui deceptus ambiguitate vocis Græcæ, & non inſpecto codice Hebræo reddidit, Tecum principium.

In die

In die virtutis ſeu ſucceſſus] Id eſt, tempore regni tui, vel victoriæ tuæ, cùm ſcilicet miſſis Apoſtolis, & aliis eccleſiarum doctoribus voce euãgelij inter gentes colliges & cõſtitues tibi regnum. Nam euangelij voce hic populus ſpontaneus Chriſto colligitur, vt dictum eſt: & Apoſtoli ac cæteri miniſtri ſunt quaſi exercitus filij Dei, per quos ille victorias parit, & potentiam ſuam exerit & declarat. Alij vertunt, in die exercitus tui, Id eſt, quoties rex luſtrare volet populum ſuum, aut educere copias ſuas, ſtatim præſto erunt ad obſequium omnes populi, nec cogentur violento imperio.

In ornatibus ſanctis] Ornatum ſanctum nominat veſtem ſacerdotalem. Ita enim ſcriptura nominat ea veſtimenta, quibus induebantur Aaron & filij eius, quando fungebantur ſacerdotio, Exodi 28. Facient veſtiméta ſancta fratri tuo Aaron & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. Alludés igitur propheta ad ſacerdotes ſacrificantes in veſtitu ſacro ſignificat omnes credẽtes, vt Ieſ. c. 61. inquit, eſſe ſacerdotes Domini, ſeu, vt Petrus inquit, eſſe regios ſacerdotes, qui offerãt hoſtias ſpirituales acceptas Deo per Chriſtum. Et hac deſcriptione iterum eccleſiam diſtinguit ab omnibus aliis regnis in hoc mundo. Non occupatur eccleſia comparandis vel exercẽdis armis, non externis ritibus aut geſtibus, non ad externam ſpeciem efficto obſequio, ſeu cultu, quo regem ſuum demereatur: ſed exercet & exhibet cultus ſpirituales, ſeu λογικὴν λατρείαν, conuenientem officio ſacerdotali. Eſt autem ſacerdotis officium prædicare euangelium, intercedere apud Deum, & offerre ſacrificia à Deo inſtituta & mandata.

Hæc tria officia ſinguli in ſua vocatione ſemper exercent, id eſt, prædicant euangelium, ornant miniſterium euangelij, ſtudent propagare doctrinam euangelij ad alios, pro ſua quiſque vocatione quantum poſſunt. Ideo præcipitur Col. 3. Docete & emendate vos mutuò. Deinde cùm in periculis, tum extra periculum confitentur Deum, gratias agunt Deo pro acceptis beneficiis, inuocant Deum in neceſſitatibus cùm priuatis, tum publicis, ſéque totos proiiciũt in Deum. Poſtremò offerunt etiam hoſtias, ſed ſpirituales, vt Petrus inquit: id eſt, cæteras virtutes omnes, quas requirit vox diuina, vt ſunt patientia, ſpes, dilectio, timor, quibus omnibus vera fides prælucet. Nam hæ virtutes omnes accenſæ à Spiritu, ſunt illa veſtis ſacerdotalis, de qua hîc concionatur: poſtremò ſe ipſos quoque offerunt Deo: cùm in vera confeſſione adeunt extrema pericula & ſanguinem ſuum fundunt pro veritate. Poteſt autem veſtis ſacerdotalis intelligi etiam de cæteris donis, quæ ſunt aut χαρίσματα, aut διακονίαι, aut ἐνεργήματα, vt loquitur Paulus, quæ non vno atque eodem modo diſtribuuntur à S. S. ſed de his alibi copioſiùs.

Bucerus & alij hanc ſententiam ita reddunt, In ſplendoribus ſanctitatis, hoc eſt, in vrbe Hieruſalem ſancto ſplẽdore inſigni. Nam illa vrbs habita eſt clariſſima ac celeberrima, eo ꝙ euangelij ſplendor ibi primùm illuxit. Alij, in magnificentia ſanctuarij. Nam quia ſanctuarium erat peculiariter Deo dicatum, affirmat populum Dei ſponte conuenturum, non tanquam ad imperium regis profani, ſed tanquam in conſpectum Dei. Hieronymus legit, in montibus ſanctis, deceptus vicinitate literarum ד & ר: legit enim בהררי

Ex vtero auroræ tibi ros adoleſcentiæ tuæ] De hac ſentẽtia antequã dicam, primùm omnium conferendæ ſunt interpretum ſententiæ, quibus admodum obſcuratus eſt hic verſus, vt ex collatione tandem rectior ſententia elici poſſit. Epiphanius tom. 2. lib. 2. cõtra hæreſin 65. vbi Samoſatenum refutat, valde ſudat in huius dicti explicatione: ex quo tamẽ quominus bene aut cõmodè ſe expediat, partim opinionũ diuerſitate, partim linguæ Hebraicæ inſcitia impeditur. Initio autem cõfert varias tranſlationes, quas hoc loco adſcribere non erit alienum à noſtro propoſito, & fortaſſis aliquid ad indagandã veram ſententiam conferet. Primùm Septuaginta interpretum tranſlationem recitat, quæ ſic habet, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. huic reliquorum verſiones ſubiungit. Aquilas ſic reddit, ἀπὸ μήτρας ἐξορθριζομένης σοὶ δρόσος παιδιότητός σου. Symmachus, ὡς κατ᾽ ὄρθρον δρόσος ἡ νεότης σου. Theodotion, ἐκ μήτρας ἀπὸ πρωῒ νεότητός σου. Quinta editio, ἐκ μήτρας ἀπὸ ὄρθρου σοι δρόσος ἐν νεότητί σου. Sexta editio, ἐκ γαστρὸς ζητήσουσί σε δρόσος νεότητός σου. His diuerſis interpretationibus Epiphanius Hebræas voces ſubiiciens ſuam ipſe interpretationem aſcribit, quæ ſic habet, τὸ μηρέμ γαστρός ἐστι, μέσααρ δὲ τὸ ὀρθριώτερον πάντων, ὅπερ ἐστὶ πρὸ ἑωσφόρου λακτάλ καὶ πρὸ τῆς δρόσου παιδίον τελεδχεθοδτ᾽ ἐστι τὸ ἐγέννησά σε.

In his omnibus verſionibus vnus ferè perpetuus error eſt, quod in voce משחר literam מ habuerunt loco præpoſitionis, non vt hæmanticam literam. Atque inde eſt, quod vſitata verſio Græca legit πρὸ ἑωσφόρου. Cùm enim luciferi ortus auroræ coniunctus ſit, & diei aduentum indicet κατὰ συνεκδοχὴν, nomen luciferi poſuit pro nomine auroræ. Nam & Ieſaias cap. 14. Luciferum nominat filium auroræ. Inde etiam apud Theodotionem legitur ἀπὸ πρωῒ, & in V. editione, ἀπὸ ὄρθρου. Autor verò 6. editionis pro nomine משחר *miſchkar*, legit verbaliter משחר *meſchaker*: & autor vulgatę trãſlationis pro ילדותיך *ialedduthecha*, legit ילדתיך *ieladdithecha*.

Hæc autem ſententiarum diuerſitas non rectiùs quàm ex fontibus ipſis diiudicari poteſt, ideo quærenda vera interpretatio horum verborum, quam Grammatica ipſa gignit. Eam autem ſuprà expoſuimus, cùm ita reddidimus: *Ex vtero auroræ tibi ros generationis tuæ, ſeu iuuentutis tuæ.* Nec mouemur accentu diſtinctiuo, qui ſententiã quaſi in duo membra diuellit, & prius membrum præcedentibus connectere videtur, quaſi ornatus ſanctus, quo induti ſunt ciues huius regni, ſit ſplendidus velut lux auroræ. Fit enim ſæpe, vt accentus diſtinctiui nõ tam ſententias diſtinguant, quàm ordinem conſtructionis inuerſum eſſe ſignificent, id quod & ex hoc loco & ex aliis multis manifeſtum eſt. Ordo enim ſententiæ talis eſt: *Ros generationis ſeu iuuentutis tuæ, eſt vel oritur tibi ex vtero auroræ*, id eſt, naſcitur ex aurora: nam iuuentutem ex vtero eſſe ponitur pro naſci. Hæc verba ſunt Hebræa ſimpliciſſimè reddita. Sed quis horum verborum ſenſus genuinus ſit, nondum conſtat. Et certè magna eſt hîc, vt in re obſcura, ſententiarum varietas: de qua etiam nonnihil monendi ſunt auditores.

Tertullianus libro quinto aduerſus Marcionem, de Natiuitate Chriſti ex virgine hanc ſententiam exponit. Et illud, Ex vtero, ita interpretatur: Ex ſolo vtero abſque virili ſemine. Illud verò, ante luciferum, & de ſtella Magis oſtenſa, & de teſtimonio angeli, qui noctu annunciauit paſtoribus Chriſtum natum eſſe interpretatur. Cum Tertulliano conſentit Iuſtinus in dialogo cum Tryphone. Mouentur enim appellatione *vteri*, qua Spiritum ſanctum reſpicere ad promiſſionem de ſemine mulieris exiſtimant. Natiuitatem autem hanc dicunt comparari rori matutino: quia tanquam ros cæleſtis, filius Dei de cælo miſſus concipitur in vtero virginis abſque virili ſemine. Alij tamen, vt Hilarius libro 12. de Trinitate, Ambroſius de fide libro primo, capite ſexto, Epiphanius loco antea citato, Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro 1. capite primo, Auguſtinus ſupra hunc pſalmum, Athanaſius in oratione contra Arianos, & ex Iudæis nonnulli verſum hunc ad æternam generationem filij ex ſubſtantia patris trãsferunt: & vrgent particulam *mane*, qua ſignificari volũt ante omnes creaturas natum eſſe filium, quaſi diceret, Ante luciferum, ſeu ante productionem ſtellarum, id eſt, antequam quicquam eſſet cõditum, ego genui te. Hæc interpretatio magis recepta fuit ſuperioribus ſeculis.

Tertulliani & Iuſtini interpretationem ſequitur Reuerendus vir præceptor noſter Dominus Philippus Melanthon, in ſuis commentariis: & vteri appellationem iudicat maximè quadrare ad viſibilem generationem. Similitudine verò de rore cadente aptiſſimè ſignificari Chriſtum naſcentem, ſine contagio, & ſine virili ſemine, ac venientem in hunc mundum virtute cæleſti: iuxta illud Lucæ 1. Virtus altiſſimi obumbrabit tibi, quam ſententiam alibi etiam Auguſtinus ſequitur. Alij allegorias quærunt nimis longè petitas. Nam rorem interpretantur benedictionem & plenitudinem gratiæ: & ita reddunt ſententiam, Ros natiuitatis tuæ, id eſt, gratiæ illæ ſeu dona cæleſtia, quibus ornaberis dum carnem aſſumis, obuenient tibi iam inde ab vtero, & à principio natiuitatis tuæ, quaſi hac ſententia plenitudinem gratiarum in Chriſto commendet propheta, de qua cæteri fideles omnes accipiant: iuxta illud Iohannis, Ex plenitudine eius accepimus omnes. Atque hæ quidem ſententiæ omnes de Chriſto rege loquuntur, ad cuius perſonæ deſcriptionem hæc verba referenda eſſe cenſent interpretes.

Sed ſi paulo attentiùs verba prophetæ & cõtextum orationis conſideremus, videtur Dauid in hoc verſu loqui non de regis perſona, aut de eius conditione, ſed de ſubditis eius. De quorum ſtudio & obſequio voluntario, déque ornatu ſancto ſeu ſacerdotali, quia dicere cœperat, nũc de horum incremẽtis, & quidem ſubitis atque inuſitatis loquitur, adducta ſimilitudine de rore, quo modum propagationis & ſubitorum incrementorum aptiſſimè oſtendit. Sicut enim ros mirabili atque inuiſibili modo naſcitur ex vtero auroræ, id eſt, ex aurora quaſi prægnante & edente hunc fœtum, vel, vt alij interpretantur, ex aurora exoriente, ſine omni ope ac viribus humanis, ſingulari dono Dei, qui halitus terræ craſſiores pondere ſuo inhibitos ac depreſſos, ne eleuentur altiùs, mitiore frigore cogit in liquorem roridum, vere & æſtate: Ita (inquit) Dominus benedicet tibi vt creſcat populus tuus, & propagetur non generatione carnali, vel, non ex ſanguinibus, vt loquitur Iohannes cap. 1. neque ex volũtate carnis, id eſt, ſucceſſione quæ fit per electionem, neque ex voluntate viri, id eſt, per imitationem, ſicut hypocritæ imitantur ritus patrum: ſed prorſus nouo, inuſitato & mirabili modo, Deo ſcilicet regenerante corda per euangelium & Spiritum ſanctum. Hic enim

modus eſt propagationis eccleſiæ. Non enim eſt generatio carnalis, ſed regeneratio ſpiritualis.

Deinde etiam de incrementis ſubitis & admirabilibus intelligenda eſt ſententia. Sicut enim ros dum è cœlo cadit, hominum oculos fallit, deinde conſpicitur in magna abundantia, dum omnes herbæ & arborum folia videntur rore aſperſa & irrigata: ita, inquit, naſcetur tibi ſoboles incredibili numero, & præter vſitatum naturæ morem. Ad hanc ſententiam cógruunt alia ſcripturæ dicta, vt cùm Ieſaias inquit capite 54. Exulta ſterilis, quæ non paris: quoniam plures filij deſolatæ, quàm filij maritatæ, dicit Dominus. Et Micheas capite 5. reſpiciens ad hunc locum, inquit, Erũt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, velut ros à Iehoua, ſicut guttæ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum.

Hæc interpretatio, quæ ad modum propagationis eccleſiæ & ad ſubita incrementa reſpicit, videtur eſſe omnium ſimpliciſſima. Nec temere de hac re monere nos voluit Spiritus ſanctus. Homines enim carnales & hypocritæ longe aliter iudicant de propagatione eccleſiæ, quàm Spiritus ſanctus. Iudæi exiſtimabant ſe eſſe eccleſiam & populum Dei, quòd eſſent ex ſemine Abrahæ propagati. Itaque appellationem filiorum Dei ſuperbè ſibi arrogabant, ſpretis & damnatis gentibus, quas iudicabant ad hoc regnum non pertinere. Et hodie ſummi viri his ſomniis dementantur. Pontificij eccleſiam alligant ad ſucceſſionem ordinariam epiſcoporũ, quam volunt eſſe certam & infallibilem notam eccleſiæ, ita vt alibi illa non conſpiciatur, quàm apud hos, qui ſunt in ſucceſſione ordinaria. Monachi verò & hypocritæ exiſtimant imitatione externorum rituum propagari eccleſiam, ideóque toti in hanc vnam rem incumbunt, vt ritus à maioribus inſtitutos ſtudioſiſſimè obſeruent. His Iudæorum, Pontificiorum, Monachorum & ſimilibus ſomniis opponatur hic verſus, qui docet eccleſiã eſſe rorem ex vtero auroræ genitum, hoc eſt, eſſe multitudinem diuinitus natam ſparſo verbo & miſſo Spiritu ſancto, vt ros ſpargitur de cælo.

Hæc principalis doctrina eſt. deinde addenda eſt & illa de incrementis, quæ plena eſt conſolationis. Incredibile erat tantam multitudinem ſub Chriſti imperium tam exiguo tempore poſſe colligi, & quidem ſola euangelij voce, cùm ipſi Iudæi & totus mundus furioſè repugnaret: & ſemper in horrendis perſecutionibus, quales hoc tempore per Galliam, Italiam, & Hiſpaniam & Belgium excitatæ ſunt, videtur minui numerus fidelium, vt multi aſpicientes illa horrenda ſupplicia & neces ſanctorum vehementer angantur, & cũ Elia querantur: Neminem eſſe relictum, qui Deum rectè agnoſcat & colat: ſed non difficile eſt Deo ſubito excitare ingentem multitudinem fidelium etiam inter medias perſecutiones. Sicut id factum eſt tempore Apoſtolorum, & hodie idem accidere videmus in Gallia & alibi. De his igitur rebus monere nos voluit Spiritus ſanctus per Dauidem in hoc verſu. Et quia hæc ſententia apta & concinna eſt, & rectè cohæret cum præcedenti membro, eámque video ſummis viris præceptoribus noſtris D. Luthero & Philippo probari: ego quidem hanc cæteris omnibus antefero, nec tamen impedio, quominus illam de natiuitate filij amplectantur, cùm habeat tot teſtimonia antiquitatis.

Cæterùm, quod ad vocabula attinet: nomen ילדות quod alioqui pueritiam ſignificat, & ferè ad ætatem puerilem accommodatur, hîc ponitur collectiuè, & non pueritiam, ſed pueros ipſos ſeu cœtum eius ætatis ſignificat. Sicut & apud Latinos iuuentus ſeu pueritia interdum ſic accipitur: vt cùm Virgilius efferam iuuentutem nominat Æneid. 8. Eſtque vſitatum, inprimis Hebræis, vt abſtractum pro concreto & eius ſubiecto vſurpetur, cuius rei iam complura vidimus exempla. Pueritia igitur ſeu iuuentus pro iuuenibus accipitur. Sed cur pueros nominat omnes qui ad Chriſtum conuertuntur, cùm ſæpe ſenes & prouectæ ætatis ad Chriſtum conuertantur? Reſpondeo, Pueri nominantur, quia omnes renaſci oporteat, ſicut Chriſtus inquit apud Iohannem: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Et regeneratio illa ſpiritualis omnes ſimiles facit infantibus, vt Petrus docet 1. epiſt. cap. 2. ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη. Rorem pueritiæ nominat pueros in modum roris ex aurora cæleſtis doctrinę natos ſeu propagatos.

4 Iurauit Iehoua: & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternũm, ſecundùm ordinem [*rationem*] Melchiſedek.

Hactenus de rege Chriſto & eius regno, déque eius ſubditis, hoc eſt, de eccleſia dixit. Nunc de ſacerdotali eius dignitate loquitur: atque ita oſtendit Chriſtum fore vtrumque, & regem & ſacerdotem, quæ ſunt ſummæ dignitates in genere humano: idéoque ſimul vni Chriſto contigerunt: ídque rectè ſignificatum fuit more gentis Iudaicæ, vbi cùm non liceret miſcere familias, ſeu tribus matrimoniis, (voluit enim Deus manere familias diſtinctas propter promiſſionem, vt ſciretur ex qua tribu naſciturus eſſet Meſſias) ſolæ illæ duæ tribus, regia (ex qua Chriſtus oriundus erat) & ſacerdotalis inter ſe contrahebant coniugia, vt ex libris Reg. apparet. Sicut autem ſuprà non tantùm appellatione, ſed modo, ſeu forma gubernationis & ſubditorum conditione hunc regem diſtinxit ab omnibus aliis, qui in hoc mundo potẽtia aliqua præditi ſunt, ſéque ſupra alios efferunt: ita nũc quoque peculiare ei ſacerdotium attribuit, quo eum à cunctis aliis, & inprimis à Leuiticis ſacerdotibus, quorum nomẽ propter inſtitutionem & autoritatem diuinam celeberrimum erat, ſeiungit, dum inquit: eum fore ſacerdotẽ in æternum: & ſecundùm rationem Melchiſedek: quibus verbis quid velit, deinceps dicemus: Priùs enim cætera ſunt explicanda.

Deſcriptionem ſacerdotij Chriſti orditur propheta à iuramento diuino: quod diligenter conſiderandum eſt. Non enim fruſtra iurat Deus, neque ſua cauſa iurat, ſed noſtra. Ideo quoties iurat Deus, iudicabimus de re magna & ad ſalutem noſtram pertinente agi. Sunt quidem Dei promiſſa etiam ſine iureiurando rata & firma: (eſt enim ipſa veritas, quæ fallere aut mentiri non poteſt) addit tamen promiſſis iuſiurandum, vt noſtræ infirmitati & dubitationibus ſuccurrat, nóſque certos omnino de his rebus, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, reddat. *Beatos igitur nos*, inquit Tertullianus, *quorum cauſa iurat Deus: ſed miſeros nos, qui ne iuranti quidem credimus.*

Quantum autem referat doctrinam de ſacerdotio Chriſti rectè tenere, atque intimis animi ſenſibus infigere, iam audiemus, cùm de officiis ſacerdotis dicemus: illud ſaltem nunc teneant auditores. Obſignauit Deus ſuam aſſeuerationem de ſacerdotio Chriſti ſolenni iuramento, & addit ſe nunquã mutaturum hanc ſententiam: ergo non dubium eſt hanc voluntatem Dei veram & immotam eſſe: & beneficia, quæ nobis per hunc ſacerdotem exhibentur, eſſe certa, rata & firma. Itaque nullis tentationibus, vel ſcandalis aut ærumnis excuti ea nobis aut eripi patiamur. Hoc monet verbum iurandi. Addit autem maioris certitudinis cauſa.

Non pœnitebit eum] Id eſt non mutabit, non retractabit ſententiam, quam ſemel iuramento confirmauit. Id enim ſignificat pœnitere, quoties Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuitur. Homines enim (vt inquit Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 52.) non ſolent inſtitutum ſuum commutare, niſi eos facti alicuius pœniteat. Ideo Deus quoties mutat factum, dicitur duci pœnitudine. Non quòd illæ perturbationes in Deo ſint, quæ in nobis animaduertuntur, quoties dolore afficimur, propter aduerſas res: aut quoties nos erraſſe intelligimus: ſed quia agit quæ pœnitentes conſueuerunt. Ita Geneſeos 6. dicit, Pœnitet me quòd fecerim hominem, id eſt, conſtitui perdere genus humanum.

Tu es ſacerdos] Antequam de officiis ſacerdotis dicam, monendi ſunt auditores de Iudæorum corruptelis. Quia cùm videãt neque de Abrahamo, neque de Ezechia rectè dici, quòd fuerint ſacerdotes, vim hoc loco vocabulo afferunt, & principem interpretantur. Et colligit Rabi Dauid in libro radicum teſtimonia, vbi כוהן *cohen* ſignificat ducem vel principem, vel aliquem ex regni proceribus ſeu conſiliariis regiis, vt cùm dicitur Geneſ. 41. Et dedit ei Aſenath filiam Potipharis ſacerdotis On, hoc eſt, vt ille interpretatur ex Thargum, principis On. Nam in Thargum legitur רבא. Item Samuel. 20. Etiam Hira Iairitha erat כוהן ipſi Dauid, id eſt, miniſter ſeu conſiliarius intimus & ſummæ authoritatis, ſeu, vt Thargum reddidit, רב. Nec poteſt, inquit Rabi Dauid, intelligi hoc de ſacerdote, quia ſacerdos non erat ipſius duntaxat Dauidis, ſed vniuerſi Iſrael. Addit & tertium exemplum Exod. 3. Moſe paſcebat pecudes Iethro ſoceri ſui כוהן Midian. Vbi iterum vocabulum כוהן Thargum interpretatur רבא, id eſt, principis Midian. Dicuntur & filij Dauidis כוהנים principes & proceres, ſeu αὐλάρχαι, aut qui ſunt ex cognatione regia, 2. Sam. 8. 1. Paralipom. 18. Atque ex his teſtimoniis euincere conantur, etiam hoc loco כהן intelligendum eſſe de principe ſeu duce.

Sed refutantur Iudæi facilè ex ipſis verbis Dauidis. Primùm enim, quæ dignitas eſſet huius regis, quem tamen dicit ſedere ad dexteram Dei, & diuina potẽtia regnare, ſi proceris titulum ei tribueret, qui inferior eſt dignitate regia? Deinde, quod præcipuum eſt, quomodo dici poſſet æternus princeps, ſi non differret à communi cõditione aliorum principum ſeu procerum? Poſtremò, cur nominat eum כוהן ſecundùm ordinem Melchiſedec, ſi ab aliis regibus non differat? Nam Melchiſedec à regno non commendatur, ſed quòd fuerit ſacerdos Dei altiſſimi. Geneſ. 14. Nec licuit poſteris & ſucceſſoribus Dauidis in illo regno corporali fungi officio ſacerdotis: quod apparet ex hiſtoria Vziæ, 2. Paral. 26. qui lepra percuſſus

eſt à

eſt à Deo, quod ſuffitum adolere Deo tentaſſet. Ex his igitur apparet Chriſtum non dici כוהן, quòd rex fuerit, (de officio enim regio iam antea ſatis dixerat) ſed quod fuerit ſacerdos. Et deteſtanda eſt Iudæorum profanitas, qui ſcelerate & audacter irruunt in ſcripturas, & omnia pro ſua libidine conuellunt, tantùm vt ſuam impietatem & ἀποστασίαν his ſomniis alant & confirment. Nam quia ſemel Chriſtum cum ſuis beneficiis repudiarunt, non deſinunt in ſuam perniciem omnia ſcripturæ dicta corrumpere, & in alienum ſenſum detorquere: & quæ in ſalutem ipſorum diuinitus tradita erant, in peſtilentiſſimum venenum conuertere. ſed omiſſis Iudæis redeamus ad verba Dauidis, quæ eximiam doctrinam & conſolationem neceſſariam continent.

Nominat Chriſtum *ſacerdotem*: quæ appellatio ampliſſimã continet doctrinam, & conſolationem dulciſſimam: ſicut & altera regis appellatio, de qua antea dictum eſt. Vt autem rectè intelligatur doctrina de ſacerdotio Chriſti, repetenda ſunt ea quæ antea de officiis ſacerdotis monuimus, atque inde extruenda eſt integra definitio. Diximus præcipua officia ſacerdotis eſſe docere legem, hoc eſt, totam doctrinam à Deo traditam, & in hac præcipuè euangelium: intercedere pro aliis & placare Deum aliquo ſacrificio, vel ſuo, vel alieno. De prioribus duobus officiis Samuel loquitur 1. Reg. 12. Abſit à me, vt pro vobis non orem, & vos non dirigam ad viam bonam & rectam: de poſtremo loquitur lex ſæpiſſime: & copioſiſſimè explicatur paſſim in Scriptura. Hæc officia cùm Chriſto tanquam ſummo ſacerdoti præcipuè & principaliter congruant, teneatur definitio, quæ eius perſonæ competit. Cæteri enim qui miniſterio funguntur, tantùm participatione ſunt ſacerdotes: quia aliquam partem ſacerdotij Chriſti adminiſtrant, & huius ſacerdotis beneficia diſtribuunt.

Eſt igitur *ſummus ſacerdos* perſona immediatè miſſa à Deo ad annuntiandum euangelium, & immediatè id proferens ex ſinu æterni patris, ac miſſa ad offerendum ſacrificium, vt perſoluta pœna pro nobis placaretur ira Dei: & aſſiduè orans pro nobis, habens teſtimonium quod exaudiatur, & conſeruans miniſterium euangelij, & perpetuò colligens eccleſiam voce Euangelij, & benedicẽs, dans remiſſionem peccatorum, Spiritum Sanctum & vitam æternam. Hæc definitio ſumpta eſt ex epiſtola ad Hebræos, in qua membra huius definitionis omnia copioſè explicantur, quæ breuiter monendi cauſa nũc repetimus.

Primùm diximus, ſacerdotem ſummum eſſe perſonam immediatè miſſam à Deo. Id probatur ex hoc ipſo teſtimonio & aliis compluribus. Nemo. n. (vt inquit epiſtola ad Hebręos c. 5.) vſurpat ſibi hũc honorem, ſed qui à Deo vocatur, quemadmodum & Aaron. Ita & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt fieret pontifex, ſed is qui dixerat, Filius meus es tu. Sicut & alibi, Tu es ſacerdos in æternum. Chriſtum autem ſummum ſacerdotem oportuit immediatè vocatũ & miſſum eſſe à Deo. Nemo enim in his quæ ad Deum pertinent, agere poteſt quicquam, niſi qui à Deo miſſus ſit immediatè. Nec nobis voluntatem patris exponere quiſquam poterat, niſi qui eſſet in ſinu patris, & cui patris pectus penitus eſſet introſpectum: ideo epiſtola ad Hebræos inquit, ipſum eſſe conſtitutum à Deo.

Sequitur in definitione, ſacerdotem hunc mitti ad annuntiandum euangelium, idque proferre immediatè ex ſinu æterni patris. Huc congruunt teſtimonia, Nemo nouit patrem niſi filius, & cui filius volet reuelare: item, Filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Et ex Ieſa. 61. cap. antè citatũ eſt dictum: Ad annuntiandum afflictis miſit me, vt medear contritis corde. Atque ab hoc officio dicitur λόγος: quia ſicut ipſe eſt imago patris, ita per eum ſe pater nobis patefecit, & per eum ac propter eum ab initio colligitur eccleſia: cùmque hic ſolus ſit verus λόγος, & angelus, vt in benedictione Iacob nominatur Gen. 48. ſolus eſt audiendus, non alij.

Tertiò, Summi ſacerdotis officium eſt offerre ſacrificium, quo placetur ira Dei. Omnis enim ſacerdos, inquit epiſtola ad Hebræos c. 8. ad offerendum donaria & victimas conſtituitur: vnde neceſſe eſt, vt hic etiam aliquid habeat quod offerat. Sed quia ſanguis hircorum & taurorum non poteſt auferre peccata, aut placare iram Dei, vt dicitur cap. 10. Chriſtus ſemetipſum per Spiritum æternum obtulit immaculatum Deo, atque hac vnica oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos, qui ſanctificantur. Hebr. 9. & 10. Et huc referẽda ſunt alia teſtimonia quæ paſſim extant, vt Ieſa. 53. Quia ponet animam ſuam hoſtiam pro peccatis, &c. Ioh. 17. Ego me pro iis ſanctifico. Item in concione Iohãnis Baptiſtæ, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Rom. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra. Rom. 8. De peccato damnauit peccatũ. Hæc doctrina dulciſſimam habet conſolationem: oſtendit enim quomodo recõciliatum ſit genus humanum patri, & quomodo ex morte eripiamur. Deinde ex hac doctrina ſequitur alia maximè neceſſaria. Si enim Chriſtus ſeſe offert patri, & hac vnica victima placatur ira patris, & conſumantur omnes in perpetuũ qui ſanctificantur: defraudatur ac ſpoliatur munere ſacerdotali ab iis qui eum denuo in remiſſionem peccatorum offerre conſtituerunt, aut qui alias extra Chriſtum placandi Dei rationes inueniunt. Vtrunque autem faciunt Papiſtæ dum Chriſti corpus dicunt ſe offerre in miſſa, atque hac oblatione ſe mereri ſibi & aliis remiſſionem peccatorum fingunt.

Quartum membrum in definitione eſt, quòd aſſiduè oret pro nobis. Id manifeſtum eſt ex dicto ad Hebræos 7. Ac hic habet perpetuum ſacerdotium, vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeunt Deum, ſemper viuens ad hoc, vt interpellet pro illis. Item Rom. 8 Sedet ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Itaque ſolennibus verbis Chriſtus applicans ſacrificium ſuum pro nobis, Iohannis 17. cùm inquit, Ego me ſanctifico, mox addit precationem, qua oſtendit virtutem, ſeu meritum ſacrificij & interceſſionem ſuam pertinere ad omnes credentes: cùm ſubiicit, Oró non pro eis tantùm, ſed pro omnibus credituris per verbum eorum. Cúmque hic vnicus ſit pontifex, qui interpellet pro nobis, impium eſt alios fingere mediatores & aduocatos, quaſi non ſatis eſſet vnum eſſe aduocatum. Reſtat poſtrema pars definitionis. Quòd habeat teſtimonium, quòd certo exaudiatur. Id probatur his teſtimoniis: Iohan. 11. Ego ſciebam quòd me ſemper exaudis, & ad Hebræos 5. Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt propter reuerentiam. Item Pſal. 2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Vbi ſimul affirmat per hunc regem & propter hunc colligi eccleſiam ex genere humano. Cætera manifeſta ſunt ex multis ſcripturæ dictis. Nam de benedictione mox dicetur, & de donatione Spiritus ſancti & vitæ æternæ extant multa teſtimonia apud Iohannem: Quẽ pater mittet in nomine meo. Item, Quem ego mittam vobis à patre. Et, ego vitam æternam do eis.

Hæc doctrina de officiis ſacerdotis ſummam continet conſolationem, fitque dulcior, cùm cogitamus iuramento Dei hunc ſacerdotem, per quem placata eſt ira æterni patris, & propter cuius meritum, & interceſſionem recipitur genus humanum in gratiam, eſſe ſancitum & confirmatum. Ideo Epiſtola ad Hebræos hoc iuramẽtum exaggerat, inquiens, Deus, cùm eximiè vellet hæredibus promiſſionis oſtendere firmitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non poſſet vt mentiretur Deus, validam conſolationem haberemus, qui huc confugimus, vt potiamur propoſita ſpe, quam velut anchoram tenemus cùm tutam tum firmam.

Addit autem hunc Meſſiam eſſe ſacerdotem *in æternum*: vbi iterum de multis magnis rebus monemur. Si enim in æternum eſt ſacerdos, neceſſe eſt in Chriſto eſſe naturam diuinã: non enim poſſet eſſe ſacerdos æternus, niſi eſſet natura Deus. Hæc commonefactio primùm ad perſonam ipſam ſpectat, & refutat Samoſatenum, & eos qui hoc tempore eius blaſphemias renouant. Deinde teſtatur hæc particula Chriſtũ quanquam neceſſe fuit eum mortem guſtare, quando factus λύτρον pro noſtris peccatis, pœnam peccatis debitam, quæ mors eſt, ſuſtinuit: tamen non potuiſſe retineri à morte. Neceſſe igitur fuit eum reſurgere à morte, & viuere vita æterna: alioquin enim non poſſet fungi munere æterni ſacerdotis & regis. Tertiò, Eſt ſacerdos æternus: Ergo & bona, quæ ab ſacerdote diſtribuuntur, ſunt æterna. Suo enim ſacrificio abolet peccatum & mortem, & affert nouam & perpetuam vitam. Quartò, eſt ſacerdos æternus. Ergo erit & eccleſia æterna, & neceſſe eſt miniſterium in hac vita conſeruari.

Secundum ordinem Melchiſedec] Hoc membrum quod pertinet ad deſcriptionem ſacerdotij Chriſti, vt rectè intelligatur, primùm dicendum eſt quis fuerit Melchiſedec, cum cuius ſacerdotio comparat propheta Chriſti ſacerdotium. Nam de hac re quoque aliquando inter interpretes diſputatũ fuit. Origenes enim ſcripſit Melchiſedec fuiſſe angelum: cuius ſententiam Hieronymus ait ſecutum fuiſſe Didymum, & quoſdam alios. Sed reprehendit Hieronymus Origenem, ſcribens ad Euagrium: & ex Hebræorum ſententia, affirmat Melchiſedec fuiſſe Sem filium Noæ. Et Epiphanius refutans eos, qui negabant Melchiſedec fuiſſe hominem, affirmat publicam opinionem fuiſſe in gẽte Samaritarum, quòd Melchiſedec fuerit Sem filius Noæ. Vide autem ſupputationem Epiphanij lib. 2. tom. 1. contra hæreſin 55. Falſa enim eſt, quia ſequutus eſt 70. interpretum Chronographiam.

Cum autẽ Scriptura affirmet Gen. 14. Melchiſedec regnaſſe in Salem & benedixiſſe Abrahæ, quando reuerſus Abrahã à cæde exercitus hoſtilis primitias ei obtulit: & conſtet, Sem ſuperſtitem fuiſſe ipſi Abrahæ annis 35. veriſimile eſt illum Melchiſedec fuiſſe Sem filium Noe. Erat enim mos primis

patribus, qui accepto verbo diuinitus facti erant pontifices & doctores humani generis, quaſi per manus tradere verbũ, & miniſterium ſuum, hoc eſt, ſacerdotium ſuis liberis, vt cæleſtis doctrina propagaretur & conſeruaretur ad poſteros, commendare. Itaque non dubium eſt Sem à patre conſtitutum eſſe pontificem & doctorem illius mundi. Cúmque in illis locis vbi Abraham poſtea vixit conſederit, & ſuo munere functus ſit etiam poſt Abrahæ mortem, rectè videntur inde ratiocinari Iudæi, hunc Melchiſedec fuiſſe Sem, qui viderat vtrumque mundum. Dicitur autem in Geneſi, hunc Melchiſedec fuiſſe regem Salem. Erat enim ſumma eius autoritas in familia, tanquam primi progenitoris, ideóque dicitur regnaſſe, id eſt, autoritate ſua & conſilio poſteris ſuis præfuiſſe, vt parentes liberis præſunt. Erant enim tunc paterna regimina, & erat reuerentia talis natorum erga parentes & maiores, vt non opus eſſet duriore imperio, præſertim in piis familiis: quæ retinebant profeſſionem doctrinæ cæleſtis. Regnum igitur quod Melchiſedeco tribuit Scriptura, fuit paternum.

Sed quia cura conſeruandæ & propagandæ promiſſionis diuinæ de venturo ſemine ei præcipuè demandata erat, atque ipſe vnicum Deum rectè colebat, dicitur in Geneſi ſacerdos Dei altiſſimi. Ad eius ſacerdotium igitur reſpiciens propheta inquit, Meſſiam eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedec. Id verò quid ſit, iam dicetur: priùs enim explicandum eſt, quod dicitur Melchiſedec regnaſſe in Salẽ. Id enim confirmat hoc quod diximus, Sem, in illis locis vbi Abraham vocatus ex Vr Chaldæorum vixit, functum eſſe officio ſacerdotis, atque ex hac ratione colligi, Melchiſedec fuiſſe Sem. Fuerunt autem duo oppida nomine Salem. Alterum, quod poſtea dictum eſt Ieruſalem, ſitum eunti verſus occaſum à mari mortuo: quod Ioſephus affirmat conditum eſſe ab hoc Melchiſedec. Alterum ab hoc verſus aquilonem ſitum erat, quod & Sichem nominatur, non procul à Bethel. Nam Geneſ. 33. dicitur Iacob cùm reuerſus eſſet è Meſopotamia Syriæ, tranſiſſe de Sucot in Salem vrbem Sichemorũ, & habitaſſe iuxta oppidum, & partem agri, in quo fixerat tabernacula, emiſſe à filiis Hemor patris Sichem. Etſi autem dubitari poteſt, de qua vrbe loquatur Moſes Geneſis 14. cùm inquit, Melchiſedec regnaſſe in Salem: tamen veriſimile eſt, & teſtatur Ioſephus, Melchiſedec habitaſſe in illa vrbe, quæ poſtea dicta eſt Iebus, & deinde Ieruſalem. Fuit enim hæc vrbs vicina Sodomis diſtans circiter 6. vel 8. milliaria: & non procul ab eo habitabat Abraham in Mambre, ita vt Hieroſolyma penè intermedia fuerit inter Sodomam & Mambre. Appellatio autem vrbis Salem ſi indita eſt à Melchiſedec, vt teſtatur Ioſephus, conuenientiſſima eſt officio ſacerdotis. Sacerdos enim, vt diximus, cuſtos erat doctrinæ, ſeu promiſſionum de venturo ſemine Chriſto, qui pacem conciliaturus erat hominibus cum Deo. Ideo Ieſaias 52. exclamans, inquit: Quàm pulchri pedes ſunt ſuper montes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus: Locus igitur, in quo promiſſio illa ſonabat, rectè dicitur Salem, quæ vox pacem & felicitatem Hebræis ſignificat.

Nunc videamus, cur Chriſtum dicat eſſe ſacerdotem *ſecundum ordinem* ſeu ritum *Melchiſedec*. Non enim temere hanc deſcriptionem addere voluit propheta, & non dubium eſt magnum aliquod myſterium ſignificari, id quod autor epiſtolæ ad Hebræos indicat, qui quanquam quædam euoluit: tamen quodammodo eam explicationem prædicens affirmat ſermonem de hac re πολὺν καὶ δυσερμήνευτον, præſertim apud ſecuros & ignauos auditores. Sequentes igitur autoritatem huius autoris, quædam monebimus tantùm, quæ vtilem habent doctrinam & commonefactionem, idque breuiter: nam res ipſæ alibi tractantur copioſiùs.

Non dubium eſt Chriſtum dici ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, primùm quidem, quia vtrumque fuit Melchiſedec, Rex ſcilicet & ſacerdos. Idque nouum & inuſitatum erat in hoc populo Iudaico, ſeu in progenie Dauidis, cui regnum tantùm promiſſum erat. Nõ enim volebat Deus in populo ſuo hæc officia miſceri, quod ex pœna Vſiæ apparet 2. Par. 26. Sed ſoli Chriſto reſeruabatur hæc dignitas, vt cũ regni honore & dignitate religio ſacerdotij coniungeretur. Hæc prima ratio eſt. Sequitur altera, de qua plerique interpretes ſecuti authorem epiſtolæ ad Hebræos loquuntur. Dicitur Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec, vt ita eius ſacerdotium diſcernatur à Leuitico, & oſtendatur exhibito Chriſto finem fore iſtius Leuitici ſacerdotij, quod occupatum aſſiduè erat in mactandis & offerendis victimis, atque in cæteris ceremoniis peragendis.

Hîc autem differentia præcipua cogitanda eſt inter ſacerdotium Melchiſedec & Leuiticum, & conſiderandum quomodo illud potius quàm hoc Chriſto cõueniat. Differentiam mõſtrat autor epiſtolæ ad Hebræos, ex hiſtoria quæ deſcribitur Gen. 14. At is, inquit cap. 7. cuius genus non recenſetur ex illis, decimas accepit ab Abrahamo, & habenti promiſſiones benedixit. Porro nemo negat quin id quod minus eſt, benedictionem accipiat ab eo, quod maius eſt. Hæc præcipua differentia eſt inter ſacerdotium Leuiticum & Melchiſedec, Benedictio nimirum, quæ eſt annuntiatio gratiæ & æternorum bonorum, quam tribuit hiſtoria huic ſacerdoti. Prædicabant quidem ſacerdotes Leuitici promiſſiones de Chriſto, id verò non erat proprium ipſorum officium, ſed erat propheticum. Leuiticum vero propriè erat mandatum docendæ legis, quod arguebat peccatum & proponebat maledictiones: nec vſquã lex tradit apertum mandatum de remiſſione peccatorum, nec docet de gratuita remiſſione peccatorum, ſed requirit noſtram obedientiam, arguit peccata & proponit maledictionem: deinde addit quaſdam externas ceremonias ad pædagogiam inſtitutas, vt ſignificent aliquid de peccato generis humani, de morte, de ventura hoſtia. Hæc ſumma eſt Leuitici miniſterij.

Sed Melchiſedeci officium erat officium benedictionis, vt cùm ad Abraham inquit, Benedictus es Abraham à Deo altiſſimo, id eſt, Deus eſt tibi propitius, remittit tibi peccata, recepit te in gratiam, vt iam ſis membrum eccleſiæ, ſis iuſtus & hæres vitæ æternæ, donat tibi S.S. regit, protegit, adiuuat te in prælio, vt oſtendat teſtimonium præſentiæ ſuæ. Chriſtus igitur ſacerdos ſecundùm huius ordinem offert verum ſacrificium, hoc eſt, ſeipſum, atque hoc ſacrificio placans iram Dei benedicit nobis, id eſt, annuntiat & donat nobis remiſſionem peccatorum, & benedictio eſt efficax: reſtituit enim in nobis iuſtitiam & vitam æternam, colligit, cuſtodit & liberat eccleſiã, vt in omni æternitate cum ipſo Deum celebret. Hæc omnia ſignificantur, cùm Chriſtus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec: atque ita huius officium manifeſtè diſtinguitur ab officio ſacerdotum Leuiticorum. Hæc igitur doctrina commonefacit nos, vt credamus nobis quoque ſic benedici à Chriſto. Qua in re ſumma conſolatio eſt propoſita, vt quoties audimus per vocem euangelij annuntiari nobis remiſſionem peccatorum & benedictionem, exẽplo Abrahæ ſtatuere poſſimus, Chriſtum ipſum hanc benedictionem nobis annuntiare & per vocem miniſterij efficacem eſſe. Hæc præcipua collatio eſt in hac ſententia: deinde ſequitur hinc & illa doctrina, quòd miniſterium Leuiticum in aduentu Chriſti ſit abrogandum. Si enim Chriſtus futurus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec, iam non opus erit illis externis cæremoniis, quæ longè poſt ætatẽ Melchiſedec ſunt inſtitutæ, & manifeſtum eſt, illud nouum ſacerdotium longè præferri Leuitico.

Pontificij ex nonnullorum patrum ſententiis, cùm hunc locum interpretantur, accommodant eum ad illud quod ſcribitur in Geneſi, Melchiſedec obtuliſſe panem & vinum: & cùm proprium ſacerdotis ſit offerre ſacrificiũ, iudicant hanc ſententiam intelligendam eſſe ſimpliciter de externo quodã oblationis ritu. & quia nunc in eccleſia non alius eſt externus oblationis ritus, quàm quẽ ipſi ſibi fingunt, dum in miſſa affirmant offerre ſe corpus Chriſti: hunc ritum volunt his verbis ſtabiliri: alioqui enim, vt illi exiſtimãt, panis & vini oblatio eſſe vtrique cõmunis non poſſet, ſed falluntur longè. Non enim Deo tunc obtulit ſacrificium Melchiſedec, ſed panem & vinum dicitur protuliſſe, vt ſcilicet exercitum Abrahæ reficeret, ideóque Scriptura vtitur verbo הוציא quod non ſignificat offerre ſacrificium Deo, ſed depromere aliquid ex penu ſuo. Fieri quidem potuit, vt ante epulas veteri more in illo hoſpitali congreſſu partem panis & vini ſumeret Melchiſedec & dictis precibus libaret, hoc eſt, oblatione facti gratias ageret Deo pro illuſtri victoria, próque ipſo cibo & pro omnibus beneficiis. Sed ex illa cæremonia non poteſt ſtabiliri illud impium commentum pontificis Romani & Monachorũ de oblatione Chriſti in miſſa, quam fingunt eſſe ſacrificium applicandum pro aliis, vt mereatur eis remiſſionem peccatorum, & quidem ex opere operato. Etiamſi enim talis aliqua libatio facta eſſet inter ſolẽnes preces & cum gratiarũ actione: tamen nequaquã dici poteſt, illas preces ſeu gratiarum actionem fuiſſe ſacrificium pro aliis applicandum, vt de miſſa fingunt monachi: ſed erat gratiarum actio illa opus fidei non pro aliis valens: ſed placebat in iſto, tanquam recõciliato per fidem, ſicut ipſius propria confeſſio. Cùm autem in cœna fiat nõ oblatio panis & vini, ſed cõmunicatio corporis & ſanguinis Chriſti, vt Paulus loquitur, non debet illa actio & vſus in alium finẽ longè diuerſum ab inſtituto transferri: ſunt enim Sacramenta certi generis actiones, quæ extra vſum inſtitutũ non ſunt Sacramenta. Nec debet precibus noſtris aut gratiarum actioni tribui, quòd ſint ſacrificium ἱλαστικόν.

Autor epiſtolæ ad Hebr. cap. 7. aliam etiam cõparationem inſtituit inter Chriſtũ & Melchiſedec. Nam quia à Moſe Melchiſedec

chiſedec deſcribitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, hoc eſt, cæleſtis quidam homo. hinc colligit Chriſti ſacerdotiũ hoc typo adumbratum carere fine, & eſſe perpetuum. Sed hæc alibi copioſiùs explicantur. Collatio enim hæc fit, vt in typo. qua de re vide Theodoretum in ſecundo dialogo.

על דברתי] Quidam vertunt ſecundùm verbum meum, vt ſit ſententia, Melchiſedec non rapuiſſe ſibi hoc munus ſacerdotale propria autoritate, ſed diuinitus vocatum & inſtitutum fuiſſe ſacerdotem. Hęc ſententia quidem non eſt inconcinna, ſed quia aliquid ſubaudiendum eſt, ſi ita reddatur, malo cum aliis exponere ſecundùm ordinem, apparet enim Iod hoc loco eſſe paragogicum, vt ſæpè aliàs, & דברתי ſcribi pro דברת. Et ſignificat hæc vox, ſacerdotium ſiue Melchiſedec, ſiue Aaronis, ſiue Chriſti, non ſic comparatum eſſe, vt ſit temerario arbitratui obnoxium, quòd poſſit in quaſcunque formas fingi vel refingi, ſed conſtare certo ordine, certa lege diuinitus præſcripta, certa conditione, ſerie & conſtitutione. Nomen Melchiſedec rectiſſimè conuenit Chriſto: ſignificat enim Regem pacis.

5 Dominus ad dexteram tuam: confringet [*cruentabit*] in die iræ ſuæ reges.

6 Iudicabit in gentibus: implebit cadaueribus: confringet caput ſuper terram magnam.

Proſequitur victorias huius regis, de quibus antea in exordio huius pſalmi dixerat, quæ doctrina & conſolationem habet ad pios neceſſariam, & terribilem comminationem ad impios & perſequutores eccleſię. Docet enim hunc regem inſtructum diuina potentia perpetuò adeſſe ſuæ eccleſiæ, regere, tueri & defendere eam aduerſus hoſtes, & omnes quotquot huic regno ſe opponunt, horribilibus pœnis afficere. Alloquitur autem Dauid eccleſiam ipſam in hoc verſu, vt illa intelligat hanc doctrinam de regno & ſacerdotio Chriſti ad ſe pertinere, eámque in tanta ſua infirmitate & ærumnis ad vſum trãsferre diſcat. Quod igitur dicit *Dominus à dextris tuis*, non hoc vult, patrem ſtare à dextris filij: vt nonnulli interpretati ſunt: nam antea dixerat filium ſedere ad dexteram patris. Sed nunc eccleſiam alloquens, ait, illum ipſum ארני filium ſcilicet qui ad dextram patris ſedeat, hoc eſt, qui diuina potentia regnet, ſtare à dextris noſtris, id eſt, ita nobis adeſſe in militia noſtra, in qua perpetuò in maxima noſtra infirmitate cum hoſtibus infenſiſſimis & acerrimis, diabolo, peccato, morte & mundo nobis pugnandum eſt, vt ipſe ſtans à dextris noſtris, latera noſtra tegat, excipiat ictus ab hoſtibus illatos, pugnet pro nobis, depellat hoſtes à capite & ceruicibus noſtris, inſtruat etiam nos viribus idoneis, vt ſuſtinere impetum hoſtilem poſſimus. Hæc omnia complectitur, cùm inquit, *Deus à dextris tuis*. Alio igitur reſpectu dicit, hunc Dominum ſedere ad dexteram patris, alio eundem eſſe à dextris noſtris. Nam ſedere ad dextram patris, vt antea monuimus, ſignificat diuina potiri gloria, virtutéque & potentia diuina regnare ſuper omnia, quæ in cælo & terra ſunt: ſed eſſe à dextris eccleſiæ, eſt munire eam & protegere, ne vis vlla ad eam pertingat, obiicere corpus telis & ictibus hoſtium, infringere vim & conatum hoſtilem, ne nocere quicquam poſſit: denique vires & robur ſuppeditare, vt ipſi quoque feliciter pugnare poſſimus. Similis phraſis eſt pſalmo præcedente, verſ. vltim. & Pſalmo 16. Deus à dextera mea eſt, non declinabo.

Hæc conſolatio multa monet. I. Eccleſiam, quæ in hac vita eſt inermis, & videtur eſſe ſine præſidio, & ſine defenſione, & perpetuò obiecta eſt furoribus diaboli & huius mundi, habere regem potentem, à quo conſeruetur & defendatur, nec poſſe eam deleri, vtcunque infeſtis armis in eam incurrant hoſtes. Stat enim à dextra eccleſię filius Dei dux magnus, ita vt hoſtes in hunc primùm incurrere, atque eius vires experiri neceſſe ſit. II. Monet nos hæc conſolatio de patientia in cruce & afflictionibus, cùm addit, *In die iræ ſuæ*. Significat enim hunc regem nonnunquam differre auxilium, diſſimulando iniurias, & conniuendo ad tyrannidem & ſcelera hoſtium, donec iuſtum & maturum vltionis tempus adueniat. Vult enim inter afflictiones & certamina, patientiam, fidem & inuocationem piorum exercere: ſed vbi tempus vltionis & iudicij (quod nominat hoc loco diem iræ) aduenit, tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. Tunc enim, vt hîc dicitur, lethalia vulnera infligit, & paſſim cumulat cadauera hoſtium. Eſt autem emphaſis in vocabulo מלכים reges. Significat enim præcipuam partem generis humani, quæ præſtat opibus, potentia & ſapientia, aduerſaturam eſſe huic regi & eius regno, & perpetua fore eccleſiæ bella cum his, quorum ſumma in mundo eſt potentia, ſapientia & autoritas. Monet igitur ne fracti iniquis regum aut potentum iudiciis, aut odiis, deficiamus ab hoc rege: & ſimul conſolatur nos docendo, eccleſiam fore victricem tantæ ſapientiæ & potentiæ.

Iudicabit in gentibus] Pœnam quam regibus minatus erat, extendit propheta in hoc verſu ad omnes qui ſimili furore in eccleſiam Chriſti ſæuiunt. Ita autem exercet has pœnas Chriſtus, vt interea tamen inter gentes, quæ doctrinam oderunt & oppugnant, eccleſiam ſibi colligat, & regnum ſuum conſtituat & amplificet: ideo antequam de pœnis dicat, inquit, *Iudicabit inter gentes*, id eſt, paſſim inter gentes conſtituet ſuum regnum, & continebit omnes huius regni ciues ſuo imperio. Verbum autem iudicandi omnia huius regni officia cõplectitur. *Iudicabit* autem arguendo peccata, dando remiſſionẽ peccatorum, conuerſos ſaluando & defendendo aduerſus hoſtes. Simul autem rectè ratiocinatur de abiectione gentis Iudaicæ & de deletione iſtius politiæ. Si enim regnum ſuum conſtituet inter gentes, non erit deinceps talis politia, qualis hactenus fuerat in populo Iudaico.

Implebit cadaueribus, vel cumulabit cadauera, id eſt, paſſim reprimet & euertet hoſtes ſui regni, & horribilibus pœnis opprimet omnes contumaces & ingratos. Significatur autem magnitudo pœnarum hac ſententia. oſtendit enim magnam hinc inde fore cæſorum ſtragem, vt magnitudo iræ diuinæ ex aceruis cadauerum & ex regnorum ruinis æſtimari queat. Eſt autem hæc comminatio non ad vnum certum tẽpus reſtringenda, ſicut neque ſequens membrum ad vnum certum imperium ſeu regnum: quemadmodum nonnulli de Romano imperio intelligi volunt: ſed de omnibus temporibus & regnis quę aduerſantur Chriſto, quocunque tempore accipienda eſt hæc ſententia. Omnibus enim hoſtibus Chriſti has pœnas minatur. Hieronymus hoc loco legit, implebit valles: legit enim גיאות pro גויות.

Cruentabit caput] Collectiuum eſt: ſignificat enim omnes qui cum aliqua authoritate & potentia ſe Chriſto opponũt, daturos eſſe pœnas ſuæ crudelitatis & tyrannidis, & nullam vim hoſtilem fore tantam, quæ impedire aut inhibere curſum huius regni, aut labefactare eius vires poſſit.

Caput magnum] Id eſt, humana imperia & regna, quæ huic imperio aduerſantur.

7 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Non eodem modo hunc verſum exponunt interpretes, & breuitas affert aliquam obſcuritatem. Iudæi qui nihil niſi regem aliquem politicum & potentem Meſſiam promiſſum fore ſperant, hanc quoque ſententiam ad victorias eius ineptè accommodant. Ita enim exponunt: *de torrente*, ſcilicet ſanguinis cæſorum bibet: quaſi diceret propheta, Meſſiam victorem tantam hoſtium ſtragem & cædem facturum eſſe, vt torrentis inſtar ſanguis cæſorum manaturus ſit, & bibere victori exercitui ex eo torrente liceat in via, dum hoſtes perſequitur. Qua forma ſermonis ſignificari exiſtimant Chriſtum ſatiatum iri hoſtium ſuorum ſanguine: ſed cùm textus hoc loco nihil de ſanguine dicat, nec ſanguis potus eſſe victoribus ſoleat, niſi figuratè id dicatur, vt in vaticinio Bileam: vbi potatio ſanguinis ad leonem refertur, & non niſi figuratè de populo Iſraelitico dicitur, Num. 23. Inprimis verò cùm hoc Chriſto competat, reiiciamus hæc ſomnia Iudæorum, qui faſcinati opinionibus de regno Chriſti mundano, pleraque Scripturæ dicta audaciſſimè conuellunt & corrumpunt.

Ex recentioribus nonnulli exiſtimant ſimilitudinem ſumptam eſſe à ſtrenuis & robuſtis ducibus, qui dùm hoſtem in fugam conuerſum perſequuntur, non remittunt de ſuo ardore, nec cura cibi, potus, ſomni aut aliarum deliciarum impediuntur, quominus victoriæ curſum vrgeant: ſed contenti vel aquæ potu ex quouis obuio torrente, qua ſitim reſtinguant, mox hoſti fugienti inſiſtunt, nec dilabi eum ex manibus ſuis patiuntur. Sicut Gedeon Iudic. 7. ex aquæ potu ſuorum militum virtutem & animi robur explorabat. Ita igitur de Chriſto intelligi hunc verſum volunt, quaſi militare robur Chriſto hac forma ſermonis tribuatur, vt qui ita victorias ſuas perſequatur, vt non quieſcat, nulliſque deliciis, nulla ſomni, cibi aut potus cura ab inſtituto auocari poſſit, ideóque metuendã eius potentiam & robur hoſtibus hoc modo proponi.

Sed retineamus ſimpliciſſimam ſententiam, quam phraſis ipſa gignit, nec quæramus argutias procul quæſitas. Dixerat propheta de rege Chriſto, cui ſummam potentiam & victorias de hoſtibus tribuerat. Ne igitur Iudaico more hoc acciperetur de regno corporali: addit doctrinam de eius paſſione, quæ ei quaſi viam apertura erat ad gloriam & ad exaltationem in regno. Sicut dicitur Lucæ 24. Oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam. Bibere enim in ſcriptura accipitur pro affligi, vt Ierem. 49. Non eris innocens, ſed bibendo bibes. Quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent. Et tu quaſi innocens relinque-

ris? Item, Matt. 20. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibam? Sed aliquãto plus eſt in hac phraſi, cùm dicit, *Bibet de torrente* quàm ſi ſimpliciter dixiſſet: Bibet calicem. Nam calicem bibere ſignificat portionem ærumnarum cuique attributam ſuſtinere. Sed de torrente bibere, hoc loco ſignificat omnes miſerias guſtare, & omnium miſeriarum ſummos gradus. Nã torrens vim & magnitudinem ærumnarum vndique concurrentium ſignificat. Chriſtus enim ſenſit in ſe effundi irã Dei, & tanquam validiſſimum torrentem incurrere in ſe peccata totius generis humani. Ideo dicitur bibere de torrente. Et per hanc paſſionem, inquit propheta, intrabit in gloriam, & *exaltabit caput*, hoc eſt, reſurget à mortuis, & deinceps potenter dominabitur.

Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam, quæ oſtendit Chriſti regnum longè aliud fore, quàm quale Iudæi ſomniant. Chriſtus enim per ærumnas, per afflictiones & per mortem, quam noſtra cauſa ſubit, trãſit ad gloriam ſuam, vt accipiat nomen ſupra omne nomen, vt dicitur ad Philip. 2. Cúmque nos oporteat conformes fieri imaginis filii Dei, exiſtimemus, non priùs glorificari eccleſiam, quàm mortificata fuerit, hoc eſt, variis afflictionibus & ærumnis quaſi ſubacta & confirmata. Humiliamini, inquit Petrus, ſub potenti manu Dei, vt exaltemini in tempore opportuno. Græca ſcholia ſic habent. Hoc dicitur, non cum faſtu ingredietur, nec ſatellites habebit, cùm aduenerit: ſed tenui ac frugali vitæ ſe ipſe tradet, ac tali, vt de torrente ſit bibiturus. Videtur autem ſcholiaſtes reſpexiſſe ad illã hiſtoriam Eliæ, quæ extat 1. Reg. 17. vbi Elias iubetur bibere de torrente, hoc eſt, in exilio & ærumnis contentus eſſe communi potu, qui obuiam fiat.

In via bibet] Comparat Chriſtum viatori facienti iter per hanc vitam. In hoc igitur itinere, donec ſcilicet in hac vita ante reſurrectionem & glorificationem verſabitur, hauriet & ſuſtinebit has afflictiones, ex quibus cùm emerſerit reſuſcitato corpore ex mortuis, tandem exaltabitur in ſuo regno, & erit ſuperior omnibus hoſtibus ſuis, diabolo, morte & totius mundi potentia: & regni ſui ſubditis donabit iuſtitiam & vitam æternam.

Hæc eſt doctrina huius pſalmi de rege & ſacerdotio Chriſti, in quo luculentiſſima de præcipuis eius officiis & beneficiis teſtimonia proponuntur, quæ grata eſſe nobis omnibus debent. Quoties autem de beneficiis Chriſti dicitur, ſimul de applicatione, quod antea monui, cogitandum eſt, vt ſciamus quomodo horum beneficiorum participes fiamus. Hîc teneatur dictum Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. & huc afferenda ſunt alia teſtimonia, quæ paſſim in ſcriptura extant. Ita enim quiſque particeps fit horum beneficiorum, ſi vera fide ſtatuat ad ſe quoque pertinere hæc beneficia: & ſibi hunc redemptorem & ſaluatorem miſſum & donatum eſſe, & vera fiducia in hoc rege & ſacerdote acquieſcat. Quæ doctrina in libris Methodicis explicatur copioſiùs.

PSALMI CX.

PARTES.

I. Propoſitio officiorum, quæ Deus pater commiſit filio, duo membra continens, 1. De regno & prophetia eius, v. 1. 2. 3. In regni autem explicatione tria occurrunt. *Vocatio* æterna à Deo patre in regiam adminiſtrationem & gloriam, v. 1. *Adminiſtratio* vniuerſalis & potentiſſima per Spiritum & prophetiam ſiue doctrinã Euangelij, inuitis hoſtibus, v. 2. Cultus fideliſſimus ac ſtudioſiſſimus obſequẽtium ſubditorum Chriſti, v. 3. 2. Alterum propoſitionis membrum, de ſacerdotio Chriſti, v. 4. De quo legenda epiſtola ad Hebræos, à cap. 4. ad 11.

II. Propoſitio eorum quæ Chriſtus effecturus eſt pro officio ſuo, ſeu de effectis potentiſſimæ adminiſtrationis Chriſti regis noſtri: continens victoriam reportatam de omnibus inimicis, v. 5. 6. 7. quæ allegoricè humano bello, ſtrage inimicorum, & victoriis perſequentis exultantíſque geſtu figuratur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Chriſtus filius regis Dauidis ſecundùm carnem, eſt tamẽ eius Dominus. Ergo Deus æternus, Chriſto ipſo interprete, Matth. 22. 43. &c.

Decreto Patris æterno filius, quatenus verus homo, eò vſq; euectus eſt, vt poſt aſcenſionẽ ſedeat ad dexteram Patris, id eſt, obtinet ſummum & æternum imperium in cælo & in terra, cum nomine quod (excepta deitate) eſt ſupra omne nomen. Aſſeritur ergo veritas humanæ naturæ Chriſti, cuius naturæ veritatem glorificatio non abſtulit, vt noui Eutychiani ſomniant. Item perſonæ in duabus naturis vnitas. Vide cap. 1. epiſt. ad Hebr. 12.

Chriſtus, rex eccleſiæ, omnibus ſeculis habuit & ad finem vſque mundi habiturus eſt hoſtes plurimos & potẽtiſſimos, tum viſibiles, tum inuiſibiles, qui regnanti reluctantur, ſed fruſtrà, ſubijcientur enim conculcandi pedibus ipſius. Fructus autem huius victoriæ ad membra Chriſti pertinet, tum in præſenti tum præcipue in futura vita. Vide 1. Corinth. 5. 24. &c. Hebr. 10. 13.

Proponit igitur hic verſiculus 1. Naturas duas in vna perſona Chriſti. 2. ſummum eius imperium. 3. bella & victorias aduerſus eccleſiæ hoſtes, qui Chriſti inimici appellantur. Vide Act. 9. 4.

2 Chriſtus auſpicatus eſt imperiũ iſtud in Sione, ad omnes terrarum fines poſtea, imò vſque ad Dei dexteram prouehendum. Vide Iſa. 2. 3. Luc. 23. 24. Matth. 28. 8. 19.

Potens eſt ſceptrũ Chriſti, quia hoc mirabile fuit, toto ferè mundo repugnante propagari nihilominus Chriſti crucifixi regnum: & ita dominatur in medio inimicorum ſuorũ. Hinc colligimus. 1. Quantumuis inſaniant impij, non eſſe tam longas eis manus, vt Chriſto ſceptrum auferant, doctrinamq; Euangelij aboleant. 2. Quũ Chriſtus non ſibi regnet, ſed in ſalutem noſtram, nos ſub inuicti regis cuſtodia tutos & incolumes fore. 3. Aſperam quidem eſſe piorũ conditionem, vt qui in medio inimicorum crudelium & innumerorum verſentur, continuaq; exercentur militia: ſed dum in ſpe & ſilentio degunt, ac ſe ad manſuetudinem & tolerantiam parant, Chriſti præſidio freti furoribus impiorum intrepidè inſultant.

3 Propoſito rege, ſequitur ſubditorum eius (qui hoſtibus opponũtur) id eſt veræ eccleſiæ, exacta deſcriptio. 1. Eſt populus vltro & ſine ſimulatione obſequens. 2. Vt milites ſub cuius ſignis militent ex habitu aut alijs ſymbolis dignoſcuntur: ita huius ſanctiſſimi regis copiæ ex ſanctitate internoſcuntur. Sanctitas eccleſiæ coram Deo eſt Chriſtus ipſe: corã hominibus fidei fructus. Sumit autẽ propheta formulã loquendi ex Sacerdotũ & Leuitarum ornatu: in quo (ſolẽnibus præſertim diebus) corã Deo in ſuis ſtationibus ſinguli apparebant. 3. Decus iſtud nunc quidẽ veluti latet ſub cruce & ærumnis quibus obnoxia eſt eccleſia: ſed quod ſumus apparebit die illo luſtrationis eccleſiæ, cuius ſit mẽtio Act. 3. 21. & 1. Cor. 15. 28. quãdo Deus fiet omnia in omnibus electis ſupra cælos cũ Chriſto ad æternã & beatiſſimã vitam fruendã collectis. 4. Piorum cœtus, quantumuis ærumnoſus, cũ lectiſſimorum iuuenũ exercitu comparatur: vt nouerimus perfici Dei virtutẽ in noſtra infirmitate: quæ vis potiſſimum emicuit in prima eccleſiæ Chriſtianæ naſcẽtis infantia, magno quidẽ ſuccedentium dedecore. 5. Eccleſia ipſa & cumulus donorum omnium quibus exornatur, pulcherrima & accõmodatiſſima ſimilitudine, dicitur ros cœlitus quaſi ex auroræ vtero elapſus: vt quẽadmodum roris innumeræ guttæ cernuntur ab aurora certis anni vicibus in terram ſparſæ, ita eccleſiæ filiorum & donorũ cœlitus mero Dei beneplacito collatorum innumerus futurus eſt numerus.

4 Alterius muneris Chriſto impoſiti, id eſt ſacerdotij æterni & iureiurando ſanciti (repetita etiam ſub Melchiſedeci typo vtriuſq; naturæ in vnicum ὑφιστάμενον *coniunctione) abſolutiſſima deſcriptio, cuius quot & quanta ſint myſteria, toto epiſt. ad Hebr. cap. 7. declaratur.*

Quemadmodum Melchiſedec quaſi cæleſtis quidam homo deſcribitur à Moſe: ita Dauid Chriſtum ei comparans, ſine carere intelligit Chriſti ſacerdotium. Vnde ſequitur, quia morte non impeditur ab exequendo ſuo munere, nullum ei eſſe ſucceſſorem. Quo refutatur miſſæ papiſticæ deteſtandum ſacrilegium. nam vt Deum ſuperſtitioſis reconcilient Pontificij ſacrificuli, Chriſto eripiunt honorem ei patre datum.

5. 6 Sequũtur certamina ipſius inprimis Chriſti: ac deinceps etiam eccleſiæ, à primordijs præſertim patefacti euãgelij ad alterũ Chriſti aduẽtũ, aduerſus ſatanã & potẽtiſſimos quoſq; mũdi principes, impietatis, idololatriæ, hæreſeos & tyrãnidis fautores: niſi per monarchã (cuius ſpeciatim mentio fit verſ. 6.) beſtiã illã & beſtiæ imaginem à D. Iohanne in Apocalypſi depictã, id eſt, imperium Romanum & Antichriſtũ in templo Dei per tot annos ſedentem, & ſupra Deum

ſeſe

ſeſe efferentem, intelligere malimus.

Tanto glorioſior tum ipſius Chriſti regis, tum etiam militum futurus eſt triumphus, quanto fuerit fortiùs ac diutiùs certatum.

Impiorũ aduerſus eccleſiam irriti ſunt conatus, quia Deus Chriſti regnum tuetur, & potentiſſimos quoſque aduerſarios (teſte omnium ſeculorũ hiſtoria) diſiicit ac confringit. Vide Pſal. 2.9. & Apoc. 2.27. & 9.15.

Sicuti erga oues manſuetus eſt paſtor, lupis autem & furibus aſper ac formidabilis: ita Chriſtus ſuauiter & placide fouet qui ſe eius cuſtodiæ committunt: at qui obſtinata malitia excutiunt eius iugum, ſentient quam horribili potentia inſtructus ſit. Quo attentiùs cauere nos oportet, ne præfracto & intractabili ingenio irã eius prouocemus, dum nos comiter inuitat.

7 *Poſtremus verſiculus deſcribit ſummam certaminũ & victoriarũ Chriſti, qui guſtatis omnibus miſeriis, & torrẽte lethaliũ dolorũ pro nobis exhauſto, dũ hoſtes noſtros inuictos in fugã verſos debellat, intercipit, & victos ſibi ſubiicit, nempe ſatanã, peccatũ, mundũ, mortem & infernum, poſt crucis & mortis ignominiam reſurgẽs & è mundo diſcedens, in gloriam ſuam ingreſſus eſt, ideo nunc exaltat caput, id eſt, in ſumma gloria ad dexteram patris euectus, inde uẽturus eſt ad iudicãdum viuos & mortuos. Porro quũ membra capiti conformia eſſe debeant, illud fixum manet, pios per multas afflictiones & oppreſſiones ingredi in regnũ Dei. Act. 14. 22. Ibi enim, nũc ſub cruce fatiſcẽtes, plena victoria per Chriſtum potiti, æternaque gloria coronati, verè capita exaltabunt.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Chriſtus filius Dauidis ſecundum carnem, eſt Deus æternus, ideo Dauidis Dominus.
2. Perſonarum Patris & filij diſtinctio.
3. Chriſtus Patris æterni filius æternus: ſeu de æterna filij Dei deitate.
4. De ſeſſione filij θεανθρώπου ad dexteram Patris.
5. De veritate humanæ naturæ Chriſti.
6. De regno, propheria & ſacerdotio Chriſti.
7. De Chriſti hoſtibus, eorundémque cladibus & interitu.
8. Eccleſiæ Chriſti luculenta deſcriptio.
9. De Chriſti regis certaminibus, victoriis & triumphis.

ARGVMENTVM PSALMI CXI.

VIDETVR hic pſalmus & aliquot ſequentes in hunc vſum conſcripti eſſe à Dauide, vt in publicis & ſolennibus feſtis, quando populus vniuerſus Ieroſolymã conueniebat, decantarentur: præcipuè verò in feſto paſchatos ad eſum agni paſchalis hic pſalmus accommodatus eſt. Erant enim tria apud Iudæos ſolennia feſta diuinitus inſtituta, vt memoria beneficiorum diuinorum, quæ populo Iudaico exhibita erant, quotannis renouaretur, & Deo pro his publicè gratiæ agerentur. Ideo mox in titulo pſalmi populus ad gratiarum actionem, tãquam ad præcipuum opus ſeu ſacrificium in illis ſolennibus congreßibus Deo offerendum, excitatur. Recenſet autem propheta in hoc pſalmo non tantùm illa beneficia, quæ peculiariter populo Iudaico in eductione ex Ægypto, in admirabili conſeruatione & nutritione in deſerto per annos 40. in tradita poſſeßione terræ Canaan, in conſtitutione & conſeruatione politiæ, miniſterij publici & cultuum, hactenus exhibita erant, ſed altiùs ordiens, ipſam creationem, ſeu opera creationis, deinde conſeruationem rerum creatarum & gubernationem aßiduam, in qua perpetua teſtimonia prouidentiæ, gloriæ, maieſtatis & iuſtitiæ diuinæ conſpiciuntur, allegat: atque his tandem omnibus redemptionem, quæ per Chriſtum facta eſt, tanquam ſummum & principale beneficium ſubiungit. Ideóque pro his omnibus ſuo loco gratias agit propheta: & cæteros ſuo exemplo hortatur, vt agnoſcentes immenſa atque innumera Dei beneficia, quæ populo ſuo præſtiterit, vera animi gratitudine & voce eum celebrẽt. Addit autem in fine epiphonema, in quo proponit commonefactionem opponendam iudiciis profanorum hominum, qui haſce adhortationes de agnoſcendis & celebrandis beneficiis diuinis, vel doctrinam de redemptione generis humani partam per Chriſtum audientes, rident illũ cœtum, qui ſe affirmat eſſe populum Dei, & de ſua ſalute & vita æterna palam gloriatur. Exiſtimant enim extremam eſſe ſtultitiam harum rerum cura affici. Monet igitur ne profanis iudiciis hominum deterreamur, vt profeßionẽ doctrinæ cæleſtis & pietatis cultum abiiciamus: ſed potiùs hanc ſapientiam ſummam eſſe iudicemus, quæ in agnitione veri Dei, & pietatis cultu poſita eſt: & docet hãc ipſam ſapientiam tanquam minimè vanã, verè efficacem eſſe in piorum pectoribus, in quibus inchoat veram lucem, veram ſapientiam, veram conſolationẽ in Deo acquieſcentem, vnde exiſtit æterna gloria & beatitudo. Sunt autem verſus huius pſalmi ſicut & ſequentis, ad ordinem literarum Alphabeti ſic digeſti, vt ſingula κῶλα à literis ordine alphabetario incipiant. Id quod, vt in aliis, ita in hoc quoque exiſtimo factum eſſe memoriæ iuuandæ cauſa, rudiorum præſertim, quibus cùm pſalmi iſti præſcriberentur, talibus adminiculis opus fuit, vt faciliùs memoriæ mandarentur. Quẽ vſum apud nos in cantilenis præſtant rithmi.

Halcluiah.

ID eſt, hoc præcipuum ſit opus huius feſti & præcipuum ſacrificium, agnitio ſcilicet & celebratio beneficiorum diuinorum: quaſi dicat, Non exiſtimate vos tantùm ad epulas & conuiuia, vel etiam ad cumulandas victimas vocari: ſed hoc eſt præcipuũ opus huius feſti vt Deum celebretis. Ita in hac voce quæ exclamationis vim habere videtur, exhortatio eſt accommodata ad rem præſentem.

1 Celebrabo Iehoua in toto corde: in congregatione iuſtorum & cœtu.

Orditur mox à gratiarùm actione, quæ eſt principalis propoſitio pſalmi. Eſtque ipſe rex ἔξαρχος illarum laudum diuinarum, vt ſuo exemplo cæteros ad canendas Dei laudes excitet. Tale exemplum multo efficacius mouet animos vulgi, quã prolixæ exhortationes. Ideo optandũ erat, reges & principes, qui veram doctrinam amplectuntur, hac in parte exẽplum Dauidis imitari. Rectè enim dicitur à Claudiano.

Non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentum.
Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et certè ſcandalo ſunt alijs, ne quid aliud dicam, non ſolùm qui à ſacris cœtibus prorſus abſtinẽt, ſed etiam, qui cùm templum ingrediuntur, ita ſe abdunt interea, vt aliis præire exemplo, aut præcinendo inuitare ſubditos ad cultum pietatis nequeant.

In toto corde] Oſtendit qualis eſſe gratiarũ actio debeat. Debet enim fieri nõ obiter aut verbis in ore naſcentibus, ſed ex corde, eoque non diuiſo aut fucato: ſed integro, toto, & ſincero, ex omnibus videlicet animi affectibus. Opponit autem hanc ἀντίθεσιν hypocritarum prolixis decantationibus, quæ quanquam pleno gutture & magnis clamoribus ſæpe laudes diuinas tonant, tamen quia cor vel abeſt longiſſimè, vel ita diſtrahitur, vt parum in rem præſentem ſit intentum, omnia faciunt ſimulatè, nec Deum afficiunt honore, ſed rident eum, & ſibi pœnas accerſunt. Ex hac antitheſi iudicari poteſt, quid velint hæc verba, *Ex toto corde.* Nequis materiam ſeu occaſionem deſperationis inde ſumat, ſi animaduertat ſe eam cordis perfectionem nõ afferre, qualis optanda erat: aut, ſi non omnia beneficia diuina enumerando aſſequatur. Nam vtvt mutilæ ſint noſtræ laudes, placent tamẽ Deo, ſi ſincerè & ſine hypocriſi hic cultus præſtetur.

In congregatione] In argumento diximus, pſalmum conſcriptum eſſe ad publicum vſum, id quod vel ex his verbis colligi poteſt. Suo autem exemplo monet rex, vt non priuatim tãtum, ſed publicè etiam laudes diuinas celebremus. Sũtq. eius

cauſæ complures. Non vult laudes piorum eſſe Eleuſinia ſacra. Deinde promiſſiones traditæ ſunt eccleſiæ, quas vult Deus nos in inuocatione & gratiarum actione intueri, de qua re in publico piorum congreſſu admonemur. Vult item nos noſtra confeſſione teſtari, quòd ſeiungamus nos ab omnibus ſectis & impiorum cultuum inuẽtoribus. Poſtremò, vult Deus noſtro exemplo nos inuitare alios, & vult nos publicos congreſſus conſeruare, vt miniſterium docendi conſeruetur.

In congregatione] Nomen סוד Hebræis ſignificat arcanum ſeu myſterium: & quia conſilia debent eſſe ſecreta & arcana, ſæpe ponitur pro conſilio, quod nonniſi intimis communicatur, vt pſalmo 55. Cui ſuauiter communicabamus conſilia, id eſt, omnia ſecreta noſtra. Hinc in genere ſignificat ſocietatem, quòd conuenire ſoleant homines de rebus arcanis inter ſe tractaturi, & conſilia communicaturi. Hîc igitur accipitur pro piorum cœtu ſeu conuentu, in quo miniſteria Dei quæ verè ſunt ſecreta, hoc eſt, ignota rationi humanæ, tractantur.

Dicit autem hunc cœtum eſſe *iuſtorum*, quod quomodo ſit intelligẽdum, alibi explicatur. Eſt eccleſia iuſta: primùm, quia placet Deo propter mediatorem, cuius iuſtitia illa veſtitur, vt dicitur apud Ieſaiam cap. 61. Deinde donata eſt Spiritu ſancto, qui inchoat in piis nouam obedientiam Deo placentem: cui quantumuis languidæ & ſordidæ tribuitur in Scriptura nomen iuſtitiæ: nõ quòd opponatur iræ & iudicio Dei, aut quòd tollat peccatum & mortem, aut quòd meritum ſit vitæ æternæ, vt Monachi finxerunt: ſed placet in his qui propter filium ſunt iuſti, id eſt, accepti & reconciliati. Hos igitur iuſtos nominat, habentes ſcilicet vtramque iuſtitiam, imputatam, qua coram Deo iuſti, hoc eſt, accepti ſunt: & alteram, quæ eſt iuſtitia operum, quam efficit in renatis Spiritus ſanctus. Tali cœtu affirmat autor huius pſalmi ſe delectari. Pares enim cũ paribus facillimè congregantur. Eſt autem συνεκδοχὴ in vocabulo iuſti. Sunt enim multi hypocritæ ſemper admixti cœtui piorum, ſed denominatio fit à potiore parte: ſicut & in Symbolo cùm dicitur, Credo eccleſiam ſanctam.

2 Magna opera Iehouæ, exploranda pro omnibus voluntatibus eorum.

Sequitur confirmatio propoſitionis à rebus geſtis & beneficiis diuinis. Magnæ, inquit, cauſæ & res ſunt, quæ nos inuitare & mouere debent, vt aſſiduè Deo gratias agamus. Primùm enim ſi opera eius omnia aſpiciamus, quæ potentiam ipſius commendant, tanta potentia, ſapientia & bonitas ſeſe in his offert, vt comprehendi ab hominibus horum operum magnitudo nõ poſſit. *Opera* autem primùm in genere nominat creationem, & rerum creatarum conſeruationem. Itaque dicit illa opera eſſe magna, nõn ſolùm propter varietatem & magnitudinem & pulchritudinem: ſed etiam quia in minutiſſimis quoque rebus admirabilia ſapientiæ diuinæ veſtigia conſpiciuntur, & in vſu rerum creatarum amor Dei ſingularis erga genus humanum intelligitur. Deinde opera poſſunt in ſpecie etiam intelligi de vocatione populi Iudaici, déque ſegregatione à cæteris gentibus, de releuatione promiſſionum, de promulgatione legis, de cõſtituta eccleſia in hoc populo, de politia, de miranda conſeruatione, de mirandis liberationibus eccleſiæ. Nam hæc opera imprimis fuerũt magna & admiratione digna, & voluit Deus hæc opera ſua in hoc populo agnoſci & celebrari.

Quæ inquirantur pro omnibus voluntatibus eorum] Facit diſcrimẽ inter impios ſeu alienos à Deo & inter pios. Impij etſi oculis corporis aſpiciunt quotidie Dei opera, tamen autorẽ non agnoſcunt, nec celebrãt, nec res ipſius pro magnitudine ſua, vt par erat, æſtimant. Non enim attendunt quanta in operibus Dei ſapiẽtia, bonitas, iuſtitia & virtus eluceat. Pij verò ita aſpiciunt opera Dei, vt quocunq; ſe vertant, teſtimonia eius prouidentiæ, ſapientiæ, potentiæ & bonitatis animaduertant. Atque hoc inquiſitionis ſtudio ſicut delectantur vehementer, ita ſentiunt ſe eo excitari magis ad agnoſcendum & celebrandum autorem. Hæc ſimpliciſſima eſt ſententia, quæ ad vtrunque genus operum facilè accommodari poteſt. Nam ſi de creatione, & rerum creatarum conſeruatione loquaris, videmus quàm ſocordes & cæci ſint impij in harum conſideratione. Quotuſquiſque enim eſt, qui cœlum, terram & cæteras res creatas ita aſpiciat, vt autorem agnoſcat ac celebret? Eccleſię verò bona, doctrinam ſcilicet à Deo traditã, & quæ de beneficijs Filij Dei dicuntur, mundus planè iudicat eſſe fabuloſa. Pij verò, vt opera Dei in creatione ita agnoſcunt, vt autorem celebrent: ita doctrinam eccleſiæ traditam experiuntur eſſe veram & efficacem, vt poſtea in fine dicetur: ideóque magno ſtudio & magna cum voluptate inquirunt, eáque teſtimonia omnia paſſim obuia habent. *Nach all ihrem vvillen*. Verbo ſcrutandi commendatur diligentia in inquiſitione operum diuinorum & cura diſcendi.

Nõnulli vertunt, *explorata cunctis cupientibus*. Quæ ſententia penè eadem eſt cum ſuperiore, ſed ſecundùm hos legendum erat adiectiuè חפציהם, quæ forma occurrit Pſalmo 35. Nam חפץ ſignificat cupidum, volentem, ſtudioſum, ardentem deſiderio & voluntate inquirẽdi: Non חפציהם, quod eſt à nomine ſubſtantiuo ſeu abſtracto חפץ.

3 : Gloria & honor opus eius: & iuſtitia eius manet [*ſtat*] in ſeculum.

Repetit eandem ſententiam, vúltque hoc dicere, Ex omnibus Dei operibus, ſiue creationem & gubernationem mundi intelligas, ſiue ad eccleſiæ collectionem & conſeruationem in hoc mundo reſpicias, ſummam eius gloriam, maieſtatem, ſplendorem & magnificentiam effulgere. Omnia enim opera eius, quæcunque illa ſint, teſtantur eius immenſam ſapientiam & bonitatem. Incurrunt quidem in oculos & admirationem pariunt res geſtæ magnorum regum, Alexandri, Scipionis, Iulij & ſimilium. Sed profectò longè abſunt ab hac gloria, quæ ſe oſtendit in operibus Dei: imò euaneſcunt facilè omnia humana, collata cum diuinis operibus, vt meritò Deo ſoli laus & honos debeatur. Verbum הוד venerari, reuerentia proſequi ſeu celebrare ſignificat. Inde nomen הוד ſignificat ſplendorem ſeu axioma, quod ſe oſtendit foris in veſtitu, geſtu, actionibus & operibus alicuius. הדר verò ſignificat venerationem ſeu gloriam, quæ comitatur illam dignitatem: Ideo plerunque iunguntur tanquam correlatiua. vide ſuprà pſalmum centeſimum quartum. Significatio vocis הוד eſt paſſiua: intelligitur enim de ſplendore ſeu dignitate, qua ſe propter res præclarè geſtas aliquis conſpicuum reddit. Poſterius vocabulum eſt actiuum: intelligitur enim de honore & gloria, quæ eſt in honorante, vt ſit mutuus inter hæc duo vocabula reſpectus.

Iuſtitia eius manet in ſeculũ] Hæc ſentẽtia opponitur calumniis impiorum hominum, qui opera Dei plerunque cauillantur & rident. Nam quia vident multa fieri aliter quàm volebant, vt quòd non mox rapiuntur ad pœnas homines ſcelerati, imò ſæpe euehuntur ad ſummos honores, ecõtra verò boni atq; innocentes, atq; imprimis illa pars generis humani, quæ dicitur eccleſia, duriter premitur bellis, perſecutionibus, aliíſque calamitatibus, exiſtimant nullã eſſe prouidentiã, aut iuſtitiam Dei, ſed omnia ferri temerè vel caſu: multi etiam tyrannidis & ſæuitiæ accuſant Deum, qui tot malis genus humanum onerarit. Horum iniquis iudicijs vt occurrat, affirmat Deum perpetuò iuſtum eſſe in ſuis operibus, nec vnquam diſcedere à norma iuſtitiæ ſuæ, etiamſi noſtro iudicio hoc non ſtatim appareat. Alij iuſtitiam interpretantur verbum & ordinationem Dei, quam dicunt eſſe immotam, ita vt deleri verbum eius aut conuelli ordo non poſſit.

4 Memoriam fecit mirabilium ſuorum [*mirabilibus ſuis*] clemens & miſericors Iehoua.

Ab operibus Dei generalibus deſcendit nunc ad ſpecialia, & quæ huic populo erant peculiaria. Reſpicit autem in hoc verſu ad illam mirandam liberationem, qua populus Iſraeliticus eductus eſt ex Ægypto, cuius beneficij memoria, vt perpetuò vigeret & cõſeruaretur in hoc populo, Deus inſtituit ritũ mactationis agni, quem quotannis repeti & celebrari voluit: non ſolùm vt ſignum eſſet admonens Iſraelitas de præterita liberatione: ſed etiam de futura, & de agno, hoc eſt de victima, per quam vera & æterna liberatio donanda erat. Hoc igitur ritu dicit Deum memoriam feciſſe mirabilium ſuorum, hoc eſt, inſtituiſſe illum externum ritum mactationis agni & publicæ feſtiuitatis, vt eſſet memoriale, quo homines commonefierent de ingentibus illis miraculis, quibus Deus teſtimonia ediderat præſentiæ ſuæ in hoc populo, & imprimis clementiæ ſuæ & miſericordiæ, vtque in publicis congreſſibus pro his beneficiis Deo gratiæ agerentur.

Continet autem hic verſus grauiſſimam doctrinam de vſu ceremoniarum, quæ diligenter obſeruãda eſt: plerique enim exiſtimant obſeruationem rituũ per ſe eſſe cultum, quo Deum promereantur. Ideo perfunctos ſe ſuo officio exiſtimant, ſi in ritibus peragendis ſint aſſidui & diligentes: ſed affirmat pſalmus alium eſſe finem externorum rituum, qui ſi abſit, ipſæ nudæ ceremoniæ parum aut nihil proſunt. Deus enim in ſuo populo illum publicum ritũ mactationis agni & ſimiles inſtituit, vt ſua ipſis beneficia in memoriã aſſiduè reuocaret, atq; hoc modo eos ad agnitionẽ & celebrationẽ miſericordię & bonitatis diuinæ, & ad fiduciã in Deo ponẽdam excitaret. Hic erat pręcipuus finis & vſus iſtarũ ceremoniarũ Iudaicarum, quem qui negligebant, aut qui cultum aliquem peculiarem in ipſa ritus obſeruatione ponebant, ij totum Dei conſilium peruertebant & corrumpebãt. Inde igitur crebræ reprehenſiones ſacrificiorum apud prophetas.

Quod addit *clemens & miſericors*, eò ſpectat quod hæc mira-

cula

cula illuſtria teſtimonia fuerint inſignis clementiæ & miſericordiæ diuinæ.

5 Eſcam [*portionem*] dedit timentibus ſe: recordabitur in ſeculum fœderis ſui.

Hunc verſum plerique ad eſum agni paſchalis accommodant: nonnulli de hoſtium ſpoliis quibus potiti ſunt Iſraelitæ, cùm in terram Canaan introducerentur: alij in genere de benedictione diuina, qua hactenus ditatus fuerat populus, vt omnibus rebus ad victum neceſſariis abundaret, interpretantur. Sed quia mox ſequenti verſu mentio fit introductionis populi in terram Canaan, & verſu præcedente de eductione populi ex Ægypto locutus erat: exiſtimo prophetam imprimis reſpicere ad hiſtoriam oberrationis populi Iſraelitici in deſerto per annos 40. Toto enim illo tempore, cæleſti cibo diuinitus ſunt ſuſtentati.

Illum igitur cibum nominat hoc loco טרף qui tanquam præda famelicis in deſerto fuit obiectus. Nec multum abludit voce & ſignificatione dictio Hebræa à Græco τροφή.

Timentibus ſe] Quia propter pios aluit totam multitudinē, quæ maxima ex parte erat impia. Atque ita ſemper Deus propter eccleſiam benefacit multis.

Memor erit in æternū pacti ſui] Addit cauſam huius liberalitatis & paternæ curæ. Ideo enim tam liberaliter pauit Iſraelitas in deſerto, & inter tot pericula eos ſeruauit, vt ipſo effectu oſtēderet fœdus ſuum, quo eos adoptauerat in populum, non eſſe irritum vel inane. Alioqui enim ſi ſecundum merita ipſorū voluiſſet agere, omnes in deſerto periiſſent. Quod igitur ſeruatur eccleſia in genere humano, quódque ornatur multis beneficiis, id non tribuatur hominum pietati aut meritis, ſed ſolius Dei bonitati, qui eos quos ſemel in filios adoptauit, conſtanter amat, nec vult irritam fieri ſuam promiſſionem.

6 Virtutem operum ſuorum annuntiauit populo ſuo: ad dandam illis hæreditatem gentium.

Iam quaſi in faſciculum colligit illa beneficia omnia, quæ poſt eductionem ex Ægypto populo ſunt exhibita. Nam introductio in terram Canaan multa complectitur & miracula & beneficia, quæ omnia vno atque altero verbo notat, cùm inquit: *virtutem operum ſuorum*, id eſt, Deus cùm daret hæreditatem gentium, ſeu terram Canaan maioribus noſtris, virtutem operum ſuorum ſeu potentiam ſuam illis manifeſtauit & patefecit. Verbum enim annuntiandi hîc de reali prædicatione accipitur. Fuit enim tota illa hiſtoria introductionis populi in terram promiſſam, perſpicuum teſtimonium, quo de ſua potentia Deus Iſraelitis teſtatus eſt. Non enim humanis viribus parta eſt illa poſſeſſio, ſed virtute cæleſti & multis miraculis eſt tradita.

Erat autem donatio illa terræ Canaan, ingens beneficium, & huic populo peculiare. Nam illa donatione eccleſiæ, quæ tunc nō niſi in populo Iudaico erat, attribuebatur certa ſedes & politia: cùm alioqui nec ante nec poſt habuerit certum locum: ſed ſparſa fuerit & ſit inter gentes ſine certo imperio & certa politia. Ideo hoc beneficium propheta inter præcipua commemorat. Non enim fecit taliter omni nationi: vt alibi dicitur in pſalmo 147.

7 Opera manuum eius, veritas & iudicium: veracia [*firma*] omnia ſtatuta eius.

8 Stabilita vſque in ſeculum: facta in veritate & rectitudine.

Sicut antea opera creationis & conſeruationis commendarat à magnitudine, dignitate, ſplendore ſeu magnificentia, & à iuſtitia Dei, quæ ex his operibus eluceſcerent: ita nunc opera & collectionis & conſeruationis eccleſiæ in populo Iudaico prædicat à veritate & à iudicio: vt hac commendatione animos piorum ad gratiarum actionem, ad fidem & timorem Dei magis exuſcitet. Opera igitur Dei in hoc verſu non accipiantur φυσικῶς, vt antè: ſed in ſpecie de operibus Dei, quibus ille præſentiam ſuam in populo Iudaico ſeu in eccleſia oſtendit.

Dicit autem *opera*, quæ ſcilicet edidit Deus in introductione populi in terrā Canaan, ſunt *veritas & iudiciū*, id eſt, oſtendūt Deum eſſe veracem in ſuis promiſſionibus: præſtitit enim quod promiſerat Abrahamo & eius poſteris, deinde oſtendūt eundem eſſe iuſtum iudicem: quia ſuis cultoribus benefecit, attribuendo ipſis certas ſedes & politiam, & ſimul horribiliter puniuit idololatriam, libidines & alia ſcelera gentium Cananæarum. Prius ad fidem & gratiarum actionem excitare animos debet, poſterius ad timorem Dei in nobis excitandum valet. Vtrumque verò opponitur iudiciis mundi. Hactenus enim deridebātur Iudæi viuentes inter gētes peregrinas, & poſtea vagantes in deſerto per tot annos: & tamē gloriantes ſe eſſe populum Dei, qui peculiariter eſſet electus à Deo, & cui tā amplæ promiſſiones eſſēt factæ de regno. Sed oſtendit tandem Deus, ſe eſſe veracem & iuſtum iudicem, qui & ſuis adſit ſua gratia, fauore & patrocinio, & in hoſtium ſcelera animaduertat. Sicut autem de illis operibus Dei introducentis populum in terram Canaan hoc dicitur, quod ſint veritas & iudicium Dei, id eſt, quòd ſint vera & iuſta: ita hoc ad gubernationem eccleſiæ omnium ætatum transferatur: Semper enim veritas & iudicium Dei in ea conſpicitur. Et redemptio illa populi Iſraelitici memoriale huius rei fuit & documentum perpetuum.

Quod addit, *firma* ſeu certa *omnia ſtatuta eius & ſtabilita in ſeculum*] Eſt quaſi generalis concluſio, quam ex illis miraculis & teſtimoniis eius temporis colligit, & ad omnes ætates accōmodat. Opera enim illa, quibus tūc veritatē & iuſtitiam ſuā declarauit, oſtendunt omnia Dei ſtatuta (hoc eſt, tam legem quàm promiſſiones diuinitus traditas) eſſe vera, firma & immota, etiamſi ratio humana aliter interdum iudicet.

Hæc doctrina firmiter tenenda eſt, non tantùm contra Epicureas dubitationes & profana multorum hominum iudicia, quæ in multis fidem languefaciūt & extinguunt: ſed etiā infirmitati noſtræ opponenda eſt. Quia etiam pij interdū his tentationibus oppugnātur, quòd promiſſiones & comminationes diuinæ non ſint firmæ: præſertim cum non mox reſpondet euentus votis noſtris in cruce, in calamitatibus piorū & ſucceſſibus impiorum hominum. Præcipit igitur hoc dictū de fide, quæ retinenda & fouenda eſt, etiam cùm foris omnia contraria ſe ſenſibus noſtris offerunt. Sicut de Abrahamo dicitur, credidiſſe eum contra ſpem in ſpem, id eſt, retinuiſſe ſpem firmam & immotam, etiam cùm cauſæ ſecundæ eum abiicere fidem & ſpem iuberent.

פקודים Nominat doctrinam, quam commendauit Iſraelitis cuſtodiendam.

9 Redemptionem miſit populo ſuo: mandauit in æternum fœdus ſuum ſanctum, & terribile nomen eius.

Progreditur vlterius in commemoratione beneficiorum diuinorum. Non enim ſatis erat populum liberatum ex ſeruitute Ægyptiaca collocaſſe in terrā Canaan, vbi à vicinis hoſtibus, à quibus vndique cingebatur, paulatim abſumeretur & deleretur: ſed muniuit eos quoque præſidijs neceſſariis, vt tuti eſſent aduerſus iniurias & incurſiones vicinorum hoſtium. Omnibus enim terrorem incuſſit, ne arma temere ſumerent aduerſus Iudæos, &, ſi quando eò audaciæ progrederentur, vt armis laceſſerēt Iudæos, aut iniuriam aliquam inferrent, miſit duces, quos inſtruxit prudentia, robore & virtute militari, vt hoſtes feliciter depellerent, & pacem populo reſtituerent. Atque ita ſuū populū ſeruauit ne deleretur. Ideo dicit Deum miſiſſe redemtionem populo ſuo. Neque enim hoc de vnica liberatione populi ex ſeruitute Ægyptiaca: ſed de aſſidua defenſione & liberatione intelligi debet. Quod verò addit Deū *mandaſſe in æternum fœdus ſuum*, oſtendit illas ipſas corporales liberationes piis fuiſſe commonefactiones de æterna liberatione à morte, à tyrannide diaboli, à peccato, à lege: & de reſtitutione vitæ æternæ per Chriſtum. Deus enim non ſolùm dederat huic populo legem & politiā manſuram vſque ad aduentū Chriſti: ſed etiam promiſſiones de vita æterna. Ideo dicit, eum mandaſſe in æternum teſtamentum ſuum: atque has ipſas corporales liberationes, quāquam fuerūt ingentia beneficia, tamen fuiſſe tantùm vmbras, & quædam documenta ſeu præludia illius æternæ liberationis, quæ in fœdere promiſſa erat. Ita igitur vult populum intueri & celebrare illas liberationes, in quibus hactenus præſentiam Dei conſpexerant, vt harum conſideratione excitarentur ad amplectenda, & grato animo celebranda illa æterna beneficia, quæ in fœdere promiſſa erant.

De forma loquutionis, *Mandauit in æternum*, diximus ſuprà pſalmo 105. Dicitur Deus mandare ſuum pactum ſeu fœdus, quia vult illud eſſe ratum & firmum. Reges enim ad ſuam exiſtimationem & dignitatem pertinere iudicant, ne mandata mutentur aut retractentur: ideo quæ rata eſſe volūt, mādant, & quæ mandata ſunt, iudicantur eſſe immutabilia. Deinde fœdus ita initum erat cum populo Iſraelitico, vt ſimul populus ad obedientiam mandatis diuinis præſtandam obligaretur, ideo vtitur verbo mandauit. Nam cum promiſſionibus ſimul lex lata erat non tantùm moralis, ſed & ceremonialis, vt populus ſub hac pædagogia contineretur, & de rebus cæleſtibus erudiretur.

Sanctum & terribile nomen eius] Addit epiphonema, quod eſt velut concluſio gratiarum actionis, admonens nos ne in conſideratione diuinorum beneficiorum imitemur maximæ partis hominum ignauiam, negligentiam ſeu ἀκηδίαν: qui vel

prorſus non cogitant de Deo autore vitæ & bonorũ omnium, vel faciunt id nimis oſcitanter & negligenter: ita vt nomen Dei quidem in ore habeant, ſed ſanctitatis & reuerentiæ honorem, quem debebant, non exhibeant. Alij etiam, quod magis deplorandum eſt, honorem Deo debitum transferunt ad idola, & ad creaturas, quibus quidquid bonorum habent acceptum referunt. Horum omnium impietatem & profanitatem redarguens propheta inquit, Nomen Dei eſſe ſanctum & timendum: itaque non obiter aut perfunctoriè de eius beneficiis eſſe cogitandum: ſed cum ſumma reuerentia & honoris exhibitione, quæ conueniat eius ſanctitati & maieſtati: multò verò minùs ſpoliandum eum eſſe debito honore, vt faciunt idololatræ. Cùm enim ſit ſanctus, non vult niſi ſanctè & cum quadam reuerentia & honoris ſignificatione ſe agnoſci & celebrari: nec vult contaminari aut pollui cultum ſuum profanitate opinionum, contemptu Epicureo aut Cyclopico, aut miſceri etiam nomen ſuum cum idolis. Hæc commonefactio exuſcitat auditores & monet, quales animos ſeu animorum motus afferre in ſacrum & publicum cœtum debeant. Non ſint frigidi aut ſtupidi in bonorum diuinorum cõſideratione, non adferãt animos, aliis curis aut cogitationibus occupatos: multò minùs circumferant in ſuis cordibus idola, quibus plus honoris, reuerentiæ aut cultus exhibeant, quàm ipſi Deo. Dei enim nomen, vt ſanctum eſt, quod pollui alieno aut parum honorifico cultu non debet: ita etiam timendum ſeu metuendum eſt. Vindicat enim Deus ſui nominis contumeliã & contemptum. Nomen Dei eſt ipſe Deus, qualem ſe in verbo agnoſcendum præbuit.

10 Principium ſapientiæ timor Iehouæ: intelligentia bona cunctis facientibus ea: laus eius manet (*ſtat, durat*) perpetuò.

Concluſio pſalmi eſt quaſi conſequens collectum ex ſuperiore epiphonemate. Cùm enim nomen Dei ſit ſanctum & metuendum, hoc eſt, ſanctè & reuerenter colendum: ergo, inquit, ſtatuamus omnes, principium vel caput ſapientiæ eſſe timorem Dei, non ſimus profani aut Epicurei, qui aut prorſus negant eſſe Deum: aut ſi conuicti fateri cogantur eſſe aliquem Deum, tamen negant ei eſſe curæ res humanas, & verbum, quod Deus de ſua voluntate patefecit, tãquam fabulam inanem rident, abiiciunt & conculcant. Deinde cùm ſit Deus, qui res humanas curat, qui afficitur noſtris calamitatibus & miſeriis, quique tot & tantis beneficiis amorem ſuum erga nos oſtẽdit, ſtatuamus ei etiam cultum à nobis & obſequium deberi, & quidem hanc eſſe ſummam hominum ſapientiam rectè agnoſcere & colere Deum, rectè inuocare eum, petere & expectare ab eo cùm æterna, tũ corporalia bona, totos nos ei gubernandos committere, gratias agere pro beneficiis acceptis (nam his rebus timor Dei continetur) Nec moueamur iudiciis profanorum hominum, qui mundi ſapientiam magnifaciunt, & ea ſola ſe oblectant. nam humana ſapientia ad hanc collata prorſus in fumos euaneſcit.

Intelligentia bona cunctis] Confirmat priorem ſententiam, & ex antitheſi damnat omnem ſapientiam humanam, quæ ſe auellit à Deo, nec ſe obſtringi vult ad obſequium Dei. Exiſtimat mundus præcipuam eſſe ſapientiam, rectè conſulere rebus ſuis, munire ſe præſidiis amicorum & opum, accommodare ſe ad aliorum hominum ingenia & voluntates, atque inde captare fauorem, honores, dignitates: denique omnia trahere ad ſua commoda & vtilitates: eos verò, qui his rebus nõ occupantur, rident tanquam ſtolidos: ſed contrà, inquit pſalmus, hæc eſt intelligentia ſeu prudentia bona, quæ longè alteri illi quam mundus ſuſpicit & magnifacit, eſt anteferenda, obſeruare ſcilicet mandata Dei, hoc eſt, amplecti doctrinam diuinitus patefactam, & totam vitam ſuam ita componere, vt ſeruiat gloriæ Dei, & faciat mãdata eius. Loquitur enim hic de toto cultu Dei, qui conſiſtit in fide, dilectione, ſpe, timore, patiẽtia, inuocatione, gratiarum actione. Ita antitheſis declarat hanc ſententiam.

Relatiuum הם ponitur abſque ãtecedẽte, quod vſitatum eſt Hebræis, & videtur referẽdum ad nomen פקודיו quod eſt verſu ſeptimo.

Eſt autem in hoc membro definitio timoris Dei comprehenſa: dicit enim timere Deum nihil aliud eſſe quam Deum rectè colere, iuxta eius verbum, ſeu ſtatuta, & quia cultus nõ eſt legitimus, niſi quem gubernat agnitio Dei, ideo dicit hũc timorem eſſe ſapientiam, & eſſe intellectum. Nam affectus ſeu motus cordium noſtrorum regi debent norma in verbo præſcripta, nec eſt verus timor Dei, qui ad normam præſcriptam non congruit. Ideo ἐθελοθρησκεία pontificiorum & hypocritarum non meretur nomen timoris Dei, ſed potiùs damnatur à Deo. Poſtea nomen intelligentiæ accipiatur etiam affectiuè ſeu completiuè, vt loquimur in ſcholis, de vera & efficaci animorum conſolatione, quæ exiſtit ex vera agnitione & cultu nominis Dei. Nulla eſt enim doctrina præter hanc, quæ afferat pacem & tranquillitatem conſcientiis, aut quæ oſtendat firmas & efficaces conſolationes. Ideo verè hæc intelligentia dicitur bona. Nam cætera omnia extra verbum diuinum afferunt triſtes dubitationes, terrorem & abominabilem fugam & fremitum aduerſus Deum, & mergunt homines in deſperationem: ſola hæc doctrina eſt grata & ſalutaris.

Laus eius manet in ſeculum] Addit aliud epiphonema, quod & præceptum & promiſſionem cõtinet. Quòd ad præceptum attinet, congruit cum titulo pſalmi, qui habet adhortationem ad canendas laudes diuinas. Vt igitur initio cohortatus erat populum, vt in ſacro cœtu Dei beneficia celebraret: ita nunc iubet, vt perſeuerent in celebranda laude Dei, hoc eſt, vt ſiue in ſacro cœtu verſentur, ſiue domi viuant, nunquam intermittant celebrare & prædicare beneficia diuinitus accepta. Tanta enim illa ſunt, vt nunquam ex memoria hominum effluere debeant. Deinde hæc ipſa adhortatio cõtinet dulcem promiſſionem, quæ teſtatur doctrinam de Deo non poſſe opprimi aut deleri à tyrannis & diabolis. Si enim laus & gloria Dei perpetuò duratura eſt. Ergo ſemper erunt aliqui, qui eũ rectè agnoſcant & colant, etiamſi diabolus omnibus viribus id agat, vt euangelium deleat. Imò non tantùm in hac vita corporali, quæ breuis & momentanea eſt, & quæ finem ſuum habet, agnoſcetur & celebrabitur Deus: ſed quia gloria eius durat perpetuò, neceſſe eſt reſtare aliam vitam, in qua tandem ſine impedimentis, ſine dolore, ſine lacrymis, ſine luctu Deus læta voce ab omnibus piis celebretur in æternum. Hæc dulcis eſt conſolatio quæ opponẽda eſt ærumnis, calamitatibus & doloribus piorum in hac vita, quibus interdũ illa gloria nominis diuini quodammodo quaſi obſcuratur, vt nõ facies tantùm, ſed vox etiam piorum triſtior ſit, quam gloria nomini diuino conueniens requirat.

Alij tamen hanc ſententiam ad pios Dei cultores accommodant, quorum laus ſit futura perpetua: dum interea illa, quæ mundus magnifacit, prædicat & attollit, ſua leuitate tãquã nebulæ euaneſcunt & pereũt. Atque ita Buchananus nõnullos interpretes imitatus in ſuo carmine reddidit, *Hũc ventura nepotum ſemper dicent ſecla beatum.*

PSALMI CXI.

PARTES.

I. Exordium ſiue propoſitio laudis Dei, cuius partes ſunt hortatio ab exemplo ſuo, v. 1. & ſumma declaratio rerum ad laudes Dei pertinentium, v. 2. & 3. quæ continent quatuor epitheta laudabilium Dei operum: nempe quòd ſint 1. magna. 2. expoſita piis. 3. glorioſa & decora. 4. iuſta quibus reſpondent membra narrationis verſibus ſequentibus additæ.

II. Narratio hæc continet beneficia & facta Dei erga Eccleſiam, à 4. v. ad 9. vſque. Hæc ſunt 1. Gratioſa & miſericors Iſraelis liberatio ex Ægypto. 2. Mannæ alimentum. 3. Patientia & charitas immenſa rebellem populum ferens. 4. Terræ promiſſæ donum. 5. In omnibus, veritas, potentia, gratia, ſapientia, iuſtitia elucens.

III. Exhortatio ad officium præſtandum, ſeu de reciproco populi erga Deum officio, v. 9. nempe obſeruatio fœderis, & ſincerus Dei cultus.

IIII. Concluſio per ὑστέρωσιν, v. 10. duas narrationis partes complectens. 1. de officio piorum, vt reuereantur Deum, freti hac promiſſione, vt ſecundet eos benedictionibus. 2. de laudibus Dei in ſempiternum prædicandis, quibus pſalmus incipitur & clauditur.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Hæc optima eſt ac in primis efficax exhortandi ratio, vt qui vocatione, authoritate & donis Spiritus excellunt, duces ſe aliis proponant ad canendas Dei laudes.

Deum intus & ſine teſte laudare præſtat, quàm ficto animo clamare & tonare eius laudes pleno gutture. Cordi autem ſincero lingua etiam ſi accedat, celebratio adimpletur, ita tamen vt ſemper infirmitates noſtras ſapiat. Sed vtcunq; mutilæ ſint piorum laudes, Deo tamen placere non deſinunt, ſi modò non ſimulatè enituntur ad præſtandum hunc pietatis cultum.

In hunc maximè finem aguntur ſacri conuentus, vt Deo laudem ſacrificent ſui cultores. vide pſal.65.1.

2 Operum Dei magnitudo quantumuis conſpicua, iis tantùm apparet qui eorũ cõſideratione delectantur. Vide pſal.8.92.104.107. & Iſai.26. Vtcunq. autem incomprehenſibilis ſit ſapientiæ, æquitatis, iuſtitiæ, potentiæ, miſericordiæ immenſitas in Dei operibus, notitiam tamen delibant fideles, quæ ſufficit ad Deum glorificandum.

3 Hæc opera Dei plena ſunt magnifica dignitate, quia vbiq; conſpicua eſt Dei iuſtitia, quæ tum impios terreat, tum fideles ſua dulcedine alliciat ad fidem & obſequium.

4 In operibus autem extraordinariis & miraculoſis gratia & benignitas Dei apparet: dum ſuos modis humanæ rationi prorſus ignotis potenter liberat & conſeruat, vt tot beneficiorum gloria vnicæ eius clementiæ tribuatur.

5 Deus eccleſiæ ſuæ curam habet vt neceſſitatibus eius proſpiciat: quia reipſa vult oſtendere fœdus ſuum non eſſe irritum vel inane. Nec aliunde fluunt beneficia quibus nos proſequitur, niſi quia nos ſibi adoptauit in populum; nec vnquam fatigatur ſuos benignè tractando. Quod ad nos attinet, fidem noſtram non oportet eſſe fluxam ſed vitam & mortem tranſcendere.

6 Vt inſignibus liberationibus Iſraelitæ veritatem diuini fœderis agnouerunt, quando aduerſus tot hoſtes præualuerunt in terra promiſſæ acquiſitione & poſſeſſione: ita fideles omnipotentem Dei clementiam per Chriſtum & in Chriſto oblatam per euangelium ſentiunt, dum facti participes promiſſionum ſalutis æternæ, inuitis tot hoſtibus crudeliſſimis, in ſpe, charitate & tolerantia ſub cruce fortiter perſeuerant, donec hæreditate cæleſti fruantur.

7.8 Fidelis & rectus tum in ſuis operibus tum in verbo ſuo Deus cognoſcitur: adeo vt inter dicta & facta eius pulcherrimus conſenſus appareat. Hac autem fidem & ſpem piorum mirificè confirmat.

9 Non modò ſemel ſuos è periculo quopiam liberat Dominus, ſed vbiq. & in omnibus anguſtiis eos tutatur, iuxta ſui fœderis immutabilis verbum, Ero Deus veſter. Ac vt electis ſanctum eſt nomen eius, nam in eius beneuolẽtia reuerenter acquieſcunt: ita hoſtibus eſt terribile, vtpote quos conterat & in furore ſuo aboleat.

10 Quum timor Dei ſit caput ſapientiæ, inſaniunt quicunque Dei reuerentia neglecta vitam non componunt ad legis obſequium. Verè autem ſapiunt qui mandatis eius obſequuntur.

Laus & celebratio Dei, quantumuis à ſceleratis negligatur, eximia & perennis eſt permanſura. Piis ergo ſemper aderit Dominus, vt ad ſeculi conſummationem vſque in terra conſeruentur nõnulli cœtus hominum qui nomen veri Dei purè inuocabunt & celebrabunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Dei laudum prædicatione.
2. De cœtibus ſeu conuentibus ſacris & Eccleſiaſticis.
3. Operum Dei conſideratio qualis eſſe debeat.
4. De miraculis, ſeu extraordinariis operibus Dei.
5. De fœdere Dei.
6. De ſapientia vera.
7. De timore ſeu reuerentia veri Dei.
8. Proſperitatis omnis fontes & riui.

ARGVMENTVM PSALMI CXII.

VARIIS vtitur Scriptura argumentis & rationibus, quibus homines ad pietatis ſtudium & perſeuerantiam in ſuſcepto ſtudio adducat. Et certè in tanta piorum hominum infirmitate, in tãtis calamitatib. & ærumnis, quibus aſſiduè premitur eccleſia, in tantis odiis & aduerſationib. malorum hominum, in tantis & tam multiplicibus ſcandalis, quæ animos à pietatis ſtudio alienant, multis opus eſt παρορμητικοῖς, *quibus animi excitentur & confirmẽtur, vt in ſuſcepto pietatis ſtudio pergant alacriter, nec ſe abduci inde vllis miſeriis, terroribus, minis, periculis aut ſcandalis patiantur. Inter cætera autem argumenta, illud quod à præmiis bonorũ operum ducitur, crebrò in ſcripturis repetitur. Nã id ad pietatem alendam inprimis eſt efficax. Etſi enim Deo gratis ſeruiendum eſt, tamen cùm promiſſiones diuinæ, quæ teſtantur, non ſolùm poſt hanc vitam, ſed etiam in hac vita reddi præmia pro bonis operibus, non fruſtra ſint traditæ, & hominum natura ſpe præmiorũ facilè ducatur, voluit Spiritus ſanctus crebra illa repetitione excitare animos noſtros, vt eo alacrius in ſtudium pietatis incumberemus, remotis ex conſpectu iis omnibus quæ ſtudium noſtrum retardare, aut dubios ſeu laguidos reddere animos noſtros poſſent. Talis igitur & hic pſalmus eſt. Colligit enim varias & ampliſſimas promiſſiones, quibus & munit animos piorum aduerſus ſcandalum crucis, quod nonnullos à pietate alienat: & oſtenſa ſpe ampliſſimorum præmiorum veluti calcaria animis piorum ſubdit, vt ſtudium pietatis eo alacriùs amplectantur, & in ſuſcepto ſtudio perſeuerent.*

Hæc ſumma eſt huius pſalmi: eſtque totus pſalmus explicatio dicti Paulini 1. Timot.4. Pietas habet promiſſionem præſentis & futuræ vitæ. Sed quia euentus interdum his promiſſionibus non videtur reſpondere, & extant aliæ ſcripturæ dicta, quæ affirmant eccleſiam in hac vita ſubiectam fore cruci & calamitatibus: vt cum dicitur 2. Timoth.3. Omnes qui piè viuere volunt in Chriſto, perſequutionem patientur: Et Chriſtus inquit, Qui vult me ſequi tollat crucem ſuam, &c. ne veritas harum promiſſionum in dubium vocetur, tenendum eſt hoc loco diſcrimen promiſſionis gratiæ & bonorum corporalium. Principaliter vocatur eccleſia ad bona æterna, ad quorum poſſeſſionem initio conditi ſumus. Cùmque hæc bona æqualiter omnibus ſint neceſſaria, dantur omnibus credẽtibus ſine conditione ſeu exceptione: ita vt ſiue adſint bona corporalia, ſiue non adſint, promiſſio horum bonorum maneat rata, firma & immota, ideóque in ſummis calamitatibus & morte ipſa ſit retinenda. Sicut Iob inquit cap. 13. Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum. Talis eſt hæc promiſſio: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sed aliæ ſunt promiſſiones bonorum corporalium. Nam, quia in hac vita colligitur eccleſia, opus eſt etiam bonis corporalibus, opus eſt eccleſiæ aliquibus hoſpitiolis, ſeu nidulis, vbi fœtus ſuos edere & educare Deo poſſit, opus eſt victu, opus eſt defenſione, in tanta præſertim rabie & furore diaboli & aliorum hoſtium. Non enim mortui laudabunt te Domine, inquit pſalmus 115. Ideo principali promiſſioni additæ ſunt aliæ promiſſiones de rebus corporalibus, ſed diſſimiliter. Addita enim his eſt exceptio caſtigationis & crucis. Ideo non eodem modo bona corporalia tribuuntur piis: quia vult Deus eccleſiam in hac vita ſubiectam eſſe cruci, cuius rei quæ cauſæ ſint alibi exponitur. Non igitur ex diſſimilitudine euentuum iudicari debet de voluntate & gratia Dei erga nos, vt monet Salomon: ſed ex promiſſione gratiæ, quæ rata & immota eſt omnibus credentibus. De corporalibus verò bonis ſtatuendũ eſt, quòd certo cõſilio aliter atque aliter ea diſpenſet & diſtribuat Deus in hac vita, prout cuique eſt vtile. Nec tamẽ ideo ſunt irritæ promiſſiones corporales, quòd non eodem modo bona huius vitæ tribuuntur ſingulis. Manent e-

nim certa toti corpori ſeu vniuerſo cœtui: ſeruatur enim & defenditur eccleſia in hac vita mirabiliter, ornatur multis præmiis, multis illuſtribus victoriis, & teſtimoniis præſentia Dei, tametſi, vt in acie, interdum neceſſe ſit aliqua membra pati aliquid, aut interfici. Ita quanquam Ionathas interficitur in acie, tamen eccleſia & quidem ipſius Ionathæ poſteritas à Deo ſeruatur, & multiplicibus præmiis ornatur. Hæc de diſcrimine promiſſionũ ex communi eccleſiæ doctrina hoc loco repetenda erant, vt pſalmus rectius intelligeretur. Nunc ad interpretationem pſalmi accedo.

Haleluiah.

TItulus idem eſt, qui ſuperioris pſalmi. Hortatur enim ad prædicanda Dei beneficia, ſed alia occaſione atque alio argumento. Nam quia tam ampla pietati diuinitus propoſita ſunt præmia, eáque Deus pro ſuo conſilio & ſapientia liberaliter inter pios diſtribuit, vult propheta hæc bona à ſingulis grato animo agnoſci & prædicari. Nec vult nos in hac re imitari maliciam mũdi, de quo verè dicitur apud Pindarũ: παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Imò non tantùm παλαιὰ, ἀλλὰ καὶ παροῦσα χάρις τοῦ θεοῦ εὕδει: adeo ſunt ſtupidi homines profani, & adeo ſibi placent, vt autorem beneficiorum nunquam agnoſcãt, ſed vel ſuæ induſtriæ, vel amicorum ſtudio ac beneuolentiæ, vel etiam fortunæ bona ſua adſcribant. Quæ de verſibus aut membris verſuum ad ordinem literarũ memoriæ cauſa diſpoſitis, pſalmo præcedente diximus, ea repetere hoc loco non eſt neceſſe.

1 Beatus vir qui timet Iehouam: in mandatis eius delectatur valde [*multùm, plurimùm.*]

Primus verſus, qui continet propoſitionẽ, in genere prædicat beatos omnes, qui timent Dominum, & qui ei obedientiam præſtant cum animi alacritate & ſtudio. Hic primùm deſcriptio hominis, ad quem promiſſiones ſequentes pertinent, obſeruanda eſt. Timor Dei complectitur veram agnitionem Dei, & fidem acquieſcentem in promiſſione gratiæ, qua homo fit iuſtus coram Deo. Nam abſque hac fide exiſtere verus timor Dei in homine nõ poteſt. Neque enim hic loquitur propheta de timore ſeruili, qui tãtùm expaueſcit ſenſu iræ Dei, & metu pœnarum, ſine fide: & in hoc horrendo dolore fugit conſpectum Dei & fremit aduerſus eum, & tandem in æternam deſperationem ruit, vt Saul, Iudas, & ſimiles: ſed loquitur de timore filiali, qui ſemper coniunctus eſt cum fide agnoſcente ſuam immunditiem, & tamen ſtatuente quòd perſona placeat propter mediatorem, & hac fiducia accedente ad Deum. Vbi igitur illa fides prælucet, ſequuntur cætera opera tanquam fructus, dilectio, ſpes, patientia, inuocatio, gratiarum actio, vera reuerentia ſubiiciens ſe Deo, non volens offendere Deum, & alia vtriuſque tabulæ opera. Quæ omnia vnico timoris vocabulo comprehenduntur. Timor igitur Dei totum cultum ſignificat, qui à nobis iuxta legem præſtatur: & ad hunc finem refertur, vt Deus honore afficiatur & celebretur. Itaque ſequens membrum, *In mandatis eius delectatur valde*: eſt quaſi ἐξήγησις huius vocabuli, ſicut & in dicto eccleſiaſt. vltimo. Cùm enim dixiſſet, time Deum, mox ἐξηγητικῶς ſubiicit, & mandata eius ſerua. Non obſcurè autem illum timorem, quo Deus rectè colitur, diſtinguit à timore ſeruili, quem Baſilius in pſalmum 33. ἔγγονον πάθος τῆς ἀπιστίας appellat. Dicit enim talem eſſe timorem, qui delectetur valde mandatis Dei, non qui metu pœnæ & cũ odio legiſlatoris ſe quodammodo contineat, ne erumpens extra metas pœnas ſibi attrahat: ſed qui hanc obedientiam ſpõte præſtet, eámque anteferat omnibus rebus externis. Clemens Alexãdrinus in protreptico, eleganter diſtinguit inter vtrunque timorem: διττὸν, inquit, εἶδος ὁρῶ τοῦ φόβου, οὗ τὸ μὲν ἕτερον γίνεται μετ' αἰδοῦς, ᾧ χρῶνται πολῖται μὲν πρὸς τοὺς ἡγεμόνας ἀγαθοὺς, καὶ ἡμεῖς πρὸς τὸν θεὸν, καθάπερ οἱ παῖδες οἱ σώφρονες πρὸς τοὺς πατέρας· τὸ δὲ ἕτερον εἶδος τοῦ φόβου μετὰ μίσους γίνεται, ᾧ δοῦλοι πρὸς δεσπότας κέχρηνται χαλεπούς.

Timor igitur filialis, quem hoc loco requirit, eſt, qui ſponte & cum voluptate obtemperat legi Dei. Eum verò qui ſic timet Deum, Pſalmus affirmat eſſe felicẽ & beatum. Ea vox quàm multa complectatur, oſtendunt ſequentes verſus, in quibus facta diſtributione hanc felicitatem copioſiùs explicat. Nunc in genere hanc dictionem opponit iniquis hominum iudiciis, qui exiſtimant nihil eſſe miſerius illo cœtu: qui pietatem & veræ religionis ſtudium profitetur: vident enim potentiores omnes & ſapientiores in hoc mundo aduerſari doctrinæ cæleſti, & omnibus viribus eam oppugnare. Inde igitur exiſtunt bella & perſecutiones, quibus cùm duriter premitur eccleſia, nemo extra eccleſiam eſt, qui hunc cœtum poſſit dicere beatum. Imò ipſi pij interdum magnitudine calamitatum nonnihil fracti, veniũt in eas cogitationes, vt exiſtiment ſe nihil eſſe miſerius, & totum pietatis ſtudium fruſtra à ſe ſuſcipi: vnde ſunt illæ querelæ pſalmi 73. Ergo fruſtra mundaui cor meum, &c. Pſalmus igitur & impiorum profana iudicia redarguit, & pios hac voce confirmat, ne fracti ærumnis deficiant à Deo, vel abiiciant profeſſionem doctrinæ & ſtudium pietatis. Quicquid enim iudicet mundus, & quantumuis miſera & ſqualida appareat facies eccleſiæ, verè tamẽ beati ſunt, qui Deum rectè agnoſcunt & colunt: & econtra miſerrimi ſunt habendi, qui ſibi aliquam beatitudinem extra hanc, quæ piorum propria eſt, ſomniant, & hac fallaci imagine ſe deludunt.

2 Potens in terra erit ſemen eius: generationi rectorum benedicetur.

Quod in genere dixerat, pios eſſe beatos, id facta diſtributione explicat nunc prolixe. Primo autem loco inter bona corporalia recenſet felicitatem ſobolis. Sicut enim poſt ſenſum iræ Dei aduerſus peccatum, non eſt maior dolor in homine, quàm qui ex calamitate liberorum percipitur: ita ecõtra ingens eſt Dei donum felicitas liberorum, quo parentes magis delectãtur, quàm vllis opibus aut honoribus. Ideo pſalmus 127. inquit, fructum ventris eſſe hæreditatẽ Dei, & mercedem: & Comicus Ethnicus inquit, μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ εἰς τέκνα. In hiſtoriis legimus Campanam quandam mulierem nobilem cùm Romam veniſſet, omnem ſuum mundum muliebrẽ Corneliæ Gracchi lectiſſimæ fœminæ, cuius hoſpitio vtebatur, inſpiciendum dediſſe, & rogaſſe, vt ſua viciſſim ornaméta & theſauros promeret. Cornelia pueros ſuos, è ſchola reuerſos produxit, inquiens: Hi mihi vnici ſunt theſauri. Quia igitur omnes non monſtroſi cupiunt ſuis liberis bene eſſe, & hanc ſummam eſſe felicitatem iudicant, ſi relinquant poſt ſe liberos præditos virtute & honoribus, & florẽtes gloria ſucceſſuum, propheta, vt ad ſtudium pietatis omnes homines inuitet, repetit promiſſionem in lege traditam, Exodi 20. in qua affirmat Deus, ſe piorũ poſteritati benefacturum eſſe in mille generationes. Si quis igitur cupiat florentem poſteritatem relinquere poſt ſe, non exiſtimet ſe id effecturum, ſi magnos aceruos auri & argenti accumulet, & poſt ſe relinquat: ſed ſi Deum rectè agnoſcat & colat, & huius tutelæ & patrocinio ſuam prolem commendet. Ita enim Deus fauet pietati, vt bonitatem ſuam ad poſteros etiam extendat. Non autem ſatis erat prophetæ dixiſſe, poſteritas eius erit felix: ſed vt promiſſionem magis illuſtret, dicit ſemen piorũ fore potens, hoc eſt, poſteros peruenturos eſſe ad magnam dignitatem, potentiam, opes, atque ita fore felicem ac diuturnam.

Altero membro idem dicit: & cauſam oſtendit, vnde ſit illa felicitas. Non creſcunt liberi, nec perueniunt ad magnas opes aut honores ſua induſtria aut viribus, ſed quia Deus piorum poſteritati benedicit. Nam benedictio Domini diuites facit. Congruit autem cum hoc dicto dulciſſimus verſus Theocriti Idyll. 33.

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.

qui familiariter notus eſſe omnibus ſcholaſticis debet. Oſtẽdit enim hic verſus gentes quoque experientia didiciſſe, has promiſſiones non eſſe vanas aut irritas.

3 Opes & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in æternum.

Secunda promiſſio eſt de opibus piorum. Sæpe enim etiam in hac vita timentes Deum redduntur diuites & felices: vt Abraham, Dauid, Salomon, Conſtantinus & alij multi. Dicit igitur *Opes & diuitiæ*, coniungens duo vocabula, vt ſignificet non tantùm dari quantum ad neceſſarium vſum ſufficiat: ſed etiam vt ſuperſit. הון propriè ſignificat opes ſeu facultates, quæ magno conatu, labore & cura parantur. Significat enim verbum, à quo deducitur, omnibus viribus cõtendere, conari, intendere vires: & monet vox, opes dari per media diuinitus ordinata, hoc eſt, per labores. Græcus interpres reddidit δόξα, videtur enim legiſſe הוד pro הון. Nomen עשר ſignificat talem opulentiam ſeu opum abundantiam, vbi non tantùm neceſſaria ſuppetunt, ſed vbi plurimum ex copia ſupereſt & reponitur, quod poſteris relinquatur.

In domo eius] Ergo habent pij domicilia, & proſpicitur eis diuinitus de victu, de habitatione, &c. Fit autem ſæpe, vt in ſuis tuguriolis viuant pij tenuiter, & frugali etiam victu deſtituantur. Quàm multi enim eſuriunt & premuntur paupertate? quod certè parũ conuenire cum hac promiſſione videtur. Sed hic tenẽda eſt doctrina de diſcrimine promiſſionũ, de qua ſupra dictum eſt. Vult Deus eccleſiam ſuã exerceri ſub

ſub cruce, vt creſcat fides, inuocatio, cæteræ virtutes, ἐν δὲ δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν. & quia opes multis nocituræ erant (ſunt enim irritamenta malorum) ideo in his tribuendis non ſemper eandem exercet Deus liberalitatem: imò ipſas opes, quas adepti erant, multis ſubtrahit, ne cor apponant, & à pietate fiant alieni. Plures enim ſunt, qui frugali victu rectiùs vtãtur, quàm magnis opibus: imò qui contenti ſint ſua mediocritate, non aliter ac ſi magnos opum aceruos poſſiderent, cùm interea nulla copia ſaturentur profani homines, iuxta commune prouerbium, *Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.* Eſt enim auarus ſimilis Tantalo, qui in mediis vndis ſitit, & *congeſto pauper in auro eſt*, vt inquit Poeta. αὐτάρκεια igitur illa piorum non minùs eſt ex benedictione diuina, quàm multę & magnæ opes: & quidem quòd tutior ſit, præferenda eſt maximis opibus. Ideò Paulus inquit 1. Tim. 6. πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετ᾽ αὐταρκείας.

Iuſtitia eius manet in ſeculum] Hanc ſententiam non eodem modo exponunt interpretes. Recentiores cauſam ſignificari exiſtimãt, cur qui piè & rectè viuunt, fruantur opibus ſuis, eáſque poſteris relinquant: quia ſcilicet iuſtè partæ ſint opes, & iuſtitia pij hominis ſit fideliſſima quaſi cuſtos opum. Videmus enim opes iniuſtè partas non eſſe durabiles, ſed vno quaſi Dei flatu, vt eſt apud Haggæum cap. 1. diſſici: éſtque vſitatum dictum, *Malè parta malè dilabuntur*: Et, *De malè quæſitis non gaudet tertius heres.* Econtra opes iuſtè partæ ſunt durabiles. Huc volunt reſpicere prophetam, cùm dicit iuſtitiam hominis manere perpetuò: quaſi diceret, non opes tantùm, ſed iuſtitiam ſuam tanquam cuſtodem bonorum tranſmittere hominem pium ad poſteros.

Iudæi tamen paulò aliter hanc ſententiam interpretantur. Iuſtitiam enim intelligunt de iuſtitia cauſæ, quæ tandem vincit, vt dicitur in verſu, *Tandem bona cauſa triumphat*, etiamſi aliquandiu opprimitur aut deformatur calumniis, vt Saul obiicit Dauidi crimen affectati regni: Ioſeph falsò accuſatur de adulterio: & vterque his calumniis venit in periculum vitæ, famæ & fortunarum: tandem tamen veritas diuinitus patefit, vt appareat iniuſtè fuiſſe accuſatos. Ita martyres interficiuntur tanquam ſeditioſi, & turbatores pacis & tranquillitatis, &c.

Sed manet iuſtitia hominum in æternum. agnoſcunt enim pij omnes iniuſtè eos damnari: & Deus ipſe dat teſtimonium veritati. Etiam apud gentes talia accidunt exempla. Palamedes, Socrates & alij per calumniam interficiuntur: & tamen iuſtitia eorũ patefit, & puniuntur calumniatores. Cicero per calumniam pellitur ciuitate: & tamen poſtea reuocatur. De hac igitur iuſtitia, quæ cauſæ iuſtitia eſt, volunt loqui pſalmum. Quòd enim innocentia & integritas eorum, qui per calumniam opprimuntur, tandem patefit, eſt opus Dei: atque hæc quidem rectè dici arbitror: ſed addẽda eſt altera commonefactio de perpetuo Dei iudicio, qui vera & non inani gloria ſeu fama ornat pios. Quid enim prodeſſet Nabotho per calumniam interfecto, ſi prorſus extinctus eſſet, quod poſtea veritas patefacta eſt? Cùm igitur dicitur, *Iuſtitia eius manet in ſeculum.* Iuſtitia cauſæ cuiuſque pij & innocentis intelligatur. Non enim ſolùm ita iuſtitiam hominis pij patefacit Deus, vt omnes boni in hac vita cauſam eius iuſtam fuiſſe agnoſcant & probent: (Nam hæc quidem inanis eſt gloria ſeu vmbra gloriæ, quæ oppreſſum nihil iuuat) ſed vt ipſe quoque in æterna vita illâ gloriâ perfruatur, patefacta ſcilicet & approbata cuiuſque iuſtitia ab ipſo Chriſto in extremo iudicio, & redditis iis prę̃miis, de quibus ſonant promiſſiones, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quia illorum eſt regnum cælorum, & ſimilibus. Hanc exiſtimo veram & natiuam eſſe ſententiam. Alij longiùs diſcedunt, qui ſic interpretantur: Semper agit iuſte, & nemini iniuriam facit. Loquitur enim nũc de præmiis, non de ipſa operum iuſtitia.

4 Ortum eſt [*vel potiùs, oriri facit, in tranſitiua ſignificatione, vt etiam Rabbi Kimhi interpretatur, propter illa epitheta quæ ſequuntur, clemẽs, miſericors, iuſtus, quæ non niſi Deo poſſunt attribui*] in tenebris lumen rectis, clemens, miſericors, & iuſtus.

Hic verſus perpetuum diſcrimen facit inter pios & impios. Concedit quidem nonnunquam ingruere tenebras, hoc eſt, turbulenta tempora, ærumnas & calamitates, quæ afferunt ingentes dolores hominibus piis. Sed in his Deus clemens *facit illis oriri lumen*, id eſt, depulſis nebulis accendit in cordibus ipſorum veram conſolationem & lætitiam in Deo acquieſcentem, qua afflictiones omnes non tantùm ferre facillimè, ſed contemnere & ſuperare poſſint. Econtra verò impij in rebus aduerſis nihil habent conſilij, nihil ſpei & conſolationis: ſed ruunt in ingentes dolores, quæ ſunt initium mortis æternæ: ſentiunt enim ſe iam eſſe abiectos à Deo, & deſtinatos æternis pœnis: cùm tamen antea in rebus ſecundis ſibi admodum placerent, quaſi qui in ſinu Dei quieſcerent. Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia huius verſus. Nam tenebræ, vt ſæpe iam dictum eſt, in Scriptura μεταληπτικῶς ſignificant terrores, afflictiones, calamitates: econtra lux conſolationem & lætitiam.

Clemens] Conſolationem hanc adſcribit clementiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ Dei: quia propter Chriſtum gratis nos recipit, & in patrocinium ſuſcipit: ideóque nihil tribuit piorum operibus. *Iuſtus* dicitur Deus, quia bonis benefaciens recipit eos in ſuam fidem & tutelam, impios ecõtra punit. Si verbum זרח interpreteris abſolutè, Ortum eſt, erit in hoc membro cauſæ redditio, éſtque inſerenda coniunctio כי, quia clemens eſt, &c. alij tamen in datiuo exponere malunt, exoritur lumen miſericordi, &c.

5 Bonus vir [*vel, vt alij reddunt ſubſtantiuè, bonum viri, vel bene viro*] [*qui*] miſeretur & commodat: diſponit verba ſua iudicio.

Initio pſalmi pium deſcribit ab operibus primæ tabulæ, & mox ſubiicit promiſſiones luculentas de præmiis, quæ comitantur pietatem erga Deum: nunc eundem deſcribit ab operibus ſecundæ tabulæ, in quibus charitas erga proximum exercetur. Atque hîc iterum cumulat & illuſtrat promiſſiones, vt homines ad ſtudium bonorum operum inuitentur. Sicut igitur antea dixerat, hominem pium timere Deum, & delectari eius mandatis: ita nunc dicit eundem miſereri & mutuo dare proximo, hoc eſt, ita affici calamitate aliorum, vt ipſorũ neceſſitatibus ſuccurrat & opem ferat. Eſtque ſententia in genere de omnibus operibus charitatis erga proximum exercendæ, intelligenda. Nam mutuo dare, ſpecies eſt, quæ cætera officia omnia complectitur. Et quidem verbum חנן ſignificat præſtare beneficium gratuitum, ſeu gratis donare, non tantùm vbi nullo beneficio aut officio antea ſis prouocatus, ſed etiam ſine ſpe aliqua compenſationis aut mutui officij. Nam hæc charitatis lex eſt, vt iuxta Salomonem panem in aquam ſpargat, &c. Vtrumque igitur præſtat charitas, multa dat gratis, vbi eſt opus, & dat mutuo ſine captione lucri & ſpe commodi.

Moderatur verba ſua in iudicio, id eſt, res ſuas & negocia ſua omnia rectè ac iuſtè adminiſtrat. Quod dictum intelligatur de omnibus actionibus in vita, hoc eſt, de vniuerſali & particulari iuſtitia. Homo pius & bonus præſtat obedientiam legibus ciuilibus & magiſtratibus, ſeruat æqualitatem in contractibus, alienus eſt à fraudibus & impoſturis, neminem lædit, nullius rapit bona vi vel dolo, exercet iudicia ſine προσωποληψίᾳ, eſt verax & conſtans in dictis & factis, & tribuit conuenientem honorem ſingulis. Hîc ordine colligantur omnia opera ſecundæ tabulæ. In his enim operibus facit iuſtus, vt ſua integritas conſpiciatur. Nomen דבריו etiam Iudæi annotarũt hoc loco accipi pro negotiis, nõ pro ſermone. Et Symmachus vertit τὰ πράγματα. Quanquam ſermonem comprehendi ſimul exiſtimo. Eſt enim veritas virtus octaui præcepti, quæ ad hanc integritatem pertinet. Non debet iuſtus occultare veritatem: nõ debet aſſentiri impio dogmati in gratiam aliorum: non debet abiicere confeſſionem veritatis metu periculi, aut ſpe dignitatis ſeu opum.

6 Certè [*vel quia: ſi in præcedente verſu legis, bene viro*] in æternum non nutabit: in memoria æterna erit iuſtus.

Rurſus attexit promiſſiones, vt dictum eſt. Primùm autem ſtabilem conditionem iuſtis hominibus, & piis pollicetur. Fit quidem vt affligantur interdum. Sunt enim obnoxij communibus miſeriis. Sæpe etiam ita creſcunt pericula, vt actum eſſe de ipſorum ſalute videatur: & tamen diuinitus adiuti eluctantur, & manent firmi in ſuo gradu, non deiiciuntur nec franguntur periculis, ſed victrice patientia ſuperant res aduerſas.

In memoria æterna erit iuſtus] Hæc ſententia congruit cum illa, de qua ſuprà dictum eſt tertio verſu. Iuſtus quanquam affligitur & premitur variis incommodis: tamen tandem liberatur, & patefit ac prædicatur ipſius innocentia & pietas, non tãtùm in hoc ſeculo, ſed etiam in altera vita coram Deo, ſanctis angelis & hominibus. Nam & in hac vita multis teſtimoniis oſtendit Deus, ſe non obliuiſci ſuorum, aut negligere eos, dum verſantur in periculis, & in altera vita facit, vt ipſorum memoria grata & celebris ſit apud omnes ſanctos angelos & homines. Hoc igitur eſt, quod dicit, *In memoria æterna erit iuſtus.* Ita enim ad præſentem vitã illa referẽda ſunt, vt doctrina de vita æterna his promiſſionibus intelligatur inuolui. Varum prodeſt tot millibus ſanctorum martyrum, quòd ipſorum pietas & conſtantia in profeſſione à poſteris, quandiu hic mundus durat, prædicatur, ſi ipſi ſint extincti: ſed quia in

æternum celebranda eſt ipſorum memoria, reuiuiſcent illi tandem, vt hac gloria in vita cæleſti perfruantur. Non igitur tantùm in hac vita eſt in perpetua memoria, quia Deus curam eius nunquam abiicit, & innocentiam ac pietatem cuiuſque tandem patefacit: ſed etiam in altera vita coronatur æterna gloria & honore.

7 Ab auditu malo non timebit: ſtabilitum cor eius, confidens in Iehoua.

Prior pars huius verſus pertinet ad confirmationem ſuperioris ſententiæ: dixerat enim iuſtum fore in æterna memoria. Hinc igitur colligit, iuſtum non timere ſibi ab auditu malo: nullis enim vel calumniis, vel periculis opprimi, vel memoria eius extingui poteſt.

Auditus malus] dupliciter intelligi poteſt. Primùm de calumniis, conuitiis & contumeliis, quibus diffamantur & deformantur. Quanquam enim pij omnes ſuas actiones diſponunt in iudicio, hoc eſt, rectè & iuſtè adminiſtrant, eáſque referunt ad gloriam Dei & proximi ſalutem, tamen nunquam ſycophantarum morſus effugere poſſunt. Quemadmodum enim Chriſto obiecta ſunt crimina blaſphemiæ & motæ ſeditionis: ita pij vocantur blaſphemi, idololatræ, hæretici, hoſtes eccleſiæ, turbatores pacis & tranquillitatis. Hæc ſunt ignita & venenata tela diaboli, quæ perferre difficile eſt. Nam generoſis animis aliquanto facilius eſt perferre cruciatus corporis, quàm famæ & exiſtimationis iacturam, vt inquit Plutarchus: ſed pij non mouentur vllis conuitiis aut contumeliis, vt profeſſionem doctrinæ abiiciant, aut à veritate deficiant, memores illorum mandatorum diuinorum Ieſaiæ 51. Conuitia hominum ne timeatis. Matth. 5. Beati quum maledixerint vobis propter nomen meum, &c. Hæc primùm ſignificat auditus malus.

Alij tamen ſimpliciter auditum malum intelligunt ſiniſtram famam, qualis ea eſt, quam improbi & ſcelerati ſua culpa & vitiis cõtrahunt. Ab hac dicunt pios fore immunes, quia nihil committunt quod iuſtè culpari poſſit. Deinde auditus malus intelligatur etiam de rumore periculi aut calamitatũ. Non expaueſcet, inquit, aut trepidabit iuſtus ab auditu malo, id eſt, cùm terribilia pericula offeruntur, non ſuccumbet, non deficiet, non langueſcet, quemadmodum increduli, qui ad minimas quaſque ſiniſtri rumoris auras, imò ad folij volantis ſtrepitum, vt dicitur Leuit. 26. trepidant. Quicquid enim periculorum nuncietur, curas illi ſuas omnes placidi & quieti proiiciunt in Deum, eíq; ſalutem ſuam tuendam committunt. Ita Moſes ſtans ad mare rubrum, cùm videret à tergo inſtare ingentem hoſtium exercitum, nec poſſet effugere, hinc mari, illinc montibus ſeptus & concluſus, in tanto periculo non expaueſcit, nec abiicit ſpem ſalutis, ſed ardentiſſimis gemitibus clamat ad Deum, vt textus inquit, & retinet fidem, qua confirmatus tandem exclamat, reuocans Iſraelitas à trepidatione: State, & videbitis magnalia Dei. Talia exempla intueri vtile eſt, vt nos quoque in noſtris periculis diſcamus retinere fidẽ, nec patiamur nos obrui terrore malorum. Fieri quidem non poteſt, quin expaueſcant nonnihil pij, ſi quid impendere diſcriminis audiant. Nam ſi nullo publicorum malorum ſenſu tangerentur, ſtuporis eſſet, non conſcientiæ in Deo acquieſcentis ſecuritas: ſed dum ſtatuunt ſe eſſe in gratia apud Deũ, & eum agnoſcunt vitæ ſuæ cuſtodem, quanuis ſolicitudine & metu non ſint exuti, in ſuo tamen curſu pergunt, & ſalutem ſuam Deo cõmendant, cuius arbitrio ſe libenter permittunt. שמועה hoc loco, vt aliâs ferè ſemper, non pro facultate audiendi ſeu ſenſu auditus, ſed pro obiecto eius accipitur. Obiecta igitur ſunt triſtes ſermones, ſiue ſint contumeliæ, ſiue pericula aliunde nuntiata, à quibus non timet homo pius.

Stabilitum cor eius] Addit αἰτιολογίαν, quare non expaueſcat aut frangatur metu malorum imminentium: quia, inquit, cor eius eſt firmum & ſtabile. Nititur enim vnico Deo, cui ſcit ſe eſſe curæ, eíque confidit. Ita hîc expreſsè concionatur de fide, quæ virtus imprimis diſcernit pios ab impiis. Impij non ſtatuunt ſe curæ eſſe Deo, quia aut caſu omnia fieri exiſtimant, aut ſe indignos eſſe putant, qui à Deo reſpiciantur. Ideo, cùm ingruunt pœnæ & calamitates, trepidant & pauent, & in his pauoribus fugiunt Deum, à quo ſe exiſtimant abiectos eſſe, fremunt aduerſus eum, horribiliter iraſcuntur ei, non ſtatuunt ſibi ignoſci, non petunt neque expectant auxilium à Deo. Talis eſt Saul & alij. Econtra Dauid & ſimiles vera fide inuocant eum, & animo placido ac compoſito euentus ipſi committunt, certi quòd quicquid accidat, piis omnia cooperentur in bonum.

8 Suffultum cor eius non timebit: donec videat in aduerſarios ſuos.

Repetit eandem ſententiam. Cor eius eſt confirmatum & ſtabilitum, ſcilicet fiducia miſericordiæ Dei, quia ſcit ſe habere Deum propitium, & ſe curæ eſſe Deo, ſéque exaudiri & iuuari. Ergo non metuit, non trepidat, non abiicit fiduciam ſuam in periculis: ſed placidè, ſine murmuratione & ſine tumultibus cordis, expectat à Deo auxilium, defenſionem & liberationem, iuxta Dei voluntatem. Imò tanquam rupes immota conſiſtit aduerſus fluctus, quibus aſſiduè tunditur. Hæc conſtantia & firmitas in afflictionibus & periculis magnũ eſt Dei donum, cum quo ſi cætera corporalia bona conferantur, videntur eſſe valde tenuia. Sunt enim cætera omnia fugacia & fragilia. Hoc ſolum ſtabile bonum eſt, quod in calamitatibus & ærumnis certum portum oſtendit, in quo acquieſcamus. Quare qui hoc bono prædici ſunt, eos verè beatos pronuntiat pſalmus.

Donec videat in aduerſarios] Id eſt, donec videat aduerſarios & hoſtes eccleſiæ tãdem pœnas dare ſuorum ſcelerum. Eccleſia enim tandem liberabitur, & videbit vltionem de inimicis ſuis, & quidem cum gaudio. Id enim ſignificat conſtructio, quando verbum videndi conſtruitur cũ præpoſitione ב, vt alibi monuimus: non quòd ἐπιχαιρέκακοι ſint pij, qui lætẽtur aliorum calamitate & interitu, ſed quòd lætentur Eccleſiam tandem reſpici, & liberari à calamitatibus, vt reſpirare nõnihil ab afflictionibus poſſit, & quòd gaudeant finem tandem imponi blaſphemiis & furoribus hoſtium, qui doctrinam de Deo delere in genere humano, & tollere è medio pios Dei cultores conabantur. Hæc enim eſt voluptas ſanctorum, quam ex interitu impiorum capiunt. Videre igitur in hoſtes ſignificat, id quod nos dicimus, *Seine freude an den feinden ſehen.*

9 Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum: cornu eius exaltabitur in gloria.

Initio repetit verſum quintum, in quo concionatur de officiis pij hominis erga proximum: deinde addit promiſſionẽ. Quemadmodum enim tunc diximus, beneficentiam illam in dandis muneribus, aut mutuò danda pecunia intelligendam eſſe de omnibus officiis charitatis, quæ debentur proximo: ita nunc quoque, etſi nominatim dicit de liberalitate ſeu eleemoſynis: tamen comprehendi omnia charitatis officia intelligamus.

Vtitur autem verbo *ſpargendi*, vt liberalitatẽ iuſtorum meliùs exprimat. Non tenuiter aut malignè erogant boni pauxillum aliquid (quemadmodum multi exigua ſtipe defungi volunt erga pauperes) ſed copioſè largiuntur, quantum ſcilicet poſtulat vſus, & patitur eorum facultas, & ſunt hilares datores. Abſunt ſordes, abeſt tenacitas, abeſt metus amittendarum ſeu attenuandarum facultatum. Inde Paulus 2. Cor. 9. exhortans ſuos, vrget verbum ſpargendi. Qui parcè facit ſementem, parcè metet, &c. Deinde addit, *pauperibus*. Qua voce primùm liberalitatem quaſi conſtringit, & certas ei metas circumdat. Liberalitas enim non debet eſſe profuſio aut oſtentatio ſplendoris in profuſione inani: ſicut ſæpe laudantur in mundo ſuperuacui & ſuperflui ſumptus, qui fiunt vanæ oſtentationis cauſa. Illa enim tantùm liberalitas laudem meretur, quæ pauperum inopiæ ſuccurrit: non quæ ambitione quadam multa profundit in luxum, in conuiuia, in ædificia, aut res ſimiles.

Deinde vox *pauperum* monet, prudentiam & delectum in dandis eleemoſynis eſſe adhibendũ. Etſi enim, vt Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus mittens pecuniam ad Calliopũ Presbyterum Nicenum, quam erogaret in pauperes, iubet vt in elargiendo ne religionis quidem rationem habeat, ſed hoc vnum ſpectet, vt indigentes alat, neque eos præferat, qui moribus noſtris viuant: addit tamen eis maximè eſſe dandum, qui mendicare erubeſcunt: non his qui in vita ventrem ad nundinationem proponunt: & Iohannes Chryſoſtomus Olympiadi præſcribens modum dãdæ eleemoſynæ inter cætera inquit, Liberalitatem petentium indigentia eſſe metiendam. Hęc verò omnia quomodo concilianda ſint cum dicto Epicharmi, νόσον ἔχεις, χαίρεις διδοὺς, ex aliis libris petatur.

Iuſtitia eius manet perpetuò] Id eſt, celebratur eius pietas & iuſtitia non tãtùm in hoc ſeculo, ſed etiã in altera vita approbabitur à Deo, Angelis & hominibus, & ornabitur præmiis æternis. *Cornu eius exaltabitur in gloria*, ſeu cum gloria, id eſt, robur, vires, potentia, dignitas eius creſcet. Deus enim euehit tales, vt in dies creſcat ipſorum proſperitas.

In gloria] Ita vt felicitatem illã laudent & celebrent omnes boni, & intelligant diuinitus ornari præmiis liberalitatem, & cætera charitatis officia indigentibus præſtita. *Cornu* metalepticῶs ſignificat robur & vires.

10 Impius videbit & iraſcetur: dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium impiorum peribit.

Antitheſis eſt poſtremi membri in præcedente verſu, qua Dei

Dei gratiam & benignitatem erga pios magis illuſtrat. Dixerat eam futuram piorum felicitatem, quam celebraturi eſſent omnes boni: ſed impij, quia liuidis oculis aſpiciunt felicitatem piorum, & tantùm ſibi bene eſſe volunt, non ſolùm nō lætantur eorum felicitate, nec quod debebant agnoſcunt in hac prouidentiæ & bonitatis diuinæ teſtimonia: ſed quia flagrant immani odio erga eccleſiam & erga pios, incredibili dolore & indignatione vruntur, cùm vident diuinitus adiuuari eccleſiam, & ſuos conatus irritos eſſe: imò ita turbantur animo, vt moleſtiam & dolorem cordis ſui fremitu quoque prodant, & tanta liuoris violentia corripiantur, vt corde contabeſcant. Hæc iuſta pœna eſt impiorum. Qualis pœna conſpicitur in Pharaone & aliis. Ideo Nazianzenus inuidiam ex omnibus affectibus nominat ἀδικώτατον ἅμα καὶ δικαιότατον πάθος, τὸ μὲν ὅτι πᾶσι διοχλεῖ τοῖς καλοῖς, τὸ δὲ ὅτι τήκει τοὺς ἔχοντας. Additur autem hæc antitheſis promiſſionibus, ne pij illa ſpecie ſcandali incurrentis in oculos moueantur, quòd videlicet nonnunquam differtur liberatio piorum, & impij aliquandiu florent & triumphant. Fiet enim, inquit, rerum commutatio: pij enim liberabuntur & glorificabuntur, impij verò dabunt pœnas. Non igitur iudicandum eſt ex præſentibus euentibus, cùm pij affliguntur, aut cùm non ſtatim appareret liberatio: impij verò interea pergunt furere, imò tanquam iam triumphatum ſit de piis, acerbè etiam inſultant & illudunt ipſis: ſed vera fide & ſpe expectanda eſt piorum liberatio & impiorum pœna, quæ in his promiſſionibus oſtenditur.

Deſiderium impiorum peribit] Generalis eſt ſententia, qua pſalmum concludit. Impij vt ſunt inexplebiles, totius mundi opes ſpe ſua hauriunt: ideóque dies noctéſque his curis fatigantur vt optata conſequantur, & bonos omnes, quos obſtare ſuis conatibus vident, oderunt & perſequuntur. Sed fruſtra hæc cura & labor ab ipſis inſumitur. Tandem enim concidunt cum omnibus ſuis conatibus, & vt in cantico Mariæ eſt, ſpe ſua deiecti dimittuntur inanes & famelici. Nunquam enim obtinent quod volebant. Hæ ſunt conſolationes, quibus muniendi ſunt animi hoc triſtiſſimo tempore, quo videmus diabolum & organa eius rabioſè furere aduerſus bonos & pios, vt aduerſus hunc impiorum furorem ſeſe faciliùs ſuſtentent, & in profeſſione veræ doctrinæ conſtanter perſeuerent, certa fide ac ſpe expectantes liberationem ac glorificationem, quam certò tandem iuxta promiſſiones experiētur. Neque enim pietatis ſtudium, vanus eſt labor: nec exitium bonis affert, vt plerique exiſtimant.

PSALMI CXII.

PARTES.

I. Exhortatio ad laudem, his duabus vocibus, *Halelu-jah*, quæ frequenter occurrunt in Pſalmis & Iſraeliticæ Eccleſiæ εὐταξίαν ſanctam demonſtrant.

II. Propoſitio ſumma narrationis, v.1. exponens notas boni viri: nimirum. 1. Reuerentiam Dei & verbi ipſius. 2. Vna voce ſummatim felicitatem eius denuncians, quæ in ſequentibus explicatur.

III. Explicatio felicitatis piorum, cuius partes à Propheta tres conſtituuntur. *Prima* eſt felicitas totius familiæ domeſtica, v.2. & 3. Conſtituitur autem in genere, honore, opibus & vita. *Secunda* domeſticæ felicitatis cum exteris conſideratio, v.4. & 5. Lux ſeu proſperitas tanta eſt in domo pij viri, vt in alios calamitate preſſos, gratioſè, miſericorditer & iuſtè profundat de benedictionibus ſuis. *Tertia*, conſtans animi ſecuritas ab omni malo, v.6.7. & 8. Huius ſecuritatis partes ſunt. 1. Calamitatibus non deiici. 2. Vigere & valere coram Deo & hominibus. 3. Neque aduerſis neque proſperis à pietate dimoueri. 4. Niti diuina ope. 9. Impiorum exitio recreari.

IIII. Narrationis illius de piorum felicitate concluſio, charitatem, iuſtitiam, gloriam eorum complectens, v.9. & infelicitatem impiis obuenturam, v.10. Infelicitatis illius ſumma eſt, impiorum cogitationes, conſilia, labores & conatus in Dei ſeruos, irriti fient à Domino.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Deſcriptio ſeu characteres pij viri.

1 Deum verum ex eius verbo nouit, colit, reueretur & inuocat.

Dei mandatis ſumma cū animi alacritate & trāquillitate obſequitur: nihilq; habet antiquius, quàm vt pietatē & iuſtitiā colat.

2 Varias benedictiones obtinet à Deo: nēpe numeroſam & beatam ſobolem.

3 Animum ſorte ſua contentum, & quantum ſatis eſt ad vitā tranquilliter degendam.

Integritatem in vitæ curriculo, optimam & fideliſſimam opum & aliarum Dei benedictionum cuſtodem.

4 Fauorem & præſentiam Dei in rebus aduerſis, tunc enim eū miſericordem, benignum & fidelem ſentit, vnde incrementa fidei, ſpei & patientiæ oriuntur.

5 Viſcera miſericordiæ, quæ in liberaliter pauperibus largiendo & mutuo dando, ſine tenacitate & auaritia, conſpiciuntur.

In rei domeſticæ tractatione, & in conuerſatione cum proximis ſanctam ſimplicémque prudentiam, quæ à luxu, ſordibus & diffidentia ſit prorſus aliena: deinde in contractibus ſinceritatis & æquitatis amorem.

6 Perſeuerantiā in ſtudio & ſtadio pietatis & iuſtitiæ, inter tot mundi conuerſiones, ita vt dum fractus collabitur orbis, victrice patientia res omnes aduerſas ſuperet.

Bonam conſcientiam ceu murū aheneum aduerſus improborum calumnias: ac coram Deo, angelis & bonis omnibus, durāte & abſoluto huius vitæ curriculo gratam memoriam.

7 Conſtantiam quæ nullis calumnijs, nullis ſiniſtris rumoribus concutitur, quoniam in Deo ſpem ſuam habet repoſitam.

8 Spem, qua fit vt certò expectet iuſtam in impios Dei vindictā, ideóque opportuno & conſtituto tempore liberationem.

9 Charitatem munificam erga pauperes, quantum poſtulat vſus & patitur eius facultas.

Bonorū abundantiā, vt egenis ſuccurrere magis ac magis valeat.

Eximium nomen in Eccleſia & præmium coram Deo.

10 Proſperum ſtatum inuitis & frendentibus impijs, quorum conatus & conſilia irrita fieri ac in fumum euaneſcere pius videbit.

His characteribus pij hominis, ſi quis notas impij velit opponere, dicet impiū veri Dei notitia carere, eſſe aut ſuperſtitioſum & idololatrā, aut atheum & epicureum, auarū, impurum, fauore Dei deſtitutum, crudelē, prodigum, aut turpis lucri cupidū, aut tenacem, inconſtantē, iniuſtum, impatientem, mala mente præditum, deſperabundū, pauperum hoſtem, in abundantia egenum, ſceleratum, denique tum in vita tum in morte & poſt ipſam mortem miſerrimum.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Viri Deum reuerentis & beati notæ.
2. De benedictionibus internis & externis.
3. De eleemoſynis & mutuo.
4. Oeconomiæ rectè adminiſtrandæ vera ratio.
5. Pietatis magna merces.
6. Conſcientiæ bona fulcra, & fructus.
7. Impiorum ſors miſerrima, & Characteres.

ARGVMENTVM PSALMI CXIII.

PSALMVM centeſimum decimumtertium etſi plerique interpretantur de Meſſia & eius beneficijs, ex quibus diſcrimen inter huius Meſſiæ regnum & cætera conſpicitur, nec incommodè quædam ſententiæ in fine pſalmi huc accommodari poſſunt (vt cum dicitur Deus humilia reſpicere in cælo & in terra, & attollere à puluere inopem: quod non malè congruit ad illud Chriſti dictum: Veni ſaluos facere peccatores: Et, Venit filius Dei ſeruare, quod perierat: Itē, Venite ad me

omnes, qui laboratis, &c.) tamen, ſi diligentiùs aſpiciamus totam orationis ſeriem, & verba ac phraſes paulò attentiùs conſideremus, apparet totum pſalmum nihil aliud eſſe quàm confeſsionem & communem gratiarum actionem de prouidentia diuina, in qua admiranda Dei ſapientia, iuſtitia, bonitas, φιλανθρωπία & aliæ virtutes digna admiratione & perpetua celebratione conſpiciuntur. Quid enim admirandum magis, quàm quòd Deus, qui ſuperior eſt cunctis creaturis, & cælis omnibus, ita tamen ſe demittit, vt oculos ad curandum genus humanum conuertat? Nulla ſapientia humana tanta eſt, quæ capere hanc ſapientiam & bonitatem diuinam, nedum exhaurire aut prædicare pro dignitate queat. Vult tamen aliquo modo à nobis hanc prouidentiam Deus agnoſci & celebrari. Et quia multæ ſunt rerum vices in rebus humanis & ſubitæ conuerſiones, quæ præter ſpem accidunt, in his ipſis agnoſci vult nihil accidere fortuitum: ſed omnia ſingulari prouidentia & ſapientia diuinitus gubernari. Hæc ſumma eſt pſalmi.

Tota autem doctrina de prouidentia Dei, quæ hîc & alibi in pſalmis traditur, ita conſideranda eſt, non vt in hac generali doctrina, quam etiam Ethnici quodammodo norunt, & Philoſophi in ſuis ſcriptis celebrant, acquieſcamus: ſed vt altiùs nonnihil conſcendentes cogitemus Deum hac bonitate & philanthropia, quæ in aſsidua eius prouidentia elucet, præcipuè motum eſſe, vt miſſo filio nos quanquam reos & pollutos peccatis redimeret, & in poſſeſsionem cæleſtis hæreditatis, à qua per peccatum excideramus, reſtitueret. De qua ſua voluntate cum expreſſo verbo teſtatus ſit, decet nos hanc eius bonitatem & philanthropiam inprimis agnoſcere & celebrare, & vera fide ſtatuere, nos quanquam pollutos & contaminatos triſtiſsimis peccatis, recipi tamen in gratiam & pronuntiari iuſtos, hoc eſt, acceptos coram Deo, & fieri hæredes vitæ æternæ propter filium, qui factus victima pro peccatis iram æterni patris placauit. Hic eſt præcipuus vſus doctrinæ de prouidentia Dei, in quo intelligi poteſt, hanc ſententiam pſalmi, Quis ſicut Dominus? qui in altis habitat & humilia reſpicit, in primis accommodandam eſſe ad eccleſiam. Quanquam enim hæc miſera & imbecillis natura onerata eſt ira Dei, morte, tyrannide diaboli & alijs ingentibus ærumnis, vt nihil homine ſit humilius, miſerius & abiectius: Deus tamen immenſa miſericordia per & propter filium colligit ex eo ſibi eccleſiam, quam liberatam à morte, damnatione, tyrannide diaboli & triſtiſsimis ærumnis tandem exaltat & ornat cæleſti & æterna gloria & lætitia, ſéque in tota æternitate ei communicat. Hæc doctrina ſi addatur illis generalibus ſententijs de prouidētia diuina, de qua paſſim, apud ſcriptores grauiſsimæ ſententiæ extant, valde dulcis eſt pijs mentibus, & conſolationem affert eximiam. Itaque & Theodoretus, cum multos libros de prouidentia eruditè ſcripſiſſet, & diligenter argumenta omnia collegiſſet, quæ mentes noſtras conuincunt, vt fateri cogantur non ferri omnia caſu, quemadmodum Epicurus ſomniat, ſed regi mundum à mente aliqua ſapiente, intelligente & amante generis humani, tandem in poſtremo libro inquit, ſummum & infallibile argumentum prouidentiæ & amoris diuini erga genus humanum eſſe miſsionem filij vnigeniti, per quem tollit peccatum & mortem, & reddit credentibus iuſtitiam & vitam æternam. Hoc argumentum copioſe illuſtrat, & amplificat: atque oſtendit, ita dulceſcere nobis doctrinam de prouidentia diuina, & conſolationes præbere nobis efficaciſsimas, ſi integra conſideretur.

1 HAleluiah. Laudate ſerui Iehouæ: laudate nomen Iehouæ.

Propoſitio pſalmi eſt exhortatio, vt nomen Domini celebretur. Nam hic verus & præcipuus cultus eſt piorum, confeſſio & prædicatio beneficiorum diuinorum. Non conſiſtit ille in operibus electitiis, aut in quadam ſimulatione operũ legis, quemadmodum Phariſæi & monachi ante hæc tempora finxerunt.

Addit autem circumſtantiam, cùm inquit, *ſerui eius*, oſtendens ſe præcipuè alloqui & exhortari eos, qui ſunt membra veræ eccleſiæ, quique peculiariter cultui diuino ſunt addicti. Etſi enim argumentum continet pſalmus cunctis mortalibus commune: tamen quia maxima pars hominum furenter negligit & contemnit beneficia diuina, vult eccleſiam illa agnoſcere & celebrare. Ideo inquit, Laudate ſerui Iehouæ: ſic nominans pios, quòd ſoli agnoſcant qui cultus Deo ſint præſtandi, & quòd præ aliis omnibus intelligant, ſe hunc honorem & cultum Deo debere, vt opera & beneficia ipſius agnoſcant & celebrent. Repetit autem verbum הללו eáque iteratio non eſt otioſa. Facit enim ad excutiendum torporem noſtrum. Sumus enim omnes nimis ſegnes & tardi in conſiderandis & celebrãdis Dei beneficiis. Ideo opus eſt talibus ſtimulis. Deinde aſſiduitas & perſeuerantia in laudandis Dei beneficiis hac iteratione notatur. Non enim ſatis eſt ſemel atque iterum celebraſſe Deum, ſed perpetuò ſonare debent illæ laudes in eccleſia, vt proximo verſu dicitur.

Seruos *Iehouæ* nonnulli intelligunt Leuitas, quibus in lege illæ partes canendi laudes Dei erant mandatæ. Hæc ſententia etſi non mala eſt, & veriſimile eſt pſalmum Leuitis præſcriptum & decantandum traditum eſſe: tamen pertinet mandatum ad omnes, & erant Leuitæ tanquam ἔξαρχοι: hodie verò omnes Chriſtiani ſunt Leuitæ. Nomen Dei ſignificat Deum agnitum. Agnoſcitur autem ex verbo & beneficiis.

2 Sit nomen Iehouæ benedictum: ex nunc & vſque in ſeculum.

Repetit eandem ſententiam, & amplificat à circunſtantia tẽporis, quam etiam in iteratione verbi הללו notari diximus. Vult enim laudes Dei aſſiduè ſonare in genere humano præſertim in eccleſia. Ideo dicit operam eſſe dandam ab omnibus, vt perpetuò in genere humano vigeat memoria beneficiorũ Dei. Multa igitur hoc loco requiri à nobis ſciamus: non tantùm vocem aſſiduè ſonãtem Dei laudes, ſed & curam ac ſtudium conſeruandæ doctrinæ cæleſtis, miniſterij euangelici & aliarum bonarum artium. Nam & in his grata de Deo fama ſparſa eſt.

Sit benedictum] Id eſt, celebretur & prædicetur. Nos enim cùm benedicimus alicui, aut bene precamur ei, aut laudamus eum. De qua loquendi forma ſuprà dictum eſt.

3 Ab ortu ſolis vſque ad eius occaſum laudabile nomen Iehouæ.

Iterum amplificat propoſitionem à loci circũſtantia. Gloria (inquit) Dei tanta eſt, vt in omnes terræ plagas & in omnes orbis angulos ſe diffundat: eóque turpius erit nobis qui in eccleſia ſumus, ſi quæ paſſim in toto orbe ſe viſenda præbet, ad eam oculos noſtros claudamus, aut taciti ſilentio noſtro ſupprimamus, vel obliuione noſtra ſepeliamus. Mouit hæc ſententia interpretes, vt prophetam in hoc pſalmo tantùm de Euangelio & beneficiis Chriſti vaticinari iudicarent, quæ poſt exhibitum Chriſtum in toto orbe agnoſcenda & celebranda erant. Sed vſitatum eſt in pſalmis, cùm opera Dei in genere recenſentur, etiam gentes admoneri ne clauſis oculis illa prætereant, ſed ſuo quoque officio in prædicãdis Dei beneficiis fungantur. Eáque exhortatio quaſi quendam pudorem Iudæis incutit, ſi à gentibus vinci ſe hac in re patiantur. Quanquam interea non negarim, vaticinium de vocatione gentium his verſibus eſſe incluſum. Si enim paſſim in toto orbe hæc beneficia rectè debent agnoſci & celebrari, neceſſe erit gentes aliquando rectè de Deo doceri, & doctrinam eius in totum terrarum orbem ſpargi.

4 Excelſus ſuper omnes gentes Iehoua: ſuper cælos gloria eius.

Propoſitioni ſubiicit rationes, quibus moueri vult omnes vt aſſiduè gloriam Dei celebrent. Eſtque prima ratio in hoc verſu ſumpta ab amplitudine potentiæ & gloriæ diuinæ. Dei, inquit, potentia & maieſtas extendit ſe non tantùm ſuper omnes gentes, ſed ipſis cælis eſt excelſior. Ergo conuenit, vt non tantùm in Iudæa, ſed in cunctis totius orbis nationibus glorioſum ſit nomen eius, vtque vbique omnes creaturæ reſonent laudes eius. Si regem terrenum, cuius eſt aliqua potentia & virtus, dignum iudicamus quem honoremus & celebremus, quanto magis decet hunc Dominum tam potentem, qui totum orbem ſuo imperio ſubiecit, & aſſidua gubernatione

natione ac conſeruatione totius mundi potentiam & maieſtatem ſuam oſtendit, ab omnibus coli? certè neceſſe eſt omnes eſſe ſacrilegos, qui hac in parte Deum iuſtis laudibus ſpoliant.

Alij ad maieſtatem Chriſti triumphantis de deuicta morte & peccato,& glorioſè regnantis ad dexteram patris,& ſeruãtis ac defendentis eccleſiam ſuam in hac vita, verſum hunc accommodandum cenſent. Nam ſublimitas illa promulgato Euangelio melius perſpecta fuit,quia tunc demum, vt antea monui,ſub eius imperium collectus eſt orbis. Id quanquam rectè dici exiſtimo,tamen generalem illam ſententiam,de qua diximus,iudico præmittendam eſſe.

5 Quis ſicut Iehoua Deus noſter? exaltans ſe ad habitandum.

Amplificat rationem à comparatione per exclamationem: vt oſtẽdat nullum eſſe inter homines, qui minima parte potentiæ aut virtutis conferri poſſit cum hoc Domino. Nullus eſt,inquit,neque in cælo, neque in terra,qui par ei ſit potentia,& qui in loco tam ſublimi ſedem ſibi delegerit. Ergo nemo ſe eximat aut auellat ab huius imperio:nemo quãtumuis potens exiſtimet ſe non hunc habere Dominum,quem agnoſcere,quem vereri,quem colere & adorare debeat. Quantacunque enim ſit potentia humana, nemo tamen eſt qui non huius imperio ſit ſubiectus. Itaque regibus & principibus concionatur pſalmus: & monet ne fiducia ſuæ potentiæ & virium ſe efferant aut imperio diuino ſe ſubtrahant: quemadmodum Nabuchodonoſor,& alij,qui horribiliter diuinitus puniti & euerſi ſunt.

מגביהי in hoc & ſequentibus participiis Iod abundat: cuius hæc cauſa eſſe videtur, quod cum גבה ex eorum numero ſit,quæ mappicata vocant Grammatici,additum fuiſſe Iod videtur, vt rectius proferretur, & poſtea in cæteris ſimilem formam fuiſſe obſeruatam,ne appareret diſſimilitudo. Quãquam & ad muſicam fortè illa adiectio vnius literæ referri poteſt.

6 Humilians ad videndum in cælis & in terra.

Addit aliud argumentum, cur ſit celebrandus, ſumptum à prouidentia diuina. Deus, inquit, quanquam ſupra cælos habitat & infinita potentia præditus eſt, vt propter hanc formidabilis eſſe omnibus debeat: tamen tanta ſimul eſt eius bonitas coniuncta cum potentia,vt de ſua maieſtate quaſi ſe demittens, omnia in cælis & in terris oculis clementiæ ſuæ aſpiciat & gubernet,& nihil ſit in rebus creatis,quod non paternam eius curam & opem experiatur. Æquum eſt igitur, vt omnes hanc eius bonitatem agnoſcant & celebrent. Facit autem & cælorum mentionem. Nam & angeli hanc paternã eius curam,vt experiuntur quotidie, ita grato animo aſſiduè celebrant & commendant,eóque exemplo inuitari homines decet, vt tot beneficiis affecti ſe quoque ad harum rerũ conſiderationem quodammodo exuſcitent. Turpe enim eſt nobis,ob quorum ſalutem miſſus eſt in carnem filius Dei, ab angelis hac in parte ſuperari.

7 Erigens[*attollens*]è puluere inopem:è ſtercoribus exaltat miſerum.

Confirmat rationem ab aliquot exemplis, in quibus prouidentia Dei manifeſtè deprehendi poteſt. Fiunt, inquit,in rebus humanis ſæpe mutationes præter noſtram opinionẽ, quæ cogunt nos ſtatuere & fateri eſſe aliquam prouidẽtiam, qua cuncta gubernentur. Si enim ſemper idem & æquabilis eſſet curſus, omnes dicerent hunc eſſe naturæ curſum, qui mutari non poſſet. Sed quia ſubitæ & inſperatæ incidunt rerum conuerſiones, intelligunt omnes non eſſe eum naturæ curſum, qui tam variis & crebris mutationibus ſit obnoxius. Rurſus verò,ne(quod à pleriſque fit) illæ ſubitæ mutationes adſcribantur fortunæ,affirmat propheta,arcano Dei conſilio & prouidentia eas accidere: quia nihil ſit fortuitum in rebus humanis. Quod igitur videmus ſæpe homines obſcuros & deſpectiſſimos, vt Ioſephum, Danielem, Moſen,Dauidem & ſimiles euehi ad ſummos honores & potentiam, ea res oſtendit regna & imperia non parari induſtria, ſapientia aut viribus humanis,neque hunc eſſe naturę curſum:ſed adminiſtrari & conſeruari ab æterna aliqua mente ſapiente & potente: à Deo ſcilicet conditore totius mundi, qui nunc hos nunc alios ad gubernacula reipubl. tanquam vicarios ſuos collocat, eáque in re non reſpicit dignitatem, ſplendorem familiæ,opes aut potentiã cuiuſquam:ſed ſæpe obſcuriſſimos excitat,quo prouidentia eius melius conſpiciatur. Hoc primũ eſt quod in hoc verſu monere voluit propheta. Deinde in hoc exemplo ita pingit prouidentiam diuinam, vt oſtendat Deum cura ſua & amore complecti tam infirmos quàm ſummos,& nihil eſſe in rebus humanis quod ab eius cura ſit alienum. Ethnici ſapientiores cùm tot videant argumenta, quæ prouidentiam diuinam confirmant, fatentur quidẽ eſſe prouidentiam,ſed talem quæ maxima quæque gubernet, tenuia negligat. Sicut dicitur in verſu:

Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui.

Item: *Scilicet is ſuperis labor eſt,ea cura quietos*
Sollicitat!

His profanis opinionibus opponit hanc ſententiam propheta,oſtendens Deum etiam eorum rationem habere, quos mundus iudicat abiectiſſimos,& quorum præ faſtidio,& contemptu ne nomina quidem ſcire dignatur. Hæc doctrina piis mentibus dulcem affert conſolationem. Semper enim nobis obſtrepit indignitas noſtra, & exiſtimamus Deum non curare homines obſcuros, humiles & abiectos, ſed tantùm reſpicere ad ſublimia & quæ hominum iudicio,videntur digna aliqua cura aut reſpectu. Contrà inquit pſalmus,Deum delectari humilibus & abiectis: ídque oſtendere multis manifeſtis exemplis,quando etiam in politia & repub.eos euehit & ſupra alios collocat.

E puluere] Id eſt, ex infimo & abiectiſſimo loco ſeu conditione.

8 Vt collocet[*eum*]cum principibus: cum principibus populi ſui.

Amplificat miraculum à circumſtantia conditionis,loci & perſonarum. Primùm,inquit,ita eum erigit & exaltat,vt non tantùm vindicet nomen eius à contemptu, & ſit deinceps in aliquo numero, in aliqua dignitate, exiſtimatione & gratia apud homines: ſed etiam vt collocet eum cum principibus, hoc eſt,euehat eum ad principatum, ita vt cæteris iam imperet, & qui ab omnibus antehac contemnebatur, nunc ab iiſdem obſeruetur & colatur. Deinde rurſus hoc ipſum argumentum prouidentiæ Dei amplificans, addit, *cum principibus populi ſui:* quæ dignitas ſumma eſt cenſenda. Multò enim maius eſt præfici populo Dei, quàm aliis gentibus, ſeu aliis terrę partibus. Multò enim maior dignitas eſt Dauidis quem Deus ſuſtulit de caulis ouium, vt inquit Pſalmo 78.& regem in ſuo populo conſtituit, quàm cuiuſcunque regis inter Ethnicos.

9 Habitare faciens ſterilem in familia: matrem filiorum lætantem,Haleluiah.

Addit aliud exemplum ſumptum ab œconomia, vt oſtendat in omnibus partibus humanæ vitæ conſpici prouidẽtiam Dei. Politias Deo curæ eſſe oſtendit non tantùm perpetua conſeruatio inter tam horribiles furores hominum, inter tot bella,cædes & vaſtationes quas homines efficiunt ambitione & libidine dominandi atque aliis cupiditatibus adducti: ſed etiam quòd deiectis ſummis regibus ſæpe obſcuros & ſordidos homines euehit & in ſolium regium collocat, vt ſint ſalutares principes. In œconomia etiam aſſiduè ſuam præſentiam multis teſtimoniis oſtendit: inter quæ non poſtremum eſt hoc, quòd ſæpe ſteriles matresfamilias reddit fœcundas, eáſque beat πολυτεκνίᾳ, vt Saram, Rebeccam, Annam matrem Samuelis, Eliſabetham &c. Eſt enim procreatio ſobolis & πολυτεκνία ſingularis benedictionis diuinæ argumentum. Ideo omiſſis cæteris, hoc prouidentiæ & amoris Dei argumentum allegat,vt cætera ſub hoc comprehendi intelligãtur. Quàm multa quotidie in œconomiis noſtris accidunt,in quibus manifeſtè cernimus præſentiam Dei? & tamen quotuſquiſque eſt,qui hæc beneficia ita agnoſcat vt autori gratias agat?

בית hoc loco non ſimpliciter pro ædificio capitur, ſed pro ipſa familia συνεκδοχικῶς,continens pro cõtento,vt apud Græcos nomen οἶκος vel οἰκία in Actis & alibi. Similis phraſis eſt ſuprà Pſal.68.Eſtque ſimpliciſſima ſententia. Facit habitare ſterilem in domo, id eſt,facit vt quæ priùs fuerat mulier ſterilis,fiat fœcunda & domum liberis impleat.

Matrem filiorum lætantem] Lætitiã matribus tribuit propheta,quia nulla re magis delectantur matres quàm liberis. Etſi enim omnium hominum animi propendeant ad expetendas diuitias, delicias & alia vitæ commoda: ſoboles tamen omnibus aliis præfertur: δεινὸν γὰρ τέκνων φίλτρον ἔδωκε θεὸς ἀνθρώποις,iuxta Euripidem. Hanc ſententiam alij allegoricè exponunt iuxta illud Ieſaiæ 54. Lætare ſterilis quæ non paris,quia plures ſunt filij deſertæ &c.

PSALMI CXIII.

PARTES.

I. Hortatio ad laudandum Deum, v.1. Videtur autem hic pſalmus in multis conuenire cum Annę cantico, 1. Sam. 2.

II. Laudatio Dei, amplificata circunſtantiis temporis & loci, v.2. & 3. q.d. Laudate Iehouam in tempus infinitum & infinitis in locis.

III. Huius laudationis argumenta duûm generum. 1. Ab ipſa maieſtate Dei, v.4. vt quæ omnes gentes ſuperet, ſitque etiam ſupercæleſtis. 2. Ab operibus Dei, quæ commendantur per interrogationem, v.5. & ad infinitatem diuinæ prouidentiæ & potentię referuntur, v.6. Deinde ad operum iſtius prouidentiæ mirabiles effectus in vitę humanæ reuolutionibus, v.7. in rebus politicis, v.8. in familiis, v.9. ſingulari quadam ratione lucentes.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Quum ſoli fideles ſpiritualibus oculis præditi ſint ad cernendã Dei manum, meritò ad nominis eius celebrationẽ inuitãtur.

Sublato Leuitico ſacerdotio omnes Chriſtiani ad laudis hoſtias apud ipſum Dei tribunal offerendas nunc ſunt conſecrati. hæc igitur exhortatio ad omnem eccleſiam Chriſtianam pertinet.

Hæ laudes demum gratæ ſunt, quæ à Dei ſeruis proficiſcuntur, & ad verum illum Deum referuntur, ſicut ſeſe verbo ſuo patefecit.

2 Hæc duplicatio ſocordiam noſtram accuſat, ſimúlq; docet continuandas eſſe toto vitæ curſu Dei laudes : ſollicitè item eſſe curandum vt nobis mortuis vigeat eius memoria.

3 Quũ per omnes mũdi partes diffuſa ſit Dei gloria, minimè excuſabilis eſt ignauia noſtra, niſi mutuò inter nos laudes eius reſonem⁹.

4 Oculatos diuinæ maieſtatis & gloriæ teſtes nullo modo decet ceſſare ab eius laudibus, quæ inter cæcos quoque refulgent.

Dei ſublimitas, Chriſto in carne exhibito, meliùs perſpecta fuit: quia tunc demum ſub imperium collectus eſt orbis.

5.6 Quamuis Deus ſupra cælos habitans, immenſo interuallo à nobis diſtet, non tamen obſtat hæc altitudo quin ſe nobis propinquũ exhibeat, & familiariter ſalutem noſtram curet. Eximium prouidentiæ & clementiæ Dei argumentum.

7.8 Specialis prouidẽtiæ in politici ſtatus adminiſtratione locus. 1. Rerum viciſſitudo admonet, arcanum Dei conſilium non fortunã dominari. 2. In rebus omnibus, præcipuè autem in inſolitis elucet Dei prouidẽtia: nec exaltatio aut humiliatio aliunde quàm à manu eius procedit. 3. Nulla miſeria manũ Dei impedire poteſt, quin pauperes, quum libet, è ſtercore ad thronum erigat: teſte Ioſepho, Moſe, Daniele, & innumeris alijs: vt etiam ſuperbos deijcit : quemadmodum ex Nebucadnezaris hiſtoria liquet. 4. Summis afficit honoribus, quos vult excelſus ille, quemadmodum Dauidi accidit, qui ex ouium paſtore, populi Dei rex factus eſt.

Quicunque ex infima ſorte ad munera publica euecti ſunt, Dei prouidentiam & bonitatem agnoſcere & celebrare diſcant : ne fortè ex ſolio propter ingrati animi vitium in puluerem & lutum præcipitentur.

Bona conſcientia poſſunt fideles ex infimo gradu ad altiora conſcendere, modò id legitimis fiat rationibus, & velut Dei manu: quos enim auaritia, ambitio, & mundi faſtus euehunt, horum miſera prorſus eſt conditio, & proximus ac horrendus caſus.

9 Aliud opus ſpecialis prouidentiæ Dei in œconomico ſtatu, quẽ non ordo naturæ, ſed arcana Dei benedictio conſeruat & auget.

Nihil lætius & amabilius in familia quam ſoboles : tum præcipuè quum noua quadam ratione à Deo conceditur: vt videre eſt in Saræ, Rebeccæ, & Annæ hiſtorijs.

Tot igitur in politico & œconomico ſtatu rerum vices impiorum ſtuporem damnant, pióſque ad conſiderandam & prædicandã Dei prouidentiam attentos ac diligentes eſſe iubent.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Dei laudes ſeruos eius apprimè decent.
2. Gloriæ Dei pictæ tabellæ in mundo & in Eccleſia.
3. De diuinæ maieſtatis immenſitate.
4. De prouidentia vniuerſali, ſpeciali, ſpecialiſſima.
5. Viciſſitudines rerum in mundo quomodo conſiderandæ.
6. De humiliatione, exaltatione, ſobolis priuatione & donatione.

ARGVMENTVM PSALMI CXIIII.

EST totus pſalmus hiſtorica quædam narratio, in qua breuiter exponit exitum populi Iſraelitici ex AEgypto, & præcipua miracula, quæ edita ſunt in hoc populo, ab egreſſu ex AEgypto, quoad introducti ſunt in terram Canaan, vt his teſtaretur Deus ſe elegiſſe hunc populum, cui proponeret hæc teſtimonia præſentiæ ſuæ iuxta promiſsiones datas patribus, quòd eſſet ipſorum Deus, quódque eſſet ſeruaturus promiſſa & exhibiturus Chriſtum: ſimul etiam his ipſis beneficijs populum Iſraeliticum ſibi obſtrinxit, vt intelligerent ſe totos addictos eſſe Deo, & cultui diuino vacare per omnem vitam debere. De his igitur rebus, vt admonerentur Iſraelitæ, voluit Deus quotannis in ſolenni feſto memoriam horum beneficiorum repeti & celebrari: & veriſimile eſt non vnum ſed plures Pſalmos à Dauide & alijs in hunc vſum cõpoſitos fuiſſe: vt cùm ad feſtum Paſchatos Iſraelitæ Hieroſolymam conuenirent, hac occaſione de magnitudine amoris diuini erga hunc populum & varijs huius amoris teſtimonijs commonefierent, & ita ad ſtudium diſcendæ doctrinæ de Deo, ad gratiarum actionem & pietatis cultum horum beneficiorum recordatione excitarentur. Hæc ferè ſumma eſt huius pſalmi. Cùm autem hiſtoria illa eductionis populi ex AEgypto typus ſit redemptionis, quæ nobis per Chriſtum parta eſt, cogitemus nos hoc ſummo beneficio multo magis obſtrictos eſſe Deo, vt beneficia accepta grati agnoſcamus & celebremus, & omnem vitam atque actiones noſtras ad præſcriptum verbi ipſius componamus. Si enim propter terrenum illud beneficium populum Iudaicum ſibi ſacrum & peculiarem eſſe voluit, eóſque omnes, qui ritus ſacrorum præſcriptos non ſeruarent, exterminari ex populo ſuo iuſsit: quanto magis nos, quos æternis beneficijs ſibi obſtrinxit, operam dare debemus, vt vitulos labiorum noſtrorum & hoſtias ſpirituales acceptas per Ieſum Chriſtum, vt Petrus inquit, offeramus?

1 CVm egreſſus eſſet Iſrael ex Ægypto: domus Iacob de populo barbaro.
2 Facta eſt Iudæa [*facta eſt Iuda*] in ſanctuarium eius: Iſrael dominationes [*vel dominia*] eius.

Initio pſalmi exponit finem miraculi, vt omnes intelligant, hiſtoriam eductionis populi ex Ægypto non ideo quotannis repeti & publicè in ſacro cœtu recitari, vt aures & animum illa recordatione oblectet rudis populus : vt cùm Homeri aut Herodoti hiſtoriæ in Gręcorum comitiis recitabantur:

bantur: ſed vt commonefacti hac hiſtoria ſcirent ſe peculiariter electos eſſe à Deo, & ex triſti ſeruitute liberatos, hactenus mirabiliter eſſe ſeruatos & defenſos, vt eſſent populus ſanctus, in quo rectè agnoſceretur & coleretur Deus, cui ipſe ſolus tanquam ſummus rex præeſſet, quem verbo ſuo & ſpiritu regeret, quem cuſtodem eſſe vellet ſuæ doctrinæ, & promiſſionum de Meſſia. Hic finis in ſecundo verſu exponitur: ſed in primo verſu, quando eductionis mentionem facit, beneficium nonnihil amplificat, cum inquit, Domum Iacob eductam eſſe à populo barbaro. Paſſi enim ſunt Iſraelitæ triſtem & duram ſeruitutem ſub Ægyptiis annos quadringentos, quam his verbis eis in memoriam reuocat. Non enim in eo miſeria populi Iudaici tantum conſpicua fuit, quòd viuerent apud gentem, cuius aliena eſſet lingua, quanquam per ſe id miſerum & graue eſt: ſed quòd huic genti barbaræ & crudeli ad triſtiſſimam ſeruitutem mancipatus fuit, vt teſtatur hiſtoria Exodi. Hæc triſtis calamitas facit beneficium liberationis illuſtrius: ideo mentionem eius mox in exordio facere voluit.

Fuit Iuda in ſanctificationem ſeu ſanctuariũ] Id eſt, Deus hac liberatione populum Iudaicum, ſeparatum à profanis gentibus, ita ſibi addixit & obſtrinxit, vt eſſet gens ſancta, à quo rectè agnoſceretur & coleretur. Hæc enim eſt ſanctificatio ſeu ſanctitas Iſraelis, ſegregatio ſcilicet à reliqua multitudine impia, & conſecratio, qua cultui diuino peculiariter addicitur. Et hæc conſecratio inſtitutione peculiaris ſacerdotij in hoc populo ſanctificata eſt. Iſrael igitur dicitur ſanctuarium Dei, quia Deus ibi collocauit eccleſiam ſuam, *ſein Biſchthumb oder ſein Stifft*.

Eius] Relatiuum eſt abſque antecedente. Referendum eſt autem ad Deum, cuius nomen ſæpe in ſcripturis non exprimitur, & tamen ex circumſtantia orationis facilè colligitur.

Deinde dicit: *Iſraelem* factum eſſe *dominationem eius*, id eſt, populum cui ille tanquam ſummus rex præeſſet, quem ille regeret, tueretur, defenderet contra vim & furores hoſtium. Dedit enim Deus huic populo politiam certam, in qua ipſe fuit ſummus gubernator ſeu præſes: & populum mirabiliter defendit & ſeruauit. Nec voluit populum ſe auellere ab hoc Rege, aut priuato arbitrio ſibi alium deligere. Ideo cùm poſtulaſſent regem Iſraelitæ, inquit Deus ad Samuelem, Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, 1. Samuel. 8.

3 Mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum.

Subiicit narrationem miraculorum, quæ edita ſunt in illa liberatione, vt & beneficium fiat illuſtrius, & in auditoribus hac commemoratione excitetur fides, inuocatio & gratiarum actio. Sicut enim tunc illis miraculis Deus teſtatus eſt, ſe adeſſe ſuo populo, ſe exaudire inuocantes, eóſque iuuare & liberare: ita omnibus temporibus ſtatuendum eſt, Deum adeſſe ſuis, etiamſi vndique nos circumſtent varia pericula: atque hac fide accedere ad eum, & petere atque expectare liberationem debemus. Hic vſus eſſe horum miraculorum debet. Non enim legenda ſunt huiuſmodi miracula, ſicut hiſtoriæ Liuianæ de præliis Romanorum & vicinarum gentium, aut ſimiles narrationes, quæ ad nos nihil pertinent.

Primum miraculum eſt de diuiſo mari rubro, & tranſitu populi Iſraelitici. Quod miraculum ita illuſtre eſt, vt ſimile non reperiatur. Ideo non tantũ in promulgatione legis, cũ dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto: ſed aliàs ſæpe in ſcriptura à Spiritu ſancto tanquam certiſſimum teſtimonium & pignus præſentiæ Dei in hoc populo allegatur. Hiſtoria autem deſcribitur Exodi 14. Loquitur autem, vt Poeta, de mari per proſopopœiam, tanquam de hominibus: cùm dicit, Mare vidiſſe exercitum populi Dei, & pauefactum vtrinque fugiſſe, atque ita tranſitum præbuiſſe: non aliter quàm exercitus oppoſitus, metuens hoſtilem impreſſioné, vtrinque cedit victori exercitui, nec impedit eius iter. Cæterum quæ ad amplificationem huius miraculi faciunt, legantur apud eos qui hiſtoriam illam integrè expoſuerunt.

Secundum miraculum eſt de Iordane, quem dicit ad tranſitum populi Iſraelitici conuerſum eſſe retrorſum, hoc eſt, quemadmodum hiſtoria habet Ioſu. 3. aquas inferiores delapſas fuiſſe & defluxiſſe in mare ſalis, ſuperiores verò collectas fuiſſe & ſtetiſſe immotas ſupra exercitum Iſraelitarum, inſtar muri: cuius miraculi circumſtantię omnes diligenter ſunt explicatæ à reuerendo viro D. Paulo Ebero in præfatione Calendarij.

4 Montes exilierunt vt arietes: colles ſicut filij ouium [*id eſt, agni ſeu hœdi, nam* צאן *& oues & capras comprehendit.*]

Tertium miraculum de commotione montis Sinai & vicinorum, deſcribitur Exodi 19. Deus enim daturus legem deſcendit in montem Sina. Et ſtatim ad eius præſentiam mons Sina & ſubiecti colles tremuerunt, vt inquit textus, Et tremuit omnis mons valde. Quid autem tremor ille montium, tonitrua & crebra fulgura ſignificarint, alibi dicitur copioſiùs: hoc loco ſatis eſt ſcire, Deum hiſce miraculis oſtẽdere ſuam præſentiam in hoc populo & potentiam voluiſſe, vt omnes intelligerent totam rerum creaturam ipſius imperio parere, atque ad eius nutum contremiſcere: & quidem ita vt illa ſubiectio ſeruiat ad ſalutem eccleſiæ. Quæ cogitatio & fidem piorum confirmat, & in animis noſtris timorem Dei, inuocationem & alia pietatis exercitia accendit.

Quod de tremore montium hìc dicitur, alij intelligunt de ſcopulis torrentis Arnon, de quibus ſcribitur Num. 21. Scopuli torrentium Arnon inclinati ſunt, vt requieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum: quaſi exultantes & ſalientes demiſerint ſe in torrentem, & tranſmiſerint Iſraelem. Nonnulli etiam de montibus & collibus intelligunt, qui in tranſitu maris rubri, nudi in ipſo maris ſinu apparuerunt: vt illi, cùm defluentibus maris vndis prominerent, veluti ſubſilire viſi ſint. Sed non multum refert ſcire, de quibus montibus & collibus loquatur propheta: modò hoc teneatur, quod antea diximus, Deum & potentiam ſuam & præſentiam in populo Iſraelitico his miraculis declarare voluiſſe. Huc enim tota narratio de miraculis tendit.

5 Quid tibi mare, quòd fugiſti? Iordanis, quòd conuerſus es retrorſum?

6 Montes (*quòd*) exultatis vt arietes? colles, ſicut filij ouium?

Amplificat propheta narrationem rhetoricè per interrogationem, in qua eſt ἀνθρωποπάθεια, quaſi ſenſum & reuerentiam potentiæ diuinæ tribuens mari, Iordani & montibus: vt magnitudinem horum miraculorum magis conſpicuam reddat: & ſimul his venuſtiſſimis figuris hominum ſtuporem acriùs coarguat, ſi in conſiderandis Dei operibus, & metuendo ipſius numine vinci ſe à rebus inanimatis & ſenſu carentibus patiantur. Quanquam enim mare, Iordanem & montes alloquitur: tamen ſimul homines compellat, eóſque hortatur, vt quemadmodum mare, flumina & montes vident ſe ad obſequium Dei, non aliter ac ſi ratione & voluntate prædita eſſent, componere, & contra naturam ſuam ad eius nutũ ſe flectere: ita ipſi cogitent multò magis ſe hoc debere Deo, vt & opera hęc conſiderent, & numen diuinum cùm in aliis rebus omnibus, tum præcipuè in conſeruanda & defendenda eccleſia agnoſcant. Si enim montes ad Dei præſentiã contremuerunt, ſeque vt tranſitum præberent Iſraelitis demiſerũt: & ſi mare fiſſum eſt, fluuiúſque retro curſum flexit: quanto magis nos, in quorum ſalutem illa omnia facta ſunt, agnoſcere Dei præſentiam in eccleſia, eíque ſalutem noſtram tuendam plena fiducia committere debemus? Hæc cauſa eſt cur eandem ſententiam in his verſibus repetat figuratam interrogatione & proſopopœia. Nonnulli dicunt exiliiſſe montes præ lætitia propter ſalutem Iſraelitarum, quæ eis ex illa patefactione obueniebat.

7 A facie Iehouæ contremiſce terra: à facie Dei Iacob.

Reddit cauſam horum miraculorum, à quo orta & profecta ſint. Non enim exiſtimandum eſt illa temerè aut caſu fuiſſe facta: ſicut alioqui homines de terræ motibus aut ſimilibus naturæ miraculis nonnunquam cogitant. Sunt enim ita illuſtria, vt nihil hìc caſui aut fortunæ, multò minus induſtriæ aut viribus hominis tribui poſſit. Quòd enim mare cedit ſuo loco ad aliquot milliaria, 10. aut circiter in lõgitudinem, & viã dat tantæ multitudini tranſeunti per aliquot dies, poſtea hoſtes inſequentes ſubitò obruit, quaſi quodam ſenſu & iudicio præditum, quo hoſtes Dei à populo ipſius diſcerneret: id profectò nemo quantumuis profanus fortunæ aut temerario motui maris tribuerit. Idem dici de cæteris poteſt. Neceſſe eſt igitur à Deo conditore & conſeruatore omnium rerum hæc miracula fuiſſe profecta: atque hunc ipſum tale numen eſſe, quod non ſit alligatum cauſis ſecundis, ſed agens liberrimum, quod creaturas omnes & harum curſum atque ordinem ſapientiã moderatur, prout ipſi viſum eſt, & vt eccleſiæ ſuæ profuturum id nouit. Ideo inquit, *A facie Domini, contremiſce terra*, reſpõdens quaſi ipſi terræ, ad quam interrogationem ſuam verſu præcedente direxerat, quaſi dicat, ſic oportuit fieri (ô terra) vt à facie vel ad præſentiam regis tui, vel, vt pſalm. 116. inquit, ad increpationem eius, contremiſceres, atque hoc motu ſeu tremore teſtareris, ita te eſſe ſtabilitam & firmatam à tuo creatore, vt tamen ſi ille velit, cõtra inſtitutum ordinẽ libenter commoueaeris atque exilias.

Alij legunt in indicatiuo, terra contremiſcit. חול pro חילי.

Alij contremiſcere mecum, vt ſit reſponſio terræ ad præcedentis verſus interrogationem. Sed quia nomen terræ mox ſubiicitur, eſt illa interpretatio coactior.

Quod addit, *A facie Dei Iacob*, primùm id fit vt Iſraelitæ admoneantur de ſua felicitate, vtque ſummæ gloriæ loco ducāt, quòd tanti Dei populus ſint facti. Deinde opponitur hæc particula fictitiis numinibus, quibus illa gloria & potentia detrahitur. Solus enim hic Deus in Iſrael patefactus poteſt commouere creaturas omnes, & vſitatum ordinem ſeu curſum naturæ mutare. Ideo addit:

8 Qui conuertit petram in ſtagnum aquarum: & rupem in fontem aquarum.

Eſt autem hoc quartum miraculum, quo in deſerto iterum ſuam præſentiam & potentiam populo Iſraelitico oſtendit, vt magnitudine & multitudine miraculorum conuicti Iſraelitæ certò ſtatuerent, firmum ſe habere in hoc Deo ſuo præſidium, nec aliunde quàm ab hoc Deo pendere ſalutem ſuam crederent. Hiſtoriæ autem, quarum hîc fit mentio, deſcribuntur Exodi 17. & Numer. 20. éſtque miraculum præcipuè in eo poſitum, quòd ex ſicca rupe fiſſa aqua elicitur. Id enim eſt præter naturæ ordinem. Cùm alioqui rupes ſæpiſſimè largos fluuiorum fontes emittant, ſcilicet ex terræ cauernis, non ex ſua ſubſtantia. Cæterùm doctrina de petra fundente aquas copioſè explicatur in prima epiſtola ad Corinth. 10. & ſuprà pſalmo 105. aliquid de hac dictum eſt: ideo eam hoc loco non attingo.

PSALMI CXIIII.

PARTES.

I. Narratio miraculoſæ liberationis populi è ſeruitute Ægyptiaca, v. 1. 2. 3. & 4. Huius circunſtantię ſunt, 1. Manumiſſio ex tyrannide immani. 2. Fauor Dei, ex fœdere gratuito. 3. Peculiaris & noua quædam populi adoptio. 4. Maris & Iardenis fuga. 5. Montium in Legis promulgatione conſternatio.

II. Doctrina, reliquis verſibus, ex narrationis argumento petita. Per proſopopœiam verò mare rubrum, Iardenem, montéſque interrogat, v. 5. & 6. ad quam interrogationem reſpōſionis loco doctrina ſubiicitur, v. 7. & 8. Bruta tellus autem reſpondens inducitur, quæ homines brutos & quouis ſaxo duriores ad tremorem, timorem & reuerentiam veri Dei excitat atque inuitat.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2 Dei beneficia erga patres, poſteris ſæpius ſunt repetenda, ne ingrati fiant & immemores.

Eccleſia non amplius eſt ſui iuris, quum Deus per Chriſtum tam eximio pretio eam ſibi acquiſiuerit.

Sanctificatur Deus ſeruorum ſuorum reſpectu: quia in ſe neq; creſcit, neque minuitur. Interea verò maxima eius bonitas in eo lucet, quòd gloriam & nominis ſui ſanctificationem cum ſalute ſuorum coniungere dignatus ſit.

Iſraelitica eccleſiæ liberationes etiamnum hodie clementiam & omnipotentiam Dei nobis ita proponunt, vt in eam totos tutóque nos recumbere iubeant.

Eccleſia eſt Dei poſſeſſio & peculium. Ergo nunquam poteſt interire, nec præda perpetua ſuis hoſtibus fieri.

3. 4 Quoties ſaluti ſuorū conſulere Deus conſtituit, nihil poteſt obſtare quominus ſapientiſſimum illud decretū exequatur: validioraq; obſtacula tūc non modò cedunt, verūetiam Dei opus promouēt.

Eccleſia Dei creaturis omnibus eſt venerabilis. huic enim omnia ſubſunt, eiúſque ſaluti ac bono inſeruiunt.

Dei potentia, reſpectu piorum, cum paterna eius cura & ſtudio, vt eos conſeruet, coniuncta eſt.

5. 6 Quoties Scriptura mutas creaturas compellat, ſtuporem hominum ad Dei opera cæcutientium, eiúſque voces ſurda aure prætereuntium perſtringit: pióſque ad videndum & audiendum excitat.

Liberationes eccleſiæ immenſam omnipotentiam, ſapientiam & miſericordiam Dei clara voce prædicant.

7 Terra à facie Dei contremiſcēs humanam damnat duritiem, pióſque iubet humili cordis affectu Dei vocem excipere.

Nihil eſt in cœlis & in terra, quod Deus pro ſuo arbitrio mutare & inuertere non poſſit: idq; in ſuæ eccleſiæ commodum. Etſi igitur ingentes & inextricabiles ſint piorum afflictiones, facile eſt Domino ſuos liberare. Quoties autem mortis imminent pericula, ad eum leuemus oculos, qui ex petra quum voluit aquas ſuis eliciēns, oſtendit ad manum ei eſſe auxilia quæ nobis impoſſibilia videntur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Beneficiorum Dei repetitio perquam neceſſaria.
2. Eccleſiæ ſanctificatio qualis & quotuplex.
3. Poſſeſſio, ſeu dominium, & peculium Dei, Eccleſia.
4. Omnipotentia Dei.
5. Miracula vera à falſis diligenter diſcernenda.
6. Impiorum ſtupor innumeris teſtimoniis perſtrictus & damnatus.

ARGVMENTVM PSALMI CXV.

HVIVS Pſalmi propoſitio, etſi expreſſe in exordio poſita non eſt, tamen ex argumentis ſeu rationibus, quibus vtitur vates, manifeſtè colligitur, Pſalmum hunc conſcriptum eſſe, vt eſſet petitio auxilij & liberationis in graui & publica calamitate huius populi. Quod enim petit ne ſacrum Dei nomen blaſphemetur inter gentes, & ne tota doctrina de Deo, quæ in hoc populo ſonabat, & fiduciæ piorum, quam in Deum habebant, ludibrio habeatur ab hoſtibus: hæc oratio oſtendit iam tum hoſtes huius populi fuiſſe in armis, & fiducia ſuarum virium ac gloria ſucceſſuum elatos atrociter minatos fuiſſe Iſraelitis. Ideóque cùm aliquid quod opponerent non haberent pij in hoc populo, opem & auxilium Dei implorant, & hoſtibus omnem inſultandi Deo & eccleſiæ eius occaſionem præcidi petunt. Apparet autem tales fuiſſe hoſtes, quos victoria crebra, & ſucceſſuum gloria ita inflatos reddiderat, vt verum Deum in Iſrael patefactum riderent & contemnerent: & è regione idolorum ſuorum cultum magnificè extollerent & prædicarent: qualis pingitur Rabſaces 2. Reg. 18. Ieſaiæ 36. Illis enim hoſtium vocibus ne animi plebis capti aut languefacti fidem & inuocationem abijcerent, mox petitioni collationem ſubijcit, in qua veri Dei, quem Iſraelitæ colebant, potentiam deſcribit, & è regione vanitatem illorum eleganter depingens, non ipſa tantùm idola, ſed & cultores ipſorum contemnendos & ridendos eſſe docet. Poſtea adhortationem ſubijcit directam ad totum cœtum piorum. In qua monet, ne fracti ærumnis & calamitatibus abijciant fidem, ſpem & inuocationem, ſed conſtanter perferant ærumnas, & certa fiducia petant & expectent liberationem: vtque exhortatio magis ſit efficax, dulciſſimas promiſſiones admiſcet de præſentia Dei in ſuo populo, déque amore, beneficentia, cura & aſſidua defenſione, quam hactenus inter tot pericula & ærumnas erant experti: vt his cogitationibus confirmati, deinceps quoque de euentu bene ſperent. Ipſe etiam tanquam ἔξαρχος, vt de ſua πληροφορίᾳ & fiducia in Deum teſtetur, non vota tantùm concipit pro ſalute eccleſiæ: ſed quaſi certus de victoria gratulatur eccleſiæ hanc felicitatem, quòd habeat

Deum

Deum propitium, omnipotentem, vbique præſentem & curam agentem ſuorum; & maioris certitudinis cauſa argumentum addit à fine vocationis & adoptionis huius populi ſumptum, ex quo colligit fieri non poſſe vt hic populus deleatur. Cùm enim non poſſit coli Deus à mortuis, & hunc populum peculiariter vocarit ac ſegregarit ab omnibus aliis gentibus, vt ab eo agnoſceretur & celebraretur, non poterit deleri armis hoſtium, ſed neceſſe eſt eum tandem eſſe victorem, vt beneficia accepta celebrare & propagare ad alios memoriam beneficiorum diuinorum poſſit.

1 NOn nobis Iehoua, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: propter miſericordiam tuam, propter veritatem tuam.

Omiſſa propoſitione mox initio Pſalmi cauſas recitat, cur petat exaudiri & liberari populum ex periculis & ſeruari: atque ita commemoratione cauſarum petitionem ſuam obliquè inſinuat. Prima ratio ſumpta eſt à cauſa finali: & additur ἀντίθεσις vt vehementius vrgeat Deum, *Non nobis*, inquit, *ſed nomini tuo*, &c. hoc eſt, Eripe nos à tyrannide hoſtium, nō quia nos digni ſumus, vel merita aliqua afferimus, aut, vt nobis aliqua inde gloria, vel nominis celebritas accedat. Nihil enim tale quærimus. Quantum enim ad nos attinet, ſcimus peccata noſtra mereri pœnas, & te iuſtè nobis iraſci: ſed facias id propter nomen tuum, hoc eſt, ne nomen tuum contumelia afficiatur inter hoſtes, quaſi vel iuuare non poſſis, vel promiſſionum tuarum ſis oblitus. Facitem, vt in noſtra liberatione tua potentia conſpiciatur ab hoſtibus, atque ita illi quoque ad te agnoſcendum & celebrandum inuitentur. Hanc cauſam finalem ſæpe allegant ſancti in ſuis precibus, vt Ierem. 14. Daniel. 9. Cúmque apud Ieſa. 48. dixerit Deus, Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer: non dubium eſt tales preces, in quibus non merita noſtra ad Deum afferimus, nec ad vlla commoda noſtra reſpicimus, ſed ſimpliciter gloriam nominis diuini illuſtrari petimus, eſſe efficaciſſimas. Itaque exempla hæc intueri & imitari in noſtris precibus debemus.

Non nobis] Repetitio ſignificat ardorem affectus, quo ſe omni dignitate, omnibus meritis exuit, & ſola ſe gratuita Dei miſericordia niti ſignificat. Altera cauſa, quam allegat, eſt impulſiua: *propter miſericordiam tuam*, quaſi dicat, Toties in verbo tuo & hactenus in perpetua defenſione & cōſeruatione huius populi oſtendiſti, te eos, quos ſemel in fœdus aſciuiſti, complecti amore prorſus paterno (eum enim propriè ſignificat vocabulo חסד.) Hoc igitur amore tuo mouearis, ne nos filios tuos, quos tantopere amas, relinquas in hiſce miſeriis & periculis: non exuas neque deponas στοργὴν ſeu amorem tuum, quo nos complecteris: oſtende te, vt patrem, affici miſeriis liberorum, & ſuccurre nobis.

Tertia cauſa ſimiliter eſt impulſiua, non tantùm gloria nominis tui aut στοργὴ paterna te moueat, vt opem nobis feras: ſed veritas tua. Toties enim nobis opem & auxilium in verbo promiſiſti: fac igitur vt promiſſa appareant, & veritas tua ac fides in ſeruandis promiſſis conſpiciatur. Has cauſas diligenter meminiſſe, & in noſtris precibus allegare debemus.

2 Quare dicent gentes iſtæ, vbi nunc [*eſt*] Deus eorum?

Amplificat primam cauſam ab indignitate rei, recitans contumelioſas quaſdam voces, quæ exaudiebantur in hoſtili exercitu. Hoſtes enim inflati potentia & ſucceſſibus, non tātùm negabāt hunc eſſe verum Deum, quem Iſraelitæ agnoſcebant & colebant, ſed etiam blaſphemabant eius verbum, & promiſſiones datas populo Iſraelitico ridebant. Ideóque contemnebant, oderant & perſequebantur omnes, qui damnatis idolis hunc ſolum eſſe verum Deum dicerent. Itaque in illis ſuis ſucceſſibus ſæpe has blaſphemas voces emittebant: Vbi nunc eſt Deus eorum? exprobrantes quaſi hoc ſarcaſmo Iudæis non tantùm calamitates, ſed ridentes etiam religionem ipſorum & fœdus, quod ſibi eſſe cum Deo iactabant: & iam ab euentu vanitatem eius arguere volentes, vbi, inquiūt, eſt Deus eorum? hoc eſt, an non res ipſa teſtatur, non eſſe verum illum Deum, quem illi tam glorioſè prædicant & adorant, & vanam eſſe omnem illorum fiduciam, quam in hunc Deum collocant? Nam ſi verus eſſet Deus, non vtique obiiceret eos tantis periculis, nec in his miſeriis contabeſcere eos fineret. Talis eſt illa orat. Cic. pro Flacco: *Quā chara dijs immortalib. eſſet illa gens, docuit, quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſerua.* Hæ & ſimiles voces quia ad contumeliam nominis diuini vergebant, dolorem ſuum per querelam familiariter ea de re exponit vates, & ſimul petit, ne vltrà hanc blaſphemādi licentiam concedat hoſtibus, ſed quàm primùm nomen ſuum ab huiuſmodi probris vindicet, ſuprà autē Pſal. 79. vidimus ſimiles inſultationes, quas auditores cum his conferāt.

3 Atqui Deus noſter in cælo: omnia quæ voluit fecit.

Petitioni ſubiicit propheta collationem, in qua maieſtatem, gloriam & potentiam veri Dei, quem Iſraelitæ colebāt, extollit, & è regione vana gentium ſomnia, quæ numen aliquod idolis tribuebant, ridet & refutat. Hanc collationem ideo diximus inſtituere prophetam, vt hoſtium inſultationi occurreret, & animos ſuorum confirmaret, ne fracti illis hoſtium ludibriis & amarulentis irriſionibus à vero Deo deficerent, & fidem atque inuocationem abiicerent. Valde enim difficile eſt in ærumnis & calamitatibus, præſertim ſi in conſpectu ſit hoſtium eccleſiæ potentia & felicitas, & audiantur illi ſarcaſmi, de quibus dictum eſt, retinere fidem & conſtanter manere in profeſſione doctrinæ. Vt igitur animi Iſraelitarum aduerſus hæc ſcandala, & ipſiſſima diaboli tela munirentur, neceſſe fuit hanc collationem inſtitui, in qua tumidæ hoſtium voces & contumeliæ refutarentur, & piorum fides confirmaretur.

Inquit autem, *Deus noſter eſt in cælo.* Vbi in pronomine emphaſis diligenter eſt conſideranda. Nominant enim Iſraelitæ Deum ſuum, illum qui ſe certo verbo in hoc populo patefecerat, & qui ſancito fœdere populum hunc ſibi in peculium adoptarat & delegerat: qui denique tot teſtimoniis hactenus oſtenderat, ſe præſentem eſſe in hoc populo, ſéque exaudire & iuuare inuocantes. Hunc, inquam, verum Deum affirmant eſſe in cœlo, non quòd eum certis locorum ſpatiis aut terminis circumſcribant, cuius eſſentiam ſciunt eſſe infinitam, aut quòd eum ab eccleſia & populo ſuo remoueant: ſed vt innuāt potentiam eius eſſe multò maiorem, quàm cui vllę hominum aut creaturarum vires comparari queant. Nam eſſe *in cœlo* ſignificat hîc eſſe præditum infinita potentia, quæ non alligata ſit vllis externis rebus, aut mediis: quæ nec fato, nec fortunæ ſit obnoxia: quæ impediri à creaturis aut inhiberi non poſſit: ita vt infinita & liberrima ſit, & fruſtrà, imò cum ipſorum exitio ab hoſtibus rideatur.

Omnia quæ voluit fecit] Confirmat priorem ſententiam ab operibus Dei. Deus, inquit, libera voluntate condidit omnia quæ voluit, & condita conſeruat: deinde multa facit opera extraordinaria longè aliter quàm cauſæ ſecundæ cient aut mouent: ergo potentia eius eſt infinita & eſt liberrima. Id cùm ita ſit, nemo dubitare debet, Deum, cùm ipſi viſum fuerit, liberare poſſe ſuos ex periculis & ærumnis: & deteſtandæ ſunt voces hoſtium, qui, quòd vident huius Dei cultores nonnunquam premi ærumnis, clamant imbellem eſſe Deum, qui liberare ſuos cultores aut præſtare promiſſa non valeat. Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia huius verſus. Cæterùm doctrina, quæ hic traditur, diligenter obſeruanda eſt contra Stoicas imaginationes, quibus Deus alligatur cauſis ſecundis, & fingitur aliter agere non poſſe, quàm ſicut illæ cient aut mouent. Hoc ſomnium refutant primùm ipſa opera ordinaria in creatione, quæ Deus liberrima voluntate condidit, deinde extraordinaria, quibus oſtendit ſe non eſſe alligatum vllis cauſis ſecundis.

4 Idola eorum argentum & aurum: opus manuum hominum.

Hæc altera pars eſt collationis, in qua ex antitheſi commentitiorum numinum & religionis Ethnicæ vanitatem pingit & deridet, vt hac ἐξουδενώσει animos infirmorum magis in fide & ſuſcepto veræ pietatis cultu confirmet. Nos, inquit, ſcimus nos colere verum Deum, qui fecit cœlum & terram, & cuius potentia eſt infinita: ideóque non erramus: nec vana eſt fiducia noſtra, vt hoſtes nobis obiiciunt. Contrà hoſtes colunt ſimulacra, quæ nihil ſunt niſi argentum & aurum, quæ nec ſenſum, nec motum habent, & tantùm manibus hominum formantur. Quid igitur numinis eſſe in his, aut quæ potentia poteſt? deinde, qua fiducia petere homines bona, aut committere his ſuam ſalutem poſſunt? Eſt autem prolixus propheta in illa ἐξουδενώσει idolorum: quia vtile eſt animos piorum probè muniri contra illa deliramenta, quibus maxima hominum multitudo ſeducitur, dum ſibi proprium aliquod numen penè ſinguli confingunt, & cultus inſtituunt propria autoritate & conſilio: quibus tamen nihil eſt vanius, nihil ſtultius, nihil ineptius.

Primùm ab ipſa appellatione ſumens argumenti materiam, inquit: Deos gentium eſſe *idola*, hoc eſt, res nihili, quæ numen nullum, nullam vim, nullam potentiam, nullum vigorem habent: imò quæ aliud nihil ſunt, quàm ſolicitudines, curæ & dolores orti ex vano metu in his qui illa idola cōfingūt

& ſtatuunt. Nomen enim עצב, quod interdum per metaphoram idolum redditur, proprie dolorem, triſtitiam ſeu mœrorem ſignificat: vt hoc ipſo vocabulo innuat Spiritus ſanctus, idola, quibus ſtulti homines ſalutem committunt, nihil aliud eſſe, quàm inanem curam, ſolicitudinem & dolores, quibus ſe fruſtra homines fatigant. Nam idolum nihil eſt, niſi cogitatio orta ex inani ſolicitudine & metu hominum.

Deinde à materia ſimulacrorum oſtendit nullam in his eſſe vim aut potentiam: funduntur enim ex metalli materia corruptibili, in qua cùm nullum numen ſit, antequam in talem formam cõfletur, quomodo fieri poteſt, vt deinceps ei aliqua vis accedat? quaſi dicat: annon ridiculum eſt mortuæ & perituræ maſſæ affingere diuinitatem? Ideo Ieremias cap. 10. prolixè ridens vanitatẽ religionis Ethnicæ, inquit, Nolite timere ea, quæ nec malè facere poſſunt, nec bene.

Tertiò, A cauſa efficiente argumentum ſumit. Idola ſunt opus manuum hominum. Impoſſibile eſt autem hominem poſſe ſibi ipſi Deum fabricare, aut rei alicui plus virium aut potentiæ attribuere, quàm ipſe habet. Ergo ſtultum eſt imaginari in ſimulacro ab hominum libidine facto, eſſe aliquod numen. Nec intelligunt homines ineptiſſimi, inquit Lactantius, quòd, ſi ſentire ſimulacra & moueri poſſent, vltro adoratura homines fuiſſent, à quibus ſunt expolita: quæ eſſent aut incultus & horridus lapis, aut materia informis & rudis, niſi fuiſſent ab homine formata. Homo igitur illorum quaſi parẽs iudicandus eſt, per cuius manus nata ſunt: per quem, ſpeciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior eſt qui fecit, quàm illa quæ facta ſunt. Et tamen factorem ipſum nemo ſuſpicit aut veretur: quæ fecit timet, tanquam plus poſſit eſſe in opere, quàm in opifice. Eſt & apud Ieſ. 49. ſimilis cõcio, & Sapientiæ 3. ſtultitia eorum qui ſimulacra colunt, graphicè depingitur.

5 Os illis, & non loquuntur: oculi illis, & non vident.

6 Aures illis, & non audiunt: nares illis, & non olfaciunt.

7 Manus illis, & non palpant: pedes illis, & non ambulant: non clamant gutture ſuo.

Etiam formam ridet. Addunt quidem artifices ſimulacris formam hominis, magna arte effingunt os, oculos, aures, nares, pedes: ſed nec ſenſum, nec motum attribuere poſſunt. Itaque quanquam videntur habere aures & oculos, tamen nec audiunt nec vident. Quid igitur eſſet in his numinis? Cùm igitur nulla neque arte neque natura in imaginibus ſit diuinitas, quàm ſtultum eſt noſtra opinione eis aliquod numen affingere, aut diuinam maieſtatem his mortuis elementis alligare?

Non loquuntur] Ergo non habent homines certum verbũ, quod in hoc cultu ſequantur: & fruſtra confugiunt ad idola, quum inuocantium precibus non reſpondeant.

Non vident] Ergo falsò illis tribuitur, quòd curam agant rerum humanarum.

Non audiunt] Fruſtra igitur homines ipſorum opem expetunt.

Non olfaciunt] Fruſtra igitur tot victimæ eis cæduntur, & tam ſumptuoſa ſacrificia offeruntur, vel ſuffitus fiunt.

Manus, & non palpant] Ergo nulla penes idola eſt iuuandi facultas: cùm econtra manus Domini ſit potentiſſima.

Pedes, & non ambulant] Id eſt, non poſſunt mouere pedem, ſed quocunque geſtantur, ibi tanquam palmæ hærent fixæ, nec ſe ipſos ab interitu vindicare poſſunt. Quomodo igitur aliis laborantibus ſuccurrerent.

8 Similes illis ſunt, qui faciunt ea: [*&*] omnis qui confidit in eis.

Sicut idola vanitatis arguit, ita ſimiliter ipſorum opifices & cultores ridet & ſubſannat, affirmans ſculptores idolorum & horum cultores non minùs eſſe ſtupidos, quàm ipſi trunci vel lapides. Niſi enim cæci, ſurdi ac planè dementes eſſent, facilè intelligerent, nihil inde expectandum eſſe auxilij aut opis, vbi mortua ſunt omnia: multò minùs cogitarent in his mortuis elementis reſidere aliquid diuinitatis. Ita igitur hoc verſu damnat maximam partem generis humani, quę omnibus ætatibus idololatriæ ita dedita fuit, vt ſtupor & dementia in hac re eſſet manifeſta & deploranda. Nam, vt de Ethnicis ſuperſtitionibus iam nihil dicamus, quibus totus penè mũdus vſque ad Chriſti ætatem, & aliquanto poſt fuit immerſus, quantus furor hoc tempore eſt in pontificiæ religionis ſectatoribus, qui contra manifeſtum Dei verbũ, quod tamen ſe amplecti affirmant, turpiter & ſcelerate ſe abiiciũt & proſternũt coram ſtatuis & ſimulacris, atque ab his vitam & ſalutem petunt? Quæ res prauitatem humanæ naturæ arguit, quæ quòd Deum verum oculis non aſpicit, & ſine numinis ope ſe viuere tamen non poſſe rectè credit, rebus viſibilibus pro arbitrio & voluntate hominum alligari Deum & affigi ſuis figmentis exiſtimat. Eſt autem ſumma hæc impietas & ſacrilegium, quo gloria Dei non tantùm obſcuratur, ſed ſumma contumelia afficitur, &, quantum in hominibus eſt, prorſus ſepelitur. Ideò & hoc in loco & alibi ſæpe adeo duriter inuehitur Scriptura in cultores idolorum, & monet Deum non aliter agnoſcendum aut colendum eſſe, quàm ſicut ſe ipſe patefecit. Simus igitur vigilantes, & caueamus ne polluamur idolis, aut prauis opinionibus, quibus cultus Dei adulteratur: & vera doctrina muniamus nos, ac Deum oremus, vt ipſe mẽtes noſtras regat, ne à vera de Deo doctrina & veri Dei inuocatione aberremus.

9 Iſrael, ſpera in Iehoua: auxilium [*adiutor*] eorum & clypeus eorum ipſe [*eſt.*]

Hanc adhortationem infert propheta ad illam collationem, de qua hactenus diximus, & oſtendit ad quem finem & vſum illam inſtituerit. Vociferabantur hoſtes, fruſtra Iſraelitas ſperare & expectare opem & auxilium à ſuo Deo, à quo tamdiu eſſent deſerti: ideóque iubebant eos abiecto ſuo cultu ſectari gentium idololatriam, quæ tantam felicitatem hominibus afferret. Nam ſuam felicitatem & potentiam idolis ſuis acceptam ferebant. Sed contrà inquit propheta, has voces hoſtium eſſe impias & falſas. Non enim eſſe alium Deum quàm quem colant: & idola gentium nihil aliud eſſe, quàm mortua ſimulacra, in quibus nulla ſit vis, nullus ſenſus, aut motus. Ideo hortatur Iſraelitas, ne moueantur iſtis hoſtium clamoribus, quibus abſtrahere animos à vera religione conãtur: ſed conſtanter adhæreant Deo ſuo, eíque ſalutem ſuam tutò tuendam committant. Talis eſt illatio in hoc verſu, quæ rectè cum ſuperiore narratione cohæret. Vt autem adhortatio altiùs penetret in animos auditorum, & efficaciùs moueat corda, repetit propheta dulciſſimas promiſſiones, quæ paſſim in verbo diuino traditæ ſunt, de præſentia Dei in eccleſia, de cura & defenſione aſſidua, & iuxta has certò ſperare eos defenſionem, auxilium & liberationem iubet. Hæc ſumma eſt huius & ſequentium aliquot verſuum, nec opus eſt in re manifeſta longiore explicatione.

Auxilium eorum] Scilicet ſperantium in eo. Nam relatiua ſæpe ſine antecedente ſubſtantiuo ponuntur: quod tamen ex præcedente oratione, aut aliqua eius circunſtantia colligendum eſt: quanquam & mutatio perſonæ eſſe poſſit, quæ vſitata eſt huic linguæ.

Clypeus] Metonymicωs defenſorem & tutorem ſignificat.

10 Domus Aaron, confidite in Iehoua: auxilium eorum & clypeus eorum [*eſt*] ipſe.

Cùm antea omnes tribus complexus eſſet nomine Iſraelis, nunc peculiariter compellat domum Aaronis ſeu tribum Leuiticam, quam ſimiliter iubet ſperare in Deo, atque ab eo opem & auxilium expectare: non quòd præ cæteris peculiares habeant promiſſiones aut prærogatiuam aliquam: ſed quia antiſtites erant religionis & doctores in hoc populo, vult eos aliis exemplo ſuo præire, & ad verum pietatis cultum cæteros inuitare. Hæc pietas ab omnibus eccleſiæ doctoribus requiritur, vt non tantum voce ſed exemplo aliis præeant, & ſua pietate aliis tanquam aditum ad ſanctuarium præbeant: à qua tamen pietate, quàm procul abſint plerique, res oſtendit.

11 Qui timetis Iehouam, confidite in Iehoua: [*Græcus legit hoc loco* בטחו *bateku* pro בטחו *biteku*] auxilium eorum, & clypeus eorum [*eſt*] ipſe.

Addit ſuperiori ſententiæ, quaſi correctionem, qua hypocritas & degeneres Iſraelitas diſcernit à veris Dei cultoribus. Erant enim non in vulgo tantum, ſed in Aaronis familia multi, qui non minus quàm hoſtes religionem habebant pro ludibrio, & ſecuri Dei iram & iudicium contemnebant. Hos quia ſuis exhortationibus ſcit ſe corrigere non poſſe, illum cœtum alloquitur, qui doctrinam de Deo ita erat amplexus, vt vera fide & pietate Deũ coleret: atque ad hunc cœtum promiſſiones omnes eccleſiæ factas reſtringit. Hæc cauſa eſt cur hos gradus inſtituat propheta. Vult enim monere, ad quos principaliter & propriè illæ promiſſiones pertineãt. Alij de religioſis Iudæis: alij de proſelitis: nonnulli ſine diſcrimine, de quibuſuis etiam extra populum Iudaicum hunc verſum intelligunt: ac ſi vaticinium eſſet de vocatione gentium. Sed non opus eſt illis argutiis: cum alioqui, quæ de Iſraele hoc loco & alibi dicuntur, ſciamus pertinere in genere ad eccleſiam omnium ętatum & temporum. Si enim timentes Dominũ in hoc verſu ſeparandi ſunt ab Iſraelitis ſeu poſteritate Abrahæ, eo quòd ſeparatim illorũ fiat mentio, eodẽ argumento etiam domus Aaronis à poſteritate Abrahæ erit exclu-

excludenda. Nam & huius ſeorſim fit mentio. Nec caret ratione, quod *timentes Iehouam* peculiariter compellat. Videbat enim magnam multitudinem deficere ad hoſtes, fractā metu periculorum. Pios igitur hortatur, vt conſtanter perſeuerent adhærere Deo, nec moueantur hoſtium clamoribus, vel ſuorum popularium defectione. Cæterùm verbo timendi comprehendit totum cultum in verbo diuino præſcriptū. Eſtque timere Deum, vt ſæpe iam dictum eſt, nihil aliud quàm quod Paulus inquit, Militare bonam militiam, & retinere fidem ac bonam conſciētiam, hoc eſt, vera fide amplecti totam doctrinam à Deo traditam, & in hac promiſſionem gratiæ, & in vita omnes actiones ſuas referre ad hunc finem, vt Deus celebretur & honore afficiatur.

12 Iehoua memor eſt noſtri: benedicet, benedicet domui Iſraël: benedicet domui Aaron.

13 Benedicet timentibus Iehouam: paruulis ſimul cum magnis.

In fine Pſalmi congerit promiſſiones, quibus mentes fidelium erigit, ne vel magnitudine periculi, vel mora auxilij & liberationis, vel ſarcaſmis hoſtium frangantur, vt deficiant à Deo. Animus enim noſter in periculis conſtitutus diſputat ſecum, an ſimus curæ Deo, an reſpiciamur & exaudiamur: & plerique, qui ex euentibus amorem Dei metiuntur, iudicant eos pro abiectis à Deo habendos eſſe, qui in periculis non mox opem & auxilium diuinum experiuntur, & diabolus illas cogitationes variis modis adauget. Sed huic tentationi oppoſitæ ſunt hæ conſolationes, quas hic recitat Pſalmus: *Deus memor eſt noſtri*: hoc eſt, etiamſi aliquandiu ſinit nos affligi & differt auxilium ac liberationem: tamen non obliuiſcitur noſtri: non abiicit curam noſtri: non ita ſe ſubducit, vt ſuccurrere nolit: ſed in ipſis calamitatibus memor eſt noſtri, adeſt nobis, curam agit pro nobis, & ſolicitè procurat omnia, quę ad ſalutem noſtram pertinent. Quare ſuo tempore, cùm opus erit, benedicet nobis, id eſt afferet ſalutem & liberabit nos, & omni genere bonorum nos cumulabit, iuxta promiſſiones in fœdere datas. Nam verbo benedicendi ſine dubio ad fœdus reſpicit factum cum Abrahamo: & nomine benedictionis vtriuſque generis bona comprehendit, ſpiritualia nimirum & corporalia. Repetitio crebra eiuſdem verbi certitudinem promiſſionis oſtendit. Rurſus autem vtitur illa diſtributione, qua antea erat vſus: primo loco totū populi corpus comprehendens: deinde ſeorſim familiam Leuitarum & Sacerdotum peculiariter confirmans, ne illa fruſtra ſe fatigari cultibus diuinis exiſtimaret: tertiò totam promiſſionem, addita correctione, ad ſolos timentes Deum reſtringens: qua de re ſuprà dictum eſt.

Amplificat autem promiſſionem à circumſtantia perſonarum, vt paternam Dei curam, amorem & indulgentiam erga ſuos magis commendet. *Benedicet* Deus, inquit non magnis tantum, qui in aliqua dignitate ſunt conſtituti, aut quorum merita ſunt egregia erga eccleſiam & rempublicam, ſed etiā viliſſimis & contemptiſſimis quibuſque, modò Deum timeāt, & fidem eius implorent. Deus enim æqualis eſt erga omnes, nec eſt in eo προσωποληψία. Itaque neminem indignitas ſua aut vilitas ſeu abiecta conditio abſterrere debet, quominus ad thronum gratiæ diuinæ confugiat, & auxilium ac liberationem expectet: benedicet enim paruulis ſimul cum magnis. Etiam infantes & obſcuri, atque ignobiles participes erunt beneficiorum diuinorum.

14 Adiiciet Iehoua ſuper vos: ſuper vos & filios veſtros.

Vt illuſtrior ſit promiſſio & gratior piis mentibus, affirmat propheta Deum maiora deinceps beneficia collaturum populo quàm fecerat antea: & quidem ita vt non ipſi tātum, qui tunc viuebant, illam beneficentiam experiantur: ſed ad poſteros quoque illa extendatur. Tales enim promiſſiones, in quibus poſteris quoq; ſpes ſalutis & benedictionis diuinæ oſtenditur, eò magis afficiunt nos, quò magis de poſteris noſtris ſumus ſoliciti. Adiiciet, inquit: quaſi dicat, non tantum conſeruabit nobis præſentia bona tam ſpiritualia quàm corporalia: ſed etiam augebit, vt deinceps & eccleſia & politia ad poſteros magis floreat.

15 Benedicti vos Iehouæ: qui fecit cælum & terram.

Exclamatio eſt atque aſſeueratio, qua promiſſionem magis confirmat. Hoſtes, qui oppugnatum venerant hunc populum, ſubinde clamabant, populum hunc eſſe abiectum & dānatum à Deo, & calamitates ipſas teſtari, quàm ſint chari Deo. Fruſtra igitur illos ſperare auxilium & liberationem dicebant: & multi in populo, vel peccatorum ſuorum ſenſu, vel diuturnitate malorū fracti, exiſtimabant non falli hoſtes, nec vana dicere: itaque periculi metu nonnulli deficiebant. Sed contra, inquit propheta, *Benedicti vos* eſtis, hoc eſt, quanquam ærumnis & calamitatibus attenuati & deformati eſtis: tamen certò habetis Deum placatum & fauentem, eſtis ab eo recepti in gratiam, agit is curam veſtri, & paulo poſt amorem ſuum inſigni liberatione & aliis variis beneficiis erga vos declarabit. Ità hoc verſu oſtendit longè aliter iudicandum eſſe de eccleſia ſeu piorum cœtu, quàm mundus iudicat. Mundus habet nos pro catharmatis, & damnatis à Deo. Sed Spiritus ſanctus clamat, nos quanquam cruce & calamitatibus deformatos, benedictos eſſe Deo. Hanc igitur conſolationem peruerſo mundi iudicio opponamus: atque eo nos ſuſtētemus in noſtris ærumnis & periculis. Addit autē, *qui fecit cælum & terram*: vt oſtendat ſe loqui de vero Deo, cui ſatis ſit potentiæ & virium ad tuendos ſuos: etiamſi hoſtes petulanter ei nunc inſultent & illudant, dum quaſi imbelli & inermi illudunt, atque è regione ſua idola extollunt, à quibus ad hanc potentiam ſint euecti. Si enim cœlum & terram fecit hic Deus quem colimus, & à quo in fœdus aſciti ſumus: ſique mundum hunc potenter is gubernat & conſeruat: non eſt quòd dubitemus eum præſtare nullo negotio poſſe quæ promiſit. Ita argumētum, hoc loco inſeritur ductum à facili, vt omnis dubitatio anxiis mentibus eximatur.

16 Cœli cœli Iehouæ: at terram dedit filiis hominum.

Occaſione ſumpta ex præcedenti verſu, in quo de potentia diuina dixerat, repetit eandem doctrinam: ſed poſtea tanquam ex antitheſi bonitatem eius commendat, quam Deus quanquam in cœlo reſidens, & ſua felicitate contentus, erga genus humanum variis modis declarauit: vt vel hoc modo ſuos bene ſperare de ſalutari euentu doceat. In cœlo quidem ita reſidet Deus, vt & omnipotens ſit, & ſua felicitate contentus, nullius indigeat, nullis prouentibus terrenis aut mundanis opibus egeat. Sed tamen idem Deus, vt de ſua bonitate & amore erga genus humanum teſtaretur, terram locupletatam & veſtitam maxima bonorum varietate hominibus poſſidendam dedit: conſtituit & conſeruat in ea politias: ſeruat hominum cœtus: tuetur ordinem politicum: depellit diabolos, & euertit tyrannos vaſtatores politiarum & generis humani. Neque enim vult infinitam fieri vaſtitatem: ſed vult terram poſſideri ab hominibus, & in fruitione rerum à ſe conditarum vult bonitatem ſuam à nobis agnoſci & prædicari. Huius bonitatis cum tam perſpicua nobis ob oculos quotidie verſentur teſtimonia, ſperemus eum nunc quoque curam agere huius politiæ à ſe conſtitutæ, & nidulos hos, quos nobis attribuit, tueri & defendere. Hæc eſt ſimpliciſſima huius verſus ſententia.

Homines profani, quos hæc ſententia ad agnitionem & celebrationem beneficiorum inuitare debebat, ſcelerate nonnunquam ad ſuas cupiditates excuſandas & tyrannidem ſtabiliendam ea abutuntur. Cùm enim dicat propheta, cœlū eſſe Dei, & terram datam filiis hominum: exiſtimant Deum remotum ita eſſe à terra, vt cælo ſuo contentus terram plenè conceſſerit hominibus, vt cuilibet inde facta ſit poteſtas ſapiendi, amplificandi ſuas ditiones, & omnia agendi ac diſponendi pro ſua libidine. Hanc impiam audaciam abutendi teſtimoniis ſacræ ſcripturæ ad turpitudinem & ſcelera hominum tegenda, aut ſtabilienda, toto pectore execremur: & has atque ſimiles ſententias legentes Deo gratias agamus, qui terram, hoc eſt, bona corporalia neceſſaria in hac vita, vt regimen politicum, defenſionem, victum & alia nobis largitur: atque his argumentis bonitatis diuinæ confirmemur, vt alia etiam maiora & cœleſtia bona ab ipſo petamus & expectemus.

Cœli cœli] Repetitio diſcernit cœlum illud ſupremum à regione elementari & ætherea, & notat excellentem quandam regionem cælorum, in qua Deus cum ſanctis agit. Non quod is non ſit vbique, ſed quod eius præſentia, maieſtas & gloria ibi magis illuſtris, potens & efficax conſpicitur.

17 Non mortui laudabunt [*te*] Deus: neque omnes qui deſcendunt in ſilentium.

18 Sed nos benedicemus Deo: ex nunc & vſque in ſeculum. Haleluiah.

Sicut initio pſalmi ſuppreſſa propoſitione mox argumenta ſeu rationes recitabat propheta, quibus moueri Deum ſciebat, vt eccleſiæ periclitanti opem ferret: ita nunc in fine diſſimulata petitione, rurſus vtitur argumento, quod ad inſtitutas preces & vota piorum erat accommodatiſſimum. Cùm enim pſalmus, vt dixi, petitio ſit auxilij & liberationis, addit argumentum à fine conditi generis humani, & inprimis huius populi electione ſumptum. Ideo Deus condidit genus humanum, atque ideo poſtea populum Iſrael peculiariter ſegregatum ex genere humano ſibi delegit, vt eſſent qui etiā

in hac vita, & in terris bonitatem eius agnoſcerent & celebrarent. Id verò quia non niſi à viuis fieri poteſt: (Mortui enim laudare Deum non poſſunt: & impij hoſtes eum blaſphemant, tantum abeſt, vt illum collaudent & prædicent.) Ideo, inquit, ſerua nos & hanc politiam noſtram, quam tu ipſe condidiſti, vt ſemper aliqui ſint, qui te verè agnoſcant & celebrent, & qui teſtes eſſe doctrinæ nobis traditæ, eamque propagare ad poſteros poſſint, ne nomen tuum extinctum nobiſcum ſepeliatur. Hoc argumentum, à fine vocationis & adoptionis huius populi ſumptum, in fine pſalmi collocatur, quia fides piorum in populo Iſraelitico imprimis nitebatur illa promiſſione de certa politia, quæ maioribus facta erat: & vtile erat imbecilles his adminiculis excitari ac confirmari, vt maiori fiducia ad Deum accederent, & ſalutem ſuam ei tuendam committerent.

Non mortui laudabunt te] Scilicet, in orbe terrarum. In cælis quidem nunquam deſunt, qui eum laudent: ſed vult Deus non tantùm in alio ſeculo prædicari & laudari: ſed etiam in his terris: quod fieri non poteſt, ſi pij ab impiis conſumantur. Hoc igitur ſenſu dicit, Non mortui laudabunt te Domine.

Hæc ſumma eſt horum verſuum: eſtque vtilis doctrina hîc tradita, quæ oſtendit cur longiora vitæ ſpatia à nobis ſint petenda. Ærumnæ & calamitates ſæpe eò deducunt nos vt omnis vita nobis ſit acerba, & cum Paulo dicamus: Cupio diſſolui & eſſe cũ Chriſto. Sed cùm cogitamus ad quẽ finem conditi & collocati in hãc terram ſimus, non ſemper indulgere nimiùm iſtis votis debemus: atque imprimis ſi videamus ad gloriam Dei & ſalutem eccleſiæ pertinere, vt nobis longior vita ſuppetat.

Silentium] Ita ſepulchrum nominant Hebræi metonymicôs, quod ibi perpetuum ſit ſilentium: & qui eò delati ſunt, ampliùs inter homines non compareant. Quo ſenſu Plinius ſilentia Lunæ nominat tempus illud quo propter coniunctionem cum Sole non conſpicitur.

Sed nos] Græcus interpres & Arabs ſupplent *Qui viuimus.*

PSALMI CXV.

PARTES.

I. Petitio vt gloriam ſuam vindicet Deus, ſuis benefaciendo, tanquam ipſorum Deus, v. 1. Inimicorum Eccleſiæ blaſphemas voces reprimens, v. 2. quum omnipotens ſit, v. 3. Nec deceat inſanos idolorum mutorum cultores in impietate ſua ita exultare, vt Dei viuentis veritatem & Eccleſiam ſuperbis conatibus obruere ſe poſſe confidant, v. 4. 5. 6. & 7. Sed potius illos ſtupore percutiat & confundat, v. 8. Tria igitur hîc occurrunt. 1. Aſſertio veri Dei omnipotentis. 2. Falſæ religionis terricula ridicula. 3. Impiorum conatus non magis metuendi, quàm idolorum effigies. Deus autem idololatrarum ſtatuis opponitur in eo, quod 1. Deus incorporeus in cælis habitat: ſtatuæ in terra pereunt. 2. Deus viuit: ſtatuæ inanimæ apparent. 3. Statuæ moleſta ſuperſtitione torquent ſua mancipia: Deus ſolatur & ſeruat ſuos. 4. Deus facit quicquid vult: ſtatuæ mutæ nihil poſſunt, nec quod idololatræ poſcunt, poſſunt exequi, vel nocere Dei Eccleſiæ. 5. Statuarum cultores iuſto Dei iudicio mentis cæcitate percutiuntur: Deus autem ſuorum oculos illuminat.

II. Hortatio, qua pios iubet pſaltes fide in Deum recumbere propter promiſſiones & opera eius, diſtinctione facta populi, & Leuitarum atque Sacerdotum, v. 9. & 10. quibus gentes quaſcunque ad cognitionem & Dei cultum accedentes adiungit, v. 11. Deinde promiſſiones ſigillatim populo Dei accommodat, v. 12. 13. 14. 15. & 16.

III. Concluſio laudatiua, qua exponit, quòd non morimur, id gloriæ Dei tribuendum eſſe, v. 17. Proinde totam vitam in gloria Dei eſſe occupandam, v. 18.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 Fideles dum in rebus deploratis ad Deum confugiũt, nulla iactant merita ſua, nec impetrandi fiduciam aliunde concipiũt, niſi quia ipſos liberando Deus gloriæ ſuæ conſulet, cuius vindex ſẽper apparet. Et hic ſcopus precum liberationumq; noſtrarum eſto, vt beneficium, quod erimus adepti, Dei nomen illuſtret.

2 Quum Dei adoptio, gratia & promiſſiones in Chriſto ſancitæ aboleri nequeãt, quoties profani pijs afflictis inſultant, ac ſi Deus ſui ſuorumq; eſſet oblitus, noſtrum eſt ad ſanctum illum veteris eccleſiæ zelum animos noſtros referre, fideiq; clamore Deum excitare, vt impiorum blaſphemas voces reprimat.

3 Fideles Deum in cælis locando, cancellis non circundant immẽſam eius eſſentiam: ſed negant finitam eſſe eius potentiam, vel alligatam humanis medijs: negant obnoxiam eſſe fato vel fortunæ: deniq; totum mundum ſubijciunt eius imperio, vt ſuperior omnibus obſtaculis, liberè quicquid viſum eſt exequatur.

Quum dicitur Deus facere omnia quæ vult, docemur 1. Quòd Deo plena ſuppetat facultas ad tuendam eccleſiæ ſuæ ſalutẽ. 2. Quũ omnes creaturas contineat ſub manu ſua, nullo obſtaculo prohiberi quominus ſua conſilia perficiat: imò ipſis impedimentis uti ad viã ſibi ſternendam. 3. Nihil fortuitò contingere, ſed Deum ſic æterno conſilio omnia moderari, vt nihil fiat niſi ipſo volente & ordinante. 4. Nec propterea eſt peccati author: nam etſi incomprehenſibile nobis eſt eius conſilium, optima tamen ei ratio ſemper conſtat: puruſq; eius affectus & operum finis, à vitioſa diabolorum & impiorum voluntate, operatione & ſcopo ſemper eſt diſcernendus. 5. In Dei iudiciis, quæ ſunt abyſſus profundiſſima, regnare ſummam iuſtitiam. 6. Execranda eſſe omnia prudentiæ humanæ aduerſus hanc iuſtitiam in gubernatione mundi & hominum vndiq; conſpicuam obiecta. 7. Si Deus facit quæcunq; vult, conſequi ipſum nolle fieri quæcunq; non fiunt. Quòd igitur eccleſia ſub cruce gemit, & vitia graſſantur, Deo remedia non adhibente, docet eum nolle tã ſubitò ſuis opem ferre, quia moram & dilationem vtilem eſſe nouit: vt ſancta tolerantia diſcamus ferre iugum, & liberationem placidis animis expectare.

4. 5. 6. 7 Idololatriæ deteſtatio. 1. Idola vocantur res nihili, vanitas, magiſtri mẽdacij. 2. Conflata ſunt ex mortua materia, ideo ſenſu & vigore carent: atque adeo fruſtra inuocantur. 3. Pretium materiæ nihil dat præſtantiæ idolis vt pluris fieri mereantur: nihil enim aliud ſunt quàm opus manuũ hominum, & ſtulta eſt idololatrarum gloriatio, opem quærentium ab ijs quibus dederunt originẽ & formam. 4. Deus perperã quæritur ſub externis figuris, quæ nihil ſimile vel affine habet cæleſti eius gloriæ. 5. Impij ſunt qui Deo valedicentes ab hominibus per imagines repræſentatis petunt auxilium. Quum enim à Deo vita noſtra pendeat, nihil abſurdius & magis impium quàm à ſimulachris ſenſu motúque carentibus petere quod illis deeſt.

7 Idololatræ non minùs ſtupidi ſunt, rerũ ſpiritualium reſpectu, quàm ſi trunci eſſent vel lapides. Illa autem cæcitas voluntaria eſt, eóſque reddit prorſus inexcuſabiles: ne obtendere liceat, errorem à bona (vt vocant) intentione eſſe profectum.

Fructus idololatriæ is vt imaginum cultores fiduciam à vero Deo auerſam ad ſuarum manuũ opera conuertant: vnde ſequitur mentis cæcitas & induratio, quæ veritatẽ reſpuit ac furẽter perſequitur.

9. 10. 11 Dum ſuperſtitioſi ludicra illa figmenta ſua innumeris ceremoniis proſequuntur & fruſtra reclamant, non eſt timendum veri Dei cultoribus, ne ipſos in neceſſitate deſerat vel fruſtretur: quia tã propẽſus eſt ad curandã eorum ſalutem quàm potẽtia inſtructus.

Eccleſiæ paſtores aliis fidelibus debent eſſe exemplum fidei, quando ſingulari honore Deus eos dignatus eſt. Domus enim Aaronis hic nominatim compellatur.

Puri & non fucati cultores Dei ab hypocritis diſcernẽdi ſunt. Quãuis enim opem ſuam Deus liberaliter omnibus offerat, illis tantùm eſt clypeus, qui viua fide auxiliũ eius implorãt & oblatum recipiũt.

12. 13. 14 Quod in eccleſia ſua inchoauit opus, illud ad finem vſque perducet Dominus ſuos innumeris beneficiis cumulando.

Quum nulla ſit perſonarũ acceptio apud Deũ, ne ab acceſſu nos abſterreat ignobilis & abiecta noſtra conditio, quãdo tam comiter inuitat qui nullius videntur eſſe pretij.

Aſſiduus gratiæ Dei erga ſuos curſus eſſe ſolet, vt ex repetitione verbi Benedicere & Multiplicare colligimus. Ad poſteros quoque manat: quia in mille generationes propagat adoptionis ſuæ gratiã & fructum.

15 Deus quum ſit cœli & terræ opifex, minimè timendum eſt ne ipſe vnus ad nos tuendos ſufficiat.

16 Gloria ſua contentus Deus terram nihilominus creauit, & copijs omnibus locupletauit in noſtrum vſum, vt infinita poſſiderem' paternæ eius curæ teſtimonia, quæ nos ad ſpem firmam, quod perpetuo nobis aderit, animare debent.

17 Eccleſiæ

17 *Eccleſia quum ad Deũ non modò in futuro, ſed in præſenti coram & inuitis profanis celebrandũ creata ſit, meritò liberationẽ expetit, & mortẽ (impiis florẽtibus) deprecatur, vt Dei laudes, quæ alioqui ſilentio perpetuo obruerentur, perſonent in ore filiorum ſuorum.*

18 *Gratitudinem pij pollicentur: quod præſtare nequeunt, tantiſper dum ſub cruce gemunt. Ideò dum auxilium implorant, de liberatione ſecuri, confidunt ſe Deo, non tãtùm in hac lacrymarum valle, ſed præcipuè in æterna vita æternum halelujah dicturos.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Gloria ſoli Deo tribuenda, ſicuti ad Deum ſolum pertinet.
2. Dignitas Eccleſiæ in ſola Dei miſericordia conſiſtit.
3. Impiorum blaſphemæ voces cum ridicula & execranda idololatria coniunctæ.
4. Deus immenſus quo modo in cælis eſſe & habitare dicatur.
5. De Dei voluntate & Omnipotentia.
6. De idololatria inter ethnicos & in Eccleſia.
7. Idololatrarum cæcitas horrenda.
8. Piorum inter idololatrarum furores officium quale ſit.
9. Deus qualis ſit erga ſuos ab impiis contumelia affectos.
10. De benedictionibus Dei erga Eccleſiæ membra.
11. Cælum & terra, Dei poſſeſſio, quo iure ad Dei populum pertineant.
12. Mortui quo ſenſu ſilere nec Deum laudare dicuntur.

ARGVMENTVM PSALMI CXVI.

INSIGNIS eſt gratiarum actio pro liberatione ex ingentibus ærumnis, terroribus & periculis. Et quanquam veriſimile eſt notari externum aliquod periculum, in quo conſtitutus David *in tantum venit diſcrimen, vt de vita & ſalute penè deſperaret: ideóque à nonnullis ad illam hiſtoriam accommodatur, quæ deſcribitur* 1. *Samuel.* 23. *quando à Ziphæis proditus David, parum abfuit quin à Saulis exercitu comprehenſus crudeliſſima quæque pateretur: ab aliis verò ad hiſtoriam Abſalomi refertur, quæ deſcribitur* 2. *Sam.* 15. *eo quòd in fine mentio fiat vrbis Hieroſolymæ, quæ tempore Saulis nondum condita fuit: Non tamen de his tantùm externis corporis periculis loquitur propheta in hoc Pſalmo: ſed quod fieri in ærumnis & calamitatibus ſanctorum ſolet, acceſſit lucta ſpiritualis, in qua cum ira & iudicio Dei aduerſus peccata, & cum æterna deſperatione ei fuit congrediendum & certandum. In hac lucta omnium grauiſſima, quæ multos obruit, & in æternam damnationem ac mortem præcipitat, ſenſit David ſibi adfuiſſe Deũ, cuius ope extractus ex doloribus mortis & inferorum, mirabiliter ſit recreatus, & noua lætitia perfuſus. Agit igitur ei gratias, quòd confugientem ad gratiam, & expetentem opem diuinam exaudiuerit & iuuerit. Vtque beneficium fiat illuſtrius, narrationem inſtituit, in qua periculi & dolorum ſuorum magnitudinem exponit, & è regione bonitatem ac miſericordiam Dei in iuuandis afflictis commendat. Addit & circumſtantiam à vanitate præſidiorum humanorum. Hanc partem multis verbis exornat & amplificat. Poſtremò ſe ad gratitudinem obſtringit. Et quia aliud compenſationis genus ſe non habere intelligit, quàm gratam vocem prædicantem beneficia diuina, promittit ſe perpetuò deinceps celebraturum hæc beneficia, & alios ſua voce atque exemplo ad agnitionem & celebrationem Dei inuitaturum eſſe. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Cùm autem Pſalmus exemplum ſit promiſſionis diuinæ, in qua auxilium promittitur, & liberatio offertur omnibus vera fide ad Deum confugientibus, commonefacit nos quoque, vt in noſtris periculis, ærumnis & doloribus fide intueamur promiſſionem, & exemplo Davidis petamus & expectemus liberationem: & liberati gratias agamus: denique vt, quam ille patientiam præſtitit in cruce, & deinceps ſe præſtaturum promittit, nos ita componamus vt animo placido & conſtanti perferre ærumnas, & Deo ſalutem noſtram plena fide committere poſſimus.*

1 DIlexi [*vel potiùs diligo: ſignificatur enim continuus actus*] quòd audit Iehoua vocẽ meam, precationem meam.

2 Quòd inclinat aurem ſuam mihi: & in diebus meis [*quibus*] inuoco.

Orditur mox à propoſitione. Ego diligo, hoc eſt, ego ex animo lætor, quòd Deus adeo benignum & clementem ſe mihi exhibet, vt clamantem non repudiet aut repellat: ſed mox annuat precibus meis. Defectiua eſt locutio, quæ eſt magis emphatica: ſignificans nuſquam ſibi vel gaudium vel quietem eſſe, niſi in vno Deo. Nos Germani ſic exprimere poſſumus hanc locutionem, *Das iſt mir lieb, vnd iſt meine hœchſte luſt vnd freude*, nihil mihi extra hoc eſt ſuaue aut iucúndum in vita, nihil eſt in quo tutiùs acquieſcam. Verbo diligendi complectitur lætitiam acquieſcentem in Deo, & exultãtem in ipſius bonitate. Liberati enim ex ingentibus pauoribus & doloribus, perfunduntur ingenti lætitia, cum qua coniuncta eſt dilectio Dei.

Vocem meam, precationem meam] Per appoſitionem dictum eſt, quaſi dicat: Vocem meam ſupplicem. תחנוני֯ם ſignificat preces, quæ fiunt & adhibentur pro gratia impetranda. Nonnulli hoc loco coniunctionem interponunt, vt commodiùs ſententiam exprimant: vocem meam & precationem meam. In ſecundo verſu repetitur ratio in priore verſu expoſita. Vtitur autem figura, vt alibi ſæpe in pſalmis, ſumpta forma ſermonis à communi conſuetudine hominum vel animantium, per ἀνθρωποπάθειαν. Nam qui inter homines attendere volunt, aures loquenti rectà obuertunt, & quaſi ad eum inclinant. Alioqui enim Deo aures non ſunt quas inclinet: ſed ita loquitur Spiritus ſanctus, accommodans ſe ad noſtram naturam & captum.

In diebus meis quibus inuoco] Id eſt, quibus inuoco vrgente neceſſitate & periculo, ſentio meas preces non eſſe irritas, ſed exaudiri à Deo. Alij ita reddunt, Ego cui iam feliciter antehac ſucceſſit, Deum orare toto vitæ curriculo in hoc curſu pergã. Sed planior erit ſententia, ſi ſubaudias relatiuum אשר, quod ſæpe omittitur in pſalmis, & orationem totam in præſenti exponas. Iunguntur enim præterita & futura, quod quoties fit, rectè ſumitur medium tempus, ſcilicet præſens.

3 Circumdederant me funes mortis, & anguſtiæ ſepulchri inuenerant me: tribulationem & dolorem inueniebam.

Amplificat beneficium à magnitudine periculi & dolorum, ex quibus diuinitus ſit extractus, quod fieri in gratiarum actione ſolet. Quo enim maiora ſunt pericula, eo maius beneficium in liberatione apparet. Continet igitur hic verſus narrationem ingentium & horribilium dolorum, in quibus ſenſit iram & iudicium diuinum aduerſus peccata: qui dolores ita exercuerunt eum, vt parum abfuerit à morte. Hi verò dolores quales ſint, non intelligunt homines ſecuri, ebrij voluptatibus, aut furentes ambitione, & aliis prauis cupiditatibus. Ideo qui in hoc pietatis gymnaſio non ſunt inſtituti, nec haſce narrationes ſatis intelligunt, nec vſum doctrinæ de gratuita remiſſione peccatorum & reconciliatione percipiunt: ſed qui vera habent pœnitentiæ exercitia, & aliquando guſtarunt hos dolores, illi & pſalmum intelligunt, & conſolationem ex hoc exemplo capiunt vtilem & eximiam. Nullus eſt hominis dolor maior, quàm qui hîc deſcribitur: nec poteſt oratione vllâ magnitudo exponi, ſed experientiâ diſcitur. Laqueos ſeu *dolores mortis* nominat non tantùm periculum corporis, in quo vidit ſe eſſe vicinum morti, & quaſi iam laqueis mortis irretitum & conſtrictum teneri, veluti qui ad ſupplicia ducuntur: ſed inprimis animi dolores luctantis cum ira Dei aduerſus peccata.

Verbum חבל ſignificat obſtrictum eſſe alicui ære alieno

tanquam funibus ligatum. *Einem verhafft ſein,* ad ſoluendum ſcilicet quod debetur. In ſecunda cõiugatione ſignificat conſtringere vehementer; ſicut creditores vrgent & conſtringunt ſuos debitores. Deinde accommodatur ad dolores vehementes, qui quaſi vinculis conſtringunt cor & coarctant, vt laxare ventriculos & effundere ſpiritus vitales non poſſint. Quò reſpiciens Nazianzenus dixit: χύτλω δεσμὸν εἶναι τῆς καρδίας. Inde eſt nomen חבל, quod ſignificat dolores intenſiſſimos, quales ſunt parturientium: quando ſcribitur cum duobus *ſegollim*, ſignificat funem ſeu funiculum.

Sepulchrum metonymicῶς capitur pro morte. Nam mortui inferuntur in ſepulchra. Anguſtiæ igitur ſepulchri nihil aliud ſunt quàm dolores mortis, de quibus antea dictum eſt.

Tribulationem & dolorem inueniebam] Repetitio crebra modum certaminis aliquo modo oſtendit. Sunt enim vices dolorum & terrorum, & fidei inuocantis & quærentis conſolationem. Interdum fides videtur iam viciſſe & diſcuſſiſſe illos dolores: ſed paulo pòſt recurrunt & recrudeſcunt, quibus niſi firma fide & inuocatione ardenti ſubinde reſiſtatur, tandem hominem mergunt in interitum: vt videmus Saulem, Iudam, & ſimiles huiuſmodi doloribus oppreſſos perire.

4 Et in nomine Iehouæ inuocabam: obſecro, Domine, libera animma meam.

Elegans eſt in his verſibus hypotypoſis animi oppreſſi huiuſmodi doloribus, qui non procul abſunt à deſperatione, & rurſus erigentis ſe promiſſionibus diuinis, & orationis remedium adhibentis. Præcedẽti verſu dolores deſcribuntur, quorum gradus facit, quia interdum ſæuiores ſunt, interdum ſunt mitiores, & recurrunt per interualla. Ideo facit mentionem nunc funium, nunc anguſtiarum ſepulchri, nunc tribulationis, nunc doloris. In hoc verſu & duobus ſequentibus deſcribit remedium, quod oppoſuerit hiſce doloribus, & quo eos tandem cõpreſſerit & ſedarit. Alterum quod in hoc verſu deſcribitur, eſt inuocatio aſſidua nominis diuini. Nullum enim eſt præſentius aut efficacius remedium, ad mitigandos & ſopiendos illos dolores, quàm *inuocatio*. Neque poſſunt vlla alia arte depelli. Ideo inquit, ego inuocabam. Et quidem vt exemplum alij ſibi proponi intelligant, per mimeſin orationem ſuam exprimit: *O Domine, libera animam meam.* Quę ipſa oratio oſtendit, cum non loqui tantùm de corporis periculis: ſed de illis horrendis & ſæuis animæ doloribus, de quibus antea dictum eſt. Teſtatur autem & hæc ipſa oratio, Dauidem tunc cùm hæc ſcriberet, & cùm iam eluctatus eſſet, ſenſiſſe tamen adhuc ſtimulos aliquos illorum dolorum, quos oratione vt antea quoque ſuppreſſit. Eſt quidem oratio breuis, ſed efficax in auribus Dei: quia proficiſcitur ex vera fide, & ex ardentibus animi motibus.

5 Clemens Iehoua & iuſtus: & Deus noſter miſericors.

6 Cuſtodiens ſimplices Iehoua: extenuatus [*exhauſtus*] eram, ſed attulit mihi ſalutem.

Alterum remedium, quo ſancti medentur illis ſummis doloribus, eſt *fides* intuens promiſſiones, & ſe his erigens. Neque enim inuocatio fieri ſine hac fide poteſt, & animi in doloribus non ſunt aliò deducendi, quàm ad promiſſiones. His cùm nititur fides, accenditur inuocatio, & ſequitur conſolatio, in qua tandem animus acquieſcit. Nonnulli Enthuſiaſtarum more quærere nos iubent neſcio quas reuelationes, & volunt ab impreſſionibus ſeu ſenſu nos facere iudicium de amore Dei erga nos. Sed in veræ pœnitentiæ exercitiis, & in veris doloribus animus penè nihil cernit niſi Deum iratum & iuſtum iudicem: ſentit enim horrendam iram Dei in ſe incurrentem, quæ nihil aliud eſt quàm ignis conſumens. Ideo ſi ſecundùm ſenſum iudicãdum ſit, animum mergi in triſtem dubitationem & deſperationem neceſſe eſt. Deducendus eſt autem ad verbum & promiſſionem, in qua Deus oſtendit, ſe eſſe benignum, miſericordem, clementem, bonum, placabilem & iuſtum erga omnes ſe inuocantes. Hac promiſſione ſi fides nitatur, & repugnet dolori, tandem ſentiet in corde conſolationem. Nam, vt Paulus inquit, fide iuſtificati habemus pacem. Sequitur *ſenſus conſolationis* fidem, non præcedit. Eſtque alius hic proceſſus quàm in phyſicis, vbi experientia præcedit aſſenſum: priùs enim experientiâ diſcimus ignem calefacere, quàm aſſentiamur. His de rebus monent nos hi verſus, qui diligenter obſeruandi ſunt, vt in noſtris doloribus ſciamus, quæ remedia adhiberi debeant: & ne diſputationibus de electione fides noſtra turbetur, à qua intempeſtiuè nimium nonnulli conſolationem inchoari volunt, cùm firmitas conſolationis in hac potiùs finiatur aut perficiatur. Nemo autem noſtrûm eſt, cui non aliquando ſuos dentes infigat diabolus, & vulnus aliquod faciat. Maturè igitur paranda ſunt remedia, & cauendum, ne incautos nos opprimat diabolus. Nam qui ſecuri hæc ridēt & contemnunt, tandem oppreſſi doloribus ruunt in ęternum exitium & mortem.

Conſiderentur autem vocabula.

Primùm inquit, eſt *Clemens* ſeu benignus, hoc eſt, gratis remittit peccata, & recipit in gratiam ſine diſcrimine omnes fide ad ſe confugientes. Deinde ad auxiliãdum gratis eſt propenſus. Non eſt quòd afferas merita tua. Non enim demeremur Deum noſtris officiis aut ſtudiis: ſed beneficia omnia ſunt gratuita. Neminem igitur deterreat multitudo peccatorum, aut moles calamitatum. De his omnibus monet vox חנון. Deinde addit, Eſt *iuſtus*: quia quos ſemel in ſuam tutelam recipit, aut quos videt, cùm iniuſtè opprimuntur, ſibi fieri ſupplices, eos nõ deſerit in diſcrimine: ſed quemadmodum pollicitus eſt ſibi illorum vitam curæ fore, ita etiam illis in tempore fert auxilium. De hac iuſtitia loquitur hoc loco, qua eorum, qui ſe fidei ipſius committunt, patrocinium ſuſcipit: non loquitur de iuſtitia puniente delicta. Tertiò, eſt *miſericors*, quia afficitur noſtris calamitatibus. Sumus quidem indigni, quibus Deus ſuccurrat. Sed tantus eſt eius amor erga nos, vt non poſſit nõ affici noſtris doloribus & calamitatibus: quemadmodum mater ſeu pater ἄστοργος calamitatibus filij mouetur, & quantum poteſt eas lenire aut tollere ſtudet. Id enim propriè ſignificat מרחם. Eſtque in hac voce dulcis conſolatio. Eſt & conſolatio propoſita in pronomine *noſter*. Deus eſt noſter, inquit, quia patefecit ſe nobis, & certo verbo ſeu promiſſione ſe nobis obligauit, vt confidere tutò ipſi, & acquieſcere in eo poſſimus.

Cuſtodiens ſimplices Iehoua] Quarta conſolatio in *promiſſionibus diuinis* propoſita eſt, quòd Deus cuſtodit ſimplices. פתאים hoc loco non accipitur in malam partem de ſtultis, qui nec ipſi quid agendum ſit vident, nec aliis recta monentibus obtemperant, vt cùm Prouerbiorum 14. dicitur, hæreditariò poſſident fatui ſtultitiam. Sed ita nominat propheta eos, qui patent iniuriis, qui cauendis in[illegible]is minimè ſunt ſolertes, qui facilè circumueniuntur, & cùm ipſi ſe regere aut expedire ſuis conſiliis non poſſint, auxilium à Domino petunt & expectant. Tales, inquit, Dominus cuſtodit. Filij huius ſeculi, vt valent aſtu, ita exiſtimant ſe ſatis eſſe inſtructos potentia & viribus ad depellenda mala ſeu pericula, ſi qua ingruant. Ideo nituntur & confidunt ſua ſapientia & ſuis viribus: vt cùm Aiax inquit, Ignauis eſſe opus auxilio diuino, ſe verò etiam ſine Deo vincere poſſe. Non igitur ſunt פתאים, ideóque in periculis deſeruntur à Deo. Græcus reddidit, φυλάσσων τὰ νήπια ὁ κύριος, non vocem, ſed ſententiam exprimens. Sumus enim inſtar puerorum, qui variis periculis ſunt obnoxij: & tamen ſibi conſulere nequeunt, nec viribus ad depellenda pericula ſunt inſtructi, ideóque tantùm ab alieno conſilio & auxilio pendere coguntur. Tales verò Deus cuſtodit.

Extenuatus eram, & mihi opitulatus eſt] Iam applicat promiſſiones ad ſe, & in ſe exemplum aliis conſiderãdum proponit. In meis doloribus & calamitatibus expertus ſum, inquit, has promiſſiones nõ eſſe vanas. Eram enim extenuatus & exhauſtus iſtis ſummis doloribus, & coniectus in extremas calamitates, nec vſquam foris apparebat conſilium, vt pereũdum omnino mihi fuerit: ſed Deus me ſeruauit & reſtituit. Verbum דלל ſignificat ita exhauriri, vt ad ſummam inopiam cõſiliorum, virium & opum redigaris, hoc eſt, vt omni conſilio & ope deſtituaris.

7 Reuertere, anima mea, in requiem tuam: quia Iehoua rependit ſuper te.

Hactenus deſcripſit luctam, in qua primùm magnitudinem dolorum & calamitatum commemorat: deinde remedia, quibus vſus ſit, oſtendit. Nunc quia ſentit illa remedia fuiſſe efficacia, & iam conſolationem vincentem illos terrores in corde ſentit, alloquitur ſeipſum, & non tantùm ſibi de victoria gratulatur: ſed ſeipſum hortatur, vt deinceps quoque in hac conſolatione acquieſcat, & hoc clypeo, quem fides iam apprehenderat, aduerſus ingruentia mala & tella illa ignita deinceps ſeſe muniat. Reuertere, inquit, anima mea in requiem tuam. Hactenus enim iactata es ſurſum & deorſum inter varios fluctus & procellas dolorum, dubitationis & deſperationis, es grauiter afflicta, perculſa & perturbata, cùm te vrgerēt dolores mortis & inferorum, & aliquandiu portum nullum videres, in quo acquieſceres: nunc quia diſcuſſæ ſunt illæ tempeſtates, & iã fidei ſeſe aperit portus, vbi tutò acquieſcat, huc tende & reuertere in requiem tuam, ſis iam læta & tranquilla, quia ſcis vbi acquieſcere debeas.

Quia Iehoua benefecit tibi] Hoc eſt, quia ſenſiſti hunc tibi affuiſſe in ſummis doloribus & periculis, ex quibus te immenſa bonitate extraxit. גמל ſemper notat viciſſitudinem

factorum

factorum vel euentuum: ſignificat enim vel bona pro bonis, vel bona pro malis, vel mala pro bonis reddere. Dauid igitur, quia fuerat in ſumma calamitate conſtitutus, & diuinitus liberatus, rectè dicit Deum facta commutatione ſibi retribuiſſe bonum pro malo.

8 Quia eripuiſti animam meam à morte: oculum meum à lacrymis: & pedem meum à lapſu.

Hic verſus eſt ἐξήγησις poſterioris membri in præcedenti verſu, ſeu potiùs interpretatio verbi גמל. Fit autem mutatio perſonæ, quæ vſitata eſt huic linguæ. Cùm enim antea de Deo loqueretur in tertia perſona, nunc orationem ad ipſum conuertit, quia fides intuens Deum, creſcit in hac ipſa meditatione, & ſentit Deum coram ſibi adeſſe. Ideo non poteſt non eum compellare. Ego, inquit, antea eram in mortis periculo conſtitutus, & iam quaſi ad fauces mortis detruſus, cùm nihil niſi mortis imago & triſtis damnatio animo meo obuerſaretur. Sed tu extraxiſti animam meam, & rurſus donaſti vitam.

Oculum à lacrymis] Vtitur diſtributione, vt beneficium magis illuſtret. Dolores & pericula ſæpe excuſſerant lacrymas Dauidi: imò verſabatur in aſſiduo mœrore & luctu, & quemadmodum pſalmo ſexto dicitur, lauabat per ſingulas noctes & rigabat lectum ſuum lacrymis: ſed Deus oſtenſa vera & efficaci conſolatione & reddita lætitia tandem abſterſit illas lacrymas, & luctum in gaudium conuertit.

Pedem meum à lapſu [ab impulſione] Id eſt, cùm magna ſit infirmitas mea, vt viribus propriis nequaquam reſiſtere illis doloribus, aut ſuperare illas tentationes potuerim, tu manum tuam clementer mihi porrexiſti & me ſuſtentauiſti, ne victus illis doloribus ſuccumberem, ne ruerem in deſperationem aut fremitum aduerſus te, ne deſperans de ſalute aliquid grauius committerem. Inſuper me viribus inſtruxiſti, vt fortiter reſiſtere diabolo & vincere illos dolores potuerim. Forma ſermonis eſt militaris, vbi impelli pes dicitur, quando cedit hoſti vrgenti & tandem in fugam ſe conijcit. Pſalmo 121.

9 Ambulabo coram facie Iehouæ, in terra viuentium.

Amplificat beneficium ab effectu liberationis. Ex illa liberatione hoc conſecutus ſum, inquit, vt deinceps coram facie Iehouæ ſim ambulaturus, hoc eſt, omnem vitam meam tranſacturus ſim ſub eius cura & protectione paterna. Reſpicit enim propheta ad hominum conſuetudinem, & præſertim parentum. Nam qui liberos ſuos vehementer amant, eos habent perpetuò & geſtant in oculis ſuis, & nunquam deponunt curam ac ſolicitudinem pro eis, ſúntque perpetuò intenti in ipſorum ſalutem. *Omnis enim in natis chari ſtat cura parentis.* Liberi igitur dicuntur ambulare coram facie & in oculis parentum, quos perpetuos habent excubitores pro ſua incolumitate & ſalute. Ita & pij in hac vita ambulant coram facie Dei, eius nimirum cura & protectione muniti.

In terra viuentium] Hoc eſt, inter viuentes, nempe, quia ſeruatus ſum & extractus à morte & ſepulcro. Alij hanc phraſin, ambulare coram Deo, ad cultum diuinum referunt, & de tabernaculo exponunt, vt pollicitatio ſit gratitudinis, quaſi dicat, Ego aſſiduè veniam in templum Dei, & verſabor coram arca Dei, quæ dicitur eius facies, ac præſtabo omnia officia veræ pietatis, quibus glorificatur & celebratur Deus, & offeram ſacrificia laudis. Hæc ſententia ſatis eſt concinna, nec omnino reprehendenda. Exiſtimo tamen alteram eſſe ſimpliciorem, præſertim cùm adhuc beneficia ſibi præſtita potiùs commemoret, quàm gratitudinis mentionem faciat: de ea enim in poſtrema parte pſalmi dicetur.

Illud hoc loco præterire non poſſum, quod de Babyla Antiocheno Epiſcopo ſcribit Suidas. Is enim, cùm iuſſu Numeriani Imperatoris, quem ad ſacra Chriſtianorum ſpectanda admittere noluerat, dicens non licere ei qui cruore & idolorum ſacrificiis pollutus eſſet, in domum Dei tam præcipitanter ingredi, & diuina myſteria contaminatis oculis ſpectare: vel, vt Suidas recitat, non paſſurum ſe, vt lupus ouile Domini ingrederetur: ob hanc cauſam duceretur ad ſupplicium, clara voce hos tres verſus, quos iam interpretati ſumus pronuntiauit, ſimul mandans aſtantibus, vt catenas & vincula vnà cum ſuo corpore ſepelirent, ne ornamentis ſuis mortuo carendum eſſet, ἵνα ᾖ μοι πάντα κειμήλιον κόσμος. Quæ hiſtoria nos monet hanc conſolationem rectiſſimè adhiberi his, qui ex hac vita diſcedunt, ſiue à tyrannis interficiantur, ſiue alia morte pereant. Pij enim ſciunt ſe à morte tranſire in vitam, & per mortem corporalem ingredi in æternam quietem, liberari à morte, à peccato, ab omnibus miſeriis, & deinceps ſine fine frui conſuetudine Dei & gloria, quæ ſuperat omnem ſenſum & cogitationem. Huc igitur & nos oculos noſtros & animum referamus, quando nobis erit migrandũ, & aliis decedentibus aſtantes has ſententias plenas conſolationis ſubinde proponamus, vt eo alacriore animo ex iactatione huius vitæ ad portum æternæ quietis & tranquillitatis diſcedant. Nec dubium eſt talibus ſententiis mirificè erigi & confirmari eos, qui aliqua habent initia fidei, quibus aduerſus terrores mortis ſe ſuſtentant.

10 Credidi, ideo loquebar: ego afflictus eram valde.

Græcus interpres hunc & ſequentes verſus à præcedentibus diuellit, & alium à priore pſalmum facit, ſed reuera cohærent hi verſus cum ſuperioribus. Ideo non diſcedo ab vſitata diſtinctione Hebræorum. Non libet autem hoc loco recitare ſomnia Iudæorum, & recentium quorundam, quibus verſum hunc & ſequentem non interpretati ſunt, ſed in alienum prorſus ſenſum traxerunt, dum alij ad hiſtoriam Mephiboſethi & ſerui eius Sibæ, cui temere crediderat Dauid 2. Sam. 16. alij ad Abſolomi mendacium, cùm votum ſe redditurum Deo in Hebron falsò dixiſſet, hos verſus referunt. Mihi non dubium eſt, Dauidem hoc loco repetere voluiſſe deſcriptionem illius luctæ, de qua antea dixerat: vt & illa repetitione de magnitudine beneficij diuini, quod in liberatione ſibi contigiſſe norat, admoneretur, & rem ipſam attentiùs conſiderandam aliis proponeret. Ego quidem, inquit, afflictus eram valde, hoc eſt, eram oppreſſus ingentibus & horribilibus doloribus, quibus penè fui abſorptus: ſed tamen non ita indulſi dolori, vt omnino cederem & victas manus præberem, ſed fide interea intuebar promiſſiones diuinas. Has quia ſtatuebam eſſe veras, *loquebar*, hoc eſt, hac fiducia inuocabam Deum, & in ipſis doloribus aſſiduè eas repetebam, atque ignitis diaboli telis opponebam: vt hac aſſeueratione teſtarer me non vinci ab illis doloribus, & vt crebra repetitione tandem dolores nonnihil compeſcerem & ſedarem, etiamſi illi ſæpe recurrerent & recrudeſcerent.

Hanc iudico eſſe ſimpliciſſimam ſententiam: vt verbo loquendi ad vtrumque remedium de quo ſuprà diximus reſpiciat. Primùm ad inuocationem: deinde ad fidei ſuæ teſtificationem. Nam hæc diximus arma eſſe, quibus illa tela excutiuntur & hoſtis repellitur. Alij paulò aliter interpretantur: Ego non loquar hyperbolas, non loquar niſi quod animo concepi, quódque diu meditatum habeo: debet enim linguæ confeſſio cum vero cordis ſenſu congruere. Sed hoc videtur eſſe coactius. Paulus 2. Corinth. 4. de confeſſione ſeu teſtificatione fidei ſimpliciter dictum pſalmi interpretatur, affirmans fidem non eſſe otioſam cogitationem, ſed doctrinam quam amplectitur, lingua profiteri. Satis enim ei erat ad ſuum inſtitutum dictum illud accommodare, nec opus erat omnes circunſtantias, ad quas hoc loco propheta reſpicit, perpendere. Particula כי hoc loco non cauſam ſignificat, ſed vim illationis ſeu conſecutionis habet, & rectè exponitur particulis *ideo, igitur*, aut ſimilibus: & occurrunt alibi ſimilia exempla, 1. Samuel. 2. Filij Heli non audiuerunt vocem patris: quia Dominus voluit conterere eos. & Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia diligit multum, id eſt, Ideo diligit multum.

Ego afflictus eram valde] Non mox ſedati ſunt dolores, ſed fuit ingens, difficilis & diuturna lucta Dauidis, in qua tamen retinuit aliquam ſcintillam fidei, ideo dicit, Ego afflictus eram valde, etiam cùm loquerer & teſtarer me vera fide apprehendere promiſſiones, & cùm inuocarem Deum, dolores illi vehementer me oppugnabant. Alij in genere de perſecutione quæ ſequitur confeſſionem, accipiunt.

11 Ego dixi in trepidatione mea, omnis homo mendax.

Ἐξήγησις eſt poſterioris membri in verſu præcedente & amplificatio illorum dolorum. Quouſque enim illa afflictione & dolore abreptus ſit oſtendit, vt è regione gratiam Dei in liberatione magis illuſtret & extollat. Ego, inquit, coniectus eram in tantam animi conſternationem & trepidationem, vt cùm omnia viderentur plena eſſe deſperationis, & nuſquam auxilium affulgeret, ſæpe dicerem, hoc eſt, mecum cogitarem & ſtatuerem, *Omnis homo eſt mendax*, quod idem eſt ac ſi diceres, nihil eſt, nulláque eius habetur ratio apud Deũ. Itaque fruſtra eſt quòd cogitet ſe curæ eſſe Deo, ſéque reſpici aut iuuari à Deo. Quid enim eſt homo, vt à Deo curetur? vt congruat cum illo pſalmi 31. Ego dixi in conſternatione, Proiectus ſum ab oculis Dei. Tales cogitationes obrepere ſolent ſanctis in illis grauiſſimis tentationibus, quas etſi

fide tandem repellunt & ſeriò deteſtantur: tamen aliquandiu cum his luctantur & grauiter exercentur. Eſtque non leuis res,nec humanarum virium opus, in hac tentatione ſuperiorem euadere. Mendacium pro re cui nihil ſubeſt ſolidi: & *mendax* homo pro re nullius momenti ſumitur: Ieſ. 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram. Pſal. 33. Mendacium ad ſalutem,id eſt,nihil eſt,nihil iuuat, nihil confert ad ſalutem, non poteſt præſtare quod externa ſpecie pollicetur.Prouerb. 31. Mendacium eſt gratia, id eſt, formæ venuſtas.Ier.15. fons mendax,id eſt,qui fallit ſpem. Alij ad Samuelis promiſſionẽ accommodant: quaſi in hac tentatione illa cogitatio obrepſerit,Samuelem fruſtra regnum promiſiſſe, cùm euentus nõ reſponderet.Alij aliter,Omnis homo mendax,id eſt,vana eſt ſalus hominum.

12 Quid rependam Iehouæ? omnia beneficia eius ſuper me.

Narrationi periculorum & certaminum: ex quibus diuinitus ſe extractum & liberatum eſſe & intelligit, & fatetur, ſubiicit nunc pollicitationem gratitudinis. Cùm enim agnoſcat ſe ex media morte ereptum & vitæ reſtitutum eſſe, idque nulla ope humana, ſed tantùm ſingulari Dei beneficio, læto animo acceptum beneficium prædicat, & in tota vita memorem ſe huius fore oſtendit. Hanc gratitudinem imprimis intelligit à ſe requiri. Ideo non promittit magnum numerum victimarum, aut aliorum rituum obſeruationes, in quibus non principaliter conſiſtit cultus numinis diuini: ſed promittit inuocationem,cõfeſſionem, prædicationem & gratiarum actionem. Eſt autem in hoc verſu exclamatio,in quã ex admiratione magnitudinis bonitatis diuinæ erumpit. Agnoſcit enim beneficia multò maiora eſſe, quàm vt referendæ gratiæ par eſſe queat. *Quid rependam Iehouæ?* inquit,quaſi dicat, agnoſco quidem me immenſis beneficiis à Deo affectũ eſſe,nec ſtudium declarandæ gratitudinis mihi deeſt:ſed quid habeo quod rependam pro tantis beneficiis? Non enim vno atque altero beneficio ſum affectus & ornatus:ſed omnia beneficia Dei ſunt ſuper me , ita vt nullum ſit beneficij genus quo me ſibi non deuinxerit.

Monet autem hic verſus ,beneficia Dei non leuiter æſtimanda eſſe, nec defunctoriè reputanda, ſed ita vt in admirationem horum rapti ad amorem Dei, & aſſiduam gratiarum actionem excitemur. Græcus interpres reddidit τί ἀνταποδώσω τῷ κυρίῳ περὶ πάντων ὧν ἀνταπέδωκέ μοι. Sed prior ſententia eſt plenior, & beneficia Dei magis illuſtrat: תגמולוהי ſcribitur עלדרך לשון ארמית hoc eſt, forma linguæ Arameæ, pro תגמוליו.

13 Calicem ſalutum accipiam:& nomen Iehouæ inuocabo.

Cùm videat nihil habere ſe quod rependat, confugit ad gratiarum actionem,quæ vna ſolutio Deo abundè ſufficit.Ego,inquit,calicem ſalutarem accipiam, id eſt,ego grato animo agnoſcam & accipiam hanc liberationem , eámque grata voce celebrabo. Videtur propheta reſpicere ad morem vſitatum in ſacrificiis. Quando enim offerebant ſacrificia ſeu σωτήρια, qui ex graui aliqua calamitate ſeu periculo euaſerant,ſolebant poſt victimas oblatas ſacra celebrare conuiuia in quibus læti decantabant & celebrabant beneficia accepta, & piis colloquiis ſe mutuò ad fidem verbo Dei præſtandã & alia pietatis ſtudia cohortabãtur.In eo cõuiuio veriſimile eſt, eum qui ſacrificia obtulerat,calicem (quem hic nominat calicem ſalutum μετωνυμικῶς,eo quòd ſymbolum eſſet liberationis diuinæ)manu ſuſtuliſſe vel leuaſſe,& facta libatione conceptis verbis gratias pro ſalute accepta egiſſe. Idque innuere videtur verbum נשא quod leuare ſeu attollere ſignificat. Significat igitur Dauid, tanquam vnus ex populo legis , ſe quoque oblaturum ſacrificia pacifica: ita tamen ne in his externis ceremoniis ſubſiſtat,aut principalem cultum in his reponat:ſed quod ἔργον erat in illis ſacrificiis præſtet, hoc eſt, vt Deo gratias agat & nomen eius inuocet.Hanc interpretationem iudico eſſe maximè concinnam. Nonnulli de patientia in cruce prius membrũ interpretantur.Ego accipiam calicem ſalutum,id eſt,patienter feram crucem ſalutarem, ſubiiciam me Deo,non tantùm in vita & vocatione: ſed etiam in tolerandis afflictionibus. Hanc ſententiam etſi non reiicio,tamẽ alteram iudico eſſe rectiorem.Etſi enim *calix* in Scriptura ſignificat ferè portionem cuique attributam , ſiue bonam ſiue malam,ſumpta ſermonis forma à demẽſo, quod cuilibet domeſtico paterfamiliâs admetiebatur:tamen epitheton additũ hoc loco oſtendit eum non loqui de calamitatibus & ærumnis, ex quibus iam liberatum ſe eſſe lætatur. Et alioqui cùm de calamitatibus accipitur nomen calicis, vel abſolutè ponitur , & tunc ex circunſtantia orationis ſenſus colligitur , vt pſal.11.Spiritus tempeſtatis pars calicis eorum. (Nam & abſolutè in bonam partem nõnunquam accipitur,vt pſal.16.23.) vel additur epitheton, quod rem explicat, vt cùm apud Ieſaiam 51. dicitur, Calix iræ ſeu furoris.Item calix mœroris & triſtitiæ,Ezech.33.

Inuocabo] Inuocatio vtrunque complectitur, gratiarum actionem , & petitionem vt deinceps ſeruetur: deinde & confeſſionem & prædicationem ſeu ſtudium propagandæ veræ doctrinæ.

14 Vota mea Iehouæ reddam: nunc coram toto populo eius.

Vſitatum erat populo legis in magnis morbis aut periculis vota nuncupare de quibuſdam rebus Deo offerendis: non vt Deum his demulcerent, vel tanquam propoſita mercede, ipſum ſibi obſtringerent: ſed vt fiduciam ſuam in Deum, his tanquam ſymbolis confirmarent, & ſe ad gratiarum actionem excitarent,& quodammodo obſtringerent, tanquam legis iuſſu & conſuetudine vouendi commonefacti perpetuo debito ſe & ſua omnia deberi Deo. Veriſimile eſt igitur Dauidem quoque in ſuis anguſtiis & periculis feciſſe votum, quo infirmitati ſuæ nonnihil ſuccurreret , & pleniore fiducia Deo ſalutem ſuam tuendam committeret. Hoc igitur votum nunc ſe perſoluturum dicit, vt teſtetur ſe agnoſcere autorem beneficij,& ſe huic toto pectore gratias agere. Hoc enim erat principale in his votis: & cùm ad hunc finem referebantur,placebant Deo. Nunc etſi ad legalia illa vota in nouo teſtamẽto nemo obſtringitur:(nã in baptiſmo & nos& noſtra omnia Deo vouimus , vt nouo voto non ſit opus) tamen de fine illorum votorum, qui eſt perpetuus, ſemper commonefaciendi ſunt homines. Ideo & in pſalmis omiſſa ſæpe mentione ſacrificiorum,quæ vouerat Dauid, cùm de votis loquitur,mox laudes Dei ſubiicit, quæ erant principalis cultus in huiuſmodi votis. In pſalmo 56.dicitur, Super me ſunt vota tua:retribuam laudes tibi,& 50. Sacrifica Deo laudem:& redde altiſſimo vota tua. Atque ita hoc loco vota magis de gratiarum actione & aliis veris cultibus Deo debitis , quàm de ſacrificiis externis ſunt intelligenda. Externa enim ſacrificia quæ offerebantur, tantùm ſymbola erant horum præcipuorum operum,inuocationis,confeſſionis,gratiarum actionis, propagationis doctrinæ, obedientiæ & patientiæ in afflictionibus. Hæc cùm ita ſint,facilè iudicare poſſumus, quàm inepta ſit monachorum κακοζηλία,qui nunc quoque vota nuncupanda eſſe docent , iiſque promereri ſe varia bona exiſtimant: vt non dicam iam , quanta cum impietate & blaſphemia nominis diuini illa ſint coniuncta. Quis enim non videt illa vota,quæ fiunt & redduntur ſanctis mortuis, eſſe impia & idololatrica? Omitto illa,quibus laquei inextricabiles nectuntur & iniiciuntur conſcientiis, quibus in æternum exitium trahuntur vouentes.

Addit autem *coram populo* vel ſpectante toto populo redditurum ſe illa vota: quia ſecundùm Chriſti dictum Matth.5. Sic lucere debet lux noſtra coram hominibus,vt homines videant bona opera noſtra , & glorificent patrem qui in cælis eſt. Exemplis enim noſtris alij vel confirmandi , vel ad pietatem adducendi ſunt.

15 Pretioſa in oculis Iehouæ mors piorum eius.

Addit cauſam, cur gratias ei agere in publico cœtu velit. Quia ſcilicet in ſuis calamitatibus didicit pios Deo curæ eſſe,placere ei,reſpici & iuuari à Domino.

Dubium autem non eſt quin hanc ſententiam ex antitheſi opponat verſu 11. Cùm enim premeretur ingenti mole calamitatum,& triſtiſſimis doloribus exagitaretur, ſæpe animum eius ſubierunt hæ cogitationes: Omnis homo mendax eſt, id eſt, eſt res nihili ſeu res futilis & vana, atque indigna cuius ſuſcipiat Deus curam.Ideóque fruſtra fatigant ſe ſancti his cogitationibus: an Deo ſint curæ,& an reſpiciantur. Has cogitationes quas infirmitas carnis & diabolus ſubiecerunt, tandem fides in illis certaminibus repulit & extinxit, ſtatuẽs ſe nõ abiici aut negligi propter calamitates & ærumnas: imò ne quidem propter peccata,quibus Deum grauiter offenderat:eámque fidem ipſa experientia deinde confirmauit, quãdo extractus ex doloribus & periculis ſenſit ſibi vitam & lætitiam reſtitui. Inquit igitur,*pretioſa mors ſanctorum*,id eſt,nõ negligit Deus ſalutem ſuorum, nec eos ita abiicit, vt temere & fortuitò eos in mortem proiiciat,aut calamitatibus eorum non afficiatur: ſed pretioſa eſt mors ſanctorum eius in conſpectu Dei,& charas habet animas noſtras, tanquam pretioſum theſaurum, quem non vult temere perire, aut ſceleratè ab hominibus aut diabolo ſibi eripi.

Hæc inſignis conſolatio eſt , quam Dauid oppoſuit illis ſuis terroribus, quibus oppugnabatur: & nos monet, vt hac doctrina tanquam clypeo nos muniamus contra mortis terrores & diaboli tela in publicis perſecutionibus eccleſiæ & priuatis doloribus: ſúntque grauiſſimæ doctrinæ in hoc dicto com-

comprehenſæ, de quibus cogitandum eſt diligenter.

I. Teſtatur eccleſiam ſubiectam eſſe cruci & afflictionibus: & affirmat nonnunquam deduci eam vſque ad portas mortis, vt nihil niſi mortem & interitum ſibi ob oculos verſari videat.

II. Monet afflictiones illas & ærumnas ſeu ſupplicia ſanctorum non eſſe ſigna iræ & abiectionis à facie Dei, vt iudicat mundus: qui dum videt pios foris deſtitui omnibus præſidiis aut vexari, eo ſuperbiùs eis inſultat, & maiore impetu aduerſus eos inſurgit.

III. Etiamſi nonnunquam aliqua membra eccleſiæ ab hoſtibus & tyrannis interficiantur, illam mortem & cæteras afflictiones non eſſe ignominiam: ſed rem glorioſam in conſpectu Dei, & Deo placentem. Ideo Paulus inquit, gloriamur in afflictionibus, id eſt, iudicamus afflictiones res eſſe glorioſas, quas Deus poſtea commutabit cum gloria. Hæc peculiaris eſt ſapientia eccleſiæ, quam mundus non intelligit.

IIII. Supplicia ſanctorum eſſe præcipua ſacrificia & cultus Dei, cùm accedunt fides, inuocatio, confeſſio, vt pſalmo 44. dicitur, Propter te mactamur tota die.

V. Poſtremò docet hæc ſententia, reſtare vitam & iudiciũ poſt hanc mortem. Si enim mors ſanctorum non negligitur à Deo, ſed eſt pretioſa in conſpectu eius: econtra, vt alibi dicitur, mors impiorũ eſt peſſima: neceſſe eſt reſtare iudicium, in quo hoc patefiat omnibus, & tyranni pœnas dent ſuæ crudelitatis, pij verò ornentur æterna gloria. Si enim lacrymas piorum numeratas in vtrem colligit, vt dicitur pſalmo 56. quomodo ſanguinem pro confeſſione nominis diuini effuſum ſineret euaneſcere?

חסידיו dicuntur, qui toti pendent ab amore Dei, & quos Deus ita amplectitur, vt aſſiduè eis adſit & benefaciat.

16 Age, Iehoua, quia ego ſeruus tuus [*ſum*] ego ſeruus tuus, filius ancillæ tuæ: dirupiſti vincula mea.

Age hortantis potiùs eſt quàm obſecrantis, hoc loco, ſicut & אנא verſu 14. Confirmat autem ſuo exemplo præcedentem ſententiam, & generalem doctrinam ad ſe accommodat. Affirmat enim ſua vincula, quæ ſuprà dixerat fuiſſe vincula mortis, eſſe rupta à Deo, atque ita ex media morte ſe ereptum eſſe. Addit autem rationem, quam aliquoties repetit: dicit enim ſe liberatum eſſe, quia ſit ſeruus Iehouæ: quę appellatio duo argumenta complectitur: Primũ à Dauidis conditione. Cùm ſit ſeruus Iehouæ, & tantum hoc agat, vt Deo placeat, non tantùm deſeritur à mundo, ſed mali inſuper oderunt eum & perſequuntur. Nam mundus, quæ ſua non ſunt odio habet, Iohan. 17. Alterum argumentum eſt à gloria Dei, & promiſſionibus ſumptum: quaſi dicat, tuę gloriæ intererat, vt ſeruarer. Voluiſti enim conſpici tuam gloriam & iuſtitiam in defenſione tuorum cultorum: vis etiam aliquos eſſe, qui nomen tuum agnoſcant & celebrent, & qui te iuxta verbum tuum colant: ideo rupiſti vincula mea. Simul etiam de promiſſionibus Deum admonet, cùm ſe nominat ſeruum eius. Sum ſeruus tuus, cui ſcilicet promiſiſti defenſionem: ergo iuxta promiſſionem mihi eam præſtitiſti: non igitur iactat hìc ſua aliqua merita. Addit deinde, *filius ancillæ tuæ*: Quibus verbis ad eccleſiam reſpicit, in qua ab ineunte ætate fuerat enutritus & educatus. Promiſſiones igitur eccleſiæ factas ſtatuit ad ſe quoque pertinere, ſeque membrum eſſe eccleſiæ, quæ à Deo eſt adoptata & ad cultus Deo præſtandos vocata. Filius enim ancillæ Dei dicitur, quaſi verna & domeſticus Dei, ab vtero matris natus in grege Dei.

17 Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Iehouæ inuocabo.

18 Vota mea Iehouæ reddam: nunc coram toto populo eius.

19 In atriis domus Iehouæ: in medio tui Ieruſalem. Halleluiah.

Repetit pollicitationem gratitudinis penè iiſdem verbis, quibus antea expoſita erat. Diſertè autem dicit, ſe ſacrificaturum hoſtiam laudis: quia illa legalia ſacrificia, quæ ſcriptura nominat שלמים hoc eſt, pacifica, & quæ ſine dubio tunc obtulit Dauid, ſcit hoc fine inſtituta eſſe non vt in hoc opere externo peculiaris aliquis cultus reponatur: ſed vt ſymbolum ſit & teſtificatio de vera animi gratitudine: vtque hoc externo ritu homines admoneantur de hoſtia laudis, quæ principaliter & perpetuò in hoc cultu requiritur. Hoſtia verò laudis complectitur fidem, inuocationem, gratiarum actionem, confeſſionem & prædicationem veræ doctrinę iuxta vocationem, obedientiam item in afflictionibus, quæ confeſſionem ſequuntur, & diligentiam cauendi ſcandala, ne doctrina propter nos malè audiat: poſtremò carnis mortificationẽ. Poſtremus verſus eſt ἐξήγησις eius quod dixerat, coram toto populo: loquitur enim tanquam vnus ex populo legis. Erat cultus diuinus tunc alligatus ad tabernaculum, quod erat in Ieruſalem. Eò igitur cùm aſſiduè & frequenter conueniret populus, dicit ſe in medio Hieruſalem & in atriis domus Dei celebraturum Deum: quod idem eſt ac ſi diceret, in magna populi frequentia & in ſacro cœtu.

PSALMI CXVI.

PARTES.

I. Exordium prolepticum, v. 1. & 2. de ſingulari illo affectu quo impellitur ad ea proferenda quæ ſequuntur, argumento ducto à beneuolentia Dei erga ſupplicem, & ſupplicis officio in poſterum.

II. Narratio fidei ſuæ & amoris erga Deum, ab anteactæ vitæ ſuæ exemplo, ſeu propoſitione conſtitutionis animi ſui in anguſtiis. In qua conſtitutione tria occurrunt. 1. Orationis ſumma quum pericula imminerent, v. 3. & 4. 2. Fides Dauidis, qua ad Deum orandum adductus eſt, cuius ſcopus & firmamentum, Dei natura & officium erga fideles omnes & ſeipſum explicatur, 5. & 6. verſ. 3. Animi ſui confirmatio ab acceptis beneficiis, in ſpe ſalutis & præſentis vitæ, 7. 8. & 9. verſ. 4. Argumenta ſeu fructus fidei, nempe oratio & ſpes, parte prima v. 10.

III. Confeſſio, qua humiliter agnoſcit infirmitatem carnis ſuæ, Dei promiſſiones repudiantem, niſi ſpiritus Dei fidem in ſeruo ſuo ſuſtentaſſet: reliqua parte v. 10. & v. 11. agnoſcit enim ſe dubitaſſe de veritate promiſſionum quæ illi factæ fuerant de regno Iſraelis, quaſi Samuel de re non ſatis comperta, rem ei feciſſet.

IIII. Propoſitio conſilij: cuius conſultatio v. 12. habetur. Definitio huius conſultationis duas partes continet, Vam, Officij præſentis, v. 13. & 14. Alteram Cauſæ, v. 15. Officij leges ſunt publica profeſſio nominis Domini, & prædicatio beneficiorum eius in Eccleſia. Pollicetur ergo, holocauſtis & Euchariſticis Deo oblatis, ſe ſacrum epulum populo facturum ad recordationem multifariæ ſalutis, quam percepit à Deo, vt narratur feciſſe, 1. Chron. 16. 1. &c. Cauſa autem eſt liberatio ſui, in qua apparuit non modo Dauidis conſeruationem, ſed & piorum omnium Deo eſſe chariſſimam: ita vt non fortuito neque leuiter è ſeculo migrent ad meliorem illam vitam.

V. Concluſio precatoria, vt ſibi diuinæ erga ſe gratiæ multis modis conſcio liceat ſemper in Dei cultum incumbere, v. 16. 17. 18. & 19.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Fideles dulcedine bonitatis Dei illecti, in ipſo vno quieſcunt: & experientia gratiæ Dei ſuos exaudientis poſtulat vt ipſius fidei penitus ſe committant.

2 In ſummis periculis, pij præſens ſentiunt Dei exaudientis auxilium.

3 Multæ & ineluctabiles ſunt piorum anguſtiæ, vt feruentiore affectu ad Deum confugiant.

4 Nomen Iehouæ tutum refugium: iſque ſolus inuocandus qui ſolus liberare poteſt.

5 Gratuita eſt hæc liberatio: & hanc clementiam comitatur iuſtitia, quam Deus exerit ad ſuos tuendos, cui adiungitur miſericordia, ſine qua indigni ſumus quibus Deus ſuccurrat.

Huius clementiæ & fidelitatis fructus eſt conſeruatio piorum, qui conſilio deſtituti ſibi ipſis proſpicere nequeunt: pro ijs enim Deus ſapit, & arcanam prouidentiæ ſuæ cuſtodiam periculis omnibus opponit, quibus ipſorum ſalus impetitur.

Qui Deum ſibi propitium experti ſunt, alios facilè confirmare valent.

7 Dei gratia ſufficit ad ſedandas omnes animi noſtri perturbationes.

8 Ea autem apparet dum ſuos ex lethalibus periculis ereptos exhilarat nouis liberationibus, eiſque manum porrigit, ne labantur aut ſub tentationum pondere fatiſcant.

9 Inde oritur confidentia illa pioꝛũ, quòd in tuto degant, vitaq; iucunda fruantur, Deo pro eis excubias agente, & totam eorum vitam dirigente. Contrà verò de nobis actum eſt, & ſingulis momentis inſtant noui interitus, ſi noſtri obliuiſcatur.

10 Porro confidentia hæc multis tentationum procellis ſæpius ita agitatur, vt fideles velut exciſi appareant. Ac occurrit arcana virtus Spiritus ſancti, quæ eos erigens ex ore eorum educit veram ſuæ infirmitatis & diuinæ potentiæ confeſſionem, quam antea meditatam & probè concoctam intus retinebant. Vide 2. Corinth. 4. 13. & Rom. 10. 10.

11 Etiamſi ſcopum ſupernæ vocationis fideles firmis oculis intueantur, tamen vſque adeo ſunt violenti tentationum æſtus, vt extra ſe aliquoties abrepti, & animis confuſi, incõſideratè ſe inuoluant carnis ſuæ laqueis, vt nihil firmi vſquam concipiant. Id autẽ nobis proponitur, vt tam triſti exemplo excitati magis ſolicitè Deum inuocemus, & precemur indeſinenter, donec nos exauditos & ſubleuatos eſſe reipſa ſentiamus.

12 Occurrit illico Dei manus auxiliatrix, cum immenſa beneficiorum mole, quam fideles tantam eſſe agnoſcunt, vt referendæ gratiæ pares eſſe nequeant.

13 Ritè Deus à nobis laudatur, ſi non modò linguas, ſed nos ipſos & quicquid in nobis eſt offerimus in ſacrificium: non quòd vlla inde ad Deum redeat vtilitas, ſed quia gratitudinem noſtrã hoc modo probari æquum eſt.

14 Locus de votis: quorum finis & vſus eſt, primùm vt impetrandi fiduciam cordibus ſuis obſignent filij Dei: deinde vt ſe magis ad gratiarum actionem incitent. Nihil autem vouere debent niſi quod Deus probat, & quod in eis ſitum eſt.

15 Ab hypotheſi ad theſin & generalem doctrinam accedit propheta, docens pios curæ eſſe Deo, vt illis in neceſſitate opem ferat: quia pretioſa eſt coram eo ipſorum mors, etiamſi coram hominibus ſordida, imò probroſa ſit.

Manſueti dum vocantur fideles, illud epitheton iubet eos ad ferendum crucis onus placidè colla ſubmittere, vt in patientia ſua poſſideant ſuas animas.

16 Cauſa liberationis pioꝛũ etſi in eo cõſiſtit quòd ſint ſerui Dei, minimè tamẽ iactant ſua obſequia, ſed potiùs animum ad gratuitã Dei electionem referunt: quia minimè in nobis ſitum eſt, nos facere Dei ſeruos, ſed ex mera eius adoptione nobis contingit hæc dignitas.

17. 18. 19 Publica gratiarũ actio aliquoties neceſſaria, vt externa quoque profeſſione pietatem noſtram teſtemur apud homines.

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. Benignitas Dei inuitamentum ad ſerias preces ex fide conceptas.
2. Piorum exercitia grauiſſima, periculoſæ tentationes.
3. Eccleſiæ liberatio, vnde, huius ſigna & fructus.
4. De Spiritus & carnis lucta.
5. De votis Legalibus & Euangelicis.
6. Prouidentiæ Diuinæ erga fideles ratio.
7. Adoptio piorum à mera Dei gratia.
8. De exercitiis piorum, atque adeo de externo Dei cultu.

ARGVMENTVM PSALMI CXVII.

BREVIS eſt pſalmus, ſed plenus doctrina & conſolatione. Dum enim non Iſraelitas tantùm, ſed omnes gentes in toto orbe terrarum hortatur, vt Deum laudent propter immenſam eius miſericordiam & bonitatem, quam primùm oſtenderit edita promiſſione de venturo Meſsia, in quo & per quem benedicendæ erant omnes gentes, & paulo poſt eodem iuxta promiſſionem exhibito confirmarit: Monet fore, vt non multò poſt doctrina de Meſsia & eius beneficijs, hoc eſt, de remiſſione peccatorum, imputatione iuſtitiæ, donatione Spiritus ſancti & vitæ æternæ, ſpargatur per totum orbem terrarum: cuius voce colligatur paſſim inter Iudæos & gentes eccleſia, quæ Deum rectè agnoſcat & celebret, non externis ritibus aut ſacrificijs: vt hactenus fuerat in populo Iudaico vſitatum: ſed cultu ſpirituali & interno, nempe, fide, timore, inuocatione, gratiarum actione, confeſſione, propagatione doctrinæ & alijs virtutibus. Et oſtendit hos cultus ita requirere Deum, vt eos ſibi placere teſtetur.

Eſt igitur pſalmus vaticinium ſeu prophetia de vniuerſali vocatione gentium: in qua doctrina multiplex eſt conſolatio, quæ alibi explicatur copioſè. Deinde doctrina hîc proponitur, quæ monet regnum Chriſti non eſſe politiam Moſaicam, ſed gubernationem ſpiritualem, in qua bona æterna credentibus diſtribuantur. Tertiò oſtendit, qui cultus & quæ opera huius regni ſint propria, quæ Deus requirat, & quæ ipſi placeant. Poſtremò, omnes homines hortatur, vt Deum propter ſumma hæc beneficia perpetuis laudibus celebrent, & doctrinam de eius regno & beneficio ad omnes propagare ſtudeant.

1 LAudate Iehouam omnes gentes: celebrate eum omnes populi.

Primus verſus propoſitionem habet, quæ eſt exhortatio non ad Iudæos tantùm, ſed ad omnes gentes directa, vt verum Deum celebrent. Hæc adhortatio complectitur vaticinium de vocatione gentium. Si enim gentes celebrare debent Deũ, neceſſe eſt eis annunciari doctrinam de Deo, & de veris cultibus Deo debitis. Quomodo enim inuocabunt, inquit Paulus Rom. 10. in quem non credunt? Quomodo autem credẽt ei, de quo non audiuerunt? Fides autem ex auditu eſt, auditus per verbum. Itaque & Paulus Rom. 15. hoc teſtimonio vtitur ad comprobandam vocationem gentium. Et in Actis exemplum quoddam huius rei mox inter initia propagationis regni Chriſti editum eſt. Nam Act. 13. ſcribitur, Cùm audirent gentes gauiſæ ſunt, & glorificarunt verbum Domini. Repetit autem mox eandem ſententiam aliis verbis: quia vult ardens & feruens ſtudium eſſe in agnoſcendis & celebrandis beneficiis diuinis: & vult aſſiduè laudes diuinas cani. Quidam voce אמים putant notari Iudæos. Ipſi Iudæi גוים exponunt de his ſub quibus fuerant captiui. Cùm dicit, *laudate Iehouam* (quæ appellatio eſt vnius veri Dei patefacti in Iſrael) monet vt ad vocem doctrinæ de vero Deo, mox abiiciant ſua idola, quæ hactenus tanta ſuperſtitione & tantis ſumptibus fruſtra coluerant.

2 Quia exuperauit [*prævalet*] ſuper nos miſericordia eius: & veritas Iehouæ in æternum, Haleluiah.

Addit cauſam à beneficiis, quæ comprehenduntur vocabulis חסד & אמת. Et prorſus congruit hæc ſententia, cum dicto Iohannis: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. חסד propriè ſignificat illam *στοργὴν* paternam, qua Deus pater dilexit nos in filio dilecto, & quo amore motus edidit promiſſionem de mittendo filio, per quem ira æterni patris placaretur, & nobis redderetur iuſtitia & vita: hanc dicit præualere ſupra nos, hoc eſt, regnare ſuper nos ſuperato peccato & morte, à quibus captiui detinebamur, & potenter iam dominari. Congruit igitur hoc dictum cum illo Pauli ad Roman. 5. Gratia exuberat ſupra delictum. Eſtque plenũ conſolatione: quod experiuntur hi, qui vera habent pœnitentiæ exercitia.

Super nos] Loquitur de Iudæis & gentibus, tanquam de vno populo ſub vnum caput ſeu regnum collecto. Ideo & Iudæi dicunt pſalmum hunc pertinere לימות המשיח hoc eſt, ad dies Meſſiæ. Deinde addit: *veritas Iehouæ in æternum*. Veritatem intelligit fidem ſeruantem promiſſa. Ea coniungitur cum gratia ſeu cum amore diuino propter grauiſſimas cauſas. Senſus enim gratiæ diuinæ impeditur, & langueſcit partim iudiciis hoſtium iniquis, qui eccleſiæ doctrinam non tantùm rident, & contemnunt, eo quòd ad rationis iudicium non congruat, ſed tanquam cauſam omnium malorum & turbarum

rum in vita damnant & abominantur : partim etiam mole ærumnarum, quæ pios duriter premunt & exercent:& ſæpe eos in has cogitationes ducunt, vt exiſtiment ſe eſſe à Deo deſertos&abiectos. His tentationibus opponenda eſt veritas Dei optimè ſeruantis ſua promiſſa, vtvt iudicia hominum reclament, aut calamitatum moles ſeu periculorum magnitudo aliud nobis ſuggerere videatur. Et quidem veritas hæc nõ ad tempus aliquod ſeu ad quædam ſecula extenditur:ſed regnat *in æternum*:itavt nullo tempore dubitãdi cauſã ſibi quiſquam fingere poſſit. Promiſſio enim edita pertinet ad omniũ ætatum homines, & eſt ſemper rata & certa, ita vt nulla iniquitate temporum, aut alio quouis modo fiat irrita. Fit interdum, vt pij amittant bona corporalia omnia, imò vitam quoque adducere cogantur in diſcrimen: non tamen labefactatur veritas promiſſionis, ſed manet ea certa & firma omnibus credentibus, etiam amiſſis bonis corporalibus omnibus, atque adeo vita ipſa: loquitur enim promiſſio de bonis æternis & cœleſtibus, quæ non minus eripi credentibus poſſunt, quã veritas Dei labefactari ab hominibus non poteſt: deinde veritas ſignificat vera & ſolida bona, qualia non ſunt huius mundi bona, quibus nihil eſt fugacius & fallacius.

PSALMI CXVII.

PARTES.

I. Hortatio ad gentes omnes, vt Deum laudibus efferant, v.1. repetitione addita ad auxeſin neceſſariam. Gentes enim variis modis gratiam Dei expertæ ſunt, nec eam pro meritis celebrare poſſunt.

II. Ætiologia huius hortationis, v.2. à benignitate, veritate, atque conſtantia promiſſionum Iehouæ de regno Chriſti, interprete Apoſtolo, Rom.15.11. quæ promiſſiones ex mera Dei benignitate profectæ ſunt.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.&2. Breuiſſimus pſalmus, ſi verba ſpectes: ampliſſimus autẽ & excellentiſſimus, ſi ad ſenſum conuertas mentis oculos. Quinq; autem occurrunt hîc præcipua doctrinæ capita.

Primum, vocatio gentium, interprete Apoſtolo, cap.15.11. epiſtolæ ad Romanos: fruſtra enim gentes inuitaret propheta ad Iehouam celebrandum, niſi ſimul cum Abrahæ filiis congregandæ eſſent in fidei vnitatem.

Secundum, Euangelij ſumma, gratiæ videlicet & veritatis Dei exhibitio, interprete ſancto Spiritu, Iohan.1.17.

Tertium, finis tanti beneficij, nempe adoratio Dei in Spiritu & veritate, vt ſpirituale eſſe regnum Meſſiæ nouerimus.

Quartum, huius regni ſubiectorum munus eſſe laudare & celebrare Iehouam.

Poſtremum, vt Iudæis, ita & gentibus, Deum ſeruatorem agnoſcentibus ac colentibus, vitam & felicitatem æternam oblatã, confirmatam in hac vita, & in cœlis eſſe paratam.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Vocatio gentium.
2. Gentium officium.
3. Euangelij ſumma.
4. Regnum Chriſti.
5. Fidei ſcopus, vita æterna.
6. De miſericordia & veritate Dei.

ARGVMENTVM PSALMI CXVIII.

EXISTIMANT doctiſſimi quique interpretes pſalmum hunc conſcriptum à Dauide & publicè in magna aliqua feſtiuitate & populi frequentia decantatum eſſe, cùm poſt mortem Saulis & filij eius Isboſeth inauguratus eſſet regno, & ab vniuerſo populo rex ſalutatus. Hactenus enim variis periculis fuerat obiectus, non tantùm ſub Saule, qui multiplices ei inſidias ſtruxerat, & horribili atq. implacabili odio eum perſecutus erat: ſed etiam ſuperſtite adhuc eius filio Isboſetho, cui decẽ tribus à morte patris adhæſerant, & creato duce Abner grauiſſimum bellum Dauidi intulerant. Mox etiam cùm interfecto Isboſetho ab vniuerſo Iſraele in regem vnctus eſſet, Philiſtæi collecto maximo exercitu Iudæam inuaſerunt, vt nouo rege oppreſſo Iudæos ſibi tributarios facerent. Dauid igitur, cùm ex omnibus his ærũnis & periculis Dei beneficio eſſet eluctatus, & illuſtribus inſuper victoriis ornatus, conuocata maxima ſubditorum multitudine, & præcipuè his, quorum virtus & autoritas erat conſpicua, vt ſcribitur 2.Samuel.6. feſtum celebrauit, in quo gratias publicè egit Deo, quòd hactenus inter tot pericula eſſet ſeruatus, & ad hanc dignitatem ab eo euectus, vt rex conſtitueretur in populo Dei: & ſuo exemplo, vt idem faciant cæteros hortatur. Arcam etiam fœderis Hieroſolymam tunc transferre conatus eſt, ſed interitu Ozæ impeditus in ædibus Obededom eam depoſuit, vnde poſtea magno cum triumpho Hieroſolymam eſt tranſlata, vt ſuprà dictum eſt pſalmo 68. Hæc ſumma & occaſio eſt pſalmi. Vt autem beneficium, quod celebrat, fiat illuſtrius, ipſe pericula, in quibus hactenus verſatus fuerat, cõmemorando exaggerat, eáq. talia fuiſſe oſtendit, ex quibus non niſi ope diuina liberari potuerit. Ideóque pleno ore & corde in gratiarum actionẽ ſeſe effundit, & in celebrãdis hiſce beneficiis multus eſt & copioſus. Simul autem in fine ſubditorum beneuolentiam captare videtur, cùm affirmat, nullis ſe malis artibus quæſiuiſſe regnum in hoc populo, nec per ſeditionem aut vim illud inuaſiſſe (vt aliquãdo ſibi obiectum ſub Saulis regno meminerat: & nõdum omnino exemptam eſſe omnibus illam ſuſpicionem opinabatur) ſed voce & mãdato diuino ait ſe creatum & conſtitutum eſſe regem, qui populo Iſraelitico præeſſet: atque ita monet omnes, ne temere hoc nouum imperium detrectent, aut aliquid ſeditioſè deinceps moliantur: ſed magna lætitia regem diuinitus donatum excipiant, omnique fauore & ſtudio eum proſequantur.

Hoc gratiarum actionis exemplum etſi in genere ad omnes fideles pertinet, vt ſinguli de ſuis periculis commonefiant, & de præſentia Dei & mirandis liberationibus cogitantes gratias Deo pro ſalute ſua agant: tamẽ principaliter Dauid in hoc pſalmo Chriſtum refert, cuius typum ſe gerere ſciebat. Eſtque totus pſalmus vaticiniũ de afflictionibus, paßione & reſurrectione Chriſti. Quemadmodum enim Dauid in ſuo curſu varia pericula eſt expertus, antequam rex publico omnium conſenſu inauguraretur, & regnum ſciſſum rurſus cõiungeret: ita Chriſtus factus victima pro noſtris peccatis ſuſtinuit mortem & alias ærumnas. Sed tandem ſuperata morte reuixit, & cõſtituit æternum regnum, in quo ipſe vtrumque populum, Iudæos ſcilicet & gentes cõiungit, & ſub vnum caput redigit. Ideo in hoc pſalmo dicitur lapis angularis, qui vtrumque parietem coniungat: quemadmodum Ieſaias capite 28. Chriſtus ipſe Matth.21. Apoſtolus Petrus Actorum 4. & 1.Pet.2. & Paulus ad Epheſios 2. id interpretãtur. Nec dubiũ eſt, Dauidẽ in hoc pſalmo, vt in pleriſque aliis, magis ad Chriſtum, cuius perſonã gerebat, quàm

ad ſe reſpexiſſe, eiuſque in ſe imaginem exprimere voluiſſe. Atque inde factum eſt, vt quoties poſt illud tempus hic pſalmus in ſynagoga à Iudæis legeretur, ad Meßiam fuerit accommodatus, & inter eas preces, quibus aduentus eius petebatur, relatus: vt teſtatur Hieronymus. Cúmque ex aßidua repetitione populo eſſet notißimus, hinc ſumptus eſt verſiculus in pompa illa, in qua Chriſtus tanquam rex huius populi fuit exceptus, vt ſcribitur Matth. 21.

1 CElebrate Iehouam: quia bonus, quia in ſeculum clementia eius:

2 Dicat nunc Iſrael, quia in ſeculum clementia eius.

3 Dicat nũc domus Aaron, quia in ſeculum clementia eius.

4 Dicant nunc timentes Iehouam, quia in ſeculum clementia eius.

Propoſitio pſalmi eſt hortatoria, vt omnes agnoſcant beneficia, quæ diuinitus cõtigerint huic populo, dato hoc rege, qui populum multis cladibus afflictum, & regnum miſerè diſtractum reſtitueret, & cultum diuinum ſuperioris ſeculi impietate horribiliter profanatum reſtauraret. Omnia enim hæc feliciter præſtitit Dauid in populo Iſraelitico: ſed multò magis Chriſtus in regno ſpirituali, quod eſt eccleſia. Quare ad nos quoque hanc adhortationem pertinere ſciamus.

Primus verſus generalis eſt adhortatio ad omnes pertinẽs: poſtea vtitur diſtributione, in qua primùm totum multitudinis corpus comprehẽdit, cùm Iſraelitas nominat. Tertio verſu ſacerdotes & Leuitas, vt ſuprà pſal. 115. compellat: quia his præ cæteris commiſſus erat cultus diuinus, ideóque conſpici ipſorum pietatem præ cæteris decebat. Sed quia tam inter ſacerdotes, quàm in promiſcua multitudine, nonnulli erant hypocritæ, multi ſegnes & ignaui, qui pro dignitate non æſtimabãt hæc beneficia diuina, tandem orationem ad veros & ſinceros Dei cultores conuertit, atque hos iubet ſecum celebrare beneficia accepta.

5 Ex anguſtia inuocaui Deum: reſpondit mihi in latitudine Deus.

Quod in genere in ſingulis verſibus dixerat, bonitatem Dei durare perpetuò, id nunc ſuo exemplo confirmat. Eſt itaque in hoc verſu & ſequentibus confirmatio propoſitionis ſumpta à beneficiis Dauidi exhibitis. Primum beneficium eſt, quòd orantem in maximis periculis, tribulationibus & anguſtiis exaudiuit & conſolatus eſt: & tandem ex anguſtiis & doloribus extraxit. Pulchrè autem in exemplo Dauidis pingitur imago eccleſię omnium temporum. Ea conicitur in maximas anguſtias & pericula, ex quibus nulla ope & viribus humanis euadere poteſt: ſæpe etiam eò redigitur, vt prorſus actum eſſe de ſalute eius videatur. Sed in his anguſtiis & periculis dũ videt ſe omnium mortalium auxilio deſtitui, clamat ad Deum, eiúſque opem & auxilium implorat: & quo maius eſt periculum, eo ardentior eſt inuocatio. Deus igitur, qui eccleſiam cruci ſubiecit, non vt eam perdat, ſed ad pœnitentiam retrahat, & exuſcitet ad timorem, fidem & inuocationem, clementer exaudit inuocantes, & ex anguſtiis educit in latitudinem, patefacto ſcilicet exitu, his qui antea obſeſſi, aut carceri incluſi, aut etiam ingentibus doloribus oppreſſi erant. מצר talem anguſtiam ſignificat vbi non tantùm foris vndique obſidemur ab hoſtibus, aut circumdati ſumus periculis, vt euadere aut elabi nuſquam poſſimus: ſed etiam vbi cor dolore ac metu ita conſtringitur, vt neſciat quò ſeſe vertat, nec inuenire aliquod remedium malo præſenti poſſit, λύπη γὰρ δεσμὸς τῆς καρδίας. Reſpondere autem in latitudine, eſt extractũ ex periculis & anguſtiis ſtatuere in loco lato & amplo, vbi iam liberè reſpirare & res ſuas agere poſſit: hoc eſt, conſolari in ipſis periculis, & deinceps prorſus liberare ex malis: atque ita facto oſtendere quòd inuocantem exaudiuerit, vide ſuprà pſal. 4. verſ. 2.

6 Iehoua mecum: non timebo quid faciat mihi homo.

Amplificat beneficiũ ab effectu. Sentit enim fidem ſuam ita eſſe confirmatam hoc exemplo, vt fretus auxilio Dei auſit iam inſultare non paucis tantùm hoſtibus, ſed toti mundo, & certam ſibi victoriam & liberationem in omnibus periculis deinceps polliceri. Ita fides creſcit in tribulatione, vt deinceps faciliùs contemnere pericula imminentia poſſit. *Iehoua*, inquit, *mecum*, hoc eſt, in his meis periculis didici Deũ adeſſe mihi præſentem, munire me & circumdare tanquam muro igneo ne pertingere ad me malum poſſit: conſolari denique & erigere contra omnes pauores & terrores, ſi qui ingruant. Ideo deinceps non timebo, non abiiciam animum, non frangar magnitudine periculorum: vt faciunt qui externis præſidiis deſtituuntur: nõ cedã malis, ſed cõtra audentior ibo. Vtitur autem extenuatione, cùm omnium hoſtium vires & copias comparat vni homini, quia fides non magis percellitur, ſi totum mundum videat in ſe inſurgere, quàm ſi ab vnico homine oppugnetur. Quàm facilè vnum hominem deiicit Deus & proſternit, tam facilè totius mũdi vires euertit. Autor epiſtolæ ad Hebræos cap. 13. hunc verſum citat tanquam conſolationem opponendam auaritiæ aut curis de victu. Nullum enim eſt melius aduerſus auaritiam remedium, quàm ſincera in Deum fiducia. Et diffidentia cum metu hominum coniuncta, eſt radix auaritiæ & defectionis à conſtanti Chriſtianæ fidei profeſſione.

7 Iehoua mecum inter auxiliarios meos: & ego videbo in oſores meos.

Repetit eandem ſententiam. Deus eſt, inquit, qui mihi adeſt in periculis & anguſtiis. Hunc quia habeo à parte mea ſtãtem, & mihi opem ferentem, non ero ſolicitus de mea vita aut ſalute: imò futurum ſcio, vt de hoſtibus meis euerſis & profligatis læter & triumphem. Videre enim quando conſtruitur cum præpoſitione ב, notat quandam lætitiam. Cæterùm qualis ſit hæc lætitia, dictum eſt iam ſæpe. Non eſt ἐπιχαιρεκακία, qualis eſt in diabolo & malis hominibus. Sed lætantur pij, blaſphema ora impiorum tandem obturari, & eccleſiæ Dei reſtitui pacem, deletis illis qui implacabili odio & ſine ſpe emendationis ſæuiebant in pios. Ideóque Deo gratias agunt: quemadmodum videmus Moſen iuſtitiam Dei celebrare, quæ cernebatur in pœna Pharaonis.

8 Melius eſt ſperare in Iehoua: quàm confidere in homine.

9 Melius eſt ſperare in Iehoua: quàm confidere in principibus.

Addit γνώμην, in qua primùm præcipit fiduciam in Deum. & è regione damnat fiduciam humanorum præſidiorum. Fiduciam in Deum & obedientiam in afflictionibus affirmat eſſe certum præſidium ſalutis noſtræ, econtra fiduciam, quæ pendet ab hominibus, eſſe lubricam & exitioſam. Non quidem damnatur vſus mediorum à Deo ordinatorum: ſed prohibemur ſpem ſalutis in his mediis collocare. Confidere in Iehoua, eſt obedire Deo in cruce & afflictionibus: ita vt nihil faciamus contra Deũ fracti metu aut dolore: & ſimul vera fide ſtatuamus quòd adſit nobis, & quòd æternam ſalutem nobis daturus ſit. Hæc fiducia certum & tutum portum, in quo acquieſcamus, oſtendit. Econtra hominum præſidia minimè ſunt tuta aut firma. Primò, quia omnium hominum voluntates ſunt mobiles & inconſtantes: vnde ſunt illæ querelæ, *Nuſquam tuta fides, Omnia vertũtur, certè vertuntur amores*, φίλος δὲ ζῷον φύσει ἀμετάβολον, &c. Deinde res humanæ admodũ ſunt fragiles & caducæ. Etiamſi quis inter homines tibi bene velit: tamen quam leui momento euertitur? Hoc igitur monere voluit Spiritus ſanctus vocabulo hominis. Deinde & principum mentionem facit: qua appellatione non tantùm reges aut diuites: ſed alios etiam præſtantes ingeniis, ſapientia & virtute complectitur. Et monet ne ex illorum autoritate, iudiciis & voluntate pendeamus, néue nos ad illorum voluntates inflectamus: quod tamen eſt vſitatiſſimum. Phraſis in hoc verſu ſimilis eſt illi, quæ eſt Lucæ 18. Deſcendit iuſtificatus præ illo. Eſt enim intelligendum hoc negatiuè vel excluſiuè. Deſcendit iuſtificatus publicanus, non Phariſæus. Quemadmodũ nos Germani dicimus, *Er bekumpt es fur eine andern*. Ita hic: Bonum eſt ſperare in Iehoua, præ confidere in homine: id eſt, non confidere in homine.

10 Omnes gentes circundederunt me: in nomine Iehouæ certè excindam eos.

Suprà verſu quinto periculum vno verbo recitat, cùm ait ſe fuiſſe in anguſtia. Nunc, vt beneficium liberationis fiat illuſtrius, lõga narratione pericula enumerat & exaggerat, & è regione liberationem diuinam prædicat. Atque ita ſuo exemplo has ſententias de quibus diximus confirmat.

Primùm amplificat periculum ab hoſtium multitudine. Ait enim ſe fuiſſe ſæpius obſeſſum, neque id à paucis, ſed ab ingẽti multitudine, ita vt totus mundus aduerſus ipſum conſpiraſſe viſus ſit. Et talis eſt conditio eccleſię in hac vita, hanc circumdant vndique impiæ gentes magnis viribus, & delere eam conantur. Sed ſicut Dauid in nomine Iehouæ ſuos hoſtes vicit & profligauit: ita ſtatuamus eccleſiam fore ſuperiorem & victricem.

Si

Si ad Christum accommodare ſententiam velimus, non erit res obſcura. Hic non tantum totius mundi peccata in ſe tranſtulit, ideoque ab omnibus quaſi obſideri, premi, coarctari, atque adeo in mortem tradi intelligitur: ſed etiam ſua voce & doctrina totum mundum aduerſus ſe concitat, & quaſi in rabiem conuertit. Sed ſicut mortem ſuperat: ita etiam cæteros ſuos hoſtes feliciter reprimit, & tandem penitus euertit.

Quidam omnium gentium nomine intelligunt vicinas gentes, à quibus cingebatur vndique Iudæa, vt erãt Philiſtei, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, à quibus Dauid initio ſui regni infeſtabatur, tandem tamẽ eos attriuit & oppreſſit. Sed Dauid, quia ſimul ad Chriſtum, cuius typus erat, reſpicit, ſimpliciter intelligit totum mundũ ſibi fuiſſe aduerſum: vniuſq; Dei auxilium capitali & furioſo odio opponit, quo tam populares quam vicini in eum ſæuiebant, vt nullus angulus in terra ei tutus relinqueretur.

In nomine Iehouæ] Ecliptica eſt oratio, & ſubaudiendum eſt aliquod verbum, aut certè conſtructio eſt inuerſa, quod oſtẽdit accentus Reuia, qui hoc membrum à ſequente diſtinguẽs monet in conſtructione ordinem eſſe inuertendum. Qui eclipticam orationem eſſe iudicant, monent repetendum eſſe verbum ex ſuperiore verſu: Ego in nomine Iehouæ, ſcilicet ſpero vel confido. Et habet hæc ecliptica oratio aliquid vehementiæ. Oſtendit enim quas copias & quæ arma ipſe tanto numero hoſtium ſuorum oppoſuerit: nõ alia ſcilicet, quam nomen Dei, hoc eſt, Deum quem agnoſcat ſibi placatum adeſſe tutorem & protectorem, & quem ſciat pro ſe contra hoſtes pugnare. Hac igitur fiducia erectus, inquit, ſe profligaturum facilè & exciſurum ſuos hoſtes, quantumuis magnis viribus aduerſus ſe inſurgant: idque euentus in multis ſuorum hoſtium cladibus improbauerat. Sed ſimplicius videtur mihi ſi dicamus conſtructionem eſſe inuerſam: itaque ſic reddendam eſſe ſententiam exiſtimo. Sed excidam eos, in nomine Iehouæ, id eſt, in vera agnitione & inuocatione Dei, quem ſcio mihi adeſſe in his periculis, meque defendere & ſaluare. Verbo מוּל ſignificat non otioſo, nec dormienti contingere victorias, ſed certanti & præliãti.

11 Circumdederant me, etiam cinxerant me vndique: in nomine Iehouæ certè excindam eos.

Iterum amplificat periculum ſuum, ab inquietudine & aſſiduis conatibus hoſtium, qui omnia conſilia, omnes vires & conatus ſuos huc contulerint, vt virum ſanctum & pium opprimerent. Illæ machinationes, illudque acre ſtudium & conatus hoſtium notatur iteratione verbi.

12 Circumdederant me ſicut apes: extincti ſunt vt ignis ſpinarum: in nomine Iehouæ excindam eos.

Tertia amplificatio periculi ſumitur ab ardore & rabie hoſtium Dauidis, quã pingit imagine apũ. In apibus tanta eſt vindictæ cupiditas, vt irritatæ *læſaue venenum Morſibus inſpirẽt & ſpicula cæca relinquãt. Affixæ venis animaſq; in vulnere ponãt*, vt ait Virgilius. Aculeo autem amiſſo teſte Ariſtotele aut citò moritur apicula, aut, ſi eſt ſuperſtes, deſinit exercere mellificium. Ita hoſtes eccleſię furiis agitati, tantas támque immanes odij flammas concipiunt, vt malint ſe ſuáque omnia in diſcrimen adducere, quàm eccleſiæ concedere pacem, aut cenſuram de ſe & vita ſua fieri à piis. Notantur igitur hac ſimilitudine acerrima odia & prælia ſapientum & potentum in hoc mundo.

Extincti ſunt ſicut ignis ſpinarum] Ignis ſubiectus ſpinis ſubitò excitat maximas & horribiles flammas, edúntq. illæ magnũ crepitum, ſed tamen ſubitò conflagrant, quia nulla ſolida materia ſubeſt. Ita impetus hoſtium initiò ſunt acres & magni, & conatus ſunt terribiles: ſed mox euaneſcunt & in nihilum rediguntur. Alij ſignificationem tribuunt contrariã verbo Hebræo, & exponunt, Exarſerunt.

13 Impellendo impuliſti me, vt caderem: ſed Iehoua adiuuit me.

Quarta amplificatio ſumitur à magnitudine periculi & propinquitate interitus. Iam, inquit, veneram in ſummum diſcrimen. Imò hoſtis ita me impulerat, vt iam ruerem, & nulla ſpes vitæ aut ſalutis ſupereſſet. In tali periculo conſtitutum Deus adiuuit & eripuit: atque ita beneficium liberationis factum eſt multò illuſtrius, & virtus Dei inde magis effulſit.

Si ereptus fuiſſet, cùm adhuc integris eſſet viribus, & cùm conſiſteret, adſcriptum id à plerìſque fuiſſet vel fortunæ, vel Dauidis induſtriæ, aut aliis cauſis ſecundis. Sed quia eripitur, cum iam penè euerſus & oppreſſus fuiſſet ab hoſtibus, & iam mors ipſa verſaretur ob oculos, cogitur non Dauid tantùm, ſed reliqua multitudo vniuerſa agnoſcere & fateri hanc liberationem eſſe prorſus diuinam. Atque eò adducere Deus ſolet eccleſiã ſuam, vt diſcat pẽdere à ſolo Deo, non ab externis præſidiis aut mediis: & vt liberata autorem beneficij agnoſcat & celebret.

Vtitur autem propheta apoſtrophe, ipſum hoſtem compellans, cùm inquit, impellendo impuleras me. Quia ſub perſona ipſius hominis, ſiue Saul is ſit, ſiue alius quiſpiam, non tantùm hoſtibus ſuis omnibus inſultat, adeóque omnes ipſorum vires & conatus ridet & contemnit: ſed etiã fatetur ſe propria ſua virtute non potuiſſe reſiſtere hoſtibus, aut infringere eorum conatus: imò quantum ad ſe & externa præſidia pertinebat, affirmat actum fuiſſe de ſua ſalute: ſolius autem Dei potentia & virtute extractum.

Impellendo impuliſti] Ἀναδίπλωσις ſeu iteratio eiuſdem verbi magnam vim & vehementem impreſſionem hoſtilem notat. Idé enim eſt ac ſi diceret, magna vi impellebas me, ita vt conſiſtere contra illum impetum non poſſem, hoc eſt, omnibus viribus & conatibus hoc agebas, vt me opprimeres & peſſundares. Sumpta eſt forma ſermonis ab iis qui præcipites è ſublimi impelluntur, vt per præcipitia ruentes pereant.

Iehoua audiuit me] Hic cõſpicitur diſcrimen inter eccleſiam & homines impios aut profanos. Homines impij in calamitatibus & veris animi doloribus agnoſcunt ſe propter ſua malefacta puniri, & ſe abiectos eſſe à Deo, quem ſentiunt iraſci hominum ſceleribus, & vident ſe ruere in æternam mortem & pœnam: ideóq; cum fremitu vita ipſorum fugit indignata ſub vmbras. Sed pij agnoſcunt ſe caſtigari à Deo, non vt pereant, ſed vt in caſtigatione magis agnoſcant præſentiam & miſericordiam Dei, vtque creſcat fides & ardor inuocationis, & maiore robore celebrent & cõfiteantur Deum: Id Dauid quoque in ſuis ærumnis didiciſſe ſe affirmat.

14 Robur meum & canticum meum Deus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Poſtquam pericula commemorando exaggerauit, redit ad celebrationem beneficij, à quo exorſus erat pſalmum. Eſt igitur hic verſus & ſequẽtes aliquot ἐπινίκια, in quo victorias ſuas ita celebrat, vt non ſibi, ſed ſoli Deo eas aſcribat. Romæ cùm celebrabantur triumphi, & canebatur ἐπινίκιον, virtuti ducum tribuebantur res feliciter & fortiter geſtæ, & horum canebantur pręconia. Sed eccleſia agnoſcit vitam & ſalutem ſuam omnem pendere à Deo: ideo liberata ex periculis cum Dauide canit, Robur meum Deus. Et hæc præconia Deus à nobis requirit. Nihil tribuit illa ſuæ virtuti, induſtriæ, ſapientiæ, aut potentiæ. Ideo cùm inquit, Deum eſſe ſuum robur, ipſa ſuam infirmitatem agnoſcit & fatetur. Nequaquam enim par eſt hoſtibus ſuis potentiſſimis, mundo, peccato, diabolo, & neceſſe eſt eã perire: niſi diuinitus cõfirmetur & ſeruetur. Ideo inquit Dauid, Deus eſt robur meũ, qui ſcilicet me armat & viribus inſtruit, vt reſiſtere hoſtibus, & ſuſtinere illorum impetum poſſim. Deinde eſt canticum meum, id eſt, hunc ſolum ego cano & laudo, huic gratias ago, in hoc ſolo glorior, non in mea prudentia aut viribus. Canticum ſumitur paſſiuè, pro, qui canitur, hoc eſt, celebratur à me, vel ſimpliciter pro obiecto cãtici. Sicut nomina affectuum ſæpe pro ipſorum obiectis vſurpantur, honor pro re amata, ſpes pro re ſperata. Deus igitur dicitur canticum Dauidis: quia ſolus eſt quem laudet & in quo gloriandi materia ipſi ſuppetat.

Et factus eſt mihi in ſalutem] Id eſt, ſolus ipſe me ſeruauit & eripuit ex periculis. Salus metaleptice, ſicut & robur, ſumitur pro autore ſalutis. Effectus enim ponitur pro cauſa.

15 Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum: dextera Iehouæ fecit virtutem.

Agnoſcit Dauid beneficiũ eſſe maius quàm vt ſatis ſit priuatim à ſe vno agnoſci & celebrari. Nam quæ Dauidi exhibebantur beneficia, ea in vniuerſum populum redundabant. Ideo dicit, vocem exultationis ſalutis paſſim exaudiri in tabernaculis iuſtorum. Et pij omnibus ętatibus agnoſcunt fructum reſurrectionis & liberationis Chriſti à morte redire ad totam eccleſiam. Ideo vox exultationis & ſalutis paſſim in tabernaculis iuſtorum perſonat. Vocem *exultationis* nominat eam, quæ magna lætitia celebrat beneficium acceptum. Voce *ſalutis* deſignat gratulationes, quibus de parta ſalute ſibi & aliis gratulabatur. Hæc verò exauditur tantùm in *tabernaculis iuſtorum*, hoc eſt, credentium. Nã impij & profani homines, etiamſi ipſis quoque ſæpe propter eccleſiam benefiat, tamen non agnoſcunt, nec celebrant autorem ſuæ ſalutis.

Dextra Iehouæ fecit virtutem] Μίμησις eſt, qua orationẽ iuſtorum exprimit. Agnoſcunt pij nullis humanis viribus aut pręſidiis ſeruari eccleſiam, ſed ſolo Deo defendente tutam & ſaluam eſſe, ideo dicũt, dextera Dei facit virtutem, id eſt, oſtẽdit & exerit ſuam potentiam, dum eccleſiam nudatam omnibus præſidiis externis & miſerè afflictã potẽter & mirabili-

ter ſeruat, ne deleri poſſit ab hoſtibus, & tandem glorioſè eam liberat.

16 Dextra Iehouæ [*eſt*] exaltata: dextra Iehouæ fecit virtutem.

Repetit eandem ſententiam: & repetitio non tantùm oſtendit ardentem geſtientis & exultantis animi affectum: ſed ſimul monet, pios non obiter, aut quaſi in tranſcurſu commemorare beneficia diuina: verùm diu multúmque in his meditando commorari, & aſſiduè ea prædicare. Ea iteratio vt grata Deo eſt, ita fidem piorum confirmat & ardentiorem reddit.

Dicitur autem dextera Dei exaltari, quando gloria potentiæ Dei facto aliquo inſigni, atque in omnium oculos incurrente declaratur, vt omnes agnóſcant & fateri cogantur, non aliunde quàm à Deo hoc beneficium proficiſci. Sunt quidem innumera Dei beneficia, quæ tamen quamuis exhibita, non ita ſunt manifeſta, vt ab omnibus agnoſcantur. Sed hæc ſalus, quam Deus tunc contulerat populo Iſraelitico, & quæ nobis omnibus eſt in Chriſto, ita eſt manifeſta, vt ambigi non poſſit, quin ſolus Deus ſit autor huius beneficij. Ideo dextera eius dicitur in hoc facto exaltari. Non quidem in ſe exaltatur dextera ſeu virtus Dei, cui nihil accedit, neque decedit, ſed nobis videtur exaltari, cùm in defenſione & liberatione eccleſiæ eã potenter exerit & conſpicuam facit.

17 Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Dei.

Poſtquam de publica totius eccleſię voce teſtatus eſt, nunc ad ſe redit: & quia videt iam diſcuſſum eſſe periculum, in quo hactenus fuerat conſtitutus, ſéque iam ex mortis faucibus eſſe extractum, lætus de ſua ſalute, & tanquam hoſtibus ſuis inſultans exclamat, non moriar, inquiens, quaſi dicat, Fui per annos complures oppreſſus horrendis doloribus, in quibus luctatus ſum cum ira & iudicio Dei aduerſus peccata, cum æterna morte & deſperatione: deinde hoſtes habui potentiſſimos & acerrimos, qui perpetuò inſidiati ſunt vitæ meæ, & maximis viribus me oppugnarunt. Ex his doloribus & periculis nunc Dei beneficio ſum ereptus. Sentio enim me habere Deum placatũ, & hoſtium vires fractas & euerſas eſſe. Itaque non moriar, quod vnum voluerunt & aſſiduè moliti ſunt mei aduerſarij, qui in perniciem meam perpetuò fuerunt intenti: Id eſt, non cedam doloribus & tentationibus, non frangar minis hoſtium, aut magnitudine periculi: ſed viuam, & tanquam è ſepulchro emergens, atque è morte reſuſcitatus fruar cæleſti lætitia, quæ vera vita eſt.

Addit autem cauſam finalem. Agnoſcit enim ſe ereptum eſſet ex tot ærumnis & periculis, non vt otioſam vitam deinceps degat, aut in voluptates ſe coniiciat: ſed vt opera Dei, hoc eſt, admirabilem eius virtutem & potentiam, qua morti addictum mirabiliter ſeruauit, annuntiet, & prædicando multos ad agnitionem Dei inuitet. De hac cauſa finali liberationis eccleſię moneri omnes neceſſe eſt. Plerique enim poſt liberationem fiunt ſecuri, & proiiciunt ſe in voluptates, aut etiam curis huius vitæ obruunt beneficia diuina. Hi excitandi ſunt hac voce Dauidis, vt cogitent, ſe ideo ſeruari & eripi ex periculis, atq; ideo ſibi vitam prorogari, vt opera Dei annuntient. Atque hîc cogitandæ ſunt cauſæ cur longa vita exoptanda ſit. De his verò alibi dicitur.

18 Caſtigando caſtigauit me Deus: & morti non tradidit me.

Iam receſet opera Dei, quæ aſſiduè ſit celebraturus. Deus, inquit, corripuit me ſeria & ſeuera caſtigatione, & exercuit me grauiſſimis doloribus, in quibus luctatus ſum cum peccato, cum diabolo & morte, & parum abfuit quin his abſorptus in æternum perirem. Deinde foris etiam immiſit in me hoſtes potẽtiſſimos & crudeliſſimos, qui vndique me manifeſta vi & fraude oppugnarent, & omnibus momentis iugulum meum peterent. His flagellis grauiter iam annos aliquot ſum cæſus. Sed agnoſco paternũ Dei erga me amorem: Plagæ enim, quas per Diabolum & impios homines mihi inflixit, non fuerunt mortiferæ: nec paſſus eſt me his doloribus & periculis opprimi: ſed ereptum tãdem & reſtitutum in vitam ingenti lætitia perfudit. Hoc igitur beneficium & hunc amorem paternum quoad vixero, grata voce & animo celebrabo. Proponit autem Dauid ſuum exemplum: vt inſtar promiſſionis communis ad omnes credentes pertinere intelligatur. Qualem enim Dauid in ſuis ærumnis & doloribus expertus eſt Deum, talem eſſe eum omnibus cogitemus.

Caſtigat Deus eccleſiam ſuam, & quidem duriter, quod ſignificatur illa iteratione verbi יסר & caſtigationes non ſunt vnius generis: ſed ſunt partim ſpirituales, partim corporales. Spirituales omnium ſunt grauiſſimæ & periculoſiſſimæ: ſed difficilior ſit lucta, quãdo ſimul cum tentationibus ſpiritualibus foris ingruunt ærumnæ & pericula. Iudicat enim caro illa eſſe certiſſima ſigna iræ & abiectionis diuinæ, & diabolus his, tanquam inſtrumentis, vtitur ad impellendos animos in æternam deſperationem. Quemadmodum in diſputationibus Iob videre licet. Sed hîc tenendá eſt dulciſſima cõſolatio, quæ hoc loco traditur. Affirmat enim Dauid eccleſiam in hac vita ſubiici cruci, & exerceri variis ærumnis à Deo: Sed illas caſtigationes non eſſe ſigna abiectionis & iræ Dei, ſed paternas ferulas, quibus noſtram ferociam ſeu contumaciam domat, & veterem hominem crucifigit, ſordéſque noſtras expurgat, vt ad obedientiam deinde ſimus promptiores, & in cœleſti philoſophia proficiamus. Hæc cùm cogitant pij, faciliùs ferunt ærumnas, & certiore fide auxilium & liberationem expectant. Non enim pernicie & interitu noſtro delectatur Deus: ſed ærumnis nos reuocare ad pietatem, & retrahere in viam ſtudet. Hæc de fine afflictionum primùm monendi ſunt auditores. Deinde & hoc cogitetur, Etiam cùm propter peccata noſtra iuſtè nos puniri intelligimus: tamen ſciamus tantam eſſe Dei bonitatem, vt iram ſuam miſericordia temperet & moderetur. Ideo dicit, Deum ita caſtigare, vt morti tamen non tradat: & hoc ſenſu alibi dicitur pſalmo 77. Non accendit totam iram ſuam. Item, In ira miſericordiæ recordaris.

19 Aperite mihi portas iuſtitiæ: ingreſſus in eas celebrabo Deum.

Diximus ſuprà in argumento, pſalmum in hunc vſum conſcriptum eſſe à Dauide, vt in publica feſtiuitate, quando præcipuos ex populo Hieroſolymam vocauit, decantaretur. Voluit enim hoc beneficium, quod non priuatum, ſed publicum eſſe agnoſcebat, ab omnibus intelligi & celebrari. Ideo ſicut in exordio primùm totum Iſraelem, deinde ſacerdotes & Leuitas hortatur, vt bonitatem & miſericordiam Dei, quam in hoc præſenti beneficio oſtenderit, perpetuò celebrent: ita nunc rurſus ordinem Sacerdotum & Leuitarum compellans hortatur eos, vt ſibi fores tabernaculi Dei aperiant, vt per illas templum ingreſſus ſimul cum toto cœtu in publico & ad cultum diuinum deſtinato loco beneficia diuina celebret, & σωτήρια offerat, quibus animi ſui gratitudinem teſtetur. Cùm enim publicum ſit beneficium, quod ad totum populum pertinet, vult etiam publicè ab omnibus celebrari: atque ipſe harum laudum ſeu carminis euchariſtici eſt ἔξαρχος. *Portas* igitur *iuſtitiæ* vocat tẽplum ſeu tabernaculum, cuius cuſtodes erant ſacerdotes. Quòd autem portas illas nominat portas iuſtitiæ, ipſe verſu ſequente explicat, cum inquit, *Iuſti intrabunt in eam.* Templum enim erat conſtructum, vt pij & iuſti ibi diſcerent doctrinam de Deo & cultus diuinos peragerent.

Sed cur iubet aperiri portas ſeu fores tabernaculi, quæ alioqui ex more quotidie aperiebantur? Reſpondeo: Voluit Dauid exprimere ardens ſuum deſiderium, quo laborauit, quamdiu vixit in exilio: & è regione præſentem lætitiam, quam ex conſpectu templi ſeu tabernaculi capiebat, declarare. Hactenus enim varia pericula & exilia prohibuerant eum, non tantùm ab aditu, ſed etiam à conſpectu ſanctuarij, Nunc igitur reſtitutus patriæ & regno, vehementer lætatur ſibi poteſtatem factam eſſe adeundi templum, &c. Ideo compellans ſacerdotes dicit, *Aperite* mihi tandem *portas iuſtitiæ*, quarum ſcilicet conſpectu tamdiu non ſine ſummo meo dolore carendum fuit, & ad quas tanto cum deſiderio ſemper in exilio reſpexi. Cæterùm quod de portis iuſtitiæ hîc dicitur, in genere intelligi debet de cœtu piorum, vbicunque ille eſt. Ad hunc omnes reſpicere debent & optare, vt in eo verſari, & agnoſcere ac celebrare beneficia Dei poſſint.

Ingreſſus celebrabo Deum] Id eſt, vt publicè in cœtu piorum gratias agere Deo poſſim pro immenſis beneficiis, quibus me & populum ornauit. Quanquam autem non dubium eſt, quin ſacrificia quoque ſecundùm legem obtulerit Dauid: tamen nunc tantùm de laudibus dicit: quia intelligit hunc cultum præcipuè à ſe requiri, ſicut ſuprà dixit pſal. 50. ſacrificãs laudem honorabit Deum. Item, immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Sacrificia verò externa ſciebat eſſe adiungenda tãquam teſtimonia interioris animi gratitudinis. Deinde hac oratione diſcernit ſe ab hypocritis. Non veniam, inquit, in templum, vt hypocritæ ſolent: qui putant ſe abundè ſatisfeciſſe Deo, ſi cumulent ſacrificia, & in his offerendis faciant magnos ſumptus & apparatus. Quibus Deus per Ieſa. exprobrat, quòd pauimentum ſuum fruſtra terant. Ieſa. 1. Dicit igitur ſe ingreſſurum templum, vt Deum celebret. Hæc λογικὴ λατρεία placet Deo, non illi externi ritus ſeu geſtus. Idque Ethnici etiam intellexerunt, vt cum Plato inquit, οὐ χρήμασι πυργίζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετὴν δεῖ ἀρέσκειν τῷ θεῷ. Hodie ſacrificuli ingrediuntur templa,

non

non hoc animo vt Deũ celebrent, ſed vt quæſtũ exerceant & ventri ſuo ſeruiant. Ideo hos quoque taxari iudicemus.

20 Hæc porta Iehouę: iuſti intrabunt in eam.

Primùm cauſam oſtendit, cur cupiat ſibi tandem poſt tot annorũ errores & varia exilia aperiri fores templi. Quia, inquit, Porta eſt Iehouæ, id eſt, Deus ſibi hoc templum dicari voluit, atque in eo vult rectè agnoſci & coli: deinde varia ſuæ præſentiæ teſtimonia hîc edidit. Ea igitur cauſa eſt cur tanto deſiderio huc aſpirarim. Deinde ex hac ipſa ſentẽtia concluſionem infert, qua oſtẽdit æquum eſſe ſibi & ſui ſimilibus patefieri fores templi, ad quas pridem accedere auſus non fuerat. Cũ enim porta ſit Iehouæ, ergo docet iuſtos, hoc eſt, credentes & veros Dei cultores per eam intrare, non homines impios & profanos, qui hactenus in hoc populo crudeliter ſunt dominati, & templum variis modis profanarunt.

Ita ſimul obliquè notat indignitatem rei, & publicam ſuperioris temporis calamitatem deplorat, quòd ſub Saulis regno cùm iuſti exularent, templum occupatum fuerit ab hypocritis & tyrannis, & horribiliter ſit profanatum: atque è regione lætatur, iuſtis tandem quaſi poſtliminio, ſuum ius reſtitui, vt ingredi in ſacram Dei domum poſſint. Eſt autem in his duobus verſibus luculenta deſcriptio eccleſiæ propoſita, quæ diligẽter obſeruanda eſt. Nam quæ de templo dicuntur, ad eccleſiam omnium ætatum pertinent.

Primò dicitur porta iuſtitię, quia eccleſia eſt cœtus, in quo fulget iuſtitia: & qualis ea iuſtitia ſit, alibi dicitur. Et hac ipſa appellatione diſcernitur eccleſia à cæteris regnis in hoc mũdo. Portæ enim per metaphoram ſignificant regna ſeu imperia. Sicut igitur mũdi portæ vt plurimùm ſunt portæ rapinæ, crudelitatis, auaritiæ, faſtus, arrogantiæ, & multorum aliorum ſcelerum: ita eccleſia dicitur porta iuſtitię, primo quia recta eſt iuſtitia Chriſti, qua placet æterno patri, & propter hanc ſit hæres vitæ æternæ: deinde quia per Spiritum ſanctũ noua lux & iuſtitia in piorum cordibus accenditur. Et quanquam alia regna, ſi bene conſtituta ſint, iuſtitiam externam ſeu ciuilem vtcunque tuentur, & coërcent pœnis improborum audaciam: tamen non adferunt iuſtitiam & vitam æternam.

Eadem dicitur porta ſeu regnũ Dei, hoc eſt cœtus, in quo Deus rectè agnoſcitur, inuocatur & colitur, & in quo Deus potẽter regnat, & ſuæ præſentiæ teſtimonia edit. Portæ mũdi non ſunt portæ Dei: quia nõ agnoſcunt Chriſtum, nec inuocant, imò Chriſtum cum ſuo cœtu in exilium eiiciunt & crudeliter perſequuntur. Ideóque non Deus, ſed hoſtis generis humani diabolus in huiuſmodi portis regnat, & efficax eſt in filiis incredulitatis.

Tertiò, oſtenditur qui ſint præcipui cultus regni, celebratio ſcilicet nominis diuini, quæ complectitur totũ cultũ, inuocationem & gratiarum actionem, &c. Et hæc eſt nota externa, quæ oſtendit eccleſiam habere certum verbum, iuxta quod agnoſcit & colit Deum.

Quartò, docet quæ ſint vera membra eccleſiæ. Etſi enim multi mali ſe admiſcent eccleſiæ viſibili in hac vita: tamen tantùm iuſti, hoc eſt, credẽtes, accepti per fidem, & verè Deũ colentes pertinent ad hunc cœtum, & ſunt participes illius iuſtitiæ, de qua antea dictum eſt.

21 Celebrabo te, quia exaudiuiſti me: & fuiſti mihi in ſalutem.

Repetit poſterius membrum verſus decimi noni, & addit cauſam cur veniẽs in cœtum iuſtorum, prædicare bonitatem Dei quàm magnificẽtiſſimè, & gratias ei agere velit. Primùm quia exaudiſti me, cùm in meis anguſtiis & tribulationibus ad te confugerẽ, nõ occluſiſti aures tuas ad preces meas, non auerſatus es orationem meam, ſed præbuiſti te benignum & exorabilem.

D.D. Lutherus reddit, quia humiliaſti & afflixiſti me, *Das du mich demütigeſt*, atque ita Campenſis legit, vt primo loco periculum recitetur, poſtea ſequenti membro liberatio ſubiiciatur, qui ordo ſupra fuit inſtitutus. Hæc diuerſitas interpretationis ex ambiguitate verbi ענה oritur. Interdum enim ſignificat reſpõdere alicui & annuere votis alicuius: interdũ affligere. Ideo quocunque modo legas, cõſtabit ſententia. Quanquam in prima coniugatione, cùm actiuè ſumitur verbum ענה vt plurimùm ſignificat reſpondere. Ideóque malui verbo exaudiendi reddere cum aliis plurimis.

Fuiſti mihi in ſalutem] Id eſt, opem tuliſti mihi periclitanti & in ſummo verſanti diſcrimine. Metaleptica eſt locutio, de qua antea dictum eſt. Salus enim pro ſeruatore & autore ſalutis vſurpatur.

22 Lapidem reprobauerunt ędificantes: factus eſt in caput anguli.

Hactenus in genere liberationem ex periculis celebrauit: nunc vltimum beneficium, quod ſecutum eſt illam liberationem, & propter quod hoc ſolenne feſtum inſtitutum erat, commemorat, videlicet, quòd diuinitus euectus ſit ad hanc ſummam dignitatem, vt crearetur & conſtitueretur rex in populo Dei, qui populum diſſipatum & non vno modo afflictum tandem in vnum corpus redigeret & coniungeret, & ſuo ſplendore, dignitate ac potentia inter cęteros emineret. Hoc beneficium in primis celebrat: non tantùm quia ipſe agnoſcit diuina potentia & bonitate ſe ad hoc honoris & dignitatis faſtigium euectum eſſe, ſed quia etiam aliis quoque vult hoc eſſe perſuaſum. Hactenus enim à pleriſque & quidẽ ab his, quorum præcipua erat dignitas & autoritas in hoc populo (quos per *ædificãtes* intelligit) tanquam ſeditioſus, ſceleratus & nefarius publico præiudicio erat damnatus & reprobatus: ideóque non modo indignus iudicatus cui regni gubernacula committerentur, ſed qui omnino locum haberet in hoc ædificio, hoc eſt, in populo Dei. Vnde 1. Sam. 26. queritur ad Saulẽ: Maledicti ſunt qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, Vade & ſerui diis alienis.

Dauid igitur ad regnum præter multorum ſpem & opinionem euectus, cùm exiſtimaret, multos adhuc eſſe qui inueteratum illud odium retinerent, nonnullos etiam errore quodam in illa opinione verſari intelligeret, quòd malis artibus affectaſſet regnum, multáque ſeditioſè contra Saulẽ & eius liberos molitus eſſet: primum illis, qui mordicus odium conceptum retinebant, & quorũ calumniis iniuſtis ac pręter meritum grauabatur, inſultat, & de ſua potentia gloriatur, affirmans parum ſibi obfuiſſe procerũ malitiam, à quibus hactenus abiectus & reprobatus fuerit. Se enim inuitis omnib. ſuis hoſtibus ad hanc gloriam & potentiam euectum eſſe. deinde cæteris, quorum maxima erat multitudo, errorem eximit, cum ſequente verſu inquit, *à Domino id factum eſſe*: atque ita innocentiam ſuam aſſerit, ſéque ſubditis commẽdat. Hæc ſumma eſt huius & ſequentium duorum verſuum, in quibus cõſultò orationem attribuit toti piorum cœtui, vt cæteri, qui alieniores ab eo eſſe videbantur, facilius aſſentirentur. Cæterum quomodo ad Chriſtum hæc referenda ſint, poſtea dicemus. Prius enim ſententia huius verſus eſt exponenda. Oratio prorſus eſt figurata ſeu allegorica: ideo opera dãda eſt, vt rectè accommodetur. Primum comparat ſe lapidi, qui in ædificio locũ habere debuerit, hoc eſt, qui ciuis fuerit & mẽbrum populi Dei. Nam populus Dei eſt, illud ædificium, de quo hic loquitur: & vſitatum eſt in ſcripturis regnum Dei, vel eccleſiam conferri ædificio.

Hunc vero lapidem inquit fuiſſe reiectum ab ædificantibus: ſic nominans proceres regni, penes quos antea reſidebat ſumma poteſtas, & qui rerum potiebantur. Horum enim ſtudium & labor in ædificando populo & conſeruando publico ſtatu occupatus eſſe debebat. Tales fuerant Saul & eius conſiliarij ac ſatellites. Hi verò Dauidem non tantum, tanquam inutilem & nulli ædificij loco idoneum, contemnebant & reiiciebant, ſed tanquam hominem noxium è ſuo cœtu eiiciebant, & horribili odio perſequebantur, ita vt nuſquam in tota Iſraelis ditione hærere tutò poſſet. Hic tamen lapis non tantùm ſpretus & contemptus, ſed omnium penè iudicio dãnatus præter omnem expectationẽ factus eſt in caput anguli, id eſt, collocatus eſt in primo & inſigniori ædificij loco, vt fieret rex, & caput in populo Dei. Quo facto Deus oſtendit manifeſtè, iniquiſſimis iudiciis & calumniis hactenus Dauidem fuiſſe prægrauatum: & Dauid hoc teſtimonio diuino lætus oſtendit ſe parum morari peruerſa aliorum iudicia: & ſi qui aliorũ iniquis iudiciis præoccupati fuerint, hos hortatur vt tandem diſcãt agnoſcere legitimum Regem, eique ſe ſubiiciant. Ex Hebræis nonnulli de toto populo Iſraelis hunc verſum exponunt. Aiunt enim populum Iſraeliticum eſſe hũc lapidem, qui à potentibus huius mundi reprobatus, in diebus Meſſiæ ſit futurus caput totius orbis terrarum: atque hinc regnum mundanum & ſummam potentiam adhuc ſomniant & ſperant. Sed hæc omitto tanquam aliena. Congruunt quidem hæc in genere ad eccleſiam omnium ætatum, ſed non ſtabiliunt illam imaginationem de regno corporali.

Sæpe autem in pſalmis iam diximus, Dauidem typum fuiſſe Chriſti. Quando enim Dauid creatus eſt rex, iacta ſunt fũdamenta æterni illius regni, quod Chriſti aduentu patefactum fuit. Ideóque ſcriptura ipſum Chriſtum nonnunquam Dauidem appellat, vt Ezec. 34. Sicut igitur ærumnæ, dolores, & pericula, quæ toto vitæ tempore, ex quo primùm vnctus eſt Rex à Samuele, ſuſtinuit Dauid, imago & typi ſunt paſſionis ærumnarum & mortis Chriſti: ita etiam eius liberationes & victoriæ, imago & quaſi præludium quoddam ſunt reſurrectionis & glorificationis Chriſti ſeu exaltationis in regno. Quare & hoc loco, quæ de reſurrectione Dauidis atque eius

gloria, quæ reiectionem ſecuta eſt, populus commemorat, ad Chriſtum pertinere ſciamus. Sicut Chriſtus ipſe Matth. 21. hunc verſum ad ſe accōmodat: & Ieſaias, cap. 28. Pet. Actor. 4. & in 1. Epiſt. cap. 2. de Chriſto principaliter intelligēdum eſſe docent. *Chriſtus* igitur miſſus à patre in hunc mundum, in ſalutem generis humani, hic *lapis* eſt non ſolum ſpretus & abiectus, ſed etiam odio habitus, idque non à vulgo tantùm, ſed etiam ab iis qui primi erant eccleſiæ antiſtites, hoc eſt, ſacerdotes & Leuitæ. Hi enim ſunt architecti, qui ędificare eccleſiam miniſterio verbi diuini, & colligere Deo numeroſum populum debebant. Sed obliti muneris & vocationis ſuæ ad contraria ſtudia feruntur. Pro eo enim, quòd ædificare domum Dei debebant, ipſi primi in hoc incumbunt, vt ædificium hoc diruant, ideóque hunc pretioſiſſimum lapidē qui totum illud ſpirituale ædificium ſuſtinet, & in quo ſalus noſtra fundata eſt abiiciunt, & magno odio proſequuntur. Sicut hoc tempore idem fieri videmus in Papatu, vbi qui titulū eccleſiæ gerunt, & ſucceſſores Apoſtolorum dici volūt, magno ſtudio eccleſiam Dei euertere conantur, & hoſtes ſunt Chriſti acerrimi.

Chriſtus autem ſic eiectus & dānatus à ſacerdotibus, Scribis & Phariſæis, atque adeo morti adiudicatus; cùm locum amplius non habere in hoc ædificio eccleſiæ Dei iudicaretur, *locatus* eſt à Deo *in capite anguli*, inuito & repugnante mundo: reſuſcitatus enim à morte factus eſt verum eccleſiæ fundamētum, quod totā ædificij molē ſuſtinet, iuxta illud 1. Cor. 13. Fundamentū aliud nemo poteſt ponere, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus: & fundamentum intelligatur non tantum de doctrina filij Dei, qua vnica eccleſia Deo colligitur in hac vita: ſed etiam de merito ſeu redemptione & efficacia. Eſt enim fundamentum eccleſiæ & propter redemptionē & efficaciam. Sicut enim hac ſola doctrina colligitur Deo eccleſia, ita propter Chriſti deprecationem & paſſionem omnia cætera eccleſiæ membra electa ſunt, & ipſe eſt efficax in eis, remittit peccatum credentibus, ſanctificat eos Spiritu ſancto, exaudit, regit & protegit eos in variis periculis, depellit ab eis diabolos, dat vitam æternam, &c. Auguſtinus, quod de capite anguli dicitur, ita interpretatur, vt Chriſtum dicat eſſe lapidem angularem, non tantùm qui pro fundamento poſitus ædificium ſuſtineat, ſed etiam, qui vtrumque parietem coniungat, hoc eſt, Eccleſiam ex Iudæis & gētibus colligat, cui dat iuſtitiam & vitam æternam. Nam *caput anguli* fieri dicitur *lapis*, quando in eo loco collocatur vbi totius ædificij iuncturam ſuſtinet: vnde Apoſtolus vertit ἀκρογωνιαῖον. Eſt autem in doctrina huius verſus dulcis conſolatio opponenda ſcandalo crucis & perſecutionis. Semper in genere humano ſummi reges & ſacerdotes, qui titulum eccleſiæ gerunt, perſequuntur Chriſtum & eius membra: ſed lapis hic angularis ita locatus & firmatus eſt diuina virtute & potentia, vt nulla hominum vi reuelli aut euerti hoc ædificium poſſit. Ideo ſequitur:

23 A Iehoua factum eſt hoc: mirabile eſt in oculis noſtris.

Volebat Dauid omnibus ſubditis hoc eſſe perſuaſum, ſe non extra vocationem affectaſſe regnum, nec humanis conſiliis aut viribus hæc ita geſta eſſe, vt ſublato Saule & eius familia Dauid rex crearetur in populo: ſed totum hoc opus eſſe diuinum: vt tādem depoſitis odiis hunc legitimum ſuum regem agnoſcerent, ſéque ei ſubiicerent. Ideo pios introducit agnoſcentes & cum ſtupore admirantes ac celebrantes hoc Dei beneficium, quòd hunc regem tot periculis & tot telis hoſtium expoſitum tandem ad hanc dignitatem euexerit, vt rex eſſet in populo Dei, & ſuo exemplo cæteros, vt idem faciant, hortantes.

A domino, inquiunt, *factum eſt hoc*, quaſi dicerent, non ſuis conſiliis, non temere aut victus aliqua praua cupiditate Dauid ſibi rapuit hoc imperium: ſed Deo ſic volente, & mirabiliter gubernante euentum, factum eſt hoc, vt Dauid in regio ſolio collocaretur. Itaque deſinant ei obſtrepere homines improbi & ſeditioſi, & legitimum eius imperium agnoſcāt eique ſe ſubmittant. Quòd autem à Deo hæc res ſic gubernata ſit, probant ex miraculoſo euentu, qui talis fuit vt plenus ſit miraculis, ideóque incredibilis antehac fuerit viſus. Quis enim credere potuiſſet, hunc hominem extorrem, eiectum ex patria, vagabundum, deſertum & deſtitutum omnium ope & auxilio: imò laborantem grauiſſimo odio omnium procerum regni, & damnatum præiudiciis totius fere multitudinis, peruenturum aliquando ad eam dignitatem, qua nō alia erat maior in genere humano? Nam regem eſſe in populo Dei, & quidem talem qui ſit typus illius regis, qui deuicta morte populo ſuo redditurus eſſet iuſtitiam & vitam æternam, dignitas eſt, cum qua nulla alia in hac vita comparari poteſt.

Hæc de Dauide primùm in hoc verſu cogitanda ſunt: deinde ad Chriſtum hoc accommodetur. Hic Chriſtus rex non humano conſilio miſſus eſt, nec humanis viribus vicit peccatum & mortem, ſed miſſus eſt à Deo, & potentia diuina aboleuit peccatum & mortem: ita tamen, vt ipſe mortē priùs ſubiret & guſtaret. Ideo mirabile eſt hoc in oculis omnium hominum. Quid enim magis mirum, quàm hunc miſerum & ærumnoſum, quem totus mundus, atque adeo ſui oderunt & damnāt, quíque ipſe has triſtiſſimas querelas vſurpat, Ego vermis ſum & non homo, & tandem in cruce clamat, Deus meus quare me dereliquiſti, &c. imò qui crucifigitur & moritur, hunc tamen eſſe regem, per quem generi humano reſtituitur iuſtitia & vita, & qui in æternum eccleſiæ ſuæ dominatur? Caro certè hac ſpecie offenſa reſilit, & exiſtimat fabulam eſſe, quæ de Chriſto narratur. Sed fides ita hæc intuetur, vt Dei conſilium agnoſcat & grato animo prædicet. Poſtquā de Dauide & Chriſto verſum interpretati ſumus, etiam totū corpus eccleſiæ complecti debemus. Chriſtus enim caput eſt eccleſiæ ſuæ: ideo quæ dicuntur de Chriſto, pertinent ad eccleſiam omnium ætatum. Sicut igitur eccleſia eſt templum ſanctum ædificatum ſuper lapidem angularem Ieſum Chriſtum, qui eſt fundamentum apoſtolorum & prophetarum, Epheſ. 2. Ita cogitemus hoc ædificium mirabiliter à Deo gubernari, & longè aliter quàm ratio humana cogitat, conſeruari.

Magnum enim eſt diſcrimen inter politias humanas & eccleſiam Dei. Habent regna in hoc mundo ſuam gloriam, dignitatem, potentiam, & præſidia, quæ foris conſpiciuntur, & quibus illa conſiſtere creduntur: habent ſuos reges, duces, ſenatores, habent ſuas victorias & triumphos. Econtra eccleſia cœtus eſt exiguus, ſine armis, ſine externo ſplendore aut robore: non enim habet in hac vita aliquem ſummum monarcham, qui ſummam habeat poteſtatem conſtituendi & decernendi: caret præſidiis, imò expoſita eſt odiis, tyrannidi & libidini omnium hominum. Et tamen eccleſia conſeruatur mirabiliter, & habet ingentem gloriam. Deus enim ſuo conſilio eam gubernat, excitat doctores & gubernatores excellētes, per quos hoc ædificium ædificetur & ornetur, defendit & ſeruat eccleſiam, etiamſi duriter quaſſatur inter imperia mūdi. Habet igitur admirandam gloriam, quæ nō pendet ex humanis conſiliis, ſed ab admirabilibus Dei operibus. Ideo dicunt pij hoc loco, hæc opera Dei excitare admirationem in animis hominum. היא fœmininum relatiuum vſurpatur pro neutro quo carent Hebræi. Vt fruſtra à nonnullis ad Græcum κεφαλὴ, ab aliis etiam ad nomen γωνία referatur.

(נפלאת) ת ſcribitur loco ה, ſicut Ezech. 46. ושבת & reuertetur, &c.

24 Hæc eſt dies [*quam*] fecit Iehoua: exultemus & lætemur in ea.

Primùm repetit aſſeuerationem ſuperioris verſus. Deinde adhortationem ſubiicit. Sicut autem dixerat diuino conſilio hæc omnia ſic gubernata eſſe, vt hic Dauid rex eſſet in populo Dei: ita nunc dicit hunc ſolennem diem, in quo populus conuenerat, diuinitus illuxiſſe, vt hoc beneficium ab omnibus agnoſceretur & celebraretur. Sequitur igitur adhortatio, vt omnes exultent & lætentur, hoc eſt, vt grati hoc beneficiū accipiant, nec ſuperbè id aſpernentur aut contumaciter repudient. Hæc ſumma eſt huius verſus, nec obſcurum eſt quomodo ad vtrumque, ad Dauidem ſcilicet & ad Chriſtum, hoc accommodari poſſit.

Quod autem dicit, hunc diem feciſſe Dominum, ita vt meritò diuinus dici poſſit, id fit κατ' ἐξοχήν. Nullus enim dies eſt, quem Dominus non faciat. Sed hunc diem inprimis delegerat Dominus, vt in eo vnctionem à Samuele factam ſanciret & ratificaret, & vt depulſis tenebris, hoc eſt, erroribus, periculis & ærumnis, quæ hactenus populum Dei oppreſſerant, Solem iuſtitiæ & ſanationem quæ ſub alis eius eſt, vt inquit Malachias, reduceret, & illuceſcere eccleſiæ fineret. Ideo hunc diem, quo Dauid inauguratus eſt, & quo poſtea Chriſtus in orbem introductus eſt, dicit diem eſſe, quam Dominus fecerit, quaſi hactenus nullus fuerit in orbe dies: quia omnia plena fuerint tenebris, terroribus, periculis, calamitatibus, morte denique ipſa: quæ omnia exhibito hoc rege tolluntur, & oritur Sol iuſtitiæ ſua luce totum orbem illuſtrans, nouāque lucem & perpetuam lætitiam in cordibus credentium accēdit, ſublatis terroribus peccati & mortis. Ideoque omnes hortatur ad lætitiam & gratulationem, qua ſcilicet oſtendant, ſe hæc beneficia diuina agnoſcere & grato animo prædicare.

Diem hunc aliqui ſimpliciter interpretantur tempus noui teſtamenti, in quo genus humanum liberatum eſt à peccato & à morte: & quidem diem reſurrectionis Meſſiæ, quo die omnes promiſſiones completæ ſunt, & victoria per Meſſiam

parta eſt, qua vniuerſa eccleſia præcedens & ſecutura ſalutatur. Atque hunc diem opponunt diei quo lapſus eſt Adam & Eua. Is enim dies fuit luctus & æternæ iræ ac mortis, qui oppreſſit totum genus humanum. Atque eius diei ærumnas non fecit Deus, ſed diabolus: & durat ille funeſtus dies impiis ſemper & omnibus temporibus. Alterum verò diem, in quo fit reſtitutio iuſtitiæ & vitæ, propriè fecit Deus. Nam reſtitutio illa eſt ſolius Dei opus, &c. Hæc principaliter ſignificantur, vt antea quoque monuimus: ſed typus etiam interea explicandus fuit. Ideo ſimul conſiderandum, quomodo ad Dauidem hæc referenda ſint.

25 Obſecro, Iehoua, ſerua: obſecro, Iehoua: proſperum ſucceſſum da, obſecro.

Agnoſcunt pij in populo Iudaico hunc regem ſibi diuinitus datum eſſe. Ideo primũ lætantur & gratias agunt Deo, qui miſertus populi ſui poſt multas & varias iactationes & ærumnas talem regem dederit, cuius gubernatio felix & ſalutaris erat futura toti populo, atque de hac re ſuprà dictum eſt. Nũc etiam precibus Deo ſalutem huius regis commendant, & petunt, vt omnia feliciter huic nouo regi eueniant, hoc eſt, vt rex inſtruatur diuinitus piis & ſalutaribus cõſiliis, quæ ad felicem gubernationem requiruntur, & vt ſubditorum animus flectatur, vt ſponte ſe ei ſubiiciant & obtemperent. Vt enim oculus videat, & auris audiat, vtrunque eſt beneficium Dei. Deinde ſi foris reſpublica propugnanda & defendenda ſit armis aduerſus hoſtes: vt Deus huic regi largiatur victorias, & hoſtes ab hoc populo depellat, ne fiat vaſtitas, &c. Hæc omnia comprehendit hoc verſu. Sicut autem populus Iudaicus regem ſuum, cuius ſalute ſingulorum ſubditorum ſalutem comprehẽdi intelligunt, piis precibus Deo commendant, atque hoc facto fidelium ſubditorum officium exequuntur: Ita eccleſia omni tempore precatur, vt regnum Chriſti in terris cõſtituatur, floreat, & proſperos habeat ſucceſſus: ídque eo magis aſſiduè & ardentioribus votis facit, quo plures & potentiores hoſtes intelligit aduerſus hunc regem & regnum hoc inſurgere. Atque huc pertinet illa pars orationis dominicæ: Sanctificetur nomen tuum, &, Adueniat regnum tuum. Quare & Chriſtum ingredientem in vrbem Hieroſolymam, turba quæ ad diem feſtum Hieroſolymam venerat, & pueri in templo, tanquam verum Meſſiam, his precibus & acclamatione, quæ eſt in proximo verſu, excipiunt, Matth. 21. vt intelligamus non tantùm ad Dauidem, ſed propriè ad Chriſtum in Dauide adumbratum hæc eſſe referenda.

Da ſalutem] Id eſt, adeſto huic regi, ſerua, defende, protege eum, ne vel domeſticis ſeditionibus, vel externa vi euertatur: depelle diabolum & cæteros hoſtes molientes diſſipationem huius regni, aut ſerentes ſemina diſſidiorum & odiorum, & aliis ſcandalis deformantes hunc populum.

Da proſperum ſucceſſum] Id eſt, fac vt & in toga, hoc eſt, in pacata gubernatione, & in bello omnia eius conſilia ſint ſalutaria & proſperum habeant euentum. Eadem congruunt ad Eccleſiam & Chriſtum. Nam & Eccleſia orat, vt hoc regnum ſeruetur, & vt proſperos habeat ſucceſſus. Sed hîc oritur quæſtio: Cur pij orent pro Chriſto, vt ſeruetur, & omnia feliciter ei cedant, cùm ipſe ſalutem afferat generi humano, & extra hunc nulla ſit vera ſalus. Videtur enim hoc eſſe ſuperuacaneum, vel potiùs ineptum, ei optare ſalutem, aut bene precari, extra quẽ ſalus non eſt, & à quo ſolo ſalus aliorum pendet. Reſpondeo: Pij reſpiciunt ad totum corpus, cuius Chriſtus eſt caput, & ad regnũ quod Chriſtus in terris conſtituit. Hoc cupiunt amplificari, florere & ſeruari contra diabolum & eius organa, quæ odio implacabili hoc regnum oppugnant. Ideo dicunt, da ſalutem & proſperitatem, &c.

Particula אנה, ſicut & נא hoc loco, vt alibi ſæpe, eſt obſecrantis: & iteratione frequenti voluit Spiritus ſanctus per os Prophetæ excitare in cordibus piorum ardorem precandi, & ſimul nos de periculis & certaminibus Eccleſiæ in hac vita commonefacere.

26 Benedictus qui venit in nomine Iehouæ: benedicimus vobis è domo Iehouæ.

Acclamatio ſeu gratulatio, qua vtitur populus, habet votũ annexum. Itaque precatio ſuprà inſtituta continuatur, & oſtẽditur cum honore & gaudio excipi à piis hunc Regem diuinitus datum.

Sit benedictus] Id eſt, omni genere bonorum, quæ ad felicem & ſalutarem gubernationem requiruntur, ornetur diuinitus, nimirum ſapientia, iuſtitia, prudentia, clementia, fortitudine, autoritate, ſucceſſibus in gubernatione, victoriis, &c.

Qui venit in nomine Domini.] Id eſt, qui diuinitus ordinatus & conſtitutus eſt Rex, & cuius opera Deus in hac gubernatione vti conſtituit in populi ſalutem. Hic enim dicitur venire in nomine Domini. Cæteri qui vel ambitione, vel aliis cupiditatibus impulſi affectant regna, & totum orbẽ terrarum miſcent bellis & cædibus, vt optata conſequantur, non veniunt in nomine Domini. Et talibus Deus non benedicit. Etiamſi enim interdum floreant aliquandiu, tamen poſtea miſerè euertuntur, & ruunt in æternum exitium.

Benedicimus vobis.] Populi acclamationi ſua vota adiungũt, & quaſi promiſſionem ſubiiciũt ſacerdotes: vt fideles magis in ſua ſententia confirmẽtur, & fides eorum creſcat & augeatur, & vt cæteri quoque, qui forte adhuc alieniores erant à Dauide, ad complectendum hunc Regem inuitentur.

Benedicimus vobis] Id eſt, felicia omnia precamur vobis, & optamus, vt hæc gubernatio & hoc regnum vobis omnibus ſit ſalutare. Imò futurum pollicemur, vt ſub hoc rege feliciter vobis omnia eueniant. Vtraque enim gubernatio, & eccleſiaſtica & politica, ſub hoc rege erit felix & ſalutaris. Atque ita monet Spiritus ſanctus, ſtatum populi eſſe felicem ſub rege bono & veniente in nomine Domini: inprimis verò eccleſiam omnis generis bonis tam ſpiritualibus quàm corporalibus ditari à ſuo rege Chriſto, qui in Dauide fuit adumbratus. Hic enim miſſus à Deo affert pacem, iuſtitiam, lætitiam & vitam æternam.

E domo Domini] Id eſt, qui ſumus è domo Domini, & quibus cura domus Domini, hoc eſt, doctrinę & cultuum diuinorum, eſt commiſſa, quique colimus Deum, id eſt, nos ſacerdotes benedicimus vobis. Loquuntur enim ita pro officij ſui ratione, quibus iniunctæ erant benedicendi partes: ſicuti pluribus in locis Moſes docet, & præcipue Num. 6. Alij exponunt, vobis qui eſtis domus Dei, id eſt, qui eſtis vera Dei eccleſia. Benedictio enim hæc pertinet ad ſolam eccleſiam, extra quam non eſt ſalus.

7 Deus Iehoua, & illuxit nobis: ligate feſtum frondibus, vſque ad cornua altaris.

Enthymema eſt in hoc verſu, in quo primùm prædicat & commendat beneficium à Deo huic populo collatum: deinde adhortationem ſubiicit, vt hoc beneficium Dei grato animo agnoſcant & prædicent.

Deus, inquit, qui eſt *Iehoua*, hoc eſt, qui ſolus eſt verus Deus, & qui ſe nobis patefacit tradito verbo & illuſtribus teſtimoniis, hic illuxit nobis hoc tempore præter omnem ſpem & expectationem. Nam vau hoc loco vel exegeticωs ponitur, vel ſignificat celeritatem ſeu ſubitam rerum conuerſionem, quæ acciderit præter omnem ſpem. Quanquam alij cauſaliter exponant, Iehoua eſt Deus: quia illuxit nobis. Sed prior interpretatio eſt magis perſpicua. Illuceſcere autem Deus dicitur populo, quia poſt longas tenebras, terrores, pericula, calamitates & ærumnas, quibus iactati ſub Saule, & paulò ante hunc fuerant, tandem ſub Dauide reſtituit illis lucem, hoc eſt, diſcuſſis tenebris, terroribus & periculis reddidit illis pacem, tranquillitatem, florẽtem Reipub. ſtatum, proſperitatem, animorum lætitiam, atque adeo vitam ipſam. Hæc verò multò magis ad Chriſti regnum pertinent. Nam hæc redemptio ſub Dauide facta fuit eius redemptionis, quæ à Chriſto tandẽ ſperanda erat, præludium. Chriſtus igitur, qui ſe lucem eſſe dicit, Iohan. 1. ſuo aduentu illuxit eccleſiæ, quæ antea ſedebat horrendis tenebris, terroribus & doloribus oppreſſa, & ſua luce affert animis pacem, lętitiam & vitam, dum oſtendit, ſe eccleſiam ſuo ſanguine liberare à peccato & morte, reſtituere iuſtitiam & vitam æternam credentibus, exaudire preces & gemitus inuocantium, adeſſe nobis in periculis, defendere, ſeruare & iuuare nos, &c. Hæc igitur lux verè depellit tenebras, quas diabolus per peccatum in mundum inuexit, & reddit animis lætitiã & vitam. Et hæc beneficia iubet propheta agnoſci & celebrari. Ideo ſequitur,

Ligate feſtum frondibus] Id eſt, celebrate feſtum ſolennibus ceremoniis, aut ritu vſitato, frondibus ſcilicet contextis & alligatis ad altare; atque hoc ritu oſtendite animi veſtri lætitiam & gratitudinem, quæ agnoſcat vnde beneficium ſit profectum, & intelligat ſe viciſſim ad grata obſequia Deo præſtanda obligari. Nam altaris mentio de Deo autore huius beneficij Iudæos commonefaciebat. Erat enim Dei altare, quod iubentur frondibus ornare; nec vult ſuſpendi frondes in priuatis ædibus, ſed vſque ad cornua altaris protendi. Quo ipſo ſermone monebantur, vt ſe ſiſterent corã altari. Loquitur autem propheta vt vnus ex lege, qui ſciebat ſibi etiam illas externas ceremonias eſſe ſeruandas. Nunc in nouo teſtamento abolitis vmbris legalibus, finis, qui tunc ſpectabatur, retinendus eſt, videlicet vt Deo gratias agamus pro miſſo filio, & pro reſtituta iuſtitia ac vita: Item, vt ſtudeamus cõſeruare miniſterium publicũ & doctrinæ puritatẽ, vtque foueamus veræ doctrinæ ſtudia, & communem eccleſiæ conſociationem alamus. Hæc enim omnia ſignificata ſunt illis frondibus contextis & ad altare alligatis. Erat præterea hæc pictura imago do-

centium & auditorum, quos monet, vt conſociati ſint voce do-ctrinæ, inuocatione, confeſſione, gratiarum actione, & alligati quidem ad vnum altare, id eſt, ad mediatorem Chriſtum & ad vnitatem eccleſiæ.

Alij paulò aliter hanc ſententiam reddunt. Nam חג non interpretantur ſolennitatem ſeu feſtum diem, ſed agnum, metonymicῶs, qui in eo feſto cum publica lætitia & tripudio erat offerendus. Sicut Paſcha interdum accipitur pro agno, qui in illo feſto mactabatur: vt cùm Paulus inquit 1. Corint. 6. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Deuteron. 11. Non potes immolare Paſcha. Hunc igitur agnum alligatum funibus (nam עבותים vtrumque ſignificat, funes & frondes) iuxta horum interpretationem iubet propheta adduci ad altare Domini, atque ibi tanquam victimam pacificam offerri, quia vniuerſus populus de ſua gratitudine erga Deum teſtetur. Eodem recidit hæc ſententia, & eſſet meo iudicio concinnior altera, ſi exemplum extaret, vbi חג pro agno ſeu hoſtia accipiatur: quanquam Pagninus affirmat Ieſa. 29. verſ. 1. vſurpari pro agnis חגים ינקופו.

28 Deus meus es tu, & celebrabo te: Deus meus exaltabo te.

29 Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

In fine repetit propoſitionem, quæ eſt gratiarum actio: & in priore quidem verſu ipſe Dauid beneficium acceptum celebrat: in poſteriore ſubditos, vt idem faciãt, hortatur. Cúmq; de beneficiis per Chriſtum partis hoc pſalmo admoneamur, cogitemus nos quoque hanc gratitudinem debere Deo, vt bonitatem & miſericordiam eius erga nos, quam miſſo filio vnigenito Deus declarauit, aſſiduè canamus & celebremus, omniáque noſtra ſtudia & actiones ad gloriam nominis eius illuſtrandam referamus: neque enim vox noſtra tantùm ſonare debet laudes Dei, ſed tota vita noſtra ita componi debet, vt Deus per nos celebretur, & alij ad agnitionem eius inuitetur. Ita igitur intelligenda ſunt verba celebrandi & exaltandi in his verſibus, vt & vocem & corda noſtra ad Deum tantorum beneficiorum autorẽ attollere iubeamur, & ſimul cogitemus, requiri à nobis vitam caſtam, honeſtam, & ſtudiis pietatis occupatam, quæ Deum celebret, & profeſſionẽ noſtram ornet: non ſcandalis deformet.

Repetitio eiuſdem ſententiæ in priore verſu exprimit vehementiam affectus & ardorem.

PSALMI CXVIII.

PARTES.

I. Exordium προκελευστικὸν ad laudes tribuendas Deo. Primùm autem omnes in genere ad id præſtandum inuitantur, v. 1. Deinde populus Iſraelis, v. 2. Tertiò, Sacerdotes & Leuitæ, v. 3. Quartò, Timentes Iehouæ, v. 4. Ita viſibilis cœtus primo loco, deinde electorum communio, veluti duplex chorus conſtituitur, à quo laudes Dei prædicentur.

II. Propoſitio argumentorum ad Dei laudes pertinentium, à ſingulari exemplo Dauidis, & communi Eccleſiæ exemplo. *Singularis* duo ſunt loci. 1. De liberationibus præteritis. 2. De fide & conſtantia Dei, præſtantiſſimáque Dauidis in promiſſiones illius fiducia, qui loci per prolepſin, verſ. 5. & 6. poſiti deinceps explicantur. Secundi autem loci prolepſeos ἐργασία de Dei veritate ſeu fide, & Dauidis fiducia, v. 7. 8. & 9. explicatur. Prioris autem, nempe de liberationibus à Deo acceptis, per ὑστέρωσιν Hebræis frequentiſſimam, ἐργασία ſequitur, v. 10. 11. 12. 13. 14. continens breuem narrationem impetuum quos ab hoſtibus pertulit: & victoriarum quas ipſi attulit gratioſè Deus. *Communis exempli* ſumma, v. 15 & 16. exponitur. Eccleſia exultans, in liberatione Dauidis, omnipotentiam gratioſam Dei celebrat, cui ſubiicitur Dauidis pia proteſtatio ex fide, & gratiarum actione naſcens, v. 17. & 18.

III. Narratio cauſæ dialogiſtica, qua pſaltes oſtendit liberationem hanc Dauidem & Chriſtum (cuius ille typus fuit) ita ſpectare, vt ad Eccleſiam Dei, nempe Dauidis ſubiectos & Chriſti membra pertineat. Huius partes ſunt: 1. Aditus in domum Dei, v. 19. 20. 2. Oratio Eccleſiæ ad Deum, ſeu lætitiæ piorum exegeſis, v. 21. ad 26. 3. Oratio Dei ad regem & populum per ſacerdotes ſuos, v. 26. 27. & 28. Oratio Eccleſiæ conſtat ex prædicatione beneficiorum Dei. *Primum* beneficium, exauditio & ſalus, v. 21. *Alterum* pertinens ad regem, v. 22. totúmque regnum, v. 23. 24. 25. quod typicè in Dauidis perſona ſtabilitum, perfectè & abſolutè inſtitutum eſt in Chriſto & in Eccleſia, vt ipſe Chriſtus Matth. 21. 42. & alibi accommodat. Vide Epheſ. 2. 20. Oratio Dei ad regem & populum, ſeu tertia pars gratulationis, continens ſacerdotum verba omnibus ex officio benedicentium, Deut. 10. 8. & ſacrificia imperantium, v. 26. & 27.

IV. Concluſio, à ſingulari laudatione Dei fortis, v. 28. & à laudatione publica, v. 29. quæ adhibebatur, quum iſta Euchariſteria offerrentur Deo.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Capitis & membrorum eccleſiæ cõditio hoc pſalmo deſcribitur. Vt Chriſtus verus Dauid à ſynagoga reiectus, tamen conſtitutus eſt eccleſiæ fundamentum: ita ædificium illi impoſitum nullis viribus aut artibus dirui poteſt, ſed manet in æternum. Meritò igitur ad celebrationem Dei pro tantis beneficiis quæ Dauidi primùm exhibita fuerunt, fideles inuitantur.

Verſ. 1. 2. 3. 4. Argumentum laudãdi Dei nobis proponitur in eius miſericordia potiùs quàm in potentia & iudicio: quia ſi illic quoque refulget eius gloria, nunquã tamen alacres & voluntarij laudes eius canemus, donec ſuæ bonitatis dulcedine nos alliciat. vide Pſal. 51. 17.

Etſi ad gentes Chriſti regnum (de quo Dauid prophetico ſpiritu diſſerit hoc pſalmo) ſit extenſum, originẽ tamen & primitias habuit in populo electo, qui propterea nomine domus Iſraelis & Aaronis ad Deum celebrandum compellatur.

Veri Iſraelitæ ſunt ij omnes qui Deum timent & colunt ex eius verbi præſcripto, quæ deſcriptio ad Gentes in familiam Abrahæ per fidem in Chriſtum adoptatas etiam pertinet.

5 Exemplum Dauidis pios omnes confirmat, ne rebus aduerſis animum deſpondeãt: quia non excidit Dei miſericordia, imò tunc in precibus paratum eſt malis noſtris ſolatium.

6. 7. Qui Dei manu protegũtur, ſecurè deſpiciũt quicquid machinari poſſunt homines: & tunc demũ Deo tribuitur iuſtus honor, quũ præ ipſo nihil ducitur tota mundi potẽtia, quã cùm nimium formidamus, minimè mirum eſt, ſi tãm incredulitatis tot luimus pœnas.

Quoties Deus nobis opẽ tulerit, creſcat inde fiducia in poſterũ: nec tam obliuioſi ſimus, quin ſemper occurrat eius bonitas & virtus in ipſa neceſſitate nobis perſpecta.

Pijs Deus auxiliator ſufficit, modò illum à ſua parte ſtantem habeant. Deus enim illis eſt inſtar omnium, ſiue plures homines, ſiue paucos videant auxiliatores.

8. 9. Multùm profecerunt qui vno Deo contenti, etiãſi nihil auxilij reperiant in terra, bene tamẽ ſperare non deſinunt. Nec ij modò ſtultè errãt, qui plebeiis hominibus ſpem ſuã addicunt, ſed qui ſummis etiam regibus aliter quàm oportet, adhærent: quia ſemper tandem maledicta erit fiducia quæ in carne fundata eſt, Deo autẽ propitio mors quoque in vitam conuertetur.

10. 11. 12. Quamuis vndique Eccleſia ſit ab impiis obſeſſa, tantùm ſuccurrat Dei virtus, ſatis ſupérque valebit ad omnes hoſtes perdendos.

Pertinax & inexplebile eſt impiorum aduerſus pios odium: ſed impetu cæco feruntur, & tandem plus excandeſcentiæ quàm virium in eis fuiſſe euentus comprobat.

13. 14. Virtus Dei hinc meliùs refulget, quòd ab ipſis ruinis eccleſia erigitur.

Eccleſia infirmitatem ſuam ingenuè agnoſcens, vni Deo adſcribit quòd ſalua maneat, cui etiam totam ſalutis ſuæ laudem tribuit.

15. 16. Hoc exigit mutua inter fideles cõmunicatio, vt alij pro alijs viciſſim Deo gratias agant: præcipuè verò quum in eccleſiæ ſalute manum ſuam potẽter exerit, vt noſtro hoc ſeculo ſæpius factum eſt.

Deus ſeruos ſuos ſæpe liberat, ſed occultè & ſub ſpecie infirmitatis, vt ſentiãt quidẽ ipſi ſe manu eius fuiſſe ereptos, hoc autẽ aliis nõ ſit perinde cognitũ: aliquoties autẽ potenter agendo, & præter conſuetum

morem

morem manum ſuam in ſublime efferens pios omnes in maiorē ſuæ virtutis & bonitatis admirationem rapit.

17 Quicquid conentur impij, eccleſia in morte concluſa ad nouā vitam in dies emerget: ſed ea conditione vt per medias tenebras incedat & luctetur: quia ſalus piorum in ſpe repoſita, palàm conſpicua eis eſſe nequit.

Deus vitam ſuis non prorogat vt fruantur terrenis omnibus cōmodis, ſed vt eius quotidiana beneficia celebrent. Vide Pſal. 115.

18 Hoc primū eſt in rebus aduerſis, 1. vt ſciamus nos humiliari ſub Dei manu. 2. Hoc modo probari noſtrā obedientiam. 3. Vitia noſtra reprimi. 4. Virtutes omnes in nobis accendi. 5. Nos ſtimulari ad cæleſtis vitæ meditationem. 6. Afflictiones omnes quantumuis graues nobis cedere in bonum. 7. Deum infirmitatis noſtræ ſemper habere rationem, nec lethales plagas infligere velle.

19.20.21 Dum hodie per ſummum nefas & dedecus pleriſque in locis Antichriſti ſatellites quantū in ſe eſt, ſanctuarium Dei occupāt, reſtituta inter nos ſincera euangelij doctrina & ſacramentorū adminiſtratio requirit, vt demus quā poſſumus operā arcendis inquinamentis & fœtidis miſturis quæ puritatem eccleſiæ corrumpunt.

Sacrificia laudis ſunt offerenda Deo, quandoquidem eius gratia tot modis ſumus ſeruati.

22 Dauid à primoribus regni eiectus, tandem in ſolium regium euectus eſt. Chriſtus verus & æternus Dauid, inuitis Pontificibus, ſacerdotibus & aliis, titulo ædificantium ſuperbientibus, rex eccleſiæ eſt agnitus: necnon hodie frendente tota pſeudepiſcoporum colluuie, per Euangelium regnat, Antichriſti tyrannidem in dies potenter euertens, donec tādem illuſtri aduentu ſuo filium illum perditionis omnino aboleat.

23 Nullum præſtantius Dei opus quàm regni Chriſti erectio & conſeruatio inter tot mundi mutationes & Antichriſti furores.

24 Veri dies feſti ſunt quicunque inſignes Eccleſiæ liberationes nobis proponunt: tū præcipuè ij in quibus redemptionis noſtræ myſteria repetuntur. Propter alias liberationes à tyrannide perſecutorum & hæreticorum propter iudicia in impios, apoſtatas & hypocritas maximè etiam, ſed in Deo, lætandum.

25 Pro regni Chriſti proſperitate & incremento ardenter eſt precandum: illúdque ſemper animis noſtris occurrere debet, Adueniat regnum tuum.

Non hominum induſtria vel promouetur vel fulcitur Chriſti regnum: ſed hoc vnius Dei eſt opus, quia ad ſolam eius benedictionē confugere docentur fideles.

26 Etiamſi Deus ſponte & abſque vllius rogatu filij ſui regnum tam erigere quàm tueri poſſet, non fruſtra tamen hanc curā nobis mandauit: quia nihil eſt in quo ſe meliùs exerceant fideles quàm in expetenda eius gloria.

27 Chriſtus rex Eccleſiæ datus quū ſit à patre cæleſti (cuius gratiæ ſolium Dauidis fuit præludium) Deum illuxiſſe ſuis electis meritò dicit Scriptura. Et noſtrum eſt pro tanto beneficio laudis ſacrificia gratis & lætis animis Deo offerre, quæ per Chriſtum agnū immaculatum (cuius ſanguine ſumus redempti) ſanctificantur.

28.29 Quum tot modis Dei bonitatem in Chriſto ſimus experti, ſupereſt vt nos alioſque tum publicè tum priuatim, pro noſtræ vocationis ratione, ad piam animi gratitudinem & ſancti huius nominis celebrationem alacriter inuitemus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Capitis & membrorum Eccleſiæ Dei conditio.
2. Laudum diuinarum argumenta luculentiſſima.
3. Eccleſiæ Dei Characteres, ſincera Dei agnitio & laus, benignitatis diuinæ ſenſus, ſancta vita.
4. De auxilio Dei & fiducia in Deum.
5. De afflictionibus piorum.
6. Portæ Eccleſiæ, portis mundi & inferorum oppoſitæ.
7. De typico & myſtico Eccleſiæ lapide.
8. De regno Chriſti ſummi regis.
9. De diebus feſtis Eccleſiæ.
10. Piorū vota pro ſalute Eccleſiæ & aduentu regni Chriſti, Deo gratiſſima.

ARGVMENTVM PSALMI CXIX.

IN hunc pſalmum etſi varia ſunt congeſta, quæ ad pietatem alendam & confirmandam faciunt, & crebrò nunc adhortationes, nunc querelæ, nunc preces, nunc gratiarum actiones, nunc conſolationes, nunc pollicitationes miſcentur: tamen vna principalis propoſitio Pſalmi hæc eſt, quòd omnes, qui ſunt membra veræ Eccleſiæ, hortatur, vt puritatem doctrinæ legis & promiſſionum de Meſſia ſtudeant conſeruare, & vitent omnes opiniones ac cultus ſine verbo Dei traditos. Deinde, vt vitæ ſanctitate animi pietatem declarent, adeóque totam vitam iuxta normam in verbo diuino præſcriptam componant. Id verò quia virium humanarum non eſt, ſæpe miſcet precationes, quibus petit, vt diuinitus per Spiritum ſanctum illuminetur & regatur, vt & doctrinam rectè intelligat & conſtanter amplectatur, & quæ in verbo diuino præcipiuntur, præſtare poſſit.

Additur & gratiarum actio, quòd hactenus ſenſerit in ſuo corde aliqua initia fidei & veræ conſolationis ac nouæ obedientiæ eſſe accenſa, eáque petit augeri & confirmari: miſcet & querelas, in quibus magnitudinem ſuorum dolorum, quos de peccatis & immunditie ſua habeat, oſtendit: & non tantùm ſuo exemplo affirmat, neminem quantumuis ſanctum in hac vita ſatisfacere legi diuinæ: ſed etiam conſolationes adiungit opponendas ſenſui iræ & iudicij diuini aduerſus peccata, & alijs doloribus, qui ſanctos in hac vita excruciant. Addit & alias querelas de malitia, calumnijs, crudelitate & tyrannide hoſtium ſuorum, & non tantùm aduerſus horum vim & iniuriam defendi ſe petit, ſed ſuam conſtantiam in profeſſione doctrinæ & pietatis cultu è regione commendat: ipſis etiam hoſtibus pœnas & exitium minatur. Vt autem adhortatio inſtituta magis ſit efficax & fructuoſa, Propheta paſſim ſuum exemplum eccleſiæ intuendum atque imitandum proponit, & ſimul de vtilitate atque efficacitate verbi diuini & fructibus pietatis per totum pſalmum concionatur, & ſimul pœnas contemptoribus doctrinæ cœleſtis denuntiat. Hæc ſumma eſt huius pſalmi, qui vt faciliùs mandari memoriæ à rudioribus poſſet, ita compoſitus eſt, vt ad ordinem literarum alphabeti congruat, & octonaria ſectione ad harum numerum ſit diſtributus. Vt enim primi octo verſus omnes à prima alphabeti litera א incipiunt: ita ſecundus octonarius à ב: tertius à ג incipit: idque non parum ad memoriā iuuandam valet. Cúmque non dubium ſit hunc pſalmū propter varietatē doctrinæ & conſolationum dulciſſimarū fuiſſe omnibus in populo Iudaico quàm familiariſſimum, opera à nobis danda eſt, vt non tantùm verba memoriter recitare diſcamus, ſed intimis animi & cordis noſtri penetralibus infigamus, & quoties opus eſt, non tātùm teſtimonia, quæ doctrinam confirmant, ſed conſolationes etiam neceſſarias inde petamus.

א

1 BEati integri in via: ambulantes in lege Iehouæ.

2 Beati cuſtodientes teſtimonia eius: [*qui*] toto corde exquirunt eum.

Diximus, autorem pſalmi, quiſquis ille ſit (nam de autore non conſtat) hoc principaliter ſpectare, vt filij Dei excitētur ad doctrinæ cœleſtis amorē & pietatis ſtudium: & ne ſtudium ſit vagum, quale eſt eorū qui cultibus humana autoritate inſtitutis ſeu ἐθελοθρησκείᾳ Deum demereri ſtudent, præſcribi in hoc pſalmo certā regulam ſeu modū veri cultus Dei. Vt igitur adhortatio illa ſit efficax in animis auditorum: & plures ad pietatis ſtudium inuitentur, varia in hoc pſalmo colliguntur argumenta, quibus perſuadere, quod inſtituerat, conatur: cúmque homines maximè ſpe vtilitatis ducantur, mox initio de fructu pietatis diſſerit, & ſimul quæ ſit ratio piè iuſtéque viuendi definit. *Beati* inquit, ſunt *integri in via, ambulantes in lege Domini.* Mundus non ſolùm non iudicat beatos qui religioni & pietati operam dāt, ſed habet eos pro hominibus abiectiſſimis & contēptiſſimis: imò tanquam καθάρματα & περιψήματα iudicat remouendos ex hominum conſpectu, ne terra ipſorum contactu polluatur: ideóque magna odiorum acerbitate & ſuppliciorum crudelitate plerique pio-

perſequuntur. Sed affirmat Spiritus ſanctus tales eſſe beatos, hoc eſt, eſſe membra veræ eccleſiæ, placere Deo & eſſe hæredes vitæ æternæ, quantumuis in hac vita cruce & calamitatibus premantur, aut odiis & iniquis præiudiciis grauentur. Hoc primum eſt argumentum; quo pios hortatur propheta, vt doctrinam à Deo traditam conſtanter amplectantur, & iuxta hanc vitam inſtituant. Deinde ne quis exiſtimet pietatem conſiſtere vel in externa, atque honeſta morum gubernatione, ſicut philoſophi iudicarunt, vel etiam in ritibus humana autoritate confictis, atque inſtitutis, vt Phariſæi, hypocritæ, & monachi ſomniant, addit deſcriptionem, quales ſint aut eſſe debeant, qui veræ pietati ſtudent, & quam normã in omnibus ſuis actionibus intueri & ſequi debeant.

Primùm, inquit, *integri in via*, id eſt, incorrupti, non contaminati idolorum cultu, aut falſis opinionibus de Deo, & non polluti lapſibus contra conſcientiam. Multi inter Ethnicos, vt Atticus, Scipio, Socrates, Ariſtides, &c. agunt honeſtam vitam, quod ad externam diſciplinam attinet, tribuunt ſuum cuique, neminem lædunt aut defraudant, ſunt iuſti in contractibus, ſunt benefici, iuuant publicam tranquillitatem, & ornant publicum ſtatum, quantum poſſunt. Ideo laudem iuſtitiæ inter homines merentur. Sed tamen non ſunt integri in via, quia mens eorum polluta eſt prauis opinionibus de Deo, non rectè agnoſcunt, nec colunt Deum, non referunt actiones ſuas ad gloriam Dei: ardent etiam iniuſtis cupiditatibus & affectibus; quos non agnoſcunt eſſe peccata. Itaque longiſſimè abſunt ab illa integritate, quæ à piis requiritur, nec poſſunt dici beati. Hîc autem explicanda eſt quæſtio. Cũ alibi ſcriptura dicat: Non eſt iuſtus in terra, qui faciat bona & non peccet, Eccleſ. 7. & Prou. 20. Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? Item 1. Iohan. 1. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & veritas non eſt in nobis. Item, omnes peccauerunt, &c. id eſt, habent peccatum & ſunt rei. Cur igitur requiritur integritas & perfecta obſeruantia mandatorum Dei ab hominibus quam præſtare & aſſequi non poſſunt? & cur beatitudinis nomine, quæ hoc modo angelis potiùs quam hominibus congruit, fruſtra ſcriptura nobis blanditur? Reſpondeo, phraſes iſtæ, quæ videntur eſſe legales, & paſſim in hoc pſalmo, & alibi occurrũt, (vt cùm dicitur, integri vel immaculati in via: ambulantes in lege Dei: cuſtodientes mandata Domini: currere viam mandatorum Dei & ſimiles,) non intelligẽdæ ſunt νομικῶς de perfecta impletione legis de qua dicitur in Deut. 27. Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in lege, nec opere perfecerit: ſed hoc loco & ſæpe aliàs loquitur vox diuina euangelicè de profeſſione incorruptæ doctrinæ, quæ tamen fit fide & bona conſcientia, vt loquitur Ioh. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Item, Luc. 11. Beati qui audiunt ſermonem Dei, & cuſtodiunt illum. Vt enim ibi ſeruare ſermonem nequaquam intelligitur νομικῶς de integra impletione legis, ſed de cuſtodia incorruptæ doctrinæ in fide & bona conſcientia. Ita intelligantur ſimilia dicta in hoc pſalmo, Ambulantes in lege Dei, Item, cuſtodientes mandata Dei, &c.

Deinde in voce תמימי adiicienda eſt commonefactio. Noſter interpres reddidit ex Græco, immaculatum. Nam Græcus reddidit ἄμωμον quod ipſum videtur eſſe à voce Hebræa מום. Sed vox תמימי propriè ſignificat integrum, vt cùm de pecude offerenda in ſacrificium dicitur, pecudem eſſe integram, non morbidam, non mutilatam, non cæcam, non claudicantem, nõ ſcabioſam. Ita igitur integer in via dicitur, non (vt Latinè dicimus) conſummatus ſeu perfectus, qui omnes partes obedientiæ & omnium partium ſummos gradus habet, aut qui prorſus ſit ἀναμάρτητος, & nihil habet vitij, ſed ſignificat incorruptum, non contaminatum falſis & fanaticis opinionibus de Deo aut cultu idolorum, non pollutum peccatis contra conſcientiam, hoc eſt, qui iuxta regulam Pauli retinet fidem & bonam conſcientiam. Phraſis autem ſumpta eſt ex Geneſ. 6. Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, & coram Deo ambulauit, & cap. 17. ad Abraham inquit Deus: Ambula coram me & eſto integer ſeu perfectus, id eſt, ſis cuſtos incorruptæ doctrinæ in fide & bona conſcientia. Et Deuter. 18. præcipitur: Integer eſto coram Domino Deo tuo, id eſt, ſine falſa opinione & cultu idololatrico & ſine ſuperſtitione: prohibet enim ibi obſeruationes ſomniorum, auguriorum & ſimilium ſuperſtitionum. Ex quibus teſtimoniis intelligi poteſt quomodo Spiritus ſanctus vſus ſit hoc vocabulo. Cùm igitur dicit pſalmus, Beati integri: præcipit vt vitemus corruptelas doctrinæ, & veram doctrinam à Deo traditam amplectamur, & iuxta hanc de Deo ſentiamus, eúmque vera fide inuocemus & ei obtemperemus.

Viam nominat omnia ſtudia & actiones noſtras, atq; adeo totum vitæ noſtræ inſtitutum. *In via*, id eſt, *In alle dem da er mit vmbgehet vnd das er fur hat.*

תורה In genere ſignificat doctrinam à Deo traditam & patefactam, eſtque vocabulum generale, quod complectitur omnes partes doctrinæ de Deo. Significat enim inſtitutionẽ ſeu doctrinam, Ieſai. 2. Ex Sion exibit Lex, & verbum Iehouę è Ieruſalem. Prouerb. 1. Ne ſpernas inſtitutionem matris tuæ, & cap. 14. Inſtitutio ſapientiæ eſt fons vitæ. Et Chriſtus libros veteris teſtamenti appellat nomine legis, Iohan. 10. Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: Ego dixi dij eſtis. Item cap. 15. vt compleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Odio habuerunt me gratis. Et Paulus Gal. 4. Geneſin vocat legem, & 1. Cor. 14. legem eſſe ſcribit, quod ex Ieſa. cap. 28. allegat. Sæpe tamen hæc vox etiam in ſpecie pro lege Moſis accipitur, & tunc ferè comprehendit omnes tres partes.

עדות Vtitur propheta variis nominibus in appellatione doctrinæ diuinitus traditæ, quæ quanquam in ſpecie differant ſignificatione, tamen nunc tanquam Synonyma vſurpantur, & vnam atque eandem doctrinam ſignificant. Voluit autem propheta hac varietate appellationũ & variis elogiis plus reuerentiæ conciliare doctrinæ diuinæ: Nomen autem עדות in ſpecie quidem ſignificat teſtimonium: accommodatur autem ad doctrinam à Deo traditam: ſed cum certa notatione ſeu reſpectu. Quia ſcilicet hæc doctrina ita tradita eſt diuinitus, vt Deus certis conditionibus cum populo ſuo paciſcatur, eſtque certa conuentio: partim enim quid velit à nobis fieri conteſtatur: partim de voluntate ſua erga genus humanum, hoc eſt, de gratuita adoptione teſtatur. Itaque hac voce non tantùm decalogus, ſed etiam promiſſiones comprehenduntur.

In toto corde requirunt eum] Id eſt, qui ardenter & veris cordis motibus ac ſincerè ſine omni hypocriſi, ſine claudicatione, ſine pleonexia, ſine moroſitate, ſine faſtidio eum colunt, quíque non ore tantùm iactant pietatem, ſed factis præſtant. Diſcernit igitur hac phraſi verè pios ab hypocritis, quorum natura multis ſimulationum inuolucris tegitur & quaſi quibuſdam velis obtenditur. Verbum נצר in hoc verſu Græcus reddit verbo ἐξερευνᾶν ſcrutari: ſed propriè ſignificat conſeruare & obſeruare. Solent autem ſcrutantes omnia diligenter obſeruare. Ideo Græcus illo verbo vſus eſſe videtur, vt commendet ſtudium inquirendi veritatem & diſcendi doctrinam de Deo. Sicut & Chriſtus iubens, inquit, Scrutamini ſcripturas. Sed ſignificatio vocis Hebrææ magis congruit ad illum ſermonem Chriſti Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, &c.

3 Certè non faciunt iniquitatem [*qui*] in viis eius ambulant.

Videtur propheta occurrere obiectioni. Cùm enim beatitudinem non niſi his promittat, qui ita ambulant in legẽ Dei: vt teſtimonia eius cuſtodiant, & Deum ex toto corde requirant, videtur impoſſibilia præcipere. Nam, vt antea dictum eſt, Non eſt iuſtus in terra, qui faciens bonum nõ etiam peccet: & ſcimus neminem aſſequi in hac vita poſſe illam integritatem & perfectionem quam lex requirit. Sicut Paulus ad Philip. cap. 3. negat ſe perfectum eſſe, ſcilicet qualitate ſeu omnibus gradibus. (Nam quod poſtea de omnibus fidelibus affirmat eos perfectos eſſe, intelligẽdum eſt de numero partium, non de qualitate. Sumus perfecti, id eſt, habentes omnes partes integrales, videlicet, omnes articulos fidei ſeu fidem & bonam conſcientiam, etiamſi obedientia erga legem nondum omnes gradus habeat.) Vt igitur oſtendat ſe non loqui de Idæa, quæ monſtrari in ſubiecto non poſſit: vt Plato de ſuis Idæis, aut Cicero de perfecto Oratore diſputat, addit ſuperiori ſententiæ quandam correctionem. Primùm ne quis cogitet promiſſiones ampliſſimas de beatitudine hominis fruſtra traditas eſſe, cum aſſequi illam perfectionem nemo poſſit. Deinde vt magis ſoliciti laboremus in amplectenda & retinenda puritate doctrinæ cæleſtis, & cauendis lapſibus cõtra conſcientiam.

Quod enim dicit: *Non enim operantur iniquitatem, qui in vijs eius ambulant*, non ita intelligendum eſt, quaſi ſancti in hac vita nulla prorſus habeant peccata aut immunditiẽ: aut quod nunquam labantur: ſed operari iniquitatem, ſignificat aliquid ex propoſito & contra conſcientiam committere contra legẽ Dei: vt cùm quis cõtra conſcientiam recepit doctrinã pugnãtem cum fundamento, aut euertẽtem vnum aut plures articulos fidei: aut cùm alioqui ſciens & volens peccat contra cõſcientiam. Nam aliud eſt Hebræis peccare, labi, errare, de quo in dicto Eccleſiaſtis dicitur, aliud eſt operari iniquitatem. Peccare infirmitatis eſt humanæ ac prauitatis, quam naſcentes nobiſcum afferimus in hunc mundum, & exuere in hac vita planè non poſſumus. Sed operari iniquitatem, ſtudij eſt & conatus

& conatus, & delectationis coniunctæ cum illa malitia: & ſignificat totum eſſe addictum ſceleribus, & præſertim donis à Deo acceptis ad quæuis mala abuti. Ex his iudico intelligi poſſe, quid velit propheta cùm inquit, *Certè non operantur iniquitatem.* Vult enim dicere, etiamſi pij, qui in lege Dei ambulant, habeant ſuos næuos & ſua peccata in hac vita: tamen propterea non exiſtimandum eſt neminem ambulare in lege Dei, nec toto corde requirere Deum. Si enim non recipiant errores pugnantes cum fundamento, nec indulgeant peccatis contra conſcientiam, ſique ſerio ſtudio vitent, fugiant & deteſtentur omnia quæ pugnant cum lege Dei, iudicantur ambulare in lege Dei. Hoc ſenſu dicitur in 1. Epiſt. Ioh. 3. Qui ex Deo natus eſt non facit peccatum, id eſt, non eſt ei deditus aut addictus, non delectatur peccato, non ruit petulanter in ſcelera contra conſcientiam. Hæc ſimpliciſſima eſt ſententia huius verſus.

Deinde addi & hoc debet, quod ſimul voluit proponere fructum pietatis, vt nos ad eius ſtudium inuitaret. Sicut enim beatitudo promittitur ambulantibus in lege Dei: ita hoc etiam commodi accedit ex pietatis ſtudio, quòd diuinitus cōſeruantur boni & pietatis amantes, ne in horribiles furores aut ſcelera ruant, quibus ſibi & ſuis exitium attrahant. Hæc vtilitas adeo manifeſta eſt, vt omnes inuitare ad pietatis ſtudium debeat. Videmus enim, eos qui neglecto Deo & verbo ipſius, ſuo arbitrio viuunt, ſuis cupiditatibus & affectibus rapi & præcipitari in horrenda ſcelera: vt Saul & maxima multitudo in genere humano, excuſſo Deo præcipitant ſe in æternum exitium. Itaque nihil eſt miſerius iſto homine qui neglecto Deo & verbo eius, ſuis cogitationibus, & cupiditatibus indulget. Quotieſcunque enim ſe offert occaſio, ruit in errores & ſcelera, quibus ſe tandem euertit. Viæ Dei hoc loco ſignificant formam, modum ſeu inſtitutum viuendi, nobis lege Dei patefactum ac præſcriptum. Alibi verò ſæpe ſignificat modum ſeu rationem, qua ipſe Deus vtitur in gubernanda eccleſia.

4 Tu mandaſti ſtatuta tua cuſtodiri valde.

Tertium argumentum, quo ſtudium pietatis nobis commendat, ſumptum eſt à mandatis diuinis. Deus, inquit, ſeuerè exigit à nobis hoc ſtudium vitandi errores in doctrina, & lapſus contra conſcientiam. Quanquam igitur cæleſtis doctrinæ & pietatis ſtudium comitantur contemptus, odia, inopia & innumerabilia pericula, tamen ſciamus neceſſarium eſſe id ſtudium. Neque enim in noſtro arbitrio poſitum eſt obedire vel non obedire, nec ſtudium pietatis eſt quiddam ἀδιάφορον, vt Carpocrates dicere ſolebat, πάντα ἀδιαφορεῖν πλὴν πίστεως, intelligens fidem hiſtoricam, quæ externa profeſſione oſtendit ſe probare doctrinam traditam per prophetas & Apoſtolos. Et noſtro tempore Antinomi vociferantur, legem non eſſe piis proponendam tanquam normam actionum.

Hæc omnia refutat, cùm inquit, *Tu mandaſti vt cuſtodiātur valde.* Compellat autem propheta ipſum Deum. Tu, inquit, mandaſti: quaſi iudicem Deum ante oculos omniū ſtatuens, vt adhortatio magis ſit efficax.

Valde] Id eſt, ſummo ſtudio & diligenter: non obiter nec leuiter, ſed vt totum ſtudium noſtrum in eo ſit occupatum.

5 Vtinam firmentur [*ſtabiliantur*]. viæ meæ ad cuſtodienda edicta [*ſtatuta*] tua.

Videt propheta tantam eſſe infirmitatem humanæ naturæ, vt niſi diuinitus ſuſtentemur & confirmemur, facilè in errores & ſcelera labamur, nec poſſe niſi per Spiritum ſanctum in nobis inchoari nouam obedientiam Deo placentem, ſicut rectè dicitur à Nazianzeno πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ εἶναι. Et eccleſia canit, *ſine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Ideo per totum pſalmum miſcet vota, vt diuinitus Spiritu ſancto mens regatur & confirmetur, vt veram doctrinam rectè intelligat, & ita amplectatur, ne ab ea ad errores aut humana ſomnia deficiat: deinde vt cor etiam meliùs accendatur & confirmetur, vt totam vitam iuxta normam diuinitus præſcriptam inſtituat, & in hoc pietatis curſu vſque ad extremum conſtanter perſeueret. Ideo vtitur verbo כון quod propriè firmare aut ſtabilire ſignificat, vt è regione infirmitatem ſuam, & omnium hominum notet. Nam nec doctrinam niſi Deo docente intelligimus, propter triſtem caliginem & dubitationes, quas naſcentes in hunc mundum afferimus, nec cor ſubiicitur legi Dei, niſi Deo ad obedientiam id flectente & ad ſe reducente.

חקים propriè ſignificat ſtatuta & ritus diuinitus præſcriptos, quales plurimi erant vſitati in ſacerdotio Leuitico. Ita autem dicuntur, quòd ceremoniæ in lege Moſis non eſſent otioſa ſpectacula aut exercitia tantùm externi hominis, ſed vmbra & imagines ſeu typi rerum maximarum. חקק enim ſignificat depingere: effigiare imaginem, & formas fingere ſeu inſculpere. Hic verò generaliter, vt cætera vocabula συνεκδοχικῶς accipitur de tota doctrina diuinitus eccleſiæ tradita.

6 Tunc non pudefiam, cùm reſpexero [*intentus fuero*] ad omnia mandata tua.

Aliud eſt argumentum, quo ad pietatem nos hortatur, ſumptum à conſcientia rectè factorum & ab eius tranquillitate, idq; proponit in ſua perſona, vt omnes pij ad ſe id pertinere intelligant.

Erat enim Dauid (quem credibile eſt hunc pſalmum compoſuiſſe) ſummus doctor in populo: itaque in ſua perſona nō tantùm docet cœtum vniuerſum, ſed ipſe etiam præit, & ſuo exemplo quaſi dux eſt. Ego, inquit, *non confundar*, id eſt, non pœnitebit me vllius conſilij vel actionis ſuſceptæ, nec turbabitur conſcientia vllo facto ſecūdùm legem inſtituto, omniáque mea ſtudia, conatus & actiones habebunt bonos & placidos euentus, ſi legem tuam tāquam normam omnium actionum ſemper intuear & mihi ante oculos ponam. Idque experientur cæteri, qui meum exemplum imitandum ſibi proponent. Alioqui enim qui remota ex conſpectu lege diuina ad ſuam dignitatem, opes, gloriam & alia commoda reſpiciunt, vel doctrinam Dei ad principum & multitudinis volūtates & affectus inflectunt, hi ſæpe pudefiunt, nō tantùm quòd optata vt plurimùm non conſequuntur: ſed etiam conſciētia ſauciata ſuſtinet dolores acerbiſſimos, ex quibus niſi diuinitus retrahantur, perire in æternum neceſſe eſt: impeditur etiā inuocatio, & ſequuntur varij errores in conſiliis & aliæ pœnæ grauiſſimæ etiam in hac vita.

Nihil eſt, inquit Gregorius Nazianzenus: quod ita nos exhilaret, vt pura conſcientia & bona ſpes. E cōtra nihil eſt triſtius & miſerius ſauciata conſcientia. מצות in ſpecie legem moralem ſignificat, Deuter. 6. &c. Hîc generaliter accipitur pro tota doctrina. Eſt autem emphaſis in voce omnia. Nam fides, vt dici ſolet, eſt vna copulatiua. Et qui in vno delinquit, fit omnium reus, Iacob. 2.

7 Celebrabo te in rectitudine cordis: cùm didicero iudicia iuſtitiæ tuæ.

8 Edicta tua cuſtodiam: ne me derelinquas vſque valde.

Quia petiuerat ſe diuinitus doceri & confirmari, vt conſtanter amplecti doctrinam & vitam ſuam iuxta hanc normam inſtituere poſſet, ſubiicit nunc argumentum à fine ductum, affirmans ad gloriam nominis diuini eam rem ſpectare. Si enim diuinitus doceatur & gubernetur, non tantùm ipſe priuatim habebit lætam & tranquillam conſcientiam, ſed etiam læta & tranquilla conſcientia celebrare Deum, atque ei obedire poterit. Rectitudinem cordis nominat ſinceritatem, à qua abeſt ſimulatio, dolus, coactio, πλεονεξία & alij praui affectus.

Celebrabo] Scilicet, abs te cōfirmatus & gubernatus משפטים Iudicia ſignificant propriè leges iudiciales, quarum vſus erat in foro & iudiciis publicis: ſed vt cætera vocabula, transfertur hoc loco ad totam doctrinam. Quod autem additur vocabulum iuſtitiæ, ſignificat in hac doctrina nihil præcipi, niſi quod rectum & iuſtum ſit, vt iudicia iuſtitiæ nihil aliud ſint quàm præcepta, quæ perfectam in ſe iuſtitiam continent. Si quis tamen eò vult accōmodare, vt iudicia iuſtitiæ dicantur, quòd ſola hæc doctrina monſtret, quomodo homo fiat iuſtus, hoc eſt, acceptus coram Deo, & quomodo inchoata obediētia placeat Deo, non repugno.

Ne me derelinquas] In fine octonarij petit, vt quemadmodum in ipſo Deus cœpit bonum opus, ita id perficiat. Agnoſcit enim hactenus ſe diuinitus gubernatum eſſe: & quia intelligit maximam eſſe infirmitatem noſtram, & varias inſidias diaboli conantis nos abducere à recto pietatis curſu, petit ne deſeratur à gratia Dei: idque dupliciter intelligi poteſt. Primùm vt à Spiritu ſancto aſſiduè doceatur & confirmetur, ne lux & agnitio doctrinæ cœleſtis à Spiritu ſancto accenſa in ſuo animo rurſus extinguatur, atque ita faſtidium & contemptus pietatis ac religionis ſibi obrepat. Deinde quia fieri non poteſt, quin eccleſia in hac vita exerceatur cruce & calamitatibus multipliciter, petit etiam calamitates & ærumnas, quæcunque ingruant, ita mitigari, ne fractus magnitudine malorum, aut irretitus Diaboli laqueis deficiat à Deo, & curam religionis ac pietatem omnem abiiciat. Atque ad hanc poſteriorem ſententiam alludere videtur dictione מאד valde. Significat enim interdum quidem Deum in calamitatibus ita ſe ſubducere ex conſpectu ſuorum vt non conſpiciatur: ſed niſi id fiat *vſque valde*, id eſt, niſi perpetuò id duret, aut nimis diu extrahatur auxilium, ac niſi malum ſit nimis graue, poſſe reſpirare pios, ſi poſt longam etiā morā conſpiciant teſtimoniū aliquod præſentiæ Dei inter pios. Alioqui enim langueſcit fides & inuocatio, & pietatis ſtu-

dium ſit remiſſius. Alioqui tamen has voculas עד מאד *vſque valde* referunt ad præcedens membrum. Ego cuſtodiam mãdata tua valde, id eſt, ex toto animo & viribus, modò ne deſeras me: vt alludere videatur ad illud Moſis, Diliges Dominũ Deum tuum ex omnibus viribus: vbi extat dictio מאד.

SECVNDI OCTONARII ARGVMENTVM.

REPETIT Propheta eandem doctrinam. Sicut enim ſuprà in genere omnibus, ita nunc peculiariter iuuentuti commendat ſtudium verbi diuini & pietatis. Suntque cauſæ principaliter duæ, cur adoleſcentiam nominatim erudire voluerit. Primùm quia illa ætas homines locat quaſi in biuio, vt certum ſibi genus vitæ deligant: quemadmodum de Hercule ex Prodico refert Xenophon. In tali deliberatione oſtendit, nullum eſſe conſilium melius & tutius, quàm legem Dei magiſtram & ducem ſibi proponere: & ſimul monet ſtudium illud docendi doctrinam de Deo, & obtemperandi mandatis diuinis, non eſſe differendum in vltimam ætatem: ſed ſtatim à prima adoleſcẽtia inchoandum. Nam vt alioqui ὀψιμαθία rarò eſt felix: ita ſi adoleſcentia negligat & abiiciat ſtudium doctrinæ cæleſtis ac pietatis, & in erroribus ac ſceleribus ſuis obdureſcat, difficulter à conſuetudine peccandi ſe auellet, & rarò ad Deum conuertetur. Altera cauſa eſt, quia adoleſcentia maiore impetu fertur ad obtinendam licentiam cupiditatum ſuarum, & magis æſtuat libidine & alijs vitijs. Ideo ſeueriore opus eſt adoleſcentibus diſciplina & maiore diligentia in regendis moribus, quam niſi maturè adhibeant, periculum eſt ne abrepti ſuis cupiditatibus & ardore iuuenili ſeſe in exitium præcipitent. Id quod multis accidere videmus. Hæc ſumma eſt huius primi verſus, cum inquit:

9 IN quo mundabit adoleſcens viam ſuam? vt[*ſi*] cuſtodiat verbum tuum.

Diligenter autem obſeruandum eſt, quod dicit: In quo mundabit *adoleſcens* viam ſuam? Significat illam ætatem obnoxiam eſſe & ſcatere plurimis vitiis, quæ corrigi nulla re meliùs poſſint, quàm ſtudio verbi diuini & exercitiis pietatis. Præſtant aliquid in inſtitutione liberorum parentes, pædagogi, amici, aut etiam ſacrorum miniſtri, ſi officio ſuo diligenter fungantur: ſed niſi ipſi adoleſcentes animum ad pietatis ſtudium adiiciant, omnis ille labor penè fruſtra ſuſcipitur. Deinde mundare viam ſuam ſignificat, abiectis vitiis talem vitam agere, quæ Deo placeat. Scipio, Atticus & alij inter Ethnicos, etſi ad virtutem inſtituuntur, & ipſi honeſtè regunt mores externos: tamen, quia non cuſtodiunt ſermonem Dei, id eſt, quia ſunt ignari doctrinæ diuinitus traditæ, nec militant illam militiam, quæ conſiſtit in fide & bona conſcientia, non eſt munda ipſorum via, id eſt, non placent Deo ipſorum actiones & ſtudia. Ioſeph verò, item Dauid & alij ſimiles mundant viam ſuam ſecundùm regulam hîc præſcriptam. Abſtinet Ioſeph ab alterius coniuge, non tantùm quia inter homines cogitat honeſtum eſſe alienam non attingere, ſed ſimul cogitat mandatum Dei, & refert ſuam obedientiam ad gloriam Dei. Cauet ne Deus offendatur, néve ſcandalis doctrina deformetur. Ideo hic mundat viam ſuam, cùm cæteri tantùm ad hominum iudicia reſpiciant.

Cuſtodiendo] Id eſt, cauendo ſibi, regendo ſe & inſtituendo vitam & mores ſuos iuxta verbum tuum.

10 In toto corde meo quæſiui te: ne me errare ſinas à mandatis tuis.

11 In corde meo abſcondi eloquium tuum, ne peccem tibi.

Inter alia argumenta, quæ homines adducere ad ſtudium pietatis poſſunt, propheta ſuum exemplum ſæpe in hoc pſalmo allegat, quod alij ſibi intuendum atque imitandum proponant. Multùm enim valent exempla ad perſuadendum. Et inprimis in hoc argumento opus eſt aliquo exemplo. Videbatur enim poſtulare aliquid non arduum modò, ſed penè impoſſibile: cùm diceret, Non fore beatos, niſi qui integri eſſent in via, & qui toto corde requirerent Deum. Ne igitur, ſi res videretur impoſſibilis, homines abiicerent ſtudium pietatis, adducit ipſe ſuum exemplum, & de ſe affirmat, quod toto corde exquiſiuerit Deũ. Sicut & Chriſtus cùm dixiſſet, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: adduxit mox, Hi ſeruauerunt ſermonem meum. Et tamen ne quis exiſtimet, id poſitum eſſe in viribus humanis, addit propheta precationem vt diuinitus ſeruetur, ne ruat in ſcelera contra cõſcientiam. Atque ita monet, quomodo obſeruatio mandatorum in hac vita fiat poſſibilis, fide ſcilicet, confugiente ad gratiam Dei & implorante Dei auxilium. Fides enim ante omnia ſtatuit perſonam placere Deo propter mediatorem. Et quia magna eſt infirmitas humana, & ad peccandum procliuitas, petit illam infirmitatem & prauas inclinationes tegi, & ſimul ſe confirmari à Spiritu ſancto, vt in cœpto pietatis curſu pergere poſſit. Ita igitur opera piorum, quanquam procul abſunt à perfectione quam lex requirit, placent Deo, quia ſcilicet perſona placet propter Mediatorem, propter quem etiam næui & ſordes, quæ nobis adhærent, teguntur, & ſimul adiuuantur pij à Spiritu ſancto, vt inchoare nouam obedientiam & offerre hoſtias ſpirituales acceptas per Ieſum Chriſtum poſſint. Hanc verò nouam obedientiam, quę tamen admodum languida & ſordida eſt in hac vita, hoc elogio ornat propheta, vt dicat ſe toto corde requirere Deum: quia ſtatuit ſe fide intuente Mediatorem & apprehendente eius iuſtitiam non aliter placere Deo, quàm ſi ipſe legi ſatisfeciſſet.

Non ſinas me errare] Id eſt, da vt retineam fidem & repugnẽ falſis opinionibus, & ne conſcientia ſaucietur lapſu contra legem Dei. Significat autem verbum Hebræum, tantam eſſe humanæ naturæ propenſionẽ ad peccandum, vt ſi Deus manum ſuam ſubtrahat, mox in errores & peccata homo labatur. Cùm enim dicit, Ne ſinas me errare, idem eſt ac ſi diceret, prohibe, ne quod ſponte ſeu naturę prauitate impulſus facturus eram committam. Natura enim ex ſe nihil poteſt niſi errare & labi. Sed tu, inquit, cõtine me in ſemitis tuis, atque ita fac ne errem.

In corde meo abſcondi] Hic verſus oſtendit, quibus rebus munitos nos eſſe oporteat, ſi vitare velimus peccata contra cõſcientiam & errores euertentes fundamentum. Magna eſt imbecillitas naturæ, quæ facilè ruit in errores & peccata, & accedunt inſidiæ & afflatus diaboli multiplices, quibus homines impellit in peccata. Hic igitur animus muniendus eſt hoc clypeo cuius hîc mentionem facit, vt excutere illa ignita diaboli tela, & reſiſtere noſtris prauis affectibus poſſimus. Lex Dei penitus infigenda eſt noſtris pectoribus. Eſt autem dulcis metaphora in verbo צפן ſumpta ſimilitudine ab his qui theſaurum inuentum abſcondunt & reponunt. Significat ergo propheta eloquia Dei piis eſſe loco theſauri, qui abſcõdi ſolet ne amittatur. Sicut Chriſtus eſt vſus hoc ſimili, Matt. 13. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, &c.

12 Benedictus tu Iehoua: doce me ſtatuta tua.

Repetit precationem: & cauſa huius aſſiduæ repetitionis iam ſignificata eſt. Monemur autem exemplo Dauidis, vt nos quoque inceſſanter oremus, & vt quiſque ſe diuinitus adiutum fuiſſe ſentit, eo maiore cura & ſtudio ad implorandum Dei auxilium incumbat. Niſi enim cõtinuo ſuo fauore Deus nos proſequatur, actum eſt de nobis. Dauid quanquam excellens Doctor in populo Dei fuit, tamen petit ſe doceri diuinitus, quia ſcit nihil ſe intelligere in doctrina diuinitus patefacta, niſi Deo monſtrante & docente, & cupit dona ſua cõfirmari & augeri. Idem nos quoque faciamus. Nominat autem Deum benedictũ, vt hac appellatione ſuam fiduciam in Deũ exuſcitet & confirmet, dum ſibi Dei immenſam bonitatem, iuſtitiam & miſericordiam ob oculos poſuit. Benedictus enim dicitur Deus: quòd omni laude propter bonitatem & miſericordiam ſit dignus.

13 Labiis meis narrabo omnia iudicia oris tui.

Petitioni ſubiicit confeſſionem & pollicitationem gratitudinis, in qua oſtendit effectus donorum diuinorum. Sicut enim, inquit, hactenus functus ſum munere Doctoris in populo tuo: ita deinceps abs te edoctus & confirmatus maiore ſtudio & diligentia in id incumbam, vt doctrina tua propagetur, & multi ad agnitionem nominis tui inuitentur: non defugiam illa pericula, labores aut certamina: non frangar odio, maleuolentia aut calumniis eorum, quæ huic doctrinæ aduerſantur. Verbum ספרתי quod in præterito ſcribitur, ſignificat continuum actum. *Iudicia oris Dei* nominat doctrinam diuinitus patefactam, quaſi ex ore Dei ſit profecta (Tribuit enim os Deo ἀνθρωποπαθῶς, vt certitudinem doctrinæ commen-

commendet.)Non eſt excogitata humana audacia aut curioſitate,ſed Deo ipſo ex ſinu arcano prodeunte pateſacta: & dicit ſe omnia iudicia commemoraturum: quia Doctor debet complecti integram doctrinam, non conuellere aut corrumpere aliquam partem. Nam fides,vt ſupra diximus, eſt vna copulatiua. Ideo populus Exo. 12.iubebatur comedere integrum annum.

14 In via teſtimoniorum tuorum delector: ſicut ſuper omnes diuitias.

Poſtquam adoleſcentes hortatus eſt ad ſtudium doctrinæ & pietatis, nihil aliud in hoc octonario facit,quam quod ſuum exemplum conſiderandum proponit,non tantùm,quia publicè vult extare ſuam confeſſionem , ſed etiam , quia exiſtimat iuuenes tanti Doctoris , & tam ſenis autoritate & exemplo plurimùm moueri poſſe , vt animum ad pietatis ſtudium adiiciant.Erat enim Rex in hoc populo.Sicut igitur ſupra dixerat, ſe abſcondiſſe eloquia Dei in corde ſuo:Item, in toto corde ſuo requirere Deum: ita nunc ex collatione amorem ſuum erga Deum,& delectationem,quam ex doctrina eius capiat , oſtendit: atque hac collatione cæteros inuitare ad cognoſcẽdam doctrinã conatur. Inter homines nemo ferè eſt, qui non ardeat cupiditate congerendi opes & diuitias,& maxima pars hominum in his ponit ſummam felicitatem. Qualis igitur eſſe voluptas & delectatio poſſet eius hominis,qui omnes mundi opes congeſſiſſet, talis eſt voluptas mea,inquit, quam capio ex doctrina cœleſti. Mihi enim pietatis ſtudium tam eſt iucundum , quàm filiis huius ſeculi terrenarum opum copia. Huc congruit illud Pauli 1.Timoth. 6. Magna opulentia eſt pietas cum voluntate , quæ contenta eſt præſentibus bonis. Viam teſtimoniorum appellat doctrinam diuinitus traditam , in qua cuique via , quam currat,præſcribitur.

15 In ſtatutis tuis meditabor: & reſpiciam ad ſemitas tuas.

16 In ſtatutis tuis oblectabo me: non obliuiſcar verborum tuorum.

Repetit eandem ſententiam ,& ſimul perſeuerantiam in ſuſcepto pietatis ſtudio promittit. Vult enim monere ,non ſatis eſſe bene inchoaſſe illud ſtudium,ſed opus eſſe perſeuerantia.Nam qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit,inquit Chriſtus Matth.10.Ideo addit, Non obliuiſcar ſermonum tuorum. Omnia autem hæc non ita accipienda ſunt, quòd ſint inanis iactantia,qua ſe Deo commendat:ſed vult ſuum exemplum aliis prodeſſe.

In ſtatutis tuis meditabor] Id eſt,hoc vnicum erit meum ſtudium,vt tuam doctrinam rectè intelligam , in qua ſola ſumma bona monſtrantur , agnitio veri Dei & inuocatio, quæ vnicum & firmiſſimum eſt præſidium rerũ humanarum: deinde firma animorum conſolatio & norma vitæ Deo placentis.In his igitur occupabor & delectabor. Cætera quæ mundus magni facit & admiratur,curo nihil. Mundus enim nihil niſi ſuum, hoc eſt,vitioſum & immundum amat.

Reſpiciam ad ſemitas tuas] In quibus ſcilicet,incedens errare non poſſum:hominum enim ſemitæ ſunt plenæ labyrinthis,erroribus,doloribus, & abducunt in præcipitia.

TERTIVS OCTONARIVS.

ג

17 Benefac ſeruo tuo: viuam & cuſtodiam ſermonem tuum.

18 Aperi oculos meos: & conſpiciam mirabilia ex lege tua.

19 Peregrinus ſum in terra: ne abſcondas à me mandata tua.

Tertium octonarium inchoat à precatione, quæ cur toties adhortationi miſceatur,iam dictum eſt. Scit propheta, nec intelligi rectè doctrinam poſſe, niſi Deo docente, nec poſſe hominem conuerti ad Deum, aut inchoare nouam obedientiam Deo placentem , nec perſeuerare in ſuſcepto pietatis ſtudio,niſi diuinitus regatur & confirmetur. Quia vt Paulus inquit, Senſus carnis eſt inimicitia aduerſus Deum: & accedunt multiplices diaboli inſidiæ, quibus abducere homines conatur à verbo, & ſæpe incautos opprimit. Ideo & ipſe propheta toties petit ſe doceri & confirmari diuinitus, & alios ſuo exemplo,vt idem faciant,hortatur. Videtur in primo verſu & alia cauſa oſtẽdi,cur hæc beneficia petat.Nã cùm inquit,*Vt viuam*:non obſcurè ſignificat,ſe verſari in maximis calamitatibus, ærumnis & periculis: in quibus non procul abſit à morte. Quotquot enim piè viuere volunt in Chriſto, eos perſecutionem pati neceſſe eſt, 2. Timoth.3. atque eam ob cauſam verſu 22. & 23. queritur de iniuſtis aduerſariorum odiis. Primũ igitur petit,vt in calamitate & perſecutione protegatur,& quàm diutiſſimè viuat, idque propter agnitionem Dei,& huius ſummæ ſapientiæ exercitium.Deinde etiam propter propagationem doctrinæ.Hæc videtur eſſe ſumma primi verſus.

Retribue ſeruo tuo] Id eſt, viciſſim ex ærumnis me eripe & conſolare, & confer mihi hoc beneficium vt viuam. Verbum גמל (quod retribuere vertunt) Hebræis non ſemper ſignificat mercedem rependere aut compenſare meritum. Sed, vt alia nonnulla eius generis verba, ſignificat viciſſitudinem,ſiue fiat compenſatio , ſiue non, *Eins furs ander.* Vt cùm pro malo redditur bonum, vel bonum loco alterius boni,vel bono ſublato redditur malũ. Ita igitur hic quoque ſignificat viciſſitudinem ex perſecutione.Eſtque verbum intelligendum, de gratuito beneficio: ſicut & ſuprà pſalmo 116. verſu 7.& 12. & alibi.

Retribue ſeruo tuo] Id eſt, confer hoc beneficium ſeruo tuo, vt qui morti videor propinquus,viuam. Hactenus enim mortuo non fui abſimilis , oppreſſus ſcilicet variis ærumnis & calamitatibus , ita vt de vita deſperarem. Tu verò eripe me ex his calamitatibus, & proroga mihi vitam: exhilara etiam cor meum ſenſu fauoris & beneuolentiæ tuæ. (nam hæc vera vita eſt , quam imprimis expetit) Ita ereptus ex calamitatibus, & reſtitutus , cuſtodiam ſermones tuos , & exercebo me in cultu diuino.Hæc vera eſt & genuina huius verſus ſententia. Eſt autem precationi ſimul admixtum argumentum à cauſa finali ductum,quod plurimùm ad perſuadendum valet.Oſtendit enim omnes homines ad hunc finem principaliter conditos eſſe, vt Deum agnoſcant & celebrent, & doctrinam eius ad alios propagare ſtudeant.Ideóque omnes vult ſecum operam dare , vt fidos & veros Dei cultores ſeſe probent.In hanc ſententiam loquitur etiam ſuprà pſalmo 118. Non moriar,ſed viuam. Ibi vide cætera , quæ ad explicationem huius verſus pertinent.

Reuela oculos meos] Huius verſus ſententia plana eſt & perſpicua , nec indiget longiore explicatione. Petit enim ſe doceri diuinitus, vt doctrinam rectè intelligat, & cõſtanter amplectatur. Ex antitheſi verò monet, omnium hominum mentes eſſe cæcas , nec intelligere doctrinam , quandiu non illuminantur à Spiritu ſancto. Verbum Hebræum גלה ſignificat inuoluta euoluere,& oculis ſubiicere,quæ inuoluta & tecta erant. Congruit enim cum גלל,quod in genere voluere ſignificat. Monet igitur quaſi velamen eſſe obductum oculis mentis noſtræ,vel(vt Apocalypſis loquitur,) Volumen legis ſeu doctrinæ clauſum & conuolutum eſſe , vt legi aut intelligi non poſſit,niſi Spiritu detrahente velamen oculis noſtris, & euoluente volumen,vt oculis noſtris ſubiiciatur. Comprehendit igitur petitio ſimul triſtem querelam de cæcitate mentis noſtræ: & ſignificat non poſſe eam niſi per Spiritum ſanctum tolli: ideóque aſſiduè petendum eſſe, vt hic doctor mittatur in corda noſtra, qui ea illuminet & ſapientia cæleſti imbuat. Ita Paulus in Actis,remotis ſquamis,id eſt,prauis opinionibus quas conceperat(hæ enim ſquamis adumbrabantur)illuſtratur vt rectiùs intelligat doctrinam cæleſtem.

Conſpiciam mirabilia] Id eſt,vt intelligam aliquomodo illa miranda conſilia miſſionis filij in carnem , collectionis, redemptionis,ſanctificationis, gubernationis,& finalis liberationis & glorificationis eccleſiæ tuæ, in quibus omnibus tanta occurrunt miracula, ad quæ neceſſe eſt hominum mentes obſtupeſcere.Nec poſſunt penitus perſpici in hac vita opera tam arcana. Initia tamen aliquo modo diſcenda ſunt in hac vita.Ideo petit ſuos oculos reuelari.Eſtque notandũ diligenter , quòd petit ſibi reuelari myſteria legis ſeu doctrinæ, vt intelligamus nos alligari ad verbum pateſactum , ne Enthuſiaſtarum more quæramus reuelationes extra verbum,vt hoc tempore multi fanatici abiecto verbo ſua ſomnia & deliria amplectuntur , eáque pro verbo Dei obtrudere eccleſiæ conantur.Non ſunt autem illa mirabilia ex lege cenſenda , ſed monſtra & figmenta cerebri humani. Mõſtroſa enim ingenia partus edunt mõſtroſos , qui tamen facilè à myſteriis diuinis diſcerni poſſunt , ſi remoto rationis iudicio & hominũ autoritate ſepoſita, ad legem & ad teſtimonium,iuxta Ieſaiæ præceptum te referas,atque hinc normam iudicij petas.

Peregrinus ſum in terra] Hic etiam cauſam allegat, cur diuinitus doceri de Dei erga ſe volũtate cupiat. Quia,inquit,ſum peregrinus in terra , quaſi dicat: Intelligo me non ad hanc vitam mortalem conditum eſſe, ſed ad aliam longè præſtantiorem,& beatiorem. Antequam verò ad illam perueniam, peregrinus ſum & quaſi viator in hac terra , qui cùm ſciam aſſiduè mihi currendum eſſe, vt in veram patriam perueniã, non ſum affixus rebus caducis, vt in his ſubſiſtam:ſed ſemper ad illam æternam vitam aſpiro. Tu igitur inſtitue me in do-

ctrina tua, quæ mihi viam ad hanc cœleſtem patriam monſtrat & præſcribit, & quæ quaſi viaticum eſt ad hoc iter planè neceſſarium. Hominibus profanis & terrenis nihil aliud curæ eſt, quàm vt commodè hîc viuant, quia putant, ſe tantùm ad hanc vitam conditos eſſe. Ideo perpetuò hærent affixi fæcibus ſuarum voluptatum, & ſuper his quieſcunt, vt inquit Iere. 48. de Moabitis, & Sopho. 1. nec tanguntur cura rerum cœleſtium, vt rectè Perſianum illud de his vſurpari poſſit: *O curuæ in terras animæ, & cœleſtium inanes.*

20 Attrita eſt anima mea ad deſiderium [*vel deſiderio, ſeu deſiderando:*] ad iudicia tua in omni tempore.

Iterum allegat ſuum exemplum, vt oſtendat qualis eſſe in nobis affectus, & quale pietatis ſtudium debeat. Vult enim in animis noſtris excitare deſiderium doctrinæ Dei. Ideo dicit tantum ſuum fuiſſe ſtudium & diligentiam in diſcenda doctrina, & tanto animi ardore exercuiſſe ſe in pietatis cultu, vt anima ipſa ſit attrita. Fieri enim ſolet, vt ſi cupidè & magno ſtudio in rem aliquam incumbamus, & omnes ſenſus & cogitationes noſtras intendamus, ipſi ſenſus aſſiduitate ſtudij & intentionis conſumantur, & vigor animi frangatur & euaneſcat. Tale igitur ſtudium rerum diuinarum vult eſſe in omnibus: & ſimul requirit ardentem zelum pietatis. Ita in Apocal. capite 3. reprehenduntur, qui neque frigidi ſunt, neque feruidi, & additur triſtis comminatio: Quoniam tepidus es, & nec frigidus, nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo. Quòd autem propheta proponens ſuum exemplum, ſubinde orationem ad Deum conuertit, id ideo facit, vt ſimul confeſſionem ſuam edat, & aſſeueratione fidem conciliet. Loquitur enim hæc tanquam in conſpectu Dei, & teſtem ſui ſermonis Deum adhibet, ne ſi ſimplex ſit aſſeueratio, aliqua leuitas aut iactantia ſubeſſe videatur, aut ne temere exemplum propoſitum repudietur.

Quod addit, *omni tempore*, Monet perſeuerantia opus eſſe in ſuſcepto ſtudio & conſtantia, ne animi langueſcant tædio, aut frangantur odiis, calumniis, perſecutionibus, aut periculis, quæ ſubeunda ſunt propter doctrinæ confeſſionem.

Omni tempore] Scilicet, ſiue res ſint ſecundæ, ſiue aduerſæ, & vſque ad finem vitæ.

21 Perdidiſti [*increpas, punis*] ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Addit aliud argumentum, quo confirmat propoſitionem, ſumptum à pœnis contemptorum verbi diuini. Contemptoribus & hoſtibus verbi diuini imminent horribiles pœnæ, ſuntque tanquam anathemata reiecti & damnati à Deo, qui verbum eius reiiciunt aut petulanter corrumpunt. Ergo adiiciamus animum ad ſtudium doctrinæ cæleſtis, & maiore cura puritatem & confeſſionem doctrinæ retineamus. Verbum גער ſignificat increpare: ſed cùm Deo tribuitur, effectus ſimul comprehendendus eſt. Increpatio enim diuina coniuncta eſt cum triſtiſſimis pœnis. Hæc igitur notantur.

Superbos nominat homines impios & alienos à Deo, quia ſunt ſine timore Dei, & fiducia ſuæ ſapientiæ & potentiæ inflati religiones & dogmata ſuo arbitrio conſtituere conantur, vt Nabuchdonoſor, Pontifices, Mahomet, Samoſatenus, Arius, Pelagius & alij: & ſucceſſu fiunt feroces atque arrogantes: & quia ſibi quiduis licere exiſtimant, ruunt in omnis generis ſcelera, atque ita ſibi pœnas accerſunt. Idem verbo declinandi oſtenditur: quo non ſignificantur quælibet delicta, vt cùm aliquis ex infirmitate labitur aut peccat, aut aliquid omittit, quod erat faciendum. Sed ſignificat declinare petulanter, & cum impio Dei contemptu ſeſe proiicere in omnis generis ſcelera, & cupiditatibus ſuis indulgere.

22 Aufer [*auolue*] à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua cuſtodiui.

23 Etiam principes ſedent & aduerſum me loquuntur: ſeruus tuus meditatur in ſtatutis tuis.

24 Etiam teſtimonia tua oblectationes meæ: viri conſilij mei.

Quia mentionem fecerat impiorum hominum, venit ei in mentem, quàm multa & grauia ab hoſtibus eccleſiæ paſſus ſit, & videt eam eſſe eccleſiæ conditionem in hac vita, vt neceſſe ſit eam eſſe expoſitam opprobrio, contemptui & odio omniũ hominum, eáque re plurimùm labefactari pietatis ſtudium in multis: ideo queritur de hoſtium malitia & odio iniuſto, & petit ſe & eccleſiam defendi aduerſus iniuriam improborum hominum, vt liberiùs vacare deinceps ſtudio doctrinæ cæleſtis poſſit. Deinde repetit confeſſionem ſuam, vt ſuo exemplo oſtendat, vnde in perſecutionibus & aduerſitatibus petenda ſint vera dolorum remedia.

Opprobrium vocat crimen hæreſis, ſeditionis, ſchiſmata & ſimiles criminationes falſas, quibus onerantur & infamantur pij doctores & profeſſores huius doctrinæ: cùm dicuntur eſſe blaſphemi aduerſus Deum, & faces diſſidiorum in eccleſia & republica. Sicut hoc tempore talia nobis à pontificiis obiiciuntur, vt regum & principum odia aduerſus nos inflammentur. Cùm autem generoſa mens faciliùs poſſit ferre cruciatus corporis, quàm audire hæc conuitia: quibus non ipſi tantùm, ſed nomen Dei inprimis contumelia afficitur, non fruſtra petit ſe hoc onere leuari, & ipſas ſubſannationes compeſci. Addit *& contemptum*, quo complectitur odia iniuſta & maleuolentiam, qua impij incitantur ad perſequendos pios, & ad omne genus crudelitatis in bonos exercendum.

Etiam ſedent principes] Petitioni addit rationem, in qua eſt querela de periculis & calamitatibus piorum. Eſtque amplificata illa querela à circumſtantia perſonarum. Non tantùm homines plebeij, inquit, irrident me, ſed etiam principes & proceres regni, qui ſedent tanquam iudices, conſultant aduerſus me, & non tantùm damnant ſuis præiudiciis doctrinam quam profiteor, ſed ineunt conſilia, quomodo me opprimãt. Hoc verò grauiſſimum eſt. Nam vulgi conuitia & cõtumelias ferre, etſi graue id quoque eſt, tamen generoſus animus contemnere quodammodo iudicia ſtolidæ multitudinis poteſt, ὐ γὰρ κρίνεται τὰ καλὰ τῇ τῶν πολλῶν ψήφῳ, ſed offendere voluntates magnorum & laudatorum principum, & aliorum hominum, qui præſtant laude eruditionis & ſapientiæ, iudicia negligere, id profectò difficillimum eſt. Hîc verò intueamur exemplum huius prophetæ, qui ait ſe non moueri his iniquis iudiciis & odiis, vt à veritate deficiat, ſed conſtanter in ſuſcepto pietatis ſtudio perſeuerare, & à Deo petere defenſionem & liberationem.

Verbo Sedendi ſignificat eos non tantùm priuatim in ſuis cubiculis vel menſis iniquè & odioſè loqui de piis, ſed publicè quoque in ipſo tribunali, vbi ius dicendum erat. Nam ſedere eſt iudicis & cauſam cognoſcentis, ac decernentis.

Seruus tuus meditatur] In periculis & perſequutionibus, quæ ſequuntur confeſſionem doctrinæ & ſtudium pietatis, nihil eſt melius aut ad conſolationem efficacius, quàm aſſiduè intueri verbum diuinum, atque huius meditatione animum erigere & confirmare, vt ferre conſtanter contumelias & iniurias poſſit. Id Dauid ſe feciſſe affirmat, & alios ſuo exemplo ad ſimile ſtudium hortatur. Vult autem Dauid hac ſententia primùm occurrere obiectioni quæ vulgò in promptu eſt, & multos à ſtudio pietatis abſterret. Cùm enim profeſſio huius doctrinæ inter homines nihil pariat niſi odia, contemptum & pericula innumera, exiſtimant plerique extremæ eſſe dementię, fruſtra ſe hoc ſtudio fatigare, & vltrò in talia pericula ſe conicere, in quibus nullum conſilium, nulla conſolatio, nullum effugium conſpiciatur. Huic obiectioni opponit hanc ſententiam, affirmans, meditationem verbi diuini, hoc eſt, fidem quæ intuetur promiſſiones, & ſe his ſuſtentat, ſatis efficaciter erigere animos aduerſus illos terrores & pericula, & animum inſtruere ſalutaribus conſiliis & firma conſolatione, vt perferre ærumnas poſſit: ídque ſuo exemplo confirmat. Dum illi me condemnant, ego, inquit, meditor doctrinam cæleſtem: hac me ſuſtento & erigo aduerſus illa iniqua iudicia & odia. Deinde hæc ipſa ſententia argumentum continet ab efficacia verbi diuini ſumptũ, quo propoſitionem confirmat, fítque argumentum illuſtrius ſi antitheſis conſideretur.

Dicit doctrinam diuinitus patefactam in perſecutionibus & periculis, quæ propter confeſſionem doctrinæ ſuſtinenda ſunt, eſſe ſuum gaudium, ſuas oblectationes & viros conſilij ſui, id eſt, hanc doctrinam ita componere animos piorum, vt læti & tranquilli in Deo acquieſcant, atque ita parere robur & lætitiam, quæ ſuperet omnes afflictiones, & quæ inuicta ſtet aduerſus omnium tentationum impetus: deinde inſtruere etiam conſiliis, vt intelligant quomodo rectè ferre præſentes ærumnas poſſint, ne quid peccent contra Deum, aut agant aliquid, quod pugnet cũ pietate & honeſtate. Hęc profectò ſumma laus eſt huius doctrinæ. Econtra ſapientia humana relinquit animos in triſtiſſimis dubitationibus & pauoribus, ex quibus nunquam ſeſe homo expedire poteſt. Nullum enim oſtendit portum, in quo animus tutò acquieſcere queat. Itaque Cicero in ſuis ærumnis deſtitutus vera conſolatione & rectis conſiliis exclamat in epiſt. ad Octauium: O me nunquam ſapientem, & aliquando id quod non erat fruſtra exiſtimatum! quantum te popule Romane de me fefellit opinio! O meam calamitoſam ac præcipitem ſenectutem! O turpem exacta dementique ætate canitiem! Tales ſunt querelæ omniũ ſapientũ extra eccleſiam in calamitatibus. Nec mirũ eſt, tã miſerè eos errare & cognito errore torqueri, quia malis cõſiliariis ſe regẽdos tradũt. Ciceronem

ambitio

ambitio impellit ad illa conſilia, quæ poſtea intelligit ſibi fuiſſe exitioſa: alium auaritia, alium alius affectus rapit, vt ſubinde inter ſpem & metum fluctuent, & nunquam certum conſilium habeant quo nitantur. Contra qui non ex hominibus pendent, nec affectibus ſuis reguntur: ſed Dei verbum intuentur tanquam normam vitæ & actionum, hi nunquam diſcedunt aut deiiciuntur à ſuo ſtatu, ſed perſtant firmi atque immoti, & læti ſuperant omnes caſus acerbos. Hæc antitheſis aliquomodo illuſtrat hanc ſententiam. Particula [illegible] verſ. 24. cum ſuperiore connectit.

Viri conſilij mei] Hebraiſmus eſt, pro conſiliariis & conſultoribus. Sunt viri conſilij, id eſt, gubernant mentem meam & cor meum. Loquitur enim, vt rex, qui aſſiduè habet conſiliarios ſibi adſtantes: & ſimul affirmat ſe ita hos audire, vt eorum conſilia examinet, & videat quomodo congruant ad hanc doctrinam. Hoc boni regis eſt: idque exemplum principes intueri, atque imitari debebant.

QVARTVS OCTONARIVS.

ד

25 ADhæſit pulueri anima mea: viuifica me ſecundùm verbum tuum.

Sicut antea oſtendit in perſecutionibus eccleſiæ & publicis calamitatibus nullum eſſe præſentius aut efficacius remedium aſſidua meditatione & ſtudio verbi cæleſtis atq; inuocatione: ita nunc in priuatis doloribus, qui oriuntur ex ſenſu iræ & iudicij Dei aduerſus peccata, docet non aliunde, quàm ex verbo, petendum eſſe remedium aut conſolationem. Atque ita ab hac vtilitate ſtudium verbi diuini nunc commẽdat. Sola hæc doctrina retrahit animos ex doloribus mortis & inferorum, erigit deiectos, conſolatur afflictos ac mœrentes, & viuificat corda, oſtendit item & patefacit viam ad Deum. Ergo ſummo ſtudio ea eſt amplectenda & agnoſcenda. Hæc verò ſumma eſt huius octonarij. Quòd autem formâ precationis hoc argumentum exponitur, ideo fit, vt ſuo exemplo mox ad πρᾶξιν homines adducat, & oſtendat illa exercitia pœnitentiæ & inuocationis debere eſſe aſſidua: non enim ſatis eſt legere & audire doctrinam: ſed in vſu ſentitur eius efficacia. Et ſimul monet efficaciam hanc non eſſe tribuendam externis elementis: ſed Deo, qui per verbum eſt efficax. Nihil autem ad commendationem verbi Dei dici rectius aut præclarius poteſt, quàm quod affirmat ſolam hanc doctrinam adferre mentibus perterrefactis ſenſu iræ Dei, firmam & ſolidam conſolationem, & retrahere animos ex morte in vitam. Quod profectò nulla alia doctrina præſtare poteſt. Itaque emphaticῶς illud pronomen *Tuum* in toto pſalmo eſt accipiendum: ex antitheſi enim excludit alias doctrinas omnes.

Anima mea adhæſit pulueri] Id eſt, Ego fui oppreſſus horrendis doloribus, ortis à ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, in quibus non procul abfui à morte. Iam enim anima adhærebat pulueri, & erat quaſi affixa terræ ſeu ſepulchro. Atque hoc eſt initium, ſeu terminus à quo, conuerſionis ad Deum, mortificatio ſcilicet, in qua homo ſentit ſe eſſe reum iræ Dei, & dolet ſe offendiſſe Deum. Sed in hoc dolore fides intuetur promiſſionem euangelij, per quam filius Dei accendit conſolationem in cordibus, & efficaciter viuificat corda, & in ea effundit Spiritum ſanctum, mouens ea, vt certa fiducia & lætitia acquieſcant in Deo propter Mediatorem: quæ lætitia eſt vita, ſicut Paulus eam nominat vitam Spiritus. Ita igitur fit viuificatio, de qua hîc loquitur. Nec fit hæc viuificatio vt Enthuſiaſtæ ſomniant, ſine cogitatione aut motu cordis, vt cùm aqua in dolium aut vrceolos vacuos infunditur, ſed fit, cùm intuentes verbum aſſentimur promiſſioni, & nos voce euangelij in doloribus ſuſtentamus, & cum Dauide clamamus: Viuifica me ſecundùm verbum tuum. Affirmat Dauid ſe aſſentiri verbo promiſſionis, & fide id amplecti, & ſimul petit ſe ſecundùm hanc promiſſionem viuificari. Ita fit viuificatio: non ſunt hîc fingendi illi raptus aut motus, quales ſomniant Enthuſiaſtæ. Ita Theodoſius Imperator cùm argueretur propter cædem Theſſalonicæ commiſſam, incidit in dolores grauiſſimos, & poſtea petẽs abſolutionem ab Ambroſio, ingreſſus eſt templum, vbi pronus humi ſtratus hanc Dauidicam vocem emiſit: *Adhæſit anima mea pulueri*, &c. & manibus capillum vellens frontémque percutiens, & guttis lacrymarum pauimentum rigans, dari veniam ſibi petiuit. In talibus exẽplis Dauidis, Theodoſij & ſimilium, conſpicitur vſus huius doctrinæ, & oſtenditur, quàm friuolæ ſint nugæ eorum, qui dicunt hominem ignorare momenta, horas aut dies, quibus conuertatur & iuſtificetur.

Hiſtoria Theodoſij legatur apud Theodoretum lib. 5. cap. 18. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

26 Vias meas narraui, & reſpondiſti mihi: doce me ſtatuta tua.

Alio argumento oſtendit vtilitatem doctrinæ cæleſtis, ab euentibus ſcilicet vocationis. Qui diſcunt doctrinam de Deo, & in pietatis ſtudio ſe exercent, hoc inde capiunt commodi, quòd cùm labores vocationis ſuæ Deo commendant, ſciunt ſe exaudiri à Deo, atque ab hoc euentus omnes ita gubernari, vt in ipſorum ſalutem cedant. Hunc fructũ quia ſe ex ſtudio pietatis referre intelligit, ſub ſua perſona exponit: & quia in hoc poſitam eſſe felicitatem hominis iudicat, ſimul petit ſe aſſiduè doceri diuinitus, vt doctrinã rectè intelligat, & iuxta hanc actiones omnes dirigat, ne ſtolidis ſuis affectibus & cupiditatibus potiùs quàm verbo Dei regatur.

Via in Scripturis ſignificat vocationem & omnia officia vocationis, id eſt, laboris honeſti, ad quem ritè vocati ſumus. Itaque quicquid homini incidit faciendum ſecundùm vocationem, id dicitur via eius. Exponere igitur vias Deo, eſt nihil tentare, nihil ſuſcipere, nihil aggredi, niſi ſecundùm verbum diuinum: & euentum Deo committere, atque ab hoc petere opem & auxilium. Quod non faciunt impij aut hypocritæ. Hi enim nituntur vel prudentia ſua, vel opibus & potentia, vel fauore principum aut multitudinis, ſeu amicorũ, vel aliis medijs: atque harum rerum fiducia multa tentant, & multa moliuntur pugnantia cum verbo Dei: Ideóque non confugiunt ad Deum, non implorant, non expectant eius opem & auxilium, non committunt ſe regendos Deo. Itaque incidunt tandem in triſtes calamitates & dolores, quibus abſorpti ruunt in æternum exitium, vt Saul, & alij multi. Monet igitur Dauid ſuo exemplo, omnes actiones regi debere verbo Dei, & opera vocationis noſtræ facienda eſſe cũ inuocatione nominis Dei: ita euentus ait fore ſalutares, & labores felices. Deus enim tales exaudit, id eſt eis facientibus opera vocationis, iuuat eos & prouehit conatus, dat bonos & ſalutares euentus, &c. Hæc ſumma eſt huius membri.

Doce me ſtatuta tua] Oſtendit multum referre, vt aſſiduè hanc doctrinam habeat in conſpectu, & totam vitam iuxta hanc inſtituat. Id enim niſi faciat, facilè futurum intelligit, vt à ſuis cupiditatibus abripiatur extra viam, & in errores aut ſcelera præcipitetur: & mouent eum exempla maximæ multitudinis hominũ, dum videt, quàm leuibus occaſionibus homines impulſi ruant in omnis generis ſcelera. Quia igitur intelligit non eſſe hoc opus humanarum virium, totam vitam ad præſcriptum verbi diuini componere, ideo petit ſe diuinitus doceri & regi. Nam doctrina ſimul gubernationem complectitur, phraſi huic linguæ propria, vt ſæpe iam monuimus.

27 Viam mandatorum tuorum fac vt intelligam: & meditabor in mirabilibus tuis.

Repetit priorem precationem, & oſtendit fruſtra à nobis ſuſcipi ſtudium intelligendi doctrinam, niſi diuino Spiritu mens illuminetur & doceatur. Sunt enim mirabilia quæ in verbo diuino tradita ſunt, hoc eſt, talia, quæ captum mentis humanæ ſuperant, & quæ cogitatione ſua homo aſſequi nequit. Eſt igitur opus Spiritu doctore, qui intus mentes accendat & illuminet, vt hæc myſteria intelligantur, & ne faſtidium nos capiat huius doctrinæ. Nam *ignoti nulla cupido.* Quidam reddunt: Loquar de mirabilibus tuis. Nam verbum שיח tam ad ſermonem, quàm ad tacitas cogitationes refertur. Quemadmodum Græci alium faciunt λόγον ἐνδιάθετον, alium προφορικόν. Secundùm hos igitur duo petit in hoc verſu, tanquam doctor Eccleſiæ in hoc populo: primùm vt ſapientia ſpirituali inſtruatur, vt doctrinam ipſe rectè intelligat: deinde facultatem diſſerendi, vt alios docere hanc doctrinam poſſit. Vtrumque donum filius Dei Apoſtolis promittit Luc. 21. inquiens, Dabo vobis os & ſapientiam.

28 Stillat anima præ mœrore: erige me ſecundùm verbum tuum.

Repetit primum verſum in hoc Octonario, & oſtendit in doloribus, qui oriuntur ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, non aliunde quàm ex verbo Dei, petendam eſſe conſolationem. Nam in priore membro contritio notatur, in ſecundo modus clarè deſcribitur, quo in contritione recreamur, Verbo ſcilicet Dei, quod offert gratiam & remiſſionem peccatorum. Hæc vnica res ſuſtentat & viuificat corda. Et quia verbum nec intelligi nec apprehendi fide poteſt, niſi gratia diuina accedat, quæ nos per verbum erigat: ideo adiungẽda eſt aſſidua inuocatio, vt Deus ſecundùm verbum & promiſſionem ſuam animos noſtros confirmet & erigat, ne oppreſſi doloribus ruant in æternam deſperationem: ſed certa fide ſtatuant ſe recipi à Deo & exaudiri. Hæc qualia ſint non intelligitur, niſi in vera conuerſione, & in veris pœnitentiæ exercitiis. Qui raptus ſõniãt aut infuſionẽ plenitudinis gratiæ,

quæ fiat tantùm in vrceolos, vt loquuntur, vacuos, idque hora & momento nobis incognito, hi quid dicatur in hoc verſu, nô intelligunt.

דלף ſtillare ſeu diffluere inſtar aquarum, & ſtillando quaſi attenuari & conſumi ſignificat. Alij ad lacrymas putant prophetam alludere, quaſi diceret, anima flet, & in lacrymas liqueſit.

29 Viam falſitatis [*mendacij*] amoue à me, & legem tuam dona mihi.

Hæc petitio coniungenda eſt cum ea, quæ ſuprà verſu 26. & 27. recitatur. Sicut enim ibi doceri ſe petit, vt doctrinam diuinitus traditam rectè intelligat & amplectatur, atque idem nunc in poſteriori membro repetit: ita in primo membro ex antitheſi petit ſe muniri & confirmari aduerſus omnes errores & fanatica dogmata, quæ diabolus & praua ingenia ſpargunt omnibus ætatibus in genere humano. Hæc petitio quàm neceſſaria ſit, oſtendunt omnium ætatum triſtiſſima exempla. Nunquam enim ceſſat diabolus impellere praua ingenia, vt errores pugnantes cum doctrina cæleſti ſpargant in vulgus, & videmus maximam hominum multitudinem ſemper abſurdiſſimis opinionibus applaudere. Sicut dicitur apud Sophoclem: *ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ*, quod dictum citat Plutarchus in vita Artaxerxis. Quo igitur maius eſt periculum, ne decepti *ἀνθρωπολογίαις* humanæ ſapientiæ, aut Sophiſtica, quæ falſas opiniones fucoſis prętextibus tuetur, ſeducamur, eo ardentius cum Dauide petamus, Viam mendacij amoue à me.

Da mihi] Verbum חנן ſignificat gratis dare ſeu gratificari: fateturigitur ſe non afferre in conſpectum Dei merita, quibus hoc tribui velit: ſed ſicut ſcit illud beneficium eſſe gratuitum: ita petit ex gratia id ſibi quoque conferri. Alij vertunt: Fac vt tua lex grata ſit mihi. Nam lex carni, quam in ordinem cogit, odioſa eſt. Sed hæc ſententia eſt coactior, ſicut & illa, de lege tua miſerere mei.

30 Viam veritatis elegi: iudicia tua propoſui.

Repetit confeſſionem ſuam, vt ſuo exemplo alios ad ſimile ſtudium excitet. Debet in nobis eſſe ardens & non ſimulatum ſtudium inquirendi veritatem doctrinæ cæleſtis, & fugiendi errores, & ad hoc ſtudium debet accedere pia inuocatio, vt ſuprà monet. Ita fiet vt quiſque voti ſui fiat compos.

Viam veritatis nominat doctrinã cæleſtem, quæ ſola viam homini monſtrat, per quam rectè & tutò ambulet: ſed antequam in hanc viam homo deducatur, varia ei obiiciuntur impedimenta à carne, à mundo & diabolo, & occurrũt multæ viæ, quæ in auia & præcipitia abducunt. Hęc impedimẽta omnia & errores ait ſe ita ſuperaſſe: quia vnicam doctrinã cœleſtem, tanquam Ariadnes filum & normam actionum, ſibi ſequẽdam propoſuerit & elegerit. Ita affirmat variis quidem illecebris animum ſuum fuiſſe tentatum: ſed tandem Dei beneficio ita ſe eſſe eluctatum, vt iam de veritate certus ſit, & firmum habeat propoſitum perſiſtẽdi in agnita veritate. Tale ſtudium in omnibus eſſe debet, idque non irritũ fore Dauid ſuo exemplo confirmat.

31 Adhæreo teſtimoniis tuis Iehoua: noli me confundere.

Primùm repetit confeſſionem: ſed quia varia obiiciuntur homini pio, quæ eum abducere aut languefacere in ſtudio pietatis poſſunt, ideo petit euentum diuinitus ſic gubernari, ne ſpes ſua aut labores ſint irriti. Nam confundi dicitur, quẽ ſua ſpes fallit.

Ego quidem, inquit, *adhæreo teſtimoniis tuis*, & ita tenaciter amplector doctrinam, vt ab ea me auelli non patiar: ſed quia multa quotidie accidunt, quæ fidem nonnihil turbant & languefaciunt, imò quæ deſperare me interdum de re tota iubent: tu fac vt fortiter & plena fiducia perſiſtam in agnita veritate, & euentus conceptæ ſpei, atque expectationi meæ reſpondeant.

Alij verbum בוש ad contumelias & ludibria hoſtium referunt, quibus ſeruos Dei conantur infamare & odioſos reddere in hoc mundo: & iudicant prophetam petere, vt Deus ſit vindex illarum contumeliarum & calumniarum, quibus homines pij in hac vita deformantur ab improbis & ſceleratis, vtque innocentes ab illis probris virulentarum linguarum liberet. Sed non iudico prophetam tantum huc reſpicere: ſed in genere petere, vt quam ſpem & fiduciam conceperat de Dei erga ſe amore & beneuolentia, de proſperis ſucceſſibus in ſua vocatione, déque finali liberatione & glorificatione, ea ita ſit rata & firma, ne vllis aduerſitatibus aut ſcandalis ſibi excutiatur.

32 Viam mandatorum tuorum percurram: vbi dilataueris cor meum.

Primum ſuum ſtudium oſtendit in peragendis his, quæ ad cultum diuinum pertinent. Sed quia inchoari noua obedientia non poteſt, niſi iacto fundamento, id eſt, niſi agnito Mediatore, & propter eum accepta remiſſione peccatorum, & recõciliatione, qua corda retrahuntur ex doloribus mortis, & perfunduntur noua lætitia, acquieſcente in Deo: Ideo, ſicut ſuprà petebat ſe erigi & viuificari ſecundùm verbum diuinum, ita nunc promittit ſe alacriter progreſſurum in pietatis ſtudio, ſi cor ſuum fuerit dilatatum, hoc eſt, ſublatis doloribus & anguſtiis, quibus propter ſenſum iræ Dei aduerſus peccata premebatur, vt de alacritate in curſu ſuſcepto nonnunquam remitteret, perfuſum & recreatum fuerit noua conſolatione, & lætitia intuente Deum, accedente ad eum & clamante, Abba pater. Dolores enim illi ita conſtringunt cor, vt non modò tardus ſit homo ad opus bonum, ſed ne quidem pedẽ mouere poſſit ad bene agendum. Sublatis verò doloribus, & reddita pace, de qua Paulus inquit Roman. 5. Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum, ita alacris & idoneus redditur homo ad opus bonum, vt non modò ambulet, ſed etiam currat viã mandatorum eius, id eſt, magna alacritate in ſtudio pietatis ſe exerceat, nec vllis difficultatibus, quæ foris obiici ab aliis rebus poſſunt, impediri ſuum curſum ſinat. Nullæ enim res tantæ ſunt, quæ remorari nos in curſu poſſint, ſi abſit ille dolor, qui ex ſenſu iræ Dei ortus corda hominum conſtringit, & curſum omnem inhibet. Sunt quidem odia hominum, pericula, contumeliæ, & aliæ iniuriæ, quæ ſuſtinendæ ſunt propter confeſſionem doctrinæ, aliqua pietatis impedimenta ſeu remoræ, ſed quæ facillimè ſuperantur & amouentur, ſi cor, quemadmodum dictum eſt, ſit pacatum, hoc eſt, ſi fide ſtatuat ſe Deũ habere propitium.

Eſt autem dulcis metaphora in verbo currendi, ſumpta ab his, qui curſu certant: quos Græci nominant *σταδιοδρόμους*, in quibus magnam ineſſe alacritatem neceſſe eſt.

OCTONARII QVINTI

ARGVMENTVM.

IN hoc octonario ſubinde repetitur eadem precatio, de qua ſuprà aliquoties dictum eſt. Petit enim, vt diuinitus doceatur, regatur, confirmetur, & defendatur aduerſus calumnias, opprobria & minas ſuorum hoſtium. Eſtque oratio plena ardentiſsimorum affectuum, quod oſtendunt eædem ſententiæ ſubinde repetitæ. Quo enim magis intelligit triſtem caliginem, tenebras, dubitationes & imbecillitatem humanarum mentium, & videt quàm leui momento impellantur homines, vt deficiant à veritate, & errores pugnantes cum doctrina cæleſti amplectantur, aut in alia grauia ſcelera ruant, eò ardentiùs & fortius inſtat petendo, vt diuinitus doceatur, regatur & confirmetur, ne agnitam veritatem abijciat, aut in ſcelera ſe præcipitet. Et ſuo exẽplo monet, vt nos quoque aduerſus caliginem nobiſcum naſcentem & imbecillitatem carnis noſtræ, deinde aduerſus diabolorum inſidias & furores his armis nos muniamus: vero ſcilicet ſtudio & cognitione doctrinæ cæleſtis & aſsidua precatione. Si enim tantus vir, qui tam præclaros fecerat progreſſus, id petit: quantò magis, qui nouitij & rudes tyrones ſunt, facere id debent? Hæc ſumma eſt huius octonarij. Nunc verba & phraſin conſideremus. Quid ſit cuſtodire & ſeruare legem, dictum eſt ſuprà in primo octonario, &c.

ה

33 DOce me Iehoua viam ſtatutorum tuorum: & cuſtodiam eam ad finem.

Vtrumque petit in hoc verſu. Primò vt rectè inſtituatur & doceatur in doctrina cæleſti, vt rectè eam intelligat, & Deum rectè agnoſcat, nec quid errorum admiſceat. Deinde, vt diuinitus in tota vita gubernetur, vt conſtanter vſque ad finem vitæ in profeſſione huius doctrinæ perſeueret. Nam verbum docendi, vt heri monui, vtrumque complectitur, inſtitutionem & gubernationem. Id quod ex hoc verſu manifeſtum eſt, Dicit enim, Docet me, vt cuſtodiam, &c.

Viam ſtatutorum Dei nominat doctrinam diuinitus patefactam, quæ certam viuendi rationem iuxta Dei voluntatem præſcribit. Profeſsio autem non tãtum in ore conſiſtit, ſed in vero

vero pietatis cultu. Vox עקב propriè ſignificat calcem, calcaneũ, plantã pedis ſeu veſtigium. Et quia planta vltima eſt pars corporis humani, ideo per metaphorã ſignificat omne illud, quod finẽ vel operis alicuius, vel ſtudij, perinde atque fructus quidã cõſequitur, ſiue id ſtudio quæratur, ſiue non quæratur: imò etiam ſi operans nolit vt ſequatur. Ad quem modum fructus mali operis etiam non quæſitus, ſic ſequitur, vt vitari nequeat, ſed inuitos quoque apprehendat: atque inde ſæpe pro cauſa finali accipitur ex hac ſignificatione. Interpretes ferè reddiderunt vocabulo mercedis, atque ita hoc loco nonnulli interpretantur, & hanc ſententiam eliciunt, vt hic ſit ſenſus: Vbi probè edoctus fuero, non fruſtra eos laborare cognoſcam, qui ſe addicũt ad obſeruantiam legis tuæ. Ideóque propter mercedem mandata tua cuſtodiã, quia nũquam fruſtraris cultores tuos. Sed non tantùm pro fructu, qui conſequitur actionem, ſed etiam pro ipſo fine cuiuſcunque rei eadem figura accipitur vox Hebræa: atque ita hoc loco commodiſſimè exponitur. Cúmque conſtruatur cum verbo, quod ſuum regit caſum, in naturam aduerbij nonnihil degenerat: itaque rectè interpretaberis, Seruabo eam finaliter, ſeu ad finem, vel, vt Græcus & Latinus habent, ſemper: ita tamen ſi tu me doceas & confirmes. Alioqui enim deficiam cùm propter imbecillitatem naturæ, tum propter inſidias diaboli, & alias varias illecebras, quę in hac vita homini obiiciuntur. Nonnulli neglecto pronomine, quod verbo adiicitur, maluerunt ſic exponere: Ego cuſtodiam finem, id eſt, ſemper ero intentus ad ſcopum meum, ſi tu me doceas & confirmes. Tu enim hac lege in ſtadio tuo nos currere præcipis, vt mors demum ſit meta. Hæc verò conſtantia in me non reperietur, niſi aſſiduè me doceas. Te igitur duce ſemper ero in ſpecula, nec oculos meos à fine meo & ſcopo deflectam. Sed videtur hoc eſſe coactius, præſertim cùm pronomen verbo affixum hanc ſententiam non admittat. Ideo retineo vſitatam ſententiam, quæ eſt perſpicua.

34 Fac me intelligere, vt obſeruem legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde.

Repetit eandem ſententiam. Et quod antea dixerat, vt cuſtodiam vſque ad finem, nũc his verbis exponit, vt cuſtodiam in toto corde. Cęterùm, quid illa phraſis ſignificet, dictum eſt ſuprà pctonario primo.

Eſt autem obſeruandum diligenter, quòd ſummam & veram prudentiam, quæ omni ſtudiò expetenda ſit, dicit eſſe, ſi quis rectè intelligat doctrinam cæleſtem, & iuxta eam vitam ſuam inſtituat. Nam mundus certè longè aliter iudicat. Exiſtimat enim hos tantùm ſapere, qui bene proſpiciunt ſuis commodis, & in negotiis huius vitæ ſunt verſuti, & aſtutia pollent ad fallendos ſimplices. Propheta verò hanc prudentiam ſeu ſapientiam cæleſtem, quæ rectè intelligat doctrinam & totius vitæ rectrix ſit, iudicat eſſe ſummam & ante omnia expetendam. Et quia humana induſtria aut viribus illa parari nequit, petit eam diuinitus ſibi dari. Ita præcipit Iacobus primo capite, Si cui deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, &c.

35 Dirige me in ſemita mandatorum tuorum: quoniam ea delector [*in ea complacitum eſt mihi.*]

Iterum complectitur vtrunque: inſtitutionem ſeu doctrinam, & gubernationem. Nam cùm ſemitæ mandatorum diuinorum facit mentionem, ſignificat varia eſſe errorum diuerticula, & varias huius mundi illecebras, quæ hominem abducunt à veritate, niſi diuinitus aſſiduè doceatur. Deinde verbo dirigendi, gubernationem diuinam exprimit. Non enim tantùm vult intelligere doctrinam, ſed iuxta hanc totam vitam & omnes actiones inſtituere. Ideo inquit, Fac me calcare, ſeu dirige me in ſemita mandatorum tuorum.

Delector] Id eſt, hæc ſumma eſt mea voluptas, tibi ſeruire & obſequi ſecundùm legem tuam. Suprà eadem ſententia verſu 14. expoſita eſt: inchoauit quidem rectè illud ſtudium, ſed videt ſibi opus eſſe perſeuerantia: ideo petit, vt qui dedit velle, det etiam vt perficiat.

36 Inclina cor meum ad teſtimonia tua: & non ad auaritiam.

Paulus 1. Tim. 6. inquit, Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationes & laqueos diaboli, & cupiditates multas, ſtultas & pernicioſas, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Nam radix omnium malorum eſt auaritia: quam quidam dum ſectantur, aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. Hæc Pauli concio oſtendit nihil tam obeſſe ſtudio pietatis quàm auaritiam: vt rectè Cicero dixerit pro Quintio, *Nullum eſt officium tam ſanctum atque ſolenne, quod non auaritia comminuere atque violare ſoleat.* Id intelligẽs propheta petit ſe diuinitus regi, ne auaritia aut aliqua iniuſta cupiditate abductus violet religionem, aut diſcedat à pietatis ſtudio. Et verbo inclinandi oſtendit, cor humanum non ſua ſponte ferri ad hoc ſtudium, vt Deo obtemperet: ſed potius in contrarium inclinare, vt niſi diuinitus retrahatur, ſemper ad malum ſit propenſum. Verbum בצע propriè ſignificat inſufficienter appetere, vt ſolent homines auari, quibus tam deeſt quod habent, quàm quod non habent. Et quia talis cupiditas vulnus eſt animæ perpetuum & incurabile, & homines ad omnis generis fraudes & iniurias impellit, ideo effectiuè ſæpe ſignificat vulnerare ſeu violenter agere contra aliquem. In ſecunda coniugatione, ſæpe contraria ſignificatione ſignificat tantum dare, vel tantum dicere aut facere quod ſufficiat: & accipitur tam in bonam, quàm in malam partem. Inde nomen ſignificat vtilitatem, quæſtum, lucrum, *Daran einer gnug haben ſolte.* Sed quia auarus ſemper plura appetit, vt dicitur: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*: ideo ſignificat etiã talem cupiditatẽ, quæ ſatiari non poteſt, & cui nihil ſufficit. Hanc nominamus auaritiam. Sumitur autem nomen auaritiæ hoc loco συνεκδοχικῶς, ſpecies pro genere, quia hoc vitium maximè incurrit in oculos, & nihil magis eſt contrarium pietati: vt iam diximus. Interea verò ſciendum eſt in genere notari omnes prauos & vitioſos affectus cordis humani, qui nos abſtrahunt à ſtudio pietatis. Quales multi ſunt, vt cupiditas vindictæ, ira, odium: inuidia, ambitio, æmulatio, flammæ libidinum: etiam στοργαὶ quæ ſua natura bonæ ſunt, niſi diuinitus regantur, ſæpe nos à ſtudio pietatis reuocant, vt multi propter coniuges & liberos abiiciunt ſtudium doctrinæ, & abnegant pietatem. Ideo Chriſtus dicit, Qui amat parentes plus quàm me, non eſt me dignus. Hæc omnia igitur complectitur in hoc verſu.

37 Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Sicut antea petebat cor diuinitus cuſtodiri, ne incitatum auaritia aut alio prauo affectu aliquid contra legem Dei committeret: ita nunc eodem ſenſu orat, vt externi ſenſus cohibeantur, ne ad res vanas exorbitent. Nam oculorum vocabulo comprehendit omnes externos ſenſus, adeóque ipſum cor & mentem, cui externi ſenſus renunciant, quæ foris geruntur. Sed quia ſenſus oculorum inter cęteros excellit dignitate, & plurima percipit obiecta, quæ iniuſtos & vitioſos affectus mouet: ſicuti dicitur, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν, ideo inquit, *Auerte oculos ne videant vanitatem*, id eſt, cohibe ſenſus omnes & inprimis oculos, ne foris diuagentur veluti famulæ non probè inſtitutæ, quæ aliquid nuncient cordi, quod incendat prauos affectus & cupiditates: deinde ipſam mentem & cor rege, ne propter res vanas, vt opes, potentiam, gloriam aut voluptates, deficiam à verbo tuo. Ita ſignificat hominem nequaquam poſſe cauere omnes inſidias, niſi diuinitus cuſtodiatur. Ipſi oculi & cæteri ſenſus, qui incolumitatis cauſa hominibus à natura ſunt attributi, ſunt quaſi feneſtræ, per quas diabolus in mentes hominum illabitur, & omnia intus corrumpit & vaſtat, niſi diuinitus repellatur. Quo igitur maius hîc periculum eſt, eo ardentiùs cum Dauide petamus *Auerte oculos* &c. Plut. in lib περὶ πολυπραγμοσύνης pulcherrimũ præceptum recitat de cohibendis externis ſenſibus, quod tale eſt. *Oportet*, inquit, *ſenſum nequaquã foris diuagari veluti famulã non probè inſtitutã, verùm cùm ab animo dimittitur ad negotia, in illis verſari, celeriterque renũtiare, quod mandatũ eſt, deinde rurſus decenter intus apud rationẽ verſari illique attendere.* Hoc quidem præceptum præclarum eſt. Sed ex hoc pſalmi loco colligitur, humanam diligentiam in regendis rectè externis ſenſibus nequaquam ſufficere: ſed opus eſſe diuina gubernatione.

Vanitatem nominat res omnes, quæ vanas, ſtolidas & prauas cupiditates excitare & inflammare poſſunt, qualia ſunt huius mundi omnia. Ideo ipſe in ſequenti verſu viam Dei opponit vanitati: non obſcurè ſignificans vias hominum eſſe illas vanitates, de quibus loquitur. Et videre vanitatem non ſignificat ſimpliciter, quæ foris in hoc mundo gerantur, aſpicere: (nam id vitare nemo poteſt) ſed ita intueri, vt adhæreſcas vanitati, aut vt voluptate afficiaris, & ad æmulationem exciteris, ac ſentias, te cupiditate ad ea obtinenda ferri.

In via tua] Pronomen *tua* ponitur emphaticωs. Nam vt dixi, via Dei opponitur viis hominũ, quę ſunt vanitas, imò quæ ad interitum & mortem ducunt. Sola autem hæc via affert verum ſolatium & vitam mentibus hominum. Oblectant quidem viæ hominum ad tempus, ideóque plures alliciunt & ineſcant: ſed tandem afferunt mortem & maledictionem. Econtra viæ Dei initio afferunt pericula, ærumnas, difficultates, odia: ſed ad extremum viuificant. Hanc antitheſis oſtendit, cur ſic loquatur: In via tua viuifica me.

38 Confirma ſeruo tuo eloquium tuum: qui timori tuo [*deditus eſt.*]

Inter precandum allegat promiſſionem, quam fides intue-

tur. Hanc petit ſibi confirmari, hoc eſt, iuxta hanc præſtari ſibi ea quæ hactenus petiit: nihil enim petit niſi iuxta promiſſionem diuinitus datam, & ſuo exemplo monet non quælibet iuxta noſtras cupiditates eſſe petenda.

Alij ſimpliciter ſic exponunt: Confirma eloquium tuum, id eſt, fac vt firmiter aſſentiar verbo tuo, & conſtanter retineam, ſítque πληροφορία fidei, quæ non patiatur ſe auelli abs te.

Qui timori tuo] Hanc particulam quidam volunt eſſe cauſam finalem: itaque ſic reddunt, vt te verè timeam & anteferam omnibus aliis rebus externis: quaſi dicat, timeam te, non mundum. Alij volunt eſſe ἐξήγησιν nominis עבדך ſerui tui: qui ſcilicet timori tuo addictus eſt, qui non ſubſiſtit in terrenis commodis, vt profani homines, nec præpoſterè abutitur promiſſionibus Dei ad captandas carnis delicias, ſed timorem & reuerentiam Dei ſibi propoſuit ſcopum & normam omnium actionum.

39 Aufer à me opprobrium quod timeo: quia iudicia tua bona.

Repetit precationem verſus 22. Videtur autem deprecari non tantùm priuatas contumelias, & conuitia aduerſariorum & hoſtium doctrinæ, ſed multò magis publica probra & contumelias nominis diuini, quæ deleto verbo & oppreſſis piis audiuntur, cùm aduerſarij triumphant & cumulant blaſphemias aduerſus Deum: vt cùm alibi in Pſalmo 115. dicunt, Vbi nunc eſt Deus eorum? Hæc probra & has contumelias hoſtium, quæ ſequuntur oppreſſionem piorum, videtur maximè timere Dauid. Nam hæc probra coniuncta ſunt cum contumelia nominis diuini, & plurimùm officiunt eccleſiæ. Aliqui opprobrium interpretantur infamiam, in quã incidere poſſet ſua culpa, ſi ſcilicet deprehenderetur ab aduerſariis in aliquo delicto. Erant enim multi qui eum obſeruabant, & ſi in leui aliquo delicto fuiſſet deprehenſus, occaſionem maledicendi & traducendi eum inde ſumpturi erãt. Sed hoc videtur eſſe tenuius & coactius.

Quia iudicia tua bona] Addit rationem ex contrario iudicio. Sicut enim hoſtium iudicia falſa ſunt: Ita ſcio tua iudicia eſſe bona, hoc eſt, iuſta & æqua. Quemadmodum igitur illorum calumnioſa iudicia deprecor: ita mihi ſatis erit, ſi vitam meam tibi probem, & ad tuum tribunal conſiſtere poſſim. Idque ſi obtineam, facilè contemnam illa hoſtium iudicia. Nonnulli volunt rationem eſſe ab indignitate rei ſumptam: quaſi dicat iniquum eſſe, vt homines impij & ſcelerati de piorum vita & doctrina iudicent, & horum facta ſuis calumniis deprauent, cùm ſint impuri & peruerſiſſimis iudiciis prædîti: contrà verò iuſtum eſſe, vt Deus iudicet de piis, cuius iudicia ſunt bona & recta.

40 Ecce concupiui [*deſiderio afficior*] ad mandata tua: in iuſtitia tua viuifica me.

Primùm repetit ſuam confeſſionem. Vult enim ſuo exemplo alios ad pietatis ſtudium inuitare. Deinde hoc argumento Deum mouere vult, vt opus, quod inchoauit, abſoluat. Ideo mox ſubiicit: In iuſtitia tua viuifica me. Prius membrum congruit cum verſo 20. cùm inquit, atterita eſt anima mea deſiderando iudicia tua. De poſteriore membro ſæpe iam in hoc pſalmo dictum eſt. Quod enim dicit, *In iuſtitia tua viuifica me*, idem eſt, quod antea dixerat: viuifica me ſecundùm verbum tuum. Nam iuſtitia hoc loco videtur deſignare verbum ſeu doctrinã diuinitus patefactam, in qua quia iuſtè viuẽdi regula præſcribitur, dicitur illa iuſtitia. In hac igitur petit ſe viuificari, id eſt, confirmari, animíque alacritate & lætitia acquieſcente in Deo donari. Quanquam, ſimpliciter nomen iuſtitiæ etiam, vt aliàs ferè, accipi poſſit de ea virtute quæ tuetur & ſuſtentat ſuæ fidei commiſſos: de qua multa dicta in aliis pſalmis loquuntur. Sed videtur prior interpretatio hoc loco eſſe concinnior.

OCTONARIVS SEXTVS.

ו

Nihil obſcuri habet hic octonarius, nec opus eſt peculiari aliquo argumento, quo ſumma oſtendatur. Subinde enim repetitur eadem precatio, & miſcetur confeſſio, quæ exempli loco ſit omnibus, & Deum moueat, vt feliciter cœptum ſtudium confirmet & prouehat, vt aliqua ipſi grata fiant. Additur & conſolatio verſu 45. in qua vtilitas & efficacia verbi diuini exponitur. De hac in interpretatione dicemus.

41 ET veniant mihi [*ad me*] miſericordiæ tuæ Iehoua, ſalus tua ſecundùm eloquium tuum.

Primùm petit remiſſionem peccatorum & acceptationem gratuitam ex miſericordia, iuxta promiſſionem. Nã miſericordia hoc loco ſignificat amorem illum gratuitum, quo Deus recipit genus humanum in gratiã, imputat ei iuſtitiam & dat vitam æternam propter Mediatorem. Hanc ante omnia petere neceſſe eſt. Oportet enim priùs perſonam eſſe reconciliatam, antequam cætera bona petantur, & naturæ ordo poſtulat vt cauſa præferatur effectui. *Miſericordia* enim origo & fons eſt omnium aliorum bonorum quę Deus largitur eccleſiæ. Deinde petit defenſionẽ contra criminationes iniuſtas, & odia iniqua aduerſariorum. Nam ſalus ſignificat auxilium, defenſionem & liberationem. Addit autem, *ſecundum eloquium tuum*, vt oſtendat ſe niti promiſſione. Hãc enim fides in omni inuocatione intueri debet. Súntque illæ duæ columnæ, quibus in omni vita fides innititur, miſericordia & promiſſio, quæ ſi labefactentur aut remoueantur, corruit ſalus noſtra, & fides in Deum euaneſcit.

42 Vt reſpondeam probris me afficienti verbum: quia confido in ſermonibus tuis [*in verbo tuo*.]

Addit cauſam finalem, cur petat ſe defendi & ſeruari. Quia ſcilicet plurimùm referat refutari iniuſtas criminationes hoſtium, quibus non ipſe tantùm iniuſtè deformetur, ſed doctrina cæleſtis apud pleroſque in contemptum & odium veniat. Homines enim cum audiunt, eos qui hanc doctrinam profitentur, paſſim his opprobriis onerari, quòd ſint hoſtes Dei, eccleſiæ, parricidæ, ſeditioſi, turbatores publicæ trãquillitatis, peſtes generis humani: Item (quod ſarcaſmi genus eſt vſitatum, præſertim in magnis calamitatibus & perſecutionibus) quòd fruſtra ſperent in Deum: aut fruſtra glorientur de eius præſentia & auxilio, atque his ſubſannationibus fidei ipſorum illudi, quaſi vana ſit, fiunt alieniores à doctrina. Neceſſe eſt igitur has calumnias refutari. Ideo dicit, veniat mihi ſalus tua vt reſpondere poſſim verbum, id eſt, vt poſſim refutare manifeſto teſtimonio has calumnias.

Quia confido] Addit cauſam ab honeſto & æquo. Quia, inquit, ego confido promiſſionibus tuis: Æquum eſt igitur, vt iuxta has miſericordia & beneuolentia tua me complectaris, & contra calumnias & rabioſos ſycophantarum morſus defendas. Alioqui enim ſi me deſeras, & me ſpes mea fallat, veritas promiſſionum tuarum non conſtabit. Quare vt ſalua ſit veritas tuarum promiſſionum, defende & ſerua me, nec permitte vt calumniis aduerſariorum opprimar.

Notanda autem eſt antitheſis inter verbum hominum & Dei verbum. Hoſtes eccleſiæ obiiciunt verbum probroſum, dum fidem eius ludibrio habent, aut alioqui falſis criminationibus eam deformant: ſed his eccleſia reſpondet verbum: ita tamen vt ſperet in verbo Dei. Quandiu enim huic innititur, ſtat inuicta contra virulentas impiorum blaſphemias aut calumnias.

43 Et ne eripias ex ore meo verbum veritatis vſque valde: quia ad iudicia tua expecto.

Repetit precationem verſus 32. & addit confeſſionem quæ ſuprà verſu 30. expoſita eſt. Petit enim vt in agnitione & profeſſione doctrinæ cæleſtis ita confirmetur, vt nunquam fractus, vel conſpectu ſuorum peccatorum, vel metu periculorum, aut minis hoſtium eam abiiciat. Hac precatione eo magis ſibi opus eſſe intelligunt pij, quo magis conſiderant & intelligunt infirmitatem ſuam, & vident diabolum omnes neruos intendere, vt per ſua organa, hoc eſt, tyrannos & malos doctores, nobis de manibus extorqueat doctrinam cæleſtem, & erroribus ac tenebris horrendis nos inuoluat.

Sed cur dicit, *non eripias ex ore meo*? cur non potiùs dicit, *ex corde*? Nam parum refert linguas eſſe promptas & diſertas, ſi corda fide vacua ſint. Et vbi firma fides in corde lucet, ſponte ſequitur lingua. Reſpondeo, Sicut antea ſæpe petiuerat ſe doceri & inſtitui diuinitus, vt legem diuinam toto corde ſeruaret: ita nunc hanc ſententiam de externa profeſſione addit, vt oſtendat non ſatis eſſe aſſentiri verbo & feriò id amplecti, ſed neceſſe eſſe in externa quoque confeſſione conſpici noſtram fidem & firmitatem. Et quia varia hic nobis obiiciuntur impedimenta, quæ linguam & os interdum occludunt & quaſi obturant, ne quod animus ſentit, os libere profiteatur: ideo petit non modò cor muniri & confirmari, vt firmiter adhæreat verbo veritatis, ſed linguæ etiam vincula reſolui, vt libere inter homines profiteri & celebrare nomen diuinum poſſit.

עד מאד *vſque valde*, id eſt omnino, prorſus aut perpetuò. Quanquam alij maluerint reddere vnquam: reſpicientes ad hoc quod ſequenti verſu dicitur, *Cuſtodiam ſemper & in ſeculum*. Sed prior interpretatio phraſi Hebrææ videtur magis con-

congruere: ſicut & ſuprà verſu 8. eodem ſenſu hæ particulæ à nobis redditæ ſunt, & infrà iterum occurrent octonario ſequente: Superbè illuſerunt mihi valde. Hîc verò rurſus quæſtio oritur, cur petat non omnino eripi veritatem ab ore ſuo, quaſi non metuat verbo veritatis deſtitui ad tempus, & ſatis ſit, ſi poſt longum ſilentium ſibi hæc παῤῥησία reſtituatur. Hoc verò abſurdum eſt: cùm ſemper debeat extare & audiri confeſſio noſtra, & nunquam probanda ſit illa puſillanimitas, quæ ad tempus occultat veritatem, cùm confeſſio requiritur. Reſpondeo: Nequaquam probat propheta illam ὀῤῥωδίαν ſeu trepidationem, quæ, cùm confeſſio edenda eſt, metu periculorum, vel amore ſui & aliorum, vel alias ob cauſas veritatem occultat ſeu prodit: ſed conſiderans infirmitatem carnis noſtræ, & intelligens etiam robuſtiſſimos quoſque interdum vacillare & trepidare, dum violentiùs eos oppugnant mundus & ſatan: ita vt non ſemper ea in his ſit animi præſentia & conſtantia, quæ eſſe debebat: petit non omnino, aut prorſus eripi ab ore ſuo verbum veritatis, hoc eſt, etiamſi non ſemper in promptu ſit, quæ optanda eſſet loquendi fiducia, ne tamen diu ſe obmuteſcere permittat. Ita Dauid ſuæ infirmitatis ſibi conſcius, hanc precationem hoc loco recitat, qua fatetur tacitè, non ſemper ſe fuiſſe tam conſtantem & animoſum, vt par erat, ſed linguam ſuam metu fuiſſe quaſi deuinctam: & ſimul affirmat non eſſe in ſuo arbitrio poſitam illam παῤῥησίαν, quæ liberè quocunque tempore veritatem proferat & fateatur: ſed opus id eſſe Spiritus ſancti, qui niſi linguas noſtras gubernet & impellat, vt promptæ ſint ad liberam confeſſionem, & ſimul robur cordi ſuppeditet, non ſolùm languent corda vel proſtrata iacent, ſed linguæ etiam conticeſcunt. Ita Paulus ad Epheſ. 6. hortatur eccleſiam ad orandum pro omnibus ſanctis & pro ſe, vt ſibi detur ſermo in agnitione oris & libertate, vt notum faciat myſterium euangelij: & Chriſtus inquit, Ego dabo vobis os & ſapientiam, Lucæ 21. Item, Non vos eſtis qui loquimini, Matth. 10.

Quia iudicia tua expecto.] De hac ſententia ſuprà dictum eſt. *Iudicia*, vt ſuprà monui, ſignificant totam doctrinam diuinitus patefactam: hanc ſe intueri, hanc amplecti toto corde, & iuxta promiſſionem expectare ſe auxilium diuinum affirmat. Tale enim debet eſſe ſtudium in nobis, & in tali ſtudio ac propoſito, ſi fortè aliqua imbecillitas ingruat, hanc tegit & ſanat Deus, modò non petulanter & perfidè veritatem abiicias, vel abnegatione tua prodas: ſed cum Dauide petas, Non auferas ex ore meo verbum veritatis. Alij iudicia tantùm interpretantur de pœnis quas lex minatur: & ſententiam ita reddunt, Ego contremui ad iudicia tua: quaſi verbum Hebræū ſit יחל non חיל. Sed tota ſententia oſtendit manifeſtè, eum non loqui tantùm de legis præceptis, ſed principaliter reſpicere ad promiſſiones. Hæ enim ſunt, quæ noſtram expectationem ſuſtinent & fulciunt. Itaque quod priori membro vocauerat verbum veritatis, nunc eodem ſenſu nominat iudicia σωτηριώδη χρηστά. Sunt enim iudicia pars doctrinæ diuinitus traditæ.

44 Et cuſtodiam legem tuam ſemper: & in ſeculum & vſque.

Repetit ſuam confeſſionem, quam quia vult aliis eſſe exemplo, promittit ſe non ad paucos dies fore legis diuinæ ſtudioſum, ſed vſque ad finem vitæ. Sicut & ſuprà dicit 33. verſu, *vſque in finem.* Tale debet eſſe omniū piorum ſtudium: non vnius horæ, menſis & anni, ſed totius vitæ. Ideo vtitur tribus verbis, idem ferè ſignificantibus, nec tamen otioſa eſt congeries. Vult enim ſignificare opus eſſe acri ſtudio & contentione, vt in ſuſcepto pietatis ſtudio perſeueremus. Id enim niſi fiat, variis tentationibus & illecebris excutitur nobis timor Dei, & fiunt animi languidiores & alieniores à doctrina cæleſti. Nam quod Lucianus inquit, in natura innatum eſſe τὸ φιλόκαινον καὶ ἀψίκορον, id maximè experimur in ſtudio doctrinæ cæleſtis. Et nulla penè cauſa alia eſt, cur tot hæreſes inuehantur in eccleſiam, quę approbatores inueniant, niſi quòd vſitatam doctrinam faſtidimus. De hac igitur contentione & ſtudio retinendi puritatem doctrinæ cæleſtis, & perſeuerandi in profeſſione & ſtudio veritatis, voluit nos commonefacere hac vocum congerie, & nos ad hanc pugnam ſuo exemplo inſtruere.

45 Et ambulabo in latitudine: quia mandata tua exquiſiui.

Confeſſioni & adhortationi (quam ſemper diximus confeſſioni incluſam eſſe) ſubiicit iterum argumentum ab effectu ſeu vtilitate ſumptum. Etſi autem ad ſe, qui confeſſionem ſuam iam ediderat, hanc ſententiam applicat Dauid: tamen in genere ad omnes, qui ſtudio cognoſcendæ doctrinæ cæleſtis & colendæ pietatis occupantur, pertinet. Nam quod Dauid affirmat, ſe hanc vtilitatem ſeu fructum ex ſtudio pietatis capere, quòd aſſiduè ambulet in latitudine, id ei cum omnibus piis eſt commune. Omnes enim hunc fructum ex pietatis ſtudio capiunt. Significat autem *ambulare in latitudine*, non torqueri animo, non timere aut expaueſcere ab ira Dei aduerſus peccata, nullos ſentire morſus conſcientiæ, non fugere Deum in rebus aduerſis, nec fremere aduerſus eum, ſed eſſe animo compoſito, & cum conſcientiæ tranquillitate & cordis lætitia vitam ſuam degere, & ſe Deo regendum committere. Hæc ſumma felicitas eſt hominis in hac vita. οὐδὲν γὰρ οὕτως εὐφραίνειν εἴωθεν, ὥσπερ τὸ συνειδὸς καθαρὸν καὶ ἀγαθαὶ ἐλπίδες, inquit Gregorius Nazianzenus. & notum eſt Pindari dictum: τῷ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος. Econtra impios & ſceleratos mala conſcientia ſemper torquet & vexat. Sicut dicitur apud Ieſaiam 57. Impij ſunt ſicut mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Et Ariſtoteles de ſceleratis inquit nono Ethicorum, στασιάζει αὐτῶν ἡ ψυχή. Nihil autem triſtius eſt, quàm aſſiduè circumferre dolores conſcientiæ, qui ſunt quaſi perpetuus carnifex, & (vt Plutarchus inquit περὶ εὐθυμίας) vlcus perpetuum, quod in animo relinquit dolorem aſſiduè pungentem, & vulneribus nos conficientem, ſeu vt ille loquitur, μεταμέλειαν αἱμάσσουσαν ἀεὶ καὶ νύσσουσαν. Et Hercules inquit, poſt interfectam coniugem & liberos, *Nemo polluto queat animo mederi, morte ſanandum eſt ſcelus.*

Deinde ſignificat in huius vitæ actionibus & conuerſatione cum hominibus habere conſilia plana, recta & expedita, quæ non abducant nos ab honeſto, quæ nihil habeant perplexi, quæ non inuoluant res aut negotia: ita vt quicquid occurrat difficultatis, anguſtiæ aut periculi, expedita ſit ratio, qua ſe expediat & exitum inueniat. Hæc vtilitas ſequitur ſtudium verbi diuini: cùm interea impij multipliciter ſeſe ſuis conſiliis, technis & aſtutiis inuoluant, ſibique ipſis magno labore laqueos tendant, & foueas fodiant, quibus irretiti & capti tandem pœnas dent ſuorum prauorum conſiliorum & ſcelerum. Forma ſermonis ſumpta eſt vel ab his qui ex carcere & anguſtiis in locum ſpatioſum educuntur, vbi liberè reſpirare poſſint, quò ſuprà pſalm. 18. reſpicere videtur, cùm inquit, & eduxit me in latitudinem: vel ab his, qui in regia & lata via incedunt. His enim totum iter eſt facile & expeditum: cùm alij, qui diuerticula quærunt, ſæpe in loca ſalebroſa & anguſtias ſeſe coniiciant, ex quibus emergere, niſi regrediantur, non poſſunt. Sæpe etiam ſua pertinacia eò vſque ſe immittunt, vt regredi non poſſint. Inde prouerbium natum eſt apud Saxones, *vver den gebahnten vnd richtigẽ vveg gehet, dem ſtoſſen keine ſtreucher in die augen.*

Alij putant verba eſſe optandi, Vtinam ambularem in latitudine.

Quia mandata tua exquiſiui] Oſtendit vnde illa trāquillitas animi, quæ ſine offenſione curſum vitæ peragat, oriatur, nimirum ex ſtudio verbi diuini & pietatis. Nam cæteræ doctrinæ omnes inuoluunt nos potiùs quàm euoluunt.

46 Et loquar de teſtimoniis tuis coram regibus: & non pudeſiam.

Redit ad confeſſionem. Eſtque in hoc verſu pollicitatio quædam gratitudinis, & ſimul doctrina, quæ monet qualis animi tranquillitas & confidentia ſequatur ſtudium pietatis. Dixerat ſuprà verſu 43. ne auferas verbum tuum ex ore meo. Huic petitioni, quam ſtatuit iam eſſe exauditam à Deo, tanquam voti ſui compos factus, ſubiicit hanc pollicitationem gratitudinis: Ego, inquit, ſic abs te edoctus & confirmatus, animo præſenti & ſine trepidatione loquar de teſtimoniis tuis, hoc eſt, aſſeram gloriam tuam, & dabo operam vt mea voce & confeſſione doctrina tua paſſim ſpargatur & propagetur. Nec tantùm ad vulgus id faciam: ſed etiam coram regibus, vbi maiori id fit cum periculo. Nam reges non volunt ſe cogi in ordinem, nec volunt ſibi aliquid præſcribi, multò minus volunt ſua reprehendi aut damnari: ideo oderunt hanc doctrinā, quæ quaſi vincula & carceres eis circumdat, & frænum cupiditatibus ipſorum iniicit: &, vt Pſalmo ſecundo dicitur, ſummis viribus ac conatibus hoc agunt, vt hæc vincula rumpant. Inde igitur exiſtunt illa odia, furores & perſecutiones, in quibus magna ſuppliciorum atrocitate in pios ſæuitur, vt nemo ſine periculo os aperire coram regibus auſit. Et tamen qui tantum profecit in hac pietatis ſchola, vt intelligat hanc doctrinam ſolam ducere ad cæleſtem vitam & beatitudinem, is cùm amplificandæ gloriæ diuinæ ſtudio, tum quia ſaluti omnium hominum conſulere cupit, non veretur liberè & palam in conſpectu regum & principum hanc doctrinam profiteri, atque ita gloriam Dei aſſerere. Quare is demum ſe rectè verſari in ſtudio pietatis, & multùm profeciſſe ſciat, qui ita affectus eſt, vt animo intrepido coram toto mundo hanc doctrinam profiteri, ſéque his, qui eam oppugnant, conſtanti pectore opponere auſit.

Non pudefiam] Id eſt, non deiiciar à ſtatu aut ſpe mea, non trepidabo, non metu periculi aut probri ſubterfugiam vel abiiciam confeſſionem, non vincar terroribus aut minis.

47 Et oblectabo me in mandatis tuis quæ diligo.

De hac ſententia dictum eſt ſuprà verſu 24. Eſt enim eadem ſententia, niſi quòd hoc loco cauſam etiam illius lætitiæ ſeu oblectationis ſimul oſtendit. Amor enim verbi diuini parit illam lætitiam in corde, de qua ſuprà dictum eſt: niſi enim cum ſerio & ardenti affectu ſtudium noſtrum ſit coniunctum, ſtatim ſuboritur faſtidium & ſatietas.

48 Et tollam manus meas ad mandata tua, quæ diligo: & meditabor in ſtatutis tuis.

Repetitio eſt confeſſionis. Nec opus eſt cauſam eius repetitionis ſæpiùs inculcare. Cæterùm phraſis, *Tollere manus ad mandata*, dupliciter exponitur. Alij enim leuare manus idem putant eſſe, quod dicimus: Adhibere manus operi, & operam dare, vt factis exprimamus præcepta Dei. Neque enim ſatis eſt, eſſe diſertum in lege Dei, nec auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur. Alij tamen exiſtimant, ardens animi deſiderium hac forma loquendi ſignificari, ſumpta metaphora ab externo geſtu. Quæ enim cupidè appetit cor, ea extentis manibus captat, & ſibi applicans, quaſi propria facere ſtudet. Ego itaque, inquit, tanto deſiderio expeto mandata tua, vt in externo quoque corporis geſtu extent feruoris & deſiderij ſigna. Ita oſtendit in piis externos corporis geſtus reſpondere interiori animi pietati, ita vt quicquid agant, pietatem ipſorum arguat.

OCTONARIVS SEPTIMVS.

I

49 MEmento verbi ad ſeruum tuum: ſuper quo ſpem dediſti mihi [*feciſti me ſperare.*]

Etiam hunc octonariũ inchoat à precatione, in qua intuens promiſſionem petit iuxta hanc ſeruari & defendi. Nam quod dicit, *memento verbi ad ſeruum tuum*, idem eſt ac ſi diceret, Præſta & re ipſa exhibe ſeruo tuo quæ promiſiſti. Nunquam quidem eſt immemor verbi & promiſſionum ſuarum Deus: ſed id nos non intelligimus, niſi cùm facto id oſtendit. Ideo ſic loquitur de Deo ἀνθρωποπαθῶς. Effectus enim demonſtrat, Deum eſſe memorem ſuarum promiſſionum.

In quo me ſperare feciſti] Oſtendit ſpem piorum nulla alia re niti, quàm promiſſione diuina, & quidem vt pendere ab hac ſola poſſit, id fieri beneficio diuino. Vtraque doctrina admodum neceſſaria eſt. Non ſolùm qui palam ſunt impij, abiecto verbo, & promiſſionibus diuinis ſepultis, nituntur ſua ſapientia, viribus, potentia & autoritate, &c. Sed etiam multi in cœtu eccleſiæ quærunt neſcio quas illuminationes & raptus extra verbum Dei: nec volunt in eo acquieſcere fide. Sed vera eccleſia ſcit ſe eſſe alligatam ad verbum. Itaque in precatione, quoties accedit ad Deum, & in omnibus actionibus ſuis, exemplo Dauidis, intuetur promiſſiones, & iuxta has petit ſe exaudiri & iuuari. Ac ſi indignitas noſtra hìc nobis obſtrepat, & à Dei conſpectu nos arcere conetur, fides intuens promiſſionem anteſert eam illi ſenſui indignitatis, & hac promiſſione ſeſe ſuſtentat & erigit. Ita fit conſolatio in corde, & viuificatio, de qua verſu ſequẽte dicitur: & creſcit fiducia in Deum. Sed quia ex nobis id præſtare non poſſumus, vt in hoc certamine illam firmitatem fidei & ſpei retineamus, quæ non patiatur ſibi promiſſionem excuti, ſciẽdum eſt hanc ipſam fidem & ſpem diuinitus accendi per verbum, & ſimul conſeruari & augeri à Deo, vt firmiter inhærere promiſſioni poſſit. Ideo dicit, *in quo ſperare me feciſti*. De his rebus omnibus monet hic & ſequens verſus.

50 Hæc conſolatio mea in afflictione mea: quia verbum [*eloquium*] tuum viuificat me.

In hoc verſu exponitur præcipuus effectus verbi diuini, éſtque inter cætera argumenta, quibus ſtudium verbi diuini commendat, hoc maximè inſigne, quod in hoc verſu ab efficacia eius ducitur. Vt autem meliùs intelligatur hic verſus, ex antitheſi conferantur aliæ doctrinæ extra eccleſiam cum verbo cæleſti. Tota philoſophia etſi multa argumenta colligit, quibus perſuadere hominibus conatur, mortem & alias ærumnas generis humani eſſe æquo animo ferendas, ſúntque illa argumenta paſſim in doctrina philoſophorum obuia & crebrò repetita, tamen non oſtendit veram & firmam conſolationem, non monſtrat vera & ſalutaria remedia, quæ adhibenda ſint doloribus ortis ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, & mortis æternæ, nec oſtendit portum in quo acquieſcere mens poſſit. Ideóque relinquit hominem in triſtiſtiſſimis dubitationibus, in deſperatione & fremitu aduerſus Deum, vt tandem, quod Virgilius ait, vita eius cum gemitu fugiat indignata ſub vmbras. Itaque rectè ait Plato in Axiocho, philoſophiæ conſolationes eſſe λεσχηνείας καὶ φλυαρίας, id eſt, inanem garrulitatem; quæ non efficaciter vulnera cordis ſanat, ſed tantùm cicatrices vtcunque obducit. Sed doctrina cæleſtis oſtendit veras & efficaces conſolationes, quibus corda retrahuntur ex doloribus mortis & inferorum, & perfunduntur noua vita & lætitia in Deo acquieſcente: ſicut hìc dicit, Verbum tuum viuificat me.

Hæc vtilitas ita magna eſt, vt omnes inuitare & impellere ad ſtudium pietatis debeat. Deinde ſi doctrina philoſophica, quæ quaſi ſpeculum & σύνοψις eſt omnis ſapientiæ humanæ, tãquam inutilis ad veram & efficacem conſolationem, hac Dauidis ſententia reiicitur, quanto magis illa vana ſolatia, ad quæ vulgus reſpicit, quæque incerta ſunt & fallacia, hoc Spiritus ſancti iudicio damnari exiſtimandum eſt? Non ſolùm enim non viuificant illa, ſed altiùs etiam mergunt in mortem & interitum, & dolores efficiunt triſtiores. Tertio, obſeruandum & hoc eſt, de quo ſuprà verſu præcedente nonnihil dictum eſt: perſpicuè oſtendi in his verbis modum, quo fiat conſolatio in eccleſia, ne more Enthuſiaſtarum & Anabaptiſtarum ſomniemus raptus & illuminationes extra verbum. Iterum enim deducit nos hæc ſententia ad verbum, hoc eſt, promiſſiones, & oſtendit Spiritum S. eſſe efficacem, hoc eſt, erigere & conſolari corda per verbum, & non aliter. Ideo enim inquit, *Verbum tuum viuificat me.* Non quòd magicam vim tribuat ſyllabis, vel atramento, vel chartulis è collo ſuſpenſis, vel certorum verborum recitationi, vel etiam voluminibus pretioſè compactis, & multo thure conſecratis, quales ſuperſtitiones inualuiſſe apud pontificios videmus. Sed quòd certò ſtatuat & re ipſa didicerit, hoc modo Spiritum ſanctum in corde ſuo efficacem eſſe, cùm fides intuetur promiſſionem, & hac ſeſe contra terrores & dolores erigit & ſuſtentat.

Huc congruunt multa alia teſtimonia: Prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo. Si credideris, ſaluus eris, Rom. 10. & Roman. 15. Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarũ ſpem habeamus. Sed hæc non intelliguntur niſi in veris inuocationis & pœnitentiæ exercitiis. Ideo homines otioſi & expertes horum exercitiorum, ſomniant neſcio quas infuſiones, quæ fiant tempore & momentis nobis incognitis, hominémque ita abſoluant, vt qui hactenus fuerit impius, & propoſitum habeat perſeuerandi in ſceleribus contra conſcientiam, mox eo momento fiat iuſtus. Ita vt dicere poſſis, hic eſt iuſtus. His enim verbis vtuntur. Hæc deliria planè Enthuſiaſtica fugiamus, & diſcamus, non aliter fieri conſolationem in cordibus niſi per verbum, per quod Spiritus ſanctus ſit efficax. Nec eſt ille efficax, quandiu petulanter reiicimus & contemnimus verbum. Sed cùm mens perterrefacta agnitione peccati in veris doloribus quærit conſolationem, & verbo promiſſionis ſe ſuſtentat, &c.

Afflictiones nominat non tantùm externa mala, quæ corpus affligunt, ſed multò magis illos internos dolores & cruciatus, qui oriuntur à ſenſu iræ Dei, & qui, niſi conſolatio fiat, hominem mergunt in mortem.

Viuificat] Recreat me: ita vt ſublatis doloribus mortis, ſenſum lætitiæ acquieſcentis in Deo cordi immittat. Hæc enim vera vita eſt, qua corda eriguntur & reſtituuntur.

51 Superbi deriſerunt me plurimùm [*magnopere:*] à lege [*autem*] tua non declinaui.

Sicut ſuo exemplo paſſim oſtendit, quale eſſe ſtudium pietatis, & qualis conſtantia in omnibus debeat: ita etiam ſæpe à ſe oſtendit, quid ferre eos, qui pietatem profitentur, neceſſe ſit, & vnde in periculis atque ærumnis veræ conſolationes & efficacia malorum remedia petenda ſint, monet. Talis igitur hic eſt verſus. Primùm inquit, *Superbi deriſerunt me plurimùm.* Hæc enim eſt conditio eccleſiæ in hac vita, vt à ſuperbis, hoc eſt, hominibus epicureis, ignaris euangelij, & fiducia ſuæ iuſtitiæ, ſapientiæ aut potẽtiæ tumentibus, ideóque etiam Deum & iudicia eius contemnentibus, deinde & ab hypocritis derideatur, contemnatur, prematur, & magna odiorum acerbitate oppugnetur: omnia enim hæc verbo illudendi complectitur. Nam mundus ea quæ ſua non ſunt, odit, vt Chriſtus inquit apud Iohannem. Ea autem debet eſſe in omnibus conſtantia, vt has illuſiones & iniurias, ab impiis & incredulis illatas, fortiter ferant, ne fracti magnitudine malorum aut calamitatum deficiant à Deo, & non aliunde quàm ex ipſo verbo diuino petere remedia ſuorum malorum diſcant. Ideo inquit, Etiamſi ſuperbi mihi illudunt, ego tamen à lege tua non declino. Et mox ſubiicit:

52 Memor

52 Memor ſum iudiciorum tuorum à ſeculo Iehoua: & conſolationem capio.

Non enim aliunde quàm ex verbo diuino & exemplis iuſtitiæ Dei peti vera remedia poſſunt. Iudicia enim Dei hoc loco exiſtimant dici exempla in verbo Dei propoſita, quibus Deus teſtatus eſt, ſe iuſtum eſſe iudicem. Vt eſt hiſtoria diluuij & ſeruatæ familiæ Nohæ, eductio populi Iſraelitici ex Ægypto, & interitus Pharaonis, excidium gentium Cananæarum, & ſimiles pœnæ. In his enim admirandis liberationibus eccleſiæ & pœnis hoſtium conſpicitur Dei præſentia in eccleſia, & iudicium eius aduerſus ſcelera & impietatem hoſtium declaratur. His igitur exemplis confirmatus propheta, affirmat ſe inde conſolationem in rebus ſuis aduerſis accipere, & in ſuſcepto pietatis ſtudio confirmari.

53 Horror apprehendit me, propter impios derelinquentes legem tuam.

Non ſatis eſt veram doctrinam intelligere & amplecti: ſed ſimul oportet odiſſe omnem ſophiſticam & mendacia pugnantia cum doctrina, & eos, qui ſceleratè deficiunt à doctrina, aut leges diuinas audacter violant, tanquam monſtra toto pectore deteſtari & auerſari. Hoc igitur affirmat propheta ſe feciſſe, & nos ſuo exemplo hortatur, vt ſimilem zelum atque indignationem capiamus aduerſus prauos doctores & violatores doctrinæ cœleſtis. Suprà diximus, in Apocalypſi eos accuſari, qui neque frigidi ſint neque calidi. Quod huc etiam accommodari poteſt. Alij horrorem exponunt, qui ortus ſit ex cogitatione de exitio & interitu impiorum. Sed principaliter loquitur de illa indignatione & horrore, qui oritur ex violatione ſeu profanatione doctrinæ cœleſtis, qua & gloria Dei læditur, & pœnæ non tantùm priuatæ, ſed publicæ attrahuntur. Ita Polycarpus obturabat aures ne audiret blaſphemias, & vitabat loca in quibus illæ pronuntiabantur.

Propter impios] Non dicit propter peccatores errantes aut imperfectos: ſed impios & blaſphemos, qui veritatem cœleſtis doctrinæ oppugnant & delere conantur.

54 Cantiones fuerunt mihi ſtatuta tua: in domo peregrinationum mearum.

Redit ad commendationem verbi diuini, & quia ſuo exẽplo aliis vult prodeſſe, affirmat legem Dei ſeu doctrinam cœleſtem vnicam ſibi fuiſſe vel præcipuam oblectationem & voluptatem. Idque à ſigno oſtendit, cùm dicit, *Statuta Dei fuiſſe ſuas cantiones.* Nam cantus, lætitiæ indicium eſt. Addit autem, *in domo peregrinationum mearum*, vt oſtendat etiam tunc quando cauſa aliqua erat dolendi aut metuendi pericula, retinuiſſe ſe illam animi tranquillitatem & lætitiam, quæ ex ſtudio verbi diuini oritur. Nam qui peregrinantur & domo abſunt, variis ſolicitudinibus torquentur, afficiunturque moleſtiis, & conficiuntur multis laboribus: multa etiam metuere ſibi à latronibus & à feris coguntur. Solent enim nonnunquam viatores cantu ſolari laborem ſuum, atque ita animo ſuo excutere metum aut ſolicitudinem quæ eos excruciat. Ita, inquit, ego quoque meditatione verbi tui, & dulciſſimis ex hoc petitis cantilenis, leuò huius vitæ miſerias & dolorem, quem ex exilio capio, in te vnum iactans curam & ſolicitudinem. Videtur enim Dauid vocabulo peregrinationis ſuum notare exilium, & tacitè hac voce monere voluiſſe, vitam pij hominis in hac vita non differre à peregrinatione. Quemadmodum Iacob inquit Geneſ. 47. Dies peregrinationis ſerui tui pauci & mali.

55 Recordatus ſum nocte nominis tui, Iehoua: & cuſtodio legem tuam.

Cohæret hic verſus cum ſuperiore. Sicut enim ſuprà dixerat, ex ſola doctrina cœleſti petere ſe animi conſolationem & oblectationem dum peregrinatur: ita nunc inquit, noctu, cùm ſcilicet hominem curæ propter ſolicitudinem & inſomnia magis exercent, quàm interdiu, & cùm homines impij ſtertunt, & ſunt ſecuri, aut etiam cùm ſcelera meditantur in lecto, ſe reſpicere ad legem diuinam, atque in hac obſeruanda ſe exercere.

56 Hoc factum eſt mihi: quia ſtatuta tua cuſtodio.

Colligit ex vtraque parte quæ ſibi euenerint: primùm triſtia & aduerſa, vt erant ſubſannationes, irriſiones, minæ, odia hoſtium, machinationes crudeles, peregrinatio & exiliũ, &c. deinde ſolatia, quæ ex doctrina cœleſti petiuerit, præſentiam Dei quam in rebus aduerſis expertus ſit, & liberationem ex doloribus & ærumnis. Atque ita quaſi opponendo hæc, cùm ſeſe tum alios ſuo exemplo confirmat, vt in ſtadio pietatis conſtanter & alacriter pergant.

Hoc mihi factum eſt] Id eſt, hoc euenit mihi, &c. Senſi mala & aduerſa plurima: ſed econtra dulciſſimas conſolationes hauſi ex doctrina, & ornatus ſum multis à Deo beneficiis. Vtrunque igitur vult nos expectare, qui in hoc ſtadio currimus.

Alij ita reddunt, Hoc eſt meum opus, vel, hoc mihi curæ & cordi eſt, cuſtodire mandata tua, id eſt, retinere doctrinam incorruptam fide & bona conſcientia.

OCTONARII OCTAVI ARGVMENTVM.

IN toto hoc octonario rurſus ſuum exemplum eccleſiæ proponit, & quale ſuum fuerit ſtudium, qualiſque ardor in cognoſcenda doctrina cœleſti, demonſtrat. Deinde qualem conſtantiam in ſuſcepto pietatis ſtudio adhibuerit, oſtendit. Vtque magis ſuum exemplum nobis commendet, & vt conſtantia ſit conſpectior, iterum hoſtium ſuorum varias technas, fraudes, machinationes, & iniurias commemorat, quibus adeo fractus non ſit, vt magis etiam ſe confirmatum atque ardentiorem factum in pietatis cultu, & ſtudioſius coluiſſe ſe illum cœtum, qui pietatis doctrinam profitebatur, affirmet. Addit autem rurſus petitionem, vt diuinitus doceatur & confirmetur, & in fine argumentum ſumit ab immenſa Dei miſericordia & bonitate, quæ cùm per totum terrarum orbem diffuſa ſit, ſe quoque eius aliquem guſtum percipere debere iudicat.

ח

57 PORtio mea Iehoua dixi: ad cuſtodiendum verba tua.

Confeſſio eſt, in qua, vt dixi, ſtudium ſuum commendat, & aliis imitandum proponit. In lectione eſt aliquid ambiguitatis: nec omnes eodem modo hunc verſum interpretantur. Ambiguitas autem inde ferè oritur, quòd nomen יהוה diſſimiliter accipitur. Aliqui enim ſic legunt, Iehoua tu es portio mea, ideo decreui legem tuam ſeruare. Alij ſic, Deus, qui portio mea es, decreui, &c. Nonnulli, Dixi, vel ſtatui Deum portionem meam, ad cuſtodiendam eius legem. Doctiores autem ita ferè reddunt: Dixi Domine, hæc portio mea eſt, ſeruare legem tuam. Et hæc ſententia videtur eſſe magis Grammatica. Nã accentus in verbo אמרתי oſtendit ordinem conſtructionis eſſe inuerſum, & conſtructionem poſt vocatiuum eſſe inchoandam à verbo. Nec tamen aliorũ ſententias prorſus repudio. Nam & illud rectè dicitur, quod primo loco dixi, Deus portio mea eſt, ideò &c. Nam quòd Deus eſt hæreditas piorum, ſicut ſeſe in lege nominat, & quòd vnus ad ſolidam felicitatem noſtram ſufficit, id nos inuitare inprimis ad pietatis ſtudium, & animum addere nobis debet. Et certè æquum eſt, vt cùm ſibi nos in peculium delegerit, nos in ipſo viciſſim acquieſcamus, & illo vno ita contenti ſimus, vt ampliùs extra illum nihil requiramus. Retineo tamen poſtremã ſententiam, quæ magis eſt grammatica. Ego ſtatui apud me, quòd hæc ſit optima portio, & optima hæreditas mea, ſeruare legem Dei. Quid enim prodeſt homini (inquit Chriſtus) ſi totum mundum lucratus fuerit, & animæ ſuæ iacturam fecerit? Matth. 16. & Paulus 1. Timoth. 6. inquit: Pietas optimus eſt quæſtus. hæc eſt ſimpliciſſima ſententia. Comparat autem Dauid legis obſeruantiam omnibus fictitiis bonis, quæ ad ſe hominum cupiditates rapiunt: ac ſi dixiſſet, appetat quiſque quod mens eius tulerit, & ſuis deliciis fruatur: non erit quod aliis inuideam, ſi mihi ſalua manebit hæc portio, vt me Dei verbo addicam.

58 Precatus ſum faciem tuam toto corde: miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

Suprà diximus, ſtudio noſtro adiungendam eſſe aſſiduam precationem: alioqui enim facilè faſtidium doctrinæ obrepit, cùm non ſentitur effectus in corde: & fides, niſi ſubinde in inuocatione, quæ eius quaſi nutricula eſt, alatur, facilè extinguitur. Ideo paſſim per totum pſalmum miſcetur precatio. Deprecari autem faciem Dei, ſignificat non tantùm deprecando in eius conſpectum venire, atque ita familiariter cum eo colloqui: vel etiam vt nonnulli interpretantur, ſuppliciter ante alicuius faciem procumbere: ſed etiam petere, vt qui ſe aliquandiu facie auſtera & vultu toruo ſubiratum oſtenderit, blandam nobis faciem ſuam obuertat, atque ita rediiſſe nobiſcum in gratiam oſtendat: quaſi dicas, faciem alicuius deprecando flectere aut mollire.

Toto corde] Hoc oppoſitum eſt hypocriticis ſimulationibus.

Miſerere mei] Hæc ſumma fuit petitionis, in qua omnis generis bona petit, ſpiritualia & corporalia: ſed quia in omni petitione prælucere neceſſe eſt fidem accipientem remiſſionem peccatorum, ideo inquit, Miſerere mei, id eſt, per miſericordiam recipe me in gratiam, eſto propitius, & ſuccurre mihi in omnibus afflictionibus & periculis. Et mox ſubiicit, *Secundùm eloquium tuum*, id eſt, ſecundùm promiſſiones in verbo tuo comprehenſas: vt oſtendat fidem ſolo verbo niti.

59 Reputaui vias meas: & conuerti pedes meos ad teſtimonia tua.

Redit ad confeſſionem, in qua aliis ſuum proponit exemplum. Cogitare ſeu *reputare vias ſuas*, eſt diligenter expendere vitæ ſuæ inſtitutum ſeu rationem viuendi: ſicut & Paulus præcipit Epheſ. 5. Ambulate accuratè, non vt fatui. Viuunt plerique ſine lege & ſine Deo, nec cogitant an via quam ingrediuntur, ducat vel ad interitum vel ad ſalutem. Ideoque obuiam quamque, & eam inprimis, in qua deliciæ, voluptates, honores, dignitates & opes ſeſe offerunt, mox cupidè ſine iudicio arripiunt. Sed hominis pij eſt reputare vias ſuas, & cogitare an congruant cum verbo Dei, & quis exitus viæ inſtitutæ ſit futurus: ſi intelligat non congruere ad præſcriptum verbi diuini, aut ſi pes exorbitet à regia via, mox exemplo Dauidis retrahat pedem & ad teſtimonia diuina ſe conuertat. In hac enim via tutiſſimè ambulatur: aliæ omnes extra hanc ad interitum ducunt. De hac diligentia monet nos hic verſus. Sequens verſus monet in hac deliberatione fugiẽdam eſſe procraſtinationem ſeu dilationem: quia dilatio illa cum periculo eſt coniuncta. Si enim hîc ignauiæ noſtræ indulgeamus, tandem obdureſcimus in ſceleribus noſtris, nec facilè inde reuocamur ad regiam viam, præſertim cùm tot nobis obiiciantur impedimenta & remoræ, quæ nos ab hoc curſu auocant. Nec expectandum eſt quod Enthuſiaſtæ dicunt, donec etiam repugnantes rapiamur. Sed cùm alloquitur nos Deus in verbo ſuo, & nos trahit, reuerenter audiamus eum, & (quemadmodum pſalmus inquit) feſtinemus amplecti verbum, idque magno ſtudio agamus, vt iuxta hanc doctrinam viam noſtram inſtituamus. Ideo inquit,

60 Feſtinaui & non diſtuli, vt cuſtodirem mãdata tua.

Duobus verbis ſignificat zeli feruorem: quaſi dicat, abſque cunctatione & mora cucurri celeriter.

61 Funes impiorum apprehenderunt me [*vel cœtus impiorum ſpoliauerunt me:*] legis tuæ non ſum oblitus.

Sicut antea ſæpe, ita hoc quoque verſu docet, non abiiciẽdam eſſe profeſſionem doctrinæ & cultum religionis, etiamſi odia & pericula propter eam ſint ſuſtinenda. Hæc conſtantia & fidei firmitas neceſſaria eſt piis omnibus: quia crux ſemper ſequitur profeſſionem huius doctrinæ, quæ quia multorum fidem labefactat & euertit, eo maiore ſtudio & cura nobis opus eſt, ne fides in nobis extinguatur. De hac diligentia ſeu cura retinendæ puritatis, doctrinæ & fidei, concionatur hoc & duabus ſequentibus verſibus. Sed quia illa conſtantia & firmitas fidei in periculis non retinetur humanis viribus, ſed ſingulare eſt Dei donum, ideo verſu ſexageſimo quarto additur precatio, quam toties in hoc pſalmo reperit: Doce me ſtatuta tua: niſi enim diuinitus doceamur & confirmemur, fruſtra laboramus in exuſcitanda & confirmanda fide noſtra, quæ tot machinis intus & foris oppugnatur: intus à carne & peccato: foris à diabolo & organis eius. Meminerimus igitur Dauidis exemplo non indulgendum eſſe dubitationibus aut diffidentiæ: nec abiiciendam eſſe fidem aut profeſſionẽ doctrinæ, ſi ingruant calamitates & pericula: ſed conſtanter & magna contentione pergendũ eſſe in pietatis curſu. Ne verò labor ſit irritus, addendam eſſe precationem, quæ donum conſtantiæ & firmitatis diuinitus impetret.

Funes impiorum] Verbum חבל abſolutè ſignificat teneri alicui obſtrictum ære alieno ſeu debito, vel actiuè, obſtringere aliquem ſibi, vel obſtrictum ſibi reddere propter debitum, item, pignus accipere loco debiti, quo tibi alium ad ſoluendũ debitum obſtringas. Inde eſt nomen חבל quod in genere ſignificat funem, à ſtringendo ſeu ligando. Interdũ metonymicè capitur pro parte ſeu tractu terræ funiculis menſurato. Sæpe etiam pro cœtu ſeu caterua hominũ certis fœderibus ſeu pactionibus tanquam funibus coniunctorum. Duplex eſt igitur huius membri ſententia, ſed quæ eodem recidit. Alij enim reddunt, funes impiorum apprehenderunt me. Alij, cœtus impiorum deprædati ſunt, vel (vt nonnulli reddunt) ſpoliauerunt me. Nam verbum עוד malunt verbo ſpoliandi vel deprædandi reddere: quòd nomen עד prædam ſeu ſpolia ſignificet. Quocunque modo reddas, plana & perſpicua eſt prophetæ ſententia: ſignificat enim ſe ab impiis quidem variis modis vexatum, & multis eorum inſidiis petitum, atque iniuriis omnibus expoſitum eſſe: interea tamen retinuiſſe fidem intuentem promiſſiones: atque ita ſuperaſſe hæc pericula, & è manibus hoſtium euaſiſſe. Nonnulli reddunt, dolores impiorum: ſed hoc eſt alienum ab hoc loco. Et differunt ſignificatione חבל & חבל *kebel* cum tſeri ſub prima litera, & *kebel* cum Segol ſub eadem prima litera.

62 Media nocte [*medietate noctis*] ſurgam ad confitendum tibi ſuper iudiciis iuſtitiæ tuæ [*id eſt, iuſtis tuis.*]

Amplificat ſuum ſtudium à circumſtantia temporis. Tantus, inquit, eſt animi ardor in diſcenda doctrina tua & colenda pietate, vt non tantùm interdiu hoc ſtudio occuper, ſed noctu quoque: & quidem tunc cùm cæteri profundiſſimo ſomno iacent quaſi ſepulti, ſurgam, & de tuis beneficiis cogitãs tibi gratias agam, quod te patefeciſti eccleſiæ, & quòd particeps ſum factus tantorum bonorum.

Iudicia iuſtitiæ vocat iudicia iuſta, more Hebræo. Et iudicia hoc loco accipi poſſunt vel in ſpecie de exemplis, in quibus iudicium erga impios declarat Deus, vel in genere de tota doctrina in eccleſia patefacta, vt antea ſæpe. Monachi hunc verſum trahere ad ſuos ſuperſtitioſos cultus, eóſque commendare exemplo Dauidis ſolent. Dicunt enim ſe quoque ſurgere media nocte: quod quidem reprehendendum non eſſet, ſi facerent libero ſpiritu & nullis humanis traditionibus obnoxio, ſua ſponte non ventris & otij gratia, citra vllam ſuperſtitionem & idololatriam: ſed quantum ſit impietatis & ſuperſtitionis in vita monaſtica, res docet. Ideo parum rectè ad palliandam ſuam impietatem talia dicta allegant.

63 Socius ego omnibus, qui te timent: & qui cuſtodiunt ſtatuta tua.

Ad diligentiam & ſtudium retinendæ fidei & puritatis doctrinæ pertinet, vt nos ad eum cœtum adiungamus, in quo ſonat vera & incorrupta doctrina, & in quo legitimi cultus vigent. Talis enim quiſque eſt aut euadit, qualium delectatur conſuetudine. Eſtque magna vis, vt inquit Plutarchus in Bruto, ad mores rectè formandos, in conſuetudine bonorum. Econtra de malis noti ſunt verſus Græci. Æſchylus inquit, ἐν παντὶ πράγει δ᾽ ἔθ᾽ ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδέν. Item, χωλῷ παροικῶν σκάζειν μανθάνει. Et Menander, κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός. Et quod Paulus ex Menandro citat, φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ᾽ ὁμιλίαι κακαί.

Dauid igitur in ſe volens proponere exemplum hominis ardentis ſtudio pietatis & verè timentis Deum, affirmat ſe conſuetudine piorum confirmatum & adiutum fuiſſe plurimùm in ſuſcepto ſtudio, ſéque magno ſtudio hoc egiſſe, vt & inter bonos ac pios aſſiduè verſaretur, & coniunctionem illam quibuſcunque poſſet ſtudiis & officiis tueretur & ornaret. Et in omnibus piis vult ſimile ſtudium conſpici. Huc pertinet ille verſus Nazianzeni, ζητῶ Νοῦ κύβοντος ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω. Omnes debemus operam dare, vt ſimus ciues & membra veræ eccleſiæ, cui nos adiungere debemus fide, profeſſione, inuocatione & voluntatis coniunctione: & ſtatuere quòd extra hanc non ſit ſalus, iuxta illud pſalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, & Pſal. 92. Plantati in domo Domini florebunt.

64 Bonitate tua Iehoua plena eſt terra: ſtatuta tua doce me.

Addit precationem, quia intelligit non eſſe id poſitum in noſtra voluntate ſeu arbitrio, vt cõſtantes maneamus in profeſſione doctrinæ & pietatis cultu, ſed opus eſſe gubernatore Spiritu ſancto, qui nos doceat & confirmet. Addit autem argumentum ſeu rationem, vt ſuprà quoque monui, ſumptã à perpetua bonitate Dei, quæ ſe non tantùm inter homines, ſed in omnibus mundi partibus ita oſtendat & exerat, vt nulla ſit creatura quæ non ſit eius quodammodo particeps. Petit igitur vt ipſe quoque huius bonitatis aliquem guſtũ percipiat, & quidem talem, quo de Dei erga ſe voluntate doceatur & confirmetur.

OCTONARII NONI

ARGVMENTVM.

OCTONARIVS nonus partim gratiarum actione, partim doctrina de cruce conſumitur. Ac de precibus quidem ſæpe iam dictum eſt. De calamitatibus verò peculiaris commonefactio hîc inſeritur. Sicut enim antea in querelis, quas etiam in hoc Pſalmo,

mo, verſu 69. & 70. repetit, oſtendit eam eſſe eccleſiæ conditionem in hac vita, vt neceſſe ſit eam varijs ærumnis & periculis expoſitam eſſe, in quibus tamen retinenda ſit fides intuens promiſsionem, & iuxta hanc, liberationem à Deo expectans: ita nunc, vt animi piorum ad ferendas calamitates inſtituantur & confirmentur, finem earum & vtilitatem exponit, docens παθήματα eſſe μαθήματα, hoc eſt, ærumnis erudiri eccleſiam, vt & rectius intelligat doctrinam, & conſtantius amplectatur. Creſcit enim in calamitatibus & ærumnis lux fidei, & accenduntur cætera dona, quæ in ſecuris & otioſis, aut ebrijs voluptatibus ſepulta iacent: & cùm negliguntur aut ſepeliuntur, loco horum donorum ſuppullulant in corde humano varij errores in doctrina, & ſcelera, quibus & nomen diuinum profanatur, & attrahuntur priuatæ & publicæ calamitates. Hæc præcipua doctrina eſt in hoc octonario. Repetitur autem & vſitata confeſsio de perſeuerantia, quam vult alijs eſſe exemplo, vt ſæpe iam diximus. In fine, vt ſtudium verbi diuini rurſus commendet, inſtituitur collatio doctrinæ cæleſtis, cum fugacibus huius mundi bonis, ad quæ adipiſcenda cùm homines magna cupiditate ferantur, monet & præpoſterum eſſe eorum ſtudium, qui cupiditate harum rerum inflammati, negligunt illum præſtantiſsimum theſaurum, cum quo nulla huius vitæ bona comparari poſſunt, & felicitatem veram non æſtimandam eſſe à magnis opum aceruis, ſed ab animi pietate & religionis cultu.

ט

65 BEnignè feciſti cum ſeruo tuo Iehoua: ſecundùm verbum tuum.

Primùm gratias agit Deo, à quo iuxta promiſſionem variis hactenus beneficiis ſit ornatus: ita vt his ipſis de veritate promiſſionum diuinarum ſit cõfirmatus. Beneficia autẽ intelligantur tum ſpiritualia tum corporalia omnia. Nam corporalia beneficia teſtimonia ſunt, quibus quaſi obſignantur ſpirituales promiſſiones.

Secundùm verbum] Id eſt, ſecundùm promiſſionem, in qua gratis ſcilicet credentibus hæc bona offers.

66 Bonitatem guſtus & ſcientiã doce me: quia mandatis tuis credo [*Germaniſmus eſt: Ich gleube an deine gebot.*]

Non parum profecerat iam Dauid in ſchola pietatis, quod oſtendit crebrò repetita eius confeſſio, & tamen toties petit ſe doceri & confirmari: vt moneat quã ardua ſit hæc militia, de qua hîc loquitur, & de qua Paulus præcipit, cùm inquit, Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam: & quàm nihil hîc tribuendum aut fidendum ſit viribus humanis. Niſi enim diuinitus gubernetur & doceatur homo, leui momento excutitur nobis certitudo doctrinæ, vt mox incipiamus vacillare & dubitare: & ſublata πληροφορίᾳ ſuboritur contemptus & faſtidium doctrinæ, quod deinde comitantur horrendæ tenebræ, quæ hominem impellunt in triſtẽ deſperationem & interitum. Itaque aſſiduè repetendæ à nobis ſunt cum Dauide hæ precationes: Doce me Domine ſtatuta tua: Bonitatem guſtus & ſcientiam doce me.

Scientiam nominat cognitionem totius doctrinæ de Deo, & experientiam terrorum in contritione, & conſolationem fidei illuſtrantis doctrinam. *Bonitatem guſtus* nominat rectũ iudicium & ſanam diſcretionem rectè diiudicantem dogmata & actiones omnes, & dantem conſilia in rebus agendis, & moderantem zelum noſtrum. Vtraque res magnopere neceſſaria eſt piis omnibus, & eſt donum planè diuinum. Nam & intelligere doctrinam & exercitia pœnitentiæ ac fidei, niſi diuinitus edocti, non poſſumus. Et tanta eſt imbecillitas & caligo mentium noſtrarum, etiam cùm docemur de Deo, vt diiudicare tamen errores aut recta conſilia inſtituere in rebus agendis nequeamus, niſi Deus verbo ſuo facem nobis præferat, & iter quod ingrediendum ſit monſtret. Deinde quàm multi nimiùm prouehuntur inconſiderato zelo, vt ſibi & aliis noceant? Græcus interpres malè diſtinxit bonitatem & diſciplinam. Vocabulum Hebræum טעם ſignificat guſtum, qui inter exteriores ſenſus recenſetur. Sed metaphoricè hoc loco & alibi, vt pſalmo 34. transfertur ad mentem. Sicut enim guſtu diſcernuntur ſapores: ita mens illuſtrata à Spiritu ſancto rectè diiudicat dogmata, prudenter inſtituit ſua conſilia, & actiones omnes, ne quid committat quod pugnet cum lege, aut conſcientiam lædat. Videtur autem conſultò & hoc in loco, & pſalmo 34. vti vocabulo guſtus, ad oſtendendum diſcrimen huius vitæ, & (quæ à nobis expectatur) æternæ. Nam in hac vita in tanta infirmitate noſtra & in tanta mole calamitatum, primis tantùm labris guſtamus bonitatem Dei: ſed in altera vita, in qua Deus erit omnia in omnibus, implebimur luce, ſapientia, iuſtitia & lætitia. Nunc enim, inquit Paulus, ex parte cognoſcimus, & per ſpeculum atque ęnigma aſpicimus veritatem, &c. Addit etiam rationem, quam ſuprà aliquoties etiam repetit. Quià mandatis tuis credidi, id eſt, quia amplector verbum tuum: idque fide intueor, hoc nitor, hoc me ſuſtento. Hæc ratio diligenter obſeruanda eſt contra eos qui ſomniant fieri infuſionem gratiæ tanquam in vrceolos vacuos, idque tempore & hora nobis ignota: atque ita fingunt iuſtificari hominem etiam actu impium, hoc eſt, contumaciter pergentem & perſeuerantem in delictis.

67 Priuſquam humiliarer ego errau i: ſed nunc ſermonem tuum cuſtodio.

Exhortationi, quæ principalis eſt doctrina in hoc pſalmo, inſerit doctrinam de cruce & calamitatibus, quas docet in ſua perſona prodeſſe piis, vt fides, inuocatio & cæterę virtutes creſcant & confirmentur, & laſciuia ac contumacia carnis dometur ac comprimatur. Eſtque hæc propria & peculiaris ſapientia eccleſiæ, ignota rationi humanæ. Nam mundus ærumnas, morbos, calamitates, & quicquid malorum eſt in hac vita, tanquam res noxias & deſtruentes naturam, fugit & auerſatur: atque ea ſola appetit, quæ grata ſunt carni. Pij contra intelligunt, eccleſiam ſingulari Dei conſilio in hac vita onerari cruce & calamitatibus, non vt his oppreſſa pereat: ſed potiùs, vt edocta de ſuis peccatis, & commonefacta de magnitudine iræ Dei aduerſus peccata, quæ in pœnis & calamitatibus maximè conſpicitur, diſcat domare carnem ſuam, & vitare lapſus & peccata. Itaque non modò non fugit crucem, neque deſperat in calamitatibus: ſed cum Dauide agnoſcit & fatetur ſibi vtile eſſe, imò neceſſarium, ſub cruce & ſub ferula Dei contineri. Nam experientia oſtendit, ſi aliquantulum indulgeat nobis Deus, & ferulam ſubtrahat, mox carnem laſciuire, & ad ferociam erumpere. Ideo hîc inquit, *Antequam humiliarer*, id eſt, antequam calamitatibus edoctus intelligerem quàm triſtis & fœda res eſſet peccatum, & quanta eſſet magnitudo iræ tuæ aduerſus peccata, ego ſecurus & negligentior factus indulgebam mihi, & obtemperabam animo meo, &, vt Ieremias inquit, tanquam vitulus indomitus ferociebam. Sed nunc ferulis tuis edoctus & edomitus, cuſtodio ſermonẽ tuum, militando ſcilicet, bonam militiam, retinendo fidem & bonam conſcientiam. Impij calamitatibus franguntur, vt mox deſperent. Sed piis contrarium accidit.

68 Bonus [*es*] tu & beneficus: doce me ſtatuta tua.

De hac precatione, quæ ſubinde repetitur, ſæpe iam dictũ eſt, & ſuprà verſ. 64. iiſdem verbis recitatur.

Bonus] Id eſt, natura propenſus ad benefaciendum: & beneficus, id eſt, qui multis teſtimoniis & exemplis naturæ bonitatem oſtendis.

69 Concinnauerunt ſuper me mendacium ſuperbi: ego autem in toto corde cuſtodio mandata tua.

70 Impinguatum [*incraſſatum*] eſt ſicut adeps cor eorum: ego lege tua me oblecto.

Inter varias ærumnas & calamitates, quas Dauid expertus eſt, etiam hæc fuit, quòd aſſiduè ab hoſtibus virulentiſſimis, aſtutiſſimis, potentiſſimis & ſuperbiſſimis eſt oppugnatus, nullam aliam ob cauſam quàm quòd ſtudio verbi diuini & pietati eſſet addictus. De horum igitur virulentia, faſtu & crudelitate, ita queritur Dauid paſſim in hoc pſalmo, vt affirmet ſe tamen inter iſtas aduerſationes multiplices & pericula, retinuiſſe fidei conſtantiam, nec abieciſſe pietatis ſtudium. Atque ita ſuo exemplo & experientia confirmat quod priùs dixerat, calamitates & ærumnas, non tantùm non obeſſe piis, ſed prodeſſe plurimùm, quia lux fidei creſcit in certaminibus, tentationibus & ærumnis, vt toto corde iam adhæreat mandatis Dei, qui antea languebat, imò ſæpe errabat: & ſimul de duabus rebus hoc loco nos monet. I. Fieri non poſſe quin maleuolentiam & odia impiorum experiantur pij. Deinde, animos ad huiuſmodi certamina præparandos eſſe aſſiduo pietatis ſtudio & verbi diuini meditatione. *Mendacium* intelligatur non tantùm de calum-

niis, quibus clam eum traducebant & deformare conabantur, dum eum hominem ſeditioſum, ſanguinarium & turbatorem reipublicæ proclamabant, atque hæc crimina non ſine artificio & colore in vulgus ſpargebant: (nam hoc propriè eſt concinnare mendacium, mendacia videlicet mendaciis aſſuere, eaque variè pingere) ſed de omni genere doli & fraudum, quas vitæ ipſius ſtruebant. Ea enim eſt hoſtium eccleſiæ natura, vt quod vi perficere nequeunt, id fraude & quidem ſpecie amicitiæ perficere tentent. Eſt autem hæc dura tentatio. Non enim tantùm probris & contumeliis valde mouentur animi hominum: ſed quæ eſt infirmitas noſtra, non ſemper proſpicere aut cauere omnes fraudes poſſumus, præſertim ſi ſpecie amicitiæ nobis inſidientur hoſtes. Sed hîc opitulatur infirmitati noſtræ Deus, ſi verbum ipſius habeamus in conſpectu.

In nomine זדים amplificatio eſt querelæ à circumſtantia perſonarum. Significat enim ſe non à vulgaribus aut plebeiis hominibus, ſed à ſummis & potentiſſimis & primariis fuiſſe oppugnatum. *Superbi* enim ſunt, qui fiducia ſuæ ſapientiæ & potentiæ inflati, Deum & ipſius cultores contemnunt, & audacter in hos inſurgunt.

Altera amplificatio querelæ eſt in ſequenti membro, cùm inquit *impinguatum eſt cor eorum*, ſumpta à felicitate impiorum. Ea enim vehementer vrit noſtros animos, & multorum ſæpe fidem labefactat: præſertim ſi è regione videamus pios omni genere miſeriarum exerceri, vt antea dictum eſt pſalmo 73. & alibi. Et tamen hîc quoque retinenda eſt fidei conſtantia, ne offenſi illa externa ſpecie deficiamus à Deo, aut ſtudium pietatis abiiciamus. Atque hoc præſtant ærumnæ, vt magis inter has, fides confirmetur. Sicut econtra res ſecundæ impinguant impiorum corda, vt prorſus fiant craſſa & ſtupida, hoc eſt, non ſentiant doctrinæ diuinæ bonitatem vel virtutem, ideoque illa non delectentur, ſed ſecurè eam contemnant, & faſtu ſuo elati obſtinatè pergāt furere aduerſus Chriſtum & eius membra.

71 Bonum eſt mihi quod afflictus ſum: vt diſcā edicta tua.

Repetit ſuperiorem ſententiam verſus 67. Eſtque quaſi illatio ad præcedentem ſententiam. Oſtendit enim ſe hanc vtilitatem maximè capere ex afflictionibus, quòd ſe his excitari ad maiorem diligentiam in diſcenda doctrina cœleſti, & creſcere his exercitiis lucem Spiritus ſancti, fidem, inuocationem & cæteras virtutes: econtra vitia quæ à natura cuique adhærent, paulatim emendari & expurgari intelligit, vt qui antea erat contumax & iuuenculus indomitus, nunc diuinitus caſtigatus & eruditus fiat docilis, & ardentiſſimo deſiderio hanc doctrinam, tanquam vnicam omnium malorum medicinam expectat. Eſt igitur in hoc verſu cauſa finalis afflictionum eccleſiæ expreſſa, quæ diligenter obſeruanda eſt. Magnam enim vim habet ad conſolationem, cùm cogitamus eccleſiam in hac vita oneratam eſſe cruce, non vt oppreſſa pereat, ſed vt retrahatur ad pœnitentiam, vtque creſcat fides & pietatis ſtudium. Hæc doctrina alibi copioſè exponitur. Græcus pro עניתי legit עניתני.

72 Melior eſt mihi lex oris tui, quàm millia auri & argenti.

Præcipuæ commendationes verbi diuini in hoc pſalmo ſumuntur ab effectibus, de quibus ſæpe iam dictum eſt, & rurſus dicendum eſt infrà. Interdum autem, vt hoc in loco, aſpergit propheta argumentum ſumptum à collatione verbi diuini cum aliis huius vitæ bonis. Idque ideo, quia mundus nihil magnifacit, niſi opes & voluptates: quæ tamen res ſunt caducæ & inſtabiles, & ſpes hominum mirabiliter ludunt & fallunt: nec poſſunt homines adduci facilè in hanc ſententiam, vt neglectis opibus & voluptatibus, ſtudio verbi diuini, quod tantam molem ærumnarum & calamitatum ſecum trahit, ſeſe addicant. Vt igitur ſtudium verbi diuini commendet, præfert agnitionem doctrinæ cœleſtis omnibus mundi diuitiis, quarum inſana cupido maiorem hominum partem miſerè dementat. Atque ſic affectum eſſe oportet, cui ſalus ſua curæ eſt. Niſi enim hunc cœleſtem theſaurum mundi opibus præferamus, nondum ſatis in hac ſchola profecimus. Suo igitur exemplo monet, quales animos ad ſtudium religionis & pietatis afferre debeamus.

Millia auri & argenti] Nominat ingentes opum aceruos, in quibus accumulandis omnium hominum cogitationes occupatæ ſunt, ſed infeliciſſimo euentu. Nam qui neglecto pietatis cultu & ſtudio, in hanc vnam rem incumbunt, perniciem ſibi colligunt & theſaurizant: quemadmodum Chriſtus inquit, Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, & animæ ſuæ iacturam fecerit? Matth. 16.

OCTONARII DECIMI

ARGVMENTVM.

HVIVS Octonarij initio repetit vſitatam precationē, vt diuinitus doceatur & confirmetur in ſuſcepto pietatis ſtudio: & adduntur duæ rationes: quarum prior ſumitur à creatione hominis, atque ab eius fine: altera ab vtili: quia futurum affirmat, vt alij ſuo exemplo confirmentur. Deinde redit ad doctrinam de cruce, quam ſuprà inſtituerat: vtque ſuam patientiam & obedientiam oſtendat, & alios ad eandem exuſcitet, affirmat Deum iuſtam habere cauſam cum interdum pios in hac vita exerceat durius. Sed mox ſubijcit precationem, petens vt diuinis conſolationibus cor ſuum confirmetur, vt ſuſtinere afflictiones & perſeuerare in ſtudio pietatis poßit. Et quia magna erat hoſtium rabies & crudelitas, hos quoque puniri & euerti petit: idque non ſua cauſa tantùm, ſed aliorum quoque, quos pœnis impiorum confirmari petit, ne exiſtiment pietatis doctrinam eſſe inanem fabulam. In fine repetit vſitatam precationem, vt puritas doctrinæ in animo ſuo confirmetur, & alatur.

73 MAnus tuæ fecerunt me, & firmauerunt me: fac me intelligere, vt diſcā mandata tua.

Enthymema eſt in hoc verſu. Nam in priore membro tāquam in antecedente, cauſa recitatur, cur petat ſe diuinitus doceri & confirmari. Quia, inquit, manus tuæ fecerunt me: quaſi dicat, Ego ſum tua creatura, condita ſcilicet non ad ærumnas & calamitates, vel ad exitium: nec ſum brutum aliquod animal: ſed quia voluiſti me eſſe aliquam creaturam, in qua innoteſceres, cui te patefaceres, à qua agnoſcereris & celebrareris, & me in hominum numero eſſe voluiſti: ideo tu doce me.

Firmauerunt me] Scilicet oſſibus, neruis, ligamentis, vt corpus ſit firmum & ſolidum, & non dilabatur. Nonnulli verbum עשה ad animam, כונן ad corpus referunt, & Baſilius Græcam verſionem interpretans inquit: ἐποίησε τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ἔπλασε τὸν ἔξω. καὶ γὰρ πρέπει ἡ μὲν πλάσις πηλῷ, ἡ δὲ ποίησις τῷ κατ' εἰκόνα, ὥστε ἐπλάσθη μὲν ἡ σάρξ, ἐποιήθη δὲ ἡ ψυχή.

74 Timentes te videbunt me & lætabuntur: quia ad verbum tuum ſperaui.

Altera ratio eſt ab vtili. Cæteri meo exemplo confirmabuntur, vt firmiore animo ſuſtineant calamitates, & conſtantiùs tibi adhæreant: confirmabuntur in fide cernente præſentiam Dei in ærumnis, & petente atque expectante mitigationem & liberationem, vbi ſcilicet viderint te mihi adfuiſſe in meis calamitatibus, nec fruſtra me ſperaſſe in verbum tuum. Hæc ratio multùm valet ad monendum Deum. Ideo ſæpe in precibus noſtris alleganda eſt.

Quia expectaui] Hoc intelligendum eſt cum effectu, nempe quia non fruſtra expectarit & ſperarit in Deum, ſed amplum ſuæ ſpei præmium retulerit, adiutus à Deo & ereptus ex calamitatibus.

75 Cognoui [*ſcio*] Iehoua, quòd iuſtitia iudicia tua: & veritas [*quando, vel quibus: deeſt enim relatiuum* אשר, *quod non rarò ſolet omitti*] afflixiſti me.

Pertexit doctrinam de cruce ſuprà inſtitutam. Et quia dixit ſibi profuiſſe calamitates, nunc addit confeſſionem quòd pij iuſtè affligantur in hac vita, nec tantùm non habere eos, quod reprehendant in Dei iudiciis: ſed agnoſcere Deum eſſe iuſtum in ſuis iudiciis, & prædicare eum. Ita infrà inquit, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Soli enim pij in Eccleſia agnoſcunt iram Dei aduerſus peccata, & intelligunt aliquo modo, quàm multis peccatis ſint polluti & contaminati.

Ideo ſubiiciunt ſe pœnis & obtemperant Deo in calamitatibus, & cum Dauide clamant, Scio quòd iudicia tua iuſta. & cum Daniele, Tibi Domine iuſtitia: nobis autem confuſio faciei. Ita Mauricius Imperator, cùm videret interfici coniugem, filios & filias, edidit talem confeſſionem, dignam ſua pietate. Iudicia hîc ſumit pro pœnis, quibus in hac vita Deus punit peccata noſtra, vt nos ad pœnitentiam ſolicitet.

Sicut

Sicut ipſe ſe explicat, cùm inquit, quibus afflixiſti me. In hac ſignificatione Oſeæ. 5. vſurpatur, Oppreſſus iudicio, id eſt, pœnis & calamitatibus. Hæc igitur iudicia dicit eſſe *iuſtitiam & veritatem*, id eſt, eſſe iuſta & vera, ita vt nemo quicquam culpare in his aut conqueri de ſæuitia aut rigore poſſit. Imò ſi quis rectè conſiderare velit, ſemper iram temperari miſericordia deprehendet, dùm non hoc agit ſuis iudiciis ſeu pœnis vt nos perdat, ſed potiùs vt homines ad pœnitentiam reuocet. Talis confeſſio neceſſaria eſt piis. Oſtendit enim eos aliquo modo agnoſcere magnitudinem ſuorum peccatorũ, & cogitare de ira Dei aduerſus peccata, ideoque obedientiã præſtare in pœnis ferendis, exemplo Micheæ, qui cap. 7. inquit, Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hypocritæ tribuunt quidem interdum laudem iuſtitiæ Deo, quando alios caſtigat, nec ſeueritatem eius improbant: ſed interea ſibi volunt parci. Nã qui tument perſuaſione ſuę iuſtitiæ, nõ iudicãt ſe mereri pœnas. Ideo in calamitatibus fremũt aduerſus Deũ, & accuſãt eum iniuſtitiæ & tyrannidis. Sed pij non tã in aliorum quàm ſuis peccatis ſunt acres & ſeueri cenſores. Seipſos enim diligenter explorant & examinant: id quod verbo cognoſcendi hic ſignificatur: & cum intelligant ſe peccatis pollutos eſſe, ſubiiciunt ſe Deo in pœnis.

Alij malunt iudicia accipere pro præceptis Dei, quaſi dicat, Scio Domine legem tuam ſanctam & iuſtam eſſe: nec abduci me patiar ab hac ſententia, etiamſi affligas me duriùs. Sed prior ſententia eſt ſimplicior. Vocabulum אמונה iungi debet cum צדק quod oſtendit accentus Reuia, ſũntque illæ voces fere ſynonymæ. Itaque ſic ordinanda eſt conſtructio. Iudicia tua ſunt iuſtitia & veritas, id eſt, iuſta & vera. Alij literam ב inſerunt, & exponunt, in veritate, id eſt, veraciter ſeu fideliter, hoc eſt, meo commodo. Sed multò commodior erit ſententia, ſi inſeratur relatiuum אשר quod ſæpe omittitur.

76 Sit quæſo clementia [*bonitas*] tua ad conſolandum me: ſecundum eloquium tuum ad ſeruum tuum.

77 Veniant mihi miſerationes tuæ vt viuam: quia lex tua oblectationes meæ.

Affliguntur pij in hac vita & quidem iuſtè: quia omnes habent peccata, quæ Deus vult in eccleſia agnoſci. Sed non deſerit Deus ſuos cùm affliguntur, ſed adeſt eis, erigit & confirmat corda dulciſſimis conſolationibus, vt perferre ærumnas poſſint, & tandem glorioſè eos liberat. Súntque de præſentia Dei in afflictionibus paſſim in ſcriptura dulciſſimæ cõſolationes propoſitæ. Has igitur intuetur fides, & iuxta has petit opẽ & auxilium. Nec alibi quàm in promiſſione euãgelij hæc cõſolatio quærẽda eſt. Hac de re monet nos ſuo exẽplo Dauid in his verſibus *Sit bonitas tua*, id eſt, Tu, quæ eſt immenſa miſericordia & bonitas tua, cõſoleris, erigas, ſuſtẽtes, confirmes me in his afflictionibus, vt rectè eas perferre & ſuperare poſſim, ne fractus calamitatibus deficiã à te, vel ruã in deſperationem, idque facias *ſecundùm eloquium*, id eſt, promiſſionem, quam tradidiſti ſeruo tuo.

Seruo tuo, inquit, Quia fides promiſſionem, quæ in genere ad eccleſiam facta eſt, applicat ad ſe in ſpecie. Statuit enim ſe eſſe ex iis ad quos illæ promiſſiones pertinent.

Veniant mihi miſerationes tuæ] Repetit eandem ſententiam, verbis tantùm immutatis. Nam quod ſuprà dixerat conſolationem, hîc nominat vitam. Animus enim oppreſſus doloribus ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata in calamitatibus & pœnis, verſatur in perpetuo mortis periculo, in quo perire eũ neceſſe eſt, niſi diuinitus retrahatur & firmis conſolationibus confirmetur. Hæc igitur eſt vita, de qua hic loquitur, quando ſcilicet animus oppreſſus dolore de peccato & ira Dei retrahitur ex faucibus mortis, & ſeruatur, ne abſorptus pereat, atque ita Deo reconciliatur & reſtituitur.

Quia lex tua] Addit rationem à ſua fide, quia ait ſe niti promiſſione, & quidem ita, vt ſummam ex ea voluptatem capiat qua ſeſe aduerſus illos dolores & terrores mortis ſuſtentet. Talis eſt piorum fides & ſpes in ærumnis. Sunt quidem foris pugnæ, intus pauores, dum affliguntur: ſed interea fides ſuſtentat ſe promiſſione præſentiæ, fauoris & auxilij diuini, & quidem ita, vt ſenſus conſolationis innumerabiles voluptates & gaudia afferat, quæ facilè ſuperant omnes dolores: atque eadem fides ſubinde miſcet precationem, vt Deus, qui eſt autor omnis conſolationis, hanc fidem augeat & confirmet.

78 Confundantur [*pudore adficiantur, deiecti ſpe ſua*] ſuperbi, quia falsò peruerterunt me: ego meditabor in ſtatutis tuis.

Addit imprecationes in hoſtes ſuos, quos videbat implacabili odio & furore aduerſus ſe & eccleſiam ſæuire. Petit igitur vt pudefiant, hoc eſt, vt conatus ipſorum fiant irriti, atque ita ſpe ſua deiiciantur. Addit autem rationem ab ipſorum ſcelere.

Quia falsò peruerterunt me] Id eſt, peruersè egerunt mecum, ſceleſte & malignè oppugnarunt me, ídque falsò, hoc eſt, pręter meritum, & nulla à me iniuria affecti. In hac ſignificatione nomen שקר etiam infrà verſu 86. vſurpatur. Alij tamen hac voce etiam fallacias, inſidias, dolos & fraudes, quas ſtruebant hoſtes, notari exiſtimant. Græcus membrum hoc עותוני שקר reddidit, ἀδίκως ἠνόμησαν εἰς ἐμέ. & hunc plerique interpretes ſequuti ſunt, decepti vicinitate ſeu cognatione verborum עוה & עות.

Ego meditabor [loquar] *in ſtatutis tuis*] Subiicit pollicitationem gratitudinis. Nam liberationem debet ſequi gratiarum actio. Atque ideo coniicit Deus eccleſiam in varia pericula & ærumnas, vt præſentia eius in conſeruatione & liberatione magis conſpiciatur & celebretur. Ideo inquit, *ego meditabor*, id eſt, vbi liberatus fuero, diſſeram de promiſſionibus tuis, & oſtendam omnibus quàm ſis fidelis cuſtos eccleſiæ tuæ, quàm certus liberator, quàm iuſtus vindex: item profeſſio erit magis libera, ſi deinceps non impediatur ab hoſtibus & perſecutoribus. Hæc ratio ſumpta eſt ab vtili, ſeu à cauſa finali. In magnis perſecutionibus ora piorum quaſi obturantur, vt publicè docere euangelium, & liberè profiteri non poſſint: ſed repreſſis & euerſis hoſtibus redditur libertas in publicis cœtibus annunciandi verbum diuinum. Atque hunc finem principaliter ſpectant pij cùm petunt liberationem ex ærumnis & calamitatibus: nõ petunt laxari publica mala, vt in otio & deliciis & pro libidine viuere poſſint, ſed vt conuenire publicè, audire & docere doctrinam traditam queant.

79 Conuertentur ad me, qui timent te: & qui nouerunt teſtimonia tua.

Addit aliam rationem ab vtili, quæ ſuprà etiam verſu 79. expoſita eſt. Pij vbi viderint te mihi pręſentem fuiſſe in ęrumnis, meo exemplo excitabuntur, vt ſe maiore ſtudio adiungãt ad me, hoc eſt, ad cœtum, qui nomen tuum agnoſcit & celebrat, atque ita creſcet numerus piorum. Hactenus in meis calamitatibus plerique trepidabant, erant animo deiecto, fugiebant meam conſuetudinem, quam ſibi periculum afferre iudicabant. Nunc verò diſcuſſo periculo rurſus adiungent ſe mihi, & ſuo exẽplo alios inuitabunt, vt ad eccleſiam redeant: ita meum exemplum erit commune documentum omnibus piis.

Qui nouerunt teſtimonia] Id eſt, qui doctrinam tuam rectè intelligunt. Timori ſubiicit cognitionem doctrinæ cæleſtis, quia hanc vult eſſe regulam cultus diuini, ne quis exiſtimet cultum nominis diuini poſitũ eſſe in electitiis operibus aut ἐθελοθρησκείας. Hypocritæ præ ſe ferũt timorem Dei. Sed quia caret certo verbo ipſorum cultus, non eſt timor Dei, ſed ἐθελοθρησκεία, qua Deus non tantùm non colitur, ſed magis contumelia afficitur. Non enim vult aliter agnoſci aut coli, quàm ſicut ſe patefecit.

80 Sit cor meum integrum in ſtatutis tuis, vt non confundar.

Hæc precatio ſæpe per totum pſalmum repetitur. Nec tamen otioſa eſt illa repetitio. Quo magis enim intelligũt pij ſuam infirmitatem, & vident quanto furore, à diabolo, à mũdo & carne fides ſanctorum oppugnetur, eò magis creſcit in ipſis deſiderium diſcendi doctrinã cæleſtem, atque hoc deſiderio excitantur, vt ſubinde ſuas preces iterent. Accedunt & triſtiſſima exempla pœnarum in hoſtibus & perſecutoribus eccleſiæ, quæ cum intuentur pij, non poſſunt facere, quin cũ Dauide petant ſibi dari cor integrum & rectum, quod ſcilicet in agnita veritate perſeueret & ſincerè Deo adhæreat, ne aliquando pudefiant, quemadmodũ hoſtes tandem pudefieri neceſſe eſt, qui ſua ſapientia, ſua iuſtitia aut viribus nituntur. Sicut autẽ antea, in primo huius octonarij verſu optauerat ſibi dari ſanã mẽtem, vt rectè intelligat doctrinã: ita nunc petit, cor etiam ſanari, vt Deo obtemperet ſponte, ſine coactione & ſine ſimulatione. Hoc enim eſt cor integrum: non tale in quo nulli vitioſi affectus reliqui ſint, aut interdum ebulliant: (Nam in hac vita exuere omnia vitia nõ poſſumus) ſed quod ſine hypocriſi & ſerio atque ardẽti ſtudio Deo ſeruiat, & Dominum omnibus huiuſce mundi bonis præferat.

OCTONARII VNDECIMI
ARGVMENTVM.

QVVM profeſſionem doctrinæ cæleſtis & pietatis ſtudium perpetuò comitetur odia impiorum hominum, perſecutiones, ærumnæ, & innumera pericula, & pſalmus hic conſcriptus ſit, vt ſit inſtitutio & quaſi ὑποτύπωσις *hominis pij & Deum amantis, ſæpe miſcetur doctrina de cruce & calamitatibus eccleſiæ, vt animi præmuniantur, ne fracti malis deficiant à Deo: & ſimul oſtenditur, vnde in periculis aut ærumnis petenda ſint vera & efficacia horum malorum remedia. Sicut igitur ſuprà dixerat iuſto Dei iudicio fieri, vt Eccleſia in hac vita exerceatur cruce & calamitatibus, atque has prodeſſe piis affirmat: ita in hoc octonario, ſuo exemplo oſtendit, quonam in ærumnis & calamitatibus, & in doloribus conſcientiæ ortis ex ſenſu iræ Dei, ſit confugiendum: videlicet non ad externa aut humana præſidia, præter quæ ratio humana nulla alia nouit, ſed ad Deum, à quo ſolo vera conſolatio, certum auxilium & liberatio ſit expectanda. Et quidem vult nos niti verbo promiſſionis, etiam cùm foris omnis ſpes, quæ antea animis noſtris inſita erat, præciditur, & auxilium ſeu liberatio diuina differtur diutiùs. De hac re monet nos propheta initio huius octonarij, cùm ipſe inquit, ſe quidem anxiè & magno deſiderio expectare auxilium & liberationem, ita vt anima ingenti deſiderio elanguerit ac penè deficiat: ſed tamen non abijcere verbum ſeu promiſſionem, etiamſi auxilium & liberatio differantur diutiùs. Inſerta autem eſt his verbis querela, & quaſi expoſtulatio quædam pia, de mora: quæ quia non ex impatientia aut fremitu aduerſus Deum proficiſcitur, ſed regitur fide intuente promiſſionem, & hac ſeſe erigente, non modò non offendit Deum, ſed plurimum eum mouet ad opem maturandam. Et habet querela petitionem annexam: quæ infra à verſu octuageſimo ſexto expreſſè ponitur. Querelæ ſubijciuntur argumenta, cur cupiat maturari auxilium & liberationem. Primum ſumit à magnitudine ſuorum dolorum, quos ſimilitudine vtris fumo torrefacti ſeu macerati amplificat. Secundum verò ſumit vel à breuitate vitæ ſuæ; vel ab indignitate rei, quòd impij nimis diu impunè graſſentur in viros bonos. Tertium ab hoſtium malitia & odioſis molitionibus. Quartum partim à ſua ipſius fiducia, partim à ſua innocentia ſumit. Quintũ à fidei ſuæ conſtantia. His rationibus ſubijcitur propoſitio, quæ eſt petitio auxilij & liberationis. In ea verò facit miſericordiæ Dei gratuitæ mentionem, vt ſignificet ſe non afferre aliquid meritorium in conſpectu Dei, ſed ſola eius miſericordia & bonitate niti. Additur & pollicitatio gratitudinis, cùm inquit, ſe deinceps ſeruaturũ teſtimonia oris Dei, hoc eſt, confirmatum hoc teſtimonio, certiore fide & maiore conſtantia perſeueraturum in pietatis ſtudio. Eſtque hoc ſextum argumentum, quod prioribus adijci debet. Eſt autem conſideranda hoc loco eloquentia Spiritus ſancti, qui breui oratione res tam magnas complectitur, & magno verborum apparatu exponit.*

כ

81 DEfecit [*conſumpta eſt*] ad ſalutem tuam anima mea: ad verbum tuum expecto.

82 Defecerunt oculi mei ad ſermonem tuum: dicendo, quando conſolaberis me.

Primùm deſcribit animum anxium in magnis periculis & calamitatibus, in quibus nulla liberationis ſpes ſeſe foris offert. In his conficitur animus dolore, & ſuccumbit, niſi exemplo Prophetæ ſeſe à conſideratione malorum abſtrahat, & promiſſionem intueatur, in qua veræ & efficaces conſolationes proponuntur: & qnanquam mox non ſentiuntur illæ (non enim ſtatim apparet liberatio, nec ſine magno certamine retineri fides intuens promiſſionem poteſt) tamen non eſt abiiciendum ſtudium, ſed fortiùs inſtandum potiùs, & animus retinendus in conſideratione promiſſionum, quæ fallere nequeunt, atque ita erigendus & confirmandus. Hæc lucta ſignificatur in his duobus verſibus. Fieri non poteſt quin animus, dum auxilium & liberationem Deus differt, fatigetur & excrucietur multifariam, ita vt penè deficiat: & tamen interea fides intuens verbum ſperat & expectat ea quæ promiſſa ſunt. Sicut de Abraham dicitur ad Romanos 4. credidit contra ſpem in ſpem. Hanc fidei conſtantiam exprimit, Primùm ſimplici oratione, cùm inquit, *In verbum tuum ſpero.* Deinde figuratâ, transferens ea quæ animi ſunt, ad corpus, cùm inquit, *oculos defeciſſe ad eloquium Dei.* Qua oratione ſignificat non tantùm animum occupatum fuiſſe cogitatione promiſſionum diuinarum, ſed aſſiduitate lectionis ſcripturarum confirmaſſe ſe animum, atque in ea ita pertinaciter perſeueraſſe, vt oculos perpetuò defixos in verbum, ſenſerit, cùm ex lectione aſſidua, tum ex deſiderio mixto cum ingenti dolore hebetari. Id exemplum intueri & imitari in noſtris doloribus debemus.

Dicendo] Mimeſi exprimit ardorem affectus ſeu deſiderij, & ſimul luctam, in qua fides propter moram ſeu dilationem auxilij exercebatur. Non enim fuit mollis aut delicatus Dauid, vt ſtatim ad primum mali occurſum deficeret: ſed cùm diu & grauiter exerceretur, & multa ſeſe animo atque oculis offerrent, quæ ipſum ad deſperationem impellerent, ipſe quidem affirmat moram diuturniorem ſibi moleſtam fuiſſe, & tamen non abieciſſe omnem ſpem: ſed fide intuente promiſſionem, certò expectaſſe liberationem, iuxta verbum: & in hac expectatione, ſubinde creuiſſe deſiderium conſolationis, præſertim cùm intus in animo eum fatigarent dolores de peccatis admiſſis, & de ira ac iudicio Dei aduerſus peccata. Hæc qualia ſint non intelligunt homines profani & ebrij voluptatibus, aut qui ſomniant neſcio quos Enthuſiaſmos & raptus violentos: ſed illi tantùm hæc qualia ſint intelligunt, qui in Chriſti ſchola erudiuntur.

83 Quia factus ſum ſicut vter in fumo: ſtatuta tua non ſum oblitus.

Hæc prima ratio eſt, cur petat animum erigi conſolatione in his ſuis ærumnis & calamitatibus, & cur tandem eripi ex his calamitatibus cupiat. Eſtque hæc ratio ſumpta à magnitudine dolorum, qui depinguntur ſimilitudine vtriculi fumo torrefacti. Sicut enim vter fumo maceratur & torreſit: ita animus aſſiduis doloribus & continuo malorum æſtu exhauritur & conſumitur. Sicut dicitur Prouerb. 17. Spiritus triſtis exiccat oſſa. Neceſſe igitur eſt fuiſſe maximos & diuturnos huius prophetæ dolores, quibus tantũ ſqualorem & maciem contraxit, vt inſtar vtris fumo torrefacti exaruerit. Videtur nobis illæ locutiones penè hyperbolicæ: ſed qui vera habent fidei exercitia in magnis doloribus & calamitatibus, illi aliquo modo has res intelligunt. Nec neceſſe eſt in omnibus ſimiles eſſe dolores. Deus enim pro fide cuiuſque illa mala moderatur, nec plus imponit oneris hominibus quàm ferre poſſunt ipſorum vires, vt Paulus inquit 1. Corinthiorum 10.

Argumentum quod ſubiicitur à fidei conſtantia, infrà verſu 87. repetitur, & ſuprà aliquid de eo dictum eſt.

84 Quot ſunt dies ſerui tui? quando facies de perſecutoribus meis iudicium?

Secundum argumentum exiſtimant nonnulli ſumptum eſſe à breuitate vitæ humanæ, quæ cum ſit fugaciſſima, & tamen pij promiſſionem habeant fore vt videat vindictam ab inimicis ſuis, petit quamprimũ id iudicium manifeſtari: vt ſit hæc ſententia: Cum tanta ſit breuitas vitæ meæ, cur non maturè ſumis pœnas de impiis, & vrges vindictam, vt (antequam diſcedam ex hac vita) ſpectare teſtimonia iudicij tui aduerſus ſcelera impiorum poſſim? Ac quid de huiuſmodi precationibus ſentiendum ſit, ſupra aliquoties diximus. Alij tamen prius membrum huius verſus cum poſteriore ita cõnectunt, vt vtrumque ad afflictiones Dauidis reſtringant, & indignitatem rei per querelam exprimi ſentiant, quaſi familiariter cum Deo expoſtulet, quod tamdiu iuſtos affligit & impiorum libidini ſubiicit, impios verò impunè pro

pro ſua libidine graſſari in impios finit, nec ipſorum furoribus ſe vindicem opponit: vt congruat querela cum illa, quæ eſt in Apocal. cap. 6. Et clamabant animæ interfectorum ſub altari voce magna, dicentes: Vſque quo Domine non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitāt in terra? In hoc ſenſu dies prophetæ accipiendi ſunt non pro caduca & fugaci hominum vita, quam deploret: ſed de certo & præſcripto tempore, hoc eſt, de tota Dauidis militia, quā ſua opinione nimis longam ſuſtinuerat, ideóque non abs re finiri cupit: quaſi dicat, Quamdiu tandem neceſſe eſt me has iniurias pati: & quando finem impones his malis?

85 Foderunt mihi ſuperbi foueas: quod non [eſt] ſecundum legem tuam.

Quartum argumentum, ab hoſtium malitia & iniuſtis machinationibus ſumptum, non indiget longiore explicatione. Eſt enim per ſe planum & perſpicuum. Reſpicit autem hoc argumento primùm ad iuſtitiam Dei, quæ ſcelera hominum & fraudes non poteſt non odiſſe & punire. Deinde ad ſuum periculum, quod videt ſe euitare non poſſe niſi diuinitus ſeruetur & eripiatur. Hoſtes enim non tantùm aperta vi: ſed omni genere doli & fraudum eius iugulum petebāt, quas in tanta infirmitate ſua præuidere aut cauere non poterat. Has fraudes, dolos, & quicquid eſt ſophiſmatū, quib⁹ hoſtes in oppugnandis piis vtuntur, notat ſimilitudine ſumpta ab iis, qui feris foueas parant & abſcondunt, vt in illas dum paſtum ſequuntur incidant & capiantur. Latinus ex Græco reddidit: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: legerunt enim Græci שיחות cu n puncto ſiniſtro.

Quod non eſt] Hoc membro iniquitatem & magnitudinem ſceleris in hoſtibus exaggerat, vt Deum ad opem ferendam magis extimulet. Non enim in me tantū, inquit, iniurij ſunt: ſed ſimul legem tuam violant, & iram tuam & iudicium aduerſus peccata rident & contemnunt.

86 Omnia mandata tua veritas: fallaciter me perſequuntur, adiuua me.

In priore membro argumentum eſt à fiducia nitente promiſſione, quam ſtatuat eſſe veram, & iuxta quam auxiliū & liberationem expectet. Quicquid, inquit, moliantur hoſtes in meum exitium, ego verbum tuū intueor, quod ſtatuo eſſe verū: ideoque non dubito te adfuturū mihi in his calamitatibus, & finem aliquando his malis impoſiturum eſſe. Hunc clypeum oppono omnibus terroribus & periculis, eóque me munio.

Fallaciter] Hoc argumentum ſumit à ſua innocentia, & hoſtium iniuſtis odiis ac maleuolentia. Hoſtes, inquit, nulla habita æquitatis ratione me perſequuntur. Nunquam enim eos læſi aut iniuria affeci: nec habēt illi aliam odij ſui aduerſus me cauſam, quàm quòd conſtāter adhæreo verbo tuo, & affirmo hanc doctrinam, quæ abs te nobis tradita eſt, eſſe firmam & immotam veritatem: & quòd iuxta hanc vitam inſtituo. Æquum igitur eſt, vt ſuccurras & opem feras ita iniuſtè laboranti & oppreſſo.

87 Fere conſumpſerunt me in terra: ego tamen non dereliqui ſtatuta tua.

Hoc quintum eſt argumentum ſumptum à fidei conſtantia, de quo etiā ſuprà verſu 83. dictum eſt. Ego, inquit, quanquam verſor in ſummis periculis, & parum abeſt, quin deiectum & proſtratum in terram prorſus perdant: tamen non abieci fidem & ſpem, non defeci abs te, non recepi, nec approbaui corruptelas doctrinæ, nō obtemperaui hoſtium cupiditatibus, non accommodaui religionem ad ipſorum affectus: ſed conſtanter perſeueraui in profeſſione doctrinæ & ſtudio pietatis. Talem eſſe conſtantiam in piis neceſſe eſt. Eſtque imitandum hoc prophetæ robur. Non enim ſatis eſt primo congreſſu ſe fortem præbere, ſed etiam cùm inſiſtit & vrget hoſtis, & cùm iam extrema omnia tentans etiam mortem minatur, retinenda eſt fides, eáque oſtendenda eſt in confeſſione. Multi ab hac conſtantia adeo procul abſunt, vt ad primam ancillæ vocem (quod dicitur) trepident & profeſſionem doctrinæ abiiciant.

Notandum autem quod dicit, *In terra*. Oſtendit enim, etiamſi vitam ſibi eripuiſſent hoſtes in terra, ſe tamen aliam vitam ſperare in cœlis, adeóque fide iam penetraſſe cælos, & viuere vitam cæleſtem: vt ſi vita corporalis amittenda ſit, pro detrimento non ſit habiturus. Qui talem vitam agunt, facilè ex deſperatione emergunt.

88 Secundum bonitatem tuam viuifica me: & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

In poſtremo verſu repetit petitionem auxilij & liberationis, & addit pollicitationem gratitudinis, vt dictum eſt. In hac verò ratio eſt ſumpta ab vtili ſeu cauſa finali. Ideo, inquit, libera me, vt tibi ſeruire in tota vita & gratos cultus præſtare poſſim.

OCTONARII DVODECIMI

ARGVMENTVM.

IN huius octonarij initio nouo argumento vtitur, quo verbi diuini ſtudium nobis commendat. Nam cùm omnia in hoc mundo ſint fluxa, incerta & caduca, & animus piorum hæc intuens ſæpe angatur, ac metuat, ne, ſi bonorum cæleſtium, quæ in verbo oſtenduntur, ſimilis ſit ratio, fruſtra ſtudium aliquod in his acquirendis ponatur: Propheta, vt hunc ſcrupulum nobis eximat, commendat verbum diuinum ab æternitate ſeu perpetuitate. Ac ne quis ex inſtabilitate rerum mundanarum hanc doctrinam æſtimet, animos noſtros in cælum attollit, atque ibi eius firmitatem & certitudinem quærendam eſſe docet. Amplificat autē hanc ſententiam, collatione ſumpta à conditione, ſtabilitate & duratione terræ. In hoc mundo quanquam omnia ſunt fluxa & caduca, & mirabiles ſunt omnium rerum vices: ipſa tamen terra perſiſtit immota, & tota rerum creatura ſic condita & ordinata eſt, vt ſeruiat voluntati diuinæ. Quanto magis igitur exiſtimādum eſt, veritatem doctrinæ cæleſtis, quæ non rebus terrenis affixa eſt, vt cum his mutari queat, ſed in cælo ſedem ſtabilem ac firmam habet, nec vllis mutationibus obnoxia eſt, firmam & perpetuam eſſe? Hæc aſſeueratio conſolationem habet dulciſſimam, & piis mentibus in magnis doloribus gratiſſimam. Multi enim cùm vident non ſequi eum fructum ad prædicationem doctrinæ cæleſtis, quem expectabant, iudicant Euangelium eſſe inanem ſonitum & fabulam. Alij etiam cùm videant res humanas variis mutationibus eſſe obnoxias, & ſubinde ruere omnia in deterius, iudicant fruſtra ſeſe credere, aut meliorem ſortem præ aliis expectare. Itaque abyciunt multi fidem & deficiunt à Deo. Sed his tentationibus vult Propheta opponi hanc cōſolationem. Quòd verbum Dei ſit firmum, æternum & immotum, & quòd hoc verbo verè Eccleſia æterna Deo colligatur, cui daturus ſit bona æterna: ideóque deleri eccleſiam in hac vita non poſſe, etiamſi imperia variis modis inter ſe collidantur & ruant, & variæ ſint rerum humanarum vices & mutationes. Hæc conſolatio quàm neceſſaria ſit, intelligūt pij omnes, quos interdū illæ cogitationes, de quibus dictum eſt, non leuiter exercent & excruciant.

Subycitur autem mox & illud argumentum, in quo vſum doctrinæ cæleſtis in ſuo exemplo ſeu perſona oſtēdit. In magnis enim calamitatibus & ærumnis dicit ſe ex ſola doctrina cæleſti hauſiſſe varias & efficaces conſolationes, quibus ſi deſtitutus fuiſset, pereūdu ſibi in calamitatibus fuiſſet: atque hoc ſuo exemplo monet, vt verbum diuinitus traditum magnifaciamus, & ambabus non tantùm manibus, ſed toto pectore amplectamur: quòd nulla alia doctrina ſit quæ in magnis doloribus, periculis & ærumnis, conſolationem firmam aut efficacia remedia oſtendat præter hanc ſolam. Sequitur deinde concluſio, quæ eſt quaſi applicatio doctrinæ prius traditæ. Cùm enim talis ſit doctrina, vt in æternū immota conſiſtat, & ſola conſolationem & vitam in ærumnis & doloribus præſtet, ego, inquit, in æternum non obliuiſcar tuarum promiſſionum: ſed his fide nitar, & his me ſuſtentabo, non ruam in deſperationē, nec deficiā à Deo quicquid foris periculorūaut ærūnarū ſeſe offerat. Et quod ſe facturū oſtēdit, alios ſimiliter face-

re iubet. Nam, vt ſæpe iam dictum eſt, ſuum Propheta exemplum aliis intuẽdum atque imitandũ proponit, & *qualem ſe habere animum erga Deum affirmat, tales eſſe & alios cupit. Tales enim adhortationes quæ à propriis exemplis ducuntur, ſunt maximè efficaces: &, vt Pacatus ad Imperatorem Theodoſium in Panegyrico ſcribit, blandiſſimè iubetur exemplo. Hanc doctrinam ſequitur precatio, vt in præſentibus ærumnis & periculis ſeruetur: & adduntur rationes. Prima ab honeſto, quia in fœdere Dei comprehendatur, fidéque totus à Deo pendeat, & hunc ſolum colat: idque ab effectu probat, quia mandata eius cuſtodiat. Deinde à neceſſitate ſeu periculi magnitudine. Tertiam probationem ſumit à fiducia ſuæ certitudine & conſtantia, quam nullis hoſtium molitionibus, nulliſque periculis ſeu malis labefactari ſinat. In fine repetit ſententiam ſeu conſolationem de perpetuitate verbi ex collatione, quòd hanc iudicet diligẽter intimis ſenſibus eſſe infigendam, vt quæ in magnis ærumnis & calamitatibus maximum vſum præſtet.*

89 IN æternum Iehoua verbum tuum permanet in cælis.

90 In generationem & generationem veritas tua: firmaſti terram, & permanet [*conſiſtit.*]

91 Ad iudicia tua ſtant hucuſque: quoniam omnia [*ſunt*] ſerui tui.

Magnam conſolationem affert mentibus noſtris hæc cogitatio, quòd verbum Dei maneat in æternum. Inde enim efficitur (vt dixi) colligi Deo eccleſiam, quæ perpetuò manſura ſit, quæque deleri nullis humanis viribus poſſit: & omnes qui credunt verbo, manere in æternum, & frui bonis nunquam perituris: etiamſi foris in hac vita variæ ſint agitationes, variæ rerum vices & mutationes, ſeu, vt poeta inquit:

Omnia fortunæ variis ſtent obuia telis,
Aut etiam longo tempore victa cadant.

Tenenda eſt igitur hæc conſolatio in variis huius vitæ ærumnis & caſibus, ne ſcilicet verbum Dei ſeu promiſſiones eccleſiæ factas ex variis fortunæ vicibus ſeu caſibus æſtimemus: ſed ſciamus & promiſſionem eſſe certam, firmam & ratam, & ſalutis noſtræ certitudinem in ſolo verbo quærendam eſſe. Ideò inquit, *in æternum*, &c. quaſi dicat, etiamſi in terris multa ſeſe oculis & animis noſtris offerunt, quæ non videntur congruere cum verbo, & res humanæ in hac vita variis mutationum fluctibus iactantur: tamen veritas doctrinæ diuinitus traditæ manet immota *in cælis*. Decretum enim Dei de collectione, defenſione & liberatione eccleſiæ fixum eſt & ratum in cælis, nec mutatur vnquam. Ideóque ſi non omnia, quæ foris accidunt, congruant cum noſtris cupiditatibus & affectibus, cogitemus eccleſiam ita colligi in hac vita, vt in cælo tandem fruatur illis bonis non perituris, quæ in verbo oſtenduntur. Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia. Nam vox cæli tacitè in hoc verſu opponitur terræ, ad quam in hac vita nimiùm reſpicimus, & quia videmus tot eſſe rerũ omnium conuerſiones & tam ſubitas, ſæpe cogitamus, eccleſiæ non aliam eſſe quam aliarum rerum humanarum conditionem, fluxam ſcilicet & incertam. Hæ cogitationes quoties obrepunt, aut obſtrepũt nobis, iubet nos animos attollere in cælum, quod nullis mutationibus eſt obnoxium: in quo cùm ſciamus noſtram ſalutem eſſe obſignatam, nequaquam nos mouere rerum humanarum inconſtantia debet, vt quam fide apprehendimus, in dubium vocari ſinamus.

Alij non animaduerſa antitheſi, quæ eſt inter cælum & res terrenas, iudicant veritatem doctrinæ cæleſtis cum ipſo cælo conferri, itaque hanc eliciunt ſententiam, Veritas Dei certior eſt quàm ipſe cælorum ſtatus: vt congruat cum illo Chriſti, Cælum & terra tranſibunt, verbum autem meum non tranſibit. Sed prior ſententia eſt multò illuſtrior, & ad conſolationem accommodatior.

Nonageſimus verſus primùm repetit & confirmat priorem ſentẽtiam. Sicut enim in cælo veritas doctrinæ ſtabilem habet ſedem, vt mutari varietate euentuum in hac vita non poſſit: ita etiam eius voce omnibus ætatibus colligitur Deo eccleſia, eáque mirabiliter regitur, ſeruatur & defenditur diuinitus, etiam cùm omnia caſum & ruinam minantur in hoc mundo.

Fundaſti terram] Amplificat & confirmat priorem ſententiã à ſimilitudine, ſumpta à ſtabilitate terræ, & à pulcherrimo ac perpetuo ordine corporum mundi. Etiamſi, inquit, res omnes in hoc inferiore mundo, hoc eſt, in terra, ſunt fluxæ & inſtabiles: ipſa tamen terra ſicuti à Deo fundata eſt, immobiliter quieſcit in ſuo loco: ideóque in ipſa terra, quaſi in ſpeculo, viſibilis nobis verbi diuini veritas proponitur. Si enim terra in medio aëre verbo Dei ſuſpenſa, cõſiſtit firma & immota, quãto magis hoc decretum de ſalute eccleſiæ in cælis ſancitum & firmatum erit æternum? Hoc primum eſt argumentum in hac collatione: ac ſicut priore argumento animos hominum à vanitate ſui ſenſus reuocare voluit, ne ſcilicet conſtantiam ſeu veritatem verbi diuini æſtimet ex rebus terrenis, quæ ſubinde fluctuant, & inſtar vmbræ effluunt: ita hoc argumento infirmitati noſtræ ſuccurrit, vt cuius ſolida cognitio ac fruitio in cælo quærẽda eſt, eius tamen guſtum in terris quoque præberi ſciamus.

Altera amplificatio ſumpta eſt ab ordine totius naturæ, qui decreto & imperio Dei manet firmus & immotus. Terra quotannis fit fœcunda, & mirabili ordine conſeruantur ſpecies in procreatione rerum ſingularum, ſunt certiſſimæ ac perpetuæ leges motuum cæleſtium, vices dierum & noctium, συμπάθειαι & ἀντιπάθειαι plurimarum rerum in natura: ſi igitur in his rebus omnibus, quæ ſenſibus noſtris iudicari poſſunt, tanta eſt certitudo, quanto magis exiſtimandum eſt illud decretum de collectione, defenſione, liberatione & æterna gloria eccleſiæ eſſe firmum & perpetuum? Hæc eſt huius verſus ſententia.

Iudicia nominat decretum ſeu ordinationem diuinam, quæ cuique rei certæ quaſi leges & metæ ſunt præſcriptæ, intra quas tota rerum natura, ſicut ab initio condita eſt, ſeſe continens, ſuo creatori obtemperat & ſeruit. Ideo ſubiicit, Omnia ſunt ſerui tui. Manent enim res creatæ in illo ordine, quem Deus in prima creatione conſtituit & ſanxit. Solus homo & diaboli ſe à Deo auulſerunt. Sicut igitur ordo ille non mutatur: ita cogitemus promiſſionem eccleſiæ factam eſſe certam & immutabilem, & hac fiducia feramus ærumnas præſentis vitæ. Non enim fallit nos filius Dei, qui hoc verbum ex ſinu æterni patris protulit, & huius voce ſibi inter nos eccleſiam colligit. Græcus *iudicia* rectè vertit διάταξιν.

92 Niſi lex tua [*fuiſſet*] delectationes meæ, tunc periiſſem in afflictione.

Alio argumento vſum doctrinæ cæleſtis oſtendit: idque à ſuo exemplo & experientia. Atque ita nobis ſtudium verbi diuini cõmendatur. Affirmat enim hanc ſolam doctrinam, quæ eccleſiæ patefacta eſt, conſolari & erigere animos in ærumnis & calamitatibus, ne ruant in triſtes dubitationes & deſperationem. Quicquid enim philoſophia præcipiat de moderandis animi affectibus & doloribus, de præſtantia virtutis aut aliis rebus, quarum capita in philoſophicis doctrinis notantur: ſunt tamen omnes illæ conſolationes, nihil aliud quàm inania θελκτήρια, quæ interdum ad tempus ſedant dolorem, aut externos geſtus cohibent, ſed malum non tollunt. Nam peccatum & mortem, ac ſenſum iræ Dei aduerſus peccata non tollunt, neque oſtendunt certum portum in quo animus acquieſcere poſſit. Ideo ſubinde recurrũt dolores, & recurrendo creſcunt, donec tandem mergant hominem in deſperationem. Sed doctrina eccleſiæ oſtendit vera & efficacia remedia, quibus tollitur peccatum & mors, & oſtenditur præſentia Dei in afflictionibus & ærumnis. His remediis tollitur deſperatio, & confirmatur animus vt nouam vitam & lætitiam concipiat, & ex doloribus eluctetur. Ideo inquit, *Niſi lex tua fuiſſet delectationes meæ.*

Eſt autem obſeruandum, quod dicit, legem ſeu doctrinam diuinitus patefactam eſſe oblectationem hominis afflicti. Quia alius eſt ordo conſolationis in doctrina eccleſiæ, quàm in philoſophia. In philoſophia præcedit ſenſus colligens ſingularia exempla: poſtea ſequitur aſſenſio. ſed fide ſic fit conſolatio, non vt à ſenſu ordiamur: ſed prior eſt aſſenſio, quando videlicet moti à S. S. aſſentimur verbo ſeu voci diuinæ. Deinde ſequitur ſenſus conſolationis ſeu lætitiæ, quæ eſt guſtus quidã vitæ æternæ. Etſi verò hic ſenſus certiſſimè ſequitur aſſenſionem, iuxta illud, Iuſtificati fide pacem habemus: tamen in magnis doloribus & ærumnis, non ſemper ex hoc ſenſu iudicandum eſt de voluntate Dei erga nos, vt quamdiu effecta illa non ſentias, aſſentiri promiſſioni nolis: ſed prius fides aſſentitur verbo, & hoc ſe ſuſtẽtat atque in hoc acquieſcit. Idque cùm facit, tandem ſequitur conſolatio, quæ pacem & tranquillitatem reddit conſcientiæ, & affert vitam & lætitiam. A verbo itaque ordiendum eſt, atque ex hoc iudicandum de fide, nõ mox à ſenſu conſolationis. Nam dum luctamur adhuc cũ peccatis noſtris, cúmque aſpicimus ſordes noſtras, & cogitam⁹ de ira & iudicio Dei aduerſus peccata, ſenſus ille

ille conſolationis ſæpe ita obruitur, vt non percipiatur. Interea tamen fides nititur verbo promiſſionum, nec patitur ſe ab hoc auelli. Ita tandem obtinetur conſolatio, quæ vincit dolores peccati & mortis, & vitam ac lætitiam affert, vt iam certò ſtatuere & gloriari homo poſſit, ſe eſſe in gratia apud Deum, ſeque eſſe hæredem vitæ æternæ. Atque hæc eſt pax Dei, vt Paulus loquitur ad Philip. 4. quæ ſuperans omnem intellectum cuſtodit corda & ſenſus noſtros per Ieſum Chriſtum.

Oblectationes] Vtitur plurali numero, vt ſuprà quoque, ſignificans nullum eſſe genus afflictionis aut doloris, cui non inueniatur in verbo Dei remedium. אז id eſt, tunc vel pridē. Notatur enim longum tempus.

93 In ſeculum non obliuiſcar ſtatutorum tuorum: quia in illis viuificaſti me.

Iam applicat hanc doctrinam ad ſe, & concludit. Cùm itaque hæc doctrina ſit firma & perpetua, & oſtendat veras & firmas conſolationes, ita vt corda perterrefacta ſenſu iræ Dei aduerſus peccata viuificet & ex doloribus inferorū retrahat, ego, inquit, nunquam patiar mihi effluere hanc doctrinam: ſed perpetuò eam circumferam in animo & pectore meo, & tanquam pretioſiſſimum theſaurum & certiſſimum ἀντίδοτον contra deſperationem, contra mortem & peccatum, omni ſtudio & cura aſſeruabo. Quodque ego facio, omnes vt meo exemplo edocti faciant, hortor.

94 Tuus ego ſum, ſerua me: quia ſtatuta tua inquiro.

Admonitioni, quæ vſum & efficaciam doctrinæ cæleſtis in magnis doloribus oſtendit, ſubiicit precationem, vt in præſentibus periculis & ærumnis ſeruetur. Nam cum ſtudio doctrinæ & fide promiſſionē intuente ſemper precatio miſceri debet. Præmittit autem rationem ſumptam ab honeſto: quia ſit Dei, hoc eſt, quia fœdere Dei comprehēdatur, in quo hic populus ab omnibus gentibus ſegregatus, & in peculium Dei electus erat, & quia iuxta fœdus eum colebat. Etſi igitur, inquit, ſum eiectus è medio populi, vt nullam videar habere in eo partem aut hæreditatē: tamē ſum tuus, quia fide me includo in promiſſionem factā patribus noſtris, & iuxta verbū tuum te colo, abiecta & damnata idololatria gentium apud quas verſor. Ergo opem fer mihi, nec ſinas me extra populū tuum inter alienos perire.

Quia ſtatuta tua] Probat ab effectu ſe eſſe Dei: quia quāuis verſetur inter gentes idololatras, ad quas erat eiectus, aut etiamſi viuat inter impios, tamen retinere ſe ait verbum Dei & legitimos cultus, nec contaminare ſe gentium idololatria.

95 Me expectarunt impij vt me perderent: teſtimonia autem tua conſiderabo.

Altera ratio ſumitur à periculi magnitudine. Ideo ſuccurre, quia hoſtes magno conatu & viribus hoc agunt, vt me perdant. Additur deinde tertia ratio, à fidei conſtantia, vt antea in argumento dictum eſt. videbantur hoc agere, vt vel à vero cultu Dei Dauidem abſtraherent, vel, ſi id non perficerent, eum è medio tollerent. Ideo dicit ſe conſideraſſe teſtimonia Dei, nec paſſum eſſe ſibi eripi doctrinam, quicquid hoſtes contra molirentur. Hæc conſtantia, quo rarior eſt inter homines, præſertim cùm in perniciem noſtram conſpirant improbi, & magnis viribus inſtructi, eo magis opera danda eſt, vt eam in profeſſione doctrinæ oſtendamus.

Conſiderare mandata ſeu intelligere ad mandata Dei, ſignificat ſe totum addicere mandatis diuinis, ſeque verbo Dei contra omnes hoſtium inſultus & impetus munire: atque ita integrum ſe à corruptelis ſeruare, & firmam conſolationem in pectore retinere.

96 In omni perfectione vidi finem: [*ſed*] latum mandatum tuum valde.

De hac ſententia ſuprà dictum eſt. Repetitur enim conſolatio ſumpta à perpetuitate verbi: ſed vt dulcior ſit, & altiùs penetret animos, ornatur collatione. Omnis, inquit, perfectionis vel cōſummatæ rei vidi finem, id eſt, video finem habere omnia etiam perfectiſſima. Nihil enim ſub cælo tam eſt perfectum vel abſolutum omni ex parte, quod non mutationi ſit obnoxium, aut finem aliquem habeat. Solum Dei verbum ita eſt amplum, vt omnes terminos & metas ſuperet, & ad omnia tempora & ætates ſe extendat, id eſt, vt ſit durabile, firmum & perpetuum, nec vnquam aboleri queat. Hæc igitur conſolatio tenenda eſt in ærumnis & afflictionibus, ne cogitemus fieri poſſe, vt nos in medio curſu deſtituamur, vel etiam ne non pertinere ad ſe promiſſionē quis exiſtimet. Sicut enim perpetuò durat & perſiſtit verbum: ita latum eſt valde, id eſt, vndique ad omnia tempora & ætates, & ad omnes homines, qui fide hanc doctrinam amplectuntur, ſe extendit.

OCTONARII DECIMITERTII.

ARGVMENTVM.

HIC octonarius totus in commendatione ſtudij verbi cæleſtis conſumitur: nam in hunc finem, vt antea diximus, totus pſalmus cōſcriptus eſt. Primùm autem, vt & in pleriſque alijs, ſuum exemplū eccleſiæ proponit, ſuámque aſſiduitatem & ardorem in diſcendo ita prædicat, vt tacitè moneat, ſimilem diligentiam requiri ab omnibus. Exemplo ſuo ſubijcit argumenta ſeu rationes ſumptas ab vſu & effectis huius ſtudij. Et vt oratio ſit illuſtrior, vtitur cōparatione per diſtributionem. Tria enim hominū genera ſeu gradus recenſet, Reipub. gubernatores (nam hos per inimicos intelligit) Doctores & ſenes, quibus etſi omnium iudicio ſapientia & prudentia tribuitur: ſuam tamen ſapientiam, quam ex verbo Dei hauriat, horum ſapientiæ & prudentiæ longè anteponit. Neque id facit arroganter aut immodeſtè: ſed quia vſus doctrinæ cæleſtis hac collatione magis illuſtratur, & muniendi erant animi piorum, ne capti externa ſpecie, quæ multos dementat, deciperentur. Cum enim hi qui ſunt in gubernatione aut in ordinaria ſucceſſione doctorū ſeu miniſtrorū eccleſiæ, aut qui ætate alijs antecedūt, antecellāt etiā autoritate, ſapientia, ſpecie iuſtitiæ, valde difficile eſt à talibus viris diſſentire, & tot hominū autoritate & ſapientia præſtantum iudicijs nō moueri. Et multi hoc argumēto ita tenentur faſcinati, vt adduci ad ſtudium, & cognitionem verbi non poſſint. Sæpe enim audiuntur huiuſmodi ſermones. Non decet nos plus ſapere, quàm maiores. Et malumus cum maioribus noſtris hominibus ſapientiſſimis errare, quam cum iſtis nouitijs erronibus rectè ſentire. Hîc igitur tenenda eſt doctrina huius pſalmi, quæ monet longè aliam & multò excellentiorem ſapiētiam tradi in doctrina eccleſiæ, ab ea quam mundus ſuſpicit & admiratur: & retinēdam eſſe huius doctrinæ puritatem & confeſſionem contra peruerſa huius mundi iudicia. Redit deinde ad ſuam confeſſionem, oſtendens ſuo exemplo, pietatis ſtudium non verſari tātùm in cogitatione nuda aut meditatione, ſed in tota vita & actionibus conſpici debere: & quidem hanc pietatem non exiſtere ab hominum diligentia ſeu viribus, ſed à gubernatione diuina. Ait enim ſe ideo non declinaſſe à iudicijs diuinis, quia diuinitus ſit edoctus & gubernatus. In fine rurſus commendat ſtudium doctrinæ cæleſtis: primùm ex collatione de qua poſtea dicetur, deinde ab vtilitate cuius antea mentionem fecerat: & ſimul oſtendit, cum ſtudio doctrinæ cæleſtis ſemper coniunctam eſſe fugam & odium ſophiſtices, errorum & mendaciorum, nec retineri poſſe puritatem doctrinæ cœleſtis, niſi ex animo deteſtemur & fugiamus omnes errores, corruptelas, ſophiſmata & mendacia, quibus veritas doctrinæ diuinitus tradita obſcuratur & obruitur.

מ

97 QVàm diligo legem tuam! toto die ipſa eſt meditatio mea.

Primus verſus habet confeſſionem doctrinæ & ſtudij, quæ, vt dixi, tāquam exemplum quod imitentur omnes, proponitur. Vt autē oratio plus moueat animos, non vtitur ſimplici aſſeueratione, ſed interrogatione exclamat, ſe incredibili amore legis Dei fuiſſe accenſum. Atque hac exclamatione quaſi ad iudicium & tribunal Dei prouocans, oſtendit ſtudium ſuum fuiſſe ſerium & ardens, non hypocriticum. Si enim ſegnis aut tardus fuiſſet in hoc curſu, vt ſunt plerique qui religionem profitentur, non auderet ita liberè ad Deum

prouocare, eúmque teſtem ſui ſtudij adhibere. Quo exẽplo monemur, omnia agenda eſſe tanquam in conſpectu Deitatis vt quouis tempore teſtem eum noſtrarum actionum adhibere non erubeſcamus.

Toto die] Amor nunquam eſt otioſus: & rectè Auguſtinus inquit, Animus amantis eſt, non vbi animat, ſed vbi amat. Qui igitur amore verbi diuini eſt accenſus, facere nõ poteſt quin aſſiduè meditetur legem diuinam. Cæterùm meditatio illa, de qua loquitur, multa complectitur. Non enim conſiſtit in nuda ſpeculatione quæ examinat pondera verborum, conſiderat phraſin, quærit ſeriem ſententiarum, & proſpicit metam, ad quam dicta referenda ſint: (quanquam hæc quoque θεωρία neceſſaria eſt) ſed, vt Epiphanius monet, accedere oportet ἡ αἴσθησις ſeu ſenſũ, qui in exercitiis veræ pœnitẽtiæ atque inuocationis, & in tentationibus incipiat intelligere vſum doctrinæ, & promiſſiones ſibi applicet, ſeque his erigat & ſuſtentet aduerſus terrores peccati & mortis, quique vita exprimat doctrinam: quemadmodum infrà dicit, ſeruaui ſtatuta mea. Hæc meditatio, vt ſalutaris eſt, ita aſſidua eſſe in nobis debet: langueſcit enim & euaneſcit fides, ſi hoc ſtudium remittatur. Et ſunt illecebræ variæ, quæ nos abducũt, ſi paululum à contentione remittamus.

98 Præ aduerſarijs meis ſapientem me reddidiſti mandatis tuis: quoniam id [*mandatum*] mihi in perpetuum.

99 Præ omnibus doctoribus meis prudentem me feciſti: quia teſtimonia tua, meditatio mea.

100 Præ ſenibus intellexi: quia ſtatuta tua ſeruaui [*mihi*.]

Collatio eſt, vt dixi, in qua vſum ſeu fructum doctrinæ cæleſtis oſtendit & illuſtrat. Comparat enim ſapientiam cæleſtem cum mundi ſapientia, eique in infinitum illam antecellere oſtendit. Quòd tres gradus hominum recenſet, reipub. gubernatores, doctores ſeu præceptores, & ſenes, id ideo facit, quòd hi maximè ſibi arrogent ſapientiã, quódque inter homines hi maximè ſapientes habeantur, qui vel ætate & vſu rerum antecellunt, vel ad gubernacula reipub. ſedent, vel doctorum munere in publico cœtu funguntur, vt damnata horum omnium ſapiẽtia, hanc vnicam, quæ ex verbo diuino petitur, commendet. Hæc enim ſola eſt, quæ ad Deum & eius fruitionem nos ducit.

Aduerſarios ſuos ſine dubio intelligit Saulem & eius miniſtros, quos non dignatur illo honore, vt vocet eos præſides reipub. aut patres patriæ. Non enim hoc agebãt, vt rempub. rectè conſtituerent & gubernarent: ſed potiùs vt euerterent. Et quia Dauidem regno deſtinatum intelligebant, eúmque finem aliquando cupiditatibus & ſceleribus ipſorũ impoſiturum metuebant, implacabili odio eum perſequebantur, & varias rationes atque conſilia inibant, quibus eum euerterẽt. Ideo vocat eos ſuos inimicos per contemptum. Erant autem omnes illi in magna autoritate non apud regem tantùm, ſed etiam apud vulgus, propter opinionem ſapientiæ & prudentiæ: neque enim ſolent deligi ad gubernationem reipub. niſi homines induſtrij & rerum periti. Ideo aduerſarios ſuos nominans, intelligit in genere homines ſumma ſapientia in hac vita ciuili præditos: qui tamen ignari ſunt huius cæleſtis ſapientiæ, imò qui eam rident, contemnunt, oderunt & perſequũtur. Et affirmat illam mundi ſapientiam nulla in parte cum hac conferendam eſſe.

Qui in republica verſantur, inflati ſua ſapientia, iudicant ea nihil pulchrius eſſe, qua vident parari & cõſeruari regna, conſtitui iudicia & leges, acquiri opes & dignitatem. Vulgus etiam ita iudicat, nihil dignius aut præſtantius eſſe iſto hominum ordine, quos videt in republica verſari cum dignitate, valere conſilijs & prudentia, & habere ſucceſſus. Ideo hos ſolos ſuſpicit, admiratur & beatos prædicat. Atque è regione illum cœtum, qui dicitur eccleſia, ridet & contemnit. Imò doctrinam eccleſiæ tanquam inanem fabulam abiicit & execratur. Horum iniquis iudiciis ne moueamur, dicit, ſapientiam, quam per doctrinam cæleſtem mentibus piorum Deus inſtillat, multis rebus ſeu modis antecellere illam mundi ſapientiam, ita tamen ſi non ſit momentanea aut πρόσκαιρος, ſed perpetua, quæ ad omnem vitam ſe extendat. Hoc monet cum inquit, quoniam id mihi in perpetuum. *Id* ponitur diſtributiuè, pro vnumquodque eorum. Neque id fit ſine cauſa. Monet enim omnes articulos fidei eſſe coniungendos, & doctrinam eccleſiæ eſſe vnam copulatiuam, vt dici ſolet.

Secundus gradus eſt doctorum & præceptorum. Nam & his non ſolum propter doctrinæ eruditionem & ingenij excellentiam, & quia cum publica autoritate & applauſu multorum docent, tribuitur ſapientia: ſed etiam quia beneficijs affectos nos ab his, & ad virtutem inſtitutos eſſe intelligimus, meritò reueremur eos, & iudicia eorum magnifacimus. Et tamen niſi doctrinam cæleſtem purè profiteantur & tradant, non debemus moueri eorum iudiciis: & valere hic debet, quod Ariſtoteli tribuitur, *Amicus Socrates, amicus Plato: magis amica veritas.* Eſt enim hæc ſapientia, quæ in doctrina cœleſti traditur, multò præſtantior, quàm vt comparari cum ea, nedum anteferri alia debeat. Mirum autem eſt cur Dauid ſe Doctoribus in hoc populo preferat. Nam certè illi legem docebant: & debebat ea eſſe reuerentia in Dauide erga ſuos præceptores, vt rectè docentes non argueret aut deformaret.

Reſpondeo: ſicut ſuprà de meditatione diximus, eam non conſiſtere tantùm in nuda conſideratione phraſium, aut collatione membrorum, in definitionibus & ratiocinationibus, ſed in applicatione & vſu: Ita non ſatis eſt in tradenda doctrina aut interpretanda ſcriptura eſſe exercitatum, ſed requiritur etiam vt vita reſpondeat doctrinæ. Nam qui bene docet & malè viuit, vna manu porrigit, quod altera rapit. Veriſimile eſt autem illa ætate, cùm ſub regno Saulis mores eſſent corruptiſſimi, etiam doctores, multitudinis exemplo, tanquã æſtu aut vi fluminis abreptos indulſiſſe ſceleribus: quoſdam etiam perfidè & ſceleratè inflexiſſe doctrinam ad affectus & cupiditates aulicorum. Hos igitur notans, inquit, ſe ſapientiorem eſſe ſuis doctoribus, quia ſcilicet meditetur teſtimonia Dei, hoc eſt, retineat puritatem doctrinæ cœleſtis, & iuxta hãc vitam inſtituat, quod doctores non faciant. Antitheſis hanc ſententiam veram eſſe oſtendit.

Tertius gradus eſt ſenum, in quibus ætas, vſus & experiẽtia confirmat iudicium. Sicut dicitur in Senario Græco, γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων. Et Ouidius inquit:

Adde quòd eſt ſenibus rerum prudentia maior:
Solus & artifices qui facit, vſus erit.

Cùm igitur ſenibus natura tribuerit maiorem prudentiã quàm iuuenibus, omnes ſic iudicant, horum iudiciis eſſe acquieſcendum, nec moroſè repugnandum eſſe horum autoritati & ſententiæ. Sed monet propheta, & gubernatorum, & doctorũ, & ſenum iudiciis anteferendum eſſe verbum Dei, quod vult vnicam & certiſſimã eſſe normam agnitionis Dei, conſiliorum & actionum noſtrarum: & affirmat, hanc ſapientiam cœleſtem longè pluris faciendam eſſe, quam illam politicam, quæ aut conſilia publicæ gubernationis, aut priuatim mores cuiuſque regit.

101 Ab omni ſemita mala prohibui pedes meos; vt cuſtodirem ſermonem tuum.

Iam viuo quaſi exemplo probat & confirmat doctrinam de vſu & effectis doctrinæ cœleſtis, atque hanc oſtendit ſummam eſſe ſapientiam cuſtodire verbum Dei. Innocentia, inquit, & pietas vitæ meæ oſtendit hanc ſapientiam præſtantiorem eſſe illa mundana. Cùm enim alij omnes ſuis cupiditatibus in diuerſa trahantur, ego ab omni via mala cohibeo pedes meos, id eſt, repugno prauis cupiditatibus, & bellũ indico omnibus vitiis. Niſi enim hæc militia ſit aſſidua, præſtari illa pietas, quam Deus requirit, non poteſt. Nam in tam vitioſa natura, inter tot illecebras, & in tanta mentis noſtræ vanitate, nihil procliuius eſt quam in errorem abduci: doctrina igitur cœleſtis hanc ſapientiam affert hominibus, vt prohibere ſuos pedes à via mala, atque ita cuſtodire legem poſſint. Viam malam nominat omnes motus aberrantes à lege Dei, & errores in doctrina.

102 A iudiciis tuis non diſceſſi: quia tu docuiſti me [*verba præteriti temporis intelligantur de continuo actu: itaque in præſenti reddideris.*]

Prius membrum congruit cum ſuperiore ſententia. Prædicat enim ſuam conſtantiam, & oſtendit eam ab omnibus requiri. Sed in poſteriore cauſam indicat iſtius conſtantiæ in Pietatis ſtudio. Agnoſcit enim nouam illam obedientiam, quæ Deo placet, non poſſe inchoare hominem ex ſe, aut ſuis viribus, ſed opus eſſe Deo docente & regente mentes noſtras Spiritu ſuo ſancto. Nam vt eccleſia canit, *Sine Spiritus numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

103 Quàm dulcia fuerunt palato meo eloquia tua! ſuper mel ori meo.

Quod ſuprà dixit aliquoties, legem Dei vnicam eſſe ſuam oblectationem, eam ſententiam nunc exornat collatione: de qua ſuprà Pſal. 19. dictum eſt. Sicut mel ſua dulcedine ſuauiter afficit palatum: ita & quidem multò efficaciùs & ſuauiùs animum meum oblectat & reficit doctrina tua, præſertim in magnis doloribus. Sed mirum videtur cur dicat, ori ſuo eſſe dulcia eloquia, cũ potius deberet dicere, auribus, per quas doctrina in animũ illabitur. Sed loquitur propheta iã non tantum vt

tùm vt diſcipulus & auditor, ſed etiam vt doctor, cui nihil ſuauius, nihil iucundius ſit, quàm de doctrina cæleſti aſſiduè diſſerere, & alios ſecum erudire & confirmare.

104 Ex ſtatutis tuis factus ſum prudens: propterea odi omnem ſemitam falſitatis.

Repetit ſuperiores ſententias, nec opus eſt longiore declaratione. Veram & ſalutarem prudentiam dicit ex doctrina cæleſti hauriri. Nã illa politica prudentia, etiamſi multas & magnas res adminiſtrat, & gerit, magniſque viribus antecellit: tamen in rebus ad hanc vitam pertinentibus tãtùm occupatur, & ſæpiſſimè impingit, & eſt infelix. Sicut Cicero de ſe conqueritur in epiſtola ad Octauianum: *O me nunquam ſapientem, & aliquando id, quod non eram, falsò exiſtimatum.* Et hiſtoriæ oſtẽdunt, quàm infelices exitus habuerint etiam ſapientiſſimi. Sed hæc ſapientia, quæ mandatis Dei paret, & ab ipſo ad gubernationem petitur, ſola felix eſt & ſalutaris.

Odi ſemitam] Veritas doctrinæ cæleſtis & integritas conſciẽtiæ retineri non poteſt, niſi errores omnes ſeu corruptelas & mendacia fugiamus. Ideo piis opus eſt ſcientia ſeu prudentia, quæ diſcernere poſſit inter vera & falſa dogmata, & ſerio ſtudio vitandi ſunt errores. Sed hæc non aliunde, quàm ex aſſiduo ſtudio verbi cæleſtis petenda ſunt. Nam ſi quis propriæ ſapientiæ aut prudentiæ innitatur, turpiter errabit. Ideo dicit propheta, ſe intelligere omnes impoſturas, & odiſſe atque aduerſari omnes errores: quia ex verbo diuino factus ſit prudentior. Hanc doctrinam tenere omnes debemus, hoc præſertim tempore, quãdo diabolus per ſua organa, tot errorum ſemina ſpargit, & ecleſiam opinionum diſſidiis ita miſerè lacerat. Non cogitemus humana prudẽtia animaduerti poſſe errores, aut ſatis eſſe ad principum ſeu multitudinis iudicium reſpicere, quod plerique faciunt: ſed opus eſſe tali ſtudio, quale in hoc pſalmo requirit propheta.

OCTONARII DECIMIQVARTI ARGVMENTVM.

PRIMVS verſus huius octonarij, vtilitatem verbi diuini oſtendit, & regulã vtiliſſimam tradit, quæ ſemper in conſpectu eſſe omnibus debet. Monet enim vitam humanam regi debere verbo diuino, nec de Deo aut cultibus ipſi debitis aliter ſtatuẽdum eſſe, quã ſicut verbo ſuo ſe patefacit: è regione verò fugiendas eſſe omnes opiniones commentitias pugnãtes cum verbo Dei. Nam cùm verbũ diuinitus traditum, lucerna ſit pedibus noſtris, hoc eſt, cùm ſola hæc doctrina in eccleſia patefacta oſtendat quid de Deo ſtatuendum, & quomodo coram eo ſit ambulandum: neceſſe eſt cæteras doctrinas omnes eſſe tenebras, & eos, qui relicto verbo Dei, numen aliquod fingunt, aut cultus excogitant, vt faciunt hæretici, Phariſæi, Monachi & ſimiles, in horribilibus verſari tenebris. In ſecundo verſu rurſus ſuam conſtantiam & firmum animi propoſitum in cuſtodiendo verbo diuino prædicat, idque nõ tam ſua, vt ſæpe iam dictum eſt, quàm aliorum cauſa, quos ſuo exemplo excitare ad ſimilem diligentiam conatur. Tertius verſus querelam habet de ærumnis & periculis, in quibus verſetur propter confeſſionem doctrinæ: & additur precatio, vt in his ærumnis & doloribus verbo diuino ſuſtentetur & confirmetur. Quarto verſu petit, vt ſua ſtudia, labores, certamina, patientia in cruce, inuocatio & cæteræ actiones omnes probentur Deo, & ſint cultus accepti. V. & VI. verſu repetit querelam de ſuis ærumnis & periculis: & mox ſubiicit confeſſionem, quòd inter tot ærumnas & pericula non defecerit à Deo, ſed conſtãter perſeuerarit in profeſſione huius doctrinæ & pietatis ſtudio: vt cæteri hoc exemplo admoneãtur, nõ propter ærumnas & calamitates, aut hoſtium odia, fraudes, inſidias aut crudeles molitiones abiiciendum eſſe verbũ Dei, ſed multò magis in ipſis periculis annitẽdum, vt hunc verbi diuini theſaurum, tanquam vnicum patrimonium noſtrum retineamus, atque ex hoc promptuario remedia malorum noſtrorum petamus.

105 LVcerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitæ tuæ.

Vt rectiùs intelligatur hic verſus, antitheſis conſideranda eſt. Cùm enim inquit, Lucerna pedibus meis verbum tuum, ex antitheſi innuit, totum genus humanũ extra eccleſiam vagari in denſiſſimis errorum tenebris: ideóque miſerè aberrare à Deo ſalutis noſtræ autore, non rectè agnoſcere, non rectè colere eum, atque ita tandem præcipitari & ruere in æternum exitium, & miſerè perire. Quicquid enim ratio humana excogitat de Deo aut cultibus diuinis, nihil eſt niſi tenebræ. Imò, vt Paulus inquit, ſenſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum: tantum abeſt vt monſtrare viam ſalutis ratio humana poſſit. Quàm miſerè errat philoſophia in maximis rebus? & quantæ ſunt opinionum apud eos qui hanc profitentur, confuſiones? In ſola autẽ eccleſia ex verbo patefacto rectè agnoſcitur Deus, & ritè colitur, nec alia agnoſcendi Dei aut cultuum diuinorum regula fingenda eſt, quàm quæ diuinitus eſt patefacta. Hæc ſola enim, inquit, facem pręfert pedibus, vt rectè ambulare coram Deo in tenebris huius vitæ poſſimus, dúmque hanc ducem & magiſtram ſequimur, nuſquam impingimus, nuſquam labimur, aut erramus. Reſpexit ad hanc ſententiam Petrus 2. Epiſt. 1. cùm inquit, Habemus firmiorem ſermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco, rectè facitis, donec illuceſcat dies, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.

Hæc prima doctrina eſt. Deinde hoc quoque obſeruetur, Perperam fingi obſcuritatẽ in verbo Dei à pontificiis. Si enim lux eſt, non eſt obſcuritas. Si velatum eſt euangelium, inquit Paulus, in his qui pereunt velatum eſt. Nam mundus non aperit oculos ad hanc lucem, nec comprehendit eam.

106 Iuraui, & ſtabiliam: ad ſeruandum iudicia iuſtitiæ tuæ.

Vt ſtudiũ doctrinæ & pietatis eſſet magis ardens & ſerium, affirmat ſe interpoſito iureiurando confirmaſſe animum in pio propoſito, atque ita fidem ſuam ſe obſtrinxiſſe Deo, ne mutaret conſilium. Non enim ſatis eſt bene cœpiſſe, ſed qui perſeuerauerit vſque ad finẽ, ſaluus erit. Et multi cũ gaudio, inquit Chriſtus, ſuſcipiunt ſermonem, ſed in tẽtationibus refugiunt ac deficiunt: multi etiam curis huius vitæ & victus obruuntur, vt tandem ardor ille, quem initio ad hanc rem attulerunt, langueſcat, alij aliis illecebris capiuntur. Dauid igitur volens ſeipſum in ſuſcepto ſtudio confirmare, animi propoſitum firmauit iureiurando ſeu voto ſolenni, quo ſubinde commonefactus alacriter & conſtanter in pietatis curſu pergeret. Sed quid opus erat vouere Deo hanc obedientiam, ad quàm ſe antea obſtrictum ſciebat? Non enim ignorabat fœdus iniiſſe Deum cum hoc populo, idque externo ritu circumciſionis quaſi obſignaſſe. In quo fœdere, ſicut à ſe Deus amorem & beneuolẽtiam promittebat Iſraelitis, iuxta illud, Ego ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te: ita viciſſim ſanctitatem & vitæ innocentiam ab ipſis requirebat. Sicut dicitur Leuit. 11. Sancti eſtote, quia ego ſum ſanctus. Eſt enim in fœdere ſemper mutua obligatio ſeu ſtipulatio. Cùm igitur intelligeret, iam antea ſe obſtrictum eſſe Deo ad hanc obedientiam præſtandam, cur nouo iuramento ſeu voto ſe obligat? Reſpondeo, In veteri teſtamento vtebantur patres ceremonia & ritu vouendi, vt pædagogia quadam erudirentur & commonefierent, debito perpetuo & ſe & ſua omnia deberi Deo, vt non modò iuſſu legis, verùm etiam conſuetudine vouendi, ſe & ſua omnia Deo addicta eſſe intelligerent. Dauid igitur tanquam vnus ex lege, quanquam intelligit ſe hanc obedientiam, ad quam ſe obligat, iam antè debere: tamen ſolenni voto & iuriſiurandi religione interpoſita ſe denuo obſtringit, vt his veluti quibuſdam ſtimulis ſe ad officium faciẽdum excitet, & fiduciam impetrandi in corde ſuo obſignet.

Nunc in nouo teſtamento, in quo illi externi ritus legis Moſaicæ in vſu non ſunt, finis tamen illorum votorum ſpectandus & tenendus eſt. Nam & Baptiſmus noſter ſtipulatio eſt bonæ conſcientiæ erga Deum per reſurrectionem Chriſti, vt Petrus inquit, & ideo recipimur in gratiam, & donamur Spiritu ſancto, vt intelligamus nos obligatos eſſe ad agnitionem & inuocationem Dei, nec tantùm res noſtras, ſed nos ipſos perpetuo debito deberi Deo. Itaque illis externis votis nunc non eſt opus. Et tamen ſi quis ad ſubleuandam ſuam infirmitatem aliquo voto tanquam ſtimulo ſe excitet, ſciendum eſt illam libertatem concedi fidelibus, modò vota illa ſint de his rebus quæ voueri poſſunt, & ad illum finem, de quo diximus, referantur. Neque enim excuſanda ſunt vota Monaſtica, quæ fiunt de rebus illicitis & impoſſibilibus, & hac opinione præſtantur, quòd ſint cultus ex opere operato, & quòd mereantur ſalutem & vitam æternam.

Occurrit autem & illa quæſtio. Dauid iurat ſe ſeruaturum

iudicia iuſtitiæ. Sed lex eſt impoſſibilis in hac vita. Ergo temere videtur facere, qui rem impoſſibilem promittit. Reſpõdeo ſimpliciter, Dictum pſalmi de ſeruandis iudiciis iuſtitiæ diuinæ, non eſt intelligendum legaliter de impletione legis, ſeu de perfecta obedientia: ſed euangelice: ſicut antea in exordio huius pſalmi monuimus. Nam ſeruare iudicia, ſignificat amplecti doctrinam diuinitus traditam, fide & bona conſcientia. Et quanquam ex ſe id præſtare homo non poteſt: tamen fides intuetur promiſſionem gratiæ & auxilij diuini, & eam ſibi applicat: ac ſimul effunditur Spiritus in corda noſtra, qui ea renouat ad imaginem Dei, & excitat nos ad ſtudium bonorum operum. Ita fides primum ſtatuit ſe eſſe in gratia apud Deum. Deinde inchoat nouam obedientiam, placentem Deo per Ieſum Chriſtum Pontificem noſtrum. Etſi enim multæ ſordes adhærent nobis in hac vita, & magna eſt infirmitas noſtra, tamen teguntur illæ ſordes per Chriſtum, qui veſtit nos ſua innocentia: & quia perſona placet propter filium, placent etiam opera. Sed hæc alibi copioſius explicantur.

107 Afflictus ſum vſque valde: Iehoua viuifica me ſecundùm verbum tuum.

Hanc ſententiam ſuprà aliquoties interpretati ſumus, ideo non ſum nunc prolixior. Confeſſionem doctrinæ & pietatis ſtudium ſemper comitantur ærumnæ, calamitates, & varia pericula: iuxta illud, Qui piè viuere volunt in Chriſto, perſequutionem patientur. 2. Tim. 3. Et in his ipſis ærumnis, præſertim cùm differtur auxilium & liberatio diutiùs, angitur animus, an ſimus in gratia apud Deum, & an Deus curet nos. Hic dolor animi magis excruciat nos, quàm vlla alia tormenta. Dauid igitur per afflictiones intelligit non tantùm illa externa pericula & difficultates, quæ foris ei obiiciebãtur, ſed multò magis illos internos animi dolores. Ideo ſubiicit, *Iehoua viuifica me*, id eſt, conſolare, recrea & confirma me, ne abſorbear his doloribus, néve ruam in deſperationem & mortem: ſum enim morti vicinus. Hoc Dauidis exemplum intueri & imitari debemus in noſtris calamitatibus & ærumnis, ne dolori ſuccumbamus, aut de gratia & auxilio diuino deſperemus.

Vſque valde] Id eſt, ſuprà modum vel vehementiſſimè.

Secundùm verbum tuum] Id eſt, ſecundùm promiſſionem. Nam fides ſemper nititur promiſſione: nec aliud quicquã habet, quod afferat in Dei conſpectum, quàm promiſſionem auxilij. Hæc igitur ſola fides aditum patefacit ad Deum: ſicut econtra fiducia iuſtitiæ & meritorum cælum nobis claudit, & à conſpectu Dei nos arcet.

108 Voluntaria oris mei quæſo accepta [*grata*] habe, Iehoua: & iudicia tua doce me.

Duo petit in hoc verſu. Primùm vt inuocationem, gratiarum actionem, confeſſionem, ſtudium propagandi doctrinam, & cæteros labores, quos in docendo & diſcendo ſuſtinebat, Deus grata habeat, & vt cultus gratos approbet. Deinde vt aſſiduè eum doceat, vt in ſtudio ſuſcepto proficiat. Quæ precatio, vt ſcitis, in toto pſalmo aſſiduè repetitur. De primo membro id diligenter conſiderandum eſt, quòd voluntaria oris, hoc eſt, ſacrificia laudum, inuocationis, gratiarũ actionis præfert omnibus ſacrificiis externis, quæ voce diuina in lege mãdata erant, atque in iis principalem cultum conſtituit. Nam omiſſa mentione victimarum Moſaicarum, dicit ſe offerre voluntaria oris, hoc eſt, ſacrificia laudis, quæ pſalm. 50. ſic appellat, vel vitulos labiorum, vt Oſeas inquit cap. 14. quos ſponte, & quidem prælucente fide offerat. Hæc igitur ſacrificia ſpiritualia, propter quæ illa externa in Moſe inſtituta erant, petit vt Deus grata habeat.

Atque ita ſignificat primò magnam eſſe infirmitatem naturæ humanæ, etiam regeneratæ, vt præſtare tales cultus, quales Deus requirit, non poſſit. Itaque ſemper opus eſſe indulgentia diuina, & vmbraculo, quod tegat noſtram infirmitatem & ſordes, quibus obedientia noſtra ſemper eſt aſperſa. *Deinde* quanquam magna eſt infirmitas noſtra, & multæ nobis ſordes adhærent, tamen inchoãdam eſſe hanc obediẽtiam & cultum ſpiritualem, & quidem ita, vt obedientia illa ſit ſpontanea, non coacta aut metu extorta, vtque ſemper præluceat fides intuens Mediatorem & vmbraculum noſtrum. Nam hęc fides eſt qua nos excitat Spiritus ſanctus ad ſpõtaneã obediẽtiam. *Tertiò* oſtendit, hoc piorum ſtudium obediendi Deo, & hunc curſum, hoc eſt, nouam obediẽtiam, quam in hac vita inchoamus, placere Deo, & eſſe cultum ac ſacrificium Deo gratum. Qua in re magna eſt conſolatio propoſita. Quid enim dulcius eſt, aut ad conſolationem efficacius, quàm quòd Deus in verbo ſuo oſtendit, ſe languidam noſtram ac ſordidam obedientiam approbare, & gratam habere, & labores noſtros, quos approbat, iuuare? iuxta illud, Deus eſt qui efficit vt velitis, dabit etiam vt perficiatis. *Poſtremò* monet nos hic verſus de fine omnium actionum noſtrarum. Affirmat enim omnia ſtudia & labores piorum ad hunc finem dirigi debere, vt Deus honore afficiatur, & aliqua ipſi grata fiant: quemadmodum & alibi dicitur, omnia ad gloriam Dei facite.

Atque in hoc fine inprimis conſpicitur differentia operum ciuilium ſeu virtutum Ethicarum, & cultus piorum. Opera enim piorum, vt in agnitione veri Dei & fide fiunt, ita ad hunc finem referuntur, vt hac noſtra obedientia declaremus nos Deo ſummum honorem habere, & teſtemur hunc verum eſſe Deum, quem ſic colimus, & vt alios ad veri Dei agnitionem inuitemus. Ideóque ſemper petunt pij, vt Deus illa opera tanquam ſacrificia grata acceptet & approbet. Philoſophi & alij honeſti viri in vita ciuili, quanquam interdum pulcherrimis virtutibus præditi & ornati ſunt: tamen quia ſunt ſine agnitione Dei, & ſine fide, & non referunt ſuas actiones ad gloriam Dei, nõ ſunt cultus Dei illæ virtutes. Scipio, Atticus, Socrates, habẽt præclaras virtutes, de quibus Ariſtoteles dicit, quòd neque Heſperus ita luceat: ſed non referunt illi ſuas actiones ad hũc finem, ad quem Dauid intelligit omnia ſtudia & actiones eſſe referendas, ideo plurimùm differunt.

Voluntaria oris, vt dixi, opponit ſacrificiis externis, qualia erant in lege, & comprehendit συνεκδοχικῶς totum cultum ſpiritualem, qui in aſſidua inuocatione Dei & gratiarum actione, item in propagatione doctrinæ cæleſtis maximè conſpicitur. Fortaſſis autem per voluntaria oris etiam peculiariter intelligi vult illa vota, de quibus antea verſu 106. diximus. Hæc enim vota, quæ ſponte præſtiterat, cupit ita probari, vt ſimul petat ſe in hoc ſtudio confirmari, regi & doceri diuinitus: intelligit enim non eſſe poſitum in ſua poteſtate, vt ſeruet ſermonem Dei. Ideo voto, quo ſe ad hanc obedientiam obſtrinxerat, addit precationem, vt Deus & votum hoc gratum habeat, & ſimul viribus vouentem inſtruat, vt præſtare ea quæ vouerat, poſſit.

109 Anima mea in manu mea ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

110 Poſuerunt impij laqueum mihi: & à mandatis tuis non aberraui.

Repetit doctrinam de ærumnis & afflictionibus ſuis, atque è regione de conſtantia ſua cõcionatur, vt moneat vtrumque. Primò, qualis piorum fortuna & ſtatus ſit in hac vita: deinde quales ſe gerere inter illas ærumnas debeant.

Anima mea ſemper eſt in manu mea] Id eſt, etſi ſemper verſor in ſummo diſcrimine, & periclitor de vita, ſúmque expoſitus ad omnes caſus ſubitorum periculorum: non tamen propterea ſum tui oblitus. Anima hoc in loco, vt alibi ſæpe, μετωνυμικῶς accipitur pro ipſa vita hominis. Itaque animam eſſe in manu, ſignificat vitam proximam eſſe periculo, ita vt niſi forti manu id depellatur, actum ſit de vita. Forma ſermonis videtur ſumpta ab his qui in acie verſantur, & cum hoſtibus congrediuntur & dimicant. His anima ſeu vita dicitur eſſe in manu, quia & periculo proximi ſunt, & quamdiu forti manu periculum depellunt, tamdiu vitam ſeruãt. Ita Iudicum duodecimo, Iephthe dicit ad Ephraim, ſe poſuiſſe animam ſuam in manu ſua, & pugnaſſe cum filiis Ammon, hoc eſt, obieciſſe ſe illi periculo, cùm cæteræ tribus eum deſererent. Et Iob 13. cùm queritur, ſe in malis ſuis tabeſcere, & in ſingula momenta mortem expectare & metuere, Cur (inquit) pono animam meam in manibus meis, id eſt, obiiciam me tot ærumnis & periculis. Item 1. Sam. 28. magica mulier dicit ad Saulem, Ecce obediuit ancilla voci tuæ, & poſui animam meam in manu, id eſt, adduxi vitã meam in diſcrimen, vel obieci me periculo vitæ. Hæc interpretatio huius phraſis eſt ſimpliciſſima & rectiſſima.

Alij formam loquendi inde ſumptam exiſtimant, quòd quicquid in manibus poſitum ſit, non ſatis ſit tutum, cùm auferri, excidere & elabi poſſit. Nonnulli nimis procul petitas & contortas interpretationes afferunt, dum exponunt, Anima mea eſt in manu mea, id eſt, vita mea eſt in meo arbitrio, vt regere eam poſſim vt viſum eſt. Reſpexerunt enim magis ad Latinum ſermonem, quàm ad phraſin Hebræam. Quidam Hebræorum phraſin ſic interpretantur: Ita eſt imminuta & affecta anima mea, vt eam totam & omnes eius facultates velut in palma mea poſſim ponere. Sed & hoc nimis eſt argutum, aut potiùs friuolum. Retineo igitur hoc, quod eſt ex vſu ſcripturæ.

Legem tuam] Id eſt, etiamſi mors mihi ſemper verſetur ob oculos: tamen non deficio à te, nec abiicio legem tuam.

Poſuerunt] Alia ſimilitudine periculum ſuum exponit. Antea enim ſe comparauerat his qui in acie congrediuntur cum hoſtibus, vbi apertam vim ſibi intentari dicit: nunc ſe aſſiduis hoſtium inſidiis peti, non aliter ac feras, quibus laquei ac retia ponuntur, affirmat. Vtroque enim modo pugnant hoſtes cum eccleſia, vi & dolo. Iulianus cùm videret ſe vi & ſæuitia nihil proficere, ad dolos conuertitur. Hic igitur maiore opus eſt circumſpectione & diligentia, ne circumueniamur.

111 Hæc

111 Hæreditate acquiſiui [*ſeu hæreditatis loco habui*] teſtimonia tua in æternum: quia lætitia cordis mei ſunt.

112 Inclinaui cor meum ad faciendum ſtatuta tua: in æternum, ad finem.

Pergit propheta prædicare ſuam diligentiam & conſtantiam in ſtudio doctrinę & pietatis. Qua de re quid ſentiendum ſit ſæpe iam diximus. Non ſunt inanes thraſoniſmi aut voces iactabundæ, qualis eſt illa Phariſæi oratio, Luc. 18. Sed confeſſio eſt de doctrina, qua & ſe excitare vult, & alios ſuo exemplo cõmonefacit, vt in ſtudio doctrinę & pietatis ſint aſſidui & conſtantes. Eſt autem hîc dulciſſima aſſeueratio de ſtudio & amore verbi diuini, ornata ſimilitudine, cùm inquit, hæreditatis loco habeo. Significat enim ſe doctrinam cœleſtem omnibus huius vitæ bonis præferre. Eſt enim hæreditas relicta à parentibus honeſtis liberis non tantùm grata, ſed etiam pretioſa, ita vt nefas eſſe ducant hanc imminuere & dilapidare. Quare omni cura & ſtudio eam aſſeruant, & operam dant, vt non tantùm non imminuant, ſed etiam adaugeant. Inprimis verò peculiaria quædã κειμήλια, quæ parentibus grata fuiſſe intelligimus, ſingulari ſtudio aſſeruamus, & maioris æſtimamus, quàm multa alia per ſe pretioſiora. Nam amor eſt, qui precium rebus conciliat. Ita igitur Dauid affirmat, ſe vnicum habere patrimonium, quod magni æſtimet, quódque ſummo ſtudio & cura aſſeruandum & ad poſteros tranſmittendum ducat, verbum ſcilicet diuinitus patefactum: ideoque non curare ſe huius mundi opes, delicias, voluptates, honores, dignitates, quas tamen tanto ſtudio cæteri appetunt, modò retinere perpetuò hunc theſaurum poſſit.

Addit autem rationem cur tanti faciat hunc theſaurũ: quia, inquit, eſt *lætitia cordis mei*. Opes & diuitiæ nihil ferè adferũt niſi curas & ſolicitudines, dum non tantùm augere eas ſatagimus, ſed etiam perpetuo metu amittendi cruciamur: deinde etiamſi ad tempus animum exhilarent: tandem tamen hominem deſtituũt. In magnis enim doloribus & periculis nullum inde peti remedium poteſt. Sed doctrina cœleſtis corda lætificat, dum oſtendit gratis remitti nobis peccata, & nos recipi in gratiam, per miſericordiam, propter filium, & per hũc nos recõciliari Deo & fieri hæredes vitæ æternæ, & per eundem perferri preces noſtras in conſpectum patris, exaudiri & iuuari nos in omnibus noſtris actionibus, donari Spiritu ſancto, ſeruari in ærumnis huius vitæ, & tandem liberatos ex hoc carcere donari æterna luce, iuſtitia & vita. Hinc igitur exiſtit lætitia cordis, quæ cùm ſit initium vitæ æternæ, nihil eſt in rebus humanis, quod cum ea comparari queat. Quare meritò hæc hæreditas magnifacienda & omni ſtudio aſſeruanda eſt.

Vltimus verſus congruit cum ſuperiori confeſſione. Cùm enim tam eximium bonum adeptus ſit, quod omnes huius mundi theſauros facilè ſuperat, promitti etiam ſe fidelem fore huius theſauri cuſtodem, & operam daturum eſſe vt gratitudinem ſuam in colendo tanti beneficij authore oſtendat: ídque non ad tempus, vt ſolent ferè homines, apud quos nihil citiùs ſeneſcit quàm gratia, ſed per omnem vitam, & hilariter ex animo. Nam id ſignificat, cùm inquit, *ſe inclinaſſe cor, vt faciat mandata*. Debet enim obedientia eſſe ſpontanea, non coacta aut hypocritica, quæ foris in externis membris aut rectione locomotiuæ tantùm conſpiciatur: ſed quæ ex corde proficiſcatur, nec debet illa interrumpi, ſi res aduerſæ incidant.

Verbum inclinandi opponitur vagis affectibus ſeu cupiditatibus, quæ corda hominum quoquouerſum rapiunt, & nunc ad hæc, nunc ad alia ſcelera inclinant & impellunt. His cupiditatibus & carnis actionibus, vt Paulus eas appellat, ſancti repugnant Spiritu, & ita eas mortificant, vt tandem cor ad obſequium & obedientiam mandatorum diuinorum inflectant. Id quod non fit ſine magno & aſſiduo conatu, ſine certamine & lucta, vt rectè dixerit Iob vitam hominis pij eſſe perpetuam militiam. Eſt autem obſeruandum, quòd cùm verſu 36. petiuiſſet inclinari cor ſuum diuinitus ad teſtimonia Dei, nunc ſe inclinare cor ſuum dicit. Nõ enim pugnant hæc inter ſe, ſed ordo ſignificatur, quo Deus in nobis agat. Efficit Deus & velle & perficere: ita tamen vt mouenti nos per verbum aſſentiamur, & trahentem ſequamur: non repugnemus, non contumaciter excutiamus doctorem & rectorem, ſed luctemur cum diffidentia, dubitatione & deſperatione, & erigamus nos promiſſionibus diuinis, & (quod Paulus iubet) exuſcitemus donum Dei quod eſt in nobis.

Id monuerunt veteres cùm dixerunt, Præeunte gratia, comitante voluntate. Neque eſt hoc opus hominis ψυχικοῦ quod ex ſe & ſuis viribus id præſtet, vt calumniantur aduerſarij, cùm dicimus hominem non conuerti vt truncum, aut lapidem: ſed ſicut in perficiendo tota laus tribuitur Deo, nec tamen otioſa eſt tunc voluntas, ita nec illud velle nobis infunditur, velut in vrceolos vacuos, nobis vel ſtertentibus, vel etiam contumaciter repugnantibus, aut pergentibus in delictis contra conſcientiam. Quandiu enim repugnas & aduerſaris Deo, non fit conuerſio. Et cùm fides nitatur promulgato verbo, quomodo eſſe ea ſine cogitatione ſcriptæ doctrinæ, & ſine aſſenſione poteſt? Non ſeparat Dauid ſuum conatum à gratia ſpiritus, ſed coniungit, & tamen agnoſcit beneficium eſſe gratuitum, etiamſi fide tanquam manu quadam accipi neceſſe ſit. Itaque longè diſſentit ab his, qui iuſtificationem dicunt eſſe paſſiuam, eò quod tunc nihil agat voluntas.

עקב Additur præcedenti voci ἐξηγητικῶς. Itaque malè redditur à Latino, propter retributionem.

OCTONARII DECIMIQVINTI ARGVMENTVM.

ETIAM hic octonarius eſt mixtus. Primùm repetit confeſſionem ſuam, deinde diuinam protectionem & defenſionem, quam pij in tota vita ſua & maximè in ærumnis experiuntur, commendat. Repetit deinde confeſſionem, & addit precationem ſæpe repetitam, vt diuinitus ſeruetur & defendatur, cum pollicitatione gratitudinis. Tãdem, quaſi nouum fidei robur concipiens, & certior de pœnis hoſtium factus, his inſultat, & pœnas atque interitum denuntiat. Eas verò pœnas triſtiſſimas dum conſiderat, ſe quoque nonnihil concuti horrore, atque ita ad pietatis ſtudium magis excitari affirmat.

ס

113 INſtabiles [*propendentes ad diuerſas opiniones*] odio habui: & legem tuam dilexi.

Confeſſio, quæ in hoc verſu recitatur, non tantum pietatis ſtudium, & conſtantiam in pio propoſito, ſed è regione etiam inconſtantiam & mobilitatem animorum humanorum taxat & reprehendit. ſunt enim multi, qui ad quaſcunque occaſiones, & ad quamcunque ſpem ſeu metum reſiliunt à verbo, & (vt Paulus loquitur,) quocunque vento doctrinæ circunferuntur. Hos odiſſe, & ab his alienum eſſe, & conſuetudinem eorum fugere ſe affirmat. Ita ex antitheſi ſuum ſtudium magis commendat. Et certè tales eſſe, qui pietatem profitentur, neceſſe eſt. Non enim ſatis eſt ad tempus & in ſpeciem profiteri pietatem, & interea animo nunquam conſiſtere, nec πληροφορίαν aliquam habere: quales illi ſunt, qui cum Apelle Marcionita ſomniant, quemlibet in ſua religione relinquendum eſſe, & (vt Euſebius refert,) μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. aut qui Ecebolium illum imitantur, cuius leuitatem & inconſtantiam hiſtoria Eccleſiaſtica exagitat: ſed neceſſe eſt veritatem nos ita amplecti, vt mendacia fugiamus, & ex animo deteſtemur.

Nomen סעיף propriè ſignificat ramum arboris. Deinde μεταφορικῶς promontorium ſignificat, quòd rami inſtar eminet, & ex terra in mare procurrit: vel in genere prominentias quaſlibet cuiuſcunque rei. Tertiò, in ſpecie cogitationes ſignificat quæ ex corde profectæ ſunt, ſicut rami ex trunco arboris huc atque illuc ſe extendentes. Inde legitur 1. Reg. 18. Quouſque claudicatis inter opiniones, id eſt, fluctuatis inter duas ſententias? Hinc, סעפים μεταληπτικῶς ſignificat homines qui variis cogitationibus fluctuant, tanquam rami arborum ventis agitati ſeu inſtabiles & nutãtes, περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, &c. vt inquit Paulus ad Epheſ. 4. Debet autem vnuſquiſque in ſua mente certus eſſe de doctrina pietatis quam profitetur, vt Paulus iubet Roman. 14. Ideo auerſari debemus conſuetudinem eorum qui Ecebolium agunt. Nam iuxta prouerbium, χωλῷ παροικῶν σκάζειν μανθάνει. Et notus eſt ſenarius, κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Nonnulli סעפים exponunt ſimpliciter cogitationes, & vt ſententiam commodam eliciant, addũt interpretationem, loqui ſcilicet prophetam de cogitationibus obliquis & perplexis, quæ inſtar ramorum arboris ſunt perplexæ & tortuoſæ, hoc eſt, prauæ & vitioſæ. Eodem ferè recidit hæc ſententia cum priore.

114 Latibulum meum & clypeus meus es tu: in verbo tuo ſperaui.

Antea ſæpe de ærumnis, calamitatibus & periculis, quibus perpetuò expoſiti ſunt pij, dixerat, idque ſuo exemplo probauerat: nunc igitur conſolationem oſtendit opponendam illis ærumnis & periculis. Iterum autem ad ſe doctrinã hanc accommodat, vt ſuo exemplo efficaciùs animos noſtros moueat. Non enim tam mouet animos noſtros nuda promiſſio, quam exemplum viuum cum promiſſione congruens, ante oculos poſitum. Eſt autem de hac ſententia ſuprà dictũ pſalmo 32. verſu 7. Deus vtrunque præſtat piis. 1. Abſcondit eos, ne publica mala ad eos pertingant: ſicut alibi dicitur, Cadent à latere tuo mille, & à dextris decem millia: ad te autem non accedet malum. Cuius rei exemplum propoſitum eſt in cæde Ægyptiorum, cùm Angelus tranſiens percuteret primogenita Ægyptiorum & Iſraelitis parceret. Deinde ſi malum aut periculum ingruat, Deus ſcutum opponit, quo animas & corpora noſtra defendit, ne hoſtium vis nos opprimat aut peſſundet. Prius genus defenſionis ſcholaſtici vocant gratiam priuatiuam, cùm ſcilicet Deus mala à nobis auertit, ne ad nos pertingant: poſterius vocant gratiam poſitiuã, cùm ſcilicet manifeſtum periculum à nobis depellit, & nos ſeruat ne in periculis pereamus. Et rectè inquit Gerſon, plures eſſe gratias priuatiuas, quàm poſitiuas.

Addit autem, *in verbo tuo ſperaui*. Quia fiducia præſentiæ, auxilij, defenſionis & liberationis diuinæ non niſi ex verbo concipitur, & fides nitens verbo hæc bona impetrat. Interea verò etiam hoc monet, ſi mora auxilij & liberationis intercedat, non mox abiiciendam eſſe fidem, nec dubitandum eſſe de gratia & amore diuino: ſed patienter iuxta verbum expectandum eſſe auxilium, & ferendas ærumnas, quibus interdum nos exercet Deus. Ipſe enim nouit tempus opportunum quo ſuccurrere debeat. Interea iubet nos ſperare in verbo.

115 Declinate à me ſceleſti: & cuſtodiam mandata Dei mei.

Apoſtrophe eſt, qua etiam magis ſuum odium in homines profanos & ſceleratos, de quibus verſ. 113. dicere cœperat, oſtendit. Intelligit enim horum conſuetudinem pus plurimũ obeſſe. Ideo ſuo exemplo monet, vt ex animo tales deteſtemur & fugiamus. Hæc enim cauſa eſt cur tam ſeuera obiurgatione tales à ſe repellat & reiiciat, tanquam remoras ſeu peſtes veræ pietatis. Quia fieri vix poteſt, ſi familiariter ad nos obrepant, quin ſua contagione protinus nos corrumpãt: ſicut rectè inquit Nazianzenus, Mala citiùs adhærescere nobis quàm bona. Sicut morbi contagioſi aſtantes facilimè inficiunt, cùm virtus nequaquam hoc modo tranſmittatur. Deinde pœnis ſimul implicant alios. Ideo dicitur Apocal. 18. Exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis.

Dei mei] Hoc emphaticè additur, vt ſignificet ſe vnius Dei erga ſe amore magis delectari, quam omnium hominum ſtudio, amicitia vel officiis.

116 Suſtẽta me Iehoua ſecundùm verbum tuum, vt viuam: & ne pudefacias me ab expectatione mea.

De hac precatione ſæpe iam dictum eſt. Petit vt in animi doloribus & anguſtiis diuinitus ſuſtentetur, ne ruat in deſperationem, ſed vt conſolatione diuina erectus eluctetur ex diffidentia, dubitatione, & deſperatione, quæ eſt initium mortis æternæ. Ideo addit, *vt viuam*. Rurſus autem verbi promiſſionis mentionem facit, quia hanc ſolam fides in ærumnis intuetur. Obſeruetur & integra phraſis, *Non pudefacias me ab expectatione mea*, hoc eſt, fac, ne fruſtra ſperem in verbũ tuum, & non fallas ſpem meam.

117 Confirma [*fulci*] me & ſaluus ero: & conſiderabo ſtatuta tua ſemper.

Etiam hæc precatio ſæpius iteratur, vt oſtendat quàm facilè labantur homines etiam pij, vt ruant in delicta & pœnas, niſi aſſiduè diuinitus confirmentur. Ideo perpetuò nobis in ore debet eſſe hæc precatio. Qui ſtat, inquit Paulus, videat ne cadat. Atqui ſi Deus gratiam ſuam ſubtrahat, mox cadimus. Non enim in noſtris viribus hoc poſitum eſt, vt firmiter conſiſtamus. Conſiderare ſtatuta Dei, ſignificat non tantùm meditari aſſiduè doctrinam, ſed totam vitam ſuam & actiones ad eius normam componere. Nam cùm in ærumnis experimur certum Dei auxilium, animus confirmatur, & vt verbum rectiùs intelligat, & alacriùs ſe in pietatis ſtudio exerceat. In verbo ואשעה ſcribitur camez pro ſegol propter gutturalem, vt annotarunt Rab. Abraham & Rab. Dauid.

118 Conculcas omnes aberrantes à ſtatutis tuis: quia mendacium dolus eorum eſt.

119 [*Tanquam*] ſcorias abiicis [*aboles*] omnes impios terræ: ideo diligo teſtimonia tua.

Hi duo verſus concionantur de pœnis impiorum & hoſtium eccleſiæ. Nam & hoc ad pietatem alendam & animum confirmandum facit, quòd ſcimus impios, qui aliquandiu in hac vita affluunt opibus & diuitiis, quique florent dignitate, potentia, autoritate, eáque ad opprimendos pios abutuntur, tandem daturos eſſe pœnas.

Verbum conculcandi opponitur ſtultæ aut potiùs veſanæ impiorum confidentiæ. Illi enim perpetuò tument fiducia ſuæ potentiæ, dignitatis, opum, & vulgi applauſu, ſéque ſupra omnes alios efferunt, imò bonos oderunt & perſequuntur: ſed tandem Deus detrahit eos de ſolio faſtus & ſuperbiæ ſuæ, & proſtratos in terram pedibus conculcat & conterit: id eſt, non tantùm reddit eos omnium hominum abiectiſſimos, ſed perpetuis pœnis & miſeriis eos conficit, & in pœnis eorũ iuſtum ſuum iudicium & iuſtitiam aduerſus improbos declarat. Nonnulli verbo conculcandi iudicant prophetam reſpicere ad morem vinitorũ, qui στέμφυλα, poſtquam vuas calcarint pedibus & vinum expreſſerint, tanquam res nihili & ſordidas abiiciunt.

Quia mendacium dolus eorum eſt] Addit rationem qua occurrit tacitæ obiectioni. Impij, qui præſtant opibus, potentia, viribus, & præditi ſunt ingenio ac prudentia, norunt varias artes, quibus ſe ex difficultatibus, ſi quæ incidant, expediant, cúmque inter omnes alios emineant, videntur poſiti extra periculum & iactum telorum. Ideóque non ab aliis tantùm fortunati & beati prædicantur, ſed ipſi etiam ſibi ita perſuadent, vt Niobe, ſe iam humana omnia exceſſiſſe, nec obnoxios eſſe caſibus vllis. Ideo ſecurè contemnũt & rident Deum & homines. Sed has cogitationes propheta dicit eſſe dolos, quibus non tantùm ſibi falsò & fruſtra blandiũtur: ſed etiam quibus ſeſe turpiter decipiunt & in exitium præcipitant. Si quis dolos in ſpecie intelligere velit de aſtutis & fraudulentis conſiliis, quæ capiunt aduerſus pios, non repugno: nam & hæc ſunt mendacia, & in fumos tandem abeunt. Non enim perficiunt impij quod animo conceperunt, ſed fruſtratur ipſos ſuus dolus. In ſequente verſu impij comparãtur ſcoriis, rei viliſſimæ & abiectiſſimæ, ſicut in primo pſalmo palcis. Sed ſimilitudo ſcoriarum aptiſſimè quadrat ad impios. Nam in hac vita impij permixti ſunt piis, ſicut ſcoriæ argento & auro: & quemadmodum puritatem metallorum inficiunt & cõtaminant ſcoriæ: ſic impij non parum nocent eccleſiæ: ſemper enim eccleſia aliquid vitij ab his contrahit. Sed tandem cruce excoquitur eccleſia, in qua ſeparantur pij ab impiis. Impiis igitur ſeparatis & reiectis, puritas ſeu mundities piorum magis nitet.

Sed hæc iudicia quanquam quotidie exercentur: tandem reſtat finale iudicium in quo tandem plenè id perficiet Deus. Ideo propheta dicit, tandem omnes impios tanquam ſcorias abiici. Coram mundo quidem impij reputantur ſicut aurum, argentum & lapides pretioſi: pij verò vt ſcoriæ: ſed longè alia ſunt Dei iudicia. Vocabulum סיגים Græcus reddidit παραβαίνοντας præuaricantes: & ſecundam perſonam verbi mutat in primam. præuaricantes reputaui omnes peccatores. Nam סוג retrocedere ſignificat: vnde סיג ſcoriam ſignificat, quòd in purgatione aut coctione metallorum ſeparetur & remoueatur.

Propterea dilexi teſtimonia tua] Oſtẽdit quem fructũ capiant pij ex illis Dei iudiciis, non enim profectu apud pios carent: confirmantur enim in doctrina pietatis, & incipiunt magis diligere doctrinam.

120 Horruit à timore tui caro mea: nam à iudiciis tuis timui.

Iudiciis illis diuinis non tantùm fides piorum & amor erga Deum confirmatur, ſed etiam timor & reuerentia alitur & creſcit, vt Dei iudicia, hoc eſt, iram eius aduerſus peccata metuentes, caueamus lapſus contra conſcientiam & errores pugnantes cum fundamento, & in tota vita circumſpectè ambulantes, exercitiis pœnitentiæ aſſiduis nos dedamus, ne ſimus ſecuri. Filij enim non ſolùm diligunt parentes, ſed cauent etiam ne eos offendant, quos vident in caſtigandis ſeruis tam eſſe ſeueros. Non igitur pugnat hic timor cùm amore, de quo loquitur præcedente verſu. Eſt enim hic timor piorum non ſeruilis, ſed filialis: de quo alibi dicitur, Initium ſapientiæ, ſcilicet cæleſtis, eſt timor Domini. Et Paulus inquit, Operamini ſalutem veſtram cum timore & tremore, Philip. 2. Græcus habet καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σοῦ τὰς σάρκας μου. Confige à timore tuo carnes meas: reſpiciens forte ad ſignificationem nominis מסמר quod clauum ſignificat.

OCTO-

OCTONARII DECIMISEXTI

ARGVMENTVM.

INITIO huius octonarij petit ſe defendi contra ſycophantas & calumniatores, à quibus non tantùm eius dicta & facta malitioſè deprauabantur, ſed varijs artificijs, fraudibus & technis fama & vita eius oppugnabatur: vtque faciliùs quod petit impetret, confeſſionem ſuæ integritatis illorum calumnijs opponit. Addit & alterum argumentum à ſuo deſiderio & ſpe defenſionis diuinæ, atque à pietatis ſtudio. Deinde repetitur vſitata precatio, vt diuinitus doceatur & aſſiduè regatur, ne ſcilicet in ſuſcepto ſtudio propter pericula, aduerſationes & odia aduerſariorũ, aut alias ærumnas langueſiat, aut à Deo deficiat. Tertiò pœnam imprecatur hoſtibus Eccleſiæ qui doctrinam diuinitus traditam vel corrumpunt, vel prorſus abijciunt & oppugnant. Eſtque in hac precatione πάθος de mora. Poſtremò, rurſus confeſſionem ſuam repetit, & ſtudium ſuum atque amorem verbi diuini commendat, vt alios ſuo exemplo ad ſimilem ardorem & pietatem in diſcenda & amplectenda doctrina cæleſti, & in fugiendis omnibus erroribus & corruptelis cum hac pugnantibus exuſcitet.

ע

121 FEci iudicium & iuſtitiam: ne tradas me opprimentibus me per calumniam.
122 Spõde pro ſeruo tuo [*ſubarrha ſeruum tuum*] in bonum: ne opprimant me ſuperbi.

Hi duo verſus petitionem habent, vt à calumniatoribus defendatur, qui cùm ipſius gloriæ inuiderent, pietatem eius & zelum per calumniam deprauabant, & inuidioſè eum paſſim ad principes & vulgus traducebant, quaſi falsò ſuis cupiditatibus & ſceleribus prætexeret nomen religionis, eóque fucum vulgo faceret: his enim calumniis animos procerum & vulgi aduerſus eum inflammabant, vt faciliùs opprimere eum & delere poſſent. Nam hi ſunt illi עשקים quos hîc nominat, qui in aula regis Saulis verſabantur, & aſſiduè vociferabantur, Dauidem hominem eſſe ſeditioſum, perfidum, turbulentum, qui violato iure affinitatis & turbata reipubl. tranquillitate conaretur legitimum regem deiicere de ſolio, & regnum per fraudem & vim occupare, & fruſtra prætendere pietatem & zelum ſuis actionibus. Eſſe enim meram ſimulationem, qua animi ſui morbos & ſcelera occultare ad vulgus conaretur. Itaque non ferendum eſſe ampliùs: ſed tanquam reum maieſtatis eiiciendum atque opprimendum. Tales calumniæ ſemper vſitatæ ſunt: & nunc quoque in aulis regum & principum verſantur tales, qui bonos deformant, & regum odia aduerſus eos inflammant, vt Hoſius Cardinalis in Polonia, Lotharingus in Gallia, & plurimi tribunitij oratores in Germania. His igitur exemplo Dauidis opponamus teſtimonium conſcientiæ noſtræ, & confugiamus ad preces. Dauid enim ſuam integritatem & conſcientiæ ſuæ teſtimonium primùm allegat, vt oſtendat ſe falsò ab his accuſari & traduci atque iniuſtè oppugnari.

Feci, inquit, *iudicium & iuſtitiam*, id eſt, ego ſemper integritatem colui, nec vnquam iniuria quenquam ex iis affeci. Dedi operam iuſtitiæ & æquitati, & abſtinui ab omni iniuria & maleficio, itaque falsò illi me accuſant de affectato regno aut de mota ſeditione. Loquitur enim hîc propheta de iuſtitia cauſæ, non de iuſtitia perſonæ: ſicut & ſuprà pſalmo 7. eam allegat. Oportet enim in nobis eſſe iuſtitiam bonæ conſcientiæ, ne patiamur vt ſcelerati, vt inquit Petrus. Et alibi dicit Apoſtolus, Si cor noſtrum non condemnat nos, habemus fiduciam. Aliud eſt autem loqui de iuſtitia perſonæ, de qua ſcriptura affirmat nos iuſtificari ſanguine filij Dei, per fidem, hoc eſt, iuſtos & acceptos eſſe coram Deo & reconciliari propter filium qui factus eſt pro nobis victima, dum fide ad eum confugimus, iuxta illud, Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum. Sed de hac iuſtitia nunc non loquitur Dauid. Sed cùm petit ſe defendi aduerſus hoſtes, innocentiam & integritatem allegat: quia nulla eos affecerat iniuria, & nullam cauſam tantæ acerbitatis aut odij ipſis præbuerat. Eò igitur faciliùs ſperare, atque impetrare defenſionem ac liberationem poterat.

Facere iudicium, & damnare & fugere iniuſta ſeu prohibita lege, hoc eſt, neminem lædere, neminem iniuria afficere, neminem prouocare ad iram, &c. Nam in iudiciis rectè conſtitutis, ſicut virtus laudatur & præmiis ornatur: ita econtra ſcelera damnantur & puniuntur: atque in hac altera parte iudicia vt plurimùm ſunt occupata. *Iuſtitiam facere*, eſt approbare & facere iuſta atque à Deo præcepta. Eſtque definitio iuſtitiæ vniuerſalis, quæ eſt αἵρεσις καλῶν καὶ δίως εἰργασμένων.

Campenſis legit עשית pro עשיתי.

Sponde pro ſeruo tuo in bonum] Hoc etiam membrũ variè reddiderunt interpretes. Græcus interpres legit ἔκδεξαι τὸν δοῦλόν σου, ſuſcipe ſeruum tuum: quæ ſignificatio tamen à verbo Hebræo eſt aliena. Iuſtinianus reddit, Dulceſcat ſeruo tuo. Muſculus actiuè, Oblecta ſeruum tuũ. Alij, attempera, redde aptum vel idoneum ad res bonas. Pagninus, Congruere fac vel apta ſeruum tuum bono, vel potiùs, fac, vt bono oblectetur ſeruus tuus, id eſt, fac vt ſeruus tuus adiiciat animum ſuũ potiùs ad rectitudinem, quàm ad prauas cupiditates. Videtur enim Pagninus legiſſe ערוך pro ערוב. Campenſis habet, Inſtiga ſeruum tuum. Sed ſententia Hieronymi, quam ſequuti hoc loco ſumus, maximè omnium eſt perſpicua, & congruit cum ſignificatione verbi Hebræi. Eandémque Aquila, Theodotion, Felix & Lutherus retinuerunt. Illi enim habent, Fideiube pro ſeruo tuo, quod Lutherus ſic feliciter & eleganter expreſſit, *Vertrit deinen knecht*.

Verbum Hebræum in genere ſignificat miſcere ſeu commiſcere. Intelligitur autem mixtio vel de rebus, vel de perſonis. De rebus, vt cùm tenebræ miſcentur luci, & aduesperaſcit. Inde ערב ſignificat veſperam, & Græcum ἔρεβος caligo, ἐρεβεννὸς obſcurus. Item cùm commiſcentur merces, Ezechiel. 27. Nautæ eorum fuerunt in te ad commiſcendum merces, quod nos dicimus permutare merces. Germanicè *ſtechen*. Interdum μεταληπτικῶς ſignificat dulceſcere. Nam cùm diuerſarum qualitatum res miſcentur, introducit illa temperatura mixtis dulcedinem & ſuauitatem. De perſonis cùm vſurpatur, ſignificat fideiuſſione & ſponſione perſonas ita inter ſe miſceri ſeu coniungi, vt alter alteri illa ſponſione obſtringatur, & quodammodo quaſi in eius locum ſe ſubſtituens cum eo miſceatur. Inde eſt ערבון *Arrhabo*. In hac ſignificatione etiam vſurpatur hoc loco. Cùm enim petiturus eſſet Dauid auxilium ſibi ferri contra calumniatores, eleganti oratione ſeu figura ornat petitionem, & quod antea dixerat, ne me tradas, nunc figuratè dicit, ſis ſponſor pro me: hoc eſt, interpone te medium tanquam fideiuſſorem, ne hoſtis, qui iamiam ad triſtem ſeruitutem vel ſupplicium me abrepturus eſt, pro ſua libidine in me ſæuiat: vt ſaltem tua autoritate atque iudicio compeſcantur, qui ea à me poſcũt quę non debeo, quíque accuſant me ſeditioſarum molitionum, turbatæ pacis, affectati regni, & putant me ſibi propterea ad pœnas obſtrictum eſſe. Tu verò interpone fidem tuam, & tanquam numerata debita pecunia nexũ ſolue, hoc eſt, aſſere & patefac meam innocentiam. In hac ſignificatione vſurpatur verbum hoc etiam Iob. 17. verſu 3. Fideiuſſorem da mihi apud te, qui ſcilicet in hac contentione, quæ mihi tecum intercedit, ſpondeat te ſtaturum iis quæ iudicata fuerint, vt te non tanquam iudicem geras tua vtens maieſtate, ſed tanquàm litigatorem.

123 Oculi mei defecerunt [*elanguerunt deſiderantes videre ſalutem tuam, quam promiſiſti*] ad ſalutem tuam: & ad ſermonem iuſtitiæ tuæ.

Addit petitioni argumentum à ſua ſpe & deſiderio ſalutis ſeu defenſionis diuinæ: deinde à ſuo ſtudio. Eſtque de vtroque membro dictum ſuprà verſibus 81. & 82. Cùm autem dicit ſalutem tuam, ex antitheſi intelligatur, eum omnibus humanis præſidiis & remediis deſtitutum fuiſſe, & quidem periculum fuiſſe diuturnum, vt animus expectatione & deſiderio auxilij penè contabuerit. *Ad ſermonem*, id eſt, ad promiſſionem auxilij & liberationis. Fides enim expectans ſalutem nititur promiſſione verbi patefacti, & in ea acquieſcit: nec quærit alibi ſalutem extra verbum.

124 Fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam: & iuſtificationes tuas doce me.

Hæc principalis eſt precatio in hoc pſalmo, quæ ſubinde repetitur. Eſt enim in eo poſita ſumma ſalutis noſtræ, vt diſcamus verbum Dei, & diſcentes diuinitus regamur & iuuemur. Vult igitur nos diſcipulos eſſe Chriſti, qui nos ferulis eius ſubiiciamus & dociles præbeamus. Non enim diſcunt, qui hunc præceptorem contemnunt aut reiiciunt. Miſericordiæ ſeu bonitatis diuinæ mentionem facit, vt ſignificet fiduciam impetrandæ diuinæ gubernationis atque inſti-

tutionis non alia re quàm miſericordia & bonitate diuina niti,& donum hoc eſſe gratuitum.

125 Seruus tuus ego ſum: da mihi intelligentiam,vt cognoſcam teſtimonia tua.

Repetit eandem ſententiam. Neque eſt hæc repetitio otioſa. Oſtendit enim ardorem animi & pium ſtudium ac deſiderium: & ſimul monet quanta ſit caligo mentium humanarũ, quæ ſine doctore Spiritu ſancto nihil intelligunt eorum quæ in verbo diuino traduntur: iuxta illud, Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus,1.Cor.2.

Deinde argumentum eſt in hoc verſu ſumptum ab æquo & honeſto. Cùm enim antea dixiſſet,fac cum ſeruo tuo,&c. nunc appellationem ſerui vrget, atque in ea ita inſiſtit, vt oſtendat ad gloriam nominis diuini quodammodo pertinere, vt doceatur & regatur. Sum enim,inquit, *ſeruus tuus*, tuis ſcilicet obſequiis obſtrictus & addictus:vt qui membrum ſim tui populi, quem tibi delegiſti, vt ab eo agnoſcaris & celebreris. Sed cùm ex me neque intelligere doctrinam, neque præſtare tibi grata obſequia poſſim, æquum eſt,vt tu me doceas & regas, ſeu (vt Paulus loquitur,) vt des velle & perficere, vt aliqua tibi grata fiant. Eandem rationem ſuprà etiam Pſalmo 116. allegat. Nec cogitandum eſt eum hîc iactare ſua merita, cùm ſe nominat ſeruum. Quàm enim nulla prorſus habeat merita, verſu præcedente oſtendit,cùm petit ſibi ſecundùm miſericordiam & gratuitò præſtari hoc beneficium.

126 Tempus eſt ad faciendum Iehouæ:diſſipauerunt legem tuam.

Hic verſus cum exordio huius octonarij connectendus eſt. Nam ſicut ibi petebat ſe defendi & liberari à ſuis hoſtibus: ita nunc hoſtes diuinitus reprimi & puniri petit. Sed additur πάθος à mora,quaſi dicat, niſi maturè ſuccurras & opem feras, & niſi hoſtium ferociam & ſceleratam audaciam quamprimum reprimas,actum erit non de mea tãtùm ſalute: ſed gloria nominis tui obſcurabitur, quia illi non deſinent audacter profanare & polluere legem tuam, & tibi bellum indicere. Tempus eſt igitur vt faciat Dominus, hoc eſt, vt pœnas ſumat de improbis.

Addit autem rationem, vt oſtendat ſe non tam cogitatione & deſiderio priuatæ ſalutis,quàm cura gloriæ & nominis diuini excitari ad hanc vltionem petendam.Et certè ſic omnes affecti eſſe debemus,cum hoſtes eccleſiæ deleri petimus.Pluris enim debet nobis eſſe legitimus nominis diuini cultus, quàm noſtra ſalus:itaque quoties nos priuatæ iniuriæ mouet, peruerſus & turbulentus eſt noſter zelus.

Diſſiparunt] Labefactarunt,irritam fecerunt,id eſt,non tantùm contemnunt & abiiciunt doctrinam tuam, ſed audacter & ſceleratè violant legem tuam. Sis igitur vindex gloriæ tuæ.

127 Propterea dilexi ſtatuta tua, præ auro & obrizo.

128 Propterea omnia mandata [*tua*] omnino recta duxi:omnem ſemitam mendacij odi.

Repetit ſuam confeſſionem,quam exemplo eſſe vult aliis: & ſicut pſalmo 19. & in hoc ipſo ſuprà aliquoties dixit, ſe hunc verbi diuini theſaurum præferre omnibus huius mundi opibus: ita nunc eandem ſententiam repetit, vt oſtendat longè diuerſum eſſe piorum ſtudium ab illa cura & ſolicitudine,qua filij huius ſeculi perpetuò occupantur & cruciantur. Illi enim nihil cogitant, nihil expetunt, nihil deſiderant præter opes, honores, dignitates, voluptates: ſed quia aurum præcipuum & maximè idoneum inſtrumentum illis eſſe videtur ad comparandam dignitatem, potentiam, & voluptates, toti in hoc incumbunt, vt aurum cumulent. Sed pij in ſchola Chriſti edocti ſciunt theſaurum in cælis ſibi repoſitum eſſe, quem nullæ tineæ conſumant nec fures auferant. Hunc igitur comparare ſibi omni ſtudio conantur, & cùm adepti ſunt, omnibus huius mundi bonis eum præferunt.

Propterea] Quia ſcilicet ſcio te patrocinium tuorum ſuſcipere,etiamſi ad tempus permittis nos exerceri, & non ſtatim ſed ſuo tempore facis iudicium.In poſtremo verſu notandũ, quòd bis repetit, ſe omnia mandata Dei recta ducere,quia fides eſt vna (quod dicitur) copulatiua. Eſt enim doctrina integrè complectenda: nec addendum eſt quicquam, nec minuendum.Homines prout hoc vel illo vitio laborant, vel errore infecti ſunt, optarent vel præceptum pugnans cum eorũ cupiditatibus expunctum eſſe, vel ſententiam quæ eorum opinioni refragatur,prorſus non extare.Ideóque in ea torquẽda & peruertenda ſudant miſerè.

ישרתי] Recta duxi, id eſt recta prædicaui apud eos qui veritati petulanter contradicebant.

OCTONARII DECIMISEPTIMI ARGVMENTVM.

RVRSVS collegit argumenta, quibus propoſitionem principalem confirmat. Sicut enim antea ab effectibus ſeu fructibus verbi diuini, à mandato Dei, à pœnis contemnentium doctrinam, à defenſione & bonis æternis,quæ pijs parata ſunt,à varijs collationibus commendauit ſtudium doctrinæ cæleſtis: ita nunc ab ipſo genere doctrinæ,& à mirabili eius efficacia argumentatur. Dicit enim doctrinam in eccleſia patefactam poſitam eſſe extra captũ rationis humanæ, & cõplecti alta & recondita myſteria ſeu res myſticas, quas ratio aut mẽs humana ſua acie aſſequi non poſſit, eandémque mirabiliter efficacem eſſe: vt vel hoc nomine longè anteferenda ſit cæteris doctrinis omnibus, & ſummo ſtudio ac diligentia cognoſcenda. Nam doctrina philoſophica & ſapientia humana, etiamſi non omnino aſpernanda eſt (eſt enim & ipſa donum Dei) & ſuum in hac vita vſum habet: tamen quia non monſtrat cauſas mortis & ærumnarum in hac vita, nec oſtendit remedia quibus mederi his miſerijs & calamitatibus, quibus ſubiectum eſt genus humanum, poſſimus: deinde non efficaciter cõſolatur corda in afflictionibus & præſertim in ſenſu iræ & iudicij diuini aduerſus peccata: denique nullum monſtrat ſalutis portum, ad quem homo ex hac vita diſceſſurus confugiat, hoc eſt, nihil concionatur de vita æterna, quæ reſtat poſt mortem: ideò longè inferior eſt hæc ſapientia, & nullo modo comparanda cum illa quæ ex doctrina cæleſti hauritur. Addit igitur concluſionẽ propheta: Cùm talis ſit, diligenter eam agnoſcamus, & ſummo ſtudio complectamur. Hanc concluſionem generalem iterum, vt aliâs per totum pſalmum, in ſua perſona effert & ad ſe accommodat, inquiens, Ideo ſeruauit ea anima mea. Occurrit deinde tacitæ obiectioni. Nam quia dixerat hanc ſapientiam cæleſtem eſſe ignotam humanæ rationi & mirificam, ne ea res animos noſtros à ſtudio cognoſcendi deterreret, ſed potiùs incitaret, dicit mox, ingredientibus, & quidem paruulis, hanc doctrinam patefieri, & mentes hominum diuinitus illuſtrari, vt hæc arcana & admiranda intelligant etiam qui ſunt tyrones in hac ſchola. Mox verò ſuum deſiderium & ſtudium diſcendi conſiderandum proponit, vt oſtendat non promiſcuè omnibus hanc agnitionis lucem communicari, ſed, vt Chriſtus inquit apud Iohannem, his qui audiunt & diſcũt. Spiritus ſanctus enim non immediatè, ſed per verbum lectum, cognitum & cogitatum, eſt efficax, & ſuam lucẽ, quæ eſt cæleſtis ſapientia, communicat. Doctrina igitur audienda & aſſiduè tractanda. Sequentes quatuor verſus petitio ſunt, quæ partim doceri & regi diuinitus, partim defendi & liberari ab iniurijs hoſtiũ petit. Suntque hæ petitiones per totum pſalmũ ſparſæ & crebrò repetitæ. Vltimus verſus πάθος habet, in quo dolorem ſuũ atque indignationem exponit, quam ex impiorum audacia & ſcelere conceperit: vt oſtendat nõ ignauos eſſe diſcipulos doctrinæ cæleſtis homines pios, ſed cũ ſtudio doctrinæ ſimul excitari veros & ardentes motus animorũ, & pium zelum, qui & doctrinam ipſam magnificat, & propter profanationem atque contemptum eius acres dolorũ ſtimulos ſentiat: ſicut alibi in pſalmo dicitur, Zelus domus tuæ comedit me, Pſalm. 69. & in ſequẽte octonario dicitur, Tabefecit me zelus tuus, quia obliti ſunt verborum tuorũ aduerſarij mei. Eſtque ille zelus calcar ad pietatem & iuſtitiam, & ſecundùm veteres Theologos ἀσφάλεια τῆς πίστεως. Ideóque opera eſt danda, vt torporem omnem à nobis excutiamus.

129 Mira-

129 Mirabilia [*id eſt, res mirabiles ſunt*] teſtimonia tua: ideo ſeruauit ea anima mea.

Ab ipſo genere doctrinæ argumentatur, & oſtendit hanc ſententiam, quæ in verbo Dei comprehenditur, dignam eſſe quæ ab omnibus ſtudioſè diſcatur. Eſt enim non vulgaris doctrina, quæ omnibus ſit obuia, ideóque vilis & abiecta ſit iudicanda. Ita enim ferè fit, vt quæ domeſtica & nota omnibus ſunt, negligantur. Sed eſt doctrina, quæ complectitur res mirabiles & arduas, quæ non cuiuis obuiæ ſunt, ſed quæ ſuperant omnem ſenſum humanum. Nam vt de eſſentia Dei quæ in tribus perſonis patefacta eſt, nihil dicam, tota doctrina de reſtitutione generis humani, de incarnatione filij Dei, de collectione eccleſiæ per verbum, de aſſidua defenſione & gubernatione eius, de extremo iudicio, eſt res & doctrina mirabilis, quam non comprehendit ex ſe ratio humana. Nam de Deo & eius voluntate nihil intelligimus niſi Deo ipſo docente, vt inquit Irenæus. Deinde non tantùm ardua eſt, nec tantùm arcana quædam myſteria complectitur, ſed eſt mirabiliter efficax in cordibus audientium & diſcentium, afferens conſolationem, veram lætitiam & vitam: iuxta illud, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Hęc igitur excitare ſtudium noſtrum debent, ſicut Dauid de ſe hoc loco inquit. Ideo ſeruauit ea anima mea: ne, quod vulgus facit, faſtidioſè eam contemnamus vel abiiciamus. Nam alioqui animus humanus, quanquam ad agnitionem rerum maximarum aſpirat, videt tamē ſe fruſtra in rebus externis quærere veras & efficaces conſolationes, aut vera dolorum remedia.

130 Ingreſſus [*apertio*] ſermonum tuorum illuminat: intelligentiam præſtat [*præſtans*] paruulis.

Occurrit obiectioni. Eſt quidem mirifica hæc ſapientia, nec cuiuis obuia: nec poſſunt illa admiranda myſteria in hac vita penitus cognoſci aut perſpici: non tamen abiiciendum eſt verbi ſtudium, aut deſperandum de profectu, ſed ſunt initia cognoſcenda in hac vita. Et hæc initia quanquam tenuia ſunt, ſi conferantur ad illam plenitudinem quæ erit in altera vita, vbi Deum intuebimur à facie ad faciem, tamen illuſtrant mentem, & docent quid in hac rerum humanarum perturbatione ſtatuendum ſit de Deo & eius voluntate erga nos: quomodo liberetur genus humanū à peccato & miſeriis: quomodo reſtituatur vitæ ad quam conditum eſt initio, &c. Atque hæc lux, quæ eſt agnitio miſericordiæ, bonitatis & præſentiæ Dei, contingit non tantùm ſapientibus, ſed paruulis qui non pollent magna ſapientia, & rudibus: atque his quidē multo maximè. Nam ſapientes huius mundi plerunque hanc doctrinam ſpernunt & negligunt. Ideo qui volunt eſſe huius magiſtri diſcipuli, exuere ſuam ſapientiam & deponere debent. Non ſine cauſa vtitur vocabulo פתח quo primus quaſi ingreſſus ſeu veſtibulum notatur. Voluit enim oſtendere, initia tantùm percipi in hac vita, & hæc ipſa initia præferenda eſſe omni humanæ ſapientiæ.

Verbum illuminandi & ad mentem & ad cor referendum eſt. Illuminat primùm docendo. Deinde conſolando & quietando. Lux enim naturaliter exhilarat. Ita ſignificatur doctrinæ efficacia.

131 Os meum aperui & hauſi: quia mandata tua auidè deſideraui.

Dixit de doctrina & eius efficacia: ſúntque præcedentes duo verſus quaſi antecedens enthymematis. Nunc attexit conſequens, quod quidem non in genere profert. Sed quia exemplum ſuum Eccleſiæ proponere voluit, ad ſe accommodat, & in ſua perſona effert. Debebat enim eſſe hoc conſequens: Ergo hæc doctrina ſummo ſtudio eſt cognoſcenda, & non tantùm ambabus, quod dicitur, vlnis, ſed toto pectore accipienda, & magno animi deſiderio & voluptate haurienda. Id verò Dauid ita effert: *Os meum aperui, & hauſi*: de ſe loquens, & cæteros, vt idem faciant, monens. Oris autem vocabulo & hauriendi verbo vtitur μεταφορικῶς, ſicut vſitatum eſt à corpore ad animum per metaphoram ſermonem transferri. Eſt autem metaphora aptiſſima & ſignificantiſſima, qua animi ſui deſiderium exprimit. Sicut enim famelici aut vehementi ſiti ardentes auidè os aperiunt, & cibum appoſitum vel potum inhiando celerrimè hauriunt, vt famem ſedēt aut ſitim reſtinguant: Ita ego, inquit, dum animus æſtuat dolore ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, ex conſideratione infirmitatis, aut ex cogitatione ſordiū & peccatorum, quæ mihi in hac vita adhærent, aut ex variarū calamitatum concurſū & malorum ſenſu, ad verbum tuum confugio, & tanquam longam ſitim reſtinguere cupiens, auidè promiſſiones in verbo oſtenſas haurio & amplector, híſque me erigo, ſuſtento & confirmo. Atque ita ſentio me mirificè refici & viuificari.

Hæc doctrina diligenter cogitanda eſt, vt intelligamus quo ordine fiat in nobis conſolatio & viuificatio. Non expectat Dauid motus violentos ſeu raptus enthuſiaſticos, quales multi hoc tempore ſomniant, qui clamitant tanquam in vrceolos vacuos infundi gratiam, ídq; hora & minuto nobis incognito, &c. Sed audit doctrinam & diſcit: & dum eam diſcit, intelligit in mente per Spiritum ſanctum accendi nouam lucem, intuentem Dei voluntatem erga ſe. Hanc igitur voluntatem in verbo monſtratam, mouente cor Spiritu ſancto, auidè amplectitur, & tanquam famelicus ſeu ſitibundus pleno cordis ore haurit, hoc eſt, acquieſcit in ea, ſuſtentat & erigit ſe ea aduerſus terrores peccati, mortis & inferorum. Ita igitur fit iuſtificatio ſeu viuificatio, de qua dicitur, Iuſtificati fide pacem habemus. Eſtque hoc imprimis ignauo & ſecuro ſomnio Enthuſiaſtarum oppoſitum, quod dicit, Aperui os & hauſi. Illuminat Deus & dat intelligentiam paruulis, nec fit viuificatio niſi à Spiritu mens illuminetur, & voluntas trahatur & corroboretur, ſed cùm id fit, mens aſſentitur verbo promiſſionis, eóque ſe ſuſtentat. Neque nulla eſt hîc actio dum mens aſſentitur & voluntas acquieſcit: imò fiunt iſta non ſine magna lucta & certamine: quod non eſſet, ſi fieret infuſio, tanquam aquæ in vrceolum vacuum, aut ſicut imago imprimitur ceræ.

Quia mandata tua diligo] Id eſt, quia expecto conſolationē in verbo propoſitam, & ſentio nuſquam niſi in hac doctrina reperiri firmam & ſolidam conſolationem: ideóque hanc ex animo diligo & omni humanæ ſapientiæ præfero.

132 Reſpice ad me, & miſerere mei: ſecundùm iudicium erga diligentes nomen tuum.

Repetit vſitatam precationem. Petit enim vt diuinis conſolationibus in hac lucta & certamine, in quo ei non cum carne & ſanguine, ſed cum morte & diabolo pugnandū fuit, ſuſtentetur, & in gratiam recipiatur, ne abſorptus dolore de peccatis & ira Dei aduerſus ſe concitata ruat in deſperationem & pereat: & addit rationem à perpetuo more & conſuetudine Dei, quam ab exemplis & experientia colligit. Nam quod dicit, *Secundum iudicium erga diligentes te*, idem eſt ac ſi diceret, pro ratione, conſuetudine ſeu more tuo, quo vteris erga diligentes te. Intuetur igitur in hoc certamine Dauid exempla omnium piorum, atque horum conſideratione fidem ſuam confirmat. Cùm enim Deus non ſit προσωπολήπτης, & recipiat Adam, Manaſſem, Petrum & omnes alios ad ipſius miſericordiam confugientes, iuxta promiſſionē, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. item: Rom. 10. Diues Deus in omnes inuocantes ſe. & Rom. 11. Concluſit omnes ſub peccatum, vt omnium miſereatur: non debemus ſtatuere aliud de nobis eſſe decretum, quod contrarium ſit promiſſionibus. Sed ſicut omnes ab initio mundi confugientes ad thronum gratiæ recipit: ita cum Dauide ſtatuamus & petamus nos quoque recipi & ab eius ira ſeruari. Non implicat Dauid nec turbat fidem ſuam cogitationibus de electione ſeu prædeſtinatione: ſed intuetur promiſſionem & exempla cum promiſſione congruentia. Idem nos faciamus in noſtris doloribus. Idque cùm facimus, tum demum dulceſcit doctrina de electione. Sicut enim docet beneficium eſſe gratuitum: ita oſtendis ſalutis noſtræ portum eſſe certum, quia decreto æterno & immutabili ſit firmatus, vt dicere cum Paulo poſſimus, Quis ſeparabit nos à dilectione Dei? Rom. 8.

Diligentes] Dilectionem ponit, quæ eſt ſummus & præcipuus fidei effectus, quo pij à profanis hominibus diſcernuntur: neque hoc vult propheta, quaſi dilectio id mereatur, vt in gratiam recipiatur homo: ſed ſimpliciter, gratiam diuinam non ita eſſe omnibus communem, vt promiſcuè piis & impiis contingat: ſed ad illos qui Deum verè amant & colunt, eſſe reſtringendam. Interea quomodo applicetur nobis, vt eius participes fiamus, alibi oſtenditur. Iuſtus fide ſua viuit, inquit Habacuc. Et Pſalmo 32. dicitur, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

133 Greſſus meos dirige [*firma*] in eloquio tuo: & non dominetur mihi omnis iniquitas.

Altera pars petitionis eſt, vt diuinitus regatur & gubernetur, & vt omnia conſilia, omnes cogitationes, omnes motus & actiones congruant cum lege Dei, & cor ſit morigerum. Nam ſine hac gubernatione, ne inchoari quidem noua obedientia Deo placens poteſt. Et quidem diſertè dicit, *in eloquio tuo*: quia verbum eſt norma actionum noſtrarum. Sed quia maxima eſt infirmitas humanæ naturæ, quæ prauis affectibus & cupiditatibus, tāquam maris æſtu variè agitatur, nec

tolli omnino illæ prauæ inclinationes, dum hîc viuimus, poſſunt, petit ita ſe regi, non vt non infeſtetur aut tentetur (Id enim fieri in hac vita non poteſt) ſed ne dominentur aut præualeant, néve hominem in ſeruitutem peccati ſecum abripiant. Huc Paulus reſpexit, cùm ad Rom. 6. inquit, Non dominetur peccatum in vobis: & hinc ſumpta eſt diſtinctio vſitata inter peccatum regnans & non regnans. Macarius eleganter inquit concione 16. οἱ δὲ φρόνιμοι ὅταν ἐπανιστῇ τὰ πάθη οὐχ ὑπακούουσιν, ἀλλὰ ὀργίζονται ταῖς κακαῖς ἐπιθυμίαις καὶ ἐχθροὶ αὐτῶν γίνονται. Sed addi debet hæc petitio, vt diuinitus regamur ne dominentur, vtque Deus pro ſua miſericordia hanc infirmitatem remittat. Nam illi praui affectus & inclinationes non ſunt mala præter legem Dei, vt Monachi finxerunt, ſed pugnant cum lege diuina, & merentur æternam mortem, niſi fiat remiſſio.

134 Redime me à calumniis hominum [*ab oppreſsione, quæ fit fraude, dolo & calumnijs*] & cuſtodiam mandata tua.

Tertia pars petitionis oppoſita eſt inſidioſis & fraudulentis molitionibus hoſtium, de quibus ſuprà præcedente octonario dictum eſt. Nec opus eſt longiore declaratione. Addit autem rationem ſumptam à cauſa finali, ſeu à pollicitatione gratitudinis, quæ diligenter conſideranda eſt. Non petit liberari ſe à periculis, vt deinceps viuere in otio & ſuauiter curare cutem poſſit: ſed vt cuſtodiæ mandatorum diuinorum liberiùs ac pleniùs incumbere poſſit.

135 Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me ſtatuta tua.

Hæc petitio crebrò repetitur. Cæterùm de phraſi, Illuminare faciem ſuam ſuper aliquem, diximus aliàs ſæpe, & inprimis Pſalmo ſexageſimo ſeptimo. Doctrinam autem petit ſibi communicari, & in ea animum confirmari, vt hoc quaſi ſigno teſtetur Deus, ſe ſeruo ſuo fauere, quaſi dicat, tum beneuolentiam tuam mihi declarabis, & me ſereno ac placido vultu aſpicies, cùm ſtatuta tua magis ac magis me docueris. Vnde iterum colligitur, eum doctrinam cæleſtem omnibus bonis huius vitæ præferre. Alij ex affluentia bonorum & ſucceſſibus iudicare volunt de Dei erga ſe amore: ſed Dauid tum demum ſe amari intelligit, ſi quotidie proficiat in doctrina & pietatis ſtudio.

136 Riui aquarum fluxerunt [*deſcenderunt: Præteritum eſt pro præſenti vel præterito imperfecto: defluunt*] ex oculis meis, quòd non cuſtodierunt legem tuam.

Πάθος eſt, quo ingentem ſuum dolorem oſtendit, quem capiat ex profanatione doctrinæ cæleſtis & violatione legis diuinæ. Cùm enim vagaretur in exilio, & procul abeſſet à templo, videbat interim dominari in populo homines profanos, qui doctrinam cæleſtem non contemnebant tantùm, ſed corrumpebant & violabant audacter, & nomen Dei contumelia afficiebant. Ea res maiorem dolorem attulit Dauidi quàm ipſum exilium & cæteræ miſeriæ. Ideo dicit ſe riuos aquarum profudiſſe ex oculis, vt dolorem ſuum teſtaretur. Loquutio etiamſi videtur hyperbolica, tamen affectum piorum verè & ſimpliciter depingit. Etiamſi enim tantum lacrymarum funderent, quantum aquarum non riuus, ſed fluuius magnus voluit, non poſſet exhauriri illorum dolor, quem capiunt ex corruptelis & profanatione doctrinæ cæleſtis, & ex interitu pietatis, cùm vident paſſim Deum contumelia affici, & maximam partem generis humani horribiliter ruere in æternum exitium. Et certè qui Spiritu Dei aguntur, hi ſentiunt tales dolorum ſtimulos: vt Loth cùm videret ſcelerum omnium colluuiem regnare Sodomæ, animum ſuum cruciabat, 2. Petr. 2. Cæteros qui vacui ſunt hoc dolore, nec afficiuntur publicis miſeriis, obiurgat propheta Amos 6. Væ opulentis in Sion qui bibunt vinum, & nihil patiuntur ſuper contritione Ioſeph.

OCTONARII XVIII. ARGVMENTVM.

ETIAM hic octonarius mixtus eſt: & penè ſinguli verſus peculiarem habent doctrinam. Ideo omiſſo argumento verſus ordine interpretabimur. Illud tamen monendi ſunt auditores, plura hic argumenta colligi, quibus commendet ſtudium verbi diuini. De his in ipſa interpretatione rectiùs dicetur.

Y

137 IVſtus es Iehoua: & recta iudicia tua [*vel, vt alij, rectus iudicijs tuis.*]

Hoc nouum eſt argumentum, quo ſtudium doctrinæ cæleſtis commendat. Laudat enim doctrinam à iuſtitia & æquitate, & affirmat Deum ita in ea patefieri, quòd ſit iuſtus & rectus: ideóque hanc doctrinam amandam & diligenter cognoſcendam eſſe. Qui non ſunt inſtituti in doctrina pietatis, quiduis potiùs de Deo ſibi ſomniant, quàm vt iuſtum eum eſſe dicant: præſertim in magnis calamitatibus, cùm iudicant ſe negligi & deſeri à Deo: ſed pij tribuunt Deo laudem iuſtitiæ tam in rebus aduerſis, quàm in proſperis. Agnoſcunt eum iuſtum, id eſt, æqualem omnibus, & recipere omnes in gratiam, & iraſci peccatis: ideóque damnare omnes, qui Mediatorem non amplectuntur, nec remiſſionem peccatorum petunt. Et quia etiam in piis in hac vita manent reliquiæ peccati, agnoſcunt Deum iuſtas habere cauſas, cur Eccleſiam in hac vita ſubiiciat cruci. Hæc omnia complectitur hic verſus, éſtque oppoſitus iudiciis humanæ ſapientiæ. Homines enim quiduis potiùs quàm iuſtitiæ laudem Deo tribuunt. Cùm vident Iacob recipi, Eſau verò abiici, iudicant homines Deum eſſe προσωπολήπτην & inæqualem. Cúmque vident illam partem generis humani, quæ dicitur Eccleſia, eſſe miſeram & ærumnoſam, impios econtra florere felicitate ſucceſſuum in rebus agendis, opibus, fortuna, dignitate & potentia, exiſtimant caſu omnia ferri in rebus humanis, & Deum non exercere iuſta iudicia. Sicut poetæ fingunt fortunam cæcam ſpargere bona ſine iudicio. Rurſus cùm impij incidunt in calamitates. (Nam & in hac vita punire Deus ſolet impiorum ſcelera) iraſcuntur Deo, fremunt aduerſus eum, accuſant eum tyrannidis & ſæuitiæ, qui hanc præſtantem naturam tot malis onerarit, ideóque blaſphemant eum, & nomen eius contumelia afficiunt. Sed qui in doctrina cæleſti rectè inſtituti ſunt, agnoſcunt Deum eſſe iuſtum, & rectè eum exercere iudicia, tam in mundi aſſidua gubernatione & conſeruatione, quàm in Eccleſiæ collectione, defenſione, gubernatione & ſaluatione. Ita in genere intelligẽdus eſt hic verſus. Alij ſimpliciter volunt eſſe doctrinam de patientia piorum in cruce. Nam pij in cruce agnoſcunt Deum iuſtas habere cauſas cur ſuos exerceat duriùs: ideo patienter ſe ſubiiciunt Deo, & ferunt ærumnas, & cum Daniele clamant, Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei. Atque hoc ſenſu etiam Imperator Mauricius, cùm in cõſpectu ſuo videret interfici liberos & coniugẽ, exclamans, verſum hunc pronuntiauit, Iuſtus es Domine, & recta iudicia tua. Hæc rectè dicuntur, vt iam monui. Nam in his iudiciis iuſtitia Dei eſt agnoſcenda: ſed nunc paulò generaliùs iudicia accipienda ſunt, vt dixi.

Et recta] Ad verbum eſt, rectus iudiciis tuis, vel rectum iudicia tua, id eſt, ſingula iudicia tua, vel vnumquodque iudiciorum tuorum eſt rectum: vel ſubſtantiuè, rectitudo ſunt iudicia tua.

138 Mandaſti iuſtitiam teſtimoniorum tuorum, & veritatem valde.

Hoc alterum eſt argumentum, quo ſtudium doctrinæ & pietatis commendat, ſumptum à mandato Dei. Atque de hoc argumento ſuprà in primo octonario verſu 4. dictum eſt. Non eſt res adiaphora cognitio doctrinæ cæleſtis, quæ aut inſtitui aut omitti poſſit. Sed ſeueriſſimè à Deo præceptum eſt eius ſtudium. Eſtque mandatum immutabile, Hunc audite. Ideo neceſſariò cognoſcenda eſt doctrina Euangelij. Cúmque mandata ſit diuinitus huius doctrinæ cognitio, neceſſariò fugienda & deteſtanda ſunt omnia dogmata cum hac pugnãtia. Ornatur autem & ſuis elogiis doctrina cæleſtis in hoc verſu, vt & hæc animos excitent ad ſtudium. Dicitur iuſtitia. Item, teſtimonia & veritas, de quibus appellationibus ſuo loco dictum eſt.

מאד nonnulli ad verbum referunt: mandaſti vehementer, id eſt, ſeuerè, ita vt hoc mandatum ſit immotum. Alij ad nomina iuſtitiæ & veritatis referunt, vt ſignificetur in doctrina cæleſti exactiſſimam & perfectiſſimã normam ſeu ideam iuſtitiæ & veritatis diuinæ proponi. Atque hæc quidem ſententia probatur doctioribus, qui iudicant aduerbium hoc rectiùs iungi cùm nominibus, quàm cum verbis: quod tamen nõ videtur mihi eſſe vniuerſale.

139 Conſtrinxit me zelus meus: quia obliti ſunt verborum tuorum aduerſarij mei.

De hoc verſu ſuprà præcedente octonario nonnihil dictum eſt. Non debet ſtudium doctrinę eſſe languidum aut frigidum, ſed debet eſſe ardens & ſerium: ita vt hoſtes huius doctrinæ ex animo fugiamus & deteſtemur. Hunc ardorem ſignificat vocabulo zeli, qui eſt affectus mixtus ex amore & ira, cùm amans aliquis iraſcitur vehementer ei à quo læditur

ros

res amata. Dauid in ſuis ærumnis & miſeriis non tam afficitur malorum ſuorum ſenſu & priuatis iniuriis, quàm quòd videt nomen Dei ab hoſtibus contumelia affici. Tales eſſe affectus in nobis debent. Interea tamen videndum, vt zelus regatur cognitione veritatis, ne ſit ſtolidus impetus, vt Paulus inquit de Iudæis, Rom. 10. Habent zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam. Et hoc tempore multi ambitioni ſuæ & cupiditatibus prætexunt zelum, qui tamen veritatis ſtudium nullum habent, & à vera pietate adeo ſunt alieni, vt ne politicarum quidem virtutum vmbram aliquam præ ſe ferant.

140 Purgatum eloquium tuum vehementer: & ſeruus tuus dilexit illud.

Hoc tertium eſt argumentum in hoc octonario, quo ſtudium doctrinæ cæleſtis commendat, ab effectu ſumptū. Nam in tentationibus & ærumnis, inquit, deprehendi efficaciam huius doctrinæ & veritatem, cùm omnes philoſophicæ conſolationes tunc euaneſcant & in fumos abeant. Vtitur autem metaphora ſumpta à rebus metallicis. Metalla enim in ignē coniecta probantur & purgantur: cætera, quę ante coctionem ſpeciem metalli habere videbantur, non ſuſtinent vim ignis, ſed euaneſcunt & in fumos abeunt. Ita, inquit, verbum Dei in tentationibus & ærumnis ſubſiſtit, & præſtat veras, firmas, ſolidas & efficaces cōſolationes. Imò quo magis creſcit crux, eo magis ſentitur eius bonitas & efficacia. Quanuis enim per ſe doctrina ſit pura & ſegregata ab omnibus ludis & præſtigiis ſophiſmatum: tamen reſpectu noſtri fit purior, quia lux fidei creſcit in certaminibus, in tentationibus & ærumnis, & doctrina fit nobis dulcior. Sapientia humana, quanquam colligit multa ſpecioſa argumenta, quibus dolorem lenire conatur, tamen nihil ſubeſt his ſolidi aut firmi. Ideo in magnis doloribus & tentationibus deſtituunt nos. Similis ſententia eſt pſalmo 12. quam ibi vide.

Et ſeruus tuus] Addit conſequens. Cùm doctrina talis ſit, ego valde eam diligo, ſtudioſè diſco & amplector, idque alios meo exemplo motos facere volo.

141 Paruus ego [*ſum*] & contemptus: præcepta tua non ſum oblitus.

Rurſus concionatur de ſua conſtantia in confeſſione doctrinæ, & ſtudio pietatis, quam ſupra aliquoties conſiderandam aliis propoſuit. Vt autem oratio ſit illuſtrior, de ſua cōditione loquitur ex comparatione: Ego quidem, inquit, ſum paruus & ſum ſpretus & contemptus in hoc mundo, vagor in exilio, exutus omnibus bonis, nudatus & deſtitutus præſidiis amicorum, deriſus ab omnibus: econtra hoſtes mei ſunt magni & honorati, valent autoritate, dignitate, potentia: ſunt in admiratione apud omnes propter opinionem ſapientiæ & prudentiæ, diffluunt deliciis & opibus: Ideo inflati opinione ſapientiæ & prudentiæ, & elati fiducia ſucceſſuum ſpernunt & abiiciunt legem diuinam. Ego verò paruulus & abiectiſſimus retineo doctrinam diuinitus patefactam, nec mouent me illa externa ſpectacula, vt à Deo deficiam. Scio enim doctrinam cæleſtem anteferendam eſſe omnibus huius mundi bonis, & retinendam etiam amiſſis omnibus bonis corporalibus. Hæc vera conſtantia eſt, quæ in certaminibus & ærumnis non deficit à Deo, ſed retinet fidem. Nam alioqui, cùm res ad noſtram voluntatem fluunt, multi gloriantur de Deo & laudant Deum: ſed pauci ſunt qui (ſi parui & contempti ſint) cum Dauide dicant, Ego præcepta tua non ſum oblitus.

142 Iuſtitia tua [*eſt*] iuſtitia in ſeculum: & lex tua [*eſt*] veritas.

In hoc verſu duo argumenta coniunguntur, quibus propoſitionem confirmat. Prius ſumptum eſt ab æternitate verbi, alterum à veritate: de vtroque antea quoque dictum eſt. Vt autem rectiùs intelligatur vis vtriuſque argumenti, conſideranda eſt antitheſis. Semper enim doctrina Chriſti & philoſophica ita opponuntur, vt quicquid illi tribuitur, huic detrahatur. Sapientia humana etiam admirationem ſui concitat apud omnes, éſtque donum Dei non contemnendum: tamen non eſt durabilis, ſed cum ipſo homine interit & euaneſcit. Leges etiam in imperiis & politiis conditæ à ſapientiſſimis legumlatoribus, etiamſi ad aliquot ſecula durent: tamen tandem cum ipſis imperiis euertuntur & abolētur. Sola lex diuina, quam hîc & ſuprà verſu 138. iuſtitiam nominat, eo quòd norma ſit iuſtitiæ in Deo, eſt æterna. Sicut enim ſapientia & iuſtitia Dei æterna eſt: ita neceſſe eſt legem, quæ eſt eius norma, eſſe æternam. Quod autem de lege dicitur, etiam de euangelio intelligatur. Nam volūtas Dei de reſtitutione generis humani eſt immota. Hoc argumentum eſt ſpecioſum, & valde commendat ſtudium verbi diuini & pietatis: & ſimul monet operam dandam eſſe in imperiis & politiis, vt leges ciuiles congruant cum lege diuina. Nullæ enim ſunt firmiores aut ſtabiliores, quàm quæ proximè ad leges diuinas accedunt & cum his congruunt. Itaque inſtauratis imperiis & politiis, cùm cæteræ leges ferè concidant, ſolæ illæ ſimul reſtaurantur, quæ ad legem diuinam congruunt, & ex ea quaſi deducuntur.

Lex tua eſt veritas] Quaſi dicat: ſola hæc doctrina, ſicut eſt æterna, ita etiam eſt vera, firma & ſolida, quæ non vana opinione imbuit mentes noſtras, nec fallit ſpes noſtras, vt cæteræ doctrinæ. Æternitas enim non nititur niſi veritate. Deinde ſola hæc doctrina monſtrat iter ſalutis: cæteræ abducunt hominem in varios & triſtes errores ac præcipitia: ſola hæc mōſtrat veras conſolationes: ſapientia humana deſtituit hominem in ærumnis. Sed de hoc iam dicetur.

143 Tribulatio & anguſtia inuenerunt me: mandata tua oblectationes meæ.

Sextum argumentum in hoc octonario iterum ſumptum eſt ab effectu. Nulla eſt alia doctrina, quæ præbeat veras conſolationes, & in qua animus acquieſcere poſſit in magnis doloribus & ærumnis, quàm hæc, quæ in eccleſia patefacta eſt. Hæc enim non ſolùm lenit dolorem & aſperitatem crucis: ſed lætitiam affert acquieſcentem in Deo, & gloriantem de afflictionibus, vt Paulus inquit, cùm cæteræ doctrinæ omnes in magnis calamitatibus nos deſtituant. Ideo inquit, Quando tribulatio me inuenit, mandata tua ſunt oblectationes meæ. Sola enim hæc doctrina oſtendit ærumnas non eſſe ſigna abiectionis & iræ Dei, ea éaque monſtrat cauſas, cur Deus exerceat pios in hac vita: oſtendit item Mediatorem propter quem remittuntur peccata & recipiuntur homines in gratiam: & promittit præſentiam Dei in ærumnis & liberationes. De his rebus omnibus muti ſunt libri philoſophorum. Itaque exclamant in ærumnis, O me nunquam ſapientem, &c.

144 Iuſtitia teſtimoniorum tuorum in ſeculum: intellectum da mihi vt viuam.

Prius membrum repetit argumentum verſus 142. Poſterius habet precationem vſitatam. Non ſatis eſt ſcire hanc doctrinam eſſe firmam, perpetuam & efficacem in cordibus hominum. Sed neceſſe eſt noſtra etiam accedere vota, vt petamus nos diuinitus per verbum doceri, regi, & erigi firmis conſolationibus aduerſus dolores mortis & inferorum. Id cùm fit, ſentitur efficacia huius doctrinæ, & percipitur vita, de qua hîc loquitur. Non enim loquitur de vita corporali, ſed de ea, quæ ſuperata morte & peccato viuit, acquieſcit & lætatur in Deo. Sicut Paulus inquit Roman. 14. Regnum Dei non eſt cibus & potus: ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto.

OCTONARII XIX. ARGVMENTVM.

INITIO huius octonarij precationes vſitatas repetit, & ſimul de ardore diſcendi & aſſiduitate ſtudij teſtatur, vt oſtendat ſuo exemplo vtraque re opus eſſe piis, ſi proficere in pietatis ſtudio velint, diligentia ſtudij & precatione. Ita enim ſtudium hoc in piis hominibus eſt felix & ſalutare, ἐὰν σπεύδῃ τὶς αὐτὸς καὶ θεὸς συνάπτεται. Simul autem illæ ingeminationes precum & crebra ſignificatio ſtudij de efficacia doctrinæ nos monent contra Enthuſiaſtas, qui vocem doctrinæ auditam, lectam ſeu cogitatam aſpernantur. Si enim nulla eſſet eius vocis efficacia, fruſtra teſtaretur Dauid, ſe dies noctéſque lectione & cogitatione doctrinæ conſumere. Altera pars Pſalmi rurſus ſtudium verbi commendat ab eius efficacia & Dei præſentia in cruce & perſecutione, & à verbi ſtabilitate: idque iterum facit ſuo exemplo, quod vult perpetuò omnibus eſſe in conſpectu. Sicut enim Dauid varias ærumnas & calamitates eſt expertus: ita neceſſe eſt eccleſiam perpetuò ſubiectam eſſe cruci. Sed ſicut Dauid in ſuis ærumnis non aliunde quàm ex verbo Dei conſolationē petebat: ita nos cogitemus nuſquam niſi in verbo diuinitus patefacto oſtendi vera dolorum remedia, eòque ſtudioſius hanc doctrinam cognoſcamus & amplectamur. Hæc ſumma eſt huius octonarij.

ט

145 CLamaui toto corde,reſponde mihi,Iehoua,ſtatuta tua ſeruabo.

Doctrina cæleſtis nunquam rectè diſcitur aut intelligitur, niſi aſſiduè oremus & ærumnis exerceamur.Ideo toties Dauid preces ſuas ingeminat: quia ſcit abſque doctore Spiritu ſancto vanum eſſe ſtudium noſtrum,& ſimul quantum inter ærumnas ſuas profecerit in hac ſchola oſtendit.

Clamaui] Non tam ad ſonitum vocis,quàm ad contentionem animi & cordis debet referri.

Toto corde] Hoc opponitur hypocriſi, de qua dicitur apud Ieſ.ca.29.Populus hic labiis me honorat. Deus vt in tota vita,ita in precibus requirit cor,ſine quo omnis oratio eſt frigida,imò ludibrium quoddam,quo Deus non honore,ſed contumelia afficitur.

Cùm autem nominat cor,intelligatur,quod eſt accenſum fide.

146 Inuocaui te,ſerua me:& cuſtodiam teſtimonia tua.

Repetit eandem ſententiam, & ingeminatio precum oſtẽdit primò magnitudinem periculi,deinde conſtantiam & ardorem fidei,quòd non frangitur malorum magnitudine, aut mora auxilij,vt remittat de ſtudio,vel abiiciat fidem. Poſteſterius membrum in vtroque verſu pollicitatio eſt gratitudinis,de qua etiam ſupra dictum eſt.

147 Præueni crepuſculum & clamaui: quia in verba tua ſperaui.

148 Præuenerunt oculi mei cuſtodias ad meditandum in ſermone tuo.

Hi verſus ardorem ſtudij oſtendunt,qui profectò in Dauide fuit feruidus & inſatiabilis:nihil fecit oſcitanter aut perfunctoriè,vt multi alij qui à doctrina & pietatis ſtudio celebrari volunt. Et nos decet hoc exemplo ad ſimilem ſtudij diligentiam excitari. Sunt enim hæc præſcripta in noſtram doctrinam,Rom.15.

Præueni in crepuſculo] Quidam interpretantur,præueni alios omnes in crepuſculo. Alij ſimpliciter,præueni crepuſculo,id eſt, ante auroram fudi preces meas ad Dominum: נשף ſignificat hoc loco non verſpertinum tempus ab occaſu ſolis: multo minùs matutinum tempus,vt vertit Latinus interpres, non rectè perpendens Græcorum tranſlationem, quæ habet, ἐν ἀωρίᾳ, id eſt, nocte intempeſta, ſed ſignificat tempus obſcuræ lucis ſub exortum auroræ. Vox facta eſt à flando,quòd ſub ortum auroræ & ſub occaſum ſoleat excitari aura frigidior.

Ad verbum tuum expectaui] Silicet, etiamſi mora interueniret & non mox annueres meis votis. Solet ſe Deus in calamitatibus quaſi ſubtrahere ex oculis noſtris,adeo vt nuſquã appareat. Ibi retinendum eſt verbum. Nam eo amiſſo Deus prorſus amittitur.

Præuenerunt oculi cuſtodias] Id eſt,ego ad meditandam doctrinam cæleſtem magis ſedulò fui attentus, quam vigiles noctis ad excubias agendas. In primis verò obſeruandum, quod dicit ſe deligere tempus matutinum,quòd id ſtudiis & meditationi & intentioni ſit aptiſſimum. Vide ſuprà pſalmo 5.

149 Vocem meam audi ſecundùm clementiam tuam: Iehoua, ſecundùm iudicium tuum viuifica me.

Repetitio eſt precationis: fitque precatio & fides ardentior cogitatione cauſæ impulſiuæ, cuius meminit, cùm inquit,Secundùm clementiam tuam. Hac enim ſola fides nititur,& dum hanc intuetur,maiore fiducia ad Deum accedere poteſt.

Secundum iudicia tua] Alij ſecundùm quod tibi bonũ videtur:ſed hoc ad Latinum ſermonem magis congruit quàm ad phraſin Hebræam. Aliqui exponunt ſicut illud verſus 132. Miſerere mei ſecundùm iudicium erga diligentes te, id eſt, pro more tuo,& vt tuos ſeruare ſoles in vita,&c. Alij tamen malunt hoc loco iudicia ſimpliciter intelligere, vt antea ſæpe, de doctrina diuinitus patefacta ſeu promiſſionibus diuinis vt ſit ſententia:Secundùm iudicia tua,id eſt,ſecundùm promiſſiones tuas. Clementia enim Dei non alibi quàm in promiſſionibus oſtenditur. Ideo has intuetur fides in precatione,nec aliunde certitudo eius eſt petenda.

Viuifica me] Id eſt,ſerua me in vita,& recrea doloribus exhauſtum.

150 Appropinquauerunt perſecutores ſceleris [*malitiæ*:] à lege tua longè receſſerunt.

Rurſus inſerit querelam de perſecutione eccleſiæ, cui deinceps verſu ſequenti opponit conſolationem. Hæc doctrina ita neceſſaria eſt in eccleſia, vt niſi perpetuò ſit in conſpectu, homines tandem fracti calamitatibus deficiant à Deo & abiiciant verbum. Non enim eſt alius cœtus in genere humano, quàm qui dicitur eccleſia,qui tam ſit ærumnoſus, quíque tot odiis & periculis ſit expoſitus. Conſpirant enim aduerſus eum Diabolus & tota mundi ſapientia ac potentia, & quo quiſque eſt ſceleratior, eo audaciùs aduerſus bonos inſurgit, Ideo inquit,

Appropinquauerunt perſecutores ſceleris] Id eſt,homines dediti ſceleribus & intenti malitiæ, & qui longè à mandatis tuis receſſerunt,inſtant mihi,&ad inferendam perniciem vno impetu in me irruunt. Hæc ſors eſt ſanctorum in hac vita,vt ſint tanquam meta ſeu ſignum, ad quod diabolus & mundus omnia ſua venenata & ignita tela dirigant. Vt enim Chriſtus caput noſtrum poſitus eſt in ſignum contradictionis, ita neceſſe eſt membra eius eadem experiri. Alij ſequuti Græcum interpretem legunt, Nam appropinquarunt perſequẽtes me dolo: pro רודפי *Rodphei* legerunt רודפי *Rodphai*. Alij ſubaudiunt præpoſitionem *Ad*, Appropinquarunt perſecutores ad ſcelus,vt ſignificetur, perſecutores fuiſſe prõptos & paratos ad omne ſcelus, & oblitos eſſe legis diuinæ, ita vt nullo obſtaculo retenti fuerint vel cohibita ipſorum improbitas. Sed ſcribitur participium Hebræum in conſtructione: ideo legendum eſt זמה in genitiuo, Perſecutores ſceleris, id eſt, qui nihil aliud meditantur quàm vt per audaciam & ſcelus me opprimant.

Poſterius membrum huius verſus ἐξήγησις eſt prioris. Oſtendit enim qui ſint *perſecutores ſceleris*,nempe,qui verbũ Dei abiiciunt & contemnunt,aut qui non patiuntur ſe regi verbo Dei. Quo enim quis longiùs à verbo Dei recedit,eo propiùs ſe coniungit ſceleri & malitiæ.

151 Prope es tu Iehoua: & omnia mandata tua veritas.

Subiicit duplicem conſolationem opponendam doloribus noſtris in triſti perſecutione eccleſiæ & ſceleribus hoſtium. Prior ſumpta eſt à præſentia Dei, altera à ſtabilitate verbi & eccleſiæ. Vtraque conſolatio efficaciſſimè medetur doloribus noſtris. De priore dictum eſt ſuprà pſalmo 91. Cum ipſo ſum in tribulatione. Adeſt Deus ſuis periclitantibus & dolentibus, erigens, confirmans & viuificans corda diuinis conſolationibus, vt ſtatuant ſe eſſe in gratia apud Deum, & ſe hæredes eſſe vitæ æternæ. & hac fiducia conſtanter perferant præſentes ærumnas. Deinde etiam Spiritu ſuo nouum robur indit cordibus, vt contemnere omnia pericula poſſint. Hæc præſentia Dei cernitur in martyriis ſanctorum, & in aſſidua conſeruatione eccleſiæ. Niſi enim Dominus eſſet nobiſcum, viuos deglutirent nos, vt infrà dicitur pſalmo 124.

Alter locus à veritate & ſempiternitate promiſſionum & ipſius eccleſiæ, ſæpe in hoc pſalmo repetitur, & in conſolationibus maximum habet vſum. Si enim promiſſiones ſunt firmæ & ratæ, & ſi Deus eſt verax in ſuis promiſſis, nunquam delebitur eccleſia, & fruſtra ſæuiunt in eam diabolus & mũdus. Talibus conſolationibus erigendus eſt animus in magnis calamitatibus & ærumnis, quando videmus nauem, in qua Chriſtus vehitur, iactari in mari tempeſtuoſo, & periculum eſſe ne ſubmergatur.

152 Initio [*iam pridem*] cognouiſti de teſtimoniis tuis,quòd in æternum fundaſti ea.

Multùm refert hanc conſolationem de ſtabilitate & firmitate verbi diuini probè infixam eſſe animis & pectoribus noſtris: ideo ſuo exemplo monet nos Dauid, vt hanc doctrinã, quæ velut ſacra eſt anchora, in magnis ærumnis & periculis diligenter meditemur, & multò antè his cogitationibus animos noſtros muniamus: ne ſi præter opinionem & ſpem ingruant calamitates, ſubitò nos opprimant. Debemus enim in hac re imitari prudentes medicos, qui προφυλακτικὰ καὶ ἀλεξιφάρμακα præſcribunt,& multò antè comparant, vt,ſi vſus ferat, ea in promptu habeant. Dicit igitur propheta ſe iam pridem didiciſſe vel edoctum eſſe ex teſtimoniis Dei,quòd in æternum ſtabilia ſint, quòd non nutent, non infringantur, non mutentur, non aboleantur aliqua iniquitate, aut iniuria temporum, vel hominum perfidia. Nam quòd ad Deum attinet, ſicut ipſe mutari non poteſt, ita nec eius verbum:ideoque tutò niti his fidem,tam in rebus aduerſis quàm ſecundis poſſe.

OCTO-

OCTONARII VICESIMI ARGVMENTVM.

IN hoc octonario nihil noui adſertur ſed eædem precationes & conſolationes repetuntur, de quibus antea dictum eſt. Et iterum exemplum conſtantiæ in magnis ærumnis & perſecutionibus in Dauide nobis proponitur. Cùmque res ipſæ antea ſint expoſitæ, nunc in interpretatione huius octonarij ſum breuior. Initium ſumitur à precatione, vt defendatur aduerſus vim & iniuriam hoſtium.

153 Vide afflictionem meam & erue me: quia legem tuam non ſum oblitus.

Hanc precationem ſubinde ingeminat eccleſia omnibus temporibus. Nunquam enim eſt ſine cruce & ſine calamitatibus. *Videre afflictionem* dicitur Deus, cùm manifeſto teſtimonio oſtendit ſe affici noſtris ærumnis & miſeriis, & curam noſtri agere. Nam cùm auxilium & liberatio differtur, ratio noſtra iudicat Deum procul à nobis abeſſe, nec agere curam noſtri, aut etiam dormire, ſicut Chriſtus in naui dormit. Sed nō dormit qui cuſtodit Iſrael, vt infrà pſalmo 121. dicitur, nec abiicit curam noſtri, ſúntque eius oculi attenti ad omnia quæ geruntur inter homines. Sed quia id à nobis non intelligitur, niſi cùm ſuccurrit & opem fert, ideo ex noſtro ſenſu dicitur videre afflictionem, cùm eripit ex calamitatibus. Poſterius igitur verbum in hoc verſu ἐξήγησις eſt prioris.

Quia legem tuam non ſum oblitus) Hæc ratio à Dauide adiicitur, non vt ſua merita iactet, vel quaſi mutuam ſibi mercedem à Deo rependi velit: ſed tantùm vt oſtendat ſe vnum eſſe ex Dei cultoribus ſeu ſacerdotibus, quem nulla vnquam capiat obliuio doctrinæ certis & illuſtribus teſtimoniis à Deo traditæ: vt gloriæ diuinæ interſit talem defendere. Et ſicut Ezechias, cùm dicit, Memento Domine quòd colui te vero corde: non allegat meritum, ſed cauſam, cui facta eſt promiſſio: ita Dauid etiā allegat fidē, quæ miſericordiā quærit propter promiſſionē. Et hæc ratio ad præſētē cauſā ſpectat. Vbiq; enim conſtantiæ ſuæ exemplum aliis imitandum proponit & inculcat. Eſtque hoc raræ virtutis & conſtantiæ ſignum, non abduci rebus aduerſis à timore Dei, ſed tum maximè ad eum confugere, cùm nos abigere à ſe videtur.

154 Diſcepta cauſam meam, & redime me: ad ſermonem tuum viuifica me.

Repetit eandem ſententiam. Eſt autem in petitione tacita querela de iniquis iudiciis hoſtium, à quibus iniuſtè condemnetur & falsò traducatur, tanquam reus maieſtatis & turbatæ pacis.

Cùm enim dicit, *contende cauſam meam*, ſignificat ſimul ſe non tantùm deſeri à legitimo magiſtratu, à quo defendi debeat aduerſus calumnias, ſeu iniqua iudicia & dolos aduerſariorum: ſed illum ipſum occupatum à ſycophantis iniquiſſimè de ſe ſuſpicari & iudicare. Cùm igitur ab omnibus, à quibus defendi debebam, non tantùm deſerar, ſed etiam oppugner iniuſtè & crudeliter, Tu, inquit, aſſere ius meum, tuere cauſam meā, & ſuſcipe eam defendendam. Ita transfert cauſā ſuam ad cæleſtem iudicem, cùm in terra non inueniat qui rectè cauſam cognoſcat & iudicet.

Ad ſermonem] Id eſt, ſecundùm eloquium, ſeu ſecundum promiſſionem. Nam hanc, vt ſæpe dictum eſt, fides in precatione intuetur. Litera ל ponitur pro כ quod ex ſuperioribus ſimilibus formulis animaduerti poteſt.

Redime] Ergo fatetur ſe iam quaſi vinctum teneri, & veniſſe in hoſtium poteſtatem: vt, niſi manu redemptoris vindicetur, actum ſit de eius vita.

155 Procul ab impiis ſalus: quia ſtatuta tua non quæſiuerunt.

Hic verſus ad conſolationem pertinet. Nam cùm impij & hoſtes eccleſiæ in hoc mundo vt plurimum floreant opibus, dignitate & potentia: & iudicentur beati ab omnibus: econtra eccleſia ſit humilis, ſpreta, abiecta & conculcata ab omnibus: multi illa externa ſpecie capti deficiunt ab euangelio, & adiungūt ſe ad latus nauis felicius, vt dici ſolet. Neceſſe eſt igitur pios præmuniri hac conſolatione, vt ſciant veram ſalutem non eſſe poſitam in magna dignitate, aut potentia, nec dicendos eſſe beatos, qui opibus & dignitate ſua tument. Nam qui doctrinam Dei ſpernunt & abiiciunt, vtcunque diffluant deliciis & opibus in hac vita, ſunt omnium miſerrimi, ſúntque opes & diuitiæ illorum maledictæ: tandem enim in triſtes pœnas & exitium ruunt. Cùm interea pij, qui in mundo grauia paſſi ſunt, diligantur à Deo, & tandem fiant hæredes vitæ cæleſtis ac perpetuò duraturæ. Eſtque hæc triſtis ſententia de pœnis impiorum diligenter hoc loco obſeruanda.

156 Miſerationes tuæ multæ [*magnæ*] Iehoua: ſecundùm iudicia tua viuifica me.

De hac precatione ſuprà aliquoties dictum eſt, Et ratio, quæ additur, crebrò repetitur in pſalmis. Sancti in precibus ſuis confugiunt ad Dei miſericordiam: quia intelligunt non alios ſaluos fieri, quàm qui ex miſericordia Dei in gratiam recipiuntur & viuificantur. Veriſſimè enim dictum eſt in Iona, Qui non confugiunt ad miſericordiam, ſectantur vana. cap. 2.

Extollit autem & commendat propheta miſericordiam Dei à magnitudine, vt fidem ſuam confirmet; & pleniore fiducia ad Deum accedat. Nam alioqui conſpectus peccatorū noſtrorum nos arcet à Deo. In illa verò tentatione tenenda eſt hæc conſolatio, Gratia exuberat ſupra peccatum.

Secundùm iudicia] Hoc expone, vt ſuprà verſu 132. & 149. vel de more & conſuetudine Dei, vel de promiſſionibus.

157 Multi ſunt perſecutores mei & anguſtiatores mei: à teſtimoniis tuis non receſſi [*declinaui.*]

Rurſus concionatur de ſua conſtantia in cruce & perſecutionibus, de qua ſæpe iam dictum eſt. Et vt magis ſit in conſpectu exemplum, amplificatur à multitudine hoſtium. Eſt enim hoc peculiaris conſtantiæ, virtutis & pietatis argumentum & ſpecimen, cùm quis circumdatus à multis inimicis oppugnatur variis artibus & ſceleribus, & interea retinet animi integritatem. Non enim tantùm illi doli, artes variæ, calumniæ, aut vis manifeſta, quam adhibent hoſtes, frangit animos multorum, vt langueſcat: ſed etiam licentia, quam impunè aliquandiu vſurpant, eſt quaſi violenta quædam machina concutiens & labefactans fidem noſtram: quia Deus conniuendo videtur nos in prædam exponere, & hoſtibus potiùs quàm nobis fauere. Hic igitur retinere fidei integritatem & conſtantiam, nec diſcedere à verbo, aut deficere à Deo, peculiaris eſt virtus, eóq; magis neceſſaria, quo plures ſunt hoſtes qui eccleſiam oppugnant. Id monere voluit Dauid ſuo exemplo. Eſt autem obſeruanda querela ſeu narratio de multitudine hoſtium eccleſiæ. Non enim tantùm ſignificat plures hoſtes concurrere & vires ſuas coniungere in perniciem eccleſiæ, ſed etiam alios aliis cauſis moueri, vt inſurgant aduerſus eccleſiam.

Alia cauſa mouentur tyranni, cur deletam atque extinctam cupiant lucem euangelij: alia impelluntur hypocritæ. Tyranni metuunt mutationem præſentis ſtatus, qui, qualiſcunque eſt, defendendus & conſeruandus videtur. Ita Diocletianus, Maxentius, & alij hoc argumento mouentur, vt iudicent nomen Chriſtianorum eſſe delendum. Hypocritæ nolunt reprehendi ſuas opiniones & cultus, quos ſibi confinxerunt. Ideo audita voce euangelij, qua reprehenduntur & damnantur omnes cultus & errores pugnantes cum verbo Dei, fremunt, & implacabili odio cœtum piorum perſequuntur: & odio ac furori ſuo prætexunt nomen Dei & eccleſiæ. Fingunt enim ſe pugnare pro gloria Dei & religione à maioribus accepta. Hæc ita fieri omnibus temporibus videmus. Et cùm pugnant aduerſus eccleſiam illi hoſtes, non vtuntur vno genere armorum: alij vi & vario genere tormentorū & crudeliſſimis ſuppliciis ſæuiunt, alij fraudem & dolos adhibent, vt Iulianus Imperator. Hæretici etiam falſis dogmatibus turbant, lacerant & deformant eccleſiam. Monemur igitur exemplo Dauidis, ne frangamur animis, cùm videmus eccleſiam quaſſari vndique, & oppugnari: &, vt ſimul petamus nos diuinitus confirmari, iuuari & liberari: id quod videmus Dauidem facere.

158 Vidi præuaricatores & tædio afficiebar [*grauiter offendebar:*] quia eloquium tuum non cuſtodiuerunt.

Hic verſus cauſam habet petitionis, quam mox ſequenti verſu ſubiungit: oſtendit enim ſe non tam ſuo periculo, quod tamen grauiſſimum ſit, moueri, vt petat defenſionem & liberationem, quàm quòd videat totam religionem venire in cōtemptum, & legem Dei negligi, abiici & conculcari ab hoſtibus. Hanc rem dicit ſibi peperiſſe acerrimos dolores, vt quoties in eam cogitationem ingrediatur, totus cohorreſcat, & tanquam βδέλυγμα cateruam impiorum auerſetur. Id enim

propriè ſignificat verbum Hebræum קוט. Ita ſignificat pium ſuum zelum & dolorem propter contemptum religionis, qui exiſtere in omnibus piis, & oſtendi in precibus eorum debet. Magis enim decet nos gloria nominis diuini angi, quàm priuatis periculis ſeu malis.

159 Vide quòd mandata tua dilexi: Iehoua, ſecundùm bonitatem tuam viuifica me.

Subiicit petitionem auxilij & liberationis, & inprimis petit ſe in ſuis doloribus, quos ſuſtinebat ingentes, vt iam dictum eſt, diuinitus confirmari, ne oppreſſus magnitudine doloris pereat. Nam verbum viuificandi non tantùm ad externam liberationem, ſed multò magis ad leuationem interiorum dolorum, quos aſſiduè circumferebat Dauid, referendum eſt. Cæterùm de ratione, quam petitioni adiungit, dictum eſt ſuprà verſu 153. & aliâs. Non enim hîc allegat meritum, ſed cauſam, cui facta eſt promiſſio. Idque mox ipſe oſtendit, cùm cauſam [illegible] allegat, propter quam petat ſe recipi: Secundùm miſericordiam ſeu clementiam tuam. Fides enim accedens ad Deum, non nititur noſtra iuſtitia, ſed ſimpliciter bonitate & miſericordia Dei promiſſa propter mediatorem: vt inquit Daniel cap. 9.

Diligo] Monet obſeruationem legis nonniſi ex dilectione naſci. Non enim debet eſſe coacta, aut metu extorta, aut ſeruilis noſtra obedientia.

160 Caput verbi tui [*eſt*] veritas: & in perpetuum omne iudicium iuſtitiæ tuæ.

Repetit argumentum aliquoties ſuprà recitatum, de ſtabilitate & certitudine doctrinæ diuinitus patefactæ, quo ſtudium eius nobis magis commendet. Et certè neceſſe eſt hoc probè infixum eſſe animis noſtris, vt certò ſtatuamus hanc doctrinam, quæ diuinis literis comprehenſa & tradita eſt per patres, prophetas & Apoſtolos, non eſſe commentitiam, ſed veram & certam, vt quæ Deum ipſum autorem habeat. Ita enim niſi ſtatuamus, accidet nobis quod Paulus caueri iubet, vt omni vento doctrinæ circumferamur, & variis opinionibus fluctuantes inter nos ludamus, ſicut fecerunt Ethnici aut philoſophi. Ideo vt verſus rectiùs intelligatur, ſemper ex antitheſi conferenda eſt hæc doctrina cum cæteris, quas ratio humana ab hoc verbo diſcedens varias & mirabiles confinxit. Fit enim vanitas illarum conſpectior, ſi cum hac doctrina conferantur, & confirmatur aſſenſus in animis piorum deprehenſa certitudine. Cæterùm argumenta ſeu teſtimonia, quæ oſtendunt certitudinem doctrinæ diuinitus patefactæ, alibi recitantur.

Caput verbi] Id eſt, initium verbi, ita vt mox intuenti verbum, & pium ſtudium adhibenti veritas occurrat, vt ad primum auditum appareat. Alij præponunt particulã מן à principio, id eſt, à ſeculo, quaſi dicat, ſemper verbum tuum fuit verum.

Iudicium iuſtitiæ] Nonnulli de Dei operibus interpretantur: ſed vt ſuprà aliquoties, ita hîc quoque de doctrina interpretor, vt idem dicatur in vtroque membro. Veritas enim vt eſt immutabilis, ita neceſſe eſt doctrinam eccleſiæ eſſe perpetuam.

OCTONARII XXI. ARGVMENTVM.

TOTVS octonarius exemplũ proponit hominis pij & conſtantis, quod aſſiduè intueri atque imitari vnumquemque ſuo exemplo iubet. Sed verſu 165. inſeritur argumentum à præmijs ſeu fructibus pietatis, de quibus in interpretatione dicemus.

ש

161 PRincipes perſecuti ſunt me gratis: & à ſermone tuo expauit cor meum.

Hic verſus congruit cum 157. & multis aliis. Eſt autem duplex amplificatio periculi in hoc verſu. Primùm cũ inquit, principes, ſeu potentes tyranni, hoc eſt, ipſe rex & proceres regni omnes oppugnant me. Eſt autem graue telũ, cùm videmus præſtantes quoſque à nobis diſſentire. Deinde in voce חנם. *Quæ venit indignè pœna dolenda venit.* Magis enim afficimur, cùm ſine cauſa nos perſequuntur hoſtes. Et certè præſtare hoc debent pij ne patiantur vt improbi, 1. Pet. 4. Cauſa enim facit martyrem, non martyrium.

A ſermone tuo expauit cor meum] Emphaſis eſt in pronomine *Tuo*. Oſtendit enim ſe in his periculis non fractum eſſe animo propter odia, maleuolentiam, & iniuſtos ac crudeles conatus hoſtium ſuorum, ſed ſubinde reſpexiſſe ad mandata diuina, atque horum cogitatione, & reuerentia nominis diuini perſtitiſſe in profeſſione doctrinæ & ſuſcepto pietatis ſtudio, nec quicquam commiſiſſe illicitum: atque in hoc ſtudio ſalutem ſuam & vitam Deo defendendam commiſiſſe: vt cõgruat hic verſus cum illo Ieſaiæ 8. Non expaueſcatis ad eorum terrores: ſed Iehoua exercituum, ſit ipſe timor veſter & pauor veſter. Monet igitur hic verſus, quibus armis inſtructos eſſe oporteat pios, vt in perſecutionibus conſiſtant, & impetus huius mundi fortiter ſuſtineant.

162 Delectatus ſum ego ſuper ſermone tuo: ſicuti qui educit prædam multam.

De hac ſententia ſuprà aliquoties dictum eſt. Ex collatione enim monet doctrinam cœleſtem anteferendam eſſe huius mundi bonis & deliciis, imò vitæ ipſi. Itaq; ſicut ſuprà dixerat, ſe lætari magis de poſſeſſione doctrinæ cœleſtis, quàm de ingẽtibus auri & argenti aceruis: ita hîc inquit, ſe lætari ſuper eloquiis Dei, ſicut qui victor magnam prædã eduxit ex bello. Solet autem ſcriptura ſummam lætitiam deſcribere hac forma ſermonis à victoribus, qui ſpoliis hoſtium diteſcunt, ſumpta: vt cùm Ieſaias inquit cap. 9. de lætitia, quæ futura ſit in diebus Meſſiæ: Sicut exultãt victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Et Prouerb. 31. dicitur, maritum ſtrenuæ mulieris non cariturum eſſe ſpoliis, id eſt, vberi lucro & lætitia ſeu voluptate. Nullum enim lucrum eſt, quod plus afferat lætitię, quàm cùm victores ſpolia ampla ex bello domum referunt: quia & cum lucro ipſo coniuncta eſt gloria partæ victoriæ & triumphi, & vtilitas repente contingens magis delectat, quàm quæ longo ſtudio & labore paratur. Significat ergo Dauid ſibi ex verbo Dei ſummam lætitiam afferri, ad quam nullus quæſtus quamlibet optabilis accedat.

מוצא plerique interpretantur, vt participium præſens primæ coniugationis verbi מצא, & verbo inueniendi reddiderunt. Alij vt participium tertiæ coniugationis verbi יצא, quos imitati ſumus.

163 Fraudem odio habui & deteſtatus ſum: legem tuam dilexi.

Repetit eandem ſententiam addita antitheſi, vt ſinceritatem cordis alienam ab omni hypocriſi exprimat. Non ſatis eſt amplecti legem Dei & veritatem eius agnoſcere, ſed neceſſe eſt etiam nos fugere, & ex animo deteſtari atque abominari, quicquid pugnat cum doctrina cœleſti, ſiue ſint errores & corruptelæ manifeſtæ in doctrina, ſiue ſophiſmata, quibus veritas obſcuratur & inuoluitur, fucata ſpecie veritatis, ſiue etiam ſcelera ſeu delicta, quibus lex diuina violatur, & nomen Dei contumelia afficitur. Nam vocabulo שקר omne prauum & peruerſum ſtudium ſeu inſtitutum intelligit. Vtitur autem atroci verbo cùm inquit, *Abominatus ſum*: vt ardentem animi affectum in tuenda & propugnanda veritate depingat. Significat enim verbum Hebræum non ſimplicem reiectionem, ſed indignationem vehementem, & odium hoſtile, mixtum cum aliquo dolore & horrore, qui exiſtit cùm res aliqua horrenda, tanquam infauſtum omen, nobis offertur.

164 Septies in die [*quotidie*] laudaui te: propter iudicia iuſtitiæ tuæ.

Ad agnitionem & confeſſionem doctrinæ adiungi debet etiam gratiarum actio, quòd Deus ſe in eccleſia ſua clementer patefecit, & per verbum ac Spiritum ſanctum multos cõuertit & regenerat ad vitam æternam. Et debet eſſe illa gratiarum actio aſſidua. Hoc monet ſuo exemplo in hoc verſu, cùm dicit, *ſepties* ſe quotidie laudare Deum, id eſt, frequenter & ſæpe: Nam numerus ſeptenarius apud Hebræos eſt numerus perfectionis & ſufficientiæ. Atque inde in genere ſignificat ſæpe indefinitam multitudinem. Eſt autem ratio loquendi inde orta, quòd Deus ſeptimum diem in creatione ſua quieti conſecrarit, & ſuum populum eundem diem tanquam ſanctum, & à ſe conſecratum obſeruare iuſſerit. Septimanarum item numerum in Pentecoſte, & annorum in iubilæo obſeruari voluit. Et Eliæ traditio innuit exactis ſex millibus annorum, ſeptimum millenarium fore initium æterni Sabbati. Daniel etiam numerat 70. ſeptimanas. Geneſ. 7. Deus iubet ſeptena animalia tantùm in arcam recipi. Leuit. 4. ſeptenis vicibus iubetur ſacerdos ſpargere ſanguinem coram Iehoua. In his omnibus ſignificatio quædam fuit & commonefactio propoſita, de qua ſuo loco dicitur copioſiùs. Vnde Macrobius, Nicetas & alij hunc numerum à veteribus σεπτάδα dictum volunt, quaſi venerationem ei propter excellentiam tribuerint veteres. Exempla verò, vbi pro numero indefinito, hoc eſt, pro multo & copioſo ponitur, occurrunt paſſim in ſcriptura. Prouerb. 26. Septẽ abominationes ſunt in eius corde. Ieſ. 4. Apprehendẽt ſeptem mulieres virum vnum.

Pſa. 12.

Pſal.12 Aurum purgatur ſepties, id eſt, ſæpe & ſufficienter. Pontificij ad ſeptem horas Canonicas hoc trahunt admodũ ineptè & ſuperſtitioſè. Neque hæc intelligenda ſunt, quaſi laudandi ſui cauſa hæc dicat Dauid, ſed gratitudinis affectum congruentem cum dicto Pauli, Inceſſanter orate in omnibus, depingere voluit:& exemplo ſuo excitari vult alios ad ſimilem diligentiam.

165 Pax multa diligentibus legem tuam:& non eſt illis offenſi [ſcandalum.]

Inſerit argumentum à fructibus pietatis, quo confirmat propoſitionem. Eſtque hoc argumentum oppoſitum externæ ſpeciei & iudiciis hominum de eccleſia. Nam ſi foris eccleſiam intueamur, nihil eſt in hoc mundo ærumnoſius illo cœtu qui dicitur eccleſia, adeo vt propter inopiam, calamitates & ærumnas ſit in odio, & fiat execrabilis maximæ multitudini. Sicut Iob videt coniugem & amicos à ſe alienari:& Lazari ærumnis nemo afficitur, niſi catelli, qui vlcera eius lambunt, Luc.16. Hæc externa ſpecies ne frangat animos piorum, aut fidem labefactet, opponit conſolationem neceſſariam à præmiis ſeu fructibus pietatis, affirmans, pios, quicquid foris accidat, frui lætiſſima pace & tranquillitate: quia cor eorum lætetur & acquieſcat in Deo, tanquam ſummo bono. Pax enim principaliter hoc loco intelligenda eſt, de tranquillitate cordis orta ex fide, cùm ſcilicet fide ſtatuimus placere Deo nos & vitam noſtram, & acquieſcimus in bona conſcientia, ſicut dicitur ad Rom.5. Iuſtificati fide pacem habemus. Et ad Phil. 4. Pax Dei ſuperans omnem ſenſum & cogitationem, cuſtodiat corda veſtra.

Hæc animi tranquillitas ſeu εὐθυμία ſummum bonum eſt, & beatæ vitæ caput. Ideo de hac primùm intelligatur. Poſtea etiam Pax poteſt intelligi de proſpero & felici vitæ ſtatu, ſicut Hebræi ſæpe vſurpant hoc vocabulum. Nam pietas habet promiſſiones vitæ præſentis & futuræ. Et ſuprà pſalmo 112. dicitur, Opes & diuitiæ in domo eius qui timet Dominum. Sed hæ promiſſiones de rebus corporalibus intelligendæ ſunt cum exceptione caſtigationis & crucis. Et tenenda eſt regula, Etiam amiſſis omnibus bonis corporalibus, tamen retinendã eſſe fidem, quæ ſtatuat ſe placere Deo & eſſe in gratia, & hac fiducia in eo acquieſcat. Vox igitur Hebræa principaliter de interna pace intelligenda eſt. Et cùm ita accipitur offendiculum in altero membro, nõ ſignificat principaliter res aduerſas aut ærumnas, à quibus pij non poſſunt eſſe prorſus immunes in hac vita, ſed ſignificat omnes animi perturbationes, quibus miſerè laborant & æſtuant, qui verbo Dei non innixi vel ſua libidine, vel aliorum hominum arbitrio feruntur. Impij enim ſicut mare æſtuant: Iuſtus verò, vt mons Sion, nõ commouetur. Hoc eſt quod dicit, *Non eſt illis offendiculum*. Etſi enim in ſanctis in hac vita manent reliquiæ peccati originis, manet triſtis caligo, dubitationes, carnalis ſecuritas, errãtes flammæ vitioſorum affectuum, & ignorantiæ vel omiſſiones non affectatæ: tamen quia his non indulgent ſancti, ſed repugnant ſpiritu, & ſtatuunt propter Mediatorem has ſordes tegi & ſibi remitti: ideo non eſt illis offendiculum, non labũtur, non ruunt in peccata contra conſcientiam, non effundunt Spiritum ſanctum & gratiam, non euertuntur, nec damnantur: iuxta illud, Nulla nunc condemnatio eſt his qui in Chriſto Ieſu ambulant, Rom.8.

166 Expectaui ad ſalutem tuam Iehoua:& mandata tua feci.

Redit ad ſuum exemplum, quod aliis conſiderandum proponit:& nunc quidem pacem, ſi de proſperitate aut felici omnium rerum ſucceſſu in hac vita intelligatur, monet pios magis habere in ſpe, quàm in re. Dauid quidem pacem habebat in corde, ſed foris affligebatur variis ærumnis. Retinet autem fidem & ſpem, qua patienter expectat liberationem & mitigationem calamitatum in hac vita, iuxta conſilium Dei, & vitam æternam. Ideo dicit, Expecto ſalutem tuam.

Mandata tua feci] Id eſt, interea dum ſic affligor & expecto ſalutem, retineo fidem & bonam conſcientiam.

167 Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua:& diligo illa valde.

168 Seruaui mandata tua & teſtimonia tua: quoniam omnes viæ meæ coram te.

Repetitio eſt eiuſdem confeſſionis, quàm vult exempli loco perpetuò extare in eccleſia. Primò dicit animam ſuam cuſtodire teſtimonia Dei, vt emphaticè exprimat ſe penitus & ex intimo cordis affectu deditum fuiſſe legi diuinæ. Et quid ſignificet ſeruare legem, dictum eſt ſuprà. Eſt autem huius ſedulæ cuſtodiæ cauſa ſingularis amor. Ideo ſubiicit, & *diligo*. Nam ſeruilis & metu extorta obedientia non eſt vera. Mallet enim legem prorſus eſſe remotã vel abolitam. Significat igitur ſuũ ſtudium eſſe pium & ſincerũ. *Mandata & teſtimonia* coniungit, vt oſtendat ſe non tantùm loqui de lege, ſed de tota doctrina diuinitus patefacta, in qua etiam comprehendi debet ſalutis fœdus ſeu promiſſio Euangelij, quæ verè eſt teſtimonium de voluntate Dei erga genus humanum.

Quoniam omnes viæ] Vt de conſcientiæ ſuæ integritate teſtetur, non dubitat prouocare ad Dei iudicium. Tibi, inquit, nota eſt mea vita, ſeu actiones, &c. & ſcis me nihil agere ſimulatè, ſed ſtudium eſſe ſerium & ardẽs. Monet autem hoc ſuo exemplo, omnia à nobis eſſe agenda tanquam in Dei conſpectu. Ea enim res eſt nobis inſtar freni ad cohibendos prauos animi impetus, & ad colendam pietatem veluti calcar.

OCTONARII XXII. ARGVMENTVM.

CLAVDIT Propheta Pſalmum precatione & gratiarum actione. Atque ita monet omnibus actionibus noſtris perpetuò miſcendas eſſe preces ad Deum, iuxta illud Chriſti: Sẽper orate, &c. Et doctrinam cæleſtem non rectè percipi, niſi aſſiduè ores:& inprimis docet, vitam hanc noſtram, quam in terris agimus, claudendam eſſe precatione, atque ita ἐν εὐφημίᾳ hinc diſcedendum eſſe. Sunt autem hæ preces crebrò repetitæ, ideo non immoror. I. Petit vt proficiat ſubinde in doctrina & ſtudio pietatis. Nam hæc prima debet eſſe cura, vt rectè Deum agnoſcamus & colamus.

ת

169 APpropinquet clamor meus in conſpectum tuum Iehoua: ſecũdùm verbum tuum fac me prudentem [*intelligentem*.]

170 Veniat deprecatio mea in conſpectum tuum: ſecundùm verbum tuum eripe me.

Secundùm verbum tuum.] Id quidam ſic exponunt: Ad regulam verbi tui, vt non aliter ſtatuam quàm verbum docet: ſed plerique, vt ſuprà, de promiſſione interpretantur, atq; ita mox ſequente verſu 171.

171 Eructabunt labia mea hymnum: cùm docueris me ſtatuta tua.

172 Pronuntiabit mea lingua ſermonem tuum: quia omnia mandata tua [*ſunt*] iuſtitia [*id eſt, iuſta.*]

Addit pollicitationem gratitudinis. Ego abs te edoctus celebrabo nomen tuum, & docebo etiam alios: ita totum hoc beneficium verget ad gloriam nominis tui. נבע metaphoricè hoc loco vſurpatur. Sumpta enim eſt figura à ſcaturigine fontium. Significat igitur copioſum ſermonem profundere.

Pronuntiabit] Scilicet, in vſum aliorum.

Quia iuſtitia] Id eſt, quia ſola hæc doctrina eſt vera, ideóq; digna quæ propagetur ſtudioſè ad alios, vt multi te rectè agnoſcant & colant.

173 Sit manus tua ad auxiliandum mihi: quia mandata tua elegi.

Sit manus] Antea doceri ſe petebat: nunc defendi & ſeruari ſe petit. In his duabus rebus petendis perpetuò occupati ſunt pij, &c.

Elegi] Scilicet poſthabitis huius mundi curis, opibus & deliciis, quod non fit ſine certamine. Eſt enim valde difficile, cùm illa externa titillant ſenſus noſtros, non ſimul abripi cupiditate.

174 Deſideraui ad ſalutem tuam Iehoua:& lex tua oblectationes meæ.

Deſiderare ad ſalutem Dei, eſt agnoſcere non alibi poſitam eſſe ſalutem quàm in Dei gratia.

Lex tua delectationes meæ] Exprimit modum patienter expectandæ ſalutis, vbi ſcilicet malis omnibus ſolatium & leuamẽ petimus ex verbo. Hinc enim petitur ſolida conſolatio:& qui huc non reſpicit, eius fides leuiſſimo inſultu concutitur.

175 Viuet anima mea & laudabit te:& iudicia tua adiuuabunt me.

Repetit pollicitationem gratitudinis, & tanquam certus de victoria & liberatione, de ſalute ſibi gratulatur. Id impetrant pij precibus ſuis. Alij tamen in optandi tempus hæc

verba transferunt, vt ſit continuatio precationis: Viuat anima mea, ſeu prorogetur mihi vita, vt me exercere canendis tuis laudibus & aliis docendis poſſim, vt ſuprà 115. Pſalm. Nos qui viuimus benedicimus Domino.

Iudicia iterum de Dei manu & prouidentia, qua pios intuetur, impios verò punit & delet, nonnulli interpretantur: ſed malunt alij etiam hîc iudicia intelligere doctrinam ſeu verbum Dei, cui auxiliandi partes tribuit propheta, quia non vanis promiſſis lactat nos Deus, ſed verbum ſuum, quoties opus eſt, præſenti manus ſuæ virtute confirmat & ſancit.

176 Erraui ſicut ouis perdita, quære ſeruũ tuum:
quia mandata tua non ſum oblitus.

In hoc verſu primùm ærumnas ſuas exprimit, comparans ſe oui perditæ, vt Deum ad opem ferendam promptiorem reddat. Eſtque ratio addita à neceſſitate ſeu periculo. Deinde precationem annectit. Poſtea alteram rationem ſubiicit, allegans fidem, cui facta eſt promiſſio. Dicit ſe errare ſicut ouem perditam: quia eiectus ex patria vagabatur in exilio, orbatus omnibus præſidiis, omni ope & auxilio externo, & carens omni conſilio, vt pereundum ſibi ſit in his calamitatibus & ærumnis exilij, niſi à cæleſti paſtore requiratur & reducatur ad ouile. Ouis enim oberrans in deſerto, niſi à paſtore requiratur, perit ibi & contabeſcit, nec poteſt in viam redire. Ita nos omnes ſumus ouiculæ errantes, miſeræ & imbecilles, Ieſa. 53. Sed filius Dei qui eſt paſtor, quærit nos, & impoſitos humeris geſtat, & reducit nos ad ouile, hoc eſt, ad eccleſiam. Hunc oremus cum Dauide, vt ipſe nos aſſiduè paſcat verbo ſuo, regat & gubernet Spiritu ſuo, ne ab hoc ouili aberrantes in deſerto huius mundi oppreſſi tempeſtatibus pereamus.

PSALMI CXIX. IN XXII. OCTONARIOS DISTINCTI.

PARTES.

Pſalmus CXIX. generis mixti continet promiſcua documenta & preces in ſingulis Octonariis, ordine alphabetico conſcriptis, ad inſignem Pſalmi doctrinam notandam & faciliùs memoria complectendam.

1. Felicitatem piorum in ſtudio, fide & obſequio voluntatis Dei poſitam eſſe docet.
2. In notitia illius, ſtudio, fide & obſequio informari à Deo petit.
3. Ab omnibus impedimentis ſuæ carnis, peccati, mundi, ſatanæ, hoſtiúmque omnium conſeruari.
4. Sibi de tota anteacta vita & æquitate cauſæ bene conſcius, Deo ſeipſum & reliquæ vitæ ſuæ adminiſtrationem commendat ad gloriam ipſius & ſalutem ſuam.

Hæ ſunt generales Pſalmi partes. Speciales ſequũtur ſuis Octonariis aſſignatæ.

I. Octonar. *Aleph.*

1. Theſis ſeu propoſitio generalis de felicitate bonorum obſequentium Deo, v. 1. 2. 3.
2. Hypotheſis, ad quam fit tranſitio, verſ. 4. & in qua Pſaltes primùm voto ſe commendat Deo, v. 5. Deinde ſpondet conſtantiam, v. 6. gratiarum actionem, ver. 7. & obſequium erga eum cuius opem implorat. v. 8.

II. *Beth.*

1. Summam ſuperioris theſis exponit, v. 9.
2. Propoſitio inſtituti ſingularis, quo Propheta vſus eſt in animo ſuo informando: quod beatorum attributum eſt, ſuprà v. 2. Duo continet hæc propoſitio. 1. Petitionem à Deo vt ſerui ſui ſtudia promoueat, verſ. 10. 2. Narrationem ſtudij ſui cum ardenti prece coniunctam, v. 11. & 12.
3. Expoſitio amplior ſtudij, qua Dauid oſtendit ſe boni & fidelis diſcipuli officium facere, quod in oris confeſſione, v. 13. cordis exultatione ſolida, v. 14. ſancta meditatione, v. 15. perſeuerantia laudabili v. 16. conſiſtit.

III. *Gimmel.*

1. Imploratio beneficentiæ Dei, per prolepſin, v. 17.
2. Petitio prior, vt Deus ipſum ab impedimentis naturæ inhærentibus liberet, nempe cęcitate mẽtis, ver. 18. mundi ſcandalis quæ obtegunt Dei veram notitiam, verſ. 19. carnis fraudibus quæ dulcedinem verbi Diuini corrumpere ſtudet, v. 20. His opponit Pſaltes ſuum zelum ex Dei gratia.
3. Petitio poſterior, vt liberetur ab aduentitiis malis quibus piorum animos oppugnat mundus, v. 21. 22. 23. 24. Confirmat petitionem hanc argumento à iuſtitia Dei ſuperbos peſſundantis. 2. à conſtante ipſius officio erga Legem Dei. 3. à perſeuerantia in meditatione ſtatutorum Dei, neglectis impiorum conſiliis.

IIII. *Daleth.*

1. Petitio qua precatur ſe illuſtrari & regi verbo Dei, argumentis ſumtis, 1. à præſente malo, v. 25. 2. à præcedentibus Dei beneficiis, v. 26. 3. à ſtudio animi ſui flagrantiſſimo, v. 27. & 28.
2. Deprecatio, qua petit aduerſantia verbo Dei longè arceri à ſe. 1. Ignorationem veræ doctrinę cordi à natura hærentem Lege ſua per gratiam adimat Deus, verſ. 29. & 30. 2. Liberationem à periculis vitam circumobſidentibus, vt in vera doctrina fide & prompto obſequio pius vir ambulet, verſ. 31. & 32.

V. *He.*

1. Petitio à ſuperiore pendens, qua primùm inſtitui & informari petit in bono, verſ. 33. 34. 35. & 36.
2. Deprecatio impedimentorum quæ à pietatis ſtadio currentem reuocant. Hæc ſunt, vanitas, inconſtantia, & torpor ſpiritualis, verſ. 37. Reuerentiæ Dei obliuio, verſ. 38. Impietas quæ Deo ius ſuum aufert, vnde hominis confuſio, quam pius maximè formidat, v. 39.
3. Concluſio ſumma petitionis, v. 40. qua tranſitur ad ſequentis Octonarij votum.

VI. *Vau.*

1. Promiſſio, ſiue votum grati animi erga Deum acceptorum beneficiorum nomine.

Conſtat autem profeſſio hæc,

1. Libera declaratione & pietatis intrepida profeſſione apud aduerſarios per Spiritum Dei, v. 41. & 42.
2. Vitæ integritate & proteſtatione apud omnes, cuiuſcunque ordinis, v. 43. 44. 45. & 46.
3. Sancto & pio vſu apud Deum cũ animo ſuo, v. 47. & 48.

VII. *Zajin.*

1. Petitio gratiæ Dei, v. 49.
2. Narratio animi firmam conſolationem percipientis, tum ex promiſſionibus Dei pios confirmantibus, conſolantibus & recreantibus, verſ. 50. 51. 52. 53. 54. 55. tum ex bonæ conſcientiæ teſtimonio, verſ. 56. Firma autem hæc conſolatio ad ſequentes partes refertur. 1. Viuificari verbo Dei. 2. Non declinare à Lege inter mundi ſcandala. 3. Recordari iudiciorum Dei. 4. Pſallere Deo. 5. Recordari

dari nocte nominis Iehouæ, & obſeruare legem eius.

VIII. *Cheth.*

1. Petitio gratiæ fundata promiſſione Dei, v.57. & 58.

2. Explicatio & accommodatio duarum partium quæ promiſſione continentur, nimirum profeſſio officij quod à nobis ſtipulatur Deus, v.59. 60.61.62. 63. Officium illud eſt, 1. Incedere attentè in viis Domini. 2. Sine cunctatione feſtinare in obſeruatione mandatorum eius. 3. Non obliuiſci legis diuinæ, in perſecutionibus grauiſſimis. 4. Imo Deũ iuſtum indeſinenter celebrare. 5. In communione veræ Eccleſiæ permanere.

3. Petitio, nempe vt Deus ſerui ſui miſertus, promiſſionem præſtet, ad quam adhibetur argumentum à beneficentia Dei in res omnes creatas, v.64.

IX. *Tet.*

Petitio documentorum Dei, variis argumentis ſuffulta.

1. Ab anteacta ipſius beneficentia erga ſupplicem, v.65.

2. A perſona ſupplicis fidem offerentis, & indignitatem ſuam, v.66.& 67.

3. A natura Dei, v.68.

4. A bona conſcientia, quæ non tantùm immota eſt à calamitatibus, v.69.& 70. Verùm etiam per illas augeſcit in notitia & ſtudio voluntatis Dei, v. 71.& 72.

X. *Iod.*

Petitio, vt à Deo inſtituatur, argumentis ductis,

1. A gloria Dei, quæ tum in Dauidis ſalute illuſtris futura eſt coram piis omnibus, verſ.73.& 74. tum in præſtatione promiſſionum eius, verſ. 75. & 76.

2. A perſona ſua, v.77.

3. A perſona aduerſariorum, v. 78.

4. A perſona bonorum, v.79.

Quæ omnia, v.80. promiſſione animi grati concluduntur.

XI. *Caph.*

Petitio auxilij & liberationis, arg. duct.

1. A perſona ſua grauiter oppreſſa, v.81.82.83.

2. A natura Dei & perſona aduerſariorum, quorum improbitatem cum iuſtitia Dei & innocentia ſua comparat, v.84.85.86.87.

3. A voto grati animi, v.88.

XII. *Lamed.*

Petitio ſalutis, argumentis duobus:

1. A natura Dei conſtantiáque & efficacitate verbi eius. Efficacitatem hanc explicat primùm vniuerſè, à generali cæli & terræ creatione & adminiſtratione, v.89.& 90. Deinde à ſingulari & extraordinaria, verſ.91. Tertiò à ſua ipſius experientia, v.92. & 93.

2. A perſona ſua, quum ſit ſeruus fidelis, verſ.94. Meditationi voluntatis diuinæ addictus, v.95. & amplitudinis eiuſdem admirator, v.96.

XIII. *Mem.*

1. Exclamatio prior, in quam rapitur occaſione ſumta ab amplitudine verbi quam modò commendauerat, & qua celebrat amorem ſuum erga verbum Dei: propter præſtantiam ſcientiæ & intelligentiæ, quam ſupra omnes eſt conſequutus ex meditatione & ſtudio illius, v.97.98.99.100.

2. Exclamatio poſterior, preſtantiam vſus quem percepit ex verbo Dei demonſtrans, verſ.101.102. 103.& 104. Vſus hic conſiſtit, 1. In receſſu à malo. 2. In iugi meditatione iudiciorum Dei. 3. In ſpirituali guſtu diuinorum eloquiorum. 4. In vera prudentia, quæ ab omni falſitate pium virum auertit.

XIIII. *Nun.*

Petitio ſalutis & gratiæ, ad quam conſequendam tria adhibet argumenta.

1. Promiſſionis Dei & efficacitatis per Spiritum, verbo demonſtratæ, v.105.

2. Studij ſui & animi conſtantiſſimi ad obſequẽdum Deo, v.106.

3. Miſeriæ ſuæ, v.107.

Sequentibus autem Octonarij verſiculis hæc argumenta copioſè exponuntur.

XV. *Samec.*

Petitionis continuatio qua Dei opem & ſalutem implorat.

1. Studium ſuum exponit Deo, & aduerſariis obiicit, v.113.114.115.

2. Sequitur petitio trimembris. 1. Vt viuificetur ſecundum Dei promiſſum. 2. Non fruſtretur ſpe ſua. 3. Perſeueret vſque ad finem, cum grati animi voto, v.116.117.

3. Confirmat ſeipſum à Dei iudiciis: ſeueris quidem in malitioſos, verſ. 118. 119. gratioſis verò erga eos qui ſe diiudicant, ne cum mũdo condemnentur, v.120.

XVI. *Hajin.*

1. Petitio, qua poſtulat *primùm* ſeruari à malo, v.121. & 122. *Deinde* affici bonis, & inſtitui verbo, v. 123.124.125. Idq; tum à perſona ſua, cuius obſequium, fidem, & ſtudiũ explicat ſparſim: tum à natura Dei, & aduerſariorum perſona, v.126.

2. Ætiologia, cur informari petat in cognitione legis. 1. Quòd legem bonam, ſanctam, & pretioſiſſimam eſſe nouit, verſ.127. 2. Se autem vltro diligere bonum, & malum odiſſe profitetur, verſ. 128.

XVII. *Pe.*

1. Profeſſio ſtudij erga Dei doctrinam, quæ eſt admirabilis, v.129.& efficaciſſima, v.130. Ideo cupidè expetitur à Dei ſeruo, v.131.

2. Petitio gratiæ, v.132. Cuius triplex effectus ſequentibus demonſtratur: nempe Informatio vitæ, v. 133. Liberatio ab anguſtiis, v.134. Documenta verbi per Spiritum, v.135.

3. Expoſtulatio de aduerſariis, legem Dei violantibus, v.136.

XVIII. *Tzade.*

1. Deſcriptio viæ ſalutaris quæ in Dei verbo pateſit, & commendatur à iuſtitia, integritate, fide, cõſtantia, & multiplici vtilitate, v.137.&c.

2. Collatio hoſtium, & Dauidis, qui ſe paruum, tenuem & contemptum agnoſcit, vt Dei auxilium certius exſpectet, v.139.141.143.

3. Petitio ſapientiæ veræ, vnde vita ſequitur, v. 144.

XIX. *Koph.*

Petitio ſalutis, ductis argumentis,

1. A perſona ſua, quæ obſequium ſpondet, verſ. 145. & 146.& præſens ſtudium explicat, verſ.147.& 148.

2. A natura Dei benigniſſima, verſ.149. præſentiſſima, verſ.150.151. conſtantiſſimáque in verbo ſuo, v.152.

XX. *Reſch.*

Petitionis eiuſdem ſupplex & ardens repeti-

tio, argumentis ſumptis,

1. A perſona ſua, & æquitatis ſtudio, v.153.

2. Ab æquitate cauſæ, v.154.

3. A perſona aduerſariorum, v.155.

4. A natura Dei, cuius miſericordia, benignitate & fide iudiciorum fretus, ſe conſtanter ſalutem expectare teſtatur, verſ.156.157.158.159. & 160.

XXI. *Schin.*

1. Proteſtatio pia, qua Dauid conſtitutionem animi ſui erga Deum & verbum eius explicat. In ea concurrunt pius metus, v.161. Oblectatio ſancta, v.162. Dilectio ſincera, v.163. Laus continua, v.164. Meditatio grata, v.165. Spes certa, verſ.166. Propoſitum vocatione dignum, v.167.

2. Ratio proteſtationis. Tu, Domine, vides, agnoſcis, inſtituis, & curas vitam meam, v.168.

XXII. *Thau.*

1. Precatio, qua petit doceri, iuuari, & ſeruari à Deo: *Primùm* propter gloriam Dei, v.169. &c. vſque ad 173. *Deinde* propter fidem ſuam in promiſſiones Dei, v.173. & 174.

2. Concluſio Pſalmi generali petitione opis Dei ad gloriam ipſius & ſalutem ſuam, v.175. & 178. quæ omnium piarum precationum ſumma eſt.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Quoniam innumeræ continentur in hoc Pſalmo doctrinæ, pro zelo Dauidis ſerui Dei ſæpius & neceſſariò repetitæ, diligentérque explicatæ in enarratione contextus, præcipuas tantùm obſeruare & ad theſes quaſdam reuocare in præſentia viſum eſt. Eſto igitur prima hæc Theſis ſeu obſeruatio.

1 *Felicitas piorum in ſtudio voluntatis Dei poſita eſt.*

2 *Voluntas hæc (doctrinam legis & Euangelij complectens) à Deo ipſo patefacta eſt, & ſacris ſcriptis comprehenſa.*

3 *Huius variæ ſunt nomina propoſita, quæ eius ſtudium & amorem in noſtris cordibus accendere debent.*

4 *Patefacta autem eſt diuinitus, non vt illam duntaxat intellectu comprehendamus, ſed vt eam vnuſquiſque tanquam vitæ ſuæ normam ſerio indefeſſoque ſtudio ſequatur.*

5 *Vt illam & amplecti & ſequi velimus & poſſimus, poſtulãdus eſt neceſſariò Dei ſpiritus, qui tenebras ab intellectu depellat, voluntatem ad obſequium flectat, deprauatos affectus corrigat, ſenſúſque omnes tum internos tum externos perpetuò moderetur.*

6 *Mundani homines partim profano metu territi, partim ambitione, auaritia, voluptatibus excæcati, aliud iter ingrediuntur: ij tamen ſoli ſapiunt qui ſemitam Dei verbo præſcriptam inſiſtunt, quæcunque ſe in hac vita difficultates offerant: & tandem quoque vita æterna donantur.*

7 *Sapientia piorum dum huius vitæ ſtadiũ conficiunt, in eo conſiſtit, quòd Deum cui confidunt, inuocant, ſub cruce patienter expectant, colunt puro cordis affectu, & præſentiam Spiritus eius efficaciter ſentiunt, qua conſolantur ſe, & ab omnibus impedimentis ſuæ carnis, peccati, mundi, Satanæ, hoſtiúmque omnium conſeruantur.*

8 *De tota anteacta vita, & æquitate in conuerſatione cum proximis bene conſcij, Deo ſe ipſos & reliquæ vitæ ſuæ adminiſtrationem pij commendant ad gloriam ipſius & ſalutem ſuam.*

Pio & ſedulo lectori erit facile ſingulos totius pſalmi verſiculos ad vnam vel alteram harum theſeωn reuocare. Nihilominus tamen ſpeciales quaſdam annotare libuit, quæ generales illas explanant. Has autem ad ſequentia reuocamus capita ſeu nomina, ex quibus rerum ipſarum veritas deprehenditur.

1 *Deus.*
2 *Verbum Dei.*
3 *Verbi Dei effecta.*
4 *Pij homines.*
5 *Piorum ſtudia.*
6 *Eorundem vota & preces.*
7 *Impij.*
8 *Impiorum ſtudia.*
9 *Falſa doctrina & vita Dei verbo oppoſita.*

1 *Deus à propheta ſingulis penè verſiculis compellatus, his præcipuè nominibus hoc pſalmo inſignitur,*

Iehoua: quod nomen ſæpiſſimè occurrit, nec tam Dei æternitatem quàm piorum in ea acquieſcentium inuictam fidei & ſpei certitudinem denotat.

Benedictus Iehoua, id eſt omni laude maior, à quo deſcendit omne donum perfectum: quem propheta etiam doctorem & magiſtrum exoptat.

Deus ſeruorum ſuorum.	*Beneficus.*
Portio eorum.	*Propinquus ſuis.*
Miſericors.	*Latibulum & clypeus eorum.*
Bonus.	*Iuſtus.*
Benignè agens cum ſeruis ſuis.	*Increpans ſuperbos.*
	Conculcans impios.

Ex quibus nominibus, quæ ad miſericordiam & iuſtitiam referuntur, colligimus pios tum de ſua ſalute & perpetua Dei protectione, nec non de Spiritus eius communicatione vt in iuſtitiæ pietatiſque via incedant, tum de impiorum iuſto maturóque exitio eſſe perſuaſos. Secundò ſe in omnibus periculis, anguſtiis, afflictionibus, & tentationibus dominum & opitulatorem habere, qui inuocatus præſto adeſt ſuis, quos potenter & iuxta promiſſiones ſuas liberat. Tertiò, quum Deus ſit electorum ſuorum portio & ſpes, ij autem in præſenti vita cum tot inimicis, periculis & morte denique luctantur, felicitas eorum in cælis certè eſt repoſita. Quartò, ex Dei benignitate & benefica clementia oriuntur præclara illa liberationes quibus pij fruuntur. Denique cùm ſit eis propinquus, inde fluunt ſancta illa cogitationes & ardentes precationes quæ Spiritus ſancti vim & efficaciam abundè teſtantur.

2 *Verbi Dei nomina, quorum hoc pſalmo Propheta meminit, ſunt hæc,*

Doctrina.	*Sermo.*
Edicta.	*Sermo purgatus.*
Iudicia.	*Teſtimonium oris.*
Iudicia ſermonis.	*Teſtimonia.*
Iuſtitia perpetua.	*Teſtimonia iuſta & fidelia.*
Iura oris.	*Verbum.*
Lex.	*Verbum veritatis.*
Lex veritatis.	*Veritas.*
Leges.	*Via iudiciorum.*
Leges iuſtitiæ.	*Via præceptorum.*
Mandata.	*Via ſtatutorum.*
Mirabilia.	*Via veritatis.*
Mirabilia legis.	*Via.*
Præcepta.	

Ex quibus facilè colligentur obſeruationes quæ ſuis locis in enarratione contextus luculenter ſunt expoſitæ. Harum ſumma eſt, doctrinam illam verbo Dei comprehenſam, ſummam & mirabilem nobis proponere ſapientiam, veritatem, fidelitatem, iuſtitiam, voluntatem Dei noſtri, cui voluntati adhærentes rectè incedimus, & tandem ad Deum ipſum qui eſt ipſa veritas & vita peruenimus, vt in eo omni felicitate, cuius radij in hoc verbo elucent, æternùm fruamur.

3 *Huius verbi natura & effecta ſunt hæc.*

Mundat viam iuuenum.
Cuſtodit Dei ſeruos ne peccent.
Eſt lex bona.
Viuificat pios in afflictione.
Eſt veritas.
Permanet in æternum in cælis.
Eſt veritas quæ ſtat in generationem & generationem.
Eſt lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitæ noſtræ.
Lætitia cordis noſtri.
Res mirabilis.
Limen huius illuminat.
Intelligentiam præſtat paruulis.
Eſt purum vehementer.
Huius caput (ſeu ſumma) eſt veritas.
Pacem affert pijs ſine offenſione.
Sapientiores, prudentiores & intelligentiores reddit pios aduerſarijs, doctoribus & ſenioribus.

Hæc effecta oſtendunt, vitã noſtrã ab adoleſcentia inſtitutum peccato fœdatum, doctrina verbi Dei, quæ ſalutem in Chriſto & regulas vitæ nobis proponit, mundari. fide enim corda noſtra mundãtur: fides autem eſt ex verbo Dei.

Variis illecebris ad peccãdum inducimur: doctrina autem de Dei miſericordia gratuita in Chriſto, de eiuſdem beneficiis & iudiciis, pios in officio continet: Spiritus per verbum reuelatum ſcriptum & annuntiatum agens, cuſtodit nos ne in peccata contra conſcientiam & in impœnitentiam ruamus.

Bona Dei leges & inſtitutiones malitiam cordium noſtrorum nõ

modò

modo corrigunt, ſed etiam nos ad veras virtutes informāt, & bonus ille bonitatis ſuæ radiis animarum noſtrarum tenebras diſcutit, & lucem iuſtitiæ reuelat, ac pro modulo conſtituto paulatim effundit.

Afflictio deiicit pios veluti in ſepulchrum: verbum Dei autem miris modis eos recreat & in vitam nouam reſtituit: idque argumentis ſolidis, promiſſis, exemplis: præcipuè verò quum Dei in Chriſto clementia & perpetua eccleſiæ conditio occurrit.

Sermo tuus veritas eſt, inquit Chriſtus. In verbo enim Deus nobis ſeipſum exhibuit. Deus autem veritas ipſa eſt, quæ pios de ſalutis certitudine perſuaſos eſſe iubet innumeris teſtimoniis iureiurādo confirmatis. Ipſa etiam veritas eoſdem vult frui pace & tranquillitate animi ſub crucis iugo: qui enim auxilium promiſit, veritatem ſuam, id eſt, ſeipſum, veluti incluſit in verbo ſuo.

Vtut piorum cœtus infinitis tempeſtatibus in terris agitetur, eſt tamen firmum futurum quod de eius perpetua ſalute ſibi conſtitutum eſſe Deus verbo ſuo patefecit. Quies autem & ſalus illa quū afflictionibus interrumpi videatur in terra, fideles ſupra cælos euehuntur, vt ibi ſalutem ſuam veluti inſculptam videant.

Nullis ſeculis veritas Dei de beata ſorte piorum labefactabitur.

Bene faciunt (inquit Petrus 2. epiſt. 1. cap.) quòd attendant verbo Dei, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoſo. Sunt in mente dubitationes, falſæ opiniones, ignorātiæ: in voluntate repugnātiæ, rebelliones, pugnæ: in corde pauores, horrendi affectus: in memoria, beneficiorum Dei obliuio, vanitatis & bonorum caducorum coaceruatio: id eſt, erramus per tenebras, quas mundus, & ſatan augent. Nullū autem hic remedium extra veritatis doctrinam & lucem in verbo patefactam, quæ veras rerum, Dei præcipuè, & diuini cultus notitias ac formas offert: quæ ſimul mentes dirigit, corda flectit ad obſequium: denique nos per tot ſalebras & ſaltus ſaluos incolumeſque perducit ad eum qui via eſt, veritas & vita.

Nullam aliūde quàm ex ſolida Dei notitia & reuerentia in verbo patefacta lætitiam fideles capere poſſunt. Extra verbū enim omnia ſunt vanitas, dolor, & ſub maledictione conſtituta iacent.

Quis res mirabiles in Dei verbo cōprehenſas (ſiue doctrinā creationis & gubernationis rerū, ſiue myſterium redēptionis, & glorificationis electorū Dei expendas) enarrare aut animo cōprehendere valeat? Mirabilis eſt, vt humili mente ſacrarium iſtud ingrediamur, Dei vocē demiſſo corde audiamus, profanas & carnales cogitationes exuamus, ad cæleſte ſanctuarium, vbi tot arcanorum ſiemus participes fide per ſpem, charitatem & humilitatem operante, aſpiremus.

Porrò, inter tot turbas, tenebras, ærūnas, & tempeſtatū dēſiſſimas nubes quæ nobis tantū ſplendōrē verbi Dei auferunt, & fidei luminibus officiunt: attamen ipſum limen ad Deū audiendum ingreſſis, ſeſe lux quædam inenarrabilis conſpiciendam offert, mentes ipſas non tam fulgore perſtringens quàm lætifico ſplendore colluſtrans.

Hæc lux ſeu doctrina pios ſuæ ſibi ruditatis conſcios, & in ſchola Dei diligentes diſcipulos, vera ſapientia informat.

Nihil eſt verbo Dei purius ac ſincerius, ſeu authorem, ſeu doctrinam ipſam, ſiue doctrinæ fructus, effecta & finem conſideres.

Primarium illud eſt in Dei verbo, quod eſt firmiſſimum. Vide Iſai. 40. & Matth. 24.

Effectus eximius, piorum reſpectu, ille eſt, quòd tranquillitas ſumma veráque ſecuritas, & ab omni miſeria tuta iis demum obtingit qui doctrinæ ſacræ ſtudio tenentur.

Quum Dei ſapientia nobis in verbo ſuo reuelata ſit, ſapientes, prudentes & intelligentes certè cenſendi, & re vera ſunt, ac tales deprehendentur tandem qui cæleſtem hanc doctrinam dies ac noctes meditabuntur.

Contrà colligimus, verbi Dei contemptores eſſe omnium hominum deterrimos ac miſerrimos: quemadmodum ex ſingulis verbi huius effectis, accuratè expenſis, colligere licet.

4 *Nunc ad filiorum Dei nomina hoc Pſalmo expreſſa accedamus. Ea autem ſunt præcipua quæ ſequuntur.*

Integri via.
Ambulantes in lege & viis Iehouæ.
Cuſtodientes teſtimonia Dei.
Quærentes Deum ex toto corde.
Non operantes iniquitatem.
Timentes Deum.
Serui Dei.
Cognoſcentes teſtimonia Dei.
Diligentes doctrinam Dei.
Tranquillitate ſumma gaudentes.

Reſpectu verò hominum, & vitæ præſentis.

Peregrini in terra.	*Deriſi à ſuperbis.*
Afflicti.	*Spoliati ab improbis.*
Timentes opprobrium.	*Parui & contempti.*
Probris affecti.	*Oppreſſi.*

Quæ nomina ſingula vtinā diligenter expēdamus! præſentis enim & futuræ vitæ ſtatū, quē nimium heu cōfundimus, meliùs apprehendentes, verbi diuini conſolationes hauriemus auidiore animo.

5 *Piorum ſtudia etiam veluti in tabella exhibuiſſe ſufficiet. Ea verò fidem, ſpem, charitatem erga Deum & proximum, mali odium, & cordis in Dei laudes erumpentis, ſinceram lætitiam, id eſt, hominum Deo dilectorum vitam, proponunt.*

Fides autem piorum, teſte Propheta,

Mandata & edicta Dei meditatur.
Reſpicit ad vias eius.
Non obliuiſcitur verborum eius.
Conſpicit mirabilia doctrinæ Dei.
Toto corde doctrinam & teſtimonia eius cuſtodit.
Conſilium capit ex Dei verbo.
Vias ſuas Deo narrat.
Viam veritatis eligit.
Leges Dei ſibi proponit.
Adhæret Dei teſtimonijs.
Viam mandatorum eius percurrit.
Cuſtodit ſemper viam diuinorum edictorum.
Confidit Dei verbo.
Mandata eius exquirit.
Non declinat à ſana doctrina.
Iehouam dicit eſſe piorum portionem.
Recordatur nocte nominis eius.
Quærit & precatur faciem eius toto corde.
Reputat vias ſuas.
Conuertit pedes ad Dei teſtimonia.
Feſtinat ad cuſtodienda Dei præcepta.
Doctrinæ Dei non obliuiſcitur.
Præceptis Dei credit.
Cuſtodit teſtimonia oris eius.
Mandata Dei inquirit.
Teſtimonia eius conſiderat.
Inclinat cor ad præſtandum ſtatuta Dei.
Deum pro latibulo & clypeo agnoſcit.
Omnia eius mandata recta ducit.

Spes.

Iudicia Dei expectat.
Verbum Dei expectat.
Expectat Dei ſalutem.

Charitas.

Diligit Dei doctrinam eámque toto die meditatur.
Aliis piis ſe adiungit.
Ex Dei mandatis haurit prudentiam.
Iurat & præſtat, vt ſeruet leges Dei.
Hæreditatis loco habet Dei teſtimonia.
Facit iudicium & iuſtitiam.
Præcepta Dei exequitur.
Ex animo cuſtodit & ſeruat Dei teſtimonia.

Charitatis fructus, mali Odium.

Horrore afficitur pius propter impios defectores.
Odit ſemitam falſitatis.
Inſtabiles odio habet.
Omnem ſemitam mendacij deteſtatur.
Impiorum peruicaciam deflet.
Conſtringitur Zelo propter eorum cæcitatem.
Fraudem odit & deteſtatur.

Cordis pij in Dei laudes erumpentis, ſolida & ſincera lætitia.

Celebrat Deum cum rectitudine cordis.
Narrat labiis omnes leges oris eius.
Cantat Dei laudes ex dictis eius deſumptas.
Surgit media nocte ad Deum celebrandum.
Septies quotidie Deum laudat propter eius iudicia.

Lætitia pij viri hæc eſt.

Via teſtimoniorum Dei delectatur ſuper omnes diuitias.
Edicta & teſtimonia ſacra ſunt eius deliciæ.
In via præceptorum diuinorum ſibi placet.
Concupiſcit Dei mandata.
Conſolationem haurit ex iudiciorum Dei recordatione.
Meliorem putat doctrinam oris Dei quàm millia auri & argenti.
Dulces ſupra mel palato ſentit Dei ſermones.
Diligit eius edicta præ auro & obrizo.
Lætatur corde in eis.
Præcepta ſancta auidè deſiderat, & velut hianti ore haurire conatur.
Delectatur ſermonibus Dei ſicut qui educit prædam multam.
Diligit præcepta Dei valde.

Hi ſunt piorum virorum Characteres à Dei Spiritu hoc pſalmo deſcripti, ex quibus innumeras obſeruationes Theologiæ candidati ſine negotio depromere queunt. 6 *Præcipuū verò fidei exercitium, preces videlicet, adiungamus, vt electorum Dei facies magis ac magis eluceat: & quidem ex Prophetæ verbis.*

Dicunt ergo cum Dauide pij homines.

Benefac ſeruis tuis.
Aperi oculos noſtros.
Patefac nobis mandata tua.
Auolue opprobrium & contemptum à nobis.
Viuifica nos ſecundùm verbum tuum.
Doce nos edicta tua.
Fac, vt intelligamus viam mandatorum tuorum.
Erige nos ſecundùm verbum tuum.
Viam falſitatis à nobis amoue.
Doctrinam tuam nobis largire.
Noli nos pudefacere.
Inclina cor noſtrum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam.
Auerte oculos noſtros ne videant vanitatem.
In via & iuſtitia tua viuifica nos.
Aufer à nobis quod timemus opprobrium.
Veniant nobis miſericordiæ tuæ.
Miſerere noſtri ſecundùm verbum tuum.
Edicta tua edoce nos.
Bonitatem guſtus & ſcientiam doce nos.
Fac nos intelligere vt mandata tua diſcamus.
Sit quæſo clementia tua ad nos conſolandum.
Veniant nobis miſerationes tuæ, vt viuamus.
Sit cor noſtrum integrum in edictis tuis.
Adiuua nos.
Secundùm bonitatem tuam viuifica nos.
Tui ſumus: ſerua nos.
Voluntaria oris noſtri, quæſumus, habe accepta.
Ne tradas nos opprimentibus per calumniam.
Sponde pro ſeruis tuis in bonum.
Fac cum ſeruis tuis ſecundùm miſericordiam tuam.
Da nobis intelligentiam vt cognoſcamus mandata tua.
Reſpice ad nos & miſerere noſtri.
Greſſus noſtros dirige ſermone tuo.
Nulla iniquitas dominetur nobis.
Redime nos à calumniis hominum.
Faciem tuam illumina ſuper ſeruos tuos.
Da nobis intellectum vt viuamus.
Inuocamus te: ſerua nos.
Diſcepta cauſam noſtram & nos redime.
Viuifica nos ſecundùm bonitatem & legem tuam.
Secundùm verbum tuum fac nos intelligentes & eripe nos.
Quære ſeruos tuos errantes ſicut ouis quæ perijt: quia præcepta tua non ſumus obliti.

7 *Pijs opponuntur paſſim impij, quorum nomina ex pſalmo collecta ſequuntur.*

Superbi.	*Doloſè agentes.*
Deriſores.	*Præuaricatores.*
Impij.	*Improbi.*
Inſtabiles.	*Cor impinguatum habentes.*
Sceleſti.	*Perſecutores ſceleſti.*

Declinantes à mandatis Dei.
Aberrantes ab edictis Dei.
A doctrina recedentes, & eam diſſipantes.
Edicta Dei non quærentes.
Probris pios afficientes.
Pios ſpoliantes.
Concinnantes mendacium in pios.
Perſecutores piorum.
Aduerſarij piorum.
Opprimentes pios per calumniam.

Quales ſint impij in ſeipſis primùm videmus. deinde in Deum, & in Dei filios, quibus virtutes tot vitiis oppoſitæ conueniunt.

8 Impiorum ſtudia nominibus eorũ cõtinentur. Nomina verò & ſtudia hæc ſi quis ad omniũ temporũ, noſtri præſertim ſeculi hiſtorias reuocare velit, nõ paucæ occurrẽt obſeruationes quæ Prophetæ cõtextum illuſtrabunt. Nobis ſatis ſit velut exerto digito eas indicaſſe.

9 *Supereſt Dei verbo & piorum virtutibus oppoſita falſa doctrina & impia vita quæ à Propheta vocatur,*

Iniquitas.	*Vanitas.*
Semita mala.	*Fraus.*
Semita falſitatis.	*Mendacium.*
Cupiditas.	*Via erroris.*

Vnde colligere licet quàm miſera ſit eorum conditio qui vel tantillum à Dei verbo, fidei & operum regula recedunt. Contrà quàm ſint felices qui in vita & morte Dei vocem in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis perſonantem humiliter audiunt, percipiunt, & ad ſalutem amplectuntur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De verbo Dei patefacto, eiuſdémque præſtantia, multiplici vtilitate, dignitate, &c.
2. De natura veri Dei.
3. Characteres piorum & impiorum.
4. De precibus ad Deum, earundémque variis formulis.
5. Virtutum & vitiorum elegantes hypotypoſes.
6. Animæ piæ anatomia perfectiſsima.

Vide obſeruationes locorum doctrinæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXX.

QVINDECIM Pſalmi, qui graduum inſcribuntur, quaſi in vnum faſciculum collecti centeſimo decimonono ſubijciuntur ordine, non quòd vna & eadem ſit omnium materia aut doctrina: ſed quòd inuentione & compoſitione ſibi reſpondeant. Sunt enim velut epigrammata, quæ primùm propter inuentionem, in qua ſemper peculiaris aliqua doctrina & ingenij bonitas ſeu acumen elucet, deinde etiam propter carminis ſuauitatem & elegantiam, addo & breuitatem, commendantur. Variæ enim in his Pſalmis doctrinæ & cognitu neceſſariæ, mira breuitate, ſuauitate, & orationis ornatu atque elegantia proponuntur: ideóque præ aliis in Eccleſia aſſiduè lecti & decantati fuerunt, vt aſſiduitate lectionis omnibus fierent familiares. Eſſent autem multò ſuauiores futuri hi Pſalmi, ſi & muſica Iudæorum & carminis ratio ad muſicam accommodata nobis nota eſſet. Nam ſicut in Epigrammate non tantùm inuentio lectorem oblectat, ſed verſuum bonitas & numerorum elegantia rem ipſam commendant & memoriam ſimul adiuuant: ita de his Pſalmis iudicandum eſt, non parum eos ſuauitatis & elegantiæ amiſiſſe, quando muſica Iudæorum cum politia intercidit. Eſt tamen rerum bonitas in his tanta, tantúſque orationis ſplendor & elegantia, vt etiam abſque numeris animos piorum plurimùm afficiant & delectent. Nec opus eſt de ſingulis hoc loco id oſtendere. Fiet enim id rectiùs & commodiùs in ipſo progreſſu & in interpretatione, in qua lectorem de cuiuſlibet Pſalmi materia & argumento monebimus diligenter. Nunc ſtudioſos auditores hortor, vt hæc dulciſſima carmina, atque adeo ipſius Spiritus ſancti poemata, diligenter cognoſcant, & ſingulos verſus tanquam ſingula oracula æſtiment. Nam profectò eminent in toto libro Pſalmorum velut inſignes gemmæ: & neceſſe eſt valde ἄμουσον eſſe, qui hoc elegantiſſimo Spiritus ſancti poemate non afficitur. Antequam autem ad interpretationem accedo, neceſſe eſt dicere aliquid de titulo, de quo etſi nihil certi à me afferri poteſt, tamen cùm interpretis munus mihi incumbat, iudico hoc à me requiri, vt quæ veterum & recentiorum interpretum hac de re opiniones ſint, breuiter recenſeam. Ac primùm quidem monendi ſunt auditores, Titulum illum, qui his præfigitur, non pertinere ad ipſam materiam, nec explicare argumentum pſalmi: ideóque non multum referre, etiamſi veram huius appellationis rationem aſſequi nequeamus. Nam ſine periculo hîc erratur, ſicut & in aliarum vocum, de quibus hactenus in nonnullis titulis dictum eſt, explicatione.

Antequam autem de noſtrorum ſententia dicam, primùm Iudæorum ſententias conſiderabimus, non quòd aliquid

aliquid horum autoritati tribuendum cenſeam: (eſt enim eorum in fingendis fabellis, iiſque in ſcripturam ingerendis audacia & impudentia iure reprehendenda) ſed vt ex collatione omnium ſententiarum appareat, quàm fruſtra à nobis labor ſuſcipiatur, ſi certum aliquid definire aut elicere ex hac varietate ſententiarum velimus.

Eſt autem inter Iudæos Rabbi Dauid Kimhi præcipuæ autoritatis, qui cùm cæterorum ſententias collegerit, has breuiter recitabo. I. Primùm ſunt qui exiſtiment, Pſalmos graduum ſeu aſcenſionum dici à quindecim gradibus, quibus in monte domus Dei à manſione mulierculaꝝum ad eum locum fuerit aſcendendum, in quo Iſrael in domo Dei congregari conſueuerit: ita vt ſingulis hiſce gradibus ſinguli ex hiſce quindecim Pſalmis fuerint deputati. Nam in hiſtoria Regū ſcribitur, quod per gradus aſcendebatur ad illam partem templi, quæ viris erat deſtinata, cùm inferiùs ſubſiſterent mulieres. Atque hanc ſententiam Lyranus etiam non improbat, quanquā ſuo quodā iudicio id explicat. II. Sunt alij, qui fabellam afferūt de abyſſo, quæ dum domus ſanctuarij fundaretur, ita aſcēderit, vt periculū eſſet ne mundum vniuerſum inundaret & ſubmergeret, vt neceſſe fuerit Achitophelē illius exundantiam ſcripto & adhibito שם המפורש Schemhamphoras cohibere & ad quindecim gradus vſque reſtringere. Atque ad hanc fabulam videtur reſpexiſſe Chaldæus interpres, qui ſic vertit שירא דאתאמר על מסוקיין דתהומא id eſt, canticum quod dictum eſt ſuper gradibus vel aſcenſionibus abyſſi. III. Tertia ſententia eſt Rabbi Saadiæ, qui ad muſicam pertinere hanc vocem מעלה exiſtimat. Cúmque vox aſcenſum ſignificet, putat hac voce admonitos fuiſſe Leuitas, vt vocem altiùs extollendo hos Pſalmos decantarent: quæ ſētentia quibuſdam ex noſtris maximè placet. IIII. Alij, inter quos eſt Abenezra, non ad elationem ſeu intentionem vocis in cantando, ſed, vt ſuprà in aliquot titulis diximus, ad certum melodiæ genus, vel certè ad noti & celebris alicuius carminis initium pertinere vocem Hebræam exiſtimant, vt ſcilicet hac voce de melodia, ſeu vt noſtri loquuntur, de tono admonerentur Leuitæ. V. Plerique inter Iudæos cùm regnum ſibi corporale, quod per Meſſiam conſtituendum ſit, perpetuò ſomnient, & hoc tempore diſperſi inter varias gentes triſtem ſeruitutem ferant, exiſtimant, hac voce liberationem illam, quam expectant, notari, ideóque futurum aliquando ſperant vt exhibito ſuo Meſſia ex vniuerſis gentibus in quas diſperſi ſunt, ad terram Iuda aſcendant & reuertantur, & hos Pſalmos læti canant. Alij etiam ſimpliciter de reditu ex captiuitate Babylonica, hunc aſcenſum intelligi volunt.

Hæ ſunt Iudæorum ſententiæ, in quibus quàm nihil ſit certum, imò quàm pleraque ſint fabuloſa & inepta, nemo eſt qui non intelligat. Itaque omiſſis Iudæis noſtrorū ſententias conſideremus, in quibus etiā illa videtur eſſe ſatis inepta, quæ vocem allegoricè interpretatur de gradibus virtutū, quibus quindecim iſti Pſalmi ſic ſint accōmodati, vt ſinguli peculiarē aliquam & præcedentibus ſublimiorem virtutem commendent. Atque hi mirum in modū poſtea inter interpretandum in declarandis illis virtutibus, & Pſalmorum accommodatione laborant. quâ de re prolixa poſſet inſtitui oratio ſi tempus ferret, & vtilis eſſet ea res diſcentibus. Videtur autem hæc ſumpta eſſe ex Gregorio Nazianzeno, qui in oratione poſt reditum habita, cantica graduum allegoricè de his interpretatur, qui virtute proficiunt, idque ad ſuum inſtitutum non malè accommodat. Alij ex recētioribus maximè probāt Lyrani ſententiam, qui putat Pſalmos graduum ſic dictos eſſe à loco: quia ſtantes in loco eminentiori ſacerdotes ante tēplum hos Pſalmos decantabant, vt meliùs exaudiri à populo poſſent, & quidem ita id faciebant, vt præſentium auditorū rationem haberent, atque pro horum conditione ſeu inſtituto Pſalmos ad id accōmodatos deligerent. Vt exempli cauſa, ſi quis nuptias celebraturus eſſet, huic Pſal. 128. præcinebatur: ſi quis de calumnijs & perfidia amicorum querelas ad ſacerdotem afferret, huic ex Pſal. 120. commonefactiones & cōſolationes recitabantur. Sed de his ſtatuat quiſque quod volet. Non enim periclitatur veritas. Et non debemus in his, quæ ſine periculo ignorari poſſunt, nimis eſſe curioſi. Ego de his omnibus tanquam incertis & dubijs nihil pronuntio, & auditoribus liberum iudicium relinquo. Non tamen diffiteor mihi maximè probari ſententiam Lyrani, qui à loco eminentiore, in quo decantati fuerint Pſalmi, nomen factum eſſe exiſtimat. Quòd ſi omnino ad muſicam referenda eſt vox, nō diſplicet mihi ſententia eorum, qui intentionem vocis ſignificari affirmant. Sunt alij qui canticum aſcenſionis interpretantur canticum concluſionis, quod in fine ſacrorum, quādo dimittendus erat populus, ſint cantati. Sicut in Romana eccleſia nominant completorium, quod canebatur, cùm ſacra eſſent completa. Mouentur autem hoc argumento quòd aſcendere Hebræis ſignificet nonnunquam finiri ſeu euaneſcere: Metaphora ſumpta à fumo aſcēdente & euaneſcente. Gen. 49. Aſcendit excellētia eius, id eſt, finita eſt & euanuit. Nahum 2. Aſcendit diſperſor ante faciem eius. Inde in commentariis Hebræorum legitur, Huic aſcendit annus, id eſt, finitus ſeu completus eſt.

Etſi autem Lyranus ad captiuitatem Babylonicam argumentum huius Pſalmi referendum docet, in qua cùm oberrarent hinc inde Iudæi, varijs calumnijs erant obnoxij, & ſæpe in periculum vitæ amittendæ veniebant, vt oſtendit hiſtoria Eſter: tamen, cùm plerique graduum Pſalmi expreſſè, vel Dauidi vel Salomoni tribuantur, exiſtimo etiam hunc à Dauide compoſitum & ſcriptum eſſe eo tempore, quando oppreſſus calumniis aulicorum coactus eſt cedere non tantum aula, ſed toto regno Iudaico, & apud vicinas gentes barbaras & idololatricas hoſpitium quærere. Eſt enim precatio aduerſus calumniatores & ſycophantas, quos plurimos eo tempore in aula Dauid habuit: & additur in fine triſtis querela de ſæuitia & crudelitate obtrectatorum, quæ tanquam ratio eſt à neceſſitate ſumpta, cur petat ſe liberari. Sunt autem pulcherrima orationis lumina & ornamēta aſperſa, vt in poëmate, quibus Pſalmum exornat. Nam cum ſe liberari petiuiſſet, ſubijcit mox apoſtrophen ad ipſos calumniatores, in qua vanitatem conſilij & inane maledicendi ſtudium ipſis exprobrat. Nam calumniatorum ea ferè eſt conditio, vt quanquam aliis plurimū noceant, ipſi tamen nihil lucri faciant. Nam ſicut Auguſtus de proditoribus dicere ſolebat, προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ: ita de calumniatoribus dici poteſt, calumnias quidem & obtrectationes auidè audiri & arripi à nonnullis qui his ſaginantur: ipſos tamen nullum alium inde fructum capere, quàm vt pro hominibus ſceleratis & perfidis habeantur, & fides ipſorum apud bonos omnes laboret. Exprobrationi ſubijcit exclamationem, in qua linguam calumniatricem & doloſam duplici collatione deſcribit, & quantum ex ea mali in homines innocentes redundet, oſtendit. Sequitur deinde querela, de qua iam dictum eſt, eáque Pſalmum concludit.

Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Cùm autem Dauid propter doctrinæ cœleſtis profeſſionem & vitæ integritatem maximè in odium venerit, & hos ſycophantarum morſus expertus ſit, cogitemus omnibus temporibus ſimilia ferenda eſſe his qui pietatis ſtudio ſeſe dedunt, & cœleſtis doctrinæ propagationem fideliter adiuuant. Nunquam enim deſunt, qui veram doctrinam aſtutè deprauent & calumnientur, & doctores ipſos calumniis op-

primant: vt hoc tempore, quàm multi excogitant præſtigias & ſophiſmata, vt fucata ſpecie idola ſua ſtabiliant, & odio accenſi contra ſinceros doctores paſſim eos traducunt, & regum ac principum odia contra eos inflammant, vt in aſſiduo verſari periculo neceſſe habeant. Vt autem Dauid oppreſſus calumniis aliud remedium non habet, quàm orationem: ita cogitemus nobis quoque in hac tanta calumniatorum virulentia & odiorum acerbitate hoc vnicum reliquum eſſe, vt noſtram innocentiam Deo commendemus, & ab ipſo defenſionem & liberationem petamus.

1 AD Iehouam in anguſtia mea clamaui: & reſpondit mihi.

Antequam liberationem petat, confirmat ſe recordatione priorũ liberationum, allegans exempla in quibus Deus præſentiam ſuam & fauorem erga Dauidem hactenus oſtenderat, vt maiore fiducia petere & expectare liberationẽ in præſenti periculo poſſit. Animus enim ad Deum accedens, cùm cogitatione promiſſionum, tum exemplis cum his congruentibus, eſt accendendus, atque ita fides eſt exſuſcitanda & confirmanda. Quoties, inquit, graue aliquod periculum mihi imminet, ego rectà ad Deum confugio, poſthabitis omnibus illis, in quibus mundus ſpẽ ſalutis collocat. & hactenus quidem expertus ſum, nõ vanas fuiſſe meas preces aut irrita vota: Sum enim ſemper exauditus. Quare nunc quoque in his anguſtiis & periculis conſtitutus, idem faciam. Ita colligit Dauid non aliena exempla, ſed propria, quibus fidem ſuam confirmat, & tentationes de indignitate vel alias extinguit ac repellit, & oſtendit ſe non eſſe iam tyronem in hac ſchola, ſed probè exercitatum ἀγωνιστὴν.

2 Iehoua, libera animam meam à labio falſitatis: à lingua doli.

Hæc propoſitio pſalmi eſt. Petit enim ſe defendi & liberari à calumniatoribus & ſycophantis, qui & doctrinam & vitam eius calumniabantur & deformabant: quales multi eo tempore erant in aula regis. *Labium falſitatis* nominat linguã calumniatricem: quæ omnia dicta & facta alicuius ſiniſtrè accipit & interpretatur, & paſſim obtrectando bonorum innocentiam traducit & infamat. Ita Dauid tunc dicebatur hæreticus, qui in doctrina religionis diſſentiret à rege & aulicis, eo quòd diceret illos religionem deprauare, & excogitare falſos cultus: dicebatur ſeditioſus, affectator regni, turbator tranquillitatis publicæ. Hæc omnia dicit falsò à calumniatoribus confingi: atque ita innocentiam ſuam aſſerit, cùm hoſtibus labium falſitatis tribuit. *Linguam doli* nominat, quę fucata ſpecie amicitiæ alicui ſtruit dolos: vt qui in aulis ſimulant ſe alicui bene velle & fauere, dicúntque ſe affici eius miſeriis & calamitate, offerunt etiam nonnunquam ſua ſtudia & officia, vt animum & conſilia eius explorent, & aliquid extorqueant, quod calũnioſè deprauando ad principem vel regem deferant, atque ita maius ei periculum creent. Tales hoſtes cùm habuerit Dauid, imò Chriſtus ipſe, non mirum videatur nobis, ſi nos quoque talia experiamur. Eſt enim hæc communis eccleſiæ fortuna.

3 Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua doli?

Expoſtulatio eſt orta ex quadam indignatione, ab indignitate rei, in qua malitiam ſuorum calumniatorum depingit. Qui iniuriam faciunt alicui, ſuo ferè commodo mouentur, vt aliquid contra honeſtum committant. Sed calumniatores atque obtrectatores nihil ferè lucrantur, nihílque capiunt commodi ex ſua arte, imò reddunt ſe ipſos ſuſpectos & contemptos hominibus prudentibus. Et tamẽ ſicut περὶ ὕβριος dicunt Græci, ὕβρις οὐδὲν κερδαίνουσα ὅμως ἀδικεῖ: ita verè hoc de calumnia dici poteſt, quòd cùm nihil lucretur, adeo tamen delectat homines prauos, vt iuxta Pindarũ, his ſit obſonij loco. Neceſſe eſt igitur inſignem eſſe obtrectatorum malitiam, qui cũ ipſi nihil inde capiant commodi, ita tamen delectãtur aliorũ pernicie, vt ſua etiã infamia eã redimere velint. Ideo dicitur, οὐδὲν κακουργότερον διαβολῆς ἐστί πω. In hãc ſententiam exprobrat Dauid ſuis hoſtibus turpe illud obtrectandi ſtudiũ.

Quid dabit tibi] Id eſt, quem fructum capis ex illis obtrectationibus? quaſi dicat, nullum niſi quòd hominem innocentem cõiicis in pericula & calamitates innumeras. Atque hæc extrema malitia eſt, ſine ſuo commodo alicui creare malum. Deinde multò etiam maior turpitudo in eo eſt quòd hęc res arte & dolo ſeu ſpecie amicitiæ inſtruitur. Nam eò iterum reſpicit cum linguam doli nominat.

Alij exiſtimant Dauidem hoc loco animo intueri omnia pericula & mala quæ ex calumnia hactenus prouenerint, vt horum cogitatione ſe exſuſcitet ad orandum ardentius. Itaque Pronomen *tibi* referunt non ad calumniatorem, ſed ad animũ Dauidis: quaſi dicat, quid amplius tibi nocere poteſt, quàm nocuit calumniator? exeruit enim omnes vires ſuas, & effudit in te omne virus ſuum vt nihil addi ad malitiam poſſit: eo itaque ardentius nunc inſtat orationi.

Græcus interpres paſſiuè reddit: τί δοθείη σοι καὶ τί προστεθείη σοι πρὸς γλῶσσαν δολίαν. Videtur enim legiſſe יֻתַּן *iuttan* in hophal, pro יִתֵּן *iutten*: & יוסף *iuſaph* pro יוסיף *ioſiph*. Itaque Auguſtinus admodũ ſe hîc torquet in reddenda ſententia. Exponit enim, quid dabitur tibi? id eſt, quo remedio liberaberis?

4 Sagittæ robuſti acutæ: cum carbonibus iuniperorum.

Sicut præcedẽte verſu cũ indignatione & deteſtatione ſceleris oſtenderat, ad calumniatorem nihil ex ſcelere redire commodi: ita nunc ab altera parte deſcribit calũniã ab effectu: & oſtendit quantum mali & periculi aliis creet lingua fraudulẽta, idque à duplici collatione. Confert enim linguã calumniatricem primùm ſagittis viri validi, & quidem acutis. Nam vir robuſtus ſi fortiter multúmque arcum tendat & ſagittæ ſint exacutæ, fortiùs illæ penetrant, & grauiùs vulnerant, atque id quidem incautos. Ita, inquit, calumnia lædit grauiſſimè incautos & innocentes. Nam præſtantiſſimi quíque opprimuntur aut deformantur calumniis, vt Palamedes, Socrates Ariſtides, Cimon, Theramenes, Dauid, Athanaſius, imò Chriſtus ipſe & infinita docentium in eccleſia multitudo. Atque hi omnes experiũtur verum eſſe quod dicitur. Aduerſus ſycophantæ morſum non eſſe remedium. Et nullum telum eſſe nocentius lingua, ſi ad nocendũ conferatur. Vnde eſt illud Satyr.

Lingua mali pars peſſima ſerui.

Cum carbonibus iuniperorum] Altera ſimilitudo à carbonibus iuniperorum ſumpta malitiam calũniæ magis declarat. Nam calumnia non tantùm in præſentia nocet, aut in periculum adducit innocentes, vt cum ſagitta valde torta aliquis ex inſidiis vulneratur & interficitur ſubitò, ſed ita altè inſidet animo auditorum, vt etiamſi in pręſẽtia amoueatur omnis ſuſpicio, tamen venenum ita adhæreat, vt poſt longũ tempus quacunque occaſione iterum ſeſe prodat, & ex parua ſcintilla magnum incendium odiorum, certaminum & bellorum excitet. Hoc voluit ſignificare ſimilitudine carbonum ex lignis iuniperi. Nam ſcriptores plantarum affirmãt materiam iuniperi, ſi fuerit accenſa, non tantùm vehemẽtiùs adurere quam cæteras, propter materiæ denſitatem & ſoliditatem, ſed ignem etiam quàm diutiſſimè fouere, modò cinere cooperiantur prunæ. In libris ſufflatoriis ſcribitur ex iuniperis factos carbones, tanta eſſe vi, vt per annum integrum ignem ſeruent incorruptum. Vult igitur calumniam non tãtùm in præſentia nocere plurimùm, idque in omnibus vitæ ordinibus & gradibus, in eccleſia, in republica, in vita priuata: ſed nunquam ita plenè refutari atque eximi ex animo audientis poſſe, quin aliquid maneat ſuſpicionum, & virulentiæ ex eo, quod ex calumniæ veneno lethali, vt Iacobus appellat, afflatum eſt, vt nunquam deinceps rectè & candidè quis iudicet de eo, qui per calumniam accuſatus erat, omniáque ita in ſiniſtram partẽ interpretetur & rapiat, vt vel leuiſſima occaſione, vel leuiſſimo errato prius illud vulnus recrudeſcat, & magnum odiorum incẽdium pariat. Ad hanc ſententiam congruit illud dictum Medij adulatoris in aula Alexandri, quod citat Plutarchus in libro de diſcernendo amico ab adulatore. Verba digna ſunt conſideratione, ideo adſcribo: ἐκέλευεν θαρροῦντας ἅπτεσθαι καὶ δάκνειν ταῖς διαβολαῖς, διδάσκων ὅτι κἂν θεραπεύσῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μενεῖ τῆς διαβολῆς. Hoc eſt, iuſſit audacter calumniari, quia etiamſi vulnus curet Ięſus, manet tamen calumniæ cicatrix. Significantur & calumniatorum inſidiæ hac ſimilitudine. Tanta enim eſt horum virulentia, vt quemadmodum carbones, cùm foris vidẽtur extincti, intus tamen adhuc ardent: ita illi occultant inſidias, donec oblata occaſione acerbitas odij erumpat. Grecus habet σὺν τοῖς ἄνθραξι τοῖς ἐρημικοῖς, quem Latinus ſecutus eſt.

Alij de vltione Dei aduerſus delatores, homines improbos interpretãtur. Quid afferet calũnia tibi? Sagittas, id eſt vltionem à Deo irato, qui ſua fulmina inſtar ſagittarum in te cõiiciet, & conſumet te tanquam ex iuniperis excitato incendio.

5 Hei mihi quia peregrinor [*verſor exulo*] in Meſech: habito inter tentoria Kedar.

Deſcriptioni calumniæ, in qua malitiam ſeu virulentiam atque effectum eius depinxit, ſubiicit triſtem querelam, in qua ſuam & in ſua omnium bonorum calamitatem & miſerias deplorat. Ita enim fere cõparatũ eſt vt quo quiſque eſt melior, rectior & honeſtior, & quo magis dat operã pietati & virtuti ac morũ integritati, eo vita ipſius magis ſit obnoxia calumniis & obtrectationibus. Vt Pindarus inquit in Nem.

Od. 7. ὅφρ᾽ ἦ λόγῳ φθονεῖσθαι, ἅπτεται δ᾽ ἐσθλῶν ἀεί, χέρειοσι δ᾽ οὐκ ἐρίζει. Nam mali & peruerſi homines, ſicut omnem pietatem & virtutem oderunt, ita cultores eius calumniantur & deformant quibus poſſunt modis, adducúntque in odia & pericula,& quacunque poſſunt arte nocere nocēt. De hac igitur rē queritur Dauid in hoc verſu, vt faciliùs impetret defenſionem & auxilium à Deo. Hei quàm,inquit,triſte & miſerum eſt, vitam bonorum perpetuò expoſitam eſſe ſæuitiæ calumniatorum! Exaggerat autem crudelitatem calumniatorum, dum eos comparat gentibus feris & crudeliſſimis,Moſchis ſcilicet & Arabibus.Nō quidē exulabat Dauid apud Moſchos aut Iſmaelitas:ſed populares hoſtes ſuos in aula regisSaulis,à quibus crudeliſſimè tractabatur & diuexabatur,his vocabulis notat.Erāt enim illæ gentes,propter crudelitatem & ſæuitiam,infames apud Iudæos. Ideo apud Moſchos & Arabes exulare ſe dicēs,innuit ſe verſari inter homines ſæuiſſimos & crudeliſſimos,quos nulla pietas, nulla honeſti ratio moueat,vt ab iniuria abſtineant: imò quos virtutis & pietatis ſtudium offendat,& odia ipſorum irritet: quales fuiſſe tunc in populo Dei mirum eſſet,niſi præſentia tēpora docerent, non alibi reperiri acerbiora odia & ſæuitiā maiorem, quàm in his,qui in ſinu eccleſiæ educati ſunt. *Meſech* Græcus interpres voluit eſſe nomen appellatiuum. Et quia verbū ſignificat extendere,protrahere,prorogare,producere cum mora, exiſtimauit nomen שׁכן ſignificare prolongationem ſeu prorogationem.Itaque ſic reddidit ἐμακρύνθη ἡ παροικία μου:quam ſententiam etiam Latin⁹ interpres expreſſit, & poſt eum Hieronymus, qui reddidit,peregrinatio mea prolongata eſt: vt iuxta hos Dauid diuturnum ſuum exiliū,quod ſine fine prorogari videbat,in hoc verſu deploret. Sed quia mox ſubiicit nomen Kedar, quod proprium eſſe gentis Iſmaeliticæ non dubium eſt,rectiùs etiam hoc nomen vt proprium de gente exponitur.Fuit autem Meſech filius Iaphet,vt ſcribiturGen.10.à quo poſteri propagati dicū tur filij Meſech. Videtur autem nomen ei inditum eſſe à iaculando ſeu ab extendendis arcubus:vnde Scytharū nomen factum eſt,qui lingua Saxonica ſunt *Schutten*:vel certè futurū præuidens pater,vt poſteritas Meſech in longinquas,& procul extenſas regiones ſe diſſeminaret, hoc nomen tanquam omen futuri incrementi eiindidit,quaſi dicat: Meus filius eritMeſech,id eſt,procul ſe & poſteros ſuos extendet,*er vvird ſich vveit ausſtrecken vnd ausbreiten*, occupabit enim magnas & latas ditiones.Congruit autem cum appellatione Meſech nomen gentis, cuius potentia etiam olim fuit celebrata,& hodie orbi Chriſtiano eſt formidabilis.Feritatem & immanitatem μεγάλων & ἀθεμίστων deſcribit Apollonius in Argonautico carmine libro 2.Et notus eſt Lucani verſus libro 3.qui ſæuos Moſchos appellat: & noſtra ætas feritatem eius gentis experta eſt in excidio gentis Liuonicę & alicuius partis Poloniæ.

Kedar fuit filius Iſmaelis,qui perſecutus eſt Iſaac. Ab hoc Arabes propagati ſunt,vt nomine Kedar Arabia in ſacris literis ſignificetur: ſicut apparet ex vaticinio de pœnis Arabum Ieſa.cap 21.Nomen ei inditum eſt à nigro colore. Sunt autem Arabes Nomades, & ſine certis ſedibus vagantur, ſicut &Moſchi. Et vtraque appellatio Meſech & νομάδες ſignificat eos qui latè ſparſi diuerſas regiones occuparunt. Ideo pſalmus ait eos habitare in tabernaculis ſeu tētoriis. Quales autem mores ſint Nomadum, oſtendit Euripides in Cyclope,cùm inquit, νομάδες, ἀκούει δ᾽ οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός, id eſt,nulla habita ratione honeſti aut aliorum hominum, rapiuntur ſuis cupiditatibus & indulgent animo ſuo, nec patiuntur ſe regi legibus aut diſciplina, nec habetur apud eos turpe lædere quenquam vel afficere iniuria:imò laudem ex iniuriis,rapinis,&cæde aliorum ſibi comparant.Tales igitur,inquit,ſunt mei populares,cum quibus viuere cogor,homines ſcilicet efferi & crudeles,qui immanitate & ſæuitia certant cum quibuſuis barbaris & efferis gentibus.Notandū autem,quòd dicit ſe peregrinari apud hos homines.Etſi enim in patria agebat: tamen dicit ſe fuiſſe inquilinum. Primùm, quia nunquam poterat ſibi certā & fixam ſedem polliceri inter tales homines, ſed aſſiduè erant ei meditanda exilia & quærendæ latebræ,vt docet eius hiſtoria. Deinde vt ſignificet ſe deteſtari horum hominum conſuetudinem, nec agnoſcere eos pro ſuis popularibus, quos videat ita eſſe corruptos, & tam longe degenerare à maiorum ſuorum pietate & virtute.Sicut autem Dauid queritur ſe verſari inter hoſtes crudeliſſimos: ita cogitemus eccleſiam omnibus temporibus cinctam eſſe ab his gentibus, quarum hic meminit, hoc eſt ab hoſtibus crudeliſſimis & ſæuiſſimis. Et quidem exiſtimant multi eruditi, vaticinium eſſe in hoc verſu de poſtremis temporibus eccleſiæ, quo ſignificetur eccleſiam nouiſſimis temporibus exulaturam eſſe inter Moſchos & Saracenos, quos Arabes eſſe conſtat. Teſtantur autem præſentium temporum calamitates, eccleſiam ab his duabus gentibus maximè premi & exerceri. Ideo has querelas cum Dauide in ſinum Dei effundamus, & petamus eccleſiam ſeruari & defendi contra immanem illorum hoſtium rabiem & crudelitatem.

6 Multum habitauit ſibi anima mea cum oſore pacis.

Amplificat querelam à mora ſeu diuturnitate mali. Calumnia, inquit Salomon, conturbat ſapientem,& frangit robur cordis eius,hoc eſt,ſi integritas noſtra diutius traducatur ab hominibus impuris & ſceleratis,& ſine fine petulanter illi nobis obſtrepant,ea res vehementer auget dolorem. Et multi quidem, etiamſi primum impetum ſuſtinent fortiter, tamen tādem franguntur mora aut diuturnitate mali. Dauid verò etſi non fractus eſt prorſus,aut proſtratus:tamen queritur dolores ſuos creſcere & augeri illa diuturnitate mali.

Sibi] Redundat,vt ſæpe etiam in Germanica lingua.

Cum oſore pacis] Nunc ſine figura exprimit, quos prius obliquè notarat per Meſechitas & Kedarenos,eos nempe, qui cū eſſent in populoDei,&pro religioſis ac piis haberi vellet, imò qui ſe lumina & columnas eccleſiæ iactitarent,Moſchos tamen & Arabes referrent, hoc eſt, à pietate eſſent alieniſſimi,& perpetuò ſererent ſemina odiorum, diſcordiarum, bellorum ciuilium: quíque nihil aliud agerent,quàm vt patriam bello inuoluerent, vt interea ex honorū oppreſſione & rapinis diteſcerent. Tale affirmat eſſe ſtudium calumniatorum & obtrectatorum Cùm enim homines ſint ambitioſi & auari, vident ſe non poſſe creſcere in pace & in otio, nec obtinere licentiam cupiditatum ſuarum niſi oppreſſis bonis, per quos pax colitur & conſeruatur. Sicut igitur Philippus Macedo militibus dicere ſolebat, illis pacem eſſe bellum,& bellum pacem:ita hi perpetuò turbant eccleſias & reſpub. vt inter turbas oppreſſis bonis, tanquam qui anguillas capiunt turbato flumine,creſcant. Sciunt enim nimis verum eſſe,quod dicitur,ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

7 Ego pacem: & dum loquor, ipſi ad bellum.

Rurſus amplificat querelam ex comparatione morum & actionum, in qua primùm ſuum animum pacis & concordiæ cupidum, deinde è regione animorum implacabilitatem in hoſtibus depingit: vt hoc modo ſuas miſerias exaggeret, & Deum ad opem ferendam extimulet.

Ego pacem] Abrupta eſt locutio,ſed tamen ſententia non eſt obſcura. Ego, inquit, ſector & colo pacem, expeto pacem, nunquam præbui occaſionem odiis, & ſi intelligam eos non bene eſſe erga me affectos, ſtudeo ſanare & mitigare eos, quibus poſſum officiis & ſtudiis, ineo omnes rationes & conſilia,vt redeam cum eis in gratiam, offero me ad pacem & ad amicitiam; ſed adeo nihil proficio mea manſuetudine & lenitate, vt magis etiam odia ipſorum accendam, & impetum ipſorum in me concitem. Monet autem hoc Dauidis exemplum, pios non ſolum abſtinere debere ab omni iniuria,ſed etiam debere eſſe συμβατικοὺς qui ſtudia & voluntates hominum ſtudeant ſibi conciliare & comiter allicere ad ſe,& ſi videant quoſdam eſſe offenſos aut alienos à ſe,hos ſtudeant placare & reconciliare, etiamſi ipſi cauſam odij aut ſimultatis non præbuerint. Quòd ſi nihil hac ſua lenitate & modeſtia proficiant, tum demum cauſam ſuam Deo commendent & patienter defenſionem expectent.

PSALMI CXX.

PARTES.

I. Narratio, qua Pſaltes declarat, quomodo conflictans cum grauiſſimis difficultatibus in exſilio ſuo Deum inclamauerit,& fuerit exauditus,v.1.

II. Oratio,tres partes continens.1.Petitio ad Deum,2.verſ. 2.Reprehenſio aduerſariorum Dauidem calumniis obruentium v.3.& 4. 3. Flebilis expoſtulatio de peregrinatione & manſione inter hoſtes Eccleſiæ Dei,v.5.6.&7.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Inuocatio veri Dei eſt tutiſſimum ac præſentiſſimum malorum omnium remedium.

Non modò perſecutionibus violentis & gladiorũ ictib⁹ pij in maximas coniiciuntur anguſtias, ſed etiam ſycophantarum calumnijs aliquoties ita comprimuntur vt ſpeciali Dei auxilio illis ſit opus.

2 Omnipotentis Dei opus eſt variorum ſycophantarum, nempe impiorum magiſtratuum falſis præiudiciis, edictis & pronuntiatis in eccleſiam ſæuientium, tum aulicorum epicureorum, tum hæreticorum, hypocritarum & profanorum pietatis alumnos irridentium linguas compeſcere. Vide Pſal.12.

Suos eripit ab improbitate & virulẽtia linguarum Dominus, vel mirandis modis ſuos liberando, vel eorum innocentiam euidentiſſimè aperiendo, vel impios ipſos obtrectatores iudiciis horrẽdis tollẽdo.

3 Calumniatores nihil aliud proficiunt, præcipuè quum pietati bellum indicunt, quàm vt ſibi perniciem accerſant: ſit enim malum conſilium conſultoribus peſſimum.

4 Acutæ quidem & lethales ſunt robuſti ſagittæ: ardentes item ſunt iuniperi prunæ: ſed acutior eſt calũnia in caput quidẽ calũniãtium. Tametſi enim ad tempus malignæ linguæ ſpiculis innocentia feriatur, manet tamẽ impenetrabilis, & tela in coniicientẽ reuertũt.

5.6. Nihil triſtius piis quàm inter impios ad rixas & pugnas procliues (qualis eſt hodie Chriſtianarum eccleſiarum pleriſque in locis conditio) habitare.

7 Piorum eſt pacem diligere, & modis omnib⁹, quãtum in ſe erit, modo ſine gloriæ diuinæ iactura, ꝓcurare: etiãſi cũ deploratis viris ſit illis negotium. Dum enim quod Deo gratum eſt, coram hominib. ſincero cordis affectu promouere conamur, euentus omnes ſapientiſſimæ omnipotentis prouidentiæ nos committere par eſt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1 De inuocatione Dei.
2 De calumniis & dolis hoſtium Eccleſiæ.
3 Piis an & quomodo liceat inter impios verſari.
4 Hoſtium Eccleſiæ multiplex diſtinctio.

ARGVMENTVM PSALMI CXXI.

HVIVS pſalmi tota oratio eſt concio quædam militaris, vt videatur compoſitus eſſe hic pſalmus à Dauide, quando vixit in caſtris: vbi cùm videret ſe & populum ſuum aſſiduè expoſitum eſſe hoſtium inſidiis & periculis variis, colligit in hoc pſalmo varias & luculentas promiſſiones, quibus & ſeſe & exercitum ſuum confirmat, ne fracti magnitudine aut metu periculorum aciem aut caſtra deſererent, vel populum Dei hoſtibus dilaniandum ac delendum ſua ignauia obiycerent: ſed vt fortiter in ſua quiſque ſtatione manentes defenſionem & auxilium à Deo peterent & expectarent. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Sicut autem Dauidem & eius ſubditos aſſidua exercuerunt bella à vicinis gentibus illata: ita cogitemus perpetuam eſſe omnium piorum militiam in his terris, in qua nobis pugnandum eſt cum peccato, morte, diabolo, mundi potentia & carne noſtra. Nam hos habet hoſtes eccleſia perpetuos, potentiſſimos & crudeliſſimos. Aduerſus quos etſi longè imparibus viribus pugnamus & congredimur nudi ab omnibus rebus externis: tamen animos noſtros cogitatione harum dulciſſimarum promiſſionum, quæ in hoc Pſalmo & alibi traduntur, muniamus, ne fracti magnitudine periculorum à Deo deficiamus, vel ad hoſtem tranſeamus: & fiducia harum promiſſionum petamus & certò expectemus defenſionem & liberationem. Adeſt enim certo filius Dei Immanuel eccleſiæ ſuæ, & armat ac inſtruit pugnantes, & vires ſuppeditat, vt impetum hoſtilem ſuſtinere poſſint: ipſe etiam dextera ſua pugnat & prælia miſcet: & hoſtes feliciter reprimit: tandem etiam in fine huius ſeculi deletis omnibus hoſtibus lætum aget cum eccleſia ſua triumphum, cùm eam adducet in conſpectum Patris, & donabit eam vita & beatitudine æterna.

1 CAnticum graduum. Leuabam oculos meos ad montes: vnde veniret auxilium mihi [*vel meum.*]

Hunc verſum plerique ex noſtris ita interpretantur, vt ſit propoſitio pſalmi, quæ oſtendat vnde in magnis periculis & doloribus ſit petenda & expectanda conſolatio, auxilium, defenſio & liberatio. Volunt enim congruere ſententiã huius verſus cum precatione Ioſaphat 2. Paral. 20. Cùm ignoramus quid agendum ſit, ad te Domine oculos noſtros attollimus. Nam montes interpretantur montem Sion & Moriã, in quo ſe Deus patefecit patribus repetita promiſſione de vẽturo ſemine, & poſtea ſanctuariũ ſuum ibi condidit, atque ibi coli & inuocari voluit additis certis teſtimoniis patefactionis & propoſitis viſibilibus ſignis ſuæ gratiæ & præſentiæ: vt leuare oculos ad montes hoc loco, nihil aliud ſit quàm oculos ab omnibus viſibilibus rebus, à quibus ſpes aliqua defenſionis, auxilij & opis affulgere poteſt, tanquam à rebus fugacibus & incertis auertere, & ad vnum Deum, qui ſe in hoc populo patefecit, propoſito certo verbo & electo certo loco, in quo ſigna ſuæ præſẽtiæ propoſuit, dirigere, & vera fide opem, auxilium, defenſionem & liberationem ab eo petere & expectare. Eſt igitur ſecundùm hos metonymia in vocabulo *montes*: quia per montes ſignificatur Deus, qui ſe in his montibus certo verbo & teſtimoniis patefecit, & ad hos montes cultum externum ita alligauit, vt alibi ſibi offerri ſacrificia nollet. Eáque cauſa fuit cur Iudæi, vbicunque locorum eſſent, oraturi faciem ſuam ad hunc ſanctuarij locum conuerterent. Sed cùm propheta vtatur numero plurali, cùm dicit, *ad mõtes*: & vſitatum ſit ſcripturæ, cùm de loco ſanctuarij loquitur, vnicum tãtùm montem nominare, non plures, (vt Ieſa. 2. Præparatus mons domus Dei in verticem montium. Item, Venite aſcendamus in montem Domini. Et Pſalmo 78. Elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit &c) iudico per *montes* hoc loco non ſanctuarium ſeu baſilicam Dei, ſed terram ipſam Canaan ſignificari, quæ tota erat montoſa, ſicut dicitur Deuter. 11. & infrà pſal. 125. & metonymicῶs omnia externa præſidia ſignificari per montes. Nam montes alioqui ſignificant quicquid arduum, firmum & potens eſt in mundo. Pingit autem propheta in hoc verſu animum conſtitutum in magno periculi metu, qui vndique circumſpicit, & oculos circumfert in omnes mundi partes & angulos, an fortè aliquid aliunde ſe offerat auxilij aut ſpei. Ita enim omnes natura ſumus affecti, vt ad ea, quæ ante oculos poſita ſunt, feramur, atque inde remedia noſtris malis petere cupiamus. Sumus enim ἐπίγειοι. Ideo illa terrena nobis obuerſantur. Alius igitur opes, alius beneuolentiam & ſtudia amicorum, alius alia requirit.

Dauid igitur in ſua perſona non ſuum tantùm, ſed vniuerſi exercitus ſui atque totius generis humani animum in hoc verſu depingit. Quoties erat educendus exercitus ex vrbe Hieroſolyma, & gerendum bellum cum hoſtibus potentiſſimis, primùm ſubibant hæ cogitationes animum Dauidis: expectanda eſſe à montibus prius auxilia reliquarum tribuum, atque ita communibus viribus rem gerendam eſſe: comparanda etiam eſſe aliunde auxilia & præſidia, & nihil omittendum quod vſui eſſe in re præſenti poſſet. Exercitus verò multò etiam magis trepidabat, conſiderans potentiam hoſtiũ & magnitudinem periculorum, & videns ſuam paucitatem & imbecillitatem. Itaque huc atque illuc anxius & metu plenus reſpectabat, an aliunde venirent auxilia, quę exercitum augerent & firmarent. Ita igitur Dauid & vniuerſus exercitus in omnibus negotiis ſuis aliquid humanum patiebantur, vt reſpectarẽt ad montes, hoc eſt, ad externa præſidia & remedia, quibus tolli aut mitigari malum in præſentia poſſe iudicabant: & nos in noſtris ærumnis & periculis ſimilia experimur. Eſt enim hæc vanitas nobis omnibus ingenita, vt præſentibus rebus affixi magis ſimus quàm debebamus. Et hanc ſuam & exercitus ſui imbecillitatem ita proponit, vt ipſe ſe & exercitum ſuũ caſtiget & reprehendat, vt mox ex ſequenti verſu videbimus: quaſi dicat, Cùm ad caſtra & bellũ egredimur, ita ferè omnes cogitamus: expectanda

da priùs eſſe auxilia reliquarum tribuum, firmandum eſſe exercitum copiis auxiliaribus, & omnia comparanda, quæ ad bellum feliciter gerendum pertinent. Has cogitationes periculi magnitudo, imò diabolus ipſe, nobis immittit, vt exiſtimemus rem feliciter geri non poſſe, niſi auxilia foris ſubminiſtrentur. Sed addit antitheſin verſu ſequenti, qua hanc vanam fiduciam corrigit.

Nonnulli pro אל *el*, legunt על *al*, ſupra montes, id eſt, tranſcendo omnia mundana.

2 Auxilium meum à Iehoua: qui fecit cœlum & terram.

Hæc vox fidei eſt, corrigens & excutiens illas cogitationes de quærendis præſidiis viſibilibus in rebus externis, quaſi dicat, Fruſtra circũferimus oculos ad mõtes & ad externa præſidia, fruſtráque confidimus in robore aut multitudine exercitus, in ſcientia rei militaris, in amicorum fauore, opibus aut potentia, &c. Neque enim hæ res iuuare nos aut eripere ex præſenti periculo poſſunt: ſed à ſolo Deo eſt expectandum & petendum auxilium. Is ſolus iuuare & liberare nos poteſt, etiam cùm omnes cauſæ ſecundæ nos deſtituunt, cúmque nullum à montibus venit auxilium, & foris nihil opis aut præſidij conſpicitur. Addit autem deſcriptionem Dei, in qua eſt argumentum à facili, & antitheſis, qua ad montes illos, quorum priùs mentionem fecerat, reſpicit. Deus fecit cælum & terram, ergo multò maior eſt eius potentia, quàm totius mundi, nedum illorum montium aut vrbium, à quibus nos tam anxiè auxilium expectamus, & facile eſt ei etiam abſque magno & numeroſo exercitu nos ſeruare & victoriam largiri. Ita nos quoque hoc epitheton Dei diſcamus ad noſtras ærumnas & neceſſitates accommodare. Neceſſe eſt enim nos ſcire & ſtatuere Deum poſſe nos iuuare, etiam cùm ab omnibus creaturis deſerti ſumus. De voluntate verò eius ex verbo & promiſſionibus ſtatuendum eſt. Quod Dauid in ſequentibus facit.

3 Non dabit ad lapſum pedem tuum: non dormitabit cuſtos tuus.

Generalem promiſſionem, cuius præcedente verſu meminerat, nunc facta diſtributione vſque ad finem pſalmi explicat & exaggerat.

Primùm, inquit, ſi per aſpera & ſalebroſa loca ſit eundum, vt fieri ſæpe neceſſe eſt, cùm exercitus educitur, & nos in toto vitæ noſtræ curſu in multa loca aſpera & difficilia conijcimur, ex quibus humano conſilio aut viribus nos expedire non poſſumus, vel, etiamſi cominus ſit congrediendum cum hoſte & pugnandum in acie, non dabit pedem tuum ad lapſum, id eſt, non permittet vt vel itineris aſperitate, vel negotiorum mole & difficultate, vel etiam hoſtili impetu euertaris: ſed ſuppeditabit tibi robur & vires, vt aduerſus omnes difficultates & pericula fortiter conſiſtas, itinera difficilia ſuperes, negotia quantumuis grauia feliciter conficias, & hoſtem tibi cædem minitantem repellas.

Addit autẽ *non dormitabit cuſtos tuus*: vt occurrat obiectioni. Nam in tanta infirmitate noſtra, in tanta hoſtium, qui nos oppugnant, potentia & virulentia, in tanta negotiorum mole, & belli, quod gerimus, difficultate, fieri non poteſt quin interdum pes impingat aut nutet, vel effundantur penè greſſus noſtri, vt Pſalmo 73. dicitur, & animus nõ poteſt omnino eſſe ſine metu & ſine cura, præſertim ſi non omnia mox ſuccedant ex voto, & pericula ingruant humanis conſiliis inextricabilia. Hic tenenda eſt hæc conſolatio, Deum aſſiduè nobis cuſtodem adeſſe, ſeruare nos, ne opprimamur magnitudine periculorum, etiamſi aliud initio nobis videatur, ſi rationem in conſilium adhibeamus: dictat enim illa, Deum non affici cura noſtri, Iouem abiiſſe ad deorum conuiuia & delicias agere, vt fingit Homerus, vel dormire, &c. Fides verò ex promiſſionibus contrarium ſtatuit.

4 Ecce, non dormitabit, neque dormiet cuſtos Iſrael.

Repetit poſterius membrum præcedentis verſus, quia vult hanc promiſſionem dulciſſimam de defenſione piorum probè infixam eſſe animis noſtris, eámque opponi Epicureis dubitationibus aut diffidentiæ animorum humanorum. Ideóque particula הנה nos excitat, quaſi coràm præſentem monſtrans hunc Dominum. Omnes enim in magnis periculis, cùm non mox conſpicitur liberatio, cogitamus Deũ abieciſſe curam noſtri, negligere nos, vel dormire prorſus, vt qui rerum humanarum cura non tangatur. His tentationibus opponendus eſt hic verſus. Sicut non caſu voluuntur res hominum, nec ſine certo Dei conſilio exercetur eccleſia ærumnis & calamitatibus: ita etiam certò ſtatuendum eſt, non negligere Deum eccleſiam ſuam dum iacet ærumnis oppreſſa, non abiicere curam eius, non prodere eam hoſtibus ſuis, vt faciunt vigiles ſomnolenti aut dormientes: ſed certò eum adeſſe ſuis in cruce & calamitatibus, eſſe ſolicitum de ſalute ipſorum, agere perpetuas excubias pro ſalute eccleſiæ, proſpicere & auertere pericula omnia, quæ opprimere eccleſiam poſſint. Loquitur autem Dauid, aut quiſquis eſt autor, tanquam dux ad exercitum ſuum: ideo phraſes ſunt militares. In exercitu neceſſe eſt diligenter diſponi excubias, quæ vigilent pro ſalute reliqui exercitus, & ſi quis ab hoſte ſe moueat, aut periculi aliquid ingruat, mox in caſtra nunciet, & exercitum ad arma conuocet, atque ita periculum auertat.

Eſt igitur talibus excubiis, quæ perpetuò vigilant, & in omnia intentæ ſunt, in exercitu nihil pretioſius, vtpote in quibus ſalus totius exercitus conſiſtit: ſicut econtra, ſi excubiæ ſomno indulgeant, nihil eſt pernicioſius. Totum enim exercitum ſua ſomnolentia produnt & perdunt. Deus autem, cum exercitus eccleſiæ educitur ad bellum, adeſt perpetuò eccleſiæ militanti, agit excubias pro ea, monet diligenter de omnibus periculis quæ imminent ab hoſte, & non tantùm eccleſiam ad arma ſuſcitat, ſed ipſe etiam primus in hoſtem impetum facit, & ſua manu potenti eum repellit. Sunt quidem & angeli cuſtodes eccleſiæ & perpetuò ſunt in excubiis, vt Pſalmo 91. dicitur, & hiſtoria Eliſei id demonſtrat 2. Reg. 6. Sed cuſtos ſupremus ſeu præfectus excubiarum, eſt ipſe filius Dei, qui perpetuò ſtat in excubiis & pugnat pro filiis populi ſui. Hic habet ὀφθαλμὸν ἀκοίμητον, vt inquit Baſilius, videt omnia quæ moliuntur hoſtes, reddit irrita & eludit eorum cõſilia & conatus, monet ſuos de periculis, inſtruit ſuos ſalutaribus conſiliis & armis, quibus hoſtem depellant: ipſe etiam pugnat & prælia miſcet. Apud Homerum dicitur de rege,

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Id verè dicitur de filio Dei excubias agente pro ſua eccleſia.

Dauid igitur etſi educebat exercitum, quem videbat non eſſe parem hoſtium multitudini, & ſciebat hoſtes non tantùm eſſe potentes, ſed inſtructos etiam ſcientia rei militaris, variis dolis, technis & fraudibus, à quibus facilè circumueniri & opprimi exercitus tam exiguus poterat: tamen hac conſolatione & ſeſe & exercitum ſuum confirmat, quòd ſcit hunc ſuum exercitum talibus excubiis eſſe circumdatum & munitum, quæ hoſti quantumuis varia tentanti aut molienti, aditum ad caſtra non ſint conceſſuræ, ſéque & ſuos hoc præſidio munitos ſecurè poſſe quieſcere in caſtris & dormire. Obſeruãdum autem quòd dicit, *cuſtos Iſraelis*. Significat enim hanc promiſſionem pertinere peculiariter ad populum Dei, cui ſe patefecit & à quo rectè agnoſcitur & colitur, non promiſcuè ad totam hominum multitudinem. Et reſpicit hoc verbo ad promiſſionem traditam Gen. 17. Ego ero Deus tuus & ſeminis tui. In verbis Hebræis נום & ישן eſt aliqua differentia. נום inchoationem potiùs ſomni, quàm ſomnum ſignificat, vt cùm quis interdiu poſt cibum ſumptum ſopitur, *das heiſt ſchlummern*. Sed ישן de continuato ſomno intelligitur, qualis eſt nocturnus. Intenditur igitur ſignificatio in poſteriore verbo, cùm inquit לא יישן quaſi dicat, non dormitabit, multò minùs dormiet, vel tantùm abeſt vt dormiat profundum ſomnum, vt ne quidem dormituriat, *das er auch die augen nicht zufallen leſſet*. Ita enim ratiocinantur Hebræi à maiori ad minus: Si non dormitat, quomodo ſomnum profundum admittet? Apud Ieſa. cap. 5. verſu 27. vbi ſtrenuitatem hoſtium deſcribit, vtitur propheta eadem phraſi.

5 Iehoua cuſtos tuus: Iehoua vmbra [*protectio*] tua: ad manum dexteram tuam.

Repetit & amplificat eandem promiſſionem de defenſione Dei, vt ſit quaſi expolitio prioris ſententiæ ſeu membri, quod eſt in poſtrema parte vtriuſq; verſus. Sicut vigilat Deus perpetuò pro ſalute eccleſiæ ſuæ: ita adeſt etiam perpetuus cuſtos, defenſor & auxiliator. Dixerat præcedente verſu, non dormire eum qui cuſtodit Iſrael. Nunc priuatim vnũquenq; compellans monet vt promiſſionem, quæ ad totum eccleſiæ corpus pertinet, ſinguli fide ad ſe accommodent, & ſe in eam includant. Ideo dicit, eſt cuſtos tuus, &c. ter repetens in eodem verſu pronomen. Dicitur autem Deus *cuſtos* ſuorum non tantùm quia vigilat aut excubias agit pro eis, ſed etiam quia vndique eos cingit ſcuto beneuolentiæ ſuæ, vt ſuprà dicitur pſalmo 5. eſtque, vt apud Zachariam dicitur, murus igneus in circuitu eorum, arcens & repellens hoſtes, infringens eorũ vires & conatus, ne irruere in hunc exercitum pro ſua libidine, omniáque ſanguine & cædibus complere poſſint. Eccleſia quidem in hac vita nudata eſt & caret omnibus externis præſidiis, vt videatur patere omnibus iniuriis & obiecta cuiuſuis libidini, eáque res hoſtibus animos & ſpiritus addit, vt magno impetu aduerſus eam inſurgant: ſed tamen

illa mirabiliter defenditur & ſeruatur. Fieri quidem aliter non poteſt,quin, vt in magno exercitu, vnus atque alter aut etiam plures in pugna nonnunquam interficiantur. (Eſt enim eccleſia vt caſtrorum acies ordinata.) Sed tamen totum corpus ſeruatur,eſtque eccleſia tandem victrix.

Dominus eſt vmbraculum tuum] Videtur reſpicere ad hiſtoriam eductionis ex Ægypto, vt hoc exemplo commonefacti ſinguli certi ſint de auxilio & defenſione diuina. Scribitur enim Exod. 14. Cùm populus Iſraeliticus educeretur ex Ægypto,& perueniſſet ad anguſtias iuxta mare rubrum,& hoſtis iam à tergo inſtaret & vrgeret,ita vt nulla ſpes vitæ reliqua eſſet:angelum, qui hactenus præceſſerat caſtra,conceſſiſſe ad tergum exercitus, & ſimul cum eo columnam nubis, eámque ſtetiſſe inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſraelitarum. Fuiſſe autem nubem illam tenebroſam, ita vt præ illa noctis tenebræ multum lucis habere videri potuerint,atque ita ſuis tenebris texiſſe exercitum Iſraeliticum, & hoſtem cohibuiſſe ne inſequeretur. Sicut igitur tunc angelus Domini,hoc eſt, filius Dei, fuit vmbraculum Iſraelitarum:ita cogitemus Deum aſſiduè nos protegere, vt pugnantes cum aduerſariis non lædamur,& vt hoſtes iacula & haſtas ſuas fruſtra in nos mittant. Apud Homerum Paris imparibus viribus cõgreſſus cum Menelao, cùm periculum creſceret, fingitur à Venere nube tegi atque inuolui,atque ita periculo eripi. Talia videntur accepta eſſe ex narratione patrum de eductione Iſraelitarum ex Ægypto,& aſſidua piorum protectione.

Ad dexteram tuam]Hoc eſt,in ipſo prælio,quando cominus congrediendum eſt cum hoſte & dextrâ res gerenda eſt, hic adeſt tibi Deus tanquam fidus ὑπασπιστὴς, excipit ictus & tela hoſtium, & facit ne lædaris ab hoſte. Et quidem cùm inquit, Et ad dexteram tuam, monet Deum non procul quærendum eſſe, vt ſolent animi in periculis conſtituti neſcio quò reſpectare, quaſi Deus procul à nobis abſit:ſed vult nos certo ſtatuere eum nobis præſtò adeſſe, & ſtare ab vniuſcuiuſque latere,vt eum conſeruet & tueatur. Ita ſuprà inquit pſal.110. Dominus à dextris tuis, conteret in die iræ ſuæ reges, & pſal. 16. Quoniam Dominus à dextris meis,ideo non mouebor. Diximus autem de hac phraſi plura pſalmo 109. Sicut autem Dauid alloquens ſuos milites vtitur phraſi conueniente rei præſenti: ita accommodemus hanc promiſſionem ad ſingulos & ad omnes actiones noſtras. Nec tantùm in prælio,ſed in omnibus noſtris actionibus ſeu in laboribus vocationis noſtræ,qui per dextram ſignificantur,adeſt nobis Deus,adſtat nobis,admouet ipſe manum, prouehit ſtudia & conatus noſtros, ſeruat, tuetur & defendit nos, reprimit diabolum & eius organa, ne impedire honeſtos labores noſtros poſſint. Deus enim qui efficit vt velimus, idem efficit vt perficiamus, vt talia fiant quæ ipſi ſint grata,Philip.2.

6 Interdiu ſol non vret [*percutiet*] te: neque luna nocte.

Rurſus reſpicit ad hiſtoriam eductionis populi ex Ægypto. Eſt enim illa hiſtoria perpetua imago eccleſiæ omnium temporum. Ideo ſæpe ſcriptura loquens de eccleſia ad eam alludit. Cùm enim populus vagaretur in deſerto in locis calidis & ſiccis, Deus interdiu nube tegebat populum,ne à calore ſolis vreretur. Noctu etiam interpoſita columna ignis, prohibebat ne radij Lunæ nimia humectatione cerebrum læderent. Huc igitur reſpiciens propheta exercitum ſuum monet, cùm perpetuò in caſtris & ſub aperto cælo commorandum ſit,ne metuant æſtum ſolis diurnum, aut noxios humores, quos Luna noctu concitare vel augere poſſit. Deum enim hæc incommoda omnia ita temperaturum affirmat, ne nocere ſuis aut exitialia eſſe poſſint. Hæc ſumma eſt huius verſus. Significat autem συνεκδοχικῶς per calorem ſolis & humores noxios à Luna noctu concitatos, quoduis incommodi genus,& quoduis periculum, quod nobis in noſtra vocatione ſubinde obiicitur. Multa enim nobis quotidie accidunt grauia & difficilia, quæ humanis conſiliis explicari non poſſunt, Deus tamen has difficultates omnes ita mitigat, ne pij his opprimantur: ſicut æſtum caniculæ in æſtate gratiſſimis flatibus eteſiarum ſeu frigidiore aura temperare ſolet.

7 Iehoua cuſtodiet te ab omni malo: cuſtodiet animam tuam.

Quod figuratè dixerat, nunc abſque figura repetit,& promiſſionum hactenus traditarum certitudinem confirmat. Deus cuſtodiet te ab omni malo, id eſt, ſeruabit te integrum & illæſum. In poſteriore membro occurrit tacitæ obiectioni. Accidunt nobis in hac vita multa triſtia & dura,& nulla gens eſt magis miſera & ærumnoſa, quam ea quæ eccleſia dicitur. Cur igitur dicit,ab omni malo. Reſpondet ſe loqui de eo malo, quod animæ noſtræ & ſaluti eſt pernicioſum. Mala corporis adeo non officiunt ſaluti piorum, vt potiùs illam promoueant. Ideo dicit,cuſtodiet animam tuam.

8 Iehoua cuſtodiet egreſſum tuum & ingreſſum tuum: ab hoc tempore & vſque in ſeculum.

Id eſt, Deus erit cuſtos tuus quocunque perrexeris: nullo loco nec tempore tibi deerit:itaque quicquid inſtitues agendum, id feliciter cedet, Deo benedicente tuis laboribus. Hûc igitur habent ſaluum conductum, atque hanc fidem publicam homines pij, qua muniti ambulant in hac vita per innumeras difficultates, miſerias, inſidias hoſtium,pericula extrema, &c. In bellis enim nemo tutò facere iter in hoſtili regione poteſt, niſi ſaluò conductu aut fide publica ſit munitus. Nos verò perpetuò in hac vita agimus & verſamur inter medios hoſtes: opus eſt igitur nobis hac fide publica, quam nunc vocabulo ab Italis,Gallis & Hiſpanis accepto nominamus *Saluaguardi*:ſicut Iſraelitæ aduerſus percuſſorem per Ægyptum tranſeuntem muniebant ſe ſanguine agni, quo aſperſerant ſuper liminaria.

Verba Hebræa *egredi & ingredi*, ſignificant quidem in genere omnes vitæ noſtræ actiones, vt cùm Salomon dicit 1. Reg.3. Ego puer paruus,nec ſcio egreſſum meum aut ingreſſum,id eſt,non ſcio quid agam,quid incipiam,quid inſtituam aut quomodo me gerere debeam in adminiſtratione tanti regni, non ſcio quid omittam, quæ fugiam, quæue ſequar. Forma tamen ſermonis ſumpta eſt vel à paſtoribus, vel à ducibus militaribus, & loquitur hoc loco propheta tanquam dux exercitus in concione. Propriè enim egredi & ingredi ſignificat,educere exercitum ad bellum & reducere bello cõfecto,vt Deut.31. inquit Moſes, Nõ poſſum vltra egredi & ingredi, id eſt, ducis munere fungi. Additur autem ſæpe præpoſitio Ante,vt oratio ſit magis perſpicua. Numer.21. Præficiat Iehoua virum ſuper congregationem, qui egrediatur ante eos, & qui ingrediatur ante eos, id eſt, qui ducis munere fungatur educendo exercitum ad bellum & reducendo. 1.Samuel.8. Rex egredietur ante nos & pugnabit bella noſtra, id eſt, ille erit imperator noſter cùm erunt bella gerẽda. Sicut enim paſtoris,ita etiam boni ducis eſt,perpetuò præcedere exercitum,eſſe ducem itineris, & primò omnium aggredi hoſtem. Eſtque illa boni ducis fides,vt nõ dicat militibus,Ite illò,ſed venite huc,quemadmodum de Iulio Cæſare legitur. Sicut autem dux ipſe dicitur egredi & ingredi, cùm educit & reducit exercitum: ita & exercitus egreditur & ingreditur, cùm in hoſtem proficiſcitur, & feliciter confecto bello domum redit, & lætos triumphos ab hoſte deuicto agit. Dauid igitur promittit exercitui ſuo,fore vt feliciter bella ſuſcepta pro populo Dei gerant & conficiant, quia Deus affuturus ſit ipſis perpetuò, & largiturus ſecundos euentus, vt qua animi alacritate ad bellum pergunt, eadem & quidem maiore domum reuertantur: quia habeant Dominum Zebaoth perpetuum cuſtodem & ducem. Sed quæ de bellis Dauidis & populi Dei hîc dicuntur, ea ſinguli ad labores ſuæ vocationi conuenientes accommodent, & ſtatuant Deum in omnibus his ducem ipſis eſſe, inſtruere eos ſalutaribus conſiliis,dare robur, vt pares eſſe laboribus grauiſſimis poſſint, & largiri ſalutares euentus. Vt egredi in genere tunc ſignificet,exire ad operas vocationis faciendas: Ingredi verò, finito vel abſoluto operè ad quietem reuerti. Eſtque hæc defenſio diuina, quam promittit, aſſidua & perpetua. Quos enim ſemel in ſuam tutelam Deus recipit,& ſuo fauore complectitur, eos nunquam deſerit. Ideo addit, *Ex hoc tempore vſque in ſeculum.* Alij exitum interpretãtur egreſſum ex Ægypto,vel reditum ex captiuitate Babylonica. Alij etiam egreſſum ex hoc mundo. Et ingreſſum exponũt introitum in terram promiſſam ſeu patriã æternam,quæ eſt domus Dei, &c. Sed hoc poſterius pars eſt aut finis curriculi vitæ noſtræ, quod Deus ita gubernat, vt tandem animo læto & tranquillo eam claudamus & nos ad quietem componamus,& (iuxta Ieſaiam) confectis omnibus laboribus & ſuperatis difficultatibus vitæ noſtræ,ingrediamur in cubiculum noſtrum, & cum Lazaro dormiamus, donec voce Filij Dei rurſus ad æternam vitam ſuſcitemur.

PSALMI CXXI.

PARTES.

I. Diſceptatio animi cum multarum calamitatum ſenſu conflictantis, v. 1. quaſi diceret, quid fru-

ſtra

ſtra huc illuc circumſpecto, ad conſequendam opem? quo me conuertam? vnde veniret mihi auxilium? Nulla ex parte ab hominibus, quacunque oculos deflectam.

II. Oratio animi ex diſceptatione ſua emergentis, ſibi ipſi reſpondentis, & ad fidem in Deum ſeſe erigentis, v. 2. Se Deo committit propter naturam, opera, & officium eius, ex gratuita promiſſione in Chriſto.

III. Explicatio auxilij diuini, quod pſaltes per apoſtrophen precatione ſibi accommodat; verſ. 3.

IIII. Confirmatio erecti animi à promiſſione Dei, cuius præſentiſſima efficacitas docetur, v. 4. & 5. Deinde clemens conſtantia, v. 6. 7. & 8.

Observationes locorvm doctrinae.

Verſ. 1. Quando nos ſollicitant diſcrimina, vel tentationibus cõcutimur, ad media externa ſolemus reſpicere, & inde auxilium expectare: quod infirmitatis ſæpius eſt indicium.

Licet quidem mediis externis vti, præcipuè in bello & alijs periculis imminentibus: ita tamen vt ea tantùm ceu gratiæ Dei inſtrumenta reſpiciamus, nec eis confidamus.

2 A ſolo Dei omnipotentis (terræ & cæli conditoris) auxilio, quæcunque diſcrimina erunt ſubeunda, pios pendere oportet.

Quamlibet altè ſpeculentur homines, nihil extra Deum veræ ſalutis reperient. Vt igitur deteſtanda eſt eorum confidentia, qui ex carnis brachio aliiſve terrenis auxilijs, ad extrema redacti, ſalutem expectant: ita modis omnibus damnandi ſunt ſuperſtitioſi, qui muta idola & homines vita functos, vero Deo repudiato, in ærumnis ſuis auxiliatores inuocant.

3 Deus erga pios ita affectus eſt, vt eos omni ex parte ſaluos præſtare velit: eiſque cuſtos ſæpiſſimè proponitur, vt ſecurè in eius prouidentiam recumbant.

Pij ſæpe nutant & labaſcunt: ſed virtute Dei fulciuntur, ita vt minimè ruant in extremum exitium, ſed ex lapſibus erecti ſtant & perſtant in fide.

Inter tot impendentia pericula difficile eſt pios à metu eximere: ſed pro ſalute eorum perpetuas excubias Deus agit.

Inſignis hoc verſiculo & ſequentibus extat doctrina de peculiari prouidentia Dei erga Eccleſiam.

4 Vt Deum ſibi propitium fore quiſque confidat, à generali promiſſione eſt incipiendum.

Quia nunquam vel minimùm dormitat Deus de Eccleſiæ ſalute inprimis ſolicitus, vtpote quam ſibi fœdere perpetuo cõiunxerit, minimè timendum eſt ne quid aduerſi pijs contingat. Eos enim cuſtodit vt pupillam oculi ſui, horum nomina in manibus habet deſcripta, perpetuáque beneuolentia veros Iſraelitas amplectitur. Inde in toto vitæ curriculo, in ipſa morte pij hauriunt conſolationes firmiſſimas.

5 Non procul quærendus eſt Deus: ſed præſtò adeſt, imò ſtat ab electorum ſuorum latere, vt eos cuſtodiat & tueatur.

6.7 Quanuis humanæ vitæ miſeriis pij promiſcuè ſubiaceant, tamen vmbra Dei ad latus ſemper erit oppoſita, ne quid noxæ inde ſentiant.

Pietas cum cruce coniuncta eſt, ideo non tales deliciæ promittuntur Dei filiis vt immunes ſint ab omni moleſtia: ſed his ſolatiis temperantur eorum dolores, Deo propitio ab omni exitiali noxa ſecuros fore, & ſalutem ſuam in tuto eſſe repoſitam, ita vt quicquid accidat, id omne cedat eis in bonum.

8 Tot repetitiones de Dei erga nos prouidentia diffidentiam noſtram arguunt, nos ad bene ſperandum, & puro cordis affectu incedendum animant, iubéntque illud meminiſſe, Deum pro Eccleſia ſua agere excubias, vt vnico eius præſidio contenti, omnibus mundi figmentis valedicamus.

Hæc omnia autem ſunt typi ſpiritualis illius auxilij, quo Chriſtus peregrinantem in mundo Eccleſiam ſuam mirabiliter conſeruat, ac etiam totidem pignora, ne in hac quidem vita defuturum nobis, in deſertis quantumlibet aſperis, quicquid ad eam tranſigendam requiritur.

Articvli praecipvi.

1. De mediis externis eorundémque vſu & abuſu.
2. Omnipotentiæ Diuinæ, in creatione & conſeruatione rerum recta conſideratio.
3. De vnius Dei vera inuocatione.
4. Prouidentiæ peculiaris qua Deus ſuos fouet & ſuſtentat locus.
5. Afflictionum Eccleſiæ & cuiuſque pij pictura.
6. De perſeuerantia piorum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXII.

OMNES ferè interpretes exiſtimant Pſalmum hunc conſcriptum eſſe à Dauide, cùm iam arca fœderis Ieroſolymam ab eo tranſlata eſſet, & ad hunc vſum accommodatum, vt quoties ad ſolennia feſta populus Iſraeliticus Ieroſolymam aſcenderet, publicè decantaretur, non tantùm gratulationis cauſa, quod arca tandem ſtabilem ſedem ſeu locum repeiſſet, & ſucceſsio in regno ad certam familiam alligata eſſet: ſed multò magis, vt animi Iudæorum excitarentur ad conſiderationem horum beneficiorum diuinorum, & ad gratiarum actionem ac precationem. Teſtabatur enim Deus hoc facto, cùm montem Sion deligeret, in quo ſanctuarium ſuum collocaret, & ad familiam Dauid ſucceſsionem alligaret, ſe regnum ſuum in hoc populo deinceps habiturum eſſe ſtabile & firmum, hoc eſt, ſe collecturum eſſe voce doctrinæ Euangelij cœtum ex hoc populo, & regnaturũ in eo per Spiritum ſanctum, eique daturũ eſſe bona æterna: & Hieroſolymam vnicum fore locum, in quo verbum diuinitùs traditum & promiſsiones editæ deinceps conſeruarentur, & cultus diuinitus inſtitutus vigeret vſque ad Meſsiæ aduentum. Cum quo beneficio & hoc coniunctum erat, quòd regnum illud politicum ſeu politia ſimul vſque ad exhibitum Meſsiam duratura erat. Nam propter eccleſiam & cultum illum externum neceſſe etiam erat ſeruari politiam. Non enim poterat exerceri cultus ad illum locum deleta politia. De his igitur tantis bonis Dauid in hoc Pſalmo gratulatur populo Dei, eúmque hortatur, vt non tantùm locum hunc, quem Deus ipſe elegerat, magno ſtudio quotannis frequentent, ſed etiam, vt quoties ſtatis anni temporibus conueniunt, hæc beneficia piè meditentur & celebrent, & Deum orent, vt quemadmodum cœperat, pergat huic populo benefacere, & cœtum piorum ac politiam omni genere bonorum ornare & cumulare. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi.

Debet autem Pſalmus accommodari ad eccleſiam omnium ætatum & gentium. Etſi enim nunc poſt exhibitum Chriſtum & deletam politiam Moſaicam eccleſia non habet promiſsionem de certo loco, deque certa ſede ſeu regno, vt habebant Iudæi: tamen cùm ſummum generis humani bonum ſit vocatio ad ſocietatem eccleſiæ ſeu filiorum Dei, vbicumque colligitur & conſtituitur eccleſia, in qua verbum Dei auditur, Deus inuocatur & colitur, & per verbum cœleſtia & æterna bona piis communicantur, vt hodie apud nos, agnoſcenda ſunt illa beneficia, & Deo pro his gratiæ perpetuo agendæ: & ſimul rogandus eſt vt eccleſiam & bona cœleſtia in nobis inchoata conſeruet & adaugeat, nóſque & eccleſiam, quam inter nos ſibi colligit, omni genere benedictionum cumulet & exornet. Idque eo maiore ſtudio facere debemus, quo magis intelligimus diabolum & eius organa ſummo conatu

hoc agere & moliri, vt doctrinam cæleſtem, quæ eſt vnicus & præſtantiſſimus animorum noſtrorum theſaurus, nobis eripiant & eccleſiam harum terrarum deleant. Ad precationem ſinguli ſuo loco etiam ſtudium & officia ſua adiungere debent, vt puritas doctrinæ cæleſtis & pax eccleſiæ conſeruetur, & hæc ſumma bona ad poſteros transmittantur. Sicut hoc in pſalmo iubet non tantùm rogare & petere ea quæ ad pacem Ieruſalem pertinent, ſed etiam magno ſtudio quærere ea quæ bona & ſalutaria ſint Eccleſiæ, hoc eſt, vnumquenque pro ſui doni modo ornare & iuuare eccleſiam.

Pſalmus graduum Dauidis.

1 LÆtatus ſum cum his [*vel inter eos*] qui dicunt mihi, in domum Iehouæ ibimus.

Propoſitio Pſalmi eſt gratulatio, qua ſibi & vniuerſo populo hanc felicitatem gratulatur, quod tandem certus locus oſtenſus ſit, in quo deinceps arca fœderis, quæ erat teſtimonium & pignus præſentiæ Dei in hoc populo, quieſcere debeat. Ea enim res animum Dauidis & piorum omnium confirmabat, vt certò ſtatuerent, verbi diuini miniſterium manſurum iam eſſe in populo Iudaico vſque ad Meſſiæ aduentum, & ſimul cum externo miniſterio regnum illud corporale, quod quidem iam ad familiam Dauidis alligatum erat, conſeruatũ iri. Ideo lætatur Dauid: & non tantùm ſibi, ſed toti populo gratulatur. Ego, inquit, ex animo lætor, quoties audio nõnullos ex populo mutuis cohortationibus ſeſe excitare ad cultum pietatis, & animis coniunctis aſcendere ad locum ſanctuarij, atque ibi cultus ſuos peragere. Atque vt animi lætitiam teſter, ego his me ſocium promptè adiungo. Video enim iam promiſſionem illam aliquoties apud Moſen repetitam de eligenda certa ſanctuarij ſede impleri & euentu confirmari, vt deinceps vſque ad Meſſiæ aduentũ non alibi quàm in hoc populo, quærenda ſit Dei eccleſia. Hactenus arca fœderis nullam habuerat ſtabilem ſedem, ſed huc atque illuc traducta fuerat, quaſi peregrinaretur. Ea res piorũ animos ſæpe turbabat, præſertim cùm paulò antè ſub Heli, vidiſſent etiam arcam ab hoſtibus capi & abduci: vt ſæpe in eam cogitationem venirent, Deum aliquando ſimul cum arca migraturum eſſe ex hac terra & deſerturum Iudæos: atque ita fides fiebat dubia: ſed nunc quia vident certum & ſtabilem locum deſignari arcæ, recipiunt animũ, & in pietatis cultum maiore ardore & ſtudio incumbunt. Itaque collocata arca in Sion ſe mutuo gratulabundi cohortantur.

In domum Domini, inquiunt, *ibimus*, vbi audiamus verbum eius, inuocemus eum, gratias ei agamus pro hoc certiſſimo amoris ſui erga nos teſtimonio & pignore, & reliquos cultus nobis traditos peragamus. Hos ſermones cùm audio, inquit Dauid, magno gaudio perfundor: atque vt initio ipſe oraculum Dei de hoc loco magno gaudio ſum amplexus: ita nunc ex animo lætor accedere populi conſenſum, nec petulanter reiici aut contemni hoc beneficium. Hæc eſt huius verſus ſententia. Sicut autem Dauid lætatur Eccleſiam in hoc populo conſtitui & confirmari, & Deo gratias pro hoc beneficio agit: ita nos eius exemplo ad conſideratione horum beneficiorum, & ad gratiarum actionem & pietatis cultũ excitemur. Eſt enim hodie, Dei beneficio, domus Iehouæ apud nos, in qua ſonat vera de Deo doctrina, & legitimè adminiſtrantur Sacramenta. Hanc igitur frequentemus, & cogitemus, Spiritum ſanctum hîc nobis quoque concionari, & excitare nos hac voce: In domum Domini ibimus, &c. ad veræ pietatis ſtudium, ſicut olim Iudæi ſe mutuò excitarunt. Et patrem Gregorij Nazianzeni Spiritus ſanctus hac voce excitauit. Is enim cùm eſſet ethnicus, & ſæpe monitus & rogatus eſſet ab vxore, vt doctrinam Chriſtianam amplecteretur, noctu ſomniauit hunc verſum, quo filius eum ſcribit valde fuiſſe confirmatum.

2 Stantes fuerunt [*id eſt, ſunt*] pedes noſtri in atriis [*portis*] tuis, Ieruſalem.

Proſequitur ſermonem piorum gratulantium ſibi de hac felicitate, quòd locum certum & ſtabilem tandem arca inuenerit. Hactenus nuſquam fixum habuerunt locum pedes noſtri, vbi conſiſterent, ſed migrandum nobis fuit ex vno loco in alium, prout arca fœderis, vel tabernaculum ex loco in locum fuit traductum. Nunc tandem Dei beneficio ſunt *ſtantes pedes noſtri* ſeu quieti, id eſt, certum habent locũ in quo conſiſtant, vt non neceſſe ſit deinceps huc atque illuc diſcurrere, & animus ſeu fides iam certa eſt de promiſſione tradita huic populo, manſuram ſcilicet eſſe eccleſiam in hoc populo vſque ad Meſſiæ aduentum. In Papatu, maiorũ noſtrorum pedes erant incerti & vagabundi, cùm iuberentur homines diſcurrere nunc Compoſtellam, nunc Anconam ad Mariam Lauretanam, nunc Romam, nunc aliò neſcio quò. Et vt pedes erant vagi: ita & animus & fides perpetuò ſuſpenſa & dubia erat, nec vſquam inueniebat certã conſolationem, in qua animus conſiſteret & conquieſceret. Nunc, Dei beneficio, poſtquam lux diuina iterum accenſa eſt in his regionibus, & certum habemus verbi miniſteriũ, quo colligitur inter nos Eccleſia, ſtant pedes noſtri in portis Ieruſalẽ, hoc eſt, certò ſcimus, quæ & vbi ſit Eccleſia: itaq; adiungimus nos ad ſocietatem veræ eccleſiæ, & bonorum cæleſtium ſumus participes. De hoc igitur tanto bono ſicut gratulari nobis: ita agere Deo gratias debemus, & cum Dauide & aliis preces noſtras pro tranquillitate & ſtabilitate Eccleſiæ ad Deum fundere. De his rebus monet nos hic verſus, cùm inquit: *Stant pedes noſtri*, &c. Portæ ſynecdochicè ſignificant vrbem: quia aditum præbebant ad vrbem & ad ſanctuarium.

3 Ieruſalem ædificata eſt vt ciuitas: quæ conſociata eſt ſimul.

Subiicit narratiunculam, in qua excurrit in commendationem vrbis Hieroſolymæ, vt populum alacriorem ad ſtudiũ pietatis reddat & in officio retineat. Nullum enim poteſt maius bonum dari alicui regioni aut vrbi, quàm doctrinæ puritas, ſacramentorum legitimus vſus & adminiſtratio, & cultus cum verbo diuino congruentes. In qua vrbe hæc vigent & florent, vt conſenſus ſit ciuium in religione, ea verè ædificatur vt ciuitas, éſtque ædificatio abſolutiſſima. Econtra vbi non ſonat vox doctrinæ cæleſtis, & vbi nõ agnoſcitur nec colitur Deus iuxta verbum diuinum, etſi ædificia ſint ſplendidiſſima, fulgeant auro & argento, Reſpub. habeat homines prudentes & vſu rerum peritos, ciues ſint induſtrij in parando victu, & alia complura habeat ornamenta, quæ foris incurrant in oculos & admirationem ſui excitent: ea vrbs verè non eſt ciuitas, ſed luſtrum Diaboli. Imperia enim & vrbes conditæ ſunt, vt eſſent templa Dei, in quibus rectè agnoſceretur & coleretur, & vt doctrina cœleſtis in his conſeruaretur & propagaretur. Sicut dulciſſimè dicitur in verſu:

Vtque alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iuſſit habere domos.

Cui igitur vrbi hæc res deeſt, quomodo ea ciuitas dici poteſt? Dauid igitur vrbem Hieroſolymam dicit ædificatam eſſe, vt ciuitatem, non tantùm quia ciues conſentiant de politicis legibus, & iuxta eas honeſtè viuant: ſed multò magis, quia in doctrina veræ religionis ſummus ſit conſenſus, & quia ſedes ſit ſanctuarij, vt populus Iſraeliticus quotannis illuc aſcendat & conueniat ad ſolennia feſta, vt nomen Dei celebret. Hoc cùm verum & vnicum ornamentum ſit vrbiũ, vult propheta & beneficium diuinum celebrare, quod huic vrbi contigit, vt ſola in orbe terrarum tunc vrbs verè diceretur, & ſimul hoc encomio commendare vrbem Hieroſolymam, & animos populi excitare, vt eo ſtudioſiùs & alacriùs ad hanc vrbem conueniant, & ſacros cultus ibi peragant: non diſcurrãt ad excelſa vbi ſacrificent, non ſibi loca ſuo arbitrio eligant, in quibus ſacra peragant, non reſpectent ad Siloh, aut alia loca, in quibus antea fuerat tabernaculum. Nos etiam hac voce excitati operam dare debemus, vt magno ſtudio quæramus vbi ſit eccleſia ſeu ciuitas Dei in genere humano, & poſtquam ex doctrinæ puritate & legitimo ſacramentorum vſu eam agnouimus, poſthabitis rebus omnibus ad eius ſocietatem nos adiungere, in ea pedem figere, & vſque ad extremum vitæ halitum in ea permanere. Nam qui inter idololatras & alienos à religione viuunt, iis multa obiiciuntur, quæ animum turbant, & non tantùm verum cultum impediunt aut polluunt interdum, ſed etiam alieniores tandem à pietate reddunt.

Quæ ſociata eſt ſimul] Id eſt, vbi ſicut ædificia rectè & ordine ſunt cooptata & diſpoſita, vt nihil ſit hiulcum aut diuulſum, & ſumma ſit vbique æqualitas: ita etiam ſummus eſt inter ciues omnes conſenſus in religione, in cultu pietatis & iuſtitiæ, vt nihil hac conſenſione poſſit cogitari pulchrius. Ea res inuitare omnes debet, vt tanto maiore ſtudio ſe cum hoc cœtu coniungant. Nam in eccleſia eſt concordia, & animorum ac voluntatum coniunctio. Diabolus verò autor eſt *ἀκαταστασίας*. Alij ita interpretantur, Ad quam conueniatur ſimul: Et conuentus interpretantur illa tria ſolennia feſta, quibus populus iubebatur quotannis conuenire ad tabernaculum. I. Vt conſeruaretur & celebraretur memoria eductionis.

II. Vt

II. Vt renouaretur memoria promulgatæ legis, & Deo gratiæ agerentur pro conſtituta politia, cuius hæ leges erant nerui. III. Vt celebraretur memoria gubernationis & defenſionis mirandę in deſerto. De hoc congreſſu populi dicit ſequenti verſu: nunc de animorum coniunctione & ſancta vnitate in religione, & in iuſtitię atque aliarum virtutum cultu concionatur. Græcus habet ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό, quod Latinus reddidit, cuius participatio eſt in idipſum: quod eſt obſcurum.

4 **Vt illuc aſcendant tribus, tribus Dei in teſtimonium Iſraeli: ad celebrandum nomen Iehouæ.**

Subiicit cauſam finalem reſtauratæ vrbis Hieroſolymæ non tantùm vt vrbem ipſam commendet, ſed vt commendando hanc ſuam lætitiam exprimat, & animos populi ſimul excitet ad frequentanda hæc ſacra, quæ iam deinceps in ea vrbe celebrari debebant. Nihil glorioſius dici de hac vrbe potuit, quàm vnicam hanc in toto orbe terrarum electam eſſe, in qua eſſet ſanctuarium & templum Dei, vbi proponerentur viſibilia teſtimonia præſentiæ Dei, vbi ſonaret eius verbum & exerceretur cultus legitimus. Neque vnquam vlla vrbs alia in genere humano diuinitus ita fuit ornata. De ea igitur re lætatur Dauid, & ſuo loco hoc beneficiũ prædicat: cæteros etiam vult hoc beneficium agnoſcere, cóque maiore ſtudio in feſtis ſolennibus conuenire ad hanc vrbem, & gratis animis hæc tanta beneficia prædicare. Hæc ſententia eſt huius verſus.

Sicut autem Hieroſolyma præ omnibus aliis vrbibus laudatur, quòd ſedes fuerit ſanctuarij Dei, atque in hunc finem condita dicitur, vt tribus ſcilicet illuc aſcendant. Ita cogitemus ad hunc finem in toto orbe coiiſſe hominum ſocietatem, & vrbes conditas eſſe principaliter, non vt collatis operis quærerent voluptates & earum inſtrumenta, ſed vt eſſent ſcholæ, in quibus doctrina de Deo ſonaret & propagaretur, vt populus in cultu pietatis exerceretur. Hunc igitur finem ſi quæ vrbes aſſequuntur, harum celebritas multò maior eſt, quàm earum quæ tantùm propter opes aut potentiam ſunt in admiratione. Atque vt Iſraelitæ ad vrbem Hieroſolymam iubebantur aſcendere, & ſacros cultus ibi peragere: ita cogitemus nobis quoque præcipi, vt eas vrbes quæ templa Dei ſunt, eligamus, in quibus domicilium habeamus, hoc eſt, vt ciues ſimus veræ Eccleſiæ. Pręceptum, quo iubetur tribus anni vicibus omnis maſculus ex populo Iſrael apparere coram Domino, extat Exod. 23. & 34. Voluit Deus memoriam illorum ſummorum beneficiorum, eductionis ex Ægypto, datæ legis, & miraculoſe gubernationis, defenſionis & conſeruationis in deſerto per annos 40. extare cõſeruari & celebrari ad omnem poſteritatem. Ideo ter in anno voluit conuenire vniuerſum populum, & vnicum locum delegit, in quo cultus externi exercerẽtur, vt faciliùs conſeruaretur conſenſus in doctrina & pietatis cultu, nec ſuperſtitionibus in varias religiones diſtraherentur.

Tribus Dei] Ita nominat populum Iudaicum diuinitus electum & ſanctificatum. Nec quicquam poteſt dici magis honorificum, quàm cenſeri in familia Dei.

In teſtimonium Iſraeli] Hoc variè exponũt interpretes. Quidam ſequentibus iungunt: Teſtimonium eſt Iſraeli vt celebretur, id eſt, quod teſtatur Iſraelem debere laudare Iehouam. Alij: quia præceptum eſt Iſraeli vt celebret. Nonnulli adiecta præpoſitione, vertunt, ex teſtimonio Iſraeli, vel ſecundùm teſtimonium Iſraeli, id eſt, ſecundùm fœdus cum Iſraele initum. Campenſis vertit, Tota turba populi Iſraelitici: & alij hunc ſequuti vertunt concio Iſraelis, quaſi vocabulum ſit עדה non עדות. Noſtra tranſlatio Germanica habet, ad docendum ſeu concionandum, vt finis ſignificetur, ſicut & in proximo membro. Sed cùm vocabulum Hebræum propriè ſignificet teſtimonium ſeu teſtificationẽ ab עוד quod teſtificari ſeu paciſci ſignificat, iudico notari hoc loco mutuam conuentionem inter Deum ac populum, ſeu teſtificationem de vtriuſque voluntate, quæ erat expreſſa in fœdere. Voluit Deus populum ſuum quotannis ter conuenire ad ſacros cœtus celebrandos. De hac volũtate teſtatus erat, & populus ſe id facturum receperat. Quoties igitur conueniebant, fiebat hoc ex fœdere ſeu pacto: quia diuinitus ita iuſſi erant, & illi ſolenni promiſſione ſe ad hoc obſtrinxerant: neque enim concurrebant temere, ſicut ferebat libido. Hoc igitur erat teſtimonium Iſraeli, quod ſcilicet ex præſcripto diuino ſeu pacto ſciebat ſe ad illum locum ordinarium conuenire, & nihil hîc fieri temere, aut contra Dei voluntatem, ne forte ea res nonnullos faceret dubios.

Ad celebrandum] Hic finis fuit pacti vel conuentionis. Inſtituit Deus hos congreſſus, vt memoria diuinorum beneficiorum recoleretur & celebraretur. Hic finis vt populo Iudaico erat propoſitus, ita cogitemus noſtris actionib. hũc ſcopum præfixum eſſe, ad quem referri debeant, eáque cauſa eſt, cur propheta nunc mentionem ſacrificiorum non faciat, quæ tamen in illis congreſſibus magno numero & certis ritibus offerebantur. Vult enim docere præcipuos & perpetuos cultus eſſe fidem, inuocationem & gratiarum actionem, nec grata eſſe illa ſacrificia, niſi hæ virtutes præluceant: imò in hunc finem inſtituta eſſe ſacrificia, vt de his admonerentur fideles.

5 **Quia illic ſederunt [*ſedent*] ſolia ad iudicium: ſolia domus Dauid.**

Alterum hoc eſt beneficium, de quo Dauid ipſe lætatur, & quod alios quoque ſecum agnoſcere ac grato animo vult celebrare, quòd ſcilicet hæc vrbs diuinitus electa ſit, vt ſit ſedes regia, in qua deinceps iudicia rectè adminiſtrentur, iuſtitiáque & pax in hoc populo conſeruetur: & quidem vt ſtabilis & firma ſit huius regni ſedes, alligatam eſſe ſucceſſionẽ ad certam familiam, nempe Dauidis. Fuerant quidem hactenus aliqua in populo iudicia, ſed ea variis temporum iniuriis ſæpe fuerunt interrupta & mutata. Nunc hæc noua gubernatio Hieroſolymis ita conſtituta eſt, vt perpetuò vſque ad Meſſiæ aduentum ex poſteritate Dauidis aliquis regno præeſſet, qui ius adminiſtraret & populum regeret. Hoc profectò magnum fuit beneficium: nec vnquam fuit vrbs, quæ certam habuerit promiſſionem de regni duratione, vt hæc: ideo meritò hoc celebrat Dauid.

Sedent ſolia] id eſt, collocata ibi ſunt ſolia, in quibus ſedeant iudices, vt gubernatores Reipub. Eſt enim ſynecdoche. Non enim ſedent ſolia, ſed iudices in ſoliis. Sedere autem in ſcriptura ſignificat non otioſum eſſe aut ſedere, ſed ad gubernacula ſedere, eſſe in regimine, verſari in adminiſtratione negotiorũ, & agere ea quæ ad rempub pertinẽt. Ita Phariſæi Matth. 23. dicuntur ſedere in ſella Moſis, id eſt, eſſe in miniſterio, quod Moſes ex mandato Dei inſtituit, & docere. Nos Germani etiam ſic loquimur, *Er ſitzet dis jar im Rath*, id eſt, *er hat zu regieren.*

6 **Precamini pacem Ieruſalem: proſperentur diligentes te.**

Poſtquam celebrauit præcipua beneficia quæ animos populi accendere & inuitare debebãt ad congreſſus ſacros deinceps in vrbe Iero ſolyma maiore frequentia & ſtudio celebrandos: nunc ſubiicit exhortationem ad totum populum directam, quæ illam laudationem concludit. Vult enim ita dicere: Cùm igitur hæc vrbs Hieroſolyma ſit ſedes ſanctuarij Dei & regni in hoc populo, atque ita ab huius pace & felicitate totius populi & regni pax atque proſperitas pendeat, nemo ſit inter vos, qui non vota concipiat pro felici huius ſacræ vrbis ſtatu. Quandiu enim hæc vrbs, hoc eſt, ſacerdotium & regnum floruerit, tam diu vobis omnibus bene erit. Ea verò euerſa vel afflicta, neceſſe eſt populum ſimul perire. Cùm autem non aliunde quàm à Deo ſalus huius vrbis ſit petenda, ad hunc preces veſtras dirigite, & petite vt perpetuò huic vrbi adſit cuſtos & defenſor. Nos quoque exẽplo Dauidis publicam ſalutem eccleſiæ & illarum politiarum quæ hoſpitia præbent eccleſiis, Deo commendare in noſtris precibus debemus, idque eo ſtudioſiùs facere, quo maius his periculum à diabolo & mundo imminet. Videmus enim quomodo regna mundi in eccleſiam inſurgant. Nec debent nobis res priuatæ tam eſſe charæ, vt eis publicas poſtponamus.

Pacis nomen generaliter accipitur pro læto & felici ſtatu, vt Latinè dicimus Proſperitas: quia ex omnibus bonis nullum pace melius eſt, vel optabilius, iuxta illud,

Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Feliciter agent] Addit promiſſionem luculentam, vt magis etiam torpentes exuſcitet. Solent enim homines ſpe pręmiorum impelli, vt alacriùs ſuſcipiant & perficiant ea quæ ſunt agenda.

Qui diligunt] Id eſt, qui curam eccleſiæ agunt, quique omnibus ſtudiis & officiis conſeruationem doctrinæ cæleſtis iuuant, iis feliciter & proſperè omnia ſuccedent, his benedicet Deus, ornabit eos variis præmiis, cùm in hac, tum in futura vita. שלה ſignificat in quiete vel pace agere, vel tranquillè & in otio viuere. Metaleptice verò felciter & proſperè agere. Nec multùm abludit à voce Hebræa Latinum Salus Siloh etiã hinc dicitur Meſſias Gen. 49. Eſtque ſignificatio vocis non tantùm paſſiua, vt nonnulli expoſuerunt, quaſi dicas, fortunatũ, cui proſperè cedant omnia: ſed actiua quoq;, vt Siloh ſit ſoſpitator ſeu promiſſæ felicitatis autor.

7 **Sit pax in munitione tua: proſperitas in turribus [*ſeu palatiis*] tuis:**

Dauid tanquam rex & ἔξαρχοι ipſe primus in vota erumpit,& cæteris quaſi formam precationis præſcribit.

Sit pax] Id eſt ,proſperitas in munitione tua , quaſi dicat, nullis bellis aut aliis incommodis turbetur tranquillitas huius vrbis: perpetuò floreat vrbs pace,& abundet omnibus bonis ad hanc vitam neceſſariis , vt colligi hîc numeroſa Deo eccleſia,& propagari doctrina poſſit.

בחולך Alij vertunt in exercitu tuo,alij in virtute tua , ſed munitionis nomen , turribus meliùs conuenit. Poſterius enim membrum eſt iteratio eiuſdem ſententiæ.שלוה pro abundantia & rebus proſperis accipitur. Facit autem mentionem munitionum & turrium , vt ſignificet ſe complecti totam eccleſiam,quæ animo & fide huic vrbi quaſi erat incluſa.

8 Propter fratres meos & propinquos [*amicos*] meos:loquar nunc pacem in te.

Addit cauſas cur bene cupiat & precetur huic vrbi. Prima in hoc verſu recitatur:propter fratres,id eſt,quia pax huius vrbis , quæ nunc eſt ſedes ſanctuarij & regni, redundatura eſt in fratres & amicos, id eſt, in reliquas vrbes , in quibus habitant fratres & cognati,qui ab eadem ſtirpe deſcendunt & ſunt eiuſdem fidei & religionis conſortes. Video enim & intelligo, ſalute huius vrbis,tanquam capitis,contineri reliquarum omnium incolumitatem. Videtur autem tacita ſubeſſe antitheſis,cùm inquit,*propter fratres meos*,&c. qua à ſe inuidiam & ſuſpicionem remouet. Cùm enim arcam fœderis in ſuã vrbem traduceret, videri poterat apud improbos & malignos ſuum potiùs,quàm Dei aut religionis negotium agere , & arcam ideo Heroſolymam transferre, vt regnum ſuum hoc modo ſtabiliret,& ſuis poſteris confirmaret. Hanc ſuſpicionem , vt animis hominum eximat , teſtatur ſe non moueri priuato ſui reſpectu,ſed publica vtilitate, quòd ſciat huius rei fructum in totum populum redundaturum eſſe, & tamdiu ſaluum fore populum , quamdiu ſe ſub hoc regno continuerit. Loquar,inquit,de tua pace Ieruſalem , id eſt,opto vt tibi bene ſit,vtque perpetuò floreas,non quia vel mihi vel meis id vtile futurum eſt , ſed quia proſperitas tua ad omnes filios Dei ſeſe diffundet.

9 Propter domum Iehouæ Dei noſtri , quæram bonum tibi.

Altera ratio eſt cur huic vrbi bene precetur , vt ſcilicet doctrina & cultus diuinus conſeruetur purus & illibatus. Vult enim Deus hanc vrbem ſedem eſſe doctrinæ & cultuum ſuorum , & hîc vult agnoſci & coli ab omnibus. Vt igitur doctrina diuinitus tradita conſeruetur & propagetur , & vt cultus voce diuina inſtitutus perpetuò vigeat & exerceatur, ego quæram tibi bona , id eſt , curabo quanto poſſum ſtudio , tuam incolumitatem , agam omnia quæ ad conſeruationem & propagationem doctrinæ cæleſtis pertinent : & iuuabo Eccleſiam omnibus ſtudiis & officiis. Hoc exemplum Dauidis imitari debent primùm reges,principes & magiſtratus, quos Pſalmus 81. Deos nominat, quòd hanc diuini muneris partem gerant , vt Eccleſiæ ſalutem procurent, hoc eſt, vt curent homines rectè doceri de Deo,tollant idola & horum cultus , ſanciant diſciplinam,adiuuent & ornent ſtudia literarum , quibus Eccleſia carere non poteſt, proſpiciant neceſſitati ſingulorum. Deinde priuati quique ſuo loco idem agant , libenter conferant ſumptus & operas ad ornandum miniſterium publicum & conſeruanda doctrinarum ſtudia , & preces ſuas adiungant ad Dauidis preces , & ſalutem Eccleſię Deo aſſiduè commendent.

PSALMI CXXII.

PARTES.

I. Propoſitio lætitiæ Pſaltis duas habet cauſas. Vna eſt ſtudium quod ſuo tempore in fidelibus animaduertit,v.1. Altera,effectus illius ſtudij,nempe aſſiduus Dei cultus, v.2.

II. Ἐργασία ſiue exornatio ſuperiorum cauſarum , ad lætitiæ amplificationem , à laudibus ciuitatis, verſ.3. Eccleſiæ,verſ.4.& regni tum ſpiritualis tum terreni,verſ.5. Olim Ieruſalem ſtructura oppidorum, religione & adminiſtratione differebat. Nam tria fuerant oppida:religio vero & adminiſtratio duplex , populi Dei & Iebuſæorum:nunc autem,i.tempore quo hic Pſalmus primùm ſcriptus eſt,iunctis oppidis,v.3. religione animorum,v.4.& ſingulari adminiſtratione,ciuili & Eccleſiaſtica,modis omnibus coagmentata fuit,v.5.

III. Cohortatio ad omnes vt vota ſua conferant,ad pacem priuatam & publicam Eccleſiæ,v.6.& 7. Deinde nominatim ipſe idem officium pollicetur Deo & Eccleſiæ,v.8.& 9.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Bis gaudendum eſt , vbi non modò vnumquenque noſtrum Deus Spiritu ſuo in obſequium verbi ſui format , ſed alios quoque nobiſcũ adducit,vt eiuſdem fidei ſocij ſimus omnes. Perfectũ autem piorum gaudium eſt dum ad ſpem vitæ æternæ,præcipuè verò ad beatam illam diem futuræ reſurrectionis corporum,totis animis feruntur.

2 In vera eccleſia(cuius Ieruſalem fuit typus)eſt ſalus: & firmiter ſtant electi. Porrò quum Chriſtus,in quo habitat plenitudo Deitatis,& qui verus eſt nobis Immanuel,inter nos reſideat,ſuppeditat nobis vberioris gaudij materiam. Nitimur autem dulciſſima eius promiſſione,Ego ſum vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, Math. 28.

3 Sola Chriſti eccleſia,eſt Dei domus & ciuitas,ſanctis legibus inſtructa,extra quam nihil niſi ruinæ & deſolationes æternæ propter peccatum incredulis & impijs imputatum apparent.

Non aliter ſtat incolumis Eccleſia,niſi vbi viget pius conſenſus,& fide ac charitate coagmentata ſanctam colit vnitatem.

4.5 Sanctuarium fixum in monte Sionis,populi fidem continuit in ſpirituali Chriſti ſacerdotio.

Regni Dauidis ſolium typus fuit regni illius quod Chriſtus in omnes pios à patre obtinuit.

Vbicumque poſt Euangelium ab Apoſtolis promulgatum ſincera Chriſti vox perſonat,piorum eſt accedere ad ſacros illos cœtus,vt in fide,ſpe & charitate creſcentes Dei miſericordiam celebrent.

Sacri conuentus non ſunt inanes,imò in eis elucet de Dei fœdere æterno teſtimonium perſpicuum.

Fideles cõmuni voto & conſenſu,quamlibet per omnes mundi plagas diſperſi,in vnum corpus ſub capite Chriſto coëunt:quod per aſcẽſionem & coniunctionem omnium tribuum,in vrbe Ieroſolyma diebus feſtis à Deo inſtitutis collectarum olim adumbratum eſt.

Verum Dei templum non cenſetur niſi à doctrina voce conditoris patefacta,& in ſcriptis propheticis & Apoſtolicis conſignata.

Fideles ex proprio ſenſu diuinos cultus ſibi minimè fingunt,ſed Dei mandato ducti eum colunt in ſpiritu & veritate. Vitioſi autem ſũt & execrandi cultus qui Dei præſcripto non reſpondent.

Vt adoptionis noſtræ,ita omnium actionum finis eſt , bonorum omnium gloriam Deo tribuere.

Penes Dauidis poſteros manſit ius & poteſtas regnandi,donec in Chriſto patefacta eſt ſolida æternitas.

6 Precum piarum hoc ſit exordium,vt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ corpus conſeruet. At qui eccleſiam Dei quoquomodo turbant,ſibi ipſis horrendum creant exitium.

De ſalute Chriſtianarum eccleſiarum ſollicitis multa pax tum in præſenti vita,tum in futura,parata eſt. Vide Ieſaiam à 54. capite vſque ad prophetiæ finem.

7 Formula precum pro Eccleſiæ ſalute:cuius ſumma eſt vt ſanctã vrbem ſuam omni ex parte ſuis benedictionibus cinctam,munitam & ornatam,Deus eſſe velit.

8.9 Quum pretioſa piis eſſe debeat fratrum(id eſt,omnium Dei electorum)ſalus,& Chriſti gloria,curãda eis ſimul eſt Eccleſiæ incolumitas,verbi nempe,ſacramentorũ & diſciplinæ incorrupta adminiſtratio. Quum enim Eccleſia ſit columna & firmamentũ veritatis,ſi doctrinæ & diſciplinæ ſit iactura, pietatem quoque,id eſt,fidem,ſpẽ ac charitatem,extingui neceſſe eſt.

Non inanis eſt Eccleſiæ titulus,ſed vbi viget pura religio,illic quærenda eſt Eccleſia. Deteſtandi ſunt igitur profani & idololatræ,qui profligata Euangelij doctrina , quam impiis artibus perſequuntur, Eccleſiæ catholicæ nomine ſuperbiunt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De imperfecto & perfecto gaudio piorum.
2. Impiorum furioſa lætitia.
3. De vera Dei Eccleſia, eiuſdémque vnione & communione.
4. Vera ſalus, pax, perſeuerantia nulla extra Eccleſiam Dei.
5. De regiminæ Eccleſiæ.
6. Pax eccleſiæ qualis expetenda.
7. Vota piorum.
8. De amicis & proximis noſtris.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIII.

HABET hic pſalmus argumentum commune cum multis aliis, & nihil habet obſcuritatis. Pingit enim faciem Eccleſiæ, qualis ſemper eſt in hoc mundo. Non tantùm enim oppugnatur illa aperta ſæuitia, ſed etiam quia doctrinam profitetur pugnantem cum iudicio rationis, varia & iniquiſſima de ſe concitat hominum iudicia. Alij enim, vt hypocritæ, quia nolunt ſuam ſapientiam aut iuſtitiam damnari & pro reiectamentis haberi, odia acerbiſſima aduerſus pios concipiunt, hos tanquam faces ſeditionum & diſſipationis generis humani damnant, & pro catharmatis ac peripſematis eos haberi volunt, id eſt, pro piaculis execrandis, quibus Deus implacabiliter iraſcatur, & à quibus tota rerum natura abhorreat, quarumque vmbra velut contagio noceat vniuerſæ ſocietati humanæ, & quos remoueri neceſſe ſit, ne Deus toti genti iraſcatur. Atque hinc exiſtit illa ſuppliciorum & tormentorum immanitas, qua impij paßim in bonos graſſantur. Alij, vt Epicurei, quia vident, hunc cœtum, qui dicitur Eccleſia, crudeliſsimè oppugnari à ſapientiſſimis & potentiſsimis in hoc mundo, & exiſtimant religiones ab hominibus ſapientibus excogitatas eſſe tantùm vt metu & numinis diuini praui homines continerentur in officio, rident ſimplicitatem & ſtultitiam piorũ: qui, vt magnus quidam vir aliquando ad nos de Germanis dicebat, propter futilem cauſam religionis exponant ſe tot potentum odiis & periculis: cúmque videant, hunc cœtum, qui veram doctrinam profitetur, eſſe miſerum & ærumnoſum, ſuperbè ei inſultant, rident, contemnunt, ſubſannant & conculcant eam. Eáque in re patrem ſuum diabolum, qui eſt ἐπιχαιρέκακος, imitantur. Cùm autem haſce contumelias multò grauiùs ferãt homines pij, quàm vlla corporum ſupplicia, queritur de his in pſalmo Propheta, & petit aduerſus hæc iniqua iudicia, odia & contemptum hoſtium Euangelij Eccleſiam à Deo defendi & ſeruari. Hæc ſumma eſt huius pſalmi. Exiſtimant autem nonnulli pſalmum hunc conſcriptum eſſe ab aliquo propheta, & populo tanquam communem precandi formam traditum eſſe, cùm vel apud Babylonios exularet, vel ſub Antiocho grauiter concuteretur. Nam cur ad Dauidem non referant, hoc maximè argumento mouentur, quòd nihil de priuatis ſuis iniuriis, moleſtiis aut doloribus admiſceat propheta, quod alioqui Dauidi vſitatum eſt, quoties de Saule & eius ſatellitibus queritur.

Canticum graduum.

1 AD te leuo oculos meos: qui habitas in cælis.

Orditur Pſalmum à conteſtatione fidei ſuæ, quam in inuocatione oſtendit. Et aſpergit argumentum à facili: quo fidem accedentem ad Deum confirmat. In magnis, inquit, meis doloribus & periculis, cùm vndique in me ruunt hoſtes, méque contemnunt & proculcant propter doctrinam, quam profiteor: ego ad te in cælum oculos leuo, à te peto & vera fide expecto defenſionem, auxilium & liberationem. Nam in hoc mundo nihil reliquum eſt opis vel auxilij: nudati enim ſumus omnibus præſidiis, omni defenſione, omni ope & conſolatione. Tu verò qui habitas in cælis, qui es omnipotens, & in cuius manu ſunt omnes creaturæ, facilè potes nobis ſuccurrere. Deus quidem vbique eſt, ſed quia de cælo maieſtas & potentia eius magis refulget, dicitur habitare in cælis: & quaſi per antitheſin opponit cælum & terram. In anguſtiis & calamitatibus eccleſiæ videtur Deus ſe quaſi ſubduxiſſe à terra; ideóque nihil tunc in terra apparet opis & auxilij, & videntur omnia plena eſſe mortis & deſperationis: ſed non ita ſe ſubducit Deus, vt prorſus negligat ſuos. Reſidet enim adhuc in cælo: vnde res humanas omnes ſua ſapientia, potentia & bonitate ita moderatur & gubernat, vt præſentia eius paſſim atque inprimis in eccleſia conſpiciatur. Quanquam igitur in terris omnia turbet & peruertat hominum furor: tamen tu, quia habitas in cælis, metas hominum furori præſcribis, & tandem opem tuam affulgere nobis ſinis: ideo oculos meos ad te leuo, ad te cõfugio & abs te opem peto.

2 Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manum dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Iehouam Deum noſtrum: donec miſereatur noſtri.

Quam ſpem & fiduciam ſe habere in Deum dixerat verſu præcedente, eandem nũc eleganti ſimilitudine exprimit: ſimul autem neceſſitatẽ vocabulis *ſeruorum* & *ancillarum* exponit. Miſera erat olim & dira ſeruorum conditio, vt & nunc apud Turcas & alibi. Erãt enim expoſiti omnibus omnium iniuriis & contumeliis, & cùm eſſent inermes (neque enim gladium aut telum geſtare licebat) neque animum, neque inſtrumenta ad depellendam iniuriam habebant. Non igitur habent quò reſpiciant ſerui, quàm ad Dominos ſuos, qui (ſi ſint boni & honeſti) defenſionem ſuorũ ſeruorum ſuſcipiunt: & hãc defenſionem Domini honeſti ſeruis, ſi iniuria afficiantur ab aliis, iure naturæ debent. Sicut igitur vtile eſt in ſapientem victorẽ incidere: ita dulce eſt, ſi in eam calamitatem incidas, prudenti & bono viro tradi in ſeruitutem, ſicut dicitur in ſenario, ὡς ἡδὺ δούλῳ δεσπότου χρηστοῦ τυχεῖν. ecõtra nimis verè exclamat ille apud Ariſtophanem, ἀλλ᾽ ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ ὡς ἀργαλέον τὸ πρᾶγμα ὅτι δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. Nos igitur, aiunt pij, quorum conditio nunc non eſt melior, quàm ſeruorum & ancillarum, imò peior etiam, cùm non habeamus in terris dominos humanos & miſericordes: vt alij ad ſuos dominos, ita nos ad te Deum noſtrũ confugimus, & petimus nos defendi & ſeruari: cúmque in terris ſimus deſtituti omni ope & defenſione, tu promptiore animo tanquam bonus Dominus defenſionẽ noſtri ſuſcipies.

Ad manum] Id eſt, opem & auxilium μεταληπτικῶς. μετωνυμικῶς etiam ad fidem. Eſt enim manus ſymbolum fidei.

Donec miſereatur] Id eſt, donec auxilietur & opem ferat liberando nos ab anguſtiis, quibus premimur. Petunt pij auxilium: & ſimul ſe offerunt ad obedientiam, ſi velit eos diutiùs exercere, atque interea tamen retinent ſpem liberationis. Differt quidem Deus auxilium, ſed non aufert.

3 Miſerere noſtri Iehoua: miſerere noſtri; quia valde ſatiati ſumus deſpectione.

4 Multùm [*plurimùm, admodum*] ſatiata eſt ſibi [*apud ſe*] anima noſtra ſubſannatione diuitum: & contemptu ſuperborum.

Hactenus fidem ſuam & ſpem expoſuit, nunc propoſitionem ſubiicit, quæ eſt petitio auxilij & liberationis. Eſt autẽ propoſitio iterata vt ardor animi in petendo auxilio, & magnitudo periculi ſignificetur.

Ratio etiam quæ ſubiicitur à neceſſitate ſumpta iteratur; vt periculum amplificetur, & Deus ad opem ferendam faciliùs flectatur. Huc pertinet etiam verbum ſaturandi, quo ſignificant ſe diu admodum & multis probris affectos eſſe. Non mox clamant pij, ſed ferunt patienter: ſed vbi creſcit periculum, & liberatio differtur, creſcit ardor animi in petendo auxilio, & iam maiore fiducia ad Deum accedit. Quo enim maius eſt periculum, eo faciliùs ſcit moueri Deum ad opem ferendam. Cùm enim res eſt in nouacula, quod dicitur, id eſt, cùm extremum eſt periculum, tunc Deus præſto eſt ſua ope.

Subſannatione] Quæ ſcilicet magis vulnerat animos, quàm

omnes aliæ iniuriæ. Plutarchus in vita Timoleontis inquit, Faciliùs ferunt homines omnes alias iniurias, quàm contumelias. Atque id inprimis de piis verum eſt. Illæ enim contumeliæ & opprobria, quæ doctrinæ cauſa ipſis fiunt, non tantùm priuatim ipſorum vitam & famam perſtringunt aut lædunt: ſed cum contumelia nominis diuini ſunt coniuncta. Eo magis igitur vulneratur ipſorum animus, eſtque maior ob hanc rem dolor.

Eoſdem nominat ſuperbos quos diuites, atque hos ſubſannare dicit pios, quia, vt dicitur, κόρος ὕβριν τίκτει.

לעג propriè videtur ſignificare blaſè loqui & balbutire, vt Ieſ. 33. Populum barbarum non videbis, populum profundum ſeu abſtruſum labiis, balbutientem lingua abſque intellectu. נלעג לשון. Solent autem per contemptum multi eorum quibus illudunt vitia linguæ, ſi quæ habent, imitari. Inde poſtea in genere ſignificat ſubſannare, irridere, illudere, ſicut לעג contumelia afficere, ludificari, labe aſpergere. שאנן tranquillus, ſecurus fuit, & per metalepſin, inſolens fuit. Tranquillitas enim reddit homines elatiores atque inſolentiores.

PSALMI CXXIII.

PARTES.

I. Propoſitio, qua oſtendit Pſaltes, nomine Eccleſiæ grauiter afflictæ, quomodo & quantiſper ſit aditurus Deum, v. 1. & 2.

II. Petitio, qua poſtulat primùm gratiam Eccleſiæ impiorum ludibriis expoſitæ, & contemptu obrutæ, fieri, v. 3. Deinde ærumnas impiis Dei & Eccleſiæ hoſtibus imponi: nempe vt ſannis & contemptu ſuo tempore obruantur, v. 4.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Quoties non vnus & alter tantùm, ſed tota eccleſia hoſtium ſuorum libidine iniuſtè & ſuperbè vexatur, pij omnes inuitãtur ad ardentiorem inuocationem veri Dei.

Is autem dicitur habitare in cœlis. 1. Vt eius potentiæ deferant quantum oportet. 2. Vt in profundiſſimis grauiſſimarũ calamitatum abyſſis conſtituti, cogitent Dei virtutem & miſericordiã in cœlis manere integram. 3. Vt diſcant cœleſte Dei regnum turbulento & confuſo rerum mundanarum ſtatui opponere. 4. Vt certò perſuaſi ſint, Deum qui ſupra mundi procellas euectus eſt, eas quoties viſum erit, facilè diſcutere, ſuóſque incolumes vel in mediis fluctibus conſeruare, vel prorſus in tuto collocare poſſe.

2 Similitudo qua vtitur propheta, ſignificat extra Dei tutelã nihil eſſe nobis ſolatij, nos inermes eſſe & ad quamuis iniuriam expoſitos, non vires neque audaciam ad reſiſtendum ſuppetere: denique noſtram ſalutem pendere totam à Dei auxilio: vt carnali fiducia prorſus depoſita in vnum illum omnipotentem confidere, ad eum confugere, & humili mente contritóque corde auxilium petere diſcamus. Superbi enim, Epicurei, iuſtitiarij hypocritæ hic expreſſis verbis damnantur.

3 Dei ſerui & ancillæ certò tenent eum ad omnes eccleſiæ ſuæ illatas iniurias & moleſtias adfuturum vindicem.

Eccleſia (quæ eſt cœtus ſeruorum & ancillarum Dei) eſt cruci ſubiecta, vt ad Dominum miſericordem & liberatorem oculos & vocem fidei attollere diſcat.

4.5 Miſericordia Dei eſt eccleſiæ afflictæ tutiſſimum refugium.

Impij vt plurimùm non modò violenter graſſantur ad quiduis audendum, ſed per ludibrium calcant Dei ſeruos & ancillas.

Afflictiones piorum dum multiplicantur, multiplicentur etiam preces ad eum qui ſuos torpentes varijs flagellis excitat, aut laſciuiẽtes compeſcit & continet in officio,

Impiorum ſubſannationes, eo quòd in Deum ipſum vibrantur, piorum mentes grauiter ſauciant.

Qui eminent in mundo, populum Dei ex alto deſpicere ſolent: quũ enim ambitione, auaritia, voluptatum illecebris, honorum ſplẽdore ſint excæcati, internã eccleſiæ pulchritudinem intueri nequeunt, & ſpirituale Dei regnum faſtuoſè aſpernantur. Ne nouum igitur nobis ſit, quòd filij huius ſeculi hodie Chriſti eccleſiã contẽnunt: ſatiata enim eſt omnibus ſeculis Dei familia non modò crudelitate & fraudibus, verumetiam probro & ſubſannatione.

Etiamſi mundi ſuperbia pios veluti ſordes & quiſquilias rideat, ac calcet pedibus, hoc vno contenti gaudent, quòd in vita & morte pretioſi ſunt coram Dei oculis.

In ſumma, dum Epicurei & ſuperſtitioſi rident, ſibique ſecurè faciunt delicias, ac ſuperbè Chriſti eccleſiis illudunt, vitæ lucem quæramus in cœlis, & ad beatam illam liberationem noſtram ardentibus votis aſpirare diſcamus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Inuocatio Dei piorum in grauiſſimis tentationibus aſylum.
2. Deus quo ſenſu in cælis habitare dicitur.
3. Eccleſiæ militantis extra Dei auxilium nullæ vires.
4. Veræ Eccleſiæ deſcriptio, nempe quod ſit cœtus ſeruorum & ancillarum Dei, ſub cruce ad Dominum ſuum gementium.
5. Miſericordia Dei, piorum liberatio & gloria.
6. Impiorum Eccleſiæ illudentium deſcriptio.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIIII.

RVRSVS in hoc pſalmo pingitur eccleſia populi Iudaici, qualis fuerit ab initio conſtitutæ politiæ vſque ad extremum excidium. Etſi enim aliâs magis aliâs minus florebat & tranquilla erat politia: tamen ſemper habebat hoſtes infeſtiſſimos, à quibus vndique grauiter & aſsiduè oppugnabatur. Ab oriente imminebant eis Ammonitæ, Moabitæ, Aſſyrij, Chaldæi: ab occidente Palæſtini: à ſeptentrione Syrij: à meridie Ægyptij, Arabes, Idumæi, atque hi omnes ſubinde ſumptis armis impetum in regnum Iudæorum faciebant. His igitur hoſtibus cincti Iudæi ſemper erant in maximo metu & periculo, non aliter vt grex ouium, in quem multi vndique lupi irruunt. Et quidem factum eſt interdum, vt nonnulli tanquã ex grege à lupis abrepti crudeliſsimè necarentur: ac veriſsimile eſt, hoc ipſo tempore, quod Pſalmus in ſpecie notat, nonnullos eſſe ab hoſtibus trucidatos, atque alios in triſtem ſeruitutem abreptos. Sed tamen ſicut Daniel ſeruatus eſt inter leones, & tres adoleſcentes in fornace ignea: ita totum populi corpus vſque ad Meſsiæ aduentum mirabiliter ſeruatum & defenſum eſt diuinitus. Hoc igitur beneficium agnoſcens Dauid in hoc Pſalmo celebrat, & cæteros id ſecum prædicare iubet. Vtque magnitudo beneficij ſit conſpectior, initio pericula, quæ diuinitus depulſa ſint, variis ſimilitudinibus exaggerat & amplificat. Eſt autem hiſtoria populi Iſraelitici imago eccleſiæ omnium temporum. Ideo ſicut illa vndique cincta & obſeſſa fuit ab hoſtibus potentiſſimis, aſtutiſsimis & crudeliſsimis: ita omnibus temporibus eccleſia ſimiles habet hoſtes, à quibus oppugnatur & quaſſatur duriter. Et hoc tempore totus mundus in perniciem eccleſiæ, quæ in his regionibus Deo colligitur, coniuraſſe videtur. Ab vna parte imminent Turcæ, qui ſunt domini magnæ partis orbis terrarum, & hoſtes Chriſti ſunt ex profeſſo. Ab altera parte Pontificij, quorum quanta ſit rabies in oppugnanda eccleſia, magno cum dolore multos iam annos experimur. Et ne quid ad ſummam calamitatem aut periculi metum deſit, accedit Moſcouitica tyrannis, quæ extremam vaſtitatem his regionibus, plus quam barbarica feritate, atque immanitate, quam

alibi apud vicinos exercuit, minatur. Inter tanta hoſtium odia & pericula quod hactenus ſeruat Deus eccleſiam in his regionibus, eique aliqua halcyonia concedit, magnum iudicemus eſſe beneficium, idque cum propheta grato animo agnoſcamus & celebremus, & cum Ieremia clamemus, Miſericordiæ Domini quod non conſumpti ſumus. Ideo enim hæc exempla aſſiduæ defenſionis & liberationis proponuntur, vt ad fidem, inuocationem & gratiarum actionem excitemur.

Pſalmus graduum, Dauidis.

1 SI non Iehoua [*fuiſſet*] qui fuit pro nobis, dicat nunc Iſrael.

2 Si non Iehoua, qui fuit pro nobis, cum inſurgeret contra nos homo:

3 Tunc viuos deglutiuiſſent nos: cùm excandeſceret furor ipſorum in nos.

In exordio eſt adhortatio, qua excitat vniuerſum populum ad agnoſcendum & celebrandum beneficium diuinum, & ipſe rex eſt ἔξαρχος eius carminis. Vt autem animi in cogitatione beneficiorum diuinorum retineantur, amplificat pericula, quibus fuerãt oppreſſi ab hoſtium immanitate. Ἀναδίπλωσις pathetica, quæ eſt in exordio, magnitudinem gaudij exprimit, quod extitit in cordibus piorum diſcuſſo tanto periculo. Quo enim maior eſt metus in periculo, eò maius gaudium eſt eo diſcuſſo: ſed impiorum gaudium non intuetur Deum, nec agnoſcit diuinitus illam liberationem obtigiſſe, ideo perfuncti periculo vel mala extenuãt, vel ſuã ſapientiam & induſtriam deprædicant. Sed pij agnoſcũt non niſi diuinitus reprimi hoſtium furorem & potentiam potuiſſe. Ideo vt de hac fide ſua teſtentur, aſſeuerationem magna lætitia iterant: *Niſi Dominus fuiſſet*, inquit, *cùm excandeſceret furor hoſtium*, id eſt, tanta erat hoſtium potentia, tantus furor & rabies, vt impoſſibile fuerit nos euadere periculum, niſi diuinitus fuiſſemus tecti & ſeruati. Nihil enim habebamus in rebus humanis, quod tantæ potentiæ & tanto furori opponeremus. Nequaquam enim eramus pares viribus, prudentia, ſcientia rei militaris, aut aliis rebus, in quibus homines ſpem victoriæ collocant. Nullis igitur præſidiis aut viribus humanis, ſed tantùm diuinitus ſeruati ſumus. Hoc agnoſcere & prædicare grati debemus, & vt faciliùs id præſtare poſſimus, magnitudo periculorum, quibus vndique cincti ſumus, aſſiduè cogitanda eſt: ſicut hoc loco facere prophetam videmus. Nam in tertio verſu cum immanitatem hoſtium deſcribit, proponit imaginem veluti luporum aut leonum famelicorum, qui in gregem ouium irruentes, ipſas vno impetu quaſi viuas deglutiũt & abſorbent. Quæ imago & furorem atque immanitatem hoſtium eccleſiæ, & deinde infirmitatem atque imbecillitatem, quæ non eſt par periculis, & miſeram conditionem piorum, ſi externa præſidia ſpectemus, aptiſſimè depingit.

Nec opus eſt longiore declaratione, cùm res per ſe ſit manifeſta. אדם indefinitè ponitur pro magna multitudine hoſtium, idque emphaticῶs, vt notet faſtum & arrogantiam hoſtium. Illi enim ſe ſolos exiſtimant eſſe homines, & pios tãquam inermes contemnunt & proculcant.

4 Tunc aquæ inundaſſent [*inundatione obruiſſent*] nos: torrens tranſiiſſet ſuper animam noſtram.

5 Tunc tranſiiſſent ſuper animam noſtram aquæ tumidæ [*nimis altæ.*]

Iterum amplificat periculum à ſimilitudine aquarum intumeſcentium & totas regiones obruentium, quæ quantum damni dent, cum dolore audiuimus ex Hollandia, Friſia, & aliis vicinis locis nũtiari. Comparat autẽ hoſtilis exercitus impetum aquis validis ſeu diluuio: quia, ſicut aquæ exũdãtes & aggeres oppoſitos perrumpentes, vno impetu euertunt & abripiunt quicquid obuium eſt: ita exercitus hoſtilis ſubitò magnam vaſtitatem & cladem efficit. Eſt autem vſitatum ſcripturæ per aquas in genere notare magnas calamitates quaſcunque & pericula μεταφορικῶς vt ſuprà 18. 32. & 69. dictum eſt. Nam & diluuio vniuerſali perierat genus humanum, & particularibus exundationibus ſæpe magnæ regiones vaſtantur, & vrbes abſorbẽtur: in ſpecie etiam hoſtiles exercitus cum aquis exundantibus comparantur propter cauſam de qua iam dictum eſt, vt in hoc loco, & Ier. 47. Aquæ aſcendunt ab aquilone, & erunt in torrentem, & inundabunt terram. Ieſ. 17. Tumultus populorũ ſicut ſonitus aquarum multarum ſonabunt, Ezech. 26. Cùm aſcẽdere fecero ſuper te voraginem & operuerint te aquæ multæ. Inde in Apocalypſi dicitur cap. 17. Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt, & turbæ, & gentes, & linguæ. Voluit autem propheta hac ſimilitudine, Dei præſentiam, auxilium & liberationem magis illuſtrẽ reddere, & oculis omnium conſiderandam proponere. Nam in magnis inundationibus cum obuia quæque euertũtur & impetu fluuij abripiuntur, ſi quis ſeruatur, ſicut ille qui in recenti diluuij clade, quæ incidit in IIII. Nonas Nouembris anni 1570. cum ſua domo abreptus, & procul à ſuis fundis reiectus, tamen manſiſſe ſcribitur incolumis: non poteſt hoc niſi Dei prouidentiæ adſcribi, cum alioqui in bellis multa videantur geri feliciter humana induſtria & aſtu, ſicut dicitur, ἓν κοινὸν ἐγχείρημα πολλαὶ χεῖρες νικᾷ. Vt ergo moneat totum beneficium liberationis in ſolidum Deo eſſe tribuendum, comparat periculum illud, quod ab hoſtibus imminebat, diluuio aquarum, quod nulla humana arte aut induſtria auerti potuerit.

Aduerbium אזי δεικτικὸν eſt, ac ſi digito monſtret illud præſens periculum, quod ceruicibus omnium imminebat.

De torrentibus diximus ſuprà pſal. 18. verſ. 5. Vox ſignificat ſubitas inundationes & violenta flumina, hoc eſt, notat hoſtilem impetũ. Aquas ſuperbas nominat tumidas & magno impetu fluentes, & ſubitò inundantes.

6 Benedictus Iehoua: qui non dedit nos [*in*] prædam dentibus eorum.

In gratitudine præcipuè lucere debet veritas, quæ agnoſcat, vnde profectum ſit beneficium, & autorem grato animo prædicet. Ita in hoc pſalmo extat cõfeſſio adfirmans, non humanis conſiliis aut præſidiis, multò minùs caſu, ſed ſola diuina virtute populum in tantis periculis fuiſſe defenſum & ſeruatum. Iterum autem reſpicit propheta ad illam imaginem verſu tertio propoſitam, in qua pingit beſtiam ferocem, truculentam, & fame exaſperatam, quæ ventris ſtimulata dolore magna rabie in prædam irruit, & obuium quiduis dilaniat: vt hoſtium furorem atque immanitatem iterum ob oculos ponat.

7 Anima noſtra ſicut auis erepta eſt è laqueo venantium [*aucupum:*] laqueus ruptus eſt, & nos liberati ſumus.

Sicut prioribus ſimilitudinibus vehementem impetum, furorem atque immanitatem hoſtium deſcripſit: ita nũc alia imagine, ab aucupibus ſumpta, inſidias, dolos & technas hoſtium depingit, à quibus etiam aliquanto plus eſt periculi, quàm ab aperta vi. Ita enim diabolus & eius organa aduerſus eccleſiam pugnant, leoninæ pelli aſſuentes vulpinam. Et quæ noſtra eſt ſimplicitas, nequaquam animaduertere dolos hoſtium noſtrorum poſſumus. Deus igitur eſt, qui laqueos aucupum rumpit, hoc eſt, fraudulentos conatus ipſorum impedit, eludit & irritos reddit, & nos ab horum inſidiis tutos ſeruat. Iam, inquit, eramus concluſi retibus aucupis, eramus circumuenti inſidiis hoſtium, & vndique cincti, vt (quoquo nos verteremus,) ante oculos interitus verſaretur. Ibi, in præſenti periculo, καὶ ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς ἐόντων ἡμῶν, laqueus ruptus eſt, vt quaſi aues auolaremus, id eſt, periculum præſens ſubitò eſt diſcuſſum diuinitus, præter omnium hoſtium opinionem & ſpem: atque ita ſeruati ſumus prorſus miraculosè.

8 Auxilium noſtrum in nomine Iehouæ: qui fecit cælum & terram.

Claudit pſalmum epiphonemate gratulatorio, in quo iterum eſt confeſſio & celebratio beneficij, & doctrina, vt hoc exemplo commonefacti fideles ſoli Deo ſalutem ſuam acceptam referant, eíque aſſiduè eam tuendam commendent. Non enim aliter eccleſia manet incolumis niſi quatenus Dei manu & tutela protegitur.

In nomine Iehouæ] Id eſt, in Deo patefacto in hoc populo & agnito in ſuo verbo, & iuxta promiſſionem manifeſtis teſtimoniis oſtendente ſuam præſentiam. Nomen enim Dei eſt, quo ille agnoſcitur. Cõgruit autem hic verſus cum illo Pſalmi 20. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri. Item, in Deo iuxtà verbum inuocabo.

Qui fecit cælum & terram] Id eſt, qui eſt creator, quíque habet omnia in manu ſua & ſuo imperio continet. Atque hoc epitheton attribuit Deo, non tantùm vt eius potentiam deſcribat, & hoſtium viribus opponat, ſed etiam vt fictitiis idolis eam laudẽ, quam hoſtes eis tribuebant, adimat. Ipſe enim euentus docuit quàm nihil haberent virium ipſorum numina, & quàm facile ſit vero Deo, etiam in rebus deſperatiſſimis, opem afferre.

PSALMI CXXIIII.

PARTES.

I. Narratio, qua Pſaltes Eccleſiæ totius nomine, omniúmque temporum, narrat mirificas liberationes effectas à Deo, pios omnes ad Dei manum & ſumma pericula, quibus erepti ſunt, contemplanda inuitans, v.1.2.3.4.& 5.

II. Gratiarum actio, qua Eccleſia Deo benedicit propter liberationes ſuas, v.6.& 7. Quæ, vt & ærumnæ, idoneis & elegantiſſimis ſimilitudinibus, rem ipſam ſubiicientibus deſcribuntur.

III. Prædicatio gratiæ & opis Dei conſtantiſſimæ, v.8.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1.2.3.4.5 Eccleſiæ Dei conditio ea eſt, vt ſine Dei præſentia & peculiari auxilio ſubſiſtere nequeat.

Omnibus ferè ſeculis reperti ſunt hoſtes potentiſſimi, qui contra eccleſiam tam validis copiis inſurrexerunt, & etiamnum inſurgũt, vt nihil à morte diſtare videatur.

Non propriis viribus ſtat, ſed admirabili Dei gratia ſeruatur piorum cœtus, vt ſe ad Deum in periculis quærendum & inuocandum aſſuefaciat.

Meditanda ſunt diligenter præterita pericula, ne ex animis noſtris euaneſcat gratiæ Dei ſenſus, & vt gratam memoriam tot beneficiorum conſeruare diſcamus: nec inutilis, imò neceſſaria eſt admodum liberationum noſtrarum recordatio.

Præſto eſt Dominus ad ferendam ſuis ſeruis opem, & ab eorum parte ſtat tempore opportuno.

Non aliunde neque aliter poſſumus ex imminentibus periculis ſalui euadere, quàm quum Deus manum nobis porrigit: & tunc demum perſuaſi ſumus, nos adſcribere ſalutis noſtræ gloriã Deo, quum profitemur eum nobis eſſe propitium, vt nos tueri & incolumes præſtare velit.

Immenſa Dei virtus in liberatione piorum aliquoties ita perſpicuè fulget, vt in homines non poſſe competere tales ſeruandi modos, omnes atque adeo ipſi licet impij, vltro fateantur.

Non pauci ſunt, ſed innumeri & omnis generis hoſtes eccleſiæ, quibus opponendus vnus Iehoua omnipotens. Tunc autem dictum Eliſæ occurrat, 2.Reg.6.16. Ne metuito, nam plures ſunt qui nobiſcum quàm qui cum illis ſunt. Et Apoſtoli, Rom.8.31. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Sicuti truculenta eſt impiorũ ſæuitia, ita viriũ imparitas ea cernitur, vt eccleſia nõ poſſit inuadentib. eã reſiſtere manu, mediisve in mundo quæſitis: imò tam facilè poſſunt hoſtes eam aggredi, quàm facilè luporum turma ouium imbellem gregẽ laniare & vorare poteſt, aut torrentes & aquæ violentæ abſorbere ſuis exundationibus quicquid ſit obuium.

Periculorum hypotypoſes ſunt nobis neceſſariæ, vt poſt liberationẽ, Dei beneficia attẽtiùs recolere diſcamus, & ex quàm profundis malorum abyſſis fuerimus Dei manu erepti, meliùs ſentiamus. Nam illi demum ſalutem ſuam Deo ferunt acceptam, qui ſe ante liberationem fuiſſe perditos agnoſcunt.

6.7. Ad gratitudinem perpetuam ſumus ſolicitandi, ne gratiæ Dei obliuio animis noſtris obrepat. Ingrati enim animi vitium eſt vitiorum omnium extremum, tum præcipuè quum in Deum fertur.

Dei liberationes ſunt eximiæ: fert enim ſuis opem, eoſq; liberat ſæpiſſimè ab impiorum violentia, non ſecus ac ſi quis prædam ex dentibus feræ & crudelis beſtiæ auferret.

Non modò cum truculentis hoſtibus eccleſia precibus, ſpe & fide in Deum luctatur: verùm etiam aucupiis & fraudibus impiorum illaqueatur ſæpiſſimè, vt tum à Dei potentia, tum ab eiuſdem ſapientia pendere diſcat: & liberationes ſuas miraculoſas eſſe fateatur.

8 Incolumis manet eccleſia, quatenus Dei manu & tutela protegitur.

Dei auxiliũ aliis mediis, quibus perperã mundus confidit, eſt opponendũ: vt omnipotentis Dei (cœli & terræ creatoris ac conſeruatoris) virtute freti, quicquid Satan & impij in nos machinãtur, ſecurè deſpiciamus. Quoties autem, fremente Satana & impiorum colluuie trepidamus: occurrãt nobis cœleſtes & terreſtres creaturæ, quæ ſtuporem noſtrum coerceant, noſq; bene ſperare, & ſummi opificis potentiſſimum auxilium placidis animis expectare doceant.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſia militans innumeris periculis expoſita.
2. Dei auxilium militanti Eccleſiæ non deeſt.
3. Periculorum ex quibus erepta eſt Eccleſia repetitiones neceſſariæ.
4. Gratiarum actio piorum vtile exercitium.
5. Perſecutorum Eccleſiæ violentia, calliditas, malitia.
6. Eccleſiæ liberationes admirandæ & miraculoſæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXXV.

PSALMVS eſt παραμυθητικός. Habet enim promiſſiones dulciſſimas de perpetuitate eccleſiæ, déque aſſidua Dei præſentia in populo ſuo & de perpetua defenſione ac protectione piorum, quæ tũ inprimis cernitur, cùm res maximè ſunt turbulentæ, & omnia caſum ſeu ruinam minantur. Quo enim infeſtioribus armis, & quo maiore crudelitate oppugnatur eccleſia, eo firmiùs præſentia ſua & angelorum præſidiis Deus eam munit, & hoſtium conatus eludens, ipſos tandem euertit & delet, & eccleſiam variis bonis cùm corporalibus tum ſpiritualibus ornat. Hæc conſolatio, quam hic pſalmus dulciſſimis figuris proponit, & ſæpe tota ſcriptura repetit, multò efficacior eſt, quàm quæ ex philoſophorum ſcriptis petitur. Monſtrat enim Dei præſentiam in ærumnis, & affirmat afflictiones piorum non fore diuturnas aut perpetuas. Quorũ vtrũque philoſophia ignorat. Hac igitur conſolatione Dauid, aut quiſquis eſt autor huius pſalmi, ſeſe & populum ſuũ in publicis periculis & calamitatibus, cùm à vicinis hoſtibus vndique oppugnarentur, confirmabat, & ad fidem ac precationem ſingulos exuſcitabat. Et nos decet in noſtris periculis, quæ multa & magna ſunt, his cõſolationibus confirmatos conſtanter ferre præſentes ærumnas, & exemplo prophetæ ſalutem noſtram Deo commendare, & ab ipſo opem atque auxilium expectare. Id ſi fecerimus, experiemur has conſolationes, quas pſalmus proponit, non eſſe λεσχηνείας ἢ φλυαρολογίας, id eſt, inanem garrulitatem, vt de conſolationibus philoſophicis in Axiocho inquit Plato, nec inania tantùm θελκτήρια: ſed quæ efficaciter vulneribus cordis medeantur, & triſtiſſimos dolores, quos vel ex publicorum malorum conſpectu, vel ex peccatorum noſtrorum ſenſu capimus, ſanent & tollant, & veram atque in Deo acquieſcentem animorum lætitiam pariant.

Pſalmus graduum.

1 QVi confidunt in Iehoua: ſicut mons Sion [*qui*] non commouebitur, in æternum perſtat [*ſedebit, quieſcet, manebit.*]

Prima & principalis conſolatio in hoc verſu recitatur: quę ſũpta eſt à perpetuitate & duratione eccleſiæ. Impoſſibile eſt eccleſiam

eccleſiam deleri in hac vita. Stat enim illa firma & immota decreto ſeu promiſſione diuina, qua fundata & firmata eſt. Ergo fruſtra conantur hoſtes eam delere, & vt poſtea in fine inquit, erit pax ſuper Iſrael, etiamſi hoſtes ad tempus ſæuiãt. Antecedens illuſtrat ſimilitudine. Sicut mons Sion ſtat immotus & non nutat, etiamſi ab omnibus vndique ventis circunflatur; ita eccleſia, quæ vera fide nititur Deo, non vacillat, etiam in cruce, cum variis arietibus intus & foris concutitur. Hanc promiſſionem, quæ in genere ad corpus eccleſiæ pertinet, vult ſingulos vera fide ad ſeſe accommodare. Ideo inquit, *Qui confidunt in Iehoua*: & ſimul monet ad quos pertineãt promiſſiones diuinæ: non ad Epicuræos contemptores doctrinæ cœleſtis & profanos homines, non ad hypocritas, aut ad promiſcuam multitudinem impiam, ſed ad credentes, qui vera fide has promiſſiones amplectuntur. Fit quidem interdum, vt quemadmodum in magno exercitu, nonnulli à tyrannis interficiantur: ſed quia horum vita & ſalus in Deo fũdata & repoſita eſt, non pereunt illi, ſed habitant perpetuò apud Deum, & fruuntur eius conſuetudine iucundiſſima, etiã cum ex hac vita ſunt ſublati. Quandiu verò in hac vita ſuum curſum peragunt, animo ſunt tranquillo, compoſito, intrepido & infracto, contemnunt minas hoſtium, & rident ſtolidos ipſorum conatus, quia tenent certum portum.

Hæc omnia ſignificantur in hoc verſu, animi ſcilicet tranquillitas in publicorum malorum concurſu, & veræ ſalutis ſtabilitas, quę nulla vi, nullis armis hoſtilib., nullo aduerſãris fortunæ impetu eripi poſſit. Deinde ipſius corporis eccleſiæ perpetua duratio. Sed hæc promiſſio dulcior etiam fuit populo Iſraelitico, qui vſque ad aduẽtum Chriſti promiſſionem habebãt de certa ſede, qua confirmati ſciebant politiam illam deleri non poſſe, vtvt hoſtes in eam ſæuirent. Nos etiã ſi promiſſionum de certa ſede non habemus, tamen in genere ſciamus hanc promiſſionem de duratione eccleſiæ eſſe firmam & ratam: ideóque vera fide & inuocatione nos ad eccleſiam vbicunque illa ſit, adiungamus, & ſtatuamus, ita nos ſaluos fore, ſi cũ Noha in hac arca vehamur, vt dulciſſime inquit Nazianzenus, ζῶντω Νῶε κιβωτὸν ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.

Conſiderata promiſſione etiam antitheſis cogitetur. Sicut enim eccleſia, quæ eſt regnum cœleſte, inſtar montis Sion conſiſtit firma & immota aduerſus omnes inſultus diaboli & organorum ipſius, ita è regione cætera regna in hoc mundo, quantumuis magnis viribus fulciantur, & opibus tanquã adamãtinis vinculis, vt Dionyſius dicebat, firmẽtur, nihil tamen in his eſt ſtabile aut firmum, ſed nutant perpetuò, & ſunt obnoxia perpetuis mutationibus, & circumacta ſua periodo tãdem euertuntur & ruunt. Quod teſtatur totius mundi hiſtoria, & experientia. Hæc antitheſis illuſtrat promiſſionẽ, præſertim ſi cogitetur quàm eccleſia in ſpeciem nihil habeat quod durabilitatem aliquam promittat: Regna verò mundi ſuo faſtu perpetuam felicitatem ſibi ſomnient.

Eſt & altera antitheſis conſideranda cùm inquit, Qui confidit in Domino. Damnat enim omnem fiduciam quæ collocatur in aliis rebus, in ſapientia, viribus humanis, aut aliis illicitis & incõceſſis mediis. Talis enim fiducia, vt perpetuò fluctuat & incerta eſt, ita tandem fruſtratur ſperantem, & relinquit eum in media morte. Sola hæc fiducia, quæ in Deo collocatur, firma eſt & tuta.

2 Ieruſalem, montes in circuitu eius: [*ſcribitur antecedens cum ſuo relatiuo contra conſuetudinem Latini ſermonis: Itaque ſic reſolue: In circuitu vrbis Hieroſolymæ ſunt montes*] & Iehona in circuitu populi ſui, ex nunc & vſque in ſeculum.

Illuſtrat promiſſionem de protectione ſeu defenſione piorum ab alia collatione, & quaſi rationem reddit eius firmitatis ſeu ſtabilitatis, de qua ſuprà verſu primo dixerat. Ideo inquit, eccleſia perſtat firma & immota, quia Deus eam vndique cingit & munit: éſtque (vt apud Zachariam cap. 2. dicitur) murus igneus in circuitu piorum, arcens & depellens hoſtes, & ſuos muniens ac defendens, ne vis hoſtilis ad eos penetrare poſſit. Hanc dulciſſimam promiſſionem iterum exornat ſimilitudine. Quemadmodum, inquit, Hieroſolyma vndique cingitur montibus, qui quaſi formam murorum & propugnaculorum repræſentant, & faciunt vt non facilè ab hoſtibus adiri atque oppugnari poſſit: ita Deus ſua virtute & potentia, & ſuorum angelorũ præſidiis circumdat eccleſiam, & omnes noxas ab illa arcet. Ipſe igitur ſitus vrbis rudes & infirmos de eccleſiæ forma quodammodo commonefacit, vt quoties illos montes, quibus vndique vrbs cincta eſt, intuentur, cogitent de firmiſſimis præſidiis, quibus eccleſiam ſuam Deus in hac vita perpetuò munit.

Ex nunc & vſque] Hæc amplificatio promiſſionis à tempore ſeu duratione ſumpta diligẽter notanda eſt. Oſtẽdit enim promiſſiones, populo Iſraelitico factas pertinere in genere ad eccleſiam omnium ætatum, nec expirare cũ ipſa politia. Deinde expreſsè affirmat, eccleſiam perpetuò duraturam eſſe in hac vita: quæ conſolatio piis mentibus dulciſſima eſt, præſertim in magnis periculis & calamitatibus publicis, cùm omnia videntur minari ruinam & interitum.

3 Quoniam non quieſcet ſceptrum impiorum ſuper ſortem [*id eſt, cœtum*] iuſtorum: ne extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Corrigit priorem ſententiam, & tacitæ obiectioni occurrit. Ita enim ferè affecti ſumus omnes, vt promiſſiones diuinas ad noſtras cupiditates accommodemus, & ad commoda noſtra trahamus, ac niſi omnia ſecundùm vota & cupiditates noſtras eueniant, iudicemus promiſſiones eſſe vanas & irritas, ideóque plurimi eas abiiciant & contemnant. Si enim, inquiunt, perpetuis præſidiis Deus eccleſiam ſuam munit, cur hoſtibus eccleſiæ tanta conceditur licentia ſæuiendi in pios? cur tántis periculis, atque adeo morti ipſi perpetuò obiiciuntur pij? Hoccine eſt eccleſiam defendere, quæ tot crudelibus tyrannis excrucianda & dilanianda obiicitur? Huic obiectioni occurrens monet promiſſiones rerum corporalium veras eſſe & ratas, non minùs quàm illas, quæ concionantur de rebus æternis & ſpiritualibus, ſed intelligendas eſſe cum exceptione caſtigationis & crucis. Etſi enim tenerrimè ſuos diligit Deus, tamen cruce vult eos in hac vita exerceri, vt creſcat pœnitentia, fides, inuocatio & cæteræ virtutes. Ideo interdum aliquandiu conniuet ad tyrannidem impiorum, & ſuos patitur duriter affligi: ſed tandem, cùm eccleſiæ profuturum intelligit, reprimit tyrannos, & ſuos glorioſè liberat. Atque ita euẽtus tandem oſtendit quàm hæ promiſſiones ſint veræ. Etſi igitur nonnunquam premuntur pij à tyrannis, tamen illa crux non erit perpetua.

Non quieſcet] Vſitata verſio habet, non relinquet: ac ſi eſſet à ינח. Sed forma verbi oſtendit futurum eſſe verbi נוח.

Ne extendant iuſti] Addit inſignem cauſam, cur Deus eccleſiam non ſinat perpetuò premi, atque exerceri tyrannorum iniuriis & ſæuitia. Etſi enim aliæ plures cauſæ ſunt, cur Deus tandem liberet eccleſiam ſuam iniuriis malorum hominum oppreſſam, de quibus alibi dicitur: tamen hæc quoque vna ex præcipuis eſt, quæ hoc loco recitatur. Temperat Deus res aduerſas, & mitigat calamitates præſentis vitæ, quia vult parcere infirmitati ſuorum, quos videt impares eſſe ad reſiſtendum. Si enim perpetuis iniuriis vexaretur eccleſia, periculũ eſſet ne multi fracti deficerent à Deo, & contra iuſtitiam & alias virtutes exemplo multorum facerent, aut pietatis cultum deſererẽt: vt tempore Antiochi multi ſine dubio vacillabant. Succurrit igitur Deus & mitigat ærumnas, vt ſaluti ſuorum cõſulat. Hæc ratio diligenter notanda eſt. Monet enim primum de infirmitate noſtra, ne viribus noſtris confidamus. Nemo enim quantumuis robuſtus in fide, ſubſiſtere poteſt in pugna, niſi diuinitus confirmetur & ſuſtẽtetur. Deinde curam Dei & ſolicitudinem in defendendis ſuis deſcribit, quę res conſolationis pleniſſima eſt.

Notetur & phraſis, *Extendere manũ ad iniquitatem*. Monet enim tentationum impetus eſſe admodum violentos, vt iuſtorum manus, quæ priùs erant quaſi deuinctæ, & quarum motus erant compoſiti ad Dei arbitrium, nunc quaſi ſolutæ ad peccandi licentiam ferantur.

4 Benefac Iehoua bonis & rectis in cordibus ſuis.

Conſolationi attexit precationẽ, qua ſalutẽ eccleſiæ & ſingulorũ piorũ Deo commẽdat. Nam hæc ſunt arma eccleſiæ, quibus ſe aduerſus diabolũ & cæteros hoſtes tutatur, Verbum promiſſionis fide apprehẽſũ, & inuocatio. Hæc igitur mõſtrat hic pſalmus, & ſingulos ad hanc curã excitat, vt his armis ſeſe aduerſus imminẽtes tẽpeſtates & pericula muniant. Benefac, (inquit) id eſt, ſicut promiſiſti defẽſionẽ piis: ita nõ patere eos patrocinio tuo egere: non proiicias dilectam animam tuam in medium hoſtium tuorum: ſed benefac bonis & piis, defende eccleſiam tuam, & præſta eam tutam aduerſus quoſuis hoſtium inſultus.

Rectis corde] Definit bonitatem, quam vult talem eſſe, quæ careat omni hypocriſi, vt non tantùm actiones externæ ſint ſine ſcelere, ſed cordis etiam integritas reſpondeat.

5 Qui autem diuertunt in prauitates ſuas, ambulare faciet Iehoua cum operariis iniquitatis: Pax ſuper Iſrael.

Vt magis illuſtret propheta promiſſionem eccleſiæ factam, ex antitheſi opponit comminationes pœnarum quę impios defectores manẽt, promiſſioni auxilij, defẽſionis & liberationis, quę eccleſię propria eſt. Nã cõtraria iuxta ſe poſi-

ra magis illuceſcunt. Et ſimul comminatio illa pios monet, ne fracti calamitatibus aut cruce deficiant à Deo. Qui declinant in prauitates vel lubricitates ſuas, hoc eſt, qui non perſeuerat in cõfeſſione incorruptæ doctrinæ, ſed aut ſpe victi, aut terrore fracti (nam hi praui affectus ſunt lubricitates ſeu tortuoſitates, de quibus hîc loquitur) inflectunt ſe ad malorum hominum affectus & cupiditates, & alios ſimul ſecum corrumpũt, & ad peccandi licentiam trahunt (Verbum enim Hebræum etiam actiuè exponi poteſt. Eſt enim tertiæ coniugationis à נטה.) Hos faciet Deus ambulare cum operariis iniquitatis, id eſt, pertrahet eos in ordinẽ impiorum, nec ſinet eos abire impunitos, ſed deteget ipſorum improbitatem, vt appareat eorum hypocriſis & turpitudo, quæ nunc latet, honeſto quodam religionis prætextu velata, & cum impia hoſtium multitudine tandem horribiliter puniet & perdet eos.

Operarij iniquitatis qui ſint, diximus ſuprà Pſal. 6. & alibi.

Pax autem erit ſupra Iſraelem] Id eſt, cœtus piorum qui cõſtanter perſeuerat in profeſſione doctrinæ, & patiẽter ſuſtinet & perfert ærumnas huius vitæ, & ſuam ſalutem piis precibus Deo commendat, ornabitur bonis cùm corporalibus tum ſpiritualibus. Nam nomen pacis omnis generis bona complectitur, vt ſuprà pſal. 122. diximus. In hac vita penè contrarium euenire videtur. Florent impij, & multi ſpe felicitatis ſe ad eos inflectunt: econtra premuntur pij, & crudeliſſimè tractantur à tyrannis: ſed interea illi habent pacem corã Deo, de qua Paulus ad Rom. 5. loquitur. Et tãdem etiam deletis hoſtibus glorioſè eccleſia liberatur, & fruitur pace cùm in hac vita, tum in futura, eáque in æternum duratura eſt.

עקלקלות Græcus reddidit στραγγαλιὰς obligationes.

PSALMI CXXV.

PARTES.

I. Didaſcalia, cuius loci duo. *Vnus*, de firmitate Eccleſiæ, quæ fundata eſſe dicitur & circummunita ſempiterna virtute Dei, v. 1. & 2. *Alter*, de inſtabilitate improborum, ſiquando videtur Deo Eccleſiam ſuam per illos caſtigare, v. 3.

II. Petitio qua bonis & rectis gratiam beneficam à Deo exoptat, v. 4. Hypocritas autem in Eccleſia verſantes, & impios extra Eccleſiam graſſantes confundi petit: vt pace fruatur Dei populus, v. 5.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2 Eccleſia ſemper ſalua erit ac tuta, quia inexpugnabili virtute Dei munita eſt.

Salus communiter toti electo populo promiſſa, ad vnumquenque fidelium ſpecialiter pertinet.

Viſibilis imago eccleſiæ nobis proponitur, vt carnis pigritiem excutientes inuiſibile Dei auxilium fidei oculis intueamur.

Æquè ab omni periculo tuta eſt Dei eccleſia, ac ſi mõtibus & inexpugnabilibus propugnaculis vndique clauſa munitáque foret.

Hieroſolyma ſæpiſſimè proponitur, vt veræ eccleſiæ typus, quod illic eſſet ſanctuarium & arca fœderis.

Inter tot mũdi mutationes, & rerũ viciſſitudines ac inclinationes, fidelium ſalus inuicto Dei præſidio firma ſtat: non quòd tranquilli, vitæ præſentis reſpectu, ſemper habitent: ſed qui a ſub Dei cuſtodia fruſtra impetitur eorum ſalus: aut ſi labaſcant, ſaltem nunquam excidere poterunt.

Quicunq; manu Dei omnipotentis fulciri cupiunt, conſtanter in eã recumbant: quòd enim ſæpe inſtar paleæ afflictionum ventis Deus nos iactari patitur, fit noſtra leuitate, dum huc & illuc vagari volitareq; malumus, quàm in rupe auxilij eius mentes noſtras figere.

3 Non obſtat Dei tutela quominus cruce & afflictionibus interdum exerceamur: ſed ſatis eſt nos non deſeri, vbi indigemus Dei auxilio, & quanuis impiorum tyrannide nos opprimi contingat, patienter tamen expectandum eſt, dum eorum violentiam Deus compeſcat aut omnino confringat.

Non ſine iuſta ratione Deus ſuos humiliat, & cruciandos ad tẽpus tradit tyrannis: ſed inde petendum eſt ſolatium, quòd opportunè liberabuntur qui in Iehoua confidunt.

Præterea temperatur à Deo res aduerſæ, quia parcere vult ſuorum infirmitati, & curare ne malis fracti pietatis cultum deſerant. Nam vtcunque in cordibus noſtris vigeat Dei timor, tamen non ſumus t anta fortitudine præditi, vt ſuſtineamus in finem vſque, niſi Deus imbecillitatis noſtræ rationem habeat.

Ita violenti ſunt tentationum impetus, vt iuſti facilè deficerent, niſi peculiari quadam ratione ad officium reducerentur.

4 Nos quidẽ ſuſtentat fides, ita tamẽ vt preces miſcendæ ſint ad confirmationẽ. Et quũ afflictiones piorũ & impiorum diſcrimen corã Deo tollere videãtur, idcirco votis ardentibus petendũ eſt, vt ſuos ab alienis reipſa diſcernat.

Pijs non ſufficit abſtinere ab omni maleficio, niſi reſpondeat interior cordis integritas, imò niſi totam eorum vitam gubernet.

5 Deus non ſemper conniuebit ad eorum ſcelera, qui ſe falſa profeſſione iactantes pro ſua libidine vagãtur, vel etiam ſimplices corrumpunt & ſecũ trahũt ad peccandi licentiam. Vt autem rectos corde iuuare ſolet, impios contra, nec nõ hypocritas, diuerticula quærentes, & aberrantes à via pietatis, in exitium præcipitat.

Ex Dei in rectos corde miſericordia, & in hypocritas ac iniquitatis operarios iuſtitia, pax eccleſiæ naſcitur. Quod cùm in hac vita non adimpleatur perfectè, ad meliorem illam in cœlis nos toto corde tendere decet.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De firmitate Eccleſiæ.
2. De impiorum inſtabilitate.
3. Eccleſiæ militantis liberatio certa.
4. Tentationum quibus pij exponuntur modus certus.
5. Piorum ingenium & officium.
6. Impiorum intra & extra Eccleſiam graſſantium miſeria.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVI.

HVNC pſalmum oratio ipſa indicat nõ eſſe conſcriptum à Dauide, ſed à quodam propheta ſeu doctore populi Iudaici, quando tribũ Iuda ab exilio Babylonico reduxit Deus & in patriã reſtituit. Celebrat enim autor pſalmi id beneficium, & verbis multis ac ſplendidis exornans atque amplificans liberationem, hortatur omnes, vt beneficium acceptum agnoſcant, & grato animo celebrent. Deinde, quia non vniuerſus populus, ſed vnica tantùm tribus Iuda (cui tamẽ alij multi ex cæteris ſe adiunxerant) eáque nondũ plenè reſtituta erat, ſubijcit precationem, qua petit vt opus inceptũ Deus perficiat, & reliquias paſſim ex gentibus collectas in patriã reducat, vt beneficiũ ſit plenum & integrum. Hæc prior pars eſt huius pſalmi. Quia verò intelligebat propheta hanc liberationem populi ab exilio Babylonico, & reditum in patriam, ſicut priorem eductionem ex Ægypto, vmbram ſeu typum eſſe eius redemptionis, qua per Chriſtum liberandi erant, à peccato, à morte, à damnatione legis & à tyrannide diaboli, & donandi erant vita cæleſti & æterna, ac reducendi in veram patriam, in qua, noua luce, ſapientia & iuſtitia ornati Deũ celebraturi eſſent in omni æternitate & fruituri eius conſpectu lætiſſimo, iubet Propheta pios, & præteriti temporis ærumnas & hanc liberationem corporalem ita intueri, vt in certã ſpẽ iſtius plenæ liberationis ac reſtitutionis erigantur, & vt hoc ipſo exemplo præſentis liberationis commonefacti diſcant, nullam calamitatem, nullas ærumnas piorũ in hac vita tantas

tantas eſſe quas non æterno cum gaudio & lætitia aliquando ſint commutaturi. Hac igitur ſpe erectos vult eos præſentis vitæ ærumnas quas multiplices hactenus in exilio experti erant, aut quæ ferendæ deinceps reſtabant, animo forti & intrepido perferre, & dolorem quem hactenus habuerant, lenire. Certò enim futurũ eſt, vt (quemadmodum Chriſtus ad Apoſtolos dicit Iohan. 16.) triſtitia noſtra conuertatur in gaudium, & gaudium illud nemo auferat à nobis.

Canticum graduum.

CVm reduceret Iehoua captiuitatem Sion, facti ſumus tanquam ſomniantes.

Propheta celebraturus liberationem populi ab exilio Babylonico, beneficium ipſum exornat, atque amplificat, idque variis figuris, vt mos eſt oratoribus. Eſt enim hoc gratitudinis ſpecies ſeu pars, magnitudinem beneficij rectè æſtimare & commemorando celebrare. Primum autem in hoc verſu celebrat beneficium à magnitudine gaudij, quod extitit in animis piorum ſoluta captiuitate. Et, vt oratio ſit illuſtrior, vtitur collatione ſeu imagine ſomniãtium. Tanta, inquit, eſt huius miraculi & beneficij magnitudo, vt nos initio redderet planè attonitos & ſtupentes; videbamus enim & cum ſtupore admirabamur nos ſupra & extra conſilia humana ſeruatos eſſe, & quidem tunc cùm minimum ſpei eſſet reliquũ. Adeóq; hæc res magna & inuſitata fuit, vt præ gaudio ſomniantes nobis videremur, quaſi non verè hoc ageretur, vt ſubitò liberaremur à triſtiſſima ſeruitute & multiplicibus exilij miſeriis. Ita verbo ſomniandi rem incredibilem, & quæ non fit vſitatis modis, notat, cuius cogitatio nos in admirationem & ſtuporem rapit, ac ſi ſomnium eſſet, non res geſta. Sicut Petrus Act. 12. cùm excitatus ab angelo egrederetur ex carcere, neſciebat verè hoc fieri, quod fiebat per angelum, ſed putabat ſe viſionem videre. Et Iacob Geneſ. 45. audiens filium Ioſeph viuere, quaſi de graui ſomno euigilans, nõ credebat filijs id narrantibus. Solet autem Deus ita agere cum piis, vt contra omnia conſilia humana eos liberet ex periculis, & tunc, cùm minimè ſperamus, præſentiam ſuam oſtendat, vt hoc modo beneficium fiat illuſtrius, & ingratitudini locus nullus relinquatur. Si enim vſitatis modis ageret, iudicarent plerique caſu ita factum eſſe, aut ab induſtria & conſiliis humanis ſalutẽ Eccleſiæ pendere, nec autorem, vt par erat, agnoſcerent & celebrarent. Vt igitur intelligant pij ſola Dei potentia defendi & liberari Eccleſiam, ſolet ſuccurrere ſuis, cùm omnia ſunt deſperata. Itaque fit vt liberatio annũtiata ſit ſimilis ſomnio, quod fidem propter rei magnitudinem & nouitatem non ſtatim meretur.

2 Tunc implebatur [*præterita præcedentis verſus & futurum huius rectè redduntur per medium tempus, hoc eſt, per præteritum imperfectum*] riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione [*ouatione, gratulatione:*] tunc dicebant inter gentes, magna fecit [*magnificè ſe geſſit*] Iehoua ad agendum cum iſtis.

In hoc verſu beneficium amplificat à ſignis eius gaudij, de quo ſuprà dixerat, ſeu à conſequentibus. Tandem enim certò perſuaſi verè & re ipſa hæc beneficia præſtari populo, & totam hanc rem eſſe ὕπαρ non ὄναρ, vt Plato loquitur, hoc eſt, non eſſe fallacem imaginem in ſomno obiectam, ſed beneficium, quod re ipſa & verè ipſis nihil tale ſperantibus aut opinantibus exhiberetur, ſoluti ſunt in riſum. Nam ex magna triſtitia & mœrore, in quo hactenus fuerant per annos ſeptuaginta, in tantam lætitiam ſunt coniecti, vt voce & geſtibus interiorem animi lætitiam proderent. Fieri enim aliter non potuit, quin cogitantes de multiplicibus exilij ſui miſeriis (in quibus hoc triſtiſſimum fuerat, quod quandiu à patria aberant, tandiu quaſi à Domino abeſſe, & quodammodo abdicari ab hæreditate ſibi promiſſa viderentur) nunc oſtenſa ſpe liberationis, quæ quaſi teſtimonium erat renouatæ adoptionis, in ingens gaudium erumperent, ídque cùm voce tum cæteris corporis geſtibus teſtarentur. Ita igitur *riſus* hoc loco accipiatur nõ de immoderata aliqua animi effuſione aut corporis geſticulatione indecora, quæ fit interdum propter res friuolas & nugaces, & digna eſt reprehenſione: ſed de ſigno interioris & quidem ſpiritualis illius gaudij, quo animi Iudæorum oblata certa liberationis ſpe perfundebantur.

Eodem modo etiam hoc, quod *de exultatione linguæ*, ſeu gratulatione dicitur, intelligatur. Nam corde ſuauiter affecto & lætitia perfuſo, ſicut frons, vultus, oculi, ſic etiam oratio ſigna lætitiæ edit. Vox רנה igitur ſignificat illas voces lętantium, quibus ſibi mutuò Iudæi in patriam redeuntes gratulabantur, & beneficium diuinum prædicabant.

Tunc dicebant inter gentes] Ad publicam Iudæorum lætitiam accedit teſtimonium & prædicatio beneficij ab ipſis gentibus. Quod teſtimonium reddebat beneficium diuinum multò illuſtrius. Ipſæ enim gentes alienæ à Deo iudicarũt hanc reſtitutionem populi Iudaici eſſe ſignum & teſtificationem peculiaris Dei amoris erga gentem Iudaicam, ídque publica voce ſeu præconio teſtati ſunt. Atque hoc ipſum teſtimonium, ab hoſtibus datum, oſtendit non humanis conſilijs aut viribus geſtas eſſe, multò minùs caſu has tantas res ita eueniſſe: ſed conſpici in his manifeſtam Dei præſentiam etiam ab impiis, qui alioqui in rebus diuinis prorſus ſunt cæci. Quẽadmodum & in Ægypto magi dicunt: Verè hic eſt digitus Dei. Ita hoc argumento à teſtimonijs barbararum gentium ducto, amplificat beneficium. Deinde exemplũ in hoc populo conſiderandum proponit, vt ipſi quoque ad agnitionem huius beneficij & gratiarum actionem excitentur. Nam ſi gentes impiæ, & alienæ à Deo, agnoſcere potuerunt hoc beneficium eſſe planè diuinum, & inſigne amoris Dei erga Iudęos teſtimonium, quantò magis decet nos, quibus hoc beneficiũ contigit, grato animo & pleno ore prædicare? Turpe enim fuerit, nos hac in parte gentibus eſſe deteriores.

3 Magnificè ſe geſſit Iehoua ad agendum nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Iam quaſi exemplo gentium excitatus erumpit ipſe quoque in celebrationem huius beneficij, eſtque propheta quaſi ἐφύμνιον huius verſus, quem aſſiduè vult ſonare & decantare populum. Ita hic verſus continet principalẽ propoſitionẽ pſalmi, quæ eſt gratiarum actio, vt in argumento diximus.

Magnificè ſe geſſit] Id eſt, Magnificam ſuam potentiã in hac liberatione euidenter oſtendit, & nominis ſui gloriam vindicauit à contemptu ſeu interitu.

Facti ſumus lætantes] Repetit commemorationem gaudij ex ſuperiore verſu, vt magnitudo beneficij fiat illuſtrior. Non enim fuit vulgare aliquod aut temporarium beneficium, ſed quod oppreſſos ingenti dolore, ærumnis & calamitatibus, cũ propter corporales miſerias, quas exilium ſecum trahit infinitas, tum verò propter ſenſum iræ Dei aduerſus populi peccata, quã hac veluti abdicatione ab hæreditate ſua teſtatus erat, ſubitò iterũ in ſpem non tantum corporalis libertatis & patriæ recuperandę erexit, ſed quod nouo atque illuſtri teſtimonio amorem Dei in cordibus eorum obſignauit. Inde igitur ingens extitit illa lætitia, quæ animos Iudæorũ occupauit. Nam quemadmodum bona valetudo gratior eſt iis qui ex morbo conualuerunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerũt: ita iucundiorem fecit hanc libertatem triſtiſſimæ ſeruitutis & ingentium illorũ dolorum, quibus tempore exilij contabuerant, recordatio. Lætati igitur fuimus, inquit, hoc eſt, ex magnis & triſtiſſimis doloribus, periculis & ærumnis, ſubitò coniecti ſumus in lætitiam, ſecuritatem & felicitatem, quam nemo vnquam ſperare potuiſſet.

4 Reduc Iehoua captiuitatem noſtram, ſicut riuos [*torrentes*] aquarum in auſtro.

Commemorationi beneficij & gratiarum actioni adiungit precationem, quæ obiter intuenti videtur quodammodo pugnare cum ſuperiore narratione. Si enim adhuc reducenda eſt captiuitas, quemadmodum hic orat, cur hactenus tam multis verbis reſtitutionem illam celebrat? Sed facilis eſt ſolutio huius obiectionis, ſi hiſtoria eius temporis diligenter conſideretur. Etſi enim data erat libertas Iudæis & facta poteſtas redeundi in patriam: tamẽ pauci initio reuerſi ſunt. Plerique enim metu periculorum, quæ redeuntibus in patriam, & politiam reſtauraturis imminere à vicinis hoſtibus videbantur, multi etiam moleſtia & difficultatibus itineris ſuſcipiendi, alij ignauia, alij voluptatibus ſuis & deliciis, quas iam ex emptis agris & prædiis, & contracta cum gentibus affinitate ſeu negotiationibus percipiebant, alij aliis cauſis retinebantur, vt cogitationem omnem de reditu abiicerent. Quare & Zacharias cap. 8. reliquias tantum rediiſſe in patriam affirmat. Et Ieſai. cap. 10. huc reſpiciens inquit, tantũ reliquias ſaluas fore, etiamſi populus ſit vt arena maris. Quia verò non tantùm extrema ingratitudo erat, oblatum illud beneficium reſpuere, ſed etiam æterna ſalus eorum, qui inter gentes reliquum vitæ ſuę tranſigere, ac liberos ſuos ibi inter idololatras collocare, quã in patriã redire malebant, periclitabatur, vt ſuam pro his ſolicitudinem oſtendant, qui redierant, petunt, reliquos quoque, qui adhuc paſſim inter gen-

tes ſparſi erant, reduci & ſic beneficium cœptum perfici. Hoc igitur primùm petit. Deinde quia multæ difficultates illos ipſos, qui iam redierant, quotidie excipiebant, vt in Zacharia & Haggæo diximus, petitio etiam huc referenda eſt, vt intelligamus, eos qui redierant, ardentibus votis petere ne reſtitutio cultuum diuinorum & politię, quæ iam fieri cœperat, iniuriis & incurſionibus vicinorum hoſtium aut alijs incommodis & difficultatibus impediatur, ſed vt adſit Deus perpetuò, vt opus cœptum feliciter perficiant. Hæc ſententia eſt huius precationis.

Addit autem, *Sicut riuos in auſtro*: in quo membro comparatio eſt à miraculo ſumpta, qua magnitudinem beneficij extollit & amplificat. Eſtque argumentum à facili. Videbatur eſſe res ardua & difficilis populum Iudaicum inter tot gentes diſperſum & iam harum moribus aſſuetũ poſſe deinceps in vnum corpus rurſus coaleſcere, & communibus patriæ legibus deinceps viuere. Sed tamen tota illa res poſita erat in Dei arbitrio, non ſecus ac per deſertum aridum riuos ducere. Videtur alludere Propheta ad itinera ſeu loca, per quæ redeuntes tranſire neceſſe erat. Pleraque enim erant ſicca & deſerta. Itaque ſi per ea populum diſperſum reduceret, id inquit fore inſtar magni miraculi, quod celebritatem nominis diuini commendaturum ſit, non aliter ac ſi in regione ſterili & arida, qualia erãt loca quæ ad meridiem vergebãt, riuos aquarũ deduceret. Atque ipſis adeo redeũtibus rem hanc tam gratam fore, quàm ſi peregrinantes per loca arida & æſtu ſolis exuſta, incidant in riuum aquarum, quo ſitim longam reſtinguant: ſicut Iſraelitis in deſerto vagantibus riuos aquarum ex petra eduxit. Monet autem hæc ſententia, omnes homines in exilio ſuo conſeneſcere & extingui, hoc eſt, perire in ſuis peccatis & abſumi æſtu iræ diuinæ, niſi diuinitus conuertãtur, & promiſſione Euangelij, quæ eſt riuus aquarum in meridie, potentur & recreentur. Alij ſententiam de exſiccato mari rubro interpretantur.

5 Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

In hac poſtrema parte Pſalmi accommodat exemplum præſens ad vſum. Et monet quid ex eo diſcere debeãt fideles. Hactenus experti erant varias difficultates & ærumnas in exilio 70. annorum, & videbantur maiora adhuc inſtare pericula ab hoſtibus, qui reſtitutionem politię Iudaicę omnibus viribus impedire conabantur. Hîc igitur ne deficiãt animis, néve cogitent promiſſiones Eccleſiæ factas eſſe inanes aut vanas, ſimilitudine ab agricolarum laboribus ſumpta, deſcribit conditionẽ hominis pij in hac vita, atque hac deſcriptione & præſens beneficiũ reſtitutionis rurſus cõmendat, & in poſterũ ad patientiã pios hortatur. Magnũ erat beneficium diuinũ, quòd poſt tot annorũ labores, exilia & ærumnas, reducti erant in patriam, & reddita ipſis erat libertas adempta. Tẽpus igitur exilij, quod præterierat, comparat Propheta ſationi, quæ tamen non fit ſine magno dolore & incommodo ſeminantis, in magna præſertim annonæ difficultate & rerum omnium penuria. Cogitur enim miſer agricola, qui iam eſurit, fraudare ſe fructu ordinario & terræ ſemen commendare, quo in annum futurum ſibi proſpiciat. Id quanquam acerbũ eſt, & ſæpe facit ſementẽ agricola non ſine lacrymis: tamen ſpe meſſis futuræ incitatur, vt ſuum ipſe genium defraudans, de fructibus ad victum neceſſarium vix ſufficientibus decerpat, quod in terram proiiciat. Sed tãdem, inquit, vbi meſſis appetit, dolor & lacrymæ ſeminantis vertuntur in gaudium & riſum, & metit agricola cum exultatione, qui antea ſeminauerat in lacrymis.

Idem igitur nũc nobis quoque accidit. Experti ſumus annos famis duros & triſtes, fuitque illud totum tempus exilij plenum ærumnis & calamitatibus, ſicut quod inter ſationem & meſſem intercedit, vbi ſępe paterfam. cum liberis cogitur ſtrenuè eſurire: ſed tandẽ dedit Deus nobis meſſẽ vberẽ, & rurſus nos exhilarauit reddita patria & reſtitutis omnibus bonis quæ amiſeramus. Hoc primũ in hoc verſu & ſequente ſignificatur, vt recordatione præteritorum malorum excitentur ad cogitationẽ præſentis beneficij & ad gratiarũ actionẽ. Deinde quia nondũ immunes erant à periculis omnibus, & reſtabãt adhuc multa certamina & pericula, monet in genere totã hominis pij vitã quam in hoc mundo agimus, ſimilem eſſe ſationi agricolæ, quæ tempore annonæ fit cum dolore & lacrymis, & hanc præſentem liberationem quã adepti erant, tantùm vmbram & quaſi guſtum eſſe iſtius æternæ liberationis, quæ fide expectatur. Hac igitur ſpe iubet eos ærumnas & pericula, quæ reſtabant, fortiter perferre, nec defatigari aut deficere, ſed ſpe futuræ meſſis atque æternæ lætitiæ dolorem præſentis vitæ ſolari. Certò enim reſtat alia vita, ad quam eccleſia vocata eſt, in qua fruetur ęterno Dei conſpectu & lætitia. Hęc eſt ſimplex & natiua huius verſus ſententia.

6 Vadens vadet, ac flebit portans [*qui portat*] tractum ſeminis: veniens veniet in exultatione portans manipulos ſuos.

Expolitio eſt prioris verſus. Cùmque de ſententia ſatis ſit dictum, verba tantùm & phraſin conſideremus. Tota ſententia, vt diximus, comparatio eſt vitę fidelium cum laboribus agricolarum: itaque conſiderandum eſt quomodo membra rectè aptentur ſeu accommodentur. Triplex eſt in vtroque verſu antitheſis, quæ diligenter conſideranda eſt. Prima eſt in verbis eundi & veniendi: Secunda in verbis ſeminandi & metendi. Tertia in lacrymis & gaudio. Hæc rectè accommodanda ſunt, & ad agricolas, & ad pios. Primò eundo dicitur ire agricola, cùm progrediens in agro ſemen in terram proiicit. Hic agricolæ actus, vitæ humanæ comparatur, quæ perpetua eſt peregrinatio in hac vita, ſicut Iacob Gene. 47. curſum vitæ ſuæ nominat dies peregrinationis. Non enim habemus hîc fixum locum aut ſedem: ſed exulat eccleſia à patria, ad quam aſſiduè tendimus. Itaque perpetuò, in hac vita peregrinamur. Vnde Paulus inquit, Dum in hoc mundo ſumus, à Domino peregrinamur. 2. Corinth. 5. Venire autem dicitur agricola, quando demeſſis ſegetibus & collectis fructibus redit domum ex agris cum cantico. Ea res comparatur migrationi piorum ex hac vita. Quando enim ingredimur ſepulcrum, datur nobis requies à laboribus huius vitæ & miſeriis, & tandem cùm ad æternam vitam excitabimur, abſterget Dominus omnes lacrymas ab oculis piorum, & corda inæſtimabili gaudio perfundet, eritque tunc ſabbathum ex ſabbatho, in quo læti fruemur bonis cæleſtibus.

II. Altera antitheſis eſt in verbis ſeminandi & metendi. Seminandi verbo comprehendit omnes agricolarum labores, qui ſationem antecedunt, & ſunt multiplices. Cùm autem ſeminandi verbum ad pios accommodatur, complectitur totum huius vitæ curſum, qui plenus eſt labore & ærũnis, nec datur nobis requies, antequam corpus noſtrum reſuſcitandum in nouiſſimo die in terram deponatur. Metendi verbo & geſtãdi manipulos, fructus ſignificatur, qui ex labore agricolarum percipitur. Labores agricolarum ſunt duriſſimi & moleſtiſſimi, ſed fructus, qui tempore meſſis ex his percipitur, eſt dulciſſimus. Ita piorum vita eſt magnorum dolorũ plena, ærumnarum, calamitatum, quibus aſſiduè exercentur: ſed fructus has calamitates excipiunt nunquam perituri, de quibus Paulus inquit Rom 8. non eſſe pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam, quę reuelabitur erga nos.

III. Opponit lacrymas & gaudium: quæ antitheſis iam in ſuperioribus nonnihil eſt declarata, & res plana eſt ex dicto Chriſti: In mundo preſſurã habebitis. Item. Nunc mœrorem habebitis: ſed iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, Iohan 16. Sunt autem hæc aſſiduè cogitanda, & pietas, patientia in perferendis ęrumnis, ac deſiderium vitę cęleſtis his meditationibus eſt alendum & confirmandum.

Portans tractum ſeminis] Hoc membrum non eodem modo ab interpretibus redditur. Græcus neglecto vocabulo משך reddidit ſimpliciter, βάλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν. Sed alij ferè reddunt, portans pretioſum ſemen ſeu pretium ſeminis: atque ita dici exiſtimant ſemen, quod in magna annonæ penuria eſt carum & pretioſum, ideoque non ſine dolore & lacrymis ab agricola ſeminatur. Deciditur enim & ſubtrahitur à victu neceſſario, & in dubium euentum terræ committitur. Ac mallet retinere illud & in victum neceſſarium erogare, niſi futuræ famis metus id prohiberet: vt merito hinc pretioſum dici poſſit. Qui ita hunc locum interpretati ſunt, mouentur teſtimonio, quod ex 28. cap. Iob. adducit R Kimhi, vbi legitur ומשך חכמה מפנינים & tractio ſapientiæ præ margaritis: quod Rabi Kimhi ita expoſuit: Et pretium ſapientiæ melius eſt omnibus margaritis. Sed verbum משך non ſignificat æſtimare aut pretioſum eſſe, ſed extendere vel protrahere. Et phraſis illa in dicto Iob videtur congruere cum illa quæ Germanis eſt familiaris & vſitata, *Die vveisheit zeucht den perlen vveit vor*, præfertur margaritis, longè excellit margaritas, & priore loco habetur, vt non neceſſe ſit verbo aut nomini Hebræo hoc loco affingere alienam ſignificationem. Retineo igitur & in hoc pſalmi dicto ſimplicẽ & vſitatã nominis ſignificationem, & tractionem ſeminis interpretor, vel vas ſeminis ſeu caniſtrum, quo ſemẽ trahitur aut deportatur ad agrum, vt autor Tigurinæ verſionis & Bucerus reddunt, vel (quod mihi rectius & ſimplicius videtur) Tractionem ſeminis interpretor ſemen tractum, quemadmodum in ſimilibus dictis, vt promiſſionẽ Spiritus accipiamus per fidẽ, id eſt, promiſſum Spiritũ: atque ita dici ſemẽ exiſtimo, quod tractu ſeu tractione brachij in terram proiicitur, vt ad modum ſeu rationem ſeminandi alludat, & oſtendat, ſe de tempore ſationis loqui. Nam qui ſeminant, tractu quodam concinno & εὐρύθμως in ſpargendo ſemine vtuntur. Sicut & inceſſio

inceſſio per agrum ſuam habet æquabilitatem & ῥυθμὸν, qui in hoc loco geminatione vnius verbi ſignificatur, cùm inquit, veniendo veniet, ſeu incedendo incedet. Ideóque non ineptè D. Lutherus de continuatis ſeu alternatis, ſibíque mutuò ſuccedentibus tentationibus interpretatur.

Hanc ſententiam confirmat locus in Amos ca. 9. vbi felicitatem, quæ futura erat ſub regno Chriſti, deſcribens propheta, figura ſermonis ab vbertate agrorum & vinearum, vt mos eſt Spiritui ſancto, ſumpta, inquit: In diebus illis, ait Iehoua, occurret arator meſſori, & calcãs vuas trahenti ſemen כמושך זורע, id eſt, ſeminanti ſeu proiicienti ſemen certo quodam tractu & ἀρρυθμίᾳ, ne inæqualiter ſemen ſpargat in agrum.

Eſt igitur ſententia huius verſus: ſicut agricolæ duros labores ſuſtinẽt, & ſæpe in penuria cum lacrymis ſemen in terram condunt, tandem verò in meſſe fructum vberrimum ſuorum laborum recipiũt: ita pii in hac vita, ſinguli in ſua vocatione, ſuſtinent varios labores, dolores & ærumnas: ſed hos omnes tandem compẽſabit dies ille lætiſſimus, in quo læti perfruentur omnibus bonis cœleſtibus, & erunt in æternum beati. Hac igitur ſpe damna noſtra leuemus.

PSALMI CXXVI.

PARTES.

I. Narratio, in qua magnificatur opus Dei, duobus argumentis. Primum eſt, ab inſperato & incredibili liberationis modo, quem prius admirati ſunt quàm agnoſcerent pij, v. 1. Alterum, à communi populorum teſtificatione, v. 2. ex quibus conficitur glorioſa illa lætitia & prædicatio Iudæorum, v. 3.

II. Petitio, vt Deus cœptam liberationem perficiat: quæ duabus allegoriis elegãtibus exprimitur. Primâ, gratiam Dei liberantis cum fluentis, populum verò cum terra ſiticuloſa comparat, & gratiâ Dei irrigari petit, quam nemo poſſit auertere, v. 4. Alterâ, populus, in captiuitatem abductus, egentibus agricolis, & ſemen ad alimoniam ſuam neceſſarium terræ committentibus comparatur: rediens verò cum meſſoribus ex copioſa meſſe, v. 5. & 6.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Redemptio eccleſiæ ex tyrannorum poteſtate, magis mirifica eſt, quàm vt fortunæ adſcribi queat, ſed Iehouæ vindici & miſericordi eſt tribuenda.

Quos Deus ſecum fœdere coniunctos agnoſcit, in perpetuum deſerere non poteſt.

Ita ſunt attoniti pro carnis ſenſu fideles, vt eximia Dei, eccleſiam liberantis, opera pro dignitate operãtis ſatis expendere nequeant. Et certè quicunque ad conſiderationem tot liberationum Iſraeliticæ & Chriſtianæ eccleſiæ mentis oculos conuertit, ſomniare ſe potiùs quàm vigilare putat.

3 Solidum noſtrum gaudium eccleſiæ redemptio, & ſub Dei tutela pacificus ſtatus. Qui verò in deliciis rident, nec ob contritionem Ioſephi lugent, horrendum exitium ſibi accerſunt.

Quum impij ipſi vel muti & confuſi præ pudore maneant, vel cogantur Dei manum agnoſcere, quoties peculiari quadã ratione ſuos morti deuotos liberat, noſtrum eſt tam præclarum opus hilari corde ac ore celebrare.

4 Precandus eſt & continuis votis compellandus Deus, vt diſſipata eccleſiæ ſuæ membra colligere dignetur, & ita regnum Chriſti adueniat.

Tam facile Deo eſt eccleſias diſperſas reducere, ac ducere riuos per deſertum: vt in mediis illis turbis, quas Antichriſti ſatellites tam ſolicitè promouent, bene ſperare non deſinamus.

5. 6. Afflictiones eccleſiæ veluti ſationes quædam ſunt, quæ tandem dulcem iuſtitiæ, gratiæ & fauoris Dei guſtum proferunt: dum videlicet tyrannos reprimit, & ſuos è ſeruitute liberat.

Quum vita noſtra in terris ſationi appoſitè aſſimilata, tot miſeriis & lacrymis obnoxia ſit, vt præſenti triſtitiæ gaudium ſuccedat, diſcamus ad meſſem lætiſſimam, id eſt, beatam illam vitam in cælo nobis repoſitam, animos intendere.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſiæ militantis redemptiones miraculoſæ.
2. Piorum & impiorum in Eccleſiæ & mundi viciſſitudinibus cogitationes.
3. De gaudio atque riſu vero & falſo.
4. Eccleſiæ inſtauratio ſummis votis optanda.
5. Afflictionum & liberationum Eccleſiæ gratæ vices, atque illuſtres picturæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVI.

SÆPE in vniuerſa doctrina Eccleſiæ repetitur doctrina huius Pſalmi. Paſſim enim clamitat Scriptura nullos hominum labores eſſe felices, nec conſilia vlla eſſe ſalutaria, niſi Deo adiuuante & benedicente, vt cùm Chriſtus inquit Iohan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et Iohannes Baptiſta Iohan. 3. Nemo poteſt ſibi ſumere quicquam, niſi datum ſit ei deſuper. Gregorius Nazianzenus eleganti paranomaſia alludens ad ſententiam huius Pſalmi inquit, θεοῦ διδόντος μηδὲν ἰσχύει φθόνος, ϗ μὴ διδόντος μηδὲν ἰσχύει πόνος. *Vtitur autem autor Pſalmi diſtributione, vt res fiat magis perſpicua, & rectius animis hominum infigatur. Diſtinguit enim totum genus humanum in duos ordines, politicum & œconomicum, & de vtroque ordine tam politico, quàm œconomico, in quibus conſtituendis, conſeruandis, augendis atque ornandis omnis omnium hominum cura, labor & induſtria occupatur, affirmat, nec regna, nec politias, nec œconomias, nec amplam rem familiarem, hominum induſtria parari, aut conſilio, ſapientia aut viribus humanis conſeruari, ſed ſola Dei benedictione ſtare & florere. Idque ab exemplo confirmat, à liberorum procreatione ſumpto. Sunt enim liberi, quibus cùm Reſpub. tum œconomiæ conſeruantur, peculiare Dei donum, vt ſi procreatio illa ceſſet, mox ruere & politias & œconomias neceſſe ſit. Ergo vel hoc ſolo exemplo oſtenditur manifeſtè, non humanis viribus, potentiæ, conſiliis, ſapientiæ aut induſtriæ adſcribẽdum eſſe felicem vel reipublicæ vel œconomiæ ſtatum, ſed ſoli Deo,* οὐ χωρὶς, *vt Græcus poeta inquit,* οὐδ᾽ εἷς εὐτυχεῖ βροτῶν. *Hac doctrina omnibus, qui partem aliquam communium laborum vel in politia, vel œconomia ſuſtinent, debet eſſe notiſſima, maximè propter duas cauſas. Primùm propter gloriam Dei, ad domandam ſuperbiam noſtram, & taxandam ingratitudinem. Vult enim ſciri Deus florentes politias & œconomias à ſe dari: & ſicut damnat illam ſuperbiam animorum humanorum, qui exiſtimant ſua induſtria & viribus parari & conſeruari regna & opes, ideóque inutilibus ſæpe contentionibus ſeſe macerant & frangunt, vt Pericles, Demoſthenes & alij: ita indicat ſe honore affici, ſi in agnitione infirmitatis hæc bona ab ipſo petamus. Deinde vtilis eſt hæc doctrina ad corrigendam diffidentiam noſtram & vanam ſolicitudinem, quæ multos à neceſſariis laboribus retrahit & absterret, quos tamen præcipit vox diuina. Nam cùm multi videant induſtriam hominum aut vires non pares eſſe moli gubernationis in Rebuſpub. & res ipſa teſtetur ſæpe optimè cogitata peſſimè cadere, fracti impatientia deſerunt gubernationem: & in œconomiis cùm vi-*

deant nonnulli ſubinde minui rem familiarem, nec quicquam profici aſsiduitate laboris & contentionum, non tantùm fiunt remiſsiores & languidiores, ſed ſæpe deſertis coniugibus & liberis aufugiunt, & ſuos in extremas anguſtias & difficultates coniiciunt.

Primum igitur corrigit taxat arrogantiam humanam, quæ iudicat ſapiẽtia aut viribus humanis comparari poſſe neceſſaria vitæ humanæ præſidia, & monet à ſolo Deo proficiſci hæc bona. Deinde diffidentiæ noſtræ ſuccurrit, ne, ſi mox omnia ex voto non ſuccedant, vocationem aut Spartam nobis commendatam deſeramus, aut labores neceſſarios abiiciamus, ſed eò magis inſtemus, & auxilium ac benedictionem à Deo expectemus, iuxta illud Pſalmi 37. Subditus eſto Deo, & ora eum. Item, Commenda Deo *viam tuam, & ipſe faciet. Et tenẽdi ſunt hoc loco verſus dulciſsimi, qui ſummam huius Pſalmi continent:*

Nullius eſt felix conatus & vtilis vnquam,
Conſilium ſi non dètque iuuètque Deus.
Tunc iuuat ille autem, cùm mens ſibi conſcia recti
Mandati officij munera iuſta facit:
Et ſimul auxilium præſenti à numine Chriſti
Poſcit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus fauſtum populiſque tibique,
Diriget & greſſus aura ſecunda tuos:
Inuictámque Dei dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipſa etiam, quamuis Adamanti inciſa feruntur,
Cùm petimus, cedunt fata ſeuera, Deo.
Nec Deus eſt numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus.
Ipſe poteſt ſolis currus inhibere volantes,
Ipſe velut ſcopulos flumina ſtare iubet.

Canticum graduum, Salomonis.

לשלמה nonnulli exponunt in datiuo caſu, quaſi dicat, pro Salomone. Exiſtimant enim Pſalmum à patre Dauide filio præſcriptum eſſe, vt eſſet norma vitæ, conſiliorum & actionum, tam in politica gubernatione, quàm in adminiſtranda re familiari. Alij tamen ſimpliciter ad Salomonem tanquam autorem Pſalmum referunt, qui cùm eſſet inſtructus ſumma ſapientia politica, rectiſſimè omnium de his rebus diſſerere potuit.

1 Niſi Iehoua ędificet domum, fruſtra laborant qui ędificant eam: niſi Iehoua cuſtodiat ciuitatem, fruſtra vigilat cuſtos.

Propoſitio Pſalmi eſt, Magni hominum labores ſunt irriti per ſeſe, niſi adiuuentur diuinitus. Hanc propoſitionem explicat per diſtributionem. Nam omnes omnium hominum labores occupantur vel in Reipublicæ adminiſtratione, vel in conſtituenda atque ornanda re domeſtica. (Nam de eccleſiaſticis laboribus peculiaris eſt doctina quę alibi explicatur, & tamen hîc quoque ſub publicis laboribus comprehẽdi poſſunt.) Hos igitur affirmat tũc demum eſſe felices & ſalutares, ſi diuinitus adiuuentur: & ſine Deo nullam ſtare vel politiam vel œconomiam poſſe demonſtrat. Interea verò non damnat vigilantiam gubernatorum, aut diligentiam in adminiſtranda Repub. nec vetat labores domeſticos aut œconomicos: ſed vt antea dixi, fiduciam, quæ collocatur in prudentia humana, aut laboribus noſtris, taxat, & iubet, vt cùm omnia facimus, quæ ad rectè ordinandam Rempublicam, vel conſtituendam rem familiarem pertinent, cogitemus nos laborando aut ſatagẽdo nihil proficere, niſi quatenus Deus noſtro labori benedicit, ideóque ab ipſo petendum eſſe felicem Reipub. ſtatum & florentem œconomiam.

Nomine domus intelligit Salomon non tantùm manſionis locum, ſed συνεκδοχικῶς omnia, quæ ad conſtituendam & alendam familiam, & ad dignitatem patrisfamilias tuendam pertinent, vt ſunt vxor, liberi, res familiaris, ſerui, honeſta exiſtimatio patrisfamilias ſeu fama, &c. Et nomine vrbis communem Reipub. ſtatum ſeu politiam deſignat. Ædificare igitur domum, non ſignificat tãtùm extruere ædificium aliquod, quod commodam habitationem prębeat: ſed comparare omnia quæ ad conſtituendam & conſeruandam familiam pertinent. vt ducere vxorem, procreare liberos, honeſtis laboribus quærere victum pro ſe & familia ſua: reponere aliquid ex rebus labore noſtro partis, quod elocandis deinceps liberis ſeruiat. Denique omnia agere, quæ ad conſeruationem nominis & familiæ pertinent. Sumus enim conditi ad immortalitatem.

Senſus igitur ille immortalitatis, qui non eſt omnino poſt lapſum extinctus, cogit nos, vt cùm videamus nos obnoxios eſſe morti, in poſteris tamen ſtudeamus memoriam noſtri cõſeruare. Inde igitur tot labores ſuſcipiuntur, quibus non nobis tantùm, ſed liberis quoque noſtris proſpicimus. Id igitur eſt domum ædificare. Ita Deus Exod. 1. dicitur ædificaſſe domos obſtetricibus Ægyptiis, hoc eſt, proſpexiſſe illis de omnibus rebus neceſſariis, auxiſſe rem familiarem & opes, dediſſe liberos morigeros, bene moratos ac florentes in Republica, & miniſtros obſequentes, &c. Cùm igitur inquit, *Niſi Dominus ædificauerit*, &c. ſignificat omnes curas & labores, quos homines inſumunt in conſtituenda familia, in procreandis liberis, in augenda re familiari, in propaganda nominis memoria ad poſteritatem, eſſe irritos & vanos, niſi fortunentur diuinitus.

Altera phraſis ex his, quæ iam diximus, facilè intelligi poteſt. Nam *cuſtodire ciuitatem* ſignificat rempubl. ſeu magnã ſeu paruam regere & adminiſtrare, & omnia agere, quæ ad conſeruandam, firmandam, ornandam, augendam & poſteris tradendam Rempublicam facere videntur. Atque hæc quidem varia ſunt, nec breui oratione explicari poſſunt. Súntque hac de re conſcripti à philoſophis multi libri, & præcepta varia tradita, quibus omnibus hæc ſententia pſalmi præfigi debet: vt ſciamus, non humanis conſiliis aut viribus conſtitui regna & politias, vt plerique exiſtimant: multò minùs conſeruari: ſed Deum eſſe qui transfert, mutat & ſtabilit regna: id quod etiam honeſtiores inter philoſophos intellexiſſe, ſcripta ipſorum oſtendunt. Cicero pro Rabirio inquit, *Dei ope & auxilio multò magis Rempublicam Romanam, quàm ratione hominũ & conſilio gubernari.* Et veriſſima eſt illa vox Platonis 4. πολιτικῶν: *Vbi non Deus, ſed mortalis aliquis præeſt, ibi malorum nullum eſt effugium.*

Notanda autem eſt & emphaſis in verbo עמל: ſignificat enim non tantùm operam impendere, ſed vſque ad fatigationem & moleſtiam ſatagere.

Per *cuſtodes ciuitatis*, quod ex phraſi iam explicata intelligi poteſt, non ſignificantur tantùm qui locantur in excubiis, ſed inprimis magiſtratus & iudices, quos oportet aſſiduè vigilare pro ſalute Reipub. & quaſi ſtantes in ſpecula, proſpicere & auertere omnia pericula & incommoda, & quæ profutura ſunt perficere. Inde eſt illud Homericum:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

2 Fruſtra vobis mane feſtinando ſurgere: tardatores ſeſsionis [*ſcilicet eſſe, id eſt, quòd acceleratis manè ſurgere, & quòd differtis ſedere, ſeu moram facitis ſedendo*] comedentes panem dolorum [*ſcilicet eſſe: id eſt, comedere panem dolorum, ſeu anxietate magna & labore partum:*] ſic dabit dilecto ſuo ſomnum.

Illuſtrat propoſitionem per antitheſin, in qua primùm eſt hypotypoſis deſcribens curam, ſolicitudinem, anguſtias & conatus animi ſine Deo magna conantis. Pingit enim patremfamiliâs valde ſolicitum & diligentem in comparando victu, qui manè ante auroram ſurgit, ſerò it cubitum, & toto die ſeſe ſtrenuè exercet & labore fatigat, tenuitérque ex labore victitat, ſuum ipſe genium defraudans, intus etiam in animo excruciatur aſſidua cura & ſolicitudine, quæ ſomnum impedit. Hoc ratio iudicat plurimùm facere ad cumulandas diuitias. Sed hos labores omnes & curas inquit Salomon eſſe irritas, niſi Deus nobis benedicat. Ideo cum labore coniungenda eſt Dei inuocatio, qua Deo offerant pij ſuos labores benedicendos, & gratiarum actio. Debet autem hoc exemplum patrisfamilias etiam ad reipublicæ gubernatores accommodari. Nam hi quoque fruſtra muniunt vrbes legibus, aut conſtitutionibus politicis, aggeribus, amicitiis vicinorum, fœderibus, magnis aceruis auri & argenti, quos Dionyſius adamantina vincula imperiorum eſſe cenſebat, aut aliis præſidiis: fruſtra intenti ſunt in omnes occaſiones augendi imperij: fruſtra macerant ſe curis & laboribus, quos pro reipublicæ ſalute ſuſcipiunt: fruſtra comparant exercitus, aut inſtruunt claſſes, niſi Deus det felices ſucceſſus. Id quod hiſtoriæ omnium ætatum oſtendunt. Non defuerunt Dario exercitus quos opponeret Alexandro, non ſcientia rei militaris, non alia præſidia: & tamen victus eſt ab Alexandro. Hæc prima pars eſt in antitheſi.

Altera pars habet aſſeuerationem manifeſtam ſeu promiſſionem

ſionem: tunc demum labores eſſe felices tã in Repub. quàm in œconomia, ſi diuinitus adiuuentur. *Dilectis ſuis*, inquit, *dat ſomnum*: quaſi dicat: Piis & Deum timentibus ita obiicit bona corporalia, vt non neceſſe habeant ſeſe inanibus curis macerare, & vitam ſibi acerbam reddere, aut cum diebus noctes etiam inſomnes traducere: ſed dat eis ſomnum, hoc eſt, animum quietum & pacatum, vt labores vocationis diurnos ita exequantur, vt euentum Deo commendent, & peracto labore ſuauiter dormiant, & quieti corpus & animum reficiant. Non dicit pios nihil laborare aut ſimiles eſſe truncis. Nam ſequens Pſalmus præcipit laborem, cùm inquit, Labores manuum tuarum manducabis, eſtque piorum vita ferè perpetuò laborioſa: ſed dicit cum his laboribus non eſſe coniunctam illam inanem ſolicitudinem & curas, quæ corpus & animum torqueant, macerent, aut exhauriant, & quæ nunquam quieſcere animum patiantur. Cùm econtra impij etiam in maxima opulentia ſint ſicut mare æſtuans, quod perpetuo fluxu & refluxu agitatur, vt nunquam conſiſtat. Alij exponunt: dat eis per ſomnium, hoc eſt, ſine magna ſolicitudine. Largitur enim multa de quibus nunquam cogitarant: cùm econtra impij, quæ ſe adepturos ſuo labore ſperabant, non aſſequantur. Eodem redit hæc ſententia.

Atque hæc etiam ad Reipu. adminiſtrationem accommodentur. Timotheus fœliciter expugnat vrbes & inſulas, quas adiicit imperio Athenienſium. His ſucceſſibus elatus gloriabatur ſua induſtria ſe peperiſſe, vel amplificaſſe imperium Athenienſium: cùmque aliquãdo vidiſſet picturam, in qua fortuna pingebatur reti circundare inſulas & vrbes, rediens ab expeditione venit in concionẽ & dixit, Hoc ego feci non fortuna: poſtea nunquam fuit fortunatus. Alexander pugnaturus poſtero die, incidit in ſomnum profundum, vt Parmenio coactus fuerit eum excitare. Paulus III. curauit pingi Carolum V. dormientem in ſella, & fortunam ei depellentem muſcas. In his hiſtoriis pinguntur exempla, quæ ſententiam pſalmi confirmant. Qui igitur vult ſuos labores eſſe felices, det operam vt ſit Dei dilectus, hoc eſt, quærat eius regnum & iuſtitiam, vt Chriſtus inquit Matth. 6.

כן Vim habet aſſeuerationis, & certitudinem ſignificat. Panem dolorum intelligit maximis doloribus & moleſtiis partum, vel qui cum moleſtia & perpetua ſolicitudine & anxietate comeditur.

3 Ecce hæreditas Iehouæ filij: merces fructus ventris.

Confirmat propoſitionem ab exemplo. Quod enim hactenus in genere tradidit, vitam hominum à Deo gubernari, & vanos atque irritos eſſe omnes conatus ſine Deo, id nũc prolato vno exemplo ſeu ſpecie cõfirmat. Eſt autem in hoc exẽplo argumentum comparatorum à maiore ad minus. Euripides inquit, στῦλοι οἴκων οἱ παῖδες ἄρσενες. Id non tantùm verum eſt de familiis, quarum nomen, memoria & dignitas ſuſtentantur & conſeruantur per liberos maſculos: ſed etiam de Rebuſpub. quarum liberi ſunt ſeminarium. Niſi enim ſubinde alij ex aliis naſcerentur, qui in demortuorum locum ſuccederent, mox ruerent & interirent non tantum familiæ ſingulæ, ſed etiam politiæ. Cùm igitur liberos det Deus, qui ſunt στῦλοι οἴκων & πολιτειῶν, agnoſcenda eſt eius prouidentia, & de eius bonitate in rebus minoribus, vt in victu & in neceſſaria defenſione, non eſt deſperandum. Imò ſtatuendum eſt reliqua omnia ſic proficiſci à benedictione diuina, ſicut ſoboles in coniugio. Vtitur autem initio apoſtrophe, qua prauas hominum opiniones & negligentiam in conſiderãdis operibus diuinis taxat.

Philoſophi dicunt nihil tam eſſe naturale, quàm gignere ſibi ſimile: & profana multitudo, philoſophos imitata, vel fortunæ, vel motui naturæ ſobolis generationem adſcribit. Hanc profanam opinionem correcturus, compellat Salomõ vnumquemque, & hortatur omnes, vt rem rectius & melius conſiderent. Non caſu nec naturæ tantùm vi procreantur homines, nec vllo hominum labore aut induſtria parari poſſunt liberi: ſed Deo benedicente & fœcundante vtrumque ſexum, & mirabiliter formante (vt Pſalmus 139. inquit) fœtũ in vtero, naſcuntur liberi ex parentibus. Ideo Rabini dicunt, quatuor eſſe claues Dei quas nulli communicet, clauem ſterilitatis, clauẽ pluuiæ, clauem cibationis, & clauẽ ſepulturæ. Cùm igitur id quod præcipuè requiritur ad conſeruationem politiarum & familiarum, non poſſit comparari humano labore aut induſtria, cur in cæteris rebus fruſtra ſe fatigat & macerat homo, & non potiùs prouidentiam & gratiam diuinam vbique agnoſcit & prædicat?

Hæreditas] Conſultò vtitur vocabulo hæreditatis, vt oſtendat liberos nequaquam parari induſtria humana, ſed eſſe donum Dei. Nam hæreditas non acquiritur vllo labore aut induſtria liberorum, ſed à parentibus relinquitur.

Merces eſt fructus vteri] Eadem eſt huius membri ſententia quæ iam expoſita eſt. Vocabulũ Hebræum שכר non ſemper ſignificat compenſationem pro labore aut merito, ſed in genere accipitur pro viciſſitudine. *Da eines fur das ander einem gegeben vvird oder begegnet*. Siue fiat compenſatio ſiue nõ. Itaque ſæpe pro gratuito beneficio, quod diuinitus homini confertur, & mutationem fortunæ, ſtatus aut conditionis affert, accipitur. Idque vel ex hoc loco manifeſtum eſt.

4 Sicut ſagittæ in manu potentis [*robuſti*:] ita filij adoleſcentiæ.

Nõ ſolùm liberorum procreatio eſt Dei donum, ſed etiam vt liberi ſint firma valetudine & viuaces, ſintque præditi præclara indole & omni genere virtutum ornati, non aliunde quàm à Deo proficiſcitur. Niſi enim accedat animi generoſitas, vel naturæ rectitudo & probitas, πολυτεκνία plurimos dolores affert parentibus, vt in bonis cenſeri haud poſſit: imò ſterilitas vel orbitas felicior ſit quàm fœcunditas. Neque hîc ſufficit diligens parentum aut præceptorum inſtitutio, vt liberi euadant tales, quales eſſe optamus. Videmus enim in multis rectè formandis omnem operam & laborem fruſtra inſumi: ſed donum eſt planè diuinum generoſa indoles in liberis, qua ad virtutis ſtudium rapiuntur.

Id igitur prædicat in hoc verſu. Vtitur autem ſimilitudine qua animi vigorem in generoſis naturis indicat, & quantum parentibus ſenio confectis liberi honeſti ſint præſidium, oſtẽdit. Ea ſimilitudo ſumpta eſt à ſagittis, quæ contortæ & excuſſæ à robuſto homine, obſtacula omnia ſubitò & magna vi penetrant ac proſternunt, ſũtque ἀμυντήρια arma, quibus hoſtes & feras à nobis depellimus. Ita igitur filij honeſti & generoſi res magnas dextrè & magna celeritate conficiunt, vt Hercules, cuius impetum aduerſus Meropas Pindarus in libro hymnorum dicit ſimilem eſſe non igni, nec ventis, nec mari, ſed fulmini. Et Alexander fulminis inſtar aut ſagittæ cum victore exercitu volitat per Aſiam, & magnam orbis terrarum partẽ ſibi ſubiicit, nec vlli exercitus aut munitiones reprimere eum aut cohibere eius impetum poſſunt. Deinde ſicut telis hoſtes depellimus, ita filij honeſti tuentur parentes ſenio confectos, & ſunt ipſis præſidio, vt quacunque incedat pater munitus & ſtipatus hoc ſatellitio, tutus ſit ab hoſtium iniuria & impetu, ſicut ſequente verſu dicitur.

Hoc igitur primùm docet ſimilitudo ſagittarum valida manu cõtortarum: deinde docet hæc ſententia, magnos ſucceſſus non contingere hominibus ignauis & otioſis. Nam quemadmodum Plutarchus inquit in vita Æmylij, θύμωσι γὰρ ἐκ ὁδὸν τῷ μὴ βάλλοντα καὶ εὐστοχεῖν. Et de quouis negotio verum eſt illud Sophoclis in Electra, πόνου χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ. Cùm igitur liberos comparat ſagittis à manu valida contortis, requirit labores acerrimos: ſed addenda eſt correctio ex hoc pſalmo, vt ſciamus labores illos non eſſe felices, niſi diuinitus fortunentur. Tunc enim feliciter cedunt omnia ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς καὶ θεὸς συνάπτεται, vt inquit Æſchylus in Prometheo. Qui ignaui ſunt in Repub. gerenda, & conſulunt ſuo otio & tranquillitati, aut voluptatibus dediti torpeſcunt, tandem euertunt Rempub. vt Sardanapalus, de quo ſcribitur apud Athenæum, ἔσθιε, πῖνε, τὰ δ᾽ ἄλλα [illegible]. Item Honorius, cuius tanta fuit ignauia, vt ſubſcriberet literis antea nõ lectis. Econtra alij quidem vehementer conantur, ſed labores eorum ſunt infelices, quia non cõiungunt Deum, vt Põpeius, Cato, & hoc tempore multi.

Deinde in priuata & œconomica vita, ſi quis non laborat, tandem conſumpta hæreditate à parentibus relicta ad inopiam redigitur. Ideo Ignatius in epiſtola ad Tarſenſes præcipit inquiens, μηδεὶς ἐν ὑμῖν ἀργὸς ἔστω, μήτηρ γὰρ τῆς ἐνδείας ἡ ἀργία. Et verum eſt illud Xenoph. παιδ. α. ὡς χαλεπὸν καὶ εἴη ἄνθρωπον ἀργὸν πείθεσθαι. *Filij adoleſcentiæ* vel iuuentutum, id eſt, qui naſcuntur in iuuentute hominis, vel potiùs ſimpliciter, Filij iuuenes, fortes, ſtrenui, qui habent impetus heroicos. De phraſi dictũ eſt ſuprà pſa. 29. Græcus interpres iudicauit Hebræũ נעורים quod in plurali numero ſignificat iuuentutem, eſſe participium præteritum: ideo reddidit υἱοὶ τῶν ἐκτετιναγμένων, pro quo in Latina verſione legitur, Filij excuſſorum.

5 Beatus vir, qui impleuerit pharetram ſuam illis: non pudefient dum loquentur inimicis ſuis in porta.

Subiicit epiphonema quo ſimilitudinem illam clariùs explicat, & pſalmum concludit. Sicut domus patrisfamilias ſi careat ſobole & ſit orba liberis, non poteſt conſiſtere diu: ita Reſpubl. quoque, niſi ſit inſtructa talibus præſidiis iuuenum acrium & virtute præditorum, obnoxia eſt variis iniuriis, & tandem corruit & euertitur. Econtra verò, ſi pater liberis ſuis, tanquam arcu & pharetra, incedat munitus, facile ſe defendit aduerſus eos qui vel vitæ vel opibus eius inſidiantur. Sunt enim filij præſto parentibus, vt ſagittæ ex

pharetra depromptæ, & propulſant vim & iniuriam, & parentes defendunt. Et Reſpub. talibus ciuibus inſtructa magis eſt munita, quam ſi aggeres denſos & lætas foſſas circum vrbem ducat, vt rectè Plutarchus inquit in vita Lycurgi: Nequaquam vrbs minus erit muro circundata, ſi quis eam optimis viris, non lateribus cinxerit. Talis fuit Sparta. Beata igitur, inquit, eſt Reſpub. quæ tales ciues habet multos, & beatus eſt paterfamiliâs qui multos habet filios ſtrenuos & virtute præditos. Eſtque hæc felicitas tam Reipub. quam familiæ priuatæ peculiare Dei donum: quod ita agnoſcendum eſt, vt ex eo diſcamus nihil nobis, neque publicè neque priuatim accidere poſſe ſine voluntate Dei, & nihil feliciter geri ſine ope & auxilio diuino: hácque cogitatione contineamus nos intra metas, & ita faciamus officia vocationis noſtræ, vt nos & noſtra omnia Deo commendemus, & ab ipſo opem, auxiliū & ſucceſſus petamus. Pharetram Græcus reddidit [illegible]: ſed per pharetram intelligit vrbem ſeu cœtum gubernantium: item domum patrisfamilias.

Non confundentur] Addit rationem.

In porta] Id eſt, vbi diſceptandum erit iudicio, non facilè erũt violentiæ obnoxij, vt cauſa ſua cadant & repreſſi confundantur. Habebunt enim qui eorũ patrocinium ſuſcipiant, & qui poſſint os obſtruere aduerſariis & calumniatoribus.

Olim in portis agebantur conuentus & exercebantur iudicia. Ideo de portis hic loquitur, vt nunc nominamus tribunal, vel curiam, vel ſenatum. Futurum igitur inquit, vt ſi cauſa publicè dicenda ſit patri, filios habeat qui cauſam tueantur, & patrem ab iniuria & calumniis defendant, & bona parta tueantur. Hac oratione nonnihil mitigat & limitat ſimilitudinem de ſagittis. Non enim vult eam trahi ad violentiam aut tyrãnidem, quaſi latronum inſtar velit eos graſſari, aut cuiquam vim facere: ſed vires & robur diuinitus datum vult eos conferre ad defenſionem parentum & ſalutem patriæ, atque ita in liberorum virtute & morum integritate hanc beatitudinem ponit, ſi parentibus & patriæ ſint ſubſidio.

PSALMI CXXVII.

PARTES.

I. Documentum primum, de priuata & publica rerum adminiſtratione felice à ſola Dei veri benedictione expectanda, v. 1. & 2. Summa hæc eſt. Deus ædificat & cuſtodit tutiſſimè, quietémque liberam ab omnibus impedimentis concedit ei quem diligit, & qui de dilectione eius confirmatus ſe committit ei.

II. Documentum alterum, de ſingulari generis propagatione, à Dei benedictione expectanda. Sunt autem huius benedictionis tres gradus. Generationis, v. 3. educationis ingenuæ atque morigeræ, v. 4. fructus, qui ex liberis bene inſtitútis percipitur, v. 5.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Quicquid opera, conſilij & induſtria homines afferunt ad tuendum familias vel conſeruãdas reſpublicas, irritum erit niſi Dominus è cælo proſperos euentus ordinet.

Quum à mero Dei beneplacito conditio noſtra terrena pendeat, execrandi ſunt hypocritæ qui operum ſuorum alis in cælum vſque euehere ſe poſſe putant.

Laudanda quidẽ eſt magiſtratuũ & patrumfamiliâs pia vigilãtia: ſed niſi Deus excubias agat è cælo, nulla hominum perſpicacia, cauendis & auertendis periculis, vel accerſendis commodis ſufficiet.

2 Frugalis vita, ſedulitas in vocatione, labor improbus, nihil efficient, niſi Dei inuocati adſit auxilium & benedictio. Quàm male ſibi ergo conſulunt qui luxui & otio indulgentes, blaſphemijs & cõtumelijs perpetuus ſacrum Dei nomen afficiunt: aut induſtria ſua & tenacitati confidentes terræ toti adhærent.

Fideles, etſi laborioſam vitam agant, cõpoſitè tamen & tranquillis animis parent Dei vocationi, ſeq; in fidei ſilentio cõtinentes, ac ſi dormirent, patris cæleſtis curam eorum neceſſitatibus occurrentem multis modis experiuntur. Et quoties immodicè torquentur, id contingit eorum vitio, quia in Dei prouidentiam non ſolidè recũbunt. Sed vtile eis eſt inquietudine huc & illuc ad tempus raptari, vt ad quietum hunc ſomnum perueniant.

3. 4 Non fortuitò caſu obtingũt liberi, ſed patres fiunt quos Deus hoc honore dignatur: & liberorum ærumnoſæ educationi illud ſemper eſt admiſcendum, quòd ſuos Domini munus & hæreditas.

Alterum Dei beneficium erga coniuges eſt generoſa indoles in liberis.

Hæc gratiæ Dei cognitio optimus eſt alacritatis ſtimulus ad educandam ſobolem: qui autem naturæ ordinem, quem vocant, tãtùm intuentur, contemptim & faſtidioſè ſuos alunt.

5 Quantumuis probitati addicti ſint pij patresfamilias, nunquam tamen deerunt obtrectatores.

Optentur à coniugibus liberi, non impij & fraudum ac violẽtiæ amantes, ſed qui Deum venerentur, æquitatem colant, non recuſent ſubeſſe legibus, ac parati ſint ad iuſtam vitæ ſuæ defenſionem. In ſumma piæ & generoſæ ſobolis fruitio mera ſingularíque Dei gratia fidelibus coniugibus conceditur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Vitæ priuatæ & publicæ inſtitutio & conſeruatio.
2. Patrum familias, & Magiſtratuum, Opificum, officium.
3. Benedictionis diuinæ efficacia.
4. Proſperitatis & aduerſitatis fontes.
5. Vitæ præſentis commoda & incommoda quid nos doceant.
6. De propagatione familiarum, & liberorũ educatione.
7. Coniugij laus & commoda.
8. Liberorum officium.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVIII.

PSALMVS hic rectè ſubiungitur præcedenti. Eum enim quaſi explicat & confirmat. Nam ſicut prior Pſalmus docuit Dei benedictione omnia fortunari, non noſtro labore aut cura: ita hic Pſalmus docet, quibus contingat illa benedictio, nempe his qui timent Dominum. Et quia in præcedente Pſalmo pleraque ad res œconomicas accõmodantur, hic Pſalmus quaſi illuſtraturus priorem, pulcherrimis imaginibus & figuris felicem œconomiam ſeu felix coniugium depingit, & promiſſionem dulciſſimam addit, fore vt hi qui timent Dominum, benedictionem diuinam in coniugio & in propaganda familia ſua experiantur. Eſtque hic pſalmus ἐπιθαλάμιος λόγος*, ſcriptus in laudem, doctrinam & conſolationem eorum qui aut verſantur in coniugio, aut id vitæ genus ingreſſuri ſint. Colligit autem, vt fieri ſolet in eiuſmodi carmine, initio omnia quæ moleſta videntur in coniugio, qualia ſunt labores in quærendo victu pro tota familia, coniunx & vinculum illud coniugale, quod virum quaſi alligat & captiuum reddere videtur: ſicut ille apud Comicum dicit, Vxorem duxi, libertatem vendidi: poſtremò liberorum educatio, quæ certè eſt laborioſiſſima, & maximos requirit ſumptus. Harum rerum omnium moleſtiam leniturus, ſingulis addit benedictionem ſeu promiſſionem vt appareant leniores. Et in genere ſubiicit in fine ſpirituale promiſſionem, quæ facilè omnes labores & moleſtias*

moleſtias coniugij lenit & vincit, etiamſi ſint grauiſſimæ, Benedictionem ſcilicet ex Sion ſeu eccleſia. Nihil enim tam eſt moleſtum aut durum, quod non facilè feratur ab his qui membra ſunt veræ eccleſiæ, & fontes verarum conſolationum norunt. Monet igitur vt harum rerum cogitatione moleſtias omnes faciliùs ferant, ſéque & ſuos ad timorem Dei, fidem & inuocationem exuſcitent.

Canticum graduum.

1 Beatus omnis qui timet Iehouam: qui ambulat in viis eius.

Propoſitio pſalmi eſt, quæ continet promiſſionem generalem, & affirmat, quemlibet in ſuo vitæ genere, quodcunque tandem illud ſit, placere Deo, ſi Deum timeat & in viis eius ambulet. Hæc doctrina neceſſaria eſt ad refutandos eos, qui deſultoriam vitam agunt, vel aliud vitæ genus tanquam ſanctius & magis Deo placens alij præferunt: vt monachi ſub papatu ſuum monachatum, cuicunque vitæ generi longè anteponunt, ideóque deſerta hominum ſocietate ſe in cœnobia abdunt: vel qui moleſtias & labores coniugij multiplices intuentes, illud vitæ genus tanquam impedimentum pietatis, ſtudiorum doctrinæ, aut aliarum rerum bene gerendarum fugiunt & damnant. Nam ſicut philoſophus ille dicebat, μέγα ἐμπόδιον τῷ φιλοσοφεῖν ἡ γυνή. Et Dion, vt eſt apud Stobæum, dicebat, μέγα δυσώπημα σωφροσύνης τέκνωσις· ita plerique etiam iudicabant ante hæc tempora, coniugium non tantùm μέγα ἐμπόδιον ἐστὶ τῷ θεολογεῖν ἢ θεοσεβεῖν, ſed etiam eſſe impurum. Atque inde factum eſt, vt coniugio ſacerdotibus interdiceretur. Et Papa Siricius eò tandem impudentiæ progreſſus eſt, vt diceret, eos qui in carne eſſent, hoc eſt, vt ille perperam & inſulsè interpretabatur, qui in coniugio viuerent, Deo placere non poſſe. Item, Qui ſecundùm carnem, hoc eſt, in coniugio viuerent, æterna morte perituros eſſe. Homines etiam politici vident coniuges abduci variis curis & laboribus à Republ. adminiſtranda & procuranda publica ſalute, & variis moleſtiis implicari, quæ animum emolliunt, & eneruant, vt in rebus gerendis non ea ſit firmitas aut animi robur, quod eſſe debebat. Ideo, vt ille apud Terentium, fortunatum putant vxorem non ducere.

His omnibus opponit pſalmus hanc ſententiam, quæ eſt plena conſolationis: *Beatus omnis qui timet Dominum*, &c. Significans, quemlibet in quocunque vitæ genere placere Deo, & hæredem eſſe regni cœleſtis, ſi timeat Deum. Non igitur ex laboribus, egeſtate, miſeriis, ærumnis ſtatuat maritus de amore Dei erga ſe, multò minùs ex impiis pontificum decretis, ſed ex verbo Dei: & ſtatuat coniugium tale vitæ genus eſſe quod placeat Deo. Atque ita etiam illi, qui vel extra cōiugium, vel in coniugio viuunt, non iudicent eos beatos, quos vident florere opibus, dignitate, potentia, aut è regione abiectos aut damnatos à Deo iudicent quos vident magna mole ærumnarum & periculorum obrui in hac vita. Nam ex his externis ſpectaculis nequaquam æſtimanda eſt hominis beatitudo, ſed ex agnitione & timore Dei. Quiſquis enim rectè agnoſcit & colit Deum, in quocunque ſit vitæ genere, & in quacunque fortuna, is eſt beatus, placet Deo, eſt ei curæ, & pertinet ad regnum cœleſte, cuius ciuem eſſe ſumma eſt felicitas & beatitudo. Hæc prima eſt conſolatio opponenda mundi & monachorum iudiciis. Nomen *timoris* complectitur totum cultum diuinum, qui præcipitur in prima Tabula. Conſiſtit igitur in vera agnitione Dei, vera fide, ſpe, inuocatione, gratiarum actione, patientia in ferendis aduerſis, &c.

Ambulare in viis Domini, quid ſignificet diximus ſuprà pſalmo 119. Phraſis intelligi debet iuxta Euangelium. Significat enim amplecti doctrinam incorruptam, fide agnoſcere mediatorem, & habere inchoatam obedientiam, quæ placet fiducia mediatoris: iuxta illud Pauli, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Et cùm vias Domini nominat, ſimul conſideranda eſt antitheſis. Nam maxima hominum multitudo ambulat in ſuis viis, dum ſuis cupiditatibus obſequitur, à quibus tanquam ab æſtu maris raptantur & iactantur, poſthabito Deo & eius verbo. Hypocritæ verò, qui religionem ſimulant, ſuas ipſi quoque vias & cultus excogitant, quibus exiſtimāt ſe promereri Deum poſſe. Qui verò tales ſunt, vt vt foris omnia feliciter ſuccedant, nequaquam iudicandi ſunt beati. Soli enim illi beati ſunt, qui ita timent Deum, vt poſthabitis ſuis ſomniis & damnatis ſuis cupiditatibus, in ipſius præceptis ambulent, & iuxta hæc ei obediant.

2 Laborem manuum tuarum vtique manducabis: beatus es & bene tibi [*erit*.]

Poſt propoſitionem generalem deſcendit iam ad ſpeciem, accommodans pſalmum ad eos qui in coniugio viuunt, atque ordine recenſet moleſtias coniugij, vt poſtea ex antitheſi eas molliens leuiores reddat. In vita hominis & præſertim in coniugio prima moleſtia nobis obiicitur, quòd aſſiduis & maximis laboribus parandus eſt victus, & plerumque iis, qui piè viuere volunt, hoc vſu venit, vt non ſint in re lauta, nec habeant magnas opes à parentibus relictas, aut à principum vel aliorum liberalitate obiectas, ſed ſint fortuna tenui, habeántque (vt propheta inquit,) panem arctum & aquam modicam, & duriſſimè laboribus cogantur victum comparare: & quo maior & numeroſior eſt familia alenda, eo magis creſcit labor & dolor. Hos labores fugiunt plerique, ideóque à coniugio tanquam moleſtiarum & laborum pleno refugiunt. Multi etiam laborum & moleſtiarum pertæſi coniuges deſerunt & aufugiunt.

Ne igitur pij quoque his cogitationibus vel exemplis abducti iniquè & perperam iudicent de coniugio, aut auerſentur id vitæ inſtitutum, vtitur propheta primùm conceſſione. Verum eſt, inquit, Sanxit Deus hunc ordinem poſt lapſum primorum parentum, vt cum labore & moleſtia iam quærendus ſit victus Syracides 7. Non indigneris, ſi moleſtus ſit labor: Deus enim ſic creauit. éſtque inprimis vita piorum maximè laborioſa. Diabolus enim & mali homines plures difficultates his obiiciunt quàm aliis, & maiore ſtudio horum vitæ, valetudini, opibus & fortunis inſidiantur: quod teſtantur non tantùm Iobi & Lazari exempla, ſed vita quotidiana ſimilia ſuppeditat infinita. Deinde fit hoc quoque, vt plerique coniuges collocentur in functiones publicas. Nam tales videntur magis affici cura Reipublicæ, quàm cœlibes, propter poſteritatem. Creſcit igitur & cumulatur coniugum labor domi & foris.

Multi igitur vt teneant illud philoſophi λάθε βιώσας: Item, καλὸν ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα, prorſus abſtinent à coniugio: ſed Spiritus ſanctus, ne conſpectus & metus laborum quenquam à coniugio deterreat, conceſſioni ſubiicit correctionē, addens dulciſſimam promiſſionem, quam laboribus illis omnibus, qui moleſtiam aliquam afferre poſſunt, opponit, eáque veluti obruit moleſtiarum ſenſum. Impiis quidem illi labores ſunt pœnæ peccati, ſed tu, inquit, vtens apoſtrophe, quaſi ſingulos alloquens, qui Deum times, beatus es, & tibi erit bene, etiamſi laborandum tibi ſit ſtrenuè, qui verſaris in eo vitæ genere, quod Deus ipſe inſtituit, quod approbauit & multiplici genere benedictionum ornauit, *Beatus es*, inquā, id eſt, places Deo cuius mandatis obtemperas faciens opera vocationis. Et quia accedit fides & inuocatio, fit labor ille cultus Dei.

Deinde *erit tibi bene*, id eſt, Deus benedicet tuis laboribus, vt ſuppetat non tantùm victus neceſſarius pro te & familia alenda: ſed etiam vt ſuperſit aliquid quod ad poſteros reponas. Nam bona honeſtis laboribus parta durant etiam ad poſteros. Erit etiam tibi bene, quia Deus dabit animum lætū & tranquillum, vt ſorte tua poſſis eſſe contentus, & non cogaris aliorum facultatibus iniuſtis modis inhiare. Eſtque magnus quæſtus pietas cum animo ſua ſorte contento, 1. Timoth. 6. Impiis non eſt bene etiam in maxima opulentia, quia ſemper maiora appetunt, & aliorum fortunis iniuſtè inſidiantur. Eſtque illud Horatij veriſſimum, *ſi non*

Intendes animum ſtudiis & rebus honeſtis,
Inuidia vel amore vigil torquebere.
Variam ſemper dant otia mentem.

Tertiò qui laborant, & corpore & animo meliùs habent. Quia & corpora rectiùs valent, cùm iuſtis laboribus exercētur. Ideoque inter præcepta ſanitatis tuendæ ponunt medici ἀοκνίαν πόνων, & animus purgatur multis vitiis, liberatur multis tentationibus & occaſionibus ſcelerum, quibus obnoxij ſunt qui otio indulgent. Sicut Theodoretus pulchrè inquit, Sermo. 6. de prouidentia: ἡ δὲ τῶν πόνων ταλαιπωρία τὰ πάθη μαραίνουσα φλεγμαίνειν οὐκ ἐᾷ δαπανῶσα τὰς ὕλας. Et Xenophon inquit: ἡ σωφροσύνη πολὺ μᾶλλον σὺν τῇ ἀσχολίᾳ συμπαρομαρτεῖ καὶ μὴν κακουργίαι ἧττον τοῖς ἐνεργοῖς ἐμφύονται. Et Baſil. Ἀργία κακουργίας ἀρχή.

Quartò, Laborantes honeſta & bona fama comitatur, cū econtra otium, vt Scipio dicere ſolebat, ſit communis ætatis mors. De labore inquit Cato Senior, *Sed quia per laborem rectè feceris, labor ille cito à te recedet, honeſtas verò manet. Si verò cum voluptate turpe feceris quidpiam, voluptas citò abibit, turpitudo ſemper remanebit.* Erit igitur tibi laboranti bene, id eſt, conciliabis tibi honeſtam famam & exiſtimationē. Vnde illud eſt Menandri, φιλόπονος ἴσθι καὶ βίον κτήσῃ καλόν. Laborem intelligit quem cuiuſque vocatio affert, non tantùm in œconomia, ſed in omnibus vitæ generibus.

3 Vxor tua ſicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut plantulæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.

Altera moleſtia quæ in coniugio maritis obiicitur, eſt mulier ipſa, deinde educatio liberorum. Ideo cùm de laboribus dixiſſet, etiam hanc moleſtiam oppoſitis bonis mitigare conatur. De coniuge & liberis dicitur à Menandro, μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ παῖδες καὶ γυνή. Primùm enim, vt de coniuge dicamus, multi impatientiſſimè ferunt illud vinculum coniugij, quo videntur ſibi in perpetuam ſeruitutem adduci, ſicut ille apud Menandrum inquit νόμιζε γήμας δοῦλος εἶναι τοῦ βίου. Et notum eſt Terentij dictum, quod ſuprà citauimus. Ideo plerique aut prorſus abſtinent à coniugio, aut ferò tandem matrimonium ineunt. Nonnulli etiam ſcelerate illa vincula abrumpunt, & belluino more vagantes ſeſe libidinibus polluunt. Deinde magna eſt muliebris ſexus infirmitas, pericula partus grauiſſima: multarum etiam mulierum magna moroſitas, vnde eſt illud, χειμὼν κατ' οἴκους ἐστὶν ἀνδράσιν γυνή. Et Salomon inquit, Stillicidium eſt perpetuum mulier rixoſa. Et apud Planudem in vita Æſopi citantur verſus Euripidis, πολλαὶ μὲν ὀργαὶ κυμάτων θαλασσίων, πολλαὶ δὲ ποταμῶν καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί, δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία: πλὴν οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακή. Item, θηρίων ἁπάντων ἀγριωτέρα κακὴ γυνή. Et extant ſimiles ſentẽtiæ plures in vituperationem ſexus muliebris. Multi igitur his ſarcaſmis, quibus ſexui muliebri inſultatur, moti, iudicant prorſus abſtinendum eſſe à coniugio, & noti ſunt verſus Menandri:

ἄλυπον ἕξεις τὸν βίον χωρὶς γάμου.

Item: γαμεῖν ὁ μέλλων εἰς μετάνοιαν ἔρχεται.

Et: ῥᾷον βίον ζῇς ἂν γυναῖκα μὴ τρέφῃς.

ὁ μὴ γαμῶν ἄνθρωπος οὐκ ἔχει κακά, &c.

Præterea etiamſi mulierem commodam ducas: tamen educatio liberorum eſt plena moleſtiarum, plena dolorum & curarum, & ſæpe omnis labor omnéſque ſumptus fruſtra in educationem inſumuntur: quia multi degenerant, nec patiuntur ſe regi diſciplina, multi ſe in ſcelera præcipitant & incurrunt in pœnas publicas, vt perpetuum dedecus familiæ pariant. Mallent igitur multi parentes perpetuam orbitatem, quàm liberorum copiam. Vnde ſunt illæ querelæ mulieris in tragœdia, quas citat Clemens 3. Stromatum:

Τὸ μὴ γενέσθαι κρεῖττον, ἢ φῦναι βροτοῖς,
Ἔπειτα παῖδας σὺν πικραῖς ἀλγηδόσι
Τίκτω. τεκοῦσα δ' ἢν μὲν ἄφρονας τέκω
Στένω ματαίως εἰσορῶσα κακούς,
Χρηστούς τ' ἀπολλύουσα· τοὺς δὲ σωζομένους
Τήκεται λαιμὰν καρδίαν ὀρρωδίᾳ.

Huic mũdi iudicio opponit Spiritus ſanctus in hoc pſalmo ſuum iudicium & promiſſionem dulciſſimam, qua omnes illas coniugij moleſtias, quas colligere poſſunt ſapientes, facilè obruit, & ex conſpectu remouet. Et quod Pindarus ſapientes facere iubet ὅπως τὰ καλὰ ἔξω τρέψωσι, Ipſe quoque in hoc pſalmo facit. Ipſe igitur Spiritus omnium optimè intelligens ſuas creaturas, & veris laudibus ornaturus vxorem & liberos, cõparat eos pulcherrimis arboribus viti & oleæ, quarum fructus maximè expetuntur & ſunt ſalutares generi humano. Imò Filius Dei ipſe ſe viti comparat, οἱ δὲ ἐν αὐτῷ κατὰ πίστιν ἐρριζωμένοι ἐπ' ἔργων ἀγαθῶν καρποφορίας ἐκφέρουσιν, vt inquit Baſilius contra Eunomium. Et pij qui ſunt viua membra eccleſiæ, ſæpe conferuntur oleis: ſupra pſal. 52. Ieſa. 24. Zach. 4. Eccleſiaſtici 24. & 50. Magna igitur eſt dignitas, & magna laus vxorum & liberorum in his ſimilitudinibus. Et hoc quidem principale eſt in hac collatione: ſed multa alia ſimul ſignificantur, quorum nonnulla breuiter tantùm indico, vt ſtudioſis occaſionem de his cogitandi præbeam.

Vitis, etiamſi ſit deſpectiſſimum lignũ, liquorem vini profert ad nutriendum corpus, & ad exhilarandum cor, vtiliſſimum pariter & efficaciſſimum. Significatur igitur hac imagine ingens voluptas, quæ exiſtit ex paruulorum liberorum vſu ac conſuetudine: præſertim cùm parentes timentes Deũ cogitant ſe genuiſſe illos non ad hanc mortalem vitam; ſed ad immortalitatem. Hæc cogitatio quantam animorum lætitiam pariat, verbis exprimi non poteſt. Deinde ſicut nemo ſpernit vites propter ligni fragilitatem: ita vir monetur hac ſimilitudine, vt cohabitet vxori σωφρόνως, nõ contemnat ſexũ infirmiorem, non tractet coniugem contumelioſè aut tyrannicè, &c. Tertiò, ſicut fœcunditas in vite commendatur: ita ſciant vxores hoc ſummum ſuum eſſe decus, ſi ſint fœcundæ. Itaque & apud Ethnicos probroſum fuit liberis caruiſſe: Et Menander inquit, ὀδυνηρόν ἐστι δυστυχοῦντα τῷ βίῳ ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν· στῦλοι δ' οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρρενες. Inprimis verò apud Iudæos ſterilitas erat probroſa.

Hæc conſolatio ſicut maritis moleſtias laborum in coniugio lenit: ita ipſis quoque mulieribus perpetuò debet eſſe infixa, vt opponant eam moleſtiis & doloribus partus & educationis liberorum: cogitet etiam ſe appellatione vitis cõmonefieri, quales eſſe debeant. Non ſint ſpinæ aut ſentibus aculeatis ſimiles, ſed vites, quæ ſuauiſſimum liquorem fundant, quo maritus in ſuis doloribus & mœſtitia recreetur & exhilaretur. Sicut autem vxores viti, & tenellos liberos pendentes adhuc ab vberibus matris aut geſtatos in aluo, confert pſalmus vuis, Quia vxorem dicit eſſe, vt vitem fœcundam, à qua dependent vuæ: ita iam adultos liberos comparat nouellis oliuarum: eo quòd iam ſuccreſcant, ſicut teneræ arbores. Sed cur oleis eos aſſimilat? Reſpondeo: Significat vegetos, florentes, præſtantes indole ingenij, induſtriæ, probitatis, & ſanos corpore, profuturos eccleſiæ & Reipu. & allaturos parentibus ſenio confectis ſolatium, & reddituros ἀντιπελαργίαν. Nam oleũ lenit & ſanat vulnera, & membra reddit vegeta. In publica lætitia vngebantur facies oleo odorato, vt eſſent nitidiores. Ideo dicitur pſalmo 104. Vinum lætificat cor hominis, ad illuſtrandam faciem eius præ oleo. Et pſalmo 45. dicitur oleum lætitiæ. Reges etiam & ſacerdotes vngebantur oleo: vt ſignificetur liberos piorum peruenturos aliquando ad ſummam dignitatem, ad ſummos honores in eccleſia & Repub. Fore enim organa Spiritus ſancti, quibus ille vſurus ſit ad communem ſalutem. Olim etiam rami oleæ erant ſignum pacis, vt palma victoriæ. Itaque & hoc videtur ſignificari, procreatione liberorum animos piorum coniugum arctiùs coniungi, vt deinceps illud fœdus coniugale & conſuetudo ſit plena amoris, beneuolentiæ, pacis & concordiæ, vt nullæ lites ampliùs turbent illam animorum coniunctionem, &c. Veriſſimè enim ab Antipatro in Ser. de nuptiis dictum eſt: *Quiſquis vxorem & liberos non eſt expertus, veriſſimam & genuinam beneuolentiam ignorat. Vndiquaque commiſcetur coniugalis amor, cùm non ſolum opes & liberos & animam, ſed etiam corpora ſoli coniuges communia habeant.*

Ita igitur in hoc verſu pingitur œconomia, vt hortus amœniſſimus ornatus pulcherrimis arboribus, vite & olea. Hunc hortum commendat Deus colendum patrifamilias, vt Paradiſum Adamo ante lapſum: & ſpe vberrimorum ac dulciſſimorum fructuum eum cõſolatur. Vini enim & olei maximus eſt in vita humana vſus. Deinde ſicut colonus cum voluptate hortum colit, quia non tantùm delectat eum fructus, ſed etiã labor: éſtque hîc maximè verũ, quod Xenophõ inquit, οἱ πόνοι ὄψον τοῖς ἀγαθοῖς: ſic nulla ſuauior eſt voluptas, quàm viuere in honeſto coniugio. Et ſicut vitis vmbram præbet in æſtu & recreationem poſt defatigationem, quia vitis vndique extendens palmites gratam vmbram præbet colono: ita maritus publicis negotiis defatigatus, aut curis publicis confectus, & confuſione rerum omnium perturbatus, domi requirit vbi ſe oblectet. Et vxor eum excipiens, tanquam vitis vndique domum cingens vmbram ei gratam præbet, & animum ſermone blando & aliis officiis recreat. Viris etiam flores ſuo odore ſerpentes & omnia venenata animalia à ſe depellit: ita honeſta coniux lenit, ſopit & occultat, quicquid moleſtiã aliquam marito videtur eſſe pariturum: arcet etiam à ſuis ædibus linguam obtrectatricem, vanos rumuſculos, ſuſpiciones, zelotypiam, quæ ſunt quaſi venenum amoris coniugalis.

Reſpicit etiam propheta hoc verſu ad συμπάθειαν, quæ eſt inter vitem & oleam dum liberos comparat & vuis & oliuis. Nam olea inſita viti gignit & vuas & oliuas. Hac imagine pingitur στοργὴ inter matrem & liberos. Nam matres tenerrimè amant ſuos liberos, & maiore cura ferè eos fouent quam patres. Gignit etiam vtriuſque ſexus liberos, quod etiam diuerſis appellationibus vuarum & oliuarum notari videtur. Hæc omnia hac dulci imagine pinguntur multò rectiùs & elegantiùs, quã vllis ſapientum dictis: vt vel ex hac vna ſentẽtia eloquentiam Spiritus ſancti per prophetas loquentis æſtimare liceat.

4 Ecce certè ſic benedicetur vir timens Iehouam.

Promiſſiones dulciſſimas claudit Spiritus ſanctus epiphonemate, in quo eſt repetita aſſeueratio, vt maior ſit promiſſionum certitudo, & fides coniugum hac aſſeueratione excitetur & confirmetur. Nam quia ſæpe in coniugio multa accidunt moleſta & grauia, diſputant ſæpe animi piorum an placeant Deo in hoc vitæ genere, & an curæ ſint Deo. Imò ſenſus calamitatum & onerum coniugij ſæpè eò deducit eos, vt cogitent has ærumnas ſigna eſſe iræ & indignationis diuinæ, ſéque abiectos & damnatos eſſe à Deo: & accedit diabolus & mali homines, qui iſta exaggerãt, vt in hiſtoria Iob fieri videmus. His igitur cogitationibus opponit Spiritus ſanctus hanc iteratam aſſeuerationem. Et initio vtitur particula demonſtratiua, qua attentionem mouet. *Ecce*, inquit: poſtulans oculos non corporis ſed ſpiritus, qui intueantur non in illa mala cõiugij, quę interdũ ſeſe offerunt: ſed in bona promiſſa, quæ

quæ pluris æſtimari, & quorum comparatione obrui illa præſentia mala debent. Sicut videmus Iobum facere in ſua diſputatione. Mundus illa bona quaſi clauſis oculis præterit, & tantùm mala intuetur. Inde igitur ſunt querelæ de incommodis coniugij in vita.

כי particula hoc loco non eſt rationalis, ſed eſt aſſeueratiua, vt ſæpe aliâs.

Sic] Admirationem habet, quæ exaggerat magnitudinem bonorum contra iudicia vulgi. Mundus enim exaggerat mala. Imò Pontifex Romanus impudenter affirmare audet, eos qui in coniugio viuunt, Deo placere non poſſe.

Benedicendi verbum opponitur maledictioni, quæ acceſſit poſt lapſum: quando Adamo iniunxit Deus labores, & terræ fertilitatem minuit: mulierem verò multis ærumnis & doloribus partus onerauit. Hæc mala omnia, inquit, tolluntur, aut certe mitigantur his qui timent Deum, illis benedictionibus, de quibus iam dictum eſt: quod ſciunt ſe placere Deo in coniugio, & quòd Deus benedicat laboribus ipſorum, vt creſcant & augeantur opes: & quòd largitur coniugium tranquillum & fœcundum. Deinde docet vocabulum benedictionis, hæc bona non parari viribus aut induſtria humana, nec obiici temerè aut caſu, ſed dona Dei eſſe, & ex promiſſione contingere.

Qui timent Deum] Hoc membrum diſcrimen facit inter pios & impios coniuges. Etiam impiis interdum dantur bona corporalia, & externa illa, quæ hactenus in coniugio prædicauit Spiritus ſanctus: ſed non ſunt beati, nec eſt illis bene, dũ laborant & laborando victum quærunt, id eſt, neque perſona, neque actiones impiorum placent Deo, nec ſatiantur vnquam cupiditates ipſorum, ſed perpetua ſolicitudine & curis, etiam in magna opulentia & πολυκτησίᾳ conficiuntur. Deinde non agnoſcunt dona Dei, nec gratias ei agunt. Igitur non ſunt benedicti, ſed maledicti. Sed pij ſunt benedicti & benedicuntur: Quia perſona & vocatio & actiones ipſorum Deo probantur. Et hæc corporalia bona ſunt illis quaſi manuductio ad æterna & ſpiritualia bona. Ideo etſi interdũ aut priuantur aut deſtituuntur bonis corporalibus: tamẽ timenti Dominum omnia cooperantur in bonum & benedictionẽ.

5 Benedicet tibi Iehoua è Sion: & videbis bonum Ieruſalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

Ἐξήγησις & amplificatio eſt ſuperioris ſententiæ. Vult enim hoc clariùs oſtendere, Deum eſſe autorem illorum bonorum, de quibus antea dixerat, ne quis fortunæ vel induſtriæ ſuæ quicquam adſcribat. Atque hoc in primo membro dicitur: ſed in altero extendit promiſſionem, & corporalibus bonis adiungit ſpiritualem benedictionem. Hanc inprimis vult opponi omnibus illis miſeriis, quæ etiam in piorũ coniugiis afferunt aliquas moleſtias. Fieri enim non poteſt, quin piis coniugibus accidant interdum quædam aduerſa, quæ ſenſum illorum bonorum corporalium obruant, aut certè ita minuant & extenuent, vix vt illa præ magnitudine malorum conſpiciantur. Hic venire piis in mentem debet, etiam deficientibus illis corporalibus bonis certo Dei conſilio, tamen Deum plures habere benedictiones, quæ ſunt multò maiores. Ideo animum piorum deducit ad eccleſiam, cuius ſciunt ſe eſſe membra. Quamdiu igitur in hac ſunt (erunt autem omnibus diebus vitæ ſuæ) tamdiu ſciunt ſibi bene eſſe, & nullis aduerſitatibus poſſe ſe à ſalute ſua depelli. Hęc eſt ſententia huius verſus.

Iehoua benedicet tibi] Quaſi dicat, cùm affluunt opes in coniugio, aut commoda tibi contingit coniux & liberi honeſti ac bene morati, hæc dona, vt magna ſunt & ab omnibus expetuntur, ita ſcias à Deo proficiſci, non parari induſtria humana, nec pendere à fortuna.

Addit autem, *E Sion*, vt pios reuocet ad memoriam fœderis, quod Deus cum ipſis pepigerat, qui tunc in Sion colebatur & præſens ibi erat iuxta promiſſiones. Hic igitur Deus, inquit, qui ſe nobis patefecit certo verbo & inito nobiſcum fœdere, qui nunc in Sion adeſt præſens iuxta promiſſionem, & qui hîc à nobis colitur & adoratur: is inquam autor eſt benedictionum tum corporalium tum ſpiritualium. Is aderit tibi, tuebitur te & familiam tuam, dabit victum, & cætera huius vitæ neceſſaria.

Et videas bonum] Ad bona corporalia accedent alia maiora. Faciet enim vt videas florentem Ieroſolymam, hoc eſt, eccleſiam, cuius tu es membrum, & cuius ſalute, tua quoque comprehenſa eſt, ita vt quicquid tibi & domi tuæ accidat, nunquam poſſis eſſe miſer aut infelix. Quandiu enim floret eccleſia, hoc eſt, quandiu rectè agnoſcitur & colitur Deus, & quandiu præſens ille eſt iuxta promiſſionem, tandiu ſingulis bene eſt. Hoc videtur principaliter ſignificari in hoc membro. Debet autem & ad Reipublicæ ſtatum accommodari, quî dum floret, & fruitur Reſpub. pace ac tranquillitate, coniugia priuatorum ſunt tranquilliora & lætiora: ſicut contrà in ſeditionibus, bellis, vaſtationibus, cõiugia ſunt infelicia & ærumnoſa. Deus igitur, qui priuatim piis coniugibus benedicit & benefacit, etiam propter hos ipſos benedicit Rebuſpub. vt his florentibus florere etiam coniugia piorum & rectè educari ſoboles poſſint. Sicut igitur Heſiodus de malis inquit, πολλάκι καὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπαυρεῖ: ita viciſſim ex hoc pſalmo diſcimus, ſæpe Deũ propter vnum atque alterum pium & honeſtum virum benefacere toti Reipublicæ, regioni aut vrbi. Idque exempla ſacræ Scripturæ comprobant. Deus voluit parcere quinque vrbibus, ſi in his decem pij inuenirentur, Geneſ. 18. Propter Ioſeph benefacit toti regno Ægyptio, Geneſ. 41. Propter Iacob benedicit Laban, & auget eius opes, Geneſ. 30. Ita igitur poſterius membrum & de eccleſia & Repub. accipiatur.

Videre in bonum ſignificat cum voluptate intueri florentem ſtatum vel eccleſiæ, vel reipubl. Nam verbum ראה, quando conſtruitur cum ב, notat oblectationem, vt ſuprà aliquoties diximus.

Omnibus diebus] Etiã in hac particula eſt amplificatio promiſſionis, quòd dicit hanc voluptatem & felicitatem non fore momentaneã. Hæ dulciſſimæ promiſſiones inuitare vnumquemque ad ſtudiũ pietatis debebant: videmus enim illa promitti piis. Et quòd ſæpè his bonis priuamur, id peccatorum noſtrorum culpa fit.

Alij volunt hanc ſententiam eſſe votum ſeu precationem Spiritus ſancti pro piis coniugibus. Itaque ſic reddunt: Benedicat tibi, &c. Eodem redit ſententia. Nam omnia vota Spiritus ſancti habent vim promiſſionum.

6 Et videbis filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

Sicut antea felicitatem in liberis, piis coniugibus promiſerat: ita nũc illam promiſſionem etiam ad horum poſteros extendit, & parẽtibus mentione nepotum longæuitatẽ pollicetur. Fore enim dicit vt non tantùm filios ex ſe natos, ſed nepotes & pronepotes videant. Ea verò magna eſt parentum felicitas. Vt enim cõditi ſumus ad immortalitatem: ita cùm videamus corpus morti obnoxium eſſe propter peccatum, cupimus memoriam nominis noſtri conſeruari in poſteritate: ideo lætamur, quando ſoboles nobis naſcitur. Sed multò maior eſt lætitia, ſi videamus etiã nepotes aut pronepotes ex liberis noſtris naſci: quia illa ſpes immortalitatis quodãmodo renouatur & confirmatur. Itaque Deus ſic hominum naturam condidit, vt στοργαὶ etiam multò ſint ardentiores erga nepotes quàm liberos: rurſus erga pronepotes ardentiores quàm erga nepotes. Flamma enim hæc amoris ex ſenſu illo immortalitatis, ſubinde cõtra ignis naturã deſcendit magis magíſque, & quo magis deſcendit, eo fit fortior & ardentior: idque ſignificare voluerunt, qui in clypeis pinxerunt flãmas plures & denſiores, atq; adeo multò longiùs deſcendentes quàm aſcendentes. Nam amor liberorum erga parentes rarus eſt, & citiùs deflagrat. Videre igitur filios filiorum, peculiaris eſt benedictio diuina, idq; donum pij agnoſcunt & celebrant. Deinde conſpectus ille nepotum & cõſuetudo plena amoris, multas coniugij aut ætatis ingraueſcentis moleſtias parentibus lenit. Sed ne videatur de priuatis tantùm cõmodis loqui, rurſus comprehendit publicam eccleſiæ & Reip. ſalutem, vt ſciamus has res eſſe coniunctas, & nullam priuatam felicitatem magnam eſſe, quam publica calamitas vel in eccleſia, vel in Republ. perturbat. Vbi igitur Deus benedicit piis, facit id non tantùm priuatim, ſed & publicè in eccleſia & Repub. florente. Alioqui ſatius eſſet mori, quàm videre filios filiorum, & iram Dei quotidie graſſantem.

PSALMI CXXVIII.

PARTES.

I. Pij hominis beatitas proponitur, primum quo ad gratiam diuinam qua beati ſunt quicunque Deũ ex animo reuerentur. Deinde, quo ad pietatis donum gratuitum, v. 1.

II. Declaratio illius beatitudinis, vitæ temporalis & ſpiritualis reſpectu. Temporalis, quo ad ſe. Nam cùm vita præſens iugi alimento opus habeat, pius vir comparabit illud manuum ſuarum iuſto

labore, quem Deus fortunabit. Et vtetur illo, manducans: tum in præſens, quo ad fruitionem ſuauem & iucundam; tum ad futurum, quo ad incrementum, benedicetur, verſ.2. Quo ad ſuos, vxor ei voluptatem & vtilitatem adferet, fœcunditate, & rei domeſticę cura, v.3. Liberi delectabunt eum, & in magnam ſpem creſcent, v.4.

III. Spiritualis benedictionis declaratio. Huius dignitatem acclamatione extollit, attentionémque captat, vt à temporali benedictione ad ſpiritualem mentes conuertere pij diſcant, v.5. Deinde modum recenſet. Ex Sione, inquit, benedicet tibi Deus, per Chriſtum Eccleſiæ caput. Hæc benedictio duplex eſt. 1. In vita præſente, videbit pius Eccleſiæ proſperitatem in donis Dei ſub cruce maximè lucentem, v.5. 2. In vita futura, pacem æternam, quando abſterſis piorum lachrymis, victor Chriſtus de ſuis triumphabit, v.6. Cuius victoriæ præludiis etiam fide & ſpe gaudet ac potitur Eccleſia militans.

Summa, generatim benedictionem Dei erga pios prædicat, verſ. .2.3. Speciatim quaſi in rem præſentem ducit fideles ſingulos à præſente ſua & Eccleſię experientia, v.4.5.& 6.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ.1. Qui benedictionis Dei cupiunt eſſe participes, ſincerè ſe ei addicere debet, quia cultores ſuos nunquam fruſtrabitur: imò, quicquid contrà Epicurei & filij ſeculi ſentiant, beatus erit quicunque à Deo pendens, eius reuerentia & amore afficietur.

Dei timor ab eius prouidentiæ cognitione certaq; perſuaſione maximè pendet: nihil enim magis optabile, nihil tutum, nihil omni ex parte beatum, quàm deliteſcere ſub Dei præſidio.

Hic timor in filiali obſequio lucet: ac res ſunt indiuiduæ, timor Dei, & legis obſeruatio.

Non aliter probatur Deo vita noſtra, niſi dum ad eius voluntatem, in verbo patefactam, formatur: & nulla eſt extra veram illam obedientiam, religio. Superſtitioſi ergo & impij omnes ſunt infelices.

2 Etiã in hac peregrinatione vel terreno hoſpitio fideles beatam vitã agunt, non in otio, delicijs, mundi honoribus ac diuitiis torpentes, ſed tenui ſorte contenti, & ſub Deo nutritio legitimis, in vocatione ſancta & honeſta, laboribus ſibi ſuiſque quotidiano victu proſpicientes. Damnantur ergo ventres otioſi, fures, bonarum artium tum liberalium, tum mechanicarum inimici, & quicunque vocationes œconomicas, politicas, eccleſiaſticas aut refugiunt, aut otio, auaritia, luxu, aliiſque ſceleribus polluunt.

3 Deus fœcundos reddit ſuos cultores, vt ſobolem numeroſam generent: & quum hanc ſuam benedictionem præferat omnibus diuitiis, ideo eam in pretio habeamus. Vide Prouerbior.19.14. & Pſalm. 127.3. & 1.Tim.4.8.

Terrenæ benedictiones, veræ ſunt Dei benedictiones, modò ſint totidem ſcalæ quibus gradatim cœlum conſcendamus, & alacriùs ad patrem cæleſtem & æternam hæreditatem cum familiis noſtris feſtinemus.

4 In extremo huius vitæ ſtatu fulget Dei gratia, quæ nos operam non perdere eum colendo demonſtrat.

5.6 Quoniam donorum diuinorum conſpectũ falſæ imaginationes ex ſenſu carnis ortæ ſæpius obſcurant: non ſuperuacua hæc eſt repetitio, à Deo benedici fideles, quoties eis aliquid proſperi euenit.

Ob fœdus quod nobiſcum Deus inijt in Chriſto, & eccleſiæ matri noſtræ cuſtodiẽdum commiſit, benedictionem per verbi miniſterium, in quo Spiritus ſanctus virtutem ſuam exerit, conſequimur.

Præcipuum votum noſtrum eſto, florentem videre Dei eccleſiam. Vt enim eius diſſipatio nos infelices eſſe clamitat, ita dum inſtauratur, beatitudine omnium maxima nos affici certò ſciamus.

Benedictiones domeſticæ communibus eccleſiæ bonis ſunt permiſcendæ: ita vt proſpera conditione domi vtentes tunc gaudeamus, quum aliis fidelibus per varias mũdi partes diſperſis Deum eſſe propitium audimus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De beatitudine hominis, ſeu ſummo bono.
2. Benedictio Dei à quibus & quomodo ſperanda.
3. De timore filiali & ſeruili.
4. Vita beata in quo conſiſtit.
5. Benedictionum terrenarum conſideratio & vſus.
6. De cõiugij dignitate, præſtãtia, multiplici fructu & vſu.
7. Familiarum piarum felicitas.
8. Mariti, vxoris, parentum & liberorum officium.
9. Gaudium piorum non intra ædium parietes, ſed in Eccleſiæ pace concluſum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIX.

HIC Pſalmus conſcriptus eſt in graui aliqua calamitate & periculo huius populi, in quo ne frangeretur animus plebis, aut deſperaret de ſalute, Propheta dulciſſimam conſolationem ſumptam à perpetuitate & ſtabilitate eccleſiæ & à pœnis hoſtium proponit, eáque animos piorum erigit & confirmat. Primùm enim memoria repetit totam eccleſiæ hiſtoriam, inde vſque ab initio conditi generis humani aut electi huius populi: atque ex hac oſtendit, ſæpe quidem grauiter afflictam & quaſſatam fuiſſe eccleſiam, variiſque iniuriis & malis exagitatam, ſed tamen mirabiliter à Deo hactenus fuiſſe defenſam & ſeruatã, repreſſa & oppreſſa tyrannide hoſtium, & reddita eccleſiæ ſua tranquillitate & pace. Hoc beneficium ſicut omnes vult grato animo agnoſcere & prædicare: ita hinc certam eos ſpem concipere iubet, fore vt deinceps quoque diuinitus ſeruentur & defendantur. Atque vt omnem dubitandi occaſionem præcidat, ipſis hoſtibus certum interitum & pœnas minatur, quas, vt faciliùs & maiore cum fiducia arripiantur ab auditoribus, elegantibus figuris & ſimilitudinibus illuſtrat & amplificat, vt mox dicetur. Docet igitur hic pſalmus, quales ſint ærumnæ eccleſiæ omnium temporum, & quòd inter illas ærumnas & perſecutiones tamen diuinitus ſeruetur & defendatur. Atque vt aſſidua Dei præſentia in eccleſia agnoſcenda & celebranda eſt: ita quocunque tempore & in quibuſuis aduerſitatibus certa fide & ſpe petenda & expectanda eſt liberatio.

Canticum graduum.

1 SÆpe afflixerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Iſrael.

2 Sæpe afflixerunt me à iuuentute mea: nec tamen potuerunt contra me.

In exordio pſalmi pericula varia commemorat, & è regione mirandas liberationes piis conſiderandas proponit, vt hac cogitatione animi erigantur, ne in hoc præſenti periculo, quod videtur fuiſſe grauiſſimum, deficiant aut deſperent. Antehac quoque, inquit, populus hic non ſemel, ſed ſæpe duriter eſt quaſſatus & afflictus, ídque à prima electione & fœdere cum patribus inito. Ipſe enim Abraham & eius poſteri Iſaac, Iacob, Ioſeph, deinde populus vniuerſus in Ægypto, quot miſerias & ærumnas ſunt exs perti? Quanta mala perpeſſi ſunt maiores noſtri, cùm egreſſi ex Ægypto vagarentur in deſerto annos 40. aut cùm ingreſſi eſſent terram Canaan, vſque ad tempora Dauidis? Deinde ſub regibus, quàm triſtis dilaceratio facta, & quot clades ſecutæ? Nunquam enim defuerunt hoſtes, qui crudeliſſimè hunc populum oppugnarent & delere conarentur, & diabolus nihil non in eius perniciem & interitum eſt molitus: & tamen defenſus eſt hactenus repreſſis molitionibus & diſſipatis viribus hoſtium. Hoc ingens beneficium iubet eos animo perpendere & celebrare, atque

hac

hac cogitatione animum ſuum in perferendis ærumnis & ſperanda liberatione cõfirmare. Ideo dicit, *Dicat nunc Iſrael, ſæpe &c.* id eſt, experimenta vetera ſecum reputet, atque hinc colligat, primùm, quæ ſint ærumnæ eccleſiæ: deinde quam habeat defenſionem, & quomodo in hac vita regatur & ſeruetur eccleſia. Amplificat autem pericula, primùm à tempore, deinde ἀναδιπλώσει. *Sæpe*, inquit, *afflixerunt me à iuuentute.* Non enim vnum tantùm fuit periculũ, neque vnius temporis aut ſeculi, ſed inde vſque à iuuentute mea, hoc eſt, à primis exordiis ſeu prima origine, quando Abraham diuinitus eſt electus in patrem multarum gentium. Vel etiam quando primum condita eſt eccleſia verbo promiſſionis, atque ita denuo nata: Ab illo enim tempore Diabolus horribile odium concepit aduerſus pios, quos videbat participes fore regni cœleſtis, à quo ille ſua ſuperbia & faſtu exciderat: imò quos ſuccedere in ſuum locum & dignitatem intelligebat. Ideo non deſiit omnibus viribus eam oppugnare, & totum mundum, cuius princeps eſt, aduerſus eam concitare. Hinc igitur fit, vt nunquam in hac vita eccleſia diu ſit tranquilla, ſed quoties vno periculo defuncta eſt, mox aliud ingruat. Hoc igitur ſignificat, cum vtens ἀναδιπλώσει inquit: ſæpe: ſæpe inquam inde vſque à iuuentute mea afflixerunt me. Hic ſermo multò efficaciùs mouet animos, quam ſi tyrannidem Ægyptiorum tantum, quæ tamen diu durauit, vel etiam Aſſyriorum allegaſſet. Atque hæc ſententia moneat nos quoque, vt de ſorte & ærumnis eccleſię omnium temporum cogitantes, non fremamus aduerſus Deum in noſtris ærumnis, cruce & calamitatibus, ſed potiùs cum piis Iſraelitis præſentiam Dei in ærumnis agnoſcamus & celebremus, & ἐπινίκιον hoc cũ ipſis canamus: *Et non potuerunt contra me.* Eſt enim hactenus mirabiliter defenſa & ſeruata eccleſia, & ſeruabitur deinceps fruſtra frementibus & contra nitentibus diabolis & toto mundo: atque hac ſpe præſentes ærumnas patienter feramus, & liberationem vera fide petamus: Nam quod de vrbe Athenarum editum eſſe hunc verſum Sybillæ dicit Plutarchus,

ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.

Id multò veriùs & rectiùs de eccleſia dici poteſt & debet. Athenæ enim dudum ſunt euerſæ: ſed eccleſia huc vſque tanquam ſcopulus, ad quem vndique fluctus maris alliduntur, perſtat firma & immota, nec delebitur vnquam, iuxta illud Chriſti, Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, Matth 16.

Non præualuerunt] Id eſt, non potuerunt populum opprimere aut peſſundare.

3 Supra dorſum meum arauerunt aratores: protraxerunt ſulcos [*Græcus ἀνομίαν*] ſuos [*vel ſulcum ſuum: eſt enim duplex lectio.*]

Amplificat pericula & afflictiones à ſimili. Comparat enim iniurias, quas perpeſſi erant ab hoſtibus, arationi, & vndique ductis in terra ſulcis, vt ſignificet, neminem ab iniuria & quidẽ grauiſſima fuiſſe immunem. Aratio enim terram quaſi vulnerat & deformat, & cùm dorſi mentionem facit, ſignificat triſte onus communium miſeriarum ſingulis ferendum fuiſſe impoſitum. Hoc igitur primum eſt in hac ſimilitudine, qua deformis ſpecies eccleſiæ ſub cruce pingitur. Nihil enim in hac vita piis eſt ærumnoſius: ſicut terræ proſciſſæ aratro & nudatæ nulla eſt ſpecies. Eſt autem & alia cauſa, cur hac ſimilitudine vtatur. Præterquam enim quòd deformitas eccleſiæ ſub cruce hac oratione pingitur, ſimul etiã fructus ſeu cauſa finalis ærumnarum rectè innuitur. Aratio enim terram præparat, vt ſemina faciliùs accipere & fouere poſſit: Ita doctrina euangelii rectiùs intelligitur, & promiſſiones ac conſolationes auidiùs arripiuntur in cruce, & cor ſubactum ærumnis præſtantiſſimos fert fructus patientiæ, inuocationis, gratiarum actionis &c. Terra verò niſi aretur & ſubigatur, nihil profert niſi ſentes & ſpinas: ſic cor humanum extra crucem eſt ſecurum & indulget vitiis.

Prolongauerunt] Hoc Lutherus ad ſeriem & cõtinuationem malorum accommodat, in qua exitus vnius periculi eſt gradus futuri.

4 Iehoua iuſtus: concidit funes [*Græcus αὐχένας ceruices*] impiorum.

Repetit conſolationem ſuprà verſu ſecundo expoſitam. Sicut enim dixerat, *non præualuerunt mihi*: ita nunc quaſi cauſam victoriarum & defenſionis eccleſiæ oſtendens dicit, ideo hoſtes nõ præualere, quia Dominus funes ipſorũ abſcindat, ac conatus ipſorum abrumpat: atque ita eccleſiam à triſti tyrannide & ſeruitutis iugo liberet. Perſiſtit autem propheta in metaphora inſtituta. Quia enim aratri mentionem fecerat, eò alludens dicit funes hoſtiũ, qui ſcilicet alligantur ad colla boum, præcidi. Interea verò per *funes* ſignificat omnia hoſtiũ conſilia, omnes machinas & conatus, & oſtendit fuiſſe eos ab omnibus rebus ad inferendam iniuriam paratiſſimos & inſtructiſſimos, atque adeo iam manũ admouiſſe operi. Deum autem præter omnium ſpem & expectationem eluſiſſe & irritos reddidiſſe ipſorum conatus, non aliter ac ſi bobus arantibus funes conſcinderentur, atque ita arationis opus impediretur. Hoc igitur beneficium agnoſcere debet eccleſia, & dum exempla talium liberationum colligit, accendi in nobis debet fides, vt ſtatuamus nos quoque curæ eſſe Deo: & accedere debet inuocatio petens & certa ſpe expectans liberationem. Nomen iuſti additur ad confirmandam fidem piorum. Quòd enim non ſinit perpetuò graſſari impios in eccleſia, id ideo facit, quia eſt iuſtus, hoc eſt, quia protegit eos, qui ſe ipſius fidei commiſerunt, & punit ſceleratos. Et quanquam interdum certo conſilio liberationem differt & tolerat vaſa iræ: tamen non deſerit ſuos, nec obliuiſcitur iuſtitiæ ſuæ, ſed adeſt præſens in ipſis periculis, confirmat vires animi & corporis, vt ſuſtinere afflictiones poſſint, ſolatur pios ſenſu amoris & beneuolentiæ: vt facilè omnia mala & incommoda præ hoc contemnant: donec tandem iuſtum tempus vindictæ veniat, & impiis ſua ſcelera rependat.

5 Pudefient & vertentur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Iam exemplorum præteritorum commemorationem ad præſens inſtitutum & futurum tempus accommodat, atque inde promiſſionem dulciſſimam extruit. Ita verò, quomodo ad vſum transferri exempla debeant, oſtendit. Nam exempla illarum liberationum eccleſiæ ſcripta ſunt in noſtram doctrinam & conſolationem. Sicut igitur, inquit, hactenus inde vſque à condita primùm eccleſia, Deus eam defendit: ita nunc quoque & deinceps, quandiu ſtabit hic mundus, pudefient ſeu decident ſpe ſua hoſtes eccleſiæ, & erunt conatus ipſorum irriti & vani. Hoc enim ſignificant hæc verba, *Pudefient & vertentur retro.* Deus enim perpetuò eſt ſui ſimilis, & eſt iuſtus. Ergo etiamſi interdum conniueat ad iniurias hoſtium, & ſinat eos aliquò vſque progredi: tamen tandem oſtendit ſibi curæ eſſe ſuos, & ſe odiſſe hoſtes eccleſiæ ſuæ. *Oſores* intelligit omnes hoſtes eccleſiæ, tyrannos, perſecutores, hæreticos, &c.

Alij volunt eſſe precationem, itaque ſic reddunt: pudefiant, &c. quod, vt ſuprà diximus, eodem redit cum priore.

6 Erunt ſicut herba [*gramen*] tectorum quæ antequam euellitur [*quam antequam quis euellit, vel vt alij volunt neutraliter, gramen quod antequam exeat ſeu emergat*] areſcit.

Illuſtrat benedictionem de pœnis & interitu hoſtium à ſimili. Eſtque eadem ſententia cum priore, niſi quòd figuratè exponitur, vt altiùs feriat ſeu penetret animos, & firmior atq; efficacior ſit conſolatio. Ideo enim illa lumina orationum & figurarum adhibentur, vt res ipſa faciliùs arripiatur, & animus fortiùs afficiatur. Hoſtes, inquit, erunt vt herbæ tectorum, quę quanquam eminent ſupra hominum capita, & creſcunt in loco ſublimi: tamen ſunt inutiles, & quia ſuccum non habent, paulò poſt areſcunt. In Syria tecta in ædificiis ſunt plana, ideo in rimis & fiſſuris lapidum gramen paſſim enaſci ſolet: ſed quia ſuccum diuturnum non habet, nec altè agere radices poteſt, mox iterum ardore ſolis exuſtũ exareſcit. Tales, inquit, ſunt impij & hoſtes eccleſiæ, gerunt altos ſpiritus, efferunt ſeſe tanquam in ſummo faſtigio collocati, & ſupra aliorum capita eminentes: ſed pereunt in primo germine & vigore. Hæc magna eſt potentiæ mundi extenuatio, quæ tamen ita terribilis in multorum oculis apparet, vt multi & profeſſionem doctrinæ, & ſpem quam conceperant, abiiciant.

7 De qua non implet manum ſuam meſſor neque ſinum ſuum manipulos colligens [*aut metens, ſeu pro mercede laborans.*]

8 Neque dicunt tranſeuntes: Benedictio Iehouæ ſuper vos: benedicimus vobis in nomine Iehouæ.

Confirmat priorem ſententiam, & ſimilitudinem inſtitutam magis illuſtrat, opponens herbam, quæ in tectis naſcitur, aliis herbis frugiferis & vtilibus, quæ varios habent vſus in hominũ vita: & vt ipſis nulli vſui ſint, tamẽ alimentum præbent iumentis: ſed fœnum in tectis tãtum abeſt vt pabulum præbeat iumẽtis, vt ne quidem in numero donorũ diuinorum habeatur. Ideóq; nõ colligitur à meſſoribus, vt gramẽ quod in vallib⁹ & pratis naſcitur (prius enim ferè exareſcit, quàm in aliquam altitudinem aſſurgat) neque ſi abſcindatur, labori cuiuſquam benedicitur. Hęc ſumma eſt horum

duorum verſuum, in quibus alludit ad conſuetudinem meſſorum, qui gramen demeſſum colligunt in manipulos & aceruos, & ad vſum ſeu pabulum iumentorum reponunt, & ſi quis tranſiens videat vel florere fruges, vel meſſores laborare in agris, bene precatur ipſorum labori, optans, vt fœs terra natæ cedant in vſum & victum tam hominum quàm iumentorum. Sed gramen tectorum nemo curat, nemo optat illud feliciter prouenire, quia nocet ferè ædificiis: & ſi quis abſcindat, nemo eſt qui bene precetur. Ita igitur pereunt hoſtes eccleſiæ Dei, vt nemo curam vel animum adiiciat ad interitum eorũ, nemo condoleat, imò lætetur tolli eos tanquam peſtes generis humani.

Benedictio Iehoua] Mimeſi exprimit verba prætereuntium, quibus meſſores alloquuntur, & eis bene precantur. Apparet autem ex his verbis, hunc morem, qui adhuc vſitatus eſt, eſſe vetuſtum, atque adeo non à piis tantum, ſed profanis quoque hominibus vſurpatum. Quo exemplo nos monemur, vt cogitantes terræ fœcunditatem magnum eſſe Dei beneficium, ipſi quotidie Deo terræ fructus feliciter producendos & augendos commendemus.

PSALMI CXXIX.

PARTES.

I. Narratio continens deſcriptionem calamitatum Eccleſiæ, ab initio, verbis propriis, verſ. 1. & 2. Deinde figuratis, allegoria ſumpta ab aruo, cui Eccleſia comparatur, ver. 3. hoſtes autem ſimiles ſunt agricolis, quorum Deus opera vtitur ad ſarciendum, arandum & colendum Eccleſiam ſuam, cuius iſti nullam partem reliquerunt intactam, quin ſummo labore effoderent.

II. Declaratio liberationis miraculoſæ, tum ordinariæ, tum extraordinariæ, v. 4. In allegoria perſtãs, oſtendit Deum, quamuis valida & firma conſilia, conatus & opera impiorum nullo negotio diſſecare, quum opus eſt, ad aſſerendam iuſtitiam ſuam.

III. Prædictio, de funeſto aduerſariorum Eccleſiæ caſu, v. 5. quem deinde exponit, ſimilitudine continuata, vanitatem & ſterilitatem conſiliorum humanorum aduerſus Dei veritatem eiuſdémque Profeſſores indicans, v. 6. & 7. & ſummo impiorum fruſtra laborantium contemtu, v. 8.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 & 2 Fidelibus optimum ſolatij genus illud eſt, ſi oculos referant ad vetuſta Eccleſiæ certamina, agnoſcãt ſemper laboraſſe ſub cruce, ac iniuſta hoſtium violentia duriter fuiſſe vexatam: ſed patiendo ſemper victricem extitiſſe.

Mundus innumeris impiorum copiis refertus eſt, quos facile armat Satan in bonorum perniciem, vt omni ex parte noua ſubinde bella emergant.

Continuis exercitiis à condito mundo Dei populus ad patientiam probatus eſt, & ad ferendam crucem aſſuefactus: vt in eius infirmitate fulcienda, & conterendis impiis, Dei virtus magis ac magis eluceret.

3. 4 Eccleſiam crux perpetuò comitatur, ne pacem in mũdo ſomniemus.

Impij perſecutores parati ſunt ad pergendum, nec vnquam ſatiatur eorum crudelitas: ſed inexpectatis rationibus olim & noſtro hoc ſeculo Dominus rabiem eorum compeſcuit.

Quia Deus iugum ſuum vult à nobis placidè ſuſcipi, non abs re comparamur terræ arabili, quæ nihil opponere poteſt quin tota ſcindatur aratri tractu.

Quamuis ad tempus diſſimulet Deus, nunquã tamen obliuiſcitur ſuæ iuſtitiæ, quin det afflictis relaxationem. Vide 2. Theſſ. 1. 7. Salus enim eccleſiæ neceſſariò coniuncta eſt cum Dei iuſtitia.

Ideo non præualent Eccleſiæ hoſtes, quia Deus eorum conatus abrumpit, nec patitur vltra progredi quàm apud ſe decreuit.

5 Eccleſiæ hoſtibus confuſio & ruina certiſſima imminet: ita vt quo magis caput audacter tollere, & progredi ac felices ſucceſſus habere videntur, eò propinquius excidium illorum eſſe ſciamus.

6 Quoties nos terrebit impiorũ ſplendor, vel eminentia, occurrat nobis hæc comparatio: Herbam in tectis naſcẽtem eſſe ſublimem, ſed abſq; radice, ideoq; nõ longæ durationis: ſic iſtos quo propiùs ſuperbiæ ſuæ altitudine ad ſolẽ accedunt, citiùs conſumptũ iri, quia radice carent, id eſt, pia humilitate, quæ ſola vitam & vigorem haurit à Deo quam nobis inſpiret.

7. 8 Impij & eccleſiæ perſecutores, veluti herbæ inutiles, omnium odio vel contemptu digni ſunt.

Dũmodo ſtudeamus cenſeri inter legitimos eccleſiæ ciues, intrepidè deſpicere licebit totam impiorum potẽtiam: quia etſi floreant ad tẽpus, ſintq; conſpicui, ſunt tamen herbæ ſteriles & maledictæ.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Eccleſiȩ militantis perpetuum emblema, Crux.
2. Perſecutorum Eccleſiæ ingenium, artes, conatus, interitus.
3. Iuſtitia Dei in probatione piorum, & impiorum excitatione.
4. Impiorum interitus eleganter depictus.
5. Aratio Eccleſiæ, Dei & hominum reſpectu.
6. De miraculoſis Eccleſiæ militantis liberationibus.

ARGVMENTVM PSALMI CXXX.

HIC Pſalmus inter pœnitentiales refertur: ideo præ cæteris in eccleſia ſemper fuit notus & decantatus: nec obſcura eſt ſententia his qui aliquando ſenſerunt terrores peccati, & aliqua habuerunt pœnitentiæ exercitia: cúmque tota doctrina de pœnitentia alibi explicetur integrè & copioſè, non opus eſt eam hiſce commentariys inſerere. Etſi autem & de autore Pſalmi & de tempore quo conſcriptus ſit, diſſerunt interpretes (aly enim ad Dauidem & tempora Saulis, aly ad captiuitatem Babylonicam referendum cenſent) tamen ſi de ſententia conſtet, non magnopere diſputandum hac de re exiſtimo. Proponit Spiritus ſanctus in hoc Pſalmo exemplum hominis expaueſcentis agnitione & ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, & in vera conuerſione confugientis ad miſericordiam Dei, & quærentis conſolationem in verbo promiſsionis, ac petentis ſibi remitti peccata gratis. Sed hæc res quia non fit ſine magna lucta, nec obtinetur conſolatio ſine magno certamine, ideo & dolorem ſuum de peccatis admiſsis & de Deo offenſo, & ingens deſiderium redeundi in gratiam cum Deo atque obtinendi remiſsionem peccatorum, quod ex fide proficiſcitur, autor huius Pſalmi mirificè pingit. Et cùm fides intuens promiſsionem ſuperet & vincat dolores, & ſentiat conſolationes, quibus ex morte in vitam reducitur, cupit exemplum ſuum prodeſſe omnibus pys. Ideóque in fine Pſalmi hortatur pios omnes, vt, quoties ſentiunt ſimiles dolores de ſuis peccatis, mox ad miſericordiam Dei confugiant, & certò iuxta promiſsionem ſibi peccata remitti, ſéque in gratiam reſtitui credant, nec deterreantur vel magnitudine, vel multitudine ſuorũ delictorum: ſed credant regnum gratiæ multò potentius eſſe regno peccati, & copioſam eſſe apud Deum redemptionem. Huic igitur adhortationi Spiritus ſancti obtemperemus omnes, & quoties Lex nos accuſat, & cor damnat, toties cum Propheta ad miſericordiam Dei & thronum gratiæ confugiamus, & petamus ac fide ſtatuamus nobis peccata

peccata remitti. Non expectemus raptus Enthuſiaſticos, in quibus gratia in nos tãquã in vrceolos vacuos prius infundatur, & ſic corde lapideo prorſus exciſo aliud nouum in nobis creetur, tempore, hora aut momẽto nobis incognito, vt nunc quidam loquuntur. Multò minus meritis aut operibus noſtris, quemadmodum Pontificij docẽt, hoc tribui ſtatuamus, quòd in gratiam recipimur. Vterque enim error manifeſtè refutatur cum Propheta dicit, neminem conſiſtere in iudicio Dei, ſi ipſe obſeruet iniquitates. Et ſe ad verbum promiſſionis reſpicere atque ex hoc de remiſſione peccatorum & de gratia ſtatuere, disertè affirmat.

Pſalmus graduum.

1 DE profundis clamaui ad te Iehoua.
2 Domine audi vocem meam: intentæ ſint aures tuæ ad vocem precationum mearum.

Hi duo verſus continent propoſitionem Pſalmi, quæ eſt oratio valde pathetica, petens vt exaudiatur, & remiſſionem peccatorum, quam quærit, conſequatur. De profundis clamo, inquit: quaſi dicat, non eſt otioſus clamor, aut in ſpeciem pietatis effictus, qualis eſt hypocritarum: ſed proficiſcitur ex imis animi ſedibus, ex intimis cordis penetralibus; imò ex aquarum ſeu dolorum gurgite, quibus ſum obrutus. Eſt enim metaphora in voce Hebræa, ſumpta à gurgite aquarum, vel à voragine ſeu hiatu terræ, in quem aliquis deiectus nullam ſpem vitæ reliquam habet. Significant autem etiam aquæ in Scriptura graues afflictiones, dolores & pericula, quibus ita opprimimur, vt nulla appareat euaſio aut liberatio: vt cùm quis in medium mare proiicitur, vnde niſi diuinitus extrahatur, perire ibi & abſorberi eum neceſſe ſit. Dauid igitur aut quiſquis autor eſt huius Pſalmi, hac voce affirmat ſe verſari in acerbiſſimis doloribus propter ſua peccata, & irã Dei, ideóque quaſi in infernum demerſum ac deſperationi proximum eſſe. In his tamen doloribus & in hac profunditate cõſtitutus non indulget dubitationi aut deſperationi, vt faciũt multi qui in æternum pereunt, neque otioſus aut dubius expectat raptus illos, de quibus antea diximus, quaſi priùs reponi in gratiam cum Deo nequeat, quam nouitatem illã impreſſam aut infuſam ſentiat, vt iuxta Flacium dicere ex hoc ſenſu poſſit, Ego iam ſum iuſtus. Sed clamat ad Deum, & petit regi ac remitti peccata ſua gratis propter mediatorẽ promiſſum. Ita hac fiducia, quæ ei hunc clamorem exprimit, cor eius erigitur & confirmatur, vt ſtatuat ſe iam placere Deo & eſſe in gratia. Alioqui enim, ſi abſque hac eſſet, fugeret Deum tanquam iratum iudicem. Monet autem hæc ſententia, tunc primùm ardere fidem in inuocatione, cum in profundum ſeu gurgitem aquarum & dolorum conijcimur, hoc eſt, cùm irã Dei aduerſus peccata ſentimus, & in mortẽ mergimur. Alioqui enim ferè torpet animus in inuocatione, dum peccatum dormit & animus eſt ſecurus.

Pontificij ſceleratè pro mortuis hunc pſalmum demurmurant.

Quod *Iehouam* compellat, ſignificat ſe non ad idolum aliquod confugere, vt faciebant Baalitæ, ſed ad verum Deum. Hic enim eſt, qui ſolus peccata remittit, & qui contritos corde ſanat.

Aures ſint intentæ] Repetitio eiuſdem ſententiæ ſignificat animi anxietatem, & ſtudij ſeu deſiderij ardorem. Solet enim animus in magno periculo conſtitutus ſæpe ingeminare eaſdem preces, vt de ſuo dolore teſtetur, & faciliùs quod petit obtineat. Eſt autem notandum, quòd voce תחנוני intelligit petitionem remiſſionis peccatorum & gratiæ. Nam id propriè vox ſignificat.

3 Si iniquitates obſerues, Deus: Domine, quis ſuſtinebit?

Addit rationem, cur ſibi opus ſit gratuita remiſſione peccatorum, ab ingenua confeſſione ſuorum delictorum, & commemoratione magnitudinis iræ Dei iuſtiſſimæ: Ideo, inquit, opus eſt mihi & omnibus aliis gratia & remiſſione peccatorum: quia omnes polluti ſumus peccatis, & nihil afferre in conſpectum tuum poſſumus, niſi ſordes & delicta, vt ſi agere nobiſcum iure velis & ſecundùm rigorem iuſtitiæ, atque ita exequi iram tuam, ſicut conuenit immenſæ iuſtitiæ tuæ, nemo hanc ſuſtinere poſſit, ac neceſſe ſit mox totum genus humanum in nihilum redigi. Sed quia nõ condidiſti genus humanum tantùm ad interitum, ſed vis aliquam partem ſaluari: ideo age mecum non ſecundùm rigorem iuſtitiæ tuæ, ſed ſecundùm miſericordiam tuam, & remitte mihi gratis peccata. Hæc ratio diligenter in hoc pſalmo obſeruanda eſt. Docet enim manifeſtè, neminem coram Deo innocentem eſſe, aut propria munditia ſeu meritis iuſtificari, ſed omnes habere peccatum, & reos eſſe æternæ iræ & damnationis, ideóque opus eſſe omnibus gratia qua gratis iuſtificentur propter Chriſtum, & multiplex infirmitas ac variæ ſordes etiam in renatis tegantur & condonentur. Neque enim allegat hoc dictum, ad extenuandum delictum, quaſi exemplo multitudinis impiæ ſibi peccare liceat. Deinde tribuit Deo laudem iuſtitiæ, ſi nos puniat interdum.

Nomen iniquitatis complectitur omnia peccata non tantùm actualia. Ideo conſultò hac appellatione vſus eſt. Significat enim vox idem quod Iohannes nominat ἀνομίαν.

4 Quia apud te eſt propitiatio: vt timearis.

Altera ratio ſumitur à natura ſeu φιλανθρωπίᾳ Dei, quam ex antitheſi opponit naturæ immundiciei & peccatis. Ego quidem, inquit, agnoſco & fateor me eſſe pollutum & contaminatum variis delictis, & dignũ eſſe qui in æternum abiiciar. Sed peto mihi remitti peccata, quia ſcio te benignum eſſe & miſericordem, & confugientibus ad thronum gratiæ tuæ ignoſcere gratis, & parcere delinquentibus. Hac igitur fiducia me erigo & ſuſtento, & confugio ad te petens mihi remitti peccata. Ita igitur rurſus ſe erigit fiducia miſericordiæ, citans promiſſionem. Et hæc altera doctrina eſt in hoc pſalmo omnibus cognitu neceſſaria. Sicut enim antea docuit omnes homines eſſe obnoxios peccatis, & reos æternæ iræ & damnationis, & neminem poſſe mereri vitam æternam ſuis operibus: ita hic verſus docet gratis remitti peccata, & per miſericordiam gratuitam homines reconciliari Deo. Quæ conſolatio ſi amittatur, neceſſe eſt perire omnes & tabeſcere in ſuis peccatis. Errant igitur Papiſtæ, & Deum contumelia afficiunt, qui neſcio quas ſatisfactiones confingunt, quas opponant iræ & iudicio Dei, & ſomniant ſe ſuis operibus mereri remiſſionem peccatorum & iuſtos eſſe. Non enim relinquunt miſericordiæ Dei locũ, dum ſtatuunt meritum cõdigni. Væ autem hominum vitæ, quantumuis laudabili, inquit ille, ſi remota miſericordia iudicetur.

Propitiatio autem intelligatur, ſicut illa reuelata eſt in promiſſione de Chriſto. Eſt quidem Deus propitius & miſericors, ſed in Chriſto, qui eius iuſtitiæ ſatisfecit. Extra hunc nulla gratia, nulla ſalus ſperanda, ſed triſtis rigor iuſtitiæ expectandus. Fit igitur ſimul mentio cauſæ impulſiuæ. Eſto mihi propitius, ſcilicet propter Chriſtum.

Vt timearis] Addit amplificatiunculam à cauſa finali. Ideo, inquit, remitte peccata, vt maneat aliquis cultus nominis tui, vt rectè agnoſcaris & celebreris. Nomen enim timoris complectitur totum cultum. Sed cur dicit Deum timeri, ſi ſit propitius & ſi gratis remittat peccata? An non diaboli potentiam eius agnoſcunt & contremiſcũt? Et hoſtes Dei nolint velint, tandem in pœnis coguntur eum timere? Reſpondeo. Primùm hoc conſtitui neceſſe eſt, quod dixi, vocabulum timoris non de ſeruili aliquo metu hoc loco intelligi, ſed de legitimo cultu, qui complectitur omnia opera primæ tabulæ, agnitionem Dei, inuocationem, gratiarum actionẽ, delictorum confeſſionem, fidem acquieſcentem in Deo, ſpem, patientiam in cruce &c. Hic cultus à nemine præſtatur, niſi qui Deum propitium eſſe, & gratis remittere peccata propter filium ſtatuit. Aut enim ſuperbiunt contra Deum, & efferentes ſe fiducia ſuorum meritorum, opponunt iudicio Dei ſuam dignitatem, vt hypocritæ, Phariſæi, Monachi, Pontificij, καὶ ὅμοιοι: aut fingunt Deum tanquam iratum & ſeuerum iudicem, & fremunt aduerſus eum, vt diaboli, Cain, Saul, Iudas & ſimiles. Ideo neutri eum timent. Sed qui agnoſcunt ſe habere peccata, & dũ expaueſcunt agnitione & ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, ſimul erigũt ſe fiducia promiſſi mediatoris, & fide ſtatuunt ſibi remitti peccata gratis: hi verè colunt Deum, & rectè eum inuocant, & ſciunt opera ſua omnia facta in fide placere Deo.

Græca translatio habet, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, quæ ſententia non multum diſcrepat à fontibus. Vult enim agnoſci Deus & celebrari ab hominibus. Ideo gratis remittit peccata propter nomen ſuum. Sed Latinus interpres perperam reddidit, Propter legem tuam. Legit enim תורה *thorah*, pro תורא *thiuare*. Chaldæus habet, videaris vel obſerueris, fortè quia iudicauit verbum formari à ראה quod videndi ſignificationem habet.

5 Expecto Iehouam, expectat anima mea: & in verbum eius ſperaui [*ſpero.*]

Illatio eſt ad ſuperiorem ſententiam, in qua teſtatur de ſua ſpe & fiducia, atque ita ad ſe doctrinam conſolationis plenam accommodat. Nam cùm antea in genere dixiſſet, Deũ propitium & exorabilem eſſe omnibus miſeris peccatoribus,

qui ad eius gratiam confugiunt, nunc concludit, ſe igitur ſperare & expectare Deum certa fide, donec animum ſuum erigat, conſoletur & retrahat ex illis triſtiſſimis doloribus, quibus erat oppreſſus. Nam verbum expectandi iteratum longam moram auxilij & liberationis ſignificat, in qua tamen non abiecerit fidem, fretus illa bonitate & clementia, de qua verſu præcedente dixerat. Inquit igitur, *Expecto Iehouam*, quaſi dicat, Quanquam vehementer & diu excrucior variis doloribus de peccato déque ira Dei, & accedunt diaboli inſidiæ, quibus me ad deſperationem impellere conatur: tamen ego non patiar mihi eripi hanc conſolationem, quòd tu ſis propitius & clemens omnibus ad te confugientibus. Hac igitur conſolatione in his doloribus & in hac lucta me ſuſtento & erigo: hac fide extinguo omnia ignita tela diaboli, & fero ac vinco illam moram auxilij & liberationis, & repugno dubitationi ac deſperationi. Hæc omnia complectitur cum dicit, Ego expecto. Et qui hanc luctam in veris doloribus experti ſunt, illi intelligunt quid velit Propheta. Securi autem & ebrij voluptatibus has tantas res non capiunt nec intelligunt.

Quod addit, *expectat anima mea*, Primùm ingens ſuum deſiderium & fidei ardorem vocabulo נפשי oſtendit. Ita enim ſæpe vocabulum Hebræum vſurpatur: vt ſit hæc ſententia, Ego magno deſiderio expecto. Deinde hoc quoque docet, cùm differretur liberatio, ſe non tantùm foris linguam & os cohibuiſſe, ne obmurmurarent Deo aut eum accuſarent, ſed etiam intus inter ſummos & acerbiſſimos dolores ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata ortos animo fuiſſe tranquillo & compoſito, retinuiſſe fidem, patienter tuliſſe iram Dei cui peccauerat, & certa fide expectaſſe liberationē. Id verò pauci faciunt. Plurimi enim victi diffidētia & deſperatione fremūt aduerſus Deum, & fugiunt Deum tanquam iratum iudicem, quærunt latebras, vbi ſe occultent à conſpectu Dei, quas quia non inueniunt, ſæpe laqueo, nonnunquam gladio, alij aliis modis vitam abrumpunt, vt videre eſt in Saule, in Iuda & ſimilibus. In his igitur exemplis apparet quàm difficile ſit in illo certamine expectare Iehouam, & quidem ita expectare, vt anima intus ſit quieta, victis & ſuperatis illis doloribus, quos gignit conſpectus iræ Dei. Nec fiunt hæc more Enthuſiaſtico, ſed conſolatio obtinetur in magna lucta.

Sed cur addit, *in verbum eius ſperaui*? His verò verbis quomodo anima in iſtis doloribus & certaminibus reddatur quieta, & quomodo fiat conſolatio, in qua redditur nobis vita & lætitia, oſtendit. Alij alia remedia quærunt, quibus medeantur illis doloribus. Anabaptiſtæ, & ſimiles Enthuſiaſtæ, quærunt neſcio quas illuminationes & conſolationes extra verbum, & verbum abiiciunt, quod dicunt non alium habere vſum quàm vt exterior homo habeat aliquod exercitium. In eundem ſcopulum impingunt etiam hodie Flaciani, qui quāquam dicunt Deum agere per verbum & eſſe efficacem: tamen hanc actionem, quam vocant infuſionem plenitudinis gratiæ, ſomniant fieri tempore, hora & momento nobis incognito, & quidem infundi gratiam repugnantibus, aduerſantibus & hoſtiliter adhuc militantibus contra Deum, atque ita verbum nihil aliud eſſe exiſtimant, quàm canalem (nam ſic etiam nonnulli ex ipſis loquuntur) per quem gratia effundatur in nos etiam nihil tale cogitantes, imò etiam in aduerſantes. Atque hic eſt illis actus ille iuſtificationis, hic circulus, hoc forum, hoc punctum, in quo dicunt non tantùm excludi omnem dignitatem & meritum bonorum operum, ſed etiam omnem omnino præſtantiam. Exiſtimant enim nō niſi adhuc actu impiis & furioſè ruentibus contra conſcientiam illam gratiam infundi, eóque actu abſoluto tum demum ſequi opera tāquam fructus. Ab altera parte Phariſæi, Monachi & Pontificij huius pſalmi doctrinam ſceleratè corrūpunt, qui nos ad opera & merita ſeu propria, ſeu ab aliis empta ablegant, atque ita ſedari illos dolores poſſe exiſtimant, cùm potiùs hæc res dolorem augeat. Nam animus in veris doloribus conſtitutus hoc ipſum maximè deplorat, quòd non habeat opera illa quæ Deus requirit, & facilè agnoſcit illis nundinationibus alienorum operum iram Dei non tolli, nec quietari conſcientiā, tantum abeſt, vt in his ſperare tūc poſſit.

Dauid autem & cæteri ſancti, cùm in veris doloribus ortis ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata quærunt conſolationem, non expectant illos raptus Enthuſiaſticos, nec otioſi expectāt actum illum infuſionis gratię, de quo tam prolixis ſcriptis & tanta contentionis vehementia & conuitiorum acerbitate in Colloquio Aldenburgenſi diſputarunt Flaciani, multò minus ſua merita colligunt, quæ opponant iræ & iudicio Dei: ſed ſimpliciter ad verbum, hoc eſt, ad promiſſionem miſericordiæ, quæ in verbo comprehenſa eſt, reſpiciunt: hanc vera fide accenſa per Spiritum ſanctum in meditatione verbi amplectuntur, in hac acquieſcunt, & iuxta hanc ſtatuunt ſe placere Deo, & eſſe iuſtos, hoc eſt, acceptos ad vitam æternā, etiam cum ſenſus peccati reclamat, & illa infuſio gratiæ nondum conſpicitur aut ſentitur. Ita igitur fit iuſtificatio hominis ſeu reconciliatio, non aliqua infuſione gratiæ, quæ eſt ipſa nouitas coniuncta cum iuſtificatione, ſeu quæ non eſt hoc quo ſumus iuſti coram Deo: ſed quia fide intuens promiſſionem ſtatuit ſe placere Deo & eſſe iuſtum. Id expreſſè ſignificatur in hoc membro, *ſperaui in verbo eius*. Eſtq; teſtimonium hoc diligenter obſeruandum non tantum contra Pontificios, ſed & veteres Enthuſiaſtas, & imprimis aduerſus illos recentiores, qui Enthuſiaſtarum ſomnia & deliria renouant, & editis libellis in vulgus ſpargunt.

Cum Pſalmi dicto congruit illud Pauli Roman. 15. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarū ſpem habeamus: non dicit per infuſionem gratiæ: ſed per conſolationem ſcripturarum, & per patientiam. Nam in cogitatione promiſſionum ſeu verbi ſcripti, ſimul adeſt filius Dei, & dicit conſolationem in corde credentis, & accendit fidem, ſpem, lætitiam, inuocationem. Ita igitur ſciamus nos deduci ad verbum. Sicut ſuprà pſalmo 119. multa hac de re teſtimonia audiuimus.

6 Anima mea ad Dominum: præ cuſtodibus ad mane, præ cuſtodibus ad mane.

Amplificat & illuſtrat priorem ſententiam à collatione. Vult enim oſtendere, hanc fidem intuentem promiſſiones non fuiſſe inanem cogitationem: ſed cum qua fuerit coniunctum ardens deſiderium & fiducia. Ideo dicit ſe ardentius expectaſſe Deum in illa lucta, quàm omnes vigiles ſomno grauati diem ſeu auroram, in qua ſcilicet illis dormire & quieſcere à moleſtiis vigiliarum nocturnarum liceat. Et repetitio illud deſiderium magis exprimit. Significat enim nullum vigilem tam diligenter obſeruare aut expectare lucem diei, quàm ille hanc conſolationem, quæ in verbo proponitur, expectet, & optet in ſuo corde accendi, in qua Deū, quem nunc iratum & faciem tenebris inuoluentem videat, intueri deinceps placatū & reconciliatum, & faciem ſuam ſerenam, lucidam & blandam offerentem poſſit. Græcus interpres & qui eum ſecuti ſunt, non animaduerſa comparatione in hoc verſu, quam præpoſitio מן indicat, ita reddiderunt hanc ſententiam: Anima mea expectat ad Deum à vigilia matutina vſque ad aliam, &c. cum שומר non ſignificet vigiliam. Ea enim Hebræis eſt אשמורה vel שמורה.

7 Spera Iſrael [*præſtolare*] Iehouam: quia apud Iehouam clementia: & multa apud eum redemptio.

8 Et ipſe redimet Iſraelem ex omnibus iniquitatibus eius.

Hæc altera pars eſt pſalmi, quam, poſtquam ſenſit propheta conſolationem in corde, & aliquo modo eluctatus eſt ex doloribus, attexit in fine, vt doceat, exemplum hoc ita proponi eccleſiæ, vt ſinguli illud intueantur & imitentur, & ſciant non aliter iuſtificari homines coram Deo, nec aliter accipere remiſſionem peccatorum aut reconciliari Deo, quàm vt hoc exemplum docet. Ideo inquit, Iſrael ſpera in Deo, hoc eſt, meo exemplo edoctus omnem fiduciam in ipſum colloca, non vincaris terroribus peccati, mortis & inferorum, non abiicias fidem aut deſperes, ſi quando te peccatum accuſat & lex damnat: aut ſi etiam videas differri diutiùs liberationem ſeu conſolationem, non ex ſenſu doloris ſtatuas de amore Dei erga te, ſed ex verbo. Item, non nitaris tua dignitate aut meritis.

Quia apud Dominum clementia ſeu miſericordia] Hanc cōſolationem opponit magnitudini peccatorum. Nulla peccata tanta ſunt, quin ſuperet Dei miſericordia & clementia. Non igitur deterreat nos à conſpectu Dei indignitas noſtra, & conſpectus peccatorum. Ideo inquit, apud Dominum eſt gratia, non ira. Et cùm ſola miſericordia Dei nitatur fides, non valent hic opera.

Et apud eum multa redemptio] Hoc opponitur multitudini peccatorum, aut ſi lapſus ſint iterati, aut calamitates publicæ & priuatæ denuò recurrant. Non enim mox deficit fons bonitatis Dei, ſed redundat copioſè, & ſubinde ſe diffundit in omnes qui ad eum confugiunt, & quocunque tempore & quocunque malo oppreſſos.

Redemptio] Scilicet à culpa & pœna peccati, vt mox dicitur. Nam iniquitates intelligit & culpam & pœnam peccati. Culpam tollit prorſus & remittit credentibus, & ſimul cum culpa pœnas æternas. Temporales verò, quibus Eccleſiam certo cōſilio ſubiecit in hac vita, ita mitigat, vt perferre, imò vt gloriari in his poſſint.

Addit autem, *omnibus*, vt omnem prorſus dubitationē tollat, ac deſperationi occurrat, quæ oritur vel ex multitudine delicto-

deliſtorum, vel ex peculiaribus quibuſdam lapſibus, qui videntur eſſe grauiores.

Cùm autem angelus Matth. 1. hoc beneficium Chriſto tribuat, qui inde nomen Ieſu ei tribuendum monet, quòd populū ſuū ſeruaturus ſit à peccatis ſuis, hinc cōficitur Chriſtum eſſe verum Deum, quem hic Pſalmus nominat Iehouam. Idque teſtimonium ad cætera adiungendum eſt, quæ probant deitatem filij. Eſt enim admodum perſpicuum & illuſtre.

PSALMI CXXX.

PARTES.

I. Narratio, in qua Pſaltes res anteactas ſuas exponit: nempe ſe profundiſſimis, immanibus & lethalibus periculis obſeſſum (metaphora ab aquis ſumpta, vt Pſal. 69. v. 1. 16. &c.) ad Deum clamaſſe, v. 1. Summa autem orationis continetur, v. 2. Cauſa huius petitionis additur, nempe, extra hominem, v. 3. in Deo repoſita, v. 4. cuius gloria intercideret, ſi iniquitates obſeruaret Deus, & miſericordiæ ſuæ non recordaretur.

II. Narrationis altera pars, in qua præſentem animi ſui conſtitutionem exponit, à præcedentibus experimentis, v. 5. & 6.

III. Doctrina, qua Eccleſiam Dei informat in vera fide & ſpe, v. 7. deinde promiſſionem addit ad Eccleſiæ corpus & membra pertinentem, v. 8.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Dat vexatio intellectū: & quanuis nihil difficilius ſit quā ex alta mœſtitia animos excitare ad precandum, tamen S. Spiritus gemitibus ineffabilibus piorum infirmitates ſubleuat, & in eorum cordibus tam ſeuerè clamat, vt eorum voces exaudiantur in cælo.

Fidelibus in hac terrena peregrinatione ad Deum ſuſpirantibus quum eximia hæc precandi formula præſcripta ſit, deteſtādus eſt ſuperſtitioſorum furor, qui præſentem Pſalmum viuis rapuerint, quem mortuorum vmbris in igne fictitio degentibus tribuerent.

2 Creſcentibus piorum ærumnis, creſcit precum ardor & ſtudium.

3 Simul ac iræ ſuæ ſigna profert Deus, etiam qui aliis omnium ſanctiſſimi videntur, ad hāc vocem deſcendunt, Si iure cum eis agere ſtatuat Deus, vocetq́ ad ſuum tribunal, neminem mortaliū poſſe conſiſtere: ſed ad miſericordiæ aſylum confugere neceſſe eſt. Vide Moſis, Iobi, Dauidis, Nehemiæ, Iſaiæ, Danielis, Pauli, & aliorum Apoſtolorum cōfeſſiones. Audi Chriſtum ſuos docentem clamare ad Patrem qui eſt in cælis, Dimitte nobis delicta noſtra.

Si in conſpectu Dei, quamlibet rara ſanctitate polleant Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, tamen ſuccumbunt, & veniam ſupplices deprecantur, quid illis fiet qui peccata peccatis addunt?

Quicunque iuſti reputantur coram Deo, venia & peccatorum remiſſione iuſti ſunt: quod obſeruandum eſt aduerſus partialem ſophiſtarum iuſtitiam, ex Dei indulgentia & hominum meritis conflatam.

4 Vt orando proficiamus, neceſſe eſt à gratuita peccatorum remiſſione incipere. Et certè Deum inuocantes vt patrem noſtrum, de eius immenſa beneuolentia nos eſſe perſuaſos oportet: cuius nō reddimur participes, quin nos ſibi per Chriſtum reconciliatos peccatorum venia & receptione in gratiam beauerit. Falluntur ergo ſuperſtitioſi, qui in ſatisfactionibus humanis & compenſationibus quærunt coram Dei ſolio refugium.

Nulla manet pietas in mundo, nullus Dei cultus, ſine impetrandæ veniæ fiducia. Execrandi ſunt igitur ſophiſtæ, dubitationem de gratia Dei, fidem implicitam, & rectæ inuocationis ignorantiam inducentes.

Ex miſericordiæ Dei perſuaſione, reuerentia, cultus & voluntariū obſequium oriuntur: quæ Deo accepta eſſe confidimus. Increduli autē (quanuis multum feruoris oſtentent) quia de Dei fauore nihil certò ſperant, ſeruili formidine impelluntur ad ſua figmenta Deo proponenda, in quibus ſibi plaudunt, donec mortis & conſcientiæ aculeis excitati erumpunt in blaſphemias, aut in deſperationem ruunt præcipites: vel ſtupore perculſi, ſine fide & vera pœnitentia pereunt.

5 Non modò in hominum oculis fortes eſſe nos decet: ſed apud Deum etiam animam placidam & patiētem fouere. Patientiæ autem noſtræ fultura eſt Dei promiſſio in verbo eius incluſa. Hæc promiſſio autem in Euangelio nobis perſpicuè pateſit: Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam. Nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, &c. Porrò vt verum ſpei noſtræ documentum extet, ſolo Dei verbo ſimus contenti: inde enim expectatio noſtra orietur, & robur hauriet.

6 Quum lentè nimis ac frigidè mentes noſtræ contendant ad Deum, & ad minimos quoſque tentationum impulſus facilè labantur, feruore ſtudij, conſtantia, perſeuerantiáque nobis opus eſt, quam piis precibus impetramus.

Etiamſi Dominus opem ſuam ad tempus ſapienter, iuſtè, & paterno ductus ſemper affectu differat, decet nos defixis oculis in eius manum reſpicere, & in ſtatione nobis præfixa, veluti ſub ſpei, fidei, & charitatis tentorio, intrepidos ſtare, donec ad auxilium ferendum appareat.

7 Spes omnium piorum in miſericordia Dei fundata eſt.

Ex Dei miſericordia naſcitur Eccleſiæ liberatio & ſalus. Etiamſi igitur fideles neque dignitatem vllam, neque merita afferant, ipſis tamen ſufficit quòd Deus ſit miſericors.

Hæc eſt in omnium deſperationum abyſſis fideliū conſolatio, quòd in manu Dei ſint multæ & incredibiles ſeruandi viæ: vt tot Eccleſiæ Iſraeliticæ, Chriſtianæ, & membrorum eius liberationes abundè teſtantur.

8 Quum non deſint Deo infiniti liberationum modi, populum certè redimet quem ſibi elegit: vnde colligimus, vbi teſtata nobis eſt Dei adoptio, ſalutem quoque certam nobis eſſe.

Meritò dicitur Deus ſuos redempturus non ab impiorum tyrannide, vel à penuria, vel denique ab aliis afflictionibus, ſed à peccatis: quia donec hominibus quos affligit, ignoſcat, nulla ſperanda eſt liberatio. Primùm igitur fide, vera conuerſione, pietatis ac iuſtitiæ amore ac cultu cum eo redeamus in gratiam, vt impetrata venia peccatorum, à miſeriis liberemur.

Locus de gratia Dei, culpam & pœnam remittentis, aduerſus ſophiſtarum dogma de ſatisfactionibus & igne commentitio.

Ex cunctis iniquitatibus ſuos Deus redemit per Chriſtum, vt miſeri peccatores reſipiſcentes, & fide tantum redemptionis beneficium amplectentes, quanuis multiplici reatu ſe obſtrictos ſentiant, ſperent tamen Deum ſibi fore propitium.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Tentationes piorum nonnunquam grauiſſimæ.
2. De fidei incrementis ſub cruce.
3. Inuocationis ſinceræ efficacia.
4. Peccatores omnes coram Deo.
5. Iuſtitia noſtra in remiſſione peccatorum conſiſtit.
6. De perfectione fidelium.
7. Operum iuſtitiam pij Deo minimè offerunt, ſed coram cæleſti tribunali miſericordiam implorant.
8. De miſericordia Dei.
9. Cultus Deo gratiſſimi origo, ſenſus diuinæ miſericordiæ.
10. De remiſſione peccatorum.
11. De timore filiali & ſeruili.
12. Patientia fidelium in quo conſiſtat.
13. De perſeuerantia piorum.
14. Spes noſtra in Dei clementia ſola fundatur.
15. Eccleſiæ liberatio & ſalus vnde.
16. De gratia Dei.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXI.

QVEMADMODVM Chryſoſtomus præclarè inquit in homilia de perfectione euangelica, Fundamentum noſtræ philoſophiæ eſt humilitas: Ita Dauid in hoc Pſalmo hanc virtutem commendaturus piis omnibus, ſuum ipſe exemplum proponit, in quo veram humilitatem viuis coloribus & aptis ſimilitudinibus ita depingit, vt nullus Rhetor aut pictor melius eam deſcribere aut depingere

potuerit. Deſcriptioni luculentæ adhortationem ſubijcit ad totam eccleſiam directam, vt ſciamus non ex quadam ἀλαζονείᾳ, *ſeu arrogantia aut iactantia hanc commemorationem inſtitui, ſed vt regis tanquam capitis in hoc populo exemplum alijs prodeſſet, & plures ad amãdam & colendam hanc virtutem inuitarentur. Nam regis exemplum plurimùm valet ad mouendos animos ſubditorum. Quemadmodum & Iſocrates Nicoclem ſuum ad modeſtiam & temperantiam hortari volens, iubet eum reſpicere ad ſubditos, ad quos mouendos exemplum principis plurimùm ſit profuturum,* ἀλλὰ τὴν σεαυτοῦ σωφροσύνην παράδειγμα τοῖς ἄλλοις καθίστη, γινώσκων ὅτι τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. *Et noti ſunt verſus Claudiani,*

Non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentum. *Item,*
Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Regis ad exemplum totus componitur orbis:
Vtque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Vt autem rectiùs intelligatur Pſalmus, integra definitio humilitatis & contrarij vitij, hoc eſt, ſuperbiæ, teneatur. Humilitas eſt verè iudicantem de propria infirmitate timere Deum, & non erumpere extra vocationem, ſed intra metas vocationis ſeſe continere, & Deo ſeruire ſpe auxilij diuini, & non deſpicere, nec premere aut impedire alios, nec certare æmulatione aut liuore cum antecellẽtibus, ſed tribuere ſingulis gradum in quem ordine collocati ſunt, & ſentire illos etiam poſſe organa Dei ſalutaria eſſe, & nõ iraſci Deo in pœnis. Huius definitionis quinque ſunt præcipua membra, quæ diligenter obſeruanda ſunt. Adferunt enim lucem huic Pſalmo. I. Veritas rectè iudicans de ſua infirmitate, agnoſcens peccata & propriam imbecillitatem, & dolor propter infirmitatem & peccata. II. Timor Dei. III. Cura manendi intra metas, nec omiſſa vel deſerta vocatione propria irruere in alienas vocationes, nec appetere maiora viribus. IIII. Neminem deſpicere, nec accendi inuidentia. V. Non fremere aduerſus Deum in pœnis, ſed in calamitate patienter obedire. Econtra ſuperbia eſt, non cernentem propriam infirmitatem aut peccata, & ſibi magnas virtutes tribuentem ſecurum ac ſine timore Dei eſſe, & cõfidere propria ſapientia, viribus aut meritis, aut fiducia ſui extra metas vocationis erumpere, ſibi potentiam velle augere, deſpicere & premere alios, vel certare ambitione, æmulatione, inuidentia aut liuore cum alijs antecellentibus, & iraſci Deo & hominibus, cùm exitus eſt infelix, vel impeditur cupiditas. In hoc vitio quinque itidem membra ſunt oppoſita prioribus. I. Cæcitas non agnoſcens peccatum & propriam infirmitatem. II. Securitas carnalis, vel, eſſe ſine timore Dei. III. Arrogantia tribuens ſibi maiorem autoritatem, quàm conuenit, & confidens ſua ſapientia aut donis qualibuſcunque, cum qua coniuncta eſt audacia erumpens extra metas. IIII. Inuidentia & aliorum deſpectio. V. Impatientia repugnans voluntati diuinæ. Hæc membra ſi rectè accommodentur ad Pſalmum, plurimùm lucis ei accedet: nec difficile id erit ſingula membra diligentiùs conſideranti.

Canticum graduum Dauidis.

1 IEhoua, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulo in magnis [*rebus*] & mirabilibus ſupra me.

Primi duo verſus habent propoſitionem, quæ eſt quaſi antecedens in enthymemate. Nã tertius verſus conſequens eſt, applicans exemplum ad alios.

Primùm inquit, non eſt exaltatum cor meum, hoc eſt, non tumet fiducia ſui, non effert ſe coram Deo fiducia propriæ iuſtitiæ aut dignitatis, nec eſt cor cæcum, vt in Phariſæo apud Lucã c. decimo octauo, qui non agnoſcit nec cernit ſua peccata & infirmitatem: ſed blanditur ſibi, eſt ſecurus & ſine timore Dei, non dolet nec ingemiſcit propter ſuam infirmitatem & peccata: imò gloriatur & effert ſe propter illam diſciplinam externam. Dauid verò corde eſt deiecto in agnitione peccati & iræ Dei. Intelligit enim ſe nequaquam habere illam iuſtitiam quam lex requirit: nec habere illa dona, de quibus gloriari queat. Ideo inquit cor ſuum non eſſe exaltatum. Atque hinc vera oritur humilitas. Si enim cor intus tumeat & efferat ſeſe, humilitas, quæ ſe foris oſtendit, mera eſt ſimulatio. Ideo eleganter inquit Gregorius Nazianzenus περὶ εὐταξίας, pag. 153. *Humilis mihi eſt, nõ qui de ſe humiliter & modeſtè loquitur, & quidẽ ad paucos & rarò, aut qui ignobiliorẽ alloquitur blandè & humiliter: ſed qui modeſtè de Deo loquitur, & quadã nouit dicere, quadã reticere, in aliquibus fateri ſuam ignorantiam, & aliis, quibus partes docendi cõmiſſæ ſunt, cedere. Frons, vultus, oculi ſæpe mẽtiuntur,* inquit Cicero, *oratio autẽ ſæpiſſimè.* Ideo nõ poteſt eſſe vera humilitas, vbi cor turget & eſt inflatum: & Deus corda contrita & abiecta eligit, vt ibi habitet, Pſalmo 51. Ieſa. 66. Hieronymus ad Celantiam eleganter inquit, *Multò illa deformior eſt ſuperbia, quæ ſub quibuſdã humilitatis ſignis latet. Neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, cùm virtutũ ſpecie celãtur.*

Non ſunt elati oculi.] Hoc ad externos geſtus omnes pertinet, in quibus ſe prodit animi ſuperbia vel humilitas. Qui ſuperbi ſunt, incedunt elata ceruice, &, vt dici ſolet, cùm humi incedant, τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἀράσσουσι, & in primis vultus & oculi ſunt indices mentis. Ideo oculos nominat, συνεκδοχικῶς comprehendens omnes corporis geſtus, quibus animi morbus oſtenditur. Elatio autem animi foris ſeſe prodens, præterquàm quòd per ſe res eſt vitioſa & illaudabilis, imò, vt Scriptura inquit, Abominatio coram Deo, etiam ſcandalo nocet. Ideo non ſatis ei fuit dixiſſe, cor fuiſſe humile, ſed addit in geſtibus, in inceſſu, in ſermone, in conuerſatione cum aliis nunquam ſe edidiſſe ſignum aliquod animi elati, nec vnquam deſpexiſſe alios, aut æmulatione cum his certaſſe.

Non ambulaui in rebus magnis & mirabilibus ſupra me] Hoc ad conſilia & actiones referendum eſt. Qui animo & corde ſunt tumido, ſicut magna appetunt, ita varia conſilia ineunt, quibus creſcant: & quia confidunt ſua ſapientia & viribus, audacter erumpunt, tranſiliunt extra metas vocationis, ingerunt ſe in alienas functiones, turbant publicum ſtatum & trãquillitatem, & tentant maiora viribus. Phaethon vult regere currum ſolis, & ſuſcipit maiora viribus. Cleon vult eminere in Republica. Ideo turbat Rempublicam, & tãdem ſe & Rempublicam euertit. Hoc igitur ſignificat, *Ambulare in rebus magnis & mirabilibus ſupra ſe,* nimirum fiducia propriæ ſapientiæ & potentiæ maiora viribus ſuſcipere. Alioqui enim Dauid, qui erat & rex & propheta in populo Dei, imò qui in ſacro filij Dei ſolio ſedebat, erat in ſummo dignitatis & excellentiæ gradu collocatus: ſed non ambulabat in magnis rebus ſupra ſe. Nam hæc poſtrema particula determinat ſenſum vocabulorum.

Supra hominem enim eſſe dicuntur ea quæ ſunt poſita ſupra captum & vires alicuius. Ergo Dauid continuit ſe intra vocationis ſuæ metas, & nihil tentauit extra Dei verbũ: quod proprium eſt humilitatis.

2 Si nõ poſui & quietam tenui animam meam: ſicut eſt ablactatus ſuper matrem ſuam: ſicut ablactata ſuper me eſt anima mea.

Primùm confirmat priorem ſententiam, addita maiore aſſeueratione, quæ vim habet iuramenti: ídque adhibetur, vt maior ei fides habeatur. Deinde ornatus cauſâ eandem illuſtrat ſimilitudine. Voculæ אם לא, *ſi non,* locum habent apud Hebræos in formis iurandi. Eſtque obſeruandum, quod aliâs monui, dictionem אם ſine negatione, in iuramentis negare, vt cùm dicitur Ezech. 33. Viuo ego, ſi volo mortem peccatoris, id eſt, non volo. Pſalmo 95. Quibus iuraui in ira mea, ſi intrabunt in requiem meam. Marci 8. Amen dico vobis, ſi dabitur generationi huic ſignum, &c. Sed cùm additur negatio, affirmatiuè phraſis eſt accipienda, Ieſa. 5. In auribus Iehouæ exercituum, ſi non domus multæ redigentur in ſolitudinem. Et 49. Audite conſilium Iehouæ, quod conſultauit contra habitatores Theman, ſi non traxerint eos paruuli gregis, ſi non poſuerint ſuper eos tuguria ſua. Talis etiam oratio eſt hoc loco: *Si non compeſcui,* &c. id eſt, certò cõpeſcui animam meam. Quanquam forma aſſeuerationis aut iuramẽti,

quæ

quæ præcedere plerumque ſolet, hîc omittitur. Plerique exiſtimant in omnibus huiuſmodi loquendi formis eſſe ellipſin, quia ſubaudienda ſit imprecatio, quæ conſultò ſupprimitur: vt diſcant homines iurando linguam cohibere, nec temere ad iurandum prorumpere. Itaque ellipticam orationē, quam iudicant eſſe in hoc verſu, ſic complent, Fruſtrer mea ſpe, vel malè mihi ſit, aut, nunquam Deus adſit mihi, ſi non coercuerim aut quietum reddiderim animum meum. Eodem redit hæc interpretatio.

Quietam tenere animam, ſignificat cohibere & frænare omnes cupiditates & affectus, comprimere ſtolidos impetus cordis, ne erumpant aut efferantur contra Deum, ne impellant corporis membra, vt tentent aliquid ſine verbo & vocatione, ne repugnent voluntati Dei in rebus aduerſis, ne tumultuentur aut fremant aduerſus Deum. Sed ponere ſeu adæquare animam, videtur nihil aliud eſſe, quàm animum applicare ad verbum Dei, ad hoc aſſiduè ſe referre, huic ſe dedere, atque ad huius normam ſeſe componere, & omnes actiones regere, ab hoc ſolo pendere, in hoc ſolo tam in rebus proſperis quàm aduerſis quieſcere, inde conſolationem petere in rebus aduerſis, & conſilium in ſecundis. Sicut ſupra Pſal. 119. dixit, Verbum Dei eſſe conſiliarios ſuos. Studium igitur verbi diuini, quod ſemper coniunctum eſt cum inuocatione Dei, præcedit illa κατορθώματα de quibus in altero membro loquitur, cùm inquit, compeſcui animam. Nam abſque hac applicatione animi ad verbum Dei, ſeu ad ipſum Deum, hoc eſt, abſque ſtudio pietatis, abſque inuocatione Dei abſque ope Spiritus ſancti, qui tantùm per illud ſtudium in nobis eſt efficax, nemo hoc præſtare poteſt, vt Deo quietam teneat animam ſuā, hoc eſt, vt compeſcat impetus, & in ſilentio & ſpe, iuxta prophetam, patienter ſe ſubiiciat Deo in rebus aduerſis. Dauid verò quanquam vehementer læſus à Saule, & ſentiens ardentes impetus cupiditatis vindictæ: tamen reprimit ſe propter gloriam Dei, non munit ſe factionibus, nec attollit manum ſuam ad interficiendum Saulem. Ita etiam in calamitatibus & rebus aduerſis, non fremit aduerſus Deum, non quærit auxilia aut præſidia inconceſſa, non diſcurrit ad idola: ſed tenet animam ſuam quietam, & in fide & ſpe expectat liberationem ſeu mitigationem iuxta Dei conſilium. Ita in ſeditione filij dicit, Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me & oſtendet mihi arcam fœderis & tabernaculum. Si dixerit, non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ipſo, 2. Sam. 15. Æquare ſignificat æquabilem reddere, ne exorbitet aut nimium ſeſe vel in hanc vel in illam partem inflectat.

Sicut ablactatus] Hac ſimilitudine declarat rem & illuſtrat. Nam, vt Chriſtus inquit Matth. 18. fieri nos oportet ſimiles pueris, ſi velimus ingredi in regnū cœlorum. Ita Dauid quoque ſe puero recens ablactato comparat. Sunt autem multa in hac ſimilitudine digna conſideratione. Primùm pingitur ingens infirmitas noſtra. Quid enim puero lactente aut recens ablactato infirmius? Nam ſine ope materna nec viuere nec educari poteſt, cùm ſit nudus, egens cibi & potus, pollutus ſordibus, nec propter virium imbecillitatem ſe ipſum regere aut defendere poteſt. Tales igitur & nos ſumus pleni ſordium, miſeri & imbecilles. Id vero agnoſcere, fons & cauſa eſt veræ humilitatis. Nam qui ſine aliena ope & auxilio viuere ſe non poſſe intelligit, is modeſtè ſe ſubiicit aliis, eſtque alienus ab omni arrogantia & faſtu. Et ſicut infans lactans aut recens ablactatus totus pendet à matre ſua, & ab ea ſola expectat nutricationem, & cætera educationis officia, quæ multa & varia ſunt: ita pij agnoſcentes ſuas ſordes, ſuam infirmitatem & miſerias, toti pendent à Deo, ab hoc vno petunt & expectant vitam, victum, defenſionem, ſalutem & conſolationem in ærumnis, abſque qua ſciunt ſe ſubſiſtere in certaminibus non poſſe. Et Deus tanquam mater φιλόστοργος curam agit noſtri, recipit nos alendos, fouendos, tuendos, confirmandos & ornandos, ſi tanquam infantes in ipſius ſinum nos totos coniiciamus, & ipſius amori ac ſtudio nos regendos & gubernandos committamus. Hoc vult ſimilitudo quam ſumpſit ab œconomia, & à re in omnium oculos quotidie incurrente, vt res fieret magis perſpicua. Et repetitio aſſeuerationem auget, eſtque hypocriſi oppoſita. Nam animæ appellatio excludit omnem hypocriſin & ſimulationē. Verſiones incommodas hoc loco lubens prætereo, cùm hæc ſine dubio ſit vera & genuina ſententia, & cæteræ eam magis obſcurent.

3 Spera Iſrael in Iehouam: ex nunc & vſque in ſeculum.

Hoc conſequens eſt enthymematis in hoc Pſalmo. Accommodat enim ſuum exemplum ad omnes pios, quos vult aſſiduè id exemplum intueri. Sicut igitur ſe comparauerat infanti pendenti à ſua matre, & ab ea ſola quærenti victum & cætera neceſſaria, etiamſi illa lac neget & vbera ſubtrahat, ídque ſine vlla ambitione, ſine faſtu aut aliorum contemptu, tantùm ſenſu indigentiæ: ita dicit, Iſrael tu quoque ſpera in Deum, id eſt, depoſito omni faſtu ac fiducia tuæ ſapientiæ & iuſtitiæ, intellige te nihil habere quo ſubſiſtas coram Deo aut glorieris, ſed carere gloria Dei, carere iuſtitia, eſſe miſerum, obnoxium peccatis, ærumnis, atque adeo morti & damnationi. Sed in hoc ſenſu indigentiæ confuge ad Deum, in hunc vera fide recumbe, téque ei alendum, fouendum, & ab interitu ſeruandum præbe. Et quanquam diuina miſericordia interdum in ærumnis, tanquam mater, videtur lac negare, & te abiicere: tu tamen ſpera, non abiice fiduciam fractus mora aut ſenſu indigentiæ, ſed in hac fiducia conſtanter perſeuera vſque ad extremum halitum.

PSALMI CXXXI.

PARTES.

I. Doctrina, qua Pſaltes animi ſui ſimplicitatem exponit, v. 1. & 2. metaphora ducta ab infante, qui neque animo, neque ſignis, neque facto magnum ſpirat, vel tentare audet, matris ductu contentus.

II. Exhortatio, qua Dei populum, ſuo exemplo ad ſpem in Deo locandam ſtimulat, verſ. 3. Summa eſt, vnumquemque pium non ingentes ſpiritus alere debere, ſed à diuina voluntate pendere perpetuò.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Locus de vera humilitate, animi vitio omnium maximo, ſuperbiæ videlicet, oppoſita.

Fons omnis temeritatis & illicitæ audaciæ eſt cor elatum, quando ſuis cupiditatibus ita ſeruiunt homines vt aliis contemptis ſeipſos ſupra nubes euehant, tanquam omni gloria dignos ob externa & interna bona, quæ ſibi propria eſſe ſomniant. At qui Deum omnis puritatis, ſufficientiæ, omnipotentiæ Oceanum ac ſolem intuentur, demiſſis in terram oculis, ſuæque fortis ac miſericordiæ in Chriſto impetratæ memores, cum Abrahamo ſe puluerem & cinerem eſſe humili corde confitentur.

Superbiæ ſigna in elatione oculorū apparent, ac in ſcripturis damnantur. Et nihil eſt quod impiorum ingeniū, quicquid diſſimulent attentè conſpicientibus, ſæpius aperiat. Contra fideles oculis quoque frænum inijciunt, ne cordi (altitudinis cupido) comites ſe præbeant, & vnà cum corde omnes ſenſus cōponunt ad modeſtiam. Hypocritæ qui larua tecti, ſeipſos primùm fallendo, poſtea impuris animi cogitationibus alios decipiunt, graue ſibi creant iudicium ac exitium.

Ambitio, magna & ardua ſemper ſomnians, in labyrintho vagatur donec miſerè pereat: horrendi enim lapſus ſunt eorū qui poſthabito Dei verbo, vel ſe ingerunt vltra quàm par eſt, vel in alienas functiones inuolant. At vbi prælucet Dei vocatio, nihil eſt pijs humili mente perpetuò incedentibus abſconditum vel magnum: ſed Dominus ſuorum mentes aperit, manuſq; diſponit, vt quæ ſui ſunt muneris perſpicuè videant & exequātur, euentus mirabiles & abſconditos ſapientiſſimæ Dei prouidentiæ committentes.

2 Dum erraticis & violētis motibus homines ambitioſi, & ſorte ſua non contenti, ſeſe temere proijciunt, altū neſcio quid perpetuò de ſe ſuiſq; conſilijs ac rebus geſtis gerendiſue ſapientes, pij modeſtiæ & temperantiæ (quodcunque colant vitæ genus) ſtudioſi, in Dei vocatione tranquilli reſident, pendentq; toti ab eius arbitrio.

3 Spes multa eſt eccleſiæ, quum eius mēbra humili mentis affectu Deo ſubijciuntur.

Optima hæc eſt ſperandi ratio, vbi ſobriè & humiliter de nobis ſentientes, nihil niſi Deo approbatore cupimus vel audemus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De vera & falſa humilitate.
2. De ſuperbia ſeu elatione cordis.
3. De vera piorum temperantia.
4. Impiorum intemperantia & efferatus animus.
5. Ambitionis deſcriptio.
6. Eccleſiæ ſpes & felicitas in humilitate, temperantia & modeſtia conſiſtit.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXII.

HVIVS Pſalmi ſententia rectiſsimè intelligitur ex hiſtoria, quæ deſcribitur 2.Sam.7. & 1.Paralip.17. Nam cùm Dauid conſtituiſſet ædificare domum Domino, in quo arca fœderis reponeretur & ſacra deinceps peragerentur, ipſe quidem Dauid iuſſus eſt abſtinere ab illo opere, & monſtrato per oraculum loco, filio Salomoni cura ædificandæ domus Domini eſt commendata. Sed quia Dauidis pietas erga Deum in hoc conſilio & inſtituto elucebat, Deus quanquam domum per eum ædificari noluit: tamen piam eius voluntatem & propoſitum ita approbauit, vt regnum ipſi & poſteris eius confirmaret in æternum, & promiſsiones adderet ampliſsimas, non tantùm de duratione regni & eccleſiæ in hoc populo, ſed etiam de proſperitate perpetua. Has igitur promiſsiones allegant pij in hoc Pſalmo, & harum fiducia petunt conſeruari diuinitus publicum miniſterium doctrinæ & cultuum, qui ad tabernaculum inſtituti erant, & politiam Moſaicam, eámque ornari & cumulari omnis generis benedictionibus. Hæc ſumma eſt Pſalmi. Quanquam verò iſtius politiæ Iudaicæ & externorum cultuum Leuiticorum, qui poſt aduentum Chriſti vnà cum politia prorſus aboliti ſunt, expreſſa fit mentio in hoc Pſalmo: tamen ſciamus in genere in hoc Pſalmo formam præſcribi, qua omni tempore vtantur pij, dum pro regni Chriſti & illarum politiarum, quæ hoſpitia præbent eccleſiæ, proſperitate orant. Nam ſicut tunc in illa politia, pro qua pij in hoc Pſalmo orant, ſedes fuit eccleſiæ: ita vbicunque poſt aduentum Chriſti ſonat vox doctrinæ cæleſtis incorrupta, & viget legitimus ſacramentorum vſus, ibi ſciamus eſſe eccleſiam Dei, eiúſque ſalutem ſimul cum politijs & Rebuſpublicis, à quibus illa fouetur, Deo commendemus. De autore non conuenit inter interpretes: ſed ex hiſtoria facilè colligitur, vel ipſum Dauidem hanc precationis formulam compoſuiſſe, & filio præſcripſiſſe, cùm iam promiſsio de certo loco & de duratione regni edita eſſet, vel certè Salomonem ad eum vſum hunc Pſalmum ſcripſiſſe, vt ſub regni ſui auſpicijs, cùm iam in ædificanda domo Dei occuparetur, aſsiduè à pijs decantando repeteretur. Nam in ſolenni dedicatione templi, quæ deſcribitur 2.Paral.6. Salomon ipſe quoſdam verſus, vt 8.9.10. ex hoc Pſalmo ſuis precibus inſerit: vt dubium eſſe non poſsit, quin iam tunc notus fuerit hic Pſalmus, & multò ante etiam à pijs in ſolennibus precibus vſurpatus.

Canticum graduum.

1 MEmento, Iehoua, Dauidis [&] omnis afflictionis eius.

In omni inuocatione neceſſe eſt prælucere fidem intuentem promiſſionem. Ideo enim traditæ ſunt promiſſiones, vt fides in inuocatione accendatur. Neque cor ſtatuere poteſt, an exaudiatur, niſi certam promiſſionem habeat. Vagantur enim animi & oberrant in inuocatione, neſcientes quid petant, aut cur petant, qui promiſſiones nō intuentur. Propheta igitur mox initio pſalmi allegat promiſſiones quarum fiducia petit ſe exaudiri. Erat enim Dauidi nō tantùm regnū promiſſum, ſed & eius regni perpetuitas & ſtabilitas. Ideo cùm Dauidis mentionem facit: primùm ad promiſſiones Dauidi factas reſpicit. Deinde quia etiam mandatum in inuocatione nos intueri neceſſe eſt, appellatio Dauidis etiam de mandato Deum commonefacit. Expreſſè autem mandauerat Deus Dauidi, vt filium iuberet ædificare domum nomini ſuo: ideóque ipſe multò ante materiam cōparauit excitatus illo mandato. Cùm igitur inquit, *memento Dauidis*, vtrumque ſignificat, quaſi dicat, memento quòd mandatum dederis Dauidi, & quòd luculentiſſimas promiſſiones addideris, cum mandata de extruendo templo dares. Cúmque ſis verax in verbo tuo, fac vt promiſſa appareant. Ita petitionem de trāquillo & felici ſtatu eccleſiæ & reipub quæ eſt propoſitio pſalmi, confirmat hoc verſu ab honeſto, hoc eſt, à verbo Dei, in quo partim erat mandatum, partim promiſſio.

Id exemplum nos quoque imitari in precatione debemus. Hæc eſt ſimpliciſſima huius verſus ſententia: nec audiendi ſunt hoc loco pontificij & monachi, qui exiſtimant appellatione Dauidis allegari eius merita, dignitatem aut opera, quibus hæc tribui velint pij: vel etiam qui mortuorum merita & ſuffragia prodeſſe viuis iudicant. Eſt enim hic mos Scripturæ, vt quoties in precibus piorum mentio fit horum, cum quibus Deus fœdus ſuum vel iniit, vel expreſſis verbis renouauit & confirmauit, non ad ipſorum opera, aut dignitatem, ſed ad promiſſiones ipſis factas reſpiciat. Ita enim Moſes in oratione ſua Exod. 32. reſpiciens ad promiſſiones patribus factas inquit, Recordare Abraham, & Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens: Multiplicabo. &c. Et Deut.9. eandem formam repetit. Recordare ſeruorum tuorum, Abraham, Iſaac & Iacob, ne aſpicias duritiem populi huius. Eodem modò hic petunt pij: Memento Domine Dauidis, id eſt, fœderis & promiſſionum Dauidi factarum, quæ veræ eſſe non poſſunt, niſi poſteros eius fauore complectaris, & perficias quod promiſiſti.

Et omnis afflictionis eius] Per afflictiones intelligit totum vitæ ipſius curriculū, quod plenum fuit dolorum, ærumnarum, periculorum, ſolicitudinum. Nam ex quo vocatus fuit ad regnum, mox variis periculis fuit obiectus, quæ eum exercuerunt vſque ad finem vitæ. Deinde confirmato regno & depulſis nonnihil periculis publicis, exercuerunt eum variæ curæ & ſolicitudines, cùm de domo Dei extruēda cogitaret. In hoc toto ipſius curriculo, in tot ærumnis, & in his curis & cogitationibus, quanquam Deus manifeſta teſtimonia præſentiæ ſuæ ſæpe ei exhibuit: tamen voto ſuo eum potiri paſſus non eſt, ſed eum ſuſpenſum tenuit vſque ad finem vitæ, & rem in filium reiecit. Eò igitur reſpiciens hoc loco petit, vt Deus memor totius illius curriculi, quem ſuo teſtimonio approbauerat, & curæ & ſolicitudinum, quas ille pro gloria Dei illuſtrāda ſuſtinuerat, tandem hoc quod ille animo conceperat, & tanta ſolicitudine & cura ſibi propoſuerat, quódque Deus ipſe ſua voce approbauerat, perficiat. Hanc ſententiam ſequētes verſus confirmant, vt fruſtra meritum aliquod in eius paſſionibus ſtatuant.

2.Par. 6. verſu 42. legitur זכרה לחסדי דוד עבדך Memento bonitatum Dauid ſerui tui. Vbi חסד videtur poſitum paſſiuè pro beneficiis, quibus ornatus fuerat Dauid, non actiuè de ipſius operibus, vt nonnulli interpretantur. Atque eo fortè reſpiciens interpres Latinus hoc loco reddidit, manſuetudinis eius, πρᾳότητος αὐτοῦ.

2 Qui iurauit Iehouæ: vouit forti Iacob:

3 Si introiuero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero ſuper ſtratum lecti mei:

4 Si dedero ſomnum oculis meis: palpebris meis dormitationem.

5 Donec inuenero locum Iehouæ: habitacula forti Iacob.

His quatuor verſibus confirmat & amplificat priorem ſententiam, à commemoratione ſtudij, voluntatis, curarum & ſolicitudinis Dauidis, de condendo templo: atque ita, quid præcipuè per afflictiones intelligi velit, oſtendit. Promiſerat Deus Deut.12. ſe electurum ſibi locum certum, qui ſedes eſſet ſanctuarij, & mandatum addiderat, vt quemcunque ipſe locum eligeret, eum populus frequentaret, & ritus externos in lege præſcriptos ibi perageret. Dauid igitur intelligens iam conſtituto & confirmato regno maturum tempus eſſe, quo locus ille pateſieret, cum ſciret res eſſe coniunctas

regnum

regnum & ſacerdotium perpetua cura & ſolicitudine in inquirendo & explorando loco illo cruciabatur, ita vt ſomnum oculis non admitteret, & tandem iuramentum etiam & votū adderet, non priùs ſe depoſiturum eſſe hanc curam & cogitationem ex animo, quàm locum illum diuinitus deſtinatum ex diuina reuelatione reperiſſet. Hæc igitur res ſtudium eius flagrans & curas eius aſſiduas, quibus ſe afflixit pro gloria Dei illuſtranda, oſtendit. Idque exemplum imitari omnes qui ſunt in magiſtratu, debebant. Græcus pro ὃς legit ὡς incuria librarij, vt puto.

Pontificij ex hoc loco ſtabilire ſua vota conantur. Nam cùm iurauerit Dauid & voto ſe obſtrinxerit, non priùs quieturum ſe, quàm locum ſanctuario reperiſſet: putant in genere omnia vota Deo probari & placere. Sed alia ſunt vota, quæ fiunt ſecundùm voluntatem Dei, & de quibus Deus manifeſtè pronunciat ſibi ea placere: alia ſunt, quæ fiunt contra voluntatem Dei ex carnis ſenſu & ſine certo verbo: Primi generis eſt Dauidis votum, qui ex verbo ſciebat id gratum eſſe Deo. Nam Deus locum ſe monſtraturum eſſe promiſerat. Itaque cùm Dauid iuxta verbum in eo inquirēdo laboraret, probat eius ſtudium & votum Deus. Sed Pontificiorum vota partim ridicula & inepta ſunt, vel etiam impoſſibilia, partim manifeſtè impia: quia fiunt opinione cultus ac meriti, & fiūt vota creaturis. Ideo exemplum hoc Dauidis prorſus non patrocinatur ipſis. Sed cur iurat Dauid, & vouet ſe non ingreſſurum domum ſuam, priuſquam inueniat locum, qui templo ædificando diuinitus ſit deſtinatus? Videtur enim hoc facere inconſiderato zelo, cùm non eſſet in eius arbitrio tempus Deo præfigere. Deinde multorum dierum perferre inediam & multis noctibus peruigilem durare, natura & infirmitas humani corporis non fert, nec ſciri poteſt quando votum hoc fecerit Dauid. Quod enim Hebræi fabulantur eū expauefactum conſpectu angeli cecidiſſe, & tunc votum nū cupaſſe, id quia autoritate ſcripturæ caret, eadem facilitate reiicitur qua affirmatur.

Multa igitur videntur concurrere, quæ videntur pugnare cum natura & ratione votorum. Vota enim ſicut debent eſſe licita: ita debent fieri de rebus poſſibilibus, & in viribus atque arbitrio noſtro poſitis. Sed vt in Poeſi, ita longam meditationem, & ſerium atque ardens deſiderium Dauidis deſcribere volens Spiritus ſanctus, vtitur hyperbolico dicendi genere, quod tamen ita commodè reſolui poteſt, ne quid abſurdi contineat. Idem enim eſt ac ſi diceret, Nunquam domum ingrediar, nunquam ſtratum conſcendam, nunquam cibum capiam aut agam aliquid, quin me iſta cura ſolicitet. Semper enim, vbicunque ero, circumferam mecum has cogitationes, eaſque nunquam deponam, donec quod opto explorem, & certior fiam de loco, quem Deus elegerit. Hæc interpretatio hoc loco commodiſſima eſt.

Habitacula] Videtur vti plurali numero, propter partes templi. Erat enim adytum. Erat & ſanctum, quod ſolis ſacerdotibus patebat. Et erat atrium, vbi multitudo promiſcua conueniebat.

Locum Iehouæ] Id eſt, vbi reponatur arca Iehouæ. Arca enim ita dicitur μετωνυμικῶς, vt Pſalm. 68. Fortem Iacob nominat Deum potentem, quem ita agnoſceret & coleret Iacob & eius poſteri: vel qui potenter ſeruauit Iacob ex omnibus periculis.

אם *ſi*] In forma iuramenti negat, vt pſalmo præcedente diximus.

6 Ecce audiuimus eam [*ſcilicet habitationem. Relatiuum enim refertur ad* משכנה] in Ephrata: inuenimus eam in campis ſyluæ.

Pertexit narrationem quam inſtituerat de loco ſanctuarij aperiendo. Eſtque huic verſui inſerta gratulatio & gratiarum actio, quòd tandem ſecundùm vota Dauidis & piorum crebra ſuſpiria monſtratus ſit certus locus, atque ita conditæ in hoc loco eccleſiæ attributa & confirmata ſit certa ſedes. Nam quod Dauid optauerat ſibi indicari certum locum vbi templum extrueretur, & nos perpetuis votis hactenus expetiuimus, iam tandem, inquit, audiuimus templum id condendum eſſe in Ephrata: atque adeo ſurgit iam ipſum opus ſeu ædificium in campis ſyluæ, & res ipſa teſtatur, Dauidem, & pios omnes cum ipſo, factos eſſe compotes ſui voti. Hæc eſt ſententia huius verſus. Sed de appellationibus Ephrata & de campis ſyluæ variè diſputant interpretes. Sequor autem doctiorum ſententiam, qui exiſtimant nomen *Ephrata* potiùs de perſona Dauidis, quàm de loco accipiendum eſſe. Erat Dauid natus in Ephrata, hoc eſt, in Bethlehem, atque ibidem vnctus in regem 1. Sam. 16. & 17. Regem itaque Ephratæum atque eius ſtirpem nominat Ephratam per ſynecdochen, vt moneat Spiritus ſanctus, omnia hæc, quæ de condenda domo Dei & conſtituenda certa ſede eccleſiæ dicta erant, referenda eſſe ad promiſſionem Dauidi factam, nec reſpici hac in re dignitatem Dauidis aut aliorum. Eſt igitur hæc ſententia, Ecce audiuimus eam in Ephrata, id eſt, ſicut Dauid vehementer expetiuit ſibi monſtrari locum: ita tandem ex quo regem Ephratæum ſibi Deus delegit, locum ſimul arcæ deſtinauit, idque ipſi diuinitus eſt reuelatum. Atque ex hac reuelatione nos quoque id accepimus, non tantùm regnum corporale, ſed & ſpirituale in hoc Ephratæo atque eius poſteris nobis confirmari.

Campos ſyluæ nominat Ieroſolymam, quæ cincta erat montibus ſyluoſis & oliuetis: quo ſenſu à Prophetis interdum Libanus dicitur, quòd ex Libani cedris vrbs eſſet ædificata: vt quāquam locus nihil haberet amœnitatis, ipſis tamē placeat, quia audiant à Deo eum eligi. Nam id ſatis eſt ſcire in cultu diuino. Ita hæc ſententia monet in condendo templo, quod eſſet ſedes ſanctuarii & cultuum diuinorum, non humano arbitrio electum fuiſſe locum, ſed diuinitus monſtratum. Idq; in omni cultu diuino valere debet.

Iudæi in interpretando hoc verſu admodum ſe torquent. Cùm enim ſacra ſcriptura nuſquam teſtetur arcam fœderis tranſlatam eſſe in *Ephrata*, ipſi, quia locum potiùs quàm perſonam ſignificari exiſtimant, Ephrata exponunt Siloh quæ eſt in ſorte Ephraim. Et Ephrata iudicant poni non pro Bethlehem, ſed pro Ephraim. Campos ſyluæ verò exponunt Gibaa, quæ eſt in territorio Cariathiaarim, quę ciuitas ſyluarum appellatur: de qua vide 1. Sam. 6. & 7. Alij exiſtimant locum & aream templo deſtinatam & oſtenſam diuinitus fuiſſe binominem, & dictam fuiſſe Ephrata à fertilitate: quod caret omni colore. Bethlehem ſcimus ita dictam eſſe à fertilitate. Vtraque enim appellatio id notat. Alij ſic exponūt, vt ſint verba Salomonis referentis, quid à patre, quum adhuc in Bethlehem eſſet, vnà cum aliis de futuro tabernaculi loco audiuerit, & vbi illum inuenerit.

Nonnulli auditum interpretantur de publico rumore ſeu fama. Nam cùm ſcirent Ephrata, quæ patria erat Dauidis, eſſe locum fertilem & amœnum, exiſtimabant plerique hunc locum propter vtramque cauſam aptiſſimum eſſe condendo templo, & quia patria erat Dauidis, & quia locus erat aptus atque amœnus: fieri itaq; potuit vt rumor ſpargeretur in populo, & opinio hæc in plurimis confirmaretur, condendum eſſe templum in hoc loco. Itaque ſic reddunt, Audiueramus eam in *Ephrata*, ſed *inuenimus in campis ſyluæ*, in loco ſcilicet non tam culto & amœno. Quidam etiam huc accommodant promiſſionem de loco natiuitatis Meſſiæ, quæ eſt apud Micheam cap. 5. quæ promiſſio quanquam tunc nondum edita erat, tamen fieri potuit, vt iam tum Deus aliquid magnum & inſigne de Bethlehem teſtaretur. Itaque ſecundùm hos erit hæc ſententia: Audiuimus quidē de Bethlehem hactenus maiora quàm de Sion, ſed quia ille locus adhuc in ſpe nobis eſt abſconditus, & nunc condendo templo Deus alium locum deſtinauit, erit nobis interea colendus Deus in hoc loco ſyluæ, donec promiſſionem quam de Ephrata ſuſpendit, impleat. Hæ interpretationes omnes videntur mihi eſſe coactæ: & nonnullæ ex his argutæ magis quàm veræ: ideo his omiſſis retineo eam quam primo loco recitaui.

7 Ingrediemur in habitationes eius: adorabimus ad ſcabellum pedum eius.

Narrationi ſubiicit teſtificationem lætitiæ publicæ, quam peperit illa patefactio certi loci ſeu ſedis, & ſimul adhortationem, vt ſinguli hoc beneficium agnoſcant, eóque ardētioribus & coniunctioribus animis & ſtudiis ad templum accurrant, & verum Deum ibi adorent. Iam nunc, inquit, poſtquam certus locus diuinitus nobis monſtratus eſt, maiore fiducia, maiore ſtudio & animorum coniunctione poterimus accurrere ad ſanctuarium: quia nunc ſcimus locum diuinitus eſſe ordinatum, vbi velit coli. Nam hæc voluntas poſtquam innotuit, æquum eſt nos ad obſequium alacriores reddi. Faceſſat igitur deinceps omnis deſidia, omníſque prætextus, quo quis ignauiam ſuam excuſare hactenus conatus eſt, amoueatur.

Adorabimus] Vocabulum adorandi complectitur omnes actiones in templis vſitatas, vt, audire vocem doctrinę, inuocare Deum, gratias ei agere, offerre ſacrificia, vel, vt ad nos accommodemus, vti ſacramentis diuinitus inſtitutis, iuxta illud Pauli. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent ſi non audiuerint? Rom. 10.

Scabellum pedum Dei nominat propheta arcam fœderis ſeu propitiatorium. Quia Deus ſe ibi patefecerat & mandauerat ſe ibi adorari & coli, & certò promiſerat ſe exauditurum eſſe inuocantes. Erat igitur arca fœderis externum ſymbolum præſentiæ Dei in hoc populo, vt quoties eam intuerentur Iſraelitæ, toties ſtatuerent Deum ibi adeſſe & exaudire inuocantes. Ideo & facies Dei dicitur Pſalmo 27. Quærite faciem meam, &c. Erat quidem Deo ſe reuelanti per verbum etiam

abſque externis ſignis fides habenda: ſed quæ eſt infirmitas noſtra, Deus immenſa bonitate verbo ſuo addit externa ſymbola, quæ promiſſionem verbi confirment. In ſymbolis igitur his nihil corporale aut terrenum eſt imaginandum: vt cùm propitiatorium dicitur ſcabellum pedum, aut facies eius, non eſt tribuenda aut affingenda Deo moles corporea, aut figura corporis humani, vt fecerunt Anthropomorphitæ: multò minùs cogitandum eſt Deum certo loco includi aut circumſcribi: ſed accommodat ſe Deus hoc ſermonis genere ad noſtrum captum, & noſtræ infirmitati ſuccurrit.

Itaque cùm faciem ſuam nominat arcam fœderis, hoc viſibili ſymbolo teſtatur ſe familiariter cum populo ſuo verſari & præſentem agnoſci: ſcabellum etiam pedum ſuorum eandem ob cauſam appellat. Nam cùm arcam ſymbolum præſentiæ ſuæ in templo proponit, pedes ſuos quaſi in terrã extendit & populo ſuo palpandos præbet, quoties ei ſupplices fieri volunt. Nam olim ſupplices procidebant ad pedes, 1.Sam.25. Fuit autem per propitiatorium illud adumbratus Chriſtus, qui futurus erat propitiatio pro peccatis noſtris. Ideo intuentes propitiatorium admonebantur de Chriſto, qui futurus erat vmbraculum inter legem condemnantem, ſeu iram Dei, & inter credentes, qui in hoc Filio ſtatuebant exaudiri preces ſuas. Nũc abolitis figuris legalibus rectà mentes ad Chriſtum, quem ſcimus iam exhibitum eſſe, dirigimus. In hoc ſtatuimus Patrem nobis placatum & præſentem eſſe. In Synodo Nicena ſecunda allegarunt hoc dictum pro confirmando impio cultu imaginum. Súntque ibi facti verſus, qui ex Græco in Latinum verſi hodie viſuntur Venetiis in æde aurea:

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Sed de hac idololatria extant luculentæ noſtrorum refutationes, ad quas auditores remitto.

8 Surge Iehoua in requiem tuam: Tu & arca fortitudinis tuæ.

Hic verſus & ſequentes duo continent propoſitionẽ pſalmi, quæ eſt precatio. Ideoque à Salomone, 2. Paralip. 6. ſolennibus precibus, quas Deo in dedicatione templi adhibuit, inſeruntur. Sunt autem plura membra huius petitionis, quæ ordine ſunt conſideranda.

Primum inquit, *Surge in requiem tuam.* Hæc oratio eſt accommodata ad illum ritum externum, quo arca fœderis eleuata transferebatur. Nam vt ex Moſe apparet Num. 10. quoties leuabatur arca in alium locum transferenda, clamabat Moſes, Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua: cùm autem deponeretur, dicebat, Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael. Atque hinc exordium pſalmi 68. ſumit Dauid, quem veriſimile eſt eum conſcripſiſſe, cùm arcam fœderis transferret in arcem Sion. Ad illum igitur ritum etiam in hoc verſu alludit, & quia iam in ſtabilem & firmum locum deponenda erat arca, non vtitur prorſus ea orationis forma, qua Moſes. Nam tunc ſubinde ex alio loco in alium migrabat. Nunc verò poſt diuturnas & crebras migrationes deſtinata erat ei firma & ſtabilis ſedes. Ideo inquit, Surge Domine in requiem tuam: Petens vt quem locum ipſe ſibi delegerat, in quo habitaret aut vbi quieſceret, & vbi viſibili ſymbolo de præſentia ſua teſtaretur, eum ne deſereret. Erat autem hoc ſummum beneficium, quòd Deus propoſito externo ſymbolo ſe ad certum locum alligabat. Ita enim animi certi erant de præſentia Dei in inuocatione, nec vagando aberrabant à vero Deo, vt Ethnici. Deinde cùm certus locus monſtraretur, in quo arca deinceps quieſceret, iam tũ ſpes de duratione eccleſiæ & politiæ Iudaicæ ex promiſſionibus concepta, confirmabatur. Ideo nõ fruſtra petunt, *Surge in requiem tuam.* Cæterùm forma orationis non ita intelligenda eſt, quaſi Deus mole corporea præditus ex loco in locum migret, & mutando locum in nouũ hoſpitium veniat: Deus enim, vt propheta inquit, cælum & terram implet. Et notus eſt verſus:

Enter, præſenter Deus hic & vbique, potenter.

Sed quia ad externum illud ſymbolum præſentiæ & gratiæ ſuæ certo verbo ſe alligauerat, atque ibi viſibilem ſuæ gratiæ & virtutis ſuæ præſentiam exhibebat: ideo cum externo ſymbolo ipſum quoque Deum ſurgere & in requiem migrare dicit. Nam Deus, vt rectè ex Auguſtino veteres dicũt, etſi vbique eſt per eſſentiam, tamen non eſt vbique per cohabitationis gratiam. Sicut igitur arca migrat in requiem ſuã: ita Deus quoque facere id dicitur, quia ex illo loco deinceps, vbi collocata erat arca, teſtimonia perpetuæ præſentię & gratiæ ſuæ in hoc populo editurus erat. Idque ipſe propheta mox declarat cum ſubiicit: *Tu & arca*, &c. Dicitur autem arca *fortitudinis*, quia non erat otioſum aut inane ſignũ ſeu ſpectrum, ſed reipſa teſtabatur Deum præſentem eſſe in hoc populo, & ſua virtute regere, defendere & ſeruare hunc populũ mirabiliter aduerſus hoſtes.

9 Sacerdotes tui induantur iuſtitia: & manſueti tui exultent.

Sicut in præcedente verſu petit firmum & perpetuũ proponi ſymbolum gratiæ & præſentiæ Dei in loco quem Deus elegerat, vt animi in inuocatione certi eſſent, quem alloquerentur, & certa fide ac ſpe opem & auxilium eius expectarent: ita nunc petit vt miniſterium conſeruetur per ſacerdotes rectè docentes. Non enim ſatis erat ad colligendam Deo eccleſiam in hoc populo proponi aliquod viſibile præſentiæ eius ſignum: ſicut ne nunc quidem ſatis eſt, Chriſtum, qui propitiatorio illo adumbratus erat, in carne viſibiliter exhibitum eſſe: ſed neceſſe etiam eſt miniſterium doctrinæ perpetuò vigere, & voce euangelij colligi Deo eccleſiam. Ideo petit, vt *ſacerdotes* etiam *induantur iuſtitia*: quod intelligendum eſt reſpectu miniſterij. Propheta enim adhuc ad illam externam pompam reſpicit, in qua, cùm arca geſtaretur à Leuitis, ſacerdotes incedebant & comitabantur arcam, induti veſtibus ſacerdotalibus.

Sicut igitur tunc illud externum miniſterium in transferẽda arca rectè à Leuitis & ſacerdotibus ſuo ornatu indutis peragebatur: ita petit perpetuò ſacerdotes indui iuſtitia, hoc eſt, rectè fungi ſuo munere vera docendo, conſolando, ſacrificando & rectè adminiſtrando omnia quæ ſui erant muneris & officij. Non enim loquitur de iuſtitia perſonæ docentis, quæ, quanquam ingens eſt ornamentum miniſterij, (Et rectè dicit Nazianzenus in ſuis verſibus, *Qui ſana docet & turpiter viuit, vna manu porrigit quod altera rapit:*) tamen illa iuſtitia miniſterij magis neceſſaria eſt, quo ad totum corpus, vt ſcilicet miniſtri ſonent incorruptam euangelij doctrinam, non admiſceant errores, aut corruptelas doctrinæ, & ſint aſſidui & diligentes in ſuo officio: vtque Deus ſit efficax per ipſorum miniſterium, colligat & ſeruet eccleſiam voce miniſterij à ſe inſtituti. Hoc igitur petit. 2. Parali. 6. legitur, Induantur ſalute, quod infrà etiam verſu 16. repetitur. Id primùm de propria cuiuſque reconciliatione & acceptatione coram Deo accipiatur, deinde de efficacia miniſterij ipſorum. Nam ſicut in hoc verſu petit vt miniſterium ipſorum ſit iuſtum, ita in Paral. & infrà verſu 16. petit vt ſit ſalutare. Eſt autem tum ſalutare, cùm Deus efficaciter agit per ipſorum miniſterium in hominum cordibus, & multos per verbum & Spiritum regenerat ad nouam & cæleſtem vitam.

Sancti tui exultant] Tertium membrum petitionis, mentionem facit fructus ſeu effectus, qui conſequitur cùm miniſterium rectè eſt conſtitutum & ordinatum. Cùm enim miniſtri rectè docent & funguntur ſuo munere, filius Dei eſt efficax per verbum in cordibus auditorum, accendit in eis nouam lucem, rectè agnoſcẽtem Deum, & veram fidem accipientem remiſſionem peccatorum & rectè inuocantem ac clamantẽ Abba pater. Hanc igitur fidem ſentientem initia vitæ æternæ & ſuperantem terrores mortis ac peccati, ſequitur pax & lætitia acquieſcens in Deo: ſicut Paulus inquit Rom. 5. Fide iuſtificati pacem habemus coram Deo. De ea igitur loquitur in hoc verſu.

10 Propter Dauid ſeruum tuum, ne auerſeris faciem Chriſti tui.

Hactenus pro miniſterio doctrinæ & pro eccleſia precatus eſt. Nam prima cura noſtra eſſe debet eccleſiæ ſalus: ea enim ſalua, cætera omnia rectè habent. Nunc adiungit politiam, petens vt ſimul cum miniſterio doctrinæ ſeruetur & floreat etiam politia in hoc populo. Sunt enim hæc ſumma bona in genere humano: Eccleſia bene conſtituta, & florens reſpublica.

Ne auerſeris faciem Chriſti tui.] Quidam ita exponunt: non priues nos conſpectu redemptoris. Sed hoc alienum eſt ab hoc loco. Eſtque phraſis linguæ diligenter conſideranda, quę facilè oſtendit quid velit propheta. Auerſari enim faciem alicuius, ſignificat ſpernere & reiicere petitionem alicuius. Sic enim Bethſabe Salomoni filio pro Adonia interceſſura dicebat, Rem non magni momenti habeo quam abs te peto, Ne auertas faciem meam. 1. Reg. 2. id eſt, ne me reiicias à conſpectu tuo, & ne reiicias aut contemnas meam interceſſionem, néve deneges quod poſtulo. Petit igitur ne vota, quæ pro ſalute totius populi & pro felici ſtatu regni concipit, aſpernetur vel repudiet Deus. Totam igitur illam orationem, quam Salomon 2. Paralip. 6. habuit, hoc membro quaſi concludit. Nec tantùm pro ſe ita petit, ſed omnes ſucceſſores ita petere iubet.

Nonnulli *faciem* ipſam regni formã, magiſtratus, leges, iudicia, pœnas, diſciplinam, defenſionem & præcipuè pium ſtatũ eccleſiæ interpretantur. Itaque cùm dicit, nõ auertas faciem Chriſti tui, ſic interpretantur, non ſinas deleri formam regni.

Addit

Addit autem rationem ab honeſto ſeu à promiſſione, quã ſuprà quoque initio pſalmi ponit, *propter Dauid ſeruum tuum*, id eſt, propter promiſſionem ipſi factam. Quia enim hoc honore eum dignatus es, vt fœdus cũ eo faceres, eſt veritatis & iuſtitiæ tuæ, huic viro fidem ſeruare.

11 Iurauit Iehoua Dauidi veritatem, [*alij, in veritate, præpoſita litera* ב] nec ſe auertet [*diſcedet*] ab ea: de fructu ventris tui ponã ſuper ſolium tuum [*tibi. pro* אשר לך.]

Bis fecerat mentionem promiſſionis Dauidi factæ. Nam hanc in precatione ſua præcipuè intuebatur rex, & populum huius fiducia petere à Deo ſucceſſum rei inſtitutæ volebat. Vt igitur magis confirmaretur fides in ſingulis, ipſa promiſſionis verba allegat. Nam cùm promiſſiones in precibus allegant pij, id non tam faciunt propter Deum, quem ſciunt eſſe veracem & conſtantem in promiſſis (Ego enim, inquit, Deus, non mutor) quàm propter ſuam fidem, quæ conſideratione promiſſionum alitur & confirmatur, atque ita facilius impetrat quod petit. Ideo initio dicit, Iurauit veritatem & non diſcedet ab ea. Simul autem hoc quoque cogitandum eſt, cùm promiſſionem allegat, excludi omnia merita Dauidis & aliorum. Si enim tota res à gratuita Dei promiſſione pendebat, non habent locum opera, dignitas, aut merita vlla.

De fructu] Verba ſunt diuinæ promiſſionis, quæ & Salomon inter orandum coram eccleſia populi Dei frequentiſſima commemorauit, 1. Reg. 8. & 2. Paralip. 6. Multa autem ſunt in hac promiſſione digna conſideratione. *Primum* ſtabilitas regni oſtenditur. Antehac cum vidiſſent potentiam Saulis ſubito & triſti caſu frangi atque euerti, multi metuebãt ne idẽ accideret Dauidi, atque ita regno euerſo Iudæi in hoſtiũ poteſtatem venirent. Hic igitur Deus edit promiſſionem, affirmans Dauidis poſteros ſucceſſuros eſſe in regno. Hæc promiſſio valde dulcis erat intuentibus ſuperiorum temporum confuſiones. Quam enim crebræ fuerint mutationes ſub iudicibus, & quæ clades acciderit ſub Saule, notum eſt ex hiſtoriis. Sed ne quis in vno atque altero Dauidis filio finitum iri regnum exiſtimet, *verſu ſequente* promittitur perpetua ſucceſſio, & quidem in hac promiſſione oſtenditur, Chriſtum proditurum eſſe ex ſemine Dauidis, qui æternum regnum ſit conditurus. Interea donec veniat Meſſias, ſucceſſio externa ad Dauidis ſtirpem alligatur. Quod beneficium vt ſummum fuit, ita Dauid affirmat, nunquam ſe dignis laudibus celebrare poſſe. Etſi igitur cætera regna omnia ſua habuerunt ornamenta & ſuum ſplendorem, qui homines facilè in admirationem trahit: nullum tamen fuit in terris pulchrius & ſplendidius hoc Dauidis regno, quod manifeſta voce diuina inſtitutum eſt & cõſeruatum in vna familia annos 1071. donec Meſſias ex eius poſteritate natus regnum cœleſte & æternum conſtitueret. Hac dignitate nulla poteſt cogitari maior. Atque hanc conſiderari à piis, & prædicari iubet. *Tertiò*, cum regno etiam miniſterij perpetuitas promittebatur. Erãt enim res coniunctæ. *Poſtremò*, verbũ Ponendi nõ eſt obiter prætereundum in hoc verſu: Manifeſtè enim oſtẽdit diuinitus eſſe hoc regnum conſtitutum, & diuina potentia idem conſeruari, nec fortuitò hoc fieri, quòd longa poſteritas Dauidis regnum vſque ad Meſſiæ aduentum tenuit. Hæc igitur erat fultura huius regni, non quòd reges ipſi eſſent ſapientes aut potentes, ſed quòd diuinitus in ſolium regium collocarentur.

12 Si cuſtodiuerint filij tui fœdus meum & teſtimonia mea [*conuentiones meas*] quas docebo eos: etiam filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſolium tuum.

Promiſſioni addit Deus correctionem ſeu conditionem, vt tam regnum quàm ſubditorum pietatem aleret. Nõ enim hos honores & hãc dignitatẽ poſteritati Dauidis conceſſit, vt ipſi otio & voluptatibus indulgẽtes ſeſe & ſuos ſubditos corrumperent, ſed vt domum Dei ædificarent, & ornarent, hoc eſt, eccleſiam Dei in hoc populo fouerent, & puritatem doctrinæ & cultuum tuerentur & conſeruarent, & ſcirent ſe typũ gerere Meſſiæ qui ex ipſorum lumbis proditurus, Deóque æternam domum ædificaturus erat ex lapidibus ſpiritualibus. Id niſi facerent, minatur ſeſe in virga viſitaturum iniquitates ipſorum. Idque factum eſſe hiſtoria teſtatur, quando populus in captiuitatem cum rege eſt abductus. Et tamen, vt veritas conſtaret diuinæ promiſſioni, & oſtenderetur gratuitò hæc beneficia conferri, non tantùm populus, ſed & familia regia in exilio Babylonico mirabili modo ſeruata eſt, & tandem patriæ reſtituta poſt annos 70. Nam Ieconias, qui cõſilio Ieremiæ obtemperans deditionem fecerat, in exilio honoratus eſt, 2. Regum & Ieremiæ vltimo. Huius filius, Sealthiel fuit in reditu, dux primus, cui poſtea ſucceſſit Zorobabel, & reliqui duces vſque ad Macabeos. Et ſub Macabeis manſit autoritas penes Synedrium, in quod collegium poſteri Dauidis cooptabantur. Tandem ex trunco arboris reſectæ naſcitur ſurculus ille, quem Ieſaias & cæteri prophetæ deſcribunt. Ita manſit continua ſeries ducum atque doctorum in hac familia vſque ad Meſſiæ aduentum, à quo ſtabilita eſt illa perpetuitas promiſſa: ita tamen, vt interea impietas, idololatria, contemptus miniſterij, & libidines huius populi caſtigarentur.

13 Quoniam elegit Iehoua Sion: dilexit [*concupiuit*] eam in ſedem ſibi.

14 Hæc requies mea in æternum: hîc habitabo, quia dilexi eam.

Sicut regnum corporale ad vnam certam familiam aſtringebatur, vt ſcirent non alibi quàm in hoc regno ſalutem quærendam eſſe: ita in eodem fœdere & iuramento, atque eodem tempore, certus locus deſtinatur templo ſeu cultui diuino, atque ita certa eccleſiæ ſedes vſque ad Chriſti aduentum tribuitur: quo beneficio non potuit aliquod maius dari huic populo. Ab illo enim tempore vſque ad Meſſiæ aduentum manſit aliqua eccleſia in hoc populo, & ſemper multi ex eo ad vitam æternam electi ſunt: cùm interim cætera regna in toto terrarum orbe carerent vera religione, & horrendis tenebris oppreſſa manerent in poteſtate & tyrannide diaboli. Quòd autem eodem tempore vtraq; promiſſio de ſucceſſione in regno, & de loco miniſterij publici editur, ea res oſtendit has duas res eſſe connexas: ſicut Chriſtus poſtea illas coniungit in ſua perſona tanquam rex & ſacerdos. Ideóque non ſine cauſa dicit, montem Sionem eſſe electum, vt eſſet ſedes ſanctuarij, omiſſa appellatione montis Moriæ, in quo templũ poſtea conditum eſt.

Verbum eligendi opponatur Phariſaicis imaginationibus de merito & de ἐθελοθρησκεία. Fauor enim & beneplacitum, merito loci & perſonæ & noſtris intentionibus opponitur. Deus elegit hunc locum gratuita bonitate, non motus cuiuſquam meritis: & ſicut locum ipſe ſibi elegit: ita certos etiam cultus præſcripſit, quos ſeruari præcipit. Debetur igitur ei hæc reuerentia, ne quis aliud templum aut alios cultus fingat aut fabricet.

Quod additur, *hæc requies mea in æternũ*, id intelligatur iuxta enarrationem prophetarum. Manſit ille cultus externus ad templum inſtitutus vſque ad Meſſiæ aduentum: quo exhibito Daniel futurum prædixit, vt politia illa deleretur, & cultus legales abolerentur, & quanquam euerſum eſt illud templum, & ceſſauit aliquandiu ille cultus legalis tempore captiuitatis Babylonicæ: tamen reſtauratum eſt paulo pòſt templum & cultus reſtitutus: & Deus ſedem ſuam illic vſque ad Chriſti aduentum retinuit.

Hæc requies mea] Id eſt, ibi adero præſens, & ero efficax in cordibu. credentium, horum opera & cultus probabo.

15 Victui eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo pane.

Promiſſioni de ſtabilitate regni & ſacerdotij, quæ principalis eſt in hoc pſalmo, additur alia de victu ſeu rebus corporalibus. Nam ſpiritualibus promiſſionibus ſemper adduntur promiſſiones de rebus corporalibus: quia neceſſe eſt colligi & manere eccleſiam in hac vita. Manere autẽ non poſſet, niſi de victu ei proſpiceretur. Ideo Paulus inquit, Pietas habet promiſſiones præſentis & futuræ vitæ. Cæterũ de cauſis, cur traditæ ſint promiſſiones corporales, dicitur alibi in Methodicis libris. Vtitur autem ἀναδιπλώσει eiuſdem verbi & propter certitudinem & ad copiam ſignificandam: quaſi dicat, certò & liberaliter benedicam.

Pro *victus* nomine noſtra interpretatio legit, viduam eius benedicam, quod ſi non incuria interpretis factum eſt, qui pro θήραν legiſſe videtur χήραν, inſcitia librariorum hic error in Latinum codicem irrepſit. Fieri enim potuit, vt legeret vidum pro victum, & quia vocẽ mutilam eſſe iudicauit, inſeruit literam, a, atque ita viduam effecit. Nomẽ verò Hebræũ צידה in genere ſignificat cibum vel venatione vel alio quocunque labore partum. Eſt enim labor cuiuſque in ſua vocatione quædam venatio, qua victus paratur.

Pauperes eius] Hæc vox oſtendit promiſſiones corporales intelligẽdas eſſe cum exceptione caſtigationis & crucis. Promittit quidem Sioni, hoc eſt, populo Dei victum, & omnia quæ ad cultum corporis neceſſaria ſunt: ſed tamen interea erunt pauperes. Non enim ex æquo largitur bona corporalia. Paupertas igitur comitatur ſæpe pios. Sed duplex conſolatio hic oſtenditur. Primùm quòd paupertas non excludat nos à ſorte ſeu populo Dei, aut à ſpe ſalutis, hoc eſt, quòd non ſit ſignum iræ & abiectionis diuinæ. Deinde, etiamſi non ſuppetat ex æquo omnibus magna vbertas aut copia, facit tamen

Deus vt in penuria ſatientur. Hæ promiſſiones paſſim in Scriptura repetuntur. *Pauperes* verò intelligantur ſynecdochicωs non tantùm quibus deeſt victus, ſed qui quocunque genere calamitatis ſunt oppreſſi.

16 **Et ſacerdotes eius induam ſalute: & pij eius exultando exultabunt.**

Redit ad promiſſionem de conſeruatione miniſterij, & de eius efficacia, quæ, vt dixi, principalis eſt in hoc fœdere. Vt autem ſuprà verſu nono iuſtitiam interpretati ſumus non de iuſtitia perſonæ, ſed miniſterij: ita etiam in hoc verſu ſalus nō tam ad ſingulorum ſacerdotum ſanctimoniam aut vitæ integritatem, quàm ad totius miniſterij conſeruationem referatur. Sacerdotes enim non intelliguntur extra officium. Eſtque hæc ſimpliciſſima ſententia: Ego efficiam vt miniſterium ſacerdotum ſit ſaluum & incolume, ne ſcilicet conturbetur à prauis hominibus, aut contaminetur errorum fœditate: deinde ſit ſalutare, hoc eſt, efficax in piorum mentibus, & multi beneficio huius miniſterij adipiſcantur æternam ſalutem, ſicut dicitur Roman. 1. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Hæc ſalus primùm & principaliter ſignificatur, quando ſcilicet miniſterium cedit in multorum ſalutem.

Poſtea ſi quis vult, ad priuatam cuiuſque ſacerdotis ſalutem verſum accommodare poteſt. Sunt enim miniſtri euangelij ſalui, incolumes & beati, quia diuinitus defenduntur, ſeruantur, & omnis generis benedictionibus ornantur. Eſtque hoc conſolationis plenum aduerſus odia, maleuolentiam & perſecutiones, quas ſuſtinere coguntur. Nec tantùm de ſacerdotibus veteris teſtamēti, ſed noui quoque hæc promiſſio intelligatur. Fuit enim vetus vmbra futuri noui teſtamenti, itaque promiſſiones etiam ad nos quoque pertinent. Eſt autem metaphora in verbo induendi, de qua ſuprà quoque Pſalmo 109. nonnihil dictum eſt. Indui enim apud Hebræos, cùm figuratè vſurpatur, ſignificat vel ornari aliqua re, ſicut corpus veſtitu, vel aliquid arctiſſimè adiungi alicui, vt eius fiat propriū: ſicut homo induit, & penitus ſibi adiungit ac quaſi adglutinat veſtimentum, præſertim interius, quod proximè contegit corpus, & commenſuratur corpori, vt iam quaſi vnum quid, non res diuerſæ appareant.

De altero membro diximus verſu nono. Quando miniſterium rectè eſt conſtitutum, hoc eſt, quando doctrina ſana & vera ſonat publicè in miniſterio, & exercentur legitimi cultus, rectéque adminiſtrantur ſacramenta, & ſacerdotes rectè funguntur ſuo munere, tūc Deus per miniſterium eſt efficax, & multos ad ſe conuertit, qui audita promiſſione euangelij accipiunt conſolationē, qua retrahūtur ex mortis doloribus, & ex hac conſolatione concipiunt vitam & lætitiam. De hac enim lætitia loquitur pſalmus, non de aliqua corporali, qualis in opum affluētia & voluptatibus aut felici rerum ſucceſſu conſpicitur.

17 **Illic germinare faciam cornu Dauidis: paraui lucernam Chriſto meo.**

Hæc promiſſio iterum ad regnum pertinet, cui perpetuitas & ſtabilitas promittitur, etiamſi interdum minuatur aut labefactetur eius autoritas & potentia.

Cornu in ſcripturis μεταφορικῶς ſignificat robur, potentiā, defenſionem & præſidium: quando hominibus tribuitur: ſimul eſt metaphora ſumpta ab animantibus, quibus robur eſt in cornibus. Vnde & Daniel, imperia & regna orbis terrarum depicturus, vtitur appellatione cornuum. *Cornu* igitur *Dauidis* intelligatur regnum, & quidem inſtructum potētia & viribus. Neq; enim regna eſſe ſine aliqua potentia & præſidio poſſunt. Sed addit, *Ego germinare faciam.* Quo verbo primùm cōtemptā regni originem, deinde mirificas reſtitutiones propheta deſignat. Quod ad primum attinet, ſcimus Dauidem ex obſcuro loco & ignobili tugurio, & quaſi ex ouium ſtercoribus, cùm inter pecuarij hominis filios minimus eſſet, in ſolium regium & collocatum, & aſſiduis incrementis præter ſpē auctum eſſe. Deinde poſt mortē Salomonis ſecuta eſt diſtractio in regno Iudaico. Nam decem tribus ſe auulſerunt à tribu Iuda. Fracta igitur & debilitata tunc eſt potentia huius regni, magna eius parte reſecta & in alium tranſlata. Poſtea fuerūt aſſidua bella inter reges Iſrael & reges Iuda, quibus regnum Dauidi promiſſum valde fuit attritum & quaſſatum, tandem etiam in exilium populus cum rege ſuo fuit abductus, vt iam prorſus interiiſſe videretur regnum.

In tantis verò dilacerationibus & tam crebris concuſſionibus, atque adeo in ipſo quaſi interitu Deus fecit vt hoc *cornu* Dauidis non tantùm attritum, ſed etiā conuulſum & reſectum denuo germinaret, & nouum vigorem ac robur acquireret, donec tandem à Chriſto eius firmitas & perpetuitas eſt ſtabilita. Tunc enim cornu hoc ita eſt firmatum, vt nullis deinceps viribus euelli poſſit. Hoc igitur promittitur verbo germinandi. Et huc reſpicit Ieſaias cap. 11. cùm Chriſtum ſurculo comparat, qui ex reſecta arbore ſeu trunco naſcitur. Zacharias etiam cap. 6. germen eum eandem ob cauſam appellare videtur. Atque huc alluſit Zachar. Lucę 1. cùm inquit, Erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri tui.

Paraui lucernam Chriſto meo] Id eſt, illic efficiam floridum robur, regnum illuſtre ſeu regiam dignitatem. Nam illic collocabo aliquem è poſteris Dauidis, qui ſemper erit populo velut lucerna, idque faciam in gratiā Dauidis, cui id promiſi. Et quanquam obſcurabitur interdum, vel etiam fuligine obducetur regni dignitas & ſplendor: tamen rurſus accendetur eius lux, & conſpicietur eius dignitas. Nunquam enim prorſus extinguetur, donec tandem Chriſtus verus rex ſuo aduentu omnem fuliginem & ſqualorem detergat, ac lucernam hanc ita accēdat, vt in toto orbe terrarum fulgeat, & ſuam dignitatem, efficaciam, vires & potentiam conſpiciendam præbeat. In regno illo corporali, quamdiu durabat, micabant quaſi ſcintillæ ex illa lucerna, nunc clariſſimum iubar ſolis iuſtitię ſpargitur per totum orbem terrarum.

18 **Inimicos eius induam confuſione** [*probro:*] **& ſuper ipſum florebit diadema eius.**

Vltimus verſus, qui quaſi epiphonema ſubiicitur, complectitur comminationem & promiſſionem. Comminatio directa eſt aduerſus hoſtes, qui cornu hoc euellere, aut lucernam diuinitus accenſam extinguere conantur. Non enim ſatis erat intus iſtam politiam proſperè agere, ſed foris quoque defendenda erat aduerſus hoſtes. Promiſſio autem æternam ſtabilitatem, potentiam & ſplendorem huic regno pollicetur. Sicut autem ſuprà promiſerat, ſe ſacerdotes induturum iuſtitia & ſalute: ita nunc eodem ſenſu inquit, *Inimicos induam confuſione*, ſeu probro, id eſt, nunquam hoc efficient inimici quod moliuntur, ſed deiicientur ſua ſpe, & cum pudore cogentur deſiſtere à ſuo propoſito, vbi omnia fruſtra tentarint. Phraſis ſuprà verſu decimo ſexto, & Pſalmo centeſimo nono explicata eſt.

Appellatio inimicorum monet nūquam eccleſiam in terris ita quietam aut beatam eſſe, quin habeat inimicos à quibus infeſtetur.

Super ipſum florebit diadema] Eadē eſt ſententia, quæ præcedentis verſus. Promittit enim regnum florens, opulentum & potens, cuius dignitatem & autoritatem non Iudæi tantū, ſed gentes quoque reuereantur, ſéque ei ſubmittant. Quanquam enim caducum erat in ſpeciem, & ſæpe quaſi flos herbæ flacceſcebat, diminuta & propemodum extincta eius autoritate, dignitate & potentia: tamen ſubinde diuinitus acquiſito nouo vigore effloruit: donec tandem miſſus eſt Chriſtus, cuius capiti impoſitum eſt diadema non caducum, ſed in omnem æternitatem florēs. Huic enim data eſt poteſtas in cælo & in terra, Matth. vltimo. Et Angelus Lucæ 1. ait, Et dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ipſius, regnabítque ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quicquid igitur deinceps moliantur hoſtes aduerſus hunc regem, nunquam tamen deiicient hanc coronam, nunquam etiam facient vt flacceſcat hic flos. Quanquam enim hoſtes habet hoc regnum crudeliſſimos, tamen in perſecutionibus augetur & magis floret eccleſia, & lucet inter ærumnas decus eius, conſpicitúrque filij Dei potētia. Tādem verò in pœnis & interitu hoſtium vniuerſali apparebit magis huius regis potentia, quam nunc mundus ridet & contemnit.

Græcus hoc membrum ita reddit, ἐπὶ δὲ αὐτὸν ἐξανθήσει τὸ ἁγίασμά μου, ſuper ipſum efflorebit ſāctificatio mea. Significat enim נזר ſeparari ab aliis religione, ſātimonia aut voto ſingulari, vel etiam dignitate. Cōgruit enim cū נזיר inde נזיר dicebatur in lege, qui ſeparatus erat voto & religione à communi viuendi more. Inde igitur factum eſt, vt נזר Græcus exponeret ſanctificationem, quæ fit ſeparatione. Sed hoc loco & alibi nomen Hebræum ſignificat diadema ſeu coronā ex gemmis & auro, quo tanquam dignitatis ornamento ſeu inſigni rex ſeparatur à ceteris hominibus. Id quod præcedens verſus oſtendit manifeſtè.

PSALMI CXXXII.

PARTES.

I. Oratio, ſiue petitio, cuius prolepſis ſiue generalis petitionis propoſitio continetur v. 1. ſequitur autem

autem expoſitio afflictionum Dauidis,verſ.2. 3.4.& 5.quibus ſubiicitur ἐργασία ſiue exornatio alterius membri prolepſeos,in qua Dauid narrat officium ſuum præteritum, verſ.6. & præſens, verſ.7. deinde exponit petitionem ſuam,quæ continet precationem pro domicilio Dei, verſ. 8. & piorum ſanctificatione,verſi. 9. idque propter Chriſtum,filium Dauidis, verſi. 10. qui ſubinde in prophetis Dauid appellatur.

II. Explicatio promiſſionum,quibus freta fides ad adorandum Deum ſuperioribus verſiculis adducta eſt. Huius autem promiſſionis ſunt loci quatuor. Gentis Dauidicæ,id eſt, Eccleſiæ,cuius caput eſt Chriſtus,Dauidis filius,æternitas.v.11.& 12. Vrbis & regionis ſanctificatio ex præſentia Dei,v.13. 14.& 15. Sacerdotium.v.16. Regnum florentiſſimum,v.17.& 18.

Observationes locorvm doctrinae.

Docet nos hic Pſalmus in genere, 1. Chriſtum(cuius regnum Dauidis & ſacerdotiũ legale fuit typus) eſſe regem & ſacerdotẽ æternũ eccleſiæ. 2.Cultũ Dei(veræ eccleſiæ notam viſibilem) in verbi diuini prædicatione ſincera & ſacramẽtorũ adminiſtratione legitima eſſe poſitum. 3. Verbum verè diuinum & vera Sacramenta Chriſtum verum & vnicum ſeruatorem nobis proponere.4.Benedictiones præſentis & futuræ vitæ nobis eſſe diuinitus conſtitutas. 5. Impiorum irritos fore omnes conatus. 6. Pro regni Chriſti propagatione,& politiarum (in quibus hoſpitia eccleſiæ præbentur) incolumitate eſſe precandum.

Verſ. 1. Quum promiſſiones Dauidi factæ regnũ æternum Chriſti reſpiciant,nec Dauid ex tot miſeriis ereptus ſit vt poſtea perderetur,ſed vt in eius domo veritas Dei maximè conſpicua fieret,& Deus ſuæ gloriæ nequeat eſſe immemor:colligimus regnum Chriſti perpetuò duraturũ,portas inferorum præualere non poſſe aduerſus Dei eccleſiam,Deum meminiſſe afflictionis piorum, & velle ab iis inuocari, vt promiſſionum ſuarum memor gloriam ſuam in eorum ſalute potenter tueatur.

2.3.4.5 Piorum eſt,etiamſi afflictionibus vndique premantur,de promouenda Dei gloria curam gerere ac vota concipere,pro ratione vocationis & virium quas illis ſubminiſtrat Dei ſpiritus.

Deo vouere quod ſibi gratum fore pronuntiat, laudabile eſt: ſed deteſtanda eſt eorum audacia qui carnis ſuæ ſenſu impulſi ad vota ridicula,temeraria, impoſſibilia,ſuperſtitioſa,impia proſiliunt.

6 Non eſt in hominum arbitrio ſanctuarium Dei vſquam figere, id eſt,modũ colendi Dei inſtituere,donec patefacta ſit Dei voluntas. Damnanda ſunt igitur Ethnicorum & ſuperſtitioſorum ſuo arbitrio numen colentium,putida figmenta.

7 Quo certiùs innoteſcit Dei voluntas,eo nos ad obſequium alacriores reddi par eſt: & damnanda eorum omnium ſegnities qui pro modo reuelationis etiam in zelo non proficiunt.

Deũ locis includere ſuperſtitioſorũ eſt:neque tamen fruſtra ſymbolis externis vtitur eccleſia,ne ſcilicet vel adminicula fidei ſuæ negligat, vel in ipſis nimium defixa ſit: ſed his mediis in cælum euehitur,& velut Dei pedes in terra contrectans ad eius faciẽ ſupra omnes cælos contẽplandam fide aſpirat.Hodie autem(ſublatis figuris legalibus)ritè ad Dei ſcabellum fideles adorant,qui reuerenter ſe eius verbo ſubiiciunt;& ſacramentis ſe exercent ad ſpiritualem eius cultum.Chriſtus autem,in quo non modò quieſcunt pedes Dei, ſed tota eſſentiæ & gloriæ diuinæ plenitudo reſidet, & in quo Pater quærendus eſt,ideo deſcendit vt nos ſurſum attolleret.

8 Miris & cæleſtib.elogiis externa quæ inſtituit Deus pietatis exercitia & myſteria ornãtur,quo libentiùs operam illis impẽdãt fideles,& his mediis fidem ſuam confirment. Sãctuariũ vocatur Dei requies, Circunciſio fœdus, Agnus tranſitus & liberatio,Aqua lauacrum regenerationis, Panis & vinum corpus & ſanguis Chriſti.

9 Non alium in finem Deus in medio noſtri habitat, quàm vt bene & feliciter nobis ſit.

Iuſtitia nos Deus veſtire dicitur,quum apparet liberator noſter, & ſic gubernat vt teſtetur ſe gerere curam noſtri.

Ita eſt compoſitus eccleſiæ Dei ordo,vt paſtores præ aliis pietate & vitæ ſanctimonia excellere debeant.

Ex donorum Chriſti in eccleſiæ ſuæ membra effuſione, naſcitur ſumma lætitia in animis fideliũ,qui conuenientiſſimo epitheto,mãſueti Dei vocantur. Vbi.n.regnat manſuetudinis ſpiritus,ibi pax, beata vita,& beneficiorum Dei copia conſpicitur.

10 Antequam Chriſtus peracto ſacrificio cæleſte ſanctuarium ingreſſus eſſet,interpoſitus fuit ad tempus vmbratilis mediator,qui orandi fiduciam daret Iudæis.Chriſto autem nũc plenè exhibito,precantur fideles vt tandem collectis in cælo cum capite membris omnibus regnum gloriæ adueniat.

11 Salus electorum Dei firmiter ſtat in æternum,nempe Dei iureiurando ſancita, & in æterno rege Chriſto, Dauidis filio, ſtabilita.

12 Deus,ingratum Iudæorum populum tam ſeueriter vltus, oſtẽdit non fruſtra conditionaliter ſe loquutũ eſſe:demum autem Chriſti aduentu gratis præſtitit, quod gratis erat pollicitus, dum regium diadema ſuper Chriſti caput repoſuit,ei omne imperium in cælis & in terra tribuens.

Obſeruantiam pacti ſui dum tam ſeuerè Deus exigit, repudiatis hominum figmentis,in pura verbi ſui doctrina nos retinet.

13 Eccleſia non eligitur ob ſuam præſtantiam,ſed quia Deo ita placuit: à cuius mera bonitate procedit illa dilectio qua ſuos electos proſequitur.

14 Mons Sion non eſt abolitus, ſed Chriſti aduentu dilatatus vſque ad vltimos terræ fines. Nec eccleſia eſt hodie vni loco alligata,ſed ex quo Dei maieſtas & veritas per totum orbem innotuit, requies Dei,nonniſi in Chriſto & membris eius reperitur.

15.16 Quia non adeo ſumus ſpirituales, vt in cælos penetremus, offert ſe nobis Dei benedictio,tum in quotidiano victu,tũ in arcana illa virtute, qua fit vt terræ prouentus nobis in alimentum ſufficiat. In quo etſi gratia diuina conſpicua ſit:tamen ad ſalutẽ illam qua eccleſiæ ſerui & filij (vnde pax & lætitia perfecta) induuntur,nos reſpicere præcipuè decet.

17 Sub Dauide & eius poſteris robur Dei germinauit,altaſq; egit radices: arſit etiã inter Iudæos Dei lucerna,cuius lumen etſi eminus non erat conſpicuum,fidelib.tamen certam ſalutem demonſtrabat. Sub Chriſto Dauidis filio, Eccleſiæ æterno rege, Dei virtus perfectè exeritur:ramoſq; porrigit per omnes mundi partes, & ſol ille iuſtitiæ ac ſalutis pleno fulgore orbem illuſtrat.

18 Quemadmodum in eccleſia, ſalute & iuſtitia ſerui Dei induuntur & exultant in Chriſto, cuius virtute & ſplendore viuificantur: contra impij probro induuntur,dum in Deum inſurgentes indurantur, excæcantur, traduntur in reprobum ſenſum, peccata peccatis in dies addunt, eccleſiã crudeliter perſequuntur, vnde illis tandem ruina,horrendum exitium, & æterna ſupplicia,quæ eorum omnes conatus infringunt ac euertunt.

Nihil impijs intolerabilius eſt quàm veritas Dei pios ad ſe vocantis. Doctrina enim in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis conſignata,vt eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, & odor vitæ ijs qui per Chriſtum ſalutem conſequuntur:ita impijs omnibus fit odor mortis ad mortem.Et Chriſti (cuius Dauid typus fuit) diadema tunc floret,quum parcit ſubiectis debellátque ſuperbos.Id autem plenè perficietur, quando apparebit vt iudicet viuos & mortuos:ideo diadema illud tunc numeris omnibus glorioſum apparebit,quũ omnibus eccleſiæ hoſtibus in æternum ignem deturbatis, electi Dei cum Chriſto rege ſuo ſupra omnes cælos corpore & anima euecti vita & beatitudine perfecta perpetuaq; fruentur.

Articvli praecipvi.

1. Chriſtus æternus rex & ſacerdos Eccleſiæ Dei.
2. De vero & legitimo, tum interno, tum externo Dei cultu.
3. In verbo & Sacramentis Chriſtus quærendus.
4. Regnum Chriſti æternum.
5. De cæremoniis legalibus.
6. Quomodo in Eccleſia Deus habitare dicatur.
7. De votis licitis & illicitis.
8. Membrorum Eccleſiæ diſtinctio & officium.
9. Electio Eccleſiæ in Chriſto fundata.
10. Benedictionum diuinarum conſideratio & vſus.
11. Piorum gloria, & impiorum opprobrium atque interitus.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIII.

Ἐγκωμιαστικὸς λόγος.

ETSI Pſalmus hic in genere ſtudium pacis & concordiæ tuendæ commendat, non tantùm in vita priuata & familiis ſingulis, ſed multò magis in repub. & eccleſia: tamen occaſio ſcribendi Pſalmi ſi conſideretur, nonnihil lucis orationi, quamuis per ſe ſplendidæ & variis luminibus ornatæ, accedit. Cum enim Dauid autor ſit huius carminis, veriſimile eſt tunc compoſitum ab eo eſſe, cùm extincto Saule rege ad regni faſtigium eſſet euectus. Eo enim tempore, quãtum ex hiſtoria colligere licet, non tantùm ab ipſo multi ex Iudæis erant alieniores, qui eum pro hoſte publico & ſeditioſo homine habebãt, & ſublatum cupiebant: ſed ipſi etiam ſubditi inter ſe animis, ſententiis & factionibus diſſidebant, aliis aliò inclinantibus, vt non niſi publica aliqua clade aut alterius partis interitu reduci in concordiã poſſe viderentur. Nota enim eſt eius temporis hiſtoria ex ſecundi Samuelis libri cap. 2. In hoc turbulento & periculoſo regni ſtatu, qui annos penè octo durauit, ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt depoſitis vtrinque odiis & armis, tandem in vnum regem Dauidem omnes conſentirent, & animis coniunctis publicam pacem amplecterẽtur. Hoc igitur beneficium celebrat in hoc pſalmo Propheta, & pacis ac concordiæ ſtudium dulciſsimis figuris ac ſimilitudinibus, de quibus iam dicetur, omnibus commendat. Simul autem cùm ad concordiam tuendam ſuos hortatur, eas etiã virtutes, quæ ad retinendam concordiam neceſſariæ ſunt, eum requirere, & vitia contraria damnare ac prohibere cogitemus. Sunt autem virtutes ad tuendam concordiã neceſſariæ, Humilitas, Manſuetudo, Patiẽtia, & ἐπιείκεια, ſine quibus nulla eſſe diuturna pax & concordia poteſt. Vbi enim ambitio, ira, aut impatientia hominum animos occupat, & nemo de ſuo iure, quod reuera habet, vel etiam interdum ſibi fingit, quicquam vult remittere, ibi conſenſus eſſe diuturnus non poteſt. Has verò virtutes omnes moderari, regere & excitare in nobis præceptum de dilectione Dei & proximi debet: de qua & cæteris virtutibus ſuo loco dicitur.

Canticum graduum Dauidis.

1 ECce, quàm bonum & quàm decorum, habitare fratres etiam ſimul!

Propoſitio Pſalmi eſt, Encomium videlicet concordiæ, quo excitare omnes ad amplectendam & tuendam concordiam conatur.

Eſt autem emphaſis in aduerbio *Ecce*, qua non modò res ipſa oculis ſubiicitur ad excitandam admirationem & ſtudium cuiuſque, ſed ſimul tacita ſubeſt comparatio belli inteſtini, quod penè annos octo iam durauerat, & populum variè afflixerat, quaſi dicat, Nunc tandem experiẽntia (quæ ſtultorum magiſtra eſt) nos docet quàm magnum & inæſtimabile Dei bonum ſit publica pax & concordia. Antehac diſtracto regno in diuerſas partes & diuerſa ſtudia, certabamus odiis, factionibus & armis ciuilibus, graſſabamur inter nos mutuis cædibus, & erat facies regni triſtiſſima. Nũc reſtituta pace & concordia, quam lætus & florens eſt ſtatus reipublicæ? dum ciues coniunctis animis & ſtudiis inter ſe viuunt & mutuo amore ſe proſequuntur. Hæc facies inuitare omnes ad amorem pacis debebat. Quod autem Propheta regius de ſua politia ſeu regno dicit, id in genere, primùm de eccleſia, deinde de politiis, poſtremò de familiis ſingulis intelligatur.

Dulce eſt pacis nomen, & res ipſa ſalutaris, inquit Cic. Phil. 1. Sed præcipuè *in eccleſia* expetẽda eſt pax & concordia. *Primùm* inter docentes. Nam docentiũ diſſidia triſtes pariunt dubitationes in animis multorum, & impediunt inuocationem & curſum doctrinæ; multi etiam in Epicureum Dei contemptum ruunt propter docentium diſſidia: nonnulli factionibus ſtudent, & tumultus cient Reipub. pernicioſos: ſed tamen hæc pax non debet redimi diſpendio veritatis. *Deinde* inter omnes homines vigere debet dilectio: quia Chriſtus præceptum de dilectione proximi, tanquam vnicum & præcipuum repetit ante paſſionem ſuam, & vocat ſuum præceptum & nouum, & notam qua pij ab impiis diſcernantur, Iohan. 13. 15. Suum autem vocat præceptum, non, quod antea traditum non ſit, ſed quia nemo rectè obtemperat huic præcepto, niſi & euangelium rectè didicerit, & aliquo modo intueatur has duas virtutes Chriſti, humilitatem & patientiam. Nouum etiam appellat aut non vſitatum mũdo, non quod legem hanc ignorẽt hactenus Iudæi aut Apoſtoli, ſed quia nemo ignarus euangelij, & non habens timorem Dei, & fidem in Chriſtum, præſtat hanc legem. Nouum enim dicitur nõ propter tempus, ſed quia non impleatur, niſi noui Teſtamenti dono.

Poſtea *in repub.* quantum valeat concordia ciuiũ, alibi dicitur copioſe. Liuius diſcordiam ordinum & ciuium in republ. Romana venenum appellat, ex antitheſi monens nulla re magis conſeruari incolumitatem reipubl. quàm cõcordia & conſenſione ciuium. Poſtremò *ad familias* ſingulas deſcendatur. In quibus ſicut in republ. hoc Saluſtij quoque valet. Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. Nota enim eſt Sciluri regis Scytharum hiſtoria, qui moriturus, faſciculum virgarum dabat filiis confringendum. Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας. Et extant in hanc ſententiam multa à philoſophis dicta, quæ volens omitto.

Fratres igitur in hoc pſalmo intelligantur, non tantùm qui in vna republica aut familia viuunt, aut qui in eodem munere verſantur, vt collegæ: ſed etiam qui vnam & eandem matrem habent eccleſiam, & Chriſto inſerti ius filiorum Dei adepti ſunt. Hi ſunt fratres, quos omnes colere concordiam iubet. Particula גם non tam copulat hoc loco, quàm vehemẽtiam notat, quaſi dicat: Hactenus fuimus diſtracti in varias factiones, certauimus odiis & armis: nunc quàm bonum & pulchrum eſt, non tantùm odia eſſe ſopita, ſed viuere etiam ciues vnius reipubl. animis inter ſe coniunctiſſimis!

2 Sicut oleum pretioſum [ה δεικτικὸν *oſtendit eum de præſtantiſsimo oleo, hoc eſt, opobalſamo loqui*] ſuper caput, quod deſcendit ſuper barbam Aaron, quod deſcendit ſuper oram veſtimenti eius.

Cõfirmat propoſitionem duabus ſimilitudinibus, quarum prior in hoc verſu ſumitur ab oleo fragrante & late ſpargẽte ac diffũdente odorem ſuum. Hac ſimilitudine ſeu exemplo rei fragrantiſſimæ, ſuauitas & vtilitas pacis & concordię oſtenditur. Tam inquit, res dulcis & ſalutaris eſt concordia, quam ſuauis eſt odor balſami, & quam res ipſa eſt ſalutaris. Balſamum enim, quod genti Iudaicæ peculiariter Deus cõceſſerat, (nam probe vrbem Hierichuntinam prouentus eius vberrimus, ab odoris ſui ſuauitate nomen vrbi dediſſe creditur) non ſolùm ſuauitate odoris, ſed & facultate ſanandi omnium plantarum ſuccis longè præſtat. Talis igitur res eſt concordia & pax publica in eccleſia, in republ. & in familiis. Ea enim, vt Cicero inquit, de lege Agraria, non modò ij quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta & agri muti lætari videntur: adfert enim publicã lætitiam, qua vitæ hominis nihil eſt conuenientius. Deinde ſicut balſamũ vulnera ſanat: ita animus cõcordiæ & pacis cupidus ſanat & tollit omnes offenſiones, cõdonat priuatas iniurias, reipub. cauſa, multa remittit de ſuo iure, eſt patiens, manſuetus, humilis, non inflatur, non indulget ſuſpicionibus, eſt ſincerus, ſicut Paulus de charitate loquitur, 1. Corinth. 13. Et Salomon inquit, Prouerb. 10. Vniuerſa delicta operit dilectio.

Facit autem mentionem *Aaronis*, Primum, vt oſtendat ſe loqui de illo oleo, quo olim Sacerdotes & omnia templi vaſa vngebãtur, & quod erat omnium præſtantiſſimum & fragrantiſſimum. Deinde vt innuat non poſſe diu coli pacem & concordiam, niſi cõſenſus ſit in doctrina religionis, & niſi vna doctrina ab vno ſummo Sacerdote & vertice Chriſto ſparſa doceatur à toto cœtu Sacerdotum. Niſi enim in doctrina & cultibus diuinis conſentiant, & Spiritus ſanctus animos iungat, mox rurſus diſſiliunt, & in mutua odia ac contentiones exardeſcunt. Concordia igitur vera fluit à vero & puro Dei cultu, abſque quo nec experi debet, nec retineri diu poteſt.

Poſtea addit, *quod deſcendit in barbam & in orã veſtimẽti eius:* vt ſignificet tunc demum ſolidam & firmam eſſe pacem, ſi

ſi totum corpus eccleſiæ & Reipublicæ, hoc eſt, ſingula membra hoc oleo perfundatur. Ita enim bona hæc fragrãtia ſpargitur latè, ſi non tantùm in barbam Aaronis deſcendat, hoc eſt, ſi non tantùm paucos, qui propiùs ori ſummi Sacerdotis adhærent, & doctrinam aſſiduè hauriunt, imbuat hoc oleum, ſed paſſim per totum corpus ſpargatur, & ad infimos vſque deſcendat: ita tamen vt à capite Aaronis, hoc eſt, à conſenſu doctrinæ oriatur. Vt enim ædificium non eſt integrum nec firmum, niſi omnes partes rectè fuerint coagmentatæ: Ita publicus ſtatus, ſeu regni, ſeu eccleſiæ, non poteſt eſſe firmus aut diuturnus, niſi omnes ſimul vinculo pacis iungantur: & connectantur. Si enim doctores aut gubernatores incipiant inter ſe ζυγομαχεῖν, nihil non mali ex eo oritur: rurſus ſi auditores aut ciues etiam factioſè inſurgant aduerſus doctores & gubernatores, illud μέγιστον διανόσημα ἐν πόλει, vt Plato inquit in lib. de legibus: nos addimus etiam in eccleſia. Cæterùm de oleo ſanctificationis, lege Exod. 30. & Leuit. 8. Quòd bis repetit nomen barbæ: diſtributiuè accipiatur pro paſſim in barbam. Quando enim idem nomen geminatur, ſignificatur eius rei diſtributio, Marc. 6. Geneſis 32. Exod. 16. Eſther 1. Exod. 8. 2. Reg. 17. Pſalmo 12. loquuntur corde & corde, &c.

3 Sicut ros Hermon [*&*] qui deſcendit ſuper montes Sion. Quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam in perpetuum.

Altera ſimilitudo ſumitur à rore cæleſti, quo recreantur agri & prata diurnis ſolibus exuſta. Sicut enim ros ſuauem quandam & lenem humectationem terræ effundit, qua agri æſtu diurno penè exhauſti recreantur, & nouam vim, nouum ſuccum & vigorem accipiunt, ad producendos varij generis fructus: ita pia concordia non ſolùm ſuauis eſt odoris coram Deo, ſed etiam varios & vtiles fructus profert in eccleſia, in Repub. & in ſingulis familiis. Concordia enim paruæ res creſcunt, inquit Saluſtius, diſcordia maximæ dilabuntur. Hæc ſimilitudo dulcior erit, conſideranti dictũ Moſis, Deuteron. 11. Vbi ex antitheſi opponens terram Canaan Ægypto, inquit, Terra quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ (nam exundatio Nili quotannis fœcundabat agros & erant riui paſſim per agros ducti, vt faciliùs diſtribueretur) ſed hæc terra montoſa eſt, & campeſtris, de cælo expectans pluuias, quam Dominus inuiſit. Monet igitur Dauid hac ſimilitudine, ieiunam ac ſterilem, hoc eſt, miſeram fore hominum vitam, niſi fraterno conſenſu foueatur.

Sententia verò huius verſus ita eſt ordinanda, vt vel coniunctio inferatur ante relatiuum ש vel repetatur dictio Ros. Concordia eſt res vtilis, ſicut ros Hermon, & ſicut ros qui deſcendit in Sion. Nam alioqui montes illi diſſiti ſunt. Hermõ enim vltra Iordanem eſt pinguis & opimus, quem ros copioſè decidens ſuauiter humectat & fœcundat. Sioneis Iordanem eſt. Vel ſimpliciter rorem Hermon intellige, ſic dici, quòd ex vaporibus eius montis gignatur, & longè latéque in montana Iudææ ſpargatur. Quòd enim *montes Sion* nominat, συνεκδοχικῶς complectitur omnia montana Iudææ. Huius enim montis Sion præcipua erat dignitas propter arcem regiã. Et quia Iudæi ab vtroque latere fluuij ad montem Hermon & iuxta montem Sionis habitabant, iterum ſignificat ſe eam cõcordiã intelligere, quæ totũ corpus cõplectatur. Alij paulò ſubtilius interpretãtur: Cùm enim mõtes in ſcriptura ſignificent regna mũdi, exiſtimant mõte Hermõ ſignificari imperia & regna, monte verò Sionis Eccleſiam: tunc autem ſalutarem eſſe concordiam: ſi ros ex montibus Hermon defluat in Sionem, hoc eſt, ſi reges & principes fiant membra Eccleſiæ, & ſuis opibus foueant & ornent Eccleſiam.

Quia illic (Dominus) *mãdauit benedictionem, vitas* (id eſt, cõmoditates vitæ (*ſẽpiternas*,) id eſt, benedictas cõmoditates, quę inter concordes ſemper ſit manſuræ.) Addit propoſitioni aliam confirmationem à promiſſione bonorum ſeu benedictione diuina. Deus, inquit, *læta* bonorum abundãtia teſtatur quantopere ſibi placeat ſtudium cõcordiæ. Vbicunque enim homines viuũt vnanimes & concordes, ibi creſcũt opes & ornamenta vrbium & familiarum, & eccleſia habet fœlicia incrementa, idque ſingulari Dei beneficio: *Quia Deus mandat illic benedictionem*, id eſt, ſuo mandato efficit, vt ſint ibi felices ſucceſſus & vita. Nam Deus dicendo efficit, & Dei benedicere eſt benefacere. Vtitur autem verbo Mandandi, quia cùm tota rerum creatura Deo conditori militet & mandato eius obtemperet, ipſe creaturis tanquam miniſtris imperat, & his tanquam mediis vtitur ad locupletandos homines, qui pacẽ & concordiam alunt.

Vitam intellige non tantùm illam quæ conſiſtit in ſenſu & motu corporis: ſed cum qua coniuncta eſt tranquillitas & lætitia, & vbi foris affluũt bona corporalia, εὐτυχία, ſucceſſus, &c. Nam illa vita, quæ perpetuò miſera & ærumnoſa eſt, mors potiùs quàm vita dici poteſt. Intelligit igitur vitam cui nihil ad fœlicitatem deeſt, quæque caret omni moleſtia, dolore, ærumnis. Pſalmo 30. Vita eſt in fauore Dei. 34. Quis ille vir qui vult vitam. Vitam in perpetuum intelligit eam, cuius fœlicitas in hoc curſu non interrumpatur aliqua calamitate aut ærumna, ſed quæ ſubinde læto & tranquillo animo fruatur ſuis bonis. Sicut autem concordiæ promittitur benedictio & vita: ita ex contrario ſenſu colligamus: Vbi animi diſſident vel in religione, vel in vita ciuili & priuata, ibi diuinitus immitti maledictionem & mortem, hoc eſt, omnis generis ęrumnas & calamitates, quibus tandem eccleſiæ & reſpublicæ euertuntur.

PSALMI CXXXIII.

PARTES.

I. Doctrina, qua Pſaltes communionem ſanctorum celebrat, à bonitate & amœnitate eius. Primum autem occurrit propoſitio, verſi. 1. prolepticè continens epitheta illa duo communionis ſanctorum, quæ per ὑστέρωσιν poſtea explicantur. fratres autem appellantur filij Dei, Eccleſiæ membra, eiuſdem doctrinæ & vitæ participes in Chriſto; qui inter ſe communionem colunt, vt Deus cum ipſis colit.

II. Expoſitio amœnitatis per comparationem, v. 2. de qua vide Exod. c. 30. q. d. vt amœnum eſt oleo vnctionis perfundi Aaronem totum, omniáque veſtimenta eius, & omnibus circunſtantibus odori eſſe: ita amœnum eſt corpus conuenientium in nomine Dei, quos Deus certiſſimè ſua præſentia ornat, & donis ſpiritus odoratiſſimis.

III. Explicatio bonitatis: quæ primum adumbratur duabus comparationibus, nempe roris Hermonis, & pluuiæ montes Iudęæ rigantis: poſtea nudis verbis exponitur, v. 3. benedictionem enim Eccleſiæ ſuæ Deus impertit, nempe remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam in Chriſto, cum donis ſpiritus regenerationis & ſanctificationis, nec non variis beneficiis internis & externis: deinde vitam æternam.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de amabili & ſancta Eccleſiæ concordia, breuiter ſed perſpicuè admodum & elegantiſſimè deſcripta.

Verſ. 1 Vt mirabile & inexpectatum fuit Dei opus, Iudæos tẽporibus Dauidis ad concordiam deſcendere, & ſe mutuò amplecti qui tã acribus odiis per multos annos certauerant: ita nihil beatius inter eos qui Chriſti nomen profitentur, quàm vt ſãcta concordia per Dei verbum & ſpiritum capiti ſuo agglutinentur.

Quicunque Dei verbo ſe placidè ſubmittunt, vt fratres ſunt amplectendi, & Deus ſuppliciter orandus, vt increduli & ſuperſtitioſi ex defectione ad piam concordiam redeant. Præfractos verò, perditos Epicureos, ſceleratos Apoſtatas, crudeles perſecutores, in Deum blaſphemos, & in ſuis ſceleribus ſuperbè exultantes omittere neceſſe eſt.

quibuſcum fraterna coniunctio coli nequit, quin ſummum patrem (à quo omnis cognatio oritur,) abnegemus. Concordia enim, cuius hîc mẽtio ſit, à legitimo capite incipere debet. Quo refellitur pſeudo-Chriſtianorum obiectum, qui Orthodoxis Eccleſiis ſchiſmata exprobrant. Etenim pij nil aliud quærunt niſi vt omnes in veritatem Dei conſentiant, quæ vnicum eſt ſanctæ vnitatis vinculum.

Concordia, de qua impij, hypocritæ ſeditioſi, hæretici, crudeles perſecutores gloriantur, quum Dei gloriam euertere conentur, ſatanica conſpiratio dicenda eſt.

2 Prior hac ſimilitudo oſtendit. 1. Religionem primum ſẽper gradum obtinere inter Dei ſeruos debere: nec vllam veram inter eos eſſe concordiam qui Chriſto capiti verè non coniunguntur. 2. Quã longè lateq; patet eccleſia, concordiam & benedictionem quæ à capite Chriſto manat, diffundi. 3. Nihil ſuauius eſſe ſancta illa & amabili eccleſiæ, ſeruatori ſuo, fide per charitatem operante, adhærentis, concordia.

3 Poſterior ſimilitudo oſtendit. 1. Piam concordiam proferre vtiles fructus & Deo acceptos: ſicuti ros terram irrigando, ſuccum & vigorem ei ſuppeditat. 2. Ieiunam ac ſterilem, miſeram deniq; eſſe hominum vitam, niſi fraterno conſenſu foueatur.

Læta bonorum abundantia teſtatur Deus quantopere ſibi placeat, homines viuere in Chriſto vnanimes. Vide 2. Corinth. 13.11. & Philipp. 4.9.

ARTICVLI PRÆCIPVI.

1. De amabili eccleſiæ Dei concordia.
2. Impiorum vnio ſeu conſpiratio, piis pernicioſa, Deo exoſa.
3. Religionis veræ præſtantia.
4. De Charitate Chriſtiana.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIV.

PSALMVS eſt παραινετικὸς, & ad ſacerdotes ac Leuitas pertinet, qui ex lege iubebantur die ac nocte excubias agere in templo Domini, vt dicitur Leuitici 8. Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini. Et repetitur lex illa Num. 18. Ne igitur interea otioſi eſſent, aut ſomno corpora darent, aut defungi ſe officio exiſtimarent, ſi in templo peruigiles ſtarent, hortatur eos hic Pſalmus, vt dum excubias agunt, laudes Dei decantent & beneficia eius celebrent, non tantùm interdiu, ſed noctu quoque. Deinde vt ſalutem populi aſsiduis precibus Deo commendent. Hoc enim præcipuè illa lege requiri demonſtrat. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Debet autem pſalmus non tantùm ad Leuitas veteris teſtamenti, ſed ad omnes eccleſiæ miniſtros etiam in nouo teſtamento accommodari. Hos enim hortatur Spiritus ſanctus, vt aſsiduè & fideliter munus ſuum obeant docendo, laudando Deum, & orando pro ſalute totius eccleſiæ: atque ita ſinguli ſuo loco gloriam Dei illuſtrent, & regnum Dei in terris ornent & amplificent.

Canticum graduum.

1 ECce benedicite Iehouam omnes ſerui Iehouæ: qui ſtatis in domo Iehouæ per noctes.

Propoſitio eſt hortatoria, vt diximus. Aduerbium, *Ecce*, non eſt otioſum, ſed excitandi vim habet: monet enim vt aſſidui ſint & diligentes in officio, ita vt ne noctu quidem patiantur ſibi obrepere ſomnum, qui impediat ipſorum officium, quaſi dicat, videte ne tempus nocturnum vobis ſit obſtaculo, quin officium faciatis. Eſt quidem tempus nocturnum quieti hominum tributum: ſed vobis lex præcipit, vt etiam noctu vigiletis & excubias agatis, nõ otioſas, ſed in quibus laus Dei celebretur, & eccleſiæ ſalus promoueatur. Nam quibus tantæ rei cura & adminiſtratio eſt commiſſa, eos non decet indulgere ſomno, aut ſua ſomnolentia, & ignauia publicam ſalutem corrumpere. Cæterùm Leuitæ quidem, qui per vices excubias agebant, iubebantur totas noctes inſomnes agere, & pro domo Domini vigilare, vt fieri ſolet in domo regia. Id verò de omnibus miniſtris eccleſiæ ita accipiendum eſt, quatenus ea res ad ſalutem & commodum eccleſiæ pertinet.

Leuitas vocat *ſeruos Dei*, quòd cultui nominis diuini præ cæteris tribubus eſſent addicti: & pertinet hæc appellatio ad omnes miniſtros & doctores eccleſiæ, qui ad hoc munus conſecrati ſunt, vt Deo & eccleſiæ eius ſeruiant. *Stare*, miniſtrorum eſt inſeruientium Deo, & peragentium ea quæ ad cultum ipſius pertinent.

2 Tollite manus veſtras [*ad*] ſanctuarium: & benedicite Iehouæ.

Huius verſus ſententia ex multis pſalmis eſt nota. Diximus enim ſæpe arcam fœderis in ſanctuario poſitam fuiſſe, vt eſſet ſymbolum præſentiæ Dei in hoc populo, atque is promiſerat ſe ibi exauditurum preces inuocantium. Huc igitur faciem & oculos oraturi conuertebant & manus extendebant: Idque non tantùm Ieroſolymis, qui templum ingrediebantur: ſed etiam in tota Iudæa & in exteris regionibus. Cæterum propitiatorio adumbratus erat Chriſtus. Nos igitur ſublatis vmbris, quibus mentes rudiorum tunc attollebantur ad Deum, in noſtris precibus Chriſtum intuemur: ad hunc manus attollimus, & per ac propter ipſum audiri & iuuari nos petimus & ſperamus.

In textu Hebræo ellipſis eſt præpoſitionis ל quã in interpretatione adiecimus. Alij interpretantur in ſancto, id eſt, in cœtu ſanctorum. Alij aduerbialiter, ſanctè.

3 Benedicat tibi Iehoua de Sion: qui fecit cælum & terram.

Alterum officium Leuitarum & ſacerdotum erat, vt pro tota eccleſia orarent. Ideo poſtquam de primo & principali officio eos admonuit, ſubiicit formulam, qua vti ſolebant ſacerdotes, cùm populi ſalutem Deo in precibus ſuis commendarent: vt ſcirent pro ſalute eccleſiæ perpetuo ſibi vigilandum, laborandum & orandum eſſe. Atque hac orationis forma vtebantur ſacerdotes dimiſſuri cœtum, vt voce ſua aliis præirent, & quaſi ἔξαρχοι eſſent precum, quas ſinguli pro ſua ſalute concipere & Deo adhibere debebant. Non enim ea opinione populo benedicebant ſacerdotes in nomine Dei, vt alij ſecurè viuerent aut nihil peterent: ſed vt voce ſacerdotis excitati ſinguli cogitarent ſe maledictos eſſe, niſi diuinitus ſibi benediceretur, eóque ardentius ipſi quoque orationi incumberent.

E Sion] Id eſt, vt nonnulli interpretantur, è cœtu ſanctorum: in quo præſentiam ſuam Deus benigniſſimè exhibebat & teſtabatur, vel ſimpliciter ex illo loco, in quo propoſuit viſibilia teſtimonia præſentiæ ſuæ.

Alij volunt eſſe votum, vt Dominus miniſtris officium ſuum in eccleſia facientibus benedicat. Nam in mundo ferè ſunt in odio & variis iniuriis ſunt obnoxij. Deinde magna eſt ipſorum imbecillitas: ſed benedicit Deus ipſorum laboribus, ne ſint inanes. Deinde etiam ipſis benedicit, dum eos tuetur, defendit, & ornat variis modis in hac vita. Hæc ſententia ſatis concinna eſt: ſed forma orationis ſumpta eſt ex ſacerdotum precatione, qui dimiſſuri populum bene ei precabantur, vt apparet ex Numer. 6. Ideo malo cum cæteris retinere priorem ſententiam. Exiſtimant etiam nonnulli moris fuiſſe, vt ſingulis noctibus aliquis in domo Dei conſtitutus in gradibus hunc pſalmum decantaret, & cæteros ſua voce ad celebrandum Deum excitaret. De quo ſtatuat quiſque vt volet.

Qui fecit cælum & terram] Hæc verba adiecta ſunt precum formulæ, ad notandam Dei potentiam, vt fides in petendis bonis corporalibus & ſpiritualibus confirmaretur. Deinde vt hoc epitheto ab idolis & commentitiis numinibus Deus, in populo Iſrael patefactus, diſcerneretur.

PSALMI CXXXIV.

PARTES.

I. Hortatio Pſaltis, Eccleſiæ nomine, ad Sacerdotes & Leuitas ad laudationem Dei, tum muto geſtu, tum mentali & vocali oratione, v.1. & 2.

II. Precatio ſeu promiſſio, qua Sacerdotes primùm Eccleſiæ toti bene precantur. Deinde grato animo Deum glorificant, vt qui particulari beneuolentia ex genere humano ſuam collegerit Eccleſiam, in Iudæa primùm: & vniuerſali potentia mundum creauerit, quem immenſa ſapientia gubernat, v.3.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de diuinarum laudum perpetua procuratione atque celebratione.

Verſ.1. Quum illud nobis innatum & ſolēne ſit, externis ceremoniis nimium inhærere: iubet S. ſpiritus, vt pij omnes (quibus Eccleſiæ miniſtri doctrina & exemplis præire debent) ſe exerceāt in ſpirituali Dei cultu, & ritus omnes externos ad præcipuum illud ſacrificium referant, vt Dei laudes celebrentur.

2 Ceremoniæ ſanctæ ſunt, quæ ſpiritualem illū cultū promouent, & piorum animos ad Deum erigunt. Videndum autem, vt manus noſtræ puræ ſint, vt ab humili ſinceróque cordis affectu dirigantur.

3 Paſtores Eccleſiæ aliis fidelibus ita præire debent, vt quiſq; priuatim domi, pro menſura donorū à Deo acceptorum, imitetur quod in ſacris cœtibus diſcere debuit.

Populo fideli benedicunt miniſtri eccleſiæ, quatenus Chriſti perſonam gerunt.

Creatoris elogium iubet vt nihil non ſperare audeamus ab eo qui omnipotentiæ ſuæ teſtimonia in tot creaturis ex nihilo factis, & ſapienter adminiſtratis ac conſeruatis exhibet.

Procul nō eſt quærēdus Deus, nec in obſcuro latet, ſed in verbo ſuo eccleſiæ patefacto reperitur, vt facilè familiariter liberè ad eum accedamus: ac vt in cælis & terris potentiam, ita in Sione, id eſt, Eccleſia, paternum eius amorem agnoſcamus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudibus Dei.
2. De paſtorum Eccleſiæ & piorum omnium officio.
3. Cultus interni & externi conſideratio.
4. De benedictionibus publicis, earundémque ſumma.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXV.

E TIAM hic pſalmus hortatur ſacerdotes & Leuitas, quorum erat ſtare in domo Iehouæ, id eſt, miniſtrare Deo in illo cultu externo peragendo, vt quoties excubias ad templum agerent, aut miniſterio ſuo fungerentur, ſimul animos exuſcitarent ad meditanda & celebranda beneficia diuina, ne perfungi ſe ſuo officio exiſtimarent, ſi in externo cultu aut munere obeundo eſſent aſſidui & diligentes. Atque hæc quidem etiam in præcedente pſalmo præcipiuntur. In hoc verò pſalmo quaſi materia etiam piæ meditationis ac celebrationis præſcribitur. Poſtquam enim hortatus eſt ſacerdotes & Leuitas, ſubiicit prolixam commemorationem operum Dei, quæ digna ſint cōſideratione ac prædicatione aſſidua. Sunt autem illa opera duplicia. Nam quædam generalia ſunt, quæ non tantùm ad eccleſiam, ſed etiam ad omnes homines pertinent, vt eſt creatio, ſuſtentatio & conſeruatio, qua Deus adeſt toti opificio ſuo, & rerum ſubſtantias ſeruat, ſuſtentat cælum, & motus cæleſtes iubet eſſe aſſiduos, fœcundat terram, procreat fruges in terra, creat vitam in viuentibus. Atque in hac ſuſtentatione rerum creatarum, & fœcundatione terræ, aſſiduè magna miracula & teſtimonia ſuæ gloriæ, potentiæ, bonitatis & φιλανθρωπίας edit. Sed alia ſunt ſpecialia opera ſeu beneficia, quæ eccleſiæ propria ſunt: ideo cùm ab his narrationem exorſus eſſet, mox ad ea commemoranda regreditur. Inter illa verò opera primum & ſummum eſt, quòd populum Iudaicum ſibi ex toto genere humano ſelegit & adoptauit, cui voluntatem ſuam patefaceret, & quem participem faceret bonorum cœleſtium & æternorum. Illam verò patefactionem & adoptionem poſtea multis magnis & illuſtribus miraculis confirmauit in eductione populi ex Ægypto, & in tradenda poſſeſſione terræ Canaan. Hæc igitur omnia agnoſci vult & celebrari: & vt populus rudis ad conſiderationem horum beneficiorum excitetur, ſacerdotes & Leuitas ſua voce præire cæteris, eóſque ſuo exemplo excitare ad hoc pietatis officium iubet. Inſeritur autem commemorationi operum Dei, etiam narratio de idolorū vanitate, qua ethnicorum ſuperſtitioſi cultus ridentur, vt è regione potentia & gloria Dei, quæ in operibus eius elucet, magis commendetur, & pij in vero Deo agnoſcendo & celebrando ſint ardētiores. Si enim gentes magnis ſumptibus & operoſis ceremoniis colunt ſua idola, in quibus tamen neque ſenſus neque motus eſt, quàm turpe fuerit, pios qui verum Deum agnoſcunt & colunt, aſſiduitate & ſtudio ab his ſuperari?

1 HAleluiah. laudate nomen Iehouæ: laudate ſerui Iehouæ.
2 Qui ſtatis in domo Iehouæ: in atriis domus Dei noſtri.
3 Laudate Deum, quia bonus Iehoua: canite nomini eius, quoniam ſuaue eſt.

Primi tres verſus habēt propoſitionem, quæ eſt adhortatio ad gratias Deo agendas, & celebrandum nomen eius. In tertio verſu repetitæ propoſitioni adiicitur ratio cur celebrādus ſit. Ea generalis eſt, & complectitur omnia Dei opera, in quibus bonitas eius conſpicitur, vt iam dicemus.

Laudate nomen Iehouæ] Verbo laudādi docet quæ præcipua ſint miniſtrorū eccleſiæ officia, & quibus ſacrificiis Deus maximè gaudeat & delectetur. Nam huc omnis ipſorum labor & cultus ille externus referri debet, vt Deus rectè agnoſcatur & celebretur. Sicut multa dicta præcipiunt, de quibus dictum eſt pſal. 50.

Nomen Iehouæ] Id eſt, Deum ſicut ſe patefecit, ſeu Deum rectè agnitum in ipſius verbo & operibus.

Seruos iterum vocat ſacerdotes & Leuitas, vt ſuprà Pſalmo præcedente, id quod ex ſecundo verſu colligitur, cùm dicit eos ſtare in domo Iehouæ. Nam ſtare eſt miniſterij publici, quod à Leuitis mactando, expurgando templum, excubias agendo, à ſacerdotibus, offerendis ſacrificiis & aliis cæremoniis peragebatur. Eſtque metonymia in verbo. Accipitur enim ſignum pro ſignato. Infrà autem in fine Pſalmi audiemus ita moneri ſacerdotes & Leuitas, ne populus excludatur. Sed quia populus rudis & tardus erat ad hæc pietatis officia, vult ſacerdotes ſua voce, & hoc pietatis exercitio cæteris præire, & præcinendo vel dictando Dei laudes, eos ad pietatem extimulare. Eſt igitur in vocabulo עבדי ratio ſumpta ab ipſorum officio. Eſtis, inquit, ſerui Dei, & peculiariter addicti eius cultui: ergo decet vos eſſe exarchos communium precum.

In atriis] Hîc videtur ſimul reliquam multitudinem complecti. Vtitur enim plurali numero, quia ſacerdotibus quoque ſuum erat atrium. Deinde erat alterum communè totius populi, Leuit. 16. Ergo vult ſacerdotes ita celebrare Dei

laudes,vt populus ſuam vocem coniungat,idque poſtea in fine clariùs oſtenditur.

Quoniam bonus]Hæc eſt confirmatio propoſitionis,ſumpta à Dei bonitate. Eſt autem,vt dixi,hoc generale,& referendum eſt ad omnes eius actiones,ſiue ſint generales, ſiue ſpeciales. Dicitur autem Deus bonus, quia ſola naturæ bonitate mouetur,vt benefaciat generi humano,&quidem ingratis etiam. Sinit enim ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Ea enim eſt veræ bonitatis natura, vt ſua ſponte moueatur ad benefaciendum, ſiue gratia referatur, ſiue non, & tantùm officio benefaciendi delectetur, ſine captatione. Nam quod de ὕβρει dicitur, ὕβρις οὐδὲν κερδαίνουσα ὅμως ἀδικεῖ, id de bonitate mutato verbo verè & rectè dicitur, ἀγαθότης οὐδὲν κερδαίνουσα ὅμως εὐεργετεῖ.

Canite nomini eius]Id eſt,celebrate Deum ex verbo & operibus eius rectè agnitum. Nam quod bonus ſit, ideóq; dignus celebratione,id non tantùm ex verbo,ſed ex omnibus eius operibus intelligitur.Hæc igitur bonitas eſt illud nomen quod cani & celebrari vult.

Quoniam ſuaue]Nomen Hebræum alij adiectiuè exponunt, & referunt ad nomen שם,eodem ſenſu, ſicut antea dixerat, quia eſt bonus:alij tamen ſubſtantiuè malunt exponere,quoniam ſuaue, vel res ſuauis, res decora & pulchra eſt canere Domino.Sicut infrà Pſalm.147.Laudate Dominum,quoniam bonum eſt canere Deo noſtro, quoniam iucunda & decora eſt laus.Eſt itaque hæc altera ratio propoſitionis à ſuauitate, quia non tãtùm decet nos,qui beneficiis affecti ſumus, autorem celebrare: ſed etiam quia res ipſa per ſe eſt plena ſolatij. Animus enim dum excitatur cogitatione beneficiorum Dei ad celebrationem eius,ſimul accenditur & confirmatur fides, & lætitia acquieſcens in Deo. Hæc eſt igitur illa ſuauitas aut iucunditas,de qua præcipuè in hoc verſu loquitur.

4 Quia Iacob elegit ſibi Deus: Iſraelem in peculium ſibi[*ſuum.*]

Sequitur amplificatio primæ rationis per diſtributionem. Commemorat enim præclara Dei opera, in quibus bonitas eius & φιλανθρωπία elucet: Primo loco autem ſummum illud beneficium recenſet, quòd ex toto genere humano morti & æternæ damnationi obnoxio populum Iſraeliticum ſibi delegit, cui ſeſe patefaceret, & bona ſua cæleſtia communicaret,poſthabitis cunctis aliis gentibus.Hoc beneficio quia nullum aliud maius cogitari poteſt, primo loco id collocat,vt eius mentione omnes ad gratias agendas exuſcitet.Et nos,quibus hoc tempore Deus immenſa bonitate ſeſe patefecit,&voce doctrinæ cæleſtis inter nos ſibi eccleſiã collegit, decet hoc beneficium agnoſcere & grato animo celebrare. Videmus enim maximam partem generis humani oppreſſam eſſe triſtiſſimis errorum tenebris, & horribili idololatria atq; aliis ſceleribus pollutam & contaminatam, atque ideo à Deo alienã eſſe.Interea verò in his locis colligit Deo aliquam eccleſiam, cui in omni æternitate ſuam ſapientiam & iuſtitiam communicet. Id igitur qui nõ agnoſcit,atque eius cogitatione interdum ad gratias Deo agendas exuſcitatur,eum non eſſe ſtupidum tantùm,ſed impium prorſus & in Deum,& in ſe quoque neceſſe eſt.

Vtitur autem propheta verbo eligendi, vt ſuos auditores admoneat,nulla eos excelluiſſe propria virtute aut dignitate, qua Deum demererentur,vt prætéritis aliis in ſacrum ab illo populum adoptarentur,ſed totam rem pendere à gratuito fauore Dei.Eo magis igitur ipſos Deo obſtrictos eſſe, qui nõ tãtùm illis generalibus & communibus beneficiis,vti creatione & conſeruatione vitæ,communicatione lucis diurnæ, & aliis, ſed patefactione ſuæ voluntatis, & promiſſione bonorum cæleſtium,quam deinceps fœdere peculiari confirmauit & obſignauit,eos ſibi deuinxit.

Nomen סגלה ſignificat peculium ſingulare & proprium,ſeu rem peculiarem & propriam. Nonnulli exiſtimant in ſpecie ſignificari certum ornamenti genus, cui incluſæ ſint tres pretioſiſſimæ gemmæ forma triangulari, ideóque præ cæteris tãquam peculiare aliquod κειμήλιον ſit charum: atque inde dici Segol grammatici volunt, nimirum quòd forma triangulari ſit diſpoſitum. Et Paulus ad Titum 2.cap. reddidit περιούσιον, quaſi dicas, chariſſimas & pretioſiſſimas opes, quod recondimus & aſſeruamus. περιουσίαν enim Græci vocant, quod ſupereſt, nec ad vſum quotidianum aut neceſſarium victum requiritur, ideóque reconditur, ſicut Geta apud Terent.ſuum peculium definit,quod vnciatim vix de demenſo ſuo, ſuum defraudans genium,comparſit miſer. Eiuſmodi verò facultates maximè omniũ proprias nobis putamus & chariſſimas. Huic affinis eſt ſignificatio verbi סגל apud Chaldæos, apud quos lucrari ſignificat.

5 Quia ego cognoui quòd magnus [*ſit*] Iehoua: & Deus noſter præ omnibus diis.

Poſtquam de principali beneficio dixit, quod eccleſiæ ſeu populo Dei peculiare & proprium eſt, nunc alia recenſet opera,in quibus partim bonitas,partim potentia Dei conſpicitur:vt ſi quem beneficiorum magnitudo non moueat ad celebrandum autorem,is ſaltem potentiæ eius metu ad hoc pietatis officium & reuerentiam excitetur. Sunt autem hæc opera, quæ nũc commemorare incipit,generalia illa,ſumpta à creatione & conſeruatione mundi, ab aſſiduis miraculis, quæ vel in nubibus,vel in aëre, vel in terra, vel in mari edit, vt omnipotentiam ſuam omnibus oſtendat, & ad nominis ſui cultum omnes excitet. Eſt enim totus hic mundus,eiúſque compages & ordo, certæ leges motuum in corporibus cæleſtibus, mirabiles effectiones ſtellarum,gratæ vices temporum, aſſidua cõſeruatio ſpecierum, pulcherrimum quaſi theatrum, &, vt Euripides inquit, καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ, oſtendens architecti ſapientiam & potentiam, & monens, autorem tanti opificij eſſe colendum & celebrandum. Itaque,etiamſi nulla extarent in eccleſiam beneficia peculiaria, tamen propter hanc potentiam, in qua ſimul ſingularis eius bonitas & φιλανθρωπία elucet, erat timendus & adorãdus.Hoc igitur monet hic verſus, & duo ſequentes. Eſtque in hoc verſu collatio Dei cum idolis, taxans gentium idololatriam & ſuperſtitioſos cultus. Gentes enim, relicto vero Deo, vana numina colunt, in quibus nullus eſt ſenſus, nulla vis, nullum robur: Deus verò,qui ſe Iſraeli patefecit, eſt maior & potentior, non tantùm idolis, ſed omnibus creaturis. Hic igitur eſt agnoſcendus à nobis & celebrandus.

Ego cognoui] Ita loquitur propheta,non quòd alios excludat,ſed potiùs vt ex ſuo ſenſu & ſuo exemplo excitet cæteros ad eandem attentionem.

Deus noſter] Id eſt,qui ſe nobis patefecit tradito certo verbo,& illuſtribus teſtimoniis præſentiã ſuam in hoc populo & amorem erga nos oſtendit, dum nos mirabiliter tuetur & defendit.*Eſt magnus præ omnibus*,id eſt,maior & potẽtior omnibus. Sed cur ita in comparatione loquitur propheta, cùm ex Paulo 1.Cor.8.& tota Scriptura notum ſit, Idolum nihil eſſe, ideóque fruſtra cum Deo comparari? Reſpondeo, Reſpicit Pſaltes ad opinionem hominum, non ad rem ipſam. Gentes enim iudicabant eſſe Deos,quos colerent, ideóque honorem illis exhibendum iudicabãt. Itaque ad horum opinionem reſpiciens,inquit,Deus noſter eſt maior: non quòd Dij gentium aliquid ſint, ſed quòd aliquid eſſe iudicabantur, quaſi vtens conceſſione: Etiamſi quid eſſent Dij gentium, vt illi exiſtimant, tamen noſter Deus maior & potentior eſt. Alij putant vocabulum אלהים Dij, de Angelis intelligendum eſſe, in quibus etſi aliquid diuinum elucet, quatenus cæleſtes ſunt virtutes & principatus, ſupereminet tamen Deus ipſe, & excellit poentia & gloria in infinitum.

6 Omnia quæcunque vult Iehoua, facit in cælis & in terra,in mari & in omnibus abyſſis.

Probatio eſt præcedentis verſus.Nam ex operibus eius magnitudinem & potentiam oſtendit. Complectitur autem his verbis totam creationem,& aſſiduam conſeruationem rerum creatarum,&gubernationem,quam affirmat ſimpliciter pendere à potentia & voluntate Dei. Deus,inquit,liberrima voluntate cõdidit cælum & terram,& ſuo arbitrio omnia in hoc mundo gubernat & moderatur. Ergo neceſſe eſt hunc eſſe verum Deum & omnipotẽtem, eſtque is ſolus ab omnibus adorandus & colendus.Eſt autem hoc teſtimonium obſeruandum primum contra Stoicos, & cæteros, qui æternam materiam fingunt, & Deum cauſis ſecundis ita alligant, vt non poſſit aliter agere,quàm ſicut illæ cient. Manifeſtè enim dicit,*omnia quæ vult*,aut quæ placent ei,facit. Eſt igitur Deus agens liberrimum,& ſicut libera voluntate creaturas quas voluit, condidit: ita eaſdem liberè conſeruat, & ſuo arbitrio moderatur & regit, ita vt omnia in hoc mundo pendeant ab ipſius nutu & prouidentia, non à materiæ motu aut cauſarum connexione. Hæc doctrina dulcem conſolationem affert in rebus aduerſis, cùm fides ſtatuit Deum poſſe contra ſecundas cauſas ſeruare ſuos. Sæpe enim in eas calamitates deueniunt pij, vt ſi cauſas ſecundas aſpiciant, nulla euaſio appareat.Hîc occurrat nobis hoc dictum.Deinde refutantur hoc dicto etiam Epicurei, qui exiſtimant Deum ſedere otioſum in cælo, & omnia in hoc mundo ferri temerè ſeu caſu. Conſultò enim propheta omnes mundi partes,cælum,terram,maria & abyſſos nominat,vt oſtendant nullam eſſe mundi partem,ad quam ſe cura,imperium & adminiſtratio diuina non extendat, & nihil vſquam fieri confuſè aut fortuitò. Non igitur otioſa eſt illa diſtinctio hoc loco. Manifeſtè enim refutat Ethnicos, qui dicunt, *Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui.*

7 Aſcendere faciens [*qui fecit aſcendere, ſeu eleuat*] nubes ab extremo terræ, fulgura ad pluuiam

facit:

facit: educit ventum ex theſauris [*locis abſconditis*] ſuis.

Generalem ſententiam probat & declarat prolata vna atque altera ſpecie, vt ex his exemplis cætera intelligantur. Conſultò autem illa recenſet, in quibus vulgus caſum dominari exiſtimat. Nam & pluuias caſu ita gigni ex vaporibus temere aſcendentibus ex terra & in aere frigido condenſatis iudicat, & ventos temere exiſtere & ferri ſuo impetu credit. Contrà verò inquit vates diuinitus attolli nubes ab extremis terræ partibus, quoties Deo viſum eſt. Et vt miraculum fiat illuſtrius, dicit fulgura pluuiæ miſceri, & ſæpe crebra fulgura inter largiſſimos imbres emicare: quæ res vt ſcitis, ſunt prorſus contrariæ, ita vt niſi quotidiana experientia hæc cognita eſſent, miraculum videretur incredibile. Eſt enim materia fulgurum exhalatio calida & ſicca, vt apta ſit incendio: contra nubium materia vapor eſt frigidus & humidus. Ventorum etiam cauſam conantur reddere Phyſici, & quanquam ſunt eius cauſæ in natura: tamen propheta affirmat diuinitus excitari ventos, quia illa generatio ventorum & multiplex agitatio plena miraculi, non fit cæco naturæ inſtinctu, ſed Deo volente & iubente.

8 Qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine vſque ad beſtias.

Ab operibus Dei generalibus redit ad illa ſpecialia, quæ populo Dei propria & peculiaria erant. Volebat enim ſuos auditores ad gratitudinem excitare, quos commemoratione horum beneficiorum, in quibus peculiariter paternum ſuum amorem erga hunc populum Deus oſtendit, magis moueri, quàm cæteris illis, quæ omnibus obuia ſunt, credebat. Poſtquam igitur Deus populum Iſraeliticum ex toto genere humano ſibi delegit, cui ſeſe patefaceret & certo fœdere ſe obſtringeret, addidit inſignia teſtimonia potentiæ, fauoris & præſentiæ ſuæ in hoc ſuo populo, primùm in Ægypto, cùm triſti & dura ſeruitute oppreſſus eſſet populus, & iam crudeliſſima edicta regis de necandis Hebræorum filiis, & funditus extirpandis Iudæis propoſita eſſent. Inter illa autem miracula, non ſeruato ordine hiſtorico primo loco recenſet id quod recitatur Exod. 12. capite de occiſis Ægypti primogenitis. Quo facto Deus oſtendit quam pretioſa ei eſſet ſalus populi ſui, cuius reſpectu tā magno & opulento regno non pepercit.

Ab homine vſque ad beſtiam] Id eſt, tam hominum quàm pecorum.

9 [*Et*] miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaone & in omnibus ſeruis eius.

Hic verſus ſummatim complectitur omnia miracula edita in Ægypto, antequam populus educeretur, quæ deſcribuntur 7.8.9.10.& 14. Exod. Nam quòd Pharaonis & ſeruorum eius meminit, reſpicit ad vltimam pœnam, quādo cum ſuo exercitu Rex ſubmerſus periit in mari rubro. Fuit autem hoc miraculum illuſtre teſtimonium præſentiæ Dei in hoc populo. Ideo Exod. 23. iubet eius memoriam perpetuò conſeruari & celebrari: & hoc loco, mentione eius miraculi, populum ad gratitudinem vult excitare.

10 Qui percuſſit gentes multas: & occidit reges fortes.

Secundo loco recenſet beneficia, quæ præſtita ſunt Iſraelitis, cùm iam egreſſi eſſent ex Ægypto, neque tamen omnia. Omiſſis enim omnibus illis, quibus præſentiam ſuam, & amorem in deſerto per annos quadraginta oſtendit, recenſet ea quæ paulò ante ingreſſum populi in terram Canaan acciderunt: primùm vt oſtendat non ita eductos fuiſſe Iſraelitas ex Ægypto, vt poſtea deſerti à Deo in vaga peregrinatione perirent, ſed vt in terram promiſſam introducerentur. Ideo cùm acceſſiſſent ad terram Canaan, Deus percuſſit & deleuit gentes magnas, vt harum regna & ſedes Iſraelitis attribueret. Deinde non ſine cauſa, gentes nominat multas ſeu magnas, & reges fortes. Vult enim monere non humanis viribus, ſed potenti manu Dei initio occupatam eſſe terram, & poſtea vſque ad fatalem periodum conſeruatam eſſe. Inde igitur & amor Dei erga hunc populum, & potentia eius deprehenditur.

Gentes in Scriptura nominantur populi terræ Canaan, Iebuſæi, Hettæi, Phereſæi, Heuæi, Gergezæi, Amorrhæi & Cananæi. Has nominat magnas gentes, & harum reges fortes, vt è regione Iudæos commonefaciat, maiores ipſorum neque numero neque viribus pares fuiſſe hoſtibus ſuis.

Fortes reges] Horum nomina & regnorum ſedes recenſentur Ioſue 12.

11 Sihon regem Amorrhæum, & Og regem Baſan: & omnia regna Canaan.

B' ἐξήγησις eſt ſuperioris verſus à diſtributione, in qua tamen non omnes reges nominatim recenſet, neque eos qui fuerunt omnium potentiſſimi, ſed qui præcluſo terræ aditu maximè erat formidabiles Iudæis, præſertim cùm populus nondum ad bellandum eſſet aſſuefactus, vt apparet ex Num. 20. & 21. poſtea in genere complectitur omnes, cùm dicit, *omnia regna*.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraeli, populo ſuo.

Hoc tanquam vltimo beneficio concludit hanc narrationem. Deus in fœdere inito cum maioribus promiſerat terrā Canaan poſteris Abrahæ, tandem verò ex fœdere id præſtitit. Ideóque tot miracula præceſſerunt, quæ oſtenderent diuinitus tradi hanc terram Iſraelitis poſſidendam. Cæterùm poſſeſſio terræ Canaan certum & firmum erat teſtimonium ſeu σφραγὶς eius adoptionis, de qua ſupra verſu quarto dixerat. Teſtabatur enim hæc poſſeſſio terræ promiſſionem eſſe ratā & firmam, ideóque piis erat perpetuum ſacramentum, quo de amore Dei erga ſe certiores redderentur. Hoc igitur erat principale in hoc beneficio, de quo cogitare pios, & eius cogitatione accendi ad gratiarum actionem iubet. Deinde illa ipſa hiſtoria de introductione populi in terram Canaan tot miraculis plena, monebat Iſraelitas hanc politiam non tantùm initio diuinitus conditam & conſtitutam eſſe, ſed huc vſque etiam inter varia pericula & crudeliſſimas vicinorū hoſtium molitiones ſeruatam & defenſam eſſe, vt non tantùm de illo ſpirituali beneficio omniū maximo, de quo poſſeſſio terræ Canaan aſſiduè eos monebat, ſed de corporalibus quoque, quæ multa & varia in hac aſſidua conſeruatione politiæ concurrunt, gratias Deo agendas eſſe ſcirent.

13 Iehoua, nomen tuum in ſeculum: Iehoua, memoria tui in generationem & generationem.

Commemorationi beneficiorum addit epiphonema, quo teſtatur ſe aſſiduè cogitare de tantis beneficiis, & futurū prædicit, vt ad omnem poſteritatem memoria horum beneficiorum vigeat & celebretur. Hoc igitur & ſuo & poſteritatis exemplo auditores excitare vult, vt ipſi quoque in celebrādis beneficiis diuinis ſint aſſidui, & ſimul monere, vt cogitent Deum pro innumeris beneficiis, quibus afficit genus humanum, non aliud requirere officium, quàm animum gratum & vocem celebrantem beneficia accepta, non quòd his noſtris officiis indigeat: ſed cùm ſit bonus & beneficus, inprimis erga eccleſiam, cui ſeſe in omni æternitate communicat, vult ab ea viciſſim agnoſci & celebrari.

Nomen] Eſt id quod ex operibus ſeu beneficiis eſt adeptus, & quo qualis ſit agnoſcitur. Oſtendit autem in his operibus ſe eſſe non tantùm omnipotentem, ſed etiam iuſtum & beneficum ac miſericordem, cùm erga totum genus humanum, tum verò inprimis erga eccleſiam. Talis igitur agnoſcetur & celebrabitur in omni æternitate. Et hoc eſt, quod dicit, *nomen Iehouæ eſt in ſeculum*.

14 Quia iudicabit Iehoua populum ſuum: & ſeruis ſuis erit propitius.

Addit rationem, in qua nonnulla Dei opera propter quæ in eccleſia celebrandus ſit, recenſet. Mundus cōtemnit ſumma illa beneficia quæ quotidie accipit à Deo, exiſtimat enim vel caſu exiſtere illa bona, vel parari humana induſtria. Vult tamen Deus non prorſus interire memoriam ſuorum beneficiorum: ideo excerpit ſibi eccleſiam ex genere humano, à quo agnoſcatur & celebretur. Hanc igitur *iudicat*, id eſt, vindicat ab iniuria & interitu, ſeruat & defendit eam cōtra furores diaboli & organorum eius, eſtque aſſiduus cuſtos & defenſor, vt his beneficiis excitata offerat illud iuge laudis ſacrificium, de quo alibi præcipitur. Eſt enim verbum Hebræum legale ſeu iudiciale, quod cōplectitur omnes partes iuſti iudicij. Eſt autem boni & iuſti iudicis, defendere bonos aduerſus vim & iniuriam: malos verò pœnis afficere. Scribitur quidem in futuro, ſed ſignificat hoc loco continuum actum. Interea tamen hoc notandum, ſæpe eccleſiā incidere in eas calamitates vt videatur neglecta & deſerta, & in præſentia non videatur habere iuſtum iudicem, qui cauſam eius aſſerat, & innocentiam eius tueatur aduerſus hoſtes. Hic ſuccurrere nobis debent verba huius pſalmi: Dominus iudicabit populū ſuum, & ſeruis ſuis erit propitius. Etiamſi ſinit nos aliquādiu affligi: tamen iuſtum tandem exercebit iudicium. Hoc ſenſu vtitur hac ſententia etiam Moſes, Deuter. 32. in ſuo cantico, vnde eſt tranſcripta.

Alij verbum Iudicandi intelligunt de voce doctrinæ arguēte peccata, & concionante de pœnitentia, & huc accommodant illud Geneſ. 6. Non iudicabit ampliùs Spiritus meus in homine, id eſt, non ampliùs verbis arguet: ſed pœnarum ſenſu & interitu generis humani. Sed ex Moſe facilè intelligitur

Priorem ſententiam eſſe veriorem. Quod enim Moſes ad ſui temporis hoſtes, qui populum aſſiduè infeſtabant, accommodat, id propheta ad eccleſiam omnium ætatum trahit, & ad omnia tempora pertinere oſtendit. Nunquam, inquit, patietur Deus penitus interire eccleſiam, ſed aderit perpetuus iudex & defenſor. Nonnulli futurum tempus in præteritum conuertunt, ac ſi loquatur de pœna Ægyptiorum: ſed hoc videtur eſſe coactum.

Super ſeruis ſuis pœnitentia ducetur] Id eſt, etiamſi pœnis interdum exerceat ſuos, in quibus quaſi iratum & ſeuerum iudicem, etiam erga eccleſiam ſe oſtendit: tamen tandem mitigabit pœnas, & incipiet clementiùs tractare ſuos.

Dicitur Deus pœnitentia duci, vt inquit Auguſtinus libro 83. quæſt. quæſtione 52. quoties factum mutat: forma ſermonis ab hominum conſuetudine ſumpta. Homines enim non ſolent inſtitutum ſuum mutare, niſi eos facti alicuius pœniteat. Deus igitur agens ea quæ pœnitentes ſolent, dicitur ἀνθρωποπαθῶς pœnitentia duci, nec cadit mutatio aliqua in Deũ, ſed ea apparet in ipſa re. Ideo Theodoretus in Geneſin inquit, μεταμέλεια ἐπὶ θεοῦ οἰκονομίας ἐστὶ μεταβολή.

Verbum Hebræum in genere ſignificat dolere, ſed vario reſpectu & ſecundùm varia obiecta. Interdum ſignificat dolere de proprio facto, interdum de alterius calamitate, interdum ex conſequenti mitigare alterius dolorem, & lenire cõſolando vel aliis etiam officiis. Nos primam ſignificationem retinuimus: ita tamen vt diceremus Deum aliter pœnitere, quàm homines. Non enim ipſius pœnitentia iuncta eſt cum dolore, neque accidit poſt errorem. Sed aptè etiam huc reliquæ duæ referri poſſunt. Deus enim miſeretur noſtri in calamitate & cruce, ita vt incaleſcat viſcera eius, vt patris erga liberos, & afficiatur miſeriis noſtris, vnde plerique Hieronymum ſecuti reddiderunt, Deus erit placabilis ſeu propitius populo ſuo. Quia verò commiſeratione erga nos mouetur, lenit etiam dolorem noſtrum, dum non tantùm mitigat calamitates & ærumnas, ſed etiam quia ſpiritum ſuum mittit in corda noſtra, quem Chriſtus nominat paracletum, qui in verbo oſtendit Deum nobis eſſe placatum, & corda noſtra confirmat, vt ſuſtinere ærumnas poſſint: tandẽ etiam lætitia nos perfundit acquieſcente in Deo, & ſuperante omnem dolorẽ. Hæc eſt ſolida conſolatio, quæ in hac vita ſuos habet gradus & ſuas vices, donec tandem in altera vita omnem lacrymam à facie piorum Deus abſtergat.

15 Simulachra gentium, argentum & aurum: opus manuum hominum.

16 Os [*eſt*] illis & non loquuntur: oculi [*ſunt*] ipſis & non vident.

17 Aures ipſis & non audiunt: naſus [*ipſis &*] nõ [*eſt*] ſpiritus in ore ipſorum.

18 Sicut illi, qui faciunt illa: [*&*] omnis qui confidit in eis.

Dixit de vero Deo colendo & adorando in hoc populo: nunc ex antitheſi damnat idololatriam gentium, vt ſuos auditores muniat & præmoneat, ne in inuocatione aut gratiarum actionis cultu aberrent à vero Deo, néve creaturæ potiùs quàm creatori beneficium acceptũ referant. Vult enim Deus eccleſiam ſuam ab impiis & idololatris diſtinctam eſſe opinionibus, cultibus & moribus, & vult ab eccleſia rectè agnoſci & coli iuxta verbum à ſe traditum, & hoc cultu diſcerni ab omnibus commentitiis numinibus. Hæc cauſa eſt cur deſcriptioni veri cultus è regione attexat prolixam inſectationem idololatriæ Ethnicæ.

Cæterùm de ſententia huius & ſequentium verſuum dictum eſt ſuprà pſalmo 115. vnde ea quæ ad explicationem pertinent, requirantur. Argumenta quibus vtitur, ſunt ſumpta, I. ab appellatione: ſunt ſimulachra; ergo nihil, imò dolorem afferunt. II. à materia. III. à cauſa efficiente. IIII. à forma ridicula & inepta.

19 Domus Iſrael, benedicite Iehouæ: domus Aaron, benedicite Iehouæ.

20 Domus Leui, benedicite Iehouæ: timentes Iehouam, benedicite Iehouæ.

Epilogus eſt, in quo repetitur propoſitio pſalmi amplificata per diſtributionem. Hortatur enim omnes ordines & gradus hominum, vt vnuſquiſque beneficia diuina agnoſcat & celebret, & miniſterium publicum ornet.

Pſalmo 115. vtitur verbo fidendi, quia ad illum pſalmum hoc magis congruebat, in quo petebat defenſionem & liberationem, & in hac petitione querelas exponit de inſolentia hoſtium, qui ſuperbè inſultantes Iſraelitis, clamabant, vbi nunc eſt Deus eorum? atque ita fidem in multis labefactabant. Hic verò vtitur verbo benedicendi, quod magis propoſito argumento congruit. Cætera conueniunt. Fit autem ſententia illuſtrior, ſi antitheſis ex prioribus ſemper acceſſatur. Benedicite Iehouæ: non mutis & mortuis idolis, quibus talis cultus nequaquam debetur, & qui iuuare inuocantes non poſſunt.

21 Benedictus Iehoua ex Sion: qui habitat in Hieruſalem. Haleluiah.

Claudit hortationem epiphonemate, & ipſe tanquã ἔξαρχος initium facit publicæ gratiarum actionis, vt multitudo hoc exemplo excitata ſubſequatur. Laudetur, inquit, & celebretur Deus perpetuò, propter immenſa beneficia quæ populo ſuo præſtitit. Addit autem è Sion, id eſt, ex illo loco, vbi promiſit ſe adfuturum nobis, propoſitis externis ſymbolis præſentiæ ſuæ, & exauditurum preces inuocantium, & gratũ habiturum ſacrificium offerentium in vera fide.

Qui habitat in Ieruſalem] Non quòd in tam anguſtum locũ includatur Dei maieſtas, ſed quòd gratiæ ſuæ viſibilia ſigna ibi propoſuiſſet. Deus quidem vbique eſt per eſſentiam, ſed non per inhabitationis gratiam, inquit Auguſtinus.

PSALMI CXXXV.

PARTES.

I. Exordium, quo Sacerdotes, Leuitæ, & populus, quibus ſua atria erant (2. Chron. 4. 9.) hortantur ad laudationem Dei, v. 1. & 2.

II. Propoſitio ſumma argumentorum ad Dei laudes pertinentium. 1. Deus ſua natura bonus & amœnus ſeu benigniſſimus eſt, v. 3. 2. Talem ſe exhibet ſuis, v. 4. 3. Potentiſſimum verò exteris, v. 5. quæ duo poſtea copioſius per ὑστέρωσιν exponuntur.

III. Explicatio poſterioris membri prolepſeos de omnipotentia Dei, tum in omnibus rebus creatis, v. 6. & 7. tum in hoſtibus Dei & populi ipſius demonſtrata, v. 8. 9. 10. 11. Sequitur explicatio membri prioris de bonitate & amœnitate Dei erga populum ſuum, quæ non tantùm in traditione terræ poſita eſt, verſ. 12. ſed in conſtante Dei beneficentia, quam per exclamationem enuntiat Pſaltes, verſ. 13.

IIII. Occupatio obiectionis, de calamitatibus Eccleſiæ. Reſp. Deus quidem non ſemper indulget, at non ſemper verberat: ſed ſuorum miſertus ferulam abiicit, & paternè ſuos recipit, quaſi pœniteret duriter cum illis egiſſe, v. 14.

V. Exornatio ſuperiorum documentorum, à comparatione potentiæ Dei cum impotentia idolorum, v. 15. 16. 17. & exitus idololatrarum, v. 18.

VI. Concluſio eiuſdem argumenti cum exordio, v. 19. & 20. Acclamatione omnium ordinum addita, quæ ſit hortationis propheticæ ſigillum, v. 21.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3 Quum nullum ſacrificium Deo magis placeat, quàm dum gratitudinẽ noſtram erga ipſum teſtamur: incũda nobis ſit ad celebrãdum Deum tot pſalmis repetita exhortatio. Vide inter cæteros Pſal. 50. 100. 103. 104. 105. 106. 107. 116. & 136. 144. 145. 146. 147. 148.

148.144.150. Tot repetitionibus etiam damnatur hominũ ſocordia, qui innumeris beneficijs allecti Dei laudes turpi ſilentio obruunt.

Spiritualis hic cultus iubet ne præpoſtero Dei colẽdi ſtudio in nudis cæremonijs ſubſiſtamus, vt ſolent hypocritæ, ſed vigeat apud nos eximium illud pietatis officium.

Miniſtrorum eccleſiæ eſt in pietatis ſtadio cæteris zelo, doctrina & exemplis præire: aliorum fidelium ſequi.

Nihil ſuauius Dei nomine & laude. Cõtra nihil magis inſulſum & indecorum quàm (Deo neglecto) hominibus adulari.

4 Ij præcipuè, (tanquã multiplici vinculo deuincti) Deum celebrare tenentur, quos adoptauit ſibi filios per Chriſtum. Porro natura rerum, eccleſiæ redẽptio, iudicia Dei in profanos idololatras multiplicem harum laudum materiam piis omnibus ſubminiſtrant.

5.6.7 Generalis potentiæ Dei in mundi gubernatione elucentis, deſcriptio.

Quiſquis cæli & terræ conſpectu & vſu fruitur, manet inexcuſabilis, ſi ſapientiſſimum, omnipotentem, optimum maximum illum Creatorem conſpicere & colere recuſat.

Notitia hæc pijs omnibus præcipuè per verbũ oblata & fide amplexa, ad Deum celebrandum nos inuitat, vel potiùs caſtigat ſtuporem noſtrum, quòd non ſimus ad eam conſiderandam ſatis attenti.

Deus noſter vocatur ille mundi cõditor, vt ſciamus eũ cũ eccleſia fœdus pepigiſſe, quod in tabulis Legis & Euãgelij conſignatũ eſt. Iudæi ergo, Turcæ & alij infideles, quanuis Deũ Creatorẽ cæli & terræ ſe colere profiteãtur, meras nugas agunt: quia vbi à lege & euãgelio diſceditur, qualibet pietatis iactantia veri Dei eſt abnegatio.

Dei magnitudo ſic excellit, vt in nihilũ redigat quicquid deitatis fingunt homines. Et ſi in Angelis diuinum aliquid emicet quatenus cæleſtes ſunt virtutes & principatus: ſupereminet tamen Deus ipſe, vt eos cogat in ordinem, ne magnitudinem ſuam obſcurent.

Ea magnitudo eſt, quod non ſemel tantum condiderit orbem, ſed moderetur etiam omnia ſuo arbitrio, ita vt ei curæ ſint ſingulæ mũdi partes, vt nihil confuſè vel fortuito vſquam contingat. Hinc oritur luculenta refutatio erroris Epicureorum, & eorum qui vniuerſalem tantùm prouidentiam ſomniant.

Noſtrum non eſt diſquirere cur Deus fieri velit quæ cũ ſenſu noſtro repugnant: ſed (niſi velimus omnia pietatis elementa cõuellere) firmum hoc manere debet, nihil accidere niſi quod Deus ſtatuit ac decreuit: quod quidem etſi eſt abſconditum, iuſtum eſſe non deſinit. Vide Pſal. 115.

Inſigne documentum eſt potentis prouidentiæ Dei, exiguos vapores ſurgere, qui deinde totum aerem momento occupent.

Ignis & aquæ in pluuia & fulgure miſtura incomprehenſibilem & ſpecialem Dei prouidentiam prædicat.

Ventos etſi naturaliter procreari certum eſt, & originem phyſici demonſtrant, mirabile tamẽ Dei opus eſt tam multiplex ventorũ (ex abſconditis humanæ intelligentiæ locis eductorum) agitatio.

Quoties pluit, aut venti ex varijs mundi plagis erumpunt, non id fit cæco naturæ inſtinctu: ſed quia Deus ita decreuit, cuius eſt pro ſuo arbitrio cœlum ex ſereno reddere obnubilum, & caligine diſcuſſa puram lucem reddere.

8.9 Peculiaris beneficentiæ Dei erga eccleſiam commemoratio, pretioſam Deo eſſe omnibus ſeculis ſuorum ſalutem oſtendit, quum in gratiam eorum magnis & opulentis populis minimè pepercerit.

10.11.12 Inſatigabilis eſt gratiæ diuinæ perſeuerantia: nam vbi ſemel manũ ſuis porrigit, virtutẽ exerit ſuam donec promiſſis beneficijs plenè perfruantur: eoſq́; per varios tentationum fluctus, infirmitatis ſuæ conſcios ducit, conſeruat, & tandẽ ſaluos ac incolumes, inuitis omnibus impijs, Satana, peccato & morte, ſupra cœlos euehit, vt beatam illã hæreditatẽ (cuius Cananæa regio typus olim extitit) ante mundi fundamenta illis paratam æternùm poſſideant.

13.14 Totus mundus theatrum eſt diuinæ bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, virtutis: pars tamẽ illuſtrior eſt eccleſia, & quo familiariùs ſua beneficia nobis communicat, in eorum meditatione nos attentiùs exerceri conuenit.

Semper Deus præſes erit & cuſtos populi ſui, cuius (ſatis humiliati) vindicem opportunè ſe oſtendet, nec vnquam patietur vt penitus intereat eccleſia, cuius abolitione rex eſſe deſineret.

Pœnitentia dicitur affici Deus, dum eccleſiam quam iratus iuſtis pœnis afflixerat, clementiùs tractare incipit. Miſericors enim eſt fidelibus, quia filij ſunt, & ipſe pater eſſe vult eorum quos in Chriſto æterna adoptione beauit.

15.16.17.18.19.20.21 Vide commentarium & obſeruationes in Pſal. 115.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudibus & gratiarum actionibus ad vnum verum Deum in Eccleſia.
2. De ſpirituali & legitimo Dei cultu.
3. Piorum omnium, præſertim miniſtrorum Eccleſiæ officium.
4. Laudum Dei argumenta, Creatio & conſeruatio rerum, Redemptio electorum, Damnatio reproborum.
5. De omnipotentia, magnitudine & libera volũtate Dei.
6. Phyſiologiæ ſacræ & ſecularis diſtinctio atque conſideratio.
7. Beneficentia Dei ſumma erga Eccleſiam.
8. Mundus diuinæ bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, virtutis theatrum.
9. Deus quo ſenſu pœnitere dicatur.
10. Idololatriæ irriſio & deteſtatio.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVI.

IDEM eſt argumentum huius pſalmi, quod præcedentis. Hortatur enim omnes homines ad agnoſcenda & celebranda beneficia diuina, & vtitur iiſdem argumentis. I. à potentia Dei creantis & conſeruantis omnes creaturas, & ſua ſapientia gubernantis totum mundum & ſingulas eius partes. II. à bonitate, quæ non tantùm in ſuſtentatione & aſsidua gubernatione hominum: ſed inprimis in collectione & conſeruatione eccleſiæ, in eductione populi ſui ex Ægypto, in admiranda gubernatione in deſerto, in introductione in terram Canaan, & cæteris beneficijs, quibus populum hunc præ omnibus alijs gentibus ornauit, conſpiciatur. Atque vt magis hæc beneficia commendet, affirmat hæc omnia proficiſci ex mera Dei bonitate, & dari gratuitò: deinde ita exhiberi ea beneficia, non vt præſenti tantùm tempori inſeruiant, atque ita mox cum breuis temporis vſura euaneſcant: ſed vt perpetua ſint teſtimonia amoris Dei erga genus humanum, & inprimis erga eccleſiam omnium ætatum. Ideo in ſingulis verſibus hæc ſententia, Quoniam in ſeculum miſericordia eius, repetitur, vt fides recordatione præteritorum beneficiorum excitetur & confirmetur, vt deinceps de Dei erga ſe amore ſit certa, & nihil non ſibi de eius beneuolentia polliceatur. Nã beneficia iuxta promiſsiones exhibita ſunt σφραγῖδες promiſsionum, quibus fides confirmata, ſtatuit Deum, qualẽ ſe hactenus erga ſuos exhibuit iuxta verbum, talem deinceps quoque futurum omnibus vera fide eum inuocantibus.

Vt igitur Græci & Latini poetæ, id quod præcipuum eſt in carmine, interiecto verſu intercalari ſæpe repetunt: ita fides in commemoratione beneficiorum diuinorum ſubinde repetit hanc vocem. Quoniam in ſeculum miſericordia eius: affirmans omnia bona à mera Dei bonitate & clementia proficiſci, & ſingula eius beneficia, quæ ſingulis priuatímque dantur, ſingula eſſe teſtimonia ſeu σφραγῖδας ipſius erga nos amoris & beneuolentiæ.

1 LAudate Iehouam, quia bonus: quia in ſeculum clementia [*bonitas*] eius.
2 Laudate Deum Deorum: quia in ſeculum miſericordia eius.
3 Laudate Dominum Dominorum: quia in ſeculum miſericordia eius.

Primi tres verſus ſunt propoſitio Παραινετική. Hortatur enim omnes homines, vt diuitias bonitatis & miſericordiæ Dei grata mente & lingua prædicent.

Quia bonus] Inſerit ſemina argumentorum: éſtque de hoc ſuprà pſalmo præcedente dictum.

Quoniam in ſeculum] Id eſt, quoniam beneficia eius nō ſunt momentanea neque vnius temporis: ſed benefacit perpetuò, neque eius beneficia, quocunque tempore exhibita, perpetua teſtimonia de ipſius erga nos amore & beneuolentia. Quem enim animū hactenus in innumeris beneficiis oſtendit, eūdem ſeruat perpetuò. Id fides in omni inuocatione ſtatuere debet: ita creſcit eius lux & robur.

Non igitur inanis eſt βαττολογία quòd breuibus & conciſis ſententiis hanc particulam toties inſerit. Monet enim vbique de applicatione ſingulorum beneficiorum, quomodo ad nos illa fieri debeat. Et alioqui hæc ratio ad muſicam illius temporis eſt accommodata, quam Dauid ita inſtituerat, vt alternis canerent Leuitæ, & in celebratione beneficiorum hanc ſententiam ſubinde iterarent: cuius rei exempla videre licet in dedicatione templi. 2. Paralip. 7. & in Epinicio Ioſaphat, cuius fit mentio eodem libro, cap. 20.

Laudate Deum Deorum] Sicut in priori verſu aſpergit argumentum à bonitate Dei: ita hoc inſequenti aſpergit argumentum à potentia & maieſtate Dei, eáque argumētā poſtea per diſtributionem enarrat copioſiùs.

Deum Deorum nominat, opponens eum omnibus commentitijs diis, quibus aliquod numē ab hominibus affingitur. Etſi enim reuera non ſunt illi dij: tamen quia ab impia hominum multitudine tales eſſe iudicantur, nominat eos Deos, affirmans, etiamſi quid ſecundùm hominum opinionem in his eſſet diuinitatis (quod tamen non eſt) tamen Deum verum & in Iſrael patefactum ſuperare potentia, gloria & maieſtate omnes hos fictitios Deos, non aliter quàm qui inter homines in aliquo faſtigio dignitatis & potentiæ ſunt collocati, longè infra Deum ſtatuuntur. Nam cùm Dominos nominat, intelligit qui inter homines dignitate & potentia excellunt, vt ſunt reges, principes, magiſtratus, & qui aliquam partem gubernationis ſuſtinent. Hos oportet potentia armatos & maieſtate aliqua conſpicuos eſſe, vt reuerentiam aliquam in animis hominum concitent, & vt exequi leges, tueri pacē & diſciplinam poſſint. Vtitur autem plurali numero in vtroque verſu loquens de Deo, qui vnus eſt eſſentia, tanquam de pluribus, ad ſignificandum myſterium Trinitatis in vna eſſentia. Mox enim ſubiicit verbum ſingularis numeri, & initio pſalmi Iehouam nominat, quem mox plurali numero efferens, Deos & Dominos vocat, cùm tamen ſcriptura vnum eſſe Iehouam affirmet.

4 Qui fecit mirabilia magna ſolus: quia in ſeculum miſericordia eius.

Quæ propoſitioni aſperſerat argumentorum ſemina, ea nunc per diſtributionem explicat & exaggerat, recenſens eius præcipua opera, in quibus primùm maieſtas & potentia, deinde bonitas eius conſpicitur.

Primùm dicit eum ſolum facere miracula. Quo nomine intelligit omnia inſignia Dei opera à minimo vſque ad maximum, quæ nos in admirationem autoris rapiunt, & quæ imitari humana induſtria aut potentia non poteſt, ſiue ſint opera ordinaria, quæ conſpiciuntur in creatione rerum creatarum, ſiue extraordinaria, quæ fiunt contra naturę ordinem, vt repreſſio curſus ſolis, reſuſcitatio mortuorum, fœcundatio anus effœtæ, &c.

Dicit autem ſolum facere miracula, quia vera miracula fiunt ſupra potentiam naturalem, quæ eſt in rebus conditis. Reliqua quæ fiunt à Diabolo, aut ab his qui ab eo impelluntur & iuuantur, non fiunt ſupra potentiam naturalem, ſed inſtrumentis naturalibus, vt cùm ab eo homo interficitur, aut cùm cos ſcinditur. Vt hac impoſſibilitate imitandi facilè diſcerni poſſint diuina miracula ab aliis vel pręſtigiis, vel etiam factis Diabolicis. Ne quid nunc de finibus dicam, in quibus mox diſcrimen deprehenditur.

5 Qui fecit cœlos in intelligentia: quia in ſeculum miſericordia eius.

Inter miracula primum omnium occurrit ipſa cœli fabricatio, quod tanto artificio compoſitum eſt, vt quoquo animū & oculos conuertas, veſtigia immenſæ ſapientiæ & potentiæ diuinæ appareant. Nam ſiue magnitudinem, ſiue figuram, ſiue ornatum, ſiue motum & ordinem cùm ipſius cœli, tum corporum cœleſtium, ſiue ſplendorem, ſiue effectionem & vſum conſideres, vbique admiranda vis ſapientiæ & potentiæ diuinæ inimitabilis creaturæ ſeſe offert. Nec dici prolixè de ſingulis hoc loco poteſt & debet: nam iſta ſuo loco integrè traduntur: vt rectè Plato dixerit, Gratam de Deo famam in artibus ſparſam eſſe. Tantùm homines aſſuefaciendi & monendi ſunt, vt hanc pulcherrimam machinā aſſiduè intueantur, non Philoſophicis tantùm oculis, ſed vt tanti & talis opificij conſideratione ad celebrandum & colendum authorem excitentur. Eſt enim deteſtāda ingratitudo, hominē hęc pulcherrima opera Dei, quæ in vſum noſtrum condita ſunt, nunquam ita aſpicere, vt de dignitate & vſu horum operum, & de autore horum aliquando cogitet, atque in hac cogitatione ad timorem Dei ſeſe exuſcitet.

6 Qui extendit terram ſuper aquas: quia in ſeculum miſericordia eius.

II. Miraculum conſpicitur in terra, quæ quanquam infimum eſt elementum, & in infimo loco in centro mundi ſubſedit: tamen extat magna ſui parte ſupra aquas ad habitationem & vſum hominum, quod fit non ſine miraculo diuino. Nam cùm elementis forma ſit ſphærica, aquæ naturaliter terram obtegerent, niſi Deus clauſtris ſuis eas cohiberet. Ideo ſuprà dicit, pſal. 124. Poſuiſti terminum aquis, quē non tranſgredientur, neque conuertentur, vt operiant terram. Non igitur hoc extitit caſu, vt tam ampli terræ tractus ſupra aquas eminerent. Sed cùm Deus hoſpitium concedere generi humano vellet, ſua potentia aquas certis terminis ſeu carceribus concluſit, quibus continerentur, & terram ſupra aquas extare voluit. Id verò, vt cætera opera omnia, perpetuæ eius bonitatis eſt argumentum. Ideò, vt in aliis verſibus hoc adiicit, Quoniam in ſeculum miſericordia eius.

7 Qui fecit luminaria magna: quia in ſeculum miſericordia eius.

8 Solem ad præfecturam [*dominium*] in die: quia in ſeculum miſericordia eius.

9 Lunam & ſtellas ad præfecturam in nocte: quia in ſeculum miſericordia eius.

Redit ad fabricationem cæli, in qua multa admiranda Dei opera ſeſe offerunt. Omiſſo autem ipſius cæli motu, qui ſua celeritate admirabili & perpetuitate, addo & vſu, vel trūcum mouere poſſit, vt in hoc potentiam & ſapientiam Dei cerneret: recenſet corpora cæleſtia, Solem, Lunam & cæteras ſtellas, cùm fixas tum erraticas, (in quibus Baſilius, in concione de fide, præcipuè τὴν εὐκοσμίαν, τὰ μεγέθη, τὰς χρείας, τὴν εὐταξίαν, τὴν λαμπρότητα, τὴν θέσιν, καὶ κίνησιν, conſiderari iubet,) vt aliquo modo ex his Dei potentia & bonitas cognoſcatur. Propheta verò omiſſis cæteris, vſum præcipuè in his celebrat. Solem enim dicit conditum eſſe vt diem efficiat, & interdiu adminiſtret lucem, ac tenebras pellat. Ea in re quantum vtilitatis, quantum oblectationis ſit, exponi hoc loco non poteſt nec debet. Tantùm hoc moneo, vitam noſtram non abſimilem fore morti, ſi in perpetuis tenebris degendum eſſet. Nam & res omnes ignoraremus, & exerceri nulla vitę officia poſſent. Et alioqui tenebræ naturaliter horrores incutiunt, qui ſunt initium mortis.

Lunam & cæteras ſtellas dicit in remedium tenebrarum diuinitus ordinatas eſſe. Voluit enim Deus hac gratiſſima luce terrores tenebrarum lenire, & homines commonefacere, in tenebris noſtrarum mentium, & terroribus animorum, tamen cælitus aliquam affulgere lucem, quæ nos erigat & confirmet, ne abſorpti terroribus mortis & inferorū pereamus. Sed eſt præterea multiplex vſus luminis & motus tam Solaris quàm Lunaris, atque item cæterorum planetarum, de quo alibi dicitur copioſè, & ſatis eſt prophetæ, id quod præcipuum eſt, & quod ab omnibus cerni & iudicari poteſt, breuiter monſtraſſe. Sed hîc quæſtio explicanda eſt, Cur Solem & Lunam vocet *luminaria magna*, cùm Aſtronomi affirment, Lunam tanquam infimum & nouiſſimum ſydus, vt Plinius appellat, minorem eſſe cæteris planetis, & ex vmbris in eclipſibus certò deprehenditur Solem maiorem eſſe terra, Lunam verò multò minorem, vt quæ in ſuprema parte vmbræ terræ, quam κωνοειδῆ eſſe experientia docet, tota ſæpe obſcuretur. Reſpondeo: Voluit propheta loqui cum Moſe, qui Geneſ. 1. c. ſcribit Deum feciſſe duo luminaria magna: nō diſputans de magnitudine ipſorum, nec quærens quot ſemidiametros terræ contineat ſemidiameter Solis, vt faciunt philoſophi & Aſtronomi: ſed reſpiciens ad lucem, quę ex ipſis ad nos peruenit. Certum eſt autē hæc duo corpora plus lucis in terram ſpargere, quàm cæteras ſtellas aut planetas. Ex ſenſuum igitur noſtrorum iudicio ſic loquuntur Moſes & huius pſalmi autor: nec cum Aſtronomis nunc diſputant, ſed rudiſſimum quemque compellant, eúmque excitare ad conſiderationem horum operum, & ad autoris celebrationem volunt mentione horum lucidorum corporum, & vſus quem præſtant hominibus, dum gratas vices dierum & noctium efficiunt, & ſuo lumine calorem viuificum in hæc inferiora corpora ſpargunt.

10 Qui percuſſit Ægyptum in primogenitis ipſorum: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

11 Et eduxit Iſraelem è medio eorum: quia in ſeculum miſericordia eius.

12 In

12 In manu forti & brachio extento : quia in ſeculum miſericordia eius.

Hactenus illa miracula recitauit,quæ in creatione & conſeruatione huius mundi conſpiciuntur. Illa enim cum mundus tanquam quotidiana negligat & contemnat, vult tamen ab eccleſia agnoſci, & autorem horum operum celebrari. Etſi autem non omnia commemorat,tamen mentione præcipuorum cætera ſignificat ſe comprehendere. Nunc deſcendit ad commemorationem illorum beneficiorum, quæ huic populo erant peculiaria,& quæ Deus ex fœdere Iſraeli præſtiterat,vt de ſuo amore erga hunc populum teſtaretur, & electionem ſeu adoptionem, cuius in fœdere mentio fit, confirmaret. Hæc igitur, quia certius amorem Dei erga ſingulos oſtendunt, vult diligentius conſiderari & celebrari. Eductio enim ex Ægypto, & cætera miracula quę in hac contigerunt,vnumquenque in hoc populo admonebāt,vt certò ſtatueret ſe pertinere ad fœdus quod initum erat cum Abrahamo,ideóque ſe in gratia eſſe apud Deum,habere remiſſionem peccatorum, ius adoptionis filiorum Dei, iuſtitiam & vitam æternam. Hæc ſicut ingentia ſunt beneficia,ita horum memoriam nunquam vult deponi.

Percuſſit in primogenitis] Emphaſis eſt in verbo *percuſſit*.Etſi enim plures plagæ diuinitus immiſſæ ſunt Ægyptiis: tamen tanta fuit peruicacia & durities, vt nullis cladibus mouerentur:tandem hæc vltima plaga ita fregit Ægyptios, vt Deo cederent. Ideo dicit,in primogenitis eos fuiſſe percuſſos.Alij interpretantur,cum primogenitis: ſed altera interpretatio melius fluere videtur.

Manu forti] His verbis complectitur omnia miracula in eductione populi edita, quibus Deus potentiam & gloriam ſuam oſtendit & declarauit. Manus enim fortis μετωνυμικῶς potentiam diuinam ſignificat, cui nulla alia par eſt. Erant quidem vndique obſeſſi Iſraelitæ in egreſſu,ita vt exitus non pateret,ſed potentia Dei facilè ipſis patefecit viam. Eodem ſenſu poſtea dicit,*brachio extēto*,id eſt apertè exerta vi ad hoſtes populi ſui conterendos:forma ſermonis ab hominibus ſumpta,qui cum aliquid arduum moliuntur,brachium extendunt. Significat igitur in liberando populo ſuo vſum eſſe potentia penè inſolita.

13 Qui diuiſit mare iunci in diuiſiones:quia in ſeculum miſericordia eius.

14 Et tranſire fecit Iſraelem per medium eius, quia in ſeculum miſericordia eius.

15 Et præcipitauit Pharaonem & exercitum eius in mare rubrum[*iuncoſum:*]quia in ſeculum miſericordia eius.

Hæc hiſtoria ſuprà aliquot Pſalmis eſt expoſita, vt Pſal. 78.105.106.135.& integrè deſcribitur Exod.14.

Mare Suph] Id eſt, caricoſum ſeu arundinoſum. סוף enim iuncum ſignificat, ſeu genus iunci creſcentis in extremitate maris,à figura acuminata, quòd vna parte latiore deficiat in acumen. Nam סוף ſignificat attenuari rem, donec tandem deficiat,vnde eſt סוף finis, & סופה turbo ſeu ventus agitatus in gyrum,donec deficiat in mucronem paulatim attenuatus. Nam ima pars circumacta in terra eſt acuminata, ſuperior rotunda.Vnde dicitur teres turbo apud Flaccum.

In diuiſiones] Iudæi inter decem miracula, quæ facta ſunt iuxta mare,quinto loco recenſent hoc miraculum, quòd aquæ fuerint diſſectæ in multas vias iuxta numerum tribuum, idque in modum arcus rotundi , & allegant hunc verſum Pſalmi.Sed hoc Iudaicum commentum eſt,ſicut cætera miracula, quæ in eo libro qui inſcribitur פרקי אבות comminiſcuntur. Palam enim dicit Moſes aquarum moles vtrinque ſtetiſſe, vnde colligitur continuum fuiſſe ſpatium. Sed quia turmatim tranſibat populus, non vnus poſt alium propter viæ amplitudinem, in qua liberi progreſſi ſunt viri & mulieres cum ſuis familiis & iumentis, ſcitè Propheta diuiſiones nominat,reſpectu ſcilicet, turmarum & agminum tranſeuntium.

Præcipitauit]Hypotypoſis eſt in verbo,qua rem velut ob oculos viſendam proponit. Significat enim verbum, aliquem excutiendo præcipitem dare& prorſus euertere.Eſtque illud miraculum eò illuſtrius, quòd paulo ante ſicco pede tranſgreſſi erant Iſraelitæ, ne quis temere aut naturæ motu hoc accidiſſe exiſtimet.

16 Eum qui deduxit populum per deſertum [*ſcilicet, celebrate:*] quia in ſeculum miſericordia eius.

Totam hiſtoriam admirandæ gubernationis populi in deſerto, vno verbo attingit Propheta, cùm inquit, Deum ducem fuiſſe populo in deſerto per annos quadraginta. Præſtitit enim omnia ea quæ ſunt boni & fidelis ducis, imò patris: proſpexit eis de victu,aluit eos cibo cæleſti,eduxit aquas ex petra, protexit eos nube ab æſtu ſolis,curauit morbos,defendit aduerſus hoſtes, &c. ſed integra hiſtoria ex Moſe petenda eſt.

17 Qui percuſſit reges magnos:quoniam in ſeculum miſericordia eius.

18 Qui interfecit reges potentes: quoniam in ſeculum miſericodia eius.

19 Sihon regem Amorrhæorum: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

20 Og regem Baſan:quoniam in ſeculum miſericordia eius.

21 Et dedit terram eorum in hæreditatem:quoniam in ſeculum miſericordia eius.

22 Hæreditatē [*inquam*] Iſraeli ſeruo ſuo: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Hi verſus Pſalmo præcedente ſunt expoſiti, & integra hiſtoria petenda eſt ex libris Moſis & Ioſue.De Sihon & Og legatur hiſtoria Num.21.

Dedit terram] Vide Ioſue 12.

23 Qui in humiliatione noſtra memor fuit noſtri:quia in ſeculum miſericordia eius.

24 Et eripuit nos ab inimicis noſtris: quia in ſeculum miſericordia eius.

Hæc beneficia referenda ſunt ad illud tempus, cùm introducti in terram Canaan ſæpe à vicinis hoſtibus infeſtarentur, & nonnunquam armis eorum oppreſſi triſtem ſeruitutem ferrent. Hæc enim eſt illa humiliatio, de qua hîc loquitur, quam paſſi ſunt propter peccata. Quoties autem in publicis calamitatibus ad Deum clamarunt, excitauit Deus ducem præſtantem, cuius ductu & auſpiciis hoſtes eiecti ſunt ex terra Canaan, & Iudæis ſua eſt libertas reddita: qua de re legantur hiſtoriæ libri Iudicum & Regum, nec opus eſt prolixè his immorari. Diligenter autem obſeruanda eſt hæc ſententia, quòd dicit Deum recordari ſuorum *in humiliatione*, hoc eſt, in cruce & calamitatibus. Eſt enim hæc ſententia oppoſita iudicio rationis & ſententiæ legis. Nam & ratio iudicat calamitates eſſe ſigna deſertionis ſeu abiectionis diuinæ: Et lex ſemper in cordibus ſonat hanc vocem, Maledictus qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in lege. Huic ſententiæ attexit conſcientia minorem & concluſionem: Tu non manſiſti in omnibus,ſed ſæpe violaſti legem, Ergo es abiectus & damnatus à Deo. Hæc ſententia multos adigit ad deſperationem. Sed contra affirmat Spiritus ſanctus ex Euangelio, Deum in humiliatione memorem eſſe noſtri,curare nos,reſpicere nos,ſuſcipere defenſionem noſtri.& alibi dicitur, Eum prope eſſe his qui tribulantur. Hæc conſolatio in ærumnis eſt retinenda. Eſt enim efficaciſſima.

In humiliatione]Id eſt,deiectione,cùm deiecti iaceremus & eſſemus oppreſſi ab hoſtibus noſtris.

25 Qui dat panem [*id eſt, eſcam, ſeu cibum,*] omni carni : quia in ſeculum miſericordia eius.

Poſtremum beneficium ad ſingulos ſpectat. Publica enim beneficia à pleriſque fere negliguntur: ſed quòd ſingulos quotidie paſcit & alit mirabiliter, producens varij generis fructus ex terra, & rebus vim alendi & ſuſtentandi corpora addens, id adeo euidens eſt, vt negari non poſſit Deum hoc teſtimonio ſuam φιλανθρωπίαν oſtendere & probare. Ideo vel hoc vnico excitari omnes vult ad celebrandum Deum nutritium eccleſię ſuæ. Vt autem miraculum ſeu beneficium magis afficiat, dicit, tantam eſſe Dei bonitatem, vt non homines tantum, ſed etiam cætera animantia,quæ in vſum hominum creata ſunt, alat & ſuſtentet. Vox enim בשר caro, quę aliàs more ſcripturæ pro homine accipitur, hîc omnia animantia complectitur.

26 Celebrate Deum cœlorum, quia in ſeculum miſericordia eius.

Vltimus verſus repetit propoſitionē Pſalmi. Deū cæli nominat,ad declarandam ipſius potentiam:quia cum cælum ſit extrema mundi pars, ſignificare vult Deum omnia habere in ſua poteſtate, & manu ſua continere omnia, eáque ſeruare, moderari,& gubernare pro ſua ſapientia & potentia.

PSALMI CXXXVI.

PARTES.

I. Propoſitio hortatoria ad laudes Dei, ductis argumentis, Primùm à natura benefica & ſumma maieſtate eius, verſ. 1. 2. & 3. Eſt autem Pſalmus ἀντίστροφος, ſiue ſingulos verſus eadem clauſula terminans: vt doceatur, tum laudum noſtrarum, tum operum Dei omnium, fontem vnicum eſſe benignitatem Dei. quod documentum, quia perpetuum eſt, propterea hic Pſalmus quotidie in vetere Eccleſia ab Leuitis cantatus eſt, 1. Chron. 16. 41.

II. Propoſitionis alterum membrum, de laudatione Dei ab operibus ipſius, quæ v. 4. proleptice ponuntur. Deinde verò diſtribuuntur in opera creationis cœlorum, v. 5. expanſionis terræ ſuper aquas, v. 6. Luminarium magnorum, nempe ſolis, lunæ, ſtellarum, v. 7. 8. 9. Alterum genus operum ad laudes Dei pertinentium, nimirum benigna ipſius adminiſtratio, tum ſingularis contra inimicos Eccleſiæ ſuę, tum erga Eccleſiam ipſam, extra ordinem & ordinariè, v. 10. 11. & c. vſque ad 23.

III. Tranſitio ad ordinariam adminiſtrationem Dei beneficentiſſimam, tum erga Eccleſiam, v. 23. & 24. tum vniuerſalem erga creaturas omnes, v. 25.

IV. Concluſio hortatoria eiuſdem argumenti cum principio ſeu propoſitione, v. 26.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3. Miſericordia Dei laus quum ſit immenſa, meritò hortantur fideles ad eam celebrandam, cuius beneficia & effecta in vniuerſum genus humanum, præcipuè verò in eccleſiā collata hoc Pſalmo explicantur.

Repetitio tanta bonitatis, ſingulis verſibus appoſitè ſubiecta, iubet nos ſtatuere omnia Dei beneficia ab vna eius liberaliſſima clementia proficiſci: vt in ſpe certa ſalutis noſtræ reddamur confirmatiores, dum iſta beneficentia impijs exitio cedit.

Quum perfecta omnis bonitatis, potentiæ & dominij plenitudo in vno Deo inueniatur, in eius laudes totis animis nos incũbere decet.

4. 5. 6 Deus quum fecerit & faciat ſolus quicquid admiratione dignum eſt, diſcamus non poſſe vel minimam laudis eius guttã aliò transferri abſque intolerabili ſacrilegio: quia vbi totam mundi machinam luſtrauerimus, nihil occurret quod ſociũ vel æmulum Deo adiungere liceat.

Tanto artificio compoſiti ſunt cæli, vt clamitent ſe tam pulchra diſtinctione mirabiliter fuiſſe ornatos.

Terra præclarũ & memorabile Dei opus in eo apparet, quòd nuda & ſicca eius ſuperficies expanſa ſit ſuper aquas, vt ſic pro immenſa ſua bonitate Deus humano generi concederet hoſpitium.

7. 8. 9 Moſen Propheta ſequutus, Lunã (quam alij planetæ magnitudine ſuperant) ſecundum luminare vocat, manifeſti effectus cauſa, vtque diſcendi viam plebeiis & indoctis aperiret.

Nullo dominio potiuntur ſol & luna, ſed quia mirabilis in hac diſtributione & viciſſitudine lucis eorum, Dei œconomia refulget, ideo diei & noctis præfecti appellantur: & ſanè tunc honorificum Domino ſuo (qui eis hanc commiſit prouinciam) obſequium præſtant.

10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Vide obſeruationes in Pſalmum 78. 105. 106. 114. 135. In liberatione eccleſiæ omnipotens Dei bonitas ſit omnibus conſpicua, & laude digniſſima manet in ſeculum.

23. 24 Dei proprium eſt ſuccurrere calamitatibus populi ſui ferè perditi: tũc autem nobis magis elucet eius bonitas, quàm ſi æquabili tenore foueret integrũ: quia ipſa neceſſitas oculos piis aperit, & ſenſus excitat, vt auxilium in neceſſitate ardẽtius expetant, & præſens ac opportunum non ſine admiratione & celebratione diuinæ bonitatis intueantur.

25. 26 Deus, qui ne bobus quidem, aſinis, coruis, & paſſeribus conſulere grauatur, prouidus ac beneficus erit pater erga ſuos electos, quos bonitatis ſuæ perpetuos præcones eſſe voluit.

Quum tãta ſit erga fidei domeſticos Dei bonitas, eius laudes quis noſtrûm ſatis vnquam & pro meritis celebrare poterit?

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De miſericordia & benignitate perpetua veri Dei.
2. De creatione rerum.
3. De liberationibus Eccleſiæ.
4. De prouidentia Dei.
5. De perpetua laudum Dei celebratione.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVII.

HIC Pſalmus querelas habet de calamitate populi Iſraelitici exulantis apud Babylonios, quas mirificè exaggerat autor, dum varia & triſtiſſima πάθη narrationi aſpergit, eaque omnia colligit, quæ & dolorem exulantium oſtendant, & Deum ad commiſerationem moueant. Querelæ verò precationem ſubiungit, qua interitum hoſtibus ſuis precatur, quem Prophetico ſpiritu præuidens & prædicens, partim ſuos in ſpem liberationis erigit, partim monet ne in Gentium idololatriam ſeſe præcipitantes ſimiles ſibi pœnas accerſant. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi, qui ita legendus eſt, vt ad timorem Dei excitemur. Videtur enim Germanis hoc tempore Deus minari ſimile exilium.

1 SVper flumina Babylonis illic ſedimus, etiam fleuimus: dum recordaremur Sionis.

Orditur Pſalmum à commemoratione ingentium dolorum, quos ſuſtinuerint toto exilij tempore. Eſtque hæc narratio prorſus pathetica, vt audiemus. Cæterùm hiſtoriã exilij legent auditores in fine Regum, & Paralip. atque ita legent, vt & de cauſis eius exilij cogitent, & ſimiles pœnas omnibus temporibus imminere cõtemptoribus doctrinæ cæleſtis exiſtiment. Cauſas exilij prophetæ in ſuis concionibus commemorant fuiſſe præcipuas, idololatriam, contemptũ miniſterij, contumaciam in atrocibus delictis. Harum cauſarum recordatio triſtius efficiebat exiliũ. Nam culpa caruiſſe magnum eſt ſolatium, & notus eſt verſus,

Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.

Ideo quidam philoſophus, cùm in exilium eiiceretur, patientiſſimè id tulit: cùmque ei exilium aliquis obiiceret, reſpondit ſe ciuem eſſe mundi. Et Anaxagoras cuidã querenti quòd extra patriã mori cogeretur, reſpondit, πανταχόθεν ὁμοία ἐστὶν εἰς ᾅδου κατάβασις, pro quo tamen in eccleſia rectius dicimus, πανταχόθεν ὁμοία ἐστὶν εἰς οὐρανὸν ἀνάβασις. Sed Iudæi, quia ſciebant ſe ſuis peccatis attraxiſſe ſibi has pœnas, & Deũ grauiter offenſum eſſe agnoſcebant, imò exilium quaſi abdicationem à familia Dei plerique intelligebant: ideo, ſicut Ieremias in ſuis Threnis, ita autor huius Pſalmi dolorem de his ſuum & cæterorum piorum oſtendit.

Sunt autem πάθη quæ aſpergit, conſideranda: ea enim ad exaggerandum dolorem plurimùm faciunt. *Primum* pathos eſt à loco, quòd in Babylone, loco ſcilicet procul à patria diſſito, & inter gentes barbaras atque alienas à fœdere Dei verſari, & horum tyrannidem ferre coacti ſint. Erat eo tempore Babylon ſedes ſummi Monarchæ. Eò igitur confluebant omnium nationũ homines, quorum ludibriis & iniuriis fuerunt expoſiti Iudæi, & qui pii erant aſpicere quotidie & audire cum gemitu fœdiſſimarum gentium ſcelera & libidines cogebantur. Hæc res dolorem augebat piis, qui antea vixerant in Sione, vbi fuerat ſanctuarium Dei. *Secundum* pathos eſt à ſitu, quòd conſederint ad ripas fluminum, Tigridis ſcilicet & Euphratis (nam hi fluuij ad Babylonem confluunt) & erat tota regio irrigua propter plures alueos ſeu brachia ex fluuio deducta. Significat enim eos in Babylone non habuiſſe hoſpitium, ſed vel ſub dio manſiſſe, vel tuguriola paſſim ad ripas conſtruxiſſe, vt ſors ferebat. Idq; poſtea

etiam ſequente verſu ſignificatur, cùm dicunt ſe ad ſalices in ripis fluuiorum ſuſpendiſſe ſuas citharas ſeu organa muſica. Eſt autem valde miſerum, ita ſub dio viuere ſine tecto. Coguntur enim ferre non tantum cæli & omnium tempeſtatum iniurias, ſed hominum etiam & ferarum.

Tertium πάθος ſumptum eſt à mora ſeu diuturnitate temporis. Nam verbo ſedendi longum exilij tempus notatur. Sedebant exules tanquam affixi iis ripis ſupra & infra Babylonem, extabeſcentes in ſuis malis, nec licebat tutò locum mutare, ne in ſuſpicionem venirent, quaſi fugam meditarentur. Hanc circunſtantiam admodum patheticam exaggerat aduerbio demõſtratiuo *ibi*, quaſi ducens lectorem in rem præſentem. *Quartum* πάθος eſt ab animi habitu, quòd totum illud exilij tempus tranſegerint flendo, hoc eſt, deplorando ſuas miſerias & calamitates. Eſt autem triſtiſſima ſpecies hominis in agro, vel ad fluminis ripas ſub dio ſedentis, atq. ibi facta ſua deplorantis: & magna fuit hoſtium crudelitas, qui illa triſti ſpecie & lacrymis non mouebantur, vt aliquãto eos humanius tractarent. *Quintum* πάθος eſt à cauſa. Id enim dolorem & ærumnas reddit acerbiores & triſtiores, quòd de cauſa harum cogitantes intelligunt ſe ſua culpa incidiſſe in has calamitates: deinde dolorem auget cogitatio amiſſionis patriæ, quæ vt dixi, erat quædam abdicatio à familia Dei, & quędam religionis puræ extinctio. Quandiu enim viuebant inter gentes barbarás & alienas à Deo, tandiu hæc cogitatio diuexabat ipſorum animos, quòd ipſi quoque alieni eſſent à Deo, vt qui ex ea terra eiecti eſſent, cuius poſſeſſio hactenus fuerat piis certum teſtimonium, quod pertinerent ad fœdus Dei, & cenſerentur in familia eius.

Itaque fieri aliter non potuit, quàm vt in ſummum dolorẽ conijcerentur, quoties cogitatio Sionis, hoc eſt, fœderis initi cum patribus, religionis item & cultus diuini, & inprimis teſtimoniorum illorum, quæ præſentiam Dei in hoc populo hactenus oſtenderant, animos eorum ſubibat. Nam in monte Sion erexerat Deus ſanctuarium ſuum, atque ibi propoſuerat viſibilia teſtimonia ſuæ præſentiæ, ibique familiariter oſtendebat, ſe verſari cum hominibus. His igitur bonis nunc ſpoliati, quid aliud cogitare potuerunt quàm quod à Deo eſſent deſerti & abiecti? Non igitur mirum eſt, eos vixiſſe in perpetuo luctu & ſqualore. In quo tamen non dubium eſt, pios cõgitatione promiſſionis de liberatione, ſeſe ſuſtentaſſe & viciſſe dolorem. Alioqui enim mox abſorpti fuiſſent conſpectu ſeu ſenſu iræ Dei. His igitur illi dolores acerbiſſimi, qui hîc deſcribuntur, non fuerunt τιμωρίαι, vt impiis & profanis, ſed δοκιμασίαι.

2 In ſalicibus [*ſuper ſalices*] in medio eius ſuſpendimus citharas noſtras.

Sextum πάθος ſumptum eſt à ſigno luctus, quia obruti dolore ſuſpenderunt à ſalicibus organa muſica. Nam vt Eccleſiaſticus inquit cap. 22. Muſica in luctu eſt importuna narratio. Animus enim occupatus dolore, & adhuc ſtupens, reſpuit illa θελκτήρια, quæ homines ad ſedandos dolores adhibere ſolent, nec afficitur illa vocum harmonia, imò offenditur. Huc verò etiam hoc acceſſit, quòd exercitium cultus diuini in illo luctu eſt omiſſum. Nam cithararum vſus erat in ſacris cantionibus, quas Leuitæ ex Dauidis inſtituto adhibebant, vt populũ ad meditanda beneficia diuina, & ad ſacra peragenda redderent attentiorẽ. Itaque ne ſui muneris obliuiſci viderentur, exuti omnibus fortunis, citharas tamen inſtar pretioſæ ſupellectilis ſecũ aſportarunt, & diligenter cuſtodierunt. Sed tantus fuit dolor ex præſentibus ærumnis, vt quanquam loci commoditate inuitarentur: tamen exercere Muſicã non potuerint. *Salices* enim ad ripas fluuiorum gratã præbebant vmbram in æſtu, eáque oblectatio multos inuitare & allicere poterat, vt arreptis citharis dolorem ſuum canendo lenirent: ſed grauiùs fuerũt animi eorum oppreſſi ſenſu iræ Dei, quàm vt vanis ſolatiis ſeſe fallerent. Animus enim quamdiu luctatur cum ſenſu iræ Dei, & iudicio diuino aduerſus peccatum, caret illo ſancto gaudio, quod ſeſe in vſu organorum muſicorum prodit. Itaque quales tunc animi ipſorum fuerint, hoc ſermone notat, tales ſcilicet qui nulla ſolatia, nulláque θελκτήρια admitterent.

3 Tunc enim quæſiuerunt [*poſtulauerunt*] ex nobis, qui ceperant [*abduxerant*] nos, verba cantici, & in ſuſpenſionibus noſtris lætitiam: canite nobis de cantico [*id eſt, canticis*] Sion.

Septimum pathos ſumptum eſt ab inſultationibus & venenatis ſarcaſmis hoſtium, qui vrgebant mœſtos, vt luderent citharis, & de ſua religione canerent. Vt autẽ indignitatem rei magis exponat, vtitur mimeſi, qua verba hoſtium repetit. Valde autem ſauciant animos ęrumnoſorum huiuſmodi amarulentę irriſiones. Proficiſcuntur enim ex ἐπιχαιρεκακίᾳ, quæ, vt Plutarchus definit περὶ πολυπραγμοσύνης. ἡδονὴ ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις κακοῖς. Talis verò affectus procul abeſſe debebat ab hominibus, propter communes miſerias quibus ſubiectum eſt totum genus humanum, & quia cuilibet accidere poteſt quod cuiquam accidit. Sed imitantur mali hac in re patrem ſuum diabolum, qui maximè eſt ἐπιχαιρέκακος, & inprimis lætatur in calamitatibus piorum. Ideóque ſua organa impellit, vt talibus inſectationibus mordeant pios, & dolorem ipſorum augeant. Sicut videmus Chriſto illudi à Iudæis in paſſione. Qua de re ſuprà audiuimus triſtes eius querelas. Hoc primum eſt. Eſt autem & *aliud* πάθος in hoc verſu, ſumptum à rei indignitate. Etſi enim dolorem augebant piis illæ hoſtium inſultationes: tamen hoc fuit multò grauius, quòd non tantùm cantilenas quaſcunque per ludibrium à mœſtis poſtularunt: ſed etiam carmina, quibus antehac domi in ſacris ſuis vſi eſſent Iudæi, audire voluerunt. Ea res indicabat primùm extremum contemptum veræ religionis in hoſtibus, vt qui carmina ſacra ſuis voluptatibus ſeruire vellent. Deinde ingentem faſtum & ſuperbiam notabat, vt qui ſe iam iis carminibus oblectari dignos iudicarent, quibus fuerat laudatus Deus. Sicut & Balthaſar iubens inferri conuiuio vaſa ſacra. Sit igitur hoc *octauum* πάθος, quod poſtea ſequente verſu declarat copioſiùs.

Verba cantici] Id eſt, cantica. Emphaſis eſt in aduerbio *illic*, ſcilicet in terra aliena.

In ſuſpenſionibus noſtris lætitiam] Hoc membrum variè redditum eſt ab interpretibus, &, cùm nomen hoc non alibi quàm in hoc Pſalmo reperiatur, difficilis eſt electio. Vt autem cogitare auditores de ſententia poſſint, & videre quænam maximè congruat, recitabo præcipuas interpretationes breuiter, Græcus interpres ſic reddidit hunc verſum: ὅτι ἐκεῖ ἐπηρώτησαν ἡμᾶς οἱ αἰχμαλωτεύσαντες ἡμᾶς λόγους ᾠδῶν καὶ ὑπαγαγόντες ἡμᾶς ὕμνοι. Hieronymus reddidit: Et qui affligebant nos læti. Vterque iudicauit nomen תולל eſſe participium præſens, aut certè nomen participiale verbi תלל, cui aliam Græcus, aliam Hieronymus ſignificationem affinxit. Atque hos imitatus eſt quidam ex recentioribus, qui propriam quidem ſignificationem verbo reliquit, ſed in forma nominis תואר cum ipſis reddidit: Et cumulatores noſtri à nobis lętitiã petiuerunt. Cumulatores autem dici exiſtimat hoſtes, quòd moleſtias & afflictiones ſubinde accumulent, & dolorem dolori addant. Iudæi ferè omnes exiſtimant eſſe nomen ſubſtantiuum: ſed in interpretatione & in indicanda radice, non omnes conſentiunt: Rabi Moſe exiſtimat nomen eſſe factum à ילל ſicut à ישב fit תושב incola. Leuit. 25. Itaque reddidit, pro vlulatibus noſtris fuit lætitia illis, interpoſita præpoſitione תחת. Sed hæc ſententia reprehenditur à cæteris: neque enim ſcribitur præpoſitio תחת: &, ſi ita eſt, cur quærunt, vt cantent? ſatis enim erat illos lætari vlulatibus Iudęorum. Et תושב eſt nomen Toar.

D. D. Lutherus & Forſterus hanc vocis ſignificationem quidem retinent: ſed ſententiam paulò aliter reddunt. In vlulatibus noſtris poſtularunt à nobis. Rabi Salomon deducit nomen ab הולל quod eſt inſanire, Pſalmo 102. verſu 9. Et ſic reddit: Inimici noſtri qui inſaniunt contra nos. Quod Muſculus ſic interpretatur, & deridentes nos. Cæteri iudicãt eſſe nomen ſubſtantiuum ab תלל, quod in genere congruit ſignificatione cum תלה, quod ſuſpendere ſignificat, quo verbo præcedente verſu vſus eſt. Quanquam propriè verbum תלל ſignificet eleuare ſeu attollere, inſtar tumuli ſeu cumuli. תוללינו igitur interpretantur ſuſpenſiones, & ſic dici putãt inſtrumenta muſica, de quibus antea dixerat, quòd ea ab arboribus ſuſpendiſſent. Sententiam itaque ſic reddunt, Et in ſuſpenſionibus noſtris, id eſt, inſtrumentis muſicis noſtris poſtulabant lætitiam, id eſt, volunt oblectari noſtra muſica. Hæc ſententia, quia videtur eſſe omnium ſimpliciſſima, & non tantùm R. Dauidi Hebræorum doctiſſimo, ſed aliis etiam interpretibus magni nominis probatur, libenter eam retineo: quanquam non diffiteor cum R. Abrahamo aliquid eſſe in hac voce obſcuritatis, præſertim cùm alibi non inueniatur vſurpata, vt ex collatione de natiua ſignificatione iudicari poſſit.

4 Quomodo cantabimus canticum Iehouæ in terra aliena?

Declarat octauum pathos, in quo indignitatem rei magis exponit. Non tantùm in hoc inhumaniter nobiſcum agunt, quòd Muſicam non conuenientem afflictis, in ſummis noſtris doloribus nos exercere volunt: atque ita afflictis ſuperbè inſtando atque vrgendo afflictionem addunt: ſed hoc omnium indigniſſimum & abſurdiſſimum eſt, quòd in terra aliena, non conſecrata nomini diuino, ſed contaminata & polluta horribili idololatria & variis ſceleribus, iubent nos canere ſacras cantilenas, quæ non alibi quàm in domo Ie-

houæ, hoc eſt, in loco cultui veri Dei peculiariter deſtinato cani ſolebant. Hoc primum eſt in hoc verſu, de quo monere lectores volui.

Eſt autem ſimul in hoc verſu, & duobus ſequentibus teſtificatio de animi magnitudine fidelium, & conſtantia in confeſſione, qui ſuo exemplo cæteros etiam animabant, ne hoſtium libidini & tyrannidi in omnibus ſeſe ſubiicerent. Impia res erat; & cum ludibrio ac contumelia diuini nominis coniuncta, carmina ſacra, quæ cultui diuino deſtinata erant, hoſtibus, hoc eſt, hominibus pollutis & contaminatis, occinendo, aures & animos eorum demulcendo oblectare. Ideo conſtanter reſpondent pij Leuitæ ſuis hoſtibus: Rem impiam & impoſſibilem à nobis petitis. Quomodo enim abſque impietate & abnegationis ſcelere canere in terra aliena huiuſmodi ſacras cantilenas poſſemus? Atque ita ſuo exemplo cæteros ad eandem conſtantiam hortantur. Et huic propoſito ſeruit etiam vox נכר *aliena*. Tectè enim monet, non ita eiectos eſſe in exilium Iudæos, vt perpetuò inter gentes impuras & impias viuant: ſed vt caſtigati aliquantiſper & plagis emendati, in terram Canaan, quam Deus ſibi tanquam quietis ſedem delegerat, reuertantur. Sumus, inquit, in terra aliena, vbi nullum eſt miniſterium publicum: non igitur dignos iudicemus hoſtes noſtros, quibus verba ſacra occinamus: ſed expectemus patienter, donec Deus nos in patriam reducat. Cùm enim agnoſci omnino, & coli ab hominibus velit, & hic locus ſacro cultui, quem inſtituit, non conueniat (eſt enim terra aliena, non pertinens ad fœdus Dei) patienter expectemus, donec ille nos ad eum locum reducat, quem ille cultui nominis ſui peculiariter conſecrauit, & forti animo interea ſarcaſmos, irriſiones hoſtium, minas & iniurias contemnamus.

5 Si oblitus fuero tui, Ieruſalem: obliuiſcatur
dextera mea.
6 Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non me-
minero tui: ſi non extulero Ieruſalem ſuper caput
lætitiæ meæ.

Addit imprecationem ſeu votum: primùm vt ſuam conſtantiam in confeſſione magis reddat conſpicuam: deinde ad reprimendam hoſtium ferociam, qui non deſinebant inſtare & vrgere Iſraelitas, & venenatis ſuis ſarcaſmis illis illudere: poſtremò ad confirmandos pios in hoc populo, ne fracti minis hoſtium, ipſorum libidini tandem cederent. Malo, inquit, manum meam obliuiſci artis ſuæ, & linguam prorſus obmuteſcere, quàm hac in re hoſtibus obtemperare.

Si oblitus fuero tui] Id eſt, ſi aliquid hac in re in gratiam hoſtium commiſero, quod oſtendat me memoriam patriæ, & in primis cultuum illorum diuinorum depoſuiſſe, vel metu ſuppliciorum ſeu iniuriarum animum inflectere ad hoſtes, iiſque in profanando cultu diuino obtemperare.

Obliuiſcatur dextera mea] Scilicet artis muſicæ vel operis ſui, id eſt, reddatur poſthac ſtupida & inutilis, vt pulſare citharas non poſſim: malo enim manum mihi exareſcere, quàm ad profananda carmina ſacra eam accommodare. Alij paſſiuè interpretantur: Obliuioni tradatur dextera mea, id eſt, pereat auxilium meum, & nõ ſit Deus adiutor meus: ſed forma verbi Hebræi eſt ex prima coniugatione, quæ vel vel actiuam vel abſolutã habet ſignificationem. Deinde, quia non tantùm in organis noſtris muſicis cantilenas, quibus oblectentur, audire volunt, ſed voce nos canere iubent cantica Sionis, quoties illi hoc imperant, toties opto mihi linguam adhæreſcere palato, ne vocem articulatã vllam edere poſſit. Malo enim obmuteſcere, & ſermonis vſu carere, quàm aliquid indignum pietate & religione noſtra, quo vel Deus contumelia afficiatur, vel infirmorum corda ſaucientur, vel tyrannorum & hoſtium impietas confirmetur committere. Hoc exemplum zeli & conſtantiæ diligenter conſiderandum eſt. Multa enim monet. I. oſtendit Deum etiam inter ſummas afflictiones & pericula eccleſiam ſuam mirabiliter ſeruare.

Videbatur actum eſſe de eccleſia & populo Dei, cùm in Babylonem abduceretur, & in varias gentes diſpergeretur: & tamen Deus ibi ſeruat eccleſiam. Et quidem ipſæ ærumnæ quamplurimos ad maiorem pietatem & conſtantiam excitabant: Creſcit enim lux fidei in ærumnis. Deinde monet hoc exemplum de intellectu promiſſionum corporalium. Erat Iudæis terra Canaan promiſſa, ſed cum exceptione caſtigationis & crucis. Tertiò ad aliorum fidem confirmandam plurimùm prodeſt hoc exemplum.

Eſt autem in hoc ipſo voto etiam tacitum vaticinium de inſtauratione Ieroſolymæ & reſtitutione verorum cultuum. Dicit enim ſe non obliturum Ieroſolymæ.

Hi gemitus ſanctorũ ſunt gemitus Spiritus ſancti, iã tum petentis, optantis & vaticinantis, fore vt vrbs reſtauraretur.

Si non extulero] Græcus ſic reddit: ἐὰν μὴ προανατάξωμαι τὴν Ἱερουσαλὴμ ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς εὐφροσύνης μου. Si non præordinauero Ieruſalem tanquam in principio lætitiæ meæ. Eſt autem ſimpliciſſima ſententia, Si non iudicauero Ieruſalem, hoc eſt, ſtatum eius vrbis florentem, ſummam meam lætitiam, & quidem principium meæ lætitiæ. Quandiu enim illa non reſtauratur, tamdiu decretum mihi eſt indulgere dolori & luctui, nec vllo geſtu aliquam lætitiam oſtendere. Vbi illa cœperit inſtaurari, & cum vrbe religio & politia ſacra, tunc rurſus incipiam lætari, eritque ſummum meum gaudium videre florentem ſtatum eius vrbis. Ita caput hoc loco, & principium lætitiæ & ſummam lætitiam ſignificat. Eſtque exemplum amoris, qui debetur eccleſiæ, in hoc verſu propoſitum.

7 Recordare Iehoua filiis Edom, in die Ie-
ruſalem dicentibus: nudate, nudate, vſque ad fun-
damentum in ea [*ſcilicet quicquid eſt, ſcribitur enim*
כה *pro* כלבה.]

Querelæ ſubiicitur petitio, in qua imprecatur hoſtibus ſuis, Idumæis & Babylonicis, pœnas & exitium. Idumæis quidem, quòd calamitoſis Iudæis, fratribus ſuis conſanguineis, ſuperbè inſultauerant, & Babyloniorum crudelitatem ſuis irritationibus auxerant. Babyloniis verò, quòd ſanctam vrbem crudeliter deleuerant, & populum Dei abductum in exilium variis ſuppliciis necauerãt, & multipliciter afflixerant. Eſt autem hæc ipſa imprecatio vaticinium de excidio vtriuſque gentis: aut certè petitio, vt priùs edita vaticinia confirmentur. Nam huiuſmodi preces à Spiritu ſancto dictatæ vim habent vaticiniorum, vt ſuprà aliquoties monuimus. Reſpondit autem euentus his vaticiniis. Nam Idumæi paulo pòſt abducti ſunt ipſi quoque à Nabuchodonoſor rege Babylonico, vt prædixerant Abdias, Ezech. 25. Ieremias 49. Et non multo pòſt Babylon eſt vaſtata à Medis & Perſis, vt prædixerant Ieſaias 13. 14. Ieremias 51.

Cæterùm de huiuſmodi imprecationibus quid ſentiendum ſit, diximus ſuprà aliquoties Pſalmo 28. 59. 109. Prima cauſa, vt monuimus, ſeu res diſtinguenda eſt à perſonis. Deinde ipſæ quoque perſonæ diſcernendæ. Non peccant qui impiis precantur aliquid mali, modò hoc ſibi habeant propoſitum ante oculos, vt illi aliquando deſinant peccare, vt pœnas maleficiorum ſuorum pendant, vt illorum conſilia diſſipentur, vt minùs eccleſiæ noceatur, vt gloria Dei illuſtretur. Suis autẽ cupiditatibus & inimicitiis ſeruire non debent.

Filiis Edom] Germaniſmus, *gedencks jnen.*

Memento filiis Edom] Id eſt, memento vt ſe geſſerint filij Edom, cùm vaſtaretur Ieruſalem, & non ſine illud ſcelus abire impunitum. Erant Idumæi non tantùm vicini, ſed conſanguinei & fratres, vt Moſes eos vocat Deuteronomij 2. Erant enim poſteri Eſau: ideo cùm tradita fuit terræ poſſeſſio filiis Abrahæ, iuſſi ſunt Iudæi parcere Idumæis tanquam cognatis, & nihil hoſtiliter contra eos tentare, Deut. 2. Sed Idumæi immemores humanitatis, tam immani odio proſequebantur Iudæos, vt cùm ipſi nocere non poſſent, Babylonios accerſerent & ſuis flabellis ſæuitiam eorum accenderent. Hanc igitur ipſorum immanitatem petit puniri, vt hoc ipſo exemplo infirmorum animi confirmentur, ne de gratia & fauore Dei erga ſe dubitent, ſi videant impiam & crudelem gentem hoc impunè ferre, quòd electo Dei populo adeo ſuperbè & crudeliter inſultarent, & hoſtes in excidium vrbis animarent. Nomine Idumæorum autẽ non dubium eſt quin cæteros quoque vicinos complectatur, qui ſimili odio aduerſus Iudæos ardebant, & calamitate eorum lætabantur. Sed hos nominatim exprimit, quia maior rei indignitas in hoc facto elucebat, quòd cognati, & quidem magnis antea beneficiis affecti, tanta odiorum immanitate & crudelitate populum Dei oppugnabant. Alioqui enim ferè non eſt inuſitatum vicinos inter ſe voluntatibus diſſidere & odiis certare.

Diem Ieruſalem nominat diem vaſtationis Ieroſolymæ.

Dicentibus: nudate, nudate] Addit cauſam à iuſto. Quia ipſi in excidio vrbis clamarunt, Nudate, nudate vſque ad fundamentum in ea. Mimeſi exprimit ipſorum verba, quæ erant quaſi claſſicum, vt crudelitas fiat conſpectior. Nudate, inquiunt, non tantùm diruite muros & munitionem, ſed ipſam vrbem funditus euertite, quaſi dicat, vaſtate prorſus ad ipſa vſque fundamẽta, diruite & diſſipate omnia, ne nomẽ amplius huius vrbis extet, & ne ſpes reſtaurationis reliqua maneat.

Repetitio eiuſdem vocis etiam nocendi ardorem & diligentiam notat, quaſi dicat, aſſiduè inſtabant vrgendo hoſtes, ne parcerent nobis.

8 Filia Babylonis vaſtata: Beatus qui repen-
det tibi retributionem, quam retribuiſti no-
bis.

Baby-

Babyloniis non tantùm imprecatur exitium, ſed conceptis verbis prædicit, vtens præterito participio, quaſi iam res eſſet peracta, ad ſignificandam prædictionum certitudinem. Quod enim Ieſaias & Ieremias prædixerant, id tam certò euenturum erat, ac ſi iam eueniſſet. Fides enim promiſſiones adhuc complendas ita intuetur, quaſi iam eſſent completę. Ideò toties in prædictionibus rerum futurarum vtuntur prophetæ verbis præteriti temporis. Erat autem res eo tempore penè incredibilis, vrbem tam potentem, quę erat caput orbis & regia ſummi imperij ſedes, poſſe aliquando expugnari & euerti. Eo magis vult captiuos intueri prædictiones, ne intuentes eius vrbis robur & potentiam animo frangantur, aut de reditu & ſalute ſua deſperent: ſed vt intuentes prædictiones, certam ex his fiduciam de reditu concipiant, & interea ſuperbas eius vrbis minas, venenatos ſarcaſmos, & iniurias rideant & contemnant.

Filiam Babel] More ſcripturæ nominat ipſam vrbem cum ciuibus & inhabitatoribus. Ita Pſal. 9. Ieſaiæ 1. Ieruſalem dicitur filia Sion.

Vaſtata] Eſt, id eſt, non multò pòſt vaſtabitur & delebitur, atque ita dabit pœnas ſuæ crudelitatis, quam in nos exercuit: & reſpondit euentus, quando Babylon à Cyro capta, & tyrānus Balthaſar, qui ab Herodoto Labynitus appellatur, interfectus eſt. 7. παιδείας Cyri. Plinius lib. 6. c. 26.

Quæ autē Spiritus ſanctus in ſpecie hîc minatur Idumæis & Babyloniis, eadem imminere omnibus eccleſiæ hoſtibus omnium ætatum ſeculis ſtatuamus. Habet ſemper eccleſia ſuos Babylonios, qui in perniciem eius conſpirant & arma ſumunt. Habet & Idumæos falſos fratres, qui hoſtium odia inflammant & ſæuitiam accendunt. His omnibus minatur hoc loco Spiritus ſanctus pœnas & interitum.

Beatus qui rependet] Id eſt, qui tibi vices rependet pro malis quibus nos afflixiſti, erit beatus, id eſt, habebit proſperos & lætos ſucceſſus, perueniet ad ſummos honores, potentiam, & factum à nobis & ab aliis iniuria & tyrannide oppreſſis tanquā iuſtā vindicta prædicabitur. Non enim hoc vult dicere, quòd hoc facto promereantur gratiam diuinā, aut quòd propter hoc obſequium peculiariter placeant Deo. Nam Perſas & Medos non gloria Dei aut amor erga populum Dei, ſed ambitio & dominandi cæca libido impulit, vt arma Babyloniis inferrent: ſed quia vindictam à Deo decretam exequebātur, pollicetur ipſis felicem euentum & plurima ex eo huius vitæ commoda.

Verbum שלם vt vel ex hoc loco apparet, non ſignificat ſemper mercedem rependere, ſed viciſſitudinem, *Einsfurs ander*, malum pro bono, bonum pro malo, bonum pro bono, malum pro malo.

9 Beatus qui apprehendet & allidet [*allidendo diſſipabit*] paruulos tuos ad petram.

In hoc verſu pœnam imminentem hoſtibus exaggerat. Futurum enim prædicit, vt non tantùm vrbs in hoſtium poteſtatem veniat, & ciues armis depulſuri hoſtem interficiantur, ſed etiam paruuli infantes crudeliter mactentur, & ſaxis alliſi conterantur ſine vlla commiſeratione, vt ita iuſtas luant pœnas ſuæ crudelitatis, quam in Iudæos exercuerant.

Nam vt in verſu Rhadamanti dicitur,

Εἴκε πάθοι ἅ ἔρξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο.
Iuſta malis hæc admiſſo pro crimine pœna eſt,
Si qua fecerunt eadem patiantur & ipſi.

Mactarant autem Babylonij infantes Iudæorum crudeliter: eadem itaque pœna afficiuntur. Hic explicanda iterū eſt quæſtio. Cùm ſancti beatos prædicent hoſtes, qui huiuſmodi crudelitatem exercent, videntur ipſi capere voluptatem & lætari in calamitate hoſtium: & Moſes canit carmen triumphale extincto Pharaone, Exodi 15. inſtituitq; choreas & tripudia. Contra verò, inquit Salo. Prouerb. 24. Si ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne videat Dominus & diſpliceat illi, & auferat iram ſuam ab illo. Et in vniuerſum ἐπιχαιρεκακία etiam ab Ethnicis damnata eſt. Videtur enim à natura humana alienum eſſe, cùm omnes ſimus obnoxij calamitatibus, alium in ſua calamitate ridere, & afflicto afflictionem addere.

Reſpondeo, ſicut ſæpe de imprecationibus dictum eſt, ita hîc quoque videndum eſt, quo animo & affectu iſta fiant. Si enim ita gaudeas, vt tua quæras, hoc eſt, vt tuis affectibus indulgeas, & læteris tuas iniurias vindicari, tuo ocio, paci & incolumitati deinceps ſublato hoſte tuo conſuli, atque ita hanc calamitatem hoſtis tibi prodeſſe exiſtimes, inque eo ſuauiter acquieſcas, affectus omnino eſt vitioſus & fugiendus: ſed ſi animum referas ad gloriam Dei, & ſalutem proximi, & te intra has metas contineas, affectus hic laudandus eſt. Omnes enim hoc optare & petere à Deo debemus, vt conatus hoſtium ſuorum & eccleſiæ Chriſti reprimat, cúmque id facit, meritò lætantur ſancti, quòd Deus tandem verbum & nomen ſuum à contemptu & blaſphemia hoſtium vindicat, quod inimicum plagis ſuis ad pœnitentiam nonnunquam reuocat & meliorem reddit, quod peccata & furores diaboli & hominum impedit, ne ampliùs turbentur eccleſiæ, ne impediatur ſtudium & profeſſio doctrinæ diuinitus patefactæ, quòd gloriam & potentiam ſuam hoc modo conſpicuam reddit.

In his igitur affectibus, in quibus tantùm ad gloriam Dei & ſalutem proximi & eccleſiæ Dei reſpicitur, nec miſcetur aliquid ex turbidis affectibus iræ, odij, æmulationis, inuidentiæ, maleuolentiæ, cupiditatis vindictæ, aut ſimilium, non ſolùm nullum peccatum eſt, ſed Deus etiam commendat talem zelum, quem in Chriſto fuiſſe ardentiſſimum legimus, cùm Apoſtoli allegant Iohā. 2. dictum pſal. 69. Zelus domus tuæ comedit me. Et ſuprà 119. dicit propheta, Tabeſcere me fecit zelus meus. Eſtque in vniuerſum de huiuſmodi zelo aut lætitia, quæ exiſtit ex interitu hoſtium Dei, tenenda regula: Non exemplis ſanctorum, multò minùs noſtris affectibus aut impulſionibus, in quibus plurimum eſt prauitatis, ſed lege ſeu verbo Dei eſſe regendum vtrunque affectum, ad quod ſi congruat, eſt laudabilis: ſin minùs, eſt vitioſus. Paulus habuit zelum, ſed non ſecundùm legem. Sic de Iudæis ipſe dicit quòd habuerint zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam. Idumæi lætantur in calamitate Iſraelitarum impiè & ſceleratè. Ideo Deus apud Obadiam hanc ἐπιχαιρεκακίαν ipſis exprobrans grauiſſimè ſe vlturū minatur. Moſes verò & Iſraelitæ in interitu Pharaonis lætantur pio zelo.

PSALM CXXXVII.

PARTES.

I. Narratio ludificationis, qua hoſtes in Iudæos captiuos, ad ditionis Babylonicæ vada conſiſtentes, donec alij traieciſſent, vtebantur, v. 1. 2. & 3.

II. Confirmatio facti piorum, cur ſuis hoſtibus morem non gesſerint. Eſt bimembris. Prius membrum eſt ætiologia: cuius prima ratio ſilentij piorum, petitur à cantionum genere, quas ſacras Deo eſſe agnoſcunt, non autem prophanas, & ad libidinem inimicorum Dei abutendas. Altera ratio à loco & tempore: q. d. non eſt huius loci, neque temporis. Nam cantica illa ad cultum Iehouæ in Eccleſia aſpectabili pertinentia fuerunt tantùm in terra quam ſanctificauerat decantanda. Ætiologiæ huius partes continentur, v. 4.

Confirmationis alterum membrum, nimirum deuotio ſui ipſorum: q. d. diſpeream ſi fecero: abſit à me tam indignum facinus, vt quaſi oblitus Eccleſiæ cantica lætitiæ canam, v. 5. & 6.

III. Imprecatio in hoſtes eccleſiæ Dei, v. 7. & prophetica denuntiatio ruinæ Babylonis, v. 8. cum exclamatione bene optante illis, per quos ruina Babyloniorum erat euentura, v. 9.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 Longo exilio inter profanos populos aliquando mulctatur eccleſia, iuſto quidem Dei iudicio. Nec licet tamen piis impiorum moribus, propter longiorem moram, aſſueſcere, aut mundi illecebris inebriari, ſed memores beatæ illius ſortis qua fruebantur dum pietatis exercitia inter eos vigerent, eis licet lacrymis & ardētibus votis liberationem expetere, vt Deus glorificetur.

Dum profani homines rident & Deo obloquūtur, piorum eſt ſub cruce ſilere, & Dei manum patienter expectare.

2 Quum tempus ſit flendi, vt & lætandi: quoties ad luctū inuitamur (quod fit dū eccleſia premitur ab impiis) lætitiæ inſtrumēta ſūt remouenda, & cātiones in gemitus conuertendæ. Maledicūtur enim qui dū opprimitur eccleſia epulātur ſuauiter & muſica delectantur.

Amos 6. Contrà, beatos pronuntiat Chriſtus pios qui lugent. Luc. 6.

3 Nihil familiarius eſt impijs quàm blaſphemias in Deum iaculari, & fidei piorum probroſè illudere.

Pij omnium rerum terrenarũ iacturam tranquillo ferunt animo, & facile obliuiſcuntur: Sarcaſmos autem & Epicureorum ſubſannationes altis mentibus ferunt repoſitas. Dei enim veritas & gloria illis eſt omnibus alijs rebus potior.

4.5.6 Retinenda eſt ſemper in afflictionibus, etiam grauiſſimis, & propter varia delicta noſtra iuſto Patris cæleſtis iudicio inflictis, conſtantia non modò in fide, ſed etiam in Zelo: ne ſilentio veritatem prodamus, aut hominum metu vel alio prauo affectu emolliti officium deſeramus.

Indigni ſunt impij quibus offeratur ſancta Dei veritas, quã pedibus conculcarent: ſed hoc ipſum, quòd impij ſint, non eſt, quum de gloria Dei agitur, diſſimulandum.

Quãdiu cum impijs pij miſcentur, non in ſua, ſed in aliena regione habitant. Dum autem in præſentis vita hoſpitio duo vel tres in nomine Chriſti (etiam ſub impiorum tyrannide) collecti ſunt vt pijs exercitijs ſe in veritate promiſſionum diuinarum confirment, tũc in patria ſua, id eſt Dei eccleſia verſantur, vbi Deũ celebrant: ſed cãticum Domino in vita æterna perfecto corde & ore cantabunt.

Zelum domus Dei palmam tenere in cordibus noſtris æquũ eſt, vt ſupra omnes priuatos affectus emineat.

Nulla piis ſincera lætitia, niſi videant Eccleſiam proſpero ſtatu frui, & nullus mœror niſi ex malis & afflictionibus eccleſiæ conceptus, qui profanis omnibus gaudiis ianuam præcludat.

7.8 Quũ ſeruis ſuis Deus promiſerit ſe in tempore opẽ laturũ, promiſſionis memoria reuocat in animos noſtros, vt Deum vindicem fore perſuaſi, afflictionum exitũ patienter & moderatè expectemus.

Impunè nunquam ſuum ſcelus ferent eccleſiæ oppreſſores, ac præſertim ij qui potentiorum ſæuitiam aduerſus innocentes accendunt.

Vindictam petere nefas eſt, niſi quam promiſit Deus, *& quidem aduerſus reprobos & inſanabiles. Nam alijs quãtumuis infeſti ſint, optanda eſt ſana mens & reſipiſcentia.*

Afflictionibus, quas Dei *eccleſia perpetitur, initium, modus & finis eſt à* Deo *præfixus.*

Fidei oculis pij conſpiciunt abſconditum Dei *iudicium in impios, quod etſi ad tempus differtur, non tollitur, ſed momento præfixo apparet, & tarditatem grauitate ſupplicij compenſat.*

Nulla prudentia, nulla potentia humana Dei *iudicium poteſt auertere, quin potentiſſimos & aſtutiſſimos eccleſiæ ſuæ hoſtes tandẽ in ira ſua tollat è medio.*

Qua quiſq; menſura vſus fuerit erga alios, viciſſim ei remetietur. Impij in eccleſiam Dei *crudeliter ſæuientes, nulla ſexus vel ætatis habita ratione, vt omniũ temporũ hiſtoria teſtatur, tandem ſimiles dãt* Deo *pœnas, ita vt in patres & paruulos eius iudicia appareant.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De exſilio, ſilentio ſub cruce, triſtitia & patientia piorum Dei ferulis afflictorum.
2. De luctu religioſo & prophano.
3. De muſices vſu & abuſu.
4. Conſtantia, animi præſentia, & veritatis confeſſio à piis perſecutionem patientibus requiritur.
5. Patria & exilium piorum.
6. De pio & præpoſtero zelo.
7. De imprecationibus.
8. De vindictæ cupiditate & imprecationibus aduerſus Eccleſiæ hoſtes.
9. Iudicia Dei impiis parata, certiſſima ſunt & ineuitabilia.
10. Vindictæ diuinæ inſtrumẽta quomodo conſideranda.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVIII.

PSALMVS eſt euchariſticus. Dauid *enim reuerſus ab exilio & in regem inauguratus agnoſcit ſe diuinitus inter tot hoſtium ſuorum inſidias & tela hactenus ſeruatum eſſe, & nunc tandem ex humili loco ad eam potentiam euectũ eſſe, quæ non tantùm apud ſubditos, ſed peregrinas quoque gentes & reges vicinos ipſum celebrem reddat, & manifeſtam Dei præſentiam & auxilium eius conſpiciendum præbeat. Hæc igitur beneficia grato animo prædicat in hoc Pſalmo. Et quia intelligit nondum ſe defunctum eſſe omnibus periculis, & diabolum in primis ſibi & regno ſuo inſidiari, petit in fine, vt Deus opus cœptum perficiat, atque ad finem perducat, idque propter clementiam & bonitatem ſuam, quæ ſit inexhauſta & nullis temporum terminis circumſcribatur. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Diximus autem ſæpe Dauidem typum gerere Meſſiæ: & in regno eius formam futuri regni quodammodo adumbrari. Sicut igitur Dauid per multas tribulationes, anguſtias & perſecutiones ad ſuum regnum peruenit: ita Chriſtũ pati prius & mori atque ita intrare in gloriam ſuam oportuit, Lucæ 17. & 24. Celebrat igitur & Chriſtus in hoc Pſalmo ſuas victorias, & Deo gratias agit, cuius omnipotentia inſtructus regnum ſuum debellatis hoſtibus feliciter condiderit, & in totũ orbem ſparſa Euangelij voce propagarit, vt gentes audita Euangelij doctrina bonitatem & potentiã Dei ipſæ quoque agnoſcerent & celebrarent. Et quia regnum hoc, quamdiu in terris voce Euangelij colligitur & cõſtituitur, ſemper hoſtes habet potentiſſimos & virulentiſſimos, diabolum & eius organa, quæ immani odio filium Dei & eius membra proſequuntur, gratiarum actioni ſubijcit Chriſtus precationem, vt opus miniſterio Apoſtolorum & ſucceſſorum cœptum feliciter vſque ad finem Deus perducat, donec completo fidelium numero regnum æternum in altera vita inchoet: in quo bonitas & miſericordia eius ſine fine celebretur.*

Dauidis.

1 CElebrabo te in toto corde meo: coram Diis pſallam tibi.

2 Incuruabo me ad templum ſanctitatis tuæ, & canam nomini tuo ſuper clementia & veritate tua: quia magnificaſti ſuper omnia nomen tuum verbo tuo [*alij adijciunt copulam, & verbum tuum.*]

Propoſitio pſalmi his duobus verſibus exponitur. Ego ago tibi gratias, idque faciam in tota vita quandiu ſpiritus hos reget artus, & faciam id non ſimulatè, vt hypocritæ, ſed toto corde & veris animi motibus: & faciam non priuatim tantùm, ſed publicè in conſpectu omnium, in loco ſacro & peculiariter nomini tuo conſecrato. Ita hac deſcriptione oſtendit qualis eſſe noſtra gratitudo debeat. *Primùm* debet illa eſſe perpetua, ne quis defungi ſe exiſtimet, ſi ſemel atque iterum Dei beneficia commemoret, quales multi ſunt, qui ſi ſemel illa decantarint, mox illorum beneficiorum memoriam ſepeliunt. Itaque nihil ab aliis ingratis differunt. *Deinde* non debet oratio illa, quæ Dei beneficia commemorat, in lingua naſci, vt Phariſæo apud Lucam: ſed ex corde proficiſci, ita vt cor agnoſcat & ſtatuat hæc beneficia diuinitus profecta eſſe, & intelligat Deo perpetuam gratitudinem deberi. Ideo inquit, celebrabo toto corde, id eſt, ſincero, quod ſolidam gloriam tribuat Deo, non partem adſcribat idolis, aut ſapientiæ & induſtriæ humanæ, partem Deo. Totum enim cor opponitur duplici, ſicut & ſupra pſalmo 9. & 111.

Tertio debet illa gratiarum actio fieri non tantùm priuatim: ſed publicè quoque, & quidem in loco ſacro, vt alij his exemplis inuitentur ad agnitionem & celebrationem Dei. Ideo dicit ſe *coram Angelis* carmen decantaturum, & proſtraturum ſe coram facie Dei, ad templum ſanctum eius. Vox אלהים Elohim, in ſcriptura primum tribuitur Deo, cuius ſumma eſt potentia & robur. Deinde tribuitur etiam Angelis, & magiſtratibus, qui ſublimi aliqua poteſtate præditi & ornati ſunt diuinitus. Siue igitur Angelos hoc loco, ſiue iudices & magiſtratus intelligamus, ſignificat ſe publica voce in conſpectu omnium celebraturum nomen Dei. Sicut ſupra pſalmo 111. hanc ſententiam ſimpliciſſimis verbis exponit, in conſilio & congregatione iuſtorum: & Pſalmo 107. Celebrate Iehouam in ſeniorum conſeſſu. Eſt enim ſacer piorum conuentus, quaſi cœleſte theatrum, ideóque angelorum frequentia ornatur: & Cherubim ideò arcam fœderis cingebant, vt ſcirent fideles ſibi adeſſe ſanctos angelos, quoties in ſanctuarium veniebant. Et coram iudicibus ſeu gubernatoribus reipub. & optimatibus, hoc eſt, in conſeſſu celebri, cùm

celebra-

celebratur Deus, ipſa res magis incurrit in oculos, & magis illuſtrat gloriam Dei, & mouet animum vulgi, vt exemplum proſit pluribus.

Quod autem de celebratione beneficiorum diuinorum hîc dicitur, id etiam intelligi debet de confeſſione doctrinæ, quæ eſt pars illius celebrationis. Illa enim debet fieri in conſpectu regum & principum, nec debet quiſquam defugere pericula, quæ confeſſionem comitantur: ſicut ſuprà inquit pſalm. 119. Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum. Nam & ita celebratur Deus, éſtque hoc in gratiarum actione præcipuum, non abiicere profeſſionem doctrinæ metu periculorum, ſed magno & conſtanti animo prædicare Deum & eius verbum coram mundo, coram regibus & principibus.

Incuruabo me ad templum ſanctum tuum] Hîc loquitur tanquam vnus ex populo legis, qui lege tenebatur conuenire ad illum locum, quem Deus cultui nominis ſui cóſecrauerat, aut ſi id non poſſent, ſaltem oculis & facie ſe ad templum côuertere. Interea ſignificat gratiarum actionem non tantùm priuatam, ſed publicam eſſe debere. Dauid quidem ſpiritualiter celebrat Deum: ſed tamen oculos ſimul ad illa externa ſymbola conuertebat, quibus fides excitabatur & confirmabatur. Canere nomini diuino aut celebrare nomen, ſignificat, ea de Deo prædicare, quę ad agnitionem & celebrationem nominis diuini faciunt.

Super clementia & veritate tua] Addit rationem, cur Deum aſſiduè celebrare velit, ſignificans quæ beneficia Dei præcipuè à nobis celebranda ſint. Eſt quidem potentia eius & virtus, quam ſæpe oſtendit, digna celebratione, atque hoc quoque ad nomen eius pertinet, vt & cæterę virtutes: ſed nihil nos tam inuitare debet ad celebrandum nomen eius, quàm gratuita bonitas & miſericordia, deinde veritas. Miſericordia eſt, gratuita illa acceptatio, qua nos miſeros atque abiectos gratis adſciſcit in fœdus, remittens nobis peccata, & acceptans nos ad vitam æternam. Hanc miſericordiam ſicut in verbo patefecit Deus, ita cùm verax ſit, præſtat quod promiſit. Cum miſericordia igitur coniungit veritatem. Intelligebat Dauid nullis ſuis meritis ſe hoc obtinuiſſe, vt diuinitus adoptaretur, & ab ouili ad tantum dignitatis & honoris faſtigium eueheretur, vt fieret rex in populo Dei, & quidem talis rex, qui typum gereret Meſſiæ, & cui promiſſio fieret, quòd ex ſemine eius natus Meſſias æternum regnum conditurus eſſet, ſed hæc omnia profecta eſſe ex mera Dei bonitate, qui gratis eum adoptauerat & elegerat.

Ideo dicit ſe celebraturum Deum propter miſericordiam, qui gratis hæc tanta bona ſibi promiſerat. Deinde, etiãſi Deus aliquandiu exercuerat eius fidem, cùm obiiceret eum variis periculis, & aliquandiu exulare ex patria vellet, tamen tandé præſtitit quod promiſerat: ideo dicit, propter veritatem tuam. Nos quoque, commonefacti hoc Dauidis exemplo diſcamus celebrare Dei miſericordiam, qui nos gratis adoptauit, & hæredes fecit regni cæleſtis ſine vllis operum meritis aut dignitate noſtra: & cum Dauide ſtatuamus, eum veracem eſſe in promiſſione, & hanc laudem veritatis ei tribuentes, & ipſum debito honore afficiamus, & fidem noſtram confirmemus. Nonnulli veritatem interpretantur vera & non fugacia bona, id eſt, totam illam viuificationem & gubernationem Spiritus ſancti, & vitam æternam, in qua bona illa inchoata conſummabuntur, iuxta illud Iohannis 1. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. & Rom. 5. Per Chriſtum habemus gratiam & donum per gratiam. Vt veritas hoc loco idem ſit quod donum per gratiam, & opponatur vmbris.

Vtraque ſententia pia & plana eſt. Sed cũ ad beneficia Dauidi exhibita reſpicimus, videtur veritas ita intelligenda, ſicut primo loco expoſuimus, quòd videlicet veraciter præſtiterit, quæ liberaliter & ex mera miſericordia promiſerat: vt veritas idem hoc loco ſit, quod fides ſeruans promiſſa.

Quia magnificaſti] Id eſt, quia his promiſſionibus & beneficiis, quæ mihi iuxta promiſſiones exhibuiſti, extuliſti nomen tuum ſuper omnia, vt iam ab omnibus tua clementia, tua veritas & virtus agnoſcatur & celebretur. Hactenus quamdiu regnabat impius Saul, & ego cogebar exulare, & ſubindè exilij loca mutare, non ita illuſtre fuit nomen tuũ apud nos, quia ſpe tantùm tenebamus quod promiſeras, nũc verò, poſtquam id præſtitiſti, elatum eſt nomen tuum ſupra omnia, & falſa atque impia Saulis & ſatellitum eius fiducia, quam in idola aut magos collocabant, damnata.

3 In die [*quo*] clamaui, mox exaudiſti me: multiplicaſti mihi in anima mea robur.

Addit alias rationes, cur nomen Iehouæ aſſiduè celebrare velit. Prima eſt, quia toto tempore perſecutionis & exilij animaduertit preces ſuas non fruſtra à ſe in aërem effuſas eſſe, ſed veniſſe in conſpectum Dei, & exauditas eſſe. Quanquam enim non mox liberatus ſit ex periculis & anguſtiis: tamen intus in corde affirmat ſemper ſenſiſſe ſe lætitiam acquieſcentem in Deo, & ſuperantem illos dolores, quibus aliquandiu cruciabatur. Inde igitur ſtatuiſſe, quòd eſſet exauditus, etiamſi ſuo conſilio Deus differret adhuc liberationem. Hæc altero membro huius verſus clariùs exponuntur, in quo tanquam aliam adiiciens cauſam ait, Deum ſibi multiplicaſſe in anima robur: hoc eſt, confirmaſſe cor eius ſenſu amoris ſui erga ipſum, & effudiſſe in eum Spiritum ſanctum, qui cor pauidum, redderet quietum & tranquillum, & perfunderet illud lætitia acquieſcente in Deo, atque ita ſimul viribus inſtrueret & corroboraret animum, ne fractus mole calamitatũ concideret aut deſperaret: ſed fortiter potiùs contrà inſurgeret, ſeque fiducia præſentiæ & auxilij diuini contra illos diaboli & hoſtium inſultus armaret, & tandem feliciter vinceret. Hoc verò beneficium non tantùm priuatum Dauidis fuit, ſed omnes pij in ſuis certaminibus, quando luctantur cum ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, & fide intuente promiſſioné, repugnant dubitationi, experiuntur in anima ſua diuinitus multiplicari robur, quo tandem ex inferorum doloribus eluctentur. Hinc igitur ſtatuunt non deſeri ſe in his calamitatibus, ſed reſpici à Deo, & ſuas preces exaudiri. Hæc igitur beneficia cum Dauide aſſiduè celebrant ſancti.

Verbo multiplicandi ſeu roborandi notat infirmitatem carnis noſtræ in illa lucta. Niſi enim aſſiduè nouum robur ſuppeditet Spiritus ſanctus, atque ita cumulando id multiplicet, non poteſt caro ſuſtinere vim & impreſſionem legis damnantis, aut diaboli inſultus: ſed concidit oppreſſa mole dolorum. Deus igitur videns hanc infirmitatem noſtram, dum aſſiduè in hac pugna vacillamus & nutamus, ſæpè etiam reſpectamus & fugam meditamur, ſubinde ſubmittit nouũ robur, quo confirmati conſiſtere in acie, & feliciter pugnare ac vincere poſſimus. Hoc igitur eſt quod dicit, Multiplicaſti mihi robur in anima mea. Nonnulli adiecta copula membrum hoc ita reddũt, Multiplicaſti me & in anima mea robur. Alij, Multiplicaſti me in animo meo robore: quæ ſententia eodem redit cum priore.

4 Celebrabunt te Iehoua omnes reges terræ: quando audiuerint verba oris tui.

5 Et canent in viis Iehouæ: quia magna eſt gloria Iehouæ.

Amplificat beneficia accepta à multitudine eorum qui beneficia diuinitus Dauidi exhibita, ſint celebraturi. Vult enim hoc dicere: Tanta ſunt hæc & tam illuſtria beneficia tua, vt non ego tantùm ea ſim perpetuò celebraturus, ſed etiam alij reges in toto orbe terrarum, vbi audiuerint quàm liberaliter mecum egeris, cùm me abſtractum ab ouili in regem eligeres, & quàm glorioſè factam promiſſionem præſtiteris, hanc tuam bonitatem in promittendo, & veritatem in ſeruandis promiſſis, & gloriam ſeu potentiam in defendendis, liberandis, ornandis atque euehendis tuis, ſint celebraturi. Hæc ſimpliciſſima eſt horum verſuum ſententia, cùm de Dauide pſalmum intelligimus. Nam quòd dicit reges celebraturos Iehouam, vbi audiuerint verba oris eius, intelligenda ſunt verba de promiſſione, quæ Dauidi per Samuelem erat facta de regno, de dignitate & potentia. Ea promiſſio poſtquam præſtita eſt, eo eſt illuſtrior, & eo maiorem in animis hominum, regum inprimis, admirationem parit, quo maior & potentior eſt qui promittit, & quo eſt miſerior & abiectior cui facta eſt promiſſio. Eſt autem Deus creator cœli & terræ, Rex regum, Dominus dominantium, in cuius manu ſunt omnia, qui regnum Dauidi promittit. Dauid autem opilio eſt, humili & obſcuro loco natus, & ſordidis laboribus occupatus, vt nullam generis nobilitatem, nullam dignitatem, nullam virtutem, præſtantiam, aut merita iactare poſſit. Id igitur vbi audiuerint reges, quòd cùm ſis Deus omnipotens, humilia tamen reſpicias, vt poſtea ſequitur, celebrabunt te, Iehoua.

Et canent in viis Iehouæ] Id eſt, celebrabunt opera eius, in quibus gloria ſummæ bonitatis & potentiæ elucet. Viæ enim Iehouæ ſunt opera quæ Deus agit, aut ratio agendi cum piis. Agit autem ita, vt vndique eius bonitas, clementia, veritas & potentia conſpiciatur: ideóque dignus habeatur, qui ab omnibus celebretur. Ideo ſubiicit, quia magna eſt gloria Iehouæ.

Diximus autem in argumento, pſalmum de Chriſto quoque intelligendum eſſe, cuius Dauid typum gerebat. Chriſtus enim decreto patris conſtitutus rex in monte Sion, poſtquam hoſtes ſuos, mortem, peccatum & diabolum vicit, & regnum ſuum voce euangelij per totum orbem terrarum ſparſit & propagauit, ea prædicatione non ſolùm homines obſcuros & ignobiles, ſed reges quoque paſſim in toto orbe terrarũ excitauit, qui hæc beneficia in Chriſto exhibita agno-

ſcerent & celebrarent. Etſi enim non multi ſapientes ſecundùm carnem, vt ait Paulus, 1. Cor. 1. nec multi potentes aut nobiles doctrinam euangelij amplectuntur: tamen omnibus téporibus aliqui reges & principes facti ſunt membra veræ eccleſiæ. Hi igitur quando ſe adiungunt ad eccleſiam, cùm inter cæteros homines emineant dignitate & potentia, ſua confeſſione & gratiarum actione, qua cæteris præeunt, efficiunt vt beneficia Dei in Chriſto exhibita fiant conſpectiora, & à pluribus agnoſcantur ac celebrentur.

6 Quia excelſus Iehoua, humilem tamen reſpicit: & excelſus eminus agnoſcit.

Ἐξήγησις eſt ſuperiorum verſuum. Oſtendit enim quæ illa ſit gloria Dei, quam celebraturi ſint reges, vbi hanc hiſtoriam Dauidis, electi & euecti ad regnum, audiuerint. Ex ea enim agnoſcent, quòd quanquam Iehoua ſit excelſus, cuius potentia ſuperat omnium creaturarum potentiam & gloriam: tamen immenſa bonitate ita ſe demittat, vt hominem ignobilē, obſcurum, nulla dignitate aut meritis præſtātem, ſed ſpretum & abiectum reſpiciat, curet, amet, foueat, atque in eo ornādo atque euehendo ſuam potentiam & gloriam omnibus oſtēdat. Atque hoc exemplo confirmati agnoſcent, non volui res humanas temerè, aut caſu: ſed eſſe prouidētiam diuinam, qua totus hic mūdus regatur. Hic igitur fructus erit huius beneficij. Non enim mihi tantùm proderit, nec à me celebrabitur: ſed fructus beneficij ad plures alios redibit, in quibus confirmabitur hæc ſententia, quòd Deus in hoc mundo omnia admirabili ſua ſapientia regat & gubernet, & non ſinat res humanas temerè aut cæco impetu ferri. Hæc igitur cogitatio ad agnitionem & celebrationem nominis tui, ad modeſtiam & alias multas virtutes eos inuitabit. Ita, cùm de Dauide pſalmū interpretamur, 6. verſus eſt intelligendus.

Ad Chriſtum cùm transfertur, non obſcurum eſt quid velit Propheta. Exhibito enim Chriſto, & regno eius inter gentes propagato, hæc immenſa miſericordia, bonitas & Dei amor erga genus humanum in euangelio annuntiatur, quòd quanquam ſummus Monarcha ſit Deus, qui ſit αὐτάρκης, & nullius officij indigeat, & ſit iuſtus, qui peccata damnet & puniat, ita tamē ſeſe demittat, atque ita benignum ſe exhibeat, vt ſalutis hominum cōtaminatiſſimorum & ſpiritu cōtritorum curam agat: ideóq; filium ſuum in hunc mundum mittat, qui aſſumpta humana natura fiat victima pro peccatis hominum, & ſua morte nos redimat à maledictione legis & damnatione. Hoc igitur beneficium totus mundus, atque adeò ipſi reges quoque, qui alioqui fiducia ſuæ ſapientiæ, iuſtitiæ, & potētiæ perpetuò tument, ſéque his rebus beatos eſſe exiſtimant, agnoſcent & prædicabunt, atque ita gloriam tuam illuſtrabunt.

Excelſus eminus agnoſcit] Repetitio eſt eiuſdē ſententiæ viſitata prophetis. Deus quāquam eſt ſublimis, tamen *agnoſcit*, id eſt, curat, fouet, regit, etiam ea quæ videntur eſſe lōginqua aut procul à cura eius remota. Paruuli, abiecti & calamitoſi videtur eſſe longiùs à Deo remoti: ſed hos non minùs curat ac ſibi propinquos. Ethnici dicunt, *Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui.* Ita præcipuam partem prouidentiæ negant: & refutantur hoc dicto pſalmi, qui affirmat Deum etiam ea quæ longè videntur à conſpectu eius poſita agnoſcere & curare. Verba enim apud Hebræos intelligenda ſunt effectiuè. Agnoſcere igitur eſt curare. Nonnulli גבוה in accuſatiuo legunt, Excelſum eminus cognoſcit: quaſi hoc velit, Deus altos & ſuperbos non dignatur propinquo intuitu: ſed eminus, hoc eſt, contemptim eos deſpicit.

ירע quidam vertunt conterere. Fortè enim ר legerunt pro ד.

6 Si ambulauero in medio tribulationis: viuificabis me, ſuper iram inimicorum meorum mittes manum tuam, & ſeruabit me dextera tua [*vel ſeruabis me dextera tua.*]

Hoc verſu & ſequente ita celebrat beneficia accepta, vt affirmet ea non tantùm ſibi in periculis, quibus defunctus erat, profuiſſe, ſed in poſterum per totam vitā profutura eſſe. Hæc enim liberatio, quæ facta erat, teſtimonium fuit certiſſimum præſentiæ & amoris Dei erga Dauidem. Eo igitur liberationis beneficio cōfirmata fide certò ſtatuit, ſe deinceps quoque curæ fore Deo, & ſi ingruant calamitates aut hoſtes inſurgāt, Deum adfuturum ſibi, & primùm in medio tribulationis viuificaturum ipſum, id eſt, ſuſtentaturum & confirmaturum cor ipſius, ne victum ſenſu iræ Dei aduerſus peccata ruat in deſperationem & interitum, & effuſurum in ipſum Spiritum ſanctum, qui accendat in eo lætitiam acquieſcentem in Deo, & foris omnia pericula & ærumnas contemnentem. Nam hæc eſt illa viuificatio, de qua hîc loquitur, quam antea in maximis ſuis ærumnis & certaminibus expertus erat. Ideóque illam omnibus corporalibus beneficiis ſeu liberationibus præfert. Deinde contra hoſtes aut iniurias externas pollicetur ſibi certum auxilium & defenſionem, cùm inquit, *Seruabit me dextera tua, & manū tuam mittes ſuper iram inimicorum*, id eſt, reprimes ipſorū furorem, infringes atque irritos reddes ipſorum conatus, & me munies illis præſidiis, quibus me tutum reddas aduerſus ipſorū inſultus. Ita in hoc verſu nouam cauſam oſtendit, cur exiſtimet ſe debere gratias agere Deo. Nam ſicut antea præterita beneficia commemorabat: ita nunc futura etiam coniungit, quæ fides præteritis liberationibus confirmata certò ſibi pollicetur.

Particulam אף quidā accipiunt nō pro ira, ſed aſſeueratiuè pro etiam. Extendes etiā ſuper inimicos, &c. Sed quia præpoſitio præmittitur, quæ nomē in ſuo caſu requirit, retineo receptam ſententiā, in qua & ſenſus plenior eſt, & nihil coactum.

8 Iehoua perficiet [*conſummabit*] pro me, Iehoua clementia tua in perpetuum: opera manuum tuarum non deſeres.

Cohæret hic verſus cū ſuperiore. Sicut enim antea ex præteritis beneficiis certam fiduciam aduerſus futuras tribulationes concipiebat: ita nunc, quia videt multa adhuc reſtare certamina & pericula, quæ per totam vitam ſint ſubeunda, ſed quibus ipſe ferendis aut ſuperandis par eſſe non poſſit, oſtendit ſe certam habere ſpem, quòd finis tandem horum malorum ſit futurus, & ſi qua moles malorum ingruat, quæ ipſe depellere non poſſit, Deum ſua opera quæ cœperat feliciter ad finem perducturum & perfecturum eſſe, eáque re oſtenſurum ſibi curæ eſſe eius ſalutem. Et rationem addit dulciſſimam ac conſolationis pleniſſimam, quam fide intuens, inde tantam concipit πληροφορίαν. Quia, inquit, clementia tua eſt in perpetuum: non enim eſt momentanea, nec cum vno beneficio euaneſcit. Sed vt ipſe Deus eſt æternus, ita & clementia & amor eius erga nos durat perpetuò. Fieri igitur non poteſt, vt ego deinceps opprimar vlla mole calamitatum aut ærumnarum, multò minùs ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, cùm ſciam me amari ab ipſo, & ſub ipſius tutela viuere.

Perficiet] Græcus reddidit ἀνταποδώσει: fortè quia גמל legit pro גמר.

Opus manuum tuarum non deſeres] Repetit prius membrum aliis verbis: cùm miſericordia eius ſit perpetua, & Deus in ſuo propoſito ſit firmus & conſtans, non mutabilis vt homo, nec frangatur moleſtia laboris, ipſe quod cœpit feliciter perducet ad finem, nec abiiciet opus imperfectum. Sunt enim dona Dei ἀμεταμέλητα, Roman. vndecimo. Hæc verò vox fidei non ita accipienda eſt, quaſi Deus nos velit prorſus eſſe otioſos in certaminibus, aut indulgere torpori & ſecuritati, vt faciunt qui iubent nos expectare tempus, quo nobis plenitudo gratiæ infundatur tanquam in vrceolos vacuos: ſed potiùs confirmatur hac promiſſione fides, vt cùm multa nobis in hac ſpirituali lucta & periculis occurrant quæ fidem labefactare poſſunt, non frangamur metu periculorum aut cogitatione noſtræ infirmitatis, nec exiſtimemus fore vt ſpem noſtram in medio curſu Deus fruſtretur, ſed vt conſcij noſtræ infirmitatis ab vno Deo pendeamus, & ab hoc opem & ſalutem petamus & expectemus. Fides enim, vt Paulus ad Philippenſes primo inquit, ſibi certò perſuadet, quòd is qui cœpit bonum opus in nobis, perficiet vſque ad diem Ieſu Chriſti. Non igitur frangitur mole calamitatum aut mora auxilij, non indulget diffidentiæ aut dubitationi, multò minus ſit ſecura, aut ſua ignauia Dei actiones impedit aut excludit. Voluntas enim debet ſe habere, ὡς προαίρεσις ὑποτακτική, quæ mota à Spiritu ſancto accedat ad Deum, & petat beneficium, & oblatum recipiat, ſéque totam regendam Deo tradat, vt inquit Macarius. Hæc ſimplex eſt horum verſuum ſententia. Cæterùm conſolatio, quam ſibi Dauid hîc proponit, eáque animum aduerſus mala futura munit, ita accipienda eſt, quòd ſimul habeat votum ſeu precationem incluſam, qua ſeſe & ſalutem ſuam in poſterum Deo commendat. Fides enim intuens præterita beneficia non tantùm his confirmatur, vt in poſterum de Dei erga ſe voluntate bene ſperet: ſed etiam excitatur ad inuocationem, vt quod ſecundùm promiſſionem ſperat, etiam ardentibus votis à Deo petat. Vtrunque igitur in poſtremo verſu intelligatur præſtare Dauid. Ex præteritis ſcilicet beneficiis futura colligere, eáque omnia vt par eſt celebrare, & ſimul Deo preces adhibere, vt qua beneuolentia hactenus ipſum amplexus erat, deinceps pergat eum fouere, ornare, prouehere, tueri ac defendere ſalutem eius. Inprimis verò, vt quæ initia vitæ cæleſtis in corde ipſius accenderat, ea perficiat, donec eductum ex hac ærumnoſa vita in æternam beatitudinem, in qua omnia quæ hîc per miniſterium vocis inchoantur, perficienda erunt, collocet. Hoc eſt igitur, quod inquit, opus manuum tuarum non deſeres. Et, Iehoua perficiet pro me.

PSALMI CXXXVIII.

PARTES.

I. Laudationis Dei proteſtatio duplex. Vna eáque ſingularis à Dauide, v. 1. 2. & 3. Benignitatis & fidei autem diuinæ meminit, quibus nomen Dei magnificatur, & veritas ſermonum ſeu promiſſionum eius aſſeritur: confirmatione addita, ab exemplo ſuo, v. 3.

Altera pars laudationis, communis omnium gentium, quæ ad Chriſti regnum vocandæ erant, & Deum laudabunt de verbo ſuo, v. 4. & de adminiſtratione ex verbo, v. 5. & 6.

II. Petitio, cuius argumentum primum ab anteacta Dei beneficentia, v. 7. proponitur. Alterum, à natura Dei conſtante in beneficiis erga ſuos, v. 8.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. & 2. Quo amplioribus Dei beneficijs ornati ſunt fideles, eò magis profiteri tenentur ſe non vulgari modo pro tantis beneficijs fore gratos.

Hypocritarum eſt ficta & inani reſonantia ſacrificium laudis polluere: pij autem ſincero cordis affectu Deo gratias agunt.

Quoties in conſpectũ Dei prodeunt fideles, quaſi ſegregati à mundo cœlos conſcendunt, vt ſe coniungant Angelis, & vno conſenſu concentúque Deum celebrent.

Etſi ſpiritualis eſt diuinus cultus, ſenſus tamen ad externa pietatis ſymbola & exercitia conuertunt fideles, vt huiuſmodi vehiculis ad Deum euehantur.

Nihil acriùs ſtimulare nos debet ad celebrandum Dei nomen, quàm gratuita eius bonitas: quia liberaliter nobiſcum agendo, os nobis ad canendas ſuas laudes aperit.

Vtcunque effectis ſe beneficum Deus oſtendat, niſi tamen præluceat doctrina, quæ fidem eius & veritatem offerat, impediet ſtupor noſter ne eius bonitas in animos noſtros penetret. Hæc igitur optima eſt ad nos expergefaciendos ratio, dum ſua voce nos compellat Deus, & tandem effectu quam pollicitus eſt gratiam, ſancit & obſignat.

3 Quanuis ſæpe vota noſtra Deus præueniat, & occurrat quaſi dormientibus, ideo tamen nos vtplurimùm ſui ſpiritus inſtinctu ſollicitat ad preces, quo meliùs ſuam gratiam illuſtret, dum non ſine profectu nos oraſſe agnoſcimus.

Fideles malis debilitati, à Deo quem inuocant, nouam animi fortitudinem obtinent.

4. 5 Tam præclaræ ſunt ſæpius piorum liberationes, vt mundi principes in admirationem rapiant.

Euangelij doctrina reges terræ coegit audire verba oris Dei, & ſceptra ſua Chriſto monarchæ potentiſſimo (cuius Dauid typus fuit) ſubijcere.

6 Dei prouidentia piorũ aſylum. Nec obſtat eius celſitudo quominus pios humiles & abiectos reſpiciat in terra: contrà ſuperbos non dignatur propinquo intuitu, ſed contemptim deſpicit.

7 Hæc vera fidei regula eſt, in mortis tenebris cernere vitæ lucẽ: nec tãtùm inniti Dei gratiæ, quæ nos ab omni incommodo eximat, ſed quæ nos ſingulis momentis in media morte viuificet: ſicuti nos varijs afflictionibus humiliat, vt mirabiliter tueatur, atque ita vitæ cuſtos & liberator appareat.

Varijs modis impiorum eccleſiæ perſecutorum rabiem Deus compeſcit, ſuiſque potenter fert auxilium.

8 Quum Deus, nullo iure nobis obſtrictus, vltro promittat nos ſibi curæ futuros, ſequitur ſalutem noſtram non fore caducam nec temporalẽ, quia æterna eſt Dei bonitas. Vide Rom. 11. 19. Pij autem ſolicitudine & metu afficiuntur, quia ſuæ fragilitatis conſcij ab vnius Dei miſericordia pendent. Interim ſolida certitudine recumbunt in eius gratiam, quia non dubitant quin perficere velit vſque in diem Chriſti quod cœpit. Philip. 1. 6.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De gratitudine & ingratitudine.
2. Pietatis profeſſio etiam externa eſſe debet.
3. Bonitatis Dei varia argumenta.
4. Inuocationis ſinceræ fructus.
5. Liberationes piorum admirabiles.
6. De vocatione gentium.
7. De ſpeciali prouidentia Dei ſumma deprimentis, infima exaltantis.
8. Omnipotentia Dei ſuos glorioſè tuetur, conſeruat, eripit, & dono perſeuerantiæ coronat.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIX.

PSALMVM hunc exiſtimo ſcriptum eſſe à Dauide, cùm vel ſub Saule exularet, vel (quod mihi magis ſit veriſimile,) cùm à filio Abſalomo per ſeditionem regno expulſus eſſet. Vtroque enim tempore hoc ei accidit, vt virulentiſſimis calumnijs ad vulgus traductus in odium apud pleroſque adduceretur. Nam Saule regnante Doeg & alij aſſentatores aulici perpetuò eum tanquã ſeditioſum turbatorem pacis publicæ, reum læſæ maieſtatis, aut etiam hoſtem religionis & contemptorem ſacrorum accuſabant. Poſtea verò cùm ad regnum euectus in homines impios, idololatras, aut manifeſtis ſceleribus contaminatos ſeueriùs animaduerteret, inclinata fortuna in ſeditione Abſalomi, Semei & alij diſciplinæ impatientes virum ſanguinum & virum Belial eum eſſe clamabant. 2. Samuel 16. Hæc conuitia, quibus iniuſtiſſimè deformabatur Dauid, maiorem illi dolorem attulerunt, quàm illæ externæ ærumnæ aut pericula, quibus vita eius expoſita tunc erat. Intelligebat enim his conuitijs non ſe tantùm & famam ſuam iniuſtè lacerari, ſed nomen diuinum quoque contumelia affici, vt poſtea verſu 29. dicetur: ideo toties in multis Pſalmis teſtatur de ſua innocentia, & in hoc Pſalmo cùm pleroſque ex vulgo intelligat aures præbere calumnijs, ideóque à ſe fieri alieniores, ad iudicium Dei prouocat, quem cùm καρδιογνώστην ſciat eſſe, ab hoc petit vt cor ſuum bene exploret & examinet, & ſi culpa eum carere deprehendat, pœnas ab hoſtibus ſumat, atque ita hominem innocentem defendat aduerſus virulentiſſimos maledicorum morſus. Hæc ſumma eſt huius Pſalmi. Conſumitur autem magna pars Pſalmi in hac theſi probanda quòd Deus ſit καρδιογνώστης, & ſumuntur argumenta ab eius, qui omnium hominum conſilia, dicta & facta cognoſcat, omnipotentia, infinita ſcientia, vniuerſali præſentia, perpetua prouidentia, ab eſſentiæ eius proprietate, & ab hominis formatione, &c. quibus oſtendit nihil Deum latere poſſe. Ideóque fretus conſcientiæ ſuæ integritate ſpretis omnium hominum iudicijs, quibus nihil eſt fallacius, ad Deum prouocat, eúmque teſtem ac vindicem eſſe ſuæ innocentiæ cupit. In fine verò Pſalmi detecta hoſtium ſuorum malitia, veram cauſam indicat cur in tantum odium venerit apud impios, vt impudenter effictis calumnijs paſſim eum traducerent & deformarent. Non enim aliunde illud odium extitit, quam quòd ex animo ipſorum impietatem & ſcelera deteſtabatur, & quoties res poſtulabat, ſeuerè in manifeſtè impios & contumaces animaduertebat. Oderunt enim impij omnia vincula diſciplinæ, & quia legem tyrannum eſſe iudicant, omnem magiſtratum tanquam ſcelerum vindicem hoſtiliter oderunt & proſequuntur. Hoc igitur oſtendens innocentiam ſuam magis aſſerit, & cauſam Deo vindicandam commendat.

Ad triumphandum, Dauidis Pſalmus.

1 IEhoua exploras me & cognoſcis.
2 Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere
meum: intelligis cogitationem meam procul [*eminùs.*]
3 Semitam meam & accubitum meum obſides
[*circumdas:*] & omnes vias meas intelligis.
4 Quia nullus ſermo in lingua mea: ecce Iehoua agnoſcis totum.
5 Retro & ante coarctas me: & ponis ſuper me
manum tuam.

Orditur Pſalmũ à generali theſi ſeu doctrina, quòd Deus ſit καρδιογνώστης, qui intelligat & videat omnium hominum cogitationes, conſilia, ſtudia, molitiones, conatus, facta omnia, ita vt nihil eum lateat eorum quæ inter homines fiunt & agenda ſuſcipiuntur. Hanc verò generalem theſin tanquam in hypotheſi ad ſuam perſonam accommodat, & per diſtributionem exornat atque amplificat, vt inde inferat neminem rectiùs de ſua innocentia iudicare poſſe quàm Deum, quem nulla externa ſpecies aut ſimulatio fallat: ideóque ſe ipſius iudicium præferre & opponere omnium hominum calumniis. Hæc ſumma eſt horum quinque verſuum.

Primus verſus eſt generalis ſententia, quæ poſtea per diſtributionem explicatur. *Iehoua, tu exploras & cognoſcis me*, inquit, id eſt, tibi nota ſunt omnia mea conſilia, cogitationes, actiones, & nihil abs te eſt abſconditum. Inter homines, frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio autem ſæpiſſimè. Itaque homines ſæpe fallunt & falluntur ſimulatione: tibi verò nemo imponere poteſt, vt qui cor ipſum introſpicias: itaque ad tuum tribunal me ſiſtere non dubito, vt tu meæ integritatis & innocentiæ ſis teſtis. 2. 3. 4. & 5. verſus ſunt diſtributio ſeu expoſitio, quæ generalem ſententiam accuratiùs explicat, idque ideò, vt omnibus faciat perſpicuum, omnia ſe agere ſeriò, tanquam in Dei conſpectu: nihil hic fingere aut ſimulare, ſed intimos ſui cordis receſſus euoluere, atque Deo iudicandos & examinandos proponere. Hac ingenua & iterata toties confeſſione ei opus tunc erat, vt ſuſpiciones quæ altè iam multorum animis inſederant & radices egerant, eximeret, ſéque à contemptu & odio, quo laborabat, faciliùs vindicaret. Nam quicunque non erat profligatæ prorſus malitiæ, eum neceſſe erat audita hac oratione nonnihil reprimere ſe, nec malitioſè indulgere ſuſpicionibus, vel aures præbere calumniis, cùm videret Dauidem tanta animi contentione & tanta orationis vehementia & παῤῥησίᾳ prouocare ad tribunal Dei.

Sedere meum] Recenſet quatuor præcipuos corporis motus, quibus figuratè omnes externas hominis actiones notat. Sedere, ſurgere, ire, cubare, ſunt præcipuæ motiones. Nam verbo Sedendi & cubandi non ipſam quietem tantùm, ſed motũ ad quietem notat. Significat igitur nullam vitæ ſuæ partem Deo eſſe abſconditam. Siue quieſco ſiue ambulo, inquit, motus omnes meos obſeruas.

Surgere meum] Græcus habet ἔγερσιν, Latinus reſurrectionem.

Cogitationem] Deus non tantùm externos omnes corporis motus videt: ſed etiam quo conſilio fiant, aut quicquid mens humana cogitet aut meditetur, intelligit, & quidem intelligit procul, hoc eſt, quanquam videatur procul abeſſe & negligere res hominum: tamen non ita reſidet in cœlo, vt non videat quid in terris agatur. Imò quæ procul ab eo abeſſe videntur, ea ſunt ei maximè propinqua. רע in Chaldæa ſignificatione accipitur pro מחשבה. Quemadmodum & illud Iob. 17. verſu 5. יגיד רעים R. Leui exponit, in cogitationibus. Hieronymus vertit, malum meum, quaſi nomen ſit factum à רעע cùm ſit à רעה.

מרחוק *procul.* Alij vertunt, iampridem, antequam ſcilicet aliquid animo cõcipiamus: quaſi dicat, antequã os aperiam, ſcis quid ſim dicturus, imò verò quid in animo habeã, multò antè quam ex ore depromam, animi ſenſa tu noſti.

Semitam & accubitum meum obſides] Id eſt, tu ſemper mihi ades iter facienti & iacenti, túque ita circumdas me, vt quoquo me vertam eundo vel cubando, ſemper præſens ſis, & quicquid agam aut quò tendam videas. Verbum זרה propriè ſignificat ventilare ſeu ventilando diſpergere. Ideo nonnulli hic in verbo putant eſſe metaphoram, vt ventilare idem ſit, quod à tenebris erutum in lucem proferre: ſed iudico prophetam alludere ad ſignificationem verbi זור quo poſtea verſu 5. vtitur, vel etiam reſpicere ad nomen זרת quod Pſalmum ſignificat, vt hoc velit, Deum quaſi manu expanſa vndique eum tenere concluſum, ſiue ambulet, ſiue quieſcat: itaque non poſſe ſe quicquam agere quod prouidentiam eius effugiat.

רבע Græcus reddidit χοῖνον funiculum.

Omnes vias meas] Quæ in ſpecie dixerat, nunc colligens in genere exponit. Via enim ſignificat inſtitutum vitæ, aut propoſitum alicuius ſeu actiones. Tu intelligis & cẽſes vias meas; id eſt, tibi notæ ſunt omnes meæ actiones, omnia mea inſtituta, tu cenſor es & inſpector meorum morum & animaduertis in me. Verbum סכן ſignificationem habet cenſendi ſeu accenſendi, aut potiùs aſſueſcendi cum aliquo. Et dicitur de eo qui ſemper præſtò eſt alicui, vt famulus ſeu accenſus. Metaphoricè igitur tribuitur Deo, quòd præſens intueatur noſtra. Alij exponunt, vtiles feciſti, vel proficere feciſti: ſed hoc alienum eſt: non enim commendat nunc Dei bonitatem, ſed tantùm oſtendit nihil eſſe ab eo occultum. Nonnulli reddunt aſſuefeciſti, atque ita exponũt illud Iob cap. 22. verſ. 21. השכן נא עמו aſſueſce quæſo cum eo.

Quia nullus ſermo] Quod de conſiliis & actionibus dixit, nũc etiam de ſermone & verbis affirmat, & quidem ait Deo verba noſtra cognita eſſe, antequam vox ipſa in ore formetur, & ſermo in lingua naſcatur. Itaque etiamſi quis conſilia ſilentio tegere velit, eum tamen nihil proficere. Deum enim nihil latet: id quod ethnici etiam non diffitentur: notus enim eſt verſus πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντ' ἐπακούει. Homines quidem cogitationes cordis ex ſermone, qui character eſt animi, intelligunt. Deus verò cogitationes abſque ſermone cuiuſquam, & antequam ſermo formetur, intelligit.

Ecce] Particula demonſtratiua emphaticè addita eſt, vt ſignificet nihil prorſus eſſe quod Deum lateat.

Retro & antè] Repetitio eſt verſus tertij. Dicit enim ſe ex omni parte circundatum & concluſum teneri Dei conſpectu, vt fruſtrà conetur effugere, quocunque ſe vertat. Nam coram Deo nullæ inſidiæ, nullæ occultationes, nulla ſtratagemata valent, vt in militia, quibus aliquis euadat: vt Hannibal circumdatus à Romano exercitu, ſtatagemate ſibi exitum patefacit.

Sed Deus non minùs à tergo, quàm à fronte homines conſtrictos tenet: ideo nullum eſt effugium: id quod homines facinoroſi ſæpe experiuntur, dum fugam moliuntur. Eodem pertinet quod dicit: Ponis ſuper me manum tuam, id eſt, tu me coerces & cohibes me manu tua, vt quocunque me vertam, tu me conſtrictum teneas quaſi iniecta manu. Ita in his verſibus & Deum καρδιογνώστην eſſe affirmat, & ſimul argumentum confirmationis aſpergit à perpetua Dei prouidentia: aſpicit Deus omnia quæ aguntur inter homines, & gubernat omnia, & iudicat omnium hominum facta: manus enim eius & potentia ita expanſa eſt, vt nihil eius curam, potentiam aut imperium effugere, nemo imponere ei ſimulatione aut occultare aliquod ſcelus, aut vertendo ſolum effugere pœnam poſſit. Intelligit enim cogitationes omnes, & nihil eſt ab eo occultum. Ipſe etiam habet ἔκδικον ὄμμα, id eſt, ita aſpicit facta hominum, vt ſcelera puniat.

Quidam interpretes quintum verſum de creatione exponunt, Tu me fingis retro & antè: quaſi verbum eſſet יצר & quod ſequitur, Tu ponis ſuper me manum tuam, ita interpretantur, Tu me formas inſtar figuli applicantis manum ad opus formandum & fingendum. Sed de formatione hominis dicet poſtea: nunc enim loquitur de illa generali prouidentia, in qua primùm eſt πρόγνωσις. Ad πρόγνωσιν pertinet inſpectio & intelligentia rerum, quæ geruntur: præuiſio futurorum euentuum, cognitio omnium cogitationum quas format natura cordis humani. Deinde cõſeruatio ſeu gubernatio rerum omnium, quæ directa eſt ad certos fines ſeu metas, nec quicquã eſt tam exile ſeu minutum, quod ab hac cura & gubernatione diuina ſit exemptum. Sicut enim condidit omnia Deus: ita ad certas actiones & certos fines eadem ordinauit, & in tota gubernatione mundi hoc agit, vt omnia ſuum finem conſequantur. Ideo dicit ſe conſtringi manu Dei, vt ſignificet, non ſecundùm cogitationes hominum, ſed Dei cõſilium, omnia in hoc mundo euenire.

6 Mirabilis eſt ſcientia tua ſupra me: exaltata eſt, non potero ad eam.

Hactenus theſin poſuit, quòd Deus omnium hominum corda introſpiciat, & de omnibus actionibus, conatibus, dictis & factis ſolus rectè iudicet: atque huic theſi aſpergit argumentum ſeu rationem à perpetua eius prouidentia, qua mundum hunc & inprimis homines gubernat, quæ nulla eſſe poſſet niſi omnium hominum cogitationes & conſilia noſſet. Nunc per exclamationem addit aliud argumentum, quo theſin probat, ab infinita Dei ſcientia ſumptum. Tua, inquit, ſcientia ſuperat omnium creaturarum ſcientiam: eſt enim infinita: & humana ſapientia etiamſi ad ſummum excreſcat, tamen nulla in parte conferri cum tua ſcientia poteſt: finitæ

nitæ enim creaturæ finita eſt ſcientia. Ergo nihil eſt in rebus humanis, aut geritur inter homines, quod non intelligas: túq; multò rectius iudicas de hominum actionibus quàm nos. Homines enim decipiuntur externa ſpecie aut ſimulatione: tu verò cum infinita ſit tua ſcientia, hominum corda introſpicis & iudicas. Hæc eſt ſententia huius verſus.

Mirabilis facta eſt ſcientia ſupra me] Id eſt, longè eminet ſupra me aut ſupra captum mentis meæ, éſtque maior, quàm vt vlla creatura rationalis cogitando eam aſſequi poſſit, aut metiri eam ex ſuo ingenio debeat.

Exaltata eſt] Id eſt, altior quàm vt ego aut quæcunque alia creatura rationalis poſſit ad eam pertingere, hoc eſt, tua ſciẽtia omnino eſt incomprehenſibilis & infinita, nec quiſquã eſt qui vel cogitatione, vel verbis eam aſſequi poſſit. Nihil igitur eſt quod latere aut effugere tuam cognitionem poſſit, & ſtultus eſt quiſquis putat ſe effugere Dei iudicium poſſe.

Alij ſcientiam interpretantur de illa ſapientia quam adhibuit Deus in formatione ſeu creatione hominis: eam dicunt eſſe ſubliniorem, quàm vt quiſquam eam poſſit intelligere. Eſt enim homo magna arte & ſapientia conditus, quod oſtẽdit totius corporis artificioſiſſima ſtructura, & ſingularum partium vſus, vt non immeritò dictus ſit μικρόκοσμος. Hæc interpretatio inde oritur, quòd paulò antè verbum צור imitati Græcum interpretem reddiderunt verbo formandi, & præcedentem verſum de formatione hominis intelligendum iudicarunt. Sed generalior eſt huius verſus ſententia, quàm vt ad vnam ſpeciem accommodari debeat. Græcus interpres ſic reddidit prius membrum: ἐθαυμαστώθη ἡ γνῶσις σου ἐξ ἐμοῦ. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: quod Baſilius in hexamero ita interpretatur, ἐμαυτὸν καταμαθὼν τὸ ὑπερβάλλον ἐν σοὶ σοφίας ἐξεδιδάχθην. Sed non animaduertit Græcus interpres comparationem, quæ eſt in præpoſitione Hebræa, cuius vis nota eſt huius linguæ peritis.

7 Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?
8 Si aſcendero in cælum, illic tu es. Si iacuero [*ſtratum fecero*] in ſepulchro, ecce tu.
9 [*Si*] ſumam alas auroræ, & inhabitem in extremo maris;
10 Etiam illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua [*vel apprehendes me dextera tua.*]

Tertium argumentum ſumitur ab vniuerſali Dei præſentia, vel ab eſſentiæ immenſitate. Deus, inquit, eſt infinitus & immenſus, iuxta illud Ieremiæ 23. Cælum & terram ego impleo. Ergo cùm vbique adſit præſens, nihil poteſt eum latere, aut effugere eius oculos. Ego igitur cum ſciam omnes meas actiones & conſilia perpetuò expoſita eſſe ipſius oculis, fruſtrà quærerem effugia. Apud homines poteſt quis quærere latebras & prætextus quibus animi ſui cogitationes inuoluat aut pœnam magiſtratus effugiat: ſed Deum nihil latet, & nemo effugere eius iudicium poteſt. Nemo itaque exiſtimet, me, qui omnia tanquam in conſpectu Dei ago, tam profligatum aut ſceleratum eſſe, vt non magis Dei, quàm hominum iudicium metuam, méque cum ab his ſceleribus de quibus iniuſtè accuſor, tum ab aliis abſtineam.

Spiritum non ſimpliciter accipit pro virtute (vt aliàs ſæpe) ſed pro mente & intelligentia, Sicut 1. Corinth. 2. Quis hominum nouit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in eo? In homine enim ſedes intelligentiæ eſt Spiritus. Inde Dauid hoc ad Deum transfert.

Faciem] Nominat præſentiam & conſpectum, forma ſermonis ab hominibus ſumpta.

Si ſternam [ſtratum faciam] *in ſepulchro*] Id eſt, ſi etiam deſcendam ad ima: ſi degam in ima terra, hoc eſt, etiamſi mortuus ſepeliar quàm profundiſſimè, neque tamen ſic effugio tuam faciem. Verbo יצע alludit ad id, quòd ſepulchrum eſt mortuis pro lecto.

Si ſumam alas auroræ] Id eſt, ſi quàm celerrimè & quaſi momento fugiam ab vna parte orbis in oppoſitam, tamen non potero effugere cõſpectum tuum. Vtitur propheta metaphora, qua alludit ad celerrimam radiorum ſolis excurſionem, qui momento ab oriente ad occidentem perueniunt. Eſtque eadem ſermonis forma, Malach. 4. Vbi ſoli tribuens alas, inquit, Sanitas in alis eius.

In extremo maris] Id eſt, in nouiſſima parte maris: atque ita occidentalem plagam nominat. Sol enim occidens videtur ſubire oceanum. Vnde poetæ, cùm occaſum ſolis deſcribunt, ſemper ferè dicunt ſolem ſeſe condere mari. Eò igitur & Dauid hac phraſi reſpicit.

Manus tua deducet me] Id intelligatur iuxta id quod verſu 5. dixerat, ante & retro coarctas me, & quod ſequitur, dextera tua tenet me. Non enim deducere hîc ſignificat viam monſtrare aut comitari iter facientem: ſed deducet me manus tua, tanquam cuſtos captiuum ſibi commiſſum deducit, ita, vt etiam ſi fugam mediter, facile me retrahere poſſis: id quod ex ſequenti membro apparet quod ἐξηγητικῶς additur. Dextera tua tenebit me, ita ſcilicet, vt aufugere aut eximere me à tua poteſtate non poſſim. Manus enim & dextera pro poteſtate & imperio hîc capitur.

11 Si dixero, ſaltem tenebræ operient [*obruent*] me: etiam nox lux circa me [*erit.*]
12 Etiam tenebræ non obtenebrabunt abs te, & nox quaſi dies illuminabit: ſic tenebræ ſicut lux.

Quartum argumentum eſt ab eſſentiæ diuinæ proprietate. Deus eſt eſſentia lucida: éſtque fons lucis in natura ſpirituum & corporum. Ergo nullæ tenebræ ipſi caliginem offundere, aut nos abſcondere poſſunt. Etiamſi igitur quæram latebras aut tenebras, quibus me occultem (vt homines exẽplo Adami quærere latebras poſt admiſſum ſcelus ſolent) tamen nihil profecero. Nox enim & tenebræ non magis occultant me, quàm ipſa lux.

Si dixero] Id eſt, Si cogitem apud me. Pingit Propheta in hoc pſalmo animum hominis ad omnia effugia aut latebras circumſpicientis. Primùm homines profani dum ſibi indulgent in ſceleribus, exiſtimant non eſſe Deum, qui aſpiciat & vindicet hominum facta: dicunt enim Pſalmo 59. Quis videbit? ideóque ſine metu in omnis generis ſcelera ſe præcipitant. Atque horũ impietas nimis eſt craſſa & manifeſta. Tollunt enim prorſus omnem prouidentiam. Ideo primo loco hos redarguit & conuincit, inquiens, Tu noſti ſedere & ſurgere meum. Alij, quanquam iudicant Deum aſpicere hominum facta: tamen vt in foro politico, iudicant cogitationis pœnam neminem pati. Ideo ſi manu non interficiant aliquem: ſed fraude & dolo ei periculum aliquod creent, atque interim aliud agere ſimulent, putant ſe non fore ὑπευθύνοις. His opponit, quod dicit, Deum intelligere omnes cogitationes & ſermonem, etiam antequam in lingua formetur. Sunt alij, qui ſua ſapientia confidunt, & tegere ſe ſua verſutia animi morbos poſſe exiſtimant. Sed nulla, inquit, eſt ſapientia humana aut vafrities tanta, quin Dei ſcientia ſuperet omnia: ideóque & dolos animaduertit, & autores in ipſis ſceleribus tãdem cõprehenſos & conſtrictos tenet. Inuenias etiam qui, ſicut in vita ciuili multi ſibi fuga conſulunt & pœnas magiſtratus effugiunt, ita cùm ſentiunt terrores conſcientiæ & iudiciũ Dei in corde, putant ſe fugere aliquò poſſe, vbi lateant. Et quia exiſtimant terrores conſcientiæ & trepidationẽ inde ferè tantùm exiſtere, quòd in eo loco verſentur, vbi perpetratum eſt ſcelus, quódque locus ipſe aut qui conſcij ſunt ſceleris, dolorem ſubinde refricent, ideo ſedaturos ſe dolores iudicant, ſi in aliquem locum fugiant, vbi nihil ſit quod in memoriam reuocare ſcelus, atque ita renouare dolorem poſſit: ſicut Adam abdit ſe. Sed fruſtra hæc remedia quæruntur. Nemo enim fugere à facie Dei, aut eripere ſe eius cõſpectui poteſt, etiamſi inſtar radiorum ſolis vno momento ab vna parte orbis ad oppoſitam ſeſe proripiat. Vbicunque enim verſatur, ibi manus Dei eum apprehendit & iudicium eius ipſum exercet.

Reſtat poſtremum effugium, quod homines ſuis ſceleribus tegendis falsò fabricant. Cogitant enim, ſi ſe abdant in tenebras, vbi nec ipſam lucem aſpiciant, nec à creaturis cernantur, ſe ſecurè latere aut effugere Dei iudicium poſſe: ſed & hæc cogitatio eos fallit. Nullæ enim tenebræ tam denſæ ſunt, quæ offundere caliginem Deo aut occultare aliquid ab eius conſpectu poſſint. Nemo igitur, inquit, exiſtimet me ita eſſe profanum, vt non Dei iudicium multò magis quàm hominum metuam. Nam quòd ad homines attinet, nemo ferè eſt ita ſtupidus, quia non fucum aliquem ſuæ cauſæ etiam peſſimæ facere, & ſuas fraudes & dolos occultare malis artibus poſſit. Dei verò oculos nemo fallere aut effugere poteſt: quem cùm habeam aſſiduum inſpectorem & cenſorem meorum conſiliorum, cogitationum & actionum, & non verear coram ipſius tribunali, quod ad hæc crimina in me conficta attinet, me ſiſtere, deſinant maleuoli falsò me traducere, & iudicium Dei metuant, qui tandem in ipſos ſeuerè animaduertet. Hæc ſumma eſt huius pſalmi, quam iterum hoc loco expono, vt faciliùs, quo tendat tota oratio pſalmi, intelligatur.

Tenebræ operient me] Verbum שוף ſignificat obruere & opprimere, ídque bifariam, primùm quidem ad tegendum ſeu occultandum, vt hoc in loco. Deinde ad delendum ſeu conterendum, vt Iob. 9. Tempeſtate obruet me, ſeu concutiendo

delebit. In hac ſignificatione vſurpatur Geneſis 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis.

Nonnulli deducunt à נשף, quod eſt crepuſculum: ſed forma eſt verbi שוף: quod tamen iudicant Grammatici habere aliquam cognationem cum verbis נשף & שאף: vtrumque enim ſignificat flare, afflare, & quidem poſterius propriè de afflatu ſerpentis intelligitur, quo venenum afflat.

Non erit lux circum(propter)*me*] Id eſt, ipſæ tenebræ vertẽtur in diem, vt non minùs expoſitus ſim oculis Dei, quàm ſi eſſem meridiana luce circumfuſus. Alij exiſtimant in hoc membro non eſſe reſponſionem ad illam rationis humanæ fallaciam, ſed idem dici, quod in præcedente membro.

Etiam nox erit lux pro me] Id eſt, in tenebris ſi verſatus fuero, concedetur mihi plus licentiæ, vt liberiùs vagari poſſim, ſicut furibus & ſylueſtribus feris nox eſt pro die, quòd tunc liberiùs vagentur. Non enim deprehendar, vt qui interdiu aliquid committunt. Ita dicitur in verſu Alcei, τῷ δ' ἀφανῆ πᾶς ἕπεται δόλος. Hanc ſententiam non improbo, & particula בעדני in ſequenti verſu id monere videtur. Græcus ita hoc membrum reddidit: καὶ νὺξ φωτισμὸς ἐν τῇ τρυφῇ μου. Nox eſt illuminatio in delicijs meis. Iudicauit enim nomen eſſe עדן, quod voluptates & delicias ſignificat, ſicut Græca vox ἡδονὴ, quæ inde facta eſt: cùm tamen dictio compoſita ſit ex præpoſitionibus בעד & affixo ני.

Etiam tenebra non obtenebrabunt abs te] ſicut cæteris effugiis nihil proficitur, ita neque tenebris: nam & tenebræ non occultant aliquid à te, neque ſic obſcurant, vt oculis tuis non pateat.

Nox vt dies illuminabit (vel abſolutè, lucet, id eſt, Tenebræ ſunt ſicut lux.) Quintò, eandem rem repetit ad maiorem expreſſionem. Hebraicè ſonat, ſicut tenebræ, ſicut lux, id eſt, coram facie Dei nulla eſt differentia lucis & tenebrarum: tenebræ enim ſunt ſimiles luci, & lux eſt tenebris ſimilis. Congruit cum his verſibus ferè illud dictum Pindari, quod citat Clemens 6. Stromat. θεῷ δὲ δυνατὸν ἐκ μελαίνας νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος, κελαινεφεῖ δὲ σκότει καλύψαι καθαρὸν ἁμέρας σέλας.

13 Quia tu poſſediſti[*poſsides*]renes meos: operuiſti me in vtero matris meæ.

Hoc quintum eſt argumentum ſumptum à formatione hominis in vtero, & ab imperio Dei quod obtinet in hominem à ſe formatum. Deus, inquit, format hominem in vtero matris, & plenum imperium in ipſum & in omnes abſtruſiſſimas partes eius obtinet, imò vaſa ſpermatica quæ generationi ſunt deſtinata ſibi vendicat. Ergo non eſt mirum ſi omnia hominis noſcat, & in occultiſſimas quaſque hominum cogitationes diſquirat. Hæc ſumma eſt huius & ſequentium verſuum. Eſt autem argumentum hoc diligenter obſeruandum. Primùm, quia hãc ſententiam in animis hominum confirmat, quòd ſit prouidentia, quódque Deus ſit καρδιογνώστης, & iuſtus iudex ac vindex ſcelerum: éſtque etiam argumẽtum hoc ſuprà Pſalmo 94. tractatum, vbi cùm impij dicerent, Non videt Dominus nec attendit ad hæc Deus Iacob, ſubiicit Propheta triſtem obiurgationem, qua hominum ſecuritatẽ accuſat & damnat. Intelligite inſipientes in populo, & vos ſtulti quando eritis prudentes? poſtea addit. Qui plantauit aurem, an non audiret? aut qui finxit oculum, an non videret? Idem in his verſibus dicitur, niſi quòd hoc etiam additur, Deum non tantùm obtinere plenum imperium in hominem à ſe formatum, ſed in ipſis renibus, qui & vaſa ſunt ſeminaria, & pro ſede affectuum ſumuntur, poſuiſſe ſibi ſedem ſeu domicilium, vt non niſi ex arbitrio eius homo fingatur, ideóque figmentum opificij ipſius probè ei ſit perſpectum.

Deinde refutat antecedens in hoc argumento impium illum Flacci & Manichæorum errorẽ, quem ille in eccleſiam Dei reducere conatur, dum affirmat homines à diabolis transformari, tranſſubſtantiari aut tranſelementari, recoqui & refundi, &c. vtque ſententiam hanc declaret in libro de peccato originis, qui inſertus eſt parti ſecundæ clauis ſcripturæ, diſtinguit inter ſubſtantiam materialem & formalem. Poteſt, inquit, conſiderari ſubſtantia alicuius teſtacei, aut vitrei, aut argentei vaſis, cùm quatenus ex tali materia eſt, tum quatenus vas illud ſic formatum eſt pulchrè aut turpiter in formam honeſtam aut fœdam perductum. Poſſis enim ex eadem materia facere vas honoratum & in honorem, vt ex vitro & argento poculum: aut vas ignominiæ, vt matulam aut ſitulam, vt Paulus loquitur, ſeu ſicut ille Ægyptius rex ex eo auro fecit Deum, quod antea in peluim lauandis pedibus deſtinatum, erat formatum. Hac declaratione poſita colligit deinde materiam ſubſtantialem hominis, quã nominat viliorem & ignobiliorem materiam aut maſſam, quæ ſit veluti lutum de teſta, initio conditam adhuc vtcunque remanſiſſe, tametſi valde vitiatam, ſed formam ſubſtantialẽ hominis, ſeu ſubſtantiam formalem, vt loquitur, deperiſſe in homine atque aliam à diabolo introductam eſſe. Ac ne quod dubium relinquat, inquit, ſe non loqui de illa externa & craſſa forma, quam conſiderat in adoleſcente puella, aut etiam in toto homine philoſophia, vt quòd homo conſtet corpore & anima, habet ſtaturam erectam, duos pedes, manus, oculos, aures, ſitque animal ridens, numerans, ratiocinans: ſed loqui ſe de ea nobiliſſima ſubſtantiali forma, ad quam præcipuè ipſum cor ſeu potiùs anima rationalis formata erat. Vult igitur prima forma ſubſtantiali amiſſa prorſus nouam à diabolo eſſe introductam, & Deo nihil relinquit ex hoc opere, niſi illam materiam ſubſtantialem, quæ initio condita eſt. Addit .n. expreſſè, homines & diabolos eſſe ex Deo ratione primæ creationis & perpetuæ conſeruationis huius ſpeciei: cuius tamen creationis forma ſubſtantialis ſit amiſſa: ſed non ratione illius horrendæ metamorphoſeos, qua ex imagine Dei eſſentialiter ſunt mutati in imaginem diaboli, & poſtea illas blaſphemias cumulans, inquit, ſatanam non tantùm veluti venenum quoddam aut accidentarium malum in Adamum effudiſſe, cùm ipſum in paradiſo vicit, cepit & in ſuam poteſtatem redegit: ſed ipſum Adamum interfeciſſe extincta in eo imagine Dei, & inſuper condidiſſe in eo nouum hominem, quem nunc veterem Adamum nominamus, formatum ad ſuam imaginem, pro eius libitu: atque hinc toties illa verba recoquendi, refingendi, refundendi, fabricandi, transformandi, tranſelementandi repetit & inculcat. Cohorreſco hæc referens. Sed tamen monendi erant auditores hoc loco, vt diſcerent fugere & execrari iſtas voces blaſphemas, quas furia illa, ad turbandas eccleſias nata, primum in vulgus ſparſas nunc tot ſcriptis pertinaciſſimè defendit. Extant autem hoc loco & alibi manifeſta teſtimonia, quæ affirmant Deum formare hominẽ etiam poſt lapſum in vtero matris: & quidem ne quis de externa forma tantùm hoc intelligat: ſed etiam de illa ipſa, de qua Flacius loquitur, ex hac formatione colligit Deum omnia ipſorum conſilia, cogitationes, & affectus noſſe, cùm alioqui, ſecundùm Illyricum, id diabolo potiùs quàm Deo eſſet tribuendum. Quæ igitur impietas eſt, diabolo hanc potentiam tribuere, quod ipſe opus Dei (quod vilis & ignobilis materiæ nomine vix dignatur Illyricus) recoquat & refingat, atque ita etiam καρδιογνώστην eum facere, cũ ſoli Deo hoc tribuat ſcriptura?

Poſſides renes meos] Id eſt, tui ſunt renes mei quos formaſti, atque in hos plenum dominium obtines tanquam in tuam creaturam, vt procreare homo hominem ſine tuo beneficio non poſſit: & quia formator & Dominus es renum, nihil poteſt eſſe tam abſtruſum aut reconditũ in meo pectore, quod non intelligas, aut in quod non inquiras & animaduertas. Tu enim quaſi ſedem in renibus meis collocaſti, vt tanquam ex abſtruſiſſimo loco omnia mea interiora, cogitationes ſcilicet & affectus contempleris. Renes maluit dicere quàm cor, non quòd propriè renes ſint ſedes cogitationum vel affectuum, ſed quòd in abſtruſiſſimis partibus corporis latent, ita vt cùm reliqua viſcera eximuntur, hi vix conſpiciantur. Significat igitur ſcriptura vocabulo renum, intima, abſtruſiſſima & occultiſſima quæque, μετωνυμικῶς. Vt ſuprà Pſal. 26. Examina renes meos & cor meum. Et Pſal. 51. cùm dicit, Veritatem voluiſti in interioribus: videtur etiam notare renes. Deinde renũ vocabulo vti voluit, quia organa ſunt ad procreationem deſtinata, ne quis hominũ arbitrio vel caſu procreationem fieri exiſtimet.

Operuiſti me] Id eſt, tu cum in vtero formarer, veſtiuiſti me, vt Iob inquit, capite 10. pelle & carne, & oſſibus ac neruis cooperuiſti me, & incluſiſti me ſecundis confouendum & alendum. Non enim membra in corporibus noſtris ſponte coagmentantur, aut ſine arte & caſu ita naſcuntur. Sed Deus, vt poſtea dicit, ante omnia membra diſtinguit, & varios eis vſus attribuit, fouet item in vtero matris, donec maturum tempus partus adueniat.

14 Celebrabo te, quia mirabiliter mirificatus ſum, mirabilia ſunt opera tua: & anima mea cognoſcit valde.

Cogitatione ingentium miraculorum, quæ Deus quotidie edit in formatione hominum, abrumpens aliquantiſper narrationem, inſerit gratiarum actionem, quòd ita mirabiliter formatus ſit. Apud homines profanos miracula illa diuina quotidiana aſſiduitate vileſcunt. Flacius etiã diabolo illa opera & miracula tribuere non veretur. Dauid verò agnoſcit ſe quãquam in illa integritate, in qua homo conditus eſt ab initio, non ſit natus propter corruptionem & ἀταξίαν omnium virium, quæ ex Adæ lapſu ad poſteros omnes, quaſi hæreditario iure tranſiit, diuinitus tamen in vtero matris formatum eſſe, atque ideo non tantùm gratiam ſe debere Deo oſtendit, ſed etiam horum miraculorum conſideratione excita-

excitatur ad pietatem, modeſtiam & cæteras virtutes. Dum enim cogitat ſe ita ex ſemine parentum diuinitus formatum eſſe, non temere aut caſu, ſed vt eſſet templũ Dei, in quo ipſe habitaret, & à quo agnoſceretur & celebraretur; hęc cogitatio & à vitiis eum reuocat, & ad timorem Dei, inuocationẽ, gratiarum actionem, & ad diligentiam in tota vita & actionibus regendis exuſcitat. Alij qui id non cogitant, nec Deũ conditorem ſuum celebrant, nec corporibus ſuis honorem habent, ſed diabolo ea inhabitanda & profananda proſtituunt.

Mirabilia]Nomen immediatè iunctum cum verbo aduerbiaſcit, quod non animaduertentes alij, ſubaudiũt ex ſequenti membro, opera tua.

Valde)Non vult hoc, quòd exactè intelligat omnia opera Dei: nam ſuprà dixerat, ſe non poſſe Dei ſapientiam aſſequi: ſed teſtatur de ſua diligentia in conſiderandis Dei operibus, dum non obiter aut perfunctoriè ſeu negligenter aſpicit Dei opera, vt faciunt plerique, ſed magna attẽtione & ſtudio, quo ad cognoſcendam Dei potentiam & celebrandam eius gloriã expergefiat.

15 Non eſt abſconditum robur meum [*vel vt alij, oſſatio mea, id eſt, oßium & artuum compages*) abs te, qui formatus ſum in occulto: variè compactus ſum [*ſcilicet organis & ſenſuum diuerſitate*] in infimis partibus terræ.

Continuat narrationem de formatione hominis in vtero: & vt miraculum amplificet, dicit ipſa oſſa & cætera membra in ipſis vteri materni penetralibus, quò nulla acies humanorum oculorum penetrare poteſt, Deo fuiſſe cognita & perſpecta: atque inde colligit, Deum nihil latere eorum quæ ab hominibus fiunt. Inter homines qui aliquod opus ex materia fingunt aut formant, non cernunt niſi externam formam, quæ in oculos incurrit, non quæ intus ſunt: Deus verò nulla luce adiutus format hominem in vtero matris, & minutiſſima quæque & abſtruſiſſima in corpore videt & format.

Os meum]Alij exponunt robur: alij ſubſtantiam ſeu corpus: ſed parum ad ſummam rei intereſt. De oſſibus tamẽ malo intelligere. Dicit enim nullũ ex oſſibus abſconditũ fuiſſe.

In occulto]Id eſt, in abdito materni vteri.

Contextus ſum] Id eſt, variè diſtinctis membris ſeu organis, & ſenſuum diuerſitate formatus ſum. Verbum Hebræum רקם ſignificat acu pingere, veſtes auro & variis filis diuerſorum colorum intexere ſeu arte Phrygionica pingere. Vnde Itali verbum ſuum *Ricamare* acceperunt. Hic verò metaphoricè ad corpora transfertur, & artificium in formatione hac figura illuſtratur. *Infima terra* nominat vterũ matris, in quo erat formatus, per metaphoram comparãs eum infimis terræ cauernis ſeu penetralibus.

16 Informe meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia iſta ſcribebantur, dies[*quibus*] formabantur: & non vnum ex ipſis.

Non acceſſit Deus ad opus hominis iam perfectum, aut curam eius ſuſcepit, ſicut homines infantem iam editum complectuntur & curant: ſed cùm adhuc rudis & informis eſſet maſſa ſeu materia, quæ nullam formam induerat, tu eã vidiſti, id eſt, & cernebas eã, & ſingularem ſapientiam & curam in ea formanda adhibebas. Verbum enim videndi intelligendum eſt effectiuè. Eſt autem in hoc membro argumentum à maiori ad minus. Si antequàm coaluiſſem in certam & diſtinctam formam, Deo cognitus fui, multo minùs nunc eius notitiam poſſum effugere.

In libro]Amplificat eandem ſentẽtiam ſimilitudine ab hominibus ſumpta, qui libris & cõmentariis ad memoriam iuuandam vtũtur. Deus itaque dicitur habere in actis ſuis ſcripta, quæcunque nouit: ipſius enim memoria nullis adminiculis indiget.

Omnia iſta]Id eſt, tota ratio formationis.

Dies quibus formata ſunt & nõ vnũ ex ipſis]Sicut forma multò ante ei erat nota & perſpecta, antequam ea introduceretur: ita dies etiam fuerunt noti, quibus infans in vtero formatur, etiam antequam vnum ex membris ſeu hominibus, vel etiam dies vnus extaret, quaſi dicat, quid dico quòd me cùm formarer in vtero præuideris? imò cùm dies initio mundi formarẽtur, & ne vllus quidẽ hominũ adhuc in viuis eſſet, omnes erant ſcripti in libro tuo, i. omnes tibi erãt notiſſimi.

Alij exponunt, diebus formati ſunt, id eſt, tẽporis ſucceſſu. Nõ enim ſimul ac coaleſcit ſemen, apparet diſpoſita aliqua ſpecies vel membrorum proportio, ſed progreſſu temporis digeritur & aptatur illa maſſa in ſuam figuram.

Et non vnum ex ipſis]Id eſt, nulla erat concinnitas, nulla diſtinctio, cùm inciperet formari illa rudis maſſa.

17 Et mihi quàm pretioſæ ſunt cogitationes tuæ Deus! quàm fortes ſunt ſummæ earum!

18 Si numerem eas, præ arena multiplicabuntur: euigilaui & adhuc ego tecum.

Præciſio eſt, qua per exclamationẽ abrũpit hãc commemorationem de prouidẽtia Dei, atque eius ſapientia, qua omnia mirabiliter condidit, diſpoſuit, conſeruat & gubernat. Tãta n. illa eſt, vt humana mens cogitando, nẽ minimã quidem partẽ eius aſſequi, nedũ orando complecti, aut percẽſere numerãdo poſſit præ admiratione. Et tamẽ quia tantus eſt ſtupor in maxima hominum parte, vt pauciſſimi ſint, qui animos exuſcitẽt ad intuẽdã & cõſideranda hæc arcanæ Dei ſapiẽtiæ documẽta, quæ in creatione & cõſeruatione hominis exhibet, oſtẽdit ita ſe omittere hanc commemorationẽ, non vt omnino has cogitationes, tanquã inutiles, aliorũ exẽplo deponat aut remittat, ſed vt tacitus ſecũ potiùs opera illa aſſiduè cõſideret & admiretur, & pro ingenij ſui modulo diligẽter expendens ad agnoſcendã Dei ſapientiã & prouidentiã in his operibus exuſcitetur, quam vt oratione complecti aut recẽſere fruſtra conetur. Ideo dicit eas cogitationes, quæ ſcil. in cõſideratione operum & ſapientiæ diuinæ eum retinent, eſſe ſibi charas & pretioſas, ſéq; multũ doctrinæ & conſolationis ex his haurire, atq. inde in pietatis ſtudio proficere: cùm mundus interea illã ſapientiã rideat & contemnat. Ita ſignificat ſapientiam diuinã, tam eam quę ex verbo patefacto hauritur, quàm quę ex creaturis intelligitur, etiãſi capere animorum humanorũ anguſtia nõ poſſit: operã tamen dandã eſſe, vt initia aliqua eius ſapientiæ in hac vita aſſequamur, eáque loco pretioſiſſimi theſauri habeamus.

Gręcus reddidit, ἐμοὶ δὲ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι σου: vocabulum. n. רע, nunc amicum, nunc familiarem cogitationem ſignificat. Fortes ſummæ earum. Id eſt, ita ſunt validæ, vt ſua mole mentes humanas obruant & obſtupefaciant, & ſenſus omnes abſorbeant. Hanc ſententiam amplificat ab impoſſibili per collationem. Si numerare aut percenſere numerando voluero, multiplicabuntur præ arena, quam nemo numerare poteſt.

Expergefactus ſum & adhuc tecum] Id eſt, quoties à ſomno expergiſcor, toties noua mihi materia offertur & ſuggeritur meditandæ huius tuæ tam incredibilis ſapientiæ, & nouum mihi admirationis argumentum naſcitur. Etiam cùm priores cogitationes depono, tanta eſt vbertas & varietas harum rerum, vt ſubinde nouum aliquid ſeſe offerat, in quo tua ſe mihi ſapientia conſideranda exhibeat.

19 Si occideris Deus impium: tunc viri ſanguinum declinate à me.

Explicata theſi, iam propiùs accedit ad cauſam, quam agebat corã tribunali Dei. Teſtatur, vt dixi, in hoc Pſalmo Propheta de ſua innocentia, quæ ab hoſtibus ſceleratè traducebatur, & prouocat ad iudicium Dei, quem orat, vt cùm ſit καρδιογνώστης, & omnia in hoc mundo ſapienter & iuſtè adminiſtret, teſtis & vindex ſit ſuę innocentiæ. Nunc igitur oſtẽdit quomodo hoc Dei iudicium declarari cupiat, vt & ſua innocentia cõſpiciatur, & hoſtes ſuæ malitiæ digna ferant præmia. Ego quidem, inquit, accuſor à maleuolis, quòd ſim vir Belial, hoc eſt omnis generis ſceleribus contaminatus, & vir ſanguinum, hoc eſt, crudelis & truculentus, qui nihil niſi ſanguinem ſubditorum ſitiat. Ego verò ſicut cor meum tibi explorandum & examinandum ſiſto: ita non recuſo, quin in huiuſmodi ſcelera, de quibus accuſor, prout fert iuſtitiæ tuæ rectitudo & iudicij ſeueritas, animaduertas. Si enim impios & manifeſtis ſceleribus contaminatos, quemadmodum poſtulat iuſtitia, occidas, non tantum ego ornabor integritatis teſtimonio: ſed liberabor etiam ab illis maledicis hominibus, qui cùm ipſi ſint contaminatiſſimi & crudeliſſimi, me falsò horum ſcelerum inſimulant, & paſſim traducunt: & horum pœnæ & mihi & cæteris proderunt, vt talium conſortia fugiamus. Hæc videtur eſſe ſententia ſimpliciſſima huius verſus, in quo propter metri genus, puto imperatiuũ poni pro futuro, & per viros ſãguinũ iudico notari Semei & ſimiles.

Alij optandi modo accipiunt: vtinam occidas: nec tamen ſimile exemplum affertur, vbi אם accipiatur optatiuè. Alij Dauidem ſibi gratulari putant, ſi è medio tollantur impij, ſed melius fluit textus, ſi exponas quemadmodũ dixi initio.

20 Qui loquuti ſunt de te ſcelerate: ſumpſerunt [*eleuauerunt ſe*] mendaciter aduerſarij tui.

Addit cauſã cur iuſtè in eos animaduertere poſſit, & maturè debeat. Quia non me tantùm, inquit, iniuria afficiunt, dum me falsò traducũt: ſed ſceleratè etiam de te loquuntur, & manifeſtas blaſphemias in te euomunt. Cùm enim tu me regẽ conſtitueris, illi qui per ſeditionẽ me inuaſiſſe regnũ dicũt, & motæ ſeditionis, turbati regni aut crudelitatis accuſãt, cõtra te loquũtur, & tuum cõſiliũ ſceleratè deprauãt. Ita etiã qui me dicũt eſſe virum ſãguinũ, iuſta bella, quę ſub auſpiciis nominis tui aduerſus hoſtes tuos geſſi, ſceleratè improbãt, & damnant. Quidam reddunt, qui rebellant tibi ad nequitiam. Legunt enim ימרו *iameru*, pro יאמרו *iomeru*. Deinde addit,

Eleuarunt mendaciter aduerſarij tui] In quo membro damnat hoſtium inanem faſtum & ſuperbiam, qua & Dei & hominum iudicia rident & contemnunt. Ideóque in omnis generis ſcelera ſeſe proiiciunt. Alij interpretes ſequuti Chaldæum Paraphraſten ſubaudiunt nomen. Sumpſerunt nomen, ſcilicet in vanum, hoc eſt, abuſi ſunt nomine tuo ad periuria ſua. Vel etiam, vt alij volunt: nomen Dei in vanum vſurpant, quia ſuis figmentis eum accommodant. Græcus reddidit, λήψονται εἰς ματαιότητα τὰς πόλεις σου. Putauit עריך eſſe plurale ab עיר, ſed nomẽ ער eſt ab ערר, quod ſignificat deſtruere, depopulari: & tranſlatiuè, viduare ſeu orbare. Congruit enim cum ערו, quod ſuprà Pſalmo 137. vſurpatur. Significat igitur ער hoſtem, qui omnia diruit & populatur, 1. Sam. 28. Dominus receſſit à te, & factus eſt hoſtis tuus. In נשוא additur א per paragogen. Eſt enim à נשא, à quo נשו ſcribitur Iezech. 39. Imitatur enim verba quieſcentia Lamed He.

21 Annon oſores tuos Iehoua odio habebam? & inſurgentes contra te auerſabar?

22 Perfecto odio oderam illos: pro inimicis fuerunt mihi.

Vt oratio plus ponderis habeat in conſpectu Dei, & ſuam ipſe innocentiam euidentibus argumentis aſſerat, nunc in fine etiam veram cauſam oſtendit, cur in tantum odium venerit apud maleuolos, vt tanta acerbitate eum inſectarentur, & è medio ſublatum cuperent. Erat autem cauſa huius odij, non Dauidis aliquod ſcelus, quemadmodum illi falſo dictitabant: ſed quòd ipſorum impietatem & contumelioſas voces in Deũ cùm ferre nõ poſſet, acriter ſeſe his opponebat, & eorum impietatem redarguebat, ſuo etiam loco quoties poterat puniebat. Hîc verò prodidit ſe animi ipſorũ morbus. Nam qui hactenus haberi pro religioſis & ſanctis hominibus volebant, vbi intelligunt ſe reprehendi & accuſari impietatis vel hæreſeos, vel contemptæ religionis, aut deprauati cultus diuini, mox odia acerbiſſima aduerſus Dauidem cõcipiunt, eúmque diris deuouent, & omnibus modis extinctum cupiunt. Hæc eſt hypocritarum pietas, quæ hodie quoque paſſim in hoſtibus & aduerſariis noſtris conſpicitur.

Cæterùm de odio aduerſus impios eodem modo ſentiendum & dicendum eſt, ſicut de imprecationibus, de quibus paſſim in pſalmis diximus, & de ἐπιχαιρεκακίᾳ pſalmo 137. Nihil hic indulgendum eſt priuatis cupiditatibus, ne præceptum de dilectione proximi violetur: ſed ſimpliciter reſpiciendum ad gloriam nominis Dei: quam ſi quis pius videat contumelia affici, iuſtam indignationẽ concipere debet aduerſus hoſtes Dei, & quia cupit ornari gloriam Dei, & promoueri ſalutem eccleſiæ quantum in ſe eſt, & quantum ſua vocatio fert, operam dare debet vt omnia impedimenta tollantur. Nam hic valere illud debet, Zelus domus tuæ comedit me, Pſal. 69. Eſtque odium in vitia potiùs, quàm in perſonas dirigendum. Quatenus igitur hoſtes ſunt Dei, ipſorum furori ſe quilibet opponere debet.

An non oſores] Quaſi dicat, tantum abeſt vt reus ſim horum ſcelerum de quibus iniuſtè accuſor, vt nemo ſit qui impietatem & alia ſcelera maiore odio proſequatur, aut maiore ſeueritate damnet, quam ego: idque tibi Deus, cuius iudicio me ſiſto, probè cognitum eſt & perſpectum: imò hic ipſe zelus meus vnica cauſa eſt cur tanto odio aduerſus me exarſerint, & tanto conatu hoc agant, vt me è medio tollant.

אתקוטט Verbum קוט propriè ſignificat tanquã βδέλυγμα, hoc eſt, rem putidam, & quæ nauſeam parit, auerſari, & ab ea abhorrere. Ita ſuprà Pſal. 119. in hac ſignificatione accipitur, vidi præuaricantes & auerſatus ſum. Reſpõdet igitur Græco βδελύττω ſeu βδελύττομαι. Plerique reddiderunt verbo litigandi: alij vertunt, Moleſtia ſeu tædio afficior.

Perfectione odij] Confirmat priorem ſententiam, & exaggerat aſſeuerationem repetitione eiuſdem ſententiæ, & adiectione vocis תכלית. Significat enim non fuiſſe ſimulatum, aut etiam occultum odium, ſed & ardens & ſerium, & quod non occultarit: ſicut qui ſciunt iniuſte ſe odiſſe alios, celant. ſed quòd manifeſte fugiendo & deteſtando ipſorum conſuetudinem oſtenderit quàm eſſet ab ipſis animo alieno. Habui enim, inquit, eos pro hoſtibus, ſicut illi viciſſim non me tantùm, ſed te inprimis, exemplo patris ſui diaboli, hoſtili odio perſecuti ſunt. Illi quidem nulla ex cauſa tanta odia conceperunt aduerſus me, ſed ego iuſta indignatione & iuſto zelo exarſi aduerſus eorum impietatem, quam non diſſimulanter reprehendi & taxaui. Ita ſignificat hoc dicto, manifeſtam impietatem & ſcelera non eſſe tegenda aut fouenda ſilentio, ſed redarguenda & taxanda pro cuiuſque vocatione, ne veritatem ſeu cauſam Dei prodidiſſe videamur. Atque hîc quidem magno animo opus eſt, ne frangamur iniquis iudiciis maximæ multitudinis, aut contumeliis & minis fanaticorum hominum, qui cùm ſua ſomnia improbari vident, rabioſe in eos, à quibus reprehenduntur, incurrunt, & animi ſui virus euomunt.

23 Explora me Deus, & cognoſce cor meum: & examina me, & cognoſce cogitationes meas.

24 Et cognoſce [*vide*] an via prauitatis [*doloris*] in me [*ſit*:] & deduc me in via ſeculi.

Tandem in fine ſubiicit propoſitionem, in qua, ſiſtens ſe iudicio Dei, affirmat ſe nullius ſibi ſceleris, cuius accuſabatur, conſcium eſſe, atque ita culpam à ſe remouet, & à Deo petit vt ille huius integritatis ſit iudex & vindex. Tu Domine, inquit, ſcis nõ aliam ob cauſam me auerſari & odiſſe eos, quàm quòd nomen tuum contumelia afficiunt, & ſua impietate alios inficiunt & corrumpunt: ideo me tibi ſiſto, téque iudicem inter me & hoſtes meos eſſe volo: ſi talis ſum, qualem me eſſe iſti dicunt, non recuſo pœnam: ſin minùs, peto oſtendi teſtimonium meæ innocentiæ.

Cognoſce & vide] Hæc verba intelligenda ſunt cum effectu. Ita enim vult Deum cognoſcere integritatem, vt manifeſto aliquo teſtimonio oſtendat, ſe Dauidis cauſam probare, hoſtium verò impietatem, hypocriſin, odia iniuſta & alia ſcelera execrari & damnare.

Viam doloris nominat peruerſam, quæ dolorem adfert. Metalepticῶs ita loquitur. Nam ſcelera admiſſa ordine diuino comitantur dolores conſcientiæ.

Deduc me in via ſeculi]. Nonnulli volunt eſſe imprecationem, ac ſi caput ſuum pœnę deuoueat: quaſi dicat, ſi ita res habet, moriar. Sicuti Ioſue 23. & 1. Reg. 2. dicitur, via vniuerſæ terræ, id eſt, qua gradiuntur omnes homines à ſeculo. Sed verbum ducendi hoc loco beneficium potiùs deſignat, quàm pœnam: itaque aſſentior iis qui viam ſeculi putant ſignificare continuũ vitæ humanæ curſum: petit enim ſe deinceps quoq; vſque ad finem vitę diuinitus regi, ne vel à ſuis cupiditatibus impulſus, vel aliorum exemplo aut illecebris pertractus ruat in contemptum Dei & manifeſtam impietatem. Intelligit enim Dauid hanc integritatem, de qua hactenus gloriatus erat, non eſſe opus humanarum virium. Sicut igitur Paulus monet, Qui ſtat, videat ne cadat: Ita Dauid hoc loco id præſtat, dum ſe confirmari diuinitus in pietatis ſtudio petit.

PSALMI CXXXIX.

PARTES.

I. Aduocatio teſtificationis Dei, qua Dauid ſe hominum calumniis obrutum, ſaltem à Deo probari & pernoſci docet. Quod autem 1. v. in genere proponit, ſequentibus declarat, præſertim, verſ. 2. 3. 4. & 5. in quibus ſeipſum ſcrutatur & Deo exhibet, addita præclara confeſſione ſcientiæ Dei & ſuæ infirmitatis, v. 6.

II. Explicatio ſcientiæ illius mirificæ Dei, à duabus circumſtantiis: nempe loci, v. 7. 8. 9. & 10. Deinde temporis, v. 11. & 12.

III. Ætiologia ſuperioris profeſſionis ſeu proteſtationis, à ſingulari hominis genitura, per mirificam adminiſtrationem Dei, v. 13. q. d. merito omnia iſta tibi perſpecta ſunt: qui ea non tantùm creatione tibi comparaſti ſingula, verùm etiam adhuc creationis & redemptionis iure poſſides.

IIII. Proteſtatio pſaltis, in qua ſtudium animi ſui explicat, tum in celebranda Dei beneficentia erga ſe, v. 14. 15. 16. tum in præſtando obſequio, & voluntate ipſius conformanda voluntati Dei. In hoc altero membro propoſitionis, oſtendit ſe his beneficiis adductum eniti, vt ſe totum ſtudioſè committat Deo, amando quod Deus amat, v. 17. & 18. abhorrendo ab iis quæ Deus odit, v. 19. 20. 21. & 22.

V. Peti-

V. Petitio, vt amplius, ſi opus eſt, ipſum probet Deus & dirigat, v. 23. & 24. q. d. tu iſtorum omnium teſtis es: ego verò tuus ſum: propterea, ſi opus eſt, ecce me paratum ad ſubeundum probationes tuas: vt ſupra, Pſal.. 6.

Observationes locorvm doctrinae.

Locus de perſpicaciſſima Dei prouidentia.

Verſ.1.2.3.4.5.6. Dum ſe impij peccati nebulis fallaciter inuoluũt, pij ſeipſos diſcutientes hypocriſin purgant ex corde ſuo. Id autẽ fit, cùm nihil quanuis occultum Dei oculos latere ſciunt.

Qui hominem creauit, eum intus & in cute cognitum explorat vt libet, nec fieri poteſt quin omnes hominum omniũ actiones ſub eius oculis verſentur.

Non modo actionum humanarum, verum etiam cogitationum Deus eſt inſpector & iudex.

Cogitationes quantumuis profundæ, & fuco prudentiæ humanæ obtectæ Deo patent: nec quicquam eſt in omnium hominum, qui fuêre, ſunt & erunt, cogitatis, factis & dictis, quod perſpicaſſimam Dei prouidentiam effugiat.

Pij ſcientes Deo nihil eſſe abſcõditum, ſenſus omnes ſuos vltro detegunt, vt ſe examinandos ei permittant. Contrà hypocritæ ſimulãdo, quaſi velis obtentis ſecurè ſibi faciunt delicias.

Deus quaſi iniecta manu cunctos mortales ſubiicit oculis ſuis, vt ne tranſuerſam quidem lineam deflectere queant, niſi ipſo conſcio.

Scientia Dei nobis eſt incõprehenſibilis, nec vllis verbis poſſumus aſſequi, Deo nihil eſſe abſconditum. Itaque nihil reſiduũ eſt, niſi vt noſtræ imbecillitatis cõſcij tantam altitudinẽ reuerẽter ſuſpiciamus.

7.8.9.10.11.12 *Nihil proficiunt ſuis ſubterfugiis homines, dum conantur effugere Dei oculos: nec locum mutare poſſunt quin Deus animaduertat, imò fugientes iuſtitiæ ſuæ oculis & manibus perſequatur, vtpote, cuius ſapientia immenſa cœlum & inferos penetret.*

Etiamſi quis æquaret celeritate ſolis radios; nullus tamen receſſus ab eo poteſt inueniri, quin ſemper Dei imperio ſubiaceat.

Quoties ſe homines ſubducere tẽtant à Dei præſentia, in eius arbitrio eſt, mox retrahere fugitiuos.

Nõ minùs acutè cernit Deus in dẽſiſſimis tenebris, quàm in meridie. Quod cognitu digniſſimũ eſt, cũ ægerrimè eò adducamur, vt nudi & aperti prodeamus in Dei cõſpectum. Etſi.n. Deum omnia cognoſcere fatemur omnes, tamẽ quod nemo in cõtrouerſiam vocat, quiſq; apud ſe tacitè pro nihilo ducit: dum tã ſecurè Deo illudimus, nec vlla eius reuerẽtia nos coercet, vt ſaltẽ locum hominis mortalis apud nos obtineat. Pudore enim retinemur, ne quis hominum conſcius ſit ac teſtis noſtræ turpitudinis: Dei verò iudicium non ſecus contemnimus, ac ſi interpoſito velo ſcelera noſtra abſcondita eſſent eius oculis. Inde fit (vt quantum in nobis eſt) lucem in tenebras cõuertamus, quas tamen immenſa Dei ſapientia facilè diſſipat.

13.14.15.16 *Non mirum eſt ſi ita in occultiſſimas quaſq; hominũ cogitationes diſquirat: nam renum ac cordium fictor eſt, ibiq; erexit ſuũ tribunal, ex quo iuriſdictionem ſuam exerceat: nec mirum eſt, ſi eũ nõ fallãt flexuoſi cordiũ noſtrorũ receſſus, qui nos adhuc clauſos matris vtero tã clarè intuitus eſt, ac ſi eſſemus in media luce expoſiti.*

Mirabilibus modis, & qui meritò admirationem terroremq; incutere debent, ſumus formati: vnde (niſi prorſus ſimus ſtupidi) in Dei laudes prorumpere cogimur.

Quæcunq; oculis noſtris occurrunt Dei opera, totidẽ miracula ſũt, quæ mentes noſtras ad ſe rapere debent.

Modeſta ſobriáque diligentia pij, percepto guſtu mirabilium diuinorum, immenſam gloriæ Dei altitudinem adorant.

Deus longè præcellit ſummos quoſq; artifices, qui oculorum adminiculo indigent ad formandum ſuum opus: is autem in viſceribus matris noſtræ artificio prorſus inimitabili nos formauit. Non mirum igitur, ſi homines in lucem editos tam exactè cognoſcat, quos in matris vtero numeris omnibus abſoluit.

Deus dicitur habere in actis ſuis ſcripta, quæcunq; nouit: tum vt nullis adminiculis eius memoriã indigere ſciẽtes, corã eius facie ſincerè ambulemus: tum vt ab eius immẽſa ſapiẽtia pendere diſcamus.

In eo lucet maximè Dei prouidentia, quòd confuſam illam putredinem, ex qua creationis tempore compingimur, in pulcherrimam figuram tractu temporis digerat.

17.18 *Cùm tam præclara arcana Dei ſapientiæ documenta, quæ in hominis creatione, totáque vitæ gubernatione exhibet, ab impiis vel negligantur, vel non æſtimentur ſuo pretio, piorum eſt trepidè & suppliciter ſe ſiſtere ad Dei tribunal, vt eius bonitatem ac omnipotentiam magis ac magis agnoſcere queant.*

Dum quotidie expergeſimus, nobis nouum admirationis argumẽtum naſcitur. Itaq; dum bruta ſocordia profani homines ſe proijciũt in omne ſcelus, nec quiſquam eorum fictoris ſui memor eſt, pij cum Deo permanent, vt ei acceptam referant vitam ſuam, eumq; audire, videre, & intelligere omnia fateantur, qui aures finxit & oculos, & cor intelligentia præditum creauit.

19.20 *Reprobos Deus ſtatuit in exemplum, vt inflictæ illis pœnæ electos ab eorum ſocietate reuocent, & in Dei timore contineant. Vide Ieſa. 26.9.*

Eò licentiæ proſiliunt impij, vt nõ modò ſtatuãt quiduis impunè ſibi ceſſurum, ſed manifeſtas etiã in iudicem ipſum blaſphemias euomunt, & faſtu temulenti non reputant ſe miſeros eſſe homunciones, imò ſibi plus quàm par eſt tribuentes, Deum ſua poteſtate ſpoliant.

21.22 *Non ſatis in cordibus noſtris viget pietatis ſtudium, niſi ex ſe odium ſcelerũ generet, quale hic prædicat propheta: deinde domus Dei zelus poſtulat, vt (pro ratione noſtræ vocationis) ſacrum eius nomen petulanter calcari ab impiis minimè patiamur.*

Fortibus, altiſq; animis ſpernenda ſunt omnia improborum omniũ odia, vbi pro Dei honore certandũ eſt, potiuſq; renuntiandũ terrenis omnibus amicitijs, quàm adulationib. perperam fouere eorum fauorem, qui Dei odium cupidè in ſe accerſunt. Porrò odium illud non tã in perſonas quã in vitia dirigendũ eſt. Colenda.n. nobis eſt pax cum omnibus quoad licet, amanda etiam omniũ ſalus, & humanitate ac omnibus officijs reuocandi ſunt in viam. Quatenus tamen Dei ſunt hoſtes, eorum furori nos acriter opponere conuenit.

23.24 *Sancti quoties de ſua integritate loquuntur, ſemper innituntur gratuitæ veniæ: cæterùm quia perſuaſi ſunt, vtcunq; infirmitate labantur, ſuam pietatem probari Deo, non mirum eſt ſi liberè ſe ab impijs ſeparant.*

Quum perſeuerantiæ gratia à Deo ſit, precandum eſt vt nos quibus ſemel manum porrexit, Deus non deſerat in medio ſpatio, ſed ad finem vſq; gubernet.

Articvli praecipvi.

1. De ſpecialiſſima & oculatiſſima Dei prouidentia.
2. De humani corporis fabrica mirabili.
3. De ſcientia & omnipræſentia Dei.
4. Humanæ imbecillitatis tabella.
5. Laudum Dei luculentum argumentum.
6. De multiplici libro Dei.
7. Piorum in reputanda Dei ſapientia ſtudium.
8. De diligendis inimicis noſtris & odio habendis inimicis Dei.
9. Impiorum, Dei inimicorum, characteres.
10. Conſcientiæ examen ſincero affectu Deo committendum.

ARGVMENTVM PSALMI CXL.

SCRIPTVS eſt hic Pſalmus à Dauide, cùm à Doego & ſimilibus gnathonibus aulicis regis animus calumnijs aduerſus eum ita inflammaretur, vt dolo & armis eum Saul peteret, nec prius quieturum ſe oſtenderet, donec vitam ei abſtuliſſet. In his periculis conſtitutus Dauid ad Deum confugit, atque ab eo defendi ſe aduerſus Saulis & aulicorum inſidias & calumnias petit. Et quia inter orandum fides eius confirmatur, vt certam ſibi defenſionem polliceatur, ſubijcit in fine dulciſsimas promiſsiones, quibus pijs defenſionem aduerſus impios & virulentos ſycophantas pollicetur: hoſtibus verò pœnas & exitium minatur & imprecatur. Hæc ſumma eſt. Eſt autem hiſtoria Dauidis imago eccleſiæ omnium temporum. Semper enim illa oppugnatur à ſuperbis hypocritis, qui exemplo Doegi ſimulatione humilitatis & ſãctimoniæ colligunt beneuolentiam aularum & vulgi, & obtrectatinoibus ac calumniis pios & bonos deformantes multorum odia aduerſus eos concitant, & pericula infinita ipſis creant. Fit igitur, vt alibi ferro & igni excin-

dantur pij, alibi loco ſuo moti in exilium eyciantur, aut aliis artibus opprimãtur. Sicut igitur Dauid in hoc Pſalmo petit defenſionem aduerſus opifices fraudum ſcelerúmque magiſtros & autores, qui non ſolum impia fraude, ſed etiam manifeſta vi crudeliter graſſantur: ita nos quoque qui hodie ſimilibus artibus oppugnamur, eadem vota faciamus, ac petamus vt Deus reprimat ſophiſmata aſſentatorum & ſycophantarum, qui artes nocendi ſciunt aſtutiſſimè, & crudeles conatus tyrannorum cohibeat: atque in hac precatione intueamur promiſſiones, cùm in hoc Pſalmo, tum alibi ſæpe repetitas, in quibus vox diuina defenſionem promittit piis, qui per calumniam & vim opprimuntur, & impiis ſycophantis triſtiſſimas pœnas & interitum minatur.

1 AD triumphandum, Pſalmus Dauidis.
2 Erige me Iehoua ab homine malo[*improbo:*] à viro iniuriarum cuſtodi me.

Propoſitio pſalmi eſt, in qua ſumma petitionis exponitur. Petit enim ſe defendi diuinitus, ne circumuentus fraude hoſtium ſuorum, aut vi oppreſſus pereat.

Ab homine malo] Loquitur non tantùm de vno Doego, cuius calumniis & falſis criminationibus ſeu delationibus animus regis aduerſus Dauidem accendebatur, ſed de cæteris conſiliariis & gnathonibus aulicis, atque adeo de ipſo rege quoque. Huius animum, quia alienatum eſſe à Dauide cernebant alij, ſubinde effictis nouis calumniis magis inflammabant, cúmque impellebant, vt manifeſto bello & armis Dauidem peteret. Comprehendit igitur omnes, cùm hominem malum & virum violentiæ ſeu violentum appellat. Id quod ſequentes verſus dilucidè oſtendunt, in quibus non de vno, ſed de multis loquitur. Cæterùm malos nominat, qui omni genere fraudum ac dolis aduerſus bonos pugnant. Et primùm omniũ notatur maleuolentia, ex qua cætera exiſtunt. Cuius enim animus maleuolentia aduerſus alium accenſus eſt, is omnes artes & modos nocendi quærit. Viros iniuriarum ſeu violentos nominat, qui nulla laceſſiti iniuria vi opprimere alios conantur. Cùm enim aſtu & dolis nihil proficiunt homines maleuoli, tandem aperta vi graſſantur, & vbi vulpina deficit, leoninam aſſuunt.

3 Qui cogitauerunt[*machinantur*] mala in corde: quotidie congregant prælia.

4 Acuunt linguas ſicut ſerpens: venenum aſpidis ſub labiis eorum, Selah.

Propoſitioni ſubiicit rationem ſeu confirmationem à neceſſitate, in qua & hoſtium ſuorum malitiam exaggerat, & pericula ſibi imminentia exponit. Ideo enim petit ſe diuinitus liberari, quia & hoſtium virulentia ſit maxima, & quia ſe intelligat foris nudatum eſſe amicorum præſidiis, & variis expoſitum iniuriis. In tertio verſu exponit vocabula ſecundi verſus, vir malus & vir iniuriæ. Malum enim eum vocat, qui mala aſſiduè machinatur in corde, & omnes rationes init, quibus alteri noceat. Vir iniuriæ eſt qui congregat prælia, hoc eſt, qui externam vim parat & armis opprimere innocẽtes conatur.

Contrahunt prælia] Plerique ſubaudiunt præpoſitionem ad: vt ſignificet, Sycophantas falſis delationibus accendere omnium odia, atque ita eſſe belli tubas. Sed etiam abſque præpoſitione poteſt legi, Contrahũt bella ſeu prælia, eodem ſenſu: atque ita vſurpatur Habacuc 1. Vniuerſa hamo ſuo educit, contrahet illa reti ſuo. Nonnulli abſolutè exponunt, coeunt ſeu cõcurrunt. Particula *quotidie* exaggerat periculum, & notat indefeſſum ſtudium hoſtium. Tantùm enim hoc vnum aſſiduè & magno conatu agunt, & in eo toti ſunt occupati, vt bonis noceant, eóſque tandem opprimant.

Acuunt linguas] Amplificat & illuſtrat priorem ſententiam à ſimilitudine, in qua comparat dolos, aſtus & calumnias obtrectatorum veneno aſpidum, quod ſine dolore, vt Plutarchus inquit in vita Antonij, vitam extinguit, grauato ex ſomno capite, & leui ſudore per faciem diffuſo, ſenſibus paulatim deficientibus. Calumnia enim, vt Herodotus inquit in Polymnia, iniuria afficit abſentem, & non ſentienti ictum ſeu plagam infert. Et vulgo dici ſolet, Contra morſum ſycophantæ non eſt remedium. Notus etiam eſt Græcus verſus: Ξίφος τιτρώσκει σῶμα, ὁ δὲ νοῦν λόγος. Dictum autem & ſuprà eſt de hac ſimilitudine, Pſalmo 58.

Nomen Hebræum, quod aſpidem interpretantur, non alibi extat in ſacra ſcriptura quàm hoc in loco: alij araneolum interpretantur, qui natura venenoſiſſimus eſt, & Græcis dicitur ῥώξ, ſeu ῥάγιον, à ſimilitudine acinorum nigrorum. Dolor à morſu eius eſt, qualis à ſcorpione. Pſalm. 58. eſt nomen פתן.

5 Cuſtodi me Iehoua à manibus impij, à viro iniuriarum ſerua me: qui cogitant ad præcipitandũ greſſus meos.

Repetit propoſitionem, cui deinde & hoc verſu & ſequẽti eandem rationem ſubiicit, quæ ſuprà recitata eſt, à magnitudine periculi ſeu neceſſitate ſumpta. Repetitio autem illa & periculi magnitudinem exaggerat, & ingens animi deſiderium ac fidei ardorem ſeu robur oſtendit. Quo enim magis creſcit periculum, & quo fides eſt firmior & ardentior, eò ſæpius vtraque res ad clamandum & ad compellandum Deum nos extimulat.

Cogitant ad præcipitandum] Quod antea dixerat eos cogitare mala in corde, nunc quaſi exponẽs hac oratione reddit: Cogitant præcipitare greſſus meos: quaſi dicat, hoc vnum ipſi cogitant & moliuntur, vt me miſerum hominem præcipitent & euertant, *Das ſie mir ein bein vnterſchlagen.*

6 Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi: & funibus extenderunt rete ad viam ſemitæ: tendiculas [*pedicas*] poſuerunt mihi, Selah.

Fraudes, dolos, & inſidias hoſtium, de quibus antea dixerat, in hoc verſu exponit alia oratione figurata, ſumptis metaphoris ab aucupio, quibus illæ inſidiæ hoſtium venuſtiſſimè pinguntur. Quemadmodum enim auiculæ capiuntur aut laqueo, aut reti, aut tendiculis: ita illi, inquit, multiplices mihi ſtruunt inſidias, & omnis generis machinamenta excogitant, quibus me captum euertant. Neceſſitas igitur iterum in hoc verſu exponitur, qua Deum ad opem ferendam impellere conatur. Sum, inquit, vndique circumuentus inſidiis, & retia ad me illaqueandum vndique extenta, vt euadere non poſſim, niſi Dominus ſuccurrat & me eripiat. Eſt autem obſeruanda inſignis deſcriptio hoſtium eccleſiæ in his verſibus. Primùm nominat eos malos, qui cùm tantùm ſcelere delectentur, facilè odia concipiunt aduerſus bonos, quos ſuis cupiditatibus obſtare vident, atque horum vitæ inſidiantur. Deinde vocat eos viros iniuriarum, qui non dolo tantùm & fraude, ſed manifeſta vi vitam piorum oppugnant. III. vocat eos impios, qui careant timore Dei, & rideant & contemnant iudicium Dei aduerſus peccata, ideóque in omnis generis ſcelera audacter ruant. IIII. nominat eos ſuperbos, elatos & tumentes fiducia ſuæ ſapientiæ & virium. Atque hæc ipſa appellatio oſtẽdit, non queri Dauidem de vulgaribus hominibus: ſed de his quorum ſumma tunc erat autoritas & potentia in republica, eóque periculum ſibi grauiùs imminere affirmat, quo hoſtes ſunt potentiores & arrogantiores. Obſeruandæ enim ſunt artes quibus impij eccleſiam oppugnant. I. Eſt maleuolentia & odiũ erga bonos. Hinc ſequũtur conſilia praua quæ ineunt aduerſus bonos, & (vt faciliùs inſtitutum ſuum perficiant) obtrectant integritati & innocentiæ piorum, quos calumnijs deformant, & in odium adducunt, vt nudatos præſidiis & beneuolentia aliorum faciliùs opprimant, ſuis etiam odijs, ne qua ipſorum improbitas deprehendatur, prætexunt ſanctimoniæ, religionis & zeli titulũ: tandem varias inſidias ſtruũt, quibus ſi nihil proficiunt, manus etiam iniiciunt & bella parant, vt quos dolo euertere non potuerunt, vi opprimant.

Ad viam ſemitæ] Id in Hebræo ſonat ad manum ſemitæ vel tramitis: manus enim ſæpe pro ſpacio ſeu loco accipitur.

7 Dixi Iehouæ, Deus meus es tu: Auſculta Iehoua voci deprecationis meæ.

Iterum repetit principalem precationem. Sed primùm de ſua conſtantia teſtatur, cùm inquit, Dixi Iehouæ, Deus meus es tu. Ego, inquit, quanquã vndique circũuentus & circumdatus ſum ab hoſtibus: tamẽ nõ abiicio fidẽ, ſed ad te confugio, & te ſtatuo eſſe Deũ meũ iuxta verbũ, qui me reſpicis, exaudis, iuuas etiam deſertum à creaturis omnibus, hoc eſt, vindicem & ſeruatorem meum. Hanc fidei lucem & conſtantiam retinere in magnis periculis & perſecutionibus cõtra tumultuantes dubitationes rationis, & cõtra varios laqueos diabolorum, non eſt res leuis, nec obtinetur ſine magno certamine & lucta, & ſine aſſidua Dei inuocatione. Ideo intueri hoc Dauidis exemplum ita debemus, vt noſtros quoque animos in periculis & ærumnis cogitatione verbi diuini, & fiducia præſentiæ & auxilij diuini muniamus, ne victi prauis affectibus carnis noſtræ, aut impulſi à diabolis, abiiciamus profeſſionem doctrinæ, aut deficientes à Deo ruamus in triſtiſſima ſcelera. Accedat autem & inuocatio, quæ vnicum eſt ſcutum ſeu præſidium noſtrum. Eſtque hæc ipſa profeſſio conſtantiæ ſeu fiduciæ in Deũ argumentũ, quo cõfirmat promiſſionem.

8 Iehoua

8 Iehoua Domine mi, robur ſalutis meæ [*id eſt, qui tanta es potentia præditus, vt poßis me ſeruare, & qui potenter ſaluas me*] poſuiſti tegumentum capiti meo in die armorum.

Sicut in præcedente verſu fidem accedentem ad Deum & petentem auxilium cōfirmabat cogitatione verbi & promiſſionum diuinarum, cùm diceret, Deus meus es tu: ita initio huius verſus idem facit: ſed poſtea aliud argumentum addit à præteritis beneficiis, quæ Deus antehac in ipſum contulerat. Notum eſt dictum Sophoclis, quod citat Clemens 6. Stromat. ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν. Sed tu, inquit, ſeruaſti & protexiſti me antea in multis periculis. Ergo nūc quoq; mihi præſto ſis, vt appareat te non mutaſſe naturam aut propoſitum.

Operuiſti caput] Id eſt, fuiſti mihi inſtar galeæ in die prælij. Quando enim verſabar inter hoſtium tela & manus, tu excepiſti omnes ictus hoſtium & eliſiſti. Erat Dauid non tyro, ſed multis & variis certaminibus exercitatus miles. Ideo allegat præterita beneficia: ſed nihil adſcribit ſuis viribus.

9 Ne des Iehoua deſideria impij: cogitationem eius ne promoueas: exaltabuntur, Selah.

Hæc altera pars eſt petitionis. Sicut enim antea petebat ſe defendi & ſeruari: ita nunc oratione in hoſtes directa, petit ipſorum molitiones & conatus infringi, ne perficiant quod inſtituerunt.

Ne des deſideria impij] Id eſt, fac ne conſequantur quod cupiunt, vel ne des vt fiant ſui voti compotes, ſed infringe & irritum redde quicquid moliuntur. Græcus habet μὴ παραδῷς με κύριε ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας μου. Iudicauit enim מ eſſe præpoſitionem in voce מאויי quæ hoc loco litera eſt hæmantica.

Cogitationem] Nomen Hebræum accipitur ferè ſemper in malam partem, & ſignificat nefaria conſilia.

Ne promoueas vel facias prodire] Id eſt, ne perficias, hoc eſt, ne permittas vt ipſi exequantur quod cogitant. Verbum פוק ſignificat vacillare vel impingere tanquam ebrium, abſolutè: vnde ſunt nomina פיק & פיקה quæ ſignificationem habent vacillationis ſeu nutationis, cùm quis tanquam ebrius nutat & impingit. Actiuè autem verbum ſignificat eructare, effundere vacillando, euomere tanquam ebrium. Metaphoricè verò producere, depromere, vt cognationem habeat cum בוק. Hanc ſignificationem retinet etiam in tertia coniugatione, vt hoc in loco & Pſalmo 144.

Alij putant eſſe μιμητικῶς hæc dicta. Cogitatio eius, nō impinges, id eſt, ſuccedent tibi omnia feliciter. Græcus reddit: Cogitauerunt contra me, ne derelinquas me.

Exaltabuntur] Hoc quartum eſt argumentum quo propoſitionem confirmat, ſumptum à cauſa finali. Impedi, inquit, & infringe conſilia & conatus hoſtium. Id enim niſi feceris, ipſi exaltabuntur, confirmabitur eorum impietas & furor, quo graſſantur in bonos, eritque tandem ſuperbia intolerabilis & exitioſa tuo populo.

10 Caput obſidentium me, moleſtia labiorum eorum operiat eos.

Continuat poſteriorem partem precationis, & vt ſuprà conatus ipſorum impediri cupiebat: ita nunc pœnam & exitium imprecatur hoſtibus. Eſt autem aliquid obſcuritatis in hoc verſu: itaque variè ab interpretibus redditur. Lutherus ſimpliciter ſic reddit, Moleſtia labiorum ipſorum, id eſt, mala & iniuriæ quas machinantur & minantur lingua & labiis ſuis, recidant in caput ipſorum & obruant eos: atque ita alij quoque legūt: Labor conſiliorum ipſorum obruat caput eorum, qui me circumueniunt. Ita verò ſi reddatur, relatiuum in fine verſus abundabit, éſtque ordo ſententiæ inuerſus, & numerus in vocabulo ראש mutatus. Debebat enim ſcribi, operiat capita eorum: quanquam ſi relatiuum in datiuo exponas, ſic reddere licebit, operiat eis caput. Alij tamen interpretes per caput intelligunt principem factionis, Doeg vel (quod magis veriſimile eſt) ipſum Saulem. Huic ſeruiebant & gratificabātur, qui Dauidem circundabant & prodebant. Seruiebant autem ei labiis iniquis, id eſt, delationibus, calumniis & proditionibus, idq; certatim & magno conatu. Quilibet enim palmā proditi Dauidis præripere cæteris volebat. Ideo delationes & obtrectationes vocat laborem labiorum. Orat igitur vt moleſtia labiorum, hoc eſt, calumniæ & delationes iniuſtæ operiāt hoſtes cum ipſo principe qui aures præbebat factioni, vt ſuis conſiliis & mendaciis pereant: ſicut ille apud Plautū inquit, *Meo arbitratu ſi liceat, delatores linguis, auſcultatores, aurib. pendeant*. Ita igitur ordinat ſententiam: Moleſtia labiorum eorum operiat eos & caput circundantium me.

D. Hieronymus reddidit, Amaritudo cōuiuarū meorū. Videtur מסבי deduxiſſe à סבא quod ſignificat potare ſeu inebriari, quod fieri ſolet in cōuiuiis: & ראש aliquando pro felle & amaritudine accipitur: vel reſpexit ad illud Cantici 1. Dum eſſet rex במסבו in circuitu, id eſt, conuiuio ſuo, quod ita dicitur, quia diſcumbentes in circuitu ſedebant. In יכסומו ſcribitur plurale, legitur autem ſingulare.

11 Cadent ſuper eos carbones: cum igne præcipitabit eos in profunditates: non reſurgent.

Hæc imprecatio, vt ſæpe monuimus, vim habet vaticinij, éſtque triſtis comminatio iræ Dei & pœnarum æternarum aduerſus hoſtes eccleſiæ à Spiritu ſancto per Dauidē pronunciata. Nihil enim hic adſcribendum eſt cupiditatibus aut ſtolidis affectibus humanis. Sed ſicut cor accēſum à Spiritu ſancto ardet amore Dei & eccleſiæ eius, & cupit ſublatis omnibus impedimentis gloriam nominis eius illuſtrari: ita etiam idem Spiritus has voces ſeu comminationes ex ore eius profert. Videtur autem alludere ad horribile exitium Sodomæ & Gomorrhæ, quod inhabitatoribus fuit initium æternorum cruciatuum: & hoc æterno documento teſtari voluit Deus ſemel, ſe omnium impiorum fore iudicem, vt dicitur in Epiſtola Iudæ: & ſuprà pſalmo 11. ſimilis eſt oratio.

מהמרות Significat obſcuritates vel foueas obſcuras & profundas abyſſos.

Non ſurgent] Id eſt, vnde nunquam emergent.

12 Vir linguæ non ſtabilietur: virum violentiæ noxa venabitur eum [*abundat relatiuum*] ad expulſiones.

Imprecatio, vt dixi, habet annexum vaticinium ſeu prædictionē de certitudine euentus. Ea verò prædictio ſumitur ex comminationibus legalibus, quæ vt in genere omnibus violantibus mandata diuina pœnas denuntiant: ita eas in hoc pſalmo Spiritus ſanctus ad duplices hoſtes eccleſiæ in ſpecie accommodat, vt fides defenſionem petens fiat ardentior & firmior. Primùm ad *viros linguæ* ſeu linguaces. Ita autem nominat nō tantùm homines garrulos, futiles, plenos rimarū, iactantiæ deditos aut maledicos, de quibus etiam Euripides inquit, ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία: Sed maximè ad illos virulentos homines, qui in aulis regum & principum verſantur, & animos potentum calumniis & falſis criminationibus aduerſus pios accendunt, & conſilia praua ad perniciem bonorum ſuggerunt: quíque omnes dolos excogitant, quibus bonis noceant. Quales hodie ſunt ſatellites Pontificij in ſūmorum regum aulis, Cardinalis Lotharingicus, Hoſius, & hi qui inquiſitionem tyrannicam apud regem Hiſpaniæ aſſiduè vrgent. In Germania etiam, quantum noceant eccleſiæ δημηγόροι illi, qui paſſim in vrbibus & aulis impotenti dominatu ſeſe oſtentant, nemo ex bonis eſt qui nō cum dolore & lacrymis ſæpe deploret.

Poſtea addit, *viros violentiæ*. eos verò ſic vocat, qui impia illa conſilia & decreta ſanguine ſcripta exequuntur, & vi atque armis delere eccleſiam conantur. De illis dicit, non ſtabiliētur in terra, id eſt, non habebunt ſemper proſperos & felices ſucceſſus, nec perficient telam quam exorſi ſunt. In medio enim curſu euertentur & rapientur ad pœnas, quæ non ipſos tantùm, ſed poſteros quoque ſimul abripient. Complectitur enim poſteros. Eſtque hæc comminatio oppoſita illi promiſſioni quæ traditur pſalmo 112. Potens erit in terra ſemen eius, & generationi rectorum benedicetur. De tyrannis, qui vel inſidiis vel manifeſta vi & crudelitate graſſantur in eccleſiam, inquit, virum violentiæ noxa venabitur ad expulſiones. Sumpta metaphora à venatione. Venator, quando tetendit plagas ſuas, nullum beluæ effugium relinquit: ita malum quod ipſi aliis creant, ipſos autores tandem concludet, vt nō poſſint euadere aut elabi ex iudicio Dei. Venabitur autem ad expulſiones, hoc eſt, ita vt quo magis illi progrediuntur & feruntur ſuo impetu in bonos, eò propiùs ad præcipitia accedant & ſibi exitium accerſant. Videtur enim alludere ad venationes, quæ fiunt in præruptis montibus, vbi feræ agitatæ à canibus dum effugere conantur, ſeſe imprudentes præcipitant. Ita inquit, tyranni ſuo furore agitati ſeipſos tandem in triſtes pœnas præcipitabunt.

13 Cognoui quod faciet Iehoua iudicium adflicti: iudicium pauperum.

Comminationi pœnarum ex antitheſi ſubiicit promiſſionē de defenſione & liberatione piorum ex ærumnis. Vtraque res fidem in inuocatione confirmat, & animos noſtros munit, vt patienter ærumnas feramus. Differt Deus liberationem, ſed non aufert. Ideo ſæpe in pſalmis hæc coniūgūtur. Eſt Deus iuſtus iudex. Ergo ſicut magiſtratus eſt honori bono operi & terrori malo: ita Deus bonos & iniuſtè à tyrannis oppreſſos defendit, tuetur & liberat, impios verò punit & euertit.

Cognoui] Id eſt, certò ſcio & ſtatuo iuxta promiſſiones diuini-

tus traditas, ideóque eo maiore fiducia ad Deum accedo petens & expectans liberationem.

Iudicium] In quo ſcilicet oſtendat, ſe curam & patrocinium eius ſuſcipere, & malos punire ac perdere: etiamſi conniuet ad tempus certo quodam ſuo conſilio, tamen tandem illud patefaciet: oportet enim priùs affligi bonos, vt iuſtitia eius in vindicandis ſceleribus ſit conſpectior.

14 Vtique iuſti celebrabunt nomen tuum: habitabunt recti coram facie tua.

Amplificat & cõfirmat promiſſionem à cauſa finali. Vult, inquit, Deus agnoſci & celebrari nomen ſuum & beneficia à piis & iuſtis. Ideo enim colligit ſibi in genere humano eccleſiam, vt cùm maxima hominum pars ipſius beneficia contemnat, aliqui tamen ſint qui eius amorem & beneuolentiam agnoſcant & celebrent: vult eos etiã habitare *coram facie* ſua: hoc eſt, vult præſentiã ſuam conſpici in eccleſia, & ſciri quòd agat curam ſuorum. Ergo fieri non poteſt quin tandem iniurias noſtras vindicet. Hæ rationes valde confirmant fidem intuentem promiſſionem. Promiſſiones enim videntur multis eſſe inanis ſonitus, quia experiẽtia ſæpe reclamat, ideóque dubitant multi an ſit aliqua pars generis humani quæ peculiariter Deo ſit curæ, aut prorſus negant prouidentiam: ſed cùm fides has cauſas finales conſiderat, cur traditæ ſint promiſſiones eccleſiæ, valde erigitur & confirmatur ne deſperet, etiamſi ſenſus noſtri aliquandiu reclamant. Vult Deus agnoſci & celebrari. Ergo neceſſe eſt, inquit fides, eſſe aliquem cœtum iuſtorum, & eſſe aliquam eccleſiam, quæ, cùm mundus beneficia diuina ſilentio perpetuo obruat, laudes diuinas ſonet. Deinde neceſſe eſt conſpici aliqua teſtimonia præſentiæ Dei inter ſuos: ergo impoſſibile eſt fallere has promiſſiones.

Cæterùm phraſis, *habitabunt coram facie tua*, ſumpta eſt ab œconomia. Nam ſicut paterfamiliâs ſemper in conſpectu habet liberos ſuos, eóſque circunfert animo & oculis ſuis, hos ſolos curat, fouet, regit & defendit, & ſicut Vergilius inquit,

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Ideo habitare coram facie parentum dicuntur liberi. Ita enim Deus curam agit ſuorum aſſiduè, intuetur eos, regit & defendit, nec patitur illos aliquò aberrare vbi pereant, aut aliquam illis fieri iniuriam. Pij igitur habitare coram facie eius dicuntur, cùm huius ſuæ curæ, gubernationis & defenſionis paternæ teſtimonia oſtendit, & his promiſſiones ſuas confirmat, vt quilibet præſentiã Dei agnoſcat. Hoc primum & principale eſt in hoc verſu. Deinde continet etiam pollicitationem gratitudinis. Pij vbi viderint me non deſeri abs te, ſed habere defenſionem paratam, celebrabunt beneficia tua, & confirmabitur eorum fides, vt maiore deinceps conſtantia & fiducia coram te habitent, hoc eſt, vt adiungant ſe veræ eccleſiæ, & in hac ſeſe contineant, non deficiant à verbo tuo, aut ab illo cœtu, in quem tu ſingulari cura paternos oculos conijcis, omniáque, quæ ad ipſorum ſalutem & incolumitatem pertinent, procuras.

PSALMI CXL.

PARTES.

I. Petitio, cuius loci duo ſunt. Vnus quo precatur Dauid pro ſalute ſua, nouem verſibus: alter quo aduerſariis malè precatur, tribus ſeq. *Prima* autem petitionis cauſa ſumitur à perſona aduerſariorum, qui ſunt mali & violenti, v.2. præterea iniuſtam cauſam agunt: omne enim malum fabricantur apertè & clam, animo conſilióque, v.3. deinde ſermone & opere, v.4. & 5. Sic amplificat petitionis primam cauſam, videlicet quod non tantum improbi & violentiſſimi homines cauſam iniquam agant, verùm etiam rationibus iniquiſſimis. *Secunda* cauſa, à fide ſupplicis in Deum: & anteacta experientia veritatis Dei erga ipſum mirificas liberationes præſtantis, v.6.7. & 8. Huius autem petitionis concluſio ſubiicitur, v.9. cuius poſtremus finis tranſitum parat ad imprecationem ſequentem.

II. Imprecatio, qua pſaltes perſtans in ſuperioribus allegoriis ea ipſa mala quæ cudunt aduerſarij in ipſos retorquere petit, ex iuſta talionis lege, vt per quæ quis peccat, per hæc puniatur: v.10.11. & 12.

III. Concluſio προσφωνητικὴ, à ſalute iuſtorum, v.13. & gloria Dei ſaluti huic coniuncta, v.14.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de impiorum conditione in hac vita.

Verſ.1.2.3.4 Quoniam fideles ſunt Christi membra, cuius Dauid fuit typus, non mirum videri debet quòd Satanæ ſatellites tot modis in eum ſæuiant.

Calumniis & violentia impij eccleſiam euertere conantur.

Ad Deum fideles iniuſtè oppreſſi confugiunt, & ab eius auxilio toti pendent, certi eum ſeruis ſuis, id eſt probis & tranquillis hominibus, ſemper opitulaturum.

Non vulgari ratione, ſed horrendis artibus impij callidè, & crudeliter agunt in Dei eccleſiam: ita vt ſerpentum & leonum ingenium induiſſe videantur.

5.6 Impiorũ fraudibus & violentia ſubdolas artes & vim iniuſtã pij nõ opponunt, ſed tantùm implorant Deũ vindicem, cuius eſt potentiſſimorum ferociam retundere.

Cùm nihil niſi cædes, niſi iniurias, ſanguinem, laqueos, & exitia ſpirent ſuperbi, piorum eſt placido & ſincero mentis affectu ad Deũ confugere, eiúſque auxilio niti.

7.8 Fidelibus non naſcuntur vota in labiis, ſicut hypocritæ oſtentationis cauſa clamosè Deum inuocant, ſed orant ſeriò, & recõdito fidei ſenſu, qui ſimulationem omnem excludit.

Quot miracula Deus edidit, vt nos antehac vſque ad hunc diem præſtaret incolumes, tot nobis ſunt incitamenta, vt in poſterum de Dei auxilio ſpem certam foueamus.

9 In Dei arbitrio poſitum eſt praua hominum cõſilia, ſpéſque improbas fruſtrari ſtudia etiam frangere. Itaque quoties videmus nõ poſſe reuocari hoſtes ad ſanam mentem, rogandus eſt vt quas diu coxerunt machinationes, momento diſſipet, atque euertat, nec ſinat emergere in ſuum effectum quod illi conſultant, ne ſupra nubes ſuperbè efferantur, quaſi extra omnem periculi aleam conſtituti.

10.11 Moleſtia quam ſceleratis ſermonibus impij fidelibus intentant, recidet in caput ipſorum.

Terribilis eſt in impios Dei vindicta, vtcunq; ad tẽpus eos ferat.

Cùm Deus, quos duriter percuſſit, ſanare interdum ſoleat, de reprobis hîc agi certum eſt, quibus ſpem veniæ præcîdit propheta, quia videbat inſanabiles. Hoc autem in genere petendum eſt à Deo, vt impios omnes deſtinata malitia gloriam Chriſti oppugnantes, in profundas & æternas abyſſos præcipitet.

12 Siue inſidiis obrepant impij, ſiue palam furorem ſuum prodãt, proximum eſt eorũ excidium, & ex eorum dolis ac violentia Deus conficit laqueos & plagas, quibus eos tandẽ irretitos intercipiet, ita vt ſceleris artifices arte perire ſua videantur.

13.14 Fieri non poteſt quin Deus afflictis tandem ſubueniat, ſed quia conniuet ad tẽpus, proboſque & ſimplices vexari patitur, eũ hoc facere ſciamus, vt maiore cũ gloria, afflictos ſubleuet oppreſſóſq; reſtituat.

Quãuis ad tempus pij obmuteſcant, & anguſtiis conſtricti à Dei laudibus ceſſent, tamẽ cùm ſentient ſalutẽ ſuam curæ eſſe Deo, nouã laudis materiam adipiſcentur.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Impiorum, Eccleſiam Dei perſequentium expreſſa effigies.
2. Artes variæ ſatellitum Satanæ aduerſus Eccleſiam.
3. De ſpe & fiducia piorum ſub cruce.
4. Qualis Deus inuocetur à piis oppreſſis.
5. De imprecationibus in impios perſecutores & coniuratos hoſtes eccleſiæ.
6. Conſilia & opera in perniciem Eccleſiæ irrita fient.
7. De iuſtitia Dei pios eripientis, impios euertentis.
8. Piorum gratitudo & nominis diuini celebratio.

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI CXLI.

CONSIDERANS David in ſuis periculis, in quæ odio regis Saulis & ſatellitum eius perfidia & malitia erat coniectus, primùm infirmitatem ſuam, deinde multiplices diaboli & malorum hominum inſidias, & varias huius mundi illecebras, quæ hominem ad peccandum extimulare ſolent, petit ante omnia in hoc pſalmo diuinitus regi & gubernari, ne in his ſuis ærumnis & periculis victus prauis carnis ſuæ cupiditatibus, vel malorum hominum conſuetudine & conſortiis, vel etiam Diaboli inſidiis impulſus vnà cum aliis deficiat à Deo, aut ſcelere aliquo ſeſe polluat, indignúmque aliquid vocatione ſua committat: deinde quia intelligebat hoſtes aſſiduè ſibi varias inſidias ſtruere, & exitium moliri, in altera orationis parte defendi ſe ac muniri diuinitus aduerſus illas inſidias & inſultus, & reprimi ac puniri hoſtium furorem atque impios conatus petit. Hæc ſumma eſt. Sunt autem ærumnæ Dauidis typus eccleſiæ omnium temporum. Habet enim illa ſimiles hoſtes, diabolum, mundum & carnem propriam, à quibus primùm tentatur variis illecebris & prauis exemplis, & ad abiiciendam doctrinæ puritatem, & ad peccandum ſolicitatur ſubinde. Deinde cùm illecebris apud nonnullos nihil proficitur, accedunt foris minæ, terrores, pericula, perſecutiones, quibus grauiter concutitur eccleſia. In his omnibus eccleſia petit ſe regi verbo & Spiritu Dei, & fide repugnat illis illecebris, ſuam etiam ſalutem aſſiduis precibus Deo tuendam aduerſus hoſtium furores commendat. Quódque tota eccleſia facit in omni tempore, id ſinguli facere aſſiduè debemus: idque dum facimus, oratio huius & ſimilium pſalmorum nobis fit dulcior, & conſolationem mentibus affert efficaciſſimam. Quam enim David gubernationem, opem & defenſionem in ſuis ærumnis precibus ſuis impetrauit, eandem alios quoque qui exemplo Dauidis vera fide ad Deum accedunt, experiri atque impetrare non dubium eſt.

Pſalmus Dauidis.

1 IEhoua, clamaui ad te, feſtina ad me: attende ad vocem meam [*auribus percipe vocem meam*] dum ad te clamo.

2 Dirigatur precatio mea ſuffitus coram facie tua: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

In exordio antequam principale negotium exponat, petit exaudiri preces ſuas. Fides enim ad Deum accedens, initio præſertim in magnis periculis, & cùm differtur auxilium, diſputat ſecum an exaudiatur. Eſtque non leue ſanctorum hac de re certamen, donec tandem fides nitens promiſſionibus vincat triſtes illas dubitationes, cum quibus luctabatur. Quo igitur grauius fuit certamen, eo poſtea fides ardentiùs petit ſe exaudiri. Apparet igitur & Dauidem hoc tempore illis tentationibus vehementer fuiſſe perculſum: Ideo initio vota ſua iterat, & vehementer inſtat petendo & flagitando, vt exaudiatur.

Iehoua clamaui ad te] Emphaſis eſt in pronomine. Reſpicit enim ex antitheſi ad peruerſum aliorum hominum ſtudium, qui oppreſſi aliquo periculo & calamitate, quoduis potiùs fictitium numen, quàm verum Deum inuocant. David verò rectâ ad Deum accedit.

Feſtina ad me] Id eſt, mox accede propiùs ad me, vt exaudias meas preces. Loquitur ἀνθρωποπαθῶς, hoc eſt, ex humano affectu. In magnis periculis cùm non ſtatim affulget aut conſpicitur auxilium diuinum, exiſtimant homines Deum procul abeſſe à nobis, vt apud Homerum Iupiter fingitur abiiſſe ad Deorum cõuiuia. Itaque, quia iudicatur non exaudire preces, niſi propiùs ad nos accedat, petit fides in Dauide, vt feſtinet ad ſe, id eſt, vt in tanta periculi mole celeriter accurrat.

Dirigatur] Repetit eandem propoſitionem additis dulciſſimis figuris ſeu ſimilitudinibus, in quibus alludit ad ritus legales. Erat enim ipſe quoque vnus ex legis populo. Inſtituerat autem Deus in lege, vt ſcribitur Exod 30. vt quotidie mane & veſperi fieret ſuffitus vel incenſum in altari thymiamatis. Et 29. Exo. præcipit Deus duos agnos ſibi offerri, alterum mane, alterum veſperi, cum libationibus ibi præſcriptis. Quod iuge ſacrificiũ Moſes appellat מנחה, quo vocabulo hîc vtitur propheta. Vtroque ritu iugis ſacrificij & thymiamatis admonebantur homines in lege de inuocatione, quæ quotidie mane & veſperi eſſet Deo offerenda, & quidem in agnitione & fiducia eius agni, qui futurus erat victima pro noſtris peccatis: & quia adiuncta erat promiſſio, quòd hoc ſacrificium gratum eſſet Deo, ſicut odor ſuauis, admonebantur pij, ſuas preces quoque gratas & acceptas eſſe Deo, nõ ſecus quàm ille ſuffitus ſuauiſſimi odoris, & oblatio iugis ſacrificij. Eò igitur reſpiciens propheta, inquit, dirigatur vel ſit ſtabilis & valeat oratio mea, ſitque accepta & grata, ſicut in lege promittis iuge ſacrificium tibi fore in odorem ſuauitatis. Atque ita David ritum illum à Moſe inſtitutum interpretatur, oſtendens illo ritu ſignificari preces ſanctorum, & non ita offerre ſe illa ſacrificia, quaſi in externis ritibus per ſe poneret aliquem cultum ex opere operato. Inde poſtea Iohannes 5. Apocalyp. ſecutus authoritatem Dauidis, ſuffitus illos legales eodem modo interpretatur, 24. Seniores habebant phialas aureas plenas θυμιαμάτων, quæ ſunt preces ſanctorum.

Atque hinc intelligi poteſt illud Malac. 1. Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo thymiama & oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Quod perperam Pontificij trahunt ad idololatricum ſacrificium Miſſæ. Obſeruãdum autem, quòd data opera faciens mentionem ſuffitus & oblationis, non præfigit כ literam ſimilitudinis, ſed ſimpliciter per oppoſitionem iungit preces & incenſum. Vult enim innuere nunquam illud θυμίαμα accendi in altari, nec offerri ſacrificium, quin ſuas ipſe preces cum his ritibus coniungat. Quaſi dicat, Quemadmodum in lege teſtaris illa thymiamata & ſacrificia tibi eſſe grata, ita preces meas quæ hoc externo ritu notantur & requiruntur, & quas ego commonefactus voce tua cum hoc ritu, ſtato tempore ſemper coniungo, oſtendas tibi gratas eſſe.

Eleuatio manuum] Ita nominat precationem ſuã μετωνυμικῶς à geſtu externo quem addebat. Nam oraturi attollunt manus in cælum, hoc ritu ſignificantes ſe corda ad Deum tollere, atque huic fieri ſupplices. Ita & pſal. 28. loquitur: Audi vocem precationum mearum, dum clamo ad te, dum eleuo manus meas ad oraculum ſanctum tuum. Alij eleuationem manuum volunt eſſe munus oblatum. Sed non dubium eſt eandem ſententiam bis repeti in eodem verſu.

3 Pone, Iehoua, cuſtodiam ori meo: conſeruationem ad oſtium labiorum meorum.

4 Non inclines cor meum ad rem malam, ad patrandum opera in impietate cum viris operantibus iniquitatem: & ne comedam ex deliciis eorum.

In his duobus verſibus recitatur principalis propoſitio: in qua, vt dixi, petit ſe diuinitus regi & gubernari, ne victus à propriis cupiditatibus, vel prauis exemplis atque illecebris ſceleratorum hominum inuitatus, abiiciat timorem Dei & fidem, & in ſcelera contra conſcientiam ruat. Primùm autem linguam cohiberi petit, ne per impatientiam aliquid dicat aut effutiat, quod lædat gloriam Dei, aut offendat pios, aut conſcientiam ſauciet. Eſt enim valde difficile in magnis ærumnis & calamitatibus, præſertim cùm præter meritum ab hoſtibus crudeliſſimis & ingratiſſimis lædimur, ita ſeſe cõtinere & moderari linguam, ne quod præpoſterum verbum effluat, quod impatientiam indignã homine Chriſtiano, aut prauam vindictæ cupiditatem, aut alios turbidos affectus arguat. Imò iudicauit David non tantùm id eſſe difficile, ſed prorſus impoſſibile, niſi diuinitus regamur, & ora tãquam appoſitis à Deo ſeris ſeu ianitoribus clauſa teneantur. Ideo non hoc ponit in ſua diligentia, ſed vt beneficium ſummum & neceſſarium à Deo petit. Secũdò, petit regi cor, hoc eſt, comprimi omnes iniuſtos & immoderatos affectus, & praua ac peruerſa conſilia, ne his impulſus aliquid committat contra legem Dei, præſertim in tanta peccantium multitudine, & tot illecebris, quibus hoſtes eum in ſuam ſocietatem pellicere conantur.

Non inclina] Hoc nequaquam ita accipiendum eſt, quaſi aliquorum corda Deus efficaciter inclinet aut impellat ad malum, aut ad malas cupiditates ipſe ſolicitet. Eſt enim cor hominis ſua natura prauum, & omnes cogitationes cordis intentæ ſunt ad malum omni tempore, vt dicitur Gen. 6. Et Ierem. 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile ſeu deſperatum. Inclinare igitur dicitur Deus cor ad malum, non, impertiendo malitiam: ſed non impertiendo gratiam, vt loquitur Auguſtinus de obdurat. To. 2. contra Pelagianos, hoc eſt, deſertione, non effectione, idque ex iuſtiſſima ira aduerſus peccatum. Cor autem deſertum à Deo variè impellitur, & à propriis cupiditatibus, & à diabolo. Itaque vera manet illa ſententia, Perditio tua ex te eſt Iſrael. Non inclinare autem corda ad malum dicitur, cùm corda Spiritu ſancto regit, & paulatim extinguit illas vitioſas cupiditatum flammas, & compeſcit, ne dominentur.

Cum viris] Scilicet inuitatus ipſorum exemplo & conſuetudine.

Ne comedam ex deliciis eorum] Vocabulo deliciarum multa complectitur. Primùm χρηστολογίας, deinde εὐλογίας, de quibus dicitur ad Rom. 16. Per blanditias & benedictiones decipiunt corda ſimplicium. Blanditiæ ſunt vel in moribus, vt ſimulatio humilitatis, ſeu patientiæ, quæ grata eſt hominibus. Enthuſiaſmi item, in quibus colloquia cum Deo ſimulantur, vel in ipſis dogmatibus, quæ alludunt ad iudicia & affectus eorum, quorum ſocietas quæritur. Súntque in his variæ κολακεῖαι, quas nominat χρηστολογίας, vt hoc tempore dogma antinomicũ, quod confirmat libertatem & licentiam ruendi in ſcelera. εὐλογίαι ſignificant bonas imprecationes & dulces promiſſiones: vt Monachi promittunt ſalutem animarum pro ſacrificiis Miſſæ. Aulici promittebant Dauidi non tantùm regis fauorem, ſed ſummam dignitatem, honores, potentiam, voluptates, multorum hominum beneuolentiam, ſtudia & officia, ſi ſe accommodaret ad regis voluntatem, & ad aulæ mores ſe componeret, nec moroſe ſummis viris certo ſuo cum periculo ſe opponeret. Poſtremò, *delicia* non tantùm ad ipſorum blandos ſermones & fallacias, ſed etiam ad externam illam ſpeciem impiorũ referantur. Plerunque enim fit, vt floreant in hoc mundo dignitate & potentia, & affluant opibus homines ſcelerati. His deliciis quia intelligit multorum animos capi, & à vero pietatis ſtudio alienari, petit ne cor ſuum accendatur praua aliqua æmulatione, vt horum exemplo inuitatus ipſe quoque à Deo deficiat, aut pietatis ſtudium abiiciat.

Fieri etiam poteſt, vt ad delicias conuiuiorum reſpiciat. Nã conuictu communi multi corrumpuntur.

5 Percutiat me iuſtus clementia, & caſtiget me: oleum capitis [*id eſt, pretioſum*] non deſtituat caput meum: quia adhuc & oratio mea in malis eorum.

Subiicit antitheſin. Petiuerat ſe diuinitus ſeruari, ne caperetur deliciis prauorum hominum, hoc eſt, illis illecebris, quibus diabolus & mundus ineſcare multos ſolent, & in ſuam potentiam pertrahere, ne cum impiis rueret in contemptum Dei & odium religionis. Nunc è regione optat ſe percuti & caſtigari à bonis & iuſtis, idque ſummi beneficij loco ponit: ſi remotis impiis Deus ſibi adiungat bonos & pios homines, quorum conſuetudine melior euadat, & in pietatis ſtudio confirmetur: & qui ſuis caſtigationibus veluti ferulis aſſiduè eum expergefaciant, & ſanctis monitionibus labentem reſtituant, vel errantem in viam reducant. Nam quo quiſque eſt melior & honeſtior, eo magis delectatur liberis admonitionibus & reprehenſionibus. Hæ enim, vt Baſilius in ἀσκητ. inquit, θεραπείας ἐπιθυμίαν ἐμποιοῦσι τοῖς εὐγνώμοσι. Econtra profani & impuri homines oderunt omnes liberiores admonitiones & reprehenſiones. Et ſicut canes aromatis cadauera præferunt, ac ſi quis abigere eos velit, in eum inſiliunt: ita illi magis delectantur rebus fœdis, quàm honeſtis: & qui eos reuocare conantur, manifeſto periculo ſe obiiciunt, Matthæi cap. 7.

Vtitur autem verbo emphatico propheta, cùm inquit, *Cedat me*. Significat verbum הלם aſſiduis ſeu crebris ictibus cædere & conquaſſare, vt ſuprà pſalm. 74. verſ. 6. Et Iudicum 5. Iahel conquaſſauit caput Siſeræ. Tales enim reprehenſiones vulnerant animos, aut vulneratis dolorem afferunt, ſed ſalutarem. ἡ γὰρ ἀληθὴς καὶ φιλικὴ παρρησία τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιφύεται ... ἔχουσα καὶ καθαρτικὸν τὸ λυποῦν, ὥσπερ τὸ μέλι τὰ ἡλκωμένα δάκνουσα καὶ καθαίρουσα, τ' ἄλλα δ' ὠφέλιμος ἐστι καὶ γλυκεῖα, vt Plutarchus περὶ τοῦ ἀκούειν, & in Phocione eleganter ſcribit.

חסד] Bonitate ſeu clementia, id eſt, ita vt obiurgatio proficiſcatur ex ſtudio ſanandi, & careat vitioſa affectione. Nam huiuſmodi obiurgatio, quæ vitioſa affectione caret, & in tempore à viro ſpectatæ virtutis & iuſtitiæ adhibetur, multum prodeſt. Sicut econtra non tantùm qui intempeſtiuè monet, ille nocet: ſed etiam qui oſtendit ſe non facere id ſtudio ſanandi, ſed exulcerandi potiùs, aut inſultandi, aut confundendi, aut probro afficiendi eum quem monet. Alij nomen חסד, quia cum verbo conſtruitur, exponunt aduerbialiter, clementer: alij præpoſitionem ב ſubaudiunt: alij vertunt, clementia, ſcilicet erit, id eſt, deputabo loco ſummi beneficij. Eodẽ ferè recidunt hæ ſententiæ: *Oleum pretioſum nõ deſtituat ſeu non deficiat caput meum.* Cõgruit huc illud Auguſtini, *Magis amat obiurgator ſanans, quàm adulator tãgens caput.* Perſiſtit autẽ Vates in metaphora inſtituta. Nam quia caſtigationes cõparauerat vulneribus, quæ fiũt aſſiduis ictibus, ideo de effectibus harum obiurgationum nunc loquens, comparat eas oleo capitis, id eſt, oleo præcipuo ſeu Balſamo, quod vulnera efficaciſſime & celerrimè ſanat. Etſi enim initio videntur vulnera facere, qui liberiùs monent: tamen idem ſermo qui vulnerat, etiam ſanationem affert, ſeu (vt Baſilius loquitur) θεραπείας ἐπιθυμίαν ἐμποιεῖ. Atque huc pertinet illud Theocriti, ἦν γε καί τι δάκῃς, τὸ μὲν ἀβλαβὲς εὐθὺς ἔθηκας, διπλάσιον δ' ὤνασας, ἔχων δ' ἐπίμετρον ἀπῆλθον. Id eſt, Etiamſi momorderis, tamen id fuit ſine damno, imò duplex beneficium mihi præſtitiſti, & domum redij habens menſuram adauctam.

Petit igitur propheta, ne hoc oleum præſtantiſſimum & ſaluberrimum vnquam ſuo capiti deſit, id eſt, vt nunquam hac ſalutari medicina & his optimis medicis deſtituatur. Hi enim mordendo & vulnerando ſanant: illi verò, de quibus præcedente verſu locutus eſt, blandiendo, conniuendo ad ſcelera, extenuando delicta, aut excuſando interficiunt. Hanc iudico ſimpliciſſimam eſſe huius verſus ſententiam. Verbum נוא nõ habet in Latina lingua verbum, quod ei per omnia reſpondeat. Ideo non eodem modo vbique ab interpretibus redditur. Valde autem prope accedit ad Hebræum Saxonicum *feilen*, de his quæ non perducuntur ad finem, vt cùm dicimus, *Es ſoll jnen feilen*, id eſt, non conſequetur hoc quod optat, nec efficiet quod molitur. Item, *Es feilt mir am gelde.* Apud Latinos verbum deeſſe nonnihil ei reſpondet in prima coniugatione, quanquam in ea non ſit vſitatum in ſacris literis. Inde nomen נא ſignificat crudum aliquid quod non ſatis eſt coctum, *Da es noch feilet am kochen, das es noch nicht gar iſt.* In tertia coniugatione fit actiuum הניא, & ſignificat *feilen laſſen*, vt loquuntur Saxones, deſtituere, deficere aliquem. Ita ſuprà pſal. 33. Iehoua irritum facit conſilium gentium, & deſtituit cogitationes populorum, *hat ſie feilen laſſen*, ne ſcilicet perficerent quod moliebantur. Et Num. 30. pater dicitur deſtituere votum filiæ, aut maritus vxoris, quod non comprobat ſua autoritate, aut non ſinit eſſe ratum, nec perducit ad finẽ, *leſſet ir feilen vvas ſie gelobet hat.* Atque hinc nomen eſt תנואה, quod ſignificat talem ſermonem, qui vitia ſeu defectus in alterius ſermone oſtendit, *Eine rede die da zeiget vvoran es feile.* Nos vocamus confutationem. Ita igitur & hoc in loco accipiatur verbũ אל יני, quod ſcribitur pro אל יניא, deficiente א, non deſtituat caput meum, non deficiat me, *das feile meinem heupte nicht*, vt Saxones dicũt, *oder es mangele meinem heupte nicht.*

Alij aliter interpretantur, ſicut etiam ſuprà in præcedenti membro ſubaudiunt verbũ, erit, hoc modo: Illa correptio erit mihi oleum pretioſum, quod caput meum non franget ſeu lædet, ſed potiùs ſalutarem diſciplinam adferet. Græcus reddidit, ἔλαιον δὲ ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλήν μου, id eſt, impij ſuis blanditiis ne demulceant me exitialiter. ראש caput interpretantur, peccatores, ipſum Saulem & aulicos, quorum ſumma erat potentia, intelligentes. *Oleum* verò intelligit peſtiferas adulationes & blanditias, quibus nos in exitium præcipitant improbi, vt ab his petat ſe ſeruari. Sed oleum capitis hoc loco ſignificat præcipuum & pretioſiſſimum oleum. Sicut Amos capite ſexto, ראשית שמנים eadem ſignificatione vſurpatur. Et Exodi 30. ſcribitur, capies tibi בשמים ראש, id eſt, aroma præcipuum, quod eſt præcipuum aromatum vel inter aromata.

Quia adhuc & oratio mea contra malitiam eorum] Id eſt, quia hæc ſumma ſunt mea vota, & hæc aſſidua oratio, vt Deus me ab iſtorum hominum impietate & corruptelis ſeruet integrum & illæſum. Video enim nihil magis procliue eſſe, quàm corrumpi prauis exemplis: Eo magis igitur inſto in oratione, ne ipſorum ſocietate contaminer, aut blanditiis capiar. Alij malitiam intelligunt praua ipſorum conſilia & fraudes, quas in perniciem Dauidis ſtruebant. Alij etiam malitiam de pœnis interpretantur. Ego imprecor eis pœnam quam meriti ſunt. Nonnulli argutum magis quàm verum ſenſum eliciunt. Obſtinatio illorum non impedit quominus pergam illis bene precari: vel futurum eſt breui, vt me ipſorum miſereſcat, vbi ſcilicet inciderint in calamitates, ſi tantùm integrum me ſeruem.

6 Deiecti [*præcipitati*] ſunt in manus petræ [*id eſt, in*

eſt, in loca ſaxoſa] iudices eorum : & audient ſermones meos, quia ſuaues ſunt.

Addit petitioni argumentum ab vtili. Eſt autem petitio, vt antea monui, bimembris. In priore petit ſe defendi & ſeruari, ne lædatur conſuetudine & blanditiis impiorum, ceu contagio. In poſteriore petit ne ipſorum inſidiis captus pereat: denique impios hoſtes puniri & furori ipſorũ ſtatui modum optat. Pertinet etiam hoc argumentum ad poſteriorem petitionis partẽ. Eſtque hypothetica propoſitio. Deiecti ſunt iudices, & audient, id eſt, vbi deiecti fuerint & præcipitati è rupibus iudices, audient cæteri, qui ſcilicet nunc errore & falſis delationibus capti, & illorum autoritatem ſecuti, me oderunt & perſequuntur, illi audient, inquam, meos ſermones & meam doctrinam, quòd ſuauis ſit.

Deijci de petris ſignificat ſpoliari dignitate, autoritate, dominatione, & viuere deinceps in loco humili & obſcuro : & poſthac in ſqualore, in ærumnis ac pœnis vitam tranſigere, qui antea in ſummo faſtigio erat collocatus. Sicut Ninias Nini filius apud Athenæum libro 2. dicitur regni negotia, quæ curanda erant, [illegible] hoc eſt, negligere & abiicere: *Vnter der Banck ligen laſſen*, vt nos Germani loquimur.

Iudices nominat proceres regni, quibus adminiſtratio reipub. erat commiſſa. Hi inprimis oderant & perſequebantur Dauidem, & non regis tantùm animum, ſed vulgi quoque ab eo abalienabant. Ea autem eſt vulgi natura, vt ſtolido impetu ſuo feratur, & leui momento, ac cęcis præiudiciis, nunc huc nunc illuc impellatur: inprimis verò ad potentum autoritatem ferè ſemper ſe inclinat. Nam quò ſe fortuna, eò & fauor hominum inclinat. Ita igitur tempore Dauidis promiſcuum vulgus ſequebatur autoritatem regis & procerum, à quibus, quia non tantùm contemni, ſed pro hoſte quoque haberi Dauidem intelligebant, ipſi quoque ad horum voluntates & affectus ſe accommodabant.. Etſi igitur Dauid non ceſſabat de ſua innocentia teſtari, & hoſtium tyrannidem accuſare, & populum paſſim monere, ne ſe participes illorum ſcelerum facerent, præterea etiam de tota doctrina cæleſti & veris cultibus, quos pars aduerſa deprauauerat, concionari & errores taxare: tamen nihil proficiebat, quandiu hoſtes florebant. Nã horũ potentia & autoritas obſtabat, quominus cæteri aſſentirẽtur Dauidi. Eam igitur petit imminui, aut potiùs adimi hoſtibus ſuis, vt deinceps locus eſſe doctrinæ ſanæ poſſit.

Non quidem omnino excuſat aut culpa eximit eos, qui malos duces ſequuti, hominem pium & innocentem iniuſtè perſequebantur, ſed tamen de illorum reſipiſcentia meliùs ſperat, ſi potentiores, qui hactenus illos dementarant aut faſcinarant, è dignitatis ſuæ faſtigio deiiciantur. Ideo ſubiicit, *audient ſermones meos*, id eſt, reducẽtur in viam, & poſthac maiore ſtudio audient & amplectentur doctrinã, quam ego propono. Quemadmodum autem Dauid petit, homines impios, qui ſua authoritate & potentia impediunt propagationẽ doctrinæ cæleſtis, deiici de dignitatis gradu, vt deſinant Chriſto & eius eccleſiæ aduerſari : ita nos quoque petimus hoc tempore, impios Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, & horum ſatellites, qui in aulis regum ſunt, hæreticos item & impios doctores, qui ſimulatione neſcio cuius zeli paſſim magnam autoritatem ſibi conciliant, & rude ac imperitum vulgus ſeducunt, deturbari de ſua ſede, vt vox doctrinæ cæleſtis maiore deinceps cum fructu & approbatione audiatur.

Quoniam ſuaues ſunt] Latinus reddidit, potuerũt: legit enim ἠδυνήθησαν pro ἡδύνθησαν.

7 Sicut qui proſcindit & diſſecat in terra: diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os ſepulchri.

Addit aliam rationem à calamitate, quam ex iudicum iniquitate & tyrannide perceperant boni. Ea verò, vt oratio plus habeat energiæ, explicatur per ſimilitudinem. Hoſtes, inquit, noſtri ad me & comites interimendos non vna & ſimplici morte fuerunt contenti. Sumus enim crudeliter vulnerati, diſſecti, & laniati, antequam in ſepulchrum proiiceremur. Latrones iugulati hominis cadauer integrum proiiciunt in foueam: nos verò multo crudeliùs ab his tractati ſumus. Fuerũt enim oſſa noſtra diſperſa, quemadmodũ fruſtulatim ſcinduntur ligna & lapides, vel terra effoditur. Hinc apparet quãtis periculis obiectus fuerit Dauid & comites, vt quotidie crudeliſſima mors ipſis ob oculos verſata ſit. Loquitur enim ita, quia pericula, quæ imminebant, nihil aliud denuntiabant quam crudelem huiuſmodi mortem. Sicut Paulus 2. Corint. 1. inquit: Reſponſum mortis in nobis accepimus, quia ſcilicet præciſa omni vitæ ſpe pericula imminentia nihil aliud quàm mortem ei denuntiabant.

Ad os ſepulchri] Id eſt, iuxta ſepulchrum.

8 Quia ad te Iehoua, Domine mi, oculi mei: in te ſperaui, ne exinanias animam meam.

Tertiam rationem ſumit à ſua in Deum fiducia, cui deinceps ſubiicit repetitionem propoſitionis, tanquam concluſionem. Ego, inquit, à te ſolo pendeo, ad te reſpicio, tuum auxilium aſſiduè & indeſinenter expeto, nec alium, ad quẽ confugiam, habeo. Ideo non exinanias animam meam, id eſt, non deſtituas eam vera & efficaci conſolatione & confirmatione in tantis periculis, non deſeras eam, ne orbata aut deſtituta tua gubernatione ruat in deſperationem aut deficiat à te.

9 Cuſtodi me à manibus laquei [*quem*] tetenderunt mihi: & à retibus operantium iniquitatem.

Hæc altera eſt petitionis pars, vt in argumento dictum eſt. Petit enim ſe defendi & ſeruari aduerſus hoſtiũ multiplices inſidias, dolos & fraudes, quas ipſi ſtruebant. Vtitur autem oratione figurata, metaphora ab aucupibus & venationibus ſumpta, quæ quia ſuprà aliquoties explicata eſt, nõ ſum nũc prolixior. Fatetur Dauid ſe circumdatum eſſe & concluſum hoſtium inſidiis tanquam venatorum reti ſeu plagis, vt euadere non poſſit, niſi diuinitus ſeruetur.

10 Cadent in retia eius impij: ſimul ego ſemper tranſibo.

In fine & hoſtibus interitum prædicit, & ſibi auxilium & liberationem certò pollicetur. Fides enim in inuocatione ſeria & ardenti confirmatur, vt certò ſtatuat ſe eſſe exauditam & impetraſſe quod petebat. Ideo inquit, cadent in retia eius impij. Pronomen *eius* alij ad Saulem referunt: quaſi dicat, Doeg & ſimiles cadent in retia ſeu laqueos Saulis, quos ille mihi tetendit. Alij ſingulare pro plurali poſitum eſſe volunt, eius, pro vniuſcuiuſque eorum. Ego eos ſequor, qui pronomen eius ad Deum referunt, vt ſit relatiuum poſitum abſque antecedente, quod vſitatum eſt, quoties circunſtantia orationis oſtendit de Deo ſermonem eſſe. Sicut enim antea querebatur ſibi tendi retia & laqueos ab hoſtibus ſuis: ita nũc ad fidem ſuam confirmandam opponit retia Dei hoſtiũ tendiculis. Illi quidem inſidiantur mihi, inquit, & ponunt retia: ſed Deus ſuo reti tandem eos concludet & ad pœnas trahet. Ego verò ſemper euadam illæſus ex ipſorum inſidiis. Quidã legunt, donec ego tranſeam, inuerſo verborum ordine. Sed cùm עד particula continuationem ſignificet, rectè hoc loco redditur aduerbio Semper.

Aduerbio יחד reſpicit ad magnam multitudinem hoſtium.

PSALMI CXLI.

PARTES.

I. Exordium, audientiam ſibi faciens, à natura Dei, v. 1. cui acceptam orationem ſuam eſſe cupit, v. 2. ſicuti legitimæ illæ ceremoniæ, de quibus Exod. 29. & 30. capitibus.

II. Petitio: cuius partes ſunt duæ. Precatio pro gubernatione & ſalute ſua. Hæc bimembris eſt. *Primum*, vt Deus ſermonem & animum ſupplicis componat, eáque prudentia informet, qua ſibi ab omni maleficio caueat, dum ſaluti ſuæ conſulere cupit, v. 3. & 4.

Ætiologia prior huius membri à perſona aduerſariorum. q. d. Si iuſtus me perſequeretur, & iuſta de cauſa affligeret, ferrem & orarem pro illo, v. 5. ſed iſti conſcij cum animo ſuo æquitatis meæ, & velint nolint optimè conuicti, mihi tamen inſidiantur, v. 6. adeo vt ego & qui me ſequuntur penè diſcindamur afflictionibus, v. 7.

Ætiologia poſterior huius membri, à fide ſua in Deum & promiſſiones eius, v. 8. vnde fit tranſitio ad alteram petitæ inſtitutionis partem.

Petitionis ſecunda pars, nempe vt ipſum Deus conſeruet à periculo imminenti, quod ſimilitudinibus à venatione & aucupio deſumptis, atque ad rem accommodatiſſimis depingit, v. 9.

III. Imprecatio,v.10. ſuis artibus iſti capiantur: ſubiecta precatione: Ego verò tecum, duce te, prætergrediar incolumis.

Observationes locorum doctrinae.

Verſ.1.2. In quibuſcunque tentationibus,Dauidis exemplo, ad Deum rectà querendum inuitamur, ne(prophanorum more) variis ſubſidiis accerſendis occupati à precandi ſtudio ceſſemus.

Dum idololatræ, cælum,terram,fortunam, ſuáque figmenta inclamant aut accuſant,vel Deo obſtrepũt, nec eum ſincero ſerioque cordis affectu precantur, pij fide & certa ſpe ducti vnum Deum ardenti ſtudio inuocant.

Preces fide conceptæ non ſecus Deo acceptæ ſunt, quàm ſuauiſſimi odoris ſuffitus & legitima ſub lege ſacrificia.

Ceremonia eleuationis manuum in cælum, iubet nos corda ad Deum attollere,tum vt veniam ſupplices petamus,tum vt certiſſimè ſperemus & expectemus ab eo auxilium.

3.4.5 In afflictionibus conſtitutis tria ſunt nobis à Deo petenda: vnum vt linguã noſtram frænare velit, quæ niſi virtute ſpiritus eius cohibeatur,ſæpiſſimè malorum noſtrorum acerbitatem adauget. Alterum ne prauis exemplis,aut impiorum proſperitate & illecebris victi,nos ſceleratis adiungamus. Tertium, ne nobis deſint æqui & moderati reprehenſores, qui nos in officio contineant: excuſſis & procul valere iuſſis omnibus blanditijs, ad quas ſumus nimium propẽſi,exutaq́ omni peruicacia, ne caſtigationes neceſſarias,id eſt,ſaluberrima vitijs noſtris remedia,reſpuamus.

Ea charitate præditi ſunt fideles patris cæleſtis exẽplo,vt hoſtium ſuorum,malis oppreſſorum,miſereantur, ac pro eis preces fundãt ad Deum.Vide Pſal.35.13.14.Tanta etiam eſt & tam horrenda ſuo tẽpore impiorum clades,vt pios ad commiſerationem & precationem pro iſtorum ſubleuatione prouocet.

6.7 Crudelitas ſemper vitioſa eſt, neque ſtultitia ſuperſtitioſos excuſat: tamen optandum eſt ſanum conſilium ſeductis, vt verum & æquum patienter audiant. Seductores autem,apoſtatæ & tyranni, cruento gladio indeſinenter eccleſiam affligentes, ſunt iuſto Dei iudicio relinquendi.

Nulli homines crudeliùs in hac vita vexantur quàm Chriſti membra. Sed nobis ſpes vitæ & ſalutis concipienda eſt, quanuis oſſa noſtra fracta & diſſipata videantur.

8.9.10 Ea fortitudine præditi ſunt fideles,vt alta malorum mole obruti,non deſinant tamen coniectos in Deum habere oculos. Et hoc proprium ſidei munus eſt,diſſipatos ſenſus colligere, qui ſubinde aliâs euaneſcerent.

Quia à Deo ſunt mortis exitus, quo magis liberatio differtur, eo magis ſit illuſtrior,modò fideles eius manum implorent.

Deus ſolet aſtutos in malitia quam fabricant deprehendere, violentóſque ſuis conſilijs excindere.

Dum impij ſuis conſiliis & artibus irretiti pereunt, incolumis euadit Dei eccleſia.

Articuli praecipui.

1. De grauiſſimis piorum periculis & tentationibus.
2. Inuocationis veri Dei, ad quem vnum fideles confugiunt,deſcriptio.
3. Precum piarum efficacia.
4. Eleuatio manuum in externo cultu,quid nos doceat.
5. Afflictionum fructus multiplex,piorum reſpectu.
6. De charitate filiorum Dei erga ſuos hoſtes.
7. Impiorum, pios perſequentium, miſerrima conditio.
8. De imprecationibus aduerſus deſperatos Chriſti hoſtes.
9. Dei omnipotentia aduerſus impios.
10. Impiorum interitus cum liberatione Eccleſiæ coniunctus.

ARGVMENTVM PSALMI CXLII.

TITVLVS pſalmi argumentum indicat. Dauid enim in locis montanis Engeddi vndique ab exercitu Saulis concluſus, cùm nuſquam effugium pateret, ingreſſus eſt cum ſuis comitibus in ſpeluncam,vt ibi latitaret. In hoc igitur periculo conſtitutus non prorſus deſpondit animum,nec deſperauit,multò minùs fremuit aduerſus Deũ, vt ſolent impij, quoties præſidia externa aut cauſæ ſecundæ eos deſtituunt. Sed fide intuetur promiſsiones diuinitus ſibi factas, atque harum cogitatione excitatus confugit ad Deum,à quo petit ſe ſeruari & liberari: & rationibus vtitur,quæ Deum mouere ad opem ferendam poſsint. I. Narrat enim primum anxietatem animi & conſternationem, quæ à metu periculi orta eum nonnihil perturbabat. II. Inſidias & odia hoſtium commemorat, qui non deſinant vitæ ipſius inſidiari. III. De perfidia amicorum, à quibus deſertus ſit, queritur. IIII. Recolligens ſe nonnihil de ſua in Deum fiducia teſtatur. V. Suas miſerias & afflictiones exponit,& hoſtium potentiam exaggerat. VI. A cauſa finali ſeu ab vtili argumentatur. Futurum enim dicit vt liberatus nõ ipſe tantùm celebret beneficia accepta,ſed alios quoque ſuo exẽplo excitet ad agnoſcendam Dei præſentiam in eccleſia, & ad prædicanda eius beneficia. Monet autem Dauidis exemplũ, eccleſiam in hoc mundo à crudeliſsimis hoſtibus obſeſſam plerũque ob pericula latitare in ſpelunca,in qua etſi foris in rebus humanis nihil videt opis vel auxilij diuini,fide tamen ſeſe erigit & ſalutem ſuam Deo tuendam commendat. Nec irritæ ſunt illæ ſanctorum preces,aut vota. Nam ſicut Dauid exauditur & ex maximis periculis eripitur: ita eccleſia ducem habet,qui cultores ſuos nunquam relinquit orphanos.

Eruditiuum Dauidis,cùm eſſet in ſpelunca. Oratio.

2 VOce mea ad Iehouam clamabam: voce mea ad Iehouam precabar.

3 Effundebam coram facie eius meditationem meam: afflictionem meam coram facie eius nuntiabam.

Primi duo verſus habent propoſitionem pſalmi, quam poſtea tribus vltimis verſibus repetit. Ego,inquit,in maxima neceſſitate & in ſummo periculo conſtitutus, inuocabã Dominum & auxilium eius implorabam, non dabam locum affectibus ſeu cupiditatibus,vt cùm hoſtem viderem cum exercitu ad ipſum vſque latibulum appropinquare, nec vſpiam vllius effugij locum ſupereſſe, ego vel pauore exanimarer, vel ira percitus vlciſcerer me de hoſte ad me in ſpeluncam imprudenter ingreſſo, vel etiam deſperatione impulſus me hoſtibus laniandum obiicerem. Sed eram animo compoſito, & me Deo commendabam. Ita ſuo exemplo docet à ſolo Deo opem eſſe petendam in rebus aduerſis. Hanc ſolam eſſe aram, hanc arcem, & hunc portum, ad quem confugere in ærumnis debeamus. Qui enim aliò confugiunt,ſectantur vana. Repetitio eiuſdẽ ſententiæ oſtendit & fidei ardorem, quæ ſubinde & perſeueranter ingeminat eaſdem preces, & monet vni & ſoli Deo Dauidem fuiſſe addictum.

אתחנן propriè ſignificat pro gratia precari. Nam de eo primùm fides noſtra ſolicita eſt,vt ſit in gratia apud Deum,& fides recipiens remiſſionem peccatorum prælucere in omni inuocatione debet: poſtea etiam ſuo ordine corporalia bona petenda ſunt.

Effundebam] Id eſt,prolixè & profusè exponebam illi mentem meam, & preces meas, quas inter vota conceperam. Non murmurat Dauid nec fremit aduerſus Deum in tantis periculis,nec fruſtra ſe fatigat inani metu, vel cruciat animũ anxietatibus & cæcis tormentis, vt ſolent qui Deum non habent: ſed dolores ſuos exponit coram Deo, & in eius ſinum omnes dolores deponens in ipſo ſolo acquieſcere ſe, & ſperare opem & ſalutem oſtendit. Id exemplum imitari nos quoque debemus. Sedemus hoc tempore tanquam in

ſpelunca, circundati variis hoſtibus, à quibus crudeliter oppugnamur. Ad Deum igitur reſpiciamus, & ad hunc confugiamus.

4 Cùm ſe operiret ſuper me ſpiritus meus, tu cognouiſti ſemitam meam: in via hac qua ambulabam, poſuerunt laqueum.

Hîc rurſus duo recitat argumenta, quæ & ipſum ad orandum impellebant, & coram Deo plurimùm ad impetrandam eius opem valebant. Primum ſumptum eſt ab anxietate animi, quam attulit periculi magnitudo, in qua perturbatio ei oborta eſt quæ omnem cogitationem ademit. Nam operiri ſpiritum ſuper aliquem, ita exanimari ſignificat, vt penè deficiat, vt cùm ſyncopen ſeu deliquium homo patitur, vel ex virium defectu, vel cùm in metu & anguſtia ſpiritus refugiunt ad cor, & membra deſtituunt, vel cùm animus perplexus ſe explicare non poteſt. Fatetur igitur animo ſe fuiſſe anxio: neque enim lapidea corda habent pij: ſed in hac conſternatione fide ſe erexit & confirmauit. Ideo ſubiicit:

Tu cognoſcebas ſemitam meam] id eſt, quamuis nulla ſalutis ratio extaret, & nullum effugiū conſpiceretur, tu tamen ſciebas ſemitam, qua effugerem. Hac cogitatione ſe erexit. Eſtq; hæc vox fidei quæ monet non abiiciendam eſſe ſpem, etiam cùm humana omnia nos deficiunt: quòd ſcilicet non ignoret Deus mala noſtra, & quod noſtri curā ſuſcipiat. Ita & Abraham dicit, Gen. 22. Deus prouidebit.

Alij ſemitam de integritate & vita anteacta accipiunt.

In via qua ambulaui] Delegerat Dauid illas rupes præruptas in deſerto Engeddi, quæ, vt hiſtoria inquit, ſolis ibicibus tritæ & peruiæ erant, ſperans ſe ibi tutum refugium & latibulum habiturum. Sed & eò penetrauit hoſtium vis & audacia, vt etiam in illis locis præruptis ei inſidias ponerent. Eſt igitur ſecundum argumentū partim à periculi magnitudine, partim ab hoſtium odiis crudeliſſimis & technis ductum.

5 Aſpiciendo ad dexteram & videndo, nemo fuit mihi cognitor: periit fuga à me: nullus [*erat*] requirens animam meam.

III. Argumentum petitum eſt ab amicorum perfidia, qui eum in periculis deſeruerant, τὸ δυςυχὲς γὰρ ἄφιλον. *Nulla fides vnquam miſeros delegit amicos.* Loquitur autem, vt miles ſtans in acie, qui ſubinde reſpectat ad παραστάτας, quos quādiu ſtare & fortiter ſecum pugnare videt, plus habet animi: ſi cadant aut fugiant, incipit virtus langueſieri. Ita animus hominis, ſeu caro in periculis, reſpectat ſemper ad externa præſidia, quæ ſi Deus ſubtrahat, multi animum abiiciunt & deſperant. Dauid verò quanquam initio illa deſertione amicorum nonnihil percellebatur, tamen retinet fidei conſtantiam, & hâc ipſam calamitatem mouere Deum, vt maturet opem intelligit: ideo eam in precibus ſuis allegat. Quādiu adſunt externa præſidia, & animus humanus ab his pendet, Deus ſubtrahit ſuum auxilium. Sed illis omnibus ſublatis, tum demū accurrit, vt potentia ipſius fiat conſpectior, & beneficium liberationis ipſi ſoli adſcribatur.

Perijt fuga à me] Id eſt, non video quò euadam, aut quò cōfugiam, vbi tutus ſim. Spes enim euadendi omnis erepta eſt. Eadem phraſis eſt Amos 2. Perijt fuga à veloce.

Requirens animam meam] Intelligitur in bonam partē, pro eo quod eſt, nemo erat qui ſolicitus eſſet de mea vita tuenda, nemo ſatagebat me eripere. Habebat quidē ſocios exilij: ſed hi omnes in eodem erant periculo, nec quiſquam erat, qui aliquid opis vel auxilij afferre poſſet.

6 Clamaui ad te Iehoua: dixi, tu ſpes mea: [*aſylum meum, quò protectionis cauſa confugio*] portio mea in terra viuorum.

Repetit propoſitionem, & addit argumentū à ſua in Deum fiducia. Ego, inquit, deſtitutus omni humano præſidio, clamaui ad te & dixi, tu ſpes mea, quaſi dicat, non habeo alium in quem ſperem, à quo petam & expectem opem & auxiliū, niſi te. *Spes* pro obiecto ſpei ponitur. Quanquam Hebræum nomen propriè ſignificet aſylum, quò quis in periculis tutò ſe recipit.

Portio mea] De hac phraſi dictum eſt ſuprà Pſalmo 16. Sumpta eſt metaphora à veteri conſuetudine diuidendæ hæreditatis, in qua cuilibet hæredi ſua portio tribuebatur: ſignificat igitur ſibi diuinitus quoque portionem aliquam attributam eſſe, qua fruatur in hac vita: eam verò non conſiſtere in opibus aut diuitiis, aut amicorum multitudine, ſed in Dei erga ſe amore & beneuolentia. Ab ea igitur totum ſe pendere, quandiu hanc vitam agat affirmat. regnum quidem debebatur ei ex promiſſione: ſed pluris facit Deum, quàm illa corporalia.

Terram viuentium] Nominat præſens ſeculum, in quo homines viuunt & agunt, vt ſuprà Pſal. 27. Credo me viſurum bona Domini in terra viuentium. Et Ezechias Ieſa. 39. cùm denuntiata ei eſſet mors, queritur ſe nō viſurum Dominum in terra viuentium. Et Chriſtus Ieſaiæ 53. dicitur abſciſſus de terra viuentium, cùm deſineret eſſe inter viuos, in hoc præſenti ſeculo.

7 Intende ad clamorem meum: quia exhauſtus ſum valde: libera me à perſecutoribus meis: quia inualuerunt ſuper me.

In hoc verſu iterum propoſitionem repetit: & argumenta addit partim à ſuis miſeriis, partim ab hoſtium potentia ſumpta.

Ego inquit ſum exhauſtus] Id eſt, redactus ad extrema, ſum abiectus, miſer, deſtitutus ab omnibus, & hoſtium potentia ita inualuit, vt niſi opem feras, crudeles ipſorum manus effugere non poſſim. Ergo ſuccurre mihi & fer opem.

8 Educ è carcere animam meam, vt celebrem nomen tuum: me coronabunt iuſti, quòd rependeris mihi.

In fine addit argumentum ab vtili, ſeu cauſa finali. Non petit ſe liberari, vt deinceps degens in otio fruatur voluptatibus, & indulgeat animo ſuo, ſed vt Deo gratos cultus præſtare poſſit, & vt alij cernentes præſentiam Dei, in huius ærumnis, confirmentur in vera agnitione & Deo gratias agant, & ipſum deinceps inuocent ardentiùs. Reſpicit igitur Dauid in his precibus, in quibus petit mitigationem & liberationem, non ad ſe principaliter, ſed ad gloriam Dei, quam cupit illuſtrari, vt plures ad eum agnoſcendum inuitentur.

Me coronabunt] Id eſt, circumdabunt & ſtabunt ex omni parte coronæ inſtar: quaſi dicat, ero omnibus ſpectaculo, omnéſque ad me cupidè confluent, vt tam inſigne exemplum & teſtimonium viuum tuæ præſentiæ & liberationis oculis conſpiciant.

גמל Hoc loco eſt conferre beneficium ſublatis prioribus miſeriis: ſignificat enim viciſſitudinem.

PSALMI CXLII.

PARTES.

I. Exordium, audientiam faciens, à perſona ſupplicis, & natura Dei, v. 1. 2. 3.

II. Petitio, cuius ſumma eſt, eripe ſeruum tuum è mortis periculo. Diſtinguitur hæc petitio tribus cauſis: *Prima* eſt, ab officio Dei quod ante ſeruo ſuo præſtiterat ad ſalutem ipſius, v. 4. *Secunda*, à perſona ſupplicis in extremis rerum difficultatibus erigentis ſe ad Deum fide, v. 5. 6. & 7. *Tertia*, à fine, nempe gloria Dei & Eccleſiæ ædificatione, v. 8.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de piæ & ardentis orationis præſtantia.

Verſ. 1. Tunc demum ſeriò & ardenter precari diſcunt fideles, quum in mortis diſcrimen redacti, fidei oculos aperiunt, vt Dei præſentis vultum manúmque intueantur.

Adeſt ſuis vbique Deus, vt tempore opportuno eis ferat auxilium: nec locorum anguſtia aut ſolitudo pios à bene ſperando deterret.

2 Precibus armati fideles è grauiſſimis tentationibus emergunt, nec pauore exanimantur, nec iracundia aut prauo alio affectu abrepti ad illicita media confugiunt: ſed placidis animis in Dei opem recumbunt.

Repetitio perſeuerantiam denotat, vt etiā neceſſe eſt pios aduerſus

repetitos tentationum inſultus ſtare immobiles.

3 *Dum ſuperſtitioſi anxietatibus perplexis intus miſerè exurũtur, malántq; arrodere frænum, quàm ſincerè ad verum Deum cõfugere, vel inſanis clamoribus ſeipſos fatigant: pij ſuos dolores familiariter Deo exponunt.*

4 *Vbi nullus in periculis exitus apparet, inter varias reuolutiones piorum animus alternat, & cõſilia hinc inde accerſendo multas accumulat moleſtias, quibus ſincera Dei inuocatio facere poteſt medicinam. Quamuis enim poſt tentata innumera remedia, conſilio deſtitui nos contingat, debet hoc nobis ſufficere, quòd Deus mala noſtra non ignoret, ac noſtri curam ſuſcipere dignetur. Sicut longè antea dicebat Abraham, Dominus prouidebit, Geneſ. 22.8.*

5 *Eò vſq; ſuos ſæpiſſimè Deus adducit, vt nullos inter homines reperiant amicos: nec propterea deſpondent animum, vel præterito Deo mentes circumagunt ad humana ſubſidia: ſed quoad fas eſt, quærunt an vllus ſit adiutor in terra, qui ſi appareat, haud dubiè gratia Dei miniſtrum eſſe ſentiunt. Sin minùs, patienter eum expectant qui nouit mirabilibus modis ſuos ſeruos à morte eripere.*

6 *Tunc rectè cõpoſitus clamor noſter dicendus eſt, quum Deum, vt ſpem & portionem noſtram, inuocamus.*

7 *Quo ardentiore fide Dei auxilium vrgemus, eo citiùs ad nos accedit, vt nos ex miſerijs noſtris eripiat: & quo magis impiorũ crudelis potentia creſcit, eo minùs de noſtra liberatione nos diffidere oportet.*

8 *Quoties inſigni quapiam ratione Deus quoſdam ex ſuis ſeruis ab impiorum tyrannide aſſerit, toties theatrum erigit, in quo gratia hæc omnibus ſit conſpicua, vt alijs Deum timentibus celebre ſit documentum ad fulciendam eorum fidem.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De Orationis fidelis natura & efficacia.
2. De grauiſſimis tentationibus piorum.
3. Fidei aduerſus diffidentiam luctantis deſcriptio.
4. Quis & qualis ſit Deus erga ſuos in ſummis afflictionibus conſtitutos.
5. Potentia impiorum nos ad Dei auxilium ardentius confugere iubet.
6. Liberatio piorum cum ædificatione Eccleſiæ & gloria Dei colligatur.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIII.

EIVSDEM ferè argumenti eſt hic pſalmus cum ſuperiore, vt veriſimile ſit, vel in perſecutionibus & periculis, quæ à Saule inferebantur Dauidi, vel, quod Græcus titulus monet, in ſeditione & bello Abſolomi, hunc pſalmum conſcriptum eſſe. Sicut enim ſuprà ſalutem ſuam inter grauiſſima pericula & in ſummo diſcrimine Deo tuendam commendabat: ita hîc petit ſe defendi aduerſus hoſtium ſuorum vim & iniuriam. Sed quia ſuis peccatis ſe attraxiſſe has pœnas & pericula ſciebat, ideo priùs peccata remitti, ſéque in gratiam recipi petit. Et ſuo exemplo docet in omni petitione rerũ corporalium prælucere debere fidem accipientem remiſſionem peccatorum & reconciliationem ſeu imputationem iuſtitiæ. Abſque hac enim nemo accedere ad Deum aut ſtatuere quod exaudiatur, poteſt. Hanc igitur poſtquam præmiſit, exponit deinde pericula ſua & animi dolores ſeu perturbationes, in quas propter præſentia pericula coniectus erat: commemorat etiam exempla liberationum, in quibus Deus præſentiam ſuam in eccleſia hactenus oſtenderat: atque his fides excitata petit defenſionem aduerſus hoſtes & liberationem. Sed quia non ſatis erat ex præſenti periculo eripi, & futurum videbat, niſi diuinitus gubernaretur, vt vel ærumnas non rectè ferret, vel liberatus ſubinde in peccata relaberetur, & iram Dei aduerſus ſe concitatam cumularet, ideo ſimul petit ſe deinceps gubernari Spiritu ſancto, qui cor ſuum flectat ad veram agnitionem Dei & obedientiam ipſi placentem. Hæc ſumma eſt huius pſalmi: qui ita à nobis legendus eſt, vt in quotidiana inuocatione eum intueamur, & ad vſum transferamus: hoc eſt, vt cogitemus Deum à nobis colendum eſſe petitione & expectatione ſpiritualium & corporalium bonorum: ita tamen, vt in omni petitione præluceat fides, accipiens remiſſionem peccatorum & recõciliationem ſeu imputationem iuſtitiæ. Quandiu enim mens cogitat Deum iraſci nobis, & remota ex cõſpectu promiſſione Euangelij intuetur iudicium Dei in lege patefactũ, tandiu trepidat & fugit Deum, & tantum abeſt vt petat aliquid à Deo, vt ipſi etiam iraſcatur & fremat aduerſus eum tanquam ſeuerum & iratum iudicem. Ne igitur dolor de peccatis noſtris aut ſenſus iræ Dei aduerſus peccata arceat nos à conſpectu Dei, intuenda eſt ante omnia promiſſio Euangelij, & huius fiducia petenda & accipienda eſt remiſſio peccatorum. Qua impetrata poſtea etiam reliqua bona ſuo ordine & loco petenda ſunt: quemadmodum hoc loco facere Dauidem videmus.

Pſalmus Dauidis.

1 IEhoua, audi precationem meam, auſculta ad deprecationem meam: in veritate tua exaudi me [&] in iuſtitia tua.

Orditur à propoſitione petens vt exaudiatur & liberetur. Vtitur autem duobus vocabulis quæ diligenter ſunt obſeruanda: deſcribunt enim animi affectum, cùm ad Deum accedit aliquid petiturus. Prima vox תפלה ſignificat orationem, quæ ad arbitrium Dei cauſam ſuam totam reiicit, & huius iudicio ſeu cenſuræ ſeſe ſubiicit. Verbum enim פלל iudiciale eſt, ſignificans cõpellare in ius ſeu appellare ad iudicẽ. Item iudicare ſeu arbitrum agere. Multa igitur ſignificat hac voce. I. Notat peruerſum hoſtium ſuorum iudicium, qui odio & maleuolentia accenſi perperam de ipſo iudicabant. Ab horum igitur iudicio ad Dei tribunal prouocat. II. Patientia & moderatio ſignificatur. Quanquam enim iniquiſſimis hominum iudiciis premebatur: tamen non cogitat de priuata vindicta, non inuehitur in hoſtes acerbè, nec certat maledictis: ſed totam cauſam ad Deum tãquam iuſtum iudicem reiicit. Deinde altero vocabulo ſignificat ſe ita deferre cauſam ſuam ad Deum, vt tamen hunc non velit ſecundùm rigorem iuſtitiæ ſecum agere, ſed miſericordiam gratis remittentem peccata velit præualere.

Etſi enim hoſtes ſuos non offenderat Dauid, nec cauſam vllam præbuerat tanto odio & furori, quo aduerſus eum inſurgebant, idéoque, quod ad hoſtes attinet, liberè prouocare ad Dei iudicium poterat: tamen agnoſcit ſe ſuis peccatis Deum grauiter offendiſſe, atque iram eius aduerſus ſe concitaſſe. Ideo ita ad Deum prouocat, vt ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, non ſecundùm ſua merita, velit ſecum agi. Nam vox Hebræa תחנוני ſignificat deprecationem, qua & culpam deprecamur, & in gratiam nos recipi petimus. Oſtendunt igitur hæ voces, quo animo ad Deum accedendum ſit, cùm petimus nos aduerſus hoſtium vim defendi. Ante omnia opera danda eſt, quod Petrus monet, ne patiamur ſicut ſcelerati: ſed vt liberè ad Dei iudicium prouocare poſſimus, bona conſcientia afferenda eſt in eius cõſpectum, idque ea ſubmiſſione faciendum eſt, vt quicquid ille ſtatuat de noſtra vita & fortunis, id gratum nobis ſit futurum. Non enim bonitate cauſæ ſuperbire debemus, aut in ſecuritatem prolabi: ſed ſimul agnoſcere, etiamſi bonam cauſam tueamur & ad Deum afferamus, nos tamen non vacare culpa, ſed multis peccatis nos prouocaſſe iram Dei, idéoque venia nobis opus eſſe: multa etiam ex noſtris affectibus miſcere ſæpe cauſæ per ſe non malæ, quæ Deum offendunt.

Quòd bis eandem ſententiam repetit, id ardorem & vehementiam notat. Creſcente enim periculo creſcit auxilij deſiderium, idque animum impellit, vt aſſiduè clamet. Apparet igitur periculum fuiſſe maximum, & hoſtium ſæuitiam extremam.

In veritate] Addit duo argumenta: prius ſumptum eſt à veritate Dei: alterum à iuſtitia. Veritas ſignificat fidelitatẽ ſeu conſtan-

conſtantiam in promiſſis ſeruandis. Promiſerat autem Deus defenſionem & liberationem. Hanc igitur promiſſionē intuetur,&,quia ſtatuit Deum eſſe veracem,petit ſe iuxta hanc ſeruari.

Iuſtitiam nominat eam virtutem, non quæ rectè factis ſeu meritis mercedem rependit (neque enim vllam meritorum ſuorum mentionem facit, quid potius culpam deprecatur, & veniam delictorum petit) ſed quæ ipſius fidei & patrocinio ſe comittentes recipit in tutelam & defendit. Eſt enim ſpecies iuſtitiæ μὴ ἱκέτας ἀδικεῖν. Sunt enim ἱεροὶ ἱκέται ἄγνοι. Alij iuſtitiam interpretantur, qua fide amplectentem Mediatorem iuſtum pronuntiat cōndonatis peccatis. Hæc coniuncta eſt cum illa altera iuſtitia:non enim recipit in ſuam tutelam ſeu patrocinium niſi quos priùs in gratiam & fœdus recipit,imputata eis filij ſui iuſtitia.Ideo non excluditur ab illa.

2 Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuens.

Hæc principalis eſt propoſitio in hoc Pſalmo. Affert quidem cauſam bonam ad Deum,& hoſtes ſciebat non in ſe tātùm,ſed contra Deum inſurgere. Sed interea tamen intelligebat ſe reum eſſe coram Deo & pollutum peccatis. Itaque ante omnia ſuam culpam fatetur ingenuè, & petit ſibi remitti peccata. Quòd igitur ad hoſtes & publicam cauſam attinet, libere prouocat ad iudicium Dei. Sed quod ad ſe priuatim,quando cor ſuum examinat,pertinet,ſeruat regulam ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην. Si quis enim cum Deo contendere vult iudicio,& tabulas operum ſuorum ei proponere, hunc ferre oportet iuſti iudicis iudicium.

Eſt autem hæc generalis regula, quæ in hoc verſu traditur,diligenter obſeruanda. Affert enim lumen præcipuis doctrinæ Chriſtianæ partibus.Primùm detrahit iuſtificationem omnium hominum operibus, non tantùm his quæ fiunt à nō regeneratis:ſed etiam quæ à renatis fiunt.Atque hinc Paulus ad Romanos concludit:Totum mundum carere gloria Dei, & reum eſſe coram Deo, atque æternæ morti adiudicatum. Impie igitur docent pontificij, qui affirmant hominem in hac vita poſſe ſatisfacere legi Dei,aut mereri vitam æternam ſuis operibus ſeu meritis,& his eſſe iuſtum coram Deo. Deinde monet non aliter nos eſſe iuſtos coram Deo, quam ſi ille non intret nobiſcum in iudicium, nec vocet nos ad cauſam dicendam:ſed depoſita iudicis perſona gratis peccata remittat & in gratiam recipiat. Hæc igitur eſt illa iuſtitia fidei, qua homines affirmat Paulus eſſe iuſtos coram Deo.Quoties igitur de iuſtitia hominis coram Deo diſputatur, ad hoc teſtimonium pſalmi & ſimilium reſpiciendum eſt. Non ſignificat iuſtitia,illam eſſentialem iuſtitiam Dei habitantis in nobis, quæ nos ſibi conformes paulatim reddit, nec ſignificat opera noſtra aut virtutes ſeu motus, quos in nobis efficit Spiritus ſanctus,ſed ſimpliciter ſignificat acceptationem, qua coram Deo iuſti reputamur ac cenſemur: velut cùm iudex pro tribunali quēquam tanquam innocentem, abſoluit.

Neque hic fingenda eſt aliqua media iuſtitia, vt nunc qui volunt videri ſubtiliores in Papatu,faciunt,quaſi partim noſtris operibus,partim Dei miſericordia condonantis defectū ſimus iuſti. Multò minus admittenda eſt illa Origenis corruptela,qui dicit, Sanctos cùm ſibi tribuunt peccata, repræſentare non ſuam,ſed alienam perſonam. Nam pro remiſſione peccatorum orant omnes ſancti, vt inquit Pſalmus 32. Et Chriſtus ipſe orare omnes iubet, Remitte nobis debita noſtra.Imò,quo quiſque ſanctior eſt,eo magis intelligit ſuas ſordes, & deplorat, & eo ardentiùs petit ſibi remitti & tegi ſua peccata. Sed de hac tota doctrina dicitur in libris Methodicis copioſiùs. Nec noſtri eſt inſtituti integram doctrinam hîc repetere. Satis eſt monere lectores,vt teſtimonium hoc diligenter obſeruent, quod perſpicuè refutat errores Pontificios, Oſiandricos,Pelagianos,Enthuſiaſticos, & confirmat harum eccleſiarum doctrinam, in qua cùm Paulo affirmamus, hominem gratis,abſque operibus,ſola fiducia miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ, coram Deo eſſe iuſtum,hoc eſt,acceptum ſeu reconciliatum.

3 Quia perſequutus eſt inimicus animam meā: proſtrauit in terram vitam meam: collocauit me in tenebris ſicut mortuos ſeculi.

Quemadmodum ſuprà verſu primo rationes petebat à perſona Dei,cui tribuit veritatē&iuſtitiam,ita nunc deinceps propoſitionem confirmat à magnitudine periculorum, tam externorum quàm internorum. Primò hoſtium ſuorum ſæuitiam pingit in hoc verſu,quos tanto inquit ardere odio,vt ſatiari non poſſint,niſi ſe extincto, ideóque in ſuam perniciē perpetuò vigilare & nihil non moliri. Verbum enim רדף perpetuum & indefeſſum ipſorum ſtudium, molitiones, conatus & inſidias notat. Verbū דכא animi crudelitatem in hoſtibus notat,qui prorſus decreuerant eum conterere, & in nihilum redigere,omnéſque eius res & ſpes in eas iam anguſtias coniecerant, vt eum de vita propemodum cogerent deſperare. Id enim ſignificat phraſis, Contriuit vel attritam deiecit in terram vitam meam.

Quod poſtea additur, *Locauit me in tenebris*, hoc nonnulli referunt ad hiſtoriam, de qua dictum eſt in titulo præcedentis pſalmi. Quando Saul coegit eum ingredi ſpeluncam tenebroſam, atque ibi latitare. Tunc enim mortuis & iam ſepultis penè ſimilis fuit. Alij tamen generaliter exponunt, vt,cùm dicit ſe poſitum eſſe in tenebris, tanquam putridum cadauer, intelligat actum eſſe de ſua vita, & certò ſibi pereundum eſſe, niſi Deus celeriter opem ferat. *Mortuos* enim *ſeculi* nominat, qui pridem ſunt extincti, atque è mundo ſunt ſublati. Simul etiam, ſicut præcedenti phraſi, hoſtium crudelitatem his verbis notat: qui eum iam in ſuo animo interfecerant & ſepeliuerant.

4 Et inuoluitur ſuper me ſpiritus meus:in medio mei obſtupuit cor meum.

Hic verſus ſpiritualia Dauidis certamina deſcribit. Eccleſia enim non tantùm foris oppugnatur crudeliter à mundo, atque eius principe diabolo: ſed intus ſimul ſentit pauores, in quibus conſternatæ & perterrefactæ mentes ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, luctantur cum tentatione de abiectione. Illud verò certamen longe maximum & difficillimum eſt, quod nō intelligunt, niſi qui vera habent exercitia pœnitentię & inuocationis, & qui exercentur cruce & ærumnis. Dictum eſt autem de his piorum certaminibus etiam in alijs Pſalmis. Ideo nunc non ſum prolixior. Sed exemplum Dauidis hoc loco diligenter intuendum & conſiderandum eſt, qui non ſuccumbit his doloribus, nec deſperat de gratia Dei, etiamſi ſentiat manum Dei grauem, hoc eſt, iram & iudicium eius aduerſus ſua peccata: ſed his ipſis doloribus extimulatur, vt tanto ardentiùs clamet ad Deum.

De phraſi prioris membri dictum eſt ſuprà Pſalmo præcedente. Atque ea ſi rectè intelligatur, etiam poſterior erit plana. In magna animi conſternatione & in magnis doloribus ſpiritus refugiunt ad cor tanquam ad fontem: ita cùm deſtituuntur externa membra ſpiritibus, patitur homo deliquium ſeu συγκοπὴν. Id Scriptura vocat inuolutionem ſeu opertionem ſpirituum. Cor autem accurrentibus ſubitò ſpiritibus, quia repellere ſubitò tantam vim non poteſt, comprimitur, ita, vt interdum ſuffocetur. Illa igitur compreſſio, quia impedit actiones ſeu motus cordis, affert quaſi ſtuporē ſeu deſolationem cordi, ceſſantibus nimirum omnibus eius functionibus. Hoc ſignificatur hac phraſi. Verbum שמם ſignificat vaſtari ſeu deſolari, ita vt videntes obſtupeſcāt & flatu horrorem ſuum teſtentur. Inde per metalepſin ſignificat etiam obſtupeſcere.

5 Recordatus ſum dierum ab antiquo, meditatus ſum in omnibus factis tuis: in opere manuum tuarum meditatus ſum.

Subiicit aliud argumentum à prioribus beneficiis, ſeu à philanthropia Dei, quam hactenus in defenſione ſuorum oſtenderat. Horum exemplorum recordatione affirmat, ſe ſuam fidem in hoc grauiſſimo certamine fulcire & cōfirmare, & Deum mouet hac commemoratione, vt qualem ſe patribus exhibuerat, clementem ſcilicet & bonum, talem ſe nunc quoque in his triſtiſſimis doloribus oſtendat. Similis penè ſententia eſt Pſalmo 77. verſu 4. & 6. Eſtque ſententia hæc diligenter obſeruanda. Oſtendit enim hęc quoque vnde petenda ſint vera & efficacia remedia aduerſus illas tentationes, quando animus luctatur cum deſperatione & morte æterna. Etſi enim non mox ſentitur conſolatio, imò ſæpe etiam dolor exarcebatur illa collatione, cùm memoria repetimus quàm humaniter & benignè Deus egerit cum alijs, ſicut queritur Dauid Pſal. 77. ſe interea, cùm recordaretur Dei & meditaretur, fuiſſe inquietum, & opertum fuiſſe ſpiritum: tamen tandem miteſcit acerbitas doloris, ſi fides inſtet & exempla ad promiſſiones conferat & accommodet. Sicut idem facere Dauidem Pſalmo 77. videmus.

Dies antiquos] Nominat illa tempora quibus Deus præſentiam ſuam patribus oſtenderat, vt quando Adamum recipit: Noham cum ſua familia ſeruat in diluuio: cum Abrahamo & eius poſteris ferit fœdus: Iſraelitas eductos ex Ægypto, ſingulari bonitate, & clementia fouet & alit in deſerto, &c. Hæc beneficia omnia erāt teſtimonia bonitatis Dei & φιλανθρωπίας. Ea igitur intuetur eius fides, & horum recordatione ſeſe ſuſtentat & erigit nonnihil.

Facta & opera Dei] Nominat illā ipſam aſſiduam præſentiam Dei in eccleſia, eiúſque defenſionem, ſeu beneficia

illa quæ Deus Patribus cōtulerat. Repetitur autem bis eadem ſententia verbis tantùm commutatis, vt aſſiduitas ſignificetur, & lector moneatur non ſtatim ſentiri firmam conſolationem in hac meditatione: ſed opus eſſe longa & aſſidua meditatione, nec committendum, vt illi tumultus animi, de quibus Pſalmo 77. queritur, has cogitationes nobis excutiant. Non enim niſi in magno certamine & lucta hæc conſolatio obtinetur. Cuius rei cùm ſint ignari nōnulli eccleſiarum turbatores, more Enthuſiaſtarum fingunt hanc conſolationem infundi diuinitus in vrceolum vacuum, atq; ita hominem, extractum ex doloribus mortis, fieri iuſtum & acceptum coram Deo. Hæc ſomnia à ſecuritate carnali, & ignoratione iſtius luctæ ſpiritualis orta toto pectore deteſtemur & fugiamus, & exemplo Dauidis diſcamus quomodo in his certaminibus obtineatur conſolatio.

6 Expandi manus meas ad te: anima mea, ſicut terra laſſa [*id eſt, ſiticuloſa*] tibi [*ad te,*] Selah.

Aliud eſt argumentum ſumptum ab ingenti auxilij deſiderio, quod primùm à corporis geſtu, hoc eſt, ab expanſione manuum ad Deum: deinde à ſimilitudine terræ arefactæ & appetentis rigationem, deſcribit. Atque hinc vtilitas illius meditationis conſpicitur: dicit enim ſe ea excitatum eſſe ad expetendam & implorandam opem diuinam. Expanſio manuum geſtus eſt ſupplicis, & gratiam atque opem petētis: quemadmodum filius in periculo conſtitutus, ad patrem palmas tendit, & auxilium eius implorat.

Anima ſicut terra laſſa] Scilicet anhelat ad te, petens conſolationem. Spiritus triſtis exiccat oſſa, inquit Salomon, vndecunque illa triſtitia oriatur. Sed ſi oriatur ex ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, tum verò hoc fit multò efficaciùs: Deus enim eſt ignis conſumens. Anima igitur huiuſmodi doloribus exhauritur non aliter, vt terra diurnis ſolibus, aut ſummis caloribus, quibus illa torrefacta dehiſcit, ac ſi aperto ore potum è cælo appeteret. Ita igitur, inquit, dum ſitio iuſtitiam ſeu conſolationem in meis doloribus, quibus afficior propter peccata mea atque immunditiem, ego ad te reſpicio, & fide à te peto remiſſionem, conſolationem & ſalutarem medicinam. Talis animus eſuriens & ſitiens iuſtitiam, vt Chriſtus inquit, ſaturabitur. Et de his Maria canit, Eſurientes impleuit bonis. Vt impium ſit hoc loco diſputare de vrceolis vacuis & impiis actu in delictis contra conſcientiam perſeuerantibus.

7 Feſtina exaudi [*id eſt, velociter exaudi*] me Iehoua, deficit ſpiritus meus, ne abſcondas faciem tuam à me: quia ſimilis ſum deſcendentibus in foueam.

Repetit propoſitionem, & addit rationes aliquot ſuprà vſurpatas. Ea autem repetitio amplificat pericula & animi dolores. Significat enim ſe in extremum periculum & in tantos animi dolores eſſe coniectum, vt niſi diuinitus inde retrahatur, & quidem celeriter, pereundum ſibi omnino ſit. Iam enim ſpiritus deficiunt, inquit, & ſum ſimilis moribundo: vel, vt Pſalmo 88. inquit, Anima mea ad ſepulchrum peruenit.

De phraſi *abſcondere faciem ſuam*, diximus Pſalmis 13. 27. 30. 44. & 51. Non habet faciem Deus, vt homo: ſed quia in vſu humano in facie aliquid eſſe vel comparere præſentiæ argumentum habet, Deo tribuitur facies, vt præſentia illius ſignificetur. Abſcondere igitur dicitur faciem, cùm ſubtrahit præſentiam & auxilium ſuum, cùmque non ſtatim liberat nos ex ærumnis. Tunc enim carni videtur vel prorſus abſcōdere faciem, vel ſaltem non ſereno vultu nos aſpicere.

8 Fac me audire mane clementiam tuam, quia in te confido: oſtende mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

In priore membro petitio eſt, vt retrahatur ex illis triſtiſſimis doloribus, quibus conficiebatur. Eſtque obſeruandum quod dicit, Audire me facies clementiam tuam. Conſultò enim ita loquitur, ſignificans ex verbo accipi hanc conſolationem, & quidem tunc, cùm fides illud intuetur, & ſe voce promiſſionis ſuſtentans dubitationes vincit ac repellit. Addit enim, *Quia in te ſperaui*. Non igitur infunditur illa conſolatio, in qua miſericordia Dei apprehenditur, in homines otioſos aut etiam repugnantes, tanquam in vacuos vrceolos, idque tempore & momento nobis incognito, quemadmodum nuper hac de re diſputarunt noui ætatis noſtræ Enthuſiaſtæ. Fides enim priùs intuetur verbum auditum, & hoc ſe erigit & ſuſtentat, etiā cùm cor adhuc reclamat, & diabolus multā dubitationem ac deſperationis materiam ſuggerit. Tandem vbi illa victrix in hac lucta euaſit, ſequitur ſenſus conſolationis: ſicut ex hoc loco manifeſtè apparet. Itaque non ad effecta initio ablegandi ſunt homines, vt ex his de amore Dei erga nos iudicium fiat. Eò enim ſi in vera lucta atque agone hoc acerrimo reſpicias, omnis certitudo cōſolationis peribit. Quamdiu enim animus luctatur, ſenſus iræ Dei ob peccata ſuperat ſenſum conſolationis: & ſi in illo tunc fieri iudicium debeat, hominem mergi in dubitationem, ac deſperatione tandem obrui neceſſe ſit.

Vbi verò victrix fides tenebras dubitationum & deſperationis horrores diſpulit, & iam à Spiritu ſancto promiſſio in corde eſt obſignata, poſtea etiam illa adminicula adiungantur, quæ firmam reddūt vocationem noſtram, qualis inprimis eſt ſanctificatio in nobis inchoata, quæ ſe in iuſtitia bonæ cōſcientiæ oſtendit. Ea verò vtrumque complectitur, amorem iuſtitiæ, & odium ſeu fugam peccati. Iuſtitia enim vtrumque complectitur, ἀναίρεσιν κακῶν ϗ θέσιν εὐεργετημάτων. De hac doctrina conſulantur libri methodici.

Mane] Quidam hoc reſtringunt ad ſacrificia, quæ mane offerebantur: ſed hoc eſt friuolum. Nam & veſperi offerebantur. Alij mane interpretantur nouum diem, quem Deus creaturus ſit, ſi Dauidem liberet. Alij proſperum & lætum ſtatum interpretantur, quaſi ex antitheſi reſpiciat ad noctem & tenebras. Sed ſimpliciſſimum eſt, quod alij exponunt mane pro celeriter, ſicut præcedenti verſu verbum feſtinandi: & ſuprà pſalmo 101. hoc ſenſu dicitur, Mane ſuccidam omnes impios terræ.

Oſtende mihi viam] Sicut in priore membro petit ſe in gratiam recipi, & hunc ſenſum conſolationis indi ſuo pectori, quòd ſit apud Deum in gratia: ita nunc petit ſe liberari ab illa anxietate & animi anguſtia, qua partim propter peccata ſua, partim propter pericula externa premebatur. Nam cùm petit ſibi oſtendi viam qua ambulet, ſignificat animum illis anguſtiis ſeu doloribus ita conſtrictum teneri, & quaſi attonitum hærere, vt capere conſilium aliquod ſalutare, aut rectè ſibi proſpicere nequeat. In magna enim animi conſternatione & ſubitis periculis animus ſtupet, vt rebus ſuis conſulere nequeat: aut certè ſi aliquod conſilium capiat, in deliberando erret. Suntque illi errores in conſiliis valde pernicioſi. Ergo, vt Ioſaphat inquit, 2. Paralip. 20. Cùm neſcimus quid faciendum ſit, oculos noſtros ad te leuamus: ita hîc Dauid quoque petit ſibi à Deo monſtrari *viam*, per quam ambulet, hoc eſt, ſalutaria conſilia & media oſtendi, quibus euadat ex his anguſtiis. Ipſe quidem Dauid omnia media tentabat, quibus effugere manum Saulis poſſet, ſed nunquam confidit ſuæ ſapientiæ aut induſtriæ: imò ſtatuit, humanam prudentiam ſine Deo ducere ad interitum. Ideo totum ſe à Deo pendere atque ab hoc vnico expectare conſilium & opem affirmat. Hoc enim eſt quod dicit: ad te leuo animam meam. Vide ſuprà Pſal. 25. & 86. Animum pro deſiderio accipi, ſuprà monuimus.

9 Eripe me ab inimicis meis, Iehoua: ad te occultaui.

Repetit petitionem, in qua petit defenſionem contra hoſtiles impetus & machinationes. Addit autem rationem à ſua in Deum fiducia. Ad te, inquit, occultaui, ſcilicet, me id eſt, Ego in his meis anguſtiis & periculis ad te tanquam ad ſacram anchoram confugio, & ſub vmbra alarum tuarum deliteſco, atque ibi me tutum ab inſidiis & machinationibus hoſtium fore ſpero. Videtur alludere propheta ad verbum חסה quod ſignificat protectionis cauſa ſe aliquò recipere, vt כסה hoc loco ſignificet protectionis cauſa ſe aliquò recipiendo occultare, ſicut Apocal. 6. Animæ ſanctorum abſcondunt ſe ſubter altare, id eſt, latent ſub patrocinio Chriſti, qui eſt hoſtia & propitiatio pro peccatis noſtris, atque ibi clamāt voce magna. Vſque quo Domine, qui es ſanctus & verax, non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitāt in terra? Pulchra imago eccleſiæ vtrobique proponitur, quæ diligenter conſideranda eſt. Sancti patiuntur horrendas perſecutiones, interea ſe occultant ſub altari. Alij verbum occultandi ita exponunt, Ego non vagor huc atque illuc, ſed vno Deo teſte & vindice contentus, nemini niſi huic cauſam & calamitatem meam expono, & ſeorſim atque occultè eum inuoco.

10 Doce me vt faciam voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.

Hæc tertia pars eſt petitionis. Non ſatis ei erat liberari ab ærumnis & periculis: ſed diuinitus quoque gubernari ſe petit, ne quid committat quo Deum offendat. Ceterū gubernatio illa ad totam vitam eſt extendenda. Petit enim ſe regi diuino Spiritu tam in rebus aduerſis quàm proſperis. In aduerſis quidem, ita vt patienter & magno animo ferat ærūnas ſibi

ſibi impoſitas, ne fractus impatientia aut dolore fremat aduerſus Deum, aut deficiat ab eo: ſed vt vitam & ſalutem ſuam ipſi ſoli tuendam committat, iuxta illud, Commenda Deo viam tuam & ipſe faciet. Item, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Caro fugit crucem & cupit quàm primùm liberari. In eo ſuam non Dei voluntatem ſpectat. In rebus proſperis verò multò magis opus eſt gubernatione Spiritus ſancti. Homines enim ferè rectius ferunt res aduerſas quàm proſperas. Vt dicitur, ἐν ταῖς δυσυχίαις λάμπει τὸ καλόν. Cum enim omnia ad voluntatem fluunt, homines fiunt ſecuri, arrogantes, ſuperbi: itaque facillimè extra vocationem erumpunt, & aliquid committunt quod pugnet cum voluntate diuina. Quo igitur hic maius eſt periculum, eo ardentiùs clamare cum Dauide debemus: Doce me vt faciam voluntatem tuam.

Eſt autem ordo obſeruandus. Primùm petit ſe doceri. Quo verbo reſpicit propheta ad normam diuinitus in verbo præſcriptam & traditam: hanc cupit perpetuò ſonare in auribus & animo ſuo, ita vt animus ex verbo intelligat quæ ſit Dei voluntas: ſed quia non ſatis eſt intelligere ea quæ facienda ſunt, petit etiam cor ſuum efficaciter flecti ad veram obedientiam. Ideo addit verbum faciendi: & poſtea ſubiicit, Spiritus tuus ducat me: vt oſtendat Spiritus ſancti hoc eſſe donum, vt & doctrinam rectè intelligamus, & omnes actiones noſtras in ſua quiſque vocatione ad ipſius voluntatem componamus.

Quia tu Deus meus] Addit rationem, in qua partim ad Dei promiſſionem, partem ad ſuam in Deum fiduciam reſpicit. Tu es Deus meus: qui ſcilicet mihi opem pollicitus es, & ad quem ſolum ego in his meis ærumnis reſpicio, ad quem confugio, & qui me ſolus eripere potes.

Spiritum *bonum* vocat præcipuè ab effectibus, quod bonos efficiat. Sicut Paulus eum nominat Spiritum roboris, dilectionis, iuſtificationis, 2. Timoth. 1. Quanquam Cyrillus in ſuis demonſtrationibus eruditè hinc colligit Spiritum ſanctum eſſe Deum, ὁμοούσιον patri & filio. Cum enim Chriſtus dicat Matth. 19. Nemo eſt bonus niſi Deus: & Spiritus ſanctus hoc loco bonus dicatur: inde conficitur, Spiritum ſanctum eſſe Deum.

Vt autem illuſtrior fiat pſalmi ſententia, conſideranda eſt antitheſis. Opponit enim hoc epitheton, primum prauitati nobis ingenitæ, quam ſignificat corrigi non poſſe, niſi ab hoc Spiritu, qui eſſentialiter & ex ſe bonus eſt, & eſt fons omnis bonitatis. Deinde videtur etiam hoc opponere diabolo & hominibus impiis, qui homines impellunt ad varia ſcelera & flagitia. Sicut de Saule legitur, quòd exagitauerit eum malus Spiritus, 1. Samuel. 16. cuius exempli conſideratio animum eius accendit, vt maiori diligentia peteret ſe diuino Spiritu regi, vt bona & grata Deo faceret in tota vita & vocatione ſua.

Terram rectitudinis nominat ipſam rectitudinem, quã quiſque in hoc vitæ curſu & vocatione ſua, quæ eſt quaſi ſemita in terra, quam currimus, præſtare debet. Ab hac ſemita, ſi ductũ rationis noſtræ aut mundi illecebras ſequamur, mox deflectimus, & in errorem abducimur. Ergo vt in ſemita recta maneamus, opus eſt ductore Spiritu ſancto.

11 Propter nomen tuum Iehoua viuifica me: in iuſtitia tua educas ex anguſtia animam meam.

12 Et in clementia tua diſperdes [*exterminabis*] inimicos meos, & perdes omnes affligentes animam meam: quia ego [*ſum*] ſeruus tuus.

Peroratio eſt, in qua repetit precationem, additis aliis cauſis, quarum ſuprà non meminerat, niſi quòd iuſtitiæ iterum mentionem facit. Viuificatio referenda eſt ad primum petitionis membrum, in quo petit ſe retrahi ex doloribus mortis, & erigi firmis conſolationibus, annuntiata ſibi miſericordia gratuita, vt ſupra diximus: vt ſtatuere poſſit ſe eſſe in gratia, & in hoc Dei erga ſe amore ſecurus acquieſcat. Poſtremus verſus pertinet ad liberationem ex præſentibus periculis.

Propter nomen] Nomen complectitur impulſiuas & finales cauſas. Impulſiuæ ſunt, non tantùm promiſſio, quæ Deum mouet, vt nobis quanquã indignis det bona promiſſa: ſed etiã virtutes eius, vt ſunt bonitas, clementia, miſericordia, veritas, quibus qualis ſit à nobis agnoſcitur. Viuifica me igitur, inquit, tum quia id in verbo promiſiſti, tum quia es bonus, clemens, verax, &c. vt qualem te nobis patefeciſti, talem te nunc exhibeas. Deinde finales, vt celebretur Deus, & vt maneat eccleſia, & vt ceſſent ſcandala.

De iuſtitia diximus ſuprà.

In clementia] Seueritas quam in impios exercet, eſt clementia piis.

Seruus tuus ſum] De hoc ſuprà pſalmo 116. dictum eſt. Non allegat meritum ſeu officia ſua, ſed Dei gratiam commendat, à quo accerſitus ſit in familiã Dei, & ornatus hac dignitate, vt cẽſeretur inter ſeruos Dei. Itaque ſe cliẽtem Dei profitetur, cuius patrocinio vitam ſuam committit.

PSALMI CXLIII.
PARTES.

I. Exordium, v. 1. à perſona ſupplicis, & natura Dei veracis & fidelis.

II. Deprecatio, ex aduerſo reſpondens primo verſiculo, ne reſpiciat Deus ad indignitatem perſonæ, ſed ad iuſtitiam ſuam, quæ perſonam quamlibet in æquis cauſis ſe defenſuram recipit. Perſonæ igitur & cauſæ iuſtitiam apertè diſtinguit, v. 2.

III. Expoſtulatio, ſiue narratio iniuriarum ab hoſtibus acceptarum, v. 3. calamitatis in quam deuenit ſupplicis animus, v. 4. & ſtudij ad Deum contendentis, v. 5. & 6.

IIII. Petitio, cuius duæ ſunt partes. 1. Precatio, vt Deus ſeruum ſuum exaudiat, v. 7. eúmque liberet à malo, & deinceps in obſequio ſuo informet, verſ. 8. 9. 10. Huius cauſæ duæ adduntur. Vna à perſona ſupplicis: altera à gloria Dei cum ſalute ſerui ſui coniuncta, v. 11. 2. Petitionis pars altera, v. 12. eſt imprecatio aduerſus Dauidis inimicos & affligentes eius animam, pertinens ad promiſſionem Dei, Geneſ. 11. 3. 6.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Deus ſuos iuuando, tam iuſtum quàm veracem ſe oſtẽdit: quia eorum ſpem non fruſtratur, imò ad precandi fiduciam beneficentia ſua eos allicit.

2 Vndecunque proueniant afflictiones, ſtatuendum eſt eſſe Dei flagella quibus nos ad pœnitentiam ſollicitat. Ideo ſi Deum nobis propitium eſſe cupimus, rogandus eſt vt peccatis noſtris ignoſcat.

Locus de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, quæ in gratuita peccatorum remiſſione & imputatione iuſtitiæ Chriſti conſiſtit. Si qua enim in terris eſſe poteſt fidelium iuſtitia & perfectio, quæ eos reddat acceptos coram Dei tribunali, in eo poſita eſt vt ſe iniuſtos & imperfectos eſſe agnoſcentes, veniã deprecentur, & ad perfectam Chriſti iuſtitiam confugiant, quam fide amplectuntur. Vide Rom. 3. & 4. Galat. 2. & 3. & 2. Corinth. 5.

3 Illud primùm requiritur à nobis vt Dei miſericordiam ſupplices imploremus, etiam dum iniuſtè ab iis opprimimur. Tũc demum enim exaudietur noſtra de eorum furoribus expoſtulatio, quum Deo fuerimus reconciliati.

Non modò in oppreſſionibus & morbis lethalibus fideles confidũt Deum ſibi fore medicum, ſed etiam quanuis longa obliuione ſepulta ſit vita eorum, credunt tamen in Dei manu eſſe reſurrectionem, qua cineres in vitam reſtituat.

4 Fideles non ſunt Stoici, ſaxea quadam præditi fortitudine: ſed mœrore obruti ſecundùm carnis ſenſum, ſola fide & Spiritus ſancti gratia ſubnixi, perſtant in officio. Ne animos igitur ſub afflictionũ pondere deſpondeamus: ſed Dei manum expetentes, ad eam mentis oculos gemendo attollamus.

5 Quum propè deficimus, optima leniendo dolori & firmandæ ſpei ratio ea eſt, ad antiqua Dei beneficia reſpicere, in quibus perpetuam eius erga ſuos bonitatem intueri promptum eſt. Et ne euaneſcat illa recordatio, continua meditatione iuuanda eſt.

6 Vbi ſeriò reputamus, qualẽ ſe Deus ſemper oſtenderit ſeruis ſuis, & qualem etiã ſumus nos experti, neceſſe eſt dulcedine tantæ bonitatis mentes noſtras rapi ad eum ardenti ſtudio quærendum.

7 Non vulgare fidei ſpecimẽ eſt quòd pii ſe deficere ſentientes, ſe-

pulchrôque propinqui, non tamen vacillanti animo huc & illuc reſpiciunt, ſed manent in Deo ſolo defixi, omnes ſpes alias procul ex animo remouẽtes, ipſamq́; neceſſitatem ſibi aptantes, inſtar vehiculi, quo ad Deum aſcendant.

8 Beneficia Dei percipere parum nobis prodeſſet, niſi fidei guſtu nobis ſaperent: ideo ad Dei verbum nos decet eſſe attentos, vt inde oriatur fides, quæ Deum oſtendat eſſe patrem.

Deum ſibi quodãmodo obſtringũt fideles, vt tẽpeſtiuum ferat auxilium, quia in eum ſperãt. Id autẽ ex mera eius gratia, & paterna illa per Chriſtum & in Chriſto fundata miſericordia proficiſcitur.

In periculis & tentationibus fideles hærent quaſi attoniti, vt pedẽ mouere nequeant, niſi aperto ſibi diuinitus exitu. Dei enim ſolius eſt in rebus arduis expedire conſilium, & viam ſuis aperire.

9 Pij mille mortibus expoſiti, ſub vmbra Dei, quem ſeriò inuocant, latentes, auxilium & liberationem expectant.

10 Quum curæ, metus, dolores, tædia ad quiduis tentandum ſæpe nos impellãt, frænum à Deo nobis inijci petamus, ne carnis impulſu feramur quò nos oportet, imò vi & efficacia S. Spiritus voluntatem Dei percipiẽtes ei obſequamur. Locus de gratiæ Dei efficacia in electis aduerſus errorem eorum qui liberum arbitrium ad bonum in nõ regenerato homine quærentes, & regeneratis plus quàm par eſt tribuẽtes, Scripturam à fundamentis euertunt, redemptionis myſterium conuellunt, & virtutem Spiritus S. in Dei electis ignorant.

Spiritus ille bonus Dei electos deducens per iuſtitiæ ſemitas, opponitur prauitati nobis ingenitæ, & carnis noſtræ conſiliis. Vitioſæ.n. & tortuoſæ ſunt omnes hominum cogitationes, donec ſancti Spiritus gratia directæ fuerint ad veram regulam. Vnde ſequitur nihil nobis à ſenſu carnis integrum vel ſanum dictari.

Non aliunde quàm ex gratuita adoptione & promiſſionibus hauriunt fideles impetrandi fiduciam. Neque enim in arbitrio noſtro eſt facere, vt Deus ſit Deus noſter, donec gratis nos præueniat.

11 Deus dicitur propter nomen ſuum nos iuuare, vbi nihil in nobis reperiens quod fauorem conciliet, ſola ſua bonitate inducitur.

Fidelium ſalutem Deus materiam ſibi conſtituit illuſtrandæ ſuæ iuſtitiæ, & veritatis in promiſſionibus ſeruandis.

Fideles dum viuificari petunt, fatentur ſe quodammodo eſſe exanimes vel morti addictos, niſi arcana quadam reſurrectione eos reſtituat Deus.

12 Vt plurimùm ſibi mutuò occurrunt Dei ſeueritas & miſericordia: quia ſuis ſeruandis manum porrigere volens, iræ ſuæ fulmen contra eorum hoſtes exerit.

Non propria vi aut induſtria noſtra acquiritur hæc dignitas, vt cenſeamur inter Dei ſeruos, ſed à gratuita eius electione pendet, quâ nos in ſuorum numerum & ordinem, antequam nati eſſemus, accenſere dignatur. Quum ergo ſimus Dei clientes, eius patrocinio vitam noſtram permittamus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. Orandi fiducia in Dei veritatem & benignitatem reſpicit.
2. De iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, iuſtáque hypocritarum damnatione.
3. De miſericordiæ Dei conſideratione & amplitudine.
4. Beneficiorum Dei recordatio & ſenſus, quid efficiat.
5. Spei in Deum efficacia.
6. De grauiſſimis piæ animæ exercitiis & certaminibus ſpiritualibus.
7. De gratia Dei erga electos, aduerſus iuſtitiariorum multiplices errores.
8. De Spiritus ſancti efficacia in electorum cordibus & toto vitæ curriculo.
9. Auxilium Dei vnde ad nos.
10. De viuificatione piorum.
11. Seruorum Dei priuilegium, vnde.
12. Clientelæ Dei dignitas eximia.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIIII.

QVI ſequuntur Pſalmi, omnes ſunt Euchariſtici. Sed alij alia beneficia celebrant. Tanta enim eſt varietas bonorum Dei, vt vna oratione comprehendi non poßint. In hoc verò Pſalmo Dauid gratias agit Deo, à quo hactenus in publico munere, ad quod diuinitus euectus erat, mirabiliter ſit ſeruatus & defenſus, quique conſilia & actiones omnes ita rexerit, vt fuerint felices & ſalutares ipſi, reipub. & eccleſiæ. Agnoſcit enim in tanta rerum omnium confuſione, & in tantis malorum hominum furoribus & diaboli inſidijs, non poſſe regna aut respub. feliciter adminiſtrari, niſi Deo dante conſilia, & in rebus gerendis ſucceſſus, ſicut Sapientia apud Salomonem inquit, Penes me eſt conſilium & ſucceſſus: & Daniel cap. 2. inquit, Deus dat ſapientiam. Victorias igitur & ſucceſſum in adminiſtratione regni dignis encomijs celebrat in hoc Pſalmo. Sed quia nondum defunctus erat omnibus periculis, & ſciebat ſe habere hoſtes infeſtiſsimos, non tantùm vicinas gentes, ſed domeſticos quoque homines ſeditioſos & prauos Doctores, cùm quibus ei perpetuum erat certamen & contentio, petit deinceps quoque & ſe & Rempubl. defendi & ſeruari, vt qui nunc ſit ſtatus, florens ſcilicet & felix, is poßit eſſe ſtabilis & diuturnus. Hoc Dauidis exemplo excitari debemus, vt nos quoque Deo pro pace & tranquillitate harum regionum, pro conſeruatione miniſterij publici, pro felici Reip. gubernatione, pro cæteris huius vitæ commodis, quæ hactenus nobis ſub magiſtratu noſtro benignè conceßit, gratias agamus, & vt diuturna hæc ſit felicitas petamus: idque eo maiore ſtudio & ardore facere debemus, quo maiora nobis imminere vndique pericula videmus.

Dauidis.

1 BEnedictus Iehoua rupes mea: qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.

Orditur à gratiarum actione, in qua animi ſui affectum & fidem erga Deum exprimit. Nam & beneficia accepta commemorando Deo adſcribit, & hunc talibus elogiis ornat, quibus oſtendit ſe totum ab ipſo pendere, & huic ſoli ſuam & reipub. ſalutem acceptam referre. Primùm autem defenſionem diuinam commendat vocabulo צור quod rupem ſignificat. Verſatus erat hactenus in perículoſiſſimis bellis, inter medios hoſtes, inter arma, & tela hoſtium. In his periculis agnoſcit ſe diuinitus ſeruatum eſſe, ne ab hoſtium multitudine & concurſu oppreſſus periret. Ideo nominat eum petram ſuam aut rupem, metaphora ſumpta ab his qui vt tuti ſint ab hoſtibus, ad petras confugiunt. Sicut Dauid 1. Samuel. 24. metu Saulis conceſſit ad loca tutiſſima Engeddi, vbi petræ erant abruptiſſimæ ſolis ibicibus peruiæ: & 1. Samuel. 13. populus Iſraeliticus imminentibus Philiſtinis abdit ſe in petras vt ab hoſtium irruptione eſſe tutus. Dauid igitur, quanquam ſub Saule rege quærebat tales latebras, tanquam media diu initus conceſſa: tamen agnoſcit interea ſe diuinitus ſeruatum eſſe, & poſtea, cùm ad regnum euectus bella gereret cum vicinis hoſtibus, affirmat Deum tũc quoque cum inter medios hoſtes verſaretur, fuiſſe ſibi loco petræ, vt nulla hoſtilis vis ad ſe penetrare potuerit. Extat eadem vox, ſicut & pleræque ſequentis verſus, Pſalmo 18. in quo itidem, vt in hoc, ſuas victorias celebrat. Græcus ſimpliciter interpretatur, Deus meus: fortè, quia pſalmo 18. coniunguntur אלי & צורי. Alij robur exponunt, quo firmum præſidium intelligi exiſtimo.

Qui docet manus meas] Id eſt, qui facit me præſtantem, ſtrenuum & felicem bellatorem. Non videbatur Dauid natus ad bella gerenda: Erat enim educatus ad caulas ouium, & cum fratres ad bella mitterentur, ipſe domi manſit apud greges ouium. Sed Deus mox à caulis excitatum, fecit ſummum bellatorem: eius rei rudimentum præbuit, cum monſtrum illud Palæſtinorum proſterneret. Item, cum leoni ouem eriperet. Eſt autem hoc loco obſeruandum diſcrimen inter Dauidem & alios præſtantes bellatores extra eccleſiam, quales ſunt Achilles, Alexander, Iulius, aut ſimiles. Horum quoque virtus militaris eſt peculiare Dei donum, qui tale robur creat in ipſorum cordibus, vt contemnere pericula, & fortius præliari quàm alij poſſint. Conſiliis etiam eos inſtruit, vt non tantum manu, ſed arte quoque pugnare cũ hoſte, & cætera, quæ ad bella gerenda pertinent, rectè & feliciter adminiſtrare poſſint. Itaque & Pindarus inquit: ἴα μάχλω πόλεμόν τι χωρὶς θεοῦ. Sed illa fortitudo Achillis, & ſimilium, nõ regitur luce diuina, hoc eſt, vera agnitione & inuocatione Dei, nec directa eſt ad hunc finem, vt victoriæ ſint teſtimonia

ſtimonia de Dei præſentia, & profiteat ad defenſionem veræ eccleſiæ, nec iudicat Achilles ſuam dexteram regi à vero Deo, nec eum inuocat. Sed in Dauide lucet notitia Dei, & directus eſt hic labor militiæ ipſius ad gloriam Dei, ad defenſionem populi eius, & conſeruationem eius politiæ, quæ diuinitus erat conſtituta, ad propagationem doctrinæ cæleſtis, denique non tam ad ſalutem corporum quàm animarum. Ideoque inuocat Deum, & Deus inuocatus adeſt ei, habitat in eo, iuuat pugnantem, eſt ipſius petra, arx, munitio. Itaque ingens eſt diſcrimen inter Dauidem & Achillem: etiam ſi Achillis quoque fortitudo ſit donum Dei.

2 Beneficentia mea & præſidium meum, munitio[*arx*] mea & liberator meus, & clypeus meus, ad ipſum protectionis cauſa confugio: qui ſubiicit populum meum ſub me.

Expolitio eſt ſuperioris verſus, commemorans varia beneficia Dei tam priuatiua (vt loquuntur in ſcholis) quàm poſitiua, quæ hactenus inter tot aduerſationes & bella & difficilimis ſuis temporibus ſit expertus. I. inquit, bonitas vel beneficentia mea. Non accipiendum eſt vocabulum actiuè, vt Latinis auribus ſignificat, quaſi eſſentiali Dei bonitate ſit bonus, ſicut Oſiander interpretatur illud Ieremię, Iehoua iuſtitia noſtra: ſed accipitur paſſiuè. *Beneficentia mea*, id eſt, quem ego tot modis expertus ſum beneficum, & à quo omnia bona mea proficiſcuntur, ſicut ſuprà Pſalmo 18. nominat ſe regem Dei.

Præſidium meum] De hac voce dictum eſt pſal. 18.

Arx mea] vel eleuatio mea, ſeu exaltatio mea. vox ſignificat locum propter altitudinem non facilè ſuperabilem. Cōgeries multorum vocabulorum amplificat beneficia tam poſitiua, quàm priuatiua, & ſimul oſtendunt illa, in quantis & quàm variis hactenus fuerit periculis, in quibus agnoſcit ſe diuinitus ſeruatum & defenſum eſſe. Nos etiam monet hac vocabulorum congerie, & fidem noſtram fulcit ac munit, ne multitudine malorum victi, deſperemus de præſentia & auxilio diuino. Poſtrema clauſula domeſtica beneficia & regni ſtatum celebrat. Non ſatis erat defendiſſe Dauidem ab hoſtium externorum iniuria: ſed inſuper, cùm antea eſſet exoſus multis domi, flexit animos ſubditorum ad obedientiam, cùm regnum ipſi confirmaret, & ipſum Dauidem inſtruxit prudentia, conſilio, virtutibus, artibus & authoritate, vt tantæ gubernationi feliciter præeſſe poſſet. Intelligit enim felicem reipublicæ adminiſtrationem non eſſe opus humanæ induſtriæ, ſapientiæ aut virium, ſed eſſe donum Dei. Ideo dicit, Qui ſubiicit populum meum ſub me.

Populum] Quidam in plurali interpretantur populos, ac ſi eſſet ſcriptum עמים.

Verbum רדד ſignificat expandere aptè, extendere ordine, 1. Reg. 6. Obduxit auro & expandit ſuper Cherubin. Hic metaphoricè vſurpatur, ſicut & Eſaiæ 45. extendendo aut ordine diſtribuendo in ſuas claſſes, ad obedientiam cogere & ſibi ſubiicere. Quidam expanſum populum intelligunt, quia lætus & felix in otio ſederet & difflueret opibus.

Alij dicunt proſtratū fuiſſe pedibus calcandum, quod alienum eſt ab hoc loco. Neque enim crudeliter tractauit ſuos ſubditos.

3 Iehoua, quid eſt homo, & agnoſcis eum? filius hominis, vt de eo cogites?

Addit inſigne πάθος ſeu exclamationem ab admiratione φιλανθρωπίας & beneficentiæ Dei, cuius cùm tanta ſit maieſtas, vt comprehendi à creaturis nequeat: ipſe tamen ita ſe demittit, vt hominis curam agat, quo nullum viuit animal ſub ſole miſerius, ærumnoſius aut fragilius. Primò, peccatis eſt contaminatus, quibus Deum offendit, & ordinem à Deo inſtitutum turbat & violat: reliquæ creaturæ manent in ſuo ordine, niſi quantum vanitati hominum ſunt ſubiectæ, Rom. 8. Deinde variis ærumnis, calamitatibus & doloribus in hac vita conficitur. Tertiò, vita eſt fugax & breuis, habet hoſtes crudeliſſimos, diabolum, conſcientiam, legem damnantem, tandem & morti eſt obnoxius. Hunc igitur quod curat Deus, an non ſummæ φιλανθρωπίας eſt argumentum? Diximus & ſuprà pſal. 8. de hac ſententia.

Agnoſcis] Id eſt, curas eum, foues eum, benefacis ei. Verba enim notitiæ complectuntur affectus comitantes.

Cogitas de eo] Id eſt, es ſolicitus de eo & habes eius rationem, dum eum tot beneficiis ornas.

4 Homo vanitati ſimilis eſt: dies eius quaſi vmbra præteriens.

Subiicit cauſam ſuæ admirationis, à vilitate & abiecta conditione hominis. Quo enim hominis conditio eſt miſerior & abiectior, eo benignitas Dei fit conſpectior, dum curam noſtri agit. Homo, inquit, vanitati ſimilis eſt, & euaneſcit, vt vmbra, id eſt, non tantùm nihil habet, quo glorietur, quo confidat, quo demereatur gratiam Dei: ſed eſt ipſa vanitas, cui nihil ſolidi ſubeſt, & ſi quid eſſe appareat, id eſt quaſi vmbra euaneſcens. Suprà pſalmo 39. eadem ſententia extat.

5 Iehoua, inclina cœlos tuos & deſcende: tange montes & fumigabunt.

6 Fulmina fulmen & diſſipabis eos: mitte ſagittas tuas & conturbabis eos.

7 Mitte manum tuam ab excelſo: erue me & eripe me ex aquis multis è manu filiorum alieni.

Altera pars pſalmi precatio eſt. Petit enim vt quemadmodum hactenus in variis periculis & ærumnis erat defenſus & ſeruatus: ita deinceps quoque aduerſus imminentia pericula defendatur. Talis enim eſt vita & conditio piorum, quandiu in terris agunt, vt vna calamitas poſt aliam ſit expectanda & excipienda, nec niſi cum morte deponere omnes ærumnas poſſimus. Itaque neceſſe habent pij aſſiduè orare, & gratiarum actioni miſcere preces, & vota, vt ſub Dei tutela tranſigere reliquum vitæ poſſint. Dauid non tantùm de ſe erat ſolicitus, ſed multò magis de republ. & populo, cui præerat. In huius perniciem videbat conſpiraſſe omnes gentes: & quanquam multos hactenus feliciter repreſſerat & fregerat: tamen videbat ſubinde nouos aduerſus populum Dei hoſtes inſurgere. Ideo quemadmodum ſuprà pſalmo 18. gratias Deo agit, quòd viſibilibus teſtimoniis, fulminibus ſcilicet & tonitruis, præſentiam ſuam in exercitu populi Dei oſtenderit: ita hîc vt deinceps quoque id faciat, petit. Quòd ſi hic pſalmus, vt veriſimile eſt, ante decimum octauum ſcriptus eſt, apparet ex collatione vtriuſque has preces non fuiſſe inanes.

Inclinare cœlum quid ſignificet, diximus pſalmo 18. Vbi tota deſcriptio tempeſtatis legatur. Inclinari dicitur cœlum & demitti, quando obnubilatū penè capitibus noſtris videtur incumbere. Nam nubes in aeris regione ſunt nobis adeo proximæ, vt ipſam penè terrā contingere videantur. Itaque cœlū cùm eſt obductum nubibus, videtur ſeſe inclinare & propius ad nos accedere. Inclinare igitur cœlum, eſt nubibus obducere, vt fit in tempeſtatibus & tonitruis. *Deſcendere* autē Deus dicitur, non quod loco moueatur, ſed quòd ſuā maieſtatem, potentiam, atque adeo iram ſuā aduerſus hoſtes propiore quaſi ad nos acceſſu demonſtrat. Et quidem tanto magis deſcendere videtur, quāto propiùs illæ res, per quas ſuā poteſtatem oſtendit, propiùs ad noſtros ſenſus accedunt. Quando enim cælum eſt ſerenum, nulliſque obductum nubibus, videtur impiis quā longiſſimè Deus abeſſe, nec curare res humanas. Itaque ſoluuntur tunc in luxum & libidinem. Sed quando obducit cœlum atris & denſis nubibus, videtur propius ad eos accedere, & ipſis triſti aſpectu minas incutere. Itaque metu tunc conſtringuntur impij. Deſcendere igitur dicitur Deus, nō quòd diuinitas verè in ſeſe, ſed potius formæ aſſumptæ reſpectu deſcendiſſe iudicatur: idque tunc, cùm ſuſcipit curam rerum antea neglectarum, vel oſtendit ſe non negligere ea quæ fiunt. Vt cùm dicitur in Geneſi deſcendere, vt turbaret ædificationem inſtitutam: Itē cùm Sodomitæ puniendi eſſent.

Tangere montes, vt fument, dicitur Deus, cùm ex montibus elicit fumos ſeu exhalationes & vapores, ex quibus poſtea gignuntur nubes, & meteora tam aquea quàm ignea. Et hac oratione oſtendit non temerè conturbari aerem tonitruis, nec tantum naturaliter meteora exiſtere, vt phyſici diſputant: ſed Deo educente illam materiam ex montibus & in nubes cogente.

Fulmina] Suprà pſalmo 18. inquit id factum eſſe à Deo. Itaque vel hic pſalmus prius eſt compoſitus, vel quod ſemel atque iterum factum erat, vt deinceps quoque fiat petit. *Sagittas* nominat fulmina, quæ tanquam ſagittæ ſubitò traiiciunt cælum, & obuia quæque penetrant ac diſiiciunt. Significat autem ſola virtute diuina hactenus proſtratos fuiſſe hoſtes, & vt deinceps idem fiat petit.

Mitte manum] Ἐξήγησις eſt ſuperiorū verſuum. Manum Dei nominat Dei potentiam & auxilium, quod ille tanquā manu extenta cœlitus mittit, quando huiuſmodi inuſitatis modis ſuos liberat: vt cum exercitum M. Antonini pugnantis contra Marcomannos & Quados ſeruat: & Theodoſius adiuuatur diuinitus magnis ventorum flatibus, qui hoſtibus erant contrarij. *Aquæ* in ſcriptura ſignificant pericula, calamitates, ærumnas, graues afflictiones. Iob. 22. Abundantia aquarū operuit me. Pſal. 69. Intrauerunt aquæ vſque ad animam, &c.

Filios alieni] Alienos nominat hoſtes, non tam ad originem, quàm ad ingenium & mores eorum reſpiciens. Non enim

videtur hîc de incircumciſis loqui, vel, qui alienum Deum colebant, nec erant eiuſdem ſeminis, nationis vel religionis cum Iudæis: ſed ipſos Iudæos degeneres perſtringit, qui gloriabantur ſe eſſe ciues & membra populi Dei, ſed partim doctrina, partim cultu & operibus oſtendebant ſe eſſe hypocritas, & nihil meliores Ethnicis, qui palam Deum negabant. Tales enim ſunt, qui Deũ quidem verbis confitentur, ſed factis negant, vt Paulus inquit Rom. 9. Non omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael. Cum his igitur oſtendit ſibi non minus eſſe negotij, quàm cũ externis hoſtibus. Multi enim retinebant odia aduerſus Dauidem, etiamſi ſe eius imperio ſubmittebant. Id quod ſequenti verſu declarat, in quo rationem petitionis ſubiicit.

8 Quia os eorum locutum eſt fallaciam: & dextera eorum dextera fraudis.

Id eſt, ſicut externi hoſtes vi & armis me oppugnant: ita hi domeſtici & inteſtini hoſtes, fraude, dolo, ſimulatione, perfidia me oppugnant.

Dextera falſitatis] Id eſt, fallunt fidem datam, & ſpecie amicitię imponunt mihi. Solent promiſſiones confirmari manuum conſertione. Itaque, qui non ſeruant promiſſiones, dicuntur habere dexteram falſitatis: ſicut econtra Cicero dexteram, fidem præſtantem, nominat, quæ non fallit promiſſa. Commodè igitur coniungit linguam fallacem & manum fraudulentam. Alij dexteram falſitatis intelligunt temerarios conatus, quos Dauid ſperat fore irritos: quaſi dicat, non exequentur, vel non ſuccedet quod animo conceperunt & moliuntur, quia tu conatus ipſorum facies irritos. Alij etiam reſtringunt ad ſolennẽ iuriſiurãdi ritum, in quo qui iurabãt, attollebant manum in cœlum. Vt Gene. 14. Abraham leuat manum in cælum iuraturus. Vſitata tranſlatio ex Græco legit, dextera iniquitatis.

9 Deus, canticum nouum cantabo tibi: in nablo decachordo pſallam tibi.

Petitioni ſubiicit pollicitationem gratitudinis. Si enim deinceps quoque ſeruetur, promittit ſe nouo carmine & organis muſicis beneficia diuina celebraturum eſſe.

Canticum nouum appellat rarum & ſingulare. Alij acceptis beneficiis offerebant pacifica ſacrificia: ego verò ad illa ſacrificia in lege inſtituta adiungam carmina elegantia & organa muſica, quibus tuam bonitatem celebrem & canã. Ita affirmat illas legales ceremonias ſeu oblationes tantùm eſſe pædagogiam aliquam, quæ pios de aliis cultibus longè maioribus & principalioribus commonefaciat. Nablum dicit Suidas non differre à Pſalterio. Ψαλτήριον, inquit, ὄργανον μουσικόν ἐστι, ὅπερ καὶ ναῦλα καλεῖται. ψάλλειν δὲ κυρίως τὸ τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι.

10 Qui dat ſalutem regibus: eruit Dauidem ſeruum ſuum è gladio noxio.

Indicat materiam ſeu argumentum carminis: Ego inquit, publicè prædicabo, quòd tu ſicut autor es politiarum & regnorum: ita eadem quoque ſeruas potenter & defendis aduerſus furores diabolorum & malorum hominum, qui hunc ordinem diuinitus inſtitutum conuellere conantur. Tu enim es qui reges tuis præſidiis munis, &, ſi homines ſeditioſi arma regibus inferant, tu victoriam & ſalutem das regibus, inſtruis eos ſapientia, & eorum autoritatem & potentiam confirmas, & ornas eos illuſtribus victoriis: id quod meo exemplo oſtendiſti: quem toties in tantis periculis ſeruaſti. Nam cùm multorum gladij iam mihi imminerent, tu tamen me præſenti periculo eripuiſti.

Nomine ſalutis comprehendit omnia, quæ ad felicem gubernationem pertinent, ſapientiam, virtutem, ſucceſſus felices.

Nominat autem *ſe ſeruum* Dei, quia intelligit non tantùm ſe cum cæteris Iudæis ad hoc vocatum & electum eſſe, vt Deum iuxta verbum patefactum agnoſcat & colat: ſed etiã, vt ad regni faſtigium euectus Dei in hoc populo eſſet vicarius, & voluntatem diuinam in rectè adminiſtrando hoc regno, in conſeruanda & propaganda doctrina cæleſti, in aſſuefaciẽdis ſubditis ad pietatem & obedientiam erga Deum, in procuranda ſalute hominum, exequeretur. Ideo enim reges dicuntur dij pſal. 82. quia diuinum officium gerunt, & partẽ muneris diuini ſuſtinent, & ſerui Dei, quia voluntatem Dei in rectè conſtituenda & adminiſtranda repub. in defendendis bonis, & puniendis malorum ſceleribus exequuntur, vt Cyrus Ieſaiæ 45. Ideo Ethnici quoque magiſtratum ſic definiebant, οἱ ἄρχοντες ὑπηρέται εἰσὶ θεοῦ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν. quæ definitio extat apud Plutarchum, πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον. Dauid verò hunc titulum præ cæteris omnibus dignè vſurpat, quia etſi profani reges quoque Dei ſerui ſunt: nemo tamen eſt, qui hanc vocationẽ agnoſcat, aut conſilia gubernationis eò dirigat vt Deo omnis labor ſeruiat. Dauid verò ſicut intelligit ſe peculiariter à Deo ad hoc munus vocatũ eſſe, ita etiam omnes ſuos labores & conſilia eò refert, vt Deus rectè agnoſcatur & celebretur. Ideo rectè ſibi hunc titulum tribuit.

Gladium noxium ſynecdochicôs aut metonymicôs nominat omnia pericula, quibus per tot annos fuerat defunctus, vt verè dici poſſet per varias mortes perueniſſe ad ſolium regium.

11 Erue me & eripe me de manu filiorum alieni: quorum os locutum eſt fallaciam, & dextera eorum dextera fraudis.

Repetit petitionem ſuprà verſu 7. & 8. expoſitam.

12 Quia filij noſtri ſicut plantæ, quæ creuerunt in adoleſcentia ſua: filiæ noſtræ ſicut anguli politi in ſimilitudinem palatij.

Proſequitur ſententiam verſu 10. propoſitam, in qua argumentum futuri carminis indicat. Ibi enim à capite exorſus dicit ſe celebraturum illa ſumma beneficia, quòd Deus conſtituat regna in genere humano, & muniat reſpub. neceſſariis præſidiis, ne à diabolis & prauis hominibus euertantur, huiúſque rei euidens teſtimonium in Dauide oſtenderit, quem euectum ad regni faſtigium hactenus inter mille pericula ſeruarit & texerit: nunc ſubiicit cætera beneficia, quæ ad œconomiam & ſingulas familias ſpectant. Florente enim repub. & ſaluo reipub. ſtatu, florent ſingulæ familiæ & domus, creſcunt opes & diuitiæ familiarum, éſtque ſumma pax, tranquillitas & lætitia in vrbibus. Hæc igitur beneficia innouò iſto carmine affirmat ſe celebraturum eſſe: vt verſus hic nihil aliud ſit quàm continuatio iſtius narrationis, quæ ſuprà verſu 10. inſtituta eſt. Quòd autem miſcet precationem verſu 11. id ideo facere videtur, quia intelligebat perfidorum quorundam ciuium conatus & fraudes hactenus ſibi obſtaculo eſſe, ne quod inſtituerat perficeret, aut plena eſſet & ſolida felicitas: Quaſi dicat, tantùm remoue & reprime perfidos ciues, de quibus antea conqueſtus ſum: Hi enim ſanctiſſimos meos conatus hactenus impediunt, & vbicunque poſſunt, publicam regni felicitatem turbant, cùm foris ab externo hoſte nunc pax nobis concedatur. Id igitur ſi facias, pleno ore & magna alacritate hęc beneficia celebrabimus, quòd ſaluas reges, quòd ſeruas honeſtas politias, & me inprimis facis eminere inter reges autoritate & potentia. Deinde quòd in pace ornas & auges ſingulas familias, eas ditas, vt abundent liberis, opibus, iumentis, ſint bona valetudine, nullus ſit tumultus bellicus, qui tranquillitatem turbet. Hæc eſt ſententia huius & duorum ſequentium verſuum. Alij putant eſſe votum, ac ſi Dauid precaretur pro cõmuni felicitate populi Iſraelitici, quam in lege Dominus illi, ſi vocem ſuam audiret, pollicitus fuerat, Deuteron. 28. Leuit. 26. Nonnulli etiam putant eſſe μίμησιν, qua referat impiorum voces, qui ſummam felicitatem ponunt in multitudine liberorum, opibus, diuitiis & voluptatibus, ſpreto & neglecto Deo. Mouentur enim poſtremo verſu, in quo per antitheſin impiorum & piorum hominum iudicia videntur opponi. Ego ſequor ſententiam quæ videtur eſſe planiſſima.

Quod liberi noſtri] Primo loco poſt felicem regni ſtatum ponit εὐτεκνίαν, id eſt, felicitatem in ſobole, vt pulchræ creſcant & adoleſcant, ita vt matura ætate ad fructus vtiles proferendos ſint idonei. Comparat autem maſculos plantis ſeu arboribus, quæ in adoleſcentia creuerunt: quia arbores niſi maturè grandeſcant, dum adhuc teneræ ſunt, vix vnquam acquirunt proceritatem. Deinde ſicut propter fructus arbores ſeruntur: ita liberi educantur, vt eorum opera eccleſia & reſpubl. vti poſſint.

Filiæ ſicut anguli politi] Exciſi ſeu ornati. In puellis commendat elegantiam formæ & ornatum, comparans eas angulis ædificiorum affabrè exciſis, ſeu anconibus: προθυρίδας Græci, Latini meniana ſeu pediolos nominant. Illi enim præ aliis ædificiorum partibus exornari ſolent. Quaſi dicat: reſtituta pace & florente ręgno puellas ſua elegantia & ſplendore domum ornare, quæ in bellis & ſeditionibus luctu & ſqualore ædes deformant, & omnes ædificiorum angulos eiulatibus complent.

Palatij] Scilicet rariore cultu ornati.

13 Anguli [*receſſus*] noſtri pleni producentes à ſpecie in ſpeciem: oues noſtræ mille parientes [*fœcundæ*] decem millia parientes in plateis noſtris.

Secundo loco prædicat rerum ad vitam neceſſariarum copiam & varietatem. Tertio loco fœcunditatem ouium & pecorum multitudinem.

[redacted]מזוי ſignificat angulos interiores domus, in quos reponuntur penuaria, ſicut זויות ſignificat exteriores angulos.

Producentes ſeu promentes] De verbo פוק dictum eſt ſuprà Pſalmo 140.

De genere ad genus] Id eſt, varia genera annonæ. Varietas enim in victu eſt grata pleriſque: nam vna res faſtidium parit.

In plateis noſtris] Id eſt, ita aucti ſunt greges millibus & myriadibus, vt omnes vicos compleant.

14 Boues noſtri onuſti, non ruptura [*irruptio*] neque egreſſus: neque clamor in plateis noſtris.

Quod de bobus dicit, referendum eſt ad ſuperius membrum, de pecorum multitudine. Boues onuſtos videtur vocare pingues & bene ſaginatos. Ideo Pagninus reddidit, onuſtos carne & pinguedine. Germani dicunt, *Er iſt ſchvverlaſtig*. Alij malunt robuſtos interpretari, qui idonei ſunt ad vecturam ſeu ad onus trahendum.

Non ruptura] Tertio loco commendat pacem & tranquillitatem, quam Deus liberaliter concedat, vt in otio frui ſuis opibus & deliciis poſſint.

Rupturam quidam interpretãtur de rupturis parietum ſeu ruinis ædificiorum. ſed hoc videtur eſſe exile. Ego doctiſſimos interpretes ſecutus, rupturam intelligo actiuè de hoſtium irruptione, quo quietum & tranquillum ſtatum regni turbant. Egreſſum plerique interpretantur exilium ſeu captiuitatem, quaſi dicat, nemo ex populo trahitur in captiuitatem ab externis hoſtibus. Sed alij egreſſum malunt intelligere de eruptione, quæ fit ad repellendos hoſtes. Cùm enim non ſit qui moleſtiam aut vim inferat, non eſt opus vt quiſquam egrediatur ad bellum.

Clamorem] Intelligit eiulatus mulierum & tumultus qui oriuntur in vrbibus, quoties vel clades aliqua accepta, vel ſubita aliqua hoſtium incurſio annunciatur. Vult igitur dicere, nulla inquietudine aut moleſtia turbantur vrbes noſtræ, fruuntur alta pace & otio, florent opibus, &c. quia tu Deus fauore nos proſequeris, & hoſtes noſtros procul arces, ne nobis ſint moleſti. Ita deſcriptio pacis & tranquillitatis publicæ in his verſibus proponitur. Extant & apud Ethnicos poetas, Bacchylidem & alios, commendationes pacis: ſed hi non agnoſcunt hæc eſſe dona veri Dei in hoc populo patefacti, neque autorem & datorem horum bonorum, vt debebant, celebrant. Ideo aliter hæ ſententiæ legendæ ſunt, quàm Bacchylidis & ſimilium.

15 Beatus populus cui ſic: beatus populus cuius Iehoua Deus eius.

Concludit epiphonemate, in quo prædicat populum felicem & beatum, cui hæc bona à Deo contigerint. Sed addit mox correctionem, ne quis in his rebus terrenis ſubſiſtat, & ſummam beatitudinem ponat. Non enim ſatis eſt habere numeroſam & felicem ſobolem, abundare opibus, diuitiis, otio, pace, tranquillitate publica, incolumitate corporis, quemadmodum mundus iudicat, qui vltra hæc non conſcendit, nec amplius quicquam requirit: ſed adiungendum eſt ſummum illud bonum, vt Deum habeamus propitium & benignum: hoc bonum ſi ad cætera accedat, tum verò perfecta eſt beatitudo. Imò ſi cætera omnia nos deficiant: non tamen miſer, ſed beatus eſt iudicandus, quem Deus ſuo amore & beneuolentia complectitur, quem in fœdus receptum cenſet in ſuo peculio, & hæredem facit vitæ cœleſtis. Hæc ſumma eſt huius verſus. Sunt quidem hæc bona magnifacienda, ſed adiungenda eſt alia felicitas. Non abiicit bona corporalia, nec iudicat eſſe cõtemnenda: ſcit enim illa tanquam præmia pietatis in lege eſſe promiſſa: ſicut & Paulus inquit, Pietas habet promiſſiones præſentis & futuræ vitæ: calamitates verò publicas & priuatas ſcit plerunque ſigna eſſe iræ diuinæ, & pœnas peccatorum: ſed non vult nos ita eſſe his addictos, vt ſi ea affluant abundè, nihil amplius requiramus, aut beatitudinẽ in illis collocemus. Sed vt ante omnia operam demus, vt primùm omnium Deum nobis conciliemus, & hunc nobis tãquam ſummum bonum proponamus: imò vt ex affluẽtia bonorum corporalium amorem Dei erga nos agnoſcentes, ad ipſum colendum & amandum magis inuitemur.

Cuius Deus] Id eſt, qui nouerit ſe ab eo eſſe adoptatum, & cenſeri in eius populo, amari ab eo, ei curæ eſſe.

PSALMI CXLIV.

PARTES.

I. Exordium laudatiuum, cuius partes ſunt duæ. 1. Laudatio Dei, à ſingularibus erga Dauidem & regnum ipſius beneficiis, v. 1. & 2. Deus autem agnoſcitur victoriarum dator, vt qui ſerui ſui ſit rupes, præceptor bellicus, bonorum omnium auctor, propugnaculum, locus editus, liberator, propugnator, ſcutum, receptus, inuictus patronus. Quę omnia nomina per congeriem ita proponuntur, & ad rem ipſam ſunt maximẽ accommodata. 2. Altera pars exordij eſt amplificatio à publica hominum miſeria, ad quorum habendam curam ſe demittit Deus, v. 3. & 4.

II. Petitio, cuius duo loci ſunt. 1. Imprecatio aduerſus hoſtes, v. 5. & 6. 2. Poſtulatio liberationis, v. 7. *Cauſa prior*, ab aduerſariorum improbitate, v. 8. *Altera*, à prædicatione gloriæ Dei, v. 9. cuius argumentum continet narrationem communium & ſingularium beneficiorum, ver. 10. Subiicitur v. 11. *ἀναφορὰ* petitionis qua vſus erat, v. 7. & 8. vt fiat commodior tranſitus ad tertiam petitionis cauſam. Tertia hæc cauſa, bonum eſt populi Dei, v. 12. 13. & 14.

III. Concluſio epiphonematica, qua ſtatuit Pſaltes: Si beati habentur qui benedictiones eiuſmodi poſſident, omnino beatos eſſe qui poſſident Deum benedictionum fontem, v. 15.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1 Serui Dei, in quacunq; vocatione conſtituti ſint, nihil ſibi laudis tribuunt, quantacunq; diligẽtia fungantur in opere ſibi commiſſo: ſed Iehouam vnicum agnoſcunt & benedicunt, qui vires, induſtriam, animi magnitudinem & proſperos exitus gratuita quadam immenſáque miſericordia concedit.

Quum belli artes ſint admodum periculoſæ & ancipites, eos qui alijs præſunt à Dei fortitudine & inſtitutione pendere oportet, vt victoria & felici ſucceſſu potiti, in gratiarum actiones erumpant, nec tyrannorum exemplo aut adulatorum vocibus seducti ſibiipſis ſacrificent. Vide Pſal. 33. & 147. Item Abac. 1.

2 Locus de vera animi humilitate, cui opponitur impia illa filiorum huius ſeculi ſuperbia quæ ſibi nihil nõ arrogat. Agnoſcãt igitur omnes pij, & qui inter pios maximè excellunt, à Dei bonitate manare quidquid boni poſſident: nullum in humana potẽtia vel prudẽtia eſſe tutamen, refugium aut latibulum: ſed Dei benignitatem nos incolumes & tutos aduerſus omnia præſtare: eius prouidentiam nobis eſſe inſtar clypei, quo innumera tẽtationum & periculorum in dies & horas intra & extra nos graſſantium tela excepta retundimus.

Quicquid Deus *præſtat vt ſuos conſeruet, eos ad ſperandum in ipſo ſollicitat: & noua beneficia collata nouas laudes à Dei ſeruis requirunt.*

Tot elogia hîc & alijs Pſalmis ad celebrandam Dei gratiam ac gloriam collecta, pios vndique muniunt contra Satanæ & mundi inſultus.

Repẽtinæ rerum in mundo mutationes ad Dei miſericordiã (quãdo pietas & æquitas vigent,) & ad eius ſeueritatẽ (quoties bella, tyrannides, latrocinia ingruunt,) referendæ videntur. Vide Ieſ. 45. Hîc celebratur Iehoua, quòd populos ſerui ſui ſceptrò ſubijciat. Et inde etiam colligimus felicia eſſe regna, in quibus virtute præditi principes à ſubditis vt par eſt agnoſcuntur. Væ autẽ illis populis, qui inducentes anarchiã, & facti iuſtæ dominationis coniurati hoſtes, ad tempus impiorum nebulonum nefariæ libidini ſeruiunt, vt tandem veſanæ ſuæ audaciæ meritas Deo & legitimis principibus luant pœnas.

Quoties regnum Chriſti, cui pater cæleſtis mundi gẽtes tribuit poſſidendas, aduenire & multiplicari cernimus: toties lætis animis in Dei laudes nos erumpere conuenit, & indeſinenter vota concipere, vt regnum illud aduenjat.

3. 4 Nunquam ſatis probè à nobis expenditur Dei gratia, niſi in mentem nobis veniat noſtra cõditio (hîc graphicè depicta) quia tunc verè tribuitur Deo quod ſuum eſt, vbi agnoſcimus miſeris & prorſus indignis eum benefacere. Vide Pſal. 8. & 103.

Quoties obrepit noſtri obliuio, vt nos putem⁹ eſſe aliquid, ſola vitæ noſtræ breuitas omnem arrogãtiam facilè retundit. Nam quum momento euaneſcat vita noſtra, quid reperietur in nobis firmum?

5.6.7.8. Eccleſiam miris modis hactenus cõſeruatam in poſterum eadem ratione Deus omnipotens tuebitur, & inimicos dolis & vi aperta eam oppugnantes facilè diſſipabit. Quod dum in dies exequitur, regnat caput eccleſiæ in medio inimicorum ſuorum, donec tandem in ſcabellum pedum eius diſponãtur. Igitur, quo magis ſæuiunt impij, eo magis pios de Dei omnipotentis & miſericordis auxilio promiſſo & toties experto bene ſperare oportet.

9 Vt aduerſus noua imminentia certamina nouum robur petẽdum eſt, ita parandum eſt noui cantici argumentum, quum de ſua bonitate & ope Deus nos perſuaſos eſſe velit.

10.11 Quanuis totum genus humanum Deus ſuſtentet, tamen modo peculiari curam ſuam extendit ad tuendum ordinem politicum, vnde pendet communis omnium ſalus: & neceſſe eſt reges ac principes arcano Dei præſidio tegi, vt ſocietatis humanæ vinculum firmum permaneat. Locus de magiſtratuum & regum dignitate & prærogatiua, aduerſus Anabaptiſtas.

Dauid mirabili prorſus ratione ſeruatus eſt, nempe quòd eſſet & rex populi Dei, ideo regum primogenitus, Pſal. 89.28. & typus Chriſti regis æterni. Porro, aduerſus Chriſtum eccleſiæ regem nihil poſſunt inferorum portæ: ſed Pater cæleſtis regi regnóque à ſe conſtituto ſalutem potenter tribuit. Inde tot mirabiles & ſtupendæ omnibus ſeculis eccleſiarum & piorum liberationes.

12.13.14 Beneficiorũ, quorũ pacis tempore ſub piis magiſtratibus & principibus, populi fiunt à Dei gratia participes, deſcriptio: familias priuatas primùm, deinde familias multas coniunctim reſpiciens. Expolitio eſt petitionis quotidianæ, Panem noſtrum da nobis. Nec propterea deſierunt pij ſub lege ad æternum illud Meſſiæ regnum totis animis adſpirare: ſed his vehiculis ad Deum quærendum iuuabantur. Hodie verò, noſtrum eſt pacis terrenæ commoda ita optare, vt in immenſam illam gratiam per Chriſtum oblatam mentibus defixi, fide & ſpe iam in cælis ſedeamus. Quòd ſi Dei liberalitas ſobolem, annonam locupletiſſimam, rerum omnium denique copiam cum pace tribuat, eius clementiam eo magis agnoſcamus & celebremus.

15 Beati equidem dicendi ſunt, quos tot beneficiis Deus ad ſe allicit, modò ne in ipſa fruitione cæcutiant, vel ſocordes & ſtupidi beneficentiſſimum Patrem negligant. Tenendum enim illud eſt, Beatos eſſe ſolos quos Deus in populum ſibi elegit. Deo enim neglecto vel repudiato, rerum aliarum copia poſſidentibus fit lethifera, omniáque hominibus profanis immunda redduntur.

Quanuis partem aliquam felicitatis guſtãdam nobis Deus in potu & cibo delibet: non ideo tamen miſeri ſunt fideles qui per inopiam & egeſtatem ægrè vitam trahunt: quia defectum hunc ſolatiis melioribus Deus implere nouit.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De bello.
2. De magiſtratu politico.
3. De vindicta publica.
4. De vera animi humilitate.
5. De Dei nominibus & attributis.
6. De Regum & regnorum felicitate.
7. De hominum calamitatibus & miſeriis multiplicibus.
8. De vitæ humanæ breuitate & vanitate.
9. De impiorum ſuperbia in ſpeciem inuicta, & deſperata malitia.
10. De laudum diuinarum argumento.
11. De regum & principum mirandis liberationibus.
12. De piorum votis, tum præſentis, tùm futuræ vitæ reſpectu.

ARGVMENTVM PSALMI CXLV.

ETIAM hic Pſalmus eſt Euchariſticus: quod titulus indicat. Sicut autem prior Pſalmus celebrat defenſionem regis inter tam varia pericula, & enumerat commoda, quæ ex crebris victoriis & parta pace prouenerant: ita hic Pſalmus primùm in genere celebrat omnia Dei opera, quibus admirandam ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam ac potentiam ſuam erga totum genus humanum declarat: deinde ad eccleſiam deſcendens in ſpecie commendat beneficia ſpiritualia, quæ nonniſi ad pios & electos pertinent, & quæ omnes fideles ad agnitionem & celebrationem nominis diuini, & ad perpetuam animi gratitudinem inuitare debent. Mundus enim cùm contemnat illa beneficia, vult Deus ab eccleſia hæc agnoſci & celebrari.

Laus Dauidis, id eſt, carmen ἐγκωμιαστικὸν Dauidis.

1 EXaltabo te Deus meus rex: & benedicã nomini tuo in ſeculum & vſque.

2 Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum & vſque.

Propoſitio Pſalmi eſt. Ego, inquit, aſſiduè & per omnem vitam gratias agam Deo, & celebrabo nomen eius, qui tantis bonis quotidie nos ornat & coronat. Oſtendunt autem hi verſus, qui ſint principales cultus, quos Deus à nobis requirit. Inſtituerat Deus in lege ſacrificia pacifica, & alia quæ offerri voluit à Iudæis, vt illa externa diſciplina & ritu admonerentur de his interioribus cultibus, de quibus in his verſibus loquitur. Non igitur cultus Dei conſiſtit in multitudine ſacrificiorum aut ἑκατόμβαις, ſed in agnitione & celebratione beneficiorum Dei. Hæc eſt illa λογικὴ λατρεία, quam vox diuina ab omnibus requirit, & hæc ſunt ſacrificia laudis & vituli labiorum, vt Oſeas loquitur.

Exultabo] Non tantùm narrat quid facturus ſit, ſed tam ſe quàm alios incitat & hortatur ad hoc pietatis officium, vt ſacrificia laudis Deo ſimul offerant. Exaltare Deum, eſt glorioſè & magnificè prædicare eius amorem & beneficia: alioqui enim Deus in ſe non exaltatur: ſed exaltari dicitur, cùm à nobis talis agnoſcitur, cuius potentia & magnitudo ſuper omnium creaturarum potentiam exaltata eſt. Eſtque antitheſis hoc loco conſideranda, cùm inquit, Exaltabo te. Abiicit enim ſeipſum, & ſuam prudentiam, ſapientiam & potentiam, atque è regione ſolius Dei virtutes extollit.

Regem ſuum nominat Deum, agnoſcens ſe regnum ſuum ab hoc accepiſſe, ſéque tanquam vaſallum eſſe huius ſummi regis: & ſuo exemplo monet, vt cæteri quoque Monarchæ cogitent imperia diuinitus dari, non rapi aut comparari humana prudentia, ſapientia aut induſtria: & dari ad hunc finem, vt huic ſummo regi ſeruiant & obſequantur. de hac re diximus Pſal. 68. 74. 84. 93.

Benedicam] Celebrabo & dignis laudibus efferam. *Nomen Dei* ſignificat Deũ agnitum in operibus & beneficiis: qualem enim ſe exhibet, talis agnoſcitur & prædicatur à piis: & hoc Scriptura vocat nomen eius. In aliis operibus elucet potentia, in aliis miſericordia, &c. Hæc verò celebrare ſignificat nomen eius prædicare.

In ſeculum] Id eſt, perpetuò & indeſinenter. Tota vita noſtra debet occupari hoc ſtudio, vt beneficia Dei agnoſcamus & celebremus. Non enim ſatis eſt ſemel atque iterum perfunctoriè commemoraſſe Dei beneficia, ſed animus ſemper intueri illa beneficia, & grata voce celebrare debet.

Quotidie] Etiam hæc particula aſſiduitatem notat, vt ſuprà Pſalm. 34. Benedicam Domino omni tempore. Repetitio autem illa vehementem & ardentem animi affectum ſignificat, & deſiderium, quo ad laudandum Deum toto corde propendeat, exprimit.

Et vſque] Id eſt, etiamſi vitam meam producerem vltra humanæ vitæ curriculum. Item, celebrabo te non tantùm in hac vita, ſed in altera quoque.

3 Magnus Iehoua & laudabilis valde: & magnitudinis eius non [*eſt*] inueſtigatio.

Prima ratio propoſitionis ſumpta eſt ab immenſa eius maieſtate & gloria, quæ paſſim in eius operibus conſpicitur. Magnum & inenarrabile opus Dei eſt rerum creatio ex nihilo. Deinde aſſidua conſeruatio rerum creatarum & gubernatio. Poſtea, ſi ad ſpiritualia beneficia deſcendamus, hæc lõgè maiora ſunt: quòd Deus diſpenſat de lege ſua, quæ eſt æterna & immota ſapientia in mente diuina: quòd deprecante filio pro genere humano recipit id in gratiã: quòd mittit filium ſuum, vt aſſumpta humana natura fiat victima, & reſtituat nobis iuſtitiam & ſalutem: quòd ſanctificat Spiritu ſancto credentes, & habitat in eis, & paulatim ad vitam cæleſtem eos regenerat. Hæc beneficia tanta ſunt, vt humano ſenſu comprehendi non poſſint. Ideo dicit, magnitudinem eius, quæ ſcilicet in operibus eius elucet, eſſe imperueſtigabilem, & hominem de ea cogitantem quaſi in ἔκστασιν rapere: ideóque dignum eſſe Deum qui perpetuò celebretur.

4 Gene-

4 Generatio generationi [*quaſi per manus tradens*] laudabit opera tua: & potentiam tuam narrabunt.

Quod de ſe initio dixerat, id vult omnes fideles omnibus ætatibus præſtare: vultque ſuo exemplo alios omnes ad ſimilem gratitudinem excitari. Monet autem ad hunc finem conditos eſſe homines, vt aſſiduè Dei laudes canant. Subeſt etiam tacita antitheſis inter æternum Dei nomen, & famæ immortalitatem, quam ſibi magni viri rebus præclarè geſtis acquirere videntur. Etſi enim hiſtoriis celebrantur humanæ virtutes: Dei tamen lõgè eſt diuerſa ratio, qui memoriam operum ſuorum quotidie renouat, imò præſenti fructu eam fouet, vigereque facit in animis noſtris, ne vnquam intercidat.

Potentias tuas] Id eſt, opera & egregia facinora, quibus potentiam tuam oſtendis.

5 Decorem gloriæ excellentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum meditabor.

Repetit ſubinde eandem propoſitionem, vt oſtẽdat in animo ſuo accenſam eſſe ſeriam cogitationem de beneficiis diuinis, & ardere pectus ſuum ſtudio celebrandi nominis diuini. De ſplendore & gloria dictum ſuprà Pſal. 96. & 104. Verba mirabilia ſunt res ſeu opera mirabilia, in quibus admirandam ſuam potentiam & ſapientiam ſuperantem omnium hominum captum & vires Deus oſtendit.

6 Et fortitudinem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabo illam [*abundat relatiuum.*]

Fortitudinem terribilium] Nominat opera miraculoſa, in quibus immenſa Dei potentia & fortitudo deprehenditur: quanquam nonnulli etiam de pœnis ſcelerum intelligi volunt. Horum, inquit, operum perpetui erunt in genere humano præcones. Nunquam enim conticeſcet laus tua in genere humano, nunquam obruentur obliuione beneficia tua, etiamſi magna hominum pars ea contemnat aut negligat.

7 Memoriam magnitudinis bonitatis tuæ eloquentur: & iuſtitiam tuam cantabunt.

Altera ratio propoſitionis ſumpta eſt à bonitate Dei. Et ſunt hæc præcipua argumenta, quibus propoſitionem cõfirmat. Aſpergit autem & argumentum de iuſtitia & veritate, ſed breuiter.

נבע Propriè ſcaturire ſignificat: cùm ad ſermonem per metaphoram transfertur, emphaſis ſubeſt: ſignificat enim non ſimpliciter loqui: ſed plenis buccis effari, ſicut copioſa aqua ex fonte profluit. Deinde aſſiduitas etiam ſignificatur. Fons enim perpetuò & ſine intermiſſione ſcaturit. Addit & verbum clamandi, vt ſignificet ſe non frigidum aut ſegnem fore beneficiorum Dei præconem.

Memoriam bonitatis eloquentur] Id eſt, aſſiduè recolent memoriam beneficiorum tuorum & celebrabunt, non patientur ea effluere ex animo ſuo, non ſepelient obliuione: ſed aſſidua commemoratione renouabunt horum memoriam. *Iuſtitiam* ſæpe diximus intelligi de illa æquitate vel bonitate, qua Deus vtitur erga ſuos, dum receptos in gratiam ſeu adoptatos, & donatos iuſtitia Chriſti, poſtea patrocinio ſuo, tanquam ſupplices, defendit, tuetur, fouet, & omnia neceſſaria ad hanc vitam adminiſtrat: tandem etiam eductos ex variis periculis & ex hoc triſtiſſimo carcere liberatos introducit in poſſeſſionem regni cæleſtis. Hæc omnia complectitur vox iuſtitiæ: atque hæc, inquit, beneficia tua celebrabuntur grata voce omnibus ætatibus.

8 Propitius & miſericors Iehoua: tardus ad iram, & magnus clementia.

De hoc verſu, qui ἐξηγητικῶς additur ſuperioribus, dictum eſt ſuprà Pſalmo 86. Eſtque ſumptus ex celebri illo loco Moſis, Exod. 34. in quo tanquam in catalogo Dei nomina recenſens, his veluti attributis vtcunque adumbrat naturam & gloriam Dei. Tribuit autem Dauid hæc elogia Deo, non quòd in ſe tantùm talis ſit: ſed quòd talem ſe omnibus hominibus, atque inprimis eccleſiæ ſuæ, exhibeat.

חנון ſignificat benignum, qui promptus ſit ad remittenda peccata, ad auxilium ferendum, & ad benefaciendum gratuitò. רחום dicitur, quòd malis noſtris afficiatur & compatiatur: & quanquam ſuos propter peccata caſtigat, tamen iram temperat miſericordia, eúmque largitur euentum, vt maior bonitas in liberatione, quàm in caſtigatione ſeueritas aut ira conſpiciatur.

ארך אפים longanimis, qui non ſtatim iraſcitur, cùm eſt offenſus aut læſus, aut etiam cùm iuſtiſſimas habet iræ cauſas, nec facere aliter poteſt quin iraſcatur: tamen non tantum iraſcitur, quantum debebat, aut iuſtitia eius immota requirebat, ſed pro ſua indulgentia & bonitate multa infirmitati noſtræ ignoſcit & condonat.

Magnus clementia] Id eſt, cuius bonitas maior eſt quàm vt iraſci perpetuò peccatis noſtris poſſit: & quanquam peccata noſtra multa & magna ſunt, tamen gratia exuberat ſupra peccatum.

9 Bonus Iehoua omnibus: & miſericordia eius ſuper omnia opera eius.

Repetit eandem ſententiam amplificatam à circunſtantia ſeu modo. Etſi enim Deus bonus eſt & miſericors: tamen mens humana cogitat eum dignis tantum talem ſe exhibere. Atque hæc Legis eſt ſententia. Sed Euangelium oſtendit Deum paterna indulgentia clementer ignoſcere delictis & ſine perſonarum reſpectu beneficum eſſe erga omnes. Hæc ſapientia in Euangelio reuelata eſt. Eſtque maxima conſolatio in his verbis propoſita: de qua cogitantes, fide nos includamus in hanc vniuerſalem promiſſionem, eámque opponamus tentationibus de indignitate & particularitate. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, & omnes credentes accipiunt remiſſionem peccatorum. Qui verò non credunt, ſuper eos manet ira Dei. Hæc ſententia firma ſtat & immota: itaque nullis tentationum machinis eam excuti nobis patiamur. Eſt quidem Deus bonus etiam erga impios & malos, ſuper quos non minus ſinit oriri Solem, quàm ſuper bonos, & afficit eos multis beneficiis. Sed hæc bonitas tantùm in rebus corporalibus & ad hanc vitam pertinentibus conſpicitur. Illa verò bonitas, quæ gratis remittit peccata, & recipit homines in gratiam, credentibus tantum contingit: ita tamen vt promiſſio omnibus gratiam offerat, & neminem arceat à gratia, niſi qui ſeipſum ſua incredulitate excludit.

Miſericordia ſuper omnia opera eius] Id eſt, omnia opera Dei oſtendunt eum eſſe miſericordẽ. Nam cùm totus hic mundus peccatis hominum ſit inquinatus & contaminatus, poſſet Deus, ſi ſecundùm rigorem iuſtitiæ ſuæ agere vellet, non homines tantùm, ſed creaturas omnes abolere. Sed tanta eſt eius bonitas & miſericordia, vt quoquo oculos conuertas, teſtimonia huius bonitatis deprehẽdas: eámque ob cauſam dignus ipſe ſit qui perpetuò à bonis celebretur.

10 Celebrabunt te Iehoua omnia opera tua: & manſueti tui benedicent tibi.

Concluſio eſt, in qua repetitur gratiarum actio. Sicut autem initio Pſalmi de ſe dixerat, perpetuò ſe celebraturum beneficia diuina: ita nunc, vt quarto verſu, illam ſententiam extendit & amplificat, affirmans fore, vt cæteri quoque pij in populo Dei hæc beneficia agnoſcant & celebrent: & quanquam multi homines ſint profani & impij, qui Deum non agnoſcant aut colant, opera tamen eius ita eſſe eximia atque illuſtria, vt autorem commendent & celebrent: adeóque lapides & mutas creaturas ſonare Dei laudes, ſi homines taceant.

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.

Id eſt, etiamſi maxima hominum multitudo non agnoſcat Dei potentiam, & petulanter excutere conetur eius imperiũ: pij tamen intelligunt, Dei regnum inter homines eſſe glorioſum & potens, & totam rerum creaturam ab ipſius potentia & nutu pendere. Itaque ſponte ſe ſubmittent eius imperio. Hoc primum eſt, de quo hic verſus monet: deinde potentiam eius & gloriam paſſim ſilentibus cæteris celebrabunt. Potentiam autem intelligamus non tantùm quæ in creatione & conſeruatione conſpicitur, ſed maximè quæ in ſaluatione eccleſiæ ſe oſtendit. Hæc enim præcipuè facit regnum eius glorioſum, quòd videlicet deſtructa morte & tyrannide diaboli reſtituit nobis vitam & ſalutem.

12 Vt notas faciant filiis hominum potentias eius: & gloriam decoris regni eius.

Addit rationem à cauſa finali. Vult Deus innoteſcere omnibus hominibus ſuam gloriam, primùm eam quam in creatione & conſeruatione rerum omnium oſtendit. Deinde alteram illam, quæ eſt regni Chriſti propria, quòd Chriſtus deſtructa morte & inferis euaſit victor peccati, mortis, & diaboli & inferorum, & credentibus reſtituit vitam & ſalutem. Hæc beneficia vult agnoſci in genere humano & aſſiduè celebrari. Ideo voce Euangelij colligit ſibi eccleſiam, vt perpetui ſint in genere humano horum beneficiorum præcones, qui & ipſi Deum celebrent, & alios ſua pietate & exemplo ad hunc cultum inuitent. Ideo inquit, Loquentur potentias tuas, vt notas faciant filiis hominum, hoc eſt, vt memoriam tuorum beneficiorum ad poſteros tranſmittant. Ita ſinguli de ſuo officio admonentur: non enim ipſi tãtùm debent

gratias agere Deo, ſed beneficia apud alios prædicare, eóſque ad communem cultum & pietatis ſtudium inuitare.

Potentias] Id eſt, egregia geſta, in quibus potentiam ſuam oſtendit.

13 Regnum tuum regnum omnium ſeculorum: & dominatio tua in omnium generationem & generationem.

Addit exclamationem, in qua per antitheſin opponit regnum Dei & cætera huius mundi regna, atque ita gloriam regni diuini amplificat. Cætera regna in hoc mundo ſunt caduca: ſicut nihil eſt ſtabile aut firmum inter homines. Solum hoc regnum Dei eſt firmum & ſtat perpetuò, nullíſque mutationum vicibus eſt obnoxium. Hinc igitur eius maieſtas, gloria & potentia æſtimari poteſt & debet. Inter homines multa regna celebrantur, quæ vix vltra hominis ætatem durant. Vt Alexandri vix fuit duodecim annorum, & cum ipſo rege concidit.

Suprà potentiam Dei diximus dupliciter intelligendam eſſe. Primùm eam, quæ in creatione & conſeruatione rerum creatarum & aſſidua gubernatione conſpicitur. Deinde eam, quæ eſt regni Chriſti propria, & eccleſiæ eius ſalutaris. Ita etiam hîc regnum dupliciter intelligatur. Primùm quod obtinet Deus in omnes creaturas, atque ita in homines. Sũt enim eius imperio omnes homines ſubiecti: ídque non ad tempus, ſed extenditur eius imperium in omnes ætates & ſecula. Vnde colligitur, omnes homines ei hunc cultum debere, vt potentiam eius & gloriam agnoſcant & metuant. Nã ſubditi regi ſuo debent obſequium. Deinde cùm non tantùm de corporalibus, ſed ſpiritualibus etiam loquatur: de regno Chriſti etiam hic verſus intelligitur, cuius æternitas paſſim in Scriptura prædicatur. Vt Dan. 7. Eſa. 9. Lucæ 1. Hæc autem æternitas regni Chriſti primùm opponitur ſomnio Iudæorum qui fingunt regnum Chriſti fore politicum, in quo ipſe ita dominetur, vt occupet imperia mundi, & diſtribuat prouincias, & ſuo populo largiatur opes huius mundi. Hęc inania ſomnia refutat hic verſus, & cætera dicta, quæ de æternitate regni Chriſti concionantùr. Cùm enim regnum Chriſti ſit æternum, & res ipſa oſtendat nullum regnum, nullámque politiam in rebus humanis eſſe perpetuam, inde conficitur regnum Chriſti eſſe ſpirituale, & πολίτευμα piorum eſſe in cælis, vt Paulus inquit Philip. 3. & res cæleſtes atque æternas, non vmbratiles, aut interituras diſtribui. Deinde dulciſſima conſolatio in hac deſcriptione proponitur. Cùm enim regnum Chriſti ſit æternum, nulla vis neque diabolorum neque hominum poterit hoc regnum euertere. Conſpirant quidem aduerſus hoc regnum omnia mundi regna & poteſtas inferorum, & tyranni coniunctis viribus inferunt ei arma, nonnulláque membra crudeliter interficiunt: ſed, vt Chriſtus inquit, Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Hæc cogitanda ſunt in huius verſus enarratione ſeu meditatione.

Hoc loco poſt verſum 13. apparet verſum in Hebræo codice librariorum incuria eſſe omiſſum, quod & Kimhi annotauit, quanquam quomodo omiſſus ſit ignorare ſe dicat. Nam cùm hic Pſalmus ſecundùm ordinem & numerum literarum Alphabeti compoſitus ſit, deſideratur tamen verſus, cuius initium ſit litera נ. Et fuiſſe aliquando verſum in Hebræo codice oſtendit verſio Græca & Arabica. In Græca enim legitur: πιστὸς κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, quæ verba, veriſimile eſt in Hebræo codice in hunc modum expoſita fuiſſe: נאמן יהוה בכל דבריו וחסיד בכל מעשיו.

Commendatur autem in hoc verſu veritas Dei in ſeruãdis promiſſis, & benignitas ſeu bonitas, hoc eſt, quòd ardenti amore complectatur genus humanum, & multò auidior ſit ad dandum, quàm nos ad petendum vel accipiendum. Nam hũc affectum paternum notat vox חסיד.

15 Suſtentat Iehoua omnes cadentes: & erigit omnes curuatos.

Suprà verſu 7. 8. & 9. mentionem fecerat bonitatis Dei, quæ in omnibus eius operibus ſeu beneficiis conſpiciatur, & verſu 14. qui in Hebræo codice omiſſus eſt, idem repetitur. Nunc igitur exempla quædam bonitatis & clementiæ Dei recenſet, quibus ſententiam hanc confirmat, & oſtendit totam Dei gubernationem, potentiam ſeu regnum eius ad beneficentiam in publicam generis humani ſalutem comparatum eſſe. In hoc mundo regna & imperia diuitibus ferè ac potentibus & ſapientibus tantum vtilia ſunt. Qui enim multa largiri poſſunt, aut qui iis naturæ dotibus inſtructi ſunt; vt aut præclarè & eleganter diſſerere de rebus, aut prudenter adminiſtrare negotia ciuilia poſſint, aut alias artes etiam inutiles interdum aut noxias communi ſocietati calleant, ij prouehuntur & emergunt: cæteri vt variis fortunæ vicibus, ita etiam iniuriis aulicorum obnoxij ſunt, & duriſſimam ſeruitutem ac contumelias ferre coguntur. Inprimis etiam hoc vſitatum eſt in aulis, vt in parietem inclinatum omnes incumbant, & cadente quercu omnes ligna cædant. Sed hoc Dei imperium in ſalutem omnium hominum comparatum eſt. Itaque cadentes & curuatos, hoc eſt, rebus aduerſis oppreſſos, afflictos, & deſertos non ſolùm non opprimit: ſed fulcit & ſuſtentat, ne prorſus euertantur. Ipſe enim tanquam rex bonus & miſericors reſpicit hominum ærumnas, & his ita afficitur, vt ſuccurrat laborantibus, & non negligat iniurias ipſis factas. Ergo vel hæc bonitas meretur, vt omnes imperio eius ſe ſubmittant & beneficia eius aſſiduè celebrent. Hæc primùm cogitanda ſunt in hoc verſu. Deinde peculiariter ad Chriſti regnum hic verſus eſt accommodandus. Hîc enim præcipuè hæc bonitas & clementia, quam celebrat, locum habet. Omnes homines mole peccatorum grauati incedunt curui & depreſſi ad terram tanquam exulantes à cęlo & addicti gehennæ, & niſi ſuſtententur atque erigantur diuinitus, neceſſe eſt hac mole oppreſſos tandem in æternum perire. Chriſtus igitur æternus rex eccleſiæ his doloribus oppreſſos conſolatur, cùm fide intuentur promiſſionem Euangelij, dicit conſolationem in cordibus eorum, viuificat eos, retrahit eos ex doloribus mortis, ſuſtentat eos Spiritu ſancto, qui accendit in eis lætitiam acquieſcentem in Deo. Eſtque hæc lætitia initium nouæ & æternæ vitæ. Ita igitur cadentes ſuſtentat voce Euangelij & Spiritu ſancto. Deinde in hac vita etiam defendit & tuetur eos aduerſus crudeles machinationes diaboli & aliorum hoſtium, & confirmat animos eorum, ne ſub cruce, quæ perpetuò profeſſionem Euangelij comitatur, & dorſum geſtantium grauiter premit & incuruat, ſuccumbant. Simon Cyrenæus geſtat crucem Chriſti & incedit curuus ſub hoc onere: ſed Chriſtus eum ſuſtentat & erigit. Ita de cæteris iudicandum eſt.

16 Oculi omnium ad te expectant: & tu das illis cibum ipſorum in tempore ſuo.

17 Aperis [*tu*] manum tuam: & ſatias omne viuens beneplacito.

In his duobus verſibus aliud bonitatis Dei documentum profert, quòd videlicet cunctis animantibus victum ſuppeditans, patremfamiliâs ſe illis exhibeat. Eſt enim hoc illuſtre bonitatis Dei argumentum, quód quotannis terram fœcundat, vnde omnibus animantibus victus neceſſarius producatur: alioqui enim ipſa eſſet ſterilis, & animantia fame perirẽt. Ideo hæc bonitas agnoſci & celebrari ab omnibus debet, Pſal. 104. Eſt autem obſeruatione dignum, quòd omnibus animantibus hunc affectum tribuit, quòd ſperent & expectent à Deo victum. Ita enim hominum ingratitudinem, aut ſtuporem magis inexcuſabilem reddit, qui vel caſu ſibi obiici hæc, vel induſtria ſua & labore parari exiſtimant. Cuncta animantia ſpectãt ad Deum. Nam cùm naturali quodam inſtinctu neceſſitas ad cibum quærendum eos compellat, dicuntur in Deo ſperare, ſicut pulli coruorum, Pſal. 147. eum inuocare dicuntur. Ita enim compoſitus eſt naturæ ordo, vt cuncta animantia ferantur ad ſuum creatorem.

Eſcam ipſorum] Hoc dicit Dauid, quia varietas ipſa magis illuſtrat Dei prouidentiam, dum ſingulis diuerſa eſt paſcendi ratio, & variæ elementorum ſpecies in varios vſus diſtributæ & aptatæ ſunt.

Tempore ſuo] Relatiuum non refert ad animalia vel creaturas, ſed ſignificat in tempore opportuno ad veſcendum. Nam hac quoque in re admirabilem prouidentiam ſuam nobis commendat Deus, dum nõ omnia vno tempore anni proueniunt: ſed in vices digeſſit, vt nunc herbæ proueniant, nunc poma, nunc glandes, nunc vinum, nunc alij fructus, ne, ſi omnia vno tempore effunderet, incommoda eſſet perceptio. Et hoc eſt quod Pſalmò 65. inquit, Coronas annum benignitate tua. Cæterùm de tota ſententia dictum eſt ſuprà, Pſal. 104.

Aperis manum] Amplificat & exornat eandem ſententiam ab hypotypoſi. Pingit enim Deum tanquam benignum patremfamiliâs, porrecta manu quotidie cibum animantibus diſtribuere, & quaſi in os cibum ſuggerere: vt magis deteſtanda ſit hominum ingratitudo, qui cùm quotidie id fieri videãt & fateri cogantur: memoriam tamen horum beneficiorum ſepeliunt, nec vt debent prædicant. Verbo etiam ſatiandi liberalitatem Dei pingit. Non enim parcè, ſed abundè dat ad fruendum.

Beneplacito] Hæc vox à nonnullis ad Deum refertur. Ab aliis ad creaturas ſeu animantia, quæ paſcuntur. Qui ad animantia referunt, ita interpretantur: Secundùm voluntatem, id eſt, quantum ſufficit, quãtũ deſiderant vel appetunt. Sicut poſtea [illegible] verſu hæc vox accipitur. Sed qui ad Deum referunt, de eius benigna voluntate intelligi volunt. Non enim

temere ſuppeditat nobis victum, nec vlla cauſa extrinſeca mouetur, vt tam benignè cunctis animantibus proſpiciat: ſed mera ſua bonitate mouetur, & gratis ita eſt liberalis erga omnes. Paſcit igitur & ſatiat, non prouocatus meritis aut etiam temere: ſed beneplacito ſuo, quia rebus à ſe creatis delectatur, & vult ſuſtentari & conſeruari eas. Cauſa igitur poſita eſt pro effectu. Alimenta enim ſunt effectus beneplaciti diuini, ſicut χαρίσματα τῆς χάριτος. Latinus pro εὐδοκίας legit εὐλογίας. Sed ſæpe, inquis, inducitur fames. Reſpondeo: Hæc pœna eſt peccatorum. Et omnes promiſſiones corporales intelliguntur cum exceptione caſtigationis & crucis. Subtrahit Deus interdum cibum, & contrahit manum, vt noſtram ingratitudinem puniat. Sicut dicitur Oſe. 2. Iſrael non cognouit quòd dederim ei frumentum: ideo rurſus auferam frumentum meum. Vel, ſterilitatem adducit, vt carnem ex deliciis laſciuientem ærumnis ſubigat, ne recalcitret, aut Deum rectorem excutiat. Item, vt nos ad pœnitentiam & inuocationem exuſcitet: & tamen etiam in ſumma frugum penuria Deus mirabiliter alit & paſcit nos, & aperit manum liberaliter.

18 Iuſtus[*eſt*] Iehoua in omnibus viis ſuis: & clemens in omnibus operibus ſuis.

Diximus præcipua argumenta, quibus propoſitionē Pſalmi confirmat, eſſe ſumpta à potentia & bonitate Dei. Nam in his duobus explicandis diutius immoratur, & totum penè Pſalmum conſumit. Aſpergit autem etiam alia argumenta, ſed breuiter ſine longiore explicatione aut confirmatione. Tale eſt illud, quod de veritate Dei dicit verſu 14. quem in Hebræo codice incuria librariorum diximus eſſe omiſſum, & quod hoc loco mentionem facit iuſtitiæ Dei. Nam hanc quoque in operibus Dei vult intelligi & celebrari. Intelligatur autem iuſtitia primùm in genere de prouidentia Dei, in qua ordo iuſtitiæ eius maximè conſpicitur. Totum enim hūc mundum ita gubernat, vt vndique veſtigia iuſtitiæ ipſius appareant. Atrocia delicta punit atrocibus pœnis, bonos & virtutibus præditos ornat iuſtis præmiis, & placidum concedit piis & bonis exitum ex hac vita, vt dicitur ὡς βίον τὸ τέλος τ' αἰεὶ γλυκερώτερόν ἐστι. ſeruat & defendit honeſtas politias, & reprimit tyrannos ne infinitam vaſtitatem in genere humano efficiant. Et quanquam aliquandiu conniuet ad hominum ſcelera: tamen tandem tarditatem ſupplicij, vt Valerius inquit, grauitate compenſat, vt nolentes volentes fateri cogantur homines, Deum eſſe iuſtum in omnibus viis ſuis, hoc eſt, in operibus, *Da er mit vmbgehet*. Extāt apud Claudianū verſus, in quibus Poeta affirmat, ſe initio dubitaſſe de prouidentia Dei, cùm videret differri pœnas ſceleratorum, & bonos premi in hac vita: tandem tamen confirmatus tragico exitu Ruffini hominis ſcelerati, inquit,

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Abſoluitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror. Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Hæc primo loco conſideranda ſunt. Loquuntur enim de omnibus operibus Dei non tantùm in eccleſia, ſed etiam extra eccleſiam. Poſtea etiam ad eccleſiam in ſpecie hæc ſunt accommodanda. Erga hanc exhibet ſe iuſtū, hoc eſt, imputata ei Chriſti iuſtitia, qua illa iuſta & accepta eſt corā Deo: ſuſcipit deinde eius patrocinium, fouet, tuetur, defendit eam aduerſus tyrannidem diaboli & malorum hominum, ita vt portæ inferorum non præualeant aduerſus eam: & quanquam ſinit eccleſiam in hac vita interdum variis calamitatibus exerceri, multos etiam crudelibus ſuppliciis interfici, tamen pij agnoſcunt Deum cauſas habere, cur eccleſiam in hac vita ſubiecerit cruci. Ideo in calamitatibus, atque adeo in ipſa etiam morte clamāt cum imperatore Mauricio: Iuſtus es Domine, & recta iudicia tua. Impij verò in cruce & calamitatibus fremunt aduerſus Deum, accuſant eum tyrannidis, iniuſtitiæ, crudelitatis, atque in hoc fremitu indignabundi deſcēdunt ſub vmbras, & ruunt in æternum exitium.

In altero huius verſus membro rurſus commendat bonitatem & clementiam Dei, de qua ſæpe iam dictum eſt.

19 Propinquus Iehoua omnibus inuocantibus eum: omnibus qui eum inuocant in veritate.

Confirmat poſterius membrum de bonitate Dei, nouis argumentis, ſumptis à beneficiis Dei, quibus bonitatem ſuam declarat. Sicut autem ſuperiora argumenta ad totum genus hominum, imò ad cæteras quoque creaturas ſeu bruta animantia referebantur, vt quod dicit, Omnia animantia paſci ipſius bonitate, ſuſtentari omnes cadentes, erigíque etiam omnes curuatos: ita quæ nunc ſequuntur propriè & peculiariter pertinent ad eccleſiam. Illa enim non tantum in genere in quotidianis illis beneficiis, quæ cum cæteris hominibus habet communia, experitur Dei φιλανθρωπίαν, bonitatem & clementiam, ſed alia maiora ſunt argumenta ſingularis Dei bonitatis erga eum cœtum qui dicitur Eccleſia, quā ipſe in genere humano per verbum ſibi colligit & excerpit. Præterquam enim quòd Deus eam ſuſtentat, alit & defendit aduerſus atroces iniurias, habet illa liberum ad Deum acceſſū, & promiſſiones habet dulciſſimas, quòd certò exaudiatur, & impetret quæ petit. Hoc ingens beneficium eccleſiæ Dei proprium eſt. Neque enim alia gens eſt (vt Moſes inquit, Deuter. 4.) aut natio tam grandis, quæ deos habeat appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Hoc igitur beneficium hîc celebrat, & omnes pios hortatur, vt hoc grato animo agnoſcant & prædicent.

Eſt autem hæc promiſſio & conſolatio non obiter aſpicienda, ſed ſæpe multúmque cogitanda & intimis pectoribus infigenda. In magnis enim ærumnis & doloribus noſtris, nihil eſt ad conſolationem efficacius, quàm quòd hac promiſſione edocti, ſcimus Deum adeſſe nobis & exaudire gemitus noſtros, & (quod poſtea ſubiicit) deſideriis noſtris morem gerere. Adeſt quidem Deus omnibus creaturis, penè vt manibus contrectari poſſit, vt Paulus inquit Act. 17. ſed multò propiùs adeſt rectè agnoſcentibus & inuocantibus ipſum, in quibus habitat per verbum & Spiritum ſanctum, inchoans in eis nouam lucem rectè agnoſcentem Deum, reſtituens iuſtitiam & vitam æternam, & aſſidua gubernatione & defenſione ac repreſſione diaboli præſentiam ſuam oſtendens. Deus eſt vbique per eſſentiam ſuam, non eſt vbique per inhabitationis gratiam, inquit Auguſtinus. Quæ præſentia ſeu inhabitatio dicitur actio ſpecialis. De ea igitur nunc loquitur.

Obſeruanda autem eſt particula vniuerſalis, quæ opponenda eſt dubitationibus noſtris. Nam acceſſuros ad Deum ſæpe repellit nos cogitatio, vel de indignitate vel de particularitate. Hîc cogitanda eſt promiſſio: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. Neminem enim à ſe repellit, éſtque omnibus qui eum inuocant, exorabilis. Idem eſt Dominus omnium, diues in omnes inuocantes ſe, Rom. 10. Sed ne hypocritæ aut ignari veri Dei exiſtiment ſe exaudiri, ſi verba inania ſine mente aut ſine veris motibus cordis, & ſine fide in aërem fundant, (vt cùm Hecuba apud Euripidem inquit, O Iupiter, quicquid es, ſiue hoc cœlum, ſiue mens quæ vehitur in cœlo: aut ſicut Monachi, ſine mente iterant ſuas preces, ſeu potiùs boatus in templis) ideo addit correctionem, Exaudiri affirmat omnes, ſed inuocantes in veritate. Hæc vox rectè intelligenda eſt, vt qualis eſſe piorum inuocatio debeat, intelligatur.

Primùm veritas excludit omnes opiniones aberrantes de Deo & eius voluntate, omnes ἐθελοθρησκείας & cultus idololatricos. Non exauditur Hecuba, aut Priamus, aut alius Ethnicus extra eccleſiam: quia adorant quod neſciunt, Iohan. 4. Aberrant enim à vero Deo, & pro vero Deo ſubſtituunt idolum cordis ſui: ideo non inuocant in veritate, id eſt, in vera religione & agnitione Dei, atque in Mediatore. Deinde veritas opponitur hypocriſi, quæ ſine fide, & ſine pœnitentia accedit ad Deum. De hac inquit Deus ad Ieſa. 29. Populus iſte appropinquat ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me: cor autem eius longè eſt à me. Debet autem inuocatio proficiſci ex veritate, id eſt, ex veris & ardentibus motibus cordis. Sicut Chriſtus inquit apud Iohannem cap. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Et in talibus motibus lucere debet fides intuens promiſſionem & in ea acquieſcens. Tertiò, opponitur incredulitati, dubitationi, impatientiæ, murmurationi, ſeu indignationi ſub cruce & doloribus, atque adeo omnibus vitioſis cupiditatibus. Hæc enim omnia mendacia ſunt, quibus ipſa precatio corrumpitur.

20 Deſiderium[*beneplacitum*] timentium ſe faciet: clamorem eorum audiet & ſeruabit eos.

Iam de efficacia inuocationis concionatur, qua ſuperiorem ſententiam confirmat. Inuocatio piorum non eſt inane murmur, aut ſonitus feriens aerem, atque ita euaneſcens: ſed penetrat cælos & impetrat omnia ad ſalutem neceſſaria. Atque huc referendæ ſunt aliæ promiſſiones, Iohan. 16. Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Mat. 21. Omnia quæ petieritis credentes accipietis: item exempla exauditarum precum, quæ paſſim in ſacra Scriptura & hiſtoria Eccleſiaſtica occurrunt. Sed hîc quæſtio oritur. Videmus enim ſæpe differri liberationem: ſæpe etiam non dari illa bona, quæ petimus: cur igitur inquit, Deſiderium timentium ſe faciet. Hîc tenendum eſt diſcrimen promiſſionum, & rerum quæ petuntur. Alia eſt promiſſio ſpiritualis, alia corporalis: ita & res quæ petuntur ſunt diſſimiles. De ſpiri-

tualibus tenendum eſt, eas dari ſine exceptione fide petentibus. Ideo his additur particula Gratis: ſed beneficia corporalia promittuntur & dantur gratis quidem, ſed iuxta conſilium & voluntatem Dei, nempe cum exceptione caſtigationis & crucis. Ideo inquit Ioh. in 1. cap. 5. Quod ſi quid petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Itaque ſi velit nos diutius exerceri Deus, debemus nos offerre ad obedientiam.

Atque hic cogitanda eſt Bernardi ſententia: *Fratres nolite dubitare de Oratione veſtra: ſed ſcitote, quando verbum per os erupit, tunc oratio veſtra ſcripta eſt in oculis Dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri.* Et Proſper citat ex Auguſtino: *Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit utile, magis nouit medicus quàm ægrotus.*

Clamorem eorum] Dum ſcilicet perſeuerando inſtant orationi, & cordis deſiderium magis accenditur. Additur hoc tanquam correctionis vice, ſi non mox ad primam vocē impetremus quod petimus.

Et ſeruabit eos] Etiam hæc particula correctionis vim habet. Ita enim adeſt ſuis Deus, vt ſeruet eos: quod facit, etiamſi differat liberationem, atque interea fidem exerceat, vel etiā ſi prorſus interfici à tyrannis nos ſinat. Seruat enim multos in illis corporalibus pœnis ſeu afflictionibus ab æterno interitu, & piis vitam & ſalutem æternam reddit. Ita igitur impletur hoc, quod dicitur Pſalmo 91. Clamabit ad me, & exaudiā eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

21 Cuſtodit Iehoua omnes diligentes ſe: & omnes impios diſperdit [*delet.*]

Proſequitur & confirmat eandem ſententiam, addita etiam antitheſi, qua promiſſionē illuſtrat. Pij inquit, ſunt ſub aſſidua tutela Dei, itaque ſemper ſalui & incolumes Dei gratia euadunt. Econtra impios, etiamſi aliquantiſper floreant opibus, dignitate & potentia, tandem punit, diſperdit & delet, vt felicitatem exigui temporis cum æternis cruciatibus commutent. Notandum autem quod timoris loco nunc ponit dilectionem. Vult enim monere non ſe loqui de ſeruili aliquo timore, qualis eſt in Cain & ſimilibus: ſed filiali, qui coniunctus ſit cum fide, lætitia acquieſcente in Deo & dilectione. Talis enim ſponte ſe ſubiicit Deo, & radix eſt omnis pietatis: & qui eo præditus eſt, accedit ad Deum, & petit bona tum ſpiritualia tum corporalia, cum timor ſeruilis potius arceat homines à Deo.

22 Laudem Iehouæ loquetur os meum: & benedicet omnis caro nomini ſancto eius in perpetuum & vſque.

Concluſio eſt, in qua repetit propoſitionem. Cùm igitur talis ſit noſter Deus, potens ſcilicet, glorioſus, bonus, clemēs, iuſtus & verax in omnibus operibus ſuis, & inprimis talem ſe ergà eccleſiam ſuam exhibeat: ergo os meum loquetur laudes eius, & dignus eſt Deus qui aſſiduè ab omnibus hominibus in toto orbe celebretur: & quidem debent omnes homines hunc cultum Deo. Carnem nonnulli interpretantur de omnibus animantibus, moti ſententia Moſis, qui Gen. 7. ſcribit omnem carnem, in qua erat ſpiritus vitæ, interiiſſe in diluuio. Item Leuit. 17. Sanguinem cuiuſcunque carnis non comedetis: vbi voce carnis comprehendit omnia animalia. Sed ſæpius, præſertim quando ſine adiectione in ſcriptura ponitur, ad hominem tantùm refertur. Ideo rectiùs de hominibus hoc loco accipitur: vt & Pſal. 56. verſu 5. cùm dicit, Nō timebo, quid faciat mihi caro. Nam verſu 12. idem repetens, dicit, quid faciat mihi homo.

PSALMI CXLV.

PARTES.

I. Exordium, ſeu profeſſio ſingularis laudum quas Pſaltes attributurus eſt Deo, v. 1. 2. qui ſunt antiſtrophi. Summa laudum illarum, ſeu argumentum, inperueſtigabilis magnitudo Iehouæ, v. 3.

II. Prouocatio ætatum omnium ad laudandū Deum, ab operibus eius: quæ prolepticè poſita, v. 4. duobus nominibus commendantur, nimirum glorioſæ potentiæ, v. 5. & 6. dein bonitatis iuſtiſſimæ, v. 7. Poſtea per hyſteroſin illuſtrantur magnificis appellationibus, v. 8. 9. 10. 11. & 12.

III. Propoſitio rerum ad laudes Dei pertinentium: quarum duo ſunt capita. Vnum glorioſæ potentiæ quam Deus omnibus exhibet, v. 13. & 15. Alterum iuſtæ bonitatis, v. 15. 16. 17. 18. & 19. Verſ. autem 20. continetur bonitatis & potentiæ Dei creatio.

IIII. Concluſio hortatoria, qua ſe & omnes prouocat Pſaltes ad laudandum Deum, verſ. 21. vt in exordio.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. 2. 3 Et ſe & alios incitare & hortari debent fideles ad hoc pietatis officiū, vt ſacrificia laudis, quæ meretur, Deo ſimul offerant.

Quum ſuam beneficentiam Deus continuet erga nos, minimè æquum eſt nos in eo laudando fatigari: imò quum nouam laudum ſuarum materiam ſubinde offerat, ita nos ad gratitudinem ſtimulat, vt toto vitæ curſu in ea nos exerceri deceat.

Deus quam ſit rex regum, terreni principes docentur ei ſceptra ſua ſubmittere: ne qua altitudo obſcuret tanti regis gloriam.

Tunc vitè demum à nobis Deus laudatur, quum ad immenſitatem potētiæ eius ita rapimur, vt ex illo fonte admirationis pro modulo noſtro fluant iuſtæ laudes.

4. 5. 6 Creati ſunt in hunc finem cuncti homines, & ſuſtinentur in vita, vt ſtudium ſuum impendant canendis Dei laudibus.

Quicquid in Deo cōſpicere poſſumus, eſt prorſus eximium & mirabile, omnique laude digniſſimum.

Nihil prorſus eſt ea fama immortalitas quam ſibi magni viri rebus præclarè geſtis acquiſiuiſſe videntur: ſi comparetur cum æterno Dei nomine. Etſi enim hiſtorijs celebrantur humanæ virtutes, Dei tamen longè diuerſa eſt ratio, qui memoriam operum ſuorum quotidie renouat, imò præſenti fructu eam fouet vigereque facit in animis noſtris, ne vnquam intercidat.

Opera Dei totidem ſunt miracula quæ ſenſus noſtros abſorbent.

Dei magnitudo non latet in arcana eius eſſentia, ſed in operibus glorioſè apparet: vt inde laudum materiam hauriamus. Vera enim religio non ſpeculatiuam ſed practicam requirit notitiam.

Semper aliqui erunt in mundo, iuſtitiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei præcones: vt quam Dei virtutes dignæ ſunt, quarum fama in omnium linguis vno conſenſu perſonet. Porrò, vtcunque ceſſent alij, Deúmque legitimo fraudent honore, nihilominus noſtrum eſt ſtrenuè decantare Dei laudes, quarum argumentum eſt Dei potentia, iuſtitia & miſericordia.

7. 8. 9 Vtcunq; fateri cogamur, Deum in omnibus ſuis virtutibus laude eſſe dignum: nihil tamen magis nos afficit quàm eius bonitas, quæ ad nos deſcendit, ſeque Patrem exhibet.

Hæc bonitas in eo fit conſpicua, quòd Deus ad gratiam propenſus ſit: deinde quòd miſerijs noſtris velut condoleſcens, libenter ſuccurrat. Vide Exod. 34. 6. Sed quia peccatis noſtris eum à nobis arcemus, niſi hoc obſtaculum ſuperet illa bonitas, fruſtra de eius gratia & miſericordia ſermo fieret. Ideo dicitur magnus clementia, vt peccatis eum ignoſcere ſciamus, & tolerare vitia hominum, vt etiā indignis propitius re ipſa appareat.

Etſi impios patienter Deus ſuſtinet, & in eos bonitatem ſuam effundit: quia tamen percipiendæ veniæ non ſunt capaces, peculiariter ad ſolos fideles dirigitur hæc doctrina, qui viuo fidei ſenſu Dei bonitatem percipiunt, & quibus dicitur, guſtate & videte quàm ſuauis eſt Iehoua. Pſal. 34. 6. Porrò, quum peccata hominum totum mundum Dei maledictione inuoluant, vbiq; conſpicua fit Dei miſericordia, quando brutis animantibus & impiorum colluuiei etiā tot modis manum benignè porrigit.

10. 11. 12. 13 Quamuis impij profano ſilentio laudes Dei obruāt, vbiq; tamen ipſæ fulgent & ſponte occurrunt, ac quaſi reſonant in mutis creaturis.

Fideles oculis præditi ſunt ad conſideranda Dei opera, & ſciunt nihil eſſe potius quod agant, quàm vt ſe exerceant in prædicandis eius beneficijs.

Huc tendit operum Dei manifeſtatio, vt totus orbis in ordinem coactus eius imperio ſe ſubijciat.

Regni Dei præſtantia cōmendatur, vt ſciamus perverſa & cōfuſa eſſe omnia, niſi ſolus Deus emineat. Caterùm minimè caducum eſt regnū illud, ſed firmū perpetuò ſtat. Ideo beati ſunt huius regni filij & ſubditi, nempe fideles. Contrà, ſplendor impiorum euaneſcet.

14 Deus non dominatur niſi in publicā ſalutē generis humani: reſpicitque

reſpicitque hominum ærumnas vt laborantibus ſuccurrat. Ideo dignus eſt cui regendo libẽter & cupidè nos permittamus: nec fruſtrabimur quum ab eo petemus miſeriis noſtris ſolatium.

15.16. *Quamuis ingenita non ſit brutis animalibus ratio vt pendeant à Dei prouidentia: quia tamen neceſſitas ipſa arcano quodã inſtinctu ea compellit ad cibum quærendum, non abs re in Deo ſperare dicuntur. Vide Pſal. 147. 9.*

Illuſtrior fit Dei prouidentia, dum ſingulis animãtibus diuerſa eſt paſcẽdi ratio, & variæ alimentorũ ſpecies in varios vſus diſtributæ & aptatæ ſunt. Deinde, quòd fœniſecio, meſſi, vindemiis ordinauit certum tempus, & ita digeſſit anni vices, vt nunc herbis, nunc fœno vel palea pecudes, glandibus etiam aliiſque fructibus alantur.

Maior hominum pars clauſis viuit oculis, alij in terra & naturalibus mediis perperã ſubſiſtũt. His erroribus occurrit quotidie Deus, porrecta velut manu, cibos animalibus, idque mera gratia & liberalitate diſtribuens. Quòd autem ſæpe eſuriunt & fame laborant tã homines quàm reliqua animalia, naturæ corruptelæ eſt adſcribendum. Et tamen in mutilis iſtis reliquiis ſemper apparet Dei liberalitas: quia etiã in maxima frugum penuria nullus annus tam ieiunus eſt ac ſterilis, quo non aperiat Deus manum ſuam.

17 *Prouidentiæ diuinæ partes ſunt, quòd caſtigat peccata hominũ, compeſcit ſceleratos, ſuorum quoque tolerantiã cruce examinat: denique iudiciis ſæpe nobis incognitis temperat mundi gubernationem. Quantumuis igitur impij obſcurent Dei iuſtitiam, conſtat tamen & manet ſemper illæſa, æquabilemque in toto curſu ſuorum operum tenorem nobis oſtendit, vt placidè nos ei ſubiiciamus.*

Deus, etiam vbi rigidiſſimus apparet, adeo à crudelitate remotus eſt, vt duriſſima quæque iudicia æquitate & clementia temperet.

18.19. *Fides ſine inuocatione mortua eſt. In inuocatione ſeſe profert atque exerit adoptionis Spiritus, & hac teſtamur nobis certas ac ratas eſſe omnes eius promiſſiones.*

Quoniam vel trepidè ad Deum accedimus, vel fracti & exanimati deficimus, vel metu fides langueſcit: ideo dicitur, Deũ omnibus qui ipſum inuocant, eſſe exorabilem.

Inuocandus Deus eſt in veritate, id eſt, cũ ſpiritu pœnitentiæ, fidei, ſpei, charitatis, humilitatis & ſinceri affectus. Huic veritati opponitur infidelitas, dubitatio, idololatria, ſuperſtitio, impatiẽtia, murmur, ficta humilitas, animi labes multiplex & vitiũ, ſuperbia, impœnitẽtia, & cætera eiuſmodi quæ Dei inuocationem in friuolam & inanem ceremoniam conuertunt.

Execrandi ſunt qui pro nihilo ferè ducentes Dei promiſſiones toties repetitas, quibus nos ad ſe inuitat, innumeros patronos ſibi excogitant. Deus enim (inquit Propheta) ſuorum deſideriis morem gerit, vt eos efficaciùs alliciat & ſecum retineat.

Nihil denegat ſuis Deus, quoniã nihil petunt, niſi ſecundùm eius voluntatem. Vide Matth. 6. 10. & 1. Iohan. 5. 14. Timorem verò, reuerentiam & obſequium priùs illis commendat, quàm proponat ſuam miſericordiam, ne ſibi plus optare fas eſſe putẽt, quàm ille verbo ſuo probat & concedit.

Perſeuerantiâ opus eſt in Dei inuocatione, vt vota confirmet clamor: quæ etiam ita Deus implet, vt reipſa pateat fidum eſſe ſalutis ſuorum cuſtodem.

20 *Hic certus eſt effectus præſentiæ Dei, quicquid accidat diſcriminum, ſaluos tamen & incolumes eius gratia pios ſemper euadere.*

Radix veræ pietatis ea eſt, vt voluntario affectu fideles Deo ſe ſubiiciant, eumq; ſincerè diligant. Hic affectus autem ex fide naſcitur. Vide Deuter. 10. 12. Contrà verò iuſtâ Dei vindictâ malè peribunt omnes impij, ingrati animi vitio turpiter laborantes, vtpote qui beneficentiſſimum Dominum odio proſequuntur.

21 *Vita noſtra beneficiorum Dei perpetua meditatio eſſe debet & celebratio. Et obſtricti tenentur immenſa & inexhauſta Dei bonitate cuncti mortales ad Deum aſſiduè & iugiter laudandum.*

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudibus diuinis celebrandis: earundémque argumento.
2. De Dei magnitudine.
3. Potentia, bonitas, iuſtitia, ſapientia Dei, quomodo cõſideranda.
4. De regno Dei.
5. Miſericordiæ diuinæ conſideratio.
6. Inuocationis ſinceræ efficacia.
7. Timoris filialis effectus mirus.
8. Piorum erga Deum charitas, eiuſdémque effectus.
9. De hominum gratitudine & ingratitudine.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVI.

HIC Pſalmus partim Euchariſticus eſt, partim παραινετικός. Initio enim alloquitur omnes homines vt beneficia diuina agnoſcant & celebrent, atque eadem adhortatione Pſalmum concludit. Vt autem adhortatio magis ſit efficax, & plures inuitet, ipſe ſuum exemplum adducit, affirmans ſe aßiduè quãdiu vixerit, grato animo & voce celebraturum Dei bonitatem & miſericordiam, quam ex beneficiis in ſe collatis agnouerit. Huic gratiarum actioni, vt oſtendat qui fructus ſequi ex aßidua meditatione beneficiorum diuinorum ſoleant, ſubijcit exhortationem, in qua damnat fiduciam, quæ in homines collocatur, & è regione prædicat pietatem quæ ſoli Deo adhæret, eique beneficia omnia fert accepta: & vtrique membro rationes ſubiicit, quibus ſententiam ſuam confirmat. Nam vt fruſtra collocari fiduciam in hominum potentia oſtendat, ab horum fragilitate & mortalitate argumentum ducit. E contra fiduciam in Deum commendans, inquit felices & beatos eſſe, nec deſtitui ſpe ſua, qui ab eo pendent. Rationes autem, quibus id confirmet, addit complures. Prima ſumitur à potentia eius. II. A veritate promißionum ſeu voluntate. III. A iuſtitia. IIII. A bonitate, ſeu à beneficiis, quæ in miſeros & afflictos aſſiduè confert: Et vt oratio ſit illuſtrior, facta diſtributione tanquam in catalogo, homines variis calamitatum generibus oppreſſos recenſet, qui cùm omnium hominum teſtimonio non niſi diuinitus ſuſtententur, defendantur, iuuentur & regantur, atque hæc beneficia non ſint vnius ætatis, ſed omnium ſeculorum, inde confici demonſtrat, multò rectiùs & tutiùs in creatorem quàm in creaturam ſpem poni: idque homines ex aßidua meditatione & prædicatione beneficiorum diuinorum conſequi, vt vera fides & ſpes erga Deum magis magíſque confirmetur, & pietas ipſorum hac meditatione alatur, affirmat.

1 HAleluiah. Lauda anima mea Iehouam.

2 Laudabo Iehouam in vitâ mea: pſallam Deo meo quamdiu fuero.

Primi duo verſus habent gratiarum actionem, ad quam & ſeſe & cæteros ſuo exemplo exuſcitat. Nomine animæ omnes animæ ſenſus & affectus comprehendit: vt mens cogitet & meditetur beneficia diuina, & intelligat vnde ſint profecta. Deinde, vt hac cogitatione voluntas excitetur ad prædicandas laudes diuinas. Tertiò, vt cor etiam ſimul accendatur ad veram gratitudinem & amorem Dei. vide pſal. 103. & 104. Quòd autem ſeipſum compellat & exuſcitat ad gratiarum actionem, primùm notat infirmitatem hominum, qui, vt dicitur, quod placet, obliuiſcuntur, quod dolet, meminerunt, & nihil citiùs inter homines ſeneſcit quàm gratia. Plerique etiã ſuæ prudentiæ & induſtriæ adſcribunt, ſi quid ſecundùm voluntatem accidat. Deinde diaboli aſtutiam cõſiderat, qui variis impedimẽtis obiectis auocare nos à meditatione beneficiorũ diuinorum conatur. Niſi igitur ſubinde quaſi excuſſo veterno nos exuſcitemus ad hoc pietatis beneficiũ & exercitium, facilè obrepit obliuio beneficiorum diuinorum, & homines pigreſcunt. Ergo inquit, Lauda anima mea Iehouam. Nóſque hoc exemplũ intueamur, vt noſtrum quoque torporem in meditandis ac celebrandis Dei beneficiis excutere diſcamus.

3 Ne confidatis in principibus: in filio hominis: in quo [*cui*] non eſt ſalus.

Sequitur παραίνεσις. Hortatur enim, vt beneficia ſoli Deo accepta referamus, non principibus aut creaturis, vel cauſis ſecundis. Nomine enim principum συνεκδοχικῶς intelligit omnia præſidia humana, & omnes cauſas ſecundas. Homines ferè vel ſuæ induſtriæ, vel aliorum hominum atq. imprimis

magnorũ beneuolentię adſcribunt, ſi dignitates vel opes conſequantur. Itaque toti ab his, à quibus ſe ornatos & prouectos exiſtimant, pendent, hos magnificiunt, hos prædicant, & colendos ſibi proponunt. Ab horum igitur fiducia nos auocans propheta, inquit, Ne confidatis in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: hoc eſt, non iudicate vos ſaluos aut honoratos, aut opulentos eſſe hominum beneficio, aut quòd horum potentia, autoritas aut beneuolentia tueri vos poſſit, quo minus aliquid aduerſi vobis accidat.

In filio hominis] Ἐξουδένωσις eſt, qua extenuat potentiã principum. Quamuis enim ſint potentia prædíti: tamen ſunt filij hominis, conditione mortalitatis, fragilitatis, mutabilis voluntatis, non differẽtes à cæteris hominibus. Nam cùm filium hominis nominat, omnia quæ hominis ſunt, ei tribuit. Homo eſt mortalis, ærumnoſus, mutabilis, variis fortunæ vicibus obnoxius, itaque aut voluntas aut facultas opitulandi, aut vtrunque ei deeſt. Mutata igitur hominis volũtate, quæ Euripo mobilior eſt, fruſtra petitur & expectatur ab eo, quo impiè confiſi ſumus, auxilium. Fieri autem poteſt, vt manẽte eadem beneuolentia mutetur vel fortuna vel vita. Quanta enim ſit inconſtantia rerum humanarum, experientia oſtendit. *Fortuna*, inquit Mimus, *vitrea eſt: cùm ſplendet, frangitur.* Ergo, inquit pſal. Fruſtra homines confidunt in principibus. Non enim eſt in his ſalus, id eſt, nec ſe poſſunt, nec alios ſeruare. Quis enim eſt inter principes, qui ſe vindicare ab interitu & morte, aut tueri ſe contra omnes iniurias poſſit? Quomodo igitur alios ſeruet, qui ſe ſeruare non poteſt?

4 Exibit Spiritus eius, reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt cogitationes eius.

Ἐξήγησις eſt poſterioris membri in præcedente verſu, in quo eſt argumentum ab hominum infirmitate & mortalitate ſumptum. Fruſtra, inquit, collocatur fiducia in rebus caducis, inſtabilibus, & morti obnoxiis. Homines, etiam qui ſumma potentia prædíti ſunt, ſunt infirmi, mutabiles, obnoxij omnis generis calamitatibus, & morti. Ergo fallax eſt illa fiducia quæ in his collocatur. Minorem probat hoc verſu. Etiamſi aliquandiu floreant, & ſint prædíti potentia, autoritate, opibus: tamen tota ipſorum vita conſiſtit in flatu narium, qui vbi emigrauerit, corpus mox concidit & putreſcit, & cum morte pereunt omnes cogitationes, omnia conſilia & conatus, omnis dignitas, ſplendor, potentia & maieſtas. Alexander audiẽs plures eſſe mundos, ingemiſcebat. Iulianus moliebatur interitum eccleſiæ, tandem dixit, Viciſti Galilæe, agnoſcens ſuas cogitationes iam eſſe irritas.

Hoc igitur eſt, quod dicit, *Exibit Spiritus eius.* Intelligit enim ſpiritum ſeu flatum hominis in expiratione & inſpiratione: quo cõpreſſo, aut ceſſante, homo viuere deſinit, ſicut Germani dicunt, *Es iſt vmb ein hand vol vvindes zuthun.* Alij malunt ſpiritum de anima intelligere, cuius domicilium eſt corpus. Sicut & in Eccleſiaſt. 12. Et reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Eodem argumento vtitur Ieſa. 2. Ceſſate ab homine, in cuius nare eſt ſpiritus. Quãti enim eum repntes, aut quid tali confidas?

5 Beatus cui in auxilium Deus Iacob: cuius ſpes eſt ad Iehouam Deum ſuum.

Altera pars adhortationis adiicitur ex antitheſi. Cùm vanum ſit confidere in hominibus, fiduciam veſtram collocate in Deo. Ita primùm & vitium oſtendit, deinde remedium monſtrat vnde petenda ſit correctio. Sicut autem ſuprà monuerat, vanam eſſe fiduciam, quæ in hominibus collocatur: ita nunc affirmat firmam & bene fundatam eſſe ſpem hominis, quæ ſoli Deo innititur. Hoc enim eſt quod dicit, Beatus cui Deus Iacob in auxilio eius, id eſt, cuius auxilium eſt Deus Iacob. Eum enim non fruſtratur ſpes ſua, ſicut, qui in homine confidit, & hic optata bona conſequitur. Disertè autem nominat Deum Iacob, vt diſcernat Deũ in Iſrael patefactum à commentitiis numinibus, & improbet omnes ſuperſtitioſas religiones, in quibus vanis & fictis numinibus ſeu idolis aliquid tribuitur. Sunt quidem plerique ſic perſuaſi, Deum eſſe cauſam boni in natura, ſed nõ intelligunt à Deo Iacob hæc proficiſci, ſed ſua ſibi fingũt numina, quibus ſtolidè & impiè preces adhibent.

In Deum] Et non in res fluxas & euanidas ponit.

6 Qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in illis ſunt: qui cuſtodit veritatem in perpetuum.

Iam confirmat poſterius mẽbrum adhortationis nonnullis argumentis, quorum primum ſumptum eſt in hoc verſu à potentia Dei, quæ facilè conuincit hominem, vt ſtatuat non in alium rectius quã in hunc ſpẽ collocari. Hic Deus, inquit, qui ſe nobis patefecit certo verbo, eſt creator omnium rerum, éſtque ſolus & verus Deus, & plenam habet omnium poteſtatem, vt à ſe pendentibus, quacunque neceſſitate premantur, opem ferre queat. Nulla igitur poteſt eſſe calamitas tanta, ex qua ille eripere non poſſit. In nullum igitur rectius fiducia collocatur. Argumento à potentia ſeu facultate ducto coniungit alterum à voluntate. Nam hæc duo præcipuã vim habent in materiis ſuaſoriis. Non ſufficeret Deum auxiliari nobis poſſe, niſi accederet promiſſio, quæ de ipſius voluntate teſtaretur. Deus igitur, vt certos nos redderet de ſua voluntate erga genus humanum, & inprimis erga eccleſiam, edidit promiſſionem, quam hîc veritatem nominat, quòd tam fallere non poſſit, quàm ipſe Deus, qui veritas eſt, ſe negare non poteſt. Eam promiſſionem cuſtodit Deus in perpetuum, hoc eſt, fideliter ſtat promiſſis, vt nullus dubitationi locus relinqui poſſit.

7 Facit iudicium iniuſtè oppreſſis [*aut iniuriam patientibus*] dat eſcam eſurientibus: [*famelicis*] Iehoua ſoluit compeditos [*vinctos.*]

Poſtquam de præcipuis argumentis dixit, quæ inuitare homines ad fiduciam in ſolum Deum collocandam, & ad celebranda eius beneficia excitare debent: nunc plura argumenta per congeriem collecta ſubiicit: ſumpta à beneficiis, quibus aſſiduè Deus ſuam bonitatem & potentiam inter homines, & præſertim apud ſuos declarat. Suntque hæc quaſi exempla promiſſionum ſeu veritatis, quæ fidem noſtram confirmant. Primum eſt, quòd per calumniam oppreſſos liberat, vt in hiſtoria Ioſephi, Dauidis, Danielis, Mardochæi & ſimilium videre eſt. Solet quidem interdum conniuere Deus ad iniurias nobis factas, ſed tamen non prætermittit iuſti iudicis officium: tandem enim ad pœnam trahit ſceleratos: atque ideo differt pœnas, vt iuſtitia eius magis cognoſcatur in pœnis. Ergo cùm ita affectus ſit erga genus humanum, neminem ſua calamitas arcere à Deo, aut excutere ei fiduciam debet, ſed potiùs inuitare, vt ad Deum accedat, & vera fide petat & expectet auxilium.

Facere iudicium] Hæc forma ſermonis ſumpta eſt à publicis iudiciis hominum, in quibus duo fiunt. Defenduntur boni ac innocentes, & puniuntur ſcelerati. Deus igitur facere iudicium iniuria oppreſſis dicitur, cùm eorum innocentiam patefacit, & ab iniuria eos liberat: cuius rei plurima exempla ex hiſtoriis tam ſacris quam profanis adduci poſſunt.

Dans panem famelicis] Secũdum bonitatis argumentum eſt, quòd tantam hominum multitudinem productis quotannis terræ fructibus paſcit & alit. Nemo enim eſt qui ſua induſtria ſibi comparare omnia neceſſaria, aut etiam producere vel vnam ariſtam ex terra poſſit: & fame perire neceſſe eſſet omnes, niſi Deus tanquam benignus paterfamiliâs quotannis fœcũdaret terram, atque ita victum omnibus largiretur. Eſt autem obſeruandum quod dicit, Deum paſcere eſurientes. Non enim ſemper eadem liberalitate effundit ſua bona, nec eadem eſt ſemper annonæ copia, ſed interdum propter hominum peccata ſubtrahit nonnihil de victu, vt egere atque eſurire incipiamus: Hic verò nemo deſpondeat animum, nec deſperet de bonitate diuina. Deus enim etiam in fame & ſũma annonæ penuria ſuos alit, vt ſuprà pſ. 31. verſu 19. dicitur.

Iehoua ſoluit vinctos] Etiam hoc bonitatis Dei & amoris erga ſuos argumentum eſt, quod coniectos in vincula mirabiliter ſeruat & liberat, vt Ioſephum, Danielem, Petrum Apoſtolum, vide Pſalmos 68. & 107. Nulla igitur neceſſitas tanta eſt, in qua Deus opitulari non poſſit: nec fruſtra in eum ſperatur, vt in homines. Si in ſpecie ad eccleſiam hoc dictum transferatur, captiuitas diaboli intelligi poteſt.

8 Iehoua illuminat cæcos: Iehoua erigit incuruatos: Iehoua diligit iuſtos.

Quartum argumentum, quo bonitatem ſuam & potentiã Deus oſtendit, eſt, quòd cæcis, hoc eſt, oppreſſis mortis horrore, ita vt deſtituti omni ſpe auxilij externi nihil niſi mortis tenebras videant & in rerum omnium deſperatione verſentur, tandem oculos aperit & illuminat, hoc eſt, diſcuſſo periculo & adempto metu eis rurſus ſpem liberationis oſtendit, atque ita eos exhilarat. Cæcitas enim, de qua hîc loquitur, non intelligatur principaliter de corporali aliqua cęcitate (quanquam in hac quoque ſananda & tollenda ſæpe potentiam & admirandam bonitatem ſuam Deus oſtendit) ſed de animi cæcitate, qui in magnis doloribus & periculis nihil habet conſilij, & tanquam attonitus hærens deſperationi proximus eſt. Deus igitur oſtendens ſalutare conſilium in maximis ærumnis & periculis, atque ita exitum patefaciens, dicitur illuminare cæcos, vt qui antea quid agerent, aut quomodo ſe expedirent, non videbant, nunc omnia videant eſſe plana & expedita, atque ita ex magno dolore in ſummam lætitiã coniiciantur.

Poteſt

Poteſt autem etiam hoc membrum in ſpecie ad eccleſiam accōmodari. Pij enim in maximis doloribus ortis à ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, illuminantur diuinitus accenſa fide per verbum, vt intelligant paternam Dei voluntatem erga ſe, & in hac acquieſcant. Ita igitur lux oritur in horum mentibus & corde, qui antea ſedebant in tenebris & in vmbra mortis, vt Zacharias canit, Lucæ 1.

De quinto argumento diximus ſuprà pſalmo præcedente. *Curuos* nominat potentum violentia & tyrannide oppreſſos, ſuntque iniuriæ multiplices quibus onerantur boni in hac vita.

Iehoua diligit iuſtos] Hoc ſextum eſt argumentum bonitatis Dei. Diligit iuſtos, hoc eſt, eos qui poſtquam recepti ſunt in gratiam, & ius adoptionis filiorum conſecuti ſunt, iuſtitiæ & vitæ integritati ſtudent. Eſtque emphaticum quòd toties repetit nomen Iehoua. Vult enim monere iuſtos, certum & tutum ipſis ad hunc Deum eſſe aſylum. Plerique exiſtimant bonos non eſſe curæ Deo, eò quòd ad iniurias ipſorum interdum conniueat: atque ideo, quia exiſtimant negligi à Deo res humanas, non accedunt ad eum, non petunt nec expectāt ab eo liberationem, malúntque putreſcere in ſuis miſeriis, quàm ad hunc Deum fruſtrà (vt exiſtimant) confugere. Horum dubitationi & diffidentiæ vt occurrat, & oſtendat certum ac tutum refugium eſſe ad hunc Deum, toties iterat vocem Iehoua.

Deinde hoc quoque obſeruetur, quod in hoc membro promiſſiones generales, de quibus antea dictum eſt, ad iuſtos reſtringit, vt intelligamus quales eſſe debeant qui bonitatis eius volunt fieri participes. Sunt iuſti, inquit, qui hæc beneficia petunt & expectant. Quomodo autem homo fiat iuſtus coram Deo, & qui dicantur iuſti, alibi explicatur copioſiùs.

Tertio, etiam hoc obſeruetur, quòd dicit, diligi iuſtos à Deo. Vult enim occurrere obiectioni, quæ ſumitur ex euentis. Iuſti enim in hac vita ferè ſunt ſubiecti ærumnis, & differtur ſæpe liberatio diutius. Hic clamant multi, iuſtos non eſſe curæ Deo, ſed deſeri & negligi ab eo. Reſpondet igitur propheta, Etiamſi eccleſia eſt ſubiecta cruci, tamen interea Deus diligit iuſtos. Iuſti enim ſunt in gratia apud Deum propter filium, quem propoſuit Deus mediatorem per ſanguinē eius, ideoque iuuantur & ſeruantur à Deo. Nequaquam igitur negligit eos Deus, nec abiicit curam ipſorum, vt mundus exiſtimat, nec vana eſt piorum fiducia etiam in ærumnis, cùm contra ſpem in ſpem credunt.

9 Iehoua cuſtodit peregrinos: pupillum & viduam ſuſtentat: & viam impiorum diſperdet [*ſubuertit.*]

Septimum bonitatis diuinæ argumentum eſt, quod eos qui deſtituūtur humanis ſubſidiis & præſidiis, & qui præ cæteris, iniuriis obnoxij ſunt, ſuſcipit tuendos & fouendos. Nam cùm nominat peregrinos, pupillos & viduas, ſynecdochicè complectitur omnes qui vt plurimùm iniuriis ſunt obnoxij. Apud Pindarum dicitur, τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ᾽ οὐ μέλει ἀνθρώποις, & vnde nulla ſpes lucri affulget, nemo ferè aliquid curæ aut laboris pro eo ſuſcipit. Ideo peregrini, pupilli, viduæ & his ſimiles negliguntur ferè ab hominibus, & nemo eſt qui eorum calamitate, vt debebat, afficiatur, aut qui iniurias ipſorum vindicet. Non tamen carent illi neceſſariis præſidiis. Deus enim tuetur eos & defendit, &, ſi qua ipſis iniuria fiat ab impiis, ille ſe vindicē offert, & in pœnis iuſtum ſuum iudiciū aduerſus impios declarat. Ergo quæcunque neceſſitas aut quodcunque periculum ingruat, monet propheta comparatum eſſe piis & bonis neceſſarium præſidium & liberationem, nec falli eos qui à ſolo Deo petunt & expectant defenſionem & liberationem. Econtra verò turpiter falli & deſeri omnes, qui ponunt carnem brachium, aut fiduciam ſuam.

Viam impiorum] Hæc comminatio per antitheſin additur ad confirmandam certitudinem promiſſionum, & ad refutandas obiectiones impiorum, quæ ab euentis ſumuntur. Impij florent in hoc mundo potentia & opibus, & iudicantur beati, qui hos habent patronos: ſed nō tantùm horum ſpes fallitur, ſed ipſi impij in medio felicitatis curſu rapiuntur ad pœnas, & euertuntur: atque ita cum ipſis perit omnis ipſorum gloria, & ſtultorum, qui ab his pendebant, fiducia.

Nomine viæ (vt ſuprà Pſal. 1. & alibi) intelligit totum vitæ curſum, omnia conſilia, conatus & actiones: has ſubuertet, ita vt omnia aliter quàm illi ſperarant, eueniant.

10 Regnabit Iehoua perpetuò: Deus tuus Sion in generationem & generationem. Haleluiah.

Cōcludit pſalmum alia ratione ſeu argumento ſumpto ab æternitate regni Dei: de quo & ſuprà pſalmo proximo nonnihil diximus. Cætera regna in hoc mundo ſunt caduca, & habent ſuos periodos, quibus circumactis corruunt. Solum hoc regnum eſt firmū & perpetuū. Ergo laudandus eſt hic Deus, & meritò huic ſoli fidendum. Si enim propter momētaneam & inſtabilem potētiam homines coluntur, quanto magis hic rex, cuius regnum eſt æternum, eſt colendus & adorandus?

Addit autem, *Deus tuus Sion.* Primùm vt diſcernat eum ab omnibus commentitiis numinibus, dum affirmat ſe loqui de hoc Deo qui ſe in Iſrael patefecit. Deinde pronomine *tuus*, monet, in quem finem hoc regnum ſit inſtitutum, nempe vt populo Dei ſalutem adferat, non vt in exitium aut perpetuas ærumnas & miſerias huius regis ſubditos coniiciat. Hic enim rex, qui perpetuò regnat, eſt Deus Sionis, hoc eſt, eccleſiæ ſuæ, cui ſe patefecit, & in qua domicilium habet. Ergo hoc regnū ad ſalutem huius cœtus eſt cōparatum, & qui membra ſunt veræ eccleſiæ, illi talem Deum, qualem hactenus pſalmus deſcripſit, experiuntur: & reipſa diſcunt, non vanam eſſe aut irritam fiduciam quæ in hunc collocatur.

PSALMI CXLVI.

PARTES.

I. Hortatio & propoſitio diuinæ laudis, verſic. 1. & 2. cui opponitur dehortatio ex contrario propoſitionem illuſtrans, ne fiducia, adeóque fiduciæ & laudis argumenta conſtituantur in vllo homine, v. 3. Ratio ſubiicitur petita à naſcendi ſorte, vitæ imbecillitate, moriendi neceſſitate, & repentino conſiliorum caſu, verſ. 4.

II. Propoſitio argumentorum laudis Dei, quorum genera ſunt tria. 1. Singularis conſcientia beneficiorum eius erga nos per fidem, v. 5. 2. Creatio & rerum creatarum adminiſtratio præſens, ordinaria, & extra ordinem, v. 6. 7. 8. & 9. 3. Æternitas regni eius in Eccleſia, v. 10.

Hæc argumenta laudis opponuntur vanæ hominum fiduciæ. Deus eſt creator, conſeruator, iudex, vindex, ſeruator, rex æternus. homo autem, etiam potentiſſimus, eſt ipſamet vanitas. Deo ſoli igitur gloria.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de fiducia in Deum Opt. Max. non in homines collocanda.

Verſ. 1. & 2. Omnibus modis ſumus animandi ad celebrandum Deum omni laude maiorem. Húncq; firmum & conſtantem affectū ſedulitas, animi ardor, & perſeuerantia ſequi debet.

Bonitas Dei erga nos ſatis ſuperq; teſtatur nobis laudum argumentum abundè ſuppeditare.

3. 4 Spes & fiduciæ humanæ nós à Dei laudibus & viua in eum fiducia abſtrahunt. Qui autem cōfidunt in hominibus, etiam in altiore gradu vitæ huius euectis, falluntur. 1. In eis nulla eſt ſalus. 2. Morti ſunt obnoxij. 3. Tunc omnia eorum conſilia, inſtituta & magnificæ pollicitationes pereunt.

5 Bene fundata eſt ſpes noſtra, vbi ſoli Deo innititur: & quum beatus ſit cui ille eſt auxiliator, ſequitur maledictos eſſe qui confidunt in hominibus. Vide Ierem. 17. 5. 7.

Nonniſi certa adoptionis fide fit vt quiſq; noſtrum in Deum recumbat: quia propitium nobis eſſe oportet, vt nobis paratum ſit eius auxilium. Ideo vocatur hîc Deus Iacob, & Iehoua Deus eorum qui in eum confidunt.

6. 7. 8. 9. 10. Sequuntur rationes propter quas nos in Deo confidere oporteat, non in hominibus quantumuis gloria & dignitate inter alios conſpicuis.

Prima, Deus eſt omnipotēs: creauit n. mūdi machinā, quā ſapiēter gubernat & tuetur. Homines ſūt ipſamet infirmitas & vanitas.

Secunda, Deus eſt fidelis & verax, ita vt mutari nequeat. Homine nihil eſt mutabilius vel fallacius: aut ſi quid ſāctè promiſit & obſeruare ſtudet, vita tot viciſſitudines & tādē exitus omnia iſta diſſipant.

Tertia, Deus eſt iuſtus oppreſſorum vindex, nec fauore, odio, perſo-

narum acceptione, inſcitia hominum, fraudibus, minis aut violẽtia impediri poteſt, quin iniuſtè afflictis ius reddat. Homines autẽ quàm grauiter & innumeris modis in eam partem peccant, ita vt meritò quis dicere queat,

Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Quarta, Deus victũ famelicis ſuppeditat, & miris modis tot hominum neceſſitatibus benignè prouidet. Quid poſſint principes in tot humanæ vitæ caſibus & neceſſitatibus, hiſtoriæ demonſtrant.

Quinta, Deus ex innumeris & inextricabilib. periculis, quos vult eripit. Principes ſibi ipſis, quum opus eſt, opem ferre nequeunt.

Sexta, Deus vias aperit, vt quid facto opus ſit, homines præuideãt. Mentis tenebras, tum vitæ præſentis, tum æternæ ſalutis reſpectu, facilè & momento diſcutit. Homines ſunt cæci, cæcorumq; duces: & quo magis euehuntur, minùs oculati apparent: ita vt facilè ruant præcipites, niſi Deus peculiari quadã ratione eos illuminet: teſte omnium temporum experientia & hiſtoria.

Septima, Deus homines afflictionũ mole grauatos facilè ſubleuat, priſtinúmque honorem & vigorem eis reſtituit: Principes minimè id præſtant, aut ſi velint, difficilè poſſunt: nec vnquam tempeſtiua vel conuenientia fiunt eorum auxilia.

Octaua, Deus pietatis & æquitatis cultores diligit & fouet. Homines vel ſeipſos, vel ſui ſimiles, id eſt, multiplicis vitij morbo laborantes amplectuntur, nec iuſtitiæ ſtudioſos, vt decet, excipiunt.

Nona, Deus ab aliis derelictos & mulctatos fauore & auxilio ſuo dignatur, vt iuſtus, bonus & miſericors magis ac magis appareat. Homines facilè in peregrinos, pupillos, viduas inſurgunt, vel, horũ cauſa relicta, ad clientes, diuites & propinquos vt plurimùm reſpiciunt.

Decima, Deus non impediri poteſt, quin impios ſuo tẽpore potenter corripiat & tollat è medio. Homines ἀταξίαν in mũdum ſemel inuectam ſtudioſè fouent: aut ſi emendare cogitant, adeo molliter id exequuntur, vt ſæpiſſimè remedia morbis ipſis deteriora ſint.

Poſtrema, Deus viuit & regnat in æternum. Homines & præſtantiſſimi quique in dies deficiunt. Ex his rationibus fluunt doctrinæ & conſolationes eximiæ, quas lector pius obſeruare facilè poteſt.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudum diuinarum argumentis.
2. Imbecillitatis humanæ tabella.
3. Fiduciæ in Deum collocandæ teſtimonia.
4. De vana in homine fiducia.
5. Prouidentiæ diuinæ, tum ordinariæ, tum extraordinariæ conſideratio.
6. De viæ impiorum ſubuerſione.
7. De iuſtitia, miſericordia, veritate, ſapientia & potentia Dei.
8. Regnum Dei in Eccleſia quomodo conſiderandum.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVII.

HIC Pſalmus ſcriptus eſt à reditu populi Iudaici ex captiuitate Babylonica, & ad eum vſum accommodatus, vt aſsiduè in templo decantaretur, atque hoc pietatis exercitio memoria beneficiorũ diuinorũ ſubinde renouaretur. Continet enim gratiarum actionem pro hoc ſummo beneficio, quòd Deus populum Iudaicum in varias gentes propter peccata ſua diſperſum immenſa bonitate rurſus collegit, & collectos in patriam reduxit, reſtituta illis non tantum politia, pace, œconomia & domiciliis: ſed, quod multò maius beneficium erat, reddito etiam & renouato miniſterio doctrinæ cæleſtis, qua ſola æterna Deo hæreditas in genere humano colligitur, & ſublatis doloribus ortis à ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, qui ſunt initiũ mortis æternæ, reſtituitur lætitia acquieſcẽs in Deo, & vita. Hæc præcipua bona ſunt, quæ in hoc pſalmo celebrat, eáque eò pluris æſtimãda affirmat, quòd ſolus hic populus diuinitus electus ſit, qui his bonis fruatur. Admiſcet autem poſtea etiam alia argumenta, quibus propoſitionem confirmat. Ea verò talia ſunt, vt quanquã promiſcuè totum genus humanum Deus his proſequitur, inuitare tamen præcipuè fideles ad gratiarum actionem debeant. Cùm enim mundus illa negligat, vult Deus illa aliquo modo in eccleſia agnoſci & celebrari. Sumpta autem ſunt illa argumenta partim ab opere creationis, in quo eius ſapientia & potentia præcipuè conſpicitur, partim ab aſsidua gubernatione & conſeruatione rerum creatarum, in qua bonitas & iuſtitia eius elucet, partim etiam à multis beneficiis corporalibus, quibus quotidie ſuam φιλανθρωπίαν toti generi humano declarat. Hæc ſumma eſt pſalmi. Poteſt autem accommodari pſalmus ad eccleſiam omnium temporum, in quam colliguntur & recipiuntur liberati à captiuitate diabolica, à damnatione legis, à peccato & morte, & ab his hoſtibus tuti redduntur, & quando iam ciues eccleſiæ facti ſunt fideles, quotidie maniſeſta præſentiæ & bonitatis Dei teſtimonia conſpiciunt. Prò his igitur beneficijs quotidie Deo *gratiæ ſunt agendæ, & noſtro exemplo cæteri ad hunc cultum ſunt inuitandi.*

1 LAudate Dominum, quia bonum eſt pſallere Deo noſtro: quia iucundum: decora [*eſt*] laus.

Propoſitio pſalmi eſt hortatoria. Nam qui pſalmum ſcripſit, quaſi ἔξαρχος fuit in publico cœtu huius carminis Euchariſtici, ideo ſuo exemplo hortatur cæteros ad celebranda beneficia diuina, & rationem addit ab honeſto. Quia nihil in vita eſt melius & ſuauius agnitione beneficiorum Dei, & gratitudine. *Bonum* intelligatur de eo quod diuinitus eſt præceptum & ordinatum, & quod Deo placet. Gratiarum actio nõ eſt quiddã ἀδιάφορον, multò minus eſt quædam ἐθελοθρησκεία, ſed cultus diuinitus mandatus & inſtitutus, ideo inquit, Quia bonum eſt. quo ſenſu etiam Micheas dicit capit. 6. Hoc eſt bonum, facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſolicitè ambulare cum Deo ſuo.

Quid intelligat cũ dicit, eſt *iucundum & decorũ*, conſiderata antitheſi faciliùs deprehendi poteſt. Primùm enim ingratitudine, quæ conflata eſt ex mẽdacio & iniuſtitia, nihil eſt turpius, nihil fœdius, nihil nocentius. Ergo rectè dicitur, gratitudinem eſſe iucundam & decoram, in qua duæ pulcherrimæ virtutes conſpiciuntur, veritas & iuſtitia. Deinde obliquè his vocabulis perſtringit prauitatẽ hominũ, quibus tædio eſt quælibet Dei mentio: ſumma autem voluptas, Deum & ſeipſos obliuiſci, quò ſibi liberiùs indulgeãt. Ergo vt ſe oblectare homines diſcant hoc pietatis exercitio, propheta dicit iucundum eſſe, ſi quis canendis Dei laudibus ſe addicat.

Deo noſtro] Id eſt, qui ſe nobis patefecit, quíque nobis hactenus adfuit, & iuxta promiſſionem nos defendit & liberauit. נאוה quidam deducunt à נאה Chaldaico, quòd ſignificat pulchrum, decorum, congruum. vnde in Commentariis, legitur מאמר נאה oratio congrua. Alij tamen ab אוה opto, deducunt, vt ſit optabilis, deſiderabilis: quaſi diceret, nullum eſt ſtudij genus, in quo maiore cum voluptate exercere ſe pij debeant, quàm in laudando Deo: nihil enim eſt optabilius.

2 Aedificans Ieruſalem Iehoua: diſperſos Iſraelis congregat.

Propoſitioni ſubiicit confirmationẽ, quæ varia habet argumẽta. Eſt autem primum in hoc verſu ſumptum à reductione populi, & reſtitutione eccleſiæ ac politiæ, in qua miſericordia Dei & bonitas maximè conſpicitur, ſicut inquit Ieremias, Miſericordiæ Domini, quòd nõ cõſumpti ſumus. Erant Iſraelitæ eiecti ex patria, & in triſtiſſimũ exilium abducti, atque in varias gentes & omnes mũdi plagas diſtracti propter peccata: & tamen Deus gentem Iudaicam colligit poſt annos ſeptuaginta, & patriæ reſtituit, & non tantùm vrbem & politiam: ſed imprimis eccleſiam & cultum diuinum reſtaurauit. Ideo enim nominat Hieroſolymam, quæ non tantùm erat caput regni, ſed etiam ſedes ſanctuarij: in quo verbũ Dei ſonabat, & pij cultus ex præſcripto verbi peragebãtur. Hæc igitur beneficia nunc cõmemorat: quæ eo magis admiratione & celebratione digna ſunt, quo maior fuit hoſtium rabies

bies in impedienda reſtitutione politiæ Iudaicæ: qua de re legantur hiſtoriæ eius temporis.

Quod verò hic in ſpecie de reſtitutione populi Iudaici dicit, id in genere ad eccleſiam omnium ætatum pertinet, cuius ædificator & collector eſt filius Dei, inter varias & triſtes confuſiones gentium & imperiorum, & defenſor aduerſus diabolorum furores, tyrannos & fanaticos homines. Hieroſolyma enim typus eſt eccleſiæ omniũ ætatum. Itaque ſicut tunc aduerſantibus omnibus diabolis, & toto penè terrarum orbe aduerſus Iudæos conſpirante, Hieroſolyma reſtaurata eſt: ita omnibus ætatibus eccleſia colligitur & ædificatur à filio Dei, & potenter defenditur contra hoſtes. Id beneficium agnoſcere & celebrare debemus.

Diſperſos] Hebraicè ſonat, propulſatos vel eiectos.

Colliget] Futurum pro præſenti ponitur non ſine cauſa. Etſi enim populo fiebat poteſtas redeundi in patriam: tamen non omnes vno tempore redibant. Eos igitur qui inter gentes manſerant, & horrendam diſtractionem gentis cum dolore videbant, conſolatur à ſpe futuræ reſtitutionis.

3 Sanans contritos corde: & alligans dolores eorum.

Secunda ratio ſumpta eſt ab effectu illius ſpiritualis beneficij, quòd cum politia ſimul reſtituit miniſterium doctrinæ & cultum. Hinc etiam veram conſolationem hauriebant pij, qua dolor omnis de admiſſis peccatis, de offenſo Deo, & de ærumnis ac pœnis ſcelerum leuabatur, & cordibus reſtituebatur pax & lætitia acquieſcens in Deo. Hic vſus eſt miniſterij euangelij. Ideo hoc beneficium præ cæteris magnifaciendũ & aſſiduè celebrandum eſt.

Vtitur autem propheta oratione figurata, in qua totum genus humanum, inſtar eius qui in latrones inciderat, Luc. 10. pingit ſauciatum eſſe lethaliter à diabolo: in quo ſanando & reſtituendo filius Dei fungatur officio fidelis & periti medici. Hunc enim dicit ſanare contritos corde, & alligare dolores eorum, hoc eſt, ſanare morbos & vulnera naturæ noſtræ ſpoliatæ & ſauciatæ à diabolis, & mitigare ac tollere dolores ex vulnerum illorum ſenſu ortos. Id quomodo faciat, oſtendit hiſtoria Samaritani apud Lucam, quæ cum hoc loco conferenda eſt. Et Ieſa. 61. ſimilibus verbis hoc officium Meſſiæ deſcribitur: Spiritus Domini ſuper me, ideò vnxit me ad annuntiandum afflictis, miſit me ad alligandum contritos corde, ad annuntiandum captiuis libertatem & vinctis apertionem.

4 Numerans multitudinem ſtellarum: ſingulis nomina imponens.

5 Magnus Dominus noſter, & magnus [*ſeu multus*] virtute: intelligentiæ eius non eſt numerus.

Hactenus de iis beneficiis dixit, quæ peculiariter huic populo erant exhibita, & iterum de his dicet in fine huius pſalmi. Nunc alia ſubiicit generaliora, ex quibus Dei potentia, ſapientia & bonitas, conſpicitur, vt etiamſi illa ſpecialia beneficia in Iudæos non extarent, dignum tamen eſſe Deum oſtendat, qui ab ipſis agnoſcatur & celebretur.

Eſt autem primum argumẽtum hoc loco ſumptum ab opere creationis ſeu admirabili cœli opificio, vbi in ſpecie ſtellas nominat, in quibus numerus, ordo, proportio, ſeu figura corporum, certitudo motuum, vis manifeſta & ordinatio ad certos fines, admirabilem Dei ſapientiam, virtutem & potentiam accommodat.

Singulis nomina imponens] Id eſt, ſingulis attribuit certum & diſtinctum munus, vt in tanta turba nihil ſit confuſum. Nomina enim imponit ſtellis à munere, ab officio, ſeu ab effectibus. Nō enim ſunt nomina fortuita: ſed ſignificãtia qualis ſit cuiuſque natura, & ſimul cum nominibus vſus attribuitur. Alij ſimpliciter pro certiore cognitione nomen poſitum eſſe volunt.

In verſu quinto exclamatio eſt, orta ex admiratione potentiæ & ſapientiæ diuinæ, quæ in operibus Dei conſpicitur.

Multus virtute] Id eſt, qui omnes creaturas potẽtia & virtute ſuperat.

Non eſt numerus] Id eſt, non poteſt capi humana intelligẽtia magnitudo ſapientiæ diuinæ. Eſt enim infinita.

6 Subleuat [*ſuſtentat*] oppreſſos Iehoua: humiliat impios ad terram.

A cœlo ad terram deſcendens opera prouidentiæ diuinæ inter homines recenſet, quæ ſicut digna ſunt admiratione: ita vult ea ab omnibus agnoſci & celebrari. Homines afflicti & ærũnoſi ferè negligũtur ab omnibus & contemnũtur. Nam quò ſe fortuna, eodẽ & fauor hominũ inclinat: Deus tamen, quę eſt eius bonitas & φιλανθρωπία, deſertos ab hominibus fouet, ſuſtentat, tuetur, defendit, prouehit, ornat. Econtra verò impios, hoc eſt, fiducia ſuarum opum aut potentiæ tumentes, & Dei iudicia ridentes & contemnentes, ex faſtigio ſuæ dignitatis & potentiæ ad terram deiicit & contemptiſſimos reddit. Superbis enim reſiſtit, humilibus dat gratiam. Quod etiam ethnici longo vſu & experientia obſeruarunt. τὰ γὰρ ὑπερέχοντα πάντα κολούει θεός, inquit Herodotus in Polymnia. Et Euripides in Hera, inquit, τῶν φρονημάτων ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων. Hæc igitur ſunt prouidentiæ diuinæ opera, in quibus ſapientiam & iuſtitiam ſuam Deus oſtendit, & nos monet ne nos vrat æmulatio, ſi videamus florere impios. Sed ad eccleſiam hæc quoque ſunt accommodanda. Miſeros inprimis nominat perterrefactos ſenſu iræ Dei aduerſus peccata, ac metuentes iram & iudicium Dei: hos erigit & ſuſtentat voce euangelij, & Spiritu ſancto confirmat corda eorum, atque ita retrahit eos ex doloribus inferorum. Deinde, etiãſi cruce onerat eccleſiam: tamen non abiicit curam eius, ſed ſuſtentat & confirmat eam, vt ferre onus poſſit: & tandem glorioſè eam liberat. Econtra impios tumentes perſuaſione iuſtitiæ ſuæ, & ſe ſupra nubes efferentes, abiicit à ſuo cōſpectu & damnat. Hæc opera digna ſunt admiratione & celebratione, quemadmodum Maria in ſuo cantico ea prædicat. Ideo mox ſequente verſu repetit propoſitionem pſalmi.

7 Canite Iehouæ in laude, pſallite Deo noſtro in cithara.

Iubens vt ore & inſtrumentis muſicis laudes Dei canantur & celebrentur, alludit ad veterem legis ritum, quo tempore Leuitæ canebant ad citharam & alia inſtrumenta, vt aliquoties iam monuimus.

8 Qui operit cælum nubibus: parat terræ pluuiam: germinare facit herbam in montibus [*vel montes germinare.*]

Propoſitioni iteratæ ſubiicit alias rationes, à nutritione & aliis beneficiis corpori neceſſariis, atque de hoc argumento dictum eſt ſuprà Pſalmo 145. Id tãtũm moneo, Spiritum ſanctum toties hoc argumentum repetere in pſalmis & alibi, vt refutet hominum ſomnia, qui exiſtimant victum & cætera corporis bona vel caſu obiici, vel neceſſitate quadam ex terra prouenire, vel parari humana induſtria. Difficulter. n. hæc perſuaſio animis hominum eximitur, vbi illa altius inſedit, ibi ſicut Deus non rectè agnoſcitur: ita ianua patefit multis ſceleribus. Ideo neceſſe eſt animos his commonefactionibus præmuniri, vt ſciant Deum eſſe, in quo ſumus, viuimus, & mouemur. Orditur autem propheta à nubibus, quæ imbribus effuſis terram humectant, éamque fœcundam reddunt. Id exiſtimat vulgus fieri temerario materiæ fluentis motu. Stoici neceſſitate quadam immutabili: & Phyſici non altiùs conſcendunt, quam vt ad ſtellarum vires, illorum vaporum, ex quibus nubes gignuntur, eductionem referant. Sed ſicut ſuprà pſalmo 135. de ventis dicit, Deum producere eos de theſauris ſuis: ita in eo Pſalmo, & in hoc loco inquit, Deum educere nubes ab extremo terræ, & operire cælum nubibus, vt ſciamus fœcundationem terræ, quæ fit quotannis pluuiis cœlitus demiſſis, eſſe opus Dei, & vapores illos tanquam medias cauſas inſeruire prouidentiæ Dei.

Parat terræ pluuiam] Sententia ſuprà pſalmo 104. his verbis exponitur: Irrigat montes de excelſis ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Et huc pertinet Ieremiæ ſententia cap. 14. Nunquid ſunt in ſculptilibus gentium qui pluant, aut cæli poſſunt dare imbres? Nonne tu es Domine Deus noſter, quem expectauimus, & qui omnia hæc feciſti? Nequaquam caſu cadit pluuia in terram, aut vago materiæ motu nunc hoc in loco pluit nunc alibi: ſed iubente Deo & ſuo imperio educente nubes ex terra & mari, ac circumducente nubes à ſe creatas.

9 Qui dat iumento cibum ſuum: filiis coruorũ qui [*vel quando*] clamant [*nimirum ad Deum.*]

Secunda ratio ſumpta eſt à cauſa finali creatarum pluuiarum, & fœcundatæ terræ ac productarum herbarum. Ideò, inquit, fœcundat terram atque educit gramina, herbas & fructus, vt alat non homines tantùm, ſed iumenta quoque. Poſtea amplificat beneficium ab exemplo: Tanta, inquit, eſt eius bonitatis vis, vt non tantum homines & iumenta, ſed etiam pullos coruorum deſertos à parentibus & pro victu clamantes, alat: quod genus auium eſt cōtemptiſſimum. Tradunt qui naturalem hiſtoriam ſcripſerunt, tantam eſſe ἀστοργίαν in coruo, vt propter deformitatem, aut quòd recens nati albeſcãt, per aliquot dies deſerat pullos implumes, quos interea Deus alat mirabiliter vermiculis natis ex ſtercoribus & ex cadauerũ carnibus in nidos congeſtis, donec nigreſcant. Id verũ ſit an nō, in medio relinquo. Certe huc alludere videtur Pſalmus,

& Iob cap.39. Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli clamant ad Deum, & vagantur huc atque illuc abſque cibo? Filij coruorum dicuntur Hebræis pulli. Quanquam pro ipſis coruis accipi id poſſit, ſicut ſuprà Pſal.4. de filiis viri dictum eſt: ſed ſentētia ex Iobo citata oſtendit rectiùs de pullis intelligi. Quòd dicit pullos clamare, alludit ad crocitum quo veluti teſtantur ſe eſſe famelicos, & à cōditore omnium rerum victum petunt.

10 Non in fortitudine equi placet ei: neque in cruribus viri delectatur.

11 Beneplacitum eſt Iehouæ ſuper timentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Subiicit epiphonema, quo priorem huius pſalmi partem concludit. Diximus autem Deū proponere hæc exempla bonitatis ſuæ & φιλανθρωπίας, quam in aſſidua ſuſtentatione hominum atque etiam beſtiarum, quæ hominis cauſa conditæ ſunt, oſtendit, vt diſcamus non conſeruari vitam hominum, nec parari victum aut opes, induſtria aut viribus hominū, ſed à ſolo Deo vitam & incolumitatem noſtram pendere. Atque id hactenus exemplis in medium adductis docuit. Ex eo verò hæc admonitio extruitur, vt cùm vitā noſtram, & cætera corporis bona Deo debeamus, fiduciam noſtri abiiciamus, & ad ſolum hunc creatorem & conſeruatorem rerum omnium confugiamus. Id igitur vt doceat Pſalmus, oſtendit, robur in creaturis, induſtriam, prudentiam & alia quę hominibus adminiculo ſunt ad quærendas opes, eſſe quidem Dei dona, & ſuo ordine Deo placere: ſed non eſſe his ita vtendum, vt ſi quid nobis ſecundùm voluntatem noſtram accidat, id omne his rebus externis adſcribamus: ſed potiùs in agnitione peccatorum & infirmitatis noſtræ Deum timeamus, & vera fide ad huius miſericordiam confugiamus, & bona huius vitæ ab ipſo petamus. Nam hoc cultu ille præcipuè delectatur, & ideo hanc vitam voluit indigere tot rebus, vt in petitione harum rerum fidem & ſpem exerceremus.

Sub *fortitudine equi*, per ſynecdochen complectitur omne præſidij externi genus, quo homines ἄθεοι confidunt. Fallax eſt equus ad ſalutem, & in multitudine roboris ſui nō eruet. inquit Pal.33.

Tibiis viri] Robur tibiis exploratur: ſicut Germani dicunt, *Es muſſen ſtarcke beine ſein, die gute tage ertragen ſollen*, id eſt, hominem robuſtum eſſe oportet, qui ęqua mente commoda pati poſſit. Eſt igitur metonymia in hoc locutionis genere.

12 Lauda Ieruſalem Iehouam: lauda Deum tuum Sion.

Iterum repetit propoſitionem. Arabs ac Græcus hoc loco diuidunt Pſalmum, ita vt ſint duo diſtincti Pſalmi de vna & eadem re ſeu argumento ſcripti, ſicut econtra nonum & decimum coniungunt. Sed ſequimur Hebræorum diſtinctionē quam & Hieronymus probat. Compellat autem Ieroſolymā & Sionem, hoc eſt, ciues veræ eccleſiæ. Quia cùm mundus illa beneficia diuina negligat, vult ea ab eccleſia agnoſci & celebrari, & quæ ſequuntur beneficia, erant pleraque peculiaria huic populo.

Obſeruandum autem, quod præteritis ſacrificiis poſtulat laudes: vt oſtendat quis ſit principalis cultus etiā in veteri teſtamento. Inſtituerat quidem Deus ſacrificia pacifica ſeu σωτήρια: ſed fuit hæc tantùm pædagogia, quæ de ſpiritualibus cultibus pios admonebat.

Ingeminatio eiuſdem verbi ardentem cordis affectum in autore pſalmi notat, quò torporem & negligētiam reliquorum corrigere conatur: Plerique enim frigent & ſunt negligentes in conſiderandis beneficiis diuinis. Ideo hos excitaturus inquit, Lauda, lauda, inquam: quaſi diceret, etiamſi cæteros videas ſtupere ad beneficia diuina, tu tamen Sion, quæ tot bona accepiſti à Deo, lauda: atque ideo addit, Deum tuum.

13 Quia roborat vectes portarum tuarum: benedicit filiis tuis in medio tui.

Rurſus ſubiicit rationes à beneficiis partim huic populo peculiaribus, partim generalibus, quæ ad omnes homines ſpectant. Erit autem huius verſus ſententia illuſtrior, ſi ad hiſtoriam eius temporis, de quo & in argumento dictum eſt, accommodetur. Cùm rediiſſent Iudæi ex Babylone, erant pauci numero, nudi & inermes, & magno labore ac difficultate reſtituebatur vrbs Ieroſolyma aduerſariis omnibus vicinis gentibus. Et tamen in tanto hoſtium furore Deus tuebatur hanc vrbem, & muro igneo, vt eſt apud prophetam, eā circūdabat, vt ciues tuti eſſent ab hoſtium incurſionibus. Poſtea etiam familias ſingulas conſeruabat, augebat, & bonis multiplicibus ornabat, liberalius quàm quiſquam cogitare potuiſſet. Suntque inprimis quatuor inſignia beneficia, quę tunc populo præſtitit. Defenſio, benedictio, pax, victus. Hęc igitur beneficia in hoc Pſalmo celebrat, & ſimul monet, eccleſiā omni tempore tutam & ſaluam eſſe, Deo eam defendente, & firmis præſidiis muniente, & curſum euangelij felicem eſſe, Deo multos per verbum filios gignente.

Cæterùm vectes vrbis intelligantur ſynecdochicè comprehendere ea omnia quę ad conſtituendas, muniendas & ornandas politias pertinent, & quæ nerui ſunt gubernationis politicæ, vt ſunt leges, iudicia, arma, opes, ſapientia gubernatorum, felicitas in rebus agendis, &c. Opponitur autem verſus vtrique vitio, ignauiæ & fiduciæ humanorum præſidiorum, cùm dicit, Confortat vectes portarum. Vult à nobis fieri vectes, portas, muros, &c. ſed ipſe hos confortat, dum hoſtes arcet, & politias honeſtas defendit. Sicut Pſalmo 127. dicitur: Niſi Dominus ædificauerit, fruſtra laborat qui ædificat eam.

14 Qui ponit fines tuos pacem: pinguedine frumenti ſatiat te.

Hæc quoque beneficia accidebant Iſraelitis ab exilio reuerſis præter omnem ſpem. Etſi enim omnes gentes aduerſabantur, & conabantur impedire reſtitutionem: ſubinde etiam armis ſumptis inuadebant Iudæos, & ſegetes cum cæteris fructibus agrorum perdebant: tamen ſicut in illis periculis præſenti ſuo numine Deus eos defendit: ita tandem hoſtium animos flexit, vt populo Iſraelitico pacem & tranquillitatem concederent, & ſimul cum pace omnium rerum vberem prouentum & annonam largitus eſt. Monemur igitur vt hæc beneficia agnoſcamus. Fruimur nos quoque diuturna pace præter omnem ſpem, & alimur diuinitus. Illa beneficia agnoſcamus & grati celebremus. De commodis pacis alibi dicitur.

Adipe frumenti] Id eſt, optimo tritico ſeu pura farina. Nam quicquid eſt optimum in aliqua re, id vocāt adipem ſeu medullam eius. Synecdochicè autem comprehendit omnia ad victum & cultum corporis pertinentia.

15 [*Dum*] emittit eloquium ſuum terræ: valde velociter currit ſermo eius.

Amplificat commemorationem beneficiorum ab inſtrumentis, quibus Deus in horum diſtributione vtatur. Nam vt in beneficiis immenſa bonitas eius: ita in modo diſtributionis potentia eius & virtus magis conſpicitur digna admiratione & celebratione. Homines cum aliquid magnum moliuntur aut efficere conantur, pluribus inſtrumentis & adminiſtris vti coguntur. Deus verò ſolo verbo & nutu ſuo omnia quæ vult efficit idque non cum mora aliqua, ſicut inter homines moraſæ e lōgiſſima intercedit, donec quod inſtituerunt perfici[illegible] ed celeriter currit eius ſermo ſeu mandatū, & incredibili celeritate ſequitur effectus, nihil enim eſt quod eius curſum aut efficaciā impedire poſſit. Omnia enim huic cedunt, omnia prona ſunt, omniáque cooperari & ſeruire ei coguntur, vt in Geneſ. dicitur, dixit Deus, Fiat lux, & factum eſt. Et Pſalmo 33. Verbo Domini cæli facti ſunt. Item ipſe dixit, & facta ſunt. Sicut enim initio, verbo creauit hunc mundum: ita verbo eundem regit & ſuſtentat. Hebr.1.

Emiſſio igitur eloquij in hoc verſu non intelligatur de patefactione voluntatis diuinæ, ſed de imperio eius, quo hunc mundum gubernat. Eſtque emittere verbum, idem quod iubere ſeu præcipere.

Celeriter currit] Metaphora ſumpta eſt à curſoribus, qui accepto mandato à Domino celeriter currunt & mandata perficiunt. Dei igitur verbum ſeu mandatum quaſi nuntius eſt emiſſus à Deo, oſtendens quid fieri velit Deus. Is igitur ſermo ſeu mandatum quando editur aut egreditur ex ore Dei, præſto ad parendum concurrit tota rerum creatura, atque ita celeriter omnia perficiuntur. Hæc dulcem conſolationem habent, præſertim quando omnia inter homines videntur eſſe deplorata. Poteſt enim Deus omnia vno momento in melius mutare.

16 Qui dat niuem ſicut lanam: pruinam quaſi cinerem ſpargit.

17 Proiicit glaciem ſuam quaſi fruſta: coram frigore eius quis conſiſtet?

18 Emittet ſermonem ſuum & liquefaciet ea: flabit Spiritus eius [&] fluent aquæ.

Confirmat exemplis aſſeuerationem de efficacia & celeritate verbi diuini. Deus, inquit, facit ſubitas tēpeſtatum mutationes, ſubitò facit conuerſionem æſtatis in hyemem, aquas pluuias cōuertit in niuem, rorem in pruinam, aquam in currenti flumine in glaciem. Rurſus cùm vult, facit ſubitā cōuerſionem

ſionem hyemis in æſtatem, & vnico verbo ſeu nutu diſſoluit niues & glaciem, & reducit tempus vernum. Hinc igitur potentia eius & efficacia mandatorum eius ſeu verbi celeritas animaduerti atque intelligi poteſt, & hæ admirandæ rerũ conuerſiones teſtantur eſſe aliquod in cælis numen, quod ſit infinitæ potentiæ, & quod res deſperatiſſimas conuertere ſubitò in meliorem ſtatum poſſit.

Vtitur autem elegantibus ſimilitudinibus in deſcriptione meteororum & glaciei, vt nos ad conſiderationem harum rerum diligentem magis inuitet, & potentiam ac bonitatem Dei amplificet. Aquas pluuias cùm conuertit Deus in niues, ita rarefacit, vt inſtar lanæ candidiſſimæ de cælo decidant. Ita ſubitò nouam formam ei induit, eáque ipſa nos commonefacit, vt ſtatuamus etiam in ſumma frigoris aſperitate non defuturam nobis lanam, qua corpora tegamus & muniamus. Sicut enim in æſtate, cùm terram & corpora torret ſolis calor, aquis pluuiis demiſſis mitigat æſtum, & recreat terram & corpora calore exhauſta: ita hoc tempore quaſi lana terram veſtit, ne aſperitate frigoris & ventorum lædatur. Itaque & nos credamus, non defuturum nobis veſtitum, quo corpora muniamus. Non igitur ſimilitudinis tantùm cauſa hac imagine vtitur: ſed ſimul vtilitatem & commoditatem niuis exprimere voluit.

Pruinam comparat cineribus, primùm à ſimilitudine. Deinde, quia hîc quoque cõditor rerum omnium tacitè nos monet, ſe in ſummo frigore curaturum, vt calore foueantur corpora noſtra, ne, procul à vertice noſtro diſcedente ſole, frigore hyberno enecentur.

Cinis enim monet ignem ſubeſſe quem foueat. Deus igitur pruinam ſpargens inſtar cineris, indicat ſimul ſe in ſummo frigore corpora noſtra & terram intus fouere, ne calor natiuus extinguatur. Glaciem comparat fruſtis ſeu buccellis panis. Primùm à ſimilitudine, deinde vt moneat Deum etiam in ſummo frigore & in media hyeme, cùm terra rigore conſtricta nihil profert in vſum hominum, proſpicere nobis de victu. Ita ſecundùm Gregorium in oratione de Cypriano. διὰ τῶν ἐναντίων ἐναντία οἰκονομεῖ ἡ θεία σοφία, ἵνα καὶ μᾶλλον θαυμάζηται. Atque hinc dicere ſolebat Lutherus, opera Dei fieri in mediis contrariis. Sicut Iris, quæ naturaliter pluuiæ nũtia eſt, (fit enim in nube rorida) eadem ſignum fœderis eſt de non ſecuturo diluuio, & de mãſuro naturæ ordine. Ita nix, glacies, pruina; quæ terram obruunt & impediunt, ne quid proferat in vſum animantium, ſimul nos commonefaciunt Deum eſſe nutritium noſtrum, qui de victu & veſtitu nobis proſpiciat. Sicut enim in hyeme calorem terræ fouent: ita corporibus noſtris idem præſtare Deum oſtendunt, quibus varia tegumenta contra cæli & tempeſtatum iniuriam creauit. Tandem etiam vbi ver adueniat, calidis flatibus à ſe creatis atque emiſſis, mollit cælum, diſſoluit glaciem, liquefacit niues, & terram ac maria aperit, vt rurſus coli terra & mare nauigari poſſit. Hæc admiranda ſunt Dei opera, quæ digna ſunt admiratione & celebratione.

Poſſunt autem hæc omnia rectè etiam per allegoriam ad eccleſiam accommodari. Eccleſia interdum vexatur aſperrimo frigore, in quo vix conſiſtit, ſicut verſu decimoſeptimo inquit, Coram frigore eius quis conſiſtet? Sed tamen temperat Deus aſperitatem frigoris verbo ſuo, tanquam veſtimento, & ſpiritu ſuo, tanquam igne: & in ipſa cruce oſtendit ſibi eccleſiam ſuam curæ eſſe, dum nos ſuſtentat & tuetur: tandem etiã hyemem, hoc eſt, ærumnas & calamitates conuertit in lætiſſimum ver, cùm integra liberatio ſequitur. Ita Hilarius hos verſus interpretatur.

Flabit] Quidam reddunt, reducet ſpiritum ſuum, ac ſi verbum eſſet שוב, & ſcriberetur ישיב: ſed verbum eſt נשב, ex tertia coniugatione, quod afflare ſeu efflare ſignificat. Sicut נשף ſignificat fortiter ſpirare ſeu flare: ita hoc verbum vicinum, quod molliorem literam in fine habet, ſignificat leniter flare, atque ita tepidum quaſi halitum emittere. Poteſt autem in tertia coniugatione etiam trãſitiuè exponi, faciet flare ſpiritum ſuum. Eſtque pronomen obſeruandum, quod congruit cum teſtimonio Pſalmi 135.

19 Annuntiauit verbum ſuum Iacobo: ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraeli.

Hactenus de corporalibus bonis dixit, in quibus ſapientiã, potentiam, bonitatem & φιλανθρωπίαν Dei vult cõſiderari. Nunc in fine celebrat ſumma & ſpiritualia beneficia, quæ non ad victum & cultum corporis, ſed ad animarum ſalutem pertinent, & quæ populo Dei ſingulari beneficio ſunt conceſſa. Hæc igitur beneficia, quibus nihil eſt maius aut præſtabilius, vult præ cæteris à piis agnoſci & celebrari.

Miſit verbum ſuum] Verbum hoc loco non intelligatur, vt antè, de mandato ſeu imperio, quo cuncta in hoc mundo moderatur & gubernat: ſed de verbo, quo voluntatem ſuam patefecit eccleſiæ. Itaque non dicitur emittere hoc verbum, ſed annuntiare poſteris Iacob. Eſt autem illa patefactio Dei ſummum beneficium. Cùm enim de Deo, niſi ipſo docente, nihil ſciri poſſit, & ſine Deo vita & ſalus nulla ſit, nihil potuit maius dare Deus generi humano, quàm quòd ſe & voluntatem ſuam patefecit in promiſſione euangelij.

Vocabulis חקים & משפטים complectitur leges. Primùm moralem, deinde forenſes & ceremoniales. Et lex quidem moralis eſt omnium temporum & ætatum, & omnes creaturas rationales obligat. Cumque ſit norma ſapientiæ & iuſtitiæ in Deo, & oſtendat ad quam integritatem ſeu conformitatem cum Deo conditi ſimus, magnum Dei beneficium eſt, quòd hanc legem in tantis tenebris mentium humanarum, & in tanta corruptione naturæ noſtræ rurſus patefacit, & non tantùm patefacit, ſed etiam ſpiritu ſuo ad hanc conformitatem cum Deo in eccleſia nos regenerat. Cæteræ leges forenſes & ceremoniales, non tantùm eo gratæ erant populo Iudaico, quòd ordinem politicum ſancirent & confirmarent, & certos colendi Dei ritus præſcriberent: ſed etiam quòd varij typi & imagines in his proponerentur, quæ ad doctrinam & conſolationem pertinebant, & de rebus futuris monebant: Vt, quàm pulchra imago & doctrina eſt propoſita in arca fœderis & propitiatorio? Quanta conſolatio & doctrina in mactatione victimarum & aſperſione ſanguinis? Hæc omnia conſiderans propheta, prædicat & commendat hoc loco illa ſumma beneficia, & vult illa, vt par eſt, diligenter conſiderari, atque in hac cogitatione animos ad gratitudinem accendi. Nomine Iacobi & Iſraelis, intelligit populum Iudaicum, quem Deus ſancito fœdere cum Abrahamo ſibi ex toto genere humano in peculium delegit & adoptauit: quo beneficio nullum maius cogitari poteſt. Ideo Paulus Rom. 3. hoc amplificans inquit: Quid igitur habet, in quo præcellit Iudæus? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Nam primùm quidem illud, quòd illis commiſſa ſunt oracula Dei, &c. Et capite nono de Iſraelitis inquit, quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones, quorum ſunt patres, & ij, ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem. Hæc poſſunt amplificari & enarrari copioſè.

20 Non fecit taliter omni nationi [*cuilibet genti*,] & iudicia [*eius*] non nouerant ea, Haleluiah.

Amplificat beneficium à comparatione ſeu antitheſi. Habent enim cæteræ gentes ſuam ſapientiam, potentiam, opes ſeu ornamenta & varia dona, quibus Deus pro ſua φιλανθρωπίᾳ eos ornat. Sed hoc beneficium noſtræ genti, inquit, eſt proprium & peculiare, quòd nobis tradita eſt promiſſio de Meſſia, & attributa eſt certa politia, in qua hæc promiſſio vſque ad eius aduentum conſeruetur. Hæc prærogatiua excitare nos debet, vt aſſiduè Deo pro his gratias agamus. *Iudicia* nominat viuendi regulam, quæ præſcripta erat in lege. Hæc norma certa erat, cùm cæteræ gentes ſuo ductu & impetu ferrentur.

Nouerant ea] Abundante relatiuo. Chaldæus legit actiuè, ſicut & Græcus in tertia cõiugatione. Manifeſtauit eis יודיעם.

PSALMI CXLVII.

PARTES.

I. Exordium κελευστικὸν ad laudationem Dei: ab vtili, iucundo, & decoro, v. 1.

II. Propoſitio argumentorum laudis, cuius tres ſunt partes. Laudandus autem proponitur, is nempe qui Eccleſiam ædificat, quia illius auctor, fundator, curator & architectus eſt.

Laudis argumentum primum, à 2. v. ad 7. cuius ſumma, Liberat Deus ſuos à malo. Depulſos enim congregat, ſanat contritos corde: & quum ſcientiſſimus, optimus maximus, ſapientiſſimus in cælo & in terra appareat, horum attributorum ſpecimen illuſtre præbet in Eccleſia. Ibi enim ſubleuat pios oppreſſos. Contrà impios deprimit.

Secundum eſt de beneficentia Dei, & gratioſa ipſius adminiſtratione, ad cuius conſiderationem totamente rapitur, v.7. adminiſtratio autem benefica & gratioſa Synecdochicè deſcribitur, v.8.9.10.& 11.

Tertium de conſeruatione Eccleſiæ ſub tutela Dei, v.12.13.14. & forma iſtius adminiſtrationis quam ſolo verbo præſtat, v.15.16.17.18.

III. Concluſio hortatoria ad Eccleſiam, vt laudet Deum, pro ſingulari theſauro verbi, quem cum illa gratioſè communicauit Deus, v.19. & 20.

Obſervationes locorvm doctrinae.

Verſ.1. Quum Deo pſallere propter tot beneficia hominum generi & populo electo præcipuè collata, ſit bonum, iucundum & decorum: colligimus, eos quibus ſumma voluptas eſt Deum & ſeipſos obliuiſci, quo carnis ſuæ affectibus liberiùs indulgeant, malâ, iniucundam & infamem vitam viuere. Quicquid igitur obijciât profani, pios optima, iucundiſſima & honorifica vita frui, certò perſuaſi ſimus.

2 Argumentum & materia laudum diuinarum, illud eſt, quod eccleſiam ſuam laceram & diſſipatam tempore præfixo inſtaurat. Speremus igitur, electos omnes, quãuis vt lacera membra miſerè diſperſos, tandem colligendos in fidei vnitatem, & mutilum eccleſiæ corpus, quod quotidie diſcerpitur, reſtituendum eſſe ſuæ integritati, quia opus ſuum prorſus intercidere non ſinet.

3 Quanuis non ſemper floreat eccleſiæ ſtatus, ſalua tamen & incolumis ſemper erit: quia velut vlceroſum corpus mirabiliter à Deo ſanabitur.

4 Alterum laudum diuinarum argumentum, mirabilis Dei ſapientia, fulgens in cæli & ſtellarum opificio, diſpoſitione & conſtantiſſimo motu, ita vt in tanta turba nihil niſi ordinatum appareat.

5 Nihil magis peruerſum eſt, quàm ſenſus noſtri modulo Dei opera velle metiri, in quibus ſæpè incomprehenſibilem ſapientiam ac potentiam exerit.

6 Tertium argumentum, viciſſitudo miſericordiarum & iudiciorum Dei: dum ſuos ad tempus humiliatos poſtea in ſublime euehit: impios in altum ſubleuat, vt lapſu grauiore ruant præcipites, & vt inutilia vaſa conterantur.

7.8 Quartum, Nubes, pluuiæ tempeſtiuæ, animantium pabula, potentiæ, ſapientiæ & bonitatis Dei præclara ſunt documenta. Vide Pſal.65.104.135.

9 Quintum, Victus liberaliter ſubminiſtratus non modò hominum generi, ſed etiam iumentis & pullis coruorum: quod diuinam beneficentiam & prouidentiam abundè probat ac illuſtrat.

10 Sextum, E cælo Deum vires inſpirare hominibus, vt vitam & robur ſuum à Deo fluere & augeri ſciât. Hominum autem & equorum fortitudini opponitur Dei timor, & ſpes quæ in eius miſericordia recumbit: ac ſi Propheta diceret, hanc præcipuè modeſtiam à nobis requiri, vt piè ſanctéque Deum colendo, ab eius gratia pendeamus. Non aliud robur autem hîc damnatur, niſi quod Deum honore ſuo fraudat.

12.13.14. Septimum, Deus eccleſiam ſuam defendit, benignè fouet, largiter bonis omnibus locupletat, ſaluam denique ab omni noxa tranquillámque præſtat. Ergo laudandus eſt. Cur autem Iſraelitica eccleſiæ paternus Dei fauor in victus abundantia ſæpius ſit patefactus, multis locis dictum eſt: quòd videlicet talibus rudimentis altiùs tunc pios deduci oportuit. Chriſtiani illuſtriore notitia fruentes, ad beatam illam vitam non ſcalis illis, ſed altioribus alis, magnificis nempe ſonoriſque capitis ſui vocibus euehuntur.

15.16.17.18. Octauum, Operum Dei in natura ordine paſſim refulgentium enumeratio, nempe ad Dei nutum mirabiles & gratæ vices hyemis & veris, quæ temporum vices, vt & aliæ mundi partes, ad Dei arbitrium intentæ ſunt, ita vt totus naturæ curſus nihil aliud ſit quàm prompta eorum, quæ Deus mandauit, executio. Et tot frigoris, caloris, pluuiarum & ſiccitatum conuerſiones, in cælis regnare aliquod numen apertè clamitant.

19.20. Poſtremum argumentum, Quum populo electo voluntatem ſuam ad ſalutem æternam Deus in miniſterio verbi ſui aperuerit: eúmque populum tot gentibus immenſa quadam miſericordia prætulerit: eſt certè laudandus à nobis. Hoc igitur ſummum gratiæ ſpecimen eſt, cæleſtis vitæ lucem in verbo ſuo proponere, ſine qua nihil prodeſſet cæteris bonis affluere eccleſiam. Ideo non abs re tanquàm veræ & ſolidæ felicitatis cumulus hîc apponitur.

Locus de præſtantia verbi Dei. Item, de dignitate miniſterij, cuius efficacia Deo tribuitur, etiamſi loquatur per homines. Præterea, de aliorum hominum miſeria, qui etſi caducis bonis gaudeant, tamen illis carent beneficiis, quorum ſenſu & cognitione donati electi, vita beata fruuntur.

Articvli praecipvi.

1. Vita beata in Dei laudibus continetur.
2. Laudum diuinarum argumenta luculenta.
3. De ædificatione Eccleſiæ.
4. De ſcientia & ſapientia Dei.
5. Meteorologia ſacra.
6. De prouidentia generali & ſpeciali.
7. Eccleſiæ Dei pax & felicitas.
8. Verbi Dei præſtantia & efficacia.
9. Miniſterij ſacri dignitas.
10. Hominum extra Dei fœdus miſeria ſumma.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVIII.

EIVSDEM eſt argumenti hic Pſalmus cum præcedentibus. Hîc verò non tantùm eccleſiam, ſed totam rerum naturam hortatur, vt potentiam, ſapientiam & bonitatem Dei in ipſius operibus, atque inprimis in collectione & defenſione eccleſiæ agnoſcant & celebrent. Atque vt oratio ſit illuſtrior, vtitur diſtributione, in qua præcipuas mundi partes, & omnium hominum atque ætatum ordines & gradus recenſet, vt oſtendat ad hunc finem totum mundum. & ſingulas eius partes à Deo conditas eſſe, vt ſint laudum diuinarum aſſidui præcones, ſeu, vt Gregorius inquit, in oratione ſcripta in natiuitatem Chriſti, σιγῶντες ἐπαινέται τῆς μεγαλουργίας καὶ διαπρύσιοι κήρυκες, hoc eſt, taciti laudatores inſignis opificij & canori præcones. Etſi enim non ſolùm cogitatione aut voce aliæ creaturæ præter angelos & homines Deum celebrant: tamen, quia omnia mirabili ſapientia & arte in hoc mundo condita ſunt, & in ſuo ordine ſingulæ creaturæ manent, etiam ſine voce teſtantur de Deo, quòd ſit mens ſapiens, intelligens & potens: & hominibus ſuo exemplo præeunt, vt cùm mente & ratione præditi ſint diuinitus, hæc opera diuina ſeu teſtimonia de Deo aſſiduè aſpiciant, & autorem celebrent. Inprimis verò magnitudine beneficiorum erga eccleſiam moueantur, vt ſe ad hunc cultum Deo præſtandum, obſtrictos eſſe intelligant. Græcus interpres hunc pſalmum adſcribit Haggæo, & Zachariæ, ſicut & præcedentem.

1 HAleluiah. Laudate Iehouam è cælis: laudate eum in excelſis.

Propoſitio Pſalmi eſt exhortatio. Omnes creaturæ laudent & celebrent Deum. Fit autem diſtributio ex naturæ ordine. Ideo à ſummo cælo orditur. Eſtque hic verſus generalis quædam ſententia, in qua voce cæli complectitur primùm angelos, deinde ipſam machinam cæli, poſtea omnes eius partes, ſtellas, aerem, & quicquid illic gignitur. Ideo dicit, *Laudate in cælis*: vt ſequentes aliquot verſus nihil aliud ſint quàm ἐξήγησις huius verſus per diſtributionem.

Cæterùm quòd creaturas etiam ratione & voce carentes hortatur, vt laudes Dei celebrent, magis indicatio eſt quid faciant, quàm iuſſio vel inuitatio, vt id faciant. Itaque cùm inquit, Cæli, & ea quæ in cælis ſunt, de cælo laudent Deum, nihil aliud eſt quàm quod ſuprà quoque per προσωποποιΐαν dicit Pſal.19. Cæli enarrant gloriam Dei. Cælum enim & ſingulæ eius partes ſua ſtructura, ordine, certitudine motuum, gratis vicibus temporum, quas motu efficiũt, & mirabilibus effectionibus teſtantur eſſe Deum, & eſſe ſapientem, potentem & bonum.

bonum. Nam ille ordo corporum cæleſtium & certitudo motuum non potuit exiſtere à re bruta, in qua non eſt intellectus numerorum aut ordinis. Efficere autem aut producere huiuſmodi corpora lucida, & quæ tam admirabiles affectiones habent, non niſi mens potens poteſt. Et quia omnia certo conſilio ad ſalutem hominum & animantium ita condita & inſtituta ſunt, in eo bonitas creatoris conſpicitur. Cælum igitur aſſiduè de ſapientia, potentia & bonitate Dei concionatur: qua de re, vide ſuprà pſal. 19. Quemadmodum verò cælū, ita ſtellas quoque & cæteras creaturas ad laudandum Deum inuitat, non quòd ore id faciant aut lingua, ſed quòd in illis Dei ſapientia incomparabilis & inexhauſta viſatur, & in eas intuentes homines excitentur ad bonitatem Dei prędicandam. Ita etiam ſuo modo creaturæ mutę Deum celebrant, dū ſapientiam eius admirandam & potentiam nobis quotidie oſtendunt & ob oculos ponunt.

2 Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius.

Amplificat & exponit priorem ſententiam per diſtributionem. Primùm nominat angelos qui ſunt cæleſtes Spiritus & nobiliſſimæ creaturæ. Horum præcipuum officium eſt aſſiduè celebrare creatorem, pſal. 103.

Quòd autem angeli dicuntur ſpiritus cæleſtes, id nomen eis ab officio impoſitum eſt. Sunt enim λειτουργικὰ πνεύματα, quæ à Deo amandantur in miniſterium eorum qui hæredes ſunt ſalutis Hebr. 1. Et Ieſa. c. 6. oſtendit eos ad celebrandum Deum conditos eſſe. Clamant enim aſſidue: Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehoua exercituum. Hos verò hortatur propheta, nō quòd ſegnes illi ſint in ſuo officio, aut adhortatione ſeu ſtimulis indigeant, ſed potiùs vt teſtetur quàm ſibi & piis omnibus gratum ſit, ſuam vocem cum angelis coniungere, & communi conſenſu Deum laudare, & vt horum exemplo & ſe & alios ad hoc pietatis officium exuſcitet.

Omnes exercitus] Eoſdem nominat exercitus, quos angelos, ab officio, quia ſemper præſto ſunt Deo ad excipienda & exequenda eius mandata. Myriades enim myriadum ſolium eius circundant, Daniel. 7. Transfertur autem interdum hoc nomen etiam ad ſtellas: quia mirabili ordine diſtinctæ ſunt & ſuo ordine militant, & incredibili celeritate exequuntur mandata à Deo. Ita in Euangelio ſtellæ dicuntur δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, Matth. 24. Lucæ 21. Itaque ſi de ſtellis intelligas, ſequens verſus rurſus erit ἐξήγησις huius membri per diſtributionem.

3 Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes ſtellæ luminis [*id eſt, lucidæ.] Græcus vertit & lumen, inſerta copula* ו.]

Quomodo hæc adhortatio intelligenda ſit, diximus ſuprà, ne quis exiſtimet autoré Pſalmi ſuffragari Platonis delirio, qui ſtellas finxit ſenſu & intelligentia prædítas eſſe. Non tam hortatur ſtellas vt Deum laudent, quàm oſtendit hæc corpora cæleſtia luce, motu & effectionibus mirabilibus, quas nominant influentias, conditorem ſuum oſtendere & celebrare, & turpe eſſe hominibus ab his creaturis irrationalibus vinci. Cætera, quæ huc pertinere videntur, in doctrina aſtronomica explicantur.

4 Laudate eum cæli cælorum: & aquæ ſupercæleſtes.

Hebræi cælos & aeream regionem, hoc eſt, totum illud quod ſupra nos eſt, appellatione cælorum comprehendunt. Diſtinguuntur autem ſecundùm partes ſeu regiones. Damaſcenus tres cælos conſtituit. Primum eſt aer, vbi volucres circumuolitant. Inde Chriſtus nominat volucres cæli, Matt. 6. Item 8. & Luc. 9. Secundum eſt regio globorum cæleſtiū, quod Latini æthera vocant. Tertium cælum facit ſupremas beatorum ſedes, quæ eleganti metaphora appellantur Paradiſus, deducta ſimilitudine ab horto deliciarū, in quo Adamus fuit collocatus. Ex hac diſtinctione nota eſt hæc forma loquendi, cæli cælorum, id eſt, tota illa ſuperior regio in ſuas partes & multiplices orbes ſeu ſphæras diſtincta: non quòd plures ſint cæli. Alij cælos cęlorum interpretantur horizontes, ſeu rationales ſeu ſenſibiles.

Aquas quę ſupra cælos ſunt nominat pluuias. Gignuntur enim ſupra cælos, id eſt, ſupra infimam regionem aeris, quæ pars eſt cælorum. Qua in re multa miracula concurrunt digna admiratione & celebratione, quæ alibi explicantur. Videtur præter naturam eſſe, quòd aquæ ſurſum aſcendunt, atque ibi ſuſpenſæ aliquandiu hæreant, quaſi vtribus incluſæ, ſicut loquitur pſal. 33. ſed quotidiano vſu illa miracula apud profanos vileſcunt.

5 Laudent nomen Iehouæ: quia ipſe mandauit & creata ſunt.

In hoc verſu rationem addit ſumptam à potentia creationis. Ideo laudent, quia ipſe vnico verbo omnia illa corpora cæleſtia creauit. Cúmque ſint creaturæ Dei, æquū eſt vt creatorem ſuum celebrent.

Eſt autem emphaſis in pronomine *ipſe*, quo innuit mundū non eſſe æternum, neque caſu extitiſſe, aut ex concurſu atomorum temere cōfluxiſſe: ſicut Democritus & alij homines profani imaginantur.

6 Et ſtatuit ea in perpetuum: in ſeculum poſuit illis ſtatutum, quod non præteribit.

Altera ratio ſumpta eſt à perpetua conſeruatione rerum creatarum, in qua non minùs quàm in ipſa creatione potentia Dei & virtus conſpicitur. Quòd enim huc vſque perſtant creaturæ, & ſingulæ manent intra ſuas metas ordine immoto: & ſeruant leges diuinitus præſcriptas: id non fit temere, aut caſu, neque eſt hæc potentia in ipſis creaturis vt per ſe ſubſiſtant, & actiones ſuas naturales perficiant: ſed fiunt iſta omnia Deo conſeruante & ſuſtentante creaturas & ordinem à ſe inſtitutum. Neceſſe eſt igitur mentem eſſe ſapientem & potentem, cuius arbitrio tota rerum creatura ſubiecta eſt. ídque agnoſcere omnes & celebrare æquum eſt.

Poſuit illis edictum] Id eſt, ſingulis præſcripſit ſuas quaſi leges, & metas circundedit, intra quas ſeſe contineant, ſingulíſque attribuit ſuos motus, ſuas vires & effectiones. Has leges ſeruant immobili ordine.

Non præteribit] Id eſt, non delebitur, non abrogabitur, non ceſſabit illud edictum ſeu ſtatutum. Quia omnes creaturæ in ſuo ordine & militia diuinitus tanquam in acie collocatæ conſiſtunt, nec poſſunt ex ſeſe aut ſuis viribus mutare illum ordinem diuinitus inſtitutum, etiamſi Deus vt agens liberrimum, & qui ad cauſas ſecundas alligatus non eſt, multò aliter agere, quàm cient cauſæ ſecundæ, aut mutare quædam in hoc ordine poſſit. Vt cùm iubet conſiſtere ſolem aut regredi: aut, cùm facit anum effœtam fœcundam. Hæc opera teſtantur Deum non eſſe alligatum creaturis. Ipſę tamen creaturæ manent in ſuo ordine, à quo ſua vi non poſſunt diſcedere. Ideo dicit, hoc ſtatutum ſeu has leges, quas Deus præſcripſit corporibus cæleſtibus, eſſe firmas & immotas, ideóq; non præterire aut ceſſare. Hîc autem tacitè notat malitiam hominum, qui ſoli exemplo & impulſu diabolorum non ſeruant originem ſuam: ſed deficiunt à cōditore ſuo, & leges ſibi præſcriptas audacter violant.

7 Laudate Iehouam è terra: dracones & omnes abyſſi.

A cælo ad terram & inferiores mundi partes deſcendit. Itaque ſicut antè ſpiritus cæleſtes & corpora illa ætherea hortabatur, vt laudes diuinas celebrarent: ita nunc terram & mare, & quæ in his continentur, compellat & ad celebrationem nominis diuini inuitat. Id verò quomodo accipiendum ſit, ſuprà verſu primo audiuimus. Sicut autem ſuprà dixerat, Laudate Iehouam è cælis, comprehendens omnia quæ ſunt è cælis, hoc eſt, naturas cæleſtes & corpora ætherea: ita eodem ſenſu nunc inquit, *E terra*, id eſt, qui eſtis de terra, vel qui agitis in terra, ſiue homines, ſiue animalia, ſiue aliæ res creatæ.

Dracones] Vox Hebræa ſignificat ſerpentem ſeu draconem, & vſurpatur tam de terreſtribus quàm de iis qui in aqua degunt. Ideo nonnulli quaſlibet immanes belluas, in quibus ſingulari miraculo potentia Dei declaratur, intelligunt. Sed quia Pſaltes mox adiungit abyſſos, rectiùs alij marinos piſces intelligunt, quales ſunt balænæ & eius generis animantia.

Omnes abyſſi] Abyſſos intelligit non ſolùm maria: ſed omnia flumina, quorum perennitas potentiam Dei oſtendit. Comprehendit autem & lacus, vt ſuprà 135. Pſalmo, verſu 6. in quibus multa miracula ſunt. Aqua quaſi quadam reuerētia, vt inquit Gregorius, cedit vicinis littoribus, ex terra erumpunt thermæ, &c.

8 Ignis & grando, nix & vapor: ſpiritus procellæ faciens verbum eius.

Propheta neglecto ordine miraculis terræ & aquarum miſcet meteora, quæ in aere ex vaporibus terra aſcendentibus fiunt, & potentiam Dei cum terrore hominibus monſtrant. Per ignem enim fulgura & fulmina intelligit. Ideo grandinē ſubiungit, quæ communiter illis coniungitur. Sunt autem meteora alia ſimplicia, alia compoſita ſeu mixta, quorum explicatio petatur à Phyſicis.

קיטור. Græcus κρύσταλλον, Latinus glaciem interpretatur. Sed propriè ſignificat fumum, ſeu exhalationem ſiccam aſcendētem ex terra, ex qua venti, flatus, tonitrua, fulgetra, turbines, fulmina, atque id genus exoriuntur, vnde mox ſubiungit ventos procelloſos ἐξηγητικῶς.

Faciens verbum eius] Id eſt, exequens mandatum eius. Venti non temere aut fortuitò oriuntur, aut ex cauſis tantùm

phyſicis aerem perflant aut turbant.Sed arcano Dei arbitrio reguntur iſtæ tempeſtatum mutationes, & venti ac cætera meteora ad quæ illa mutatio conſequitur, tanquam miniſtri excipiunt & exequuntur mandata diuina. Interdum proſunt purgando aeri, interdum maturandis rebus naſcentibus, interdum etiam pœnas exequuntur, &c.

9 Montes & omnes colles: arbor fructifera & omnes Cedri.

Varietas in terra, quę nunc in montes, nunc in colles ſe attollit, nunc in valles ſe demittit, & pro varietate ſitus varias res vtiles vitæ hominum producit (alia enim in montibus, alia in collibus, alia in vallibus feliciùs proueniunt) varietas illa, inquam, in terra, potentiam & ſapientiam Dei, & curam, quam gerit pro genere humano, oſtendit. Ideo dicit, montes & colles Deum laudare. Idem inquit facere arbores, quæ varietate fructuum & naturarum mirabilem Dei ſapientiam & φιλανθρωπίαν commendant: nec opus eſt in ſpecie hæc omnia hoc loco commemorare. Ipſe nominat Cedros κατ' ἐξοχήν. In Cedro enim non tantum admiranda eſt proceritas: ſed odor & durabilitas mirabilis. Eſt enim odora, & non gignit neque alit teredines ſeu tineas. Ideo Vitruuius ſcribit templum Epheſinum fuiſſe tectum lignis Cedrinis.

10 Beſtia & omne iumentum reptile & auis alæ [*id eſt, alata.*]

Hoc verſu complectitur omnes differentias animantium inanimatis ſubiiciens animata: de quibus copioſè Plinius & alij. Vnde quæ ad hunc locum pertinent aſſumere qui volũt, poſſunt. Feras intelligit beſtias ſylueſtres, per iumenta omnia domeſtica animalia, & quæ hominum ſtudio cicurãtur, atque in vſus humanos ſiue ad laborem, ſiue ad eſcam aluntur חיה בהמה רמש. Hæc tria vocabula leguntur Gen. 1. de animalibus terreſtribus, quæ ſexto die ſunt condita.

11 Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ.

Ab animantibus ratione carentibus progreditur ad homines, quorum cauſa præcipuè cætera animãtia creata ſunt, vt in horum vſu multiplici Dei ſapientiam, potentiam & bonitatem agnoſcant, ipſique pro his & aliis beneficijs gratias agant. Vtitur autem diſtributione, exorſus à ſummis perſonis in genere humano, qui ſunt reges & monarchæ: deinde poſt hos principes & magiſtratus, quibus autoritate regum adminiſtratio reipublicæ in bello & pace commendata eſt. שרים enim ſunt principes militiæ. Iudices ſunt gubernatores iudiciorum & pacis. Adiungit autem & regibus ſubditos, vt ſciant non ſe tantùm hunc cultum debere Deo, ſed ſubditis quoque exemplo præire, & edictis ſuis ſancire hunc cultum debere. Ideo enim conditi ſunt homines ad ſocietatem, vt in hac frequentia Deus agnoſcatur & celebretur, & doctrina eius propagetur, & ideo præficiuntur multitudini reges & principes, vt quo altiùs eminent & propiùs ad Deum accedunt, eo ſanctiore vinculo ſe obſtringi ad eius gratiam prædicandam intelligant. Idque non tantùm vt ipſi faciant, ſed & aliis, quos ſuo imperio continent, ſint duces & magiſtri. Id intellexerunt pij reges Dauid, Ioſaphat, Cõſtantinus Magnus, Theodoſius & ſimiles.

12 Iuuenes atque etiam virgines: ſenes cum pueris.

Quos in genere nominauerat populos, nunc facta diſtributione diſtinguit in ſexus & ætates, vt intelligant omnes ſe hunc cultum debere Deo, & nullius hominis impietatem aut ingratitudinem eſſe excuſabilem. Omnes enim homines ſine exceptione ad hunc finem conditi ſunt, vt Deum agnoſcant & celebrent. Ideóque ſinguli pro ſe id facere debent, & vt publicè etiam id fiat, operas & ſtudia ſua coniungere.

Atque etiam] וגם emphaticè additur. Videntur virgines adoleſcentulæ ferè ad operas & officia domeſtica naſci & educari: ſed labor ille non eximit eas ab hoc pietatis officio.

Cum pueris] Hoc diligenter notandum eſt. Ita enim loquitur, vt oſtendat ſe nullam ætatem excipere. Et monet etiam balbutientium infantum voces Deo placere, ſicut dicitur Pſal. 8. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

13 Laudent nomen Iehouæ, quia excelſum eſt nomen eius ſolius: laus eius ſupra terram & cælos.

Repetit propoſitionem, cui rurſus addit rationem à potentia & gloria Dei, quæ in ipſius operibus conſpicitur, ita quidem, vt omnium creaturarum potentia ad hanc Dei potentiam collata euaneſcat.

Nomen Dei ſolum dicitur excelſum, quia opera eius oſtendunt potentiam eius ſuperare omnium creaturarum potentiam. Qui enim hæc opera omnia aſpicit, is fateri cogitur, nullam aliam potentiam cum hac comparari poſſe, ideóque hanc confeſſionem Deo tribuendam eſſe, quòd ſolus ſit potens.

14 Et exaltauit cornu populi ſui: laus omnibus piis eius, filiis Iſrael, populo ſuo, qui propinquus eſt ei [*appropinquanti ſibi*] Haleluiah.

Altera ratio ſumitur à beneficio, quod Iſraelitis atque ita Eccleſiæ proprium & peculiare eſt, vt moneat, etiamſi cæteri homines ſint ingrati, eccleſiam tamen præ cæteris omnibus habere cauſam cur Deum aſſiduè celebret. Extant enim in hanc peculiaria beneficia, quibus Deo obſtringuntur ſinguli, vt nomen eius aſſiduè celebrent. Quod ad phraſin attinet, nihil eſt obſcuritatis. *Cornu* ſignificat robur vel dignitatẽ, metaphora ſumpta ab animantibus cornutis, vt bobus. *Erigere* aut exaltare igitur alicuius cornu, ſignificat augere alicuius potẽtiam & dignitatem oppreſſis hoſtibus qui eam oppugnabãt. Deus igitur dum protegit eccleſiam miſſo filio, & filius patrocinium eius ſuſcipit aduerſus peccata, mortem, diabolum, infernum, & in hac vita dum militat, virtute ſua eam armat contra hoſtes ſuos, & victorias illuſtres concedit, dicitur erigere cornu ſalutis eius, id eſt, confirmare robur eius, quo ſit ſalua & incolumis. Ita Zacharias in ſuo cantico celebrans beneficia Meſſiæ, inquit, Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ, & erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui: vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiremus illi. Et ſuprà pſal. 112. Cornu iuſti exaltabitur in gloria.

Laus omnibus pijs] Id eſt, pios omnes, qui ſoli intelligunt quantis beneficiis diuinitus ſint affecti, decet laus, & hi ſoli tacentibus cæteris aſſiduè prædicant Dei beneficia.

Propinquus eſt ei] Hîc alio etiam argumento fideles inſtigat, facta mentione fœderis gratuiti, quod erat initum cum hoc populo. Ex eo enim fœdere, hoc eſt, gratuita electione erat illa propinquitas cum Deo, vt peculiariter hoc fœdere ad agnitionem & celebrationem Dei conſecrarentur, & dicerẽtur ciues ſeu familia Dei.

PSALMI CXLVIII.

PARTES.

I. Hortatio ad res omnes creatas, vt celebrent Deum: Primum cæleſtes in genere, v. 1. ſpeciatim Angeli, & exercitus eius, v. 2. Sol, luna, ſtellæ, v. 3. expanſum & aquæ ſupra cælum, v. 4. amplificatio ſubiicitur, v. 5. & 6. petita à Dei ſapientia & omnipotentia. Deinde creaturas inferiores inuitat ad Dei laudem, nempe aquaticas, v. 7. aereas, v. 8. terreſtres inanimatas, v. 9. quadrupedes & aues, v. 10. Ratione præditas cuiuſque conditionis, v. 11. ætatis, & ſexus, v. 12.

II. Tranſitio ad laudationis cauſas, quarum 1. eſt ab ipſa maieſtate Dei, cuius ſolius nomẽ editum eſt, & decor ſupra terram & cœlum, v. 13. 2. à ſingularibus ipſius operibus in eccleſia ſua, quam potenter effert, & glorificat, quoniam pro ſuo beneplacito eam ſibi reconciliauit & vniuit in Chriſto, v. 14.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Locus de omnium rerum creatarum officio.

Verſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Angeli quum ideo conditi ſint, vt in Deo laudando ſint aſſidui, meritò primi locantur in ordine laudantium Iehouam. Vide Ieſa. 6. 3. Nec abſurdum eſt, quòd ſe fideles alacriùs accingant ad celebrandas Dei laudes, Angelos qui ſponte currũt, imò viam monſtrant, vocare ſocios.

Stellæ vocatur Dei exercitus, tũ quia mirabili ordine diſtincta ſũt tũ quòd incredibili celeritate (vt & Angeli) exequũtur Dei mãdata.

Sol,

Sol, luna, ſtellæ, fulgore, calore, motu, effectu ſuo opificem ſummum canora voce celebrant, & teſtes diuinarum virtutum hic aduocantur, vt tarditatem noſtram corrigant.

Quum à ſeipſis non ortæ ſint ſtellæ, neq; fortuitò pluuiæ creentur, Creatorem tantorum miraculorum nos celebrare par eſt.

Mundus non eſt æternus, neque ex atomis conflatus, ſed Dei mãdato extitit pulcherrimus hic ordo qui cernitur.

Cæleſtes vt & inferiores creaturæ non modò ſemel à Deo conditæ ſunt, ſed eiuſdem arbitrio nunc mouẽtur: nec tantùm ſemel illis indita eſt arcana virtus, ſed dum funguntur ſuis partibus, Deo ſuam operam ad deſtinatos vſus impendunt.

7.8.9.10 Quocunque vertamus oculos, vbique nobis occurrunt potentiæ Dei teſtimonia.

Ex mari, quod innumeris miraculis refertum eſt, oritur laudum Dei materia.

Neque cælum obnubilatur, neq; gutta pluuiæ ex nubibus decidit, neque tonitrua fortuitò excitantur, ſed arcano Dei arbitrio regũtur omnes iſtæ mutationes, ſiue bonitatis ſuæ dulcedinẽ, ſeu iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem nobis teſtari velit, vt in varijs cæli & terræ viciſſitudinibus Dei prouidentiam agnoſcentes ab ea cum animi ſinceritate & gratitudine pendere diſcamus.

11.12.13 Hominum eſt præcipuè in Dei laudes prorumpere: peculiariter autem quum reges & principes præ alijs Deo ſint obſtricti, ad officium ante alios hortandi ſunt vt ſanctam eius gratiam prædicent.

Cæteri deinde ſciant ſe creatos in hunc finem: ideoq; promiſcuè debere ſuas operas & ſtudia coniungere vt Deum celebrent.

Senes magis exercitatos eſſe cõuenit in canendis Dei laudibus. Iuuenes tametſi minùs habent experiẽtiæ, inexcuſabiles tamẽ nõ ſunt, niſi in ſuo vigore ſentiant Dei gratiã. Ipſæ quoq; adoleſcentulæ, etſi ad domeſticas occupationes natæ videantur, ceſſant tamẽ in officio, niſi laudandi Dei partes ſimul cum reliqua eccleſia obeant.

14 Quoniã in eccleſia luculentiùs ſpectatur Dei virtutes quàm in vniuerſo mundi opificio, meritò hæc clauſula apponitur, Dei manu protegi eccleſiam, virtutéque armari contra cunctos hoſtes, vt in mediis periculis tutò tamen habitet.

Pro ſingulari qua ſuos dignatur gratia Deus, habent cur ſibi gratulentur, noménque eius prædicent.

Propinqua eſt Deo eccleſia, ob gratuitum fœdus. Nec extra merũ Dei amorem quærenda eſt dignitatis ratio.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De creaturarum cæleſtium, & terreſtrium, Eccleſię pręſertim, Angelorum & hominum, officio.
2. De angelis & exercitibus Dei.
3. Phyſiologia ſacra.
4. De creatione rerum, eiuſdémque pia conſideratione.
5. Potentia, ſapientia, benignitas Dei in rerum creatione & conſeruatione.
6. Meteororum pia contemplatio.
7. Hominum ratione præditorum, piorum maximè, cuiuſcunque ſint conditionis, gratitudo erga Deũ qualis eſſe debeat.
8. Dei amplitudo, & Eccleſiæ felicitas.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIX.

HVNC Pſalmum iudico ſcriptum eſſe, cum iam inſtaret liberatio populi Iudaici ex captiuitate Babylonica, & ſpes reditus in patriam eſſet oſtenſa. Intelligebant enim pij in hoc populo non caſu id fieri, aut hominum tantùm conſilio, quòd Cyrus & Artaxerxes populo poteſtatem facerent redeundi in patriam. Sed ſicut ſciebant, diuinitus promiſſam eſſe liberationem: ita cùm viderent primùm à Cyro, deinde ab Artaxerxe publico edicto, fieri Iudæis poteſtatem reſtaurandi vrbem Ieroſolymam & politiam, agnoſcebant diuinitus horum regum voluntates flecti, vt quanquam multi in horum aulis eſſent, qui Iudæos prorſus extinctos cuperent, ipſi tamen ſaluum hunc populum eſſe vellent. Cùm itaque ſpes Iudæis facta eſſet de reditu, & tempus liberationis inſtare videretur, autor pſalmi & confirmare animos ſuorum ſcripto hoc carmine voluit ad ſperandam plenam liberationem, & ſimul excitare ad gratiarum actionem. Nam cùm in hoc facto Deus ita liberaliter ſuum amorem erga hunc populum oſtenderet, æquum erat eos magnitudinem huius amoris & beneficij aliquo modo agnoſcere & celebrare. Id igitur faciunt pij in hoc pſalmo, & ſimul ſibi de futuris victoriis & felicitate ſecutura has 70. annorum ærumnas, gratulantur. Erat autem illa liberatio populi Iudaici ex captiuitate Babylonica, quaſi præludium quoddam ſeu typus eius quæ ſub regno Chriſti erat futura. Intelligebant enim pij ex vaticinijs, iam penè inſtare tempus, quo Meſſias exhiberetur qui totum Iſraelem colligeret, & in vnum corpus reduceret, repreſſis & deletis hoſtibus, qui hactenus crudeliter eum infeſtauerant. Itaque præſens illud corporale beneficium ita celebrabant, vt ſimul alterum illud tempus complecterentur, in quo plena futura erat reſtitutio. Et nos monent, vt de beneficijs per Meſſiam eccleſiæ exhibitis cogitantes, Deo pro his aſſiduè gratias agámus, & de his ita nobis gratulemur, vt horum cogitatione præſentes ærumnas in hac vita, non tantùm patienter feramus: ſed, vt Paulus inquit, Rom. 5. Super his etiam gloriemur, & cum ſanctis, qui hunc pſalmum cecinerunt, iubilemus.

1 HAleluiah. Cantate Iehouæ canticum nouum: laus eius in cœtu piorum.
2 Lætetur Iſrael in factore ſuo: filij Sion exultent in rege ſuo.
3 Laudent nomen eius in choro: in tympano & cithara pſallant ei.

Primi tres verſus propoſitionem habent, quæ eſt exhortatio, vt Dei beneficia laudent & ſibi de his gratulentur: & breuiter aſperguntur quædam argumenta, quæ propoſitionem confirmant, vt quòd Deum factorem & regem Iſraelis nominat.

Primùm inquit: *Cantate Iehouæ canticum nouum*] Hac adhortatione monet nõ eſſe vulgare aliquod beneficium, quod velit eos celebrare, ſed inſigne, nouum & inuſitatum, quod planè nouum genus carminis & peculiarem formam gratiarum actionis requirat. Reſtitutio enim illa & collectio populi ex captiuitate, ſicut erat inſigne & admirandum beneficium Dei: ita perſpicuum & firmum erat teſtimonium paterni amoris erga hunc populum, vt poſtea dicit verſu 4. Multò autem magis hoc teſtabatur miſſio filij, quæ paulò pòſt futura erat. Hoc igitur vult eos agnoſcere, & magno ſtudio & peculiari carminis genere celebrare. Canticum igitur nouum opponitur vulgaribus & vſitatis, quibus quotidie celebrabãtur laudes inter pios, pro illis beneficiis quæ hactenus exhibuerat. (Nam hoc beneficium, vt inſolitum & planè nouum erat: ita nouum etiam carmen & exquiſitam gratiarum actionem requirebat.) Videtur autem reſpicere ad illum Ieſaiæ locum c. 24. vbi cùm de futura eccleſiæ reſtitutione & æterno Chriſti regno concionatus eſſet, hanc adhortationem ſubiicit, Cantate Domino canticum nouum: futurum ſignificans vt in regno Chriſti per Spiritum ſanctum noui motus in cordibus piorum accenderentur, atque ita ſubinde noua carmina fingerent, quibus miſericordiam & bonitatem Dei celebrarent. Iudæi, qui tantùm beneficia corporalia huic populo exhibita intuebantur, nõ niſi veteres illas cantilenas repetebãt, quòd Deus benefeciſſet populo in eductione ex Ægypto, liberatione à triſti ſeruitute, introductione in terrã promiſſam & aſſidua defenſione contra hoſtes vicinos. Sed qui noua illa regni Chriſti beneficia intuebantur, atq; ita ſimul etiã à Spiritu renouabantur, hi verè canebant carmen nouum de nouo & peculiari beneficio, & à nouitate Spiritus profectum.

Laus eius in cœtu piorum] Amplificatiuncula eſt à circunſtantia: vult enim non priuatim tantùm vnumquemque, ſed etiam publicè in cœtu hæc beneficia celebrare. Hic enim cultus, qui ab vniuerſo cœtu præſtatur Deo, non tantùm ipſi gratior eſt, ſed & ſingulos excitat & alacriores reddit. Simul etiam vaticinium eſt in hoc membro. Erant enim ante reditum adhuc diſperſi Iudæi per va-

rias prouincias, vrbes, oppida & pagos, nec licebat illis agere conuentus, vt in patria conſueuerant, cùm ad templum in ſolennibus feſtis conuenirent. Cùm igitur dicit, *Laus eius in cœtu ſanctorum*, monet, fore non multò pòſt, vt ad ſanctuarium Dei rurſus conueniant, & Deo veros ac gratos cultus præſtent. Suprà pſalmo 137. queruntur, ſe cum ludibrio prouocatos fuiſſe ad canendum, & dicunt: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Cùm igitur hîc iubentur canere in cœtu piorum, ſignificatur eos paulò poſt redituros eſſe in patriam.

Lætetur Iſrael in factore ſuo] Cum vera gratiarum actione ſemper debet eſſe coniuncta animorum lætitia acquieſcens in Deo, & ſibi de amore Dei & de æterna ſalute gratulans. Id igitur monet hic verſus. Deum autem nominat factorem Iſraelis, non tantùm quòd creati ab illo eſſent: ſed multò magis quòd ab eo electi, & in nouum fœdus adoptati & à Spiritu ſancto regenerati eſſent ad vitam æternam. Ita enim facti ſunt noua creatura: ſicut Paulus loquitur, adoptione ſcilicet, qua fiunt filij Dei, quam deinde ſequitur regeneratio per Spiritum ſanctum. Ita ſuprà pſal. 136. Iſraelitæ vocantur opus manuum Dei, non tantùm quia ab ipſo creati erant, vt reliqui homines: ſed quia hac noua dignitate erant ornati, vt dicerentur & eſſent filij Dei, & regenerarentur ad imaginem eius.

In rege ſuo] Alterum argumentum à fine iſtius creationis eſt ſumptum. Ideo enim Deus creauit eccleſiam ſuam, hoc eſt, adoptauit eam verbo promiſſionis & poſtea Spiritu ſancto regenerauit, vt eſſet rex eius in perpetuum, & vt ipſa eius imperio regeretur. Id verò ſi ita eſt, habent cauſam pij cur & ipſi lætentur, & Deo aſſiduè gratias agant. Quicquid enim nobis fit in hac vita, ſcimus nos non eſſe ἀδεσπότους, ſed habere regem, qui nos colligat, gubernet, tueatur, protegat, varia dona det, & à morte atque interitu nos liberet.

Tertius verſus modum celebrandi beneficia deſcribit. Nõ enim tantùm voce: ſed adhibitis etiam inſtrumentis muſicis, quod tunc in lege vſitatum erat, iubet celebrari beneficia diuina. Facit autem præcipuè mentionem eorum inſtrumentorum, quorum præcipuus erat vſus in publicis feſtiuitatibus, vt ſignificet foris quoque in geſtibus conſpici hanc internam animi lætitiam debere.

מחול & chorum ſignificat, & fiſtulam ſeu tibiam.

4 Quia complacuit Iehouæ in populo ſuo: glorificabit [*decorabit, ornabit,*] pauperes [*afflictos*] in ſalutem.

Propoſitioni ſubiicit confirmationem, in qua multa ſunt argumenta quæ ordine ſunt conſideranda. Prima igitur ratio, quæ inuitare nos ad hunc cultum gratiarum actionis & ad hanc publicam lætitiam debet, ſumpta eſt à gratuita adoptione ſeu electione huius populi ſeu eccleſiæ, in qua amor eius erga nos conſpicitur, perpetua gratitudine celebrandus. Quòd enim populum Iudaicum ex impia & æternæ morti addicta multitudine generis humani excerpit & huic ſe patefacit, remittit peccata, donat iuſtitiam & vitam æternam, hoc immenſi eius amoris erga genus humanum eſt argumẽtum, nec poteſt vnquam ſatis pro dignitate celebrari. Perire omnes in æternum neceſſe eſt, qui non hoc modo à Deo adoptantur. Secundum beneficium eſt, quòd populum à ſe electum & in gratiam receptum defendit aduerſus hoſtes: & quanquam interdum propter peccata permiſit eos affligi, vt hoc ipſo tempore, quando exilio 70. annorum petulantiam & ingratitudinem ipſorum caſtigauit, tamen ſubinde magna cum gloria hunc populum afflictum ab hoſtibus & periculis liberauit, & deinceps liberaturus erat. Id verò non tantùm de corporalibus liberationibus intelligendum eſt, de quibus pſalm. 91. dicitur, Eripiam eum & glorificabo eum, ſed multò magis de liberatione à peccato, à morte, à tyrannide diaboli. Eſt eccleſia deformata peccatis, ærumnis, contumeliis, experitur tyrannidem diaboli, viuit in dolore & ſqualore, oppreſſa mole peccatorum, ærumnarum, tyrannide diaboli, & hoſtium odiis virulentiſſimis. Sed Chriſtus decorabit, & pulchros & glorioſos faciet ſuos, ſublato peccato, morte, ærumnis, poteſtate inferorum, & reſtituet æternam ſalutem, atque ita decoratam, & glorioſam factam eccleſiam adducet in conſpectum Patris, vt Paulus ait Ephe. 2. & 1. Cor. 15. Ita igitur hac promiſſione autor pſalmi mitigat dolorem ſuorum, quem ex præſentibus ærumnis in exilio diuturno capiebant: & nos docet in noſtris doloribus & calamitatibus, quibus deformamur, hanc promiſſionem intueri, & ſpe futuræ gloriæ dolorem noſtrum ſolari, & ſimul Deo pro tanto in nos amore gratias agere.

5 Exultabunt [*manſueti*] pij in gloria: iubilabunt in cubilibus ſuis.

Tertium argumentum ſumptum eſt ab effectu iſtius liberationis, quo beneficium redditur illuſtrius. Liberatio illa, inquit, pariet lætitiam ingentem, vt qui antehac erant oppreſſi magnis doloribus ex conſpectu iræ Dei aduerſus peccata, ex ærumnis & calamitatibus, nunc ſubitò facta rerum commutatione, & pacata conſcientia, coniiciantur in ſummã lætitiam. Erit autem hæc lætitia non momentanea, aut vnius horæ ſeu diei, qualis eſſe huius mundi lætitia ſolet, quæ vario metu turbatur & interrumpitur: ſed erit talis, in qua pij ſuauiter & conſtanter acquieſcant. Sicut cùm quis in cubili ſuo ſuauiter obdormiſcit. Ideo enim *cubilium* mentionẽ facit vt oſtendat hanc lætitiam fore diuturnam, & fore requiem ſuauem, in qua ab omnibus præteritis doloribus, & ærumnis pij ſuauiter reficiantur & recreentur. Sicut homo poſt labores ſomno reficitur.

Alij cubilia interpretantur templa & ſcholas, ſicut & Ieſaias fana & altaria, in quibus idola colebantur, ſtrata & cubilia nominat. Ieſa. 57. Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti, vt immolares hoſtias. Templa enim & ſcholæ ſunt ἀσκητήρια pietatis & cultuum diuinorum.

6 Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladius [*acierum*] anceps in manu eorum.

Amplificat eandem ſententiam, à gratiarum actione, quam à ſigno deſcribit. Lætitiam, inquit, illam oſtendunt pij voce, quia pleno gutture celebrabunt gloriam Dei. Deinde aliam cauſam adiicit à victoriis. Qui antea deſperauerant de ſalute ſua, & non tantùm gladios & haſtas abiecerant: ſed in turpem etiam ſeruitutem & triſte exilium tracti erant, illi recuperato animo gladios quoque reſument & quidem ancipites, nõ tantùm ad arcendos hoſtes, ſed etiam longè latéque profligandos, donec reges & populos, quibus fuerant obnoxij, ad obſequium cogant. Ita igitur priſtinus ſtatus, libertas & gloria priſtina reſtituetur populo Dei, cuius cogitatione animos noſtros, inquit, ad gratitudinem accendi decet. Sicut autem hoc loco de corporalibus victoriis, de quibus certam ſpem ex vaticiniis & ex præſenti reſtitutione capiebant, ſibi gratulantur Iudæi: ita hoc ad victorias ſpirituales eccleſiæ omnium ætatum eſt accommodandum. Militat illa perpetuò in hoc mundo aduerſus diabolum, mundum & carnem, cum quibus eſt ἄσπονδος πόλεμος. Quando autem verbo promiſſionis erigitur eccleſia, vt ſtatuat ſe eſſe in gratia apud Deum, & reconciliatam eſſe ſanguine filij Dei, tunc ſimul traditur à filio Dei in manus eius *gladius anceps*, quo hoſtes ſuos à ſe repellat, & tandem hoſtibus deuictis glorioſè triumphet. Is gladius eſt verbum Dei quod fides apprehendit, Eph. 6. Accipite gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei. Et Hebr. 4. dicitur, Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio. Hoc gladio feliciter pugnat eccleſia adiuta à filio Dei aduerſus diabolum, mundum & carnem, & tandem glorioſè triumphat. De hac igitur victoria nos commonefieri intelligamus, vt cum tota eccleſia illud Pauli dicamus: Deo gratia, qui dedit nobis victoriã per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, 1. Cor. 15.

7 Ad faciendam vindictam in gentibus: caſtigationes in populis.

8 Ad vinciendos reges eorum catenis, & proceres [*nobiles*] eorum compedibus ferreis.

9 Ad faciendum in illis iudicium ſcriptum: decor hic omnibus piis eius, Haleluiah.

Poſtremi tres verſus deſcribunt victorias, de quibus dicere cœperat. Deus cùm reduceret populum in patriam, ita conditionem eorum mutauit, vt qui hactenus fuerant obnoxij variis iniuriis, & prædę fuerant multis gentibus, tandem etiam à Chaldæis & Aſſyriis in triſtem ſeruitutem tracti & in exilium abducti erant, deinceps potentiores fierent hoſtibus ſuis, & non tantùm arma parantes reprimerent, ſed vltro bellum inferrent, & iniurias antehac acceptas feliciter vindicarent, paſſim profligatis hoſtibus ſuis, & in ſeruitutem redactis. De his igitur victoriis, quas inſtare nunc videbat, propheta gratulatur ſibi & toti populo. Ideóque de his gratias eos agere Deo iubet. Hæc ſumma eſt horum verſuum.

Cæterùm victoriæ illæ, de quibus ita ſplendidè loquitur, non ſunt intelligendæ principaliter de corporalibus victoriis, quaſi poſt reditum ex captiuitate futuri eſſent domini totius orbis terrarum, ſicut prophani Iudæi imaginantur. Nunquam enim hoc factum eſt, nec ad hoc corporale regnũ delectus erat hic populus à Deo. Etſi enim non multò poſt reditum populi Machabæi & eorum poſteri feliciter aliquoties pugnarunt cum hoſtili exercitu, & oppreſſis hoſtibus liberta-

bertatem & αὐτονομίαν in cultu recuperarunt, & dignitatem ac potentiam populi auxerunt: nunquam tamen hoc factum eſt, vt exercitus per totum orbem terrarum circumducerent, & paſſim regibus profligatis, atque in poteſtatem ſuam redactis, gentibus in toto orbe ſeruitutis iugum imponerent. Imò quanquam illuſtribus victoriis Deus aliquoties ornauit Iudæos: ſecuta tamen mox eſt horribilis diſtractio in populo, & miſera facies, ſiue politicam, ſiue eccleſiaſticam gubernationem ſpectes.

Certabāt inter ſe ſacerdotes ambitione & factionibus. Sacerdos Ieſus ſub Ocho interfectus eſt à factione fratris Ioanānis in templo, & ſectæ nouæ exortæ ſunt, quæ doctrinam obſcurarunt & corruperūt. Primus poſt reditum Ochus, Monarcha Perſicus, populum grauiter afflixit, & fortè ſub hoc, quæ de Holopherne ſcribuntur, acciderunt. Nam hunc ab Ocho in Ægyptum cum exercitu miſſum eſſe ſcribit Diodorus. Poſtea Vagoſes Perſicus Satrapa templum ſpoliauit, & ingens tributum toto ſexennio exegit. Poſt Alexandrum, qui pepercit populo, Ptolemæus Lagi filius, in Sabbatho per fraudem ingreſſus vrbem Hieroſolymā, ſæuitiā exercuit in vrbe, & multos Iudæos captiuos abduxit in Ægyptū præcipuos viros & matronas: impoſito inſuper tributo, 20. talētorum. Poſt annos aliquot rex Syriæ Seleucus Heliodorum Hieroſolymā miſit ad ſpoliandum templum: mox ſecuta ſunt initia maximarum calamitatum. Iaſon 300. talētis emit ſummum ſacerdotium ab Antiocho Epiphane, excuſſo Onia fratre. Poſt triennium Menelaus fratre excuſſo ſummum ſacerdotium ſimili arte mercatur. Hic Menelaus Oniam interfici curauit, & attraxit Antiochum Epiphanem.

Antiochus veniens in Iudæam cum exercitu, poſt horrendā crudelitatem, quam toto octennio exercuit, idolum in tēplo collocauit, magnamque hominum multitudinem occidit, vaſtauit oppida, & in ipſa vrbe Hieroſolyma, quæ ſoli Deo cōſecrata erat, celebrauit Bacchanalia plena obſcœnitatis. Et quāquam Deus repreſſit illius exercitū ductore Iuda Maccabæo, vt dictum eſt, ipſe tamen Iudas tandem in acie cecidit, & frater Ionathas, qui ſucceſſerat, cū duobus filiis, à Thryphone Syriaco per fraudem interfectus eſt. Tertius etiam frater Simon, cùm annis ferè octo præfuiſſet, à genero interfectus eſt. Poſtea ſub Iohanne Hircano filio Simonis, Antiochus Soter obſidione cinxit Hieroſolymam, & fame coegit eam facere deditionem. Poſt Hircanum filij Ariſtobulus, Alexander, & Antigonus, inter ſe dimicarūt de regno. Iam enim non contenti titulo ſummorum ſacerdotum reges dici volebāt. Alexandrum igitur turbantem omnia Ptolemęus Lathurus magno prælio vicit, cæſis triginta hominum millibus, aut, vt alij, 50. & coegit captiuos Iudæos veſci cocta carne puerorum & puellarum Iudaicæ gentis. Alexander ipſe in feſto tabernaculorum circiter 6. millia hominū in vrbe Hieroſolyma in ſeditione trucidauit. Deinde ſexennio cū Iudæis bellum geſſit, qui accerſiuerunt Demetrium Antiochi Gryphi filiū. Huius filij Hircanus II. & Ariſtobulus etiam inter ſe de regno dimicarunt. Hac occaſione Romani accerſiti exercitū duxerunt in Iudæam. Pompeius Hircano tradidit ſummum ſacerdotium, interfectis 22000. Iudæorū, & Ariſtobulum Romam abduxit. Venerunt & Parthi, duce Pacore, cum exercitu in Iudæam, adducti ab Antigono Ariſtobuli filio, & magnam in Iudæa tyrannidem exercuerunt, vrbemque diripuerunt. Tandem bella inter Antigonum & Herodem exorta ſunt, qui cum victor eſſet, maximam crudelitatem in Iudæa exercuit.

Hanc triſtem Iudææ faciem poſt reditum populi, ſi quis intueatur, mirabitur cur tam glorioſè de victoriis hoc loco propheta loquatur. Sciendum igitur eſt prophetā ad Chriſti regnum principaliter reſpicere, in quo hæc & alia multa vaticinia impleta ſunt. Nam Machabæi victoriæ tantum præludium quoddam harum victoriarum fuerunt: idque facilè intelligebant pij, qui ſciebant regnum non tribui Leui, ex quo erat Iudas, ſed tribui Iudæ promiſſum eſſe. Chriſtum igitur verum & æternum regem huius populi, cuius aduentum inſtare ſciebat Vates, prædicit victorem fore ſuorum hoſtium, & reges ac principes paſſim in toto orbe ſuo imperio ſubiecturum eſſe. Has igitur victorias intuens, gratulatur ſibi & populo, & pro his Deo gratias agit. Victoriæ autem illæ quomodo partæ ſint, alibi dicitur. Nō circumduxit Chriſtus exercitus, vt Cyrus, Alexander aut Iulius: ſed miſſis Apoſtolis iuſſit in nomine ſuo prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, & per miniſterium Apoſtolorum Spiritu ſuo fuit efficax, atque ita ſubegit totum mundum. Verbum igitur, quod miniſterio Apoſtolorum ſparſum eſt in totum orbem terrarum, eſt anceps ille gladius quo hoſtes profligātur, & in obſequium Chriſti rediguntur. Suntque hæ victoriæ multò illuſtriores & magis ſalutares quàm Alexandri & Iulij. Sicut & de ſecundo templo Haggæus dicit, fore eius maiorem gloriam quam primi.

Ad faciendum vindictam] Non eſt hoc intelligendum de priuata vindicta, quam dolore de accepta clade & iniuriis impulſi ſumpturi eſſent ab hoſtibus. Sed de ea vindicta quam Deus mandauit, ſicut vltimo verſu dicitur. Eſtque mandatum his verbis expoſitū Matth. 28. Euntes docete omnes gētes, baptiſantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque præcepi vobis. Hac voce ſeu mādato accepto vindicāt ſe Apoſtoli & horū ſucceſſores de gentibus, vt, qui antehac populum Iudaicum aſſiduis armis & bello vexabant, nunc horum voci ſe ſubmittant, & Meſſiam Iudæis promiſſum & exhibitum regem ſuum agnoſcant. Non igitur priuata vindicta hoc dicto ſtabilitur cōtra expreſſa teſtimonia Deuter. 32. Mihi vindictam, & ego retribuam. & Rom. 12. Non vindicantes voſmetipſi.

Caſtigationes] Spiritus ſanctus enim arguit mundum de peccato, &c. Ioh. 16. Et in miniſterio doctrinæ oſtendit totum mundum reum eſſe coram Deo.

Ad vinciendos reges] In hoc verſu amplificat victorias à circunſtantia perſonarum. Non enim homines plebeios aut obſcuros tantum ſubiicient ſibi, ſed ipſos monarchas, reges, principes & proceres regnorum, qui nobilitate generis, dignitate & autoritate pollent. Hos enim nominat נכבדים id eſt, honoratos. Atque hinc efficacia miniſterij euangelij animaduerti poteſt. Summi monarchæ, reges & principes ſemper ſunt inflati fiducia ſuæ potentiæ & virium, & niſi vi & armis cogantur, non patiuntur ſibi pręſcribi leges à quoquam. Et tamen etiam potentiſſimi ad vocem doctrinæ cęleſtis quæ per Apoſtolos & horum ſucceſſores eſt ſparſa, ita ſe demittunt, vt mox fiduciam ſuarum virium exuant & deponant, & huic iugo ſeſe ſubmittant. Hanc felicitatem regni Chriſti & has victorias ſæpe celebrat ſcriptura. Eſtque hoc teſtimonium huius pſalmi cæteris adiungendum. Cùmque illæ victoriæ adeo ſint inſignes & illuſtres, vt nullæ aliæ cum his comparari poſſint, non exigua inde accedit gloria genti Iudaicæ, quam hoc loco prædicat pſalmus: ſicut poſtea dicit, decor hic omnibus manſuetis eius & piis.

Ad faciendum in illis iudicium ſcriptum] Hic verſus quodammodo corrigit & exponit priores verſus. Viſus erat vates populum armare ad ſæuitiam, & incitare ad vindicandas iniurias acceptas, atque ad crudeliter tractandos victos. Nunc igitur abſurditatem horum dictorum, quæ prima fronte occurrit, mitigat, & ἀναλογίαν conciliat, oſtendens quomodo iidem, quos vocarat manſuetos, ſint iniuriarum vindices, qui gladiis inſtructi ſint ad ſtrages edendas, & ad fundendum ſāguinem. Exequentur, inquit, iudicium ſcriptum, hoc eſt, non indulgebunt priuatis odiis, aut cupiditati vindictæ, neque erunt crudeles aut tyranni, ſed omnia agent ex præſcripto & mandato Dei. Iudicium autem ſcriptum intellige mandatū diuinum, quod eis hæc arma pro libertate ſeu potiùs pro regno Chriſti propugnando & amplificando induit. Ita primùm Iudæis ante Meſſiæ aduentum quaſi frænum hoc dicto inicit, ne in vindicanda libertate promiſſa, aut excutiendo ſeruitutis iugo, ſuis cupiditatibus indulgeant: ſed potiùs ad verbum ſeu mandatum Dei reſpiciant, atque huius auſpicio, nō propriis cupiditatibus impulſi, bella ſuſcipiant. Quo tamen neglecto, ipſi infeliciter ſæpe tumultuati ſūt. Deinde in regno Chriſti Apoſtolis eius miniſtris & eccleſiæ doctoribus certa norma illius ſpiritualis belli gerendi præſcribitur. Non enim exequi ſuæ rationis, ſed Dei iudiciū ſcriptū, hoc eſt, verbū diuinitus patefactū, debēt. Itaque omnes hęretici hoc loco damnātur, qui ſua inuēta in verbū Dei important & in eccleſiam inuehunt, non ex verbo iudicium ſcriptum petunt.

Deinde vocabulum iudicij, vt & alterum vindictæ, etiam ad pœnas contemnentium euangelium accommodandum eſt. Spiritus enim ſanctus, ſicut in miniſterio doctrinæ arguit homines de peccato: atque ita eos ad pœnitentiam vocat: ita ſimul oſtendit, quæ pœnæ maneant hoſtes & contemptores euangelij, & tandem illas Chriſtus rex exequitur, dum impios ferreo ſuo ſceptro, tanquam vas figuli, confringit, vt dicitur Pſalmo 2. De his igitur pœnis etiam rectè hoc dicitur, Facere Iudæos iudicium ſcriptum, quoties pœnis in hac vita iudicium ſuum aduerſus hoſtes eccleſiæ Deus declarat.

Decor hic ſeu gloria omnibus piis] Hoc ἐπιφωνηματικῶς additum eſt. Hæ, inquit, victoriæ magnam adferent gloriam populo Iudaico. Qui enim nunc iacent ſpreti & abiecti, & omnium iniuriis expoſiti, illi paulò poſt rurſus emergent, erigent caput, & mirabiliter creſcet eorum potentia & gloria. Sicut Simeon canit, Gloriam plebis tuæ Iſrael. Hac igitur cogitatione & ſpe confirmati patienter ferat quiſque præſentes ærumnas, ne abſorbeantur doloribus, & Deo pro tantis donis gratis aſſiduè agant.

Omnibus piis] Qui, ſcilicet, participes ſunt gratiæ & beneuolentiæ Dei.

PSALMI CXLII.

PARTES.

I. Hortatio ad Eccleſiam, vt Deum laudet voce & muſicis inſtrumentis, propter gratiam & pacem ſalutarem ab eo acceptam, ex beneuolo voluntatis ſuæ affectu. Creauit enim Eccleſiam, in ea regnat, & beneuolus eſt erga ſuos ſubditos, quos ſalute ornat, v. 1. 2. 3. & 4.

II. Altera hortatio ad laudationem, v. 5. propter glorioſam communicationem efficaciámque verbi, v. 6. quod gladius eſt in ore Chriſti regis Eccleſiæ, ad eos vſus pertinens qui tribus poſtremis verſiculis, 7. 8. 9. explicantur. Hæ autem allegoricæ loquendi formulæ pertinent ad ſpiritualis gladij efficacitatem.

OBSERVATIONES LOCORVM DOCTRINAE.

Verſ. 1. Ad fideles, qui Spiritu manſuetudinis ſunt præditi, propriè pertinet Deum laudibus celebrare: quia vberiorem etiã laudis materiam illis ſuppeditat rara, qua priuatim eos proſequitur Deus, beneficentia.

Tunc conueniunt fideles in Dei nomine, quũ eius laudes celebrant. Ea autem minimè eſt Dei eccleſia, ex qua diuinæ laudes exulant, & apud quam idola hominúmque figmenta celebrantur.

2 Eccleſia à Deo per Chriſtum adoptata ſolido fruitur gaudio: & quum miraculosè ex tot hoſtium manu ſit liberata, in rege ſuo, cuius imperium eſt æternum, exultare debet.

3 Muſica inſtrumenta, quorum hîc ſit mentio, ad tempus pædagogiæ pertinent: ne indecenti æmulatione in vſum noſtrum trahamus quod proprium fuit veteri populo.

4 Deus mero beneplacito adductus eſt, vt eccleſiã ſuã ſibi eligeret. Quum autem æterno amore illam cõplexus ſit, fieri non poteſt vt afflictionum põdere perpetuò prematur: ſed tandẽ ſequetur liberatio.

5. 6. 7. 8. 9. Iudæi ex Babylone liberati quibuſdam victoriis & temporariis benedictionibus potiti ſunt, ita tamen vt nouis periculis excitati inuitarentur ad ſpem Meſſiæ, quæ vſque ad eius aduentum eos ſuſtineret. Chriſto autem in carne manifeſtato, iuſſi ſunt fideles ad victorias illas cœleſtes & ſpiritualem triumphum reſpicere, quæ omnia locutionibus ad populi Iudaici ruditatem accommodatis exprimuntur. Cæterùm, quum Chriſti ſit etiam rebelles conterere, ad vim verbi diuini nos reſpicere conuenit.

Principes & magiſtratus Chriſtiani ferro quidẽ accincti ſunt ad puniendam omnem violentiã. Quãtum verò ad totum eccleſiæ corpus ſpectat, alius nunc gladius miniſtris datur in manum, verbi ſcil. ac Spiritus, quo mactent Deo in ſacrificium, qui priùs fuerãt hoſtes: vel etiam quo eos tradant in æternum exitium, niſi reſipiſcant.

Deus ad iudicium ſcriptum ſuos reuocãs, tam animos quàm manus eorum coercet, ne plus quàm ipſe præcipit, audeant.

Quanuis fideles neque robuſti ſint inſtar gigantum, nec digitum mouere audeant ſine Dei iuſſu, animis etiam ſint placidis, decorus tamen ac ſplendidus eorum miſeriis erit exitus.

ARTICVLI PRAECIPVI.

1. De laudibus Dei.
2. Lætitia eccleſiæ in rege Chriſto.
3. De muſicæ vocalis & inſtrumentalis vſu atque abuſu.
4. De verbi Dei præſtantia & vſu.
5. Impiorum faſtus quomodo retunditur.
6. Eccleſiæ & militiæ Spiritualis arma.
7. De iure ſeu iudicio ſcripto eccleſiæ.
8. De ſanctorum decore.

ARGVMENTVM PSALMI CL.

PLANE congruit hic pſalmus cum duobus præcedentibus. Hortatur enim vniuerſam rerum creaturam, & imprimis homines, vt Deum aſſiduè celebrent: & cauſa celebrationis allegantur. 1. eius ſuauitas. 2. potentia regni & firmitas. 3. efficacia in operibus. 4. multitudo magnificentiæ. Facit autem mentionẽ multorum organorum muſicorũ, quæ tunc in populi Iudaici ſacris adhibebãtur, vt moneat, non tantùm aſſiduè cogitandum eſſe de Deo & eius potentia & magnificentia: ſed voce prædicandas eſſe eius virtutes, & omni ſtudio ac conatu promouendas & ornandas eius laudes, quod fit cùm doctrina ad poſteros & ad alias gentes propagatur, & plures ad eius agnitionem inuitantur. Itaque & vaticinium ſub illa varietate organorum muſicorum comprehendi intelligatur. Monet enim fore, vt non tantùm ab vna gẽte Iudaica, ſed à variis & diuerſarum linguarum gentibus, paulò pòſt laudetur & celebretur. Idque vltimo verſu non obſcurè oſtendit, cùm inquit, Omnis ſpiritus laudet Deum.

1 HAleluiah. Laudate Deum in ſanctitate eius: laudate eum in firmamento roboris eius.

Propoſitio eſt παραινετικὴ, cui rationes ſubiiciuntur ab honeſto. Prima ratio eſt à ſanctitate ipſius. Quia ipſe ſolus origine, cauſa & perfectione eſt ſanctus, & nihil eſt ſanctum, niſi cui ipſe communicat. Ergo dignus eſt veneratione & cultu. Inter homines ſi quos iudicamus ſanctitate præditos eſſe, & alienos eſſe ab omni immunditia, eos omni genere cultus proſequimur: quanto magis Deus eſt à nobis colendus, qui origine, cauſa & perfectione eſt ſanctus? Hæc eſt ſimpliciſſima ſententia. Sicut enim ſequenti verſu dicitur, Laudate eum in fortitudine eius, id eſt, propter fortitudinem eius: Ita hic eodem ſenſu dicit, Laudate eum *in ſanctitate eius*, id eſt, propter ſanctitatem eius. Alij ſanctitatem interpretantur ſanctuarium, quod erat Hieroſolymis, ad quod quotannis conueniebant pij. Alij etiam allegoricè ſanctuarium intelligunt pectora credentium, quæ ſunt templa & domicilia Dei, iuxta illud Iohan. 11. Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. & Paulus inquit: Templum Dei vos eſtis, 2. Cor. 6. Hæc ſatis concinnè dicuntur. Nam non niſi à piis rectè agnoſcitur & celebratur Deus. Nonnulli ſanctuarium interpretantur ipſum cœlum. Sicut & illud 2. Paral. 20. interpretantur: Laudantes Deum in decore ſanctuarij. Vbi cœlum ſic dici volunt, quòd ſedes Dei ſit elegantiſſima. Itaque volunt congruere hũc verſum cum illo 148. Laudare Dominum è cœlis. Græcus & Latinus interpres legunt: In ſanctis eius. Arabs etiam addit particulam vniuerſalem: In omnibus ſanctis eius. Et inſulſi quidam Pontificij hoc dictum allegarunt pro inuocatione ſanctorum ſtabilienda, quaſi Deus laudetur, ſi ſanctis cultus adhibeatur: ſed hos facilè Grammatica refutat. Et ſi de ſanctis hoc valere debet, cur non & firmamentum, hoc eſt, cœlum eodem modo inuocant?

In firmamento potentiæ eius] Secũda ratio eſt à potentia eius: quam oſtendit non tantùm quòd firmamentum in prima creatione tanquam teſtudinem ſeu globum expandit & variis modis exornauit: ſed etiam quòd illud perpetuò in ſuo ordine conſeruat, & ſubinde ex firmamento ſeu cœlo variis miraculis inæſtimabilem ſuam potentiam & virtutem oſtendit: vt ſit ſententia: Laudate eum propter firmamentum potentiæ, id eſt, quia de cœlo oſtendit admirabilem ſuam potentiã nulli creaturæ imitabilem. Alij volunt eſſe ἐξήγησιν prioris membri, vt pro ſanctuario hîc ponatur רקיע, id eſt, cœli expanſio. Nonnulli etiam angelos intelligunt qui cœlum incolunt, & homines qui habitant ſub firmamento. Sed vt ſuprà pſalmo 148. ita hîc quoque iubet Propheta nos aſpicere cœlũ & corpora cæleſtia: opera itẽ, quæ de cœlo eduntur, in quibus dũ potentiã Dei perſpicuè cernimus, vult nos illã agnoſcere & celebrare. Ex recentioribus multi firmamentum potentiæ

Dei

Dei ſeu virtutis interpretantur eccleſiam, quæ eſt regnum cœlorum: ſicut ſupra ſanctuarium, pectora ſanctorum. Hæc allegorica ſuum interdum habent locum, nec planè reiicimus, ſed nos nunc ſimplicem grammaticam quærimus & inueſtigamus.

2 Laudate eum in fortitudinibus eius: laudate eum [*ſecundum*] pro multitudine potentiæ eius.

Tertium argumentum ſumptum eſt ab efficacia in eius operibus. Deus non eſt numen iners aut otioſum, ſed efficax, & potentia Dei ſuperat omnium creaturarum potentiam: quod opera eius oſtendunt, quæ nulli creaturæ ſunt imitabilia: & maximas res efficit ſolo nutu & verbo. Non eſt talis Deus, qualia ſunt gentium numina, in quibus nulla eſt vis, nulla potentia, nullum robur. Alij potentiam in ſpecie interpretantur, quam oſtendit in collectione & aſſidua conſeruatione eccleſiæ, in qua fortitudinem ſuam contra diaboli furores & totius mundi vires & odia aſſiduè oſtendit. Nihil enim eſt quod diabolus & totius mundi ſapientia & vires maiore conatu & impetu oppugnent, quàm miſerum & imbecillem cœtum, qui dicitur eccleſia: & tamen ſeruatur diuinitus inter aſſiduos fluctus quibus aſſiduè iactatur. Ita in hac re conſpicitur Dei potentia & fortitudo digna laude & celebratione. Atque hæc rectè dicuntur in ſpecie. Interea tamen fortitudo Dei in genere hoc loco intelligenda eſt de potentia diuina, quæ ſuperat omnium creaturarum potentiam, quam & in cõſeruatione eccleſiæ & in multis alijs rebus declarat: ideóque ſibi ſoli hanc laudem vendicat, & ab omnibus talis vult agnoſci & celebrari.

Secundum multitudinem magnitudinis eius] Quartum argumentum ſumitur à magnitudine Dei ſeu magnificentia, qua ſuperat omnium creaturarum non tantùm potentiã & vires, ſed etiam quicquid videtur in his eſſe maieſtatis, dignitatis, ſplendoris, quod in admirationem nos rapere queat. Habẽt creaturæ præſertim nobiliores, vt angeli, reges, &c. ſuam excellentiam, dignitatem, ἀξίωμα diuinitus ſibi attributum: ſed nihil eſt quod conferri cum Dei magnificentia poſſit. Itaque ſolus Deus agnoſcendus eſt & celebrandus.

3 Laudate eum in clangore buccinæ: laudate eum in nablo & cithara.

4 Laudate eum in tympano & tibia: laudate eum in chordis & organo.

5 Laudate eum in cymbalis ſonitus [*ſonoris:*] laudate eum in cymbalis iubilationis.

Amplificat propoſitionem à modo. Vult enim non tantum voce celebrari laudes Dei, ſed etiam adhiberi varia organa muſica, vt ſignificet omnium piorum ſtudium in hoc occupatum eſſe debere, vt Deum laudent & celebrent, & vt ſubinde noua & varij generis carmina condant, quæ materiam laudum diuinarum contineant. Alia enim carmina alijs organis conueniunt: ideóque illa diuerſa organa in illo cultu legali adhibebantur, vt admonerentur non in aliis rebus friuolis aut ineptis, vt mundus facere ſolet, ſed in celebratione beneficiorum diuinorum oblectationes animorum eſſe quærendas, atque huc ſtudium omne eſſe referendum. Interea tamen hoc quoque tenendum eſt, Spiritum ſanctum in ſcriptura non damnare inſtrumentorum muſicorum voluptatem, ſed reprehendit ſecuritatem impiorũ, qui his velut inebriati, Deum contemnunt & opera eius negligunt, vt cùm Ieſa. 5. reprehendit Iudæos quod indulgentes crapulæ conuiuiis ſuis adhibeant varia inſtrumenta muſica. Vocabula quibus varia organa muſica ſignificãtur, pleraque in ſuperioribus pſalmis ſunt expoſita. Nunc ſatis eſt tenere illam diſtinctionem organorum muſicorum, quam tradit Athenæus lib. 4. Διπνοσοφιστῶν, p. 87. quæ huic loco adfert aliquid lucis. Alia dicit eſſe ἐμπνευστὰ, alia ἐντατὰ καὶ κρουστά. ἐμπνευστὰ vocat, quæ ſpiritu inflantur, vt tubæ, buccinæ, tibiæ: ἐντατὰ καὶ κρουστά, quæ manu admota ſic pulſantur, vt ſonum edant. Huc referuntur nabla citharæ, tympana & ſimilia organa.

צלצלים eſt à צלל quod ſignificat inumbrari, obtegi vmbra. Interdum per tranſlationem ad aures accommodatur, quæ cùm ſonora voce aut ſono percelluntur, tinniunt & quaſi obteguntur & occluduntur vt nullum præterea ſonum percipiant. Significat igitur vox Hebræa inſtrumẽtum muſicum quod multa habuit crepitacula, ſeu tintinnabula ſonora, ob quorum pulſum ſeu ſtrepitum aures tinniunt. Græci & Latini cymbalum reddunt, quod in ſacris matris Deûm cũ tympanis adhibebatur. Cicero etiam in Piſonem mentionem facit huius inſtrumenti, & crotali, quod non videtur abludere ab etymologia vocis. Hebræi מנים interpretantur inſtrumentum, quod habet chordas varias & inter ſe diſtinctas: מין enim ſignificat conditionem, qua res ab aliis generibus diſtinguitur. Dialectici ſpeciem vocant.

עגב abſolutè vſurpatum ſignificat inſano amore flagrare, exardere amore impudico erga aliquem, deperire. Inde nomen inſtrumenti factum eſt, cuius luſu afficiuntur homines voluptate. Hieronymus & alij poſt eum tranſtulerunt organum, quod conſtat fiſtulis. Alij fidiculam ſeu fiſtulam interpretantur. Nonnulli vicinitate appellationis mouentur, vt iudicent congruere cum illo inſtrumento, quod nos nõminamus *geygen.* Sed difficile eſt in re incerta & dubia aliquid certi conſtituere. Et ſatis eſt nos tenere genus: cúmque de Muſicis inſtrumentis dicitur, veniat in mentem verſiculus vulgo notus:

Non vox, ſed votum, non chordula muſica, ſed cor,
Non cantus, ſed amor cantat in aure Dei.

6 Omnis Spiritus [*anhelitus, halitus, id eſt, quicquid ſpirat,*] laudet Deum, Haleluiah.

Repetit in fine propoſitionem, & oſtendit qui Deum laudare debeant, nempe quicquid ſpirat, aut in quo eſt halitus vitæ. Id ſi ad omne genus animantium extendere volumus, intelligendum eſt iuxta pſalmum 148. & alios, in quibus omnes creaturas hortatur, vt Deum laudent. Poteſt autem ſimpliciter etiam ad homines accommodari. Nam ſicut nomine carnis ſæpe ſoli homines intelliguntur, vt, Non timebo quid faciat mihi caro: ita non abſurdum fuerit nomine ſpiritus intelligi homines in quibus eſt ſpiritus vitalis. Itaque ſi de hominibus intelligatur, hortatur non tantum Iudæos, ſed cunctos mortales in toto orbe terrarum, vt beneficia Dei aſſiduè cogitent & celebrent: & ſimul futurum prædicit, vt gentes, quæ hactenus alienę fuerant à populo Dei, & inter quas nulla Dei præconia audita erant, tandem etiam ad eccleſiam colligantur, & verum Deum vnà cum Iudæis agnoſcant & celebrent. Fruſtrà enim gentes hortaretur, niſi ſpiritu ſancto illuminatus videret aliquando gentes adiũgendas eſſe ad cœtum eccleſiæ.

Habetis pſalmos à nobis expoſitos quanta potuit fieri breuitate & perſpicuitate. Abſtinui conſultò à prolixis commentariis & à fuſiore explicatione rerum, cum hic labor aliis iniunctus ſit, & hæ Grammaticæ interpretationes tantum aditum præbere debeant ad aliorum commentarios legendos. Deo gratias agimus quòd hactenus halcyonia nobis conceſſit, vt hæc ſtudia potuerint coli, & quòd multorum ingenia ad inquirendos fontes doctrinæ cœleſtis excitarit, atque eundem oramus, vt deinceps hanc ſcholam aduerſus rabiem diaboli & ſycophantarum ſeruet, & doctrinam ſuam, quam in hac ſchola primum à ſordibus Papatus repurgauit & hactenus clementer conſeruauit, deinceps etiam conſeruet & illuſtret, & multos paſſim excitet, qui puritatem doctrinæ conſeruare & ad poſteros propagare ſtudeant.

PSALMI CL.

PARTES.

I. Hortatoria concluſio libri Pſalmorum, qui Sepher Tehilim, i. Liber laudum ab Hebræis appellatur, pios compellans ad laudationem Dei in eccleſia. Cauſæ autem laudationis exponuntur v. 1. & 2. Deus eſt laudandus: quia eſt fortis, ſanctus, laudabilis, omnipotens, ſapientiſſimus & magnificentiſſimus.

II. Secunda pars, laudationis formam continet, ad pædagogiam legis accommodatam, v. 3. 4. 5. & omnis generis inſtrumenta ſub certis illis ſpeciebus deſignat. Denique v. 6. ſingulos hortatur vt ex tota anima ſua ſpirent Dei laudationem. Ita Pſalmorum liber à beatitate eccleſiæ inchoatus, explicit in laudatione Dei: vt certè in ſalute piorum & gloria Dei ſummum bonum conſiſtit.

Observationes locorum doctrinae.

Verſ. 1. & 2. Commendatio ſpiritualis cultus, laudum ſacrificio conſtantis.

Cælum eſt ſanctuarium Dei: illic enim relucet diuina & immenſa virtus, quæ fideles rapit in optimi maximi opificis admirationem ac laudem. Si verè ergo cupimus animos noſtros ad hoc pietatis exercitium accendi, veniant nobis in mentem immenſa Dei potentia & magnitudo, quæ facilè nobis omnem torporem excutient. Etſi enim tantam immenſitatem non capiunt mentes noſtræ, ſolus tamen guſtus ſeriò nos afficiet. Deus autem quas pro modulo noſtro obtulerimus laudes, non repudiabit.

3.4.5 *Non poſſunt nimis ſedulò ſatagere fideles in celebrandis Dei laudibus, ac ſtrenuè eos cõferre decet ad hoc pietatis exercitium quicquid habent, & in eo penitus occupari.*

Summa piorum voluptas Dei celebratio. Sub lege autem Deus multiplices illos cantus exegit, vt à vanis & peruerſis oblectamentis ad ſanctam vtilémque lætitiam ſuorum animos traduceret. Non mirum igitur tot muſica inſtrumenta hîc coaceruari: quæ cùm pars pædagogiæ legalis fuerint, non ſunt hodie in Chriſtianorum cœtibus inducenda. Aliis enim mediis & ſimplicioribus ſpem vitæ æternæ & pietatis exercitia poſt Chriſtum exhibitum ſuos colere vult Dominus.

6 *Quum omnes homines hic ad Deum celebrandum inuitentur, vaticinium habemus de gentium vocatione, & venturum tempus quo vbique reſonabunt cantica, quæ prophetæ temporibus nonniſi in Iudæa exaudiebantur. Hodie ergo in eandem ſymphoniam veris Iſraelitis coniuncti ſumus, vt aſſiduis laudum ſacrificiis colatur Deus inter nos, donec collecti in regnum cæleſte cum electis angelis perpetuum haleluia canamus. Amen.*

Articuli Praecipui.

1. De Dei laudibus indeſinenter modulandis, earundémque cauſis, argumento & multiplici forma.
2. De muſices tum vocalis tum inſtrumentalis vſu & abuſu.
3. De omnium creaturarum officio.
4. Piorum gratitudo, lætitia, felicitas, in Dei laudibus incluſa.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM QVÆ IN ENARRATIONE SEV COMMENTARIIS D. Henrici Molleri in Pſalmos explicantur,

INDEX COPIOSISSIMVS.

Numerus Paginam denotat.

A

Aron verus quis 550
Aaron & Moſes Paſtores Eccleſiæ auſpiciis Dei 676
Aaron ſacerdos Dei 886 electus Dei 972 ſanctus Iehouæ 988
Abiram terra opertus 988
Ablutio manuum ſignum innocentiæ 213
Ablutio peccatorum 435
Abominari aliquem, quid 32
Abominatio Dei 998
Abortiuum mulieris imago furoris impiorum 486
Abrogatio ceremoniarum legalium prædicta 599
Abſcondere faciem quo ſenſu Deus dicatur 220. 240. 784. 1347
Abſcondere in corde eloquium Dei 1128
Abſcondita Dei quid 121
Abſcondi à conſilio malignorum, quid 529
Abſconditi Dei 738
Abundantia impiorum 632
Abundantia ſpiritualis ſub regno Chriſti 624. 625
Abundantia vnde 1014. 1015
Abundantia bonorum ex ſancta concordia 1281
Abyſſi in theſauris poſiti 266
Abyſſi tentationes 347
Abyſſi terræ pro maximis calamitatibus 611
Abyſſi quomodo laudant Deum 1386
Accentuum Hebræorum vſus 495
Acceſſus ad Deum qualis eſſe debet 541
Accipere faciem in iudicio, quid 732
Accubitus hominis à Deo obſidetur 1315
Acuere linguas ſicut ſerpens 1327
Adægium cabaliſtarum 857. 961
Adducere cor ad ſapientiam 818
Adhærere teſtimoniis Dei 1135
Adminiſtratio regni Chriſti deſcripta 841. 842
Adoptio fidelium pendet ex gratuito Dei amore 534
Adoptio Eccleſiæ beneficium laude digniſſimum 1391
Adorare ſcabellum pedum Chriſti 885
Adorare ad montem ſanctitatis Dei 888
Adorare ad ſcabellum pedum Dei 1270
Adoratio complectitur opera primæ tabulæ 179 totum Dei cultum complectitur 232 ab omnibus mundi incolis Chriſto exhibita 620. 621 debetur Chriſto ab Eccleſia 374
Adrianus Imperator 906 reprehenſus à muliercula 31
Aduentus Chriſti 532
Aduerſarius à dextris impij ſtans, quis 1025
Aduerſarij Dei cur vocentur coarctatores 53 eleuant ſe mendaciter 1522
Adulatores arcendi ab aulis principum 1080 depicti 339
Ædificare domos 1239. 1240
Ædificantes qui lapidem reprobant 1114
Ædificium Dei Eccleſia 921
Ægyptij crudeles & impij in Iſraelitas 971 puniuntur à Deo 972. &c. ſpoliantur 974
Ægypti plaga deſcripta, 690 & ſequentib.
Ægyptus proſtrata teſtis potentiæ Dei 792. 1296 cur terra Cham dicta 970 cur fertilis 1014
Ægroti ſanati teſtes prouidentiæ diuinæ 1009. 1010
Ænigma quid 400. 401
Ænigmata 728
Ærumnarum cauſa 240
Ærumnæ piorum temperantur à Deo 660 quid efficiant 850. 1110
Æternitas Dei 919. 925
Æternitas regni Chriſti 510. 511. 798. 799. 1363. 1374
Æternitas ſacerdotij Chriſti 1050
Affectus quo ſenſu Deo tribuantur. Vide eorum nomina ſuis locis.
Affectus piorum inter ſe confligunt 356 quales eſſe conueniat 494
Affectus impiorum quales 608
Affectus regum & principum quales 731
Affectus piorum in Eccleſia ſubſiſtunt 777
Affectus ſincerus piorum 1175
Affectus quomodo regendi 1308 difficile cohibentur 1335
Afferre gloriam Deo quid 231
Afflictio eſt piis occaſio bene ſperandi 174 quomodo videtur à Deo 245. 246
Afflictio tempus quærendi Deum 416 non auertit fideles à Dei obſequio 1181. 1182 Afflictiones quomodo fiant cultus Dei 77 faciem Dei obſcurant 248. quid ſint fidelibus 275
Afflictionis grauiſſima deſcriptio 587. 588. & ſeqq.
Afflictiones Eccleſiæ multos infirmos turbãt 633 ſunt piis ineuitabiles 660 ſunt à Deo 716 perquam vtiles & neceſſariæ fidelibus 850 piis ineuitabiles, vtiles, glorioſæ 1101 Afflictionum deſcriptio 1131. 1145
Afflictiones piorum 1168 cur præfixæ & momentaneæ 1230 quomodo videntur à Deo 999
Afflictiones & liberationes Eccleſiæ ob piorum oculos ſæpius reponere 1251. &c.
Afflictionum cauſa 322. 1175
Afflictionum varij effectus 544 neceſſitas & vtilitas 1111. 1150. 1151. 1253
Afflicti qui vocentur 203. 273
Afflicti qui Deo grati 601 Deo curæ ſunt 635 Afflicti cur ſunt fideles 763 Afflicti liberati teſtes diuinæ prouidentiæ 1006
Afflictorum conſolationes 336. 348
Affulgere Deus quomodo dicatur 845. 846. 847
Agareni hoſtes Eccleſiæ 739
Agnitio bonitatis Dei theſaurus fidelium 524
Agnitio peccati 355
Agnoſcere pro curare 1311
Agricultura prouidentiæ dei munus 1014
Alacritas in beneficiis Dei celebrandis 487
Ala Dei 128. 295. 509. 826
Alæ columbinæ quorſum expetitæ 459
Alæ venti 943 auroræ 1317
Alameth, quid 379
Alexander fruſtra tumultuatur 321
Alieni qui 138
Alieni ſunt omnes hoſtes Eccleſiæ 453
Allegoria venuſta 974 de petra deſerti 976 de Moſe & Aarone 995 de ſtatu Eccleſiæ 1381
Almuth, quid 57. 58
Aloë, quid 370
Altaria Dei 746
Altiſſimus cur Deus dicitur 416
Ambitio impiorum 401. 402
Ambitioſi infœlices 276
Ambulans in via perfecta, quis 911
Ambulantes in lege Dei 1124
Ambulare quid 86. 100 corã Deo 472 coram facie Dei 1097 in conſilio impiorum 2 in conſiliis ſuis 727 in integritate 214 in integritate cordis 908 in latitudine 1141 in lumine vultus Dei 791 in medio tribulationis 1311 in rebus magnis & mirabilibus ſupra nos 419 in veritate dei 212. 767 in viis domini 1249 ſuper alis venti 943 ſuper leonem & aſpidem 829
Amen qualis dictio 342
Amici fucati 246 infideles 872 nulli contra veritatem 1164 tenebræ 784
Ammonitæ, hoſtes Eccleſiæ 739
Amor ardens piorum erga deum 831
Amor Chriſti erga nos 177
Amor Dei erga genus humanum 727
Amor Eccleſiæ erga Chriſtum 372. 373
Amor iuſtitiæ qualis & quantus in Chriſto 368
Amor principum erga ſubditos in quo appareat 905
Amplitudo regni Chrſti 619
Anabaptiſtarum furor 609 error do-

minia tollens refellitur 192 de eccleſia error 213 de iuramento 528 de magiſtratu 734
Anathemata dira in hoſtes eccleſia 1024
Angeli eccleſia cuſtodes 274 miniſtratorij ſpiritus 275 executores iudiciorum Dei ibid. quo ſenſu dij appellantur 367 cur dicti filij deorum 791 ſunt exercitus Dei, & quomodo benedicunt Deo 938 quando creati 942 à Deo ad quid creati 644 laudant Deum 1385
Angelorum cuſtodia in ſalutem fidelium 828.829
Angeli mali, carnifices Dei 691
Angelus, auceps Dei 826
Anguſtia, quid 916
Anguſtia ſepulchri 1094
Anima Dei 79
Anima humana immortalis 39.244 anima quid ſignificet 111 anima pro anima potentia, quæ concupiſcibilis dicitur 119 quomodo reducitur & recreatur 187 anima piorum quieta in afflictione 205 anima pro ſpiritu vitali 246 pro ſede affectuum 273 pro potentia appetitiua 195 pro vita 120.472.587 pro voto & deſiderio 288 anima, cur vnica dicitur 286 ſananda prius quam corpus 337 anima incuruata, quid 487 ſilens ad Deum 513 Deum ſitiens 523 pinguedine ſaturata 524.525 poſt Deum adhærens 525 ſaturata malis 780 calamitatum mole obruta ibid. benedicens Deo 930 habitans in ſilentio 852
Anima piorum exhilaratur Dei conſolationibus 853
Anima, pro voluntate ſeu arbitrio 970
Anima piorum quando reuertitur in requiem ſuam 1096
Anima adhærens pulueri, quid ſit 1133
Anima pij in manu eius 1168
Anima cuſtoditur à Deo 1211.1212 quomodo expectat 1259 doloribus exhauſta diuini auxilij capax 1347
Anima pro omnibus animæ ſenſibus & affectibus 1369
Animæ piæ ardor 1156
Animam leuare ad Deum 200.1347
animam leuare ad vanitatem 195
Animam tenere quietam 1264
Animas conuertere quo ſenſu verbum Dei dicatur 150
Animantia omnia à Deo nutriuntur 952 quomodo Deum laudant 1387
Animi grati votum 600 animi tumultuantis & luctantis cum ſenſu iræ Dei deſcriptio 669
Animi pij tranquillitas 1189
Animus piorum in periculis 457 agnoſcens Dei beneficia quàm eximiè affectus 487.488 de deo die & nocte meditatur 525
Animus ſine deo magna tentans deſcriptus 1240.1241 cur torpet in inuocatione 1221
Annuntiare manè bonitatem dei, & veritatem eius noctibus, quid 835
Annuntiare in populis opera dei 960. 961
Anni conſumpti in terrore, quid 687
Anni habitationis Iſraelitarum in Ægypto 970
Annus beneficentiæ dei coronatus 539
Anteambulones dei 792.793
Antecedens cum relatiuo pro ſolo antecedente ſcribunt Hebræi 137
Antiquitas pietate vacua, eſt prorſus abominanda 680
Antonini hiſtoria memoranda 131
Anxietas pij animi deſcripta 1339. &c.
Aper de ſylua, quis 717.718
Apertio manus Dei quid efficiat 1364
Apoſtaſia impiorum pios horrore pertellit 1145
Apoſtoli, principes tribuum eccleſiæ Dei 578
Appendere iniuriam manuum 483
Apparitio operis Dei, pro liberatione ex calamitatibus 820
Appropinquare Deo 642
Aqua & ignis, pro omni genere afflictionum 545
Aqua ex rupe, cuius rei typus 976 aqua, pro grauiſſimis afflictionibus 131. 258.784.1354 aqua quietudinum 186 aqua multæ, i. nubes aquoſæ 252 aqua in abyſſis recondita ingens miraculum 266 aquæ, pro multitudine populorum & exercituum 381 aquæ diffluentes pictura furoris impiorum euaneſcentis 485 aquæ intrantes ad animam, pro imminente periculo & interitu 587 aquæ, pro populis 844 aquæ, contignatio cœnaculorum Dei 943 aqua in ſanguinem 972 aqua contradictionis 725.995
Aquarum vſus multiplex 945. 946
Aquila, imago inſtaurationis piorum 933
Arabs interpres citatus 23
Aratores Eccleſiæ 1253
Arbores cur Dei & à Deo plantatæ dicantur 948 quomodo laudant Deum 1387
Arca fœderis, Dei facies 197.958.662 cur Dei nomine inſignita 388.556 potentia & gloria Dei dicitur 523 cur dicta robur Dei 695 cur ſcabellum pedum Dei 1270
Arcanum Dei, quid 205
Arcus & ſagitta, pro omnis generis molitionibus & conſiliis 78.363. 356
Ardor piorum 748 animæ fidelis 1156
Argumentum multiplex laudum diuinarum 1375. &c.
Aries cur dictus ab Hebræis, i. fortis 231
Arma eccleſiæ 34.739
Arma piorum depicta 125.126.220. 485.515
Armorum vſus an damnetur 160
Artes hoſtium eccleſiæ 737. 1327
Arx eccleſiæ, Chriſtus 219.383.494. 514
Aſaph 629
Aſcendere in montem Domini 193 aſcendere ad ſacros cœtus quomodo debeamus 1217
Aſcenſio Chriſti in cœlum figurata 388 deſcripta 573 eius fructus 558
Aſpectus Dei è cœlis 718
Aſperſio Dei qualis ſit 690
Aſpidum venenum 1328
Aſſentatores aulici 460
Aſſyrij hoſtes Eccleſiæ 739
Aſylum piorum 219
Atheiſmus impiorum 493.530. 828.1085
Atheorum ingenium 239 typus 992
Atrium ſacerdotum 1286.1287
Atria Dei 745
Auari eſuriunt & deſtituuntur 276
Auaritia in vſuris maximè ſe prodit 102 damnata 1137.1138
Auaritiæ remedium 1107
Auceps Dei 826
Audacia impiorum 632.633.739
Audas epiſcopus iconoclaſtes 592
Auris auditio 138
Audire cur Deus dicatur 684
Audire Deum loquentem 757
Audire vocem Dei, quid 859
Auditus piis neceſſarius 373
Auditus Dei 694.848
Auditus malus non timetur à fidelibus 1274
Auerſatio Dei 695
Auerſio faciei Dei 206.1272
Auertere iram 756
Aues curæ ſunt Deo 946
Auguſti imperium 140
Aula Romana qualis hodie 84
Aulici impij depicti 212. & ſeq. 445. 460
Aulicorum impiorum ingenium 338.515. & 693
Auris auditio & perfoſſio, quid 138.329
Aurem inclinare, quid 243
Aures Dei quomodo intentæ ad clamorē iuſtorum 278.1257
Aurum obrizum 153 ophir ſeu Peruanum 371 Aurum Chriſto à fidelibus oblatum 624
Auſcultare Deus quomodo dicitur 713
Auxilia externa an contemnenda 825
Auxilium de cœlo, quid 476
Auxilium Dei opportunum 382 quomodo impetretur 475 quando expectandum 829 eſt ſemper admirandum 1110 petendum præcipuè in aduerſis 1340
Auxilium piorum 221.525.1088. 1209

B

BAal & Baalim 127
Baalpeor idolum Moabitarum 993
Babylas martyr Chriſti 1097
Babylon 1300
Babylonis excidium prædicitur 1306. 1307
Baculus panis contritus 967
Baculus piorum 131
Baptiſmus aqua requietis 186
Baſan regio paſcuis abundans 174
Baſan mons pinguis ditiſſimúſque 570
Baſes terræ 944 Baſiliſcus 830
Batus, menſuræ nomen 715
Beati qui Deum ponunt ſpem ſuam 326
Beatitudo. vide Felicitas.
Beatus, i. iuſtus coram Deo & hæres vitæ æternæ quis 255
Beatus quomodo Chriſtus reputatur à ſuis membris 626
Belial quid 127.339
Bella, quem finem habere debeant 45 bella quærentes diſſipabuntur 581 bella Dauidis Dei auſpicio geſta 136. 137.453 bella nemo niſi Deus poteſt compeſcere 537 bella multiplicia in eccleſiam 1042
Bellatores ſtrenui & pij docti à Deo 1352. 1353 belli ciuilis facies 302 belli & pacis collatio 537. & ſeqq.

Belli

Belli incommoda 758.759 Bellum multiplex aduerſus pios 1023
Belſaſar interfectus 1307
Benedicere an maledicere oporteat iis qui nobis maledicunt 226
Benedicere Dei & hominum, quid 109. 119.227.275.919
Benedicere Deo, quid 544
Benedicere animæ ſuæ in vita 406
Benedicere ſe in Chriſto, quid 626
Benedicere nomini Dei 863
Benedicere piis è domo Iehouæ 1118
Benedicti Dei poſſidebunt terram 304
Benedictio Dei, quid 20 Benedictionis Dei luculenta deſcriptio 537.538.& ſeqq.
Benedictio Dei duplex 550.551
Benedictio Dei non cibus alit corpora 988
Benedictio cur elongatur ab impiis 1029
Benedictio Dei ſuperat impiorum ſarcaſmos & maledictiones 1033 Benedictio Dei erga fideles 1086 Benedictio Dei eſt, vbi regnat ſancta concordia 1281 Benedictio Dei ſuper eccleſiæ miniſtros 1284
Benedictio eccleſiæ à quo proficiſcitur 196.550.551
Benedictiones regnorum & politiarum 1355.1356
Beneficentia Dei per ſingulos annorum circuitus conſpicua 537 & ſequent.
Beneficentia piorum 1353
Beneficentia Dei poſt liberationem diligenter agnoſcenda 238 Beneficia Dei erga eccleſiam 259.931. 1096.1097.1109.1382.1392 Beneficia temporalia quomodo expetenda & conſideranda 222.304 Beneficia Dei à tribus rebus commendata 327 Beneficia corporalia nonniſi in eccleſia rectè agnoſcuntur 536 Beneficia præterita Dei quid nos doceant 620 Beneficia Dei quando & quomodo celebranda 835 Beneficia Dei erga Iſraelitas 985
Beneficia regni Chriſti 1048
Beneficia Dei à quibus celebranda 1107 Beneficia Dei erga pios ab eius clementia fluunt 1295 &c.
Beneficium ſummum eccleſiæ 194. 385.535
Beneuolentia Dei durat 239 Eccleſiæ fundamentum & conſeruatio 355
Beneuolentia populi Dei, quid 982
Bonitas Dei commendata 153.212 quomodo ante piorum oculos 212 piorum ſalus 247 piorum lætitia 245 quibus recondita 248 replet terram 265
Bonitatis diuinæ præcipuum argumentum 268 Bonitas Dei erga eccleſiam 257 in mundi conſeruatione conſpicitur 294 cur pretioſa dicitur 295 impiorum nefariis artibus opponenda 296
Bonitatem ſuam quo ſenſu Deus mandare dicitur 347
Bonitas Dei ſolis piis cognita 449 vide 480 Bonitas Dei omnibus tentationibus & afflictioni piorum opponenda 630 in ſeruandis & fouendis fidelibus 639 erga Iſraelitas eductos ex Ægypto 692 &c.
Bonitatem Dei annuntiare, bonum 835
Bonitas Dei fulcrum piorum 852
Bonitas principum erga ſubditos qualis eſſe debeat 905
Bonitas Dei multiplex 934 perpetua & immutabilis 936 deſcripta 981.1287 Dei 1362
Bonitatis guſtus, quid 1149
Bonitates dei cur piis propoſita 788
Bonum, pro pace, & commodis huius vitæ 26
Boonum, i. quod à deo ordinatum eſt, & deo placet 93
Beneplacitum dei, liberatio piorum 112
Beniamin cur paruus nominatur 578
Benignitas dei erga afflictos 357. 1362
Beſtiæ ſylueſtres diuinæ prouidentiæ teſtes 949
Blaſphemia impiorum 632
Blanditiæ vnde dictæ 83
Bibere, pro affligi 1056
Bona piorum 196.295
Bona domus dei 535
Brachia impiorum 535
Brachium pro crudelitate, tyrannide & violentia 73
pro virtute & robore 355
pro potentia 673.709
Brachium cum potentia dei 792
Brachium extentum, pro potentia inſolita 1297
Breuitas vitæ felix reputata 838
Buccina 1398
Buchanani encomium 84

C

Cadentes ſuſtentantur à deo 1363
Cades deſertum 233
Cæcitas horrenda 152
Cæremonia ſacra quid ſint 857
Calamitas eccleſiæ deſcripta 703. & ſeqq.
Calamitates quid ſint piis 60
quid efficiant in mentibus noſtris 248 pios opprimere nequeunt 258 pios non arcent à deo 305 non ſunt ſigna iræ diuinæ 337.799 cataracta dei 347 quomodo à nobis conſideranda 441 calamitates grauiſſimæ piorum deſcriptæ 595 mitigantur 623 calamitates ſuas cur pij deo adſcribant 645
calamitates ex ira dei 706
calamitates eccleſiæ à deo 718
ſunt inſtructiones dei 850
calamitates publicæ vnde 1015
Calcaneum efferre 336
Calcantes in fruſtis argenti, pro impiis ob ſplendorem externum ſuperbientibus 581
Calceus proiectus in aliquem, quid 505
Caligo mentis quid efficiat 91
Caligo oculorum 315
Caligo in circuitu Chriſti, quid 872
Calix, pro demenſa ſeu certa portione 80.108
pro pœnis & pro lætitia ſpirituali 80
Calix piorum quàm beatus 189
Calix dei 660
Calix ſalutum, quid 1099
Calumnia, res dura & violenta 248. 529.1204
Calumnia aduerſus dei ſeruos 284. 477.1023
Calumniatores puniendi 910
Canaan regio, typus regni cæleſtis 387. 564.965
terminus ſanctitatis dei 692
cur mons dicta 693
cur dicta requies dei 862
hæreditas Iſraelis data 1290. 1398
Cananæa mulier perſeuerare in precibus nos docet 668
Cananæi ad internecionem vſque delendi 996.997. 1290.1398
Canere in viis dei 1310
Cantare deo, quid 965
Cantare clementiam & iudicium 907
Cantica euaſionis eccleſiæ oblata 259
Canticum, mizmor Hebræis, quid 17
canticum nouum, quid 326.1355
canticum piorum 1110
cantiones fidelium 1145
Captiui liberati, teſtes diuinæ prouidentiæ 1007.1008
Captiuitas corporum & animorum deſcribitur 561.1007.1008
captiuitas captiua ducta 573
Caput exaltatum quid 18.219
caput ſuperatum iniquitatibus quid 314 capitis agitatio geſtus illudentium 358 caput inimicorum dei cruentum abitur 575
Carceris deſcriptio 1007.1008
Carmen amorum 364
Carnis Chriſti veritas 172
Caro fugit deum 330
Carnis imbecillitas in periculis 458
Caro contemptim dicuntur homines 468.1368
Caro deum concupiſcens 523
caro, pro hominibus auxilio deſtitutis 534
caro, pro ingenti imbecillitate humana 689
caro exultans ad deum 745
carnis infirmitas in piis 872
Caroli quinti fabella 1141
Caſia quid 370.371
Caſtigationes dei, doctrina vtiles piis omnibus 850
caſtigationes eccleſiæ in populis quales ſint 1394
Caſtra, i. quicquid formidabile eſt in mundo 218
Caſtrametatio angelorum quid nos docet 274.275
Cauſa malorum 322.323
cauſa noſtræ ſalutis, dilectio dei gratuita 388
Cauſa calamitatum & mortis 816. 1006 cauſa meteororum quomodo inueſtiganda 946
cauſa captiuitatis 1008
morborum 1010
variarum calamitatum 1013
cauſæ ſecundæ non tenent deum alligatum 1086
Cedri, i. quicquid eximium eſt in mundo 233
cedrus, imago pij viri 839
Celebrare deum coram diis quid 1307. 1308
Celebratio, pro dei cultu 552
Celebritas eccleſiæ 776
Ceremoniæ reiiciuntur à deo niſi fides eis præluceat 414
Certamen perpetuum inter dei ſeruos & hypocritas, de legitimo dei cultu 411
Certamen grauiſſimum 630
Cerui natura 343
Cete. vide leuiathan
Chaldæa paraphraſis 33.70. 179
Charitas dei 826

Charitas ſeruorum dei 990
Charitas inter matrem & liberos 1248
Charondas quo ſupplicio calumniatores afficiebat 910
Cherub currus dei 130 quid ſignificet ibidem
Cherubin ſymbolum præſentiæ & protectionis dei 510
Cherubin ſolium dei 713.884
Chriſtianorum militia 187
Chriſti deitas aſſeritur. vide deitas.
Chriſti regnum, dei eſt opus 1363.1115 Chriſti virtutes eximiæ 365 &c. Chriſtus quo oleo vnctus rex & Sacerdos eccleſiæ 9
Chriſti & regni eius luculenta deſcriptio 10.11.12
Chriſtus, caput eccleſiæ, quomodo & quantum exaltatus 55.56.138
Chriſti mortificatio & viuificatio deſcripta 105.106
Chriſtus, ſanctus dei 110 ſemen dauidis 140 ſol iuſtitiæ 149.150 qualis corona ei impoſita 163 exaltatus poſt humiliationem 164 quomodo poſitus in benedictionem 164 eius humiliatio & exaltatio deſcripta 120.171.172. &c. an non fuerit exauditus in cruce 171 vermis 172 paſtor eccleſiæ 185 rex gloriæ 198 petra eccleſiæ 219.713 eccleſiæ vmbraculum 256 ſacrificia legalia abrogauit 329 deſcriptus ſub typo 365.366.367.368. &c. brachium Dei 353 quomodo concupiſcit decorem eccleſiæ 374 rex eccleſiæ deſcriptus 386 rex æternus 510 depictus 557 &c. quomodo vehitur in deſertis 558.559 triumphus eius deſcriptus 573 eius paſſiones deſcriptæ 587.588 &c. eius regnum 656 &c. pro nobis grauiſſima quæque paſſus eſt 784 quomodo electus & ſeruus Dei 790 heros inuictus 795 vnctus oleo ſanctitatis 796 quomodo filius Dei 798 primogenitus item & excelſus præ regibus terræ 798 rex eccleſiæ deſcriptus 841 &c. quomodo regnat 871 quomodo magnus in eccleſia 884 manna & petra eccleſiæ 976
Chriſtus, Deus, homo, in vna perſona, rex, propheta & ſummus eccleſiæ ſacerdos æternus luculenter & ad viuum deſcriptus 1039.1040.&c. verus Dauid reiectus à primariis populi 1115 cuſtos eccleſiæ eſt perpetuò in excubiis 1109.1110 filius Dauidis 1173 vnicus eccleſiæ mediator 1283 à regibus terræ quomodo celebratus 1310 &c. quomodo adeſt ſuis 1364
Cibus fidelium 179
Ciconia, Hebræis dicta benefica 948
Circumſcribere Deum 689
Cithara quale inſtrumentum muſicum 263.487.836
Cithara Leuitarum 1301
Ciues veræ eccleſiæ 193.194.195
Ciuitas magni regis, eccleſia 393
Ciuitas, pro politico ſtatu 1240
Clamare ad Deum, quid 764.1007
Clamor, piorum reſpectu, quid 18.31.225.475.724.915
Clamor impiorum & hypocritarum qualis 137
Clamor ſcelerum ferit aures Dei 694
Clamor piorum auditur à Deo 1366
Clangor piorum 793
Claudicatio, pro aduerſis caſibus 285.316
Claues quatuor in manu Dei nulli communicatæ 1241
Clementia quomodo mittitur piis à Deo 476
Clementia, virtus regia 511
Clementia Dei 519
Clementia Dei melior quàm vita 524
Clementia Dei erga ſuos 610
Clementia multa dei erga eum inuocantes 764 quo ſenſu dicitur ædificari perpetuò 789
Clementia & veritas præcedunt dei faciem 793
Clementia Dei cum eccleſia 797
Clementia, pro amore erga ſubditos & ſtudium in procuranda populi ſalute 905
Clementia Dei multiplex 934
Clementia præpoſtera Iſraelitarum 997
Clementia Dei fons omnium beneficiorum eius erga nos 1295 &c. in omnibus operibus eius elucet 1365
clypeus piorum 135.496.756.794.1088 bellatorum 1352
Coarctatio in lumbis, pro periculis inextricabilibus 545
coarctatores, qui 53
cæci illuminantur à Deo 1372
cæli inclinatio, quid 129
cæli, pro tota mundi machina 265.865 quomodo Dei iuſtitiam annuntiant 414
cæli, pro Angelis & Sanctis 790 teſtes potentiæ Dei 792 quomodo annuntiant Chriſti iuſtitiam 873 quomodo dicantur eſſe Deo 1090 facti à deo in intelligentia 1295 quomodo inclinantur à deo 1354 cælorum ſtillatio 563 dei tentorium 942 aperitur nubibus à deo 1378
Cœnacula Dei contignata in aquis 943
Cœtus cur plus tribuitur 6
Cœtus magnus 331
Cœtus pro Iſraele 656
Cœtus Dei, pro populo legibus & aliis vinculis in integrum ſeruato 731
Cœtus ſacri in quem finem conſtituti 952 quales eſſe debeant 1113
cogitare & non cogitare peccata quo ſenſu Deus dicatur 256
Cogitare verba doloſa 287
Cogitatio, pro obſtinata malitia 515
Cogitationes Dei profundæ 836 pretioſæ piis 1566
Cogitationes anxiæ quomodo ſuperantur 853
Cogitationes profundæ Deo cognitæ 1315
Cogitationes variæ peccatorum qui Dei faciem effugere ſe poſſe putant 1317.1318
Cognitio Dei quàm neceſſaria 204
Cognitio & ſapientia diſtincta 400
Cognitio veri Dei in eccleſia 661
Cognitio nominis dei 831
Cognoſcere alicuius animam, quo ſenſu de deo & hominibus dicatur 831
Cognoſcere impium, quid 909
Colles quando exultant 540
Collacari in tenebris quid 1346
Columba muta dauid appellatur 467
Columbæ pernicem volatum habent 459
Columba, quid nos doceat 568
Columna vitæ humanæ & eccleſiæ 657
Columna nubis 888
Comedere puluerem 918
Comedere ſacrificia mortuorum 993
Comeſſator Hebræis quomodo dictus 86
Comminationes de pœnis ſcelerum quomodo ſunt intelligendæ 990
Commonefactio dulciſſima de manna Iſraelis 976
Commoueri, quid ſignificet 25
Communio ſanctorum 208.1216
Concordia amabilis & ſancta eccleſiæ dei depingitur 1216.1279.&c.
Conciliatio locorum de iuſtitia fidei & operum 255
Conciliatio locorum diſſidentium 501 de dei cura & obliuione 781
Concupiſcere concupiſcentiam 987
Conditio diſſimilis piorum & impiorum deſcripta 160.260.838
Conditio piorum in hac vita 187.356.307.460.607.630.631.632.633.756.965.1032.1187.1188.1327.1328.1339.& ſeqq.
Confeſſio auricularis exploſa 154
Confeſſio peccatorum ingenua eſſe debet 204 an ſit cauſa remiſſionis peccatorum 257.258
Confeſſio peccatorum quàm neceſſaria 707.984
Confidentia piorum qualis 294.295.1126
Confidentia profana 70
Confidere Deo 300.517.1229
Confidere in iniuria & rapina 518
Confirmatio cordis 222
Confirmatio in fide piis neceſſaria 516
Confiteri Deo, bonum 835
Confiteri nomini Chriſti quid 884
Confracti corde 278
Congregatio Dei 646
Congregatio pauperum Dei 651
Congregatio taurorum, quid 581
Congregatio, pro piorum cœtu 1059
Coniugium Deo gratum 1245.1247
Conniuere quo ſenſu Deus dicatur 61
Conſcientia bona 100 conſcientiæ pax vnde 151.152 conſcientiæ vis & morſus 256.257 conſcientiæ pauor quid efficiat 257 conſcientiæ teſtimonium quanti ſit momenti 286 conſcientiæ vis in electis Dei 435
Conſcientiæ anxiæ deſcriptio 780
Conſcientiam bonam impij & ethnici habere non poſſunt 818. Conſcientia bona & mala deſcripta 1141.1142
Conſenſus in vera doctrina fons ſanctæ concordiæ 1281
Conſeruatio animantium, eſt miraculum Dei 1298
Conſiderare mandata Dei 1161
Conſilia ponere in anima 89
Conſilia humana quid efficiant 244
Conſilia gentium Deus labefactat 266
Conſilia mala conſultoribus peſſima 284.469
Conſilia impiorum aduerſus Dei eccleſiam 737.738
Conſiliarij fidelium 1132

Conſilium

Conſilium Dei 109 In afflictionibus piorum 545 In impiorum interitu, & piorum probatione ac gloria 639 In gubernanda eccleſia 968.969
Conſilium Dei expectare quid 986
Conſilium excelſi ſpernere, quid 1008
Conſilium implere 159 Conſilium malum in manibus 214 Conſilium pij, quid 95.96
Conſiſtere coram Deo 340
Conſolatio in perſecutionibus 9 Eccleſiæ ab impiis afflictæ 34.73.74.188 Conſolatio pijs pulſis in exilium 191.192 In tentationibus de abiectione 202 Aduerſus omnes terrores 218 In morte 244 In maximis periculis 250.283 Ex doctrina de prouidentia Dei 268.269 in afflictionibus 275
Conſolatio omnium piorum in hac vita 258 Grata pijs mentibus de Angelorum cuſtodia 274.275 in calamitatibus eccleſiæ 380.381.382 nulla extra verbum euangelij auditum & fide apprehenſum 418 in rebus aduerſis 462 aduerſus magnitudinem peccatorum & multitudinem ærumnarum 480
Conſolatio tutiſſima 524 piorum in afflictionibus 545.558.580 aduerſus tentationem de magnitudine & multitudine peccatorum 629 In perſecutionib. eccleſiæ 625 piorum dolores ſedans 639 adu. impiorum proſperitatem 640
Conſolatio peccantium 688 in grauiſſimis calamitatibus eccleſiæ 789 miſerijs humani generis opponenda 813 aduerſus omnes tentationes ibid. vera & ſolida in calamitatibus 829 opponenda omnibus terroribus & periculis 823.824 &c. piorum dum impij florent 837.841 piorum in perſecutionibus 844.849 efficax in terroribus conſcientiæ 935 in ærumnis eccleſiæ 966.967 afflictionibus 1031 in morte 1097 in afflictionibus, Dauidis exemplo 1143 &c. in ærumnis 1159 adu. dolores ex ſenſu peccatorum 1260 firmiſſima in omnibus ærumnis 1291 vnde petenda 1347 in afflictionibus 1365
Conſolationes verbi Dei dulciſſimæ 133 aduerſus impiorum proſperitatem 321.322 afflictis propoſitæ 335.336 &c. firmiſſimæ 395 Conſolationes diuinæ quantum à philoſophicis differant 487 Conſolationes piorum ſub cruce 575 Dulciſſimæ in maximis ærumnis 831 Conſolationum omnium caput 853 Conſolationes eccleſiæ in extremis malis 819 in variis afflictionibus 1006. &c. in lucta animi 1347
Conſortes Chriſti 369
Conſortia impiorum ſeduló fugienda 997
Conſpicere mirabilia ex lege Dei 1130
Conſpiratio horrenda aduerſus eccleſiam 738
Conſtantia præſtanda in confeſſione & profeſſione veræ doctrinæ 211 Conſtantia piorum ex dilectione Dei oritur 251 Conſtantia piorum in profeſſione doctrinæ 358 Conſtantia ſumma in Deo 480 Conſtantia piis neceſſaria 607 Conſtantia fidelium 1144.1147 Conſtantia piorum in aſſerenda Dei veritate 1303
Conſtantini imperatoris dictum de aulicis 610
Conſternatio piorum vnde 239
Conſuetudo non ſemper ſequenda 374
Conſultare corde 739
Contemptus Dei deſcriptus 69
Contemptus effuſus à Deo in principes 1015
Contentio Dei 652
Conteſtari, quid 725
Contriſtare Deum 689
Contriti ſpiritu ſeruantur à Deo 276
Contriti corde ſanantur à Deo 1377
Contumacia Iſraelitarum 687 &c.
Contumelia pijs illata 595.607 magis afficiunt quàm verbera 705
Contuſi, fideles cur dicantur 652
Conuentus ſacri ad quem finem inſtituti 1218
Conuerſio Dei & piorum 756
Conuertere pedes ad Dei teſtimonia 1147
Conuitia animos vulnerant 705
Copulati idolis 993
Cordis anguſtia & latitudo 23 Cor totum, opponitur duplici & fucato 59. 1307 Cor, pro deſiderio 159
Cordis fidelis vita 179 Cor quomodo mundum fiat 195 Cor, pro cogitationibus, conſilijs & intimis affectibus 211.212
Cordis palpitatio 315 Cor mundum creatur à Deo 438.439 contritum & humiliatum, ſacrificium Deo gratum 441 contremiſcens in periculis 458 firmatum 478 quomodo obtegitur 509 ſemper conſtrictum donec in Deo acquieſcat 517 Cor apponere ad diuitias 518 Cor profundum impiorum 530 Cor exultans ad Deum 745 Cor piorum cur lætari debeat 961 Cor vulneratum 1031 Cor pioru confidens in Deo ſtabilitum 1171 inclinatur ad Dei teſtimonia, non ad auaritiam 1138 Cor impiorum incraſſatum 1151 Cor exaltatum, quid 1163
Cor piorum quomodo dilatatur à Deo 1136 Cor obſtupeſcens in medio ſui 1346 Corda noſtra ſunt lora deſerta in quibus Chriſtus vehitur 559
Cornua attollere 638
Cornu ſalutis 126 Cornu petere, quid 356 Cornua impiorum & iuſtorum 660 Cornu piorum in beneuolentia Dei exaltatur 794 Cornu pro gloria, dignitate & potentia 797 Cornu fidelium 838
Cornu piorum exaltabitur in gloria 1072 Cornu Dauidis germinans in Sione, quid 1275 Cornu populi Dei exaltatum 1388
Corona inſigne regni 163 Corona fidelium, miſericordia Dei 931
Coronare, pro reſtituere in integram dignitatem 55.1342
Corporis motus omnes ſunt Deo cogniti 1315.1316
Correctionum vtilitas 1335.1336
Correptiones Dei 323
Corruptio hominum deſcripta 484
Coruorum pulli quomodo clamant ad Deum 1378
Corus, menſura nomen 715
Coturnicum pluuia miraculoſa 686. 975
Creatio fundamentum doctrinæ de prouidentia 265
Creatio & gubernatio mundi pios afflictos de liberatione reddit certiſſimos 651
quomodo conſideranda 892
quid nos doceat 925.945
noſtra quid nos doceat 1152 hominis in vtero inſigne Dei opus 1320. 1321
Creaturæ ſunt indumenta Dei 941 quomodo conſiderandæ 936 Creaturarum omnium officium 1388
Credere & loqui, quid 1094
Crimen multiplex idololatrarum 989
Cruciatus impiorum deſcripti 404
Crucis doctrina eſt præcipua eccleſiæ eruditio 353 Crucis vtilitas 849.850. 1009 Crudelitas impiorum depicta 68.493.1304 trahit eos ad grauia ſupplicia 1028 Crux neceſſaria & ſalutaris omnibus fidelibus 1152 eſt cordis piorum aratio 1253
Cubilia piorum 1392
Cultores Dei, qui exiſtimandi ſint 428
Cultus piorum triplex, cordis, manus, & linguæ 196 Cultus Dei legitimus 328.329 externus inutilis niſi internus accedat 411 legitimus deſcribitur 414.415. &c. 440.441. 599.857.866. 867.959. & ſeqq.
Cultus idolorum attrahit tetras libidinum confuſiones 992 Cultus ſpiritualis Dei laudum ſacrificio conſtans commendatur 1397
Cuniculi Deo curæ 949
Cupiditas vindictæ. Vide vindicta.
Cura Dei pro ſuis electis 245.275
Cura Dei de rebus omnibus 294
Cura Dei mundum conſeruat 953
Cura Dei. Vide prouidentia.
Curæ ſine Deo ſunt irritæ 1240
Curſus Dei 571.572.943
Curuati eriguntur à Deo 1363.1373
Cuſtodientes pactum Dei 203
Cuſtodia oris 1332
Cuſtodire ſe ab iniquitate, quid 132
Cuſtodire iudicium 982
Cuſtodire verbum Dei 1127.1130
Cuſtodire teſtimonia Dei 1131 legem Dei in toto corde 1137 legem Dei ſemper & in perpetuum 1141
Cuſtodire ciuitates, quid 1240
Cuſtos eccleſiæ non dormitat 1209

D

DÆmones piis precibus arcendi à domiciliis noſtris 237.238
dæmones humano ſanguine gaudent 998
dare piis ſalutem 557
dare aliquem in miſericordias 1000
dare gloriam ſibi quo ſenſu Deus dicatur 1085
dare in ſinum 710 dare pedes ad lapſum, quid 544.1209
dathan à terra abſorptus 988
dauid typus Chriſti 136.118.339.340. 495.579.655.790.795.1024.1037. & ſeqq.1114.1115 voce Nathanis expergefactus confugit ad Dei miſericordiam 433.434 quo ſenſu iuſtitiam ſuam coram deo allegat 481 eius ſincerus & humilis affectus 505 ſeruus dei electus rex populi, officio ſuo præclarè fungitur, & eſt typus Chriſti 699.700
dauid cur petit ſignum à deo 770 quomodo filius dei 797 inſignis & ſtrenuus bellator 1352 Vide fideles, pij, iuſti.
decachordon, inſtrumenti muſici nomen 263.264.835
decor coram deo 865
deducere in laqueum, pro conijcere in ſummas anguſtias 544
defectio à deo effuſione greſſuum ſignificatur 631
deficere à deo 93.132
deiectio extrema 137
deiici de petris, quid 1336

deitas Chriſti 11.357.358.386.388.560. 573. 574. 611.797. &c. 871.891.926. 1037.&c.
deitas Spiritus Sancti 1349
delatores vnde dicti 101
delectari in via teſtimoniorum Dei 1129 ſemita mandatorum Dei 1137 delectatio piorum 11.60.1160.1188.1190 delectatio Dei qualis ſit 1379
deleri de libro vitæ quid 598
deliciæ dei 295 fidelium 1164 impiorum quid 1335
delicta iuuentutis, quid 102
dentes impiorum, quid 19.485
deprecatio. Vide preces.
deriſores, qui 3
deſcendentes in puluerem, i. pauperes & afflicti 180
deſcendere quo ſenſu Deus dicatur 129
deſcendere in mare 1011 deſcendere in ſilentium 1090 deſcenſus Chriſti ad inferos 111 deſcenſus Dei 1316
deſeri à Deo, quid 170
deſertum in ſtagnum aquarum 1014
deſcriptio ciuium eccleſiæ 775.776
deſcriptio. Vide Deus, Eccleſia, Impij, Pij, &c.
deſideria impiorum 640 deſideria impij ſine Dei permiſſione non promouentur 1329 deſiderium impiorum peribit 1074 deſiderium piorum 385.1154.1175
deſtructio impiorum qualis 227
detrahere lingua 101
Deus, quo ſenſu in cælis habitare dicitur 10 rex 31 quomodo punit ſuos 37 quo ſenſu ſedere dicatur 45 ſcutum piorum 46 iuſtus 80 verax 85 quo ſenſu habitare dicatur in Sion 61 protectiones piorum 96 ſeruator ſperantium 118 fortitudo, petra, præſidium, liberator, rupes, ſcutum, cornu ſalutis, exaltatio piorum 125.126 non vno modo ſuos ſeruat 126 ſolus inuocandus & quomodo 128 quomodo agit peruerſè cum peruerſis 133 ſeruator afflictorum 134 petra eccleſiæ 154 redemptor eccleſiæ ibid. quomodo exaltatur in fortitudine 166 cur ſanctus Iſrael dicitur 171 piorum hoſpes & liberalis conuiua 188.189 bonus, rectus, docens peccatores, dirigens pauperes in iudicio, oſtendens afflictis viam ſuam 202.203 ſuis monſtrat viam 205 lux & ſalus piorum 217 nunquam nos deſerit 221 qualis erga ſuos 228 mundum concutiens ſuos electos confirmat 234 quomodo à nobis exaltatur 238 beneficus 230.239 quomodo petra fortitudinis piorum 243 fidelis & ſeruans promiſſionum 245 quomodo videt afflictionem noſtram 245 Deus quando inuenitur 258 impios facile ſubigit 260 probat probanda & damnat damnãda 265 omnia creauit ſolo nutu 266 Deum alicuius eſſe, quid 267 Deus mundi iudex & præfectus vigilantiſſimus 267 omnia nouit & moderatur ibid. angelorum miniſterio eccleſiam conſeruat. 274. 275 quomodo intuetur & audit iuſtos 277 prope eſt confractis corde & contritos Spiritu ſeruat 278 quomodo & quando ſuis opem ferat 278. 279 litigat & pugnat pro ſuis 281 iudicat ſuos ſecundum iuſtitiam ſuam 288 in mundi conſeruatione quas virtutes exerat 294 peculiari quadam bonitate pios amplectitur 295 quomodo det piis petitiones cordis eorum 300 quo ſenſu impios irridere dicatur 302 quomodo nouit dies piorum 303 amat iuſtitiam & rectitudinem 305 ſuis adeſt 306 expectatio piorum 322 adiutor & liberator pauperum 332 viuus 344 quomodo mandat bonitatem ſuam 348 cur dicitur Deus lætitiæ exultationis piorum 352 quomodo ſuos aſpicit 355 rex eccleſiæ 355 quo ſenſu dormire dicatur 360 protectio, robur, & auxilium piorum 379.380 in medio eccleſiæ 382 Clypeus mundi 390 vbi cognoſcitur magnus & laudabilis 393 Deus deorum de cultu ſuo diſſerens audiendus 411 quum ſibi ſufficiat, ceremoniis & ſacrificiis externis minimè delectatur 415.&c. quando præcipuè inuocandus 416 iuſtus agnoſcitur à peccatoribus reſipiſcentibus quos caſtigat 435.436 quomodo pro ſuis perficere dicatur 475 quomodo exaltatur 477 iudex terræ 488 cur Iſraelis & exercituum Deus dicitur 492 videt impios 493 quomodo facit videre ſeruos ſuos in hoſtes 494 quomodo ſuos præuenit 494 potat homines vino vacillationis 502 qualis ſit erga ſuos 513.514.&c. quo ſenſu ſemel & iterum locutus dicatur 519 eius puritas impuritati noſtræ originali & actuali oppoſita 436. 437 quo ſenſu terribilia ſuis reſpondere dicitur 536 liberalis & munificus erga homines 537.538.&c. dum ſuos ſeruos audit ſuos hoſtes affligit 461 quomodo iudicat populos in æquitate 552 quomodo egrediatur ante populum ſuum 572 quomodo agat cum ſeruis ſuis 576 eius potentia 537 compeſcit tyrannos 543 quomodo dicitur illuminare faciem ſuam ſuper nos 551 quomodo exurgere dicitur 557 quomodo vehitur in deſertis 559 eſt ſibi ſufficiens in omnibus 559 terribilis, dans robur & fortitudines populo ſuo 584 quo ſenſu ſuos reſpicere dicatur 594 quo ſenſu iniquitatem iniquitati addere dicatur 597 quomodo deleat impios de libro vitæ 598 an procul abſit, cùm dicatur nobiſcum eſſe in tribulatione 608 quomodo ad ſuos reuertitur 611 quomodo bonus Iſraeli 630 impios extollit & deiicit 636 ſuorum dextram manu tenet 639 petra, robur & portio piorum 640 rex eccleſiæ 650 quomodo iudex mundi appareat 659 quomodo illuſtris 662 terribilis & metuendus, non homo ſuperbus 664 magnus & faciens mirabilia 673 eius auditus & ira 684 cur forti viro vociferanti à vino comparatur 696 quomodo recordatur iniquitatum 707 quomodo auſcultat 713 quomodo reuertitur, & aſpicit è cœlis 718 Deus Iacob 722 quomodo dimittit homines in prauitate cordis eorum 727 ſupremus iudex iudicum & principum 731 variis modis & quidem miraculoſis poteſt liberare eccleſiam 740 quando apparet excelſus ſuper omnem terram 742 Deus viuus 745 rex piorum 746 clypeus & ſol piorũ 750.751.752 quomodo facit cadere iram ſuam 756 nemini comparandus 765 Deus magnus & faciens ſolus mirabilia 766 eius natura 768 quomodo adeſt ſuis 770 fundator & cuſtos eccleſiæ 773.774.775. 776 quomodo ſuos repellit & reprobat 802 quomodo ſit piis habitaculum 813 eius pœnitẽtia 819 Deum alicuius eſſe, quid 825 Deus non niſi in verbo promiſſo reperitur & apprehenditur 826 cum ſeruis ſuis in tribulatione 832 quomodo piis oſtendit ſalutem 832 quicquid agat, etiã ſi eius opera ſunt incomprehenſibilia, eſt rectus, nec iniquitas vlla eſt in eo 840 cur vltionum Deus dicitur 846 quomodo eleuatur 847 an abiiciat populum ſuum 851 magnus Iehoua, & rex magnus ſuper omnes Deos 857 cur adorandus 858 quo ſenſu dicatur eccleſiæ Deus 859 eius nomina 865 eius facies abſcondita 915.916 natura ad viuum deſcripta 934.&c. quomodo in cœlis 937 nutrit omnia animantia 952 non eſt cauſa vllius peccati 971 eius pœnitentia, & recordatio fœderis 1000 ſolus reſtituit afflictos quoſcunque in integrum 1005 &c. ſterilitatem & fertilitatem immittit 1014 quomodo dicatur Deus laudis ſuorum 1021. 1022.1023 cur ſinit ſuos coniici in maximas difficultates 1033 ſtat ad dextram pauperis 1034 memor pacti ſui 1061 quo ſenſu requiratur vt det gloriam nomini ſuo 1085 quomodo dicitur eſſe in cœlis 1086 qualis ſit erga ſuos 1088 deſcriptus 1095 robur & canticum piorum quos eripit è periculis 1110 quomodo illucet populo ſuo 1118 doctor piorum 1134 piis adeſt in afflictione 1184.1185 quomodo eſt ad dextram ſuorum 1211 quo ſenſu dicitur habitare in cœlis 1221 ſolus protector eccleſiæ 1225 in circuitu eccleſiæ 1229 apparet magnificus in liberatione eccleſiæ 1234 ædificat & cuſtodit familias ac politias, 1239 &c. quomodo dat ſomnum ſuis dilectis 1241 deſcriptus 1257.1260 quomodo abſcondat faciem ſuam 784 cur meminit Dauidis 1267 quomodo ſurgere dicatur 1271 vbi & quomodo mandat benedictionem 1281 deſcriptus 1287 &c. quomodo pœnitentia ducitur ſuper ſeruos ſuos 1291 deſcriptus 1295 &c. Deus deorum 1295 quomodo memor eſt ſuorum in afflictione 1298 non deſerit opus manuum ſuarum 1312 eſt cordium inſpector & iudex 1315 &c. immenſus & omnipræſens 1317 quomodo iudicat afflictos & pauperes 1330 an & quomodo intret in iudicium, & cum quibus 1345 quomodo deſcendere dicitur 1354 rex regum 1359 deſcriptus 1360.&c.1371.&c. propinquus eſt eccleſiæ ſuæ 1388 quo ſenſu Deo tribuantur membra, affectus, & actiones hominum. Vide ſingula ſuis locis.
Dextera Dei fideles ſuſtinet 526 pro virtute & potentia 719 dextera Dei excelſa 792 dextera Dei quid 1039.&c. potens & exaltata 1111 dextra falſitatis 1355
diaboli, vide impij.
diadema dauidis quomodo profanatum ad terram 802.803
dicere quid 249.257.320.445.788
dicere in corde ſuo, quid 91.291
dies præco gloriæ Dei 148 dies tribulationis

tribulationis 157 dies impiorum veniunt 302 dies piorum noti Deo 303.304 dies noſtri palmares 321 dies mali 401 dies feſti Iudæorum 721 dies conſumpti in vanitate, quid 687 dies cœlorum 799 dies iuuentutis Dauidis quomodo abbreuiati 803 dies impij 850 dies pro vita 919 dies ſucceſſus Chriſti, quid 1045 dies factus à Deo, quis 1116 dies Ieruſalem, pro die vaſtationis eius 1306 dies armatorum 1329 dies ab antiquo 1346
digiti cur Deo tributi 54
dignitas Dauidis & Chriſti 797
dij inter homines, qui 733.734 dij populorum innumeri 865 dij pro angelis 874 dij, vocabulum multiplicis ſignificationis 1308 diligere Deum quid 250.1093 dilectio Dei fons omnium eius beneficiorum erga nos 697
dilatare os 726
dirigere in iudicio, quid 203
directio Dei quàm neceſſaria 244
diſcedere à Deo, quid 641.642
diſciplina populi Iſraelitici 354 diſciplina Dei duplex 850 diſcrimen piorum & impiorum in exitu poſitum 705 doctrinæ cœleſtis & humanæ 816 legis & euangelij ab effectibus 995 ſacerdotij Melchiſedec & Leuitici 1051.1052.&c. diſcrimen ſubditorum Chriſti & aliorum 1045 piorum & impiorum 1185.&c. militiæ piorum & ethnicorum 1353 promiſſionum Dei & rerum quas petimus 1366
diſperſio Iſraelitarum 992
diſponere, quid 31 diſponere verba in iudicio 1070
diſſidia in eccleſia ſunt pernicioſiſſima 1317
diues perfidus punitus 546
diuidere, pro poteſtati alicuius ſubiicere 504
diuinum Hebræi vocant quicquid excellit 294
diuites potentia ſeu elati, & modis omnibus miſeri depinguntur 402.&c. 406.407
diuitiæ ita poſſidendæ vt non poſſideant 518 diuitiæ terræ 538 diuitiæ quomodo in domo piorum 1068 diuitiæ piorum 1129
docilitas, quo ſymbolo expreſſa 329
doctor pro caſtigatore 64 doctor bellatorum humani generis 148 doctor bellatorum 1352 doctores eccleſiæ priùs eſſe debent diſcipulis 400 debent eſſe potentes in doctrina 679 doctrina pro caſtigatione 64 doctrina ſacra ſola caret vitio 152 doctrina inſignis, quæ 253 doctrina eccleſiæ quantum differat à doctrinis philoſophicis 260 doctrinæ ſacræ efficacia 387 doctrina ſacra variis cognominibus ornata 400 à quibus conſeruari & propagari debet 680 fideles ad crucis tolerantiam aſſuefacit 850 eſt admodum efficax 1144.1164.1165 doctrina. vide Lex.
doeg aulicorum imago 445
dolor ſummus deſcriptus 39.&c. 780. & ſeq. 1133. dolor creſcit pro magnitudine periculi 458 dolor piorum 640 dolor ingens fidelium vnde oriatur 1179
dolores magni quid efficiant 23
dolores, quid 107 dolorum grauiſſimorum cauſſa & effecta 313.&c.
dolores animi precibus leniuntur & pacantur 668 dolores piorum in calamitate Eccleſiæ deſcripti 916.&c. dolores interni deſcripti 968 dolores animæ quomodo ſedantur 1259 dolores fidelium alligantur à Deo 1377 dolus quid 912 dolus hypocritarum 256 dominatio Chriſti in verbo & in doctrina conſiſtit 387.1043 perpetua 1363 dominus pro eo qui eſt columen ſuæ familiæ 106 Dominus. vide Deus.
domus qualibet debet eſſe ſchola pietatis & honeſtatis 237.238
domus patris noſtri obliuioni tradenda, vt Chriſtum ſequamur 373 domus domini 535.746 tentoriis impiorum. i. infirmitas infirmitati oppoſita 751 domus, pro tota re familiari 1239
dona quæ Chriſtus accepit & diſtribuit 573.574
donatiſtæ refelluntur 12
donec particula quid ſignificet 1042
dormire piorum reſpectu, quid 18.19
dormire quo ſenſu Deus dicatur 61. 360
dracones 830.359.650.1386
dubitatio de prouidentia Dei 634
durities horrenda deſcripta 999

E

EBrietas, pro ſpirituali lætitia 189
Ebullire verbum bonum, quid 364
Eccius ineptus ſophiſta 546
Eccleſia ſemper ridetur ab impiis 24 eius arma 34 quomodo colligitur 53 premitur, ſed non opprimitur 60 cur ſubiecta cruci ibid. deſcripta 99.100.&c. præclara Chriſti hæreditas 108 quibus notis à mundo diſcernatur 107 populus oppreſſus 134 perpetuò manebit 165
Eccleſia magna quæ 178 quàm lautè à Chriſto excipiatur per vocem euangelij 188.189 eius deſcriptio 193 vbi quærenda 193 ſciendum qualis illa ſit 194 eius felicitas 196 odio hypocritarum non deſerenda 213 habitaculum Dei, & locus domicilij gloriæ eius 213 ad Dei vocem naturam rerum quatefacientem non deiicitur ſed erigitur 234 eius imago in hac vita 259. 275
Eccleſiæ gentium cœtus magnus 331 quomodo colligitur & conſtituitur 355 impiis dicterio & ludibrio 357 eius facies perpetua 360 deſcripta 371. & ſeq. eius ſumma dignitas 371. 372 decora coram Deo, deformis coram mundo 374 eius gloria deſcripta 375 eius ſtabilitas prædicta 379 manet dum corruit orbis 381 ciuitas Dei 382 per totum orbem diffuſa 387 cognoſcit Deum magnum & laudabilem 393 eius elogia 393.&c. vrbs Dei omnipotentis 395 quo amore & obſequio proſequenda à piis omnibus 396
Eccleſiæ militantis imago 477 quibus periculis obnoxia 485 quomodo conſeruatur in hac vita 512 mirabiliter gubernatur 537 conditio eius 544.545 multiplicibus ærumnis liberata 549 deſcripta 560 pecus Dei 564.565 non deformatur nec euertitur calamitatibus, imò ornatur & firmior redditur 568
Eccleſia eſt perpetuò duratura 571 quotidie oneratur à Deo cui benedicit 574 eius ſalus & protectio immenſæ Dei potentiæ teſtimonium 696.584. eius perpetuitas 600.625. eius conditio quomodo conſideranda 635 à Deo per Chriſtum acquiſita 646 congregatio pauperum Dei 651 diligens in celebrandis Dei beneficiis 655 nouit verum Deum 661 ad crucem vocata 672 eius typus 698 grauiter afflicta 705.706 eius calamitates à Deo 718 quæ ſeruitute oppreſſa & liberata 724 populus Dei 738 militans cur beata 746 quomodo tranſit per vallem mori ſeu afflictionum, dum tendit ad domum domini 748 eius dignitas, gloria & firmitas 774.775 eius ſtabilitas, dignitas, & amplitudo 796.&c. eius felicitas & perpetuitas 798 eius elegans pictura 838.&c. cur in mundi ſenecta viget 840 eius decus 845 non abiicitur à Deo 851 propriè ſolus Dei populus 859 inuitis diabolis & impijs ſubſiſtit 883 quomodo elata & proiecta à Deo 918 eius ſalus nunquam deſperata 921 eius perpetuitas prædicta 926 eius imago 965 eius adminiſtratio modis omnibus admiranda 969 tot beneficiis ornata quid Deo debeat 977. 978 eius deſcriptio 983 in medio inimicorum ſuorum 1043 eſt populus ſpontaneus Chriſtum ſequens cum ornatibus ſanctis 1044 miros facit progreſſus, & habet incredibilia incrementa 1045.&c. eius officium 1088 hoſtibus omnibus ſuis ſuperior 1108 eius luculenta deſcriptio 1113.1216 eius inſtauratio Dei opus 1116 firmitas 1229 eius bonum videtur à fidelibus 1250 ab initio fuit grauiter afflicta 1253 nunquam in terris erit quieta 1176 inter ſumma pericula mirabiliter conſeruatur 1303 non poteſt interire 1229 ædificatur à Deo 1367 eius priuilegium 1382 habet regem 1391
Eccleſia militans 1392
Eccleſiæ nomina vide per indicem ſparſa & ſuis locis diſpoſita.
Edicta Dei 1126
Edictum Dei de natura ordine non præteribit 1385
Edom 501
Educere in latitudinem, quid 131 educere in irrigationem, pro reſtitutione felicitatis & pacis 545
Eductio. Vide liberatio.
Effectus morborum 1011
Effundere animam ſuam intra ſe 345
Effundere corda coram Deo 517 effundere meditationem coram facie Dei 1339
Egeni ex afflictione erecti, teſtes prouidentiæ diuinæ 1016
Egredi cum exercitu 506 ante populum 562 egreſſiones matutinæ & veſpertinæ 537 egreſſus mortis Dei ſunt 491
Electi Dei. Vide fideles, pij.
Electi vel pij non ſunt niſi in cœtu vocatorum 535 electi, pro ſtrenuis 687 pro flore iuuentutis 696 electi Dei 983 electio eccleſiæ 1287 electus Dei 369 electus è populo Dei, quis 795

Eleemoſynæ prudenter diſtribuendæ 1072
Eleuare iniquitatem, pro remittere peccata 755. eleuatio fidelium 515
Eleuatio manuum, pro precatione 1334
Eligere viam veritatis 1135
Elogia piorum diligenter conſideranda 966
Elohim, quid 1308
Eloquentia Chriſti 365 eloquentia incantationis nomine expreſſa ab Hebræis 484.485
Eloquium Dei, quomodo terræ emittitur 1380
Emblema impiorum 636 eccleſiæ 838
Enallage modorum, temporum, perſonarum, numerorum, crebra apud Hebræos 52
Endor, ciuitas 740
Enthuſiaſtæ 609.860.1095.1494.1596
Epha, menſuræ nomen 715
Ephraim, tribus populoſa 504 quomodo abdicatur 697
Ephraimitæ extra vocationem & ſine mandato pugnantes fugantur 681
Epicurei refelluntur 72.814 non ſunt membra vera eccleſiæ 194 onus peccati minimè ſentiunt 256 omnium hominum ſtultiſſimi 406 rident piorum facta omnia 592 vide Prouidentia.
Epicurus Deum tollit 292
Epulum fidelium 179.&c.
Equus refractarius, impiorum imago 260 equus pro quouis genere auxilij humani 268
Equus & currus Chriſti 366
Eripere egenum, quid 733
Errare corde 861 in vaſtitate 1010 à mãdatis 1128
Erubeſcere quid 590
Eſca data timentibus Deum 1061
Eſſe in ſalutem, pro opem ferre 1113
Eſurientes nutriuntur à Deo 1372
Ethan Ezrahita 787
Ethnici ſapientes non ſunt propterea ciues veræ Eccleſiæ 193
Euangelij lux, efficacia 139.152 efficacia 178.179 &c.583 euangelij ſumma 330.331.1104 euangelium fide apprehenſum conſcientiis ſenſu peccatorum attritis adfert gaudium & remedium 458 mitigat rigorem legis 623
Euphrates & Tygris, Babylonis flumina 1300
Exaltare aliquem 157 caput 219 Deum ſub lingua 546.547 dextram 803
Exaltari in iuſtitia Dei 794
Exaltare Deum 886
Exaltatio Dei 45
Exaltatio impiorum 89 eccleſiæ 126 piorum 831 capitis Chriſti 1055 exaltationes à ſolo Deo 658 exaltationes Dei in gutture piorum 1392
Examinare quid 116
Exaudire ſuos quomodo Deus dicatur 1309
Excelſa, quid 136 excelſum ſanctitatis Dei 922 excelſus cur Deus dicitur 416. 837.1311
Exſcindere à gente 738
Exempla liberationis piorum quomodo intuenda, & ad vſum transferenda 252
Exempla liberationum quid efficiant 516 exempla piorum antea ex tentationibus grauiſſimis liberatorum nos maximè ſolantur 670 exempla maiorum quomodo imitanda 694 exemplum eximium regibus propoſitum 699 raræ afflictionis, patientiæ, fidei & conſtantiæ 779 humanæ infirmitatis 926 exercitus vnde Hebræis dictus 1385 exercitus cœlorum 205 exercitus Dei cur eccleſia vocetur 495 exercitus Dei, quid, &, quomodo benedicunt Deo 938 exercitus cœleſtes laudant Deum 1385
Exhauſtus, pro redactus ad extrema 1342
Exhilarare inimicos 803
Exilij incommoda 357.496.1299.&ſeq. exilium à Charonda calumniatoribus conſtitutum 910 exilium, deſcriptum 1006. &c. exilium magnatum acerbiſſima pœna 1016 exitus piorum & impiorum differunt 464 expandere manus ad Deum 872 expectantes Deum terram hæreditabunt 301 expectare Deum 222.269.307.448.1141 expectatio piorum 321.516 expiatio piorum, quomodo olim adumbrata 437 expiatio peccatorum in quo conſiſtit 708 exploratio Dei 1315 exploratores vnde dicti 101 expoſtulationes carnis 356.&c. expoſtulationes crebræ in precibus ſanctorum 648 expoſtulationes Deo gratæ 715
Exprobrare veſtigiis Chriſti, quid 806
Exquirere Dei mandata 1141.1142
Extendere manum ad iniquitatem 1230
Extenuati iuuantur à Deo 1096
Exterminium vaſtans 827
Extremum mare 1317 extremum terræ, quid 509
Exules reducti teſtes diuinæ prouidentiæ 1005.1006.&c.
Exultare in factis manuum Dei 836 in nomine Dei 708 Deo 857.891 exultatio terræ ſub regno Chriſti 871 exultatio piorum 284
Exurgere quomodo Deus dicatur 556. 920

F

Facere malum 278 bonum 299 conſilia ſua, 301 bones, pro præparare victimam ad ſacrificium 546 iuſtitiam & iudicium quomodo Deus dicatur 933 opus in aquis magnis 1011 iuſtitiam & iudicium 982.1174 faciem Dei quærere 220 faciem reſpicere in iudicio 732 facies auerſa Dei 89 facies Dei, pro fauore & præſentia eius 122. 197.345 quo ſenſu lucere ſuper nos dicatur 247 Facies confuſa, quid 274 facies ignominia operta 741 facies eccleſiæ militantis ad viuum depicta 560.561 facies Dei quomodo ſuis ſeruis abſcondatur 594.915 facies Dei 857.858 viuificat omnia 953 vbi & quomodo quærenda 962
Facta Dei, pro beneficiis eccleſiæ collatis 1346
Factor noſter Deus 858 Factor Iſraëlis 1391
Factum imputatum ad iuſtitiam quomodo intelligendum 994
Famelici ſatiati teſtes diuinæ prouidentiæ 1014
Fames non prorſus extinguit eccleſiam 268 non vexat pios 303 vocatur à Deo ſuper terram 967 an liberalitatem Dei extinguat 1365
Familia Dei exigua 560 familia numeroſa, teſtes prouidentiæ Dei 1016 familiarum extinctio, Dei ſupplicium 190
Fauor Dei erga eccleſiam 655.294.550
Felicitas in quo ſita 1.2 deſcripta 4.5 piorum 121.&c. 746.747.837.838. 1067.1245.1358 felicitas impiorum momentanea 205.296.636.837 populorum in quo conſiſtit 267.1242.1358 hominis pij 275 Chriſti 366 hominum in quo conſiſtit 267
Felicitas piorum ſub regno Chriſti 622. 1371
Fera arundinis 580 fera agri depaſcens Dei vineam, quid 717
Ferocia impiorum 492
Ferrum penetrans in animam 968
Fertilitas ſub regno pacifico deſcripta 624. &c. fertilitas à Deo 1014 fertilitatis terræ viua delineatio 537.538.&c.
Feſta Iudæorum & Papiſtarum quantum differant 721
Feſtinare cur Deus dicatur 1333
Feſtinatio piorum, quid 249.250
Fides vera 60
Fidei natura 7.19.319 395.685.767.909. 1311.1341 Fides canit triumphum ante victoriam 90 attollit animam ad Deum 200 quibus machinis concutiatur, & quomodo ſuſtentetur 202 pauores omnes ſuperat, & quibus argumentis 247 quid in homine pio efficiat 257 tentationum victrix 324. 416.670.671 eius vera probatio 381 eius vox ardens 454.639 eius certitudo 478 robur 475 fides futura videt præſentia 526 eius conſtantia in Dauide & Chriſto 592 victoria 608.1260 in vera precatione exauditur 757 cur prælucere debet omnibus querelis piorum 780 eius exemplum 872 in tenebris diffidentiæ & deſperationis emicat 804 cum humili & ſeria gratiarum actione tentationum omnium victrix 806 quo ordine donatur 860 extinguit tela tentationum 1033.1111 eius confirmatio 1284.1339 inſtantia 1333 iuſtitia 1593
Fideles pro veracibus & integris 83 an timore careant 105 Chriſti fratres timent Dominum 177.178 quo cibo paſcantur 179 ſunt generatio quærentium Deum & inquirentium faciem eius 196 Deum expectant 201 perpetuò felices 205 à Deo cuſtodiuntur 250 vt vilia iumenta ab impiis habiti 460 in afflictionibus quomodo ſe gerere debeant 593 etiam afflicti Deo curæ ſunt 635 in hac vita exhauſti, confuſi & oppreſſi 651. 652 cur aliquoties ſepulturæ honore priuentur 705 quomodo patientes & impatientes 705.706 interfecti, ſerui Dei dicuntur 709 cuſtodiuntur ab angelis 752 fiunt opprobrium impiis 1032 ſunt peregrini in terra 1130
Fidelitas in miniſtris principum qualis eſſe debeat 910
Fiducia piorum & impiorum collata 160 humanarum virium damnatur 268 in Deum quid efficiat 299 piorum 395.1107.1108 in afflictionibus etiam grauiſſimis non abijcienda 607.588 in Deum 1229.1371 præſentia Dei, pios erigit 640 à fide non ſeparanda 685
Filia Babel 1307
Filia Iuda, id eſt, vrbes Iudææ 396
Filia Iuda, pro eccleſia 396
Filij viri à filijs hominum diſtinguuntur 24 filij Adam 93.518 filij Belial 128 filij alieni 138.1354

Filij an luere debeant pœnas pro peccatis parentum 166
Filij fortium, qui 231
Filij hominum, pro bonis & piis 95
Filij hominum & viri, pro infimis & ſummis 399
Filij hominum, pro ſceleratis 477. 483
Filij tonitrui 579
Filij egeni 618
Filij mortis 709. 923
Filij excelſi inter homines, qui 733. 734
Filij Lot hoſtes eccleſiæ 740
Filij Deorum, qui 791
Filij Dei, vide Fideles. Pij.
Filij Iacob & Ioſeph 673
Filij Iacob electi Dei 963
Filij hæreditas Iehouæ 1241
Filij eccleſiæ benedicuntur à Deo 1379
Filius dexteræ, pro palmite manu Dei conſito 718
Filius ancillæ Dei quis 1101
Filius Dei, vide Chriſtus.
Filius ſeu λόγος *patris quomodo conſiderandus in creatione* 265
Filius, apud Hebræos quid ſignificat 718
Filius hominis pro populo Iſraelitico 719
Fingere moleſtiam loco iuris 853
Finis liberationum noſtrarum qualis eſſe debeat 287. 288
Finis hominis pios de Dei gratia bene ſperare iubet 805
Finis omni rei etiam omni ex parte ſub cœlis abſolutæ conſtitutus eſt 1161 *Finis actionum noſtrarum* 1167. 1168
Firmamentum potentiæ Dei, quid 1397
Firmitas piorum 222. 776
Flatus oris, pro extremo contemptu 70
Florere in atriis Domini, quid 839. 840
Fluctus Dei 781 *Fluctus, vnde dictus* 844 *Fluctus maris ſilens iuſſu Dei* 1013
Flumina quid, & quomodo attollunt vocem ſuam 844 *plaudentia manu* 882 *Flumina, pro terra irrigua & frugifera* 1014 *Flumina Babylonis* 1300 *Fluuij, pro copioſa vbertate* 295
Fœdus Dei ſuper ſacrificiis 413 *violatum* 463 *cum Abrahamo & eius poſteris ſancitum quid tulit* 712. 964 *impiorum aduerſus Deum & eius eccleſiam* 738 *Fœdus Dei habet duplices promiſſiones* 799 *Fœdus Dei cum Dauide, Chriſti typo* 789. 790
Fons vitæ apud Deum 296 *Fons Iſrael, quid* 578 *Fontes emiſſi à Deo, quo fine* 945. 946
Fornicari à Deo, quid 642
Fortis ſuper quem auxilium Deus poſuit, quis 795
Fortitudines Dei 1398
Fortitudo piorum 125. 228. 494. 721. 722. 747 *Fortitudo vitæ noſtræ* 218 *Fortitudo bellica Chriſti* 366. 623 *Fortitudo Dei* 962 *Fortitudo terribilium Dei* 1361
Fouea, Hebræis vnde dicta 62 *corruptionis* 464 *infima, quid* 781 *foditur impio laſciuienti* 850. 851
Fratres Chriſti, omnes fideles 177
fratres ſunt omnes ſerui & filij Dei 1280
Fraudulenti à principum aulis arcendi 911
Fremitus dentium in impiis 302
Fridericus Dux Saxoniæ, quomodo iram compeſcebat 26
Fructus euerſionis impiorum 488
Fructus terræ, pro Dei cultoribus 553 *Fructus operum Dei, pro pluuiis tempeſtiuis* 946
Frumentum hominibus paratur à Deo 538 *Frumentum cœlorum* 685
Fuga præceps deſcripta 250 *Fuga piorum numeratur à Deo* 469
Fugacitas vitæ humanæ quid nos doceat 321
Fulgetra vnde 233 *ſagittæ Dei* 674
Fulgura Chriſti illucentia orbi, quid 873
Fulmen fulminatum à Deo 1354
Fulmina, Dei ſagittæ 130
Fumare, pro iraſci & ſigna indignationis edere 715
Fumus per nares Dei aſcendens, quid 129
Fundamenta, pro præſidiis & externis adminiculis quibus homines nituntur 78. 79. *Fundamenta montium & terræ* 129. 131. 733 *Fundamentum Dei, eccleſia* 773. 774
Furor Dei 10. 784
Furor impiorum deſcriptus 301. 303. 459. *&c. vide Ira.*
Furtum pium Iſraelitarum quid nos doceat 974
Funes inferni & mortis 127. 1094 *Funes impiorum* 1147 *conciſi à Deo* 1253

G

Galaad mons 504
Galea piorum in præliis 1329
Gaudium ſolidum vnde 151. 152
Gaudium eccleſiæ 379
Gaudium orbis, eccleſia Dei 393
Gaudium piorum non excludit timorem 554
Gebalitæ, hoſtes eccleſiæ 739
Gemitus piorum exaudiuntur 314
Gemitus vinctorum 709 *à Deo exaudiuntur* 923 *Gemitus piorum à ſpiritu S* 1303
Generatio, quid ſignificet 86
Generatio & nutritio humana miraculoſa 174 *Generatio filiorum Dei, quid* 635 *Generatio rectorum benedicta* 1068
Gens non bona 350
Gens Dei 983
Gentes, eccleſia magna 178 *Gentes, pro Cananæis* 354. 1289 *Iudæis in obſequium quomodo redactæ* 387 *omnes in Chriſto benedictæ* 626 *hæreditas Dei* 735. 736 *creatura Dei non minùs quàm Iudæi* 765 *arguuntur à Deo* 849 *Gentes, pro hoſtibus eccleſiæ* 703 *pro impiis & hypocritis Iſraelitis* 74
Gentium vocatio 12. 179. 180. 390. 479 *vide vocatio*
Genuflexio coram facie Dei 858
Genus humanum peccati mole oppreſſum in morte iacet 255
Germen terræ benedicitur à Deo 539
Geſtus precantis 285
Gittith, quid 51. 721
Gladius Dei 120
Gladius pro morte & præſenti mortis periculo 177 *Gladius impiorum* 303 *Gladius Chriſti* 366 *Gladij in ore impiorum quomodo* 493 *Gladius noxius* 1356 *Gladius anceps in manu fidelium* 1392
Gloria, pro lingua 110. 242. 752
Gloria Dei multa complectitur 147 *in quo conſiſtit* 201 *quando & quomodo ſuper terram* 477. 523 *eius amor quantus in fidelibus* 591 *cur magna* 1311 *Gloria piorum* 516 *quomodo habitet in eccleſia Dei* 758
Gloria roboris fidelium 794 *in ſanctuario Dei* 866 *Gloria Chriſti* 873. 874 *Gloria, veſtis Dei* 941 *Deo non eccleſiæ tribuenda* 1085 *Gloria decoris regni Dei quibus nota fit & à quibus* 1362 *Gloria eccleſiæ cum ſuis gradibus deſcripta* 375. 1393
Gloriari cum hæreditate Dei 983
Gloriatio piorum 532 *Glorificare nomen Dei* 766 *Glorificare Deum* 278 *Glorificatio piorum* 832
Glorioſa dicta ſunt de eccleſia Dei 774
Glorioſi qui dicantur 107
Gradus peccatorum 984
Gramen iumento germinans iuſſu Dei 947
Gratia Dei quibus offeratur 180 *quid & quanta ſit* 934. *&c.* 892 *Gratia pro gratuita acceptatione* 752
Gratiarum actionis formula 325 *Gratiarum actio cur tantopere à Deo requiritur* 416 *publica quem finem habere debeat* 479 *in tentationibus occurrit* 598 *Gratiarum actionis fructus* 609 *Gratias agere Deo, quid* 835 *Gratiarum actio piorum* 1188
Gratiarum actio qualis eſſe debet 1307. *& ſeq.*
Gratitudo ex veritate & iuſtitia conſtat 327 *noua beneficia attrahit* 331 *Gratitudinis partes* 379 *Gratitudo Deo debita* 470 *promiſſa* 767 *commendata* 931 *Gratitudo fidelium* 286. 1110. 1190
Græca verſio ab Hebræo textu deflectens notatur 6. 18. 24. 70. 71. 169. 170. 171. 238. 240. 308. 330. 469. 486. 512. 559. 561. 566. 571. 572. 577. 581. 582. 609. 631. 664. 717. 718. 749. 781. 783. 789. 803. 818. 819. 820. 831. 853. 866. 948. 962. 1044. 1203. 1204. 1242. 1253. 1302. 1317. 1319. 1322. 1329.
Greſſus viri à Deo firmantur 304 *Greſſus noſtri quomodo effunduntur* 631
Grex manus Dei 859
Gubernatio Dei deſcribitur 266. 267
Gubernatio eccleſiæ in hac vita, eſt prorſus mirabilis 535. 536
Gubernatio felix & infelix 1016
Guſtare Dei bonitatem, quid 275

H

Habitacula violentiæ 652 habitacula Dei 695.740 habitaculum piorum 813
Habitantes in Dei domo, cur beati 747
Habitare in tabernaculo Dei 510 in ſilentio 852 coram Deo 916 coram facie Dei 1332 habitatio Dei, quid 61 habitatio Dei in eccleſia qualis ſit 571 Heredes terræ, qui 301.302 hæreditas Dei, terra Canaan & eccleſia 564 hæreditas Dei 387.646.851 983.1242 hæreditas piorum 304 510.1169
Hæreſes vnde 1141
Hakeldama 504
Hareth ſaltus, Dauidis latibulum 521
Hebræi carent gradibus comparationis 27
Helluones puniti 987
Heman Ezrahita 779
Herba in miniſterium hominis iuſſu Dei germinat 947 germinat in montibus iuſſu Dei 1378
Hermon mons 233.792.1281 hermonim 346
Hieroſolyma Dei ciuitas, typus eccleſiæ 382.1216
Higaion, quid 836 higgaion Selah, quid 62
Hin, menſuræ nomen 715
Hiſpani cuiuſdam impium commentum 802
Hiſtoria eccleſiæ Iſraeliticæ à reditu ex Babylone, vſque ad Chriſtum 1193 hiſtoriarum vſus qualis eſſe debet 1018
Hodie, quid ſignificet 859
Holocauſta pinguium, pro ſplendidis & variis ſacrificiis 546 holocauſtum quid 328
Homines vani, qui
Homines in hoc mundo ſunt inquilini Dei 237 Dei plantatio 355 non caſu naſcuntur 607 vanitas 518 dimiſſi in prauitate cordis ſui 727 nullo modo poſſunt eximere peccatorem à Dei conſpectu & tribunali 435 homines omnis conditionis inuitati ad laudãdum Deum 1387.1388 hominis vanitas deſcripta 1371 Homo deſcriptus 54.64 qua ratione reſtitutus in integrum 55.56 ſummè afflictus depingitur 174.175 quomodo iuſtificetur coram Deo 254 255 vanitas 321 vmbra & imago 321 homo pacis 339 homo deuorans, pro crudeli perſecutore 467 homo de Dei prouidentia extra verbum reuelatum iudicans, ſtultus & velut iumentum 638 homo Hebræis dictus enoſch, quaſi dicas, lethali morbo oppreſſus 394 homo quo ſenſu appellatur mendax 1098 mirandum Dei opus 1317.1320.1321 homo miſer & fragilis deſcriptus 1353. 1354
Horeb, nomen montis 989
Horror piorum 1145.1172
Hoſtium eccleſiæ oppreſſio & ruina graphicè depicta 394.566.796 hoſtes eccleſiæ deſcripti 67.68.275. 495.647.207.737.738.740.1040. 1150.1157.1172.1173.1304.1305.1327. 1328
grauiter punientur 165
quo ſenſu dicantur poſiti in humerum 166
quomodo confundantur 283 ſimiles amicis Iobi 339 eorúmque conatus 382 horribilibus pœnis deleti 536 euaneſcunt vt fumus 557 eorundem ſtrages 576 hominum ſtultiſſimi 651 fracti, fuſi, fugati 663.&c. non poſſunt progredi, niſi quantum ipſis à Deo permittitur 706 quomodo Deo mentiantur 727 cur puniuntur 741 quomodo exuruntur flammis Chriſti 873 non præualent aduerſus eam 1253 confundentur 1276
Hoſtia ſpiritualis Deo accepta quæ 330 hoſtia laudis 1102
Humana natura Chriſti 1039
Humiliatio eccleſiæ Deum excitat 1198
Humilitas vera deſcripta 1263.1264 humilitas coram Deo eximia virtus 1334 humilitas piorum ſub cruce 1153
Hyemis elegans deſcriptio 1380.1381
Hypocriſeos deſcriptio & deteſtatio 417 hypocriſis damnata 204
Hypocritæ nominantur holelim, id eſt, iactabundi vel arrogantes 32 non ſunt membra veræ eccleſiæ 195 hypocritæ deſcripti 225 doctrinam euangelij cur reiiciant 254 onus peccati minimè ſentiunt 256 ſibi imponunt 256 deſcripti 273 hypocritæ aulici 286 in Deum blaſphemi 313 tandem Deum venientem ſentient 413 Stultiſſimi hominum 389 nunquam Deum verè inuocant 416.&c. eorum gratitudo qualis 478 iudicium Dei effugere nequeunt 816 ſunt impij, blaſphemi, correctionis hoſtes, verbi Dei profanatores, iniquitatum patroni, ſceleratorum ſocij, ſycophantæ, falſi teſtes, athei 416.417. 418 deficiunt à Deo 851
Hypotypoſis diuini iudicij & ſtulti conatus impiorum 47
Hyſſopi vſus ſub lege typus aſperſionis ſpiritualis per ſanguinem Chriſti 437

I

IAbin rex Cananæus 740
Iacob pro eccleſia 96 Iacob luctans, typus eccleſiæ militantis 275
Iactantia impiorum ſtultiſſima 493.848
Iactabundi repreſſi 658
Iacob, pro Iſraelitis 755
Iacob electus Deo 1287
Ibices Deo curæ 949
Idola cur dolores ab Hebræis dicantur 107
nihil habent laude dignum 395.396 à gentibus, Chriſto reuelato, relicta 552 nihil poſſunt 726 ſunt vanitates 865 horum fiducia pudorem incutit ſuperſtitioſis ſub regno Chriſti 874 cultoribus ſuis ſunt in ruinam 997 deſcripta 1086 Deo vero oppoſita 1087 cur dij dicta 1288
Idololatræ multiplici crimine polluti 989 non Deo ſed creaturis ſanitatem ſuam adſcribunt 1010
Idololatria circa ſanctorum inuocationem detegitur 359.360 eius prætextus 694 quàm execranda ſit 859 idololatria Iſraelitarum 989
ſcelus grauiſſimum 998
Idumæi hoſtes Iudæorum 739.1304
Ieduthun 513
Iehoua. vide Deus.
Ieiunium, ſignum luctus 592
Ieſus. vide Chriſtus.
Ignis ex ore Dei, quid 129 ignis pro ſummis afflictionibus 545 ſuccenſus contra murmuratores 684 pro ira Dei 695 quomodo coram facie Dei ambulat 873 Dei miniſter 944 præbens lucem nocte Iſraelitis, cuius rei typus 975
Ignominia capitis & membrorum eccleſiæ propter Dei nomen 591 quomodo Dauidem operuit 803
Ignorare vias Dei 861
Illuminare faciem ſuam ſuper ſeruos ſuos quomodo Deus dicatur 714.1179 illuminatio oculorum, quid 89.90 vnde 152
Illyricus, ſiue Flacius, hæreticus peſtilentiſſimus, nouus Manichæus, & eius errores 759.953.954.1257.1259. 1320
Imago Dei, quid 121 quomodo reſtauratur in nobis 872 imago viua impiorum 636 noſtri ſeculi 737 prudentis politici 970 imago eccleſiæ omnium temporum 1107 docentium & diſcipulorum 1118.1119 imagines effingere ſtolida & vana ſuperſtitio 147 Sculptæ & cultæ ab Iſraelitis 694
Imbecillitas naturæ humanæ 633
Imitatio praua 694
Immenſitas Dei 1317.1360
Immutabilitas Dei iurantis 1273
Impatientiæ remedium 299.&c. impatientia noſtra ſub cruce 356 impatientia & patientia fideliũ 705. 706 impatientia deſcripta 987
Imperia diuinitus conſtituuntur 268
Imperium Dei mutationibus & inſtabilitati rerum humanarum opponitur 837
Impietas deſcripta 91.92 & ſeqq. impietas hypocritica graphicè depicta 417.418 impietas patrum filiis expoſita vt eam fugiant 680.681 impietas impiorum 1085 impietas ſilentio non eſt tegenda 1568 impij graphicè depicti & ad viuum expreſſi 4.6.33.67.68.69.94.118. 119.120.211.213.214.350.351.445. 446.484.485.491. & ſeq. 515. &c. 606.631.632.636.651.652.680.681. 768.837.847.&c.991.1023.1150.1185. 1225.1230.1231 impiorũ artes & ſtudia ſequentibus lineis deteguntur. impiorum interitus prædictus 62
blaſphema vox 90 ſunt piis contemptibiles 101 quo loco habendi 137 nunquam ſatiantur 185 in afflictionibus peſſimè ſibi conſulunt 201
pietatem exſibilant 206
in periculis quomodo ſe gerant 218
cur & quomodo deſtruentur 227
trepidant & deſperant in periculis 228 in afflictionibus conſtituti quid agant 240
tandem ſilent, & quomodo 248
ſuperbè agentes dicti 250
quomodo ad officium coguntur 260
Deum laudare nequeunt 263
Deum propitium non habent 268
in ſceleribus ſuis tandem pereũt 279
litigant & pugnant aduerſus pios & Deum ipſum 281.282

admodum maligni 284
piorum malo lætantur 288
ſunt athei 291 eorum ingenium depictum 292.&c. quàm infelices 296 eorum ruina 301 felicitas momentanea 302 quo odio & furore in eccleſiam Dei ferantur 302.303 eorum gladius, arcus, brachia 303 fames & miſeria ibid. maledicti Dei 304 quo magis ſæuiūt, eo magis eccleſiæ ſuæ Deus eſt propitius 338 eorum nomina 358 diuitiis ſuis confidentes depicti 401 401.403.406.&c.
impij ſunt omnes qui nudis ceremoniis nituntur 416.417 quomodo ſe gerant in calamitatibus 461.&c. cur à Deo affligantur 462 non ſunt longæui 464 quo ſenſu terram aridam habitaturi dicuntur 562 quo ſenſu Deo mentiri dicantur 542 quare cognominantur defectores 543 quomodo equitant ſuper capita fidelium 545 fugiunt à facie Dei dum pij coram Deo exultant 557. 558
Impij ambulant in delictis 575
Impij quàm ſint miſeri 593 eorum felicitas temporaria 631. 632. 633 quare ſpiritu ſtuporis & vertiginis percuſſi 660 aliquoties coguntur ferre teſtimonium potentiæ Dei 664 ſtercus terræ 740 quomodo quærant Dei nomen 741. 742 cur in cæcitate mentis & perpetua miſeria pereunt 752 cur germinant & florent 837 athei 848 impij commouentur quando Chriſtus regnat 883 ab aulis principum arcendi 909.910 quomodo conſiderant Dei opera & prouidentiam 1016 fient ſcabellum pedum Chriſti 1042 rumpuntur piis florentibus 1072 eorum horrendus exitus 1173 miſerrimi 1185 irrident eccleſiam afflictam 1301 loquuntur ſceleratè de Deo 1322 humiliantur à Deo ad terram 1377
Imprecatio aduerſus eccleſiæ hoſtes 283. 284.332.461.495.740.741.742.1087. 1153.1330 Imprecationes vim vaticinij habentes 83 imprecationes dauidis aduerſus hoſtes ſuos quomodo conſiderandæ 226.454.464.492.596. 706.1304 imprecationes horrendæ in impios 1024.1025.&c.
Improbi vide Impij.
Impudentia calumniæ comes 529
Impudentia impiorum 633
Imputare peccata vel cogitare idem cùm Deo tribuitur 256
Incantationes an ſint, & an probandæ 484.485 incantator vnde dictus 484
Incedere in fortitudinibus Dei 609.610
Inceſſus triſtis, doloris indicium 314
Inclinare aurem 400.763 Inclinare cor ad rem malam 1335 inclinare cælos 1354
Inconſtantia nulla in Deo 717
Increduli, vide Impij.
Incredulitatis effectus 727 Incredulitas Iſraelitarum 991
Increpatio Dei 59.586.664 increpatio vultus Dei, pro caſtigatione 718
Incuruatio corporis, ſubmiſſionis & reuerentiæ ſignum 621
Indignatio iuſta 299 indignatio piorum dum impij florent 637
Indumenta regia Chriſti 843
Indumenta Dei 941
Indumenta miniſtrorum eccleſiæ 1272. 1275
Induratio reproborum 597 indurare quomodo Deus dicatur 971
Ineptiæ papiſtarum 198
Infantes quo ſenſu regnum & robur Dei conſtituere dicantur 52 quo ſenſu in Deum confidere dicantur 173 infantum generatio & nutritio miraculoſa 173
Infelicitas impiorum deſcripta 404
Infernus, pro æterna morte & damnatione 405 pro ſepulchro 780
Infideles ab eccleſia incluſi ſunt 195 vide Impij.
Infirmitas naturæ humanæ 639.986. 1266 piorum quo fulcro ſuſtentetur 1178 Infirmitates pios non arcent à Deo 305 Infirmitates piorum ſanantur à Deo 932
Inhabitare terram, quid 300
Ingratitudo Iſraelitarum 860.&ſeq.
Ingredi, i. obtinere regnum 197
ingredi portas Dei, quid 892
Ingreſſus Dei 577 ingreſſus & exitus piorum quid, & quomodo cuſtoditur à Deo 1211.1212
Inimici Dei, vltores dicti 53 inimici quomodo diligendi 212 inimici Chriſti, telis eius transfigentur 367 inimici Dei cur peribunt 837
Iniquitas in manibus, quid 44 iniquitas, pro ærumnis & pœna peccati 246 iniquitas calcaneorum 401 iniquitas, quid 256 iniquitas nocentiſſima, quæ 481 iniquitas patrum in filios 1028
Iniquitates quomodo Chriſtum iuſtum comprehenderunt 332 ſi à Deo obſeruentur, nemo reperietur innocens 1257
Iniuria, quid 518
Innocens manibus 125
innocens nemo coram deo 1257
Innocentia, reſpectu hoſtium, propoſita 211
Inobedientia Iſraelitarum 996.997
Inopes cur fideles dicantur 662
inopes è puluere erecti 1077
Inſcitia humana 638
Inſecta Ægyptios infeſtantia 973
Inſidiæ impiorum 1341
Inſipientes, qui 91.837.849
Inſipientia piorum qualis, & vt Deo cognita 589.590
Inſtabiles, qui 1170
Inſtrumenta muſica cur tot in vſu ſub lege 882.1391
Inſulæ lætantur ſub regno Chriſti 871
Inſurgentes in Deum 652
Intelligens quis 93 intelligentia bona piis quæ 1063 intelligere bonitates Dei, quid 1016
Interrogationum vis apud Hebræos 94. 96
Integer, quis 100.529
integri in via 1123
Integritas cur à piis in medium profertur 132 piorum qualis 132.340 mentem reſpicit 208 hypocriſi oppoſita 211 integritas cordis in principibus & regibus requiritur 700
Interiora piorum quid, & quomodo benedicunt nomini Dei 930
Interitus impiorum horrendus 637 certiſſimus 641 cur iucundus ſeruis Dei 838 an expetendus 455 interitus rerum vnde 933
Intimum impiorum 530
Intrare in atria dei quo ſenſu gentiles iubeantur 866
intrare in iudicium cum ſeruo 1345
Intuitus dei, quid 206
Ingrati deſcripti 986
Inuenire dolorem & tribulationem 1094
Inuidia duplicem parit moleſtiam 299
Inundationes Dei 347
Inuocantes Deum, exaudiuntur 764
inuocantes in veritate habent Deum propinquum 1365 inuocantibus reſpondet Deus 831 inuocare in nomine Domini 1095 inuocare nomen Iehouæ 1099
Inuocatio pro toto Dei cultu 94 duplex 163 Dei mandato & promiſſione nititur 220 qualis eſſe debeat 225 ſoli Deo debetur 359 legitimus Dei cultus 416 non abit abſque fructu 454.608 gratiarum actioni coniuncta 960 ſacrificium Deo gratum 1333
Inutiles qui 93
Iudicare populos in æquitate quo ſenſu Deus dicatur 552
Iudicia pro adminiſtratione regni 875
Ioſeph, pro toto populo Iſraelitico 713.723
Ioſeph filius Iacob, eximius dei ſeruus 967.968.&c.
Ira dei, quid 10 eius magnitudo & ſignum 37.129.155 eſt momentanea 239 eius efficacia 257.313 durabilitas 595.596.684 quomodo aſcendit 686 eius luculentum exemplum 691 effectus 694 peccatis accenditur 706 ira, pro pœnis 756 Iræ dei ſenſus quantus in viris fidelibus 780. 781.782.&c. quomodo à piis & hypocritis conſideretur 918 aduerſus idololatras 990 quomodo auertitur & extinguitur 991
Irati flammas euomere cur dicantur 129
Ire in infimas terræ partes 526 ire poſt Deum, quid 851 ire in domum Dei, quid 1215
Irrigatio terræ à Deo 538
Iſmaelitæ, hoſtes eccleſiæ 739
Iſrael pro eccleſia 96 Iſrael verus, quis 630 Iſrael peculium Dei 1287 quomodo factus ſanctuarium & dominatio Dei 1081 eductus ex Ægypto, miraculum Dei 1297
Iſraelitæ beneficiis à Deo affecti, ingrati apparent 692.693 grauiter puniti à Deo 999 eorum in deſerto peccata 683.684. &c. miris modis conſeruati in Ægypto 970.&c. mirandis modis educti ex Ægypto 974 mirandis modis protecti & nutriti in deſerto 975.&c. mirandis modis facti poſſeſſores terræ Canaan 976.977 quàm ingrati Deo fuerint 984. 985.&c. mactant & offerunt liberos ſuos idolis 997.998 eorum impietas 991 audierunt verbum, ſtatuta & iudicia Dei 1382
Iubilare in vmbra alarum Dei 525
Iubilare Deo omnes iubentur 541. 857

Iubilatio piorum 793.1382
Iuda tribus, abundans viris prudentibus 904 eius dignitas 578 ſedes & domicilium Dei 697. vide Iſrael.
Iudæa facta opprobrium vicinis ſuis 803
Iudæi Chriſto illudentes & conuitia dicentes depicti 172 eorum diſſipatio prædicta 495.496.497.498 abiectio 576 de fonte Iſrael cur dicuntur 578
Iudæorum & omnium Chriſti hoſtium miſeria deſcribitur 595.596.597.598
Iudæi peculiari fœdere adſciti 722 vide Chriſtus, & eccleſia.
Iudas proditor depictus 460 exitio deuotus 1220.1221
Iudex inter iudices Deus 731
Iudicare, pro ſuſcipere cauſæ cognitionem 211 pro defendere 453 1290 iudicare recta, quid 656 iudicare iniquitatem, quid 732 iudicare, pro adminiſtrare regnum legibus & earum excutione 868. 869
Iudices Dei appellantur 732 iudices ſtupidi & negligentes deſcripti 733 iudices, pro proceribus regni 1137
Iudicis iuſti partes 349
Iudicia Dei & hominum qualia 45.46 iudicia Dei, pro tota lege 132 pro tota doctrina quæ vitæ humanæ norma eſt 152 iudicia olim exercebantur in portis 197 iudicia Dei quomodo abyſſus 294 iudicia, pro æquitate in omnibus actionibus 300 iudicia profanorum hominum qualia ſint 536 iudiciorum Dei vſus & fructus 537 iudicia impiorum qualia 608 iudicia Chriſti, quid 616. &c. iudicia Dei in Iſraelitas 694 iudiciorum humanorum finis & vſus 733 iudicia, pro legibus diuinitus traditis 800 iudicia Dei filiis huius ſeculi ſunt abſcondita 837 iudicia oris Dei 963 iudicia Dei in idololatras & abominabiles 998. &c. iudicia iuſtitiæ Dei 1125 iudicia dei bona 1139 annuntiata eccleſiæ 1382 iudicium pro tota gubernatione ſeu adminiſtratione regni 45 iudicium dei in ſuperbè agentes 250 iuſti malus multis expoſiti liberantur à deo 278 iudicium prudens 335.336 iudicium dei de cultu ſuo qua ceremoniæ ornatum 412 iudicium dei 531 iudicium, pro pœnis ſceleratorum 616. 617 iudicium à dei domo incipit 660 iudicium è cælo, pro liberatione inſolita 664 iudicium pro more ſacro & ſolenni 723 iudicium Chriſti in rectitudinibus 868 iudicium, regni Chriſti præcipuum decus 885 iudicium pro executione & pœnis ſceleratorum 907 iudicium Chriſti inter gentes 1053 iudicium reſtat poſt hanc vitam 1101 iudicium dei in Babylonem 1307 iudicium afflicti & pauperum pro liberatione piorum 1330
Iulianus apoſtata à deo repreſſus 811
Iumenta cibum obtinent dei liberalitate 1378
Iuramentum dei, quale 801.964.1047 Iurare proximo, quid 101 iurare per Deum 517.588 iurare in ira 862 iurare per aliquem 918
Iuſti obteguntur à deo 34 iuſti qui 46.95.598 iuſtis quomodo bene ſit 401 quomodo florent ſub Chriſti regno 619 qui ſint & dicantur 262 quo ſenſu fideles appellantur 1059 quomodo ingrediuntur portas iuſtitiæ 1113 diliguntur à Deo 1373 vide fideles, pij.
Iuſtificare & iuſtificatio quid 733 iuſtificatio non eſt infuſio gratiæ in vrceolos vacuos 860 iuſtificatio hominis coram Deo 931 hominis quomodo fit 1259 iuſtificatio hominis peccatoris coram Deo qualis ſit 1345 iuſtificationis modus 438
Iuſtitia cauſæ & perſonæ 46.115.491. 994 iuſtitiæ quo ſenſu pij meminerunt 132 iuſtitia, pro omnibus beneficijs regni Chriſti 182 iuſtitia eccleſiæ 196 iuſtitiæ fidei definitio 255 iuſtitia vniuerſalis 277.305 iuſtitia Dei in mundi conſeruatione conſpicitur 294 iuſtitia piorum quomodo fiat conſpicua 301 iuſtitia Dei pro fide qua eos qui ſe in eius clientelam conferunt tuetur ac defendit 243.331.440.520.612.1361 iuſtitiæ prætextus 483 iuſtitia Dei & ſalus coniunguntur 609 iuſtitia regis 1. quid 616 iuſtitia & pax quomodo oſculantur 758 iuſtitia è cœlo proſpiciens 760 iuſtitia Dei, pro æquitate qua tuetur fidei ſuæ commiſſos 783 iuſtitiæ ſolium Dei 793 iuſtitia quomodo reuertitur ad iudicium 851 iuſtitia & iudicium baſis ſolij Chriſti 872 iuſtitia piorum qualis ſit 880 iuſtitia Chriſti reuelata in oculis gentium 879 iuſtitia Dei, pro fide recipiente ſuos in tutelam 937 iuſtitia Dei in ſeculum 1060 iuſtitia piorum quomodo manet in ſeculum 1069 iuſtitia Dei in omnibus viis eius elucet 1365
Iuſtitia Dei 33
Iuuenis quo nomine deſignatus apud Hebræos 784
Iuuentus ſuperba 817

K

Korah & filij eius 773
Kedar 1205
Kedila qualis vrbs dauidis tempore 459. 460
Kiſon, torrens 740

L

Labia pro ſermone 115.724
Labia mendacij 248 labia piorum quando & quomodo deus aperit 440 labiis celebrare deum 524 labium falſitatis 1203
Labor, pro afflictione 72.206 pro opibus labore partis 1027 labor manuum piarum benedictus à Deo 1245 labores hominum ſunt irriti, niſi adiuuentur à Deo 1239. &c. labores fortunati qui 1242
Lacrymæ cibus & potus piorum 345. 715 lacrymæ piorum in vtre Dei 469.470
Lætari in Deo 955 lætari in lætitia gentis Dei 983 lætitia piorum luculenter deſcripta 27.151.152.379. 385.526.527.532.557.558.891.1034. 1107.1126.1145.1152.1169.1215.1275. 1304 lætitia piorum parit laudes & gratiarum actiones 228 lætitia ſalutis Dei, quid 419 lætitia eccleſiæ in interitu impiorũ, qualis ſit 487.488 lætitia animæ 764 lætitia in eccleſia 776 lætitia piorum adumbrata cæremoniis legalibus 794 lætitia rerum creatarum ſub regno Chriſti quid nos doceat 868 lætitia ſub regno Chriſti 871 lætitia ſata rectis corde 876. 877
Lanmatheach 21
Lapis, pro omni genere obſtaculorum & periculorum 829 lapis reprobatus ab ædificantibus 1114
Lapſus pedum 1097
Laquei Dei 80 laquei mortis 128 laqueus aucupis 825.826 laqueus poſitus in via 1341
Latibulum Dei 130.823 latibulum piorum Deus 259.1348
Latinus interpres, vide Græca verſio.
Latitudo cordis 23 greſſuum 136 verbi dei 1161
Latrones qui 117
Lauare pedes ſuos in ſanguine 448
Laudare quid ſit proprie 178 Laudabilis deus 865 laudandus cur deus dicitur 127
Laudare deum in ſanctitate, in firmamento roboris & in fortitudinibus eius, quid 1397 Laudes dei à quibus decantandæ 263 aliter à fidelibus, aliter ab hypocritis celebrantur 612 perpetuò procurandæ ſunt atque celebrandæ 1283 laus Iſrael, quis 171 laus dei ſecundum nomen eius 395.396 laus pro toto dei cultu 415.416 laus dei in eccleſia 533 laus dei perpetua 1064 omnibus conuenit 1388 præcipuè verò piis 1390
Lazarus pius, cur ad mendicitatem redactus 305
Lectus doloris 337
Leo Armenius prudens imperator 910
Leones, pro hoſtibus crudeliſſimis 476 leones deo curæ 949
Leopardus 82.830
Leuare animam ad deum 764.1347 leuare manum contra aliquos 992 leuare oculos ad montes 1208
Leuiathan, Pharao 650 leuiathan, pro magnis piſcibus 952
Leuitarum, ſeruorum dei, munus 1283. 1286
Lex, vox multiplicis ſignificationis 3. 150.151.677.800.850.1124 eius natura 559 & ſcopus ibid.
Libanius Sophiſta impius 851
Libanus mons 233
Liber vitæ 598
Liber inter mortuos 781
Liberalitas qualis eſſe debet 1072
Liberalitas dei 537.538.539 erga pios 1379.1380
Liberatio certa piis promiſſa 110 ex calamitatibus certò expectanda 227 liberationis piorum cauſa finalis 471 liberatio duplex piorum 278 liberatio eccleſiæ glorioſa 487 modis omnibus admiranda 1233. &c. liberatio ex Ægypto deſcripta, repetita & celebrata 543.562. 576.673 liberatio piorum 831.1154 è periculis cur expetenda 1179 liberationes diuina prorſus miraculoſa 462 piorum quales ſint 476 efficax remedium in tentationib. 669. 670

670 *earum effectus* 851 *cur aliquando differantur* 968 *omnes tum corporales tum ſpirituales uni Deo adſcribendæ* 1005. &c. *multiplices* 1006.1007.&c. *liberationum cauſa finalis* 325
Liberator bellatorum 1353
Liberi Iſraelitarum ſtudioſi auditores doctrinæ à maioribus acceptæ 354
Libertas Chriſtiana in uſu ciborum 56
libertatis Chriſtianæ aſſertio 191
Ligamina mortis, morbi 631
Ligare feſtum frondibus, quid 1118
Lilium nomen inuenit apud Hebræos à numero ſex foliorum 363
Limax liquefacta imago potentiæ humanæ in Deum inſurgentis 485
Lingua, cur ab Hebræis vocetur gloria 110.242.478 *lingua vitia* 249.277. 319.446 *lingua calamus cordis* 364 *lingua mentiri* 688 *lingua doli* 1203 *lingua piorum quando repletur exultatione* 1233
Liquefactio generis humani 657
Locus ſanctus Dei, eccleſia vera 194
Locus draconum quid 359
Longæuitas noſtra nihil coram Deo promouet 814.815
Loquentes mendacium 32 *loquentes magnifica* 83 *loqui in corde* 25.26 *loqui liberè* 84 *loqui pacem* 758 *loqui duriter* 848 *loqui labiis inconſideratè* 996 *loqui pro conſultare & machinari* 1030 *loqui de teſtimoniis Dei coram regibus* 1142 *loquitur Deus in ſanctitate ſua, id eſt ſanctè promittit* 503
Lotiones legales typus ſanguinis Chriſti 438
Lucerna, pro lætitia, proſperitate, gloria, felicitate 134 *lucerna piorum* 1156 *lucerna parata Chriſto Dei* 1276
Lucta luctuoſa & periculoſiſſima piorum 38.170.319.346.348.513.609.667.668. 669.670.804.1096
Lugentes pullati incedebant 348
Lumbi cincti 135 *nutantes* 596
Lumen vultus, pro fauoris declaratione 27.354 *lumen quid* 296 *lumen oculorum* 315 *lumen quomodo oritur fidelibus in tenebris* 1069.&c.
Luna creata in ſtata tempora 949 *nocti præfecta, Dei miraculum* 1296
Lutum cœnoſum & profunditatis 325. 595
Lux & eius effecta 134 *Lux, pro doctrina, conſolatione & lætitia qua doctrinam ſequitur* 917.918.238.239.781 *lux nulla impiis poſt hanc vitam* 405. 406 *lux quomodo ſeminata dicitur Dei ſeruis* 876 *lux, veſtimentum Dei* 942 *lux, præſtantiſſimum Dei beneficium* 942

M

M*Acies vnde* 987
Macrinus imprudens imperator 910
Magiſtratus authoritas aſſeritur 83 *magiſtratus, quo ſenſu dij appellantur* 367 *magiſtratus deſcriptio* 615. 616 *eius autoritas & dignitas* 731. 734
Magnanimitas Chriſti regis 623 *magnanimitas fidelium* 1303
Magnates à regno Dei non excluduntur, & quæ ſit eorum felicitas 180
Magnifica Dei 988
Magnificare ſalutes 140
Magnificentia Dei in impiorum interitu elucet 288 *magnificentia Dei ſuper Iſraelem* 583 *magnificentia operum Dei* 836 *magnificentia Dei in operibus eius emicat* 941 *magnificentia Dei* 1360 *magnificentia coram Deo* 865
Magnitudo fidelium multiplicanda, quid 611
Magnus cur dicitur Deus 865.1288 *magnus clementia* 1361
Maieſtatis diuinæ pictura 413.791.792. 1360
Mala quibus pij premuntur 89 *mala pro afflictionibus* 332
Maledicere inimicis an liceat 492.493
Maledicti qui declinant à mandatis Dei 1131
Maledictio ei venit qui eam diligit 1029
Maligni odio habendi 212
Malignitas, vitium horrendum 1306
Malitia extrema 70.71
Malorum remedium tutiſſimum 593
Malum pœna & culpa, vnde dictum 102 *malum facere, quid* 435 *malum cur non occurrit piis* 828 *malum pro bono reddunt impij* 1024 *malum omne quomodo Deus depellit à ſuis* 1211 *malum operari in corde* 483
Mandare ſalutes eccleſiæ, quid 355 *mandare robur alicuius quomodo deus dicitur* 579 *mandare benedictionē* 1282
Mandata dei 605.606.1126
Manè pro primo quoque tempore 31
Manichæi impij refelluntur 933.1319
Mannæ hiſtoria & allegoria 685.975
Manſueti, hæredes terræ 302 *manſueti dei benedicunt eum* 1362
Manſuetudo principum qualis eſſe debeat 906
Manus deo cur tribuantur 56 *manus, pro potentia & robore* 72.165.1033 *pro externo opere & conſilio* 194 *pro plaga, afflictione, & ſenſu doloris poſt plagam* 165.257.313 *manuum puritas, quid* 132 *manus impiorum, quid* 296 *manus piorum ſuſtentatur à deo* 305 *manus expandere ad deum alienum* 359 *manus gladij* 526 *manuum protenſio ſignum ſubiectionis* 582 *manus piorum quomodo nocte effunditur* 668 *manus pro potentia & miraculis Dei* 690 *pro protectione & auxilio* 719 *manus ab ollis remotæ, quid* 724 *manus Dei robuſta* 792 *manus ſepulchri, pro vi & potentia mortis* 805 *manus pro ſinubus maris* 951 *manus fortis, pro potentia diuina* 1297 *manus Dei quomodo deducit homines vbique* 1318 *manus laquei* 1338 *manus dei, pro auxilio è cælis* 1354
Marcere in iniquitate 999
Mare eſt miraculum illuſtre ac teſtis potentiæ Dei 266 *mare Tharſis* 394 *mare, pro magnis exercitibus* 356 *mare rubrum Dei præſentiam formidaſſe dicitur* 674 *mare ſuis circunſcriptum limitibus, teſtis potentiæ Dei* 791 *mare baſis terræ* 944 *maris conſideratio eximia* 951. &c. *mare rubrum* 685.&c.1297 *fugit ante populum Dei* 1081
Maria virgo, quomodo adſtat ad dexteram Chriſti ſponſi 372
Martyres, ſpirituali quadam ebrietate & ineffabili lætitia correpti ærumnarum omnem ſenſum ſuperarunt 189
Maſchil, quid 343
Maſſa 860
Mauritij imperatoris pia confeſſio 100[illegible]
Maxilla impiorum, quid 20 *maxilla noſtra bono ſatiantur* 932
Medi & Perſæ Babylonem euertentes, quo ſenſu dicantur beati 1305
Meditari in ſtatutis & mirabilibus Dei 1129.1134. 1143.1154
Meditatio operum Dei vtilis & neceſſaria 672.836.1347 *meditatio piorum* 1132.1162.1322 *Mel vnde dictum* 153 *abundans in terra Canaan* 728
Melchiſedec ſacerdos altiſſimi, fuit Chriſti typus 1048.1050.1051
Membra viua eccleſiæ 1113 *membra quo ſenſu Deo tribuantur. Vide eorum nomina ſuis locis.*
Memoria Dei, qualis 39 *quid* 239 *quomodo recolitur à fidelibus* 525 *memoria iuſtitiæ & ſanctitatis Dei* 609.876.919 *memoria impiorum deleta, Dei ſupplicium* 1028 *memoria magnitudinis diuinæ bonitatis à quibus celebratur* 1360
Mendaces confundentur 526
Mendacium quare homines dicantur 518 *mendacium, quid* 1150 *mendax, pro re nullius momenti & cuius nulla cura eſt* 1099
Mendicitas inter Dei maledictiones recenſetur 305.1027
Menſa in laqueum 596
Menſes Iudæorum lunares 723
Menſura Hebræorum 715
Mentiri, quid 138 *mentiri Deo, quid* 542.728
Merces vnde dicta 153
Meriba 860
Merita operum excluſa 610.708.763
Meſech 1205
Meſopotamia 501
Meſſias. Vide Chriſtus.
Meteora quomodo laudant Deum 1386
Metuere Deum, quid 178
Metus maximus nauigantium 1012.1013
Midia filius Abrahæ cuius poſteri hoſtes eccleſiæ 740
Michol bene affecta erga Dauidem maritum 491
Michtam, quid 105
Militia Chriſtiani 187 *militia peritia à quo* 136 *militia ſanctorum in hac vita* 909.1351.1352.1392
Mincha, quid 159
Miniſterium verbi Dei, quid 53 *miniſterij eccleſiaſtici efficacia, vtilitas & commendatio* 119.387.396.397. 524 *miniſterij ſacri deſiderium* 746 *obſeruantia* 748 *miniſtrorum eccleſiæ imbecillitas* 566 *miniſtri eccleſiæ quid* 988 *quanta charitate præditi eſſe debeant* 990 *quibus veſtimentis indui debent* 1272.1275 *pro tota eccleſia orare debent* 1284 *eorum præcipua officia* 1285
Miniſtri principum quales eſſe debeant 900.909
Mirabilia Dei 626.672. 687.961.962.963.990 *mirabilia facta à Chriſto* 879.&c. *miracula generationis noſtræ* 173 *in liberatione eccleſiæ edita* 543 *in liberatione & eductione Iſraelis ex Ægypto* 683.684.&c.689.690.&c. *miracula fiunt à Deo ſolo, & eorum deſcriptio* 1295 *miraculum Dei quomodo à cœlis celebratur* 790
Mirificare miſericordias 118
Manius inferni 405
Miſcere potum cum fletu 918
Miſerationes magnæ & multæ apud Deum, opponendæ delictorum mul-

titudini & atrocitati 433
Miſeri è ſtercoribus exaltati 1077
Miſeria ſumma 596
Miſeria humana deſcriptio 814.815.816. 817.&c.
Miſericordia & veritas quo ſenſu viæ domini dicantur 203 quomodo obuiam fiunt ſibi 758 miſericordia Dei graphicè depicta, eius fructus & multiplex vſus 433.594. 622.623.688.757.798.920.934. 999.1193.1362 miſericordia principum qualis eſſe debeat 906 miſericors pro Dei beneficiario, quis 25
Mittere manum in pacem, pro pacem violare 462
Mizar mons 346
Moab regno Dauidis ſubiectus 504
Moabitæ hoſtes eccleſiæ 740
Moderatio Chriſtiana quid à philoſophica differat 299 moderatio piis neceſſaria 1343
Modeſtiæ ſignum 434
Mœſtitiæ effectus 246.314
Monachi papiſtici damnantur 1245
Monoceros. vide Vnicornis.
Mons ſanctus 99.100 mons Iehouæ 195 mons, pro regno 239 mons Dei, pro excelſo & variè ornato 570 montes Dei 294 montes, pro regnis & imperiis 381.570 montes quæ virtute ſtabiliantur 537 montes prædæ, regna mundi 663 montes, potentiæ Dei teſtes 792 quo ſenſu liqueſcere dicuntur coram facie Chriſti 873 quando & quomodo apparuerunt 945 à quo irrigati 946 cur commoti quum lex data eſt 1082 montes pro terra Canaan 1208 montes tacti à Deo fumigant 1354 montes & colles quomodo laudant Deum 1387
Mora frangit fortes 318
Morbi, vincula mortis 631 morborum deſcriptio 1009. 1010 Mors vnde 322
Mors nullam poteſtatem habet in Dei electos 268 mors Chriſti expiatoria 328 mors impiorum & pecudum quomodo conueniat 319.403 mors piis nunquam immatura 464 mors nō accidit caſu, ſed iuxta Dei præſcriptum 814 mors piorum cur pretioſa in oculis Dei 1100
Mortales à ſeculo 120
Mortificatio piorum Deo grata 916. 1133
Mortis porta quid 62 meditatio quid nos doceat 321 cauſa 816
Mortui ſubitò euaneſcunt è memoria 146 an obliuioni coram Deo traditi ſunt 781 quomodo non laudant Deum 872. 1090 mortui ſeculi 1346
Moſchi deſcripti 1205
Moſes, Dei ſeruus 811.812.972 quo ſenſu inter ſacerdotes Dei numeratur 886 reſiſtit iræ Dei 990 dubitatione & diffidentia peccans punitur 995
Multiplicatio roboris in anima piorum quid 1310
Multitudo bonitatis Dei, fidei & inuocationis fundamentum 593 multitudo credentium 775
Mulus capitoſus impiorum rebellium emblema 260
Mundatio peccatorum quomodo fiat 434.435
Munditiès regni Dauidici quomodo deleta 803
Mundus corde, quis 194
Mundus, cur Tebel dictus Hebræis 193
Mundi de eccleſia iudicium 560 mundus ſordet piis, vt vera religio flocci fit ab impiis 751 quibus oculis contemplandus 951 damnat pios quos Deus abſoluit 1034
Munera accipere quid, & quantum malum 102
Munera Deo offerenda 665
Munitio fidelium 825.1353
Muri Ieruſalem quomodo diruti à Deo 803
Murmur Iſraelitarum aduerſus Deum 725.987.991 murmurare & tentare Deum, quid differant 860 murmuratores igne conſumuntur 684
Murus eccleſiæ 396
Muſicæ vis 264
Muſicæ ſacræ finis 961 muſica Deo grata quæ 1399 muſica in luctu eſt importuna 1301 mutationes omnes in cælo & terra, teſtes præſentiæ Dei 129 mutationes mirabiles temporum à deo 1380.1381
Myrrha, quid 370

N

NAblum inſtrumentum muſicum 263.478.722.836.1355.1398
Nares Dei 129
Narrare vias ſuas deo, quid 1134
Narrare inter gentes gloriam & mirabilia dei 863.864
Naſus elatus 69 naſus dei 645
Natiuitas & propagatio eccleſiæ 1046. 1047
Natura rerum theatrum eſt ſapientiæ, iuſtitiæ & bonitatis dei 265
Natura dei deſcripta 37.671.757. 764.768.934.1088.1095.1096.1209. 1257.1260.1287.1295.1353.1360. 1371
Natura humana mirum in modum deprauata 989
Nauigationis pericula deſcripta 1011 &c. nauium commoda 951 nautæ variis periculis defuncti, teſtes prouidentiæ diuinæ 1012.&c.
Nehiloth 29
Neghinoth 23
Negligentia in exequendis dei mandatis grauiſſimum peccatum 997
Nilus 453
Nomen dei 51.157.187.270.598.1075. 1290.1360 nomen dei, pro fauore 448 pro promiſſione 452 quomodo ſit propinquum 655 nomen dei magnum in eccleſia 662 nomen Chriſti magnum, terribile & ſanctum 884 nomen dei pro deo ipſo 923 nomen ſanctum dei quid, & quomodo benedicendum 930 nomen dei, ſanctum & terribile 1062 nomen dei ſolius excelſum 1388 nomina dei. vide deus, & eadem nomina per Indicem ſparſa.
Nomina eccleſiæ 646 vide eccleſia. nomina impiorum quomodo delentur 59 nomina ſenſuum ponuntur pro ipſis ſenſuum obiectis 138
Nominis duplicatio apud Hebræos quid ſignificet 83
Nota veræ eccleſiæ 600 nota electorum Dei 100. &c. notitia nominis dei, quid 60 notitia Dei qualis 303 notitiæ Dei præclara effecta 765.766
Nouilunium 723
Nouiſſima impiorum 636
Nox, rebus conſiderandis accommoda 26 pro cruce & tentationibus 116 præco gloriæ Dei 147 pro calamitate & ærumnis 239 tentationum ictus repetit & auget 670 vt dies Deo 1318
Noxa venatur ad interitum viros violentiæ 1330
Nubes pro æthereà regione, quæ ſupra cœlos ſunt 791 vehiculum Dei 943 tegens populum Dei cuius rei typus 975
In circuitu Chriſti, quid 871
Numerare dies quid 818
Numerus ſeptenarius perfectus 85
Nuntiare afflictionem coram facie Dei 1340
Nuptiæ Chriſti & eccleſiæ deſcriptæ 369.370.&c.

O

OBdormire in morte 90
Obdurare corda 859
Obedientia Chriſti & piorum diſtinguenda 327. 328 obedientia prompta ac voluntaria Chriſti pro noſtra ſalute 329 obedientia piorum voluntaria 387 obedientia neceſſaria in regno Chriſti 621 obedientia magiſtratui præſtanda eſt 731 obedientia ſpontanea piorum erga Chriſtum regem 1044
Obiectiones carnis aduerſus inuocationem 475 obiectio. vide Quæſtio.
Oblationes cur gentibus præcepta ſint 866
Oblectare ſe in ſtatutis Dei 1129 in mandatis Dei 1143 Oblectatio piorum in Deo 300 oblectationes piorum 1131.1132
Obliuio Dei 89 cur à nobis Deo tribuatur 348 obliuio peſſima 690
Obmuteſcere ſilentio 320 obmuteſcere in afflictione 322
Obrizum vnde deducitur 153
Obtrectationes ſunt infructuoſæ 1203
Occulta quid 154
Occultare ſe ad Deum 1348
Oculi Dei 79.849. ſuper timentes eum 268 quomodo ſuper iuſtos 277 reſpiciunt gentes 543 oculi caligantes & illuminati 90. 596 ſublimes 134.1263 oculi piorum quomodo ad Deum 206 à quo, quomodo & in quem finem aperiuntur 1130 oculi omnium quomodo ad Deum 1364 oculis nictare 286 oculus, pro tota facie 286 contabeſcens propter afflictionem 872 ereptus à lacrymis 1097
Odium Dei 79 odium violentiæ, quid 206 impiorum erga pios 338 piorum in impios quale eſſe debeat 1323
Oeconomia ſunt curæ Deo 1078
Offendere ad lapidem 829
Offenſio nulla Dei ſeruis 1189
Officium magiſtratuum deſcribitur 909. &c.
Oleum quo vnctus eſt Chriſtus 368 cur lætitiæ oleum dicatur 369 olei effectus 838 vſus 947 oleum ſanctitatis dei 796 oliua, quid patres familiâs doceat 1148
Omnes i. totum genus humanum 93
Omnipotens. vide Deus.
Omnipræſentia dei 1317
Onocrotalus deſerti 917
Onus noſtrum ſuper Iehouam proiiciendum 463 onus quotidianum eccleſiæ 574
Opera fidelium quomodo placent Deo 154 non acquirunt fidelibus iuſtitiam coram Deo 255 cur bona dicuntur 205

vnde

vnde ſint 839 requiruntur à piis 875 opera Dei in fide, 1. carent omni iniquitate, dolo, ſuco 264 opera Dei in liberatione eccleſiæ 383 laudum materiam piis ſubminiſtrant 642 opera Dei, pro aſſidua præſentia Dei in eccleſia 672 ſunt ſublimia 792 exhilarant pios 836 videntur in mari 1012 magnifica omni ex parte 950 quomodo exploranda 1060 qualia ſint 1061 maieſtatem produnt opificis 1360 Deum celebrant 1362 fiunt in mediis contrariis 1381 opera gentium, pro ſuperſtitioſis eorum cultibus 997 opera idololatrarum 108
Operari iuſtitiam, quid 106
Operarij iniquitatis 491 vide Impij.
Operimentum cur nouilunium dicatur 723
Ophir 153.371
Opes commodæ aut incommodæ pro ratione poſſidentium 303 quam ſunt inutiles & noxiæ impiis 401 &c. vnde dicuntur 518 iniuſtæ dilabuntur 1069 opus manuum Dei, electio Dauidis in regem 227 opus Dei pro liberatione ex calamitatibus 820 opus manuum humanarum 820 opus manuum Dei, quid 1311
Oppreſſi, cur fideles dicantur 651 vindicantur à Deo 1372.1377 oppreſſio extrema 136
Opprobria capitis & membrorum eccleſiæ propter Dei nomen 590.591 opprobrium leuare, quid 101 opprobrium omnium Chriſtus & eccleſia 172 opprobrium pios obtegens 358 opprobrium, quid 476 opprobrium piis illatum 1131 opprobrium, piis formidabile 1139
Oraculum ſanctum 225
Orare qui neſcit, nauigare diſcat 1013 orationis principium 23 oratio ad Deum 347 oratio piorum in afflictione qualis ſit 462 oratio ſanctorum 757 oratio afflictorum Deo grata 921 oratio verſa in peccatum cui & quomodo 126 orationis vis 1033 oratio breuis, ſed efficax 1095 oratio piorum 1174.1175 qualis ſit 1183 oratio, vide Preces.
Orator, vnde dictus 484
Orientales, multi in caremoniis 621
Orbis terræ, teſtis potentiæ Dei 792 quomodo ſtabilitus ſub Chriſto 1031 vide Terra.
Oreb, princeps Midianitarum 740
Origenis error de vniuerſis ſaluandis 1041 de ſanctorum perfectione 1345
Originalis peccati definitio 256
Ornatus ſanctuarij, quid 867 ornatus ſancti piorum 1045
Orphani cur fideles dicantur 560
Ortus ſolis ad opera homines excitat 950
Oſculari filium 14
Oſculum, quid in ſcripturis 14 oſculum ſanctum 760
Os purum à piis exigitur 196 os iuſti profert ſapientiam 306 os laudans Deum labiis iubilationis 525 os dilatatum & conſtrictum 726 os piorum quando repletur gaudio 1233
Oſiris 989
Oſores Dei 557.572.738. pacis 1206 eccleſiæ 1254 odio proſequendi à piis 1567
Oſſa conturbata 38 oſſa piorum à Deo cuſtodiuntur 279
oſſa, pro toto homine 284 oſſa dolore conteruntur 438 oſſa diſperſa ad os ſepulchri, pro crudeli perſecutione 1335 oſſium percuſſio acerbiſſima 348
Oſtendere miſericordiam 757
Oſtium labiorum 1334
Otium damnatum 1245
Oues Dei 645
Ouium natura 185

P

Pactum Dei 203 pactum, pro promiſſione præſentiæ & auxilij diuini 205.
Palæſtina, regno Dauidis ſubiecta 505
Palæſtini fœdè percuſſi à Deo 696
Palatia Chriſti 371
Palatum Dei 128
Palma pium hominem cur ſignificet 4.5. palma, imago pij viri 838.839
Palpebræ Dei 79
Panis piorum in afflictione 345 fortium 585 lacrymarum 715 germinat è terra iuſſu Dei 947 panis vſus ibid. panis cœlorum 976 dolorum 1240
Papiſtarum error de peccato originis refellitur 436 de votis 471 1100.1269 de meritis operum 520. 867.1259.1267 de miſſæ ſacrificio 546.860.1052 de conſuetudine & doctrina à maiorib. accepta 679 de fide 685 de inuocatione ſanctorum 858.1010.1013 circa adorationem & circumgeſtationem panis cœnæ domini 695 de iuſtificatione 733 de igne purgatorio 768 de imaginibus 886.939 de epiſcoporum ſuorum authoritate 988 de latria & dulia 997 de vi imprecationum Dauidis 1025 de poteſtate ſui pontificis 1041 de eccleſiæ propagatione 1047 de ſtatu mortuorum 1257 de ſatisfactionibus 1258
Parabolæ, quid 400
Paradoxum mundo, Nihil deeſſe deum timentibus 276
Paraſitæ aulici depicti 286
Paruuli, qui 151
Paſci fideliter, quid 300
Paſſer ſolitarius 917
Paſſio, & obedientia & glorificatio Chriſti deſcripta 170.172.177.321.325.&c. 587.588 paſſiones piorum non ſunt ſatisfactoriæ 328 paſtor eccleſiæ deus 185. 713 paſtor bonus ac malus deſcriptus 185 186 paſtoris populorum officium 698.699
Patefactiones Dei ſub lege quadruplices 794.795
Patientia Dei pios turbat 294 patientia vera vnde 316 cum ſilentio & animi tranquillitate expectat 395 patientia piorum 513 patientiæ vera ratio 850 patientia piis neceſſaria 1343
Patres in Deum ſperauerunt 371 patres veri 354 patres impij damnandi 680 accuſandi cum filijs 984
Patriarchæ & eorum poſteri quibus beneficiis à deo affecti in terra Canaan & in Ægypto 965. &c.
Paulus Apoſtolus verba actiua vet. Teſtamenti aliquoties interpretatur paſſiuè 436
Pauor piorum irruit in impios 975 pauores, pro periculis metum & terrorem incutientibus 274
Pauperes qui 274 clamantes in regno Chriſti, qui ſint 622 ſunt ſubleuandi 1071 pauperes Sionis, pro fidelibus 1274 paupertas, graue onus 303 miſera qua 1028
Pax pro tranquillitate animi 28 pax conſcientiis vnde 151 quærenda & quomodo 277 pacem non loqui 287 pax piorum Deo chara 288 pax, pro omni proſpero rerum ſucceſſu 308 finis piorum 313 nulla in oſſibus 308 pax, quid 617 multa ſub Chriſti regno 619 pacis commoda 537. 538.519.758 pax conſcientiæ 1160 pax Dei ſeruis 1189 grata piis 1206 pax eccleſiæ, precibus cur procuranda 1218. &c. pax eccleſiæ promittitur 1230.1232 cumulus gaudij piorum 1250 expetenda præcipuè in eccleſia 1279 pacis temporariæ deſcriptio 1356.1357 pax eccleſiæ 1380
Peccata enumerare impoſſibile 153.154 onus omnium grauiſſimum 255 eorum diuiſio multiplex 256 afflictionum cauſa 322 quomodo expendenda 433.434.435. oris 496 ſuperborum & impiorum 682.683. &c. Iſraelitarum in deſerto 683.684. &c. quomodo tollantur 708 duplicia, omiſſionis & commiſſionis 800 dum puniuntur, curſus beneficiorum temporalium abrumpitur, manente fœdere quod præcipuè verſatur circa beneficia ſpiritualia & æterna 799 occulta Deo aperta ibid. exaggeranda iis qui remiſſionem obtinere cupiunt 984 in ſeditione & tumultu aduerſus Deum concurrentia 995 impiorum coram Deo 1028 cur à Deo remittantur 1258 peccatorum regnans & non regnans 154 quomodo regitur 256 peccatum manet in ſanctis in hac vita 257 plaga Dei 328 peccati originalis deſcriptio 436 peccatum maximum 482 ſtultitia dicitur ab Hebræis 590 peccatum peccato quomodo Deus puniat 597 cauſa mortis 816 peccati varia deſignatio 1009.1010 peccator, quam confeſſionem edere debeat 433.434.435.&c.
Peccatores, qui 3 pro iis qui ad Dei gratiam confugiunt 202 verè ſtulti 1010
Pecus Dei 564.565
Peculium Dei 645
Pedum paſtoris Chriſti 188
Pedis motio, quid 852 pedes piorum ſtant in eccleſia 1115 Pelagianorum error 436 Pelagij impietas renouata 860
Penna Dei 826
Percurrere viam mandatorum Dei 1135
Percuſſi à Deo qui dicantur 597
Peregrini, qui 324.1130 ab impiis interfecti 848 cuſtodiuntur à Deo 1373
Pericula piorum, ſumma 225 clamores & querelas piis extorquere ſolent 457 eorum magnitudo gratitudinem auget 472 quomodo declinanda 515 varia fidelium 826 vndique imminentia pios non obruunt 827 pericula piorum 1108 1168 periculum ſummum 458 perfidia impiorum 338 perfidia ſcelerata punita 546
Perire in via 14
Pernoctare in bono 205
Perpeſſiones Chriſti. vide Paſſiones.
Perpetuitas eccleſiæ 382.625
Perſecutores eccleſiæ contra Dei dexte-

ram inſurgunt 118. tauris & leonibus ſimiles 174
Vide hoſtes
Perſeuerantia donum certiſſimum 110 infatigabilis eſſe debet 588 in precibus requiritur 668 perſeuerantia piorum 879.1158
Perſonæ mutatio Hebræis vſitata 825 perſona & officium. Chriſti deſcribuntur 365.366.367.368 perſonas ſuſcipere in iudicio, quid 732
Pertinacia impiorum in ſcelerato propoſito 530
Peruerſus quis, & vnde dictus 133
Peruicacia hominum typus 992
Pes ſuperbiæ 296
Peſtis deſcriptio 826.827
Petra piorum, Deus 125 petra eccleſiæ, Chriſtus 218. 976 petra fortitudinis piorum, Deus 225.243.244. 640 petra pro firmo ſtatu 325 pro loco tuto & munito 809
Petulantia impiorum 632
Pharao & eius exercitus præcipitatus in mare rubrum 1297
Phariſæi. Vide Hypocritæ & Papiſtæ
Philoſophi quomodo diſputant de morte hominis 816 philoſophia humana varias conſolationes proponit, ſed infirmas 344.1143 veræ ſapientiæ eſt ignara 401
Phinees heros fortiſſimus 994
Pictura atheorum & impiorum omnium 283.294
Pietas in quo conſiſtit 2. eſt fructuoſa 205 omnibus ceremoniis præſtantior 441 eius ſtudium fructuoſiſſimum 520 eius profeſſio per iuſiurandum deſignata 527.528 habet promiſſiones vitæ præſentis 1248
Pij pauperes & pupilli 74 cur glorioſi dicantur 107 eorum conditio in hac vita 134.187. in bono pernoctant 205 ſummis expoſiti periculis 225 corde exultant in ærumnis 228 quid agere debeant cùm horrendæ tempeſtates & procellæ ingruunt 234 vocantur Dei manſueti aut benefici 250 eorum officium in tentationibus 251.252 qua lętitia fruantur 260 priuilegium 268 eorum in terris conditio 276 exaudiuntur à Deo, etiam quum interficiuntur ab impiis 278.279 calumniis & violẽtia impiorum preſſi ad Deum confugiunt 281 Pij deſcripti 297 753.1067.1121.&c. id eſt toto pſ. 119. vſque ad finem 1192 quomodo in multitudine pacis ſe oblectant 302 recti corde & via 303 integri, miſericordes & charitate præditi 303. 304 multi eorum cur ad mendicitatem redacti 305 quomodo ſapientiam loquuntur 306 periculis circunſeſſi à Deo liberantur 306.307 ſalutem Dei diligunt 332 ſunt pauperes, ſed à Deo iuuantur & liberantur 332 ceruis ſimiles 343.344 eorum conditio in hac vita 356.357.&c.360 ſcribæ veloces 365. Piorum Chriſto adhærentium officium 372.373 quomodo non timeant 381 quomodo dominabuntur impiis 404 quomodo eripientur ex ipſa morte 405 piorum exauditorum officium 416 quid agant dum impij excinduntur 447 quomodo ſe gerant ſub cruce 462 quomodo exultent in impiorum interitu 487.488 Deum fortitudinem ſuam obſeruant 494 quomodo de impiorum interitu exultant 494 vbi habitent & qualem protectionem quærant 509.510. cur in tuto degant 514 non ſunt ſuſpicaces 529 non conſumuntur ſed purgantur afflictionibus 544 cur ſint alacres in celebrandis Dei beneficiis 553 paſſim apud omnes per riſum traducuntur 592 in tentationibus grauiſſimis quo ſenſu clamare & ſilere dicuntur 670 quid præcipuè optent 745 Pij Dei 558 cur affligantur 763 ſunt curæ Deo poſt mortem 781 in calamitatibus nõ deſeruntur 872 agnoſcunt iram Dei quam impij ſpernunt 817 plantati in domo Dei, florent & ferunt fructus, ac durant perpetuò 838 &c. exhilarantur conſideratione & celebratione operum Dei 836 eunt poſt Deum 851 quomodo ſint opus Dei 975 quomodo conſiderant Dei opera & prouidentiam 1016.1059. quomodo ſunt in memoria æterna 1070 piorum munus 1103 quomodo ſunt integri & imperfecti 1123.1124 non ſunt operarij iniquitatis 1124 ingentibus periculis obnoxij 1225.1327 quomodo affecti eſſe debent in impios 1323 quomodo audiuntur, cuſtodiuntur & liberantur à Deo 1367
Pinguedo domus Dei 295 fidelium 525 tritici 728
Pingues qui 119 Pingues, pro optimatibus 686
Pius, quis 83.131.763
Plaga Dei 322 cur non appropinquat tabernaculo iuſtorum 828 plagæ impiis ſubitò infliguntur 531 plagæ Ægyptiorum deſcriptæ 690.&c. 1288.1289 plagæ orbis teſtes potentiæ Dei 792
Planta Dei 647
Plantati in domo Dei, quid 839
Plauſus fluminum quid 882
Plenitudo terræ, quid 191
Pluuia Dei in impios 80 pluuiæ immittuntur à Deo 538 pluuiæ in terra Canaan figuræ promiſſionum euangelij 563.564 pluuiæ quomodo laudant Deum 1385 ex Dei cœnaculis defluunt 946 teſtes prouidentiæ Dei 1288 terræ parantur à Deo 1378
Patientia piis neceſſaria 384
Poculum. vide Calix.
Pœna ſcortationis & idololatriæ 993
Pœna hoſtium eccleſiæ 1330 pœna impiorum 95 pœnæ diuinæ ex memoria facilè effluunt 313 pœna impiorum & Iudæorum 495 pœnæ Iſraelitarum 779 pœnæ cur differantur à Deo 793 pœnitẽtia an cauſa remiſſ. peccatorum 257 pœnitentia ficta hypocritarum 688 pœnitere Deus quomodo dicatur 819. 1000.1048.1290
Politiæ honeſtæ quid teſtentur 731 ſunt curæ Deo 1078
Polygamia Salomonis 371
Ponere in ſalute, quid 84 ponere oculos ad aliquid 119 poni benedictionem, quid 164 ponere in vitam, pro ſeruare incolumes 544
ponere os in cœlum 633
ponere inimicos ſcabellum pedum 1041
Pontifex Romanus deriſor 3. eius error de eccleſia 12 pontifex Rom. deſcriptus 84
Populorum felicitas in quo ſita 267 populus ignotus Chriſto, quis 138 populus noſter oblinioni tradendus vt Chriſtum ſequamur 372.373 populus ſtultus 651.652 populus Dei 758 populus beatus quis 793 populus Dei conteritur ab impiis 848 populus paſcui Dei 859 populus creatus 922 populus Dei vide eccleſia.
Portæ pro imperiis & principibus 197 pro cordibus piorum 198
portæ Sion, pro vrbe Hieroſolyma 774
portæ mortis 1010 portæ iuſtitiæ 1112
portæ olim ſedes iudiciorum 1244
Portio in vita, quid 121 portio fidelium 1146.1342
Poſteri Dauidis in officio contineri debuerunt 1273
Poſteritas piorum felix 304 Dei donum 1250
Potentia Chriſti 566 potentia Dei aduerſus eccleſiæ hoſtes 383.384.663 non cognoſcitur niſi quomodo ſint opus Dei 852 in eccleſia 323.343 519 deſcripta 543.563.582 quàm metuenda 664 omnibus creaturis eſt formidabilis 674.715 depicta 791.792.&c.857.858 potentia Dei, pro præcipuis beneficiis eccleſiæ ſuæ exhibitis 981 potentia ſceptri Chriſti 1041.1042 potentia Dei fidem confirmat 1284 à piis celebratur 1362.1371.1377 eſt multiplex 1398
Potus ouicularum Chriſti 186
Prata induta ouibus 540
Præcepta, pro decalogo 800
Prædicare de die in diem ſalutem Dei 864 prædicare opera Dei cũ exultatione 1011 prædicatio euangelij quem finem habeat 574
Prælium, i. quicquid formidabile eſt in mundo 218 prælia contrahere 1327 prælia quibus auſpiciis inchoanda 1351
Præparatio vera 558.559
Præſentia Dei piis quantum ſit neceſſaria 1026.1153.1284
Præſidium, vnde dictum 126
Præuenire benedictionibus 163 præuenire Deum oratione 783 præuenire faciem Dei 857
Precatio fidelium qualis ſit 1145 preces veræ 173 cur aliquoties iterentur 243 tutiſſimum aduerſus diffidentiam & deſperationem remedium 250
preces piorum quàm efficaces 1095 quid obtineant 478 blaſphemiis impiorum opponendæ 608 precatio pro toto corpore regni Chriſti 624 preces dolorum & tentationum leuamen 667 geminatæ quid teſtentur 716.719 rectè compoſitæ 872 piorũ quantã vim habeant 991
Primogeniti cur principium virtutis dicantur 691.974 primogenita Ægypti percuſſa 974
Primogenitura Dauidis & Chriſti 798
Principes ſunt Dei vicarij & villici 191 à Deo probantur 389 Nebidim, i. munifici dicuntur ab Hebræis 439 principes aduerſarij eccleſiæ 1132 principes quid Deo & hominibus debeant 12.13 neque ſeipſos neque alios conſeruare queunt 1371. vide Reges
Priuati quid cogitare debeant in tot mundi confuſionibus 331
Priuilegium eximium eccleſiæ 387
Probatio Dei 79
Probrum veſtis impiorum 1034
Prodigia Dei 962 prodigia in Ægypto

pro 972
Proditoris imago 450
Profanare pactum ſuum Deus non vult 801
Profani deſcripti 273 profani homines quid de Dei adminiſtratione ſentiant 536 cur ab eccleſia Dei alienentur 551 Profani. vide Impij.
Profunditates aquarum, pro variis periculis vno tempore concurrentibus 588 profunditates tenebroſæ 781
Promiſſio auxilij Deum inuocantibus 416 promiſſio Dei lætificat fideles 501 ſcutum piorum 826 promiſſio rerum ſpiritualium prorſus gratuita 965 promiſſionis Dei vis 1105 promiſſio ſalutis omnium firmiſſima 1160 promiſſiones corporales quomodo intelligendæ 301.305.681.1303 promiſſiones dulciſſimæ 560 promiſſiones diuinæ à nobis olim celebratæ efficax in tentationibus remedium 670
promiſſiones duplices fœderis Dei, explicatæ 199 promiſſionum nullus vſus, niſi fide in his acquieſcamus 826
promiſſiones Dei miris modis implentur 967 &c.
quomodo conſiderandæ 1068
Prophetæ cur dicti ſunt patriarchæ 956
Propitiatio apud Deum, quid 1258
Propitiatorium præſentia Dei ſymbolum 516.857. typus Chriſti 1183
Propitius quomodo ſit Deus 764
Proponere iudicia Dei 1115
Proſperitas impiorum quomodo conſideranda 631.632.633.634.635.636
proſperitas maleſuada 1006
proſperitas pijs diligentibus eccleſiæ pacem promiſſa 1218.1219
Proſpicere de cœlo quo ſenſu dicatur Deus 93
Protectio Dei 966 protectio piorum 520.825.1169
Protrahere miſericordiam alicui 1028
Prouerbium 71
Prouidentia Dei deſcripta, diligenter expenſa, & aſſerta 60.233.234.247.266.267.278.279.287.312.347.357.469.520.531.538.539.540.543.545.560.629.630.736.814.837.838.848.849.857.858.932.933.946.947.950.951.952.1005.1076.1077.1239.1288.1289.1377.
Prudentia virtus maxima, & eius gradus 700 prudentia principum qualis eſſe debeat 907.908. prudentia piorum vnde 1165
Pſallere Deo, quid 61. 907 pſallere intelligenter quibus conceſſum & negatum 388 pſallere nomini Dei bonum 835 pſalterium quale inſtrumentum 479
Pudefacere conſilium piorum, quid 95
pudefieri, quid 200.243
Pueri cur nominantur omnes ad Chriſtum conuerſi 1047
Pulchritudo domus Dei 218.219. regis eccleſiæ 365 Dei 820 eccleſiæ dei 866
Punctis vocalibus nunquam Hebræi caruerunt 101
Pupilla, cur filia oculi dicatur 118
Pupilli ſuſtentantur à deo 1373
Puritas manuum 132 mentis 152 cordis 610
Puteus profundus 325 puteus, pro afflictione grauiſſima 594
Putrefactio 314

Q

QVærentes deum, qui 60.61.179 quærere dei faciem 197 quærere deum 274.688 quærere deum mane 523 quærere animam alicuius 526 quærere deum in die anguſtiæ 668 quærere fortitudinem dei 962 quærere deum in toto corde 1127
QVÆSTIONES XXIX. de rebus grauiſſimis ad pietatem pertinentibus.
An liceat interitum impiorum expetere 456 cur Dauid tantopere deſiderauerit præſentiam arcæ fœderis 524 an timor & lætitia pioru pugnent 554 an liceat imprecari pœnas extremas, aut maledicere inimicis 492 de abſentia & præſentia Dei 608 an & quomodo eccleſia oret pro Chriſto 624 cur fideles impatienter ferant contumelias, quas Chriſtus iubet patienter nos ferre 706 cur Dauid petat ſignum quod in Phariſæis damnat Chriſtus 770 an ſpernenda ſint auxilia & remedia diuinitus monſtrata & conceſſa 825 cur fiat vt ſæpe pij celeriùs ex hac vita migrent 832 an piis vindictam petere liceat 847 cur apoſtoli prohibent obſeruari à gentibus ritus Moſaicos 865 cur Moſes nominatur dei ſacerdos 887 quomodo corda Ægyptiorum peruertiſſe Deus dicatur, vt odio haberet Iſraëlitas & fraudulenter cum eis agerent 971 an Iſraëlitæ peccarint aurum & argentum Ægyptioru clam auferentes 974 an Deus ſit mutabilis, qui morte hominum ſubitò excandeſcat, deinde placatus conſilium mutet 999 an clamantes ad Deum in afflictione ludant operam, vt aiunt Epicurei 1077 an impiorum interitum piis expetere liceat 1025 filij an portent iniquitatem patrum 1028 cur pij orant pro proſpero ſucceſſu regni Chriſti 1116 de integritate & imperfectione piorum 1123 an deus inclinet cor hominis ad rem malam 1133 de impoſſibilitate & poſſibilitate legis 1167 cur de Deo ſcriptura comparatiuè loquitur, ac ſi eſſent alij dij 1288 cur ſol & luna luminaria magna vocentur 1296 an piis liceat odio proſequi impios, & quomodo 1297 an piis liceat lætari de impiorum interitu 1306 cum deus ſatiet omnia animantia cibo, cur famem immittit 1365 cur deus differt liberationem expetitam cum ſuorum deſideria facere dicatur 1367
Querela peccatoris diligenter obſeruanda 435 ingens in ſummo periculo 458.658 &c. de afflictionibus eccleſiæ 703. &c. de magnitudine & mora calamitatum 756. & ſeq. de fragilitate & fugacitate vitæ humanæ 815 de ſecuritate hominum 817 de calamitatibus piorum 1131.1132
Querelæ efficaces 246 querelæ piorum, quid teſtentur 313 querela piorum ſub cruce 356.357.&c.461 querelæ ardentes pij animi 523 querela triſtiſſima, quibus non eſt indulgendum 630 crebræ in pſalmis 645 querela triſtiſſima pij viri ſub tentationum onere fatiſcentis 780. &c. querelæ ſanctorum carnem interdum ſapiunt 802 grauiſſima de iniuſtis odiis & crudelibus conatibus hoſtium eccleſiæ 1023 querela ethnicorum 1132
Quies Dei 737 quies piorum 850
Quieti terræ 287

R

RAhab, i. Ægyptus 775.792
Ranæ Ægyptios affligunt 973
Rapina, quid 518
Ratio humana doctrinæ euangelij hoſtis 254 rebelles à Deo puniuntur & ſubiguntur 543. 562 quomodo ad Chriſtum adducti 574 rebellio Iſraëlitarum 991 rebellio aduerſus verbum Dei atroces pœnas accerſit 1008
Reconciliationis noſtræ cum Deo modus 438 reconciliatio gratuita 931
Recordari quomodo deus dicitur 707 880. 1000. 1298 recordari verborum dei 1129 recordatio nominis dei quid 160 recordatio deſolationis eccleſiæ cauſa fletus 1301
Recti corde, qui 78.303.532 quomodo deum ſequuntur 851 quo ſenſu habitare coram facie dei dicuntur 1332 rectitudo dei 202 rectitudo, voluntatem reſpicit 268 rectitudo cordis 1126
Reddere mercedem ſuperbis 847
Redemptio Iſraëlitarum 986 redemptio eccleſiæ, beneficium laude digniſſimum 1391
Reducere, quid 714
Redire ad ſtultitiam 718
Refugium fidelium 517
Regeneratio dei opus eximium 438.439
Reges quales eſſe debent 157.617, &c.835 eorum faſtus retunditur 267 quomodo Chriſto offerunt munera 580 pertinent ad eccleſiam dei 622 eorum officium deſcribitur 699. 700 quomodo ſint affecti 731 quales eſſe debeant ergà ſubditos 905 &c. quomodo debeant pſallere deo 907 eorum officium deſcriptum 908. &c. à ſuis ſubditis contempti quid nos doceant 1015 ſunt ſerui Dei 1355 quomodo vinciantur catenis ab eccleſia 1393
Regna mundi quomodo conſeruantur 509 à quibus vera religio exulat, magna ſunt latrocinia 663. quomodo conſtituuntur & conſeruantur 731 regna Canaan à Deo percuſſa 1289.1298
Regni bellis labefactati deſcriptio 502 regnum Chriſti, impiis eſt vincula & funes 9 quale ſit in hac vita 178 qua ratione adminiſtratur 373 eſt omnium ampliſſimum 379 fidis ſubditis gratiſſimum 385. 386. æternum fore prædicitur 510 pios verè lætificat 558 regni Chriſti felicitas & perpetuitas depicta 557.579 759.798.1176.1374 regnum Dauidis & Chriſti 789 regni Chriſti deſcriptio luculenta 366.615.616.621.655.656.796.841.871.872.883.1041.1103.1115.1267
regni Dei procuratores quales eſſe debeant 53 regnum Dei, mons 193 regnum Dei eſt regnum omnium ſeculorum 1363 regnum gratiæ 179
Religio vera deſcripta 13 religio maiorum quatenus ſequenda 374 religio vera perpetua 152 quam ardenti ſtudio conſeruanda 750
Reliquiæ peccati in homine iuſtificato 424.435.995 reliquiæ indignationis, quid 665
Remedia quæ ſint malis noſtris quærenda 176 remedia vana aduerſ. conſcientiæ terrores 256.257 remedia philoſophiæ, inania 344 remedia in ani-

ſnorum doloribus 672 remedia diuinitus conceſſa an ſpernenda 825
Remedia certiſſima aduerſus tentationes vnde petenda 1144
Remedium malis nullum extra verbum Dei 260
Remedium aduerſus iram Dei 994
Remedium in periculis 1303
Remiſſio peccatorum quo fundamento nititur 204
ecclesia felicitas 253.254.255
mentibus parit lætitiam 260
Remiſſio culpæ 455
Remiſſio peccatorum pacat conſcientias 438
ardenter expetenda 1357
Remora precum 475
Renes, quid 46.109. 211 homines quomodo poſſidentur à Deo 1319
Repellere animam alicuius 783
Repetitiones ſuauiſſimæ 1295 &c.
Reprehenſiones, quid 115
reprehenſiones tempeſtiua perquam vtiles 1335 reprobare ſuos quomodo Deus dicatur 802 reprobi. vide impij
Reptile maris 951
Reputare vias ſuas 1147
Requies Dei 862.1171.1274
Requirens Deum, quis 93 requirere animam alicuius 1341
Res humanæ non temere feruntur 706
Reſpicere, quomodo deus dicatur 89. 594 reſpicere iniquitatem in corde 547 reſpicere ad ſemitas dei 1129
Reſpondere in latitudine 1107
Reſpublicæ cuſtodiuntur à deo 1240 vide regna.
Reſurrectionis Chriſti fructus 558
Rete quid 206
Retundere aciem gladij 803
Retributio impiorum 828
Reuerſio Dei 611.819
Rex gloriæ 198 rex eccleſiæ depictus 355.386.560.650 rex populi Dei 794 rex Iſraelis 1391
Ridere & ſubſannare impios cur Deus dicatur 10 riſus piorum in interitu impij 447 riſus Dei 493
Riuuli lætificantes eccleſiam 381.382
Riuus Dei 538
Roborari, quid 316
Robur Dei 53.537.583.769 robur ſalutum eccleſiæ 228 robur piorum 380.640.1110.1171 robur pro regno 572.885 robur in ſanctuario Dei 866
Robuſti dicuntur impij 491
Robuſti corde 863
Roſa quid ſignificent 363
Ruina impiorum deſcripta 185.284. 464.483.486.640.827
Rupes fidelium 126.348.514.515.605. 688.857.1251
Ruptura quomodo fit per quam penetrat furor Dei 990

S

SAba, quis 621
Sabbati præcipuum opus 815
Saccus, indicium luctus 241.285.592
Sacerdos ſummus deſcriptus 1049.&c. ſacerdotes gladio cadentes 696 ſacerdotum legalium & Chriſtianorum munus 1045 ſacerdotes Dei iuſtitia induti 1272 ſacerdotium Chriſti deſcribitur 1047.&c. aduerſus Iudæorum cauillationes aſſeritur 1048 melchiſedeci & leuiticum 1051.1052 &c.
Sacrificare in excelſis 693 ſacrificare liberos ſuos dæmonibus 997 ſacrificare hoſtiam laudis 1102 ſacrificia iuſtitiæ 26 ſacrificia ſub lege quid erant 159 ſacrificia iubilationis 220 ſacrificia quo ſenſu à Deo non amari dicantur, & eorum diſtinctio 328 fœderis dei ſymbola 413 notitia & timore dei vacua damnantur 414 externa ſine pœnitentia & fide deus non probat 441 legalia quomodo & quatenus deo placebant 442 voluntaria Dauidis qualia 455 cur inſtituta 545 non erant cultus principalis 598 cur à gentibus requirantur 867 ſacrificia mortuorum 995 ſacrificia laudis 1011 ſacrificia deo grata 526.1167.1323
Sacramentorum vſus pernecessarius 524. 1052
Sagitta volans per diem 827 ſagitta dei 130.313 ſagitta Chriſti 367 ſagitta confracta imago furoris impiorum 485 ſagitta dei aduerſus impios 530 ſagitta dei, fulgetra 674 ſagitta dei pro fulminibus 1354
Salem, quid 863
Salmon 569
Salmuna princeps midianitarum 749
Salomon typus Chriſti 365.&c.
Salſugo fertilitati oppoſita 1014
Salus, pro liberatione corporali & ſpirituali 84.96 ſalus eccleſiæ à quo 196.217. 218.514. 688 ſalus nulla extra eccleſiam 218.396.751 ſalus dei 331.419.551. 758 ſalus hominum vana 506 ſalus, pro liberatione quæ dei promiſſionem ſequitur 609 ſalus dei quomodo piis oſtenditur 832 ſalus parta brachio Chriſti 879 ſalutes vultus dei 346
Samuel cur inter inuocantes nomen Dei repoſitus 886
Sanatio, i. animi reſtitutio, & exhilaratio 238
ſanatio animæ 338
Sancti quid agere debeant in hac vita 258 non mox exuunt carnem cum vitiis 800 vide pij
Sanctificatio ſeu donatio Spiritus 48 quibus verbis expreſſa 439
Sanctitas decus eccleſiæ Dei 845
Sanctuaria Dei 584
Sanctuarium Dei 636.647
Sanctus, pro delecto ad aliquod munus 25
Sanctus Dei, quis 110 ſanctus quo ſenſu Deus dicatur 171 ſanctus Iſraelis 612.689.794
Sanguines piorum quid, & quomodo requirantur à deo 61
ſanguines, pro mortis ſupplicio 440
ſanguis pro morte 240
ſanguis Chriſti aſperſionibus & lotionibus ſub lege figuratur 438
ſanguis piorum Chriſto precioſus 623
ſanguis piorum deo charus, vilis perſecutoribus 705
Sapientes qui 1016.1263
Sapientia vera 151.306. 818
ſapientia humana, quàm miſera 152 355
ſapientia quid differat à cognitione 400 ſapientia in occulto piis patefacta, quid 437
ſapientia dei 151 ſapientia principium 1063 ſapientia eccleſiæ 1100 ſapientia reuelata in euangelio 1362 ſapientia Ioſephi 970
Sarcaſmi impiorum quantopere pios afficiant 348
Satanæ tela ignita 670.671
Satanæ conſilia aduerſus eccleſiam 737. 738
Satiari bonis domus dei 535.536 ſatiari mane gratia dei 819.820 ſatiari longitudine dierum 832 ſatiari bono 932 ſatietas piorum 121
Satum, menſuræ nomen 716
Saturari malis 780
ſaturitas impiorum 632
Saul dauidis hoſtis crudeliſſimus 125
qualis rex fuerit 657
Scabellum pedum Chriſti, quid & cur adorandum 886.1042.1043. 1170
Scandalum, vide Tentatio.
Scelera hominum quamuis occulta clamant 694
Scenopegia 721
Sceptrum Chriſti 368.1042.1043
Sceptrum pro tyrannide 1230
Scheba, quis 681
Schiggaion, quid 43
Schola crucis, ſchola lucis 849.850
Scholiaſtes græcus 944
Scientiam docet deus 849
Scientia à deo petenda 1149
Scientia dei mirabilis ſupra homines 1316
Scortatio duplex coniuncta, ſpiritualis & corporalis 992.993
Scrutari iniquitates 530
Scrutinia ſcrutata 530
Sculptilia, vide Idola.
Scutum eccleſiæ 146.126.136.228. 846
Scutum, vnde dictum ſit 781
Seculum, pro mundi fabrica 543
Securitas piorum 18
Sedentes aduerſus eccleſiam qui 1132
ſedere in cathedra deriſorum 3
ſedere deus quo ſenſu dicatur 45
ſedere, i. communicare conſilia 212
ſedere ab initio quo ſenſu deus dicatur 461
ſedere coram facie dei 510 ſuper cherubim quomodo deus dicatur 713 à dextris dei 1039.&c. ſuper flumina Babylonis 1300
Sedes plantata à dei dextera 718
Seditio Iſraelitarum in deſerto Sin 994. 995
Selah 17
Semen dauidis manet in æternum 240 790.798 Semen piorum in benedictione 305 potens in terra 1068 Semen abrahæ ſerui dei 963
Semita latronis, quid 117 ſemita dei ſtillantes pinguedinem 539 ſemita dei in corde piorum 747
Semita vitæ 112 ſemita mala 1164 ſemita hominis à deo obſidetur 1315 ſemita piorum nota deo 1341
Senecta, quid pios doceat 608
Senſus iræ dei 1031
Sententia prouerbialis 48
Sententia triſtis 727
Sepes eccleſiæ 635
Septies, pro plene & perfecte 85
Septuplum, quid 710
Sepulchri varia ſignificata 110 ſepulchrum inferius 767.768

Sepultura

Sepultura futura reſurrectionis teſtimonium 605
Seraphim 944
Serapis 989
Sermo, cur Deo tribuitur 10 ſermo Dei, cur igne excoctus 135 ſermo Dei quomodo pios examinat 969 quid, & quomodo currit velociter 1380 ſermones Dei pro accuſatione & damnatione peccatorum 4.6 ſermones linguæ agnoſcit Deus antequam proferantur 1316
Seruare fœdus Dei quid 937 ſeruare animam à iudicantibus 1034
Seruetus manichæus 953.954
Serui Dei nomen quid nos doceat 594 ſerui Iehouæ, qui 1075
Seruire Domino, quid 13 ſeruire Deo in lætitia 891 ſeruorum venditio 357 ſeruorum conditio 1221.1222 ſeruus Dei, honorificum regibus nomen 125 ſeruus Dei 764 Seueritas principibus neceſſaria 912
Si particula, id eſt non 861
Sichem 503.504
Signa Dei, pro indiciis & ſuppliciis tyrannorum 537 ſigna hoſtium eccleſiæ 647 ſigna eccleſiæ 648 ſigna à piis & impiis petita quomodo conſideranda 770 ſignum facere ad bonum 770
Silentium Dei 1021 ſilentium quid 171 peccatoribus non prodeſt 257 piorum quale ſit 513 Dei quale ſit 737.1023 ſilentium pro ſepulchro 1092 ſilentium Deo gratum, quale 1334 ſilere, quid 26 ſilere quomodo impij dicantur 248 ſilere Deo, quid 301
Silo, tabernaculum Ioſeph dicitur 697
SIMILITVDINES ſeu comparationes ex enarratione D. Molleri collectæ 4.6.12.47.48.62.71. 79.85.99.118.119.125.134.152.153. 174.175.177.185.186.187.188.189. 193.239.240.241.245.247.249.259. 283.284.295.299.304.307.324.337. 343.344.347.355.356.364.365.381.383. 394.404.446.448.459.475.476. 484.585.486.493.467.524.529.537. 544.557.560.561.569.580.618.619. 624.636.651.698.706.716.717.718. 728.740.781.801.804.814.815.817. 826.829.830.837.838.839.844.850. 852.859.917.919.932.935.936.942. 943.1029.1030.1031.1045.1109.1172. 1191.1204.1221.1225.1226.1227.1235. 1238.1242.1247.1248.1253.1254. 1260.1265.1280.1281.1328.1330.1335. 1338.1347.1356
Simplices cuſtodiuntur à Deo 1096
Simulachra virtutum in impiis 759 Simulachra, Hebræis dicta dolores, ab effectu 997 res nihili & dolores 1291
Simulationes pacis deſcriptæ 463
Sinceritas piorum 1176.1182
Si non, pro certè 1264
Sion habitatio Dei 61 mons Dei 193 mons ſanctus 352 quomodo electa & ſedes Dei 1274 eccleſiæ typus 533.874.920.921. habitatio Dei 646.647
Siſara oppreſſus 740
Soan 683
Soboles numeroſa à Deo 1078 ſobolis felicitas à Deo 205 ſocius, quis 101. ſocij piorum 1148
Sol deſcriptus 149 ſol piorum 752. ſol & luna teſtes durationis eccleſiæ 801 quomodo nouit occaſum ſuum 949 diei præfectus Dei miraculum 1296 ſol & luna quomodo laudant Deum 1385
Solicitudo pro aliis commendata 259 ſolicitudo piorum 1165
Solitarij ſeu ſteriles, qui 560
Solium, pro regni adminiſtratione 368 ſolium Dei duplex 389. 792 ſolium Dauidis quomodo in terram detractum 803 ſolium Chriſti ſtabile 843 ſolium iniquitatum 853 ſolium Dauidis magnificentiſſimum 1273
Solicitudines in mundo, dum ſubſiſtit eccleſia 383
Somnia, modus patefactionum Dei ſub lege 795 Somnus quomodo dilectis Dei conceditur 1270
Speculari pro præſtolari auxilium 31
Spargere & dare pauperibus 1072
Sperantes in Deum 763
Sperare in Deum 270 quid hæc ſpes nos docet 272.925 in verbum Dei 1259
Spes miſericordiam impetrat 475 ſpes omnium finium terræ 536 ſpes piorum 509.532.1031.1108. 1141.1342
Spina imago furoris impiorum 486.487
Spiritus oris Dei, quid 265
Spiritus cæleſtes, potentiſſimi 275
Spiritus ſanctus rectus, liberalis, piis in reſtauratione peculiari quadam ratione neceſſarius 439
Spiritus pro flatu euaneſcente 689 ſpiritus principibus aufertur & datur à Deo 665 ſpiritus Dei quomodo omnia renouat 953 ſpiritus quomodo operitur in homine 1006 ſpiritus quomodo operitur ſuper aliquem 1341 ſpiritus, pro mente & intelligentia Dei 1317 ſpiritus bonus Dei 1349 ſpiritus hominis 1371 ſpiritus, pro homine 1656
Splendoris eccleſiæ & mundi collatio 651. &c.
Sponſa Chriſti deſcripta 371.372. &c.
Stabilitas eccleſiæ 395 ſtabilitas piorum 1070
Stancari error 12
Stare à longe an Deo conueniat 67 ſtare à dextra alicuius 109 ſtare in rectitudine 215 ſtare in eccleſia quid 194 ſtare in ruptura coram facie Dei quid 990 ſtare ad dexteram alicuius 1034 ſtare in domo Dei, quid 1283 1285
Statuere coram oculis ſuis rem impiam 908.909
Status eccleſiæ ſub Machabæis 1392. 1393
Statuta, pro ritibus & cæremoniis diuinitus præſcriptis 800 ſtatuta Dei veracia 1061 ſtatuta Dei 1124.1128.1129.1132. 1134.1382
Stellæ quomodo laudant Deum 1385
Sternere viam Deo, quid 358
Sterilitas eccleſiæ 560
Sterilitas à Deo iuſto iudice 1013. 1014.1078
Stillare, pro loqui & prædicere 564
Stoicorum ἀπάθεια damnatur 274
Stratum facere in ſepulchro 1317
Studia Dei 61
Studium fidelium vt in notitia & reuerentia Dei faciant continuos progreſſus 748
Studium rerum diuinarum in ſeruis Dei 1131
Studium piorum 1147.1148.1170.1173. 1187.1188. &c.
Studium impiorum 1157
Stulti qui ſint, & eorum morbus inſanabilis 837.849
Stultitia cur peccatum dicatur 314.758. 1009 Stultitia impiorum 403
Suauitas nominis Dei 1287
Subditi Chriſti quid regi ſuo debeant 373 Subditi quomodo à regibus tractandi ſint 622 Subditorum officium 628.629. &c. Subditorum ſanguis debet eſſe pretioſus 623 Subditi Chriſti quomodo ab aliis differant 1044
Subſannatio Dei 493 Subſannationes impiorum virulentiſſimæ 1222.1223
Subſannatores ſeu ſcurræ aulici 286
Succeſſus regis eccleſiæ 366
Succoth vallis 504
Suffitus arietum ſub lege cur & quatenus Deo gratus 462 Suffitus Deo placens 1333
Superbè agentes, qui 250 Superbi deſcripti 326.327.581 Chriſto exoſi 658 in aulis 910 exoſi Deo 1131 derident pios 1144 concinnatores mendaciorum in Dei ſeruos 1150
Superſtitio vana & ſtolida 147
Superſtitioſi non ſunt membra veræ eccleſiæ 194
Superbiæ deſcriptio 70 Superbia voluptuariam vitam ſequitur 119 Superbiæ character 134 Superbia principum vnde 231 Superbia mater 248 Superbia duplex 326.327 Superbia hypocritarum retunditur 412 Superbia impiorum 632 Superbiæ remedium 658.659 ſuperbia peſtis principum 910 deſcripta 1263. &c. Superbiæ, quid ſint 154
Supplicia piorum cur Deus aliquoties patitur 561 Supplicia ſanctorum, cultus Dei 1109 ſupplicium impiorum 1329.1330
Surgere, cur Deus dicatur 19.63.72. 847
Suſtinere Deo quid 301
Sycophanta leoni comparatur 43
Sycophantæ aulici deſcripti 70.71 arcendi ab aulis principum 909 910
Symbolum remiſſionis peccatorum 517
Synodi tyrannicæ eccleſias Dei damnantes 854
Synodus 2. Nicena Iconolatra 886
Syria Zoba 501

T

TAbernacula Dei 648 Tabernacula Cham, Ægyptus 692 Tabernacula Dei cur amabilia 745 Tabernacula impietatis 752 Tabernacula Iacob 774 Tabernacula iuſtorum 1110
Tabernaculum, quid 99 Tabernaculum Dei 509 Tabernaculum Dei in eccleſia 662 Tabernaculum Silo 695 Tabernaculum Ioſeph ſeu Silo cur reprobatum 697

Tacere à bono 320
Tactus montium ut fument 1354
Taciturnitas Dei 737
Taiſan apud Turcas, i. filius Dei nomen ſummi principis eorum 734
Talionis pœna 1307
Tarditas Dei ad iram 1361
Tauri robuſti, qui 174 *Tauri pro hoſtibus robuſtis eccleſiæ* 581
Tegere peccata 755
Tempeſtates horrendæ quid pios doceant 234 *Tempeſtatis in mari deſcriptio* 1012.1013
Templi Dei epitheta 438
Templum Hieroſolymitanum, typus Chriſti 839
Tempora noſtra in manu Dei 247
Temporum noſtrorum imago 737
Tempus inueniendi Deum 258 *tempus beneplaciti* 593 *Tempus, pro felici ſtatu* 728
Tenebræ, quo ſenſu dei latibulum dicantur 130
Tenebræ, pro afflictionibus 134
Tenebræ terræ, quid 652 *Tenebræ pro pauore & dolore* 781 *Tenebræ noctis ordinatæ à Deo* 949 *Tenebræ Ægyptiæ* 972 *Tenebræ abſcondere hominem à Dei conſpectu nequeunt* 1318
Tentare Deum, quid 684.693.860.987
Tentatio difficilis 339 *Tentatio de dilatione auxilij quomodo vincitur* 470 *Tentationes duplices in eccleſia* 87.88 *quomodo iis reſiſtendum* 89 *Tẽtationes quæ nos arcent à Dei conſpectu quomodo vincendæ* 210 *Tentationes piorum dum impios florere vident* 293 *Tentationum vices* 346 *Tentatio ex proſperitate impiorum* 633. &c. *Tentationes omnes quomodo ſuperandæ* 813 *Tentationes grauiſſimæ deſcriptæ* 667.668. &c.
Teſtimonium Dei 151 *Teſtimonium, pro lege quæ teſtatur de voluntate* 723 *Teſtimonia Dei* 203 *Teſtimonia Dei, pro doctrina à Deo patefacta* 845.1124.1131 *Teſtimonia Dei mirabilia* 1177
Termini regni Dauidis & Chriſti 797
Terminus humanæ vitæ 464
Terra motus iræ Dei indicium 129 *Terra quo ſenſu Dei eſſe dicatur* 191 *Terræ ſuper aquas fundamenta potentiæ Dei argumentum* 193 *Terra viuentium* 222.1342 *Terræ motus efficacia* 233 *Terra, pro terræ incolis* 266.541.553.755.863.871.891 *pro toto orbe* 381 *pro hoſtibus eccleſiæ* 383 *Terra quorſum à Deo vocatur* 412 *quomodo à Deo viſitatur* 538 *tremens ante Deum* 563 *Terra obliuionis* 783 *Terra, teſtis potentiæ Dei* 792 *Terra quietis quæ* 862 *Terra commota ſub regno Chriſti* 884 *Terra moles in medio aëre ſtabili firmitate ſuſpenſa* 944 *antequam ab aquis diſcerneretur, qualis erat* 945 *ſatiatur fructu operum Dei* 946 *impleta Dei opibus* 950.951 *ſanguine humano effuſo polluitur* 958 *Terra Cham* 970 *Terra deſiderabilis quæ* 991 *Terra anathemate percutitur propter peccata hominum* 1254 *quo ſenſu dicitur data filijs hominum* 1090 *Terra viuentium* 1097 *Terra ſuper aquas, Dei miraculum* 1296 *Terra aliena non eſt capax laudum Dei* 1362 *Terra rectitudinis* 1350
Terreri vſque & vſque 742
Terribilis cur Deus dicatur 666 *Terribilis Deus in cœtu Angelorum* 791 *Terribilis Deus ſuper omnes Deos* 865
Terrores panici à Deo 59 *Terrores mortis in periculo ingenti* 458
Terrores Dei 784 *Terror noctis* 827
Teſtes falſi morte mulctati ſub lege 910
Thabor mons, teſtis potentiæ Dei 792
Tharſis 394
Theodoſij imperatoris dictum 906
Theodoſius imperator petit abſolutionem ab eccleſia 1133
Theſauri ſcientiæ in eccleſia reconditi 777 *Theſaurus fidelium* 1151.1175
Thronus Dei quomodo ſtabilitus in cœlis 937
Tibia 1398
Timentes Dominum ſunt Chriſti fratres 178 *nullo bono indigent* 276 *idonei auditores & ſpectatores mirabilium Dei* 546
Timere Deum, quid 326
Timor pro toto Dei cultu 178.205.554 618 *Timor Dei quid efficiat* 276 *Timor, pro reuerentia erga iudicia Dei* 447 *Timor piorum in periculis vnde* 458 *Timor, pro agnitione iræ iudiciorum Dei aduerſus peccata, &c.* 818 *Timor Dei principium ſapientiæ* 1063 *Timor pios decens* 1067 *Timor Dei nos reddit felices* 1245
Titubatio pedum, dubitationes mentis 631
Tolerantia ſub cruce 358
Tollere manus ad Dei mandata 1143 *ad ſanctuarium* 1283
Tonitru, quo ſenſu vox Dei 130. 232. 233.674.675 *præſentiæ Dei Iudæis ſignum* 725 *Tonitrua ſignum potentiæ Dei* 582
Torrens, pro ſubito & graui periculo 127 *Torrens deliciarum* 295 *Torrens de quo Chriſtus bibit in via, quid* 1055 *Torrentes Belial* 127
Traditiones pontificiæ refelluntur 374
Tranſgreſſiones, quid 202
Tremiſcere à facie Dei 867
Tremor piorum in periculis vnde 458
Trepidare trepidatione 94
Tribunal Dei, quale 1343
Trinitatis myſterium 1295
Triſtitiæ effectus 39 *Triſtitia hominem deiicit* 337 *Triſtitia ſumma quid efficiat* 782 *Triſtitiæ ſummæ ſigna* 1032
Triumphi Dauidis & Romanorum 572
Tubæ clamor in nouilunio 723
Tugurium eccleſiæ 186
Tumultus piorum, quid 462 *Tumultus impiorum cumulatur in dies* 652 *Tumultus Iſraelitarum* 992
Turbo, flatus naris Dei 131
Turcæ hoſtes eccleſiæ 704 *Turcarum impia gloriatio* 708
Turris fortitudinis piorum 509
Turtur Dei 651
Tympanum, quale inſtrumentum 722
Typus. Vide Dauid 795
Tyranni, cur dicatur homines 74 *quib. armis euertantur* 282 *venatores eccleſiæ* 344 *non ſunt longæui* 464 *à Deo puniuntur* 543 *deſcripti* 619. 847 *quam horrendum iudicium ſibi accerſant* 731 *tandem punientur & euertentur* 854 *eorum oppreſſores quo ſenſu dicantur beati* 1307 *Tyrannis impiorum in eccleſiam cur ad modicum tempus* 1130
Tyrus qualis vrbs, & cur Sor dicta 375 *potentiſſima inter vrbes Paleſtinorum, hoſtis eccleſiæ* 739

V

Vacillare, quid 2
Valetudo firma impiorum 631
Valentinianus primus, prudens imperator 910
Valentinus Gentilis hæreticus Arianus 916
Valentis imperatoris dictum 46
Vallis vmbræ mortis, quid 187 *vallis ſalinarum* 501 *Valles quando apparuerunt* 945
Vanitas vaniſſima, homo 517 *vanitas, quid* 1138 *vanitas hominis* 1353 *vanitates temerariæ* 245
Vas abiectum, pro re contemptiſſima 245
Vbiquitarij refelluntur 1040
Vectes portarum eccleſiæ roborantur à Deo 1379
Venire ad Deum 330
Venditio populi Dei 357 *venire ad ætatem patrum* 406 *venire in ignem & aquam, pro extrema quæque experiri* 545 *venire de virtute in virtutem* 749 *venire in conſpectum Dei* 891 *venire in nomine Dei quis dicatur* 1117.1118
Venter, pro reliquo corpore 246
Venti alæ, currus Dei 130 *venti procelloſi* 234 *venti obediunt deo* 686 *venti nuntij & miniſtri dei* 943 *vẽti teſtes prouidentiæ diuinæ* 1289 *ventus orientalis vehemens* 394 *ventus mandato diuino excitatur* 1012
Ver deſcriptum 1381
Verba notitiæ complectuntur etiam affectus comitantes 6.109 *verba abſoluta ſequente caſu ſiunt actiua* 71 *verba ſenſuum & intellectus apud Hebræos voluntatem & affectus complectuntur* 94 *verba Hebræa, quæ aliâs actionem ſignificãt vel ſunt ſubſtatiua, ſæpe notant non tam actionem ſeu eſſentiam quàm opinionem ſeu iudicium hominum* 95 *verba iniquitatum* 534 *verba immediatè conſtructa cum aliis verbis induunt naturam aduerbiorum* 707 *actiones ſignificantia apud Hebræos ponuntur pro actionum cauſis* 971 *verba mirabilium dei* 1361
Verba dei præſtantia 85 *verbum, pro conſilio, ſuaſu, inſtinctu, inſtructione, mandato* 117 *verbum dei quo ſenſu dicitur rectum* 151 *pretioſiſſimum & dulciſſimum* 152 *pro toto conſilio & decreto de creatione mundi eiúſque gubernatione* 264 *in creatione, quid* 265 *verbum pro ſermone & obiecto ſermonis* 339 *verbi dei efficacia* 394 *verbum euangelij remiſſionem peccatorum in Chriſto offerentis conſcientias afflictas reficit & exhilarat* 418 *verbum Dei lætitiæ piorum materia & obiectum* 468 *verbum amarum* 529 *verbum dei vocat gentes* 765 *verbum à deo mandatum, quid* 964 *verbum dei ſanat ægrotos* 1010 *mundat viam iuuenum* 1127 *quomodo viuificat pios* 1143 *eſt immutabile & permanens in æternum* 1159 *eius vtilitas & eximius vſus* 1166 *effecta* 1175 *puritas & firmitas* 1181 *dei caput* 1188 *verbũ dei impiis deriſoribus non offerendũ* 1302
Veritatem loqui corde, quid 100 *veritas nulla extra dei verbũ* 150.151 *veritas in deo, quid* 203 *veritas, pro verbo dei* 212

veritas

veritas Dei in mundi conſeruatione conſpicitur 294 veritas Dei 331.352
veritas interna requiritur à Deo 437
veritas Dei extenditur vſque ad cælos 480 veritas, virtus regia, quid ſignificat 512 veritas ſalutis Dei 593 veritas Dei 612 veritas germinans è terra 758. 760 veritas Dei, pro fide in ſeruandis promiſſis 783. 1345
veritas Dei cum cœlis ſtabilietur 787
veritas Dei in cœtu ſanctorum celebratur 790 verita & potentia Dei ſimul iunctæ ſunt 791 veritas Dei in eccleſia 797 veritas Dei clypeus piorum 826 veritatem Dei annuntiare, bonum 835 veritas Dei multiplicem habet ſignificationem 1061 veritas Dei cur manet in æternum 1104 veritas in inuocatione requiritur 1366
Veſpera pro afflictionibus 239 veſpere & mane pro indeſinenter 462
Veſtes eccleſiæ ſponſæ Chriſti 379
Veſtigia Dei hominibus incognita 674. 675
Veſtimenta Chriſti 369.370 veſtimenta Chriſti & eccleſiæ quomodo diuiſa 176 veſtimenta Dei, gloria & decor 941
Veſtis impiorum 1034
Vexillum piis à Deo datum, quid 503
Via, quid ſignificet 2.61 via Dei integra 135 via integra hominis 551. 766 via Domini 135.221 via piorum Deo dilecta 305. 418 viam diſponere, quid 419 via quomodo paratur Chriſto in deſertis 558 via Dei in ſanctuario 672 via Dei eccleſiam ducentis in mari & in aquis, non per hortos deliciarum 675 via, pro toto vitæ inſtituto 1123 via teſtimoniorum Dei 1129 mandatorũ Dei 1134 falſitatis & veritatis 1135 ſtatutorum Dei ibid. doloris 1324 ſeculi ibid. impiorum ſubuertitur à Deo 1374 viæ ſeculi, via latronis 117 viæ dei, quid 132.101.202.203.439.934.1124 via iuſtitiæ, quid 187 via noſtra quomodo in deum deuoluenda 300 via hominum, pro vocationis operibus 829 vias dei non cognoſcere 862 via piorum 1125 viæ hominis intelliguntur à deo 1316
Vices variæ in vita impiorum 516 vices eccleſiæ 575.607 vices rerum humanarum à dei prouidentia 1015
Vicini eccleſiæ eam ſarcaſmis excipiunt 357.715
Vicinitas præcipuum amicitiæ vinculum 146
Viciſſitudo in lucta piorum 322
Victoria eximia dauidis 163
Victoria eccleſiæ dei 1392
Victoria Chriſti regis eccleſiæ 566.1042. 1053
Videre quo ſenſu deus dicatur 61.72.80 videre in iuſtitia dei faciem, quid 121 videre dies bonos 276 videre lumen in lumine dei, quid 296 videre quomodo debeat fideles 373 videre in inimicos 494.838.1072.1108 videre Deum deorum in Sion, quid 749 videre mala quid 611 videre mortem 805 videre malum, pro affligi 820 videre in bonum electorum Dei 983
Viduæ cur eccleſiæ comparantur 560 viduarum Iſraelitarum miſeria 696 viduæ ſuſtentantur à Deo 1373 viduæ interfectæ ab impiis 848
Vigilantia piorum 1164
Vigor ſpiritualis piorum, vnde 839.840
Viles homines, qui 86
Vincti à deo liberati 561
Vindictas dare, quid 140 vindictæ cupiditas omnis an illicita 340 vindictæ celeritas 596 vindicta an & quomodo expetenda 706.707.710. 847 vindicta eccleſiæ in gentibus qualis ſit 1392
Vinea dei 716.717
Vinum vacillationis 502 vinum turbidum, quid 659 vinum ad quid creatum à deo 947
Vir ſanguinum 32 vir doloſus & improbus 350 vir nomen reale, non perſonale 719 vir iniuriarum 1317 vir linguæ & violentiæ 1330
Virga ferrea 12 Virga paſtoris Chriſti quomodo pios conſolatur 188 virga hæreditatis dei 646 virga hominum in manu dei eccleſiã caſtigantis 800
Virgines eccleſiæ comites 379 virgines non laudatæ, i. innuptæ 696
Viri ſanguinum & doli, pro crudelibus & mendacibus 464.491
Virtus dei, pro præſenti, valido & firmo auxilio 163
Virtus creſcit in ærumnis 353 virtus in deo ſolo quærenda 506 virtus operum Dei annuntiata eccleſiæ 1061 virtutes quales ſint in Dei ſeruis 759 virtutes principum & regum 511.699. 700.905.906
Vis Deo grata 645
Viſiones, modus patefactionum Dei ſub lege 795
Viſitare, pro alicuius rationem habere 54 viſitare pro punire 800 viſitare in ſalute, quomodo Deus dicitur 982 viſitatio Dei duplex 54 viſitatio eccleſiæ 718
Vita Chriſtianæ ſumma 13 vita piorum 1129 vitam cur pij exoptent 139 cur ſæpe breuiſſima 831 vita ſemita 111 vita æterna deſcripta 112 cur dicitur merces 153 terra quietis 862 piis data 1106 vitæ prorogatio inſigne dei beneficium 164 vita in voluntate dei, quid 239 vita vera 276.277 vita impiorũ polluta, vnde 291.292 vita hominũ fragilis & fugax deſcripta 321.689.815. 804.814 vita longæua regum, eſt dei benedictio 624 vita placida & iucunda impiorum 632 vita inferno propinqua 780 vitæ nulla pars caret moleſtia 817 vita piorum redempta è ſepulchro 932 vita breuis & longæua quomodo conſiderãda 1026 vita præſens ac futura depicta 1235. 1236 vita in quem finem optanda 1190 vitæ, pro vitæ commoditatibus 1282
Vitia malorum principum 906
Vitis quid patres familias doceat 1247
Vituli populorum, qui 581
Vituli labiorum vitulis quadrupedibus cur anteferendi 599
Vitulus ab Iſraelitis confectus 989
Viuere, quid Hebrais 179.316
Viuificare 757 viuificari in via domini, quid 1138 iuſtitia dei 1139
Viuificatio piorum 268. 611. 1133.1161. 1167.1311.1350
Vltio dei ſuper opera ſeruorum ſuorum quid 888 vltionum deus 846 vltores, qui 53
Vmbra alarum dei 475 vmbra mortis 187.359 vmbra omnipotentis 823
Vmbraculum fidelium 1210
Vmbra legis Chriſtum oſtendebant 330
Vnica, pro derelicta & omnibus præſidiis deſtituta 177 vnica, cur anima dicitur 286
Vnicornis 838
Vncti dei cur fideles appellentur 966 vnctiones olei veteribus vſitatæ 838 vnctus quomodo & quo oleo fuerit Chriſtus 368 vnio cordis ad timendum dei nomen 766
Vocatio gentium prædicta & deſcripta 12. 140.179.180.389. 479.534.541.542. 551. 581. 611. 765. 766.775.776.863. 874.891.921.924.961.1103
Voces blaſphemæ & contumelioſæ impiorum 287.648.649. voces hominis deſperati 458.459
Volucres cæli teſtes diuinæ prouidentiæ 946
Voluptas Chriſti 107
Volumen libri, quid 330
Voluntaria oris 1168
Voluntas Dei de conſeruatione mundi firma eſt 247 voluntas, id eſt obedientia Chriſti nos ſanctificauit 329 voluntate Dei omnia nobis accidunt 357 voluntas Dei an mutabilis 717 variis modis ſub lege patefacta 795 eius efficacia 945 voluntas Dei potentiæ eius regula 1086
Voluntas Dei liberrima 1288
Vota piorum 218. 283.522. & ſeqq.638. 639.640.955.956. vota dauidis qualia fuerint 226 non fauet papiſtis 1269 vota vbi verè redduntur Deo 533 vota, pro affectibus ardentibus & precibus 510. vota ſancta & profana 512 vota ex infirmitate profecta 737 vota neceſſaria quæ 750 vota Deo reddenda 178.415.546.665.1010. votũ votorum quod ſerui Dei in dies concipiunt 1166
Vox Dei in rerum natura, quid 232 vox dei duplex 382 vox in precibus cur neceſſaria 453 vox, pro ſuperbis minis impiorum 457 vox dei reſonat in verbo patefacto 757 vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum 1110
Vrbes Dei prouidentia conſtituuntur 1014
Vrbis ſanguinariæ deſcriptio 459.460
Vſura deſcribitur & damnatur 102.1027
Vſthazanes Perſa, Chriſti martyr eximius 589
Vſus rerum ſine oratione, & gratiarum actione profanus & illegitimus 237 vſus triplex doctrinæ ſacræ 680 vſus doctrinæ crucis 850
Vulgi iudicium peruerſum 335. & ſeq.
Vulnera animi, quanta 314
Vulnerati Dei, qui dicantur 597
Vultus Dei 346 vultus Dei ſuper impios 278 quomodo luceat erga pios 551

Z

Zeba, princeps Midianitarum 740
Zeeb, princeps Midianitarum 740
Zelus pius erga ſacrum miniſterium 523.524.1008. zelus domus Dei quãtus in Chriſto & fidelibus 591 Zelus piorum impios in rabiem agit 592 zelus piorum dum impij florent 637 Zelus piorum deſcriptus 706.748. 1147.1136.1169. 1175.1180.1303. 1308 Zelus dei 706 Zelus pius dauidis 1269
Zion, vide Sion 62
Zoba, quæ regio 501
Ziph deſertum, in quo Dauid diu latuit 521 Ziphæi, imago mancipiorum, tyrannidis aduerſus eccleſiam 458

FINIS.